BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
17 R
M 8

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

TRACTATUS THEOLOGICI OMNES,

In unum Volumen certis claſſibus congeſti;

Quorum aliqui nec Latine nec Gallice prius editi fuerunt:

Una cum INDICE duplici, altero Tractatuum, altero Rerum.

ADDITI SUNT EJUSDEM

COMMENTARII IN LIBROS SENECÆ DE CLEMENTIA.

Editio ut poſtrema ita optima.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

Illuſtriſſimo & Potentiſſimo

PRINCIPI AC DOMINO,

D. GULIELMO,

Principi Auraico, Comiti Naſſaenſi, &c.

Euangelii Chriſti in Hollandiæ, & Zelandiæ inſulis aſſertori vindicique fortiſſimo, Gratiam & pacem à Domino.

AUt ego vehementer fallor, Illuſtriſſime Princeps, aut gratum ſimul & utile T. E. futurum munus adfero, ſed ab alio deſumptum, ne quiſquam id à me parum prudenter commendari, aut à me quicquam, ut ambitioſi homines ſolent, præter tuum & commune commodum captari opinetur. Ejus auctor is eſt, qui quantus vir fuerit, tres locupletiſſimos teſtes habemus. Ac primum quidem copioſiſſimam ipſius laborum meſſem: id eſt innumerabiles pene Eccleſias per univerſam præſertim Galliam diſperſas, quæ ab iſto, ſecundum Deum, parente ſe prognatas eſſe merito profitentur: deinde vero ab eo tam multa, tam erudite, tam judicioſe, tam etiam eloquenter, tam denique admirabiliter ſcripta, ut, quod citra invidiam ſit dictum, quæ in cæteris ſingularia elucent, in hoc omnia ſimul conjuncta eminere plane videantur. Iſtis adjungo certiſſimum illud virtutis non vulgaris teſtimonium, quod neminem Satan acrius quam unum Calvinum laceſſivit, à quo nimirum ſeſe in primis ad vivum uſque (quod ajunt) penitus ſauciari ſenſit. Et hunc quidem mirum non eſt perpetuum ſalutis hominum hoſtem, aut eos qui apertum veritati bellum indixerunt, Antichriſti nimirum Romani mancipia, eum à quo oppugnentur viciſſim perſequi. Illud autem plane triſte eſt, tantam eſſe poſſe partim erroris efficaciam, partim quorundam in ipſam etiam conſcientiam ultro peccantium improbitatem, ut pene ex ejus unius oppugnatione palmam petant, à quo maxime erudiri potuerunt. Sed hoc tamen uſque adeo novum non eſt, ut contra non alia unquam ſummorum virorum conditio fuerit: cujus rei præcipue nobis exemplum Athanaſius & Chryſoſtomus præbent. Origenem enim ne ii quidem ſatis excuſare potuerunt qui ſunt ab eo faſcinati. Cæterum jure an injuria tot in eum undique hoſtes ferantur, operæ pretium quoque fuerit, expendere. Monet Dominus ut ex fructibus Pſeudoprophetas dignoſcamus. Hos fructus eſſe ſtatuo, vitam & doctrinam. In Calvini vita quid iſti tandem reprehendent, niſi hoc illis vitioſum videtur quod eorum minime ſimilis fuit? homo alioqui peccator (ne quis ita inſaniat ut hunc à me velut in deos referri cum Antichriſtianis illis mancipiis clamitet) ſed, ut omnia paucis dicam, iſtis prorſus diſſimilis, qui neque cujusquam unquam gratiam captaſſe, qui nullos unquam honores ambiviſſe, qui nullas unquam opes dici poſſit quæſiviſſe, cui tamen nihil eorum defuit quibus ad eas res abuti homines nimium multi conſueverunt. Id vero an iſtis ipſius antagoniſtis conveniat, omnes in quorum oculis verſantur judicanto. In doctrina vero quid iſti reprehendunt? Arrodunt nonnulli hunc vel illum locum ex ipſius ſcriptis excerptum, homines maxima ex parte ſic imperiti ut ne refutatione quidem egeant, quaſi ex eo quod quiſpiam certo loco breviter ſcripſerit, ſtatim ſtatuendum ſit quid quiſque de dogmate quopiam ſenſerit. Alii quaſdam ejus explicationes non probant. & ſane modo nihil dicatur quod cum fidei analogia non conſentiat, ſuum hic cuique judicium liberum eſſe oportet, & ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjectos. Sed quæ hæc eſt improbitas, donum illud interpretationis excellens quod huic homini Deus conceſſerat, ſive judicii acumen, ſive eruditionem, ſive candorem ſpectes, vel aſpernari prorſus, vel diſſimulare, ut nonnulla aut non animadverſa, aut ſatis appoſite dicta reprehendas? Non minus iniqui ſunt, qui quod non iiſdem atque alii formulis aut diſtinctionibus utatur, veluti quod fidem non fecerit pœnitentiæ partem, quod cordis contritionem non vocet mortificationem, quod venialis & mortalis peccati diſtinctione non utatur, quod non doceat Fidem & Spem adoptionis amitti, ferre in ipſo non poſſunt, & occaſionem adverſariis nos tanquam diſſidentes accuſandi præbent, quum tamen, ſi quis omnia propius expendat, vel nullum, vel leviculum in rebus ipſis diſſidium eſſe ſit comperturus, vel fortaſſe (quod confidenter dico) Calvinum ſit tandem faſſurus non ab re de quibuſdam paulo aliter dixiſſe. Quaſi vero in veteribus etiam illis quos nonnulli volunt omni exceptione eſſe majores, eadem aut ſimiliter expreſſa omnia comperiantur. Alii denique ipſum ut blaſphemum & impium accuſant. Quinam id vero? quia ſcilicet Deum facit peccati auctorem, qui tamen, ſtertentibus iſtis religioſiſſimis pietatis defenſoribus, hoc ipſum dogma in Libertinis ex profeſſo coarguit. Stoici fati dogma nonnulli etiam ipſi impingunt, D. Philippi auctoritate abutentes, qui tamen hac ipſa de re ad Calvinum ſcribens: Scio, inquit, noſtra cum tuis prorſus congruere. Sed noſtra παχύτερα ſunt, & ad vulgi captum accommodatiora. In

has autem eruditorum virorum accuſationes incidere eos oportet, qui vel eorum ſcripta, quos tamen audent reprehendere, attente non legunt: vel præjudicatas opininnes afferunt quæ ipſorum luminibus manifeſte officiunt: aut ex aliorum potius ſenſu, quam animi judicio loquuntur & ſcribunt. Quod ad eos autem attinet qui illum ut Arrianum, aut de tribus hypoſtaſibus non recte ſentientem accuſant, quo tamen nullum acriorem adverſarium noſtris temporibus habuerunt Trinitatis aut Deitatis Chriſti hoſtes, non recuſo quin ex ipſius ſcriptis judicium fiat. Certum eſt ſcilicet impietatis crimen inter A ſe & Per ſe ex ſcholaſtica theologia non ubique diſtinxiſſe: & Filium eſſe Deum de Deo negat qui unicam ac ſingularem eſſe Dei Patris ac Filii Deitatem docuit. Sed illud capitale nimirum crimen eſt, quod corpus illud Chriſti alibi nunc non eſſe quam in cælis, ac proinde non ore ſed fide ſola, vere tamen, percipi in Cœna quoque Domini conſtanter docuit, & Sacramentalem unionem hoc unum requirere ſenſit, ut quod ſigno adjuncto promittitur vere offeratur, non item ut eodem loco ſignum & ſubſtantiæ ſignificatæ ſtatuantur.

Hinc iſti clamores, Negari Dei omnipotentiam, Ad nihilum redigi Filii Dei teſtamentum, Separari naturas in Chriſto, & cæteræ ejuſmodi putidæ calumniæ, quas indignantur quicunque vel leviter imbuti ſunt religionis Chriſtianæ notitia ab iis proficiſci potuiſſe qui doctores cæterorum haberi volunt: ac non potius ab omnibus pro impiis ac blaſphemis haberi qui hypoſtaticam unionem ſola Deitatis energia definiunt cum Neſtorio & Monophyſicis: & idiomata Deitatis in carnem reipſa effuſa cum Eutychete aperte docent: incarnationem cum aſcenſione, & hanc rurſum cum ſeſſione ad dexteram patris confundunt, qui unicam Deitatis per carnem operationem cum Monothelitis ſtatuunt, denique uſque adeo ſunt impudentes, ut vel cum illo deteſtando Serveto uni eidemque ſubjecto duo repugnantia, nempe Circumſcriptum eſſe, & Incircumſcriptum eſſe attribuant: vel cum Marcionitis carnem Chriſti in ſpectrum transforment. Sed de his, ceſſantibus hujus ſeculi hominibus quos erroris efficacia faſcinavit, tum poſteritas, tum ipſe tandem Dei Filius certe judicabit. Et de his quidem is accuſatur, cujus iſtas tractationes in unum volumen conjectas nunc edimus, de quibus doctorum, ut ſpero, omnium conſenſu dicere mihi fas eſt, vix ullam hoc noſtro ſeculo fuiſſe renovatam, aut recens excogitatam hæreſin, quæ non ſit in his libellis, firmiſſimis ſolidiſſimiſque ex imo Dei verbo petitis rationibus, refutata. Fuit enim homo iſte eo judicii acumine, eaque bonitate ingenii, Dei beneficio, præditus, ut in quibuſvis controverſiis ſtatim quid in quæſtionem veniret, animadverteret, & cauſæ jugulo petito, veritatis adverſarios ſterneret, inanium argutiarum fugitans, omnis ſophiſtices hoſtis acerrimus, zelo aſſerendæ veritatis ubique ſic fervens, ut fugientem etiam hoſtem perſequeretur. Hinc factum ut vehementius interdum in ipſas etiam perſonas ferri videatur, quo nomine qui uſque adeo ipſum accuſant ut convitiatorem etiam appellent, velim etiam atque etiam ſecum cogitent heroicos illos ſpiritus divinitus & peculiaribus quibuſdam afflatibus impelli, quod niſi conſideremus, multa ſæpe in illos etiam omni exceptione majores, ſanctos videlicet Prophetas, reprehendendos in iis exiſtimaverimus, de quibus tamen ſummam laudem promerentur. Mitiſſimo ingenio fuerunt, Jacob, Salomon, Ezechias: acerrimo Joſue, Gedeon, Simſon, Aſa, Joſias: moderato Joſephus, Moſes, David. Prophetis interdum nihil acerbius, interdum nihil dulcius fingi poteſt. Agebat enim eos Dominus prout tempora & eorum mores ferebat, ad quos mittebantur. Alioqui quomodo probabis Jeſaiam clamantem, Populc Sodomæ & Gomorræ, & tot ſarcaſmis Nebucadneſari in mortuorum perſona illudenti? Et Eliam quo ſpiritu dixerimus impulſum in re tam ſeria Baalitas irridere? Et illa Ezechielis de Ohola & Oholiba, & infinitas pene ſimilitudines apud Prophetas à fœdiſſimis etiam rebus deſumptas: illud Joannis Baptiſtæ, Progenies viperarum, in eos etiam contortum qui ad ipſius Baptiſmum accedebant: illa denique Chriſti in quo peccatum nullum fuit, Hypocritæ, Parietes dealbati, Diabolo patre nati, Latrnnes, Natio ſpuria, Homicidæ, flagellum ex funiculis repente confectum, menſarum & numulorum everſio: & illa Pauli, Inſani Galatæ, & Cavete canes, cujuſmodi tandem fuerint? Quamvis autem cum iſtis omni exceptione majoribus minime conferendi ſunt conſecuti Eccleſiæ doctores, quaſi pari ſpiritus menſura præditi: in eo tamen ſimiles non dubito pronunciare quod eodem ſpiritu pro ſuo modulo donati eandem cauſam egerint. Talis fuit adverſus Marcionem, Praxeam, Hermogenem Tertullianus: in Eudoxiam Chryſoſtomus: adverſus Julianum Nazianzenus, quibuſcum certe nolim Hieronymum comparare. Epiphanius autem qualem ſeſe adverſus hæreticos præbet? tales quoque noſtra memoria nonnulli vere heroico ſpiritu, quoniam malo nodo malis cuneis opus erat. Omnino vero tam inter ſe diverſa ſunt, Dei cauſam agere immoderata etiam, ſi libet, vehementia, & temere ac vitioſe iraſci: quam lux & tenebræ inter ſe differunt. Itaque ſi quis Calvinum cuiquam convitium in his ſcriptis feciſſe, aut in privata cauſa iræ indulſiſſe, ac multo magis ſi quis eum mendacio patrocinatum fuiſſe convicerit, tum ego plane de ſententia deceſſero. Sin vero quam à natura inſitam vehementiam habebat, ea ipſe adverſus perditos ſophiſtas uſus eſt, ut interdum etiam modum non tenuiſſe videri poſſit, rogo moderatiſſimos iſtos homines quibus nimium incaleſcere videntur, quicunque ipſorum more non frigent, ut pro quo & in quem dicatur paulo attentius expendant: neque heroicos iſtos ſpiritus ex ingenio ſuo metiantur. Et de his quidem hactenus. Sunt enim iis iſta minime neceſſaria quibus per ſe veritas ſapit. Iis autem quos Dominus ſic excæcavit ut non modo conſcientiæ ſed etiam ſcientiæ, ſive, ut loquitur Apoſtolus,

fidei

Digitized by Google

fidei quoque naufraginm fecerint, inſanierim quidem ego, ſi ſatisfieri ulla ratione poſſe ſperaverim. Vincet tamen veritas, aut jam potius vicit. Tuæ vero potiſſimum Excellentiæ, Illuſtriſſime Princeps, hoc excellens volumen duabus præcipue de cauſis conſecrandum duxi. Quum enim injurias tibi maximas illatas ita ſis adhuc fortiſſimo maximoque animo perſequutus, ut quacunque te Jus & Æquum circumduxit, Chriſtum quocunque perveniſti ſimul introduxeris, ejuſque regnum hac ratione quantam nullus adhuc noſtra memoria Princeps amplificaris, exiſtimavi non poſſe me tibi tam præclare rem geſtam auſpicatius gratulari, quam ſi ejus hominis ſcripta quam eruditiſſima in unum hoc veluti corpus congeſta tibi conſecrarem, quo nullus hoc noſtro ſeculo (ſingulari quodam Opt. Max. Dei beneficio) reipub. Chriſtianæ pomœria longius propagavit. Deinde quum eæ tibi provinciæ ſint à Deo attribntæ quas conſtat omnium portentoſiſſimarum hæreſeôn, cujuſcunque tandem id culpa fiat, adhuc feraciſſimas fuiſſe, merito, ni fallor, ſtatui nihil magis oportune poſſe fieri quam tuis illis fortiſſimis ducibus quibus ad Satanam hoſtem illum omnium maxime formidabilem debellandum uteris, non tam arma quam armamentarium mitterem, unde omnis generis tela nullo negotio depromant, quorum etiam nonnulla competient ipſo debellatorum hoſtium ſanguine cruentata. Iis certe ſi dextre utantur & in hoc præcipue incubueris, ut in opere illo Domini laborantes juves, (quod futurum confido,) aut illa monſtra ne impreſſionem quidem primam ſuſtinebunt, aut quo pertinacius reſtiterint, eo glorioſiorem ex eis victoriam reportabis. Hæc ſpes ne nos fallat; Illuſtriſſime Princeps, & ut Excellentiam tuam ſanctiſſimorum votorum brevi compotem videamus, Deum Opt. Max. precor, Genevæ 17 Martii, Anno Domini, M.D.LXXVI.

Excellentiæ tuæ deditiſſimus

THEODORUS BEZA.

TRACTATUUM

Qui hoc volumine continentur,

INDEX:

In quo, ne quid à nobis Lector deſideret, annotavimus quo quiſque tempore & qua lingua ab ipſo authore ſcriptus ſit.

PARS PRIMA CONTINET.

Pag. 1. DE Cœna Domini, Gallice. Anno Domini, M. D. XL.

9. Epinicion Chriſto cantatum. M. D. XLI.

11. Catechiſmus Eccleſiæ Genevenſis, primo Gallice anno 36. ſcriptus, deinde ab ipſo auctore, eo qui nunc extat ordine & methodo editus, tum Gallice tam etiam Latine, adjuncta etiam formula tum precum publicarum tum adminiſtrationis Sacramentorum. M. D. XLV.

37. De neceſſitate reformandæ Eccleſiæ, Latine. M.D.XLIV.

64. De ſcandalis, Latine. Anno M. D. L.

90. Formula confeſſionis fidei, &c. L.

92. Confeſſio fidei, nomine eccleſiarum Gallicarum ſcripta, Gallice. M. D. LXII.

SECUNDÆ PARTIS

CLASSIS PRIMA.

99 Jacobi Sadoleti epiſtola ad S. P. Q. Genevenſem, & ad eam J. Calvini reſponſio, Latine. M. D. XXXIX.

116. Defenſio doctrinæ de ſervitute & liberatione humani arbitrii, adverſus Pighium, Latine XLIII.

178. Scholia in admonitionem paternam Pauli III. Latine, M. D. XLIV.

190. Antidotum adverſus articulos facultatis Theologiæ Sorbonicæ, Latine. M. D. XLII.

203. Admonitio de perquirendis reliquiarum, quas vocant, fruſtulis, Gallice. M. D.

216. Acta Synodi Tridentinæ cum antidoto, Latine. M. D. XLVII.

260. Interim adultero-Germanum, cui adjecta eſt, vera Chriſtianæ pacificationis, & Eccleſiæ reformandæ ratio, Latine. M. D. XLVII.

304. Reſponſio ad Verſipellem quendam mediatorem, Latine. M. D. LXI.

316. Reſponſio ad Balduini convitia, Latine. M. D. LXI.

321. Gratulatio ad Gabrielem de Saconay, præcentorem Lugdunenſem, Latine. M. D. LX.

331. Cenſura, ſeu brevis refutatio calumniarum Antonii Cathalani, Gallice. M. D.

CLASSIS SECUNDA.

335. Pſychopannychia, qua refellitur eorum error, qui animas poſt mortem uſque ad ultimum judicium dormire putant, Latine. M. D. XXXIV.

355. Brevis inſtructio adverſus errores communis ſectæ Anabaptiſtarum, Gallice. M. D. XLIV.

374. Adverſus fanaticam & furioſam ſectam libertinorum, qui ſe ſpirituales vocant, Gallice. M. D. XLIV.

403. Adverſus Franciſcanum libertinorum erroris ſectatorem, Gallice. M. D. XLVII.

CLASSIS TERTIA.

409. De fugiendis impiorum illicitis ſacris epiſtola, Latine. M. D. XXXVII.

423. De papiſticis ſacerdotiis vel adminiſtrandis vel abjiciendis, altera epiſtola, Latine. M. D. XXXVII.

434. De vitandis ſuperſtitionibus. M. D. XLV.

444. Excuſatio ad pſeudo-Nicodemos.
Quibus acceſſere Philippi Melancthonis, Martini Buceri, Petri Martyris, & Miniſtrorum Tigurinæ Eccleſiæ de eadem re Reſponſa. M. D. XLV.

457. Conciones quatuor, quarum prima, De fugienda idololatria: altera, De perſequutione ferenda: tertia, De pulchritudine domus Domini, ex Pſal 27. poſtrema, De Deo libere colendo, Gallice. M. D. LII.

485. Confutatio cujuſdam Hollandi, qui ſpecioſe obtendens, Chriſtianos à ſe prorſus ſpirituales redditum iri, concedit ut corpora polluant quibusvis idololatriis, Gallice.

CLASSIS QUARTA.

500. Adverſus Aſtrologiam judiciariam, quam Judiciariam vocant, admonitio, Gallice. M. D. XLIIX.

CLASSIS QUINTA.

510. Defenſio orthodoxæ fidei Sacræ Trinitatis adverſus prodigioſos errores Michaëlis Serveti, Latine. M. D. LIV.

568 Adverſus Valentinum Gentilem, Latine. M. D. LXI.

585. Reſponſum ad quæſtiones Georgii Blandratæ, Latine. M. D. LIIX.

587 Reſponſum ad fratres Polonos, quomodo Mediator ſit Chriſtus, ad refutandum Stuncari errorem, Latine. M. D. LX.

589. Brevis admonitio ad fratres Polonos, ne triplicem in Deo eſſentiam pro tribus perſonis imaginando, tres ſibi Deos fabricent, Latine. M. [illegible] LXIII.

591. Epiſtola quæ fidem hujus ad Polonos admonitionis confirmat, Latine. M. D. LXIII.

CLASSIS SEXTA.

593. De æterna Dei prædeſtinatione. M. D. LI.

629. Brevis reſponſio ad diluendas nebulonis cujuſdam calumnias, quibus doctrinam de æterna Dei prædeſtinatione fœdare conatus eſt, Latine. M. D. LIV.

CLASSIS SEPTIMA.

648. Conſenſio mutua in re Sacramentaria miniſtrorum Tigurinæ & Genevenſis Eccleſiæ, Latine. M. D LIV.

659. Secunda defenſio contra Weſtphalum, Latine. M.D.LVI.

685. Ultima admonitio ad Weſtphalum, Latine M. D. LVII.

723. De vera participatione carnis & ſanguinis Chriſti, adverſus Heshuſium, Latine. M. D. LXI.

743. Optima ineundæ concordiæ ratio, Latine. M. D. LXI.

HIS ACCESSERUNT

L. Annæi Senecæ de Clementia libri II. à J. Calvino quum annum ageret XXIV. Commentariis illuſtrati. Anno Domini, M. D. XXXII.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM,

SEU

CONTROVERSIARUM,

Quæ in

TRACTATIBUS THEOLOGICIS

D. JOANNIS CALVINI

EXPLICANTUR.

Numerus paginam, litera a *paginæ columnam primam, litera* b *columnam alteram ſignificat.*

Abbates pag. 410. col. prima a.
Abrogatio noſtri. 69. b
Abealæ ſinus. 540. b
Abſentia & præſentia localis corporis Chriſti. 732. b
Abſtinentia carnium certis diebus. Vide Ciborum delectus.
Abſolutio Pontificia. 285 a
Abſolutio privata. 678 b
Abſolutionis noſtræ coram Deo perſuaſio certa. 231. b
Abſurda falſæ doctrinæ de carne Chriſti. 717.b.718. a
Abuſuum emendatio. 128. a
Abyſſus Apoſtoli. 612 b
Acceptio noſtri coram Deo. 274. a
Acolothi 288. a
Adami creatio. 358. a. 405. b
Adami lapſus. 93. a. 612. b. 630. a. 634. a
Adami primi & ſecundi diſcrimen. 149 a. 240 b
collatio. 620. a. b
Adjutorium Dei. 154. b. 240 b 600 a
Adoptionis gratia. 634. b
Adoptionis noſtræ ſcopus & origo. 618. b. 614 a
Adoratio Chriſti 283 a
Adoratio pia & impia. 18 a
Adoratio crucis & imaginum, 196 b
Adventus Chriſti ad judicium. 35 b 783 b
Adventus regni Dei. 25. a
Ægrotis cur domi non deferuntur ſigna Sacræ Cœnæ Domini. 678 b
Affectus naturales. 362. a
Afflictiones Eccleſiæ. 70. b
Alimentum animæ. 26. b
Amor & odium Dei. 621. a
Anabaptiſtæ 355. b. 356. &c.
Anathemata. 432. a
Agnus cur tranſitus appellatur 706. b
Angelorum electorum miniſterium 293 a
Angelorum reprobotum lapſus. 405. a. 634 b
Anima humana. 328 b
Animæ poſt regenerationem ſtatus. 160 a
Animæ poſt corporis interitum conditio 345 a
Animæ mors. 446. a
Animarum humanarum immortalitas. 110 b
Animarum fidelium quies & beata conditio. 340. b. 343 b
Animarum corporibus ſolutarum, ante & poſt judicium noviſſimum, conditio. 348. a. b
Anniverſaria. 197. b 295 a
Antichriſti denominatio. 260. b
tyrannis 183. a. b. 600. b
immanitas. 512. a
Antipapæ. 226. b
Antiquitas, quanti facienda. 88. a. 306 b
Apocryphi libri. 250. a
Apoſtaſia. 80. b
Apoſtaſia Romana 311. b
Apoſtaſia hominis ab homine, non à Deo. 613. a
Apoſtatæ miracula flagitant. 29 a
Apoſtatarum calumniæ. 84. a. b
ſcandalum. 78. b
Apoſtoli, in quibus differant ab Apoſtolicis viris. 218. b
Apoſtoli, cur in S. Cœnæ inſtitutione ſileant. 703. a
Apoſtolorum & Apoſtatarum collatio 287. a
Aqua baptiſmi. 240. a. 258. a
Aqua luſtralis 414. b
Arbitrium liberum hominis. 40 a 46. a. 133. a. 138. a. 141. a. b. 191. a. 240. a. 241. a. 230. a. 273. b. 312. a
Arbitrium liberum primi hominis. 636. a
Arcæ fœderis & panis Sacræ Cœnæ collatio. 707. a
Armorum uſus 363. a
Articuli controverſi breviter expliciti. 190. a. 191. &c.
Artolatria. 41. a. 283. a. 742 b
Aſcenſio Chriſti in cœlum. 13. a. b
non tollit ejus præſentiam in Sacra Cœna. 672. a
Aſtrologia judiciaria qual. 501. a
quatenus progrediatur. 501. b
quid differat ab Aſtronomia. 502. a
Aſtrologiæ ſcopus. 501. b
eſt cæca, temeraria, fallax. 502. b. 503. a
hujus profeſſores pridem damnati. 504. a. b
impietas aſtrologiæ judiciariæ. 505. a. 507. a 508 b
legibus divinis & humanis damnata. 509. a
adverſus eam monita. 509 b
Auguſtini de arbitrio libero & ſervo hominis ſententia. 137. b. 238. ad 138.
ejuſdem doctrina de Cœna Domini. 689. a b. 690. 691 &c.
Authoritas Eccleſiæ. 191. a.
Authoritas ſumma ſummi Judicis. 637. b

B.

Baptiſmus Sacramentum. 25. b. 40. b. 96. a. 190. b. 264. b. 353. b
Baptiſmus Chriſti. 655. a. b
Baptiſmus infantium in templis Papiſticis. 451. b
Baptiſmus quomodo fidem requirat. 513 b. 521. a
Baptiſmus à mulieribus adminiſtratus. 678 a
Baptiſmus num requirat Chriſti præſentiam localem. 732. b
Baptiſmus Joannis, Chriſti, hæreticorum. 258 a. b
Baptiſmi corruptelæ. 47. b
Baptiſmi gratia. 234. a. b. 240. a
Baptiſmi efficacia, neceſſitas, ſignum, uſus. 258. a. b 282. a 300. a. b 682. b. 683 a
Baptiſmi & Cœnæ analogia, convenientia, differentia. 521 b 707. a
Baptiſati in Papatu non ſunt ideo membra Papatus. 309. b
Baptiſatorum pœnitentia. 347 b
Bellum ſpirituale. 313 b
Benignitas & ſeveritas Dei. 644. a. b
Bona quæ in Chriſti humiliatione obtinemus. 67 b
Bona Eccleſiaſtica 188 b
eorum uſus & abuſus. 58. a. b. 184. a. 255. a

C.

Cabala Judaica, Pontificia, Turcica 306 b
Cæſaris officium 62 b
Calicis uſus. 283 b
Calumniæ tabularum Pontificiorum. 75. a
Canon miſſaticus 291. a
Cardinales. 226. b
Carnis Chriſti communicatio, participatio, perceptio, veritas. 97. b. 657. a. 671. a. 691. a. 706. a. 717. a. 726 b
Caro Chriſti vivifica. 657. b. 721. a. 706 a. 726. b
Caro, Spiritui oppoſita, quid. 155 b. 166. b
Carnium abſtinentia. Vide Ciborum delectus.
Ceremoniæ Legales & Evangelicæ. 476 b
Ceremoniæ cur inſtitutæ à Deo. 435. a
Ceremoniæ tolerabiles quæ. 278. b
Ceremoniæ baptiſmi aſſutæ. 282. a
Ceremoniæ impiæ, inanes, ridiculæ, ſuperſtitioſæ, incredulorum. 44. a. 257. b. 297. a. 400. a. 414. a. 634. b
Ceremoniarum diſcrimen. 491. a
Ceremoniis idololatricis intereſſe num liceat. 436. a. 454 a
Certitudo ſalutis. 613. b. 614. b
Cauſæ ſecundæ 625. a. b
Cauſarum in Dei & impiorum actionibus diverſitas ac repugnantia. 627. b 628. a
Character indelebilis. 257. a. 286. a
Charitas. 262. a
Charitas piorum 496. b 312. a
Charitas Dei erga ſuos. 634. a. b
Chriſtiani veri & falſi. 313. a
num qui Chriſtiani dicuntur ſint omnes electi ad ſalutem 618. b
Chriſtianorum Officium. 95. a b 423. a 435. b 514. a
privilegia. 474. a b
Chriſtianus quouſque & quatenus cum Papiſtis communicare debeat. 437. a
an omnium de fide ſciſcitantium quæſtionibus reſpondere teneatur 453. b
an ſuperſtitiones externo aſſenſu ſimulare Chriſtiano liceat. 436. a
Chriſma. 195. a. 259. a. 266. a. b 414. b
Chriſtus Deus homo. 14 a. 374. a
verus homo 371 a
Chriſtus qualis in Papatu. 54. a 115. a. 388. b. 312 a
Chriſtus quomodo ſe nobis in Cœna communicat. 97 b
quomodo mediator. 374. a. 383. a. b. 391 a. 392. a
Chriſtus quomodo propitiator ſit pro peccatis mundi. 619 b
Chriſtus Rex & Sacerdos. 248. b. 649 a
quomodo recipiatur à ſuis 657 b
quomodo in S. Cœna. 672. b
Chriſtus ſui conſilii & præcepti in Sacra Cœna optimus interpres. 704 b
Paſcha noſtrum. 706. b
habitat per fidem in cordibus ſuorum. 721 b
non eſt corporaliter in Cœna. 713 b
num in multis locis poſt reſurrectionem eodem momento fuerit 714. a
quomodo ad dextram Patris viſus eſt à Stephano. 716. a
quomodo ſit in medio ſuorum. 716 a
Chriſti communicatio. 95 b
beneficium. 312. a
imitatio 487 a
diſceſſus à nobis. 704. b. 740. b
incarnatio 542 b
munus. 13. b. 314. a
præſentia & conjunctio nobiſcum. 110. a. 648 a. 661. a. 669 b 671. a
corpus in cælo. 713. a
Ciborum delectus. 50. b. 51. a. 272. a. 295. a. 414 a
Cibus & potus vitæ æternæ. 180. a. 316 b
Circumciſionis & S. Cœnæ collatio. 708. b
Cleri Papiſtici caſtitas 41. b. 87 a
Clerici omnes in Papatu ſchiſmatici. 286 b
Coactionis & neceſſitatis diſcrimen. 132 a
Cœlibatus. 41 b. 50. b 51 a. 87 a. 273. b. 414. a
Cœlum in quo habitat Chriſtus. 670 a
Cœna Domini author, forma, materia, finis, uſus, corruptelæ & profanationes variæ 1. a. b &c. 40. b 42. a. 35. a. 96. a. b &c. 316. a. b. 680. a. b. 698. b. 699 a. 704 b. 710 a. b. 712. a. 730. b. 733. a. b
Cœtus Eccleſiaſtici. 23 a
Cognitio Dei & Jeſu Chriſti. 12. a. 24 b. 642. b
Cognitio ſalutis. 59. b
Communicatio corporis & ſanguinis Chriſti, qualis in Cœna. 649. a. b 657. a 667. b. 668 a. b. 732. a
Communio noſtra cum Chriſto. 26 b 729 a b
Communio Sanctorum 16. a. 593. a
Communio ſub utraque ſpecie. 7. a. 283. b. 224. a
ſub una ſpecie. 40. b. 194 a
Miſſalis. 271. b
cum Papiſtis, quæ fugienda. 312. a
Communitas rerum. 455 b
Conceptio Chriſti. 14. a
Concilia vetera & nova. 283 b
Conciliorum auctoritas. 192 b
conſenſus. 688. b. 689. a
Concilii indictio & actio penes quem. 183. a. b
Concilium Oecumenicum. 61. a. 183. a. b
num errare non poſſit. 220. a
Concilium Tridentinum. 188. a 220. a. 221. a. &c.
Concomitantia. 742. b
Concordiæ ineundæ ratio. 743. a
Concupiſcentia 20. b. 162. a. 214 b
Condemnatio juſta peccatorum 644. b
Conditio hominis ante & poſt lapſum 260 a b
Confeſſio Auguſtana. 674 b
Confeſſio Auricularis. 51. a. b. 52. a. 85. a. 94. b. 110. a. 247. b. 253 a 276. b 331. b
Confeſſio fidei. 22. b
qualis in Papatu. 309. b
Confeſſio veritatis ad ſalutem 497. a. b
Confirmatio Pontificia 195. a. 198. b. 263. a. 284. a
Conjugium miniſtrorum Eccleſiæ. 86 b 296 a. 298. a
Conſcientia bona Deo reſpondens. 112 b 113 a
Conſubſtantiationis error. 97 b. 650 a. 658. a. b. 669. a. 670. b 693 a. b. &c 709. a. 714. b. 710 b 727. b. 742 b

Conſe-

Digitized by Google

Conſecrandi intentio & poteſtas. 194. b. 237. b. 656. a
Conſecratio. 40. b. 283. b 327 a
Conſenſio in re Sacramentaria. 648. a. b. 649. &c.
ejus capita expoſita. 652. a
Conſenſus orthodoxus Eccleſiæ Catholicæ. 111. b. 132. 6. 306. 2. b
Conſenſus Eccleſiarum. 682. b
Conſilium Dei prima rerum omnium cauſa. 629. b
Conſtantia Chriſtiana 273. b. 432. a
Conſtitutiones Apoſtolicæ & Eccleſiaſticæ. 201. a. 327. b. 308. a
humanæ. 201. a
Papiſticæ & tyrannicæ 94 b. 308. b
Conſuetudines Eccleſiaſticæ. 307. b
Conſuetudo quanti facienda. 28. a
Continentiæ donum. 272. b
votum 332. a
Contingentia. 615. a
Controverſiæ de Cœna Domini capita duo præcipua. 717. b
Converſio hominis. 159. a
cur requiritur & mandatur. 129. b. 170. a, &c.
Converſio ad Deum, unde. 602. b 635. a
Cor lapideum & carneum. 262. a. b. 600. a
Cordis præparatio à quo. 372. a
Corporum glorificatorum qualitas. 714. a. b
Corpus Chriſti in cœna. 3. a
Corpus Chriſti non eſt immenſum. 662. a. 712. b
Corpus infinitum ab ubiquitariis conflatum. 669 b. 670. a
Corpus Chriſti num impiis detur æque ac piis. 690. b
Corpus & panis diſparata ſunt; ideo tropus in iis conjungendis admittendus. 709. a
Corpus Chriſti circumſcriptum. 710. b
non eſt ubique. 718. a. b
ejus abſentia & præſentia. 728. b
à quo nobis detur. 731 a b
Corruptio naturæ unde. 406. a
Creator mundi. 13. a
Credentes in Chriſtum. 399. b
Credentium paucitas. 207. b
Crucifixio Chriſti. 14. b
Crucis materialis adoratio. 186 b
Crucis Chriſti ſcandalum. 69. b. 512. a. b
Cultus Dei legitimus varie corruptus. 58. a. b
ejus ratio. 94 a. b
Cultus Dei noſtræ juſtificationi conjunctus, & qualis ſit. 272. a
Cultus Divini pravus ſenſus. 196. a
Cultus externus in Papatu qualis. 436. b
Cultus externus & internus. 494. a
Curiones Papiſtici. 427. b

D.

Decimæ. 29 a
Definitiones Eccleſiaſticæ. 392. b
Defunctorum in Chriſto memoria. 270. b
Deitas Filii. 339. a
Deleti è Libro vitæ. 610. a
Deſcenſus Chriſti ad inferos. 352. a
Deus boni omnis author eſt. 166. b
Deus Iſraëlis, quis. 574 a
Deus neminem vult perire. 625. a
Deus non eſt author peccati. 126. a. 627. b. 629. a. b
non eſt perſonarum acceptor. 609. b
omnia bene fecit, homo non item. 613. a
quo ſenſu deſerere dicatur. 631. a
quomodo agat in cordibus hominum. 626. a
quomodo per Sacramenta operatur. 635. a
quomodo vult omnes ſalvos fieri. 608. a. b
quo ſenſu dicitur omnium Pater. 606. b
quomodo trahit volentes. 174. b
totum hominem requirat. 433. a
Deus verus & unus. 12. b. 13. a. 374. b
unus invocandus. 21. b
Dei facies 18. a. 430. a. b
ejus contemplatio pulcherrima docetur. 477 b. b
Dei falſi & veri deſcriptio 645. a. b
Dei omnipotentia & veritas. 282. b. 283. a
Dextera Dei. 45. b
Diaconi Papiſtici. 288. a
Dii alieni. 17. b. 18. a
Diſceſſio ab Eccleſia. 59. a
Diſceſſio à Papatu. 211. a
Diſciplina Eccleſiaſtica. 56. b
a quibus turbata 221. a
Diſciplina Papiſtica. 183. a
Diſcipuli Dei falſi & veri. 644. b
Diſſidia inter Theologos. 325. a
Diſſidiorum in religione ſumma. 42. b
Diſſimulatio illicita. 412. b
Diſſimulatio in aperta & externa religionis profeſſione, damnata. 415. b. 416. a
Doctores mendaces quomodo excipiendi ſint. 625. b 626. a
Doctorum fidelium munus. 686. b
Doctrina Eccleſiæ. 506 b
Doctrina orthodoxa de libero hominis arbitrio. 144 a b
Doctrina vetus & nova. 37. b
Doctrinæ Legis & Evangelii ſumma. 456 a
Doctrinæ orthodoxæ efficacia, perſpicuitas & ſimplicitas. 123 a. b
ejus ſumma. 42. b 43. a
Doctrinæ ſacræ efficacia. 616. a
Dogmata Eccleſiaſtica. 306. a
Dogmatum ſanctio. 230. a
Dominus noſter quis, & quo ſenſu eo nomine inſignitus. 14 a. b.
Donatio Conſtantini. 135 b
Donationes 431. b
Dormientes mortui. 347. 6

E.

Eccleſia Dei. 262. b
ejus authoritas. 398. a. 279. b
omnibus exoſa. 82. a
firmamentum veritatis. 382. b
Eccleſia qualis ſuperſit in Papatu, & cui ſimilis ſit. 309 a
Eccleſia Romana. 158. a
non eſt Eccleſia Catholica. 107. b 110. b. 232. 2 310. b. 311. a
Eccleſia ſancta Catholica. 16. a
Eccleſiæ ſtatus à condito mundo ad noſtrum ſeculum. 71. b. 72. a. b 73. a. b
Eccleſia ubi quærenda. 279. a. b
viſibilis & inviſibilis. 490 a
Eccleſiæ authoritas, conſenſus, regimen. 95. a. 110. b. 136. b. 232. b
ejus definitio, judicium, membra, notæ, perfectio, poteſtas. 168. a. 187. b. 261. b. 279. a 310. b. 324. a
Eccleſiæ militantis conditio. 70. a. 469. a
Eccleſiæ & Papatus differentia. 111. a
Eccleſiæ veræ & falſæ facies atque diſcrimen. 59. b. 38. b
Eccleſiæ facultates & patrimonium. 57. b. 58. a. b
Eccleſiæ reformandæ neceſſitas. 37. a. b. &c.
Eccleſiæ reformatæ quid & quantum à nova Romana diſſentiant. 313. b. 314. a
Eccleſiæ regimen. 29. b. 87. b. 642. a
Eccleſiæ veteris authoritas & conſenſus, 702. a
Eccleſiarum à Papatu diſceſſio. 120. 6
Editio vulgata. 230. b
Electi & reprobi. 46 a. 253. b. 252. a. 611. a
Electi ex gratia. 599. 2. b
Electorum notæ. 610 b
ſalus. 613. a
quomodo Electi à reprobis diſcernantur. 612. a
Electi à Chriſto non excidunt. 214. b
Electi & fideles, idem. 832. a
Electio ad ſalutem, æterna, gratuita. 153. b. 154 a. 644 6
Electio Judæorum & Gentilium. 613. a
Electio perſeverantiæ cauſa. 600 6
Electio quomodo pateſit. 614. b
Electionis ad ſalutem certitudo. 146. b. 251. b
Electionis & prædicationis Evangelii conſenſus. 607. b
Electionis nomen explicatum. 618. a
Electiones Eccleſiaſticæ. 41 b
Canonicæ. 286 b
Eleemoſyna. 332 a
Epiſcopi Romani veteres & novi. 283. b. 310. a b
Epiſcopi veri & falſi. 49. a. b
Epiſcoporum officium. 60. b. 42a b
Epiſcoporum Papiſticorum electio, privilegia, reſidentia. 219 a. b. 286, b. 287 a
Epiſcopus Romanus an dari poſſit. 281. b
Epiſcopus nullos verus in Papatu. 286 b
Erroris efficacia. 325 2 406. a. 630. a. 631 b
Eſſentia una Divina, & tres Perſonæ. 372 b
Evangeliſtarum de Cœna Domini verba, ſenſus & conſenſus. 704. a
Evangelium. 131. b
non per ſe, ſed per accidens, movet ſcandala. 65 b. 76 a. b
quomodo ſalutem omnibus offert. 607. b
Euchariſtia. 261 b 332. b
Excæcatio. 604. b. 605. a 612. b
Excommunicatio. 3. b. 199. a. 359. b
Exhortationes cur ad omnes dirigantur. 621. a
Exorciſtæ. 288. a
Expoſitio verborum in Sacramentis qualis eſſe debeat. 705. a. b. 727. a
Exprobrationes. 157 b

F.

Facies Divina. 477 b
in quo nobis conſpicua ſit. 479 a. b
Feſti dies. 271. a
Feſti dies Sanctorum. 193 b
Feſti dies ſublati. 272. a. 295 b 421. a
Fides in Deum Patrem, Filium, Spiritum Sanctum. 13. a. b 15. b
Fides juſtificans. 16 b. 17. a
Fides orationis comes. 22. a
Fides in Chriſtum. 93. a. b
explicita & vera, atque implicita. 112 a
Fides & incredulitas unde. 228. b
Fides informis & formata. 242. b. 252. b
Fides per charitatem operans. 275. a
Fides in quo fundata. 562. b. 563. a
non eſt omnium. 619. a
Fidei articuli & inſtitutio. 323. b 199 a
Fidei juſtificantis definitio, ratio, ſcopus, ſtatio, partus. 241. a. 251. a. 275. a
à quo oriatur, & ad quos pertineat. 276 a
Fidei profeſſio peculiaris. 413. b
ejus profeſſio aperta. 433. b
ejus certitudo. 465. a
incrementa. 614 b
ſcopus. 310. b
Fiducia remiſſionis peccatorum 261 b
Filius unicus Dei. 14 a
quo ſenſu Deus de Deo dicatur. 180. a
deitas ipſius aſſerta. 534. a. b 533 a
ejus generatio æterna. 543 a. b
Filii Abrahæ, qui. 521. b
Filii non portant iniquitatem Patrum. 620. a
Firmi & infirmi. 410 a
Fortitudo Dei. 13 a
Fortuito nihil accidit, Dei reſpectu. 225. b. 624. b
Furtum. 20. a

G.

Gladius materialis & Spiritualis. 514. 2 b
Gloria qualis Deo tribuenda. 491. a
Gloriatio noſtra. 274 b
Gratia Dei in Chriſto. 40. a. 149 a. 240. b
quibus parata. 163. b
Gratia præveniens, juſtificans, coronans. 164. a. b
Gratia perſeverantiæ. 376 b
cur non omnibus offertur. 599. a
Gratiæ Divinæ efficax operatio & incrementum in electis. 159. a. 241. a. 258. b
divitiæ euſdem. 604. a
Gubernatio Eccleſiaſtica. 41. a

H.

Hæreſes quomodo repreſſæ. 305. b. 322 b
Hæreſiarchæ. 78. a. b
Hæretici diſcernendi, & quomodo. 328 b 323 a
num impunes dimittendi ſint. 314 a
ſunt vitandi. 647. b
Hæretici veteres. 126. b 375. a. b
Homicidium. 19. b
Hominis ante & poſt lapſum conditio. 127. b. 139 a
Hominis ſtatus ſub peccato & gratia. 252. b 253. a
Hominis pii, pro Chriſto crucem ferentis, officium. 450. b
Honor parentibus debitus. 19 b
Horæ Canonicæ 271. b
Hypocriſis impiorum quando & quomodo detecta. 76. b

I.

Idola & idololatria. 41 b. 813. b
Idololatria execranda. 43. 2. 53. a
externa, graviſſimum peccatum. 441. a. b. 489. b. 498 a
Judaica, Ethnica, Papiſtica. 417. a. b. 494. b
Idololatria quid ſit, & quibus placeat. 439. a. b
Idololatriæ veteris & novæ collatio. 413. b. 414. a
Idolothyta. 413. a. 492. b
Idolorum cultores, ſunt hominum miſerrimi. 485. b. 496. a
Jejunia miraculoſa. 86. a
ſuperſtitioſa. 85. b. 86. a. b
Jeſus Chriſtus 13. b
crucifixus eſt, Dei Filius. 517. b. 518. a. 519 b
Deus æternus, æterni Dei Patris Filius. 575. 6
mediator noſter. 21. a
Servator & Legiſlator. 231. a
Imagines. 28. a 43. b
in templis. 687. b. 679 a
Imaginum adoratio. 196 b
cultus. 412. a
Imago Dei. 352. a
Immunditiei origo unde. 492 b. 493 a
Impius creatus ad diem malum. 606 b
Impii cur rei corporis & ſanguinis Divini. 97 a
quid in Sacramentis recipiunt. 656 a. b
num ſubſtantiale Chriſti corpus recipiant in Cœna. 716 b. 744 b
Impiorum quorundam Evangelii inimicorum nomenclatura & pictura. 77. b
Impiorum protervia. 74 b. 75. a
Impletio Legis. 21 a
Impiorum cur piis admixti. 80. b
Incluſionis localis figmentum. 728. a
Indigni quid ſumant in menſa Domini. 733. a. b
Indulgentiæ. 414. b. 431 a
Induratio. 618 b
Pharaonis & reproborum. 841. b
Infantes Sanctorum & ſancti cur baptizantur. 682 b 683. a
Infantium ſalus & ſanctificatio. 301. a. 678. a. b
Infernus. 352. b 353 a
Infideles num ſint ad fidem cogendi. 516 a
Inſtrumenta iræ Dei quomodo conſideranda. 643. a
ut opera eorum utitur. 644 a
Intentiones idololatricæ & impiæ. 94. b
Interceſſio Sanctorum. 195. b. 312 a
Interpretandi jus. 231. a
Interpretatio Scripturarum ad quem pertineat. 280. a
Interpretatio verborum Domini. 727 a
Interim adultero-germanum. 260. & 261. ad 273
Invocatio Dei. 92. b. 94 a
Invocatio pia & impia. 21 b. 22 a
Invocatio Sanctorum 195. b. 196 a
Judices Controverſiarum. 305. a. 718. b
Judicious Chriſtianis an hæreticos punire liceat. 511. a
Judicium cur ſibi accerſant impii. 731. a
Judicium noviſſimum. 13. b
Juramentum. 28. b 563 a b
Juſtificatio. 40. a. 109. a. 241. a. 242. a 243. b. 273. b
ejus doctrina falſa. 235. b. ad 240
ejuſdem doctrina vera. 240. 241. &c.
ejuſdem perſuaſio. 252. b
ejuſdem ratio, utilitas, fructus, modus. 261. a. b
Juſti quomodo reddimur. 252 b
Juſtitia Chriſti imputatio. 252. a. b
Juſtitiæ Dei conſideratio 612. a 628 b. 629 a 642. b
Juſtitia noſtra. 68. b 241. b. 243 a. 274. a
Juſtitia operum. 182 b. 563. b. ad 566
Juſtitia incrementa pontificia. 204 b

Lapſus

L.

Lapſus Adami, à quo. 636. a
Lapſus horrendi. 80. b
Lavacrum animæ. 86. a
Leges Eccleſiaſticæ. 42. a. 50. a. b
earundem conſtructio. 280. a. b
Legis moralis declaratio. 17. b
compendium. 20. b
officium. 21. a
obſervatio. 252. a
uſus. 126. b
Lex Chriſti. 256. b
Lex Dei. 162. a
Lex jugum graviſſimum. 245. b
Libertas Chriſtiana. 295. b. 390. b
Libertas hominis poſt lapſum. 133. a
Libertini & profani homines. 76. b. 78. a
Libertini ſpirituales. 274. a. b
Liberum Arbitrium. vide Arbitrium liberum.
Libri Canonici & Apocryphi. 279. b
Liturgia ſacra. 29. a. b. ad 37.
docentium ſpatia corporibus tribuenda. 718. a
Locutiones Sacramentales. 706. a. 738. a
earum expoſitio. 741. a. b

M.

Magiſtratus. 364. a
ejuſdem jus & officium. 515. a. b
Magiſtratibus zelus & prudentia commendatur. 526. a. b
eorundem munus. 58. b
officium in coercendis hæreticis. 513. a. 516. a. b
Maleficia cur puniuntur. 825. a
Malum culpæ. 405. b
Mandata Dei, quibus levia. 241. b
Manducatio Capernaitica. 715. b
Manducatio carnis Chriſti. 718. a. 650. a. 669. a. 699. b. 726. b. 740. b. &c.
Manducatio incredulorum. 673. b. 674. a
Manducationis modus diſpar. 738. b 733. a
Manducatio oralis & ſpiritualis. 692. a. b. 780. a
Manuum impoſitio. 231. a. 236. a
Mariæ Virginis conditio. 252. a
Martyres veteres. 466. a. 469. b
Martyrii ſeria meditatio. 461. b. 466. a
Martyrum Chriſti conſtantia. 81. a. 461. a. 471. b. 472. a
Matrimonium. 266. b. 288. b
Mediator Eccleſiæ. 574. a
Merita operum. 40. a. 54. b. 153. b. 249. a
Merita Sanctis tributa. 823. b
Mercenariorum in Eccleſiis cenſura & pictura. 79. a. b
Miniſterium ſacrum. 21. a
Miniſtri Eccleſiæ. 264. a
eorundem officium. 121. b
Miracula. 89. a. 195. b
Miſericordia Dei, ejuſdemque gradus. 153. b. 631. b
Miſſæ Papiſticæ deſcriptiones & impietates variæ. 7. b. 40. b. 96. a. 167. b. 126. b 411. a. 418. b. 419. a. 431. a. 438. a
Miſſæ Papiſticæ num Chriſtiano Viro intereſſe liceat. 417. b
Miſſæ Pontificiæ carcinomata. 96. b
Mors. 252. a
Mors Chriſti. 14. b. 446. b
Mors Peccatoris Deo inviſa. 631. a
Mortificatio. 406. b
Mortuorum memoriæ. 892. b
Motus duplex filiorum Dei. 137. a
Mulieribus an adminiſtratio Baptiſmi permitti debeat. 302. a. 303. a. b
Mutationes crebræ & admodum variæ in ſtatu Eccleſiæ militantis. 70. b. 71. a. b

N.

Nativitas Chriſti. 14. a
Natura Dei. 634. a. 640. b
Naturæ conſideratio. 126. a
Naturæ duæ in una Chriſti perſona. 68. b. 92. b
Naturæ humanæ Chriſti veritas aſſerta. 694. a
Naturæ puræ & corruptæ diſcrimen. 162. b
Neceſſario fiunt omnia, Dei reſpectu. 624. b. 625. a
Neceſſitas & coactio. 131. b
Neceſſitas peccandi num excuſat peccatorem. 139. b 612. b. 644. b
Neceſſitas quid. 152. b
Neceſſitas & voluntas in peccatis. 644. b
Nomen Dei. 18. b. 23. a

O.

Obedientia cur à peccatoribus, Deo præſtanda exigitur. 126. b. 188. b. 189. a. 171. b
Obedientia Deo debita. 245. a. 252. a
Obedientia fidelium. 858. b
Obedientia renatorum qualis. 174. b. 845. a
Obedientia qualis debeatur Deo & hominibus. 481. a
Omnipotentia Dei. 13. a. 97. b. 694. a
Omnipotentiæ, juſtitiæ, ſapientiæ & voluntatis Dei conjunctio. 629. b. 712. b
Opera bona. 17. a. 40. a. 93. b. 108. a. b. 122. b. 245. a. 262. a
Opera bona, unde. 174. a
cur Opera bona fidelium Deo ſint accepta. 109. b. 246. b. 249. b
cur noſtra dicantur. 858. b
Opera noſtra ante regenerationem qualia ſint. 250. b
Opera prævisa non ſunt cauſa prædeſtinationis. 601. b
Opera ſupererogationis. 47. a
Operatio Dei in electis. 156. a
Operum dignitas & meritum. 46. b
juſtitia. 192. b
remuneratio. 47. b
Opiniones falſæ num communi conſenſu ſint admittendæ. 106. b. 107. a
Opum Eccleſiaſticarum diſſipatio. 80. a
Opus Dei, Satanæ, impiorum, quomodo diſtinguendum. 627. b
Opus operatum. 817. a
Oratio. 21. b
Orationis ad Deum formula. 22. b
Orationis vitia. 41. a
Ordines minores Pontificii. 41. b
Ordinis Sacramentum Pontificium. 266. b
Oſtiarii. 281. a

P.

Pacificationis in Eccleſia conſtituendæ ratio. 272. a. b. 278. b
Pædobaptiſmus. 86. a. b. 358. b. 317. b. 351. a. b. &c. 682. b. 683. a
Panis noſter quotidianus. 23. b
Panis ſacer, ſeu Domini, non eſt panis Dominus. 813. a. b
Panis mutatio in corpus Chriſti qualis. 385. a
Panis ſacræ cœnæ non eſt ſubſtantialiter corpus Chriſti. 660. a
quo ſenſu dicitur Chriſti corpus. 819. b
Papa deſcriptus. 61. b. 264. a
Papæ electio, ordinatio, primatus. 60. b. 93. a. 186. b. 310. a. 314. b
Papatus horrenda confuſio & pictura. 60. b. 76. b. 87. b. 108. a. 180. b
Papatui cur adhærere nobis non liceat. 811. a. b
ejuſdem idolomaniæ. 438. a. b
Papiſtæ ſunt ſchiſmatici & hæretici. 88. b. 186. a. b
Parœciæ. 212. b
Paſtores Eccleſiæ. 41. a. 424. b. 425. a
Paſtores probi & reprobi. 428. a
Paſtorum Eccleſiæ conſtitutio & officium. 98. b. 287. b
Pater, Deus. 18. a
Pater noſter, Deus. 22. b. 23. a
Patientia Dei. 606. a
Patientia ſub cruce. 466. b
Patria cur & quando relinquenda. 411. a
Patres ante Chriſtum natum quomodo carnem Chriſti comederint. 671. b
Patrum ſub Lege communio cum Chriſto. 707. a
Paupertatis votum. 278. a. b.
Pax Eccleſiæ. 870. a
Peccata filiorum Dei. 258. a. b
Peccata gravia & levia. 246. a
Peccata peccatis puniuntur. 621. b
Peccata Satanæ & hominis quomodo conſideranda. 632. a
Peccata non committuntur fortuita, neque Deo inſcio vel nolente. 644. a. b
Peccatum quid. 139. b. 140. a
Peccati culpa. 234. a
Peccati fons. 252. b
Peccatum originis. 39. b. 46. a. 93. a. 140. a. 405. b. 612. b. 634. a
Peccatorum remiſſio. 16. a. 22. b. 25. b
Peccatoris mortem non vult Deus. 608. a. b
Peccatoris converſio & vita. 620. b
Peccator neceſſario & voluntarie peccat. 612. b
Pelagianiſmus 153. b. 162. b. 167. b
Pelagiani veteres & novi. 159. a. b. 160. a. 245. a
Penſiones annuæ. 421. b
Peregrinationes religionis ergo. 896. b
Perfectio & imperfectio fidelium. 91. b. 406. b. 426. b. 561. b
Perfectio Legis. 82. a
Permiſſio Dei. 626. b. 631. a
num differat ab ejus voluntate. 687. a
Perſecutiones pro Chriſto. 447. a
Perſeverantia Sanctorum. 149. a. 259. a. 171. a. 147. a
ejus cauſa. 600. a
Perſonæ tres diſtinctæ in unica Dei eſſentia. 698. b 689. a
Perſonarum Patris & Filii diſtinctio. 690. b
Perſuaſio ſalutis in Papatu qualis ſit. 244. a
Petrus Apoſtolus num fuerit Eccleſiæ catholicæ caput. 810. b. 811. a
Phariſæi novi. 812. b
Pii extra uſum ſignorum res ſignificatas percipiunt. 656. b. 657. a
Piorum officium. 466. b
Pœna cur inflicta poſt remiſſionem reatus. 233. a
Pœnæ. 133. a
Pœnæ temporales. 142. a
Pœnitentia. 17. b. 198. b. 865. b
Pœnitentia papiſtica. 247. b
Pontificum Romanorum mala mens, malus animus. 61. b. 821. a.
Poſtilla Dominicalia. 679. a
Potentiæ & voluntatis Divinæ conjunctio. 712. a
Poteſtas ligandi & ſolvendi. 877. a
Præcepta Dei moralia. 17. b
Pravitas hominis, unde. 851 b
Preces lingua vulgo incognita. 45. b
Preces pro defunctis. 94. a. 110. b. 296. a. b
Preces mutuæ fidelium. 894. b
Preces publicæ quales in Papatu. 53. b
Primatus Papæ. 60. a. b. 95. a. 200. a. 280. b
Principes mundi hoſtes veræ doctrinæ. 813. b
Principum Chriſtianorum officium. 384. a. b 514. a
Prædeſtinatio. 601. b. 404. a
ejus definitio. 813. a
Prædeſtinationis æternæ doctrina à variis criminationibus vindicata. 75. b
quomodo tractanda. 814. b
neceſſaria eſt, referta conſolationibus ſolidis, & Dei populo prædicanda. 594. & 595. &c.
ab Apoſtolo Paulo exacte expoſita. 601. a. b &c.
quomodo ſit proponenda. 616. a. b
ejus ſumma perſpecua. 612. a. b
Præmia. 811. a
Præſcientia Dei. 636. a
Præſentia Dei. 860. b
Præſentia corporis Chriſti in S. cœna. 593. a. b. 668. b. 669. b. 699. b
Præſentia localis. 650. a. 658. a. 671. a
Probatio ſuipſius. 3. b. 87. b
Promiſſio Dei infantibus facta. 580. b. 581. a
Promiſſiones conditionales. 157. a
Promiſſionum & præceptorum diſcrimen. 167. b
Promiſſionum Dei ſcopus. 471. a. b
Promiſſionum Evangelii in Sacramentis ſanciitarum conſideratio. 711. b
Prophetia Chriſti. 18. b
Providentia Dei. 13. a. 184. b
humanæ induſtriæ conjuncta. 185. a
quid efficiat. 125. b. 126. a
Providentia Dei in malis. 230. a. 630. a
Providentia quid ſit in Deo. 623. a
Providentiæ Divinæ gradus. 628. b
ejuſdem ſuprema authoritas & omnipotentia. 645. b
Proximus, quis. 20 b
Prudentia Chriſtiana. 398. b
Prudentiæ carnis ſophiſmata diluta. 442. b
Pſalmodia. 871. b
Pſeudoepiſcopi. 425. b. 426. a
Pſeudonicodemitæ 219. b 409. a b
eorundem claſſes. 445. a. b. 446. a. b
Pſeudopaſtores. 41. a. b
Purgatorium pontificium. 110. b. 197. a. b. 211. a

Q.

Quadrageſima. 86. a
ejuſdem jejunium. 835. b
Quæſtiones ex falſis interpretationibus ortæ. 673. a
Quæſtiones primariæ de Cœna Domini. 699. b

R.

Ratio regenerata. 169. a
Reconciliatio noſtra cum Deo. 65. a. 274. a
Redemptio per Chriſtum. 261. a
Reformatio Eccleſiæ. 48. b. 60. a
quibus commendata. 184. a. b
Reformatio Eccleſiarum qualis. 52. b
ejuſdem difficultas. 119. a
Regeneratio. 26. a. 169. a. 333. b. 388. b 611. a
quando inchoetur. 580. a
num Dei mandata exequatur. 172. a
Regimen ſpirituale. 11. b. 646. a
Regiminis Eccleſiaſtici corruptela. 55. b
Regnum Chriſti. 11. b. 113. a b
Regnum Dei. 21. a
quando incipit in nobis. 518. a. 520. a
quibus datur. 610. a
Regula cultus Divini. 36. a. 107. b
Regula fidei. 829. a
Regula de Paſtoribus. 812. a
Religionis veræ præſtantia. 77. a
Religio nova Mediatorum. 113. a. b
Reliquiæ Chriſti & Sanctorum. 43. b. 44. a. 103. a. b. ad 116.
Remiſſio peccatorum. 16. a. 47. a
Remiſſio reatus & pœnæ. 232. a
Remiſſionis peccatorum applicatio in S. Cœna. 690. a
Renati num à peccato ſint immunes. 246. a. b
Reprobatio. 602. b
Reproborum damnatio. 610. b. 611. a. 621. a. b
excæcatio. 619. a
patroni impii. 615. b
Rerum viſibilium in Eccleſia uſus. 490. a
Reſervatio panis conſecrati. 813. b
Reſipiſcentia. 17. b. 248. b. 500. b. 635. a
Reſtitutio in gratiam Dei. 213. a
Reſurrectionis ſpes. 341. b
Reſurrectio carnis. 26. b. 101. a
Reſurrectio Chriſti. 15. a
Reverentia Eccleſiæ debita. 82. b
Ritus particulares. 808 b
Romæ imaginaria prærogativa. 281. b

S.

Sabbatum. 36. b
Sabbati obſervatio 173. b. 486. b
Sacerdotia Pontificia. 421. a. b
Sacerdotium Chriſti. 12. b. 14. a
Sacramenta. 31. a. 107. b
ad inſtitutionem Chriſti revocata. 47. b
commentitia. 40. b
Sacramenta Eccleſiæ. 85. b
cujus eſt ea inſtituere, & quot ſint numero. ibid. & 96. a
Sacramenta in genere. 264. b
num conferant gratiam. 655. a. 683. b
quibus proſint, & quid offerant ac quibus. 655. b
quibus rebus conſtent. 664. b
quomodo nos juſtificent. 699. a
quid ſint. 741. a

Sacra-

Sacramentorum analogia, anima, & convenientia. 256. a. 310. a. 653. b. 711. a. b. 742. a. b
ceremoniæ. 271. b
dignitas, efficacia, legitima receptio. 156. b
finis. 649. a. 654. a
numerus. 658. a. 881. b
profanatio. 810. a
ſcopus. 653. a
uſus. 27. b. 494. a. 649. a. b. 653. b
verba eorum quomodo ſunt exponenda. 707. b
Sacramentorum veteris & novi Teſtamenti diſcrimen & convenientia. 256. a. 696. b. 741. a. b
Sacrificium Chriſti. 269. a
Sacrificium Miſſaticum & ejus impietates. 5. b. 40. b. 96. a. b. 193. b. 289. a. 291. b. 292. a 425. a
Sacrificium cruentum & incruentum. 290. b
Sacrificuli Papiſtici. 291. b. 326. b. 464. b
Sadducæi. 328. b
Salus fidelium unde. 598. b
Salutis noſtræ cauſa, effecta, fons & origo. 93. a. 274. a. b
Salutis certitudo, fiducia, perſuaſio. 40. a. 244. a. 851. a. b
Sanctificatio diei ſeptimæ. 19. a
Sanctificatio nominis Dei. 88. a
Sanctificatio & juſtificatio cohærent. 242. a
ſunt diſtinctæ. 374. a. b
Sanctorum conditio. 133. b
interceſſio, invocatio, memoria, miracula, preces. 45. a. 120. b. 195. b. 278. a. b. 292. b
Sapientia Dei immenſa. 633. a. b. 635. a. 636. a
Sapientia veræ ſumma. 479. a
Satanæ ſtratagema primarium adverſus Eccleſias. 39. a. b
horrendum ejuſdem ſtratagema. 676. b
Satan ſpiritus mendax in ore pſeudoprophetarum. 642. b
Satisfactiones humanæ. 40. a. 47. a. 110. a. 243. a. 277. b
Scandala vitanda. 496. a
Scandalorum variorum, quæ Evangelii curſum remorantur, atque intrinſeca vel annexa dicuntur, enumeratio. 66. b. 67. a. b. &c.
Scandalum quid. 65. b
Schiſma unde, & à quibus factum. 56. a. 59. a 220. b
quibus ſit exprobrandum. 312. a
Schiſmata Pontificia. 166. a. b
Schiſmatici. 87. b. 583. b. 305. a. 322. a. 324. b
qui ſchiſmaticos & hæreticos deſeruerunt, non ſunt ſchiſmatici. 60. a. 307. a
Scortatio. 80. a
Scripti in libro vitæ. 614. a
Scripturæ Sanctæ authoritas. 305. a. 326. a
expoſitio & interpretatio. 388. a. 324. a. 710. a 723. a
perſpicuitas & veritas. 69. a
perfectio. 129. b
Sententiæ probabiles obtruſæ. 387. a
Seſſio Chriſti ad dexteram Patris. 23. b. 714. a
Signa facta rerum ſignificatarum nomen cur obtinent. 8. a. 672. a
Signa & ſignificata. 97. a
Signa viſibilia diſtinguenda à rebus ſignificatis. 654. a. b
Signa ſacræ Cœnæ quomodo ſint corpus & ſanguis Chriſti. 669. a. 707. b. 725. a
Signorum, rerum ſignificatarum, & promiſſionum in Sacramentis conjunctio. 659. a. 684. b. 699. b
Signum rei ſignatæ nomen obtinet. 658. b
Simplicitas Chriſtiana. 314. a
Simolachra. 424. a
Sobrietas Chriſtiana. 396. b
Sobrietas mentis commendata. 613. b
Spei ſcopus. 320. b
Spes vera & falſa. 247. a
Spiritus Sanctus Deus. 15. b
ejus efficacia & operatio in electis, tum infantibus, tum adultis. 23. a. 24. a. 243. a. 320. a
Spiritus vivificans. 706. a
Stellæ cur ſigna dicantur. 505. b
Succeſſio doctrinalis. 279. a
Succeſſio perſonalis. 49. a. 68. b. 279. a. 286. b. 287. a. 810. a
Supererogationis opera. 278. a
Superſtitiones horrendæ. 43. b
Ethnicæ, Judaicæ, Papiſticæ. 307. a. b. 308. a. 455. b
vitandæ. 429. a
Superſtitionibus Papiſticis communicare cur nobis non liceat. 441. b. 444. a
Symbola facta in Sacramentis. 28. a. b. 27. a
Symbolum fidei Chriſtianæ. 22. b

V.

Tentatio deprecanda. 24. a
Teſtimonium falſum. 20. a
Theologi diſſidentes & calamis dimicantes ſcandalum grave invexerunt. 61. a
Theologorum ſcopus. 653. a. b. &c.
Theologorum veterum doctrina de hominis arbitrio. 233. a. b. 124. &c.
de Prædeſtinatione. 396. b. &c.
de Cœna Domini. 754. b. 788. b. &c.
de unione noſtra cum Chriſto. 730. a. b
Eorundem expoſitiones, quomodo dijudicandæ. 715. a. b
Timor filialis & ſervilis. 144. b. 247. a. 250. a. b
Totus Chriſtus ubique, ſed non totum Chriſti. 722. a
Traditio Apoſtolica. 833. a. 294. a
Catholica. 303. a. 306. a
Eccleſiaſtica. 232. b
Traditiones Eccleſiæ. 599. a
humanæ. 42. a. 50. a. 94. b. 245. a
non ſcriptæ. 820. a
Tranſubſtantiatio Pontificia. 6. b. 42. a. 97. b. 110. a. 198. a. 262. a. 324. b. 650. a
quid à Conſubſtantiatione differat. 708. b
novum dogma. 714. b
Trinitatis vox ad perſonas refertur. 378. a. b

V.

Vaſa iræ & miſericordiæ. 604. a
Ubiquitas. 97. b. 694. b. ad 697. & 716. a. 717. b
Ubiquitariorum hæreſis. 638. a
Velle triplex. 168. a
Veneratio Sanctorum. 296. a
Verba Chriſti de ſuo diſceſſu expenſa. 704. b
Verbi Dei antiquitas & authoritas. 126. a
contemptus, radix omnium malorum. 500. a
Verborum S. Cœnæ Domini diligens & accurata explanatio. 650. a. 656. a. b. 660. a. 685. a. b. 691. b. 692. a. 700. a. ad 710. & 727. a
Verbum ſcriptum & non ſcriptum. 24. b. 131. a. b. 306. a
Veritas Dei. 98. a
Veritatis adverſarii & diſcipuli. 716. b
Veterum Doctorum antiquitas & authoritas. 219. b
Vetus homo. 260. a. b
Via ad vitam æternam. 472. a
Vicarii Pontificii. 430. a
Vigilantia pias commendata. 615. a
Vigiliæ. 291. a
Vindictæ divinæ ratio. 804. b
Virginitas. 30. b. 87. a
Vita æterna. 16. b
Vitæ æternæ donum. 152. b
Vita æternæ obtinendæ modus. 242. b
Vita Chriſti Dei hominis nobis communicatur. 660. a
Vita noſtra in Chriſto. 841. b
Ultio divina. 26. a
Unctio extrema Pontificia. 194. a. 246. a. 265. a. b
Unio noſtra cum Chriſto. 97. b. 657. b
Unio Chriſti & Spiritus vivificantis cum credentibus. ibid. & 742. a. b
Unio Eccleſiarum Chriſtianarum. 660. b
Unitas Eccleſiæ. 59. b. 183. a. 166. b. 328. b
Vocatio ad ſalutem unde. 599. a
Vocatio Cleri Pontificii. 286. a
Vocatio fidelium. 395. b
Vocatio legitima ſequenda. 452. a
Vocatio miniſtrorum Eccleſiæ. 287. b. 499. a
Vocationes variæ in Eccleſia. 257. b
Vocationum diſtinctio. 314. a
Voluntas Dei. 63. a. 633. b
eſt Juſtitiæ regula. 811. b
cauſa ſuprema rerum omnium. 624. b. 627. a
Voluntas arcana Dei patefacta non impugnat. 640. a
Voluntas Dei duplex, vel ſigni & beneplaciti. 628. b. 630. a. b. 631. b. 640. a. b. 641. a
Voluntates non ſunt contrariæ in Deo. 641. a
Voluntas hominis libera, coacta, voluntaria, ſerva. 133. b. 239. b. 140. a
cooperans. 275. a
regenerata. 239. a
Voluntatis in Adamo depravatio unde. 90. a. 168. b
Voluntatis converſio. 169. b
Voluntatis & libertatis diſcrimen. 152. b. 153. a
Vota. 201. b. 858. b. 323. b

Z.

Zelotypia Dei. 38. a
Zelus piorum. 497. a
Zelus purus & impurus. 312. b
Zizania in agro Dei. 78. a
Zizania quomodo relinquenda & tollenda. 524. a

F I N I S.

JOAN.

JOANNIS CALVINI
TRACTATUS
VARII
IN UNUM VOLUMEN CONGESTI.

QUORUM

PARS PRIOR

τὰ διδακτικὰ continet.

DE COENA DOMINI.

Ex Gal.

QUum ſanctiſſimum Cœnæ Domini noſtri Jeſu Chriſti ſacramentum, diu multis magniſque erroribus implicitum fuerit: atque adeo ſuperioribus annis involutum variis opinionibus, ac diſceptationibus, minus quam decebat placidis: minime mirum videri debet, permultos infirmæ conſcientiæ homines, haud facile ſtatuere poſſe quid potiſſimum ſequi debeant: ſed dubio & ſuſpenſo animo expectare, quoad poſitis contentionibus, inter Dei ſervos conveniat, reſque ad aliquam concordiam deducatur. Quia vero ejuſmodi dubitatio multum habet incommodi: periculoſiſſimumque eſt, nihil in eo myſterio habere certi, cujus intelligentia ad ſalutem noſtram adeo neceſſaria eſt: utiliſſimum fore putavi, ſi breviter tractarem ſummam præcipuam rei: explicarem tamen dilucide quid potiſſimum hic tenere operæpretium ſit. Addo quod nonnulli boni viri, qui rem ita poſtulare videbant, à me id ſummopere flagitarunt. Quibus omnino, niſi officio deeſſe vellem, id denegare non potui.

Ut autem facilius difficultas eis expediatur, ordinem quem ſequi inſtituimus, notare neceſſe eſt. Primum, quam ob cauſam & quem ad finem, ſanctiſſimum hoc Sacramentum Dominus inſtituerit, explicabimus. Deinde, quis fructus ad nos redeat: ibique declarabimus quomodo nobis in eo corpus Chriſti donetur. Tertio, quis ſit uſus ipſius legitimus. Quarto, quibus erroribus & ſuperſtitionibus contaminatum fuerit, recitabimus: atque oſtendemus, quid diſcriminis, Dei ſervos à Papiſtis habere oporteat. Poſtremo dicemus quæ fuerit origo contentionis, quæ tam acerbe agitata eſt ab iis ipſis, qui noſtris temporibus Evangelio in lucem reducendo, Eccleſiæ inſtaurandæ, puræque doctrinæ reſtituendæ, omnem operam collocarunt.

Quod ad primum attinet. Quum Deo Opt. Max., Deo inquam noſtro placuerit, nos per Baptiſmum in Eccleſiam cooptare; hoc eſt, in domum ſuam, quam ipſe vult alere & tueri: noſque receperit non ſolum ut domeſticos, verum etiam ut filios ſuos: ſupereſt, quo boni patris officio ſungatur, ut nos educet, nobiſque omnia ad victum cultumque neceſſaria ſubminiſtret. Quæ enim ad corporis educationem pertinent, quia communia ſunt omnibus, eorumque mali perinde ut boni ſunt participes, non ſunt propria ipſius familiæ exiſtimanda. Paternæ quidem ipſius erga nos bonitatis in eo teſtimonium habemus, dum corpus noſtrum alit & tuetur, dum omnium bonorum quæ nobis large & munifice ſuppeditat, participes ſumus; ſed ut vita in qua ab ipſo regenerati ſumus, ſpiritualis eſt: ita cibum, quo conſervemur; ac confirmemur, ſpiritualem eſſe neceſſe eſt. Intelligere enim debemus, nos non ſolum ad poſſidendam aliquando hæreditatem illam cæleſtem vocatos, verum etiam ſpe jam quodammodo in eam poſſeſſionem inductos eſſe: ut non tantum vitam nobis promiſerit, ſed etiam à morte ereptos, nos jam re ipſa in eam traduxerit. Id vero conſequuti ſumus, quum nos adoptatos regeneravit ſemine immortalitatis, ſermone inquam ſuo, quem Spiritu ſancto cordibus noſtris impreſſit atque infixit.

Hanc ergo vitam ut tueamur & ſuſtentemus, quærendi non ſunt cibi corruptibiles & caduci, quibus venter paſcitur: ſed longe melioribus & præſtantioribus animæ noſtræ opus habent. Tota vero Scriptura teſtatur, panem ſpiritualem quo ſuſtentantur animæ noſtræ, cum ipſum ſermonem eſſe quo Dominus nos regeneravit: rationemque una adjungit, quod Chriſtus, unica vita noſtra, nobis in eo donetur atque adminiſtretur. Nam quum Deus in Chriſto omnem vitæ plenitudinem repoſitam eſſe voluerit, ut eam per ipſum nobis communicet: ſermonem etiam, veluti inſtrumentum ſtatuit, quo Chriſtus cum gratiis ſuis omnibus, nobis diſpenſetur. Stat interim vera illa ſententia, animas noſtras nullo alio cibo quam Jeſu Chriſto veſci ac educari. Quamobrem Pater cæleſtis, educationis noſtræ ſollicitus nullum aliud nobis alimentum dedit: quin potius id nobis unice commendavit. Eo nos contentos eſſe, in eo animas noſtras conquieſcere voluit: quum iis reficiendis ac ſuſtentandis abunde ſufficiat: quum eo omnino carere non poſſimus: quo ſublato, nullum aliud reperietur.

Quomodo Chriſtus, unicus cibus ſit, quo animæ noſtræ paſcuntur, jam vidimus. Sed quoniam nobis diſtribuitur ſermone Domini, velut inſtrumento huic rei deſtinato, panis & aqua nominatur. Quod vero de ſermone dicitur, pertinet etiam ad Sacramentum Cœnæ, quo Dominus ad communicationem Chriſti nos deducit. Nam, quia adeo imbecilles & infirmi ſumus, ut certa animi fiducia ipſum recipere non poſſimus, quum nuda doctrinæ prædicatione nobis offertur: Pater miſericordiæ, ſe in eo imbecillitati noſtræ accommodare volens, ſermoni ſignum, quod ſub oculorum ſenſum caderet, adjunxit: quo promiſſionum ſuarum ſubſtantiam nobis repræſentaret, ut omni dubitatione & incertitudine ſublata, in eo confirmari & corroborari poſſemus.

Quum igitur hoc myſterium, ſublime & arduum ſit: nec queamus ingenio comprehendere, aut cogita-

gita-

Digitized by Google

gitatione complecti, quomodo corpus & ſanguis Chriſti nobis communicetur: adeoque rudes & ignari ſimus, ut divinarum rerum nec minimas intelligamus: eo modo id oſtendi atque aperiri neceſſe fuit, quem ferret ingenii noſtri facultas. Eam ob cauſam, Dominus Cœnam inſtituit: ut conſcientiis noſtris obſignaret eas promiſſiones, quibus in Euangelio ſe corporis & ſanguinis ſui participes facturum promiſit: atque in hac perſuaſione nos obfirmaret, ſitam in eo eſſe ſpiritualem vitam noſtram, ut tali tamque inſigni arrhabone accepto, firmam ſalutis fiduciam concipiamus. Deinde ut in agnoſcenda ſumma ipſius erga nos bonitate, eaque celebranda & magnificis laudibus extollenda, exerceamur. Tertio, ut ad ſanctitatem & innocentiam amplectendam incitemur, quum nos Chriſti membra agnoſcimus, ac præcipue, ut amicitiam colamus fraternamque concordiam, quæ nobis unice commendatur. Quum bene diligenterque notaverimus tres haſce rationes, quas Dominum ſpectaſſe quum Cœnam inſtitueret dubium non eſt: patefactus nobis erit aditus, ut rectius intelligamus quis fructus ad nos redeat: & quonam modo eo recte utamur.

Jam ergo ad ſecundum caput veniendum eſt: ut oſtendamus quam ſalutarem fructum nobis adferat Cœna Domini, modo eum percipere & colligere velimus. Id cognoſcemus, quum accurate indigentiam noſtram, cui ipſa ſubvenit, perpenderimus. Nos vehementer perturbari & animo torqueri neceſſe eſt, quoties animadvertimus quales ſumus ipſi, & quicquid in nobis eſt examinamus. Nullus enim noſtrum eſt, qui in ſe vel micam juſtitiæ reperire poſſit: ſed è diverſo tot vitiis ac ſceleribus inquinati ſumus, tanta peccatorum multitudine pleni atque referti, ut nullo accuſatore præter conſcientiam noſtram opus ſit: nec alius judex qui adverſus nos ſententiam ferat, quærendus eſt. Ex quo conſequens eſt, iram Dei in nos concitatam eſſe, neminemque poſſe mortis æternæ judicium effugere. Niſi vero valde ſomnolenti aut omnino ſtupidi eſſe velimus, horribili illa cogitatione quaſi perpetua gehenna nos torqueri & vexari neceſſe eſt. Nec enim in memoriam nobis redire poteſt judicium Dei, quin damnatio noſtra ſimul nobis appareat. Jam ergo voragine mortis deglutimur, niſi Deus opt. max. nos eripiat. Quam vero ſpem reſurrectionis habere poſſumus, quum carnem noſtram conſideramus, putridam ipſam, & omni corruptioni obnoxiam? Itaque, ſive corpus, ſive animam ſpectemus, nihil eſt nobis miſerabilius, quamdiu in nobis ipſis reſidemus: neque poſſumus non miſerabiliter angi, ſummaque moleſtia affici, dum tantarum miſeriarum ſenſu afficimur. Ut igitur Pater cæleſtis huic noſtræ calamitati ſubveniret, Cœnam nobis dedit, veluti ſpeculum, in quo Chriſtum crucifixum & ſuſcitatum contemplemur. Crucifixum, ut deleantur peccata & delicta noſtra. Suſcitatum, ut à corruptione & morte liberati, cæleſti immortalitati reddamur. Hanc ſingularem conſolationem ex Cœna Domini percipimus, quod nos dirigit ac ducit ad crucem & reſurrectionem Chriſti: ut certo ſciamus, nos quamvis iniquos & impuros, agnoſci tamen & recipi à Domino, atque etiam haberi pro juſtis: quamvis morte circumſeptos, nihilominus ab ipſo vitæ reddi: quamvis miſerabiles & calamitoſos, nos tamen omni felicitatis genere impleri ac cumulari. Vel, ut facilius explicemus. Quum nihil omnino boni in nobis reſideat, nec ulla earum rerum quæ ad ſalutem conſequendam adjumento eſſe debent: Cœna, locuples teſtimonium dat, nos quicquid utile & ſalutare eſt conſequutos eſſe, quum mortis & paſſionis Chriſti participes ſumus. Quamobrem affirmare poſſumus Dominum, gratiarum ſpiritualium theſauros aperire, dum in ſocietatem bonorum & divitiarum Chriſti nos admittit. Meminerimus ergo Cœnam nobis exhiberi, veluti ſpeculum, in quo Chriſtum contemplemur: crucifixum, ut liberemur à morte & damnatione: ſuſcitatum, ut juſtitiam vitamque æternam conſequamur. Licet autem eadem gratia nobis in Euangelio exhibeatur: tamen quum in Cœna certitudinem majorem plenioremque fruitionem habeamus, hoc utilitatis ex ipſa ad nos redire merito agnoſcimus.

Sed quia Chriſti bona nihil ad nos pertinent, niſi prius ipſe noſter fuerit, primum in Cœna nobis ipſum donari oportet, ut vere perficiantur in nobis ea quæ diximus. Propterea dicere ſum ſolitus, Chriſtum materiam & ſubſtantiam Sacramentorum eſſe: gratias autem & beneficia quæ per ipſum conſequimur, vim & efficaciam. Porro, Cœnæ vis in eo conſiſtit, ut reconciliationem cum Deo, per mortem & paſſionem Chriſti factam, confirmet, ut nos certiores reddat, animas noſtras ipſius ſanguine ablutas: noſque juſtitiam, ipſius obedientia conſequutos eſſe: ut denique ſpem ſalutis, quam in iis omnibus quæ pro nobis effecit collocamus, mentibus noſtris obſignet. Hinc concludendum, ſubſtantiam huic virtuti conjunctam eſſe: alioqui nihil omnino in ea firmi, aut certi haberemus. Concludendum igitur, duo nobis in Cœna offerri: Chriſtum ſcilicet, ut fontem, originem ac materiam bonorum omnium: deinde fructum & efficaciam mortis & paſſionis ipſius. Quod etiam verba quæ in Cœna proferuntur, ſatis oſtendunt. Quum enim jubet nos corpus ſuum manducare, & ſanguinem bibere: addit, corpus ſuum pro nobis traditum fuiſſe, & ſanguinem in remiſſionem peccatorum noſtrorum effuſum eſſe. In quo primum demonſtrat, nobis non ſimpliciter corpus & ſanguinem ipſius, ſine ulla alia conſideratione communicari, ſed etiam fructum, qui ex morte & paſſione ipſius ad nos redit, percipi oportere. Porro ad tantorum bonorum fruitionem pervenire qui poſſumus, niſi participes ſimus corporis & ſanguinis ipſius, unde illa nobis exhibita & producta ſunt?

Jam ingredimur quæſtionem, & olim & hiſce temporibus adeo agitatam: Quomodo intelligenda ſint verba illa quibus Chriſtus corpus ſuum, panem, & ſanguinem vinum appellat. Quæ facile expediri poterit, ſi principia illa à nobis ante poſita teneamus: Omnem videlicet fructum quem in Cœna quærimus, in nihilum redigi, niſi in ea Chriſtus, ut totius rei fundamentum & ſubſtantia, nobis donetur. Hoc conſtituto, fatebimur haud dubie, Sacramentum inutile & ſupervacuum reddi, ſi in eo veram Chriſti communicationem offerri negemus: quod blaſphemia execrabili atque auditu indigna non careret. Præterea ſi ratio communionis cum Chriſto, ea eſt, ut omnium gratiarum & beneficiorum quæ nobis morte ſua acquiſivit, participes ſimus: non id tantum agitur, ut cum ſpiritu ſolum, ſed etiam cum humanitate participemus: in qua, ut debita noſtra perſolveret, perfectam obedientiam Deo Patri præſtitit. Licet, ut proprie loquamur, alterum ſine altero fieri nullo modo poſſit. Quum enim ſe nobis donat, id facit ut eum integrum poſſideamus. Idcirco, quemadmodum dictum eſt, Spiritum ipſius vitam eſſe noſtram: ita ipſe ore ſuo pronunciat, carnem ſuam cibum noſtrum, ſanguinem ſuum vere potum noſtrum eſſe. Si hoc non de nihilo dicitur, neceſſe eſt, ut vita noſtra in Chriſto ſita ſit, animas noſtras ipſius carne & ſanguine veſci, velut cibariis propriis & peculiaribus. Ejus rei teſtimonium habemus in Cœna, quum dicitur de pane, ut accipiamus & manducemus, corpus ipſius eſſe: de calice, ut bibamus, ipſius eſſe ſanguinem. Nominatim de corpore & ſanguine habetur ſermo: ut diſcamus, in eis vitæ noſtræ ſpiritualis ſubſtantiam inquirere.

Nunc, ſi quæratur an nihilominus panis ſit corpus Chriſti, & vinum ſangui. ipſius: reſpondebimus,

mus, panem & vinum ſigna eſſe viſibilia, quæ corpus & ſanguinem Chriſti nobis repræſentant, corporis vero & ſanguinis nomen eis attributum, quod ſint veluti inſtrumenta quibus Dominus Jeſus Chriſtus nobis ea diſtribuit. Forma hæc loquendi, rei valde conſentanea eſt. Quum enim non modo oculis, ſed neque ingeniis noſtris comprehendi poſſit communio quam in corpore Chriſti habemus, ea tamen illic aperte ob oculos monſtratur. Exemplum in re ſimili valde proprium habemus. Quum vellet Dominus Spiritum ſuum in Baptiſmo Chriſti apparere, eum ſub columbæ figura repræſentavit. Joannes Baptiſta hiſtoriam illam recitans, Spiritum ſanctum deſcendentem ſe vidiſſe ait. Si propius attendamus, comperiemus ipſum nihil præter columbam vidiſſe. Nam ſancti Spiritus eſſentia inviſibilis eſt. Quum tamen ſciret viſionem illam inanem figuram non eſſe, ſed Spiritus ſancti præſentiæ ſignum certiſſimum: affirmare non dubitat, ſe illum vidiſſe: quod eo modo quo ipſe ferre poterat, fuerit repræſentatus. Ita in communione, quam in Chriſti corpore & ſanguine habemus, dicendum eſt: myſterium ſpirituale eſſe, quod nec oculis conſpici, nec ingenio humano comprehendi poteſt. Figuris igitur & ſignis quæ ſub oculorum ſenſum cadunt, ut naturæ noſtræ imbecillitas requirit, oſtenditur: ita tamen ut non ſit figura nuda & ſimplex, ſed veritati ſuæ & ſubſtantiæ conjuncta. Merito igitur panis appellatur Corpus: quum id non modo repræſentet, verum etiam nobis offerat. Itaque facile concedemus, corporis Chriſti nomen ad panem transferri, quod ejus ſacramentum & figura ſit. Sed hoc adjungemus, Sacramenta Domini nullo modo à ſubſtantia & veritate ſua ſeparari oportere. Ea quidem ne confundantur, diſtinguere non tantum convenit, ſed etiam omninò neceſſarium eſt. Sed ita dividere ut alterum ſine altero conſtituatur, abſurdiſſimum. Quum ergo ſignum viſibile conſpicimus, quid repræſentet, & à quo nobis donatum ſit, cogitandum eſt. Panis enim datur ut corporis Chriſti ſit figura, eumque jubemur comedere. Datur, inquam, à Deo, qui veritas certa & immutabilis eſt. Quod ſi Deus nec fallere nec mentiri poteſt, conſequens eſt, ipſum omnia quæ illic ſignificat, reipſa implere ac præſtare. Neceſſe eſt igitur, nos in Cœna vere corpus & ſanguinem Chriſti recipere, quum utrinſque communionem nobis Dominus repræſentet. Quid enim ſibi vellet, nos panem comedere, ac vinum bibere, ut ſignificent, carnem ipſius, cibum eſſe noſtrum, & ſanguinem potum: ſi veritate ſpirituali prætermiſſa, vinum & panem ſolummodo præberet? Nonne fruſtra & mendaciter hoc myſterium inſtituiſſet? &, quod lingua Gallica dicimus, falſis inſignibus? Itaque fatendum eſt, ſi vera ſit repræſentatio quam adhibet Deus in Cœna, ſubſtantiam interiorem Sacramenti, viſibilibus ſignis conjunctam eſſe, & quemadmodum panis in manu diſtribuitur, ita corpus Chriſti, ut ejus participes ſimus, nobis communicari. Hoc certe, etiam ſi nihil aliud eſſet, nobis abunde ſatisfacere deberet: quum intelligimus, Chriſtum nobis in Cœna veram propriamque corporis & ſanguinis ſui ſubſtantiam donare: ut pleno jure ipſum poſſideamus, & poſſidendo in omnem bonorum ſuorum ſocietatem vocemur. Quum enim ipſum tenemus, omnes divitiæ divinæque opes in eo reconditæ nobis exponuntur, ut noſtræ ſint, iiſque una cum ipſo perfruamur. Ut ergo Cœnæ utilitatem breviter definiamus: dicere licet, Jeſum Chriſtum nobis in ea offerri, ut eum ipſum, atque in eo, gratiarum & beneficiorum omnium quæ expetere animus poteſt, abundantiam & copiam poſſideamus. Id quod maximo nobis adjumento eſt, ut conſcientiæ noſtræ, ob eam fiduciam quam nos in ipſum habere decet, confirmentur.

Altera utilitas eſt, quod eo magis incitamur atque admonemur ad agnoſcenda beneficia quæ accepimus à Domino Jeſu Chriſto, & in dies accipimus: ut ei gloriam & honorem tribuamus: atque, ut par eſt, ſanctiſſimum ejus nomen perpetuis laudibus celebremus. Natura enim valde negligentes ſumus in meditanda bonitate Dei noſtri: nec unquam de ea cogitamus, niſi ſegnitiem ipſe noſtram excutiat, & ad officium nos inſtiget. Acrioribus vero ſtimulis pungi non poſſumus, quam quum nos cogit quaſi conſpicere oculis, & manibus attrectare, aperteque cognoſcere, & ſentire magnitudinem beneficii inæſtimabilis, quum nos propria ſubſtantia ſua paſcit & reficit. Id quod ſignificare & monſtrare vult, quum jubet ut mortem ſuam annunciemus, quoad veniat. Quod ſi res adeo ad ſalutem neceſſaria eſt, non immemores eſſe gratiarum & beneficiorum quæ Deus in nos contulit, quin potius diligenter ea in memoriam revocare, & magnifice extollere apud alios, ut mutuis admonitionibus incitemur: in eo ſingularem Cœnæ utilitatem videmus: quæ ab ingratitudinis vitio nos revocat, nec ſinit nos magni illius beneficii, quod Chriſtus, noſtra cauſa moriens in nos contulit, oblivisci: ſed nos eo deducit, ut gratias ei agamus, & tanquam publica teſtificatione profiteamur quantum ipſi debeamus.

Tertia utilitatis ſpecies in eo conſiſtit, quod ad ſanctitatem & puritatem vitæ vehementius incitamur, ac præcipue ad charitatem & amicitiam inter nos ſervandam majore hortationum vi impellamur. Quum enim Chriſti membra facti ſimus, inſiti corpori ipſius, unaque cum eo ut capite noſtro conjuncti: æquum eſt, nos primum puritati & innocentiæ ipſius conformes eſſe, ac præſertim ut ea ſit inter nos concordia, quæ inter ejuſdem corporis membra eſſe debet. Quamvis ut rectam hujuſce utilitatis intelligentiam habeamus, exiſtimandum non ſit, Dominum nos ſolum hortari, & ſigno exteriori incitare, aut etiam inflammare. Hoc enim præcipuum eſt, quod in nobis interius Spiritu ſuo operatur, ut vim & efficaciam addat inſtituto ſuo, quod velut inſtrumentum ad id deſtinavit, ut opus ſuum in nobis impleat & perficiat. Quoniam ergo Spiritus ſancti virtus Sacramentis conjuncta eſt, quum ita ut decet recipiuntur, ſperare & confidere debemus, nobis ipſa adminiculo eſſe, ut in ſanctitate vitæ ac præſertim charitate, promovere poſſimus.

Jam ad tertium ex præcipuis capitibus quæ hujus libelli initio propoſuimus, veniendum eſt, ad uſum ſcilicet legitimum, ut inſtitutionem Domini reverenter obſervemus. Quiſquis enim deſpicatu quodam ſolute aut oſcitanter ad hoc Sacramentum accedit, parum ſollicitus tenendi propoſiti, & in eo perſeverandi, in quo Dominus eum vocavit: eo perverſe abutitur, & abutendo illud fœde contaminat. Polluere autem & contaminare, quod tam ſancte conſecravit Deus, magnum & intolerabile ſacrilegium eſt. Nec fruſtra Paulus gravem & diram damnationem omnibus iis denunciat, qui id indigne perceperint. Nam ſi neque in cælo neque in terris quicquam præſtantius ſit corpore & ſanguine Domini: culpa non minima eſt, id temere & inconſiderate recipere, nec accurate diligenterque præparatos illuc accedere. Præterea, ut nos ipſos probemus, hortatur: ut quemadmodum res exigit & poſtulat, eo utamur. Quod ſi intelligamus qualis ea probatio eſſe debeat: qualis etiam is quem quærimus, uſus ſit, percipiemus.

Sed in hoc magna & prudens cautio adhibenda eſt. Ut enim in nobis quemadmodum juſſit Dominus examinandis nimium ſeduli eſſe non poſſumus, ita ſophiſtici doctores miſeras conſcientias [illegible] perplexas tenuerunt, & in anxietatem val[illegible] periculoſam, imo in horribilem gehennam [illegible]onjecerunt, dum neſcio quam probationem & examinandi ſui diligentiam requirebant, quam nemo hominum

præ-

præſtare potuiſſet. Ut autem ab iis perturbationum involucris expediamur, omnia, ut jam dixi, ad Domini inſtitutionem reducenda ſunt, tanquam ad normam, quæ nos, ſi eam ſequamur, labi & errare non ſinet. Eam ſequentes, perpendere debemus num veram in nobis pœnitentiam & veram fidem ſentiamus. Quæ duo ita conjuncta ſunt, ut alterum ſine altero nullo modo poſſit conſiſtere. Nam ſi in Chriſto ſitam eſſe vitam noſtram exiſtimamus: agnoſcere debemus, nos in nobis ipſis mortuos eſſe. Si in eo vim & robur noſtrum quærimus, nos viribus omnibus deſtitui ac defici intelligendum eſt. Si felicitatem noſtram in ejus gratia collocamus: hac ſublata, neceſſe eſt nos intelligere quanta ſit miſeria noſtra. Si quies & tranquillitas noſtra in eo ſita eſt: nihil aliud in nobis ipſis quam inquietas & turbulentas curas & ſollicitudines ſentire debemus. Talis vero affectus eſſe non poteſt, quin nobis ingeneret diſplicentiam totius vitæ noſtræ, deinde ſollicitudinem & timorem, poſtremo amorem & deſiderium juſtitiæ. Is enim cui cognita eſt peccati ſui turpitudo, & miſeria ſuæ conditionis, dum eſt alienatus à Deo, tanto pudore afficitur, ut ſibi ipſe diſplicere, ſeipſum condemnare, ac præ animi dolore gemere ac ſuſpirare, cogatur. Adhæc, ſtatim objicitur judicium Dei: quod miris anguſtiis peccatoris conſcientiam premit, quum videt ſe nullo modo effugere poſſe, nec ullum defenſioni relictum eſſe locum. Quum ita miſeriam noſtram agnoſcentes, Dei bonitatem guſtare poſſumus: tum deſideramus omnem vitæ noſtræ rationem ad illius voluntatem dirigere: ut ea quam prius ſequebamur abjecta, nova in ipſo creatura efficiamur. Si igitur eam quam decet communionem ſanctiſſimæ Cœnæ Domini habere velimus: firma animi fiducia Chriſtum pro juſtitia, vita & ſalute noſtra habeamus: promiſſiones ipſius amplectamur, certaſque & conſtantes eſſe exiſtimemus: omnibus ex adverſo præſidiis, quæ cum ea pugnant, eorumque fiduciæ renunciemus: ut nobis ipſis, cæteriſque omnibus creaturis diffiſi, in ipſo uno acquieſcamus, ſolaque ipſius gratia contenti ſimus. Quod quum fieri non poſſit, niſi nobis compertum ſit, quantum ipſius ope & auxilio indigẽmus: nos acerrime pungi, & miſeriæ noſtræ ſenſu, quaſi ſtimulo fodi neceſſe eſt: ut tanquam famelici ipſum avide expetamus. Quam enim ridiculum eſſet, ſine ullo appetitu cibum quærere? Ut autem appetamus, vacuo ſtomacho eſſe non ſatis eſt, ſed ita affecto ut cibum poſſit admittere. Hinc conſequens eſt, animas noſtras fame urgeri oportere, & ardenti deſiderio cibi teneri, ut alimentum ſuum in Cœna Domini reperiant. Præterea notandum eſt, nos Chriſtum deſiderare non poſſe, niſi ad juſtitiam Dei adſpiremus: quæ in abnegatione noſtri, & obedientia ipſi exhibenda conſiſtit. Neque enim ullo modo convenire poteſt, ut corpori Chriſti ſimus inſiti, atque interim turpiter, libidinoſe, diſſolute vivamus. Quum in Chriſto nihil ſit, niſi puritas omnis, continentia, benignitas, ſobrietas, veritas, humilitas, cæteræque ſimiles virtutes: ſi ejus membra eſſe velimus, nos ab omni libidine & luxu, ab arrogantia, intemperantia, vanitate, ſuperbia, cæteriſque vitiis, alieniſſimos eſſe oportet. Nec enim ſine magno dedecore & probro hæc cum ipſo admiſcere poſſumus. Nos perpetuo memoria tenere oportet, non magis inter ipſum & iniquitatem, quam inter lucem & tenebras, convenire. En quomodo ad veram pœnitentiam perveniemus, ſi eo tendamus, ut vita noſtra ad exemplum Jeſu Chriſti conformetur. Verum, etſi hoc ad omnes vitæ partes generale eſt: præſertim tamen in charitate locum habet, quæ nobis præcipue in hoc Sacramento commendatur. Qua etiam ratione, ejus nominatur vinculum. Ut enim panis illic in communem omnium uſum ſanctificatus, ex multis granis coaleſcit, ita conjunctis inter ſe, ut alterum ab altero ſeparari ac ſecerni nequeat; eodem modo, inter nos indiſſolubili amicitiæ vinculo juncti eſſe debemus. Atque adeo idem corpus Chriſti recipimus omnes, ut ipſius membra ſimus. Quod ſi diſcordiis & diſſenſionibus laboremus: quantum in nobis eſt, Chriſtum divellimus ac laceramus: nec minoris ſacrilegii futuri ſumus rei, quam ſi idipſum admiſiſſemus. Ne ergo audeamus illuc accedere, ſi quid in nobis reſideat odii aut malevolentiæ in quemvis hominem, ac præcipue Chriſtianum & Eccleſiæ unitati conjunctum. Debemus etiam, ut ordinem Domini teneamus & ſequamur, aliam præterea affectionem adferre: nempe, ut fateamur ore, & re ipſa teſtificemur, quantum Servatori noſtro debeamus: eique gratias agamus: non tantum ut per nos gloria ipſius nomini tribuatur, ſed etiam ut mutuo nos inſtruamus, & proximi exemplo noſtro diſcant quid ſibi agendum ſit.

Sed quia nemo hominum reperietur, qui ita in fide & vitæ ſanctitate profecerit, quin multum adhuc in ipſo deſideretur: periculum eſſet, ne permultæ piæ conſcientiæ iis quæ diximus perturbarentur, niſi obviam iremus, ea præcepta temperantes, quæ de fide & pœnitentia poſuimus. Nam valde perículoſa eſt ea docendi ratio, qua nonnulli perfectam animi fiduciam & pœnitentiam requirentes, omnes qui talibus præditi non fuerint, excludi volunt. Sic enim omnes, nemine excepto, excluderentur. Quod ut verum eſſe demonſtremus, quis jactare poterit, ſe nullo diffidentiæ vitio laborare, nulla animi labe, nullo infirmitatum genere depravatum eſſe? Talem certe filii Dei fidem habent, ut eis neceſſe ſit perpetuo Dominum rogare, ut eorum incredulitati adſit, atque opem ferat. Is enim morbus tam alte radices in nobis egit, ut ſanari omnino non poſſimus, priuſquam ex his corporis vinculis liberemur. Talis etiam eſt ſanctitas vitæ, ut in dies neceſſe ſit orare pro remiſſione peccatorum, & gratia proficiendi in melius conſequenda. Et quamvis alii ſint aliis imperfectiores: nemo tamen eſt qui non in multis deficiat. Itaque ſi ea & fidei & vitæ integritas cui nihil omnino deſit, requiratur: Cœna omnibus non tantum inutilis, verum etiam pernicioſa erit. Quod certe alieniſſimum eſt à mente & conſilio Domini: qui nihil ſalutarius Eccleſiæ ſuæ dedit. Quum ergo fidem adhuc imperfectam in nobis ſentiemus, neque adeo pura conſcientia præditi erimus, quin vitiorum permultorum nos accuſet: id impedimento eſſe non debet, quo minus ad ſacram Domini menſam accedamus: ſi modo, in ea imbecillitate, ab omni ſimulatione & hypocriſi vacui, ſalutem in Chriſto ſperemus, & vitam noſtram ad Euangelii normam cupiamus dirigere. Ne qua ſit hypocriſis, nominatim dico: quod permulti ſeipſos vanis adulationibus decipiant, ſibi perſuadentes ſatis eſſe ſi vitia ſua condemnent, licet ea foveant: aut etiam ſufficere, ſi ab eis per aliquod tempus abſtineant, mox ad ipſa reverſuri. Vera autem pœnitentia, firma & conſtans eſt. Itaque efficit, non ut aliquot dies aut menſes, ſed ut ſine ulla intermiſſione, per omne vitæ noſtræ tempus, malum quod nobiſcum gerimus, ipſi oppugnemus. Quum ita nobis vitia diſplicere, verumque ipſorum odium, à timore Dei proficiſcens, nobis inſitum ſentimus, ac ſimul bene ſancteque vivendi deſiderio nos duci: Cœnæ Domini percipiendæ idonei ſumus: licet permultæ adhuc ſuperſint in nobis infirmitatum reliquiæ. Imo niſi infirmi eſſemus, diffidentiæ obnoxii, & vitæ minus perfectæ: Sacramentum nobis foret inutile, ejuſque inſtitutio ſupervacanea fuiſſet. Quum igitur ſit remedium, quo Deus imbecillitati noſtræ ſubvenire, corroborare fidem noſtram, charitatem augere, in ſanctitate vitæ promovere voluit: eo magis ipſo uti debemus, quo gravius nos magnitudine morbi

premi

premi ſentimus: tantum abeſt ut eò nos impediri oporteat. Nam ſi ut nos ſubducamus ab uſu Cœnæ, obtendamus nos adhuc in fide debiles eſſe, nec vitæ ſatis integræ: perinde eſt acſi quis vellet à medicina, propterea quod ægrotaret abſtinere. Imbecillitas ergo fidei, & vitæ noſtræ vitia, nos monere debent ut ad Cœnam veniamus velut ad ſingulare remedium, quo emendari poſſint ac corrigi. Tantum, ne fidei ac pœnitentiæ vacui accedamus. Quarum prior, in animo abſconſa eſt: ideoque à conſcientia noſtra nobis coram Deo teſtimonium reddi oportet. Poſterior actione & opere oſtenditur: ideoque eam in vita noſtra apparere neceſſe eſt.

Quod ad celebrandæ Cœnæ tempus attinet, non omnibus certo conſtitui aut præfigi poteſt. Sunt enim nonnunquam privata cuique impedimenta, quæ hominem, ſi abſtinuerit, excuſare poſſunt. Præterea, nullum præceptum habemus quo omnes cogantur ea uti quoties ipſis offeretur. Si tamen finem ſpectemus ad quem Dominus nos ducit: cognoſcemus, multo frequentiorem uſum quam vulgo apud pleroſque, eſſe oportere. Quo enim majore imbecillitate premimur, eo magis ac frequentius in eo exerceri debemus, quod tum ad confirmandam fidem noſtram, tum etiam ad ſanctitatem vitæ promovendam, nobis uſui eſſe & poteſt & debet. Quamobrem in omnibus Eccleſiis bene conſtitutis ea conſuetudo eſſe debet: ut Cœna, quam ſæpiſſime fieri poteſt, & quantum populi fert capacitas, celebretur. Ac privatus quiſque, quantum in ipſo eſt, ad eam recipiendam præparari debet, quoties in communi cœtu celebrabitur, niſi cogatur maximis de cauſis abſtinere. Tametſi nullo præcepto ſit præfinitum tempus aut expreſſa dies: tamen hoc ſufficere debet, quod voluntatem Domini talem eſſe cognoſcimus, ut eo Sacramento crebro utamur. Alioqui, utilitatem quæ ad nos inde redit, ignoramus. Quæ vero à nonnullis adferuntur excuſationes, inanes ſunt & frivolæ. Aiunt alii ſe indignos eſſe, eoque prætextu abſtinent toto anno. Alii non tantum quam indigni ſint conſiderant, ſed etiam obtendunt, ſe cum iis quos imparatos eo accedere cernunt, communicare non poſſe. Alii etiam frequentem ipſius uſum ſuperfluum eſſe putant: neque exiſtimant, quum ſemel receperimus Chriſtum, id tam frequenter iterandum ac ſæpius repetendum eſſe. A primis illis, qui ſe ſua indignitate tegunt, quæro: quomodo tantam miſeriam plus annum ſuſtinere poteſt eorum conſcientia, ut rite Dominum invocare non audeant. Temeritatis enim eſſe fatebuntur, Deum invocare ut patrem, niſi membra Chriſti ſimus. Quod fieri non poteſt, niſi Cœnæ ſubſtantia & veritas in nobis impleatur. Quod ſi veritatem ipſam tenemus, longe majori ratione ſigno percipiendo ſumus idonei. Ex quo videmus, eos qui ſe ut indignos à Cœna eximere volunt, magno illo invocandi & orandi Dei bono ſeipſos privare. Cæterum, vim adferre nolim iis quorum exagitantur conſcientiæ, & terrentur aliqua religione, ut ſeſe temere ingerant: ſed potius conſulo ut tantiſper expectent, dum ipſos Dominus ea anxietate liberarit. Si qua ſimiliter juſta cauſa ſit, quin differre liceat non inficior. Tantum oſtendere volo, neminem diu in eo acquieſcere debere, ut propter indignitatem ſuam abſtineat. Sic enim Eccleſiæ communicatione privatur: in qua ſalus noſtra omnis ſita eſt: potius nitatur adverſus impedimenta omnia pugnare, quæ à diabolo objiciuntur: ne excludatur à tanto bono, ac beneficiis pariter omnibus, quibus eum privari conſequens eſt. Alteri plus videntur habere coloris: quod argumento iſto utantur: Si videlicet panem communem non liceat cum iis edere qui ſe fratres nominant, & nihilominus turpiter & diſſolute vivunt; multo minus cum panem qui in hunc conſecratus eſt, ut repræſentet ac exhibeat nobis corpus Domini. Verum neque his reſpondere difficile eſt: non eſſe privati cujuſque, judicare ac diſcernere quis admittendus aut arcendus videatur: ſed ad totam Eccleſiam pertinere, aut ad Paſtorem & Seniores, quorum adjumento in moderanda & gubernanda Eccleſia uti debet. Nec enim jubet Paulus ut alios, ſed ut nos ipſos examinemus. Officii quidem noſtri eſt, eos admonere qui flagitioſam vitam degunt: ac, ſi nos audire nolint, Paſtori denunciare: ut rem Eccleſiaſtica auctoritate peragat. Sed non eo modo debemus nos à flagitioſorum cœtu ſubducere, ut communionem Eccleſiæ relinquamus. Adhæc, ſæpius accidet, crimina non ita manifeſta eſſe, ut ad excommunicationem progredi liceat. Quamvis enim Paſtor in animo ſuo indignum aliquem eſſe judicet: tamen eum talem pronunciare, aut à Cœna prohibere non poteſt, niſi eum Eccleſiaſtico judicio convicerit. Quod quum accidit, nullum aliud ſupereſt nobis remedium, quam ut Deum rogemus ut ab omnibus offenſionibus Eccleſiam ſuam liberet: interim dum expectamus ſupremum diem, quo paleæ ab optimo grano ſeparabuntur. Tertii nullam omnino veriſimilitudinis ſpeciem habent. Nec enim panis hic ſpiritualis nobis datus eſt ut ſtatim eo ſaturemur, ſed potius ut dulcedinis ipſius guſtum habentes magis appetamus, eoque utamur quoties nobis offeretur. Hoc eſt ſcilicet quod ante expoſuimus: Jeſum Chriſtum quamdiu verſamur in hac mortali vita, nunquam nobis ita communicari, ut eo ſatientur animæ noſtræ, ſed ut aſſiduum illis alimentum ſit.

Ut ad quartum caput veniamus. Quum diabolus nihil hoc Sacramento utilius Eccleſiæ à Domino relictum eſſe perſpiceret: ſolito ſuo more ſtatim ab initio ipſum erroribus variis & ſuperſtitionibus contaminare niſus eſt, ut fructum ipſius corrumperet ac deſtrueret: nec cœptum ſuum perſequi deſiit, quoad inverterit inſtitutionem Domini, & in mendacium vanitatemque converterit. Non eſt mei inſtituti, deſignare quo tempore impoſtura quæque & error initium ceperit. Mihi ſufficiet, articulatim errores notare à diabolo invectos: quos cavere neceſſe eſt, ſi integram & incorruptam Cœnam Domini habere velimus.

Primum igitur, quum Dominus Cœnam nobis dederit, ut inter nos diſtribueretur, teſtificandæ communionis gratia, quam in corpore ipſius habentes, ſacrificii quoque quod ad expianda peccata noſtra Deo Patri obtulit, participes ſumus: homines contra ſuo ingenio commenti ſunt, ſacrificium eſſe quo remiſſionem peccatorum à Deo conſequimur. Quod ſacrilegium deteſtabile eſt, nulloque modo tolerandum. Niſi enim agnoſcamus ac certo teneamus, mortem Domini Jeſu Chriſti unicum ſacrificium eſſe, quo nos Deo Patri reconciliavit, ac delevit peccata omnia quorum in judicio ipſius eramus rei: vim & efficaciam ipſius evertimus ac deſtruimus. Niſi fateamur Chriſtum ſolum Sacerdotem eſſe, cujus interceſſione in gratiam redimus cum Patre ſuo: ipſum ſpoliamus honore, gravemque ei injuriam inferimus. Quum igitur ea opinio, quæ fingit Cœnam Domini ſacrificium eſſe quo remiſſionem peccatorum conſequimur, contra pugnet: tollenda ipſa, & ut diabolica damnanda eſt. Pugnare vero certiſſimum eſt. Qui enim iſta convenire poſſunt? Chriſtum moriendo Patri ſacrificium obtuliſſe, quo ſemel pro omnibus veniam & remiſſionem omnium delictorum noſtrorum acquiſivit: & rurſum quotidie ſacrificandum eſſe, ut id obtineamus quod in ſola ejus morte quærendum eſt? Hic error non ſtatim ab initio ad ſummum pervenit, ſed pedetentim incrementa ſua capiens, tandem huc provectus eſt. Veteres quidem Cœnam ſacrificium vocaſſe, notum eſt. Sed rationem adferunt, quod mors Chriſti in ea repræſentetur. Eorum ergo dictum eo ſpectat, ut quoniam Cœna ſacrificii illius unici memoria eſt, in quo omnino conquieſcere debemus, propterea ſit no-

men illud ei attributum. Neque tamen poſſum veteris Eccleſiæ conſuetudinem excuſare, quod geſtu ac ritu ſuo ſpeciem quandam ſacrificii figuraret, iiſdem fere ceremoniis quæ ſub veteri Teſtamento in uſu erant: eo excepto quod panis hoſtia animalis loco utebantur. Quod quum nimis ad Judaiſmum accedat, nec Domini inſtitutioni conſentaneum ſit, minime probo. Veteri enim Teſtamento, figurarum tempore tales ceremonias Dominus inſtituerat, tantiſper obſervandas, dum ſacrificium illud in carne Filii ſui dilectiſſimi, qui earum veritas erat, celebraretur. Quum igitur hoc totum perfectum ſit, nihil ſupereſt amplius, niſi ut ejus communicatione fruamur. Quare ſuperfluum eſt, id figuris commonſtrare. Itaque, ex inſtituto Chriſti, non offerre aut immolare, ſed quod oblatum & immolatum eſt accipere & comedere jubemur. Quamvis autem in ea obſervatione aliquid offenderunt veteres: tamen impietas tanta non erat, quanta poſtea obrepſit. Quod enim proprium erat mortis Chriſti, ad Miſſam omnino translatum eſt: ut ſcilicet ea ſatisfieret Deo pro delictis noſtris, & per eam ipſi reconciliaremur. Adhæc, quod officii Chriſti erat, iis qui ſe Sacerdotes nominabant tribuebatur, ut ſacrificarent Deo, & ſacrificiis ſuis apud ipſum intercederent, ad veniam & remiſſionem peccatorum noſtrorum impetrandam. Solutiones quas veritatis hoſtes huc adferunt, diſſimulare nolo. Miſſam, novum ſacrificium non eſſe, ſed ſacrificii illius unici de quo loquuti ſumus, applicationem. Etſi colore aliquo abominationem ſuam tegere nitimtur: tamen cavillationem meram eſſe perſpicuum eſt. Nec enim tantum dictum eſt, ſacrificium Chriſti, unicum eſſe, verum etiam, iterari non oportere: quum ejus vis & efficacia perpetua ſit. Non dicitur, Chriſtum ſemel oblatum Patri, ut alii poſtea eadem oblatione uterentur, ut vim interceſſionis ipſius nobis applicarent: ſed in Sanctuarium cæleſte ingreſſum eſſe, ibique apparere ut ſua interceſſione Patrem nobis propitium reddat. Quod attinet ad applicationem meriti mortis ipſius, ut fructum lentiamus: id fit non eo modo quo in Eccleſia Papali exiſtimatum eſt: ſed quum Evangelii nuncium recipimus, qualem ſua prædicatione teſtificantur miniſtri quos Deus tanquam legatos conſtituit: qualis etiam Sacramentis ut ſigillis obſignavit. Plebis opinio qua exiſtimatum eſt, eum qui audiret Miſſam, aut emeret, gratiam & juſtitiam propterea mereri, ab omnibus & Doctoribus & Paſtoribus comprobata eſt. Ut vero fructum aliquem ex Cœna percipiamus, nihil noſtri adferri oportere dicimus, ut id quod inquirimus mereamur, ſed tantum gratiam nobis in eo oblatam, fide recipiendam eſſe. Ea quidem in Sacramento non reſidet: ſed ut à cruce Chriſti proficiſcitur, ita ad eam nos remittit. Nihil ergo veræ Cœnæ intelligentiæ tam contrarium, quam de ea ſacrificium comminiſci. Impedit enim ne mortem Chriſti pro ſacrificio unico, quod perpetuo duraturum ſit, agnoſcamus. His bene intellectis, conſtabit omnes Miſſas, in quibus nulla fit Cœnæ communio qualis à Domino inſtituta eſt, meram eſſe abominationem. Nec enim Dominus conſtituit ut ſolus Sacerdos ſacrificio ſuo peracto ſeparatim ſua ageret: ſed hoc Sacramentum in publico cœtu diſtribui voluit, inſtar primæ Cœnæ quam cum Apoſtolis ſuis celebravit. At poſtquam deteſtabilis hæc opinio inventa fuit, ex ea quaſi ex voragine prodiit infelix illa conſuetudo, qua populus actioni adſiſtere contentus, quaſi potiturus aliquo merito, interim abſtinet à communione: quia Sacerdos jactat ſe pro omnibus, ac præcipue qui adſiſtunt, hoſtiam offerre. Impoſturas & ludificationes, quibus tantum ineſt abſurditatis ut memoratu indignæ ſint, prætermitto: veluti ſanctulo cuique Miſſam ſuam attribuere: & quod de Cœna Domini dictum eſt, ad Guillelmum & Gualterium, ſicuti Gallico proverbio dicimus, transferre. Item, mercaturam de iis exercere atque nundinari. Cæteræque ſordium colluvies quæ ab hoc ſacrificii nomine manarunt.

Sequitur alter error, quem corrumpendi ſacroſancti hujuſce myſterii cauſa diabolus ſparſit: nempe quum transſubſtantiationem panis in corpus Chriſti, & vini in ſanguinem fieri commentus eſt, poſtquam verba cum intentione conſecrandi pronunciata eſſent. Primum, commentum iſtud nullum prorſus in Scriptura fundamentum, neque ullum veteris Eccleſiæ teſtimonium habet: atque adeo cum verbis Domini convenire aut ſtare nullo modo poteſt. Nonne talis interpretatio nimis violenta & coacta eſt: Quum Chriſtus panem oſtendens, corpus ſuum vocat, dicere panis ſubſtantiam in nihilum redigi, & in ejus locum Chriſti corpus ſuccedere? Sed non eſt neceſſe rem in dubium vocare: quum veritas dilucida ipſa per ſe tam abſurdam vanitatem refutare poſſit. Infinita teſtimonia & Scripturæ & Patrum prætermitto: quibus Sacramentum panis appellatur. Tantum dico Sacramenti naturam hoc requirere: ut panis materialis pro viſibili corporis ſigno remaneat. Eſt enim regula generalis in omnibus Sacramentis: ſigna quæ in ipſis videmus, debere aliquid ſimilitudinis habere cum re ſpirituali quam repræſentant. Ut igitur in Baptiſmo certiores reddimur, animas noſtras interius ablutas eſſe: quum aqua quæ corporis ſordes abluit, ejus rei teſtificandæ cauſa effunditur: ita in Cœna materialem panem eſſe neceſſe eſt: ut nobis teſtatum ſit, corpus Chriſti cibum noſtrum eſſe. Quæ enim eſſet ſignificatio, nobis id ab albedine figurari? Aperte igitur cognoſcimus, omnem repræſentationem quam Dominus, ſeſe noſtræ infirmitati accommodare volens, dedit, interituram, niſi panis ſubſtantia remaneret. Verba enim quibus Dominus utitur, tantundem ſignificant, acſi quis diceret: Quemadmodum hominis corpus pane nutritur & ſuſtentatur: ita caro mea cibus eſt ſpiritualis, quo animæ vivificantur. Adhæc, quorſum ſimilitudinem illam proponit Paulus? ut pluribus granis inter ſe permixtis & conjunctis panis unus conficitur: ita nos invicem conjunctos eſſe oportet, quum ex eodem pane participemus. Si albedo tantum ſine ſubſtantia remaneret, num ridiculum eſſet ita loqui? Quamobrem ſine ulla dubitatione concludimus, hanc transſubſtantiationem, diaboli commentum eſſe, quo Cœnæ veritas depravatur. Ex eo figmento varia deliria ſequuta ſunt: atque utinam deliria tantum eſſent, ac non etiam horrendæ abominationes. Nam homines neſcio quam præſentiam localem imaginati, putarunt Chriſti & divinitatem & humanitatem albedini illi affixam eſſe, nulla habita ratione abſurditatum quæ inde conſequebantur. Quamvis autem veteres Doctores Sorbonici ſubtilius diſputarunt, quomodo corpus & ſanguis cum ſignis conjunctum ſit: tamen negari non poteſt, hanc opinionem receptam fuiſſe à ſummis & infimis in Eccleſia Papali, atque hodie flamma, ferro, cæde, & omni tormentorum genere crudeliter defendi & aſſeri: Chriſtum contineri ſub his ſignis, ibique eum inveſtigandum eſſe. Quam opinionem ut ſuſtineant fateantur etiam neceſſe eſt, Chriſti corpus tanquam infinitum nullo ſpatio contineri, aut diverſis in locis ſimul eſſe. Quod quum aiunt, eo tandem labuntur, ut à phantaſmate nulla in re differat. Talem ergo præſentiam loco circumſcriptam ſtatuere, qua corpus Chriſti ſigno includatur, aut localiter, quod aiunt, conjungatur: non tantum delirium eſt, ſed etiam execrandus error, gloriæ Chriſti detrahens: & quicquid de natura ipſius humana credendum, evertens. Scriptura enim ubique docet, Chriſtum, ut in terris humanitatem noſtram accepit, ita ereptam ex hac mortali conditione, in cælum, natura tamen non immutata, extuliſſe. Sic itaque duo nobis conſideranda ſunt, quum de Chriſti humanitate verba facimus.

Digitized by Google

mus. Primum ne veritati naturæ ipſius detrahamus, deinde ne derogemus glorioſæ ejus conditioni. Quod ut rite obſervemus, erigendæ ſunt in cælum mentes, ut ibi redemptorem noſtrum quæramus. Nam ſi velimus eum ſub elementa mundi corruptibilia abjicere: cùm ea deſtruemus quæ de humana ejus natura Scripturæ teſtantur: tum etiam glorioſam ipſius aſcenſionem in nihilum redigemus. Quia vero multi copioſe hoc argumentum tractarunt, ſuperſedere quam longius progredi malo. Hoc tantum prætериens notare volui: includere cogitatione ſub pane & vino Chriſtum, aut ita conjungere ut iis ingenium noſtrum adhæreſcat, neque in cælum erigatur: delirii eſſe diabolici. Id quod etiam alio in loco attingemus. Perverſa hæc opinio ſemel recepta, multas alias ſuperſtitiones peperit. Primum carnalem illam adorationem, quæ nihil aliud quam idololatria mera eſt. Nam ſe coram pane proſternere, ibique Chriſtum, acſi coram adeſſet, eoque contineretur, adorare: nonne eſt idolum conſtituere Sacramenti loco? Neque enim adorare, ſed accipere & manducare juſſi ſumus. Id ergo adeo temere attentari minime oportuit. Præterea id in veteri Eccleſia ſemper obſervatum fuit, ut priuſquam celebraretur Cœna, admoneretur populus, ut ſurſum corda erigeret, quo intelligeret non eſſe ſigno viſibili inhærendum, ut Chriſtus rite adoretur. Sed de hoc articulo non diu pugnabimus: ſi recte intelligatur præſentia & conjunctio veritatis cum ſigno: de qua jam loquuti ſumus, iterumque poſtea tractabimus. Ex eodem fonte manarunt reliqui ritus ſuperſtitioſi. veluti, ſemel quotannis in pompa Sacramentum per vicos circumferre; alio tempore ei tabernaculum extruere: & toto anno pyxide aut theca incluſum ſervare, ut populus in id quaſi in Deum intentus ſit. Quæ omnia quia non tantum citra verbum Dei humano ingenio excogitata ſunt, ſed etiam cum Cœnæ inſtitutione pugnant ex diametro, ab omnibus Chriſtianis rejici debent.

Unde in Eccleſia Papali orta ſit hæc calamitas, ut populus toto anno à communione Cœnæ abſtineat, oſtendimus: quia ſcilicet habetur pro ſacrificio quod ab uno omnium nomine offertur. Præterea quum Cœnæ quotannis ſemel communicandum eſt, ea miſere diſcerpitur & quaſi laniatur in partes. Nam quum omnibus diſtribui Sacramentum ſanguinis oporteret, ut fert apertum Domini mandatum: conſtituunt, populum dimidia parte contentum eſſe oportere. Ita miſeri Chriſtiani, beneficio quod in ipſos Deus contulerat, nequiſſima fraude privantur. Nec enim minimum beneficium eſt, communionem ſanguinis Domini habere noſtri alendi cauſa: nimiæque crudelitatis eſt iis ad quos id jure pertinebat, eripere. In quo perſpicere poſſumus, qua audacia & protervia Papa tyrannidem exercuerit in Eccleſiam Dei, poſtquam dominatum ſolus occupavit. Ubi Dominus diſcipulis præcepit ut panem ederent ſanctificatum in corpore ſuo: ad calicem veniens, non ſimpliciter ait Bibite, ſed nominatim adjicit Omnes. An apertius quicquam requirimus? Jubet ut panem comedamus, nec univerſali verbo utitur. De calice vero præcipit ut bibamus omnes. Unde hæc differentia: niſi quia huic diaboli malitiei & aſtutiæ occurrere voluit? Tanta nihilominus eſt Papæ arrogantia & ſuperbia, ut audeat exadverſo pronunciare: Ne bibatis omnes. Ut autem ſe Deo ſapientiorem eſſe oſtendat: æquum & rationi conſentaneum eſſe ait, Sacerdotem aliquid præter populum præcipui habere, quo ſacerdotalis dignitas honoretur. Quaſi Dominus ſatis prudens non fuerit, neque conſiderarit quomodo alterum ab altero diſcerni oporteat. Præterea objicit pericula quæ accidere poſſent, ſi calix vulgo omnibus porrigeretur. Guttam ſcilicet aliquam effundi poſſe: quaſi Dominus id non prævidiſſet. Nonne eſt, Dominum imprudentiæ arguere: quod ordinem qui obſervari debuerat confuderit, ac populum ſuum abſque ulla ratione in hoc periculum conjecerit? Ut parum incommodi ex ea mutatione ſequi oſtendant, aiunt totum ſub unica ſpecie comprehendi, quod non poſſit corpus à ſanguine ſeparari. Quaſi vero Dominus alterum ab altero diſtinxiſſet. Nam ſi pars altera ut ſuperflua relinqui poteſt, ſtultum & inane fuiſſet, utrumque ſeparatim ac diſtincte commendari. Nonnulli vero ex ejus ſatellitio, quum tantam abominationem non niſi impudenter defendi poſſe cernerent, eam alio modo tegere voluerunt. Aiunt enim Chriſtum, quum hoc Sacramentum inſtitueret, Apoſtolis tantum loquutum eſſe, quos jam in ordinem ſacerdotalem evexerat. Sed quid Paulo reſpondebunt, qui dicit ſe populo Chriſtiano tradidiſſe quod à Domino accepit, ut unuſquiſque comedat de pane & de calice bibat? Quis vero eis revelavit Chriſtum Apoſtolis ut ſacerdotibus Cœnam dediſſe? Verborum enim ſignificatio contraria eſt: quum poſtea jubet ut ſuo exemplo idem faciant. Regulam ergo præſcribit, quam vult in Eccleſia ſua perpetuam eſſe. Qualis etiam antiquitus obſervata fuit: antequam Antichriſtus tyrannide occupata ſeſe extulit, & adverſus Dei veritatem cornua erexit, ut eam funditus everteret. Intolerabilis igitur perverſitatis eſſe videmus, hoc Sacramentum ſic dividere & lacerare, ut eæ partes quas Deus conjunxit ſeparentur.

Ut finem faciamus: comprehendemus ſub uno capite, quod alioqui diſtingui poſſet. Diabolum ſcilicet, hunc morem celebrandæ abſque ulla doctrina Cœnæ introduxiſſe: & in doctrinæ locum ceremonias ſummiſiſſe, partim ineptas, partim inutiles, partim etiam noxias & periculoſas: ex quibus mala permulta conſequuta ſunt. Adeo ut Miſſa, quæ in Eccleſia Papali pro Cœna habetur, ut bene eam definiamus, nihil aliud ſit, quam mera ſimiæ æmulatio & actio hiſtrionica. Simiæ æmulationem appello, quod ſicut ſimiæ, hominum opera perperam ac ſine ratione æmulando, laſciviunt: ita hi ſacram Domini Cœnam ſic imitantur, ut præpoſteris ſuis figmentis totam ejus veritatem corrumpant. Quod ut verum eſſe oſtendamus, nonne id præcipuum eſt, quod Dominus commendavit, ut myſterium hoc cum vera intelligentia celebretur? Ex quo conſequens eſt, ejus ſubſtantiam in doctrina ſitam eſſe. Ea ſublata, nihil aliud quam frigida & inefficax ceremonia eſt. Id non tantum Scriptura, ſed etiam ipſius Papæ canones teſtificantur: ubi allegatur ſententia in qua quærit Auguſtinus quid ſit Baptiſmus ſine verbo, niſi elementum corruptibile. Verbo, ut ſtatim ſubjicit, non ex eo quod pronunciatur, ſed quod intelligitur. Quo ſignificat, Sacramenta ex verbo Domini vim ſuam accipere: quum eo modo quo intelligi poſſit, prædicatur. Quod reſtat indignum eſt ſacramenti nomine. Atqui tantum abeſt ut in Miſſa ulla ſit doctrina quæ intelligenter audiatur, ut ediverſo totum myſterium profanatum putetur, niſi clam & occulte omnia & dicantur & fiant: ut nihil percipi aut intelligi poſſit. Adeo ut eorum conſecratio ab incantationis ſpecie nihil differat. Nam incantatorum more ſuſurris & variis geſticulationibus putat ſe Chriſtum è cælo in manus ſuas deducere. Ex quo perſpicimus Miſſam ita ordinatam, profanationem Cœnæ manifeſtam potius quam obſervationem eſſe: propriamque & præcipuam Cœnæ ſubſtantiam deficere: quæ in eo conſiſtit ut myſterium populo rite explicetur, & promiſſiones clara voce recitentur: non ut ſacerdos ſine ulla aut ratione aut intelligentia ſummiſſe obſcurum murmur inſuſurret. Hiſtrionicam actionem appello, quod ineptiæ geſtuſque hiſtrionici illic viſuntur: quæ fabulæ potius quam ſacroſanctæ Domini Cœnæ conveniant. Sacrificia quidem veteri Teſtamento cum variis ornamentis & ceremoniis celebrabantur. Sed quia bonam

Can. detrahe. 1. 4. 1. Auguſtin. tract. 80. in Joan.

ſigni-

ſignificationem habebant, erantque omnia propria ad inſtruendum & exercitandum populum in pietate, ab iſtis longe diſſimiles erant: quæ nulli ſunt prorſus uſui, niſi ut ſine ullo fructu populi animum occupent & ſuſpenſum teneant. Porro quoniam iſti, ut ita appellem, Miſſatores hoc veteris Teſtamenti exemplum allegant, ut ceremonias ſuas tueantur, notare operæpretium eſt, quæ ſit inter id quod agunt, & id quod Deus populo Judaico præceperat, differentia. Nam ſi hoc unum adducam, quicquid tunc fiebat in mandato Dei fundatum fuiſſe: frivolas autem horum ineptias, nullum aliud quam in hominum inventione fundamentum habere: nonne jam magna eſſet diſſimilitudo? Sed multo majora habemus quibus ipſas improbemus. Non enim ſine cauſa Dominus talem formam ad tempus præſcripſerat, ut aliquando finem acciperent & abrogarentur. Quod enim nondum tanto doctrinæ ſuæ lumine affulſiſſet, eo magis populum in figuris exerceri volebat: ut quod in uno deerat, in altero ſarciretur. Verum ex quo Chriſtus in carne manifeſtatus eſt: quo magis illuſtrata eſt doctrina, eo magis figuræ ſunt imminutæ. Quum igitur corpore potiamur, relinquendæ ſunt umbræ. Nam ſi abolitas ceremonias velimus inſtaurare, velum quod Chriſtus morte ſua rupit, reficiemus, atque adeo Euangelii lumen obſcurabimus. Ita videmus hanc ceremoniarum multitudinem quæ in Miſſa viſitur, formam Judaiſmi eſſe, religioni Chriſtianæ omnino contrariam. Eo quidem animo non ſum, ut velim omnes ceremonias improbare, quæ honeſtati & ordini publico inſerviunt, quibus major reverentia Sacramento exhibetur: modo apte conveniant, & ſint ſobriæ. Verum immenſus ille labyrinthus nullo modo tolerari poteſt: quum infinitas ſuperſtitiones genuerit, & populum ſine ulla ædificatione quaſi ſtupidum reddiderit.

Hinc perſpici poteſt, in quo differre oporteat à Papiſtis, eos quibus Deus veritatis ſuæ intelligentiam patefecit. Primum, ſacrilegium abominabile eſſe non dubitabunt, Miſſam pro ſacrificio habere, quo remiſſio peccatorum acquiratur: aut ſacerdotem veluti mediatorem reputare, qui paſſionis Chriſti meritum applicet iis qui Miſſas redemerint, aut illis adſtiterint, aut denique animi religione ipſas coluerint. Quin potius conſtitutum habebunt, mortem & paſſionem Domini, ſacrificium unicum eſſe, quo iræ Dei ſatisfactum eſt, & perpetua nobis juſtitia acquiſita. Adhæc, Dominum Jeſum in Sanctuarium cæleſte ingreſſum eſſe, ut pro nobis illic ſe ſiſtat, & virtute ſacrificii ſui intercedat. Cæterum, ejus mortis fructum nobis in Cœna communicari facile concedunt, non ex operis merito, ſed ob promiſſiones nobis in ea factas: modo ipſas fide amplectamur. Deinde nullo modo concedere debent panem in corpus Chriſti, aut vinum in ſanguinem, quod aiunt, transſubſtantiari: ſed in eo perſiſtere debent, ſigna viſibilia veram ſubſtantiam ſuam retinere, ut veritatem ſpiritualem, de qua loquuti ſumus, nobis repræſentent. Tertio, quamvis apud ſe certo perſuaſi eſſe debeant, Dominum re ipſa exhibere, quod figurat: atque ita vere corpus & ſanguinem Chriſti illic à nobis recipi: non tamen quaſi ſub pane incluſum quærent, aut ſigno viſibili localiter, ut aiunt, affixum: tantum aberit ut Sacramentum adorent: ſed mentem & animum erigent in cælum, ut ibi Chriſtum & recipiant & adorent. Hinc eveniet ut aſpernentur & damnent ceu idololatriam, omnes illos ſuperſtitioſos ritus: tum efferendi in pompa & ſupplicationibus Sacramentum, tum extruendi tabernacula illa quibus adorandus proponitur. Nam promiſſiones Domini non longius patent, quam ad uſum quem nobis mandavit. Præterea judicabunt violari & corrumpi Domini inſtitutum, quum populus altera Sacramenti parte privatur: neceſſariumque eſſe, quo rite obſervetur, utramque integre diſtribui. Denique, tot ceremoniis uti ex Judaiſmo accerſitis, præter ſimplicitatem in qua ab Apoſtolis inſtructi ſumus, non ſupervacuum modo, verum etiam periculoſum eſſe exiſtimabunt, nec Chriſtianam religionem decere. Item improbioris etiamnum perverſitatis eſſe cenſebunt, Cœnam geſticulationibus & motibus hiſtrionicis ita celebrare, ut nulla omnino doctrina illic audiatur, ſed potius ſepeliatur: acſi ſpecies quædam eſſet artis magicæ.

Ut tandem aliquando finiamus, ad poſtremum ex præcipuis capitibus veniendum eſt. Ad contentionem videlicet illam, quæ noſtris temporibus in hac materia agitata eſt. Quam ego, quoniam infauſta fuit, & à diabolo haud dubie ſuſcitata, ad impediendum vel potius abrumpendum Euangelii curſum, oblivione ſempiterna deletam cuperem: tantum abeſt ut in ea recitanda oblecter. Quia tamen permultas pias conſcientias video, quæ quo ſe vertant neſciunt: breviter dicam quod mihi neceſſarium videbitur, ut oſtendam quomodo ſe explicare debeant.

Primum, fideles omnes per nomen Dei rogo atque obteſtor, ne adeo offendantur, quod hæc controverſia mota ſit inter eos qui in reſtituenda Euangelii doctrina, & quaſi poſtliminio reducenda duces fuerunt primarii. Neque enim novum eſt, Dominum ſinere ſervos ſuos aliquid ignorare: & pati ipſos inter ſe contendere: non ut eos perpetuo errare ſinat, ſed ad tempus: quo humiliores reddat. Et certe ſi hactenus proſpere ceſſiſſent, & ad voluntatem noſtram fluxiſſent omnia, homines forſan obliti eſſent ſui: aut gratia Dei, minus quam par erat, cognita fuiſſet. Itaque Dominus omnem gloriandi materiam hominibus adimere voluit: ut ſoli ipſi gloria tribuatur. Præterea ſi conſideremus quam opaca tenebrarum caligine obſitus erat orbis, quum ii qui hanc controverſiam moverunt, cœperunt nos ad veritatis lumen reducere: minime profecto mirabimur quod non omnia ipſis ab initio cognita fuerunt. Inſigne potius Dei miraculum eſt, quod tam exiguo temporis ſpatio ita fuerunt illuminati, ut ex illa errorum colluvie, quibus tamdiu immerſi fueramus, emergere ipſi, atque alios educere potuerint. Verum nihil melius, quam rem ipſam ut geſta eſt recitare. Inde enim apparebit, non eſſe tantam in hac parte offenſionis cauſam quanta vulgo exiſtimatur. Quum Lutherus docere cœpit, ſic materiam Cœnæ tractabat, ut, quod ad corporalem Chriſti præſentiam attinet, talem ipſam relinquere videretur, qualem tunc omnes concipiebant. Nam transſubſtantiationem damnans, panem corpus Chriſti eſſe dicebat; quod una cum ipſo conjunctum eſſet. Adjungebat præterea ſimilitudines duras quidem illas & rudes. Sed eis uti cogebatur, quod aliter mentem ſuam explicare non poterat. Difficile enim eſt, rem tam arduam exponere, quin impropria quædam ſubinde accerſantur. Dehinc ſuborti ſunt Zuinglius & OEcolampadius: qui quum impoſturam & deceptionem à diabolo invectam conſiderarent, in ſtabilienda præſentia illa carnali, quæ ab annis ſexcentis tradita, & pro certa habita fuerat: rem tanti momenti diſſimulare nefas eſſe exiſtimarunt. Maxime quum huic errori execrabilis idololatria annexa eſſet, quod Chriſtus quaſi ſub pane incluſus adoraretur. Quia vero difficillimum erat, hanc opinionem quæ diu jam & altius radices egerat in animis hominum, revellere, omnem ingenii vim ad eam impugnandam applicarunt: admonentes craſſiſſimi & abſurdiſſimi erroris eſſe, non agnoſcere ea quæ de aſcenſione Chriſti tota Scriptura teſtificatur. Ipſum in cælo in hominis natura receptum eſſe: ibique manſurum, quo ad deſcendat ad judicandum orbem. Sed huic propoſito nimium intenti: quam præſentiam Chriſti in Cœna credere debeamus, qualis illic communicatio corporis & ſanguinis ipſius

reci-

Digitized by Google

recipiatur, dicere omittebant. Adeo ut Lutherus eos nihil præter ſigna nuda, & ſpiritualis ſubſtantiæ vacua relinquere velle, exiſtimaret. Ideo cœpit palam obſiſtere: ita ut pro hæreticis habendos denunciaret. Ex quo ſemel efferbuit contentio, ſic temporis progreſſu adaucta & inflammata eſt, ut acerbius æquo exagitata ſit per annos plus minus quindecim, quibus interim neutri alteros æquo animo & placido audire ſuſtinebant. Nam etſi ſemel contulerunt inter ſe: tanta tamen animorum alienatio erat, ut re infecta diſceſſerint. Quum etiam ad concordiam aliquam accedere debuiſſent, magis ac magis regreſſi ſunt: nihil aliud ſpectantes quam ut opinionem ſuam tuerentur, & contrariam refutarent. Habemus itaque qua in re impegerit Lutherus, in qua etiam OEcolampadius & Zuinglius. Lutheri partes erant, ab initio admonere, non eſſe propoſiti ſui, præſentiam localem talem ſtatuere, qualem Papiſtæ ſomniant. Item, teſtari ſe non hoc quærere, ut Sacramentum, Dei loco adoraretur. Tertio, abſtinere à ſimilitudinibus illis rudibus & perceptu difficillimis: aut moderate eis uti, atque ita interpretari ut nullam offenſionem parere poſſent. Denique, ex quo mota eſt contentio, ipſe modum exceſſit: tum in declaranda opinione ſua, tum in aliis nimia verborum acerbitate vituperandis. Quum enim ita ſe debuiſſet explicare ut ſententia ejus recipi poſſet: pro ſolita vehementia ſua, ut contraria aſſerentes impugnaret, hyperbolicis loquendi formis utebatur: quas haud facile erat tolerari ab iis, quorum alioqui animi ad fidem ipſi adhibendam male diſpoſiti erant. Alii etiam offenderunt in eo, quod ita tenaciter inhæſerunt in oppugnanda ſuperſtitioſa illa & fanatica opinione Papiſtarum, de præſentia locali & adoratione quæ inde ſequebatur, ut ad vitium diruendum conatus ſuos potius converterint, quam ad id quod cognitu utile erat, ſtabiliendum. Nam etſi veritatem non negarunt: eam tamen non ita aperte ut decebat, docuerunt. Hoc intelligo: dum nimis ſtudioſe ac diligenter in hoc toti incumbebant, ut aſſererent panem & vinum corpus & ſanguinem Chriſti vocari, quod ipſorum ſigna ſint: non cogitarunt ſibi hoc interea ſimul agendum, ut adjungerent ita ſigna eſſe, ut nihilominus veritas cum eis conjuncta ſit. Nec teſtati ſunt, ſeſe non eò tendere ut veram communionem obſcurarent, quam nobis hoc Sacramento Dominus in corpore & ſanguine ſuo exhibet.

Utrique profecto in culpa fuerunt, dum ſeſe mutuo audire non ſuſtinuerunt: ut poſita omni affectione, veritatem, undecunque pateficeret, ſequerentur. Verum non ideo, quod noſtri erga ipſos officii eſt, prætermittere debemus. Ne ſcilicet obliviſcamur gratiarum & beneficiorum quæ Deus in eos contulit, & nobis per ipſorum manum diſtribuit. Niſi enim ingrati ſumus, & immemores eorum quæ ipſis debemus: facile ab omni vituperio & maledicto abſtinentes, iſta & multo majora condonabimus. Denique, quum videamus ipſos & vitæ ſanctimonia & doctrina excellenti præſtitiſſe, atque etiam præſtare qui hodie ſunt ſuperſtites: non aliter debemus de ipſis, quam cum ſumma modeſtia & reverentia, & loqui & ſentire. Maxime, quum Deo noſtro ita placuerit, poſteaquam ipſos hoc modo ad humilitatem erudivit, huic infelici diſceptationi finem imponere, aut ſaltem eam pacare, interim dum omnino finiatur. Hoc dictum volui, quoniam nulla adhuc publicata eſt formula, ubi concordia illa conſtituta ſit: quod valde neceſſarium eſſet. Verum hoc fiet quum Deus volet in unum eos convenire omnes à quibus hæc ſunt componenda. Interim hoc nobis ſufficere debet, fraternam amicitiam & conjunctionem inter Eccleſias eſſe: quatenus Chriſtianæ communionis intereſt. Uno igitur ore fatemur omnes, nos quum juxta Domini inſtitutum fide Sacramentum recipimus, ſubſtantiæ corporis & ſanguinis Chriſti vere fieri participes. Quomodo id fiat alii aliis melius definire & clarius explicare poſſunt. Cæterum, hoc in primis tenendum, ut carnalis omnis imaginatio excludatur, animum oportere ſurſum in cælos erigere, ne exiſtimemus Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eo dejectum eſſe, ut in elementis corruptibilibus concludatur. Rurſum, ne vis ſacroſancti hujus myſterii imminuatur, cogitare debemus id fieri occulta & mirabili Dei virtute: Spiritumque ipſius, vinculum eſſe hujus participationis: quæ etiam ob eam cauſam, ſpiritualis appellatur.

EPINICION,

CHRISTO CANTATUM

AB

JOANNE CALVINO,

CALENDIS JANUARII

Anno M.D. XLI.

JOAN. CALVINUS LECTORI.

QUum nuper ex nundinis Lugdunenſibus reverſi noſtri mercatores edictum attuliſſent Monachi cujuſdam Inquiſitoris, Toloſanæ curiæ decreto confirmatum: in quo phreneticus ille, pro ſolenni ſuorum more pios omnes libros damnabat: miratus ſum, quum verſus quoque meos (ſic enim nominabat) recenſeri in eo catalogo vidi. Luſeram, animi gratia, ante annos quatuor, quum eſſem Vormatiæ, breve carmen: quod quum paucis amicis legendum familiariter dediſſem, tria omnino, quod ſciam, aut ad ſummum, quatuor exemplaria exſcripta tunc fuerant: quæ poſtea quantum ex edicto conjicio, latius manarunt. Nam alioqui ſepultum putaſſem quod inter meas chartas neglectum jacebat: ut affirmare auſim, non eſſe in hac urbe duos, qui antehac legerint, me conſcio. Nec certe aliud habebam conſilii, niſi ut ſupprimeretur penitus. Sed quia furioſus hic Monachus, & nihilo ſanior curia Toloſana, dum ejus lectionem interdicere volunt, faciunt ut vulgo innoteſcat, me aliquod ſcripſiſſe carmen, de quo, quodnam & quale ſit, alii atque alii ſubinde à me quærant: edere ſtatim malui, quo & bonos viros quærendi moleſtia, & me, reſpondendi, ſublevarem. Simul ſtolidum hunc Monachum, ejuſque ſimiles commonefacere volui, quid, ita adverſum nos inſaniendo, proficiant. Nempe hoc conſequuntur ſua importunitate, ut ipſis invitis ac crepantibus, in lucem veniant multa, quæ alioqui forſan laterent.

EPINI-

EPINICION.

Ecce novum exoriens Janus pater incboat annum:
Quem mos eſt fauſtis excipere ominibus.
Hæc eſt illa dies, veteri de more, priorem
Romani faciem quæ novat imperii.
Quaque novi emergunt faſces, ſellæque curules,
Conſpicuum & gemino conſule fulget ebur.
Surgat ut auſpiciis nobis felicibus annus,
Solennis ornanda eſt iſta favore dies.
Chriſtum ergo Regem plebs religioſa ſalutet:
Atque illum dignis prædicet elogiis.
Ille quidem ſine fine regit, regnatque, nec annis
Finitum tenet, aut menſibus imperium.
Æternum huic decus eſt, æterna potentia regni:
Quam nullus variat, diminuitque dies.
Quam tamen hic annos, menſeſque dieſque gubernet,
Temporis & varias ordinet aſque vices:
Fas eſt illius naſcentem à laudibus annum
Incipere, ut curſu perpete proſper eat.
Quid? quod mirifica ſic nunc virtute refulget,
Ut quis clara recens munia conſul obit.
Inſignem & ſolito ſeſe magis exerit, ut qui
Magnanimus domito victor ab hoſte redit.
Sic eſt: victrici quatiens ſceptra aurea dextra,
Hoſtibus horrendi ſigna dat exitii.
Spemque jubet certæ nos exaltare ſalutis,
Jamque triumphalem monſtrat adeſſe diem.
Ergo piæ rumpant ingrata ſilentia linguæ:
Nec tantæ ceſſent cardine lætitiæ.
Ludibrio iſta quidem fiducia, cantus inanis
Hoſtibus, ut nivei carmen oloris, erit.
Forſitan & dicent, Quænam hæc amentia? Chriſtus
Nondum conſerta victor eritne manu?
Retulit intacta quiſquam de gente triumphum?
Ante aciem fuſam laurea ſumpta cui eſt?
Ergo ſenis-neces carmen ferale ſepulchri
Accenſum credent nos canere ante rogum.
Eſt aliquid, fateor, quod ſalvo robore regni
Impictus alta ſede ſuperba minaet.
Integer ille manet mentito inflatus honore
Qui tribuit ſummi jus ſibi Pontificis.
Quin magnos nutu regit, inflectitque monarchas,
Erigit, & ſternit, terret & exhilarat.
Ac digiti ſigno ſpatioſum concutit orbem:
Nec minus eſt hodie, quam fuit ante, ferax.
Nec minus aut miſerum Chriſti diſpergit ovile,
Mendaci aut tetrum virus ab ore vomit.
Nec minus in ſanctos furit, inſontique cruentas
Sanguine nunc paſſim tingit, at ante, manus.
Sed quia mors, vita eſt: & crux, victoria Chriſti:
Nil diræ impedient gaudia noſtra minæ.
Ille ſui ſimilis manet, æternumque manebit,
Vincere, non vinci, qui patiendo, ſolet.
Quum premitur, patiturque, ac deſperatus habetur,
Inde ſibi atque ſuis pulchra trophæa parat.
Nunc ſtolide effertur terrena ſuperbia: ſed mox
Præceps ipſa ſuo pulſa furore ruet.
Sanctus at ille cruor, uivini aſſertor honoris,
Gignendam ad ſobolem ſeminis inſtar erit.
Vox gladius Chriſto eſt, & lancea ſpiritus oris:
Hoſtem igitur ſubita ſternere voce poteſt.
Hunc gladium, huc, illuc, jam quintum denique luſtrum
Vibrat, agens, valida, non ſine cæde, manu.
Eluſit Satanas quos antehac pertulit ictus
Sacrilegæ Princeps & Papa militiæ.
Nunc magis expertus quo pungat acumine, tandem
Saucius inſolito vulnere uterque gemit.
Hinc eſt, quod ſtupiduſque Papæ, attonituſque ſatelles
Pendet, & exanimis turba profana pavet.
Hinc eſt, quod ſtrepitu implentur varioque tumultu,
Infaudi & trepidant perfida caſtra ducis.
Sæpius & variis alternant motibus, ut qui
Jam fracta tentat prælia ſumma manu.
Compoſitæ interea nobis fiducia mentis,
Et placido conſtat pectore firma quies.
Quis Chriſtum hic neget ad perdendos funditus hoſtes
Exerere invicta flammea tela manu?
Quis neget hoc victoris opus memorabile? quiſve
Invideat tanto laurea ſerta duci?
Certatum eſt acie: partem ſibi miles honoris
Vendicat, ac ſolidum non ſinit eſſe ducis.
Quid ſi igitur victi laudem ſibi Chriſtus ut hoſtis
Aſſerat, abſque hominum vincere marte velit?
Vincere vi magnum eſt hoſtem; quid ſternere nutu?
Pellere luſus; quantum, ſtando, fugare decus?
Ecce quieſcendo ſternit, funditque ſilendo,
Quos rabidis ſimiles conſtitit eſſe feris.
Nonne hi ſunt, paſſim quos norunt nuper amaro
De pulmone graves evomuiſſe minas?
Cur concepta intus rabies incluſa moratur?
An quod opes atrox non habet ira pares?
Præſidio quo non inſtructas cernimus? arte
Nequitiæ, gladiis, improbitate, dolis.
Nos modica, imbellis, nuda, exarmataque turba,
Horribiles veluti grex ovium ante lupos.
An non mirifica eſt Regis victoria Chriſti?
Noſtra quod intrepide corda vigore fovet.
Ergo triumphali redimitus tempora lauro
Quadrijugi emineat conſpicuus ſolio.
Edomiti currum, poſitoque furore, ſequantur
Qui cum ſacro ejus numine bella gerunt.
Eccius heſterno ruber atque inflatus Iaccho
Præbeat huc duris terga ſubucta flagris.
Huc caput indomitum ſubdat, verum ante recepta,
Qua ſemper caruit, fronte Cochlæus iners.
Nauſea verboſis generans faſtidia libris,
Occluſo tacitus jam ferat ore jugum.
Quique diu latuit ſub nomine bubo Pelargi,
Sævo etiam roſtro dura lupata premat.
Non quia præcipui: ſed quod certamine in iſto
Signiferos ſtatuit flagitioſa cohors.
Ergo ſub triplici bellant quicunque tiara,
Totaque ſe huc ſiſtant cum duce caſtra ſuo.
Aſtutæ vulpes, tinctique cruore leones,
Et latratorum turba proterva canum.
Ordine quiſque ſuo, magni atque ignobile vulgus,
Inſolito diſcant ſubdere colla jugo.
At vos de meliore nota ſunctique Poëtæ
Muſa quibus ſuaves fundit amœna modos,
Magnifico celebrem Chriſti cantate triumphum
Carmine. Io pæan cætera turba canit.

Quod natura negat, ſtudii pius efficit ardor,
Ut coner laudes Chriſte ſonare tuas.

CATE-

CATECHISMUS ECCLESIÆ GENEVENSIS,

HOC EST,

FORMULA ERUDIENDI PUEROS IN DOCTRINA CHRISTI.

PRÆFATIO.

JOANNES CALVINUS, *fidelibus Chriſti miniſtris, qui per Friſiam Orientalem, puram Euangelii doctrinam annunciant.*

QUum huc modis omnibus eniti nos conveniat, ut inter nos reluceat illa quæ tantopere à Paulo commendatur, fidei unitas: ad hunc certe finem potiſſimum ſolennis fidei profeſſio, quæ Baptiſmo communi annexa eſt, debebat referri. Proinde hic non perpetuum modo inter omnes conſenſum in pietatis doctrina conſtare: ſed unam quoque Eccleſiis omnibus eſſe Catechiſmi formam optandum eſſet. Verum, quia multas ob cauſas vix unquam id poterit obtineri, quin ſuam quæque Eccleſia propriam habeat, non eſt vehementius pugnandum: modo tamen ea ſit in docendi modo varietas, qua ad unum Chriſtum dirigamur omnes, cujus veritate inter nos copulati, ſic in unum corpus coaleſcamus unumque ſpiritum, ut eodem ſimul ore, quæcunque ad fidei ſummam ſpectant, prædicemus. Ad hunc ſcopum qui non intendunt Catechiſtæ, præterquam quod diſſidii materiam in religione ſerendo, capitaliter nocent Eccleſiæ, impiam quoque Baptiſmi profanationem inducunt. Quæ enim amplius Baptiſmi utilitas, niſi maneat hoc fundamentum, ut conſentiamus omnes in unam fidem? Quo diligentius cavere debent, qui Catechiſmos edunt in publicum, ne quid temere proferendo non in præſens modo ſed etiam ad poſteros, tum gravem pietati noxam, tum exitiale Eccleſiæ vulnus infligant. Hoc ideo præfari volui, ut id me quoque, ſicuti par erat, non poſtremo loco ſpectaſſe, teſtatum eſſet lectoribus, ne quid in iſto meo Catechiſmo traderem, niſi receptæ inter omnes pios doctrinæ conſentaneum. Atque idipſum quod profiteor, non vanum eſſe comperient, qui candorem in legendo ſanumque judicium adhibuerint. Certe me conſequutum eſſe confido, ut labor meus bonis omnibus, ſi non ſatisfaciat, gratus tamen ſit, ut qui utilis ab ipſis cenſeatur. Quod autem Latinum feci, in eo ſi forte quibuſdam non probabitur meum conſilium, ejus tamen multæ rationes mihi conſtant, quas nunc referre omnes, nihil attinet: tantum eligam, quæ ad vitandam reprehenſionem ſufficere videantur. Primum in hoc tam confuſo diſſipatoque Chriſtiani nominis ſtatu, utile eſſe judico, extare publica teſtimonia, quibus Eccleſiæ quæ longis alioqui locorum ſpatiis diſſitæ, conſentientem habent in Chriſto doctrinam, ſe mutuo agnoſcant. Præterquam enim quod ad mutuam confirmationem non parum iſtud valet: quid magis expetendum, quam ut ſibi ultro citroque gratulantes, piis votis aliæ alias Domino commendent? ſolebant olim in hunc finem Epiſcopi, quum adhuc ſtaret inter omnes vigeretque fidei conſenſus, ſynodales epiſtolas trans mare mittere: quibus, tanquam teſſeris, ſactam inter Eccleſias communionem ſancirent. Quanto nunc, in hac tam horrenda Chriſtiani orbis vaſtitate, magis neceſſe eſt, paucas Eccleſias, quæ Deum rite invocant, & eas quidem diſperſas, & undique circumſeptas profanis Antichriſti ſynagogis, hoc ſanctæ conjunctionis ſymbolum dare viciſſim & accipere, unde ad illum, quem dixi, complexum incitentur? Quod ſi hoc adeo eſt hodie neceſſarium: quid de poſteritate ſentiemus? De qua ego ſic ſum anxius, ut tamen vix cogitare audeam. Niſi enim mirabiliter Deus è cælo ſuccurrerit, videre mihi videor extremam barbariem impendere orbi. Atque utinam non paulo poſt ſentiant filii noſtri, fuiſſe hoc verum potius vaticinium, quam conjecturam. Quo magis elaborandum nobis eſt, ut qualeſcunque Eccleſiæ reliquias, quæ poſt mortem noſtram reſtabunt, vel etiam emergent, ſcriptis noſtris colligamus. Et alia quidem ſcriptorum genera, quis noſter omnium fuerit in religione ſenſus, oſtendent: ſed illuſtriore documento, quam inter ſe habuerint Eccleſiæ noſtræ doctrinæ concordiam, perſpici non poterit, quam ex Catechiſmis. Illic enim non modo quid ſemel docuerit unus homo, aut alter, apparebit: ſed quibus à pueritia rudimentis imbuti perpetuo fuerint apud nos docti ſimul atque indocti: ut haberent hoc omnes fideles, quaſi ſolenne Chriſtianæ communionis ſymbolum. Atque hæc ſane præcipua mihi fuit edendi hujus Catechiſmi ratio. Valuit tamen non parum quoque altera, quod eum à plurimis deſiderari audiebam, quia lectu non indignum fore ſperarent. Judicione id an errore, pronunciare non eſt meum, ſed eorum tamen voto morem gerere æquum fuit. Quin etiam injecta mihi propemodum neceſſitas erat, ne liceret impune detrectare. Nam quum ante annos ſeptem edita à me eſſet brevis religionis ſumma ſub Catechiſmi nomine: verebar niſi hoc in medium prolato, anteverterem, ne illa, quod nolebam, rurſum excluderetur. Bono igitur publico ſi vellem conſultum, curare me oportuit, ut hic, quem ego præferebam, locum occuparet. Præterea ad exemplum pertinere arbitror, reipſa teſtatum fieri mundo, nos qui Eccleſiæ reſtitutionem molimur, ubique in hanc partem fideliter incumbere, ut ſaltem Catechiſmi uſus qui aliquot antehac ſeculis ſub Papatu abolitus fuit, nunc quaſi poſtliminio redeat. Nam neque ſatis pro ſua utilitate commendari poteſt ſanctum hoc inſtitutum: nec Papiſtis ſatis exprobrari tam flagitioſa corruptela, quod illud in pueriles vertendo ineptias, non modo ſuſtulerunt è medio, ſed eo quoque ad impuræ & impiæ ſuperſtitionis prætextum turpiter ſunt abuſi. Adulterinam enim illam Confirmationem, quam in ejus locum ſubrogarunt, inſtar meretricis magno ceremoniarum ſplendore, multiſque pomparum fucis ſine modo ornant: quin etiam dum ornare volunt, execrandis blaſphemiis adornant, dum ſacramentum eſſe jactant Baptiſmo dignius: vocantque ſemichriſtianos,

quicun-

quicunque fœtido ſuo oleo non fuerint infecti: interim vero tota eorum actio nihil quam hiſtrionicas geſticulationes continet: vel potius laſcivos ſimiarum luſus, abſque ulla æmulationis arte.

Vos autem fratres mihi in Domino chariſſimi quibus ipſum nuncuparem, ideo elegi, quia præterquam quod me amari à vobis, & pleroſque etiam veſtrum ſcriptis meis delectari nonnulli ex veſtro cœtu mihi indicaverant, id quoque nominatim poſtularent à me per literas, ut hunc laborem ſua gratia ſuſciperem. Alioqui una illa ſatis juſta futura erat ratio, quod pridem ex piorum & gravium virorum relatu ea de vobis intellexi, quæ animum vobis meum penitus obſtringerent. Nunc vero, quod vos ſponte facturos confido, peto tamen à vobis ut hoc benevolentiæ erga vos meæ teſtimonium boni velitis conſulere. Valete. Dominus vos ſapientiæ, prudentiæ, zeli, & fortitudinis ſpiritu in dies magis ac magis augeat in Eccleſiæ ſuæ ædificationem. Genevæ, IV. Calendas Decembris. M. D. XLV.

LECTORI S.

OBſervatam ſemper fuit in Eccleſia, & diligenter etiam procuratam, ut pueri in doctrina Chriſtiana rite inſtituerentur. Quod ut fieret commodius, non modo apertæ fuerunt olim Scholæ, ac ſingulis præcipiebatur, ut familiam ſuam probe docerent, ſed etiam publico more & inſtituto receptum erat, ut in templis rogarentur pueri de ſingulis capitibus, quæ communia Chriſtianis omnibus & nota eſſe debent. Ut autem id ordine fieret, deſcribebatur formula quæ vocabatur Catechiſmus ſive inſtitutio. Ab eo tempore, diabolus Eccleſiam Dei miſere lacerans, & horrendum ejus exitium invehens (cujus notæ in majori parte mundi nimium adhuc extant) ſanctam hanc politiam evertit: neque aliud quicquam reliquum fecit præter quaſdam nugas, quæ ſuperſtitiones tantum pariant abſque ullo ædificationis fructu: cujuſmodi eſt Confirmatio illa, quam vocant, referta quidem geſticulationibus pluſquam ridiculis, & quæ prorſus ſimiis conveniant, nec ullo fundamento nitantur. Quod ergo nunc in medium proferimus, nihil aliud eſt quam uſus eorum, quæ jam olim à Chriſtianis & veris Dei cultoribus obſervata ſunt, neque unquam omiſſa, niſi dum Eccleſia omnino corrupta fuit.

CATECHISMUS

ECCLESIÆ GENEVENSIS.

DE FIDE.

Ex Gal. M. QUis humanæ vitæ præcipuus eſt finis?

P. Ut Deum, à quo conditi ſunt homines, ipſi noverint.

M. Quid cauſæ habes, cur hoc dicas?

P. Quoniam nos ideo creavit, & collocavit in hoc mundo, quo glorificetur in nobis. Et ſane vitam noſtram, cujus ipſe eſt initium, æquum eſt in ejus gloriam referri.

M. Quod vero eſt ſummum bonum hominis?

P. Illud ipſum.

M. Quamobrem id tibi ſummum bonum habetur?

P. Quia eo ſublato, infelicior eſt noſtra conditio, quam quorumvis brutorum.

M. Ergo vel inde ſatis perſpicimus, nihil poſſe homini infelicius contingere, quam Deo non vivere.

P. Sic res habet.

M. Porro, quænam vera eſt ac recta Dei cognitio?

P. Ubi ita cognoſcitur, ut ſuus illi ac debitus exhibeatur honor.

M. Quænam vero ejus rite honorandi eſt ratio?

P. Si in eo ſita ſit tota noſtra fiducia: ſi illum tota vita colere, voluntati ejus obſequendo, ſtudeamus: ſi eum, quoties aliqua nos urget neceſſitas, invocemus; ſalutem in eo quærentes, & quicquid expeti poteſt bonorum: ſi poſtremo, tum corde, tum ore, illum bonorum omnium ſolum auctorem agnoſcamus.

M. Verum, ut hæc diſcutiantur ordine, & fuſius explicentur: Quod in hac tua partitione primum eſt caput?

P. Ut totam in Deo fiduciam noſtram collocemus.

M. Qualiter autem id fiet?

P. Ubi omnipotentem noverimus, & perfecte bonum.

M. Satiſne hoc eſt?

P. Nequaquam.

M. Quamobrem?

P. Quia indigni ſumus, quibus adjuvandis potentiam exerat, & in quorum ſalutem quam bonus ſit, oſtendat.

M. Quid ergo præterea opus eſt?

P. Nempe ut cum animo ſuo quiſque noſtrum ſtatuat, ab ipſo ſe diligi, eumque ſibi & Patrem eſſe velle, & ſalutis auctorem.

M. Unde autem nobis id conſtabit?

P. Ex verbo ipſius ſcilicet, ubi ſuam nobis miſericordiam in Chriſto exponit, & de amore erga nos ſuo teſtatur.

M. Fiduciæ ergo in Deo collocandæ fundamentum ac principium eſt, eum in Chriſto noviſſe.

P. Omnino.

M. Nunc, quænam ſit hujus cognitionis ſumma, paucis audire abs te velim.

P. In fidei confeſſione, vel potius in formula confeſſionis, quam inter ſe communem habent Chriſtiani omnes, continetur. Eam vulgo Symbolum Apoſtolorum vocant, quod ab initio Eccleſiæ recepta ſemper fuerit inter omnes pios: & quod vel ab ore Apoſtolorum excepta fuerit, vel ex eorum ſcriptis fideliter collecta.

M. Recita.

P. Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ: & in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum, qui conceptus eſt è Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit ex mortuis, aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus ad judicandum vivos & mortuos. Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam catholicam, Sanctorum communionem, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam. Amen.

M. Ut penitius intelligantur ſingula: in quot partes hanc confeſſionem dividemus?

P. In quatuor præcipuas.

M. Eas mihi recenſe.

P. Prima ad Deum Patrem ſpectabit. Secunda

erit de Filio ejus Jeſu Chriſto, quæ etiam totam redemptionis humanæ ſummam complectitur. Tertia erit de Spiritu ſancto. Quarta de Eccleſia & divinis in ipſam beneficiis.

M. Quum non niſi unus ſit Deus: cur hic mibi tres commemoras, Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum?

P. Quoniam in una Dei eſſentia Patrem intueri nos convenit, tanquam principium & originem, ptimamve rerum omnium cauſam: deinde Filium, qui ſit æterna ejus Sapientia: poſtremo Spiritum ſanctum, tanquam ejus virtutem per omnia quidem diffuſam, quæ tamen perpetuo in ipſo reſideat.

M. Inde ſignificas, nihil eſſe abſurdi, ſi in una divinitate diſtinctas conſtituamus has tres perſonas, Deumque propterea non dividi.

P. Ita eſt.

M. Recita jam primam partem.

P. Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.

M. Cur Patrem nominas?

P. Chriſti primum quidem intuitu: qui & Sapientia ejus eſt, ab ipſo genita ante omne tempus. & miſſus in hunc mundum, declaratus fuit ejus Filius. Hinc tamen colligimus, quum Deus Jeſu Chriſti ſit Pater, nobis quoque eſſe Patrem.

M. Quo ſenſu nomen illi Omnipotentis tribuis?

P. Non hoc modo potentiam ipſum habere, quam non exerceat: ſed omnia ipſum habere ſub poteſtate & manu: providentia ſua gubernare mundum, arbitrio ſuo omnia conſtituere, omnibus creaturis, prout viſum eſt, imperare.

M. Itaque non otioſam Dei potentiam fingis: ſed talem eſſe reputas, quæ manum operi ſemper admotam habeat: ſic ut nihil, niſi per ipſum, ejuſque decreto, fiat.

P. Sic eſt.

M. Quorſum addis Creatorem cæli & terræ?

Rom. 1. verſ. 20. P. Quoniam per opera ſe nobis patefecit: in illis quoque nobis quærendus eſt. Neque enim eſſentiæ ejus capax eſt mens noſtra. Eſt igitur mundus ipſe veluti ſpeculum quoddam, in quo eum poſſimus inſpicere: quatenus eum cognoſcere noſtra refert.

M. Per cælum & terram an non quicquid præterea creaturatum extat, intelligis?

P. Imo vero: ſed his duobus nominibus continentur omnes, quod aut cæleſtes ſint, aut terrenæ.

M. Cur autem Deum Creatorem duntaxat nuncupas: quum tueri conſervareque in ſuo ſtatu creaturas multo ſit præſtantius, quam ſemel condidiſſe?

P. Neque vero hac particula indicatur tantum, ſic opera ſua Deum ſemel creaſſe, ut illorum poſtea curam abjecerit. Quin potius ſic habendum eſt, mundum, ut ſemel ab eo fuit conditus, ita nunc ab eo conſervari: nec aliter & terram, & alia omnia ſtare, niſi quatenus ejus virtute, & quaſi manu ſuſtinentur. Præterea, quum ſic omnia ſub manu habeat, inde etiam conficitur, ſummum eſſe moderatorem omnium ac dominum. Itaque, ex quo Creator eſt cæli ac terræ, intelligere convenit, eum eſſe unum, qui ſapientia, bonitate, potentia, totum naturæ curſum atque ordinem regat: qui pluviæ ſimul ac ſiccitatis, grandinum, aliarumque tempeſtatum, ac ſerenitatis ſit auctor, qui benignitate ſua terram fœcundet, eamque rurſus, manum ſuam reducendo, ſterilem reddat: à quo ſanitas ſimul ac morbi proveniant: cujus denique imperio ſubjaceant omnia, & nutui obſequantur.

M. De impiis autem & diabolis quid ſentiemus; an eos quoque dicemus illi ſubeſſe?

P. Quanquam Spiritu eos ſuo non gubernat, ſua tamen poteſtate, tanquam freno eos coërcet, ut ne movere quidem ſe queant, niſi quoad illis permittit. Quin etiam voluntatis ſuæ facit miniſtros, ut inviti ac præter ſuum conſilium, exequi, quod illi viſum fuerit, cogantur.

M. Quid ad te ex ejus rei cognitione utilitatis redit?

P. Plurimum. Male enim ageretur nobiſcum, ſi diabolis & impiis hominibus præter Dei voluntatem quicquam liceret, adeoque tranquillis animis nunquam eſſemus, nos eorum libidini expoſitos eſſe cogitantes. Verum, tunc demum tuto conquieſcimus, ubi frenari eos Dei arbitrio, & tanquam in arcto contineri ſcimus, ne quid, niſi ejus permiſſu, poſſint: quum præſertim Deus ipſe nobis ſe tutorem fore, ſalutiſque præſidem receperit.

M. Nunc ad ſecundam partem veniamus.

P. Ea eſt: Credere nos in Jeſum Chriſtum Filium ejus unicum, Dominum noſtrum.

M. Quid præcipue complectitur?

P. Filium Dei nobis eſſe ſervatorem: ſimulque modum explicat, quo nos à morte redemerit, vitamque acquiſierit.

M. Quid ſibi vult nomen Jeſu, quo eum appellas?

P. Quod Græcis ſignificat nomen Σωτήρ. Latini proprium nomen non habent, quo bene vis ejus exprimatur. Itaque, Salvatoris vocabulum vulgo receptum fuit. Porro Filio Dei hanc appellationem indidit Angelus, ipſius Dei juſſu. *Matth. 1. verſ. 21.*

M. Eſtne hoc pluris, quam ſi homines illi indidiſſent?

P. Omnino. Nam quum ſic nuncupari velit Deus, talem quoque eſſe prorſus neceſſe eſt.

M. Quid deinde valet nomen Chriſti?

P. Hoc epithero melius etiamnum exprimitur ejus officium. Significat enim unctum eſſe à Patre in Regem, Sacerdotem, ac Prophetam.

M. Qui ſcis iſtud?

P. Quoniam ad hos tres uſus Scriptura unctionem accommodat. Deinde, hæc tria, quæ diximus, ſæpe Chriſto tribuit.

M. Sed quo olei genere unctus fuit?

P. Non viſibili: quale in conſecrandis antiquis Regibus, Sacerdotibus & Prophetis fuit adhibitum; ſed præſtantiori: hoc eſt, Spiritus ſancti gratia, quæ veritas eſt externæ illius unctionis.

M. Quale vero hoc ejus regnum eſt, quod commemoras?

P. Spirituale, quod verbo & Spiritu Dei continetur: quæ juſtitiam & vitam ſecum ferunt.

M. Sacerdotium vero?

P. Officium eſt ac prærogativa ſiſtendi ſe in Dei conſpectum, ad obtinendam gratiam: & ſacrificii, quod illi acceptum ſit, oblatione, iram ejus placandi.

M. Jam quo ſenſu Prophetam Chriſtum nominas?

P. Quia quum in mundum deſcendit, Patris ſe legatum apud homines, & interpretem profeſſus eſt. idque in eum finem, ut Patris voluntate ad plenum expoſita, finem poneret revelationibus omnibus & prophetiis.

M. Sed percipiſne inde fructum aliquem?

P. Imo non alio ſpectant omnia hæc, niſi in bonum noſtrum. Nam iis donatus eſt Chriſtus à Patre, ut nobiſcum ea communicet, quo ex ejus plenitudine hauriamus omnes.

M. Ediſſere hoc mihi paulo fuſius.

P. Spiritu ſancto repletus, perfectaque omnium ejus donorum opulentia cumulatus fuit, quo nobis ea impertiat, cuique ſcilicet pro menſura, quam nobis convenire novit Pater. Ita ex eo, tanquam unico fonte haurimus quicquid habemus bonorum ſpiritualium.

M. Quid nobis confert ejus Regnum?

P. Nempe, quod ejus beneficio ad pie ſancteque vivendum vindicati in libertatem conſcientiarum, ſpiritualibuſque ejus divitiis inſtructi, potentia quoque armamur, quæ ad perpetuos animarum noſtra-

rum hoſtes, peccatum, carnem, Satanam, & mundum, vincendos ſufficiat.

M. Ad quid autem Sacerdotium conducit?

P. Ptimum, quod hac ratione Mediator eſt ooſter, qui nos Patri reconciliet: deinde, quod per eum acceſſus nobis patefactus eſt ad Patrem, ut in ejus conſpectum cum fiducia ptodeamus, ipſi quoque, noſque & noſtra omnia illi in ſacrificium offeramus. Atque ita collegas oos quodammodo ſuos facit in ſacerdotio.

M. Reſtat Prophetia.

P. Quum Filio Dei magiſterii collatum ſit munus in ſuos: finis eſt, ut vera eos Patris cognitione illuminet, etudiat eos in veritate, & domeſticos Dei diſcipulos efficiat.

M. Huc ergo redeunt quæ dixiſti omnia, Chtiſti nomen tria officia comprehendere, quæ in Filium contulit Pater, ut vim eorum ac fructum in ſuos transfundat.

P. Sic eſt.

M. Cur Filium Dei unicum nuncupas: quum hac quoque appellatione nos omnes dignetur Deus?

P. Quod filii Dei ſumus, non id habemus à natura, ſed adoptione & gratia duntaxat: quod ſcilicet
Joan. 1. nos eo loco habeat Deus. At Dominus Jeſus, qui
verſ. 1. ex ſubſtantia Patris eſt genitus, uniuſque cum Patre
Epheſ. 1. eſſentiæ eſt, optimo jure Filius Dei unicus vocatur:
verſ. 3. quum ſolus ſit natura.
Hebr. 1. M. Intelligis ergo, hunc honorem, ejus eſſe pto-
verſ. 1. prium, qui naturæ jute illi debeatur: nobiſcum autem gtatuito beneficio communicari, quatenus ſumus ejus membra.

P. Omnino. Itaque ejus communicationis intuitu,
Rom. 8. alibi nominatur Primogenitus inter multos fratres.
verſ. 29. M. Qualiter Dominum eſſe noſtrum intelligis?
Coloſſ. 1. P. Sicut à Patre conſtitutus eſt, ut ſub imperio
v. 15. 18. ſuo nos habeat, ut Dei regnum adminiſtret in cælo & in terra, ſitque hominum caput & Angelorum.

M. Quid ſibi vult quod poſtea ſequitur?

P. Modum oſtendit, quo Filius unctus eſt à Patre, ut nobis eſſet Salvator. Nempe, quod aſſumpta carne noſtra, iis perfunctus eſt omnibus, quæ ad ſalutem noſtram etant neceſſaria: ſicut hic recenſentur.

M. Quid his duabus ſententiis ſignificas, Conceptum eſſe ex Spititu ſancto: Natum ex Maria virgine?

Pſal. 132. P. Fotmatum in utero Virginis fuiſſe, ex ejus
verſ. 11. ſubſtantia, ut eſſet verum ſemen Davidis, qualiter
Matth. 1. vaticiniis Prophetarum prædictum fuerat: id tamen
verſ. 2. mirifica arcanaque Spiritus virtute fuiſſe effectum,
Luc. 1. abſque vitili coitu.
verſ. 32. M. Eratne igitur operæpretium, ut carnem noſtram indueret?

Rom. 3. P. Maxime. Quia inobedientiam ab homine
verſ. 25. admiſſam in Deum, neceſſe erat in humana quoque
1 Tim. 2. natura expiari. Nec vero aliter Mediator eſſe noſter
verſ. 5. poterat, ad conciliationem Dei & hominum pera-
Hebr. 4. gendam.
verſ. 15. M. Chriſtum ergo oportuiſſe hominem fieri di-
& 5: 7. cis: ut tanquam in perſona noſtra, ſalutis noſtræ partes impleret.

P. Ita ſentio. Nam ab ipſo mutuemur oportet, quicquid nobis apud nos deeſt: quod fieri aliter oequit.

M. Verum, cur id à Spiritu ſancto effectum eſt, ac non potius communi, uſitataque generationis forma?

P. Quoniam penitus corruptum eſt humanum ſemen, in generatione Filii Dei intercedere Spiritus ſancti opus decuit: ne hac contagione attingeretur, ſed eſſet puritate perfectiſſima præditus.

M. Hinc ergo diſcimus, eum qui alios ſanctificat, immunem ab omni macula eſſe: puritateque, ut ita loquat, originali fuiſſe ab utero præditum, ut totus Deo ſacer eſſet, nulla humani generis labe inquinatus.

P. Sic intelligo.

M. Quomodo eſt Domioos noſter?

P. A Patre conſtitutus eſt, ut nos regat, imperium- *Epheſ. 1.*
que & Dei dominationem, tum in cælis, tum in terra *verſ. 21.*
adeptus, caput Angelorum & piorum agnoſcatur. *Coloſſ. 1.*
M. Cur à natalibus protinus ad mortem, omiſſa *verſ. 18.*
totius vitæ hiſtoria, tranſilis?

P. Quia hic non tractantur, oiſi quæ redemptionia noſtræ ita ſunt propria, ut ejus ſubſtantiam quodammodo in ſe contineant.

M. Cur non ſimpliciter uno verbo mortuum fuiſſe dicis: ſed Præſidis quoqne nomen adjicis, ſub quo ſit paſſus?

P. Id non ad hiſtoriæ fidem modo ſpectat, ſed ut ſciamus mortem ejus conjunctam cum damnatione fuiſſe.

M. Expone hoc clarius.

P. Mortuus eſt, ut pœna nobis debita defungeretur: atque hoc modo ab ea nos eximeret. Quum autem omnes nos, ſicuti peccatores ſumus, obnoxii eſſemus Dei judicio, quo vicem noſtram ſubiret, ſiſti in conſpectum terreni judicis voluit, damnarique ejus ore, ut coram cæleſti Dei tribunali abſolveremur.

M. Atqui inſontem Pilatus eum pronunciat: ita- *Mat. 27.*
que non damnat pro malefico. *verſ. 24.*
P. Utrumque animadvertere convenit. Ideo enim ejos innocentiæ teſtimonium reddit judex, ut teſtatum fiat, non ob propria ipſum maleficia plecti, ſed noſtra: ſolenni tamen ritu interea damnatur ejuſdem ſententia, ut palam fiat, judicium quod merebamur, tanquam vadem noſtrum ſubire, quo nos à reatu liberet.

M. Bene dictum. Nam ſi peccator eſſet, non idoneus vas eſſet, ad ſolvendam alieni peccati pœnam. Ut tamen ejus damnatio nobis in abſolutionem cederet, cenſeri eum inter maleficos oportuit.

P. Sic intelligo.

M. Quod crucifixus fuit, an plus habet momenti, quam ſi alio quolibet mortis genere affectus foret?

P. Omnino: quemadmodum etiam admonet Pau- *Galat. 3.*
lus, dum in ligno ſuſpenſum ſcribit, ut noſtram in ſe *verſ. 13.*
maledictionem ſuſciperet, quo ab ea ſolveremur.
Genus enim illud mortis, execratione damoatum *Deut. 21.*
erat. *verſ. 23.*
M. Quid? an non irrogatur Filio Dei contumelia, quum dicitur maledictioni fuiſſe ſubjectus, etiam coram Deo?

P. Minime. Siquidem eam recipiendo, abolevit: nec vero deſiit interea eſſe benedictus, quo oos ſua benedictione perfunderet.

M. Proſequere.

P. Quandoquidem mors, ſupplicium erat homini impoſitum, peccati cauſa, eam Filius Dei pertulit, & perferendo vicit. Atque ot melius pateſieret vera morte ipſum defungi, collocari in ſepulchro, inſtar aliorum hominum voluit.

M. Verum, noo videtur quicquam ad nos utilitatis ex hac victotia redire, quum nihilominus moriamur.

P. Nihil id obſtat. Neque enim aliud ounc eſt mors fidelibus, quam tranſitus in vitam meliorem.

M. Hinc ſequitur, non amplius exhorrendam eſſe mortem, acſi res eſſet formidabilis: ſed intrepido animo ſequendum eſſe ducem noſtrum, Chriſtum: qui ſicut non periit in motte, ita perire nos non patietur.

P. Sic agendum eſt.

M. Quod de ejus ad inferos deſcenſu mox adjectum eſt, quem ſenſum habet?

P. Eum non communem tantum mortem fuiſſe perpeſſum, quæ eſt animæ à cotpore ſeparatio: ſed
etiam dolores mortis, ſicut Petrus vocat. Hoc au- *Actor. 2.*
tem nomine horribiles anguſtias intelligo, quibus *verſ. 24.*
ejus anima conſtricta fuit.

M. Cedo

M. Cedo mihi hujus rei cauſam ac modum.

P. Quia ut pro peccatoribus ſatisfaceret, coram Dei tribunali ſe ſiſtebat, torqueri hac anxietate ejus conſcientiam oportebat, acſi derelictus à Deo eſſet: imo acſi Deum haberet infeſtum. In his anguſtiis erat,
Mat. 27. quum exclamaret ad Patrem: Deus meus, Deus
vers. 46. meus, ut quid dereliquiſti me?

M. Eratne igitur illi offenſus Pater?

P. Nequaquam. Sed hanc in eum ſeveritatem exercuit, ut impleretur quod prædictum fuerat per
Jeſa. 53. Jeſaiam: Ipſum percuſſum fuiſſe manu Dei propter
vers. 4.5. peccata noſtra: vulneratum propter iniquitates noſtras.

M. Verum Deus quum ſit, qui potuit ejuſmodi pavore corripi, acſi derelictus à Deo eſſet?

P. Sic habendum eſt, ſecundum humanæ naturæ affectum, eo redactum fuiſſe neceſſitatis. Quod ut fieret, pauliſper interea deliteſcebat ejus divinitas, hoc eſt, vim ſuam non exerebat.

M. Qui tamen fieri rurſum poteſt, ut Chriſtus qui ſalus eſt mundi, huic damnationi ſubjectus fuerit?

P. Non ita illum ſubiit, ut ſub ea maneret. Sic enim iſtis, quos dixi, pavoribus correptus fuit, ut non fuerit oppreſſus: ſed potius luctatus cum poteſtate inferorum, eam ſubegit ac fregit.

M. Hinc colligimus, quid differat conſcientiæ tormentum quod ſuſtinuit, ab eo quo cruciantur peccatores, quos Dei irati manus perſequitur. Nam quod in illo temporarium fuit, in iis eſt perpetuum: & quod illi vice duntaxat aculei fuit ad eum pungendum, in iis eſt lethalis gladius, ad cor, ut ita dicam, ſauciandum.

P. Sic eſt. Neque enim ejuſmodi anguſtiis obſeſſus Filius Dei, ſperare in Patrem deſiit. At peccatores, Dei judicio damnati, in deſperationem ruunt, fremunt adverſus ipſum, & uſque ad apertas blaſphemias proſiliunt.

M. Hincne poſſumus elicere, quem ex Chriſti morte fructum percipiant fideles?

P. Omnino. Ac principio quidem, videmus eſſe ſacrificium, quo peccata noſtra expiavit coram Deo, atque ita placata ira Dei, nos cum eo in gratiam reduxit. Deinde, ſanguinem ejus lavacrum eſſe, quo animæ noſtræ maculis omnibus purgentur. Poſtremo, deletam eſſe peccatorum noſtrorum memoriam, ne unquam in Dei conſpectum veniant: atque ita inductum abolitumque fuiſſe chirographum, quo rei tenebamur.

M. Nihilne præterea utilitatis nobis affert?

P. Imo vero. Nam & ejus beneficio, ſiquidem vera ſimus membra Chriſti, vetus homo noſter crucifigitur: aboletur corpus peccati, ne amplius regnent pravæ carnis concupiſcentiæ in nobis.

M. Perge in reliquis.

P. Sequitur, Tertio ipſum die reſurrexiſſe ex mortuis: quo victorem ſe peccati & mortis demonſtravit. Sua enim reſurrectione mortem deglutivit, abrupit diaboli vincula, & totam ejus potentiam redegit in nihilum.

M. Quotuplex ex hac reſurrectione fructus nobis provenit?

Rom 4. P. Triplex. Nam & juſtitia nobis per eam acqui-
vers. 25. ſita: & certum nobis eſt pignus futuræ noſtræ im-
1 Cor. 15. mortalitatis: & jam nunc ejus virtute ſuſcitamur in
vers. 22. vitæ novitatem, ut pure ſancteque vivendo, Dei vo-
Rom. 6. luntati obſequamur.
vers. 4.

M. Perſequamur reliqua.

P. Aſcendit in cælum.

M. Sed an aſcendit, ut non ſit amplius in terra?

P. Sic. Poſtquam enim omnibus perfunctus fuerat, quæ illi à Patre injuncta fuerant, quæque in ſalutem noſtram erant, nihil opus erat diutius eum in terris verſari.

M. Quid ex hac aſcenſione boni conſequimur?

P. Duplex eſt fructus. Nam quatenus cælum ingreſſus eſt Chriſtus noſtro nomine, ſicut in terram noſtra cauſa deſcenderat, aditum illius nobis quoque patefecit: ut jam aperta ſit nobis janua, quæ propter peccatum ante clauſa erat. Deinde in conſpectu Dei comparet pro nobis interceſſor & patronus.

M. Verum, an Chriſtus in cælum ſe recipiendo ſic à nobis receſſit, ut jam nobiſcum eſſe deſierit?

P. Minime. Contra enim recepit, ſe nobiſcum Mat. 28.
fore, uſque ad finem ſeculi. vers. 20.

M. Quod autem nobiſcum habitat, idne de corporis præſentia intelligendum?

P. Non. Alia enim ratio eſt corporis, quod in Luc. 24.
cælum receptum eſt: alia virtutis, quæ ubique eſt vers. 51.
diffuſa. Actor. 2.
M. Quo ſenſu eum dicis ſedere ad Patris dexte- vers. 11.
ram?

P. Hæc verba ſignificant, Patrem illi cæli & Mat. 28.
terræ imperium contuliſſe: ut omnia gubernet. vers. 18.

M. Quid autem tibi ſignificat Dextera, & quid hæc Seſſio?

P. Similitudo eſt à Principibus ſumpta, qui ad dexteram ſuam collocare ſolent, quibus vices ſuas commendant.

M. Non ergo aliud intelligis, quam quod tradit
Paulus: nempe, conſtitutum eſſe Chriſtum caput Ephes. 1.
Eccleſiæ, & ſupra omnes principatus evectum, no- vers. 22.
men adeptum eſſe, quod ſit ſupra omne nomen. Philip. 2.
P. Ita ut dicis. vers. 9.

M. Tranſeamus ad alia.

P. Inde venturus eſt ad judicandum vivos & mor-
tuos. Quorum verborum ſenſus eſt, palam è cælo Actor. 1.
venturum ad judicandum orbem: ſicut aſcendere vi- vers. 11.
ſus eſt.

M. Quum judicii dies futurus non ſit ante finem
ſeculi, quomodo tunc ex hominibus fore aliquos
ſuperſtites dicis: quandoquidem omnibus conſtitu- Hebr. 9.
tum eſt ſemel mori. vers. 27.
P. Hanc quæſtionem ſolvit Paulus, quum eos qui 1 Cor. 15.
tunc ſupererunt, ſubita mutatione innovatum iri tra- vers. 51.
dit: ut abolita carnis corruptione induant incorru- 1 Theſſ. 4.
ptionem. vers. 17.

M. Tu ergo hanc mutationem, mortis inſtar illis fore intelligis: quod primæ naturæ futura ſit abolitio, & alterius novæ initium.

P. Sic ſentio.

M. An aliquod inde gaudium recipiunt noſtræ conſcientiæ, quod Chriſtus ſemel futurus ſit mundi judex?

P. Recipiunt & quidem ſingulare. Certo enim non niſi in ſalutem noſtram venturum ſcimus.

M. Non ergo reformidare nos convenit hoc judicium, ut nobis horrorem incutiat.

P. Minime vero: quando non niſi ad ejus judicis tribunal ſtabimus, qui patronus quoque eſt: quique nos in fidem clientelamque ſuam ſuſcepit.

M. Veniamus jam ad tertiam partem.

P. Ea eſt de fide in Spiritum ſanctum.

M. Quid vero nobis confert.

P. Nempe hoc ſpectat, ut noverimus, Deum, ſicuti nos per Filium redemit & ſervavit, ita per Spiritum facere nos hujus redemptionis ac ſalutis compotes.

M. Quomodo?

P. Quemadmodum purgationem habemus in 1 Petr. 1.
Chriſti ſanguine, ſic eo aſpergi conſcientias noſtras vers. 2.
neceſſe eſt, ut abluantur. 1 Joan. 1.
M. Hoc clariori etiamnum expoſitione indiget. vers. 7.
P. Intelligo Spiritum Dei, dum in cordibus no- Rom 8.
ſtris habitat, efficere ut Chriſti virtutem ſentiamus. vers. 11.
Nam ut Chriſti beneficia mente concipiamus, hoc
fit Spiritus ſancti illuminatione: ejus perſuaſione fit, Ephes. 1.
ut cordibus noſtris obſignentur. Denique, ſolus vers. 13.
ipſe dat illis in nobis locum. Regenerat nos, facitque ut ſimus novæ creaturæ. Proinde, quæcunque

Digitized by Google

nobis offeruntur in Chriſto dona, ea Spiritus virtute recipimus.

M. Pergamus.

P. Sequitur quarta pars, in qua confitemur nos credere unam ſanctam Eccleſiam Catholicam.

M. Quid eſt Eccleſia?

P. Corpus ac ſocietas fidelium, quos Deus ad vitam æternam prædeſtinavit.

M. Eſtne hoc etiam caput creditu neceſſarium?

P. Imo vero: niſi facere velimus otioſam Chriſti mortem, & pro nihilo ducere quicquid hactenus relatum eſt. Hic enim unus eſt omnium effectus, ut ſit Eccleſia.

M. De cauſa ergo ſalutis fuiſſe hactenus tractatum, ejuſque fundamentum oſtenſum intelligis, quum exponeres, Chriſti meritis & interceſſione, nos fuiſſe in amorem à Deo receptos: & hanc gratiam, Spltitus virtute in nobis confirmari. Nunc vero explicari horum omnium effectum, quo certior ex re ipſa fides conſtet.

P. Ita res habet.

M. Porro Eccleſiam quo ſenſu nominas ſanctam?

Rom. 8. verſ. 30. P. Quia ſcilicet quoſcunque elegit Deus, eos juſtificat, reformatque in ſanctitatem ac vitæ innocentiam, quo in illis reluceat ſua gloria. Atque id eſt *Epheſ. 5. verſ. 25.* quod vult Paulus, quum admonet, Chriſtum, Eccleſiam quam redemit, ſanctificaſſe, ut ſit glorioſa puraque ab omni macula.

M. Quid ſibi vult epitheton Catholicæ vel Univerſalis?

Epheſ. 4. verſ. 15. 1 Cor. 12. verſ. 12. P. Eo docemur, ſicut unum eſt fidelium omnium caput, ita omnes in unum corpus coaleſcere oportere, ut una ſit Eccleſia per totum orbem diffuſa: non plures.

M. Quid autem valet illud, quod continuo de ſanctorum communione additur?

P. Ad exprimendam clarius, quæ inter Eccleſiæ membra eſt, unitatem, hoc poſitum eſt. Simul indicatur, quicquid beneficiorum largitur Deus Eccleſiæ, in commune omnium bonum ſpectare: quum inter ſe omnes communionem habeant.

M. Verum, eſtne hæc quam Eccleſiæ tribuis, ſanctitas, jam perfecta?

P. Nondum: quamdiu ſcilicet in hoc mundo militat. Laborat enim ſemper infirmitatibus: nec unquam vitiorum reliquiis penitus purgabitur, donec Chriſto, ſuo capiti, à quo ſanctificatur, ad plenum adhæreat.

M. Poteſtne autem hæc Eccleſia aliter cognoſci, quam quum fide creditur?

P. Eſt quidem & viſibilis Dei Eccleſia, quam nobis certis indiciis notiſque deſcripſit: ſed hic proprie de eorum congregatione agitur, quos arcana ſua electione adoptavit in ſalutem. Ea autem nec cernitur perpetuo oculis, nec ſignis dignoſcitur.

M. Quid deinde ſequitur?

P. Credo remiſſionem peccatorum.

M. Quid tibi remiſſionis verbum ſignificat?

P. Deum gratuita ſua bonitate ignoſcere ac condonare peccata fidelibus, ne in judicium vocentur, aut exigatur de illis pœna.

M. Hinc ſequitur, nos ſatisfactionibus propriis nequaquam promereri quam à Domino peccatorum veniam obtinemus.

P. Verum. Unus enim Chriſtus pœnam ſolvendo, ſatisfactione defunctus eſt. Quantum ad nos, nihil nobis compenſationis ſuppetit, quod Deo afferamus: ſed ex mera ejus liberalitate, gratuitum hoc beneficium recipimus.

M. Cur peccatorum remiſſionem ſubnectis Eccleſiæ?

P. Quia eam nemo conſequitur, quin & coadunatus fuerit ante populo Dei: & unitatem cum Chriſti corpore perſeveranter ad finem uſque colat: eoque modo teſtatum faciat, verum ſe eſſe Eccleſiæ membrum.

M. Hac ratione conſtituis, extra Eccleſiam non niſi damnationem & exitium eſſe.

P. Omnino. Qui enim diſceſſionem faciunt à Chriſti corpore, factionibuſque ſcindunt ejus unitatem, iis ſpes omnis ſalutis præciſa eſt, quantiſper maneant in ejuſmodi diſſidio.

M. Recita quod ſupereſt.

P. Credo reſurrectionem carnis, & vitam æternam.

M. Quorſum hoc caput in fidei confeſſione ponitur?

P. Ut admoneamur, non eſſe ſitam in terra noſtram felicitatem. Cujus cognitionis duplex eſt utilitas ac uſus. Inde primum docemur, ita hunc mundum nobis incolendum eſſe, tanquam inquilinis, ut de migratione aſſidue cogitemus, nec corda noſtra ſinamus implicari cogitationibus terrenis. Deinde, utcunque adhuc nos lateat, & ab oculis noſtris abſconditus ſit fructus gratiæ in Chriſto nobis collatæ, ne propterea deſpondeamus animos: ſed patienter ſuſtineamus uſque ad diem revelationis.

M. Quæ porro hujus reſurrectionis erit ſeries?

P. Qui ante mortui fuerint, recipient ſua corpora, eadem ſcilicet quæ geſtarunt: ſed prædita nova qualitate, hoc eſt, non amplius obnoxia morti nec corruptioni. Qui autem tunc erunt ſuperſtites, eos ſubita mutatione Deus mirabiliter excitabit. *1 Cor. 15. verſ. 53.*

M. Sed eritne piorum ſimul & impiorum communis?

P. Una omnium erit reſurrectio: ſed conditio diverſa. Alii enim in ſalutem ac beatitudinem reſurgent; alii in mortem & extremam miſeriam. *Mat. 25. verſ. 46.*

M. Cur ergo ſola hic vita æterna commemoratur: inferorum nulla mentio? *Joan. 5. verſ. 29.*

P. Quoniam nihil hic, niſi quod ad conſolationem piarum mentium faciat, habetur: ideo recenſentur tantummodo præmia, quæ ſervis ſuis Dominus præparavit. Itaque, non additur, quæ ſors impios maneat, quos ſcimus à regno Dei alienos eſſe.

M. Ex quo fundamentum tenemus, cui inniti fides debet, inde elicere veræ fidei definitionem promptum erit.

P. Ita eſt. Sic autem definire licet, ut dicamus certam eſſe ac ſtabilem cognitionem paternæ erga nos Dei benevolentiæ, ſicut per Euangelium Patrem ſe nobis, Chtiſti beneficio, ac Servatorem fore teſtatur.

M. Eamne concipimus à nobis, an à Deo recipimus?

P. Docet Scriptura, ſingulare eſſe Dei donum: & experientia id confirmat.

M. Quam mihi experientiam dicis?

P. Nempe, rudior eſt mens noſtra, quam ut capere ſpiritualem Dei ſapientiam queat, quæ nobis per fidem revelatur: & corda noſtra propenſiora ſunt, vel ad diffidentiam, vel ad perverſam noſtri & creaturarum confidentiam, quam ut in Deo, ſuopte motu acquieſcant. Verum, Spiritus ſanctus illuminatione ſua capaces nos intelligendi facit ea, quæ captum noſtrum longe alioqui excederent: noſque ad certam perſuaſionem format, ſalutis promiſſiones cordibus noſtris obſignando.

M. Quid nobis boni oritur ex hac fide, quum ſemel eam aſſequuti ſumus?

P. Juſtificat nos coram Deo: & hac juſtitia hæredes nos vitæ æternæ facit.

M. Qoid? annon bonis operibus juſtificantur homines, quum ſancte & innocenter vivendo, approbare ſe Deo ſtudent?

P. Si quiſquam uſque adeo perfectus inveniretur, merito cenſeri juſtus poſſet: verum, quum omnes ſimus peccatores, multis modis rei coram Deo,

aliunde

aliunde quærenda nobis eſt dignitas, quæ nos illi conciliet.

M. Verum itane ſordent, & adeo nullius pretii ſunt omnia hominum opera, ut gratiam coram Deo promereri nequeant?

P. Principio, quæcunque à nobis manant ut noſtra proprie dicantur, vitioſa ſunt: ac proinde nihil poſſunt, quam Deo diſplicere, & ab eo rejici.

M. Dicis ergo, antequam renati ſimus, reformatique Dei Spiritu, nihil poſſe nos quam peccare:
Matth. 7. verſ. 18. quemadmodum arbor mala non niſi malos fructus proferre.

P. Prorſus ita eſt. Nam qualemcunque ſpeciem habeant in oculis hominum, mala ſunt nihilominus, quamdiu cor pravum eſt, quod præcipue Deus intuetur.

M. Hinc conſtituis, non poſſe nos ullis meritis Deum prævenire, aut provocare ejus beneficentiam. Quin potius quicquid tentemus aut aggrediamur operum, iræ ac damnationi ejus ſubjacere.

Tit. 3: 5. P. Sic ſentio. Itaque mera ſua miſericordia, nulloque operum reſpectu nos gratis amplectitur in Chriſto, acceptoſque habet, illius juſtitiam nobis acceptam ferendo, acſi noſtra eſſet: peccata vero noſtra nobis non imputando.

M. Qualiter ergo dicis juſtificari nos fide?

P. Quoniam dum certa cordis fiducia amplectimur Euangelii promiſſiones, hujus, quam dico, juſtitiæ poſſeſſionem quodammodo adipiſcimur.

M. Hoc ergo vis: juſtitiam, ut nobis per Euangelium offertur à Deo, ita fide à nobis recipi.

P. Sic eſt.

M. Verum, ex quo nos ſemel amplexus eſt Deus, annon illi accepta ſunt opera, quæ Spiritu ſancto nos dirigente facimus?

P. Placent illi, non propriæ tamen dignitatis merito, ſed quatenus ſuo favore liberaliter ea dignatur.

M. Atqui, quum à Spiritu ſancto prodeant, annon favorem promerentur?

P. At nonnihil ſemper inquinamenti ex infirmitate carnis admixtum eſt, quo vitiantur.

M. Unde igitur, aut qua ratione fiet, ut Deo placeant?

P. Sola eſt fides, quæ gratiam illis conciliet: quum huic fiduciæ certo innitimur, non ventura eſſe ad calculum ſummi juris, quod Deus ad ſeveritatis ſuæ regulam exigere ipſa nolit: ſed obtectis eorum vitiis, & ſordibus, Chriſti puritate conſepultis, eo loco habeat, acſi perfecta eſſent & abſoluta.

M. Verum, an inde colligemus, operibus juſtificari hominem Chriſtianum poſtquam à Deo vocatus eſt: aut operum merito conſequi, ut à Deo diligatur: cujus dilectio vita æterna nobis eſt.

P. Nequaquam. Quin potius teneamus quod
Pſal. 143. verſ. 2. ſcriptum eſt, neminem mortalium juſtificari coram Deo poſſe: atque ideo deprecemur, ne in judicium nobiſcum intret.

M. Non tamen bona fidelium opera inutilia eſſe propterea judicabimus.

P. Minime vero. Neque enim fruſtra mercedem illis Deus, tum in hoc mundo, tum in futura vita pollicetur. Verum ex gratuito Dei amore, tanquam ex fonte, emergit hæc merces: quia nos ſcilicet primum amplectitur in filios: deinde, conſepulta vitiorum noſtrorum memoria, quæ ex nobis prodeunt, favore proſequitur.

M. Sed anne ſic à bonis operibus ſeparari hæc juſtitia poteſt, ut qui hanc habet, illis careat?

P. Fieri hoc nequit. Nam quum recipiamus fide Chriſtum, qualem ſe nobis offert: ipſe vero non liberationem tantum nobis à morte & reconciliationem cum Deo promittat, ſed Spiritus ſancti ſimul gratiam, qua in vitæ novitatem regeneremur: hæc conjungi neceſſe eſt, ne Chriſtum à ſeipſo diſtrahamus.

M. Hinc ſequitur, fidem eſſe radicem ex qua naſcantur omnia bona opera: tantum abeſt, ut ab eorum ſtudio nos revocet.

P. Omnino ſic eſt: ac perinde tota Euangelii doctrina duobus his membris continetur: fide & pœnitentia.

M. Quid eſt pœnitentia?

P. Diſplicentia odiumque peccati, & amor juſtitiæ, ex Dei timore profecta, quæ nos ad abnegationem uſque noſtri, carniſque mortificationem adducant, ut Spiritu Dei regendos nos tradamus, ac omnes vitæ noſtræ actiones ad divinæ voluntatis obſequium comparemus.

M. Hoc vero ſecundum membrum fuit in diviſione quam initio poſuimus, quum tu rationem oſtenderes rite colendi Dei.

P. Verum: ac ſimul additum fuit, veram hanc ac legitimam eſſe regulam colendi Dei, ut ejus voluntati obſequamur.

M. Qui ſic?

P. Quoniam is demum illi probatur cultus, non quem confingere nobis libuerit: ſed quem ſuo ipſe arbitrio præſcripſerit.

M. Quam autem vivendi regulam nobis poſuit?

DE LEGE,

id eſt,

Decem præceptis Dei.

P. Legem ſuam.

M. Quid ea continet?

P. Duabus partibus conſtat: quarum prior quatuor habet præcepta: altera ſex. Ita decem omnino præceptis conſtat tota Lex.

M. Quis hujus diviſionis eſt auctor?

P. Deus ipſe; qui in duas tabulas deſcriptam Moſi tradidit, & ſæpe teſtatus eſt redigi in decem verba. *Exod. 24. verſ. 12. & 32: 15. & 34: 1. Deut. 4. verſ. 13. & 10: 4.*

M. Argumentum prioris tabulæ quale eſt?

P. De pietatis erga Deum officiis.

M. Secundæ vero?

P. Qualiter ſit agendum cum hominibus: & quid illis debeamus.

M. Recita præceptum vel caput primum

P. Audi Iſraël: Ego ſum Jehova Deus tuus, qui te eduxi ex terra Ægypti, è domo ſervitutis: non habebis deos alienos coram me. *Exod 20. verſ. 2. Deut. 5. verſ. 6.*

M. Nunc ſenſum verborum expone.

P. Initio quadam veluti præfatione utitur in totam Legem. Nam quum Jehovam ſe nominat, jus ſibi vindicat & auctoritatem jubendi. Deinde, quo Legi ſuæ gratiam apud nos conciliet, addit ſe Deum eſſe noſtrum. Perinde enim valent hæc verba, acſi Servatorem noſtrum ſe vocaret. Hoc autem beneficio quum nos dignetur, par eſt, ut nos illi viciſſim exhibeamus in populum obſequentem.

M. Verum, quod continuo de liberatione ſubjicit, & fracto jugo ſervitutis Ægyptiacæ, annon ad Iſraëliticum populum, & eum quidem ſolum, peculiariter ſpectat?

P. Fateor quoad opus; verum, eſt alterum liberationis genus, quod ad omnes peræque homines pertinet. Nos enim omnes ex ſpirituali peccati ſervitute, & diaboli tyrannide aſſeruit.

M. Cur ejus rei meminit, quum in Legem ſuam præfari vellet?

P. Ut nos commonefaciat, ſummæ ingratitudinis reos fore, niſi totos illi nos in obſequium addixerimus.

M. Quid autem hoc primo capite exigit?

P. Ut ſuum illi ſoli honorem in ſolidum aſſeramus: neque ullam ejus partem transferamus alio.

M. Quis honor illius eſt proprius, quem alio tranſcribere ſit nefas?

P. Eum adorare, collocare in ipſo noſtram fiduciam, invocare ipſum, illi denique omnia deferre, quæ in ejus majeſtatem competunt.

M. Quorſum hæc particula adjecta eſt, Coram facie mea?

P. Quum nihil tam reconditum ſit, quod eum lateat: ſitque occultarum cogitationum cognitor ac judex: ſignificat, non externæ modo confeſſionis honorem requirere: ſed veram quoque pietatem cordis.

M. Transeamus ad ſecundum caput.

P. Non ſculpes tibi ſimulacrum, neque imaginem ullam effinges eorum quæ aut in cælo ſunt surſum, aut deorſum in terra, aut in aquis ſub terra. Non adorabis ea neque coles.

M. Prohibetne in totum, ne aliquæ pingantur aut ſculpantur imagines?

P. Non, ſed duo tantum hic vetat, ne quas faciamus imagines, vel Dei effingendi, vel adorandi cauſa.

Deut. 4. *verſ.* 15. *Actor.* 17. *verſ.* 29. *Rom.* 1. *verſ.* 23.

M. Cur Deum non licet viſibili figura exprimere?

P. Quia nihil inter eum, qui ſpiritus eſt æternus, ac incomprehenſibilis, & corpoream, corruptibilem, mortuamque figuram ſimile eſt.

M. Injuriam ergo fieri cenſes ejus majeſtati, quum in hunc modum repræſentatur.

P. Sic ſentio.

M. Quænam hic adorationis ſpecies damnatur?

P. Quum ad ſtatuam vel imaginem nos convertimus precaturi, coram ea nos proſternimus: genuum flexione, aut aliis ſignis exhibemus illi honorem, acſi Deus illic ſe nobis repræſentaret.

M. Non ergo quamlibet ſimpliciter picturam vel ſculpturam his verbis damnari intelligendum eſt: ſed tantum imagines prohibemur facere in hunc finem, ut in illis Deum vel quæramus, vel colamus: ſive, quod idem eſt, eas colamus in Dei honorem, aut quoquo modo illis ad ſuperſtitionem & idololatriam abutamur.

P. Verum.

M. Nunc in quem finem caput hoc referemus?

P. Quemadmodum ſuperiore unum ſe eſſe denunciavit quem coli oporteat & adorari: ita nunc quæ recta ſit adorationis forma oſtendit, quo nos ab omni ſuperſtitione, aliiſque vitioſis & carnalibus figmentis revocet.

M. Pergamus.

P. Sanctionem adjungit, ſe Jehovam eſſe Deum noſtrum, fortem, zelotypum, qui vindicet iniquitatem patrum in filios, uſque in tertiam & quartam generationem, eorum qui ſe oderint.

M. Cur mentionem fortitudinis ſuæ facit?

P. Eo ſignificat, ſe ad gloriam ſuam vindicandam ſatis habere potentiæ.

M. Quid zelotypiæ vocabulo indicat?

P. Æqualem aut ſocium ferre non poſſe. Nam ut ſe nobis, pro infinita ſua bonitate, donavit, ita nos vult eſſe prorſus ſuos. Atque hæc animarum noſtrarum eſt caſtitas, illi dicatas eſſe, & penitus adhærere: ſicut rurſum adulterio pollui dicuntur, dum ab eo ad ſuperſtitionem deflectunt.

M. Quo ſenſu hoc dictum eſt, Ulciſci patrum iniquitatem lo filios?

P. Quo plus nobis incutiat terroris, non tantum de iis qui offenderint, pœnas ſumpturum ſe minatur: ſed eorum quoque ſobolem fore maledictam.

M. Atqui an hoc Dei æquitati conſentaneum eſt, quemque punire propter alterius noxam?

P. Si qualis ſit humani generis conditio, reputamus, ſoluta eſt quæſtio. Natura enim maledictioni obnoxii ſumus omnes: nec eſt quod de Deo conqueramur, quum in hac ſorte nos relinquit. Jam vero, ſicut ſuam erga pios dilectionem, eorum poſteritati benedicendo demonſtrat; ita ſuam adverſus impios vindictam, eorum filios hac benedictione privando, exequitur.

M, Perge.

P. Quo nos amabili etiam ſuavitate alliciat, miſericordia uſurum ſe promittit erga omnes, qui ſe diligunt, ſuaque mandata obſervant, in mille generationes.

M. Intelligitne pii hominis innocentiam, poſteris omnibus, quamvis impiis, ſaluti fore?

P. Nequaquam: ſed hoc modo, ſuam benignitatem eo uſque ſe effuſurum erga fideles, ut in eorum gratiam, eorum quoque ſe liberis benignum exhibeat: non tantum res eorum proſperando, quoad præſentem vitam: ſed animas quoque ipſorum ſanctificando, quo in grege ſuo cenſeantur.

M. Atqui hoc perpetuum non eſſe apparet.

P. Fateor. Quemadmodum enim liberum hoc ſibi retinet, ut miſericordem ſe quum libuerit, impiorum liberis exhibeat: ita ſuam gratiam non adeo aſtrinxit fidelium liberis, quin pro ſuo arbitrio repu- *Rom.* 9.
diet ex illis quos viſum fuerit: ſic tamen id temperat, ut promiſſionem hanc non vanam eſſe nec fallacem conſtet.

M. Cur mille hic generationes, in pœnæ vero damnatione tres duntaxat aut quatuor nominat?

P. Quo ſignificet, ſe ad humanitatem magis & beneficentiam, quam ad ſeveritatem propenſum eſſe. Sicut etiam alibi teſtatur, quum ſe ad ignoſcendum facilem eſſe dicit, tardum vero ad iram.

Exod. 34. *verſ.* 6. *Pſal.* 103. *verſ.* 8. & 145:8.

M. Jam ad tertium.

P. Non uſurpabis nomen Jehovæ Dei tui fruſtra.

M. Quis ſenſus?

P. Vetat ne Dei nomine abutamur, non pejerando tantum, ſed præter neceſſitatem jurando.

M. Eſtne aliquis nominis Dei uſus legitimus in jurejurando?

P. Imo vero: quum adhibetur ex juſta cauſa. Primum, aſſerendæ veritati: deinde, quum ejus momenti eſt negotium, ut jurare par ſit, ad mutuam inter homines tuendam charitatem & concordiam.

M. Verum, annon longius ſpectat, quam ad cohibenda juramenta, quibus profanatur Dei nomen, aut imminuitur ejus honos?

P. Propoſita una ſpecie, in univerſum nos admonet, ne unquam in medium à nobis proferatur Dei nomen, niſi cum timore ac reverentia, & in eum finem, ut glorioſum appareat. Nam quum ſit ſacroſanctum, cavere debemus omnibus modis, ne aut ipſum contemptui habere videamur, aut aliis occaſionem contemnendi præbeamus.

M. Quomodo hoc fiet?

P. Si de Deo, ejuſque operibus non aliter cogitemus aut loquamur, quam in ejus honorem.

M. Quid ſequitur?

P. Sanctio, qua non ſore innocentem denunciat, qui nomen ſuum in vanum uſurpaverit.

M. Quum alibi pronunciet, ſe in Legis ſuæ tranſgreſſores vindicaturum, quid hic amplius continetur?

P. Eo voluit indicare, quanti nominis ſui gloriam faciat: quo ejus ſtudioſiores ſimus, dum videmus paratam fore ultionem, ſi quis eam profanaverit.

M. Veniamus ad quartum præceptum.

P. Recordare diem Sabbathi, ut eum ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omne opus tuum: ſeptimus vero, Sabbathum eſt Domini Dei tui. Non facies in eo ullum opus, nec ſervus tuus, nec ancilla, neque bos, neque aſinus, neque inquilinus qui habitat intra portas tuas. Nam ſex diebus perfecit Deus cælum, & terram, & mare, & quicquid in illis continetur: ſeptimo quievit. Itaque benedixit diei Sabbathi, & eum ſanctum ſibi ſegregavit.

M. Jubetne ſex diebus laborare, ut ſeptimo quieſcamus?

P. Non ſimpliciter: verum ſex dies hominum

labo-

laboribus permittens, ſeptimum excipit, ut quieti deſtinetur.

M. An quemvis laborem nobis interdicit?

P. Hoc præceptum ſeparatam & peculiarem habet rationem. Siquidem quietis obſervatio, pars eſt veterum ceremoniarum: itaque, Chriſti adventu abrogata fuit.

M. Dicisne præceptum hoc ad Judæos proprie ſpectare, ideoque temporarium duntaxat fuiſſe?

P. Nempe: quatenus ceremoniale eſt.

M. Quid ergo? ſubeſtne aliquid præter ceremoniam?

P. Tribus ex cauſis datum fuit.

M. Cedo mihi eas.

P. Ad ſpiritualem quietem figurandam: ad conſervationem politiæ Eccleſiaſticæ: ad ſervorum ſublevationem.

M. Quid per ſpiritualem quietem intelligis?

P. Dum à propriis operibus feriamur: quo Deus in nobis ſua opera peragat.

M. Quæ porro feriandi ratio?

P. Si carnem noſtram crucifigimus: hoc eſt, renunciamus noſtro ingenio, ut Dei Spiritu gubernemur.

M. An id ſeptimo quoque die fieri ſatis eſt.

P. Imo continenter. Nam ex quo ſemel cœperimus, pergendum eſt toto vitæ curſu.

M. Cur ergo ejus ſignificationi deſtinatur certus dies?

P. Nihil neceſſe eſt per omnia congruere veritatem cum figura, modo conveniat, quantum ſatis eſt ad rationem figurandi.

M. Cur tamen ſeptimus potius dies præſcribitur, quam alius quilibet?

P. Numerus hic perfectionem in Scriptura deſignat. Itaque ad notandam perpetuitatem aptus eſt. Simul indicat, ſpiritualem hanc quietem inchoari duntaxat in hac vita, nec ante perfectam fore, donec è mundo migremus.

M. Verum, quid hoc ſibi vult, quod ſuo nos exemplo ad quieſcendum hortatur Dominus?

P. Quum mundi creationi finem intra ſex dies impoſuiſſet, ſeptimum operum ſuorum conſiderationi dicavit. Ad id quo nos acrius ſtimulet, ſuum nobis exemplum proponit. Nihil enim magis expetendum, quam ut nos ad ejus imaginem formemur.

M. Verum, continuane eſſe debet operum Dei meditatio, an ex ſeptenis quibuſque diebus unum illi deſtinari ſufficit?

P. Exerceri quidem nos quotidie in ea decet: verum, imbecillitatis noſtræ cauſa, dies unus peculiariter ſtatuitur. Atque hæc politia eſt, quam dixi.

M. Quis igitur eo die ſervandus eſt ordo?

P. Ut populus ad audiendam Chriſti doctrinam, ad frequentandas publicas preces, ad edendam fidei ſuæ profeſſionem conveniat.

M. Nunc expone quod dixiſti, Dominum hoc præcepto ſervorum quoque ſublevationi proſpicere voluiſſe.

P. Ut eis qui ſub aliena poteſtate ſunt, aliquid laxamenti detur. Quin etiam hoc ad retinendam communem politiam valet. Nam ubi dies unus quieti aſſignatur, ita ſe quiſque ad laborandum in reliquum temporis aſſuefacit.

M. Videamus jam, quatenus ad nos ſpectet hoc mandatum.

Coloſſ. 2. verſ. 17. P. Quod ad ceremoniam, quum in Chriſto extiterit ejus veritas, abrogatam eſſe dico.

M. Quomodo?

Rom. 6. verſ. 6. P. Nempe, quia mortis ejus virtute vetus homo noſter crucifigitur, noſque excitamur in vitæ novitatem.

M. Quid ergo ex præcepto nobis reſtat?

P. Ne ſancta inſtituta, quæ ad ſpiritualem Eccleſiæ politiam faciunt, negligamus: præſertim vero, ut ſacros conventus ad audiendum Dei ſermonem, ad myſteria celebranda, ad ſolennes preces, ſicut erunt ordinati, frequentemus.

M. Atqui, nihilne amplius figura nobis conducit?

P. Imo vero. Ad ſuam enim veritatem revocanda eſt. Ut ſcilicet inſiti in Chriſti corpus, factique ejus membra, deſinamus à propriis operibus, atque ita Dei gubernationi nos reſignemus.

M. Tranſeamus ad ſecundam Tabulam.

P. Ejus initium eſt, Honora patrem & matrem.

M. Quid tibi ſignificat hic vox Honoris?

P. Ut cum modeſtia & humilitate morigeri ſint & obſequentes filii parentibus, ut eos reverenter colant: ut juvent in neceſſitate, ſuaſque illis operas impendant. His enim tribus membris continetur qui debetur parentibus honor.

M. Perge modo.

P. Adjicitur mandato promiſſio: Ut prorogentur dies tui ſuper terram, quam daturus eſt tibi Dominus Deus tuus.

M. Quis ſenſus?

P. Diu beneficio Dei victuros, qui debitum parentibus honorem præſtiterint.

M. Quum tot ærumnis referta ſit hæc vita: cur beneficii loco, longam ejus durationem nobis pollicetur Deus?

P. Quantiſcunque miſeriis ſit obnoxia: Dei tamen benedictio eſt erga fideles, vel hac una de cauſa, quod paterni ejus favoris argumentum eſt, dum eos hic alit & conſervat.

M. Sequiturne è converſo eum qui cito & ante juſtam ætatem ex hoc mundo eripitur, à Deo maledictum eſſe?

P. Minime. Quin potius accidit interdum, ut quo quiſque magis diligitur à Deo, eo citius recipiatur ex hac vita.

M. Atqui, ſic agendo, qualiter promiſſioni ſuæ ſatisfacit?

P. Quicquid nobis terreſtrium bonorum Deus promittit, ſub hac conditione accipere convenit: quatenus in bonum animæ noſtræ, ſalutemque expedit. Eſſet enim ordo valde præpoſterus, niſi ſemper antecederet animæ ratio.

M. Quid de iis qui parentibus fuerint contumaces?

P. Non in extremo tantum judicio punientur: ſed hic quoque in eorum corpora Deus vindicabit, aut hinc omnes tollendo in medio ætatis flore, aut ignominioſo mortis genere plectendo, aut aliis modis.

M. Verum, annon de terra Chanaan nominatim promiſſio loquitur?

P. Sic eſt, quantum ad Iſraëlitas ſpectat: at nobis hoc verbum latius patet ac extendi debet. Quamcunque enim regionem incolamus, quum Domini *Pſal. 24. verſ. 1.*
ſit totus orbis, eam nobis aſſignat poſſidendam. *& 85: 5.*

M. Nihilne amplius reſtat de præcepto? *& 115. verſ. 16.*

P. Quanquam non niſi de patre & matre verba ſonant, intelligendi ſunt tamen omnes qui nobis præſunt: quando eadem ipſorum eſt ratio.

M. Quænam illa?

P. Nempe, quia Dominus eos in ſuperiorem honoris gradum extulerit. Nulla enim eſt vel parentum, vel principum, vel præfectorum quorumlibet auctoritas, nullum imperium, nullus honor, niſi ex Dei decreto: quia mundum ſic illi placet ordinare.

M. Recita ſextum.

P. Non occides.

M. Nihilne aliud vetat, quam cædes perpetrare?

P. Imo vero. Nam quum hic loquatur Deus, non externis tantum operibus legem dicit: ſed animi etiam affectibus, adeoque his potiſſimum.

M. Videris ſubindicare, genus eſſe quoddam arcanæ cædis, à quo hic nos Deus revocat.

P. Sic eſt. Ira enim & odium, & quævis nocendi cupiditas, cædes coram Deo cenſetur.

M. Satiſne defuncti ſumus, ſi neminem perſequamur odio?

P. Nequaquam. Siquidem Dominus odium damnando, & nos arcendo à quavis noxa, qua proximus noſter lædatur, ſimul hoc ſe exigere oſtendit, ot omnes mortales ex animo diligamus, ac fideliter ipſis tuendis conſervandiſque ſtudeamus.

M. Jam ad ſeptimum.

P. Non mœchaberis.

M. Expone quæ ſit ſumma.

P. Scortationem quamlibet maledictam eſſe coram Deo. Proinde, niſi iram Dei velimus in nos provocare, ab illa eſſe diligenter abſtinendum.

M. Nihilne præterea requirit?

P. Reſpicienda ſemper eſt natura Legislatoris: quem diximus, non externo modo operi immorari, ſed animi potius affectibus eſſe intentum.

M. Quid ergo plus comprehendit?

2 Cor. 3. verſ. 16. & 6: 19. 2 Cor. 6. verſ. 16.

P. Ex quo tum corpora noſtra, tum animæ templa ſunt Spiritus ſancti, ut caſtam utriſque puritatem præſtemus: ac proinde non externi tantum flagitii abſtioeutia pudici ſimus: ſed etiam corde, verbis, geſtu denique corporis & actione. Denique corpus ab omni laſcivia purum ſit, animus ab omni libidine: ut nulla pars noſtri, impudicitiæ ſordibus ſit inquinata.

M. Veniamos ad octavum.

P. Non furaberis.

M. Eane tantum furta probibet, quæ humanis legibus puniuntur, an longius procedit?

P. Malas omne genus fraudandi circumveniendique artes, quibus aliena bona aucupamur, ſub furti nomine complectitur. Hic ergo vetamur, tum violenter involare in bona proximorum, tum per vafritiem & dolum illis manum injicere, tum aliis quibuſcunque obliquis rationibus ad illa occupanda conari.

M. Satiſne eſt manus abſtinere à maleficio: an cupiditas etiam hic damnatur?

P. Huc ſemper eſt redeundum: quum ſpiritualis ſit Legislator, non externa tantum furta coërcere eum velle, ſed omnia ſimul & conſilia & ſtudia, quæ aliis omnino incommodent: atque ipſam in primis cupiditatem: ne diteſcere cum jactura fratrum expetamus.

M. Quid ergo agendum eſt, ut præcepto pareamus?

P. Danda eſt opera, ut ſoum cuique ſalvum ſit.

M. Nonum præceptum quod eſt?

P. Non eris adverſus proximum tuum teſtis mendax.

M. Prohibetne pejerare in foro duntaxat: an in univerſum mentiri adverſus proximos?

P. Sub ſpecie una comprehendiuir doctrina generalis, ne falſo proximum calumniemur: neve maledicentia noſtra & obtrectationibus lædamus ejus famam, aut aliquam illi noxam afferamus in ſuis bonis.

M. Cur autem nominatim exprimit publica perjuria?

P. Quo majorem nobis hujus vitii horrorem incutiat. Innuit enim, ſi quis maledicentiæ & calumniis aſſueverit: inde ad perjuria proclivem ſore lapſum, ſi occaſio data fuerit proximi infamandi.

M. Vultne à maledicendo tantum nos arcere, an etiam à malis ſuſpicionibus ſiniſtriſque & iniquis judiciis?

P. Utrumque, ſecundum rationem anre adductam, hic damnat. Nam quod agere coram hominibus malum eſt, malum eſt coram Deo etiam velle.

M. Ergo quid in ſumma velit, expone.

P. Ne ad male ſentiendum de proximis, neve ad eos infamandos propenſi ſimus, vetat: quin potius, hac nos æquitate & humanitate præditos eſſe jubet, ut de illis quantum veritas patitur, bene ſentiamus; ſuamque eis exiſtimationem integram tueri ſtudeamus.

M. Recita ultimum.

P. Non concupiſces domum proximi tui: noo concupiſces uxorem proximi tui: non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, nec quicquam aliud quod ipſius ſit.

M. Quum ſpiritualis ſit tota Lex, ſicut etiam ante toties dixiſti: nec tantum coërcendis externis operibus, ſed corrigendis etiam animi affectibus poſita ſint ſuperiora præcepta, quid hic amplius additur?

P. Reliquis præceptis voluntates atque affectus regere & moderari voluit Dominus: hic vero etiam cogitationibus, quæ nonnullam cupiditatem ſecum trahunt, neque tamen perveniunt ad ſtatam uſque deliberationem, legem imponit.

M. Diciſne minimas quaſque cupiditates, quæ fidelibus obrepant, & ipſis veniant in mentem, peccata eſſe, etiam ſi reſiſtant potius quam aſſentiantur?

P. Conſtat certe, pravas omnes cogitationes, etiamſi non accedat conſenſus, ex naturæ noſtræ vitio prodire. Verum, hoc tantum dico, damnari hoc præcepto vitioſas cupiditates, quæ ita cor hominis titillant, ac ſollicitant, ut tamen non pertrahant ad firmam deliberatamque voluntatem.

M. Hactenus ergo malos quidem affectus, quibus acquieſcunt homines, & ſubigendos ſe permittunt, prohibitos fuiſſe intelligis: nunc vero tam exactam integritatem à nobis requiri, ut oullam perverſam cupiditatem corda noſtra admittant, qua ad peccatum ſtimulentur.

P. Sic eſt.

M. Licetne jam breve totius Legis compendium colligere?

P. Maxime: ſiquidem eam in duo capita redigamus. Prius eſt: ut eum amemus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Alterum: ut proximos diligamus perinde ac noſmetipſos.

M. Quid ſub Dei amore continetur?

P. Amare ipſum, ſicuti Deum amare decet: nempe, ut ſimul & Dominus, & Pater & Servator agnoſcatur. Itaque Dei amori adjuncta eſt ejus reverentia, voluntas illi obſequendi, fiducia, quæ in ipſo collocanda eſt.

M. Quid per totum cor, totam animam, & totas vires intelligis?

P. Eam zeli vehementiam, ut nullis prorſus cogitationibus, nullis deſideriis, nullis ſtudiis ſit in nobis locus, quæ huic amori adverſentur.

M. Quis ſecundi capitis eſt ſenſus?

P. Quemadmodum natura adeo propenſi ad nos amandos ſumus, ut hic affectus alios omnes ſuperet: ita proximorum charitatem ſic regnare in nobis decet, ut nos omni ex parte gubernet, ſitque omnium & conſiliorum & operum regula.

M. Quid proximi tibi nomen ſignificat?

P. Non cognatos modo, & amicos, aut qui aliqua nobiſcum neceſſitudine ſunt conjuncti: ſed etiam eos qui nobis incogniti ſunt, adeoque inimicos.

M. Quid autem illi conjunctionis nobiſcum babent?

P. Nimirum conjuncti ſunt eo vinculo, quo univerſum hominum genus Deus ſimul colligavit. Eſt autem id ſacroſanctum & ioviolabile, quod nullius pravitate aboleri poteſt.

M. Dicis igitur, ſi nos quiſpiam oderit, eſſe hoc ejus proprium: manere nihilominus ipſum nobis proximum: eoque loco à nobis habendum eſſe: quia ſtet inviolabilis Dei ordo, quo hæc inter nos conjunctio ſancita eſt.

P. Sic eſt.

M. Quum formam Dei rite colendi Lex oſtendat;

dat: nonne prorſus ſecundum ejus præſcriptum vivendum eſt?

P. Verum id quidem eſt. Atqui ea imbecillitate laborant omnes, ut nemo quod debet, omni ex parte impleat.

M. Cur ergo eam à nobis perfectionem exigit Deus, quæ ſit facultate noſtra ſuperior?

P. Nihil exigit, cui præſtando non ſimus obſtricti. Cæterum, modo ad eam, quæ hic præſcribitur, vivendi formam enitamur, etiamſi procul abſimus à ſcopo, hoc eſt, à perfectione, Dominus, quod deeſt, nobis ignoſcit.

M. De hominibusne univerſis in genere loqueris, an de fidelibus duntaxat?

P. Qui Dei Spiritu nondum eſt regenitus, ne ad minimum quidem Legis apicem inchoandum erit idoneus. Præterea, ſi quem demus inveniri, qui aliqua ex parte Legi obtemperet, non tamen ideo coram Deo defunctum judicavimus. Nam maledi-
[*Deut.* 27. *verſ.* 26.] ctos pronunciat omnes, qui non omnia impleverint, quæ in ea continentur.

[*Galat.* 3. *verſ.* 10.] M. Hinc ſtatuendum eſt, ſicuti duo ſunt hominum genera, ita duplex eſſe Legis officium.

P. Omnino. Nam apud incredulos nihil aliud efficit, niſi quod excuſationem illis omnem præclu-
[*Rom.* 1. *verſ.* 32.] dit coram Deo. Atque id eſt quod ſignificat Paulus, quum eam vocat miniſterium mortis & damnationis.
[2 *Cor.* 3. *verſ.* 6.] Erga fideles longe alium uſum habet.

M. Quem?

[*Rom.* 3. *verſ.* 20. *Galat.* 2. *verſ.* 16. & 3: 11. & 4: 5.] P. Principio, dum juſtitiam operibus conſequi ſe non poſſe ex ea diſcunt, ad humilitatem hoc modo erudiuntur: quæ vera eſt ad quærendam in Chriſto ſalutem præparatio. Deinde quatenus plus multo exigit ab ipſis, quam ſint præſtando, eos ad petendam à Domino virtutem ſollicitat, ſimulque perpetui reatus commonefacit, ne ſuperbire audeant. Poſtremo, freni inſtar illis eſt, quo in Dei timore retineantur.

M. Tametſi ergo in hac terrena peregrinatione Legi nunquam ſatisfacimus, non tamen hoc ſupervacuum eſſe cenſebimus, quod tam exactam à nobis perfectionem flagitet. Scopum enim ad quem nos collimare, & metam ad quam nos eniti convenit, demonſtrat: ut quiſque noſtrum pro modo collatæ ſibi gratiæ, ad ſummam rectitudinem vitam ſuam componere, & majores ſubinde progreſſus facere, aſſiduo ſtudio conetur.

P. Sic ſentio.

M. An non perfectam in Lege omnis juſtitiæ regulam habemus?

P. Equidem adeo, ut nihil velit aliud Deus à nobis, niſi ut eam ſequamur: rurſum vero, irritum habeat ac repudiet, quicquid præter ejus præſcriptum
[1 *Sam.* 15. *verſ.* 22.] ſuſcipimus. Neque enim aliud ſacrificium acceptum habet, quam obedientiam.

[*Jere.* 7. *verſ.* 22.] M. Quorſum igitur tot admonitiones, præcepta, exhortationes, quibus paſſim utuntur tum Prophetæ tum Apoſtoli?

P. Nihil quam meræ Legis expoſitiones ſunt quæ ad Legis obedientiam nos manu ducunt, potius quam ab ea abducant.

M. Atqui de privata cujuſque vocatione nihil præcipit.

P. Quum reddere cuique quod ſuum eſt, jubet: inde colligere promptum eſt, quæ ſint privatim in ordine ſuo vitæque genere cujuſque partes. Et extant paſſim in Scriptura, quemadmodum dictum eſt, ſparſæ ſingulorum præceptorum expoſitiones. Nam quod hic Dominus ſummatim complexus eſt paucis verbis, alibi fuſius & plenius exequitur.

DE ORATIONE.

M. QUum de ſecunda parte divini cultus, quæ in obſequiis obedientiaque ſita eſt, ſatis diſputatum fuerit, jam de tertia parte diſſeramus.

P. Diximus invocationem eſſe, quum ad ipſum in quavis neceſſitate confugimus.

M. Eumne ſolum cenſes invocandum eſſe?

P. Omnino. Id enim exigit, tanquam proprium numinis ſui cultum.

M. Si ita res habet, quonam licebit modo homines ad opem nobis ferendam implorare?

P. Magnum vero inter hæc duo diſcrimen eſt. Deum enim quum invocamus, teſtamur nihil nos aliunde boni expectare, nec alibi nos collocare totum noſtrum præſidium: interea tamen auxilia, quoad nobis permittit, facultatemque illis nos adjuvandi contulit, quærimus.

M. Quod ergo ad hominum opem fidemque confugimus, nihil obſtare dicis, quominus unum invocemus Deum, quum fiducia in eos noſtra minime recumbat: nec aliter imploremus ipſos, niſi quia benefaciendi facultate eos inſtruendo, beneficentiæ ſuæ miniſtros nobis quodammodo deſtinavit Deus, quorum per manus adjuvare nos, & quæ apud illos depoſuit ſubſidia, erogare nobis velit.

P. Sic ſentio. Ac proinde quicquid ab illis beneficiorum percipimus, Deo acceptum referre convenit: ſicuti re vera unus ipſe illa omnia nobis eorum miniſterio largitur.

M. Verum, annon hominibus tamen, quoties aliquid in nos officii contulerunt, habenda eſt gratia? Id enim ipſa naturæ æquitas, & lex humanitatis dictat.

P. Habenda prorſus, vel ob unam hanc cauſam, quod hoc ipſos honore dignatur Deus, ut quæ ex liberalitatis ſuæ fonte inexhauſto fluunt bona, per eorum manus, tanquam per rivos ad nos derivet. Hac enim ratione nos illis obſtringit, atque idipſum vult nos agnoſcere. Itaque qui ſe hominibus gratum non præbet, ſuam in Deum quoque ingratitudinem hoc modo prodit.

M. Hincne licebit colligere, perperam invocari tum Angelos, tum ſanctos Domini ſervos, qui ex hac vita demigrarunt?

P. Licebit. Neque enim Sanctis has partes attribuit Deus, ut nobis opitulentur. Quantum vero ad Angelos ſpectat: tametſi eorum utitur opera in ſalutem noſtram, non tamen à nobis vult implorari.

M. Quicquid ergo ad ordinem à Deo inſtitutum apte congruenterque non quadrat, id cum ejus voluntate pugnare dicis.

P. Sic eſt. Certum enim infidelitatis ſignum eſt, iis quæ dat nobis Deus, non eſſe contentos. Deinde ſi in Sanctorum, Angelorumve fidem nos conferamus, ubi nos ad ſe unum Deus vocat, partemque fiduciæ, quæ tota reſidere in ſolo Deo debuerat transferamus in ipſos, in idololatriam prolabimur: quum ſcilicet, partiamur inter eos, quod ſibi Deus in ſolidum vendicabat.

M. Nunc de orandi ratione tractemus. Sufficitne ad orandum, lingua: an mentem etiam & cor requirit oratio?

P. Lingua quidem non ſemper neceſſaria eſt: intelligentia vero & affectu nunquam carere poteſt vera oratio.

M. Quo mihi argumento hoc probabis?

P. Quandoquidem Deus ſpiritus eſt, quum alias ſemper cor ab hominibus exigit, tum vero in oratione præſertim, qua cum ipſo communicant. Quamobrem non niſi iis qui eum in veritate invocaverint, [*Pſal.* 145. *verſ.* 18.]
propinquum ſe fore pollicetur: ex adverſo autem execratur omnes & maledicit, qui per fictionem, & [*Jeſa.* 29. *verſ.* 13.]
non ex animo precantur.

M. Vanæ

M. Vanæ ergo & nihili erunt preces quæcunque lingua tantum conceptæ fuerint.

P. Non id modo: ſed Deo etiam ſummopere diſplicebunt.

M. Qualem in oratione affectum exigit Deus?

P. Primum, ut inopiam miſeriaſque noſtras ſentiamus: utque is ſenſus mœrorem in animis noſtris & anxietatem generet: deinde ut vehementi ſerioque obtinendæ à Deo gratiæ deſiderio æſtuemus: quæ precandi quoque ardorem in nobis accendant.

M. A nativone hominibus ingenio manat hic affectus, an à Dei gratia illis provenit?

P. Deum hic nobis ſubvenire neceſſe eſt. Nos
Rom. 8. enim ad utrumque prorſus ſumus ſtupidi. Spiritus
verſ. 25. Dei eſt, qui inenarrabiles gemitus excitat in nobis,
animoſque noſtros format in hæc deſideria, quæ in
Gal. 4: 6. oratione requiruntur, ut ait Paulus.

M. Eone ſpectat hæc doctrina, ut reſides, & quodammodo oſcitantes motum Spiritus expectemus, nec ſe quiſque ad orandum ſollicitet?

P. Minime vero. Quin hic potius eſt finis: ut dum frigere ſe, & ad orandum pigros vel minus bene comparatos ſentiunt fideles, ad Deum protinus confugiant, ſeque inflammari poſtulent igneis Spiritus ejus aculeis, quo ad orandum reddantur idonei.

M. Non tamen intelligis, nullum in precibus eſſe linguæ uſum.

P. Nequaquam. Eſt enim ſæpe adjumento ad ſublevandam retinendamque mentem, ne tam facile à Deo abſtrahatur. Præterea quum ad illuſtrandam Dei gloriam creata ſit præ aliis membris, totam ejus facultatem in hunc uſum explicari par eſt. Adhæc, hominem interdum ſtudii vehementia huc impellit, ut præter conſilium lingua in vocem prorumpat.

M. Si ita eſt, quid proficiunt qui exotica lingua, ſibique non intellecta orant?

1 Cor. 14. P. Id vero nihil eſt aliud, quam cum Deo ludere.
verſ. 15. Ergo à Chriſtianis faceſſat hæc hypocriſis.

M. Verum, quum precamur, facimuſne id fortuito de ſucceſſu incerti, an vero conſtitutum id certo habere nos oportet, exauditum nos iri à Domino?

P. Hoc perpetuum ſit orationis fundamentum,
exauditum nos iri à Domino, & quicquid petierimus
impetraturos, quatenus nobis conducet. Hac
Rom. 10. ratione docet Paulus, ex fide manare rectam invo-
verſ. 14. cationem Dei. Nam rite nemo unquam ipſum in-
vocabit, niſi qui in certa bonitatis ejus fiducia prius
acquieverit.

M. Quid ergo his fiet, qui hæſitantes orant: nec in animis ſuis ſtatuunt, quid ſint orando profecturi: imo incerti ſunt, audiantur nec ne à Deo ſuæ preces?

P. Vanæ ſunt ac irritæ ipſorum preces, quum
Mat. 21. nulla promiſſione ſint ſuffultæ. Jubemur enim certa
verſ. 22. fide petere: & promiſſio additur, quicquid creden-
Marc. 11. tes petierimus, id nobis datum iri.
verſ. 24.

Jacob. 1. M. Reſtat ut videamus, unde nobis tantum con-
verſ. 6. fidentiæ: ut quum tot modis indigni ſimus Dei con-
Pſal. 50. ſpectu, ſiſtere nos tamen coram ipſo audeamus.
verſ. 15. P. Primum, habemus promiſſiones, quibus ſim-
& 91:15. pliciter, omiſſa dignitatis noſtræ ratione, ſtandum
& 145. eſt. Deinde, ſi filii ſumus, animat nos Spiritus ejus,
verſ. 18. atque inſtigat, ut ad eum, tanquam ad patrem, fami-
Jeſa. 30. liariter nos recipere nihil dubitemus. Ac ne ideo
verſ. 19. quod inſtar vermium ſumus, & conſcientia premi-
& 65: 1. mur noſtrorum peccatorum, majeſtatem ejus glo-
Jere. 29. rioſam horreamus, mediatorem nobis proponit
verſ. 12. Chriſtum, quo aditum pateſaciente, de obtinenda
Joel. 2. gratia minime ſimus anxii.
verſ. 32.
Rom. 8. M. Intelligis non niſi unius Chriſti nomine invo-
verſ. 25. candum eſſe Deum?
& 10: 13.
1 Tim. 2. P. Sic ſentio. Nam & diſertis verbis ita nobis
verſ. 5. præcipitur: & additur promiſſio, facturum ſua in-
1 Joan 2. terceſſione, ut conſequamur quæ petimus.
verſ. 1.
Hebr. 4. M. Non ergo temeritatis aut arrogantiæ accu-
verſ. 14. Joan. 14. verſ. 14.
ſandus eſt, qui hoc advocato fretus, ad Deum familiariter accedit: & hunc Deo & ſibi proponit ſolum, per quem exaudiatur.

P. Nullo modo. Nam qui ſic orat, tanquam ex Rom. 8.
illius ore preces concipit: quum ejus patrocinio ad- verſ. 33.
juvari ſuam orationem, commendarique ſciat. Rom. 8.

M. Tractemus jam, quid continere fidelium pre- verſ. 15.
ces debeant. Licetne quicquid in mentem nobis venit à Deo poſtulare, an certa hic tenenda eſt regula?

P. Hæc vero nimis præpoſtera eſſet orandi ratio, indulgere propriis deſideriis, carniſque judicio. Nam & rudiores ſumus, quam ut poſſimus judicare quid nobis expediat, & ea cupiditatum intemperie laboramus, quæ freno cohiberi neceſſe habeat.

M. Quid proinde opus eſt facto?

P. Hoc reſtat unum, ut Deus ipſe rectam orandi formam nobis præſcribat: ut tantum manu ducentem ſequamur, & quaſi verba præeuntem.

M. Quam nobis legem præſcripſit?

P. Ampla quidem & copioſa paſſim in Scripturis, hujus rei doctrina traditur. Verum, quo certiorem præfigeret ſcopum, formulam compoſuit, & quaſi dictavit, qua quicquid à Deo petere fas eſt, ac noſtra refert, breviter complexus eſt, & in pauca capita digeſſit.

M. Recita.

P. Rogatus à diſcipulis Dominus noſter Chri- Matth. 6.
ſtus, quonam orandum eſſet modo, reſpondit: verſ. 9.
Quum volueritis orare, ſic dicite: Pater noſter qui Luc. 11.
es in cælis, ſanctificetur nomen tuum: Adveniat verſ. 2.
Regnum tuum: Fiat voluntas tua, in terra ſicut in cælo: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: Et remitte nobis debita noſtra, ſicut nos quoque remittimus debitoribus noſtris: Et ne nos inducas in tentationem: ſed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria, in ſecula. Amen.

M. Quo melius intelligamus quid contineat, eam in capita partiamur.

P. Sex habet partes: quarum tres priores ſolam Dei gloriam, non habita noſtri ratione, tanquam proprium ſuum finem, reſpiciunt: reliquæ ad nos, utilitatemque noſtram ſpectant.

M. Ergone petendum eſt à Deo quicquam, unde nihil ad nos boni redeat?

P. Ipſe quidem pro infinita ſua bonitate, ſic componit omnia, ut nihil cedat in ipſius gloriam, quin nobis quoque ſit ſalutare. Itaque quum ſanctificatur ejus nomen, ut nobis quoque in ſanctificationem vertatur, efficit: non advenit ejus regnum, quin ſimus quodammodo ejus participes. Verum in optandis his omnibus, ſolam ejus gloriam, præterita noſtra utilitate, intueri convenit.

M. Nempe, ſecundum hanc doctrinam, tria hæc poſtulata cum utilitate quidem noſtra conjuncta ſunt: non tamen in alium ſcopum collimare debent, quam ut glorificetur Dei nomen.

P. Sic eſt, atque adeo in reliquis etiam tribus eadem Dei gloria curæ nobis eſſe debet: utcunque iis, quæ in rem ac ſalutem noſtram ſunt optandis, proprie ſint deſtinata.

M. Nunc ad verborum explicationem pergamus: ac principio, Cur Patris nomen hic potius, quam aliud quodvis, Deo tribuitur?

P. Quum ad rectam orandi rationem in primis requiratur ſecura conſcientiæ fiducia: nomen hoc ſibi aſſumit Deus, quod nihil niſi meram ſuavitatem ſonat: ut ita excuſſa ex animis noſtris omni anxietate, ad ſe familiariter implorandum nos invitet.

M. Ergone Deum audebimus ſine difficultate recta adire, ut filii parentes ſolent?

P. Omnino: quin etiam multo certiore obtinendi
quod petimus fiducia. Nam, ut admonet Magiſter, Matth. 7.
ſi nos quum mali ſimus, non poſſumus tamen filiis verſ. 11.
noſtris bona negare, nec eos dimittere inanes ſuſti-

nemus,

nemus, nec venenum porrigimus illis pro pane: quanto plus beneficentiæ à cæleſti Patre expectandum eſt, qui non tantum ſumme bonus eſt, ſed ipſa etiam bonitas?

M. An non ex hoc quoque nomine argumentum ducere licebit, quo id quod initio dictum eſt, preces
Joan. 15. verſ. 7. ſcilicet univerſas Chriſti patrocinio fundatas eſſe oportere, comprobetur?

Rom. 8. verſ. 15. P. Et quidem firmiſſimum. Neque enim filiorum loco nos habet Deus, niſi quatenus Chriſti ſumus membra.

M. Cur noſtrum potius in commune patrem nominas Deum, quam tuum peculiariter?

P. Poteſt quidem fidelium unuſquiſque ſuum vocare: ſed communi epitheto ideo uſus eſt Dominus, quo nos ad exercendam in precibus charitatem aſſuefaceret: ne aliis neglectis, tantum ſe quiſque curet.

M. Quid ſibi vult quæ additur particula, Deum eſſe in cælis?

P. Perinde eſt, acſi excelſum, potentem, incomprehenſibilem vocarem ipſum.

M. Quorſum id, & qua ratione?

P. Nempe hoc modo ſurſum mentes, quum eum invocamus, docemur erigere, ne quid de ipſo carnale aut terrenum cogitemus, neve eum moduli noſtri metiamur captu, ne humilius de ipſo aliquid ſentientes, in obſequium voluntatis noſtræ redigere ipſum velimus, ſed potius cum timore & reverentia ſuſpicere diſcamus majeſtatem ejus glorioſam. Valet etiam hoc ad excitandam, confirmandamque noſtram in ipſo fiduciam: dum cæli dominus ac præſes, qui arbitrio ſuo regat omnia, prædicatur.

M. Recita mihi primi poſtulati ſummam.

P. Per nomen Dei, Scriptura notitiam, famamque intelligit, qua inter homines celebratur. Optamus ergo, ut ejus gloria ubique & in omnibus provehatur.

M. Verum, accedere ne quicquam illi poteſt gloriæ, aut decedere?

P. In ſeipſa nec creſcit, nec minuitur. Verum illuſtrari inter homines, ut par eſt, optamus: ut quicquid facit Deus, omnia ejus opera, ut ſunt, ita glorioſa appareant: quo modis omnibus ipſe glorificetur.

M. In ſecunda petitione, quid per Dei Regnum intelligis?

P. Duobus potiſſimum membris conſtat. Ut electos Spiritu gubernet ſuo: ut reprobos, qui ſe illi in obſequium tradere recuſant, proſternat, & exitio tradat: ut ita palam fiat, nihil eſſe, quod reſiſtere ejus virtuti queat.

M. Qualiter regnum hoc ut veniat, precaris?

P. Ut fidelium numerum in dies augeat Dominus, ut novis ſubinde Spiritus ſui donis eos cumulet, donec prorſus impleverit. Adhæc ut ſuam veritatem ad diſcutiendas Satanæ tenebras magis lucidam, conſpicuamque reddat: ut juſtitiam ſuam proferendo iniquitatem omnem aboleat.

M. Nonne quotidie fiunt hæc omnia?

P. Fiunt eo modo, ut inchoatum dici poſſit regnum Dei. Optamus ergo, ut aſſidue creſcat ac provehatur: donec ad ſummum faſtigium pervenerit: quod ultimo demum die futurum ſperamus: quo Deus ſolus, omnibus creaturis in ordinem coactis,
1 Cor. 15. verſ. 28. exaltabitur & eminebit: adeoque erit omnia in omnibus.

M. Quod petis, ut Dei voluntas fiat, quem id habet ſenſum?

P. Ut in ejus obſequium ſubigantur creaturæ omnes, pendeantque ita ex ejus nutu, ne quid niſi ipſius arbitrio fiat.

M. Ergone fieri quicquam præter ejus voluntatem poſſe ſentis?

P. Non optamus tantum, ut quod decrevit apud ſe, eveniat: ſed etiam ut domita, ſubjugataque omni contumacia, omnes omnium voluntates ſuæ ſubjiciat, & in ejus obedientiam componat.

M. An non ita precando, propriis voluntatibus cedimus?

P. Omnino: neque in hunc tantum finem, ut quæcunque cum ſua voluntate pugnant in nobis deſideria, irrita faciat: ſed etiam ut novas in nobis mentes, novaque corda formet: ne quid velimus ipſi à nobis, ſed Spiritus potius ejus, votis noſtris præſit, ut plenam habeant cum Deo conſenſionem.

M. Cur id in terra fieri optas, ſicut in cælo?

P. Quoniam hoc unum propoſitum habent ſancti Angeli, qui cæleſtes ſunt ejus creaturæ, ut illi in omnibus obſequantur, ſintque ſemper & dicto audientes, & ad obeunda obſequia ultro parati: talem obediendi propenſionem hominibus opto, ut ſe quiſque illi in voluntariam ſubjectionem prorſus addicat.

M. Nunc ad ſecundam partem veniamus. Quid tibi ſignificat Quotidianus, quem petis, panis?

P. In univerſum quicquid ad tuendam præſentem vitam facit: non alendo tantum aut veſtiendo, ſed præbendis quoque aliis omnibus adminiculis, quibus ſuſtinentur externæ vitæ neceſſitates: quo panem noſtrum, quatenus expedire Dominus novit, tranquilli comedamus.

M. Cur autem tibi à Deo donari optas, quod nos labore noſtro parare jubet?

P. Tametſi victus parandi cauſa laborandum, ac etiam ſudandum nobis eſt: non labore tamen noſtro, non induſtria, non ſedulitate alimur: ſed una Dei benedictione, qua labor ipſe manuum noſtrarum proſperatur, futurus alioqui inanis. Præterea ſic habendum eſt: etiam quum ciborum copia nobis ad manum ſuppetit, illiſque veſcimur, non illorum tamen ſubſtantia, ſed ſola Dei virtute nos ali. Neque enim vim *Deut. 8.*
ejuſmodi habent à natura ingenitam: ſed Deus è *verſ. 3.*
cælo tanquam beneficentiæ ſuæ organis adminiſtrat. *Matth. 4.*

M. Atqui tuum quo jure panem vocas, quum tibi *verſ. 4.* à Deo poſtules dari?

P. Nempe, quia Dei benignitate ſit noſter: utcunque nobis minime debeatur. Admonemur etiam hoc verbo, ab alieno pane appetendo nobis temperare: contentoſque eo eſſe, qui legitima ratione, tanquam ex Dei manu ad nos pervenerit.

M. Quotidianum cur addis, & Hodie?

P. His duabus particulis ad moderationem inſtituimur ac continentiam: ne modum neceſſitatis vota noſtra excedant.

M. Quum hæc communis omnium eſſe debeat precatio, qui fieri poteſt, ut divites, qui domi abundant, repoſitamque in longum tempus annonam habent, ſibi petant in diem dari?

P. Hoc divites peræque ac pauperes conſtitutum habere oportet, nihil eorum quæ habent, ſibi profuturum, niſi quatenus & uſum illis conceſſerit Deus, & ſua gratia effecerit, ut uſus ipſe fructuoſus ſit & efficax. Itaque omnia poſſidendo nihil habemus, niſi quatenus in ſingulas horas ex manu Dei percipimus, quantum nobis neceſſe, ſatiſque eſt.

M. Quid continet quintum poſtulatum?

P. Ut peccata nobis ignoſcat Dominus.

M. Nemone reperietur mortalium tam juſtus, qui hac venia non indigeat?

P. Nemo prorſus. Hanc enim precandi formam quum Apoſtolis ſuis dedit Chriſtus, univerſæ Eccleſiæ deſtinavit. Quamobrem qui ſe hac neceſſitate eximere volet, è ſocietate fidelium exeat oportet. Et ſane audimus quid Scriptura teſtetur: nempe, qui in uno purgare ſe coram Deo contendet, deprehenſum iri in mille reum. Unicum ergo omnibus ad *Job. 9:3.* ejus miſericordiam perfugium reſtat.

M. Quomodo peccata nobis remitti exiſtimas?

P. Sicut ipſa Chriſti verba ſonant: Eſſe debita ſcilicet, quæ obſtrictos æternæ mortis reatu nos teneant, donec mera ſua liberalitate nos Deus liberet.

M. Gra-

M. Gratuita igitur Dei miſericordia, peccatorum veniam obtinere nos dicis.

P. Omnino. Nam ſi unius vel minimi peccati redimenda ſit poena, nos ſatisfaciendo nequaquam erimus. Omnia igitur, gratuito ignoſcat & condonet neceſſe eſt.

M. Quid ex hac remiſſione utilitatis ad nos redit?

P. Tum illi perinde accepti ſumus, acſi juſti eſſemus & innocentes: ſimulque paternæ ejus benevolentiæ fiducia, unde nobis certa ſalus, conſcientiis noſtris confirmatur.

M. Hæc quæ apponitur conditio: ut nobis remittat, ſicut nos remittimus debitoribus uoſtris: num mereri nos à Deo veniam ſignificat, bominibus, ſi quid in nos peccarunt, ignoſcendo?

P. Minime. Sic enim jam gratuita remiſſio non foret, nec ſola Chriſti ſatisfactione, qua in cruce pro nobis defunctus eſt, ſicuti par eſt, fundata. Verum, quia irrogaṭas nobis injurias oblivifcendo, dum ejus clementiam ac bonitatem imitamur, re ipſa nos ejus filios eſſe demonſtramus: hac ideo teſſera confirmare nos voluit: & ſimul ex adverſo oſtendere, niſi faciles nos ad ignoſcendum & flexibiles præbuerimus, nihil eſſe aliud à ſe expectandum, quam ſummum & inexorabilem ſeveritatis rigorem.

M. Hic ergo abdicari à Deo, expungique filiorum loco dicis omnes, qui offenſiones ex animo deponere non poſſunt: ne quem ſibi in cælo veniæ locum fore confidant.

P. Ita ſentio, ut impleatur illud: Remenſum cuique iri eadem menſura, qua erga alios uſus fuerit.

M. Quid poſtea ſequitur?

P. Ne uos Dominus in tentationem inducat, ſed à malo potius liberet.

M. Hoc totumne in unam petitionem includis?

P. Non niſi una eſt petitio. Poſterius enim membrum, prioris explicatio eſt.

M. Quid ſummatim continet?

P. Ne ruere nos, aut labi in peccatum Dominus ſinat; ue diabolo nos, carniſque noſtræ cupiditatibus, quæ aſſiduum nobiſcum bellum gerunt, vincendos permittat: quin potius ſua nos ad reſiſtendum virtute inſtruat, ſuſtineat nos manu ſua, præſidio ſuo muniat ac tegat: ut ita ſub fide tutelaque ejus in tuto habitemus.

M. Quo autem modo id fit?

P. Quum ejus Spiritu gubernati, tali juſtitiæ amore deſiderioque imboimur, quo peccatum, carnem, & Satanam ſuperemus: tali rurſum odio peccati, quod nos à mundo ſegregatos, in pura ſanctitate contineat. In Spiritus enim virtute, victoria noſtra conſiſtit.

M. Habentne omnes opus hoc auxilio?

P. Et quis carere poſſet? Imminet enim perpe-
1 Petr. 5. verſ. 8. tuo nobis diabolus, circuitque inſtar leonis rugientis quærens quem devoret. Nos vero, qua ſumus imbecillitate, ſtatim conſideremus: imo ſingulis momentis actum de nobis foret, niſi Deus nos ad pugnam inſtrueret ſuis armis, manuque ſua roboraret.

M. Quid tibi ſignificat Tentationis nomen?

P. Aſtus fallaciaſque Satanæ, quibus nos continenter adoritur, & facile protinus circumveniret, niſi Dei ope adjuvaremur. Nam & mens noſtra, pro nativa ſua vanitate, obnoxia ejus dolis: & ut propenſior eſt ſemper voluntas uoſtra in malum, protinus illi ſuccumberet.

M. Verum, cur deprecaris, ne te in tentationem inducat Deus, quod Satanæ proprium, non autem Dei videtur?

P. Sicut fideles protectione ſua tuetur Deus, ne aut fraudibus opprimantur Satanæ, aut à peccato ſuperentur: ita quos vult punire, non modo deſtituit ſua gratia, ſed etiam Satanæ tyrannidi tradit, cæcitate percutit, & conjicit in reprobam mentem: ut prorſus ſint peccato mancipati, & expoſiti ad omnes tentationum inſultus.

M. Quid ſibi vult hæc, quæ adjecta eſt, clauſula: Quoniam tuum eſt regnum, tua potentia, & gloria, in ſecula ſeculorum?

P. Iterum hic admonemur, Dei magis potentia & bonitate ſuffultas eſſe preces noſtras, quam ulla noſtri fiducia. Præterea Dei laudibus preces omnes noſtras claudere docemur.

M. Nihilne fas eſt à Deo petere, quam quod eſt hac formula comprehenſum?

P. Tametſi verbis aliis, alioque modo liberum eſt precari: ſic tamen habendum eſt, nullam Deo placere orationem poſſe, quæ non buc, tanquam ad unicam rite orandi normam, referatur.

DE VERBO DEI.

M. JAm inſtituta à uobis ordinis ratio poſtulat, ut de quarta cultus Dei parte agamus.

P. Hanc in eo ſitam eſſe diximus, ut Deum agnoſcamus bonorum omnium auctorem: ejuſque bonitatem, juſtitiam, ſapientiam, potentiam, laude & gratiarum actione proſequamur: quo in ſolidum bonorum omnium gloria penes ipſum reſideat.

M. Nullamne hujus partis regulam præſcripſit?

P. Quicquid laudum ejus extat in Scripturis, pro regula nobis eſſe debet.

M. Nihilne habet oratio Dominica, quod buc pertineat?

P. Nempe, quum optamus ſanctificari ejus nomen, hoc optamus, ut omnibus ejus operibus ſua conſtet gloria. Ut ſive peccatoribus ignoſcat, miſericors: ſive vindictam exerceat, juſtus: ſive præſtet ſuis quod promiſit, verax cenſeatur. Denique, ut quicquid operum ejus cernimus, ad eum glorificandum nos excitet. Hoc vero eſt, bonorum illi omnium laudem tribuere.

M. Quid tandem ex iis, quæ bactenus tractata ſunt à nobis, colligemus?

P. Quod ſcilicet veritas ipſa docet, & ego initio
propoſui: hanc eſſe vitam æternam, uuum verum Joan. 17.
Deum noſſe Patrem, & quem miſit Jeſum Chriſtum. verſ. 3.
Illum, inquam, noſſe, ut debitum ei honórem cultumque exhibeamus, utque nobis uon Dominus tantum ſit, ſed etiam Pater ac Servator, noſque illi viciſſim filii ſimus & ſervi, & proinde vitam uoſtram illuſtrandæ ejus gloriæ dedicemus.

M. Qua via ad tantum bonum pervenitur?

P. In hunc finem, ſacrum ſuum Verbum nobis ſ reliquit. Eſt enim ſpiritualis doctrina, quædam veluti janua, qua ingredimur in cæleſte ejus regnum.

M. Ubinam quærendum nobis eſt boc Verbum?

P. In Scripturis ſanctis, quibus continetur.

M. Ut fructum inde percipias, qualiter eo utendum eſt?

P. Si ipſum ſolida cordis perſuaſione amplectimur, non ſecus ac certam veritatem è cælo profectam: ſi uos illi dociles præbemus, ſi voluntates menteſque noſtras in ejus obſequium ſubjicimus: ſi amamus ipſum ex animo: ſi cordibus noſtris ſemel inſculptum, fixas illic radices habet, ut fructum proferat in vita: ſi denique formamur ad ejus regulam, tum nobis in ſalutem, ſicuti deſtinatum eſt, cedet.

M. Suntne omnia hæc in facultate noſtra poſita?

P. Nihil ipſorum prorſus: ſed unius Dei eſt hoc totum, quod retuli, in nobis efficere Spiritus ſui gratia.

M. Verum, annon adhibenda eſt à nobis diligentia, & omni ſtudio enitendum, legendo, audiendo, meditando, ut eo proficiamus?

P. Imo

Digitized by Google

P. Imo vero: cùm ſe quiſque privatim quotidiana lectione exerceat: tum vero ſimul omnes præcipue ſedulo conciones frequentent, ubi ſalutis doctrina in cœtu fidelium explicatur.

M. Negas ergo eſſe ſatis, ſi domi ſeorſum ſinguli legant, niſi omnes ſimul in commune, ad eandem doctrinam audiendam conveniant?

P. Convenire neceſſe eſt, ubi licet, hoc eſt, quum facultas datur.

M. Poteriſne mihi hoc probare?

P. Sufficere ad probationem abunde nobis debet una Domini voluntas. Hunc autem ordinem Eccleſiæ ſuæ commendavit, non quem duo aut tres duntaxat ſervarent, ſed cui ſubeſſent communiter omnes. Adhoc, illius tum ædificandæ, tum conſervandæ hanc eſſe unicam rationem pronunciat. Sit ergo hæc nobis ſancta & inviolabilis regula: nec ſibi fas quiſquam eſſe ducat, ſupra magiſtrum ſapere.

M. Eſtne igitur neceſſe, præeſſe Eccleſiis paſtores?

P. Quin etiam neceſſe eſt audire ipſos, & quam proponunt Chriſti doctrinam, ex eorum ore cum timore & reverentia excipere. Itaque qui ipſos contemnit, audireve detrectat, Chriſtum contemnit, ac diſceſſionem facit à ſocietate fidelium. [*Mat.* 10. *verſ.* 40.]

M. Verum, ſemelne à paſtore ſuo fuiſſe inſtitutum ſatis eſt homini Chriſtiano, an curſum hunc tota vita tenere debet?

P. Cœpiſſe parum eſt, niſi perſeveres. Chriſti enim diſcipulos uſque in finem, vel potius ſine fine eſſe nos oportet. Hanc vero functionem mandavit Eccleſiæ miniſtris, ut ſuo nos loco & nomine doceant.

DE SACRAMENTIS.

M. NOn eſt aliud à Verbo medium, ut loquuntur, quo ſe nobiſcum Deus communicet?

P. Verbi prædicationi adjunxit Sacramenta.

M. Quid eſt Sacramentum?

P. Externa divinæ erga nos benevolentiæ teſtificatio, quæ viſibili ſigno ſpirituales gratias figurat, ad obſignandas cordibus noſtris Dei promiſſiones, quo earum veritas melius confirmetur.

M. Tantane vis ſubeſt viſibili ſigno, ut conſcientias in ſalutis fiducia ſtabiliat?

P. Id quidem à ſeipſo non habet, ſed ex Dei voluntate, propterea quod ſit in hunc finem inſtitutum.

M. Quum propriæ ſint Spiritus ſancti partes, Dei promiſſiones in animis noſtris obſignare, hoc tu Sacramentis quomodo tribuis?

P. Longum eſt inter illum & hæc diſcrimen. Movere enim & afficere corda, illuminare mentes, conſcientias reddere certas ac tranquillas, ſolius re vera Spiritus eſt, ut id totum cenſeri proprium ipſius opus debeat, illique acceptum referri, ne laus alio transferatur: minime tamen hoc obſtat, quominus Sacramentis Deus utatur, tanquam ſecundis organis, eaque in uſum adhibeat, prout viſum fuerit: idque ſic faciat, ne quid Spiritus virtuti derogetur.

M. Vim ergo efficaciamque Sacramenti non in externo elemento incluſam eſſe exiſtimas: ſed totam à Spiritu Dei manare.

P. Sic ſentio: nempe, ut virtutem ſuam exerere Domino placuerit per ſua organa, quem in finem ea deſtinavit. Quod quidem ita facit, ut Spiritus ſui virtuti nihil detrahat.

M. Poteſne mihi, cur ita agat, rationem reddere?

P. Hoc ſcilicet modo infirmitati noſtræ conſulit. Nam ſi ſpirituales eſſemus toti, Angelorum inſtar ſpiritualiter tum eum, tum ipſius gratias poſſemus intueri. Verum, ut hac terreni corporis mole circumdati ſumus, figuris indigemus vel ſpeculis, quæ nobis ſpiritualium cæleſtiumque rerum aſpectum terreno quodam modo exhibeant. Neque enim aliter eo perveniremus. Simul etiam noſtra intereſt: in Dei promiſſionibus exerceri ſenſus omnes noſtros, quo melius nobis confirmentur.

M. Si verum eſt, ideo inſtituta eſſe à Deo Sacramenta, ut ſubſidia neceſſitatis noſtræ forent, annon arrogantiæ damnari merito deberet, ſi quis judicaret, illis ſe tanquam non neceſſariis, poſſe carere?

P. Omnino Atque adeo ſi quis illorum uſu ſponte abſtineat, acſi opus non haberet, Chriſtum contemnit, ipſius reſpuit gratiam, & Spiritum extinguit.

M. Verum, qualis ex Sacramentis fiducia ad ſtabiliendas conſcientias, & quam certa ſecuritas concipi poteſt, quibus utuntur promiſcue boni & mali?

P. Quanquam oblata ſibi in Sacramentis, Dei dona, in nihilum, ut ita dicam, redigunt impii, quantum ad ipſos ſpectat, non tamen propterea efficiunt, quin ſua vis & natura Sacramentis maneat.

M. Quo igitur modo, & quando uſum Sacramentorum ſequitur effectus?

P. Quum ea fide recipimus, Chriſtum in illis ſolum, ejuſque gratiam quærentes.

M. Cur illic quærendum eſſe Chriſtum dicis?

P. Intelligo non eſſe viſibilibus ſignis inhærendum, ut ſalutem inde petamus, vel affixam illic conferendæ gratiæ virtutem imaginemur ac incluſam: quin potius adminiculi loco habendum eſſe ſignum, quo recta ad Chriſtum dirigamur, ſalutem ab ipſo & ſolidam felicitatem petituri.

M. Quum ad eorum uſum requiratur fides: qui nobis in fidei confirmationem data eſſe dicis, ut nos de promiſſionibus Dei reddant certiores?

P. Fidem in nobis ſemel inchoatam eſſe nequaquam ſufficit, niſi continenter alatur, & magis in dies magiſque augeſcat. Ad eam ergo tum alendam, tum roborandam, tum provehendam Sacramenta inſtituit Dominus. Quod quidem ſignificat Paulus, quum ad obſignandas Dei promiſſiones valere tradit. [*Rom.* 4. *verſ.* 11.]

M. Verum, nonne hoc infidelitatis indicium eſt, non habere Dei promiſſionibus ſolidam fidem, niſi aliunde nobis confirmentur?

P. Fidei certe imbecillitatem hoc arguit, qua filii etiam Dei laborant, qui tamen fideles propterea eſſe non deſinunt, licet fide præditi ſint exigua adhuc & imperfecta. Quamdiu enim verſamur in hoc mundo, hærent ſemper in carne noſtra diffidentiæ reliquiæ, quas aliter excutere non poſſumus, quam continuo uſque ad vitæ finem profectu. Ulterius ergo ſemper progredi neceſſe eſt.

M. Quot ſunt Chriſtianæ Eccleſiæ Sacramenta?

P. Duo ſunt omnino, quorum communis ſit inter omnes fideles uſus.

M. Quæ ſunt illa?

P. Baptiſmus & ſacra Cœna.

M. Quid verò ſimile inter ſe habent, vel diverſum?

P. Baptiſmus veluti quidam in Eccleſiam aditus nobis eſt. Illic enim teſtimonium habemus, nos, quum alioqui extranei alienique ſimus, in Dei familiam recipi, ut inter ejus domeſticos cenſeamur. Cœna vero teſtatur, Deum ſe nobis, animas noſtras alendo, Patrem exhibere.

M. Quo clarius nobis innoteſcat utriuſque veritas: de utroque ſeorſum tractemus. Primum, Quæ eſt Baptiſmi ſignificatio?

P. Ea duas partes habet. Nam ibi remiſſio peccatorum, deinde ſpiritualis regeneratio figuratur. [*Epheſ.* 5. *verſ.* 26. *Rom.* 6: 4.]

M. Quid ſimilitudinis ineſt aquæ cum his rebus, ut eas repræſentet?

P. Peccatorum quidem remiſſio, ſpecies eſt lavacri, quo animæ ſuis maculis abſterguntur: non ſecus atque aqua abluuntur corporis ſordes.

M. Quid de regeneratione?

P. Quoniam ejus initium eſt, naturæ noſtræ mortificatio: finis vero ut novæ creaturæ ſimus, in eo nobis proponitur mortis figura, quod capiti aqua injicitur: novæ autem vitæ, in eo quod non manemus ſub aqua demerſi, ſed ad momentum duntaxat ſubimus tanquam in ſepulchrum, ut ſtatim emergamus.

M. Num aquam eſſe animæ lavacrum cenſes?

P. Nequaquam. Hunc enim honorem eripere
1 Petr. 1. Chriſti ſanguini nefas eſt, qui ideo effuſus fuit, ut
verſ. 19. abſterſis omnibus noſtris maculis, puros coram Deo
1 Joan. 1. & impollutos nos redderet. Atque hujus quidem
verſ. 7. purgationis fructum percipimus, quum ſacro illo ſanguine conſcientias noſtras Spiritus ſanctus aſpergit. Obſignationem vero in Sacramento habemus.

M. Verum, annon aliud aquæ tribuis, niſi ut ablutionis tantum ſit figura?

P. Sic figuram eſſe ſentio, ut ſimul annexa ſit veritas. Neque enim, ſua nobis dona pollicendo, nos Deus fruſtratur. Proinde & peccatorum veniam, & vitæ novitatem offerri nobis in Baptiſmo, & recipi à nobis certum eſt.

M. An promiſcue in omnibus impletur hæc gratia?

P. Multi dum illi ſua pravitate viam præcludunt, efficiunt ut ſibi ſit inanis. Ita non niſi ad fideles ſolos pervenit fructus. Verum, inde nihil Sacramenti naturæ decedit.

M. Regeneratio autem unde?

P. A morte Chriſti & reſurrectione ſimul. Hæc enim vis ſubeſt ejus morti, ut per eam crucifigatur vetus homo noſter, & naturæ noſtræ vitioſitas quodammodo ſepeliatur, ne amplius vigeat in nobis. Quod autem reformamur in novam vitam ad obediendum Dei juſtitiæ, id eſt reſurrectionis beneficium.

M. Quomodo per Baptiſmum nobis hæc bona conferuntur?

P. Quia niſi promiſſiones illic nobis oblatas reſpuendo infructuoſas reddimus, veſtimur Chriſto, ejuſque Spiritu donamur.

M. Nobis vero quid agendum eſt, ut rite Baptiſmo utamur?

P. Rectus Baptiſmi uſus, in fide & pœnitentia ſitus eſt: hoc eſt, ut ſtatuamus primum certa animi fiducia, nos ab omnibus maculis Chriſti ſanguine purgatos, Deo placere: deinde ut Spiritum ejus ſentiamus ipſi in nobis habitare: atque id operibus apud alios declaremus: utque aſſidue nos in meditanda tum carnis mortificatione, tum juſtitiæ Dei obedientia exerceamus.

M. Si hæc requiruntur ad legitimum Baptiſmi uſum, qui fit ut infantes baptizemus?

P. Non eſt neceſſe, ut Baptiſmum ſemper fides & pœnitentia præcedant: ſed ab iis tantum exiguntur, qui per ætatem jam ſunt utriuſque capaces. Satis ergo fuerit, ſi infantes poſtquam adoleverint, Baptiſmi ſui vim exerant.

M. Poteriſne ratione demonſtrare, nihil eſſe in ea re abſurdi?

P. Sane: Si mihi conceſſum fuerit, nihil Dominum inſtituiſſe, quod ſit à ratione diſſentaneum. Nam quum Circumciſionem, pœnitentiæ ſignum
Deut. 30. fuiſſe Moſes & omnes Prophetæ doceant: fidei
verſ. 6. etiam ſacramentum, teſte Paulo, fuerit: videmus
Jer. 4: 4. tamen ut infantes ab ea non excluſerit.
Rom. 4.
verſ. 11.

M. Sed eademne cauſa, quæ in Circumciſione valuit, nunc ad Baptiſmum admittendi ſunt?

P. Prorſus eadem: quum promiſſiones, quas olim Deus populo Iſraëlitico dederat, nunc ſint per totum orbem publicatæ.

M. Atqui num inde colligis ſignum quoque uſurpandum eſſe?

P. Qui bene utrimque expendet omnia, hoc conſequi animadvertet. Neque enim ejus gratiæ, quæ Iſraëli ante collata fuerat, hac lege nos participes fecit Chriſtus, ut vel obſcurior erga nos eſſet, vel aliqua ex parte imminuta. Quin potius, & luculentius eam in nos & abundantius effudit.

M. Putaſne, ſi à Baptiſmo arceantur infantes, quicquam propterea Dei gratiæ decedere, ut dici poſſit Chriſti adventu fuiſſe imminuta?

P. Id quidem evidenter patet. Signo enim ſublato, quod ad teſtandam Dei miſericordiam & confirmandas promiſſiones plurimum valet, deeſſet nobis eximia conſolatio, qua fruebantur veteres.

M. Sic ergo ſentis: quum Deus ſub veteri Teſtamento, ut ſe Patrem parvulorum oſtenderet, ſalutis promiſſionem in eorum corporibus inſculptam eſſe voluerit ſigno viſibili, indignum fore, ſi minus confirmationis à Chriſti adventu habeant fideles: quando & eadem hodie nobis promiſſio deſtinatur, quæ olim Patribus, & clarius bonitatis ſuæ ſpecimen nobis in Chriſto exhibuit Deus.

P. Sic ſentio. Præterea quum ſatis conſtet, vim ſubſtantiamque, ut ita loquar, Baptiſmi, infantibus eſſe communem: ſi illis negaretur ſignum, quod veritate eſt inferius, aperta illis injuria fieret.

M. Qua ergo conditione baptizandi ſunt infantes?

P. Ut teſtatum fiat, benedictionis fidelium ſemini promiſſæ, ipſos eſſe hæredes: ut agnita poſtquam adoleverint, Baptiſmi ſui veritate, fructum ex eo percipiant, ac proferant.

M. Tranſeamus ad Cœnam. Ac primo quidem ex te ſcire velim, quæ ſit ejus ſignificatio.

P. Ideo à Chriſto inſtituta eſt, ut corporis & ſanguinis ſui communicatione educari in ſpem vitæ æternæ animas noſtras nos doceret, idque nobis certum redderet.

M. Cur autem pane corpus, vino ſanguis Domini figuratur?

P. Nempe hinc docemur, quam vim habet panis in nutriendis corporibus, ad ſuſtinendam præſentem vitam, eandem corpori Domini ineſſe, ad alendas ſpiritualiter animas. Sicuti vino exhilarantur hominum corda, reficiuntur vires, totus homo roboratur: ita ex Domini ſanguine, eoſdem ab animis noſtris uſus percipi.

M. Ergone corpore Domini & ſanguine veſcimur?

P. Ita ſentio. Nam quum in eo ſita ſit tota ſalutis noſtræ fiducia, ut accepta nobis feratur obedientia ipſius, quam Patri præſtitit, perinde acſi noſtra foret: ipſum à nobis poſſideri neceſſe eſt. Neque enim bona nobis ſua aliter communicat, niſi dum ſe noſtrum facit.

M. Atqui, nonne tunc ſe dedit, quum ſe expoſuit in mortem, ut nos à mortis judicio redemptos, Patri reconciliaret?

P. Id quidem verum eſt: ſed non ſatis eſt nobis, niſi eum nunc recipiamus: quo mortis ejus efficacia fructuſque ad nos perveniat.

M. Recipiendi porro modus an non fide conſtat?

P. Fateor. Sed hoc ſimul addo, fieri id, dum non ſolum mortuum credimus, quo nos à morte liberaret: & ſuſcitatum, quo nobis vitam acquireret: ſed in nobis habitare agnoſcimus, noſque illi conjunctos eſſe eo unitatis genere, quo membra cum capite ſuo cohærent: ut hujus unitatis beneficio, omnium ejus bonorum participes fiamus.

M. Numquid hanc communionem per ſolam Cœnam obtinemus?

P. Imo vero. Nam & per Euangelium, teſte
Paulo, nobis communicatur Chriſtus: Et merito 1 Cor. 1.
hoc Paulus docet: quum illic audiamus, nos car- verſ. 6.
nem eſſe de carne ejus, & oſſa ex oſſibus: ipſum Epheſ. 5.
eſſe panem vivum, qui è cælo ad nutriendas animas verſ. 30.
noſtras, deſcendit: nos unum eſſe cum ipſo, ſicuti Joan. 6.
cum Patre unum eſt: & ſimilia. verſ. 51.
Joan. 17.
verſ. 21.

M. Quid

M. Quid amplius ex Sacramento conſequimur, aut quid præterea utilitatis nobis confert?

P. Hoc ſcilicet: quod illa, de qua dixi, communicatio nobis confirmatur & augetur. Tametſi enim tum in Baptiſmo, tum in Euangelio nobis exhibetur Chriſtus: eum tamen non recipimus totum, ſed ex parte tantum.

M. Quid ergo in ſymbolo panis habemus?

P. Corpus Chriſti, ut ſemel pro nobis ad nos Deo reconciliandos immolatum fuit, ita nunc quoque nobis dari: ut certo ſciamus, reconciliationem ad nos pertinere.

M. Quid in vini ſymbolo?

P. Chriſtum, ut ſuum ſanguinem ſemel in peccatorum ſatisfactionem, pretiumque redemptionis noſtræ effudit, ita nunc eum nobis bibendum porrigere, ut fructum, qui inde pervenire ad nos debet, ſentiamus.

M. Secundum has duas reſponſiones, ſacra Domini Cœna ad ejus mortem nos amandat, ut ejus virtuti communicemus.

P. Omnino. tunc enim unicum, perpetuumque ſacrificium, quod in ſalutem noſtram ſufficeret, peractum eſt. Proinde nihil reſtat amplius, niſi ut ipſo fruamur.

M. Ergo non in hunc finem inſtituta eſt Cœna, ut Deo Filii ſui corpus offeratur.

Hebr. 5. verſ. 10. Mat 26. verſ. 29. P. Minime. Solus enim ipſe, quum æternus ſit Sacerdos, hanc prærogativam habet. Atque hoc ſonant ejus verba, quum ait: Accipite & manducate. Neque enim ut offeramus corpus ſuum, ſed tantum, ut eo veſcamur, illic præcipit.

M. Cur duobus utimur ſignis?

P. In eo Dominus infirmitati noſtræ conſuluit, quo nos familiarius doceret, ſe non cibum modo animis noſtris, ſed potum quoque eſſe, ne alibi quam in eo ſolo ullam ſpiritualis vitæ partem quæramus.

M. An utroque uti peræque omnes abſque exceptione debent?

P. Ita fert Chriſti mandatum: cui ullo modo derogare, aliquid contra tentando, ſummum eſt nefas.

M. Solamne eorum, quæ dixiſti, beneficiorum ſignificationem habemus in Cœna, an illic re ipſa nobis exhibentur?

P. Quum Dominus noſter Chriſtus ipſa ſit veritas, minime dubium eſt, quin promiſſiones, quas dat illic nobis, ſimul etiam impleat: & figuris ſuam addat veritatem. Quamobrem non dubito, quin ſicuti verbis ac ſignis teſtatur, ita etiam ſuæ nos ſubſtantiæ participes faciat, quo in unam cum eo vitam coaleſcamus.

M. Verum, qui hoc fieri poteſt, quum in cælo ſit Chriſti corpus: nos autem in terra adhuc peregrinemur?

P. Hoc mirifica arcanaque Spiritus ſui virtute efficit: cui difficile non eſt ſociare, quæ locorum intervallo alioqui ſunt disjuncta.

M. Ergo nec corpus in pane incluſum eſſe, nec ſanguinem in calice imaginaris.

P. Nequaquam. Quin potius ita ſentio, ut veritate potiamur ſignorum, erigendas eſſe in cælum mentes, ubi Chriſtus eſt, & unde eum expectamus judicem & redemptorem: in his vero terrenis elementis, perperam & fruſtra quæri.

M. Ut in ſummam colligamus quæ dixiſti: duas in Cœna res eſſe aſſeris: nempe, panem & vinum, quæ oculis cernuntur, attrectantur manibus, percipiuntur guſtu: deinde Chriſtum, quo interius animæ noſtræ, tanquam proprio ſuo alimento, paſcuntur.

P. Verum: & eo quidem uſque, ut corporum etiam reſurrectio illic nobis, quaſi dato pignore, confirmetur: quum & ipſa vitæ ſymbolo communicent.

M. Quis autem rectus erit hujus Sacramenti ac legitimus uſus?

P. Qualem Paulus definit: Ut probet ſeipſum homo, priuſquam eo accedat. *1 Cor. 11. verſ. 28.*

M. Quidnam in hac probatione inquiret?

P. Num verum ſit Chriſti membrum.

M. Quibus ad ejus rei notitiam argumentis perveniet?

P. Si vera ſit pœnitentia fideque præditus: ſi proximos ſincero amore proſequatur: ſi animum ab omni odio malevolentiaque purum habeat.

M. Num perfectam in homine tum fidem, tum charitatem exigis?

P. Utramque ſane integram & ab omni fuco vacuam eſſe convenit. Verum, fruſtra exigatur tam abſoluta numeris omnibus perfectio, in qua nihil deſideretur, quando tanta nunquam in homine inveniri poterit.

M. Non ergo ab acceſſu nos arcet imperfectio qua adhuc laboramus.

P. Quin potius, ſi perfecti eſſemus, nullum amplius uſum inter nos haberet Cœna: quæ ſublevandæ noſtræ imbecillitati adminiculum eſſe debet ac imperfectionis ſubſidium.

M. Nullumne præterea alium finem propoſitum habent hæc duo Sacramenta?

P. Sunt etiam profeſſionis noſtræ notæ, & quaſi teſſeræ quædam. Illorum enim uſu fidem apud homines noſtram profitemur, & teſtamur nos unum habere in Chriſto religionis conſenſum.

M. Si quempiam contingeret eorum uſum aſpernari, quo loco habendus eſſet?

P. Hæc vero obliqua eſſet Chriſti abnegatio. Certe qui talis eſt, quum ſe Chriſtianum confiteri non dignetur, indignus eſt, qui inter Chriſtianos cenſeatur.

M. Satiſne eſt, in totam vitam utrumque ſemel recepiſſe?

P. Uſque adeo ſufficit unus Baptiſmus, ut repetere fas non ſit. Cœnæ autem diverſa eſt ratio.

M. Quod eſt diſcrimen illud?

P. Per Baptiſmum nos adoptat, & in Eccleſiam ſuam allegit Dominus, ut pro domeſticis nos exinde habeat. Poſtquam nos adſcripſit in numerum ſuorum, per Cœnam teſtatur, de nobis continenter alendis curam ſe habere.

M. Promiſcuene ad omnes pertinet tam Baptiſmi quam Cœnæ adminiſtratio?

P. Nequaquam: ſed eorum, quibus mandatum eſt publicum docendi munus, propriæ ſunt iſtæ partes. Sunt enim res inter ſe perpetuo nexu conjunctæ, paſcere Eccleſiam ſalutis doctrina, & Sacramenta adminiſtrare.

M. Poſſiſne mihi Scripturæ teſtimonio id comprobare?

P. Baptizandi quidem mandatum Chriſtus peculiariter Apoſtolis dedit. In Cœnæ celebratione exemplum ſuum juſſit nos ſequi. Referunt autem Euangeliſtæ, ipſum in ea diſtribuenda, publici miniſtri feciſſe officium. *Mat. 28. verſ. 19. Luc. 22. verſ. 19.*

M. Verum, debentne paſtores, quibus commiſſa eſt diſpenſatio, paſſim omnes & abſque delectu committere?

P. Quoad Baptiſmum pertinet, quia non niſi infantibus hodie confertur, diſcretio locum non habet. In Cœna vero cavere debet miniſter, ne cui ipſam porrigat, quem indignum eſſe palam conſtet.

M. Cur id?

P. Quia non ſine contumelia & profanatione Sacramenti fieret.

M. Atqui, nonne Judam quamlibet impius eſſet, ejus communione dignatus eſt Chriſtus?

P. Fateor: quum adhuc occulta foret ejus impietas. Tametſi enim Chriſtum non latebat, nondum tamen prodierat in lucem, notitiamque hominum. *Mat. 26. verſ. 25.*

M. Quid ergo hypocritis fiet?

P. Eos, tanquam indignos, arcere paſtor non poteſt: ſed ſuperſedere debet, quouſque eorum nequitiam, ut omnibus innoteſcat, Deus revelaverit.

M. Quid ſi quempiam ipſe indignum noverit, aut fuerit admonitus?

P. Ne quidem ad eos communione abdicandos foret ſatis: niſi legitima cognitio, Eccleſiæque judicium accedat.

M. Certum ergo gubernationis ordinem conſtitutum in Eccleſiis, operæpretium eſt.

P. Verum eſt: nec enim aliter bene moratæ ſunt, nec rite compoſitæ. Hæc autem ratio eſt, ut deligantur ſeniores, qui morum cenſuræ præſint, cavendiſque offendiculis invigilent: & quos agnoverint recipiendæ Cœnæ nequaquam eſſe capaces, nec admitti quidem poſſe quin Sacramentum polluatur, eos à communione rejiciant.

PRECATIONES ALIQUOT PIÆ.

Precatio matutina.

DEus mi, Pater mi, & Servator, qui gratia erga me tua effeciſti, ut tranſacta nocte ad hunc diem pervenirem: fac etiam, ut ipſum totum in ſanctiſſimi numinis tui cultu & veneratione conſumam. Nihil omnino aut cogitem, aut dicam, aut faciam, quod eo non tendat, ut tibi obſequar, & voluntati tuæ morem geram: quo ſcilicet actiones omnes meæ referantur ad gloriam nominis tui: atque fratrum meorum ſalutem: dum exemplo meo ad te colendum inſtruentur. Atque ut mundum hunc, ad vitæ externæ uſus, Solis tui ſplendore illuminas: ita fulgore Spiritus tui mentem meam illuſtra, qui me in via juſtitiæ tuæ dirigat. Quamcunque ad rem applicem animum meum, is mihi ſemper ſit propoſitus finis, ut tibi honorique tuo inſerviam. Omnem felicitatem à gratia & beneficentia tua ſola expectem. Nec quicquam omnino aggrediar, quod tibi gratum non ſit. Effice præterea, ut dum hujus vitæ tuendæ cauſa laboro, & ea curo quæ ad victum & cultum corporis pertinent: altius tamen erigam animum, ad beatam nempe & cæleſtem vitam, quam filiis tuis promiſiſti. Nihilominus, tam animæ quam corporis protectorem te mihi exhibendo, adverſus omnes Satanæ inſultus me confirmes ac munias: & ab omnibus periculis, quæ nobis aſſidue in hac vita impendent, liberes. Adhæc quum parum ſit cœpiſſe, niſi perſeverem, ideo à te peto Domine, ne mihi in hodiernum diem tantum dux ſis ac rector, ſed uſque ad vitæ finem me in tuam fidem ſuſcipias, quo ſub tuis auſpiciis, totus vitæ meæ curſus tranſigatur. Et quia proficiendum nobis eſt, gratiæ in me tuæ dona adauge indies, tantiſper dum penitus adhæream Filio tuo, Jeſu Chriſto, quem verum Solem lucentem perpetuo in animis noſtris merito appellamus. Quæ tot tantaque beneficia ut abs te obtineam, obliviſcere delictorum meorum, eaque, infinita miſericordia tua remitte: quod te facturum promiſiſti iis qui te ex animo invocaverint, Amen.

Pſal. 143. Fac ut mane audiam pietatem tuam: quoniam in
verſ. 8. te ſperavi. Oſtende mihi viam in qua ambulem: quoniam ad te levavi animam meam. Libera me de inimicis meis, Domine, ad te confugi. Doce me, ut faciam voluntatem tuam: quia tu es Deus meus. Spiritus tuus bonus deducat me in terra recta.

Quum adeunda eſt Schola.

Pſal. 119. In quo inſtituet adoleſcens viam ſuam? Si pruden-
verſ. 9. ter ſe gerat juxta ſermones tuos. Ex animo te exquiſivi, ne ſinas me aberrare à præceptis tuis.

DOmine, qui fons es ſapientiæ omnis & doctrinæ: quando pro ſingulari tua bonitate, hoc mihi præſtas, ut bonis artibus imbuatur hæc mea pueritia, quæ mihi ad ſancte honeſteque vivendum ſint adjumento: mentem quoque meam, quæ cæcitate alioqui laborat, illuſtrando, ſimul effice, ut ad percipiendam doctrinam ſim idoneus: memoriam meam confirma, ut quod didicero, fideliter hæreat: cor denique meum guberna, ut ad proficiendum voluntarius atque etiam avidus accedam, ne mihi hæc quam tu nunc concedis, facultas, mea ignavia pereat. Proinde Spiritum in me tuum infunde: Spiritum, inquam, intelligentiæ, veritatis, judicii, ac prudentiæ: ne ſucceſſu ſtudium meum careat, & irritus ſit erga me magiſtri labor. Porro quodcunque ſtudii genus ſuſcipiam, fac ut illud in rectum finem deſtinare meminero: nempe, ut te in Chriſto Filio tuo cognoſcam. Atque ita quicquid addiſcam, mihi ſit ad rectam pietatis regulam adminiculo. Adhæc quando parvulos & humiles, ſapientia: rectos corde, notitia tui, illuſtraturum te promittis: ſuperbos vero & improbos dejecturum te denuncias, ut in ſenſu ſuo evaneſcant: peto ut me ad veram humilitatem formare velis, qua me tibi primum, deinde etiam iis qui mihi tua auctoritate præſunt, docilem & obſequentem exhibeam: ſimul ut cordi meo, evulſis inde vitioſis cupiditatibus, ſerium quærendi tui deſiderium inculces. Hic denique mihi unus ſit propoſitus finis, me ſic comparare in hac tenera ætate, ut quum adolevero, ad quodcunque vitæ genus me vocaveris, in eo tibi ſerviam.

Secretum Domini timentibus eum, & fœdus ſuum *Pſal.* 25.
notum illis faciet. *verſ.* 14.

Benedictio Menſæ.

Omnia ad te reſpiciunt Domine, & tu das illis *Pſal.* 104.
eſcam tempore: te illis dante, colligunt: te manum *verſ.* 27.
aperiente, omnia implentur abundantia.

DOmine, penes quem fons eſt bonorum omnium, & inexhauſta ſcaturigo, benedictionem tuam in nos effunde, nobiſque cibum & potum, quæ tuæ erga nos benignitatis dona ſunt, in uſum noſtrum ſanctifica, ut ſobrie, ſicuti præcipis, & frugaliter iis utentes, veſcamur pura conſcientia. Fac etiam, ut te Patrem ſemper, bonorumque omnium auctorem, & agnoſcamus vera animi gratuitate, & ore prædicemus: ac ſic fruamur corporis alimentis, ut præcipuo tamen cordis affectu aſpiremus ad ſpiritualem doctrinæ tuæ panem, quo animæ noſtræ in ſpem æternæ vitæ paſcantur. Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Non in ſolo pane vivit homo: ſed in omni ſer- *Deut.* 8:3.
mone quod procedit ex ore Dei.

Poſt paſtum gratiarum actio.

Omnes gentes laudent Dominum: omnes populi *Pſal.* 117.
canant laudem Deo. *verſ.* 1.

Quia multiplicata eſt ſuper nos miſericordia ejus, & veritas ipſius manet in æternum.

GRatias agimus Deus ac Pater de tot beneficiis, quæ nobis aſſidue pro infinita tua benignitate largiris. Primum, quod omnia, quibus ad ſuſtinendam præſentem vitam indigemus, adminicula ſuppeditando, corporis etiam noſtri curam te habere demonſtras: tum vero præcipue quod in ſpem melioris vitæ, quam nobis ſacro tuo Euangelio revelaſti, nos regignere dignatus. Teque oramus, ne mentes noſtras in corporibus ſepultas, curis & cogitationibus terrenis affigi patiaris. Quin potius effice, ut ſurſum erecti perſtemus in expectatione

Chriſti

Chriſti Filii tui, donec è cælo in redemptionem, ſalutemque noſtram appareat, Amen.

Sub noctem, quum itur dormitum.

DOmine Deus, qui noctem deſtinaſti hominis quieti, ſicut diem creaſti, io quo ſe laboribus exerceat: effice, quæſo, ut ſic quieſcat hac nocte corpus meum, ne animus interea vigilare tibi deſinat, nec ſatiſcat cor, aut torpore obruatur, quin ſemper erectum in amore tui perſtet. Ita laxandi, ſublevandique animi gratia, ſollicitudines deponam, oe tui interea obliviſcar:, aut memoria mea excidat, quæ penitus menti meæ inhærere ſemper debet, bonitatis & gratiæ tuæ recordatio. Hoc quoque modo ſicuti quieſcit corpus, ita etiam ſua quiete conſcientia mea fruatur. Fac præterea ne in capiendo ſomno carnis deliciis indulgeam: ſed tantum mihi concedam, quantum naturæ hujus imbecillitas poſtulat: quo deinde ad te colendum ſim expeditior. Denique ſic caſtum me & impollutum, noo animo minus quam corpore, & à periculis omnibus tutum ſervare velis, ut ipſe quoque ſomnus meus in nominis tui gloriam cedat. Quoniam vero dies hic elapſus mihi non eſt, quin pluribus te modis, qua ſum in malum propenſione, offenderim: ſicut tenebris noctis omnia nunc obteguntur: ita quicquid eſt in me peccarorum, miſericordia tua ſepultum lateat. Exaudi me Deus, Pater & Servator, per Jeſum Chriſtum Filium tuum, Amen.

PRECUM ECCLESIASTICARUM FORMULA.

Diebus quidem profeſtis Miniſter populum ad precandum, quibus ei viſum fuerit verbis adhortatur: ſuam nimirum exhortationem ad tempus & ad argumentum concionis quam habiturus eſt accommodans: at Dominico die mane hæc ut plurimum adhibetur formula.

Adjutorium noſtrum ſit io oomine Domini qui fecit cælum & terram, Amen.

Fratres unuſquiſque noſtrum ſe Domino ſiſtat, ſuaque peccata confiteatur: ac me his verbis præeuntem, mente ſubſequatur.

DOmine Deus Pater æterne & omnipotens, agnoſcimus & ingenue profitemur apud ſanctam majeſtatem tuam, nos miſeros peccatores eſſe, conceptos, & natos in iniquitate & pravitate: ad nequitiam proclives, ad omne autem bonum opus inutiles: noſque, ut vitioſi ſumus, nullum transgrediendi ſancta tua mandata finem facere. Quo fit ut exitium à juſto judicio tuo nobis accerſamus. Attamen Domine anxiè gemimus quod te offenderimus, ac nos vitiaque noſtra damnamus, cum vera pœnitentia, optantes, ut gratia tua noſtræ ſuccurrat miſeriæ.

Tua igitur nos miſericordia dignare Deus & Pater clementiſſime, ac ſumme miſericors, in nomine Filii tui Jeſu Chriſti, Domini noſtri. Et vitia noſtra delens, omneſque ſordes noſtras abluens, io dies dona ſancti tui Spiritus nobis adauge: ut corde intimo iniquitatem noſtram agnoſcentes, magis ac magis nobis diſpliceamus, atque ita ad veram pœnitentiam ſtimulemur: hæc autem nos cum omnibus peccatis mortificans, fructus juſtitiæ & innocentiæ tibi gratos producat: per illum ipſum Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum.

His finitis, canitur à toto cœtu Pſalmus aliquis: deinde Miniſter ad preces revertitur, quibus à Domino gratiam ſancti ſui Spiritus petit, ut verbum ejus fideliter ad nominis ipſius gloriam & ad Eccleſiæ ædificationem exponatur, & quali decet ſubmiſſione animi obedientiaque excipiatur. Precationis autem formulam ad id aptam Miniſter ſibi pro arbitrio deligit. Abſoluta concione is populum ad orandum hortatus, ita incipit:

DEus omnipotens, Pater cæleſtis, te exauditurum preces quas tibi in nomine dilecti Filii tui Jeſu Chriſti Domini noſtri funderemus, nobis pollicitus es: & cum ab illo tum ab ejus Apoſtolis, unum io locum nobis in ejus nomine conveniendum eſſe edocti ſumus: addita etiam promiſſione, fore cum nobis præſentem, ut apud te pro nobis intercedat, impetretque omnia quæ unanimi conſenſu à te petierimus ſuper terram.

Primo, pro iis quos nobis dominatores & gubernatores præfeciſti, precari nos jubes: deinde verò pro omnibus quæ populo tuo atque adeo cunctis mortalibus neceſſaria ſunt, ſupplices ad te accedere. Tuis igitur ſacroſanctis præceptis promiſſionibuſque freti, quandoquidem in conſpectum tuum prodimus, in nomine Filii tui Domini noſtri Jeſu congregati, ſupplices & ex animo rogamus, Deus & Pater optime, in nomine ejuſdem, qui Servator noſter & Mediator unicus eſt, ut (quæ tua eſt immenſa clementia) nobis peccata noſtra condonare, atque ita cogitationes noſtras ad te attrahere digneris: ut ex intimis cordis penetralibus invocare te poſſimus, ea in re vota noſtra ad obſequium tuæ voluntatis formantes, quæ ſola rationi conſentanea eſt.

Tibi igitur preces fundimus, Pater cæleſtis, prò omnibus principibus & magiſtratibus, quorum miniſterio ad nos gubernandos uteris. Potiſſimum vero pro hujus urbis Præfectis: ut Spiritum tuum, qui ſolus bonus eſt & vere principalis, impertiri illis atque in dies augere digneris: adeo ut Jeſum Chriſtum, Filium tuum, Dominum noſtrum, Dominatorem dominatorum, Regemque regum eſſe, certò perſuaſum habentes, quemadmodum tu illum omni poteſtate in cælo & in terra donaviſti, ita & ipſi in ſuo principatu cultum illius & regni ejus amplificationem ſibi ante omnia proponant, ſuos ſubditos (qui ſunt manuum tuarum opificia, & paſcuorum tuorum oves) pro tuo arbitrio gubernantes: ut & hic & in alia qualibet orbis terrarum parte, pace ſtabili fruentes, te cum omni ſanctimonia & puritate colamus: metuque hoſtium noſtrorum liberati, materiam celebrandæ tuæ laudis toto vitæ noſtræ tempore habeamus.

Deinde precibus noſtris tibi commendamus, Pater verax & Servator, omnes quotquot fidelibus tuis paſtores conſtituiſti, quorum etiam tutelæ animas commiſiſti: quos denique ſacroſancti tui Euangelii diſpenſatores eſſe voluiſti: ut eos ſancto tuo Spiritu regas, quo probi fideleſque gloriæ tuæ miniſtri comperiantur: huc ſtudium omne conſerentes, conatuſque ſuos dirigentes, ut omnes miſeræ oves, quæ adhuc ſunt errabundæ, recolligantur, & ad Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, præcipuum Paſtorem & epiſcoporum Principem, reducantur: ut in dies majus juſtitiæ & ſanctimoniæ incrementum in eo accipiant. Interea autem omnes tuas Eccleſias è faucibus rapacium luporum eripere & ab omnibus mercenariis liberare digneris, qui gloriæ tantum aut lucri cupiditate ducuntur, de tui nominis illuſtratione tuique gregis ſalute nihil plane ſolliciti.

Inſuper tibi preces noſtras offerimus, Deus clementiſſime & Pater ſumme miſericors, pro omnibus in univerſum hominibus: ut quemadmodum totius humani generis agnoſci vis Servator, per redemptionem à Jeſu Chriſto Filio tuo præſtitam, ita ii qui adhuc ab illius notitia ſunt alieni, tenebriſque immerſi, & ab erroribus ac ignorantia tenentur captivi, affulgente illis ſancto tuo Spiritu, tuoque Euangelio auribus illorum inſonante, ad rectam ſalutis reducantur viam: quæ in eo ſita eſt ut agnoſcamus te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum

 Chriſtum.

Digitized by Google

Chriſtum. Rogamus & ut ii quos jam gratiæ tuæ favore dignatus es, quorumque mentibus per cognitionem verbi tui illuxiſti, quotidie in melius proficiant, ſpiritualibus tuis benedictionibus ditati: ut ſimul omnes uno & corde & ore te adoremus, Chriſtumque tuum, Dominum noſtrum, Regem & Legiſlatorem, honore debito proſequamur, ac juſto obſequio colamus.

Præterea etiam, ô Deus omnis conſolationis auctor, commendamus tibi quoſcunque variis modis caſtigas populos: qui peſte, vel fame, vel bello afflicti laborant: ſingulos etiam homines qui vel paupertate vel carcere, vel morbo, exiliove, aut alia ulla corporis ſive animi ærumna premuntur: ut prudenter reputantes finem tibi eſſe propoſitum eos tuis ferulis in viam revocandi, imbuti hoc paterni tui amoris ſenſu, ſincero cordis affectu reſipiſcant: ut toto animo ad te convertantur, & converſi plenam conſolationem reportent, omnibuſque malis liberentur.

Majorem autem in modum tibi commendamus miſeros fratres noſtros, quotquot ſub Antichriſti tyrannide diſperſi vivunt cibo vitæ ſpiritualis deſtituti, & libertate palam invocandi nominis tui privati: atque adeo qui aut in carcerem conjecti ſunt, aut alio quopiam modo ab hoſtibus Euangelii tui oppreſſi: ut eos, ô indulgentiſſime Pater, Spiritus tui robore fulcire digneris, ita ut nunquam animum deſpondeant, ſed conſtanter in ſancta tua vocatione permaneant: ut manum illis porrigere, prout id illis conducere noſti, conſolari etiam adverſis in rebus, & in tuam tutelam receptos, à luporum rabie defendere: omnibus denique Spiritus tui donis cumulare velis: quo eorum vita pariter & mors ad gloriam tuam ſpectent.

His incluſa notulis [ ] dicuntur duntaxat die celebrationis Cœnæ.

Poſtremo, ô Deus & Pater, à nobis, qui hic in nomine Filii tui Jeſu, verbique ejus [& ſanctæ ejus Cœnæ] gratia congregati ſumus, ſine te hoc exorari: ut vere nobis conſcii perditæ noſtræ originis, ſimul etiam reputemus quantam damnationem mereamur: & quanto cumulo in dies nobis impura & ſceleſta vita eam augeamus: ut quum nos boni omnis vacuos eſſe, carnemque noſtram & ſanguinem plane à cernenda regni tui hæreditate abhorrere cognoverimus, ex intimo cordis ſenſu firmaque fiducia dilecto Filio tuo Jeſu Chriſto, Domino noſtro & Servatori ac Redemptori unico, nos dedamus: ut in nobis ipſe habitans veterem illum noſtrum Adamum extinguat, ac in meliorem vitam renovet & inſtauret: per quam nomen tuum, prout ſanctitate & dignitate pollet, omni in regione omnique in loco laudibus extollatur, & gloriam ſibi debitam conſequatur.

Sanctificetur nomen tuum.

Simul etiam ut jus imperiumque in nos obtineas: utque in dies magis ac magis tuæ majeſtati nos ſubmittere diſcamus: ita ut ubique locorum regnans domineris, populum tuum ſceptro verbi tui Spirituſque tui potentia gubernans, tuorum autem hoſtium conatus veritatis & juſtitiæ tuæ robore peſſundans. Atque ita fiat ut omnis potentia & celſitudo ſe gloriæ tuæ opponens, in dies deſtruatur atque aboleatur: donec regnum tuum ſuis omnibus numeris compleatur, ejuſque perfectio penitus ſtabiliatur: quum videlicet judex in perſona Filii tui comparebis.

Adveniat regnum tuum.

Ut nos una cum omnibus creaturis veram plenamque obedientiam tibi præſtemus: ſicut cæleſtes Angeli tui exequendis mandatis tuis toti ſunt addicti. Atque ita voluntas tua nemine repugnante obtineat, omneſque tibi obſequi teque colere ſtudeant, propriæ voluntati omnibuſque carnis ſuæ cupiditatibus renunciantes.

Fiat voluntas tua.

Ut nos amorem timoremque tui in omnibus vitæ noſtræ actionibus retinentes pro benignitate tua alas, ac nobis quæcunque ad veſcendum quiete & tranquille pane noſtro neceſſaria ſunt, ſufficias: quo te noſtri curam gerere videntes, melius Patrem noſtrum agnoſcamus, omniaque bona è manu tua expectemus, nihil amplius ſpei & fiduciæ in ulla creatura, ſed totam in tua bonitate collocantes.

Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie.

Jam vero quoniam in hac mortali vita miſeri peccatores ſumus, tanta imbecillitate laborantes ut aſſidue diffluamus, & à recta via declinemus, peccata noſtra nobis condonare digneris, quorum rei apud tuum judicium ſumus: & per hanc condonationem nexu mortis æternæ, quoque obſtricti ſumus, liberemur. Ne igitur eam qua præditi ſumus nequitiam nobis imputes: quemadmodum ipſi, mandato tuo parentes, injuriarum quæ nobis inferuntur obliviſcimur, ac tantum abeſt ut de ulciſcendis hoſtibus cogitemus, ut etiam commoda eorum procuremus.

Remitte nobis peccata noſtra.

In poſterum denique nos tua potentia fulcire digneris, ne (quæ eſt carnis noſtræ infirmitas) excidamus. Ac, quum tam ſint imbecillæ vires noſtræ ut ne ad momentum quidem temporis conſiſtere poſſimus, præterea etiam quum aſſidue tot hoſtes nos circumdent & adoriantur, quum diabolus, mundus, peccatum, caro noſtra, nullum faciant nos oppugnandi finem, ſancto tuo Spiritu nos corrobora, tuæque gratiæ donis arma, ut conſtanter omnibus tentationibus reſiſtere & hoc ſpirituale prælium ſuſtinere poſſimus: donec plena victoria potiti, tandem aliquando in tuo regno cum Imperatore & Protectore noſtro Jeſu Chriſto, Domino noſtro, triumphemus. Amen.

Ne inducas nos in tentationem.

Poſt hæc recitatur Apoſtolorum Symbolum.

Quo autem die celebratur Cœna, hæc præcedentibus adduntur.

AC quemadmodum Dominus noſter Jeſus non contentus tibi ſemel corpus ſuum & ſanguinem in cruce obtuliſſe pro remiſſione peccatorum noſtrorum, nobis quoque in alimentum vitæ æternæ deſtinavit: ita hoc nobis pro tua beneficentia largire, ut vera cordis ſinceritate & ardenti deſiderio tantum beneficium ab eo accipiamus: nimirum ut certa fide præditi corpore pariter & ſanguine ejus, vel potius eo toto fruamur: ſicut ipſe, quum verus ſit homo & Deus, vere eſt ſanctus panis cæleſtis ad nos vivificandos: ut non amplius in nobis-ipſis & ad noſtrum ingenium, quod omnino depravatum eſt, vivamus, ſed ipſe in nobis vivat, ut ad ſanctam vitam, beatam & in æternum permanentem, nos deducat, atque ita novi & æterni Teſtamenti vere participes fiamus, nimirum fœderis gratiæ: hoc perſuaſiſſimum habentes, te velle nobis in perpetuum Patrem propitium eſſe, delicta noſtra nobis non imputando, ac tanquam charis filiis & hæredibus, omnia tam animæ quam corpori neceſſaria ſuppeditare: ut te ſine fine laudibus & gratiarum actione proſequamur: tuumque nomen tum dictis tum factis illuſtre reddamus. Effice igitur hodie nos hoc modo, Pater cæleſtis, celebrandæ fauſtæ Filii tui memoriæ compotes: da etiam ut nos in ea exerceamus, ac mortis ejus beneficium prædicemus, quo novum incrementum ac robur tam ad fidem quam ad aliud quodlibet bonum accipientes, eo majore fiducia nos tuos eſſe filios profiteamur, & in te Patre gloriemur.

Peracta autem Cœna hæc gratiarum actio vel aliqua ei ſimilis adhibetur.

LAudum & gratiarum actione immortali te proſequimur, Pater cæleſtis, pro tanto quod in nos miſeros peccatores contuliſti beneficio, dum ad participationem Filii tui Jeſu Chriſti nos adduxiſti, quem pro nobis morti paſſus es tradi, & nunc in vitæ æternæ alimentum impertiris. Jam vero tuam in nos proſequens beneficentiam, ne unquam hæc à nobis oblivioni dari permittas, ſed fac potius ut ea cordibus inſculpta gerentes proficiamus &

creſca-

creſcamus in fide, quæ ad omne opus bonum ſit efficax. Unde etiam fiat, ut reliquum vitæ noſtræ curſum propagationi gloriæ tuæ & ædificationi proximorum dedicemus: per illum ipſum Jeſum Chriſtum Filium tuum qui in unitate ſancti Spiritus vivit tecum & regnat in æternum. Amen.

Benedictio quam Miniſter populo diſceſſuro precatur, ſecundum divinæ Legis præceptum.

BEnedicat vobis Dominus, voſque ſervet incolumes. Dominus vos ſplendore vultus ſui illuſtret, vobiſque ſit propitius. Convertat Dominus faciem ſuam ad vos, & omnia proſpera vobis largiatur.

Quum doceant nos Scripturæ, peſtes, bella & alias hujuſmodi calamitates eſſe Dei caſtigationes, quibus in peccata noſtra animadvertit: quum eas irruere videamus, Dei adverſum nos iram agnoſcere debemus: ac tunc, ſi vere fideles ſumus, peccatorum noſtrorum recordari nos oportet, ut noſtri noſmet pudeat ac pigeat, & ad Dominum reſipiſcentia non ficta, vitaque in melius mutata converſi, ſubmiſſo animo ac ſuppliciter veniam ab eo petamus. Ideo ſi quando Deum minari nobis videmus, ne patientiam ejus tentemus, ſed potius ejus judicium antevertamus (quod alioqui jam imminere videmus) ſingulis hebdomadibus diem aliquem ſtatum eſſe convenit, in quo peculiariter de his populus admoneatur, Deoque precetur & ſupplicet, prout tempus poſcet. Sequitur itaque precum ad id aptatarum formula.

In principio concionis adhibetur à Miniſtro illa confeſſio generalis, diebus Dominicis uſurpari ſolita, quæ antea perſcripta fuit. In fine autem concionis, poſtquam commonefecit populum, Deum nunc in homines, ob ſcelera quæ per totum orbem graſſantur, & propter nequitiam ad quam paſſim omnes ſunt projecti, ſuam vindictam exercere: poſtquam item ad ſe convertendum & ad vitam in melius mutandum, ſimul vero ad orandum Deum pro impetranda venia, hortatus eſt, utitur ea quæ ſequitur formula:

DEus omnipotens, Pater cæleſtis, agnoſcimus & ingenue profitemur, quod & verum eſt, indignos eſſe nos qui in cælum oculos attollamus, ut coram te nos ſiſtamus: nec tantum debere nobis arrogare ut exauditum à te iri preces noſtras ſperemus, ſi eorum quæ tibi afferimus, rationem habeas. A propriis enim accuſamur conſcientiis, noſtraque peccata adverſum nos teſtimonium ferunt: te vero juſtum eſſe judicem novimus, qui peccatores & nequam homines non juſtifices, ſed in eos animadvertas qui tua mandata violaverint. Hinc fit Domine, ut dum totius vitæ noſtræ ſtatum reputamus, noſtri noſmet pudeat, nec aliud quam animum deſpondere poſſimus, perinde acſi jam in abyſſum mortis demergeremur. Verum tamen, Domine, quum pro tua immenſa miſericordia dignatus ſis nobis imperare ut te invocemus, idque vel ex intimis inferis: & quo magis viribus deſtitui nos videmus, tanto magis ad tuam ſummam bonitatem confugiamus: quum præterea pollicitus ſis nobis te precibus noſtris fore exorabilem, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, (quem nobis advocatum & interceſſorem conſtituiſti) ejuſque merito, non autem ſpectantem quid meriti ſimus: ecce, omni humanæ fiduciæ renunciantes, tuaque ſola bonitate freti, in conſpectum tuum prodire, tuumque ſanctum nomen ad obtinendam miſericordiam invocare non dubitamus.

Primum Domine, præter infinita beneficia, quæ aſſidue in reliquos quoſque homines quotquot terra ſuſtinet confers, peculiariter etiam nobis tot gratiæ tuæ dona impertiviſti ut ea recenſere nequeamus, imo vero ne mente quidem ſatis complecti poſſimus. Hoc vero ſingulare, quod ad notitiam ſancti tui Euangelii vocare nos dignatus ſis, miſerabile quo nos diabolus premebat ſervitutis jugum excutiens, & ab execranda idololatria vaniſque ſuperſtitionibus quibus immerſi eramus, liberatos ad lumen veritatis tuæ adduxeris. Nihilominus tamen (quæ noſtra eſt ingratitudo) obliti bonorum quæ manus tua nobis largita eſt, à recta via declinavimus, & te relicto, carnis noſtræ concupiſcentias ſequuti ſumus. Quin etiam ſanctum tuum verbum debita reverentia atque obedientia fraudavimus, nec tuum nomen quibus decebat præconiis proſequuti ſumus. Et quamvis aſſidue fidelibus verbi tui admonitionibus aures noſtræ perſonuerint, eas tamen neglecimus. Peccavimus itaque Domine, teque offendimus, ideoque pudore ſuffundimur, nos gravium ſcelerum apud tuum judicium reos eſſe agnoſcentes: adeo ut ſi dignas nobis pœnas infligere velis, aliud quam mortem & damnationem expectare nequeamus. Nam ſi nos excuſare velimus, at noſtræ ipſorum conſcientiæ nos accuſant, noſtraque nequitia tuis oculis ad nos condemnandos patet. Ac profecto re ipſa, Domine, ex caſtigationibus quas jam nobis immiſiſti, te juſtiſſimis de cauſis adverſus nos excanduiſſe cognoſcimus. Quum enim æquus ſis judex, tuos non immerentes affligis. Tuis igitur verberibus cæſi, tuam adverſus noſipſos iram provocaſſe agnoſcimus. Sed & nunc manum tuam ad nos puniendos extentam videmus. Gladii enim quibus ad exigendam ultionem uti ſoles, ſtricti nunc ſunt: & ea quæ peccatoribus ſceleratiſque hominibus minitari conſueviſti, parata eſſe cernimus.

Quamvis autem multo etiam graviores quam antea de nobis pœnas ſumeres, atque adeo plagas centuplo plures infligeres, & modo non horrendæ illæ clades quibus olim peccata populi tui Iſraëlitici caſtigaſti, nobis ingruerent, nos illis dignos eſſe, ac ſceleribus noſtris promeruiſſe confitemur. Sed enim, Domine, tu pater es noſter, nos aliud nihil quam terra & lutum: tu creator es noſter, nos tuarum manuum opera: tu nobis paſtor es, nos tibi ovile ſumus: tu noſter es redemptor, nos populus abs te redemptus: noſter es Deus, nos hæreditas tua. Ideo ne ita iraſcaris nobis ut in furore tuo nos caſtiges: ne recorderis nequitiæ noſtræ ad eam puniendam, ſed pro tua clementia nos leniter caſtiga. Accenſa quidem eſt adverſus nos ira tua, propter peccata quæ commiſimus: ſed nomen tuum invocari ſuper nos, tuamque nos teſſeram geſtare memineris. Conſerva potius opus quod gratia tua in nobis inchoaſti, ut te noſtrum eſſe Deum & Servatorem totus orbis agnoſcat. Hoc certe noſti mortuos qui apud inferos ſunt, & quos perdideris ac funditus profligaveris, te nequaquam eſſe laudaturos, ſed triſtes & omni conſolatione deſtitutas animas, corda contrita, conſcientias ſenſu culpæ ſuæ oppreſſas, tuæque gratiæ favorem ſitientes, gloria & honore te affecturas. Tuus Iſraëliticus populus flagitiis tuam ſæpe iram provocavit, tuque eum juſto tuo judicio afflixiſti: verum quoties ad te converſus eſt, ſemper illi ad tuam clementiam aditus patuit: & quantumvis gravia eſſent ejus ſcelera, tamen propter fœdus quod cum ſervis tuis, Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo inietas, flagella tua & clades quæ illis imminebant avertiſti: adeo ut nunquam preces eorum repulſam apud te paſſæ ſint. Atqui nos præſtantiore fœdere dignatus es, quo apud te niti poſſumus: eo nimirum quod pepigiſti in Jeſu Chriſti Servatoris noſtri dextera, quodque ſanguine ejus ſcribi, & ejuſdem morte obſignari voluiſti. Quapropter, Domine, nobiſipſis renunciantes, omnique alia ſpe valere juſſa, ad fauſtum hoc fœdus confugimus, quo Dominus noſter Jeſus Chriſtus corpus ſuum tibi in ſacrificium offerens, nos tibi reconciliavit. Intuere

igitur Domine in Chriſti tui faciem, non in noſtram, ut ejus interceſſione ira tua placetur, facieſque tua ſuper nos ad gaudium & ſalutem refulgeat: ac nos poſthac tuo Spiritu ſancto regendos & gubernandos ſuſcipias, qui nos in meliorem vitam regeneret, per quam

Nomen tuum ſanctificetur, veniat regnum tuum: fiat voluntas tua, quemadmodum in cælo, ſic etiam in terra. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & remitte nobis peccata noſtra, etenim ipſi remittimus omnibus qui debent nobis. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos à malo. Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula, Amen.

Quamvis autem indigni ſimus qui pro nobsimetipſis os aperiamus, & te in rebus adverſis invocemus, quum tamen mandaveris ut alii pro aliis precaremur, nos pro omnibus fratribus, ejuſdem corporis membris, quos nunc tuis flagellis caſtigas, preces tibi fundimus, & ut iram tuam ab illis avertas obſecramus: nominarim vero pro N. & N. Memineris Domine, eos quoque filios tuos eſſe, ſicut & nos: atque ideo, quamvis te offenderint, ne tamen bonitatis tuæ & miſericordiæ erga eos curſum interrumpas, quam perpetuam erga tuos omnes fideles fore promiſiſti. Tuas igitur omnes Eccleſias oculo tuæ clementiæ intueri digneris, omneſque populos, quos nunc aut peſte, aut bello, aut alio flagelli genere cædis, & ſingulos homines qui verbera tua ſentiunt: qui videlicet carcere conſtricti ſunt, morbove aut pauperie afflictantur: conſolationemque omnibus, prout illis opus ea eſſe cognoſcis, afferens, & caſtigationes tuas ad vitæ emendationem illis utiles reddens, patientia eos inſtruere, ſeveritatique tuæ moderari, ac tandem eos liberando, plenam illis materiam exultandi in tua bonitate, ſanctumque tuum nomen benedicendi præbere digneris. Præcipue vero in eos qui pro tua veritate decertant, oculos convertere velis & publice & privatim, ut invicta eos conſtantia robores, tuteris eos, & ubique opituleris, omnes hoſtium illorum tuorumque technas & machinas irritas reddens, furorem eorum refrenans, omnes eorum conatus ignominiæ damnans. Neque Chriſtianiſmum omnino deploratum eſſe permittas, ne memoriam nominis tui in terris penitus aboleri ſinas: ne eos ſuper quos nomen tuum invocari permiſiſti, luctuoſo interitu obrui patiaris: ne Turcæ, Ethnici, Barbari, Papiſtæ, aliique infideles nomini tuo cum blaſphemiis inſultent.

Tibi igitur preces fundimus, Pater cæleſtis, pro omnibus principibus & magiſtratibus, quorum miniſterio ad nos gubernandos uteris. Potiſſimum vero pro hujus urbis Præfectis: ut Spiritum tuum, qui ſolus bonus eſt & vere principalis, impertiri illis atque in dies augere digneris: adeo ut Jeſum Chriſtum Filium tuum, Dominum noſtrum, Dominatorem dominatorum, Regemque regum eſſe certo perſuaſum habentes, quemadmodum tu illum omni poteſtate in cælo & in terra donaviſti, ita & ipſi in ſuo principatu cultum illius & regni ejus amplificationem ſibi ante omnia proponant, ſuos ſubditos (qui ſunt manuum tuarum opificia, & paſcuorum tuorum oves) pro tuo arbitrio gubernantes: ut & hic & in alia quavis orbis terrarum parte, pace ſtabili fruentes, te cum omni ſanctimonia & puritate colamus: metuque hoſtium noſtrorum liberati, materiam celebrandæ tuæ laudis toto vitæ noſtræ tempore habeamus.

Deinde precibus nobis tibi commendamus, Pater verax & Servator, omnes quotquot fidelibus tuis paſtores conſtituiſti, quorum etiam tutelæ animas commiſiſti: quos denique ſacroſancti tui Euangelii diſpenſatores eſſe voluiſti: ut eos ſancto tuo Spiritu regas, quo probi fideleſque gloriæ tuæ miniſtri comperiantur: huc ſtudium omne conferentes, conatuſque ſuos dirigentes, ut omnes miſeræ oves, quæ adhuc ſunt errabundæ, recolligantur, & ad Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, præcipuum paſtorem, & epiſcoporum principem, reducantur: ut in dies majus juſtitiæ & ſanctimoniæ incrementum in eo accipiant. Interea autem omnes tuas Eccleſias è faucibus rapacium luporum eripere & ab omnibus mercenariis liberare digneris, qui gloriæ tantum aut lucri cupiditate ducuntur, de tui nominis illuſtratione tuique gregis ſalute nihil plane ſolliciti.

Inſuper tibi preces noſtras offerimus, Deus clementiſſime & Pater ſumme miſericors, pro omnibus in univerſum hominibus: ut quemadmodum totius humani generis agnoſci vis Servator, per redemptionem à Jeſu Chriſto Filio tuo præſtitam, ita ii qui adhuc ab illius notitia ſunt alieni, tenebriſque immerſi, & ab erroribus ac ignorantia tenentur captivi, affulgente illis ſancto tuo Spiritu, tuoque Euangelio auribus illorum inſonante, ad rectam ſalutis reducantur viam: quæ in eo ſita eſt ut agnoſcamus te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Rogamus & ut illi quos jam gratiæ tuæ favore dignatus es, quorumque mentibus per cognitionem verbi tui illuxiſti, quotidie in melius proficiant, ſpiritualibus tuis benedictionibus ditati: ut ſimul omnes uno & corde & ore te adoremus, Chriſtumque tuum, Dominum noſtrum, Regem & Legislatorem, honore debito proſequamur, ac juſto obſequio colamus.

FORMULA
SACRAMENTORUM
ADMINISTRANDORUM

In uſum Eccleſiæ Genevenſis conſcripta.

FORMULA BAPTISMI
ADMINISTRANDI.

In primis illud ſcire oportet, apportandos eſſe infantes ad Baptiſmum aut Dominicis diebus Catechiſmi tempore, aut aliis diebus ad concionem: ut quemadmodum Baptiſmus ſolennis quædam eſt cooptatio in Eccleſiam, ita in conſpectu & oculis totius concionis celebretur.

Abſoluta concione, offertur infans. Tum Miniſter publicus ita exorditur:

Auxilium noſtrum in nomine Domini qui fecit cælum & terram, Amen.

Hunccine infantem offertis, ut baptizetur?

Reſp. Maxime.

Miniſter.

Dominus nobis dilucide commonſtrat, quanta in fœditate & miſeria, vitioſitateque naſcimur, quum ait nobis renaſcendum eſſe. *En Gal.*

Etenim ſi naturam noſtram renovari oportet, ut in Dei regnum intromittamur: ſatis magnum argumentum eſt, eam penitus corruptam Deoque deteſtabilem eſſe. Itaque hac de cauſa monet nos, ut ſummiſſo & humili animo ſimus, noſtraque nobis turpitudo acerbitati & odio ſit. Eaque ratione nos ad gratiam ipſius expetendam præparat, qua prioris naturæ noſtræ perverſitas & indignitas extinguatur, & funditus deleatur. Neque enim prius ei locus eſt in nobis, niſi quum totius noſtræ virtutis, juſtitiæ, ſapientiæ fiduciam uſque eo abjicimus, ut quæcunque in nobis ſunt damnemus ac repudiemus.

Porro autem ubi noſtram nobis turpitudinem fœditatemque aperuit, ac commonſtravit, tum conſolationem nobis pro ſua miſericordia impertit, pollicens fore ut Spiritu ſuo ſancto nos in vitam alteram exſuſcitet, quæ nobis quaſi ingreſſus quidam ſit in

ipſius

ipſius Regnum. Hæc regeneratio bipartita eſt: nam & nobis prorſus renunciandum eſt; ac neque rationi, neque voluntati, neque voluptati libidinique noſtræ obtemperandum: quin potius mentem animumque noſtrum, ſapientiæ, juſtitiæque Dei ſubjici oportet, & quicquid ex noſtro eſt & noſtra carne extingui: tum præterea lucem Domini ſequi convenit, ejuſque ſanctiſſimæ voluntati morem gerere: quemadmodum ipſe verbo ſuo nos docet, Spirituque ſuo ſancto nobis prælucet, viamque commonſtrat. Utrumque autem hoc in Domino noſtro Jeſu Chriſto impletum ac perſectum eſt: cujus mors & paſſio tantam vim habet, ut eam participantes quaſi ſepulti peccato ſimus, ut carnis noſtræ concupiſcentiæ mortificentur atque extinguantur. Huc accedit, quod vi reſurrectionis ipſius, in vitam novam excitamur, quæ à Deo eſt, quatenus Spiritus ejus nos regit ac moderatur, ut in nobis ea opera perficiat, quæ illi grata & accepta ſint. Hoc tamen caput eſt ſalutis noſtræ, ut nobis delicta omnia noſtra pro ſua miſericordia condonet, ea nobis non imputans, ſed eorum memoriam delens atque obliterans, ne quando nobis ea in judicio illius objiciantur. His omnibus beneficiis afficimur, quum per Baptiſmum in corpus Eccleſiæ nos inſerit. In hoc enim Sacramento nobis peccatorum remiſſionem teſtificatur. Ob eamque cauſam aquæ ſignum notamque inſtituit, ſignificans atque adeo aperte oſtendens, quemadmodum eo elemento maculæ corporis eluuntur, eodem modo velle ſe animos noſtros purgare atque expiare, ne ulla amplius labes aut macula appareat. Hoc amplius renovationem nobis noſtram in eo offert, quæ, quemadmodum jam diximus, verſatur in carnis noſtræ mortificatione, vitaque ſpirituali, quam in nobis effert ac procreat. Itaque duplici beneficio afficimur à Deo in Baptiſmo: modo ne vim hujuſce Sacramenti ingrato & immemori animo extinguamus. Nam & teſtimonium in eo certiſſimum habemus, Deum velle nobis parentis eſſe propitii loco: neque eum delicta noſtra nobis imputaturum: tum autem Spiritu ſuo ſancto nobis præſto futurum, ut diabolo, peccato, & carnis noſtræ concupiſcentiis reſiſtere tamdiu & repugnare poſſimus, dum victoriam conſequamur, ut in Regni ſui libertate vivamus, quod juſtitiæ Regnum eſt.

Quum igitur hæc duo in nobis per Jeſu Chriſti gratiam impleantur, ſatis conſtat Baptiſmi veritatem & ſubſtantiam in eo comprehendi, & concludi. Non enim aliud lavacrum habemus, niſi ejus ſanguinem: neque aliam renovationem, niſi in ejus morte & reſurrectione. Sed quemadmodum nobiſcum bona divitiaſque ſuas per verbum communicat, eodem modo per Sacramenta nobis ea impertit & largitur.

Jam vero optimus & benigniſſimus Deus noſter non contentus nos in filios ſuos adoptaſſe, atque in Eccleſiæ ſuæ communionem admiſiſſe, largius adhuc atque prolixius ſuam in nos benignitatem conferre voluit: nobis videlicet pollicens fore ut Deus ſit & noſter, & vere etiam generis poſteritatiſque noſtræ, aduſque milleſimam generationem. Quamobrem etſi fidelium liberi ſint ex Adami corrupta ſtirpe ac genere, eos ad ſe nihilominus admittit, propter fœdus videlicet cum eorum parentibus initum, eoſque pro liberis ſuis habet ac numerat: ob eamque cauſam jam inde ab initio naſcentis Eccleſiæ, voluit infantibus Circumciſionis notam imprimi: qua quidem nota, jam tum eadem omnia ſignificabat ac demonſtrabat, quæ hodie in Baptiſmo deſignantur. Et quemadmodum eos circumcidi jubebat: ſic in ſuorum liberorum loco ac numero eos habebat: ſeque parentem ipſorum, non minus quam eorum à quibus geniti erant, profitebatur.

Nunc vero, quum Dominus Jeſus in terras deſcenderit, non ut Dei Patris gratiam & beneficium imminueret, ſed quo ſalutis fœdus per omnes terrarum fines propagaret, quæ tum temporis in populo Judaico incluſa fuerat: minime dubium eſt, quin liberi noſtri hæredes ſint ejus vitæ ac ſalutis, quam nobis eſt pollicitus: qua de cauſa ſanctificari eos Paulus affirmat, jam inde ab utero matris, quo ab Ethnicorum & à vera religione abhorrentium hominum liberis diſcernantur. Eoque Dominus noſter Jeſus Chriſtus pueros qui ei offerebantur, admiſit: ſicuti ſcriptum eſt Matthæi decimo nono capite. Tum oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret & oraret: diſcipuli autem eos increpabant. Jeſus vero ait eis: Sinite parvulos, & ne prohibeatis eos ad me venire. Talium eſt enim regnum cælorum. Quum affirmat regnum cælorum eorum eſſe, iiſque manus imponit, & Deo Patri ſuo eos commendat, ſatis nos docet, minime excludendos eſſe illos ab ipſius Eccleſia. Hanc igitur ipſius regulam & præſcriptionem ſequentes, infantem hunc in ejus Eccleſiam admittemus: ut bonorum omnium, quæ ſuis fidelibus promiſit, particeps fiat. Ac primum eum nos adhibita precatione illi offeremus, humili ac ſummiſſo animo ſuppliciter dicentes:

Domine Deus, Pater æterne & omnipotens, quando pro tua infinita clementia nobis pollicitus es fore te Deum & noſtrum, & liberorum noſtrorum: oramus te, ut beneficium illud tuum in hoc infante confirmare digneris, parentibus iis genito, quos in Eccleſiam tuam cooptaſti. Et quemadmodum tibi à nobis offertur ac conſecratur, ita in tutelam tuam eum recipias, Deum te & Servatorem ejus eſſe demonſtrans, peccatum ei originis condonans ac remittens, cujus genus omne Adami culpam ſuſtinet: eumque præterea Spiritu tuo ſanctificans, ut quum ad ætatem judicii atque intelligentiæ capacem progreſſus erit, te ſolum Deum & Servatorem agnoſcat, & veneretur, per omnem vitæ curſum tibi laudem & gloriam tribuens, ut perpetuo ſuorum peccatorum condonationem abs te conſequatur. Ut vero beneficia hæc accipere poſſit, eum tu in communionem Domini noſtri Jeſu cooptare digneris, ut omnibus ejus bonis, tanquam unum ex ejus corporis membris participet. Exaudi nos Parens miſericordiæ, ut Baptiſmus, quem ei ex inſtituto tuo impertimus, fructum vimque ſuam exerat, qualem nobis Euangelii tui doctrina commonſtrat.

Pater noſter qui es in cælis, ſanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua in terra ſicut in cælo. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: & remitte nobis debita noſtra, ut & nos remittimus debitoribus noſtris: & ne nos inducas in tentationem, ſed nos à malo libera: Quia tuum eſt regnum, & potentia, & gloria in ſecula, Amen.

QUONIAM admittendus eſt hic infans in Chriſtianam Eccleſiam, ſpondetis, quum ad ætatem judicii prudentiæque compotem pervenerit, eum vos doctrina quæ à populo Dei recepta & probata eſt, inſtructuros: ſicuti breviter & ſummatim comprehenſa eſt in ea confeſſione fidei, quam omnes tenemus.

Credo in Deum Patrem omnipotentem, creatorem cæli & terræ. Et in Jeſum Chriſtum ejus Filium, Dominum noſtrum: conceptum de Spiritu ſancto, natum ex Maria virgine, ſupplicio affectum à Pontio Pilato, cruci ſuffixum, mortuum & ſepultum: qui deſcendit ad inferos: tertio poſt die reſurrexit ex mortuis, aſcendit ad cælos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, inde venturus ut judicet vivos & mortuos.

Credo in Spiritum ſanctum, ſanctam Eccleſiam univerſalem, communionem ſanctorum, remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam. Amen.

Spondetis igitur vos daturos operam, ut omni

hac

hac diſciplina inſtruatur, ac generatim omnibus his quæ ſcriptis divinis continentur, id eſt, tum veteri, tum novo Teſtamento: ut ea amplectatur & audiat tanquam verbum ſermonemque Dei certiſſimum, cælitus demiſſum. Eum præterea hortabimini, ut ad eam normam & regulam vitam ſuam inſtituat, quam nobis Deus in Lege ſua præſcripſit: cujus hæc ſumma ſunt capita: primum, ut Deum toto pectore, animo & viribus, tum præterea proximum noſtrum non ſecus quam noſmetipſos diligamus. Item ut ſermoni & admonitionibus quas nobis per Prophetas & Apoſtolos ſuos Deus tradidit, fidem habens, ac ſibiipſi ſuiſque concupiſcentiis renuncians, omne ſuum ſtudium in prædicando nomine Jeſu Chriſti, & proximis ædificandis collocet.

Promiſſione facta, nomen infanti imponitur: tum in eum aquam Babtiſmi Miniſter effundit, inquiens:

N. Baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Horum nihil niſi clara voce pronunciatur, linguaque patria omnia nuncupantur: quippe, quum multitudo quæ ad hoc myſterium aſſiſtit, teſtis eſſe debeat eorum quæ in eo fiunt: quam ad rem intelligentia neceſſaria eſt: quin etiam, ut omnes magis magiſque confirmentur, revocantes animum ad memoriam fructus & utilitatis ſui Baptiſmi.

Neque vero ignoramus aliis in locis adhiberi alias ceremonias quamplurimas, quas vetuſtiſſimas eſſe minime diffitemur. Sed quoniam aut hominum arbitrio atque libidine, aut certe levi aliqua de cauſa excogitatæ ſunt: denique, quoniam ſine verbo Dei fictæ & inductæ ſunt: ac tam multæ præterea ſuperſtitiones inde manarunt, nobis ſane ſine ulla religione viſum eſt eas tolli atque aboleri oportere, ut ne poſthac cuiquam præcluderetur aditus ad Jeſum Chriſtum. Primum enim ſatis conſtat, quæcunque à Deo præſcripta atque inſtituta non ſunt, ea omnia libertati arbitrioque noſtro relinqui: deinde, quicquid ad ædificationem confirmationemque pietatis non pertinet, id minime recipiendum eſſe in Eccleſiam: quod ſi in eam inductum eſſet, tollendum ac removendum eſſe. Quo magis id quod nihil niſi ſcandalum & offenſionem parit, quaſique idololatriæ inſtrumentum quoddam eſt, & commentitiarum opinionum, nullo modo tolerandum eſt.

Atqui non dubium eſt, quin luminaria, unguenta (quæ Chriſmata nominantur) aliæque pompæ generis ejuſdem à Deo nunquam inſtitutæ ſint, ſed ab hominibus introductæ: ſenſimque eo progreſſa ſuperſtitio ſit, ut majore in pretio atque honore haberentur, quam ipſum Chriſti inſtitutum. Illud profecto negari nullo modo poteſt, quin eam ipſam Baptiſmi formam ac rationem teneamus, quam & Chriſtus præſcripſit, & Apoſtoli ſequuti ſunt, & vero etiam primaria & antiqua Eccleſia in more atque inſtituto habuerit: neque alio nomine culpari poſſumus, niſi quod Deum ipſum ſapientia ſuperare atque antecellere nolumus.

RATIO CELEBRANDÆ COENÆ DOMINICÆ.

PRincipio illud ſcire oportet, die Dominico qui proxime ei dies antecedit quo Cœna celebranda eſt, prius hoc denunciari populo: primum ut ſe quiſque ad eam digne recipiendam comparet, eaque reverentia, qua ratio poſtulat: tum ne pueri eo adducantur, niſi qui commode inſtituti, fidemque ſuam in Eccleſia profeſſi ſint. Tertio, ut ſi forte advenæ quidam & peregrini in urbe ſint, nondum religionis diſciplinæque noſtræ inſtitutis imbuti, ii ſi communicare S. Cœnæ velint, Miniſtros adeant, à quibus in privatis ædibus erudiantur. Quo die celebranda eſt, Miniſter ad finem concionis de ea commemorat: aut ſi res poſtulare videatur, ſermonem omnem in ea tractanda explicandaque conſumit: ut populum doceat quid hoc myſterio Dominus deſignet ac ſignificet, & qua ratione illud ſit recipiendum. Abſoluta precatione, confeſſioneque fidei, ut multitudinis totius nomine Concionator teſtetur, velle omnes in doctrina religioneque Chriſtiana vivere ac mori, clara & magna voce hæc pronunciat:

AUdite qua ratione Jeſus Chriſtus ſacroſanctam ſuam Cœnam inſtituerit: ſicuti Paulus memoriæ tradidit capite undecimo prioris ad Corinthios Epiſtolæ: Accepi, inquit, à Domino, quod & tradidi vobis, quod Dominus Jeſus in ea nocte qua traditus eſt, accepit panem, & poſtquam gratias egiſſet, fregit, ac dixit: Accipite, edite: hoc meum eſt corpus, quod pro vobis frangitur: hoc facite in mei commemorationem. Ad eundem modum & poculum peracta Cœna, dicens: Hoc poculum novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hoc facite quotieſcunque biberitis in mei commemorationem. Quotieſcunque enim comederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis, donec venerit. Itaque quiſquis ederit panem hunc, aut biberit poculum Domini indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Probet autem quiſque ſeipſum, & ſic de pane illo edat, & de poculo bibat: nam qui edit aut qui bibit indigne, judicium ſibiipſi edit & bibit, non dijudicans corpus Domini.

Audivimus, fratres, quemadmodum Dominus Cœnam ſuam una cum diſcipulis ſuis fecerit: ex quo quidem illud intelligi voluit, extraneos eoſque qui in ſuorum numerum recepti non ſunt, minime eſſe admittendos. Quamobrem hanc ego regulam & præſcriptionem ſequutus, in nomine atque auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, hinc ego arceo ac repello, atque hoc ſacroſancto myſterio interdico omnibus idolorum cultoribus, impie & contumelioſe de Deo loquentibus, impiis & ſceleratis hominibus, numenque contemnentibus, hæreticis, iiſque omnibus qui ſectas hæreſeſque amplectuntur, quo vinculum & communionem Eccleſiæ perfringant, perjuros, contumaces in utrumque parentem, ac ſuperiores, ſeditioſos, factioſos, ſicarios, concitos ad rixam, adulteros, ſtupris, furtis, rapinæ, avaritiæ, vino, gulæ ventrique deditos, quicunque vitæ rationem ſequuntur flagitioſam, & offenſiones ac ſcandala parientem, iiſque palam denuncio, ut ab hoc ſacroſancto convivio abſtineant, ne ſanctiſſimas epulas, quas Dominus ſolis ſuis domeſticis & fidelibus paravit, fœde polluant atque contaminent.

Itaque Pauli conſilio atque cohortationi parens, ſe quiſque ſuamque conſcientiam probet atque examinet, ac videat num vere ſe ſuorum ſcelerum pœniteat, atque ex iis dolorem animo maximum capiat, cupiens poſthac vitam honeſte ac ſancte inſtituere: ſed multo maxime, an fiduciam habeat in Dei miſericordia fixam & poſitam, & in Chriſto Jeſu ſuam ſalutem omni ex parte quærat, omnibus inimicitiis, ac ſimultatibus ouncium remittens, nihilque aliud ſtudens, niſi ut poſthac fraterna benevolentia & charitate proximos ſuos complectatur.

Quod ſi hoc ſtudium in nobis eſſe noſtra conſcientia coram Deo teſtatur, ne dubitemus, quin habeat nos in filiorum loco & numero, Dominuſque noſter Jeſus Chriſtus nos compellet, atque ad convivium ſuum invitet, ſanctiſſimumque hoc Sacramentum nobis offerat, quod cum diſcipulis ſuis communicavit.

Et quanquam plurimum in nobis fragilitatis & miſeriæ ſentimus, neque fide perfecta præditi ſumus, ſed in diffidentiam & incredulitatem propendemus: multumque abeſt ut tanto ſtudio atque ardore animi Deo ſerviamus, quam ratio exigit, quin potius bellum nobis aſſidue adverſus carnis noſtræ

con-

concupiſcentias gerendum eſt: quoniam tamen Dominus nobis benignitate ſua conceſſit, ut ejus Evangelium in animis noſtris impreſſum atque inſculptum ſit, quo incredulitati diffidentiæque reſiſtamus, nobiſque deſiderium largitus eſt, cupiditatibus noſtris renunciandi, quo juſtitiam illius, ſanctiſſimaſque leges & præceptiones obſervemus: certum atque exploratum habeamus, vitia omnia quæ in nobis ſunt, minime obfutura, quominus nos admittat, dignoſque reddat, qui ſpirituali hoc convivio participemus. Neque enim ob eam cauſam huc venimus, ut profiteamur nos integros & juſtos eſſe in nobiſmetipſis, ſed potius vitam noſtram magno ſtudio in Chriſto Jeſu quærentes, fatemur nos in morte atque exitio verſari. Teneamus igitur atque intelligamus, Sacramentum hoc morbo ac dolore affectis medicinam eſſe, dignitatemque omnem quem à nobis Deus requirit, in eo verſari, ut noſmetipſos quemadmodum recta ratio præſcribit agnoſcamus, doloremque maximum ac mœrorem ex vitiis noſtris capiamus, voluptatemque & lætitiam omnem in eo collocemus.

Primum igitur fidem habeamus promiſſis, quæ Chriſtus Jeſus veritas ipſa conſtans & firma, nobis oſtendit: velle ſe videlicet vere nobiſcum carnem & ſanguinem ſuum communicare, ut eum totum atque integrum poſſideamus, ipſeque in nobis vivat, & nos in illo. Et quamvis nihil niſi panem ac vinum videamus; minime tamen dubitemus, quin ſpiritualiter in animis noſtris id omne impleat ac perficiat, quod extrinſecus in his aſpectabilibus ſignis commonſtrat: ipſum videlicet panem eſſe cæleſtem, qui nos alat ac nutriat ad vitam æternam. Itaque ne in bonitatem infinitam Domini ingrati ſimus, qui in hac menſa divitias opeſque ſuas omnes exponit, ut eas nobiſcum communicet. Nobis enim ſeſe largiens, teſtificatur ſe quicquid habet in nos profundere. Quamobrem Sacramentum hoc tanquam pignus juſtitiæ ipſius recipiamus, quæ nobis vi mortis ac ſupplicii illius imputabitur, nihilo ſecius quam ſi eo ſupplicio noſmetipſi affecti eſſemus. Ne igitur tam pervicaci ac perdita natura ſimus, ut tum fugiamus, quum Chriſtus nos tam humaniter ac liberaliter ſuo verbo invitat. Sed muneris hujus quod nobis impertit pretium ac dignitatem ſpectantes, ardenti ſtudio ei nos offeramus, ut tam pretioſo munere nos dignos reddat. Ob eamque cauſam animos ac mentes noſtras ſurſum erigamus, ubi Chriſtus eſt in gloria Patris, & unde eum nos ad redemptionem noſtram expectamus. Neque vero animos in his terrenis & caducis elementis occupemus, quæ & oculis cernimus, & manibus tractamus, quaſi eum ibi quæramus, ut in pane vinoque incluſum. Tum enim animi noſtri ſubſtantia ejus ali ac nutriri poterunt, quum ſupra terrena omnia erecti, ad cælos uſque pertingent, ut in Regnum Dei, ubi ipſe habitat, ingrediantur. Satis ergo habeamus, ſi panis ac vinum nobis pro nota & ſigno dentur, veritatem in Spiritu inveſtigantes, ubi Verbum divinum eam nos reperturos confirmat.

Ubi finem dicendi Concionator fecit, tum panem verbi Miniſtri, calicem vero ſeniores Eccleſiæ, qui morum cenſuræ præſunt, populo diſtribuunt, prius commonitione facta ut honeſte & decenter eo quiſque adeat. Interea canitur Pſalmus aliquis, aut locus Scripturæ, rei quæ Sacramento deſignatur congruens atque conveniens, clara & magna voce recitatur.

Ad extremum habentur gratiarum actiones, quas ſupra deſcripſimus.

Non ignoramus pleroſque majorem in modum offenſos fuiſſe, quod tam multa in hoc genere ab uſu multis jam ſeculis recepto aliena à nobis inducta ſint. Quod enim Miſſa multos annos tanto in pretio habita eſt, ut omnes eam exiſtimarint diſciplinæ religioniſque Chriſtianæ caput eſſe, non dubitamus quamplurimos mirari, quod eam plane ac funditus tollendam curavimus. Eamque ob rem quibus conſilii noſtri ratio minus perſpecta eſt, ii ſublata à nobis fuiſſe Sacramenta exiſtimant. Verum ſi quis inſtituti noſtri rationem diligentius perpendat, is ſine dubio intelliget reſtituta potius atque in uſum relata à nobis fuiſſe. Quod ut perſpici à quovis poſſit, conſideretur quanta inter Miſſam & Chriſti inſtitutionem ſimilitudo ſit. Quis non videt, non minus inter utramque, quam inter lucem & tenebras intereſſe? Tametſi non eſt hoc quidem loco propoſiti inſtitutique noſtri, copioſius hanc diſputationem perſequi. Verum ut iis ſatisfaceremus qui per ignorantiam eo nomine offendi poſſent, operæpretium nobis viſum eſt, nonnihil obiter de ea re commemorare. Quum enim Sacramentum Domini tam multis corruptelis ac vitiis inquinatum ac fœdatum eſſe videremus; ut hiſce malis remedium adhiberemus, neceſſe habuimus multa immutare, quæ perperam ac vitioſe introducta fuerant, certe in perverſum ac præpoſterum uſum detorta. Quod quo rectius faceremus, quæ tandem potius ſequenda eſſe ratio videbatur, quam ſi ad purum & incorruptum Chriſti inſtitutum rem omnem revocaremus? quod ſane religioſe ac bona fide (quemadmodum ſatis intelligi licet) ſequuti ſumus. Hæc enim ipſa emendatio eſt, quam nobis Paulus præſcripſit.

FORMULA ET RATIO CELEBRANDI MATRIMONII.

Priuſquam celebretur confirmeturque publice matrimonium, palam in Eccleſia publicatur tribus ante diebus Dominicis continuis: ut ſi forte quis impedimenti aliquid noverit, id in tempore denunciet, aut ſi cujus eas nuptias celebrari interſit, is poſſit intercedere.

Quæ ut facta ſunt, tum ſe in exorſu concionis ſponſus ac ſponſa ſiſtunt in Eccleſia.

Miniſter autem publicus ſic initium dicendi facit:

Auxilium noſtrum in nomine Domini qui fecit cælum & terram, Amen.

DEus Parens noſter, poſteaquam cælum & terram creavit, eaque omnia quæ ampliſſimo cæli complexu coërcentur, hominem ad imaginem ſimilitudinemque ſui finxit, qui imperium & dominatum teneret animantium omnium quæ tum in terra, tum in aqua, tum in aëre verſantur, hiſque verbis poſt creatum hominem eſt uſus: Non expedit hominem eſſe ſolum: Fingamus ei adjumentum ſimile illius. Itaque immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam, qui quum obdormiret, Deus unam ex coſtis ejus tulit, eaque formavit Evam: ſignificans atque adeo aperte oſtendens virum & mulierem, nihil niſi corpus unum eſſe, unam carnem, unumque ſanguinem. Quocirca deſerit homo patrem & matrem, & adhæret uxori ſuæ: quam ita amare charamque habere debet, ut Chriſtus charam habuit Eccleſiam: id eſt, veros fideles & Chriſtianos, quorum cauſa mortem oppetivit. Uxor viciſſim viro, cum ſanctitate & honeſtate inſervire atque obſequi debet. Quamdiu enim una cum viro ætatem agit, ejus imperio ſubjecta eſt. Hoc porro ſanctum matrimonium, honoratum, à Deoque inſtitutum, vim eam habet, ut ejus cauſa vir poteſtatem ſui corporis non habeat, ſed uxor: uxor contra ſui corporis dominatu careat, qui à viro tenetur. Itaque à Deo conjuncti, ſeparari nullo modo poſſunt, niſi ad tempus aliquod, utriuſque conſenſu & voluntate, ut jejunio ſe & precationi dedant, caventes etiam atque etiam ne tententur à Satana per incontinentiam. Ideo, reverti ac referre ſeſe alter ad alterum debebit. Etenim ſtupri & fornicationis vitandæ cauſa uxorem quiſque habere debet, & unaquæque mulier virum: ut quicunque ſibi temperare non poſſunt, continentiaque

præ-

præditi non ſunt, præcepto Dei jubeantur matrimonium contrahere: ne ſanctum Dei templum (nimirum noſtra corpora) violetur ac polluatur. Quum enim corpora noſtra membra ſint Jeſu Chriſti, indignum facinus eſſet, ſi ſcorti membra fierent. Itaque ſancte & religioſe ſervanda & cuſtodienda ſunt. Nam ſi quis templum Dei violaverit, eum Dominus male perdet.

Vos igitur (ſponſum & ſponſam nomine appellat) N. N. non dubitantes, hoc à Deo inſtitutum eſſe, ecquid in hoc ſanctiſſimo matrimonio ætatem agere vultis, quod Dominus tanto honore cumulavit? hoccine cum animis veſtris ſtatutum ac deliberatum habetis, quemadmodum hoc in loco coram Eccleſia ejus ſancta teſtificamini, poſtulantes ut hoc veſtrum conſilium comprobetur?

Reſpondent, Maxime.

Miniſter.

Vos ego omnes qui præſentes adeſtis teſtes facio, petoque ut hujus rei memoriam habeatis. Quanquam ſi quis eſt, qui impedimentum aliquod eſſe intelligat, aut horum alterum matrimonio eum altero eſſe conjunctum, id enunciet.

Si nemo contradicat, tum Miniſter,

Quoniam, *inquit*, nemo eſt qui contradicat, neque ullum eſt impedimentum, Dominus Deus ſanctum conſilium veſtrum confirmet, quod vobis elargitus eſt, initiumque hoc veſtrum ſit in nomine Domini, qui fecit cælum & terram, Amen.

Miniſter ſponſum appellans, his eum verbis affatur:

Tu N. profiteris hic in conſpectu tum Dei, tum ſanctæ ipſius Eccleſiæ, ducere te in ſponſam & uxorem N. quam hic præſentem vides, eamque te habiturum ſpondes, amore utens, & charitate fida & conſtante, ſicuti pii & boni viri munus atque officium poſtulat: ſancte cum ea ætatem agens, fidelitatem ei omnibus in rebus præſtans: ſicuti verbum divinum atque Euangelium poſtulat.

Reſpondet, Spondeo.

Tum ſponſam appellans, inquit,

Tu N. profiteris hic in conſpectu tum Dei, tum ſanctæ ipſius Eccleſiæ, nuptias te N. ſpopondiſſe, eique utpote legitimo marito nubere, cui te obſequuturam ſpondes, ei inſervientem, imperioque ejus ſubjectam, vitam ſancte & honeſte colentem, fidelitatemque ei omnibus in rebus præſtantem: ſicuti fidelem ſponſam ſuo marito præſtare decet: ex regula divini verbi, & Euangelii.

Reſpondet, Spondeo.

Tum Miniſter,

Pater, *inquit*, omnis miſericordiæ, qui benignitate vos ſua ad hoc ſanctiſſimum matrimonium adduxit: propter Jeſum Chriſtum ejus Filium, qui ſanctiſſima ſua præſentia matrimonium ſanctificavit, primum ibi ſignum edens coram Apoſtolis, vobis Spiritum ſuum ſanctum largiatur: ut ei in hoc præclaro & nobili vitæ genere ſervire atque honorem perpetuo tribuere poſſitis, Amen.

Audite Euangelium & præceptum Domini, quemadmodum matrimonium ſancte habere velit, ſitque firmum & indiſſolubile: ſicuti ſcriptum eſt apud Matthæum, decimo nono capite. Acceſſerunt ad eum Phariſæi tentantes eum, ac dicentes: Licetne homini dimittere uxorem ſuam, quavis ex cauſa? Ille vero reſpondens, dixit eis, Non legiſtis Opificem ab initio feciſſe maſculum & fœminam? & dixiſſe, Propterea relinquet homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori ſuæ: & qui duo fuerant erunt una caro. Itaque non amplius ſunt duo, ſed una caro. quod ergo Deus conjunxit, homo ne ſejungat.

Credite verbis iſtis ſanctiſſimis quæ Dominus noſter Jeſus pronunciavit, ſicuti teſtatur Euangeliſta: & certum habete, Dominum Deum copulaſſe vos in hoc ſanctiſſimo vitæ genere. Itaque vitam una ſancte & honeſte degite, charitatem, pacem & concordiam colentes, fidelitatem mutuo præſtantes, ex regula & præſcriptione verbi Dei.

Deum igitur una omnes mente & animo precemur.

DEus omnipotens, bone, & ſapiens: qui ab initio prævidiſti non expedire homini eſſe ſoli: ob eamque cauſam adjumentum ei creaſti ejus ſimile, ac voluiſti duos unum idemque eſſe: ſuppliciter abs te petimus, quando dignatus es hoſce ambos ad matrimonium contrahendum perducere, ut pro clementia & benignitate tua Spiritum tuum ſanctum eis largiri atque impertire digneris: ut in vera & ſtabili fide voluntati tuæ morem gerentes, ſancte ætatem agant, omnes carnis libidines & affectiones vitioſas ſubigentes, pureque viventes, atque aliis honeſtatis & caſtimoniæ documento ſint, benedictione tua ſalutari eos donans, ſimiliter atque fideles tuos ſervos, Abrahamum, Iſaacum & Jacobum: ut prolem habentes ſanctam & incorruptam, tibi ſerviant ac laudes tribuant, doctrina ſalutari eam inſtruentes, atque ad gloriam & laudem tui nominis alentes, proximique utilitatem, & Euangelii tui propagationem. Exaudi nos Parens miſericordiæ, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, Filium tuum chariſſimum, Amen.

Dominus vos beneficiis omnibus cumulet, vobiſque concedat, ut virtutem & probitatem colentes, ſimul ad multum temporis honeſte & ſancte vitam perducatis.

DE VISITANDIS ÆGROTIS.

FIdelis & veri Miniſtri officium eſt, non modo populum, cui paſtor eſt præfectus, palam & publice docere: ſed etiam, quoad ejus fieri poteſt, unumquemque ſeorſim admonere, cohortari, redarguere, & conſolari. Quod ſi ullum unquam eſt tempus, quum homini Chriſtiana doctrina neceſſaria eſt, tum certe multo maxime neceſſariam eſſe conſtat, quum Dominus eum inviſit, aut morbo, aut alio quopiam malo eum afficiens: præſertim vero mortis tempore. Tum enim multo quam unquam antea vehementius conſcientia ſua urgetur: ſive ob judicium Dei, quod ſe ſine mora vocari intelligit, ſive ob impugnationes diaboli, qui tum vehementer laborat ac ſtudet, ut animum ægroti labefactet. Ob eamque cauſam Miniſtri officium eſt, morbo affectos viſitare, & verbo Domini conſolari: ac docere quicquid eis accidit incommodi à Deo immiſſum eſſe, ejuſdemque providentia contigiſſe: qui ſuis fidelibus nihil unquam impertit, niſi in eorum ſalutem & emolumentum. Cujus rei argumenta ac teſtimonia ex Scriptura proferet, quæ tempori convenientia maximeque accommodata eſſe intelliget. Quod ſi ægrotum gravi & periculoſo morbo afflictari videat, tum conſolationem adhibeat magis præcipuam ac peculiarem: idque pro eo, ac ſenſum animi illius perſpiciet: ut ſi eum horrore mortis perterritum videat, doceat nihil eſſe in morte, quod fidelibus ſit pertimeſcendum: qui ducem habent ſuum Jeſum Chriſtum: à quo per mortem in eam vitam perducentur, in quam ipſe ingreſſus eſt. Ac ſimili cohortatione adimat ei terrorem, quem concepit judicii divini. Sin eum haud ſatis peccatorum conſcientia commotum intelligat, juſtitiam ei divi-

nam

nam explicet atque oſtendat: apud quam ſtare nemo poterit, niſi miſericordia Dei inſtructus, & Jeſum Chriſtum pro ſalute unica ac ſingulari complexus. Contra, ſi eum delictorum ſuorum cogitatione angi ac premi videat, tum quam diligentiſſime poterit, Jeſum Chriſtum ei depingat atque exprimat, doceatque peccatores omnes, qui ſibi ipſi diffidentes, ejus bonitate confidunt, in eo ſolatium ac præſidium habituros. Fidelis igitur & frugi Miniſter conſiderabit quæ commodior futura ſit ratio ægroti conſolandi, pro eo atque affectum eum perſpiciet: in quo ſemper Dei verbo adhærebit. Quin etiam ſi quam facultatem Miniſter habeat auxilium afflictis corporibus ferendi, nullis opibus ac facultatibus parcet: verum charitatis & liberalitatis in egentes exemplum unicuique ſe ſtatuens.

SUPPLEX EXHORTATIO,

AD INVICTISS. CÆSAREM

CAROLUM QUINTUM,

ET ILLUSTRISSIMOS

PRINCIPES, alioſque ORDINES,

Spiræ nunc Imperii conventum agentes: ut reſtituendæ Eccleſiæ curam ſerio velint ſuſcipere.

Eorum omnium nomine edita, qui Chriſtum regnare cupiunt.

INdictus eſt abs te conventus hic, Cæſar Auguſte, in quo de præſenti Eccleſiæ ſtatu, quem miſerrimum & prope deploratum omnes cernimus, in melius corrigendo rationem cum Illuſtriſſimis Imperii Principibus, Ordinibuſque aliis ineas tandem atque conſtituas. Ad hanc itaque conſultationem quando nunc conſidetis, primum abs te Cæſar, ſimul etiam à vobis Illuſtriſſimi Principes, & ornatiſſimi viri, ſupplex peto atque flagito, quæ in medium proferam, legere & diligenter expendere ne gravemini. Ea eſt magnitudo cauſæ & gravitas, quæ vos ad audiendi ſtudium incitare debeat. Ego vero rem ante oculos ita vobis proponam, ut ſtatuere non difficulter poſſitis, quænam ſint veſtræ partes. Quiſquis ſim, & piæ doctrinæ, & Eccleſiæ patrocinium me hic ſuſcipere profiteor. Hoc nomine unum ſaltem iſtud mereri videor, ne mihi audientiam euſque negetis, dum appareat, falſone ejuſmodi titulum uſurpem: an fideliter præſtem, reque ipſa exhibeam, quod præ me fero. Etſi autem tanto oneri nequaquam parem eſſe me ſcio: ubi tamen à vobis officii mei ratio audita fuerit, minime vereor, ne vel ſocordiæ, vel temeritatis accuſer, quod hanc provinciam ſubire auſus ſum. Duæ res ſunt, quibus commendare quicquid agunt, vel certe defendere, homines fere ſolent. Nam & quod honeſte pioque ſtudio factum eſt, laude dignum, & quod publica neceſſitate expreſſum, excuſatione ſaltem non indignum arbitramur. Earum quum utraque mihi conſtet, non dubito, quæ veſtra eſt æquitas, quin meum hoc conſilium approbare facile vobis poſſim. Nam ubi melius aut honeſtius, ubi etiam, hoc quidem tempore, in re magis neceſſaria operam mihi collocare liceat, quam ſi Chriſti Eccleſiæ, cui nihil omnino denegare fas eſt, laboranti nunc graviter, & extremo in diſcrimine agenti, pro mea virili adeſſe coner.? Quanquam de meipſo multum præfari nihil attinet. Perinde accipite quod dicam, acſi eorum omnium, qui Eccleſiam, vel reſtitutam jam curarunt, vel cupiunt reſtitui in verum ordinem, una vox perſonaret. Sunt aliquot non infimæ dignitatis Principes, ſunt inſignes Reſp. non paucæ in hac cauſa. Pro his omnibus ita unus loquor, ut verius per me uno ore ſimul loquantur omnes. His addite infinitam piorum hominum multitudinem, qui per varias Chriſtiani orbis partes diſſipati, uno tamen conſenſu mihi in hac actione ſubſcribunt. Denique putate hanc communem eſſe orationem omnium, qui præſentem Eccleſiæ corruptionem ita ſerio deplorant, ut nequeant diutius ferre: nullum finem facturi, donec aliquam emendationem viderint. Scio quam odioſis nominibus ad infamiam notemur. Verum quocunque tandem nomine appellare nos libeat: interea cauſam audite: & inde poſtea æſtimate, quo loco haberi debeamus.

Principio, non quæritur: an morbis laboret Eccleſia, & multis, & peſſimis (conſtat enim inter omnes, qui vel mediocriter judicant) ſed an ejus generis ſint morbi, quorum longiorem moram non ferat curatio: ut lenta remedia expectare, nec utile ſit, nec deceat. Accuſamur temerariæ & impiæ novationis, quod omnino quicquam auſi fuerimus, ex antiquo ſtatu, in Eccleſia movere. Quid? Etiamne, ſi nec abſque ratione, nec perperam factum ſit? Sunt, ut audio, qui ne in hoc quidem damnare nos dubitent: quia expetendam quidem à nobis fuiſſe correctionem, tentari vero non oportuiſſe, cenſeant. A quibus nihil impetrare aliud in præſentia velim, niſi ut paulisper judicium ſuſtineant, donec ex re ipſa oſtendero, neque nos ante tempus feſtinaſſe, & nihil temere, nihil officio noſtro alienum fuiſſe aggreſſos, denique nihil feciſſe, niſi ſumma neceſſitate coactos. Hoc ut efficiam, videndum quibuſnam de rebus nobis ſit certamen.

Quum Deus initio Lutherum & alios excitavit, qui nobis facem ad reperiendam ſalutis viam prætulerunt: & quorum miniſterio fundatæ ſunt, & inſtitutæ noſtræ Eccleſiæ: dicimus ea doctrinæ capita, quibus religionis noſtræ veritas, quibus purus & legitimus Dei cultus, quibus ſalus hominum continetur, fuiſſe propemodum abolita: dicimus Sacramentorum uſum multis modis fuiſſe vitiatum & pollutum: dicimus Eccleſiæ gubernationem in ſpeciem fœdæ & non ferendæ tyrannidis fuiſſe converſam. Hæc forte nondum ad quoſdam permovendos ſatis valeant, donec melius exprimantur. Faciam igitur, non quantum res poſtulat, ſed quantum facultas mea feret. Neque tamen hic omnes controverſias recenſere, & excutere propoſitum eſt: Longam enim diſputationem id requireret: cui nunc non eſt locus. Tantum proferre in medium volo, quam juſtæ & neceſſariæ cauſæ nos ad hanc mutationem, quæ nobis vitio vertitur, coëgerint. Quanquam expediri hoc non poteſt, quin tria ſimul complectar. Nempe ut vitia breviter commemorem, quæ nos ad quærenda remedia impulerunt. Deinde, ut de remediis ipſis, quæ à noſtris hominibus ſunt adhibita, quam apta fuerint & ſalutaria diſſeram. Poſtremo ut planum faciam, quam non licuerit, ſuſpenſa manu ulterius differre: quum res præſentem emendationem flagitaret. Primum, illud quia tantum ideo attingam, ut mihi viam ad reliqua patefaciat, conabor paucis per-

perſtringere. In diluendo ſacrilegæ audaciæ & ſeditionis crimine, quo gravamur, quaſi importuna feſtinatione, quod noſtrarum partium non erat, perperam uſurpaverimus, longius immorabor.

Si quæritur, quibus potiſſimum rebus ſtet Chriſtiana religio inter nos, ſuamque veritatem retineat, has duas non modo ſummum locum occupare certum eſt, ſed reliquas etiam omnes partes, adeoque totam vim Chriſtianiſmi ſub ſe comprehendere: ut rite colatur Deus: ut inde ſalus ſibi petenda ſit, noverint homines. Iiſdem ſublatis, Chriſti nomine gloriemur licet, vana eſt ac inanis noſtra profeſſio. Sequuntur deinde Sacramenta, & Eccleſiæ gubernatio, quæ ſicut ad hujus doctrinæ conſervationem ſunt inſtituta, ſic non alio referri debent: nec aliunde æſtimari poteſt, ſanctene & ordine, an ſecus adminiſtrentur, niſi quûm ad hunc finem exiguntur. Hoc ſi clarius & familiarius habere quis velit: regimen in Eccleſia, munus paſtorale, & reliquus ordo, una cum Sacramentis, inſtar corporis ſunt: doctrina autem illa, quæ rite colendi Dei regulam præſcribit, & ubi ſalutis fiduciam reponere debeant hominum conſcientiæ, oſtendit, anima eſt, quæ corpus ipſum inſpirat, vividum & actuoſum reddit: facit denique, ne ſit mortuum & inutile cadaver. Quæ hactenus dixi, controverſiam inter pios, & recti ſanique animi homines nullam habent.

Nunc cultum Dei legitimum definiamus. Hujus vero præcipuum eſt fundamentum, eum ſicuti eſt, omnis virtutis, juſtitiæ, ſanctitatis, ſapientiæ, veritatis, potentiæ, bonitatis, clementiæ, vitæ & ſalutis fontem unicum agnoſcere, ideoque honorum omnium gloriam illi adſcribere in ſolidum, & tribuere, quærere in ipſo ſolo omnia: ideoque ſi quid nobis opus eſt, in ipſum ſolum reſpicere. Inde naſcitur invocatio, inde laudes & gratiarum actiones, quæ teſtimonia ſunt ejus, quam illi tribuimus, gloriæ. Hæc eſt vera nominis ejus ſanctificatio: quam in primis à nobis requirit. Huic annexa eſt adoratio, qua reverentiam illi, magnitudine excellentiaque ſua dignam exhibemus: cui ſerviunt ceremoniæ, tanquam vel adminicula, vel inſtrumenta: ut corpus una cum animo in cultus divini profeſſione exerceatur. Sequitur poſtea noſtri abnegatio: ut renunciantes carni & mundo, transformemur in novitatem mentis: quo jam non vivamus amplius nobis, ſed nos illi regendos & agendos reſignemus. Hac vero abnegatione ad obedientiam obſequiumque voluntatis ejus comparamur: ita ut timor ejus in cordibus noſtris regnet, omneſque vitæ noſtræ actiones moderetur. His partibus contineri verum ſinceerumque Dei cultum, quem ſolum probat, & quo delectatur, tum Spiritus ſanctus ubique in Scripturis docet, tum ipſe quoque pietatis ſenſus, abſque longa diſputatione, idipſum dictat. Neque alia fuit ab initio colendi Dei ratio, niſi quod hæc ſpiritualis veritas, quæ nuda & ſimplex apud nos eſt, figuris involuta fuit ſub veteri Teſtamento. Atque id eſt,
Joan. 4. verſ. 23. quod volunt Chriſti verba: Venit tempus, quum veri cultores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Non enim negare his verbis voluit, quin à patribus ſpirituali iſto modo cultus fuerit, ſed diſcrimen in externa tantum forma indicare: quod quum illi adumbratum habuerint ſpiritum multis figuris, apud nos ſimplex ſit. Cæterum, ſemper valuit illud: Deum, qui ſpiritus eſt, ſpiritu & veritate oportere adorari.

Porro, univerſalis eſt regula, quæ purum Dei cultum à vitioſo diſcernit: ne comminiſcamur ipſi quod nobis viſum fuerit, ſed quid præſcribat is, qui ſolus jubendi poteſtatem habet, ſpectemus. Ergo ſi cultum noſtrum approbare illi volumus, tenenda eſt diligenter hæc lex, quam ſumma ſeveritate ubique urget. Duplex autem eſt ratio, cur Dominus, fictitios omnes cultus prohibendo ac damnando, nos ad ſolum vocis ſuæ obſequium revocet. Quia & hoc ad ejus auctoritatem ſtabiliendam magnopere pertinet, ne ſerviamus illi noſtro arbitrio, ſed toti ab ejus nutu pendeamus: & nos, qua ſumus vanitate, ſi libertas nobis relinquatur, nihil poſſumus quam aberrare. Ubi autem ſemel deflexímus à via, nullus poſtea finis: donec ſuperſtitionum multitudine obruamur. Merito itaque Dominus, ut plenum dominii jus ſibi vindicet, quid facere nos velit ita mandat ut quicquid præter ſuum mandatum confinxerint homines, ſimul rejiciat. Merito & hoc quoque facit, quod ore ſuo limites nobis præfigit, ne perverſos cultus fabricando, iram ejus in nos provocemus. Scio quam difficulter hoc perſuadeatur mundo, improbari Deo cultus omnes præter verbum ſuum inſtitutos. Quin potius hæret hæc perſuaſio, & quaſi in oſſibus omnium defixa eſt, ac medullis, quicquid agant, in eo ſe ſatis juſtam approbationem habere, ſi modo qualemcunque honoris Dei zelum obtendant. Verum quûm Deus non modo irritum habeat, quicquid colendi ſui ſtudio, præter mandatum ſuum, ſuſcipimus, ſed palam quoque abominetur: quid proficimus contra tendendo? Hæ ſunt claræ & diſertæ Dei voces: Obedientiam *1 Sam. 15.*
meliorem eſſe victimis: fruſtra ſe coli mandatis ho- *verſ. 22.*
minum: mendacium eſſe, quicquid verbo ſuo ad- *Mat. 15.*
ditur: præſertim in hac parte: ἐθελοθρησκείαν meram *verſ. 9.*
eſſe vanitatem. Ubi ſemel pronunciavit judex, jam amplius litigandi non eſt tempus.

Nunc mecum tua majeſtas, Cæſar, recognoſcat, voſque illuſtriſſimi Principes, huc mihi veſtram attentionem præbete, quam prorſus ab hac ratione diſſideant omnia, in quibus hodie paſſim Dei cultum orbis Chriſtianus reponit. Verbo quidem, bonorum omnium gloriam concedunt Deo, ſed reipſa eum, vel dimidia, vel majori ex parte ſpoliant: quum ejus virtutes inter Sanctos partiuntur. Eludant, ut volent, adverſarii: & leviculos, ſicuti ipſi fingunt, errores nimium nos exaggerare calumnientur. rem ipſam, ſicuti eſt perſpicua unicuique, ſimpliciter proponam. Sic inter ſanctos diſtributa ſunt Dei officia, ut ſummo Deo tanquam collegæ ſint additi, in ſuſtinendis ejus partibus, in quorum multitudine deliteſcat. Neque aliud conqueror, niſi quod totus mundus vulgari proverbio confitetur. Quid enim ſibi vult quod dicunt, Dominum præ Apoſtolis non cognoſci? niſi quod in eam altitudinem evehuntur Apoſtoli, qua Chriſti dignitas vel obruatur, vel ſaltem obſcura fiat. Secundum hanc pravitatem, mundus, derelicto vivo fonte, puteos, ut dicit Jere- *Jerem. 2.*
mias, diſſipatos & hiulcos fodere edocebatur. Ubi *verſ. 13.*
enim ſalutem & quicquid bonorum eſt quærunt? an in ſolo Deo? Atqui palam reclamat tota communis vita. Aiunt quidem, ſalutem ſe & bona omnia in Deo quærere: ſed quûm alibi quærant quam in eo ſolo, falſus eſt prætextus.

Hujus rei manifeſtam fidem facient vitia, quibus invocatio Dei corrupta primum, deinde propemodum ſubverſa extinctaque fuit. Diximus invocatione teſtari homines an debitam Deo gloriam tribuant. Ergo hinc etiam licebit deprehendere, an Dei gloriam illi ereptam transferant ad creaturas. Porro in vera Dei invocatione plus requiritur, quam precatio quælibet. Nempe ut certo ſtatuat hominis animus, Deum eſſe ſolum, ad quem confugere debeat: quia & ſolus in neceſſitate juvare poſſit, & ſe id facturum receperit. Eo autem ſenſu præditus eſſe nemo poteſt, niſi qui & mandatum, quo Deus nos ad ſe vocat, & promiſſionem quam mandato adjungit, de exaudiendis noſtris precibus intuetur. Atqui mandati adeo non eſt habita ratio, ut Angelos & homines mortuos promiſcue vulgus hominum invocaverit ſimul cum Deo. Sapientiores vero, ſi non invocabant eos loco Dei, ſaltem pro mediatoribus habebant, quorum interceſſione à Deo obtinerent quod petebant. Ubi igitur tunc erat promiſſio, quæ ſola Chriſti interceſſione ſuffulta eſt? Itaque Chriſto unico mediatore præterito, ſinguli ſe ad ſuos patro-

nos,

nos, quos ſibi finxerant, contulerunt: aut ſi quando dabatur Chriſto locus, latebat tamen, quaſi gregarius aliquis, in turba. Jam quum veræ Dei invocationi nihil magis repugnet, quam hæſitatio & diffidentia, adeo invaluit, ut pro lege rite orandi fere recepta fuerit. Unde autem id? niſi quia mundus quid iſta omnia valeant, non intellexit, & quod Deus à nobis vult invocari, & ſe facturum promittit quicquid petierimus mandato promiſſioneque ſua freti, & Chriſtum nobis advocatum propouit, cujus nomine exaudiantur preces noſtræ. Adhæc, excutiuntur ſolennes preces, quæ paſſim habentur in Eccleſiis. Reperientur innumeris ſordibus inquinatæ. Ab illis igitur fiat judicium, quantum vitiatus in hac parte cultus Dei fuerit. Nec minus in gratiarum actionibus corruptionis fuit: cujus teſtes ſunt etiam hymni publici: ubi bonorum omnium laus ad Sanctos tanquam Dei collegas, transfcribitur.

Jam de oratione quid dicam? Quicquid reverentiæ exhibere volunt homines Deo, an non id illi in ſtatuis & imaginibus exhibent? Errat autem, qui putat quicquam intereſſe inter hanc & Ethnicorum inſaniam. Neque enim Deus lapides tantum adorare vetat, ſed illis numen ſuum affingere, ut in illis adoretur. Quoſcunque prætextus hodie afferunt, qui hanc abominationem tueri ſtudent, iis etiam olim uſi ſunt Ethnici, ut ſuam impietatem obtegerent. Præterea conſtat, Sanctos quoque Dei loco adorari: imo ipſorum oſſa, veſtes, calceos, & ſimulacra. Hic mihi objiciet aſtutus quiſpiam, diverſas eſſe adorandi ſpecies: duliæ, ut loquuntur, honorem Sanctis eorumque ſimulacris & oſſibus dari: latriam ſervari Deo, ſicut in ipſum ſolum competat: niſi quod creſcente inſania, excogitatus eſt hyperduliæ gradus, in quem ſupra alios beata Virgo extolletetur. Quaſi vero ſubtiles iſtæ diſtinctiones, aut notæ ſint, aut in mentem veniant iis qui coram ſtatuis ſe proſternunt. Interim idololatria plenus eſt mundus, non minus craſſa, nec minus, ut ita dicam, palpabili, quam illa vetus Ægyptiorum fuerit: quam tantopere Prophetæ omnes paſſim execrantur.

Singula breviter perſtringo: quia paulo poſt acrius exaggeranda erunt. Venio ad ceremonias: quæ quum eſſe debeant graves cultus Dei teſtificationes, mera ſunt potius Dei ludibria. Præterquam enim quod novus Judaiſmus, ejus loco, quem Deus clara voce abrogaverat, iterum excitatus eſt per multas etiam pueriles ineptias hinc inde collectas, admiſcuerunt quoſdam etiam impios ritus, alios vero profanos, & qui magis ad theatrale aliquod ludicrum, quam ad religionis noſtræ dignitatem ſunt compoſiti. In eo quidem primum peccatum eſt, quod hæc tanta ceremoniarum multitudo, quam Deus ſua auctoritate ſemel ſuſtulerat, rurſum expetita fuit. Deinde, quod quum viva pietatis exercitia eſſe debeant ceremoniæ, multas frivolas & inutiles habet mundus, in quibus fruſtra occupatur. Verum hæc multo eſt capitalior peſtis, quod ubi ſuis iſtis qualibuſcunque ceremoniis cum Deo luſerunt, putant ſe belle defunctos eſſe: perinde acſi tota vis pietatis & cultus Dei in illis incluſa foret.

Quod ad noſtri abnegationem pertinet, ex qua pendet regeneratio in vitæ novitatem, tota hæc doctrina, aut prorſus obliterata fuit ex animis hominum: aut certe ſemiſepulta: ut à paucis, & quidem tenuiter, cognoſceretur. Atqui hoc eſt ſpirituale ſacrificium, quod Dominus in primis commendat, ut mortificato veteri homine transformemur in novum hominem. Fieri forſan poteſt, ut de iſtis vocibus nonnihil balbutiant concionatores. Sed vim rerum ab ipſis non teneri vel inde conſtat, quod nobis fortiter reclamant, quum hanc cultus Dei partem conamur reſtituere. Si quando de pœnitentia diſputant, quæ præcipua ſunt contemptim attingunt tantum, in externis modo corporis exercitiis immorantur: quæ, teſte Paulo, non maximam utilitatem habent. Quæ perverſitas eo minus ferenda eſt, quod mundus pernicioſo errore umbram pro re ipſa ſectatur, dum omiſſa vera pœnitentia, in abſtinentias, vigilias, & cætera, ut Paulus appellat, egena mundi elementa toto ſtudio incumbit.

Coloſſ. 2. verſ. 23. 1 Tim. 4. verſ. 8.

Quum autem verbum Dei notam eſſe dixerimus, quæ verum ejus cultum à vitioſo pravoque diſcernat, inde colligere promptum eſt, totam colendi Dei formam, quæ hodie mundo eſt uſitata, nihil quam meram eſſe corruptionem. Neque enim quid Deus mandaverit, aut quid approbet, reſpiciunt, ut illi, quemadmodum decebat, obſequantur: ſed licentiam excogitandorum cultuum ſibi permittunt, quos poſtea illi obtrudant obſequii loco. Si video modum in dicendo excedere, agedum excutiantur omnia opera, quibus mundus Deum ſe colere arbitratur: vix decimam partem excipere audeo, quin omnia temere in hominum cerebris nata fuerint. Quid amplius volumus? Commentitios omnes cultus Deus reſpuit, damnat, execratur. Frenum verbi ſui nobis injicit, ut in ſimplici obedientia nos contineat. Ubi, excuſſo jugo, evagamur ad noſtra figmenta, & cultus humana temeritate fabrefactos illi offerimus: utcunque nobis arrideant, coram eo inanes ſunt nugæ, imo ſordes & inquinamenta. Habent humanarum traditionum patroni pulchros & varios colores, quibus eas pingant: & Paulus certe fatetur eminere in illis ſpeciem ſapientiæ: ſed quia pluris obedientiam facit Deus quam omnes victimas, ſatis hoc valere debet ad repudiandum quemcunque cultum, ſi nullo Dei mandato approbetur.

Alterum Chriſtianæ doctrinæ præcipuum membrum in eo poſuimus, dum agnoſcunt homines, ubinam ſalutem quærere debeant. Porro ſalutis noſtræ cognitio tres habet gradus. Nam à propriæ miſeriæ ſenſu incipiendum eſt, qui adducere nos eouſque debet, ut omnia deſpondeamus, tanquam mortui. Id autem fit, dum nobis originalis & hæreditaria naturæ noſtræ vitioſitas oſtenditur, fons malorum omnium: quæ diffidentiam, rebellionem adverſus Deum, ſuperbiam, avaritiam, libidines, & pravas omne genus cupiditates in nobis gignit: quæ nos ab omni rectitudine & juſtitia averſos, ſub peccati vero jugo captivos tenet: dum ſua ſingulis peccata deteguntur, ut ſua turpitudine confuſi cogantur ſibimet diſplicere, ſeque & ſua omnia pro nihilo ducere. Deinde etiam, ex adverſo citantur conſcientiæ ad Dei tribunal, ut agnita maledictione ſua, & quaſi accepto æternæ mortis nuncio, iram Dei horrere diſcant. Hic, inquam, primus eſt gradus, quo ad ſalutem pervenitur, ut homo in ſeipſo proſtratus & attonitus, de omnibus carnis præſidiis deſperet: neque tamen obduret ſeipſum adverſus judicium Dei, aut quaſi obducto callo obſtupeſcat: ſed trepidus & anxius dolore ingemiſcat, ſuſpiretque ad remedium. Hinc ad alterum gradum debet ſurgere. Id fit, dum agnitione Chriſti erectus reſpirat. Homini enim in hunc, quem diximus, modum humiliato, non aliud reſtat, niſi ut ad Chriſtum ſe convertat, ut ejus beneficio à miſeria liberetur. Verum ſalutem in Chriſto is demum quærit, qui ejus virtutem tenet: hoc eſt, qui illum agnoſcit unicum Sacerdotem, per quem Patri reconciliemur: qui mortem ejus unicum ſacrificium eſſe agnoſcit quo expiata ſint peccata, ſatisfactum judicio Dei, vera & perfecta juſtitia acquiſita: qui denique inter ſe & illum non dimidiat, ſed merum & gratuitum ejus beneficium eſſe agnoſcit, quod juſtus coram Deo eſt. Ab hoc quoque gradu conſcendere ad tertium neceſſe eſt: ut qui de Chriſti gratia, de mortis & reſurrectionis ejus fructu edoctus eſt, in eo ſolida firmaque fiducia acquieſcat: ac ſecum ſtatuat, ita ſuum eſſe Chriſtum, ut juſtitiam in ipſo vitamque poſſideat.

Nunc videte, quam miſere everſa hæc doctrina fuerit. De peccato originali, ſpinoſæ quæſtiones

agitatæ ſunt in Scholis, quibus hunc tam exitialem hominis morbum, quantum fieri potuit, elevarunt. Nam quum de illo diſputant, redigunt ſere ad gulæ & libidinis intemperiem. De cæcitate & vanitate mentis, ex qua prodeunt incredulitas & ſuperſtitio, de interiore animi nequitia, de ſuperbia, de ambitione & contumacia, de aliis arcanis malis, nullus ſermo. Conciones nihilo ſaniores. Jam liberi arbitrii prædicatio, qualis audiebatur, antequam prodirent Lutherus & alii, quid aliud poterat quam inani propriæ virtutis opinione inflare homines, ut ſolo vento turgidi, Spiritus ſancti gratiæ & auxilio locum non darent? Quid multa? Nulla eſt major inter nos concertatio, & in qua nobis pertinacius reclament adverſarii noſtri, quam de juſtificatione: fidene an operibus eam conſequamur. Nullo modo patiuntur hunc Chriſto honorem tribui, ut juſtitia noſtra vocetur, niſi in partem ſimul veniant operum merita. Non diſceptamus hic de bonis operibus, an præſtari à piis debeant, an accepta ſint Deo, an mercedem apud eum habeant: ſed an concilient nos Deo ſua dignitate, an acquiramus eorum pretio vitam æternam, an compenſationes ſint, quæ ad tollendum reatum, Dei judicio ſolvantur, an collocanda ſit in ipſis ſalutis fiducia. Hos ergo errores reprehendimus, quod homines ad opera ſua magis quam ad Chriſtum reſpicere jubentur, ut Deum ſibi propitium faciant, ut ejus gratiam promereantur, ut hæreditatem acquirant vitæ æternæ: denique ut juſti ſint coram Deo. Primum, operum meritis ſuperbiunt, quaſi Deum ſibi obſtrictum habeant. Hæc vero ſuperbia quid aliud eſt, quam exitialis mentis ebrietas? Nam ſeipſos adorant loco Chriſti, & quum in profundo mortis gurgite ſint demerſi, vitam ſe habere ſomniant. Quod ſi cui amplificare nimis hunc locum videar, hæc certe eſt trita in ſcholis & templis omnibus doctrina: quod operibus Dei gratiam mereri oporteat: quod operibus acquirenda ſit vita æterna: quod temeraria & præſumptuoſa ſit fiducia ſalutis, niſi bonorum operum adminiculo ſuffulta: quod per bonorum operum ſatisfactionem reconciliemur Deo, non autem gratuita peccatorum remiſſione: quod bona opera ſalutis æternæ meritoria ſint, non quia gratis imputantur in juſtitiam Chriſti merito, ſed ex pacto Legis: non gratuita peccatorum venia, ſed ſatisfactoriis, ut vocant, operibus reconciliari homines Deo, quoties ab ejus gratia ſunt alienati: ad ſatisfactiones accedere ex Chriſti & Martyrum meritis ſubſidium, modo tamen eo adjuvari mereatur peccator. His impiis opinionibus totum mundum faſcinatum fuiſſe conſtat, antequam Lutherus mundo innoteſceret. Neque alia eſt hodie pars doctrinæ noſtræ quam majore contentione & pertinacia impugnent noſtri adverſarii.

Hic poſtremo peſtilentiſſimus error non modo paſſim occupavit hominum mentes, ſed tanquam unum ex præcipuis fidei capitibus, de quo fas non eſſet dubitare, fuit habitus: fideles oportere de gratia Dei erga ſe perpetuo dubitare, ſuſpenſaſque habere conſcientias. Hac vero diabolica imaginatione penitus extincta fuit fidei vis: deletum Chriſti beneficium: everſa hominum ſalus. Illa enim demum,
Rom. 5. verſ. 2. teſte Paulo, eſt Chriſtiana fides, qua excitatur in cordibus noſtris fiducia, qua audeamus ſiſtere nos in conſpectum Dei. Nec aliter conſtaret quod
Rom. 8. v. 15, 16. alibi tradit, habere nos teſtimonium adoptionis noſtræ intus à Spiritu ſancto obſignatum, quo freti Deum Patrem vocamus.

Quorſum autem illa hæſitatio, quam hoſtes noſtri à ſuis diſcipulis requirunt, niſi ut tota promiſſionum Dei fides evaneſcat?
Rom. 4. verſ. 14. Ratiocinatur Paulus, evanuiſſe fidem, abolitas eſſe promiſſiones, ſi ex Lege ſit hæreditas. Cur iſtud? Nempe quia Lex dubium hominem tenet, ne acquieſcere in certa firmaque fiducia poſſit. Ita autem ex adverſo ejuſmodi fidem ſomniant, quæ hominem ab illa, quam Paulus exigit, certitudine excluſum ac repulſum, ad conjecturam rejiciat, ut inſtar arundinis fluctuetur. Neque tamen eos in totam hanc abſurditatem prolapſos eſſe mirum eſt: poſtquam ſalutis fiduciam ſemel fundaverant in operum meritis. Fieri enim aliter non poterat, quin ex illo præcipitio in hanc ruinam caderent. Quid enim in operibus ſuis reperiet homo, niſi dubitandi, & tandem deſperandi materiam? Videmus ergo, ut error errorem traxerit.

Hic vobis, invictiſſime Cæſar & illuſtriſſimi Principes, quod ante dixi memoria repetendum eſt: Eccleſiæ ſalutem ex hac doctrina, non ſecus atque hominis vitam ex anima, pendere. Si tantum corrupta ejus doctrinæ puritas fuiſſet, jam lethali vulnere ſauciata fuiſſet Eccleſia. Ergo ſi majori ex parte extinctam fuiſſe oſtendero, perinde erit, acſi Eccleſia fere uſque ad ultimum interitum vulnerata eſſe diceretur. Ego autem id hactenus obiter indicavi: paulo autem poſt clarius patefaciam. Venio nunc ad ea, quæ dixi inſtar corporis habere gubernationem, & Sacramentorum adminiſtrationem: quorum etiamſi externa facies nihil haberet vitii, poſt illam tamen doctrinæ ſubverſionem vis & utilitas emortua eſſet. Quid ſi intus & extra nihil fuerit ſani? Neque vero difficilis eſt ejus rei demonſtratio. Quantum ad Sacramenta pertinet: primum eodem loco habita ſunt myſteria à Chriſto inſtituta, & excogitatæ humanitus ceremoniæ. Septem enim Sacramenta, ſine alio diſcrimine, recepta fuerunt: quorum duo tantum mandaverat Chriſtus: alia non niſi hominum auctoritate fundata erant. His non minus alligatæ fuerunt Dei gratiæ, quam ſi incluſum in ſe Chriſtum habuiſſent. Porro duo illa, quæ Chriſtus inſtituit, horrendum in modum fuerunt polluta. Baptiſmus tot ſuperfluis additamentis eſt obvolutus, ut veri & puri Baptiſmi vix tenue veſtigium agnoſcas. Sacra vero Cœna non extraneis modo acceſſionibus corrupta, ſed ipſa in formam prorſus diverſam converſa fuit. Manifeſtum eſt, quid Chriſtus fieri juſſerit, & quo ordine. Atqui, ſpreto ejus mandato, actio hiſtrionica compoſita fuit, quæ in Cœnæ vicem ſuccederet. Quid enim ſimile Miſſis cum vera Domini Cœna? Quum ſecundum Chriſti præceptum debeant inter ſe fideles communicare ſacra corporis & ſanguinis Domini ſymbola: excommunicatio potius quædam in Miſſis viſitur. Separat enim ſe à reliquo cœtu Sacerdos, ut ſeorſum devoret, quod proponi diſtribuique in medium debuerat. Deinde tanquam ſucceſſor quiſpiam Aaronis foret, ſacrificium ſe offerre, ad expianda populi peccata, ſimulat. Ubi unquam ſacrificii meminit Chriſtus? Accipere, comedere ac bibere nos jubet. Quis hominibus permittat, receptionem in oblationem convertere? Quorſum iſta mutatio, niſi ut temerariis hominum placitis cedat perpetuum & inviolabile Chriſti edictum? Hoc quidem grave malum. Sed longe adhuc deterior ſuperſtitio, quod opus hoc, tanquam obtinendæ gratiæ meritorium, vivis & mortuis applicarunt. Atque ita mortis Chriſti efficacia ad inanem & theatricam actionem tranſlata eſt: & ſimul æterni Sacerdotii dignitas Chriſto erepta, ut hominibus daretur. Si quando autem ad communionem vocatur populus, ad dimidiam tantum partem admittitur. Quid hoc eſt? Chriſtus calicem omnibus propinat, & omnes jubet ex eo bibere: ex adverſo interdicunt homines fidelium cœtui, ne calicem attingant. Ita ſigna, quæ individuo nexu Chriſti auctoritate conjuncta fuerant, hominum libidine ſeparantur. Adhæc conſecratio tum Baptiſmi, tum Miſſæ, à magicis incantationibus nihil omnino differt. Flatu enim & ſuſurris, vel non intellectis vocibus, conficere ſe putant myſteria. Quaſi demurmurari verbum ſuum voluerit Chriſtus ad myſteriorum peractionem: ac non potius clara voce pronunciari. Non obſcuris verbis

expri-

exprimitur virtus, natura, uſus Baptiſmi in Euangelio. Chriſtus in Cœna non muſſitat ſuper panem, ſed diſertis verbis Apoſtolos alloquitur, dum promiſſionem recitat: & mandatum adjungit, ut communis inter fideles confeſſio edatur. Nunc loco prædicationis ſufflantur arcani exorciſmi, magicis artibus, ſicut dixi, quam Sacramentis aptiores. Jam hoc primum perperam, quod populo exhibentur ceremoniarum ſpectacula, quarum ſignificatio & veritas tacetur. Neque enim alius eſt Sacramentorum uſus, quam quum ex verbo Dei explicatur idipſum, quod ſignum oculis repræſentat. Itaque quum nihil illic habeat populus, niſi inanes figuras, quibus oculos paſcat: nullam vero doctrinam audiat, qua dirigatur ad verum ſcopum, in ipſo externo opere defixus hæret. Hinc peſtilentiſſima illa ſuperſtitio, quod perinde acſi Sacramenta ſola ad ſalutem ſufficerent, neque de pœnitentia, neque de fide, neque etiam de Chriſto ipſo ſolliciti, ſigna pro veritate arripiunt. Et ſane, impium illud dogma paſſim non modo inter rudes & plebeios, ſed in Scholis quoque obtinuit: valere per ſe Sacramenta, modo ne quis obicem ponat peccati mortalis. Quaſi in alium finem aut uſum data ſint Sacramenta, niſi ut nos ad Chriſtum manu ducant. Huc etiam acceſſit, quod panem, perverſo illo incantamento magis quam pio ritu conſecratum, cuſtodiunt in arcula, interdum in pompa circumferunt, ut pro Chriſto adoretur & invocetur. Itaque, ſi quod periculum urget, ad panem illum, tanquam ad unicum præſidium, confugiunt: adverſus noxas omnes illo, tanquam amuleto, utuntur: ad petendam à Deo veniam, tanquam optimum piaculum, adhibent. Quaſi vero ad ineptias quaslibet proſtituere corpus ſuum voluerit Chriſtus, quum illud nobis in Sacramento dedit. Quid enim continet promiſſio? non aliud ſcilicet, niſi nos, quoties ſacram ejus Cœnam peragimus, corporis & ſanguinis ipſius participes fore: Accipite, inquit, edite, & bibite: hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus. Facite hoc in memoriam mei. Nonne videmus promiſſionem utrimque incluſam eſſe ſuis finibus, intra quos ſe contineant oportet, qui volunt quod illic offertur, percipere? Falluntur ergo, qui aliud quam communem panem & profanum habere ſe extra legitimum Cœnæ uſum, putant. Hæc vero communis omnium profanatio, quod ad fœdam nundinationem perinde ſunt expoſita, acſi non alio fine inſtituta forent, quam ut quæſtui ſerviant. Neque vero ejuſmodi eſt nundinatio, quæ clam aut verecunde tractetur: ſed palam exercetur, non ſecus atque in foro mercatorio. Scitur, quanti ſingulæ Miſſæ in quaque regione veneant. Aliis etiam conſtitutum eſt ſuum pretium. Denique templa, ſi quis bene expendat, nihil à meritoriis tabernis differunt: & nullum eſt ſacrorum genus, quod non illic proſtet venale.

Gubernationis Eccleſiaſticæ vitia ſi recenſere velim, nullum dicendi finem inveniam. Tantum igitur craſſiora quædam, & quæ diſſimulari nequeunt, breviter notabo. Principio, ipſum paſtorale munus, qualiter à Chriſto inſtitutum fuerat, jampridem obſolevit. Epiſcopos certe & Paſtores, ſive quocunque alio nomine vocentur, ideo præfecit Eccleſiæ Chriſtus, teſte Paulo, ut eam ſana doctrina ædificent. Secundum hanc regulam, nullus eſt verus Eccleſiæ Paſtor, niſi qui docendi munere fungitur. At hodie quicunque fere titulum habent Paſtorum, id oneris ad alios ablegarunt. Ex Epiſcopis vix centeſimus quiſque reperietur, qui ſuggeſtum unquam docendi gratia conſcendat. Nec mirum. Epiſcopatus enim in Satrapias degenerarunt. Minoris autem ordinis Paſtores, vel nugis à Chriſti mandato in totum alienis munus ſuum implere ſe putant, vel Epiſcoporum exemplo, hanc ipſam curam rejiciunt in aliorum humeros. Inde ſacerdotiorum locationes non minus uſitatæ, quam prædiorum. Quid volumus amplius? ſpirituale regimen quod à Chriſto commendatum nobis fuerat, totum è medio ſublatum eſt: nova & confictitia gubernandi ſpecies introducta, quæ utcunque illius nomine venditetur, nihilo tamen plus ſimilitudinis cum eo habet, quam mundus cum regno Chriſti. Quod ſi mihi objiciat quiſpiam: non debere ordini culpam imputari, ſi qui officium non faciant: primum reſpondeo, malum paſſim graſſari, ut in publicam conſuetudinem jam tranſierit. Deinde ut fingamus Epiſcopos omnes, & alios inferioris gradus presbyteros reſidere in ſua quemque ſtatione: facereque quod ſuæ profeſſionis eſſe hodie opinantur: quid hoc tamen ad verum Chriſti inſtitutum? Canerent aut murmurarent in templo, hiſtrionico veſtitu ſe oſtentarent, exercerent multas ceremonias. Docendi aut rara, aut nulla cura. Nemo autem, ex Chriſti præſcripto, Epiſcopi aut Paſtoris nomen vendicare ſibi poteſt, qui gregem ſuum non paſcat verbo Domini.

Jam quum ſanctioris vitæ exemplo excellere aliis & prælucere debeant, qui Eccleſiæ præſunt, quam bene vocationi ſuæ reſpondent in hac parte, qui hunc gradum hodie occupant? Quum ad ſummum corruptionis mundus venerit, nullus tamen eſt ordo, omni flagitiorum genere magis refertus. Utinam ſua innocentia refellerent quod dico. Quam libenter extemplo retractarem. Sed ante oculos omnium expoſita eſt eorum turpitudo, patet inexplebilis eorum avaritia & rapacitas, patet intolerabilis ſuperbia & crudelitas. Impudicis ſaltationibus perſtrepere eorum domos, aleæ ſtudium illic fervere, comeſſationes intemperantiæ plenas illic agitari, more & uſu receptum eſt. Deliciis, & quovis luxu, tanquam præclaris virtutibus, gloriantur. Ut alia taceam: cælibatus, quo uno haberi eximii volunt, quantum habet ſpurcitiæ? Pudet me retegere, quæ ſuppreſſa mallem, modo ſilentio poſſent corrigi. Neque tamen occulta in medium proferam: quando plus ſatis fœditatis & probrorum alioqui jam apparet. Quotuſquiſque, obſecro, ſacerdos eſt, à ſcortatione purus? Imo quam multorum domus quotidianis ſtupris ſunt infames? Quam multas honeſtas familias vagis ſuis libidinibus inquinant? Equidem nec traducendis eorum vitiis delector: neque id eſt mei propoſiti. Operæpretium tamen eſt expendere, quantum ea vita, quæ paſſim hodie in ordine ſacerdotali conſpicitur, ab ea diſſideat, quæ veros Chriſti & Eccleſiæ miniſtros deceret.

Hæc quoque pars eſt Eccleſiaſtici regiminis non poſtrema ut rite ac ordine eligantur ac deſignentur ad officium, qui præfuturi ſunt. Habemus regulam ex verbo Dei, ad quam electiones omnes exigi oportebat. Extant multa veterum Synodorum decreta: quibus prudenter & diligenter præſcribuntur, quæcunque ad rectam eligendi formam pertinent. Proferant adverſarii noſtri, vel unicum exemplum canonicæ electionis, & eos viciſſe concedam. Scimus quale Paſtoris examen requirat per os Pauli Spiritus *in Epiſto-*
ſanctus: quale etiam veteres Patrum ſanctiones. Ho- *lis ad Tim,*
die in creandis Epiſcopis, an tale aliquid reſpicitur? *& Titum.*
Imo quotuſquiſque eorum, qui ad hunc gradum evehuntur, ſaltem mediocriter iis dotibus præditus eſt, ſine quibus idonei eſſe Eccleſiæ miniſtri non poſſunt? Quem ordinem in præficiendis miniſtris Apoſtoli tenuerint, videmus: quem ſequuta deinde ſit vetus Eccleſia: quem denique antiqui Canones obſervari præcipiant. Hunc ſi hodie ſperni & rejici conquerar, nonne juſta erit querela? Quid ſi, omni calcata honeſtate, promoveri per ſummum dedecus & flagitium, dicam? Atqui hoc nemini eſt ignotum. Aut enim condicto pretio emuntur honores Eccleſiaſtici, aut vi manuque occupantur, aut conciliantur nefariis pactionibus, aut ſordidis

Digitized by Google

obſequiis comparantur. Interdum etiam lenociniorum & ejuſmodi artium ſunt mercedes. Denique impudentius multo hic luditur, quam in ullis unquam profanis poſſeſſionibus.

Atque utinam ſic vitiata eſſet Eccleſiæ gubernatio, ut qui præſunt, ſibi tantum peccarent, aut ſaltem aliis non nocerent, niſi malis exemplis. Verum hoc malum reliqua omnia ſuperat, quod ſævisſimam tyrannidem exercent: & quidem in animas. Imo quid aliud eſt Eccleſiæ poteſtas, quæ hodie jactatur; quam licentioſum, & ſine lege modoque in animas imperium, quod eas miſerrima ſervitute opprimat? Poteſtatem Chriſtus Apoſtolis permiſit, qualem ante Prophetis Deus contulerat, certis finibus incluſam ſcilicet: ut legatione pro ſe apud homines fungerentur. Hæc porro legationis perpetua lex eſt, ut qui mittitur, quæ accepit mandata, fideliter & ſumma religione perferat. Quod etiam nominatim
Mat 28. verſ. 19. exprimitur in Apoſtolis: Ite, docete omnes gentes, quæ tradidi vobis. Item, Prædicate, non quidlibet, ſed Euangelium. De ſucceſſoribus ſi quæritur, qua ſint præditi poteſtate, Petrus eam definit, quum omnes qui in Eccleſia loquuntur, jubet eloquia Dei proferre. At nunc qui Eccleſiæ rectores haberi volunt, ſibi uſurpant hanc licentiam, ut loquantur quicquid libuerit: ſimulatque loquuti fuerint, ſine ullo examine audiantur. Excipient, hanc eſſe calumniam. Non enim aliud ſibi juris ſumunt, quam ut auctoritate ſua ſanciant, quæ Spiritus ſanctus revelavit. Negabunt ergo, ſe ſuis commentis aut ſuæ libidini ſubjicere fidelium conſcientias, ſed ſolis Spiritus oraculis, quæ ſibi revelata, aliis, addita confirmatione, promulgant. Ingenioſus prætextus ſcilicet. Quæ à Spiritu ſancto accepta per manus tradunt, iis quin ſine mora parendum ſit, nemo dubitat. At quum ſe non alia poſſe tradere ſubjiciunt, quam mera Spiritus ſancti oracula, quoniam ab ipſo regantur: nec poſſe fieri, quin verum ſit, quicquid ſtatuerint, quia in cathedris veritatis ſedeant: annon eo modo poteſtatem ſuam libidine metiuntur? Nam ſi pro oraculis habenda ſunt quælibet eorum placita, ubi nulla exceptio, illic infinitum imperium. Quis unquam tyrannus ita intemperanter abuſus eſt ſubditorum patientia, ut tanquam è cælo proditum recipi juberet, quicquid ediceret? Tyranni quidem edictis ſuis, qualiacunque ſint, pareri volunt. Iſti autem multo plus poſtulant, ut Spiritum ſanctum credamus loqui, dum nobis obtrudunt, quod ſomniaverint.

Itaque hac poteſtate armati, videmus quam dura & iniqua ſervitute fidelium animas conſtrictas tenuerint. Leges aliæ ſuper alias conditæ ſunt, quæ totidem eſſent conſcientiarum laquei. Non enim ad ordinem externum, ſed ad ſpirituale & interius animæ regimen eas retulerunt. Nec finis ullus fuit, donec ad iſtam immenſam multitudinem ventum eſt, quæ non abſimilis eſt labyrintho. Et quædam ad torquendas excruciandaſque conſcientias videntur prorſus factæ. Porro earum obſervatio nihilo minus ſevere vindicatur, quam ſi tota vis pietatis in illis conſiſteret. Quin etiam quum de violatis Dei mandatis, aut nulla fiat quæſtio, aut ſumantur non ita graves pœnæ, adverſus hominum decreta aliquid admiſiſſe ſummum piaculum habetur. Quum hoc tyrannico jugo prematur Eccleſia, ſi quis verbum contra facere audeat, ſtatim pro hæretico damnatur. Denique, liberum gemitum emittere, capitale eſt. Atque ut hanc non ferendæ dominationis poſſeſſionem retineant, populum à ſacrorum lectione & intelligentia ſanguinariis edictis arcent: fulminant adverſus eos qui de ſua poteſtate controverſiam moverint: & indies creſcit immodicus ille rigor: ut jam propemodum nihil de religione inquirere permittant.

His tot ac tam denſis tenebris quum ſuffocata eſſet Dei veritas: quum tot impiis ſuperſtitionibus polluta eſſet religio: quum horrendis ſacrilegiis corruptus Dei cultus foret, proſtrata ejus gloria jaceret: quum multis perverſis opinionibus obrutum eſſet redemptionis beneficium: homines exitiali operum fiducia inebriati, ſalutem alibi quam in Chriſto quærerent: Sacramentorum adminiſtratio partim lacera ac diſſipata, partim admixtis multis figmentis corrupta, partim quæſtuoſis nundinationibus profanata eſſet: quum Eccleſiæ gubernatio in vaſtitatem prorſus confuſam degeneraſſet: quum ii, qui Paſtorum loco ſedebant, primum diſſoluto vivendi more Eccleſiam plurimum læderent, deinde ſævam & maxime noxiam tyrannidem in animas exercerent: pecudum more homines per omne errorum genus in exitium ducerentur: emerſit Lutherus, extiterunt deinde alii, qui conjunctis ſtudiis, rationes viaſque quæſierunt, quibus repurgari à tot inquinamentis religio, pietatis doctrina reſtitui in ſuam puritatem, Eccleſia ex tanta calamitate in tolerabilem aliquem ſtatum colligi poſſet. In hoc curſu adhuc hodie pergimus.

Et quoniam de remediis, quæ ad iſtorum malorum correctionem adhibuimus dicturum me præfatus ſum, de ea re nunc tractandi locus eſt: non ut modum, quo progreſſi ſumus, deſcribam (de hoc enim poſtea videbitur) ſed ut appareat, non alio ſpectaſſe noſtra ſtudia, niſi ut ſtatus Eccleſiæ, ex peſſimo, ſaltem aliquanto melior fieret. Multis & atrocibus multorum calumniis impetita eſt noſtra doctrina, & quotidie impetitur. Alii fortiter adverſus eam declamitant in concionibus. Alii, libris editis eam vexant ac traducunt. Ab utriſque plurima congeruntur, quibus eam infamari poſſe credunt apud imperitos. Sed extat in hominum manibus fidei noſtræ confeſſio, quam majeſtati tuæ obtulimus, invictiſſime Cæſar: quæ luculentum nobis teſtimonium reddit, quam immerito tot odioſis criminationibus vexemur. Et hactenus ſemper ad reddendam doctrinæ noſtræ rationem fuimus parati: ut hodie quoque ſumus. Ne multis: nihil auditur in Eccleſiis noſtris doctrinæ, quod non palam profiteamur. Quæ aliquid habent controverſiæ, ea perſpicue & bona fide in confeſſione explicantur: & nihil eſt eorum, quod non ſit à noſtris hominibus copioſe tractatum, & expoſitum diligenter. Inde conſtare judicibus non iniquis poteſt, quam procul ab omni impietate abſimus. Hoc certe æquis juxta ac iniquis conſtat, in eo non parum Eccleſiæ profuiſſe noſtros homines, quod & mundum quaſi ex profundis ignorantiæ tenebris excitarunt ad Scripturæ lectionem: & ad ſinceriorem ejus intelligentiam multum contulerunt operæ: & locos doctrinæ Chriſtianæ quoſdam utiles cognitu in primis feliciter illuſtrarunt. In concionibus nihil fere, præter aniles fabulas, aut commenta non minus inepta, audiebantur. Scholæ quæſtionum rixis perſtrepebant. Scripturæ illic rara mentio. Qui Eccleſiæ gubernacula tenebant, hoc unum habebant curæ, ne quid quæſtui decederet. Itaque quicquid erat ad farinas, non difficulter patiebantur. His quidem malis nonnihil emendationis attuliſſe noſtros homines, etiam iniquiſſimi concedunt: utcunque noſtram doctrinam multis poſtea criminationibus infament.

Verum nihil hoc valere ad culpam ſublevandam velim, quod multum utilitatis ex noſtris laboribus perceperit Eccleſia, ſi quid alia ex parte nocuerimus. Excutiatur ergo tota noſtra doctrina, mos in adminiſtrandis Sacramentis noſter, Eccleſiæ gubernandæ ratio. Nihil in his tribus deprehendemur novaſſe ex veteri forma, quod non ad rectam verbi Dei normam reſtituere conati ſimus. Atque ut redeamus ad illam ante à nobis poſitam diviſionem: omnes quæ inter nos ſunt de doctrina controverſiæ, vel ad legitimum Dei cultum, vel ad certam ſalutis noſtræ fiduciam pertinent. Certe ad colendum Deum, neque frigide, neque negligenter hortamur homines:

& in

& in definiendo modo, neque à ſcopo aberramus, nec quicquam omittimus, quod ad rem ſaciat. Prædicamus Dei gloriam multo magnificentius, quam ſolita fuerit ante nos prædicari: virtutes, in quibus ea relucet, ut magis ac magis innoteſcant, ſerio laboramus. Ipſius erga nos beneficia, quibus poſſumus elogiis, extollimus. Inde excitantur homines tum ad ſuſpiciendam ejus majeſtatem, tum ad exhibendam illi ſua magnitudine dignam reverentiam, tum ad veram animi gratitudinem, tum ad confitendas ejus laudes. Inde in ipſorum cordibus gignitur ſolida in ipſo fiducia, quæ poſtea invocationem parit. Inde etiam eruditur unuſquiſque ad veram ſui abnegationem: ut, compoſita in obſequium Dei voluntate, propriis deſideriis vale dicat. Denique, ſicut ſpirituali modo à nobis coli vult Deus, ita in urgendis omnibus ſacrificiis ſpiritus, quæ nobis commendat, toto ſtudio inſiſtimus.

In his enim exhortationibus nos eſſe aſſiduos, ne adverſarii quidem noſtri negare poſſunt: ne aliunde quicquid bonorum deſiderant homines, quam à Deo expectent: ipſius potentiæ confidant: in ipſius acquieſcant bonitate: ab ipſius veritate pendeant: toto cordis affectu in eum ferantur: plena ſpe in eum recumbant: requirant ipſum in neceſſitate, hoc eſt, omnibus momentis: bona omnia accepta illi ferant: idque laudis confeſſione teſtentur. Et ne difficili acceſſu terreantur, oſtendimus bonorum omnium fontem in Chriſto nobis eſſe propoſitum, ex quo hauriamus quicquid nobis opus eſt. Teſtes etiam ſunt libri noſtri, teſtes conciones, nos & frequenter, & ſedulo, incumbere in veræ pœnitentiæ commendationem: ut homines rationi ac deſideriis carnis ſuæ, ſibique in totum renuncient, quo ad unius Dei obſequium compoſiti, non ſibi amplius, ſed illi vivant. Nec vero externa officia charitatiſque opera prætermittimus, quæ ejuſmodi renovationem ſequuntur. Hæc, inquam, certa eſt & minime fallax colendi Dei ratio, quam illi approbari ſcimus: utpote, quam verbo ſuo præſcripſerit. Hæc ſola ſunt Chriſtianæ Eccleſiæ ſacrificia, quæ teſtimonium ab eo habeant.

Quum ergo adoretur in Eccleſiis noſtris unus Deus pio ritu, & abſque ulla ſuperſtitione: quum ejus bonitas, ſapientia, potentia, veritas & reliquæ virtutes uberius, quam alibi uſquam, prædicentur: quum vera fide invocetur in Chriſti nomine: quum celebrentur ejus beneficia & animis & linguis: quum ad ſimplicem ſinceramque ejus obedientiam perpetuo revocentur homines: quum denique nihil illic audiatur, quod non ad promovendam nominis illius ſanctificationem ſpectet: quid cauſæ eſt, cur nos tam male excipiant, qui ſe Chriſtianos profitentur? Primum, quod tam craſſas idololatrias, quæ paſſim in mundo viſuntur, acriter, ſicut neceſſe eſt, reprehendimus, hoc ferre nequeunt, qui tenebras malunt, quam lucem. Deum in ſimulacris adorari, fictitios inſtitui cultus ejus nomine, ad Sanctorum imagines ſupplicari, mortuorum oſſibus divinos exhiberi honores, & ejus generis alias abominationes, ſicut ſunt, ita eſſe clamamus. Ob hanc cauſam in nos invehuntur, qui doctrinam noſtram exoſam habent: hæreticos nos faciunt, qui cultum Dei ab Eccleſia jam pridem approbatum convellere audeamus. Quod Eccleſiæ nomen, clypei loco, ſubinde objectant, de eo paulo poſt videbimus. Interea, quæ iſta eſt perverſitas, ubi tam flagitioſæ apparent cultus Dei corruptelæ, non modo eas tueri, ſed ad eas quoque operiendas, ipſum Dei cultum impudenter obtendere?

Idololatriam utrimque fatemur execrabile coram Deo ſcelus eſſe. Quum imaginum cultum attingimus, hic protinus ſe opponunt adverſarii, ut patrocinium ſuum accommodent ſceleri, quod nobiſcum verbo damnaverant. Imo, quod magis ridiculum eſt, quum nobis aſſentiantur de Græco vocabulo, ubi id Latine vertitur, refragari tunc primum incipiunt. Imaginum enim venerationem fortiter defendunt: quum idololatriam damnent. Sed homines ingenioſi negant eſſe latriæ honorem, quam exhibent ſuis ſimulacris. Quaſi vero ſi conferantur cum veteribus idololatris, quicquam inter eos interſit. Prætexuerunt illi, cæleſtes ſe deos colere: ſed ſub figuris corporeis, quæ ipſos repræſentarent. Quid aliud iſti prætexunt? Verum, an Deus ejuſmodi excuſationibus ſatisfieri ſibi patitur? An propterea deſierunt Prophetæ, Ægyptiorum increpare dementiam, quod ex arcanis theologiæ ſuæ myſteriis proferrent argutias, quibus elaberentur? Serpentem quoque æneum qualiter exiſtimamus adoratum fuiſſe à Judæis, niſi quod tanquam Dei ſimulacro honor eſt habitus? Gentiles, inquit Ambroſius, lignum adorant, quia Dei putant eſſe imaginem. Sed inviſibilis Dei imago, non in eo eſt quod videtur, ſed in eo utique quod non videtur. *Ambr. in Pſal. 118.* Quid autem hodie fit? An non coram imaginibus, tanquam præſentem illic haberent Deum, ſe proſternunt? Dei porro virtutem & gratiam niſi ſtatuis & picturis alligarent, an ad eas confugerent, quum orare volunt?

Et nondum craſſiores ſuperſtitiones attigi: quæ tamen rudibus imputari nequeant, quum publico conſenſu approbantur. Ornant ſua idola, nunc floribus & coronis, nunc peplis, veſtibus, zonis, crumenis, & ineptiis omne genus. Coram illis cereos accendunt, thus adolent: geſtant ea humeris in pompa. Confluunt ex longinquis regionibus ad ſtatuam unam: quum domi ſimiles habeant. Similiter quum in uno templo plures ſint imagines, aut virginis Mariæ, aut alterius, aliis præteritis, una, quaſi divinior, frequentatur. Quum ad Chriſtophori precantur imaginem aut Barbaræ, precationem Dominicam, cum ſalutatione Angelica, illis occinunt. Prout vel formoſæ, vel fumoſæ ſunt imagines, majorem illis præſtantiam affingunt. Accedit & ex fabuloſis miraculis nova commendatio. Alias loquutas eſſe fingunt: alias templi incendium pede reſtinxiſſe: alias demigraſſe ſua ſponte in novum domicilium: alias è cælo delapſas. His & ſimilibus deliramentis quum totus mundus ſcateat, idque ſit omnibus in propatulo, nos tamen, qui unius Dei cultum ad verbi ſui normam reſtituimus, & reſtitutum ſervamus diligenter, qui puri ſumus, Eccleſiaſque noſtras purgavimus ab omni, non modo idololatria, ſed etiam ſuperſtitione, accuſamur de violato Dei cultu, quod imaginum venerationem, hoc eſt, idololatriam, ut nos quidem interpretamur, ut autem malunt hoſtes noſtri, idoloduliam ſuſtulerimus.

Atqui præter tam clara Scripturæ teſtimonia, quæ ſubinde occurrunt, etiam veteris Eccleſiæ auctoritas nobis ſuffragatur. Quotquot enim extant purioris ſeculi ſcriptores, non alium imaginum abuſum inter Gentiles deſcribunt, quam qui in mundo hodie viſitur: nec minus proprie in ætatem noſtram competunt, quæcunque ab illis dicuntur, quam in eos ipſos, quos tunc reprehendebant. Quod autem de ſublatis, tam imaginibus, quam oſſibus & reliquiis Sanctorum, nobis crimen intendunt, facilis eſt reſponſio. Neque enim pluris æſtimari oportuit hæc omnia, quam ſerpentem æneum: neque vero minor fuit cauſa, cur hæc removerentur, quam cur confringeretur ab Ezechia ſerpens æneus. Certum eſt, idolomaniam, qualiter nunc illa faſcinatæ ſunt hominum mentes, non aliter quam ſubducta inſaniendi materia, curari poſſe. Et nos plus ſatis experimur, veriſſimum eſſe illud Auguſtini: neminem orare vel adorare, ſimulacrum intuentem, qui non ſic afficitur, ut ab eo exaudiri ſe putet. *Epiſt. 49.* Item, plus valere ſimulacra ad curvandam infelicem animam, quod os, oculos, aures, pedes habent: quam ad corri-

corrigendam, quod non loquuntur, neque vident, *Pſal. 115.* neque audiunt, neque ambulant. Item, hoc fieri, *verſ. 4.* & quodammodo extorqueri figura illa membrorum, ut animus in corpore vivens arbitretur ſentire corpus, quod ſuo ſimillimum videt. In reliquis vero incredibile dictu eſt, quam impudenter illuſum mundo fuerit. Poſſum tria Chriſti præputia nominare: ſimiliter clavos quatuordecim, qui pro illis tribus oſtentantur, quibus affixus cruci fuit: tres tunicas, pro illa inconſutili, ſuper quam milites jecerunt ſortem: duos titulos cruci impoſitos: tres mucrones lanceæ, qua pectus Chriſti ſauciatum fuit: lintea circiter quinque, quibus corpus ejus in ſepulcro fuit obvolutum. Monſtratur præterea tota ſacræ Cœnæ ſupellex: & infinitæ ejus generis ineptiæ. Nullus eſt Sanctus aliquantum celebris, cui non affinxerint duo aut tria corpora. Poſſum locum nominare, ubi pumex pro cerebro Petri magno in honore fuit habitus. Et pudore impedior, quominus alia fœdiora referam. Quamobrem immerito accuſamur, quod talibus inquinamentis purgare ſtuduerimus Dei Eccleſiam.

Hoc deinde nomine circa Dei cultum adverſarii nos accuſant, quod omiſſis inanibus, nec minus ineptis, & tantum ad hypocriſin compoſitis, ſimplicius Deum colimus. Nam in ſpirituali Dei cultu nihil fuiſſe à nobis diminutum, res ipſa teſtis eſt. Quin potius, quum magna ex parte obſoleviſſet, quaſi poſtliminio eum reſtituimus. Nunc videamus, an jure nobis ſuccenſeant. Quod ad doctrinam ſpectat, dico hic nos communem habere cauſam cum Prophetis. Nam ſecundum idololatriam, nihil eſt quod acerbius in populo ſuo exagitent, quam quod Dei cultum in externo apparatu, falſa opinione, collocabat. Quid autem in ſumma pronunciant? Deum non morari, nec penſi habere ceremonias, ſi in ſe tantum æſtimentur: fidem & veritatem cordis reſpicere: ceremonias neque mandaſſe alio fine, neque approbare, niſi ut fidei ſint, ac invocationis puræ, laudumque exercitia. Plena ſunt his conteſtationibus Prophetarum omnium ſcripta. Nec ulla res alia fuit, ſicuti dixi, in qua magis laboraverint. Hac porro cæcitate magis, quam unquam captum fuiſſe mundum, quum noſtri homines prodierunt, negari, niſi impudenter, non poteſt. Erant igitur neceſſario Propheticis illis objurgationibus urgendi homines, & ab illa inſania quaſi violenter abſtrahendi, ne amplius nudis ceremoniis, tanquam ludicris puerilibus Deo ſatisfieri crederent. Urgenda ſimiliter erat illa de ſpirituali Dei cultu doctrina quæ ex hominum memoria evanuerat. Quorum utrumque fideliter à nobis factum eſſe hactenus, & adhuc fieri tum libri noſtri, tum conciones luculentum teſtimonium reddunt.

Quod autem invecti ſumus in ipſas ceremonias, & alicubi quoque magnam earum partem abrogavimus, in hac re fatemur quidem, inter nos & Prophetas nonnihil intereſſe. Nam illi quidem in ſuum populum invehebantur, quod Dei cultum in externis ceremoniis includeret, ſed ab ipſo Deo inſtitutis: nos humanitus confictis ineptiis eundem haberi honorem, conquerimur. Illi, damnatis ſuperſtitionibus, ceremoniarum multitudinem, quam Deus injunxerat, & quæ utilis aptaque erat pro ætate pædagogia, intactam relinquebant: nos multos ritus corrigendos curavimus, quod vel temere obrepſiſſent, vel in abuſum converſi fuiſſent: deinde quod tempori minime convenirent. Niſi enim omnia velimus confundere, tenendum eſt ſemper diſcrimen illud veteris & novi Teſtamenti: quod ceremoniæ, quarum utilis ſub Lege erat obſervatio, non ſuperfluæ modo nunc ſint, ſed abſurdæ quoque & vitioſæ. Nam quum abſentem tunc Chriſtum, & nondum exhibitum adumbrando, ſpem adventus ejus in animis fidelium alerent, nunc nihil quam præſentem & conſpicuam ejus gloriam obſcurant. Videmus quid Deus fecerit. Nam quas ipſe ceremonias præceperat ad tempus, eas in perpetuum abrogavit. Rationem audimus ex ore Pauli: primum quod poſtquam *Gal. 4: 5.* exhibitum in Chriſto corpus eſt, faceſſere umbræ *Coloſſ. 2.* debuerint: deinde, quod alio modo nunc Eccleſiam *verſ. 4.* docere velit Deus. Quum Eccleſiam ſuam Deus ea, *14. 17.* quam ipſe impoſuerat, ſervitute liberaverit, quæ, obſecro, iſthæc eſt pravitas, novam ab hominibus excitari, veteris illius loco? Quum certam œconomiam Deus præſcripſerit: quæ ſuperbia eſt, contrariam, & palam ab ipſo repudiatam erigere? Sed illud peſſimum, quod quum tam ſeveris interdictis omnes commentitios hominum cultus Deus toties prohibuerit, non niſi humanis figmentis colebatur. Quid eſt igitur, quod religionem à nobis in hac parte diſſipatam vociferantur hoſtes noſtri? Primum, nihil, vel minimo digito, attigimus, niſi quod pro nihilo Chriſtus ducit, quum fruſtra coli Deum humanis traditionibus pronunciat. Verum illud forſan utcunque fuiſſet tolerabile: homines, inutiliter Deum colendo perdere operam: ſed quum alibi multis locis, ſicuti dixi, novos ſibi cultus præter verbum ſuum inſtitui vetet, ſeque hac audacia graviter offendi affirmet, & pœnam non levem minetur, correctionem, quam adhibuimus, magna neceſſitate fuiſſe expreſſam conſtat.

Neque vero me fugit, quam difficulter hoc mundo perſuadeatur: rejicere Deum atque etiam abominari, quicquid ad ejus cultum humana ratione excogitatur. Cujus erroris complures ſunt cauſæ. Suum enim cuique pulchrum, ut veteri proverbio fertur: quo fit, ut quæ ex capite noſtro nata ſunt, magis nos delectent: & fictitii iſti cultus ſæpe ad aliquam ſapientiæ ſpeciem ſunt compoſiti, ſicut etiam Paulus fatetur. Præterea quoniam externum ſplen- *Col. 2:23.* dorem ut plurimum habent, qui in oculos incurrit, magis, pro natura noſtra carnali, nobis arrident, quam illa, quæ Deus ſola & requirit & probat, quum minus habeant oſtentationis. Nihil tamen magis obtenebrat hominum mentes, ut ita perperam de hac re judicent, quam hypocriſis. Nam quum veros Dei cultores cor & animum oporteat afferre, cupiunt ſemper homines modum ſerviendi Deo ab eo prorſus diverſum invenire: ut ſcilicet, corporis obſequiis erga illum defuncti, animum ſibi retineant. Porro dum externas pompas illi obtrudunt, hoc ſe artificio evaſiſſe putant, ne offerre ſeipſos cogantur. Atque hæc cauſa eſt, cur innumeros cultus libentius ſuſcipiant homines, quibus ſine fine & modo miſere fatigentur, & cur in labyrintho errare perpetuo malint, quam ſimpliciter Deum colere in ſpiritu & veritate.

Improba igitur calumnia eſt, quod hoſtes noſtri facilitate & indulgentia nos allicere homines, criminantur. Nam ſi detur optio, quidvis potius ſemper eliget homo carnalis, quam ut Deum colere, ad doctrinæ noſtræ præſcriptum, conſentiat. fidem & pœnitentiam facile eſt nominare: ſed res ſunt ad præſtandum difficillimæ. Quicunque igitur in his conſtituit Dei cultum, is minime laxat habenas hominibus: ſed cogit in eum ordinem, quo venire maxime reformidant. Cujus rei locupletiſſimum teſtimonium in re ipſa habemus. Plurimis & duris legibus adſtringi ſe, ad plurimas & laborioſas obſervatiunculas ſe cogi, rigidum & grave jugum ſibi imponi, denique nihil non moleſtiæ ſibi exhiberi patientur homines: modo ne cordis fiat mentio. Hinc apparet, nihil magis refugere hominis ingenium, quam ſpiritualem illam veritatem, de qua nos aſſidue concionamur: quum ſplendido illo apparatu, in quo tantopere inſiſtunt noſtri adverſarii, obruatur. Hoc extorquet ipſa Dei majeſtas, ne eximere nos ab ejus cultu poſſimus. Neceſſitatem ergo Dei colendi dum effugere non poſſumus, quod reli-

quum

quum eſt, obliqua diverticula quærimus, ne recta in ejus conſpectum venire neceſſe ſit: vel potius externis ceremoniis, tanquam ſpecioſis larvis, abſcondimus interiorem cordis malitiam, & corporis obſequia opponimus tanquam parietem intermedium, ne corde ad eum accedere cogamur. Ejuſmodi ſubterfugia ſibi excuti ægerrime patitur mundus, atque hinc illæ lacrymæ, quod ex illis latebris, in quibus ſecure cum Deo ludebant, in apertam lucem per nos extracti ſunt.

In oratione tria correximus. Nam & Sanctorum interceſſione valere juſſa, homines ad Chriſtum revocavimus: ut tum in illius nomine Patrem invocare, tum eo Mediatore niti diſcerent: & ipſos docuimus, primum cum ſolida firmaque fiducia, deinde etiam cum intelligentia orare: quum ante confuſas preces, lingua incognita demurmurarent. Hic proſcindimur atrocibus convitiis, primum quod in Sanctos ſimus contumelioſi: deinde quod fideles ingenti beneficio privemus. Nos vero utrumque negamus. Nam quod illis Chriſti officium non patimur aſſignari, hoc fit ſine ulla eorum injuria. Nullum ergo illis honorem præripimus, ſed qui temere ac perperam, hominum errore, illis attributus erat. Nihil dicam, quod non poſſit digito monſtrari. Principio homines precaturi, Deum imaginantur procul abeſſe: nec ad eum, niſi patroni cujuſpiam ductu, patere acceſſum. Neque inter rudes ac indoctos tantum vagatur falſa hæc opinio: ſed qui duces cæcorum haberi volunt, ita quoque ſunt perſuaſi. Porro in quærendis patronis, ſuum quiſque ſenſum ſequitur. Alius Mariam, alius Michaëlem, alius Petrum eligit. Chriſtum, ut plurimum, nullo loco, nec numero dignantur. Imo vix centeſimus quiſque reperietur, qui non ſtupeat, tanquam ad novum portentum, ſi Chriſtum audiat advocatum nominari. Chriſto igitur præterito, in Sanctorum patrociniis omnes acquieſcunt. Gliſcit deinde magis ac magis ſuperſtitio, ut promiſcue Sanctos, non aliter quam Deum, invocent. Fateor equidem quum diſtinctius loqui volunt, non aliud petere eos à Sanctis quam ut eorum precibus juventur apud Deum. Sed ſæpius, confuſo hoc diſcrimine, nunc Deum, nunc illos, prout tulerit mentis impetus, requirunt & implorant. Quin etiam propria cuique provincia eſt aſſignata: ut alius pluviam, ſerenitatem alius conferat: alius liberet à febre, alius à naufragio. Verum ut profana iſta Ethnicorum deliria, quæ paſſim tamen graſſantur in Eccleſiis, diſſimulem, una hæc impietas pro omnibus ſufficiat, quod totus mundus hinc inde advocatos ſibi accerſendo, Chriſtum, qui unus à Deo propoſitus erat, negligit: & ſanctorum magis tutela, quam Dei protectione confidit.

At noſtri reprehenſores, etiam qui inter alios aliquanto plus habent æquitatis, modum in nobis deſiderant, quod ſanctorum mortuorum mentionem in totum ex precibus ſuſtulerimus. Sed ex ipſis ſcire velim, quid eos peccare exiſtiment, qui regulam à Chriſto optimo magiſtro, à Prophetis & Apoſtolis omnibus poſitam, fideliter obſervant: nec quicquam prætermittunt, quod vel Spiritus ſanctus in Scripturis docuerit, vel ſervi Dei, à prima mundi origine uſque ad ætatem Apoſtolorum, in uſu habuerint. Nihil eſt fere, de quo diligentius præcipiat Spiritus ſanctus, quam de vera orandi ratione. Nulla eſt ſyllaba, quæ ad ſanctorum mortuorum ſubſidium confugere nos doceat. Multæ complurium fidelium orationes extant. In illis ne unum quidem ejus rei exemplum eſt. Petebant quidem interdum à Deo Iſraëlitæ, ut Abrahæ, Iſaac & Jacob, item Davidis, recordaretur. Sed nihil aliud ſibi volebant his verbis, niſi ut fœderis ſui, quod cum illis pepigerat, memor, ſecundum promiſſionem ſuam poſteris eorum benefaceret. Fœdus enim gratiæ, quod in Chriſto tandem ſanciendum erat, receperant ſancti illi Patres, ſuo & poſterorum nomine. Quamobrem fideles Iſraëliticæ Eccleſiæ, tali Patrum mentione non ſuffragationem petunt à mortuis, ſed promiſſionem ſimpliciter allegant, quæ apud illos depoſita fuerat, donec in Chriſti manu rata ad plenum fieret. Quam igitur inſana eſt curioſitas, derelicta orandi forma, quam Dominus nobis commendavit, ſine ulla doctrina, nullo exemplo, Sanctorum interceſſionem precibus noſtris inſerere? Sed ut locum hunc breviter concludam, in illa Pauli ſententia pedem figo, *Rom. 10. verſ. 14.* non eſſe veram Dei invocationem, niſi quæ ex fide naſcitur: fidem autem eſſe ex verbo Dei. Satis, niſi fallor, iſtis verbis expreſſit, non alibi firmum orationis fundamentum eſſe, quam in Dei verbo. Et quum alibi in ſingulis vitæ actionibus fidem, hoc eſt, conſcientiæ certitudinem neceſſario præire jubeat, ſpecialiter in hac, & magis quam in aliis omnibus, requiri oſtendit. Hoc tamen adhuc aptius ad præſentem cauſam, quum ex Dei verbo pendere orationem teſtatur. Perinde enim eſt, acſi univerſos homines hiſcere prohiberet, niſi Deo quaſi verba præeunte. Hic eſt nobis murus aheneus, quem fruſtra omnes portæ inferorum diruere tentabunt. Quum igitur de uno Deo invocando clarum extet mandatum: quum deinde propoſitus ſit mediator unus, cujus interceſſione ſuffultæ eſſe debeant noſtræ preces: quum addita quoque ſit promiſſio, quicquid in nomine Chriſti petierimus, nos impetraturos: dabunt veniam homines, ſi certam potius Dei veritatem, quam frivola ipſorum commenta ſequamur. Certe, qui mortuorum interceſſionem Deo in precibus objiciunt, ut facilius, illa adjuti, quod petunt obtineant, alterutrum ex duobus probent neceſſe eſt, aut ſe ita edoctos eſſe Dei verbo: aut licere hominibus orare, ut libuerit. Atqui deſtitui eos omni, tam Scripturæ teſtimonio, quam probato ſanctorum exemplo, palam eſt: in ſecundo autem reclamat Paulus, qui invocari Deum poſſe negat, niſi ab iis, qui ſint ejus verbo inſtituti ad orandum. Hinc illa pendet fiducia, qua pias mentes, quum ad orandum accedunt, præditas inſtructaſque eſſe convenit. Mundus Deo ſupplicat, de ſucceſſu interea dubius. Nam neque in promiſſionem recumbit: nec percipit quid iſtud valeat, habere mediatorem, per quem certo ſit impetraturus quod petit. Porro Deus ve- *Mat. 21. verſ. 22.* nire nos jubet, minime hæſitantes. Ita oratio, quæ ex vera fide profecta, Dei gratiam conciliat: eadem cum ejuſmodi trepidatione conjuncta, potius eum à nobis alienat. Hæc enim eſt propria nota, quæ puram unius Dei invocationem à profanis & vagis Ethnicorum precationibus diſcernit. Proinde, hac ſublata, oratio Dei cultus eſſe deſinit. Atque id eſt, quod vult Jacobus, Qui indiget ſapientia, inquit, *Jac. 1: 6.* poſtulet à Deo. Sed poſtulet in fide, nihil hæſitans. Nam qui hæſitat, is ſimilis eſt fluctui maris, qui ventis agitur, & impetu rapitur. Verum nihil mirum, ſi Chriſto vero mediatore deſtitutus, ita incertitudine diffidentiaque fluctuat. Ille enim unus eſt, ut inquit Paulus, per quem habemus audaciam *Rom. 5: 2.* & aditum cum fiducia, ad Patrem. Nos igitur, ho- *Epheſ. 2. verſ. 18.* mines ad Chriſtum adductos non amplius alternare orando, aut vacillare, ut ſolebant, docuimus: ſed tuto acquieſcere verbo Domini juſſimus: quod ubi ſemel in animum penetrat, omnem inde, quæ fidei repugnat, dubitationem procul excutit.

Reſtat tertium vitium, quod in oratione correxiſſe nos dixi. Nam quum lingua incognita vulgo precarentur homines, precandum cum ſenſu eſſe docuimus. Itaque, ſecundum noſtram doctrinam, ſic quiſque orare privatim inſtituitur, ut intelligat quæ à Deo petit. Sic etiam compoſitæ ſunt publicæ preces in Eccleſiis noſtris, ut à ſingulis poſſint intelligi. Atque ita dictat naturæ ratio: etiamſi nihil Deus hac de re præciperet. Hic enim eſt orationis finis, ut ſuarum neceſſitatum teſtem, & conſcium

Deum

Digitized by Google

Deum faciant homines: & quaſi corda ſua coram eo effundant. Nihil ergo ab ea magis alienum, quam ſine mente & intelligentia, linguam movere. Atqui eo ſtupiditatis ventum erat, ut vulgari lingua orare, prope in religionem verteretur. Poſſum Archiepiſcopum nominare, qui carcerem & atrociores pœnas minatus eſt ſi quis orationem Dominicam, aliter quam Latine, pronunciaret. Cæterum illa fere communis omnium fuit perſuaſio: qua quiſque lingua domi oraret, nihil intereſſe, modo finalis, ut aiebant, mentis intentio ad orandum deſtinaretur. In templis autem hoc viſum eſt plurimum ad dignitatem pertinere, ne alia, quam Latina lingua, preces ſolennes conciperentur.

Hoc quidem jam portenti ſimile, ut nuper dixi, colloquium cum Deo habere velle inani linguæ ſonitu. Hoc etiamſi ſibi diſplicere Deus ipſe non teſtetur, natura, ſine alio monitore, reſpuit. Præterea ex tota Scripturæ doctrina judicare promptum eſt, quantopere talem fictionem abominetur Deus. De publicis autem Eccleſiæ precibus, clara ſunt Pauli verba: non poſſe idiotas reſpondere Amen, ſi benedictio lingua aliena fiat. Quo magis mirum eſt, eo impudentiæ progreſſos eſſe, qui hunc tam perverſum morem introduxerunt primi, ut hoc ipſum, tanquam orationis majeſtati congruum, appeterent, quod Paulus pro ſummo abſurdo ducit. Rideant ergo noſtram rationem, ut volent, adverſarii, quod populari lingua Deum communiter omnes in Eccleſiis noſtris precantur, quod Pſalmos viri & mulieres indifferenter canunt, modo è cælo Spiritus ſanctus teſtimonium nobis reddat: confuſas vero ſine mente voces, quæ alibi eduntur, repudiet.

In altera præcipua doctrinæ parte, qua tractatur, ubi ſita ſit hominum ſalus, & qua via ad eam pervenire poſſint, multæ quæſtiones continentur. Nam quum hominem jubeamus extra ſeipſum, hoc eſt, in ſolo Chriſto, juſtitiam & vitam quærere: quia penes ſe nihil, niſi peccatum & mortem, habeat: primum nobis de libero arbitrio, ejuſque facultatibus, exoritur certamen. Etenim ſi quid per ſe valeat homo ad promerendum Deum, jam non in ſolidum ſalutem, Chriſti gratia, conſequetur, ſed partem ipſe ſibi confert. Rurſum ſi tota ſalus Chriſti gratiæ refertur accepta, nihil homini ſit reliquum, quo ſibi ipſe, ſuapte ſcilicet virtute, ad comparandam ſalutem opituletur. Noſtri autem adverſarii ſic hominem à Spiritu ſancto adjuvari ad bene agendum concedunt, ut partem illi nihilominus vendicent. Hoc ideo fit, quia, quantum ex primi parentis lapſu inflictum ſit naturæ noſtræ vulnus, non percipiunt. Fatentur quidem nobiſcum peccatum originale: ſed vim ejus poſtea extenuant, quum debilitatas modo fuiſſe hominis vires arbitrantur, non autem prorſus depravatas. Itaque definiunt, hominem originali corruptione infectum, non ſufficere quidem ad bene agendum, propter virium infirmitatem: adjutum autem Dei gratia, habere aliquid proprium & à ſeipſo, quod conferat. Nos vero tametſi hominem ſponte & libera voluntate agere, non diffitemur, quum à Spiritu ſancto regitur, ea tamen pravitate imbutam eſſe aſſerimus totam ejus naturam, ut ad bene agendum prorſus ſit à ſeipſo inutilis. De eo ergo tantum diſſidemus ab iis, qui ſe doctrinæ noſtræ opponunt: quod quum illi, neque hominem ſatis humilient, nec regenerationis beneficium pro dignitate extollant, hominem ita proſternimus, ut in nihilum redactus, quod ad ſpiritualem juſtitiam attinet, non partem, ſed plenitudinem juſtitiæ petere à Deo diſcat. Videmur forte quibuſdam, parum æquis judicibus, modum excedere. Sed nihil in doctrina noſtra aut abſurdum, aut diſſentaneum, nec à ſacris Scripturis, nec à communi veteris Eccleſiæ ſenſu. Quin etiam ad verbum ex ore Auguſtini confirmare nullo negotio liceat, quicquid tradimus. Itaque complures ex iis, qui erga cauſam noſtram alias male affecti ſunt, quod paulo ſaniore ſunt judicio, contradicere in hac parte nobis non audent. Certe nihil ab aliis differimus, ſicuti dixi, niſi quod nos hominem, inopiæ impotentiæque ſuæ convictum, melius ad veram humilitatem erudimus, ut abdicata in totum ſui fiducia, in Deum totus recumbat: item ad gratitudinem, ut Dei beneficentiæ, quicquid habet boni, tranſcribat: ſicut revera ab ipſo eſt: illi vero perverſa propriæ virtutis opinione inebriatum præcipitant ad ruinam: & impia adverſus Deum arrogantia inflant, ne ſibi minus, quam Deo, juſtitiæ gloriam aſſignet. Accedit & tertium malum, quod totæ eorum de naturæ corruptione diſputationes in craſſioribus carnis concupiſcentiis fere ſubſidunt: interiores vero morbos, qui longe ſunt capitaliores, non attingunt. Ita fit, ut qui in eorum ſchola ſunt inſtituti, in teterrimis peccatis, modo ſint occulta, ſibi ſecure ignoſcant, quaſi nihil peccent.

Sequitur poſtea quæſtio de operum merito ac dignitate. Nos vero & bona opera ornamus veris laudibus: neque negamus mercedem illis repoſitam eſſe apud Deum. Sed tribus exceptionibus utimur: in quibus totus diſputationis, quæ adhuc de hominum ſalute reliqua eſt, cardo vertitur. Primum dicimus, qualiacunque ſint ullius hominis opera, non aliunde juſtum coram Deo cenſeri, quam ex gratuita miſericordia, quod Deus, citra aliquem operum reſpectum, gratis eum in Chriſto amplectitur: Chriſti juſtitiam illi, tanquam propriam, imputando. Hanc nos fidei juſtitiam vocamus: quum homo ſcilicet, vacuus & exinanitus omni operum fiducia, hanc ſibi unicam rationem eſſe ſtatuit, qua Deo ſit acceptus, quum juſtitiam, quæ ſibi deeſt, à Chriſto mutuatur. In eo mundus ſemper hallucinatur (nam hic omnibus fere ſeculis graſſatus eſt error) quod hominem, utcunque ex parte deficiat, mereri tamen aliquouſque operibus gratiam apud Deum imaginatur. At Scriptura omnes maledictos eſſe pronunciat, qui non ad plenum obſervaverint, quæcunque ſcripta ſunt in libro Legis. Huic maledictioni ſubjacere neceſſe eſt, quotquot ab operibus æſtimantur: eximitur autem nemo, niſi qui operum fiducia in totum valere juſſa, Chriſtum induit, ut in illo juſtus, gratuita Dei acceptione, cenſeatur. Inde ergo juſti ſumus, quod nos Deus, nullo operum noſtrorum, ſed ſolo Chriſti intuitu, ſibi reconciliat: & ex filiis iræ gratuita adoptione, filios ſuos facit. Quamdiu enim opera noſtra reſpicit, cauſam non invenit, cur nos amare debeat. Quamobrem neceſſe eſt, ut, ſepultis peccatis noſtris, Chriſti obedientiam, quæ ſola ejus conſpectum ſuſtinere poteſt, acceptam nobis ferat, ejuſque merito nos amplexetur pro juſtis. Hæc eſt clara & perpetua Scripturæ doctrina, quæ teſtimonium quidem, ut ait Paulus, habet à Lege & Prophetis: ſed per Evangelium ſic explicata eſt, ut nulla clarior lex deſiderari debeat. *Rom. 3. verſ. 21.* Legis juſtitiam cum Evangelii juſtitia confert Paulus: illam in operibus locat: hanc in Chriſti gratia. *Rom. 10. v. 5. &c.* Neque inter opera & Chriſtum dimidiat, ſed in ſolidum Chriſto adſcribit, quod coram Deo juſti cenſemur. Duo hic in quæſtionem veniunt: utrum inter nos & Deum dividenda ſit ſalutis noſtræ gloria: utrum in operum fiducia tuto acquieſcere coram Deo conſcientiæ noſtræ poſſint. De priore ita definit Paulus: ut omne os obſtruatur, & obnoxius reddatur totus mundus Deo, omnes ad unum reos eſſe injuſtitiæ, & gloria deſtitutos: gratis autem juſtificari illius gratia, per redemptionem quæ eſt in Chriſto Jeſu, idque ad oſtenſionem illius juſtitiæ, ut ſit ipſe juſtus, & juſtificans eum, qui eſt ex fide Chriſti. *Rom. 3. verſ. 19, 20. &c.* Unde colligit, excluſam omnem carnis gloriationem eſſe. Hanc nos definitionem ſimpliciter ſequimur: reclamant adverſarii, non aliter juſtificari hominem Dei

gratia,

Digitized by Google

gratia, niſi ut pars laudis in ejus operibus reſideat.
Rom. 4. De altero ita ratiocinatur idem Paulus: ſi ex Lege
verſ. 14. eſſet vitæ hæreditas, irritam fidem fore, & pro-
Rom. 4. miſſionem nullam. Unde concludit, fide nos hære-
verſ. 16. ditatem conſequi, ut firma ſit promiſſio. Item, juſti-
Rom. 5. ficatos in Chriſto, pacem habere, neque amplius
verſ. 1. formidare Dei conſpectum. Intelligit autem, quod
pro ſe quiſque noſtrum experitur, fieri aliter non
poſſe, quin perpetua inquietudine vexentur, ac
æſtuent conſcientiæ, quamdiu ad operum præſidium
circumſpiciunt: ac tunc demum ſerena placidaque
tranquillitate frui, quum ad Chriſtum ſe contule-
runt, tanquam ad unicum veræ fiduciæ portum. Ad
hanc doctrinam nos nihil addimus. Sed quod Pau-
lus pro ingenti abſurdo ducit, conſcientias dubita-
tione inquietari, adverſarii inter prima fidei ſuæ
axiomata numerant.

Secunda exceptio, qua utimur, ad peccatorum re-
miſſionem pertinet. Nam adverſarii quidem, quum
negare nequeant, homines tota vita claudicare,
ſæpe etiam labi: fateri velint nolint, etiam cogun-
tur, venia omnes indigere, per quam juſtitiæ de-
fectus ſuppleatur. Sed ſatisfactiones poſtea fingunt,
quibus Dei gratiam redimant, qui peccarunt. In hoc
gradu conſtituunt primum contritionem, deinde
opera, quæ vocant ſupererogationis, & quæ pecca-
toribus irrogantur à Deo pœnæ. Porro quoniam
compenſationes iſtas à juſta menſura longe adhuc
abeſſe ſentiunt, aliunde accerſunt novum ſatisfactio-
nis genus: ex beneficio clavium ſcilicet. Clavibus
autem reſerari dicunt theſaurum Eccleſiæ: ut quod
nobis deeſt, ex Chriſti & Sanctorum meritis ſup-
pleatur. Nos vero, gratuito remitti hominibus pec-
cata aſſerimus, nec ullam agnoſcimus aliam ſatis-
factionem, niſi qua defunctus eſt Chriſtus, quum ſa-
crificio mortis ſuæ, peccata noſtra expiavit. Solius
ergo Chriſti beneficio fieri prædicamus, ut recon-
ciliemur Deo: nec ullas hic compenſationes venire
in rationem: quum ſola Chriſti expiatione contentus
cæleſtis Pater, nullam à nobis requirat. Hujus no-
ſtræ doctrinæ luculentam habemus approbationem
ex Scripturis: tametſi non noſtra, ſed catholicæ po-
tius Eccleſiæ dicenda eſt. Hunc enim modum re-
2 Cor. 5. deundi cum Deo in gratiam ſolum proponit Apoſto-
verſ. 21. lus: quod is qui peccatum non noverat, pro nobis
factus ſit peccatum, ut efficeremur juſtitia Dei in
Rom. 4:5. illo. Et alibi, quum de remiſſione peccatorum lo-
quitur, per eam nobis imputari abſque operibus ju-
ſtitiam teſtatur. Quod ergo ſuis ſatisfactionibus
promereri ſe imaginantur adverſarii reconciliatio-
nem cum Deo, pœnaſque redimere ipſius judicio
debitas, execrabilem eſſe blaſphemiam, fortiter,
ſicuti eſt, aſſeveramus: quum ita deſtruatur quod
Jeſa. 53. Jeſaias de Chriſto tradit, diſciplina, aut correctione
verſ. 5. pacis noſtræ eum eſſe perfunctum. Ineptum quoque
illud de operibus ſupererogationis commentum cur
repudiemus, multæ ſunt cauſæ: ſed duæ plus ſatis
graves: quod nec ullo modo tolerabile eſt, plus
poſſe Deo præſtare hominem, quam debeat: & eo
nomine ut plurimum cultus voluntarios intelligunt,
quos dum homines ex ſuo cerebro fictos Deo ob-
trudunt, oleum perdunt & operam: tantum abeſt,
ut iræ Dei placandæ piacula cenſeri debeant. Porro
Chriſti ſanguinem cum Martyrum ſanguine ſic mi-
ſceri, ut ad redimendas, quæ peccatis debentur, pœ-
nas, confuſus meritorum, aut ſatisfactionum acer-
vus fiat, nec debuimus ferre, nec tulimus. Nullius
Tract. in enim Martyris ſanguis, ut ait Auguſtinus, in remiſ-
Joan. 84. ſionem peccatorum fuſus eſt. Hoc ſolius Chriſti fuit
opus: in quo non quod imitaremur, ſed quod gra-
tularemur, contulit nobis. Cui præclare ſuccinit
Epiſt. 81. Leo, quum ita ſcribit: Quamvis in Dei conſpectu
item 97. multorum Sanctorum pretioſa mors fuerit, nullius
tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi, acce-
pêre juſti, non dederunt coronas: & de fortitudine
fidelium nata ſunt exempla patientiæ, non dona ju-
ſtitiæ.

Poſtrema noſtra exceptio eſt de remuneratione
operum: ne pendere ex eorum merito, vel pretio
exiſtimetur, ſed ex mera potius Dei benignitate.
Fatentur quidem etiam adverſarii, inter meritum
operis, & præmium, non eſſe æqualitatem. Verum,
quod præcipuum eſt in hac re, non conſiderant:
bona fidelium opera nunquam tam pura eſſe, ut pla-
cere, ſine venia, queant. Non conſiderant, in-
quam, aliquibus ſemper nævis, aut maculis aſperſa
eſſe: eo quod nunquam ex pleno perfectoque illo
Dei amore, qui in Lege exigitur, fluant. Nos ergo
ſic docemus: ſemper deeſſe bonis fidelium operibus
ſummam puritatem, quæ Dei conſpectum ferre
poſſit: imo etiam quodammodo inquinata eſſe, ſi
ſummo jure examinentur. Verum ubi ſemel fideles
in gratiam adoptionis recepit Deus, non eorum
modo perſonas amplecti & amare, ſed opera etiam,
ut ea mercede dignetur. In ſumma, ſicut de homine
dictum eſt, ita de operibus cenſemus: juſtificari ſci-
licet ea, non propria dignitate, ſed merito unius
Chriſti: dum vitia, quibus alioqui diſplicerent,
Chriſti ſacrificio ſepeliuntur. Hæc admonitio per-
quam utilis eſt cognitu, tum ad homines in Dei ti-
more retinendos, ne operibus ſuis arrogent, quod
ex paterna Dei benevolentia provenit: tum ad eos
optima conſolatione erigendos, ne animos deſpon-
deant, dum operum ſuorum vel immunditiem, vel
imperfectionem reputant: quum audiant paterna
Dei indulgentia eam ſibi ignoſci.

Doctrinam ſequuntur Sacramenta, in quibus ni-
hil eſt à nobis correctum, quod non firma teſtataque
auctoritate defendere liceat. Quum ſeptem eſſe cre-
derentur à Deo inſtituta, quinque ex eo numero
ſuſtulimus: ac demonſtravimus, ceremonias eſſe hu-
manitus introductas, excepto conjugio: quod à
Deo quidem mandatum, ſed minime ut Sacramen-
tum foret, agnoſcimus. Neque vero de nihilo liti-
gamus, quum ritus, hominum conſilio ſuperaddi-
tos, etiamſi alias non mali eſſent nec inutiles, ſepa-
ramus à ſacroſanctis illis ſymbolis, quæ & ore ſuo
nobis commendavit Chriſtus, & teſtimonia eſſe vo-
luit ſpiritualium donorum: quæ ut non ſunt in ho-
minum poteſtate, ita, de iis teſtari minime poſſunt.
Non eſt profecto res vulgaris, obſignare cordibus
noſtris arcanam Dei benevolentiam, Chriſtum offer-
re, & repræſentare, quæ in ipſo percipimus bona.
Hoc officii quum habeant Chriſti Sacramenta, non
diſcernere ab illis ritus ab hominibus profectos,
cælum terræ miſcere eſt. Quanquam hic duplex
error invaluerat, quod ſublato inter divina & hu-
mana diſcrimine, nimium derogabant ſacro Dei
verbo, quo tota vis Sacramentorum conſtat: &
quod Chriſtum falſo eorum eſſe auctorem putabant,
quæ non niſi ab hominibus habebant originem.

Ex Baptiſmo ſimiliter multa additamenta, quæ
partim inutilia, partim ob ſuperſtitionem noxia
erant, reſcidimus. Scitur quam baptizandi formam
acceperint à Chriſto Apoſtoli, quam obſervaverint
ſua ætate, quam denique poſteris reliquerint. Hæc
ſimplicitas, quæ Chriſti auctoritate, & Apoſtolo-
rum uſu comprobata erat, poſterioribus ſeculis non
ſatisfecit. Non diſputo in præſentia, quam juſtis
rationibus fuerint adducti, qui chriſma, ſal, ſpu-
tum, cereos poſtea addiderunt. Tantum dico, quod
neminem latet, eo ventum fuiſſe aut ſuperſtitionis,
aut ſtultitiæ, ut multo pluris fierent ejuſmodi ac-
ceſſiones, quam ipſa Baptiſmi veritas. Præpoſteram
quoque fiduciam tollere ſtuduimus, quæ in externa
actione defixa, in Chriſtum minime reſpiciebat. Ita
enim, tam in ſcholis quam in concionibus, ſigno-
rum efficaciam extulerunt, ut homines ad Chriſtum
non dirigendo, viſibilibus elementis confidere do-
cerent. Poſtremo revocavimus antiquum morem;
ut

ut cum doctrina in Eccleſiis noſtris adminiſtraretur. Porro diligenter & optima fide tum utilitatem quam nobis affert, tum legitimum ipſius uſum exponimus, ut ne adverſarii quidem habeant in hac parte, quod reprehendant. Nihil autem magis alienum à Sacramentorum natura, quam inane ſpectaculum populo, abſque myſterii enarratione, exhiberi. Notum eſt illud, quod ex Auguſtino ſumptum refert Gratianus, Nihil aquam eſſe, niſi elementum, ſi deſit verbum. De quo autem verbo ſentiat, continuo interpretatur, quum inquit: Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Novum ergo adverſariis noſtris videri non debet, ſi nos ſigni exhibitionem, à myſterii intelligentia ſeparatam improbamus: Eſt enim ſacrilegum divortium, quod ordinem à Chriſto poſitum evertit. Tametſi aliud præterea vitium in vulgari & alibi uſitata adminiſtratione accedit, quod pro religione habent, non intelligi: qualiter in magicis incantamentis fieri ſolet.

Jam vero ſacroſanctam Domini Cœnam, alterum Chriſtianæ Eccleſiæ Sacramentum, non pollutam modo, ſed prope abolitam fuiſſe, ante dixi. Quo magis in ea repurganda laborandum nobis fuit. Primo, impium illud de ſacrificio commentum, quod multas abſurditates continebat, revellere ex hominum animis neceſſe fuit. Præterquam enim quod contra diſertam Chriſti inſtitutionem erectus fuerat oblationis ritus, addita fuerat peſtilentiſſima opinio, actionem illam expiationem eſſe pro peccatis. Ita Sacerdotii dignitas, quæ in ſolum Chriſtum competebat, ad homines mortales, & virtus mortis ipſius, ad horum opus translata fuerat. Inde quoque fluxerat applicatio pro vivis & mortuis. Abrogata igitur commentitia illa immolatione, communionem reſtituimus: quæ maxima in parte obſoluerat. Modo enim ſemel quotannis accederent homines ad menſam Domini, toto anni curſu ſatis putabant eſſe, ſi ſpectarent quod à ſacerdote agebatur: Cœnæ quidem Dominicæ prætextu: ſed ita ut nullum illic Cœnæ veſtigium extaret. Quæ enim ſunt Domini verba? Accipite, inquit, & diſtribuite inter vos. In Miſſa vero, pro receptione, oblationis ſimulatio: diſtributio nulla, ac ne invitatio quidem: ſacerdos enim, quaſi reſectum à reliquo corpore membrum, ſoli ſibi parat, & ſolus ſumit. Immane quantum hæc inter ſe differunt! Præterea calicis uſum reddidimus populo, qui quum illi à Domino non modo permiſſus, ſed commendatus foret, non alio ſane auctore, quam Satana ablatus fuit. Ex ceremoniis multas abdicavimus: partim quia multitudo præter modum excreverat, partim quia aliæ Judaiſmum nimis redolebant: aliæ, ab imperitis hominibus inventæ, tanti myſterii gravitati parum congruebant. Verum demus nihil aliud fuiſſe mali, niſi quod temere obrepſerant: an non fuit ſatis idonea cauſa cur tollerentur, quum vulgus hominum illis obſtupeſcere cerneremus?

Ad transſubſtantiationis commentum, ad morem item cuſtodiendi & geſtandi panis damnandum, major nos impulit neceſſitas. Primum repugnat apertis Chriſti verbis: deinde à perpetua Sacramentorum abhorret ratione. Neque enim Sacramentum eſt, ubi non conſpicitur viſibile ſymbolum, quod ſimilitudinem habeat cum ſpirituali, quam figurat,
1 Cor. 10. veritate. Et de Cœna clarum eſt, quod dicit Paulus:
verſ. 17. Nos unum eſſe panem & unum corpus omnes, qui unius panis participes ſumus. Ubi analogia aut ſimilitudo ſigni viſibilis in Cœna, quæ corpori & ſanguini Domini reſpondeat, ſi panis non eſt, quo veſcimur, neque vinum, quod illic bibitur, ſed inane modo ſpectrum, quod oculos ludat? Adde, quod huic commento ſimul continuo adhæret deterior ſuperſtitio, ut in pane, tanquam in Deo, hæreant homines, illumque pro Deo adorent: qualiter videmus fuiſſe factum. Nam quum adminiculo deberet eſſe Sacramentum, ad erigendas in cœlum pias mentes, prorſus in contrarium finem ſacris Cœnæ ſymbolis abuſus eſt mundus, ut ſcilicet illorum aſpectu cultuque contentus, mentem ad Chriſtum uſque non attolleret. Geſtari vero panem in pompa, aut editiore loco reponi, ut adoretur, nimis aliena eſt ab inſtitutione Chriſti corruptela. Porrigit enim nobis in Cœna Dominus corpus & ſanguinem ſuum: ſed ut edamus & bibamus. Itaque mandatum priore loco ponit: quo jubet accipere, manducare, bibere; huic deinde ſubjungit & annectit promiſſionem: qua teſtatur, id quod edimus, eſſe corpus ſuum; quod bibimus, eſſe ſuum ſanguinem. Qui igitur panem ad cultum vel repoſitum habent, vel circumferunt, quum promiſſionem ſeparent à mandato, hoc eſt, jugum inſolubile abrumpant, Chriſti quidem corpus imaginantur ſe habere: ſed non niſi idolum habent, quod ſibi ipſi ſomniarunt. Siquidem non ad alios pertinet hæc Chriſti promiſſio, qua nobis ſub ſymbolis panis & vini, corpus & ſanguinem ſuum offert, quam ad eos, qui ſumunt ex ejus manu, ut myſterium celebrent, quod ipſe præcipit. Qui vero ſuo arbitrio panem ad aliam actionem convertunt, illis, quum promiſſione careant, nihil niſi ſuum ſomnium ſupereſt. Poſtremo doctrinam, myſteriique enarrationem, quæ à populo exaudiretur, revocavimus: quum ante ſacerdos non modo lingua extranea uteretur, ſed verba, quibus panem & calicem putabat conſecrari, ſubmiſſa voce demurmuraret. Hic nihil habent reprehenſores noſtri in quo nos carpant, niſi quod Chriſti mandatum ſimpliciter ſequuti ſumus. Non enim tacito exorciſmo pani præcepit, ut corpus ſuum fieret: ſed Apoſtolis clara voce pronunciavit ſuum illis corpus ſe dare.

Interea ſicut Baptiſmi, ita & ſacræ Cœnæ finem, efficaciam, utilitatem, uſum fideliter, & qua poſſumus optima diligentia, populo tradimus. Exhortamur primum omnes, ut fidem afferant, qua intus percipiant, quod illic repræſentatur oculis: hoc eſt, ſpirituale alimentum, quo ſolo animæ in vitam æternam paſcuntur. Teſtamur Dominum nihil hic ſignis polliceri aut figurare, quod non reipſa exhibeat. Corpus ergo & ſanguinem Chriſti, & offerri in Cœna nobis à Domino, & à nobis recipi prædicamus. Nec ita panem & vinum ſymbola eſſe docemus, quin continuo addamus, conjunctam ſimul eſſe veritatem, quam ſignificant. Quis, & quam inſignis inde fructus ad nos redeat, & quam hic præclarum ſalutis & vitæ pignus habeant conſcientiæ noſtræ, non tacemus. Neque vero hoc mihi negabunt, quicunque aliquid habent ingenuitatis, multo illuſtriorem apud nos audiri explicationem myſterii hujus, ac plenioribus elogiis ejus commendari dignitatem, quam alibi uſquam fieri ſoleat.

In Eccleſiæ regimine nihil habemus ab aliis diverſum, cujus non conſtet nobis optima ratio. Paſtorale munus reſtituimus tum ad regulam Apoſtolicam, tum ad veteris Eccleſiæ conſuetudinem: ut quicunque Eccleſiæ præſunt, doceant. Eoſdem retinendos in gradu non eſſe contendimus, niſi officium facere pergant. In iiſdem eligendis plus religionis & curæ adhibendum eſſe admonuimus, & ipſi ſtuduimus adhibere. Satis conſtat, quale examinis genus per ſuos ſuffraganeos, aut vicarios exerceant Epiſcopi. Et ex ipſo fructu, qui inde manat, licet conjecturam capere. Nam quam inertes nihilique homines paſſim ad ſacerdotii honorem promoveant, nihil attinet commemorare. Apud nos, etiam ſi qui Miniſtri reperiantur non magnæ doctrinæ, nullus tamen admittitur, qui non mediocriter ſaltem aptus ſit ad docendum. Quod non omnes ſunt magis abſoluti, id temporum potius calamitati, quam nobis, imputandum. Hoc tamen nobis jure gloriari licet, licebitque ſemper, non negligenter delectos videri

poſſe

poſſe Eccleſiarum noſtrarum Miniſtros, ſi cum aliis comparentur. Quum autem in examine & electione aliquanto ſimus ſuperiores, in eo longe præcellimus, quod nemo apud nos Paſtoris locum occupat, qui munus oon exequatur. Nulla itaque apud nos Eccleſia ſine ordinaria verbi Dei prædicatione viſitur.

Hæc quum adverſarios pudeat negare (quid enim in tanta luce negando proficerent?) de jure primum & poteſtate, poſtea de ordinandi forma, litigant nobiſcum. Citant vetuſtos canones, qui Epiſcopos & clerum huic rei præficiunt. Allegant continuam ſucceſſionem, qua ſibi hæc poteſtas, ab ipſis uſque Apoſtolis, per manus fuerit tradita. Alio igitur transferri, fas fuiſſe negant. Utinam vero, quam jactant poſſeſſionem, ſuo merito retinuiſſent. Sed ſi expendimus, primum quo ordine jam per aliquot ſecula provehantur Epiſcopi ad hanc dignitatem, tum qualiter in ea ſe gerant, tum etiam quales creare ſoleant, quibus committant Eccleſiarum gubernacula, videbimus illam, qua ſuperbiunt, ſucceſſionem jampridem intercidiſſe. Ejus, qui ad Epiſcopatum, vel presbyterium recipiendus eſt tum doctrinam, tum vitam prius juſto examine probari volunt antiqui canones. Extat inter acta Concilii Aphricani quarti de hac re luculentum documentum. Porro ejus, qui à clero nominatus eſſet vel recuſandi, vel approbandi arbitrium penes populum & magiſtratum erat: ne quis invitis, aut non conſentientibus obtruderetur. Qui præfuturus eſt omnibus, inquit Leo epiſtola 90., ab omnibus eligatur. Qui enim ignotus & non examinatus præficitur, neceſſe eſt, ut per vim intrudatur. Item epiſtola 87., Teneatur honoratorum teſtimonium, ſubſcriptio clericorum, ordinis conſenſus atque plebis. Aliter fieri nulla ratio ſinit. Hoc ipſum Cyprianus quoque, & quidem vehementius, contendit: divina auctoritate ſancitum eſſe affirmans, ut ſacerdos, plebe præſente, ſub omnium oculis deligatur: ut dignus & idoneus omnium teſtimonio comprobetur. Tantiſper ſtetit hæc diſciplina, dum tolerabilis fuit Eccleſiæ ſtatus. Siquidem plenæ ſunt Gregorii epiſtolæ teſtimoniis, quæ illa ætate diligenter fuiſſe obſervatam oſtendunt.

Quemadmodum docendi neceſſitatem Epiſcopis omnibus injungit Spiritus ſanctus in Scriptura, ita ſimile portenti habitum fuiſſet in veteri Eccleſia, Epiſcopum nominari, qui non ſimul paſtorem ſe, doctrina, exhiberet. Neque alia conditione in illum gradum recipiebantur. Eadem in presbyteris, prout certæ quiſque parochiæ deſtinabatur, ratio valebat. Hinc illa decreta: Ne ſecularibus negotiis implicentur: ne longius à ſua Eccleſia excurrant: ne diu abſint. Jam ad ordinandum Epiſcopum, ut convenirent ex tota provincia alii Epiſcopi, ſancitum erat decretis Synodalibus. Quod ſi commode id fieri non poſſet, ne ſaltem minus quam tres adeſſent. Idque in eum finem, ne quis, aut per tumultum ſe ingereret, aut furtim obreperet, aut obliquis artibus ſe inſinuaret. In presbyteri ordinatione Epiſcopus ſuorum quiſque presbyterorum concilium adhibebat. Hæc, quæ in diſputatione longius narrari, & accuratius confirmari poſſent, obiter tantum hic commemoro: quia inde judicare promptum erit, quantum habere debeat momenti hic, quem Epiſcopi noſtri ad perſtringendos oculos objectant, ſucceſſionis fumus.

Hanc ſibi hæreditatem relictam à Chriſti Apoſtolis fuiſſe aſſerunt, ut Eccleſiis ſoli præficiant quos velint: & nos, quia præter eorum auctoritatem fungamur miniſterio, in ſuam poſſeſſionem, ſacrilega temeritate, invaſiſſe conqueruntur. Unde probant? Quia continuo tenore Apoſtolis ſucceſſerint. Verum an id ſatis eſt, ubi reliqua omnia ſunt diſſimilia? Ridiculum id quidem dictu foret. Dicunt tamen. In ipſis eligendis nulla neque vitæ, neque doctrinæ habetur ratio. Populo erepta ſuffragiorum libertas. Quin etiam, excluſo reliquo clero, ad ſe Canonici totam poteſtatem traxerunt. Ordinationem quoque Romanus Pontifex, provincialibus Epiſcopis ereptam, ſoli ſibi arrogat. Jam quaſi ad profanam dominationem creati forent, nihil minus, quam de gerendo Epiſcopatu cogitant. Denique quum videatur facta inter eos conſpiratio, ne quid vel cum Apoſtolis, vel cum ſanctis Eccleſiæ patribus habeant ſimile, hunc ſolum colorem obtendunt, quod perpetua ſerie ab illis deſcenderint. Quaſi vero hanc legem aliquando tulerit Chriſtus, ut qualeſcunque futuri eſſent, qui præeſſent ſuæ Eccleſiæ, pro Apoſtolis agnoſcerentur: aut quaſi hæreditaria aliqua ſit poſſeſſio, quæ ad indignos, non minus quam ad dignos, tranſeat. Adde quod, ſicut de Meleſiis dicitur, inter eos cautum eſt, ne quem omnino bonum in cœtum ſuum admittant: aut ſi forte per errorem admiſerint, non ferant. De multitudine loquor. Nam paucos non nego inter eos, bonos eſſe. At, vel metu ſilent, vel non audiuntur. Qui ergo Chriſti doctrinam perſequuntur ferro & igni: qui neminem impune, ſincere loqui de Chriſto ſinunt: qui veritatis curſum impediunt, quibus poſſunt modis: qui fortiter reſiſtunt, ne Eccleſia, quam afflixerunt, ſe iterum erigat: qui quoſcunque bene & pie ſentire de Eccleſiæ ſalute ſuſpicantur, arcent à miniſterio: vel ſi jam recepti ſint, extrudunt: ab illis ſcilicet expectandum erat, dum fideles Miniſtros, qui populum in religione pure inſtituerent, ipſi in officio collocarent ſuis manibus.

At quum vice proverbii uſitata ſit inter eos Gregorii ſententia, privilegium mereri amittere, qui privilegio abutuntur: aut prorſus alii ſint, & alios eligant ad Eccleſiam gubernandam, aliamque rationem teneant, neceſſe eſt: aut conqueri deſinant, jure, quod ſibi competebat, ſe fuiſſe perperam & injuria ſpoliatos. Aut ſi malunt apertius: alia ratione perveniant ad Epiſcopatum, quam pervenerint: alio more & ritu ordinentur: munus ſuum, plebem paſcendo, impleant, ſi pro Epiſcopis agnoſci volunt. Ut poteſtatem nominandi & ordinandi retineant, juſtum illud & ſerium doctrinæ vitæque examen reſtituant: quod jam multis ſeculis inter eos obſolevit. Quanquam hæc una ratio inſtar mille habenda: quod omnem in Eccleſia auctoritatem perdidit, quicunque ſe ſanæ doctrinæ hoſtem eſſe reipſa oſtendit: qualicunque interea titulo ſe venditet. Scitur, quid de hæreticis præcipiant veteres Synodi: quam illis poteſtatem relinquant. Nominatim certe vetant, ne quiſquam ab illis ordinationem petat. Hoc ergo jus tueri nemo poteſt, niſi qui doctrinæ puritate Eccleſiæ unitatem conſervat. Dicimus eos, qui Epiſcoporum nomine hodie præſident Eccleſiis, adeo non eſſe fidos piæ doctrinæ cuſtodes ac miniſtros, ut acerrimi ſint potius illius hoſtes. Dicimus hoc unum eos moliri, ut Chriſto, cum Euangelii ſui veritate, extincto, idololatriam, impietatem, peſſimos & exitiales errores confirment. Dicimus eos non verbis modo pertinaciter veram pietatis doctrinam impugnare, ſed furioſe ſævire in eos omnes, qui eam ex tenebris eruere cupiunt. Adverſus tot, quibus renituntur, impedimenta ſtudemus operam noſtram Eccleſiæ impendere. Ob hanc cauſam nobiſcum expoſtulant, quod illicitis modis in eorum poſſeſſionem irruamus.

Quod ad formam aut ceremoniam attinet: digna res ſcilicet, de qua nobis ſint moleſti. Quia ſacerdotum apud nos manus non unguntur: quia non flamus in eorum faciem: quia alba eos & reliquo ejus generis ornatu non induimus: ordinationem rite à nobis fieri non credunt. Atqui nullam olim ceremoniam præter manuum impoſitionem, in uſu fuiſſe,

legimus. Recentia ſunt iſta, nec aliunde quicquam habent commendationis, niſi quod nunc vulgo tanta religione obſervantur. Sed quid hoc ad rem? Nam in rebus tantis major, quam hominum auctoritas quæritur. Proinde quæ ab hominibus inventa ſunt, abſque religione, quoties ita poſtular temporum conditio, mutare licet: quæ vero non ita pridem extiterunt, multo minus habent momenti. Calicem præterea & patenam in manum porrigunt ſuis, quos creant, ſacerdotibus? Quorſum? Ut eos ad ſacrificandum inaugurent. Sed quo mandato? Neque enim aut Apoſtolis unquam hanc functionem Chriſtus injunxit, aut ab eorum ſucceſſoribus ſuſcipi voluit. Inepti ergo ſunt, quum de ordinandi forma nobis faceſſunt negotium: in qua nihil à Chriſti regula, & Apoſtolorum uſu, à veteris Eccleſiæ conſuetudine minimum differimus: quum ſuam illam, de cujus neglectu nos accuſant, neque Dei verbo, neque firma ratione, neque antiquitatis obtentu poſſint defendere.

In parte regiminis Eccleſiaſtici ſunt leges: ex quibus eas libenter recipimus, quæ nec conſcientiarum ſunt laquei, & ad ordinis publici conſervationem faciunt: quæ autem vel per tyrannidem, ad opprimendas ſervitute conſcientias impoſitæ fuerant: vel ſuperſtitioni ſerviebant magis, quam ædificationi, eas abrogare coacti fuimus. Hoc loco, faſtidii primum & importunitatis nos inſimulant hoſtes noſtri: deinde carnis licentiam quærere nos criminantur: ut excuſſo diſciplinæ jugo, laſciviamus prout libuerit. Verum, ſicut dixi, quin reverenter cuſtodiantur quæcunque in hunc tantum finem reſpiciunt leges, ut decenter & ordine gerantur inter fideles omnia, minime repugnamus. Neque vero de ſingulis, quas abrogavimus, recuſamus cauſam dicere, cur ita fieri oportuerit. Certe laboraſſe præter modum Eccleſiam ſub traditionum humanarum onere, & ſublevandam neceſſario fuiſſe, ſi conſultum illi vellemus, probatu difficile non eſt. Nota eſt Augu-
Epiſt. 2. ad Januarium. ſtini querimonia, qua ſuæ ætatis calamitatem graviter deplorat, quod Eccleſia, quam Dei miſericordia liberam eſſe voluit, ſic jam tum premebatur, ut tolerabilior fuiſſet Judæorum conditio. Ex eo tempore numerum fere in decuplum creviſſe, veriſimile eſt. Multo vero plus crevit exigendi rigor. Quid ſi igitur nunc reſurgeret ſanctus ille vir, ac infinitam iſtam legum multitudinem inſpiceret, ſub qua demerſæ gemunt miſeræ conſcientiæ? Quid ſi rurſum cerneret, qua ſeveritate exigatur earum obſervatio? Excipient forſan reprehenſores noſtri, nos cum Auguſtino deflere potuiſſe, ſi quid diſpliceret: correctioni vero manum non fuiſſe adhibendam. Cujus objectionis facilis eſt ſolutio. Nam quum putarentur obſervatu neceſſariæ eſſe hominum leges, corrigi debuit pernicioſus hic error. Quæ externæ politiæ cauſa feruntur leges, obedienter ſervandas eſſe, ſicut dixi, non negamus. Ad regendas conſcientias non niſi unus Deus eſt Legiſlator. Maneat ergo penes ipſum ſolum hæc, quam ſibi multis Scripturæ locis vindicat, auctoritas. In ea te primum Dei hono-, quem nullo modo imminui fas eſt: deinde ſpiritualis conſcientiarum libertas vertitur, quam Paulus hominum arbitrio ſubjici ſummopere vetat. Quod itaque officii noſtri erat, ut fidelium conſcientias indigna ſervitute, qua conſtrictæ tenebantur, eximeremus, eas ab hominum legibus liberas & ſolutas eſſe docuimus. Hanc libertatem, quæ acquiſita eſſet Chriſti ſanguine, non eſſe proſtituendam. In hac cauſa ſi quis nos reos faciat, trah.t in eundem ſimul reatum & Chriſtum, & Apoſtolos, neceſſe eſt. Necdum alia mala, quæ nos in humanas traditiones invehi coëgerunt, enumero. Duo tantum ponam: quibus auditis, æquos omnes lectores contentos fore confido. Nempe quod earum nonnullæ, quum præſtandi, quod exigebant, facultatem excederent, nihil quam ad hypocriſin inducere, vel in deſperationem conjicere homines poſſent. In omnibus autem uſu venerat, quod exprobrabat Chriſtus Phariſæis: ut propter eas irrita fierent mandata Dei.

Exempla huc adducam, quibus id magis perſpicuum fiet. Tria ſunt, de quibus maxime nobis ſuccenſent: quod liberum fecerimus quovis die eſum carnium: quod Sacerdotibus conjugium permiſerimus: quod ſecretam confeſſionem, quæ ad Sacerdotis autem fiebat, repudiaverimus. Reſpondeant mihi bona fide adverſarii, an non aſperius puniatur apud eos, qui carnem die Veneris guſtaverit, quam qui toto anni curſu aſſidue ſcortatus ſit? An non capitalius cenſetur crimen, ſi uxorem duxerit Sacerdos, quam ſi centies in adulterio fuerit deprehenſus? An non facilius ignoſcunt, ſi quis multa Dei præcepta contempſerit, quam ſi peccata ſua neglexerit, ſemel quotannis, in aurem Sacerdotis confiteri? Quale, obſecro, portentum, delictum videri leve & venia dignum, ſi quis ſacroſanctam Dei Legem violaverit: ſi quis autem hominum placita tranſgreſſus fuerit, ſcelus inexpiabile haberi? Non eſt quidem novum exemplum, fateor. Nam & hujus pravitatis, quemadmodum dixi, inſimulat Chriſtus Pha- *Mat. 15.*
riſæos, quod propter ſuas traditiones, irrita faciant *verſ. 6.*
mandata Dei. Hæc vero illa eſt Antichriſti arrogantia, de qua loquitur Paulus, quod ſedeat in templo *2 Theſſ. 2.*
Dei, oſtentans ſe pro Deo. Ubi enim incompa- *verſ. 4.*
rabilis Dei majeſtas, poſtquam huc mortalis homo provectus eſt, ut ejus leges æternis Dei decretis præferantur? Omitto quod ciborum & conjugii prohibitionem, doctrinam dæmoniorum appellat *1 Tim. 4.*
Apoſtolus. In eo quidem jam plus ſatis mali. Sed hic *verſ. 3.*
ſupremus eſt impietatis cumulus, altiore gradu hominem collocare, quam Deum. Si negant me verum dicere, ego ad rem provoco.

Jam duæ illæ, de cælibatu & auriculari confeſſione, leges quid aliud ſunt quam diræ animarum carnificinæ? Ut omnes Eccleſiarum miniſtri perpetuam caſtitatem voveant. Voto concepto, ne illis unquam uxores ducere fas ſit. Quid ſi continentiæ dono privatus uratur? Nulla, inquiunt, exceptio hic locum habeat. At experientia oſtendit, quanto præſtitiſſet, nunquam Sacerdotibus impoſitum eſſe hoc jugum, quam in fornace libidinum incluſos, perpetuo incendio æſtuare. Recitant adverſarii virginitatis laudes: recitant & commoda cælibatus, quo non temere interdictum Sacerdotibus fuiſſe conjugium evincant. Decorum quoque & honeſtatem obtendunt. Sed an his omnibus efficient, ut laqueos injicere liceat conſcientiis, quas non modo ſolutas & liberas reliquerat Chriſtus: ſed in libertatem etiam, ſua auctoritate, ſuique ſanguinis pretio aſſeruerat? Hoc facere non audeat Paulus. Unde igi- *1 Cor. 7.*
tur hæc nova licentia? Deinde, ut in cælum laudibus *verſ. 35.*
feratur virginitas, quid hoc ad Sacerdotum cælibatum, cujus obſcœnitate fœtet totus mundus? Si caſtitatem, quam verbo profitentur, re ipſa oſtenderent: tum illis forte permitterem, ut decere ita fieri, dicerent. Nunc autem quum nemo non noverit, conjugii prohibitionem eſſe Sacerdotibus ſcortandi licentiam: qua fronte, obſecro, ullam decori mentionem facere audent? Quorum vero non eſt pervulgata infamia, cum illis ne mihi diu diſputare neceſſe ſit, eos ad Dei tribunal revoco, ut illic de ſua pudicitia diſſerant. Excipiet aliquis, nemini imponi legem, niſi qui ſponte voverit. At quæ major neceſſitas fingi poteſt, quam dum ad vovendum cogunt? Omnibus denunciatur hæc conditio, ne quis ad ſacerdotii ordinem admittatur, qui non ſe prius voto ad perpetuum cælibatum obſtrinxerit. Qui voverit, etiam invitus cogatur ad præſtandum, quod ſemel recepit: nec ulla excuſatio in contrariam partem audiatur. Poſtea voluntarium eſſe dicunt, qui

ſic

ſic exigitur cælibatum. Quod autem conjugii incommoda, & commoda cælibatus recenſent, rhetoribus concedendum eſt, ut de iis rebus declamitando, ſtylum in ſcholis exerceant. Verum quicquid dictum fuerit, tanti eſſe non debet, ut propterea exitiali laqueo induantur miſeræ animæ, quo eum luctari perpetuo, donec ſtrangulatæ fuerint, oporteat. Et tamen in tam flagitioſa turpitudine, quod ridiculum eſt, locum etiamnum habet hypocriſis. Nam qualeſcunque ſint, meliores tamen ſe hoc nomine reputant, quod carent uxoribus. Confeſſionis eadem eſt cauſa. Utilitates enim colligunt, quæ inde conſequuntur. Nobis ex adverſo non minus promptum eſt, pericula non pauca indicare, quæ merito timenda ſint: plurimas etiam & graviſſimas noxas referre, quæ inde manarunt. Hæc, inquam, ſunt argumenta, de quibus in utramque partem diſputare liceat. At perpetua eſt Chriſti regula, quæ nec mutari, nec flecti huc vel illuc poteſt: imo de qua nefas eſt movere controverſiam: ne ſervitute urgeantur conſcientiæ. Præterea ejuſmodi lex eſt, quam urgent, ut non niſi excruciare animas, & tandem jugulare poſſit. Jubet enim unumquemque ſua peccata omnia, quotannis, proprio ſacerdoti confiteri: niſi id fiat, nullam obtinendæ veniæ ſpem relinquit. Id ne ex centeſima quidem parte poſſibile eſſe, experti ſunt, quicunque ſerio, hoc eſt, cum vero Dei timore, fecerunt periculum. Neque enim explicare ſe ullo remedio poterant, quin ad deſperationem adigerentur. Qui vero leviter alias ſatisfacere Deo cupiebant, iis aptiſſimum erat ad hypocriſin velamentum. Nam quia defunctos ſe apud Dei tribunal credebant, ſimulatque in aurem ſacerdotis evomuerant ſua peccata, liberius peccare audebant, quum tam expedita eſſet ſe exonerandi ratio. Deinde quum inſideret eorum animis hæc perſuaſio, ſe facere, quod lex jubebat, comprehendere ſe, qualicunque ſua enumeratione, omnia ſua peccata exiſtimabant, quorum ne milleſimam quidem partem aſſequebantur. En cur diſſipatam à nobis fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam vociferantur adverſarii noſtri: quia ſubvenire miſeris conſcientiis ſtuduerimus, ne ſub crudeliſſima tyrannide oppreſſæ perirent: & hypocritas ex ſuis latibulis in apertam lucem extraximus: ut & ſeipſos propius excuterent, & Dei judicium, quod antea ſubterfugiebant, melius ſentire inciperent.

Verum, utcunque multi eſſent, & correctione digni abuſus, dicet quiſpiam, leges tamen ſanctas alioqui, & utiles, & longa vetuſtate quodammodo jam conſecratas, ita protinus in totum aboleri non oportuit. De carnium eſu, nihil aliud reſpondeo, niſi quod doctrinam habemus cum veteri Eccleſia conſentientem: in qua liberum fuiſſe ſcitur, carnibus ſemper veſci, aut abſtinere. Conjugii prohibitio antiqua eſt, fateor, in ſacerdotibus: ſimiliter in monachis & monialibus perpetuæ continentiæ votum. Sed ſi hominum conſuetudini præponderare concedunt certam Dei voluntatem, poſtquam hanc à nobis ſtare, nobiſque aperte ſuffragari, illos minime latet, quid de antiquitate lites nobis faciunt?
Hebr. 13. Clara eſt ſententia: honorabile eſſe in omnibus
vers. 4. conjugium. Et Epiſcopis nominatim uxores attri-
1 Tim. 3. buit Paulus. In univerſum autem, ad conjugium vo-
vers. 2. cat, quicunque uruntur: & doctrinam dæmoniorum
Tit. 1: 6. eſſe pronunciat, ſi conjugium interdicitur. Quor-
1 Tim. 4. ſum adverſus tam claras Spiritus ſancti voces ho-
vers. 3. minum conſuetudinem opponere juvat: niſi ut homines Deo præferantur? Deinde operæpretium eſt animadvertere, quam iniqui ſint æſtimatores, qui nobis uſum veteris Eccleſiæ in hac re objiciunt. Quæ enim vel prior, vel auctoritate dignior Eccleſiæ antiquitas, quam ſub Apoſtolis? Atqui non negabunt adverſarii, permiſſum tunc ac uſitatum omnibus Eccleſiæ miniſtris conjugium fuiſſe. Si expedire cenſebant Apoſtoli, ut à conjugio arcerentur Sacerdotes, cur tanto bono fraudabant Eccleſiam? Fluxerunt exinde anni ducenti circiter & quinquaginta, uſque ad Concilium Nicenum: in quo de indicendo miniſtris cælibato agitatum quidem fuiſſe refert Sozomenus, ſed intercedente Paphnutio, totum illud negotium fuiſſe diſſolutum. Nam quum cælebs ipſe legem de cælibatu negaſſet ferendam eſſe, totam Synodum libenter illi aſſenſam eſſe tradit. Creſcente vero paulatim ſuperſtitione, lex, quæ repudiata tunc fuerat, demum recepta fuit. Extat Canon unus inter eos, qui non tam propter vetuſtatem, quam propter auctorum incertitudinem, Apoſtolis inſcribuntur: qui clericis, poſtquam in ordinem cooptati fuerint, uxores ducere non permittit, niſi ſolis cantoribus & lectoribus. Sed altero Canone ſuperiore prohibentur ſacerdotes ac diaconi uxores, religionis prætextu abjicere. Et Gangrenſis Concilii capite quarto, anathema pronunciatur adverſus eos, qui presbyterum conjugatum diſcreverint ab aliis: ut hac occaſione ſe ab ejus oblatione abſtineant. Unde apparet, illis temporibus aliquanto plus adhuc fuiſſe æquitatis, quam ætas poſterior habuerit. Neque tamen mihi hic propoſitum eſt, totam hanc rem diſputatione complecti. Tantum obiter indicare libuit, primam & puriorem Eccleſiam non adeo nobis adverſam hic eſſe, ut hoſtes noſtri fingunt. Sed ut illis id quoque demus, cur tamen tam atrociter nos accuſant: quaſi ſacra profanis miſcuerimus? Quaſi vero retorquere adverſus eos promptum non ſit, nobis cum veteri Eccleſia longe melius, quam ipſis convenire. Sacerdotibus conjugium, quod illis negarunt veteres, liberum facimus. Quid de ſcortatione mihi reſpondebunt, quæ inter eos paſſim obtinuit? Negabunt ſe approbare. At caſtigari aſperius decuerat, ſi vetuſtis Canonibus obtemperare vellent. Si presbyter uxorem duxerit, Neocæſarienſis Synodus pœnam ſtatuit, ut ab ordine abdicetur. Si vero adulterium aut ſcortationem perpetraverit, multo ſeverius vindicat: ut ſcilicet ab ordine depoſitus, etiam excommunicetur. Nunc ſi quis uxorem duxerit, habetur crimen capitale: ſi centies ſcortatus ſit, exigua pecuniæ ſumma mulctatur. Adde, quod ſi hodie viverent, qui illam de cælibatu legem tulerunt primi, præſentibus experimentis edocti, eam proculdubio primi abrogarent. Quanquam nimis, ut dixi, iniquum foret, nos hominum auctoritate damnati, ubi palam Dei voce abſolvimur.

De confeſſione, brevior & magis expedita eſt defenſio. Neque enim oſtendent adverſarii, ullam fidelibus neceſſitatem confitendi, ante Innocentium tertium, fuiſſe impoſitam. Per annos ergo mille & ducentos ignota fuit orbi Chriſtiano hæc tyrannis, pro qua tam acriter nobiſcum decertant. At eſt Lateranenſis Concilii decretum. Tale nempe qualia permulta. Norunt hiſtoriarum mediocriter periti, temporum illorum tum inſcitiam, tum ferocitatem. Et illud uſu venire ſolet: ut quo indoctiores ſunt, qui præſunt, eo magis ſint imperioſi. Cæterum, teſtes mihi erunt omnes piæ animæ, quali implicari labyrintho eos oporteat, quicunque illa lege obſtringi ſe putant. Acceſſerat ad tam crudele conſcientiarum tormentum blaſphema ſuperbia, quod peccatorum remiſſionem illic incluſerant. Neminem enim veniam à Deo obtinere fingebant, niſi qui votum haberet confitendi. Quidnam hoc quæſo eſt, ut modum ex ſuo capite præſcribant homines, quo reconcilietur Deo peccator? ut, Deo veniam ſimpliciter offerente, ipſi negent, donec conditio, quam addiderunt, impleta fuerit? Ex altera parte hæc peſſima ſuperſtitio populum tenebat: ſimulac in aurem ſacerdotis exoneraſſent ſua peccata, omni ſe reatu eſſe liberatos. Hac opinione multi ad ſolutiorem peccandi licentiam abutebantur: qui autem

majori Dei timore præditi erant, ad ſacerdotem tamen magis, quam ad Chriſtum, reſpectabant. Cæterum, publicam ac ſolennem exomologeſin, ſicuti vocat Cyprianus, quæ olim injungi ſolebat pœnitentibus, quum Eccleſiæ reconciliandi forent, nemo ſanus eſt, qui non laudet ac libenter amplectatur: modo non in alium trahatur finem, quam quo inſtituta fuit. Denique, nihil nobis in hac re eſt controverſiæ cum veteri Eccleſia: ſed recentem modo tyrannidem, nec ita pridem exortam, à fidelium cervicibus profligatam, ſicuti par eſt, volumus. Præterea, ſi quis, ut conſolatione & conſilio juvetur, privatim Miniſtrum ſuum adeat, & familiariter in ejus ſinum deponat anxietatis ſuæ cauſas, quin id pie & utiliter fiat, nequaquam refragamur: modo ne ex libertate fiat neceſſitas. Relinquatur, inquam, hic cuique libertas, ut faciat, quod ſibi expedire noverit: nullius conſcientia certis legibus obligetur. Hæc excuſatio tum majeſtati tuæ, ut ſpero, Cæſar, tum vobis illuſtriſſimi Principes, ſicut plena eſt æquitatis, ſatisfaciet.

Verum, utcunque merito, & corruptam veritatis doctrinam, & Chriſtianiſmum totum multis vitiis profanatum fuiſſe conqueramur, negant tamen reprehenſores noſtri, propterea fuiſſe cauſam, cur Eccleſiam adeo turbari, & quodammodo concuti terrarum orbem oportuerit. Equidem nec ita ſumus ſtupidi, quin ſentiamus quantopere cavendi ſint publici tumultus: nec ita feri, quin tangamur, atque etiam horreamus toto pectore, quum turbulentum hunc cernimus Eccleſiæ ſtatum. Verum qua æquitate nobis imputatur præſentium motuum culpa, quum à nobis minime concitati fuerint? Imo qua fronte nobis turbatæ Eccleſiæ crimen objiciunt, quos conſtat omnium turbarum eſſe auctores? Lupi ſcilicet de agnis conqueruntur. Quum initio prodiit Lutherus, paucos tantum, & eos nimis craſſos abuſus, nec jam tolerabiles, leviter notabat. Idque ea modeſtia, ut eos correctos cupere ſe magis indicaret, quam auderet ipſe corrigere. Hic ab adverſa parte ad arma protinus conclamatum eſt: & quum magis ac magis accenderetur contentio, hoc optimum compendium eſſe duxerunt hoſtes noſtri, vi & ſævitia veritatem opprimere. Itaque quum noſtri homines ad amicam diſceptationem provocarent, & placidis rationibus cuperent diſſidia componi: ſanguinariis edictis crudeliter vexati ſunt, donec ad miſeram iſtam diſſipationem res eſt perducta.

Neque tamen hæc nova eſt calumnia. Id, quod audire nunc cogimur, exprobrabat etiam olim im-
1 Reg. 18. pius ille Achab Heliæ: nempe quod turbaret Iſraë-
verſ. 17. lem. Verum ſanctus Propheta, ſua reſponſione, nos abſolvit: Non ego ſum, inquit: ſed tu & domus patris tui: quia dereliquiſtis Dominum, & abiiſtis poſt Baalim. Non ergo ex eo gravari nos invidia æquum eſt, quod hodie fervet inter Chriſtianos tam acre de religione certamen: niſi Heliam damnare primum libeat, cum quo nobis communis eſt defenſio. Ille ſe hac ſola ratione excuſat, quod non, niſi pro vindicanda Dei gloria, & reſtituendo ejus puro cultu, pugnaverit: turbarum vero & certaminum crimen rejicit in eos, qui, ut veritati reſiſterent, tumultuabantur. Nos autem quid egimus aliud hactenus, & quid agimus nunc quoque, niſi ut colatur Deus unus inter nos, ſimplexque ejus veritas regnet in Eccleſia? Si negant adverſarii noſtri, ſaltem ante convinci nos impiæ doctrinæ convenit, quam nobis id vitio vertatur, quod ab aliis diſſentiamus. Quid enim agendum nobis erat? Una erat redimendæ pacis conditio, ut tacendo Dei veritatem proderemus. Quanquam non ſatis fuiſſet tacere, niſi impiam doctrinam, apertas in Deum blaſphemias, & peſſimas ſuperſtitiones, tacito conſenſu approbaremus. Quid ergo aliud potuimus, quam teſtari ſaltem clara voce, nos ab impietatis conſortio eſſe alienos? Nos ergo ſimpliciter, quod officii noſtri erat, facere ſtuduimus. Quod porro in tam hoſtile diſſidium res exarſerit, hujus mali penes eos culpa eſt, qui cælum terræ miſcere maluerunt, quam piæ ſanæque doctrinæ locum dare: ut tyrannidem ſemel uſurpatam quoquo modo retinerent.

Tametſi hoc nobis ad defenſionem ſatis ſuperque eſſe debet, quod à parte noſtra ſtat ſacroſancta Dei veritas, pro qua aſſerenda tantum certaminum ſuſtinemus: adverſarii autem, nobiſcum pugnando, non tam adverſum nos, quam Deum ipſum, bellum gerunt. Deinde, quod non ſponte ad hunc contentionum fervorem deſcendimus, ſed illorum intemperie, præter opinionem noſtram fuimus pertracti. Quicquid acciderit: non eſt cur odio gravemur. Nam ſicut eventus moderari non eſt noſtrum, ita nec eos præſtare. Vetus hoc eſt, ſeculiſque omnibus uſitatum: ex Euangelii doctrina impios tumultuandi occaſionem ſumere: poſtea hanc infamiam irrogare Euangelio, quaſi diſſidiis cauſam præbeat: quam ipſi, non oblatam, ſua pravitate captant. Et quemadmodum in prima Eccleſia impleri vaticinium illud oportuit, ut domeſticis ſuis eſſet Chriſtus lapis offenſionis, & petra ſcandali: ita nihil mirum, ſi noſtro quoque tempore verum fit. Eſt quidem hoc habendum prodigii loco, quod lapidem, qui in fundamento principatum tenere debeat, rejiciant architecti: ſed quia hoc ab initio factum fuit in Chriſto, ne miremur, quum hodie quoque uſu venit. Hic tuam majeſtatem appello, Cæſar, veſtramque amplitudinem, Principes: quum infauſta hæc Eccleſiæ diſſipatio, aliaque infinita mala, quæ ex diſſenſione orta ſunt, vel occurrunt animis veſtris, vel ſermone hominum commemorantur, facite ut ſimul in mentem vobis veniat, in ſcopum contradictionis poſitum eſſe Chriſtum: ut quoties prædicatur ejus Euangelium, impiorum rabiem accendat ſtatim ad repugnandum. Jam ex conflictu fieri concuſſionem neceſſe eſt. Hæc igitur perpetua fuit, uſque à primo ſuo exortu, & ſemper erit, uſque in finem, Euangelii conditio: ut ejus prædicationem magnis contentionibus excipiat mundus. Sed prudentium eſt animadvertere, unde naſcatur hujus mali cauſa. Hoc quiſquis reſpiciet, facile nos omni culpa liberabit. Veritati certe teſtimonium reddere, ſicuti fecimus, oportuit. Væ mundo, ſi Chriſtum mavult ad certamen provocare, quam oblatam ab eo pacem amplecti. Frangetur enim proculdubio, qui ab eo corrigi non ſuſtinebit.

At hic nobis rurſum objicitur, non omnia Eccleſiæ vitia tam aſperis remediis corrigenda eſſe: nec ad vivum reſecanda: ac ne omnibus quidem afferendam eſſe medicinam: ſed alia caſtiganda eſſe leniter, alia eſſe toleranda, ſi quid difficultatis habeat emendatio. Reſpondeo, non uſque adeo imperitos eſſe nos communis vitæ, quin Eccleſiam noverimus ſemper fuiſſe obnoxiam aliquibus vitiis, ſemperque fore: quæ piis improbanda quidem, potius tamen ferenda ſint, quam eorum cauſa hoſtiliter dimicandum. Cæterum, injuriam nobis faciunt adverſarii, dum nimiæ moroſitatis nos accuſant: quaſi, ob exiguos leveſque errores, moleſtiam Eccleſiæ exhibuerimus. Nam hanc quoque calumniam ad alias adjungunt, quod extenuant, quo poſſunt artificio, eas res, de quibus controverſiam movimus: ut rixandi magis libidine impulſi videamur, quam juſta cauſa adducti huc fuiſſe. Neque enim id faciunt ignorantia, ſed aſtuto conſilio: quia ſcilicet noverunt ejuſmodi importunitate, qualem nobis affingunt, nihil eſſe odioſius. Tametſi ſuam quoque impietatem in eo produnt, quod de rebus omnium maximis ita contemptim loquuntur. Itane vero? ut quum profanatum Dei cultum, quum honorem ejus prorſus imminutum, quum implicatam multis pernicioſis erroribus ſalutis doctrinam, quum ſepultam

eſſe

eſſe Chriſti virtutem, ſacra denique omnia ſacrilegiis polluta, conquerimur, noſtram ſtultitiam derideant, quaſi de leviculis quæſtionibus diſputando, nos & totum mundum fruſtra fatigemus?

Verum, quia hæc curſim perſtringi nequeunt: locus poſtulat, ut earum rerum, de quibus contendimus, dignitatem & pondus diligentius vobis exponam: ut appareat, non modo non fuiſſe negligendas, ſed nullo modo potuiſſe à nobis prætermitti, quin maximo ſcelere, & impia adverſus Deum perfidia nos obſtringeremus. Quod de tribus capitibus, de quibus initio dicturum me propoſui, erat in ordine tertium: Principio ſcire velim, qua fronte Chriſtianos ſe nominare auſint, qui nos, ob nimium leves cauſas diſcordiis temere turbaſſe Eccleſiam, inſimulant. Nam ſi tanti religionem facerent noſtram, quanti ſuas fecerunt veteres idololatræ, ejus conſervandæ ſtudium, quod illi aliis omnibus curis ac negotiis præferendum duxerunt, non ita contemnerent. Illi enim quum pro aris & focis dimicare ſe aiunt, cauſam ſibi videntur allegare omnium optimam, & maxime favorabilem. His videtur eſſe pene ſupervacua contentio, quæ pro Dei gloria, & hominum ſalute, ſuſcipitur. Non enim de umbra aſini, ſicut dictum eſt, litigamus: ſed tota religionis Chriſtianæ ſumma in quæſtionem vertitur. Si nihil aliud veniret in rationem, an tantulo in pretio nobis eſt æterna & inviolabilis Dei veritas, quam tot illuſtribus teſtimoniis certam reddidit: pro qua confirmanda tot ſancti Prophetæ, tot Martyres mortem obierunt: cujus ipſe Dei Filius præco & teſtis fuit, quam denique ſuo ſanguine obſignavit: ut nobis videntibus & tacentibus, conculcari debeat?

Sed deſcendo ad ſpecies. Scimus quam execrabilis Deo res ſit idololatria: & quam horrendis pœnis eam ultus ſit tum in populo Iſraëlitico, tum in aliis gentibus, paſſim narrant hiſtoriæ. Audimus eandem vindictam ejus ore denunciari in omnes ætates. Nobis enim loquitur, quum per ſacrum ſuum nomen jurat, non paſſurum ſe, ut ad idola gloria ſua transferatur: quum teſtatur ſe zelotypum eſſe, qui in tertiam & quartam generationem vindicaturus ſit, cùm alia peccata, tum hoc ipſum præ aliis. Hoc peccatum eſt, cujus cauſa Moſes, tam manſueto alio-
Exod. 32. verſ. 27. qui ingenio vir, Spiritu Dei accenſus, Levitas diſcurrere per caſtra juſſit, & manus fratrum ſuorum ſanguine conſecrare: cujus cauſa populum ſuum toties perſequutus eſt Deus, ac peſte, fame, gladio, omni denique calamitatum genere afflixit: cujus cauſa potiſſimum, concidit regnum Iſraëlis primum, deinde Juda: exciſa Jeruſalem civitas ſancta: Templum Dei, quod unicum erat tunc in terris, dirutum: populus ille, qui ex omnibus peculiariter ſelectus erat, cui ſe Deus fœdere conjungeret, qui ſolus ferret Dei inſignia: & ſub ejus tutela principatuque viveret, ex quo denique naſceretur Chriſtus, afflictus modis omnibus, ſpoliatus omni dignitate, in exilium pulſus, & prope ad interitum perductus fuit. Longum eſſet, omnia hic recenſere. Nulla eſt pagina in Prophetis, quæ non clamitet, nihil eſſe quod Deum ad indignationem magis provocet. Quid ergo? quum apertam idololatriam paſſim graſſari in mundo cerneremus, fuitne connivendum? Atqui, perinde id fuiſſet, ac mundum ſuo exitio indormientem palpare, ne expergiſceretur.

Veniant vobis in mentem, invictiſſime Cæſar, & illuſtriſſimi Principes, tot illa inquinamenta, quibus prius oſtendi pollutum fuiſſe Dei cultum: reperietis profecto, quoddam veluti diluvium impietatis exundaſſe, quo tota religio ſuffocaretur. Hinc ſtatuis exhibebantur divini honores: ad eas paſſim homines precabantur: illis numen & potentiam Dei ſubeſſe fingebant. Hic ſancti mortui colebantur, non ſecus atque olim apud Iſraëlitas Baalim. Et plurimi alii modi excogitati erant, Satanæ artificio, quibus Dei gloria diſcerperetur. Clamat Dominus, ſe ardere zelotypia, ſi quod idolum erigatur: nec minus ſervos ejus pro aſſerenda ipſius gloria zelotypos eſſe debere, ſuo exemplo demonſtrat Paulus. Nec vul- *Act. 17. verſ. 16.* garis eſt ille zelus domus Dei, qui fidelium omnium corda debet exedere. Quum ergo tot pollueretur, vel potius laceraretur modis Dei gloria, nonne connivendo & tacendo perfidi fuiſſemus? Canis, ſi quam ſuo domino violentiam inferri viderit, protinus latrabit: nos tot ſacrilegiis violari ſacrum Dei nomen taciti aſpiceremus? Et ubi eſſet illud? Opprobria *Pſal. 69. verſ. 10.* exprobrantium tibi, ceciderunt ſuper me.

Illa vero ludibria, quod non niſi externo geſtu, & ſtultis hominum figmentis colebatur Deus, ſilentio præterire qui fas fuit? Scimus quantopere hypocriſin oderit. Hæc autem regnabat in illo commentitio Dei cultu, qui paſſim erat uſitatus. Audimus qua verborum acerbitate invehantur Prophetæ omnes in cultus, hominum temeritate fabricatos. Bona intentio, hoc eſt, inſana quidlibet audendi libido, optima colendi Dei regula putabatur. Certe ex toto Dei cultu, qualiter erat inſtitutus, nihil fere erat quod teſtimonium haberet à verbo Dei. Non eſt quod hic, vel noſtro, vel aliorum judicio ſtemus. Sed audienda vox Dei, qua teſtatur quanti hanc cultus ſui profanationem æſtimet, ubi homines extra verbi ejus fines in propriis commentis laſciviunt. Duas affert cauſas: cur populum Iſraëliticum, pio & ſancto Eccleſiæ regimine privatum, excæcatione puniat: hypocriſin, & ἐθελοθρησκείαν: hoc eſt, formam colendi ipſius humanitus confictam. Quia appropin- *Jeſa. 29. verſ. 13.* quat populus hic labiis ſuis, inquit, cor autem longe eſt à me: & quia me colit mandatis hominum, ecce edam portentum horribile, cujus auditu omnes obſtupeſcent. Peribit enim ſapientia à ſapientibus, & prudentia à ſenibus evaneſcet. Similis aut major etiam perverſitas, quum Deus nos excitavit, palam in Eccleſiis dominabatur. Quum è cælo Deus fulminaret, an quieſcendum nobis fuit?

Quod lingua incognita, adverſus claram Dei prohibitionem, ſolennes precationes in templis fieri moris erat, leve forte erratum fuiſſe exiſtimabunt. Sed eo modo deriſum fuiſſe Deum quum appareat, nobis non negabunt fuiſſe plus ſatis juſtam reclamandi cauſam. Quid, quod in publicis hymnis perſonabant blaſphemiæ, quas nemo pius ſine ſummo horrore audire ſuſtineat? Nota ſunt illa Mariæ epitheta, quum porta cæli, ſpes, vita, & ſalus nominaretur. Euſque furoris & amentiæ provecti ſunt, ut imperandi jus illi in Chriſtum tribuerint. Adhuc enim in multis templis execrabile illud & nefandum carmen auditur: Roga patrem: jube natum. Nihilo modeſtioribus elogiis quoſdam Sanctos celebrant: & quidem ſuos, hoc eſt, quos ipſi opinione ſua in Sanctorum catalogum retulerunt. Nam inter plurimas laudes, quas canunt Claudio, eum lumen cæcorum, viam errantium, vitam & reſurrectionem mortuorum vocant. Talibus blaſphemiis refertæ ſunt precandi formulæ, quas in quotidiano uſu habent. Severiſſimas pœnas Dominus adverſus eos pronunciat, qui nomen ſuum miſcuerint cum nominibus Baalim, ſive in jurejurando, ſive in precibus. Quæ igitur vindicta noſtris capitibus imminet qui non modo Sanctos, tanquam minores deos, cum illo miſcemus, ſed cum inſigni ejus contumelia, Chriſtum ſpoliamus propriis & ſingularibus titulis, quibus eum ornavit, ut illos creaturis deferamus? Hicne etiam tacendum nobis erat, ut perfidioſo ſilentio in nos quoque tam grave judicium accerſeremus?

Taceo, quod certa fide, hoc eſt, ſerio, Deum nullus precabatur, ac ne poterat quidem. Nam ſepulto in eum modum, ut erat, Chriſto: neceſſe erat de paterna erga ſe Dei benevolentia, & an ſibi opem

ferre vellet, an ſalutem ſuam curæ haberet, homines perpetuo dubitare. Quid? an hic levis aut tolerabilis error fuit, quod æternum Chriſti ſacerdotium, quaſi prædæ expoſitum, ad Sanctorum quemlibet deferebatur? Meminerimus, hunc ſibi honorem Chriſtum morte ſua comparaſſe, ut æternus ſit advocatus & pacificator, qui nos & preces noſtras Patri offerat: qui gratiam nobis apud eum impetret: qui nobis ſpem obtinendi, quod petimus, faciat. Sicut ſolus & pro nobis mortuus eſt, & morte ſua nos redemit, ita in hujus honoris ſocietatem nullum admittit. Quod ergo ſacrilegium illo fœdius, quod ſubinde adverſarii noſtri in ore habent? Chriſtum eſſe quidem unicum redemptionis mediatorem: at Sanctos omnes, intercesſionis. An non eo modo inglorius relinquitur Chriſtus? quaſi Sacerdotis officio ſemel in morte defunctus, illud nunc Sanctis reſignaverit. An tunc etiam tacendum eſt, ubi præcipua Chriſti dignitas, & quæ illi tanto pretio conſtitit, ab eo per ſummam contumeliam erepta, inter Sanctos, quaſi hoſtile ſpolium, diſtribuitur? At, ſic loquendo, Chriſtum non negant etiam nunc pro nobis intercedere: modo id facere intelligamus una cum Sanctis: nempe, ut unum quemlibet ex grege. Præclarum vero honorem ſibi acquiſivit Chriſtus ſuo ſanguine, ſi hoc tantum conſequutus eſt, ut ſocius eſſet Hugonis, aut Lubini, aut alterius cujuſpiam ex ultima fæce ſanctulorum, quos Pontifex Romanus ſuo arbitrio creavit. Non enim hic quæritur an orent illi quoque: qua de re nihil ſcire ſatius eſt, quum Scriptura nullam faciat mentionem: ſed hoc eſt de quo contendimus, Chriſtone, aut prætermiſſo, aut neglectim habito, aut in totum valere juſſo, ad Sanctorum patrocinia circumſpectare liceat: vel ſi quis malit apertius, ſitne unicus Sacerdos Chriſtus, qui & ſanctuarium Dei Patris nobis aperiat, noſque illuc ſolus manuducat, & Patrem ſua deprecatione, ad preces noſtras exaudiendas flectat: in cujus clientelam concedere, & cujus nomen obtendere in precibus debeamus: an communiter hoc munus cum aliis Sanctis ſuſtineat.

Quanquam non ſolius ſacerdotii honore, ſed omnium quoque ſuorum beneficiorum gratia Chriſtum magna ex parte fuiſſe exutum, ſuperius demonſtravi. Nam Redemptor quidem vocatur: ſed ita, ut ſe quoque ex peccati & mortis ſervitute, per liberum arbitrium, homines redimant. Vocatur quidem Juſtitia & ſalus: ſed ita, ut ipſi ſibi operum meritis homines ſalutem acquirant. Scholaſticos enim nihil pudet huc reſtringere inæſtimabile illud redemptionis beneficium: cui enarrando nulla, nec hominum, nec Angelorum facundia ſufficiat: ut dicant eum nobis contuliſſe primum meritum, quod occaſionem merendi interpretantur: nos vero, hoc adminiculo adjutos, vitam æternam operibus propriis mereri. Fatentur quidem, Chriſti ſanguine nos ablutos eſſe à peccatis: ſed ita, ut ſe quiſque, aſcitis hinc inde lavacris purget. Habet quidem mors Chriſti ſacrificii titulum: ſed ita, ut quotidianis hominum ſacrificiis peccata expientur. Dicitur quidem Chriſtus reconciliaſſe nos Deo Patri: ſed conditio additur, ut ſatisfactionibus ſuis redimant homines pœnas Dei judicio debitas. Quum ſupplementum quæritur ex clavium beneficio, nihilo plus honoris habetur Chriſto, quam Cypriano aut Cyricio. Martyrum enim & Chriſti merita ſimul permiſcent, ut conficiant Eccleſiæ theſaurum. Nonne quot hic audimus verba, tot ſunt execrabiles blaſphemiæ, quibus proſcinditur ac laceratur Chriſti gloria? ut ipſe propemodum exinanitus, nomen retineat tantum, virtute autem careat. Hic etiam tacuiſſemus ſcilicet, quum Filium Dei, in quem Pater omne imperium, omnem potentiam & gloriam contulit, & in quo ſolo gloriari nos jubet, ita in ordinem redigi cerneremus, ut paululum ſupra ſervos ſuos emineret? Quum ejus beneficia in oblivione jacere, quum ejus virtutem hominum ingratitudine ſepultam, quum pretium ſanguinis ejus vileſcere, quum fructum mortis prope abolitum, quum denique ipſum ita deformatum falſis & profanis hominum opinionibus, videremus, ut inani ſpectro, quam ſibi, eſſet ſimilior, an hoc taciti & quieti tuliſſemus? O ſceleratam patientiam, quum imminuto, ne dicam proſtrato Dei honore, ita leviter tangimur, ut poſſimus connivendo tranſilire! O male collocata in nos Chriſti beneficia, ſi eorum memoriam impiis blaſphemiis ita ſuffocari ſuſtinemus!

Ad ſecundam Chriſtianæ doctrinæ partem iterum redeo. Quis neget ita paſſim delirare homines, ut comparare ſe vitam æternam, operum merito, exiſtiment? Conjungunt, fateor, interim cum ſuis operibus Dei gratiam: ſed quum non aliter ſe gratos eſſe confidant, quam ſi digni ſunt, eorum & fiduciam & gloriationem in operibus reſidere conſtat. Hæc trita eſt ac receptiſſima in omnibus Scholis doctrina. hæc omnium fere animis penitus infixa opinio, ita quemque amari à Deo, ut quiſque ſit dignus. Hoc recepto, nonne diabolica confidentia in altum eriguntur animæ, ut graviore præcipitio in deſperationis gurgitem poſtea ruant? Quid, quod non veris ſaltem obſequiis, ſed nihili ineptiis Deum volunt demereri? Siquidem in operibus meritoriis hæc habentur primaria: multas preculas ſuſurrare, erigere altaria, ſtatuas aut tabulas illic collocare, frequentare templa, curſitare de templo in templum, multas Miſſas audire, aliquas emere, neſcio quibus abſtinentiis, quæ à Chriſtiano jejunio in totum diſſideant, affligere corpus, ſervandis hominum traditionibus diligenter incumbere. In ſatisfactionibus nonne major adhuc dementia? Quum ſcilicet Ethnicorum more piacula quærerent, quibus ſe cum Deo reconciliarent. Jam vero, quum omnia tentando, diu multumque ſe fatigaſſent, quid profecerant? Nam quum omnia facerent, dubia & trepidante conſcientia, ſemper eos excipiebat horribilis illa anxietas, vel potius dirum illud tormentum, de quo ante dixi: quia, an Deo cum ſuis operibus exoſi eſſent, dubitare jubebantur. Everſa porro eum in modum fiducia, ſimul accidere neceſſe eſt, quod ait Paulus, ut æternæ hæreditatis promiſſio aboleatur. Ubi tunc hominum ſalus? Nos vero, ſi in tanta loquendi neceſſitate tacuiſſemus, non tantummodo in Deum ingrati & perfidi, ſed etiam inhumani in homines: quibus videamus æternum omnibus exitium imminere, niſi in viam reducerentur.

Canis, ſi tantam injuriam inferri domino ſuo cerneret, quanta Deo contumelia irrogatur in Sacramentis, latraret protinus, vitamque ſuam potius opponeret periculo, quam, ſe tacente, dominum ita male tractari fineret. An nos Deo minus præſtare obſequii debuimus, quam homini præſtare ſolet beſtia? Taceo quod inſtitutis à Chriſto myſteriis, cæleſtique ejus auctoritate commendatis, nuda hominum voluntate proditos ritus æquarunt: quod tamen ipſum acriter reprehendi merebatur. Myſteria vero ipſa tot ſuperſtitionibus corrumpi, tot pravis, quas retulimus, opinionibus fœdari, ad turpem infamemque quæſtum, abſque ulla verecundia, proſtitui: an diſſimulanter ferre debuimus? Flagello nummularios fugavit Chriſtus è templo, eorum menſas manu evertit, merces exturbavit. Non omnibus, fateor, flagellum in manum ſumere licet, verum zelo illo, quo incitatus fuit Chriſtus ad vindicandam Patris gloriam, flagrare omnes convenit, qui ſe Chriſti eſſe profitentur. Proinde, quæ ſibi tantopere diſplicere templi inquinamenta opere monſtravit, noſtrum ſaltem eſt, libera conſtantique voce, fortiter execrari. Quis ignorat venalia nihilo minus ſacra in templis jamdudum eſſe, quam quæ medio

foro proſtant merces? Et alia quidem condicto pretio vencunt: de aliis, poſt multam licitationem paciſcuntur.

Sed quoniam in Cœna, magis quam in reliquis, illuſtre eſt exemplum, & plus indignitatis habet, age, qua conſcientia ad tam multas, tamque ſacrilegas ejus profanationes, connivere potuimus? Ad quas exprimendas quum mihi nunc deſint verba, quo jure nobis vitio vertitur, quod in eas invehendo, nimis fuerimus vehementes? Vos hic, invictiſſime Cæſar, & illuſtriſſimi Principes, per ſacrum Chriſti corpus, quod immolandum pro nobis expoſuit, per venerandum illum ſanguinem, quem pro noſtra ablutione effudit, obteſtor, ut reputare cum animis veſtris velitis, quanti debeat eſſe myſterium, in quo nobis corpus illud in cibum, ſanguis in potum exhibetur: qua religione, qua cura, cuſtodiri impollutum debeat. Cujus ergo ingratitudinis erit, ſi quis cæleſte hoc myſterium, quod inſtar pretioſiſſimæ margaritæ, nobis commendavit Chriſtus, calcari aſpiciat porcorum pedibus, & taceat? Atqui non calcari modo, ſed omni etiam pollutionis genere inquinari videamus. Quale ludibrium erat, quod mortis Chriſti efficacia ad theatricam hominis actionem transferebatur? quod ſacrificulus tanquam Chriſti ſucceſſor, mediatorem ſe inter Deum & homines interponebat? quod obliterata unici ſacrificii virtute, mille ſingulis diebus ſacrificia in una urbe ad expianda peccata offerebantur? quod millies quotidie immolabatur Chriſtus, quaſi non ſufficeret, ſemel eſſe pro nobis mortuum? Ad iſtas omnes contumelias Chriſto irrogandas, ſacroſanctæ Cœnæ titulo abuſi ſunt: ſiquidem in ſolo ſacrificii nomine omnes continentur. Neque vero ignoro, quas nunc interpretationes obtendant adverſarii, ad diluendas tantas abſurditates. Verum, quum hactenus omnes, quas retuli, abominationes impudenter exercuerint, nunc deprehenſi perfodiunt ſibi novos cuniculos: quibus tamen ſuam turpitudinem minime operiunt. Miſſam ſacrificium eſſe tradiderunt, quo expiarentur peccata, non vivorum modo, ſed etiam mortuorum. Quid nunc proficiunt tergiverſando, niſi quod ſuam impudentiam produnt? Quanta etiam Sacramenti pollutio, quod quum aperta verbi prædicatione conſtet legitima conſecratio, flatu duntaxat & murmure, panis incantatur? quod non diſtribuitur in cœtu fidelium, ſed ſeorſum voratur ab uno, vel in alienum uſum reponitur? quod quum aliqua fit diſtributio, populus dimidia parte, hoc eſt, calice, adverſus clarum Domini interdictum, privatur? Quale deliramentum, quod aboleri ſuis exorciſmis fingunt panis ſubſtantiam, ut in Chriſtum transmutetur? Quale probrum, quod nihilo verecundius Miſſarum exercetur mercimonium, quam calceorum? Nam ſi recipitur quod dicunt, id eſt, meritum mortis Chriſti vendere: certe non leviorem Chriſto contumeliam faciunt, quam ſi ejus faciem conſpuerent.

Tibi, quæſo, invictiſſ. Cæſar, vobiſque illuſtriſſimi Principes, in mentem veniat, quid olim Corinthiis propter unum, nec ita gravem, prima ſpecie, abuſum hujus Sacramenti, acciderit. Suam quiſque cœnam domo afferebat: non ut conferrent in commune, ſed ut laute epularentur divites, pauperes autem eſurirent. Hanc ob cauſam vehementi ac ſæva peſtilentia fuiſſe à Domino caſtigatos, aſſerit Paulus: qui tamen paternum hoc flagellum eſſe admonet, quo Dominus eos ad reſipiſcentiam vocaret. Hinc colligite, quid nobis hodie expectandum ſit, qui non paululum quiddam declinavimus à recta Chriſti inſtitutione, ſed ab ea immenſo intervallo diſceſſimus; qui non uno in genere corrupimus ejus puritatem, ſed compluribus, & iis quidem horrendis modis, eam deformavimus: qui non uno quolibet abuſu turbavimus legitimum ejus uſum, ſed totam adminiſtrationem evertimus. Nec vero dubium eſt, quin pridem hanc impietatem ulciſci cœperit Deus. Jam multos annos continuos plurimis variiſque ærumnis & calamitatibus mundus premitur: & nunc ad extremum prope miſeriarum ventum eſt. Nos quidem obſtupeſcimus ad noſtras plagas: aut alias cauſas imaginamur, cur ita nos Deus affligat. Verum, ſi cogitamus quam leve fuerit erratum illud quo vitiaverant ſacram Cœnam Corinthii: præut ſunt tot inquinamenta, quibus hodie inter nos fœdata, pollutaque eſt: mirum, niſi agnoſcimus, Deum, qui tam ſevere in illos vindicavit, merito nobis eſſe magis iratum.

Regiminis Eccleſiaſtici corruptela quam flagitioſa fuerit, ſi velim perſequi, infinitam ſylvam ingrediar. De vita ſacerdotum, propter multas cauſas, hic dicere ſuperſedeo. Hæc tria vitia quam non ferenda ſint, expendere pro ſe quiſque poteſt: quod ſublato juſtæ vocationis ordine, paſſim ſacerdotia aut per vim, aut per ſimoniam, aut per alias improbas & ſceleratas artes occupantur: quod qui præſunt, inanes potius ſunt umbræ, quantum ad munus ſuum exequendum pertinet, vel mortua ſimulachra, quam veri miniſtri: tandem quod quum verbo Dei gubernare conſcientias debeant, injuſta eas tyrannide opprimunt, & multis impiarum legum vinculis conſtrictas tenent. Itane, ut non modo ſpretis Dei & hominum legibus, ſed projecta omni verecundia, fœda confuſio in promovendis Epiſcopis & presbyteris regnet: libido pro jure valeat: raro abſit ſimonia: & tanquam levia eſſent hæc mala, correctio in futurum ſeculum differatur? Jam ubi jacet docendi cura, quæ reſtat amplius miniſterii ſpecies? Jam pro ſpirituali conſcientiarum libertate, videmus quot certamina Paulus ſuſceperit, quantaque contentione ea exagitet. At, qui adhibuerit in judicando æquitatem, intelliget profecto longe nunc juſtiores nos habere contendendi cauſas. In tanta ergo totius piæ doctrinæ depravatione, in tam nefaria pollutione Sacramentorum, in tam deplorata Eccleſiæ calamitate, qui nos tam vehementer commoveri oportuiſſe negant, iis non aliter potuimus ſatisfacere, niſi ut Dei cultum, Chriſti gloriam, ſalutem hominum, totam ſacrorum & Eccleſiæ adminiſtrationem, perfida patientia proderemus. Specioſum eſt moderationis nomen: pulchra & laudabilis virtus, tolerantia: ſed tenenda eſt regula uſque ad aras: Hoc eſt, ne ſacrum Dei nomen proſcindi impiis blaſphemiis, æternam ejus veritatem ſuffocari diaboli mendaciis, Chriſtum conſpui, inquinari ejus myſteria, crudeliter interfici miſeras animas, Eccleſiam lethaliter ſauciatam cum ultimo exitio luctari, patienter feramus. Non enim hæc eſſet manſuetudo, ſed earum rerum incuria, quibus omnia poſthaberi oportet.

Hactenus, quod propoſueram, ſatis oſtendiſſe me confido: nos in corrigendis Eccleſiæ vitiis nequaquam fuiſſe vehementiores, quam res ipſa flagitabat. Neque id noſtros reprehenſores fugit. Itaque ad alteram criminationem confugiunt. Nihil aliud nos tumultuando profeciſſe, niſi ut inteſtinis diſcordiis ferveret orbis Chriſtianus, qui ſaltem ante pacatus erat. Adeo enim nihil emendationis apparere, ut prolapſa in deterius ſint omnia: ex iis, qui doctrinam noſtram ſunt amplexi, paucos inde factos eſſe meliores. quin etiam quibuſdam, ſi non majoris, at diſſolutioris nequitiæ audaciam præbuiſſe. Objiciunt præterea: nullam eſſe in Eccleſiis noſtris diſciplinam, nullas abſtinentiæ leges, nulla humilitatis exercitia: plebem, quæ nullo jugo retineatur, licentia impune laſcivire. Poſtremo, invidiam nobis de bonorum Eccleſiaſticorum direptione faciunt. Principes enim noſtros in ea, non ſecus atque in hoſtilem prædam, involaſſe: ita ſpoliatam, indigna violentia, Eccleſiam fuiſſe: hodieque, confuſo diſcrimine poſſideri ab iis Eccleſiæ patrimo-

nium, qni in medio contentionum ſtrepitu ea, ſine jure, ſine honeſto ullo titulo, occupaverint.

Equidem non nego, quum abſque controverſia regnaret impietas, turbatum ejus regnum per nos fuiſſe. Quod ſi ſanæ piæque doctrinæ, ſtatim atque mundo illuxit, ſponte omnes, promptiſqne animis, ſicuti par erat, manum dediſſent, non minus hodie tranquilla pax & quies eſſet inter omnes Eccleſias, florente Chriſti regno, quam tunc, Antichriſto tyrannidem obtinente. Deſinant ergo, quos veritatis curſum impedire conſtat, cum Chriſto bellum gerere, & ſtatim optima erit concordia: aut diſſenſionum, quas agitant ipſi, culpam in nos rejicere deſinant. Nam iſtud certe perquam iniqunm eſt, quum non aliam à ſe pacis conditionem impetrari ſuſtineant, niſi ut, profligata pietatis doctrina, Chriſto velut in ſepulchrum recondito, iterum Eccleſiam ſubigat Antichriſtus, non gloriari ſolum tanquam innoxios, ſed nobis etiam ultro inſultare: nos, qui nihil aliud cupimus quam nnitatem, cujus modo vinculum ſit æterna Dei veritas, totum crimen & odium ſuſtinere; perinde acſi contentionum eſſemus auctores. Quod nullum fructum ex doctrina noſtra conſequntum eſſe exprobrant: ſcio equidem nos profanis hominibus ob hanc eandem cauſam deriſui eſſe, quod inſanabiles morbos commovendo, nihil quam exulceremus. Sic enim exiſtimant: tam perdito Eccleſiæ ſtatu, fruſtra tentari remedia, qunm nulla ſit ſpes ſanitatis. Proiode melius nihil eſſe concludunt, quam malum bene poſitum non movere. Qui in hunc modum loquuntur, Eccleſiæ inſtaurationem non intelligunt opus eſſe Dei, quod à ſpe opinioneque hominum nihilo magis pendeat, quam aut mortuorum reſurrectio, aut aliud miraculnm ex eo genere. Non ergo aut ex hominum voluntate, aut ex inclinatione temporum expectanda eſt hic agendi facilitas: ſed per mediam deſperationem prorumpere convenit. Vult Dominus Euangelium ſuum prædicari. Huic mandato pareamus: & ſequamur, quo nos vocat. Quis futurus ſit ſucceſſus, inquirere, non eſt noſtrum: niſi quod eum quam optimum, & votis optare, & precibus à Domino poſtulare debemus: eniti etiam omni ſtudio, ſollicitudine, diligentia, ut talis contingat: interea tamen qualiſcunque erit, æquo animo ferre.

Immerito igitur boc nobis crimini datur, non tantum profuiſſe nos, quantum & ſtuduimus, & optandum fuiſſet. Plantare & rigare nos Deus jubet. Fecimus. Solus ipſe eſt qui dat incrementum. Quid ſi pro noſtro voto dare nolit? Si quod noſtrarum partium erat, fideliter nos eſſe exequutos conſtat, ne quid amplius à nobis requirant adverſarii, de ſucceſſu minus proſpero cum Deo expoſtulent. Quanquam id qnoque, quod obtendunt, nullum exſtare doctrinæ noſtræ fructum, falſiſſimum eſt. Omitto externæ idololatriæ correctionem, totque ſuperſtitionum ac errorum: quæ pro nihilo ducenda non eſt. Sed an nullus eſt hic fructus, quod multi vere pii nobis acceptum referunt, quod Deum puro tandem corde colere didicerint? quod eum cœperint ſerena conſcientia invocare? quod ex perpetuis tormentis liberati, verum Chriſti guſtum, io quo acquieſcerent, perceperint? Quod ſi quærantur documenta quæ in bominum conſpectu appareant, non ita infeliciter nobiſcum agitur, quin plurimis gloriari liceat. Quam multi, quum ante corruptioris vitæ fuiſſent, ita reſipuerunt, ut in novos homines viderentur converſi? Quam multi, quum omni reprehenſione caruiſſet eorum anteacta vita, imo quum præclaram laudem habuiſſet, adeo tamen non retroceſſerunt, ut abunde vita ſua teſtentur, non eſſe ſterile nec infructuoſum noſtrum miniſterium? Tradncere nos adeoque lacerare ſuis calumniis hoſtes noſtri poſſunt: apud imperitos præſertim: ſed hoc nobis non eripient, quin plus apud eos, qui doctrinam ſunt amplexi, innocentiæ, integritatis, veræque ſanctimoniæ reperiatur, quam in iis omnibus, qui habentur inter eos excellentiſſimi. Quod ſi qui ſunt, ut nimis multos fatemur eſſe, qui ad laxandas nequitiæ ſuæ habenas, Euangelio abutantur: non novum id quidem eſt: ſed quid ad nos, ut ejus culpam ſuſtinere nos oporteat? Scitur Euangelium unicam eſſe bene ſancteque vivendi regulam. Quod autem non omnes regi ſe patiuntur: quod etiam alii, quaſi jugo ſoluti, liberius inſoleſcunt, in eo agnoſcimus verum eſſe quod dicebat Simeon: Chriſtum in hoc poſitum eſſe, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. *Luca 2. verſ. 35.* Si Euangelii lucem ideo accendere, ut occulta impiorum nequitia detegatur, Deo placet; inde Euangelii miniſtris, eorumque prædicationi crimen conflare, extremæ impudentiæ & malitiæ eſt. Ego vero nullam illis injuriam facturus ſim, ſi hoc de quo invidiam conflare nobis conantur, in eos retorqueam. Unde enim laſciviendi audaciam arripiunt Dei contemptores, niſi quod, in medio diſſenſionum ſtrepitu, omnia ſibi licere putant? Snum ergo boc eſſe crimen agnoſcant, quod veritatis curſum remorando, impunitatem alunt improborum.

Quod diſciplina & legibus, quæ populum in ordine contineant, carere nos aiunt, ad eam vituperationem duplex nobis in promptu eſt reſponſio. Si ordinem rite apud nos conſtitutum dixero, refellent me quotidianæ noſtrorum hominum conciones, quibus diſciplinam jacere adhuc neglectam deplorant. Ego vero, ſicut nos iſto bono deſtitui non inficior, ita per quos ſteterit hactenus, & nunc ſtet, quominus eo fruamur, reſpiciendum eſſe dico, ut bis culpa imputetur. Negent hoſtes noſtri, ſi poſſunt, omnia ſe machinari, qno non modo laborem in formandis ordinandiſque Eccleſiis noſtrum impediant, ſed quo diſſipent etiam ac evertant quicquid per nos inchoatum fuerit. Sedulo nos quidem in Eccleſiæ ædificatione elaboramus. Dum in opere ſumus occupati, illi ad turbanda principia infeſtos ſe ſubinde ingerunt, nec ullam nobis relaxationem permittunt, ut componere domeſticum Eccleſiæ ſtatum liceat. Poſtea diſſipationem, cujus ipſi cauſa ſunt, probri loco nobis objectant. Quænam iſta eſt ingennitas, nobis continuam exhibere moleſtiam: deinde criminis loco ducere, quod per eam omnes Eccleſiæ partes conſtituere non vacet? Quod multum adhuc deeſt ad perfectionem, Deus gemituum noſtrorum, homines querelarum teſtes ſunt. At nonnnlla, quæ ad diſciplinam pertinebant, loco movimus. Nempe quemadmodum facere ſolent, qui collapſum ædificium reparare aggrediuntur, ut congeſta in acervum & confuſa ruinarum fragmenta extrahant ac colligant, aptanda poſtea ſuo loco: ita nobis facere neceſſe fuit. Nam ſi quid ex veteri diſciplina ſuperfuit, in tanta Eccleſiæ vaſtitate, ita in deformi ruinarum aggere permixtum & projectum, priſtinam faciem amiſerat, ut nullum ad uſum, niſi prius extractum ex illa confuſione, accommodari poſſet.

Utinam autem ſuo ſaltem exemplo nos provocarent. Sed qnid? Diſciplinam qui nullam apud nos eſſe clamitant, ipſi quam habent? An non præſtaret, vitium ſuum agnoſcere ipſos coram Deo nobiſcum, & fateri, quam nobis exprobrare quod mox in ſua capita retorqueatur? Duæ ſunt diſciplinæ partes. Una enim ad clerum: altera vero ad plebem pertinet. Scire nunc velim, qua ſeveritate clerum ſuum in honeſtis caſtiſque moribus contineant. Puriorem illam & magis exquiſitam ſanctimoniam, ad quam clericos adſtringunt antiqui canones, illis remitto. Scio enim ut intus rideant, quum quis leges illas, jam pluribus ſeculis mortuas, ex diuturna oblivione ſuſcitat. Tantum vulgarem in eorum clericis honeſtatem requiro: ut ſi non excellant vitæ innocentia, ſaltem ne turpitudine ſint infames. Si quis vel muneribus, vel favore, vel ſordidis obſequiis, vel

ſubre-

Digitized by Google

ſubreptitia commendatione obrepſerit ad ſacerdotium, ſimoniam eſſe pronunciant canones, & vindicari jubent. Quotuſquiſque hodie eſt, qui aliter perveniat? Sed valeat, quemadmodum dixi, ſummus ille rigor. Verum ut nihil legibus præſcriptum ſit, Epiſcoporum domos, apertæ & proſtitutæ ſimoniæ eſſe officinas, quantum eum dedecus? Quid de Romana curia dicam, ubi licitationibus palam ſubjacere ſacerdotia, leviculum jam videtur: quum & lenociniorum, & veneficiorum, & obſcœniorum ſcelerum ſint mercedes? Si qua ſaltem inter nos valet humanitatis ratio, duodecim annorum pueris mandari Archiepiſcopatus, quantum eſt portentum? An quum colaphis cæderetur Chriſtus, indigniore contumelia affectus fuit? An apertius Deo & hominibus illudi poteſt, quam ubi Chriſtiano populo regendo præficitur puer, & in patris paſtoriſque ſede collocatur? De presbyteris & Epiſcopis ita ſtatuunt canones: ut in ſua quiſque ſtatione excubias agat: ne quis longius abſit à ſua Eccleſia. Verum fingamus nihil tale præcipi: quis tamen non videt, Turcarum quoque ludibriis proſtitui Chriſtianum nomen, quum paſtor vocatur quiſpiam Eccleſiæ, ad quam ne ſemel quidem tota vita accedat: Nam ut quis illic perpetuo habitet, ubi deſtinatus eſt paſtor, jam pridem rarum exemplum eſſe cœpit. Epiſcopi & Abbates, aut ipſi proprias aulas habent, aut ordinarii ſunt in Principum aulis. Alii pro ſuo quiſque genio locum eligunt, ubi delicientur. Quibus autem nidus ſuus magis placet, illi vere in Eccleſiis ſuis reſident: ſunt enim otioſi ventres, qui nihil minus noverunt, quam officium ſuum. Vetitum illud quoque eſt antiquis canonibus, ne cui attribuerentur duæ Eccleſiæ. Sit hoc pro non dicto. Sed quonam colore excuſabitur tanta abſurditas, quod quinque, aut plura ſacerdotia in unum hominem congeruntur? quod unus, interdum etiam puer, tres Epiſcopatus occupat, tanto intervallo diſſitos, ut eos anno vertente circuire vix poſſit, etiamſi nihil aliud agat? Examen, in promovendis ſacerdotibus, & morum, & doctrinæ, canones requirunt exactum & enucleatum. Demus hoc temporibus, ne ad illam nimis auſteram formulam alligentur. Sed videmus quam indocti, & omnis, non tantum ſcientiæ, ſed etiam prudentiæ expertes, ſine delectu ingerantur. Et in mulione conducendo, major anteactæ vitæ ratio habetur, quam in eligendo ſacerdote. Nihil fingo: nihil amplifico. Agunt quidem, ceu hiſtriones in ſcena, fabulam: ut ſimulachrum aliquod antiqui moris repræſentent. Interrogant vel Epiſcopi, vel eorum ſuffraganei, num digni ſint, quos deſtinarunt ordinare. Adeſt qui reſpondeat dignos eſſe. Neque vero procul quærendus eſt teſtis, aut pretio corrumpendus: quia enim ceremoniæ tantum ſervit hæc reſponſio, eam omnes cubicularii, tonſores, janitores edocentur. Jam poſt ordinationem, minima in clericis ſcortationis ſuſpicio, ſecundum antiquos canones, corrigi debet: ſi convictum fuerit crimen, abdicatione & excommunicatione puniendum eſt. Remittamus aliquid ex aſperitate illa veteri. Quid tamen, quod quotidiana in illis ſcortatio ſic toleratur, tanquam jure permiſſa foret? Clericum, qui aut venationi, aut aleæ aut comeſſationibus, aut choreis indulgeat, nullo modo ferendum pronunciant canones. Quin etiam eradunt ex miniſterio, quicunque infamia aliqua notati ſunt. Similiter eos omnes, qui ſe implicant profanis negotiis, qui civilibus officiis ſe ita immiſcent, ut abſtrahantur à miniſterii cura: qui denique non ſunt in munere ſuo exequendo aſſidui, corrigi graviter, & niſi reſipiſcant, deponi præcipiunt. Excipient, tam aſpera remedia, quæ ad vivum omnia vitia reſecant, ætatem hanc non ferre. Sit ita. Neque enim tantam ab illis puritatem flagito. Sed tam effrenem peccandi licentiam in clericis dominari, ut mundum, alioqui corruptiſſimum, magis inficiant, quam ullus alius ordo, quis hoc illis ignoſcat?

Plebis vero diſciplina ſic habet: modo clericis maneat intacta ſua dominatio, modo tributis ac rapinis nihil deperеat, ut reliqua fere omnia aut impune liceant, aut prætereantur negligenter. Videmus, ut in omne genus nequitiæ paſſim diffluxerint hominum mores. Nec vero ejus rei alios advocabo teſtes, quam te ipſum invictiſſime Cæſar, voſque illuſtriſſimi Principes. Poſſunt quidem, cur ita ſit, multæ cauſæ adduci, fateor: ſed inter multas hæc prima erit, quod ſua vel indulgentia vel ſocordia, improborum libidini frena laxarint ſacerdotes. Quid hodie? Quam purgandis vitiis, aut ſaltem, reprimendis, curam adhibent? Ubi monitiones? Ubi cenſuræ? Excommunicatio, ut alia taceam, optimus diſciplinæ nervus, quem habet uſum? Habent quidem, excommunicationis nomine, tyrannicum fulmen, quod in contumaces, ut vocant, jaculantur. Sed quam contumaciam puniunt, niſi eorum, qui de cauſis pecuniariis ad tribunal ſuum citati, vel non ſtiterint ſe judicio, vel creditoribus, propter inopiam, non ſatisfecerint? Ita quod ſaluberrimum erat, ad corrigendos noxios, remedium, eo tantummodo ad miſeros innocenteſque vexandos abutuntur. Ridiculum porro eſt, quod occulta facinora interdum anathemate flagellant: ut ſi furtum admiſſum fuerit, nec reperiatur auctor. Aliena enim eſt ab inſtitutione Chriſti hæc ratio. Cæterum, quum tot publica dedecora ante omnium oculos verſentur, illic ceſſat excommunicatio. Et adhuc nobis ἀταξίαν exprobrare audent, apud quos omnia ſic ſunt diſſipata? Quanquam nihil eorum accuſatione juvamur ſi in eodem ſumus reatu. Sed enim non huc pertinebant, quæ hactenus dixi, ut crimen, quo nos infamant, in eos retorquendo, à nobis abſtergerent: ſed ut oſtenderem qualis fuerit eximia illa diſciplina, quam à nobis labefactatam fuiſſe conqueruntur. Si facere comparationem libeat, non veremur, quin aliquando ſaltem ordinatior ab omnibus piis judicetur noſtra qualiſcunque diſſipatio, quam totus eorum ordo, quo gloriantur. Non blandior malis noſtris, quum hæc dico. Scio quam multa deſiderari in nobis poſſint. Et certe, ſi hodie nos Deus vocaret ad calculum, difficilis eſſet excuſatio: ſed quum hoſtibus noſtris reſpondendum eſt, meliorem habemus cauſam, & faciliorem victoriam quam vellemus.

Similis impudentiæ eſt, quod diripi apud nos Eccleſiæ opes, & in profanos uſus converti clamitant. Si nihil hic apud nos peccari dixero, mentiar. Et ſane, raro tantæ rerum converſiones fiunt, quin ſecum trahant aliquid incommodi. Si quid igitur hic peccatum eſt, non excuſo. Cæterum, qua fronte nobis crimen hoc adverſarii intendunt? Eccleſiæ facultates in alienos uſus convertere, ſacrilegium eſſe dicunt. Aſſentior. Adjiciunt, fieri hoc à nobis. Excipio, nos minime ſubterfugere, quin pro nobis reſpondeamus: modo ipſi quoque ad cauſam dicendam viciſſim parati veniant. Mox igitur de nobis: interea videamus quid ipſi faciant. De Epiſcopis nihil dico: niſi quod omnes vident, eos non ſplendore modo veſtium, menſarum lautitiis, copioſo famulitio, palatiorum magnificentia, omni denique luxus genere certare cum Principibus: ſed etiam in ſumptus multo fœdiores dilapidare opes Eccleſiaſticas, ac profundere. Taceo venationes: taceo aleæ ludum: taceo reliquas voluptates, quæ non exiguam reditus partem abſorbent. Sed ab Eccleſia ſumere eos quod in ſcorta & lenones expendant, id vero nimis indignum. Jam hoc quidem abſurdum, non dico modo pompa & apparatu ſuperbire, ſed illis redundare, unde poſſint. Fuit olim tempus illud, quum in ſacerdotibus glorioſa prædicaretur

pau-

paupertas. [illegible] enim habetur in actis Aquileienſis Synodi. Olim quoque ſancitum fuit, ut Epiſcopus non procul ab Eccleſia, hoſpitiolum, vilem menſam, & ſupellectilem haberet. Verum, ut faceſſat antiquus ille rigor: poſtquam jam una cum opulentia multæ corruptelæ ſuccreverant, tunc quoque tamen confirmata iterum lex antiqua fuit, ut proventuum Eccleſiaſticorum quatuor fierent portiones: una Epiſcopo cederet: propter hoſpitalitatem, & ſuſceptionem pauperum: altera clero: tertia pauperibus: quarta reparandis Eccleſiis. Hanc rationem ſua quoque ætate viguiſſe teſtatur Gregorius. Præterea, ut nullæ ſint leges, ſicut aliquando nullæ fuerunt (hæc enim, quam dixi, quemadmodum & aliæ, ex malis moribus nata eſt) veriſſimum tamen eſſe illud Hieronymi, nemo non fatebitur: gloriam eſſe Epiſcopi, pauperum opibus providere: ignominiam omnium ſacerdotum, propriis ſtudere divitiis. Auſterius forte videbitur quod illic quoque jubet, menſulam ſacerdotis peregrinis & pauperibus patere: ſed æque tamen eſt verum. Abbates quo propius, redituum amplitudine, accedunt ad Epiſcopos, eo ſunt illis ſimiliores. Canonicis & parochis, quia ad ingluviem, delicias, & pompam, non ſuppetebat unum ſacerdotium, facile compendium, quo huic incommodo mederentur, invenerunt. Nihil enim obſtat, quominus quatuor aut quinque ſacerdotiorum proventum recipiat unus, qui multo plus deglutire poſſet uno menſe, quam habeat in totum annum. De onere, non agitur. Sunt enim in promptu vicarii, qui libenter ſupponant humeros, modo portiunculam aliquam liguriant. Quin etiam pauci reperiuntur, qui uno Epiſcopatu, aut Abbatia una ſint contenti. Clericos, qui publico aluntur Eccleſiæ ſumptu, quum ex patrimonio poſſint vivere, ſacrilegos Hieronymus appellat. Quid ergo de iis ſentiendum, qui tres ſimul Epiſcopatus, hoc eſt, aut quinquaginta, aut centum honeſta patrimonia ingurgitant? Et ne paucorum culpa immerito ſe traduci conquerantur, quid de his ſentiendum qui publicis Eccleſiæ ſtipendiis non luxuriantur modo, ſed ad ſolvendas lenonibus ac ſcortis mercedes, abutuntur? Atqui, jam nihil dico, quod non ſit vulgare. Adde, quod ſi rogentur, quonam jure vel frugale modicumque ſtipendium accipiant, non dico omnes, ſed pauci illi, qui in ſacerdotiis ſuis reſident, ne ad hanc quidem quæſtionem quod reſpondeant, erit. Quibus enim officiis id merentur? Quemadmodum olim ſub Lege qui altari ſerviebant, vivebant ex altari. ita nunc qui Euangelium annunciant, ex Euangelio vivere æquum eſt. atque ita Deus præcepit. Hæc ſunt Pauli verba. Exhibeant ergo nobis Euangelii miniſtros, & ſtipendium illis non ægre concedam. Neque enim bovi trituranti os obligandum. Boves autem arantes eſurire, & inertes aſinos paſci, quam ab omni ratione diſſentaneum? Atqui, ſervire ſe altari dicent. Reſpondeo, altaris miniſterio victum meruiſſe ſacerdotes ſub Lege: aliam eſſe rationem novi Teſtamenti, ſicut Paulus teſtatur. Et quæ ſunt iſta circa altare obſequia; quibus victum deberi jactant? Nempe quod peragunt ſuas Miſſas, & cantillant in templis, hoc eſt, partim operam ſine fructu ludunt, partim ſacrilegium perpetrant, quo ira Dei provocatur. En cur illis ex publico præbeantur alimenta.

Concil. Carthg. 4. cap. 4. can. 14.

Ad Nepotianum.

c. Cler. 1. quæſt. 2.

1 Cor. 9. verſ. 9.

Hi ſunt, qui inexpiabilis ſacrilegii noſtros Principes accuſant, quod patrimonium Eccleſiæ, Deo conſecratum, rapuerint per vim & ſummam injuriam: & nunc in profanos uſus dilapident. Jam quidem teſtatus ſum, nolle me omnia, quæ apud nos fiunt, excuſare: quin potius non majorem alicubi rationem haberi, ut in eos tantum uſus impendantur Eccleſiæ reditus, quibus ſunt dedicati, mihi diſplicere profiteor. Mecum etiam id gemunt omnes boni. Verum, hoc tantum in præſentia agitur: rapuerintne per ſacrilegium Eccleſiæ bona Principes noſtri, quum ex ſacerdotum & monachorum erepta manibus, ea ad ſe receperunt? Num quia alioſum ea conferunt, quam ad ſaginandos illos ventres, ideo ipſa profanant? Suam enim adverſarii, non Chriſti, nec Eccleſiæ, cauſam agunt. Fateor certe, grave judicium pronunciari adverſus eos, qui Eccleſiam ſpoliaverint, ut ſibi raperent quod illius erat. Sed ratio ſimul additur, quia veros miniſtros fraudent ſuo victu: quia, pauperes fame necando, rei ſint ſanguinis. Hoc autem quid ad noſtros adverſarios? Quis enim, ex eorum cohorte teſtabitur, quod de ſe olim teſtatus eſt Ambroſius: ſumptum eſſe egenorum quicquid poſſidet? Item, nihil habere Epiſcopum, quod pauperum non ſit. Imo quotuſquiſque eſt eorum, qui non æque licenter eo quod poſſidet, abutatur, acſi libidini ſuæ, ad quamlibet profuſionem expoſitum foret? Fruſtra ergo ſibi ablata eſſe expoſtulant, quæ nec ullo jure occupabant, & dilapidabant per ſummum nefas. Non enim licuit hoc modo noſtris Principibus, ſed etiam neceſſe fuit. Quid enim quum Eccleſiam veris miniſtris nudam ac deſtitutam cernerent: reditus autem, qui alendis miniſtris dicati eſſent, ab otioſis ignaviſque hominibus ſupprimi: quum Chriſti ac pauperum patrimonium cernerent, vel ingurgitari à paucis, vel in ſumptuoſos luxus diſſolute profundi, an non admoverent manum? Imo quum obſtinatos veritatis hoſtes, Eccleſiæ patrimonio incubare, & eo, ad Chriſtum impugnandum, ad opprimendam pietatis doctrinam, ad perſequendos ejus miniſtros, abuti cernerent, an non excuterent protinus ex eorum manibus, ne ad vexandam Eccleſiam, Eccleſiæ ſaltem opibus armati inſtructique eſſent? Laudatur Spiritus ſancti teſtimonio Rex Joas, quod quum ſacras oblationes perperam conſumi à ſacerdotibus animadverteret, quæſtum ſuum præfecerit rationibus repoſcendis. Et tamen illi erant ſacerdotes, quibus ordinariam adminiſtrationem Deus mandaverat. Quid ergo cum iis agendum, qui nec funguntur legitimo miniſterio, nec Templi modo inſtaurationem, ſicut illi, negligunt, ſed ad diruendam Eccleſiam nervos opeſque omnes impendunt?

Epiſt. l. 5. epiſt. 31. & 33.

2 Chr. 24. verſ. 11.

Verum adminiſtratio qualis? dicet quiſpiam. Sane, ut non penitus reprehenſione careat, longe ſaltem & melior & ſanctior, quam in hoſtium noſtrorum partibus. Inde ſaltem aluntur veri miniſtri, qui populum ſalutis doctrina paſcant: quum antehac nudæ ac deſtitutæ à Paſtoribus Eccleſiæ, ſumptu tamen alimentorum gravarentur. Ubicunque ſcholæ erant aut ptochotrophia, manent: aucti etiam alicubi reditus: nuſquam imminuti. Multis etiam locis in vicem monaſteriorum inſtituta ptochotrophia, quæ ante non fuerant. alicubi etiam erectæ novæ ſcholæ, ubi non magiſtris tantum ordinata ſunt ſtipendia, ſed pueri quoque in eam ſpem educantur, ut poſtea Eccleſiæ ſerviant. Denique multa commoda in commune percipiunt Eccleſiæ ex iis opibus, quas ſacerdotes & monachi prius ſoli heluabantur. Neque exigua portio in ſumptus extraordinarios abſumitur: qui tamen optimo jure in rationem venire debent. Certum eſt, multo plus conſumi, rebus ita confuſis, quam ſi compoſito certo ordine, inter Eccleſias conveniret. Ejuſmodi impenſas, quæ non privati compendii gratia, ſed in publicam Eccleſiæ neceſſitatem fiunt, noſtris Principibus ac civitatibus non ferri expenſas, perquam iniquum foret. Præterea non ſubducunt adverſarii rapinas illas & injuſtas exactiones, quibus Eccleſiæ ſub ſacrificiis expilabantur, nunc autem ſunt ſublevatæ. Verum ob unam cauſam prope ſupervacua eſt tota hæc diſputatio: quod jam ante triennium teſtati ſint noſtri Principes, moram ſe nullam in reſtitutione facturos, modo in eundem ſe ordinem cogi patiantur, qui & amplius multo, idque minus honeſto colore detinent, & in adminiſtratione multo diſſolutius peccant.

cant.

eant. Habet igitur tua majeſtas, invictiſſime Cæſar, eos ſua promiſſione obſtrictos. Extat etiam in manibus hominum libellus: ut ad doctrinæ conſenſionem ea res non debeat eſſe impedimento.

Ultimum ac præcipuum quo nos gravant, crimen eſt factæ ab Eccleſia diſceſſionis. Atque hic ferociter nobis inſultant, quod nulla cauſa ſit, cur abrumpere liceat Eccleſiæ unitatem. Verum, quantum nobis faciant injuriæ, teſtes ſunt noſtrorum hominum libri. Nunc autem breviter ſibi reſponſum habeant: nos nec ab Eccleſia diſſidere, nec ab ejus communione eſſe alienos. Sed quia ſpecioſo illo Eccleſiæ titulo, etiam piis alioqui & cordatis perſtringere oculos ſolent, te invictiſſime Cæſar, voſque illuſtriſſimi Principes, obteſtor, primum ut depoſito omni præjudicio, alteram defenſioni noſtræ aurem integram præbeatis: deinde, ne protinus, audito Eccleſiæ nomine, terreamini, ut memineritis, tale omnino cum larvata ſui ſeculi Eccleſia, Prophetis & Apoſtolis fuiſſe certamen, quale nobis cum Pontifice Romano, totaque ejus coborte eſſe hodie videtis. Quum illi, Dei mandato, in idololatriam, ſuperſtitiones, Templi ſacrorumque pollutionem, in ſacerdotum ſocordiam ac torporem, in omnium avaritiam, crudelitatem, & libidines liberius inveherentur, continuo illis tegerebatur quod hodie ſemper in ore habent adverſarii noſtri: eos à communi ſententia diſcedendo, Eccleſiæ ſcindere unitatem. Erat tunc ordinarium Eccleſiæ regimen penes ſacerdotes, quod non temere arrogaverant ipſi ſibi, ſed Deus illis Lege ſua contulerat. Longum eſſet in ſingulis hoc oſtendere. Uno igitur Jeremiæ exemplo ſimus contenti. Erat illi cum toto ſacerdotum collegio negotium. Hæc ad eum impetendum
Jer. 18. verſ. 18. erant illorum arma: Venite, conſpiremus adverſus Jeremiam. Non enim lex à ſacerdote peribit: nec conſilium à ſene: nec ſermo à Propheta. Erat illic ſummus Sacerdos, cujus non ſtare judicio, capitale erat. Totum ordinem, cui Deus ipſe Iſraëliticæ Eccleſiæ gubernacula tradiderat, ſibi conſentientem habebat. Si Eccleſiæ unitatem violat, qui, ſola Dei veritate inſtructus, ordinariæ ſe poteſtati opponit: ſchiſmaticus erit Propheta, qui nihil ejuſmodi minis fractus fuit, quominus bellum cum ſacerdotum impietate gerere, conſtanter perſiſteret. Stare à nobis æternam Dei veritatem, à Prophetis & Apoſtolis prædicatam, parati ſumus oſtendere: atque adeo cuivis intelligere promptum eſt. Sed hoc tantum ariete repellimur, quod diſceſſionem ab Eccleſia, nulla cauſa excuſet. Nos vero id fieri à nobis, pernegamus. Quid habent, quo nos urgeant? Prorſus nihil: niſi quod ordinarium habent Eccleſiæ regimen. At quanto meliori jure hoc dictitabant Jeremiæ hoſtes? Nam tunc ſaltem manebat adhuc ſacerdotii lex à Deo conſtituta: ut certa eſſet illorum vocatio. Qui hodie præſules vocantur, nullis, nec divinis, nec humanis legibus, approbabunt ſuam vocationem. Sint tamen pares. Niſi reum ſchiſmatis ante peregerint ſanctum Prophetam, nihil adverſum nos proficient, fucoſo illo Eccleſiæ nomine. Illum unum, exempli gratia, nominavi. Sed reliqui omnes eandem ſe pugnam ſuſtinuiſſe teſtantur, quum, ad eos obruendos, Eccleſiæ titulo abuterentur impii ſacerdotes. Quid Apoſtoli? an non illis neceſſe fuit,
Actor. 4. verſ. 19. ut ſe Chriſti ſervos profiterentur, ſynagogæ bellum denunciare? Et tamen ſacerdotii nondum amiſerant gradum aut honorem. Atqui, inquient, ſic in doctrina diſſidebant tum Apoſtoli, tum Prophetæ, ab impiis ſacerdotibus, ut in ſacrificiis & precibus communionem interea cum illis colerent. Fateor: quum ad idololatriam non cogerentur. Sed quem Prophetarum legimus unquam ſacrificaſſe in Bethel? quem etiam piorum impuris ſacrificiis putamus communicaſſe: quum Templum ab Antiocho pollutum, & profanæ illuc ceremoniæ introductæ eſſent?

Summa huc ſpectat, ut ſervos Domini intelligatis inanem Eccleſiæ titulum nunquam morati ſolitos fuiſſe, quum ad ſtabiliendum impietatis regnum obtenderetur. Proinde, non ſatis eſt Eccleſiam jactare, ſed adhibendum eſt judicium: ut, quæ ſit vera Eccleſia, & qualis ſit ejus unitas, noverimus. Hoc autem primum omnium eſt, ne Eccleſiam à Chriſto capite ſuo ſeparemus. Chriſtum, quum dico, contentum intelligo cum Euangelii ſui doctrina, quam ſuo ſanguine obſignavit. Ergo ut ſe veram eſſe Eccleſiam perſuadeant adverſarii, ante omnia puram Dei doctrinam apud ſe eſſe oſtendant oportet. Atque id eſt, quod ſæpe dicimus, perpetua bene ordinatæ Eccleſiæ inſignia eſſe, ſanam doctrinæ prædicationem, & purum Sacramentorum uſum. Fundatam enim eam eſſe in Prophetica & Apoſtolica doctrina quum teſtetur Paulus, niſi hoc fundamento *Ephes. 2.*
fulciatur, ruere extemplo neceſſe eſt. Venio ad noſtros adverſarios. *verſ. 20.* Chriſtum à ſuis partibus ſtare, magnifice jactant illi quidem: ſed tunc illis fides demum habebitur, ſi eum in verbo ſuo exhibeant. Eccleſiæ vocem identidem inculcant. Sed quærimus, ubinam ſit illa doctrina, quam Paulus unicum facit Eccleſiæ fundamentum. Videt jam profecto majeſtas tua, Cæſar, multum intereſſe, veritate Eccleſiæ, an nomine arment ſe hoſtes noſtri, ad nos obruendos. Ab Eccleſia, communi fidelium omnium matre, columna & firmamento veritatis, qui diſcedunt, eos à Chriſto etiam deficere, nos æque fatemur, atque ipſi: ſed Eccleſiam requirimus, quæ filios ſuos incorruptibili ſemine ad immortalitatem gignat: quæ genitos alat ſpirituali cibo (ſemen autem illud, ac cibus ille, verbum Dei eſt) quæ puram & integram cuſtodiat ſuo miniſterio veritatem illam, quam Deus in ejus ſinum depoſuit. Illa nota eſt minime dubia, minime fallax: quam Deus ipſe Eccleſiæ ſuæ impreſſit, ut inde dignoſceretur. Num videmur iniquum poſtulare? Ubi ergo nihil extat tale, nulla illic relucet Eccleſiæ facies. Si nomen obtenditur, notum eſt illud Jeremiæ: fruſtra verbis men- *Jer. 7: 4.*
dacibus gloriari impios ſacerdotes, dum clamitent: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini: quum ex Templo Domini ſpeluncam latronum fecerint.

Similiter Eccleſiæ unitatem, qualis à Paulo deſcribitur, teſtamur nobis eſſe ſacroſanctam: & anathema pronunciamus adverſus omnes, qui eam ullo modo violaverint. Ab hoc itaque principio unitatem ducit Paulus, quod unus ſit Deus, una fides, unum Ba- *Ephes. 4.*
ptiſma: quod unus ſit omnium Pater, qui nos in ſpem *verſ. 5.*
unam vocaverit. Tunc ergo unum erimus corpus, & unus ſpiritus, quemadmodum illic præcipit, ſi uni Deo adhæreamus: idque, fidei nodo inter nos colligati. Porro memoria repetendum, quod alibi dicit: fidem eſſe ex Dei verbo. Sit ergo hoc conſtitutum, tunc conſtare inter nos ſanctam unitatem, quum in pura doctrina conſentientes, in unum Chriſtum coaleſcimus. Et ſane, ſi in quamlibet doctrinam conſpirare ſufficeret, quo jam indicio amplius à profanis impiorum factionibus Dei Eccleſia diſcerneretur? Quamobrem, paulo poſt ſubjungit Apoſtolus, ad ædificationem Eccleſiæ inſtitutum eſſe à Chriſto miniſterium, donec perveniamus in fidei unitatem: hoc eſt, agnitionem Filii Dei: ne ſimus amplius pueri, qui circumferamur quolibet vento doctrinæ: ſed veritatem ſectantes in charitate, creſcamus in illum qui eſt caput. Poteratne apertius totam Eccleſiæ unitatem concludere, in ſancta veræ doctrinæ concordia, quam dum ad Chriſtum, ad fidem, quæ ejus agnitione continetur, ad veritatis obedientiam revocat? Neque vero hoc longa demonſtratione opus habet apud eos, qui Eccleſiam cogitant ovile illud eſſe, cui ſolus Chriſtus præeſt: ubi una ejus vox auditur, & diſcernitur ab alienorum voce. Atque id
quoque alibi confirmat, quum pro Romanis Deum *Rom. 15.*
preca- *verſ. 5.*

Digitized by Google

precatur, ut unum ſentiant omnes: ſed ſecundum Chriſtum: ut unanimes honorent Deum.

Proinde, ad Chriſtum accedant adverſarii noſtri primum, & tunc reos ſchiſmatis nos faciant, quod ab ipſis in doctrina diſſidere auſi ſimus. Quum vero jam planum fecerim, profligatum eſſe Chriſtum ex eorum contubernio, exterminatam eſſe Evangelii ejus doctrinam, hoc tantum in nobis accuſant, quod Chriſto potius adhæreamus, quam ſibi. Cui enim, obſecro, perſuadeant, quicunque abduci à Chriſto, ejuſque veritate, recuſent, ut ſe in hominum tradant poteſtatem, eos ſchiſmaticos, & ab Eccleſiæ conſortio transfugas eſſe? Fateor certe, honorem habendum eſſe ſacerdotibus: & magnum eſſe periculum in deſpectu ordinariæ poteſtatis. Quare, ſi non temere ordinariæ poteſtati reſiſtendum eſſe dixerint, non difficulter ſubſcribimus. Neque enim rudes adeo ſumus, quin videamus quanta ſit futura perturbatio, niſi auctoritas deferatur iis qui præſunt. Conſtet ergo ſuus paſtoribus honor: ſed ita, ne quid imminuat ex ſummo Chriſti imperio: cui & illos, & omnes ad unum, ſubeſſe oportet. Hac enim conditione ſe olim Iſraëliticæ Eccleſiæ regimen dediſſe

Mala. 2. verſ. 7.

ſacerdotibus, teſtatur Deus per Malachiam, ut factæ cum illis pactionis fidem præſtarent. Nempe, ut labia eorum cuſtodirent ſcientiam, & Legem populo exponerent. Huic pactioni quum minime tunc ſtarent ſacerdotes, fœdus ſuum, illorum perfidia abrogatum, jamque irritum eſſe, pronunciat. Falluntur, ſi alia ſe lege collocatos in Eccleſiæ regimine arbitrantur, quam ut veritatis Dei miniſtri ſint ac teſtes. Quamdiu ergo, contra officii ſui legem ac formulam, bellum cum Dei veritate gerere pergent, ne ſibi poteſtatem uſurpent, quam Deus non niſi ſub ea, quam diximus, conditione, vel olim Sacerdotibus, vel nunc Epiſcopis, contulit.

Verum, quia Eccleſiæ communionem in illo regiminis genere, quod ipſi ſibi finxerunt, incluſam eſſe perſuaſi ſunt, eo ſolo viciſſe ſibi videntur, quum nobis alienationem à Romana ſede objiciunt. Nobis vero de primatu Romanæ ſedis, quo tantopere gloriantur, non eſt difficilis reſponſio. Sed eam diſputationem, tum quia nimis prolixa foret, tum quia copioſe tractata eſt à noſtris hominibus, hic non ingrediar. Tantum hoc à vobis poſtulabo, invictiſ-

De ſimplicitate Prælator.

ſime Cæſar, & illuſtriſſimi Principes, ut Cyprianum audiatis diſſerentem, ex quo potius ordine æſtimanda ſit vobis vera Eccleſiæ communio, quam ad ſolum Romanum Pontificem adverſarii noſtri revocant. Nam ubi Eccleſiaſticæ concordiæ ſontem conſtituit in ſolo Chriſti Epiſcopatu: cujus à ſingulis in ſolidum partem teneri affirmat, poſtea ſubjungit: Eccleſia una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur. quo modo Solis radii multi, ſed lumen unum: rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum: & de ſonte uno rivi plurimi defluunt: numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, unitas tamen manet in origine. Avelle radium Solis à corpore, diviſionem unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit. A ſonte præcide rivum, præciſus areſcit. Sic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per totum orbem porrigitur: unum tamen lumen eſt, quod ubique diffunditur, nec corporis unitas ſeparatur. Proinde hæreſes & ſchiſmata inde oriri pronunciant, quod ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec cæleſtis magiſtri doctrina ſervatur. Talem nobis hierarchiam ſi exhibeant: in qua ſic emineant Epiſcopi, ut Chriſto ſubeſſe non recuſent: ut ab illo, tanquam unico capite, pendeant, & ad ipſum referantur: in qua ſic inter ſe fraternam ſocietatem colant, ut non alio nodo, quam ejus veritate, ſint colligati: tum vero nullo non anathemate dignos ſatear, ſi qui erunt, qui non eam reverenter, ſummaque obedientia, obſervent. Hæc vero mendax hierarchiæ larva, qua ſuperbiunt, quid omnino habet ſimile? Unus principatum, Chriſti vice, tenet Pontifex Romanus, qui abſque lege & modo, tyrannico more, imo diſſolutiore impudentia, quam tyrannus quiſquam, dominatur. Reliquum corpus ad illius magis normam, quam Chriſti, compoſitum. Extinctum illud lumen, de quo loquitur Cyprianus: præcluſa ſontis ſcaturigo: denique, ſola arboris proceritas, à radice præciſa oſtentatur.

Non abs re eſt, ſcio, quod de aſſerendo Romanæ ſedis primatu ita laborant adverſarii: in quo ſcilicet conſiſtere, & ſe, & ſua omnia, animadvertunt. Sed veſtrum eſt, invictiſſime Cæſar, & illuſtriſſimi Principes, diſpicere ac præcavere, ne vobis, ſicut imperitis facere ſoliti ſunt, inani fuco illudant. Principio hunc, quem jactant, primatum, nulla Dei auctoritate, ſed nudo hominum arbitrio conſtitutum fuiſſe, jam fateri ipſi quoque coguntur. Saltem id quum oſtendimus, etiamſi non palam aſſentiantur, contra tamen pugnare, quodammodo eos pudet. Fuit quidem tempus, quum audacter Scripturæ teſtimoniis, ad tam craſſi mendacii confirmationem abuterentur: ſed ubi cominus certatum fuit, facile fuit excutere de eorum manibus feſtucas, quas pro gladiis procul oſtentaverant. Itaque Dei verbo deſtituti, confugiunt ad vetuſtatis ſubſidium. Sed inde etiam nullo negotio eos depellimus. Paulatim enim emerſiſſe Romanos Pontifices ad hoc honoris faſtigium, quod ab annis circiter quadringentis occuparunt, vel potius aſtu partim & malis artibus obrepſiſſe, partim violenter irrupiſſe, tum ſanctorum patrum ſcripta, tum acta conciliorum, tum hiſtoriæ planum faciunt. Verum ut illis utrumque remittamus: ut, inquam, nobis concedentibus obtineant, & collatum divinitus Romanæ ſedi primatum, & confirmatum perpetuo veteris Eccleſiæ conſenſu fuiſſe: tunc tamen demum his eſſet locus, ſi Roma & veram Eccleſiam haberet, & verum Epiſcopum. Neque enim ſtabit ſedis honor, ubi nulla amplius erit ſedes. Obſecro, qua in re Epiſcopum ſe præſtat Pontifex Romanus, ut talis à nobis cenſeatur? Notum eſt illud Auguſtini: Epiſcopatum officii nomen eſſe, non honoris. Et has eſſe Epiſcopi partes definiunt veteres Synodi, paſcere verbi prædicatione populum, Sacramenta adminiſtrare, clerum & populum continere in ſancta diſciplina, & ne alii his diſtrahatur, profanis omnibus hujus ſeculi curis ſe abdicare. Epiſcopo adjutores in his omnibus debent eſſe presbyteri. Quid horum facere ſe ſimulant Papa & Cardinales? Dicant igitur quo titulo haberi ſe velint legitimos paſtores, qui nullam officii partem, vel minimo digito, ne in ſpeciem quidem, attingunt.

Verum, ut demus hæc omnia: Epiſcopum eſſe, qui ab omni officii ſui parte in totum abſtineat: Eccleſiam eſſe, quæ tam verbi miniſterio, quam puro Sacramentorum uſu careat: quid tamen, ubi omnia contra pugnant? Jam aliquot ſeculis ſedem illic habuerunt impiæ ſuperſtitiones, aperta idololatria, perverſæ doctrinæ: ea doctrinæ capita, quibus potiſſimum Chriſtiana religio continetur, everſa. Proſtitutis ad turpem quæſtum, aliaſque pollutiones, Sacramentis, extremo ludibrio habitus fuit Chriſtus: ut iterum quodammodo crucifigeretur. Eritne illa omnium Eccleſiarum mater, quæ adeo nullam, non dico faciem, ſed ne lineam quidem retinet veræ Eccleſiæ, ut nervos omnes ſanctæ, quæ inter fideles eſſe debet, communionis abſciderit? Nunc renaſcenti Evangelii doctrinæ non aliter ſe opponit Romanus Pontifex, quam ſi de capite ſuo ageretur. An non eo ipſo demonſtrat, non aliter ſalvam ſibi fore ſuam ſedem, niſi profligato Chriſti regno? Novit tua majeſtas, Cæſar, quantus hic mihi dicendi campus pateat. Verum, ut breviter locum

hunc

hunc concludam: Nego Apoſtolicam eſſe eam ſedem, ubi nihil præter horrendam apoſtaſiam viſitur. Nego vicarium eſſe Chriſti, qui Euangelium furioſe perſequendo, Antichriſtum ſe eſſe opere demonſtrat. Nego eſſe Petri ſucceſſorem, qui ad demoliendum quicquid ædificavit Petrus, toto conatu incumbit. Nego caput Eccleſiæ eſſe, qui reſciſſam à Chriſto vero & unico capite Eccleſiam, ſua tyrannide diſcerpit ac lacerat. Ad hæc omnia mihi reſpondeant, qui ſic alligatam ſedi Romanæ eſſe volunt Eccleſiæ hierarchiam, ut Papæ auctoritati certam ac teſtatam Euangelii doctrinam poſthabere non dubitent. Imo mihi reſpondeant ipſi: tantum vos expendite, invictiſſime Cæſar, & illuſtriſſimi Principes, æquumne an iniquum poſtulemus.

Hinc quoque proculdubio ſtatuere vobis promptum erit, quam non audienda ſit adverſariorum noſtrorum calumnia, dum impiæ temeritatis, & quaſi inexpiabilis audaciæ nos accuſant, quia ad purgandam, tum doctrinæ, tum ceremoniarum inquinamentis Eccleſiam, non expectato Pontificis Romani nutu, aggreſſi ſimus. Id vero privatis hominibus fas fuiſſe negant. At vero, quid ab eo ſperandum erat, quem loco cedere oportebat, ut Eccleſia in ſtatum meliorem reſtitui poſſet? Deinde quiſquis memoria repetet, quæ Lutheri aliorumque fuerint initia, qui progreſſus, nullam à nobis purgationem requiret. Suppliciter, quum integra adhuc eſſent omnia, oravit Pontificem Lutherus, ut graviſſimis Eccleſiæ morbis in animum induceret mederi. Quid profecit? Re ulterius provecta: etiamſi taceret Lutherus, ſatis acres ſtimulos ad incitandum Pontificem habebat neceſſitas, ne amplius differret. Id palam univerſus orbis Chriſtianus ab eo flagitabat. Piis omnium votis ſatisfacere illi in manu erat. An fecit? Nunc impedimenta cauſatur. Verum, ſi fontem inveſtigare libeat, reperiemus eum ſolum, & ſibi, & aliis obſtare, ne quid agatur. Verum, quid argumentis iſtis levioribus inſiſto? Quaſi vero hoc unum, aut non ſatis ſit illuſtre, aut non ſatis ponderoſum: quod nullam à principio hucuſque ſecum tranſigendi aliam ſpem oſtendit, niſi ut, ſepulto rurſum Chriſto, quicquid impietatis fuit quum nos in medium prodiimus, firmioribus quam ante machinis, ſtabiliat. Hæc ſcilicet cauſa eſt, cur hodie quoque fortiter prohibeant adverſarii, Eccleſiæ inſtaurationi manum admovere: non quia neceſſe non ſit (id enim negare, nimis perditæ impudentiæ foret) ſed quia tam ſalutem Eccleſiæ, quam interitum, ex ſolo Pontificis Romani arbitrio nutuque, ſuſpenſam eſſe velint.

Nunc de remedio videamus, quod ſolum nobis relinquunt, qui digitum moveri nefas eſſe cenſent, quibuſcunque malis prematur Eccleſia. Ad Concilium nos univerſale rejiciunt. Quid? An ſi, obſtinatis animis, in ſuum exitium major pars ruat, ideo nobis quoque ſimul perire neceſſe erit: quum penes nos ſaluti noſtræ conſulendi ſit facultas? At nefas eſt, inquiunt, abrumpere Eccleſiæ unitatem: quæ tunc abrumpitur, ſi ſeorſum aliquid in fidei doctrina pars una, non adhibitis aliis, decernat. Poſtea, quæ inde incommoda naſcerentur, amplificant: nihil præter horrendam vaſtitatem, & confuſum chaos poſſe expectari, ſi propriam ſibi fidei formam inſtituat unaquæque gens & natio. Hæc quidem merito, & ad rem appoſite tum dicerentur, ſi ſponte ſe unum Eccleſiæ membrum ab aliis, contempta unitate, ſepararet. Verum, id nunc non diſputatur. Utinam impetrari hoc quidem poſſet, ut ſancta conſpiratione omnes Chriſtiani orbis monarchæ & populi, ad expectandam præſentium malorum emendationem, ſimul digitum tollerent. Sed quum alios videamus à meliori ſtatu abhorrere: alios vero, aut bello, aut aliis curis teneri implicitos, quominus huc ſtudium ſuum applicare queant: quouſque tandem alios expectando, nobis conſulere differemus? Atque ut liberius malorum omnium fontem aperiam: videmus Rom. Pontificem, quoad poterit, nunquam paſſurum, ut conſentiant Eccleſiæ omnes, non dico ad juſtam conſultationem habendam, ſed omnino ad Synodum colligendam. Satis quidem promittet, quoties rogabitur: modo vias omnes præcluſas, & aditus omnes impeditos videat. Verum habet in manu remoras, quas identidem objiciat, ne unquam deſit tergiverſandi prætextus. Cardinales, Epiſcopos, Abbates habet omnes, paucis exceptis, conſentientes in hac re ſecum. Siquidem hoc unum cogitant ut plurimum, qualiter poſſeſſionem retineant ſemel uſurpatæ tyrannidis: de Eccleſiæ ſalute, vel exitio, ne minimum quidem ſolliciti.

Non vereor invictiſſime Cæſar, & illuſtriſſimi Principes, ne vobis incredibile, aut etiam ad perſuadendum difficile ſit, quod dico. Quin potius veſtras omnium conſcientias appello, an aliud referam niſi quod certo experimento compertum habetis. Interea ultimo in diſcrimine jacet Eccleſia: infinitæ animæ, quo ſe vertere debeant, neſcientes, miſere anguntur: multæ etiam morte præoccupatæ, niſi mirabiliter à Domino ſerventur, pereunt: ſectæ variæ exoriuntur: multi, quorum prius latebat impietas, ex præſenti diſſenſione licentiam nihil credendi ſumunt: multa alioqui non mala ingenia, profaneſcunt. His malis coërcendis nulla eſt diſciplina: inter nos, qui unius Chriſti nomine gloriamur, & eundem habemus Baptiſmum, nihilo plus eſt conſenſionis, quam ſi diverſas penitus religiones profiteremur. Et, quod omnium eſt miſerrimum, inſtat, & jam prope in conſpectu eſt horrenda totius Eccleſiæ diſſipatio, cui fruſtra remedia quærentur. Quum igitur ad opem Eccleſiæ ferendam nulla poſſit eſſe, in tanta calamitate, & in tantis periculis, nimia celeritas, qui nos ad Concilium univerſale ablegant, cujus habendi nulla ſpes apparet, quid aliud quam Deo & hominibus illudunt? Aut ergo ſuſtinendum eſt hoc judicium Germanis, quod Chriſti Eccleſiam in ſuo imperio pati maluerint, ſe videntibus & quieſcentibus, perire, quum mederi poſſent ejus morbis: aut ſtatim ad ſuſcipiendam ejus curam ſe accingant, neceſſe eſt. Quanquam iſtud ſecundum nunquam facient ita mature, quin nimiæ ceſſationis merito etiamnum damnentur. Quicunque vero, generalis Concilii prætextu, moram interponunt, eos nihil aliud moliri conſtat, niſi ut hoc artificio tempus extrahant. Nihilo igitur magis ſunt audiendi, quam ſi verbis faterentur, quod reipſa demonſtrant, ſibi tanti privatum compendium eſſe, ut id Eccleſiæ interitu redimere non dubitent.

At novo, inquiunt, exemplo id fieret. Nam ut de religionis dogmatibus, ſi qua in his controverſia fuerit exorta, cognitionem provincia una ſuſcipiat ac pronunciet, nunquam auditum fuit. Quid audio? an ſolo nutu perſuaſum iri mundo arbitrantur mendacium, quod temporum omnium hiſtoriis refellitur? Quoties emerſit nova aliqua hæreſis, aut diſſidio aliquo turbata fuit Eccleſia, nonne ſtatim provincialem Synodum ſolebant convocare, ut illic componeretur quod turbatum erat? Ad generale vero Concilium, niſi tentato prius illo remedio, decurrere nunquam moris fuit. Priuſquam ad confutandum Arrium, Nicæam convenirent ex toto orbe Chriſtiano epiſcopi, jam plures in Oriente ſynodi collectæ fuerant. Reliqua exempla, brevitatis cauſa, prætereo. Sed quod hoſtes noſtri, tanquam inuſitatum fugiunt, ordinarium fuiſſe, veterum ſcripta teſtantur. Faceſſat ergo mendax iſte novitatis prætextus.

Si Africanos epiſcopos tenuiſſet hæc ſuperſtitio, nimis ſero Donatiſtis ac Pelagianis occurſum eſſet. Jam magnam Africæ partem in ſuam factionem traxerant Donatiſtæ; nec locus quiſquam erat ab eorum con-

contagione omnino purus. Erat maximi ponderis controverſia, de Eccleſiæ unitate, & legirima adminiſtratione Baptiſmi. Secundum novam iſtorum ſapientiam, debebant ad univerſale Concilium rejicere orthodoxi epiſcopi illam quæſtionem, ne à reliquis Eccleſiæ membris ſe abſcinderent. An faciunt? Quin potius, quia reſtinguendo præſenti incendio feſtinatione opus eſſe judicant, urgent & inſequuntur Donatiſtas: nunc ad ſynodum, nunc ad diſputationem eos, quaſi manu conſerta vocantes. Damnent hoſtes noſtri impiæ ab Eccleſia ſeparationis & Auguſtinum, & alios ejus ætatis ſanctos viros, qui cum eo conſentiebant: quod & Donatiſtas, imperiali auctoritate, non convocata univerſali ſynodo, ſecum diſputare coëgerint: & provinciali concilio tranſigere de controverſia maxime ardua & periculoſa non dubitaverint. Pelagius illic quoque criſtas extulerat: ſtatim, ad reprimendam ejus audaciam, habita ſynodus. Quum, ſimulata ad breve tempus pœnitentia, vomitum reſorbuiſſet, defixo in Africa impietatis ſuæ aculeo, Romam ſe recepit, ut ſatis benigne fuit exceptus. Quid faciunt pii epiſcopi? An ſe membrum duntaxat Eccleſiæ eſſe cauſantur, ut ab univerſali Concilio remedium expectent? Quin potius conveniunt ipſi, prima quaque occaſione, iterum atque iterum: impium illud dogma, quo jam infecti fuerant multi, anathemate damnant: pronunciant libere ac definiunt, quid de originali peccato, deque regenerationis gratia, ſentiendum ſit. Poſtea Romam quidem actorum exemplar mittunt, partim ut communi & auctoritate, & conſenſu, melius & validius hæreticorum frangant contumaciam: partim, ut alios admoneant periculi, quod erat omnibus cavendum. Torquent hoc aliorſum Romani Pontificis adulatores: quaſi ſuſpenderint ſententiam, donec quod egerant, ratum haberet Innocentius, qui tum Romanæ Eccleſiæ præſidebat. Verum, ſatis ſuperque refellitur hæc impudentia ex ſanctorum patrum verbis. Neque enim aut conſilium petunt ab Innocentio, quid facere debeant: nec ad eum referunt, ut pronunciet: nec ejus nutum auctoritatemque expectant: ſed jam ſe cognoviſſe de cauſa, & ſententiam tuliſſe narrant, qua & hominem, & doctrinam damnaverint: ut ſuum exemplum ipſe, niſi ſuis partibus deeſſe velit, imitetur. Atque hæc quidem tum fiebant, quum in ſana doctrina conſentientes adhuc eſſent inter ſe Eccleſiæ. Nunc ergo, quum omnia inclinent ad ruinam, niſi celeriter ſuccurratur, quid ab eorum pendeamus conſenſu, qui nullum non movent lapidem, ut Dei veritatem, quam profligarunt, impediant, quominus iterum emergat? Erat Ambroſio, ſua ætate, cum Auxentio certamen de primario fidei noſtræ capite, hoc eſt, de divinitate Chriſti. Favebat Auxentij partibus Imperator. Neque tamen ad generale Concilium provocat hoc obtentu, quaſi alibi tantam cauſam finiri ſit nefas: ſed tantum poſtulat, ut quia fidei ſit quæſtio, in Eccleſia coram populo diſputetur. Quorſum etiam ſynodi provinciales, quæ bis olim quotannis ex more habebantur, niſi ut de iis, quæ emerſerant, inter ſe conſultarent epiſcopi? ſicut & canon ſynodi Chalcedonenſis decimus nonus continet. Jubet antiquum inſtitutum, bis quotannis convenire uniuſcujuſque provinciæ epiſcopos. Hoc ſynodus Chalcedonenſis interpretatur fieri debere ut ſi qua emerſerint, corrigantur. Iſti quæ omnibus nota ſunt, & doctrinæ, & morum vitia, ullo modo attingi fas eſſe negant, donec ad univerſale Concilium ventum fuerit. Quin etiam hoc ipſo ſubterfugio Palladius & Secundinianus, Arriani, concilium Aquileienſe repudiabant, quod plenum ac generale non eſſet. Abeſſe Orientales omnes epiſcopos: Occidentalium etiam paucos comparere. Et certe, ex Italicis quoque vix dimidia pars convenerat. Romanus epiſcopus, neque venerat ipſe, neque aliquem miſerat ex ſuis presbyteris, qui ſuo nomine intereſſet. Ad iſta omnia reſpondet Ambroſius: non eſſe novum exemplum, ut ſynodum agant Occidentales epiſcopi: quum moris ſemper fuerit, Orientales inter ſe convenire. Prudenter feciſſe pios Imperatores, qui Concilium indixerint, facta omnibus libera veniendi poteſtate, nulla vero neceſſitate impoſita. Veniſſe, quibus viſum fuerit: quia nemo fuerit prohibitus. Quum pergerent in ſuis tergiverſationibus hæretici, non propterea deſtiterunt à ſuo propoſito ſancti patres. Talibus profecto exemplis non prohibetur majeſtas tua Cæſar, quominus ad recolligendum in ſanctam concordiam Imperii corpus, hac, quæ ſe ad manum offert, ratione utaris.

Quanquam non hoc agunt iſti noſtri, qui procraſtinandum ſuadent, ſicut jam dictum eſt, ut aliquantiſper differendo, tandem Eccleſiæ conſulatur: ſed lucrum modo ex mora quærunt. Porro ſatis longas inducias habituros ſe exiſtimant, ſi ad univerſale Concilium rejicere nos poſſint. Agedum tamen: fingamus jam nihil obſtare, quominus univerſale Concilium mox cogatur: fingamus etiam ſerio indictum eſſe: adeſſe diem: omnia eſſe comparata. Illic nimirum præſidebit Romanus Pontifex: aut ſi venire gravabitur, unum quempiam ex Cardinalibus legabit, qui ſuo loco præſit: eumque proculdubio deliget, quem fidiſſimum ſibi fore arbitrabitur. Aſſidebunt Cardinales reliqui, Epiſcopi deinde & Abbates: ſubſellia occupabunt conſiliarii: quos ut plurimum deligere non ſolent, niſi ad ſuam voluntatem bene formatos. Fieri quidem poterit, ut pauci quidam boni inter eos ſedeant: verum & propter ſuam paucitatem deſpectui erunt: & metu debilitati, vel proficiendi deſperatione fracti, tacebunt. Quod ſi quis forte verbum facere audeat, ſtrepitu & clamoribus, dicto citius, obruetur. Multitudo autem ſic erit comparata, ut quidvis paſſura ſit potius, quam Eccleſiam reſtitui in ſtatum meliorem. De doctrina taceo. Utinam modo integri ac dociles ad cauſam venirent. At certo certius eſt, unam hanc fore omnium deliberationem: quicquid dicatur, quæcunque afferantur rationes, non eſſe auſcultandum. Imo non pertinacia modo & obſtinatione aures ſibi obſtruent, ne obediant veritati, ſed ferocia etiam ad reſiſtendum ſe armabunt. Quid enim? an qui nullam ſanæ doctrinæ mentionem auribus admittunt, eos credibile eſt, ſimulac in rem præſentem ventum fuerit, ſponte ceſſuros? an qui omnia moliuntur ne collapſum Chriſti regnum iterum in mundo reſurgat, eos ſperabimus excitandi illius & promovendi adjutores fore? an qui nunc ferro & igni inſaniunt adverſus veritatem, alioſque ad ſævitiam, quoad poſſunt, acuunt & inflammant, humanos ſe & moderatos, tunc præſtabunt? Verum, ut nihil aliud ſit, tuæ hoc prudentiæ inviciſſime Cæſar, veſtræque illuſtriſſimi Principes relinquo æſtimandum, num Pontifici Romano univerſæque ejus factioni privatim expediat, reſtitui in verum ordinem Eccleſiam, & ad rectam Euangelii normam corruptiſſimum ejus ſtatum emendari. Quam autem facile ſua commoda obliviſci ſoleant, ut nulla eorum habita ratione, ad ſuſcipiendam communis ſalutis curam, voluntate & ſtudio ferantur omnes, certis experimentis habetis compertum.

His, Cæſar, Eccleſiam permittes, ut de ejus reparatione, ſuo arbitrio, vel ſua potius libidine ſtatuant? Ab eorum nutu ſuſpenſus hærebis, ut nunquam, donec ipſi conſenſerint, Eccleſiæ conſulendum decernas? Si illorum erit cognitio, facili ſe compendio expedient. Pronunciabunt enim ſic manendum. Sed fingamus, vel pudore, vel tua aliorumque Principum auctoritate victum iri, ut nonnihil adhibeant moderationis in ſpeciem, & de ſuo etiam imperio aliquantulum remittant: ecne ſponte unquam deſcendent, ut ſe in ordinem coactis, Chriſti

regnum

regnum erigatur? Quorſum igitur illis mandetur reformandæ Eccleſiæ cura, niſi ut oves lupis exponantur? Si alterutrum accidere neceſſe ſit, præſtaret tamen Eccleſiam pro derelicta deſperataque haberi, quam in tales medicos incidere. Decuerat quidem eos, qui paſtorum nomen locumque obtinent, primos omnium advolare ad opem illi ferendam. Decuerat, fateor, duces eos ſe profiteri: Principes vero ſe illis comites adjungere in opere tam ſancto, & adjutores. Sed quid ſi non faciunt? Quid ſi fieri ab aliis nolunt? Quid ſi ad impediendum, nullum non movent lapidem? An reſpiciendi tum quoque nobis ſunt: ne quis ſe moveat, donec ipſi digitum ſuſtulerint? adhucne audienda illa ſolennis eorum cantilena? nihil tentandum donec Pontifex approbaverit. Sic ergo habeat tua majeſtas: adeoque vos ſimul omnes reputate cum animis veſtris, illuſtriſſimi Principes, virique ornatiſſimi, Eccleſiam à ſuis Paſtoribus non modo proditam, deſertam, deſtitutam, ſed vexatam, afflictam extrema calamitate, denique exitio deſtinatam, ad fidem veſtram confugere. Quin potius ſic exiſtimate: offerri hic vobis à Deo materiam, in qua ſpecimen edatis inſigne ac teſtatum veſtræ erga ſe obſervantiæ. Nihil eſt, quod nobis omnibus majori curæ eſſe, & in quo elaborare nos intentiore ſtudio velit Deus, quam ut illibata maneat nominis ſui gloria, ut regnum ſuum floreat, ut pura vigeat illa doctrina, quæ ſola ad ipſum rite colendum prælucere nobis debet. Quanto igitur magis hæc Principes curare, hæc meditari, hæc agere & perſequi decet? quos ideo nominis ſui communicatione dignatus eſt, ut gloriæ ſuæ cuſtodes ſint in terris ac vindices.

Nolite, obſecro, profanis hominibus aurem accommodare, qui vel fallaci concilii oſtentatione vos lactant, ne quid levationis ex vobis ſentiat Eccleſia: vel hanc cauſam, quum ſit omnium maxima, extenuant, quo ſitis ad eam ſuſcipiendam remiſſiores: vel ad violentas ejus tranſigendæ rationes impellunt. Hactenus operam perdiderunt, qui te ad ſævitiam inflammare, invictiſſime Cæſar, & tibi quodammodo arma induere conati ſunt. Præclaram certe, & manſuetudinis, & prudentiæ laudem ad poſteros conſequutus es, quod turbulentis conſiliis, quibus ſæpe multumque tentatus es, nunquam te à perpetua moderatione paſſus es dimoveri. Ea laus ne quando tibi extorqueatur hoſtium noſtrorum importunitate, etiam atque etiam vide. Si terreantur hæretici, non doceantur, improbam eſſe dominationem Auguſtinus agnoſcit. Si hac manſuetudine tractandi ſunt hæretici, qui Eccleſiam, ſua intemperie, nulla juſta cauſa perturbant, ut caſtigationem ſemper doctrina præcedat, quanto plus adhibere in hac cauſa humanitatis decet, in qua Deum & homines teſtamur, nihil nos aliud quærere, niſi ut in puram Dei doctrinam utrimque conſentiamus? Pontificem Romanum cum ſuis nihil quam ſanguinem & cædes ſpirare, tu optimus es teſtis, Cæſar. Quod ſi eorum obſequutus eſſes furori, jampridem ſuo ſanguine Germania redundaſſet. Neque id vos latet illuſtriſſimi Principes. Ad tantam crudelitatem præcipites ipſos ageret Dei Spiritus? Sed hoc eſt ſcilicet: libido, quæ diu graſſata eſt ſine obſtaculo, ſi cohiberi incipiat, protinus ad inſaniam erumpit. Si qui ſunt præter eos, qui oppreſſos vi & armis nos videre cupiant, aut ab illis flabellis accenſi, aut inconſiderato zelo ſponte inſtigati, cauſam incognitam oderunt. Nam quod naſcenti primum Eccleſiæ accidiſſe Tertullianus queritur, id nobis hodie quoque uſu venit: ut ſolius nominis præjudicio, ſine cauſæ inquiſitione damnemur. Et nunc quid contendimus aliud, niſi ut ſuſcepta ſemel legitima cognitione, ex vero tandem & æquo, non ex præſumpta falſo opinione judicetur? Atque hoc quidem præclarum, & humanitatis tuæ, & ſingularis ſapientiæ documentum edidiſti, Cæſar, quod hactenus furioſæ hoſtium noſtrorum libidini, ne te ad injuſtam ſævitiam abriperet, conſtanter obſtitiſti. Sed hoc ſecundum supereſt, ne pernicioſis eorum conſiliis morem geras, qui ſub dilationis ſpecie ſanctum hoc opus, reformationem Eccleſiæ dico, jam dudum impediunt: &, quod pejus eſt, abrumpere moliuntur.

In Apologetico.

Una forte perficiendi adhuc reſtat difficultas, quæ vos ab inchoando nonnihil retineat. Pleroſque enim, non male alioqui animatos, non alia cauſa avertit à tam ſancto inſtituto, niſi quod antequam periculum faciant, ſucceſſus deſperatione concidunt. Sed hic nobis duo ſunt conſideranda: neque tantam eſſe difficultatem, quanta animis concipitur: & quantacunque ſit, non decere tamen ejus cogitatione ac metu vos frangi, ſi reputetis apud vos, hoc eſſe Dei opus: in quo gubernando & ſpem noſtram ſuperari, & opinionem falli oporteat. Priorem illam partem explicare, non eſt hujus operis. Aptior & opportunior erit locus, ſi ad ſeriam conſultationem ventum ſemel fuerit. Hoc tantum dicam: magis expeditam fore rationem, nec tantæ molis, quam vulgo exiſtimetur, modo ſatis ſit ad tentandum animi. Verum, quum veteri proverbio celebratum ſit, nihil eſſe præclarum, quod non arduum ſimul quoque ſit ac difficile, miramur, ſi ad rem omnium maximam & præſtantiſſimam per multas difficultates ſit enitendum? Deinde, quemadmodum dixi, niſi velimus gravem Deo injuriam facere, altius hic attollere animos convenit. Certe enim Dei virtutem metiemur mentis noſtræ captu, ſi de Eccleſiæ reparatione nihil plus ſperabimus, quam ipſa præſentium rerum conditio ſtatuſque promittat. Quamlibet tenuis ſpes appareat, bono animo nos eſſe Deus jubet: ut excuſſo procul omni metu, ad opus alacres accingamur. Hunc ſaltem illi honorem præſtemus, ut fiducia virtutis ejus freti, experiri non recuſemus, qualem dare ſucceſſum velit.

Ut nunc Imperii res habent, implicitos variis curis teneri vos, invictiſſime Cæſar, & illuſtriſſimi Principes, ipſaque negotiorum multitudine diſtractos circumagi, & quodammodo fluctuare neceſſe eſt. Verum, ſic ſtatuite: unum hoc proculdubio aliis omnibus eſſe vobis antevertendum. Sentio, quos nervos, quam vehementiam, quos aculeos, quem ardorem requirat hujus loci tractatio. Et certe non defuturos ſatis ſcio, qui me in tam inſigni ſplendidaque materia ita frigidum eſſe mirentur. Sed quid facerem? Ponderi rerum ac gravitati ſuccumbo. Nihil itaque melius video, quam rem ſimpliciter, & abſque ullo verborum ſplendore vobis proponere: ut eam veſtro deinde examine ponderetis. Primum vobis in mentem veniat horrenda hæc Eccleſiæ calamitas, quæ ferreos etiam animos flectere quodammodo ad miſericordiam poſſit. Imo ante oculos vobis ſqualidum hunc deformemque habitum, & vaſtam diſſipationem, quæ ſunt in omnium conſpectu, ſtatuite. Quid? ſponſam Chriſti, veſtram omnium matrem, quouſque tandem ſic proſtratam afflictamque jacere feretis? Præſertim quum & fidem veſtram imploret, & vobis ad manum ſit ejus ſublevandæ ratio? Percipite deinde animis, quanto acerbiora jam inſtent. Non enim procul abeſt ultimus interitus, niſi quam citiſſime obviam eatis. Servabit quidem mirabiliter, & ſupra hominum opinionem ubicunque volet, Eccleſiam ſuam Chriſtus: ſed hoc dico, ſi paululum modo ceſſatum adhuc à vobis fuerit, Eccleſiæ formam nos in Germania nullam habituros. Circumſpicite quot indicia, illam, cui occurrere vos par eſt, ruinam minentur, jamque imminere denuncient. Illa ſatis loquuntur, etiam ſi taceam.

Quanquam non præſenti tantum aſpectu movere nos hæc indicia, ſed divinæ quoque ultionis commonefacere debent. Vitiato tot pravis opinionibus, tot impiis fœdiſque ſuperſtitionibus perverſo Dei cultu, atroci contumelia afficitur ſacra ejus majeſtas, pro-

Digitized by Google

ſanatur ſanctum ejus nomen, ejus gloria tantum non pedibus calcatur: imo quum palam idololatria inquinatus ſit totus Chriſtianus orbis, ſua, ejus loco, figmenta homines adorant. Mille ſuperſtitionum ſpecies regnant, quæ tot ſunt aperta ejus ludibria. Virtus Chriſti prope obliterata ex hominum animis: fiducia ſalutis ab ipſo ad inanes frivolaſque ceremoniarum nugas traducta: Sacramentorum non minus execranda pollutio. Baptiſmus multis additamentis deformatus: ſacroſancta vero Cœna ad omne ignominiæ genus proſtituta: tota religio in alienam prorſus formam degeneravit. Si nos ad hæc curanda, negligenter adjicimus animum, non obliviſcitur certe ſui Deus. Nam qui imminui ſuum honorem ullo modo paſſurum ſe negat, quomodo eum labefactari & deſtrui pro nihilo duceret? Qui diſſipationem populis omnibus, apud quos defecerit prophetia, minatur, quomodo apertum & contumacem prophetiarum contemptum inter nos impunitum ſineret? Qui levem Cœnæ ſuæ maculam tam ſevere vindicavit in Corinthiis, quomodo nobis parceret, ſi eam tot nefandis ſacrilegiis conſpurcare pergimus? Qui Prophetarum omnium ore ad ulciſcendam idololatriam armatum ſe teſtificatur & clamitat, tot idololatriæ portenta an intacta in nobis relinqueret? Et certe non relinquit: videmus enim, ut nos urgeat & inſequatur armata manu. Turcicum nunc bellum omnium in ſe mentes convertit, ac trepidatione implet. Merito id quidem. De comparandis ad reſiſtendum præſidiis conſultatur. Id quoque prudenter fit ac neceſſario. Feſtinatione non vulgari opus eſſe clamant omnes. Fateor nimiam eſſe non poſſe, modo ne interea reſtituendæ in ſuum ſtatum Eccleſiæ conſultatio, quæ prima eſſe debet, vel negligatur, vel retardetur. Plus enim ſatis morarum interpoſitum jam fuit. Intus eſt, in viſceribus noſtris incluſa belli Turcici materia. Eam in primis tollere oportet, ſi bellum ipſum feliciter propulſare cupimus.

Quamobrem quoties vobis poſthac hæc vox occinetur, differendum in præſens eſſe reformandæ Eccleſiæ negotium: fore, aliis tranſactis, ſatis maturum ejus curandi tempus, de eo vobis invictiſſime Cæſar, & illuſtriſſimi Principes, deliberandum eſſe memineritis, imperiumne velitis aliquod poſteris veſtris relinquere, an nullum. Tametſi quid de poſteritate loquor? Jam enim, vobis videntibus, ſemirutum ad ultimam ruinam inclinat. Quod ad nos pertinet: utcunque res reciderit, hæc nos conſcientia ſemper ſuſtinebit in Dei conſpectu, quod & ſervire ejus gloriæ, & Eccleſiæ ipſius prodeſſe voluerimus, quod fideliter incubuerimus in eam rem, quod denique fecerimus, quantum in nobis erat. Nam non alioſum ſpectaſſe conatus noſtros, noſtraque omnia ſtudia, ipſi primum nobis ſumus ſatis conſcii: & id luculentis teſtimoniis ut teſtatum foret, dedimus operam. Et certe quum nobis conſtet, Dei negotium hic nos & curare & agere, ipſum ſibi, operique ſuo minime defuturum confidimus. Cæterum, qualiſcunque exitus erit, nunquam nos cœpiſſe, aut huc uſque progreſſos eſſe pœnitebit. Nobis Spiritus ſanctus doctrinæ noſtræ fidelis eſt ac certus teſtis. Scimus, inquam, eſſe æternam Dei veritatem quam prædicamus. Miniſterium noſtrum ut mundo ſit ſalutare, optamus quidem, ſicut par eſt: verum ut id conſequamur, Dei eſt præſtare, non noſtrum. Si ita meretur eorum, quibus prodeſſe cupimus, partim contumacia, partim ingratitudo, ut deſperato profectu, omnia peſſum eant: dicam, quod homine Chriſtiano dignum eſt: ſubſcribent, quicunque huic tam ſanctæ profeſſioni reſpondere volent: Moriemur. Sed in morte quoque victores erimus: non modo quod inde certus ad meliorem vitam tranſitus nobis erit, ſed quia ſanguinem noſtrum ad propagandam illam, quæ nunc reſpuitur, Dei veritatem, ſeminis inſtar futurum eſſe ſcimus.

DE SCANDALIS,

Quibus hodie plerique abſterrentur, nonnulli etiam alienantur à pura Euangelii doctrina,

LIBER.

JOANNES CALVINUS, *viro multis dotibus eximio,* LAURENTIO NORMANDIO, S.

QUum tibi multis nominibus aliquam laborum meorum partem animo deſtinaſſem: hoc opuſculum præ aliis eligendum cenſui, quod ad faciendam ejus, quam continet, doctrinæ fidem, exemplum tuum non parvæ confirmationis vice eſſe poteſt. Nam ex quo, relicta patria, huc ad nos voluntarius exul migraſti, quot & quam violentis Satanæ machinis fueris impetitus, nos quidem duo optimi ſumus teſtes: ſed alii quoque non ignorant. Mors patris, quarto poſt diſceſſum tuum menſe, nunciata eſt. Venire tibi in mentem neceſſe fuit quod malevoli non tacebant, mortis cauſam dolori poſſe aſcribi, ut tota invidia in te redundaret. Sequutum eſt paulo poſt acerbiſſimum vulnus, quod uxor tibi, qualem optimus quiſque vir optaret, in medio ætatis flore erepta eſt. Hic quoque fieri aliter non potuit, quin mentem hominis non ſtupidi percellerent variæ tentationes. Jam auribus tuis inſonabant improborum calumniæ: fuiſſe infauſtis ominibus è natali ſolo extractam, ut miſerum ſpiritum in alieno prope orbe deponeret. Sed animum tuum propius hoc urgebat: aliquid habituros coloris, ſi conſilium tuum triſti eventu à Domino maledictum eſſe jactarent. Omitto punctiones innumeras, quas te intus ſentire par fuit. Nam quum grave ſit malum, viduitas: tali vitæ ſocia privari, pluſquam lugubre tibi fuit. Filiolæ quoque poſtremo ad luctus cumulum funus acceſſit. Interea quoſcunque potuit impetus, aliunde effudit Satan, ut ſaucium jam pectus obruendo conficeret. Denique, plus tibi moleſtiarum intra ſemeſtre tempus devorandum fuit, quam nonnulli, quorum celebrata fuit animi magnitudo, tota vita pertulerint. Illa fuit ſcandalorum moles, tibi Satanæ aſtu in ipſis ſtadii carceribus oppoſita, quæ te ad gradum reflectendum cogeret: atqui, invicta Spiritus Dei virtute fretus, documento aliis omnibus fuiſti, nullum eſſe tam arduum difficileque obſtaculum, quod non eodem eluctari præſidio liceat. Et ſimul expertus es, quibus ſuos, ad reſiſtendum armis inſtruere ſoleat Dominus, quoties ad certamen ipſos vocat. Memini, quum tibi primus indicarem patrem eſſe mortuum: & exemplum adducerem Abrahæ, quem patris carnificem vocare poterant ætatis ſuæ homines, quod Thare domo abeuntem ſequutus, in medio itinere defecerat: teſtatim excipere: Quum teſtem facti tui, & approbatorem haberes Deum, impiorum calumnias nihil morari: hoc dolere ſolum, quod non pater additus tibi profectionis comes, Abrahæ te ſimilem feciſſet. Te quidem non adeo laurum

eſſe

eſſe ac ſuperbum, ut vel Abrahæ ſocius eſſe recuſares, vel eam ignominiam fugeres, quam Deus ſumma laude proſequitur. Cæterum, uxor ipſa prius obitus ſui luctum, quam nos relinqueret, mirifice levavit ac mitigavit. Nulla enim medicina deſiderari aptior potuit, quam heroicæ illæ voces, quas inter ultimos ſpiritus edebat: quum apprehenſa manu mea gratias Deo ageret, cujus manu in eum locum eſſet adducta, ubi tranquillo animo liceret mori: quum ſuperioris vitæ ſortem animo deplorans, bis ſe felicem eſſe clamaret, quia nuper ex maledicto Babylonis carcere extracta, jam ex miſero etiam corporis ergaſtulo exitura eſſet: quum ex vivo conſcientiæ ſenſu de peccatis ſuis, de æternæ mortis reatu, de tremendo Dei judicio non muliebriter diſſerens, magnifice Chriſti gratiam extolleret, eamque pari humilitate & fiducia velut ſacram anchoram amplecteretur. Hæc verba non modo clare & diſerte, ſed inſolita energia inter ultimos anhelitus fundentem ſic me audiſſe recordor, ut ſpectaculo adhuc intereſſe videar. Itaque, quum te ex adverſo intuerer, in domanda animi mœſtitia præclare luctantem, minus jam mirabar, tot talibuſque remediis adjutum, virum eſſe fortem in dolore. Aliis recitandis ſuperſedeo. Hoc tantum dico: quum perplexum ex immenſa congerie ſcandalorum labyrinthum tibi fabricatus eſſet Satan, ſic te omnia ſuperaſſe, ut non modo idoneus ſis aliis monitor & hortator, ſed etiam ut qui paulo ſunt molliores, tuo exemplo animati, novam ſtrenuitatem merito ſumere debeant. Scilicet arx valde munita eſt, æquabilis animi moderatio: cujus ſingulare ſpecimen cùm aliis in rebus, tum in hac præbuiſti, quod quum in patria reliqueris quæ alios ad ambitionem rapiunt, alios ſuis illecebris affixos tenent: nullo prorſus eorum deſiderio tangeris: ut te non minus æquo ſedatoque animo illis carere appareat, quam facile ſemel renunciaſti. Hujus tuæ pietatis, ſicuti ego fructum & oblectationem non vulgarem capio, ita non mirum, ſi cupiam ad alios partem aliquam pervenire. Nam qui te nuper, quum in urbe ex qua natus ſum, Regius eſſes præfectus, & civium noſtrorum magiſter, tanquam procul à Chriſto diſſitum gemebam: nunc ex quo totus Chriſto addictus es, vere meum eſſe duco, & quaſi communi Eccleſiæ gremio amplector. Velim tamen ut libellus hic etiam apud eos quibus ignotus es, qualecunque ſit amoris in te mei documentum. Pignus enim ipſe nullum flagitas. Multa quidem ſunt inter nos juſtæ neceſſitudinis vincula, ſed nulla ſanguinis eſt propinquitas, nulla alia conjunctio, quæ amorem noſtrum ſuperet. Adeoque frater unicus te ſibi æquari non ægre patitur: quod mutuæ compenſationis vice ſe abs te peræque amari ſentit. Porro, quod multorum votis ſerius prodit liber, utinam veteri proverbio, quod initio libri citavi, legitime excuſare poſſem: Sat cito, ſi ſat bene. Sed vereor, ne multos, qui ſibi partim ex argumenti amplitudine, partim ex longiore mora, magnum neſcio quid polliciti ſunt, ſpei ſuæ fruſtratio magis offendat: quum res copia, ſplendore, vehementia orationis, totis denique eloquentiæ fulminibus apprime dignas, conciſe, humiliter, & jejune perſtringi videbunt. Quibus ego quid reſpondeam, non habeo, niſi me rationem ſequutum eſſe, quam fore optimam arbitrabar. In quo, ut mihi ſubſcribant, non poſtulo: modo veniam à ſe diſſentienti dare non recuſent. Vale, eximie vir, & frater mihi in Domino conjunctiſſime. Genevæ, VI. Idus Julii, meo natali die. Anno M. D. L.

DE SCANDALIS,

Quibus hodie plerique abſterrentur, nonnulli etiam alienantur à pura Euangelii doctrina.

NOn abs re Dominus, poſtquam multis argumentis eum ſe eſſe comprobaſſet, qui venturus erat in piorum ſalutem, hanc tandem clauſulam adjunxit, Beatus qui non
Luc. 7. verſ. 23. fuerit offenſus in me. Scilicet non tantum in Euangelii ſui profeſſione multa noverat contineri, à quibus humanum ingenium penitus abhorreat: ſed etiam exoritura mox, Satanæ artificio, providebat omne genus obſtacula, quæ illam mundo vel exoſam redderent, vel ſuſpectam. Et ſane impleri neceſſe eſt, quod de ipſo pronunciavit Spiritus ſanctus, lapidem fore offenſionis, & petram ſcandali: non quia juſtam ipſe offenſionis cauſam in ſe habeat, ſicuti mox videbimus. Sed quid refert? Hæc quidem illi quaſi fatalis eſt conditio: ut quoties ſe offert hominibus, in eum bona pars impingat. Hoc ſi quando alias uſu venit, hodie innumeris prope exemplis verum eſſe experimur. Quo magis ſuperiorem ejus admonitionem ſubinde nos memoria repetere convenit, quo penitus animis noſtris infixa hæreat: ne impedimentis, quæ Satan objiciet, ab illo averſi, iſta etiam, quam ſuis promittit, beatitudine privemur. At quam pauci ſunt quibus hoc veniat in mentem? Contra vero, quam multi reperiuntur, qui ſcandalorum prætextu, aut Euangelium non ſecus ac ſcopulum aliquem refugiunt: aut illud amplexi, facto etiam aliquo progreſſu, curſum deinde reflectunt? Itaque, quum nullum eſſet, meo judicio, argumentum in quo tractando utilius locarem operam, non invitus hoc tractandum ſuſcepi: præſertim quum fidem in hac re meam, bonis quibuſdam viris obſtrinxerim: qui flagitare quaſi debitum quod promiſi, non deſinunt. Citius fortaſſis fieri debuit: ſed quum hactenus occupatum me tenuerint partim aliæ ſcriptiones non minus neceſſariæ, partim magna & varia negotia, ſat hoc cito erit, ſi ſat bene.

Porro antequam in rem ipſam ingrediamur, videndum eſt, qui conveniat titulus hic Chriſto, quem conſtat æternæ vitæ eſſe oſtium, ut ſit lapis offenſionis, & petra ſcandali: qui fiat ſimiliter, ut Euangelii doctrina, quæ unica eſt via ſalutis, perpetuo cum tam multis ſcandalis ſit conjuncta. Clarius hoc fiet, ſi à Scandali definitione exordium ſumamus. Quum ratio vivendi nobis à Deo præſcripta, ei, quam ſequi nos oportet, viæ aut ſtadio comparetur: hinc nata eſt altera metaphora, ut Scandala vocentur impedimenta, quæcunque vel à recto curſu nos abducunt, vel objectu ſuo nos retardant, vel caſus occaſionem præbent. Horum certe nihil in Chriſtum, neque in ipſius Euangelium competit. Officium Chriſti eſt, recta nos ad Patrem manuducere: quin etiam lux eſt mundi, qua illuc dirigimur: via, qua pervenimus: oſtium, quo intramus. Natura Euangelii eſt, ſublatis omnibus impedimentis, facilem nobis aditum patefacere in regnum Dei. Nihil igitur, vel à Chriſto, vel ab Euangelio magis alienum, quam nomen Scandali. Omnino verum eſt, ſi in ſe æſtimetur Chriſtus, nihil ejus naturæ magis repugnare, quam ſcandalum. Ita & de Euangelio ſentiendum eſt. Accidit autem hoc hominum pravitate, ut ſimulatque eminus appareat Chriſtus, undique ſcandalis impetantur: vel in ea potius ipſi incurrant. Lapis ergo ſcandali eſt, non quia det ipſe cauſam impingendi: ſed quia in occaſionem trahatur. Sicuti Euangelium, quum doctrina ſit pacis & concordiæ, ingentium tamen motuum eſt occaſio: quod

inde tumultuandi anſam impii arripiunt. Quod autem aliunde eſt, id tanquam proprium Chriſto aſſignare, ut culpam ipſe crimenque ſuſtineat, perquam iniquum foret. Atque id eſt quod dicit Petrus: Ædificemini in domum ſpiritualem, qui lapis eſt vivus: ab hominibus quidem reprobatus, à Deo autem electus, vobis etiam pretioſus qui creditis. Cæterum, iis qui non credunt, lapis quem reprobaverunt ædificantes, lapis ad quem offendant, petra ad quam impingant. En ut Chriſtus ſe omnibus offerat in fundamentum, ut in templum Dei extruantur. Ibi certe nulla offenſio. Cur igitur offendunt? quia in quo placide acquieſcere debebant, in eum cæco impetu contumaciter irruunt.

Quæ tamen eſt hominum vel malitia, vel corruptela, videmus, ut quod accidentale eſt Chriſto, non minus ſit ordinatium, quam ſi ejus officio maxime conveniret. Nunc ad eos venio qui Chriſti Euangelium alias amplecti non abnuentes, volunt tamen habere abſque ſcandalis. Cum Chriſtianis mihi negotium eſt. Voluntne Chriſtum ab omni ſcandalo remotum? Novum ſibi fabricent: neque enim alius eſſe poteſt Filius Dei, quam qualis in Scripturis prædicatur: aut certe mutent hominum ingenia, totumque mundum reforment. Audimus quid Scriptura pronunciet. Non cadit hoc in Chriſti perſonam ſolum, ſed in totam doctrinam. Nec temporale eſt, ſed duraturum toto doctrinæ curſu. Quam ſunt igitur præpoſteri, qui hodie renaſcentem Euangelii doctrinam hoc tantum nomine repudiant, quia in ea deprehendunt quod à Prophetis & Apoſtolis prædictum fuit! Interea nihilominus Chriſtiani cenſeri volunt. Quid ſi in prima Euangelii exordia incidiſſent, quo tempore nullum non ſcandalorum genus, ſubinde ex Euangelio ſcaturiebat? Quam celeriter à Chriſto ſe procul removiſſent! Quantum exhorruiſſent, ne qua contagione fuiſſent ex levi tactu afflati! Si id ſe tunc facturos fuiſſe negant, cur ergo tam ſunt hodie delicati? Cur non eaſdem nunc quoque agnoſcunt in Chriſto notas? At res eſt odioſa ſcandalum: & modeſtis ingeniis horrenda. Quis negat? Neque etiam dico appetenda ultro eſſe ſcandala: fugiamus ea quoad licet: verum, Chriſtiani hominis pectus ita munitum eſſe oportet, ut quicquid ſcandalorum erumpat, nunquam loco moveatur: ne vel minimum unguem deflectat à Chriſto. Ad hanc conſtantiam qui non eſt comparatus, ut per omnia ſcandala invictus perrumpat, nondum quid valeat Chriſtianiſmus, intelligit. At reſiſtere ſcandalis difficile eſt: præſertim huic adeo teneræ noſtræ imbecillitati. Fateor certe: ſed poſtulare, ut ab eo incommodo ſimus immunes, cui ſacroſanctum Chriſti & Euangelii ejus nomen eſſe obnoxium cernimus: id vero cum ratione pugnat. Proinde, qui hodie ſcandala in cauſa eſſe obtendunt, cur puræ Euangelii doctrinæ, quam profitemur, nomen dare metuant, imo horreant ad eam accedere, hos omnes monitos eſſe velim ne ſibi pro Chriſto idolum comminiſcantur. Fixum enim illud manere oportet: Si ſcandala omnia fugere velimus, Chriſtum ſemel abnegandum eſſe: qui, niſi eſſet petra ſcandali, neque verus Chriſtus eſſet.

Quanquam hominum genera quatuor eſſe ſcio, quos ſcandala à Chriſto avertant, vel certe qui hoc colore Euangelio ſunt inimici. Multos retinet ſcandalorum horror, ex naturali quadam modeſtia conceptus, ut ne guſtum quidem Euangelii capere audeant. Alii magis ignavi & indociles, ſocordia tamen magis quam malitia ſe impediunt. Sed ſunt permulti faſtu & perverſa ejus, à qua procul abſunt, ſapientiæ opinione inebriati, quibus ſua arrogantia ſcandalum eſt. Sunt etiam qui malitioſe dataque opera, ſcandala omnia colligunt, multa etiam confingunt: neque id tam ſcandalorum, quam Euangelii odio, ut ipſum quoquo modo infament. Imo quum ſint ſcandalorum auctores, impudenter contorquent in Euangelium quicquid eſt invidiæ. Talibus calumniis refertos videre eſt Sadoleti, Eccii, Pighii, Cochlæi, & ſimilium libros. Primos & ſecundos mitius tractare convenit: tertii & poſtremi acrius repellendi. Nam cujus eſt, non dico humanitatis, (quam enim humanitatem à truculentis iſtis beſtiis requiras?) ſed verecundiæ, probra objicere Filio Dei, quo ipſi culpam totam ſuſtinent? Sed hæc poſtea videbimus. Tantum initio admonere volui, quibuſcum hominibus agere inſtituerim, ut inde judicent lectores, quid expectare debeant in hoc libello. Invenient hic infirmi ac rudes, quo ſe muniant ad ſuperanda ſcandala. Invenient improbi, quod ad ſacrilegas eorum calumnias reflectendas ſufficiat. Magnum eſt quod polliceor: ſed æquis judiciis ſatisfacturum me confido. Nam ut omnium morbis medear, minime ſperandum eſt. Et jam magnæ ſtultitiæ damnavi, ſi quis efficere conetur, ne ſcandalo ſit Chriſtus impiis. Scripturam impleri oportet, quæ id prædixit fore. Neque vero alium ſuſceptæ à me lucubrationis eventum expecto, quam ut magis ac magis inflammetur eorum rabies. Sed infirmos reſpicio: quorum fidem ut illi quatefaciunt, ita nos, quaſi ſuppoſita manu ſuſtinere convenit. Quod ad deſperatos pertinet, mihi abunde fuerit, ſi illorum petulantiam cohibuero: aut certe effecero, ne contagio veneni ulterius ſerpat.

Quoniam autem, quacunque de re agatur, diſtinctiones plurimum ſolent afferre lucis, inter præcipuas ſcandalorum ſpecies hic breviter diſtinguam, quæ Euangelii curſum tum ab initio turbarunt, tum etiam hodie morantur. Ergo ex ſcandalis, ſi placet, alia vocemus intrinſeca, quæ ex ipſo Euangelio, ſaltem hominum opinione naſcuntur. Alia tametſi aliunde proveniant, perpetuo tamen fere ſunt annexa. Alia autem adventitia, quæ ex alienis remotiſque fontibus manant. Primi generis ſunt, quæ principium quaſi incluſum habent in ipſa Euangelii doctrina. Paulus Euangelium, mundi ſapientibus dicit *1 Cor. 1. verſ. 18. & 2: 14.*
eſſe ſtultitiam: quod verum eſt, non ideo ſolum, quod illis deriſui eſt plebeia & oſtentatione carens ejus ſimplicitas: ſed quod multa etiam illic continentur, quæ humano judicio valde ſunt non abſurda modo, ſed etiam ridicula. Nam quod Filius Dei, qui vita æterna eſt, carnem noſtram induiſſe, ac mortalis homo fuiſſe prædicatur: quod morte ejus nobis vita eſſe parta, damnatione juſtitia, maledictione ſalus, id tantopere abhorret à communi hominum ſenſu, ut quo quiſque eſt acutior, eo citius repudiet. Jam vero quod Euangelium nos omni ſapientiæ, virtutis, juſtitiæ laude ſpoliat, ac nihil facit reliquum præter extremam ignominiam, fieri nequit quin graviter offendat. Nam, quæ eſt carnis noſtræ ſuperbia, nemo libenter eripi ſibi patitur, quorum falſa imaginatione turgemus omnes. Hinc acerrimus conflictus. Illa quoque de abnegatione noſtri, de crucifigendo veteri homine, de mundi contemptu, de amplectenda cruce præcepta, quantum aſperitate ſua offendunt? Sed ipſa experientia longe etiamnum durior, quum perſequutionibus & aliis ærumnis probatur fides. Huc accedunt etiam alia, quæ cùm humanæ rationi paradoxa videntur, plenaque abſurditatis, ut priora illa de quibus diximus, tum vero ſpinoſis quæſtionibus occaſionem præbent, quæ totidem mox ſcandala pariunt, hoc eſt, infinita. Talis eſt prædeſtinationis doctrina, & ſimiles. Ex ſecundo genere ſunt iſta: quod exorto Euangelio, protinus turbæ ſequuntur & ſeditiones: detegitur multorum, quæ prius latuerat, impietas: ebulliunt plurimæ ſectæ & inaudita errorum portenta: majore licentia multi ex profeſſoribus flagitioſo vitæ exemplo, doctrinam ipſam deformant; qui ad tempus viſi fuerant toti fervere, non modo flacceſcunt, ſed horrenda defectione alienantur à Chriſto. Quin etiam

pro-

probos atque alioqui ſinceros doctores Satan miris artibus inter ſe committit, ut notam aliquam ex eorum infirmitate doctrinæ inurat. Præterea, quum ex novitate ipſa alii plus audendi licentiam arripiant: uſitatum etiam eſt in rebus novis, necdum bene conſtitutis, acrius obſervare quicquid peccatur. In hac claſſe ſunt hæc & ſimilia. Tertium genus partim ex fictis calumniis conſtat, partim manat ex hominum ingratitudine: dum procul accerſunt varias criminationes, quas maligne falſoque in Euangelium conferant, ut inde exoſum reddant. Jam pleroſque eorum qui fideles habentur, dum alienæ ac prorſus adverſæ profeſſionis hominibus permixti, rationem fovendæ amicitiæ quærunt: ambitio, quaſi tempeſtas quædam, abripit, ut Euangelium abjicere malint, quam à communi vita diſſidere. Quando igitur cum tot ac tam diverſis monſtris eſt mihi confligendum, hanc diſtinctionem præponi operæpretium fuit, vel hac una de cauſa, ut ſi ſingula recenſere non patiatur infinitas, ad genera ſe referant lectores.

Ergo, ut de prima claſſe diſſerere exordiar, male habet faſtuoſos homines, & pompis deditos, quod plebeio & abjecto dicendi genere, Spiritus utitur in Scripturis: qui etiam elegantiæ aſſueti ſunt ac nitori, incultam iſtam, & nullis coloribus veſtitam orationem vel reſpuunt, vel faſtidiunt. Hic mihi defenſionis partem ab aliis tractatam ſuſcipere non libet: talem ex inſcitia contemptum naſci, quia non minus in ſua lingua expoliti ſunt Moſes & plerique ex Prophetis, quam qui apud Græcos & Latinos ſumma cum admiratione plauſuque Philoſophi aut Oratores leguntur. Etſi enim Hebrææ linguæ peritis ſatis id notum eſt: quia tamen nihilo Amos minus eſt Propheta, quam Jeſaias: eundem Jeremias gradum obtinet quem David, quorum tamen oratio minime parem ſplendorem habet: quin potius Jeremiæ ſtylus oppidanum hominem, Amos vero pecuarium redolet: libenter fateor ſacros libros, quibus tota cæleſtis philoſophia continetur, non Rhetorum modo picturis, ſed mediocri etiam ornatu, qualem etiam literati homines deſiderant, eſſe vacuos: ſed nimis ſunt moroſi, quibus ob hanc cauſam minus ſapiunt. Qui vero hoc prætextu, eorum auctoritatem extenuant, nimis iniqui ſunt ac maligni. Non modo
1 Cor. 2. verſ. 1. concedit Paulus, eloquentiam ſibi deeſſe: ſed ultro prædicat ac gloriatur. An vero ideo contemptior ejus doctrina eſſe debet? Quin potius, ubi nullus eſt orationis ſplendor, qui oculos perſtringat, melius relucere contendit vim cæleſtis ſapientiæ. Nec vero quicquam tradit, uſque ad caput quartum prioris ad Corinthios Epiſtolæ, quam, tunc demum rite fundatam eſſe fidem in Spiritus ſancti ſapientia & virtute, ubi dictionis elegantia & ingenioſo artificio animi non ducuntur. Idque certo fidei experimento quiſque noſtrum compertum habet. Certe, ſi Demoſthenis vel Ciceronis coloribus picta eſſet Joannis vel Pauli doctrina, plus forte ad lectores alliciendos haberet gratiæ, gravitatis autem ad conſcientias permovendas, & dignitatis ad conciliandam ſibi auctoritatem, ne centeſima quidem pars reſtaret. Viva enim Dei majeſtas illic ſe exerit: ut ſentire cogantur quicunque legunt, niſi quorum mentes obſtupefecit Satan, Deum eſſe qui ſibi loquitur. Quare nimis ſunt inſipidi, qui nullum ideo ex Scriptura guſtum capiunt, quod illic ſermonis lenocinia non reperiunt. Sed quid? ſi corda penitus ferire, quam amœno tinnitu oblectare aures mavult Deus?
2 Cor. 4. verſ. 7. Nam quod dicit Paulus, In vaſis teſtaceis depoſitum eſſe Euangelii theſaurum quò virtus Dei in hominum infirmitate clarius appareat, præſenti quoque inſtituto optime convenit. Hunc noſtro jure aſſumere nobis licet: Nullas eſſe tam ſubtiles Philoſophorum diſputationes, quæ validius perſuadeant: nulla eſſe Oratorum fulmina quæ vehementius afficiant, quam ſimplex & rudis Scripturæ ſtylus. Quis enim non videt admirabili Dei providentia factum, ut in humili ſermonis genere nuda Spiritus efficacia melius extaret? Volunt illi facundiæ ſuavitate aures ſibi deliniri: at Deus, qui linguam hominibus formavit, nobiſcum vult balbutire. Interim balbutiendo, fulminat: nec minus excelſa gravitate effertur ad ſubigendas hominum mentes, quam ſi Rhetorum omnium diſertiſſimus, quicquid haberet exquiſitum, ex intimo artificio promeret. Hoc modo, ſpiritualia ſpiritualibus coaptari Paulus docet: & *1 Cor. 2. verſ. 13.*
nos dilucide cernimus, quantum per ſe valeat ſimplex Dei veritas. Nimis ergo faſtuoſi ſunt homines, ſi vel eos à Scripturæ lectione revocat ejuſmodi faſtidium, vel divinæ auctoritatis pondus elevat. Verum, illos ſibi habere ſuas delicias ſinamus. Nos vero, ſi cordis aures loquenti Deo præbuerimus; adeo rudis & incultus ſermo non offendet, ut potius ad conſiderandam, quæ illic eminet, Spiritus majeſtatem, evehat. Ita enim eruendi ſunt ſapientiæ theſauri, quos in Chriſto abſconditos eſſe Paulus *Coloſſ. 2. verſ. 3.*
monet. Atque, hac de re nonnihil reperire poterit, ſi quis volet, primo Inſtitutionis capite: ubi de Scripturæ auctoritate diſſero. Nunc ut ejuſdem claſſis ſcandalis mederi pergamus, texendane erit integra dogmatum probatio, quæ humanæ rationi parum arrident? Sed enim tum argumentum immenſum foret, tunc ea ex noſtris & aliorum lucubrationibus poteſt ſumi. Et Scripturæ teſtimonia huc afferre, inutilis eſſet labor. Nam ut Chriſti divinitatem clare demonſtrem ex Scriptura ejuſmodi hominibus, quid proficiam? Audacter ſcilicet, quicquid adduxero, repudiabunt. Imo hæc illis cauſa eſt, cur totam Scripturam rejiciant: quia ſpeciem habeat abſurditatis, eorum opinione, quoties occurrit quod non placet. Itaque, tunc ſibi demum videntur ingenioſi, quum ſimplicitatem noſtram rident: quod certa fide amplectamur, quæ demonſtratione non tantum carent, ſed humano judicio ſunt incredibilia. Quis idiota, inquiunt, perſuaderi ſibi ſinat, cujus nullam rationem videt? Si rationibus contendam; quales humani ingenii acumen capit, nimis ineptus ero. Quod enim Chriſtum credimus Deum in carne manifeſtatum: id myſterium eſſe Paulus fatetur, procul remotum ab omni hominum perſpicientia. Quid igitur? ſi quam abſurditatem obtendant, diluere quidem promptum erit: atque ita, ut obmuteſcere cogantur: niſi impudenter latrare velint. Facere tamen non potero, quin nos idiotis quibuslibet judicent ſtupidiores, quia in tantarum rerum perſuaſione, ex nudis Scripturis pendeamus. Quare, ad eos me convertam, qui ejuſmodi ſcandalis tentantur quidem: ſunt tamen adhuc ſanabiles. Talibus non aliud dabo remedium, quam quod Paulus præſcribit: nempe, ut *1 Cor. 3. verſ. 18.*
mundo ſtulteſcere diſcant, quo cæleſtis ſapientiæ ſint capaces. Stultitiam non vocamus ſtuporem: nec jubemus, ut qui liberalibus diſciplinis ſunt eruditi, earum cognitionem abjiciant: qui ingenii præditi ſunt dexteritate, obbruteſcant: quaſi Chriſtianus eſſe nequeat, niſi qui pecudi magis ſimilis ſit, quam homini. Pueros, non ſenſu, ſed malitia, re- *1 Cor. 14. verſ. 20.*
quirit Chriſtiana profeſſio: ſed ne quis aut proprii ingenii, aut doctrinæ fiduciam in ſcholam Chriſti afferat: ne faſtu quis turgidus, aut occupatus faſtidio, mox repellat quod proponitur, antequam vere guſtaverit: ſi dociles modo nos præbuerimus, nullum ſentiemus hic obicem. Sed qui ſibi ſapiunt, ſolis, inquam, iis ſcandalum eſt ſua arrogantia. Quid enim? An quia ſe uſque adeo Filius Dei exinanivit, ut frater tuus fieret, ſuamque æternam divinitatem copularet mortali carni tuæ, id tibi obſtaculo erit, quominus ad eum accedas? An quia ex immenſa ſua altitudine ad te Deus deſcendit, ideone eris ab ipſo remotior? Quid, ſi te

Digitized by Google

ſurſum ad inacceſſa cæli adyta vocaret? Quo modo ad eum tam procul contenderes, qui propinquitate offenderis? Sed dicis tibi inſtar portenti eſſe, quum audis Deum mortalem. Quid autem hoc eſt aliud, quam Deum immortalem, in mortali carne noſtra habitaſſe? Nam & res ipſa clamat, non fruſtra hoc
Joan. 1. verſ. 14. à Joanne prædicari, Conſpectam in eo fuiſſe gloriam, & dignam Filio Dei, & quæ non obſcurum divinitatis ejus ſpecimen præberet. Niſi tibi liberet fingere portenta, nullum hic certe invenires. Fides noſtra habet, Quod ſuſceperit Deus corpus morti obnoxium. Hic myſterium audis quod adores: non fabulam, quam derideas: non monſtrum, quod horreas. Tuæ potius ingratitudini imputa, quod tam inæſtimabilis gratiæ admiratio, adverſas omnes cogitationes non abſorbeat. Scio fruſtra multis hæc dici. Neque etiam me latet, quibus nos cachinnis excipiant, quod in Chriſti morte vitam, gratiam in maledictione, in damnatione juſtitiam quæramus. Scilicet, inquiunt, ita ex ardenti fornace gelida aqua fluit: ex tenebris lux oritur. Concludunt ergo, nihil eſſe nobis ſtultius, qui à mortuo vitam nobis datum iri ſperemus: qui à damnato petamus abſolutionem, ex maledictione hauriamus Dei gratiam: & ad patibulum confugiamus, tanquam unicam æternæ ſalutis anchoram. Et quidem noſtram ſimplicitatem ridendo, valde ſibi acuti videntur. Ego autem illis deeſſe dico, quod eſt in vera ſapientia præcipuum: nempe ſenſum conſcientiæ. Qualis enim prudentia, qualis ratio, quale judicium, ubi conſcientia obſtupuit? Atqui, unde hoc totum, quod à Chriſtianæ religionis principiis ſic abhorrent, niſi quod à Satana prorſus ſunt inebriati, ut nullo judicii Dei timore, nulla peccati cogitatione tangantur? Dixi jam prius, non alia via poſſe ad Dei ſapientiam perveniri, niſi ſtulti fiamus mundo. Sed hujus humilitatis, ſicuti religionis totius, fundamentum eſt conſcientia & timor Domini: quo ſublato, fruſtra ædificium moliaris. Itaque, quiſquis omnia, de quibus memini, ſcandala nullo negotio ſuperare volet, is tantum in ſeipſum deſcendat: ſimul enim atque ſuam miſeriam agnoverit, via tam illi ad Chriſtum, quam Chriſto ad illum erit ſtrata & complanata. Clamat vox Prophetica, Parate vias Domini.
Jeſa. 40. verſ. 3. Marc. 1. verſ. 3. Et quæ parandi ratio, niſi ut agnita, qua premuntur neceſſitate homines, Chriſtum deſiderare incipiant, quem prius faſtidiebant, ſibi placentes? Eodem etiam modo viam ad Chriſtum nobis paramus: imo pium illud deſiderium nobis equorum inſtar & navium erit, quibus omnia obſtacula prætervehamur. Sicuti enim ad capeſſendas altiores diſciplinas, exculto riteque præparato ingenio: ita ad cæleſtem philoſophiam ſubacto animo opus eſt. Nam quis guſtus, ubi faſtidium? Quis acceſſus, ubi ferrea undique duritia clauſum pectus & obſeratum? Fruſtra igitur de Chriſto verba facias, niſi apud eos qui vere humiliati, ſentiunt quantopere indigeant redemptore, cujus beneficio mortis æternæ exitium effugiant. Itaque, hinc auſpicari diſcant, quicunque ſponte nolunt decipi, & decepti perire: ut cum Deo ſciant ſibi eſſe negotium, cui ſemel reddenda eſt ratio: horrendum illud etiam Angelis tribunal, proponant ſibi ante oculos: accuſatorem diabolum ſibi imminere cogitent: audiant conſcientiæ ſuæ teſtimonium: ad ſtimulos peccati ne obdureſcant: tum minime periculum erit, ne quid pudendum inveniant in Chriſti morte: ne ignominia crucis terreantur: ne quod denique aliud obſtaculum illos retardet. Hujus rei pul-
Joan. 4. verſ. 19. cherrimam imaginem cernere licet in muliere Samaritana. Quamdiu de myſtico aquæ vivæ hauſtu cum ea diſputabat Chriſtus, ſuaviter garrulitate & cavillis, dicax & audacula ludebat: verum, poſtquam exprobrata illi ſcortatione, conſcientiam ejus pupugit, facetiarum ſtatim oblita, Prophetam reverenter agnoſcit, quem prius dicteriis vexare non dubitabat. Ita quos offendit in Chriſto divinitas cum humanitate in unam perſonam conjuncta: quibus abſurdum videtur, à mortuo vitam petere: & crucem maledictam, fontem vocare omnis gratiæ & ſalutis: hoc ſciamus ideo offendi, quia timore Dei vacui, nullum ſpiritualis doctrinæ guſtum habent. Quare, ne ſit nobis offendiculo ipſorum ſtupor, ſed potius ab humana Chriſti natura, ad divinam gloriam feramur, quæ omnes curioſas quæſtiones in admirationem convertat: à morte crucis ad glorioſam reſurrectionem dirigamur, quæ totum crucis opprobrium deleat: à carnis infirmitate ad potentiam Spiritus tranſeamus, quæ ſtultas omnes cogitationes abſorbeat. Tali ſenſu imbutum fuiſſe Paulum certum eſt, quum ita diceret, Non me pudet Euangelii *Rom. 1.*
Chriſti. Dei enim potentia eſt in ſalutem credenti- *verſ. 16.*
bus. Nam his verbis eos demum Euangelii pudere ſignificat, qui vim ejus ſalutarem non apprehenderent. Porro, non aliter apprehendi ſubjicit, quam patefacta ira Dei in noſtrum exitium. Quis jam miretur, cibum non ſapere iis, quibus nullum eſt palatum? Quiſquis enim ita obſtupuit, ut nulla iræ Dei revelatione tactus ſecure dormiat, nihil in agnoſcendo Chriſto ab iis differt, quibus in judicando ſapore ablatus eſt palati ſenſus. Tales autem nequaquam ſolemus morari, ut à cibo propterea quiſpiam noſtrum abhorreat, quod ab illis reſpuitur.

Sed hoc etiamnum ſcandalum, quod ſimiliter ex doctrina emergit, violentius eſt ac magis commune: quia quum natura placeamus nobis, noſtraque omnia velimus haberi in ſummo pretio: illic nihil nobis ſit reliquum præter extremam bonorum omnium inopiam. Nam illic ſtultitiæ damnatur univerſa hominum ſapientia: juſtitia & virtus rediguntur in nihilum. Hoc vero carnis ſuperbiæ adeo videtur intolerabile, ut præ indignitate frendant, quicunque nondum ſeipſos abnegare didicerunt. Volunt enim homines ſemper retinere aliquod proprium: atque ut aliqua parte coacti cedant Deo, ſibi tamen omnia ſemel eripi nullo modo ſuſtinent. Initio ſibi videntur ſapientiſſimi, fiducia virtutis ſuæ inflati ſunt, juſtitiam ſuam admirantur. Poſtea à Deo moniti, partim etiam convicti experientia, ſapientiam quidem ſuam vacillare, virtutem & juſtitiam claudicare agnoſcunt: ſed ut ſe prorſus omni deſtitui ſapientia & juſtitia credant, nullo modo poſſunt adduci. Hoc autem quid aliud eſt, quam veluti facta pactione, cum Deo partiri? Euangelium autem lucem illam quam nos habere imaginamur, pronunciat eſſe meras tenebras: juſtitiæ vero nullam adeo guttam relinquit, ut fœtidas coram Deo ſordes eſſe pronunciet, quæcunque à nobis afferimus. Hic excandeſcunt mundi ſapientes, hypocritæ etiam inſaniunt. Atque hæc præcipua cauſa fuit, cur circa regni Chriſti exordia, tota philoſophorum natio, quaſi facta conſpiratione, una cum politicis omnibus, tam ardenter ſe Euangelio oppoſuerit. Nolebant enim ſuam ſibi ſapientiam perire, quam & ipſi inſtar idoli adorabant, & cujus cauſa maximo in honore ſe haberi noverant. Atque utinam minus talium hominum offenſione commoti fuiſſent priſci doctores! Nam dum illis mulcendis pharmaca adhibere ſtudent, dilutam ac degenerem theologiam nobis tradiderunt. Nunquam ſponte ita loquuti eſſent Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Baſilius, Chryſoſtomus, & ejus ordinis reliqui. Sed dum temperamentum quærunt placandis mundi ſapientibus, vel declinandæ eorum offenſioni, terram cælo miſcuerunt. Hominem prorſus exinanire odioſum erat, & communi judicio adverſum. Mitigationem excogitant, quæ ad carnis ſenſum propius accedat: ſed interea doctrinæ ſinceritas profanatur. Ergo nihil melius quam ulcus ipſum fortiter premi, quo fieri poſſit ex ſanie ipſa judicium. Nihil autem clarius, quam veſana ſuperbia incitatos ſemper fuiſſe homines, ut Euan-

gelio

gelio obſtreperent. Eadem cauſa Judæos incitabat ad belluinum furorem, quo percitos fuiſſe ipſos, *Actor. 13. & 14 &c.* teſtes ſunt Euangeliſtæ, præſertim Lucas & Paulus. Nam pro juſtitiæ ſuæ defenſione certabant: quæ nihil *Rom. 10. verſ. 3.* quam fumus erat: ſed tamen Chriſto pretioſior illis videbatur. Utrique violento impetu ruebant ad oppugnandum Euangelium: ſed hi furioſius: ut palam fieret, nihil hypocritis eſſe virulentius. De hoc ſcandalo Chriſtus ipſe generaliter loquitur: quum *Joan. 3. verſ. 20.* dicit, Filios ſeculi Euangelii lucem odio habere, ne mala ipſorum opera appareant. Nam remoto Euangelio, tanquam luce extincta, lucet in tenebris fallax & evanida carnis ſapientia, regnumque obtinet: ficta vero ſanctitas, alas ſuas faſtuoſe circumquaque extendit. Simulatque unicus Sol juſtitiæ Chriſtus cum Euangelii ſui claritate emergit, non tantum evaneſcunt illa, quæ prius ſuum culmen honoris occupabant: ſed inſtar ſtercoris reputantur. Hinc illæ ſcilicet lacrymæ. Hæc illa eſt exitialis of- *Rom. 10. verſ. 3.* fenſio, de qua alibi Paulus loquitur, quod propriam juſtitiam volentes ſtabilire, juſtitiæ Dei ſubjecti non fuerint. Quod hodie quoque experimur. Paucos enim videas ſapientiæ ſuæ perſuaſione inflatos, qui non ſint obſtinati veritatis hoſtes. Hypocritæ vero uſque ad rabiem infeſti. Et quæ alia cauſa Bunello fuit, cur ab Euangelio deficeret, niſi quod homo ad oſtentationem natus, & ſibi plus nimio placens, in ordinem ſe cogi ægre ſuſtinebat? Unum exempli cauſa nominavi. Utinam non multos haberet ſui ſimiles. Quid autem nobis agendum? Sinamus illos impingere in lapidem offenſionis, ut idem illis, quod olim Judæis, eveniat. Volentes juſtitiam ſtatuere, inquit Paulus, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Ita fit, ut in ſua cæcitate pereant. Libenter, inquam, nos inanes ac nudos Chriſto offeramus: quo nos ſuis bonis impleat, ſua gloria veſtiat: atque hoc genus ſcandali abolitum erit.

Verum, mare quodammodo exhauriendum ſuſcipiam, ſi velim ſcandala omnia excutere, & ordine recenſere, quæ ſibi miſeri homines in ſuam perniciem ex Scripturæ doctrina ſtruunt. Neque enim temere modo impingunt, ſi qua occurrit difficultas: ſed ultro dataque opera per ſalebras omnes diſcurſant, quaſi una hæc illis ſit voluptas, ingenium ſpinoſis quæſtionibus ſatigare. Quicquid minimam præ ſe fert abſurditatis ſpeciem, ſedulo colligunt & acriter exagitant, ne videantur ad credendum nimis faciles. Si qua etiam eſt in nonnullis Scripturæ locis diſſidii & repugnantiæ ſpecies, eam cupide arripiunt: ac omnia ejuſmodi teſtimonia coacervando, venditant ſuum acumen. Hoc porro genus hominum, morbo prope inſanabili laborat. Nam quum eos pudeat quicquam neſcire, nihil tamen diſcere ſuſtinent. Verum quia ſimplices plerumque & alioqui non indociles percellunt ſua jactantia, breviter iſtam ſcandalorum partem attingere neceſſe fuit: non quod paucis verbis removeri poſſint, quibus ne longum quidem volumen ſufficeret. Sed primo loco monendi ſumus omnes, ut in legendis Scripturis, quam Spiritus Dei viam monſtrat, teneamus: quæ certe plana erit ac æquabilis ad Chriſtum aſpirantibus. Deinde, ne complicandis quæſtionum nodis, ingenioſi appetamus eſſe, aut videri: poſtremo, ne mox reſpuamus, ſi quid nobis eſt incognitum vel abſtruſum. Eſt hoc vitium non parva dignum reprehenſione: quod ignorantia in faſtidium ſtatim apud multos erumpit. At vero parum reverentiæ Deo tribuit, qui oracula ejus eſſe negat, quæcunque non aſſequitur. Quid enim hoc aliud eſt, quam infinitam Dei ſapientiam ſenſus noſtri modulo, hoc eſt, totum orbem digito uno metiri? Quod ſi profectam fatemur à Deo eſſe Scripturam: ne multa illic contineri miremur, ſenſu noſtro altiora. Denique, in pietate hic ſapiendi modus & ordo eſt, fidei obſequio ad rectam intelligentiam contendere.

De ſcandalo, quod ex acerbitate naſcitur, aut moleſtia crucis, & doctrinæ auſteritate, loquitur Dominus in parabola, ubi Euangelium ſementi com- *Mat. 13. verſ. 3.* parat. Nam eos qui ingruente perſequutione deficiunt, ſemini ſimiles facit, quod abſque radice germinavit. Eos vero, in quibus ſuffocatur doctrina, curis ſeculi: ſemini inter ſpinas enato, quæ ejus fructum ac maturitatem impediant. Differunt aliquantum hæc ſcandala: ſed ego, vitandæ prolixitatis cauſa ſub uno genere comprehendo. Audimus Chriſtum diſcipulis ſuis omnibus denunciantem, *Luc. 9. verſ. 23.* ut ſuam quiſque crucem tollat. Audimus hortantem ad ſubeunda quælibet odia, diſcrimina, & op- *Mat. 10. verſ. 22.* probria propter nomen ſuum. Audimus monentem, fieri aliter non poſſe, quin odio ſimus impiis, quin *Joan. 16. verſ. 33.* afflictiones in mundo nos maneant. Audimus pronunciantem omnes beatos, qui perſequutionem, ve- *Mat. 5. verſ. 10.* ritatis cauſa ſuſtinent. Carni & ſanguini hoc maximum ſcandalum eſt. Natura enim crucem reformidamus omnes. Itaque multi hac de cauſa reſiliunt, qui libenter alioqui Filium Dei amplecterentur, ſi à cruce ſeparare ipſum poſſent. Sed unde hoc ſcandalum, niſi ex noſtra teneritudine? Chriſtus ſecum mori nos jubet, ut vitæ ſuæ ſimus participes. Per ſocietatem paſſionum ſuarum ducere nos vult ad ſuam gloriam. Non iniqua conditio, ſi quid in nobis eſſet æquitatis. Sed multi cuperent Chriſtum habere glorioſum ſepulta crucis mentione: quod fieri nequit. Ac ne eo quidem contenti, culpam quæ in ipſis reſidet, in doctrinam ipſam traducunt. Sic olim Capernaitæ durum Chriſti ſermonem eſſe cla- *Joan. 6. verſ. 60.* mitabant: quum in ipſis, non in ſermone eſſet duritia. Miramur, ſi cordatos habere diſcipulos velit Filius Dei, non molles, neque effœminatos? Miramur, ſi ſua inſignia geſtari ab ipſis velit? ſi pugnare ſub vexillo ſuo jubeat? Huic morbo affinis eſt alter ille, quem dixi. Nam carnis abnegatio, res tam moleſta eſt ut multos à ſcholæ Chriſti acceſſu deterreat: alios ubi ingreſſi fuerint, procul extrudat. De peccato originali & communibus naturæ vitiis diſputari, utcunque ferent: Dei gratiam ac Chriſti beneficia ſuis laudibus ornari libenter concedent: ſed ubi ad curandos ſingulorum morbos ventum eſt, quia acris eſt medicina, eam contumaciter recuſant. Ita multos cernere licet, quibus Euangelium quod primo guſtu placuerat, ſimulac pupugit ipſorum conſcientias, pluſquam amarum videri cœpit. Scilicet, quum ſermo Dei, gladius ſit utrimque ſecans: quum ejus partes ſint non arguere modo, & reprehendere manifeſta vitia, ſed uſque ad cor intimum penetrare, transfigere omnes medullas, diſcernere inter affectus & cogitationes: denique, totum hominem immolare Deo, iſti vulnera ſua attingi nolunt. Alii furandi, alii rapiendi, alii ſcortandi, alii comeſſandi licentiam ſibi relinqui poſtulant. Omnes impune vanitatis ſuæ curſum perſequi cupiunt. Quid igitur mirum, ſi à Chriſto ſe avertant? Atqui, dicet quiſpiam, ſcandalum monſtrare, hoc eſt non tollere. Reſpondeo morbum fuiſſe indicandum, ut remedium tandem quæratur. Corrigenda potius erat animorum mollities, quam quærendi prætextus, qui nihil nobis ſuffragentur, vitium foveant. At, res eſt ardua. Quis negat? Luctandum tamen eſt: neque id noſtra virtute, ſed Chriſti: qui ſicuti nos ad certamen mittit, ita etiam inſtruit armis neceſſariis ad vincendum. O ſi perciperemus quid illud valeat: Beatos eſſe qui perſe- *Mat. 5. verſ. 10.* quutionem patiuntur ob juſtitiam: quam facile nobis eſſet eluctari, non hoc offendiculum modo, ſed quæcunque à mundo & carne nobis ingeruntur! Tibi adeo moleſta eſt perſequutio, ut à Chriſto reſilias. Cur? Neſcis quid valeat Chriſtus. Abripit te cura vitæ præſentis: nempe, quia futuræ nullum guſtum habes. Urit te avaritia: nempe, quia nondum tenes quæ ſint veræ divitiæ. Te ambitio inebriat: quia

ſcili-

Digitized by Google

ſcilicet, nondum didiciſti in Domino gloriari. Te gula, libido venerea, pompæ aut aliæ vanæ oblectationes alliciunt, ut Dei tui obliviſcaris: hoc inde
Pſal. 31. verſ. 20. fit, quod ſuavitatem illam, quam Propbeta rimentibus Deum, reconditam eſſe teſtatur, adhuc ignoras. Denique, non mirum eſt, paucos inveniri vere Chriſtianos: quia pauci ſunt qui didicerint tanti eſſe Cbriſtum, ut reliqua omnia habeant pro ſtercoribus. Exhortationibus alibi locus erit. Hic de ſcandalis ita tractandum eſt, ut appareat cui ſint jure imputanda. Sed quid de privatis cujuſque miſeriis diſputo, quum univerſalis Eccleſiæ conditio longe majorem offenſionis materiam in ſe contineat? Primum, nunquam ea ſpecie nitet, in qua hominum ſenſus, Dei regnum agnoſcant. Deinde, ſi quando contingat in mediocrem aliquem ſtatum aſſurgere, mox aut tyrannorum violentia opprimitur, aut ſponte concidit, ut non niſi ad exiguum tempus duret. Hinc factum eſt, ut ſeculis omnibus ſuperbi homines veram religionem aut deſpicerent, aut etiam contumelioſe traducerent. Videmus quam inſolenter Cicero, quia Judæis res erant minus ſecundæ, divinæ Legi inſultet. Ex hoc uno æſtimare omnes licet. Ac ne longius abeam, quid cauſæ eſt, cur hodie multi à ſincera Euangelii profeſſione abhorreant, niſi quod & paucos numero nos eſſe vident, & minimæ auctoritatis, nullius vero potentiæ: iu adverſa autem parte, contraria omnia mirantur? Et ſane, ut hodie res habent, nihil mirum ſi tam deformis Eccleſiæ ſtatus illos abſterreat: ſplendor autem, qui in adverſariis relucet, ipſis perſtringat oculos. Verum, nulli ad bunc lapidem impingunt, nec alios hoc offendiculum retardat, niſi qui ſpirituale Chriſti regnum non agnoſcunt. Nam quibus neque ſtabulum, in quo natus eſt, nec crux, in qua pependit Cbriſtus, obſtat quo minus Regem ipſum adorent: illi humilem Eccleſiæ ejus fortunam minime deſpicient. Fatentur quidem omnes verbo, & fateri neceſſe eſt, rationi in primis eſſe conſentaneum, ut iu Eccleſiæ forma, quaſi in ſpeculo, viva Chriſti effi-
Rom. 8. verſ. 18. gies appareat. Et quum Paulus de capitis & membrorum ſimilitudine diſſerit in crucis tolerantia,
2 Tim. 2. verſ. 11. aſſentiuntur omnes. Quum dicit, nos commori oportere, ut vitæ ejuſdem ſimus participes, nemo reclamat. Quum tota Scriptura, vitam præſentem comparat duræ militiæ, eamque variis certaminibus refertam eſſe docet, boc totum verum rectumque eſſe annuunt. Itaque, Militantis Eccleſiæ nomen ſic vulgo tritum eſt, ut etiam in puerorum ore reſonet. Ubi ad rem ventum eſt, quaſi omnium obliti, nou ſecus imaginem Chriſti refugiunt, atque inauditum aliquod portentum. Atqui, ſi detur illis quod appetunt, ut proſpere habeat modis omnibus Eccleſia, ut opibus & potentia floreat, nt pace continua fruatur, ut denique, nihil illi ad beatum & maxime optabilem ſtatum deſit: an non illa erit terreni imperii facies? Proinde, alibi quærendum erit ſpirituale Chriſti regnum. Imo, prorſus à capite ſuo diviſa erit. Nos vero meminerimus, ſic contemptibilem eſſe externum Eccleſiæ aſpectum, ut decor ejus intus ſplendeat: ſic in terra fluctuari, ut fixam babeat in cælo ſedem: ſic coram mundo laceram ac ruinoſam jacere, ut coram Deo & ejus Angelis ſtet integra ac vigeat: ſic eſſe in carne miſeram, ut ſua illi nihilo minus in ſpiritu repoſita ſit felicitas. Hoc modo quum in præſepi contemptus jaceret Chriſtus, ejus excellentiam Angeli in nubibus canebant: teſtimonium ejus gloriæ ſtella iu cælo reddebat: Magi ejus virtutem è regione longinqua ſentiebant. Quum in deſerto eſuriret, certaret cum Satanæ ludibriis, uſque ad ſanguinem ſudaret: Angeli rurſus illi miuiſtrabant. Quum jam vinciendus eſſet, ſola voce boſtes retro abigebat. Iu cruce pendentem, ſol defectu ſuo mundi Regem eſſe clamitabat: ſepulcra aperta, mortis & vitæ dominum confitebantur. Nunc ſi Chriſtum videmus impiorum contumeliis ſuperbe iu ſuo corpore vexari, ſæva tyrannide opprimi, ſannis eſſe expoſitum, violentia buc & illuc rapi: nihil iſtorum quaſi inſolens nos terreat. Quin potius nobis in mentem veniat, in boc ordinatam eſſe Eccleſiam, ut quamdiu in mundo peregrinatur, militet ſub perpetua cruce.

Quod ſi dextri & æqui eſſemus operum Dei interpretes, unde offendiculi occaſionem arripimus, id nobis optimæ conſolationis loco foret. Nam quod plerumque calamitoſa, ſemper inſtabilis eſt Eccleſiæ conditio: imo, quod non ſecus ac in procelloſo mari, variis tempeſtatibus aſſidue jactatur: primum, in eo Dominus luculentum mirificæ providentiæ ſpecimen exhibet: deinde, boc utile adeoque neceſſarium fidei & patientiæ noſtræ probandæ exercitium eſt. Si ita fundata eſſet Eccleſia præſidiiſque omnibus inſtructa, ut ſuis ipſa opibus inniteretur, nihil à terreno quovis imperio differret: nec vero quiſpiam dubitaret, bumanitus eam regi, ſi uſitato more ad hunc uſque diem perſtitiſſet. Dum autem videmus quaſi per innumeras mortes vitam nihilominus tot ſeculis duxiſſe, fieri non poteſt, quin divinitus fuiſſe ſervatam colligamus. Hanc Dei virtutem magis illuſtrant aliæ circumſtantiæ: quod quum undique lethalibus periculis impetita, quibus ſubinde obrui poterat, toto prope mundo invito, & contra nitente, ſemper tanquam ex naufragio evaſit. Nihil dico, quod nou facile ſecum agnoſcat, quiſquis ante ſuos oculos temporum omnium hiſtorias ſubjicere volet. Illa vetus Eccleſiæ querimonia
eſt, quod à juventute ſubinde oppugnata fuerit, ac *Pſal. 129.* infeſtos habuerit impios, quod ſuper dorſum ſuum araverint, ac longe protraxerint ſulcos ſuos. Hac voce, Dei Spiritus pios ſub graviſſimis ærumnis gementes excitare voluit, ut omnes ætatum gradus ab initio mundi percurrendo, Eccleſiam agnoſcerent ſemper patiendo viciſſe. In banc meditationem incumbere nos decet: ut ſi quando nos præſens temporis noſtri conditio angit, eorum recordatio, quæ jam olim experti ſunt Patres noſtri, nos reficiat. Itaque, collectam omnium temporum deſcriptionem habere expediet: ut inde ſibi quiſque noſtrum, quoties res & uſus poſtulabunt, exempla levandis noſtris miſeriis apta ante oculos ſubjiciat.

Verum, antequam ultra progrediar, notare operæpretium eſt, unde tam crebræ variæque mutationes, quibus ſubinde circumagitur & quaſi rotatur Dei Eccleſis, proveniant. Hujus vero rei cognitio, uon ex remotis vel obſcuris conjecturis petenda eſt, quum aſſiduæ hominum à Deo defectiones perpetuum alioqui gratiæ ejus tenorem interruperint: idque ab ipſo prope mundi exordio animadvertere licet. Quum de Seth & filio ejus Enos, loquitur Mo-
ſes, tunc cœptum eſſe invocari Dei nomen recita- *Geneſ. 4. verſ. 26.*
tur: quo intelligimus verum Dei cultum (qui in maledicta Caini progenie, quodammodo interciderat) rurſus ex integro fuiſſe reſtitutum, ut in mundo vigeret ac floreret. Vix octo generationes prætereunt, quum omnes eorum poſteri, quos Deus ſibi in filios ſegregaverat, ita ſe in omne ſcelerum genus projiciunt, ut orbem totum ſuis flagitiis pollutum, diluvio ſecum perdant. Quum ad octo animas redacta eſſet Eccleſia, ſic purgata ſaltem eſſe videbatur, ut exiguum illud ſemen quod reſtabat, nibil ex ſe niſi meram ſanctitatem proferret. Atqui, mox quarta parte minuitur. Poſteri quoque Japheth paulo poſt diffluunt. Reſidua erat familia Sem, quæ non multo poſt tempore ſic ipſa quoque degenerat, ut merito à Deo magna pars abdicetur. Quum genus Abrahæ ex Ægypto mirifica potentia eductum trajecto mari Rubro in hæreditatem ſibi promiſſam pergit, quis non ex talibus auſpiciis perpetuitatem felicis ſtatus divinet? Atqui, illi ipſi,

in

in quibus liberandis tam præclarum virtutis ſuæ ſpecimen Deus ediderat, nullum peccandi finem faciunt: donec horrendis modis in deſerto omnes deleantur. Filii tandem poſſeſſionem adeunt, ſed cujus nulla eſt ſex fere ſeculis ſtabilitas: quia ipſi perfida ſua levitate identidem eam turbant. Sæpius tamen eos Dominus in tolerabilem formam reſtituit. Atqui, nec primæ liberationis memoria, nec repetitæ toties ferulæ ad eos caſtigandos, nec præſens pœnarum ſenſus, nec data ſæpius venia retinere ipſos poteſt, quin Dei jugum excutiendo, nova *Deut. 32. verſ. 15.* mala ſibi accerſant. Prædixerat hoc Moſes futurum, ut pingues & bene ſaginati recalcitrarent: ſed res ipſa longe ſuperat. Quid Judicum hiſtoria, præter continuas defectiones recenſet? Itaque, ſi quos offendunt variæ agitationes, quibus obnoxiam eſſe in mundo Eccleſiam vident, conjiciant oculos in illud ſpeculum, & mirari deſinent, minus fixam habere in terra ſedem, qui tanta fidei inconſtantia coram Deo fluctuantur. Erecto Davidis regno, certior videbatur ratio ſolidi & diuturni ſtatus compoſita. Sed luctuoſa illa peſtilentiæ clades, quæ triduo prodigioſum in modum per mundum graſſata eſt, multum ex felicitate minuit. Statim à morte Solomonis, corpus ipſum populi ſcinditur: nec poſtea deſinunt lacera membra invicem ſe mordere: externis etiam bellis utrumque regnum miſere fatigatur. Dicemuſne fato ſuo urgeri? quin potius ipſi, Dei vindictam peccatis ſuis urgent, atque accelerant. Nam in quo maxime videntur innoxii, dum cenſum peragit David, quod privatum illud unius *2 Sam 24. verſ. 1.* hominis delictum eſſet, Sacra tamen hiſtoria pronunciat, Deum in ipſos omnes excanduiſſe. Sequuta eſt tandem major illa & parum ab extremo interitu diſtans converſio, quum in exilium Babylonicum tota gens abducta eſt. At certe, niſi eos præcipites deſperata obſtinatio egiſſet, nunquam huc veniſſent calamitatis. Reditus poſt annos ſeptuaginta, illis eſt velut altera nativitas. Verum, ſimulac domum reverſi ſunt, tanti beneficii immemores, iterum in varias corruptelas degenerant. Alii ſe profanis conjugiis polluunt. Alii decimis ac primitiis Deum pluſquam indigne fraudant. Alii, poſthabita neglectaque Templi ſtructura, in ornandis palatiis toti occupantur, immaneſque ſumptus faciunt. Fœda hæc nimium ingratitudo, & quam non debuiſſe inultam manere nemo non fatebitur. Itaque, quod tranquillis ſecundiſque rebus diu non fruuntur, id eorum vitio imputandum eſt. Ex quo vero Chriſtus, pacis ac bonorum omnium auctor, mundo innotuit, vere experti eſſent homines quam certa ſit ac bene fundata æterni ejus regni felicitas, ſi ipſum paſſi fuiſſent inter ſe reſidere. Atqui, nunquam magis ſævis bellorum tempeſtatibus concuſſus orbis fuit, nunquam tam multiplici profundaque malorum colluvie ſubmerſus. Non ita in obſcuro cauſa latet, quin facile deprehendi inveſtigando poſſit. Naſcente Chriſto, pax ubique & alta quies. Quadraginta poſt annis, aut circiter, ſpargitur per diverſas mundi plagas ipſius Euangelium. Poſtquam longe lateque detonuit, tanquam verſa repente alea, res paſſim turbulentæ. Unde tam ſubita mutatio, niſi quod Deus, contempto ac rejecto ſuo Euangelio, quo citius, eo magis palam, tantæ ingratitudinis vindex extitit? Itaque, quum impuri homines, quicquid tunc malorum exoriebatur, in Chriſti nomen conjicerent, piis Eccleſiæ doctoribus promptum fuit, adeo futiles eorum calumnias diluere. Quid enim? Quum pacem ſibi à Deo oblatam Reges ac populi ſpreviſſent, an non æquum fuit inter ſe committi, ut mutuis vulneribus perirent? Et quid manere inter eos poteſt ordinatum, qui Deo ſe ſubmittere recuſant? Nec tantum loquor de profeſſis hoſtibus qui ſanæ pietatis doctrinæ contumaciter reluctati ſunt, ſed eorum qui nomen Chriſto dederunt: quam frigide multi & contemptim, alii quam perfida ſimulatione Chriſtum oſculati ſunt? Quos divinæ in hac parte ſeveritatis exempla offendunt, ceſſantem non minus cupide arguerent. At, niſi oculos aperire pigeat, quibuſcunque ſe unquam patefecit Deus, per eos tantum ſtetiſſe perſpiciemus, quominus collocata in tuto eorum felicitas, diu & prolixe conſiſteret, nec aliunde quam ſua culpa fuiſſe miſeros. Jeroſolymam ſcimus fuiſſe fontem, ex quo in ultimos uſque terræ fines ſalus profluxit. Plenam illi inſtaurationem pollicebantur Chriſti adventu omnia Prophetarum vaticinia. Longe autem ſecus accidit. Nam quum vix tenuem umbram retineret priſtinæ dignitatis: non modo quod reliquum habebat, paulo poſt amiſit, ſed funditus ipſa diruta fuit, ac in vaſtam ſolitudinem redacta. In quærenda tam prodigioſæ ruinæ cauſa, cur nemo laborat, niſi quod deſperata gentis impietas cauſam ſe fuiſſe aperte clamitat? Nunquam adeo ſævis cladibus intra exiguum temporis ſpatium afflicta fuit Roma, quam ex quo illic Euangelium pervenerat. Qui factum eſt, ut in qua urbe tamdiu graſſata eſt effrenis plebis libido, nefariæ factiones dominatæ ſunt, & tandem importuni tyranni: illic fixam habere ſedem Chriſti regnum non potuerit? Nempe, quum tot lethalibus morbis extremam Euangelii medicinam Deus afferret, tanquam exitio devoti, ea ſuperbe rejecta, in pejus ruere non deſtiterunt. Idem & hac noſtra ætate obſervare licet. Intra paucos annos quum præclara renaſcentis Eccleſiæ initia apparuiſſent, collapſa deinde retro videmus referri. Atqui, priuſquam nobis hanc pœnam irrogaret Dominus, multiplicem ubique & fœdam vidimus Euangelii profanationem: ut non tam admiranda ſit hæc, quæ accidit ſubita rerum everſio, quam diuturna in ſuſtinendis ſeculi noſtri prodigioſis ſceleribus patientia. Quum tot hominum millia, abnegato Papatu, cupide, ut videbatur, nomen dediſſent Euangelio: quam pauci, obſecro, à vitiis ſuis reſipuerunt? Imo, quid præ ſe major pars tulit, niſi ut excuſſo ſuperſtitionum jugo, ſolutius in omnem laſciviam difflueret? Quum itaque, veram eſſe faterentur Euangelii doctrinam, quotuſquiſque ejus diſciplinæ collum ſubmiſit? An non id fuit inæſtimabilem ſalutis theſaurum quodammodo pedibus calcare? Et ſane de ejus pretio atrocitas pœnæ, quæ tam ſacrilegum contemptum ſequuta eſt, admonere nos potius debet, quam de fortuitis Eccleſiæ jactationibus abſurdas gignere in animis noſtris opiniones. Quin potius mirum eſt, in tanta noſtra ingratitudine, quicquam incepti à Deo operis adhuc manere reſiduum.

Nunc, unde paululum digreſſus eram, redeo: Deum Eccleſiæ ſuæ cuſtodem hinc melius agnoſci, quod miſere ſemper vexata fuit, quam ſi inter ſummas commoditates pacata lætaque floruiſſet. Quo tempore nomen Dei in familia Seth invocari cœptum Moſes narrat, non dubium quin ſoboles Cain, ut numero hominum & audacia ſuperior erat, ita adverſus paucos illos, eoſdemque manſuetos homines pluſquam ferociter ſe extulerit. Qui poterant igitur agni inter lupos diutius ſalvi manere, niſi auxiliari Dei manu tecti fuiſſent? Continuo deinde temporis ſucceſſu, una cum malitia, vis quoque ad nocendum improbis crevit. An dicemus humanitus ſtetiſſe, qui inter tot infeſtas beſtias ſimiles oppreſſis degebant? Niſi forte putet quiſpiam, Gigantes moderatione fuiſſe cobibitos, ut piis ſibi obnoxiis parcerent: quibus ſe, tanquam genus adulterinum, noverant eſſe deteſtabiles. Reſtat tandem unus homo cum exigua familia. Juſſus à Domino arcam fabricare, per annos centum & viginti continuos, eorum qui prorſus in Deum inſaniebant, rabiem in ſe provocat: novum enim vitæ aſylum quærendo palam omnibus interitum minatur. Quoties

Digitized by Google

ties putamus, eorum convitiis & improbitate laceſſitum, pro Dei juſtitia acriter certaſſe? In tanta vero hoſtium truculentia, annon totidem illi ſubeundæ fuerunt mortes, niſi Dei manu fuiſſet ereptus? Adde, quod niſi cæleſti virtute fuiſſet ſuffultus, millies ipſe quotannis ſponte concidiſſet. Majus deinde & divinius ſequitur in arca miraculum, quod cælo & aëre privatus, vitam non niſi in ſepulchro invenit: ſpiritum vitalem ubi trahat, niſi in mortifera ſuffocatiooe, nou habet: denique quod non aliter ſuperſtes in mundo poteſt manere, niſi è toto mundo diſcedat. Quum mundum ex diluvio emerſum Deus quodammodo renovaſſet, ſequutum eſt paulo poſt multo deterius ac magis exitiale diluvium, quod impietas gentes omnes occupavit. Neque hoc decem menſium fuit, ſed longa annorum ſerie graſſando, vires collegit: ut ipſa quoque familia Sem, ſanctius Dei peculium, propemodum abſorpta foret: niſi quod Melchizedec, cum paucis purum Dei cultum retinens, inter innumeros fluctus roctus integerque ſtabat: quæ illi unica fuit enatandi ratio. Abrahamum vero ut Deus ſalvum haberet, è profundo idololatriæ gurgite eum eduxit. Porro, in terram, quæ illi deſtinata erat in hæreditatem, traductus, ſic in ea peregrinatur, ut nunc litigare de aqua cogatur, nunc eum fames alio diſpellat. Apud duos Reges, quo mortis periculum effugiat, non aliud invenit remedium, niſi ut ſuam uxorem vita ſibi chariorem, exponat veluti in prædam. Eaſdem atque etiam aſperiores moleſtias ſubeunt filius & nepos, quotidie cum ſævis & barbaris hominibus, non citra vitæ diſcrimen, quaſi cum feris beſtiis dimicantes. Certe ſi cui in tuenda eorum ſalute, conſpicua non eſt Dei manus, eum pluſquam cæcum eſſe oportet. Nec vero ſine cauſa David iſtud Dei præſidium, quo tuti fuerunt, ſingulari elogio proſequitur: quum prohibitos fuiſſe dicit Reges, ne Chriſtos Domini læderent, neve Prophetis ejus eſſent moleſti. Pauci erant numero, alienigeni & ignoti homines: vagi huc & illuc oberrabant: perfidis & immanibus populis undique cincti: momentum nullum immune habebant à novo aliquo diſcrimine. Spectaculum quidem hoc fuit ſuperbis hominibus contemptibile, & fere propudioſum, fateor: verum in hoc contemptu, ut jam dixi, tanquam in ſpeculo, melius reſulgebat extraordinaria Dei tutela. Imo, clarius perſpicere licet, non ex uno tantum diluvio, ereptam ſemel fuiſſe Eccleſiam, ſed longa ætatum ſerie in continuis malorum exundarionibus fluitantem nihilominus duraſſe.

Pſal. 105. verſ. 15.

Sequitur Ægyptiaca ſervitus, quæ ab univerſali naufragio parum differebat: niſi mature Deus opem tuliſſet. Omitto contumeliam, ac onerum iniquitatem: quod ad viles ſordidaſque operas mancipati, quod addicti immaoibus ærumnis, ægre ſpiritum trahebant. Sed quum maſculum ſemen penitus aboleri juſſiſſet Pharao, quis non ad extrema ventum eſſe dixiſſet? Mentiuntur obſtetrices, ne Regiæ crudelitati miniſtras ſe præbeant. Ipſe denique, gentis liberator Moſes, juncea arca incluſus, ad ripam fluminis projicitur. Deſperata omnium ſalus, totumque nomen prorſus deletum videbatur. Quam inſigne ergo hoc Dei miraculum eſſe judicabimus, quod qui decies conſumpti eſſe poterant, non modo integri manent, ſed incredibiles illos faciunt progreſſus, qui referuntur à Moſe? Hic vero ſe oſtendit in reputandis Dei operibus pluſquam maligna hominum pravitas. Nam ſi quid opinione ſua majus à Deo editum fuiſſe audiunt in Eccleſiæ ſalutem, quaſi ſabuloſum rejiciunt. Quicquid vulgare eſt, nec alias inſolitum, fortuito accidiſſe, vel ſaltem humanitus, jactantes, contemnunt. Si autem minus proſpera aut læta eſt Eccleſiæ conditio, hoc protinus arripiunt ad ſcandali materiam. Proinde quod miſeris Judæis lateritium opus, tam grave & illiberale, non ſecus ac jumentis imponi: quod maſculam eorum ſobolem ab utero ad necem poſtulari: quod turbam Ignoblem tumultuarie collectis vaſis clanculum aufugere Moſes narrat: hoc plurimis indignum eſſe Eccleſiæ gloria videtur. Quod Jacob cum ſua familia comiter à Pharaone fuiſſe exceptum, quod benigne tractatum, & io opimis paſcuis collocatum refert: hoc in ſecunda fortuna deputant. Quod non ita longo temporis ſucceſſu in populum ingentem creviſſe familia una dicitur: quod tradit idem Muſes, tot à Deo edita fuiſſe portenta, ut perditos ac deſperatos Iſraëlitas redimeret: quia fidem excedit, quaſi fictitium ſubſannant. Ergo ut puras ad conſideranda Dei opera mentes afferamus, hac pravitate nobis ingenita, ante purgandæ ſunt.

Ne hiſtoriam texere videar (quod minime præſentis eſt inſtituti) quæ magno orationis ſplendore ornari merentur divinæ in ſervanda Eccleſia providentiæ exempla, leviter quaſi in tranſcurſu attingere mihi ſatis eſt. Quanquam ne decimam quidem partem attingere patitur operis ratio. Nec vero id magnopere neceſſe eſt: modo ex paucis unum hoc quod volo, agnoſcant lectores: quo magis ſub cruce oppreſſa fuit Eccleſia, eo clariorem in ea erigenda Dei virtutem extitiſſe. Ex quo in terram Chanaan ingreſſus eſt populus, quo minus vacuam ab hoſtibus tranquillamque poſſideat, ſua illi obſtat incredulitas. Continuis deinde hoſtium incurſionibus impetitur. Fractis deinde cootuſiſque viribus, prædæ ac direptioni patet. Præterea dominos ſæpius mutat, qui tamen certatim in eum perdendum conſpirant: ut mirum ſit tot ac tam diris propinquiſque cladibus fuiſſe ſuperſtitem. Certe, poſt captam Domini arcam, ne latum quidem digitum, ab ultima deſperatione aberat: afflictus erat pluſquam atroci clade: totus prope flos virorum perierat: palati ac diſſipati, nihil aliud quam fletus & lamenta meditabantur. Ne remedium quidem præ malorum gravitate quærentibus, aliqua primum datur relaxatio: poſtea ſubito præter opinionem è cælo ſalus affulget. Occiſo Saule ſimile inſtabat excidium, quum David res collapſas momento reſtituit. Si continuus pacis proſperique ſtatus tenor fluxiſſet, poſſet quidem majoribus prædicari encomiis rara illius populi felicitas: ſed tot mirificæ à Deo allatæ ſalutes non perinde agnoſcerentur. Quum poſtea decem Tribus ſe à corpore alienant, tale diſſidium inter multos hoſtes, acriter nocendi occaſioni intentos, præſentem interitum minari videbatur. Degenerant poſtea Iſraëlitæ in alienos ritus. Itaque, abdicantur quodammodo à Dei familia. Reſiduam partem, quæ Eccleſia Dei cenſetur, diu ſtaturam eſſe nemo putaret. Et ſane eo ſæpe neceſſitatis conjicitur populus ille, ut ſalute deſperata, extrema quæque attonitus expectet. Tempore Achaz, quum duo potentiſſimi Reges ipſam quoque Jeroſolymam aggreſſi eſſent, tota regio quaſi duplici incendio correpta jam flagrabat: Achaz pavore exanimatus ad primos hoſtium ioſultus facile concidiſſet. Extinguitur ſubito tantus ignis, abſque hominum manu, fumus etiam diſcutitur. Annon in liberatione iſta Dei gloria pleno ſe fulgore effundit? Quum vero Seunacherih regnum præſidiis nudatum occupaſſet, trepidam urbem ad & reſiſtendum minime inſtructam furioſe invadit: rex Ezechias fere ſimilis eſt capto, nullum effugium, nihil intus opis, oibil aliunde ſubſidii: dum hoſtis pluſquam inſolenter ſe efferens alio mox abripitur, annon tam hæc inopinata mutatio verum eſſe oſtendit, quod ab Jeſaia prædictum erat: Eſſe promptam Deo rationem, qua truculentam beſtiam illam vel domaret, vel cohiberet? Sed ubi paulo poſt nova victoria inflatus revertitur, longe aliud gratiæ potentiæque ſuæ ſpecimen, in ſolvenda obſidione, edit Dominus. Neque enim per homines eum inde revocat,

Jeſa 37. verſ. 36.

vocat, vel uſitatis modis frangit illius impetus, mediosque conatus abrumpit: ſed inaudita ſtrage per manum Angeli exercitum illi nocte una adimens, inermem ac ſpoliatum ignominioſa fuga procul à Judæa profligat, quam victor ingentibus copiis tenebat. Hoc certe unum facinus amplo documento eſt, nihil interdum magis expedire, quam Eccleſiam extremis anguſtiis urgeri, ut mirabili Dei potentiæ, quod incolumis evadit, tribuere diſcat. Nos vero bis ingrati, ſi velum ultro nobis opponimus, quod divini erga Eccleſiam favoris conſpectum obſcuret, ubi illuſtre ejus ſpeculum nobis Deus ipſe ante oculos ponit.

Jam vix ulla magis coram mundo pudenda Eccleſiæ deformitas fingi poteſt, quam Babylonicum exilium. Crudelis rerum omnium direptio, fœda terræ populatio & vaſtitas, urbs incendiis & violentia hoſtili disjecta & lacera, Templum horribili ruina exciſum, totius ſacræ ſupellectilis indigna ſpoliatio, quantam hoſtibus inſultandi licentiam dare poterant? Et ea quæ nunc recenſui, oſtendunt, quam inſolenter ſe extulerint Chaldæi. Omnium vero convitiis & ſannis paſſim impetitum fuiſſe Dei cultum, veriſimile eſt. Atqui, hæc tantum quædam erant veluti præludia. Populus Babylonem adductus, non ſecus ac mortuum cadaver in ſepulchrum reconditur. Quanquam hoc quoque intereſt, quod laceræ partes huc illuc diſſipantur, ne rurſus coaleſcant. Nulla amplius Dei regia, nullum ſacrarium, nulla cultus ſpecies, nulli ſolennes cœtus, nullum denique ſupereſt Eccleſiæ nomen. Ac ne quid ad extremam contumeliam deſit, in ſuperbis & impuris comeſſationibus ſacra vaſa oſtentui habentur. Quin eo uſque graſſatur ſævitia, ut Deum invocare capitale ſit. Sed facit hæc tam immanis omnium malorum congeries, ut in reſtituenda populi ſalute, magis emineat Dei virtus. Primum, quod Daniel & ejus ſocii in raram potentiam ex ſervitute evehuntur, ut aliquid levationis miſere oppreſſis fratribus afferant: hoc jam documento palam factum eſt, Eccleſiam, ubi videtur penitus relicta, curæ tamen eſſe Deo. Quod tres ſancti homines, qui in fornacem conjecti fuerant, ſalvi inde ac integri evaduot: memorabile in primis ſpecimen liberationis populi mox futuræ illic relucet. Reditus autem ipſe populi non minori admiratione dignus fuit, quam

Pſal. 126. verſ. 2. inaudita quædam reſurrectio: ut vere in Pſalmo fideles jactent, ſe tunc ſomniantibus fuiſſe ſimiles. Jam quod commeatus à Rege præbetur, quod Templum extruitur ſumptu regio, quod gravibus edictis prohibentur à Judæis injuriæ, pudeat nos non agnoſcere Deum harum rerum auctorem; quum totidem incredulis fuerint portenta. Hæc autem conſideratio dici non poteſt quantopere ad juvandam augendamque fidem noſtram valeat. Quo convincitur eorum ingratitudo, qui in tam bene ordinato gloriæ Dei theatro, ſcandalum quo impingant, ſibi fingunt. Porro, in terram ſuam reverſi, ſubito incredibilem in modum, tam hominum numero, quam opibus augentur. Hoc quoque non obſcurum divinæ potentiæ miraculum eſt, præſertim quum nulla illis datetur ab hoſtibus relaxatio. Scimus enim tot fuiſſe adverſis copiis obſeſſos, quot vicinæ erant in circuitu gentes. Verum, ut in cruce clarius refulgeat extraordinarium Dei præſidium, non multo poſt aliis identidem atque aliis cladibus ſic proteruntur, ut jam ultima internecio appareat. Sub Perſarum imperio, tametſi eorum conditio fuerit tolerabilis, tamen velut oves mactationi deſtinatæ, parum à macello interdum abfuerunt. Ne immaniem ſuum impetum in eos profunderet Alexander, cæleſti oraculo cobibitus fuit. Quum vero poſt ejus mortem, Syriæ & Ægypti Reges quaſi truculentæ beſtiæ in rabiem accenſæ, mutuo ſe diſcerperent, nec ullus eſſet ultro citroque ſæviendi finis, quis gentem in medio ſitam, & utriuſque libidini expoſitam diu fore ſuperſtitem ſperaſſet? Nec ſane tot ac tam variis cladibus dejecta ſtetiſſet, niſi Deum habuiſſet cuſtodem, manuque ejus ſuffulta eſſet. Tandem ſub dira Antiochi tyrannide, quaſi in profundum gurgitem demerſa, nullam amplius lucis ſcintillam io toto mundo habet. tota regio ſanguine innoxio exundat. Jeroſolyma horrenda cadaverum ſtrage, quaſi pavimento ſternitur. In Templo collocatur execrabile idolum. Abolitis Dei inſtitutis profani ac degeneres gentium ritus regnum occupant. In ignem projiciuntur ſacri omnes libri, ut Dei veritas ex hominum memoria penitus excidat. Quiſquis hiſcere audet, imo quiſquis dolore ingemiſcit, ac non potius ſe perfida ſimulatione contaminat, protinus ad lanienam protrahitur. Machabæi cum manu à ſe collecta, in cavernis montium vagi & inopes inter feras latent. Quod in tanta deſperatione, manent tamen reliquiæ piorum, quæ poſtea emergant, quis neget admirabili Dei providentia fuiſſe ſervatas? Quod Moſis & Prophetarum libri ex illis flammis illæſi evadunt, quis humanæ cuſtodiæ tribuat? Denique temporum illorum hiſtoria, longe certius teſtatam nobis Dei providentiam facit in protegenda Eccleſiæ ſalute, quam ſi magnificos de omnibus populis ſuperboſque triumphos egiſſet. Idem & aliæ quæ poſtea contigerunt perturbationes, ſpectaculum nobis præbent. Nam quum uſque ad Chriſti adventum, nunc externis bellis, nunc inteſtinis factionibus, nunc barbara Principum libidine, quaſi aſſiduo rotatu vexati raptatique fuerint Judæi; factum eſt tamen ſingulari Dei beneficio, ut Eccleſia inter iſtas turbulentas converſiones, in ſuo gradu ſteterit. Hic nobis io mentem veniant tot ſancti viri, imo & mulieres, quibus eorum quas recenſui calamitatum devoranda fuit indignitas. Nonnullis, qui ad provectam uſque ætatem vixerant, neceſſe fuit per longas & multiplices majorum ambages errare, & tandem anxie mori, quum nullum exitum viderent. Hæc ſane erant ſcandala, quæ à recto curſu depellere ipſos poſſent. Et tamen fide eluctati, vocationem ſuam conſtanter perſequuti ſunt. Nunc vero tam animoſa eorum ſtrenuitas, non modo inſtar vehiculi, quod laſſitudini noſtræ medeatur, ſed loco alarum eſſe nobis debet, quibus ſupra arduas rupes, ſpinoſos perplexoſque ſaltus & quævis abrupta transvolemus. Eventus autem lætiores, qui fidelis in ſervanda Eccleſia Dei curæ teſtes ſuot, niſi omnem ſcandali ſenſum nobis tollant, plus juſto ſumus molles ac delicati. Imo hoc faſtidium minime ferendum eſt, ſi in plano itinere ſcandalum prava imaginatione nobis ipſi objicimus.

Quod ſi in veteri populo hoc boni ſemper habuerunt Eccleſiæ infortunia & ærumnæ, ut præſentius Dei auxilium ſecum adferrent: ac quo gravior fuit crucis preſſura eo clarius oſtendit Deus ſua manu erigi Eccleſiam, erectamque ſuſtineri: ſub regno Chriſti longe clarior eſt hujus rei conſpectus. Si per continuos pacis ſucceſſus, florentem jucundumque ſtatum retinuiſſet Eccleſia, ex quo publicari cœpit Euangelium mundo: nempe, hæc fuiſſet humanitus uſitata ratio, quam omnes contemptim præteriſſent. Verum, quum adverſus exiguam & contemptibilem manum protinus efferbuerint gentium ordinumque omnium odia: quum nomen Chriſtianum diu ſic fuerit ubique inviſum ac deteſtabile, ut ſingulis momentis parum ab interitu diſtaret: quum paſſim diris modis ſævitum fuerit in eos omnes, qui vel obſcuram aliquam Chriſtianiſmi ſignificationem dare audebant: quum ad extinguendam eorum memoriam facta eſſet totius orbis con-

ſpiratio: quod Eccleſia nihilominus ſemper aliqua duravit, hic inſolita virtus & arcanus neſcio quis vigor apparet. Hoc dico, quum templa Chriſtianis eſſent ferarum in ſylvis & montibus latebræ: nuſquam tutum domicilium, & extrema infamia parique odio flagrarent, quis nomen Euangelio dare non horruiſſet, niſi divinitus excitatus? Atqui, ſubinde multi certatim ex deſtinato ad ſubeundum tale dedecus, ad miſerum illum & ſervilem metum advolabant. Simulatque Chriſtum profeſſus erat quiſpiam, non modo ad mortem rapiebatur, ſed ſævi cruciatus ſimul erant propoſiti. Nulla ſexus, nulla ætatis miſericordia erat. Aliquos fuiſſe repertos, qui hac mercede Chriſtiani eſſe vellent, nonne pluſquam mirum eſt? Ut quiſque captus erat, acerrima de ſociis quæſtio habebatur. Si quando in tormentis vocem continuit, qui in tyranni necem cum aliis conſpiraverat, ne conſcios detegeret, omnes conſtantiam mirantur: in tot provinciis, in tot urbibus innumera ſervatæ ad extremum fidei exempla, annon linguas divinitus fuiſſe gubernatas teſtantur? Quum autem in ſingulis hominibus, ac ſæpe etiam in mulierculis periclitaretur tota Eccleſiæ ſalus, in eo certe inſigne miraculum fuit, quod non brevi omnes funditus ſublati fuerint. Atqui, inter tot diminutiones, excidiis non multum abſimiles, latius tamen propagari non deſiit. Idque vere fuit ſub crucis ignominia triumphare. Imo qui omnes circumſtantias, qua decet æquitate, reputabit, inter mortes innumeras fatebitur continuam fuiſſe multarum reſurrectionum ſeriem. Quod pro ſua difficultate, nobis incredibile foret, ſi quis narraret poſthac futurum: nunc quum factum eſt, non modo contemnere, ſed offenſionis loco ducere, non judicii eſt, ſed maligni faſtidii. Illi quidem maxime violenti fuerunt impetus, ſed aliæ quoque ætates ab eadem crucis militia minime immunes fuerunt. Quin duriora certamina ſunt experti, qui ſincere ac fideliter Deo ſervire tunc volebant. Faſces Chriſti regno ſubmiſerat Romanum imperium: videri Eccleſia poterat in beata quietis & gloriæ ſede collocata: Barbaræ etiam nationes in Chriſti poſſeſſionem conceſſerant: verum hæretici interea ac perfidi homines rerum ſic potiebantur, ut probi verique paſtores à ſuis Eccleſiis per vim, nec ſine ignominia fugati, in regionibus ignotis exularent. Ac ne exilium quidem illis permiſſum fuiſſet, niſi latuiſſent ab hoſtium tyrannide. Quod tamen atroci perſequutionum violentiæ expoſita ſæpe fuit Eccleſia, quod fere proſtrata ſub hoſtium pedibus jacuit, procul quidem hoc abeſt à ſpecie terrenæ dignitatis. Quod autem exiguus piorum numerus, invicta fidei conſtantia tantos perſequutionum fluctus ſuperavit: quod ſuperſtes omnibus tyrannis ac hæreticis fuit Eccleſia, quæ veram fidei doctrinam ad poſteros tranſmitteret, hoc vero eſt luculentum divinæ virtutis teſtimonium, quod ſupra omnes mundi glorias longe excellit. Ita in præſenti Eccleſiæ calamitate nulla refulget dignitas, quæ cæleſte Dei regnum, hominum oculis repræſentet. Nam ea oppreſſa, ſummi hoſtes ipſius titulo, quaſi ſpoliis ornati, non minus crudeliter quam ſuperbe eam conculcant. Si quis, eorum impietati vel tantillum auſit obſiſtere, gladiis, ignibus, ac omne genus tormentis formidabiles, veræ Eccleſiæ in terris locum vix relinquunt. Quod ſi aliquos ſibi angulos inveniat, nunc vi & armis impetita, nunc ludibriis vexata, nunc minis & terroribus ſatigata: nihil minus quam regium illum Chriſti decorem tantopere à Prophetis commendatum, præ ſe fert. Verum, quum minaciter terrendo, ac furioſe ſæviendo, non eo tamen uſque proficiunt impii, quin Dei Eccleſia ſub crucis humilitate, firma rectaque ſubſidat: cur non in hac mirifica ejus conſervatione, Dei gloriam exoſculamur? Si quis rerum peritus, quam multa per hos triginta annos ad eam perdendam machinati ſint impii, ſecum animo revolvat: non fuiſſe centies penitus deletam, mirari cogetur. Et nunc quod intra biennium miſere diſcerpta fuit, laceræque ejus partes à leonis faucibus parum abſunt: tametſi multorum animos frangit, optimo Dei conſilio factum eſſe tandem ſentient fideles, quo manum ſuam in ea liberanda clarius exerat. Neque enim ab ipſo ſervari, niſi ex morte ereptam, agnoſcimus.

Huc poſtremo accedit & alia ratio, quod ferociam noſtram domari ſubigique crucis diſciplina pluſquam neceſſe eſt. Videmus ut Eccleſia, quæ in mediis vexationibus ſpirituali vigore florueрat, nimis læta pace diffluxit. Hodie quum ſub duro auſteroque freno nos Dominus conſtrictos teneat, videmus ut paſſim omnes fere laſciviant. Quid fieret, ſi libere exultandi daretur occaſio? Quum Euangelii profeſſio longe lateque in Germania regnaret, & integræ adhuc eſſent eorum vires, qui ad tuendam bonam cauſam videbantur animati, hacque fiducia ſuſceptum eſſet luctuoſum hoc bellum, quodque infeliciter ceſſit: erectis in magnas ſpes partis noſtræ animis: dixi aliquando publice, plus à noſtra, quam hoſtium victoria nobis inſtare periculi. Neque enim tam metuendas eſſe ullas clades, quam nimis triumphale, ut ita loquar, Euangelium, quod nos ad inſolentiam efferret. Nec vero me iſtius vocis hodie quoque pœnitet. Niſi profanæ licentiæ Dominus obviam mature iviſſet, morbus fuiſſet temporis ſucceſſu propemodum incurabilis. Nulla doctrinæ, piiſque monitionibus fuiſſet auctoritas. Mediocrem diſciplinam qui nondum admittere ſuſtinuerant, jugum omne, non ſecus ac indomitæ belluæ, violento impetu rupiſſent. Tanta infamiæ macula ab Euangelio abſtergi non potuit, quam ſi ad modeſtiam vi & malis coacti fuiſſent, qui eam ſponte hactenus diſcere noluerant. Rurſum, hoc examine, quali quiſque eſſet animo, patefecit Dominus. Magnifice omnes Euangelium ſub umbram jactabant. Primas in multis locis tenebant ſcelerati hypocritæ. Poſt cladem vero acceptam, quidam magni nominis Principes protinus exanimati, nobiles Reſpublicæ, metu neſcio quo attonitæ, ſponte conciderunt. Hic ſe pluſquam effœminata mollities, imo perfida ignavia aperte prodidit. Impias & ſacrilegas à Chriſto defectiones intra biennium in natione una plures vidimus, quam narrent omnium temporum gentiumque hiſtoriæ. Quam infractum vero ſit fidei robur, ubi Spiritus virtute corda ſuſtinentur, palam in aliis factum eſt. Heroica magnanimitas, quam Dominus in homine uno victo & capto, ſeculis omnibus ſpectandam propoſuit, nunquam niſi tali crucis experimento credita fuiſſet. Inſignia quædam ejus generis exempla, quæ referre promptum eſſet, conſulto prætereo. Sed hæc & alia innumera quiſque apud ſe expendat. Jam mulieres ad mortem raptari aiunt, quo minus habeant veniæ non viri tantum, ſed toti populi: qui ut brevem caducæ pacis uſuram redimerent in mundo, Filium Dei æternæ vitæ auctorem abnegare, ſeque cæleſti ejus regno privare non dubitarent. Poſtremo, quorſum profutura ſint quæ vulgo nunc in gravibus malis reputantur, Dominus ipſe melius novit. Noſtrum eſt, quicquid calamitatum acciderit, forti animo accipere: exitum qualis optandus eſt, à Domino ſperantes: ſemper quidem hoc habere conſtitutum, utcunque ad tempus prematur Eccleſia, optimum Patrem, qui ſingularem ejus curam gerit, nunquam paſſurum, ut abrupta deficiat. Si Chriſtum in medio hoſtium dominari oportet, ſicut Spiritus teſtimonio olim teſtatum eſt, regnum ejus inter nos ſine militia & continuis certaminibus eſſe non poteſt. Si nos ovibus ſimiles ſumus mactationi deſti-

Pſal. 110. verſ. 2.

deſtinatis: adverſarii autem luporum inſtar rabie
ardent: veniat nobis in memoriam illud Domini
Luc 25. verſ. 19. præceptum, poſſidendas eſſe in tolerantia animas,
donec ſuam ipſe virtutem in noſtra infirmitate per-
ficiat. Certe, nihilo felicius habebant Apoſtoli, quum
Actor. 4. verſ. 25. intrepide clamarent: Ut quid tumultuantur gentes,
& populi meditantur inania? Nos quoque ſi tenea-
mus quid valeat illud, In cælo Deum ridere, quum
impiis habenas laxat, eadem qua Apoſtoli fiducia
inſtructi, toti mundo quamvis armato ſecure inſul-
tabimus.

Sequuntur ſcandala, quæ iterum ex doctrina vulgo creduntur provenire: ſed re vera humanæ vel proterviæ, vel inſcitiæ, vel curioſitatis proprii ſunt ac germani fœtus. Scriptura de naturæ noſtræ corruptione ita docet, quod ingenitam ex utero vitioſitatem ac malitiam afferamus: ita non poſſe ex mala arbore prodire niſi malos fructus, donec Chriſti gratia ſimus in integrum reſtituti. Hic colligit humana ratio, non tantum carere homines ipſos culpa, dum peccant: ſed Deo culpam merito poſſe aſcribi, qui tales eos creat, ut nati ad peccandum videantur. Interroget unuſquiſque ſuam conſcientiam: protinus convictus obmuteſcet. Illic enim reperiemus quod Scriptura toties teſtatur, fontem omnium vitiorum eſſe pravitatem, quæ in nobis hæret. Nos ideo mala omnia perpetrare, quia quod Deo diſplicet, appetamus. Qui fit igitur, ut quos intus reos peragit propria conſcientia, vanas excuſationes hinc inde avide conquirant, ad ſe & alios reatu eximendos: neque eo contenti, Deum quoque in crimen vocent? Niſi ſponte ſe fallere in ſuum exitium illis liberet, annon vitium, quod in ſe cernunt, damnarent potius, quam alio cauſam transferrent? Sed agedum, quia qualemcunque duntaxat blaſphemiis ſuis prætextum quærunt: oſtendamus uno verbo, nullo eos colore impudenter maledicere. Quem voluntate peccare conſtat, iſne innocentem ſe jactabit? Ubi omnia dixerint, illuc demum veniendum, Nihil, niſi quod ſponte committunt, illis à Deo imputari. Et quis hominum, ipſos in voluntariis malefactis abſolvet? Porro, quod homines jure damnant, an damnare non erit Deo liberum? Atqui tamen cum Deo expoſtulant, quod non meliorem illis mentem, & cor etiam rectius dederit. Quaſi vero non dediſſet initio. Nam pravitatem, quæ in nobis regnat, doctrina noſtra non fert acceptam Dei creationi, ſed naturæ corruptioni aſſignat. Excipiunt rurſus, iniquum eſſe, alieni delicti pœnam ſibi infligi. Ea forte exceptio nonnihil haberet coloris, ſi à proprio peccato ipſi immunes, aliena culpa gravari ſe oſtenderent. Sed quum rectam in primo parente naturam ita perdiderint, ut ſponte ſint vitioſi, quid ſibi, tanquam inſontibus, fieri conqueruntur injuriam? Scilicet faciunt, quod perditiſſimi latrones ſolent: qui dum ad ſupplicium rapiuntur, probris undecunque arreptis judicem lacerant. Et ſunt ejuſmodi homines ſæpenumero, ſicut ad perpetranda maleficia prompti, ita etiam facundi ad convitiandum. Quid autem ita ferociter inſultando proficiunt? Neque enim aut levatur eorum ignominia, aut judici macula ulla inuritur: idque ipſi norunt: ſed deſperatione excæcati, miſerum ex ridicula ultione ſolatium capiunt. Hactenus eorum blaſphemiis reſpondi, qui impietatem ex profeſſo ſuam produnt. Sed reſtant Sadoleti, Pighii, ſimiliumque calumniæ, quibus doctrinam noſtram infamant, quaſi varias & prope infinitas abſurditates ſecum traheret. Illinc vero ſi quid eſt ſcandali, ideo eſt, quod ſcripta noſtra non leguntur. Quid ergo facerem, niſi ut omnes eos horter, qui præpoſtera offenſione abrepti, ignotam veritatem refugiunt, ne duplicem temeritatis pœnam ſibi accerſant? Nam & ſe fraudant oblata ſibi ſalute: nec illis impune cedet, cauſa inaudita, ſecundum mendacium ſtatim pronunciaſſe.

Quod vero Prædeſtinatio mater eſt ſcandalorum, unde id contingit, niſi ex noſtra vel curioſitate, vel petulantia? Hic de arcano Dei judicio agitur, cujus fulgore humanas mentes, ſi propius accedant, non perſtringi modo & hebetari, ſed penitus abſorberi neceſſe eſt. Et tamen quantum ferebat captus noſter, quantumque noſtra intererat, Dominus Scripturis patefecit: Nos ſcilicet eſſe omnes perditos, niſi quos ad vitam eligendo à morte redimit: ad eos Chriſti gratiam ſolos pervenire, qui gratuita electione, antequam naſcerentur, ad ſalutem præordinati fuerant: alios, ſicuti ſunt æterno exitio deſtinati, in ſuis peccatis manere. Ultra progredi etiam ſi fas eſſet, non tamen expediret. Nunc vero, quum non minus impium ſit, quam noxium, unde nos, tanquam injecta manu, arcet Dominus, perrumpere: officii noſtri erat, quod Dominus tradit, reverenter amplecti: & eo contentos ab omni alia inquiſitione abſtinere. Vera enim ſapiendi regula in hac parte talis eſt ſobrietas, quæ nihil amplius ſcire appetat, quam quod Scripturis eſt revelatum. Nihil certe abſconditum à nobis Deus eſſe voluit, niſi cujus aut ſupervacua erat cognitio, aut magis abſtruſa, quam ut ejus percipiendæ ſimus capaces. Quo magis ingrati ſumus, niſi noſtrum inquirendi ſtudium attemperamus ad eum, quem ipſe tenuit modum docendo. Quid ergo miramur, ſi in abyſſum ſe præcipitant, aut ſcopulis allidunt, qui phreneticorum more, adverſus Deum violento impetu ruunt? Deum tyrannidis accuſant, quod exitio adjudicet nondum natos. At ſentient olim juſtum judicem: imo jam intus ſentiunt, etiamſi non agnoſcant. Cauſantur fruſtra dari præcepta de moribus, fruſtra leges ferri, inique etiam exerceri judicia puniendis maleficiis, quum fatis regantur omnia, vel potius rotentur. Quaſi vero non ita ſuos electos Spiritu ſancto moderetur Deus, reprobos Satanæ agitandos permittat: ut illis doctrinam pietatis & exhortationes fructuoſas reddat: hos teneat contumaciæ convictos & inexcuſabiles, quia monitis non paruerint. Omitto, quam nihil proficiant, Dei providentiam calumnioſi Fati nomine infamando. Neque enim vel intricatos cauſarum nexus ſomniamus cum Stoicis, vel aſtris ſubjicimus mundi gubernationem, vel neceſſitatem comminiſcimur in ipſa rerum natura. Atqui, ea eſt, quam Fatalem vocant profani homines. Longe igitur aliud eſt Dei prædeſtinatio quam fatum. Sed faceſſat logomachia. Si fixa eſt, inquiunt, æterno Dei decreto rerum neceſſitas: ſupervacuum eſt docere, quale ſit cujuſque officium. Nihil enim ex eo quod jam conſtitutum eſt, mutabit doctrina. Atqui, expendere rurſum debebant, à Deo quoque ipſo ordinatam in hunc finem eſſe doctrinam, ut arcanis ejus conſiliis ſubſerviat. Quos æterna ſua adoptione præordinavit ad vitam, nonne doctrina, quaſi porrecta manu, ducit quo deſtinaverat? Quid enim aliud eſt efficax vocatio, quam electionis, quæ prius latebat, complementum? Reprobos variis objurgationibus compellat, nullo, ut videtur, profectu. Verum, quum ipſos inexcuſabiles hoc modo reddat: hic quoque nonnulla doctrinæ vis apparet. Non animadvertunt ſtulti homines, quam pulchro inter ſe ordine conſentiant Dei opera. Hinc fit, ut doctrinam, quæ nihil aliud eſt quam æternæ ejus voluntatis miniſtra, cum voluntate ipſa temere in certamen committant. Proinde diſcamus, non hominibus ideo loqui Deum, ut quæ apud ſe olim decrevit, revellat, aut etiam corrigat: ſed potius ut effectu ipſo comprobet, quam firma ſint & ſtabilia. Quos ab initio ſemel elegit, fieri nequit ut pereant: ſed quia perire ipſos non vult, in fidem tutelamque Chriſti tradit. Porro

ut

ut Chriſtum habeant paſtorem à quo cuſtodiantur, in ejus ovile colligi neceſſe eſt. Itaque quum paſtoris vocem audiendo ſalutem electi conſequuntur, nihil aliud quam externa Euangelii prædicatione ad ſuum finem perducitur ipſorum electio. Eandem & reprobis doctrinam jubet proponi. Cur? An ut quod de illorum exitio ſtatuit, evertat? Quin potius ut obſtinata eorum incredulitas, magis patefaciat quid valeat occultæ electionis gratia. Quale enim illuſtrius ſpeculum, in quo hæc perſpicue reluceat, fingi poteſt, quam dum in communi doctrina, eadem Dei vocatione, pari vocandi organo, tantum eſt hominum diſcrimen, ut alii pertinaciter reſpuant, quod alii obedienter amplectuntur? Videmus tamen interea, ut verbum, quod hominis ore profertur, etſi impiorum corda non emendet, feriat tamen ipſorum conſcientias, & laſciviam, inſtar freni cohibeat.

Jam de ſcandalis, quibus ſecundum ordinem aſſignavimus, eſt diſſerendum. Queruntur multi, Euangelium diſcordiarum eſſe fontem: quia ſimulatque emergit, una ſurgunt contentiones: imo non ſecus acſi claſſicum cecinisset, homines inter ſe ar-
Mat. 10. verſ. 34. mantur. Fatendum eſt ſane quod Chriſtus pronunciat, ſimul cum Euangelio diſſidia fere & pugnas exoriri: ſed qua id occaſione fiat reputandum eſt. Primum, ſi contumaciter inſurgunt homines, quum eos in ordinem cogere vult Deus, qua id ratione fiat, jam prius diximus. Difficile eſt, ut qui ſibi nimium ſapiunt, dociles ſe Chriſto præbeant. Jam vero, quum affectus carnis, qui in hominibus regnant, totidem ſint quaſi feroces ac indomitæ belluæ, miramur ſi tumultuoſe jugo & freno reſiſtant? Atqui, nimis indignum eſt, cujus mali cauſa in nobis repetitur, culpam in Euangelium conferri. Nihilo rectius faciunt, qui turbarum metu, & diſcordiarum odio, à pacis doctrina abhorrent. Tranquillo ſtatu nihil putant eſſe melius. Quid ergo, ſi tyrannus quiſpiam hoc ſævitia & immanitate ſua conſecutus ſit, ut dum virgines matronaſque ingenuas ad ſe rapit: dum fortunis optimum quemque ſpoliat, dum jugulat trucidatque innocentes, metu omnes attoniti ſileant: anne hoc prætextu tyrannis laudem merebitur? Nunc ſi quæritur, quænam ſit pax iſta, quam Euangelii jactura redimere multi non dubitant: hoc ſane conſtabit, vitioſas perverſaſque religiones placide & abſque motu obtinere, quia deterrimus omnium tyrannus Satan impune hominibus ſemimortuis inſultat. Tametſi quod ad externam corporis ſervitutem attinet, tolerari forſan potius interdum expediat, quam libertatis aſſerendæ cauſa, tumultum movere, quin in cædes & confuſam vaſtitatem erumpat. Verum, ubi de æterno animæ exitio agitur, nihil tanti eſſe debet, ut mortiferam pacem vel appetamus, vel etiam voluntarii colamus. Quid etiam quod Filium Dei ita imperii ſui jure fraudamus? Atqui, cælum potius terræ miſceri præſtaret, quam illi minui honorem à Patre datum, nedum prorſus eripi & abdicari. Nos ſcilicet vivemus alieni à vitæ Principe: ut pax nobis conſtet apud homines, bellum ex profeſſo adverſus Deum ſuſcipiemus? Ne diſſidium cum improbis habere cogamur, à Chriſto diſſidere non recuſabimus, per quem ſumus una cum Angelis Deo reconciliati? Nimis ſane indigna merces. Nec vero
Luc. 11. verſ. 21. Chriſtus, quum pacatum Satanæ regnum deſcribit, ideo appetendum eſſe docet: quin potius ſummi beneficii loco fore hoc promittit, ut fortior cum illo confligens, injuſta illum tyrannide ſpoliet: nam ſi tam animoſos cernimus, qui ambitioſe pro imperio vel libertate ſua dimicant, ut quoſvis excipere motus non dubitent: ubi turbarum procellas excitat Satan, ad turbandum Chriſti regnum: quanto nos fortiori animo contra obniti decet? Filius in patrem inſurget: pater filii vitæ non parcet: fratri inſidiabitur frater. An ideo ſunt hæc prædicta, ut ſibi ab Euangelio caveant homines, ac non potius, ut in tempore moniti, nullum ex novitate terrorem concipiant? Neque enim cum aliis mihi negotium eſt, quam qui ad fucoſæ pacis prætextum, Chriſti ipſius nomine abutuntur. Etſi me quoque non latet, turbulentos homines movendis ſeditionibus, Satanæ eſſe flabella, ut in Euangelii odium placidos alioqui homines inflammet. Ita noſtro ſeculo ſub Euangelii naſcentis initia, barbaros homines armavit, qui legibus, judiciis, & omni politiæ bellum ex profeſſo indicerent. Sed quum nobis minime ignotum ſit ejuſmodi artificium, modo pacem ex animo quæramus, eam vero experimento ſentiemus à Deo nobis per Euangelium offerri: ut inter homines quoque nobis conſtet. Ab Euangelio quidem recedere, ut ſeditionibus obviam eatur, nimis perverſum eſt.

Juſtior in ſpeciem hæc ſcandali cauſa eſt, quod ſimulac publicari cœpit Euangelii doctrina: velut aperta ſcaturigine, multorum erumpit impietas, qui religioſi antea viſi fuerant. Atqui, longe æquius erat, hoc ad fidei confirmationem valere. Quum has Chriſto partes aſſignat Simeon, ut retegat ex Luc. 2. verſ. 35.
multis cordibus cogitationes: adeo nemo refragatur, ut plauſibilis ſit ſententia. Quid ergo in re ipſa abſurdi invenitur? fingamus nunquam fuiſſe dictum: ut ſine præjudicio æſtimetur quod apparet. Quum ante annos triginta ubique vigeret religio, & in communem receptumque Dei cultum, ſine controverſia, omnes conſentirent, nunc impietas & Dei contemptus paſſim ebullit. Principio, dico nihil eſſe mirum, ſi tenebras lux diſcutiat. tam altas eſſe cordis humani latebras, tamque flexuoſos receſſus, ut abyſſos prope omnes ſuperet, jam olim proverbio vulgatum eſſe. Jam, ſi qua in re fallax eſt hominum ſimulatio, mira erga Deum improbitate ludit, ubi minime fas erat. Huc accedit Satanæ vafrities, quod partim ignorantiæ caliginem obducens, partim Dei cultum obtegens ceremoniarum larvis, miram religionis, quæ nulla eſt, pompam oſtentat. Hoc ſub Papatu fuiſſe vident omnes oculati. Illic enim conſcientiæ, quaſi Circæis venenis faſcinatæ, ſtupent: per longas ambages ſerium Dei ſenſum refugiunt. Nam immenſum illud ceremoniarum chaos, vere latronum eſt ſpelunca: quia hypocritæ ſub illis involucris abditi, quidvis ſibi impune licere confidunt. Ejuſmodi ſecuritas, ſi veræ fictæque religionis diſcrimen tollit, nihil mirum. Quod ſi quando propius ad Deum accedere videntur, non alium in finem multum ſe fatigant adeoque excruciant, niſi ut interior cordis impietas, talibus remediis delinita intus quieſcat. Nunc, ſi illata Euangelii face profligatur hypocriſis, ac palam fit impietas, injuſta eſt ac perverſa, quæ inde ſuſcipitur offenſio. Olim inter profanos homines, niſi qui palam veneficus erat, & teſtamentarius, & perjurus, & coopertus omni flagitio, nemo habebatur deorum contemptor. Nam quum carnales ſibi deos fingerent, nihil facilius erat quam religione defungi. Atqui videmus, ut acriter in deriſores invehantur Prophetæ: quod proculdubio non ſine gravibus cauſis faciunt. Ergo impietas quæ ſe exerebat in Dei Eccleſia, apud incredulos nulla fere tunc apparuit. An ideo Legem & Prophetias flabella ad eam excitandam fuiſſe dicemus? An ideo pura religio, quæ hydram illam in lucem protrahebat, minoris cenſebitur? Quin etiam in ipſa Dei Eccleſia, non niſi poſt natum Iſaac, Iſmaëlis ſannæ ſe proferunt. Qui antea ſecundus erat à ſancto Abrahamo, repente in ſceleratum gratiæ Dei ludibrium erumpit: quo meretur à patris familia abdicari. An tale exemplum, Abrahæ domeſticos

à ſancta

à ſancta progenie alienare debuit? Porro, quod in Iſaac tenuiter fuit adumbratum, in Chriſto clarius exprimi oportuit: idque factum teſtatur Euangelii hiſtoria. Scimus enim, ex quo in mundum ipſe productus fuit, quantopere efferbuerit eorum inſania, qui prius ſe religionis titulo venditabant. Quare, maligna hæc faceſſat opinio, Ex Euangelii doctrina ſcaturire impietatis licentiam: quia velut è latibulis in apertam lucem protrahitur: Quin potius hoc ipſum nos oblectet, Retegi ex multorum cordibus cogitationes. Quanquam hujus rei alia quoque notanda eſt ratio: nempe quum oblatam Euangelii gratiam alii reſpuant, alii contemptim ſummis tantum labris guſtent, alii ſuperbe repudient, annon digna eſt omnium ingratitudo, de qua non mediocrem vindictam Deus exigat? Et profecto ſevere ulciſcitur, quum adempto religionis ſenſu, in horrendam iſtam cæcitatem eos præcipitat. Quotquot ergo videmus hodie Lucianicos homines, qui totam Chriſti religionem ſubſannant: quotquot item Epicureos, qui nullo Dei metu ad quamlibet nequitiam ſe proſtituunt: totidem ſciamus à Deo nobis ante oculos poni vindictæ Dei exempla, quæ nobis Euangelii dignitatem pretiumque commendent.
Rom. 1. verſ. 28. Paulus merito in reprobum ſenſum, & fœdas probrique plenas cupiditates conjectos fuiſſe dicit, qui Dei notitiam, qualis ex ſolo mundi aſpectu concipi poteſt, injuſte ſuppreſſerant: ut qui Deum fraudaverant ſuo honore, extremæ ignominiæ ſubjecti, juſtam reciperent ingratitudinis ſuæ mercedem. Quo indignius eſt ſacrilegium Euangelii contemptus, non mirum eſt, ſi atrocior de ipſo nunc ſumitur vindicta. Quid enim? An qui ſcintillulas in mundi fabrica emicantes ſua ſocordia extingui paſſi ſunt, jure plexos eſſe fatebimur: qui autem plenum gloriæ Dei fulgorem, qui in Euangelio lucet, deſtinata malitia obruunt & extinguunt, eos vellemus impune Deo illudere? Quod ſi Deum contemptæ, vel abjectæ ſuæ gratiæ, ſeverum eſſe vindicem pluſquam æquum eſt, cur ejus vindictæ, quæ in primis laudanda eſt, exempla cernentes offendimur? Imo potius decebat, ut jam dixi, ſicuti hoc modo Euangelii majeſtatem aſſerit Deus; ita ejus reverentiam in animis noſtris ſanciri. Euangelium, quo ſe nobis in Filii perſona offert ac donat, quomodo ſatis digne excipi poteſt? Atqui, incomparabilem hunc theſaurum vulgari honore multi vix dignantur: alii abjiciunt ad pedes, alii vanis mundi deliciis ſecure poſthabent: multi etiam tanquam aliquod ludicrum, jocoſe ad profanam oblectationem convertunt. Quid poſtea ſequutum eſt? Quum aliqua ſaltem religio eorum animis inſideret, nunc canum in morem, adverſus eum latrant. Atque hoc quidem acumine ſibi placent, imo ſemidei videntur, quod nubibus oppedere non dubitant. At vero, ſi prodigioſa eſt hominis in pecudem converſio, eo magis ſunt deplorandi, quod nullo mali ſui dolore tanguntur. Papiſtarum ineptias lepide rident, ſed ipſi indigni ſunt, qui unquam ad Papiſmum revertantur. Neque enim vulgares eorum exitus eſſe convenit, quibus & ſacer Chriſti ſanguis, & æterna Dei veritas, & lux vitæ, partim riſui fuerunt, partim contemptui. Et certe qui nunc paſſim regnat Euangelii contemptus, certum eſt belluinæ cujuſdam vitæ præſagium: nam, quum hoc extremum ſit curandis hominum vitiis remedium; ubi Dominus cum Euangelio ſuo affulget, quibus nihil prodeſt remedium hoc, eos eſſe incurabiles conſtat. Qui vero medicum ſcientes ac volentes aut eludunt, aut procul abigunt, ultro ſibi quaſvis accerſunt mortes. Ut caput hoc concludam: quibus atrox malum, ut eſt, cenſetur impietas, hi ex hac gravitate pœnæ, quam indigne Euangelii ſui contemptum ferat Dominus, æſtimant: atque hoc documento in ejus fide & obedientia confirmantur. Agrippam, Villanovanum, Doletum, & ſimiles vulgo notum eſt tanquam Cyclopas quoſpiam Euangelium ſemper faſtuoſe ſpreviſſe. Tandem eo prolapſi ſunt amentiæ & furoris, ut non modo in Filium Dei execrabiles blaſphemias evomerent, ſed quantum ad animæ vitam attinet, nihil à canibus & porcis putarent ſe differre. Alii (ut Rabelæſus, Deperius, & Goveanus) guſtato Euangelio, eadem cæcitate ſunt percuſſi. Cur iſtud? niſi quia ſacrum illud vitæ æternæ pignus, ſacrilega ludendi aut ridendi audacia ante profanarant? Paucos nomino. Quicunque ejuſdem ſunt farinæ, eos ſciamus nobis à Domino exemplum quaſi digito monſtrari; ut ſollicite in vocationis noſtræ ſtadio pergamus, ne quid ſimile nobis contingat.

Porro, quia non lapſu tantum ſuo vel præcipitio infirmos offendunt perditi iſti homines, ſed impietatis ſuæ venenum huc illuc profundunt, ut Atheiſmo orbem repleant: huic quoque ſcandalo obviam eundum eſt. Idque facit Spiritus, dum venturos admonet illuſores, qui ſpem noſtram ſannis exagitent: ſed idem pronunciat animas inſtabiles, eorum illecebris fore obnoxias. Ergo ut ſimus extra periculum, colligenda eſt in Chriſto firmitas. Solennis mos eſt impuris iſtis canibus, quo plus ad ructandas blaſphemias licentiæ habeant, ſcurrilem perſonam agere. Ita in conviviis & ſermonibus ſuaviter jocando, omnia religionis principia convellunt. Ac primum quidem obliquis facetiis ſe inſinuant. Hic tamen finis eſt, ut omnem Dei timorem obliterent ex animis hominum. Nam eo tandem perrumpunt, religiones omnes ex hominum cerebro natas eſſe: Deum eſſe, quia ſic credere libeat: futuræ vitæ ſpem lactandis ſimplicibus inventam eſſe: metum judicii, puerile eſſe terriculamentum. Hæ quidem Sirenum voces, deliniendis multorum auribus nimis ſunt appoſitæ: ſed quas jam ſuus pruritus titillat. Nam quoſdam videmus, adeo cupide quæ ad tollendum pietatis ſenſum faciunt, captare & venari, ut vixdum percepto paucorum verborum ſonitu, repente ab æterna & inflexibili Dei veritate deſciſcant. Et ſane, quiſquis vel modice in Scripturis ſacris verſatus erit, longe alibi quam in opinione fundatam eſſe fidem noſtram expertus, non ita facile nutabit. Qui vero inſculptum in cordibus Spiritus ſigillum gerunt, multum abeſt quin machinis iſtis impetiti, concidant. Sed hoc eſt ſcilicet quod dicit Paulus, naufragium facere homines in 1 Tim. 1. verſ. 19.
fide, poſtquam à bona conſcientia exciderunt: Quo ſignificat & hanc eſſe rectæ intelligentiæ cuſtodem: nec mirum eſſe ſi nihil firmum habeant, qui inter varias cupiditatum procellas fluctuantur. Itaque non eſt quod nos turbet Atheiſmus, qui nunc cum in toto mundo paſſim graſſatur, tum vero in Regum & Principum aulis, in tribunalibus, in ſplendidis aliis vitæ generibus præcipue regnat. Nam ſi rerum peritos interrogem, adeoque eos ipſos, qui ſe expedire ab hac tentatione nequeunt; quotuſquiſque illic bonæ conſcientiæ hoſpitium concedat: in promptu erit reſponſum, eam procul exulare. Quid ergo miramur illud fidei naufragium, quod Paulus neceſſario ſequi docet? Porro, ſi tam ſedulo reconditam in arcis pecuniam ſervant, quotquot aliquo ejus amore tanguntur: qui nullo timoris Dei præſidio munitus, ultro ſe in prædam exponit, quid excuſationis obtendet, ſi cæleſti fidei theſauro ſpoliatur? Præſertim quum nihil tam exitiale eſſe noverimus, quam iſtas impiorum tendiculas. Neque enim quod ab illis inſtat periculum, extenuare in animo eſt: quin potius moneo & teſtificor, nullos tam eſſe veneficos ſerpentum afflatus. Verum, eo magis ad cavendum, vigilantes ac ſollicitos eſſe nos decebat. Interea ab hac quamvis peſtifera contagione, immunes fore dico quicunque ſolidas in Chriſto radices agere

non neglexerint. Neque vero hoc meum, ſed Pauli *Epheſ. 4. verſ. 13.* dictum eſt: Creſcendum eſſe in Chriſti notitia, donec adoleſcamus in virum perfectum: ne ſimus amplius obnoxii hominum verſutiæ, qui nos circum- *2 Cor. 11. verſ. 3.* venire tentant. Simul tamen altera Pauli exhortatio audienda: quando hac lege deſponſi ſumus Filio Dei, ut integram illi ſervemus conjugii fidem, in primis cavendum eſſe, ne ſuis lenociniis nos corrumpat Satan: nam ſi aliquod jam impudicitiæ ſignum dediſſe videtur, quæ lenonis illecebris aurem præbuit mulier: parum caſtas eſſe animas apparet, quibus ad perfidam defectionem ſollicitari dulce eſt.

Non abſimilis eſt errorum omnium ratio. Labaſcit multorum fides: alii etiam prorſus ab Euangelio deſciſcunt, quia erroris ſegetem eſſe conſpiciunt. Quaſi vero à terræ cultura & ſatione quiſquam abhorreat, quia purum ſemen in lolium ſæpe degenerat. Ne quem percelleret rei novitas, admonuit *Mat. 13. verſ. 24.* Chriſtus hoc futurum. Tametſi enim hypocritas illic zizaniis comparat, tritico veros ac germanos Dei filios: hanc tamen uſitatam Satanæ fraudem eſſe oſtendit, corrumpere quibuſcunque poteſt modis & vitiare cæleſte Dei ſemen, ne ad frugem perveniat. Mundum inſtar deſerti & inculti agri ſcimus diu jacuiſſe ſterilem: nunc Euangelii doctrinam ſeminavit Deus per ſuos miniſtros. Miramur, ſi Satan quaſcunque poteſt errorum corruptelas miſceat? Et quæ non ſtatim à primo Euangelii exortu falſorum dogmatum plauſtra invexit? Omitto innumeram multitudinem. Sed Valentini, Montani, & Manichæorum deliriis quid magis prodigioſum fingi poteſt? Perquam vero ridiculum eſt, eos qui Euangelii lucem tam denſis tenebris non fuiſſe extinctam, miraculi loco ducunt, vim ejus contra tot machinas ſtetiſſe invictam cum plauſu audiunt, quia nunc quoque mendacii tenebras offundat Satan, Euangelii doctrinæ infenſos reddi. Verum, quia ad hunc ſcopulum variis modis impingitur, breviter oſtendam nullam eſſe offenſionis ſpeciem, in qua non ſponte vel ſocordia, vel alio proprio vitio ſinguli incurrant. Qui ſimpliciter unum hoc obtendunt, ſectas ex Euangelii doctrina pullulare, hi partim qualemcunque prætextum captant, partim nimia levitate mali cauſam in Euangelium tranſcribunt, quæ alibi reſidet? Quiſquis aperire oculos dignabitur, Euangelium perſpiciet non modo puram ac liquidam eſſe Dei veritatem, ſed optimum ſanctæ unitatis vinculum. Nunc ſi contra inſurgit Satan, ut hanc lucem errorum nebulis obſcuret, ac unitatem laceret, in quam coaleſcunt filii Dei, officium ille ſuum facit. Eſt enim & mendacii pater, & diſſidiorum omnium auctor atque artifex. Noſtrum ergo erat eo intentius in quærenda veritate laborare, inventam conſtantius amplecti. Non modo abſtinent iſti ab omni ejuſmodi ſtudio, ac refugiunt: ſed hunc defenſionis clypeum opponunt Deo, ne obedire ejus imperio cogantur. Alii tametſi data opera non quærunt quomodo repudient ſanam doctrinam, quum tamen levi occaſionis aura perciti reſiliunt, nihil habent juſtæ excuſationis. At vero non abs re timent, ne ſi incerti quo eundum ſit, flexibiles ſe præbeant, ſua hac facilitate implicentur errorum laqueis. Eſt hoc quidem aliquid: ſed ejus periculi alia melior erat cautio: nempe, ut ſe pia humilitate, modeſtia, ſobrietate, reverentia, Deo ſubjicerent. Neque enim fru- *Matth. 7. verſ. 7.* ſtra promiſit Chriſtus, pulſantibus januam apertum iri. Nec fruſtra ſpiritu judicii & diſcretionis à Pa- *Jeſa. 30. verſ. 21.* tre donatus eſt. Non fruſtra etiam per os Jeſaiæ promittit Dominus pædagogum ſe fore populo ſuo, qui ad regendos ejus gradus à tergo præſto ſit. Denique, non fallendi nec fruſtrandi cauſa, viam vitæ nobis in verbo ſuo monſtrari pronunciat. Unde apparet bonam hominum partem hoc ipſum ingenioſe appetere, ut contemptis remediis, in ſuo malo torpeat.

Quod autem multos videmus, hoc vel illo errore captos, à recta via abduci, nunquam niſi juſta Dei vindicta, accidit. Primum vere Auguſtinus ſuperbiam nominat hæreſeôn omnium matrem: nullus enim unquam extitit erroris magiſter, quem non prava ambitio in ſuum præcipitium extulerit. Scimus Deum parvulis fidum eſſe doctorem. Scimus Chriſtum humiles ac manſuetos ad ſe vocare, ut eos habeat diſcipulos. Proinde qui arrogantia turgent, eos non mirum eſt ab hac ſchola pulſos, vagis ſuis ſpeculationibus ſurſum ac deorſum raptari. Quotquot hac noſtra ætate à pura Euangelii doctrina prolapſi, falſorum dogmatum cœperunt eſſe auctores, reperiemus omnes ſuperbiæ morbo correptos, ingenii tormenta ſibi & aliis fabricaſſe. Pro multis unum Serveti exemplum ſufficiat. Is enim Luſitanico faſtu inflatus, magis etiamnum propria arrogantia turgens, hanc ſibi comparandi nominis rationem optimam eſſe ſtatuit, ſi omnia religionis principia convelleret. Quicquid ergo de tribus in Deo perſonis olim ab ipſo Apoſtolorum ſeculo traditum à Patribus, & continua ætatum ſerie ab omnibus piis receptum fuit, non modo tanquam inſulſum repudiat, ſed pluſquam atrocibus convitiis exagitat ac proſcindit. Jam canina illa mordendi latrandique rabies, quam ebulliunt omnes ſcriptorum ejus paginæ, ſatis teſtatur, qualis hominem ſpiritus inſtiget. Ad rem vero ſi venias, clare perſpicies, jejuna inanis gloriæ ſiti accenſum, abſurdiſſima quæque deliria cupide hauſiſſe, quibus ſe inebriaret. Sermonem Dei non prius fuiſſe imaginatur, quam dum Moſes Deum in mundi creatione loquentem inducit. Quaſi vero tunc demum eſſe cœperit, quum exeruit tantam ſuam virtutem: ac non potius æternæ ſuæ eſſentiæ ſpecimen ediderit. Chriſti carnem ſic deificat, ut veritate humanæ naturæ abolita, divinitatem, quæ ſpiritualis eſt, palpabilem fingat. Et tamen Deum plenis buccis Chriſtum vocando, umbratile neſcio quod ſpectrum nobis comminiſcitur: utpote, qui ab initio Platonica duntaxat idea fuerit: nec alio jure ſit filius Dei, niſi quod in utero Virginis ex Spiritu ſancto conceptus eſt. interim multa ſpeculationum plauſtra congerit, quæ adeo nihil habent coloris, ut facile ſano cuivis homini conſtet, non niſi cæco ſui amore faſcinatum, poſſe ita deſipere. Quod ſi protinus ut emerſit Dei veritas, ſuperba ingenia tum ſua ambitio ſollicitat, tum etiam Satan impellit, ut illam pravis commentis & fanaticis opinionibus, vel obſcurent, vel pervertant, non eſt cur nos tanquam re inſolita turbari oporteat. Quare, ut ſuperbiam prius diximus omnium hæreſeôn matrem eſſe: ita eorum vanitas, qui ſe talibus magiſtris diſcipulos adjungunt, ad eas fovendas perpetua eſt nutrix. Quoties ſpargitur error aliquis à pſeudopropheta, Moſes tentari nos dicit, an Domi- *Deut. 13. verſ. 3.* num ex corde amemus. Quorſum id, niſi ut ſciamus non alios abduci à pura doctrina, quam qui pietatem falſa profeſſione mentiebantur? fidem vero firmis radicibus fixam adeo machinæ iſtæ non evertunt, ut potius ejus firmitudinem illuſtrent: quemadmodum Paulus graſſantibus in Eccleſia ſectis, eos, qui *1 Cor. 11. verſ. 19.* probati ſunt, manifeſtos reddi ſcribit. Quo minus mirum eſt, prout afflavit aliquis novæ ſectæ ventus, plurimos huc illuc dilabi, quum pauciſſimi infixum in animis Dei timorem habeant. Tantum abeſt, ut nos cum multitudine titubare deceat.

Proterviendi anſam ex Euangelio arripere, jam olim multis uſitatum fuit. Non abs re toties Apoſtoli, ne in licentiam carnis vertatur libertas, de ea moderanda præcipiunt. Semper enim caro, vel minima occaſione oblata, ſtatim exultat. Atque ut dura eſt, & humano ingenio contraria ſervitus: bona pars, quovis modo jugum excutiat, beatam vitam in eo ſitam arbitratur. Hoc prætextu olim ſervi, quaſi Euangelii præconio ad pileum vocati eſſent,

contu-

contumacia efferebantur: alii Regum & Magiſtratuum ſubjectione ſe eximebant. Similiter hodie permulti infimæ ſortis homines, guſtato Euangelio, inſolenter ſe jactant: famuli altos feroceſque ſpiritus induunt: complures pudoris ac modeſtiæ obliti, ſibi quidvis arrogant. Sed hoc peſſimum, quod ſe ab ipſius Dei obſequio plerique non ſecus emancipant, acſi nos adoptando in filios, patrium omne jus & imperium ſibi abrogaret. Fœda ſane pravitas, & quæ ſua indignitate graviter vulnerare poſſit pios omnes animos. Verum, urat nos potius Dei injuria, quam à nobis duplicetur. Audimus quid de Chriſti man-
Jeſa. 42. ſuetudine teſtatus ſit Jeſaias. Audimus quid de ſe
verſ. 2. ipſe Chriſtus prædicet: Diſcite à me, inquit; quia
Mat. 11. mitis ſum & humilis corde. Et hac de cauſa, quem-
verſ. 29. admodum Paulus admonet, quum eſſet in forma Dei,
Philip. 2. ſeipſum exinanivit, ut ab eo ſubmiſſionem omnes
verſ. 7. diſcamus. Quum ex cæleſti majeſtatis ſuæ ſolio huc-
uſque deſcenderit Dei Filius, ut carne noſtra indutus, non ſervi conditionem modo, ſed extremam crucis ignominiam ſubiret: quem noſtrum criſtas erigere non pudebit, ut aliquid ſimus vel eſſe videamur? Qui ſummis opibus & honoribus excellunt, eos, ut ſe ad magiſtri exemplum conforment, neceſſe eſt, tanquam magnitudinis ſuæ oblitos, ad humiles deſcendere. Pluſquam igitur præpoſtera humilium arrogantia erit, ſi alios efflare ſpiritus, Euangelii prætextu incipiant. Neque enim jure ſuo magni cedere jubentur, ut abjecti alioqui homines, jus alienum uſurpent. Cæterum, hæc doctrina non modo ſingulis officii ſui legem præſcribit, ſed nobis quoque caſtigationes ſuppeditat, quæ ferocientium protervíam retundant: Interea mali hujus invidiam & crimen avertit ab Euangelio. Fieri quidem vix poteſt, ubi miſeri homines, nullis opibus, nulla auctoritate, nullo ingenio, nulla dignitate freti, ſimulac garrire de Euangelio didicerunt, ſe faſtuoſe ingerunt, non ſine aliorum contemptu: quin ſtomachum tanta indignitas ingenuis & cordatis hominibus moveat. Quanquam adeo ridicula eſt bonæ partis ſtultitia, ut pudore & miſericordia potius nos afficere, quam bilem nobis provocare debeat. Demus tamen eſſe, quod nos valde offendat: an noſtra adverſus ſtolidam ſuperbiam indignatio, in ipſum omnis modeſtiæ auctorem incurret?

Ecce ex altera parte multos, Euangelii profeſſionem diſſoluta turpique vita, quantum in ſe eſt, fœdantes. Unde affine proximo ſcandalum naſcitur. Et certe quum nos, ſancte honeſteque vivendo,
Tit. 2:10. Euangelium ornare Paulus teſtetur, qui ſibi male vi-
vendi licentiam indulgent, totidem ſunt Chriſtianiſmi probra & maculæ. Nec vero dubium eſt, quin horrenda ejuſmodi omnes Dei ultio maneat, qui perverſis ſuis moribus, pietatis doctrinam infamant, & ſacrum Dei nomen ludibrio exponunt. Sentient olim quam intolerabile ſit crimen, ſanctum Euangelii theſaurum profanaſſe: quam non fruſtra
Exod. 20. dictum ſit, non impune laturos qui Dei nomine
verſ. 7. abuſi fuerint. Sentient quam pretioſæ ſint Deo
animæ, quibus ſalutis viam malo ſuo exemplo præcludunt. Primum, nimia eſt iſta improbitas, Deum, quem factis abnegant, ore confiteri, ſicut
Tit. 1:16. Paulus dicit: ut cæleſtis ſapientiæ diſcipuli appa-
reant: quum tota vita manifeſtum Dei contemptum arguat. Sed hæc pluſquam ſacrilega impietas, Euangelio ad ſcelerum prætextum abuti. Loquor de artificio jam vulgari, quo ſe perfidi & nequam homines, ad fallendum, fraudandum, modiſque omnibus nocendum inſinuant. Vidi olim, quos lenociniis ſuis impuriſque actionibus non pudebat Euangelii umbram obtendere. Alii qui minus ſunt ſcelerati, diſſolute tamen vivendo, & Eccleſiam polluunt vitiorum ſuorum ſordibus, & Euangelio maculam aſpergunt. Jam illud quidem miſerum eſt ac dolendum, non modo imputari ſanctitatis doctrinæ hominum flagitia, ſed in eorum perſona calumnioſe eam traduci. Sed aliud eſt Eccleſiæ ulcus magis deplorandum: quod paſtores, ipſi, inquam, paſtores, qui ſuggeſtum, hoc eſt, ſacrum Chriſti tribunal ea lege conſcendunt, ut vitæ puritate præ aliis omnibus excellant, interdum ſunt turpiſſima vel nequitiæ, vel malorum aliorum exempla. Ita fit, ut nihilo plus fidei ac gravitatis obtineant eorum conciones, quam ſi fabulam in ſcena ageret hiſtrio. Et tales ſcilicet contemptui ſe eſſe apud plebem, aut etiam ludibrii cauſa digito ſe monſtrari conqueruntur. Ego autem potius vulgi miror patientiam, quod non eos luto & ſtercoribus mulieres ac pueri operiunt. Miniſterii dignitatem extollunt plenis buccis: at illis non venit in mentem, ideo non haberi ſuum miniſterio honorem, quia ipſum ſua turpitudine conſpurcant. Nam ſicuti vere olim à quodam dictum eſt, Ut ameris, amabilis eſto: ita morum gravitate & ſanctimonia reverentiam ſibi acquirant oportet, qui in pretio haberi volunt. Atque utinam tali hominum colluvie exonerari purgarique poſſet Eccleſia. Sed longe aliter ut plurimum contingit. Nam quum ſe merito contemptibiles eſſe norint, mala conſcientia libertatem illis adimit. Denique, quum propter inhoneſtæ vitæ probra, ſentiant omnibus ſe obnoxios, vel pudore metuque retenti, hiſcere non audent, quoties ſevere exigendum foret, quod ipſi minime præſtant: vel parcere delinquentibus coguntur & adulari. Adde quod ignavi ſunt ventres, qui ut moleſtia omni valere juſſa, otio deliciiſque ſuis conſulant, cælum paſſuri ſint terræ miſceri. Eorum etiam nonnulli, virtutum odio ſuis peræque & aliorum vitiis libenter indulgent. Populus autem ut gratiam referat, eos amat ſolos, amplectitur, fovet: atque ut ſuis delictis patronos habeat, ſuo patrocinio tuetur. Interea tamen non deſinit ſcandalum ſibi ex corrupta paſtorum vita objicere, ne ad Chriſtum accedat. Nimis id quidem perverſe & impudenter: ſed neque excuſatione dignus quiſpiam, quem à Chriſti acceſſu arcebunt hominum peccata. Nihilo ſcilicet magis, quam ſi quis ex fonte bibere recuſet, quia ſentibus & ſpinetis dicat eſſe obſeptum: quum tamen obſtacula tranſcendere, nec magno labore, & ſine periculo liceat. Quia nonnullos Euangelium in ore habentes, ſcelerate aut nequiter vivere conſpiciunt: En, inquiunt, Euangelium. Quanto rectius cum dolore agnoſcerent, gravem fieri Deo injuriam, quum doctrinæ vita tam male reſpondet? Si nebulæ terris caliginem obducunt: nemo tam inſanus eſt aut improbus, ut ſolem propterea caliginoſum vocet. Atqui inter Solis & Euangelii claritatem plurimum intereſt. Nam quum illum obſcurent nebulæ: facere non poteſt hominum pravitas, quin perluceat ſanæ piæque doctrinæ ſplendor, quo vita noſtra, abſterſis tenebris, in veram juſtitiam reformatur. Ergo ſolem, etiam dum abſconditus latet, fatebimur eſſe lucidum: conſpicuam Euangelii lucem, & in ea refulgentem Chriſti gloriam quum cernamus, oculos nobis hominum peccata, qualiacunque tandem ſunt, perſtringent?

Quantum ad duces ipſos ſpectat, jam noverat Chriſtus in ignominiam doctrinæ maxime redundare, ſi turpiter vivunt. Ut hoc ſcandalum avertat,
hortatur ad ſervandum quod jubent, etiamſi ne *Mat. 23.*
minimo quidem digito attingant onera, quæ alio- *verſ. 3.*
rum imponunt humeris. Scribarum tunc munus erat, populum inſtituere in Lege Dei: illi autem quum in cathedra, divinæ eſſent Legis interpretes, domi & in foro pleni erant fraudibus, ſuperbia, crudelitate, perjuriis: libidinoſe quidvis audebant. Vult nihilominus Chriſtus, ſuam Dei verbo auctoritatem intactam manere. Non fuit hæc ſeculi unius propria admonitio: quin potius hodie quoque vox cæleſtis auribus noſtris inclamat, utcunque vitam

profeſſioni ſuæ minus conſentaneam agant paſtores: perperam tamen fieri, ſi quid hac cauſa Euangelio detrahitur. Ut certe nimis indignum eſt, quam Deus præſcribit bene vivendi regulam, perverſa hominum vita metiri. Reddent illi quidem aliquando rationem, ac ſentient illud non è nihilo fuiſſe denunciatum: *Marc. 9. verſ. 42.* Satius nunc fore homini, ſuſpenſa à collo mola, demergi in profundum maris, quam ſi unum quemlibet ex minimis offendat. Noſtrum tamen interea eſt, ea quam Dominus ſternit, via ad metam properare.

Scandalum tamen hac in parte duplicatur, ubi ad ſcelerum indignitatem privatum damnum accedit. Alii benigne hoſpitio excepti, vel furto onuſti clam abeunt, vel aliis modis hoſpites defraudant, vel ſollicitant ad ſtuprum ancillas, ac interdum etiam uxores tentare audent. Alii ad captandum miri artifices, nudatos relinquunt, quibus aureos montes pollicebantur. Alii in mutuo fallunt: alii abnuunt depoſitum: alii in ſocietate perfidi. Alii quam eleemoſynæ nomine pecuniam à bonis frugique hominibus abſtulerunt, vel in ſcortationem conſumunt, vel in aleam, vel profuſos alios luxus. Alii quod ad juvandam eorum induſtriam mutuo datum fuerat, audacter in otio heluantur. Atque ad hæc flagitia nonnulli ſocias habent uxores. Alii ſacroſanctum conjugii vinculum, deceptis uxoribus, & abjectis liberis, violare non dubitant. Plura ſunt ejuſmodi facinorum exempla, quam quibus recitandis brevis catalogus ſufficiat. Fieri certe non poteſt, quin grave acerbumque ingenuis animis vulnus infligat iſtorum hominum perfidia. Præſertim vero conſternari bonos viros neceſſe eſt, qui quum tenue haberent peculium, ſe Euangelii prætextu, non ſecus ac ſi in prædonum manus incidiſſent, ſpoliatos vident, atque ad inopiam redactos. Atque hoc inter duriora noſtra exercitia memorandum eſt, quod videre cogimur, qui ſic impune Euangelio illudant. Verum, ſi merito *2 Theſſ. 3. verſ. 13.* prohibet Deus per os Pauli, ne multos ingratos & pravos experti, tamen benefaciendo fatigemur: idque facit, ne cui probo & egenti deſint noſtra officia: quanto diligentius cavendum, ne hominum perverſitas eo nos moroſitatis adducat, ut ſimus erga Deum ingrati & impii? Quemadmodum igitur acriter vigilare nos decet, ne ejuſmodi nebulonibus aperta ſit janua ad nocendum, obviam eundum illorum inſidiis: danda opera, quantum in nobis eſt, ut per magiſtratus ſevere vindicentur fraudes & maleficia: ut quibus ludibrio eſt vox Domini, quique Eccleſiam contumelioſe ſubſannant, carnificem, ut digni ſunt, habeant magiſtrum: & furcas, ſcholam: ita rurſum aliquanto diligentius cavendæ ſunt Satanæ inſidiæ, ne objecta caducæ pecuniæ jactura, cæleſtem nobis theſaurum excutiat. Nam & id molitur, & nobis longe magis exitiale eſt. Quiſquis *1 Joan. 3. verſ. 3.* ſpem habet in Chriſto, inquit Joannes, ſeipſum ſanctificat. Ad hanc ſanctitatem qui non aſpirant, quum ſciamus eos falſo Chriſti nomen obtendere, quid eſt cur nos ſua pravitate impediant ac morentur? Eſt quidem panis vitæ Euangelium: ſed multum abeſt, quin ab omnibus concoquatur: quum ex multis, qui avide illud deglutire videntur, pauci ejus guſtum percipiant. Denique, quando areæ *Luca 3. verſ. 17.* Chriſtus Eccleſiam ſuam comparat, ubi ſic paleæ mixtum eſt triticum, ut ſub ea obrutum magna ex parte lateat, non extraneos facit paleæ ſimiles, ſed qui falſa Euangelii profeſſione, locum inter pios oc- *Matth. 7. verſ. 22.* cupant. Quorſum etiam teſtatus foret, ſe multos ultimo die non agniturum, qui & præcones ſe fuiſſe Euangelii jactabunt, & miracula à ſe edita objicient: niſi quia ſeculis omnibus tales aliquos extare neceſſe eſt? Fit etiam interdum, ut qui Deum alioqui ex animo timent, vel ſaltem non omnino ſunt reprobi, in fœdum aliquod facinus prolapſi, & ſe, & quam ſequuntur puram religionem, dedecore afficiant. Quantum fuit illud Davidis flagitium, quum ſuæ libidini indulgens, ut alienam uxorem raperet, non modo unius hominis de ſe bene meriti innoxium fudit ſanguinem, ſed totum Dei populum, quantum in ſe erat, exitio tradidit? Si colligere hujus generis ſcandala libeat, quæ heroicos homines concutere poterant, quæ domi ſuæ vidit ſcelerum portenta ſanctus patriarcha Jacob? Poſtquam ejus filiæ vis eſt allata: Simeon & Levi non minus barbara ſævitia, quam nefanda proditione Sichimitas trucidant. Cædibus imbuti ejus filii, in fratricidium conſpirant. Accedit tandem ad malorum cumulum inceſtus primogeniti cum noverca concubitus. Et tamen in una domo, tunc incluſa erat Dei Eccleſia. A recitandis pluribus exemplis abſtineo. Hodie vero pauca ſcandala lynceis oculis diſquirent nonnulli, ne quid cum tota Dei Eccleſia, quaquaverſum patet, commune habeant. Uno hoc exemplo contentus ſum lectores monuiſſe: fidem nimis fore inſtabilem, ſi ad ſingulas hominum ruinas ſubinde labaſcat. Interea illud tenendum eſt axioma: Certo Dei conſilio fieri, ut ſemper bonis mali permixti ſint. Hoc modo tum fidei probatur conſtantia, tum ad patientiam exercemur, tum accenditur precandi ſtudium, tum ſpinarum punctiones ad caute prudenterque ambulandum nos ſollicitant, tum mundi contemptus oboritur, & una cum migrandi deſiderio, cæleſtis vitæ meditatio creſcit. Quod ſi cauſa lateat, his tamen exercitiis conſtare ſciamus militiæ noſtræ partem, quæ toto vitæ curriculo nobis colenda eſt.

Multum etiam nocet, quæ vulgo cernitur in pleriſque levitas. Quum principio mirum fervorem oſtentent, ita mox evaneſcit flamma illa, ut ex ſtupa ortam fuiſſe dicas. Alii tametſi propoſiti ſint aliquouſque tenaces, paulatim tamen frigeſcunt. Quod partim ex vanitate, partim ex ignavia, partim ex terrenis curis provenit, id pœnitentiæ aſſignant imperiti. Ergo ipſi quoque, ne ſero pœniteat longius eſſe progreſſos, mature reſiliunt. Si qui mortis aut perſequutionum metu territi (quod multis, proh dolor, accidit) ab Euangelio deficiunt, ex eorum inconſtantia ſcandali materia ſtruitur. Fœdus quidem eorum lapſus. Verum, utcunque Chriſtum negemus omnes, an ſeipſum propterea negabit? Imo integer ac ſui perpetuo ſimilis nihilominus manebit: ut Paulus etiam admonet. Longe aliter nos talibus *2 Tim. 2. verſ. 13.* exemplis percelli decuerat: nempe, ut infirmitatis noſtræ admoniti, ſollicite caveremus, ne idem nobis accideret. Poſtquam Judæos à Dei gratia excidiſſe narravit Paulus, ſic formidabilem eſſe oſtendit *Rom. 11. verſ. 22.* eorum caſum, ut alios ad cavendum hortetur atque animet. Ergo ſi quorum acui ſollicitudo debebat, totis populis ab Euangelio deſciſcentibus, eos unius aut alterius hominis defectio exanimat, quis non culpam perverſo eorum judicio aſſignet? Neque tamen eorum crimen extenuare conſilium eſt, qui infirmas animas, quantum in ſe eſt, labefactant. Tantum monitos velim, qui aliis cadentibus vacillant, quam maligna ſit iſta conſternatio. Negavit ille Chriſtum Quis putaſſet? Ille Euangelio vale dixit, quem omnes rupe firmiorem credebant. Ille jam tepet: alter glacie frigidior, quum ad miraculum uſque fervere viſi ſint. Atqui, non reputant, qui ſic loquuntur, ideo frangi alios mortis terrore, quia ſolidam vitæ futuræ ſpem nondum conceperint: alios torpere, quia in illis Spiritus ardorem inanes mundi curæ ſuffocant. Quid autem morborum contagionem ab aliis ad nos ſponte accerſere juvat, quum in promptu ſit remedium, modo ne reſpuatur? Cur non potius in illa tam ſalubri Pauli admonitione acquieſcunt? Nam quum de Hymenæo & Phileto loquutus eſſet, quorum lapſus magnam trepidationem incutere poterat omnibus piis: ſtatim quod ad eos fulciendos valeat, ſubjicit: Manet ſigillum hoc, *2 Tim. 2. verſ. 19.* Novit Dominus qui ſui ſint. Ergo ab iniquitate diſ-

cedat,

cedat, quiſquis invocat nomen Domini. Quum noti & celebres fuiſſent illi duo: fieri non poſſe videt Paulus, quin alios ſuo præcipitio ſaltem ad nutandum impellant. Electos tamen hortatur, ut ſecure in Dei tutelam recumbant, ac periculum eſſe negat, ne inſculpta ab ipſo ſalutis nota unquam deleatur. Interea, ne quis ficta invocatione profanet ſacrum
1 Joan. 2. verſ. 19. Dei nomen, admonet. Vidit & Joannes hoc ſcandalum ab iis ſcilicet, qui impiæ doctrinæ venenum ſpargendo, Eccleſiæ tunc vehementer nocebant. Sed dum id fieri teſtatur, ut palam ſit non eſſe omnes ex piorum cœtu, qui nomen ſibi arrogant, ejus ſcandali, quod nonnullos impedire poterat, ſupe-
2 Tim. 4. v. 10, 14. randi rationem ſimul oſtendit. Quid Alexander faber ærarius? quum ex nobili Chriſti diſcipulo, transfuga, & deinde infeſtiſſimus hoſtis factus eſſet, annon aliis in exemplum proponitur? Quid Demas? quum hoc ſeculum amplexus, turpiter Euangelium deſeruit, an reliquos in eundem ſecum laby-
2 Tim. 1. verſ. 15. rinthum debuit trahere? Quum alibi ſe Paulus ab omnibus deſtitutum fuiſſe commemorat, an aliis Euangelii prodendi concedit licentiam? Quum ſe à Phygello, Hermogene, Aſiaticiſque omnibus conqueritur fuiſſe rejectum, an aliis tam ſceleratæ diſceſſionis feneſtram aperit? Quin potius talibus documentis expergeſiunt pii omnes, ne obnoxia ſit Satanæ inſidiis eorum ſecuritas. Perpetuum illud divinæ electionis ſignum, loco clypei ſic contra omnes inſultus jubentur opponere, ut fidem quoque bona conſcientia obſignent. Quoniam mihi cum iis hominibus eſt negotium, qui Chriſtiani cenſeri volunt, ne ſermo hac de re longius ſit protrahendus, duas Pauli ad Timotheum Epiſtolas legant, quæ ſedandis, ut arbitror, eorum animis abunde ſufficient, niſi forte data opera vel ſecum tumultuari appetunt: vel ſponte inanes à Chriſto deficiendi captant prætextus. Et certe apud ſanos & prudentes hoc unum ſuſtinendæ fidei par erit, perperam fieri, ſi æternam Dei veritatem, fluxa hominum inconſtantia metimur. Sed qui tam ingenioſi ſunt ad captandam ex malis exemplis peccandi veniam, cur non tot mirifica invictæ conſtantiæ documenta obſervant, quæ inter quaſvis tentationum procellas fidem merito ſtabilire poſſent? Vidit hæc noſtra ætas bonam Martyrum copiam alacriter & intrepide ad mortem pergere. Nec virorum modo fuit hæc gloria: ſed in muliebri quoque ſexu pluſquam virile robur Deus oſtendit. Nullas certe cordatas mulieres celebrant veteres hiſtoriæ, quibus non reſpondeant, quas à decem annis protulit Flandria & Arteſii comitatus. Ergone perfida quorundam deſertio fidem noſtram evertet? Sacer ille ſanguis, cujus ſingulæ guttæ totidem piis cordibus ſunt ſigilla, evaneſcet ſine pretio & virtute? Quod ſi illis tam vilis eſt, non erit tamen apud Deum inglorius. Nec vero impune illis cedet, ſponte ſe miſeris Chriſti deſertoribus addidiſſe ruinæ comites: eos vero neglexiſſe, qui porrecta manu ad cælum nos vocarit.

Venio ad obſtaculum illud, quod noſtro tempore multos à propiore Chriſti acceſſu prohibuit. Nam primarios renaſcentis Euangelii doctores, non modo contrariis opinionibus inter ſe diſſidere, ſed acriter etiam confligere videtur. Hic animos ſubiit dubitatio, quantum fidei habendum foret, inter primordia diſſentientibus. Metus etiam ſubiit, ne temere proſilirent, unde pedem referre non liceret. Præſertim infelix illa de Sacramentis contentio, dici vix poteſt, quam multorum animos turbarit. Quam ſingulare hoc fuerit Satanæ artificium, ad injiciendam timidis conſcientiis remoram, ipſe meo malo ſum expertus. Verum, ut me propria magis culpa impeditum fuiſſe poſtea ſenſi, quam juſta cauſa terreatum: ita de omnibus idem pronunciare non vereor. In ejuſmodi quidem diſſidiis eſſe fateor, quod jam aliquantum confirmatos, nedum rudes & novitios percellat: ſed colligendos eſſe animos dico, ut ad eum nihilominus venire pergant, qui nunquam fruſtra quæritur. Neque enim fallendi cauſa promiſit, apertum iri, ſi pulſe- *Mat. 7:8.* mus: datum iri, ſi petamus. Qui ſe diſſenſionum, quas in parte noſtra viderunt, odio, in Papatus doctrina retineri jactant, iis nullus eſt excuſationis color. De re pluſquam nota loquor. Nullum eſt religionis caput, de quo non illic Theologaſtri quotidie certent. Ut contrariæ ſint opiniones, quam odioſe alii alios nunc perſtringant, nunc exagitent, teſtes ſunt eorum libri. Imo diverſas ſectas profiteri, ſibi glorioſum eſſe ducunt. Ergo bonos iſtos viros innumeræ Papiſtarum rixæ & pugnæ nihil offendunt: unica inter nos diſſenſio ſic eos vulnerat, ut ab univerſa doctrina protinus abhorreant. Una quidem in re nimium concordes ſunt Papiſtæ, quod certatim omnes adverſus Euangelium blaterant, quod impias ſuas ſuperſtitiones non minus clamoſe quam pervicaciter tuentur. Verum, ad ſe reverſi, nihil quam rauca confuſaque garrulitate ſibi invicem obſtrepunt. Scio equidem tam perditæ frontis eſſe monachos, & ejuſdem farinæ blaterones, ut plebeculam hoc maxime nomine à capiendo Euangelii guſtu deterreant, quia inter nos non bene conveniat. Quaſi vero inteſtinis eorum certaminibus non reſonent Scholarum parietes. Quaſi non omnes eorum libri, ut dictum eſt, pugnantibus ſententiis referti ſint. Eos tamen, quibus deplorata improbitas, ſumma eſt virtus, ita petulanter agere non miror. Verum, qui fit, ut oculati homines, quibus nihil eorum quæ dico, ignotum eſt, ejuſmodi ſe argumento moveri ſimulent? Annon hoc eſt, lucem ex profeſſo fugere? Et in eo ſuam ſapientiam venditant, quod ſe non implicent periculoſis diſſidiis: alios vero qui ſalutis viam nihilominus audent inquirere, quaſi parum cautos derident. Ego vero, quia melius non video remedium, quam ut contemptu, eorum ſuperbia corrigatur: ad ſimplices me converto, qui ſibi ruditatis ſuæ conſcii, ab inquirendæ veritatis ſtudio abſtinere malunt, quam errandi periculum ſubire. Quum hinc Lutherus, inde OEcolampadius & Zuinglius reſtituendo Chriſti regno ſtrenuam operam navarent, infelix illud de ſacra Domini Cœna certamen ſubortum eſt, in cujus ſocietatem plerique alii ſunt pertracti. Ab iſto ſummorum ducum conflictu, trepidationem ad tirones pervenire magis dolendum eſt, quam mirandum. Monendi tamen ſunt ipſi quoque tirones, ne ultra modum turbentur: hanc eſſe vetuſtam Satanæ vafritiem, cordatos alioqui Dei ſervos ad mutuam contentionem rapere, quo retardet ſanæ doctrinæ curſum. Quis Satanæ inſidiis ultro
Actor. 15. verſ. 39. cedere velit? Sic Pauli cum Barnaba diſſidium uſque ad paroxiſmum proceſſit. Sic ejuſdem Pauli
Galat. 2. verſ. 11. cum Petro diſſenſio in manifeſtum conflictum erupit. In illis tribus agnoſcunt omnes quod dixi Satanæ ſtratagema: in præſenti negotio, ubi ſalus ſua vertitur, cur cæcutiunt? Excipiet quiſpiam, non fuiſſe illas de doctrina concertationes. Quid? An
Actor. 15. verſ. 2. quum Moſaicæ Legis ceremonias quidam urgerent, non veniebat in quæſtionem doctrina? Atqui, eouſque perductum eſt ſchiſma, ut Eccleſias fere omnes ſcinderet. An ejus perturbationis cauſa Euangelium rejici, æquum fuiſſe dicent? Lutherum & eos quibuſcum diſſenſit, cordatos fuiſſe homines, & ſingularibus Dei donis ornatos conſtat. In tota pietatis ſumma mirabilis fuit eorum conſenſus. Quis rectus eſſet ac ſincerus Dei cultus, uno ore tradiderunt: cum ab innumeris ſuperſtitionibus & idololatriis repurgare, à pravis hominum commentis aſſerere conati ſunt. Everſa operum fiducia, qua miſeri homines inebriati erant, adeoque faſcinati, totam ſalutem in Chriſti gratia repoſitam eſſe docue-

docuerunt. Chriſti virtutem, quæ vel jacuerat proſtrata, vel demerſa latuerat, magnifice extulerunt. Quænam vera ſit invocandi ratio, quæ pœnitentiæ vis & natura, unde oriatur, & quos fructus producat fides: quæ legitima ſit Eccleſiæ gubernatio, ab illis non varie traditur. Tantum in ipſis ſymbolis aliquid fuit diſſentaneum. Et tamen hoc aſſerere non temere audeo: niſi partim nimia contentionum vehementia exacerbati, partim ſiniſtris ſuſpicionibus occupati fuiſſent animi, non tantum fuiſſe diſſidium, quin facile conciliari poſſet. Quod ſi illo diſputandi fervore non rite explicari controverſia potuit: quid nunc ſaltem obſtat, quominus veluti ſedato tumultu, ſimplex audiatur veritas? Quis verus ſit ſacramentorum uſus, optime inter nos convenit: Sacramenta in hoc inſtituta eſſe, ut Dei promiſſiones cordibus noſtris obſignent, ut fidei noſtræ adminicula & divinæ gratiæ ſint teſtimonia, communiter omnes tradimus. Non inanes eſſe, aut nudas mortuaſque figuras diſerte oſtendimus: quum & efficax per Spiritus ſancti virtutem ſit eorum uſus, & arcana ejuſdem Spiritus ſancti virtute Deus vere præſtet quæcunque illic demonſtrat. Itaque panem & vinum in ſacra Cœna fatemur non vacuas eſſe teſſeras ejus communicationis, quam habent fideles cum Chriſto, ſuo capite: quia ipſo animæ noſtræ in ſpirituale alimentum fruantur. Horum omnium conſentanea obique eſt traditio. Quod igitur tantum in hac parte offendiculum reperiunt faſtuoſi homines, ut viam Euangelio præcludat? At in modo definiendo ratio paulum eſt diverſa. Fateor ſane, non tam diſtincte loqui omnes, quam eſſet optandum: ſive quod non eadem omnibus clare & liquide diſſerendi ſuppetit facultas: ſive quod non eandem omnes fidei menſuram ſunt adepti. Quum ex denſis Papatus tenebris multum adhuc ſit reſiduum, quicquid ad diſcutiendas errorum tenebras facit, ſedulo & dilucide exponi ſi cui moleſtum eſt, is ſe lucem maligne fugere prodit. Dum autem nos a terra in cælum homines evehimus: dum à mortuis elementis eos ad Chriſtum traducimus: quum juſtitiæ, ſalutis, bonorumque omnium cauſam reponimus in mera ejus gratia: dum Spiritui ſancto aſcribimus totam ſignorum efficaciam: & ſicuti unicus ſpiritualis vitæ auctor, & perfector eſt Deus, illi in ſolidum vindicamus quod ſuum eſt: dum craſſa omnia figmenta repudiamus quibus deluſum fuiſſe mundum palam eſt: dum carnalem Chriſti præſentiæ modum, perverſamque ejus in ſigno adorationem tollimus; qui inde offendiculum concipiunt, quum ſcientes & volentes impingant in Chriſtum, digni ſunt qui ſe collidant. Multos quidem eſſe, quos ſcandalorum prætextus juvat, quia ipſis in luce cæcutire libet, hac in cauſa ſum expertus.

Porro, quod ſupra breviter attigi, memoria repetendum eſt, quum res novæ multis delictis occaſionem præbeant, accuratius tamen notari, & reprehendi ſeverius, ſi quid tunc peccatur, quam ſi nulla facta eſſet mutatio. Quam profundus fuerit ignorantiæ gurges in Papatu, quam horrenda errorum caligo, cum ſtupore recordamur. Inde Lutherum, & qui eodem tempore laborarunt in reſtituenda pietatis doctrina, paulatim emergere potuiſſe, ingens fuit Dei miraculum. Quod non eodem ſimul momento omnia viderunt, quod non ad unguem, expolitum primo die tam arduum fuit opus, offendi ſe nonnulli cauſantur, ne ad Euangelium accedant, vel ne pergant in curſu jam incepto. Quam importunæ ſint lautitiæ iſtæ, quis non videt? Perinde enim faciunt, acſi quis nos accuſet, quod primo auroræ exortu, ſolem meridianum nondum cernimus. Nihil iſtis querimoniis magis tritum, Cur non ſtatim, quid ſequi oporteret, nobis exacte præſcriptum eſt? Cur potius quam alia, hoc latuit? Ecquis tandem erit finis, ſi ulterius ſubinde tendere permiſſum fuerit? Nempe qui ſic loquuntur, vel profectum Dei ſervis invident, vel Chriſti regnum ægre ferunt in melius promoveri. Eadem in minimis quibuſque erratis moroſitas apparet: quæ etſi non adeo facilem merentur veniam, non tamen uſque ad Euangelii faſtidium exaſperare nos deberent. Quantumvis inſulſas nænias blaterent monachi aliique magiſtri Papalis ſynagogæ, quamlibet abſurdis gloſſis Scripturam deforment, hoc totum non ægre condonant boni iſti viri. Si quid forte minus aptum noſtris hominibus exeat, tanquam magno piaculo à nobis audiendis arceri ſe obtendunt. Contorta Scripturæ teſtimonia, ſententias male cohærentes, argumenta frivola patienter ferunt in vetuſtis ſcriptoribus: centeſimam partem ſi reperiant in noſtrorum hominum ſcriptis, non modo nos damnabunt omnes qui erimus innoxii, ſed à tota doctrina abſtinendum ducent. Neque tamen eorum hic cauſam ſuſcipio, qui ſcripturiendo pruritum ſuum ſedant. Optandum enim eſt, ut ſuperſedeant, qui tales ſunt, à chartis inquinandis. Verum, ut indulgentia fovendas non eſſe paucorum ineptias concedo: ita inſipidam hoc tædio totam Euangelii doctrinam reddi quam injuſtum ſit, omnes vident. Eſt quidem verum illud quod dixi, in media Euangelii luce multo clarius perſpici, quæ prius velut in nocte caliginoſa latuerunt. Sed in una parte ad quævis errata ſecure libenterque conivere, quum in altera, quæ carpas, pluſquam curioſe obſerves, id vero ſcandala cupide appetentis, & ſibi fingentis eſſe dico. Nec vero aliunde provenit offenſio, quam illis quorundam affert vita profeſſioni non reſpondens. Si eorum duntaxat, qui Euangelium ſequi ſe jactant, corrupta eſſet ac diſſoluta vita, magis ſpecioſa offenſionis cauſa cenſeri poſſet. Verum, quum promiſcue in toto fere orbe ſcelera exundaverint, quid dicemus, niſi veterem illam Poëtæ querimoniam, in noſtrum quoque ſeculum vere competere? *Ætas parentum pejor avis tulit, nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem.* Et quorſum ſpectat illa Chriſti admonitio, ætati Noë ſimilem fore poſtremam: horribile quoddam fore iniquitatis diluvium, quo terra obruatur, niſi ut ſponte jam ad Chriſtum properantibus talis ſcelerum colluvies feſtinandi ſtudium acuat? Accedit huc quoque, ut retuli, juſta contempti Euangelii ultio. Tam ſacro enim theſauro qui abuſi ſunt, quis dignos eſſe neget, quos Dominus in mentem reprobam conjiciat, ut ſe ad omne flagitii genus proſtituant? Nec vero aliud ſperandum eſt, quam ut magis ac magis paſſim homines profaneſcant, quorum paucos ab hoc ſacrilegio immunes eſſe ſcimus. Ego tamen aliam ſuperioribus iſtis cauſam addo: eos ſcilicet quos noſtrorum hominum vitia ab Euangelio repellunt, malignos eſſe & iniquos cenſores. Dicunt nec pie nec honeſte pleroſque ſe gerere, qui Euangelio gloriantur: atqui, hoc primo loco quærendum erat, an Euangelium ipſos in deterius mutaverit. Qui ſcortator erat, inquiunt, vel aleo, vel alio in genere diſſolutus, idem hodie eſt. Nempe quæ in Papatu vitia tolerant, ita repente deteſtari incipiunt, ut eorum odio, ipſam quoque horreant ſanctitatis & innocentiæ doctrinam. Non vereor ne ſibi me patronum fore putent, qui turpi ac flagitioſa vita dedecus afferunt Euangelio. Quo mihi, ut arbitror, ad eos objurgandos, qui omnes Papatus corruptelas Euangelio imputant, major erit libertas. Si qua illic ſanctitas quæritur, eam monachi ſibi omnium conſenſu abſque controverſia arrogant. Quidni faciant: quum in eorum clauſtris reſideat Angelica perfectio? Atqui, non aliunde nobis fœdior vitiorum omnium colluvies. Si excipiet quiſpiam, quum illinc tantum exeant vomicæ, non mirum eſſe, ſi fœtorem, quo-

Digitized by Google

quocunque veniunt, emittant: frivolam ejuſmodi calumniam, diluere promptum eſt. Primum enim, ſi quid illic probum fuit, tanquam aurum ex ſterquilinio, mira Dei providentia eductum fuiſſe conſtat. Quos hac noſtra ætate monachos habuit Germania, qui vel doctrina, vel ſanctitate cum Luthero, Bucero, OEcolampadio, & ſimilibus conferre ſe, niſi nimis impudenter, audeant? Quos Itali Bernardino Ochino, & Petro Vermilio opponent? Ex Galliæ quoque luſtris egreſſi ſunt nonnulli, qui ſuo ſplendore multa ſui ordinis probra & dedecora texiſſent. Paucos quidem fateor ex monachatu ad nos transiſſe, qui honoris cauſa nominari digni ſint. Et quid mirum ſi non multi ex inferis Angeli prodeant? Quod unus Lot ex Sodomis ſalvus evaſit, inſigni Dei potentiæ merito tribuimus. Quæ autem Sodoma tot unquam fœditatum monſtris referta fuit, quot hodie ſcatent monachorum luſtra? Itaque dicere ſoleo: ſi modo decima pars eorum qui illinc Chriſtianiſmi nomine evolant, Chriſto ſe vere addicat, præclare nobiſcum agi. Quin etiam quotidie videmus ſuis decimis Chriſtum fraudari: ut vix ad cum pars vigeſima perveniat. Qui autem ſcandali occaſionem præbent, eos dico non tam natura pravos eſſe, & propriis criminibus infames, quam fœda & nefaria monachatus educatione infeſtos. Quod enim & ignavi ſunt ventres, & rixoſi, & perfidi, & ingrati, & humanitatis expertes, & factioſi, & furaces, & ſervili ingenio, & libidinoſi: nonne hæc omnia clauſtrale vivendi inſtitutum reſipiunt? Suas quidem ſeorſum diſtinctas regulas habent diverſi ordines: omnium tamen fere communis eſt ex illis, quas recenſui, virtutibus, conflata regula. Nam ſi optimi, quos ex cœno illo Dominus extraxit, luem inde contractam adeo tenacem eſſe agnoſcunt, ut ſibi in abſtergendis reliquiis quotidie ſit laborandum: quantopere in vulgus graſſetur contagio, judicare licet. Ergo quos ejuſmodi ſcandala morantur, recipiant quod ſuum eſt, & viam planam æquabilemque invenient. Equidem ſi mihi eſſet magiſtratus poteſtas, & opes ad hunc ſumptum ſuſtinendum ſatis amplæ: monachum ex antro ſuo egreſſum, nunquam niſi ſemeſtri, ut minimum, examine exacte probatum, manumitterem, ut communi vita & hominum ſocietate frueretur. Quoſcunque viderem ſuo monachiſmo adhuc indutos, vel includerem ergaſtulis, vel tanquam indomitas beſtias in ſaltum aliquem ſubmoverem. Porro, à Papatu eluere quas eſſe proprias ejus ſordes conſtat, & eas rejicere in Euangelii nomen, nimis calumnioſum eſt. Sed quid de ſpecie una diſputo? Nam ſi diſſolutam vitam & parum honeſtos quorundam mores nobis objiciant Papiſtæ, eadem ac duplo etiam majora in eos probra regerere, pluſquam jure nobis licet. Atque utinam minus uberem nobis materiam darent. Apud eos quanta ſit ſcortandi impunitas, quanta jurgiorum & pugnarum licentia: quam permiſſa ſint vulgo genus omne laſciviæ: quanto cum applauſu regnent effrenes pompæ, & impudicæ ſaltationes, & ejuſdem generis alia, dicere nihil attinet. Horum certe nihil eſt, quod non, ut ſobrie glorier, publicis edictis apud nos vetitum ſit, & diſciplina aliqua cohibeatur. Quare timendum non eſt, ne cum Papiſtis comparati, reperiamur æque deformes. Mala noſtra quum reputamus, eſt cur nos valde pudeat. Sed, quod dolendum eſt, facit extrema illorum fœditas, ut probi fere & integri videamur. Mirum ergo eſt, qui ad ferenda noſtrorum hominum vitia tam ſunt delicati, in tolerandis adverſæ partis ſceleribus, eſſe his ferreos. In quo non modo nobis injuriam faciunt: ſed Deo quoque ſunt ingratiſſimi. Nam interim plurima raræ pietatis, ſanctimoniæ, virtutumque omnium exempla prætereunt: quibus ad Euangelii potius amorem obſervantiamque provocari ipſos decebat, quam quorundam delictis in ejus adduci odium, vel contemptum. Non reſipuiſſe multos cauſantur ex quo nomen Euangelio dederunt. At vero, quam multos ex adverſo proferre licet, quorum mirifica converſio Euangelium noſtrum decorat? Et quando nos ad gloriandum cogunt, qui tam maligne obſcurant Euangelii gloriam: nulla eſt regio, quæ non hac in parte magnificos doctrinæ noſtræ triumphos quotidie ſpectet. Ipſi quoque adverſarii, quamvis diſſimulent, inſania tamen rumpuntur, quod homines prius intemperantiæ, laſciviis, impudicitiæ, vanis mundi pompis, avaritiæ, rapinis deditos, nunc ad ſobrietatem, continentiam, caſtitatem, modeſtiam, æquitatem compoſitos eſſe vident. Quod ſi quæruntur qui continuum vitæ tenorem per virtutes & præclaram famam duxerint: neque optimo talium numero deſtituimur. Poſſem ſatis multos nominare qui ſumma laude in Papatu olim præſtantes, ex quo divinitus pura Euangelii cognitione donati ſunt, vivam nunc virtutum imaginem in vita ſua exprimendo, umbram ſe tantum antehac habuiſſe oſtendunt. Sed ne hic ſermo propter aliquam jactantiæ ſpeciem ſit odioſus, breviter concludam: ſi quos permovent exempla virorum ſimul ac mulierum, non minus morte, quam vita teſtata ſingularis pietas, juſtitia, caſtitas, temperantia, multo plus ad fidei confirmationem valere debent, quam nocere incompoſitam aliorum vitam æquum ſit.

Jam ad ultimam ſcandalorum claſſem tranſeamus: quam partim ex fictis calumniis conſtare dixi, partim ex malignis cavillationibus prodire, quas præpoſteri homines longe petitas, in Euangelium injuſte torquent. De calumniis hoc præfari libet: non mirum eſſe, ſi eas improbi homines procul ſpargendo, fidem doctrinæ noſtræ apud ſimplices ſubvertere moliantur. Nec vero communi ſervorum Dei lege nos eximi convenit. Non erat certe Paulus tam moroſus, ut querimonias illas fruſtra ederet, quæ paſſim extant in ejus ſcriptis. Multa pro ſua prudentia tacebat, multa ignoſcebat pro ſua modeſtia, multa pro animi ſui magnitudine, tacitus devorabat: & videmus tamen quoties ſe per Eccleſias odioſe fuiſſe traductum queratur. De ſiniſtris obtrectationibus loquor, quibus malevoli abſentem & inſcium apud nimium credulos, rerumque & veri ignaros gravabant. Nam apertis calumniis palam impetitos fuiſſe Dei ſervos, adeoque Filium ipſum, plus ſatis notum eſt. Verum Satan, ubi aperto Marte nihil ſe proficere videt, piorum famam quaſi per cuniculos clam adoritur. Quum itaque procul in longinquis regionibus duram militiam Paulus obiret, quum per mille diſcrimina tenderet ad promovendum Chriſti regnum, aſſiduos haberet cum variis hoſtibus conflictus, huc & illuc curſitando gentes locorum ſpatiis longe diviſas, colligere ſtuderet in fidei unitatem: ignavi & nihili ſuſurrones eum alibi indignis criminibus onerabant. Quis noſtrum ſibi intactam ab omni improborum morſu famam poſtulet, quum nec Paulum quidem ſua integritas tutari potuerit? Imo quod ſe feciſſe teſtatur, pergamus infracto animo per infamiam & bonam famam. Neque enim Chriſti ſervis minus ſiniſtros rumores contemnere neceſſe eſt, quam ab inanis gloriæ aucupiis eſſe alienos. Nam eos iniquis judiciis gravando hoc captat Satan, ut recte agendi alacritatem in illis frangat, vel ſaltem moretur. Cæterum, ut nos è gradu noſtro moveri minime convenit, quoties bene agendo male audimus: ita non niſi ſua culpa turbantur, qui excipiendis ſuſurris falſiſque delationibus nimium credulos ſe præbent. De Luthero quam multa & in concionibus, & libris editis, per totos viginti quinque annos fabulati ſunt hoſtes? Nulla ſunt mendaciorum portenta, quæ non in nos comminiſci & blaterare auſi fuerint. Picartus doctor

Pari-

Pariſienſis, turbulenti quidem cerebri homo, adeoque fanaticus, ſed tantæ inter ſuos exiſtimationis, ut pro certis oraculis habeantur omnes ejus næniæ, dum more ſuo pro ſuggeſtu bacchatur, dicere ſibi permiſit, negare jam nos prorſus aliquem eſſe Deum. Et ille quidem ſe impudenter mentiri non ignorat: ſed quia ejuſmodi hominibus propoſitum eſt quovis modo nos oppugnare, quicquid invidiam conflare nobis poteſt, ſibi in nos effutire ſas eſſe putant. Et ſane, quando jam optime noverunt omni ſe ratione deſtitui, niſi miſeram plebem ſecum infatuent: non mirum eſt, neceſſario eos ſuffugio abuti. Quicquid autem ipſis, etiam abſque colore, fingere libuerit, fidem ita protinus obtinère non debuerat: eſt tamen adeo uſitatum, ut pro licito etiam ducatur. De me ſi commemorem, quam multa abſurda & ridicula nugati ſint, periculum eſt, ne eorum ineptiis me involvam. Tantum dico: ſi hoc juris in nos ſtatuitur, ut quo erunt hoſtes noſtri ad mentiendum magis effrenes & inverecundi, eo ſit Euangelii cauſa deterior, ac tantundem ex ejus fide decedat: non eſt quod querantur tam iniqui judices ſcandalum ſibi objici, quod ultro ſe appetere oſtendunt. Nobis au-
1 Cor. 14. vers. 38. tem cum Paulo ſecure dicere liceat: Qui ignorat, ignoret.

Venio ad alteram obtrectationum ſpeciem, quæ non modo ex eadem Satanæ officina prodit, ſed ſuper eadem quoque fere incude ſabricatur. Hoc ſolum eſt diſcriminis, quod priores illi, de quibus loquutus ſum, ut aperti ſunt ac profeſſi hoſtes, Euangelium in ſuis miniſtris apud plebem infamant. Hi autem de quibus dicere inſtitui, ita ſe inſinuant Euangelii nomine, ut obliquis tamen murmuribus alienent quoſcunque poſſunt à Chriſto. Hi vero partim ſunt famelici errones, quibus niſi ventrem farcias, calumniarum plauſtris te obruent: partim nequam & ſcelerati homines, qui ſua culpa à nobis dimiſſi, vel etiam ob maleficia abdicati aliquo munere, alibi novum paſtum quæritant: quanquam utriſque mens & lingua in ventre eſt. Alii paulo lautiores, ut qui non ita ſame urgentur: quia tamen crucem fugitant, ut prætextum habeant ſuæ ignaviæ, puram Euangelii profeſſionem onerant confictis à ſe ſabulis. Dixi jam paulo ante, ingentem eſſe fucorum numerum, qui furandi vel fraudandi cauſa, oberrant. Tales ergo jam ſuis impoſturis ita noti, ut fallendi locum amplius in Eccleſiis Chriſti nullum inveniant: alio digreſſi, quidvis impudenter in nos effutiunt, quo ſibi favorem, odio noſtri, concilient apud imperitos. Verum, quid nobis præſcribent boni viri, qui ſcandalum ex eorum vanitate concipiunt? Videmus inertes monachos, & tamen ingluviem ſuam explere ſolitos: ut niſi illis in os cibus ingeratur, mox ad ſanctificandum prælium exardeant, quemadmo-
Mich. 3. vers. 5. dum loquitur Propheta. Videmus & alios non diſſimiles monachis. Promittunt omnes ſe fore ſemiangelos, modo illis tolerabilis vivendi ratio obtingat: aqua ſe & pane fore contentos. Sed illa tolerantiæ jactantia mox in fumum abit. Ipſi vero, poſtquam breve pigritiæ ſuæ ſpecimen ediderunt, laboris pertæſi, clanculum evolant. Multos quidem fateor, fruſtra petita conditione, ut in magno petentium confluxu fieri neceſſe eſt, diſcedere. Nec vero mihi creditu difficile eſt, quoſdam interdum minus liberaliter juvari, qui tamen eſſent ope digniores: vel quia in hominibus ignotis tam exactus haberi delectus nequit: vel quia ad petendum audaciores timidis ac verecundis locum præripiunt: vel quod non ſemper recte judicamus: vel quia jam erogando exhauſti cogimur, qui incommodis horis veniunt, vel inanes, vel ſaltem tenuiter adjutos dimittere. Et tamen hi qui plus aliquanto haberent coloris, parcius quocunque venerint, ac modeſtius loquuntur. Illorum paſſim volitant querimoniæ. Et quales? Prodigioſis mendaciis aſperſæ. Improbius etiamnum maledicunt, qui hinc vel maleficiis ſuis expulſi, vel perfida defectione abſtracti, ut liguriendis divitum patinis ventrem refarciant, eorum favorem calumniis aucupantur. Neque enim hoc occultum eſt, multos inveniri qui Euangelium quietum ſibi cuperent, atque ab omni moleſtia vacuum: quum eos fateri pudeat quod verum eſt, crucis metum obſtare, quominus Chriſtianæ profeſſioni ſatisfaciant. Si qua ſint in Chriſti Eccleſiis vitia, ſciſcitari avent, ne videantur ſine cauſa nido ſuo affixi. Nempe, inquiunt, ſi in nobis reprehenditur idololatriæ ſimulatio, alibi quoque diverſis modis nihilominus peccatur. Et adhuc prætextum ex mendaciis quærunt, quæ certum eſt in eorum gratiam ab ejuſmodi nebulonibus conficta eſſe. Duo vel tria exempla breviter referre libet: ne quis poſthac, niſi ſciens ac volens fallatur. Erat Corteſius quidam in Comitatu Monsbelgardenſi Verbi miniſter. Illinc expulſus, Neocomum conceſſit: ubi quum ſpe ſua frigidius exceptus foret, quo ſe ulciſceretur, quorundam ſui ſimilium opera adjutus, multas & graves piis fratribus moleſtias exhibuit. Verum, ſe tandem fractum ſentiens, (quod ejuſmodi vulpibus ſolenne eſt) ſuppliciter veniam petens, fallaci pœnitentiæ oſtentatione non modo placavit offenſos fratres, ſed quum ſe in nonnullis quæſtionibus hæſitare fingeret, literas ad me impetravit, quibus, ut illi ſatisfacere conarer, amice rogabant: Ego hominem menſa mea exceptum, patienter audivi: ut multis cum lachrymis exemptos ſibi jam omnes ſcrupulos aſſereret. Abeuntem quoque viatico ſum proſequutus. Ab eo tempore per Galliam curſitans, non ceſſavit mihi proterve maledicere. Alter neſcio quis terræ filius, qui ſibi nomen à corno indiderat, quum nonnulla egiſſe indigna Chriſti ſervo delatus eſſet, Lauſannenſis ſynodi judicio, donec cauſa melius cognita foret, deſiſtere à miniſterio juſſus fuit. Paulo poſt quum literas Bernam ferret, eas non eſſe ad votum ſuum compoſitas ſuſpicatus, alias ſuppoſuit. Deprehenſum flagitium intelligens, quia non poterat falſi notam effugere, alio pedibus fugam arripuit. Atque hæc omnia me abſente & inſcio geſta ſunt. Nunc ſe violenter à me fuiſſe expulſum dictitat, quia meis hæreſibus ſubſcribere abnueret. Alius quia in cauponis nimius erat, ſevere à nobis objurgatus, à furtivis comeſſationibus nunquam deſtitit, donec æris alieni magnitudo eum oppreſſit. Quum relicta familia clam ſe proriperet, ego Argentinam profectus eram. Nihil inter nos diſſidii, nulla offenſionis ſuſpicio, niſi quod pauliſper, ne ſe perditum iret, obſtiteram. Quia autem ex Auguſtinenſium grege erat, per ſuorum antra obambulans, ſe exulare flebiliter narrabat, quod meis hæreſibus ipſe quoque eſſet adverſatus. Nec vero tam de illius ac ſimilium nequitia queror, quam me illa urit indignitas, quod boni patres, qui quotidie ex libris noſtris diſcunt, mercedis vice ſcandala ex illis lacunis hauſta crepare non dubitant. Sed inepte facio, qui colligendis iſtis quiſquiliis, & me & lectores occupem, niſi quod in paucorum hominum perſonis quaſi repræſentari oportuit, quid paſſim & quotidie fieri à pleriſque ſoleat. Aliis ultra modum rigidi ſumus & implacabiles. Verum, qualem à nobis clementiam poſtulent, operæpretium eſt cognoſcere. Injuſte læſi ignoſcimus: nec ultionem ſumimus, etiam ſi ſit ad manum. Hoc illis non ſatis eſt: volunt præterea non ſecus in gremium noſtrum recipi, acſi optimam ſemper fidem præſtitiſſent. Quid hoc eſt? Ut circumſcripti, proditi, aut crudeliter violari, non audeamus nobis in poſterum cavere? At ipſos pœnitet. Nempe quum meri ſint crocodili, una lachrymula probitatis fidem emereri volunt. Hic ergo eſt inhumanus noſter ille rigor, quod nos illis jugulandos non ſponte præbemus. Sed de privatis noſtris injuriis dicere ſuperſedeo. Graviter offenſus erit Deus: notum crimen & peſſimi

exem-

exempli admiſſum: quin etiam ſcelera ſceleribus aliqui cumulabunt. Convicti, culpam dimidia ex parte fatentur. Confeſſis niſi omnia manent integra, ac ſi nunquam peccaſſent, ſeveritate noſtra ſe ad deſperationem cogi deplorant. Ego autem pœnitentiam, quum res adeo ſacra ſit, non poſſe ex frigidis ſignis æſtimari dico. Deinde, quam mihi pœnitentiam jactant, quos adeo non humiliat peccati ſui agnitio, ut æream frontem triduo poſt in ſuggeſtum attollere non dubitent? Monachis ſolenne fuit quicquid in ſodalibus flagitiorum erat, in honorem ordinis tegere. Morem hunc in Eccleſiam Chriſti invehere multi caperent: ego autem non melius Chriſtiani nominis honori conſuli poſſe contendo, quam ſi à ſordibus Dei templum repurgetur.

Sed jam in recitandis calumniis, quibus nebulones à nobis egreſſi, Euangelium oblique per latus noſtrum vulnerant, verborum plus ſatis conſumpſi. Ad generales calumnias iterum revertor, quibus palam doctrinam manifeſti juratique hoſtes impetunt. Hæc autem illis in primis trita eſt. Nos Chriſtianæ libertatis prætextu, quidvis noſtræ & aliorum libidini permittere: non alio ſpectare noſtram doctrinam, niſi ut homines legibus diſciplinaque ſoluti, ſine modo & modeſtia exultent. Quid contineat doctrina, amplam fidem libri facient. Sed hoſtibus ſcilicet tam liberum eſt apud eos mentiri, qui à ſcriptorum noſtrorum lectione arcentur, quam nobis ſupervacua apud lectores excuſatio. Scire tamen primum velim, quodnam illud ſit tam grave diſciplinæ jugum, quod nos ad hoc aſylum fugere coëgit. Neque enim tanta unquam fuit Papatus auſteritas, quin toto anno illic & ſcortari, & ſaltare, & intemperanter diffluere omni luxuria, & comeſſationes agitare, & alea ludere, & modis omnibus protervire licuerit: modo ſemel poſt annuam indulgentiam, qui ita nequiter vixerunt, in aurem ſacrifici, quaſi crapulæ vomitu, ſe exonerent. Quorſum igitur in tam diſſoluta licentia hoc ultimæ deſperationis remedium quærere attinebat? Certe, ſiqui unquam rerum novarum cupidi fuerunt, non tamen prius cœperunt tumultuari, quam ubi non aliter jam ſpes erat, voti compotes fore. Nulla vero laſciviendi cupido titillare nos potuit, cujus non permiſſa nobis foret impunitas ſub Papatu. At his quidem ridiculi ſunt Papatus encomiaſtæ, dum auſteram ſuam diſciplinam, & quaſi Spartana inſtituta prædicant. Quis enim monacho credet plenis & rubicundis buccis ſua jejunia laudanti? Quis frugales eſſe putabit, quos in ganeis eſſe demerſos ubique notum eſt? Ut uno verbo concludam, totus fere clerus Papalis vaſta lacuna eſt omne genus ſcelerum, quæ non modo ſuum fœtorem longe lateque exhalat, ſed mortifera contagione inquinat reliquos mundi ordines. Cæterum, ut ſancte & pudice omnia apud eos compoſita eſſe demus: quod tamen morum caſtitatem quæ eorum legibus aſtricta erat, laxari à nobis ſolvique dicunt: ad hoc mendacium refellendum, non alios citabo teſtes, quam qui nobis quotidie moleſti ſunt, quod omnem ſibi veterem libertatem ademptam queruntur. Nihil dicam, quod non omnibus ſit pervulgatum. Quicunque apud nos libidinoſi, intemperantes, protervi, licere cupiunt quod libuerit, eos diceres conductitios eſſe Papæ milites in oppugnando Euangelio. Nec cauſam diſſimulant, quod ſibi minime tolerabilis ſit priſca hæc, & triſtis, ut vocant, ſeveritas, quæ prius in obſcuris chartis obſoleta jacuerat. Horum ſaltem placandi eſſent impetus, ut perſuadeant boni iſti continentiæ vindices, nos carni dare quantum licentiæ poſtulat. Sed quum adverſus noſtrum rigorem tantopere recalcitrent, quibus grata ſuaviſque eſſet Papatus diſciplina: cuivis hinc colligere promptum fuerit, doctrinam noſtram ab effreni illa, cujus eam inſimulant indulgentia, multum diſtare. Imo hac invidia doctrinam noſtram gravant multi ex Papiſtis, quod lætitiam prope omnem ac hilaritatem è mundo tollat.

Tria præcipue nobis objectant, in quibus nos inſimulant, quidvis agendi licentiam appetiviſſe. Quod à nobis abrogatur auricularis confeſſio: Quod ciborum prohibitio damnatur: Quod liberum cunctis facimus conjugii uſum. Peccandi verecundiam è mundo tolli clamitant, niſi eam frenet confitendi neceſſitas. Atqui, mirum eſt, Spiritum Dei neque in veteri Eccleſia, neque per complures ætates poſt Chriſti adventum, hoc freno uſum eſſe. Pudore ergo caruiſſe dicemus totum illud tempus, quo ſanctitas, pudicitia, & omnes virtutes præcipue floruerunt. Quum tunc pluſquam auſterus eſſet diſciplinæ rigor, hoc tamen retinaculum non erat, ſine quo nihil fore ſalvum putant boni iſti modeſtiæ patroni. Atqui, falſiſſimum eſt quod jactant, cohiberi hoc remedio hominum libidines. Quis enim non videt, quemadmodum vomitu ſe exonerant ebrioſi, ut mox tanquam jejuni & recentes ad novam ingluviem redeant: ita Papiſtas clancularios ſuſurros in aurem ſacerdotis vomere, ut levati priore ſarcina, peccata peccatis audacius accumulent? Deo quidem ſe confiteri præfantur. Verum, commune omnium conſilium eſſe dico, clanculum ſua arcana ſacrifico retegere, ut Deum & homines lateant. Itaque videmus, ut furtivo ſuo murmure defuncti, ſibi longe ſecurius indulgeant. Cæterum, ut demus ſervili metu retineri quoſdam, ut à peccando abſtineant, ne poſtea neceſſe ſit confiteri: nos tamen libertatem carnis hac parte quærere, calumnioſe inferunt. Legem Innocentii damnamus, quæ conſcientias neceſſitate obſtringit, à qua ipſas Deus abſolvit & liberat. Expoſtulent cum Deo, qui tam præciſe vetat ne quis in ejuſmodi laqueos ſe induat, ne animas Chriſti ſanguine redemptas indui ſinat. Ex ſacrilega audacia profectum dicimus, quod hominum figmento peccatorum remiſſio alligata fuit. Si ſuum Chriſto jus & honorem aliter aſſerere non poſſumus, quin ſubeundum ſit probrum iſtud, quod nobis inurunt: id vero in primis honorificum nobis eſt. Scandalum vero qui inde concipiunt, perverſe moroſos eſſe conſtat. De ſublato ciborum diſcrimine prompta & facilis eſt excuſatio. Carni laxari habenas dicunt, ut intemperanter laſciviat, quod die Veneris non minus quam Lunæ, carnibus veſci permittimus. Quaſi vero nulla niſi in carnis eſu ſit luxuria. Porro, quis neſcit majores ſemper fuiſſe in piſcibus delicias: & hodie nunquam vel melius fumare culinas, vel operoſius menſas inſtrui, vel majore farciri varietate & copia, quam diebus piſcariis? Faceſſant nugæ illæ: Nos deliciis allicere ſimplices animas. Neque enim de cibis delicatioribus inter nos vertitur quæſtio: ſed Papiſtæ quum omni ciborum affluentia & ſuavitate, ingluviem, die Veneris, carne tantum excepta, benigne expleri permittant, ſuillam aut bubulam carnem attingere nefas eſſe pronunciant: nos conſcientiis libertatem à Domino conceſſam relinquimus. Itaque, nihilo plus religionis in vilibus inteſtinis, quam in piſce ſumptuoſe condito, ſtatuere audemus. Frugalem certe & ſobrium victum, ut decet, commendamus, nec ſcripta aut conciones noſtras, vel tantillum, luxuriæ favere quiſquam reperiet. Quin potius teſtes erunt ſingulæ fere ſcriptorum noſtrorum paginæ, nos in urgenda temperantia Papiſtis aliquanto eſſe ſuperiores. Et ſublata dierum ſuperſtitione, parce & frugaliter docemus iis licere uti, quæ nobis Dei beneficio ſuppetunt. Quæ in eo tanta libertatis dulcedo, ut nos ad vertendum orbem inſtiget? Ego ſane, ſi palato indulgere libeat, alia potius edulia, quam carnes mihi in dimidium anni tempus deligam. Norunt familiares mei, & piſcibus & aliis quibuſdam ſummopere me ob-

lectari, à quibus ſponte abſtineo, ne valetudinis diſpendio tales delicias redimam. Putidum eſſe fateor, tam jejunas calumnias refellere. Sed dabunt veniam lectores, ſi offendiculis ire obviam volens, paululum ineptiam. Quanquam in his ineptiis longius morari opus non eſt. Pars enim hæc doctrinæ, quam tradimus, duobus membris conſtat. Illaqueari humanis legibus conſcientias, quæ uno Dei verbo regi debent, nefas eſſe contendimus. Etiamſi iſta exercitii ſpecie nihil eſſet utilius, nefariam tamen eſſe audaciam dicimus, quum legem homines imponunt, quæ animas religione obſtringat. Sibi enim uni hoc juris vendicat Deus, ut ſit Legislator ac judex noſter. Simul atrocem Chriſto injuriam fieri dicimus, dum parta ejus ſanguine libertas ita in nihilum redigitur: nam ejus beneficio, noſtra quam veteris populi conditio in hoc quoque potior eſt, quod à dierum ciborumque obſervatione manumiſſi ſumus. Deinde ſpirituale Dei regnum
Rom. 14. verſ. 17. in cibo & potu eſſe, cum Paulo negamus. Itaque prava ſuperſtitione decipi homines, quum partem ſanctitatis eſſe putant carnium abſtinentiam. Denique nihil quam Paulo ſubſcribimus, qui diabo-
1 Tim. 4. verſ. 3. licum eſſe dogma diſerte pronunciat, cibos, quaſi pollutos, vetare, quos Deus in uſum hominum conſecravit, ut illis cum gratiarum actione libere veſcantur. Nullius ſcandali tanta habenda eſt ratio, ut res cognitu adeo neceſſarias ſilentio tegere liceat. Nondum tamen prorſus dilutum eſt hoc crimen, quia nos à jejuniis abhorrere jactant adverſarii, quæ paſſim Dominus non parum commendat. Primum, quum huic convitio ſatis reclament libri noſtri & conciones, in ejus refutatione minus eſt laborandum. Verum excipient, nos fixa jam olim de jejuniis decreta abrogaſſe. Fateor, & quidem ſeriis adeo gravibuſque cauſis coactos, ut improbiſſime faciant, vitio rem pie juſteque ſuſceptam nobis vertentes. Jejunium quadrageſimale ex Chriſti inſtitutione fluxiſſe, veteri tritaque opinione receptum erat. Error in ſpeciem levis, ſed tamen error, & minime ferendus. Quam ſtulte & inſulſe cogitatum id fuerit, quam temere creditum, nullo negotio monſtrare promptum eſt. Nam ſi nos ad annuum jejunium ſuo exemplo invitare Chriſtus voluit, cur ſemel hoc tota vita, non quotannis aggreſſus eſt? Cur non ſtatim ritum inter ſuos diſcipulos inſtituit? Cur non protinus ab ejus reſurrectione Apoſtoli, quaſi præſcriptam à Magiſtro regulam ſervarunt? Et cur nobis potius imitandum Chriſti jejunium, quam Moſis veteri populo? Quis autem Prophetarum aut fidelium, quod à Moſe factum erat, in exemplum traxit? Adde nunc illud alterum, eſſe ejuſmodi errorem, qui niſi magna fidei noſtræ jactura, diſſimulari nequeat. Miraculo illo ſancitam fuiſſe Euangelii doctrinam, quo certior eſſet ejus auctoritas, nemini dubium eſt. Itaque Chriſtum per totos quadraginta dies non eſuriiſſe, Euangelica hiſtoria commemorat. Quod divinitus geſſit Chriſtus, ut doctrinæ ſuæ reverentiam ſupra humanum gradum attolleret, id non ſecus ac ſuis viribus ſubjectum Papiſtæ dum æmulantur, annon & mirificam Chriſti virtutem, quantum in ſe eſt, obſcorant, & obliterant ſacrum illud ſigillum, quo approbata erat Euangelii veritas? In aliis jejuniis facile oſtendimus quum Deo ſe gratum facere homines putarent, craſſum idolis cultum ab illis exhibitum fuiſſe. Quod præſcripti ſunt dies, in quorum honorem jejunent, perverſæ ſuperſtitionis Scriptura damnat. Quod in eo divinum cultum ſtatuunt, & opus fingunt meritorium: non modo ſtulta eſt ac inanis fiducia, ſed mera impietas.
1 Tim. 4. verſ. 8. Si Paulum ſequimur auctorem, licebit nobis in genere pronunciare, externa ejuſmodi exercitia, in quibus pietatis ſumma non conſiſtit, modice prodeſſe. Hoc vero dici non poteſt, quin præciſus ille qui apud Papiſtas regnat exigendi jejunii rigor, jure damnetur, dum neceſſaria officia negligere permittunt. Imo ex ore ipſius Magiſtri clamare licet: *Mat. 15. verſ. 3.*
Hypocritæ, propter veſtras traditiones irrita facitis mandata Dei. Nunc quum graviores cauſæ nos ad loquendum impellant, repente tamen nos gulæ & omnis intemperantiæ faciunt patronos. Quanquam eorum quibuſcum nunc diſcepto, indigna eſt improbitas, quibus opponi tam juſta debeat & ſeria defenſio. Quam enim, obſecro, ſuis jejuniis legem Papa edicit? Ne quis ante meridiem cibum guſtet, atque ut à carnibus abſtinear: ut denique ſolo prandio contentus, cœnam eo die omittat. Hæc porro uſitata ratio eſt, ut pridie bene ſaturi cubitum eant, quo magis ſit tolerabilis duarum horarum inedia, ut ipſo jejunii die, quia ſolum illis prandium conceditur, ſe abſque modo ingurgitent: ut poſtridie libera crapula ſe ulciſcantur. Poſtquam adeo ſecure cum Deo, non ſecus ac cum puero aliquo luſerunt, hoc quoque addunt ad improbitatis cumulum, frugalem vivendi modum penitus à nobis ſolvi. Ego vero, quum tota vita ſint diſſoluti, nuſquam tamen craſſius in belluinam intemperiem, quam in ſuis jejuniis profluere eos dico. De conjugio etiam aliquid dicendum reſtat. Fingunt adverſarii, nos mulierum cauſa quaſi Troianum bellum moviſſe. Ut alios in præſentia omittam: me ſaltem ab hoc probro immunem eſſe concedant neceſſe eſt. Quo mihi ad refellendam eorum putidam garrulitatem major ſuppetit libertas. Quum ſemper ad ducendam uxorem, ſub Papæ tyrannide liber fuerim, ex quo me inde eripuit Dominus, per annos complures ſponte cælebs vixi. Mortua uxore, ſingularis exempli fœmina, jam ſeſquiannus eſt ex quo non invitus cælibatum rurſus colo. Hæc, quæ forte parum ad cauſam facere videbuntur, ideo tribus verbis præfari libuit, partim ut inde coarguatur maledica hoſtium vanitas, partim ut omnibus teſtatum ſit, me privatam cauſam minime agere. Quid autem afferunt boni iſti caſtitatis defenſores? Lutherum & alios carnis pruritu incitatos, tum ſibi feciſſe conjugii libertatem, tum vulgus ſacerdotum, monachorum & monialium in eaſdem illecebras traxiſſe. Quæ de ſingulorum, quos maligne falſoque infamant, continentia vere poſſent prædicari, conſulto prætereo. Quid enim magis ridiculum, quam profugere ex Papatu, qui caſte vivere non ſuſtinent? Nulla ſcilicet ſacrificis, monachis & monialibus explendæ libidinis erat libertas, niſi novum ſibi aſylum procul ſummis difficultatibus quærerent. Quaſi vero non quovis ſcortationum genere clauſtra omnia, cellæ, & foruli omnes monachorum ac monialium fœteant. Prodigioſas libidines hic non attingo. Sed quid rem notam diſſimulare attinet, ſic ab antris illis, magna quidem ex parte, exulare pudicitiam & pudorem, ut ſcortandi bonis patribus aliqua ſaltem ſit illic libertas? Quid loquar de ſacrificis, quos libidinum ſuarum adeo non pudet, ut earum trophæa ubique erigere jam illis ſit glorioſum? Certe, ut parciſſime loquar, mulieroſis extra Papatum migrare minime neceſſe eſt. Neque tamen prorſus nego, multos ex ſuis caveis monachos evolare, ut Venere, quam furtim illic carpunt, libere apud nos potiantur. Sed illos ipſos audebo citare teſtes, quam procul à voluptuaria vita, quam in luſtris degebant, diſtet conjugium. Itaque nonnulli, quia ſtatim olfaciunt, quanto aſtrictior ſit pudica viri cum uxore cohabitatio, quam promiſcuæ cælibatus Papalis laſciviæ, mature ſe ad priores nidos recipiunt. Alii deſperatiores, Romam, aut alio quo fors eos rapuerit, transvolant. Atque hæc quidem una eſt ex Angelicis clauſtrorum virtutibus. Cæterum, ut multos concedam, perverſe doctrina noſtra abuti: quam tamen juſta ſit ſcandali ratio, videndum. Genus humanum

Digitized by Google

manum Deus hac lege condidit, ut mulieri vir capitis officium præſtet, mulier viciſſim ſit viro adjutrix: atque ita mutuo nexu, ſexum utrumque ſimul devinxit. Antequam vitiati eſſent homines, conjugium illis ſingularis beneficii loco datum ac permiſſum eſt. Ab homine mortali eripi hoc Dei beneficium, tolerabile non eſſe dicimus. Nunc ad primum Dei inſtitutum acceſſit major ex carnis incontinentia neceſſitas. Neque enim fruſtra Spiritus hoc
1 Cor. 7. verſ. 2. remedium per os Pauli fugiendæ ſcortationi præſcribit, ut quiſque uxorem ſuam habeat, & unaquæque etiam mulier proprium maritum. Non fruſtra Chri-
Mat. 19. verſ. 11. ſtus & idem Paulus admonent, non eſſe omnes ad vitam cælibem aptos & idoneos. Atque utinam in hac degenere natura minus notus eſſet incontinentiæ morbus. Huic vitio ut Deus opem ferret, non modo conjugium inſtituit, in quo vir licite habitet cum fœmina: ſed ad legitimum ejus uſum omnes qui à carne ſua uruntur, clara voce invitat. Hoc beneficio Apoſtoli, Martyres, & alii ex ſanctis præſtantiſſimi uſi ſunt. Exorta repente cælibatus admiratio, ut vileſceret conjugii honor ac dignitas, effecit. Fuit tamen ad tempus voluntaria conjugii abſtinentia, donec tyrannidi ſuperſtitio januam aperuit. Sacerdotes itaque à conjugali vita prohibiti. Tandem ad diaconos ſerpſit interdictum. Jurisjurandi vinculo monachi & moniales impliciti, conceſſum à Deo jus ſibi abdicabant. Hinc ſolos cælibes Deo ſacros cenſere mundus cœpit. Ac eo uſque graſſatus eſt furor, ut vitam conjugalem, velut profanam non levi ignominia notarent. Primum, etiamſi proſpere in ſpeciem ceſſiſſet ejuſmodi mutatio: ex diabolica tamen audacia manaſſe dicimus. Verum quo ſanctior eſt virtus, caſtitas, eo ſceleratior, & magis deteſtabilis eſt coactus iſte cælibatus, quem omni fœditatis ſpurcitiæque genere refertum eſſe conſtat. Ut Angelis ſimilis videatur quiſquis abhorret à nuptiis, virginitatem Papiſtæ miris encomiis extollunt. Quaſi vero extra conjugii ſtatum, nihil niſi pudicum & virginale eſſe evicerint. Atqui, in hoc tantum videntur lectos propriis uxoribus vacuos habere, ut alienis polluendis ipſi incubent. Quis enim vulgare inter eos proverbium eſſe neſcit, quando à communi ducendæ uxoris jure arcetur monachus vel ſacerdos, jus faſque eſſe, ut alia ſibi ratione proſpiciat? Ac ne ſuis partibus deſint, ſtrenue fere omnes in hoc venationis genus incumbunt. Nulla lenocinils aptior tendicula, quam confeſſio, qua non modo ſibi obnoxias reddunt conſcias probri alicujus mulieres, ſed alii aliis aſſignant. Itaque, huc ventum eſt, ut qui domeſticis ſcortis contenti ſunt, caſti & temperantes inter alios cenſeantur. Arcanas obſcœnitates & nefanda ſtupra omitto. Ac ne hæc quidem quamvis vulgo nota, attingerem: niſi quod obiter commonefieri lectores neceſſe eſt, quam ingenue faciant doctrinæ noſtræ adverſarii, dum eam diſſolutæ licentiæ inſimulant, propterea quod tam atrocibus malis corrigendis legitimum conjugium permittat. Rumpantur licet, qui coactum Papalis cleri cælibatum ementitis laudibus ornare non ceſſant; in intima tamen parte fœdiſſimam omnis ſpurcitiæ abyſſum eſſe conſtat: in iis autem qui continentes videntur, nihilominus impuram lacunam eſſe dico. Talibus ſcilicet, cùm occultis libidinum flammis, tum manifeſtis flagitiis diabolicam illam audaciam ulciſcitur Deus, quod contempto conjugii beneficio, inſtar gigantum Babylonicas moles extruunt, quibus naturam & Deum expugnent. Atque ita fieri oportuit, ut ſaltem diſcerent homines, eam demum eſſe veram caſtitatem, quam nobis Dei regula præſcribit. Nos autem quia belluinas laſcivias, quarum nullus eſt modus in Papatu, cohibemus fræno conjugali, propoſita carnis libertate, modeſtiam omnem ſolvere dicimur. Ecquid mirum: quum & Chriſto & Paulo ſimile quiddam exprobratum fuerit: acſi data opera Legis jugum ſolverent, ut ſua hominibus voluntas pro lege eſſet? Neque enim tam ſollicite purgarent ſuam doctrinam à calumniis, niſi hoſtium improbitate & virulenta protervia coacti. Cæterum, quicunque ſunt ſanabiles, eos brevi iſta excuſatione placatos eſſe confido, ne ſcandalum ſibi ex tam levi frivolaque materia fabricent.

Habet iſtud quoque aliquid coloris: doctrinam noſtram cum vetuſtate & ſeculorum omnium conſenſu pugnare. Itaque in eo ſe maxime Papiſtæ jactant: præſertim ubi inflatis tibiis alta illa Patrum & Eccleſiæ nomina inſonant. Quoniam ſatis notum eſt, quam odioſa ſit & ſuſpecta in religione novitas, imperitos à doctrina noſtra abſterrent ejuſmodi prætextu. Et fateor certe, ſi quicquam novum afferatur, minime eſſe audiendum. Sed hujus criminis nulla melior eſt aut certior purgatio, quam quod nihil recipi volumus, niſi claris ſolidiſque Scripturæ teſtimoniis probatum. Atque in hoc bobus & aſinis, qui præſepe ſaltem ſuum agnoſcunt, ſtupidiores eſſe Papiſtas apparet: qui quum novitium ſibi Deum fabricaverint, ita unum, verum, & æternum obliti ſunt, ut nulla illis cæleſtium oraculorum antiquitas ſapiat. Excipiunt tamen Scripturam falſo à nobis obtendi, qui totum veteris Eccleſiæ conſenſum evertere conemur. Trita quidem inter eos calumnia, ſed tam putida, ut in ejus refutatione multum temporis conſumere pigeat. Deinde ad eam rem longum volumen neceſſarium eſſet. Et libri noſtri abunde teſtantur, ſi veterum quærantur ſuffragia, illis cauſam noſtram adjuvari magis quam premi. Quum ſatis conſtet nihilo magis conſentaneam eſſe veterum doctrinam, Papatus corruptelis, quam ovis lupo ſimilis eſt: quædam tamen eorum dicta, ac voculas etiam interdum non minus perverſe, quam improbe arripiunt: unde rudibus, & in eorum lectione non exercitatis fucum faciant. Quoties Patrum illis teſtimonia objicimus, etiamſi pondere & numero ſe obrui videant, ut ſupra omnem teli jactum ſibi videntur conſtituti, ſecure contemnunt ac rident. Sedes enim Apoſtolica quicquid unquam doctorum fuit, magnitudine ſua facile abſorbet. Nec quicquam illis hac exceptione promptius eſt, quævis Patrum judicia nihil ſe morari, ubi à ſancta ſede Romana aliter pronunciatum fuit. Ergo apud illos ne pili quidem æſtimabitur totus Patrum chorus, niſi ita libitum fuerit: nos autem quicquid uni eorum cuilibet minus conſiderate excidit, tanta protinus religione obſtringet, ut vel tantillum diſcrepare ſit nefas. Iterum repeto, confuſum iſtud & prodigioſum Papatus chaos antiquo Eccleſiæ regimini tam eſſe diſſimile, ut non magis ignis ab aqua diſſideat. Quod in eo damnando acres nimium videamur & clamoſi, longe major eſſet Patrum vehementia, ſi hodie viverent. Adde quod boni iſti filii, qui Patrum nomen inſtar pilæ ludendo jactant, craſſiſſimos quoſque errores videntur data opera eligere: quibus niſi aſſentiamur, nos totius vetuſtatis hoſtes eſſe clamitant. Obtulit Abrahæ ex prælio redeunti Melchiſedec panem & vinum, Sacrificium eſſe putant veteres, quod ad ſacram Chriſti Cœnam tranſtulerunt. Puerilis fere hallucinatio. Atqui, ex tam præclaris eorum lucubrationibus, nihil æque Papiſtis arridet. Ne hac in parte nunc ſim longior, qui verſati ſunt in Patrum ſcriptis, & mediocriter judicant, ſatis intelligunt nos illorum auctoritate, ad oppugnandum Papatum, eſſe inſtructos. Verum, ut ſtatuantur in medio, propius tamen ad nos accedent. Unde ergo tanta ſcandali moles ſtruitur? Atque ut demus, non poſſe aſſeri à nobis & reſtitui puram Dei veritatem, quin ſe contra efferat ille, quem prædicant multorum ſeculorum conſenſus (quemadmodum ab annis mille ſic collapſa fuiſſe omnia fateor, ut nova ſubinde errorum & ſuperſtitionum monſtra pullularint) quid tamen

in ejuſmodi diſſidio inveniunt tanta offenſione di-
gnum? Si fiat comparatio, primi certe illi ſub qui-
bus floruit Eccleſia, vel ſoli legitimi Patres haberi
merentur, vel præcipuum ſaltem honoris gradum
inter Patres jure ſibi vendicant. At boni Papiſtæ
(quæ eſt ipſorum ingenuitas) ſolum illud corruptius
ſeculum, quod multum à priſca ſinceritate jam de-
flexerat, memoria celebrant. Atque huc tandem
redeunt omnes illorum querimoniæ, receptam per
octingentos vel mille annos conſuetudinem hodie à
nobis convelli. Atqui, ſi veteri proverbio creditur,
quod etiam inter eos tritum fuit, nihil aliud eſt mala
conſuetudo, quam erroris vetuſtas. Quo autem diu-
turnius eſt malum, magis exitiale eſſe ſcimus. Plau-
ſibilis olim erat illa Cypriani ſententia: Non ſpe-
ctandum quid ante nos alii ſecerint aut dixerint, ſed
quod mandavit Chriſtus, qui primus omnium eſt,
ſequendum eſſe. Illud quoque pulchre ab Auguſtino
ac ſcite dictum nemo negabat: Chriſtum non ſibi
conſuetudinis nomen, ſed veritatis tribuere. Nunc
corrupti moris camarinam, quæ per longam anno-
rum ſeriem quievit, nemo vel leviter movere audet.
Imo, uſque adeo invaluit præfractus in tuendis ſum-
mis abſurditatibus rigor, ut earum reprehenſionem,
quaſi intempeſtivam non reſpuant modo, ſed crude-
liter igni & ferro vindicent. Dicit ille homo Ethni-
cus: Sicut recte loquendi à doctis, ita & vivendi
à bonis ac probis petendam eſſe conſuetudinem:
nos, qui directorem habemus Chriſtum, prava &
corrupta hominum inſtitutio, abſque judicio & de-
lectu, velut tempeſtas quædam violenta abripiet?
Ut locum hunc breviter concludam: ſi inter nos
valeat, quod extra controverſiam inter pios eſſe de-
bet axioma, Non ſubjici annorum præſcriptioni
Chriſti doctrinam: neminem fictum iſtud ſcanda-
lum ab inquirendi ſaltem ſtudio impediet. Ubi au-
tem conſtiterit, à Chriſto nos habere quod profe-
rimus: quis tam erit præpoſterus, ut ab æterna Dei
Sapientia, & cæleſtis Magiſtri voce, ſponte ad ho-
mines concedat?

Pleroſque offendit, quod totum fere mundum
nobis adverſum eſſe vident. Nec vero ſibi deſunt
malæ cauſæ patroni, quin rudes & infirmos ejuſmodi
machina percellant: Valde abſurdum eſſe, ni pau-
cis hominibus habeatur fides, totum fere Chriſtia-
num orbem negligi. Præcipue autem ad nos pro-
terendos, ſacro Eccleſiæ titulo, quaſi malleo ſe mu-
niunt. Sed velim ſcire, qui noſtra paucitate alienan-
tur ab Euangelio, quomodo fidem ſuam adverſus
Turcas ſuſtineant. Quantum ad nos attinet, ſi unus
Noah cunctos ſeculi ſui homines fide ſua damnavit,
non eſt quod magna incredulorum turba nos de gradu
moveat. Interea non modo parum probabilem, ſed
injuſtam & pudendam ſcandali cauſam eſſe dico, ubi
Dei verbo hominum reſpectus præponderat. Quid
enim? An niſi hominibus credere libuerit, non ſta-
Rom. 3:4. bit Dei veritas? Quin potius, ut Paulus ait, homo
mendax, ut eſt, maneat: Deum veracem agnoſcant,
quibus ſe patefacere dignatur. Et jam alibi oſten-
dimus, cur tam ægre ſe bona pars hominum Deo in
obſequium addicat. Quo minus in tanta mundi con-
tumacia, fidem noſtram ad multitudinis exemplum
Mat. 24. dirigi convenit. At ſignum à Chriſto datur: Quo
verſ. 28. aquilæ convolant, illic eſſe cadaver. Ego vero non
nego, ſi quando unum in locum collectæ fuerint
omnes aquilæ, quin ſimul ſperanda ſit totius orbis
converſio. Sed quum non quaslibet illic aquilas de-
ſignet Chriſtus, ſed quæ vivificum mortis ſuæ odo-
rem ſequuntur: quis non videt reſtringendum ad
paucos ſermonem eſſe? Si quis forte excipiat, non
excuſari nos exemplo Noah, ſi ab eo cœtu diſceſſio-
Jeſa. 8. nem facimus, qui Eccleſiæ nomen obtinet: Jeſaias,
verſ. 12. quum relicta hominum conſpiratione, Deum unum
ſequi juberet, non extraneos notabat, ſed qui tunc
populi Dei nomine maxime gloriabantur. Et Pe-
trus, quum Eccleſiam facit arcæ ſimilem: quod per- *1 Petr. 3.*
eunte mundo, quaſi per diluvium exigua hominum *verſ. 20.*
manus ſervetur, non eſſe pendendum à multitudine,
ſatis admonet. Quid ergo miſeros homines juvat
inter varios mundi flatus vacillandi nutandique oc-
caſionem captare, quum Deus æterno verbi ſui fun-
damento nos ſtabiliat? Cur fluctuari inter opinio-
num procellas malunt, quam in tuto certæ veritatis
portu, quo nos invitat Deus, quieſcere? At ſumma
Eccleſiæ reverentia debetur. Fateor ſane: ac liben-
ter etiam addo, ſic conjunctum cum genuina Legis
& Euangelii doctrina eſſe Eccleſiæ ſenſum, ut fida
illius cuſtos & interpres merito vocetur. Sed inter
nos & Papiſtas hoc intereſt, quod illi non aliter
Eccleſiam veritatis columnam eſſe putant, quam ſi
Dei verbo præſideat. Nos autem, quia reverenter
ſe Dei verbo ſubjicit, veritatem ab ea teneri, &
aliis per manus tradi aſſerimus. Itaque, non plus
auctoritatis apud eos habet Dei verbum, quam illi
quaſi precario Eccleſia concedit: & totius Scripturæ
interpretationem ad Eccleſiæ judicium non ſecus
vertunt, quam Lesbios olim ad plumbi ſui normam
lapidem formare ſolitos, veteri proverbio fertur.
Itaque nullus tam perſpicuus eſt Scripturæ locus,
qui ad Lesbiam hanc regulam inflexus, vel ut magis
proprie loquar, detortus, non alienam formam in-
duat. Nec tamen hic nobis ſummum vertitur certa-
men. Sed poſtquam Eccleſiam in Chriſti throno
collocarunt Papiſtæ, ut religionem conſtituat ſuo
arbitrio, & de Scriptura abſque provocatione ju-
dicet: jus illud qualecunque eſt, ad ſe mox rapiunt.
Nos vero quænam vera ſit Eccleſia, quia hic falli
tam proclive quam periculoſum eſt, dijudicari vo-
lumus. Certe novum non eſt, qui Paſtorum loco
præſunt, eos crudeles interdum eſſe lupos: impios
eſſe & perfidos Dei & Eccleſiæ proditores, quo-
rum in manu ordinaria eſt poteſtas. Quid eſt igitur,
cur nos inanes larvæ terreant, quominus excutia-
mus, ut decet, an vere ſit, quæ dicitur Eccleſia?
Paulus columnam veritatis Eccleſiam eſſe pronun- *1 Tim. 3.*
ciat: ſed idem & orbis jam converſi defectionem, *verſ. 15.*
& Antichriſti in medio Dei templo regnum præ- *2 Theſſ. 2.*
dicit. Satis notum eſt, eadem, quibus hodie exer- *verſ. 4.*
cemur, certamina illum ſuſtinuiſſe, quum Judæi Ec-
cleſiæ nomine ſuperbientes, cum & apoſtatam eſſe
clamarent, & ſchiſmatum ac turbarum auctorem.
Continua ſucceſſione ab ipſis uſque Apoſtolis ſe
ortos eſſe jactant: nempe quemadmodum Valerio
Publicolæ & Lucio Bruto, Caligula & Nero ſuc-
ceſſerunt. Sic enim Apoſtolis ſe conferunt, acſi
non interpoſitum eſſet immenſum diſſidii chaos,
quod nexus quoſvis, ſiqui eſſent, abrumperet. Quia
nobis averſa eſt cleri Papalis colluvies, non minus
eo nos præjudicio gravari volunt, quam ſi nos ex
cælo Angeli damnarent. Eodem ſcilicet faſtu olim
Chriſtum repudiabant Scribæ, quia nemo ex Prin-
cipibus aut Phariſæis in eum credidiſſet. Et illos
quidem, quum pro ſua tyrannide pertinaciter ad ex-
tremum uſque certare propoſitum ſit, & veris ratio-
nibus ſint deſtituti, inanes crepare ſonitus mirum
non eſt. Sed omnes, quibus falſo arreptum Eccleſiæ
nomen ſcandalo eſt, rogatos velim, ut aures ali-
quando & oculos aperire ſuſtineant: ne fallax cor-
poris ſimulachrum eos à capite avellat: ne meretrix
ſponſæ ornatu fucata, ſponſum illis Chriſtum au-
ferat. Quas enim, obſecro, notas habent unde in
tota Antichriſti Romani cohorte agnoſcant Chriſti
Eccleſiam? Niſi forte dum Papam albatum, & pro-
jectam ad ejus pedes crucem vident: Cardinales
purpureos: Epiſcopos mitra & lituo conſpicuos,
& reliquam minorem turbam ſuis quoque inſigni-
bus diſtinctam, his pignoribus contenti, non aliam
deſiderant Eccleſiam, niſi quæ in ludicris pompis
apparet. Quid enim aliud nebulonibus iſtis dicen-
dum reſtat, quando toties, tam graviter & ſcite
à no-

Digitized by Google

à nobis refutati, ſibi tamen adhuc Eccleſiæ titulum arrogare pergunt? Dixi initio nullos propemodum hic falli, niſi qui ad Chriſtum accedere nolentes, ſibi procul obſtacula accerſunt. Fuit quidem tempus, quum multas ſimplices ac pias animas impediret hic ſcrupulus: ſed hodie paucos ſanæ doctrinæ ſcandalum ex nomine Eccleſiæ opponere dico, qui non malitioſe & ſuperbe Chriſto inſultent. Ejuſdem protерviæ eſt, quod miracula flagitant, quibus obſtupefacti, Deo tandem per nos loquenti cedere cogantur. Ego vero, quum doctrina noſtra luculentum ſibi teſtimonium reddat, miraculis omnibus, quæ ab orbe condito extiterunt, ſe fuiſſe comprobatam, iſtos qui veterum miraculorum obliti, novis inhiant, quum ita ſtupeant in aperta Dei virtute, & in clara luce cæcutiant, non minora eſſe portenta dico, quam ſi hominem in pecudem verſum cerneremus. Quoniam ſacris opibus ditati ſunt nonnulli, alii famem ſuam utcunque ad tempus ſedarunt; nos prædandi magis cupidine, quam pio Dei zelo ad res novandas adductos eſſe jactant Euangelii hoſtes: multi qui prætextum captant repellendi Euangelii, maledicis iſtis vocibus aſſentiuntur. Ego vero, ſiqui replendis ſuis crumenis Eccleſiæ bona prædati ſunt, non excuſo. Et libri noſtri, quantopere abhorreamus ab ejuſmodi ſacrilegiis, diſerti ſunt teſtes. Verum, ut partis noſtræ delictis, ſi qua ſunt, patrocinium meum accommodare animus non eſt: ita calumnia non eſt ferenda, quod in prædam ceſſiſſe malevoli homines criminantur, quicquid fœdis illis gurgitibus, hoc eſt, ſacrificis Baal & monachis ademptum eſt. Certe, ex quibus locis profligata eſt Papatus impietas, illic ſaltem pars eorum redituum, quos ſcorta, & lenones cum ſacerdotibus vorabant, in pauperes erogatur: aliquanto plus impenditur in ſcholas, quam fieri ſolebat: aluntur veri Paſtores, qui ſalutis doctrinam populo miniſtrant: ſumptus quoque ad tuendum Eccleſiæ ſtatum non pauci fiunt. Quamvis hæc nos defenſio coram Deo non abſolvat (quod libere quidem confiteor) maligne tamen ſcandalum inde congeri adverſus Euangelii doctrinam oſtenditur. At palam fieri oſtendunt, quo ſtudio impulſi, cauſam hanc aggreſſi ſumus: quod omnes fere in privatis rebus curandis occupati, in urgenda diſciplina, corrigendis vitiis, augendo & tuendo Chriſti regno, torpent. Cur ergo non ardore potius ſuo nos calefaciunt, quam ipſi congelaſcunt ad noſtrum frigus? Legantur de templi neglectu Aggæi querimoniæ. Illic quaſi in tabula depictam cernere eſt ſeculi noſtri ignaviam. An quia tunc quiſque domui ſuæ intentus, Dei templum non curabat, ideo non ſacroſanctum Dei opus erat, templi inſtauratio? An fatiſcere propterea quiſquam debuit, quum alios videret non modo in officio neceſſario ceſſare, ſed Deum quoque ſcelerate fraudare primitiis ac decimis? Sed hoc eſt ſcilicet, quod ſtatim ab exordio præfatus ſum, multos profanis mundi amicitiis irretitos, quidvis offenſionum contra Chriſtum appetere potius, quam ut impios & ſanæ doctrinæ inimicos offendant. Hæc illis prava ambitio, & ad fabricanda ſcandala ingenium, & ad lacerandum canina maledicentia Euangelium, facundiam ſuppeditat. Adde quod præſentium vitiorum morſu non contenti, in futurum tempus inquirunt quod eadem malignitate arrodant. Fingunt enim ſe propinquam Eccleſiæ vaſtitatem animis proſpicere, quæ ex inteſtinis diſſidiis impendet. Hac nos providi homines non magis affici mirantur: atque ut in odium nos trahant, ſuſque deque nobis eſſe colligunt, ſi terra incendio miſceatur. Sic olim Aquilanum epiſcopum in privato colloquio mecum diſſerere memini, quam horrenda clades timenda foret, niſi diſcordiis finem brevi ſtatueremus. Huc autem tota tendebat oratio, fieri aliter non poſſe, ſi eſſemus propoſiti noſtri adeo tenaces, quin tandem ad arma res veniret. Belli porro non alium fore exitum, quam ut bonis literis extinctis, & barbara confuſione inducta, humanitas prope ipſa è mundo tolleretur. Horum malorum ſicuti culpa in nobis hæreret, ita ſubeundam invidiam eſſe. Quin etiam hæc ipſa religio, dicebat, pro qua tam acriter pugnatis, ſimul cum literis intereat neceſſe eſt. Quod tunc uni reſpondi, omnes ſibi dictum accipiant. Nos certe, neque tam ſumus ſocordes, quin nobis in mentem veniant quæcunque machinatur Satan: neque tam feri & inhumani, ut ſecure negligamus. Paci & otio non modo cupimus conſultum, ſed quantum in nobis eſt, conſulimus. Ordinis & politiæ non minus ſumus ſtudioſi quam qui maxime. Literarum quanta nos cura ſollicitet, verbis prædicare nihil opus eſt. Sed quum nulla exceptione oppoſita, Euangelium prædicari Chriſtus juſſerit, quicunque ſequatur eventus, huic mandato parendum eſt. Quanquam nimium ſibi arrogant homines, ſi meliorem ex propriis conſiliis, quam ex ratione ſibi à Deo præſcripta ſucceſſum ſperant. Quid enim? An Deum cæcum & incautum eſſe fingunt, qui Eccleſiam ſuam inconſiderate periculis exponat? Imo quum optimus ſit rerum omnium moderator, noſtrum eſt, quamlibet perplexas anguſtias uno hoc Abrahæ dicto ſuperare: Dominus providebit. *Geneſ. 22. verſ. 8.* Nos ſcilicet de humana ſocietate erimus ſolliciti: Deus autem opifex nullo ejus ſtudio tangetur? Eccleſia ab unico ſalutis ſuæ præſide & cuſtode miſere deſerta, in noſtram providentiam recumbet? Nos vero excuſatione digni, ſi injuncto nobis munere obedienter fungendo, ſuas Deo partes relinquimus. Ac quum David proprium ejus eſſe opus pronunciet, *Pſal. 46. verſ. 10.* turbulentos maris fluctus componere, ſedare bella, frangere currus & lanceas: merito nos animare hæc fiducia debet ad eam doctrinam aſſerendam, quæ nobis ejus gratiam & benedictionem ſola conciliat. Quiſquis tamen demum conatus noſtros ſequatur eventus, nunquam erit cur nos obſequium Deo præſtitiſſe & pium & gratum pœniteat: & quod mœrorem noſtrum vel in maximis cladibus ſolari poterit, nos & Chriſti gloriæ, quæ omnibus mundi regnis potior, & animarum ſaluti, quæ toto mundo pretioſior eſt, fideliter ſerviiſſe.

Poſtquam ſcandala, quæ plurimum hoc tempore nocere experimur, generatim recenſui: nunc breviter monendi ſunt rurſum filii Dei omnes, ut oſtenſis à me remediis inſtructi, Chriſtum potius pro fundamento retineant, quam temerario pravoque incurſu ſibi faciant lapidem offenſionis & petram ſcandali. Quin multa ſcandala ſubinde ingerantur fidelibus in hoc mundo, fieri non poteſt, à quibus ne Chriſtus quidem immunis fuit. Imo vix ſperandum eſt, ut paſſum unum conficiant, quin ſcandalum aliquod objiciat Satan. Ita per innumera ſcandala ambulandum ipſis eſt. Sed quantumvis multiplex ſit varietas, & denſa congeries, nemo tamen erit Chriſtianus, niſi qui ſuperior evadet. Petrum Chriſtus ipſe ſibi ſcandalum eſſe dicit, quum à ſubeunda morte eum revocare tentat. *Mat. 16. verſ. 23.* Sed an impeditus ſcandalo gradum refert? Quin potius Satanam in Petro animadvertens, faceſſere alio jubet. Ut commune nobis cum ipſo fore certamen ſciamus, in genere pronunciat, Neceſſe eſſe ut veniant ſcandala. *Mat. 18. verſ. 7.* Sed quemadmodum ſnos pronunciat nunquam fore ſcandalorum immunes: ita nullam ſcandali cauſam excuſat. Quum enim jubet oculum dextrum erui, *Marc. 9. verſ. 47.* ſi quem forte ſcandalizet: nihil tanti eſſe admonet, cujus reſpectu nos à ſcopo tantillum deduci oporteat. Si ad cavenda ſcandala tam eſſemus ſeduli, ut ne propriis quidem oculis quiſquam noſtrum parceret: nihil opus fuiſſet, me in amoliendis ſcandalis tantum operæ inſumere. Arduum fateor, & ſupra vires noſtras certamen, ſed non fruſtra dicit Chriſtus, loquutum ſe diſcipulis ne ſcandalizentur. *Joan. 6. verſ. 1.*

tur. Neque enim alia de cauſa vincendis aut profligandis ſcandalis ſumus impares, niſi quia loquentem Chriſtum non audimus. Verum eſt ſane quod *Joan. 11. verſ. 10.* alio loco dicit, in nocte offendere eos qui offendunt. Quorſum autem lux Euangelii, niſi ut viam monſtrando, ſimul etiam ſcandala oculis ſubjiciat? Atqui, dicet quiſpiam, impedimentum etiam ſi conſpicitur, curſum tamen abrumpere non deſinet. Ego vero jam oſtendi, niſi propria nobis mollities obſtet, ad ſuperanda quævis ſcandala Chriſtum unum ſufficere, quum cæleſti ſua virtute ſupra mundum nos evehat. Quod ſi ſcandalo, quod invitis & fugitantibus incurrit, tam fortiter eſt reſiſtendum: minus habebunt excuſationis, qui ad ſcandala ipſi quadam animi pravitate ſunt proclives. Id Judæis acci- *Rom. 10. verſ. 3.* diſſe admonet Paulus, qui quum ex profeſſo minime ſcandalum captarent, quia tamen Dei juſtitiæ, propriam volentes ſtabilire, non fuerunt ſubjecti, in Chriſtum impegerunt: adeoque exitiali naufragio tanquam ad ſcopulum alliſi fuerunt. Eorum vero qui oblata ſcandala libenter arripiunt, vel etiam procul diſſita cupide acceſſunt, minime tolerabilis eſt perverſitas. Quid enim? Quum teſtetur *Philip. 3. verſ. 14.* Paulus ſe anteactam vitam oblivisci, ut ad palmam ſupernæ vocationis properet, atque ad eandem feſtinationem ſuo exemplo nos hortetur: an ſcandala ad curſum retardandum quiſquam procul impune conquiret? Jam ſi in Judæis præpoſterum zelum tam ſevere ultus eſt Deus, quid futurum iſtis putamus, qui ſcientes ac volentes impingunt? Imo qui viam alioqui planam congeſtis undique ſcandalis obruunt? Præſertim quid ſibi veniæ reliquum faciunt, qui ex hominum vitiis aut ſceleribus clypeos, repellendo Deo, concinnant? Nam ſi fideles quoque ipſi, ne quid eorum celeritatem moretur, alii alios vetantur aſpicere: ſi oculos longe circumferimus, data opera quærentes quod nos detineat, quomodo Chriſtus ignoſceret? Ac tales quidem vere & apte porcis conferre licet, quibus ob nativum fœtoris amorem, nihil ſuavius eſt quam in cœnum & ſtercora ſe provolvere. Omnes porcos ſcandalorum nimis avidos, ſive ea venentur, ſive offerri ſibi gaudeant, dira manet Dei ultio, ut quotidiana offendicula, & alia aliis addita, ipſos in æternum exitium demergant. Sic enim ſerio excæcari æquum eſt, qui ſponte cæcutiunt: ut tandem immedicabilis ſit morbus. Nos interea quum Chriſtum audiamus omni- *Mat. 18.* bus maledicentem, qui ſcandalum infirmis præ- *verſ. 7.* bent, ſollicite operam demus, ne quod omnino ſcandalum noſtra culpa accidat. Cæterum, quando reprobis, & mundo incredulo, Chriſtum lapidem ſcandali eſſe oportet: modo ſimus extra culpam, ad ſcandala intrepide excipienda, quoties ea ingeret Satan, vel ſolo illo Chriſti titulo ſimus muniti. Simul altera Chriſti ſententia in mentem veniat. Nam *Mat. 15.* quum à diſcipulis objectum eſſet, offendi Phari- *verſ. 14.* ſæos: ſecure omitti eos jubet, quia cæci ſint, ac cæcorum duces. Addit quoque inſigne dictum: Omnis *Mat. 15.* plantatio, quam non plantaverit Pater meus, era- *verſ. 13.* dicabitur. Ita ſane eſt agendum: ut omnium ſaluti, quoad licet, ſtudeamus: ſed quia nobis datum non eſt eos ſervare, quos Deus exitio devovit: quod perit, pereat: ut eſt apud Zachariam. Nam ſi Paulo *Zach. 11.* tollere crucis offendiculum libuiſſet, quaſdam obli- *verſ. 9.* quas ad hoc rationes excudere promptum erat. Ab hoc autem conſilio adeo abhorret, ut pro magno abſurdo ducat, ſi tollatur. Scilicet fixum tenebat, quod alibi dicit, quamvis odor mortis ſimus repro- *2 Cor. 2.* bis in mortem, ſuavem nihilominus odorem nos *verſ. 15.* Deo ſpirare.

BREVIS FORMULA CONFESSIONIS FIDEI,

In eorum gratiam qui religionis Chriſtianæ compendium in promptu habere cupiunt.

Confiteor unum eſſe Deum, in quo nos acquieſcere oportet, ut eum colamus & adoremus, & in eo uno ſpem omnem noſtram collocemus. Quamvis autem is unius & ſimplicis ſit eſſentiæ, diſtinctus eſt nihilominus in tres perſonas. quo fit ut deteſter omnes hæreſes damnatas prima Synodo Nicena, itemque Epheſina & Chalcedonenſi, una cum omnibus erroribus à Serveto & ipſius aſſeclis renovatis. nam in hac ſimplicitate acquieſco, in unica Dei eſſentia eſſe Patrem qui ab æterno genuit Verbum ſuum, & ſuum Spiritum ſemper in ſeſe habuit: & ſingulas iſtas perſonas ita habere ſua idiomata peculiaria, ut deitas integra ſemper maneat.

Item confiteor Deum creaſſe non tantum hunc mundum viſibilem (id eſt, cælum & terram, & quicquid eis continetur) ſed etiam ſpiritus inviſibiles: quorum alii in Dei obedientia perſtiterunt, alii ſuapte malitia in exitium ſunt præcipitati. Quod autem illi perſeverarint, agnoſco deberi gratuitæ Dei electioni, qui perrexit eos diligere & ſua bonitate complecti, hoc illis largiendo ut firmi ac conſtantes permanerent. Ac proinde execror errorem Manichæorum, qui imaginati ſunt diabolum natura malum eſſe, & originem ac principium à ſeipſo ducere.

Confiteor Deum ita ſemel creaſſe mundum ut ſit perpetuus ejus gubernator, adeo ut nihil fieri aut evenire poſſit abſque ejus conſilio ac providentia. Et quamvis Satan ac reprobi moliantur rerum omnium confuſionem, ipſique adeo fideles ſuis peccatis rectum ordinem pervertant: Deum tamen agnoſco, ut ſupremum omnium principem ac dominum, mala convertere in bonum: omnia denique velut habenis quibuſdam ſecretis regere, & admirabili quadam ratione moderari, quam nos oportet cum omni animi ſubmiſſione adorare: quoniam mente illam complecti non poſſumus.

Confiteor hominem conditum fuiſſe ad imaginem Dei, id eſt, præditum plena integritate ſpiritus, voluntatis, omniumque animæ partium, facultatum ac ſenſuum: omnem autem noſtram corruptionem & vitia quibus laboramus, inde profluxiſſe quod Adam communis omnium hominum pater, ſua rebellione ſeſe à Deo alienavit, & vitæ bonorumque omnium fonte derelicto, ſeſe omnibus miſeriis obnoxium fecit. Quo fit ut ſinguli naſcamur originis peccato infecti, & ab ipſo matris utero à Deo maledicti ac damnati, non propter alienum delictum duntaxat, ſed propter improbitatem quæ intra nos eſt tum quoque quum non apparet.

Confiteor originis peccato comprehendi mentis cæcitatem & cordis perverſitatem, adeo ut penitus ſpoliati ac deſtituti ſimus iis quæ ad vitam æternam ſpectant, ipſaque adeo naturalia dona omnia ſint in nobis depravata & contaminata. Quo fit ut nulla ad bene agendum cogitatione penitus moveamur. Itaque deteſtor eos qui nobis aliquid liberi arbitrii attribuunt, quo nos ipſos præparemus ad recipiendam

Dei

Dei gratiam, aut tanquam ex nobis cooperemur virtuti quæ nobis donatur à Spiritu ſancto.

Confiteor Jeſum Chriſtum datum eſſe nobis infinita Dei bonitate, quo remedio revocemur à morte in vitam, & recipiamus quicquid in Adamo nobis deperiit. Ac proinde eum qui eſt Sapientia æterna Dei Patris, & unius cum eo eſſentiæ, induiſſe noſtram carnem, ita ut ſit Deus & homo in una perſona. Idcirco deteſtor omnes hæreſes huic principio contrarias, puta Marcionis, Manetis, Neſtorii, Eutychetis, & ſimilium, una cum deliriis quæ Servetus & Schuenckfeldius voluerunt inſtaurare.

Quod attinet ad rationem adipiſcendæ ſalutis, confiteor Jeſum Chriſtum ſua morte ac reſurrectione cumulatiſſime perfeciſſe quicquid ad delendas noſtras offenſas requirebatur, ut nos Deo Patri reconciliaret: & mortem ac Satanam ſuperaſſe, ut ipſius victoriæ fructum percipiamus: denique Spiritum ſanctum abſque menſura accepiſſe, ut cuique ex ſuis ex eo largiatur ea menſura qua ipſi libuit.

Itaque confiteor omnem noſtram juſtitiam qua ſumus Deo grati, & in qua una oportet nos prorſus acquieſcere, poſitam eſſe in peccatorum remiſſione, quam ipſe nobis acquiſivit: nos abluendo ſanguine ſuo, & per unicum illud ſacrificium quo iram Dei in nos commotam pacavit. Et intolerandam eorum ſuperbiam eſſe dico qui ſibi vel tantillum meriti tribuunt, in quo vel guttula ſpei ſalutis reſideat.

Interim tamen agnoſco, Jeſum Chriſtum non modo nos juſtificare, tectis omnibus noſtris delictis & peccatis, ſed etiam ſuo Spiritu nos ſanctificare; adeo ut hæc duo (nempe obtinere gratuitam remiſſionem peccatorum, & formari ad ſanctam vitam) à ſe mutuo divelli & ſeparari non poſſint. Quoniam tamen quoaduſque excedamus ex hoc mundo, multæ ſordes & plurima vitia ſemper in nobis remanent (quo fit ut aliqua labe infecta ſint quæcunque bona opera edimus Spiritus ſancti virtute) idcirco nobis ſemper eſt perfugiendum ad gratuitam illam juſtitiam, promanantem ex obedientia quam noſtro nomine præſtitit Jeſus Chriſtus, quoniam in nomine ipſius accepti ſumus, & noſtra peccata Deus nobis non imputat.

Confiteor nos fieri participes Jeſu Chriſti & omnium bonorum ipſius per fidem quam habemus Euangelio, quum videlicet vere ac certo perſuaſi ſumus promiſſiones in eo comprehenſas ad nos pertinere. Quoniam autem ea res ſuperat omnem noſtram facultatem, idcirco agnoſco fidem nobis non aliter obtingere quam per Spiritum Dei, atque adeo donum eſſe peculiare quod datur ſolis electis, quos nimirum Deus ante conditum mundum, nulla dignitatis aut ullius ipſorum virtutis habita ratione, gratis ad hæreditatem ſalutis prædeſtinavit.

Confiteor nos juſtificari per fidem, quatenus per eam apprehendimus Jeſum Chriſtum mediatorem nobis datum à Patre, & innitimur promiſſionibus Euangelii, quibus teſtatur Deus nos à ſe haberi pro juſtis, & puris ab omni macula, eo quod noſtra peccata deleta ſint ſanguine Filii ipſius. Itaque deteſtor deliria eorum qui nituntur perſuadere juſtitiam eſſentialem Dei eſſe in nobis, & quibus non ſatisfaciat gratuita imputatio, in qua una jubet Scriptura ut acquieſcamus.

Confiteor fidem nobis patefacere aditum ad Dei invocationem (quem etiam precari debeamus cum certa fiducia fore ut nos exaudiat, ſicut nobis eſt pollicitus) eumque honorem ei uni deberi, ut primarium ſacrificium quo declaramus nos ei accepta omnia referre. Quamvis autem plane indigni ſimus qui nos ſiſtamus coram ejus majeſtate, tamen ſi Jeſum Chriſtum habemus pro mediatore & advocato, nihil eſt amplius à nobis requirendum. Quo fit ut abominer ſuperſtitionem, quam nonnulli excogitarunt, accedendi ad Sanctos & Sanctas, quaſi patronos pro nobis apud Deum futuros.

Confiteor tum univerſam bene vivendi regulam, tum etiam fidei inſtructionem pleniſſime tradi in ſacra Scriptura; cui ſit nefas quicquam adjicere vel detrahere. Itaque deteſtor quicquid homines excogitarunt ut pro articulis fidei obtruderent, & conſcientias ſuis legibus & ſtatutis adſtringerent. Atque adeo in genere repudio quicquid abſque auctoritate verbi Dei introductum eſt pro Dei cultu. cujuſmodi ſunt omnes ceremoniæ Papiſticæ. Denique deteſtor tyrannicum illud jugum quo ſunt oppreſſæ miſeræ conſcientiæ: veluti legem de confeſſione auriculari, de cælibatu, & alia ejuſmodi.

Confiteor oportere Eccleſiam gubernari à paſtoribus quibus commiſſum eſt munus prædicandi verbi Dei, & adminiſtrandorum Sacramentorum: nec cuiquam licere hoc munus pro ſuo arbitrio uſurpare, abſque legitima electione, ut confuſio vitetur. Quod ſi qui ad hoc onus vocati, non ſatis fideles ſe præſtent in eo ſuſtinendo, exauctorandos eſſe. Eſt autem omnis eorum poteſtas poſita in eo ut ex verbo Dei regant populum ipſis commiſſum, ita ut Jeſus Chriſtus ſemper maneat ſupremus Paſtor, & ſolus Eccleſiæ ſuæ dominus, & ejus unius vox audiatur. Itaque Papiſticam illam hierarchiam quam vocant, execror ut diabolicam confuſionem, idcirco ſtabilitam ut Deus ipſe deſpiciatur, & Chriſtiana religio ludibriis & opprobriis ſit expoſita.

Confiteor imbecillitatem noſtram requirere ut ad prædicationem verbi adjiciantur Sacramenta, tanquam ſigilla quibus promiſſiones Dei in cordibus noſtris obſignentur: & duo ejuſmodi Sacramenta à Chriſto eſſe ordinata, nempe Baptiſmum & Cœnam Domini: ac prius quidem, ut nobis patefaciat aditum in Eccleſiam Dei: alterum vero, ut in ea nos retineat. Quinque vero illa ſacramenta à Papiſtis excogitata, & in ipſorum cerebro primum nata repudio.

Quamvis autem Sacramenta ſint nobis pro arrhabone, quo reddamur ſecuri de promiſſionibus Dei, tamen agnoſco illa fore nobis inutilia, niſi Spiritus ſanctus illa in nobis redderet efficacia, tanquam inſtrumenta: ne fiducia noſtra creaturis intenta, à Deo ſejungatur. Quo etiam confiteor Sacramenta depravari & perverti, quum ad eum ſcopum non referuntur ut in Chriſto quæramus quicquid ad noſtram ſalutem requiritur: & quoties ad alium uſum accommodantur quam ut omnem noſtram fidem penitus in eo defigamus. Præterea, quoniam adoptionis promiſſio ad poſteritatem uſque fidelium porrigitur, agnoſco oportere fidelium infantes in Eccleſiam recipi per Baptiſmum: & in ea re deteſtor Anabaptiſtarum furores.

Quantum attinet ad Cœnam Domini, confiteor eam eſſe teſtimonium noſtræ cum Chriſto unionis: quoniam non tantum mortuus eſt ſemel & reſurrexit pro nobis, ſed etiam nos vere paſcit & nutrit ſua carne & ſanguine, ut ſimus unum cum eo, & ejus vita ſit nobis communis. Quamvis enim ſit in cælis tantiſper dum veniat judicaturus orbem terrarum: credo tamen eum arcana & incomprehenſibili ſui Spiritus virtute fretum, vivificare animas noſtras ſubſtantia corporis & ſanguinis ſui.

In genere autem confiteor Deum tam in Cœna quam in Baptiſmo nobis re ipſa & efficaciter donare quicquid in eis figurat: ſed ad tanti boni perceptionem requiri ut verbum cum ſignis conjungamus. Qua in re deteſtor Papiſtarum abuſum ac perverſionem, qui ex Sacramentis ſuſtulerunt quod præcipuum erat, nempe doctrinam quæ nos doceat verum uſum & fructum inde promanantem, eaque in magicas præſtigias commutarunt.

Item confiteor, aquam, licet caducum ſit elementum,

tum, tamen nobis in Baptiſmo vere teſtificari veram ſanguinis Jeſu Chriſti & Spiritus ipſius præſentiam: & in Cœna Domini panem & vinum nobis eſſe vera & minime fallacia pignora, nos ſpiritualiter nutriri Chriſti corpore & ſanguine. Et ita conjungo cum ſignis poſſeſſionem ac fruitionem ipſam ejus quod nobis ibi offertur.

Item quum ſacra Cœna, qualis eſt inſtituta à Jeſu Chriſto, ſit nobis ſacer theſaurus infiniti pretii, deteſtor, ut intolerandum ſacrilegium, execrandam illam abominationem Miſſæ, ad hoc unum utilem ut quicquid nobis Chriſtus reliquit evertatur. tum in eo quod dicitur eſſe ſacrificium pro vivis & mortuis, tum vero etiam in reliquis omnibus, quæ ex diametro repugnant puritati Sacramenti Cœnæ Domini.

Confiteor Deum velle orbem terrarum regi legibus ac politia, ut non deſint habenæ quibus effrenes hominum motus coerceantur: eamque ob cauſam regna, principatus, ac dominationes conſtituiſſe, & quicquid ad civilem juriſdictionem ſpectat. quarum rerum vult auctor haberi, ut propter eum non tantum feratur illorum imperium, ſed etiam eos revereamur & honoremus ut Dei vicarios, & miniſtros, ab eo conſtitutos ut legitimo & ſancto munere fungantur. Ideoque etiam agnoſco æquum eſſe ut eorum legibus & ſtatutis pareamus, tributa & vectigalia, cæteraque ejuſmodi perſolvamus, denique ut ultro ac libenter jugum ſubjectionis feramus: hac tamen cum exceptione, ut Deo ſummo Principi ſuum imperium integrum & illibatum maneat.

CONFESSIO FIDEI,

NOMINE

ECCLESIARUM GALLICARUM VIGENTE BELLO SCRIPTA,

Ut coram S. C. M. & Illuſtriſſ. Principibus Germaniæ, atque Ordinibus in Comitiis Francofurtenſibus ederetur, ſi per itinerum difficultates ex Gallia tum eo perveniri potuiſſet.

Anno M. D. LXII.

Ex Gall. DUbium nobis non eſt, Invictiſſime Cæſar, quin ex quo tumultus in Gallia excitati ſunt, magno noſtro animi dolore non defuerint qui cauſæ noſtræ apud V. Majeſtatem odium conflare conati ſint: quin etiam ad vos Illuſtriſſimi Principes, multa falſo delata ſint, quæ vos adverſum nos accenderent. Sed tamen una ſpes illa nos ſuſtinuit hactenus, ac nunc etiam ſuſtinet multo magis, quod quum audientia nobis aperta erit ad noſtras excuſationes afferendas,: illas non difficile admiſſuri ſitis, ubi ipſius rei veritas nude conſtiterit.

Edidimus autem jam ante plurimas teſtificationes, ex quibus toti mundo fides fieret innocentiæ & integritatis noſtræ: tantum ut abſit, ut vel cogitaverimus auctores eſſe ſeditionis ullius adverſus Regem, qui ſupremus Princeps eſt & Dominus noſter ſecundum Deum, ut ex oppoſito prorſus, hoc bello excitato, nos ipſos in capitis & fortunarum periculum conjecerimus, pro aſſerenda legitima ipſius poteſtate & ſuperioritate, cum Edictorum ipſius auctoritate: neque etiam ipſius Majeſtas ullos habeat ſubditos fideliores, magiſve obſequentes & pacatos, quam & nos ipſos feramus, & laturi ad extremum ſimus. Quare quum iſta jam aliunde ſatis conſtent, unum hic nobis faciendum duximus, ut exponeremus vobis quænam ſit fides illa noſtra atque religio, propter cujus uſum & cultum Edictis Principis approbatum, armis nos ipſos tueri coacti fuerimus. Accipimus enim malevolos quoſdam quibus nulla alia de nobis detrahendi occaſio occurrit, noſtram religionem apud S. V. C. M. & CC. VV. infamare, & multa apud vos confingere quæ vos ab illa alienent: quorum calumniis repellendis niſi aliquis apud vos daretur aditus, cauſa noſtra illo artificio oppreſſa facile concideret.

Quum autem ad hanc fidei noſtræ expoſitionem edendam appoſita quidem eſſet illa confeſſio, quæ Eccleſiarum Gallicarum nomine edita eſt, cui nos etiam adhæremus, & quæ bis jam Regi exhibita eſt, (ex qua ſatis colligitur, quæ ſit noſtra fides, ut amplior declaratio requirenda non ſit, quæ nos à detractionibus illorum aſſerat, quorum ora illa maledicentiæ plena obſtrui vix unquam poſſunt) quia tamen officii noſtri eſt adhibere operam omnem, ut noſtra integritas perſpecta ſit, ac nemo illa offendatur: ſed ut tanto juſtius pateſiat fidei noſtræ ſinceritas, ne qua pravitati adverſariorum anſa relinquatur ad blaſphemandam Euangelii veritatem: commodiſſimum duximus, Invictiſſime Cæſar, ſi hanc fidei noſtræ comprehenſam ſummam ad S. V. C. M. & ad VV. C C. Illuſtriſſimi Principes, mitteremus, ut noſtra ſubſignatione teſtatam haberetis. Quemadmodum igitur apud S. V. C. M. & VV. C C. bene audire in primis exoptamus, ita & ab illis ſupplices petimus, ut huic noſtræ confeſſioni aditum apud ſe, atque audientiam pro benignitate ſua non denegent.

Primum igitur palam & aperte teſtamur recipi à nobis, & admitti ea omnia quæ veteribus Synodis deciſa ſunt de Dei eſſentia infinita & ſpirituali, de Perſonarum diſtinctione, de duarum in Chriſto naturarum unione: ut quæ ex Scriptura petita ſint, cui uni ſalus noſtra innititur: quum non extet alius idoneus teſtis qui certam de Dei majeſtate fidem nobis faciat, præter ipſum unum.

Quemadmodum autem vetus ac novum Teſtamentum pro unica fidei regula amplectimur, ita etiam admittimus quicquid illi ipſi per omnia reſpondet. Cujuſmodi eſt profeſſio fidei trium in unica Dei eſſentia diſtinctarum Perſonarum, itemque quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus verus Deus & homo exiſtens, ita duas illas naturas univerit, ut tamen non confuderit. Proinde hic illas omnes hæreſes deteſtamur, quæ jam olim damnatæ fuerunt tam Arii, Sabellii, Eunomii & quæ eodem pertinent, quam Neſtorii & Eutychetis. Abſit enim à nobis vel minima labes illarum hæreſeōn, quibus Eccleſia Dei catholica pridem vexata fuit, dum ſua in illa puritas extaret. Quamobrem tota contro-

verſiæ

Digitized by Google

verſiæ noſtræ ſumma non eſt in alio poſita, quam ut teneatur, cui rei tandem fides ſalutis noſtræ inniti debeat: quomodo à nobis Deus invocandus ſit: quæ item cultus Dei recta & legitima ratio. His addendæ & iſtæ appendices, quis ſit verus Eccleſiæ ſtatus, quod Prælatorum & Paſtorum munus, quæ natura, efficacia, uſus Sacramentorum.

Ut probe conſtituatur in quo ſalus hominum poſita ſit, omnino ſtatus ipſe hominum & conditio tenenda oobis eſt. Ergo de homine ita Scriptura præeunte ſentimus, nempe quod humanum genus per Adami lapſum corruptum ſit, quod omnes natura exitio & damnationi obnoxii ſimus, non tantum, quia Adamus ipſe peccarit, ſed quoniam peccatores & ipſi ſimus ab utero: ac Dei judicium ab illo momento merito adverſum nos intendi poſſe, etiamſi nullum opus ooſtrum extiterit, cujus merito damnationem nobis accerſiverimus.

Præterea ſeitimus originale peccatum eſſe corruptionem per omnes animæ partes diffuſam, ut tum recta intelligentia & ratio in nobis inverſa ſit, ut non ſecus ac cæci in tenebris verſemur: tum etiam voluntas pravis affectibus mancipata, nihil præter rebellionem & omne malum ſpiret. In ſumma nihil aliud de nobis ſtatuimus, quam quod ſimus perdita mancipia peccati vinculis illigata: nec ita tamen, ut quod male agimus, non ſponte fiat à nobis, ut in alium culpa à nobis conferenda non ſit, ſed quatenus ab Adamo progeniti, nullam prorſus facultatem ad bene agendum habemus, quum omnes noſtræ facultates corruptione laborent.

Inde colligimus fontem & originem noſtræ ſalutis manare à mera Dei miſericordia: quum in nobis nulla extet dignitas, quæ ipſum ad oos amore proſequendum impellat. Quum enim arbores malæ ſimus, nullum bonum fructum ferre poſſumus, quo ipſum præveniamus, ut gratiam & meritum apud illum oobis comparemus: ſed ab ipſo nos reſpici ut noſtri miſereatur: neque ullam à nobis occaſionem accipere, quam ex noſtra ipſorum miſeria, ut ſuam erga nos miſericordiam aperiat. Quin etiam aſſerimus illam ipſius bonitatem erga nos ex eo fluere, quod elegerit nos ante mundi creationem, ut extra ſeipſum ac ſuam benevolentiam cauſam non petierit. Atque illud noſtrum eſt ſummum fundamentum, quod ſimus Deo grati, quoniam ipſi placuerit adoptare nos in filios, antequam nati eſſemus: ac proinde ſingulari privilegio exemerit à communi maledictione, quæ univerſis hominibus incumbit.

Quando autem arcanum Dei à nobis comprehendi non poteſt, fatemur ad obtinendam ſalutem veniendum eſſe ad medium illud, quod Dominus ipſe conſtituit. Nihil enim habemus commune cum cerebroſis quibuſdam, qui prædeſtinationis æternæ prætextu viam ipſam negligunt, qua ad vitam pervenitur, ad quam prædeſtinati ſumus. Imo illud aſſerimus, ut filii Dei cenſeamur, ac ſerio illud conſtet, credendum eſſe in Chriſtum, quia in illo uno tota noſtræ ſalutis ſubſtantia quærenda ſit.

Ac primum quidem credimus mortem Chriſti unicum ac perpetuum ſacrificium extitiſſe, quo oos Deo reconciliaret: in illa nobis offerri plenam ſatisfactionem pro peccatis: ipſius ſanguine ſordes noſtras omnes ablui: proinde noſtram fidem inniti in ſolidum peccatorum remiſſioni, quam ipſe nobis non ad momentum aliquod duntaxat, ſed perpetua vita acquiſivit, ut & ea ratione appelletur Chriſtus noſtra juſtitia. *1 Cor. 1. verſ. 30.* Ac tantum abeſt, ut merita noſtra locum ullum retineant, ut aperte fateamur cum ſeria noſtri dejectione, nihil ineſſe nobis quod ſi Deus intueatur, non merito condemnet. Quare unum nobis præſidium eſſe ad ipſius gratiam expectandam, puram ipſius miſericordiam, quatenus ipſe in Filii dilecti nomine nos admittit.

Quum vero peccatorum remiſſionem non ideo largiatur, ut ad peccandi licentiam illa abutamur, ſed potius ut in Pſal. 130., Deus nobis propitius ſit, ut timeatur: ſentimus etiam gratiam illam Dei quæ in Chriſto nobis apparuit, eo referendam eſſe quo docet Apoſtolus, ut abnegata impietate, & mundi *Tit. 2: 12.* deſideriis, ambulemus in ſanctitate & juſtitia, & aſpiremos ad ſpem illam regni cæleſtis. Non eſſe igitur Chriſti ſanguinem, purgationem ejuſmodi, quæ in noſtris ſordibus nos relinquat, ſed quæ potius ad veram puritatem perducat: atque ideo ſi filii Dei ſumus, oportere nos ipſius Spiritu eſſe regenitos. Sic accipiendum qood de Chriſto ſcriptum *1 Joan. 3. verſ. 8.* ſit, ipſum veniſſe ut deſtruat regnum diaboli, quod eſt regnum iniquitatis, quia non in eum tantum finem datus ſit mediator, ut per illum obtineamus peccatorum remiſſionem: ſed etiam ut per eum ſanctificemur, quod aliud non eſt, quam uti oos ex mundi pollutionibus eximat. Chriſtiani igitur eſſe non poſſumus, niſi ſimus etiam novæ creaturæ for- *2 Cor. 5. verſ. 17.* matæ ad bona opera, quæ Deus præparavit ut in ipſis *Epheſ. 2. verſ. 10.* ambulemus: nempe quia ex nobis ipſis ad illa præſtanda comparati non eſſemus, ſed Dei donum erga *Philip 2. verſ. 13.* nos: quod velimus, & quod poſſimus, & ab illo uno ſit noſtra ſufficientia: ut eo nomine Chriſtus ac- *2 Cor. 3. verſ. 5.* cepit omnem gratiæ plenitudinem, ut ab illo omnes *Coloſſ. 1. verſ. 19.* hauriamus. Proinde oeque merita, neque liberum arbitrium ſtatuimus, ſed potius bona opera mera *Joan. 1. verſ. 16.* Dei dona eſſe prædicamus.

Fide autem nos in omnium illorum bonorum poſſeſſionem mitti ſtatuimus, quando ipſa eſt ſingulare illud inſtrumentum, per quod Chriſto communicamus, ut habitet in nobis: utque in ipſum tanquam vitæ arborem inſeramur, ut ſimus corporis ipſius membra, ut in illo vivamus, & ipſe vivat in nobis, atque & ipſum & omnia ipſius bona poſſideamus. Ac ne novum videatur quod tantam efficaciam fidei tribuimus, fidem appellamus non evanidam aliquam opinionem, ſed certam comprehenſionem promiſſionum Dei, quibus tot illa bona continentur. Sic Chriſtum amplectimur pro ſalutis noſtræ in ſolidum ſponſione, ſic ad noſtrum uſum applicamus quicquid accepit à Patre, ut nobis impertiret: adeoque agnoſcimus nullam ſalutis notitiam, niſi cælitus nobis poſſe conſtare: quatenus videlicet, ut loquitur Scriptura, illuminamur à Spiritu ſancto, ut aſſequamur quod omnem hominum captum ſuperat, atque idem Spititus obſignat in cordibus noſtris, quid nobis credendum ſit.

Quanquam autem uti ad bona opera edenda vocati ſumus, fructus quoque qui vocationi noſtræ reſpondeant, proferamus, ot à Domino plane liberati, ſerviamus ipſi in ſanctitate & juſtitia, nunquam tamen *Luc. 1.* quamdiu hic vivimus, tot infirmitatibus noſtris ad *verſ. 75.* plenum exuti ſumus. Imo ipſæ etiam noſtræ cogitationes & affectus tot vitiis ſcatent, ut nihil ex nobis prodire poſſit, quod dignum ſit, ut à Deo approbetur. Quare tantum abeſt ut bene agere ſtudendo, quicquam apud Deum mereamur, ut ne ad ſolvendum quidem quod tenemur, pares ſimus. Semper enim habebit Dominus quod in nobis requirat: merces vero ab ipſo niſi Legem præſtantibus non eſt conſtituta; atqui ab eo quam longiſſime abſumus. Ita igitur agnoſcimus concidere merita omnia, quatenus non tantum Legem perfecte non præſtamus, ſed etiam quod in unoquoque ex noſtris operibus inſit ſua labes, & defectus. Scimus illud tradi ſolitum, quod peccata ſatisfactionibus compenſanda ſint. Sed quia Scriptura unam Chriſti mortem pro ſatisfactione proponit, alibi acquieſcere non poſſumus, quam in ſacrificio mortis ejus quo ira Dei placata ſit, cui nulla ex creaturis erat ferendo. Qua- *Rom. 3.* propter ſentimus juſtificari nos ſola fide, quia aliun- *verſ. 28.* de mutuo ſumenda ſit, nempe à Chriſto, quæ nobis deeſt juſtitia, eaque non ex parte, ſed in ſolidum.

Inde naſcitur invocandi Dei fiducia: quum abſque

fide

Rom. 10. fide nullus ad illum eſſet nobis aditus, ut Scriptura
verſ. 14. nos docet, non exaudiri videlicet, qui hæſitanter &
Jac. 1: 6. inquieta conſcientia precentur. Summum bonum
igitur & veram animi pacem illam eſſe ſentimus,
quum plene perſuaſi ſumus de peccatorum remiſſio-
ne per fidem quæ eſt in Chriſtum, quum illa ſit no-
ſtra clavis qua aditus ad Deum pateat. Scriptum eſt
Joël. 2. vero, quod quicunque invocaverit nomen Domini,
verſ. 32. ſalvus erit. Preces igitur ad Deum quidem dirigi-
Joan. 16. mus, ſed ut eadem Scriptura docet, in Chriſti no-
verſ. 23. mine, qui ſe nobis advocatum conſtituit: quum ſine
illo indigni eſſemus, qui ad Deum accederemus.
Quod autem Sanctorum & Sanctarum interceſſio-
nem non requirimus, hoc nobis vitio verti non de-
bet. Quum enim in omnibus noſtris actionibus hoc
primum eſſe debeat, ut certo conſcientiæ teſtimo-
nio ducamur, tum maxime in oratione nimis ſobrii
eſſe non poſſumus. Sequimur & illam regulam ex
Rom. 10. Non poſſe ante invocari à nobis Deum,
quam ipſum cognoverimus, quod ipſius verbo tan-
tum aſſequamur, ut teſtimonium voluntatis ipſius ha-
Pſal 50. beamus. Et quod majus eſt, quum Dominus habeat
verſ. 14. orationes noſtras pro præcipuo & præſtantiori quo-
dam ſacrificio, quo ipſius majeſtatem proſequamur,
illud transferre ad creaturas, atque ita huc illuc va-
gari ſine ſacrilegio non poſſumus. Accerſere autem
alios patronos ab uno Chriſto, in nobis aut noſtro ar-
bitrio poſitum non eſſe cenſemus. Tenemur quidem
precari alii pro aliis, quamdiu hic vivimus: verum
ad mortuos conferre nos non auſimus, quum Scri-
pturam auctorem non habeamus, ne præſumptionis
rei coram Deo ſimus. Imo vero enormes illi abuſus,
qui hac in parte obtinuerunt, atque nunc etiam ob-
tinent, ſatis nos admonent, ut in tali ſimplicitate
nos contineamus, ac certos fines à Domino poſitos,
ne ultra noſtra audacia vel temeritas excurrat, ob-
ſervemus. Invectæ ſunt enim multæ precularum ſpe-
cies cum horrendis blaſphemiis conjunctæ, ut illa
ad Virginem verba ſonant, JUBE NATUM,
JURE MATRIS IMPERA: Item quum POR-
TUS SALUTIS, VSTA, SPES NOSTRA
ab infidelibus invocatur.

Ut autem non invocamus vita functos, ita etiam
pro mortuis preces non concipimus, ne aliud com-
mentum approbemus, ac ne quid extra Scripturam
tentemus: eſſe nempe locum Purgatorii, in quo
animæ demum peccatorum pœnas luant. Hoc ſi ad-
mittitur, redemptio à Chriſto allata plena ac per-
fecta non eſt, ac tantundem ita derogatur morti
ipſius, quaſi ab illo ex parte tantum liberatio nobis
allata ſit: quod dici ſine blaſphemia non poteſt. Pro-
inde quum hic agnoſcamus miſeros homines ludi-
ficatos fuiſſe, nihil affingere volumus contra fidei
Chriſtianæ principia: adeoque nobis hoc ſatis eſt,
ſi in pura Scripturæ doctrina, quæ nihil iſtorum tra-
dit, pedem figamus. In ſumma, totum illud habe-
mus pro ſuperſtitione ex hominum cerebro enata:
ac præterquam quod fas non eſt Deum temere in-
vocare, nolumus porro hoc nobis adrogare, ut
Chriſti unius officium, quo noſtra conſtat redem-
ptio, pro mortuis nos interponendo uſurpare vi-
deamur.

Alterum præcipuum caput, de quo nobis non
convenit cum uſu & opinione quæ vulgo recepta eſt;
in ratione cultus Dei poſitum eſt. Nos enim totum
iſtud petendum eſſe contendimus ex ipſo illius ver-
1 Sam 15. bo, quo etiam unam obedientiam ſacrificiis à ſe
verſ. 22. præferri teſtatur: ac paſſim hoc inculcat, ſe unum
audiri velle, ubi de cultu ei exhibendo qui ipſi pro-
betur, agendum eſt. Nos, inquam, ſentimus non
eſſe noſtrum comminiſci ex nobis quod libuerit,
aut etiam obſervare quod ex aliorum cerebro pro-
dierit, ſed in una Scripturæ ſimplicitate ſtandum
nobis eſſe. Quamobrem credimus nullum in Dei
cultu locum eſſe debere cuilibet rei, quæ non ex Dei
verbo petita ſit, ſed hominum auctoritate inſtituta.
Atque in hoc capite duo iſta axiomata ponimus:
Unum, quod jus hominibus non ſit obſtringere con-
ſcientias ſub pœna peccati mortalis, quum non fru-
ſtra Dominus haberi velit unus Legiſlator, penes Jacob. 4.
quem ſit ſervare & perdere: non fruſtra etiam tot verſ. 12.
locis hoc ingerat, ne quicquam addatur ad ipſius
mandata. Neque etiam hoc poteſt recipi, quin Do-
minus ipſe quodammodo ita notetur imprudentiæ,
& inadvertentiæ in rebus tradendis, quarum uſus
tam appoſitus fuiſſet. Alterum axioma eſt, rejici
à Deo ut mixturam totidem fœditatum, quum ex
noſtra devotione illum colere intendimus. Atque
ideo apud Jeſaiam clamat, inverſum eſſe funditus Jeſa. 29.
omnem cultum ſui, ex quo mandata hominum in- verſ. 13.
vecta fuerunt. Quod etiam Dominus ipſe apud
Matth. confirmat, fruſtra ſe coli ſecundum man- Mat. 55.
data hominum. Hoc igitur aperta ratione evinci- verſ. 9.
tur, ſupremum illud ac ſingulare ſpirituale jus uni
Domino inviolatum eſſe ſervandum: ut ſaltem vo-
luntas ipſius ſit nobis pro freno, ac ſupra devotio-
nes noſtras dominetur.

Atque hic ea nobis occurrunt ex communi expe-
rientia, quæ nos tam diſerte commonefaciat, ut
tanto magis in eo confirmemur, ne fines à Scriptura
poſitos prætergrediamur. Ex quo enim leges Dei
culto ſtatui cœperunt, & quæ ad conſcientias ob-
ſtringendas pertinerent, nec modus nec ratio ad-
hibita eſt. Dominus porro ita mundum tantæ auda-
ciæ merito punivit, talibus deliriis excæcando, ut
vel ipſa cogitatio horrorem incutiat. Ac ſi verbi
gratia traditiones humanæ propius expendantur,
abyſſus illic comperietur, adeo infinitus eſt nume-
rus. Extant vero abuſus tam enormes tamque ab-
ſurdi, ut ſtupendus ſit hominum in eo ſtupor: niſi
quod agnoſcendum illic eſt Dei judicium, quale
per Jeſaiam populo denunciat, quod ſapientes ipſi Jeſa. 29.
excæcentur, & obbruteſcant, dum ipſum impen- verſ. 14.
dio colere volunt obſervando mandata hominum.
Ex quo à pura & ſancta Dei obedientia diſceſſum
eſt, bona intentio viſa eſt ſufficere ad omnia appro-
banda: unde ſuperſtitionibus feneſtra aperta fuit.
Inde imaginum adoratio, Miſſarum nundinatio,
apparatus & ornatus in templis, peregrinationes,
& temeraria paſſim vota. Atque iſta obiter attigiſſe
ſufficit, quum immenſa ſit illarum rerum congeries.
In ſumma ſi Dei cultus ab hominum inventis pen-
deret, nulla amplius certitudo nec fides religioni
conſtaret: ſed omnia præpoſtere fierent, & Chri-
ſtianiſmus à Paganiſmo nulla in re differret. Pri-
mum vero illud quod attigimus, de tyrannide quæ
uſurpatur in conſcientias, non eſt minoris mo-
menti: quum ita miſeræ conſcientiæ opprimantur.
Exemplo ſit unum mandatum de confeſſione pecca-
torum annua edenda apud ſacrificulum. Nam ſi vel
unius diei peccata non eſt qui percenſeat, quis
tandem anniverſariam enumerationem præſtabit?
Et tamen ita ſonant verba Decretalis, non aliter ob-
tineri poſſe remiſſionem peccatorum. Hoc vero eſt
januam ſalutis omnibus ſemel præcludere. Quod
ſi non ita impoſſibilis eſſet humanarum iſtiuſmodi
legum præſtatio, maneret tamen ſacrilegium, quod
Dei jus ita uſurpatur, quum negatur remiſſio pec-
catorum, niſi præmiſſa illa auriculari confeſſione.
Illud enim eſt apponere conditionem promiſſioni
Dei, quæ ipſam mendacem aut evanidam reddat.
Perinde ſe habet interdictio eſus carnium certis die-
bus ſub pœna peccati mortalis. Fatemur vero jeju-
nium & continentiam à cibis, rem eſſe laudabilem:
ſed iſtiuſmodi prohibitio partem juris Dei præci-
dit. Prohibitio etiam conjugii Clericis & Nonnis
impoſita, utrumque malum complectitur. Neque
enim creaturæ jus erat vetare, quod à Creatore per-
miſſum eſſet: neque etiam cogi fas fuit ad continen-
tiam, qui donum illud non accepiſſent, quin aperta
deſpe-

Digitized by Google

deſperationis aut non levioris fere mali vorago ipſis objiceretur. Atque ut hoc belle ceſſerit, res ipſa clamat, nos quidem etiam pudet in memoriam revocare.

Interea tamen Eccleſiæ auctoritatem, vel Paſtorum & Superintendentium, quibus Eccleſiæ regendæ provincia mandata eſt, ſublatam nolumus. Fatemur ergo Epiſcopos ſive Paſtores reverenter audiendos, quatenus pro ſuæ functionis ratione verbum Dei docent. Fatemur præterea tum omnes, tum etiam ſingulas Eccleſias hoc jus habere, ut leges & ſtatuta ſibi condant ad politiam communem inter ſuos conſtituendam, quum omnia in domo Dei rite & ordine fieri oporteat: ejuſmodi porro ſtatutis obedientiam deferendam eſſe, modo ne conſcientias adſtringant, neque ſuperſtitio illic adhibeatur: qui hoc detrectent, cerebroſi & pervicaces apud nos habentur. Enimvero non diſſimulamus, quin veri & legitimi Paſtores diſcernendi ſint ab illis, qui titulum inanem gerunt duntaxat. Nam & abuſus per ſe patet, quod qui ſe haberi pro Prælatis volunt, atque pro talibus agnoſci, nullam ſpeciem alicujus functionis edunt, quæ nomen cum re ipſa conciliet. Peſſimum vero illud eſt, dum ſuæ illius dignitatis prætextu, miſeras animas in exitium abducunt, dum illas à Dei veritate ad ſua commenta avertunt. Proinde ut in reliquis eſſent tolerabiles, ubi falſas doctrinas & impoſturas propinant, obſervandum nobis eſt etiam hac in parte illud
Actor. 5. verſ. 29. Petri & Apoſtolorum reſponſum: Obedire oportet Deo magis quam hominibus.

Porro quod ad Primatum attinet, quem Papa ſibi arrogat, uſurpationem plane enormem eſſe ſentimus. Ut enim concedamus expedire, ut extet caput aliquod in Eccleſia (quod tamen ex diametro repugnat verbo Dei) tamen longe abſurdiſſimum ſit, ut aliorum Epiſcoporum caput habeatur, qui ne Epiſcopus ſit quidem. Ac ſi quod de ſua Hierarchia garriunt, excutitur, ſatis comperietur nihil illic extare, quod reſpondeat illi poſitioni miniſterii, quam à Domino & Apoſtolis ipſius accepimus: imo apertam corruptionem eſſe, quæ regimen Eccleſiæ convellat. Non attingimus luxus & ſcandala quæ vulgatiſſima ſunt: illud urgemus, ad omnes Chriſtianos pertinere, ne ipſi in Dominum rebelles ſint, ut averſentur & procul habeant quicquid intelligunt puritati cultus ipſius repugnare. Quando enim de juriſdictione ſpirituali agitur, quam ſibi uni recepit Dominus, nulla humana ſublimitas non dejici omnino debet. Edicta quidem Principum & Magiſtratuum ſuum jus & pondus habent, quantumvis acerba ſint, adeoque etiam iniqua, ut contemni illa fas non ſit. Tanti enim non ſunt facultates huic vitæ conjunctæ, uti neque vita ipſa, quin auctoritas à Domino Principibus & Magiſtratibus collata præponderare debeat. Atqui longe diverſa ratio eſt, ubi agitur de conſcientiis ſubjiciendis legibus tyrannicis, exoticis, adulterinis, quæ eo tendunt, ut à Dei obedientia & ſubjectione homines avertant. Interea etiam fatemur non eſſe privatorum, abuſus iſtos corrigere, ut penitus eos ipſi tollant: ſed ab omnibus tamen requiri, ut ab illis ſeſe ſubducant, ut ſeſe integros & incontaminatos in Dei cultu præſtent.

Quod ad Paſtores, qui fideliter officio funguntur, attinet, ſic agnoſcendos eſſe ſentimus, ut qui illum ipſum exhibeant à quo ſint inſtituti. Oportere etiam ut Chriſtiani omnes ſeſe ſiſtant pro ordinis communis ratione, ad audiendam ſalutis doctrinam, edendam fidei confeſſionem, ſeſe in Eccleſiæ unione continendum, admittendas placide reprehenſiones & cenſuras, atque navandam operam, ne qua ſecta vel turba in Eccleſiam irrumpat. Proinde illos pro ſchiſmaticis habemus, qui turbas & confuſiones invehunt ad diſſipandam Eccleſiam, quæ non aliter ſtare poteſt, quam ubi regitur à ſuis Paſtoribus, quando ita eſt voluntas Domini: atque Matt. 18. verſ. 18.
extat ipſius mandatum ad ſingulos tam ſummos quam Joan. 20. verſ. 23.
infimos, ut ſeſe cum ſincera demiſſione ordinationi, cujus auctor eſt, ſubmittant atque conforment. Adeo, ut quicunque ſeſe ſeparant & abſcindunt ſponte à cœtu fidelium, iidem ſeſe à regno cælorum ejiciant. Tantum ut qui Chriſti nomine audiri volunt, attendant ut quæ à Domino acceperint, eadem & ipſi tradant. Supereſt edenda fidei noſtræ quod ad Sacramenta confeſſio. Habemus igitur Sacramenta, tum pro teſtimoniis gratiæ Dei, ut magis ac magis illa nobis rata ſit, tum etiam pro ſignis & notis externis, quibus Chriſtianiſmum coram hominibus profitemur. Equidem uno Dei verbo abunde eſſe nobis debuerat, ut ſalutis noſtræ plenam fidem perciperemus. Atqui quum ita Domino placuerit noſtræ infirmitati & fragilitati talibus mediis inſtitutis conſulere, ratio ipſa evincit obſtringi nos aperte, ut & illa admittamus, & ad uſum noſtrum applicemus. Sacramenta igitur obſignationum vicem habent, ut gratiam Dei appoſito ſigillo in cordibus noſtris inſculpant, & magis auctoratam reddant: qua ratione etiam nomen doctrinæ viſibilis ſeu aſpectabilis illis tribui poteſt. Et ſane videmus quicquid illis figuratur & demonſtratur, id in nobis impleri. Non ſunt enim Sacramenta figuræ inanes aut illuſoriæ, quum ille ſit auctor Sacramentorum ut fidem per illa confirmet, qui ipſe eſt veritas indubitatiſſima. Credimus etiam, quicquid indignitatis in Miniſtro inſit, eo nihil Sacramenti efficaciæ decedere, quum Dei veritas non mutetur aut varietur hominum improbitate: quum etiam eorum non ſit efficacitatem indere ipſis Sacramentis. Sentimus, inquam, Sacramentis etiam ab improbis, & indignis adminiſtratis, ſuam naturam conſtare, ut nihilominus afferant & vere communicent iis qui ea percipiunt id quod figurant. Addimus tamen, ex parte illorum qui percipiunt Sacramenta fidem requiri. Siquidem utilia non eſſe, niſi ubi Dominus reddit illa efficacia, ut illic exerat tanquam per organa ſua Spiritus ſui virtutem. Requiri igitur operationem Spiritus Dei, ut efficaciam illorum ad ſalutem percipiamus. Fatemur etiam uſum Sacramentorum ita neceſſarium eſſe, ut qui ea contemnant, oſtendant ſe contemptores gratiæ Dei, & excæcatos faſtu diabolico, qui ſuam infirmitatem non norint, cui Dominus remedium afferre eo modo dignatus ſit. Præterea quum Sacramenta à Domino ipſi Eccleſiæ commendata ſint, ſentimus non licere unicuique ſeorſim illis uti, ſed eorum uſum communem eſſe debere, & in Eccleſia uſurpandum. Eorum etiam adminiſtrationem ad Paſtores pertinere, quibus ipſorum cura & diſpenſatio mandata eſt.

Hinc colligimus unius Dei eſſe inſtituere Sacramenta, quum unus ipſe ſit idoneus & teſtis voluntatis ſuæ, & obſignator promiſſionum, & exhibitor ſpiritualium donorum: quique unus hoc præſtet, ut elementa illa terrena ſint nobis arrhabones ſalutis noſtræ. Proinde non habendas pro Sacramentis quæ ab hominibus invectæ ſunt ceremoniæ, neque illis hoc nomen & hanc qualitatem niſi falſo tribui poſſe. Fatemur igitur ſeptenarium illum Sacramentorum cenſum, qui vulgo receptus eſt, à nobis non admitti, quum nullam etiam à verbo Dei approbationem habeat. Interea quum ex Sacramentorum numero Matrimonium expungimus, hoc non pertinet ad ſacram Dei ordinationem deſpectui habendam. Nam neque ita etiam decedere volumus quicquam dignitati Sacramentorum illorum quæ temporalia dici poſſunt, quamvis eorum uſum deſiiſſe ſentiamus: cujuſmodi fuit unctio ægrotorum. Tantum quæ à Deo prodiiſſe conſtat, ab illis diſcernantur quæ homines auctores habent.

Quum

Digitized by Google

Quum vero duo extent ordinaria Sacramenta ad communem totius Eccleſiæ uſum, Baptiſmus nimirum & Cœna Domini, brevem quod ad utrumque, fidei noſtræ confeſſionem ſubjiciemus. Sentimus igitur Baptiſmum quum nobis ſit lavacrum ſpirituale, idemque regenerationis noſtræ ſignum, hunc uſum habere, ut teſtificetur nobis, nos à Domino intromitti in Eccleſiam, ut nos pro filiis & hæredibus ipſe habeat. Proinde applicandam eſſe perpetua vita unam Baptiſmi perceptionem, quæ nos confirmet in promiſſionibus quæ tum nobis oblatæ ſunt, tam de peccatorum remiſſione, quam de præſentia & directione Spiritus ſancti. Quando autem illa duo dona quæ in Baptiſmo conferuntur, in Chriſto nobis exhibentur, quum alibi extare non poſſint: credimus ad fructum Baptiſmi vere potiendum, hoc nobis ſpectandum eſſe, ut certo ſtatuamus, nos Chriſti ſanguinis effuſione aſperſos & mundatos eſſe, atque illius ipſius mortis & reſurrectionis efficacia nos in nobis mori, ut in novam vitam excitemur. Inde fit ut quum Chriſtus ſit Baptiſmi ſubſtantia, ut Scriptura ſic loquitur, nos in Chriſti nomine baptizari. *Actor. 10. verſ. 48 & 19. 5. & 22: 16.* Credimus præterea quum Baptiſmus ſit theſauri inſtar quem in Eccleſia aperire dignatur Dominus, oportere ut omnia etiam Eccleſiæ membra Baptiſmum percipiant. Quin autem fidelium liberi ad Eccleſiam pertineant, dubium apud nos non eſt, quando & ad ipſos pertinet adoptio Domini, ut ipſe teſtatur. *Gen. 17. verſ. 7.* Quare fraus illis fieret, ſi privarentur Sacramento, quod ad obſignandam promiſſionem tantum adhibetur, cujus ipſi jus habent. Maxime quum non deterior eſſe hodie debeat liberorum Chriſtianorum quam Judæorum olim conditio, quum ſalutis ipſa declaratio multo apertior nunc extet, quam olim ſub Lege. Quum igitur infantes tum circumciderentur ex Dei mandato, Sacramentum fœderis ad ſalutem non magis nunc Chriſtianorum liberis denegandum eſſet. Quare damnamus omnes phreneticos, qui infantium Baptiſmum impugnant.

Ut recte demonſtremus quid ſentiamus de Cœna Domini, cogimur illius repugnantiam cum Miſſa præmittere. Neque enim diſſimulare poſſumus nihil iſtis inter ſe commune eſſe, aut conforme, ac ne quidem quod ad illud accedat. Scimus hanc confeſſionem iſto nomine in odium multis venire poſſe, propter illam Miſſæ apud multos exiſtimationem & reverentiam. Et nos ex iſtorum numero fuiſſe etiam non diſſimulamus, donec Miſſæ abuſus nobis demonſtrati ſunt. Speramus igitur ubi noſtræ rationes placide auditæ perceptæque fuerint, nihil abſurdi notatum iri in iis quæ ſentimus. Sacrificii nomen ad Cœnam transſcriptum eſſe jam olim conſtat ſatis: ſed multum abeſt ut veteres illi vocabulum illud Sacrificii hoc loco eo ſenſu acceperint, quo deinde cœpit exaudiri: nimirum quod ſacrificium illud ſit oblatio meritoria ad obtinendam indulgentiam, & gratiam pro vivis & defunctis. Quanquam autem extent hodie quidam mediatores, qui ad elevandum errorem publicum qui orbem occupavit, fingunt ſe receptum habere ad veteres illos Patres: attamen uſus ipſe & tractatio oſtendit non magis iſta ſeſe contingere, quam quæ tota ſui natura remotiſſima ſint. Nam quis etiam ignorat Eccleſiam illam primitivam ignoraſſe Miſſas privatas, ut & fundationes, quas nunc vocant: Sacramentum autem ad uſum communem Eccleſiæ aſtantis adminiſtrari ſolitum fuiſſe? Atqui hodie emuntur Miſſæ & expiationes, quibus Dei judicio ſatisfiat: & cuique hic pro ſuo arbitrio quod licitatus fuerit, admetiuntur ſacrificuli. Talis nundinatio Eccleſiæ veteris patrocinio nullo modo nititur. Accedit & altera profanatio, quod quum ſacra Cœna unum Chriſti nomen præferre debeat, Miſſæ arbitrariæ, & novis titulis commendabiles procuduntur, ut Chriſtophori, vel Barbaræ, vel alterius cujuſvis ex albo Sanctorum nomine ſplendeant. Illud vero perinde veri Sacramenti naturæ atque ignis cum aquæ elemento convenire dicendum eſt.

Porro quod ad ipſam antiquitatem attinet, uti illam in honore habemus, neque libenter repudiamus quod à ſanctis illis Patribus eſt approbatum: poſtulare tamen ratio nobis videtur, ut vera Chriſti inſtitutio omnibus illis quæ ab hominibus allata ſunt, anteponatur: adeo ut nulli humanæ auctoritati ſuperſit locus, ubi de illius voluntate præſtanda agitur, qui unus plenum in omnes magiſterium accepit. Chriſtus ergo quum auctor ipſe ſit ſacræ Cœnæ non alius, habendum eſt pro canone certiſſimo & immutabili, quod ipſemet inſtituit, ut ſine diſceptatione obſervetur. Ipſe autem legitur diſtribuiſſe panem & vinum cum his verbis, Accipite, edite, bibite, Hoc eſt corpus meum, Hoc ſanguis meus. *Mat. 26. verſ. 26. Marc. 14. verſ. 22. Luc. 22. verſ. 19. 1 Cor. 11. verſ. 24.* Quare ubi quod Chriſtus offert ut à nobis recipiatur, offerre Deo ut à nobis recipiat, audemus, repugnantiam manifeſtam ordinationi Filii Dei includit. Quicquid igitur ad excuſandum afferatur, inducta ſemel illa ſacrificii ſpecie, transformatum fuit Sacramentum, & à ſua forma in contrariam prorſus traductum. Proinde ferre non poſſumus, ut Cœnæ loco, ullus ſacrificii modus retineatur. Siquidem à Chriſti mandato deflectere nefas eſt, quum ipſe illo Patris decreto ornatus prodeat, Ipſum audite. *Mat. 17. verſ. 5.* Hoc vero Paulus appoſite præſtitit, quum abuſum quendam qui inter Corinthios irrepſerat reformaturus, ipſos quaſi manu prebenſa reducit ad illud quod à Domino acceptum ipſis tradiderat: *1 Cor. 11. verſ. 23.* unde conſtat, extra Domini traditionem, nihil uſpiam ſolidi neque certi extare.

Sentimus igitur quum doceat Scriptura Chriſtum unico ſacrificio nobis perpetuam redemptionem acquiſiviſſe, *Hebr. 7. ad 11.* nec vero niſi ſemel ſuum illud corpus in pretium & ſatisfactionem peccatorum noſtrorum obtuliſſe, nefas eſſe audere repetere atque iterare iſtud ſacrificium: ac nominatim, quum Pater inſtituendo ipſum unicum ac perpetuum Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec, illud ipſum jurejurando confirmavit. Judicamus etiam blaſphemiam eſſe, quæ Chriſti dignitati aperte deroget, ſi qui præter unum ipſum, offerre ipſum audeant. Credimus præterea abuſum illum eſſe plane intolerabilem, quum Miſſæ fiunt abſque communicatione, quum Cœna nihil aliud ſit quam Sacramentum cujus perceptione fideles omnes corpori & ſanguini Domini participent. Damnamus perinde & alterum illum abuſum, qui paſſim obtinuit, quum extra clericos, quos vocant, nulli niſi ad partem Sacramenti percipiendam admittuntur. Scriptum eſt enim, Bibite ex hoc omnes: *Mat. 26. verſ. 27.* quod autem Deus conjunxit, ab homine ſeparari illicitum eſt. Sed & ipſa prima Eccleſia hoc divortium ignoravit quod eſt ſatis recens, quum uſum illi retinerent qui inſtitutioni Chriſti plane conveniret, ut omnes qui Cœnam perciperent, integrum in duobus elementis Sacramentum haberent. Non poſſumus etiam ferre alterum abuſum qui ſuperioribus connexus eſt, nimirum quod incognita lingua Myſterium celebretur. *1 Cor. 14. alio argumento.* Dominus enim voluit ipſe à ſuis percipi quum diceret, Accipite, edite, Ecce corpus meum: atque hæc verba Chriſti pertinent ad Eccleſiam. Quare mera eſt ludificatio & irriſio Sacramenti, ubi aſtans presbyter pani & calici immurmurat, ut nulla extet illius ſuæ actionis intelligentia.

De Cœna Domini igitur diximus primum, quorſum inſtituta ſit; ex quo colligendum eſt quis ſit illius tum uſus, tum etiam fructus. Scopus igitur ad quem referendus eſt Cœnæ uſus, iſte eſt, ut quam à Deo gratiam in Baptiſmo percepimus, jam tum in nobis promoveat & foveat in dies. Quemadmodum enim Baptiſmo nos Dominus regenerat, ut

ipſius

ipſius filii ſimus ; atque illa ſpirituali nativitate nos in Eccleſiam intromittit, ut pro domeſticis habeat: ita etiam in Cœna ſignificat ſe nobis proſpectum velle, ut in vita cæleſti foveat, donec ad illius cumulum perveniamus. Et quia non aliud eſt animarum alimentum quam Chriſtus ipſe, ipſum etiam eſſe, in quo vita nobis quærenda ſit. Hoc demum ut per noſtram infirmitatem & craſſiorem illum captum tamen percipiamus, Cœna nobis eſt ſignum externum viſibile, quo nobis teſtificatur Pater, nos Chriſti corporis & ſanguinis participes fieri, ut in ipſo vivamus ſpiritualiter. Ut enim ſe Chriſtus non vacuum, ſed locupletem nobis exhibet: ita nos etiam illum cum ipſius opibus apprehendimus, ut ipſummet poſſidendo, in ipſo poſſideamus quicquid ad noſtram ſalutem ſpectat.

Quum vero ſigni nomen Cœnæ tribuimus, illud non ita exaudimus, quaſi ipſa Cœnæ elementa ſint nudæ quædam figuræ aut repræſentativæ imagines: ſed profitemur, quicquid illic nobis ſignificatur, ſimul etiam reipſa præſtari, atque in nobis ipſis impleri. Quum enim Dominus ſit indubitatiſſima veritas, certum eſt ipſum nos in Cœna inani quadam pictura paſcere noluiſſe, ſed potius ipſam eorum ſubſtantiam, ad quæ ſignificanda Sacramenta ordinata ſint, ipſis ab illo demum eſſe conjunctam.

Quamobrem ſic ſentimus, quod in Cœna Domini non tantum exhibeatur nobis, ſed reipſa impleatur
Joan. 6. verſ. 55. in nobis quod his verbis Chriſtus docuit, nimirum corpus ipſius vere eſſe cibum, & ſanguinem vere potum. Etenim Dominus Jeſus offert nobis per ſigna illa panis & vini ſuum corpus & ſuum ſanguinem, iiſque ſpiritualiter paſcimur, modo ne noſtra incredulitate aditum ipſius gratiæ præcludamus. Quemadmodum enim vaſi etiam vacuo nihil infundi poteſt, quamdiu obſtructum manet: ſic etiam fide apertio illa & aditus parari debet, qui nos capaces reddat bonorum quæ à Domino offeruntur, juxta illud Pſalmi 81. verſ. 14. Dilata os tuum, & implebo illud. Non tamen ut noſtra incredulitate quicquam de Dei veritate decedat, aut quod noſtra pravitate Sacramentorum efficacia intervertatur. Qualeſcunque enim ſimus, Deus ſui ſimilis manet: neque etiam Sacramentorum efficacia pendet à noſtra fide: ut noſtra incredulitas ipſorum naturæ & qualitati derogare non poſſit. Cœna igitur eſt certum teſtimonium quod exhibetur omnibus tam bonis quam malis, ut Chriſtum perinde omnibus offerat: ex illo vero differentia emergit, quod non omnes perinde quod ita oblatum eſt, percipiunt. Et ſane illud eſſet nimis abſurdum, ſi Chriſtum & illi perciperent qui ſunt ab ipſo alieni, ac improbi Spiritu ipſius vacui, corpore & ſanguine ipſius paſcerentur, ut proinde emortuum quid fieret Chriſtus in iſtiuſmodi, exueretur propria virtute, atque omnibus bonis vacuus, nihil ejus quod eſt ab ipſo inſeparabile, conferret.

Quod affertur, impios reos eſſe corporis & ſanguinis Domini, quum indigne ad Cœnam accedunt, non evincit, aliud ab ipſis quam ſignum nu-
1 Cor. 11. verſ. 29. dum percipi. Quia non dixit Paulus reos eſſe eo nomine, quod videlicet ipſum Chriſti corpus & ſanguinem perceperint, ſed quod à rebus communibus illa non diſcreverint. Reatus illorum igitur hic eſt, quod Chriſtum ſeſe ipſis offerentem rejecerint: quum talis contemptus ſacrilegium penitus deteſtandum conjunctum habeat. Fatemur quidem in forma loquendi quæ Sacramentalis dicitur, impios corpus
Auguſtin. lib. 21. de civit. Dei cap. 25. paulo ante extremum. Chriſti & ſanguinem percipere, ut veteres etiam ita aliquando loquuntur, ſed ita ut ſuum ſenſum aperuerint, quum addiderunt ſe hoc ita non accipere, ut re ipſa & ipſo facto impii eo uſque pervenirent, ſed Sacramento tenus. Et ſane nulla nobis communio poteſt eſſe cum Chriſto niſi per fidem, neque ipſe viciſſim quicquam habet commune niſi cum ſuis ipſius membris.

Supereſt pertractanda ratio ſive modus, quo ſe Dominus Jeſus nobis in Cœna communicat. Hoc autem multas controverſias & diſceptationes peperit hoc noſtro ſeculo. Primum igitur, hic rejicimus non tantum delirium illud vulgare Tranſſubſtantiationis, quam vocant, ſed etiam illud quod Turonenſi Synodo fertur, Chriſtum nempe dentibus comminui, tum & deglutiri. Quod enim panis mutetur, ut ſola panis figura ſine ſubſtantia remaneat, illud repugnat naturæ Sacramenti, quo nobis demonſtratur, quod quemadmodum pane & vino ſuſtentamur, ita etiam animas noſtras Chriſti carne & ſanguine ali. Et omnino analogiam eſſe oportet inter ſpiritualem veritatem, & externum ſignum. Proinde ſi pro pane figura tantum panis in Sacramento extaret, ſola etiam Chriſti corporis figura per illum exhiberetur. Colligimus igitur indubie panem & vinum manere, ut ſint ſigna & teſſeræ, quæ teſtificentur carnem Chriſti panem noſtrum cæleſtem, & ſanguinem verum etiam potum. Illud etiam ſomnium quod Chriſti corpus deglutiamus, ac intra nos ipſos intromittamus, ut panem cibarium, plane eſt à Chriſtianis auribus alienum, atque omnino repugnat illi reverentiæ, qua ſacram quæ nobis eſt cum Chriſto conjunctionem amplecti debemus.

Interea vero fatemur nos vere uniri cum Domino Jeſu Chriſto, adeo ut ſui ipſius corporis ſubſtantia nos vivificet: non quidem quod huc ſe ipſe conferat, aut quod immenſo ſit corpore quo cælum & terram impleat, ſed quatenus iſta nos cum ipſo uniendi, atque ex ipſius ſubſtantia vivificandi gratia & virtus diffuſa eſt virtute Spiritus ipſius. Scimus quid nonnulli dicant, in tantis myſteriis abſtinendum eſſe à Quomodo. Sed ipſimet poſtquam ita proloquuti ſunt, definiunt tamen Chriſti corpus ita ſub pane eſſe, ut vinum eſt in vaſe. Nos vero fatemur omnino rationem qua cum Chriſto communicamus, ad miraculum referendam eſſe, atque omnem noſtrum captum ſuperare. Nec pudet nos cum Paulo excla- *Epheſ. 5. verſ. 32.*
mare, Magnum eſſe myſterium, & quod nos rapiat in admirationem: ſed illud non impedit quominus repudiemus quæ abſurda ſunt, & tum Scripturæ, tum fidei analogiæ repugnant.

Habemus autem illud pro certiſſimo axiomate, quod quamvis humana Chriſti natura cum Deitate ipſius conjuncta ſit ad conſtituendum in illo veram perſonæ unionem, illam ipſam humanam naturam tamen habere ſemper ſuam qualitatem ſeu conſtitutionem, & quæ illi omnimodo propria ſunt. Quemadmodum igitur Dominus aſſumpſit paſſibile corpus, ita etiam illud idem corpus quantum extitit demum & ſuum modum habuit, & infinitum non fuit. Fatemur vero corpus illud glorificatum eſſe, conditionem mutaſſe, ut jam nulli infirmitati obnoxium maneat. Atqui nihilominus ſuam illam ſubſtantiam habet. Alioquin quorſum illa promiſſio evaderet, *Philip. 3. verſ. 21.*
quod noſtra hæc corpora quæ corruptibilia nunc & caduca ſunt, conformaturus ſit corpori illi ſuo glorioſo? Utut ſit, nemo nos jure poteſt reprehendere quod Chriſtum ſurſum quæramus, uti etiam monemur ab Apoſtolo. Quod etiam in Eccleſia olim præ- *Coloſſ. 3. verſ. 1.*
mittebatur in myſterii hujus celebratione, quum Surſum corda ad cœtum Miniſter inclamaret. Porro qui nos accuſant, quod Dei potentiæ derogetur à nobis, valde ſunt in nos injurii. Non enim hic quæritur quid Deus poſſit, ſed quid verbo ſuo velit, extra quod nihil nobis quærendum ſit, ut hoc aut illud divinemus. Quare illam quæſtionem omittemus, an Deus poſſit efficere, ut Chriſti corpus ſit ubique, ſed cum omni modeſtia intra iſtos Scripturæ fines conſiſtimus, quæ perhibet, Chriſtum induiſſe

corpus noſtro corpori per omnia ſimile, verſatum eſſe inter homines, ſurſum receptum unde ſit deſcenſurus, ut ſeſe manifeſtum præbeat ultimo die: uti
Actor. 3. verſ. 21. etiam exprimitur à Petro in Actis, quod oporteat Chriſtum cælo capi, donec rurſum appareat. Atque
Actor. 1. verſ. 11. ita Angeli ad omnes Apoſtolos, quod eſt in primis notandum, Hic Jeſus, inquiunt, qui à vobis ſurſum receptus eſt, veniet ut ipſum vidiſtis aſcendere. Interea extollimus Dei potentiam magis, quam illi qui nos iſtiuſmodi probris infamant. Fatemur enim ipſam illam Chriſti à nobis ſecundum humanam naturam diſtantiam non impedire, quominus in ſeipſo nos vivificet, habitet in nobis, noſque adeo participes reddat ipſiuſmet ſubſtantiæ corporis ſui & ſanguinis, virtute incomprehenſibili ſancti ſui Spiritus. Ex quo apparet mere calumnioſum eſſe, quod nobis imponitur: quaſi nempe figeremus ſuos terminos Dei potentiæ ex placitis Philoſophorum. Atqui noſtra omnis Philoſophia una eſt, ſimpliciſſime admittere quod Scriptura nos docet. Illos etiam qui de nobis ſpargunt, nos videlicet fidem non adhibere huic Chriſti ſermoni, Hoc eſt corpus meum, & Hoc eſt ſanguis meus, pudere debuerat tam indignæ contumeliæ. Abſit enim ut vel cogitemus quicquam adverſus illum regerere, qui unus eſt conſtantiſſima veritas: nedum ut tam horrenda blaſphemia nobis excidat. Admittimus ergo ipſiſſima Chriſti verba: tantum ut ſenſum nativum illa retineant poſtulamus. Illum vero ſenſum à noſtro ſenſu non petimus, ſed ex perpetuo Scripturæ uſu, atque ex uſitato Spiritus ſancti ſtylo. Si quam novitatem proferremus, aut odioſa eſſet, aut ſuſpecta: quum autem unum quærimus, ut Sacramentalium loquutionum formam omnes agnoſcant, & in illa ſe contineant, nihil non cum ratione conjunctum petere nobis videmur. Atque, ut breve faciamus, *Epiſt. 23.*
palam teſtamur, nos aliter nec ſentire nec loqui, *ad Bonifacium.*
quam quod apud Auguſtinum totidem verbis ſcriptum legimus, Quod, ſi Sacramenta ſimilitudinem quandam non haberent cum illis rebus quarum ſunt Sacramenta, nullo modo Sacramenta eſſent: atque inde rerum ipſarum indi illis nomina: atque ita modo quodam, Sacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſſe, Sacramentum ſanguinis ipſius eſſe ipſum ſanguinem. Simul autem veritatem ipſam ſemper cum figura conjungimus, ut myſterium iſtud non eſſe inane, neque ſua illa veritate vacuum dici poſſit.

Habet igitur S. C. V. M. habent etiam CC. VV. Illuſtriſſimi Principes Confeſſionem fidei noſtræ, in qua nihil à nobis fucatum eſt vel detortum: ex qua etiam de noſtro jure cognoſci & pronunciari cupimus. Hic igitur à S. C. V. M. atque à CC. VV. Illuſtriſſimi Principes, quam demiſſiſſime poſtulamus, ut qua reverentia apud vos hoc noſtræ fidei teſtimonium editum voluimus, ipſis etiam placeat hoc quicquid eſt expendere, atque ea humanitate excipere, ut una ratio & æquitas apud vos locum habeat: amandentur vero omnes humanæ opiniones, ne quod veritati ab illis præjudicium afferatur.

JOAN-

JOANNIS CALVINI
TRACTATUUM VARIORUM
PARS SECUNDA,

τὰ ἐλεγκτικὰ continens:

IN SEPTEM CLASSES DIVISA.

CLASSIS PRIMA.

Adverſus Papiſtas.

JACOBI SADOLETI, ROMANI CARDINALIS,

Epiſtola ad Senatum populumque Genevenſem:

Qua in obedientiam Romani Pontificis eos reducere conatur.

JACOBUS SADOLETUS, Epiſcopus Carpentoracti, S. R. E. tituli ſancti Calixti Presbyter Cardinalis: ſuis deſideratis fratribus Magiſtratui, Conſilio, & Civibus Gebennenſibus.

CHariſſimi in Chriſto fratres, pax vobis, & nobiſcum, hoc eſt, cum Catholica Eccleſia, matre omnium noſtrum atque veſtrum, amor atque concordia, à Deo Patre omnipotente, & unico ejus Filio D. N. Jeſu Chriſto, ſanctoque ſimul Spiritu, quæ eſt unitas in tribus perfecta: cui laus eſt & imperium in omne ſeculorum ævum, Amen.

Arbitror, fratres chariſſimi, aliquibus veſtrum eſſe notum, me nunc degere Carpentoracti: quo veni ab Nicea, ſummum illuc Pontificem, ad pacificandos Reges ex urbe Roma proficiſcentem prius proſequutus. Amo enim Eccleſiam & civitatem hanc quam mihi ſpiritualem & ſponſam & patriam Deus eſſe voluit: populoſque hoſce meos vere paterna charitate complector, disjungique me ab illis valde ægre fero. Quod ſi honos iſte Cardinalatus, qui mihi inopinanti & inſcio delatus eſt, Romam me coëgerit redire (ut certe coget) quo in ea vocatione in qua ſum vocatus ibidem Deo ſerviam, non is tamen meum animum atque amorem ab his populis avocabit, quos habiturus ſum in mediis cordis mei penetralibus ſemper infixos. Igitur Carpentoracti quum eſſem, audiremque multa quotidie de vobis, quæ partim quidem mihi dolorem, partim etiam ſpem nonnullam excitarent, ut non diffiderem, nos & vos, qui fuimus quondam in recta erga Deum religione unanimes, eodem Deo benignius nos reſpiciente, ad eundem conſenſum cordium eſſe redituros, viſum eſt Spiritui ſancto & mihi (ſic enim Scriptura loquitur, & certe quæcunque integro & pio erga Deum geruntur animo ex Spiritu ſancto omnia ſunt) viſum eſt mihi, inquam, ſcribere aliquid ad vos, & eam animi curam ac ſollicitudinem, quam pro vobis capio, literis vobis declarare. Non enim, chariſſimi, nova eſt hæc mea erga vos ſuſcepta & benevolentia & voluntas: ſed quum ab eo tempore quo ego Dei voluntate Epiſcopus Carpentoractenſium factus ſum, annis abhinc tribus fere & viginti, propter commercium, quod vobis cum meis his populis frequens eſt, multa de vobis abſens & de moribus veſtris cognoviſſem, amare jam tum cœpi nobilitatem urbis veſtræ, ordinem formamque Reipublicæ, dignitatem civium, & illam in primis veſtram laudatam ac probatam apud omnes, erga externos homines & advenas humanitatem: & quoniam vicinitas quoque non exiguam ſæpe partem ad diligendum affert, ſicut in urbe propinquæ domus, ſic in orbe finitimæ provinciæ amoris inter vicinos conciliatrices ſunt. Non contigit ante hoc tempus, ſcilicet, ut vos hujus mei erga vos animi aut fructum perciperetis, aut aliquod ſignum indiciumque haberetis. non enim opera uſpiam eguiſtis mea: quæ vobis profecto paratiſſima fuiſſet: verum nulla ſeſe adhuc nobis obtulit occaſio. At nunc quidem certe non contigit ſolum mihi, verum etiam neceſſe eſt, ut quo in vos animo ſim affectus, vobis demonſtrare adnitar, ſi fidem meam erga ſummum Deum, & Chriſtianam illam in proximum charitatem retinere mihi cupio. Etenim poſtquam fuit ad aures meas delatum, homines quoſdam aſtutos, inimicos Chriſtianæ unitatis & pacis, id quod in aliis antea nonnullis fortiſſimæ gentis Helvetiorum oppidis & pagis jam feciſſent, item in vobis & civitate veſtra malæ diſcordiæ ſemina jeciſſe, Chriſtique fidelem populum à via patrum majorumque ſuorum, & à perpetua Catholicæ Eccleſiæ avertiſſe ſententia, omniaque diſſidiis & ſeditionibus impleſſe (qui tamen mos proprius eorum ſemper eſt, qui auctoritate Eccleſiæ oppugnanda, novas ſibi potentias & novos honores quærunt) teſtor Deum omnipotentem, eum ipſum qui nunc intimis meis

 cogi-

cogitationibus præſens adeſt, me & indoluiſſe graviter, & duplici quadam miſericordia affectum fuiſſe: quum ex una parte viderer mihi audire gemitum plorantis matris noſtræ Eccleſiæ & lamentantis, quæ tot & tam dilectis filiis uno tempore eſſet orbata: ex altera, veſtris, ô chariſſimi, incommodis & periculis commoverer. Sciebam enim ego: tales viros novatores veterum & bene conſtitutarum rerum, tales turbas, talia diſſidia, non ſolum animabus hominum peſtifera (quod tamen malum omnium maximum malorum eſt) ſed rebus etiam & privatis & publicis pernicioſa exiſtere. Id quod vos quoque ipſo eventu rerum edocti, cognoſcere potuiſtis. Quid ergo eſt? quum meus erga vos amor, & mea in Deum pietas me cogat, ut tanquam frater fratribus, & amicus amicis, intimum omnem animi mei ſenſum vobis libere exponam, vos plurimum rogatos volo, ut bonitatem illam veſtram, qua ſemper uti conſueviſtis, mihi quoque in præſentia, meis non ingrate accipiendis & legendis literis, præbeatis. Spero enim, ſi æquis modo mentibus hæc quæ ſcribo attendere volueritis, vos, ſi non conſilium meum, at animum certe rectum & ſimplicem, & veſtræ in primis ſalutis cupientem, non minimum probaturos: neque me quæ mea ſunt, ſed quæ veſtra commoda atque bona, quærere intellecturos. Neque ego tamen ſpinoſas & ſubtiles ordiar diſputationes: quam Philoſophiam beatus Paulus vocat, & fideles Chriſti ſemper monet, ne ſe per eam patiantur decipi, per quam iſti quidem vos circumduxerunt, quum inter imperitos obſcuram quandam jactarent Scripturæ interpretationem, fraudemque & malitiam, præclaro illo quidem, ſed falſo atque alieno doctrinæ & ſapientiæ nomine honeſtarent: ego ea proponam, quæ clara ſint atque illuſtria: quæ nullam in ſe erroris latebram, nullum fraudis & fallaciæ habeant diverticulum: cujuſmodi tamen ſemper eſt veritas. Ea enim & in tenebris lucet, & nemini non perſpicua eſt, & à doctis juxta atque indoctis faciliſſime percipitur: præcipueque in Chriſtiano genere doctrinæ, non ſyllogiſmis, nec verborum captionibus, ſed humilitate, ſed religione, ſed erga Deum obedientia eſt ſubnixa. Vividus eſt enim ſermo Dei & efficax, & concidentior omni acuto utrimque gladio, penetratque ad juncturas ſpiritus atque animæ, & ad intima compaginum ac medullarum, neque animos illaqueat impeditis argumentationibus, ſed cæleſti quodam interveniente cordis affectu, planum ſeſe & patentem mentibus noſtris offert: ut non tam humana intus ad intelligendum ratio, quam ipſe, ad ſe qui nos vocat, operetur in nobis Deus. Quem ego Deum patrem omnis rectæ intelligentiæ ſupplex precor, ut & mihi ad dicendum, & vobis ad percipiendum, ea adjumenta ſuæ benignitatis præbeat, per quæ poſſimus iterum in uno corde erga ipſum & in una mente conſentire. Atque ut inde initium capiamus, unde maxime opportunum eſſe ducimus: ego, fratres chariſſimi, ſic exiſtimo, me & vos, & reliquos præterea omnes qui in Chriſto ſpem & fidem ſuam poſuerunt, id ea una de cauſa ita facere & feciſſe, quod ſalutem ſibi atque animabus ſuis, non hanc mortalem & cito interituram, ſed illam ſempiternam & immortalem quærerent, quæ in cælo ſolum vere obtineri, in terris autem nullo modo poteſt. Eſt quidem ita diſpartitum hoc officium noſtrum, ut jacto primum fidei fundamento, hic deinde laboremus, quo illic quieſcamus: in terra ſemen jaciamus, quod in cælo poſtea poſſimus demetere: & quibus hic in operibus, quibuſve in ſtudiis noſmetipſos exercuerimus, ſimiles deinde atque dignos operum & laborum noſtrorum fructus in altera vita adipiſcamur. Quumque via Chriſti ardua, & ratio degendæ nobis ſecundum ejus leges & præcepta vitæ perdifficilis ſit, propterea quod animos noſtros ab omni terrenarum jucunditatum contagione avocare, & in eo ipſo uno figere, deſpicere præſentia bona quæ in manibus habemus, & futura quæ non cernimus, appetere jubemur; tanti eſt tamen unicuique noſtrum ſua & ſuæ animæ ſalus, ut nihil recuſare aſperum, nihil laborioſum non pati, animum inducamus, quo tandem aliquando una nobis ſpe ſalutis noſtræ propoſita, per ærumnas multas, & per ſollicitudines, (præeunte ſemper actionibus noſtris Dei clementia & miſericordia) ſtabilem ſalutem illam, & perpetuam conſequamur. Hac ſpe Chriſtus annunciator veri boni, quondam ab orbe terrarum tanto conſenſu & ſtudio omnium acceptus fuit. hac ratione à nobis adoratur & colitur vereque agnoſcitur Deus eſſe, & Dei veri Filius: quod unus ipſe ab initio omnium ſeculorum animos hominum Deo omnipotenti, in quo ſolo vita eſt, mortuos, ac hujus quidem mundi fallacibus & caducis blanditiis paulum temporis viventes, mox prorſus & ex omni ſui parte ad interitum condemnatos, à mortuis, hoc eſt, ab hoc maxime pernicioſo mortis genere excitavit: primuſque ipſe, ſemet, ſalutem & liberationem & doctrinam noſtram eſſe volens, morte carnis accepta, & paulo poſt vita non jam amplius mortali recuperata, ſuo exemplo nos inſtruxit & docuit: ut contraria longe ac prius conſueveramus via, mundo huic & carni, hoc eſt, peccato mortui, Deo deinde viveremus, ſpeſque in eo noſtras bene ac beate perpetuo vivendi poneremus: quæ eſt propria: & vere digna Dei omnipotentis gloria & majeſtate, noſtrorum omnium à mortuis ſuſcitatio: qua non unus aut alter homo, ſed cunctum hominum genus à terra & funeſta animæ morte, ad veram & cæleſtem ejuſdem animæ vitam revocatum eſt. Hanc hujuſmodi à mortuis ſuſcitationem ſibi proponens Paulus, maximumque in ea intuens divinitatis Chriſti argumentum atque indicium, Separatus ego in Euangelium Dei, inquit, quod promiſerat per Prophetas in Scripturis ſanctis de Filio ſuo, genito quidem ex ſemine David, ſecundum carnem, determinato autem & declarato Filio Dei in potentia per Spiritum ſanctitatis, hoc eſt, in potentia ſpirituali, quæ propria Dei potentia eſt: quod non corpore Deus, ſed ſpiritu mirabilia ſua agit. Imperare enim ventis, & cæcis verbo lumen reddere, & mortuos excitare, non corporea, ſed ſpirituali, quæ eadem & divina eſt, fiebat poteſtate. Declarabatur igitur Chriſtus Dei Filius, ex hac ſpirituali potentia, quæ ſola divina eſt. Et quod ſubjungit Paulus, ex ſuſcitatione à mortuis, non tam ea quidem, qua corpus Lazari, aut filium viduæ, aut principis ſynagogæ filiam (quanquam iſta quoque opera Dei erant) verum ea etiam ſuſcitatione magis, qua Mariam Magdalenæ à dæmoniis ſeptem, Matthæum à telonio, multos à terrena & moribunda vita, omne denique genus humanum à peccato & peccati morte, & à poteſtate hujus mundi tenebrarum, ad cæleſtem appetendam atque ſperandam & cognationem & lucem excitavit, demerſoſque in luto terræ hominum animos, erexit ad cælum, atque extulit. Atque hoc maximum Jeſu Chriſti erga nos beneficium, præcipuumque in eo ipſo divinitatis argumentum idcirco & inſtitutum à Deo in miſſione Filii ſui, & ab ipſo Filio ſuſceptum, & ſuo nobis tempore per eum datum tributumque eſt: ut omnibus & divinis & humanis in uno Chriſto conſiliis, auxiliis, virtutibuſque adjuti, nos animas Deo noſtras ſalvas ſiſtere poſſemus. Tanta eſt nobilitas, tam inſigne pretium, tam grandis æſtimatio hujuſce rei, quæ anima hominis eſt, ut quo ne ea perderetur, ſed & Deo ipſi & nobis lucrifieret, conturbatis penitus totius naturæ legibus, atque ordine rerum permutato, & Deus deſcenderet in terras, ut fieret homo, & homo erigeretur in cælum, ut eſſet Deus. Credimus ergo in Chriſtum (ut dicebam)

cebam) omnes, quo ſalutem animabus noſtris, id eſt, nobiſmetipſis vitam inveniamus: quo nullum optatum vehementius, nullum bonum interius, nec magis conjunctum ac familiare nobis adeſſe poteſt. Quantum enim ſeſe diligit unuſquiſque, tantum ipſi ſalus chara eſt ſua: quæ ſi negligatur, & abjiciatur, quod tandem erit præmium quod poſſit par acquiri? Quam enim dignam accipiet homo compenſationem pro anima ſua, inquit Dominus, aut quid proderit homini, vel ſi univerſum mundum lucretur, animæ autem ſuæ jacturam patiatur? Hæc igitur tam ampla, tam chara, tam pretioſa poſſeſſio, quæ noſtræ animæ ſalus unicuique noſtrum eſt, omni vi & conatu nobis retinenda eſt: ſiquidem cætera bona omnia quæ appetimus, externa atque aliena nobis ſunt, hoc unum bonum conſervatæ animæ, non ſolum noſtrum, ſed vere noſmetipſi iſtud ipſum bonum ſumus. Quod qui neglexerit atque amiſerit, is ne bonum quidem aliud habere ullum poterit, quo fruatur: quippe quum ipſe ille qui debuiſſet frui, jam ſe primum perdiderit. Aſſequimur porro bonum hoc noſtræ perpetuæ univerſæque ſalutis, fide in Deum ſola & in Jeſum Chriſtum. Quum dico fide ſola, non ita intelligo, quemadmodum iſti novarum rerum repertores intelligunt, ut ſecluſa charitate, & cæteris Chriſtianæ mentis officiis, ſolam in Deo credulitatem & fiduciam illam, qua perſuaſus ſum in Chriſti cruce & ſanguine mea mihi delicta omnia eſſe ignota: eſt hoc quidem etiam nobis neceſſarium, primuſque hic nobis patet ad Deum introitus: ſed id tamen non eſt ſatis. Mentem enim præterea afferamus oportet pietatis plenam erga ſummum Deum, cupidamque efficiendi quæcunque illi grata ſint: in quo præcipue Spiritus ſancti vis ineſt. Quæ mens, etiamſi interdum ad exteriora opera non progreditur: ipſa tamen ex ſeſe ad bene operandum jam intus parata eſt, promptumque gerit ſtudium, ut Deo in cunctis rebus obſequatur: qui verus divinæ juſtitiæ in nobis eſt habitus. Etenim, quid aliud ſignificat, aut quam aliam nobis offert intelligentiam & notionem nomen hoc ipſum juſtitiæ, ſi non reſpectus in ea ad bona opera habeatur? Dicit enim Scriptura, Quod miſit Deus Filium ſuum, ut faceret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Et alio loco, Ut ædificemur (inquit) in Chriſto ad bona opera. Si ergo miſſus eſt Chriſtus, ut bene operantes, per eum accepti Deo ſimus, atque ut in eo ædificemur ad bona opera, certe fides, quæ in Deum noſtra per Jeſum Chriſtum eſt, non ſolum ut confidamus in Chriſto, ſed bene in illo operantes, operarive inſtituentes, ut confidamus, imperat nobis ac præſcribit. Eſt enim amplum & plenum vocabulum fides, nec ſolum in ſe credulitatem & fiduciam continet, ſed ſpem etiam & ſtudium obediendi Deo, & illam, quæ in Chriſto maxime perſpicua nobis facta eſt, principem & dominam Chriſtianarum omnium virtutum charitatem: qua in charitate proprie & peculiariter Spiritus ſanctus ineſt, vel potius ipſe eſt charitas. Siquidem Deus charitas eſt. Quamobrem ſicuti ſine Spiritu ſancto nihil noſtrum neque gratum, neque acceptum Deo eſt, ita neque eſſe ſine charitate poteſt. Quum ergo dicimus fide ſola in Deum & Jeſum Chriſtum ſalvos nos eſſe poſſe, in hac ipſa fide charitatem vel in primis comprehendendam eſſe ducimus, quæ princeps & potiſſima noſtræ ſalutis eſt cauſa. Sed, ut abeamus à diſputatione, & revertamur eo unde ſumus digreſſi, oſtendimus vobis, fratres chariſſimi, vel oſtendere potius conati ſumus (non enim æquat magnitudinem rei oratio noſtra) quanti momenti ſit, quantopere ad nos pertineat, noſtræ nobis animæ ejuſque ſalutis procuratio, quia noſtra in anima noſmetipſi toti ſumus, bonumque hoc proprie & unicum noſtrum eſt, cætera bona, aliena nobis omnia atque disjuncta: quibus ne ipſis quidem frui ullis poſſumus, ſi ex hoc principe & vere noſtro excidamus. Pro quo ſibi tuendo & conſervando animæ bono tot quondam Chriſti glorioſiſſimi martyres, mortalem hanc vitam prompto animo poſuerunt: tot ſanctiſſimi doctores nocturnis diurniſque ſudoribus ac vigiliis, quo nos in viam rectam inducerent & conſtituerent, ſibi elaborandum eſſe ſtatuerunt: tota olim tam multas & tam graves ab impiis tyrannis & præſidibus gentium injurias & calamitates pertulit Eccleſia. Quæ ideo omnia & à præpotente Deo permiſſa, & à fortibus illis viris, Chriſti vere cultoribus ſuſcepta, tolerata, decertataque ſunt, ut per omne experimentorum & probationum genus plurimis veluti malleis excuſa, multo igni purgata, tantis ſanctorum ærumnis atque laboribus conflata, conſolidata, expreſſa, & maximam apud Deum gratiam fidelitatis ſuæ Eccleſia obtineret, & ſummam apud homines auctoritatem. Hæc nos Deo Eccleſia in Chriſto regeneravit, hæc nos aluit, confirmavit: inſtruxit quid nos ſentire, quid credere, in quo ſpem ponere, qua via in cælum tendere nos oporteat ipſa eadem edocuit. Nos in hac communi Eccleſiæ fide incedimus, nos illius leges & præcepta retinemus: & ſi quando fragilitate & incontinentia victi ad peccandum prolabimur (quod utinam ſaltem raro ac non nimium ſæpe nobis accideret) in eadem tamen fide Eccleſiæ exurgimus: quibuſque illa expiationibus & pœnitentiis & ſatisfactionibus peccatum noſtrum ablui, & ad integritatem priſtinam, clemente erga nos ſemper & miſericorde Deo, nos reſtitui docet, eas expiandi & ſatisfaciendi rationes ſuſcipimus & adhibemus. Idque ita quum facimus, confidimus nos veniæ & miſericordiæ locum apud Deum invenire. Non enim præter ſententiam & auctoritatem Eccleſiæ arrogamus nobis quicquam, non plus nos ſapere quam oporteat ſapere nobiſipſis perſuademus, non ſuperbiam afferimus ad contemnendum Eccleſiæ decreta, non animi elationem neque ingenium inter populos noſtrum, aut novam quandam ſapientiam oſtentamus, ſed (de probis & rectis Chriſtianis loquor) in humilitate ingredimur atque in obedientia: & ea quæ per majorum noſtrorum ſanctiſſimorum hominum, ſapientiſſimorumque auctoritates tradita nobis & conſtituta ſunt, tanquam per Spiritum vere ſanctum dictata atque præcepta, omni cum fide ſuſcipimus. Etenim novimus & ſcimus quantum habeat virium, quanti ſit momenti, quanti ponderis apud Deum humilitas: quæ una virtus in primis Chriſtiana eſt. eamque ſemper maxime Chriſtus Dominus noſter & monitis, & præceptis, & factis atque operibus ſuis præ ſe tulit, parvuliſque ſolis, id eſt, humilibus propoſitum dixit eſſe regnum cælorum. Non enim refert, corporene parvi an magni ſimus, ſed illud plurimum refert, utrum animo ſimus humili, anne ſuperbo. Superbia, quæ Angelos dejecit de cælo, hominibus eadem iter in cælum impedit. Unde cæleſte animal Angelus, propter ſuperbiam expulſum eſt, eo terrenum animal homo, propter humilitatem extollitur. ut appareat plane, conſtitutam eſſe nobis in humilitate potiſſimum, & adjumentum perpetuæ ſalutis noſtræ, & hujus beatæ ac jucundæ ſpei, qua ad cælum tendimus, firmamentum. Quæ quum ita ſint, chariſſimi fratres, quum noſtra ſalus nobis, quum vera vita, quum æterna felicitas, quum noſmetipſi denique nobiſipſis in primis & maxime cæterarum rerum omnium chari eſſe debeamus, quum ſi noſmetipſos perdiderimus, nihil uſpiam noſtrum, id eſt, quod juvet, aut quod pertineat ad nos, ſimus amplius reperturi, quum nullum gravius damnum, nullum exitioſius malum, nulla acerbior calamitas amiſſione & jactura animarum noſtrarum accidere nobis poſſit: quanto, ob-

ſecto, ſtudio, qua animi cura & ſollicitudine providere debemus, ne in hoc tantum periculum ſalus & vita noſtra conjiciatur? Dabitis vos profecto mihi & concedetis, nihil pernicioſius neque funeſtum magis evenire nobis poſſe, quam amiſſionem animæ unicuique ſuæ. Dabitis ergo etiam illud, opinor, nihil eſſe à nobis majore diligentia & ſtudio, quam ne id accedat, præcavendum. Cujus enim mali ſors, ſi ea in nos incidat, omnium malorum eſt deterrima, ejuſdem mali periculum maxime omnium nobis eſſe formidoloſum debet. Etenim quanta eſt in malo moles, tantus in periculo mali neceſſe eſt ut ſit timor. Atque ut qui horrent & metuunt in pelagus præcipitari, hi ne ad præruptam quidem & imminentem pelago rupem audent accedere, ſic qui terribile illud Dei & damnatorium judicium perhorreſcunt, ab eo fugiunt in primis periculo, quod ſempiternæ illi miſeriæ maxime finitimum proximeque adjunctum eſt. Neque ego hoc in hoc dico nunc loco, non omnes peccare homines, non omnes nos, quoad hanc vivimus vitam, in periculo ſemper eſſe (ſumus enim plane, & aberramus, & offendimus, & labimur, interdum omnes ſæpius, rarius, prout cuique ſua & ex Deo inſita ad ſe cohibendum virtus ineſt) veruntamen peccata cætera, præſertim quæ non judicio ſtabili, ſed per fragilitatem admiſſa patrataque ſunt, ad ſummi Dei miſericordiam facilem reditum habent. Illud autem peccatum horribile & pertimeſcendum, quo prave colitur Deus, qui rectiſſime debet coli, & quo falſa de illo ſentiuntur, qui eſt ſumma, ſolus, veritas: illud, illud, inquam, eſt peccatum, quod non ſolum in proximo periculo æterni mali nos conſtituit, ſed ſpem prope etiam & conatum declinandi & fugiendi ejuſmodi periculi nobis aufert. Nam reliquis noſtris in peccatis tanquam in vitæ fluctibus illa tamen anchora noſtræ navis ſalva eſt, quæ nos prohibet à ſcopulo & naufragio, quod cogitationes interdum noſtras in Deum conjicientes, & ſtimulis dolorum propter peccata compuncti, tacitis ſuſpiriis, & confeſſione iniquitatis noſtræ illius miſericordiam imploramus. Atque ipſe, ut bonitatis & clementiæ plenus eſt, flectitur ſtatim ad ignoſcendum, moreque pii patris filiorum ſuorum preces placatus admittit. At in hoc atroci, horribilique peccato præpoſteræ falſæque religionis, nec Deum nobis, nec anchoram amplius relinquimus. Quapropter hoc præcipue periculum, fratres chariſſimi, ſi ſalvi eſſe volumus, accuratiſſime & ſtudioſiſſime vitandum nobis eſt. Poteſt hic dici, quum vel corruptæ, vel integræ religionis varia ſint judicia, & diverſæ hominum, in hoc præſertim tempore, ſententiæ, aliuſque hoc modo, illo alius interpretetur, ſatis videri debere, ſi unuſquiſque ad id quod primum occurrerit, credendum, ſincero animo accedat, ſuumque judicium ſubmittat hominum ſe doctiorum & peritiorum judiciis. Fateor, fratres chariſſimi, has eſſe voces hominum ſimpliciorum, & quorum ingenia natura hebetiora ſunt: quos qui detorquent & abſtrahunt à via recta, majus illi multo in ſe peccatum habent: nam peritis quidem & callidis, oratio iſta non convenit. Sed ut nunc temporis cauſa confitear, omnibus iſta & doctis & indoctis incerta eſſe (quod tamen eſt ſecus: habet enim catholica Eccleſia certam regulam, qua à veris falſa diſcernat) verum eſto, concedamus dubia eſſe: nonne quoniam de periculo noſtræ ſalutis agitur, quoniam animas noſtras, hoc eſt, noſmetipſos plurimi facimus, nec nunc in diſcrimen aut fortunarum, aut valetudinis, aut etiam corporis & mortalis hujus vitæ venimus (quorum omnium jacturam viri fortes pro Chriſto & pro ſua anima conſtanter ſæpe pertulerunt) ſed de nobis id decernitur, utrum ſempiterne miſerrimi, an beatiſſimi ſimus victuri, circumſpicere, conſiderare, perpendere diligenter nos oportet, ut eo nos conſtituamus in loco (de re loquor velut dubia, quæ tamen non eſt) ut ibi, inquam, conſiſtamus, ubi minus multo nobis timoris atque periculi, longeque plus ſpei & alacritatis oſtenditur? Nemo hoc, credo, negaturus mihi eſt, quin in re ancipiti & dubia (in qua præſertim ſumma agitur vitæ & ſalutis noſtræ) id potius capere & ſequi conſilii debeamus, quod ratio nobis ſuaſerit, quam quod fortuita obtulerit temeritas. Videamus igitur utra in parte, & in utra ſecta majus ſit à Deo longius nos removendi, & ad perpetuum exitium propius nos admovendi periculum. Quam rem ita agam & proponam, quaſi habeam vos adhuc deliberantes, necdum animi certos, quorum potius aut voluntatibus obſequi, aut conſiliis credere debeatis. Diſceptatio eſt, utrum veſtræ ſaluti magis expediat, gratiuſque Deo vos facturos exiſtimetis, ſi ea credideritis, eriſque ſequuti, quæ Eccleſia catholica cunctum per orbem terrarum annos jam mille & quingentos amplius, aut (ſi claram certamque rerum geſtarum memoriam & notitiam quærimus) annos jam amplius mille & trecentos, magno conſenſu comprobat: an hæc quæ vafri homines, atque, ut ſibi ipſi videntur, acuti, adverſus tot ſeculorum uſum & contra perpetuam Eccleſiæ auctoritatem, his annis quinque & viginti innovaverunt: qui certe ipſi catholica non ſunt Eccleſia. Eſt enim catholica Eccleſia, ut breviter definiamus, quæ in omni anteacto & hodierno tempore, omni in regione terrarum, in Chriſto una & conſentiens, uno Chriſti Spiritu ubique & ſemper directa eſt, in qua nullum poteſt diſſidium exiſtere: omnis enim ea inter ſe connexa & conſpirans eſt: quod ſi quid accidat diſſenſionis & diſſidii, magnum quidem corpus Eccleſiæ idem permanet, fit autem apoſtema, quo corrupta aliqua caro, ab animante corpus cunctum ſpiritu divulſa ſecernitur, nec de ſubſtantia ulterius corporis Eccleſiaſtici eſt. Non ego hic deveniam ad ſingulas rerum diſputationes, neque aures veſtras copia verborum atque argumentorum onerabo. Tacebitur à me nunc de Euchariſtia, in qua nos veriſſimum Chriſti corpus adoramus. Iſti ſane parum gnari quemadmodum in unoquoque genere doctrinæ adhibere argumenta & rationes oporteat, ex alienis & longe diverſis dialecticæ inaniſque philoſophiæ rationibus, dominum ipſum univerſi, & divinam in eo ſpiritualemque potentiam (quæ prorſus libera & infinita eſt) in angulos corporeæ naturæ, quæ ſuis cancellis circumſcripta eſt, conantur includere. Non loquar de confeſſione ad ſacerdotem, peccatorum: in qua, quod maximum eſt noſtræ ſalutis fundamentum, vera Chriſtiana humilitas, & à Scriptura demonſtrata, & ab Eccleſia præcepta ac conſtituta eſt: quam iſti humilitatem, & per calumnias eludere, & per arrogantiam abjicere ſtuduerunt. Silebo de precibus, aut Sanctorum pro nobis apud Deum, aut noſtris pro mortuis: quas iidem iſti quum aſpernantur & irrident, eaſque nullius penitus eſſe momenti dicunt: quid tandem ſibi volunt? Numnam animas arbitrantur una cum corporibus ſuis interire? Et nimirum id videntur innuere: quod agunt etiam manifeſtius, quum libertatem ſibi vitæ ab omnibus Eccleſiaſticis ſolutam legibus, & licentiam cupiditatum comparare admituntur. Si enim mortalis anima ſit, edamus & bibamus, inquit Apoſtolus, paulo poſt enim morlemur: ſin autem ſit immortalis, ut certe eſt, unde, quæſo, tantum & tam repente factum eſt corporis morte diſſidium, ut & viventium & mortuorum animæ inter ſe nihil congruant, nihil communicent, omnis ſint cognationis nobiſcum, & communis humanæ ſocietatis oblitæ? Quum præſertim charitas, quæ præcipuum Spiritus ſancti in Chriſtiano genere eſt donum, quæ nunquam non benigna, nunquam non fructuoſa eſt, & in eo in quo ineſt,

nun-

nunquam inutiliter conſiſtit, ſalva ſemper & efficax in utraque vita permaneat. Sed ut relinquam controverſias, eaſque ad ſua tempora reſervem, excutiamus id quod prius eſt propoſitum, ut videatur & quæratur, quid nobis magis conducat, factuque rectius ſit, quid ad gratiam ſummi Dei obtinendam magis ſit accommodatum, ſentirene cum univerſa Eccleſia, ejuſque decretis & legibus, & Sacramentis cum fide obtemperare, an aſſentiri hominibus diſſidiis & res novas quærentibus. Hic locus eſt, chariſſimi fratres, hoc illud eſt bivium quod diverſa duo in itinera ſcinditur: quorum iter alterum ad vitam, alterum ad perpetuam mortem nos deducat. In hoc diſcrimine & delectu agitur ſalus animæ cuique ſuæ, aguntur pignora futuræ vitæ; utrum videlicet nos æternæ felicitatis, an miſeriæ infinitæ ſimus futuri compotes. Quid ergo dicemus? Fingamus hic duos, qui ex utroque genere, hoc eſt, utroque ex itinere, ante illud terribile ſummi judicis Tribunal ſint conſtituti: quorum cauſa cognoſcatur & expendatur, quo vel damnatoria in eos ſententia, vel ſalutaris jure ferri poſſit. Interrogabuntur fuerintne Chriſtiani. Fuiſſe ſe ambo dicent. Rectene crediderint in Chriſtum: utrique pariter reſpondebunt, Næ. Quid autem crediderint, aut quomodo crediderint quum explorabuntur (nam hæc de fide recta cognitio, illam quæ eſt de vita & moribus, antecedit) quum igitur ab eis exigetur rectæ fidei confeſſio, dicet ille quidem qui in catholicæ Eccleſiæ gremio & diſciplina fuerit educatus: Ego, quum inſtitutus eſſem à parentibus meis, qui & ipſi à patribus ſuis & avis acceperant, ut cunctis in rebus catholicæ Eccleſiæ eſſem obſequens, ejuſque leges, & monita, & decreta, tanquam à teipſo, Domine Deus, lata obſervarem & colerem: quumque omnes eos fere, qui in Chriſtiano nomine cenſerentur, quique & nobiſcum, & ante nos, longe & late per orbem terrarum tua ſigna eſſent ſequuti, in eadem ſententia eſſe & fuiſſe animadverterem, ut cuncti matrem fidei ſuæ hanc ipſam Eccleſiam agnoſcerent & venerarentur, & ab ejus præceptis conſtitutiſque diſcedere ſacrilegii inſtar putarent, in hac eadem fide, quam catholica ſervat docetque Eccleſia, probare tibi me ſtudui. Et quanquam venerant homines novi Scripturas multum in ore & manibus habentes, qui nova quædam commovere, vetera labefactare, Eccleſiam redarguere, obedientiam quam illi nos omnes præbebamus, eripere nobis & extorquere conarentur, in eo tamen conſtanter manere volui, quod à patribus meis, & à communi ſanctiſſimorum doctiſſimorumque Patrum conſenſu jam inde antiquitus in Eccleſia fuiſſet & obſervatum & traditum: etſi multorum quidem præſidum hominumque Eccleſiaſticorum præſentes mores eſſent ii, qui mihi ſtomachum movere poſſent, quibus tamen non ſum à ſententia deductus. Ita enim conſtitui, eorum præceptis, quæ certe ſancta erant, obtemperare me debere, ſicuti tu Deus in tuo Euangelio præceperas, vitæ autem & geſtorum te unum judicem eſſe oportere: præſertim quum ego quoque, his tot peccatis, quæ in hac mea fronte en tibi manifeſta ſunt, commaculatus atque infectus, aliorum dignus judex eſſe non poſſem. Pro quibus nunc adſto ante Tribunal tuum, non ſeveritatem tuam, clementiſſime Deus, ſed miſericordiam potius & placabilitatem implorans. Dixerit hoc modo iſte cauſam ſuam: Citabitur alter, comparebit. Imperabitur illi ut dicat. Hunc habebit exorſum orationis ſuæ (fingatur enim de illis unus eſſe qui ſunt, aut fuerunt diſſenſionum auctores: melius enim credo tutabitur iſte cauſam ſuam, qui ſe Doctorem cæteris ad deficiendum ab Eccleſia fuerit profeſſus) Mihi, inquiet, ô ſumme Deus, intuenti mores hominum Eccleſiaſticorum ubique fere corruptos, & ſacerdotes nihilominus religionis gratia, in honore omnibus eſſe cernenti, opeſque illorum iniquo animo ferenti, juſta, ut puto, iracundia animum inflammavit, ut me illis adverſarium conſtituerem: quumque reſpicerem meipſum, qui tot annos operam literis & Theologiæ dediſſem, non tamen habere eum in Eccleſia locum, quem labores mei meriti eſſent: multos autem indignos ad honores & ſacerdotia extolli perſpicerem, ad eos, fateor, inſectandos me contuli, quos tibi quoque ipſi minime placere & ſatisfacere ſum ratus. Et quoniam eorum potentiam revellere non poteram, niſi obtererem prius leges ab Eccleſia latas, populi magnam partem induxi, ut ea Eccleſiæ jura contemneret, quæ diu ante rata inviolataque fuiſſent. Quæ ſi in conciliis univerſalibus fuiſſent decreta, conciliorum auctoritati non concedendum eſſe dixi: ſi inſtituta à priſcis Patribus & Doctoribus, veteres Patres ut imperitos & bonæ expertes intelligentiæ ſum criminatus: ſi per Romanos Pontifices, eos ſibi aſtruxiſſe tyrannidem, & falſo nomine vicarios ſe Chriſti dicere affirmavi: omnibus denique modis contendi, ut hoc tyrannicum Eccleſiæ jugum, quæ cibos interdum prohibet, quæ dies ſervat, quæ confiteri nos vult peccata noſtra ſacerdotibus, quæ vota impleri jubet, quæ homines in te Chriſte liberos tot ſervitutis vinculis alligat, à nobis cuncti qui te colimus, excuteremus: ſolamque fidem in te, non etiam bona opera, quæ maxime extolluntur & prædicantur in Eccleſia, juſtitiam nobis & ſalutem parere conſideremus: quum tu præſertim pœnam pro nobis pependiſſes, tuoque ſancto ſanguine cunctorum delicta & ſcelera deleviſſes: ut nos hac una fide in te freti, liberius deinde agere quæcunque nobis libuiſſet, poſſemus. Scripturas etiam ingenioſius ſum perſcrutatus quam veteres illi: ac tum quidem maxime, quum aliquid quærebam in eis, quod contra iſtos detorquere poſſem: qua etiam doctrinæ & ingenii opinione, apud populos famam & exiſtimationem nactus, totam quidem Eccleſiæ auctoritatem evertere non potui: magnarum tamen ſeditionum in ea, & ſciſſionum fui auctor. Hæc ubi iſte dixerit, & vere dixerit (neque enim mentiendi apud illum cæleſtem Judicem eſt locus, tametſi multa idem de ambitione ſua, de avaritia, de ſtudio popularis gloriæ, fraudibus & malitiis inteſtinis, quæ intus ipſe agnoſcat, in ſeſe reticuerit, quæ tamen illi, prima ipſa in fronte apparebunt inſcripta) quod tandem, ô Gebennenſes fratres mei, quos ego in Chriſto, & in Chriſti Eccleſia unanimes mecum habere opto, non ſolum de his, ſed comitibus aſſectatoribuſque eorum judicium fore exiſtimatis? Nonne hic certe qui catholicam Eccleſiam fuerit ſequutus, nullum ſuum erratum in hac re afferet? Primum, quia non errat, neque adeo errare poteſt Eccleſia, cujus illa publica & univerſalia decreta atque concilia Spiritus ſanctus aſſidue gubernat. Deinde etiamſi erraſſet ea aut erraret (quod tamen creditu & memoratu eſt nefas) nullus huic quidem ſuus exprobraretur error, qui ſincero animo, & propter Deum humili, majorum fidem ſuorum & auctoritatem eſſet perſequutus. At iſte alter ſuo innitens capite, neminem habens veterum ſanctorum Patrum, ac ne generalium quidem ex omnibus Epiſcopis conventuum, quem honore dignum putet, cui inducat animum cedere & obtemperare, omnia ſibi arrogans, ad obtrectandum magis, quam ad dicendum docendumve paratus, quum à communi Eccleſia deſciſcit, quem reſpicit portum fortunarum ſuarum? quo propugnaculo confidit? quibus apud Deum advocatis fretus eſt? ut non graviter debeat metuere, ejectum ſe iri in tenebras exteriores, ubi erit fletus & ſtridor dentium, hoc eſt, ubi miſerias ſuas perpetuo defleturus, & contra ſe-

metipſum dentibus increpiturus ſit: quod quum poſſet, ſi id ſtuduiſſet, illam acerbiſſimam vitare calamitatem, id facere neglexiſſet. Quam porro infauſti & incommodi comites traducendæ vitæ ſint mœror & furor, unus per ſeſe quiſque poteſt intelligere: præſertim quum illiuſmodi mali atque damni nullus futurus unquam finis ſit, nulla determinatio, nunquam ibi plorare, nunquam deſinatur iraſci. Atqui, ſi reliqua iſtorum omnia aliquo tamen pacto perferri & tolerari poſſent, hoc quemadmodum ferretur (in quo mihi videtur ne ad ignoſcendum quidem illis, locum ullum veniæ & miſericordiæ apud Deum dari poſſe) quod ſponſam hi Chriſti unicam diſcerpere ſunt conati? quod tunicam illam Domini, quam profani milites dividere noluerunt, iſti auſi ſunt, non dividere ſolum, ſed lacerare? Quot enim jam, iſtis initium facientibus, ſectæ Eccleſiam diſciderunt, neque cum iſtis congruentes, & ipſæ inter ſe diſcordes? quod manifeſtum eſſe falſitatis indicium omnis doctrina confirmat. Veritas enim unica ſemper eſt, varia autem & multiformis eſt falſitas: & ſimplex, quod rectum eſt: multifidum, quod obliquum. Sed hujuſmodi ſciſſionem, hujuſmodi ſanctæ Eccleſiæ dilaniationem, poteſtne quiſquam Chriſtum agnoſcens & confitens, & cujus aliquando menti atque cordi Spiritus ſanctus illuxerit, non intelligere, Satanæ, & non Dei propriam operationem eſſe? Quid imperat nobis Deus? quid præcipit Chriſtus? Nempe ut unum omnes in ipſo ſimus. Quo datum eſt nobis è cælo atque Deo illud ſingulare & præcellens charitatis donum, quod Chriſtiano duntaxat generi, non cæteris gentibus divinitus infuſum eſt? Nonne ut omnes uno corde & ore Dominum confiteamur? An arbitrantur iſti Chriſtianam religionem aliud omnino eſſe, quam pacem cum Deo, & cum proximo concordiam? Videamus quid ipſemet loquatur in Joanne Dominus, Patrem ſuum pro diſcipulis deprecans, Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi, ut ſint unum ſicut & nos: non pro his autem rogo ſolum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus quod tu me miſiſti: & ego gloriam, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus: ego in eis, & tu in me, ut ſint perfecti in unum. Videtis, fratres chariſſimi, & in clara Euangelii luce diſcernitis, quid ſit vere eſſe Chriſtianum: quum fides in Deum noſtra, quum Dei omnis gloria, quæ & ipſius apud nos, & noſtra apud eum eſſe poſſit, in hac ſola inter nos unitate conſiſtat: quum hoc unum requirat & poſtulet à Patre de nobis Chriſtus, iſque ſuos in hoc labores, ſuas ærumnas, ſuam ſuſceptam pro nobis humani corporis fragilitatem, ſuam crucem, ſuam mortem, ſic fructum allaturam ſibi putet, & ad gloriam Patris, quam maxime expetebat, & ad ſalutem noſtram, pro qua erat moriturus: ſi nos inter nos, & in ipſo fuerimus unum. Atqui hoc ſemper laborat, hoc adnititur Eccleſia catholica, ut ſit conſenſio nobis, & in eodem ſpiritu unitas: quoſque homines aut ſpatia disjungunt terrarum, aut intervalla temporum, quod coire in unum corpus omnes non poſſunt, eos unus tamen ſpiritus, qui ubique idem ſemper eſt, & foveat & regat. Cui quidem Eccleſiæ catholicæ & Spiritui ſancto, hi ſe adverſarios è regione profitentur, qui unitatem frangere, qui varios ſpiritus immittere, qui conſenſionem ſolvere, qui tollere concordiam de Chriſtiana religione conantur, tanta cupiditate, tanto ſtudio, tot machinationibus & artibus, ut eorum ſollicitudinem & anxietatem nulla ſatis digne exprimere oratio poſſit. In quos ego quidem id non imprecabor, ut diſperdat Dominus univerſa labia doloſa, & linguam magniloquam: neque item, ut addat iniquitatem ſuper eorum iniquitatem: ſed ut convertat eos, & ad ſpiritum bonum deducat, Dominum Deum meum ſupplex rogabo, ſicuti rogo. Voſque & oro, & hortor, fratres mei Gebennenſes, ut, diſcuſſis aliquando ab oculis mentis veſtræ erroris nebulis, & patefacta luce, ad cælum illud oculos attollentes, quod perpetuam patriam veſtram, ſi in unitate Eccleſiæ manſeritis, propoſuit vobis Deus, redire in concordiam nobiſcum, & fidele obſequium præſtare matri noſtræ Eccleſiæ, colereque Deum in uno nobiſcum ſpiritu jam velitis. Nec ſi mores noſtri vobis fortaſſe diſplicent, ſi quorundam culpa ſplendor ille Eccleſiæ, qui perpetuus & incontaminatus eſſe debuit, aliquando ſit obtuſior, veſtros id animos moveat, aut in diverſam & contrariam trahat partem. Odiſſe forſitan perſonas noſtras poteſtis (ſi id ab Euangelio conceditur) doctrinam certe & fidem habere odio non debetis: ſcriptum eſt enim, Quæ dicunt facite. Neque vero nos aliud dicimus, quam quod noſtram veſtræ ſalutis cupiditatem vobis indicamus. Quæ ſi à vobis, Gebennenſes chariſſimi, in bonam partem fuerit accepta, ſi me amantiſſimum veſtri gratis animis audieritis: non pœnitebit vos profecto, & apud Deum recuperatæ priſtinæ gratiæ veſtræ, & apud homines laudis. Ego, quæ meæ partes ſunt, & quod benevolentia erga vos mea mihi præſcribit, aſſiduus ero ad Deum pro vobis deprecator, meo quidem ipſe indignus vitio, ſed forſitan charitas efficiet me dignum. Tum autem quicquid valeo poſſumque, etſi id quoque parvum admodum eſt, ſed ſi quid eſt in me ingenii, conſilii, auctoritatis, diligentiæ, id ita vobis totum & veſtris opportunitatibus defero, ut pro magno meo commodo habiturus ſim, ſi vos aliquod ex me commodum fructumque meæ operæ & laboris & in divinis rebus, & in humanis percipere potueritis. Extremum eſt, ut vos orem, ut eum nuncium quem ad vos cum his literis miſi, ea comitate ac benignitate accipiatis, quam & humanitas veſtra, & jus gentium, & in primis Chriſtiana manſuetudo poſtulat & requirit: quod vobis honeſtum, mihi autem vehementer futurum eſt gratum. Deus vos dirigat, & propitius tueatur, fratres chariſſimi. Carpentoracti, xv. Calend. Aprilis. M.D.XXXIX.

JOAN.

JOANNES CALVINUS
JACOBO SADOLETO CARDINALI,
S A L U T E M.

QUum in magno doctorum hominum proventu, quos tulit noſtra hæc ætas, id ſis, cùm excellentis doctrinæ tuæ, tum vero inſignis facundiæ merito aſſequutus, ut te inter paucos colant ac ſuſpiciant quicunque videri volunt bonarum artium ſtudioſi, invitus equidem facio ut nomen tuum publice inter eruditos iſta, quam à me audies expoſtulatione perſtringam. Neque vero eram id facturus, niſi fuiſſem in hanc arenam pertractus magna neceſſitate. Non enim ignoro, vel quantæ improbitatis foret ulla cupiditate incitari ad eum virum laceſſendum, qui de bonis diſciplinis ſit optime meritus: vel quam id quoque ſit futurum odioſum apud omnes literatos, ſi ſola importunitate percitum, nulla autem juſta cauſa impulſum fuiſſe intelligerent, ut ſtylum in eum ſtringerem, quem amore dignum & honore propter eximias dotes non ſine cauſa judicant. Verum ubi conſilii mei rationem expoſuero, non modo me omnes à culpa liberabunt, ſed nemo erit, ut ſpero, qui non mihi concedat, cauſam hanc, quæ à me ſuſcipitur, nullo modo fuiſſe mihi deſerendam, niſi officio meo turpiter deeſſe vellem. Literas non ita pridem ſcripſiſti ad Senatum populumque Genevenſem, quibus tentaſti eorum animos, an ſub Pontificis Romani jugum, quod ſemel excuſſerunt, reduci ſe ſuſtinerent. In iis literis, quoniam non expediebat eos gravius vulnerare, quorum favore tibi opus erat ad cauſam obtinendam, feciſti quod erat boni rhetoris. Multis enim blanditiis eos demulcere conatus es, quo in tuam ſententiam pelliceres. Quicquid erat invidiæ & acerbitatis, in eos derivaſti, quorum opera id factum erat, ut ab illa tyrannide defeciſſent. Atque hic, ſi Deo placet, plenis velis inveheris in eos, qui urbem illam ſub Evangelii prætextu, ad iſtam, quam deploras, religionis & Eccleſiæ conturbationem malis artibus perpulerunt. Ego autem, Sadolete, ex his quos tam hoſtiliter inceſſis ac laceras, unum me eſſe profiteor. Tametſi enim conſtituta jam religione, ac correcta Eccleſiæ forma, illuc vocatus fui: quia tamen quæ à Farello ac Vireto geſta erant, non modo ſuffragio meo comprobavi, ſed etiam quantum in me fuit, conſervare ſtudui ac confirmare, ſeparatam ab illis cauſam habere nequeo. Quod ſi tamen privatim abs te læſus eſſem, facile profecto id condonarem tuæ doctrinæ, ac literarum honori. Sed quum miniſterium meum, quod Dei vocatione fundatum ac ſancitum fuiſſe non dubito, per latus meum ſauciari videam, perfidia erit, non patientia, ſi taceam hic atque diſſimulem. Doctoris primum, deinde Paſtoris munere in Eccleſia illa functus ſum. Quod eam provinciam ſuſcepi, legitimæ fuiſſe vocationis jure meo contendo. Quanta autem fide ac religione adminiſtraverim, non eſt cur multis nunc verbis oſtendam. Perſpicaciam, eruditionem, prudentiam, ac dexteritatem mihi nullam arrogabo, ac ne diligentiam quidem. At certe ea ſinceritate, qua in opere Domini decuit, me illic verſatum eſſe, probe coram Chriſto judice meo, & omnibus ipſius Angelis, mihi conſcius ſum: & boni omnes ejus rei luculentum mihi teſtimonium reddunt. Hoc ergo miniſterium ubi à Domino eſſe conſtiterit (quemadmodum certe liquido conſtabit, ubi audita fuerit cauſa) ſi abs te proſcindi ac infamari tacitus feram, quis non ejuſmodi ſilentium prævaricationis damnet? Nemo ergo jam non videt, me ſumma officii mei neceſſitate conſtringi, neque poſſe evadere, quin me criminationibus tuis opponam, niſi, quam mihi actionem Dominus demandavit, manifeſta perfidia deſerere ac prodere velim. Quod autem Genevenſis Eccleſiæ procuratione ſum in præſentia explicatus, ea res efficere non debet, quin paterna charitate illam complectar: cui dum ſemel me præfecit Deus, perpetuo fidem illi meam obligavit. Age, ubi illi Eccleſiæ cujus ſalutem mihi ſummæ curæ eſſe vult Dominus, extremas inſidias intentari cerno, & grave periculum imminere, niſi obviam eatur, quis mihi conſulat, ut tacitus ac ſecurus exitum expectem? Quantæ, obſecro, ſocordiæ id eſſet, otioſum, & velut oſcitantem connivere ad ejus exitium, ad cujus vitam tuendam & conſervandam excubare debeas? Atqui ſupervacua hic foret longior oratio, quando tu ipſe me omni difficultate liberas. Nam ſi vicinitas, & illa non adeo propinqua, tantum apud te valuit, ut dum tuam erga Genevates dilectionem vis profiteri, non dubitaris tanta atrocitate me ac meam ſamam impetere, mihi profecto humanitatis lege id concedetur, ut dum cupio publico ejus civitatis bono conſulere, quæ mihi longe alio, quam vicinitatis jure commendata eſſe debet, mihi conſilia conatuſque tuos, quos in ejus perniciem tendere non dubito, interpellare liceat. Adhæc, ut Eccleſiam Genevatium minime reſpiciam (cujus certe curam non magis, quam propriæ animæ, abjicere poſſum) ſed ut nullo ejus ſtudio afficiar, ubi tamen miniſterium meum (quod quidem ut à Chriſto eſſe novi, ita ſanguine meo, ſi opus ſit, vindicandum mihi eſt) falſo traducitur ac proſcinditur, qui mihi diſſimulanter id ferre liceat? Itaque non æquis lectoribus modo judicare, ſed tibi quoque, Sadolete, reputare promptum eſt, quot & quam juſtis rationibus coactus, in hoc certamen deſcenderim: ſi tamen certamen dici meretur, ſimplex & moderata innocentiæ meæ adverſus calumnioſas tuas criminationes defenſio. Meam innocentiam dico, tametſi pro me agere non poſſum, quin collegas ſimul meos complectar, quibuſcum rationes omnes ſic mihi in adminiſtratione illa fuerunt conjunctæ, ut quicquid de illis dictum fuerit, in me libenter recipiam. Jam vero quem animum in cauſa hac adverſum te ſuſcipienda habui, eum ipſa quoque actione teſtari atque approbare ſtudebo. Faciam enim ut omnes intelligant, non cauſæ modo bonitate & æquitate, conſcientiæ rectitudine, cordis ſinceritate, ſermonis candore me eſſe multo ſuperiorem: ſed etiam in retinenda lenitate & modeſtia aliquanto conſtantiorem. Erunt ſane aliqua, quæ animum tuum vel pungent, vel forte etiam lancinabunt: dabo tamen operam, ne qua vox aſperior à me exeat: niſi quam vel iniquitas accuſationis tuæ, qua ſum prior impetitus, vel rei neceſſitas extorſerit. Deinde, ne ad aliquam uſque intemperiem aut impotentiam erumpat hæc ipſa aſperitas, neve ulla procacitatis ſpecie ingenuos animos offendat.

Ac principio, ſi cum alio quolibet tibi negotium eſſet, non aliunde proculdubio inciperet, quam ab eo argumento, quod ego in totum præterire inſtitui. Conſilium enim ſcribendi tuum ſine magna ſpecie exagitaret, donec palam faceret, te quidvis potius ſcribendo quæſiiſſe, quam quod prætendis. Niſi enim magnam candoris tui fidem prius feceris, ſuſpicione non caret, quod homo alienus, cui nihil antea cum populo Genevenſi neceſſitudinis fuerit, tantam nunc derepente benevolentiam erga eum teſtaris, cujus nullum antea ſignum extiterit: & is homo, qui prope à pueritia imbutus Romanis artibus, quales ſcilicet nunc diſcuntur in Romana curia, in illa calliditatis ac verſutiarum omnium officina, adeoque in ſinu

Clemen-

Clementis educatus, nunc etiam factus Cardinalis, multas notas habes, quæ te ſuſpectum pleriſque fere omnibus hac in parte reddant. Inſinuationes vero illæ tuæ, quibus in ſimplicium hominum animos influere te poſſe credidiſti, nullo negotio refellerentur ab homine non prorſus ſtupido. Verum iſtud, quod multis forſan credibile futurum ſit, quia mihi cadere non videtur in hominem liberalibus omnibus doctrinis expolitum, aſcribere tibi nolo. Agam igitur perinde tecum, acſi optimo animo, quemadmodum ſcilicet virum iſta doctrina, prudentia, gravitate præditum decet, ad Genevates ſcripſeris, ſuaſeriſque bona fide ipſis, quæ ad eorum ſalutem, incolumitatemque videbantur tibi pertinere. Verum, qualiſcunque tibi animus fuerit (quoniam gravare te invidia in hac parte nolo) quod tamen ea, quæ illis à Domino per manus noſtras tradita ſunt, quam acerbiſſima potes verborum contumelia, laceras, & labefactare ad extremum moliris: in eo tibi aperte, velim nolim, reclamare cogor. Sic enim demum Eccleſiam ædificant Paſtores, ſi non dociles modo animas ad Chriſtum placide manu ducunt, ſed armati etiam ſunt ad propulſandas eorum machinationes, qui Dei opus impedire enituntur. Tametſi longas ambages habet tua Epiſtola: in hac tamen præcipue ſumma vertitur, ut illos in poteſtatem Romani Pontificis recipias, quod vocas in fidem obedientiamque Eccleſiæ reducere. Sed quia in cauſa parum favorabili, præmolliendi erant animi, longa oratione præfaris, de incomparabili æternæ vitæ bono. Deinde ad cauſam propius accedis, quum demonſtras nullam eſſe nocentiorem animabus peſtem, quam perverſum Dei cultum. Adhæc, Dei rite colendi eam eſſe optimam regulam, quæ ab Eccleſia præſcribitur. Actum igitur eſſe de eorum ſalute, qui Eccleſiæ unitatem abtuperunt, niſi reſipiſcant. Poſtea vero contendis, manifeſtam eſſe ab Eccleſia defectionem, quod à veſtra ſocietate disjuncti ſunt. Deinde, quod à nobis Euangelium acceperunt, nihil eſſe quam magnam impiorum dogmatum farraginem. Inde ergo demum colligis, quale Dei judicium eos maneat, niſi tuis iſtis monitis obtemperent. Quoniam autem & id plurimum cauſæ ſerviebat, fidem omnem verbis noſtris abrogare: in eo primum laboras, ut quod in nobis ſalutis ſuæ ſtudium perſpexerunt, ſiniſtris ſuſpicionibus graves. Itaque nihil aliud fuiſſe nobis propoſitum cavillaris, niſi ut ambitionem & avaritiam expleremus. Quando igitur hæc ars tua fuit, labem nobis aliquam aſpergere, quo præoccupatæ noſtri odio lectorum mentes, nihil nobis crederent, antequam ad alia veniam, ad iſtam objectionem breviter reſpondebo. De me non libenter loquor. Quoniam tamen prorſus ſilere non pateris, dicam, quod ſalva modeſtia potero. Ego, ſi meis rationibus conſultum voluiſſem, nequaquam diſceſſiſſem à veſtra factione. Neque vero gloriabor, fuiſſe mihi in illa facilem ad honores obtinendos viam: quos ego nunquam concupivi, & quibus captandis animum nunquam potui adjicere. Quanquam certe non paucos novi ex meis æqualibus, qui ad aliquem locum obrepſerunt, quos mihi partim aſſequi, partim præcurrere licebat. Id unum dicere contentus ero, quod in ſummis votis fuiſſet, mihi non fuiſſe difficile illic adipiſci. nempe ut otio literario, cum honeſta aliqua ingenuaque conditione, fruerer. Proinde nunquam verebor, ut mihi quiſpiam, niſi penitus perdita fronte, objiciat, me extra regnum Papæ aliquid corpori meo quæſiſſe, quod illic non eſſet mihi paratum. Farello autem quis id objicere audeat? ſi ſua illi induſtria fuiſſet vivendum, eos jam in literis progreſſus fecerat, qui eſurire ipſum non finerent. Et erat ſplendidiore familia natus, quam ut alienæ opis indigeret. De nobis, quos veluti digito notabas, reſpondere tibi nominatim placuit. Sed quoniam videris omnes, qui eandem nobiſcum hodie cauſam ſuſtinent, oblique ſugillare, velim intelligas, nullum poſſe abs te nominari, pro quo non melius tibi reſpondeam, quam pro Farello, vel meipſo. Sunt aliquot noſtrorum tibi ex fama cogniti: de illis conſcientiam tuam appello: putesne fame fuiſſe adactos, ut à vobis demigrarent, & rebus deſperatis, ad iſtam converſionem, velut ad novas tabulas profugiſſe. Verum, ne longum catalogum recenſeam, hoc dico, eorum, qui cauſæ hujus aggrediendæ principes fuerunt, neminem fuiſſe, qui non meliore foret apud veſtros loco & fortuna, quam ut de nova aliqua vitæ ratione propterea cogitandum fuerit. Age nunc, pauliſper mecum reputa, quos honores & quas potentias ſimus adepti. Nos enim alias neque opes, neque dignitates affectaſſe, aut captaſſe, quam quæ nobis obtigerunt, teſtes erunt omnes qui nos audierunt. Quum illi in omnibus dictis ac factis noſtris non modo ſuſpicionem nullam animadverterint ejus ambitionis, cujus nos inſimulas, ſed etiam claris indiciis nos ab eo toto pectore abhorrere deprehenderint, non eſt quod verbulo uno ſic eorum mentes faſcinari poſſe ſperes, ut futili maledicto potius credant, quam tot ac tam certis, quæ à nobis habuerunt, experimentis. Ac ut re potius agamus quam verbis: Jus gladii, & alias civilis juriſdictionis partes, quas ſub immunitatis ſpecie perſonati Epiſcopi & Sacerdotes fraudulenter, Magiſtratui ereptas ſibi vendicarant, an non Magiſtratui reſtituimus? Omnia, quæ ſibi uſurpaverant, dominationis & ambitionis inſtrumenta, nonne deteſtati ſumus, & adnixi ut abolerentur? Si ſpes aliqua erat emergendi, cur non callide diſſimulabamus, ut iſta ſimul cum Eccleſiæ gubernandæ munere ad nos tranſirent? Totum autem regnum illud, vel potius carnificinam, quam in animas ſine Dei verbo exercebant, cur evertere tanto conatu aggreſſi ſumus? Quomodo non cogitabamus, tantundem nobis deperire? Quantum ad opes Eccleſiaſticas attinet, vorantur adhuc magna ex parte ab illis gurgitibus. Verum ſi ſpes erat, aliquando ipſis ademptum iri (ut certe neceſſe tandem erit) cur non viam quærebamus, qua ad nos devenirent? At nos, quum clara voce pronunciavimus, Epiſcopum furem eſſe, qui ex opibus Eccleſiaſticis plus in uſum ſuum convertit, quam quod neceſſe eſt ad ſobriam frugalemque vitam ſuſtinendam: quum teſtati ſumus, Eccleſiam peſſimo veneno tentatam eſſe, dum tanta opum affluentia onerati ſunt Paſtores, quæ ipſos poſtea obrueret: quum profeſſi ſumus non expedire, ut penes eos reſiderent: quum poſtremo conſilium dedimus, ut miniſtris tantum erogaretur, quantum ad frugalitatem, ordine ſuo dignam ſufficeret, non quod ad luxum redundaret, reliqua pro more veteris Eccleſiæ diſpenſarentur: quum oſtendimus eligendos eſſe graves viros, qui illis præficerentur, ea lege, ut Eccleſiæ & Magiſtratui rationem quotannis redderent: Hocne erat aliquid nobis aucupari: an potius à nobis ultro excutere? Atque hæc quidem demonſtrant omnia, non quid ſumus, ſed quid eſſe voluerimus. Si iſta autem palam ac vulgo ſic nota ſunt, ut nullus apiculus negari queat, qua fronte jam exprobrare nobis perges affectatas opes ac potentias extraordinarias, præſertim vero apud eos, quibus nihil iſtorum eſt incognitum? Portentoſa de nobis mendacia quum tui ordinis homines quotidie apud ſuos ſpargunt, nihil miramur (nemo enim adeſt qui vel reprehendat, vel refutare auſit) at iis, qui eorum omnium, quæ nuper recitavi, oculati ſunt teſtes, contraria omnia velle perſuadere, hominis eſt parum prudentis, & Sadoletum iſta doctrinæ, prudentiæ, gravitatis exiſtimatione vehementer dedecet. Quod ſi à re ipſa æſtimandum animum noſtrum cenſes, reperietur non alio nos ſpectaſſe, quam ut noſtra tenuitate atque humilitate regni Chriſti amplitudo promoveretur. Tantum abeſt, ut regnandi cupiditate, ſacroſancto ejus nomine fuerimus abuſi. Taceo plurima

alia,

Digitized by Google

alia, quæ in nos pleno, ut aiunt, ore convitia detonas. Homines aſtutos vocas, inimicos unitatis Chriſtianæ & pacis, novatores veterum & bene conſtitutarum rerum, ſeditioſos, cùm animabus peſtiferos, tum publice privatimque pernicioſos univerſæ hominum ſocietati. Si effugere reprehenſionem voluiſſes, aut non debebas, invidiæ cauſa, tribuere nobis linguam magniloquam: aut aliquantulum ab iſta magniloquentia tibi temperare oportebat. Nolo tamen in ſingulis immorari, niſi quod te reputare cupio, quam ſit indecorum, ne dicam illiberale, ita vexare immerentes multis verbis, quæ verbo uno ſtatim refelli queant. Quanquam leve eſt homines afficere injuria, præut eſt indignitas tantæ contumeliæ, quæ, ubi ad cauſam venis, Chriſto & ejus verbo abs re irrogatur. Quod Genevenſes noſtra prædicatione edocti ab illa errorum colluvie, in qua demerſi fuerant, ad puriorem Euangelii doctrinam ſe contulerunt, defectionem à Dei veritate: quod à Pontificis Romani tyrannide ſe vindicarunt, ut paulo meliorem Eccleſiæ formam apud ſe conſtituerent, diſceſſionem ab Eccleſia eſſe dicis. Agedum, utrumque ordine excutiamus. In præfatione autem illa tua, quæ æternæ beatitudinis excellentiam prædicando, tertiam circiter Epiſtolæ partem occupat, reſponſionem meam diu hærere, nequaquam operæpretium eſt. Tametſi enim futuræ æternæque vitæ commendatio, res eſt digna, quæ nocte diuque auribus noſtris inſonet, quæ aſſidue memoria repetatur, in qua meditanda ſine fine exerceamur: de ea tamen neſcio qua de cauſa hic ſermonem adeo protraxeris, niſi ut te aliquo religionis indicio commendares. Sive autem, ut omnem de re dubitationem tolleres, teſtari voluiſti te de glorioſa apud Deum vita ſerio cogitare: ſive cenſuiſti tam longa ejus commendatione excitandos vellicandoſque eſſe eos, ad quos ſcribebas (nolo enim divinare quid tibi conſilii fuerit) id tamen parum eſt theologicum, hominem ita ſibiipſi addicere, ut non interim principium hoc illi vitæ formandæ præſtituat, illuſtrandæ Domini gloriæ ſtudium. Deo enim, non nobis, nati in primis ſumus. Siquidem, quemadmodum ab eo fluxerunt omnia, & in eo
Rom. 11. verſ. 36. conſiſtunt, ita in eum referri debent, inquit Paulus. Siquidem, fateor, Dominus ipſe, quo nominis ſui gloriam magis commendabilem hominibus faceret, ejus promovendæ atque amplificandæ ſtudium temperavit, ut cum noſtra ſalute perpetuo conjunctum foret. At quum docuerit, illud ipſum oportere omnem cujuslibet boni & commodi noſtri curam cogitationemque excedere, & naturalis æquitas id quoque dictet, non tribui Deo quod ſuum eſt, niſi rebus omnibus præferatur, Chriſtiani certe hominis eſt altius conſcendere, quam ad quærendam & comparandam animæ ſuæ ſalutem. Itaque neminem recta pietate imbutum fore puto, à quo non inſipida cenſeatur tam longa, & accurata ad ſtudium cæleſtis vitæ exhortatio, quæ hominem penitus in ſeipſo detineat, nec ad ſanctificandum Dei nomen, vel uno verbo, erigat. Poſt hanc vero ſanctificationem libenter tibi aſſentior, non aliud tota vita nobis debere eſſe propoſitum, quam ut ad ſupernam illam vocationem contendamus. Hunc enim omnibus & factis & dictis, & cogitationibus noſtris perpetuum ſcopum, præſtituit Deus. Nec ſane aliud eſt, quo belluam homo antecellat, niſi ſpiritualis cum Deo communicatio, in ſpem beatæ illius æternitatis. Nec fere aliud agimus concionibus noſtris, niſi ut omnium animos ad meditationem ſtudiumque ejus erigamus. Hoc quoque tibi non ægre concedo, non aliunde eſſe gravius ſaluti noſtræ periculum, quam à præpoſtero perverſoque Dei cultu. Hæc enim ſunt prima rudimenta, quibus ſolemus ad pietatem inſtituere, quos Chriſto volumus acquirere diſcipulos, ne temere, ac pro ſua libidine, novum aliquem Dei cultum ſibi fingant; ſed hunc unum legitimum eſſe ſciant, qui à principio fuit illi approbatus. Aſſerimus
enim, quod ſacro oraculo teſtatum eſt: obedientiam *1 Sam. 15. verſ. 22.*
eſſe quolibet ſacrificio præſtantiorem. Denique, modis omnibus aſſuefacimus, ut una colendi Dei regula contenti, quam ex illius ore habent, commentitios omnes cultus valere jubeant. Proinde quum tu hanc, Sadolete, voluntariam confeſſionem edideris, jactum eſt abs te defenſionis meæ fundamentum. Nam ſi fateris, hoc horribile eſſe animæ exitium, ubi, pravis opinionibus, in mendacium convertitur divina veritas, nunc tantum nobis ſupereſt, quærere utra tandem pars cultum illum Dei, qui unus eſt legitimus, retineat. Quo eum parti veſtræ aſſeras, aſſumis, certiſſimam eſſe ipſius regulam, quæ ab Eccleſia præſcribitur. Quanquam, acſi tibi hic obſiſteremus, qualiter in rebus dubiis fieri ſolet, ſententiam iſtam in deliberationem revocas. Ego autem, Sadolete, quia fruſtra deſudare te video, hac te ſublevabo moleſtia. Falſo enim opinaris, ab ea colendi Dei ratione, quam ſemper obſervavit Eccleſia catholica, nos abducere velle populum Chriſtianum, ſed in Eccleſiæ nomine vel hallucinaris, vel certe ſciens ac volens fucum facis. Atque in hoc quidem poſteriore te mox deprehendam: fieri tamen poteſt, ut alicubi etiam aberres. Primum, in ejus definitione prætermittis, quod te ad rectam intelligentiam non parum adjuviſſet. Quum dicis eam eſſe, quæ omni anteacto tempore, ut hodierno, omni in regione terrarum, in Chriſto una & conſentiens, uno Chriſti Spiritu, ubique, & ſemper directa eſt: ubi hic verbum Domini, maxime perſpicua nota illa, quam ipſe Dominus, in Eccleſia deſignanda, toties nobis commendat? Quia enim providebat, quam periculoſum foret abſque verbo Spiritum jactare, Eccleſiam à ſancto quidem Spiritu gubernari aſſeruit: ſed eam gubernationem, ne vaga & inſtabilis crederetur, verbo alligavit. Hac ratione clamat
Chriſtus, ex Deo eſſe, qui verba Dei audiunt: Oves *Joan. 10. verſ. 27.*
ſuas eſſe, quæ vocem ſuam Paſtoris eſſe recognoſcunt: quamlibet aliam, hominis eſſe extranei. Hac
ratione Spiritus per os Pauli pronunciat, Eccleſiam *Epheſ. 2. verſ. 20.*
fundatam eſſe ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Item Eccleſiam Domino ſanctificatam lavacro aquæ in verbo vitæ. idipſum per os Petri *1 Petr. 1. verſ. 23.*
etiam clarius: quum docet regenerari Deo populum, per ſemen illud incorruptibile. Denique, cur toties Euangelii prædicatio regnum Dei nuncupatur, niſi quia ſceptrum eſt, quo plebem ſuam moderatur Rex cæleſtis? Neque in literis tantum Apoſtolicis illud reperies, verum quoties, vel de inſtauranda, vel de propaganda in orbem univerſum Eccleſia, vaticinantur Prophetæ, primum ſemper locum verbo aſſignant. Prodituras enim aquas vivas *Zach. 14. verſ. 8.*
dicunt è Jeruſalem, quæ in quatuor flumina diductæ, totam terram inundabunt. Quæ vero ſint aquæ illæ
vivæ, illi ipſi enarrant, quum aiunt: Exituram Legem *Jeſ. 2: 3.*
è Sion, & verbum Domini è Jeruſalem. Bene ergo Chryſoſtomus, qui repudiandos monet omnes, qui ſub prætextu Spiritus, à ſimplici Euangelii doctrina nos abducunt: quum Spiritus ſit promiſſus non ad novam doctrinam revelandam, ſed imprimendam hominum animis Euangelii veritatem. Ac nos re ipſa hodie experimur, quam fuerit neceſſaria admonitio. A duabus ſectis oppugnamur: quæ inter ſe plurimum videntur habere diſcriminis. Quid enim Papæ ſimile in ſpeciem cum Anabaptiſtis? Et tamen, ut videas Satanam nunquam tanta verſutia ſe transfigurare, quin aliqua ex parte ſe prodat, idem utrique præcipuum telum habent, quo nos fatigant. Spiritum enim quum faſtuoſe jactant, non alio certe tendunt, quam ut oppreſſo ſepultoque Dei verbo, locum faciant ſuis ipſorum mendaciis. Tuque Sadolete, in primo limine impingendo, dediſti pœnas ejus contumeliæ, quam Spiritui ſancto inuſſiſti, quum ſeparaſti ipſum à verbo. Nam velut in bivio ſint conſtituti, qui viam

Dei

Dei quærunt, ac certo ſignn deſtimti, eos hæſitantes inducere cogeris: utrumne magis expediat, Eccleſiæ auctoritatem ſeqni, an iis auſcultare, quos novorum dogmatum repertores vocas. Si ſciviſſes, vel diſſimulare noluiſſes, Spiritum Eccleſiæ prælucere, ad pateſaciendam verbi intelligentiam: verbum autem inſtar eſſe Lydii lapidis, quo illa doctrinas omnes examinet, an ad iſtam adeo perplexam & ſpinoſam quæſtionem confugiſſes? Tuo igitur experimento diſce, non minus importunum eſſe, Spiritum jactare ſine verbo, quam futurum ſit inſulſum, ſine Spiritu verbum ipſum obtendere. Nunc ſi definitionem Eccleſiæ tua veriorem recipere ſuſtines, dic poſthac, ſocietatem eſſe ſanctorum omnium, quæ per totum orbem diffuſa, per omnes ætates diſperſa, una tamen Chriſti doctrina, & uno ſpiritu colligata, unitatem fidei, ac fraternam concordiam colit, atque obſervat. Cum hac eſſe nobis quicquam diſſidii negamus. Quio potius, ut eam reveremur matris loco, ita in ſinu ejus cupimus permanere. At hic me redarguis. Doces enim, quæcunque ab annis mille quingentis, aut amplius, conſtanti fidelium conſenſu ſunt comprobata, ea noſtra importunitate convelli & abrogari. Hic non reqniram, ut vere ac candide nobiſcum agas (quod tamen Philoſopho, nedum Chriſtiano, ſponte præſtandum erat) ſed rogabo tantum, ne ad illiberalem uſque calumniandi licentiam deſcendas, quæ exiſtimationem tuam apud probos & graves viros, nobis quoque tacentibus, vehementer læſura eſt. Scis hoc, Sadolete: &, ſi inficiari pergis, faciam ut te sciviſſe, ac callide vafreque diſſimulaſſe, omnes intelligant; non modo longe meliorem nobis cum antiquitate conſenſionem eſſe, quam vobis: ſed nihil aliud conari, quam ut inſtauretur aliquando vetuſta illa Eccleſiæ facies, quæ primo ab hominibus indoctis, & non optimis, deformata & ſœdata, poſtea à Pontifice Romano, & ejus factione flagitioſe lacerata, & prope deleta eſt. Non adeo te præciſe urgebo, ut revocem ad illam Eccleſiæ formam, quam Apoſtoli conſtituerunt (in qua tamen unicum habemus veræ Eccleſiæ exemplar: à quo ſi quis vel minimum deflectit, aberrat) ſed ut eatenus tibi indulgeam, ſtatue, quæſo, tibi ob oculos veterem illam Eccleſiæ faciem, qualem Chryſoſtomi & Baſilii ætate apud Græcos: Cypriani, Ambroſii, Auguſtini ſeculo, apud Latinos extitiſſe, ipſorum monumenta fidem faciunt: poſtea ruinas, quæ apud vos ex illa ſuperſunt, contemplare. Tantum certe diſcriminis apparebit, quantum Prophetæ nobis deſcribunt inter præclaram Eccleſiam, quæ ſub Davide & Solomone floruit, ac illam, quæ ſub Zedechia & Joachim, in omne ſuperſtitionum genus prolapſa, divini cultus puritatem prorſus vitiaverat. Jamne hoſtem antiquitatis eſſe dices, qui, antiquæ pietatis ac ſanctimoniæ ſtudio, præſenti rerum omnium corruptione non contentus, quæ ſunt in Eccleſia diſſipata ac depravata, corrigere in melius, & reſtituere in priſtinum nitorem molietur? Qnum tribus partibus conſtet ac fulciatur potiſſimum Eccleſiæ incolumitas, doctrina, diſciplina, & Sacramentis: quarto loco accedant ceremoniæ, quæ populum in pietatis officiis exerceant: ut maxime parcatur Eccleſiæ veſtræ honori, qua parte vis eam cenſeamus? Doctrinæ Propheticæ & Euangelicæ veritas, qua fundatam eſſe Eccleſiam oportet, non modo illic magna ex parte interiit, ſed hoſtiliter ferro & igni abigitur. Tu mihi pro Eccleſia obtrudes, quæ omnes religionis noſtræ ſanctiones, & quas Dei oraculis ſunt proditæ, & quæ ſanctorum quoque Patrum libris ſunt conſignatæ, & quæ priſcis Conciliis approbatæ, furioſe perſequitur? Age, ſanctæ illius & veræ diſciplinæ, quam veteres Epiſcopi in Eccleſia exercuerunt, quæ tandem extant apud vos veſtigia? Nonne omnia eorum inſtituta ludibrio habuiſtis? Nonne omnes canones pedibus proculcaſtis? Sacramenta vero quam ſcelerate à vobis ſint profanata, ſine ſummo horrore cogitare nequeo. Ceremoniarum habetis quidem plus ſatis, ſed illæ quum & ſignificatu, ut plurimum, ſint ineptiſſimæ, & innumeris ſuperſtitionum formis vitiatæ, quid valere queant ad Eccleſiam conſervandam? Nihil iſtorum, ut vides, accuſatorie à me exaggeratur. Et ſunt omnia ſic in propatulo poſita, ut demonſtrare digito liceat, ſi ſint oculi qui animadvertant. Nunc, ſi placet, ad hanc nos legem exige: multum profecto aberit, quin eorum criminum, quæ nobis intentaſti, reos peragas. In Sacramentis nihil tentavimus, niſi ut in nativam puritatem unde deciderant, reſtituta, dignationem quoque ſuam reciperent. Ceremonias magna ex parte abolevimus. Verum coacti ſumus id facere: partim quod ſua multitudine in Judaiſmum quendam degeneraverant: partim quod tanta ſuperſtitione occupaverant plebis animos, ut ſtare modo nullo poſſent, quin pietati, quam promovere debuerant, officerent plurimum. Retinuimus tamen eas, quæ pro temporis ratione ſufficere videbantur. Diſciplinam, qualem habuit vetus Eccleſia, nobis deeſſe, neque nos diffitemur. Sed cujus erit æquitatis, nos everſæ diſciplinæ ab iis accuſari, qui & eam ſoli penitus ſuſtulerunt, & quum poſtliminio reducere conaremur, nobis hactenus obſtiterunt? Neque vero in doctrina dubitamus ad veterem Eccleſiam provocare. Et quoniam, exempli cauſa, capita quædam attigiſti, in quibus aliquam nos ſugillandi cauſam habere tibi videbaris, oſtendam breviter, quam inique falſoque cavilleris, ea fuiſſe à nobis contra Eccleſiæ ſententiam excogitata. Antequam tamen ad ſpecies deſcendo, admonitum te velim, etiam atque etiam conſideres, qua ratione vitio vertas noſtris hominibus, quod in Scripturæ explicationem ſtudium impenderunt. Scis enim, tantam verbo Dei lucem ſuis lucubrationibus intuliſſe, ut hoc in genere, omni laude ipſos fraudare, vel invidiam ipſam pudeat. Ejuſdem eſt candoris, quod tradis, populum ſpinoſis ſubtilibuſque quæſtionibus fuiſſe à nobis ſeductum: adeoque per illam Philoſophiam, à qua cavere jubet Chriſtianos Paulus, circumductum. Quid? Num meminiſti, quale fuit tempus illud, quo noſtri homines prodierunt? Qualem in ſcholis doctrinam diſcebant, qui ad Eccleſias erudiendas ſe comparabant? Scis ipſe, meram fuiſſe Sophiſticen: ſed adeo contortam, implicitam, ſinuoſam, perplexam, ut merito dici poſſet ſcholaſtica theologia, quædam arcanæ magiæ ſpecies. Quo quiſque illic denſiores offundebat tenebras, quo ſe & alios importunis ænigmatibus magis fatigabat, eo majorem acuminis ac doctrinæ referebat palmam. Quum vero doctrinæ ſuæ fructum ad populum volebant proferre, qui in officina illa fuerant formati, quanta, obſecro, dexteritate Eccleſiam ædificabant? Ac ne ſingula perſequar, quæ tunc fuerunt in Europa conciones, quæ ſimplicitatem illam repræſentarent, in qua Paulus vult tota vita Chriſtianum populum occupari? Imo quæ omnino fuit, ex qua non plura deliria referrent aniculæ, quam comminiſci toto menſe ad ſocum ſuum poſſent? Sic enim fere diſtributæ erant conciones, ut dimidia pars caliginoſis illis ſcholarum quæſtionibus daretur, quæ rudem plebeculam obſtupefacerent: altera ſuaves fabellas, aut non inamœnas ſpeculationes contineret, quibus populi alacritas excitaretur. Paucæ tantum voculæ ex Dei verbo aſpergebantur, quæ fidem talibus nugamentis, ſua majeſtate, conciliarent. Ubi autem primum noſtri ſignum ſuſtulerunt, momento uno diſcuſſæ ſunt apud nos omnes illæ offuciæ. Veſtri autem concionatores partim ex eorum libris ita profecerunt, partim pudore atque obmurmurationibus omnium coacti, eorum exemplo ita ſe conformarunt, ut pleno gutture adhuc ſpirent veterem illam inſulſitatem. Ut ſi quis rationem agendi noſtram cum illa, atque etiam cum ea quæ hodie vobis eſt in pretio, comparet, non minimam te nobis

inju-

Digitized by Google

injuriam feciſſe agnoſcat. Quod ſi paulo ulterius Pauli verba proſequutus eſſes, facile quivis puer intellexiſſet, in vos proculdubio competere, quod nobis crimen impingis. Inanem enim Philoſophiam illic Paulus interpetatur eam eſſe, quæ pias animas, per conſtitutiones hominum, & elementa hujus mundi, deprædatur: quibus vos Eccleſiam perdidiſtis. Et ipſe tuo deinde teſtimonio nos abſolvis: qui inter dogmata noſtra, quæ exagitanda tibi duxiſti, nullum profers, cujus cognitio non ſit ad Eccleſiæ ædificationem in primis neceſſaria. Fidei juſtificationem primo loco attingis: de qua nobis primum & acerrimum certamen vobiſcum eſt. Eſtne illa ſpinoſa, & inutilis quæſtio? At, ſublata ejus cognitione, & Chriſti gloria extincta eſt, & abolita religio, & Eccleſia deſtructa, & ſpes ſalutis penitus everſa. Dogma ergo iſtud, quod in religione ſummum erat, dicimus fuiſſe à vobis nefarie ex hominum memoria deletum. Perſpicua ejus rei probatione referti ſunt libri noſtri. Et craſſa ejus ignoratio, quæ in veſtris omnibus Eccleſiis etiamnum manet, teſtatur, nos nequaquam falſo queri. At tu perquam maligne hic invidiam nobis facis: quod fidei omnia deferendo, nullum operibus locum relinquamus. Hic non ingrediar juſtam diſputationem, quæ non poſſet niſi longo volumine terminari; ſed enim ſi Catechiſmum inſpiceres, quem Genevenſibus ipſe conſcripſi, quum Paſtoris apud eos ſuſtinerem perſonam, tribus verbis victus obmuteſceres. Breviter tamen hic tibi expediam, quo modo ea de re loquamur. Primum, jubemus hominem à ſui recognitione incipere, & illa quidem non levi nec defunctoria, ſed ut conſcientiam coram Dei tribunali ſuam ſiſtat: & quum ſuæ iniquitatis ſatis convictus fuerit, ſimul judicii illius ſeveritatem reputet, quod in omnes peccatores edicitur; ita miſeria ſua confuſus ac perculſus, coram Deo proſternatur, & humilietur: abjecta omni ſui fiducia, tanquam ultimo exitio perditus, ingemiſcat. Tum, unicum ſalutis portum eſſe oſtendimus in Dei miſericordia, quæ nobis in Chriſto exhibetur: quia omnes ſalutis noſtræ partes in eo ſunt adimpletæ. Quum ergo univerſi mortales perditi ſunt coram Deo peccatores, dicimus Chriſtum unicam eſſe juſtitiam: quandoquidem, obedientia ſua, transgreſſiones noſtras abolevit: ſacrificio, iram Dei placavit: ſanguine, maculas abſterſit: cruce, maledictionem noſtram ſuſtinuit: morte, pro nobis ſatisfecit. In hunc ergo modum dicimus hominem Deo Patri in Chriſto reconciliari, nullo ſuo merito, nulla operum dignatione, ſed gratuita clementia. Quum autem fide amplectamur Chriſtum, & veluti in ejus communionem veniamus, hanc, ſecundum Scripturæ morem, vocamus fidei juſtitiam. Quid hic habes, quod vel mordeas, vel carpas, Sadolete? An quia operibus locum nullum relinquimus? Certe in homine juſtificando negamus vel pilum unum valere. Ubique enim Scriptura vociferatur omnes eſſe perditos: & ſua quemque conſcientia graviter accuſat. Nihil ſpei reliquum eſſe docet eadem Scriptura, niſi in ſola Dei bonitate, qua peccata nobis ignoſcuntur, juſtitia imputatur. Utrumque gratuitum aſſerit: ut tandem pronunciet, beatum eſſe hominem ſine operibus. At, quam aliam affert nobis notionem nomen ipſum Juſtitiæ, niſi reſpectus ad bona opera habeatur? Imo ſi animadverteres, quid Scriptura per verbum Juſtificandi ſignificet, in eo non hæſitares. Non enim ad propriam hominis juſtitiam refert, ſed ad Dei clementiam quæ juſtitiam peccatori, contra quam ſit promeritus, accepto fert, idque, injuſtitiam non imputando. Illa, inquam, eſt noſtra juſtitia, quæ à Paulo deſcribitur, quod Deus nos ſibi in Chriſto reconciliavit. Modus deinde ſubjicitur, non imputando delicta. Nos demum fide fieri ejus boni participes demonſtrat, quum dicit, ejus reconciliationis miniſterium Evangelio contineri. At amplum eſt vocabulum fides, inquis, & cujus ſignificatio latius patet. Imo vero Paulus, quoties juſtificandi facultatem ei tribuit, ſimul adſtringit ad gratuitam divinæ benevolentiæ promiſſionem: ab omni autem operum reſpectu procul avertit. Unde familiaris ei collectio; ſi fide, ergo non operibus. Rurſum, ſi operibus, ergo non fide. Atqui injuria fit Chriſto, ſi prætextu gratiæ ejus, repudiantur bona opera: quum venerit, ut redderet populum Deo acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Et extant multa ſimilia in eam rem teſtimonia, quibus probatur, ideo veniſſe Chriſtum, ut bene operantes per eum accepti eſſemus Deo. Eſt hæc quidem calumnia adverſariis noſtris perpetuo in ore, quod benefaciendi ſtudium tollimus è vita Chriſtiana, gratuitæ juſtitiæ commendatione; ſed quæ magis frivola eſt, quam ut nos valde premat. Opera bona in homine juſtificando negamus ullas habere partes: in juſtorum vita regnum illis vendicamus. Nam ſi Chriſtum poſſidet, qui juſtitiam eſt adeptus, Chriſtus autem nuſquam ſine ſuo Spiritu eſt, inde conſtat, gratuitam juſtitiam cum regeneratione neceſſario eſſe conjunctam. Proinde ſi rite intelligere libet, quam ſint res individuæ, fides, & opera, in Chriſtum intuere; qui, ut docet Apoſtolus, in juſtitiam & ſanctificationem datus nobis eſt. Ubicunque ergo iſta quam gratuitam prædicamus, fidei juſtitia eſt, illic eſt Chriſtus. Ubi Chriſtus, illic Spiritus ſanctificationis: qui animam in vitæ novitatem regeneret: contra vero ubi non viget ſanctitatis innocentiæque ſtudium, illic nec Spiritus Chriſti, nec Chriſtus ipſe eſt. Ubi non eſt Chriſtus, neque etiam illic eſt juſtitia, imo neque fides: quæ Chriſtum in juſtitiam, ſine Spiritu ſanctificationis, apprehendere non poteſt. Quum ergo, ſecundum nos, regeneret Chriſtus in beatam vitam quos juſtificat, à regno peccati ereptos traducat in regnum juſtitiæ, transfiguret in imaginem Dei, adeoque Spiritu ſuo in obedientiam voluntatis ſuæ formet: non eſt, quod frena carnis libidinibus laxari, noſtra doctrina, conqueraris. Neque vero aliud ſibi volunt, quæ adducis teſtimonia. Quod ſi velis ad dirnendam gratuitam juſtificationem illis abuti, vide quam imperite ratiocineris. Dicit alibi Paulus, ante mundi creationem nos in Chriſto electos eſſe, ut ſimus ſancti & irreprehenſibiles in Dei conſpectu, per charitatem. Quis inde, vel non eſſe gratuitam electionem colligere auſit, vel cauſam ejus eſſe charitatem? Quin potius, ut gratuita electio finem hunc habet, ut vitam coram Deo traducamus puram & impollutam, ſic & gratuita juſtificatio. Verum enim eſt illud Pauli, nos minime ad immunditiem vocatos eſſe, ſed ad ſanctitatem. Interim conſtanter hoc retinemus, hominem non modo ſemel gratis juſtificatum, nullo operum merito, ſed hac gratuita juſtitia hominis ſalutem perpetuo conſtare. Neque etiam aliter fieri poſſe, ut acceptum ſit Deo ullum hominis opus, niſi per eam approbetur. Quamobrem obſtupefactus ſum, quum apud te legerem, charitatem, principem eſſe ac potiſſimam ſalutis noſtræ cauſam. O Sadolete, quis abs te unquam talem vocem expectaſſet? Cæci profecto ipſi certius in tenebris palpant Dei miſericordiam, quam ut ſalutis ſuæ principatum charitati auſint arrogare. Qui vero vel ſcintillam unam habent divinæ lucis, ſentiunt non alia re conſtare ſibi ſalutem, quam quod ſunt à Deo adoptati. Eſt enim æterna ſalus, hæreditas cæleſtis Patris, quæ ſolis ejus filiis eſt præparata. Porro, quis aliam adoptioni noſtræ cauſam aſſignet, quam quæ paſſim à Scriptura prædicatur? Quod ſcilicet non priores dilexerimus eum, ſed ultro in gratiam ac benevolentiam ab eo recepti ſimus. Ab hac cæcitate error etiam ille emergit, quod pœnitentiis & ſatisfactionibus expiari peccata doces. Ubi ergo erit illa unica hoſtia piacularis, à qua ſi diſceditur, nullum omnino piaculum reſtare, teſtatur Scriptura? Percurre quicquid habemus oraculorum Dei: ſi uni-

Marginal references: Coloſſ. 2. verſ. 8. — Rom. 4. verſ. 7. — 2 Cor. 5. verſ. 19. — 1 Cor. 1. verſ. 30. — Epheſ. 1. verſ. 4. — 1 Theſſ. 4. verſ. 7.

ſi unicus Chriſti ſanguis ubique pro ſatisfactionis pretio, pro pacificatione, pro ablutione, proponitur, qua confidentia tantum honorem ad tua opera transferre audes? Nec eſt, quod ſacrilegium hoc Eccleſiæ Dei adſcribas. Habuit, fateor, vetus Eccleſia ſuas ſatisfactiones: non illas tamen, quibus Deo litarent peccatores, ſeque à noxa redimerent, ſed quibus, & quam profitebantur reſipiſcentiam non eſſe fictam approbarent: & ejus offenſionis, quæ ex eorum peccato excitata erat, memoriam delerent. Non enim quibuslibet, ſed iis modo, qui in grave aliquod flagitium prolapſi erant, ſolemni ritu præſcribebantur. In Euchariſtiæ cauſa, id reprehendis, quod dominum ipſum univerſi, & divinam in eo ſpiritualemque potentiam (quæ prorſus libera & infinita eſt) in angulos corporeæ naturæ, quæ ſuis cancellis eſt circumſcripta, conamur includere. Et quis tandem calumniis erit finis? Nos diſerte ſemper teſtati ſumus divinam Chriſti non modo potentiam, ſed eſſentiam quoque, diffundi per omnia, nullis finibus limitari: tu autem exprobrare nobis non dubitas, fuiſſe in angulos corporeæ naturæ à nobis incluſam? Qui ſic? Quia corpus ejus noluimus terrenis elementis vobiſcum affigere. At, ſi qua tibi ſinceritatis cura eſſet, non ignoras profecto, quantum inter iſta duo interſit: localem corporis Chriſti præſentiam à pane removeri, & ſpiritualem Chriſti potentiam circumſcribi corporis cancellis. Nec dogma iſtud noſtrum debuiſti novitatis inſimulare, quum in Eccleſia ſemper habitum pro confeſſo fuerit. Sed quia diſputatio hæc ſua magnitudine librum unum impleret, ſatius eſt, quo tanta moleſtia uterque noſtrum eximatur, Auguſtini Epiſtolam ad Dardanum legas: ubi reperies, quomodo unus idemque Chriſtus & ſuæ divinitatis amplitudine cælum terramque excedat: & ſecundum humanitatem non ubique ſit diffuſus. Veram carnis ac ſanguinis communicationem, quæ fidelibus in Cœna exhibetur, magnifice prædicamus. Eam carnem vere cibum eſſe vitæ, ſanguinem illum vere potum, diſerte oſtendimus: quorum non imaginaria conceptione contenta ſit anima, ſed efficaci veritate fruatur. Præſentiam Chriſti, qua nos illi inſeramur, à Cœna minime excludimus. Neque vero ipſam obſcuramus, modo abſit localis circumſcriptio, modo ne glorioſum Chriſti corpus ad terrena elementa detrahatur, modo ne in Chriſtum fingatur panis transſubſtantiari, ut deinde pro Chriſto adoretur. Dignitatem uſumque myſterii quibus poſſumus elogiis illuſtramus: quanta deinde ad nos utilitas redeat, declaramus. Quæ omnia prope apud vos negliguntur. Præterita enim, quæ hic nobis confertur, divina beneficentia, præterito tanti beneficii legitimo uſu, quibus plurimum decebat immorari, ſatis habetis, ſi populus ad ſignum viſibile ſine, ulla ſpiritualis myſterii intelligentia, obſtupeſcat. Quod autem craſſam illam, quam ſtatuitis, transſubſtantiationem damnavimus: quod ſtupidam illam adorationem quæ hominum mentes in elementis detinet, in Chriſtum aſſurgere non ſinit, perverſam eſſe docuimus & impiam, id non fecimus, niſi ſuffragante nobis veteris Eccleſiæ conſenſu, cujus umbra fruſtra conaris fœdiſſimas, quibus hic laboratis, ſuperſtitiones obtegere. In auriculari confeſſione illam Innocentii legem improbavimus, quæ jubet quotannis unumquemque proprio ſacerdoti recenſere omnia peccata. In ea porro abroganda quas rationes ſequuti ſimus, recenſere longum foret. Rem tamen fuiſſe nefariam, vel inde apparet, quod diro illo tormento ſolutæ piæ conſcientiæ, tunc acquieſcere demum in divinæ gratiæ fiducia cœperunt, quum antea perpetua anxietate æſtuaſſent. Ut taceam interim tot, quas in Eccleſiam importavit, clades, quæ merito illam nobis execrabilem reddere debeant. Quod autem in præſentia agitur, hoc habe: neque Chriſti mandato, nec veteris Eccleſiæ inſtituto fuiſſe traditam. Locos Scripturæ omnes valide extorſimus Sophiſtis, quos ad eam detorquere moliebantur. Quæ autem in manibus ſunt Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, puriore illo ſeculo minime extitiſſe narrant: quibus Patrum quoque teſtimonia conſentiunt. Fucus ergo eſt, quod humilitatem illic, & à Chriſto, & ab Eccleſia præceptam ac conſtitutam, ais. Tametſi enim illic quædam apparet humilitatis ſpecies, longe tamen abeſt, quin dejectio quælibet, humilitatis nomine apud Deum commendetur. Itaque, veram demum humilitatem Paulus eſſe docet, quæ ad verbi Dei regulam eſt compoſita. *Coloſſ. 2. verſ. 18.* In aſſerenda Sanctorum interceſſione, ſi hoc tantum intendis, eos aſſiduis votis expetere regni Chriſti complementum, in quo ſalus omnium fidelium continetur, nemo eſt noſtrum, qui aliquam de ea re controverſiam faciat. Itaque, nullum operæpretium feciſti, in hanc partem tantopere incumbendo: ſed noluiſti ſcilicet amittere falſum illud dicterium, quo nos verberas, quaſi opinemur, animas una cum corporibus interire. Nos vero philoſophiam iſtam ſummis veſtris Pontificibus, ac Cardinalium collegio relinquimus: à quibus fideliſſime jam multis annis culta fuit, neque hodie coli deſinit. Itaque & illud quod ſubjicis, illorum eſt, ſuaviter deliciari, nulla futuræ vitæ ſollicitudine: ac nos miſeros homunciones, quod tam anxie pro Chriſti regno laboramus, ludibrio habere. Cæterum, in Sanctorum interceſſione nos eam in partem inſtitimus, quam non eſt mirum cur prætermittas. Innumeræ enim ſuperſtitiones hic fuerunt excidendæ: quæ eo uſque emerſerant, ut penitus ex hominum animis deleta eſſet Chriſti interceſſio: Sancti pro diis invocarentur: in illos, quæ propria ſunt Dei officia diſtribuerentur: nec quippiam intereſſet inter eorum cultum, & veterem illam, quam omnes merito execramur, idololatriam. Quantum ad Purgatorium attinet, ſcimus veteres alicubi Eccleſias feciſſe nonnullam in precibus mortuorum mentionem, ſed illam raram, & ſobriam, & paucis tantum verbis comprehenſam. Denique, in qua appareret, nihil aliud velle, quam ſuam erga mortuos charitatem obiter teſtari. At nondum nati erant architecti, à quibus Purgatorium iſtud veſtrum construeretur: qui poſtea in tantam amplitudinem illud dilatarunt, in tantam extulerunt altitudinem, ut potiſſima regni veſtri portio ipſo fulciatur. Scis ipſe, qualis errorum lerna inde emerſerit: ſcis quot præſtigias ſponte excogitarit ſuperſtitio, quibus ſe luderet: ſcis quot impoſturas fabricata ſit hic avaritia, quo omne genus homines emulgeret: ſcis quanto pietatis detrimento factum id fuerit. Nam ut omittam verum Dei cultum ex eo valde concidiſſe, hoc certe fuit peſſimum, quod dum certatim volunt omnes ſine ullo Dei præcepto opitulari mortuis, germana charitatis officia, quæ tantopere exiguntur, penitus neglexerunt. Non patiar, Sadolete, ut ejuſmodi flagitiis Eccleſiæ nomen inſcribendo, & eam, contra fas & jus infames, & nobis invidiam apud imperitos facias, acſi bellum cum Eccleſia gerere nobis decretum foret. Nam, ut fateamur jacta fuiſſe olim ſemina quædam ſuperſtitionum, quæ ab Euangelii puritate nonnihil degenerabant, ſcis tamen iſta, quibuſcum in primis belligeramur, impietatis monſtra, non ita pridem, vel nata eſſe, vel certe in hanc magnitudinem excreviſſe. Sane ad regnum veſtrum expugnandum, conterendum, diſperdendum, non divini verbi modo virtute, ſed ſanctorum etiam Patrum præſidio armati ſumus. Atque ut Eccleſiæ auctoritatem, quam, veluti Aiacis clypeum, ſubinde nobis opponis, aliquando tibi prorſus excutiam: nonnullis adhuc propoſitis exemplis, indicabo, quanto intervallo à ſancta illa antiquitate differatis. Everſi miniſterii vos accuſamus, cujus vacuum ſine re nomen apud vos manet. Quantum enim ad paſcendi populi curam attinet, Epiſcopos ac Presbyteros mutas eſſe ſtatuas, pueri quoque cernunt: Prædando ſolum ac vorando ſtrenuos eſſe, omnium ordinum

num mortales experiuntur. Io ſacræ Cœnæ locum ſacrificium ſubiiſſe, quo ſua virtute exinanitur mors Chriſti, indigne ferimus. In execrandam Miſſarum nundinationem vociferamur: Cœnam Domini dimidia ex parte querimur ereptam eſſe populo Chriſtiano. In ſceleratam ſimulachrorum adorationem invehimur. Sacramenta oſtendimus multis profanis opinionibus inquinata. Indulgentias docemus horrendo crucis Chriſti opprobrio obrepſiſſe. Traditionibus humanis Chriſtianam libertatem imploramus obrutam fuiſſe & oppreſſam. His ergo ac ſimilibus peſtibus purgandas curavimus, quas nobis Eccleſias Dominus commendavit. Expoſtula, ſi potes, nobiſcum de injuria, quam catholicæ Eccleſiæ irrogavimus, dum auſi ſumus violare ſacras ejus ſanctiones. Enimvero id jam magis pervulgatum eſt, quam ut negando quippiam proficias, in iſtis omnibus non obſcure à nobis ſtare veterem Eccleſiam: vobiſque nihilo minus, quam nos ipſos, adverſari. Hic vero ſuccurrit, quod alicubi extenuandi cauſa dicis, etiamſi mores veſtri parum ſint compoſiti, non eſſe ideo cauſam, cur à ſancta Eccleſia diſceſſionem faciamus. Fieri quidem vix poteſt, ut tot crudelitatis, avaritiæ, rapacitatis, intemperantiæ, arrogantiæ, inſolentiæ, libidinum, ſcelerumque omnium exemplis, quæ in hominibus ordinis tui palam conſpicua ſunt, non magnopere à veſtra parte alienentur plebis animi: verum nihil eorum nos perpuliſſet ad ea tentanda, quæ multo majori neceſſitate ſumus aggreſſi. Iſta porro fuit neceſſitas, quod lux divinæ veritatis extincta, ſepultum Dei verbum, virtus Chriſti profunda oblivione inducta, munus paſtorale inverſum erat. Interim ſic graſſabatur impietas, ut nullum prope religionis dogma à fermento purum, nulla ceremonia errore vacua, nulla divini cultus portiuncula à ſuperſtitione intacta eſſet. Qui cum talibus malis conflictantur, bellumne indicunt Eccleſiæ, ac non potius extremis malis afflictæ opitulantur? Et adhuc obedientiam humilitatemque veſtram nobis venditas, quod vos retineat Eccleſiæ veneratio, quo minus ad exigenda hæc flagitia manum admoveatis. Quid homini Chriſtiano cum iſta prævaricatrice obedientia, quæ verbo Dei licentioſe contempto obſequia ſua defert hominum vanitati? Quid cum iſta contumaci præfractaque humilitate, quæ deſpecta Dei majeſtate homines modo ſuſpicit ac reveretur? Faceſſant inanes virtutum tituli, qui ad obtegenda vitia accerſuntur. Rem ipſam ſine fuco afferamus: ſit inter nos humilitas, quæ ab infimo exorſa, ſuo quemque gradu ita colat, ut Eccleſiæ ſummam dignationem obſervantiamque deferat, quæ tamen ipſa demum ad Chriſtum, Eccleſiæ caput, referatur: ſit obedientia, quæ ſic ad audiendos præfectos ac majores nos componat, ut omnia tamen obſequia ad unicam verbi Dei regulam exigat: ſit denique Eccleſia, cui ſupremæ curæ ſit, religioſa humilitate ſuſpicere verbum Dei, & ſub ejus obedientia ſe continere. At, cujus arrogantiæ eſt, inquies, jactare penes vos ſolos eſſe Eccleſiam, & eam interim adimere orbi univerſo? Nos vero, Sadolete, Eccleſias Chriſti eas, quibus præſidetis, eſſe non negamus, ſed Pontificem Romanum, cum toto pſeudoepiſcoporum grege, qui paſtorum locum iſtic occuparunt, immanes eſſe lupos dicimus: quibus unicum ſtudium hactenus fuit, atterere & diſperdere Chriſti regnum, donec vaſtitate & ruina deformarent. Neque hanc tamen querimoniam primi movemus. Bernardus quanta vehementia in Eugenium omneſque ſuæ ætatis Epiſcopos fulminat? At quanto ſeculi illius conditio hac præſenti tolerabilior? Ad extremum enim nequitiæ perventum eſt: ut jam nec vitia ſua, nec remedia pati poſſint adumbrati iſti præſules, in quibus ſtare & perire Eccleſiam putas, à quibus nos ipſam dicimus immaniter fuiſſe disjectam & mutilatam, & parum abfuiſſe, quin ad internecionem uſque deleretur. Quod certe fuiſſet factum, niſi ſingularis Dei bonitas obſtitiſſet: ita in omnibus locis, qui Romani Pontificis tyrannide occupantur, vix apparent ſparſa quædam & lacera veſtigia: ex quibus Eccleſias illic ſemiſepultas jacere agnoſcas. Neque id abſurdum videri tibi debet, qui audis ex ore Pauli, non alibi ſedem *2 Theſſ. 2.*
Antichriſto fore, quam in medio Dei ſanctuario. *verſ. 4.*
An non vel una hæc admonitio expergefacere nos debet, ne quæ forte nobis præſtigiæ & captiones in Eccleſiæ nomine intendantur? Sed qualeſcunque ſint, inquis, ſcriptum tamen eſt, Quæ dicunt facite, Sane, ſi in cathedra Moſis ſedeant. Sed ubi è cathedra vanitatis populum nugis dementant, ſcriptum eſt, Cavete ab eorum fermento. Non eſt noſtrum, *Mat. 16.*
Sadolete, ſuum Eccleſiæ jus eripere, quod illi non *verſ. 6.*
modo Dei benignitate conceſſum, ſed multis etiam interdictis ſevere vindicatum fuit. Nam ut ad regendam Eccleſiam non emittuntur ab ipſo cum licentioſa exlegique poteſtate paſtores, ſed ad certam officii formulam adſtringuntur, quam excedere non liceat: ita explorare jubetur Eccleſia quam fideliter *1 Theſſ. 5.*
vocationi reſpondeant ſuæ, quos ea lege ſibi præfe- *verſ. 21.*
ctos habet. Atqui vel non multum habebit momenti *1 Joan. 4.*
Chriſti teſtimonium, aut nefas erit auctoritatem, vel *verſ. 1.*
minima ex parte iis abrogari, quos tam ſplendidis elogiis ornavit. Imo vero falleris, ſi putas Dominum impoſuiſſe populo ſuo tyrannos, qui pro libidine dominarentur, ubi iis quos ad Euangelium promulgandum mittebat, tantum detulit poteſtatis. In eo autem impingis, quod non cogitas ante illos circumſcribi certis finibus, quam poteſtate inſtruantur. Audiendos ergo fatemur, non ſecus ac Chriſtum ipſum Eccleſiaſticos paſtores, ſed qui munus ſibi injunctum exequantur. Id porro ipſum eſſe dicimus, non quæ à ſeipſis placita temere excuderint, confidenter ingerere, ſed quæ ex ore Domini oracula acceperint, religioſe ac bona fide proferre. Nam & iis cancellis terminavit Chriſtus, quam Apoſtolis reverentiam voluit exhiberi: nec Petrus plus aliquid vel *1 Petr. 4.*
ſibi tribuit, vel aliis permittit, quam ut quoties lo- *verſ. 11.*
quuntur inter fideles, veluti ex ore Domini loquantur. Effert quidem magnifice Paulus ſpiritualem il- *2 Cor. 13.*
lam qua præditus erat, poteſtatem, ſed adhibita mo- *verſ. 10.*
deratione, ut ne quid valeat, niſi ad ædificationem: ut ne quam dominationis ſpeciem præ ſe ferat: ut ne ad fidem ſubjugandam conferatur. Superbiat nunc, ut volet, Petri ſucceſſione Pontifex veſter: etiamſi eam ſibi evicerit, nihil tamen inde conſequetur, quam ſibi obedientiam à Chriſtiano populo deberi, quantiſper fidem ipſe Chriſto ſervaverit, nec ab Euangelii puritate deflectat. Non enim in alium ordinem vos cogit Eccleſia fidelium quam in quo ſtare vos Dominus voluit: ubi ad eam vos regulam exigit, qua tota veſtra poteſtas continetur. Hic, inquam, ordo inter fideles eſt conſtitutus Domini voce, ut Propheta, qui *1 Cor. 14.*
locum docendi tenet, à conſeſſu judicetur. Ab eo qui- *verſ. 29.*
cunque ſe eximit, è numero Prophetarum ſe prius expungat neceſſe eſt. Atque hic mihi ſe aperit latiſſimus redarguendæ inſcitiæ tuæ campus, ſiquidem vulgo fidelium nihil inter religionis controverſias reliquum facis, niſi ut averſis à re ipſa oculis, doctoribus ſe addicant. At quum obnoxiam Satanæ animam eſſe conſtet, quæ aliunde quam à Deo uno pendet, quam miſeri erunt, quicunque talibus fidei rudimentis imbuentur? Hinc animadverto, Sadolete, nimis otioſam te habere Theologiam: qualis eſt fere eorum omnium qui ſeriis conſcientiæ certaminibus nunquam fuerunt exercitati. Alioqui enim hominem Chriſtianum in tam lubrico, imo tam præcipiti loco nunquam conſtitueres, in quo vix momentum poſſet conſiſtere, ſi quando vel minimum impelleretur. Da mihi non dico aliquem de media plebe indoctum, ſed rudiſſimum ſubulcum, ſi in grege Dei cenſetur, comparatum eſſe ad militiam illam oportebit, quæ piis omnibus eſt à Deo ordinata. Adeſt accinctus hoſtis,

imminet,

imminet, congreditur, ac hoſtis quidem inſtructiſſimus, & cui nulla mundi virtus eſt inexpugnabilis: quibus ad reſiſtendum, vel præſidiis munietur, vel telis armabitur ille miſer, ut non ſtatim abſorbeatur? Ephes. 6. verſ. 17. Unico ſane gladio pugnandum docet Paulus, Verbo Domini. Ergo inermis diabolo ad necem deditur anima, ubi Dei verbo ſpoliatur. Age nunc, an non erit prima hæc hoſtis machinatio, ut gladium Chriſti militi excutiat? Quis porro excutiendi modus, niſi ut dubitationem illi iojiciat, ſitne verbum Domini, quo innititur, an hominis? Quid miſero hic facies? Jubeaſne circumſpectare ubinam ſint viri docti, in quos reclinatus, qoietem capiat? At ne reſpirare quidem ipſum in hoc ſubterfugio ſinet hoſtis. Nam ſi ſemel eo impulerit, ut in homines incumbat, urgebit ac percellet magis ac magis, donec præcipitem dederit. Ergo aut ex facili opprimetur, aut relictis hominibus, recta in Deum reſpiciet. Ita ſane res habet, fidem Chriſtianam non humano teſtimonio fundatam, non ambigua opinione ſuffultam, non hominum auctoritate ſubnixam eſſe oportet, ſed digito Dei viventis cordibus noſtris inſculptam, ut nullis errorum offuciis obliterari queat. Itaque nihil habet Chriſti, qui hæc elementa non tenet, Deum unum eſſe, qui mentes noſtras ad perſpiciendam ſuam veritatem illuminat, qui eodem Spiritu illam cordibus obſignat, qui certa ejus teſtificatione conſcientias confirmat. Hæc illa eſt plena firmaque, ut ita loquar, certitudo nobis à Paulo commendata: quæ, ut nullum dubitationi locum relinquit, ita non modo inter hominum defenſiones non vacillat aut hæſitat, utri potius adhæreat parti, ſed quæ, toto orbe adverſante, conſtare ſibi non deſinit. Hinc ea quoque naſcitur, quam Eccleſiæ tribuimus, & illibatam volumus ſervari, judicandi facultas. Utcunque enim tumultuetur mundus, opinionumque varietate perſtrepat, nunquam tamen ſic deſtituitur fidelis anima, quin rectum ad ſalutem curſum teneat. Neque tamen aut eam fidei perſpicaciam ſomnio, quæ in veri falſique diſcrimine nuſquam aberret, nuſquam hallucinetur: aut eam affingo cootumaciam, quæ univerſum hominum genus, velut ex alto, deſpiciat, nullius judicium moretur, delectum inter indoctos ac eruditos nullum habeat: quin potius fateor, pias, ac vere religioſas mentes non omnia Dei myſteria ſemper aſſequi, interdum etiam in rebus evidentiſſimis cæcutire: ita ſcilicet Domino providente, quo ad ſubmiſſionem modeſtiamque aſſueſiant. Rurſum tantam eſſe fateor apud eas bonorum omnium, nedum Eccleſiæ, reverentiam, ut non facile ab ullo ſe homioe dimoveri ſinant, in quo rectam Chriſti intelligentiam deprehenderint: ut nonnunquam ſuſpendere judicium malint, quam ad diſſenſionem leviter proſilire. Tantum contendo, quantiſper Domini verbo inſiſtunt, nunquam ita deprehenſas teneri, ut in exitium abducantur. Verbi autem ipſius certam adeo ac perſpicuam iis eſſe veritatem, ut neque ab hominibus, neque ab Angelis labefactari queat. Proinde faceſſat nugatoria illa, quam rudibus & illiteratis convenire dicis, ſimplicitas, ad doctiores reſpectare, & ad eorum nutum inclinare. Præterquam enim quod fidei nomen non meretur, de religione perſuaſio quantumlibet obſtinata, quæ alibi, quam in Deo, acquieſcit: quis fidem appellet, ambiguam neſcio quam opinionem, quæ non tantum diaboli artibus facile extorqueatur, ſed ſponte, pro temporum inclinatione, fluctuetur? cujus vix alius ſperari finis poteſt, quam ut tandem evaneſcat? Quod non alio nos ſpectaſſe cavillaris, tyrannicum hoc jugum excutiendo, quam ut nos in effrenem licentiam ſolveremus, abjecta etiam, ſi Deo placet, futuræ vitæ cogitatione, judicium ex comparatione vitæ noſtræ cum veſtra feratur. Multis quidem vitiis abundamus, labimur nimis ſæpe ac delinquimus, ſed impedior verecundia, ne quoad per veritatem licet, gloriari auſim, quanto vos omni ex parte antecellamus: niſi forte Romam excipere velis, præclarum illud ſanctitatis factarium: quæ ruptis rectæ diſciplinæ repagulis, proculcata omni honeſtate, ſic in omnia flagitiorum genere exundavit, ut vix unquam tale fœditatis exemplum extiterit. Nos ſcilicet oportebat tot diſcriminibus ac periculis capita noſtra objicere, ne ejus exemplo, ad ſeveriorem continentiam aſtringeremur. At nos minime refugimus, quin diſciplina quæ vetuſtis canonibus ſancita fuit, locum hodie habeat, diligenter ac bona fide cuſtodiatur: quin potius ſemper teſtati ſumus, ut Eccleſia ita miſere collaberetur, non aliunde magis factum eſſe, niſi quia luxu & indulgentia enervata fuit. Diſciplina enim, non ſecus ac nervis, corpus Eccleſiæ, ut bene cohæreat, neceſſe eſt colligari. Ea autem quomodo in veſtra parte vel colitur, vel appetitur? Ubi ſunt veteres illi canones, quibus veluti frenis, epiſcopi ac presbyteri in officio retinebantur? Quomodo apud vos eliguntur epiſcopi? qua probatione? qua cenſura? qua diligentia? qua cautione? Quomodo muneri ſuo initiantur? quo ordine? qua religione? Tantum defungendi cauſa jurejurando adiguntur, ſe paſtorale munus obituros: ſed id non in alium, ut apparet, finem, niſi ut ſuper alia flagitia, perjurio quoque ſe obſtringant. Quia ergo Eccleſiaſtica munera invadendo, poteſtatem videntur ſibi inire nulla lege aſtrictam, omnia ſibi in ea licere putant: ut credibile ſit, inter piratas ac latrones plus eſſe juris & politiæ, magiſque valere leges, quam in univerſo veſtro ordine. Quoniam autem ad extremum inducta, quæ cauſam noſtram ſuſtineret, perſona, nos veluti reos ad Dei tribunal citaſti, ego vero illuc te non dubitanter revoco. Ea enim nobis conſtat doctrinæ noſtræ conſcientia, quæ nec cæleſtem illum judicem exhorreſcat, à quo ipſam non dubitat prodiiſſe. Illas autem ineptias nihil moratur, quibus ludere tibi placuit: minime certe in loco. Quid enim magis importunum, quam ubi in Dei conſpectum ventum eſt, nugas neſcio quas comminiſci, & defenſionem nobis parum idoneam affingere, quæ mox concidat? Piis animis quoties in mentem venit dies ille, major incutitur religio, quam ut illis ita otioſe deliciari vacet. Omiſſis ergo deliciis talibus, diem illum cogitemus: cujus expectatione ſuſpenſi ſemper eſſe debent hominum animi. Ac meminerimus, non ita fidelibus eſſe expetendum, quin profanis ac ſceleratis, Deique contemptoribus merito formidabilis eſſe debeat. Aures arrigamus ad illum tubæ clangorem, quem ipſi quoque mortuorum cineres è ſepulchris ſuis exaudient. Mentes animoſque intendamus in illum judicem, qui ſola vultus ſui illuſtratione reteget quicquid in tenebris latet: omniaque humani cordis arcana patefaciet: & ſolo ſpiritu oris proteret omnes iniquos. Tu nunc vide quid pro te ac tuis ſerio reſpondeas: cauſam ſane noſtram, ut Dei veritate ſuffulta eſt, ita juſta defenſio minime deficiet. De perſonis non loquor, quarum ſalus non in patrocinio, ſed in humili confeſſione, ſupplicique deprecatione poſita erit: ſed quantum ad miniſterii cauſam attinet, uemo erit noſtrum, qui non ita pro ſe loqui poſſit. Ego quidem ſum expertus, Domine, quam difficile ſit ac grave, ſuſtinere apud homines ejus, qua in terris premebar, accuſationis invidiam, ſed qua fiducia ſemper ad tuum tribunal provocavi, eadem nunc coram te appareo: quando in judicio tuo eam ſcio regnare veritatem, cujus ego fiducia ſubnixus, primo aggredi auſus ſum: cujus præſidio inſtructus, perficere potui, quicquid à me in tua Eccleſia geſtum eſt. Duobus maximis criminibus reum me fecerunt, hæreſeos & ſchiſmatis. Atque hæreſis illis fuit, quod receptis inter eos dogmatibus auſus ſum reclamare. Quid vero feciſſem? Audiebam ex ore tuo, non aliam eſſe veritatis lucem, ad animas noſtras in viam vitæ dirigendas, quam quæ à verbo tuo accenderetur. Au-

diebam

Digitized by Google

dicbam eſſe vanitatem, quicquid de tua majeſtate, de cultu numinis tui, de religionis tuæ myſteriis concipiunt à ſeipſis humanæ mentes. Audiebam ſacrilegam eſſe temeritatem, ſi natæ in hominum cerebris doctrinæ, pro verbo tuo Eccleſiæ ingerantur. Quum autem oculos ad homines converterem, illic omnia longe diverſa apparebant. Qui fidei antiſtites habebantur, verbum tuum neque intelligebant, neque magnopere curabant. Peregrinis tantum dogmatibus circumagebant miſeram plebem, ac neſcio quibus ineptiis deludebant. In plebe ipſa ſumma verbi tui veneratio erat veluti rem inacceſſam procul revereri, interim ab omni ejus inquiſitione abſtinere. Hæc tum ſupina Paſtorum ſocordia, tum populi ſtupiditas ſecerat, ut omnia pernicioſis erroribus, mendaciis, ſuperſtitionibus referta eſſent. Unum quidem te Deum nominabant, ſed quam majeſtati tuæ gloriam vendicaſti, alio transferentes: tot ſibi figurabant atque habebant deos, quot pro Sanctis colere volebant. Chriſtus tuus adorabatur quidem pro Deo, & Servatoris nomen retinebat, ſed qua parte honorari debuerat, prope jacebat inglorius. Sua enim virtute ſpoliatus, velut unus aliquis è vulgo, in turba Sanctorum deliteſcebat. Nemo erat, qui unicum illud, quod tibi in cruce obtulit, & quo nos tibi reconciliavit, ſacrificium vere reputaret. Nemo qui de æterno ejus ſacerdotio, & quæ inde pendet, interceſſione, vel per ſomnium, cogitaret. Nemo, qui in una ejus juſtitia acquieſceret. Illa vero ſalutis fiducia, quæ verbo tuo & præcipitur, & fundatur, fere evanuerat. Quin id erat inſtar oraculi receptum, ſtultæ eſſe arrogantiæ, &, ut ipſi loquebantur, præſumptionis, ſi quis tua benignitate, Filiique tui juſtitia fretus, certam ac intrepidam ſalutis ſpem conciperet. Erant profanæ opiniones non paucæ, quæ prima ejus doctrinæ, quam nobis verbo tuo tradidiſti, placita à radice ſubverterent. Sana quoque Baptiſmi Cœnæque intelligentia, plurimis mendaciis corrupta erat. Jam vero quum omnes non ſine gravi tuæ miſericordiæ contumelia fiduciam in bonis operibus ponerent, quum bonis operibus gratiam tuam demereri, quum juſtitiam ſibi comparare, quum peccata expiare, quum tibi ſatisfacere niterentur (quæ ſingula virtutem crucis Chriſti obliterant ac exinaniunt) quæ tamen eſſent bona opera, prorſus neſciebant. Perinde enim, acſi minime ad juſtitiam Lege tua inſtituti forent, multas ſibi fabricati erant inutiles nugas, quibus favorem ſibi tuum conciliarent: in quibus ita ſibi blandiebantur, ut præ illis pene contemnerent, quam in Lege tua commendaſti veræ juſtitiæ regulam: adeo humana decreta, occupato ſemel regno, tuis ipſius præceptis, ſi non fidem, at certe auctoritatem derogaverant. Hæc, Domine, ut animadverterem, tu mihi Spiritus tui claritate affulſiſti: ut deprehenderem, quam impia noxiaque eſſent, tu mihi facem verbo tuo prætuliſti: ut pro merito abominarer, animum meum pupugiſti. In ratione vero doctrinæ reddenda, vides quid conſcientia mea ferat, non fuiſſe ſcil. mihi propoſitum, extra eos evagari fines, quos videbam ſervis tuis omnibus eſſe conſtitutos. Quod ergo didiciſſe me ex ore tuo non dubitabam, fideliter Eccleſiæ diſpenſare volui. Eo certe me potiſſimum tetendiſſe conſtat, in quo plurimum elaboravi. Nempe, ut bonitatis juſtitiæque tuæ gloria, diſcuſſis, quibus antea obtegebatur, nebulis, conſpicua emineret: ut virtutes, beneficiaque Chriſti tui, abſterſis omnibus fucis, ad plenum effulgerent. Nam & nefas eſſe ducebam, eas res in obſcuro jacere, quibus cogitandis ac reputandis eſſemus nati. Nec maligne aut tenuiter putabam indicandas, quarum amplitudine longe inferior eſſet omnis oratio. Nec dubitabam in illis diutius homines detinere, ubi eorum quoque ſalus reſidebat. Non enim fallere poſſet oraculum illud, *Joan. 17. verſ. 3.* Eſſe hanc vitam æternam, noſſe te verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Quod autem mihi de diſceſſione ab Eccleſia objicere ſoliti ſunt, neque in eo male mihi conſcius ſum: niſi forte pro deſertore habendus eſt, qui ubi milites fuſos ac palatos, videt procul ordines reliquiſſe, ſigno ducis ſublato, eos in ſtationes ſuas revocat. Sic enim diſperſi erant tui omnes, Domine, ut non modo imperia exaudire non poſſent, ſed etiam ut obliti propemodum eſſent & ducis ſui, & militiæ, & ſacramenti militaris. Ego, ut eos ab errore colligerem, non alienum ſignum ſuſtuli, ſed inſigne illud tuum vexillum, quod nobis ſequi neceſſe eſt, ſi volumus in populo tuo cenſeri. Hic manum mihi injecerunt, qui quum alios retinere in ordine deberent, in errorem abduxerant: & quum minime deſinerem, violenter reſtiterunt. Hic cœptum eſt graviter tumultuari, donec ad diſſidium uſque certamen exarſit. Verum penes quos ſit culpa, tuum eſt nunc pronunciare, ô Domine. Ego ſemper, & verbis, & factis teſtatus ſum, quanto unitatis ſtudio tenerer. Verum illa mihi erat Eccleſiæ unitas, quæ abs te inciperet, ac in te deſineret. Quoties enim pacem & conſenſionem nobis commendaſti, ſimul oſtendiſti, te unicum eſſe illius conſervandæ vinculum. Me, ſi pacem habere vellem cum iis, qui ſe jactabant Eccleſiæ præſules, & fidei columnas, eam redimere oportebat veritatis tuæ abnegatione. Quidvis autem potius ſubeundum eſſe cenſui, quam ut ad nefariam iſtam pactionem deſcenderem. Nam Chriſtus ipſe tuus nobis edixit, etiamſi cælum terræ permiſceatur, *Mat. 24. verſ. 35.* oportere tamen verbum tuum æternum permanere. Neque vero diſſidere me ab Eccleſia tua putabam, quia mihi cum primoribus illis bellum erat. Nam & per Filium, & per Apoſtolos, præmonueras, ad *Matth. 7. verſ. 15.* eum locum emerſuros, quibus conſentiendum minime eſſet. *Act. 20. verſ 29.* Non de extraneis ille hominibus, ſed iis qui ſe pro Paſtoribus venditarent, prædixerat, fore *2 Pet. 2. verſ. 1.* lupos rapaces, & pſeudoprophetas: ſimulque mandaverat, ut caverem. *1 Joan 2. verſ. 18.* Ubi cavere jubebat, an ego manum præbuiſſem? Nec magis peſtilentes fore Eccleſiæ tuæ hoſtes denunciabant Apoſtoli, quam inteſtinos, qui ſub Paſtorum titulo deliteſcerent. Quos pronunciabant eſſe habendos pro hoſtibus, ab iis cur dubitaſſem me ſejungere? Erant mihi in oculis Prophetarum tuorum exempla, quibus videbam tantas fuiſſe contentiones cum ſeculi ſui Sacerdotibus ac Prophetis: quos certe conſtat fuiſſe in populo Iſraëlitico Eccleſiæ præſules. At non ideo habentur pro ſchiſmaticis Prophetæ tui, quod dum collapſam religionem inſtaurare volunt, illis ſumma vi repugnantibus non ceſſerint. Manebant ergo in vera Eccleſiæ unitate, quum à ſceleratis ſacerdotibus diris omnibus devoverentur, quum indigni cenſerentur, qui locum inter homines, nedum inter Sanctos haberent. Eorum ergo exemplis confirmatus, ſic conſtiti, ut nihil me illæ de Eccleſiæ deſertione obnunciationes minæve territarent, quo minus conſtanter intrepideque pergerem iis adverſari, qui ſub Paſtorum perſona pluſquam impia tyrannide Eccleſiam tuam diſperdebant. Eram enim mihi optime conſcius, quanto uniendæ Eccleſiæ tuæ ſtudio flagrarem, modo concordiæ ejus vinculum eſſet tua veritas. Qui ſubſequuti ſunt motus, ut à me non ſunt excitati, ita non eſt cur mihi imputentur. Scis, Domine, res etiam ipſa apud homines teſtata eſt, ut nihil quæſierim, quam verbo tuo controverſias omnes dirimi, quo, conjunctis animis, utraque pars ad ſtabiliendum Regnum tuum conſpiraret: ut non detrectarim, vel capitis mei diſpendio, pacem Eccleſiæ reſtitui, ſi fruſtra tumultuari deprehenſus forem. Quid autem adverſarii? Nonne protinus ad ignes, ad cruces, ad gladios furioſe procurrerunt? Nonne unicum ſibi præſidium in armis & ſævitia eſſe judicarunt? Nonne ad eundem furorem omnes ordines inſtigarunt? Nonne omnes pacificationis rationes reſpuerunt? Eo factum eſt, ut res, quæ ſedari amice alioqui poterat, in tale certamen exarſerit. Quanquam autem in tanta

rerum conturbatione vatia fuerunt hominum judicia, jam tamen omni timore ſum liberatus, poſtquam ad tuum tribunal adſtamus: ubi æquitas cum veritate conjuncta, non niſi ſecundum innocentiam pronunciare poteſt. En, Sadolete, non quam tibi, ad nos prægtavandos, comminiſci libuit cauſæ noſtræ actionem: ſed quam eſſe vetiſſimam & nunc boni cognoſcunt, & omnibus creaturis in illo die patefiet. Neque vero iis etiam, qui prædicatione noſtra edocti, ad eandem nobiſcum cauſam acceſſerint, deerit quod pro ſe loquantur, quando hæc cuique parata etit defenſio: Ego, Domine, ut à puero fueram educatus, Chriſtianam ſemper fidem profeſſus ſum. Ipſius autem fidei rationem non aliam initio habui, quam quæ tum paſſim obtinuerat. Verbum tuum, quod inſtar lampadis prælucere univerſo populo tuo debuerat, ademptum, vel certe ſuppreſſum nobis erat. Et ne quis majorem lucem deſideraret, inſederat omnium animis iſta perſuaſio, cæleſtis illius arcanæque philoſophiæ inquiſitionem paucis melius delegari, à quibus oracula peterentur: plebeiis ingeniis non altiorem intelligentiam convenire, quam ut ſe ad Eccleſiæ obedientiam ſubigerent. Rudimenta autem, quibus fueram initiatus, ejuſmodi erant, ut nec me ad legitimum numinis tui cultum ſatis inſtituerent: neque mihi ad certam ſpem ſalutis viam expedirent: nec me bene ad officia formarent Chriſtianæ vitæ. Te quidem unum pro Deo meo colere didiceram: ſed quum me penitus fugeret vera colendi ratio, in primo ſtatim ingreſſu excidebam. Credebam, ut fueram edoctus, Filii tui morte me redemptum eſſe ab obligatione æternæ mortis: ſed eam imaginabar redemptionem, cujus virtus nequaquam ad me perveniret. Expectabam futurum reſurrectionis diem, ſed cujus memoriam, velut rei infauſtiſſimæ, abominarer. Atque hic ſenſus non mihi privatim dominatus erat, ſed ex ea doctrina, quæ tum à populi Chriſtiani magiſtris populo paſſim ttadebatur, conceptus. Clementiam erga homines tuam prædicabant illi quidem, ſed non niſi eis, qui ſe dignos præbuiſſent. Dignitatem porro in operum juſtitia collocabant, ut ille demum in gratiam abs te reciperetur, qui ſe tibi operibus conciliaret. Nec diſſimulabant tamen interim, miſeros eſſe nos peccatores, & qui ſæpe carnis infirmitate laberemur. Proinde communem oportere omnibus eſſe ſalutis portum, tuam miſericordiam: ſed enim ejus obtinendæ hanc demonſtrabant rationem, ſi pro offenſis tibi ſatisfieret. Tum ſatisfactio nobis injungebatur: primum ut confeſſi ſacerdoti omnia peccata, veniam abſolutionemque ſupplices peteremus: deinde, ut bonis operibus malorum memoriam apud te deleremus. Poſtremo, ut ad ſufficiendum, quod nobis deeſſet, ſacrificia expiationeſque ſolennes adderemus. Jam quia rigidus eſſes judex, ac ſeverus vindex iniquitatis, oſtendebant, quam formidoloſus eſſe deberet tuus conſpectus. Ideo jubebant ad Sanctos primum confugere, ut eorum interceſſione, exorabilis ac propitius nobis redderetis. His omnibus quum utcunque perfunctus eſſem, tametſi nonnihil interquieſcebam, procul tamen adhuc aberam à certa conſcientiæ tranquillitate. Quoties enim vel in me deſcendebam, vel animum ad te attollebam, extremus horror me inceſſebat, cui nulla piacula, nullæ ſatisfactiones mederi poſſent. Ac quo me propius conſiderabam, eo acriotibus pungebatur aculeis conſcientia: ut non aliud teſtaret ſulatium, quam me ipſum oblivione ludere. Quia tamen nihil melius offerebatur, iter, quod exorſus eram, proſequebar: quum interim excitata eſt longe diverſa doctrinæ forma, non quæ à Chriſtiana profeſſione nos abduceret, ſed quæ illam ad ſuum fontem reduceret, & velut à fæcibus repurgatam, ſuæ puritati reſtitueret. Ego vero novitate offenſus, difficulter aures præbui: ac initio, fateor, ſtrenue animoſeque reſiſtebam. Siquidem (quæ hominibus ingenita eſt in retinendo, quod ſemel ſuſceperunt, inſtituto, vel conſtantia, vel contumelia) ægerrime adducebar, ut me in ignoratione & errore tota vita verſatum eſſe confiterer. Una præſertim res animum ab illis meum avertebat, Eccleſiæ reverentia. Verum ubi aliquando aures aperui, meque doceri paſſus ſum, ſupervacuum fuiſſe timorem illum intellexi, ne quid Eccleſiæ majeſtati decederet. Multum enim intereſſe admonebant, ſeceſſionem quis ab Eccleſia faciat, an vitia corrigere ſtudeat, quibus Eccleſia ipſa contaminata eſt. De Eccleſia præclare loquebantur, ſummum unitatis colendæ ſtudium præ ſe ferebant. Ac ne in Eccleſiæ nomine cavillari viderentur, oſtendebant non eſſe novum, ut Antichriſti pro Paſtoribus illic præſiderent. Ejus rei exempla non pauca proferebant, quibus apparebat, nec alio ſpectare ipſos, quam ad Eccleſiæ ædificationem: & in eo ſimilem habere cauſam cum multis Chriſti ſervis, quos ipſi in numero Sanctorum habebamus. Quod autem liberius ferrentur in Romanum Pontificem, qui & pro Chriſti vicario, & Petri ſucceſſore, & Eccleſiæ Principe colebatur, ſic excuſabant: Ejuſmodi titulos, inania eſſe terriculamenta, quibus adeo perſtringi piorum oculos non oporteret, ut rem intueri, ac excutere non auderent. Illum, quum mundus ignorantia & hebetudine, velut alto ſopore, oppreſſus eſſet, in tantum faſtigium emerſiſſe: certe non verbo Dei conſtitutum, non legitima Eccleſiæ vocatione ordinatum Eccleſiæ Principem fuiſſe, ſed voluntarium, & à ſeipſo lectum. Illam porro tyrannidem, qua in Dei populum graſſatus eſſet, nullo modo eſſe ferendam, ſi vellemus ſalvum apud nos Chriſti regnum. Nec illis deerant, quibus ea omnia confirmarent, validiſſimæ rationes. Principio, quicquid ad ſtabiliendum Papæ principatum ſolebat tum adduci, clare diluebant. Ubi omnia illi ſua firmamenta abſtulerant, tantam quoque ejus altitudinem, Dei verbo, demoliebantur. Eo uſque res deveniebat, ut palam eſſet: conſpicuumque eruditis ſimul ac indoctis, verum Eccleſiæ ordinem tunc interiiſſe: claves, quibus Eccleſiæ diſciplina continetur, fuiſſe peſſime adulteratas: collapſam Chriſtianam libertatem: proſtratum denique fuiſſe Chriſti regnum, quum erectus fuiſſet hic principatus. Habebant præterea, quo conſcientiam meam ſtringerent, ne in iſtis, quaſi nihil ad me pertinerent, ſecurus conniverem. Multum enim abeſſe, quin ſit aliquod voluntario errori apud te patrocinium, quum ne is quidem impune erret, qui mera ignoratione à via ſeducitur. Quod ipſum Filii tui teſtimonio comprobabant, Si
Mat. 15. verſ. 14.
cæcus cæcum ducit, ambo in foveam eadunt. Quum jam animus meus ad ſeriam attentionem comparatus foret, hic vero, tanquam illata luce, animadverti, in quo errorum ſterquilinio fuiſſem volutatus, quot inde ſordibus ac maculis fœdatus eſſem. Quod ergo officii mei fuit, ejus, in qua prolapſus eram, miſeriæ, multo etiam magis ejus, quæ mihi imminebat, æternæ mortis agnitione, vehementer conſternatus, nihil prius habui, quam ut damnata, non ſine gemitu ac lachrymis, ſuperiore vita, me in viam tuam reciperem. Et nunc, Domine, quid aliud miſero mihi ſupereſt, quam ut deprecationem tibi pro defenſione offeram, ne horrendam illam à verbo tuo defectionem ad calculum revoces, à qua me ſemel mirifica tua benignitate vindicaſti? Nunc iſtam actionem, Sadolete, cum ea, ſi libet, compara, quam plebeio tuo aſſignaſti. Mirum, ſi hæſitabis, utram alteri præferre debeas. Illius enim profecto ſalus de filo pendet, cujus defenſio in hoc cardine vertitur: quod quæ ſibi à proavis ac majoribus tradita ſit religio, eam conſtanter retinuerit. Judæi, & Turcæ, & Sarraceni hac ratione Dei judicio elaberentur. Faceſſat ergo inanis iſta tergiverſatio ab eo tribunali, quod non hominum auctoritati compro-

bandæ, ſed univerſa carne vanitatis mendaciique damnata, aſſerendæ unius Dei veritati erigetur. Quod ſi ineptiis tecum certare vellem, quam mihi imaginem pingere liceat, non dico Papæ, aut Cardinalis, aut cujuslibet è veſtra factione reverendi præſulis (quibus fere omnibus qui colores aptari queant ab homine non valde ingenioſo, pulchre noſti) ſed doctoris alicujus, vel inter omnes veſtros, ſelectiſſimi? Nihil ſane opus eſſet, ad ejus damnationem, vel dubias in eum conjecturas proferre, vel falſa crimina ementiri. Juſtis enim ac certis plus ſatis gravaretur. Sed ne, quod in te reprehendo, imitari videar, hoc agendi genere ſuperſedeo. Tantum hortabor, ut ad ſe aliquando redeant, ac ſecum reputent, quam fideliter paſcant Chriſtianum populum: cui non alius eſſe poteſt panis, quam Dei ſui verbum. Et ne ſibi nimium blandiantur, quod nunc magno applauſu, & ſecundis, magna ex parte, admurmurationibus, fabulam ſuam agunt, cogitent nondum ad cataſtrophen ſe perveniſſe: in qua certe non habebunt theatrum, ubi ſuos fumos impune vendant, ubi credulas mentes impoſturis illaqueent: ſed unius Dei arbitrio ſtabunt vel cadent: cujus judicium non ab aura populari, ſed à ſua ipſius inflexibili æquitate pendebit: qui non modo de cujuſque factis inquiret, ſed recondita cordis ſinceritate, vel nequitia quæſtionem exercebit. Ego de omnibus, nulla exceptione, pronunciare non audeo: Quotuſquiſque tamen eorum eſt, qui, dum adverſum nos conflictatur, non ſibi conſcius ſit, operam ſe magis hominibus, quam Deo locare? Jam quum tota Epiſtola nos ſupra modum inclementer tractes, extrema tamen clauſula virus tuæ acerbitatis, pleno ore, in nos effundis. Quanquam autem nos minime convitia illa feriunt, & illis jam pro parte antea reſponſum eſt: quid tamen, quæſo, in mentem tibi venit, ut avaritiam adhuc nobis objiceres? Putaſne tantam in noſtris hominibus fuiſſe hebetudinem, ut non ab ipſis exordiis cogitarent, ſe eam ingredi viam quæ lucro & quæſtui eſſet adverſiſſima? An vero quum veſtram ipſorum avaritiam traducerent, non videbant magnam ſe neceſſitatem ſibi imponere continentiæ, ac frugalitatis, niſi pueris quoque ipſis facere ſe ridiculos vellent? Quum rationem ejus corrigendæ eſſe oſtenderent, ut nimiis opibus exonerarentur Paſtores, quo ad Eccleſiæ curam magis eſſent expediti, an non ſibi ſponte aditum ad opes præcludebant? Quæ enim jam reſtabant divitiæ, quibus imminerent? Quid? an non hoc erat facillimum ad divitias honoreſque compendium, ſtatim ab initio iis quæ offerebantur pactionibus vobiſcum tranſigere? quanti tum multorum ſilentium redemiſſet Pontifex veſter? Quanti hodie quoque redimeret? Cur, ſi vel minima habendi cupiditate titillantur, omni ſpe augendæ rei præciſa, malunt perpetuo ſic miſeri eſſe, quam citra magnam difficultatem uno temporis momento diteſcere? ſed ambitio, ſcilicet, eos retinet. Ejus quoque ſugillationis quam habueris cauſam, non video, quum nihil aliud potuerint expectare, qui hanc actionem aggreſſi ſunt primi, quam ut à toto orbe conſpuerentur: & qui poſtea acceſſerunt, ſcientes ac volentes ſe innumeris totius mundi contumeliis ac probris expoſuerint. Ubi autem fraudes illæ ac inteſtinæ malitiæ? Nulla enim earum ſuſpicio in nobis hæret. De iis ergo potius tracta in ſacro veſtro collegio, ubi quotidie agitantur. Calumnias illas, quia ad finem propero, præterire cogor, quod noſtro innitentes capiti, neminem reperimus in tota Eccleſia, quem putemus fide aliqua dignum: calumnias tamen eſſe, jam ante ſatis demonſtravi. Tametſi enim ſolum Dei verbum extra omnem judicii aleam conſtituimus, Conciliis vero & Patribus ita certam demum auctoritatem conſtare volumus, ſi ad ejus normam reſpondeant: eo tamen honore locoque Concilia & Patres dignamur, quem obtinere ſub Chriſto par eſt. Sed omnium teterrimum eſt illud crimen, quod ſponſam Chriſti diſcerpere conati ſumus. Id ſi verum eſſet, merito & tibi, & orbi univerſo haberemur pro deploratis. Atqui non aliter crimen iſtud in nos recipiam, niſi diſcerpi ab iis Chriſti ſponſam contendas, qui virginem caſtam exhibere Chriſto cupiunt: qui ſancta quadam zelotypia ſollicitantur, quo eam Chriſto illibatam conſervent: qui pravis lenociniis corruptam, ad fidem conjugalem revocant: qui adverſus adulteros omnes, quos ejus pudicitiæ inſidiari deprehenderint, contentionem ſuſcipere non dubitant. Et quid nos aliud fecimus? Nonne peregrinis doctrinis tentata, imo violata fuerat, à veſtra factione Eccleſiæ caſtitas? Nonne violenter à vobis fuerat innumeris ſuperſtitionibus proſtituta? Nonne fœdiſſimo illo adulterii genere, ſimulachrorum cultu, inquinata erat? Scilicet, quia non ſumus paſſi, ſacroſanctum Chriſti thalamum tanto haberi à vobis ludibrio, ſponſam ejus laceraſſe dicimur. Ego autem dico, illam quam à nobis falſò accuſas, lacerationem, apud vos non obſcure conſpici. Neque in Eccleſia id modo, ſed in Chriſto ipſo, quem miſere diſſectum eſſe conſtat. Quomodo ſponſo ſuo adhæreat Eccleſia, quem ſalvum non habet? Ubi autem incolumitas Chriſti, dum & juſtitiæ, & ſanctitatis, & ſapientiæ gloria alio transfertur? Atqui antequam accenderetur à nobis certamen, tranquilla omnia, & optime pacata erant. Inter Paſtores quidem, & in ipſa plebe, ignavia & ſtupor effecerant, ut nullæ propemodum eſſent de religione controverſiæ. In Scholis autem, quam ſtrenue Sophiſtæ rixabantur? Ergo non eſt, quod pacificum adeo vobis regnum tribuas: ubi non alia ratione quies fuit, niſi quia Chriſtus conticebat. Poſt novum Evangelii exortum, magnæ, fateor, contentiones efferbuerunt, à quibus antea otium erat. Sed noſtris hominibus immerito id imputetur, qui nihil toto actionis ſuæ decurſu quæſierunt, niſi ut, inſtaurata religione, in veram unitatem, diſcordiis fuſæ ac diſperſæ Eccleſiæ colligerentur. Et ne vetera commemorem, quid nuper recipere detrectarunt, tantum ut Eccleſiis pacem conciliarent? Sed fruſtra omnia experiuntur, vobis contra nitentibus. Quia enim pacem illi habere cupiunt, cum qua ſimul floreat Chriſti regnum: vos autem, quicquid accedit Chriſto, deperire vobis putatis, non mirum eſt, ſi fortiter reſiſtatis. Et habetis artes, quibus evertaris uno die, quicquid ipſi multis menſibus pro Chriſti gloria inſtituunt. Non multis verbis te obruam, quia uno verbo expedire rem licet. Obtulerunt ſe noſtri ad reddendam ſuæ doctrinæ rationem. Cedere non detrectant, ſi victi rationibus fuerint. Per quos nunc ſtat, quominus & optima pace, & veritatis luce fruatur Eccleſia? I nunc, & nos ſeditioſos appella, qui Eccleſiam quieſcere non ſinamus. Ne quid autem prætermitteres, quod ad gravandam cauſam noſtram faceret, quia multæ pancis iſtis annis ſectæ ebullierunt, ejus quoque rei invidiam, pro tuo candore, in nos derivas: ſed vide qua æquitate, vel quo etiam prætextu. Nam ſi nos propterea odio digni, juſto quoque olim odio apud impios laboraſſet Chriſtianum nomen. Aut ergo deſine hac parte nos infeſtare: aut palam profitere, Chriſtianam religionem tollendam ex hominum memoria, quæ tot mundo tumultus pariat. Hoc ergo cauſæ noſtræ minime obeſſe debet, quod modis omnibus conatus eſt Satan Chriſti opus impedire. Hoc quærere magis ad rem pertinebat, quis omnibus, quæ ſe extulerunt ſectis expugnandis incubuerit. Conſtat autem nos ſolos, vobis otioſis ac ſtertentibus, totam hanc molem ſuſtinuiſſe. Faxit Dominus, Sadolete, ut tu ac reliqui omnes tui, aliquando intelligatis, non aliud eſſe Eccleſiaſticæ unitatis vinculum, quam ſi Chriſtus Dominus, qui nos Deo Patri reconciliavit, in corporis ſui ſocietatem nos ab iſta diſſipatione recolligat: ut ita uno ejus verbo, ac ſpiritu in cor unum & animam unam coaleſcamus. Argentorati, Cal. Septemb. M. D. XXXIX.

DEFENSIO SANÆ ET ORTHODOXÆ DOCTRINÆ DE SERVITUTE ET LIBERATIONE HUMANI ARBITRII,

Adverſus Calumnias

ALBERTI PIGHII CAMPENSIS.

JOANNES CALVINUS *Clariſſimo Viro* PHILIPPO MELANCHTHONI.

ETſi nec ſingulare illud judicii tui acumen, quod jure mirantur omnes ignoro, & ejus cenſuram, ſicut par eſt, revereor: libellum tamen hunc ſi privatim tibi legendum mitterem, fretus amoris erga te mei fide, non longa excuſatione uterer. Nunc autem quia publice inſcribere tibi auſus ſum, non defuturos ſcio, qui temeritatis in eo me accuſent. Eorum igitur cauſa, quod neceſſe apud te non eſſet, unde hanc fiduciam ceperim, breviter exponam. Principio, cum tibi librum offero, quem duplici nomine tibi gratum fore certo novi: tum quod me amas auctorem, tum quod piæ ſanæque doctrinæ defenſionem continet: cujus tu non modo ſtudioſiſſimus es cultor, ſed eximius fortiſſimuſque vindex. Accedit & tertia commendatio, eaque non vulgaris, quod ſimplex ac ſincerum eſt, quo utor, defenſionis genus. Quantum enim à verſutis obliquiſque in diſputando artibus, quæ claris alioqui apertiſque rebus tenebras obducant, ab omni denique fuco & ſophiſtica, abhorres: tantum tibi placet nuda ingenuaque perſpicuitas, quæ rem, ſine ullis involucris, ante oculos ſtatuat atque exponat. Atque hæc tua virtus, ſicut eſt rari exempli, ita magnam ſæpe mihi admirationem movit, quod quum incredibili perſpicacia excellas, ſimplicitate tamen nihil habeas antiquius. Valebit igitur non parum & hæc cauſa, ſcio, ad conciliandam libello gratiam. Præterea memini, has te aliquando mihi mandaſſe partes, ut ſi nos laceſſere pergeret Pighius, ad reprimendam ejus proterviam aliquid conſcriberem. Quod tamen ut facere nunc demum inciperem, non modo tua auctoritate adductus, ſed ejus quoque improbitate compulſus fui. Libris enim decem de libero Arbitrio & Prædeſtinatione nuper editis, quicquid de his rebus prodideram, non judicio aut delectu, ſed mera pugnandi libidine, confutandum ſuſcepit: ubi adeo inſolenter, tamque effreni ferocia, adverſus puram, quam tuemur pietatis doctrinam ſe jactat, ut occurrere aliquo modo tantæ hominis petulantiæ, niſi ſilentio prodere vellem Chriſti gloriam, neceſſe habuerim. Poſtulabat autem hujus argumenti tractatio plus aliquanto & otii, & temporis. Sed quia videbam id captare adverſarium, ut ſi diutius differrem, hac mea mora, ad occupandos præjudicio quodam hominum animos abuteretur, malui aliquid cito dare, vel minus elaboratum, quam tacendo pati, ut, cum bonæ cauſæ diſpendio, inani ejuſmodi jactantia frueretur. Quanquam ſic mihi feſtinaſſe videor, ut minime tamen præcipitaverim omnia celeritate. Quod enim præcipuum erat, conſequutum magna ex parte, ſpero, judicabis: ut dicerem, quantum ad repellendas adverſarii calumnias, ſatis eſſet. Et tamen hanc excuſationem prætermittere non oportuit: quam ſi tu pro inſigni tua humanitate recipies, viam aliis monſtrabis, ne mihi ſe iniquiores præbeant, aut minus benignos. Mihi certe ſæpius in mentem venit, de conditione noſtra queri quod tanta negotiorum, quæ ſubinde nobis ingeruntur, & multitudine obruti, & aſſiduitate oppreſſi, & varietate diſtracti, idque domi ſimul & foris, non poſſimus ad unum aliquid agendum, animos diligentiamque intendere, ſed huc inde perpetuo curſitare cogamur: ſicut qui variis & operoſis miniſteriis deſtinati, quibus ſimul obeundis nequaquam ſint pares, dum eodem momento undique urgentur, quorſum ſe vertere debeant, præ laſſitudine neſciunt. Interea quicunque ex hoſtibus nos aggredi inſtituunt, ab aliis omnibus curis ſoluti ac vacui, in alta pace, quoad libuerit, ad inſtruendum belli apparatum ſunt intenti, & colligendas copias, quas deinde per ſuam opportunitatem in nos emittant. ſi quid fatigationis ſentiunt ex uno congreſſu, quietem & inducias tunc quoque pro ſuo arbitrio ſibi ſumunt, donec refectis animis & viribus, iterum ad nos impetendos inſtructi ſunt ac parati. Huc etiam accedit, quod tantis locorum ſpatiis diviſi, illa etiam unde non parum levationis ſperandum foret, commoditate deſtituimur, communicandi ſcilicet inter nos, conſiliaque pro rerum & temporum ratione, conferendi. Hæc, ut dixi, non ſine gemitu ſortiſque noſtræ deploratione reputo mecum ac perpendo. Cæterum, quominus iſta cogitatione frangar, occurrit ex altera parte non minimum ſolatium. Primum quia ſtatuo nos non ſine certo Dei conſilio, & talibus obſideri premique anguſtiis, & iis, quæ humanitus juvare nos poſſent, ſubſidiis defici, ut melius expergefacti, reſpicere in ipſum ſolum diſcamus. Deinde quia vetus hoc eſſe exemplum, cum animo recordor. Refert enim ſacra hiſtoria, Iſraëlitas quum ex captivitate reſtituti civitatem extruerent, pari difficultate laboraſſe. Nam quum ipſa operis magnitudo ac moles, quum temporis anguſtiæ plus ſatis eos urgerent, ab hoſtibus aliquanto plus negotii moleſtiæque ſuſtinebant. Et tamen videmus id non obſtitiſſe, quominus conſtanter infractiſque animis pergerent in opere, uſque dum ad extremum conſtanti eorum aſſiduitate hoſtium improbitas & rabies frangeretur. Siquidem hoc non vulgare erat fortitudinis ſpecimen, gladiis accinctos cæmentum & lateres comportare: altera manu tenere gladium, facere opus, trullamque verſare altera: atque ita architecturæ dare operam, & ſimul ad prælium eſſe expeditos. *Nehem. 4. verſ. 17.* Ejus hiſtoriæ recordatione excitari nos quoque decet, ut inter tot difficultates, quæ nos ad deſperationem ſollicitant, animum nihilominus colligamus. Quum mirabili ſua, tum potentia, tum bonitate Dominus ab horrenda illa Antichriſti Rom. tyrannide nos liberavit, civitatis ſuæ ſanctæ Jeruſalem, id eſt, Eccleſiæ inſtaurandæ provinciam hodie nobis mandat. Arduum ſane per ſe opus ac laborioſum: ut nihil aliunde ſuperveniat impedimenti. Verum Satanæ miniſtri & ſatellites, quibus id eſt propoſitum, ne Eccleſiæ ædificationem, quod in ſe erit ſurgere patiantur, aſſiduis certaminibus nos vexando, plus adhuc negotii faceſſunt.

Itaque,

Itaque, quum ſecuram ab aliis rebus vocationem requirat ordinarius reparandæ Eccleſiæ labor, cui nos, quando ita Domino viſum eſt, deſtinati ſumus, ſimulatque lapidem unum cœpimus tollere, iſti claſſico ad prælium nos citant. Quum nos exigua ſimus hominum manus: illi ingentem faciant exercitum: qui poſſimus, & reſiſtere ſimul illis, & manus habere ſemper io opere occupatas? niſi nobis in mentem veniat, ſic nunc agere Deum, ut pridem ſolitus eſt, quo illuſtriorem manus ſuæ potentiam reddat: nobis ſufficere hoc debere, quod etiamſi parum proficere nunc videamur labore noſtro: de ſucceſſu tamen perinde acſi jam extaret, ſimus certi, quando ſub ejus vexillo auſpiciiſque militamus. Quod ſi hominum quorundam reprehenſionem non effugiat noſtra ſedulitas (ut plerique hodie ſunt nimis delicati & moroſi) quia feſtinationem alicubi reſipiat, hæc nos conſcientia ſuſtineat ac confirmet, quod Deo Judici noſtro, Chriſto Domino ac Duci, ſanctiſque Angelis eam ſcimus approbari. Quod ad me privatim attinet, quum ſatis, cui ſerviam, noverim: in hac fiducia totus acquieſco, quod illi placere obſequium meum qualecunque, nihil dubito. Cæterum, ſi hominum judicium quæritur, tuum unius mihi inſtar omnium futurum ſemper eſt, ſicut meritò eſſe debet. Menſe Februar. M. D. XLIII.

DEFENSIO SANÆ
ET
ORTHODOXÆ DOCTRINÆ
DE
SERVITUTE ET LIBERATIONE
HUMANI ARBITRII,
Adverſus Calumnias
ALBERTI PIGHII CAMPENSIS.
IN PRIMUM LIBRUM.

Quum ante biennium in conventu Wormacienſi eſſemus, audiebam Albertum Pighium mihi jam minari, ac certamen denunciare, verum id procul. Librum enim neſcio quem ſe ſcripſiſſe jactabat inter ſuos, quo totus conficerer: nondum tamen proferebat. Quum vero poſtea Ratiſponam ventum eſſet, ac dimidius ille liber, in Lutherum ac Philippum Melanchthonem præſertim, deinde in nos ſimul omnes compoſitus, prodiiſſet, qui deinde acceſſione ſecundæ partis auctus fuit, mihi jam magna ex parte videbar liberatus, ne quid ſaltem in me privatim ederet. Sic enim cogitabam, quia me indignum judicaſſet, in quem unum vires ſuas experiretur, maluiſſe ad ipſius communis cauſæ oppugnationem eas conferre: ut ſi quam victoriam reportaret, nobilior eſſet triumphus: ſin autem vinceretur, minore id dedecore fieret. Nam & argumentum, quod adverſum me tractare inſtituerat, illic proſequebatur: & ſtylum in me pluribus nominatim locis ſtringebat. Interea audio præclarum illum librum volitare: ſed inter eos, quibus ſine majori inquiſitione, hoc tantum nomine placeret, quod Chriſti doctrinæ adverſaretur. Mihi ut fieret inſpiciendi copia, obtinere non potui. Neque, ut verum fatear, de ea re fui magnopere ſollicitus, quia nihil fore certius putabam, quam ot poſtridie ederetur. Annus inde unus præteriit, antequam in lucem, vel totus vel aliqua ex parte, prodiret. Itaque nihil amplius dubitabam, quin conſilium mutaſſet. Et jam ſecurus à Pighio, aliud opus in manus ſumpſeram, quum mihi præter ſpem offertur magnum ejus volumen, De libero arbitrio inſcriptum: in quo tametſi me non ſtatim ab initio nominat, ubi tamen ad ipſius cauſæ tractationem deſcendit, ſatis demonſtrat, nihil ſibi aliud eſſe propoſitum, quam ut, quæ de hac re in mea Inſtitutione diſputavi, penitus evertat.

Atque id quidem ſe eo conſilio facere profitetur, ut Lutherum & alios omnes noſtros per latus meum confodiat: me tamen unum peculiariter vocat in certamen, ac mecum manum conſerit: quod & me diligentius exequutum eſſe putat totam hujus quæſtionis ſummam, & certiore ordine, ac clariore methodo, quam alii fecerint, omnia explicaſſe. Equidem non auſus fuiſſem communis cauſæ defenſionem ſuſcipere, ſi omnes ſimul fuiſſet aggreſſus, ne temeritate magis & ſtulta confidentia impulſus, quàm recto conſilio inductus, alios voluiſſe antevertere viderer, quos conſtat longe eſſe aptiores. Quod niſi obſtitiſſet hic timor, aliquid forte ad priorem illum librum, cujus memini, reſpondiſſem. Nunc tamen gaudeo qualicunque de cauſa, me fuiſſe retentum, dum video Bucerum has ſibi ſumpſiſſe partes: à quo melius & ſplendidius pro ſoa dignitate tractari potuit. Quod autem jam, aliis noo expectatis, ipſe reſpondeo, neminem mihi vitio daturum arbitror, quum ita palam Deo inſultet Pighius, niſi pro ſanæ doctrinæ defenſione me objiciam. Ergo utcunque hodie multos habeat exercitus Domini & inſtructiores, & magis exercitatos, qui iſtius ſuperbi Goliath inſolentiam reprimere poſſint, & parati ſint, ſi res ita poſtularet: quoniam tamen, illis præteritis, nomine me citat in certamen, ne vel unum ex Chriſti ſervis ſe viciſſe glorietur, cæleſtis Regis ac Ducis mei virtute fretus, & armis illis ſpiritualibus, quæ ſubminiſtrare ſuis ſolet, in medium prodeo.

Cur autem me ex tam multis onum delegerit Pighius, cui certamen indiceret, ipſe viderit: ſi quid tamen, rabie excæcatus, videre poteſt. fallitur enim, ſi me illo elogio, quod mihi obiter tribuit, vel tantillum commoveri putat: fingit hoc forte in ſuum commodum, quum mihi præ aliis nonnihil concedit, ne videatur cum gregario quolibet manus conſeruiſſe. Verum quicquid ſentiat, mea nihil aut minimum refert. Neque enim in eruditione aut facundia, ſed in pura conſcientia, fideliom gloria conſiſtit: idque non apud homines, ſed in Dei conſpectu. Deinde non tanti ejus facio judicium, ut propterea mihi placeam. Lætus ſum laudari me, inquit ille in veteri tragœdia, ſed à laudato viro. Ergo, etiamſi ambitioſus forem, noo tamen cauſam haberem expetendæ laudis ab hoc ore tam impuro ac fœtido, quod non niſi execrabiles in Chriſtum contumelias ſubinde ſpirat. Huc accedit, quod dum ſua intemperie abripitur, nihil judicat nec cernit: ſive quod impietatis ſuæ merito io reprobam mentem datus, manifeſtum eſt divinæ vindictæ exemplum: ſive quod intolerabilis ſuperbia, qua turget, peſſimum eſt cæcitatis genus. Proinde veluti in ſcenis, Eumenidum videt agmina Pentheus: & ſolem geminum, & duplices ſe oſtendere Thebas: ita hic tam acutos habet oculos, ut quod nuſquam eſt, vi-

dere

dere ſe putet. Verum hoc interea malum ſimul habet, quod in clara luce non minus cæcutit, quam ſi extrema vertigine percuſſus foret.

Fateor alias hominem eſſe ingenioſum & doctum: acumen illi in diſputationibus, & digerendi artem concedo: agnoſco populariter diſertum eſſe, hoc eſt, valere ea eloquentia, quæ mediocriter literis tinctos, cujus generis plurimi hodie ſunt, capere & allicere queat. Sed quorſum omnes iſtæ dotes, ubi tota hominis mens furore alienata eſt ac perdita? Quamobrem ſi quem locum habere vult inter literatos (cujus gloriæ ſe plus ſatis cupidum eſſe prodit) ad ſanam mentem ante redeat oportet. Hujus autem, qua nunc laborat, curandæ amentiæ hæc duo ſunt remedia: ſi adverſus claram certamque Dei veritatem deliberata malitia bellum gerere deſinat: ſi ſtolidam ſui perſuaſionem, & nimis inſolentem faſtum, quo totus obſtupeſcit, exuat & abjiciat. Verum ne videar contentionis ardore contra hominem præter modum incitari, malo jam in ejus librum, quaſi in rem præſentem, lectores adducere: ut illic quæcunque dico, aut plura etiam, recognoſcant.

Verum antequam huc venio, de ordine agendi meo, quem tenere inſtitui, paucis præfari mihi neceſſe eſt. Principio, non eſt quod expectet lector, ut in reſpondendo filum orationis Pighianæ ſequar. Nam ſi ſingula vellem minutatim excutere & nihil relinquere intactum, uſque ad immenſam magnitudinem excreſceret liber. præterquam enim quod loquendi profluentiam habet ingenitam à natura, in hoc etiam ſemper multum operæ ponit ac ſtudii, ut cùm ſua magniloquentia cauſam obſcuret, tum adverſarium longo ac volubili rotatu verborum obruat. fortaſſis etiam laudem inde captat: quoniam hæc eſt optima ſeſe jactandi ratio inter imperitos, magnis clamoribus, & longa verborum congerie exultare. Ego vero palmam hac in parte libenter illi conceſſerim, vel ſine certamine: ſiquidem non orationis minus quam alvi profluvium, pro vitio habeo. Quod autem ejuſmodi artificio ad cauſam obtinendam nititur, quaſi verba fundendo, lectorum oculos, velut ſparſis nebulis poſſit perſtringere, id apud ſanos homines nimis infirmum erit præſidium. Rudibus proculdubio & nullius judicii hominibus fucum faciet: ſed qui micam rectæ intelligentiæ habebit, nihil morabitur ampullas illas, in quibus nihil ſolidi reperiet. Itaque contentus ero efficere, ut perſpiciant omnes pii, & vero judicio præditi lectores, Pighium ex fulgore fumum, me ex fumo dare lucem, hoc eſt, quæ à me bene ſcripta fuerant, ſuis illum calumniis & malitioſis cavillis depravaſſe: me vero nihil aliud quærere, niſi ut pura & ſimplex Dei veritas, diſcuſſis Satanæ fumis, eluceat. Id enim ſatius fore puto, quam longa & ſupervacua ſcriptione fruſtra me fatigare, & ſimul eſſe lectoribus moleſtum. Eſt etiam alia cauſa, ut nihil diſſimulem, quæ me brevem eſſe cogit. Conſtringor enim temporis anguſtiis, quando mihi vix duo menſes uſque ad nundinas Francfordienſes reſtant, quibus ſtatui, ſi fieri poterit, hanc reſponſionem edere. Atque utinam dimidium ejus temporis vacuum mihi prorſus & liberum ad ſcribendum relinqueretur. Quamobrem veniam meæ feſtinationi dabunt lectores, ſicubi levius ea tranſcurram, quæ longiorem meditationem, & magis exquiſitam diligentiam requirebant. Quod ſi mihi quiſpiam vetus illud ac vulgare dicterium objiciat, ineptum eſſe culpam deprecari, qua potuerim carere, ſi voluiſſem, in promptu eſt reſponſio: primum me officii neceſſitate compelli, ut Dei veritatem ſuſtineam ac defendam, ubi domi meæ oppugnatur: deinde me ſic raptim ſcripturum, ut tamen utilis in publicum futurus ſit labor, nec à cauſæ gravitate alienus: etiamſi ejus dignitati minus undecunque reſpondeat.

Quo tamen, comparatis inter ſe meis & illius ſcriptis, facilius ac certius judicium facere queant lectores, & quaſi rerum ſummas digito notare, ordinem ac diſpoſitionem, quam ipſe obſervavit in ſuo opere, ſequar. Tantum hoc erit diſcriminis: quod quum venditare ſe magnifico verborum apparatu voluerit, ego compendio ac ſimplicitati, quoad licebit, ſtudebo: deinde quum Thraſonico ſuo faſtu, ac virulentis in nos convitiis multas paginas occupaverit, in hoc quoque genere libenter illi cedam. Nihil enim vel Chriſti gloriæ decedere, vel bonorum exiſtimationi obeſſe puto, ſi Pighius diſertus convitiator & ſit, & vocetur: modo ſimul omnes intelligant, eum furioſa partim maledicendi libidine, partim atra bili, vel potius mania percitum, huc illuc nullo delectu raptari.

Ac principio quæ in ſua ad Sadoletum epiſtola tractat, tametſi non ſunt hujus quæſtionis propria, quia tamen ad prægravandam noſtram cauſam ſpectant, obiter expendamus. Miratur ac deplorat Pighius Germaniæ ſuæ ſtuporem, quæ potuerit ad doctrinam noſtram commoveri. Nos enim negotium aggredi longe difficilius, quam olim fecerint Apoſtoli: deinde abſurdiſſima docere, & quicquid olim alienum à vera pietatis regula commenti ſint hæretici, ab inferis revocare: imo ſuperare omnium deliramenta: & tamen nihil, vel in ſpeciem habere, quod falſo ſaltem ſplendore homines poſſit fallere. Neque enim vel doctrina, vel facundia, vel ſanctitate vitæ excellere: quæ hominum attentionem excitare debeat. Atque ut hoc melius amplificet, oſtendit quam inepta ſit ac præpoſtera noſtra agendi ratio. Reſpondeo breviter, nimis ſtupidum eſſe Pighium, qui non agnoſcat illuſtre ac manifeſtum eſſe divinæ potentiæ miraculum, quod, velit nolit, mirari cogitur. Nam quo nos minus bene comparati inſtructique ſumus ad tantum tamque arduum opus, eo magis perſpicua elucet Dei virtus: quæ per noſtram infirmitatem totum orbem concutit. Quod ſi iſtæ Pighii querimoniæ in Apoſtolorum tempus conferantur, dicas Porphyrium, aut aliquem ex illa cohorte loqui. Itaque ne hic longior ſim, reſpondebo ex ore
Pauli: nos libenter fateri, tot ac tanta præſidia nobis minime ſuppetere, quæ ad tantam molem ſuſti- 2 Cor. 2. verſ. 16.
nendam ſufficiant: quod doctrinæ noſtræ veritas ac fides non eloquentia, aut eruditione propria, ſed 2 Cor. 2. verſ. 4.
ſpirituali Dei virtute fundata ſit. Cauſam certe validam ac fortem eſſe oportet, quæ non hominum patrocinio, non externis quibuslibet adminiculis, ſed ſola ſua bonitate ſuffulta conſiſtat.

Deſinat ergo ſtupere Pighius, unde hæc nova & inaudita doctrinæ noſtræ efficacia: quando res ipſa clamat, non Lutherum initio loquutum, ſed Deum per os ejus fulminaſſe: neque nos hodie loqui, ſed Deum è cælo virtutem ſuam exerere. Atqui ex altera parte demonſtrat, quantum ab Apoſtolis differamus. Equidem ſi de perſonis agitur, nullis verbis ſatis exprimi poteſt, quanto intervallo nos illi præcellant: ſed in quibus nos diſſimiles facit Pighius, quantum ad doctrinam, dico nos eſſe ſimillimos. Illi, inquit, ea narrabant quæ viderant oculis, quæ auribus hauſerant, quæ prædicta fuerant, quæ figuris adumbrata. Nos autem quid? An novum Euangelium excudimus, cui poſtulemus haberi fidem, illo valere juſſo quod Apoſtoli prodiderunt? Multas & de rebus variis controverſias habemus cum regno Romani Antichriſti, ſed omnes propemodum ex hoc fonte fluunt, quod Chriſto, Prophetis & Apoſtolis audientiam dari volumus, adverſarii, quia ſilentium palam injungere illis non audent, ſuis figmentis locum jubent dare. Mirus, inquit, Apoſtolorum conſenſus erat in doctrina. Quaſi vero non hunc quoque conſenſum dederit iis Dominus, qui Euangelii doctrinam in priſtinum ſuum locum reſtituere hodie conantur. Aderat, inquit, divinæ operationis vis præſentanea: aderat Spiritus ille

igneus,

ignena, qui ſe illorum moribus, vultu, oculiſque promebat. Sed enim hæc & quæcunque alia commemorat Pighius, in Apoſtolicæ doctrinæ, vel commendationem, vel approbationem, arma noſtra ſunt. Quicquid enim docemus, in hanc ſummam redit, ut Euangelium illud, quod tot præclaris teſtimoniis confirmatum fuiſſe pronunciat, à mundo audiatur. Sepultum enim fuiſſe, & quaſi abolitum ex hominum memoria, conquerimur, neque immerito. Nec aliud quæſitum eſt à noſtris per hos viginti quinque annos, quam ut tota contentio ſic dirimeretur, ne hominibus cederet victoria, ſed penes doctrinam illam à Chriſto & Apoſtolis proditam, ut par erat, ſolum maneret. Nunc quoque, ſi convicti fuerimus, aliquid præter eam docere, non modo recantare parati ſumus: ſed omni ſtudio impugnare. Ergo quum à nobis miracula flagitantur, & alia quibus olim Euangelii majeſtas ſancita fuit, non alia proferenda ſunt, quam quæ tunc per manus Apoſtolorum fuerunt edita. Semel enim extiterunt, ſed in perpetuum Euangelii confirmationem. Atque hic mihi quam ſpatioſus dicendi campus pateret, cùm de ingratitudine ac malitia, tum etiam de impudentia eorum, qui non modo Euangelium Chriſti, perinde acſi novum foret ac nuper natum, novis iterum ſignis approbari poſtulant, ſed illa ipſa miracula, quæ ejus gloriæ ſervire debent, in contumeliam torquent atque ludibrium? Sed quoniam ad hanc rem alterum opus deſtinavi, in præſentia ſuperſedeo. At pergit Pighius in excutienda nobis hac defenſione, quando tota noſtra doctrina ad hoc unum compoſita ſit, ut omnem prorſus pietatem aboleat, ut omnem religionem eximat è mentibus hominum, quod meris fucis, technis, ac impoſturis agamus, improbo Scripturæ abuſu, audacia atque impudentia ſingulari, mendaciis, convitiis, improborum conſpiratione, ſeditionibus, pluſquam paganica vivendi licentia. Et quid non? De priore calumnia poſtea ſuo loco videbitur. Quantum ad actionem pertinet: à mendaciis Pighii ad rem ipſam provoco. De amarulentia tantum hoc verbum dicam, non niſi in eos eſſe effuſam, quibus ipſum Dei verbum odor eſt mortis in mortem: deinde non poſſe nimiam judicari, ſi quis rerum indignitatem reputet, quæ eam extorſit. Porro doctrinam ab eorum vita æſtimari, qui ea abutuntur, nimis iniquum eſt. Quanquam ſi de nobis & adverſariis judicium fieri ex vita placeat, hanc legem minime recuſamus. Qualeſcunque enim ſimus, gloriari tamen nobis meliori jure licet, quam optandum foret, aliam eſſe noſtram vitam, quam omnium Romanenſium, qui regnum Antichriſti hodie ſuſtinent. Proinde non vereor, ſi quis noſtram & illorum vitam penitus inſpiciat, & ita inter ſe conferat: quin nos ſaltem timere Deum, illos prorſus contemnere & ipſum & ejus Legem, evidenter cernat.

Quod negotium nos difficilius moliri dicit quam olim Apoſtoli fecerint, ſi in alium ſenſum acciperet, non prorſus à vero aberraret. Nam ſi quis temporis illius ſtatum prudenter conſideret, quo exortus eſt Lutherus, eum alias fere omnes difficultates habuiſſe cum Apoſtolis communes videbit, una vero in re iniquiorem ac duriorem fuiſſe ejus conditionem quam illorum, quod nullum erat tunc in mundo regnum, nullus principatus, cui illi bellum indicerent: hic autem emergere nullo modo poterat, niſi ejus imperii ruina & interitu, quod non modo omnium potentiſſimum erat, ſed reliqua omnia quaſi ſibi obnoxia tenebat. Hanc difficultatem nunc quoque ſuſtinemus. Satis ſcitur, quantum valeat Pontifex tum armorum potentia, tum fœderum auxiliis, tum pecuniis, tum ipſa nominis reverentia. Deinde, quantum præſidii & roboris habeat in hac immenſa colluvie, quæ ubique terrarum ſparſa eſt: Cardinalium dico, Epiſcoporum, & Sacerdotum. Atqui omnes uno animo, quoniam non aliter ſalvos ſe fore vident, niſi profligata noſtra doctrina, ad eam opprimendam, non ſecus acſi pro aris & focis, imo pro ſuis ipſorum capitibus pugnarent, opes omnes ſuas vireſque conferunt. Dicerem hac quoque moleſtia nos præ Apoſtolis laborare, quod luctandum nobis eſt cum fallaci Eccleſiæ larva, & cum fucata impietate, quæ ſub ipſo Dei nomine deliteſcit, niſi hæc harena ſimiliter complures ex Prophetis & Apoſtolis exercuiſſet. Verum ut ad Pighii objectionem ſemel reſpondeam, difficile & laborioſum opus eſt, tot impietatis monſtra, tantum impiæ doctrinæ labyrinthum, tot ſuperſtitionum ſpecies, quæ per aliquot ſecula occupaverint omnium animos, quæ tam altas radices egerint, quæ tam ſpecioſos colores præ ſe ferant, derepente profligare, ac tollere penitus è medio, præſertim quum tota mundi potentia contra reſiſtat: & ferro, ignibus omnique ſævitiæ genere, ad illa vindicanda inſurgat. Audax conatus, inquit Pighius: non nego: temerarium etiam confiterer, ſi hominum opus, non Dei ipſius foret. Sed quum Paulum audimus concionantem de potestate illa invicta, quæ miniſtris Euangelii data eſt, ad diruendas omnes machinationes, ad demolienda conſilia, ad omnem denique celſitudinem deſtruendam, quæ ſe extollit adverſus cognitionem Chriſti, animos colligimus ut intrepidi ſtemus contra hunc totum Satanæ apparatum, quo ſuſtinetur Papiſmus.

2 Cor. 10. verſ. 4.

Ad delendos porro fucos illos, quibus meretricem ſuam ornat Pighius, ſpongia hæc nobis ſemper in promptu eſt, nos minime totam antiquitatem cum omnibus ſanctorum placitis convellere, quemadmodum mentitur: ſed hoc potius unum agere, ut quæ temporum vitio corrupta ſunt ac diſſipata, in antiquum ſtatum redeant. Reclamat ille: nos ſic rem habere contendimus. Ille maledictum quod in nos jacit, non probat: libri noſtri firmis & claris hujus rei teſtimoniis referti ſunt. Plauſibiles ſunt iſtæ calumniæ, quibus nos oneret, dicere nos Eccleſiam à Chriſto ſponſo ſuo fuiſſe annos mille & quadringentos deſertam: ita nos facere mendacem Chriſtum: ſed nebulæ ſunt, quæ ſolo flatu veræ reſponſionis evaneſcunt. Dicimus enim Chriſtum Eccleſiæ ſuæ fideliter adfuiſſe, & ſemper adfuturum ſicut promiſit. Dicimus Eccleſiam ejus fuiſſe virtute conſervatam, ne periret: Spiritu gubernatam, ne à veritate excideret: ſed ſimul oportuiſſe accidere dicimus, quod luculento Pauli vaticinio prædictum fuerat, de horribili defectione, quam non in extremo aliquo terræ angulo, ſed in univerſo orbe fore denunciat. De futuro certe Eccleſiæ ſtatu loquitur, hoc eſt, qui poſtea ſequutus eſt. Dicit Antichriſtum jam tunc moliri arcanum iniquitatis: ſed gravius multo eſt, quod continuo ſubjungit, fore ſcilicet, ut palam graſſetur ac tyrannidem exerceat in Eccleſiam: neque tanquam externus hoſtis, verum occupato Dei ſanctuario. Dum hæc commemorat, dicit venturam defectionem. Hæc dum videmus, ſicuti prædicta fuerant, accidiſſe, agnoſcimus veracem Chriſti Spiritum. Interea tamen ſuam Chriſti promiſſioni conſtare fidem profitemur: quoniam in tanta clade ſuos mirabiliter conſervarit, ut ex media morte ſalvi evaderent: quod Eccleſiam in tanto naufragio perire paſſus non ſit: & quum videretur deſperata, ex ipſo quaſi interitu liberaverit. Ex illo enim ſemine excitata eſt hæc meſſis, quam hodie cernimus. Eat nunc Pighius, & Chriſtum mendacii aut perfidiæ ſub noſtra perſona, ex proprio autem animi ſui ſenſu inſimulet: quod quum Euangelii ſui contemptum univerſali prope mundi excæcatione vindicaret, Eccleſiam tamen ſuam luce veritatis ac vitæ nunquam interea deſtituerit. Sed enim ego inde illuſtriorem ejus fidem redditam fuiſſe agnoſco, quod per tot offendicula, præter ſpem omnium hominum, ſibi viam fecerit, ut firma permaneret.

Ne

Ne tamen in retinendo ſuo jure, vel potius injuria, videatur impendio præfractior, tandem fatetur obrepſiſſe abuſus in Eccleſiam, quos omnes pii correctos cupiant. Sed modum corrigendi longe ab eo diverſum eſſe, quem tentavimus. Has enim Paſtorum eſſe partes, quibus facultatem nos ſuſtuliſſe queritur. Deinde ejuſmodi vitia eſſe negat, quorum cauſa debuerimus facere ab Eccleſia diſceſſionem. Nos enim quod totum orbem turbaverimus, quod ab Eccleſiæ unitate deſciverimus, hanc cauſam prætexere abuſus qui in ea invaluerant, & corruptos mores ſacerdotum. Ut ab hoc poſtremo incipiam, ſcire velim, ex cujus ore prætextum hunc audierit. Fieri poteſt, ut in noſtrorum libris legerit Lutherum initio abuſus tantum quoſdam nimis craſſos reprehendiſſe, & flagitioſos Cleri mores; ſubinde adverſariorum improbitate ulterius provectum. At quid hoc cum Pighii calumnia ſimile habet? ſcribit alicubi ipſe quoque Lutherus de ſe in hunc modum: Velim, inquit, nolim, cogunt me adverſarii mei fieri in dies ſapientiorem. Veriſſimum eſt quod dicit. Cotis enim inſtar ad acuendum ejus ingenium fuerunt. Demerſus adhuc in profundis illis tenebris, quibus orbis fere totus abſorptus erat, quum ſcintillam unam videret quaſi ex tenui rima emicantem, ad eam accedere conatus eſt. Hic hoſtes lucis quum impedire & violenter repellere pium hominis ſtudium vellent, tumultuando, feneſtram ampliorem, totam etiam fores demum aperuerunt. Hæc non eo à nobis dicuntur, ut prætextum captemus noſtræ à Pontifice defectionis: verum ut appareat, qualis futura fuerit adverſariorum æquitas, ſi totam Papiſmi corruptionem ſemel ad vivum reſecuiſſet Lutherus: quum lenem ac moderatam reprehenſionem, eamque in vitiis palpabilibus ferre non ſuſtinuerint. Neque vero Lutheri conſilium tunc erat, ab Antichriſti tyrannide deficere, ſed tantum mederi morbis illis, quorum tam facilis quam neceſſaria videbatur curatio. Atqui opinione falſus eſt. Tanta enim omnium abominationum ſanie ſcatebat Papiſmus, ut quum primum admoveri manus cœpta eſt, quia remedium nullum ferebat, crepuerit medius.

Sic ergo habeat Pighius: nos non uſque adeo eſſe moroſos, ut ob morum vitia, etiam graviſſima, ſcindendam duxerimus fidei unitatem. Novimus in vitiis aut corrigendis, aut improbandis, eam moderationem ſervandam eſſe, ut vinculum pacis non diſrumpatur. Scimus tamen ex adverſo ſic temperandam eſſe patientiam, ut ne iniquitatem foveat. Ergo hanc, quæ vulgo ab omnibus cernitur, Papiſtici cleri ſceleratiſſimam, & omni turpitudinis genere inquinatam vitam, neque approbare debuimus initio, neque ſilentio aut diſſimulatione tegere: ac ne nunc quidem ex officio poſſumus: præſertim quum publicæ ædificationis id intereſſet. Nam quum ab ipſis proveniret velut communis quædam contagio, non aliter potuimus in corpore ipſo plebis vitia repurgare, quam eos quoque arguendo. Verum illam fuiſſe diſſidii cauſam, nimis improbum eſt mendacium: quum ſemper clara voce profeſſi fuerimus, nos ad conjunctionis vinculum, puræ ſanæque doctrinæ conſenſu fore contentos. Quum de reſtituenda Eccleſia quæritur, doctrinæ quidem addimus diſciplinam. Sed aliud eſt, colligendæ in bonum ordinem Eccleſiæ ſtudere: aliud, ab Eccleſia ſe alienare. Hoc merito nobis exprobraret Pighius, ſi morum tantum corruptione offenſi, renunciata Eccleſiæ ſocietate, ad novas partes tranſiiſſemus: ſed quum palam ſit, inde exortum fuiſſe diſſidium, quod Antichriſtus Romanus ferre non potuerit juſtas & ſanctas impiæ ſuæ doctrinæ reprehenſiones, quid nobis adhuc diſceſſionis crimen objicitur? Addit etiam, ſi Deo placet, futili calumnia, ſolam moroſitatem in cauſa fuiſſe, quod nobis Cleri mores minus bene compoſiti diſplicerent.

Perinde facit Pighius, ac pueri in ſcholis: qui ſibi fingunt declamitandi materiam. Duo enim hæc principia ſibi ſumit; nos diſceſſionis auctores extitiſſe: neque id aliam ob cauſam, niſi quod corruptiore ſacerdotum vita offenderemur. Jam negamus initium ſeparationis à nobis factum eſſe, & ne tergiverſari videamur, rem ipſam, ut geſta eſt, proferimus. Ipſa luculentum nobis teſtimonium reddit, hinc diviſam fuiſſe Eccleſiam, quod Romanus Antichriſtus eos omnes, qui aut pro veritate verbum facere auderent, aut eam amplecterentur, violentis ac tyrannicis modis, nulla cognitione legitima, non modo præter morem Eccleſiaſticum, ſed contra omnem humanitatem expulit. Et adhuc reos defectionis nos facient Romanenſes, quum nos à ſua qualicunque communione ſævis & ſanguinariis edictis ipſi priores abdicaverint? Atqui ſatius fuerat, tolerantia & ſilentio pacem redimere, ut in fidei unitate permaneremus, quam nimium acribus remediis exitiale in toto corpore incendium excitare. Quam tu hic mihi pacem, & quam fidei unitatem prædicas, ubi Dei veritas locum non habet, quæ unicum ejus vinculum eſſe debebat? Pronunciat Spiritus ſanctus, Eccleſiæ unitatem ſanæ veræque doctrinæ conſenſione contineri, nec audet Pighius verbo repugnare, etiamſi animo diſſentiat. Videamus nunc, qualibus vinculis aut nodis colligatus ſit Papiſmus.

Primum omne genus idololatriæ illic regnat, non ſine manifeſta Dei abnegatione. Quantulumcunque ex cultu Dei reſiduum ſupereſt, partim commentitiis ritibus adulteratum, partim vitioſis opinionibus corruptum, meram ſuperſtitionem redolet. Doctrinæ veritas, aut everſa prorſus, aut contaminata. Chriſtus ſemiſepultus, ut inanem modo titulum, ſine virtutis gloria retineat, & ſpectro denique quam ſibi ſimilior. Virtus enim ejus altis tenebris ſubmerſa, officium obliteratum, gratia fere in nihilum redacta. Sacramentorum adminiſtratio mutila primum & lacera, adhæc multis extraneis figmentis deformata, poſtremo multis impiis imaginationibus implicita.

Quid jam nobis præſcribit Pighius? Ne pacem turbemus. Sed qua lege aut pactione? Nempe ut ad hæc omnia conniveamus. Nefaria vero pax, quæ tanti conſtet. At dicit ſe & alios Antichriſti canes, qui adulatione latratuque ſacerdotia venantur, nihil in fide novare, abuſuum correctionem expetere quidem totis votis, ſed gradus, & officii ſui memores, non uſurpare, quod ad ſe non pertineat. Quaſi vero non ſit hoc cujuſque officium, à manifeſtis, & doctrinæ, & cultuum ſacrilegiis abhorrere, quæ ſacroſanctum Dei nomen graviſſima contumelia afficiunt. Silendum erat, inquit Pighius. Perfidum & execrabile ſilentium, quo Dei gloria, Chriſtus, atque Euangelium proderetur? Itane? Ludibrio igitur habebitur Deus ante noſtros oculos, tota religio lacerabitur, peribunt miſeræ animæ Chriſti ſanguine redemptæ, & hiſcere nefas erit? Latrat fidus canis ad primum latronis ſtrepitum, & vitam ſuam objicit periculo, ut domini ſui caput familiamque defendat: diripietur impiorum latrocinio Eccleſia & vaſtabitur, pedibus calcabitur Dei majeſtas, regno ſuo ſpoliabitur Chriſtus, videntibus nobis ac tacentibus? Denique pro Antichriſto Pighius tantas turbas movet, ubi periculum ejus regno videt imminere: nos in medio regni Chriſti excidio quieſcemus? Neque tamen hoc etiam modo pacem redimere nobis licuit, quando neceſſe erat, communicatione etiam, quaſi tacito ſuffragio magnam ejuſmodi ſcelerum partem approbare. Et hoc impietatis jugum excutere, erit abrumpere vinculum fidei, diſſilire ab Eccleſia, turbare communem pacem ac concordiam? Sic quidem olim audiebat à rege impio ſanctus Dei Propheta. Sed qua defenſione utitur? Non ego ſum, 1 Reg. 18.
inquit, qui conturbo Iſraëlem, ſed tu & domus pa- verſ. 18.
tris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſequuti

eſtis

eſtis Baalim. Hæc eadem eſt noſtra defenſio. Quicquid hodie turbarum eſt ac motuum, neque noſtra culpa exarſiſſe, neque nunc foveri: totam cauſam eſſe penes eos, qui animum potius obſtinarunt, cælum, terras, maria miſcere, quam Chriſti regno locum cedere. *2 Theſſ. 2. verſ. 8.* Sed oportet impleri quod ſcriptum eſt, ſeſſurum iniquum illum, donec eum ſpiritu oris ſui conficiat Dominus, & adventus ſui illuſtratione aboleatur.

Sed quæ erat unica remediis via, illam nos præpoſtera actione ſuſtuliſſe dicit Pighius. Paſtorum enim auctoritatem per nos labefactatam, quorum erant iſtæ partes. Quis non videat hunc Luciani diſcipulum palam in tam miſerabili Eccleſiæ clade ſuaviter ludere? Pontificem ſcilicet Romanum & totam ejus cohortem nihil aliud moratur in vitiis corrigendis, quam quod illis per nos adempta eſt facultas. At quid, obſecro, facturi erant ſi tacuiſſemus, qui nunc, dum tantopere urgentur, non minus ſecuritatis ac ſocordiæ oſtendunt, quam ſi nulla Eccleſiæ cura tangerentur? Totus orbis clamitat, extremum inſtare Eccleſiæ exitium, niſi mox remedium adhibeatur: neceſſitas ipſa, quæ eſt telum acerrimum, eos ſollicitat, & ſic premit, ut effugio nullus pateat locus. Nos in illorum torporem, vel potius immanem crudelitatem fortiter, ſicut par eſt, invehimur, quod periclitanti Eccleſiæ non ſuccurrant. Quum tot ſtimulis non expergefiant, ſpes bona eſt, ſponſore Pighio, ad corrigendos abuſus primo die properaturos fuiſſe, ſi nihil à nobis motum eſſet. At facerent nunc, niſi à nobis impedirentur. Cur non igitur toties rogati, vel tenue aliquod ſpecimen ediderunt? At hæc turbulenta tempora minime commoda ſunt ad aliquid novandum. Nempe merito timent ne ſi ædificio, male alioqui fundato, rurſus mole ſua laboranti & quaſi ruenti, adhæc corruptæ ac putrefactæ materiæ, poſtremo jam nutanti & quatefacto manus ſemel admoveatur, ſubito ruat in præceps, ſuoque caſu architectos ipſos opprimat. Hoc profecto eſt, hoc, inquam, unum eſt, quod curant omnes iſti lupi, qualiter ſuæ tyrannidi caveant in poſterum, quibus eam machinis ſtabiliant, ne quid amplius eorum obſiſtat libidini. Quid porro de Eccleſia fiat, ſuſque deque habent: neque putant ſua referre, etiam ſi centies pereat. Si me aliquid fingere dicat Pighius, non citabo paucos teſtes, qui mihi ſubſcribant, ſed omnes piorum conſcientias judices faciam. Hanc quoque Pighii querelam operæpretium eſt audire, nos publicam Eccleſiæ diſciplinam præcipue turbaſſe. Quaſi vero diſciplina aliqua tunc fuerit: ac non potius horribile aſpectu chaos, & deformis fœdaque rerum omnium confuſio. Nam quod vetuſtos canones nobis jactat, quibus ordinata & formata fuerat Eccleſia, quid hoc ad rem pertinet? quum nihilo major eſſet eorum uſus, quam ſi nunquam fuiſſent ſcripti. Perinde eſt igitur, acſi repreſſa tyrannide prodiret aliquis Dionyſii aut Phalaridis aulicus, ac turbatam Rempub. quiritaretur, & convulſas leges, judicia in ordinem coacta. Quis hunc libertatis & legum patronum ferret? Quod ſi hanc ſimilitudinem non recipiat Pighius, demonſtret mihi velim, quanto melior & ordinatior ſit ſtatus ſub Romano Antichriſto, quam ſub veteribus tyrannis fuerit.

Hæc pauca curſim reſpondere viſum eſt ad Pighii præfationem, ne quid præjudicii de ipſa cauſa facerent lectores, ejus calumniis occupati: quod me conſequutum eſſe confido. Nam maledicta, quibus Lutheri ingenium moreſque proſcindit, non eſt præſentis inſtituti refellere: quando neque ad rem, de qua agitur, multum momenti habent, neque Lutherus meo patrocinio opus habet: neque poſtremo aliud agit Pighius, quam vorax & famelicus canis, qui latratu ſe ulciſcitur, dum non invenit quod rodat. Nam quæ ejus atrociſſima eſt in Lutherum criminatio, non aliud continet quam tartareum eſſe monſtrum, quia gravibus conſcientiæ certaminibus vexatus ſæpe fuerit uſque ad dolores & tormenta inferorum. At vero ſi vel per ſummium concipere poſſet hic nugator, quid hoc ſibi velit, & quid valeat, vel obmuteſceret, vel in Lutheri admirationem potius ac laudes converteretur. Nam quum ſit hæc piorum ſors communis, ut diros ſubinde conſcientiæ cruciatus ſuſtineant, quibus eruditi, ad veram humilitatem Deique timorem melius aſſueſiant: ut ſingulari, præ aliis, ingenii præſtantia quiſque præditus eſt, ita miris & inuſitatis modis interdum tractatur: ut dicere queat, non modo ſe mortis doloribus circumdatum fuiſſe & obſeſſum, ſed ab inferis ipſis abſorptum. Ita ex ſanctis præſtantiſſimos, quaſi ſelectas Dei officinas eſſe oportet, in quibus ſua judicia præter omnem carnis ſenſum, mirabiliter exerceat. Ne recenſendis pluribus exemplis longior ſim: hæc eſt lucta Jacob, in qua nobilis ille athleta non hominum quempiam antagoniſtam habuit, ſed cum Deo ipſo congreſſus eſt. Nunc ſi comprehendere animo velis, quantum ille ſudarit in ea barena, Dei fortitudinem primum intuere: deinde, hinc quoque conjecturam ſumas, quod victor nihilominus ad finem uſque vitæ claudicaverit. Hæc piis dicta ſint. Nam quid Pighio & profanis iſtis hominibus facias? qui nec conſcientiam ullam, nec pietatis ſenſum habent, nec aliter accipiunt ſi quid de judiciis Dei narratur, quam ſi de conviviis deorum Homericas audirent fabulas.

Quoniam autem Dei & hominis cognitio mutuo inter ſe nexu colligatæ ſunt & implicitæ, merito Pighius ſuam de libero arbitrio diſputationem inde incipit. Dicet quiſpiam, me hunc ordinem laudare, quia meus ſit. At ego excipiam illo me uſum eſſe, quia optimus, & ad docendum aptiſſimus videretur. Placet ergo, quod adverſarius meus ſequatur id, quod ego optimum judicavi. Quanquam miror, qua fronte auſus fuerit, nulla mei mentione facta, tam familiariter ſumere de meo libro, quod in ſuum tranſcriberet. Neque enim quo jure id faciat, video: niſi forte præſcriptionem obtendat, quia ſic facere pridem ſolitus ſit. Nam in magno illo libro, quem adverſus noſtram confeſſionem edidit, integras ſæpe ex Inſtitutione mea paginas, ubi viſum eſt, infercit, ac ſuo commodo ſic adaptat, quaſi aliunde non ſumpſiſſet. Velim nunc ſcire quo jure aut titulo mea ſic pro ſuis uſurpet. Si qua magna eſſet inter nos neceſſitudo, ego hanc confidentiam amicitiæ non difficulter concederem. Sed nunc huic veniæ non eſt locus. An quia hoſtis ſum, ſe jus direptionis in omnia mea habere putat? At hoc prædæ genus nullo, nec jure, nec more, defendi poteſt. Unus ergo prætextus reſtat, homini docto potuiſſe non minus venire in mentem quæ dixeram, quam mihi prius venerant. Sed lectores obſecro, ſi tantum habeant otii, ut caput primum libri Pighiani cum primo Inſtitutionis meæ capite conferant. Nihil dico: niſi quod non ſine riſu ac ſtomacho perſpicient nimis perditam hominis impudentiam. Quod ſi ulterius pergere libeat, percurrant quæ de Juſtificatione tractat in altero illo opere, & ad ſextum Inſtitutionis meæ caput exigant: mirum ſi bilem continere queant. Neque enim clanculum furatur aut carptim: neque artificio tegere ita ſtudet ſuas rapinas, ut apud ſe natum videatur, quod apud me legit, ſed ita palam mea ad verbum recitat, ut videatur paginas ipſas totas pigritia aſſuiſſe, quo deſcribendi laborem fugeret. Si fateretur auctorem, eum dicerem mutuari: nunc quid cauſari poteſt, quominus plagiarius palam vocetur? Mirabitur quicunque leget, unde tantus homini ſtupor: qui nihil veritus ſit, in ipſo ſtatim veſtigio deprehendi. Ego vero dum omnia bene reputo, habeo quod pro hominis excuſatione dicam: eum ſecuritate magis quam ſocordia id feciſſe. Satis enim habuit, ſi modo iis placeret, qui non minori religione à noſtris abſtinent,

quam facilitate omnia laudant ac mirantur, quæ nos quovis modo impugnant. Fruatur ergo ſane ſua iſta in tenebris jactantia. Sed extabit, ut ſpero, in luce & oculis bonorum mea Inſtitutio, tantæ ejus impudentiæ teſtis ac vindex. Neque tamen hac de re verbum facturus eram, niſi me ejus improbitas coëgiſſet. Sed quum toties nos, tanquam indictos, nullius ingenii, nullius judieii, ex alto ſuperbiæ ſuæ faſtigio deſpiciat, operæpretium fuit, palam fieri, nec ingenuum hominem, nec gratum eſſe qui tam crudeliter eos laceraret, quorum tamen magiſterio nonnihil adjutus foret.

Quæ autem poſtea de ſuo admiſceat, ut deformet, aut pervertat bene dicta, non eſt hujus operis excutere. Summa tamen huc redit, in illa Dei & noſtri notitia, dum mutuo inter ſe comparantur, nos juſtum Dei judicium non poſſe intelligere, quin libero nos voluntatis arbitrio præditos ſciamus, & in nobis poſitum, ut obediamus præceptis: declinare à malo, facere bonum, & contra. Ubi hoc conſtituit, mox ad ſententiæ noſtræ explicationem aggreditur. Atque id quidem primum ex Lutheri verbis, quæ cenſebat minus accommodata eſſe ad popularem captum: deinde ex meis, quibus etiam per totum opus inſiſtit: ut in meo capite totam, ut ipſe vocat, ſectam noſtram oppugnet. Hæc eſt clauſula primi libri.

Porro, quoniam hac potiſſimum machina evertere doctrinam noſtram conatur, quod à communi ſenſu maxime abhorreat, præfatur, non immerito Lutherum hoc rudimento ſuos imbuere, ut carnis rationi ac ſapientiæ renunciare diſcant: quia tantum abſurditatis habeant pleraque ejus dogmata, & præ aliis hoc, quod tractamus, de ſervo hominis arbitrio, ut quibus perſuadere velis, eruere iis oculos mentis, & omnem rationis ſenſum adimere oporteat. Illam vero ſententiam, quæ inter Chriſtiani nominis homines nihilo plus controverſiæ habere debuerat, quam unum eſſe Deum, quibus probris lacerat? imo quam ridiculis cavillis exagitat? Pugnat, inquit, cum Apoſtolo, qui fidem teſtatur eſſe ex auditu prædicationis. Deinde, ſi vera foret, infantes & moriones ad fidem percipiendam ſequetur reliquis omnibus eſſe magis idoneos. Quaſi vero non continuo poſt, hunc Pighii nodum ſolvat Paulus, quum ex arcana Dei revelatione pendere fidem ſubjungit: aut quaſi hominem ſtipitem faciat, qui ratione carnis eum ſpoliat, hoc eſt, inani ſapientiæ perſuaſione. Verum, ut intelligat, non nobiſcum ſibi eſſe certamen, ſed cum [1 Cor. 2. verſ. 14.] ipſo Paulo, audiat ejus verba, ſi aures habet. Animalis, inquit, homo non accipit ea quæ ſunt Spiritus Dei. Stultitia illi ſunt, nec poteſt cognoſcere, quod ſpiritualiter dijudicantur. Reddat ipſe quoque nobis rationem, cur ita ſit. [1 Cor. 1. verſ. 21.] Nempe, quia infatuavit Deus ſapientiam hujus mundi, quo per ſtultitiam prædicationis ſalvos faceret credentes. In quem finem? Reſpondeat adhuc idem ipſe. Ut confunderet ſapientum gloriam. Quid demum inde colligit? [1 Cor. 3. verſ. 18.] Ne quis ſeipſum fallat. Si quis videtur ſapere, in ſeculo hoc, ſtultus fiat, ut reddatur ſapiens: quandoquidem ſapientia mundi hujus ſtultitia eſt apud Deum. Ecce pronunciat Paulus, primum ſpiritualis ſapientiæ fundamentum eſſe, mundi ſapientiam in nihilum redigi. Evomat nunc in eum bilem ſuam Pighius, quod velit hominibus mentis oculos eruere, beſtiis facere ſimiles, morionibus poſtponere. Quod autem nullis id facile perſuadeatur, qui ſibi ſapiunt, nihil mirum. Via enim illis præcluſa eſt, qua ſola poterant huc pervenire: quantiſper non damnant ſtultitiæ totum illud, quo ſibi placent, ſapientiæ ſpectrum. Nullum enim eſt incantationis genus ad faſcinandos homines periculoſius, quam rationis propriæ fiducia. Atque, ut brevius dicam, mera ſtultitia eſt quoad Deum, quicquid ex ſe homo ſapit: quum autem accedit fiducia, fit rabies. Ejus rei ſi nullum aliud foret, amplum documentum eſt Pighius: qui nullis Apoſtolis, nullis Scripturis, nec Angelis omnibus crediturum ſe eſſe dicit, ſi id ipſum doceant, in quo putat Lutherum errare. [Folio 6. pag. 1.]

Ad ipſam Lutheri ſententiam quum ventum eſt, ad duo capita revocat, quicquid in ea vult damnare: nempe quod liberum arbitrium docuerit, rem eſſe, poſt primi hominis lapſum, de ſolo titulo: nec poſſe nos ex nobis aliud quam peccare. Nec eo contentus, addiderit poſtea, figmentum eſſe in rebus, & titulum ſine re: deinde nihil contipgere fortuito, ſed abſoluta neceſſitate nobis provenire omnia. In priore, multa eum male habent. Primo, quod hinc ſequatur, hominem naturæ viribus ad recipiendam Dei gratiam ſe præparare non poſſe. Deinde naturam noſtram vitioſam fieri, imo quaſi haberi pro nihilo. Adhæc, Legis obſervationem impoſſibilem nobis eſſe, & nos peccare nihilominus, non ſervando quod facultatem noſtram ſuperat. Quarto, quia huic annexum ſit dogma de peccato originali noſtrum, hoc eſt catholicæ Eccleſiæ: quod ipſe prodigioſum nominat. Quinto, peccare etiam in operibus bonis juſtos, & bona opera venialia quidem ſecundum miſericordiam Dei, ſed ex ſe mortalia eſſe peccata. Hic admonitos velim lectores, unam cantilenam identidem recinere Pighium. Quia igitur reliqua omnia ſuo loco poſtea recurrent, de poſtremo hic tantum dicam. Quod de bonis operibus ſic loquutus eſt Lutherus eo non ſpectabat, ut ſuam illis laudem, ſuumque coram Deo pretium adimeret. Neque enim negavit unquam, aut Deum ea habere accepta, aut mercedem redditurum, ſed oſtendere modo voluit, quid valeant, ſi ex ſe, non paterna Dei benignitate, æſtimentur. Certum eſt autem, non dignitate propria placere Deo, quicquid proferri poſſit bonorum operum, ſed gratuito ejus favore, quia tanti habere velit, etiamſi digna non ſint. At hyperbolicum eſt, inquies, quod dicit Lutherus. Hoc ut concedam, dico habuiſſe juſtam cauſam, quæ eum ad tales hyperbolas impulerit: quum ſcilicet mundum videret falſa & pernicioſa operum fiducia, quaſi exitiali lethargo, ſic obſtupefactum eſſe, ut non voce ac verbis ad eum expergefaciendum, ſed clangore tubæ, tonitruo, fulminibuſque opus eſſet. Quanquam nihil eſt in iſtis verbis, quod non ſimpliciter, & citra ullam figuram, verum ſit. Nam quum operum dignitas non ex facto ipſo, ſed ex perfecta Dei charitate pendeat, non aliter juſtum purumque opus erit, quam ſi ex perfecta Dei charitate emanet. Nunc nihil illam in homine perfectionem reperias, ut eſſe aliqua per ſe bona opera concedam. Atqui hoc in Spiritus ſancti contumeliam redundat, per quem bona opera fiunt. Minime vero ſi bene ac prudenter diſcernas, quid in opere bono ſit hominis, & quid Spiritus. Utcunque enim ſincero corde, & abſque fictione, in Dei obedientiam ſe ſancti addicant, multum tamen abeſt, quin adſit ea in reddendis obſequiis alacritas, quam illa Legis ſumma flagitat: ut Deus ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus, atque ut ſecundum Deum, proximus diligatur. Hanc vero qui neſcit eſſe amuſſim, ad quam exigendum ſit operum examen, nihil judicare poteſt. Nunc audiat Pighius. Dico ſanctos perpetua carnis infirmitate detineri, quonimus ea quæ faciunt, bona opera, perficiant: dico ambulare dum currendum erat, ſæpe etiam claudicare. Hinc fieri dico, ut nullum extiterit unquam bonum opus, quod undique purum ac perfectum, omni prorſus nævo careret. Quod ſi ſemper aliquid fordis ex carnis vitio admixtum eſt ſanctorum operibus, veniant in conſpectum Dei, examinentur in illa trutina, quam Angeli quoque ipſi reformidant: quocunque loco cenſeantur apud homines, illic vitioſa deprehendentur. At totam puritatem exigua macula inquinari, minime rationi conſentaneum eſt. Primum, ad obtinendum quod peto, mihi ſatis eſt, ſi in omni opere bono incluſum ſit peccatum: deinde

hoc

Digitized by Google

hoc minime recipio, præter rationem fore, ſi exigua ſorde tota puritas inquinetur. Nam ſi vini ſapor, ſuavis alias & gratus, modico acore totus corrumpitur, ut gratiæ quod habuit amittat, quis Deo litem intendat, quod corruptum opus ſibi diſplicere pro-

Levit. 7. verſ. 19. & 22: 6. nunciet? Ita Lege Moſaica conſtitutum erat, ut ſi pollutus homo rem conſecratam attigiſſet, immunda cenſeretur. Quo ſignificatum fuit, tam efficax & contagioſum venenum eſſe, hominis immunditiem, ut ſolo ejus tactu, quicquid alias ſanctum eſt profaneſcat. Jam qualiter liberamur omnes à communi pollutione, niſi per fidem? Maneat ergo illud, opera bona, ſi per ſe æſtimentur, omnino eſſe peccata: ut autem bona ſint, ut Deo placeant, ut laudem habeant ac præmium, paterna Dei acceptione fieri; non proprio ipſorum merito.

Alterum membrum, de abſoluta rerum neceſſitate, in eum locum differemus, ubi tractari poterit ſuo ordine: quum ſcilicet de providentia Dei & hominum prædeſtinatione agetur. Dicit poſtea, quum iſtius nos dogmatis puderet, dimidium recantaſſe: quod homini liberum arbitrium in rebus externis & civilibus negotiis tribuamus. Sed hanc palinodiam quominus ex animo prodiiſſe puter, tribus argumentis moveri ſe dicit: quod libris in publicum editis fas eſſe aſſeramus, fucis ac technis promovere Euangelii cauſam: quod non execremur Lutherum tam horrendæ blaſphemiæ auctorem: quod non palam, damnatis prioribus noſtris libris erraſſe nos profiteamur. Quod de promovendo per fucum & dolos Euangelio ſcripſiſſe nos inſimulat, mirum, niſi ſibi ipſe ſomniavit. Neque enim tale quippiam noſtrorum alicui excidiſſe, mihi credibile eſt. De Luthero, non eſt quod dubiam conjecturam ſumat: quando nunc quoque ſicut hactenus, non diſſimulanter teſtamur, eum nos habere pro inſigni Chriſti Apoſtolo, cujus maxime opera & miniſterio reſtituta hoc tempore fuerit Euangelii puritas. De nobis libenter fatemur, quod Solonem de ſe gloriari ſolitum fuiſſe tradunt, nos quotidie diſcendo ſenes fieri, aut certe ad ſenectutem properare. Quid tamen à nobis poſtulat Pighius, ut nos male docuiſſe pronunciemus, quum perſeveremus etiamnum conſtanter in ea doctrinæ ſumma, quam ſemper profeſſi ſumus? Fieri quidem poteſt, ut loquantur alii alio modo: ut propriam fere quiſque, & ab aliis diſtinctam loquendi rationem habet. Cur autem quod ſeculis omnibus omnium hominum commune fuit, nobis non concederetur? Hoc quoque non gravatim agnoſco, nos, ſi quando iterum recuduntur noſtra opera, quæ rudiora erant expolire, mitigare quæ aſperius erant dicta, addere lucem obſcuris, nimis preſſa fuſius & copioſius explicare, munire etiam novis rationibus, denique in quibus offenſionis periculum veremur, moderari etiam & mitigare. Quorſum enim viveremus, ſi nihil ætas, nihil uſus, nihil aſſidua exercitatio, nihil lectio, nihil meditatio conferret? Quorſum autem proficeremus, niſi ut fructus inde aliquis ad alios quoque perveniret? Imo ſi neſcit Pighius, hoc illi teſtatum eſſe velim: nos huc dies noctesque incumbere, ut quæ fideliter à nobis tradita ſunt, in modum etiam, quem putamus optimum fore, formemus. Hoc quoque verum eſt, nonnulla, quæ ſcholaſtico dicendi genere, & minus populari ſtylo ſcripſerat Lutherus, Philippum Melanchthonem prudenter, & magna dexteritate in mitiorem formam flectendo, ad vulgarem hominum captum accommodaſſe, & communem vitæ uſum. Ita quum edenda Auguſtæ eſſet Confeſſionis formula, non niſi in ea doctrina immorari voluit, quæ ſola Eccleſiæ propria eſt, & neceſſaria cognitu ad ſalutem: nihil ſcilicet valere per ſe naturæ vires ad percipiendam fidem, ad obedientiam divinæ Legis, & totam ſpiritualem juſtitiam. Quid in civilibus & externis valeant, quia non magnopere fidei intereſt, noluit curioſius diſputare. Cæterum, quod ſummum eſt in hac quæſtione, & cujus gratia reliqua omnia dicuntur, quemadmodum initio propoſitum fuit à Luthero & aliis, ita hodie defendimus: ac ne in illis quidem, quæ dixi ad fidem non adeo neceſſaria eſſe, aliud intereſt, niſi quod forma loquendi ſic fuit mitigata, ne quid offenſionis haberet.

Ubi hanc peregit fabulæ partem, ad alium actum deſcendit, ut dogmatis noſtri myſteria, ſicut vocat, in apertam lucem eruat, ex illis tenebris quibus abdita ſunt apud nos ac demerſa. Atque hic cùm de obſcuritate noſtra, tum de varietate conqueritur. Nam quum per ſe tenebricoſum ſit mendacium, nos latebras ad fallendum quærere: præterea tam eſſe inter nos diſſimiles, ac diverſos, ut certum aliquid ex omnibus colligere, infinitus ſit labor. Aiunt unum eſſe luſcioſorum genus, qui crepuſculo melius quam meridie cernant. Et communiter videmus eos, qui tenera ſunt debilique oculorum acie, ad plenam lucem ſi prodeant, magis perſtringi & hebetari. Ex eorum numero eſſe Pighium quis neget? Ut eloquentiæ laudem aliis concedamus, linguam tamen certe habemus non adeo impeditam nec perplexam. Atque in hoc ſerio nos laborare omnes animadvertunt, ut intelligamur. Imo nulla magis de cauſa nobis adverſarii ſuccenſent, quam quod nimis familiarem Chriſti doctrinam vulgo fecerimus. Solus Pighius nimiæ obſcuritatis nobiſcum expoſtulat. Sed hoc eſt quod alibi dixi: more puerorum, qui umbratiles in ſcholis declamationes habent, omnia rhetorum præcepta, ſine delectu, in uſum ſuum applicat. Legit alicubi, valere hoc ad gravandum adverſarium, ſi obſcuritatis vitium objicere illi queas. Arripuit, quia placebat: & nunc temere in nos detorquet. Sed huic expreſſo nunc non erat locus: quum libri noſtri, ſine alia defenſione, ſe plus ſatis ab hac futili calumnia vindicent. Et ipſe mox, quaſi ſui oblitus, methodum mihi ſaltem & perſpicuitatem tribuit. An ita inter nos diſſentiamus, ſicut jactat, ejus fuit probare. Nunc quid aliud dicam, niſi omnia in nos temere effutire, quibus iis tantum exoſa redderetur noſtra doctrina, à quibus non legitur? Neque enim eorum ullam rationem habet, qui noſtra vel minimum attigerint.

Poſtea incipit meis verbis explicare, quid communiter ſentiamus: tametſi ne videatur nimis palam pugnare ipſe ſecum, exceptione utitur, ſi qua ſit inter nos una communis ſententia. Vides hic lector, hominem conſtringi ſimul & diſtrahi. In totam Lutheranorum ſectam, non in privatum ex ea quempiam certamen inſtituere videri vult. Non poteſt autem omnes ſemel adoriri, niſi conjunctos. Conſenſionem ut nobis tribuat, gravatim adducitur. Ergo utrumque ſimul dicit, & neutrum: & ita nodum inſolubilem abrumpit. His ſubjungit eorum compendium quæ ſecundo Inſtitutionis meæ capite de hac re diſputavi. Non ſum tam malignus aut moroſus, ut Pighium malæ fidei in meis recitandis, ſine cauſa, accuſem. Verum ne ſibi plus juſto blandiatur, ſic agnoſco ſummam meæ diſputationis utcunque complexum eſſe, ut tamen minime velim tales in totum opus compoſitas eſſe epitomas: neque hanc quoque ipſam alia lege recipio, niſi ut ab hoſte prodiiſſe meminerint lectores. Nam quod me ipſo ordinatius & cohærentius omnia digerere ſe jactat, id ſuo more dupliciter facit: nempe, & ſe inaniter efferendo, & liberaliter mentiendo. Illa etiam omitto, quibus velut amari liquoris guttis, mea verba obiter aſpergit, quominus lectori ſapiant: me truncare Chryſoſtomi ſententiam, quam ad verbum refero, ſicut apud eum habetur: me affingere opinionem Petro Lombardo, quam omnibus promptum eſt videre, bona fide à me expoſitam: me in citandis Prophetarum teſtimoniis, aut infidelem eſſe, aut non ſequi fidos interpretes, quia alicubi à vulgari interpretatione diſſenſio.

Sunt enim relatu indigna, niſi ad demonſtrandam inſignem Pighii, & inſcitiam, & malitiam: quam tamen ſani lectores, abſque monitore ſatis animadvertent. Unum operæpretium eſſet referre, niſi alio loco iterum repeteret, ubi tractabitur imaginationem ſcilicet ab eo cenſeri, quod animam fidelem, doceo, à regeneratione in duas diviſam eſſe partes. Nam vel in hoc ſolo verbo illuſtre ſpecimen Pighianæ theologiæ intueri licet. Quis enim non videat, animam eum pro ſale habere, qui tam familiarem piis animis ſenſum pro imaginatione ducat? Verum quia hoc in ipſo argumenti cardine continetur, & illic etiam Pighius repetit, commodius eo uſque differetur.

Hac quoque ratione poſtremam illius objectionem leviter modo attingam, qua ſtultitiam noſtam deridet, quod tantum laboris exhauriamus in docendis hominibus, qui fidem tamen interea non humanis perſuaſionibus parari, ſed Spiritus ſancti proprium eſſe opus aſſerimus. Nam poſtea in ipſo diſputationis progreſſu iterum recurret. Sed quia tamen hoc ideo in primo limine poſitum eſt à Pighio, ut ſcriptis noſtris viam præcluderet, non poſſum in totum præterire. Ludere nos operam dicit, hominem ad fidem incitando & exhortando, ſiquidem eam non ſua ipſi facultate concipiunt, ſed Deus ſua gratia inſpirat. Hanc enim neceſſariam conſequentiam facit: Quicquid fit ante gratiam à ſervo arbitrio, neceſſario malum eſt, & à fide magis abducit, quam ad eam adducat, fideſque ipſa tota à Deo pender. Ergo docendo & exhortando fruſtra in ventum projicitur omnis labor. Reſpondeo, nos non magis operam ludere, quam agricolas, dum terram arant ac
Deut. 28. verſ. 38. ſeminant. Scriptum eſt enim, Seminabis, & non colliges. Quo ſignificatur, fruſtra eſſe omnem labo-
Mich. 6. verſ. 15. rem, ſine benedictione Dei. Ubi autem labor ſucceſſum habet, ut inde fructus colligatur, ſcriptum
Oſea 2. verſ. 21. eſt, Ego exaudiam cælum, & cælum exaudiet terram, & terra exaudiet frumentum. Jam audis abſque Dei benedictione nihili eſſe omnem laborem. Ubi autem fructus aliquis ſequitur, inde provenire, quod Dominus cælum exaudierit, ut terram fœcundam
Deut. 8. verſ. 17. redderet. Expreſſius adhuc loquitur Deus alibi, quum dicit, ſe populum ſuum exercuiſſe in deſerto, ne quum veniſſet in terram ſibi promiſſam, diceret in corde ſuo: Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc omnia mihi præſtiterunt. Vides illic Deum omnia perficere, & neceſſario, hoc eſt, pro ſua providentia. Quid eſt, quod manum agricolæ terra expectat, cujus tota fertilitas, non niſi ex Dei benedictione eſt? Nempe, quia ſic Deus ordinavit. Proferam alterum
Deut. 8. verſ. 3. quoque ſimile, ſed adhuc clarius. Teſtatur Dominus, ſe, quum Man è cælo plueret, perpetuum documentum edidiſſe, quod non in ſolo pane vivat homo, ſed in virtute verbi ſui. Si non pane, ſed verbo Dei paſcimur, ac ſuſtinemur, quid adhuc laboramus de cibo & potu? Excipiet Pighius, non ſolo quidem pane nos vivere, ſed tamen aliquo modo. At hoc tantum obtinere volo: neque panem aliquid per ſe valere, & ſolam Dei benedictionem ſufficere ad nos alendos. Ubi enim non adeſt interior illa Dei virtus, nihil aliud accidere poteſt, quam quod ſcriptum eſt:
Levit. 26. verſ. 26. Comedes, & non ſaturaberis. Item: Frangam baculum panis. Ubi autem adeſt, non minus efficaciter ſine pane, quam per panem, nos fovet, ac ſuſtentat. Ubi illa Pighianæ conſequentiæ neceſſitas? Deus efficaciter, arcana ſua virtute, hominem paſcit, atque id facit pro ſua providentia, ut inde pendeat tota ejus vita, non à cibo aut potu. Ergo fruſtra edimus ac bibimus. Ne tamen ſim prolixior: tribus verbis, qualis iſtæc ſit conſequentia, oſtendam. Deus ſolus hominem paſcit. Ergo non agit per media: hoc eſt, nullis inſtrumentis utitur. Quis puer ſi ita ratiocinetur, non à magiſtro vapulet? Nunc ſupereſt, ut ſimilitudines iſtas applicemus ad præſentem cauſam. Pau-
1 Cor. 3. verſ. 6, 7. lus, quum de Apoſtolorum officio loquitur, eos hortulanis comparat, qui plantant vel rigant. Et continuo ſubjicit, eos nihil eſſe: Deum qui dat incrementum, unum eſſe pro omnibus. Si quis noſtrum ſimpliciter ita diceret, nihil eſſe qui docet, nihil eſſe qui hortatur, quibus facibus ſuas in nos furias Pighius armaret? Nunc in Paulum dentes ſuos pauliſper ſtringat. Quærat per ludibrium, quid ſe ita ſcribendo & loquendo conficiat? cur tot ſubeat labores? tot ſe periculis objiciat? tot moleſtiis & curis ſe excruciet? nullum curſitandi finem faciat? ſi hæc omnia nihil
2 Cor. 3. verſ. 3, 6. ſunt. His omnibus reſpondet Paulus, ſe Spiritus habere miniſterium, quo Evangelii prædicationem inſcribat hominum cordibus, non per ſuam induſtriam & operam, vel proprio, quod aiunt, marte, ſed Spiritu Dei vivi. Jam audis, unde ſit efficacia miniſterii: nempe ex arcana Spiritus ſancti actione, non hominis labore, aut ſtudio. Audis præterea, non inane eſſe ideo inſtrumentum, quo ad implendum opus ſuum manus Dei utitur. Hanc igitur ſuam defenſionem ſanctus Apoſtolus nobis quoque accommodet in communi cauſa. Quærit Pighius, quorſum noſter in ſcribendo, & concionando labor, ſi homo, ante fidem, Satanæ vinculis captivus tenetur, ut ſanam doctrinam recipere atque amplecti per ſe nequeat, ubi autem Dei Spiritu illuminatur, efficaciter & neceſſa-
Rom. 1. verſ. 16. rio eam recipit? Reſpondeat hic Paulus: quia Evangelium Deus in hunc finem deſtinavit, ut per ipſum
1 Cor. 1. verſ. 28. Spiritus ſui virtutem exereret. Quid amplius vis? Solus eſt Deus qui agit: ſed quia Spiritus ſui virtutem quodammodo in Evangelii prædicatione incluſam eſſe voluit, non vana neque inutilis eſt noſtra opera, quæ ejus providentiæ ſervit. Non eſt igitur cur feſtivitatis laudem ex ſcurrilitate hic captet, dum nobis reſponſum affingit, ſive bene, ſive male, nos agere hoc neceſſario, non conſilio, aut ratione. Nos quidem, ſi neſcit, neque ſapientia noſtra, neque fortuito excitati ſumus ad hoc miniſterium; ſed certo & ſtabili Dei conſilio, efficacique Spiritus ſancti motu.
Galat. 1. verſ. 15. Neque enim ſeparatam habemus rationem à Paulo, qui & Dei electione ſe fuiſſe ab utero deſtinatum ad munus Apoſtoli prædicat: nec ſe ante cœpiſſe, quam dies veniſſet à Deo conſtituta. Sed quid hoc ad inſulſum Pighii dicterium? Simul enim certi ſumus, ſecundum hanc Dei electionem, nos miniſterium exercere, & ei acceptum, & in ſalutem fidelium efficax,
De bono perſever. & Eccleſiæ ſalutare. Atque, ut verbis etiam Auguſtini loquar, exhortamur & prædicamus, ut qui aures habent audiendi, audiant: atque ideo facimus, quia ſcimus paucis eſſe donatum, ut ſine hominis miniſterio intelligant; multis vero id eſſe donatum, ut Deo per homines credant. Quolibet tamen modo annunciemus hominibus Dei verbum, proculdubio qui ſic audit ut obediat, donum Dei eſt.

In Secundum Librum.

INitio ſecundi libri omnes facundiæ ſuæ copias explicat. Verſatur enim in cauſa populari, in qua plauſibiliter apud vulgus hominum jactare ſe poteſt. Ac primum quidem ita præ admiratione obſtupeſcit, ut ipſum dicas Niobes agere perſonam in fabula. Hæc autem ſtuporis cauſa, nos tanta vertigine, cæcitate, amentia percuſſos eſſe, qui dogma hoc de quo tractat, amplexi fuerimus pluſquam evidenter falſum, mortalium omnium concordi, à mundi creatione, ſenſu & conſenſu damnatum, ſic in Deum blaſphemum, ut nihil ſupra. Deinde ne ſine ratione inſanire videatur, multas abſurditates enumerat, quas in eo contineri putat. Equidem ingenuum adverſarium mihi optarem, qui me omni ex parte aggrederetur, ſed non cæco & confuſo prælio obrueret: ſicut hic facit, qui duas diverſas quæſtiones ubi ſeorſum diſcutere propoſuit, nunc ſimul commiſcet. Si vel cogitare quicquam aut

boni

boni aut mali, inquit, in nullius poteſtate eſt, ſed abſoluta neceſſitate fiunt omnia: atqui de providentia Dei, unde hæc neceſſitas dependet, alibi tractare inſtituit, nec aliud agit quatuor poſtremis libris: cur hanc ergo quæſtionem nunc cum altera confundit? Dicat quicquid habet, etiam ſi infirmum ſit, etiam ſi frivolum, modo in uno aliquo ſtatu maneat, patiar. Nunc autem quum duas quæſtiones in medium protulerit, de utraque ſeparatim dicturum ſe receperit, cur in progreſſu non præſtat, quam ſemel dedit fidem? Quum ubique ſe jactet, bonum eſſe digerendi artificem, non audeo imperitiæ ejus id tribuere, ſed aſtu ac malitia fieri agnoſco. Quoniam enim illud, quod de abſoluta neceſſitate ex Luthero adducit, videbat communi hominum apprehenſioni minus eſſe conſentaneum, hoc quoque auſpicatiſſimum exordium fore putavit, in quo ſenſum carnis ſibi conſentientem haberet, à Lutheri vero doctrina abhorrentem. Itaque totum locum de naturæ corruptione, velut ſcopulum aliquem, fugit: & quum ab orationis quoque ſuæ contextu illuc ducitur, aut trahitur, ſæpius declinat: quod ſuam cauſam noverit in eo minus fore vulgo favorabilem, quamdum alterum iſtud urget.

Agedum vero: quando ſic adverſario placet, de utroque ſimul reſpondeamus. Primum igitur argumentum eſt: Si nihil boni aut mali cogitare, nec vias noſtras aut bonas aut malas diſponere poſſumus, ſed omnia in Dei ſunt poteſtate, ſecundum quam neceſſario eveniunt, cur non ſtertimus ac dormimus perpetuo? Quid agricola in aratione, ſatione, frugibus colligendis adeo ſudat? Cur mercator longis itineribus ac periculoſis navigationibus ſe committit? Cur frugi paterfamilias liberos bene ad virtutem & honeſtos mores educandos curat? Quid ægri medicum accerſimus? Nihil enim ſollicitudine, induſtria, ſedulitate proficitur. Si expectat Pighius, dum novam reſponſionem excudam, fallitur: ſed tantum ex Inſtitutione mea mutuabor, quod ſolutioni ſatis ſit. Ea ſic habet: Induſtriam, cogitationes, conſilia, ſtudia hominum facile cum Dei providentia conciliat
Prov. 16. verſ. 9. Salomo. Sicut enim eorum ſtoliditatem ridet, qui ſine Domino quidvis audacter ſuſcipiunt, acſi ejus manu non regerentur, ita paulo poſt addit: Cor hominis diſponere viam ſuam debet, & Dominus diriget greſſus ejus: ſignificans æternis Dei decretis nos minime impediri, quominus ſub ejus voluntate & conſulamus nobis, & omnia noſtra diſpenſemus. Neque id manifeſta caret ratione: Namque is qui vitam noſtram ſuis terminis limitavit, ejus curam apud nos depoſuit: ejus conſervandæ rationibus ſubſidiiſque inſtruxit: periculorum quoque præſcios fecit, ne incautos opprimerent: cautiones denique ac remedia ſuggeſſit. Non ergo expendunt inſani iſti quod eſt ſub oculis, conſultandi, cavendique artes eſſe inſpiratas à Deo, per quas ejus providentiæ ſubſerviamus, in vitæ noſtræ conſervatione. Quemadmodum contra neglectu & ſocordia, quæ nobis injunxit mala, accerſimus. Qui fit enim, ut vir providus, dum ſibi conſulit, imminentibus etiam malis ſe explicet: ſtultus inconſulta temeritate pereat? niſi quod & ſtultitia, & prudentia divinæ ſunt diſpenſationis inſtrumenta in utramque partem. Habet Pighius quod quærebat, vel potius quod non quærebat. Neque enim ullo veri quærendi ſtudio tenetur, qui tam claræ & ſimplici reſponſioni adeo non acquieſcit, ut ea audita, quicquam ſibi reſponſum fuiſſe diſſimulet, & quaſi nihil audierit, cavillari pergat.

Secundum argumentum: Cur maleficia legibus puniuntur, ſi perpetrantur neceſſario? Cur judex in eum animadvertit, per quem operatus eſt Deus? Neque enim ſi cædes admiſſa fuerit, de gladio ſumetur ultio. Atqui ſic ſe habent, Luthero auctore, impii in ſceleribus reſpectu Dei, ut gladius in manu hominis. Reſpondeo, in hoc conſiſtere hujus objecti ſolutionem, ſi quis pia modeſtia, & non profana arrogantia, divinæ providentiæ regimen in rebus humanis conſideret. Neque enim ſic neceſſario peccare dicimus impios, quin voluntaria deliberataque malitia peccent. Neceſſitas inde eſt, quod opus ſuum per eos Deus exequitur, quod certum eſt ac ſtabile. Interea tamen quæ in illis reſidet malefaciendi voluntas ac propoſitum, reos culpæ ipſos facit. Atqui huc à Deo aguntur & feruntur. Nempe in eum modum, ut in eo opere alia ſit Dei, alia ipſorum actio. Ipſi enim malis & improbis ſuis cupiditatibus obſequuntur: hanc improbitatem convertit Deus ad exequenda ſua judicia. Atque hæc leviter attingo, & velut in tranſcurſu: quoniam alibi fuſius ac diligentius tractanda erunt. Quod autem in comparatione impii cum gladio, Luthero de hac loquutione invidiam facere conatur, non eſt hoc fucum facere, ſed ferream frontem prodere. Sunt enim Spiritus ſancti, non Lutheri verba: Aſſur virga Jeſa. 10.
furoris mei. Item, Quid gloriatur ſecuris, quæ v. 5, 15.
manu ſecantis regitur?

Tertium argumentum: Hoc dogma omnem politiam & ordinem, omnem bene vivendi diſciplinam ex hominum vita proſcribit. Fruſtra enim virtutibus præmia, fruſtra ſceleribus pœnæ proponerentur, ſi neceſſe eſt fieri quod fiet. Quaſi vero quum Deum dicimus ſuo arbitrio omnia conſtituere, & dirigere ad ſuum finem, non hoc quoque addamus, certis rationibus, velut mediis aut inferioribus cauſis, ipſum uti. Ita mundus politia & legum diſciplina continetur: ſed quatenus illis utitur Deus, ad eam, quam apud ſe propoſuit, mundi conſervationem. Non ſumus Stoici, qui fatum ſomniemus ex perpetua rerum connexione: ſed tantum dicimus; Deum mundo præeſſe, quem condidit: nec modo rerum eventus habere in ſua poteſtate, ſed hominum etiam corda gubernare, voluntates flectere pro ſuo arbitrio huc atque illuc, actionum eſſe moderatorem, ut nihil tandem, niſi quod decrevit, efficiant, quicquid conentur. Proinde quæ fortuita maxime videntur, ea dicimus fieri neceſſario: non ſuapte natura, ſed quoniam æternum & ſtabile Dei conſilium in illis gubernandis regnat. Neque tamen idcirco media illa excludimus, quæ in voluntatis ſuæ obſequium Deus deſtinavit: neque aut otioſa, aut ſupervacua dicimus, quæ divinæ providentiæ complemento ſerviunt.

Quartum argumentum: Quod omnis tollitur religio, & homines vertuntur in pecudes, vel potius in portenta: quorum admiratione Pighius in morem lapidis obrigeſcat. Dicas hominem hic loqui de religione vehementer anxium: acſi non pleno ore ubique ſpiraret Romanenſem theologiam: cujus primum axioma eſt, Tantum de Deo credendum eſſe, quantum libeat, & conducat. Sed homine præterito, videamus quam verum ſit, quod obtendit. Dicimus hominem non modo nihil agere poſſe boni, ſed ne cogitare quidem, ut totus à Deo pendere diſcat, ac de ſe deſperans, in illum penitus ſe rejicere: ſi quid boni egerit, illi acceptum, non ſibi referat: nec dimidiam tantum illi laudem tribuat bonorum operum; ſed plenam ac ſolidam, nihil ſibi reliquum faciens, niſi quod ab eo accepit, quicquid habet. Dicimus, homini ingenitam perverſitatem ex hæreditaria corruptione: ut quicquid peccat, ſibi imputet, nec alio culpam transferat, quum in ſeipſo inveniat mali radicem. Dicimus, non cæco aut fortuito caſu, ſurſum, deorſum, verſari res humanas, ſed certo Dei conſilio adminiſtrari: ut nihil accidere poſſit, quam quod decrevit ab initio: omnia ejus poteſtati ſubjecta eſſe: ideo nullam eſſe creaturam, quæ non ejus voluntati, aut ſponte, aut coacta, obtemperet. Proinde quæ fiunt, omnia neceſſario fieri prout ordinavit. Satanam quoque, & omnes impios, ejus

imperio eſſe obnoxios, ut ſe movere nequeant, niſi quantum juſſerit: manu enim ejus velut freno aut capiſtro coërceri: ut tum omnes eos retineat, quum libuerit: tum impellat & dirigat ad exequenda ſua judicia. Quæ omnia non alio ſpectant, niſi ut fidelis in hac Dei omnipotentia ſecutus acquieſcat: nec metuat fortunam aut caſum, nec aut à beſtiis, aut hominibus aut diabolis ſibi timeat, acſi laxis aut fractis habenis ferrentur ſuo impetu, ſine ſuperiori regimine: ſed animam corpuſque Deo reſignet, atque ita in ejus tutelam pacato tranquilloque animo recumbat, cujus nutu omnia conſtitui, cujus manu omnia fieri novit. Porro quum hæc tota doctrina hominem non niſi ad humilitatem, timorem Dei, fiduciam in Deo collocandam, gloriam Dei prædicandam, inſtituat (quibus potiſſimum rebus conſtat vera religio) non eſt cur tam atrocem accuſationem nobis intendat Pighius.

Quintum argumentum: Deum, ſic loquendo facimus malorum omnium auctorem, ex juſtiſſimo crudelem ac ſævum, & infinitam ejus ſapientiam ſtultam facimus. Equidem tale judicium à carne ſua hominibus dictari non nego, ut Deum talem eſſe concipiant, quum ipſum audiunt de arcanis ſuis judiciis loqoentem. Sed qualis erit iſta æquitas, ſi
Rom. 11. verſ. 33. incomprehenſibilia Dei judicia, quæ Paulus cum trepidatione adorat & miratur, quia excutere non audet, æſtimentur ex ſtulta hominum ratione? Quum
Rom. 3. verſ. 5. Paulus ipſe impiorum blaſphemias in medium profert, addit ſe loqui ſecundum hominem. Quo verbo ſimpliciter demonſtrat, non poſſe hominem niſi perperam, uſque ad impias & ſacrilegas opiniones, de his rebus judicare. Ergo ab iſta præcipiti carnis audacia nos ad caſtam ſobrietatem, divinæque juſtitiæ reverentiam convertamus. Tum intelligemus, nec Deum fieri malorum auctorem, quum dicitur impios agere quo vult, & per illos opus ſuum peragere & exequi: ſed potius confitebimur eſſe eximium & mirificum artificem, qui bene etiam malis inſtrumentis utatur: juſtitiam ejus cogemur ſuſpicere, quæ non modo in media ioiquitate viam inveniat, ſed ipſa quoque iniquitate utatur in bonum.

Sextum argumentum: Quod univerſam naturam damnamus: quia totum quod habet homo à natura vitioſum dicimus. Novum hoc non eſſe, ut lateant
lib. 2. ad Boniſac. gratiæ inimici ſub laude naturæ teſtis eſt Auguſtinus. Ne tamen id declinandi cauſa facere videar, Reſpondeo, & Lutherum, & nos omnes, duplicem conſtituere naturam: priorem, qualis à Deo condita fuerat, quam puram & integram fatemur fuiſſe: alteram quæ lapſu hominis vitiata, ſuam integritatem perdidit. Hujus vitioſitatis culpam homini tribuimus, non referimus in Deum. Hanc doctrinam ſi improbat Pighius, cum Apoſtolo expoſtuler, qui to-
Rom 3. verſ. 22. tidem prope verbis idipſum tradit. Aut ſi malit, ex Auguſtini ore reſpondebimus, quod libro ad Bonifacium primo habetur: homines eſſe opus Dei, in quantum homines ſunt: ſed ſub diabolo eſſe, in quantum peccatores ſunt, niſi inde per Chriſtum eruantur. A Deo igitur boni, à ſeipſis mali ſunt.

Hic rogatos iterum velim lectores, ut meminerint, me nondum ex inſtituto has quæſtiones tractare, ſed tantum breviter occurrere aſtutiæ Pighii: qui ſuis calumniis exoſam hominibus reddere voluit noſtram doctrinam, antequam de ea cognoſcerent: & quaſi præoccupato limine, ipſos impedire, ne ad eam uſque cognoſcendam ingrederentur. Quod ergo non omnia de illis dixi, quæ ad plenam & ſolidam earum explicationem dicenda forent, eo conſilio factum eſt, ne quum proprius locus venerit, aut remittere huc lectorem cogerer, aut ſupervacuis repetitionibus fruſtra onerare. Quod autem ad extremum, totam Dei doctrinam, adductus neſcio quibus ſimilibus diſſimillimis, fore ridiculam objicit, ſi dogmati noſtro locus detur, nihil aliud dico, niſi in tribus verbis omnium brevem & expeditam ſolutionem eſſe poſitam: nempe, ſi expendimus, hinc, quid homo Deo debeat: illinc, quid in homine faciat Deus. Neque enim aut facultate noſtra metiri officium oportet, cui adſtricti ſumus: aut in hac nuda cogitatione inſiſtere, quid valeat homo. Verum, ſic primo habendum eſt, etiamſi Legis juſtitiam, nec implere, nec inchoare poſſimus, eam tamen jure à nobis requiri: neque nos excuſari infirmitate, aut virium defectu, cujus ut vitium à nobis eſt, ita culpa nobis imputanda eſt: deinde uſum Legis alium eſſe, quam communiter imaginantur homines. Non enim bonos facere poteſt, ſed reos tantum peragere, tum ignorantiæ prætextum tollendo, tum falſam juſtitiæ opinionem & inanem virium confidentiam refutando. Ita fit, ut impiis nulla reſtet excuſatio, quin propria conſcientia coovicti, reatum, velint nolint, ſentiant. Non ſemper quidem agnoſcunt ac confitentur, Lege tamen intus judicante, ſentiunt. Fit etiam è converſo, ut pii prorſus exinaniti omni perverſa ſui fiducia, quæ vera demum eſt humilitas, locum dent Dei gratiæ, unde fortitudinem ſumant. Non igitur jubendo, aut exhortando vires noſtras Deus reputat, quum idipſum det, quod poſtulat, atque ideo det, quia per nos deſtituimur.

Jam vero, ut nihil prætermittat, quod odium quolibet modo conflare queat Lutheri ſententiæ ac noſtræ, originem trahere à veteribus hæreticis commemorat, Priſcilliano, Manichæo, Marcione, Cerdone, ipſoque adeo Simone Mago: quos tamen omnes impietate dicit fuiſſe à Luthero ſuperatos. Dicerem ingenioſum eſſe hoc artificium, ſi quid coloris haberet. Sed quum in promptu ſit palam facere, oimis craſſum & improbum eſſe mendacium, quid inde lucri ſperaverit, neſcio: niſi forte illud eſt quod jam dixi, eum ſatis habuiſſe, ſi ſuæ modo farinæ hominibus placeret, qui neque noſtra attingunt, neque inquirunt, verumne ſit an falſum quod dicitur: ſed Pighiana omnia, vel Ecciana eo tantum nomine exoſculantur, quia in nos ſcripta ſunt. Vetus & obſolera eſt hæc criminatio, non à Pighio primum reperta. Nam Auguſtinum ſic olim vexarant Pelagiani, quaſi cum Manichæis ſentiret. Sed adverſus vanam & futilem maledicentiam ſemper eſt veritati parata defenſio. Ut à Simone incipiam, quid cauſæ habet Pighius, cur nos ejus diſcipulos faciat? imo cur eum prorſus nominet? Veteres fere omnes mentionem faciunt Simonis, ejus quoque errores recenſent: ſed nullus, quod ſciam, tale aliquid prodit, quale hic Pighius jactat. Plurima ejus deliria
refert Irenæus libro primo: Tertullianus nonnulla. *cap. 20. de præſc. hæres. & de hæreſib. ad Quod vult Deum.*
Auguſtinus vero quæcunque vel legerat, vel audierat, colligit. De libero vel ſervo arbitrio, de neceſſitate vel fortuito eventu rerum, prorſus nihil: Docebat, inquit, promiſcuos concubitus: Deum non feciſſe mundum: negabat carnis reſurrectionem: aſſerebat ſe eſſe Chriſtum, itemque Jovem ſe credi volebat: Minervam vero Selenem quandam meretricem, imagines ſuas & illius dabat adorandas. Dicebat ſe in Patris perſona Legem dediſſe Judæis: ſub Tiberio in Filii perſona apparuiſſe: poſtea in linguis igneis, ſuper Apoſtolos veniſſe. Hæc ſunt, quæ Auguſtinus undique ex aliis collecta, redigere in unum catalogum potuit. Quid hic reperiet Pighius, cur nos faciat Simonis diſcipulos? At non comminiſcitur. Habet enim ex Clementis Recognitionibus. Præclarum vero auctorem, ex quo de tantis rebus judicium fiat. Conſtat enim deliria eſſe inepti cujuſpiam monachi, quæ ſub Clementis nomine malis auſpiciis edita ſunt. Neque vero magnis & longis rationibus opus eſt. Siquidem eſt in manibus hominum liber, qui ſine indice ſuam inſulſitatem plus ſatis prodit. Quæ ſub Petri perſona illic referuntur, Spiritum Apoſtolicum nihilo magis redolent, quam Ariſtotelis ἐν τοῖς φυσικοῖς. Quin etiam mihi videor Ariſtoteli facere injuriam,

In Apol. pro Origene.

juriam, dum huic Philoſophaſtro ipſum comparo. Itaque nihil aliud dicam, niſi quod jam dixi, fuiſſe ineptum aliquem monachum, qui nugando fallere otii ſui tædium voluerit. Inde autem ſumpſit fiduciam, ut Clementis nomine abuteretur, quia illud vulgo receptum erat, Clementem diſputationis inter Petrum & Simonem habitæ commentarios ſcripſiſſe: quos etiam Ruffinus citat: idque non abſque ſiniſtro elogio, quod multas falſas & impias ſententias contineant: addita tamen Clementis excuſatione, quod adulterinæ eſſe poſſint, & ab hæreticis per dolum ſoppoſitæ. Quanquam ut totum librum ſuppoſititium fuiſſe credam, & Clementis titulum falſo prætuliſſe, veterum fere omnium auctoritate magis quam unius Ruffini opinione moveor. Nam ſi talis quiſpiam liber Irenæi & Tertulliani ætate extitiſſet, qui habitus fuiſſet Clementis, non neglexiſſent profecto tale ac tam commodum ſubſidium. De ea ipſa quæſtione, quæ illic agitatur, certamen habebant, ille cum Valentino, hic cum Marcione: nihil magis laborabant, quam ut probarent, non aliud ſe docere, niſi quod Apoſtoli prædicaſſent. Quid validius aut firmius erat, quam ſimpliciter huc citare teſtem, qui uous poterat totam litem dirimere? Nullo certe, nec faciliore, nec meliore argumento convinci utrique poterant, tam Marcionitæ quàm Valentiniani. Fuiſſet enim non dubiæ fidei monumentum, quod à Petri diſcipulo prodiiſſet. Protuliſſent igitur conſignatam certo teſtimonio Petri fidem. Nonne hoc erat omne ſubterfugium occludere hoſtibus? Atqui longiore circuitu utuntur. Referunt omnes Romanos Epiſcopos, qui Apoſtolis ſucceſſerant, ad ſuum uſque tempus, quin etiam inter alios nominant Clementem: teſtantur ſe docere, quod ab illis per manus ſibi traditum fuerit. Quid conjecturis opus erat in re tam perſpicua? Cur librum tacent, in quo totus quæſtionis cardo vertebatur? Præterea cur ſuis hoſtibus invidiam ex nomine non faciunt? Tunc enim Simonis nomen omnes abominabantur. Quare hoc uno verbo, citra longiorem contentionem, expedire ſe poterant: Quid nobis Valentine & Marcion ex inferis Simonem excitatis? Non diſputatione certandum eſt vobiſcum, ſed anathemate agendum. Neque enim revocare in dubium fas eſt, de quo ſemel pronunciavit Apoſtolus. Huc accedit, quod Euſebius, quum de Clemente loquitur, unam Epiſtolam reliquiſſe eum narrat: de altera nihil audet aſſerere, quia non viderit: deinde continuo ſubjungit: Sed & alia ejus opuſcula à nonnullis haberi perhibentur, velut Petri & Appionis diſputatio: quæ in uſu à veteribus habita minime reperimus, quia nec pura in eis, nec incorrupta fidei Apoſtolicæ doctrina manſiſſe deprehenditur. Atque ut citra ambages dicam quod res habet, quiſquis in illorum temporum hiſtoriis bene exercitatus rem propius expendet, aut Petri cum Simone Mago concertationem confictam fuiſſe & fabuloſam animadvertet: aut velut dubiam & incognitam, relinquet in medio. Nam & Auguſtinus Romæ quoque ſua ætate vulgo fuiſſe de ea rumores ſcribit, quia Romanis ipſis pro falſis habebantur. Hæc longius repetere, & fuſius perſequi libuit, ut ſtatuerent lectores, quantum ſit deferendum teſtimoniis, quæ paulo poſt ex commentitio illo Clementis libro, velut ignea tela, in nos Pighius vibrat. Verum demus librum aliquem fuiſſe à Clemente conſcriptum, qui inſcriptionem hanc habuerit, quid hoc ad frigidas, vel potius fatuas iſtas rhapſodias? quæ nullo ingenio, nullo judicio fuerunt ab indocto monacho conſarcinatæ. En ſpecimen ingenuitatis Pighianæ.

lib. 3. Eccleſ. Hiſt.

Epiſt. 86.

Venio ad alios hæreticos, quorum nos facit diſcipulos. Tametſi autem nonnihil inter ſe differunt: quoniam tamen unus eſt demum omnium communis error, eos ſimul uno, ut aiunt, faſciculo complectar: ac breviter referam, quid illi docuerint, quid nos doceamus: ut ex comparatione judicent lectores, quid nobiſcum illis ſit commune. Ac illud quidem Valentini inextricabile chaos de αἰώνων genealogia omittam, quia parum ad inſtitutum faciat: niſi quod ex triceſimo æone diabolum genitum fingit, qui alios poſtea genuerit, à quibus creatus fuerit mundus. Atque inde eſt, quod malitiam non arbitrio, ſed naturæ mundi, hoc eſt, generi diabolico tribuit. Cerdoniani, Marcionitæ & Manichæi ſimplicius inſaniunt: conſtituunt enim duo principia inter ſe diverſa, quaſi duos deos: unum bonum, alterum malum, hinc mala, inde bona ortum habere & originem. Plura deinde & magis adhuc ridicula comminiſcuntur Manichæi, de bonorum & malorum commixtione, quibus ſuperſedeo. Priſcillianiſtæ paulo aliter de humanæ pravitatis origine philoſophantur. Non enim ex mala traduce gigni animas putant, ſed deſcendere de cælo ex divina ſubſtantia formatas: ſed incidere in malignum principem, mundi fabricatorem, & ab hoc principe contrahere contagionem, & in diverſa corpora ſeminari. In hoc tamen conveniunt omnes una cum Montano, & reliquis ſimilibus, quod hominem malum eſſe, non lapſu & propria culpa, ſed ipſa creatione, pronunciant: nec vitium accidiſſe dicunt naturæ noſtræ, ſed ſubſtantiæ inhærere: adeoque ſubſtantiam ipſam malam eſſe ac vitioſam. Ne ergo Deum bonum cogantur facere mali auctorem, ad diabolum principem tenebrarum hominis creationem referunt.

Cap. ult. lib. 1.

Noſtra non aliunde referam quam ex ore ipſius adverſarii. Quanquam enim nihil non calumniando pervertit, continere tamen ſe non potuit, in tam clara luce, quin teſtimonium hoc nobis redderet: Nempe nos dicere hominem dupliciter conſiderandum. Primum in ea integritate, in qua conditus fuit, deinde in ea miſeria, in quam proprio vitio delapſus eſt. Ad imaginem quippe Dei fuiſſe creatum Adam, eximiis dotibus ornatum, juſtitiæ, veritatis, ſapientiæ: idque hac lege, ut non ipſe tantum, ſed omnes ejus filii ſic victuri eſſent, ſi in ea integritate, quam acceperat, perſtitiſſet: verum non ſtetiſſe diu: ſua igitur ingratitudine donis illis fuiſſe exutum: excidiſſe proinde ab illa Dei ſimilitudine, & induiſſe novam imaginem: ignorantiæ enim, & impotentiæ, injuſtitiæ & vanitati fuiſſe ſubjectum: atque in has miſerias demerſum, ſuam quoque progeniem iiſdem implicuiſſe. Jam ex Pighii confeſſione habeo, nos non naturæ, non primæ hominis origini tribuere, quod malus ſit, ſed ejus culpæ duntaxat, qua miſeriam hanc ſibi acceſſivit. Neque enim negamus, liberi arbitrii conditum fuiſſe hominem, qui & ſana mentis intelligentia, & rectitudine voluntatis præditus fuerit. Nunc quidem captivum teneri ſub peccati ſervitute arbitrium noſtrum aſſerimus. Sed unde id? niſi quia libero arbitrio abuſus eſt Adam, quum haberet? Sed quid hic verba perdo? quum plus ſatis ad noſtram defenſionem ſufficiant, quæ Pighius ex nobis recitat. Hæc enim illic mea ſunt verba: Quare ruinam noſtram naturæ depravationi imputandam, meminerimus, ne in Deum ipſum naturæ auctorem, ſtringatur accuſatio. Hærere quidem exitiale illud vulnus in natura verum eſt: ſed multum refert, acceſſeritne aliunde, an ab origine inſederit. Conſtat autem, per peccatum inflictum fuiſſe. Non eſt igitur cur conqueramur, niſi de nobis ipſis, &c. Et adhuc nos Cerdoni, Valentino & Manichæis ſimiles faciet Pighius? Illi hominem ſubſtantia & creatione malum fingebant. Nos, ut de excellentiſſimo Dei opere loqui par eſt, creatum fuiſſe dicimus rectum, naturæ bonæ & puræ: ſua autem culpa fuiſſe vitiatum, quum ſponte à Deo defecit. Quid ſimile, obſecro, inter ſubſtantiam & accidens? inter Dei creationem, & acceſſitum ab homine vitium? Auguſtinus, quum de Priſcilliani-

ſtis agit, in eo errare dicit, quod non arbitrio, ſed ipſa Dei creatione hominem malum aſſerunt. Illos damnando, non modo nos abſolvit, ſed doctrinam ſuo ſuffragio prorſus comprobat. Imo quum ſimilem huic noſtræ, in qua nunc verſamur, cauſam agit adverſus Pelagianos, hoc eſt, quum ab eadem ſe calumnia purgat, ita pro ſe loquitur, ut nos quoque ſuo patrocinio ſufficienter defendat. Atque id quidem & pluribus facit locis, & nunc brevius, nunc fuſius. Quod tamen ad noſtram quæſtionem, ſumma huc reſpicit, eos qui ſanandam dicunt naturam, multum à Manichæis differre: quia ſanari non poſſet, ſi æternum & incommutabile malum eſſet quod ſomniat Manichæus. Multum eſſe Manichæis contrarios, qui malum naturæ noſtræ accidens eſſe dicunt, quod illi referunt ad ſubſtantiam. Eos qui arbitrium non niſi ad malum eſſe liberum tradunt, exortum tamen interea ab eo, quod non erat malum fatentur, minime ad Manichæos accedere, ſed eorum errorem fortiter redarguere. Quid autem iſtorum non ſemper docuimus? Si hodie viveret Auguſtinus, cauſæque noſtræ defenſionem ex profeſſo ſuſciperet, non poſſet clarius exprimere, quod ad refutandam hujus convitiatoris calumniam ſufficiat.

Sed videte hominis pudorem. Parum eſſe putat, ſi nos illorum diſcipulos faciat: addit enim abſurdiora & magis impia docere. Manichæi, inquit, ne malitiam Deo adſcriberent, duo principia finxerunt. Lutherus uni Deo optimo maximo ſcelera & flagitia adſcribit: quia in illis veluti ſerræ ſimus, tracti atque acti illius impetu quo voluerit. Manichæus, poſt ſuperiores illos hæreticos, duas in homine naturas facit: alteram bonam, malam alteram: quarum illa peccare non poſſit, neque hæc bene agere. Lutherus liberum hominis arbitrium, imo univerſam hominis naturam aſſerit neceſſario & ſemper etiam in ſanctis Spiritui Dei reluctari, & velut feram indomitam nunquam non repugnare Dei gratiæ. Impios veluti ſerras eſſe in manu Dei, quæ moveat, vertat, dirigat eos quorſum vult, non ex Luthero eſt, ſed ex Spiritu ſancto: ſi tamen eum per Prophetas loquutum fuiſſe confitetur Pighius. Dicit enim
Jeſa. 10. Jeſaias de Sennacherib: Numquid gloriabitur ſerra
verſ. 15. adverſus eum à quo trahitur? Semper tamen expoſitionem hanc Lutherus addidit: ſic Dei inſtrumenta eſſe omnes impios, ut malitia ab ipſis ſit, in ipſis reſideat, ipſis quoque ſit imputanda. Rurſum univerſam hominis naturam, ut eſt poſt lapſum vitiata, & corrupta, non ex ſeipſo damnat Lutherus, ſed acquieſcit in Dei optimi & ſummi judicis ſententia, à qua provocare nefas eſt. Quis enim hæc omnia
Geneſ. 6. pronunciavit? Omne figmentum cordis humani
verſ. 5. tantummodo malum eſt à pueritia. Perverſum eſt
Jer. 17. cor hominis, præ omni te, & fraudulentum. Omnes
verſ. 9. declinaverunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui
Pſal. 14. faciat bonum, ne unus quidem. Affectus carnis ini-
verſ. 3. micitia eſt adverſus Deum. Legi Dei non ſubjicitur,
Rom. 3. neque etiam poteſt. Et alia innumera. Eat nunc Pi-
verſ. 12. ghius, & tot tamque gravia Dei judicia uno convi-
& 8: 7. tio retractet. Quantum ad ſanctos pertinet, non dubium quin Spiritus ſancti gratiæ reſiſtat, quod in illis reſiduum eſt propriæ naturæ. Neque enim hu-
Rom. 7. militatis gratia mentiebatur Paulus, dum confiteba-
verſ. 18. tur non habitare in ſe, hoc eſt, in carne ſua bonum: ſed cum gemitu non ficto miſeriam ſuam deplorabat. Illic totum carnis ingenium pravitatis damnat: carnem vero definit, quicquid à ſeipſo habet. Dum ergo carnis ſuæ reliquias reſiſtere Dei juſtitiæ conqueritur, quid differt à Luthero? niſi quod rem eandem non totidem ſyllabis exprimit. Exhorrere ſe Pighius ad hanc Lutheri vocem dicit, naturam carnis in ſanctis quoque, velut feram indomitam, Spiritui ſancto reluctari. Omitto nunc Paulum: quid,
Hom. 49. rogo, ſibi volunt hæc Auguſtini verba? Nemo ſe
in Joannem. palpet: de ſuo Satanas eſt. Tollat homo peccatum quod ſuum eſt: Deo juſtitiam relinquat. Si hæc à Luthero dicerentur, quos nunc tumultus Pighius miſceret? De ſanctis loquitur Auguſtinus: quicquid ſunt vel habent à natura, pronunciat eſſe peccatum: nec eo contentus, dicit ipſorum unumquemque de ſuo eſſe Satanam.

Scio quidem me cum inſano hoc capite nihil proficere, qui nullis Scripturis crediturum ſe negat, quæ ſecus doceant, quam ipſe jam ſibi perſuaſit: quin etiam elato ſupercilio jactat, non dubitanter ſe dicturum, à diabolo omnis blaſphemiæ auctore prodiiſſe, ſi quæ tales proferantur. Quid facias cum tali furia? Sua ſe imaginatione ſic inebriavit, vel faſcinavit potius, ut neque homines, neque Angelos, neque Deum audire ſibi reclamantem ſuſtineat. Hoc enim ſacrilegium diſertis verbis evomit: Si quæ Scripturæ Lutheri doctrinam adſtruerent, à Lucifero omnis blaſphemiæ & impietatis auctore fuiſſe dictatas, nihil dubitarem dicere. Item alibi: Sunt ejuſmodi dogmata, ut dicere non dubitem, nulli Euangelio, nullis Scripturis, nullis Apoſtolis, ſed nec Angelis de cælo omnibus crediturum me, ſi ea aſſererent. Dicet quiſpiam, quid igitur cum tam deplorato homine ludis operam? Ego vero ne verbum quidem facerem ejus cauſa. Sed operam hanc aliis impendo, qui vel ad amplexandam veritatem ſponte propenſi ſunt: vel ſic in errore detinentur, ut ſint tamen ſanabiles: vel ſaltem non ita ſunt obſtupefacti, quin ſentiant quod dicitur. At ſacris Dei oraculis nihil derogare ſe putat, quia poſſibile non ſit, ea aut Luthero, aut nobis ſuffragari. Ego vero nullum prætextum obtendi poſſe contendo, quin iſtæ voces illuſtre & conſignatum ad poſteros teſtimonium reddant, Spiritui ſancto in Scripturis loquenti, & æterna Dei placita pronuncianti, nihilo plus reverentiæ detuliſſe Pighium, quam Platoni ex proprio capite philoſophanti. Quis enim, modo ſcintillam unam, quamlibet exiguam, timoris Dei reſiduam in corde habeat, ſic loqui auſit? Angelum quidem è cælo, ſi aliud Euangelium attulerit, pro anathe-
mate haberi jubet Paulus. Nempe, quum Angelos Galat. 1.
quoque ſubjici & obedire verbo Dei oporteat, me- verſ. 8.
rito rediguntur in hunc ordinem, ut ſi aliter faciant, dæmones cenſeantur. Quanquam autem accidere id non poteſt, tanti eſt tamen Euangelii majeſtas, ut ad eam vindicandam Angelorum nomine quodammodo abuti nefas non ſit. Ipſi autem Deo anathema irrogare, quale exemplum eſt? Deum in Scripturis ſanctis loqui, nemo piorum dubitat. Quid ergo aliud ſibi voluit illis verbis Pighius, quam certa Dei oracula ſe dicturum à diabolo edita fuiſſe, ſi liberum homini arbitrium tollant? Hæc quicunque pius audit, nonne Cerberum potius aliquem latrare dicat, quam hominem loqui?

Jam ut Scripturas ipſas nobis excutiat, hoc argumento utitur: legiſſe eas Patres omnes, orthodoxos & ſanctos homines, neminem tamen eorum intellexiſſe, inevitabili neceſſitate nobis provenire omnia: neminem dixiſſe, impoſſibilia nobis à Deo præcipi, aut pro iis damnari homines, quæ non libera voluntate, ſed fatali neceſſitate impulſi faciunt: neminem, Deum exiſtimaſſe fontem ac ſcaturiginem ſcelerum & flagitiorum omnium. Primum reſpondeo, Patres nihilo magis quam nos vitam reſque hominum Fortunæ ſubjicere, ſed providentiam Dei agnoſcere & conſtituere ſummam & unicam gubernatricem, quæ præſit conſiliis hominum, voluntates flectat, eventus moderetur: nec providentiam eos imaginari, quæ ſubitos aut cæcos habeat motus, vel ab inferioribus cauſis pendeat, vel nutet varia & incerta ad fortuitos caſus, ſed quæ firmo, ſtabili, perpetuoque tenore ſibi conſtet. De poſſibili aut impoſſibili Legis obſervatione, non eſt quod nos in certamen cum Patribus committat. Nam quum obſervationem Legis homini aſſerimus eſſe impoſſibilem, duo

com-

comprehendimus: Perfectionem, quæ illîc à nobis exigitur, naturæ noſtræ vires longo intervallo ſuperare: deinde, neminem unquam extitiſſe, qui juſtitiæ Legis omni ex parte ſatisfecerit: neminem fore, ac ne exiſtere quidem poſſe talem. Neque tamen interea negamus, quin homini poſſit Deus talem gratiæ perfectionem conferre, quæ par ſit futura juſtitiæ Legis: ſed quia ſe facturum hoc negavit, ſimpliciter impoſſibile dicimus fieri. Ac ne videamur loqui ſine auctore, Paulum in hoc ſequimur, qui non alia ratione probat omnes qui ſub Lege ſunt, maledictioni eſſe obnoxios, niſi quia maledicantur omnes, qui non permanſerint in omnibus, quæ ſcripta ſunt. Non ſtaret autem argumentum, niſi pro confeſſo aſſumeret, neminem implere poſſe. Demus enim unum aliquem poſſe: qualis erit ratiocinatio? Deus maledicit omnibus, qui Legem ſuam non implent. Ergo neceſſe eſt omnes eſſe maledictos, qui unquam fuerunt, ſunt, & erunt. Sed Paulus principium habet, ſcilicet incognitum Pighio: neceſſarium debere cenſeri, quod Scripturis prædictum eſt. Quum igitur ſanctos omnes reos transgreſſionis faciat Scriptura, inde colligere non dubitat: neminem eſſe, qui reatu eximere ſe poſſit. Patres vero, Legem obſervatu poſſibilem quum dicerent, non hoc ad liberi arbitrii facultatem, ſed gratiæ potentiam referebant. Nam & Hieronymus ipſe, quem citat Pighius, ſic interpretatur. Auguſtinus etiam clarius: Non utrum præceptum ſit homini, inquit, ut ſine peccato ſit, quæritur (eſt enim manifeſtum) ſed utrum in hoc corpore poſſit impleri, ubi caro concupiſcit adverſus ſpiritum. Paulo poſt ſubjungit: Non ad ſanitatem juſtitiæ, quum hinc exierit quiſquam perveniet, qui non eſuriendo & ſitiendo cucurrerit. Hic loquitur de ſanctis, qui Spiritu Dei jam in obedientiam Legis aguntur. Ubi vero tractat de natura, ne inchoare quidem poſſe Legem concedit: ſicut alibi videbimus. Neque enim juſtam adhuc de iis rebus diſputationem ingredimur: quò fit ut leviter tantum eas transcurram, quo citius perveniam ad proprium earum locum.

Galat. 3. verſ. 10.

In Epiſt. ad Cteſiphontem. De perf. juſt.

Quanquam minime recipienda eſt hæc conditio, ad quam Pighius, cùm ubique tum hoc præſertim loco nos revocat: ut fidei regulam, non ex Dei verbo, ſed Eccleſiæ traditione petamus. Abſit vero ut Chriſtiana fides tam infirmo & caduco fundamento fulciatur. Quid enim aliud relinquitur Deo vivo, quam mortuis idolis, ſi decretis hominum ſtare vel cadere dicatur æterna ejus veritas? Et quæ erit fidei ſtabilitas, quam adverſus omnes inferorum machinas invictam ſtare oportet, ſi ab hominum nutu arbitrioque pendeat? Sed audiamus bellas hominis rationes, quibus urgere nos conatur. Prædictum eſt, inquit, fore ſectas & hæreſes: fore qui profiteantur ore Chriſtum, & magiſtri erroris ſint, lupi rapaces, obtecti vellere ovium, qui incautos ab ovili Chriſti abducant, doceant Chriſtum contra Chriſtum, in deſerto, in angulis, in latibulis. Subjungit, quibus armis oppugnent Eccleſiam hæretici: Nempe, quibus Satan dux eorum & magiſter Chriſtum aggreſſus eſt, hoc eſt, Scripturis perperam in ſuum ſenſum detortis. Tertio loco ad remedium deſcendit: ſi fideles ſcilicet ſe ab Eccleſiæ unitate non patiantur abduci. Ego vero fateor, huic malo ſemper obnoxiam fuiſſe Eccleſiam, & ad finem uſque mundi fore, ut ab hoſtibus domeſticis graviter laboret. Quod & omnium temporum experimentis plus ſatis comprobatum antehac fuit, & nunc magno noſtro malo, & non ſine acerbiſſimo dolore experimur. Quo atrocior eſt peſtis ac nocentior, eo magis de remedio cogitandum eſſe bene admonet Pighius: ſed quale illud ſit, quærendum. Miror autem, hominem ſic præcipitem ferri ſuo affectu, ut ſe impingere primo gradu ad verum remedium non ſentiat. Non dubium, inquit, quin ſic adoriantur nunc pios hæretici, qualiter Satan olim Chriſtum: nempe falſa Scripturarum interpretatione. Quis non continuo nunc inferat, reſiſtendum igitur exemplo Chriſti? Quid enim? An impii, Satanæ magiſterio ad impugnandam fidem inſtruentur, Chriſtus ad fidei defenſionem ſuos non armabit? Jam vero quo clypeo, quo gladio, & quibus armis Satanam tunc repulerit, notum eſt. Scriptum eſt, inquit. Quum ſola Scriptura fretus, profligato, ſubactoque hoſte victor evadat, nonne & illuc quaſi ſublato ſigno nos vocat, & certam victoriam pollicetur? Quid autem Pighius ex adverſo? Hæretici in hoc capitis ſui Satanæ imitantur aſtutiam, quod ſub falſo Scripturæ prætextu venenum ſuum propinant. Caveant ſibi fideles ab inſidiis: clypeum & arma induant. Nempe, ut ſimul cum Chriſto confugiant ad Scripturam. Minime, inquit (nulla enim illic ſecuritas) ſed ad Eccleſiæ traditionem, tanquam ad unicum aſylum, ſe recipiant. An ad tam craſſas ineptias delaberetur, ſi vel unciam ſani cerebri haberet?

At Scripturæ, inquit, pro impiorum libidine, huc, illuc, trahuntur, ut ſine Eccleſiæ definitione nullus certus ſenſus haberi queat, in quo acquieſcamus. Illud eſt ſcilicet tritum ac vulgare Lucianicorum proverbium, de ſacroſancto Dei verbo, naſum eſſe cereum, in formas omnes flexilem, prout hominibus libuerit hunc aut illum ſenſum affingere. Itane vero? Ut nulla ſit tam contempta aut abjecta Philoſophorum ſecta, quæ non auctoris ſui mentem ex ejus ſcriptis certo teneat: ſoli Chriſtiani, quum de magiſtri ſui doctrina quæritur, alio circumſpectent? Ut in ſchola Pythagoræ valeat illud αὐτὸς ἔφα, Chriſtus inter ſuos diſcipulos tantum honoris non habeat, ut ad ſacra ejus oracula conticeſcant? Ut Epicuri breves, mutilæ, ſpinoſæ ſententiolæ ab ejus ſecta intelligantur: tot ac tam copioſis, certis, luculentis ſcriptis, non hoc conſequutus fuerit Deus, ut ſciamus quid voluerit? Denique quorſum tantus Scripturæ acervus, ſi nihil inde certi percipere licet? At longe aliud teſtimonium verbo ſuo reddit Deus ipſe. Ne dicas, inquit, in corde tuo, quis aſcendet in cælum? aut, quis deſcendet in abyſſum? aut, quis trajiciet mare? Prope eſt verbum in ore tuo. Cur nos ad verbum revocat, in quo nihil quam fluctuare & vacillare poſſumus? At iſtam objectionem prævenit, quum teſtatur, ſe & os & cor dediſſe: ut & certa fide ipſum apprehendamus, & cum fiducia confiteamur. Et quo tempore hoc dictum eſt? Quum Sole juſtitiæ nondum cum pleno ſuo fulgore exorto, Lex tantum velut quædam fidei aurora prodiiſſet. Moſes quoque in illa ſolenni conteſtatione: Hæc eſt via, inquit, ambulate in ea. ſi tam exigua portione lucis, & verborum obſcuritate, & figurarum umbris involuta, clamat tamen Dominus, nullum ignorantiæ, aut dubitationi prætextum amplius eſſe, quia certam doctrinam tradiderit, quæ & certa cordis fiducia apprehendi, & libera audacique confeſſione prædicari debeat: ſi per Moſen conteſtatur, planam & apertam eſſe viam: quæ iſta eſt improbitas, in ipſa meridie, Sole juſtitiæ ante oculos conſpicuo, hoc probrum inurere verbo Domini, ut nihil aliud quam piorum mentes ſuſpenſas, perplexas, & inquietas relinquat? Audiamus alteram quoque Dei conteſtationem: Non in abſcondito, inquit, loquutus ſum: non in angulo terræ tenebrarum: Non dixi ſemini Jacob fruſtra, Quærite me. An non loquitur hodie nobiſcum Dominus per Scripturas? An non clarius, quam pridem cum Iſraële? Negat ſe fruſtra docere. Ergo in verbo ejus reperiemus proculdubio quod quærere nos jubet. Quod niſi ita eſſet, quid ſibi vellet illud? Audite me: & vivet anima veſtra. Hic ergo eſt tranquillus & ſalutaris portus, habere receptum ad ſancta Dei oracula: à quibus, tanquam à periculoſo ſcopulo, fugere nos docet Pighius.

Deut. 30. verſ. 12.

Deut. 30. verſ. 19.

Jeſa. 45. verſ. 19.

Jeſa. 55. verſ. 3.

Verum excipiet fortaſſis, Deum non in nuda Scriptura, ſed per Eccleſiæ traditionem audiendum

eſſe.

eſſe. Nugæ. ſiquidem huic cavillo anſam olim præcidit Spiritus ſanctus. *Jeſa 8. verſ. 20.* Nam Jeſaias, ubi populum admonuit, ne quem, præter unum Deum, ſequatur, modum quoque ſimul addit: Ad Legem, inquit, & ad teſtimonium. Quo igitur Spiritu reclamat Pighius, Legem flexiloquam eſſe, obſcurum teſtimonium & ambiguum? *Mala. 4. verſ. 4.* Et Malachias, dum vult populum in Chriſti expectatione confirmare uſque in ejus adventum, & adverſus offendicula omnia armare, non alio mittit, quam ad Legem ipſam. *2 Petr. 1. verſ. 19.* Secundum hanc rationem ait Petrus, habere nos firmiorem ſermonem Propheticum, cui attendere debeamus ceu lucernæ ardenti in loco caliginoſo, donec lucifer exoriatur in cordibus noſtris. At quod ſequitur continuo, nonnihil videtur Pighio ſuffragari. Admonet enim, non eſſe privatæ interpretationis Scripturam Propheticam. Ego vero non aliter accipio, quam ipſe exponit: nempe, quod non proprio conſilio impulſi, ſed à Spiritu ſancto excitati, loquuti ſint Prophetæ. Quanquam ubi nomen interpretationis habetur, melius conveniret motum dicere: in qua ſignificatione interdum ſumitur Græca vox, qua utitur, [illegible]. Demus tamen, ipſum de interpretatione loqui. Quem alium ſenſum elicias, niſi minime trahendas Scripturas ad proprium cujuſque ſenſum? Non enim alium eſſe idoneum ipſarum interpretem, niſi Spiritum Dei qui eas dictavit. Quid ad hæc Pighius? Pergetne adhuc Scripturas vocare confuſum labyrinthum, quibus Petrus claritatem tribuit, quæ nos certo regere poſſit, ne vel in profundiſſimis mundi tenebris aberremus? Atque ut videas Spiritum ſanctum nihil aliud de Lege prædicare, quam quod in ſeipſis experiuntur ipſi fideles: audi quale illi elogium, ex ipſo fidei ſenſu, tribuat David: *Pſal. 119. verſ. 105.* Lucerna, inquit, pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. *Pſal. 19. verſ. 8.* Item: Teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis. Nec aliud ſane dicit, quam quod piis omnibus familiariter notum eſſe debet. Hinc colligant lectores, quam bene in ſeria Scripturæ intelligentia exercitatus ſit Pighius: imo quem omnino ejus guſtum habeat: qui dum naſum cereum eſſe putat, in omnes partes flexilem, tuto in ea acquieſcere nos poſſe negat: ideoque ad Eccleſiæ auctoritatem, velut ad ſacram anchoram, confugere jubet.

Ut tamen rem totam ſemel expediam: Quia ſibi minime expedire videt Pighius, ut ex verbo Dei dirimatur hæc controverſia, Scripturam, quæ impiis & malitioſis hæreticorum commentis ſubjaceat, & in varios ſenſus torqueri poſſit, dubiam & obſcuram eſſe contendit. Itaque ad Eccleſiæ definitionem recta nos revocat: quæ, ut nullis calumniis eſt obnoxia, ita pro vera & certa fidei regula habenda ſit. Velim nunc mihi reſpondeat: quam novam formam induerit verbum Domini, ex quo, fidem ex illius eſſe auditu Paulus aſſerebat. *Rom. 10. verſ. 17.* Sic enim loquendo, non modo veram & certam, ſed unicam facit regulam fidei. Verum ubi cum hæreticis eſt certamen, non multum, inquit, cum Scriptura proficias: quam totam illis promptum eſt eludere. Iterum mihi reſpondeat, quid mutationis acciderit, ex quo Paulus *Epheſ. 6. verſ. 17.* verbum Dei gladium ſpiritualem vocabat, quo totus Satan opprimeretur. Si adverſus hæreticorum omnium caput gladius eſt victor ac triumphalis, qui fit, ut adverſus membra retuſum ſit, & quaſi arundineum telum? Et ubi erit vis illa penetrandi, quæ illi alibi tribuitur, *Hebr. 4. verſ. 12.* ut pertingat uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, diſcernat cogitationes cordis, &c? Reſpondeat etiamnum mihi Pighius, perpetuumne ſit elogium hoc, an unius tantum ætatis? *2 Tim. 3. verſ. 16.* Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad redarguendum, ad corrigendum, ad inſtituendum, ut integer ſit homo Dei. Hic etiam caput movebit: quaſi non providerit Spiritus ſanctus, qualis futura eſſet hæreticorum vafrities in torquendis ac depravandis Scripturis. Verum cui perſuadeat ſe Deo ſapientiorem eſſe? Quod ſi nunc quoque negare pergat, ſufficere Scripturam ad hæreticos arguendos, quid aliud ſupereſt, quam cum anathemate illum, tanquam profeſſum & pertinacem veritatis hoſtem, ablegare? Nec aliud eo loco profert Paulus, quam quod uſu ipſo didicerat. Nam quum adverſus Judæos, quamlibet duros & pervicaces, diſputaret, non aliunde ſumebat arma: ſi verum refert Lucas. Denique ubi diu multumque fuerit diſputatum, hic eſt lapis Lydius, ad cujus examen exigendæ ſunt omnes doctrinæ. *Act. 17. v. 2, 11.* Laudat enim Spiritus ſanctus Theſſalonicenſes, qui quum recepiſſent cum omni promptitudine verbum, inveſtigabant ex Scripturis, an hæc ita ſe haberent. Certe aut non eſt legitimum Scripturæ examen ad probandas doctrinas: aut certa perſpicuaque inde fidei definitio haberi poteſt. Præclare Auguſtinus: Ubi, inquit, de re obſcura diſputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil faciens, in alteram partem declinando. Huic ſententiæ quis erit locus, ſi non firmam ac conſtantem, nulliſque machinis expugnabilem in Scripturis certitudinem habeat Dei veritas? Itaque poſtea concludit, credere ſe, nihil ad ſalutem neceſſarium eſſe cognitu, quod non habeat clariſſimam in Scripturis approbationem. Nunc ſancti viri imperitiam ſubſannet Pighius, quod diſputando non aſſuetus, ita rem habere falſo putaret. Atqui hoc ſcribebat jam ſenex, quum, toto vitæ curriculo, continuis adverſus varios hæreticos certaminibus pene detritus experientia ſatis teneret, quantum & ad docendum & ad pugnandum valeant Scripturæ.

Atque iſtud ſane perquam eſt ridiculum, quod dum, ob dubios & obſcuros Scripturæ ſenſus, ad Eccleſiæ definitionem vult nos trahere, principium ſuum ex Scripturis ſumit. Atqui principia [illegible] eſſe oportet: quæ res ſummam claritatem requirit. Scriptum eſt, inquit, Surgent pſeudoprophetæ, & ſeducent multos in nomine meo. Quid ſibi vult In nomine Chriſti? Falſa Scripturarum interpretatione. Quid ſi negem? Non enim unus eſt fallendi modus in Chriſti nomine: ſed valeat hoc. Sequitur. Quid eſt ſeducere? Seorſum ducere ab unitate corporis. Imo quod dicit Pighius, eſt ſeorſum ire. Chriſtus enim dicit [illegible], quod fallere & decipere ſignificat. Hic autem in etymologia verbi quo nunquam uſus eſt Chriſtus, pueriliter philoſophatur. Nihil mirum ſi tam dubiæ ſunt Scripturæ Pighio, qui tam profana audacia in illis ludit ac laſcivit. Sed hoc extremæ improbitatis eſt; quod ſua commenta, tam frivola & nugatoria, pro genuino Scripturæ ſenſu tam audacter ingerere, idque loco principii, nihil eum pudet. Sed pergamus in hac bella expoſitione. Deſertum, angulos, penetralia, allegorico ſenſu, novas & ſingulares opiniones, à communi illius corporis ſenſu extraneas, intelligit. Sed quid ſi Chriſtus ipſe aliter apud Lucam? *Luca 17. verſ. 20.* Non veniet, inquit, regnum Dei cum obſervatione: neque dicent, Ecce hic: aut, ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt. Eandem hiſtoriam licet non iiſdem verbis, duo Euangeliſtæ referunt. Allegoricum ſenſum comminiſcitur Pighius in verbis Matthæi: dico nullum eſſe magis fidum interpretem ipſo Chriſto, qui apud Lucam, Illis figuris, ſe nihil aliud velle teſtatur, quam regnum Dei ſpirituale eſſe: ideoque commentitiis obſervationibus non alligandum. Interea, inquit, dum veniam ad judicium, regnabit in vobis Deus ſpiritualiter: regnabit in conſcientiis veſtris, per juſtitiam, veritatem, pacem, fortitudinem Spiritus, non ſecundum externum mundi apparatum. Ego autem quum veniam, inſtar fulguris ſubito, præter ſpem omnium, emergam. Et ſicut fulgur ab Oriente exit, & apparet

uſque

uſque in Occidentem, ita momento uno, in ictu oculi, ſimul manifeſtabor, tribunal conſcendam, totum mundum advocabo. Non eſt igitur quod in his tam claris & ſimplicibus verbis penetralia & latebras allegoriarum quæritet Pighius. Sed audiamus acutam concluſionem. Ergo, inquit, monet Chriſtus, ne exeamus. Unde? Ab illo corpore. Et ne quis obtendat, ſe neſcire ubi ſit corpus illud: evidens & infallibile ſignum mox proponit. Ubi erit corpus, illuc aquilæ congregabuntur. Quæ ſunt aquilæ? Nempe de quibus Propheta meminit: qui corpore onuſti, pennis tamen adjutricis gratiæ in ſublime feruntur. Ubicunque congregantur illæ aquilæ, illic eſſe corpus, cui aſſociari & conſentire debeas, ne dubita. Sane ſi ita Scripturas ſurſum deorſum verſare liceat, jam Pighio concedo quod poſtulat, alibi quærendam eſſe certam fidei regulam. Ac videtur mihi de induſtria ſpecimen voluiſſe edere ejus, quod dicebat: nihil propemodum eſſe in Scriptura, quod non hæretici ſua malitia pervertant. Sed ex adverſo efficiam, non ſic patere, obnoxiamque eſſe eorum ludibriis Dei veritatem, quin ab illis fortiter vindicari queat. Poſſunt ſolem ad tempus obumbrare nebulæ: ſed ejus fulgorem neque extinguere, neque ſuffocare poſſunt, quin tandem exuperet. Corpus pro Eccleſia hoc loco ſumit. *Mat. 24. verſ. 28.* At Euangeliſta πτῶμα, habet, quod Græcis cadaver ſignificat. Facilis autem & obvius eſt cuilibet parabolæ ſenſus: quod ſicut ad cadaver unum, ſolent complures aquilæ convolare, ita ad unum Chriſtum undique electi ſe omnes recipient. Ergo ſeipſum Chriſtus vinculum unitatis facit, non hominum conſenſum, vel multitudinem. Nunc expendant lectores, quam fidelis ſit interpres Pighius. Chriſtus de cadavere loquitur: cui ſe ideo comparat, quod electis ſuis cauſa eſt, ut in unum conveniant, & ſimul ad eum colligantur. Ille corpus Eccleſiæ imaginatur. Chriſtus aquilas nominat, perinde acſi nos vulgari more noſtro diceremus corvos: Ille argutiolam comminiſcitur, ut ad veteres Eccleſiæ doctores referat. Applicatio parabolæ hæc eſt: Ubi erit Chriſtus, illuc confluunt ex toto mundo electi omnes. Ille prorſus diverſo modo: Ubi erunt aquilæ, illuc nos oportere congregari. Sic putat adeo futilibus commentis, non modo obrui, ſed penitus tolli ex hominum mente & cordibus omnem Scripturæ certitudinem: eſt cur ejus ſtultitiam pueri quoque ipſi derideant.

Quanta vero ſit Eccleſiaſticæ traditionis auctoritas, *Galat. 1. verſ. 8.* Pauli teſtimonio oſtendit: ubi anathema & hominibus & Angelis denunciat, qui auſi fuerint aliquid prædicare, præter Euangelium, quod ſemel Galatis tradiderat. Fuiſſe hanc traditionem contendit, quia non de ſcriptis loquatur, ſed viva voce. Dicam breviter de hac re, abſque ulla contentionis ſpecie, quod ſatisfaciat bonis omnibus, improbis os obſtruat. Legem initio dedit Dominus, in qua voluntatis ſuæ teſtimonium populus Iſraëliticus haberet. Acceſſit deinde non diverſa aut nova, ſed amplior ac luculentior doctrina ex Prophetis. Proinde ante Prophetas ſola Lex auctoritatem indubiam habebat, ut pro verbo Dei reciperetur. Poſtea uſque dum mundo exhiberetur Chriſtus, Lege & Prophetiis continebatur Scriptura. Sic videmus à Chriſto & Apoſtolis, Moſen & Prophetas citari, velut claſſicos teſtes, quorum ſcripta, non ſecus ac publicæ tabulæ, in populo Dei ſine controverſia, agnoſcerentur. Apoſtoli viva voce primum teſtati ſunt, quid ſibi mandatum erat. Deinde ſic viſum eſt Domino, ut ſumma prædicationis eorum literis proderetur, quo integra ad poſteros perveniret. Qua enim alia de cauſa & Legem & Prophetias ſcriptis mandari voluit, niſi ut ad perpetuam memoriam extaret certa doctrina, quam ſequi omnes ætates deberent? Nam quæ eſt hominum hinc levitas & inconſtantia, inde novandi audacia & libido, novam ſubinde religionis formam appeterent, niſi certis finibus doctrinæ, quaſi ſeptis quibuſdam, continerentur. Clamat Dominus: Ego idem ſum ſemper, & non mutor. *Mala. 3. verſ. 6.* Verum id parum prodeſſet, niſi ejus ſtabilitatem cernerent homines in verbo, velut in ſpeculo: ut dum ſtabiles illic perſtant, Deo ſuo adhæreant ſine ulla mutatione. Ergo de Apoſtolorum doctrina factum eſt, ut ante de Propheticis. Non omnes quidem conciones ad verbum exceptæ ſunt, ſed in ſummam tamen fideliter redactum eſt totum eorum Euangelium: quæ ad plenum ſufficere nobis poſſet. Ergo multifariam multiſque modis loquutus eſt olim *Hebr. 1. verſ. 1.* Deus per Prophetas: poſtremum in dilecto Filio ſuo, noviſſimis diebus. Cur noviſſimi dies vocantur à Chriſti revelatione? Nempe, quia poſtremum loquutus eſt Deus. Per quem? per Filium. Quid loquutus eſt? Id ut ſciamus: ad patrum traditionem nos Pighius amandat. Dico in ſcriptis Apoſtolicis contineri: quemadmodum Joannes ſcribere ſe teſta- *Joan. 20. verſ. 31.* tur, ut qui legunt, habeant vitam æternam. Ergo neque Pauli, neque alterius cujuſpiam privatim Euangelium nunc habemus, ſed illud vocamus catholicæ Eccleſiæ Euangelium, quod in literas redactum, Deus pro verbo ſuo conſignavit. Quod autem ſuam prædicationem, & illud quod ipſe tradiderat Euangelium nominatim Paulus aliquoties commendat, ea cauſa facit, ut puram & germanam Chriſti doctrinam à fictitio pſeudoapoſtolorum Euangelio diſcernat. Nam & illi Chriſtum prædicare ſe jactabant: quum ejus interea nomine abuterentur, ad veritatem adulterandam. Oportuit ergo purum & ſincerum Euangelium ſingulari aliqua nota deſignari, ne pro Chriſti verbo fideles pſeudoapoſtolorum figmenta ſuſciperent.

Verum Irenæus, Tertullianus, Origenes, quum de dogmatibus certamen haberent cum hæreticis, non ad Scripturas, ſed ad Eccleſiæ traditionem provocarunt. Perinde agit Pighius, acſi ſepultos apud ſe haberet eorum libros, ne tam aperti mendacii eorum lectione convinceretur. Fateor equidem & eam ab ipſis proferri in medium, ut ejus auctoritate cauſam ſuam ſtabiliant, & de ea honorificam facere mentionem. Sed inſpicienda eſt, tum ratio, tum circumſtantia temporum, tum etiam modus & temperamentum, quo utuntur. Negotium erat Irenæo cum improbiſſimis hæreticis, qui nihilo plus Scripturæ auctoritate moverentur, quam univerſæ Eccleſiæ conſenſu. Itaque conqueritur, nihil poſſe proferri, quod non eludant. Neque enim lubricis tergiverſationibus elabi quicquam illis curæ erat, ſed impudenter reſpuebant quicquid objiceretur. Si convincerentur Scripturis, ſapientiam habere ſe dicebant Apoſtolis altiorem & perfectiorem. Si ad Eccleſiæ conſenſum revocarentur, dicebant non mirum eſſe, ſi Eccleſia puram doctrinam non ſervaret, quæ corruptam & fermento vitiatam non tantum à diſcipulis, ſed à Domino quoque acceperat. Quid ad hæc Irenæus? Non per alios, inquit, habemus ſalutis *Lib. 3.* noſtræ diſpoſitionem, quam per Apoſtolos, qui, quod voce promulgarunt, poſtea ſcripto nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum. Poſtea hinc quoque alteram partem urget, quod fidei unitatem, in Scripturis fundatam, colerent Eccleſiæ omnes, ab Apoſtolis edoctæ & inſtitutæ. Sed illud ſemper nihilominus retinet, Scripturam perfectæ & abſolutæ ſapientiæ ſcholam eſſe. Tertullianus de præſcriptione veritatis ſcribit contra hæreticos: quia & ipſorum petulantiam videbat nullo modo poſſe coërceri, quin centies victi, adhuc litigarent: & hoc optimum eſſe adminiculum cenſebat confirmandæ veritati, ſi eam conſtiteret ab ipſis Apoſtolis fluxiſſe: contra vero fortem & validam machinam ad diruenda hæreticorum mendacia, ſi oſtenderentur aliquid in Apoſtolorum doctrina novare. Quanquam autem in probabili alia

& juſta cauſa, fervore diſputationis ultra juſtas metas nonnihil provehitur, non tamen aliud conſilium habet, niſi ut doctrinam certo Scripturis proditam, apud ſimplices & infirmos hac quoque nota confirmet, quod eam viva quoque voce Apoſtoli per manus tradidiſſent. Ad Scripturas provocandum negat, quoniam in illis, aut incerta, aut parum certa ſit victoria. Sed quid ipſe tot libris facit? Quibus armis utitur adverſus Marcionem, Praxeam, Hermogenem, & alios, niſi ſimplici verbo Dei? Quid igitur? An parum bene ſibi conſtat? Sed jam citaverat

Tit. 3:10. locum Apoſtoli, ubi vetat cum hæretico homine, poſt unam aut alteram admonitionem, amplius diſceptare. Non dubium igitur, quin illuc reſpiciat, quum negat agitandas de fide contentiones ex Scripturis. Nobis, inquit, curioſitate opus non eſt, poſt Chriſtum Jeſum: nec inquiſitione, poſt Euangelium. In ſumma, tantum vult concertationibus finem imponi, quæ & aſtutiam acuant hæreticorum, ut ſint ad pugnam inſtructiores, & pervicaciam augeant, & infirmas conſcientias exagitent, ſine ullo fructu. Ubi autem res poſtulat, non verbis modo, ſed exemplo demonſtrat, non aliter quam ex ipſo Dei verbo de fide, & diſputandum, & definiendum. Neque aliam ſequuti ſunt rationem orthodoxi omnes, quum rectam puramque fidem adverſus hæreticos defenderent. Refert Theodoritus, quum Synodum Nicenam Conſtantius coëgiſſet, his verbis alloquutum fuiſſe Epiſcopos: Extant Apoſtolici libri, & Prophetarum ſanctiones, quæ nos erudiunt, quid de rebus ſacris ſentire debeamus. Poſito igitur hoſtili certamine, ex Scripturis divinitus inſpiratis, quæſtionum quæramus ſolutionem. Cur non reſtiterunt patres, ſi hæc non erat legitima diſputationis ſeries? Imo cur libenter obtemperarunt, ſicut acta Concilii teſtantur? Quin etiam ſponte fuiſſe facturos, quod admonebantur, inde æſtimare promptum eſt, quod Scripturis ad hoc ipſum inſtructi & comparati venerant. Cur non eorum ſtultitiam deridet Pighius, quod, relicta illa certa fidei regula, in qua figere pedem tuto poterant, in vagum illum Scripturæ labyrinthum abripi ſe paſſi fuerint? Imo cur non Auguſtinum capitaliter accuſat, cui quum iſta conditio diceretur, ut eandem, quæ inter nos agitatur, quæſtionem ſuperiorum Doctorum ſcriptis finiret, acquieſcere noluit? Nam etſi eorum teſtimoniis utitur, & ſibi non eſſe contrarios oſtendit, controverſiam tamen inde judicari non patitur, ſed ad Scripturam provocat. Patent, inquit, libri Dei: non avertamus aſpectum. Clamat Scriptura: adhibeamus auditum. Item, de libro ſuo loquens: Ut vobis ſit fructuoſiſſimus, non vobis pigeat ſæpius relegere, ut ſciatis quibus & qualibus quæſtionibus ſolvendis atque ſanandis illic non humana, ſed divina valeat auctoritas: à qua recedere non debemus, ſi volumus pervenire quo tendimus. Habet nunc Pighius quo cum certet: quem ubi debellaverit, ad nos veniat licet.

Quanquam non in eam partem accipi velim quæ dico, acſi Eccleſiarum conſenſui nullum in definiendis fidei quæſtionibus locum relinquerem. Sed hunc Scripturæ honorem tribui decet, ut ad ejus examen exigantur omnia. Quicquid ejus auctoritate comprobatur, non vocetur amplius in dubium: rurſum nihil, niſi quod cum ea convenit, recipiatur; quicquid diverſum eſt, ſit pro damnato: ut ab ea ſola pendeant, & in eo conſiſtant univerſæ fidei definitiones. Huic dum accedit Eccleſiarum conſenſus, non parum momenti habet ad confirmationem. Verum hoc diligenter obſervandum eſt ne ab ea disjungatur. Ita hoc nobis ſingularis teſtimonii inſtar eſt, ad obſignandam fidei noſtræ certitudinem, quod hanc ipſam eſſe ſcimus, quam pridem omnes ex toto orbe ſancti amplexi ſunt, in qua unanimes perſtiterunt uſque ad mortem, pro qua etiam tot ex ipſis vincula, exilia, deportationes, lapidicinas, ignominias perpeſſi ſunt, ſanguinem denique fuderunt. Sed hæc omnia parum valerent, niſi hæc primum cordibus noſtris inſculpta foret notitia, eam in verbo Dei, non hominum opinione conſiſtere. In eo proinde graviter peccat Pighius, quod dum Eccleſiaſticæ traditionis prætextu à Scriptura nos avocat, divortium facit perpetuæ illius conjunctionis, ſine qua parum firmitatis habeat Eccleſiæ magiſterium. Negabit hoc ſe facere, quia ſecundum Scripturæ locum aſſignet. Hoc eſt, ſcil., ſuam ſacroſancto Dei verbo gloriam date, ut quum hominum placitis inviolabilis conſtiterit majeſtas, ad eorum conſenſum quoquo modo poſtea detorqueatur, ut illis ſubſerviat. An non enim hoc diſertis verbis exprimit? Neceſſarium eſt, inquit, illud principium, ab Eccleſiæ traditione regulam orthodoxæ fidei ſumi: quando illa demum ſola eſt veritas credenda, quæ in nullo ab ea diſcordat. Ab hac igitur nos in primis, & ante omnia, exordiemur: quando hæreticorum tergiverſationibus, contradictionibus, calumniis non perinde expoſita eſt, ut ſunt Scripturæ: ſecundo nihilominus loco Scripturarum quoque ſententiam demonſtrabimus. En præclara hominis theologia, quicquid homines ſtatuerint, ratum & authenticum eſſe oportet, de verbo Dei poſtea viderimus. Quid ſi manifeſta interdum repugnantia inter hominum decreta & Dei oracula ſe oſtendat? nam id evidenter à noſtris demonſtratum eſt: qualis erit diſſidii compoſitio, auctore Pighio, qui verbum Dei inferiore loco ſubſidere vult, niſi ut illi ſilentium indicat?

Ne tamen de re non neceſſaria fruſtra digladiemur: lectores monitos velim, non difficulter poſſe inter me & Pighium hoc loco convenire, ſi modo Eccleſiæ traditionem ex certo & perpetuo ſanctorum & orthodoxorum conſenſu, non ex teſtimoniis hinc inde male excerptis, demonſtraret: deinde ſi iis ſimpliciter & candide uteretur ad veram & germanam Eccleſiæ doctrinam comprobandam, non ad pingendas horum temporum impias doctrinas abuteretur. Eccleſia columna eſt & firmamentum veritatis, inquit Paulus, nempe quia verbum ſuum Dominus apud eam depoſuit, cujus miniſterio traderetur. 1 Tim. 3. verſ. 15. Illa igitur habenda eſt Eccleſia, quæ fida eſt cuſtos verbi Dei, quæ purum illud, & nullo fermento infectum, ſuo miniſterio conſervat, & ad poſteros propagat. Hujus honoris & officii portionem aliquam ſibi vendicant ſingulæ Eccleſiæ: ſed non ſemper in ſolidum hoc ſibi arrogare auſint. Nunc ſi ex privato paucorum ſenſu communem Eccleſiæ conſenſum facere velit Pighius, eumque ex Apoſtolorum traditione natum eſſe aſſerat, non recipiam. Dicet, Origenem, Tertullianum, & alios ſimiles huic objectioni occurrere, dum nihil ſe dicturos præfantur, quod non communiter Eccleſiæ ab ipſis Apoſtolis edoctæ ſentiant. Quid autem, ſi huic prooemio res non reſpondeat? Imo quum in præcipuis fidei capitibus poſt hanc præfationem eos multum errare conſtat, quam tutum eſt, nullo diſcrimine, aut delectu habito, pro Eccleſiæ traditione ſuſcipere, quicquid ipſi tradunt? Atque id eſt quod dixi, ad Dei verbum examinanda eſſe ſingula, unde palam fiet, quæ ſit germana Eccleſiæ traditio: & quid rurſum ſit ab ea vel diſſentaneum, vel extraneum. Alioqui illa, quæ omnes pariter repudiamus, Tertulliani & Origenis deliria pro oraculis recipienda erunt. Sed illud alterum multo etiamnum eſt iniquius, ut quæ à ſanctis Patribus dicta ſunt non male, ſi ſanum modo & candidum habeant interpretem, mixtura & artificio Pighii fucus fiant, ad ornandas & colorandas impias opiniones, quas ipſi Patres ſi hodie viverent, non minus quam nos, execrarentur. Irenæus Apoſtolorum diſcipulos viderat: Ipſe & Tertullianus paucos Epiſcopos referunt, qui ad ſuam uſque ætatem Apoſtolis ſucceſſerant. Vivebant tum adhuc multi ſenes, quibus vivis ipſi Apoſtolorum ſermones

familia-

familiariter ex patrum ſuorum narratione ooti erant. Non mirum igitur, ſi pro Apoſtolica traditione objiciunt, quod tunc communirer in primis Eccleſiis non modo receptum erat, ſed pro certo fidei dogmate, quod Paulus, Petrus, & reliqui eorum collegæ ouper prodidiſſent, fixum & ſtabile babebatur. Et ramen Origenes, qui tempore non multum ab illis differebat, inter fidei principia numerat quaſdam ſententias, quibus ſi non anathema dixerit Pigbius, à ſuis quoque lapidabitur. Nunc poſt tot tantoſque converſiones, poſt talem Eccleſiarum diſſipationem, imo ruinam, ſupercilioſo faſtu, pro traditione Apoſtolica venditare, quicquid, quacunque occaſione, nullo certo, vel tempore, vel auctore, obrepſerit, quantum obſecro ſecuritaris habet? At nunc Pigbius non niſi primos illos Eccleſiæ proceres citat, ſub quibus adhuc florebat religionis puritas. Sed in quem finem? niſi ut colorem, vel larvam qualemcunque craſſis impietatibus inducat, quibus ullam occaſionem dare nunquam ſanctis illis viris in mentem venit: tantum abeſt ut nunc velint illis ſua ſcripta ſuffragari. Tantum lectores hortor, ur vetuſta illa tempora cum noſtris conſerant: deinde judicare per ſe poterunt, qua ſinceritate, aut quo pudore, illorum patrocinio cauſam ſuam fulciat.

Audiamus tamen quæ ex illis teſtimonia adducat. Id autem habet propoſitum, nt illos omnes, uno ſimul ore, liberum arbitrium aſſerere demonſtret. Unde poſtea duo infert: nos eſſe manifeſtos hæreticos, qui à perpetuo Eccleſiæ conſenſu, hoc eſt, traditione Apoſtolica diſſentiamus: & me impudenter mentitum eſſe, qui ſcriptores omnes Eccleſiaſticos, excepto Auguſtino, ita ambigue, aut varie in hac re loquutos dixerim, ut certum quippiam ex eorum ſcriptis haberi nequeat. Sed primo quæ vis & notio ſit vocabuli definit. Arbitrium aut pro electione, aut convenientius pro voluntate ipſa accipi vult: liberum autem vocari interpretatur, quod ſui juris eſt, aut ſui ipſius habet poteſtatem: nempe ita faciendi quicquid facit, ut non neceſſario faciat, ſed poſſit non facere. Ego vero, quantum ad vocem pertiner, adhuc profiteor, quod in mea Inſtitutione teſtatus ſum, non adeo me ſuperſtitioſum eſſe in verbis, ut ejus cauſa velim contentionem aliquam movere: modo rei intelligentia ſana maneat. Si coactioni opponitur libertas, liberum eſſe arbitrium, & fateor, & conſtanter aſſevero: ac pro hæretico habeo, quiſquis ſecus ſentiat. Si hoc, inquam, ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nihil moror. Sed quum aliud protſus vulgo concipiant, dum boc epitheton hominis voluntati attributum, vel audiunt, vel legunt, hæc cauſa eſt, cur mihi diſpliceat. Siquidem ad facultatem vireſque referunt: nec impedire poſſis, quin ſimulac libera fuerit voluntas dicta, hæc pluribus imaginatio protinus in mentem veniat: habere igitur ſub poteſtate ſua bonum & malum, ut alterutrum eligere ſuapte virtute queat. Non igitur unius voculæ cauſa fruſtra litigo: ſed cauſam mibi juſtam habere videor, cur voculam optem ſublatam è medio, ad quam major prope mundi pars tanto periculo impingit. Quanquam ne cum Scripturæ quidem uſu videtur admodum bene convenire. Libertas enim & ſervitus, inter ſe pugnant: ut qui alterum dixerit, alterum neget. Proinde, ſi ſerva eſt hominis voluntas, libera ſimul, niſi impropric, dici non poteſt. Nunc audiamus, quid Spiritus ſanctus pronunciet. Contentus autem ero uno loco: quia non de re ipſa, ſed de ſolo nomine quæſtio eſt. Quum ſanctorum
Rom. 7. conditionem deſcribit Paulus, conſtringi captivos
verſ. 23. ſub peccati vinculis teſtatur, qua parte nondum per Spiritum Dei ſunt liberati. Et quum de hominis
Rom. 7. natura loquitur, dicit eum venditum eſſe ſub pec-
verſ. 14.
cato. Si ſervi ſunt ex ea parte ſancti, qua ſibi naturæque ſuæ adhuc relinquuntur, quid de hominibus dicendum erit in quibus ſola viget ac regnat natura? Si poſt regenerationem non niſi dimidia eſt libertas, quid in prima carnis generatione, niſi plena ſervitus? Quod etiam ipſum antea dixerat
Paulus. Agit enim ſexto capite gratias Deo, quod Rom. 6.
à peccato liberati fuerint Romani, cui ante ſervie- verſ. 17.
bant. Videmus, ut ante regenerationem non carnis reliquias, ſed totum hominem addicat ſervituti. Qui ergo liberum aſſerit arbitrium, alio idiomate quam Spiritus ſanctus, utitur. Et tamen inter doctos ſi de ſignificatione conveniat, patior ut eam vocem uſurpent. Ac ne ad populum quidem uſurpare prohibeo, ſi res ſignata bene explicetur. Verum ubi boc impetrari nequit, lectores hic moneo, ut ad rem, magis quam ad nomen, animadvertant. Sed quoniam aſtute Pigbius cum neceſſitate coactionem perpetuo confundit, quarum diſcrimen tenere, & diligentet meminiſſe, plurimum ad propoſitam quæſtionem refert, hæc quatuor quid inter ſe differant, obſervare convenit: voluntatem, aut liberam eſſe, aut ſervam, aut ſpontaneam, aut coactam. Liberam voluntatem vulgo intelligunt, & ſic Pighius quoque definit, quæ bonum aut malum eligere, habeat in ſua poteſtate. Coacta voluntas nulla eſſe poteſt quum alterum alteri repugnet. Verum, docendi cauſa, quid ſignificet, dicendum eſt, ut intelligatur, quid ſit coactio. Eam ergo ſic vocamus, quæ non ſponte ſua, nec interiore electionis motu, inclinatur buc vel illuc, ſed externo motu violenter fertur. Spontaneam dicimus, quæ ultro ſe flectit, quocunque ducitur, non autem rapitur, aut ttahitur invita. Serva poſtremo voluntas eſt, quæ propter corruptionem ſub malarum cupiditatum imperio captiva tenetur, ut nihil quam malum eligere poſſit, etiamſi id ſponte & libenter, non externo motu impulſa, faciat. Secundum has definitiones, homini arbitrium concedimus, idque ſpontaneum, ut ſi quid mali facit, ſibi ac voluntariæ ſuæ electioni imputare debeat. Coactionem & violentiam tollimus, quia pugnet cum natura voluntatis, nec ſimul conſiſtat. Liberum autem negamus, quia propter ingenitam homini pravitatem ad malum neceſſario feratur, nec niſi malum appetere queat. Atque hinc colligere licet, quantum ſit neceſſitatis & coactionis diſcrimen. Neque enim hominem dicimus invitum trahi ad peccandum, ſed quoniam vitioſa ſit ejus voluntas, ſub peccati jugo teneri captivam, ideoque neceſſario male velle. Ubi enim ſervitus, illic neceſſitas. Sed plurimum intereſt, voluntariane ſit ſervitus, an coacta. Nos autem non alibi ſtatuimus peccandi neceſſitatem quam in vitio voluntatis: unde ſpontaneam eſſe ipſam ſequitur. Nunc vides ſpontaneum & neceſſarium ſimul convenire poſſe, quod aſtu tegere conatur Pighius, dum liberum hominem in eo æſtimat, ſi non neceſſario faciat, aut bene, aut male.

Quid autem Origenes? Eos pronunciat hæreticos, qui liberum homini arbitrium auferunt. Si de prima naturæ conditione loquitur, nihil affert, quod non ipſi quoque profiteamur. Si inter vitiatam & integram naturam non diſtinguit, nemo eſt piorum, qui non fidei principia eum confundere pronunciet. Negat ita nos eſſe neceſſitati ſubjectos, ut omni modo, etiam ſi nolimus, vel bene, vel male agere cogamur. Nos vero nihil huic ſententiæ contrarium aſſerimus. Quin potius hæc Origenis concluſio indicio eſt, nihil eum aliud quærere, niſi ut coactione excluſa, ſpontaneam in homine voluntatem conſtituat. Quod nos ſimiliter facimus. Cæterum non nego liberalius eum alicubi liberum arbitrium prædicare, ſed ita, ut nuſquam certo, quantum illud ſit, definiat. Omnes enim, qui à Pighio citantur loci, qualis manu Dei formatus ſit homo,

tractant: qualis poſt lapſum ac defectionem eſſe cœperit, prorſus tacent. Quid ergo inde, quod præſentem quæſtionem ad plenum & liquidum definiat, colliges? Nos enim hominem non ex Dei creatione, ſed ex ea, quam ipſe ſibi proprio vitio acquiſivit, corruptione æſtimamus. Hanc (ut dixi) partem, quum præcipua ſit, Origenes non attingit. De Clemente ſatis jam ſuperius multa dixi. Quid autem facit Pighius, talem cauſæ ſuæ patronum primarium excitando, niſi quod crepitu nos vult abſterrere? Dico, & ſi diſſimulem, liber ipſe clamat, ab aliquo frigido philoſophaſtro fuiſſe conſarcinatum. Inde abreptas ſententias, tanquam ex ore Petri profectas, hic nobis obtrudit. Ego vero coram Deo per conſcientiam impedior, quominus in reſponſione laborem: ne cui erroris occaſionem præbeam, ut librum illum, vel in minimo pretio habeat.

Quum Tertullianum vult producere, præfatur, adeo claram eſſe ejus ſententiam de libertate arbitrii, ut qui non videat, eum certum ſit aures atque oculos clauſiſſe veritati. Quid autem in ſumma continent quæ adducit, niſi liberum, & ſuæ poteſtatis hominem à Deo conditum fuiſſe? Siquidem adverſus Marcionem illic diſputat, cujus opinio de natura hominis, ut in Deum contumelioſa, ita impia & profana erat. Non enim ſua ipſius culpa hominem malum eſſe confitebatur, ſed in Deum naturæ auctorem referebat malitiæ cauſam. Hinc ſanis & integris lectoribus judicandum relinquo, an non quæcunque ex adverſo opponit Tertullianus, ad primam hominis conditionem ſimiliter reſpiciant. Neque tamen fidem mihi haberi velim. Librum ipſum qui legerit, aut locum etiam quem Pighius recitat, quod dico reperiet. Neque aliud reſpondeo ad omnia teſtimonia, quæ ex Irenæo deinde objicit. Irenæus illic Cerdonis, Valentini, Marcionis, & ſimilium refutandis deliriis incumbit. Illi quum plures deos comminiſcerentur, errorem ex eo ſuum aſtruebant, quod homo malus eſſet. Non potuiſſe autem malum creari à Deo bono. Eſſe igitur malum quoque deum aliquem. Vides ſtatum quæſtionis. Jam ſanctus vir, ſicuti res poſtulabat, reclamat, non natura malum hominem, hoc eſt, Dei creatione, ſed liberi arbitrii fuiſſe conditum, animamque accepiſſe boni & mali capacem. Quum de primo hominis ſtatu eum agere conſtet, quo tempore integer adhuc erat, & Dei ſimilitudinem retinebat, quid hoc adverſum nos, qui arbitrii ſervitutem non niſi in naturæ corruptione ac depravatione conſtituimus? Dicit quodam loco Irenæus, inter alia, Frumentum quidem & paleas naturaliter facta eſſe: hominem vero rationabilem, & ſecundum hoc ſimilem Deo, quum liber in arbitrio, & ſuæ poteſtatis factus fuerit, ipſum ſibi cauſam eſſe, ut aliquando frumentum, aliquando autem palea fiat. Quapropter, inquit, juſte condemnabitur: quia rationabilis factus, amiſit veram rationem, & irrationaliter vivens, adverſatus eſt juſtitiæ Dei, tradens ſe terreno ſpiritui, & omnibus ſerviens voluptatibus: quemadmodum ait Propheta: Homo, quum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt jumentis, & ſimilis factus eſt illis. Hoc nos dicimus, primi parentis lapſu, omnibus nobis contigiſſe, & in eo conſentientem habemus totam Eccleſiam. Dicit præterea, libertatem illam, de qua tractat, imaginem eſſe Dei, ad quam creatus fuerit Adam. Atqui
2 Cor. 4. verſ. 16. hanc Paulus reparari oportere de die in diem in fidelibus docet: idque non propria eorum, ſed Spiritus ſancti virtute. Sequitur ergo, fuiſſe obliteratam ac corruptam. Eligat nunc utrum volet, Pighius: aut corruptionem illam hæreditariam, quam in totum ſuum genus Adam tranſmiſit, fuiſſe incognitam Irenæo: aut, quia ad confutanda Cerdonis & Valentini deliramenta nihil pertinebat, fuiſſe omiſſam, & de integro duntaxat creationis ſtatu verba fuiſſe facta. Alterum è duobus reſpondeat neceſſe eſt. Atqui utroque modo liberor. Neque enim vel auctore Pighio, audiendus erit Irenæus, ſi repugnante unanimi Eccleſiæ conſenſu, inter vitiatam naturam, & integram, nihil diſcernat: quod ſi, qualis ante lapſum fuerit homo, tantum deſcribit, nihil ad nos, qui arbitrii ſervitutem non ad Deum, ſed ad hominis vitium referimus.

Quum ad Cyprianum ventum eſt, occupatione utitur, quod quæſtionem hanc nuſquam ex profeſſo tractet. Auguſtini tamen locum adducit, ubi liberum arbitrium ab eo non negari teſtatur. Verum quid liberi arbitrii nomen Auguſtino valeat, cùm alibi clarius demonſtrabimus, tum ex hoc loco patet. Dicit enim, Cyprianum non tollere liberum arbitrium, quum Deo totum tribuit, quod recte vivimus. Illam autem ex Cypriano adducit ſententiam: De nullo gloriandum: quia nihil prorſus noſtrum eſt. Quam magnifice, quæſo, ſentit de propria noſtra virtute, qui bona omnia in ſolidum Deo aſcribit, nobis nihil facit prorſus reliqui? Ubi ergo liberum hominis arbitrium, quod à Cypriano aſtruitur? Nempe quia ſponte, & peccare, & bene facere hominem intelligebat, utcunque peccando Satanæ ſerviret, ſub cujus tyrannide captivus teneretur, & ad bene vivendum Spiritu Dei regeretur, non proprio carnis motu. Non de nomine hic quæritur, ſed de facultate liberi arbitrii. Porro, quanti eam æſtimaverit Cyprianus, tum præclara illa vox, quam nuper retulimus, toties ab Auguſtino celebrata, & qua omne genus meriti prorſus excludi pronunciat, tum alter locus oſtendit: Quando, inquit, rogamus, ne incidamus in tentationem, admonemur imbecillitatis & infirmitatis noſtræ: dum ſic rogamus, ne quis ſe inſolenter extollat, ne quis ſibi ſuperbe atque arroganter aliquid aſſumat: ne quis, aut confeſſionis, aut paſſionis gloriam ſuam ducat: quum Dominus dixerit, Vigilate & orate, &c. ut dum præcedit humilis & ſubmiſſa confeſſio, & datur totum Domino, quicquid ſuppliciter cum timore & honore Dei petitur, ipſius pietate præſtetur. Quid hic arrogantiam vocat Cyprianus? non modo totum ſibi arrogare, ſed aliquid penitus ſumere.

Venio ad Hilarium: cujus primus locus naturam hominis, nulla corruptionis facta mentione, deſcribit. Atqui hæc exceptio mihi ſemper eſt ad manum: aut noluiſſe eum negare pravitatem, quæ ex originali peccato ingenita eſt hominibus: aut ſi negare voluerit, ab Eccleſiæ conſenſu diſſidere. Quum autem nihil illic propoſitum habeat, niſi ut excuſationem tollat hominibus, ne malorum ſuorum culpam in Deum rejiciant, nihil mirum ſi ad primam ſuam originem eos revocat, quo ſeipſos, ſuumque liberum arbitrium accuſare diſcant, cui acceptum ferre debent, quod mali ſunt. Sed cur de humanæ naturæ ruina, cur de ejus per Dei gratiam reparatione nullum verbum? Viderit, inquam, ipſe Hilarius, quomodo conſilii ſui rationem reddat. Mihi ſatis eſt, ſi palam facio, non ita nobis adverſari, ſicut fingit Pighius. Quod autem voluntati non coactionem, aut vim extrinſecam, ſed neceſſitatem opponit, nihil difficultatis eſt in ea re. Siquidem neceſſitatis nomine, non miſeriam, cui addictus eſt homo per peccatum, ſed externam cauſam, quæ cogat fieri quod fit, ſine dubio ſignificat. Secundo loco, non quid valeat hominis arbitrium, excluſa Dei gratia, diſputat, ſed homini toto vitæ præſentis curſu ſpatium & locum dari commemorat confitendi Deo: quæ facultas morte finiatur. Id ſuis verbis aliter quidem exprimit, hunc tamen eſſe ſenſum verborum, judicare cuivis promptum fuerit. Loco tertio, neque tribuit gratiæ Dei quantum decebat, & ad hominem transfert, quod Deus tanquam ſuum vindicat: nempe cor inclinare in obedientiam Legis. Quæ autem eum cauſa impulerit, ut ſic, tum hic, tum proximo loco, inter

Deum

Deum & hominem bonorum operum laudem divideret, ipſe refert. Laborabat in refellenda eorum improbitate, qui excuſationis materiam & prætextum ex carois imbecillitate captabant. Quum aliter expedire ſe non poſſet, ad hanc reſponſionem confugit, ſic operari io nobis Dei gratiam, ut aliquas nobis partes ſimul relinquat: quibus ſi quis deſit, non niſi ſocordia & negligentia ſua, peccare dicit. Atque id eſt, qnod iu mea Inſtitutione prodidi: mihi veteres eo conſilio vires bumanas plus juſto videri extuliſſe, ne ſi impotentiam diſerte eſſent confeſſi, primum Philoſophorum ipſorum cachinnos, quibuſcum certamen tunc babebant, excuterent: deinde carni, ſuapte ſponte nimis ad bonum torpenti, novam deſidiæ occaſionem præberent. Tum continuo poſt ſubjicio: Ergo ne quid communi hominum judicio abſurdum traderent, Scripturæ doctrinam cum Philoſophiæ dogmatibus dimidia ex parte conciliare illis curæ fuit. Præcipue tamen illud ſecundum ſpectaſſe, ne deſidiæ locum facerent, ex eorum verbis apparet. Si hoc non eſſem, & diſertis verbis, & ſimplici animi candore, tuuc profeſſus, jure ounc Pigbius in me inveheretur. Nunc autem quid cauſæ habet, cur me tam atrociter ſiogulis paginis laceret, quaſi de veteribus mentitus fuerim, quum tamen nihil ex adverſo proferat, qnod non conveniat cum meis verbis? Proponit, Hilarium liberi arbitrii viribus tribuere ſuas partes cum Dei gratia. Reſpondeo me id fuiſſe jam in mea Inſtitutione confeſſum. Verba quæ citat, rationem, quæ Hilarium impulerit, eandem fuiſſe oſtenduut, quam illic quoque expoſui. Et tamen impudenter me mentiri ſubinde vociferatur. At dixi vel obſcurius, vel magis varie loqui veteres, quam ut certo colligi poſſit ipſorum ſententia. Hi autem loci oihil, vel obſcuritatis, vel varietatis, habent. Reſpondeo, quod res habet: Hilarium, quum in diluenda objectione impediretur, ſi liberum arbitrium carere prorſus virtute conſeſſus foret, vim illi quidem nonnullam attribuiſſe, ſed ſine certa definitione, qua ſciretur, quantum penes bominem eſſet. Nunquam ego ſane, quin liberum arbitrium paſſim prædicent veteres, & illi plus quam par ſit tribuant, negavi. Sed admonui, quod etiamnum confirmo, ſic aut variare, aut vacillare, aut perplexe loqui, ut certi ferc nihil referre ex illis liceat.

Ex Baſilio duos locos citat, quorum prior nihil aliud continet, quam humanæ naturæ deſcriptionem, qualis à Deo fuit condita, ne malorum ſuorum culpam bomines in Deum transferant. Principio igitur, peccatum negat ſubſtantiæ bominis fuiſſe innatum, ſed propria illi culpa accidiſſe: quod nos non fatemur modo, ſed diligenter tuemur. Poſtea virtutem dicit eſſe voluntariam, & noo ex neceſſitate. Nobis autem ineſſe liberum arbitrium. Hic, quaſi parta victoria, exultat Pighius. Ego autem de præſenti noſtro ſtatu intelligenda bæc verba nego: ſed qualis prima ſua origine factus fuerit homo tantum oſtendere. Diſertis verbis explicat, qualis creatus fuerit homo: corruptionem quæ lapſum conſequuta eſt, non commemorat: ſed tantum quum malitiæ cauſam aſſignare vult, ſic loquitur: Unde malus bomo? Ex propria ipſius voluntate. Unde malus diabolus? Ex eadem cauſa. Nam & ipſe per ſe liberam habet vitam, & liberum arbitrium in ſe ſitum, aut manendi cum Deo, aut ſe ab eo alienandi. Quid nunc judicandum eſt? An ipſum latebat, quale & quantum vulnus naturæ noſtræ ex peccato inflictum eſſet? At ipſe alibi ab hac ſuſpicione liberat, dum bumani generis miſeriam his paucis quidem, ſed minime tamen obſcuris verbis attingit: Salutis quidem debiles, liberationis vero indigent qui in captivitate detinentur. Qui igitur ſub morte poſitus eſt, ſciens quod unus eſt qui liberat, & unus qui ſervat, In te, inquit, ſperavi. Serva me à debilitate, libera à captivitate. Qui debilem & captivum hominem facit, & eo quidem ſervitutis genere detineri pronunciat, unde à ſolo Deo, non à ſeipſo liberetur, quantum de priore illa conditione detrahit? Sed in hac quoque captivitate libero arbitrio multum concedit. Audiamus quantum illud ſit. Qui in verbo Dei eruditi non ſunt, hi fruſtra inflati per liberum arbitrium peccati inſultus abolere ſe poſſe confidunt, quum per ſolum crucis myſterium peccatum aboleatur. Nam quod in hominis poteſtate ſitum eſt liberum arbitrium, in eligendo, aut noo eligendo, ut diabolo reſiſtat, ſitum eſt, non in eo, quod poſſit robur habere contra effectus. Et paulo poſt: Niſi enim per potentius auxilium ab ignitis adverſarii jaculis liberati, recepti fuerimus in adoptionem, fruſtra omnia molimur, velut procul à potentia crucis. Si diligenter omnia expendas, non aliud homini reliquit, quam io eligendo judicium, quod & penitus ſit ineſficax, & ad vincendas cupiditates nihil per ſe valet. Tametſi autem non omnia, quæ dicenda fuerant, hic dicit, quantum tamen à magnifica illa libertatis prædicatione decliner, videre licet. In altero loco nihil animadverto, quod nobis vel minimum adverſetur. Partem animæ rationalem poteſtatis noſtræ eſſe docet. Verum ut ego taceam, ſatis perſpicuum eſt illic animæ naturam in ſua integritate conſiderari: ſicut in definitionibus dandis fieri ſolet. Nos quoque, quum de anima diſputatio eſt, primum ejus partes in medium ſtatuimus, mentem ac voluntatem; & mentis quidem officium eſſe docemus, præire voluntati, eamque gubernare: unde & nomen habet ἡγεμονικὸν: voluntatem porro tunc bene habere dicimus, quum ſe cupiditatibus buc illuc diſtrahendam non exponit, ſed mentis imperium auſcultat: totum denique hominem rite tunc eſſe compoſitum, ubi recta in eo ratio moderatur: quæ & voluntatem dirigat quo decet, & libidines, tanquam auriga equos indomitos, ſuis frenis coërceat. Verum ſimul oſtendimus, cæcam eſſe noſtram rationem, quia ſit per peccatum, Dei lumine deſtituta, nec prius bene regere poſſe, quoad Spiritui Dei in obedientiam ſe tradiderit: imo prorſus in ejus obſequium, velut ancilla, redacta fuerit. Dicimus ſimiliter, carnis cupiditates regnum in bomine occupaſſe, nec ulla animæ potentia impediri poſſe, vel reprimi, quin ſuam tyrannidem exerceant: voluntatem enim ſic malitia oppreſſam, ſic vitio & corruptione implicatam, ut ad honeſtum ſtudium emergere, aut ſe ad rectitudinem dare nullo modo queat.

In omnibus Hieronymi ſententiis, quas adducit, liberum arbitrium prædicari non nego: ſcire tamen velim, quid certi inde referre velit. Donatos, inquit, nos libero arbitrio, & unumquemque vivere, non ex Dei nutu & imperio, ſed proprio obſequio. Sed quid? Si ex adverſo excipiam, quod verum eſt, vulneratam illam fuiſſe libertatem, imo confectam & extinctam, ubi homo peccati nexu in ſervitutem Satanæ ſe addixit? An certo colligam quid de tota re ſentiendum ſit, quum præcipuum caput non attingat? Nego eos omnes claram & firmam de libero arbitrio doctrinam tradere, qui non ſimul adjiciunt, quid de hac libertate per Adæ lapſum perierit, quid per regenerationis gratiam fideles recuperent: quanta denique ſit vitiatæ naturæ perverſitas & rebellio adverſus Dei juſtitiam, & quæ rurſum Spiritus ſancti in electis, tum ad illuminandam mentem, tum ad cor dirigendum, operatio. De his omnibus altum eſt in Hieronymi verbis ſilentium. Ambroſium vero aut non advocare prorſus, aut aliter loquentem inducere debuerat. Quid enim effert? Voluntarium ſervum ſibi auctionatur diabolus: neminem jugo ſervitutis aſtrictum poſſidet, niſi ſe prius peccatorum ære ei vendiderit. Quid carnem quaſi infirmam accuſas? Affectus eſt auctor culpæ: caro voluntatis miniſtra. Non ergo vendat nos voluntas noſtra, per

quam ſolam in ſervitutem tradimur. Nempe vanam eorum tergiverſationem refutat, qui in carnis infirmitatem rejiciunt, quicquid peccant. Carnis autem nomine quid ſignificet, ſtatim exponit, quum voluntatis miniſtram vocat. Inferior ergo pars hominis, & ſenſualis, ut vocant, cum corporis organis, per carnem deſignatur. Nunc, qui maiorum ſuorum culpam illuc derivat, merito ad voluntatem retrahitur: ut dum convictus fuerit, illic hærere mali radicem, ſimul diſcat, ſe unum eſſe, cui imputare culpam debeat. Hinc ſi colligat Pighius, quæ ſit liberi arbitrii facultas, aut quantum per ſe valeat, valde argutus erit ratiocinator. Atqui voluntarium intelligunt omnes, quod in poteſtate noſtra eſt, ut ſit vel non ſit nec neceſſitati ſubjicitur. Verum quod aliter Ambroſius ipſe intelligat, non altius teſtimonium petam, quam ex eadem pagina, ex qua ſumpſit Pighius quod adducit. Nam quum de uſu Legis tractat, his verbis inter alia utitur: Acceſſit vinculum, non ſolutio: addita eſt peccatorum agnitio, non remiſſio. Profuit tamen mihi: cœpi confiteri quod negabam, &c. Item: Illud quoque mihi prodeſt, quod non juſtificamur ex operibus Legis. Non enim habeo unde gloriari in operibus meis poſſim: non habeo unde me jactem, & ideo gloriabor in Chriſto. An hæc ſtarent, niſi peccandi neceſſitati homo ſibi relictus ſubjiceretur? Hic quoque mihi ſuccurrit Auguſtinus: qui adductis tribus teſtimoniis nihil minus ſenſiſſe Ambroſium evincit, quam quod illi affingit Pighius. Primum, quia in libro de fuga ſeculi, dum ad quærendum Dei auxilium nos hortatur, non in poteſtate noſtra eſſe cor noſtrum & noſtras cogitationes palam confirmet: deinde quia in Lucam ita ſcribat: Non humana tantum voluntate videtur quod bonum eſt, ſed ſicut Chriſtus dederit: qui, ut id quod bonum eſt, nobis quoque videri bonum poſſit, operatur: quem enim miſeretur, & vocat. Itaque quum quis fidem ſe voluiſſe habere dicit, non negat Deum voluiſſe. A Deo enim præparatur voluntas. Ut enim Deus honoretur à ſanctis, ejus gratia eſt. Item: Quem Deus dignatur, vocat: & quem vult, religioſum facit. Ex his verbis colligere non dubitat Auguſtinus, tam fidei, quam bonorum operum: tam cogitationum, quam bonorum affectuum & initium & perſeverantiam ſoli Deo Ambroſium tribuere, hominibus auferre. Cujus rei ſi quis mihi fidem non habet, librum de bono perſeverantiæ legat. In citando Chryſoſtomo ne multum ſudaret, locum duntaxat à me adductum tranſcripſit: ubi ut omne excuſationis ſubterfugium peccatoribus claudat, bonum & malum conſtituit in hominis poteſtate: nihil ergo illis obſtare, niſi quia nolint: poſſe enim, ſi velint. Mali cauſam non alibi quæri, quam in propria hominis voluntate, ne alio culpam transferendo, exonerare ſe velit, mihi placere non ſemel teſtatus ſum. Quin etiam unum hoc eſt ex præcipuis capitibus, quibus in mea Inſtitutione inſiſto. Quod vero liberi arbitrii virtutem adeo evehit Chryſoſtomus, non diſſimulavi illic quid mihi videretur.

Poſt hanc teſtimoniorum congeriem, quaſi re confecta, quod ab initio propoſuerat demum colligit Pighius: quam de humani arbitrii ſervitute profitemur ſententiam, uno piorum omnium, qui ſeculis omnibus extiterunt, conſenſu damnari: & meum mendacium evidenter detectum eſſe, qui ita, aut obſcure aut varie loquutos de hac re veteres dixerim, ut certi fere nihil ex eorum ſcriptis referre liceat. Velim autem ignoſcant mihi lectores, ſi in reſpondendo cothurnos illos altiores non induam, quibus in nos inſurgit adverſarius. Non enim magniloquentia cum eo, ſed veritate certare inſtitui, quæ ut eſt ſimplex, ita placida orationis ſimplicitate contenta eſt. Principio igitur, quum Eccleſiæ conſenſum nobis objectat, hanc ſibi reſponſionem uno verbo habeat: non eſſe Eccleſiæ conſenſum, niſi qui congruenter apteque per omnia verbo Dei eſt conſentanens. Non eſſe porro ad hominum placita torquendum, quod Spiritus ſanctus, qui ſcilicet optimus eſt loquendi artifex, Prophetis & Apoſtolis ſine dubio dictaverat: idque in eum finem, ut inde omnes, & hominum, & Angelorum doctrinæ æſtimarentur. Quoties ergo ſuam illam cantilenam mihi occinet, de univerſalis Eccleſiæ conſenſu, continuo excipiam, perperam ſeparari, quæ Deus perpetuo nexu copulavit: & meliore ſenſu, ac commodiore loco proverbium illud Chriſti in eum retorquebo: Ubi cadaver, illic aquilæ. Nam ut fidelium ſententiæ pro perpetuo Eccleſiæ conſenſu habeantur, eas primum, tanquam aquilas ad cadaver in Chriſti veritatem convenire, & quaſi coaleſcere neceſſe eſt. Neque præterea id quod pro cōfeſſo ſumit, illi concedo, ut quod ſex vel octo ſcriptis prodiderint, pro certo & definito Eccleſiæ conſenſu protinus recipiendum ſit. Neque vero ut concedam, illa me perurgent. An de re inter omnes ſuo tempore cognita & trita mentiri auderent? Quod ſi illis non habetur fides: quale amplius reſtabit antiquitatis teſtimonium? Ego vero, neque mendacii eos inſimulo: neque ſic in totum repudio, quod de communi Eccleſiæ doctrina teſtantur, ut pro nihilo, quaſi non diceretur, habeam. Tantum ad plenam & ſolidam certitudinem ſufficere nego. Neque enim abſurdum videri debet, ſi quod tunc communiter in Eccleſiis receptum erat, ita eos referre dixero, ut aliquid ex proprio ſenſu affingant. Sive quod concepta ſemel opinione præoccupati, non aliter poterant: ſive quod propria interdum & perſpicua loquendi proprietate deſtituebantur. Unde enim Irenæo, Tertulliano, Hilario ſpinoſum illud, & confragoſum dicendi genus? niſi quod linguam impolitam habebant, quo minus, quod volebant, exprimerent. Plurimum vero intereſſe nemo neſcit, quibus quidque verbis dicatur.

Adhæc, reſpondeat mihi Pighius, pluſne de Eccleſiæ conſenſu privato homini credendum ſit, quam pluribus ſimul in Synodum collectis, qui Eccleſiæ nomine, & tanquam ex ipſius ore, quod inter ſe contulerint, pronuncient? Nunc ad præſentem quæſtionem. Hilarium ſic loquentem inducit Pighius: Voluntatem noſtram hoc proprium ex ſeſe habere, ut velit: Deum vero incipienti dare incrementum, meritumque complementi ex initio eſſe voluntatis. Nunc ex adverſo Concilii Arauſicani profero decretum: Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem *cap. 4.* noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus ſancti operationem in nobis fieri confitetur, reſiſtit Spiritui ſancto per Solomonem dicenti: Præparatur à Domino voluntas. Sic inter hominis voluntatem & Dei gratiam diſtribuit Hilarius, ut principium ad illam referat, adjuvari poſtea dicat Dei gratia: Concilium eos Spiritus ſancti hoſtes pronunciat, qui ſic ſentiunt, vel loquuntur. Ubi nunc illa eſt tam certa definitio, quam Pighius tertio quoque verbo jactitat? In altero Hilarii loco ſic habetur: Eſt ergo, quum oramus, à nobis exordium, ut munus à Deo ſit. Huic iterum alterum ejuſdem Synodi caput oppono. *cap. 6.* Si quis ſine gratia Dei volentibus, laborantibus, ſtudentibus, conantibus, petentibus, quærentibus, pulſantibus nobis miſericordiam dicit conferri, non autem divinitus, ut credamus, velimus, petamus, & omnia hæc, ſicut oportet, agere valeamus, per Spiritum in nobis fieri confitetur, reſiſtit Apoſtolo dicenti: Quid habes quod non acceperis? De fide nominatim hoc Hilarius aſſerit, ejus initium in nobis ſitum eſſe: Atqui longe aliud Concilii verba ſonant. Si quis tam initium quam augmentum fidei, & ipſum credendi affectum, non per gratiæ donum, id eſt, Spiritus ſancti operationem, corrigentem voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate

tate ad pietatem: ſed naturaliter nobis ineſſe dicit, adverſatur Apoſtolo dicenti: Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Domini Jeſu. Quicquid ex Hilario adducit Pighius, pro teſtata Eccleſiæ traditione vult haberi. Quo igitur loco habebimus illud Concilium? Quod tametſi ætate ſit poſterius, auctoritate tamen cedere non debet. Præſertim quum nihil aliud quam ſuperioribus Conciliis, Carthaginenſi & Milevitano, ſubſcribat. Auguſtinum adhuc taceo, qui ſeparatim poſtea ſuo ordine dum prodibit, totam Pighii harmoniam prorſus turbabit. Quod ſi temporis & otii tantum daretur, quod huic rei ſatis foret: collectas hinc inde veterum ſententias inter ſe conferendo, quam infirma ex illis habeatur perpetui Eccleſiæ conſenſus probatio, palam facerem. Sed quoniam ad alia me temporis brevitas feſtinare cogit, hoc labore nunc ſuperſedeo. Specimen tamen hoc in tranſcurſu proferre libuit, unde conjecturam faciant lectores, qualis futura eſſet fidei noſtræ certitudo, ſi Pighio obſequeremur: dum nihil nobis certum in religione habere permittit, niſi quod ex Eccleſiæ traditione prodierit, & ab ipſo Eccleſiæ exordio, ad noſtram uſque ætatem, perpetua ſucceſſione fluxerit. Quod ſi exceptionem ab Auguſtino, qua in eadem cauſa utitur, mutuari velim, nemo, niſi valde iniquus, opinor, quum ſit æquiſſima, repudiabit. Nam quum ex adverſa parte quidam acquieſcere ſe paratos profiterentur, ſi doctrinam ſuam Patrum auctoritate probaret, reſpondet his verbis: Quid igitur opus eſt, ut eorum ſcrutemur opuſcula, qui priuſquam iſta hæreſis oriretur, non habuerunt neceſſitatem in hac difficili ad ſolvendum quæſtione verſari? quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Unde factum eſt, ut de gratia Dei quid ſentirent, breviter, quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis, & tranſeunter attingerent: immorarentur vero in iis, quæ adverſus alios hæreticos diſputabant. His verbis ſi nunc Pighium conveniam, ut remittat quod tantopere urget, non aliunde petendam hujus cauſæ definitionem, quam ex veterum ſcriptis, quam Auguſtinus breviter ac tranſeunter eos attigiſſe teſtis eſt, pleno gutture ſua illa convitia, quibus refertus eſt, in me ructabit. Quando igitur nihil æqui impetrari poteſt ab iſta Furia, ad lectores me converto: apud quos ponderis nonnihil ſpero habiturum, quod tam juſta ratione nititur.

Verum in hoc potiſſimum cardine vertitur noſtra defenſio, quod dico, Pighium, partim commentitiis teſtium nominibus, ad faciendum numerum, in nos abuti: partim ea quæ recitat, teſtimonia, perperam ac falſo in nos detorquere, quum nihil nobis repugnent. Siquidem Petrum & Clementem nominando, quid aliud quam fucum facit? Toties me impudentem nominando, cavere (puto) ſibi voluit, ac antevertere, ne quod meretur, à me audiret. Sed quo nomine perditam iſtam ac deploratam nequitiam appellabimus, quod tam confidenter nothi & confictitii libri prætextu, Petrum & Clementem nobis obtrudit? Quod ad Irenæum & Tertullianum attinet, quum homini libertatem in prima tantum ſua origine tribuant, & in illa naturæ integritate, in qua conditus fuit: corruptionis autem, quam vitio ſuo contraxit, nullam faciant mentionem: eorum verbis minime lædimur, qui ſervitutis cauſam, non in natura ponimus, ſed in lapſu primi hominis. Illi igitur hominem liberum fuiſſe creatum tradunt: nos id non negamus: ſed dicimus in ſervitutem incidiſſe, quia à primo ſuo ſtatu degeneraverit. Illi peccatum non hærere in ſubſtantia contendunt: id nos quoque ipſum aſſerimus: ſed addimus, primo homini, ex quo à ſua integritate excidit, bonæ naturæ corruptionem accidiſſe, quam ad totum ſuum genus tranſmiſerit. Ergo hos quoque duos ex teſtium ſuorum catalogo expungat Pighius, oportet. Sex adhuc reſtant; ex quibus duo, Ambroſius & Baſilius, minimum imo prorſus nihil, ejus cauſam adjuvant. Illa enim, quam ponunt, naturæ humanæ deſcriptio, quid ad hanc vitiatam & degenerem naturam, quæ ut reliquis Dei donis, ita libertate etiam ſpoliata, præſentem, qua premitur, inopiam ſuam deplorare potius, quam perditam virtutem jactare debet. Libertas enim voluntatis, ſanitas eſt. Nunc ergo qui liberam vult facere voluntatem, ſanitatem illi reddat. Sequitur Origenes, cujus ſuffragio quantum ſit in Eccleſiæ dogmatibus tribuendum, penes Hieronymum ſit judicium. At non eſt credibile, de re tam familiariter ſuo ſeculo nota, hoc eſt, de inſigni fidei noſtræ axiomate, potuiſſe mentiri. Quid? An non hæc ſunt ex præcipuis fidei noſtræ capitibus? Filium à Patre genitum eſſe: unius cum Patre naturæ: Spiritum ſanctum unius eſſe cum Patre & Filio divinitatis: hanc ipſam carnem, quam nunc geſtamus, reſurrecturam, & ſimilia. At Origenes factum non genitum Filium docet: bonum eſſe natura negat, & ex ſeipſo: de Spiritu ſancto non aliter ſentit, quam de operatione nuda: carnem putat in nihilum redigendam, ubi Chriſtus apparuerit. Nunc ſuum iſtud acroama ſi occinat Pighius: non potuiſſe de rebus adeo notis mentiri Origenem, nonne dignus erit, cujus in os omnes conſpuant? Habet tamen adhuc Hilarium: ſed cujus ſententiam ab orthodoxo Concilio damnatam fuiſſe demonſtravimus. Habet Hieronymum, qui ſub extremam ſenectutem à Pelagio expergefactus, aliquanto tandem moderatius loqui cœpit. Habet Chryſoſtomum, quem ſemper confeſſus ſum in extollenda hominis facultate fuiſſe immodicum. Nec vero Bernardum proferre alibi dubitat: cujus arbitrio ſi definienda eſſet controverſia, ſi non prorſus totum obtinerem, longo tamen intervallo eſſem ſuperior. Ubi eſt ille adeo conteſtatus temporum omnium conſenſus, qui pro certa & indubia Eccleſiæ traditione haberi, adeoque Dei verbo præferri, ob certitudinem debeat? Ubi mendacium illud tam capitale, cujus me evidenter convictum tantopere gloriatur? Dixi, veteres plus juſto liberum arbitrium extollere: Græcos præſertim: atque in his nominatim Chryſoſtomum. Addidi tamen, ſic perplexe, aut obſcure, aut varie ipſos loqui, ut certi aliquid referre ex eorum ſcriptis non facile ſit. Varie loqui in hunc ſenſum accepi: quod hic plus, ille minus libero arbitrio tribuat: hic libertatem conſtituat una in parte, ille in altera: Sic ut collectæ inter ſe omnium ſententiæ, nihil quam ſuſpenſum tenere hominem queant. Ita Pighius interpretatur, quaſi dixerim eorum unumquemque ſecum diſſidere. Sed quis putidum hunc calumniatorem ferat? Obſcure vero & perplexe loqui cur non dixero, qui de homine ſic loquuntur, quaſi in ſua integritate adhuc ſtaret, quum in gravem ruinam ceciderit, unde ſurgere ſua virtute non poteſt? qui liberi arbitrii potentiam ſic in homine conſtituant, quaſi per lapſum non amiſſa eſſet? Verum quia de hac re litigare nimis longum eſſet, nihil addam amplius: niſi quod ſcire ex eo velim, quo ſenſu alibi prodat, ante exortam Pelagii hæreſim, veteres omnes liberum arbitrium indiſtinctius extuliſſe. *Lib. 3. circa principium.* Si ſublata gratiæ Dei & humanæ virtutis diſtinctione facilis eſt & expedita perſpicuitas, erraſſe me fateor. Sin vero in illa confuſione lectorem hærere neceſſe eſt, dubium & anxium, quantum Deo adſcribere, quantum homini relinquere debeat, cur ita, quum nihil deliquerim, atrociter vexor?

IN LIBRUM TERTIUM.

SEquitur tertius liber: quem totum Auguſtino deſtinavit. Nam quia illum unum ex aliorum numero exceperam, non modo eum mihi eripere, ſed etiam in ſuas partes pertrahere conatur.

Hoc, inquam, initio profitetur: ſed ubi paululum in rem ipſam ingreſſus eſt: ſæpe reſtitat & hæret, nunc ſubterfugia quæritat, nunc palam ipſum, quem ſibi adjungere propoſuerat, Auguſtinum repudiat. Quid autem prodeſt, inflatis buccis nihil non polliceri, tum ubi lectorum deſiderium ſimul & attentionem acueris, hiantes ipſos dimittere? Ego vero efficiam primum ut perſpiciant omnes integri judicii, & erga veritatem non male affecti lectores, Pighium non amore ſanæ doctrinæ, ſed importuno & furioſo noſtri odio, ad hanc cauſam acceſſiſſe: in ea tractanda, non veri inveniendi ſtudio, ſed ambitione, ac rixandi libidine agi, atque impelli. Poſtremo nihil ſincere aut candide agere, ſed ſatis habere, ſi quovis modo legentium oculos perſtringat: imo laudem ex calliditate & fallendi peritia captare. Deinde quod unum ſaltem ex veteribus Auguſtinum nobis ſuffragari aſſerui, fidem ut in eo meam, atque ingenuitatem agnoſcant.

Primum, abruptas me nec intellectas ex Auguſtino ſententias citare cauſatur. At quas? Quod ſcribit non eſſe liberam ſine Spiritu, hominis voluntatem, quum cupiditatibus vincentibus & vincientibus teneatur. Notavi locum: in Epiſtola 144. ad Anaſtaſium id habetur. Quid hic abruptum aut obſcurum? Item, quod in libello de Perfectione juſtitiæ ſcribit. Nam illic Pelagii dilemma ponit, Quærendum eſſe, per quid efficitur homo cum peccato? per naturæ neceſſitatem, an per arbitrii libertatem? Nam ſi per naturæ neceſſitatem, inquit, culpa caret: ſi per arbitrii libertatem, quærendum à quo acceperit. A Deo ſcilicet. Bonum igitur à bono. Cur itaque ad malum propenſus dicitur? Reſpondet deinde ipſe, Per arbitrii libertatem factum eſt, ut eſſet homo cum peccato: ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſequuta ex libertate fecit neceſſitatem. Unde ad Deum clamat fides: De neceſſitatibus meis erue me. Sub quibus poſiti, vel non poſſumus, quod volumus, intelligere: vel quod intellexerimus, volumus: nec valemus implere. Nam & ipſa libertas à liberatore promittitur: Si vos Filius liberaverit, &c. Victa enim vitio, in quo cecidit, voluntate, caruit libertate natura. Nam altera Scriptura dicit, A quo quis devictus eſt, huic & ſervus addictus eſt. Sicut ergo non eſt opus ſanis medicus, ſed male habentibus: ſic non eſt opus liberis liberator, ſed ſervis, ut ei dicamus: Salvaſti de neceſſitatibus animam meam. Ipſa enim ſanitas, eſt vera libertas, quæ non periiſſet, ſi bona permanſiſſet voluntas. Quia vero peccavit voluntas, ſequuta eſt peccantem dura peccatum habendi neceſſitas, donec tota ſanetur infirmitas. Dicat nunc Pighius me ſententiolas truncas & mutilas adducere. Item quod ſcribit ad Laurentium: Hominem libero arbitrio male uſum, & ſe, & illud perdidiſſe. Et quod in eundem ſenſum ex tertio ad Bonifacium libro adduxi. Quod ſi vel abruptum, vel obſcurum Pighio videtur, audiat ex eodem libro interpretationem. Juſtitia, inquit, Legis non impletur, quum Lex jubet, & homo quaſi ſuis viribus facit, ſed quum Spiritus adjuvat, & hominis non libera, ſed Dei gratia liberata voluntas facit. Item paulo poſt: Et liberum arbitrium, ut eſt captivum, non niſi ad peccandum valet: ad juſtitiam vero, niſi divinitus liberatum adjutumque, non valet. Libro autem primo dixerat: Ut filius Dei quis fiat, hæc poteſtas nulla eſſe poteſt ex libero arbitrio: quia nec liberum in bono erit, quod non liberator liberaverit. Libro quarto, ſic iterum confirmat: Quid mihi obtendis liberum arbitrium? quod liberum non erit, niſi ovis fueris. Qui igitur facit homines oves, ipſe ad obedientiam veritatis liberat voluntates. Nimis certe moroſus homo eſt Pighius, ſi quid adhuc obſtrepere hic auſu. Poſtremus locus ex libro de Correptione & gratia ſumptus eſt: ubi dico, Auguſtinum vocis uſum jocoſis verbis eludere: quum ſic loquitur: Liberum arbitrium, liberum juſtitiæ, ſervum peccati. Nam libertatem hominis non aliam agnoſcit, niſi à juſtitia manumiſſionem: quæ miſerrima eſt peccati ſervitus. Quinto autem ante verſu, non alia ratione liberum eſſe arbitrium dixerat, niſi dum per gratiam liberatur. Locus autem primus, ex ſecundo adverſus Julianum libro, ubi ſervum appellat, ſic habet: Hic vultis hominem perfici: atque utinam Dei dono, & non libero, vel potius ſervo voluntatis arbitrio. Et hic adhuc oblatrabit Pighius, non intelligere me quod cito, vel truncata verba decerpere, quæ Auguſtini ſenſum minime explicent? Atque hæc quidem teſtimonia non eo conſilio adduxeram, ſicut hic nugator fingit, ut de tota re dijudicatio ex illis fieret, ſed tantum ut obiter oſtenderem lectori, quam vim habeat epitheton, liberi, quum hominis arbitrio apud Auguſtinum tribuitur. De nomine igitur duntaxat tracto: hic totam rei definitionem me in pauculis verbis conſtituere mentitur.

Antequam vero Auguſtinum committere nobiſcum in certamen incipiat: conſiderandum non abs re admonet, quibus quidque temporibus ſcripſerit. Atque ita operum ejus, quantum ad propoſitam quæſtionem, tres claſſes facit. Primam iis aſſignat, quæ ante exortam Pelagii hæreſim ſcripſit: alteram his, quæ in ipſo contentionis fervore edidit contra Pelagium ipſum: tertiam iis, quæ poſt remiſſum ac ſedatum calorem compoſuit. Hanc diſtributionem ego quoque libenter recipio: niſi quod cenſuram illam, quam continuo ſubjungit, veram eſſe non concedo. Nam quia Auguſtinum in toto illo ſecundo librorum ordine ſibi parum eſſe propitium novit, ut illis fidem abroget, vel ſaltem auctoritatem deroget, ſapere conflictationis ardorem dicit. Nudam igitur veritatis explicationem ex aliis poſterioribus melius ſumi, in quibus compoſito & pacato animo rem ipſam diſtinctius tradiderit. Ego vero ut minime detrecto, litem ex his poſterioribus libris, ſi opus ſit, dirimi, ita ſic pugnandi cupiditate incaluiſſe Auguſtinum in aliis nego, quin liquidam & diſtinctam veri expoſitionem ſemper retinuerit. Non enim juvenis erat, ſicuti quum adverſus Manichæos ſcriberet: deinde quum diligenter multis locis retractaverit ſuum in prædicando libero arbitrio exceſſum: nuſquam nimis ſe illud extenuaſſe meminit: quo ſatis non aliter ſe, poſt finem certaminis, ſentire, quam tunc quum ſcriberet, indicavit.

Poſt hoc prooemium, audiamus quale primæ claſſis initium faciat. Libro, inquit, ſecundo, quem de libero arbitrio inſcripſi contra Manichæos, liberam homini voluntatem neceſſario datam affirmat, idque in eum finem, ut recte viveret. Hac negata, divini judicii tolli æquitatem. Ac ne cavillemur, de libertate hoc debere intelligi, quæ detur nobis per gratiam, occupatione utitur. Quaſi vero periculum ſit ne ſubterfugia, velut deprehenſi, quæritemus: quum Auguſtinus ipſe ſuis verbis Pighii objectionem non tantum ſolvat, ſed frivolam & evanidam demonſtret, libro Retractationum primo, capite nono. De gratia Dei, inquit, qua ſuorum voluntates præparat Deus, nihil in his libris eſt diſputatum. Aliud eſt enim quærere, unde ſit malum: & aliud quærere, unde redeatur ad priſtinum, vel ad majus perveniatur bonum. Vides hunc fuiſſe ejus ſcopum, ut originem peccati ex voluntario hominis lapſu, non Dei creatione, extitiſſe demonſtraret. Nunc poſt lapſum longe alia eſt hominis conſideratio & longe alia quæſtio: unde aut qua virtute recuperent filii Adæ, quod in patre ſuo perdiderunt. Itaque quoties occinet Pighius, liberam prædicari hominis voluntatem, illud viciſſim non ex me, ſed ex ore Auguſtini, audiat: liberam fuiſſe voluntatem, quum ſana foret: nunc quum tam graviter, & ad mortem uſque ſauciata ſit, humili confeſſione, non ſuperba defenſione indigere.

Alte-

Alterum teſtimonium ex libro tertio adjungit: ubi voluntarium ac liberum eſſe motum contendit, quo homo, ab incommutabili bono ad inferiora peccando convertitur: quum alioqui nec laudandus eſſet, nec vituperandus, nec etiam monendus: deinde, præſcientiam Dei peccati cauſam eſſe negat. Voluntatem enim hominis non aliter fore voluntatem, niſi in propria ejus poteſtate ſit. Ne ſuſpectum ſit, ſi quid de meo proferam, ipſe pro ſe Auguſtinus reſpondeat. Hoc autem facit uno verbo, quum diſputare ſe negat, qualis ſit nunc hominis voluntas, ſed qualis fuerit à Deo condita. Porro id eſt, quod inter nos convertitur: quid nunc homini ſuperſit, ex quo ſpiritualibus illis divitiis ſpoliatus fuit, quibus naturaliter præditus erat: Voluntas eſt, inquit, qua peccatur, & recte vivitur: quod tunc agere volui. Voluntas ergo ipſa, niſi Dei gratia liberetur à ſervitute, qua facta eſt ſerva peccati, & ut vitia ſuperet, adjuvetur, recte pieque vivi non poteſt. Et hoc divinum beneficium, quo liberatur, niſi eam præveniret, jam meritis ejus daretur: & non eſſet gratia, quæ utique gratis datur. Et ne videatur recantare quod dixerat, illinc locum adducit, quo conſtare poſſit, non de vitiata, ſed integra natura dicta eſſe, quæ adeo eam extollunt. Quoniam, inquit, non ſicut ſponte homo cecidit, ita etiam ſponte ſurgere poteſt, porrectam nobis deſuper dexteram Dei, id eſt, Dominum Jeſum firma fide teneamus. Vides, ut nihil aliud quam primum mali fontem requirat. Manichæi fingebant Deum eſſe, ipſe ex libero hominis arbitrio fluxiſſe aſſerit. Liber ergo factus erat: quis negat? Sed quum ſe in ſervitutem vendiderit: quum libero arbitrio male uſus, & illud, & ſe perdiderit: quorſum attinet commemorare, qualis tunc fuerit? Ut clarius etiamnum loquar, de prima hominis creatione ſatis convenit inter nos. Liberi enim arbitrii factum fuiſſe hominem, proponit Pighius. Annuimus: neque expectavimus dum hoc poſtularet: ſed ſemper profeſſi ſumus. Jam diverſas prorſus ac diſſimiles naturas hominis integri adhuc, & per lapſum corrupti ubique clamat Auguſtinus. Quæſtio nunc eſt de poſteriore. Pighius autem, longo verborum circuitu, quid de prima ſentiat & loquatur Auguſtinus, ediſſerit. Reclamat fortiter Auguſtinus: Quum de libera recte faciendi voluntate loquimur, de illa ſcilicet, in qua factus eſt, loquimur. Hæc enim ſunt ejus verba in eodem libro, ex quo Pighius teſtimonia ſe tanta fide ac religione adduxiſſe jactat. Nonne id eſt quod proverbio dicitur? Falces poſtulabam, hic ligones negat. Nunc ſupercilium attollat Pighius: & vociferetur, ſicut facit, nihil eſſe in his verbis ambiguum, ubi tradit Auguſtinus, nihil magis in hominis eſſe poteſtate, quam voluntatem. Reſpondeo, Cur non vertit paginam? ubi reperiet quod ſtultum hunc ejus clamorem compeſcat. Si non eſt, inquit Auguſtinus, iſta poena hominis, ſed natura: nulla iſta peccata ſunt. Si enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus eſt, ita ut melius eſſe non poſſit, ea quæ debet facit, quum hæc facit: ſi autem bonus homo eſſet, aliter eſſet. Nunc autem quia eſt, non eſt bonus, nec habet in poteſtate, ut bonus ſit: poenam eſſe iſtam quis dubitet? Deinde addit: Ex qua miſeria liberat Dei gratia: quia ſponte homo, id eſt, libero arbitrio, cadere potuit, non etiam ſurgere. Hæc ſunt invicta arma Pighii, quibus fretus Auguſtini patrocinium mihi eripit. Jam, inquit, Auguſtino quem ſuum eſſe mentiebatur, Calvinus deſtituitur. Itane? Mirabilis certe præſtigiator eris, hoc ſi cuiquam perſuadeas. Verum, perinde acſi Auguſtinum in me armaſſet, ad opem illi ferendam mox ſe accingit, ſi forte in me opprimendo laboret. Ridiculum vero hominem, qui ita inutiliter ſe fatigat ſupervacuo labore, quem ipſi ſibi temere ac ſine cauſa accerſit. Siquidem nec defenſione adverſum me indiget Auguſtinus, qui omnia quæ ex eo adducit Pighius, ſine certamine amplector: & ſi indigeat, nihil ad rem totus hic apparatus ad dirimendam voluntatis & neceſſitatis ſocietatem. An convenire cum voluntate poſſit neceſſitas, nec ne, alibi videbimus: ſed huic quæſtioni nunc locus non eſt, non magis quam cupreſſo in naufragii tabula.

Pergit deinde ulterius: quia neget Auguſtinus, peccare in eo quempiam, quod caveri nullo modo poſſit. Inſpiciat locum qui volet, an non de peccati initio loquatur: quo ſcilicet convincat, non aliunde hanc, qua hodie premimur, neceſſitatem, quam ex voluntario primi hominis lapſu proveniſſe: quam particulam Pighius, tam fidus, ſuo ſuffragio, relator, tranſiliendo occultavit. De quo ne quis pugnam moveret, omnem ipſe dubitationem ſuſtulit in Retractationibus: ſicut nuper dixi. Cur autem non apertius peccatum illic originale, & vitiatæ naturæ corruptionem expoſuerit, cauſam ſimul reddit: quod adverſus Manichæos erat diſputatio: qui Scripturas ſacras, & præſertim vetus Teſtamentum, unde probare oportuiſſet, repudiabant. Adde quod ex his, quæ adducit Pighius, plura per conceſſionem dicuntur: non quod Auguſtinus ſic rem habere ſentiret, ſed quia quas ad vincendos adverſarios rationes habebat, vel accepta eorum confeſſione, vel eo quod poſtulabant conceſſo, negligere nolebat. Neque volo, ut de hac re mihi aut meis conjecturis credant lectores: niſi idipſum oculis cernant. In fine, quo ſolet pudore, ſatis ſe habere jactat ad victoriam, ſi modo ſemel mihi contrarium Auguſtinum oſtenderit: quia dixerim, conſtanter conſonanterque hac de re ſemper loqui. At quis illi dæmon hoc me dixiſſe revelavit? Neque enim adeo ſum rudis, ut non perſpiciam, quam ſibi diſſimilis ſit Auguſtinus, ſi quis prima ejus ſcripta cum ultimis compararet. Juvenis adhuc erat, & non ita exercitatus, quum Manichæos refelleret. Itaque plus ingenii, acuminis, & ſecularis philoſophiæ illic reperias, quam ſacræ & ſpiritualis doctrinæ. Quod ad liberum arbitrium, modo fuiſſe primo homini datum, & inde fluxiſſe ruinæ principium extorqueret, de altiori inquiſitione non laborabat. Ubi autem prodierunt cum ſua ſecta Pelagius & Celeſtinus, tum quaſi è ſomno excitatus, diligentius cogitare & inquirere cœpit. Hinc illa, quam uni Auguſtino, præ aliis, tribuo, veræ ſanæque doctrinæ perſpicua, certa, exactaque explicatio: hinc & ille conſenſus, quem illi nobiſcum eſſe glorior. Quod niſi Pelagii importunitate coactus oculos magis aperuiſſet, gratiam Dei in obſcuro deliteſcere, ſicut alii, paſſus forte fuiſſet. Agendæ igitur gratiæ Deo ſunt, quod impiorum hominum pravitate mirabiliter, tum ad illuſtrandam gratiæ ſuæ laudem, tum ad ſuperbiam carnis humiliandam, uſus fuerit.

Sequitur apud Pighium alius locus, ex libro de duabus animabus adverſus Manichæos: ubi Auguſtinus definit animi motum cogente nullo, ad aliquid, vel non amittendum, vel adipiſcendum. Hac definitione vehementer urgeri nos putat: quod ego quidem nec video, nec fateor. Ne tamen longius inter nos diſceptandum de hac re ſit, Auguſtinus *Lib. 1. Retract. cap. 13.* ipſe medius interveniat: Hoc, inquit, propterea dictum eſt, ut hac definitione volens à nolente diſcerneretur: & ſic ad illos referretur intentio, qui primi in paradiſo fuerunt humano generi origo peccati nullo cogente, peccando. Paulo poſt: In tantum libera eſt voluntas, in quantum liberata eſt, & in tantum appellatur voluntas: alioqui potius tota cupiditas. Quæ non eſt, ſicut Manichæi deſipiunt, alienæ naturæ additamentum, ſed noſtræ vitium: à quo non ſanatur, niſi gratia Salvatoris. Quod ſi quiſquam dicit, etiam cupiditatem nihil eſſe aliud, quam voluntatem, ſed vitioſam, peccatoque ſervientem, non reſiſtendum eſt: nec de verbis, quum

res conſtat, controverſia facienda eſt. Hic audis, de qua voluntate hoc dictum velit accipi: audis quibus fulminibus corruptæ voluntatis vires proſternat: adeo ut ne ſuo quidem nomine eam dignetur. Subjungit deinde Pighius definitionem peccati, illic poſitam: Quod ſit voluntas retinendi, vel conſequendi, quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere: quanquam ſi liberum non eſt, neque voluntas. Jam in his etiam verbis mentem ſuam nobis Auguſtinus ediſſerat: Vera, inquit, propterea eſt definitio, quia id definitur, quod tantummodò peccatum eſt, non etiam pœna peccati. Nam quando tale eſt, ut idem ſit & pœna peccati, quantum eſt quod valet voluntas ſub dominante cupiditate? niſi forte ſi pia eſt. In tantum enim libera eſt, quantum eſt liberata. Vides ipſius auctoris teſtimonio, qui ejus certe, quod dixit, interpretandi jus habere debet, non niſi primo Adæ peccato convenire hanc definitionem? quia per ejus lapſum à primo Domino in miſeram ſervitutem excidimus. Hinc ergo collige, qua fronte mihi hoc loco tragicis ſuis acclamationibus Pighius inſultet. At dicit Auguſtinus, rem eſſe omnibus tritam, neminem vituperatione aut pœna eſſe dignum, qui id non facit, quod facere non poteſt. Hoc paſtores in montibus, Poëtas in theatris, indoctos in circulis, doctos in bibliothecis, magiſtros in ſcholis, Doctores ſacros in templis clamare & decantare. Verum ſimul teſtatur, perverſum eſſe verborum ſuorum interpretem, qui hoc ad omnia peccata trahat. Se enim non aliud velle, quam non potuiſſe merito damnari hominem, niſi libera voluntate peccaſſet. Nunc vero partem damnationis eſſe illam ſervitutem, ſub qua tenemur captivi & mente, & voluntate, donec gratuito Chriſti beneficio liberamur. Nunc quid ſupereſt, niſi ut Auguſtinum beſtiam appellet, quod non ſuæ dementiæ ſuffragetur? Hanc enim objectionem ipſe movet: Quid ſi alicubi contrarium dixerit? Si feciſſet, aut faceret, connumerarem eum cum Lutheranis, ac in brutum animal degeneraſſe dicerem. Hic non modo contrarium Pighii ſenſu dicit, ſed in illis quoque verbis contrarium ſenſiſſe ſe teſtatur.

Locus quem allegat ex libro de vera Religione, nobis fateor, in ſpeciem videtur repugnare. Sed ſi Auguſtinum recipimus ſui interpretem, tota difficultas erit ad ſolvendum facillima. Peccatum negat fore peccatum, quin ſit voluntarium. In voluntate porro liberum eſſe arbitrium. Tales enim ſervos meliores eſſe judicavit Deus, ſi ei ſervirent liberaliter. Quod nullo modo fieri poſſet, niſi voluntate ſervirent, & non neceſſitate. Nunc locum interpretationi demus. *Lib. 1. Retract. cap. 14.* Peccatum, inquit, illud intelligi debet, quod tantummodo peccatum eſt, non etiam pœna peccati. Poſtea dum inquirit, qualiter voluntaria ſint ea quoque, quæ perpetrantur à nobis, ideo ſic vocari poſſe docet, quod mala voluntate fiant. Ut autem bona ſit, à Domino ſanari & præparari. Poſſetne clarius expoſtulare cum Pighio, quod gravem ſibi injuriam, ſcripta ſua in alienum ſenſum torquendo, faciat? At primum, ratiocinationem deducit à voluntario ad liberum: deinde voluntati neceſſitatem opponit. Neque ego ratiocinationem hanc improbo, ſi integra eſſet, ac ſui juris voluntas. Quemadmodum ſi quis dixerit: Homo eſt animal bipes, Ambulare igitur & ingredi poteſt: erit quidem argumentum non malum nec ineptum. Verum ſi quis ad paralyticum trahere velit: in promptu eſt reſponſio, aliunde eſſe vitium, quod naturam impediat. Sic omnino de voluntate reſpondendum eſt; liberam quidem eſſe natura, ſed vitio factam fuiſſe ſervam, atque hac ſervitute detineri, donec Dei manu aſſeratur. Verum, quia minus ſuſpecta erit ex ore Auguſtini reſponſio, eum loquentem audiat Pighius: *Epiſt. 107 ad Vitalem.* Si volumus, inquit, liberum defendere arbitrium, non oppugnemus, unde fit liberum. Nam qui gratiam oppugnat, qua ad ſugiendum malum, & bonum faciendum liberatur, vult adhuc eſſe captivum. Aut ſi brevius malit: *Lib. 2. de Gratia Dei contra Celeſtin. cap. 33.* In hac quæſtione non natura, ſed naturæ corruptio reputanda. Illic autem de natura ſermonem haberi, certum eſt. Eadem eſt ſecundæ partis ſolutio. Per arbitrii enim libertatem factum eſt, ut eſſet homo cum peccato: ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſequuta, ex libertate fecit neceſſitatem. Itaque quum interrogaret Pelagius, voluntatiſne an neceſſitatis eſſet peccatum: *De Perfect. juſt.* reſpondet: ut ſanemur, nos eum invocare, cui dicitur in Pſalmo, De neceſſitatibus meis erue me. Hæc, opinor, ſufficere queant, ſi aliud non adjicerem: plenius tamen adhuc eſt, quod in libello de natura & gratia habetur. Objiciebant illam Hieronymi ſententiam Pelagiani, quam neque Pighius in nos prætermiſit: Liberi nos arbitrii conditos eſſe, nec ad virtutem, nec ad vitia, neceſſitate trahi. *cap. 65. & ſeq.* Quis aliter, inquit, conditam neget eſſe naturam? Sed in recte faciendo nullum eſt vinculum neceſſitatis: quia libertas eſt charitatis. Nunc ad ſententiam Apoſtolicam redi: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. A quo autem? niſi ab illo qui aſcendit in altum, captivam duxit captivitatem? Quod autem ex vitiis naturæ, non autem ex conditione, ſit peccandi neceſſitas, audiat homo: atque ut in eadem non ſit, diſcat Deo dicere, De neceſſitatibus meis erue me.

Nec aliam reſponſionem poſtulat locus de quantitate animæ. Nam ſi Auguſtino creditur, ubicunque liberi arbitrii commendat facultatem, ad primam naturæ conditionem, non præſentem miſeriam, in quam arbitrii vitio præcipitata eſt, reſpicit. Si non creditur, ſaltem rettactat quod dixerat. Quum tam validis machinis in nos proruat, miraris lector, ſi ſtupore exanimetur, dum videt nos nihil commoveri? Ego vero miror, tam flatuoſum hominem non protinus medium crepare. Verum progredi nos oportet. Libro 22. adverſus Fauſtum Manichæum, ſic creatum eſſe hominem dicit, ut ei ineſſet frenandi cupiditates poſſibilitas, aut facultas. Hoc nihil inter nos controverſiæ habet. De prima enim creatione agitur. At poſtea ſubjungit, quod non niſi de præſenti ſtatu poſſit intelligi: Per eam poſſibilitatem inſtaurari hominem, per quam, ſi voluiſſet, non cecidiſſet. Poſſibilitas, inquit Pighius, liberi arbitrii facultas eſt. Per eam reſurgere hominem teſtatur Auguſtinus. Abſit vero à ſancto viro impium hoc deliramentum, quod toties abominatur, & quod omnes Africani Epiſcopi, eo auctore, dignum anathemate cenſuerunt. Quid igitur his verbis ſignificat? Nihil ſane aliud, niſi nos ex peccati ſervitute in eam libertatem reſtitui, Dei beneficio, qua mundum & carnem omneſque concupiſcentias vincamus. Hæc enim noſtra eſt poſſibilitas, quam ubique commendat, ut Domini virtute fortes ſimus. At cur id nominatim eo loco non expreſſit? Reſpondet ipſe: *Retract. lib. 1. cap. 16.* Naturam contra Manichæos potius, quam gratiam, nomino: quia de natura cum illis quæſtio erat. Et utique id agit gratia, ut ſanata natura poſſit, quod vitiata non poteſt. Fatetur ſe naturæ tribuere, quod non niſi gratiæ eſt: quia ſcilicet non alius ſit gratiæ finis, niſi ut collapſam & everſam naturam reſtituat, & erigat. Quæ ex ſecundo contra Felicem libro deinde recitat Pighius, longe minus habent coloris. Nihil enim quam de naturæ integritate illic tractatur. Et tamen quod nihil de captivæ naturæ liberatione & perditæ reparatione illic dixerit, in Retractationibus excuſat Auguſtinus ipſe: quia hoc cauſa non requirebat. Quid hic obſecro, difficultatis foret, niſi turbulentum Pighii cerebrum, ſua intemperie, & ſibi, & aliis ſine cauſa moleſtiam faceſſeret?

Ad ſecundam claſſem librorum Auguſtini dum

transi-

tranſitum facere vult: quia verebatur ne exciperem Auguſtinum poſtea recantaſſe, quæ juvenis inconſultius ſcripſiſſet, hoc, ut ipſe vocat, cavillum occupat, ac refellit. Primum eo modo ſe viciſſe, quia impudentiſſimi mendacii convictus tenebor, qui Auguſtinum dixerim ubique clare, ubique certo & conſonanter, de hac re loqui. Hoc ubi dixerim, demonſtret, ſi fidem ſibi haberi velit. Auguſtinum aſſerui prorſus eſſe noſtrum: quod autem congruenter in libris omnibus ſecum perpetuo loquatur, mihi nunquam in mentem venit aſſerere. Quin potius dicere ſoleo, hæreſes omnes alias plurimum incommodaſſe Eccleſiæ: Pelagii vero hæreſim multo plus profuiſſe quam obfuiſſe: quod hujus ſancti viri ſpiritum excitaverit, ut à profana illa de libero arbitrio philoſophia, quæ tunc vulgo invaluerat, Eccleſiam repurgaret: ut ſuum gratiæ Dei honorem, falſa humanæ virtutis opinione, quæ tunc multitudinis animos occupaverat, oppreſſum & quaſi ſemiſepultum reſtitueret. Verum ſit ita, ut fingit Pighius. Dixerim Auguſtinum ubique ſibi conſtare. Quid adhuc protulit in medium, quod mendacii me convinceret? Jactat quidem: ſed Thraſonicam ejus vanitatem ſatis traduxiſſe mihi videor, dum adverſus inanem verborum ſonitum, rem ipſam tam claram & firmam oppoſui: utcunque id non magno ſtrepitu fecerim. Proinde illud alterum omitto, quod contendit nullo modo potuiſſe recantare, quæ ante retulerat. Hoc, inquam, nihil moror, ſi tamen eo ſenſu recipere ſuſtineat, quo Auguſtinus ipſe accipi præcipit: quandoquidem hoc modo nobis nihil adverſantur.

Hæc præfatus, magnificam illam pollicitationem ſuo more repetit: facturum ſe, ut certo conſtet, Auguſtinum ſemper & conſtanter nobis eſſe non modo contrarium, ſed acerrimum hoſtem. Verum ubi ad rem propius accedere tentat, hoc eſt, decimo poſt verſu, illius ſuæ confidentiæ oblitus, elevat, quantum poteſt, Auguſtini fidem in hoc ſecundo librorum ordine. Captare enim ipſum ſingula adverſariorum verba, quærere ſemper aliquid quod cavilletur: ut in nonnullis, niſi diſputandi mos excuſaret, candorem ejus deſideres: ita multa in conflictatione effundere, ad illaqueandum captionibus hoſtem, indigna alioqui quæ ſerio ab eo dicerentur. Si tam conſtanter ejus partes tuetur Auguſtinus, quorſum adeo ejus fidem extenuare attinebat? Et quia ulcus non penitus aperire audet, duos tantum locos, quibus ſe minus premi putat, in ſpecimen adducit. Ad illud, inquit, Pelagii objectum, Privari voluntatis arbitrio, quicquid naturali neceſſitate conſtringitur: reſpondet Auguſtinus, neceſſario nos velle eſſe beatos, neque minus tamen voluntate. Argutam eſſe hanc cavillationem judicat. Sed quò argumento? Quia alibi multa de libero arbitrio dixerit Auguſtinus. Sed an inde conſequitur, nihil eſſe voluntarium ſimul, & neceſſarium? Sic Auguſtinus dixerat: Nempe quum neceſſitatem cum coactione confunderet. Hic autem diſtinguere alteram ab altera palam eſt. Alter locus eſt, quod ad hanc Pelagii objectionem refellendam, Quia non peccare noſtrum eſt, poſſe nos & peccare, & non peccare, conſequentiam ſimilem opponat, in qua ſit manifeſtum vitium. Quia nolle infelicitatem, noſtrum eſt: poſſe nos & velle, & nolle. In [illegible] tamen loco demum nihil evenit quod reprehe[illegible], niſi quod in Papiſtas ſi torqueatur hoc argumentum valere negat. De hac re poſtea viderimus. Sed an ideo Auguſtinum, nihil tale commeritum, tam male & inhumaniter tractari oportuit? Concludit tandem, veram & ſeriam ejus ſententiam ex illis, quos citavit, libris, & aliis requirendam. Cur iſtud? Quia diſputationis calore interdum ultra metas abripitur. Quid? An non libri, quos hactenus citavit Pigbius, omnes ſimili ratione ſuſpecti erunt? Quid enim aliud quam certamina continent adverſus Manichæos? En Pighianum acumen, quod pueris deridendum propino. Auguſtinus juvenis adhuc, in medio ætatis fervore, plenus eloquentiæ ſuæ fiducia, recens à ludo rhetorico, ad contentiones quam ad gravitatem exercitatior, profanis doctrinis penitus imbutus, Scripturæ ſacræ ſcientia mediocriter tinctus, multis libris Manichæorum ſectam impugnavit: in quibus nervos ingenii ſui omnes ad certandum contendit. Quicquid illic legitur, pro oraculo haberi jubet Pighius. Scripſit idem Auguſtinus jam ſenex, jam longe & doctior, & moderatior, & ita ſcripſit, ut ſoliditati magis quam argutiæ ſtudeat. Non eſt tutum, inquit Pighius, hinc de ejus ſententia judicare: quia calore incitatus, ſibi non bene temperet.

Nunc audiamus, quid ex Auguſtino ad nos, ſicut propoſuit, expugnandos afferat. Libro primo contra duas Epiſtolas Pelagianorum, ſic habet: Quis noſtrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum: ſed illa quæ in paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam. Ne quem hæc verba impediant, obiter obſervandum eſt, quo ſenſu arbitrium vocare liberum ſoleat. Non diſſimulavi in Inſtitutione, recurrere identidem nomen hoc in ejus ſcriptis: ſed conſiderandum admonui, quam vim haberet. Id autem evidenter ex multis locis poſſe percipi: quorum nonnullos nuper retuli. Plurimum cùm in rebus aliis, tum in loquendi ratione pollet recepta conſuetudo. Hanc enim penes, ut ille ait, arbitrium eſt, & vis, & norma loquendi. Obtinuerat jam vulgo vocabulum illud, ut in eo tollendo plus ſibi fore negotii cerneret Auguſtinus, quam in tota re bene explicanda. Cedit igitur conſuetudini: ſed diligenter interea cavet, ne ex nomine prava intelligentia naſcatur. Sicuti capite trigeſimo libri de Spiritu & Litera: ubi dicit liberum arbitrium per gratiam ſtabiliri: quia tunc liberum eſſe demum incipit, dum per gratiam ex captivitate redimitur: quamdiu vero ſibi relinquitur, ſervum eſſe. Verum ut non recedamus longius, locus hic, quo in nos abutitur Pighius, nobis ſufficit. Liberum arbitrium negat periiſſe de genere humano. Cur iſtud? Quum per illud peccent, qui cum delectatione peccant. Liberi ergo à juſtitia non ſunt, niſi arbitrio voluntatis: liberi autém à peccato non fiunt, niſi gratia Salvatoris. Liberum igitur non ideo eſt, quod poſſit in utramque partem ſuapte virtute ſeſe flectere, ſed quia voluntario motu in malum feratur. Semper autem teſtatus ſum, me de nomine pugnare nolle, ſi hoc ſemel conſtitueretur: libertatem non ad potentiam vel facultatem, boni æque ac mali eligendi, ſed ad ſpontaneum motum & conſenſum referri debere. Et quid aliud ſonant Auguſtini verba? Libera, inquit, eſt homini voluntas, ſed ad malum. Cur? quia delectatione & proprio appetitu movetur. Addit poſtea: Sed hæc voluntas, quæ libera eſt in malis, quia malo delectantur, ideo ad bonum libera non eſt, quia liberata non eſt. Hæc adeo conſentanea ſunt noſtræ doctrinæ, ut in ejus defenſionem ſcripta fuiſſe putes.

Verum Pigbius, ut hos laqueos declinet, longe diverſam ponit diſtinctionem. Homini ineſſe naturaliter dicit, liberam voluntatem, qua proprios ſuos motus, actioneſque omnes in poteſtate habeat: ut ita velit unumquodque ac faciat, ut in poteſtate ſimul habeat, non velle & non facere. Atque hanc eſſe libertatem interpretatur, quam ubique Auguſtinus aſſerit. Quia autem voluntas non in ſuis tantum actionibus acquieſcat, ſed gubernacula habeat in totum hominem, naturaliter quoque dominium habere in omnia membra: ita ut illi, ſua poteſtate ſerio efficaciterque utenti, membra univerſa, quæ motui voluntario deputata ſunt, obtemperent. Fatetur deinde, ſentire quidem univerſos ex quadam carnis infirmitate,

tate, difficultatem: quum membra ad oblectationem & delicias mundi magis propenſa, pigra ſunt ad officium juſtitiæ: ipſam quoque voluntatem ad carnis ſibi cognatæ deſideria nimis facile inclinari, nec facile imperii ſui efficaciam ad illa coërcenda exerere. Verum ubi vult demonſtrare, quantum valeat, eſſe neceſſarium, ut membra omnia illi ad juſtitiæ obedientiam obſequantur: huic præterea difficultati accedere duo mala commemorat, voluntatis ignaviam, peccandique conſuetudinem: quibus fit, ut ſe in ſervitutem mancipet, & jus ſuum ægre poſtea retineat, aut recuperet: neque id tamen fieri, quia vel tunc ingenitam ſibi libertatem amiſerit, ſed quoniam ei placet ea, cui ſe ſubmiſit, ſervitus. Quod quamdiu eſt, inde eximi non poteſt, quia non vult. At quum ſibi ſerio diſplicere incipit, ſervitutem illam excutere ac vincere. Quanquam in hac victoria non negat eſſe difficultatem: quia contra carnem, hoſtem domeſticum, & inveteratam conſuetudinem, dimicandum ſit. Itaque in hac pugna, quo tandem poſſit victrix evadere, opus habere concedit adjutrice Dei gratia. Concludit tandem, ſolam hanc eſſe libertatem, quæ per peccatum amiſſa fuerit: quod quum primi parentes non voluntatis modo, ſed membrorum quoque omnium, & totius corporis motus in poteſtate habuerint, abſque ulla difficultate aut reſiſtentia, nobis caro noſtra infeſta ſit, & adverſus rationis imperium contumax.

Atqui hoc totum non modo Pelagii ſcholam redolet, ſed mera eſt Pelagianæ impietatis magna ex parte profeſſio. Nam principio, liberam in ſe voluntatem relinquit, ut proprios in utramque partem motus ſub poteſtate habeat: neque hoc jus per originale peccatum vel perditum, vel imminutum fuiſſe agnoſcit. Nunc quid de eo ſentiat Auguſtinus, audiamus. Ad
Epiſt. 107 Vitalem Carthaginenſem, quum duodecim capita poſuiſſet, tandem concludit: Recognoſcis non omnia, quæ ad fidem pertinent, dicere me voluiſſe, ſed tantum ea, quæ ad iſtam noſtram de gratia Dei quæſtionem, utrum præcedat hæc gratia, an ſubſequatur hominis voluntatem: hoc eſt, ut planius id eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus, an per ipſam Deus hoc etiam efficiat, ut velimus. Poſtea rurſum: Hæc & alia teſtimonia oſtendunt, Deum gratia ſua auferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum: ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur, non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur. Item libro de Civitate Dei 13. Ad malum prior eſt hominis voluntas: ad bonum autem, prior Creatoris: ſive ut eam faceret, quæ nulla erat: ſive ut reficiat, quæ lapſa erat. Libro ſecundo
cap. 18. de peccatorum meritis & remiſſione: Laborant homines invenire in noſtra voluntate, quid boni ſit noſtrum: & quomodo inveniri poſſit, ignoro. Quarto item ad Bonifacium: Et quomodo bonum hominis propoſitum, niſi miſerante prius Domino? quum ipſa ſit bona voluntas, quæ præparatur à Deo. Proinde quum alicubi prodidiſſet, Deum non miſereri, donec præceſſerit voluntas, eam ſententiam retractat: quia miſericordia Dei ipſam præveniat voluntatem: quæ ſi non eſſet, non præpararetur voluntas à Domino. Item quum alibi ſcripſiſſet, in poteſtate noſtra eſſe, quid velimus: retractat etiam hoc modo: Sed hanc quoque ad bene vivendum deſuper accipimus poteſtatem, quum præparatur à Domino voluntas. Quibus funibus hæc verba trahet Pighius, ut cum impio ſuo commento cohæreant? Voluntati nihil ablatum eſſe vult per originale peccatum, niſi dominium in membra corporis: quod autem ad malum quam ad bonum ſit propenſior, id ſocordia & ignavia, pravaque conſuetudine evenire, non quia reſiſtendi facultatem non habeat. Auguſtinus vero reclamat, malam eſſe voluntatem: ac teneri ſub malo captivam donec liberetur. Et tamen tam deploratæ impudentiæ eſt hic canis, ut Auguſtino ignominiam hanc inurere auſit, quaſi eum haberet ſuæ impietatis patronum. Deinde in cupiditatibus carnis vincendis, primas voluntati partes concedit, quaſi hæc pugnam incipiat: deinde gratiam Dei adjutricem, quaſi in ſubſidium illi adjungit. Ubique autem reclamat Auguſtinus, nihil præter malum concipere voluntatem, donec Spiritu prævenitur. Atque ita etiam in Concilio Arauſicano decretum eſt: Si quis, ut à peccato purgemur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit: non autem ut purgari velimus, per Spiritus ſancti operationem in nobis fieri confitetur, eum Spiritui ſancto adverſari. Quum tantum ſe Eccleſiæ deferre fingat, quid nunc ſubterfugii inveniet, quum ab orthodoxa Synodo hoſtis Spiritus ſancti pronuncietur? Deinde ſic impediri voluntatem exiſtimat carnis repugnantia, ut ſuperior tamen eſſe queat in certamine, ſi vires ſuas experiretur: & quum etiam illecebris carnis tenetur irretita tantum, ideo requiri fingit auxilium gratiæ ad eam in recuperando ſuo jure adjuvandam, quia non facile alioqui poſſit victoriam obtinere. De neceſſitate nulla mentio. Quid autem de ea re ſenſerunt veteres? Extat decretum Milevitanæ Synodi in hæc verba: quod in Conciliis Africanis repetitur: Quicunque dixerit, ideo nobis dari juſtificationis gratiam, ut quod jubemur per liberum arbitrium, facilius poſſimus per gratiam implere, tanquam ſine gratia poſſimus, etſi difficulter, anathema ſit. Tametſi illa verborum fulmina non jaculor, quibus in nos deſævit Pighius, ſpero tamen ex hac oratione ſatis fore perſpicuum, quam hoc novum ejus delirium ab Auguſtini ſenſu alienum ſit ac remotum: cujus nomine illud prætexere, mira confidentia, audet.

Quantopere autem cum tota Scriptura pugnet, operæpretium oſtendere foret, niſi libro quinto recurreret: ubi opportunior erit locus. Quam etiam ob cauſam, quod de peccato originali nugatur, refellere in præſentia ſuperſedeo: ne idem bis dicendum ſit. Hoc vero tacere diſputationis ordo non patitur, quod nihil tam abſurdum dicit, cui approbando Auguſtini titulum non obtendat. Hoc eſt, inquit, quod dicit libro tertio hypognoſticôn Auguſtinus: perdidiſſe nos libertatem, non ad velle, ſed poſſe, aut perficere. Primum jam oſtendi, aliud toties docere Auguſtinum: deinde ſatis inter eruditos convenit, non eſſe Auguſtini librum illum: tertio perperam interpretatur Pighius quod allegat. Dicit quidem ſcriptor ille, quicunque ſit, amiſſo poſſibilitatis bono, ſolum arbitrium ad velle nobis relictum eſſe, idque vulneratum. Sed quo ſenſu, non obſcurum eſt: ſi quis conjungat, quæ poſtea ſequuntur. Eſſe fatetur liberum arbitrium: habens quidem judicium rationis: non per quod ſit idoneum, quæ ad Deum pertinent, ſine Deo, aut inchoare, aut perficere, ſed tantum in operibus vitæ præſentis. Quid eſt obſecro incipere in libero arbitrio, niſi primus voluntatis motus? Sicut peragere, eſt firmum propoſitum cum efficaci conatu. Sed forte nondum acquieſcit Pighius. Faciam ergo, ut prorſus obmuteſcere cogatur. Subjungit aliquanto poſt: Quum de libero arbitrio agimus, non de parte hominis agimus, ſed de toto: quia quum peccavit homo primus, non parte aliqua, ſed totus, qua conditus eſt natura, deliquit. Audis non partem aliquam fuiſſe in homine vitiatam (ſicut profana imaginatione philoſophatur Pighius) ſed totam hominis naturam ſubjectam fuiſſe pravitati. Quid poſtea? Vitiato igitur, inquit, libero arbitrio, totus homo eſt vitiatus: quare abſque adjutorio gratiæ Dei, quod Deo placeat, nec valet incipere, nec perficere ſufficit. Ubi illa Pighii imaginatio, corruptionem totam in corpore velut in eloaca incluſam eſſe? Pergamus. Prævenitur autem medicina, ut ſanetur in eo & reparetur vitiata, atque præparetur voluntas. Audis in ipſa voluntate reſi-

dere

dere vitium: audis nihil poſſe eam boni concipere, donec ſanata, reparata, ac etiam præparata fuerit: de qua præparatione ſequitur: Non ergo homo voluntate ſua adhuc in vitio liberi arbitrii claudicante prævenit Deum, ut cognoſcat, & quærat eam gratiam, tanquam pro meritis accepturus, ſed præcedit, ut jam dixi, miſericordia ſua Deus hominis, nondum ſe quærentis, voluntatem: ut eum faciat ſe ſcire, & quærere. Qui omnem præparationem homini tollit, quid aliud relinquit, quam perverſam voluntatem? Sed adhuc clarius poſtea explicat: De non credente, inquit, ut cognoſcat & credat, in quo bona opera nulla ſunt, dictum eſt: Non volentis, neque currentis: quia in vanitate ſenſus, atque in tenebris obſcuratum habens intellectum liberi arbitrii, lumen verum videre non poteſt: niſi Deus, qui juſſit è tenebris lumen ſplendeſcere, illuxerit in corde ejus. Quum autem acceperit Spiritum Domini, erit in eo libertas ad capeſſenda Domini præcepta. Nunc quæro, quæ ſit eligendi & volendi libertas, in eo qui videre nihil per ſe poteſt. De fidelibus autem, & qui jam Deo ſerviunt, ſic dicit: Fieri etiam hoc in illis, quum gratiæ miſeratione ſubito perveniunt ad ea bona opera, quæ nec voluerunt, nec cucurrerunt. Tandem concludit: Itaque quicquid vult homo, quicquid poteſt, à Domino eſt. Bene velle homini tribuit Pighius, implendi tantum facultatem à Domino, idque ex parte, accipere docet. Quo auctore? Auguſtinum obtendit. At audis quam bene ſe ab hac calumnia vindicet, quum non minus velle, quam poſſe, Dei eſſe donum agnoſcit: idque in ſolidum. At poſtea catholicum eſſe negat, qui liberum arbitrium negaverit: ſane, hac conditione addita: quod ſine Deo, nullum bonum opus vel incipere, vel perficere queat. Refert deinde Pelagii objectionem, quia prior velit homo, Deum velle: quam ſic refellit: Jam meritum facit, inquit, ut non ſit jam gratia, ſed merces. In fine, illud Apoſtoli citans & exponens: Quum placuit [Galat. 1. verſ. 15.] Deo, qui me vocavit ab utero: non quum voluiſſem ego, inquit, ſed quum placuit ei, qui me elegit: non per meritum meum, ſed per gratiam ſuam: ut ſit fidelis, non ſecundum propriæ voluntatis meritum, ſed per Dei donum. Mirabor, ſi criſtas erigere audeat Pighius, tam clara veritatis luce convictus atque confuſus.

Omitto quod pulcherrimam Pauli ſententiam prorſus extranea gloſſa miſere lacerat, de liberis juſtitiæ & ſervis peccati. Liberos enim juſtitiæ, eleganti alluſione, emancipatos à juſtitiæ imperio vocat: ſervos autem peccati, quia ſub injuſtitiæ dominatione uſque ad illam, de qua ſimul meminit, liberationem, ſervitutem ſerviant: quod hic frigidis ineptiis eludere conatur. Locum autem Auguſtini, quem citaveram ex libro de Spiritu & Litera, ut mihi extorqueat, nimis violenter torquet. Nam quum Auguſtinus totam bonorum operum ſummam, & ſingulas partes Dei gratiæ aſſignet, quaſi nihil tale in ejus verbis haberetur, ad unam poſſibilitatem hic reſtringit. Ubi Auguſtinus defectum ponit, hic ſubſtituit imbecillitatem. Et ſe elapſum eſſe putat, ſi in Pelagianos hæc bene quadrare dixerit, non autem in ſe ac ſui ſimiles. Quum autem clamat Auguſtinus, non competere nomen hoc, quod libertatem ſonat, niſi iis qui Spiritu Dei reguntur: quoniam alii omnes ſervi ſunt peccati, idque non ex parte, ſed in totum, hæc tranſilit Pighius, quaſi nihil ad ſe pertineant. Audivit forte aliquando rhetoricum eſſe artificium, ea ſilentio tranſire, quæ cauſam nimis gravent: ſed in re tam aperta, nullus fuit diſſimulationi locus.

Colligit poſtea & alias ſententias: quibus multum immorari minime opus erit: quod quum apertiſſime nobiſcum faciant, in diluendis quas Pighius aſſuit calumniis, non multum erit negotii. Dum ad locum illum à Pelagio objectum reſpondet, ſi volueritis & audieritis: ſe nihil contradicere ſcribit, ſi à Domino præparari fateretur illam voluntatem. Vides, inquit, non eum damnare in Pelagianis, quod arbitrii libertatem aſſererent, ſed quod illi tribuebant, ſine gratia mereri gratiam. Imo hoc damnat, quod vel guttam unam boni homini attogarent. Reſpondeant, inquit, mihi novi hæretici, [Ibidem, hoc eſt, l. 4. contra duas Epiſt. Pelag.] quid boni ſit in hominibus nomini Chriſtiano inimicis. Non ſolum enim non habent meritum, ſed habent peſſimum meritum. Oramus pro ipſis. Quid ergo petimus, niſi ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes? A quo autem? niſi ab eo, de quo ſcriptum eſt, A Domino præparatur voluntas? Vides nunc, quid Auguſtino ſignificet, præparari voluntatem: nempe ex mala & perverſa in bonam converti. Quomodo enim, inquit, hominis bonum propoſitum, niſi miſerante prius Domino? quum ea ſit bona voluntas, quæ præparatur à Domino. Melius adhuc & expreſſius libro ejuſdem operis primo: Oramus pro impiis, ut eorum mala voluntas in bonam mutetur. Et occulta Dei gratia ſubito multi trahuntur ad Chriſtum. Hoc qui improbant, non mihi, ſed Chriſto reluctantur, qui clamat: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Non enim ait, duxerit, ut illic aliquo modo intelligamus præcedere voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari: non ut homines, quod fieri non poteſt, nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant. Videſne, homines non poſſe velle niſi malum, donec mirifica converſione, eorum voluntas ex mala in bonam mutetur? Quid ergo extenuando proficit Pighius, ut partem ex toto faciat?

Atqui accuratius in fine libri primi explicat, quid tam in Manichæo, quam in Pelagio, damnent orthodoxi: nempe quod ille diceret, à bono Deo nec creatos fuiſſe homines, nec inſtitutas nuptias, nec Legem à Moſe datam: hic quod adverſaretur gratiæ Dei, ac non gratis eam, ſed ſecundum merita noſtra dari: hominem, libero arbitrio bene utendo, mereri gratiam: parvulos ſic eſſe ſalvos, ut à Chriſto non ſalventur. Si hæc accurata eſt dogmatum enarratio, quo igitur colore Manichæi diſcipulos nos antea fecit Pighius? Neque enim à Deo aut hominem creatum, aut nuptias inſtitutas, aut Legem prodiiſſe negamus. Verum alia quoque addebant Manichæi. Cadit itaque tota ejus ratiocinatio. Vides, inquit, capita blaſphemiarum Pelagii, in quibus non eſt, quod liberum arbitrium aſſerat. Si valet hæc ratio, cur non ſimiliter & illa valeat? Vides capita blaſphemiarum Manichæi, in quibus nullum eſt, cujus nos inſimulet Pighius. Non enim poteſt. Sequitur ergo, improbum & futilem eſſe calumniatorem, qui nos ejus hæretici diſcipulos eſſe criminetur, cum quo nihil prorſus habemus ſimile. Hæc non in alium finem dicta ſint, niſi ut appareat, Pighium, dum levibus magis argutiis, quam veris probationibus inſiſtit, ſuo ipſius indicio, inſtar ſoricis, ut aiunt, perire. Nunc ad firmam reſponſionem venio. Ut hic breviter comprehenſa ſit ſumma errorum Pelagii: diſertis tamen verbis explicatam eſſe nego. Ejus rei fidem nemo facere melius poterit, quam Auguſtinus ipſe: qui alibi duodecim capita recitat, quæ ab iis ſibi concedi poſtulat, qui à [Ad Vital. Epiſt. 107] Pelagianiſmo purgare ſe vellent: quæ plus continent, quam hic exprimatur. Deinde, nihil hic de perfectione juſtitiæ, ad quam hominem pervenire poſſe fingebant, ut eſſet in hac vita ἀναμάρτητος. Nihil de gratia ſubſequente: nihil de perpetua ejus ad ſingulos actus continuatione: nihil denique de electione gratuita fidelium, & impiorum ad mortem

præ-

prædeſtinatione: quæ fuiſſe inter eos maxima controverſiæ capita notum eſt. Quis ergo non videt, nimis puerilirer Pighium ineptire?

Verum magis urget alter locus, ex primo libro de gratia Chriſti, & originali peccato: ubi nullam fore quæſtionem aſſerit, ſi Pelagius, quemadmodum poſſe noſtrum à Deo confitetur, ita velle etiam & agere ſimul adderet: hoc eſt, non ſolum poſſibilitatem in homine, etiam ſi nec velit, nec agat bene, ſed ipſam quoque voluntatem & actionem, id eſt, ut bene velimus & bene agamus, quæ non ſunt in homine, niſi quando vult & bene agit, divinitus adjuvari agnoſceret: ut ſine ullo adjutorio nihil bene velimus, nec agamus: eamque eſſe gratiam Chriſti, per quam nos ſua, non noſtra juſtitia, juſtos facit: ut ea ſit vera noſtra juſtitia, quæ nobis ab illo eſt. Hæc enim ſunr Auguſtini verba, non ut à Pighio referuntur. Hic mihi vehementer ſcilicet ſudandum eſt, ut hunc nodum expediam. Sed jam facillimam rationem inveni. Fateor enim verum eſſe quod dicit Auguſtinus: ac ſi de tribus iſtis inter nos bona fide conveniat, non modo certamen omittere paratus ſum, ſed nego ullum eſſe. Poſſibilitatem adjuvari Dei gratia, fatebatur Pelagius: voluntatem vero & effectum penes hominem eſſe dicebat. Quanquam cum in poſſibiliratis voce ſallendi latebram quærere arguit Auguſtinus, non tamen etiam ſi ſucus ille tollatur, eo contentus eſt: ſed hoc conſtanter tuetur, voluntatem Dei gratia bonam fieri, & efficaciter nos dirigi ad effectum uſque boni operis.

cap. 25. Non ſolum poſſe noſtrum, inquir, donavit atque adjuvat Deus, ſed velle quoque & operari efficit in nobis. Non quia non volumus nos, aut non agimus, ſed quia utrumque fit ejus auxilio. Quid autem hoc valeat, ex capite decimo quarto melius intelligetur. Si eſt, inquit, ut veritas docet, omnes venire, qui à Patre didicerint: quiſquis non venit, profecto nec didicit. Poſtea: Quando igitur docet Deus, non per Legis literam, ſed per Spiritus gratiam, ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Et iſto divino docendi modo, etiam voluntas & operatio, non ſola volendi & operandi poſſibilitas adjuvatur. Si enim ſolum poſſe noſtrum juvaretur per gratiam, ita diceret Dominus: Omnis qui audivit & didicit, venire poteſt. Non autem hoc tantum, ſed venire, dicit. Venire poſſe, conſtituit in natura Pelagius: vel etiam in gratia, qua dicit adjuvari poſſibilitatem ipſam. Venire autem, in voluntate & opere eſt. Porro non eſt conſequens, ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi voluerit atque fecerit: ſed omnis qui didicit à Patre, non ſolum poteſt venire, ſed venir: ubi jam & poſſibilitaris profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt. Quid Pighius amplius velit, aut requirat? Dico me hanc pactionem toto animo amplecti, ut nulla ſit inter nos contentio, hac inter nos conſtituta doctrina. Quid ipſe? Totum hominis defectum in poſſibilitate includit. Hanc quoque ſic Dei gratia fingit adjuvari, ut voluntas, ſi velit, poſſit: ab efficaci gratiæ operatione, tanquam à periculoſiſſimo ſcopulo, vel potius, præſenti naufragio, abhorret. Qui autem illuſtre fidei & candoris ejus ſpecimen habere volet, diligentius expendat, quid in hoc loco immutaverit.

Nihilo plus difficultatis habet locus, quem ex tertio hypognoſticôn adjungit. Liberum arbitrium negari, prohibet ille ſcriptor. Neque enim Auguſtinum eſſe, eruditi omnes cenſent. Sed quid retinet præter nomen, quum inutile eſſe teſtetur ſine Dei gratia, tam ad inchoandum, quam perficiendum bonum? quum aſſerat non præveniri Deum voluntate noſtra, ut quæramus ejus gratiam, ſed eum gratuita miſericordia efficere in nobis bonam voluntatem? quum denique nihil homini relinquat, niſi ut in Deo fortis ſit, ſapiens ac juſtus, in ſeipſo nihil horum habeat? Ubi in re optimus nobis conſenſus eſt cum hoc ſcriprore, cur ob voculam nos in certamen committir Pighius, quaſi per omnia diſſideremus? Semper me dixiſſe teſtis eſt mea Inſtitutio, per me non ſtare, quin liberum hominis arbitrium vocetur, modo ſana verbi definitio nobis conſtet. Sic vocat Auguſtinus, neque in eo tam proprium ſenſum, quam receptam conſuetudinem ſequitur. An ob hanc cauſam nobis hunc moleſtum eſſe decet? Quod ex variis Auguſtini locis colligamus, nullas eum partes, nullam arbitrio facultatem tribuere: in eo ſtupiditatem oſcitantiamque noſtram mirari ſatis non poteſt. At quo redit quicquid dicimus? niſi primum quod eſt, aut habet, aur poteſt homo, vanum per ſe id totum & inutile eſſe ad ſpiritualem Dei juſtitiam, niſi Dei gratia in bonum dirigatur: deinde, voluntatem hominis per ſe malam eſſe: converſione ergo & reparatione opus eſſe, ut bona eſſe incipiat: ipſam vero gratiam, non inſtrumentum modo eſſe, quo adjuvetur homo, ſi illi manum porrigere libeat: hoc eſt, non tantum offerre facultatem recipiendi vel reſpuendi relicta optione, ſed mentem gubernare, ad eligendum quod rectum eſt, voluntatem quoque ad obtemperandum movere efficaciter, conatum excitare & promovere, ad ipſum uſque operis complementum. Deinde, non ſufficere, ſi ſemel in hominem collata fuerit, niſi perpetuo tenore eam proſequatur. Quid autem Auguſtinus? Jam quidem multa retulimus, plura quoque poſthac referre operæpretium erit: ut tamen ab illa admiratione paululum ſe recolligat Pighius, ex uno loco breviter hic audiat nihil ſibi mirum videri, quod non ille ſuffragio ſuo comprobet. Sed laborant, inquit, homines, in noſtra voluntate invenire, quid boni ſit noſtrum, quod non ſit ex Deo: & quomodo inveniri poſſit, ignoro. Ratio. Nam ſi nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt, quæ adhuc poteſt eſſe vel bona, vel mala: bona autem voluntas ex nobis eſt: melius eſt id quod à nobis, quam quod ab illo habemus. At negat Auguſtinus, tam gratiam ſine libero arbitrio, quam liberum arbitrium ſine gratia ſufficere. *Lib. 2. de peccator. merit. & remiſſ.* Fateor, ſed non alio ſenſu, niſi ut Deum in homine, non ſicut in lapide operari ſignificet: quando in eo ſit voluntas, ad volendum nata & diſpoſita, ut loquuntur: ſed voluntatem, quæ naturæ vitio prava ſit & contorta, in bonum flectendo, bonam reddere. Perinde ergo eſt, ac ſi diceret, bene velle non poſſe hominem, niſi ante in eo ſit voluntas, eaque ſpontanea. Hoc quum à natura habeat, illud à gratia, merito dicit Auguſtinus, ſine libero arbitrio non eſſe locum gratiæ. Quid enim valeat apud eum liberi arbitrii nomen, jam viſum eſt. Hoc ſi clarius exponi tibi velis, ſic habe: inſtat materiæ eſſe in homine voluntatem, quæ gratiæ operationi ſubjecta ſit, ut ab ea formam accipiat. Ita voluntatem, cum ſpontaneo motu, ſequitur à natura eſſe, malitiam ex naturæ corruptione manaſſe: bonitatem à gratia Spiritus ſancti proficiſci, itaque proprium eſſe ejus opus.

Quæ ſequuntur apud Pighium, tumultuoſæ ſunt phrenetici hominis voces. Quoniam negat Auguſtinus, ea ſe damnare liberi arbitrii opera, quæ ut fiant, præparantur pér gratiæ præventum, nullo liberi arbitrii merito, eaque faciente, gubernante, perficiente, fiunt, inſultat hic quaſi victor, & meam, tum ſtultitiam, tum pervicaciam increpat, quod nihil diſcernam. Egone hunc phreneticum non dicam, qui recta jugulum ſuum petit, dum hoſtem ferire ſe putat? Liberi arbitrii nomen, de quo ſupervacua altercatio eſſet, omittamus. Ea demum bona opera & laude digna pronunciat Auguſtinus, quæ Dei Spiritu, ut fiant, præparantur: idque fieri gratiæ præventu, nullo voluntatis merito. Si Dei gratia prævenitur noſtra voluntas, nullo ſuo merito,

ubi

ubi bonus motus & præparatio, quam Pigbius comminiſcitur? Si facit, gubernat, perficit eadem gratia in nobis, quicquid eſt bonorum operum, quid adhuc litigamus? Intonat Pighius clamoſa voce, ut hoc audiam. Ego vero libenter, & audio, & profiteor. At liberi arbitrii eſſe bona opera aſſerit Auguſtinus: quod negamus. Egone voluntaria eſſe bona opera unquam negavi? At nullas libero arbitrio partes in bonis operibus tribuo. Nullas ſane, niſi ut agat, dum agitur: quia per ſe nihil poteſt: quod ſi Auguſtini verbis non eſt conſentaneum, neque ovum ovo ſimile eſt. At Auguſtinus ſanctos bonis operibus cenſet: Ego opera qualiacunque ſint, adeo ad conſequendam juſtitiam valere nego, ut impia ſint, ſi hunc habeant reſpectum. Reſpondeo, huic diſceptationi non eſſe nunc locum: unde homines juſtitiam, coram Deo, conſequantur. Quod autem ad præſentem quæſtionem attinet, prorſus nobiſcum illud ſancti viri verbum facit. Nam quoties gratuitam eſſe hominis juſtitiam probare vult, hanc rationem ſubinde in ore habet: nos Dei juſtitiæ obedire, non per liberum arbitrium, quod natum eſt in nobis, ſed per Spiritum ſanctum, qui datus eſt nobis.

Jam ad tertium ordinem operum Auguſtini nos vocat Pighius: quo tamen antequam veniat, pæanas ſibi canit, quaſi jam parto triumpho: nec alia de cauſa eertate ſe adhuc fatetur, niſi ut promiſſo ſatisfaciat. Sic forte ſibi perſuaſerat, quum ſolus ſua, ſine alterius cenſura & animadverſione, legeret. Nunc ubi noſtra legerit, agnoſcet, ut ſpero, ſe plauſum nimis ineptum ac præcipitem ſibi dediſſe. Allegat ex ſecundo ad Marcellinum libro, de peccatorum meritis & remiſſione, quid in Pelagianis reprehendat Auguſtinus: nempe, non quod liberum arbitrium ſtatuant, ſed quod nimis erigant. Verum jam ſæpius dictum eſt, quam ut repetere opus ſit; ideo liberi arbitrii nomen concedere hoſtibus ſolitum, ne ob vocem paſſim receptam moroſitatis invidiam ſubiret. Aliud ergo afferat oportet, ſi premere nos velit. Nec ſe, nec quenquam dubitaſſe orthodoxorum teſtatur, quin nemo peccet, niſi libere volens. His ſubſcribimus nos quoque, ſi libere, pro ſponte, poſitum interpreteris, ut mens ſcriptoris fuit accipere. Sequitur poſtea: & quod Deus nihil præceperit, quod non ſit in poteſtate noſtra ſitum. Nempe, ſi ſana eſſet voluntas, ut quicquid habet virium, ad Legis obſervantiam applicaret: ſicut ipſe idem reſpondet, de perfectione juſtitiæ. Nunc vero quum prorſus corruptæ ſint totius animæ facultates, & ad bene agendum inutiles, non amplius in nobis quærenda, ſed è cælo petenda eſt poteſtas illa, quæ Legis juſtitiæ ſufficiat. Hæc non mea, ſed ipſius Auguſtini verba ſunt. At ſemper adjuvandi verbo utitur: quo videtur innuere, non ipſum agere omnia, ſed nobis partes in agendo aliquas relinquere. Primum, aut non-animadvertit, aut animadvertere ſe diſſimulat hic nugator, Auguſtinum in illis libris non ex inſtituto tractare, quid ſit, aut quidnam valeat liberum arbitrium, ſed obiter ejus facere mentionem. Illic enim primum quæritur, utrum ex naturæ neceſſitate ſit mors, an ex peccati pœna. Deinde, an inveniri quiſpiam hominum poſſit ἀναμάρτητος, id eſt, ſine peccato. Unde & de peccato originali naſcitur tertia quæſtio. De libero igitur arbitrio, non quantum ad expediendam totam quæſtionem ſatis ſit, ſed quantum occaſio ferebat in alterius argumenti tractatione, illic dicit. Ad hoc, ſi clauſulam inſpicias, nihilo minus comprehendit, quam quod tradimus: Dei ſcilicet eſſe, implere per gratiam, quod per Legem jubeat. At poſtea excipit, non ſolis votis agendum eſſe. Nempe, ut deliræ & impiæ eorum imaginationi occurrat, qui Deum in homine ſicut in lapide, hoc eſt, ſine intrinſeco, ut ita loquar, voluntatis ejus motu, operari fingunt. Poſtremo, ſi meminerint lectores, quas ex eodem libro ſententias nuper retuli, Auguſtinum agnoſcent longe plus in progreſſu exprimere, quam hic attingat. Neque enim de adjutorio Dei ſolum loquitur, quaſi ita nos adjuvet Deus, ut convertamus nos ipſi, dum ab eo convertimur, ſicut Pighius mentitur, ſed unius Dei opus in ſolidum eſſe aſſerit, tam mentis, quam voluntatis rectitudinem: ſeque fatetur ignorare, quid omnino poſſit in hominis voluntate boni inveniri.

Quæ ex libro de Spiritu & Litera adducit, non longa expoſitione indigent, ſi candidum habeant interpretem, hoc eſt, diſſimilem Pighio, qui nullum non movet lapidem, ut bene dicta, peſſimis calumniis depravet. Auguſtinus fidem in libera noſtra poteſtate conſtituit: utpote quæ à voluntate noſtra pendeat: quia libero arbitrio, aut tendere ad fidem poſſimus, aut ad infidelitatem inclinare. Si tota diſputatio ſic clauderetur, haberet, fateor, Pighius inſoleſcendi materiam. Sed quum poteſtatem hanc ſingulari Dei dono conferri nobis, non ex libero arbitrio ſurgere ſimul teſtetur: credendi quoque voluntatem, non naturæ bonitate concipi, ſed fieri ac formari per Spiritum ſanctum: nonne jam elicere promptum eſt, quid ſuperioribus illis verbis ſibi velit? Nempe, tunc noſtram eſſe & poteſtatem, & voluntatem, quum utraque nobis data fuerit: ſicut docet, ejus operis capite nono, de juſtitia & fide loquens. Utrumque, inquit, noſtrum eſt; ſed ideo Dei & Chriſti dicitur, quod ejus nobis largitate donatur. Quod autem, adhibita inter poſſe & velle diſtinctione, hanc formulam negat in Scriptura inveniri, quod non ſit voluntas niſi à Deo: ſicut de poteſtate loquitur, nobis per omnia ſuffragatur. Cauſam enim mox ſubjungit: ne quis ſcilicet malas voluntates Deo adſcribat. Cæterum, bonam Deo voluntatem, ſicut à Deo efficitur, ita rite ac merito illi tribui, concedit. At ſic inter Deum & hominem partitur, ut conſentire Dei vocationi, vel ab ea diſſentire, in libero voluntatis motu ſitum eſſe dicat. Contexe quod ſtatim ſequitur apud Auguſtinum, quod malitioſe ſubticet Pighius, & ſolutus erit nodus. Si quis me, inquit, ad profunditatem illam coarctet, cur ita ſuadeatur huic, ut perſuadeatur: alteri autem non ita, duo habeo, quæ reſpondeam: O altitudo divitiarum! &, Non eſt iniquitas apud Deum. Cur hoc addit, niſi quia ille quoque conſenſus, quem in hominis poteſtate collocaverat, opus eſſe Dei agnoſcit? Parum enim proficeret Deus, voluntatem noſtram excitando, niſi eam ad firmum uſque conſenſum dirigeret, ac perduceret. Quanquam nec ſe tandem continere poteſt Pighius, quin nos ipſe quoque ſublevet. Erraſſe, inquit, ſe fatetur Auguſtinus, quia noſtræ eſſe facultatis putaverat, Euangelio conſentire. Quid ergo cauſæ eſt, cur negotium nobis faceſſat? quaſi propria hæc eſſet liberi arbitrii facultas. Secundum hanc igitur confeſſionem, inclinat cor noſtrum Deus, ut conſentiamus Euangelio. Conſenſus ille merito noſter dicitur: ſed non ita, ut intelligatur eſſe à nobis. Sic alibi: Iſta eſt fides quam exigit à nobis Deus: & non invenit quod exigit, niſi donaverit quod inveniat. Agedum, illud quod in clauſula ponit Pighius, ſine fuco amplectamur: ita nos aſſerere arbitrii libertatem, ut tamen nihil nobis ex nobis ineſſe confiteamur: & pax inter nos conſtabit. Sed quia toto impetu ad faciendum fucum rapitur, quid hoc valeat, non animadvertit.

Sed objicit aliam ſententiam, ex Homilia 53. in Joannem: tametſi locum non deſignat. Nemo ſic audeat defendere liberum arbitrium, ut invocandum neget gratiæ auxilium: nec quiſquam ſic neget voluntatis arbitrium, ut quod inde neceſſario conſequitur, audeat excuſare peccatum. Sed quo jure Pighio licuit, parentheſin hanc attexere, de ſuo, ac ſic inſerere contextui, ut pars eſſe videretur? Qua neceſſitate magis ſequitur, excuſari peccatum, ſi

liberum arbitrium negatur, quam tolli gratiæ auxilium, ubi ſtatuitur? Periculum eſt, ne liberum arbitrium aſſerendo, injuria fiat Dei gratiæ: rurſum ne, id quoque negando, prætextus excuſationi impiorum detur. Utrumque cavendum admoner Auguſtinus, ſicut nos diligenter admonemus. Si neceſſe eſt, auctore Pigbio, ubi liberum arbitrium negatur, excuſari peccata, cur deſtrui Dei gratiam minus neceſſe erit, ſi aſſeratur? Hoc ſi ſuo nomine dixiſſet, juberem cum ſuis ineptiis procul faceſſere. Jam quum Auguſtino affinxerit, cur non falſarium nominem? Porro falſam hanc adjectionem tolle, quid illic eſt, quod nobis adverſetur? Caveri vult Auguſtinus, ne impiis detur aliquis prætextus, ad excuſanda peccata. An non boc ſedulo obſervamus? Nam & ſponte dicimus peccare, quicunque peccant: eoque ipſo convictos teneri, ne ſe à reatu eximant. Juſto Dei judicio damnari, qui ejus juſtitiam violaverint, cui ſubjectos eſſe nos omnes decet: naturæ vero imbecillitatem aut impotentiam fruſtra prætexere, cujus ſibi culpam imputare debeant. Itaque quod perperam in nos torquere Pighio libuit, nos non parum adjuvat. Nam quum hac exceptione contentus ſit Auguſtinus: nobiſcum illi bene convenire, quis non videt? Præſtamus enim fideliter, quod requirit: dum, bac moderatione adbibita, ne peccata ſua excuſent homines, liberum arbitrium negamus. Sed formidabilem macbinam habere ſe Pighius putat, ex libris, quos ad Valentinum ſcripſit idem Auguſtinus. Nam quum ſuſpicarentur tunc multi, defendi liberum arbirrium non poſſe, ſine gratiæ injuria: ad hunc errorem refellendum, prior, inquit, ad Valentinum liber à ſancto viro ſcriptus eſt: ubi ſuam de gratia & libero arbirrio doctrinam ſic temperat, ut ſimul conveniant. Nam & in ipſo libri exordio ſufficienter prædicari in Scripturis liberum arbirrium, quaſi pro confeſſo ſumit: & id poſtea, tam ex præceptis, quam aliis rationibus probat. Faciam hic, quod hactenus ſolitus ſum. Nemini enim alteri aptius, quam Auguſtino ipſi, mandari poſſe has partes exiſtimo, ut mentem ſuam interpretetur. Quid ergo, quum homini liberum arbitrium tribuit, ſub hoc nomine comprehendat, poſtea definit his verbis: Voluntas, inquit, in homine ſemper eſt libera: ſed non ſemper bona. Aut enim à juſtitia libera eſt quando ſervit peccato, & tunc eſt mala. Aut à peccato libera eſt quando ſervit juſtitiæ, & tunc eſt bona. Gratiâ vero Dei ſemper eſt bona, quæ prius mala fuerat: per quam etiam fit, ut ipſa bona voluntas, quæ jam eſſe cœpir, augeatur. Habemus, non alia cauſa liberam dici voluntatem, niſi quia ſpontaneo movetur affectu. Pigbius autem longe aliud requirit: ut ſcilicet liberam babeat vel boni vel mali eligendi facultatem. Libera eſt, inquit Auguſtinus, quia ſponte mala. Pighius liberam eſſe contendit, quia liberæ in utramque partem electionis ſit capax. Vis ergo breviter ſcire, quo ſenſu liberum arbitrium cum gratia conjungat? Tribus verbis tandem in fine libri reſpondet. Quia per gratiam non rollitur humana voluntas, ſed ex mala mutatur in bonam: & quum bona fuerir, adjuvatur. Jam audis, homini quidem natura ſubeſſe voluntatem, ſed malam, & quæ bona eſſe per ſe nequeat, nec ad bonum aſpirare: gratia autem Dei non tolli, ut non ſit: ſed corrigi, & ex mala converti, ut bona ſit. Non vereor, ut qui librum totum diligenter, & adbibito judicio, legerit, dubitet an ſententiam ſecundum me ferre debeat. Quoniam tamen non omnibus vacat legere, pauca ejus verba inde referam, ex quibus fiat perſpicuum, quantum facultatis concedat humano, quod illic defendit, arbitrio. Fingimur, inquit, id eſt, formamur in operibus bonis, quæ non præparavimus ipſi, ſed præparavit Deus, ut in illis ambulemus. Quis porro ſit formandi modus, ſequitur: Quoniam ipſe ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens. Ut ergo velimus, ſine nobis operatur: quum autem volumus, & ſic volumus, ut faciamus, nobiſcum cooperatur: tamen ſine illo, vel operante ut velimus, vel cooperante quum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. Sed forte præparatur aliquo modo ad recipiendam banc gratiam hominis voluntas. Minime vero, inquit ille: Numquid enim dicere poſſumus, bonæ voluntatis meritum in homine præceſſiſſe, ut avelleretur ab eo cor lapideum? quod non ſignificat niſi duriſſimam voluntatem, & adverſus Deum omnino inflexibile eſt. Ubi autem præcedit bona voluntas, jam non eſt utique cor lapideum. At voluntatem ſorte movet eatenus Dei gtaria, ut ad bonum duntaxat flexilis ſit, non autem efficacem in ea affectum excitat. Imo, inquit ille, à Domino petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum quidem eſt, nos velle quum volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum. Certum quidem eſt, nos facere quum facimus: ſed ut faciamus, ille facit, præbendo vires efficaciſſimas voluntati; ſicut dicir: Faciam ut in præceptis meis ambuletis. Sed tamen, dicet quiſpiam nos, accepta prima gratia, Deo cooperari, inquir: Nempe, quia noſtra eſt, quæ Spiritus ſancti virtute jam bona facta eſt, voluntas: & per eam nos agimus, acti prius à Deo: nihil mirum, ſi nobis pars actionis tribuitur. Proinde dum concludit, Deum fidelibus reddirurum dicit, & bona pro malis, hoc eſt, gratiam pro injuſtitia: & bona pro bonis, id eſt, gratiam pro gratia. Hic intelligimus, quid ſit, Deum ſine nobis agere: nempe quum ex lapidibus, Abrahæ filios facir, & reſectos ex ſylveſtri ac infructuoſa olea ſurculos in pinguem ac fœcundam oleam inſerir. Nihil enim illic eſt noſtrum. Quid deinde ſignificet nobiſcum agere: nempe, dum illam, quam nobis contulit, virtutem perpetuo auxilii ſui tenore adjuvat, promovet, confirmat tum ad cujuſque operis effectum, tum ad ultimam vitæ perſeverantiam. Vel ſi elegantem illam Pauli ſimilitudinem retinere libeat, dum *Rom. 11. verſ. 17.*
oleas, jam ad fœcunditatem factas, cæleſti calore ſuo vegetat, rore humectat, quo fructum ferant. Et certe in hac ſimilitudine, omnium Pighii cavillationum facilis eſt ac expedita ſolutio. Oleaſtri natura ſumus, nihili & ſteriles. Hanc ſterilitatem nobis aufert Deus, & idoneas ferendo fructui oleas facit, dum nos in vitæ novitatem regenerat. Siquidem & mentem noſtram, cæcam & in tenebris ſepultam, luce veritatis illuſtrat: & voluntatem ex nativa pravitate in obedientiam Legis ſuæ reformat. In eo quid eſt, quod arrogare nobis poſſimus? Poſtquam autem Spiritu ſanctitatis gubernari cœpimus: jam oleæ ſumus, & virides, & vivæ, & pinguedinem ex bona radice trahentes. Sponte ergo jam ad ferendum fructum propenſi ſumus. Verum, an id ex nobis eſt, ut vel minimum gloriari liceat? Totum ex radice eſt. Radix porro ipſa, non naturæ, ſed gratiæ. Et tamen ne id quidem ſufficit, niſi continuum è cælo vigorem Deus ſubminiſtret.

Quum tam evidenter pro nobis loquatur Auguſtinus toto opere, quid aliud ſunt magni illi & ſonori Pighii clamores, quibus victoriam ſuam celebrat, quam ridicula puerorum crepitacula? Sic gratiam Auguſtinus prædicat, ut libero tamen arbitrio ſuas relinquat partes. Atqui de nomine certamen illi remiſeram. Nunc igitur quantum libero arbitrio largiatur facultatis Auguſtinus quærendum erat, non in nomine inſiſtendum. Nullum, inquit, peccatum eſt, niſi voluntarium. Quorſum boc? niſi ut ſuſpicionem indoctis faciat, qui noſtra non legunt, alirer nos docere, quum hoc ipſum verbum in lucubrationibus noſtris identidem occurrat. Imputare, inquit, ſibi quiſque debet quod peccat. Et quid ſibi ea volunt, quæ ante ex mea Inſtitutione retulit? Merita, inquit, noſtra coronantur: ſiquidem intelligas eſſe Dei dona. Mirum, niſi ſaniores ex Romanenſibus hic eum prævaricari

varicari ſuſpicentur: quando cauſam noſtram non aliter quam ſi oobis conductus foret, agit. Verum quia in locum nimis ſibi lubricum & periculoſum ſe veniſſe ſentit: retrahit mox pedem, & aliam viam ingreditur. Tranſit enim ad alium librum, qui ſub Auguſtini nomine extat inter ejus opera, habetque inſcriptionem, De dogmatibus Eccleſiaſticis. Facit autem id pro ſolito ſuo candore, quod ſancti viri titulo abutitur, in citando opere, quod ſuppoſititium eſſe nou minus ipſe novit, quam qui nunc à me admoniti agnoſcent. Primum, quum omnium operum ſuorum ſe catalogum in Retractationibus texuiſſe profiteatur Auguſtinus, de hoc opere nulla mentio. Ad hoc quum ſit ubique in ſuis ſcriptis methodi ſtudioſiſſimus, opuſculum illud mixtam & confuſam variarum rerum farraginem, ſine ordine coacervatam, continet. In hac præſenti quæſtione dum verſatur, nihil aliud quam diverſa hinc inde teſtimonia colligit. Innocentium Papam Romanum magiſtrum vocat: qui longo poſt Auguſtinum temporis ſpatio Epiſcopus creatus fuerat. De Africanis Synodis Milevitana & Carthaginenſi, ſic loquitur, quaſi nunquam illis interfuiſſet: quum certum ſit, Auguſtinum conſilio & auctoritate illis præfuiſſe. Imo quas ex Auguſtino & ejus æqualibus ſententias ſumit, antiquorum Patrum definitiones nominat. Quanquam ineptus ſum, qui in re nequaquam obſcura tantum verborum conſumam: niſi quod id ſaltem proficio, ut Pighii impudentiam nemo non videat.

Nunc audiamus, quid cum larvato illo Auguſtino obtinere velit: Ut ſciant, inquit, hæretici, non ex privato eum ſenſu liberum arbitrium aſſerere, ſed ex definitione Eccleſiaſtica, cui contradicere nemo piorum auſit. Itane vero, ut tantum ponderis habeant incogniti hominis, nihil dico nunc gravius, undecunque temere congeſtæ rhapſodiæ? Sed quatenus libertas illic prædicatur? Ut nobis poſt lapſum maneat in utramque partem electio: hac tamen exceptione addita, ut non valeat, uiſi admonente Deo, & ad ſalutem invitante: ſecuodo, ut acquieſcere Dei inſpirationi, noſtræ ſit poteſtatis: tertio, ut non labamur iu adepto ſalutis munere, ſollicitudinis noſtræ, & cæleſtis pariter ſit auxilii. Quid ſi ipſe ſibi ſcriptor paulo poſt non conſtet? Nam quod ex Milevitana Synodo recitat: ſi quis Deum, ut à peccato purgemur, expectare noſtram voluntatem ſentiat, & non potius, ut purgari velimus, in nobis efficere, eum reſiſtere Spiritui ſancto: minime cum illa electionis libertate convenit. Item quod dicit, agere Deum in nobis, ut quod vult, velimus & agamus, prorſus ab eo diſſentaneum eſt, quod dixerat, acquieſcere, noſtræ eſſe poteſtatis. Nam altero loco, efficax Spiritus ſancti operatio prædicatur: altero, boni aut mali eligendi duntaxat facultatem offerri per gratiam, dicitur. Illa autem tria quantum abſint à mente Auguſtiui, jam partim viſum eſt, & copioſius adhuc videbitur. Concluſionem demum ponit ex quadam ad populum concione, quæ Auguſtino adſcribitur: an autem ejus ſit, relinquo aliis judicandum, etſi minime Auguſtini ingenium ſapere mihi videtur. Sane, aut quod ejus non ſit, aut quod ab eo adhuc juvene habita fuerit, etiam ex his quæ Pighius adducit, verbis conjecturam non penitus levem capere licet, quod quum duas contrarias ſectas poneret, quæ nimium huc aut illuc declinando errent: & in una parte Manichæos locaſſet: in altera non Celeſtinos aut Pelagianos, ſed Jovinianum ſtatuit. An, quæſo, Pelagianos omiſiſſet, quibus tam acriter ſemper eſt infeſtus, & quos magis neceſſe erat apud populum referre, ſi tunc extitiſſent? Non enim Africanis Eccleſiis eo tempore moleſtus erat Jovinianus, ſed Pelagianorum fama ſimul & impietas totum fere orbem pervagata erat. Quanquam ſine hac quoque conjectura ſermo ipſe prodit, ſe Auguſtini nomen mentiri. Verum utcunque ſit, audiamus id quod habet. Ut liberum, inquit, hominis arbitrium confiteamur: dicimus, nos & nou peccare, & peccare poſſe. Reſpondeo, hunc, quicunque ſit, ſi arbitrii viribus intelligat, hominem poſſe nou peccare, non mihi, ſed Auguſtino ipſi pro hæretico haberi. Sin vero per Dei gratiam, ſciunt eruditi & in Auguſtini lectione exercitati, qualiter vir ille de poſſibilitate diſputare ſoleat. Quoniam enim Dei potentiæ eum derogare calumniabantur Pelagiani, Deum quidem poſſe confitetur, ſi velit, ſed nullum exemplum tale vel extitiſſe, vel debere expectari: quoniam aliter Scriptura pronunciet.

Poſtquam tam certis demonſtrationibus me convicit Pighius, triumphale iterum tripudium agit. Nec mirum: ſibi enim intus ac ſuis Muſis canit: vel ſaltem contentus eſt, ſi plauſum habeat à paucis ſui ſimilibus, qui quum Dei veritatem ſubverti jam poſſe deſperent, qualeſcunque ad impediendum ejus curſum remoras undique quæritant, & inventas cæco furore exoſculantur. Sed rem totam clarius à me patefactam confido, quam ut apud eos, qui ſanum ad hanc diſputationem legendam judicium afferent, & mentem quietam ac compoſitam, flatuoſis illis ſuis jactantiis, vel minimum proficiat. Satis enim ſuperque ejus fucos diluiſſe mihi videor: quibus Auguſtinus pinxerat, ut nobis contrarius videretur. Nunc vero hoc quoque à me quaſi auctarium fortaſſis requirent aliqui, ut quod gloriatus ſum de Auguſtino, illum prorſus noſtrum eſſe, nunc plenius & pluribus teſtimoniis confirmem. Qua in re præſtanda non tam difficultate quam prolixitate impedior. Nam ſi omnia colligere inſtituam, quæ factura ſint ad ſententiæ noſtræ confirmationem, ſi adducerentur: longum ex his volumen mihi texendum foret: & toti etiam fere libri interdum inſerendi. Quid enim aliud quatuor ad Boniſacium libri: duo ad Proſperum & Hilarium, duo item ad Valentinum continent? quid liber de natura & gratia, alter item de perfectione juſtitiæ? quid libri tres ad Marcellinum? quid totidem circiter Epiſtolæ quot nominavi libros? niſi genuinam, eamque perpetuam doctrinæ noſtræ explicationem? Verum, ne videar, more adverſarii, ſola jactantia cauſam obtinere velle: ſimul ut eorum deſiderio ex parte ſatisfaciam, qui quum noſtram cum Auguſtino conſenſionem videre cupiant, otium vel facultatem non habent omnia perlegendi, compendium ex paucis locis confectum ſubjiciam, quod omnem de ea re dubitationem tollat. Eligam autem eos libros potiſſimum, quibus plurimum auctoritatis concedit Pighius: ne ubi convictus fuerit, ad cavillum illud, ſicut ſolitus eſt, confugiat, Auguſtino multa inter diſputandum calore excidiſſe, quibus ne ipſe quidem auctor fidem habere velit. Eos ergo libros, qui ſedato jam diſputationis fervore ſcripti fuerunt, fideliſſimos eſſe teſtes fatetur, quid ſenſerit Auguſtinus, & certo recipi voluerit. Quare ſi in his demonſtravero, nobiſcum illi convenire, ſine controverſia, etiam adverſarii confeſſione, vicero. Primum dicimus, hominis mentem cæcitate percuſſam, ut ad veritatis notitiam pervenire ex ſe nullo modo queat: dicimus voluntatem pravitate corruptam, ut nec Deum diligere, nec ejus obedire juſtitiæ poſſit. Utrumque Pighius improbat. Prodeat nunc in medium Auguſtinus, velut arbiter. Libro de Sanctorum prædeſtinatione, ſe aliquando fuiſſe in eo errore confitetur, ut noſtrum eſſe putaret, audito Euangelio conſentire: ſed poſtea illis Pauli verbis convictum, ut opinionem mutaret: Quid habes quod non acceperis? Proinde fidem, & inchoatam, & perfectam, concludit donum eſſe Dei: quum ne cogitare quidem aliquid boni in noſtra ſit poteſtate: quod tamen multo minus eſt, quam credere. Ne vero huic tergiverſationi relinquat locum, ideo donum eſſe gratiæ fidem, quia generali inſpiratione omnes ad credendum invitet Deus & excitet, occurrit ipſe,

dum addit, dari quibuſdam hoc donum, & aliis non dari. Quod ſi diſcutiatur, & quæratur, unde quiſque ſit dignus, non deſunt, inquit, qui dicunt voluntate humana: nos autem dicimus, gratia & prædeſtinatione divina. Sed Deus fidem ab hominibus exigit. Fateor, inquit: nihilo tamen minus eſt Dei donum. Nam promittit ſimul illis facturum ſe, ut faciant, quod fieri jubet. Quoniam autem proprio motu, ad recipiendam Dei gratiam præparari hominem vulgo imaginantur: quod etiam Pighius fortiter defendit, ad hoc reſpondet: Hanc cogitationem refellit Apoſtolus, dicens: Quid habes, quod non acceperis? A quo, niſi ab illo, qui te diſcernit ab alio, cui non donavit quod tibi? Atque hujus rei in Paulo ipſo documentum profert. Averſus, inquit, à fide, quam vaſtabat, eique vehementer adverſus, repente ad illam, gratia potentiore, converſus eſt: ut non ſolum ex nolente fieret volens credere, verum etiam ex perſequutore paratus ad perſequutiones ferendas: Item: Quum Deus ſe facturum promittit, ut faciant homines quod præcipit, non tacet etiam merita eorum, ſed mala: quibus oſtendit, reddere ſe bona pro malis, hoc ipſo, quod eos deinceps facit habere bona opera. Poſtea: Eſt etiam clariſſimum lumen prædeſtinationis & gratiæ ipſe Mediator Dei & hominum, qui ut hoc eſſet, quibus tandem ſuis, vel fidei, vel operum meritis, natura humana, quæ in illo eſt, comparavit? Quod ejus bonum, qualecunque, præceſſit? Quum ſim homo, quod & ille eſt, cur non ſum, quod ille, filius Dei? At ille gratia talis ac tantus eſt. Cur diverſa eſt gratia, ubi natura communis? Appareat nobis in capite ipſe fons gratiæ. Ille quippe nos credere fecit in Chriſtum: ille facit in hominibus principium & perfectionem fidei in Jeſu, qui fecit hominem, principem fidei & perfectorem Jeſum. Item: Ergo ſicut elegit nos, ita vocat, ſecundum placitum voluntatis ſuæ: ne in tanto beneficio, placito gloriemur voluntatis noſtræ. Item: Attendant quomodo falluntur, qui putant eſſe à nobis, non dari nobis, ut petamus, quæramus, pulſemus, & hoc eſſe dicunt, quo gratia præceditur merito noſtro, ut ſequatur illa, quum accipimus petentes, invenimus quærentes: nec volunt intelligere, hoc divini eſſe muneris, ut petamus, quæramus, atque pulſemus. Sed quæritur, an non homini naturaliter inhæreat boni aut mali eligendi libertas? Reſpondet: Liberum arbitrium, & ad malum, & ad bonum faciendum, confitendum eſt nos habere: ſed in malo faciendo liber eſt quiſque juſtitiæ, ſervuſque peccati: in bono autem, liber eſſe nullus poteſt, niſi fuerit ante à Filio Dei liberatus. Ita ſola Dei gratia liberantur homines à malo: ſine hac nullum prorſus, ſive cogitando, ſive volendo & amando, ſive agendo, faciunt bonum: non ſolum ut monſtrante ipſa, quid faciendum ſit, ſciant, ſed ut ea præſtante, faciant cum dilectione, quod ſciunt. Atque hoc deinde brevius explicat: Voluntas, inquit, humana, non libertate conſequitur gratiam, ſed gratia potius libertatem. Et priore ad Valentinum libro dixerat: Semper in nobis voluntas eſt libera: ſed non ſemper eſt bona. Aut enim à juſtitia libera eſt, quando ſervit peccato, & tunc eſt mala: aut à peccato libera eſt, quando ſervit juſtitiæ, & tunc eſt bona. Gratia vero Dei ſemper eſt bona: & per hanc fit, ut ſit homo bonæ voluntatis. Sed forte lucem offert hominem mentibus, quam recipere, aut reſpuere, in earum ſit optione: & ita movet voluntates, ut earum ſit, motum ſequi ipſius, aut non ſequi. Ad hoc reſpondet: Si operatur Deus fidem noſtram, miro modo agens in cordibus noſtris, ut credamus, numquid metuendum eſt, ne totum facere non poſſit? & ideo homo primas ejus ſibi vendicat partes, ut ſecundas à Deo accipiat. Item: Nolens tam claris teſtimoniis, quibus fides Dei eſſe donum aſſeritur, & tamen volens à ſeipſo ſibi eſſe quod credit, quaſi

De corrept. & gratia ad Valent.

componat cum Deo, ut partem fidei ſibi vindicet, atque illi partem relinquat: &, quod eſt ſuperbius, primam tollit ipſe, ſequentem dat illi. Vides ut nullo modo inter Deum & hominem dimidiet vel partiatur, ſed ſolidum Deo concedat. Verum poſtea exponit longe clarius: Quid eſt ad Chriſtum venire, niſi in Chriſtum credere? Hoc ut fiat, Pater dat. Quid eſt enim, Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me? niſi, nullus eſt, qui audiat & diſcat à Patre, & non veniat ad me. Si enim omnis qui didicit à Patre, venit, profecto is qui non venit, non didicit. Paulo poſt: Hæc gratia, quæ occulte humanis cordibus tribuitur, à nullo duro corde recipitur. Ideo quippe datur, ut cordis duritia primitus auferatur. Item: Abſit ergo, ut non veniat, qui à Patre didicit. Sed quare, inquiunt, non omnes docet? Si dixerimus, quia nolunt diſcere, reſpondebitur: & ubi eſt illud? Domine, tu convertens vivificabis nos. Aut ſi non facit volentes ex nolentibus Deus, quid orat Eccleſia pro perſequutoribus ſuis? Quum ergo prædicatur Euangelium, quidam credunt, quidam non credunt. Sed qui credunt, prædicatore forinſecus ſonante, intus à Patre audiunt, atque diſcunt. Qui autem non credunt, foris audiunt, intus non audiunt, neque diſcunt: hoc eſt, illis datur ut credant, his non datur. Quod apertius etiam poſtea declarat: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Item: Niſi cui datum fuerit à Patre meo. Ergo trahi ad Chriſtum, & audire ac diſcere à Patre, nihil aliud eſt, quam donum accipere credendi. Neque enim audientes à non audientibus, ſed credentes à non credentibus diſcernit, qui dicit: Nemo venit ad me, niſi datum ei fuerit. Fides igitur, & inchoata, & perfecta, eſt donum Dei. Item: Promiſit Deus, quod facturus erat ipſe, non quod homines. Quia & ſi faciunt homines bona, quæ pertinent ad Dei cultum, ipſe facit, ut illi faciant quæ præcepit: non illi faciunt, ut ipſe faciat quod promiſit. Alioqui, ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate. Item: Quum ſic loquitur Deus: Timorem meum dabo in cor eorum, quid aliud eſt, quam talis ac tantus erit timor meus, quem dabo in cor eorum, ut mihi perſeveranter adhæreant? Item: Certum eſt, nos mandata ſervare ſi volumus: ſed quia præparatur à Domino voluntas, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut faciamus. Certum eſt, nos velle quum volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum. Certum eſt, nos facere quum facimus: ſed ille facit, ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati. Item: An audebis dicere, etiam rogante Chriſto, ne deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe, ſi Petrus eam deficere vellet? Quaſi aliud vellet Petrus ullo modo, quam pro illo Chriſtus rogaſſet, ut vellet. Quando igitur rogavit, ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem? Verum, ubi ad primi hominis & poſterorum comparationem deſcendit, ſic concludit totam hanc partem, ut ſilere jam debeat Pighius: aut ſi porro oblatrare pergat, nihil tamen habiturus ſit, quod mordeat. Poſtquam enim primum integritatis ſtatum, deinde lapſum, & ſimul pœnam lapſus expoſuit, hoc eſt, miſeram hanc noſtri generis, quæ ex eo conſequuta eſt, damnationem, tranſitum inde ad reparationem faciens, ſic ſcribit: Quemadmodum humanam in Chriſto naturam, nullis ejus propriis meritis, gratuita ſua benevolentia hoc honore dignatus eſt Deus Pater, ut homo in utero virginis conceptus, Filius Dei vocaretur: idque hac lege, ut ſic à Deo ſuſcepta hominis natura nullum in ſe motum admitteret malæ voluntatis: ita per hunc Mediatorem Deus oſtendit, eos quos ſanguine ejus redemit, facere ſe ex malis in æternum bonus. Iſtam gratiam non habuit homo primus, qua nunquam vellet eſſe malus,

malus, ſed habuit, in qua ſi permanere veller, nunquam malus eſſet: & ſine qua, etiam cum libero arbitrio, bonus eſſe non poſſet: ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. Deinceps: Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret quum vellet, & in quo permaneret, ſi vellet: non quo fieret, ut vellet. Hæc eſt prima gratia, quæ data eſt primo Adæ: ſed hæc potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim, qua fit, ut homo habeat juſtitiam, ſi velit: ſecunda plus poteſt, qua etiam fit, ut velit, & tantum velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem, contraria concupiſcentem, voluntate Spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat: ſed hæc tanto major, ut parum ſit homini, per illam reparare perditam libertatem: parum ſit denique, non poſſe ſine illa, vel apprehendere bonum, vel permanere in bono ſi velit, niſi etiam fiat, ut velit. Item: Ac per hoc, ne de ipſa quidem perſeverantia boni voluit Deus ſanctos de viribus propriis, ſed in ipſo gloriari: qui eis non ſolum dat adjutorium, quale primo homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare, ſi velint, ſed in eis etiam operatur & velle: ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint, & velint, perſeverandi eis, & poſſibilitas, & voluntas, divina largitate donetur. Tantum quippe accenditur Spiritu ſancto eorum voluntas, ut ideo poſſint, quia ſic volunt: ideo ſic velint, quia Deus operatur, ut velint. Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio gratiæ, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in illis operaretur, ut vellent: inter tot ac tantas tentationes, infirmitate voluntas ipſa ſuccumberet: & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate, nec vellent: aut non ita vellent, infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſeparabiliter ageretur: & ideo, quamvis infirma, non deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. Hicne adhuc obſtrepet Pighius, & ſuum in nos venenum profundet, quod Deum aſſeramus efficaciter hominum agere voluntates? At nos nihil quam Auguſtinum ſequimur. De perſeverantia quoque plus facere verborum ſupervacuum foret, quum utrumque ſimul ubique conjunxerit, & efficacem affectum, & perſeverandi conſtantiam. Et prius dixerat, quod nondum retuli, poſt primi hominis lapſum, non niſi ad ſuam gratiam Deum voluiſſe pertinere, ut homo ad eum accedat: nec niſi ad ſuam gratiam voluiſſe pertinere, ut homo non recedat ab eo. Utrumque nominat, principium & finem. In utroque ne minimam quidem portiunculam homini relinquit: quum præcipuas illi partes Pighius largiatur. Unum ſupereſt, quicquid uſque ad vitæ finem, nobis gratiæ confertur, gratuito nobis conferri, non retribui gratitudini noſtræ, quaſi ſuperioribus gratiis bene utendo, hoc ex nobis meruerimus. Hoc ſic Auguſtinus confirmat: Satis dilucide oſtenditur & inchoandi, & in finem perſeverandi gratiam, non ſecundum merita noſtra dari, ſed donari ſecundum ipſius ſecretiſſimam, eandemque juſtiſſimam, beneficentiſſimam, ſapientiſſimam voluntatem: quoniam quos prædeſtinavit, eos & vocavit. Quid nunc ad tergiverſandum (effugere enim nullo modo poteſt) obtenderet Pighius? An mutilas ac mancas ſententias me decerpere cauſabitur, quæ Auguſtini mentem minime demonſtrent? At nemo erit, qui non ejus improbitati reclamet, ſi fecerit. An me non fideliter citare? Atqui ad verbum deſcripſi. An de induſtria præterire, quæ mihi adverſentur? Atqui ex quatuor tantum libris, neque his adeo prolixis, hæc omnia excepi: quos perlegere, non magnus erit labor. Poteram undecunque longe plura coacervare: verum, partim compendii ſtudio, partim ut lectoribus ſine moleſtia, aut labore promptum eſſet recognoſcere, quanta fide ac ſinceritate veram ac genuinam Auguſtini mentem explicarim, cedo. Si cui hoc minus ſatisfaciat, in medio prodeant illi quatuor libri: duo ad Valentinum: quorum alter de gratia & libero arbitrio, alter de correptione & gratia inſcriptus eſt: duo item ad Proſperum & Hilarium: quorum unus eſt de prædeſtinatione ſanctorum, ſecundus de bono perſeverantiæ: tum ex illis inter nos judicium fiat: facile enim patiar, ut tota inde controverſia dirimatur: nec vereor ne id vel minimo cauſæ noſtræ incommodo fiat. An Auguſtinum dicet hic prætervehi contentionis calore, ut ejus fidem ſic extenuet? Et hi libri ſunt, quibus auctoritatem ſine exceptione deferendam agnoſcit: & ex quibus ſolis certo ſtatui poſſe, quæ fuerit Auguſtini ſententia, pronunciat. Quid autem hic docet Auguſtinus? Voluntatem hominis eſſe quidem liberam, ſed non niſi ad malum. Atque hoc illi epitheton non proprie tribui, quum ſerva ſit iniquitatis. Malam enim eſſe naturaliter: & ideo ſub peccati jugo teneri vinctam ac captivam, donec per Chriſtum liberetur. Hanc pravitatem eo uſque patere, ut non modo nihil boni velle, aut deliberare poſſimus, ſed ne concipere quidem. Deum igitur non noſtra præparatione adduci, ut gratiam nobis ſuam conferat, ſed modis omnibus nos prævenire, ut initium ſit ex mera ejus miſericordia. Omnes enim hominis facultates corruptas eſſe, ut nihil quam malos fructus parere ex ſe queant. Hanc præterea gratiam non omnibus indifferenter aut promiſcue dari, ſed iis duntaxat, quibus Deus vult: alios, quibus non datur, malos permanere, ad bonum prorſus nihil valere: quia ſint ex perdita & damnata maſſa, ſuæque damnationi relinquantur. Præterea non eſſe ejuſmodi gratiam hanc, quæ illis bene agendi poteſtatem conferat, ſi velint; ut in eorum poſtea optione ſit, velle aut non velle: ſed efficaciter ipſos permovere ut velint: imo voluntatem ex mala bonam facere, ut neceſſario bene velint. Adhæc, non id ſemel fieri, ut homines deinde ſibi relinquantur, ſed continuo tenore eos gubernari: ut non minus in bono perſeverare, quam bonum incipere, Dei donum ſit. Deum porro non alia induci ratione, ut homines tum regendos Spiritu ſuo ſuſcipiat, tum ſuſceptos ad extremum uſque vitæ regat, atque in perſeverantia confirmet, niſi gratuita ſua bonitate, nullo ullius meriti reſpectu: ſicut revera nullum habere poſſunt, nec in opere, nec in voluntate, nec etiam in cogitatione. In hoc compendio ſi quid deprehendatur, quod non ſit ex quatuor illis libris ſumptum, cauſam non dico, quin me nullius fidei hominem totus mundus judicet. Quid autem in tota noſtra doctrina aliud continetur? Ergo etiamſi crepet Pighius, nobis hoc extorquere non poteſt, quin Auguſtinus ſit noſter. Quid ergo ſupereſt, quominus eum in belluinam naturam degeneraſſe clamet? Sicuti ſe facturum denunciavit, ſi oſtenderetur cauſæ noſtræ ſuffragari.

In Librum Quartum.

Ne cui dubium ſit, quid hactenus ſua garrulitate conſequutus fuerit Pighius, magnificum ex integro, ſed umbratilem ac imaginarium, ſibi triumphum canit. Proſtrati, inquit, ſunt primo ariete adverſarii. Ego autem valde durus ſum, qui ſtragem hanc non ſentio. Mihi enim rectus adhuc firmuſque ſtare videor. Et quo plus profeciſſe ſe oſtendat, ſi veterum opinionem nobis oppoſuerit, ſacrilegam illam ſuam vocem iterum ructat: nullius Scripturæ auctoritate, quamlibet claræ, noſtro quidem judicio, & evidentis, adverſus claram conſonantemque orthodoxorum Patrum ſententiam, adverſus communem Eccleſiæ definitionem, aliquid credere cuiquam licere. Fieri enim poſſe, ut in Scripturæ intelligentia erret unuſquiſque noſtrum; ut erret Eccleſia in his, quæ ad fidei veritatem pertinent, fieri

non poſſe: quia ſit columna & firmamentum veritatis. Sed quum novum non ſit, quod uſu veniſſe ſeculis omnibus conſtat, ut Eccleſiæ umbra ſe falſo tegant, ejuſque titulum arripiant, qui ſunt infeſtiſſimi alias ejus hoſtes, veram Eccleſiam à falſa quomodo diſcernere conveniet? Ad multitudinem, inquit Pighius. Atqui putabam ex verbo Dei judicandum: ut, quæ Scripturæ adhæreret, Eccleſia cenſeretur: quæ ab ea deflecteret, repudiaretur, utcunque nomine ſe venditaret. Verbum, inquit, obſcurum eſt: itaque ex Eccleſiæ ſenſu tota ejus pendet certitudo. Atqui putabam, & ſic didiceram, prius ſuo ædificio eſſe fundamentum. Teſtatur autem Paulus, fundatam eſſe Eccleſiam in doctrina, non quam ſibi ipſa compoſuerit, ſed Apoſtolorum & Prophetarum. Excipiet forſan, hanc quidem doctrinam priorem eſſe Eccleſia: ſed ejus ſenſum in Eccleſia eſſe fundatum. Quod reſponſum ſua abſurditate ſatis per ſe refellitur. Ergo quum ſtatuere, quænam ſit vera Eccleſia, certo volumus, valeat illa Chriſti regula: oves ejus eſſe, quæ vocem ejus audiant. Proinde ſicut columna & firmamentum veritatis ideo eſt Eccleſia, quod doctrinam illam, in qua fundata eſt, fideliter cuſtodit, ita non aliam debemus pro Eccleſia agnoſcere, niſi in qua doctrinam illam reperimus. Hoc vinculum eſt, hic nexus ſacri conjugii, quo ſibi Eccleſiam Chriſtus copulavit: quem nexum impio ac profano divortio abrumpere Pighius conatur, dum Eccleſiam priore loco conſtituit, Dei autem doctrinam ad inferius ſubſellium ablegat: & eam quidem, non ſicut à Deo tradita eſt, cujus clara & perſpicua nobis exter veritas, ſed qualiter hominibus eam exponere libuerit.

Epheſ. 2. verſ. 20.

Joan. 10. verſ. 27.

1 Tim. 3. verſ. 15.

Verum attendant lectores ad alterum hominis acumen mirabile. Nam quum ſe initio Scripturæ teſtimoniis contra nos acturum propoſuiſſet, quum ad eum locum ventum eſt, ingenioſam excuſationem invenit, quo decliner. Quoniam ſcilicet univerſa Scriptura, quanta quanta eſt, arbitrii libertatem demonſtrat. Nam quum univerſa teſtetur, Deum unicuique pro ſuis meritis redditurum, univerſa bene vivendi leges & præcepta contineat, univerſa nos hortetur ad virtutem, peccata prohibeat, pœnas minetur, certum eſt univerſam demonſtrare liberi arbitrii poteſtatem. Si univerſam ita Pighius intelligit, quaſi in hoc tota incumbat, & hoc agat unum, nondum prima fidei rudimenta didicit. Omittit enim præcipuam, & magis neceſſariam doctrinæ partem, quæ gratiæ promiſſionibus continetur: qua cognita, nihil ſuis objectionibus efficit. Poſtquam enim nos in mandatis ſuis ambulare juſſit Deus, facturum ſe promittit, ut ambulemus, hoc eſt, animum & pedes nobis daturum. Quum ergo tota Lex, præcepta omnia, omnes tum exhortationes, tum caſtigationes, tum minæ, ad promiſſiones nos dirigant, & quaſi manuducant, ubi totam noſtram virtutem in nihilum Deus redigit, ſibi gratiæque ſuæ omnes bonorum operum partes adſcribendo, qui Lege ac præceptis metitur hominis facultates, prima fidei elementa nondum ſe tenere prodit. Quanquam in ſolvendo hoc nodo nondum immoror: quia paulo poſt locum proprium habebit. Facit enim pro more ſuo Pighius, decies rem unam iterando. Quod Dei judicium non fore juſtum commemorat, niſi cuique reddat pro meritis: reſpondeo, quod Auguſtinus: Væ univerſo hominum generi, ſi merita noſtra in judicando Deus expendat. Quod ad mercedem attinet, quam Deus ſervis ſuis pollicetur, reddet quidem illis coronam juſtitiæ juſtus judex. Sed hoc quoque quærendum erat, unde ſanctis proveniat juſtitia, quæ tunc coronabitur. Certum autem eſt, nihil eſſe quam merum Dei donum. Quid ergo inde hominum potentiam colligit?

Et quoniam de infirmo Scripturæ præſidio ſibi male conſcius eſt, ad ſolenne illud ſuum ſuffugium protinus dilabitur: ſic Origenem, ſic Tertullianum, ſic Hilarium, & reliquos ſenſiſſe. Verum, etiam ſi aſtringi me eorum auctoritate ligarique ſic patiar, ut derelicta Scripturæ certa veritate, in eo acquieſcam, quod illis viſum fuerit: (quod nec facturus ſum, & facere nefas eſt) jam tamen oſtendi, quam calumnioſa interpretatione eorum ſententias in nos detorqueat. Nam quod dicunt, fruſtra eſſe Legem, niſi ſit obſequendi facultas, & ſimilia, hæc merito dicerentur, ſi ſervitus hæc, quæ nos impeditos tenet, ac virtutem aufert, naturæ foret, non proprii vitii. Nunc vero quum iſtud ſemper in promptu ſit, quicquid impotentiæ aut defectus in nobis eſt, culpæ noſtræ eſſe imputandum, hoc reſponſo diluuntur omnes illæ objectiones ac ſolvuntur. Atque ita ſolvit Auguſtinus, tum in illis, quos nuper recenſui, libris: tum in libello de perfectione juſtitiæ. Itaque hoc nimis proſtitutæ frontis eſt, ipſius quoque Auguſtini teſtimonio hic abuti. At claris verbis negat, in eo peccari, quod vitari non poteſt: Et ubi natura dominatur aut neceſſitas, illic tradit inveniri non poſſe culpæ rationem. Ex adverſo reclamat, fruſtra ſibi præſcribi de talium librorum, quos juvenis ſcripſerat, vetuſtate. Nam & ideo, inquit, retractanda ſuſcepi mea opera, ut nec meipſum in omnibus me ſequutum fuiſſe demonſtrem, ſed proficienter me ſcripſiſſe exiſtimo, non à perfectione cœpiſſe. Huic vero Pighii calumniæ in Retractationibus ſic occurrit, Aliud eſt, quærere unde ſit malum: aliud, unde redeatur ad priſtinum, vel ad majus perveniatur bonum. Paulo poſt citat hoc pridem à ſe dictum: Quoniam non ſicut ſponte homo cecidit, ita ſurgere poteſt: porrectam nobis dexteram Dei firma fide teneamus. Et ſimilia. Et tamen excuſat, quod ne ſic quidem totum, quod dictu neceſſarium fuerat, comprehenderit. Item de perfectione juſtitiæ: Per arbitrii libertatem factum eſt, ut homo cum peccato eſſet: ſed jam pœnalis vitioſitas ſubſequuta, ex libertate fecit neceſſitatem. Sed in poſtremis etiam ſcriptis conveniri docet liberum arbitrium, quoties præcipit, vel hortatur Deus. Fateor ſane in hoc quæſtionis ſtatu diu eum verſari, ut liberum arbitrium cum gratia conjungat, ne liberum arbitrium tollere videatur gratiæ prædicatio. Sed quid hoc nomine ſibi velit, non debemus negligere: ſi verum ejus ſenſum conſequi cupimus, non verborum decipulas & aucupia ſtruere. Ipſe autem ſatis demonſtrat toto libro, non aliud ſentire ſe, quam ſpontanea voluntate, & bene & male agere homines: ſed natura nihil poſſe quam peccare, gratia autem bonum incipere, & in eo perſeverare. Itaque præfatus, ſe eorum cauſa ſcribere opus illud, qui liberum arbitrium aut negarent, aut negare viderentur, gratiam aſſerendo, complures locos congerit, qui liberum arbitrium ſubeſſe homini ſignificent: hoc eſt, voluntatem, qua ſponte faciat quod facit: atque hoc unum capite ſecundo, quod allegat Pighius, exequitur. Verum continuo poſt, metuendum eſſe admonet, ne hæc teſtimonia ſic in defenſione liberi arbitrii intelligantur, ut gratiæ Dei locus non relinquatur. Totum igitur nunc in eo ſitum eſt, ut ſciamus, qualiter deinceps inter liberum arbitrium & gratiam partiatur. Nam & inde, quid liberum arbitrium ſignificet, conſtabit. Teſtatur autem, & ſæpe, & claris verbis, Dei eſſe donum, quicquid boni agimus, quia illud in nobis efficiat. Gratiam vero Dei non retribui meritis noſtris: ſed tunc dari, quum nulla ſint nobis niſi mala merita. Inde incipere bona merita, ſed quæ mera ſint Dei dona, nullo modo à nobis. Hac occaſione in illam diſputationem ingreditur, qualiter vita æterna merces ſimul ſit & gratia: quam ſic abſolvit, quod Deus bona quidem opera remuneretur in ſanctis: ſed hoc agendo, nihil quam gratuitam ſuam miſericordiam in illis proſequatur: quoniam ipſis quicquid eſt bonorum operum gratuito contulerit. Atque illic tra-

De bono perſever. ad Proſper. c.12. & 21.

ctat,

ctat, qualiter nos fingat, ac formet Deus, quum ſuo Spiritu regenerat: qualiter præparet bona opera in nobis, non ipſi præparemus. Simul eorum errorem refellit, qui hominem bono aliquo motu præparari fingunt, ad recipiendam Dei gratiam: quum initium gratiæ ſit, avellere à nobis cor lapideum, quod nihil quam duriſſimam voluntatem ſignificat, & adverſus Deum inflexibilem. Poſtea definire incipit, quid libertatis nomen valeat. Semper, inquit, libera eſt voluntas in homine, ſed non ſemper bona. Malam vero eſſe teſtatur naturæ vitio, gratia bonam fieri. Vides eum jam liberam facere voluntatem, quæ nihilominus nihil quam mala per ſe eſſe poſſit. Reſpondet poſtea argumentis illis, quæ ex Lege & præceptis objici ſolent: Magnum aliquid, ait, Pelagiani ſe habere putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod ſciret, non poſſe ab homine fieri. Quis hoc neſciat? Sed ideò jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus. Ipſa enim eſt fides, quæ orando impetrat, quod Lex imperat. Deinde: Certum eſt, mandata nos ſervare, ſi volumus. Sed quia præparatur à Domino voluntas, ab illo petendum eſt, ut tantum velimus, quantum ſufficit, ut volendo faciamus. Certum eſt, nos velle quum volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum. Certum eſt, nos facere quum facimus: ſed ille facit, ut faciamus, dando vires efficaciſſimas voluntati. Pergit tum poſtea compluribus Scripturæ teſtimoniis monſtrare, ea ipſa Deum facere in nobis, quæ facere nos jubet. Tandem ubi ad concluſionem venit, ſic loquitur: Satis me diſputaſſe arbitror adverſus eos, qui Dei gratiam vehementer oppugnant: qua voluntas humana non tollitur, ſed ex mala mutatur in bonam, & quum bona fuerit, adjuvatur: & ſic diſputaſſe, ut non magis ego, quam divina Scriptura loquuta ſit, evidentiſſima veritate. Quæ Scriptura ſi diligenter inſpicitur, oſtendit, non ſolum bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas bonas in actus bonos, & vitam dirigit æternam: verum etiam illas, quæ conſervant ſeculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quo voluerit, quando voluerit, faciat inclinari. Quod ſi potens eſt, ſive per Angelos vel bonos vel malos, ſive quocunque alio modo, operari in cordibus malorum, pro meritis eorum, quorum malitiam ipſe non fecit, ſed vel originaliter tracta eſt ab ipſo Adam, vel crevit per propriam voluntatem, quid mirum ſi per Spiritum ſanctum operatur in cordibus electorum bona, qui operatus eſt, ut corda ipſa eſſent ex malis bona? En quibus liberum arbitrium encomiis illic extollat. Et tamen, qua ſolet verecundia, Pighius nos ſtudio claudere oculos criminatur, ne clariſſimam lucem cernamus. Et adeo ſibi placet, ut vel ſolo hiatu oris ſe lectores incantare poſſe ſperet.

Quoniam autem in mea Inſtitutione, poſt doctrinæ noſtræ explicationem, argumenta refutaveram, quibus ſeſe armare ſolent, qui eam oppugnare volunt: has ſibi nunc partes ſuſcipit, ut ſolutiones meas aut frigidas, aut minus plenas, aut ineptas, aut inanes eſſe omnes convincat. Hoc ut faciat, dialogum componit: in quo me inducit loquentem, ſed pro ſuo commodo. Nam quoties libet, verba abrumpit. Dixeram autem in mea Inſtitutione, qui doctrinæ noſtræ reſiſtunt, eos abſurda quædam congerere, quibus eam odioſam reddant, tanquam à communi ſenſu abhorrentem: deinde Scripturæ teſtimoniis cum ea congredi. Quia utraſque machinas ordine me repulſurum profiteor, ſuperbiam meam tragicis acclamationibus exagitat: quod ego, miſellus culex, tot ſimul, tantoſque elephantos, & nobilem illam aquilarum congregationem, hoc eſt, veteres omnes ſanctos adoriar. Ac rurſus ſuum illum catalogum, meo ſtylo jam ſuperius confoſſum & eraſum, recitat. Ego vero non cum antiquis Patribus mihi bellum eſſe profiteor, ſed cum Pighio duntaxat & ſimilibus, vel canibus, vel porcis: qui ſacroſanctam & ſalutarem Dei veritatem, partim impuro & obſcœno roſtro contaminant, partim conculcant pedibus, partim venenato morſu lacerant, partim latratu perſequuntur. Verum ſi in refutanda ejus garrulitate inſiſtere vellem, nullus eſſet finis. Itaque à lectoribus peto, ne à re ipſa dimoveri ſe patiantur. Quod ſi mihi dederint, efficiam, ne quid in meis reſponſionibus deſiderent.

Nunc, primum quod recito abſurdum eſt. Si peccatum neceſſitatis eſt, jam deſinit eſſe peccatum: ſi voluntarium eſt, ergo vitari poteſt. Addo autem, Hoc dilemmate vexatum olim fuiſſe Auguſtinum à Pelagio. Clamat hic phreneticus, me mentiri. Atqui nihil dixi, quod non Auguſtinus ipſe prodiderit. Hanc enim Pelagii ratiocinationem nonam ponit, libro de perfectione juſtitiæ. Quæ ergo iſta eſt rabies, negare uſpiam eſſe, quod ante oculos exhibetur? At ſimiliter uſus eſt contra Manichæos Auguſtinus. Rite quidem, & optima ratione, quum illi peccatum hominibus à Deo ingenitum eſſe, tanquam ſubſtantiale malum, fingerent: non concederent vitio propriæ voluntatis accidiſſe. Noſtra autem cauſa diſſimilis. Ergo ſicuti hujus abſurdi objectione hodie nos oppugnant Romanenſes theologi, ita olim eadem Auguſtinum Pelagius impetebat. Extat enim liber, qui hoc teſtatur. Negando, quid proficiet Pighius? Et tamen illud, quod à me additum Pighius prætermiſit, quantæ eſt ingenuitatis? Nolle me hoſtes noſtros prægravari Pelagii nomine, donec de re ipſa ſatisfactum à nobis fuerit. Porro ſatisfaciendi ratio hæc eſt: Nihilominus jure nobis imputari peccatum, etiamſi neceſſarium ſit. Ratio eſt, quia ſi quis cum Deo diſceptare velit, & hoc prætextu judicium ſubterfugere, quia aliter non poterit, habet paratam reſponſionem: Perditio tua Iſraël: in me tantummodo auxilium tuum. Unde enim iſta impotentia, niſi ex naturæ vitioſitate? Unde porro vitioſitas, niſi quod homo defecit à ſuo opifice? Hujus defectionis quum rei ſimus omnes, in hac neceſſitate, qua conſtringimur, dico extare luculentam damnationis noſtræ cauſam. Plurimum igitur abeſſe, ut ad excuſationem valeat. Hic in cachinnos totus Pighius ſolvitur: quod tam nihili ratione me elapſum eſſe confidam. Sed quid habet ipſe quod opponat? Suum illud toties repetitum carmen occinit: Ex Patribus ſe monſtraſſe, fruſtra datam eſſe Legem, ſi impleri nequeat: locum nec merito nec demerito fore, niſi tam ad bonum, quam ad malum libera ſit voluntas. Atque ut multitudine teſtium nos obruat, totam illam, quam ante recenſuimus, catervam profert. Quod ad larvatum illum Petrum, & fictitium Clementem ſpectat, faceſſant è medio. Nam illas ineptias verbo uno non dignabor. De aliis jam dixi, quantum ſufficiat. Quanquam nullus eſt ipſorum omnium certior interpres, quam Auguſtinus, dum ſuam in communi cauſa mentem exponit. Quod enim dixerat, non poſſe inveniri culpæ rationem, ubi natura dominatur aut neceſſitas, non niſi in ſanæ & integræ naturæ conſideratione valere admonet. Neceſſitati enim non ſubjacere homines, ſed quam ſibi voluntaria culpa primus homo contraxerit. Natura, inquit, nobis facta eſt pœna. Et vindicta primi hominis quod erat pœna, nobis natura eſt. Quum ergo neceſſitas peccati ſit pœna, quæ inde oriuntur peccata, merito culpari, & eorum culpam merito imputari hominibus: quando voluntarium eſt principium. Nunc ergo quid cauſæ eſt, cur ſolutionem à me poſitam tanto faſtu contemnat ac derideat Pighius? Auguſtinum omitto, non minus argutum, opinor, dialecticum, quam ſit Pighius: qui hac aut tali reſponſione data, ſe defunctum putat. Sed pietatis ſenſum conſulamus, an non ſatis hoc ſit ad hominis reatum, ubi ſua culpa periiſſe convincitur. Neque enim alia po-

pulum ſuum accuſatione premit Deus, quum dicit:
Oſea 13. verſ. 9. Perditio tua Iſraël: in me tantummodo auxilium tuum. At populum illic arguit, qui verbo ſuo obtemperare noluerat. Fateor, ſed quum univerſalis ſit ſententia, videndum, quid contineat. Hoc autem proculdubio ſignificat, deſtitui omni excuſatione hominem, ſi ſibi cauſa exitii fuiſſe deprehendatur. At hoc non eſſe cauſatur Pighius, niſi tam effugere perditionem, quam perdere ſe poſſit. Qui ſic balbutit, vel grunnit potius, ſe primum illud fidei noſtræ axioma non tenere prodit, nos, ac totam noſtram ad bene agendum virtutem, in Adam periiſſe. Nec vero ab eo ſe abhorrere hic diſſimulat: qui toties corruptionem ex primo parente contractam, non alibi, quam in membris corporis, locat.

Quod in altero membro dico ſubeſſe vitium, ubi peccatum colligunt vitari poſſe ſi voluntarium eſt: & ideo argumentum valete nego, quia deductionem habeat à voluntario ad liberum: hoc ut refellat, Auguſtinum mihi regerit: quem ubique ſic ratiocinari dicit. Atqui jam toties Auguſtinum produxiſſe ſuæ ſententiæ interpretem, ut amplius repetere, mihi ipſe faſtidio ſit. Nam quæ pro ſua garrulitate ſubinde recinit Pighius, de ſana & integra natura ſcribit. Ubi autem de vitioſa natura ſermo eſt, peccatum eſſe palam pronunciat, ſive vitari poſſit, ſive non poſſit. Nam ſi poteſt, præſens voluntas hoc facit. Si non
Libr. de perfect. juſt. reſponſ. 15. poteſt, præterita voluntas hoc fecit. Subjicit autem vitari poſſe, ſed non ipſius hominis virtute: non quando ſuperba, inquit, laudatur voluntas, ſed quando humilis adjuvatur. Porro horum verborum ſenſum ab initio poſuerat: vitari quidem poſſe peccatum, ſed ſi vitiata natura prius ſanetur. Nunc vero ſanam non eſſe, aut quia quod faciendum eſt, cæcitate non videt, aut infirmitate non implet. Quid his clarius deſideres? Verum abunde ſibi ad victoriam eſſe putat Pighius, ſi Auguſtini titulum quoquo modo nobis oppoſuerit.

Quoniam autem ejus diſtinctionis ſæpius jam meminimus, quam nos inter coactionem & neceſſitatem ſtatuimus, unde pendet majori ex parte hæc quæſtio, eamque non niſi obiter attigimus, paulo diligentius nunc excutienda nobis eſt. Nam & quum eam Pighius ſuperiore libro improbaret, defenſionem in hunc locum diſtulimus. Negant ergo qui liberum arbitrium contra Dei gratiam tuentur, peccatum aut virtutem eſſe, ubi eſt neceſſitas. Reſpondemus, Deum neceſſario bonum eſſe, nihilo tamen minorem ex bonitate laudem conſequi, quia non niſi bonus eſſe poſſit. Rurſus, diabolum neceſſario malum eſſe: nihilo tamen minus vitioſam eſſe ejus malitiam. Neque id eſt noſtrum commentum. Sic ante nos Auguſtinus, ſic Bernardus, loquuti ſunt. Quid Pighius? Deum habere ſeparatam à creaturis rationem. Nam quod his ineſt ex conditionis neceſſitate, non ad earum, ſed Dei laudem pertinere; eatenus mereri in illis laudem, quæ ſibi, talentum à Deo creditum excolendo, acquiſierunt. Hujus vero aliam eſſe rationem, ut cujus infinita bonitas referri alio non poteſt. Hoccine eſt ſubvertere quod dicimus? Voluntarium cum neceſſario minime convenire, extorquere volunt adverſarii. Nos autem utrumque ſimul congruere in Dei bonitate oſtendimus. Abſurdum eſſe dicunt, ut vitio, aut culpæ dentur hominibus, quæ ſic faciunt, ut aliter nequeant. Nos, adducta ſimilitudine, abſurditatem hanc diluimus. Non ratiocinamur, bonos ideo aut malos neceſſario eſſe homines, quia neceſſario bonus ſit Deus, ſed tantum exemplo indicamus, non adeo à ratione diſſentaneum eſſe, ut laude aut vituperio dignum cenſeatur, quod tamen neceſſarium eſt. Cæterum quod de conditionis neceſſitate philoſophatur Pighius, id vero prorſus ab inſtituto eſt extraneum. Naturæ, quæ vocant, aut bona, aut mala, merito nec in vitio, nec in virtute ponuntur: quando ejuſmodi ſunt, ut illis tam male quam bene uti poſſint homines: voluntas autem bona, & quæ inde oriuntur actiones, in diverſo ſunt ordine. Hoc itaque nihil ad rem. Addit præterea, Deum, nihil aliorum omnium à ſe, neceſſario agere, aut velle. Quæ philoſophia, non modo propter levem & frivolam curioſitatem, ſed etiam quia profanam juſtitiæ Dei ab ejus operibus diviſionem inducit, repudianda eſt. Quod autem iterum ſubjicit, neſcire ſe quid ſibi velit illud, Deum velle neceſſario juſtum eſſe: in eo parum abeſt, quin Deum inſtar trunci aut ſtipitis habere ſe prodat. Voluntas, inquit, natura poſterior eſt: Deus autem natura eſt bonus. Ergo ineptum eſt, Deum dicere velle juſtum eſſe, qui talis eſt natura. Atqui aptius feciſſet ac congruentius, ſi illud, quod nuper inter Deum & creaturas poſuit, diſcrimen, in hunc uſque locum ſervaſſet. Habent ſiquidem multa creaturæ à natura, quæ in voluntate ſita non ſunt: nec ſub voluntatis arbitrium cadunt. At tale quippiam in Deo imaginari, ſacrilegum eſt commentum: qui ſic eſt natura id quod eſt, ut talis velit eſſe: ſic etiam vult quicquid vult, ut illud habeat à natura. Nam quum circulari, ut ſic dicam, quodam nexu inter ſe cohæreant Dei bonitas, ſapientia, virtus, juſtitia, voluntas, hoc vinculum diſrumpere, impiæ & diabolicæ eſt imaginationis. Quum ergo velit eſſe Deus, quicquid eſt, idque neceſſario, non dubium, quin ſicut neceſſario bonus eſt, ita & talis velit eſſe: quod tam procul à coactione abeſt, ut maxime ſit in eo voluntarius: liberum dicerem, ſi pro ſpontaneo accipi inter nos conveniret.

Quod de diabolo adducimus, ſic ſolvit: hoc ipſum, quod neceſſario malus ſit, pœnam eſſe peccati, quod nulla neceſſitatis vi coactus admiſit. Quaſi non hæc ſimiliter ratio in homines conveniat. Neque enim, ſicut toties dictum eſt, in natura, ſed in vitio neceſſitatem conſtituimus, cui dicimus ſubjacere hominum genus. Hoc modò intereſſe docemus, quod in æternam ſervitutem addictus fuit diabolus, in qua nulla ſit ſpes manumiſſionis: nobis relictum eſt hoc remedium, ut Spiritus ſancti gratia inde exeamus. Fatetur tandem, non pugnare ſimpliciter cum voluntate neceſſitatem, ſed cum voluntate hominum, qui adhuc in mundo peregrinantur. Hoc figmento eleganter quidem eludere ſibi videtur noſtram ſolutionem: ſed quam illi facile eſt dicere, tam nobis negare promptum eſt. At de viatoribus loquitur Auguſtinus, quum perpetuam neceſſitatis cum voluntate repugnantiam ſtatuit. Imo de ſtatu primi hominis loqui ſe teſtatur, antequam in miſeriam hanc, ſub qua nos omnes ejus poſteri laboramus, incidiſſet. Nunc vero poſt ejus lapſum, neceſſitatis jugum, à quo alias ſoluti eſſemus atque immunes, nobis impoſitum, ipſe, & Proſper, & Bernardus, uno ore tradunt. Quanquam ut liberalis videatur, hæc ſe mihi ultro largiri jactat, quum argumenta mea tale nihil evincant. Patior ut ſibi domi ſuæ hunc plauſum det, modo ejus vanitas omnibus palam appareat. Quod ut fiat, neceſſitatem definiamus. An autem mihi non concedet Pighius, ſtatam eſſe ac firmam ſtabilitatem, ubi res aliter eſſe non poteſt, quam ſit? Apud Ariſtotelem certe [illegible] neceſſitati ſemper opponitur. Atque id dictat ſenſus communis, ut neceſſarium cenſeatur, quicquid ſic eſſe oportet, nec aliter eſſe poteſt. Hoc modo immutabilitas ſub neceſſitate continebitur: unde & continuo ſequetur, Deum neceſſario bonum eſſe. Quod ſi neceſſaria eſt ejus bonitas, cur non inde mihi colligere liceat, neceſſario tam bene velle, quam bene facere? Quum vero ita ſtabilis perſeverat, ipſe ſibi quodammodo neceſſitas eſt, non aliunde cogitur: nec tamen ſeipſum etiam cogit, ſed ſponte ac voluntarius ad id, quod neceſſitate agit, inclinat. Diabolus contra neceſſario, & malus eſt, & male agit: nihilo tamen minus voluntate. Hinc liquido con-

confici mihi videtur quod volui: non adeo diſſidere à neceſſario voluntarium, quin ſocietatem aliquando admittant. Jam ad hominem, ne perperam hæc ad eum exempla trahi quis putet, venio. Malum eſſe dicimus, quia ſit ex mala propagine, tanquam malæ radicis ac vitioſæ malus ramus. itaque quantiſper in natura ſua manet, nihil quam male, & velle, & agere. Ut vero, pravitate depoſita, ad bonum ſe convertat, id eſſe in ejus poteſtate negamus. Quum ergo nihil ex ſe poſſit quam malus eſſe, in eo neceſſitatem conſtituimus. Ac ne id ſimpliciter quidem: ſed quatenus, & ex mala radice ortus eſt, & originis ſuæ ingenium retinet: hoc eſt, quamdiu Spiritu Dei non agitur. *Ethic. ad Nicomach. lib. 3. cap. 1.* Ariſtoteles quum voluntarium diſtinguit à ſuo contrario, hoc eſſe definit τὸ βίᾳ ἢ δι' ἄγνοιαν γινόμενον, hoc eſt, quod vi fit, aut per ignorationem. Violentum porro definit, cujus aliunde eſt principium, ad quod nihil confert is, qui vel agit, vel patitur. Quid autem principii nomine ſignificet, oſtendit deinde capite quinto, quum injuſtos ac intemperantes ideo tales eſſe ſponte docet, quia initio licuerit non eſſe: tametſi nunc alii eſſe nequeant. Atque ad eam rem explicandam ſimilibus utitur. Neque enim qui ægrotat, ſanus erit, quum libuerit: & tamen ſua forſitan ſponte ægrotat, ſi intemperanter vivendo, morbum ſibi contraxerit. Tunc ergo licebat illi non ægrotare: ubi autem huc progreſſus eſt, non ita. Sicut ubi quis lapidem projecit, non amplius poteſt reſumere: ſed penes ipſum erat, aut retinere, aut jacere. Videmus hic profanum philoſophum fateri, non in poteſtate hominis ſemper eſſe, ut bonus ſit: imo non niſi malum eſſe poſſe: & tamen voluntate eſſe id quod eſt, & non violentia: quia principio libera penes ipſum electio fuerit: per quam ſe tradiderit in libidinum obſequium ac ſervitutem. At vero hæc propria eſt Chriſtianorum philoſophia, primum parentem noſtrum, non modo ſeipſum, ſed omnes ſuos poſteros, ſimul corrupiſſe: atque inde nos habitum trahere, naturæ noſtræ inſidentem. Nunc agedum, hanc de vitioſa noſtra origine doctrinam cum Ariſtotelis philoſophia conjungas: & nullo negotio intelliges, qualiter peccatum, quod non eſt in poteſtate noſtra fugere, ſit nihilominus voluntarium.

Secundum quod ex adverſariis recito abſurdum, eſt: Niſi ex libera arbitrii electione, tum virtutes, tum vitia procedant, non eſſe conſentaneum, ut homini, vel infligatur pœna, vel præmium rependatur. Cui antequam reſpondeo, hæc verba interſero. Hoc etſi Ariſtotelicum eſt, fateor tamen à Chryſoſtomo & Hieronymo uſurpatum. Pelagianis tamen, vel Hieronymo teſte, familiare fuit. Hoc poſtremum ut evertat Pighius, quantum inter ſuam & Pelagii cauſam interſit, oſtendere molitur: quaſi vero ideo minus hoc argumento uſi fuerint Pelagiani, quia paulo aliter, quam Pighius, vel ſenſerint, vel ſaltem loquuti ſint. In altero malignitatis me graviter accuſat, quod ex pluribus duos tantum citaverim. Quaſi vero aliquo jure fuerim obſtrictus, ad eos omnes ordine recenſendos, apud quos ea ſententia extaret. Cur ergo mihi libros non ſubminiſtrabat Pighius? qui tunc nulli ad manum erant: excepto uno Auguſtini volumine, quod mihi commodato datum erat. Ego autem me venia dignum eſſe puto, quod ita libris deſtitutus, duos unius ſententiæ auctores nominaverim, quos memoria tenebam: reliquos, qui in mentem tunc non venerunt, omiſerim. De pœnis quum reſpondeo, jure nobis irrogari, à quibus culpa emanet, neque referre, liberone judicio, an ſervili, modo voluntaria cupiditate peccemus, id non improbat: modo cum Auguſtino, aliiſque omnibus concedam, voluntarium id eſſe demum quod in poteſtate noſtra ſit. At ego cum Auguſtino excipio, hanc quam requirit, facultatem in ſanitate ſitam eſſe: quam ſicut acceperat primus homo, ita male utendo perdidit. De præmiis quod reſpondeo, nihil abſurdi eſſe, ſi ex Dei benignitate potius, quam propriis hominum meritis dependeant, non nugatorium tantum, ſed blaſphemum eſſe pronunciat. Sed quum hoc alterius ſit argumenti, obiter tantum refellit. Apoſtolus, inquit, Deum teſtatur remunerari eos, à quibus inquiritur. Quid tum? Ubi remuneratio, illic & obſequii & meriti reſpectus eſt. De obſequio fateor: de merito, ſi operis dignitatem intelligat, nego. ſi obedientiam ſimpliciter Deo acceptam, non reclamo. Poſtquam autem aliquot teſtimonia collegit, in quibus mercedis ſit mentio, clauſulæ loco illud Pauli adducit, de corona juſtitiæ, quam redditurus eſt juſtus judex ſervis ſuis. Sed quid, ſi Auguſtini verbis excipiam? Cui debitam coronam reddere poſſet juſtus judex, niſi indebitam ante gratiam donaret miſericors Pater? Fatemur utrimque laborandum ac certandum. Neque nos inficiamur, ejuſmodi eſſe certamen, quod & ſummam habeat difficultatem, & maximos conatus, totumque hominis ſtudium requirat. Tantum quæritur, propriane virtute, militemus Deo, an ille ingenium, animum, manus, vires, arma è cælo ſubminiſtret. Pighius Dei gratiæ particulam erogat, nobis arrogat majorem partem. Dico in nobis impleri, quod Deus olim Iſraëlitico populo pollicebatur: nobis ſcilicet quieſcentibus, eum pro nobis pugnare: non quia nihil agamus ipſi, aut quia ipſius impetu, nullo voluntatis noſtræ motu, ad opus feramur: ſed quia agimus acti ab ipſo: volumus, eo cor noſtrum dirigente: conamur, ipſo excitante: conando efficimus, ipſo vires dante, ut nos animata ſimus & viva inſtrumenta, ipſe autem dux ac perfector operis. Illam Auguſtini ſententiam, Deum coronare in nobis ſua dona, truncam & mutilam à me citari, contra ipſiſſimum ſcriptoris ſenſum, cauſatur: ſed in probatione friget. Primum, quum illic meminerim: ſubinde apud Auguſtinum recurrere (ſicuti verum eſt) quaſi ſemel dictum tractat. Quoties hoc, cùm in Pſalmos, tum in Joannis Euangelium, ut omittam contentioſa opera, inculcat? Quo ſenſu, ſi cui dubium eſt, ipſe omnem ſcrupulum in Epiſtola ad Sixtum eximit. Sicut ab initio fidei, inquit, miſericordiam conſequuti ſumus, non quia eramus fideles, ſed ut eſſemus: ſic in fine coronabit nos, ſicut ſcriptum eſt, in miſericordia & miſerationibus. Unde & ipſa vita æterna, quæ in fine habebitur, & utique præcedentibus meritis reddetur: tamen quia eadem merita, quibus reddetur, non à nobis parata ſunt, per noſtram ſufficientiam, ſed in nobis facta per gratiam, etiam ipſa gratia nuncupatur: non aliam ob cauſam, niſi quia gratis datur: nec ideo tamen non datur meritis, ſed ideo quia data ſunt ipſa merita, quibus datur. Hæc ſi ſanum habeant interpretem: quid dubii relinquunt? Eſto tamen: valeat unus ille locus. Quid illic habetur? Pelagiani, eam ſolam gratiam ſine ullis meritis dari interpretabantur, qua Deus remittit peccata: illam vero, quæ in fine dabitur, meritis præcedentibus reddi. Hoc illis concedere paratus eſt Auguſtinus, ſi Dei dona eſſe agnoſcant: non autem hominum propria: quæ enim talia ſunt, id eſt, ab hominibus, mala eſſe. Bona autem, eſſe Dei dona. Jam plenum locum habet Pighius. Quid proinde? Vides, inquit, non tolli, ſed ſtatui ſanctorum merita. Nempe, ſicut alibi Auguſtinus ipſe liberum arbitrium docet per gratiam ſtabiliri: quia per eam liberetur, quum natura ſit captivum: ideoque ad omne bonum inutile. Verum nihil doloris ex hoc vulnere ſentio. Subjicio poſtea, timendum minime eſſe, ut veniamus, quo clara voce Spiritus ſanctus nos vocat. Hanc enim ſeriem, & hos gradus miſericordiæ Dei nobis deſcribi, ut glorificet, quos juſtificavit: juſtificet, quos vocavit: vocet, quos elegit. Hinc nos doceri, non alia de cauſa coronari fideles, niſi quia Dei miſericordia, non ſua induſtria, & electi ſunt, & vocati, & juſtificati. Ab

hac

Digitized by Google

hac ſententia eo uſque abhorret Pighius, ut Deum fore juſtum neget, ſi vera ſit. Verum quum iſta inſectario mera ſit & aperta Spiritus ſancti criminatio, quid in ea refellenda multum ponerem operæ? Præterea hoc ad electionis quæſtionem ſpectat, quæ ſuum proprium locum habebit. Quanquam ne prætermittam, quod obſervatu dignum eſt, duo adverſariorum objecta, quæ ſeorſum ac ſeparatim poſueram, commiſcet Pighius. Nam illo demum ſoluto, quod de operum meritis ac remuneratione afferunt, hoc tertio loco recenſueram. Si non ſubjaceant electioni noſtræ bona ſimiliter ut mala, unde fit, ut alii à fide deficiant & bonis operibus, alii perſeverent? Huic quæſtioni ut ſatisfacerem, cauſam diverſitatis ad gratuitam Dei electionem delegaveram: ſicut revera vocationis noſtræ fundamentum eſt, non modo ut eam incipiat, ſed etiam ut ſtabiliat uſque finem, ac compleat. Illic nihil meum eſt. Nam id Auguſtinus ubique inculcat: qui tamen ſimul evincit, non ſe comminiſci ex proprio ſenſu, ſed ex Dei ipſius ore ſumere. Pighius autem reum extremæ ſævitiæ & crudelitatis Deum facit, ſi ita res habeat. Sequitur in mea Inſtitutione: Quum Paulus quemlibet noſtrum interrogat, quis eum diſcernat: & gloriari vetat, quod omnia acceperimus, nonne ob idipſum libero arbitrio adimit omnia, ne quem meritis locum relinquat? Hic Pighius cavillatur, nihil illum libero arbitrio derogare, dum admonet, totum, & quod ſumus, & quod habemus, & quod poſſumus, referri Deo acceptum debere: etiam liberum arbitrium. Tum, quaſi victoria potitus, inſultat. Quid hæc doctrina, inquit, aut meritis, aut libero adverſatur arbitrio? Me enim vehementer errare, ſi eos adeo delirare exiſtimem, ut liberum arbitrium homini credant à ſeipſo ineſſe, & non à Deo datum. Merito ita in ſuis victoriis exultat Pighius, quos adeo de facili comparat, ſine ſanguine & ſudore. Ubi latebram invenire aliquam poteſt, in eam mox ſe abdit: & quum hoſtem amplius non videt, fugatum ac profligatum putat. Sed paululum jam caput exerat: & me, vel Apoſtolum potius, ſibi propius imminere & inſtare ſentiet. Hoc bello colore ſuam olim impietatem operiebat Pelagius: ſicuti plus quindecim locis teſtatur Auguſtinus. Nam quum in Concilio Paleſtino anathemate damnaſſet eos, qui gratiam Dei ſuperioribus meritis rependi docerent, & poſtea malæ fidei argueretur: ita ſe purgabat, quod nihil mereri homines potuerint, quum nondum eſſent. Liberum ergo arbitrium & partem gratiæ eſſe, & nullis meritis redditum, ſed gratis datum. Sed illam

Epiſt. 106 ad Sixtum.

fallaciam excutit Auguſtinus. Nam omnino, inquit, non iſtam gratiam commendat Apoſtolus, qua creati ſumus, ut eſſemus homines, ſed qua juſtificati ſumus, ut homines juſti eſſemus. Et quid hic longiore demonſtratione uteremur? Naturam enim conferimus cum gratia, quum hanc curandæ ac tollendæ illius corruptioni unicum remedium eſſe dicimus. Ergo diſcerni in tota hac tractatione tanquam res inter ſe oppoſitas, oportuit. Si male nos ſeparare res conjunctas dixerit Pighius, tuemur nos Apoſtoli auctoritate. Quid ergo nunc, ut totum cauſæ ſtatum turbet, profecturum ſe ſperat, quum à regenerationis beneficio, quod ſingulare eſt, ad communem creationis gratiam nos avocat? Sed hoc eſt ſcilicet, quod alicubi ſcribit Auguſtinus, ſemper artificium hoc quæritare gratiæ inimicos, ut lateant ſub laude naturæ.

Quartum objectum, quod in mea Inſtitutione ex adverſariorum perſona moveo, eſt: Fruſtra exhortationes ſuſcipi, ſupervacuum eſſe admonitionum uſum, ridiculas eſſe objurgationes, niſi penes nos ſit parere. Huic argumento ut nervos addat Pighius, eo communiter multos veterum fuiſſe uſos commemorat: ex quibus pſeudo-Petrum, cum larvato Clemente, in prima acie locat. De Tertulliano & Irenæo jam dictum eſt, nihil eos aliud ratiocinari, niſi fruſtra daturum homini Legem fuiſſe Deum, cui non liberam boni & mali electionem contuliſſet. Sed aliud eſt quærere, quas initio facultates homo acceperit: aliud, quid nunc ſuis facultatibus deſtituto, & ad extremam inopiam redacto ſuperſit. Hæc tam diverſa, in qua nunc eſt, conditio, cum priore illa confundi minime debet. Eadem reſponſio Origenis quoque verbis ſatisfacere forte poſſet. Sed non adeo moror: quum eum nonnihil à nobis diſſentire jam ante confeſſus fuerim. Quod Ciceronem etiam advocatum acceſſit, cauſam inde ſuam non multum adjuvat. Nos enim, ſicut verum eſt, totam hanc, de hæreditaria naturæ pravitate & gratuita reparatione, doctrinam, à ratione carnis penitus reconditam eſſe concedimus. Itaque nihil mirum, ſi totam rhetorum & philoſophorum nationem latuerit. Quia autem hanc quæſtionem Auguſtini potius verbis, quam meis ſolvere in animo erat, eamque ſolutionem ex libro de correptione & gratia mutuari, obiter, qua occaſione ſcriptus fuerit ille liber refero: nempe quod ſimilia ipſi Auguſtino objicerentur. Hic ſolita truculentia in me invehitur Pighius: meque, & mendacii, & impudentiæ accuſat, quod Auguſtinum adjungere nobis audeam. Cedo tamen, qualiter convincit? Principio, quod nihil ad rem præſentem facit, quo conſilio librum alterum ſcripſit, refert. Ita enim demum triumphat, quoties lectorum oculos injecto παρέργῳ, velut nebecula aliqua interpoſita, poteſt aliquantulum à re præſenti ſubducere. In eo libro, inquit, Auguſtinus liberum arbitrium cum gratia bene convenire docet. Quibus hoc verbis & quo ſenſu doceat, ſuperius fideliter expoſui. Sed nunc aliud agitur, quid Auguſtinum impulerit, ut de correptione & gratia ſcriberet. Cur ergo hic ab equo, quod aiunt, ad aſinum tranſilit? Hoc tamen utcunque patior: modo aliquid interea auditu dignum obiter afferat. Sed nihil tale ab eo fit. Ex duabus ad Valentinum epiſtolis multa congerit, unde probat, tam eos reprehendi ab Auguſtino, qui liberum arbitrium prorſus negant, quam alios, qui illud aſtruunt ſine gratia: conſtitui autem inter hæc duo extrema mediocritatem, liberum quidem eſſe arbitrium, ſed adjuvari per Dei gratiam, ut recta homines, & ſapiant, & faciant: ut quum venerit Dominus, reperiat opera noſtra bona, quæ præparavit, ut in illis ambulemus. Fateor ſane, in hoc laborare illic ſanctum virum: ut neque liberum negetur arbitrium, neque ſic prædicetur, ut à Dei gratia ſeparetur: tanquam ſine illa, vel cogitare aliquid, vel agere, ſecundum Deum, ulla ratione poſſimus, quod omnino non poſſumus. Hæc enim ſunt ejus verba. Item: Credite, inquit, divinis eloquiis, & quod liberum ſit arbitrium, & gratia Dei, ſine cujus adjutorio, nec converti poſſit ad Deum, nec proficere in Deo. Item ſecunda Epiſtola: Fides catholica, neque liberum negat arbitrium, ſive in bonam vitam, ſive in malam: neque tantum ei tribuit, ut ſine gratia Dei valeat aliquid: ſive ut ex malo convertatur in bonum, ſive ut in bono perſeveranter proficiat, ſive ut ad bonum ſempiternum perveniat: ubi jam non timeat, ne deficiat. His ſcilicet verbis elatus Pighius, furioſo impetu in me inſurgit: meamque, tum ſycophantiam, tum malignitatem detectam, plenis buccis deronat. Nempe, quia ſicut alibi, ſub liberi arbitrii nomine voluntatem in homine ſtatuit: quæ tam boni quam mali capax, bonorum ſimul ac malorum operum fons ſit ac radix: malam porro eſſe naturæ corruptione, bonam fieri gratiæ correctione. Quod ſi quid de ejus ſententia adhuc dubitas, fac quod ipſe illic jubet: hoc eſt, ex alia ejus ad Sixtum epiſtola clariorem interpretationem ſume: & minime tibi obſcurum erit, quid, aut quantum libero concedat arbitrio.

Poſtquam autem diu extra oleas vagatus eſt, ad rem

Digitized by Google

rem demum revertitur. Jubet me proferre, ſi poſſim, ubi, quando, aut à quibus Auguſtino fuerit aliquando objectum, fruſtra tradi præcepta, fruſtra exhortationes ſuſcipi, ſi nihil ad bene agendum valeat hominis facultas. Quaſi vero non hoc clamitet totus liber. Sed ne longiorem probationem texere mihi neceſſe ſit, teſtes ſint illæ ipſæ objectiones, quas refert: quarum prima eſt: Ut quid nobis prædicatur atque præcipitur, ut declinemus à malo, & faciamus bonum, ſi hoc non agimus, ſed id velle & agere Deus operatur in nobis? Altera: Age tamen, præcipiant qui nobis præſunt, quid facere debeamus: & ut faciamus, orent pro nobis, non autem corripiant & arguant, ſi non fecerimus. Nam ſi præparatur voluntas à Domino, cur me corripis, quum vides me ejus præcepta facere nolle? & non potius Deum rogas, ut in me operetur & velle? Tertia: Quum non omnibus detur, quid corripimur, arguimur, reprehendimur, accuſamur? Qui facimus, qui non accepimus? Hæ, inquam, & ſimiles calumniæ, quas illic tractat, quid aliud ſunt, quam ad ridendam ac traducendam gratiæ prædicationem, profana impiorum ludibria? Sed hæc, auctore Pighio, ut in Auguſtinum perperam dicta ſunt, ita in nos recte dicerentur. Fac ita eſſe. An ideo mentitus ſum quum dicerem, illum fuiſſe talibus calumniis vexatum? Fuerit immerito. Quid hoc ad me? De facto tantum loquor. Pighius de jure mihi facit moleſtiam: & poſtea altos clamores movet, quaſi me in mendacio deprehenderit. Sic ſunt omnes meritoriæ linguæ: modo meretricia improbitate ac protervia exultent, victoriam tribus triumphis dignam comparaſſe ſe putant. Neque unquam pudoris aut ingenuitatis micam in eo reperias, qui ex loquacitate quæſtum facit. Sed videamus jam, quo diſcrimine nos ab Auguſtino ſeparet. In vos, inquit, qui unius divini beneplaciti eſſe aſſeritis, ut pari morbo laborantibus nobis omnibus, iis quidem medicam manum admoveat, alios prætermittat, ſinatque in ſua putredine contabeſcere, hoc recte diceretur: ſtultum eſſe docere, hortari, reprehendere. In Auguſtinum non item, qui prorſus diverſum ſentit. Quid autem Auguſtinus contra? Poſtquam pravitatem omnibus ingenitam eſſe à natura

capite 6. ejuſdem libr.

docuit, Corripiatur, inquit, origo damnabilis: ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur: ſi tamen qui corripitur, filius eſt promiſſionis: ut ſtrepitu correptionis forinſecus inſonante, atque flagellante, Deus in illo intrinſecus, occulta inſpiratione, operetur & velle. Audis, hominem nihil verbis aut monitionibus poſſe moveri, niſi intus per Spiritum voluntatem formet Deus. Audis non indifferenter omnibus, ſed tantum filiis promiſſionis hoc dari. Rurſum: A maſſa perditionis, quæ facta

cap. 7.

eſt per primum Adam, debemus intelligere, neminem poſſe diſcerni, niſi quod hoc donum habet quiſquis habet, quod Dei gratia accepit. Quos elegit porro, eos & vocavit. Ex iſtis nullus perit: quia omnes electi ſunt. Electi autem ſunt, quia ſecundum propoſitum vocati: propoſitum autem, non ſuum, ſed Dei. Item paulo poſt: Scivit Deus, qui ſui ſint. Horum fides per charitatem efficax, aut nunquam deficit: aut ſi qui ſunt, quorum deficit, reparatur, antequam vita iſta finiatur: & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate, uſque ad finem perſeverantia deputatur. Qui vero perſeveraturi non ſunt, ac ſic à fide lapſuri, non ſunt à maſſa illa perditionis, præſcientia Dei & prædeſtinatione, diſcreti: & ideo nec ſecundum propoſitum vocati: ac per hoc, nec electi. Quantum vero ad nos pertinet, inquit, qui

cap. 16.

prædeſtinatos à non prædeſtinatis diſcernere non valemus, & ob hoc, omnes ſalvos fieri velle debemus, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, adhibenda eſt à nobis medicinaliter ſevera correptio: Dei autem eſt, illis eam facere utilem, quos ipſe præſcivit & prædeſtinavit. Nonne jam in Pighio cernunt omnes, quod nuper dixi? Proſtitutæ linguæ homines ſuſque deque habere, quale illud ſit quod dicunt, modo non prorſus taceant. Illæ, inquit, objectiones merito in eos conferuntur, qui dicunt ſolo Dei beneplacito diſcerni homines, & alios quidem donari gratia: alios præteriri ac deſtitui, prout Deo viſum fuerit: ad Auguſtinum vero nihil pertinent. Atqui nihil agere aliud toto libro Auguſtinum palam eſt. Merito, inquit, ſic loquitur Auguſtinus: O homo, in præceptione cognoſce, quid agere debeas: in correptione cognoſce, tuo te vitio non habere: in oratione cognoſce, unde accipias. Sed quo pacto hoc dicat Calvinus, qui negat in hominis eſſe poteſtate, ante perceptam gratiam, eam quærere aut appetere? Imo cur plus Auguſtino quam mihi concedit, qui nihilo minus quam ego, illud ipſum ſubinde in ore habet? Quid enim vox illa ſignificat? Con-

In Pſ. 84. De grat. & liber. arbitr.

vertine poſſes, niſi vocareris? Nonne ille qui te vocavit averſum, ipſe præſtitit ut converteteris? Noli ergo tibi arrogare converſionem tuam: quia niſi ille te vocaret fugientem, non poſſes converti. Quid item altera? Vocat nos ſine nobis? Quid tertia? Non tantum ut ex nolentibus faciat volentes, ſed ex repugnantibus etiam obſequentes? Et aliæ ſimiles innumeræ? Sed hoc Pighio licet, qui in proſtibulo Romani Antichriſti operam ſuam locavit.

Cæterum, dum huic objectioni reſpondendum eſt, nego nos eſſe ſolos in iſta cauſa, ſed Chriſtum & omnes Apoſtolos eſſe nobis conjunctos. Atque id confirmo: quod quum ubique doceant, nullas eſſe ad bonum hominis facultates, nihilque penitus valere, non ideo tamen & præcipere, & hortari, & reprehendere deſinant. Hic me convitiis lacerat Pighius, quod Chriſtum in cauſæ ſocietatem accerſam, qui ſe pulſare teſtatur, ut ſibi cordis oſtium aperiamus: qui urbi Jeruſalem in ſua pervicacia obſtinatæ exprobrat, noluiſſe eam congregari filios ſuos, quum facere id ipſe vellet. Hæc nugatus, quaſi Chriſtum nobis valde adverſarium fecerit, inſultat. Atqui hoc eſt quod tantopere contendimus, minime præcludi exhortationibus & correptionibus viam, utcunque non poſſit parere homo, niſi Dei Spiritu ejus voluntas in obedientiam formetur. Simile in Paulo ſpecimen edit: quum gratiam ſic ab eo commendari commemorat, ut neque libero arbitrio adimat locum. Unde probat? Neque enim velle aut currere nos negat. Si de bona voluntate intelligit, ubinam erit illud? Deum, & velle, & perficere, in nobis operari. Si utrumque proprium gratiæ ejus opus eſt, continuo non eſſe ex naturæ virtute ſequitur. Sed video quid ſit. Vulgari illa hallucinatione captus eſt Pighius: non eſt volentis, neque currentis: velle igitur ac currere noſtrum eſt. Quum ex adverſo ideo ratiocinetur Paulus, volendo aut currendo non conſequi

Rom. 9. verſ. 16.

nos Dei gratiam: quia nulla ſit in nobis bona voluntas, nullus bonus curſus: quæ poſſint id promereri. Atque id eſt quod ait Auguſtinus: Quomodo non volentis neque currentis, niſi quia ipſa voluntas à Domino præparatur? Alioqui ſi propterea dictum eſt, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia ex utroque ſit, id eſt, ex voluntate hominis, & miſericordia Dei: ut ſic dictum accipiamus, non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei, tanquam diceretur, non ſufficit ſola voluntas hominis, ſi non ſit etiam miſericordia Dei: Non ergo ſufficit & ſola miſericordia Dei, ſi non ſit & hominis voluntas. Ac per hoc, ſi recte dictum eſt, non volentis hominis, ſed miſerentis eſt Dei, quia id voluntas hominis ſola non implet; cur non & à contrario recte dicitur, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis hominis, quia id miſericordia Dei ſola non implet? Porro ſi nullus dicere Chriſtianus audebit, non miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis, ne Apoſtolo apertiſſime contradicat: reſtat, ut propterea recte dictum intelligatur: non volentis neque currentis,

rentis, ſed miſerentis Dei, ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Præcedit enim bona voluntas multa Dei bona: ſed non omnia. Quæ autem non præcedit, in iis eſt & ipſa. Sed negat Pighius, conſtare nobis doctrinæ noſtræ rationem, dum ſic prædicamus gratiam, ut nullas ad bene vivendum partes libero arbitrio relinquamus. Siquidem impotentes ad obſequium hortari, perinde eſt, acſi quis ſervum ſuum, quem clauſum carcere manicisque conſtrictum teneret, huc illuc juberet curſitare. Conveniret forte nonnihil hæc ſimilitudo, niſi altera parte claudicaret: altera concideret. Nam ſi Dei tyrannide, non autem propria cordis pravitate, captivos nos teneri confiteremur, tum aliquid coloris haberet. Nunc autem quum & cauſa mali & culpa in nobis hæreat: quum non aliis, quam propriæ perverſitatis vinculis induti ac conſtricti ad currendum ſimus inutiles, multum eſt in comparatione diſcriminis. Ad hoc, quum præcipuus admonitionum & reprehenſionum uſus electos reſpiciat, non reputare, in hunc finem illis à Domino præcipi quid agendum ſit, & dum non obſequuntur, ſuam illis, tum miſeriam, tum pravitatem indicari, & quodammodo exprobrari, ut ad eos liberandos Spiritui ſancto via ſternatur, nimiæ eſt cæcitatis: aut certe, ſi reputes ac diſſimules, nimis perditæ impietatis.

Quanquam locum hunc ſic tractatum à me fuiſſe confido, ut parum apud eos, qui mentis aliquid habent, allatrando proficiat Pighius. Quod ſi quis amplius ſatisfieri ſibi deſideret, in promptu eſt liber ille Auguſtini qui in hanc rem totus eſt compoſitus. Neque tam eſt involuta quæſtio, quin paucis verbis abſolvi queat. Si non eſt, inquiunt, obediendi in homine facultas: docendo & monendo Deus ludit operam. Luderet, fateor, ſi ſola externa doctrina uteretur: quantum ad verum profectum dico. Nunc vero, quum Spiritu ſuo reddat efficacem doctrinam, plurimum abeſt, ut ſine fructu loquatur. Nihil eſſe

1 Cor. 3. verſ. 7.

pronunciat Paulus omnes eos, qui plantant vel rigant. Qui ſic? niſi quia nihilo plus conſequuntur Chriſti miniſtri, docendo & concionando, quam ſi aërem flatu ferirent? Unde autem fit ut adeo ſit inutilis eorum labor? niſi quod lapidibus loquuntur, donec mirifica & arcana ſua operatione, inſtillat Deus in hominum mentes, & cordibus inſpirat, quod eorum opera non niſi ad aures pervenire poterat? Ita concludit, Deum qui dat incrementum, ſolum eſſe omnia: non quod omnia Spiritus ſui virtute agendo, ſervorum ſuorum miniſterium excludat, ſed ut ſolidam ſibi actionis laudem vendicet: ſicut tota ab eo uno efficacia emergit, & vanum eſt ac ſterile, quicquid ſine ipſo laborant homines. In hac doctrina tantam abſurditatum congeriem Pighius contineri dicit, ut omnia excutere immenſi ſit operis. Itaque ingenioſam occupationem habere ſe putat, ut tranſilire ulterius liceat inoffenſo pede, dum infinitos locos eſſe dicit, in quibus ipſe pugno mecum. Quanquam ne abſque argumento videatur hæc dicere, unum mox profert: Bifariam in electis ſuis Deum operari dico, extra per verbum, intus per Spiritum. Spiritu mentes illuminando, corda in juſtitiæ amorem cultumque formando, novam eos creaturam facere: verbo, ad eandem renovationem expetendam, quærendam, aſſequendam excitare. Hic me evidenter mihi contradicere, iſto modo oſtendit. Aut enim Spiritus actione, inquit, prior eſt verbi prædicatio: aut poſterior. Atqui ſecundum hoc à ratione diſſentaneum eſt: quia fruſtra quærerent & appeterent regenerationem fideles, quam jam conſequuti eſſent. Priorem vero eſſe, cum doctrina mea non convenit: quæ hominem ſub naturæ vetuſtate, ne appetere quidem poſſe bonum tradit. Subtilem certe artificem, qui tam bene novit telas aranearum texere. Ego vero reſpondeo, fidelibus jam regeneratis prædicari verbum, idque efficaciter, & cum fructu: non ut naſcantur novæ creaturæ, ſed ut augeſcant & adoleſcant, ſicut creſcere & proficere tota vita nos oportet. Si ad ſummam perfectionem primo gradu perveniretur, fruſtra quidem docerentur, qui ſemel audierunt. Sed nos aliud experimur. Jam ergo abrupta eſt pars una texturæ. At niſi mentimur, ante regenerationem verbo excitari nemo poterit ad expetendum Dei Spiritum. Merito alicubi Auguſtinus, ſcholam hanc procul à ſenſu carnis remotam eſſe admonet. Quanquam utcunque perſuaderi nequeant homines, ſtultis ſuis cogitationibus inebriati, convinci tamen poſſunt, ut ne amplius Deo obloquantur. Principio, Paulum meo loco ſubſtituam, qui ad repellendos Pighii inſultus fortior erit, & inſtructior. Is enim fidem docet eſſe ex auditu: Rom. 10. v. 16, 17.
& continuo tamen ſubjicit, non niſi ex arcana brachii Dei revelatione haberi. Audis, hominem ex incredulo, verbi prædicatione, fidelem fieri: audis rurſum, incredulum manere, donec Dei Spiritu fuerit illuminatus. Hæc duo ſi quid videntur habere repugnantiæ, uno verbo inter ſe conciliat Paulus: dum ſibi commiſſum eſſe Spiritus miniſterium gloriatur: & quid ſibi hoc velit, declarat: Nempe quod efficaciter inſculpat Deus hominum cordibus per Spiritum, quod per os ejus, non ante, nec poſt, ſed ſimul auribus loquitur. Prædicatione ergo jacitur ſemen: ut autem radices agat, ut germinet, ut fructificet, Dei Spiritus intus facit. Nunc, ut ad mea verba etiam veniam: verbo excitantur homines ad expetendam regenerationem. quando? dum Spiritus Dei ſcilicet organum illud ſuum reddit efficax, ut tale deſiderium accendat. Quanquam momenta aut articulos agendi Deo præſcribere, noſtrum non eſt. Tantum retineamus illam, quam deſcribit Paulus, arcanæ Spiritus operationis cum externa hominis prædicatione colligationem, & erimus omni difficultate expediti.

Quoniam autem nonnulla Scripturæ teſtimonia, quæ parum in ſpeciem videntur cum doctrina noſtra congruere, in nos torquent adverſarii, in mea Inſtitutione oſtendo, qualiter falſo & perperam in alienum ſenſum ſic torqueantur: atque ut in compendium redigam, in certos ordines diſtribuo: quorum primus eſt de præceptis. Aut illudit, inquiunt, nobis Deus præcipiendo, aut non, niſi quæ ſunt in poteſtate noſtra, à nobis requirit. Hic reſpondeo, nihil intelligere eos qui hominis vires præceptis metiuntur. Pighius ad illud tritum ſuum axioma redit, non eſſe impoſſibilem Legis obſervationem: quod eo majore animo pronunciat, quia nunquam de Legis obſervatione ſerio cogitavit. Tales enim hodie fere ſunt magnanimi iſti gigantes, qui de Legis facilitate, de operum meritis, de perfectione philoſophantur: alio enim Spiritu deſpumant, Legem obſervatu poſſibilem eſſe, cujus nullam omnino partem, vel minimo digito, unquam attigerunt. At ſi ſemel vel levi apprehenſione conciperent, quid ſit illud, Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde, ex tota mente, ex totis viribus tuis, agnoſcerent profecto, quam procul ab ejus complemento diſtare hominem neceſſe ſit, quamdiu corpore hoc mortali circumdatur. Sed nos in alia etiamnum quæſtione verſamur. Non enim implendæ modo, ſed etiam inchoandæ Legi imparem dicimus eſſe hominem: nec perfectam modo & exactam juſtitiæ plenitudinem, ſed infimam quoque & facillimam partem illius facultatibus ſuperiorem eſſe dicimus, quas adeo in ſublime Pighius evehit. An autem verum illud ſit necne, nolo ut quiſpiam ex me diſcat: ſed conſulat unuſquiſque fidelium vivam fidei experientiam, tum certius rei, quam verbis aſſentietur. Jam quæ ad hujus ſententiæ confirmationem, clariſſima Pauli teſtimonia allego, rite ſe diluiſſe putat: quum hoc non pertinere pronunciavit. An quia per Legem, inquit, cognitio peccati:

ideo

ideo impoſſibilis eſt Legis obſervatio? Ego vero non
id modo, ſed ſerium quoque obſervandi ſtudium
impoſſibile eſſe, inde colligo: ſicut loci contextus
neceſſario poſtulat. Nam illa quæſtione in medium
poſita, poſſitne obtineri juſtitia per Legem, ut hoc
Rom. 3. impoſſibile eſſe convincat, hac tantum ratione uti-
verſ. 20. tur: per Legem cognitio peccati. Eſt autem argu-
mentum à contrariis: quod nullo modo ſtaret, ſi
alius omnino eſſet Legis effectus. Perinde igitur eſt
acſi diceret, Legem aliud nihil ex ſe afferre homi-
nibus, niſi ut ſuum illis peccatum patefaciat. Finge
nunc hominem aliquid valere propriis viribus, nonne
protinus totum illud corruet? Apertius etiamnum
Rom. 5. altero loco: ubi Legem docet ſupervenisſe, ut abun-
verſ. 20. daret peccatum: quod verum non eſſet, ſi ullæ ad
obediendum vires in homine ſubeſſent. Proinde qui
Legis uſum noverit, minime ex illius præceptis ho-
minum virtutem æſtimandam cognoſcet. Bene ita-
Lib. 3. ad que alicubi Auguſtinus: Dicimus Lege fieri, ut Deus
Boniſac. quid fieri velit, audiatur: gratia vero fieri, ut Legi
obediatur. Lex ergo auditores juſtitiæ facit: gratia
De natur. factores. Alibi etiam expreſſius: Juſtitiam Dei non
& gratia, in præcepto Legis, quo timor incutitur: ſed in ad-
cap. 1. jutorio gratiæ Chriſti, ad quam ſolam utiliter Le-
gis timor, velut pædagogus, ducit, conſtitutam
eſſe qui intelligit, ipſe intelligit, quare ſit Chri-
ſtianus.

Quum dico, Legem, quid agendum ſit, præſcri-
bere, ut obediendi virtutem à Domino flagite-
mus; Recte, inquit: quandoquidem, & quod ſu-
mus, & quod vivimus, à Domino eſſe fatemur.
Atqui alio modo ſumus & movemur, ut homines:
alio, ut filii Dei. Communis omnium eſt illa gratia:
hæc electis peculiariter confertur: illa naturæ quo-
dammodo inſita eſt: hæc præter naturam homini
datur, ut quod erat eſſe deſinat: & eſſe incipiat
quod nondum erat. Deinde in meis verbis repu-
gnantiæ ſpeciem quærit. Quis gratiam, inquit, pre-
cabitur ſibi, quam nemo deſiderat, antequam ha-
beat? Equidem Spiritum precationis à Deo fateor
Rom. 10. dari: & ſi taceam, Paulus ſatis demonſtrat, quum
verſ. 14. fidem orationis matrem eſſe teſtatur. Verum hoc
minime interea obſtat, quominus externum quoque
doctrinæ organum inſtar ſtimuli adhibeat Deus, ut
quo ſolet modo in homine opus ſuum peragat. Hoc
ſi caperet Pighius, litigandi aliquando finem fa-
ceret. Ad hæc, collectionem hanc meam repre-
hendit, fruſtra implendæ Legis facultatem quæri in
hominis natura, quum peculiare ſit Dei donum. Non
enim, inquit, ideo videre non eſt noſtræ faculta-
tis, quia Solis claritate ad videndum indigemus.
Solenne illud ſuum obſervat Pighius: decipitur
ineptis ſimilitudinibus, quæ tantum habent diver-
ſitatis à re præſenti, quantum cælum à terra diſtat.
Non enim Solis vice nobis eſt gratia, in quam ocu-
los dirigamus, ſi libeat, ſed oculos etiam mentis
nobis dat & aperit, ut lucem veritatis in verbo ſuo
refulgentem intueamur. Unde illa eſt Pauli precatio,
Epheſ. 1. ut Deus illuminatos mentis oculos Epheſiis dare ve-
verſ. 18. lit, quibus percipiant, quæ ſit ſpes vocationis ſuæ:
& cum omnibus ſanctis comprehendant, quæ ſit
longitudo, latitudo, & profunditas. Nec mirum:
1 Cor. 2. quum alibi ſpiritualis ſapientiæ altitudinem in cor
verſ. 14. hominis aſcendere neget.

In ſecunda claſſe promiſſiones conſtituo, quæ con-
ditionem habent annexam, ſi fecerimus, quod po-
ſtulat Deus à nobis. Nam illis ſic adverſum nos pu-
gnant: Quorſum pendere à nobis eorum comple-
mentum diceretur, quæ Deus promittit, ſi penes
nos non ſit facere ut impleantur? Sic autem illic re-
ſpondeo: quum fidelibus juxta ac impiis offerantur
promiſſiones, ſuum apud utroſque uſum habere.
Impios enim ita convinci, ut ſua indignitate privari
ſe Dei beneficiis agnoſcant, quæ ſuis cultoribus
præſtare ſolet: ut pii rurſum ad timorem & obe-
dientiam Dei, ad veram cordis puritatem & inno-
centiam, propoſita illic benedictione, reddantur
alacriores: ſed Spiritu rectitudinis freti, non viri-
bus ſuis. Proinde talibus promiſſis ablegari doceo
ad quærendam Dei gratiam, qua ſola pervenire
illuc poſſunt, quo vocantur: Pighius in libero
arbitrio retineri putat. Quam opinionem ut confir-
met, diverſum finem à Moſe fuiſſe deſignatum,
oſtendit. Sic enim, promulgata Lege, loquitur:
Conſidera, quod hodie propoſuerim in conſpe-
ctu tuo vitam & mortem, &c. Quaſi non clamet
ex oppoſito Apoſtolus, Legem, quæ in vitam per- *Rom. 7.*
ſe cedere debuerat, naturæ noſtræ vitio fuiſſe nobis *verſ. 13.*
in exitium converſam. Lex quidem juſti officii
exactrix eſt: ſed nos ſolvendo minime ſumus.
Lex inæſtimabile illud vitæ æternæ præmium ſuis
cultoribus repoſitum eſſe oſtendit. Sed nemo eſt,
qui vel ſerio ſaltem conatu adſpirare illuc propria
virtute queat. Quare Paulus, dum illud adducit: *Rom. 10.*
Qui fecerit hæc, vivet in illis; continuo, quaſi re *verſ. 5.*
deſperata, confugere ad alterum aſylum nos docet: *Galat. 3.*
ut gratuito & ſine operibus conſequamur, quod *verſ. 13.*
Deus loco mercedis, illic operibus promittit. Sed
inſtat Pighius, quia mox ſubjiciat Moſes: ut facias,
& opere compleas. Nempe ut hoc audito, officii
noſtri neceſſitatem ſciamus: & facto virium noſtra-
rum periculo, infirmitatis, vel impotentiæ potius
noſtræ convicti, dicere Deo cogamur: Da quod
jubes: & jube quod velis.

Tertia claſſis iis ſententiis conſtat, ubi Dominus
populo Iſraëlitico exprobrat, per eum tantum ſte-
tiſſe, quominus omni bonorum genere frueretur.
Tales enim exprobrationes in eos congruere non
videntur: quibus ad manum ſit hæc reſponſio: No-
bis proſperitas cordi erat, adverſa timebamus.
Quod autem illius adipiſcendæ, horum fugiendo-
rum cauſa, Domino non paruimus, eo factum eſt,
quia peccati dominationi obnoxiis liberum non fuit.
Fruſtra igitur mala nobis exprobrantur, quæ effu-
gere non fuit noſtræ poteſtatis. Reſpondeo quod
verum eſt ac ſimplex: inveſtigandum eſſe mali fon-
tem, ut inde judicetur, ubinam reſideat culpa, aut
in quem conferri debeat. Jam nemo aliud cauſari
poteſt cur peccet, niſi malam voluntatem. Volun-
tatis porro malitia non aliunde eſt, quam ex hære-
ditaria corruptione. Quid igitur prodeſt, ejus in-
vidiam alio derivare, quod jure nobis imputatur?
Culpæ radicem in nobis invenimus. Quid ergo,
ad captandam excuſationem conamur alio trans-
ferre? Hanc reſponſionem ſatis valida confuta-
tione repellere ſe putat Pighius, dum ſuo faſtidio
reſpuit: niſi quod in Moſis teſtimonio, illic etiam
excuſſo, aliquanto diligentius inſiſtit. Moſes enim,
promulgata Lege, populum in hunc modum con-
teſtatur: Mandatum hoc, quod ego hodie tibi præ- *Deut. 30.*
cipio, non eſt occultum, neque procul poſitum, *v. 11. 14.*
ſed juxta te eſt, in ore tuo, & in corde tuo. Hæc
conteſtatio quum videatur in homine multum col-
locare, videri etiam poſſet ſuperiori ſolutioni eſſe
contraria. Eam igitur adduco, & explico: neque
tamen interim diſſimulo, eludere promptum mihi
fore, ſi cavillari haberem in animo: utique ſi de
notitia tantum, non autem obſervandi facilitate,
agi dixero. Sed oſtendo ex Paulo, quis ſine dubio
genuinus ſit ac purus ſenſus: nempe ſi ad Euange-
lium, non ad Legem referas. In refellenda priori
ſolutione, quam ipſe cavillatoriam eſſe fateor, mul-
tum laborat Pighius: ad hanc alteram quum ven-
tum eſt, nihil poſſe abſurdius fingi exiſtimat, aut
magis à Moſis verbis diſſentaneum, quam ſi verum
ſit, de Euangelio oportere hoc intelligi. Jam
nihil miror, quod tam ſævum ac truculentum ad-
verſum nos ſe præbeat, quum in Spiritum ſanctum
nihilo ſit clementior. Certe Spiritus Chriſti, qui
per Moſen loquutus fuerat, per os Pauli, quid volue-

Rom. 10. v. 5, 8. rit, enarrat. Neque vero perplexa eſt aut obſcura interpretatio. Fit enim Euangelii & Legis comparatio: quod Lex vitam non promittat, niſi iis, qui mandata impleverint: Euangelium autem gratuitam juſtitiam offerat, qua homines Deo reconcilientur, ac æternæ ſalutis hæredes fiant. In hanc rem citatur locus ille: Non procul eſt verbum, neque ſupra te ſitum. & additur: Hoc eſt verbum fidei, quod prædicamus. Si perſpicuitas quæritur, quid deſideres magis ad intelligendum facile? Si auctoritas: cæleſte eſt oraculum. Audiendæne igitur jam ſunt contra Pighii blaſphemiæ? Sed quoniam bellum cælo denunciare non horret hic gigas, ſpectemus paulisper, qualem impreſſionem faciat. Totus, inquit, contextus neceſſario poſtulat, de Lege intelligi. Fateor certe de Lege primum, quatenus ad Euangelium tranſitus eſt, idque officii habet, ut ad Chriſtum manuducat. Verum quoniam de ſolis præceptis fruſtra hæc dicerentur: vel ſaltem parum homini conducerent, non niſi in exitium ſcilicet illi propter naturæ vitium ceſſura: ideo non per κατάχρησιν, ſed ſecundum proprium, & literalem, ut ſic loquar, ſenſum ad Euangelium traducit Paulus. Atqui hæc illuſoria ſunt: Præcipio ut facias: Propono in conſpectu tuo hodie vitam & mortem: ſi contemptoribus dicantur, quos neceſſe ſit in ſua duritie ac contumacia perſiſtere, donec cor ipſorum
2 Cor. 3. lapideum reformet Deus. Non ſic Paulus, qui Legem ideo miniſterium mortis, & damnationis vocat, quod nihil quam occidere & exitio dare ſuos diſcipulos potuerit, niſi per novum fœdus cordibus inſculpta eſſet. His dictis, quaſi me conſtrictum ad ſuum tribunal reum judex teneat, ſufficienter demonſtratum pronunciat, quam contraria ſententiæ noſtræ ſit tota Scriptura. Ego vero conſulo, ſi quid judicare poſthac velit, ut ſe prius ad Anticyram conferat: unde ſanioris & purgatioris cerebri redeat.

In Librum Quintum.

Libro quinto, in hoc elaborabat, ut recitatis iterum hæreticis veteribus, qui in præſenti quæſtione aberrarunt, inter diverſas & pugnantes ſectarum opiniones ſic temperatam oſtendat ſuam, ſuique ſimilium doctrinam, ut ab extremis hinc inde retracta, mediocritatem retineat: nos vero contra, ex ſingulis eorum qui libertati arbitrii derogarunt, aliquid hauſiſſe: atque ita permixtam partim ex multis variiſque erroribus doctrinam habere convincat: partim nova etiam commenta addidiſſe, quæ omnem priorum hæreticorum impietatem ſuperent. Nos enim cum Marcione, Valentino, Manichæo, & ſimilibus, naturam hominis malam fingere: cum Wiclefvo & Laurentio Valla, hominem divinæ tantum voluntatis inſtrumentum facere, ut agatur potius, quam agat. Omnia ſuſpendere ex Dei unius arbitrio: ut nihil nobis contingenter accidat, ſed mera neceſſitate omnia. Hoc vero aliis omnibus habere pejus, quod tantæ perverſitatis naturam totam, quanta quanta eſt, damnamus, ut nihil poſſit quam male agere, etiam in ſanctis: quum illi, Valentinus ſcilicet, Marcion, ac Manichæi, partim bonam, partim malam docuerint. Dixi jam ante, & quaſi digito indicavi, quam putida ſit calumnia, quod nos ita Marcioni & Manichæis ſubinde adjungit: à quibus non minus diſſidemus, quam Pighius ipſe à nobis. Quod naturam tradimus malam eſſe, videri forte cum illis habere id commune in ſpeciem poſſemus. Verum, ſecundo deinde verbo, tantum inter nos eſſe diſcriminis palam facimus, ut ne minima quidem ſuſpicio hæreat. Nam quum illi eſſentialem in natura malitiam conſtituant, eamque ab ipſo creationis initio talem extitiſſe imaginentur, noſtri ex naturæ corruptione vitium eſſe definiunt: naturam vero non cæleſti aliquo influxu, ſed voluntario hominis lapſu corruptam fuiſſe, conſtanter profitentur: ut quum quæritur mali cauſa, non extra nos exire, ſed nobis totam culpam imputare debeamus. Hic noſter eſt cum Valentino, Marcione, & Manichæis conſenſus, quantum ſcilicet inter ignem & aquam convenit. Si fidem ſibi quis fieri petat, primum extant libri noſtri, optimi & locupletiſſimi teſtes: deinde nihil hic leges, quod non ipſe Pighius ex mea Inſtitutione recitet. Neque tamen contentus pares nos tam abſurdis hominibus feciſſe, majori execratione dignos eſſe clamat: quia totam naturam damnemus. Nempe, quum non aliqua ſui parte homo peccaverit, ſed totus, quid mirum ſi ſe totum dicatur perdidiſſe? Sed permultum intereſt, accerſitone ſua culpa vitio, ſicut tradimus, an aliunde ſibi indito, ſicut delirant illi, dicatur laborare. Quod ſi hominum patrocinio opus eſt, Auguſtinum habemus horum omnium auctorem. De neceſſario aut fortuito rerum eventu, nihil in præſentia attingere placet: ne res diverſas implicando, orationis ſeriem conturbem. Hominem ſic quidem docemus agi Dei gratia, ut tamen ſimul agat: ſic tamen ipſum agere, ut penes Dei Spiritum tota ſit ac maneat actionis efficacia.

Atque ut appareat, quantam ex mentiendi conſuetudine licentiam audaciamque ſibi acquiſierit, non modo ſua mendacia aliquo ſaltem colore obducere nihil curat, ſed ne cui ignota ſint, ex mea Inſtitutione refert, quæ ea in promptu arguant. Neque enim in creatione vel opere Dei conſtituimus pravitatis noſtræ originem, ſed in primi parentis noſtri culpa: quod voluntaria defectione miſeram ſerviendi conditionem ſibi contraxerit, quum liber creatus eſſet. Hoc autem unum eſt, quo à Manichæis & ſimilibus orthodoxos diſcernere contentus eſt Auguſtinus. Vides ergo, ut hic furioſus, poſtquam verbo nos damnavit, re ipſa protinus abſolvat. Quod autem totum hominem ſic vitiatum eſſe dicimus, ut nulla ſui parte adſpirare per ſe ad Deum poſſit, non aliud aſſerimus, quam quod teſtatur Deus: quo nemo melior de homine judex inveniri queat, quum nullus melius, quid ſit in homine, noverit. Siquidem totum hominem carnis nomine deſignari, non eſt difficile probare, quantumlibet repugnent contentioſi. Nam quoties, contraria oppoſitione, cum ſpiritu comparatur, Spiritus nomen proculdubio pro regenerationis gratia capitur. Reſtat igitur, ut caro ſit, quod, nondum regenerati, habemus à natura. Nec alio argumento probat Chriſtus, oportere nos renaſci, niſi Joan. 3.
quia quod natum eſt ex carne, caro eſt. Si pars tan- verſ. 5, 6.
tum hominis foret caro, nonne ratio hæc per ſe frangeretur? In promptu enim eſſet reſponſio: partem hominis excellentiorem procul diſtare à carne. Quo autem elogio carnem hanc commendat Paulus? Rom. 7.
Scio, inquit, quod non habitet in me, id eſt, in verſ. 18.
carne mea, bonum. Item: Senſus, aut cogitatio & 8: 7.
carnis, inimicitia eſt adverſus Deum. Qui carnem omni bono vacuam eſſe teſtatur, & cauſam ſimul indicat, quod tota rebellis ſit Dei juſtitiæ, & nihil cogitare aut meditari queat, niſi Deo contrarium: nihilo plus, aut minus, quam nos dicit. Et ne quis in ipſo adhuc carnis nomine ambiguitatem captet, prius nullam prorſus in homine partem reliquerat, quam non damnationi ſubjeciſſet. Legatur humanæ naturæ deſcriptio, quæ capite ad Romanos tertio habetur: quid homini, à damnatione immune, illic relinquit? Quod ergo de naturæ noſtræ vitioſitate pronunciavi, non meum eſt, ſed Spiritus ſancti judicium.

Hinc vero, quod deinde ſubjicio, conſequi, quis non videat? Non eſſe in hominis poteſtate, ut ſe præparet ad recipiendam Dei gratiam: ſed

totam

totam converſionem eſſe donum Dei? Quanquam hoc quoque caput habet ſua certa & clara teſtimonia. Nam quum Dominus pro corde lapideo, daturum ſe nobis cor carneum promittit, quis præparationi locus relinquitur? Qui ex nolente fit voluntarius: ex rebelli & contumaci, paratus ad obſequium, quam ſibi præparationis laudem arrogabit? *Ieſa. 65. verſ. 1.* Nec minus verbis illis exprimitur: Inventus ſum à non quærentibus me. Tametſi enim de Gentium vocatione loquitur Propheta, in ea tamen univerſalem noſtræ omnium vocationis typum repræſentat. Dei igitur eſt, nos prævenire, ut nos ad ſe convertat. Nec mirum. Siquidem quum cogitare multo minus ſit, quam velle: ne hoc quidem nobis *2 Cor. 3. verſ. 5.* reliquum Paulus facit, ut idonei ſimus ad aliquid boni cogitandum. Proinde, cum Propheta confi- *Ieſa. 53. verſ. 6.* teamur, omnes nos, ſicut oves, aberraſſe: unumquemque declinaſſe in viam ſuam: quum Dominus in viam ſuam nos reducit. Nec Dominus etiam ullam gloriæ hujus particulam alio traduci patitur. Suum enim opus eſſe clamat; quod ex cæcitate illuminamur: quod ex tenebris transferimur in lucem ſuam: quod mente renovamur: quod denique à morte excitamur in vitam. Quo præparationis genere, Dei gratiam, mortuus provocabit?

Sequitur tertium membrum, de efficaci gratiæ operatione. Nego igitur, gratiam ſic nobis offerri, ut noſtræ poſtea ſit optionis, vel obtemperare, vel refragari: nego tantum in hoc dari, ut imbecillitatem noſtram, ſubſidio ſuo, adjuvet: quaſi in nobis alias quicquam ſit ſitum: ſed hoc in ſolidum illius opus ac beneficium eſſe confirmo, ut cor noſtrum, ex lapideo in carneum, vertatur: ut voluntas fiat nova: ut nos denique, corde & animo reformati, velimus, quod velle oportet. Neque enim efficere Deum in nobis teſtatur Paulus, ut poſſimus bene velle: ſed hoc quoque ipſum, ut velimus, ad complementum uſque operis. Quantum intereſt inter effectum & voluntatem? Proinde efficaciter formari voluntatem noſtram conſtituo, ut Spiritus ſancti ductum ſequatur neceſſario, non autem incitari duntaxat, ut valeat, ſi velit. Quod porro de uno opere dicimus, id ad totam vitam extendi debet. Neque enim fuerit ſatis, ſi cor hominis ſemel direxerit Deus: niſi perpetuo ſimiliter retineat, & in perſeverantia confirmet. Jam in perſeverantia, duo hæc obſervanda eſſe admoneo, ne hominem imaginemur Deo cooperari, propria aliqua virtute, dum Spiritus gubernationi obſequitur: ne poſteriorem gratiam loco mercedis, illi retribui putemus, quaſi priore bene utendo, hoc promeritus fuerit. Neque enim aliud poſſe homines concedo, quam quod illis datum fuerit, & Deum perpetuo tenore ſic perſequi in illis opum ſuum, ut gratuitum ſit, quicquid illis ad finem uſque confert: niſi forte cum Auguſtino mercedem vocare libeat, quia ſit gratia pro gratia: quia ſuam in electos beneficentiam novis ſubinde donis cumulet Deus. Hoc totum, *Philip. 2. verſ. 13.* ſi quid intelligo, uno verbo complectitur Paulus, quum Deum, unum eſſe docet, qui & velle operetur in nobis, & perficere, pro ſuo beneplacito. Non de uno die loquitur: ſed de continuo actionis curſu, cujus unicam cauſam ponit, Dei beneplacitum, hoc eſt, gratuitam, ſine ullius meriti reſpectu benignitatem.

His omnibus quod dicam Auguſtinum ſubſcribere, ſuaviter me ſubſannat Pighius. Verum nihil dico, quod non prius ante lectorum oculos poſuerim, & nullum eſt caput, quod non prope ad verbum ſæpius apud Auguſtinum occurrat: certe nullum eſt, quod non luculento ejus teſtimonio confirmare liceat. Totam hominis naturam vitioſam eſſe do- *Lib. 3. de peccat. merit. & remiſ. cap. 2.* ceo. Quid Auguſtinus? Noli, inquit, putare te aliquid operari, niſi in quantum malus es. Item: Spiritus vitæ in Chriſto regenerat fideles, ita corpus mortis in Adam genuerat peccatores. Hæc carnalis eſt generatio: illa ſpiritualis. Hæc filios carnis *In Pſalmum 142.* facit: illa filios Spiritus. Hæc filios mortis: illa filios reſurrectionis. Hæc filios ſeculi: illa filios Dei. *Lib. ad Bonif. 1. cap. 18.* Illa filios miſericordiæ: hæc filios iræ. Hæc peccato originali obligatos: illa omni vinculo liberatos. *Lib. ad Bonif. 3. cap. 5.* Item: Dicimus opus Dei eſſe homines, in quantum homines ſunt: ſed eſſe ſub diabolo in quantum ſunt *Lib. 4. adverſ. Julian.* peccatores. Adeo autem totum hominem perverſum eſſe teſtatur, ut quicquid habere bonorum videtur à ſeipſo, cedat illi in peccatum. Gratuita Dei gratia dico hominem præveniri: nullo ſuo merito ad eam pervenire: imo ne appetere quidem eam poſſe, donec excitatum in corde ejus hoc deſiderium fuerit. Dicat Auguſtinus: Oſtenditur ergo, Deum gratia *Epiſt. 107 ad Vital.* ſua auferre infidelibus cor lapideum, & prævenire in hominibus bonarum merita voluntatum, ita ut voluntas per antecedentem gratiam præparetur: non ut gratia merito voluntatis antecedente donetur. Item: Hic eſt præcipuus quæſtionis cardo, utrum præcedat hæc gratia, an ſubſequatur hominis voluntatem: vel, ut planius eloquar, utrum ideo nobis detur, quia volumus: an per ipſam Deus hoc quoque efficiat, ut velimus. Item: Quia liberum arbitrium ad Deum diligendum primi peccati magnitudine perdidimus, ut in Deum credamus, & pie vivamus, non eſt volentis neque currentis: non quia non velle debeamus & currere: ſed quia in nobis utrumque efficit. Item: Ut quid Dominus juſſit *Lib. ad Bonifac. 1. cap. 19.* nos pro infidelibus orare? An ut eis pro bona eorum voluntate gratia retribuatur? ac non potius ut ex mala in bonam mutetur eorum voluntas? Dicit enim: Nemo poteſt ad me venire, niſi Pater meus traxerit eum. Non ait illic, duxerit: ut aliquo modo intelligamus præcedere illic voluntatem. Quis trahitur, ſi jam volebat? Et tamen nemo venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis, ut velit, ab illo, qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari: non ut nolentes credant, ſed ex nolentibus volentes fiant. Item: Liberum arbitrium non niſi ad pec- *Lib. ad Bonif. 3. cap. 8.* candum valet, quamdiu eſt captivum. Item: Quomodo hominis bonum propoſitum, niſi miſerante *Lib. 4. cap. 6.* prius Domino, quum ipſa ſit bona voluntas quæ præparatur à Domino? Item: Oſtendit Deus, nullis *Ibidem.* hominum bonis meritis provocari, ut eos bonos faciat: ſed potius eis retribuere bona pro malis propter ſeipſum hoc faciendo, non propter illos. Item: *De prædeſt. ſanctor. cap. 19.* Secundum placitum voluntatis ſuæ, ne placito gloriemur voluntatis noſtræ. Non optionem tantum homini deferre Deum ſentio, ut bene & volendi & agendi facultatem habeat, ſi libuerit: ſed cor ejus efficaciter moveri, ut velit: & ipſum totum ſic dirigi, ut faciat, & opere compleat, quod velle illi datum fuerit. Loquatur nunc Auguſtinus. Cor- *De bono perſev. ad Hilar. & Proſper. cap. 22.* rigens quandam ſententiam, quæ minus conſiderate dicta fuerat: Congruentius, inquit, hoc modo, definita Dei voluntate, ut ex infidelitate veneritis ad fidem: accepta voluntate obediendi, & accepta perſeverantia maneatis in fide. Item: Iſtam gra- *De corrept. & grat. cap. 11.* tiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet eſſe malus, ſed habuit, in qua ſi permanere vellet, nunquam malus eſſet: & ſine qua, etiam cum libero arbitrio bonus eſſe non poſſet: ſed eam tamen per liberum arbitrium deſerere poſſet. Hæc eſt prima gratia, quæ primo Adam data eſt: ſed hæc potentior in ſecundo Adam: qua etiam fit, ut velit: tantumque velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate Spiritus vincat. Nec illa quidem parva erat, qua demonſtrata eſt potentia liberi arbitrii: quoniam ſic adjuvabatur, ut ſine hoc adjutorio in bono non maneret: ſed hoc adjutorium, ſi vellet, desereret. Hæc autem tanto major eſt, ut parum ſit homini, per illam reparare perditam libertatem: parum ſit denique non poſſe ſine illa,

vel apprehendere bonum, vel permanere in bono, ſi velit: niſi etiam efficiatur, ut velit. Nunc autem quibus non datur tale adjutorium, pœna eſt: quibus autem datur: ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum: & tanto amplius datur, quibus dare Deo placuit, ut non ſolum adſit, ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus, ſed tantum ac tale ſit, ut velimus. Eſt quippe in nobis per hanc gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe quod volumus, ſed etiam velle quod poſſumus. Et plurima in eundem ſenſum.

Lib. 2. de peccator. merit. & remiſſ. cap. 18.

Item: Si nobis libera quædam ex Deo ſit voluntas, quæ vel bona poſſit eſſe, vel mala: bona autem voluntas ex nobis eſt, melius eſt quod habemus à nobis, quam quod habemus ex Deo. Idipſum ad perſeverantiam extendo: ut ſicut initium, ita & bonorum operum complementum ab uno Deo pendeat. Sic autem confirmari virtute Dei hominem, ne deficiat, ut continuus uſque ad vitæ finem ſit meræ & indebitæ gratiæ tenor. Neque cooperari ex ſe hominem Deo, ut aliquid de ſuo admiſceat, ſed pro menſura ſolum quam accepit: ut non aliter agat, niſi quoad agitatur.

Epiſt. 107 ad Vitalem.

De hoc etiam reſpondeat Auguſtinus. Quomodo non eſt gratiæ Dei, non ſolum credendi voluntas ab initio, ſed uſque in finem perſeverantia? quum finis ipſe vitæ non in hominis, ſed Dei ſit poteſtate, & poſſit utique Deus non perſeveraturo hoc etiam conferre, ne malitia mutet cor ejus?

De bono perſever. ad Proſper. & Hilar. in princip.

Item: Donum Dei aſſerimus eſſe, perſeverantiam uſque ad finem. Nam quum dicit: Timorem meum dabo in corda eorum, quid aliud eſt, quam tantus ac talis erit timor, quem dabo, ut mihi perſeveranter adhæreant? Adhæc, quum ubique doceat, liberum in primo homine arbitrium, quum ſalvum adhuc & incolume ſtaret, nihil tamen valuiſſe ſine gratia:

cap. 7.

Poſt caſum, inquit, non niſi ad ſuam gratiam voluit Deus pertinere, ut homo accedat ad eum; nec niſi ad ſuam gratiam pertinere voluit, ut homo non recedat ab eo.

cap. 13.

Item: Unde oſtenditur, & inchoandi, & uſque in finem perſeverandi gratiam non ſecundum merita noſtra dati, ſed donari ſecundum ipſius ſecretiſſimam, eandemque juſtiſſimam, beneficentiſſimam, ſapientiſſimam voluntatem.

cap. 17.

Item: Hæc ſunt dona Dei, quæ dantur electis, ſecundum Dei propoſitum vocatis: in quibus donis eſt & incipere credere, & uſque ad finem perſeverare. Ita concludit, gratiam ſanctis eſſe omne meritum.

De corr. & grat. cap. 7.

Cur ergo mihi iraſcitur Pighius, ſi Auguſtini patrocinio, quod mihi tam liberaliter offert, utor?

Hoc poſtremo illum male habet, quod à regeneratione fidelem animam in duas diviſam eſſe partes affirmo: ac quoties hujus facit mentionem, me imaginari aut ſomniare dicit. Hæc enim hodie Romaniſtarum eſt theologia, fabuloſum ducere, quo nihil familiarius homini Chriſtiano cognitum eſſe debet. Sed quoniam nihilo plus ſpiritualis experientiæ habent hujuſmodi homines, quam bruta animalia; ſaltem ad os Pighio obſtruendum valeat Pauli auctoritas. Quum dubium eſſe non debeat, quin ſeptimo ad Romanos capite, imaginem depinxerit hominis regenerati, videamus an non illud ipſum quod dico, eo loco, ad vivum repræſentet. Communem ergo fidelium captivitatem io ſua perſona deplorat, quod velit quidem bonum & appetat, ſed perficere non inveniat: quod mente conſentiat Legi Dei, carne autem legi peccati: ita non faciat bonum, quod diligit, ſed potius malum, quod odit. Vides conſentientem juſtitiæ voluntatem. Unde igitur impedimentum, quominus ſequatur effectus? Non aliunde certe, quam ex contrario deſiderio. Unde porro deſiderium illud? niſi quod veteris hominis reliquiæ in eo habitant, quæ luctantur adverſus Spiritum? Dixerat enim capite ſexto, veterem hominem per crucem Chriſti mortuum eſſe: poſtea autem ſubjicit, non ita eſſe mortuum, quin certamen adhuc & moleſtiam faceſſat. Nunc per veterem hominem quid intelligat, ex aliis locis colligitur, ubi mente & corde renovari nos ad Dei imaginem jubet. Proinde, veteris hominis pars eſt, & ſub hoc nomine continetur, quicquid extra hanc renovationem eſt. Et ne longius pugnandum ſit contrariis votis, huc illuc diſtrahi ſe conqueritur Paulus: ac ſe repugnantiam ſentire, dum ad juſtitiam Dei adſpirat: hinc ſibi remoram injici, ne tam celeriter currat, ut deceret. Hujus repugnantiæ cauſam peccatum in ſe habitans facit: ſimul partem aſſignat, in qua habitet, nempe carnem. Sed Pighius de corpore illum loqui interpretatur, quum carnem nominat. At neque corpus motionem propriam ex ſe habet: & Paulus non quamlibet motionem, ſed affectum voluntarium ſignificat, qui Spiritui adverſetur. Nunc quæritur, unde repugnantia niſi ex ea imperfectione, quod nondum Spiritu Dei in totum reformata eſt hominis, & mens, & voluntas, in vitæ novitatem: ſed carnem adhuc & terram aliqua ſui parte reſipit. Ubi tale deſiderium apparet, ut voluntas reſiſtat voluntati, deſiderium cum deſiderio confligat, votum ſit voto contrarium, quis mihi non concedat dicere, animam in duas diviſam eſſe partes? Imo quis non ita, & ſentit, & loquitur?

Poſtquam vero doctrinæ noſtræ ſummam protulit, ex adverſo nobiſcum Pelagianos confert, quos ad alterum extremum, gratiam Dei prorſus abnegando, delapſos eſſe dicit: ut ita ad ſuam mediocritatem veniat, quæ in liberi arbitrii gratiæque conjugatione conſiſtit. Ac primo quidem, ut probabile fiat quod dicturus eſt, gratiam illi ex definitionis Eccleſiaſticæ titulo conciliat. Sed quo tandem argumento definitionem Eccleſiæ eſſe probat? Auguſtino teſte. Quid? ejuſne contra nos teſtimonio amplius abuti audet, quem adeo evidenter nobis vindicavimus? Sed colore non caret. Corradit enim ex ſuppoſititiis libris ſententiolas, quæ dimidiare inter liberum arbitrium & Dei gratiam videntur. Sed bene habet, quod nihil nunc profert in medium, quod non ante refutaverim. Quanquam ſua improbitate me cogit, nnnnihil iterum de eadem re dicere. Libro, inquit, ſecundo, de peccatorum meritis & remiſſione, non in eo reprehendit Pelagianos, quod liberum ſtatuant arbitrium, ſed quod in eo evehendo modum excedant. Hic velim obſervent lectores, eum eſſe primum librum, quo diſputare cum Pelagianis cœperit: illic itaque velitari eum potius, quam juſto certamine confligere. Deinde non eſſe ex proprio ejus inſtituto, de libero arbitrio quæſtionem illic tractare: quod & contextus indicat, & ipſe quoque auctor libro Retractationum ſecundo teſtatur. Non ergo mirum, ſi non interius excutiat, quod per occaſionem tantum leviter attingere in animo habebat. Verum, ut hoc nihili æſtimetur, quid nos, obſecro, gravat illud? non damnari ab eo Pelagianos, quod liberum arbitrium ſtatuerent, ſed quod ſine modo extollerent. Nam quum receptæ jam conſuetudini nomen concederet, de re tantum diſceptationem habebat. Videndum ergo nunc, quantum tribui libero arbitrio patiatur: ac inde judicandum, quid à nobis diſſentiat. Peccare, inquit Pighius, neminem fatetur, niſi volentem. Quid nos? An extra voluntatem peccatum conſtituimus? Fatetur quoque, Deumnhil præcepiſſe, quod non poteſtati noſtræ ſubjaceat: Nempe ſi poteſtatem intelligas, non quæ naturæ noſtræ ſit inſita, ſed quam è cælo Deus peculiariter ſuis largiatur, ſicut ipſe toties exponit. Quanquam ſimul addit, quod verum eſt: neque exemplum tale extitiſſe unquam, neque poſthac ſperandum. Gratiam, inquit, Solis ſplendori comparat. Quo ſubindicat, vim aliquam

animæ

animæ ineſſe, ſicut in oculi acie ſubeſt virtus viſoria. Sed cur mox additam illic correctionem ſubticet? Hoc enim hactenus ſimile eſt, quod ſicut oculus dum aciem ſuam intendit, Solis ſplendore illuminatur, ita hominis voluntas, quæ ad Deum ſe convertit, ejus gratia adjuvatur. Sed quum animadverteret Auguſtinus, in eo claudicare ſimilitudinem, quod non ſit in animæ poteſtate converſio, Etiam, inquit, ut convertamur, Deus adjuvat: quod oculis corporis externa lux non præſtat. Sicut
Adverſ. Fauſt. Manich. lib. 15. & alibi: Quod eſt oculis ſanitas ad videndum Solem: hoc eſt gratia mentibus ad implendam Legem. At neminem adjuvari agnoſcit, niſi qui ſponte conatur: nempe, quia non externo tantum impulſu, ſed voluntaria motione operatur in hominibus. Nam actionis ſpeciem modo deſignat, ne brutis aut lapidibus ſimiles facere homines videatur. Unde porro ſpontanea illa incitatio, unde voluntarius conatus,
Ejuſd. lib. c. 17, 18. non diſſimulat poſtea. Nam ubi gratiæ opus eſſe teſtatus eſt, tam ut innoteſcat quod latebat, quam ut ſuave fiat quod non delectabat: poſtquam non humanæ facultatis, ſed divini eſſe muneris tradidit, vel quod ſcimus bonum, vel quod eo delectamur: Laborant, inquit, homines invenire, quid in noſtra voluntate boni ſit noſtrum: & quid inveniri poſſit, ignoro. Auguſtinus, ſi Pighio creditur, ab homine requirit, ut ſponte à ſeipſo conetur. Quid Auguſti-
cap. 19. nus ipſe? Prætereo alios libros: ſed in eo quem citat Pighius, fortiter ab hac calumnia ſe defendit. Poterat, inquit, homo, ſi non ex prima conditione in hanc miſeriam decidiſſet, ſine difficultate juſtitiam appetere & ſequi: nunc autem ex defectionis pœna ſequutum eſt vitium: ut jam moleſtum ſit, obedire juſtitiæ. Vigilanter quidem conari nos jubet, & deprecari ardenter: ſimul tamen ut intelligamus, quod & ſic conamur, & ſic deprecamur, dono illius nos habere.

Verum, ad hanc ſuam liberi arbitrii & gratiæ copulam aſtruendam, ex priore ad Valentinum libro optimum teſtimonium habere ſe putat, ubi citatis Scripturæ ſententiis, quæ liberum arbitrium, dum compellant, homini illud ſubeſſe ſignificant, cum illis altera ex parte aliæ conferuntur, quæ dona Dei eſſe oſtendunt, quæcunque à nobis exiguntur. Jam qua potui optima fide expoſui, quid tota illa comparatio ſibi velit: hoc eſt, & quorſum ſpectet, & quid contineat. Duobus autem membris conſtat: ſponte peccare homines, quum peccant, & proprio voluntatis motu: ideoque fruſtra alio derivare culpam. Quum autem Dei Spiritu ad bonum diriguntur: non ſic excludi eorum voluntatem: quum hæc ipſa ſit gratia, eorum voluntatem ad amandum & appetendum bonum inclinare. Porro ubi hominem, tum in bonis, tum in malis operibus, voluntarium
cap. 15. eſſe monſtravit: poſtea de voluntate ipſa, qualis ſit, & quid per ſe valeat, ſimul de efficacia gratiæ, diſputare incipit, & voluntatem quidem natura ſemper malam eſſe, ut nihil quam Dei juſtitiæ pertinaciter reſiſtere queat: ſola gratia bonam fieri: & ita fieri, ut tunc juſtitiam, à qua prius abhorrebat, neceſſario diligat & ſequatur. Quid nos? An voluntatem excludimus, gratiæ prædicatione? Alio igitur colore ſe veſtiat Pighius oportet, ſi vel mediocribus ingeniis imponere velit. Nemioem enim fugere poteſt, quam congruenter Auguſtinus ſic ſcribendo, nobiſcum, & ſentiat, & loquatur.

Sed jam tempus eſt, ut ſacroſanctæ Pighii definitioni detur locus: ut inde melius appareat, quo jure univerſam Eccleſiam nobiſcum in certamen committat, ut ejus deinde patrocinium ſibi uſurpet. Antequam vero de re ipſa ſenſum ſuum proferat, quia in hac quæſtione de gratia Dei potiſſimum agitur, diverſas hujus vocis ſignificationes enumerat: neque tamen aliud affert, niſi quod à noſtris diligenter obſervatum & traditum pridem fuit: tametſi peſſimam gratiam mox referat. Et tamen ut videas, quam peritus ſit theologus, ſi quid de ſuo vult ingerere, quæ alias bene dicta fuerant, ſuis farcturis corrumpit atque contaminat. Inde ad declarandam, quæ ex primi hominis lapſu fluxit, naturæ corruptionem, tranſit: ut proculdubio in ejus cognitione totius diſputationis cardo vertitur. Quanquam miror, quid nunc ei in mentem venerit, ut hoc exordio uteretur, quum alibi ſcripſerit, nihil eſſe magis à ratione diſſentaneum: Clara, inquit, eſt, & nemini incognita de libero arbitrio Eccleſiæ definitio. De originali peccato, difficilis, obſcura, & perplexa ſemper fuit quæſtio. Quam ergo abſurdum eſt, rem per ſe expeditam ſupervacua difficultate involvere? Hoc quidem dicebat, ut à loco ſibi parum commodo deflecteret: nunc autem rationis potentia victus, facit quod improbaverat. Et ſane nimiæ id ſocordiæ & ſtupiditatis fuerat, velle à præſenti quæſtione expungere originale peccatum: ex quo præcipua pars dependet. Longo ſcilicet volumine contendet Pighius, Deum homini liberum arbitrium contuliſſe. Quid inepto labore ſe macerat? Neque enim aliud tandem conſequetur, ubi diu multumque ſudaverit, niſi ut annuamus verum eſſe, quod ſemper profeſſi ſumus: & quod forte non ita diſerte eloqui poſſet, niſi in ſchola noſtra profeciſſet. Nunc aſſerimus, humanum genus perdita illa, quam in creatione acceperat, libertate, in miſeram ſervitutem decidiſſe. Hoc Pighius concedit. In hoc ſervitutis ſtatu, hominem negamus libera eligendi tam boni, quam mali facultate eſſe præditum, ut ad utrumlibet accommodare ſe queat. Sub peccati ſiquidem jugo teneri vinctum, ut ad Dei gratiam aſpirare nullo modo poſſit, donec Chriſti gratia liberetur. Hic nodus eſt, in quo Pighius reſiſtit: & tamen in excutienda controverſia ullam ejus mentionem fieri vetat, ſed nunc, ut dixi, veritatis vi impulſus, in eum locum ingreſſus eſt, quem tantopere refugiebat.

Porro ne in revolvendis ejus ſomniis prolixior ſim, capita tantum ipſa rerum breviter notabo. Impium eſſe atque inſanum commentum cenſet Pighius, quod naturam tradimus ſic vitiatam eſſe peccato originis, ut nihil amplius poſſit homo, quam peccare. Neque enim ablatam nobis fuiſſe naturam, ſed donum tantum ſupernaturale, quod meliorem perfectioremque reddebat naturam, quam in ſe fuiſſet. Hæccine eſt cauſa, cur Auguſtinum toties nobis eripuerit, ut ſuæ opinionis teſtem patronumque faceret? Clamat Auguſtinus, in hoc argumento non naturam, qualis à Deo creata fuit, ſed naturæ corruptæ perverſitatem inſpiciendam eſſe: neque id uno loco, ſed totus in hoc ubique eſt. Contra exiſtimat Pighius, nihil fuiſſe de natura diminutum: & tamen Auguſtini interea teſtimonio ſe tuetur. At non diſſimulat alibi, hac in parte ſe ab eo diſſentire. Sed quum ſit hoc ſummum, & maximi momenti in tota controverſia caput, in quo ex diametro diſſident, qui tanquam plena conſenſione poſtea gloriatur? Adde, quod nullus error eſt, quem magis aut acrius in Pelagianis Auguſtinus impugnet, quam quod naturæ integritatem jactarent: quum ipſe vulneratam, corruptam, perditam eſſe, contenderet. Quorſum ergo Pelagianos adeo execrari pertinet, quum primo eorum axiomati nomen ſuum palam inſcribat? Mortalitas, inquit, & corruptio, ex conditione eſt, non vitio naturæ. Unde probat? Quoniam corpus ex ſuis, quibus compoſitum eſt, principiis, & compoſitionis ratione ita habeat. At eodem argumento evinceretur, poſt reſurrectionem quoque morti fore obnoxium: & nunc animam eſſe mortalem. Ex quo enim principio orta eſt, niſi ex nihilo? Equidem

ſi illam, quam homini ab initio Deus contulerat, perſectionem, non ita extitiſſe in natura diceret, ut per ſe, & ex ſe illam haberet, libenter in ejus ſententiam deſcenderem. Nam & eo modo neque animam per ſe immortalem eſſe concedimus: Quin etiam ſic docet Paulus, quum ſoli Deo tribuit immortalitatem. Neque tamen propterea mortalem natura eſſe animam fatemur: quando non ex prima eſſentiæ virtute æſtimamus naturam, ſed ex perpetuo ſtatu, quem ſuis creaturis Deus indiderit. Quum ergo hac lege conditus foret homo, ne mortem aut corruptionem unquam ſentiret, ſuo ſibi vitio mortis damnationem contraxit. Ita quum de mortis origine diſputat Apoſtolus, non eam ad naturam refert, ſed ad peccatum. Proinde à moriendi neceſſitate immunem fuiſſe, naturæ ſanitas erat: nunc autem mortis judicio ſubjacere, morbus eſt. Hæc ſana eſt ac ſimplex philoſophia, quæ vagis illis & volaticis Pighii ſpeculationibus importune evertitur. Ut caro, inquit, cum ratione pugnet, eamque in juſtitiæ obedientia impediat ac turbet, naturæ eſt, non vitii. Hic vero an non plenis buccis Manichæum ſe eſſe profitetur? Nota eſt omnibus Eccii temulentia, Cochlæi fatuitas: ſed tam flagirioſæ impudentiæ, quod ſciam, non extat par exemplum. Plus centies nobis jam Manichæi nomen exprobravit, quod naturam damnemus, quum naturæ corruptioni dicamus imputandum, quicquid eſt in homine vitii. Nunc autem quid? Illa, inquit, quæ rationi facit negotium, carnis rebellio, & quæ juſtitiæ reluctatur, non alia eſt, quam quæ fuerat ante peccatum in prima origine. Vides ut in Creatoris contumeliam, eſſentiale eſſe in homine malum, impurum os pronunciet? Niſi forte contumaciam, quam juſtitiæ obſequio repugnare ipſe tradit, à vitio velit excuſare. Verum citius ſe ex labyrintho expediat, quam ut tam manifeſtum ſacrilegium ullo colore excuſet. Quum ante mentiebatur, Deum nos facere mali auctorem, illud erat extremum probrum, quo nos gravari poſſe exiſtimabat. Quid nunc ex ſuo ſenſu eloquitur? Quod rebellio, quæ ex carne ſentitur, adverſus rationis & juſtitiæ obſequium, ex natura & Deo ſit, non defectionis vitio. Legat nunc, qui volet, deliria Manichæi, ut à veteribus referuntur: & non alia fuiſſe reperiet.

Concludit ergo, in naturalibus nihil homini deperiiſſe: ſed tantum fuiſſe ſupernaturalibus donis orbatum, quæ in eum Deus contulerat. Sed in eo hallucinatur, quod ſanitatem, quæ vera eſt ac genuina naturæ conſtitutio, non poteſt ab accidente vitio diſcernere. Hoc diſcrimine non adhibito, nihil mirum, ſi omnia confundat. Hoc quale ſit, paucis expediam. Affectus omnes, qui in hominem naturaliter cadunt, nos quoque ex prima naturæ creatione eſſe agnoſcimus. Ut ſunt, exempli gratia, amor conjugalis, parentum item erga liberos amicitia, gaudium ex felici ſucceſſu, ex orbitate, viduitate, rebuſque omnibus adverſis triſtitia: Famem, frigus, inopiam, pericula, ignominiam & dedecus reformidare: appetere rurſum, & quærere neceſſaria vitæ ſubſidia. Hos affectus nos docemus per peccatum inoleviſſe, ſed ab ipſa creatione fuiſſe naturæ inditos. Illam vero, quam nos nimium experimur, ἀταξίαν, hoc eſt, inordinatum in affectibus exceſſum, quo fit, ut male concupiſcamus, concupiſcendoque rebelles ſimus Deo, ex corruptione tradimus natum eſſe, non naturæ ab initio fuiſſe ingenitum. Qua ratione Auguſtinus, ſicut ante citavimus, voluntatis nomine non dignatur appetendi facultatem, qualiter nunc corrupta eſt, ſed cupiditatem potius vocandam putat, quod modum in ſuis deſideriis nunquam teneat. Diligit pater filium, conjux conjugem: caſtus amor, & qui laudem etiam meretur. Verum, ut nunc vitiata eſt natura, amor hic in homine non reperietur, quin aliquid inquinamenti reſipiat. Itaque ab illa corruptionis radice fit, ut nihil purum aut ſincerum concipiat voluntas: ſed quemadmodum ipſa eſt contaminata, ſic fructus etiam pollutos & immundos pariat. Atque hoc eſt quod dicimus: quum iſte, de quo loquimur, morbus hominum voluntati ſemper inſideat, ideo non niſi malum concipere ipſam poſſe. Nam ſi rei, honeſtæ alias in ſuo genere ac laudabilis, nunquam vitio caret appetitus, propter ejuſmodi exceſſum, quid quum mala concupiſcentur? Talem naturæ vitioſitatem, & Scripturæ ubique demonſtrant. En tibi tribus verbis, quid inter puram & adulteratam naturam ſit diſcriminis: quod dum Pighius non obſervat, omnia pervertit. Sed his fieri Deo injuriam opinatur: quia minime ejus bonitati conſentaneum ſit, animam creare ſic deſtitutam omni rectitudine, ut nihil quam peccare queat. Qualis, inquit, gratiæ ejus commendatio, quum dicitur talem naturam condidiſſe? Nos vero non conditori acceptum ferimus, quicquid in nobis mali eſt, ſed primo parenti noſtro, qui miſeram hanc hæreditatem ad nos tranſmiſit. Quod ſi timet Pighius, ne merito ſævitiæ accuſetur Deus, ſi ob unius hominis culpam in univerſum genus tam ſevero pœnæ genere animadverterit, ne litiget nobiſcum: ſed totam Scripturam aboleat, ubi hoc judicium paſſim publicatur.

Sequitur apud eum alter de naturæ reparatione locus: in quo ſatis demonſtrat, non niſi maledicendo incaleſcere ſe poſſe. Nam quia hic benedicere oportuit, aut ſilere, qualibet glacie eſt frigidior. Hoc tamen eſt, quod tandem in primis ſignificat ſe habere à nobis diverſum: quod Deum manum porrigere hominibus proſtratis opinatur, ad eos ſublevandos, ſed eos modo qui ſublevari deſiderent, nec deſint obviæ ſibi adjutricique gratiæ, quin potius illam apprehendant, ejus adjutorio reverti conentur ad Dominum, ab eo ſalvari optent, ac ſperent, illi ſe curandos, illuminandos, ſalvandos tradant. Quibus verbis partes iſtas in renovatione aſſignat libero arbitrio, ut velit, ut apprehendat, ut conetur, ut obſequatur. His, quod neceſſe eſt, ſubjungit: omnes peræque gratiæ capaces eſſe, quod omnibus indifferenter offeratur. Poſtea multo adhuc longius procedit: nullam fieri gratiæ injuriam, ſi natura ſua dicantur homines, & liberi poteſtate arbitrii odiſſe peccatum, malitiæ renunciare, ad Deum convertere ſe poſſe, corde contrito & humiliato poſcere veniam, quærere miſericordiam, ſperare gratiam. Imo has eſſe præparationes, quæ niſi præcedant, nunquam nos dignetur Deus benigno ſuo aſpectu. Ac ejuſmodi quidem doctrina totam Pelagii impietatem ſatis confutari exiſtimat: noſtramque ſtultitiam deridet, qui dum metuimus, ne quid inde gratiæ commendationi decedat, fruſtra de nihilo tanta contentione digladiamur.

Hæc deliramenta quominus Scripturis nunc refellam, duabus impedior cauſis: quia & immenſa ſylva mihi hic pullularet, & erit proprium ac perpetuum libri proximi argumentum. Adde quod Scripturas, quoties ejus animo non adlubeſcunt, ſuſque deque habet Pighius. Verum ubi eſt illa reverentia, quam veterum patrum definitionibus ſe deferre ſimulat? Si quis, tam augmentum, quam initium fidei, *Concilii*
& ipſum credendi affectum, non per gratiæ donum, *Arauſi.*
id eſt, per Spiritus ſancti operationem corrigentem *cap. 5.*
voluntatem noſtram ab infidelitate ad fidem, ab impietate ad pietatem, ſed naturaliter nobis ineſſe doceat, is Eccleſiaſtici Concilii decreto hæreticus
eſt pronunciatus. Si quis item, ut à peccato purge- *cap. 4.*
mur, voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem, ut etiam purgari velimus, per Spiritus ſancti operationem fieri in nobis confitetur,
pro Spiritu ſancti adverſario damnatus eſt. Si quis *cap. 6.*
item, ſine Dei gratia volentibus, laborantibus, pul-

ſanti-

ſantibus, petentibus, deſiderantibus, Dei miſeri-
cordiam conferri tradit, non autem divinitus, ut
credamus, velimus, & hæc omnia, ſicut oportet,
agere valeamus, per Spiritum in nobis fieri confite-
tur, is anathemate dignus eſt judicatus. Hæc præ-
cap. 1. terea Concilii decreta ſunt. Si quis per Adæ prævari-
cationem non totum, id eſt, ſecundum animam &
corpus in deterius dicit hominem mutatum: ſed
illæſa animæ libertate corpus tantummodo corru-
ptioni ſubjectum fuiſſe credit, Pelagii errore dece-
cap. 3. ptus eſt. Item: Si quis humanæ invocationi conferri
dicit gratiam: non autem ipſam gratiam facere ut in-
vocetur à nobis, contradicit Jeſaiæ Prophetæ. Item:
cap. 7. Si quis per naturæ vigorem bonum aliquod, quod ad
vitam æternam pertinet, cogitare aut eligere, id
eſt, prædicationi conſentire poſſe, confirmat, abſque
illuminatione Spiritus ſancti, qui dat omnibus in
conſentiendo & credendo ſuavitatem, hæretico fal-
cap. 12. litur ſpiritu. Item: Tales nos diligit Deus, quales
futuri ſumus ipſius dono, non quales ſumus noſtro
cap. 22. merito. Item: Nemo de ſuo habet, niſi mendacium
aut peccatum. Nunc mihi unum in tota ſua doctrina
apiculum Pighius oſtendat, qui non iſtis decretis
confoſſus ſit atque damnatus. Quod ſi Concilii au-
ctoritatem contemnit, hoc ſaltem eum moveat,
quod qui interfuerunt ac ſubſcripſerunt Epiſcopi,
non ſe auctores iſtorum capitum, ſed approbatores
tantum eſſe profitentur: quoniam ſibi à ſede Apo-
ſtolica miſſa fuerint. Hæc eſt illa ſedes, unde quic-
quid profectum fuerit, non aliter accipiendum eſſe
contendit Pighius, quam ex tripode oraculum: imo
quam divinam è cælo revelationem, cui & Angeli &
Prophetæ cedere debeant. Quid ergo nunc dicturus
eſt, hoc ſacræ illius ſedis anathemate in caput ſuum
promulgato?

Quod autem toties cum Pelagianis nihil ſe habere
commune jactat, neſcio quos hic Pelagianos com-
miniſcatur. Neque enim tantum cum iis, quos de-
ſcribit Auguſtinus, multa habet ſimilia, ſed eorum
quibuſdam multo eſt deterior. Admonitus fuerat à
Lib. 1. de prædeſt. ſanctor. cap. 1. Proſpero Auguſtinus, eſſe nonnullos in Gallia, qui
ab eo diſſentiebant: qui tamen eo uſque pervene-
rant, vel ipſo teſte, ut primi hominis peccato ob-
noxium naſci humanum genus crederent, nec inde
quenquam, niſi Chriſti juſtitia, liberari: confite-
rentur etiam Dei gratia præveniri hominum volun-
tates, nec ad ullum opus bonum vel inchoandum
vel perficiendum ſibi quenquam ſufficere. Dum
adverſus eos diſputare inſtituit, diſcernit quidem à
Pelagio, ſed illa tamen confeſſione minime conten-
tus eſt: à qua, agnoſcere promptum eſt, quam
procul adhuc abſit Pighius. Fatebantur illi, præve-
niri à Deo hominum voluntates, non naturæ dono
(fuiſſet enim id ridiculum) ſed ſingulari Spiritus
ſancti gratia. Hic autem, neminem Dei miſericor-
dia adjuvari clamat, qui non, & volendo, & ſpe-
rando, & petendo ante ſe præparaverit. Ubi nunc
tantum illud inter eum & Pelagianos diſſidium, quo
gloriatur? Sed in eo reſiſtit Pelagio, quod Deum
faciat homini debitorem. Sed quo argumento?
Etiam ſi nullius, inquit, culpæ reus homo foret,
quid tamen conferre aut exhibere Deo poteſt, ſer-
vus Domino, creatura Creatori, quo illum ſibi
adſtringat, ut in vitæ æternæ hæreditatem adopte-
tur? Nunc vero in reatum mortis æternæ prola-
pſus, numquid habet, quo ſe damnationi eximat?
quo ſatisfaciat pro offenſa? inſuper & hæres, &
filius ſcribi debeat? Quid viribus ſuis præſtare Deo
poteſt, cui debet quicquid eſt, & quicquid poteſt?
Tam valida impreſſione adeo non dubitat profliga-
tum eſſe Pelagium, ut noſtræ, pro tuenda Dei gra-
tia, ſollicitudini, tanquam ridiculæ, ferociter inſul-
tet. At ſublato uno verbulo, ubi hominem ſub reatu
mortis ob culpam conſtituit; nego Pelagium ullo
modo attingi. Beneficia, quæ in hominum naturam
contulit Deus, Pighius ſplendidis elogiis commen-
dat. Multo id & luculentius, & ſplendidius factum
à Pelagio Auguſtinus teſtatur. Quin etiam de gratia
quid ſentiret, cùm in Paleſtino Concilio, tum alibi
ſæpe interrogatus, non abſimili genere orationis
ſuam impietatem pingebat. Quid eſt homo, aut
quid habet, quod non à Deo acceperit? Quantæ
igitur, & ſuperbiæ, & inſaniæ foret, ſi quid ſibi
proprium arrogaret, quaſi non ſibi gratia colla-
tum? En quibus Pelagium machinis diruat atque
evertat Pighius: Nempe dum ejus confeſſioni ſim-
pliciter ſubſcribit. Sed homini adimit, ne ſibi Deum
obligare poſſit; quod Pelagius aſſerebat. Iterum
hoc ſibi ſpectrum ſub Pelagii nomine confingit. Si-
quidem quum ille non niſi à promiſſionibus æſtima-
ret hominum merita, ſatis eo innuebat, non aliter
ſentire ſe adſtringi Deum ad reddendam hominum
operibus mercedem, niſi quia voluntaria ſponſione
ſe feciſſet ultro debitorem. Denique nihil in homi-
nibus collocabat, aut virtutis, aut juſtitiæ, quod
non Dei gratiæ nominatim diſertiſque verbis adſcri-
beret. Nec aliter mereri docebat homines, niſi
quia Deus illorum opera non neceſſitate aliqua, nec
ullo obligationis jure, ſed pro immenſa ſua beni-
gnitate, eo pretio dignatus eſſet. Hoc quum toti-
dem prope verbis ſuccinit Pighius, totam Pelagii
hæreſim à ſe everſam ſibi gratulatur.

Sed ratione invicta ſuffultus eſt, cur non credat,
paratam eſſe Dei gratiam, niſi iis, qui ad eam reci-
piendam ſe præparaverint: quoniam debeat certa
Deo conſtare ratio, cur uni potius, quam alteri
eam impertiatur. Hoc enim ſapientem decet. Ego
autem cum Auguſtino reſpondeo, Abſit ut judicium
hoc penes lutum ſit, & non figulum. Conſtat qui-
dem Deo certa ſolidaque operum ſuorum ratio: ſed
magis arcana, ſublimis, recondita, quam ut eam
capiat tam anguſtus tenuiſque mentis noſtræ modu-
lus. Hoc nunc ſolum controvertitur, quod nos ſa-
pientiam Dei, quam in hoc delectu incomprehenſi-
bilem captui noſtro Paulus eſſe docet, adoramus *Rom 11.*
cum timore & tremore: Pighius non plus ſapere *verſ. 33.*
Deo permittit, quam ipſe ſtulto ſuo cerebro appre-
hendat. Hinc illa execrabilis blaſphemia: ſi Deus
ex duobus malis & pari damnationi obnoxiis, &
adhuc in malo contumaciter perſtantibus, in alterum
animadvertat, alterum non modo venia, ſed ſuo
quoque amore dignetur, non miſericordiam fore
laude dignam, ſed ſtultam, irrationabilem, & inſani
domini indulgentiam, dignique prorſus, qui ſer-
vos univerſos malos ac contumaces habeat. Ego
Deo ſuæ tum juſtitiæ, tum ſapientiæ defenſionem re-
linquam: tantum efficiam, ut cauſam ipſe ſuſcipiat,
ſuoque ore reum hic fieri ſe profiteatur. Pollicetur
per Jeſaiam, fore ut ab iis, qui eum non quæſierint, *Jeſa. 65.*
reperiatur: ut appareat ac ſe manifeſtet iis, quibus *verſ. 1.*
eum cognoſcere, nihil curæ erat. An omnibus præ-
ſtitit hoc beneficium? Conſtat aliquibus duntaxat.
Quod ſi melius adhuc ſcire cupias, quam non expe-
ctet dum ſibi homines accedant, ſed averſos & alie-
natos ad ſe trahat, eos intuere, in quibus completa
fuit hæc prophetia, & diligenter expende quales,
antequam converterentur, fuerint: ita nihil de hac
re amplius hæſitabis. Sumamus ergo, quod de
Epheſiis tradit Paulus, ſuam erga eos miſericor- *Epheſ. 2.*
diam Deum explicuiſſe, non quum ad eam recipien- *verſ. 1.*
dam ſinum protenderent, ſed quum mortui peccatis
ac delictis, Satanæ militarent, quum demerſi in
pravis concupiſcentiis, carni tantum & mundo ob-
ſequerentur, quum natura eſſent filii iræ, ſicut & cæ-
teri, quum ſine Chriſto & ſine Deo viverent. Non-
dum urgeo, quod tamen jure meo liceret, quan-
tum à præparatione abſit talis ſtatus. Solum ex Pi-
ghio velim diſcere, cur Epheſios potius, quam alios
quoslibet, amplexus fuerit. Si mihi dolorem, bo-
nas cogitationes, pia deſideria objiciat, nihil tale

admittunt Pauli verba. Quin etiam ne cui in men-
tem venirent ejuſmodi nugæ, nominatim aliis fuiſſe
penitus ſimiles exprimit, à quibus tamen gratuito
Dei favore diſcreti ac ſeparati fuerint. Natura era-
tis filii iræ, inquit, ſicut & reliqui. Quaſi diceret,
quum eſſet omnium communis cauſa & par conditio,
non in vobis invenit cauſam Deus, cur vos ab aliis
diſcerneret, ſed ex miſericordia ſua ſumpſit. Nunc;
cur ita faciat ſi rogetur, jampridem illo nobili re-
Exod. 33. ſponſo hanc quæſtionem præoccupavit: Miſerebor
verſ. 19. cujus miſerebor. Quo ſcilicet, hanc, de qua lo-
Rom. 9. quimur, in eligendis hominibus miſericordiæ ſuæ
verſ. 15. diſcretionem, ut eſt ſenſu noſtro longe altior, ita
ſuperiore loco ſtatuit.

Adducit tamen teſtimonia, quibus innuere vide-
tur Dominus, non aliis paratam fore ſuam gratiam,
Jeſa. 66. niſi qui ſe ante præparaverint. Ad quem, inquit,
verſ. 2. reſpiciam, niſi ad pauperculum & contritum ſpiritu;
trementemque ad ſermones meos? Sane humiles
Deus reſpicit: ſicut illi acceptum cordis contriti &
Pſal. 51. afflicti ſacrificium David canit. Verum illud quo-
verſ. 19. que ſcire operæpretium eſt, unde illa quam Pro-
pheta ſic commendat, humilitas, ac ſermonum Dei
reverentia. Certum autem eſt, ſuperbia & cæca
confidentia ſemper turgere cor hominis, donec Spi-
ritu Dei domitum ſubactumque, ad modeſtiam &
ſubmiſſionem ſe componit. Neque vero hoc modo
præparari hominem ad recipiendum juſtitiæ donum
negamus: ſed Spiritus ſancti directione, non ſuo
ingenio. Non niſi laborantes ad ſe & oneratos
Mat. 11. Chriſtus vocat: verum, ut onus noſtrum ſentia-
verſ. 28. mus, ac ſub eo gemamus, ipſe etiam facit. Fate-
mur veriſſimum eſſe vulgare proverbium: unicum
eſſe curationis principium, ubi morbus agnoſcitur.
Ergo ut ſe tibi medicum exhibeat Chriſtus, mor-
bum tuum agnoſcas oportet. Morbi porro agnitio
ad humilitatem timoremque Dei, ad judicii metum
atque horrorem, ad tui diſplicentiam te rediget.
Nunc an ejuſmodi affectum concipere naturaliter
poſſint homines, conſideremus. Verum & ipſa
experientia clamat non huc ante adduci, quam to-
tum naturæ ſenſum depoſuerint: & Scriptura idem
ubique teſtatur. Caſtiget ergo nos Dominus neceſſe
eſt, ut eruditi reddamur: quum ex nobis ſimus tan-
Jere. 31. quam indomiti vituli: ſicut dicit Jeremias. Ac ne
v. 18, 19. quis de externa virga loqui excipiat, ſecus ipſe mox
interpretatur: Converte me Domine, inquit, &
convertar. Poſtquam me convertiſti, egi pœniten-
tiam: poſtquam oſtendiſti mihi, percuſſi femur
meum, confuſus ſum, & erubui. Hæc omnia, pec-
cati odium, mortis horrorem, dolorem ex offenſa,
gratiæ deſiderium, quæ ad humani arbitrii poten-
tiam refert Pighius, vides ut Deo accepta Propheta
referat. Quanquam hanc objectionem ſubtiliter ſibi
videtur occupare, quum ſubinde nos provocari ac
ſollicitari à Deo fatetur, ſed ſi modo conemur ipſi,
laboremus, neque deſimus obviæ & adjutrici ejus
gratiæ. Verum quum eo modo, inter Deum & ho-
minem dimidiet: imo quum penes hominem ea re-
linquat, quibus tota pœnitentiæ vis continetur:
qualiter hoc cum Prophetæ verbis convenire po-
terit, quæ totam pœnitentiam, adeoque primum
ejus exordium, à ſolo Deo proficiſci oſtendunt?
Nulli, inquit, deeſt gratia, niſi qui deeſt ipſe ſibi.
Fateor ſane: modo mihi viciſſim concedat, & bona
voluntate defici, & virtute deſtitui omnes, niſi qui-
bus utrumque Deus ſubminiſtrat: eum porro, qui &
bene vult, & efficaciter conatur, ſibi non deeſſe.
Neminem, inquit, violenter cogit. Sane: ſed ut
voluntarios habeat ſervos, qui ſponte ſequantur ad
Pſal. 51. obſequium, cor novum in illis creat, & Spiritum
verſ. 12. rectum innovat in viſceribus eorum.

Poſtea tamen aliquatenus vela colligit. Nam tri-
plicem gratiæ effectum, quo Dominus proprie ac
ſpecialiter ſuos electos præter naturam commune-
que liberi arbitrii donum adjuvat ac promovet, ſuæ-
niro ſe tradit. Primus eſt, quo juſtificationem præ-
venit, & eandem ut deſideremus, nos provocat, co-
nantibus ad eandem manum adjutricem porrigit, la-
borantibus ſuccurrit. Quid audio? Si ad deſideran-
dam gratiam provocamur, ubi illud, quod viceſimo
ante verſu poſuerat? Deum benigno ſuo aſpectu
dignari neminem; niſi qui averſus ab iniquitate,
corde contrito & humiliato ad ipſum converſus,
ejus miſericordiam imploret, petat veniam, ſperet
miſericordiam? Quis non dicat nimis oblivioſum
eſſe, cui tam adverſa inter ſe & pugnantia uno fere
momento excidant? Certe benigno aſpectu eum
jam dignatus eſt Deus, quem ad pia ſanctaque deſi-
deria excitat. Hoc autem ipſum quid aliud eſt, quam
omnes bonos cordis motus prævenire? Pergamus
tamen. Hanc, inquit, prævenientem gratiam ſacri
Doctores appellant. Loquuntur illi quidem ſæpe de
præveniente gratia: ſed longe alio modo. Neque
enim hac inchoari ita fingunt in nobis voluntatem
bonam, ut nos jam cooperemur (ſicut perſuadere
vult Pighius) ſed illius in ſolidum hoc opus eſſe
prædicant. Nihil ſine nobis, inquit Pighius. Augu-
ſtinus autem, prorſus ſine nobis. Hæc enim ſunt
utriuſque verba. Non tantum ex nolentibus fieri vo- *De gratia*
lentes, ſed ex repugnantibus obſequentes, docet *& lib. ar-*
Auguſtinus. Hic, ut aſſentiamur, in nobis ſitum eſſe *bit. c. 17.*
contendit. Hanc gratiam negat Auguſtinus invenire *cap. 2.*
bonas hominum voluntates, ſed facere. Item alibi: *De corr-*
Quis autem confugit ad gratiam, niſi quum à Do- *rept. &*
mino greſſus hominis diriguntur? Ac per hoc, *gratia.*
etiam deſiderare auxilium gratiæ, jam initium gra-
tiæ eſt. Pighius nullum gratiæ effectum agnoſcit,
niſi à ſeipſo bene velle homo. Quid ergo ob ſolam
nudamque verbi ſimilitudinem, impio ſuo com-
mento veterum nomen prætexit, à quibus in rei de-
finitione ex diametro diſſidet? Perinde enim eſt,
acſi quis Deum eſſe definiat corporeum ac mortale
animal: poſtea adjiciat id eſſe, quod ſacri Doctores
Deum appellant. Sequitur alter effectus juſtifican-
tis, & tertius coronantis gratiæ: in quibus expli-
candis ne quid ſibi ſimile accidat, vix tria verba bal-
butire audet. Hoccine eſt definire? ac non potius
conturbare ac confundere omnia, quæ per ſe alias
ſatis bene diſtincta erant?

Nihil tamen aliud ſentire ſe allegat, quam quod
iſtis Ezechielis verbis continetur: Dabo vobis cor *Eze. 11.*
novam, & Spiritum novum in vobis ponam, & au- *verſ. 19.*
feram cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis *& 36:26.*
cor carneum, faciamque ut in præceptis meis ambu-
letis. Hanc enim prævenientem gratiam interpreta-
tur, ut in peccatore colliqueſcat cordis durities,
molleque ac ſenſibile illi cor fiat, & aptum divinis
impreſſionibus. Alteram partem accipit pro juſtifi-
cante gratia, ut in Dei præceptis ambulare incipiat.
Hoc quidem ſolenne eſt ejus artificium, in tractanda
Scriptura quodlibet ex quolibet facere. Pro-
pheta metaphoricam, qua uſus fuerat, loquutio-
nem ſimplici oratione exponit. Siquidem ex lapideo
cor facere carneum, metaphora eſt. Facere ut Legi
obediant homines, ſimplex, & ſine figura, oratio.
Hic ingenioſus interpres ex re una duas facit. Jam
verba Prophetæ levibus argutiis trahere ad ſuum
propoſitum ſtudet. Quum ſe facturum promittit
Deus, ut in juſtitiis ſuis ambulemus, non niſi coo-
perantibus gratiam hanc ſe daturum ſignificat. Hoc
quoque ſenſu David canit, facturos nos in Deo *Pſal 60.*
virtutem. Huc tandem redeunt omnia, ſic Deum *verſ. 14.*
bona opera facere in hominibus, ut ſimul ea fa-
ciant homines: nec aliter efficacem eſſe gratiam,
quam dum oblato nobis ejus auxilio non deſu-
mus. Interea non animadvertit, hanc quoque par-
tem ſecundum ea, quæ citat, Pauli verba, ſub gra-
tia contineri, ne fruſtra offeratur, ſed ad fructum,
id eſt, ad effectum uſque perveniat. Nam quum
divini

divini beneplaciti opus eſſe dicatur, & bona in ho-
mine voluntas, & qui inde naſcitur conatus, uſque
ad operis complementum: offerri tantum gratiam,
quæ utilis demum futura ſit, ſi eam recipere ho-
mini libeat, minus certe dimidio illius eſt. Atqui
damnationi eſſe gratiam, ſi reſpuatur, alibi idem
Rom. 2 Paulus docet his verbis: An ignoras, quod bonitas
v. 4, 5. Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecun-
dum duritiem cordis tui theſaurizas tibi iram. Hy-
pocritas alloquitur Paulus, qui proſpero rerum
ſucceſſu inflati, quia Deum ſibi propitium eſſe ima-
ginantur, nec de reſipiſcentia ſunt ſolliciti, & ju-
dicium Dei contemnunt. Quum ergo Dei benigni-
tate ſic abutantur, eo graviorem fore Dei vindi-
ctam minatur, quo diutius eam diſtulerit. Debuit
ergo Pighius, tam peritus, ſuo judicio, dividendi
magiſter & artifex, non prætermittere, de quo
bonitatis genere Paulus illic diſputet. Nam exter-
nam Dei benedictionem, qua indifferenter bonos
juxta ac malos proſequitur, cum ſpirituali regene-
rationis gratia, qua electos ſuos peculiariter di-
gnatur, confundere, hominis eſt parum conſide-
rati. Neque vero tam ignorantia peccat, quam ma-
litia. Quis enim puer hujus argumenti vitium non
animadvertat ac rideat? Invehitur in eos Paulus,
quos Dei beneficia, quibus invitari ad pœnitentiam
debuerant, magis ad ſecuritatem confidentiamque
carnis obſtinabant. Ergo, Spiritus ſanctificationis
quum offertur, reſpui poteſt.

Sequitur alterum argumentum. Pulſare ſe ad
oſtium noſtrum dicit Chriſtus, ut aperiamus. Quum
ergo clauſum ſit illi cordis noſtri oſtium per pec-
cata, ipſe pulſat, ſollicitat, & variis modis ac me-
diis, quo ſibi aperiamus corda noſtra, nos provo-
cat. Nulli ergo deeſt præveniens gratia, qui modo
cor ſuum ad pulſantis vocem, ſollicitationem, pro-
vocationem non indurat. Ipſe pulſat: ſed nos ei ape-
rire debemus, priuſquam introire ad nos velit.
Quaſi vero non illic expreſſus eſſet pulſandi modus,
nempe, quod voce & exhortatione nos ſollicitet.
Sed qui mentis aperit oculos ut intelligatur, ipſe
etiam corda aperit ut exaudiatur. Utrumque vero
Chriſti officium eſt. Quid igitur proficit Pighius,
tam pueriliter ineptiendo? Clamat Chriſtus, ſe pul-
Apoc. 3. ſare. Fateor: nempe ſicut exponit, monendo &
verſ. 20. hortando. Quid nunc eſt aperire? Monitionem cor-
de recipere, & obedire exhortationi. Hoc in no-
bis ſitum fingit Pighius: Deus autem ſibi vendicat.
Circumcidam, inquit, cor tuum, ut audias vocem
Deut. 30. meam. Contra vero hanc in populo Iſraëlitico,
verſ. 6. cæcitatis, ſtuporis, contumaciæ cauſam aſſignat
Deut. 29. Moſes, quod Dominus, neque oculos ad videndum
verſ. 4. dediſſet, neque aures ad audiendum, neque cor ad
intelligendum. At reclamat Pighius, tametſi à Deo
adjuvemur, non tamen obſtare id, quominus par-
tim etiam noſtrum ſit, & videre, & audire, & in-
telligere. Verum ego probationem requiro, pro
qua extraneas prorſus ambages affert. Simile eſt
Jeſa. 55. quod addit ex Propheta: Derelinquat impius viam
verſ. 7. ſuam, & Dominus miſerebitur ejus. Hoc, inquit,
eſt Deo aperire oſtium, iniquitati renunciare: quod
in te poſitum eſſe vides. Itane? ut converſio ad
Deum, quæ vera eſt animæ reſurrectio, in homi-
nis poteſtate reponatur, quo ſe à morte in vitam ex-
citare poſſit? At facere id nos oportet, ut miſerea-
tur noſtri Deus: quo intelligit Pighius juſtificatio-
nis gratiam deſignari. Si omnia illi ultro concedam,
ſtatim vicerit. Verum ſic ſunt firma ejus omnia, ut
unius verbuli ictu protinus concidant. Pœnitentiam
flagitat Deus, quum ad peccatorum remiſſionem
populum vocat: quibus etiam duobus membris to-
tam Euangelii ſui prædicationem includit Chriſtus.
Marc. 1. Hic novam argutiam fabricatur Pighius, ab iniqui-
verſ. 15. tate recedere, præparationem eſſe hominis, qua
Deo obviam procedat; miſericordiam autem Dei,
eſſe regenerationis gratiam, qua hominem adju-
vet. Quantum vero ad perſeverantiam, quotidia-
numque uſque ad finem profectum attinet, ut ho-
minem oſtendat cooperari Deo, illo Apoſtoli te- 1 Cor. 15.
ſtimonio utitur, Gratia Dei in me vacua non fuit. verſ. 10.
Sed qua hoc ratione dicat, obſervandum fuit. Ra-
tio autem eſt, quod plus reliquis omnibus labora-
verit. Sed ne, labores ſuos jactando, quicquam
ſibi arrogare videretur, mox correctionem adhi-
buit: Non ego, ſed gratia Dei quæ mecum erat,
aut quæ aderat mihi. Gratiæ Dei jam præcipuas
dederat partes, totamque fere laudem adſcripſe-
rat. Sed quia periculum erat, ne facta laborum
ſuorum mentione, uno illo duntaxat verbo præ ſe
ferre in ſpeciem videretur, aliquam ſaltem portio-
nem ſibi deberi, addita correctione ſuſpicionem tol-
lit, dum ſe fuiſſe negat, qui laboraverit, ſed hoc
totum ex Dei gratia potius extitiſſe.

Nulla neque veritati magis adverſa, neque ad
excæcandum hominem capitalior eſt peſtis, quam
præſumpta falſa opinio: præſertim ubi animo per-
tinaciter inſidet. Duo hæc vult inter ſe conjungere
Pighius: Hominem naturaliter eſſe hac facultati
præditum, ut tam prævenire bono motu Dei gra-
tiam, quam ſubſequi, poſſit; nec aliter, aut of-
ferri nobis Dei gratiam, niſi ante manum porriga-
mus, aut efficacem eſſe in nobis, niſi propria vir-
tute eam adjuvemus: & tamen merum eſſe & gra-
tuitum Dei donum, quicquid gratiæ nobis confert;
eum eſſe ſolum qui in nobis bona opera & incipit
& perficit: ab eo nos præveniri, ab eo confirmari
uſque in finem. Hæc, inquam, perinde acſi rite
congruerent, ſub uno jugo componit Pighius. At
facilius cælum terræ miſceas. Quid ergo cauſæ eſt,
cur in tantam abſurditatem, velut clauſis oculis,
præceps ruat? Hæc una ſcilicet, quod ubi ſemel
animo concepit; æqualiter omnibus offerri Dei
gratiam, qui ſe modo dignos exhibeant, hac con-
ceptione impeditus tenetur, ne quid amplius cer-
nat aut judicet. Itaque poſtquam ſuis encomiis
ornando hominis naturam, Dei gratiam, quan-
tum poterat, extenuavit: mox pudore tactus, eam
in cælum uſque evehit, ſed manifeſta repugnantia:
neque aliter Auguſtinum hic æmulatur, quam ſi-
mia hominem. Verum qua neceſſitate conſtringi-
tur, ut æqualem gratiæ diſpenſationem faciat?
Quia pronunciet Deus, nolle ſe mortem morien- Eze. 18.
tis, ſed ut revertatur & vivat. At ſi ex ejus ſenſu verſ. 23.
hoc interpretamur, cur ergo moritur, quem Deus & 33: 11.
mori non vult? quum ſcriptum ſit: Deus autem Pſal. 115.
noſter in cælo, omnia quæcunque voluit fecit. verſ. 3.
Hic certe nodus erit Gordianus, ſi illud Ezechie-
lis, Deum nolle mortem morientis, de arcano ejus
conſilio accipias. Quamobrem ſic intelligi neceſſe
eſt, ſicut & Auguſtinus multis locis diſſeruit, ni-
hil Deum omittere, quod ad reducendos in ſalutis
viam homines pertineat, ſi modo ſani forent:
quod autem non redeant vocati, ipſis non aliud
quam pravitatis propriæ morbum obſtare. Vult
ergo Deus morientem vivere, ſicuti ejus volunta-
tem nobis æſtimare fas eſt, omnibus ſcilicet ad-
miniculis hominem ipſum adjuvando: ne quid ſibi
obſtitiſſe, quam propriam culpam, cauſari queat.
Manet tamen interea Deo arcanum ſuum conſi-
lium, quo hunc præterit, illum eligit: de quo
ne curioſius veſtiget, qui non vult opprimi à glo-
ria. Hoc ſi caperet Pighius, falſum illud de
æquali gratiæ diſpenſatione principium non ita
mordicus teneret. Quum enim dixit omnia, in
hanc tandem clauſulam deſcendit, ut cum Pela-
gianis aſſerat, Dei gratiam ſecundum meritum no-
ſtrum dari, ut ſit ipſe nobiſcum: meritum vero no-
ſtrum in eo eſſe, quod cum Deo ſimus. Noſtra rur-
ſus omnia in hanc Auguſtini ſententiam redeunt,
quibus non eſt datum, aut nolle, aut non implere
quod

quod volunt: quibus autem datum eſt, ſic velle, ut impleant.

Ergo, ut aliquando claudatur hic liber, fruſtra, aut ſe à Pelagio disjungere conatur Pighius, cujus ſocietate eum teneri implicitum tam aperte demonſtravimus: aut nos Manichæo, aliiſque hæreticis adjungere, à quibus non minus diſſidemus, quam ipſe ab orthodoxo Eccleſiæ ſenſu, cujus inanem umbram tametſi ſuæ impietati ſubinde prætexit, nihilo tamen inde plus apud pios & prudentes lectores proficiet, quam ſi ſimpliciter nihil ſibi nec cum Chriſto, nec cum ejus membris eſſe confiteretur: fruſtra & in eo mediocritatem quærit, ut res igne & aqua magis contrarias ſimul conciliet: nempe, quicquid eſt in homine bonorum, merum eſſe purumque Dei opus: & tamen hac facultate pollere homines, ut ex ſeipſis Deum provocent ad conferendam ſibi gratiam: & ubi contulerit, eam propria ſeparataque virtute efficacem, ſi libeat, reddant. Hoc, inquam, mediam tenere viam non eſt, ſed in labyrinthum potius ſe & alios conjicere, unde nullus poſtea exitus pateat. Fruſtra corradere hinc inde ſtudet teſtimonia Scripturæ, quæ fidem, & quæ ab ea gignuntur bona opera, inter Deum & hominem partiantur, quum tota Scriptura, & radicis & fructuum bonitatem uni Deo in ſolidum transſcribat. Nam ut pios tam à fide quam à bonis operibus commendat, tanquam laude propterea dignos: ita quoties à Deo diſcernit hominem, in illum quidem, tanquam omnis juſtitiæ, ſapientiæ, rectitudinis fontem, principium, perfectionem, bonorum omnium gloriam confert: neque id ex parte, ſed ut totam ſolus poſſideat: hunc autem ſic omni gloria ſpoliat, tanquam omni juſtitia & rectitudine deſtitutum, omnis ſapientiæ inopem, omni virtute nudum ac indigentem, ut nihil iſti reliquum faciat, præter extremam miſeriam. Ut nos ad pietatem, timorem Dei, vitæque ſanctitatem hortatur, ita nos ad iſta omnia pervenire poſſe docet, ſi datum nobis à Deo fuerit. Fruſtra rurſum Pighius hinc nobis conflare invidiam molitur, quod homines lapidibus ſimiles fiant, ſi nullæ illis in bene agendo partes relinquantur. Id enim ex doctrina noſtra perperam infert, qui mentem hominis fatemur videre, ſed illuminatam: judicium diſcernere & eligere, ſed Spiritus directione gubernatum: cor eſſe voluntarium, ſed reformatum manu Dei: hominem ipſum, & conari & agere, & ad Dei obſequium applicare ſuas facultates, ſed pro gratiæ menſura, quam accepit. Fruſtra denique Dei bonitatem prædicando, eam huic neceſſitati alligare nititur, ut omnibus pariter expoſitam eſſe oporteat. Aliter enim Deus ipſe, qui bonitatis miſericordiæque ſuæ laudem ex eo melius elucere judicat, ſi ejus ſpecimen non niſi in aliquibus, in aliis vero iræ judiciique exemplum edat. Nihilo plus rationis habet, quod malignitatis invidiam conflare nobis nititur, quia ſalvificam Dei gratiam non niſi electis dicimus exhiberi. Hoc, inquit, eſt eam reſtringere. At Deus non ita largam vult prædicari, ut libera eſſe deſinat. Libertas porro in eo eſt, ut eam, quibus vult, impertiatur. Quanquam ſi excutere libeat, quanta vel inſcitia, vel improbitate pervertat, quæcunque hoc loco citat Scripturæ teſtimonia, immenſum erit mare. Scriptum eſt, inquit, unum nos omnes habere patrem Deum. Non ergo his pater eſt, illis vitricus. Verum apud quos habentur hæc verba? Apud fideles, opinor. Quid ergo hoc ad hominum univerſitatem? Apud Ma-
Malach 2. verſ. 10. lachiam habetur: Numquid non unus Pater eſt omnium noſtrum? Ut demus hic non Abraham, ſed Deum intelligendum eſſe, numquid non de Iſraële, hoc eſt, de peculiari & electo Dei grege
Pſal 145. verſ. 9. Propheta loquitur? Suavis univerſis cantatur à Davide. Certe, & miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus. Ergone Spiritu regenerationis & agrorum pecora, & piſces maris, & aves cæli donabit? At ſuavitatem hanc experiuntur omnes, qui eam amaritudine ſua non repellunt. Fateor. Sed radicem amaritudinis ſolus ille Spiritus ex cordibus noſtris revellit, per quem conſecrantur electi, ut pura ſint ac ſancta Dei templa.

In Librum Sextum.

Jam quum parum egiſſe ſe hactenus, in damnanda noſtra doctrina, cerneret, ſi rationes ex adverſo intactas relinqueret, quibus & multis, & tam firmis munita eſt, eas recenſere & confutare ſexto libro inſtituit. Saltem hoc ſibi propoſitum eſſe denunciat. Verum quia ſibi in hac operis parte ſuæ imbecillitatis conſcius eſt, præcipuum mox robur in eo locat, ut lectores penitus à rationum noſtrarum, non examine modo, ſed etiam intuitu avertat. Quæcunque, inquit, Scripturæ proferantur, in illis ſeptis, quæ tibi circumdedi, incluſum te contineas. Eſt enim catholicæ Eccleſiæ conſenſus, à quo, vel minimum recedere, exitiale eſt. Quid autem, ſi aliud certo ex Scriptura evincitur? Nihil te, inquit, totum id moveat. Quin etiam ſi videas, cæcutire te puta. Poſtea tamen ex integro ſolitam confidentiam reſumit: facturumque ſe recipit, ut omnes videant, nihil in meis rationibus firmitatis eſſe. Cæterum, quoniam multis retro ſeculis opinionem hanc receptam vulgo fuiſſe dixeram, hominem libera & bonorum & malorum omnium poteſtate ſic eſſe præditum, ut nemo peccandi neceſſitati ſubjaceat, nemo Spiritu Dei neceſſario ad bonum dirigatur, illam iterum veterum ſcriptorum catervam in aciem educit: quo hunc, quem repudio, communem fuiſſe Eccleſiæ conſenſum demonſtret. Verum fruſtra laborat, eos citando, cum quibus libro ſecundo jam tranſegi ac compoſui. Quanquam locum hunc meum ſic convertit Pighius, ut eos omnes improbare videar, qui hominem violenter cogi non fatentur. quum voluntarium oportere eſſe opus, antequam bonum aut malum ſit, toties doceam: & in excludenda coactione ac violentia tam diligenter verſatus ſim. Nunc ut intelligant lectores, qua de re mecum certet: Quod Deo acceptum referri debere tradimus, quicquid in nobis eſt boni, libenter recipere ſe teſtatur: ſed quum modum exprimere incipimus, quo bonorum omnium auctor in nobis ſit Deus, hic ſtatim reſiſtit: quia totum non aliter tribui Deo ſuſtinet, niſi ut pars homini relinquatur. Primo igitur, quum locum hunc Apoſtoli protuliſſem: Qui cœpit in vo- *Phil. 1: 6.*
bis opus bonum, perficiet, addideram, Bonum opus inchoari à Deo in nobis, juſtitiæ, & amorem, & deſiderium, & ſtudium in nobis excitando: vel magis proprie, corda noſtra formando, flectendo, dirigendo in juſtitiam. Priorem expoſitionis partem ſine controverſia amplectitur Pighius: in altera ſuſpectum me habet, quod à communi piorum uſu recedam, quum hominum corda dico formari, flecti ac dirigi. Itane, ut novæ, & à communi fidelium ſenſu alienæ cenſeantur loquutiones, quæ & paſſim occurrunt in Scripturis, & Eccleſiaſticis ſcriptoribus ſubinde in ore ſunt? Supra ducentos locos ex Auguſtino adducere mihi facile ſit, ubi iſtis verbis utitur. Sed quid Spiritus ſanctus in Scripturis? unde petenda eſt bene loquendi regula. Hanc orandi formulam nonne dictat fidelibus? Inclina cor meum in teſtimonia tua, Do- *Pſal. 119. verſ. 36.*
mine. Item: Inclinet Dominus cor noſtrum ad ſe, ut ambulemus in omnibus præceptis ſuis. Item: *1 Reg. 8. verſ. 58.*
Dominus autem dirigat corda veſtra in charitatem Dei & expectationem Chriſti. Quid plura? *2 Theſſ. 3. verſ. 5.*
Nulla eſt frequentior ſanctis oratio, quam ut Dei

Spiri-

Digitized by Google

Spiritu, in viam rectam dirigantur. Imo quum & corda impiorum, quos Spiritu ſuo ſpecialiter non gubernat, huc illuc, prout viſum fuerit, flectere ſe dicat, quid de fidelibus dicendum eſt, qui non amplius ſibi vivunt, ſed in quibus vivit Chriſtus? *Prov. 21. verſ. 1.* Sicut fluxus aquarum, inquit Solomon; ita cor Regis in manu Dei: quocunque voluerit, inclinabit illud. Quid ergo, quum doceo cor fidelis, quod Dominus ſingulari modo ſuſcepit regendum, flecti ac formari ejus Spiritu, verbi novitate ac inſolentia offenditur Pighius? Queritur enim me novam loquendi formam introducere, cui non aſſueti ſint fideles. Veriſſimum eſt quod vulgo jactatur, de nullo dubitare ſtultos: quod ex veteri & elegantiori proverbio natum eſt. Ecce enim ut ſola ſua inſcitia armatus Pighius, bellum Deo & hominibus indicere ſimul audeat. Profertur loquutio; quam Spiritus ſanctus primum, deinde & ſacri Doctores, ejus magiſterium ſequuti, familiariter uſurpant. Audacter excipit, ab Eccleſiæ catholicæ uſu abhorrere. Adducitur Paulus teſtis. Antequam illi reſpondeat, anathema, ſi aliud quid dixerit, quam quod ſibi perſuaſit Eccleſiam ſentire, non dubitanter minatur. Sed qua fiducia? Notum eſt illud: Ignorantia confidentiam parit. Paulo poſt tamen, moderatior jam factus, hæc non mea, ſed Spiritus ſancti verba, utcunque impropria ſint, non multum habere incommodi concedit, niſi me animadverteret impietatis meæ venenum illis inſinuare velle: Deum ſcilicet uti corde noſtro, aut voluntate, in bonis operibus, ſicut arreptitiorum membris maligni ſpiritus utuntur, dum per eos reſponſa dant & loquuntur, quæ ipſi non intelligunt. Verum quum omnem illi occaſionem ante abſtulerim, ne quid de me tale ſuſpicari poſſet, cur divinat, quod timeri nullo modo debuit? Expoſueram, velle ineſſe hominibus ex natura: ex naturæ vero corruptione fieri, ut non niſi male poſſimus velle: eſſe igitur proprium Dei donum, ut bene velimus. Quam bicſyllabam inveniet, quæ materiam præbeat tali calumniæ?

At non diſſimulanter poſtea id me ſenſiſſe aperio: quia contentus non ſim, ſi quis dicat voluntatem, alias non prorſus malam, ſed infirmam ac debilem, ſubſidio gratiæ adjuvari: atque ad eam rem Prophe-
Ezech. 36. verſ. 26. tæ teſtimonio utor: Dabo vobis cor novum, & Spiritum novum ponam in medio veſtri: auferam à vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum. Deinde ſubjicio: Hac ſimilitudine non oſtendere vult Deus, mollitiem cordibus noſtris ineſſe, flexilem alias in recti obedientiam, ſed quæ per ſe infirma, gratiæ ſuæ adminiculo indigeat, ſed nihil penitus boni expreſſum iri à corde noſtro, niſi aliud fiat. Nam ſi lapis in carnem transformatur, quando nos ad recti ſtudium Dominus convertit: aboletur, quicquid eſt voluntatis noſtræ proprium: & quod ſuccedit, totum à Deo eſt. Hic, qua plurimum valet convitiandi protervia, in me debacchatur: clamat pſeudoprophetam in veſte ovis deprehendi, ſeducentem, hoc eſt, ſeorſum ducentem ab ovium caulis ſimplices animas. Sic enim in illa ſua craſſa hallucinatione ſibi placet, ut non ſatis habeat ſuam inſulſitatem ſemel prodidiſſe. Huc autem ſpectat, ne eum ſine ratione maledicere putes, quicquid ſonent verba Prophetæ, ut tamen opinio ſua valeat: quoniam Eccleſiæ auctoritate nitatur. Aliquando tamen ad rem accedit. Sicut ante, inquit, nulla auxilii ſui facta mentione, totam perfectionis ſummam poteſtatis noſtræ fecerat, quum diceret: Projicite à vobis iniquitates veſtras: convertimini ad me: facite vobis cor novum & ſpiritum novum: ita hic eandem uni Deo tribuit, præterita noſtra facultate. Ergo utrumque locum jubet conjungi, ut habeatur illa, de qua diſſeruit, liberi arbitrii & gratiæ conjugatio. Quaſi vero illi permittam, ex præceptis colligere, quanta aut qualis ſit hominum ad obediendum, facultas. Hunc jubendo Legis effectum eſſe ex Paulo ſcimus, ut occidat. Cur? *2 Cor. 3. verſ. 6.*
niſi quia non aliud poteſt, quam hominem transgreſſioni ſubjicere? Scimus & hoc eſſe ejus officium, ut hominem, miſeriæ ſuæ agnitione per- *Galat. 3. verſ. 24.*
culſum, confugere ad gratiam doceat. Ergo ab externa Legis prædicatione recedendum eſt, ut ad ſpiritualem ejus inſcriptionem, de qua loquitur Jeremias, veniamus. Illic enim Dominus fœdus ſe *Jerem. 31. verſ. 33.*
facturum promittit, non quale ante pepigerat, quia irritum factum fuerat defectione populi, ſed fœdus novum, quo Legem inſcribat populi ſui cordibus, & viſceribus inſculpat. Vides cauſam, cur fœdus illud quod externa prædicatione conſtabat, abrogetur: quia ſcilicet violatum fuerit ab hominibus. Vides & novi paciſcendi neceſſitatem: quia ſcilicet non aliter ratum ſit futurum, donec Spiritu Dei inſcriptum cordibus fuerit. Hujus efficaciæ ſi vel minimum guſtum haberet Pighius: aut ſi impotentiæ ſaltem ſuæ conſcientia tangeretur, non amplius obloqueretur, in hominum ſtatui poteſtate quod illis præcipitur.

Atque hinc etiam patet, quam frivola ſit & nugatoria ejus ratiocinatio. Si ex promiſſionibus inferamus, ſolius Dei opus eſſe converſionem, quia ſe ſolum ejus auctorem illic commemoret, pari ratione evicturum ex præceptis Pelagium, poſſe nos omnia, Dei gratia nihil adjuros: quoniam illic à nobis, ſine mentione gratiæ, perfecta juſtitia exigatur. Quaſi vero ideo dentur præcepta, ut quod deeſt gratiæ, virium noſtrarum ſubſidio expleatur: & non potius, ut propriæ impotentiæ convictos, ad gratiam manuducant. Alia eſt promiſſionum ratio: Dabo, inquit Dominus, mentem, ut quod rectum eſt videatis & eligatis: Dabo cor carneum, ut obediatis: Faciam ut ambuletis in Lege mea. Non ſuſpendit à nobis eorum complementum, quæ pollicetur, ſed ſimpliciter in ſe uno locat. Jubendo autem, non facultatem, aut novam nobis confert, aut quam habemus, prædicat, ſed nihil omnino nos poſſe nobis oſtendit, ut quo penes nos deficimur, aliunde quærere diſcamus. Valeat ergo fictitium illud Pighii temperamentum, donec nobis probaverit, à promiſſionibus remitti nos ad Legem, ut ibi juſtitiam reperiamus, ſicut Lex ad promiſſiones nos manuducit. Quod convertimur ab iniquitate ad juſtitiam, non ex naturæ noſtræ potentia, ſed gratiæ ſuæ dono, palam Deus teſtatur. Nunc illud convertat Pighius, ſi poteſt, ac reciprocum faciat: non ex puro eſſe gratiæ dono, ſed naturæ virtute. Imo quum de nobis loquitur Dominus, ne guttam quidem boni nobis relinquit: neque nos infirmitatis tantum damnat, ſed totam virtutis noſtræ opinionem in nihilum redigit. Deſinat ergo Pighius, noxiam hanc & venenatam ſuam mixturam nobis temperare: quæ non alio ſpectat, niſi ut hominem in Dei ſocietatem erigendo, ex altiore loco eum gravius præcipitet. Quid enim ſibi aliud volunt ejus verba, niſi ut in opere omnium excellentiſſimo, hoc eſt, in animæ reſurrectione, æquales habeat partes homo cum Deo? Convertitur, inquit, homo à Deo, ſed ipſe nihilominus ſe convertit: crucifigit veterem hominem, carnem ſuam mortificat, renovat ſe, & induit novum hominem, utcunque à Deo ſimul renovetur. Circumciditur à Deo, nihilo tamen minus circumcidit ſeipſum. Et quo fundamento hanc æqualitatem fulcit? Quod ſicut hæc omnia ſe facturum in homine promittit Deus, ita ab homine requirit, ut faciat. At promiſſiones non modo quid poſſit, ſed quid faciat Deus, certo pronunciant ac definiunt. Lex autem non ad teſtificandam hominis virtutem, ſed ad infirmitatem potius arguendam, data eſt, ut præceptis admonitus ſe nihil poſſe, in Dei fortitudine, non ſua recumbat.

Porro quod lapidei cordis appellatione oſtendit

exi-

exiſtimo, nihil unquam boni expreſſum iri à corde noſtro, niſi penitus aliud fiat, exclamat ſimilis attonito, ſe non capere qualia ſint hæc portenta. Ego vero, niſi ſcirem hominem rabie excæcatum nihil cernere, ideoque arbores, pecora, terram, aërem ipſum, aut quicquid obvium fuerit, pro hoſte temere ferire, mirarer, unde tantus illi ſtupor, ut tam prodigioſam facilis ſimpliciſque ſententiæ interpretationem confingeret. Longam enim diſputationem orditur, ut cordis ſubſtantiam non tolli, ſed qualitatem mutari, ac vitium corrigi probet. Quod ſi rationes non ſufficiant, Ambroſii teſtimonio confirmat, non fieri novum figmentum, aut novam creaturam, ſed vitium tantum auferri quod à natura non erat. Quo præmio dignum eſſe ducas, qui tam abſtruſam quæſtionem ſic enucleavit? At ego dico, fieri novum cor: Ambroſius quicquam in ſubſtantiam mutari negat. Quaſi vero credibile ſit, me ſubſtantiam cordis lapideam imaginari in homine nondum renato. Cor, ex lapideo, quum dicit Propheta carneum fieri, extra dubium eſt Pighio; de qualitate id eſſe intelligendum. Quum dico mutari aut fieri aliud, de ſubſtantia me loqui interpretatur. Ergo quum petit David, cor mundum creari in ſe, & ſpiritum rectum innovari in viſceribus ſuis, quis horum verborum erit ſenſus? Cor novum creari, an non valet quantum aliud fieri? O jejunum calumniatorem, qui tam leves ac nihili ineptias ad maledicendum captat! Sed ingenioſam muſcipulam excogitat, quam effugere me nullo modo poſſe, ſibi perſuadet. Nam quum, me quoque teſte, cor voluntatem ſignificet, de actu voluntatis accipi non poteſt quod dico. Siquidem in vanum verba profunderem, ſi tantum mala deſideria oportere aboleri dicerem. Reſtat igitur, ut de potentia illa, qua volumus, nolumus, odimus, amamus, ſentiam. Nuper de ſubſtantia ſermonem habebat: nunc tranſiiit ad potentiam. Quod ſi rem unam ſe deſignare his duobus verbis cauſetur, perperam ergo Ambroſium adduxit, qui ſub figmenti & creaturæ verbis plus aliquid, quam potentiam, comprehendebat. Sed valeat illud: conſequentiam autem, qua me abſque ullo effugio teneri jactat, valere nego. An tam rudis adhuc eſt Pighius, ut inter voluntatis ſubſtantiam, aut volendi facultatem, & actus, vel effectus ipſos, nihil medium agnoſcat? Certe vehementer me decepit. Putabam enim, primis ſaltem dialecticæ rudimentis inſtructum. Nunc video, & bonarum artium, & communis ſenſus prorſus expertem. Siquidem nemo tam eſt indoctus, qui non habitum medio loco conſtituat. Quorſum enim iſtæ loquendi formulæ, vir boni aut mali animi, niſi ad qualitatem indicandam? Neque vero id tacueram. Nam quantum ad præſentem quæſtionem, Bernardum ſequutus, tria conſideranda propoſueram: velle per ſe, aut ſimpliciter: deinde male, & bene velle. Primum illud eſt volendi facultas, aut, ſi ita placet, ſubſtantia. Bene & male velle, ſunt qualitates, vel habitus contrarii qui in potentiam ipſam cadunt. Actus prætermiſeram, quod nihil ad rem facerent. His tribus poſitis, voluntatem docueram perpetuo inſidere in natura, malitiam voluntatis eſſe ex naturæ corruptione: Spiritus autem regeneratione malitiam corrigi, & voluntatem eo modo ex mala fieri bonam. Jactavit Pighius, ſi hunc nodum poſſem expedire, quidvis ſe à me paſſurum. Quid ſi nunc ſponſionem hanc reciperem? Sed ideo abſtineo, quia nodum me nullum ſolviſſe fateor, quum nullus foret. Quis enim puer hic hæſitaret? Imo quum qualitatem ſæpius nominaſſet Pighius ac diſtinxiſſet à ſubſtantia voluntatis, qui fit, ut quum ad diviſionem hanc ventum eſt, membrum illud ſilentio tranſmittat? An ergo compos mentis credendus eſt, qui ubi totas fores mihi ad exitum aperuit, nullum effugium patere exiſtimat?

Ne longior ſim: dico voluntatem, non natura, hoc eſt, Dei creatione, ſed naturæ depravatione eſſe malam: nec aliter habere poſſe, donec Spiritus ſancti gratia in bonam mutetur. Neque ſic imaginor, fieri novum figmentum, aut novam creaturam, ut abolita ſubſtantia priore, nova ſuccedat. Voluntatem enim nominatim commemoro, ſicut homini eſt ab initio ingenita, ſemper manere: in habitu igitur, non in ſubſtantia, eſſe mutationem. Per ejuſmodi renovationem cor dico aliud fieri: David autem cor novum creari. Pighius autem, præfatus ſe ad tam dira portenta obſtupeſcere, multis convitiis me perſequitur quod dicam mutari ſubſtantiam. Videre nunc eſt quid cerebri habeat. Ipſe autem qualiter interpretatur? longa peccandi conſuetudine inveteratum cor, relinquere lapideam ſuam duritiem, mollirique oportere, ut ſenſibile, diviniſque impreſſionibus aptum, ſequax, ac ductile fiat. Merito certe hoc contemptæ Scripturæ præmium refert, ut tam frigidis profaniſque interpretationibus ſacram ejus majeſtatem corrumpat. Verum meminerimus, quas porci calcant margaritas, nobis & ſingulari veneratione exoſculandas, & ſumma religione cuſtodiendas eſſe. Poſtquam Dominus, expoſitis ſuis in populum collatis beneficiis, quam pro illis ingratitudinem reddiderat, exprobravit: deinde ad pœnitentiam hortatus eſt, quæ eſt legitima ad Euangelii gratiam præparatio, liberationem demum ex captivitate Babylonica promittit: ſimul ab externo typo tranſit ad veritatem. Nam quod populus à Babylonica tyrannide ſolutus, in terram promiſſam reducitur, illud tenue beneficium eſt, præut eſt illa inæſtimabilis gratia, qua à peccati, Satanæ, & mortis ſervitute, Spiritu Dei in liberum juſtitiæ ſtatum aſſeritur. Hanc gratiam exhibere cœpit populo Iſraëlitico, quum ab exilio Babylonico manu ſua emiſſum, ad urbem & Templum reduxiſſet: plenius vero & locupletius ſub regno Chriſti in univerſas gentes effudit. Oſtendit autem illic, nihilo magis exhortationibus ac doctrina profici apud homines, quam ſi lapidibus loqueretur, donec duritiem cordis eorum, hoc eſt, contumaciam emolliat. Quod enim facturum ſe promittit, ad ſuam unius poteſtatem transfert. Alioqui ut ejus promiſſa compleantur, non in ipſius, ſed hominum erit poteſtate, inquit Auguſtinus. Prorſus ergo hic gratiæ & naturæ fit comparatio. Cordis enim lapidei durities, non aliud quam inimicitiam carnis adverſus Deum ſignificat: qua non exiguus hominum numerus, ſed totum genus laborare dicitur. Hanc non niſi à ſeipſo ſubigi teſtatur Deus: & in quem finem? Non ut poſſint ambulare in recta via, ſicut Pighius, ad extenuandam gratiæ laudem, comminiſcitur, ſed prorſus ut ambulent. Quum facturum ſe dicit Dominus, ut in præceptis ſuis ambulemus, non cor tantum flexile in utramque partem, redditurum ſe promittit, ut tam reſiſtendo, quam obediendo paratum, aptumque ſit, ſed quod omnino ad obedientiam formatum & compoſitum, juſtitiam Dei jam in ſe impreſſam inſculptamque habeat. Nemo tam obtuſus eſt, quin hic in ſupprimenda Dei gratia tum inſignem Pighii malignitatem, tum impudentem & prope deſperatam audaciam cernat. Dicit Dominus, facturum ſe, ut ſibi ſerviamus. Reddit ille, facturum, ut poſſimus vel ambulare, vel non ambulare. Dicit ſimiliter Dominus altero loco, inſcripturum ſe cordibus Leges ſuas. Reddit Pighius, facturum, ut corda impreſſionem hanc recipere valeant: non autem ut habeant. Hæc generalis eſt ſententia: Pighius ad homines, prava conſuetudine corruptos, reſtringit. Lapideum cor vocat Deus contumaciam & rebellionem, ex naturæ vitioſitate inſitam hominibus. Pighius duritiem exponit ex mala conſuetudine contractam. Quemadmodum

dum ſi quis ex Philoſophorum grege diceret, hominem, male vivendo, obduruiſſe, vel occalluiſſe ad malum. Clarum igitur omnibus nunc quod dixi eſſe confido: Prophetam hoc loco ſatis exprimere, non roborari tantum humanæ voluntatis infirmitatem gratiæ ſubſidio, quo ad boni ſtudium efficaciter adſpiret. Pighius autem quidvis à me convitii perpeti paratus eſt, ſi unum ex orthodoxis producere potuero, qui non ita ſenſerit. Ego autem, ut compendio ſtudeam, Auguſtinum produco; qui & initio libri de Gratia & libero arbitrio ad Valentinum, & Epiſtola centeſima ſeptima ad Vitalem, idem tradit. Utroque enim loco dum hoc Prophetæ teſtimonium interpretatur, fortiter contendit, non præcedere in voluntate bonum aliquem motum, quem Deus adjuvet ſubſequendo, ſed voluntatem perverſam Deoque rebellem penitus eſſe, donec corrigatur. Tametſi conviciis abſtineo, ſatis inſignes impudentiæ ſuæ maculas ipſe ſibi Pighius inuſſit.

Quoniam autem ſubjicio, aboleri oportere, quicquid ex nobis eſt, quum à Domino regeneramur, primum interrogat, quid iſtis verbis mihi velim: & mox reſpondendo antevertit, non aliter quam de univerſis naturæ partibus poſſe intelligi: in iis autem eſſe & animam & corpus: convenire ergo ſecundum hæc mea verba, ut corpore reſurgant homines, ſimulatque ad Deum convertuntur. Non confidentius adverſarium inſequeretur Chryſippus diſputando, ſi viveret, ſed melius aliquanto & magis vivis rationibus premeret. Ego, ut latratum hujus canis breviter compeſcam, primum, loquendi formam, neque novam eſſe, neque à me inventam,

Homil. in Joan. 49. reſpondeo. Sic enim ante me Auguſtinus: Nemo ſe palpet. De ſuo enim non niſi Satan eſt. Quid enim de tuo habes, niſi peccatum? Tolle peccatum, quod tuum eſt. Juſtitiam enim non habes, niſi ex Dei dono. Neque difficilis eſt de re ipſa reſponſio. Quicquid noſtrum eſt, pro eo accipio, quod eſt nobis proprium. Hoc porro eſſe definio, quod habemus in nobis, à Dei creatione ſeparatum. Eſt autem vitioſitas, quæ non in aliqua noſtri parte, ſed in tota natura hæret. Eam enim totam in ſeipſo primus homo perdidit, ſicut & Auguſtinus ſcribit ad *Epiſt. 107* Vitalem. Nunc qui inter primam naturæ creationem, & quæ poſtea ſupervenit, ex peccato corruptionem, diſtinguere poterit, ab omni difficultate, non magno ſe negotio expediet. Sed Pighius diſputationem altam ingreditur: qua me preſſius teneri putat, quam ut poſſim unquam elabi. Nam per rationem & voluntatem, quas in totum renovari oportere contendo, neceſſario aut rationalis animæ eſſentiam, aut certe energias & virtutes inde ſcaturientes intelligit. His autem eſſe mutuam inter ſe connexionem, ut ſeparari nihilo magis poſſint, quam ab igne vis calorifica, aut illuſtratoria à Sole. Fieri ergo non poſſe concludit, ut nobis auferatur voluntas & ratio, niſi auferatur & ipſa rationalis animæ ſubſtantia: atque in ejus locum nova aliaque anima ſuccedat. At ſcire ex eo velim, an non illis animæ potentiis qualitates accidere poſſe concedat. Hoc enim conceſſo, ſoluta ſunt illa vincula, quibus me conſtringi gloriabatur. Quid reſpondeat, nihil moror. Dico, ſicut res ipſa loquitur, ratiocinandi potentiam, quæ in mente ſedem habet, dico volendi facultatem, quæ in corde reſidet, vitiatas eſſe, corruptaſque peccato. Iſta vitioſitate, quæ totam hominis animam in ſuis potentiis occupavit, fieri dico, ut nihil cogitet, eligat, velit, conetur, faciat homo, niſi malum. Atque hoc ſenſu dico, & aboleri, & renovari oportere, quicquid ex nobis eſt.

Subjicio deinde, voluntatem ſuopte ingenio, in eum modum, à Deo, averſam, ſola Dei virtute converti, ſic ut nullas in agendo partes habeat, niſi quatenus à Domino prævenitur: atque ita quod alicubi tradit Auguſtinus, interpretor: non præviam eſſe, ſed pediſequam in bono opere. Quibus verbis nullum me in ea bonum motum agnoſcere ſignifico, qui non ex Spiritus renovatione fluat. In primo membro non ferendam in Deum blaſphemiam contineri exiſtimat Pighius, quia ſubindicare velim, neceſſario averſam à Deo eſſe voluntatem, naturæ vitio. Sed quum ſatis ante demonſtraverim, non eſſe Deo imputandum, quod ſibi mali homo ſua culpa contraxit, fruſtra in Dei contumeliam recidere cauſatur, quod de cordis humani pravitate ubique vel me tacente, clamat veritas. Alterum tamen membrum, ubi ullas ad converſionem eſſe voluntatis partes nego, niſi quoad reformata fuerit, acrius exagitandum ſibi ſumit. Nam ſi ad converſionem, inquit, nihil poteſtatis reliquum nobis eſt, ſed id penes unum eſt Dei beneplacitum, ubi, quando, & quomodo velit, quid ludit operam, imo quid ridiculum ſe facit, toties, ut convertamur, à nobis flagitando? Magnum vero & abſurdum, ſi à paupere debitore juſtum alias ac legitimum nomen exigatur. Quanquam alio etiam fine Dominum ad converſionem hortari ſuos, ſuperius dictum eſt. Requirit enim ab illis, quod ſimul promittit ſe daturum. Ita præcepto illos ad recipiendam promiſſionem præparat. Sed cur nos fruſtra verbis invitat? Cur non potius loquitur ipſe ſecum, ut convertat, quos converſos velit? At quum eadem verba, quæ auribus loquitur, ſimul digito ſuo, hoc eſt, per Spiritum ſanctum cordibus inſcribat, ut ita ſpirituale ſit miniſterium hominis, quo utitur, an noſtrum eſt, illi legem dicere, ne ſic faciat? At quid de reprobis, quibus nihil exhibetur, præter nudam & mortuam literam? Reſpondeo: proprium quidem doctrinæ Dei eſſe, ut ſalutaris ſit audientibus: ubi autem officium hoc in fidelibus expleverit, adverſus rebelles & obſtinatos paratam eſſe vindictam. At Deum velle omnes converti exiſtimat Pighius, ideoque pariter omnibus ſuum auxilium offerre: itaque noſtræ eſſe poteſtatis, velle aut nolle. Quod niſi voluerimus priores, ipſum ad nos converti. Hoc enim clariſſimis verbis exprimere Prophetas, quum in Dei perſona dicunt: Revertimini, & ſanabo vos. Item: Revertimini, & non avertam faciem meam à vobis. Ego autem nihil in iſtis verbis contineri animadverto, niſi quod Deus ſe illis, & peccata, & pœnas, quibus propter peccata plecterentur, remiſſurum pollicetur, ſi modo reſipuerint. Jam quum pœnitentia ſit ſpiritualis à morte reſurrectio, nego eam magis in hominis eſſe poteſtate, quam fuerit ſe creare: imo minus: quanto ſcilicet præſtantius eſt, juſtum ſe facere, quam hominem. Cur ergo de illa concionantur Prophetæ? Quia hic eſt regenerationis ordo, ut homines vera ſui diſplicentia, vero tum peccati odio, tum juſtitiæ deſiderio amoreque tacti, ad Dei miſericordiam confugiant. Sed cur Dominus ab illis flagitat, quod merum eſſe Spiritus ſui opus ac donum novit? Quia utcunque arcanum Spiritus ſui ſancti opus, ſine ullo vel inſtrumento, vel adminiculo, peragere poſſit, externam tamen prædicationem ordinavit, qua tanquam inſtrumento uteretur. Cæterum, ut efficax ac fructuoſum ſit ejuſmodi inſtrumentum, ea ipſa verba, quæ auribus per os hominis loquitur, digito ſuo in corda inſculpit: ita miniſterium reddit ſpirituale & vivum, quod alias literale & mortuum foret.

At ubique hæc duo ante requirit à nobis Deus, pœnitentiam & humilitatem, quum ſe nobis propitium fore promittat: ſicut per Jeſaiam dicit: Ad *Jeſa 66. verſ. 2.* quem reſpiciam, niſi ad humilem, & contritum ſpiritu? Neminem iſtud impediet qui memoria tenebit, quod obſervandum, quodam Inſtitutionis meæ loco, docui: dupliciter Deum ad homines reſpicere,

Actor. 10. ut eos miſericordia ſua dignetur. Dicit Petrus,
verſ. 34. ſe in Cornelii exemplo cernere, non eſſe acceptio-
nem perſonarum apud Deum: quia illi acceptus ſit
Rom. 5. ex qualibet gente, qui faciat bonum. At Paulus di-
verſ. 10. cit, tunc fuiſſe reconciliatos Deo Romanos, quum
eſſent ejus inimici, & alieni ab ejus juſtitia: juſti-
1 Cor. 6. ficatos fuiſſe Corinthios, quum ſcortatores eſſent,
verſ. 11. & ebrioſi, & adulteri, aut aliis flagitiis inquinati:
Epheſ. 2. receptos in gratiam fuiſſe Epheſios, quum eſſent
verſ. 1. peccatis mortui, ſine Deo, ſine ſpe, quum carnis con-
Coloſſ. 1. cupiſcentiis addicti, Satanæ ſervirent: Coloſſenſes
verſ. 21. etiam, quo tempore abalienati erant & inimici mente
in operibus malis, fuiſſe reconciliatos: quo tempore
mortui erant per peccata, fuiſſe in juſtitiam ac vitam
excitatos. Sed quid plura commemorem? quum
paſſim ejuſmodi ſententiis ſcateant ejus Epiſtolæ.
Quod ſi taceret, ejus tamen converſio, ſine ullis
verbis, illuſtre eſt ejus rei documentum. Qua enim
aut humilitate, aut ſui diſplicentia præparatus, be-
nignum illum Dei aſpectum promeruit, ut vas ele-
ctionis vocaretur? Excipiet Pighius, in ipſo fuiſſe,
ut Dei vocationi obtemperaret. Sed hic tantum
diſputatur, an Dei gratiam prævenerit. Quanquam
fallitur, qui putat tantum ejus auribus inſonuiſſe
vocem illam: Saule, Saule, quid me perſequeris?
non autem Spiritus ſancti magiſterio inſculptam
fuiſſe ejus cordi obedientiæ Legem, ut protinus
faceret, quod jubebatur. Illa, inquam, inſcriptio-
ne, non modo ex nolente factus eſt volens, ſed
etiam ex perſequutore ſpectator. Jam quid ſibi Pro-
Jeſa. 65. phetica illa & celeberrima ſententia vult? Inven-
verſ. 1. tus ſum à non quærentibus me. Sic exponit Apo-
Rom. 9. ſtolus: quod Gentes, quæ juſtitiam non quære-
verſ. 30. bant, juſtitiam apprehenderunt. Nec alio præpa-
rationis genere, aut Abraham, aut ejus poſteritas,
initio ad Deum appropinquaverat: ſicut Moſes &
Joſue commemorant. His ac ſimilibus teſtimoniis
qui non convincitur, ut duplicem hominum coram
Deo acceptionem agnoſcat, nimis præfractus eſt.
Reſpicit ergo Deus electos ſuos, amplectitur, amat,
acceptoſque habet, etiam ante vocationem, ſed in
Chriſto: eos autem vocando, ſe propitium ipſis
oſtendit ac benevolum: hoc eſt, amorem ipſis,
quem ante deferebat, reſtatur, ut eum in animis
ſuis ſentiant, eoque fruantur. Jam vocatio, pœni-
tentia & fide conſtat. Prima autem pœnitentiæ
pars, vel potius initium eſt, humili ſubmiſſoque
animo ſibi diſplicere. Poſt hanc demum humili-
tatem dicitur Deus ad homines reſpicere, relatione
ad eorum notitiam ſenſumque habita: quoniam
tunc ſe illis Patrem declaret, ſuæque bonitatis teſti-
monium reddat.

Porro quum hactenus ſine fine & modo, extule-
rit hominis vires: nunc quum demonſtrare vult, ut
ſeipſum ad Deum proprio motu convertat, liberius
adhuc multo, quam ante, apertiuſque impietatem
ſuam prodit. Vult Deus impium converti, inquit,
non tamen ſua omnipotenti illum voluntate conver-
tit, ſed ut ſe convertat; invitat & adhortatur. No-
ſtrum proinde eſt reverti & converti, ipſius autem,
revertentes ſuſcipere & vivificare. Quid, obſecro,
relinquere hic Deo videtur, præter exhortationem?
Et quid aliud in Pelagio damnatum eſt? Sed aliquo
ſtatim colore hanc blaſphemiam tegit: dum non
Deum nobis in converſione fatetur deeſſe, modo ta-
men priores, ipſi ad eandem conemur. Eſt hoc qui-
dem aliquid, quod quum priores homini partes
dederit, poſteriores tandem Deo concedat. Fuit
hoc ſecundum Pelagii commentum, poſtquam illud
retractare coactus fuerat, hominem ſuis viribus per-
venire ad vitam æternam poſſe. Quanquam paulo
poſt ne dimidio quidem Pelagianiſmo contentum ſe
eſſe exprimit. Nam quum vult definire, qualiter nos
convertat Deus, ſua, inquit, bonitate & patientia,
non ſtatim nos puniens, ſed dans tempus & locum
pœnitentiæ: adhæc, multis mediis & occaſioni-
bus, exhortationibus, beneficiis, & flagellis, ad
eandem nos provocans, ſollicitans, ſtimulans. Hic
vero totus & integer Pelagius ſua in cælum ſacrile-
gia evomit. Externa enim tantum media ponit,
quibus invitat Deus homines, atque his includit
totam converſionis gratiam: de interiore cordis
motu, de renovatione Spiritus, altum ſilentium.
Neque vero cauſa eſt, cur minime negare ſe tergi-
verſetur, utcunque ſileat. Modum enim, quo nos
convertit Deus, definiendum ſuſcipit. Proinde,
tali definitione poſita, totam cordis innovationem,
quæ fit arcana Spiritus ſancti virtute, excludit. Et
tamen, ſi Deo placet, ad tam claræ craſſæque im-
pietatis confirmationem, ex Scripturis ſuffragatio-
nem aliquam corrogat. Quod ſe incipiat homo
convertere, inquit, habetur apud Jeremiam: Si Jer. 15.
converteris, convertam te. Illic Prophetam allo- verſ. 19.
quitur Deus, qui ultima prope deſperatione tenta-
tus, ſecum multis querelis expoſtulaverat. Novis
ergo eum promiſſionibus ad colligendum animum
incitat. Sic autem habent verba, ſi rite quis inter-
pretetur: Si reverſus fueris, & reverti te fecero, ante
faciem meam ſtabis. Si pretioſum à vili diſcreve-
ris, eris quaſi os meum. Quia ſucceſſu deſtitui ſe
videns, animum deſponderat, ac perinde vacillare
cœperat, quaſi Dei promiſſis ſua non conſtaret
fides, hanc hæſitationem & diffidentiam repre-
hendit Dominus: poſtea tum ad fidei fortitudinem
& conſtantiam, tum ad obſequium, hoc eſt, vo-
cationis ſuæ curſum redire jubet, meliore ſpe pro-
poſita boni & felicis exitus. Dicit ergo: Si redie-
ris, ſubſiſtes coram facie mea, utcunque te deji-
ciat mundus. Si ſteteris in recto judicio, neque ab
officio defeceris, utcunque doctrinam tuam mun-
dus infamet, ego tamen eam, tanquam ex ore meo
profectam, approbabo. Quod ergo additur, Et
convertam te, vides interpoſitam eſſe parenthεſin,
vice correctionis: qua Dominus ſuum fore benefi-
cium declarat, ſi Propheta in viam redierit. En
Pighiana in citandis Scripturis dexteritas. At poſtea
longum teſtimoniorum acervum colligit. Nempe
quoniam obſtinatos Deus objurgat, quod ſua boni-
tate abutantur, nec converti velint, inde colligit,
noſtræ virtutis eſſe, ſi convertimur. At Scriptura,
ſicut hominem propria cordis pravitate impediri te-
ſtatur, quominus ſe ad Deum convertat, ita conver-
ſionis ſuæ gloriam ſibi arrogare vetat, dum Spiritus
ſancti opus eſſe docet.

Quæ tamen, ut illuſtriora, diſtincta ſerie poſtea
recenſet, ac ſeorſum explicat, breviter percurram.
Adigi doctrina noſtra miſeros homines calumniatur,
ut plenam illam deſperationis vocem, ob quam apud
Ezechielem tam graviter Iſraeli ſuccenſet Deus,
concipiant, atque emittant: Iniquitates noſtræ ſuper
nos ſunt, & in ipſis tabeſcimus. Si hæc ſimilia ſunt,
hominem Spiritus ſancti directione, non virtute
propria, à peccato converti ad juſtitiam: & homi-
nem ſine ſpe veniæ à Deo eſſe derelictum, & jam
exitio deſtinatum: deſperationis materiam gigni
ex doctrina noſtra, fateor: ſin videre omnibus prom-
ptum eſt, quantum ſit diſcriminis: quam indigna
ſit hæc Pighii calumnia, neminem latet. At ſi in
ſolo, inquit, Dei beneplacito jacet converſio homi-
nis, quid aliud concipiet peccator, quam ſibi pu-
treſcendum eſſe, donec Dei manu erigatur? Quaſi
vero, quum de ſua impotentia docentur homines,
non eo modo ad ſpem auxilii erigantur, ſiquidem
electi Dei ſunt: ſi vero reprobi, non ſimul Dei ju-
dicio conſtringantur, ut ſua ſe culpa perire agno-
ſcant. Atque ut clarius pareat, quam concinna ſit
Propheticæ hujus ſententiæ adverſum nos applica-
tio, obſervandum eſt, populum tunc, non tam de-
ſperatione, quam pervicacia, non ſine Dei invidia,
quod inexorabili ſeveritate eſſet, de ſuis miſeriis
con-

conqueſtum fuiſſe. Jam ergo paſſim audiebatur vox illa: Quid faceremus? Deus nos perdere, ac funditus extinguere, ſemel decrevit. Proinde, quando fruſtra de eo placando cogitaremus: veniat, quando volet, ejus judicium. Hac contumacia ſe ad ſtuporem comparabant, ut adverſus calcar obſtinatis animis calcitrarent. Excipit Dominus, nolle ſe mortem impii: doctrinam enim, quam per ſuos Prophetas diſpenſaret, miniſterium eſſe reconciliationis. Nunc ſine mora concludit Pighius, noſtræ eſſe poteſtatis, ejuſmodi reconciliationem ratam facere: ego autem quærendum dico, qualiter miniſterium illud efficax nobis fiat. Reſpondent Prophetæ, & poſt eos Paulus, id fieri, quum Spiritu Dei inſcribitur cordibus noſtris doctrina, quam fruſtra alioqui, & ſine profectu aures exciperent.

Jon. 3: 8. Secundum locum adducit ex Jona: Quid rex Niniviæ ad Junæ denunciationem edicto promulgavit, ut converteretur quiſque à via ſua mala, niſi ſenſus communis hoc dictaret, homini in manu eſſe ſuam converſionem? Reſpondeo; fuiſſe iſtud officium Regis jam converſi, ut alios ad exemplum ſuum incitaret. Certe civile Regis edictum non plus habebit ponderis ad probandum quod intendit Pighius, quam Propheticæ multæ conciones, quas ſenſu & verbis convenire cum illo, palam eſt. Sicut enim Prophetæ officium eſt, dum homines ad Dei cultum ac timorem inſtituere vult, plantare & rigare; ita & Regis. Hanc autem prærogativam ſibi vindicat Deus, ut ſolus det incrementum; idque libera poteſtate, ubi, & quoad ſibi placuerit. At ſubjicitur; miſertum fuiſſe Deum quoniam eorum opera viderit: quatenus ſcilicet à libero eorum arbitrio proficiſcebantur. Sic quidem interpretatur Pighius, qui hominem imaginatur à ſeipſo, & natura habere, quicquid boni habet. Nos autem, qui reſipiſcere & converti, ſingulare eſſe Dei donum, tot Scripturæ teſtimoniis didicimus, aliter: Deum, ſicut illis dederat, ut converterentur, ita converſos amplexum eſſe, & manum ſuam retraxiſſe, ne ſecundum priorem denunciationem in eos animadverteret. Miſeretur enim primum hominis nudi, inopis, omnique bono deſtituti, ſola miſeria præditi: poſtea ſuis donis veſtitum & ornatum miſericordia perſequitur. At converſio, inquit iterum Pighius, ipſis imputari non poterat, ad promerendam aut obtinendam gratiam, ſi illos Deus, ut converterentur, prævenerat. Vide quantum inter hunc, & Auguſtinum interſit. Sic enim Auguſtinus loquitur: A teipſo ſi tibi merita tua ſunt, mala ſunt: ideoque non coronantur. Ut ergo bona ſint, Dei dona eſſe oportet. Item: Opera mea ſi videris, damnas: tua ſi videris, coronas. Nam & quæcunque bona opera habeo, abs te mihi ſunt, ideoque tua potius, quam mea. Ergo opera manuum tuarum non deſpexeris. Pighius autem abſurdum eſſe putat, ſi opera manuum ſuarum reſpiciat Deus, ut priora ſua dona aliis cumulet.

De grat. & libero arbitrio, cap. 6.

In Pſalmum 137.

Mat. 11. *v.* 21, 23. Ratiocinatur & ex hac Chriſti ſententia: Væ tibi Capernaum. Nam ſi in Tyro aut Sidone aut Sodoma factæ fuiſſent iſtæ virtutes, quas vidiſti, in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Nam ſi abſoluta, inquit, efficacique voluntate noluit dare Deus pœnitentiam Sodomæ, Tyro, & Sidoni, an daturus erat, ſi illic edidiſſet ſua miracula? Et cur potius ob miracula illis gratiam reſipiſcendi dediſſet, quam civitati ſuæ, ubi eadem miracula deſignabat? Reſpondeo, minime in his verbis Chriſtum reſpicere, vel unde emanet pœnitentia, vel cur his potius, quam illis, arcano Dei conſilio detur: ſed ſimpliciter ab effectis ſumere hanc comparationem, quod reliquæ illæ quas nominabat, urbes, quibus doctrina & miracula defuiſſent, plus habituræ eſſent excuſationis coram Deo, quam Capernaum, quod deliberata nequitia, & impia ſceleratàque rebellione obduratum, tot ac tam præclaris, & doctrinæ, & ſignorum monitionibus nihil flecteretur. Quaſi diceret: nullam hactenus fuiſſe gentem tam duræ aut indomitæ cervicis, tam ferrei cordis aut obſtinati, quæ non commoveretur ſignis illis, quæ apud Capernaitas contemptui, ludibrioque habebantur. Quod ſi affirmationem illam pertinacius urgeat Pighius, jampridem egiſſent pœnitentiam, reſpondeat jam mihi, curnam urbes illas non dignatus fuerit idoneis modis hortari ad pœnitentiam, quas ſciebat ſuæ exhortationi non defuturas? Si quid ſentit; ſentire (opinor) debet, ſuis ipſius tricis teneri ſe nunc implicitum. Sed valeant ineptæ illæ cavillationes: quum evidenter conſtet non aliud voluiſſe Chriſtum tali loquendi genere, quam ſi quis hodie ſic loquatur: neminem eſſe Turcam tam durum rebellemque Deo, aut tam à pietate averſum, qui non jam olim fractus fuiſſet, ſi ea legiſſet, audiviſſet, vidiſſet, quibus tamen non potuit corrigi Pighius.

Poſthæc, ut noſtræ facultatis eſſe probet, tam præparare corda noſtra Deo, quam ei ad bonum nos provocanti, acquieſcere, longum ex integro præceptorum catalogum retexit. Nihil certe dubium eſt, centies nos victos eſſe, ſi Dei præceptis vires hominum metiri libeat. At iſtud, inquit, delirare eſt, ad ea hortari homines, quibus præſtandis pares non ſunt. Verum ab hac contumelia ſe tuetur Deus, qui optimam ſibi eſſe jubendi cauſam declarat, etiamſi penes hominem non ſit implendi facultas. Quanquam operæpretium eſt, ex iis, quæ adducit, quædam nominatim referre & expendere. Apud Jeremiam, inquit, docemur, qualiter ſe efficaciter præparare ad Dei gratiam homines poſſint, dum ſic dicit: Scrutemur vias noſtras, & revertamur ad Dominum: levemus corda noſtra cum manibus in cælum, dicentes: Nos impie egimus, &c. Odiſſe, inquit Pighius, ac deteſtari veterem vitam, contritoque corde ad Dominum confugere, pœnitere ex corde, & vera fide petere miſericordiam, hæc eſt præparatio. Elevatio autem cordium, eſt converſio. Agnoſcunt hic vel mediocris judicii lectores ſolitam Pighii dialecticam; cujus prima regula eſt, unum ſemper in plura diſcerpere: quæ autem diverſa ſunt, in unum confundere. Levare in cælum corda & manus quid ſignificet, plus ſatis notum eſt: nempe, expanſis in cælum manibus, ſerio cordis affectu invocare Deum. Pighius autem puerile commentum fabricatur, quod levare corda, ſit affectus noſtros à terrenis & caducis rebus liberare: cum manibus, id eſt, operibus noſtris. Atque iſtæ ſunt interpretationes, ſcilicet, quibus non ſecus ac Delphicis reſponſis fidem haberi vult: quum nihil magis aut frivolum, aut nugatorium fingi queat. Continuo poſt, culpæ agnitionem veniæque deprecationem, quæ duo ſub præparatione ante poſuerat, ad converſionem, hoc eſt, ſecundum pœnitentiæ membrum refert. Ut tamen illi tam craſſos errores ignoſcam, rogo quidnam ſe confeciſſe putet. Totam, inquit, pœnitentiam eſſe in hominis poteſtate. Atqui illud, quod ipſe quoque Pighius initium, & quaſi primum ingreſſum facit, ut peccator, iniquitatis ſuæ agnitione confuſus, ſibi diſpliceat, inter alia Dei beneficia ponit Ezechiel: apud quem ſic Deus populum ſuum alloquitur: Quum tu juramentum contempſeris, ut diſſolveres pactum, ego tamen recordabor fœderis mei quod pepigi tecum: ſuſcitaboque fœdus æternum. Et tunc viarum tuarum recordaberis, ut confundaris. Suſcitabo, inquam, tecum pactum meum, ut recorderis, & confundaris. Pighius hanc eſſe præparationem fingit, qua homines Deum antevertant, ac priores occurrant ejus gratiæ. Dominus autem, homines prævenire ſe teſtatur, ut peccata ſua agnoſcant. De altera parte jam alibi dictum

Lam. 3. *verſ.* 40.

Eze. 16. *verſ.* 59.

eſt: non magis penes hominem eſſe, innovare ſuam
vitam, quam propria potentia à mortuis reſurgere.
De oratione, quam promptum eſt, ejus inſaniam
convincere? Invocando, inquit, præveniunt homi-
nes Dei gratiam. Quod enim eam precibus flagi-
Rom. 10. tant, ex ſeipſis faciunt. At Paulus contra: Quomodo
verſ. 14. invocabunt, in quem non crediderunt? Quibus certe
verbis Dei invocationem ex fide, tanquam filiam ex
matre, procedere naſcique demonſtrat. Unde au-
tem fides? An hanc quoque præparationis eſſe par-
tem nugabitur? Et cur non faceret, quum de ſpe ſic
auſus fuerit loqui? quæ tamen & fide poſterior eſt,
& ex ea quoque ſicut Dei invocatio producitur. Ha-
bent, inquit, à ſeipſis homines ut pulſent: Dei au-
Lib. de tem eſt aperire. Auguſtinus autem: Hæc eſt fidei ſa-
perfect. nitas, quæ nos orare facit, ut exaudiamur: quærere,
juſtit. ut inveniamus: pulſare, ut aperiatur nobis. Contra
iſtam qui diſputat, contra ſe oſtium claudit miſeri-
cordiæ Dei.

Prov. 16. At Solomon non præcipit, ſed affirmat hominis
verſ. 1. eſſe facultatem præparandi cordis. Et hic habes
expoſitionem Pighio dignam. Temerariam homi-
num confidentiam Solomon illic deridet, qui nihil
non agitant conſilii, nihil non moliri audent ſine
Deo: quum tamen ne verbum quidem emittere,
quod multo minus eſt, niſi per ipſum queant. Ho-
minis, inquit, eſt cor præparare: & Domini eſt
gubernare linguam. Quis non videat, ironicam
eſſe humanæ arrogantiæ deſcriptionem, quæ ſumma
omnia ſibi uſurpat, quum ne minimum quidem in
poteſtate habeat? Pighius autem ex eo præveniri
ab homine Dei gratiam colligit. Jam quas fingit
præparationes, Deo gratas eſſe, ex Davide pro-
Pſal. 10. bat. Deſiderium enim pauperum audivit Deus: præ-
verſ. 17. parationem cordis eorum audivit auris tua. Uti-
nam vero, quando ad vertendum non eſt idoneus,
bonum interpretem ſequi maluiſſet, quam ad inſci-
tiam hoc quoque mali addere, ut errori pertinaci-
ter adhæreret. Ad verbum ſic habet David: Deſi-
derium pauperum audivit Deus: præparabis cor
eorum, audiet auris tua. Pighius, veſtigiis inter-
pretis non boni nec fidi inſiſtens, ad præparationem
torquet, qua homines certent cum Dei gratia. Vi-
des quam appoſita ſit ad rem probatio. Et tamen
non minore truculentia ſtuppas iſtas projicit, quam
ſi fulmina de cælo vibraret. Subjicit, cauſam hanc
2 Chr. 12. adduci, cur ſpoliatus regno fuerit Roboam, quod
verſ. 14. non direxit cor ſuum, ut obediret Domino. Si præ-
parare, inquit, cor, ad quærendum Deum, nihilo
magis poteſt homo, quam digito cælum tangere,
quid hoc ſpecialiter de Roboam Scriptura comme-
morat, velut cauſam reprobi ſenſus, quod æque &
piorum & impiorum eſt omnium? Atque hunc no-
dum, quicquid comminiſcar, inſolubilem eſſe nihil
dubitat. Reſpondeo non dici cauſam rejectionis,
quod per ſe non habuerit flexibile cor, quod ſine
Spiritus directione ad ſerviendum Deo, propriæ
naturæ motu inclinaret, quod nos, omnium pari-
ter hominum commune eſſe tradimus, ſed quod re
ipſa non direxerit ad Deum cor: quod impiis pro-
prium eſt, ac peculiare. Hoc vitium uſitatum eſt
Pighio, dum res diverſiſſimas non diſtinguit, ni-
hil non poſtea miſcere & confundere. Cordis du-
ritia & pravitas, qua fit, ut ad malum propendea-
mus, ad bonum ſimus impotentes, univerſalis eſt
generis humani morbus, donec Spiritu ſuo reme-
dium adhibuerit Dominus. Ubi autem cor in uno
carneum formavit: in altero lapideum, ſicut à na-
tura erat, reliquit: jam multum inter eos eſt diſcri-
minis. Ille cor flexile habet ad Dei obedientiam,
imo Dei Legem habet inſcriptam in corde, ut ejus
juſtitiæ, toto voluntatis affectu, obtemperet: hic
corde indomito, obſtinato, ac rebelli, & Deum &
ejus jugum aſpernatur. Illius obedientia opus Dei
eſt: hic non alium habet, cui pervicaciam ſuam im-
putet, niſi ſeipſum. Ergo, qui nihil prima condi-
tione differebant, Dei gratia & judicio nunc ſunt
diſcreti. Vident lectores, me nihil comminiſci,
& tamen nullum amplius reſtare ſcrupum. Poſt, ut
identidem ſolet, ad præcepta relabitur. Verum quia
prævidebat, nos reſponſione non deſtitui, ſubjun-
git, quæ illic Deus præcipit, fideles ſemper feciſſe.
Nam ſicut populum admonebat David, ut præbe- Pſal. 95.
ret corda ſua Domino, Ezechias item, ne cervi- verſ. 8.
cem ſuam obduraret, patrum ſuorum more, ſed 2 Chr. 30.
manus porrigeret: ita refert ſacra hiſtoria, veniſſe v. 8, 11.
ex toto Iſraële quoſdam, & cor ſuum tradidiſſe, ut
ſervirent Domino. Quis negat? Modo tamen ſub-
intelligi debere non detrectet, quod alibi expri-
mitur: quorum tetigerat Deus corda. Neque enim 1 Sam. 10.
fieri negamus ab hominibus hæc & ſimilia. Id au- verſ. 26.
tem ſolum eſt, quod inter nos controvertitur, pro-
prione motu naturæ, an Spiritus ſancti ductu & gu-
bernatione ea faciant.

Tandem, ut aliquo involucro operiat, quam ni-
mis detexerat impietatem, ad liberi arbitrii gratiæ-
que conjugationem revertitur: cujus ſpecimen una
in re exhibere ſtudet, ut de reliquis tale etiam judi-
cium fiat. Sapientiam enim unius quidem eſſe Dei
donum: ſed dari cum delectu, non obtrudi. Dari
porro non niſi iis, qui eam invocant, qui cor illi ſuum
inclinant. Humilium enim eſſe, non ſuperborum.
Quid? An non humilitas quoque Dei donum eſt?
Quod ſi neget Pighius, quibus tamen hanc perſua-
ſionem machinis ex piorum mentibus, quibus peni-
tus infixa eſt, revellet? Ergone, quia gradatim con-
fert Deus ſuas gratias, ut una ſit ad alteram præpa-
ratio, ideo laudis ſuæ parte privabitur? quaſi ho-
minem tantum ſuis beneficiis ſubſequatur, non au-
tem etiam præveniat. At ſi quem Deus ſuis gratiis
dignetur, nullo præparationis reſpectu, in reliquos
injurius erit & crudelis, quos interea præteribit.
Certe ſi Pighii tribunali ſubjiceretur Deus, ſub ju-
dice tam male propitio, facile cauſa caderet. Te-
ſtatur enim, ſe ſolum eſſe, à quo diſcernimur: quum 1 Cor. 4.
alioqui ſimus per omnia ſimiles. Quid igitur, ſic verſ. 7.
obloquendo, Pighius agit aliud, niſi quod lapides
ſurſum in cælum projicit, qui mox in caput ejus
recidant? Ut ergo millies clamet, Spiritui ſancto,
& univerſæ Scripturæ reſiſtere, qui nihil ad pro-
merendam Dei gratiam facultatis homini conce-
dunt: ejuſque voluntatem ſic à juſtitia averſam eſſe
docent, ut nihil quam malum concipere ex ſe queat:
ut anathema omnibus qui ſic ſentiunt centies mine-
tur, nihilo plus tali clamore, quam latratu, pro-
ficiet, donec alia Scripturæ teſtimonia proferat. Dei
enim veritas, quam docemus, majori ſtabilitate
ſubnixa eſt, quam ut ventoſis ejus argumentationi-
bus tam leviter diruatur.

Hoc controverſiæ capite tam bene tranſacto &
abſoluto, ad alterum tranſit. Nam quod ſcripſi, ne
pediſequam quidem gratiæ ideo debere exiſtimari
hominis voluntatem, quia per ſe, proprio ſeparato-
que motu, cooperetur: quin potius hoc quoque vo-
luntatis obſequium, ſive ad recipiendum, ſive ad
retinendum Spiritus ſancti motum, quam coopera-
tionem appellant, inde manare, quod voluntas, jam
reformata, Spiritui promptam obſequentemque ſe
præbeat: primum id tam obſcurum eſſe pronunciat,
ut nec ego intelligam quid mihi velim: deinde hunc
eſſe impietatis cumulum, cui nihil adjici amplius
queat: fruſtraque me obtendere Auguſtini patroci-
nium, quem mihi prorſus adverſari demonſtraverit.
Quod autem in ejus verbis fuerim hallucinatus, cau-
ſam hanc eſſe, quia obiter tantum curſimque inſpe-
ctus, nunquam attento ſtudio lectus mihi fuerit.
Utinam vero tanta, & attentione, & diligentia, ver-
ſatus foret in Scripturis, tamque familiariter notum
haberet earum ſenſum, quam & diligenter legiſſe
me Auguſtinum, & familiariter cognitam habere

ejus

Digitized by Google

ejus mentem, jactare mihi liceat. Verum id ex re ipſa æſtimari malo. Quod ad præſentem quæſtionem ſpectat, quia illud Chryſoſtomi improbaveram, neque voluntatem ſine gratia, neque gratiam ſine voluntate quicquam poſſe boni, malignitatis me accuſat, quia uni Chryſoſtomo imputem, quod & ex communi Eccleſiæ definitione ſumptum ſit, & totidem prope verbis ab Auguſtino aſſeratur. Locum autem recitat ex tertio hypognoſticôn libro: cujus clauſulam, verbis quidem non multum abſimilem eſſe fateor ab eo, quod dicit Chryſoſtomus: ſed ſenſum diverſiſſimum eſſe contendo. Bona opera per gratiam & liberum arbitrium fieri tradit, quicunque ſit illius libri auctor: ſicut via ab equo ſimul, & ſeſſore, conficitur: dum equus quidem currit, ſed directus ſeſſoris manu, ut rectum iter teneat. Porro viam facit Chriſtum. Liberum arbitrium inſtar vagi & devii jumenti in mundi vanitate errare docet, uſque dum illi Spiritus Dei inſideat, quo à concupiſcentiarum errore ad viam juſtitiæ reducat: reductum perpetuo regimine gubernet, donec ad deſtinatam metam perveniat. Currere ergo liberum arbitrium concludit: ſed Deum facere, ut recte currat. Et quid hoc aliud eſt, niſi quod ſemper docui? habere ſcilicet à natura voluntatem, ut velit: ut autem bene velit, beneficium eſſe gratiæ, non facultatem naturæ. Hoc ſenſu minime repugno, quin gratiam comitetur voluntas: ſicut neceſſario materia formæ ſubeſt. Nam quum voluntas velut materia ſit, ad recipiendam formam apta & habilis, ante renovationem male formata eſt, naturæ pravitate. Ubi autem Spiritu Dei ad bonitatem renovatur, quaſi alteram formam induit. Velle igitur habet homo: ut autem bonum velit, à Deo prævenitur. Hæc enim poſteriora verba illic habentur. Non dicit, ut velle poſſit: ſed præſentem effectum aſſignat gratiæ: quemadmodum & aliquanto ante, quum diceret, tam reparari, quam præparari voluntatem, ut bona ſit, quæ mala erat. Quid autem Chryſoſtomus? Sic comitem gratiæ voluntatem conſtituit, ut ab hac pendeat illius efficacia. Neque aliter Pighius accipit. Quid ergo ex verborum ſimilitudine fucum facit, in tanta ſententiæ diverſitate? Quod ſi nondum acquieſcit, meminerint lectores ejus, quod alibi retulimus, pro magno abſurdo Auguſtinum ducere, ſi quis dicat, non ſufficere Dei miſericordiam, niſi adſit hominis voluntas. *Enchir. ad Laurent.* Non igitur volentis, neque currentis, ut totum detur Deo: qui voluntatem hominis, & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam: qui nolentem prævenit, ut velit: volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit. At illo ſuperiore loco innititur, non tolli, ſicut aſſero, liberum arbitrium per gratiam: ſed vulneratum, apprehendi, ut dometur, corrigaturque ad obediendum Deo. Quaſi ego ſubſtantiam voluntatis redigi in nihilum oportere, vel docuerim unquam, vel etiam ſomniaverim. De qualitate enim ſemper loquutus ſum, in qua hic ſcriptor correctionem dum requirit, quid omnino à me diſſentaneum habet? Sed hæc ſunt ſtratagemata factitii noſtri Herculis, qui monſtra ſubinde ſibi fabricat, quibus devictis, in ſinu ſuo triumphet. Atque ut omnia inter ſe reſpondeant, triumphale hoc ſibi carmen occinit: his verbis nos compellari ab Auguſtino: Audi hæretice, ſtulte, & inimice fidei: Opera liberi arbitrii bona, quæ ut fiant, præparantur per gratiæ præventum, nullo liberi arbitrii merito, ipſa faciente, gubernante, perficiente ut in libero arbitrio abundent, non damnamus. Adeo, & cæcus eſt, & improbus, ut non cernat, hæc omnia perinde ſcripta eſſe, acſi quis ex nobis dictaſſet: & aliis mentem judiciumque, ne cernant, ſua protervia tollere ſe poſſe confidat.

Ad reliqua deinde mea argumenta, ſed pari, qua hactenus felicitate, refellenda pergit. Cæterum, ad ea quæ ex Jeremia cito; *Jerem. 32. verſ. 40.* Timorem nominis mei dabo in corda eorum ut non recedant à me. Item, Dabo eis cor novum, ut timeant me cunctis diebus, abunde reſponſum eſſe præfatur, ne operam in re ſupervacua conſumat. Ego autem non alteram reſponſionem audivi, niſi quod fortiter his verbis refragatus eſt. Ut enim à Domino non recedamus, ſe efficere in nobis ipſe teſtatur. Si modus quæritur, reſpondet iterum, cor novum dando. Si id adhuc nimis obſcurum eſt, addit explicationem: quod nominis ſui timorem inſerat in corda noſtra. Quid ad hæc Pighius? Nobis id conferri Dei gratia, ut poſſimus non recedere, ſi libeat: nihil præterea aliud. Quanquam neque id ſine exceptione concedit. Deum enim à nobis præveniri: neque dari ejus gratiam, niſi petentibus. Hæc ſunt Pythagoræ reſponſa, quibus ſine controverſia, fidem vult haberi. Quum ſanctorum orationes adduco, quibus à Domino petunt, ut cor ſuum inclinet, ut cor novum, & ſpiritum rectum ſibi ipſis innovet, excipit, inveniri ex adverſo multa præcepta, in quibus à nobis ſimilia requirit Deus. Atqui tritum illud eſſe debet, precibus ſuis teſtari ſanctos, quid Dei ſit: Deum autem præcipiendo minime oſtendere, quid ſancti ad implendum virium, aut facultatis habeant. Addit inveniri etiam inclinaſſe ſanctos cor ſuum Deo, dum gratiam aſſequuti ſunt. Quaſi hoc ſolvere ſit objectionem, aliis verbis, in eundem tamen ſenſum ſuccinere. Poſtremo addit, preces ejuſmodi pii deſiderii eſſe ſigna, quo ad gratiam aſpirent. Id autem ex diametro nobis eſſe contrarium, qui hominem negamus à ſeipſo præparari. Quaſi vero minus ad Deum pertineat, continuare, quam incipere. Clamant David *Pſal. 119. verſ. 36.* & Solomon, Inclina cor noſtrum Deus. Jam hoc *1 Reg. 8. verſ. 58.* quidem votum inclinationis indicium eſt. Quid ergo ſibi volunt? Perinde acſi dicerent: Perfice, Domine, quod cœpiſti, & confirma, quod ex parte operatus es in nobis. Nondum ergo hoc mihi Pighius excuſſit, inclinare ad rectitudinem hominum corda, unius eſſe Dei opus. Dixeram, nihil Deum ſeverius exigere, quam ut Sabbathum ſuum colamus. Hanc porro ſpiritualem eſſe ejus obſervationem, dum ab operibus noſtris quieſcimus. Reſpondet Pighius, quietem mandari nobis ab omni opere ſervili, non autem à Dei timore, & Legis ipſius obedientia. Bella ſolutio. At quorſum hoc adduxi, niſi ut timorem Dei oſtenderem non eſſe proprium noſtrum opus? Nam quum Dominus, qui nos bene agendo non vult defatigari, quieſcere nos ab operibus noſtris jubeat, nonne eo ipſo pronunciat, omnia noſtra opera mala eſſe? Itaque Jeſaias violari Sabbathum teſtatur, *Jeſa. 58. verſ. 13.* quando invenitur in eo voluntas noſtra. Hanc ergo Sabbathi veritatem eſſe non dubium eſt, de qua Paulus ſexto ad Romanos capite concionatur, ut cru- *Rom. 6:6.* cifigatur vetus homo noſter; cujus nullam rationem habet Pighius.

Sequitur illa ſimilitudo, in qua dixeram, ſatis luculentum gratiæ Dei teſtimonium extare, niſi nos ſupra modum maligni eſſemus: Ego ſum vitis vera: *Joan. 15. verſ. 4, 5.* vos palmites. Sicut palmes non poteſt ferre à ſeipſo fructum, niſi in vite manſerit, ita neque vos, niſi in me manſeritis; quia ſine me nihil poteſtis facere. In his verbis reperit Pighius clariſſimam ſententiæ ſuæ approbationem. Nam quum agricolæ officium ſit, excolere: vitis natura, humorem ſuccumque adminiſtrare: palmitis autem, fructum proferre: in hac diſtinctione pulcherrimam liberi arbitrii gratiæque colligationem extare cenſet. Atqui ſimile hoc, quo utitur Chriſtus, ex ejus ore, non autem Pighii ingenio, accommodari ad veritatem ſuam oportuit. Applicatio ex Chriſti mente ſimplex eſt & expedita. Quemadmodum palmes extra vitem nec vivere, nec florere, nec fructum edere poteſt, ſed mox exareſcit: in vite etiam aſſidua cultura purgationeque habet opus: ſic nos extra ipſum nihil habere prorſus, ad veram, hoc eſt, ſpiritualem vitam; ejuſque actiones

aut vigoris, aut potentiæ, ſed eſſe omnino inutiles: in ipſum vero quum inſiti plantatique ſumus, perpetua Dei operatione excoli, ut in fœcunditate permaneamus. Hac, inquam, inter res hic inter ſe comparatas congruentia qui contentus erit, minime periculum eſt, ne decipiatur à Chriſto: quo terriculamento imperitos percellere conatur Pighius. Quid autem ipſe contra? Palmitis naturam cum noſtra conferendo, bonorum operum fructus proprie à nobis produci colligit, & vi germinativa, quæ in nobis eſt: tametſi ex vite eam & cæleſti agricola acceperimus. Si voluntatem intelligit nobis à natura inditam, qua velimus: judicium, quo eligamus: conandi potentiam, qua conemur, nihil repugno: modo & voluntatis, & judicii, & conatus rectitudinem ſola gratia nos obtinere (quoniam hæc tria naturaliter pravitate corrupta ſint in nobis) ſimul concedat. Si quam vero laudis partem in bonis operibus nobis tranſcribere intendit, ne totum Dei ſit, aliunde quam ex Chriſti verbis, erroris ſui patrocinium quærat. Quum enim fructus vocentur utriuſque generis opera, hoc eſt, tam bona quam mala, nos quidem ad ferendum fructum natura facti ſumus, ſed ex nobis fructificamus peccato in mortem: ut autem ad proferendos bonos vitæ fructus ſimus idonei, gratia nos fieri oportet. Ergo natura ad ferendos bonos fructus otioſi ſumus ac ſteriles: ad malos vero, plus nimio fœcundi. Ac ſcire etiamnum ex Pighio velim, omneſne naturaliter inſitos eſſe Chriſto putet: an hoc eſſe ſingulare donum fateatur, naturæ conditione excellentius. Nam ſi hoc ſecundum extorqueo, quod neceſſe eſt, ubi erunt illæ præparationes, in quibus præcipuam vim liberi arbitrii locare ſolet? Et totam hujus rei
Rom. 11. verſ. 17. controverſiam dirimit Paulus, quum homines, antequam in Chriſtum inſerantur, oleaſtris ſimiles facit. Verum quod ad cooperationem, qua Dei gratiam ſubſequitur voluntas noſtra, viciſſe ſibi videtur. Nam ſi palmes fructum non poteſt ferre, niſi in vite manſerit, ergo ex ſeipſo feret, ſi manſerit. Proinde qui in Chriſto manet, ille, inſtar palmitis, ex ſeipſo, id eſt, propria ſua natura fructum feret. Hujus argutiæ fiducia mirum quantopere exultet. Atqui nemo non intelligit, quam pueriliter ineptiat, ejuſmodi ſyllabarum aucupia tendendo. Nam quum intelligere Chriſtum ſatis conſtet, non ex ſeipſo feracem eſſe palmitem: ſed ita demum, ſi in vite manet, hic nugator nodum in ſcirpo quærit. Quod ſi adhuc rixetur, reſpondeat mihi, quid per hanc particulam intelligat, à ſeipſo. An hæc, quæſo, inter ſe opponi negabit, à ſeipſo, & in vite? Sed eum nihil moror. Res pluſquam clara eſt: opponi duas iſtas particulas, à ſeipſo, & in vite: unde intelligere promptum eſt, à ſeipſo, tantundem valere, acſi dixiſſet, à vite extractum aut ſeparatum.

Philipp. 2. verſ. 13. Ad illud Pauli, Deum eſſe, qui operatur in nobis & velle, & perficere pro ſuo beneplacito, ſe quoque idem confiteri: ſed ita, ut ſimul agat voluntas. Hoc flexu elapſum ſe putat, quum medio adhuc corpore ipſum teneam. Non enim hoc quæritur, agatne voluntas, quod extra dubium eſt, ſed agatne à ſeipſa, an pro modo divinæ actionis: aut craſſiore, ſi placet, loquendi modo, diſtinctane ac ſeparata ſit actio voluntatis ab operatione Dei: an illi, quod aiunt, ſubordinetur. Quis enim neſcit, per voluntatem fieri, ut velit homo? Sed Paulus illic voluntatem aſſerit Dei Spiritu gubernari, ut ad bonum inclinet & aſpiret: ideoque propriam eſſe ejus actionem, ſi quid boni animo concipimus. Ergo ſolutio Pighii,
Epheſ. 1. verſ. 23. fumus eſt. At illud alterum, Deum agere omnia in omnibus, ſic eludit. Quia ſcilicet præter eum non ſit, qui faciat omnia in omnibus: creaturas tamen ſuo quamque ordine, perficere actiones, quas illis deſtinavit. Secundum hoc commentum, ſi quis creaturæ propriam ſeorſum à Deo actionem aſſignet, nihil alienum dicet à ſenſu Pauli. At certo certius eſt, Paulum ideo retuliſſe ad Deum omnia, ut diſceremus, niſi per ipſum, nihil fieri: ut inferre inde liceat, quicquam neminem ex ſe agere, quando ſolus Dominus in omnibus impleat omnia. Loquitur autem Apoſtolus non de univerſali divinæ providentiæ operatione, qua totus mundus regitur, ſed de ſingulari gubernatione, qua per Spiritum ſanctificationis ad juſtitiæ ſuæ obedientiam fideles dirigit. Hoc dum Pighius ignorat, de generali naturæ ordine extra rem philoſophatur.

Quum autem approbare illam Chryſoſtomi ſententiam vult, Quem trahit, volentem trahit, primum falſo nobis obtendit ſeculorum omnium conſenſum: deinde rationes illas jam toties à me confutatas, repetit: ſtare ad oſtium cordis noſtri Deum, ut ipſi aperiamus, & ſimiles. Verum ſuo more impugnat, quod non aſſequitur: aut certe armis parum congruis utitur. Et Chriſtum, & Satanam, voluntarios ſibi milites eligere, atque auctionari cum Ambroſio ſentimus: ſed oportere ad bonum fieri voluntarios, Chriſti Spiritu, dicimus, quoſcunque vult habere tales. Trahit nos, inquit Auguſtinus, non violenter neque invitos: ſponte igitur ſequentes: ſed voluntate, quam fecerit. Porro non hoc mihi in Chryſoſtomo diſplicet: quod ſpontaneos ad ſequendum eſſe dicat, qui trahuntur: ſed quia proprio motu ſequi debere intelligat. Quicquid ergo moliatur Pighius, hoc excutere nobis non poterit, efficaciter à Deo affici noſtram voluntatem, non leviter tantum moveri: ut noſtræ poſtea optionis ſit, refragari vel parere. Nec frigidis ſuis cavillis efficiet, quin ad ejus confirmationem valeat, quod citavi Chriſti teſtimo- Joan. 6.
nium: Omnis qui audivit, & didicit à Patre meo, verſ. 45.
venit ad me. Diſcere, inquit, pro Acquieſcere capitur hoc loco. Ergo non omnis, quem Pater docet, venit ad Chriſtum: ſed ille demum, qui perſuaderi ſe ſinit. Hæc expoſitio quantum ponderis habere debeat, relinquam æſtimandum lectoribus: ubi tribus verbis admonuero, quid illic agat Chriſtus: Non aliud ſcilicet, niſi ut demonſtret, quantum inter externam hominis prædicationem, quæ aures ſolum ferit, & interius arcanumque illud, quo mens illuminatur, & cor tangitur, Spiritus ſancti magiſterium interſit. Nec vero prætereundum eſt, qua occaſione adductus ad diſcrimen illud tractandum fuerit. Videbat ſe nihil docendo proficere, apud cæcos, ſurdos, & rebelles. Oſtendit igitur, non aliter fructuoſam eſſe doctrinam, niſi quum & lumen intelligentiæ, & obedientiæ affectus à Deo datur. Atque huc
pertinet, quod ex Jeſaia adducit teſtimonium: Jeſa. 54.
Omnes fore à Deo doctos. Significat enim eo loco verſ. 13.
Propheta, peculiare eſſe doctrinæ genus, quo Dominus electos ſuos dignetur. Docentur enim & impii: ſed alio modo: nempe tantum, ut ab homine audiant, non autem ut à Deo diſcant. Verum, ut aliter, quam ſentiam, poſſe intelligi Chriſti verba evincat, Cyrilli expoſitionem profert à mea diverſam. Quaſi vero protinus conſequatur, aliter poſſe intelligi, quia Cyrillus aliter intelligat. Quod ſi illud recipitur, habeo Auguſtinum, ſicut tempore, ita & reliquis omnibus rebus ſuperiorem Cyrillo: qui omnino negat aliter poſſe accipi. Sed res ipſa & veritas nobis, ad faciendam fidem ſufficiat. Sine exceptione omnes qui audierint ac didicerint à Patre, Chriſtus ad ſe venire teſtatur. Inde efficacem eſſe doctrinam colligo, quia Dominus per Spiritum ſuum intus nos erudit. Tergiverſatur Pighius, illud diſcere, in electione noſtra eſſe ſitum. Dico id omnino cum Chriſti mente pugnare: nec aliud dico, quam quod evidenter perſpicere omnibus licet. Suam enim doctrinam ab iis demum recipi clamat, quibus datum fuerit. Et quid tamen Cyrillus? Non vi cogi, qui trahitur. Quis reclamat? Adjungit poſtea de libero arbitrio alterum membrum, quod ex commento carnis aſſuit. His tam bene confectis, dictum illud vul-

gare Guillelmi Oclzam, quod omni ex parte Pelagianiſmum reſipit, facienti quod in ſe eſt Deum non denegare gratiam, veriſſimum eſſe concludit. Nam quod neminem Dei gratiam quærere poſſe tradidi, niſi qui à Dei Spiritu agatur, eo modo homines prorſus ſtipites fieri. Qui ſic? Quoniam hinc ſequatur, nemini expoſitam eſſe, nemini quærendam: utpote quæ quæri, antequam habeatur, non poſſit. Fruſtra autem quæri, quod jam poſſidetur. At perinde ratiocinatur, acſi conceſſum jam illi à me foret, non eſſe diverſas gratias, pium deſiderium, ejuſque conſequutionem: quum jam alibi ex Auguſtino demonſtraverim, hanc fidei ſanitatem eſſe, petere ut accipias: quærere ut invenias: pulſare, ut aperiatur tibi. Porro hujus ſanitatis auctor, non æger, opinor, ſed medicus exiſtimandus erit.

Quantum ad perſeverantiæ donum, hæc eſt Pighii philoſophia, conferri illud quidem nobis gratuito, & tamen meritis rependi. Qui factum eſt, ut hæc tam ſubtilis cogitatio Spiritui ſancto non occurreret, quum penitus contraria argumenta Paulo dictaret?
Rom. 11. verſ. 6. Siquidem quum illi familiatis ſit collectio, Si ex gratia, ergo non ex operibus, rationem alicnhi reddit: quia quod operibus rependitur, debitum ſit.
Rom. 4: 4. Operanti, inquit, non ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum merces redditur. Hoc qualiter cum Pighii axiomate conveniet, qui vult nos propria virtute promereri Dei gratiam, & tamen gratuito eam conſequi? Cæterum, remunerari Deum poſterioribus gratiis legitimum priorum uſum, ex vulgata
Mat. 25. verſ. 15. illa Chriſti parabola, de talentis cum fœnore redditis confirmat. Ego vero nunquam hoc ſimpliciter negavi: ſed tantum hanc exceptionem poſui, ut duplex periculum caveretur. Ne aut ſic remunerari credatur Deus legitimum gratiæ ſuæ uſum, acſi homo ſua ipſius induſtria oblatam ſibi gratiam redderet efficacem: aut ſic remuneratio cenſeatur, ne ſit amplius gratuita gratia. Imo ſic parabolam illam exponi debere monueram, quod Deus ſua in nobis priora dona novis & majoribus ſubinde proſequitur. Quare nullum operæpretium facit Pighius, dum tantum verborum fundit, quo mihi extorqueat, quod ſponte jam profeſſus ſum: talentorum nomine illic Dei gratias, nos ſub ſervorum perſona, Deum autem per patremfamilias deſignari. Quum hoc inter nos citra dubium conſtet, eliciat inde ſi quid poteſt, quod mihi adverſetur. Laudat, inquit, Deus fidelitatem noſtram, ejuſque mercedem teſtatur eſſe, quod amplioribus nos donis cumulat: nempe ſicut ſua dona in nobis coronat, quoties aliquid retribuit. Sic etiam habet Inſtitutio mea: Fidelibus expectandam eſſe hanc benedictionem, ut quo melius uſi fuerint ſuperioribus Dei gratiis, eo majoribus poſthac augeantur. Sed id quoque eſſe gratiæ donum, quod bene utantur. Ne quis vero id à me confictum putaret, teſtimonium Pauli adhibui: qui utrumque ad merum Dei beneplacitum refert, quod & velle operetur in nobis, & perficere. His quidnam ſit in parabola contrarium, non video.

Quod autem Dei gratiæ cooperetur voluntas no-
1 Cor. 15. verſ. 10. ſtra, Paulum teſtem adducit, qui teſtatur copioſius ſe aliis omnibus laboraſſe. At mox, correctione adjecta, id retractat, transfertque ad Dei gratiam, quod ſibi ſumere viſus erat. Non ego, inquit, ſed gratia Dei quæ mihi aderat. Hac correctione non aliud ſignificari opinatur Pighius, niſi quod adjutrice & cooperatrice Dei gratia laboraverit. At ſi id vellet Paulus, uteretur tantum hac moderatione: non ſe laboraſſe ſolum, ſed gratiam Dei ſimul adfuiſſe. Nunc autem non dimidia exceptione, ſed plena correctione utitur. Verum curſus, & certamen, & caſtigatio corporis, labore conſtant: quibus defunctum ſe alibi meminit. Sic eſt: neque nos abhorremus ab uſitato loquendi more, quo & currere, & certare, & laborare homines dicuntur, modo ne id quoque nobis negetur, tam ad certamen, quam ad curſum aut laborem, & animum, & vires, Dei gratia, illis conferri. Aut, ſi Prophetæ verbis ſenſum noſtrum exprimi magis placet: facere homines libenter concedimus: ſed Deo faciente, ut faciant. Aut igitur Pauli verba mutet Pighius: aut cum ſua interpretatione faceſſat. At ſermonis proprietate ſe tuetur: quia laborare nequaquam Deo conveniat. Laborem igitur totum eſſe noſtrum, ſed laborandi virtutem à gratia ſubminiſtrari. Aut me eo errore deceptum fuiſſe dicit, quia hoc non animadverterim. Ego vero hanc reprehenſionem, quod fidelis magis quam facundus interpres fuerim, libenter ſuſtineo. Quanquam iſta quidem reprehenſione Apoſtolum potius, quam me, impetat. Hæc enim ſunt Pauli verba: Non ego ſum, qui laboravi, ſed gratia, quæ mecum erat: in quibus ſi nihil mutare auſus ſum, quid eſt quod mihi Pighius propterea litem intendat? Verum Auguſtini auctoritate me urget, qui Pauli verba ſic accepit: quaſi laboraſſe ſe dicat, ſed adjutrice gratia. Quaſi vero non ſatis conſtet, hic hallucinari Auguſtinum, quia Latina interpretatione, quæ ambigua, & minus plena erat, contentus, quid haberent Pauli verba, non inſpexerit. Sed hæc eſt Pighii ſedulitas, ex auro ſcoriam duntaxat legere. Poſtremo, adducta in medium parabola, de operariis in vineam conductis, rogat, quiſnam ſit operarius ille, quem mercede dignum Chriſtus pronunciat. Nihil enim habere nos aliud putat, quod reſpondeamus, niſi Dei gratiam: quod perquam eſt ridiculum. At cur ſic vaticinatur? Nos enim fideles operarios eſſe, minime negamus: ſed cor quo velint, robur quo ſufficiant, manus quibus laborent, à gratia Dei habere dicimus: in qua doctrina nihil eſſe abſurdi, perſpicuum eſt.

Supereſt Auguſtinus: quem ut ne cui dubium foret, ſententiæ noſtræ per omnia patrocinari: ejus teſtimonia, cùm ex aliis locis, tum præſertim ex ſecundo ad Valentinum libro citaveram. Ad hæc antequam reſpondeat Pighius, per longos & devios verborum circuitus vagatur ipſe, & circumducit lectorem, ut cernere omnibus promptum ſit, hominem cauſæ ſuæ male conſcium, ideoque diffidentia perplexum, hoc artificio velle à re præſenti abducere lectores: ut dum per ambages circumferuntur, veritas, obvia illis alias & expoſita, ex eorum oculis evaneſcat. Commemorat igitur longo ſermone, quid altero ad Valentinum libro tractet Auguſtinus: & quia cum gratia liberum illic arbitrium conjungit, ſatis hoc ad victoriam ſibi eſſe confidit. At nos alibi demonſtravimus, quid hæc conjunctio valeat, & quo ſenſu debeat à nobis accipi. Nam quum liberi arbitrii nomine voluntatem ſimpliciter deſignet, quam interea ſervam eſſe peccati fatetur, quid aliud ſibi vult, quam quod nos prædicamus? Quin etiam, ſi ipſum recipimus verborum ſuorum interpretem, alibi, quam nihil ſen- *Epiſt. 105.* tiat à nobis diverſum, exponit: quum ſcribit, non tolli gratia voluntatem: ſed ex mala in bonam mutari, & quum bona fuerit, adjuvari. Venit poſtea Pighius ad librum, ex quo teſtimonia citaveram: & in liberii arbitrii vocabulo rixandi anſam iterum prehenſat. Quaſi non ab initio ſemper fuerim teſtatus, nihil nos morari nomen, ſi de re modo conveniat. Quid Auguſtinus? Propheticam & Apoſtolicam fidem aſſerit, liberum in homine arbitrium, tam ad bona quam mala agnoſcere: ſed ad bona inutile eſſe prorſus, ſine gratiæ auxilio: imo liberum eſſe juſtitiæ, ſervum peccati: in bono autem nunquam liberum, donec Chriſti gratia liberetur: uſque adeo ut nullo modo aſpirare ad bonum queat, niſi Dei Spiritu dirigatur. Unde concludit, initium gratiæ jam eſſe, deſiderare gratiam. Hinc colligit Pighius, doctrinam noſtram impietatis ac perfidiæ plenam eſſe, utpote quæ ex diametro cum hac fide pugnet. At hujus, quam ſomniat, repugnantiæ, ne umbram

quidem apparere ſanæ mentis hominibus dico. Ve-
rum ipſe nimis oblivioſus eſt, qui inter orthodoxa
fidei capita nunc amplectitur, quod nuper pro exe-
crabili dogmate tragicis clamoribus vexaverat:
Nempe, gratiam deſiderare, eſſe gratiæ initium.
Viderit quid faciat. Nam unico hoc verbo, totum
philoſophiæ ejus fundamentum evertitur. Verum
quid dicat, nihil penſi habet, qui pugnandi fiduciam
ſemel in garrulitate poſuit. Præterea hoc ſimiliter
contra nos torquet, quod eos reprehendat Auguſti-
nus, qui ſic imaginabantur aſſeri gratiam, ne ſuper-
vacuæ eſſent correptiones. Quid? An iſta unquam
imaginatio nobis, vel per ſomnium obrepſit? At ex
doctrina noſtra ſequitur. Cur ex noſtra magis, quam
Auguſtini? Quia, inquit, ſi malum cavere, & bo-
num facere nemo poſſit abſque gratiæ auxilio: ſi in-
ſuper ea ſola, ſine nobis, hoc in nobis operetur &
præſtet: nec in noſtra ſit poteſtate, non ſolum facere
ut adſit, ſed nec optare quidem, priuſquam adſit
magis ridiculum foret hortari quenquam ad bo-
num, quam cæcum hortari ut videat. Et quid non
iſtorum omnium prope ad verbum Auguſtinus pro-
capite 2. ejus lib. nunciat? Sola, inquit, Chriſti gratia liberantur
homines à malo: ſine qua nullum prorſus, ſive co-
gitando, ſive volendo & amando, ſive agendo,
cap. 8. faciunt bonum. Item: Voluntas humana non liber-
tate conſequitur gratiam, ſed gratia conſequitur
libertatem: & ut perſeveret, delectabilem perpe-
cap. 14. tuitatem, & inſuperabilem fortitudinem. Item: In-
tus eſt Deus, qui corda tenet, qui corda movet, ho-
mineſque voluntatibus eorum, quas ipſe in illis ope-
ratus eſt, trahit. At oſtendere Auguſtinum jactat,
in audientis poteſtate eſſe, recipere admonitionem:
Itane vero, ut ad effrenatam uſque licentiam, tan-
quam ex profeſſo, mentiatur, & tamen verum ſe
dicere perſuadeat? Plus decies illic negat Auguſti-
nus, quod eum aſſerere hic nugator fingit. Tunc,
cap. 5. inquit, correptione proficit homo, quum miſeretur
atque adjuvat, qui facit, quos voluerit, etiam ſine
cap. 6. correptione proficere. Item: Corripiatur ergo maſſa
damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas re-
generationis oriatur: ſi tamen is, qui corripitur,
filius eſt promiſſionis: ut ſtrepitu forinſecus inſo-
nante atque flagellante, Deus in eo intus operetur
& velle. Item: Qualitercunque fiat per hominem
correptio: ut tamen proſit, non niſi per Deum fit.
cap. 14. Item: Quum homines per correptionem in viam ju-
ſtitiæ, ſeu veniunt, ſeu revertuntur, quis operatur
in cordibus eorum ſalutem, niſi ille, qui quolibet
plantante atque rigante, dat incrementum Deus?
cui volenti ſalvum facere, nullum humanum reſiſtit
cap. 16. arbitrium. Item: Proinde, quantum ad nos attinet,
qui prædeſtinatos à non prædeſtinatis diſcernere non
valemus, omnibus, ne pereant, vel ne alios perdant,
adhibere debemus correptionis medicinam: Dei au-
tem eſt, illis eam facere utilem, quos prædeſtinavit
conformes fieri imaginis Filii ſui. Quid autem quod
Pighius ipſe, vertigine ſua alio raptatus, mox fate-
tur, ab Auguſtino tradi, non modo impii conver-
ſionem, profectum in bono, & uſque ad finem per-
ſeverantiam ex Dei dono & gratia pendere, ſed
hanc gratiam non eſſe omnibus expoſitam: nec no-
ſtro, aut ſtudio, aut conatu poſſe nos eam conſequi,
ſed unius Dei beneplacito, conferri quibus ipſe ve-
Fol. 102. pag. 2. lit? Hæc poſtquam illi exciderunt, palam diſceſſio-
nem ab Auguſtino facere primum cogitur: deinde
oſtendit, qualiter, Dei gratiam non abnegando,
ſolvenda ſint illa argumenta, quæ perplexum Augu-
Fol. 103. pag. 2. ſtinum tenebant: nempe, ſi converſionem dixerimus
eſſe Dei donum, ſed non converti, niſi qui libero
arbitrio id promerentur. Perſeverantiam ſimiliter
Dei eſſe donum: ſed pendere non minus ex homine.
Utrumque demum ſuperioribus meritis rependi. Ita
tribus verbis omni ſe difficultate liberat. Sed ſi
tam apertis craſſiſque deliriis lectorum oculos per-
ſtringi poſſe ſperat, nimis ſe decipit. Ego certe non
alio modo confutare ſtatui, quam in medium profe-
rendo. Quando nemo tam hebes ſtupiduſque erit,
qui non primo ſtatim aſpectu à tanta abſurditate ab-
horreat.

Tandem ex locis à me citatis unum aggreditur in
quo ſpecioſam maledicendi cauſam, & ſpatioſum
exultandi campum habere ſibi videbatur. Retuleram
hæc Auguſtini verba quæ nunc ſubjiciam: teſtatus
tamen, me carptim excepiſſe compendii ſtudio, quæ
rei ſummam comprehenderent: Gratiam perſiſtendi
in bono, Adæ fuiſſe datam, ſi vellet: nobis dari, ut
velimus, ac voluntate concupiſcentiam ſuperemus.
Habuiſſe ergo illum poſſe, ſi vellet: ſed non velle,
ut poſſet: nobis & velle dari, & poſſe. Hactenus
fideliter me retuliſſe agnoſcit Pighius: utcunque ter-
giverſando involvere adhuc conetur tam claram ve-
ritatem. Verum quia addo continuo poſt alterum
membrum, primam fuiſſe libertatem, poſſe non
peccare: noſtram vero multo majorem, non poſſe
peccare: hic ſtrenue me flagellat, tanquam infidum
atque falſarium: ut qui ad præſentem ſanctorum ſta-
tum, quod de futura poſt reſurrectionem conditione
dictum erat, transferam. Equidem non inficior,
ejus, quam illic deſcribit, perfectionis complemen-
tum nondum extare: neque ante reſurrectionem ſpe-
randum eſſe. Verum hinc non conficitur, ad præ-
ſentem ſtatum nihil pertinere. Nunc enim inchoa-
tur in ſanctis, quod tunc adimplebitur. Hanc porro
fuiſſe Auguſtini mentem, contextus ſatis demonſtrat.
Poſtquam enim expoſuit, firmitudinem ſtandi, quæ
nunc eſt in ſanctis Angelis, præmium perſeverantiæ
fuiſſe, quoniam cum malis lapſi non fuerint: ejuſ-
dem quoque præmii participem futurum hominem
fuiſſe ſubjungit, ſi eorum exemplo in obedientia per-
ſtitiſſet. Nunc tranſgreſſione ſua prorſus excidiſſe: cap. 11.
& tamen in iis qui liberantur, factum eſſe donum
gratiæ, quæ merces meriti futura erat. An hic de im-
mortalitatis gloria, ac non potius de præſenti rege-
nerationis beneficio diſputat? Rurſum: Eſt quippe
in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo,
& perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe, quod
volumus: verum etiam velle, quod poſſumus. Con-
tinuo poſt, oportere diligenter bina iſta diſtingui,
& quid differant, vigilanter expendi, infert: poſſe
non peccare, & non poſſe peccare, poſſe non mori,
& non poſſe mori. Quæ ſunt iſta bina, niſi quorum
jam meminerat, quum primi hominis conditionem à
noſtra diſcerneret? Dixerat autem, tanto majorem cap. 12.
eſſe gratiam nobis datam, quia parum ſit nobis, per-
ditam libertatem recuperare, parum ſit denique,
non poſſe ſine illa, vel apprehendere bonum, vel per-
manere in bono, ſi velimus, niſi etiam fiat, ut veli-
mus. Cur ergo poſtea, quum diſcrimen illud proſe-
quitur, futurum tempus uſurpat? Cur noviſſimam
libertatem fore dicit, non potius eſſe? Facilis reſpon-
ſio eſt: libertatis ejus partem duntaxat, pro regene-
rationis modo conſpici in hac vita: ſolidam vero ple-
nitudinem uſque ad diem reſurrectionis differri:
quemadmodum & poſtea ſignificat. Primo, inquit, cap. 12.
homini ſine peccato ullo data eſt, cum qua conditus
eſt, voluntas libera: & eam fecit ſervire peccato:
noſtra vero quum eſſet ſerva peccati, liberata eſt per
eum qui dixit: Si vos Filius liberaverit, vere liberi
eritis. Et accipimus tantam hac gratia libertatem,
ut quamvis pugnemus, dum hic vivimus, contra
concupiſcentias peccati, non tamen ultra ſerviamus
peccato, quod eſt ad mortem. Ergo quum noviſſi-
mam libertatem fore teſtatur, non poſſe peccare,
nihil aliud, quam perpetuam regni Chriſti gratiam
commendat: quæ tamen nonniſi ex parte nunc mani-
feſtatur: ideo tota demum & integra poſt reſurre-
ctionem conſtabit. At ſimul non patior, ut de futura,
quæ immortalitatem ſequetur, perfectione quis ac-
cipiat. Nempe, ſi quis eo trahere ſic velit, quaſi ad
hanc

hanc ſtatim referri non debeat. Porro hoc nihil aliud eſt, quam totam regenerationis gratiam hic comprehendi. Qua de re omnem nobis ſerupulum ipſius Auguſtini verbis eximi dixeram, quum aliquanto poſt addat: ita Spiritu ſancto accendi voluntatem ſanctorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt: & ideo velint, quia operatur in ipſis Deus, ut velint. Subventumque eſſe voluntatis humanæ infirmitati, ut gratia divina indeclinabiliter & inſeparabiliter agatur: ut quantumvis infirma, non deficeret. Hac ſententia nihil me adjuvari excipit Pighius: quia cum illa ſuperiori nullo modo cohæreat. Et ne facetia careat reprehenſio, macellario proverbio in me ludit. Hæc, inquit, cauda ad alium vitulum pertinet. Mirus vero carnifex: qui ita ex uno vitulo duos novit facere. Sequitur enim uno contextu apud Auguſtinum altera diſtinctio, quæ prorſus ad eandem rem explicandam facit: Aliud, inquit, eſt adjutorium, ſine quo aliquid non fit: & aliud eſt adjutorium, quo aliquid fit. Primo itaque homini, qui in bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ: non quo fieret, ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc vero ſanctis in regnum Dei per gratiam prædeſtinatis non tantum tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale, ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolum, ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam, ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. Non enim ſolum dixit: Sine me nihil poteſtis facere: ſed etiam dixit: Non vos me elegiſtis: ſed ego elegi vos, & poſui vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Quibus verbis non ſolum eis juſtitiam, verum & in illa perſeverantiam ſe dediſſe monſtravit. Quis nunc, obſecro, mihi non concedat, Auguſtinum rem eandem, aliis verbis continenter exponere? Quid ergo, tam bene contextas partes diſcerpendo, proficiet Pighius? Verum tam eſt deſperata impudentia, ut vel confuſo oris ſtrepitu increpuiſſe, ſemper pro victoriæ parte habeat. Nam quum Auguſtinus non tantum poſſe nobis dari, ſed etiam velle, teſtatur: Deique gratiam non in hoc tantum eſſe efficacem in nobis, ut ipſa adjuti, fidem poſſimus conſequi ſi libeat: & conſequuti, in ea ſtare: ſed omnino, ut fideles ſimus, & in fide perſeveremus: ut invictiſſima voluntate appetamus quod bonum eſt: & invictiſſima conſtantia ipſum deſerere nolimus: hæc omnia, & ſimilia, quæ jam audiſti, non aliud Pighio valent, niſi ita nos adjuvari, ut de victoria certi ſimus, ſi non defuerimus ipſi nobis: Inferorum portas non fore nobis ſuperiores, niſi illis cedamus: nullam fore Satanæ virtutem adverſum nos & gratiam nobis datam, ſi non illi dederimus locum vitio noſtro & negligentia. Verum ſi quis ex electis, aut ignavia ſua excludit reſpuitque oblatam Dei gratiam: aut receptam inconſtantia abjicit: aut infirmitatis vitio eripi ſibi patitur, ubi illa, ſicuti vocat Auguſtinus, indeclinabilis & inſeparabilis gratiæ actio, quæ non hominibus relinquit ſuam voluntatem, ut maneant in gratia ſi velint, ſed etiam operatur ut velint? quæ non tantum fidei conſequendæ facultatem confert, ſed fideles etiam facit? quæ non modo perſeverandi facit copiam, ſed tanta illos firmitate inſtruit, ut non niſi perſeverantes ſint? Imo ubi illa, & ad bonum appetendum invictiſſima voluntas, & ad retinendum invictiſſima conſtantia? Et tamen canino iſto ſuo latratu evaſiſſe contentus non eſt, niſi, plusquam Thraſonica ſtoliditate, ſatis ſuperque manifeſtum eſſe jactat, quam mihi omni ex parte Auguſtinus repugnet.

Decem libris conſtat opus Pighii: quorum ſex primis de libero arbitrio diſputat: reliquis quatuor prædeſtinationem ac providentiam Dei tractat. Quum igitur diſtinctæ ſint quæſtiones; priorem illam hactenus, ut potui, atque ut temporis brevitas ſinebat, ſum exequutus: alterius vero tractationem ad proximas uſque nundinas differendam cenſui: quia & nihil eſt in mora periculi: & tunc utilior, volente Domino prodibit. Quoniam tamen verebar, ne ſi diutius tacerem, quorundam oculos Pighius ſua illa oſtentatione perſtringeret, hoc interea edito ſpecimine, & illius inſolentiam paululum reprimere, & bonorum ac piorum attentionem excitare viſum eſt: ut dum adverſus hujus Cyclopis impetum ſtare invictam Dei veritatem cernunt, magis ac magis in ea confirmentur.

ADMO-

ADMONITIO PATERNA

PAULI TERTII

ROMANI PONTIFICIS

Ad invictiſſ. Cæſarem

CAROLUM QUINTUM.

Qua eum caſtigat, quod ſe Lutheranis præbuerit nimis facilem: deinde quod tum in cogenda Synodo, tum in definiendis fidei controverſiis aliquid poteſtatis ſibi ſumpſerit.

LECTORI.

HÆc admonitio cùm alias ob cauſas, tum quia illuſtre Pontificii zeli ſpecimen continet, digna eſt omnino, quæ legatur ab omnibus. Atque id quidem citius fieri oportuit: ſed quia non ſtatim pervenire ſolent ejuſmodi myſteria in eorum manus, quibus vel expediat, vel cordi ſit ipſa evulgari: dabunt veniam lectores, ſi ſerius publicetur hic theſaurus, quam fuerit optandum.

STATUS CAUSÆ,

SIVE

ARGUMENTUM.

QUum Cæſar ſuperiore anno, parata jam in Galliam expeditione, non aliter poſſe diu Germaniam in pacato ſtatu contineri intelligeret, quam ſi præſcripta ante ſuum diſceſſum foret ratio, qua Imperii ordines inter religionis diſſidia, pacem tamen colerent: decretum interpoſuit, ut donec cognita eſſet cauſa, æqualis utriſque conditio eſſet, tum ſibi curæ fore promiſit, ut prima quaque occaſione Concilium univerſale vel ſaltem nationale cogeretur: aut ſi id non ſuccederet, ſe daturum operam, ut proximo Imperiali conventu, poſt legitimam diſceptationem aliquid tandem ſtatueretur. Digna quidem erat pietatis cauſa, quam aliis omnibus poſthabitis, tractandam Imperator ſuſciperet. Sed quia difficili & periculoſo bello implicitus, neque huc animum applicare extemplo poterat: & ne quid interea turbarum ſe abſente oriretur, non temere metuebat prudens ac cordatus Princeps: nihil omnino nec communi Eccleſiæ Chriſtianæ ſaluti aptius, nec publicæ Germaniæ tranquillitati magis appoſitum, nec privatis etiam ſuis rationibus commodius facere potuit, quam ut juſtam cauſæ actionem in aliud tempus differendo, jus æquum inter partes, & æquabilem vivendi legem ſtatueret. Hoc tamen audito decreto, Romanus Pontifex ſe duas ob cauſas non leviter fuiſſe commotum hic oſtendit. Nam & hoc quantulumcuuque, quod conceſſum hoc modo Proteſtantibus erat, ut pauliſper iniquis præjudiciis ſublevarentur, nimiæ indulgentiæ corruptelam eſſe clamitat: & Cæſarem ſibi jus aliquod ſumere in religionis cauſa, hoc vero indignum illi facinus eſſe videtur. Bis autem peccaſſe Cæſarem, illicitum ſibi jus arrogando, conqueritur. Primum, quia Concilium auſus fuerit, eo inconſulto, polliceri: deinde, quod cognitionem à ſua perſona alienam accipere non dubitaverit. Graviter igitur cum eo expoſtulat ſanctiſſimus Pater, cùm de immodica erga Lutheranos facilitate, tum de auctoritate Romanæ ſedis læſa & imminuta.

PAULUS TERTIUS

PONTIFEX MAXIMUS

CAROLO QUINTO

IMPERATORI.

CHariſſime fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Ex edicto Majeſtatis tuæ acta conventus tui Spirenſis cognovimus, de quibus cùm noſtram ſententiam diſſimulare paternus noſter erga te amor non patitur, tum vero officii & muneris à Deo nobis per Chriſtum commendati ratio in cura univerſalis Eccleſiæ, ut
1. apertis verbis te admoneamus, compellit. " Nec vero parum nos ad hoc movet grave ſeveritatis divinæ, in Heli ſacerdotem exemplum, in quem liberos indulgentius tractantem, & ad eorum errata conniventem extat ſevera illa Dei in hæc verba ſententia: Quia indigna noverat agere filios ſuos, nec corripuit eos, idcirco, inquit Deus, non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus uſque in æternum. Hæc quidem Dei ſententia fuit, quam ſtatim liberorum primum, deinde ipſius Heli repentina & violenta mors conſequuta, hincque poſteritatis à ſacerdotio repulſa verbum Domini verum & ratum fecerunt.

" Nos vero fili quum te indigna quædam decreta 2.
in conventu Spirenſi ex ipſis actis animadverterimus, indigniora vero deſignata eſſe, & talia, quod ſi propoſitum exitum, quod Deus avertat, conſequantur, non ſolum te in certiſſimum animæ ſalutis periculum adductura, ſed Eccleſiæ paci atque unitati, cui ſuper omnia ſtudere debemus, majorem, quam qua hactenus laborarint, perturbationem ſint
allatura. " Nolumus ſane prætermittere, quin te à 3.
Deo nobis honore & amore primogeniti commendatum, bis noſtris literis de tanto tuo & Eccleſiæ periculo admoneremus. Quanquam quidem te, non ut

Digitized by Google

ut Heli liberos, admonendum duximus, quos de-
pravata voluntas, & conſuetudo peccandi indociles
prope ad rectam diſciplinam reddiderant, ſed ut
eum potius, qui multorum annorum curſu non abiit
in conſilium impiorum: quo majorem in ſpem ve-
nimus, non fruſtra nos admonitione paterna eſſe
4. apud te uſuros. " Omnia vero fili, in eo ſunt, ſi ab
unitate Eccleſiæ te abduci non ſinas, à conſuetudine
majorum tuorum religioſiſſimorum Principum non
recedas, ſed eundem, ut debes, morem in omni-
bus, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam, ordinem, & in-
ſtituta pertinent, obſerves, quem multos annos
ſumma cum pietatis animi tui ſignificatione edidiſti.
5. "Is vero eſt ejuſmodi, ut quoties de his, quæ ad
religionem pertinent, diſceptatur, ad ſedem Apo-
ſtolicam omne judicium ſemper referatur, nihil illa
inconſulta ſtatuatur. Tu vero nunc fili, quum vel
de Concilio generali, tanquam de remedio omnium
opportuniſſimo afflictis Eccleſiæ rebus, & ipſius
in primis Germaniæ mentionem facis, vel de natio-
nali, cujus etiam meminiſti, vel de futuro ad proxi-
mum autumnum Imperiali conventu, in quo de reli-
gione, cæteriſque rebus, quæ ad illam pertinent,
tractare promittis, ita agis, ita ſtatuis, ut ſupprimas
ejus nomen ubique, cui divina & humana jura, ap-
6. probante tot ſeculorum conſenſu, " ſupremam
7. cùm cogendi Concilia, tum ſtatuendi de his, " &
ordinandi quæ ad Eccleſiæ unitatem utilitatemque
ſpectant, auctoritatem dederunt. At vero neque hæc
ſola ſunt, in quibus conquerimur Eccleſiæ & majo-
rum abs te morem atque inſtitutiones divinas minime
ſervatas fuiſſe: ſed alia præterea, & ea quidem non
pauca, peracti jam conventus decreta legantur, quæ
maxime & pietatem lædunt, & omnem legum ordi-
8. nem confundunt. " Nam quod laicos de rebus ſpi-
ritualibus judicare vis poſſe: neque laicos modo,
9. ſed nullo diſcrimine laicos, & " damnatarum hære-
10. ſum aſſertores: " quod de bonis Eccleſiaſticis, & de
11. eorum futuris controverſiis ſtatuis, quod eos " qui
extra Eccleſiam ſunt, & per edictum tuum pri-
dem damnati, honoribus priſtinis in judiciis ac tri-
bunalibus reſtituis, atque hoc pro tua & imperatoria
12. poteſtate facis, " minime approbantibus cæteris,
13. qui antiqua & ſancta obedientia perſeverant. "Quid
tandem horum cum divinis inſtitutionibus ac legi-
bus, quibus perpetuo Eccleſia eſt gubernata, con-
venit? Quæ omnem potius diſciplinam, omnem or-
dinem, ſine quo nullus hominum cœtus regi poteſt,
ab Eccleſia prorſus tollunt. Hæc vero quo magis
ab omni recta diſciplina, & conſuetudine majorum
ſunt aliena, eo minus perſuadere poſſumus, è tuo
ipſius ſenſu illa unquam emanare potuiſſe, ſed ean-
dem pietatem animo tuo ſuppreſſam quidem ad tem-
pus malorum conſiliis, qui huic ſanctæ ſedi ſunt re-
belles, putamus: qui ſi à te impetrare non potue-
runt, ut quæ contra eam volebant facere, probares,
ſaltem ut ejuſmodi edictis aliquam abalienati animi
tui ſignificationem dares, abs te contendiſſe facile
poſſumus exiſtimare: impetrare vero tanto magis
debemus, quanto id tibi & Eccleſiæ, niſi cito ad
teipſum redeas, majori damno & detrimento fore,
nobis maxime eſt perſuaſum: quod non poſſumus
non indies magis magiſque timere, quo attentius
conſideramus, quibuſcum amicitiam inieris. Si enim,
ut inquit Apoſtolus, corrumpunt bonos mores collo-
14. quia mala, quanto gravius, " ſi quis cum malis con-
juncta conſilia & fœdera habeat, hoc de eo timen-
dum erit. Quanquam quidem non dubitamus, ſub
ſpe pietatis, utilitatis, honoris ad hæc eos te ſolli-
citaſſe: ſed nullum prorſus eſt tam malum conſilium,
quod non ſpecioſo aliquo ejuſmodi nomine quaſi
veſte pretioſa ſe ornet. Tu vero fili interroga potius
patrem tuum, & annunciabit tibi: majores tuos,
& dicent tibi. Si enim omnes una voce te ad unita-
tem Eccleſiæ atque honorem & obedientiam hujus

ſanctæ ſedis hortantur, atque jam pridem factis ipſis
ſunt hortati; ſi vero ſanctiſſimum quemque & in di-
vinis legibus peritiſſimum conſules, graviſſimas in
eos divinæ iræ vindictas proferent, qui quacunque
de cauſa, quacunque pietatis ſpecie adducti, " ſummi 15.
Sacerdotis munera ſibi ſumere voluerant: eſt vero
ea maxima, quam rebelles adducere ſolent, quum
Principes, ut ejus cathedram aſcendant, atque ut jus
& auctoritatem cognoſcendi cauſas religionis & ju-
dicandi ſibi aſſumant, hortantur. " Sacerdotum enim 16.
negligentia pro ſtimulo ad impellendum eos utun-
tur, ut Eccleſiæ curam in componendis religionis
controverſiis, & in ordinandis Eccleſiæ rebus, in ſe
ſuſcipiant. Quis enim hoc factum non dignum ſum-
ma laude judicet? Nemo quidem, ſi factum tantum
reſpiciatur. Sed ut in domo bene inſtituta, in qua
diviſa officia & munera non licet unicuique pro ſuo
arbitratu omnia exercere, etiamſi ſingula in ſuo ge-
nere ſint præclara: quod qui tentant, quamvis bono
id animo faciant, à patre tamen familias merito re-
prehenduntur, quippe qui ſuo intempeſtivo zelo,
quod pulcherrimum eſt in domo, " nempe ipſum 17.
ordinem, ſine quo nulla domus diutius ſtare poteſt,
quantum quidem in ipſis eſt tollunt, & prudentiæ
ejus qui illum inſtituit, ſummam injuriam faciunt:
" ſic prorſus in Eccleſia Chriſti, quæ eſt domus Dei, 18.
in qua omnia munera ſunt diſpertita, & ſingula ſin-
gulis ita diſtributa, ut inferiores ſuperiorum officiis
non fungantur, eo minus licet ordinem perturbare,
quo majore prudentia eſt ordinata Eccleſia, quam de
ulla domo cogitari poſſit. Eſtque ea ſemper graviſ-
ſima in Dei prudentiam ac ſapientiam injuria. At non
omnes hoc vident, ſed nec te etiam ſatis adhuc videre
arbitramur, Cæſar, quantum injuriæ inferas divinæ
providentiæ, in hac domo Dei, in qua ſupremum
munus ſacerdotibus eſt commendatum, quum horum
tibi partes & honorem ſumis. " Nec vero vidit Ozas, 19.
quum honoris cauſa arcam Dei curru boum vectam
proſequens, illis calcitrantibus, manu admota, dum
ruinam timet, ſuſtentare voluit. Quis vero homi-
num hoc factum improbare auſus eſſet? Vel quis
non potius illud ſummopere laudaret, quod ſacer-
dotibus abſentibus, in præſenti periculo ruinæ ipſius
arcæ, quam bos laſciviens (ut inquit Scriptura) jam
inclinaverat, manum ut eam ſuſtineret, admoverit.
Nemo quidem hoc non ut pie factum laudaſſet, niſi
ſeveritate vindictæ minime id ſibi gratum fuiſſe Deus
oſtendiſſet, cujus quidem ultio Ozam ſtatim è vita
ſuſtulit, nullam aliam ob cauſam (Scriptura teſtante)
niſi quia temere quod ad Sacerdotum & Levitarum
officium pertinebat ſupplere ipſe auſus eſſet. Tan-
tum vero peccatum in hoc facto fuiſſe, quis unquam
cogitaſſet? Sed ex hoc exemplo Deus nos admonere
voluit, ne in eundem divinæ iræ laqueum incidamus.
De quo nunc, fili, te admonere voluimus, ne falla-
cibus illorum perſuaſionibus adductus, qui in ore
ſemper habent reformationem Eccleſiæ, in tanto non
boum, ſed ſacerdotum quaſi laſcivientium cœtu,
quorum illa humeris ſuſtentatur, tu manus temere
admoveas. eſt enim hoc ſacerdotum Dei munus at-
que officium. " In eundem vero laqueum inciderunt 20.
Dathan & Abiron atque Core, qui ægre ferentes in
ſancto populo, unum pro cæteris dignitate ſummi
ſacerdotii fulgere, ſe tam Moſi quam Aaroni op-
poſuere, quum dicerent, Sufficit vobis quod omnis
multitudo ſanctorum eſt, & in ipſis eſt Dominus,
quid elevamini ſuper populum? Licet vero hæc verba
contra ambos dicta videantur, tamen Moſe inter-
prete didicimus, omnis eorum indignationis cau-
ſam, ſummum ſacerdotium Aaronis fuiſſe. Non
enim ubi omnis multitudo eſt ſancta, virum aliquem
antinere dignitate æquum eſſe cenſebant.

Quam vero graviter hæc res diſplicuerit Deo, in-
ſigne in eos divini judicii & ſeveritatis exemplum
oſtendit, quos terra dehiſcens una cum univerſa ſu-

pel-

pellectili & omnibus bonis vivos abſorpſit. Hæc
vero vetera nune recito, quia (ut inquit Apoſtolus)
in figura contingebant illis: ſcripta ſunt autem ad
correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum de-
21. venerunt, ut diſcant omnes, "ſi in ſacerdotio quod
deſerviebat tabernaculo & umbræ, quodque una
cum tabernaculo abolendum divina providentia ſta-
tuerat, tantam curam Deus oſtenderit, ut ne mini-
mam quidem in ea mutationem ab humano ingenio
inultam permiſerit, quanto major reverentia tri-
buenda ſit illis ſacerdotibus, qui non amplius ſer-
viunt typo & umbræ abolendis, ſed ipſi vero taber-
naculo quod nunquam transferetur: quantove mi-
nus de mutatione vel minimæ ordinationis quæ ad
eos pertinet, cogitare debeant? Quanto denique
gravius, & magis intolerabili ſuperbia putabimus
eos in divinam providentiam peccare, qui vel hanc
confundere vel ad ſe transferre poſtulant, vel alio
22. modo de illa ſtatuere volunt, "quam longa Eccle-
ſiæ conſuetudo fundata in teſtimoniis Scripturarum
promittit, & declarat? Quocunque vero modo,
quacunque ſpecie pietatis propoſita hæc tententur,
radicem quidem mali ſuperbiam, Deo ſemper odio-
23. ſam eſſe non eſt dubium. "Id quod maxime declarat
Oziæ regis exemplum, in quo ſimul & radicem hu-
jus mali, & gravem illius vindictam Scriptura nobis
exprimit. Hic autem Rex alias laudatiſſimus, id-
que teſtimonio Scripturæ, in hoc tantum ſuperbiæ
arguitur, quod incenſum ad altare thymiamatis
adolere voluerit. Quis vero hanc voluntatem non
piam potius, quam ſuperbam judicaſſet? Sed Spiri-
tus Dei in Scriptura, quum ad hujus facti narratio-
nem pervenit, Elevatum, inquit, eſt cor Oziæ. In
quo vero elevatum? nempe quod alieno miniſterio
fungi voluit, de quo poſtquam à ſacerdotibus ad-
monitus, nec illis paruiſſet, ſtatim à Deo lepra eſt
percuſſus. Hæc vero nunc, chariſſime fili, recen-
ſemus, ut intelligas ſi ſuperbum fuit Oziæ factum,
in adolendo incenſo, ſuper altare thymiamatis,
quanto ſuperbius eſſe hoc tantum adolere incenſum
ſuper altare corporis Chriſti, cæteraque quæ reli-
gionem ipſam comitantur, perſequi? Quid autem,
an non putas hoc incenſum eſſe coram Deo, leges
de religione ſancire? Eſt quidem incenſum, idque
omnium Deo gratiſſimum (Nullum enim odorem
tibi perſuade Deum gratius ſuſcipere) ſed non eſt
tuum munus illud, Imperator, eſt ſacerdotum Do-
24. mini, "eſt noſtrum in primis, quibus Deus poteſta-
tem ligandi & ſolvendi dedit. Vide vero, in quam
tum partem templi intras, quum hodie tibi miniſte-
rium ſumis: non quidem in atrium aut in ſancta, ut
Ozias, non enim tantum ſanctum eſt hoc factum,
ſed ſanctiſſimum. Quum ergo prudentia tua hoc tu
penetras, in domum Domini tu penetras, & in
ſancta ſanctorum, atque ipſum corpus Chriſti pe-
netras, ejus officium tibi arrogans: nec te excuſat
quod ſanctum ſit factum, vel quod non perpetuas,
ſed ad tempus, hoc eſt, uſque ad futurum conci-
lium duraturas leges laturum te eſſe dicas. ut enim
id per ſe pium ſit, tamen in eo, cui Deus hoc mini-
25. ſterium non dedit, maxime eſt impium. "Sumis
enim tibi jam perſonam, quæ propria eſt Dei, cui
ſolum de ſacerdotibus judicium relinquitur, quam
ne ad tempus quidem cuiquam ſumere licet. Dei
enim vox eſt ad malos ſacerdotes: Ego ipſe (inquit)
ſuper paſtores requiram gregem meum de manu
illorum: quod ut ſuo tempore penitus facturus eſt
26. Deus, ita ſi quis interim "quaſi de manu ejus præ-
ripere hoc tentaverit, is ſemper pro tali auſu gra-
viſſimas pœnas dedit, veluti contra nullo unquam
ſeculo intermiſit certis quibuſdam ſignis teſtari,
illos majoribus gratiis, tum interius, tum exterius,
& omni genere bonorum dignos eſſe, qui augendo
& ornando Sacerdotum genus, Eccleſiæ ſuæ unita-
tem ac principem ſedem auxilio & gratia foverunt:
"ut in Conſtantino Magno, in Theodoſiis, in Ca- 27.
rolo Magno accidiſſe videmus, quibus nulli un-
quam Chriſtiani Imperatores vel divinis gratiis, vel
victoriis illuſtriores fuere. Contra vero Deus, eos
qui Sacerdotibus reſtitere, non ſolum paſſus eſt in
omne genus turpitudinis labi: ſed ſæpe & inſigni-
bus quibuſdam pœnis in teſtimonium divinæ iræ ſuæ
caſtigavit. Nec vero nunc de illis loquimur, qui
Eccleſiam naſcentem adhuc extinguere ſunt conati,
Neronibus, Domitianis, & ejuſdem generis reli-
quis: ſed de iis qui illam perſequuti ſunt, jam adulta
ætate, incipientem in Principes auctoritatem ſui
muneris exercere, poſtquam conſtituta jam & con-
firmata eſt Petri ſedes in oculis omnium Principum.
Qui vero hujus auctoritati reſtitere, à Deo ſic caſti-
gatos conſtat, ut manifeſte appareat, quam grata
ſit, ac ſemper fuerit Deo hujus ſedis obedientia,
contra autem quam ingrata & odioſa in eandem
inobedientia. "In primis eum ex Imperatoribus, 28.
qui in apertam defectionem & contemptum hujus
ſanctæ ſedis erupit, legimus fuiſſe Anaſtaſium pri-
mum, quem, à Gelaſio Pontifice Romano admo-
nitum, ne Acatii Epiſcopi Conſtantinopolitani à
ſede Apoſtolica damnati partes foveret, quum nec
monitis ejus paruiſſet, & Hormiſdæ ejuſdem ſuc-
ceſſoris legatos, ad eum ea de cauſa miſſos, ut à
communione eum hæreticis deſiſteret, contemptim
primum auditos contumelioſius dimiſiſſet, divina
tandem ira fulmine è vita ſuſtulit. Sequuntur hujus
impietatis ſucceſſores, ſed per intervalla, multi alii
Imperatores, "quales fuere Mauritius, "Con- 29. 30.
ſtans ſecundus Juſtiniani Conſtantini Pogonati filius,
Philippus, Leo. Sed hos numerare longum eſſet,
qui diverſo quidem genere mortis, ſed omnes aut
violento, aut ignominioſo ſpoliati antea imperio &
omni dignitate perierunt, ut manifeſte appareat in
eis ultrix inobedientiæ, vindicta divina. "Quæ 31.
ſeries uſque ad Henricum illum perduci poſſet, qui
quum graviſſime ſedem Apoſtolicam vexaſſet, tan-
dem eum à ſuo filio captum Leodii, ultio divina in
carcere mori fecit: juſtiſſimam quidem inobedien-
tiæ pœnam ab ipſo repetens, ut à filio caſtigaretur,
qui eum, quem patris loco divina ei providentia in
Eccleſia conſtituerat, tot modis vexaverat, ejuſque
auctoritatem neglexerat. "Id quod & de Friderico 32.
ſecundo dici poteſt, niſi quod infeliciori mortis ge-
nere eſt ſublatus, qui filio ſuo ipſo carnificis mu-
nere fungente, ſtrangulatus interiit. Tametſi Deus
non ſemper hoc modo rebelles caſtigare ſoleat,
quandoquidem nonnullos ſic deſideriis ſuis frui per-
mittat, ut quod ad externam caſtigationem attinet,
impune peccare, & in magna rerum omnium af-
fluentia quaſi felices vivere videantur. Id ea ratione
factum à divina providentia ſancti patres pie exiſti-
marunt, ne ſi omnes hic impii caſtigarentur, nullum
aliud tribunal divinæ juſtitiæ reliquum eſſe homines
judicarent. Quoſdam ergo hic in aliorum exemplum
Deus, ut juſtus agnoſcatur, aperte caſtigat: quoſ-
dam vero dum hic caſtigare diſſimulat, ad tribunal
ſuum futurum ſeverius judicandos reſervat. Nul-
lum vero peccatum impunitum dimittit divina ju-
ſtitia. Ea autem omnium eſt graviſſima caſtigatio,
quum ii qui Deum graviſſime offendunt, impune id
ſe facere exiſtimant. Omnes enim tales cæcitate
mentis ſunt percuſſi, & in paſſiones ignominias
ac in reprobum ſenſum traditi, quæ ceu propria
impiorum flagella Apoſtolus numerat. Quum au-
tem hæc omnibus impiis ſint communia, tum vero
maxime illorum propria, qui ſuam impietatem "in 33.
oppugnanda principe ſede, & in Eccleſiæ unitate
ſcindenda exercuere. Hoc quidem in quibuſdam
animadvertimus, qui quo pluribus (dum ſanctam
erga illam obedientiam ſervarunt) virtutibus ſplen-
dere ſunt viſi, eo magis poſt impiam ab eo defectio-
nem in prodigioſas animi paſſiones avaritiæ, libi-
dinis,

dinis, & crudelitatis fuerunt traditi: id quod Ana-
ſtaſio X. de quo ſupra mentionem fecimus, eveniſſe
hiſtoriæ narrant. Similibus vero exemplis in hac
noſtra ætate utinam quidem careremus. Nec vero
in ſingulos tantum homines hæc ultio divina, caſti-
gans eorum inobedientiam erga hanc principem ſe-
dem eſt pervagata, ſed in nationes etiam & provin-
cias, in quibus videmus, quum graviſſime omnium
ii ſunt caſtigati, qui Chriſtum Dominum habere
recuſarent, proximum miſeriæ locum eos ſortitos
eſſe qui Vicarii Chriſti auctoritati reſtitere. Duas
vero nationes à Deo in primis caſtigatas, atque af-
flictas videmus, quæ olim florentiſſimæ fuere. Qua-
rum una pertinax in negando Chriſto permanſit,
altera aliquandiu cum Vicario ejus præ cæteris
omnibus contendit. Illa eſt Judæorum, qua nulla
34. majori miſeria eſt oppreſſa: " hæc vero Græco-
rum, quæ proxime ad miſeriam Judæorum acceſſit,
quia proxime ad impietatem acceſſerat. Quare ſi
Chriſtus ipſe in cæteris Imperatoribus, Regibus,
populis & nationibus nunquam inultam tulit Vicarii
ſui ſpretam auctoritatem, ea interim perpetua ſuc-
ceſſione conſervata: ſi tum ſeveris judiciis eorum
inobedientiam caſtigando, odioſos ſibi ſemper fuiſſe
hujuſmodi conatus oſtendit: quanto in te, Cæſar,
ſi (quod Deus avertat) hanc oppugnares, cùm apud
Deum, tum apud homines hoc odioſius judicare-
tur, qui ex illis Imperatoribus originem ducis, qui
non plus honoris ſedi Apoſtolicæ detulerunt, quam
ipſi ab ea receperint? At neque hæc, chariſſime fili,
ſcribimus, quaſi ullo modo nobis perſuadere poſſi-
mus, hujuſmodi te conſilia in animo rata & confir-
mata habere: ſed ut amans pater, ſalutis filii & ho-
noris, ac de utroque ſollicitus, ſimulatque edictum
ipſius Spirenſis conventus vidimus, te admonen-
dum duximus, eo quidem gravius, quo magis ex-
ploratum periculum, in quo verſaris, habemus.
Denique ſi pluribus diſſuaſimus, ne in diſceptationes
ſuper his, quæ ad religionem pertinent, componen-
das, jus tibi vel auctoritatem ſumeres: non ob id ſcri-
pſimus, quod diſceptationes componi non maxime
35. optaremus, " qui (teſte noſtra conſcientia) ut hoc
rite fieret, vitam & ſanguinem libenter effundere-
mus: ſed ut exemplis cùm ex divina Scriptura, tum
ex Eccleſiaſticis hiſtoriis citatis te admoneremus,
ne, quod ad tuum miniſterium non pertinet, ipſe tibi
arrogares, & pro tua & Imperatoria dignitate jube-
res: ſed potius Conſtantini Magni ſervi Dei maximi
ac feliciſſimi Imperatoris exemplo te hortamur,
36. quod tantum facimus, ut eos primum " ſuo judici
& ſuis judicibus judicandos & corrigendos relin-
quas. Ille vero, quum rogatus eſſet ab ipſis ſacerdo-
tibus, ut in eorum diſceptationibus ſe judicem præ-
37. beret, prorſus recuſavit: " Cujus verba in hanc ſen-
tentiam ab hiſtoriarum ſcriptoribus, qui affuerunt,
citantur: Deus vos conſtituit Sacerdotes, & pote-
ſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: &
ideo nos à vobis recte judicamur, vos autem non
poteſtis ab hominibus judicari: propter quod Dei
ſolius inter vos expectate judicium, & veſtra jur-
gia, quæcunque ſint, ad illud divinum reſerventur
examen. Hæc ille Magnus non tam imperio, quod
erat maximum, quam pietate & cæteris virtutibus
dixit: cui te, Cæſar, in omnibus perſimilem eſſe
cupimus & optamus. Quod vero præ te fers ſtudium
& deſiderium, ut componantur controverſiæ in re-
ligione, & ut aliqua diſciplina morum in univerſa
Eccleſia renovetur, te in hoc quidem magnopere
laudamus, & abs te petimus, ut in hoc operam tuam
præbeas, & cui Deus curam hujus miniſterii commi-
ſit. Ut enim, te tanquam caput in rebus hujuſmodi
tractandis minime ferendum cenſemus, ita tanquam
brachii accommodatiſſimi tuam in primis opem de-
ſideramus. Hoc vero noſtrum deſiderium fecit,
38. " ut ad minimam quamque ſpem cogendi Concilii

œcumenici non ſolum nos ſemper promptos præ-
buerimus, ad illud indicendum, ſed ubi vel minima
ſpei ſcintilla eluxerit, cogi poſſe, eo ſtatim legatos
miſerimus: quemadmodum ultimo loco etiam feci-
mus, quanquam non cum eo fructu, quem aſſidue
optamus: ſed maluimus ſane omnia tentare, quam
vel minimæ occaſioni deeſſe, quam à divina boni-
tate ſemper expectamus. Cùm autem univerſalis
Eccleſiæ utilitatis cauſa Concilium fieri ſummopere
cupimus, tum vero præcipue illius inclytæ nationis
Germanicæ, quæ jampridem diſcordiis in his quæ
ad religionem pertinent, plurimum vexata diſſidet,
cujus ſaluti (ut tua etiam Majeſtas fatetur) commo-
diſſime per generale Concilium opitulari nos poſſe,
ſemper ſperavimus. " Horum autem conſiliis, qui 39.
jam ab hac ſede ſunt damnati, te uſum eſſe (quod
nunc conquerimur) non ob id quidem conqueri-
mur, quod ſemper hos remotos à tua amicitia eſſe
cupiamus, aut id quæramus, quia ſemel damnati
ſint, ut ſemper damnati maneant. Teſtis enim nobis
eſt Deus quam nihil magis in votis habeamus, quam
ut oves perditas ad Dominicum ovile reducamus,
& ut illam nobilem provinciam univerſam in fide
& religione " cum capite & reliquo corpore in 40.
omni amore atque amicitia conjunctam videamus,
idque ob eas, quas diximus, cauſas. Sed tu nunc,
dum ii in diſcordiis cum capite & reliquo corpore
manent (de iis qui tales ſunt loquimur) dum extra
Eccleſiam ſunt, per edictum etiam tuum damnati,
eorum amicitiam pluris quam par eſt facis, dum in-
dulgentius eos tractas: quum hæc tua indulgentia
& præteritorum edictorum declarationes ſeparatim
à te factæ, non ſolum hactenus illis non profuerint,
ut ad ſaniorem mentem redirent, ſed potius, quod
re ipſa compertum eſt, occaſionem dederint ut inſo-
lentiores ſint facti, & ad occupanda vicinorum bona
animoſiores, diſſidium certe ipſum magis hoc modo
fovere, quam tollere videris. Sed hæc quæ ad me-
liorem formam, non iis quidem viis alienis ab omni
more & conſuetudine majorum, atque ab ipſo jure
divino, ſed per generale Concilium optime perduci
potuiſſe, ſemper in Domino ſperavimus, & nunc
etiam ſperamus: ideo nos plus illius provinciæ com-
modis, quam ullius alterius conſulentes, " ad Ger- 41.
maniæ fores, Tridentum uſque, legatos noſtros mi-
ſerimus. ſed vocavimus, & non erat qui audiret,
venimus & non erat vir. verum nec propterea de-
ſiſtimus, ſed adhuc vocamus & clamamus ad te &
ad cæteros Principes. clamamus vero cum Propheta
Davide: " Venite ploremus coram Deo: nec enim 42.
aptius principium Concilii eſſe poterit. & cum Da-
niele: Oro pro peccatis meis & populi, accuſo,
confiteor, obſecro. Domine, peccavimus, iniqui-
tatem fecimus, & impie egimus & receſſimus, no-
bis confuſio faciei, Regibus noſtris, Principibus &
patribus noſtris, quia peccavimus: tibi autem Do-
mine miſericordia eſt & propitiatio. Ad tale ergo
Concilium te vocamus, " in quo Angelos ipſos 43.
aſſeſſores habere ſperamus, qui ſi ſuper uno pecca-
tore pœnitentiam agente gaudent, quanto magis
ſuper univerſa Eccleſia, cujus ipſi pars ſunt, ad pœ-
nitentiam congregata, gaudebunt?. Huc accedit,
quod ſaluti Chriſtiani populi ab imminente poten-
tiſſimo, & perpetuo nominis Chriſtiani hoſte, Tur-
carum tyranno, quo pacto niſi per Chriſtianorum
conjuncta in fide & charitate auxilia conſuli poſſit,
non videmus. Quare ſterne viam, dilecte fili, ad
tale Concilium. Hoc enim tui muneris proprium
erit. ſternes autem ſi vel pacem reddas, quantum in
te eſt Chriſtiano populo, tantopere ab omnibus ex-
petitam: vel ſaltem arma cohibeas, dum Eccleſia
in concilio congregari poſſit, ubi æquius eſt quam
per vim veſtras diſceptationes decidi. Hoc vero tu
& cæteri Chriſtiani Principes, quos etiam atque
etiam de eadem hac re admonebimus, præſertim

vero eum, quocum bellum geris, ſaciatis. jam Con-
cilium adeſt: jampridem enim indictum eſt: neque
vero abruptum eſt, etſi bellorum cauſa in commo-
dius tempus dilatum. Itaque huc, chariſſime fili,
incumbe, & hanc lætitiam primum populo Chri-
ſtiano, qui jampridem inteſtinis bellis eſt attritus,
redde. Deinde vero nobis, qui te nihil charius in
terris nos habere judicamus, qui primogeniti apud
nos locum in amore tenes: idque ſpecimen divinæ
in te virtutis præbe, ut non modo patrem, te pie
monentem, non averſeris: quod faciunt ii, quos
Deus in ſignum abdicationis, ſuis deſideriis tradit:
44. " ſed ut eundem ad te tanquam Deo jubente, tali
tempore miſſum, qui labantem ſuſtineat, & magno
animæ ſalutis periculo liberet, omni pietate ample-
xeris, ejus vocem libenter audias, monitis obtem-
peres: ſatis vero obtemperabis, ſi quum te à ſemita
ſancta, ot appellat Propheta, quæ eadem eſt regia
via, Majorum tuorum, religioſiſſimorum Princi-
pum, humana conſilia ut hominem deflectere po-
tuere: huc ſtatim de ea qualis ſit admonitus, divi-
nam indolem proferens videas, atque ita in animum
inducas, nullum ut in iis quæ ad religionem perti-
45. nent, tibi jus & auctoritatem vindices, " ſi divinam
inſtitutionem & Eccleſiæ conſuetudinem ſequens,
ab ipſis conventibus Imperialibus à quibus abſunt,
qui auctoritatem de ejuſmodi rebus cognoſcendi
habent, omnes de ſacerdotibus atque de religione
diſceptationes prorſus excludas, & ad eorum pro-
46. prium tribunal rejicias; " ſi de bonis Eccleſiaſticis,
quorum judicium ab ipſo Domino, cui ſunt conſer-
vata, ſacerdotibus relinquitur, & commendatur,
& ipſe nihil ſtatuas, & ſepoſitis armis aut ſtudeas
paci, aut ſi aliter pax conciliari non poteſt, Concilio
generali judicandi de iis, quæ tam pernicioſa bella
in populo Chriſtiano tamdiu alunt, poteſtatem ſa-
47. cias: " Si denique ea, qoæ per nimiam indulgentiam
rebellibus huic ſanctæ ſedi, & contumacibus con-
ceſſiſti, ipſe reſcindas ac tollas. Hæc enim, cha-
riſſime fili, quum ita ſint, quæ tuam ipſius animam in magnum ſalutis periculum adducant, & Eccleſiæ pacem magis magiſque perturbent, ſacile videre potes, niſi per te quam primum his malis remedium adhibeatur (quod te facturum ſperamus) in quas anguſtias ſis nos compulſurus: ut aut officio aut muneri nobis à Deo per ejus Filium dato deeſſe cogamur, cum maximo Eccleſiæ detrimento: aut iterum ſeverius agere, quam vel conſuetudo noſtra, vel natura, vel voluntas ferant. Quanquam in officio quidem deeſſe, in tanto diſcrimine, nec debemus prorſus, nec volumus, quantum per ejus gratiam, cujus vices, licet indigni, in terris gerimus, de nobis polliceri poſſumus. Inſidet enim in animo, & ob oculos nobis obverſatur illud idem, de quo principio diximus, divinæ ſeveritatis in Heli ſacerdotem exemplum: quem non ob id quidem damnatum legimus, quod in filiis corripiendis prorſus abſtinuerit. Corripuiſſe enim eos ſatis conſtat ex Scriptura: ſed quod in corripiendo, ut inquit divus Hieronymus, lenitate patris, non auctoritate Pontificis agebat. Nos lenitate patris, integris prope adhuc rebus oſi ſumus: quibus ex edicti forma tranſactis, quod Deus avertat, in Heli exemplo ſatis video, in quam nos neceſſitatem ſis adducturus. Quare tecum conſidera, Cæſar, quid te magis deceat, quid ad tuum in primis officium erga Deum & Eccleſiam magis pertineat, quid honori & rebus tuis magis expediat. An ut brachium noſtræ ſeveritati, in iis quæ ad unitatem Eccleſiæ pertinent præbeas, an potius illis ſaveas, qui hanc ſemel ruptam in plures adhuc partes ſcindere miſerabiliter laborant & optant. Deus pacis pro immenſa miſericordia ſua, tuam Majeſtatem ab iniquorum conſiliis liberet, ac pacis conſilia in tuo corde confirmet, ut unanimes uno ore honorificemus Deum Patrem per Jeſum Chriſtum, cui cum ſancto Spiritu ſit honor per æterna ſecula, Amen. Datum Romæ apud S. Marcum, XXIV. Auguſti, M.D.XLIV.

JOANNIS CALVINI
SCHOLIA
IN
EPISTOLAM PAULI III.
PONT. MAX.

1. SI illud vindictæ Dei exemplum horret ſanctiſſimus pater, mirum cur tantopere de hoc uno Cæſaris delicto ſollicitus, (ſi delictum nominari debet) tam ſecurus in aliis filiorum ſuorum infinitis nequitiis torpeat. Ultus eſt Deus ſegnitiem Heli ſacerdotis, quod filios non caſtigaverat. Filios Chriſtiani paſtoris jubet Apoſtolus Paulus eſſe bene moratos, bene educatos in timore Domini. Filium habet Paulus noſter Freneſius, & ex eo nepotes, præter ſpurios, qui adhuc ſilicernio huic & ſemiputrido cadaveri naſcuntur. Qualis eſt Petrus Loyſius? dicam quo nihil poteſt dici atrocius, & tamen eſt veriſſimum. Nunquam tale monſtrum hactenus peperit Italia. Paule quid ceſſas? quum execrandæ filii tui libidines in cælum aſcenderint, quum ſoetore ſimul ac ſoeditate ipſarum polluta ſit terra, quum totus mundus vociferetur: nondum exerendæ ſeveritatis tempus eſſe putas? Quid de ejus avaritia? quid de rapacitate? quid de ſævitia dicam? Tametſi in his omnibus ita reliquos ſuperaverit, ut te uno ſemper ſit inferior. Quid de nepotibus tuis, quid de tota familia orbis cum multa indignatione dudum loquitur? Si ob indulgentiam correctus fuit Heli, tune impune feres, quod ad tam horrenda filiorum tuorum flagitia non ſolum conniveas tacitos, ſed manum illis auxiliarem præbeas? approbes certe palam, & magna ex parte non diſſimules, te auctore perpetrari? Non te hic Dei judicium ſollicitat? nullus metus animum tuum percellit? Sed de naturalibus filiis jam plus ſatis. Jactas te Chriſtianorum omnium eſſe patrem. In tam deplorata mundi corruptione, quis amplius taciturnitati eſt locus? Siles tamen, & mundum ſciens ac videns in exitium ruere cum ſilentio pateris. Si Heli non pepercit Deus, quale tibi ſupplicium imminere cogitas? Propius etiamnum te urgeo. Qualis eſt ſedis tuæ ſtatus quæ tibi inſtar familiæ eſſe debet? Quid agunt tui vicarii? Qualis in curia tua negotiatio exercetur? Qualiter ſe clerus tuus gerit? Quam mihi Sodomam reperies, ubi major unquam fuerit malorum omnium impunitas? magis perdita impodentia? licentia magis effrenis? Et nunc, perinde acſi nihil eſſet domi quod ageres, times, ne ob unam hanc culpam immineat ira Dei tuo capiti, ſi concedi Proteſtantibus pacem & juris æquitatem tacitus ſinas, quoad de religione fuerit cognitum:

1 Sam. 2. verſ. 31.
1 Tim. 3. verſ. 4.

tum: ſi Cæſarem, injuſſu tuo, tam Concilium, quam legitimam cauſæ definitionem polliceri ſuſtineas.

2\. Hic mihi Athalia venit in mentem. Nam ſicut impudica illa canis, quum regem Joas cerneret in ſolio collocatum, quia tyrannidem ſuam videbat concidiſſe, clamabat ſeditionem eſſe factam: ita putidum hoc ſcortum, quum tyrannidi ſuæ, quam Deo & hominibus invitis, ſibi per ſummum nefas attogat, vel minimum derogari videt, cælum terræ miſcet, quaſi nihil amplius ſit in mundo ſalvum.

2 Reg. 11. verſ. 14.

3\. O quam multis, & quam inſignibus documentis compertum habet Cæſar paternum hunc amorem. Quod niſi ſibi ab hoc idolo, tanquam à Deo ſiniſtro metuerent Chriſtiani Principes, poſſent mira paternæ charitatis officia, quæ pro ſe quiſque experti ſunt, recenſere. Sed quid Principum arcana excutere opus eſt? quaſi vero non omnibus etiam infimis palam ſit, qualem ſe hactenus patrem illis exhibuerit.

4\. Hic quidem olim ſpecioſus erat fucus Romanæ meretricis, jactare Eccleſiæ unitatem: ſed jam cùm longo quaſi attritu obſolevit, tum flatu oris Domini toties diſcuſſus, & claris Scripturæ teſtimoniis abſterſus ita fuit, ut ad colorandam ejus deformitatem apud oculatos parum valeat. Chriſtus enim unicum ſanctæ unitatis vinculum eſt: ab eo qui diſcedit, violat turbatque unitatem: extra eum vero, non niſi ſacrilega conſpiratio eſt. Vocat nos ad ſe Romanus Antichriſtus, prætextu unitatis: & quicunque tyrannidis ſuæ jugo non ſponte alligari ſe ſuſtinent, eos ſchiſmaticos judicat. Nos autem ex adverſo audimus Chriſti vocem: Ubi erit corpus, illuc convolabunt & aquilæ. Audimus Apoſtolum hortantem, ut conſentiamus, & ſimus concordes: ſed in Chriſto. Audimus piam Hilarii admonitionem: Specioſum quidem nomen eſt pacis, & pulchra opinio unitatis: ſed quis ambigat eam ſolam Eccleſiæ & Euangeliorum unitam eſſe pacem, quæ Chriſti eſt? Oſtendat ergo à parte ſua Chriſtum Freneſius, & unitatem Eccleſiæ penes ſe eſſe probabit. Sed quum adhærere illi non poſſimus, niſi Chriſtum abnegando, qui ab eo diſſilit, non facit ab Eccleſia diſceſſionem, ſed veram Eccleſiam ab adulterina & fictitia diſcernit.

5\. En ordo, en diſciplina, en Chriſtianiſmi perfectio ex Freneſii definitione, ſi illibata ſedis ſuæ tyrannis maneat. valeant alia: nam præ hac unanihili omnia reputat. Jam ergo Helenam agnoſcimus, pro qua depugnat: ſimul cauſam timoris illius agnoſcimus, de quo initio loquutus eſt. Non enim ruinam ſolio ſuo tantum impendere prævidet, ſed ſedem illam abominationis jam collabi cernit, ſi pigreſcat. Hoc ſi illi detur, ut ſecurus pro ſuo more in tranquilla poſſeſſione ſuæ tyrannidis laſciviat, hoc uno contentus erit, & tanquam rite compoſito Eccleſiæ ſtatu, ſibi & aliis benedicet. Ergo utcunque Romæ nihilo minor ſit ſcelerum omnium colluvies, quam in ipſis inferis: utcunque paſſim ſanctus ille Papalis clerus, laxis habenis, perruptis legibus omnibus, abjecta omni honeſtatis cura, ad quamlibet impietatem ſe proſtituat: utcunque totus orbis horrendum in modum ſit corruptus, bene ordinata erit diſciplina, ſi modo nihil contra ſedis Romanæ majeſtatem quis audeat.

6\. Grande ſcilicet piaculum, quod de congregando Concilio quum ageretur, ſuppreſſum eſt Papæ nomen. Quaſi vero Sylveſtro auctoritatem convocandæ Nicenæ ſynodi detulerit Conſtantinus, ac non eam jure ſuo, pro Imperatoria poteſtate coëgerit. Quaſi non etiam ipſi Sylveſtro edixerit, ut veniret. Quaſi vel arbitrium vel nutum Romani Epiſcopi expectaverit olim Theodoſius, in ſynodo Aquileienſi cogenda, cui præfuit Ambroſius. Ecce habetur in Italia Concilium univerſale, cui non adeſt Rom. Epiſcopus, nec quiſquam ejus nomine; imo nulla ejus in actis Concilii ſit mentio. Sed condonandum eſt Freneſio, ſi perſonam agit impuræ illius Jeſabel, quum ſimilem habeat cauſam. Quemadmodum enim fremebat illa, quod Achab pro regia poteſtate populum convocaſſet, ut ſtatueretur ſemel, Deuſne an Baal invocandus foret, ita hæc beſtia, quaſi rebus omnibus perditis, grande nefas admiſſum eſſe conclamat, quia Cæſar ſibi curæ fore receperit, ut Concilium cogeretur. Atqui hanc ſibi ſoli poteſtatem jure divino & humano competere allegat. Facile quidem jactare eſt, ſed probatio quæritur. Quid enim hoc mendacio impudentius? Divini juris quam omnino ſyllabam proferet: niſi forte ſe faciat Deum? Sed humanum forte illi ſuffragatur. Nihilo magis. Quis enim primam ſynodum Nicenam, quis Epheſinam, quis Conſtantinopolitanam, quis Chalcedonenſem coëgit? Et ne in colligendo numero ſim longior, quis totis quingentis annis Synodos univerſales, quæ multæ habitæ fuerunt inter id tempus, congregavit, præter unum Cæſarem? At forte id fiebat, interpoſita Pontificis auctoritate: imo ne conſenſu quidem. Ubi enim oſtendet Freneſius, expectatum aliquando fuiſſe Papæ nutum in hac re, aut petitum ab eo conſilium? Atqui non tantum nunc ſibi arrogat hoc privilegium, ne quid ſe inconſulto tentet Imperator, ſed vult omnia ſimul poſſe & agere. Id ſi vult impetrare, omnia Conciliorum acta, omnes veteres hiſtorias aboleat neceſſe eſt. Neque enim illic Papa Imperatori edicit, ſed Imperator Epiſcopis omnibus. Et quum Epiſcopi loquuntur, non Romani Epiſcopi mandato aut nutu ſe vocatos, ſed Imperiali edicto teſtantur. Olim quidem in procuranda ſynodo Chalcedonenſi partes ſuas interpoſuit Leo. Sed qualiter? jubendone vel decernendo? Nihil tale in ejus epiſtolis habetur, quæ in promptu extant, ſed Cæſarem ſupplicitet rogando, ut pro more Epiſcopos omnes advocaret. Ergo quod tunc precibus fieri orabat Leo, Freneſius hodie factum eſſe tam graviter accuſat, ut ſpeciem propemodum faciat apoſtaſiæ. Patrocinium ergo fictitiæ ſuæ poteſtatis aliunde quærat, quam à Deo & hominibus.

Quum tale quiddam aliquando captaret in concilio Carthaginenſi, fortiter, ut par erat, Aphricani Epiſcopi tam improbæ ambitioni reſtiterunt. Quum obtenderet prærogativam in alias Eccleſias, Nicenæ ſynodi decreto, ſibi permiſſam eſſe, non habuerunt fidem: ſed Conſtantinopolim, & in alias urbes Græcas miſerunt, ut veritatem inveſtigarent. Compertum tandem fuit, acta Concilii à ſanctiſſimo patre corrupta fuiſſe, ut illis ad erigendam ſuam tyrannidem abuteretur. Saltem quæ proferebantur ex ejus archivis exemplaria, cum veris & certis non congruebant. Ita repudiatum fuit ejus poſtulatum, non abſque manifeſto falſitatis probro. Atqui jura divina & humana hic quoque ſibi ſuffragari clamat. Quis unquam Deus, obſecro, Papam conſtituit cauſarum omnium ad Eccleſiam vel fidem pertinentium cognitorem, arbitrum & judicem? Quas etiam hominum leges, aut quæ placita hac de re oſtendet? Dicit quidem Ambroſius, fidei cauſas debere in templo coram plebe tractari: & tunc de ſummo fidei noſtræ capite agebatur. Non dicit, coram Papæ tribunali. Dicit (fateor) judicandas eſſe à ſacerdotibus: ſed nequaquam uni Papæ defert judicium. Alioqui graviter peccaſſet quum ad cognoſcendam maximam cauſam, Aquileienſi concilio non interfuit modo, ſed etiam præſedit. Invehatur Freneſius in Ambroſium, quod Concilium quum vocandum ab Imperatore procuraſſet, habere auſus eſt, & quidem abſente Rom. Epiſcopo, illicque de Chriſti divinitate, quid ſentiendum foret, ſtatuere. Ubi tunc erant humana jura, quibus gloriatur Freneſius, quum in Italia Synodus univerſalis de ſumma religionis tractaret, vocato quidem Rom. Epiſcopo, ſed nemine ejus

loco comparente? Quid quum à Melchiade Rom. etiam Epiſcopo devoluta eſt cauſa maximi momenti ad Epiſcopum Arelatenſem? Litigabat Donatus A caſis nigris cum Cæciliano. Non erat civile negotium, ſed cauſa Eccleſiaſtica, & quæ non leve caput Chriſtianæ doctrinæ continebat, nempe de Eccleſiæ unitate, & communione ſanctorum. Conſtantinus Magnus Melchiadem primo judicem tulerat: quum ille pronunciaſſet, provocante Donato, cognitio ad Arelatenſem Epiſcopum delata fuit, ut teſtis eſt Auguſtinus. Cur non clamitabat Melchiades, omnia perperam confundi, quod ſibi eriperetur ſumma judicandi poteſtas? Reſtat ergo ut hoc perſuadeat Freneſius iis, qui ſine difficultate pro oraculo recipiunt, Cepham eſſe caput.

8. Quaſi vero pro libidine cujuſque ſtatui voluerit Imperator, ac non potius legitima ultro citroque habita diſceptatione, ex ſacroſancto Dei verbo ſumi definitionem. Quaſi etiam laicis mandarit iſtas partes, ut definiant ipſi, ac non potius ut ſciſcant, quod ex Dei verbo conſtiterit. Hoc ſi novum eſt Freneſio, valde eſt omnis antiquitatis imperitus.

9. Nempe ſi huic Freneſii judicio ſtetur, ne Concilio quidem opus fuerit. Res enim jam expedita hoc modo erit, ſi indicta cauſa jam cenſeantur damnatarum hæreſum aſſertores, qui ſe ad reddendam doctrinæ ſuæ rationem offerunt. Neque vero imprudenter agit ſanctiſſimus pater. Quid enim optabilius, quam hoſtes ſuos voce una jugulare? Sed hoc eſt incommodi, quod qui tam atrociter hic damnantur, præclare & ſtrenue ab hac calumnia ſe purgant: Papam vero ipſum interim non modo impietatis ac ſcelerum omnium reum peragunt, ſed Antichriſtum eſſe convincunt, impiorum omnium caput.

10. Quid, an non Spiritus ſancti elogio prædicatur
2 Reg. 12. verſ. 10. ſanctus rex Joas, quod quum oblationes ingurgitari videret à ſacerdotibus, ſcribam ſuum exigendis rationibus præfecerit? Quid ergo piaculi erit, ſi hodie ejus exemplo Chriſtiani Principes, dum à Papæ gurgitibus Eccleſiæ opes vorari, & per ſummam nequitiam turpiter diſſipari vident, ad vindicandum hoc ſacrilegium manus admoveant? Hoc primum quæritur, in quem uſum deſtinata ſint Eccleſiæ bona: deinde, quorum ſit diſpenſatio: tertio, ſi vitium ſit in ordinaria diſpenſatione, quod ſevera correctione opus habeat, à quibus adhibendum ſit remedium. De hoc poſtremo cogniturum ſe Imperator de Ordinum ſententia promiſit. Nunc judicare promptum eſt, quam tumultuandi cauſam habeat Freneſius.

11. Subaudiendum eſt epitheton: ſunt enim Proteſtantes extra Eccleſiam, ſed Papalem. Damnati, ſed cauſa incognita. Si autem verum eſt eſſe veram Eccleſiæ unitatem, ubi eſt ſincera Chriſti veritas, ubi integer & doctrinæ & animorum in Chriſto conſenſus cum omnibus piis: ab Eccleſia certe alieni non ſunt Proteſtantes.

12. Imo quis vel Princeps, vel privatus, ſi modo ſcintillam Chriſtiani zeli habeat, non cupiat quam primum rebus ita miſere collapſis ſuccurri? Quis autem non intelligat, fruſtra à Papa expectari quicquam opis? Suam ergo impietatem prodat oportet, qui tam neceſſarium remedium à Cæſare quæſitum eſſe ægre ferat. Sed bene habet, quod ſe de conductis quibuſdam mancipiis loqui continuo poſt declarat.

13. Ego vero ſcire velim, quid tandem iſtorum pugnet cum Chriſti inſtitutis, & recto Eccleſiæ ordine. Audio quidem hoc dici, ſed à quo? Si diabolus pater eſt mendacii, quis ejus vicario fidem habebit?

14. Miram vero metamorphoſin. Tam enim religioſus cœpit eſſe Papa, ut datam Proteſtantibus pacem eſſe quum audit, totus horreat. Sed mirum eſt ex adverſo, eum ſecure paciſci cum meretricibus, nec contaminationem ex lenocinii pretio horrere, annua penſione decidere cum Judæis, ut impune non modo Chriſtianam religionem deſpiciant, ſed fœnerando palam latrocinentur: denique nec Turcas averſari. Sed in eo potiſſimum elucet ejus ſanctimonia, quod cum Apoſtolo Paulo timet, ne bonos mores colloquia prava corrumpant. Quid tibi cum hac ſancti Apoſtoli voce, ſceleſte apoſtata, imo omnis apoſtaſiæ princeps? Qui quum dies in machinandis proditionibus, in fraudibus excudendis, in bellis conflandis, in excogitandis novis rapinarum generibus, in moliendo innocentium exitio, in deſtruenda Eccleſia, in diſſipanda religione cum nequiſſimis conſultoribus tuis conſumas, reliquum tempus vel cum Epicureis ſuaviter te oblectas, vel in medio ſcortorum grege te volutas inſtar porci, nec aliud audis vel loqueris, quam quod vel execrandam impietatem ſpiret, vel ſua obſcœnitate incitet iſtam tuam effœtam libidinem, quæ tamen nondum prurire deſinit.

Arrigamus aures, neque enim videtur jam de nihilo conqueri. Fateor ſane, tanti eſſe Eccleſiæ ordinem coram Deo, ut qui involat in alienum munus, non evadat ſuæ temeritatis pœnam. 15.

Si qua ratio foret conſervandæ ejus tyrannidis, pro qua nunc decertat Freneſius, hæc in primis firma eſt præ aliis, & valida, ne quis corrigendis ſacerdotum vitiis ſe interponere audeat. Ergo ſi Freneſio concedimus, eſſe hanc illicitam uſurpationem, eſſe grande ſacrilegium, quum Principes, torpente Papa, toto clero oſcitante, pereunti Eccleſiæ ſubvenire conantur, actum eſt. Quid ergo habet Cæſar, quo tantum crimen diluat? Primum, tametſi non eſt cujuſlibet, ſe ad repurganda Eccleſiæ mala ingerere, & reſtituendum ejus ſtatum, quo tamen jure Chriſtianis Principibus hoc negabitur? Excipit Freneſius, quia ſic agendo cathedram ſacerdotalem invadunt. At ſanctis patribus ſemper aliter viſum eſt, quibus nihil fuit antiquius, quam ut Principum auctoritate in ordinem redigerentur mali & improbi ſacerdotes, indigni autem honoris gradu abdicarentur. In hoc itaque hallucinatur Freneſius, quia inter iſta duo quantum interſit, non videt, cathedram occupare, & rite collocare juſtos ſeſſores, qui ſedem ratione jureque gubernent. 16.

Hoc concedunt omnes, non perturbandum eſſe in Eccleſia ordinem. Tota igitur quæſtio in ordinis definitione poſita eſt. Requirit ordo, ut ſint diſtinctæ functiones, & hoc concedimus: verum conjunctioni diſtinctio non repugnat. Nec quicquam obſtat, quo minus qui diverſis officiis præſunt, communibus tamen ſtudiis multa ſimul procurent, quo minus volvant conjunctim unum lapidem, denique quo minus alter pro neceſſitate præſenti, in alterius vicem quandoque ſubeat. 17.

Det ergo nobis Freneſius ordinatum ex Chriſti voluntate Eccleſiæ ſtatum: & libenter dabimus, qui minimo digito attingere eum auſit, ut convellat, impia audacia id tentare. Sed quum procul abſit barbara iſta, vel potius belluina Paparum confuſio à ſancta Chriſti regula, faceſſat hinc providentiæ divinæ titulus, cui gravis irrogatur injuria, quum ad fucandam à Chriſti regno prorſus tam alienam tyrannidem perperam & impudenter obtenditur. 18.

Punitus eſt Ozas, quod manum arcæ Dei admovere auſus fuerit, bono quidem, ſed inconſiderato zelo, nempe quum partes ſacerdotum arriperet, præſto illi aſtantibus, & ad officium paratis. Ubi nunc ex toto Papali clero ſacerdos unus eſt, qui arcæ Domini ſuſtinendæ ſit intentus? Punitus eſt Ozas, quod & præter ſuam vocationem, & adverſus claram Dei prohibitionem ad tactum Arcæ perruperit. Ubi Dei interdictum? ubi finita vocationis ratio, quæ Imperatorem ab omni Eccleſiæ cura arceat? Atqui Reges omnes vocat Jeſaias ad eam ſuſcipiendam. Punitus eſt Ozas, quod ante tempus importuno fervore ſe ad ſuſtinendam Arcam ingeſſerit. At quam diſſimilis erit cauſa, ſi arcam Domini humi projectam, demerſam in luto, impiorum probris 19. 2 Sam. 6. verſ. 7. Jeſa. 49. verſ. 23.

Digitized by Google

btis expoſitam erigere conetur David, & ſacerdotes ad eam in ſua ſede collocandam edicto ſuo vocet? Tu vero monſtrum qualiter denunciare aliis audes, ut manus removeant ab Arca, qui eam impuro tuo roſtro proſtratam pedibus ignominioſe conculcas? Licebitne tibi arcam Domini ſordibus implere, profanare cum ſumma contumelia, proſtituere ad quodvis Satanæ ludibrium, lacerare in fruſta, ejus ſanctitati inſultare: & Principibus ſimul ac univerſo Chriſtiano populo ad eam repurgandam, coaptandam, reparandam accedere nefas erit?

20. Quid non audeat bic phreneticus, quem Moſi &
Aaroni ſe conferre nihil pudet? Dathan, inquit,
& Core & Abiron, quod adverſus Domini ſacerdotes murmuraſſent, hortendo exemplo perierunt.
Sed quid tu ſimile cum Moſe habes? Tune Domini
ſacerdos, ô ſacrorum omnium profligator? Non
2 Reg. 10. modo tumultuatus eſt Jehu in ſacerdotes Baal, ſed
verſ. 25. armata manu eos perſequutus, omnes in templo
idoli ſui occidit. Præclarum facinus, & quod Dei
teſtimonio commendatur. Voce tantum Moſen vul-
Num. 16. nerant Dathan, Core & Abiron, & eos terra vivos
verſ. 32. abſorbet. Tu igitur alius ſis, ut ſacerdotii jure &
21. honore, à te violando Principes deterreas. "Umbræ
ſerviebat Aaronis ſacerdotium, ſed continebat non
inanem veritatis figuram, & ſacroſancta erat Dei
auctoritate fundatum. Quid autem præter larvam
nobis oſtentat Papa? Quo fundamento ſuffulta eſt
ejus tyrannis? Quo denique auctore à ſummo uſque
ad minimum ad ſacrilegam ſuam functionem, magico potius quam Chriſtiano ritu, initiantur? Etiamſi crepare debeant, nulla Scripturæ ſyllaba unquam hoc, quo ſuperbiunt, ſacerdotii genus approbabunt.

22. Perverſa quidem conſuetudo nihil aliud eſt, quam erroris vetuſtas. Sed quis pro Eccleſiæ conſuetudine hoc recipiat, ut qui præſulum nomen habent, qualeſcunque ſint, quicquid agant, etiamſi nihil minus ſint, quam quod vocantur, pro libidine graſſentur ad devorandum Chriſti gregem: & ſe nemo eorum latrocinio opponere audeat? In qua, obſecro, Barbaria valeret hæc conſuetudo, ut ſolo titulo protecti latrones, impune perderent, mactarent, vaſtarent, diſſiparent omnia: quod ſi quis muſſitaret de cobibenda ipſorum truculentia, ſacra profanis miſceri clamitarent?

23. Ubi liquido conſtiterint hæc tria: non neceſſitate, ſed ſuperbia Cæſarem reformationem Eccleſiæ ſuſcepiſſe: deinde hanc ita commendatam eſſe ſacerdotibus, ut ab ea prohibeantur, quicunque unctas manus non babent, ſicut ab adolendo thymiamare: poſtremo ſacerdotium Papale inſtar Levitici à Deo habere originem, præſenti cauſæ forſan conveniet Uziæ exemplum. Rurſus ſi nihil iſtorum conſtat, quin potius ſi evincere promptum eſt, neceſſario ad id cogi Cæſarem, niſi ad Eccleſiæ exitium ſciens ac videns connivere velit: nec quicquam magis eſſe proprium ejus perſonæ, & ſacerdotium Papale non niſi ſa-
crilegio & anathemate dedicatum eſſe, quid Uziæ
2 Chr. 26. exemplum Freneſio ſuffragatur? Oſtendat, inquam,
verſ. 19. convocandi Concilii, & reſtituendæ in verum ſtatum
Eccleſiæ ſolis ſacerdotibus, ſicut adolendi thymiamatis attributam eſſe poteſtatem, Regibus autem vetitam. Atqui veritas palam reclamat. Oſtendat Cæſarem fruſtra inſoleſcere, & rebus bene compoſitis, ambitione tantum, & pravo novitatis ſtudio laſcivire. Oſtendat ipſum dejecto legitimo ſacerdote, altare ſibi interdictum per vim occupare. Sed ubi ſacerdos qui ad officium peragendum ſit accinctus? Quibus cancellis circumſcripta eſt pia hæc ſollicitudo, quam in ſe recipit Cæſar, ut perrumpere non liceat? Quæ temeritas aut libido in aggrediendo opere, à quo ceſſare, ſumma eſſet non tantum ſocordia, ſed etiam perfidia? Quanquam operæpretium eſt expendere, quam argutus ſit ratiocinator Freneſii ſcriba. Sacrificium eſt, inquit, leges de religione ſancire, & quidem Deo gratiſſimum. Ergo à Cæſaris perſona hoc abhorret. Hoc vero eſt non argumentari, ſed porcorum more omnia turbare. Quid enim erogare eleemoſynas? Quid impendere ſe publicis commodis? Quid populos in puro Dei cultu continere? Quid denique ſeipſum dedicare Deo? Non ſunt hæc etiam ſacrificia, non ſuavis gratique odoris? Et tamen piorum omnium communia ſunt. Quid præterea blateras, placere Deo, ut leges de religione ſanciantur, quod à diabolica audacia proficiſci Scriptura clamat? Nam & Cæſaris & omnium mortalium eſt, unum audire Legiſlatorem, quod ad ſpirituale animæ regimen ſpectat, & quaſcunque ille ſciverit leges, ratas ſine exceptione habere.

Non contentus communi ſacerdotum prærogativa, ſingulare faſtigium conſcendit. Noſtrum, inquit, in primis. Quo autem jure? Quia data nobis eſt ligandi & ſolvendi poteſtas. Quid aliis? Omnibus enim ſimul Apoſtolis dictum eſt, Quodcunque ligaveritis. Quod omnibus Chriſtus communicat, tu prædatoria violentia tibi rapies? Tu Eccleſiam nudabis, ut ejus te ſpoliis veſtias? 24.

Eximium ſane privilegium, ut impune ruant in omne ſcelerum genus ſacerdotes, & ſoli Deo judicium relinquatur. Quod ſi ita eſt, quorſum illa vetus diſciplina cleri, quæ in chartis nunc extat, olim in Eccleſia locum babuit? Nam ſi judicium ſibi in ſacerdotes ſumunt epiſcopi, gigantum more Deum à ſede ſua diſturbare moliuntur. At epiſcopis eſt permiſſum. Quid, ſi Deus ſibi boc aſſeruit ſoli, tu ad ſacerdotes transferendo, nonne illos facis deos? Hic quoque acumen eſt mirabile, Requiram ſuper paſtores ego ipſe, inquit Dominus. Ergo propria eſt Dei hæc cognitio, quam ne ad tempus quidem ſumere cuiquam licet. Quid? non requiret etiam ipſe Dominus ſanguinem innoxium de manu homicidarum? Non furta, non rapinas, non injurias quaslibet requiret? Non requiret ab impiis, quicquid malorum perpetraverint? Ergo ſecundum cubicularem hanc Freneſii dialecticam tollantur è medio judicia, faceſſant ſcelerum pœnæ. Soli enim Deo relinquendum eſt judicium. Solius certe Dei judicium eſt non in ſacerdotes modo, ſed etiam infimos quoſque. Sed cur Dii vocantur principes, niſi quia mandatum eſt illis judicium? 25.

Quis Freneſio hoc Angelus vel potius dæmon re- 26.
velavit? Variis enim ex cauſis quum proveniant Dei
judicia, qui certam cauſam ex proprio capite defi-
nier? Solomon certe negat, bumano ſenſu diſcerni Eccleſ. 9.
poſſe, quem amore vel odio proſequatur Deus, quia verſ. 1.
eadem accidant bonis & malis. Ex Dei verbo igi-
tur definiendum erat: ſed probe meminit Freneſius,
cujus perſonam ſuſtineat. Sic enim ante cum Chriſto
egit diabolus, cui ſervit: Hæc omnia tibi dabo, ſi
proſtratus adoraveris me. Sic etiam anteceſſores
ejus, Quum ſerviebamus Reginæ cæli, affluebamus Jer. 44.
bonis omnibus. Sed jam audiamus, quæ ob ſedis verſ. 17.
ſuæ cultum repenſa præmia, & quas ob contemptum
pœnas irrogatas referat.

Conſtantinum Magnum adducit, ut fictitiæ, 27.
quam jactat, donationis fidem nobis faciat. Adeo nihil eum pudet, ut nugas quæ jam pueris ſunt ludibrio, Imperatori pro certis oraculis obtrudere non dubitet. Olim quidem magno ſupercilio de boc figmento garriebant ſtulti Canoniſtæ, ſed jam talibus ineptiis deſiit eſſe locus. Qua porro cauſa tam fidelem ſedis ſuæ cultorem facit Theodoſium? qui quum Ambroſio ſingularem reverentiam detulerit, quod unquam in pretio habuerit ſedem Romanam aut ejus ſeſſores, nuſquam legimr. Mirum certe, quod non & Trajanum addiderit. Caroli Magni victorias huic uni vel ſuperſtitioni, vel aſtuto conſilio acceptas referre, quod ſedem illam abominationis extulerit, quem omnino colorem habet? Per-

 inde

inde facit, dum ex tot heroicis & memorandis Caroli virtutibus vitium hoc decerpit, quod laudet, atque ii qui in auro non niſi ſcoriam legunt.

28. Quis non fuſtibus magis & lapidibus, quam verbis compeſcendum hunc impuri canis latratum dicat? quod Dei vindictam Juſtiniano inflictam non manifeſtæ ejus impietati, quam in ſuſtinenda Eutychiana hæreſi prodidit, ſed ad unam contumaciam transferat, qua ſedis Romanæ majeſtatem imminuerit? En palam Anaſtaſius fidem orthodoxam impugnat. Execrabilis in Chriſtum blaſphemiæ fautorem ſe & vindicem profitetur. Piam & ſalutarem de incarnationis myſterio doctrinam labefactat, quantum poteſt. Eccleſiam univerſam turbat, ac diſſipat pernicioſis diſſidiis, fulmine tandem ictus miſere perit. Nullam ejuſmodi interitus aliam cauſam fuiſſe pronunciat Freneſius, quam quod Hormiſdæ & Gelaſio rebellis fuit. Quis autem credet?

29. Mauritius jam ſenex, quum annis viginti imperium adminiſtraſſet, à Phoca milite ſuo per inſidias, & ſummam perfidiam ſublatus fuit. Hanc fuiſſe contemptæ ſedis Romanæ pœnam interpretatur Freneſius, quaſi Dei conſilio tunc interfuerit. Utinam quidem ſe non immiſcuiſſet placidus alioqui & quietus Princeps pravis Epiſcoporum factionibus, aut reprimere Joannis ambitionem, quam fovere maluiſſet. Verum quid tunc petebat Gregorius, quam ne permitteret Mauritius, unum aliquem cenſeri univerſalem Epiſcopum, quia eſſet hic titulus, ut loquitur, nefarius, ſceleſtus, profanus, abominabilis, & Antichriſti prænuncius? Sed ut hoc quoque omittam, quænam iſta eſt Freneſii æquitas, Principem ſcelerate occiſum damnare, quia ſedi Romanæ ſe obſequentem non præbuerit, & laudibus vehere parricidam, qui in dominum optime de ſe meritum gladium ſtrinxerit, qui ad Imperium per talem perfidiam, ac tantum nefas pervenerit, quia ad ornandum Romanum idolum, & evehendam ejus potentiam fuerit propenſior? Quanquam quid aliud ſpectabat Phocas omnia Romanæ ſedi largiendo, niſi ut hac quaſi nefaria pactione Romanæ urbis favorem emeret, quod ſe Græcis ſciebat eſſe ſuo merito infeſtum?

30. Mirum eſt, in tam pingui mercede non eſſe Freneſio doctiores ſcribas. Quanta enim hiſtoriarum inſcitia eſt, primum in nominibus turpiter labi, & ex Juſtiniano facere Conſtantem: deinde quum omnes fere Græci imperatores in eadem fuerint cauſa, pauculos hic nominare? Niſi hoc forſan arte faciat, quia pœnam, quæ pro terriculamento eſſet, invenire in aliis non poterat.

31. Henrici vitia, quibus laboravit, hic excuſare nihil attinet. Quæ autem fuerint contentionum inter ipſum & Hildebrandum ſemina ſi quis quærat, & qualiter depugnatæ fuerint, reperiet profecto, Hildebrandum hominem vafri & malitioſi ingenii, adhæc inexplebili ambitione ardentem, inſtructum vero & gladiatoria confidentia, & extrema crudelitate, quum Henricum videret luxuria diffluere, libidinibus deditum præterea inſolenter ferocire, ſtatim quaſi oblata occaſione, ad diſſipandum Imperium animum applicuiſſe. Quibus porro machinis Henricum aggreſſus eſt? quibus deinde armis uſque ad finem uſus eſt ad ipſum opprimendum? Quum ſacramento ſolviſſet principes Germanos, hoc eſt, pejerandi licentiam illis dediſſet, alios adegiſſet falſis terroribus, alios minis perpuliſſet, alios corrupiſſet blanditiis, Bavarum traxiſſet ad ſpem Imperii, obtinuit ut ſubito tota Germania bello inteſtino, tanquam uno incendio, conflagraret. Quum ſuppliciter ad eum veniſſet Henricus, ac proſtratus ad ejus pedes jaceret, ſuperbiſſime eum contempſit. Nec ante ſtatuit ſuæ tam impotenti & intolerandæ ſuperbiæ modum, quam ſibi Imperatorem ſubjugavit una cum Imperio. Nam parum videbatur, ſi Cæſarem tanquam dedititium haberet, niſi diruto Imperio ſolus dominaretur. Et audet hic Freneſius ejus hiſtoriæ facere mentionem, quæ luculentum teſtimonium reddit, vel potius illuſtre documentum eſt, nulla unquam vel ex ipſis inferis tam tetra monſtra extitiſſe, quorum fœditas Romanæ ſedis flagitiis non obruatur.

Cur non & Fridericum primum recenſuit in hoc 32.
numero? Imo, cur non longum catalogum Imperatorum contexuit? Nam quo quiſque Cæſarum placidius ſe geſſit, ita eo petulantius ejus manſuetudine abuſi ſunt Romani Antichriſti, pudendis adverſus eos ludibriis non abſtinentes. Si qui autem paulo animoſiores eorum ferociæ reſtiterunt, ſenſerunt, quid eſſet furioſas belluas provocaſſe. Quum pluſquam effreni libidine, quum pluſquam tyrannica ſævitia, quum importuno furore ultro, non provocatos inſultaſſe ut plurimum Cæſaribus conſtet tuos anteceſſores, phrenetice: ſi quid illorum cuiquam acciderit calamitatis, ſtatimne reum coram Deo perages, quod ſe tam immanibus beſtiis conculcandum non proſtituerit? Itane, furcifer, Deum nequitiæ veſtræ miniſtrum ſimul & aſſertorem facies?

Fateor ſane, diram imminere Dei ultionem 33.
omnibus, qui ad ſcindendam Eccleſiæ unitatem animum applicuerint. Quæ autem major unitatis diſſipatio, quam dum adulterata doctrinæ puritate, & everſo in eam conſenſu Chriſtus quaſi in partes diſcerpitur? Quis autem præter unum te, ô carnifex, hujus diſſipationis auctor eſt atque antiſtes? Scio per te non ſtare, quominus prædicemus omnes unum in terris caput, unam Romanam ſedem matrem ac Reginam, ſed quis præter te obſtat, quominus omnes ex animo confiteamur Deum unum, & fidem unam, ſicut unum eſt inter omnes Baptiſma? Principem vero ſedem quid nominas, quæ jam per annos pluſquam octingentos vero Epiſcopo vacua, mortuis primum ſimulachris locum præbuit, nunc ab impietatis principe, & crudeliſſimo animarum tyranno, à capitali Chriſti hoſte, à præcipuo Eccleſiæ vaſtatore occupatur?

Quin Judæi meritas contempti & oppugnati 34.
Chriſti pœnas luant, minime dubium. Græcos videmus miſera & acerba ſervitute premi: cauſa obſcura eſt, niſi ex verbo Dei petatur. Hoc inde accidiſſe divinat Freneſius, quod rebelles fuerint ſanctæ ſedi. Ego, ſi conjicere licet, potius id factum interpretor, quia eo uſque ſuperbierunt, ut univerſæ Eccleſiæ dominatum priores appeterent, quem nunc ſibi uſurpat Papa; quod novitatis cupidiores, in varias ſectas fuerunt diſtracti; quod prava ambitione, dum melius aliquid excudere volunt ſacris Chriſti inſtitutis, degenerarunt à ſincera Euangelii regula. Utra ex his duabus veriſimilior conjectura eſt? Illa certe vitia, quibus ego cauſam imputo, Dei judicio damnata eſſe conſtat. Quod ſi audiendi ſint homines, dum cauſas ex cerebro proprio quaslibet comminiſcuntur, non minus ſpecioſo colore Græcia, ſtante adhuc illic ſalva Imperii majeſtate & potentia, Romanis exprobrare poterat, pœnam eos pendere ſuæ rebellionis, quod ſedi Conſtantinopolitanæ in primatus controverſia reſtitiſſent. Etſi, quemadmodum ſuperius retuli, non tunc ambiebat primatum Romanus Epiſcopus, quum agitari cœpit contentio, ſed ne inferior Conſtantinopolitano foret, locum ſuum tuebatur. In ſumma, unum eſſe peccatum in mundo dignum ira Dei, dignum omnibus pœnis, malorum denique omnium fontem, perſuadere vult Freneſius, quod ſibi non obſequantur omnes, quod non à ſuo nutu pendeant, quod non ſuum adorent numen loco Dei. Quis niſi mente abalienatus, perſuaderi ſibi ſinat? Quod ſi ad fidem habendam paratos habeat omnes, primum oſtendat oportet, quid commeriti fuerint Hungari, quorum nihilo melior

eſt,

Digitized by Google

eſt, quam Græcorum conditio. Expone, inquam, nobis phrenetice, quo ſuo delicto in eandem cum Græcis ſervitutem conjecti fuerint Hungari, quibus non aliter ſemper abuſus es, atque viliſſimis mancipiis, & qui perinde ac ſervi ergaſtulis incluſi, vincti compedibus, nullum tuum imperium recuſarunt. Quam ergo pueriliter ineptis, dum quaſi re confecta, ſuperciliose pronuncias, nunquam ſedis tuæ impune ſpretam fuiſſe tyrannidem? At certum eſt, non leviter moveri Chriſtum Vicarii ſui contemptu. Pergeſne igitur, os putidum, ita Chriſto illudere? Primum, quis te ad hunc honorem evexit? Nemo enim,
Hebr. 5:4. teſte Apoſtolo, ſumere ſibi honorem debet, niſi vo-
Joan. 21. vers. 17. catus. Dictum eſt Petro, Paſce oves meas. Excipio, omnibus idem eſſe dictum. Veteres illi fumi, quibus antehac perſtringere ſolebas hominum oculos, pridem evanuerunt. Qua fronte tam ſuperbum titulum arrogare tibi audes, quem ſi quis Angelorum ſibi aſſereret, anathemate eſſet feriendus? Gregorio tuo, ſicuti jactas, anteceſſori, ſceleſtus, impius, ſacrilegus, Satanæ vicarius, præcurſor Antichriſti fuit, qui ſe Epiſcopum univerſalem faceret, ſive Romanus, ſive alius quiſpiam. Elige nunc, utrum voles. Aut enim Gregorium damnes, oportet, tanquam ſedi tuæ blaſphemum, aut tam gravem ſententiam ſuſtineas. Jam vero ut parcamus huic tam execrandæ blaſphemiæ, ut, inquam, fingamus vanum eſſe, quod poſt Apoſtolos & Prophetas docet Cyprianus, unum eſſe in Eccleſia Chriſti epiſcopatum, cujus partes in ſolidum ſinguli teneant, & hanc dignitatem ad unum quempiam hominum transferri ſinamus, quo tamen jore, aut qua ſpecie tibi, perdite & deplorate latro, conveniet? Tune Petri ſucceſſor, qui nihilo plus ſimilitudinis cum eo habes, quam Nero quiſquam, aut Domitianus, aut Caligula? Niſi forte Heliogabalum mavis, qui ſacerdotium novum Imperio adjunxit. Omnes certe illi Summi pontifices nomine erant, quod in ſuperſtitione ejus temporis licebat: tu id nomen hodie uſurpas in populo Chriſtiano contra jus & fas, contra inviolabile Chriſti placitum, contra omnium ſanctorum patrum inſtituta. Tu Chriſti Vicarius, cujus omnes cogitationes, ſtudia omnia & facta huc ſpectant, ut aboleatur Chriſtus, modo nomen inane maneat, quo tanquam meretricio fuco abuteris? Tu Chriſti Vicarius, quem jam pueri omnes noverunt certum eſſe Antichriſtum? Qualem nobis Chriſtum fabricabis, ſi velis ejus imaginem in tyrannide tua agnoſci? Videmus omnis impietatis antiſtitem, Satanæ anteſignanum, ferocem animarum tyrannum, ſævum carnificem: quod ad vitam ſpectat, monſtrum ex omnibus flagitiis conflatum: illum denique perditionis filium, quem nobis depingit Apoſtolus, & Chriſti Vicarium judicabimus? Videmus, inquam, lupum, à quo devorantur Chriſti oves, videmus furem, à quo abiguntur, videmus prædonem, à quo mactantur, & hic nobis Chriſti Vicarius erit?

35. Themiſtocles olim Juſtitiæ ſacrum facturus exclamaſſe fertur, O dea, ſi qua uſquam es; nos de conſcientia Papæ non rogabimus, ubinam ſit, dum eam teſtem citat? Excitare interdum ab inferis ſolent rhetores, quorum perſonam cauſæ ſuæ aptam judicant. ſed neque hoc in Papa locum habet, cui neque cæli ſunt neque inferi. Qui ergo hanc chimæram manibus tenebit, ille Freneſium pro Eccleſiæ pace libenter ſanguinem profuſurum credat. At ſi rem ipſam intuemur, quid ſit alienum ſanguinem fundere, novit Paulus, ſuo parcere didicit. Certe etiamſi hactenus creditum fuiſſet, aliquam conſcientiæ particulam in Papa adhuc manere, hoc tamen tam manifeſto perjurio apparet, quam omnem Dei timorem, & hominum reverentiam abjecerit.

36. Æqua ſane conditio, ut Papæ tradantur judicandi Proteſtantes. Quidni? Ego enim, inquit, ſum eorum judex. Soluſne? Adjutores ſibi in Concilium aſſumit venerandos fratres ſuos, quos etiam honoris parte aſpergit. Tot lupis ut tradatur grex ovium? At qualeſcunque ſint, ipſorum tamen eſt cognitio.
Si olim Paulo dicere licuit de pariete dealbato, Ne- *Actor. 23.*
ſciebam fratres, quod Pontifex eſſet, quid nobis de *vers. 3.*
atris iſtis vulturibus hodie dicendum erit? Sed ne longior ſim, tantum hoc dico, ſacerdotes Domini ſe eſſe oſtendant, & judicandi poteſtatem mox illis ſine difficultate ulla concedam. Quales autem video, merito ſciſcitari poſſum, quiſnam eos conſtituerit arbitros aut judices.

Quo elogio Principes & magiſtratus civiles or- 37.
nat Spiritus ſanctus, ſicuti cùm ex loco ipſo conſtat, tum etiam ex Chriſti interpretatione, illud Conſtantinus, homo non valde exercitatus in Scripturis, & ſi verum narrant hiſtoriæ, tunc adhuc catechumenus, errore ad Sacerdotes tranſtulit. Freneſius Achillis clypeum ſe inveniſſe putat, dum inde patrocinium mutuatur. Nunc ſtatuendum eſt, utri plus fidei ſit habendum, Deone, an Conſtantino. De ſenſu illios ſententiæ loquor, Ego dixi, Dii eſtis. Alioqui prudenter egiſſe Conſtantinum fateor, qui quum Epiſcopos cerneret, fatali quadam rabie in mutuam lacerationem inflammatos Ario parcere, & deſerere Chriſti cauſam, ut ſuæ cupiditati morem gererent, probroſos eorum libellos conſciderit. Cæterum quam procul à mente Freneſii abfuerit Conſtantinus, ne falſo amplius ejus nomen obtendat, ex illius ad Nicomedenſes epiſtola, quam Theodoritus libro primo refert, judicium facere promptum eſt. Si caſtos, inquit, habemus, & orthodoxos & modeſtos Epiſcopos, gaudemus. Quod ſi quis audacter ac inconſulte ad fovendas peſtes exarſerit, illius audacia miniſtri Dei, hoc eſt, mea exequutione coërcebitur. Quando in omnibus Conſtantino perſimilem eſſe Carolum Cæſarem optat Freneſius, mano ejus non ſuam audaciam, ſed efferatam rabiem coërceri patiatur.

Speciem quidem cogendi Concilii jam aliquoties 38.
præbuit Freneſius, ſed qui ſerio eum cogitaſſe unquam de habendo Concilio putat, micam ſani cerebri non habet. Mundum quaſi famelicum ingenti Concilii deſiderio hiare jamdudum novit. Extremæ ſe crudelitatis damnari ab omnibus intelligit, quod tamdiu variis ludificationibus tempus extrahat. Cur non igitur, quoad citra ſuum diſpendium poteſt, ſatisfaciat imperitis, Concilium ſubinde indicendo, quod nunquam habeat? Si quis autem miretur, cur tantopere Concilium reformidet Papa, in quo nulli bono patebit locus, inde reputet, quam ſit prodigioſa tyrannidis ſpecies, quæ non niſi per terrorem & metum retineri poteſt.

En quid premat ſanctiſſimum patrem. Non au- 39.
diendo aut diſceptando tractari vult cauſam Proteſtantium, ſed hoc commodiſſimum fore putat, ſi ab illis damnandis exordiatur. Quanquam vix iſto honore etiamnum eos dignabitur, ne rem actam agere iterum incipiat, ſed exequendam in eos ſententiam mandabit. Et certe non male conſulit ſuis rationibus, dum ne cauſa tam dubia & ſibi periculoſa retractetur, ſollicite cavet. Quid ergo, ſi audiatur, Proteſtantibus reliquum eſt, niſi ut cauſæ ſuæ defenſione omiſſa, ſe illi ſuaque omnia dedant?

Utinam quidem vere coaleſcant Germani omnes 40.
in verum fidei conſenſum, ſibique mutuo ſub uno capite adhæreant, nempe Chriſto. Imo totus in hanc unitatem reducatur orbis, quo impleatur illud, quo certum eſt ſolidam Eccleſiæ perfectionem contineri, hoc eſt, ut fiat unum ovile, & unus paſtor: ſed reclamat Papa, qui pro nihilo ducit, Deum agnoſci unum ab omnibus, pura Chriſti doctrina, & auſpiciis gubernari totum mundum, niſi ipſe pro capite adoretur. Ergo utcunque Deum, niſi falſo, invocare teſtem nequeat, qui Deum nullum habet, ne tamen ſemper mentiri eum putes, unum hoc

vere affirmat, ſibi nihil eſſe magis in votis, quam ſub jugum ſuum omnes redigere qui avolarunt, & quos pro indomitis habet.

41. Quaſi vero vocaverit ſpe colligendi, ac non potius de induſtria tempus elegerit, quod eſſet ab omni pacata conſultatione alieniſſimum. Quum ſatis compertum haberet, bello diſtineri duos præcipuos Chriſtiani orbis monarchas, & jam pluribus locis claſſicum propemodum canere, Concilium habere ſe velle ſimulavit. Quis tam ſtulrum fuiſſe credat, ut ſperaverit? Unde etiam conjecturam facere licet, nihil eum niſi per ſimulationem gerere. Nam qui factum eſt, ut tranquillis rebus ceſſaverit, & quum aliquandiu volitaſſet Concilii Mantuani indictio, & poſtea Veronenſis, utrumque in bullam evanuerit, nunc autem in medio armorum ſtrepitu, & tempore turbulento, ſe tanquam in optima opportunitate commoveat?

42. O proſtitutam impudentiam! Mirum, niſi ſcribæ ſuo mandaverit, ut inter ſcribendum ingemiſceret, ac laebrymulam unam extorqueret ab oculo ſiniſtro. Sed non minus ſtultus eſt quam improbus, qui coram Cæſare hanc fabulam agit, quaſi ſit illi incognitus. Quærat ergo peregrinum. Tametſi quis reperietur ab Oriente in Occidentem uſque, qui cum Deo hic & hominibus illudere neſciat? Sed pergamus. Locum quem indicit Concilio? Tridentum. Valde eſt idoneus, ſiquidem tam fatui erunt Germani, ut in medias lupi fauces ultro ſe ingerant. Qualis erit conſeſſus? Mileſiorum ſcilicet, qui ne imaginem quidem boni viri inter ſe ferre poſſint. Qualis in cognoſcendo æquitas aut moderatio? Forte ad placidam piamque deliberationem integri, nec ullis præjudiciis occupati accedent. Imo jam dicit cauſam Freneſius, quæ in diſputationem vocatur, jam damnatam eſſe. Supervacuum ergo foret, in ea diſcutienda vel horulam conſumere. Ne tamen vel moroſi nimium vel crudeles appareant, ad audiendum ſe component. I apparitor, Proteſtantes acceiſe, ſi quid cupiunt Concilio propoſitum, ſupplici libello perſtringant, ne delicatis ſanctorum patrum auribus ſint moleſti. Auditis ſupplicum poſtulatis, ante omnia tentare convenier, num ſummam abſque provocatione poteſtatem de ſe ſuaque doctrina judicandi ſanctis patribus concedant: deinde num omiſſa, quam apud ſe jam conſtitutam habent, reformatione, abnegataque, quam amplexi ſunt, doctrina, fidem rituſque omnes ſanctæ Romanæ ſedis quaſi poſtliminio ſuſcipere ſint parati. In priore ſi hæſitaverint, ſchiſmatici extemplo pronunciabuntur: ſecundum ſi facere recuſaverint, jam bis hæretici erunt. De illorum ergo contumacia vindicanda ſtatuendum continuo erit. Quicquam enim attingere neſas erit, niſi Eccleſia in integrum reſtituta. Interim ergo dum inteſtino bello diſtinebitur Chriſtianus orbis, ad perſequendos opprimendoſque Proteſtantes, Eccleſiæ reformatio differetur. Neque tamen interea ceſſabit venerabilis clerus. Flabellis enim multis ad ignem inflammandum paſſim opus erit. Quod ſi in tranquillam poſſeſſionem ſemel redierint, ſi quis ullam amplius convocandi Concilii mentionem facere audebit: turbator & ſeditioſus, & unitatis inimicus uno omnium ore proclamabitur. Certe, auctore Freneſio, ne Imperator quidem ipſe impune id tentaverit. Tamen ut Imperatori Concilium petenti detur venia, liberum tamen erit Papæ recuſare. Repulſam autem paſſus, ulterius progredi caveat, niſi velit, Uziæ exemplo, arrogantiæ ſuæ pœnam luere, aut alio quovis horribili exitio perire. Sed de ordine Concilii alias, ſi tempus dabitur.

43. Quis jam miretur, Papam ſibi in univerſum mortalium genus primatum vendicare, quum ſe Angelorum quoque præſidem hic faciat? Sed vereor, ne ambiguitate nominis falſus erraverim, & certe erravi. Quos enim Angelos intelligeret, niſi quibus uti conſiliariis ſemper aſſuevit? Ex quibus unus eſt ille, qui olim ad perdendum Achab ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum fuit. Si tantum illic potuit unus, quid hic facient aliquot millia? In hoc tamen jure reprehendi Freneſius poteſt, qui ad ſubſellia relegat eos, qui Concilio ſupra ipſius tribunal præſidebunt. Neque enim ipſe tam magnus eſt deus, quin patri mendacii ſerviat. Certe qui magicis divinationibus ſe vitamque ſuam ſubjicit, diabolo, quem invocat, minorem ſe eſſe profitetur. Etſi quid profiteatur, non moror, dum quid faciat video.

Pater eſt, qualem fuiſſe Saturnum tradunt Poëtæ, 44.
qui filios ſcilicet devoret. Quicunque tamen dicto non fuerint audientes, eos è numero filiorum Dei abdicat. Sed bene habet, quod Salmonei ſunt, non Dei fulmina.

Hoc primum eſt, ne qua doctrina, niſi ex tripode 45.
Romanæ ſedis profecta, recipiatur: quo impetrato, quæ amplius ambigendi cauſa erit? Proinde quin de examinanda doctrina, de repurgando corrigendoque Eccleſiæ ſtatu agatur, non abnuit, modo id fiat ſe judice, & tota controverſia ſolo ſuo nutu tranſigatur. Nec eo contentus, ſibi eatenus cavet, ut quæ volet ipſe cum Angelorum ſuorum cohorte, ea duntaxat in quæſtionem veniant, ut modum actionis præſcribat, ut ſilentium injungat, quoties libuerit, ut ſimulatque concrepuerit, omnes contremiſcant. Itane? Corruptum Dei cultum, extinctam ejus gloriam, vel ſaltem valde obſcuratam, everſum Chriſti regnum, peſſundatam religionem, doctrinam veritatis partim vitiatam, partim ſepultam, vaſtatam miſere ac laceratam Eccleſiam, Sacramenta ad turpem fœdumque quæſtum proſtituta, animas Chriſti ſanguine redemptas ſacrilegæ nundinationi expoſitas eſſe, miniſterium vel paſtorale munus, quo nihil mundo magis ſalutare eſſe debuerat, in exitialem tyrannidem converſum conqueruntur Proteſtantes. Horum omnium malorum Papam cum ſuis reum faciunt, parati ſunt digito monſtrare, ipſum eſſe Antichriſtum. Quod ſi non probaverint, non calumniæ modo pœnam, ſed atrociſſima quæque ſupplicia ſuſtinere non recuſant. Tantum audientiam ſibi dari coram æquo tribunali poſtulant, & quidem hac lege, ut cauſa ex ſacro Dei verbo definiatur, neque tamen negligantur vetuſta patrum inſtituta. Quid ad hæc ſanctiſſimus pater? Cognitionem quidem recipit, ſed his, quas retuli, legibus. Hoc vero perinde eſt agere, acſi quis latro de cædibus ac furtis à ſe perpetratis accuſatus, judicium ſe non recuſare dicat, ſed hac lege, ut ſibi tribunal erigatur, ex quo de ſua cauſa pronunciet, ne quid ſe invito proferatur, ne qua contumelia lædatur, ne quibus urgeatur teſtimoniis, ſed totam cauſæ actionem ſic temperet, ut ſcelerum impunitatem citra ullam moleſtiam ſibi confirmet. En cur Imperiales conventus audiendæ hujus cauſæ non ſint capaces.

Secundum eſt de bonis Eccleſiaſticis, ut ſi quid 46.
hactenus fuerit in eorum adminiſtratione vitii, ſi qua illicita uſurpatio, non niſi Papæ judicio corrigatur. Quis fruſtra Papam in eo inſiſtere neget? Qualis enim aditus pateficeret Principibus ad res novandas, ſi huc admitterentur? Palam eſt, quam effrenata luxuria diffluant hodie Epiſcopi, Abbates, & qui ordine ſequuntur. Audirent Principes opulentiam iſtam, quæ hodie tam perdite dilapidatur, pauperum eſſe patrimonium. Quis non inſurgeret adverſus eos, ſi non ipſi priores occuparent, in ordinem ſe cogendo? Audirent ex antiquis Canonibus, qualis ſit & ad quos pertineat diſpenſatio. Diaconiam illam veterem omnes requirerent. Audirent, neminem eſſe ex Eccleſiæ proventu alendum, niſi qui functioni ſuæ ſatisfacit. Clamarent abigendos igitur eſſe omnes otioſos ventres. Et quotuſquiſque ex tot legionibus maneret? Quis hodie Epiſcopus officio

fun-

fungitur, imo fungi ſe ſimulat? Quis Parochus? Nam Canonici & aliud veterem Presbyterii formam ſevocarentur. Neque alias tantum Eccleſias pervagaretur profana iſta, hoc eſt, laica, ut loquuntur, correctio, ſed ad ipſam Romanam ſedem hactenus inacceſſam pertingeret. Porro quid aliud hoc eſſet, quam cælum terræ miſcere? Indignum vero facinus, ut Deo terreno dicantur vivendi leges, ut ejus menſæ ſumptus præſcribantur, exigatur annuatim ab eo ratio. Neque id modo, ſed quæ aliis vel per vim injuſtam rapuit, vel fraude furatus eſt, ab eo extorqueantur. Quin etiam, & quæ Imperio pridem ablata quaſi jure poſſidet, reſtituere: denique rapinas omnes, quas ingurgitavit jam tot annis, evomere cogatur. Quod ſi qua major urgeret neceſſitas, concedi id forte poſſet. At nunc cur invaderent Principes alienum munus, quum tam æqua alioqui ratio hic à Freneſio præſcribatur? Quis enim ad remedium afferendum aptior, quam cui bene perſpectus eſt morbus? Tollendæ ſunt ac repurgandæ corruptelæ, quæ veterem diaconiam prorſus ſuſtulerunt. Quibus potius injungi hoc onus convenit, quam qui malorum omnium non modo penitus ſunt conſcii, ſed etiam auctores? Expectemus qualis futura ſit emendatio, ſi ſacerdotibus libera vel agendi, vel ceſſandi poteſtas relinquatur. Non ſic pius rex Joſias; qui non proventui tantum ad victum deſtinato, ſed etiam ſacris oblationibus ſcribam ſuum præfecit. Et tamen Freneſium nihil pudet ſacrilegii accuſare Imperii ordines, ſi cohibendis ſacrilegiis ſe interpoſuerint.

47. Quid ſit conceſſum Proteſtantibus, dicere ſuperſedeo: quamquam huc ſumma redit, ne quibus injuſtis præjudiciis, niſi cauſa rite cognita & judicata, ante tempus graventur. Hoc totum reſcindi jubet ſanctus pater. Durum id quidem, prima ſpecie, ſed ratio ſubeſt. Quid enim ſi ad Concilium integri veniant Proteſtantes, quantum ſanctæ ſedi deceſſerit, ut quaſi de re dubia ineatur diſceptatio? Non abs re ergo eſt, quod tam ſtrenue contendit Papa, ne quo privilegio ſubleventur. Quid enim aut commodius illi, aut magis expeditum, quam ut damnati illuc pertrahantur, vel pœnas luant ſuæ abſentiæ? Quin ergo illi expediat, non dubium; ſed num etiam æquum ac rectum ſit, quæritur. Valeat honeſtas, inquit Freneſius, utilitas prævaleat. Hoc quidem jure Romano eſt uſitatum, ſed non meminit ſe in Germania loqui, ubi & fidei datæ religio colitur, & pudoris habetur ratio. Germaniæ, inquam, hoc novum eſt ac inſolens, reſcindere promiſſa, à fide ſemel data reſilire, nihil habere firmi nec rati, niſi quantum ſit tibi utile. Quod ſi à communi Germaniæ uſu abhorret, quod promiſeris, pro nihilo ducere, ut retractes, quum libeat, à Cæſaris perſona quid alienius?

CONCLUSIO.

Finis eſt, ut quicquid cum Proteſtantibus pactus fuerit Imperator, tranſegerit, conſtituerit, irritum ſit ac inane. At fide inter homines nihil ſanctius. Pridem decretum eſt, non eſſe hæreticis ſervandam fidem: quid ſi interpoſitum ſit jusjurandum? Quaſi vero non ſit Pontificium, ſacramento ſolvere, quoties viſum eſt. Jus eſt Imperii perpetuum ac inviolabile, ut promiſſis ſtetur. Quid tum, annon legibus ſuperior eſt Papa? Imo quid illi cum legibus? At majeſtate Cæſaris indignum à decreto diſcedere. Satis eſt, quod omnis turpitudo Papæ ſanctitate abſtergitur. At confectum eſt diploma. Quaſi vero non omnibus diplomatis abolendis una Papæ abſolutio ſufficiat. Sic quidem antehac agere ſolebat. Cujus rei inſigne documentum eſt Joannes Huſſius, quem Romanenſes fide publica Conſtantiam illectum crudeliter necarunt. Aderat Imperator Sigiſmundus, manſueti ingenii Princeps, ac minime ſanguinarius. Quum ſibi ac toti Imperio turpiſſimum duceret, quem in fidem tutelamque ſuam receperat, in conſpectu ſuo, adeoque ex protectionis ſuæ præſidio, à carnifice ad mortem rapi, ac tam barbaræ immanitati pro virili intercederet, compoſitum à ſanctis patribus fuit decretum, non eſſe hæreticis ſervandam fidem. Quo liberata omni religione fuit Cæſaris conſcientia, ejus autem verecundia & ingenuitas deriſa eſt, quod ſibi à violatæ aut ſaltem neglectæ fidei probro adhuc metueret: ſed alia nunc eſt ætas. Mundus qui tunc cæcus erat, oculos aperuit. Reſidet etiamnum in animis Germanorum tantæ fœditatis recordatio, quæ eos ſatis admonet, ne ſe amplius Romanenſium perfidiæ comites adjungant. Præſertim vero is eſt Cæſar, qui famam dignitatemque ſuam, ut Freneſio mancipet, adduci nunquam poterit. Scitur, quoties ad ſævitiam inſtigatus fuerit ab iſto Satana, quibus flabellis fuerit incitatus. Conſtanter tamen ſtetit in propoſito, ut hæc una ſit ex multis ejus præclaris & heroicis virtutibus maxime admiratione digna, quod inter iſtos Imperii motus, nunquam ſe aut à moderatione & clementia, aut à fidei ſuæ religione dimoveri paſſus fuerit.

ARTICULI A FACULTATE
SACRÆ THEOLOGIÆ
PARISIENSI,

Determitati ſuper materiis fidei noſtræ, hodie controverſis.

Cum Antidoto.

DECANUS ET FACULTAS
THEOLOGORUM PARISIENSIUM,

Omnibus in Chriſto fidelibus, Salutem.

Quum hodie per Concionatorum in aſſerendis dogmatibus altercationem videamus pleroſque fidelium, juxta id quod Epheſiis ſcribit Paulus, tanquam parvulos fluctuantes ad omnem ventum cujuſvis doctrinæ circumferri & agitari: noſtra autem interſit, quod in nobis erit, diſſidentes opinionum fluctus componere: de ſanctiſſimo Chriſtianiſſimi Regis propoſito abunde perſuaſi, quidnam circa articulos hodie à plerisque controverſos, & Chriſtianis Doctoribus & Concionatoribus prædicandum, & cæteris Chriſti fidelibus cum univerſa ſit Eccleſia credendum, paucis hoc ordine viſum eſt annotare.

Quia hæc eſt magiſtralis definitio, notandum eſt quod probationes non ſunt additæ: quia hoc derogaret antiquis ſcholæ Pariſienſis privilegiis. Sed propter quoſdam nimis curioſos, qui nihil hodie credere volunt, niſi bene probatum, ego de ſuperabundanti aliquid hic tranſeunter dicam pro confirmatione, ſive pro ſupplemento determinationis ſupraſcriptæ & infra ſcribendæ. Principio, locus ab auctoritate plurimum valere debet in Eccleſia. Quanquam autem magiſtri noſtri deficiunt in Scripturæ teſtimoniis: compenſant tamen hunc defectum in alia auctoritate quam habent: Eccleſiæ ſcil., quæ æquipollet Scripturis: vel etiam (ſecundum Doctores) prævalet in certitudine. Quod autem magiſtri noſtri in unum congregati ſint Eccleſia: probatur ſic, quia ſunt ſicut arca Noë. Eſt enim ibi multitudo ex omni genere animalium. Deinde quum in ſchola Pythagoræ tantum unius hominis valuerit auctoritas, ut ad probationem ſufficeret illud, Ipſe dixit, quanto magis ſufficere debet, quod tot magiſtri noſtri ſimul una voce dixerunt? Præſertim quum ante reſolutionem factam cantata ſit illis baſſa Miſſa de Spiritu ſancto. Et quum ex parte fuerint illuminati poſt jentaculum, ex parte vero zeloſi propter choleram in jejuno ſtomacho dominantem.

ANTIDOTUM.

Quum vetat Apoſtolus nos ſimiles eſſe pueris, qui fluctuemus, & circumferamur quovis vento doctrinæ: rationem ſimul, qua *Epheſ. 4.* poſſit hoc caveri, præſcribit: ut coaleſca- *verſ. 13.* mus omnes in unitatem fidei: quam agnitionem Filii *Rom. 10.* Dei eſſe definit. Porro fidem alibi idem teſtatur con- *verſ. 17.* cipi ex verbo Dei. Qua ratione, alio quoque loco, *Epheſ. 2.* *verſ. 20.* fideles ſuperſtrui debere docet, ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Et Coloſſenſes hor- *Coloſſ. 1.* tatur, ut permaneant in fide fundati ac ſtabiles: ne- *verſ. 23.* que dimoveri ſe patiantur à ſpe Euangelii, quod audierant. Unde & à Luca merito laudantur Theſſa- *Actor. 17.* lonicenſes, qui quum amplexi eſſent magna prom- *verſ. 11.* ptitudine Pauli doctrinam, eam tamen ad Scripturæ examen exigebant. Neque vero aliter ſtare poteſt, quod idem Paulus alibi tradit fidem noſtram non in *1 Cor. 2.* ſapientia hominum conſiſtere, ſed in potentia Dei, *verſ. 4.* niſi à ſolo Deo pendeamus. Sicut ſcriptum eſt: Au- *Jeſa. 55.* dite me: & vivet anima veſtra. Atque hoc eſt quod *verſ. 3.* præcipit Dominus per Jeremiam: Propheta, cui re- *Jer. 23.* velavi ſermonem, annunciet ſermonem meum bona *verſ. 28.* fide. Item per Petrum: Si quis loquitur, loquatur *1 Petr. 4.* ut eloquia Dei. Proinde ſi quid controverſiarum in- *verſ. 11.* ciderit, non hominum arbitrio tranſigi aut decidi, ſed una Dei auctoritate componi, æquum eſt. Atque hoc ſignificat Paulus, quum adverſus Satanam non *Epheſ. 6.* alio nos gladio armat, quam verbo Domini. Hoc *verſ. 17.* quoque ipſum ſuo exemplo nobis oſtendit Chriſtus: *Matth. 4.* quum à Satana impetitus, non aliud ad reſiſtendum *verſ. 4.* oppoſuit, quam Scripturæ teſtimonia. Alioqui non verum eſſet elogium, quo eam Paulus commendat, *2 Tim. 3.* quum utilem eſſe teſtatur, non ad docendum modo, *verſ. 16.* & ad monendum, ſed etiam ad redarguendum. Ergo quum nunc opinionum varietate tumultuetur mundus, hoc unico remedio nobis utendum eſt. Ad Scripturam dico, vel, ut ait Jeſaias, ad Legem & *Jeſa. 8.* teſtimonium, tanquam ad ſacram anchoram, confu- *verſ. 20.* giendum, ut ſecundum Apoſtoli præceptum, unum *Rom. 15.* ſentiamus omnes, ſed in Chriſto. Præclare enim *verſ. 5.* Auguſtinus, Ubi de re obſcura diſputatur, non adju- *Lib. 2. de* vantibus Scripturæ divinæ certis clariſque teſtimo- *peccator.* niis, cohibere ſe debet humana præſumptio, nihil *merit. &* faciens alteram in partem declinando. Itaque in quæ- *remiſſ. in* ſtionibus hodie controverſis ſequamur regulam, *fin.* quam teſte Theodorito Conſtantinus in Synodo Ni- *Lib. 1.* cena Epiſcopis dedit, ut ex puris Dei oraculis ea- *hiſt. Eccleſiaſt.* rum petamus definitionem. *cap. 7.*

Articulus I.
De Baptiſmo.

Certa & firma fide credendum eſt Baptiſma omnibus etiam parvulis ad ſalutem neceſſarium eſſe: ac per ipſum dari gratiam Spiritus ſancti.

Probatur ſic: Quia alias Baptiſma per mulieres datum, nihil valeret, quod eſt expreſſe fundatum in hac fide, quia Baptiſmus ſit de neceſſitate ſalutis: Utcunque ſit prohibitum in Concilio Carthaginenſi,

quod

quod mulieres baptizare non præſumant, ſine aliqua exceptione. Imo quod eſt fortius, ventilatur ardua quæſtio inter Doctores, utrum infans in periculo mortis, ſi non adſit aqua, debeat potius projici in puteum quam commendari Deo cum expectatione eventus. Hoc autem eſſet homicidium dignum morte, niſi diceretur quod Baptiſma ſit de neceſſitate ſalutis. Sunt etiam aliæ quæſtiones, utrum infans, in defectu aquæ naturalis, debeat potius baptizari cum lotio, vel cum aquis artificialibus, alias ſtillatitiis, quam relinqui ſic, donec habeatur aqua. Item, utrum non ſit verus Baptiſmus, conſpuere ſuper faciem, in caſu neceſſitatis. Quæ omnes quæſtiones non tantum eſſent ſupervacuæ, ſed etiam ſtultæ, niſi teneremus hoc principium.

AD ART. I.

Offerri nobis in Baptiſmo, ac exhiberi tum remiſſionem peccatorum, tum Spiritus ſancti gratiam, pii omnes confitentur. Eo quoque agnoſcunt opus habere Infantes: non tanquam adjumento ad ſalutem neceſſario, ſed tanquam ſigillo, ad obſignandam in illis adoptionis gratiam, divinitus ordinato.
1 Cor. 7. Sanctos enim fidelium liberos naſci tradit Paulus.
verſ. 14. Et ſane nequaquam illis conveniret Baptiſmus, niſi
jam in hac promiſſione ſalus eorum incluſa eſſet:
Geneſ. 17. Ero Deus tuus, & Deus ſeminis tui. Non enim
verſ. 7. filii Dei per Baptiſmum fiunt. Sed quia promiſſionis beneficio hæredes ſunt adoptionis, ideo ad Baptiſmum eos admittit Eccleſia. Et ſicut olim Iſraëlitarum liberis, ſi ante diem octavum mortui eſſent, nihil nocebat, quód Circumciſionis Sacramento carerent; ita hodie, modo nulla, aut contumacia parentum, aut negligentia intercedat, ſufficit infantibus fidelium ad ſalutem ſola promiſſio, qua in ſocietatem Eccleſiæ ab utero adoptantur. Fit enim Chriſto injuria, ſi imminutam Dei gratiam ejus adventu putemus.
Eze. 18. Atqui filios ſuos vocabat Deus
verſ. 4. olim, quicunque ex Iſraële naſcerentur. Nec legimus baptizatum fuiſſe Joannem, qui tamen aliis Baptiſmi miniſter erat. Sic ergo habendum eſt, quemadmodum in patre fidelium Abraham præceſſit juſtitia fidei Circumciſionem, ita in fidelium liberis hodie Baptiſmo priorem eſſe adoptionis gratiam,
Geneſ. 17. ſicut promiſſionis verba ſonant: Ero Deus ſeminis
verſ. 7. tui. Hujus autem gratiæ Baptiſmum eſſe confirmationem, ut fidei noſtræ adjumentum.

ARTICULUS II.

De libero arbitrio.

Eadem fidei conſtantia eſt tenendum, homini ineſſe liberum arbitrium, quo poteſt bene vel male agere, & per quod, ſi etiam in peccato mortali fuerit, Deo adjuvante, ad gratiam reſurgere valet.

Probatur ſic: Quia magiſtri noſtri ſic determinarunt poſt Ariſtotelem & omnes Philoſophos, qui rationem in homine dominam conſtituunt loco Spiritus ſancti. Et hoc etiam eſt fundatum in ratione invincibili: quia alias non eſſet meritum, quod eſt opus elicitum ex potentia liberi arbitrii, concurrente Dei gratia. Et niſi voluntas eſſet effectiva volitionis, non bene ſtaret ordo moventium & motorum. Præterea non eſſemus cooperatores Dei in facienda ſalute noſtra, niſi concurreret motus & actio voluntatis cum auxilio gratiæ. Nam quod Lutherani dicunt, ipſam cooperationem eſſe ex dono Dei, quia voluntas ſit reformata ut conſentiat Deo, & adducunt pro ſe Scripturam, & formalia verba Auguſtini, qui dicit in principio libri De bono perſeverantiæ, quod Deus dat talem gratiam ſuis, ut ſibi perſeveranter adhæreant. Item in libro De correptione & gratia, ubi dicit, dari nobis gratiam, qua non tantum poſſimus, ſed etiam vellimus, idque efficaciter. Item, gratia Dei indeclinabiliter & inſeparabiliter agi fideles. Reſponſio eſt facilis, quod determinatio Facultatis, eſt ſupra opinionem unius Doctoris, juxta illud: Plus vident oculi, quam oculus. Similiter quod adverſus fundamentale principium, quod poſui, ſcilicet meritum eſſe effectum potentiæ liberi arbitrii, adducunt aliud dictum Auguſtini: quod gratia ſanctis eſt omne meritum. Solutio eſt, Auguſtinum neſciviſſe quid magiſtri noſtri ſuper hoc reſolutive dicturi eſſent.

AD ART. II.

Quum omne figmentum humani cordis ab infan- Gen. 6: 5.
tia malum eſſe pronunciet Dei Spiritus: quum nul- & 8: 21.
lum eſſe juſtum, nullum intelligentem, nullum qui Pſal. 14.
Deum exquirat, omnes vero eſſe inutiles, cor- verſ. 3.
ruptos, vacuos timore Dei, plenos fraude, ama- Rom. 3.
rulentia, & omni nequitiæ genere, deſtitutos gloria verſ. 10.
Dei tradat: quum omnem ſenſum carnis inimicitiam Rom. 8: 6.
eſſe adverſus Deum clamet: nec quicquam nobis 2 Cor. 3.
faciat reliquum, ne ad bene cogitandum quidem: verſ. 5.
nos cum Auguſtino pronunciamus, hominem libero Lib. 3. ad
arbitrio male uſum, & ſe, & illud perdidiſſe. Item, Boniface.
victa vitio in quod cecidit voluntate, carere liber- Homil. in
tate naturam. Item, non eſſe liberam voluntatem, Joan. 53.
quæ cupiditatibus vincentibus ac vincientibus ſub-
dita ſit. Item cum Ambroſio, non eſſe in poteſtate De fuga
noſtra cor noſtrum, nec cogitationes noſtras. Si- ſeculi.
militer quum opus ſuum eſſe teſtetur Deus, Inno- Pſal. 51.
vare cor, ex lapideo facere carneum, inſcribere verſ. 12.
Legem ſuam cordibus, & viſceribus noſtris eam in- Eze. 36.
ſculpere, facere ut in præceptis ſuis ambulemus, verſ. 26.
dare & bonam voluntatem & operis effectum, po- Jere. 31.
nere in cordibus noſtris timorem nominis ſui, ne verſ. 33.
unquam à ſe recedamus, perficere denique opus Phil. 2: 13
bonum quod incepit in nobis, uſque in diem Chri- Jere. 32.
ſti: Conſtituimus iterum cum Auguſtino agi filios verſ. 39.
Dei ejus Spiritu, ut quod agendum eſt agant. Item Eze. 11.
trahi ab eo, ut volentes ex nolentibus fiant. Item, verſ. 19.
poſt caſum hominis non niſi ad Dei gratiam perti- Phil. 1: 6.
nere, ut homo ad eum accedat; nec pertinere niſi De cor. &
ad eandem gratiam, ut ab eo non recedat. Item, grat. c. 2.
nos neſcire quid in voluntate noſtra boni inveniri Lib. 1. ad
poſſit quod ſit noſtrum. Item, quia liberum arbitrium Bon. c. 19.
primi peccati magnitudine perdidimus, ut in Deum De bono
credamus & pie vivamus: non eſſe volentis, neque perſ. c. 7.
currentis, non quia non velle debeamus & currere, Lib. 2. de
ſed quia Deus utrumque efficit. Item cum Cy- pecc. mer.
priano in nullo eſſe gloriandum, quando nihil no- & remiſſ.
ſtrum ſit. cap. 18.
Epiſt 107
ad Vital.

ARTICULUS III.

De Pœnitentia.

Nec minus certum eſt adultis & ratione utentibus, poſt peccatum mortale admiſſum neceſſariam eſſe pœnitentiam: quæ in contritione & confeſſione ſacramentali vocaliter Sacerdoti facienda, ſimiliter & ſatisfactione conſiſtit.

Notandum eſt quod Lutherani non loquuntur doctrinaliter de pœnitentia, quando dicunt quod ſit converſio ad Deum, quæ naſcatur ex odio & diſplicentia peccati & amore juſtitiæ. Item, quod homo debet abnegare propriam voluntatem, ut à Deo gubernetur. Item, quod debet humiliari ſentiendo iram Dei & horrores mortis. Nam ſufficit contritio pro peccatis mortalibus: ita, ut ſint pro ſingulis peccatis ſingulæ contritiones ad menſuram. Quantum vero pertinet ad confeſſionem: notandum eſt, quod materia ſit de jure divino: forma autem de jure poſitivo: in quo non tantum Lutherani errant, ſed etiam Canoniſtæ, qui tenent legem de confeſſione

eſſe

eſſe mere poſitivam. Probatur autem ſic, quod materia ſit de jure divino: quia dicit Jacobus, Confitemini alterutrum. Hæc eſt rudis materia: quia niſi ab extra formaretur, ſequeretur quod Sacerdotes deberent confiteri laicis: quoniam alterutrum ſignificat reciproce: vel quod laici non eſſent capaces ad confitendum: quia non poſſent audire aliorum confeſſiones: ſed forma ſuperaddita fuit per Innocentium Papam, quod hoc deberet fieri proprio Sacerdoti. Hæc eſt magiſtralis diſtinctio totius ſcholæ. Quod autem oporteat ſatisfacere Deo, probatur ſic: Quia alias nihil eſſet quod dicitur de operibus ſupererogationis. Deinde falſum eſſet quod tenet ſchola, de remiſſione culpæ & retentione pœnæ. Et ita habent Lutherani quod volunt, nos nihil poſſe facere quod non debeamus Deo. Item, Deo nos reconciliari gratis per ſatisfactionem Chriſti. Nunquam autem debemus hoc illis concedere, quia trahit nimis longam caudam, ſicut infra videbitur, in tantum quod non eſſet amplius Purgatorium.

Ad Art. III.

Pœnitentiam ubique requirit à nobis Dei Spiritus: in Lege, in Prophetis, in Euangelio: ſimul etiam definit, quid hoc nomine intelligat, dum jubet
Ezech. 18. innovari corda, circumcidi Domino, auferri præ-
verſ. 31. putium, lavari, & ceſſare à malis ſtudiis, ſolvere
Jer. 4: 4. faſciculum iniquitatis intus ligatum, ſcindere corda
Jeſa. 1. & non veſtimenta, exuere veterem hominem, re-
verſ. 16. nunciare propriis deſideriis, & renovari in imagi-
& 58: 6. nem Dei: præterea, fructus etiam pœnitentiæ com-
Joel. 2. memorat, charitatis officia, & exercitia piæ ac
verſ. 13. ſanctæ vitæ. De confeſſione ad aurem Sacerdotis
Rom 6: 6. facienda, nulla uſquam mentio. De ſatisfactione
Col 3: 10. multo minus. Quin etiam conſtat ante Innocentium
Epheſ. 4. tertium, nullam confitendi neceſſitatem impoſitam
v. 22. &c. fuiſſe Chriſtiano populo. Extat enim decretum ejus,
Col 3: 14. factum in Concilio Lateranenſi. Ergo per annos
Can. Omnes utriuſque ſexus. mille circiter & ducentos incognita fuit Chriſtianæ
Eccleſiæ hæc theologia, quod ad pœnitentiam neceſſario requiratur vocalis confeſſio. Et clara ſunt
Hom. 2. in Pſal. 50. verba Chryſoſtomi: Non dico, ut conſervo tuo
confitearis: dicito Domino. Item: Non eſt neceſſe
Serm. de pœnit. & confeſſ. coram teſtibus confiteri. Cogitatione fiat delicto-
rum exquiſitio: ſine teſte ſit hoc judicium: ſolus
Homil 5. contra Anomæ. Deus te confitentem videat. Item: Non te voco in
hominum theatrum. Oſtende Deo optimo medico
tua vulnera, qui ea curet. Confitendi quidem mo-
Homil. 4. de Lazaro. rem non nego vetuſtiſſimum eſſe. Sed dico fuiſſe
Trip. hiſt. lib 9. liberum, ſicut Sozomenus refert in hiſtoria Eccle-
ſiaſtica, qui etiam abolitum fuiſſe Conſtantinopoli teſtis eſt, quod ſub hoc prætextu matrona quædam deprehenſa fuiſſet cum Diacono rem habere. Quod autem pauci tantum confiterentur, ex eo apparet, quod unum tantum Presbyterum, in unoquoque Epiſcopatu, ad eam rem deſtinatum fuiſſe narrat. Unde etiam colligere promptum eſt, hunc morem ex ſolenni publicæ pœnitentiæ ritu fuiſſe natum. Pœnitentia vero publica, non Deum in foro conſcientiæ reſpicit, ſed ad Eccleſiæ judicium ſpectat: ut peccator coram hominibus profiteatur aliquo ſigno, quid animi, coram Deo, habeat. Quod ad ſatisfactiones pertinet, Scriptura hanc laudem Chri-
1 Joan. 2. ſto in ſolidum vindicat, quod ſit expiatio pro pec-
verſ. 2. catis, quod correctio pacis noſtræ ſit ſuper eum;
Jeſa. 53. quod per ſolum ejus nomen, obtinenda ſit peccato-
verſ 5. rum remiſſio. Quantum ad nos, gratuite & ſine
Actor. 10. operibus impleri, teſtatur Paulus, in nobis hanc
verſ. 43. beatitudinem, quod nobis non imputentur peccata.
Rom. 4: 6. Satisfactiones autem quas in pœnitentiæ teſtimonium Eccleſia à peccatoribus exigit, non improbamus.

Articulus IV.

De juſtitia operum.

Adhæc peccatorem non ſola fide, ſed & bonis operibus juſtificari: quæ adeo neceſſaria ſunt, ut ſine illis nemo adultus vitam conſequatur.

Probatur ſic. Primum ratione philoſophica: juſtitia eſt qualitas, ideo nullus eſt juſtus extra ſe, ſed propter qualitatem operum. Item, eadem ratio partis quoad partem quæ totius quoad totum. Sed perfecta obedientia Legis eſt juſtitia. Ergo partialis obedientia eſt portio juſtitiæ. Quod autem Lutherani ponunt juſtificationem fidei in prædicamento relationis, dicentes quod ideo juſti ſumus, quia Deus habet nos gratos in Chriſto, ſecundum quod Paulus docet ad Epheſ. illud eſt contra omnem rationem philoſophiæ. Item, quod negant illud principium de proportione totius & partis in hac materia valere: quia Deus non promittat mercedem, niſi implentibus Legem ſuam: maledictos pronunciet, qui transgrediuntur in aliquo. Dico, quod contra negantem principia, non eſt arguendum. Item, nos habemus pro nobis unam aliam demonſtrationem. Contrariorum eadem eſt diſciplina: ſed nos damnamur propter mala opera: ergo juſtificamur propter bona. Quod autem Lutherani replicant, unum ſolum malum opus ſufficere ad damnationem, ſed ad ſalutem requiri perfectionem juſtitiæ. Reſpondeo, quod ſufficit nos pro parte juſtificari operibus, ut ſupra. Nam quod Paulus dicit, Stipendium peccati, mors: gratia autem Domini, vita æterna: ſupplendum eſt in ſecundo membro, cum meritis operum. Sequitur etiam alia demonſtratio, quia merces & meritum ſunt correlativa: Sed Deus promittit nobis mercedem pro bonis operibus: Ergo opera merentur vitam æternam. Et per conſequens juſtificant hominem. Quod autem Lutherani derident hoc argumentum, quia dicunt opera ideo remunerari à Deo, quia accepta ſint illi poſtquam gratis juſtificavit hominem: & ideo dicunt hoc præmium pendere à gratuita acceptatione, & propterea debere ſubordinari juſtitiæ fidei, tanquam effectum cauſæ ſuæ: Reſpondeo, quod hic modus argumentandi ſemper fuit practicatus. Et ideo eſt authenticus per longam conſuetudinem: quod ſi Deus remuneratur opera, ergo juſtificant.

Ad Art. IV.

Hæc ſunt Pauli verba: Si ex Lege hæreditas, ex- *Rom. 4.*
inanita eſt fides, & abolita promiſſio. Ideo ex fide *verſ. 14.*
datur, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio.
Dixerat autem prius, abſque Lege manifeſtatam eſſe *Rom. 3.*
juſtitiam Dei per fidem Chriſti in omnes & ſuper *verſ. 21.*
omnes qui credunt. Item, deſtitui omnes gloria *Rom. 3.*
Dei, juſtificari autem gratis per illius gratiam. Nunc *v. 22, 23.*
conjunge quod poſtea ipſe ſcribit: Si per gratiam, *Rom. 11.*
jam non ex operibus. Si ex operibus: ergo non per *verſ. 6.*
gratiam. Ratio eſt, ſicut alio loco docet: Quia *Rom. 4: 4.*
merces operanti non imputetur ſecundum gratiam,
ſed ſecundum debitum. Eandem ſententiam repetit
ad Epheſios: Gratia eſtis ſalvati, non ex operibus; *Epheſ. 2.*
ne quis glorietur. Quid autem his verbis ſignificet, *verſ. 8.*
exponit ad Romanos, inquiens: Quemadmodum & *Rom. 4: 6.*
David beatitudinem definit hominis, cui Deus imputat juſtitiam, abſque operibus Legis: Beati quo-
rum remiſſæ ſunt iniquitates. Item: Erat Deus in *2 Cor. 5.*
Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputans *verſ. 19.*
hominibus peccata. Eum enim qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur juſtitia Dei in illo. Videmus, ut doceat Deum juſtificare homines, remittendo illis peccata. Unde &
Zacharias hanc ſalutis ſcientiam nominat. Quod au- *Luc. 1.*
tem de Lege ceremoniali vulgo has omnes ſenten- *verſ. 77.*
tias intelligunt, frivolum eſt, quia ubique propriam homi-

Rom. 10. verſ. 3. *Galat. 3. verſ. 12.* *Philip. 3. verſ. 9.*

hominis juſtitiam fidei juſtitiæ opponit: ſicut ad Romanos: Volentes propriam juſtitiam ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti. Et rationem ſubnectit, quia Lex dicat: Qui fecerit hæc, viver in ipſis. Sicut etiam ad Galat. utitur hoc argumento: Juſtus ex fide vivet. Lex autem non eſt ex fide, ſed qui fecerit hæc, viver in ipſis. Chriſtus autem redemit nos à maledictione Legis, ut promiſſio Abrahæ facta impleretur in nobis per fidem. Item ad Philip. Non habens meam juſtitiam ex Lege, ſed eam quæ ex Deo eſt per fidem Chriſti. Conſtituimus ergo cum Auguſtino, non ſecundum merita noſtra, ſed ſecundum Dei miſericordiam firmam eſſe promiſſionem ſalutis. Item cum Bernardo, meritum omne noſtrum eſſe miſerationes Domini: vel, ut clarius loquamur, concludimus, poſt Baſilium Magnum, hanc eſſe perfectam & integram gloriationem in Deo, quando propriæ juſtitiæ inopes nos agnoſcimus: ſola autem fide in Chriſtum juſtificari: ſicut Paulus gloriatur, ob juſtitiæ propriæ contemptum, ut ita cadat omnis ſuperbia & altitudo, dum nihil homini reliquum ſit ad jactantiam.

Auguſt. in Pſal. 88. tract. 1. Bernard. ſerm. 6. ſuper cant. Baſil. ſerm. de humil.

A r t i c u l u s V.

De transſubſtantiatione panis in corpus.

Quilibet Chriſtianus tenetur credere, in conſecratione Eucharistiæ panem & vinum converti in verum Chriſti corpus & ſanguinem, remanentibus tantum panis & vini ſpeciebus, ſub quibus realiter verum Chriſti corpus continetur, quod ex Virgine natum eſt, & in cruce paſſum.

Probatur ſic. Quia eſt reſolutiva concluſio generalis Concilii, quod habitum eſt ab Hildebrando, alias Gregorio ſeptimo. Quod autem Lutherani derident factum Gregorii, allegantes quendam Brenonem Cardinalem, qui fuit ejus contemporaneus, dicentem quod ipſe indixerit triduanum jejunium, & juſſerit fieri proceſſionem ſolennem, ut haberet ſignum è cælo pro certitudine ejus rei: & tamen ſine aliqua revelatione concluſerit, tenendum pro articulo fidei, de quo erat incertus. Reſpondeo, illum Cardinalem fuiſſe Papæ invidum: & ideo ea malo animo ſcripſiſſe. Præterea Ambroſius hoc dicit in libro De Sacramentis. Nam quod Lutherani librum illum ineptum vocant, & indignum Ambroſio, & Eraſmus etiam id demonſtrat multis rationibus: Reſpondeo, ſatis eſſe, quod nomen Ambroſii fuerit ibi diu immatriculatum: & quod magiſter Sententiarum ſic allegat pro certo: cujus citationes debent haberi authenticæ. Quod autem Lutherani Scripturam pro ſe adducunt, facilis eſt ſolutio, de virga Moſis. Difficilius eſt ſolvere loca quæ allegant ex Patribus: niſi quod Patres loquuti ſunt ante determinationem Concilii. Nunc autem ſic non licet. Intelligas tamen, quod ſi contingeret Sacramenta rodi à vermibus aut tineis, aut alio modo corrumpi, tunc eſſet ſubſtantia panis, quæ miraculoſe rediret.

A d A r t. V.

Natura Sacramenti eſt, ut ſub viſibili ſigno exhibeatur nobis inviſibilis veritas. Jam vero ſi fallax fuerit ſignum, quid de re figurata ſentiendum nobis erit? Hanc proportionem rei cum ſigno indicavit Paulus his verbis: Unus panis, unum corpus ſumus omnes qui de pane uno participamus. Ergo ut ex Cœna diſcamus carnem Chriſti eſſe animæ noſtræ cibum, neceſſe eſt panem illic proponi, qui ejus rei imaginem demonſtret, ſicut idem Paulus loquitur: Panis quem frangimus, communicatio eſt corporis Chriſti. Quod ſi tantum inanis ſpecies panis illic appareat & non ſubſtantia, perit vis & efficacia Sacramenti. In hunc quoque modum loquuti ſunt omnes ſancti Patres. Irenæus: Quemadmodum qui eſt à terra panis, percipiens vocationem Domini, non jam communis panis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena & cæleſti. Et Canon Nicenæ Synodi ſic habet: Ne humiliter intenti ſimus ad propoſitum panem & poculum: ſed elevata mente fide conſideremus in ſancta illa menſa agnum Dei. Cyprianus: Quando Dominus corpus ſuum panem vocat de multorum granorum adunatione congeſtum, populum noſtrum quem portat, indicat adunatum. Et quando ſanguinem ſuum vinum appellat, de botris atque acinis expreſſum, gregem item noſtrum ſignificat commixtione adunatæ multitudinis copulatum. Sic etiam Fulgentius Sacramentum panis & calicis nuncupat. Denique, ſicut ait Auguſtinus, Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum, quas figurant, non haberent, utique Sacramenta non eſſent. Unde & panem in Chriſti corpore ſanctificatum vocarunt aliqui ex Patribus. Ipſa autem corporis Domini exhibitio qualis ſit, ex Auguſtino diſcere licet, cujus verba ſunt: Noli dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum, onde venturus eſt eadem viſibili forma atque ſubſtantia, qua viſus eſt aſcendere: cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Cavendum eſt enim, ne ſic divinitatem adſtruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Hæc eo ſpectant, non ut putemus inane ſymbolum nobis offerri, ſed ut dum volumus Chriſtum recipere, ſicut reipſa nobis datur, ſurſum corda erigamus.

1 Cor. 10. verſ. 16. *1 Cor. 10. verſ. 17.* *Libr. 4. adverſ. Valent.* *In Epiſt. ad Magnum.* *Fulg. ad Mony.* *Epiſt. 23. ad Boniſ.* *In Epiſt. ad Dard. 57.*

A r t i c u l u s VI.

De ſacrificio Miſſæ.

Sacrificium Miſſæ eſt ex Chriſti inſtitutione, valens pro vivis & mortuis.

Probatur ſic. Quia Chriſtus dicit: Hoc facite. Facere autem eſt ſacrificare, juxta illud Virg. Quum faciam vitula pro frugibus ipſe venito. De qua ſignificatione vide Macrobium. Quod autem Lutherani derident iſtam ſubtilitatem: quia Chriſtus loquebatur cum Apoſtolis lingua Syriaca vel Hebraica vulgari, & Euangeliſtæ Græce ſcripſerunt: Ad hoc reſponde, quod communis translatio Latina præponderat. Et notum eſt quod ſenſus Scripturæ peti debet ex Eccleſiæ determinatione. De valore autem ſacrificii pro vivis & mortuis, habemus approbationem ab experientia. Nam multæ viſiones factæ ſunt quibuſdam ſanctis Monachis dormientibus, quod animæ per Miſſas liberatæ fuerant de Purgatorio. Imo ſanctus Gregorius animam Trajani redemit ex inferno.

A d A r t. VI.

Mat. 26. verſ. 26. Marc. 14. verſ. 22. 1 Cor. 11. verſ. 24. Hebr. 9. verſ. 26. & 10:12. Hebr. 5:6. & 7:21.

Inſtitutio Chriſti ſic habet: Accipite & manducate, non autem offerte. Ergo ſacrificium non ex inſtituto Chriſti eſt, ſed palam cum eo pugnat. Præterea conſtat ex Scripturis, hoc peculiare, ac proprium fuiſſe Chriſti officium, ſeipſum offerre: ſicut dicit Apoſtolus, ipſum una oblatione in perpetuum ſanctificaſſe ſuos. Item ſemel apparuiſſe per oblationem ſui. Item hac ſanctificatione perfecta nullam amplius reſtare oblationem. Nam & in hunc finem conſecratus fuit Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ſine ſucceſſore, vel ſocio. Sacerdotii itaque honore ſpoliatur Chriſtus, quum jus ipſum offerendi transfertur ad alios. Poſtremo nemo uſurpare debet hunc honorem, niſi à Deo vocatus, teſte Apoſtolo. Nemo autem præter Chriſtum vocatus legitur. Rurſum quum promiſſio ad eos ſolos deſtinetur, qui Sacramento communicant: quo jure ad mortuos pertinebit?

Articulus VII.

De communione ſub una ſpecie.

Non eſt laicis ad ſalutem neceſſaria communio ſub utraque ſpecie: rectèque certis ac juſtis de cauſis olim ab Eccleſia ſancitum eſt, ut illis ſub una tantum panis ſpecie communicetur.

Probatur ſic. Quia periculum eſſet, ne ſanguis effunderetur. Quod autem interrogant Lutherani, utrum ſapientior fuerit Eccleſia Chriſto ad prævidendum hoc inconveniens, quod Chriſtus non bene caverat: Reſpondeo, quod Chriſtus bene prævidit, ſed tacuit: quia volebat experiri ſapientiam Eccleſiæ ſuæ in hac parte. Eſt etiam alterum inconveniens. Quia debet aſſervari in ciborio corpus Domini ad dandum ægrotis. Si autem ſanguis ſervaretur, fieret acetum: & ita propter corruptionem non eſſet amplius ſanguis. Imo Lutherani nos deriderent, dicentes: Nonne bene videtur quod eſt ibi vinum? Et ita hoc eſſet contra opinionem transſubſtantiationis. Tertio, hoc eſt rationale, quod Sacerdotes habeant aliquod privilegium ad deprimendam laicorum ſuperbiam. Quarto, hoc etiam valet ad probandam opinionem de concomitantia: quicquid garriant Lutherani, quod debemus ſequi & ſervare Chriſti diſpenſationem, quam ipſe pro noſtra infirmitate inſtituit. Item, eſſet aliud periculum ſi ſanguis ad bibendum daretur: quia ſapor poſſet generare ſuſpicionem laicis, quod eſſet ibi vinum. Et inde multa ſcandala orirentur. Quod ſi arguatur, Eccleſiam non habere poteſtatem diſpenſandi ſuper Chriſti præcepta: Reſpondeo, quod verbum Bibite, debet accipi in modo hortandi: ita erit conſilium, & non præceptum. Vix audeo allegare unum, quod tamen eſt valde ponderandum. Nam ſunt aliqui abſtemii qui vinum non bibunt, qui tamen non eſſent privandi altera ſpecie. Ego autem differebam hoc adducere, quia Lutherani ſubſannant, dicentes, quod ſi opinio noſtra eſt vera, non eſt amplius vinum, ſed ſanguis.

Ad Art. VII.

Mat. 26. Mandatum eſt Chriſti: Bibite omnes. Quin
verſ. 27. etiam quum de pane ſimpliciter dixiſſet, Accipite,
manducate; quum ad calicem ventum eſt, jubet no-
minatim ut omnes bibant. Hoc ſe Paulus tradidiſſe
1 Cor. 11. Corinthiis, ſicut acceperat à Domino, teſtatur.
verſ. 23. Ratio quæ adduci ſolet de concomitantia, locum hic
non habet. Neque enim quid nobis det Chriſtus
intueri ſolum convenit, ſed etiam qualiter: aut, ſi
mavis, modus inſpiciendus eſt, quo Dominus ſe-
ipſum nobis vult communicare. Quemadmodum
ergo ſub pane dat nobis corpus, ita etiam ſub calice
ſanguinem. Proinde nihil nobis aliud reſtat, niſi ut
obediamus ejus mandato, ex ejus manu ſumendo
ſigna quæ porrigit nobis, ut rerum veritate fruamur.
Nam quia corporei ſumus, quemadmodum Chry-
Hom. 60. ad popul. ſoſtomus admonet, ſub viſibilibus, pro captu mo-
duli noſtri, ſpiritualia nobis diſpenſat. Hic ritus
obſervatus fuit in Eccleſia ultra annos mille, ſicut
teſtantur omnium patrum ſcripta. Caro, inquit
De reſurr. Tertullianus, corpore & ſanguine Chriſti paſcitur,
carnis. ut anima de Deo ſaginetur. Et Theodoritus verba
Libr. 3. Ambroſii refert ad Theodoſium Imperatorem: Quo-
Eccleſiaſt. modo hujuſmodi manibus ſacrum Domini corpus
hiſt. c. 8. ſuſcipies? qua audacia poculum pretioſi ſanguinis
In Soph. ori tuo admovebis? Hieronymus: Sacerdotes qui
Euchariſtiam conficiunt, & ſanguinem Domini po-
In 2. ad pulo diſtribuunt. Item Chryſoſtomus: Non ſicut
Cor. c. 9. in veteri Lege partem comedebat ſacerdos, partem
vero populus: ſed ea quæ ſunt Euchariſtiæ, commu-
nia ſunt omnia inter ſacerdotem & populum. Omni-
bus unum corpus proponitur, & calix unus. Sed de
obſervatione non eſt controverſia: quam omnes ta-
lem fuiſſe fatentur. Quod autem ſic fieri omnino *Refertur*
oportere cenſuerint, conſtat ex decreto Gelaſii, qui *Can. Comperimus,*
arceri jubet à toto Sacramento, qui à calice abſti- *de conſec.*
nent, quoniam diviſio hujus myſterii, inquit, *diſt. 2.*
grandi ſacrilegio non careat. Cyprianus vero for- *Epiſt. 2.*
titer contendit, nullo modo admittendum eſſe hoc *de lapſis.*
ſacrilegium.

Articulus VIII.

De poteſtate conſecrandi.

Porro ſolis ſacerdotibus, ſecundum Eccleſiæ ritum ordinatis, data eſt à Chriſto poteſtas conſecrandi verum Chriſti corpus, & in foro pœnitentiæ à peccatis abſolvendi.

Probatur ſic. Quia hæc verba per Epiſcopum in ordine dando proferuntur: Damus tibi poteſtatem conſecrandi, & offerendi Deo placabiles hoſtias. Sed quæritur de quo Eccleſiæ ritu, magiſtri noſtri intelligant: quum ceremoniæ quibus utimur, non fuerint factæ in Apoſtolis, nec in eorum coæqualibus. Ad hoc reſpondeo, quod privilegium fuit illis datum per ſpecialem diſpenſationem. Si quis autem replicet de ſucceſſoribus, qui etiam per multos annos non fuerunt uncti, nec ordinati noſtro more aut forma, dico quod illud totum tempus debet relinqui in dubio, & bene meretur, quia non erat adhuc concluſum de transſubſtantiatione.

Ad Art. VIII.

Sacerdotes fatemur diſpenſatores eſſe myſterio- *1 Cor. 4.*
rum Dei: ideoque legitimos Cœnæ adminiſtros: *verſ. 1.*
ſed ordinatos Chriſti & Apoſtolorum ritu, atque
etiam veteris Eccleſiæ: in qua ſola impoſitio ma- *Actor. 13.*
nuum uſitata erat, ſine unctione, & aliis nugis. *verſ. 3.*
Quanquam in ordinatione finis potiſſimum ſpectan- *1 Tim. 4.*
dus eſt, atque officium cui deſtinantur ſacerdotes. *verſ. 14.* *2 Tim. 1.*
Conſtitui porro, ex Dei mandato & regula Scri- *verſ. 6.*
pturæ debent, non ad immolandum, ſed ad regen-
dam Eccleſiam, paſcendumque gregem verbo Do-
mini, & Sacramenta adminiſtranda. De abſolvendi
poteſtate ſic habendum eſt, datum quidem miniſte- *2 Cor. 5.*
rium reconciliationis veris Paſtoribus, ut ſua do- *verſ. 20.*
ctrina, hoc eſt, Euangelii prædicatione, homines
reducendo cum Deo in gratiam, à peccatis abſolvant.
Hoc tamen non alligatum eſſe perſonis, ſed verbo:
adeoque verbo potius quam hominibus eſſe datum,
ut à quocunque proferatur gratiæ remiſſio, certam
abſolutionem in foro conſcientiæ adferat. Tametſi
enim peculiariter Apoſtolis dicitur, Quorum remi- *Joan. 20.*
ſeritis peccata, remittentur; tamen claves univerſæ *verſ. 23.*
Eccleſiæ datas eſſe agnoſcunt ſancti patres, nomina- *De ſimpl. prælator.*
tim Cyprianus & Auguſtinus, quibus alii aſſentiun- *Hom. 50.*
tur. Nam remiſſio peccatorum in Chriſto, per quem- *& 124.*
cunque annuncietur, vera eſt abſolutio. *in Joan. item de doctrin. Chriſt. l. 1. c. 18.*

Articulus IX.

De intentione conſecrandi.

Quos certum eſt, etiam ſi mali fuerint, & in peccato mortali, conſecrare verum Chriſti corpus: ſiquidem illud conſecrare intendant.

Probatur ſic. Quoniam alias ſupervacanea, imo irrationabilis eſſet cautio, quod Sacramentum adorari à laicis fide implicita debet, hoc eſt, ſub iſta conditione: ſi ſacerdos celebrans Miſſam habuerit intentionem conſecrandi, non tantum habitualem, ſed etiam actualem præſentialiter, & in ipſo actu. Sed opponitur contra, quod ita ſacerdos poſſet annihilare Sacramentum. Ad hoc reſpondeo, quod non eſt Sacramentum, ubi non eſt intentio. Probatur ſecundo.

Digitized by Google

cundo. Quia ſupervacuæ, imo etiam ſtultæ eſſent quæſtiones Doctorum: ſi ſint centum hoſtiæ, cum unaı & ſacerdos non intendat conſecrare niſi centum, quid juris tunc eſſet? & utrum una non remaneat panis. Item, quæ ex omnibus debeat illo caſu ſeparari pro pane: vel potios, utrum, quia fuit abuſiva intentio, fuerit inefficax ſimiliter in omnibus: & oporteat iterum incipere. Quod autem Lutherani dicunt debere clare & alta voce pronunciari verba, hoc nihil eſt, quia magis convenit dignitati myſterii baſſa voce recitare.

AD ART. IX.

Mat. 26. & alibi.

Auguſt in omnib. lib. contra Donatiſt. & alibi.

Chriſtus non uni dicit: Si volueris, habebis corpus meum, & aliis dabis: ſed ſuos ſimul omnes alloquitur, quum promittit ſe daturum ſuum corpus. Siquidem ad eos deſtinatur promiſſio, quibus dictum erat: Accipite, manducate. Ergo neque in hominis quantumvis impii, neque in diaboli etiam poteſtate eſt, hanc promiſſionem facere irritam. Atque huc pertinenr Patrum ſententiæ, quum dicunt, Sacramento nihil detrahi, neque perire quicquam de ejus virtute, qualiſcunque ſit miniſter. Conſtituimus ergo oihil eſſe abſurdius, quam relinquere hoc in arbitrio, vel potius libidine impii miniſtri, ut Eccleſiam privet Chriſti beneficio, quoties viſum fuerit. Neque vero minus abſurdum eſt, hac poteſtate præditos fingere ſacerdotes, ut quoties placuerit conſecrare, illis liceat, etiam præter Chriſti inſtitutum. Subeſt enim promiſſio mandato, cui annexa eſt. Ideo Chriſti corpus non habenr, niſi qui ſecundum regulam ab ipſo poſitam, Cœnam celebrant. Conſtituimus ergo, frivolam, & nihilt eſſe conſecrationem, ubi ſacerdos ſibi ſoli, ſeorſum ab aliis, conſecrare audet. Neque enim magicæ incantationis verba ſunt: Hoc eſt corpus meum: ſed promiſſionem continent, actioni à Chriſto inſtitutæ ſervientem. Unde & illud perperam fieri conſtat, quod levi ſuſurro demurmurantur, quum palam clara voce pronunciari debeanr: ſicut etiam ex contextu patet: Accipite, manducate, hoc eſt corpus meum. Qua ratione Auguſtinus conſecrationis verbum appellat, verbum fidei quod prædicatur.

Homil in Joan. 80.

ARTICULUS X.

De confirmatione & unctione.

Cæterum confirmatio & unctio extrema duo ſunt Sacramenta à Chriſto inſtituta: per quæ datur gratia Spiritus ſancti.

Refert. de conſecrat. diſtinct. 5. cap. Ut jejunii.

Probatur ſic. Quoniam aliter blaſphemaret concilium Aurelianenſe, quando dicit, quod nunquam erit Chriſtianus plenus, qui conſecratione epiſcopali non fuerit chriſmatus. Item blaſphemaret Melchiades Papa, quum dicit, quod Baptiſmo regeneramur ad vitam: in confirmatione armamur ad pugnam. Multo etiam magis quum dicit, majore veneratione venerandum, & tenendum hoc Sacramentum, quam Baptiſmi. Sed eſt una alia probatio peremptoria, quod nihil fit in Eccleſia majori pompa nec ſolennitate, quam ſancti chriſmatis conſecratio. Unde apparet, quod tam extrema unctio, quam confirmatio, in maximo honore haberi debent: nec revocari in dubium quaſi ſint ex hominum inventione.

AD ART. X.

Actor. 19. verſ. 6.

Legimus Apoſtolos, impoſitione manuum, viſibiles Spiritus gratias contuliſſe. Sed hoc fuiſſe temporale donum, experientia demonſtrat. Imo ſtatim poſt mortem Apoſtolorum deſiiſſe, vetuſtiſſimi ſcriptores teſtantur. Ceremoniam imponendi manus retentam à ſucceſſoribus fuiſſe fatentur, quum fidei ſuæ confeſſionem ederent adoleſcentes: ſed non hoc fine, ut Sacramentum haberetur à Chriſto inſtitutum. Nam Auguſtinus nihil aliud eſſe affirmat, quam orationem. Eadem ratio eſt extremæ unctionis. Fuit enim ſymbolum temporalis doni: quod ſcimus non diu poſt Apoſtolos duraſſe. Apoſtoli ungebant in nomine Domini eos, quibus vim Spiritus ſancti præſentem, in dono ſanationis exhibebant. Hoc fieri jubet Jacobus. Sed nunc ubi ſanatio? ubi unguntur ſemimortui homines, dum animam exhalant. Ergo, qui nunc ſymbola ſine re uſurpant, non imitatores, ſed ſimiæ ſunt Apoſtolorum.

Lib. 3. de Bapt. contra Don. cap. 16.

Marc. 6. verſ. 13.

Jacob. 5. verſ. 14.

ARTICULUS XI.

De miraculis Sanctorum.

Nec dubitandum, Sanctos & in hac mortali vita, & in paradiſo agentes, miracula operari.

Probatur ſic. Nam apparet quomodo beatiſſima Virgo teſuſcitet infantes, ut ſepeliantur in loco ſacro: qui alias haberent ſepulchrum cum canibus. Quod autem Lutherani dicunt, Deum hoc modo punire idololatriam mundi, quando diabolus, ſub nomine Sanctorum, facit miracula: & pro hoc adducunt Hieronymum, qui refert, Ægyptios ſanatos fuiſſe à morſu ſerpentum, ad ſepulchrum Jeremiæ, quem tamen pro Deo colebant. Reſpondeo, quod non colimus Sanctos pro diis, quia non adoramus eos niſi adoratione duliæ. Eſt etiam alia probatio validior ab antiquitate: Quia ſemper hoc fuit factum, ſicut Ambroſii tempore, ad ſepulchra Gervaſii & Protaſii cæcus fuir illuminatus. Quod autem Lutherani ex Auguſtino replicant, hoc fuiſſe ad confirmandam rectam fidem, & non ad ſuperſtitionem: Reſpondeo, quod recta fides eſt colere Sanctos, & eorum baſilicas viſitare, ſicut ex ſubſequentibus patebit.

In Proœ. Prophet.

AD ART. XI.

Scimus ex Scripturis, ad quid valeant & in quem finem conferenda ſint miracula. Nempe ad confirmandam Euangelii doctrinam: ſicut habetur apud Marcum: Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. Item apud Lucam in Actis, quod Dominus reddebat teſtimonium ſermoni gratiæ ſuæ, quum ederentur ſigna per manus Apoſtolorum. Proinde hic legitimus eſt miraculorum uſus: ut recipiantur tanquam doctrinæ Euangelii ſigilla, eoque non hominum vel Angelorum, ſed unius Dei gloriæ ſerviant: quemadmodum dicebat Petrus: Viri Iſraëlitæ, quid nos intuemini? quaſi noſtra virtute aut pietate hoc fecerimus. Nomen Chriſti, & fides, quæ per eum eſt, contulit huic ſanitatem. Quum autem prædixit Chriſtus, regnum Antichriſti miraculis ſtabilitum iri, & hoc Chriſti vaticinium confirmarir Paulus: conſtituimus cum Auguſtino, Dominum, cautos nos reddidiſſe adverſus Mirabiliarios (ſic enim loquitur) qui ſignorum prætextu, orbem abducunt ab unitate fidei. Duplex vero hic tenenda eſt cautio. Nam & multis præſtigiis illudit Satan hominibus: & multa etiam deſignari patitur Deus, ad vindicandam hominum ingratitudinem, ſicut Paulus teſtatur, & poſt Paulum Auguſtinus.

Marc. 16. verſ. 20.

Actor. 14. verſ. 3.

Rom. 15. verſ. 19.

Actor. 3. verſ. 12.

Mat. 24. verſ. 24.

2 Theſſ. 2. verſ. 9.

Homil. in Joan. 13.

2 Theſſ. 2. verſ. 9.

De unitat. Eccleſ. cap. 119.

ARTICULUS XII.

De orandis Sanctis.

Sanctum eſt, & Deo maxime gratum, orare beatam Dei genitricem, & Sanctos qui in cælo ſunt, ut ſint pro nobis advocati & interceſſores apud Deum.

Probatur ſic. Quid enim ſancti facerent io cælo, ſi non orarent pro nobis? Quod ſi orant, ergo orandi

 ſunt.

ſunt. Negant hanc conſequentiam Lutherani. Sed probatur ex eo, quod Sancti Deo ſunt ſimiles. Deus autem vult coli à nobis, igitur & Sancti. Quod autem dicunt Lutherani per deriſionem, nos facere Sanctos valde auritos: Solutio eſt facilis. Quia vident quæ aguntur in mundo, per lumen reflexum, quod habent ex irradiatione Dei. Secunda probatio: quod omnes Pagani ſemper habuerunt minores deos pro ſuis interceſſoribus. Non eſt autem rationabile, quod Chriſtiani habeant minus privilegii quam Gentiles. Unde & hoc modo correctus fuit error illorum, quum ad Sanctos translatus fuit honor, quem idolis ſuis faciebant: ſicuti quando Papa mutavit nomen templi, quod vocabatur Pantheon, & vocavit Pantagium. Et ex multis feſtis ſimiliter factum fuit, ut in deſpectu Gentilium, Chriſtiani in honorem Sanctorum inebrientur.

Ad Art. XII.

Marc. 11. Scriptura, fidem in oratione requirit. Et Paulus
verſ. 24. nominatim addit, hanc fidem eſſe ex verbo Dei. Et
Rom. 10. Jacobus hæſitare nos prohibet in precibus. Jam
verſ. 17. vero, ſi verbo Dei obedire volumus, ſolum Deum
Jac 1:6. invocare convenit in Chriſti nomine. Nam & Deus
Pſal 50. hunc ſpiritualem eſſe cultum nominis ſui perhibet,
verſ. 15. & mediatorem unum nobis proponit, Filium ſuum:
& 91:15. quo interceſſore docet Paulus patere nobis facilem
Joel. 2. acceſſum ad Deum cum fiducia. Et alter Apoſtolus
verſ. 32. nos hortatur, ut freti tali advocato, adeamus ad
Jer. 29. thronum gratiæ. Mandatum igitur nullum quum
verſ. 12. extet de quærenda Sanctorum mortuorum inter-
1 Tim. 2. ceſſione, quum nulla promiſſio uſquam reperiatur,
verſ. 5. conſtituimus pugnare hoc orationis genus cum Scri-
1 Joan. 2. pturæ regula. Adhæc, nullum ejus rei exemplum
verſ. 1. prodiderunt vel Prophetæ, vel Apoſtoli. Nunc apud
Epheſ. 3. ſe quiſque pius expendat, quam ſit periculoſum,
verſ. 12. non tantum abſque verbo Dei, ſed etiam præter ex-
Hebr 4. emplum, tentare novum orationis genus. Quod au-
verſ. 16. tem jubet Spiritus nos mutuò alios, pro aliis intercedere, hoc mutuæ charitatis eſt exercitium in hac
Jerem. 9 vita, ſicut ex omnibus locis conſtat. Videmus au-
verſ. 13. tem quantopere abominetur ubique Deus Baalim,
& 11:13. quo nomine intelligebant patronos, quorum præſi-
Oſea 2:8. dio adjuvarentur. Huc poſtremo accedit, quod aſſerere nemo poteſt, an tam longæ ſint Sanctis aures, ut ad eas uſque, pertingant orationes noſtræ. Quin etiam parum conſentaneum cum ratione id videtur.

Articulus XIII.

De veneratione Sanctorum.

Itaque Sancti, beatam cum Chriſto vitam degentes, non ſolum ſunt imitandi: ſed & venerandi & orandi.

Si verum eſt brocardicum illud, quod communis error facit jus, ſufficienter jam probata eſt veneratio Sanctorum: tamen quia Lutherani replicant, transferri hoc modo ad Sanctos Dei gloriam, teneas ſemper in memoria diſtinctionem ſcholæ: quod non colimus eos niſi oratione duliæ.

Ad Art. XIII.

De oratione jam dictum eſt. Eorum autem veneratio non alia nobis commendatur in Scripturis, quam quæ in univerſum debetur fidelibus, juxta Pſalmum 15. & 139. Sic tamen ut unicuique habeatur honor pro menſura gratiæ. Ergo de ſanctis, prout quiſque eorum excellit Dei donis, aut in altiore gradu collocatus eſt à Domino, honorifice ſentiendum eſt, ac loquendum. Cultum vero illis exhibere, ſicut ſolet mundus, profana eſt ſuperſtitio, & quæ Gentium potius inſaniam redolet, quam Eccleſiæ Dei conveniat. Quin etiam palam
repugnat præcepto: Dominum adorabis, & illum Deut. 6.
ſolum coles. verſ. 13.
Matth. 4.
verſ. 10.

Articulus XIV.

De peregrinationibus.

Ob idque religioſe faciunt, quæ loca eis dicata, ex devotione viſitant.

Probatur ſic. Quia eſſet magna ingratitudo, ſi minus honoris fieret Sanctis quam idolis Gentilium: Quorum tamen quædam templa habebant ſingularem devotionem præ aliis, ſicut Delphis Apollo, & Proſerpina Ennæ in Cilicia. Deinde argui etiam poteſt à probabili, quod Sancti magis frequentant loca, ubi ſunt eorum ſepulchra & reliquiæ, vel ubi magis honorantur, quam alia.

Ad Art. XIV.

Chriſtus diſcrimen omne locorum ſuſtulit, quum
diceret: Venit hora, quando veri cultores, non in Joan. 4.
monte hoc, neque Jeroſolymis, ſed ubique adora- v. 21. 23.
hunt Deum in ſpiritu & veritate. Neque enim illic de præpoſtero ſtudio paucorum loquitur; ſed quid differamus à patribus veteris Teſtamenti, oſtendit.
Cum hac ſententia convenit iſta Pauli: Viros jubeo, 1 Tim. 2.
in omni loco tollere puras manus. Judaiſmum ergo verſ. 8.
revocant, qui locis affingunt novam ſanctitatem: ut pietatis officium cenſeatur, hunc aut illum locum inviſere: quanquam ſuperſtitio hæc Judaiſmo deterior, quod locus adorandi Jeroſolymis deſignatus aliquando fuit. Iſti autem idololatrarum exemplo lucos, & fana ſibi pro libidine erigunt. Deinde Jeroſolymis adorabatur ſolus Deus. Hi autem hominibus templa conſecrant.

Articulus XV.

Quod Sancti rite, priuſquam Deus invocari poſſint.

Si quis in templo, aut extra templum, prius ſua oratione ad beatam Virginem, aut Sanctorum aliquem recurrat, non peccat.

Probatur ex proverbio vulgari, quod non cognoſcitur Deus inter Sanctos. Deinde impetuoſa devotio, etiamſi ſit inordinata, poteſt bene excuſari per eſtaſim.

Ad Art. XV.

Si omnino ad Sanctos in precibus confugere fas non eſt: fruſtra diſputatur ante, an poſt. Quum autem Chriſtus nobis ſit propoſitus mediator unus, per quem ad Deum debeamus accedere: qui illo præterito, vel poſthabito, ad Sanctos ſe conferunt,
nihil habent, quo ſuam pravitatem excuſent. Solo- 1 Reg. 8.
mon in ſolenni Templi dedicatione, hunc uſum ex- verſ. 20.
primebat. Hic invocabitur nomen tuum Domine.
Extra templum, dicunt omnes fideles: Hi in curri- Pſal. 20.
bus, alii in equis: nos autem in nomine Domini in- verſ. 8.
vocabimus.

Articulus XVI.

De adoratione crucis & imaginum.

Nec ullo modo addubitandum eſt, quin, genu flectere coram imagine Crucifixi, & beatæ Mariæ, & Sanctorum ad rogandum Chriſtum, & Sanctos, opus ſit pium ac bonum.

Quod Crucifixi & Sanctorum imagines, genu flexione coli debeant, probatur auctoritate concilii Niceni

Niceni ultimi. Nam utcunque Gregorius concedat, Serenum Maſſiliæ epiſcopum bene feciſſe, quod illas adorari prohibuerat: tamen Concilium quod poſtea ſubſequutum eſt, potuit hoc infringere: ſicut decreta poſteriora derogant prioribus. Probatur ſecundo, ratione. Quia ſi reliquiæ, & veſtes coluntur in eorum memoriam, non eſt minor ratio de imaginibus. Antecedens patet ex communi uſu. Tertio probatur à ſimili: Quia ſtatuas Principum, etiam ethnicorum, veneratur populus. Quarto, probatur ex miraculis. Quia multæ Sanctorum imagines riſerunt, vel fleverunt ad devotionem precantium. Aliquæ etiam loquutæ ſunt. Quinto, probatur ab experientia ſenſus noſtri. Quia orantes ante imaginem magis ad devotionem accendimur, & zelus noſter excitatur ipſo aſpectu. Sexto probatur, quia ſic oportuit corrigi errorem Gentilium, qui ante ſua idola genu flectebant, ſicut nunc facimus ante Sanctorum imagines.

Ad Art. XVI.

Exod. 20. verſ. 5. Deut. 5. verſ. 9. De imaginibus ac ſimulachris præceptum Dei eſt: Non adorabis, neque coles. Porro genu flectere, hoc ipſum eſt, quod adorandi verbo indicatur. Atque hanc fuiſſe Gentilium opinionem, ut deos cæleſtes precarentur, quum ſe ad imagines converterent, ex libris eorum palam eſt. Refert etiam Auguſtinus, *in Pſ. 113.* quas excuſationes prætexere ſolebant ſui temporis idololatræ. Dicebant enim vulgares, ſe non viſibile illud colere, ſed numen quod illic inviſibiliter habitabat. Qui vero purgatioris, ut ipſe loquitur, religionis erant, nec ſimulachrum, nec dæmonium ſe colere aiebant, ſed per effigiem corpoream, intueri ejus rei ſignum, quam colere deberent. Idem ex Euſebio & Lactantio licet intelligere. Quum ergo nihil à veteribus idololatris differant, qui hodie ſe proſternunt coram ſtatuis, conſtituimus ex verbo Dei, & veterum patrum ſententia, morem hunc aperte damnari. Et certe verum eſt *in Pſ. 113.* quod ait Auguſtinus, neminem orare, vel adorare intuentem ſimulachrum, quin ab eo exaudiri ſe putet. Hoc enim facit & quodammodo extorquet illa membrorum figura, inquit, uti animus in corpore vivens, arbitretur ſentire corpus, quod ſuo ſimillimum videt. Proinde quum in loco eminenti locantur, ut à precantibus videantur, ipſa ſimilitudine animatorum membrorum & ſenſuum, quamvis ſenſu & anima careant, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac ſpirare videantur. Hac ratione decretum fuit olim, ne qua pictura in templis eſſet, ne quod colitur, vel adoratur, in parietibus ſit depictum. *Orat. hab. in funere Theodo.* Ideo Ambroſius de Helena loquens, Invenit titulum, inquit, Regem adoravit, non lignum utique, quia hic Gentilis eſt error, & vanitas impiorum.

Articulus XVII.

De purgatorio.

Adhæc firmiter credendum eſt, & nullatenus dubitandum Purgatorium eſſe: in quo animæ detentæ, oratione, jejunio, eleemoſyna aliiſque bonis operibus juvantur, ut citius liberentur à pœnis.

Probatur ſic. Quia multis ſanctis monachis, & devotis matronis factæ ſunt variæ apparitiones, ubi animæ hoc dixerunt: ſicut habetur in dialogis Gregorii ad longum, imo per totum. Quod ſi Lutherani pro nihilo reputent tales revelationes, ſicut ipſi dicunt, vel eſſe phantaſias cerebri male diſpoſiti, vel ſpectra & præſtigias, quibus Satan illuſit hominibus: Reſpondeo, authenticas fuiſſe factas per auctoritatem Gregorii, qui fuit Papa. Probatur deinde, per longi temporis præſcriptionem. Quia omnes Eccleſiæ ſunt fundatæ ſuper opinionem Purgatorii: vel ſaltem locupletatæ, quoad anniverſaria. Imo etiam Pagani jam habebant iſtam notitiam, ſicut apparet tum ex Poëtis, & præſertim ex Ovidio. Quia ſi ſatisfaciendum eſt pro peccatis in hac vita mortali, ſequitur quod qui præventus eſt morte, debet ſatisfacere in alio mundo, & per conſequens eſt locus deſtinatus ad ſolvenda debita quæ reſtant. Probatur etiam ex philoſophia naturali: quia animæ, quæ ex craſſa corporis natura traxerunt humorem ponderoſum, non poſſent ſtatim in cælum evolare, niſi prius deſiccarentur per ignem. Quod autem magiſtri noſtri aſſerunt firmiter credendum, & nullatenus dubitandum, quod habet tantum apparentiam probabilitatis, in eo ſequuti ſunt regulam juris: Dubius in fide, infidelis eſt. Satius eſt tamen dicere, quod ſit res indubitabilis. Nam dato, quod rationes quæ adducuntur ſint dubiæ, auctoritas tamen Eccleſiæ ſuperveniens eas certificat. Hoc autem poſito quod ſit Purgatorium, ſequitur infallibiliter alterum: quod miſeræ animæ, quæ ibi torquentur, adjuvandæ ſint vivorum ſuffragiis: & tenendum eſt, quod non ſine cauſa Miſſa pro defunctis inſtituta fuit, quæ ſupponit animas ſacrificio illo juvari poſſe. Ideo pia mater Eccleſia, quum nihil haberet in Scripturis, maluit abuti Pſalmis, & lectionibus ex libro Job, & multis locis Prophetarum, quam relinquere miſeras animas ſine ſublevatione.

Ad Art. XVII.

De purgatorio in Scripturis perpetuum ſilentium: & Auguſtinus, qui in ea re conſuetudini cedit: *De cura pro mort. ag. cap. 1.* agnoſcit tamen nullo Scripturæ teſtimonio hanc opinionem adjuvari, niſi hiſtoria illa de oblatione Judæ Machabæi: quam tamen non eſſe canonicam, nec certæ auctoritatis, & ipſe fatetur, & Hieronymus admonet, & omnium conſenſu proditum eſt. Nam locum qui citari ſolet ex priore ad Corinthios, ipſe *1 Cor. 3. verſ. 13.* aliter exponit: quemadmodum ſani omnes aliter exponendum vident. Sicut enim metaphora eſt in nominibus ſtipulæ, fœni, & ligni: ita proculdubio nomen ignis metaphorice capitur pro examine Spiritus, quo humanæ doctrinæ pereunt: Dei autem veritas inſtar auri probatur. Tametſi autem Auguſtinus, *Auguſt. in Ench. ad Laur. cap. 68.* ut dixi, vinci ſe à conſuetudine paſſus eſt, ut purgatorium non negaret: nihil tamen audet aſſerere. Quin etiam dubitanter loquitur, dicens incredibile non eſſe, &, utrum ita ſit, quæri poſſe. Adhæc nequaquam ſibi conſtat. *Idem in eod. lib. cap. ſeq.* Siquidem alio loco animas, quum de ſeculo exierint, diverſas receptiones habere tradit, ubi boni gaudio fruantur: torqueantur mali. *Homil. in Joan. 49.* Requiem porro, quæ continuo poſt mortem datur, tunc quemque accipere, quum moritur, ſi ea dignus eſt. Verum, quum in nullius hominis arbitrio ſit ſtatuere de animis mortuorum: nihil tutius eſt, quam unum Deum de ipſarum ſtatu audire loquentem, cujus ipſe poteſtatem habet. *Apoc. 14. verſ. 13.* Quando autem Scriptura beatos eſſe mortuos teſtatur, qui in Domino moriuntur: quia requiem exinde à laboribus ſuis habeant: *Luc. 16. verſ. 25.* quando conſolationem eas recipere docet: *Philip. 1. verſ. 23.* vivere cum Chriſto, & frui Dei præſentia: in hac doctrina, quæ nihil habet controverſiæ, pedem figamus. *2 Cor. 5. verſ. 8.* Architectura vero purgatorii tantum habeat firmitudinis, quantum habere poteſt, quod de rebus incognitis fabrefactum eſt in hominis cerebro, extra verbum Dei. Orationes certe, quibus juvare eas vulgo ſtudent: quum nullo præcepto Dei, nulla etiam promiſſione fulciantur, fundamentum illud fidei, quod requirit *Rom. 10. verſ. 14.* Paulus in precibus fidelium, non habent. Nibil nobis diligentius præcipitur in Scripturis, quam ut omnia charitatis officia erga vivos exerceamus. De juvandis mortuis, nulla mentio. *In hiſt. vet. Teſt. praſert. in lib. Moſ. & lib. Reg.* Huc accedit, quod ne unum quidem exemplum extat: quum tamen multorum ſepulturas Scriptura commemoret: quorumdam etiam exequias referat, longo ſermone. Porro

non

non eſt credibile quod fuiſſet præcipui momenti, Spiritum Dei omiſiſſe, quum leviuſcula illa recenſeret.

ARTICULUS XVIII.

De Eccleſia & ejus auctoritate.

Tenetur & quilibet Chriſtianus firmiter credere, unam eſſe in terris univerſalem Eccleſiam viſibilem, in fide & moribus errare non valentem: cui omnes fideles, in iis quæ ſunt fidei & morum, obedire aſtringuntur.

Probatur ſic, quod Eccleſia poſſit videri. Quia Hierarchia, eſt ſignum infallibile ipſius. Ea eſt autem omni tempore viſibilis. Ergo Eccleſia etiam videtur. Quod autem non poſſit ſeparari Eccleſia à Hierarchia: ego ſumo tanquam unum ex principiis fidei. Probatur ſecundo, ex perpetua ſucceſſione. Perpetua autem ſucceſſio à tempore Apoſtolorum nota eſt, ex catalogo Paparum, quem refert Platina. Quod autem variant Doctores, in ſecundo ſucceſſore Petri: quoniam alii Clementem, alii Linum ponunt: quum hic error ſit in individuo, non impedit certitudinem generalitatis. Illud eſt magis difficile: quod Joanna creata fuit in Papam. Nam tunc videtur fuiſſe facta aliqua interruptio. Sed dicas, quod tunc ſedes ſupponebat in defectum hominis. Ita etiam dicendum eſt, de tempore ſchiſmatis: quum Gregorius, & Joannes, & Petrus, erant antipapæ. Item, quum electus fuit Amedeus, depoſito Eugenio in Concilio generali, & poſtea abdicatus, quia Eugenius fuit potentior. Hoc modo, remanebit perpetuus ordo ſucceſſionis. Secundum membrum, quod Eccleſia errare in fide & moribus non valeat, difficulter probatur in Eccleſia viſibili: tamen hoc ſatis eſſe debet ad probationem, quod ratum eſt quicquid determinavit Eccleſia Romana. Sed ratione adhuc melius probatur, quia immediate regitur à Spiritu ſancto. Sed Spiritus ſanctus non poteſt errare. Ergo per conſequens, neque ipſa. Tertio, probatur ex articulo ſequenti. Quia quum ad ipſam ſpectet determinare in omnibus: nihil eſſet certum in fide, niſi eſſemus reſoluti de ipſius infallibilitate. Sicuti nunc, ſi non eſſet hic invincibilis clypeus pro nobis, eſſemus jam centies victi à Lutheranis: quum habeant pro ſe apparentiam veritatis, & fortibus argumentis nos premant.

AD ART. XVIII.

Eccleſiam univerſalem eſſe & fuiſſe ab initio mundi, & fore uſque in finem, confitemur omnes. De aſpectu, unde agnoſci queat, quæſtio eſt. Eum conſtituimus in verbu Dei. Vel, ſi quis malit, quum Chriſtus ejus ſit caput: quemadmodum agnoſcitur homo ex facie, ita illam in Chriſto intuendam eſſe dici-
Mat. 24. vers. 28. mus. Sicut ſcriptum eſt: ubi erit corpus, illuc congregabuntur aquilæ. Item, erit unum ovile, &
Joan. 10. vers. 16. unus paſtor. Quum ergo non ſemper emineat pura
1 Cor. 11. vers. 19. verbi prædicatio: nec ſemper conſpicua ſit Chriſti facies. Inde colligimus, non ſemper Eccleſiam oculis hominum ſubjectam eſſe: quemadmodum multorum ſeculorum exempla teſtantur. Nam Prophetarum tempore, ſic prævalebat multitudo impiorum, ut oppreſſa eſſet vera Eccleſia. Sic etiam Chriſti tempore, videmus abſconditum fuiſſe ab hominibus exiguum Dei gregem: quum impii nomen Eccleſiæ ſibi uſurparent. Qui autem tam perſpicaces habent oculos, ut Eccleſiam ſibi viſibilem
1 Reg. 19. vers. 10. ſemper eſſe jactent, quid facient Heliæ, qui ſe ſolum reſtare ex Eccleſia putabat? Falſo id quidem, ſed id argumento eſt, Eccleſiam Dei poſſe nos non minus latere: præſertim quum ſciamus ex vaticinio
2 Theſſ. 2. vers. 3. Pauli prædictam fuiſſe defectionem. Statuamus ergo videri Eccleſiam ubi apparet Chriſtus: ubi verbum ejus auditur, ſicut ſcriptum eſt: Oves meæ Joan. 10. vers. 27.
vocem meam audiunt. Sepulta autem doctrina veritatis, Eccleſiam ſimul evaneſcere ex oculis homi- 1 Tim. 3. vers. 15.
num. Hanc Eccleſiam, fatemur cum Paulo, columnam & firmamentum eſſe veritatis: quia cuſtos eſt ſanæ doctrinæ: eamque propagat ſuo miniſterio ad poſteros, ne intercidat in mundo. Nam quum ſponſa ſit Chriſti, ſubjectam illi eſſe par eſt. Et hæc Epheſ. 5. vers. 24.
eſt ejus caſtitas, non abduci à Chriſti ſimplicitate, ſicut teſtatur Paulus. Non errat ergo, quia Dei ve- 2 Cor. 11. vers. 2. 3.
ritatem pro regula ſequitur. Ab ea ſi recedit, ſponſa eſſe deſinit, & ſit adultera. Qui vero ordinariæ poteſtati & aliis externis pompis Eccleſiam affigunt: audiant, quid de eo pronunciet Hilarius. Male, Contra Auxent.
inquit, nos parietum amor cepit. Male Eccleſiam Dei in tectis ædificiiſque veneramur. Anne ambiguum eſt, in his Antichriſtum eſſe ſeſſurum? Montes mihi, & ſylvæ, & lacus, & carceres, & voragines ſunt tutiores. In his enim Prophetæ, aut latentes, aut demerſi, prophetabant.

ARTICULUS XIX.

Quod ad Eccleſiam viſibilem pertineant definitiones in doctrina.

Quod ſi quid in Scripturis ſacris controverſiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Eccleſiam definire ſpectat & determinare.

Probatur ſic. Quia alias naſceretur horribilis confuſio, niſi Eccleſia haberet jus pronunciandi definitivam ſententiam in dogmatibus litigioſis. Sicut hodie Lutherani vellent habere vocem in capitulo, & jactarent verbum Domini: niſi opponeretur illis hæc replica ſine exceptione, quod ad Eccleſiam ſpectat determinare ultimate, ſine contradictione. Aliter non poſſemus illis claudere os. Deinde ſciendum eſt, quod Scriptura eſt tanquam naſus cereus: quia flecti poteſt hinc inde. Sed Eccleſiæ determinatio eſt fixa, & ſtabilis. Nam ſi hæretici cavillari velint unam, poteſt altero die fieri alia, quæ eos magis conſtringat.

AD ART. XIX.

Definitionum regula præſcribitur nobis à Paulo, 1 Cor 14. vers. 29.
quantum ad particulares Eccleſias, quum dicit: Prophetæ duo aut tres loquantur: alii dijudicent. Si loquente uno, fuerit quid melius alteri revelatum, ſurgat. Si quod inter Eccleſias diſſidium exortum ſit, fatemur hanc conſtituendæ concordiæ legitimam eſſe rationem, quæ ſemper obſervata fuit, ut coëant Paſtores, atque ex verbo Dei definiant, quid ſequendum ſit. Cæterum, ſi viſibilis Eccleſiæ definitiones pro oraculis habere libet: viſibilis erat Ec-
cleſia, cui ſolus Micheas reſiſtebat. Viſibilis etiam 1 Reg. 22. vers. 10.
erat Eccleſia, quæ dicebat: Venite, cogitemus ad-
verſus Jeremiam cogitationes. Non enim peribit Jere. 18. vers. 18.
ſapientia à ſapientibus, nec à ſenibus conſilium, nec lex à ſacerdotibus. Denique viſibilis Eccleſia
erat, Chriſti tempore, penes ſummum Pontificem Joan. 19. vers. 15.
& collegium ſacerdotale. Erat enim Hierarchia multo melius fundata, & certiore teſtimonio confirmata, quam hæc ſit cujus prætextu ſuperbiunt, qui Eccleſiæ titulum hodie uſurpant. Qui ergo audiendas viſibilis Eccleſiæ definitiones, ſine delectu & exceptione volunt, ſimul hanc neceſſitatem imponunt fidelibus, ut abnegato Chriſto, & relicta Dei veritate, impietati ſæpe adhæreant.

ARTI-

Digitized by Google

Articulus XX.

De articulis fidei per Eccleſiam traditis.

Eſt & certum, multa eſſe credenda, quæ non ſunt expreſſe ac ſpeciatim tradita in Scripturis ſacris: quæ tamen per traditionem Eccleſiæ ſunt neceſſario recipienda.

Probatur ab inconvenienti, vel abſurdo. Quia alias oporteret ferme facere novum mundum: quum vix centeſima pars eorum, quæ firmiter tenemus, & nihil dubitationis apud nos habent, expreſſe probari queat ex Scripturis. Sed quia eſt elicitum à longe per ſubtiles deductiones Doctorum, ideo manent in ſua certitudine. Probatur etiam à veriſimili. Quia credibile eſt quod Apoſtoli, quanivis eſſent pleni Spiritu ſancto, & haberent mandatum perfecte inſtruendi Eccleſiam, tamen voluerint aliquid relinquere ſuis ſucceſſoribus: ne in omnibus eos præoccupando, alas illis nimium decurtarent. Probatur item à ſimili: quia, ſicut apud Legiſtas eſt jus ſcriptum & non ſcriptum, ita debet eſſe in Theologia.

Ad Art. XX.

Hebr. 1:1. Multifariam, inquit Apoſtolus, multiſque modis
loquutus eſt olim Deus per Prophetas: noviſſime
loquutus eſt per Filium ſuum dilectum. Doctrinæ
vero Chriſti qualis fuerit expectatio in populo Iſraë-
Joan. 4. litico, oſtendit vox mulieris Samaritanæ: Meſſias,
verſ. 25. quum venerit, annunciabit nobis omnia. In hac
ergo doctrina ſtandum eſt, in qua ſcimus perfectum
cæleſtis ſapientiæ complementum incluſum eſſe.
Lib. 2. de Bene ergo Auguſtinus, qui judicat, non eſſe neceſſa-
pecc. mer. rium ad ſalutem, quicquid proditum Scripturis non
& remiſſ. eſt. Quia ſi cognitu fuiſſet neceſſarium, Deus non
cap. ult. omiſiſſet. Inſignis etiam eſt ſententia Chryſoſtomi,
De ſanct. ubi dicit: Sicut Chriſtus non à ſeipſo loqui ſe teſta-
& ador. in tus eſt: quia ex Lege loquebatur & Prophetis: ita
Spiritu. ſi quid præter Euangelium, ſub titulo Spiritus ob-
trudatur, ne credamus. Quia ut Chriſtus Legis & Prophetarum impletio eſt, ita Spiritus Euangelii. In ſumma, quum certa fidei veritas, non niſi ab uno Deo peti debeat: conſtimimus, rectam fidem in ſolis Scripturis fundatam eſſe, quæ ab ipſo prodierunt: quum illic non dimidia ex parte, ſed ad plenum docere nos voluerit, quicquid ſcire nos volebat, & utile eſſe noverat.

Articulus XXI.

De jure excommunicationis.

Eodem veritatis firmamento recipiendum, poteſtatem excommunicandi eſſe de jure divino immediate à Chriſto Eccleſiæ conceſſam: & ob id magnopere timendas eſſe cenſuras Eccleſiaſticas.

Multæ ſunt ſcrupuloſæ quæſtiones inter Doctores. Utrum ad exercendam excommunicandi poteſtatem requiratur clavis ſcientiæ, & diſcretionis. Sed tu dicas expreſſe: poſito quod Eccleſia non poteſt errare, hanc poteſtatem eſſe plenariam. Sicut etiam videtur fuiſſe intentio magiſtrorum noſtrorum, qui loquuntur abſque diſtinctione. Si autem quæratur utrum is qui excommunicatus eſt per injuriam, ſit excommunicatus poteſtate Chriſti, dicas quod ſatis eſt ejus nomine.

Ad Art. XXI.

Quemadmodum Eccleſiæ commiſſa eſt excommu-
Mal. 2. nicandi poteſtas, ita etiam rite utendi præfixa eſt
verſ. 7. ratio. Primum, ne judicet, niſi ex ore Domini: de-
2 Cor. 10. inde, ut ædificationi ſtudeat, non deſtructioni. Si
verſ. 8. ſecus faciat, nota eſt ſententia Gregorii: Privilegium meretur amittere, qui permiſſa ſibi abutitur poteſtate. Loquimur autem de externa Eccleſiæ facie. Nam vera Eccleſia, ſicut Chriſti Spiritu gubernatur, ita nunquam à regula verbi ipſius in judicando recedet. Sed quia ſæpe contingit, ut qui ordinaria poteſtate funguntur in Eccleſia, tyrannidem pro legitimo judicio exerceant: tenenda eſt diligenter illa diſtinctio. Alias fruſtra diceret Chriſtus Apoſtolis: Ex Synagogis ſuis vos ejicient. Non eſt igitur timendum, ne ab eo cœtu excommunicemur, à quo & Deus, & ipſius veritas exulat. Ab ea Eccleſia ne excommunicemur, quæ unitatis ſuæ vinculum
habet, puram Dei doctrinam, non tantum magno- *Joſa. 2: 3.*
pere timendum, ſed præcipuo etiam ſtudio caven- *Joel. 2.*
dum eſt. Non enim eſt ſalus extra ejus commu- *verſ. 32.*
nionem. *Eze. 13.*
verſ. 9.

Articulus XXII.

De auctoritate Conciliorum.

Certum eſt Concilium generale legitime congregatum, univerſalem repræſentans Eccleſiam, in fidei & morum determinationibus errare non poſſe.

Probatur ſic. Quia Concilium univerſale ſemper & ſine exceptione repræſentat Eccleſiam: alias non eſſet viſibilis. Sed intellige, in quo præſideat Papa. Nam quod in concilio Niceno legati beati Sylveſtri non habuerunt primum locum, ſed quartum, hoc fuit ex ruditate temporum, quum non bene formata eſſet Eccleſia. Quod ſi quis opponat concilium Baſilienſe, dicas quod nec tenere nec valere debuit: quum Eugenius mandatum ſuum revocaſſet, & jus præſidentiæ abſtuliſſet Cardinali Sanctæ crucis. Quod autem magiſtri noſtri dicunt de legitima congregatione, notandum eſt, ad hoc ut Concilium legitime congregetur, ſufficere quod ſolennitas & forma juris decenter ſit ſervata. Quia ſi quis vellet trahere hoc in diſputationem: utrum prælati, qui ibi ſedent, habeant rectam intentionem, & utrum ſint docti, & utrum habeant ſcientiam ſacrarum literarum, & animum obediendi ſanæ doctrinæ, eſſet proceſſus in infinitum.

Ad Art. XXII.

Promittit Chriſtus, ſe fore in medio eorum qui *Mat. 18.*
fuerint congregati, ſed in nomine ſuo. Ergo non *verſ. 20.*
quibuslibet Conciliis indifferenter habenda eſt
fides: ſed illis demum, quæ congregata fuiſſe in no-
mine Chriſti conſtabit. Clamant Prophetæ: A Pro- *Jer. 6:13.*
pheta uſque ad Sacerdotem quiſque ſequitur men-
dacium. Item, Speculatores ejus cæci omnes: Pa- *Jeſa 56.*
ſtores nihil intelligunt. Item, Conjuratio Prophe- *verſ. 10.*
tarum in medio ejus, ſicut leonum rapientium præ- *Eze. 22.*
dam. Sacerdotes ejus violaverunt Legem, profa- *verſ. 25.*
naverunt Sancta. Quum huic malo obnoxia fuerit
Eccleſia Iſraëlitica, quæ vera erat Eccleſia Dei: cur
non idem nobis contingeret? Quin etiam hoc futu-
rum denunciarunt Apoſtoli: Quemadmodum fue- *2 Petr. 2.*
runt in veteri populo pſeudoprophetæ; ita in vobis *verſ. 1.*
erunt falſi doctores. Sic ergo conſtituimus: Concilium, quod in Chriſti nomine congregatum eſt, gubernari à Spiritu ſancto, & ejus directione duci in veritatem. Quibus autem non præſidet Chriſtus, ea regi proprio ſenſu: & ita nihil poſſe quam errare, & in errorem ducere. Conſtituimus præterea, quædam ſic regi Dei Spiritu initio, ut poſtea ob-
repat carnis ſtudium, quo à veritate deflectant. So- *Joan. 3.*
lus enim Chriſtus eſt, in quo reſidet plenitudo Spi- *verſ. 16.*
ritus: unicuique hominum datur gratia ad men- *1 Cor. 12.*
ſuram. *v. 5. 27.*
Epheſ. 4.
verſ. 7.

ARTICULUS XXIII.

De primatu ſedis Romanæ.

Nec minus certum, unum eſſe jure divino ſummum in Eccleſia Christi militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur: Qui quidem poteſtatem habet & indulgentias conferendi.

Probatur ſic. Quia dictum eſt Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c. Quod autem Lutherani dicunt, Petrum illic laudari tanquam unum ex numero fidelium: & Petram quæ debet eſſe fundamentum Eccleſiæ, dicunt eſſe Chriſtum: quia Petrus non fuiſſet bonum fundamentum, quando Chriſtum abnegavit: Et quia ſecundum Paulum, Nemo poteſt aliud fundamentum ponere à Chriſto: nunquam illis concedas. Quia quum diverſa interpretatio ſit in favorem Romanæ ſedis: nota eſt regula juris, quod favores debent ampliari. Habent quoque aliam replicam. Scilicet quod poſito caſu, quod dediſſet Chriſtus primatum Petro, non ſequitur tamen, quod dederit ſucceſſoribus: niſi velint etiam omnes vocari Satanæ. Quia dictum eſt Petro, Tu es Satan. Dicunt enim, quod ſi ſuccedunt in uno titulo, etiam in alio pariter. Sed reſponde ad hoc, per regulam juris: quod odia ſunt reſtringenda. Vel da aliam ſolutionem: quod primo loco Chriſtus Petro loquutus eſt, tanquam futuro vel fiendo Papæ: in ſecundo tanquam privatæ perſonæ. Argumentantur præterea hoc modo: Cur Petrus contulerit hæreditatem primatus Romanæ ſedi, potius quam Antiochenæ: quum in utraque fuerit Epiſcopus. Reſponde ad hoc: quod locus acquirit dignitatem ex morte hominis: præſertim quum ſanguis martyrum, qui pretioſus eſt in conſpectu Domini, ibi funditur: ſecundum Antiphonam quæ canitur in ejus feſto. Opponunt etiam aliud: Cur non ſimili ratione Jacobus & Joannes acquiſiverunt ſuis Eccleſiis, in quibus præſidebant, ſecundum & tertium gradum primatus, vel dignitatis, quemadmodum Petrus acquiſivit primum Romæ, quum Paulus dicat illos tres fuiſſe habitos tanquam columnas. Ad hoc reſponde: quod ſi alii non fuerunt ſatis zeloſi, vel magnanimi in manutenendo ſuo jure, non ſequitur tamen quod hoc Romæ præjudicare debuerit. Ergo Hieroſolyma & Epheſus merito propter negligentiam, vel ſtultum pudorem, retro fuerunt pulſæ. Roma autem, quæ firmiter zelavit pro honore ſuo, debuit manere prima. Habent etiam deriſiones: quod ſi Roma debet eſſe prima ſedes, quia ibi præfuit & mortuus eſt Petrus, pari colore deſertum debuiſſet eſſe prima ſedes in populo veteri. Quia ibi Moſes princeps Prophetarum prædicaverat, & erat mortuus. Item: quod etiam Aaron primus ſummus Sacerdos, ibi exercuerat ſuum officium uſque ad mortem. Imo dicunt, quod potius Hieroſolyma deberet præcedere Romam & omnes alias. Quia Dominus noſter ibi functus eſt Epiſcopatu ſuo, & ibi eſt mortuus. Sed reſponde: quod ad vetus Teſtamentum ſucceſſionem ſacerdotii fuiſſe perſonalem, nunc vero eſſe realem: & ita deberi loco. De Chriſto ita ſolve. Quod ipſe noluit fundare primatum in ſua perſona, ſicut ipſe dicit: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Sed poſt omnia etiam objiciunt: quod etiam ſi fuiſſet primatus Romæ, hoc non debuit durare, niſi quamdiu ibi maneret Eccleſia: & quamdiu Papa eſſet Epiſcopus. Nunc autem negant ibi eſſe Eccleſiam: propterea quod ſit confuſio maxima: & negant Papam eſſe Epiſcopum: quia nihil faciat Epiſcopale. Sed dic hanc objectionem non eſſe admittendam: quia ſit impoſſibilis: propterea quod ſcriptum eſt: Oravi pro te, Petre, ne deficeret fides tua.

AD ART. XXIII.

Sæpe de Chriſto univerſali capite meminit Scriptura: de Papa nuſquam. Et quum nobis pingit Paulus Eccleſiæ imaginem, non facit univerſalem unius Epiſcopatum: ſed Chriſtum dicit gubernare Eccleſiam per ſuos miniſtros. Et tamen locus maxime requirebat, unum præ aliis nominari, ſi res ita haberet. *Epheſ. 1. verſ. 22. & 4: 15. & 5: 23. Coloſſ. 1. verſ 18. & 2: 10.* Modum unitatis, quo fideles cum capite ſuo Chriſto cohærent, illic exprimit. Ad commendationem unitatis nominat unum Deum, unam fidem, unum Baptiſma. *Epheſ. 4. verſ. 11.* cur non addit unum Papam caput miniſteriale? Ad hoc Hierarchiam, quam Papæ adulatores conſtare potiſſimum fingunt Romanæ ſedis primatu, illic ex profeſſo deſcribit. Cur ergo prætermittit quod ad rem maxime facturum erat? Alibi dicit, ſe gratiam Apoſtolatus parem habere erga Gentes, cum ea quæ Petro data erat erga Judæos. *Gal. 2: 8.* Unde duo colligimus: non fuiſſe Petrum ipſius caput: & Petri Apoſtolatum proprie ad nos non pertinere. Illic quoque refert, ſocietatem ſe pactum fuiſſe cum Petro: non autem ut illum agnoſceret ſuperiorem. Et Petrus ipſe, quum ad Paſtores ſcribit, non mandat ex imperio: ſed collegas ſuos facit, & comiter hortatur, ut inter æquales fieri ſolet. *1 Petr. 5. verſ. 1.* Quum accuſatur, quod ad Gentes ingreſſus fuerit, etiamſi id ſit immerito, tamen coram Eccleſia ſe purgando, ſubjectionem profitetur. *Actor. 11. verſ. 4.* Jure autem à Paulo reprehenſus, non exemptionem cauſatur, ſed obedienter ſe patitur corrigi. Juſſus à collegis ire in Samariam cum Joanne, illorum decreto paret. Teneamus ergo quod ait Paulus, Chriſtum eſſe caput, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſura cujuſque membri, augmentum corporis facit in Domino. *Epheſ. 4. verſ. 15.* Nam illic univerſos mortales, uſque ad unum, in corpore collocat: honorem & nomen capitis ſoli relinquit Chriſto. Præterea ſingulis membris certam menſuram tribuit, & finitam limitatamque functionem: quo ſumma gubernandi poteſtas penes Chriſtum unum reſideat. Cyprianus quoque quum unitatem Eccleſiæ deſcribit, Unus, inquit, Epiſcopatus, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur: quomodo multi radii ſunt, & lumen unum, & rami arboris multi, robur autem unum radice ſua fundatum: & quomodo de fonte uno rivi plures fluunt, & licet numeroſitas diffuſa videatur, exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur integra in origine: ſic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit: unum tamen eſt lumen quod ubique diffunditur. Ramos ſuos per univerſum orbem extendit, perfluentes largitur rivos. Unum tamen caput eſt & origo una. *De ſimp. prælator.* Videmus ut Chriſti unius Epiſcopatum faciat univerſalem, cujus partes à miniſtris ejus teneri docet. Hanc ob cauſam vetitum fuit in Carthaginenſi Concilio, ne quis princeps ſacerdotum vocaretur, aut primus Epiſcopus, ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus. *cap. 47.* Et Gregorius, nomen univerſalis Epiſcopi tanquam profanum, imo ſacrilegum, & prænuncium Antichriſti, execratur: dicitque à diabolo inventum. *Epiſt. 76. ad Maur. Auguſtin. epiſt. 78. ad Conſt. Auguſtin. ſequenti ad Euodium.* Romanum vero Epiſcopum non alia appellatione ornat Cyprianus, quam fratris & coepiſcopi, & collegæ. Ad Stephanum Romanum Epiſcopum, dum ſcribit, non modo eum ſibi & reliquis facit æqualem, ſed durius quoque eum compellat: arrogantiæ & inſcitiæ illum accuſans. Quin etiam Hieronymus presbyter Romanus, ſedem illam in ordinem redigere non dubitat. *Epiſt. 83. ad Anian.* Si auctoritas quæritur, inquit, orbis major eſt urbe. Quid mihi profers unius urbis conſuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas? Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ejuſ-

ejuſdem meriti eſt, & ejuſdem ſacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, ſuperiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Poſtremo, etiamſi dentur omnia Romanenſibus, non tamen ſummus Epiſcoporum eſſe poteſt, qui non ſit Epiſcopus.

ARTICULUS XXIV.

De conſtitutionibus humanis.

Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, ut de jejunio, de delectu ciborum, de abſtinentia à carnibus, aliiſque multis, vere obligant in foro conſcientiæ, etiam omni ſecluſo ſcandalo.

Probatur primum à ſimili vel ab exemplo. Quia hoc etiam dicunt Rabini Judæorum, quod præcepta ſapientum debeant ſervari ſicut leges Dei, & hoc ſine dubio. Probatur ſecundo, ratione. Quia Eccleſia eſt vicaria Chriſti, & repræſentat ejus perſonam. Ideo debet tantum poſſe quantum Chriſtus. Probatur tertio, ab auctoritate: quia dictum eſt, In cathedra Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæcunque dixerint vobis, facite. Quod autem replicant Lutherani, hoc dici de Lege, quam Phariſæi docebant, quum eſſent in illa cathedra: & pro confirmatione adducunt, quod alibi Dominus jubet cavere ab illorum fermento, id eſt, doctrina, & expoſitionem Auguſtini, ubi dicit: Quid aliud ſignificat Dominus, niſi per mercenarios vocem paſtoris audire? Sedendo enim in cathedra, Legem Dei docent. Ergo per illos Deus docet. Sua vero ſi illi docere velint, nolite audire, nolite facere. Reſponde quod eſt impoſſibile, Eccleſiam aliud docere quam voluntatem Dei: quia regitur à Spiritu ſancto. Probatur & alia auctoritate. Quia dictum ſit, Obedite præpoſitis veſtris. Quod autem dicunt Lutherani, limitari hoc debere ad regulam quæ tradita eſt præpoſitis per Petrum, ut non exerceant dominium in cleros, & quam Paulus ſe ſervaſſe dicit ad Corinthios, quod non dominatus ſit fidei ipſorum, hoc nihil eſt. Quia etiamſi male faciant præpoſiti jubendo, tamen ſubditos manet obſequendi neceſſitas. Deinde ſemper oportet redire ad principium illud: Quia ſunt Eccleſia, non poſſunt errare in determinationibus morum. Finaliter probatur ab utilitate. Quia ſcandaloſum eſt facere magnas mutationes. Et Solomon vetat transferri antiquos terminos, quos poſuerunt patres noſtri. Major autem pars obſervationum, quibus hodie gubernatur mundus, ſunt ex traditionibus Eccleſiæ. Ergo non eſſet conveniens neque utile, facere tantam confuſionem, omnia mutando. Adde quod faciunt ad decentiam & honeſtatem morum. Si dicat aliquis, quod per hoc non ligant conſcientias. Reſpondeo, hoc fieri per accidens, propter ratificationem. Quia Eccleſia hoc intendit, & populus conſenſit.

AD ART. XXIV.

Jacob. 4. Unus eſt Legiſlator, inquit Jacobus, qui poteſt
verſ. 12. ſalvare & perdere. Ratio autem duplex eſt: quod
& Dei voluntas nobis perfecta eſt omnis juſtitiæ
& ſanctitatis regula: & ipſe unus imperium habet
in animas, quod nemini reſignat. Itaque Dominus
ubique obedientiam urget, utque ſibi ſoli pareamus.
1 Sam. 15. Unde ſunt illæ voces: Obedientia melior, quam
verſ. 22. victimæ. Item, Quod præcipio tibi, hoc obſerva-
Deut. 12. bis, ut facias. Non addes quicquam, nec minues.
v. 8, 32. Item; Non faciat quiſque quod ſibi bonum videbi-
Deut. 4. tur: ſed quod præcipio tibi, hoc tantum facito.
verſ. 2.
Jerem. 7. Item, Numquid præcepi patribus veſtris, ut mihi
verſ. 22. offerrent ſacrificia? & non hoc potius, Audiendo
audite vocem meam. Conſcientias autem ullis ho-
Gal. 5: 1. minum legibus obſtringi, nefas eſſe pronunciat Pau-
lus. In libertate, inquit, qua Chriſtus vocavit vos,
ſtate, & ne rurſus jugo ſervitutis implicemini. Ra-
tionem reddit alibi. Quia etiam quæ ſpeciem ha- *Coloſſ. 2.*
bent ſapientiæ, frivola ſunt & inania: ſi ſunt ſecun- *verſ. 23.*
dum præcepta & traditiones hominum. Proinde
teſtatur, ſe nolle injicere laqueum fidelibus, quum *1 Cor. 7.*
tractat de conjugio. Violatur ergo ſpirituale Chriſti *verſ. 35.*
regnum, & ſuum illi jus in animas eripitur, quum
hoc uſurpant homines, ut ſibi liceat conſcientias
ſuis ipſorum legibus obſtringere. Præterea abomi-
natio eſt coram Deo, cultum illi fingere, quem non
requirat, vel ab hominibus abſque ejus verbo con-
fictum amplecti, ſicut teſtatur Jeſaias: qui hac de *Jeſa. 29.*
cauſa, horribilem Dei vindictam denunciat populo *verſ. 13.*
Iſraëlitico, quia Deum colebat mandatis hominum.
Et nota eſt Chriſti ſententia: Fruſtra me colunt, do- *Mat. 15.*
centes doctrinas, præcepta hominum. De ciborum *verſ. 9.*
delectu, habemus Pauli doctrinam: Nemo vos ju- *Coloſſ. 2.*
dicet in cibo aut potu. Item, Regnum Dei non eſt *verſ. 16.*
eſca & potus. Et Chriſti vocem: Quod ingreditur *Rom. 14.*
in os, non coinquinat hominem. Et Paulus alibi ex *verſ. 17.*
Spiritu ſancto prædicit, venturos impoſtores, qui *Mat. 15.*
diaboli inſtinctu prohibeant uſum ciborum, quos *verſ. 11.*
Deus creavit, & uſum ſancti conjugii. Neque vero *1 Tim. 4.*
audiendum eſt cavillum illud: Paulum cum Judæis *verſ. 3.*
diſputare in prioribus locis. Hoc autem vaticinium ſpectare ad Tatianos & ſimiles. Nam ſi Deus ciborum diſcrimen ſuſtulit, quod Lege ſua poſuerat, hominumque poteſtati indifferenter ſubjecit omnes cibos, quis nunc tantum ſibi ſumat, ut leges ipſe novas fingat, quibus libertas à Deo permiſſa aboleatur? Quod ſi jure conquerebatur ſua jam ætate Auguſtinus, Eccleſiam, quam Dei miſericordia liberam eſſe voluit, ſic premi, ut tolerabilior fuiſſet Judæorum conditio: quibus querelis deplorabimus eam, quæ nunc eſt, ſervitutem?

ARTICULUS XXV.

De votis & eorum valore.

In eodem conſcientiæ foro vota obligant, etiamſi monaſtica ſint: perpetuæ ſcilicet continentiæ, paupertatis, & obedientiæ.

Probatur primum, per illum verſiculum authenticum: Verba ligant homines, taurorum cornua funes. Nam arguendo à minori ad majus: Si debemus ſervare promiſſa hominibus, quanto magis Deo? Quod autem Lutherani objiciunt, contractum non eſſe ratum, niſi ex utriuſque partis conſenſu. Item, pacta contra leges, non valere: Reſponde, quod quicquid fit bona intentione, placet Deo. Et ſi quis mala intentione voveat, tamen propter honorem votorum, perinde eſt, acſi bona intentione voviſſet, quantum ad ligamen. præſertim hoc valet in votis monachatus, propter dignitatem profeſſionis, quia eſt inſtar ſecundi Baptiſmi, ſicut dicit beatus Thomas. Quod etiam afferunt Lutherani aliam replicam de perpetua continentia, quod nemo tenetur ad eam ſervandam, niſi cui datum eſt deſuper: Reſponde, quod votum non propterea deſinit eſſe obligatorium, quia deficiat facultas, ſecundum Doctores. Sed quæritur, utrum ſit melius monacho vel ſacerdoti fornicari, vel uxorem ducere? Ad hoc profertur auctoritas Cypriani, qui dicit de ſacris virginibus vel monialibus, epiſtola undecima: quod ſi perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt ut nubant, quam ut in ignem deliciis cadant. Sed ratio eſt in contrarium, quemadmodum etiam determinant Canoniſtæ, propter contumaciam, & magis directam voti infractionem. Probatur etiam præterea, vota obligatoria eſſe, ex diſpenſatione & ſolutione illorum. Quia Papa non diſpenſat de votis, niſi beneficio clavium. Unde ſequitur, quod ligent conſcientiam. Reſtat unum dubium ſuper eo, quod

magi-

Articulus XXIII.

De primatu ſedis Romanæ.

Nec minus certum, unum eſſe jure divino ſummum in Eccleſia Chriſti militante Pontificem, cui omnes Chriſtiani parere tenentur: Qui quidem poteſtatem habet & indulgentias conferendi.

Probatur ſic. Quia dictum eſt Petro: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c. Quod autem Lutherani dicunt, Petrum illic laudari tanquam unum ex numero fidelium: & Petram quæ debet eſſe fundamentum Eccleſiæ, dicunt eſſe Chriſtum: quia Petrus non fuiſſet bonum fundamentum, quando Chriſtum abnegavit: Et quia ſecundum Paulum, Nemo poteſt aliud fundamentum ponere à Chriſto: nunquam illis concedas. Quia quum diverſa interpretatio ſit in favorem Romanæ ſedis: nota eſt regula juris, quod favores debent ampliari. Habent quoque aliam replicam. Scilicet quod poſito caſu, quod dediſſet Chriſtus primatum Petro, non ſequitur tamen, quod dederit ſucceſſoribus: niſi velint etiam omnes vocari Satanæ. Quia dictum eſt Petro, Tu es Satan. Dicunt enim, quod ſi ſuccedunt in uno titulo, etiam in alio pariter. Sed reſponde ad hoc, per regulam juris: quod odia ſunt reſtringenda. Vel da aliam ſolutionem: quod primo loco Chriſtus Petro loquutus eſt, tanquam futuro vel fiendo Papæ: in ſecundo tanquam privatæ perſonæ. Argumentantur præterea hoc modo: Cur Petrus contulerit hæreditatem primatus Romanæ ſedi, potius quam Antiochenæ: quum in utraque fuerit Epiſcopus. Reſponde ad hoc: quod locus acquirit dignitatem ex morte hominis: præſertim quum ſanguis martyrum, qui pretioſus eſt in conſpectu Domini, ibi funditur: ſecundum Antiphonam quæ canitur in ejus feſto. Opponunt etiam aliud: Cur non ſimili ratione Jacobus & Joannes acquiſiverunt ſuis Eccleſiis, in quibus præſidebant, ſecundum & tertium gradum primatus, vel dignitatis, quemadmodum Petrus acquiſivit primum Romæ, quum Paulus dicat illos tres fuiſſe habitos tanquam columnas. Ad hoc reſponde: quod ſi alii non fuerunt ſatis zeloſi, vel magnanimi in manutenendo ſuo jure, non ſequitur tamen quod hoc Romæ præjudicare debuerit. Ergo Hieroſolyma & Epheſus merito propter negligentiam, vel ſtultum pudorem, retro fuerunt pulſæ. Roma autem, quæ firmiter zelavit pro honore ſuo, debuit manere prima. Habent etiam deriſiones: quod ſi Roma debet eſſe prima ſedes, quia ibi præſuli & mortuus eſt Petrus, pari colore deſertum debuiſſet eſſe prima ſedes in populo veteri. Quia ibi Moſes princeps Prophetarum prædicaverat, & erat mortuus. Item: quod etiam Aaron primus ſummus Sacerdos, ibi exercuerat ſuum officium uſque ad mortem. Imo dicunt, quod potius Hieroſolyma deberet præcedere Romam & omnes alias. Quia Dominus noſter ibi functus eſt Epiſcopatu ſuo, & ibi eſt mortuus. Sed reſponde: quod ad vetus Teſtamentum ſucceſſionem ſacerdotii fuiſſe perſonalem, nunc vero eſſe realem: & ita deberi loco. De Chriſto ita ſolve. Quod ipſe noluit fundare primatum in ſua perſona, ſicut ipſe dicit: Non veni miniſtrari, ſed miniſtrare. Sed poſt omnia etiam objiciunt: quod etiam ſi fuiſſet primatus Romæ, hoc non debuit durare, niſi quamdiu ibi maneret Eccleſia: & quamdiu Papa eſſet Epiſcopus. Nunc autem negant ibi eſſe Eccleſiam: propterea quod ſit confuſio maxima: & negant Papam eſſe Epiſcopum: quia nihil faciat Epiſcopale. Sed dic hanc objectionem non eſſe admittendam: quia ſit impoſſibilis: propterea quod ſcriptum eſt: Oravi pro te, Petre, ne deficeret fides tua.

Ad Art. XXIII.

Sæpe de Chriſto univerſali capite meminit Scriptura: de Papa nuſquam. Et quum nobis pingit Paulus Eccleſiæ imaginem, non facit univerſalem unius Epiſcopatum: ſed Chriſtum dicit gubernare Eccleſiam per ſuos miniſtros. Et tamen locus maxime requirebat, unum præ aliis nominari, ſi res ita haberet. *(Epheſ. 1. verſ. 22. & 4: 15. & 5: 23. Coloſſ. 1. verſ 18. & 2: 10.)* Modum unitatis, quo fideles cum capite ſuo Chriſto cohærent, illic exprimit. Ad commendationem unitatis nominat unum Deum, unam fidem, unum Baptiſma. *(Epheſ. 4. verſ. 11.)* cur non addit unum Papam caput miniſteriale? Ad hoc Hierarchiam, quam Papæ adulatores conſtare potiſſimum fingunt Romanæ ſedis primatu, illic ex profeſſo deſcribit. Cur ergo prætermittit quod ad rem maxime facturum erat? Alibi dicit, ſe gratiam Apoſtolatus parem habere erga Gentes, cum ea quæ Petro data erat erga Judæos. *(Gal. 2: 8.)* Unde duo colligimus: non fuiſſe Petrum ipſius caput: & Petri Apoſtolatum proprie ad nos non pertinere. Illic quoque refert, ſocietatem ſe pactum fuiſſe cum Petro: non autem ut illum agnoſceret ſuperiorem. Et Petrus ipſe, quum ad Paſtores ſcribit, non mandat ex imperio: ſed collegas ſuos facit, & comiter hortatur, ut inter æquales fieri ſolet. *(1 Petr. 5. verſ. 1.)* Quum accuſatur, quod ad Gentes ingreſſus fuerit, etiamſi id fit immerito, tamen coram Eccleſia ſe purgando, ſubjectionem profitetur. *(Actor. 11. verſ. 4.)* Jure autem à Paulo reprehenſus, non exemptionem cauſatur, ſed obedienter ſe patitur corrigi. Juſſus à collegis ire in Samariam cum Joanne, illorum decreto paret. Teneamus ergo quod ait Paulus, Chriſtum eſſe caput, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſura cujuſque membri, augmentum corporis facit in Domino. *(Epheſ. 4. verſ. 15.)* Nam illic univerſos mortales, uſque ad unum, in corpore collocat: honorem & nomen capitis ſoli relinquit Chriſto. Præterea ſingulis membris certam menſuram tribuit, & finitam limitatamque functionem: quo ſumma gubernandi poteſtas penes Chriſtum unum reſideat. Cyprianus quoque quum unitatem Eccleſiæ deſcribit, *(De ſimp. prælator.)* Unus, inquit, Epiſcopatus, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur: quomodo multi radii ſunt, & lumen unum, & rami arboris multi, robur autem unum radice ſua fundatum: & quomodo de fonte uno rivi plures fluunt, & licet numeroſitas diffuſa videatur, exundantis copiæ largitate, unitas tamen ſervatur integra in origine: ſic & Eccleſia Domini luce perfuſa, per totum orbem radios ſuos porrigit: unum tamen eſt lumen quod ubique diffunditur. Ramos ſuos per univerſum orbem extendit, perfluentes largitur rivos. Unum tamen caput eſt & origo una. Videmus ut Chriſti unius Epiſcopatum faciat univerſalem, cujus partes à miniſtris ejus teneri docet. Hanc ob cauſam vetitum fuit in Carthaginenſi Concilio, *(cap. 47.)* ne quis princeps ſacerdotum vocaretur, aut primus Epiſcopus, ſed tantum primæ ſedis Epiſcopus. Et Gregorius, nomen univerſalis Epiſcopi tanquam profanum, imo ſacrilegum, & prænuncium Antichriſti, execratur: dicitque à diabolo inventum. *(Epiſt. 76. ad Maur. Auguſtin. epiſt. 78. ad Conſt. Auguſtin. ſequentes ad Euodium.)* Romanum vero Epiſcopum non alia appellatione ornat Cyprianus, quam fratris & coëpiſcopi, & collegæ. Ad Stephanum Romanum Epiſcopum, dum ſcribit, non modo eum ſibi & reliquis facit æqualem, ſed durius quoque eum compellat: arrogantiæ & inſcitiæ illum accuſans. Quin etiam Hieronymus presbyter Romanus, ſedem illam in ordinem redigere non dubitat. *(Epiſt. 83. ad Avian.)* Si auctoritas quæritur, inquit, orbis major eſt urbe. Quid mihi profers unius urbis conſuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vindicas? Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii,

ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem meriti eſt, & ejuſdem ſacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, ſuperiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Poſtremo, etiamſi dentur omnia Romanenſibus, non tamen ſummus Epiſcoporum eſſe poteſt, qui non ſit Epiſcopus.

ARTICULUS XXIV.

De conſtitutionibus humanis.

Conſtitutiones Eccleſiaſticæ, ut de jejunio, de delectu ciborum, de abſtinentia à carnibus, aliiſque multis, vere obligant in foro conſcientiæ, etiam omni ſecluſo ſcandalo.

Probatur primum à ſimili vel ab exemplo. Quia hoc etiam dicunt Rabini Judæorum, quod præcepta ſapientum debeant ſervari ſicut leges Dei, & hoc ſine dubio. Probatur ſecundo, ratione. Quia Eccleſia eſt vicaria Chriſti, & repræſentat ejus perſonam. Ideo debet tantum poſſe quantum Chriſtus. Probatur tertio, ab auctoritate: quia dictum eſt, In cathedra Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi. Quæcunque dixerint vobis, facite. Quod autem replicant Lutherani, hoc dici de Lege, quam Phariſæi docebant, quum eſſent in illa cathedra: & pro confirmatione adducunt, quod alibi Dominus jubet cavere ab illorum fermento, id eſt, doctrina, & expoſitionem Auguſtini, ubi dicit: Quid aliud ſignificat Dominus, niſi per mercenarios vocem paſtoris audire? Sedendo enim in cathedra, Legem Dei docent. Ergo per illos Deus docet. Sua vero ſi illi docere velint, nolite audire, nolite facere. Reſponde quod eſt impoſſibile, Eccleſiam aliud docere quam voluntatem Dei: quia regitur à Spiritu ſancto. Probatur & alia auctoritate. Quia dictum ſit, Obedite præpoſitis veſtris. Quod autem dicunt Lutherani, limitari hoc debere ad regulam quæ tradita eſt præpoſitis per Petrum, ut non exerceant dominium in cleros, & quam Paulus ſe ſervaſſe dicit ad Corinthios, quod non dominatus ſit fidei ipſorum, hoc nihil eſt. Quia etiamſi male faciant præpoſiti jubendo, tamen ſubditos manet obſequendi neceſſitas. Deinde ſemper oportet redire ad principium illud: Quia ſunt Eccleſia, non poſſunt errare in determinationibus morum. Finaliter probatur ab utilitate. Quia ſcandaloſum eſt facere magnas mutationes. Et Solomon vetat transferri antiquos terminos, quos poſuerunt patres noſtri. Major autem pars obſervationum, quibus hodie gubernatur mundus, ſunt ex traditionibus Eccleſiæ. Ergo non eſſet conveniens neque utile, facere tantam confuſionem, omnia mutando. Adde quod faciunt ad decentiam & honeſtatem morum. Si dicat aliquis, quod per hoc non ligant conſcientias. Reſpondeo, hoc fieri per accidens, propter ratificationem. Quia Eccleſia hoc intendit, & populus conſenſit.

AD ART. XXIV.

Jacob. 4. Unus eſt Legiſlator, inquit Jacobus, qui poteſt
verſ. 12. ſalvare & perdere. Ratio autem duplex eſt: quod
& Dei voluntas nobis perfecta eſt omnis juſtitiæ
& ſanctitatis regula: & ipſe unus imperium habet
in animas, quod nemini reſignat. Itaque Dominus
ubique obedientiam urget, utque ſibi ſoli pareamus.
1 Sam. 15. Unde ſunt illæ voces: Obedientia melior, quam
verſ. 22. victimæ. Item, Quod præcipio tibi, hoc obſerva-
Deut. 12. his, ut facias. Non addes quicquam, nec minues.
v. 8, 32. Item, Non faciat quiſque quod ſibi bonum videbi-
Deut. 4. tur: ſed quod præcipio tibi, hoc tantum facito.
verſ. 2.
Jerem. 7. Item, Numquid præcepi patribus veſtris, ut mihi
verſ. 22. offerrent ſacrificia? & non hoc potius, Audiendo
audite vocem meam. Conſcientias autem ullis ho-
Gal. 5: 1. minum legibus obſtringi, nefas eſſe pronunciat Pau-
lus. In libertate, inquit, qua Chriſtus vocavit vos,
ſtate, & ne rurſus jugo ſervitutis implicemini. Ra-
tionem reddit alibi. Quia etiam quæ ſpeciem ha- *Coloſſ. 2.*
bent ſapientiæ, frivola ſunt & inania: ſi ſunt ſecun- *verſ. 23.*
dum præcepta & traditiones hominum. Proinde
teſtatur, ſe nolle injicere laqueum fidelibus, quum *1 Cor. 7.*
tractat de conjugio. Violatur ergo ſpirituale Chriſti *verſ. 35.*
regnum, & ſuum illi jus in animas eripitur, quum
hoc uſurpant homines, ut ſibi liceat conſcientias
ſuis ipſorum legibus obſtringere. Præterea abomi-
natio eſt coram Deo, cultum illi fingere, quem non
requirat, vel ab hominibus abſque ejus verbo con-
fictum amplecti, ſicut teſtatur Jeſaias: qui hac de *Jeſa. 29.*
cauſa, horribilem Dei vindictam denunciat populo *verſ. 13.*
Iſraëlitico, quia Deum colebat mandatis hominum.
Et nota eſt Chriſti ſententia: Fruſtra me colunt, do- *Mat. 15.*
centes doctrinas, præcepta hominum. De ciborum *verſ. 9.*
delectu, habemus Pauli doctrinam: Nemo vos ju- *Coloſſ. 2.*
dicet in cibo aut potu. Item, Regnum Dei non eſt *verſ. 16.*
eſca & potus. Et Chriſti vocem: Quod ingreditur *Rom. 14.*
in os, non coinquinat hominem. Et Paulus alibi ex *verſ. 17.*
Spiritu ſancto prædicit, venturos impoſtores, qui *Mat. 15.*
diaboli inſtinctu prohibeant uſum ciborum, quos *verſ. 11.*
Deus creavit, & uſum ſancti conjugii. Neque vero *1 Tim. 4.*
audiendum eſt cavillum illud: Paulum cum Judæis *verſ. 3.*
diſputare in prioribus locis. Hoc autem vaticinium ſpectare ad Tatianos & ſimiles. Nam ſi Deus ciborum diſcrimen ſuſtulit, quod Lege ſua poſuerat, hominumque poteſtati indifferenter ſubjecit omnes cibos, quis nunc tantum ſibi ſumat, ut leges ipſe novas fingat, quibus libertas à Deo permiſſa aboleatur? Quod ſi jure conquerebatur ſua jam ætate Auguſtinus, Eccleſiam, quam Dei miſericordia liberam eſſe voluit, ſic premi, ut tolerabilior fuiſſet Judæorum conditio: quibus querelis deplorabimus eam, quæ nunc eſt, ſervitutem?

ARTICULUS XXV.

De votis & eorum valore.

In eodem conſcientiæ foro vota obligant, etiamſi monaſtica ſint: perpetuæ ſcilicet continentiæ, paupertatis, & obedientiæ.

Probatur primum, per illum verſiculum authenticum: Verba ligant homines, taurorum cornua funes. Nam arguendo à minori ad majus: Si debemus ſervare promiſſa hominibus, quanto magis Deo? Quod autem Lutherani objiciunt, contractum non eſſe ratum, niſi ex utriuſque partis conſenſu. Item, pacta contra leges, non valere: Reſponde, quod quicquid fit bona intentione, placet Deo. Et ſi quis mala intentione voveat, tamen propter honorem votorum, perinde eſt, acſi bona intentione voviſſet, quantum ad ligamen. præſertim hoc valet in votis monachatus, propter dignitatem profeſſionis, quia eſt inſtar ſecundi Baptiſmi, ſicut dicit beatus Thomas. Quod etiam afferunt Lutherani aliam replicam de perpetua continentia, quod nemo tenetur ad eam ſervandam, niſi cui datum eſt deſuper: Reſponde, quod votum non propterea deſinit eſſe obligatorium, quia deficiat facultas, ſecundum Doctores. Sed quæritur, utrum ſit melius monacho vel ſacerdoti fornicari, vel uxorem ducere? Ad hoc profertur auctoritas Cypriani, qui dicit de ſacris virginibus vel monialibus, epiſtola undecima: quod ſi perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt ut nubant, quam ut in ignem deliciis cadant. Sed ratio eſt in contrarium, quemadmodum etiam determinant Canoniſtæ, propter contumaciam, & magis directam voti infractionem. Probatur etiam præterea, vota obligatoria eſſe, ex diſpenſatione & ſolutione illorum. Quia Papa non diſpenſat de votis, niſi beneficio clavium. Unde ſequitur, quod ligent conſcientiam. Reſtat unum dubium ſuper eo, quod

magi-

magiſtri noſtri dicunt, etiamſi ſint monaſtica: quia videntur innuere, quod minus habeant firmitatis quam alia. Sed nota, hoc fuiſſe poſitum propter difficultatem, quæ poſſet tentare monachos ad reſiliendum, ſine hoc freno.

Ad Art. XXV.

In votis tria hæc ſunt ſpectanda. An in poteſtate noſtra ſit, quod vovemus: deinde, an finis vovendi rectus ſit: tertio, an quod vovemus, Deo placeat. Ubi hæc deſunt, vel unum ipſorum, vota eſſe irrita nulliuſque momenti conſtituimus. Porro non eſſe in cujuſvis manu perpetuam continentiam, docet

Mat. 19. verſ. 11. Scriptura. Chriſtus enim teſtatur, non omnes capere hoc verbum. Et Paulus admonet, diſtributa *1 Cor. 7. verſ. 7.* eſſe dona Dei, loquens de hoc ipſo dono, ut ſingulare eſſe intelligamus, quod non omnibus ſit conceſſum. Ideoque ad conjugii remedium confugere jubet omnes, qui uruntur. Qui non poteſt continere, inquit, uxorem ducat. Item, Propter ſcortationem vitandam, quiſque uxorem ſuam habeat. In vovenda autem obedientia monachali, vitioſum eſſe finem, hoc uno verbo Pauli palam eſt: quod omnes ἐθελοθρησκείας, id eſt, cultus voluntarios, quos homines ſuo arbitrio inſtituant, damnat. Hoc enim verbo utitur ad Coloſſenſes, ubi interpres reddidit ſuperſtitionem. Sic autem vovent monachi obedientiam ſuis patribus, ut hominum figmentis Deum colant. Paupertatem hanc, quam vovent, Deo nequaquam eſſe acceptam, imo prorſus diſplicere, dicimus. Jubet enim Deus ſuo quemque la-

2 Theſſ. 3. verſ. 10. bore vivere. Et Paulus dicit: Qui non laborat, non manducet: vitamque inordinatam vocat, quum quis ex alieno ſudore otioſus vivit, ac tales excommunicari præcipit. Deinde voluntaria paupertas, quam nobis commendat Deus, hæc eſt, ut qui dives eſt, elargiendo ſua ad ſublevandam fratrum ino-

2 Cor. 8. verſ. 9. piam, exemplo Chriſti, ſicut dicit Paulus, pauperem ſe faciat. Sic autem paupertatem monachi profitentur, ut in otio nunquam eſuriant, devorent bona pauperum, bene faciendi facultate ſe privent. In ſumma, conſtituimus, vota, quæ ex ſuperſtitione concepta fuerint, nihili eſſe: nec quicquam valere ad ligandas conſcientias. Deinde votis temere, ex ſtulta carnis confidentia conceptis mature eſſe renunciandum, antequam Deus obſtinatam arrogantiam puniat.

Nova Statuta Facultatis.

Inhibet autem Theologorum facultas, iis qui de grege ſuo ſunt magiſtris, bacchalaureis, ac cæteris gradum Theologicum nunc & in poſterum profiteri volentibus: ne quoquo pacto ſupradictis propoſitionibus contraria, aut in concionibus prædicent, aut in lectionibus, vel alibi doceant. Quin potius, quando ſe materia & occaſio offeret, eas populo ſincere annuncient, & aperte declarent. Porro etiam decrevit, ut præfatas propoſitiones ſinguli magiſtri & bacchalaurei, chirographi ſui approbatione confirment. Et quum in ſuo grege lupos, & immorigeros, contentioſoſque alere iuſtum non ſit: qui huic decreto parere noluerint, & contrarias præfatis propoſitiones docuerint, aut in poſterum prædicaverint, è ſuo conſortio eximendo in perpetuum privare decrevit. Cæterum quia contradicendi ſtudio, & à majorum inſtitutis diſcedendi, pleriſque novarum rerum & doctrinarum ſtudioſi, laudabilem illam conſuetudinem, qua per interceſſionem beatiſſimæ Virginis, Spiritus ſancti gratia imploratur, negligunt: monemus, ne tantopere à ſalutatione illa Angelica, quam nobis Euangelium præſcripſit, abhorreant: neve, ut pleriſque ſolens, quoties Domini Salvatoris noſtri mentio occurrit, ſalutiferum illud Jeſu nomen præponere dedignentur, contenti dicere, le Chriſt, *præſertim quum, teſte Petro, non ſit aliud nomen datum hominibus, in quo nos ſalvari oporteat. Similiter quum divorum Apoſtolorum, Euangeliſtarum, aut ſanctorum Doctorum mentio inciderit, ne, uti conſueverunt, ſine ulla honoris præfatione nominent,* Paul, Jaques, Matthieu, Pierre, Hieroſme, Auguſtin, *neque ſit eis grave addere vocabulum Sancti, & nominare,* ſainct Pierre, ſainct Paul, *&c. Et poſtremo ne defunctorum animas populi precibus commendare negligant. Anno Domini, 1542. die 10. menſis Martii. Facultas Theologiæ congregata per juramentum in collegio Sorbonæ, ſuper articulis præcedentibus, probavit hos articulos, ſub forma qua ſcripti ſunt. Sic ſignatum, De mandato Domini decani & facultatis,*

Fournier cum parapho.

Ad Nova Statuta.

Prohibet Jeſaias omnibus Dei diſcipulis, ne di- *Jeſa. 8. verſ. 12.* cant, Conſpiratio, quoties multitudo conſpitaverit. Quo verbo ſignificat, nullis impiorum conſiliis, aut parendum aut aſſentiendum eſſe. Sequamur ergo quod deinde præcipit: hoc eſt, ſanctificemus Dominum exercituum, cum timore illi adhærendo, ut nobis ſit ſanctificatio. Quicunque ab hoc timore abducere nos tentaverit, ſit nobis anathema. Ne-

que horreamus cum cæco illuminato, exterminati *Joan 9. verſ. 34.* è Synagoga impiorum, quo Chriſtus obviam nobis occurrat, noſque recipiat in corporis ſui communionem. Centies moriendum potius, quam ut manus polluamus nefaria ſubſcriptione, qua Dei veritas à nobis abnegetur. Nam quod toties gregis ſui faciunt mentionem Sorboniſtæ, ſe certe gregem porcorum eſſe hic prodiderunt. Invocationem Virginis, qua uſi ſunt antehac, ad petendam Spiritus gratiam, quis non videt execrabilem blaſphemiam eſſe? ut elogia illa anathematis plena omittamus, quibus dum Virginem volunt honorare, graviſſimo probro afficiunt, quum reginam cæli & theſaura-

riam gratiæ appellant. Audimus quid doceat Chri- *Joan. 14. verſ. 26. & 15:26.* ſtus: miſſurum ſe à Patre Spiritum veritatis: illum ut petamus in ſuo nomine, jubet. Hæc igitur juſta petendi regula, & certa obtinendi ratio eſt. Ad Virginem autem confugere, Chriſto præterito, eamque in precatione compellare, non Deum, quis non profanum eſſe morem videt? A verbo ſane Dei prorſus eſt alienus. Quin etiam extat decretum concilii Carthaginenſis quarti: quod vetat Sanctos ad altare invocare. In eo quoque ſuam inſulſitatem apertius etiamnum produnt, quum dicunt ſalutationem hanc nobis ab Euangelio præſcribi. Miſſus eſt quidem Gabriel, ut Lucas narrat, qui hoc modo Virginem ſalutaret: ſed an ſumus Gabrieles? Ubi hoc nobis unquam mandatum eſt? Quis ad Virginem nobis acceſſus patet, ut cum ea colloquamur? Adhæc, Quorſum tunc ſalutatio quum Spiritus gratiam implorant, niſi ea precationis vice abutantur? Quantum ad Chriſti nomen, unde tam delicatæ ſunt aſinis aures, ut mos loquendi Spiritui ſancto uſitatus eas offendat? Chriſti nomen ubique occurrit in Scripturis. Sic omnes Eccleſiæ ſcriptores loquuti ſunt, magiſtris noſtris non ſapit. Et ne careant prætextu, magicum illud Judæorum commentum obtendunt, quaſi ſalus hominum in duabus ſyllabis ſit incluſa. Nihil ergo mirum eſt, ſi in Sanctorum nominibus adeo ſint moroſi: quum in Jeſu nomine adeo turpiter delirent. Hanc vero legem Concionatoribus, ut mortuorum animas commendent populo, qua ratione, aut quo exemplo imponunt? Extant multæ veterum homiliæ: nihil tale fuiſſe unquam factum in veteri Eccleſia, illic reperietur. Videmus ergo eos facere quod tyranni ſolent: ut quum dominationem amplius tenere, moderate imperando nequeunt, ad barbaram ferocitatem & truculentiam decurrant. Verum quid Dominus ex adverſo?

Jeſa. 8. verſ. 10. verſo? Inite conſilium, & diſſipabitur. Conſtituite decretum, & non fiet. Munite vos, & vincemini. Non enim eſt ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium adverſus Dominum. Prov. 21. verſ. 30.

JOANNIS CALVINI ADMONITIO,

Qua oſtenditur quam è re Chriſtianæ Reipub. foret, Sanctorum corpora & reliquias, velut in inventarium redigi: quæ tam in Italia, quam in Gallia, Germania, Hiſpania, cæteriſque regionibus habentur.

Ex Gall. AUguſtinus in eo libro quem inſcripſit De labore Monachorum, conquerens de circumforaneis quibuſdam impoſtoribus, qui jam ſuo tempore fœdam ac ſordidam nundinationem exercebant, Martyrum reliquias hac & illac circumferendo, ſubjungit: Si modo ſunt Martyrum reliquiæ. Quo verbo ſignificat jam ſuo tempore invaluiſſe abuſus & impoſturas, quibus plebs imperita decipiebatur: ut putaret oſſa hinc atque illinc collecta, Sanctorum eſſe. Quum adeo antiqua ſit origo hujus impoſturæ, minime dubium eſt, quin vehementer adaucta ſit tam longo temporis ſpatio: quum præſertim mundus deinceps mirum in modum corruptus, ac ſemper in deterius lapſus ſit: donec ad extremum venit, in quo nunc eum conſtitutum videmus. Primum autem vitium & veluti initium mali fuit, quod quum Chriſtus in verbo ſuo, Sacramentis, & gratiis ſpiritualibus quærendus eſſet, mundus, ſolito ſuo more, ſubuculis, veſtibus, faſciis inhæſit: ſicque omiſſa re præcipua, acceſſionem tantum ſequutus eſt. Eundemque in Apoſtolis, Martyribus, aliiſque Sanctis ſe præbuit. Nam quum diligenter eorum vitam meditari, ſeque ad eorum imitationem conferre debuiſſet: omne ſtudium poſuit in contemplandis & veluti in theſauro reponendis eorum oſſibus, ſubuculis, cingulis, pileis, & nugis ejuſmodi.

Equidem non ignoro id quandam pietatis & zeli ſpeciem præ ſe ferre: quum dicitur, reliquias Chriſti ſervari ob honorem qui illi habetur: utque ejus memoria tenacius inhæreat animis: tantundem quoque in Sanctis valere. Sed conſiderandum erat, quod ait Paulus, quemvis cultum Dei, ingeniis hominum excogitatum, qualemcunque ſapientiæ ſpeciem præ ſe ferat, vanitatem & ſtultitiam meram eſſe: niſi melius fundamentum habeat, & certius noſtra opinione. Præterea utilitas quæ inde oriri poteſt, cum periculo comparanda erat. Sic enim compertum fuiſſet, parum utile, aut omnino ſupervacaneum eſſe & frivolum habere ejuſmodi reliquias: ac contra, difficillimum eſſe, aut potius fieri nullo modo poſſe, quin inde ad idololatriam homines paulatim declinent. Neque enim eas intueri aut attrectare poſſunt ſine veneratione: in qua nullus tenetur modus, quin protinus honor Chriſto debitus ipſis tribuatur. Itaque, ut paucis dicam, reliquiarum deſiderium nunquam ſuperſtitione caret: imo, quod deterius eſt, mater eſt idololatriæ, quæ ut plurimum cum ipſa conjuncta eſt.

Omnes ſine controverſia fatentur, Dominum ideo Moſis corpus è conſpectu hominum abſtuliſſe, ne populus Judaicus eo adorando abuteretur. Quod in uno factum eſt, ad omnes extendi oportet, quum in iis eadem valeat ratio. Verum, ut omittamus Sanctos, videamus quid Paulus de ipſo Chriſto dicat. Teſtatur enim ſe, poſt Chriſti reſurrectionem, amplius ipſum non agnoſcere ſecundum carnem: admonens his verbis, quicquid in Chriſto carnale fuit, oblivioni tradendum, & miſſum faciendum, ut in eo ſecundum ſpiritum quærendo, & poſſidendo, omnem operam ſtudiumque locemus. Nunc igitur cauſari præclarum eſſe, aliquod habere monumentum tum Chriſti, tum Sanctorum ejus; quid aliud eſt, quam inane tegumentum, fucandæ ſtultæ noſtræ cupiditatis cauſa, quærere, quæ nullum in ratione fundamentum habet? Quod ſi etiam hæc ratio ſufficere videretur, quum tamen aperte repugnet ſententiæ, quam Spiritus ſanctus per os Pauli pronunciavit, quid plura requirimus?

Sed minime neceſſarium eſt longam in hac re diſputationem texere: bonum ſit nec ne habere reliquias: tantum ut repoſitæ aſſerventur, non ut adorentur: nam, ſicuti diximus, experientia docet nunquam fere alterum ab altero ſejunctum eſſe. Ambroſius quidem de Helena Conſtantini matre loquens, quæ magno labore & ſumptu crucem Domini inquiſierat: ait, ipſam Dominum tantum, qui in ea pependerat, non lignum adoraſſe. Sed rariſſimum eſt, ut quis reliquiis ullis ſit deditus, quin ſimul aliqua ſuperſtitione polluatur. Fateor non primo impetu ad manifeſtam idololatriam erumpi: ſed paulatim ab una fallacia ad alteram declivem eſſe lapſum, donec tandem homines in extrema præcipites ruant. Sane populus, qui ſe Chriſtianum nominat, eo uſque progreſſus eſt, ut non minore idololatria, quam ulli olim Ethnici inſanierit. Proſtravit enim ſeipſum, ac genuflexit coram reliquiis, tanquam coram Deo, accendit faces & candelas pro ſolenni adorationis ritu; fiduciam in iis locavit, ad eas confugit, acſi illic virtus & gratia Dei incluſa fuiſſet. Si idololatria nihil aliud eſt, quam honorem Dei alio transferre, an id idololatriam eſſe negabimus? Neque vero id excuſari poteſt, quaſi immoderato rudium ac imperitorum vel anicularum zelo factum ſit. Latius enim patuit hæc immoderatio, eaque in univerſum laborarunt omnes: atque adeo ii ipſi, qui ad Eccleſiæ gubernacula ſedebant, eam approbarunt. Quin etiam mortuorum oſſa cæteræque omnes reliquiæ ſupra altare primarium in altiore & eminentiore loco collocatæ ſunt, ut majore reverentia adorarentur. En ut ſtulta, quæ initio fuit, in ſervandis reliquiis atque in theſaurum reponendis curioſitas, huc tandem abominationis delapſa ſit, ut non ſolum à Deo averſi ſint homines, quo rebus vanis & caducis adhærerent; ſed etiam execrabili ſacrilegio res omni ſenſu carentes adorarent loco Dei, qui vivit ac benedictus eſt in ſecula.

Cæterum, ſicuti mala trahuntur malis, alia etiam infelicitas ſequuta eſt, ut neſcio quæ ſordes, omni ratione & ſpecie carentes, pro reliquiis Chriſti & Sanctorum reciperentur: adeoque cæcus fuit mundus, ut qualiſcunque titulus nugis oblatis imponeretur, abſque inquiſitione ulla aut delectu, pro vero & legitimo duceret. Ita aſinorum aut canum oſſa, quæ nugator quiſpiam proferre voluit, pro Martyrum oſſibus, ſine ulla difficultate, homines ſtudioſe amplexi ſunt. Idemque in aliis accidit, ut poſtea tractabimus: equidem non dubito, quin juſta ſit ultio Dei. Quum enim mundus, veluti rabie quadam accenſus, reliquias concupiverit, ut perverſa ſuperſtitione iis abuteretur, rationi conſentaneum fuit, Deum ſinere mendacium aliud ex alio ſequi. Sic enim dedecus nomini ſuo illatum ulciſci ſolet:

ſolet: quum gloria quæ ad ipſum pertinet, alio transfertur. Itaque nihil aliud cauſæ eſt, quod ubique tot falſæ reliquiæ repertæ ſuerint, quam quod Deus homines ſeſe mendaciis oblectantes, in duplicem errorem abduci ſiverit.

Chriſtianorum officium erat, Sanctorum corpora in ſepulchris ſuis relinquere, ut univerſali illi ſententiæ parerent, qua dictum eſt omnem hominem pulverem eſſe, atque in pulverem reverſurum: non erigere ipſa opere magnifico & ſumptuoſo, quo præmaturam reſurrectionem fabricarent. Hoc quidem minime intellectum fuit: ſed è diverſo contra decretum Dei, fidelium corpora effoſſa ſunt, ut magnifice extollerentur, quum in ſepulcbro ſuo, velut in lectulo, uſque ad extremum diem quieſcere debuiſſent. Appetita fuerunt ipſa, in iis fiducia locata eſt, adorata quoque ſunt: denique omnia reverentiæ ſigna iis exhibita. Quid accidit? Diabolus ejuſmodi ſocordiam cernens, non ſatis eſſe putavit, quod uno modo homines feſelliſſet: verum hac etiam impoſtura ipſos decepit, ut ſanctarum reliquiarum titulum, rebus omnino profanis inſcriberet. Deus autem juſta ultione mentem ac ſenſum omnem incredulis ademit, ut ſine ulla inquiſitione, albumne an nigrum eſſet, ac ſine diſcrimine reciperent quicquid oblatum foret.

Nunc quidem inſtituti mei non eſt tractare quantæ ſit abominationis reliquiis tum Chriſti, tum Sanctorum abuti, eo modo, quo hactenus factum eſt, atque etiam hodie in majore orbis Chriſtiani parte fieri ſolet: eſſet enim liber in hanc materiam ſeorſim ſcribendus. Sed quia perſpicuum eſt maximam reliquiarum, quæ oſtenduntur, partem falſam eſſe, ac productam à quibuſdam nugatoribus, qui miſeræ plebi impudenter impoſuerunt: mihi in mentem venit nonnulla referre, quæ ſanis hominibus cogitandi & obſervandi occaſionem præbeant. Sæpe enim accidit, ut errore aut opinione præoccupati multa inconſiderate probemus: neque tempus adhibeamus ad rem examinandam, rectumque judicium ferendum: ſicque incogitantia noſtra fallimur. Sed quum moniti cœpimus animum advertere, miramur ipſi nos adeo leves fuiſſe, & faciles ad id credendum, quod probabile nullo modo fuerat. Id quod omnino in hac re accidit. Homines enim minime commoniti, ſed præoccupati hac opinione, quod dicatur, En corpus illius Sancti, en calcei, en caligæ, ſibi facile ita eſſe perſuadent. Sed quum fraudes oſtendero, quæ in iis admittuntur, cui vel minimum erit prudentiæ, is oculos aperiet; & iis, quæ nunquam ipſi in mentem venerant, conſiderandis animum adhibebit.

Tametſi hoc libello, quod vel maxime cuperem, efficere non poſſim: nam undiquaque catalogos nanciſci opus foret, ut ſciretur, quæ in unoquoque loco eſſe dicuntur reliquiæ, & ſingularum fieret inter ſe collatio. Tunc enim perſpiceretur unumquemque Apoſtolorum, pluſquam quatuor corpora, Sanctorum vero duo aut tria habere. Idem cerneretur in cæteris. Denique, coacto tali acervo, nemo non ſtuperet: quum videret rebus adeo ridiculis univerſum fere orbem excæcatum fuiſſe. Mecum ipſe ita cogitabam: quum nulla ſit cathedralis Eccleſia tam exigua, cui non ſit oſſium aliarumque ejuſmodi nugarum infinitas: quid ſi coacervaretur multitudo omnis, quæ in tribus aut quatuor millibus diœceſibus condita eſt, viginti aut triginta millibus Abbatiis, ex quadraginta millibus Cœnobiorum, aut eo plus, ex tot parochiis, tot ſacellis? Verum, adhuc præcipuum eſſet ipſas viſitare, non nominare tantum; neque enim omnes ex nomine cognoſcuntur. In hac civitate habebatur, ut ferebant, brachium D. Antonii. Quum theca incluſum erat, omnes ipſum exoſculabantur & adorabant: quum productum eſt in medium, cervi penem eſſe compertum eſt. Ad majus altare aliquid erat de cerebello D. Petri. Quamdiu id incluſum fuit, nemo dubitabat: fuiſſet enim blaſphemia titulo fidem non habere: ſed quum excuſſus eſt nidus, & accuratius obſervatus, repertus eſt pumex. Poſſem multa ejuſmodi exempla referre: ſed iſta ſufficient, ut intelligant omnes quantæ detegerentur ſordes, ſi aliquando viſitarentur ſedulo omnes totius Europæ reliquiæ: idque cum prudentia, quo melius diſcerni poſſent. Nonnulli enim reliquiarum aliquod ſpectantes, ſuperſtitione claudunt oculos, ut cernendo nihil cernant: id eſt, non audent ſerio inſpicere, ut quid ſit, diligenter conſiderent. Quemadmodum multi, qui jactant ſe integrum D. Claudii corpus, aut alterius cujuſquam vidiſſe, nunquam oculos attollere auſi ſunt, ut quid eſſet ſpectarent. Verum, is cui ſecreti videndi eſſet libertas, eaque uti auderet, longe aliter loqueretur. Idem de capite Magdalenæ, quod Maſſiliæ oſtenditur, cum maſſæ aut ceræ fruſto, quod oculo affixum eſt. In theſauro ſervatur, acſi Deus aliquis è cælo delapſus eſſet: verum, ſi examinaretur, facile detegeretur fallacia.

Optandum igitur eſſet, ut certiores eſſemus de nugis omnibus, quæ hic atque illic pro reliquiis habentur: aut ſaltem, quo conſtaret quam multæ falſæ ſint, catalogum earum & numerum tenere. Sed quum id fieri non poſſit, ſaltem optarim inventarium ex decem aut duodecim urbibus nanciſci: veluti Lutetia, Toloſa, Rhemis, Pictavo. His enim ſolis mirabilia veluti apum examina, vel ſaltem officinæ admodum confuſæ perſpicerentur. Idque mihi ſæpenumero in votis eſſe ſolet, ut tale inventarium nanciſci poſſem. Quia vero hoc quoque mihi nimium difficile eſſet, tandem cogitavi, præſtabilius eſſe omnino exiguam hanc monitionem præbere, qua ſomnolentos excitem, ut cogitent quid ſit in univerſis, quum in paucis tanta impoſtura deprehendatur. Hoc intelligo: quum in iis reliquiariis quæ nominavero, tanta deprehendatur impoſtura, quæ tamen vix milleſima eſt pars eorum, quæ exhiberi ſolent: quid de cæteris poterit æſtimari? Præterea, ſi conſtet eas quæ pro certioribus habitæ fuerunt, falſo eſſe ſuppoſitas: quid de incertis judicandum erit? Utinam vero Chriſtiani Principes paulisper animum ad id adverterent! Eſſet enim ex eorum officio non ſinere miſeros homines ſic ſeduci, non tantum falſa doctrina, ſed etiam palam deludi, perſuadendo quod vulgo dici ſolet: Veſicas arietum, laternas eſſe. Nam de ſua diſſimulatione, rationem Deo ſunt reddituri, quod ea cernentes taceant: graviſſimamque hanc eſſe culpam ſentient, ſiviſſe Deum ludibrio haberi, quum id prohibere potuiſſent. Quicquid ſit, ſpero libellum hunc omnibus uſui futurum, daturumque occaſionem ſingulis, id ſuo loco conſiderandi, quod titulus ipſe monet: nempe, ſi deſcriptæ eſſent omnes orbis Chriſtiani reliquiæ, perſpicuum fore, quam cæci antehac fuerint omnes: quantæ tenebræ per univerſum orbem ſint effuſæ, & quanta ſtupiditate homines laborarint.

A Chriſto igitur initium faciamus, cujus quum naturale corpus haberi non poſſet (nam miraculoſi fabricandi facile viam invenerunt, quanto numero ac quoties eis libitum foret) ejus loco ſexcentas nugas collegerunt, quibus ipſius abſentiam compenſarent. Quanquam nec totum Chriſti corpus elabi ſiverint, quin aliquod fruſtum retinerent. Nam præter dentes & capillos, Charrovienſes Monachi, jactant ſe præputium habere, id eſt, pellem quæ ipſi in Circumciſione amputata fuit. Quæſo, unde pellis hæc ad ipſus profecta eſt? Lucas Evangeliſta Dominum circumciſum fuiſſe, refert: pellem vero ſervatam fuiſſe pro reliquiis, nuſquam fit mentio. Veteres hiſtoriæ omnes ſilent. Ac quingentorum annorum ſpatio, nullus de ea, in Eccleſia Chriſtiana, ſermo habitus eſt: ubi latuit tam diu, ut tam

ſubito

Digitized by Google

ſubito erumperet? Præterea, quomodo ad Charrovium uſque advolavit? Verum, ut id probent, aiunt aliquot inde ſanguinis guttas decidiſſe. Id quidem dicunt, ſed opus eſſet probatione. Proinde patet merum eſſe ludibrium. Sed tametſi concedamus pellem, quæ Chriſto amputata fuit, ſervatam eſſe, ibique aut alibi eſſe poſſe, quid dicemus de præputio quod Romæ ad Joannis Lateranenſis oſtenditur? Certum eſt, unicum tantum fuiſſe: Romæ igitur & Charravii ſimul eſſe non poteſt. Quo fit ut manifeſta hic cernatur falſitas.

Sequitur deinde ſanguis, de quo magnæ fuerunt contentiones. Permulti enim negarunt Chriſti ſanguinem reperiri, præterquam miraculoſum. Et tamen naturalis pluſquam centum in locis exhibetur. Alicubi paucæ guttæ, ut Rupellæ Pictonum, quas Nicodemus in chirotheca ſua, ut aiunt, collegit: Alibi plenæ phialæ, ut Mantuæ, Biliomi in Arvernia, oſtenditur, vaſe cryſtallino liquidus, in quodam proximo vico, coagulatus, & aliis in locis. Alibi plenis pateris effuſus; ut Romæ ad Euſtathii. Neque vero ſat fuit purum habere ſanguinem: ſed etiam aquæ admixtum habere oportuit, qualis à latere ipſius fluxit, quum in cruce transfixum eſt. Hæc merx Romæ ad Joannis Lateranenſis reperitur. Judicandum cuique relinquo, quid certi inde colligi poſſit: atque adeo num mendacium perſpicuum ſit, dicere ſanguinem Chriſti ſeptingentis aut octingentis poſt ipſius mortem annis repertum fuiſſe, ut per orbem univerſum ſpargeretur: quum in vetere Eccleſia nulla unquam habita fuerit mentio.

Sequuntur præterea quæ corpus Domini contigerunt: aut ſaltem quæcunque potuerunt colligi, ut corporis loco fierent in ejus memoriam reliquiæ. Primum, oſtenditur Romæ ad Mariæ majoris, præſepe in quo naſcens poſitus fuit. Ibidem ad Pauli, exhibetur linteum quo fuit involutus, quanquam aliquod ejus fragmentum ad Salvatoris in Hiſpania eſſe dicatur. Sunt etiam ibidem ejus cunæ, cum ſubucula, quam Maria mater ejus ipſi contexuit. Item, Romæ ad Jacobi oſtenditur altare, cui impoſitus fuit, quum in Templo offerretur. Quaſi vero tunc varia fuerint altaria, ſicuti in Papatu, ubi conſtituuntur pro hominum libidine. Ita ſine ullo colore hac in re mentiuntur. Hæc ſunt quæ habent de iis quæ Chriſtum infantiæ tempore contigerunt. Neque vero multum diſputare neceſſe eſt, ubi ſarcinæ iſtæ tanto ſpatio poſt mortem Chriſti repertæ fuerint. Nemo enim tam hebes eſt, qui non intueatur qualis ſit hæc dementia. In hiſtoria Euangelica, de iis rebus ne unum quidem verbum: Apoſtolorum tempore nihil prorſus auditum eſt. Quinquaginta circiter annos poſt Chriſti mortem, Jeroſolyma expilata ac everſa fuit. Tot veteres Doctores ab eo tempore ſcripſerunt. eorumque mentionem fecerunt, quæ extabant ſuo tempore: præſertim de cruce & clavis quæ Helena reperit. De exilibus vero nugis illis, nullum verbum. Quin etiam Gregorii tempore nuſquam apparet horum quicquam Romæ extitiſſe: ut conſtat ex ejus ſcriptis. Poſt ejus mortem Roma ſæpius capta, expilata, & pene funditus deleta fuit. Si hæc omnia accurate conſiderentur, quid aliud dici poterit, niſi omnia hæc excogitata fuiſſe, quo imperitæ plebi imponeretur? Ac certe id fatentur falſæ religionis fautores, tum ſacerdotes, tum monachi: eaſque vocant, Pias fraudes, quaſi iis populus ad pietatem incitetur.

Secundæ claſſis reliquiæ ſunt quæ id tempus ſpectant, quod inter infantiam & mortem Chriſti medium fuit. In quibus eſt columna, cui Chriſtus in Templo diſputans innitebatur, cum aliis undecim ſimilibus ex templo Solomonis. Sed quis ipſis revelavit, Chriſtum, diſputando columnæ innixum fuiſſe? Nam Euangeliſta, hiſtoriam hujuſce diſputationis referens, ne verbu quidem id perſtringit. Nec veriſimile eſt ei concionatoris conceſſum fuiſſe locum, quum nulla, ut perſpicuum eſt, exiſtimatione, aut auctoritate polleret. Præterea quæro, etiamſi columnæ innixus eſſet, qui ſciunt illam fuiſſe? Tertio, unde duodecim illas columnas nacti ſunt, quas aiunt prodiiſſe è templo Solomonis? Sunt deinde hydriæ, in quibus Chriſtus aquam in vinum mutavit, quum adeſſet nuptiis in Cana Galileæ. Equidem ſcire vellem, quis earum cuſtos fuit tamdiu, ut eas poſtea diſtribueret. Hoc enim perpetuo notandum, octingentis ſolum aut mille annis poſt editum illud miraculum repertas fuiſſe. Non ſatis teneo locos omnes ubi illæ oſtenduntur. Scio tamen eas Ravennæ, Piſis, Cluniaci, Andegavi, ad Salvatoris in Hiſpania haberi. Sed, ne longior ſit oratio, ſolo aſpectu eos mendacii convincere facile eſt. Aliæ enim non ſunt congio capaciores, aut paulo plus, aliæ minus, aliæ octo amphoras continere poſſunt. Concilientur hæc inter ſe, ſi fieri poſſit. Tunc eos ſuas hydrias habere ſinam abſque controverſia. Sed neque vaſis contenti, poculentum etiam ipſum habere voluerunt. Nam, Aureliæ jactant ſe ex eo vino habere: quod Architriclini vocant. Hoc autem ſponſi nomen fuiſſe putant, & populum adhuc retinent in ea ignorantia. Singulis annis ſemel extremam exiguæ ligulæ partem lingendam præbent iis, qui munus aliquod offerre voluerint: dicentes, ſe vinum quod Dominus in convivio fecit, propinare. Neque unquam minuitur ejus quantitas, modo ſubinde compleatur ſcyphus. Neſcio cujus magnitudinis ſint calcei, qui Romæ eſſe dicuntur in eo loco, quem Sancta ſanctorum vocant: an puer, an vir factus, iis uſus ſit; ſed neutrum alteri præſtat: Nam ſatis ſuperque oſtendi quantæ ſit impudentiæ nunc Chriſti calceos proferre, quibus Apoſtoli ſuo tempore caruerunt.

Nunc ad ea veniamus quæ ad ſupremam Cœnam pertinent, quam Chriſtus cum Apoſtolis celebravit. Menſa enim Romæ eſt ad Joannis Lateranenſis. Aliquid de pane ad Salvatoris in Hiſpania. Culter, quo agnus Paſchalis fuit diſſectus, Treveris. Notemus Chriſtum in commodato loco Cœnam celebraſſe. Illinc diſcedentem, menſam reliquiſſe: nec legimus ab Apoſtolis eam eſſe exportatam. Aliquot poſtea annis Jeroſolyma deſtructa fuit, ſicuti diximus. Qualem vero ſpeciem veritatis hoc præ ſe fert, menſam illam ſeptingentis, aut octingentis poſt annis repertam eſſe? Præterea, menſarum forma tunc omnino diverſa erat, ab ea quæ nobis hodie in uſu eſt. Nec enim ſedere cœnando, ſed accumbere ſolebant: quod diſerte Euangelio exprimitur. Perſpicuum eſt igitur hoc mendacium. Quid ſupereſt? Calix in quo Sacramentum ſanguinis ſui Apoſtolis bibendum dedit, oſtenditur ad Mariæ Inſulanæ, prope Lugdunum. Item, apud Helvios, in quodam Auguſtinenſium cœnobio. Cui fides habebitur? Verum de diſco in quo poſitus eſt agnus Paſchalis, res etiamnum pejus habet. Eſt enim Romæ, item Genuæ, & Arelatæ. Forſitan illius temporis conſuetudo à noſtra diverſa fuit. Quod enim hodie variantur fercula, tunc unius ferculi cauſa, diſcum variari oportuit: ſi modo ſanctis hiſce reliquiis fides habetur. An magis perſpicua requiritur falſitas? Idem eſt de linteo, quo Chriſtus Apoſtolorum pedes abſterſit, poſtquam eos abluiſſet. Unum eſt Romæ, ad Joannis Lateranenſis: alterum Aquis, in Germania, ad Cornelii, cum impreſſo veſtigio pedis Judæ: alterutrum falſum eſſe neceſſe eſt. Quid ergo judicabimus? Sinamus eos inter ſe contendere, quoad alteri cauſam ſuam probarint. Interim cenſeamus meram eſſe impoſturam: perſuadere hominibus velle, linteum, quod Chriſtus reliquit in ea domo, in qua Cœnam celebravit, quingentis, aut ſexcentis poſt Jeroſolymæ everſionem annis in Italiam, aut Germaniam advolaſſe. Panem omiſeram, quo per miraculum in deſerto paſti ſunt

homi-

hominum quinque millia: cujus fruſtum Romæ oſtenditur, ad Mariæ Novæ: & fruſtulum ad Salvatoris, in Hiſpania. Refert Scriptura portionem aliquam mannæ fuiſſe reſervatam, tanquam monumentum magni illius miraculi, quo Deus populum Judaicum in deſerto pavit. Sed de quinque panum reliquiis, Euangeliſta non commemorat quicquam fuiſſe hoc fine aſſervatum: neque ulla veterum hiſtoria, ulluſve antiquorum Eccleſiæ Doctorum mentionem facit. Facile eſt igitur judicare, id poſtea pinſitum fuiſſe quod nunc monſtratur. Idem judicandum de ramo, quod eſt ad Salvatoris in Hiſpania. Aiunt enim eum eſſe quem Chriſtus geſtabat, quum die Paſchatis, quod Floridum vocant, Jeroſolymam ingreſſus eſt. Verum à Chriſto geſtatum fuiſſe ramum nuſquam recitatur in Euangelio: commentum igitur evidens eſt. Denique in hunc ordinem redigendæ ſunt reliquiæ, quæ ibidem exhibentur: nempe, terra quæ ſub pedibus Chriſti jacebat, quum Lazarum ſuſcitaret. Quæſo, quis tam diligenter notavit locum, ut poſt Jeroſolymæ everſionem, qua omnia in Judæa immutata ſunt, locus in quo Chriſtus ſemel pedem poſuit, certo potuerit deſignari?

Jam ad præcipuas Domini reliquias veniendum eſt: illas ſcilicet, quæ ad mortem & paſſionem ejus pertinent. Ac primum de cruce in qua pependit, agamus. Pro certo haberi ſcio, Helenam, Conſtantini imperatoris Romani matrem, ipſam reperiſſe. Nec ignoro quid veteres nonnulli Doctores ſcripſerint in ejus rei comprobationem: nempe, ut certum ſit, eam ſine ulla dubitatione eſſe crucem, cui Chriſtus ſuffixus eſt. Horum omnium fides ſit penes rem ipſam. Utcunque ſit, vel ſtulta curioſitas, vel ineptus religionis zelus ipſam huc impulit. Sed fingamus opus laude dignum fuiſſe, quod inveniendæ cruci tantum operæ poſuerit: atque Dominum tunc miraculo declaraſſe, ſuam fuiſſe crucem. Solum temporis noſtri rationem habeamus. Crucem illam, quam Helena reperit, adhuc Jeroſolymis eſſe ferunt. Atque id nemini dubium eſt: quanquam Eccleſiaſtica hiſtoria aperte repugnet. Illic enim refertur, Helenam partem ejus Imperatori filio ſuo miſiſſe, à quo ſupra columnam porphyream Conſtantinopoli fuerit collocata: alteram vero partem, ab ea fuiſſe argentea theca incluſam, quam Epiſcopo Jeroſolymitano ſervandam dederit. Itaque aut mendacii coarguemus hiſtoriam, aut quæ hodie feruntur de vera cruce, vana omnino & frivola ſunt. Rurſum animadvertamus quot de ea ſparſa ſint per univerſum orbem fragmenta. Si vel ea tantum, quæ teneo, recitare vellem, juſtum certe librum catalogus eorum implere poſſet. Nullum eſt tam exiguum oppidum, in quo fruſtum aliquod non habeatur. Neque tantum in Eccleſia primaria, verum etiam in nonnullis parochiis, nulla tam vilis Abbatia in qua aliquid non monſtretur. Atque adeo nonnullis in locis craſſiores aſſulæ: ut Lutetiæ, ad ſacri Sacelli: Pictavii, & Romæ, ubi Crucifixus mediocris magnitudinis, totus ex ea factus eſſe fertur. Denique ſi congeſta in acervum eſſent omnia quæ reperiri poſſent, integrum navis onus efficerent: quum tamen Euangelium teſtificetur ab unico homine ferri potuiſſe. Quantæ igitur audaciæ fuit, ligneis fruſtis ſic totum implere orbem, quibus ferendis ne trecenti quidem homines ſufficiant? Atqui excuſationem illam excogitarunt, quantumcunque inde abſcindatur, nunquam tamen imminui. Sed commentum adeo ſtultum & abſurdum eſſe conſtat, ut ſuperſtitioſi ipſi, facile id intelligant. Cogitandum igitur omnibus relinquo, quid certi haberi poſſit de lignis omnibus, quæ pro vera cruce hic & illic adorantur. Unde vero fragmenta quædam allata ſint, & qua via, aut ratione, dicere omitto. Veluti, nonnulli aſſerunt ad ſe ab Angelis delata eſſe: alii è cælo decidiſſe. Pictavienſes referunt, id quod habent, à muliere quadam Helenæ ancilla ſubreptum, atque allatum fuiſſe: quæ quum aufugeret, errabunda, circa eam regionem appulit. Hoc etiam addunt fabulæ, eam fuiſſe claudam. En præclara fundamenta quibus miſeram plebem ad idololatriam impellunt. Nec enim eo contenti, quod imperitis ac rudibus impoſuiſſent, vulgare lignum pro ligno crucis oſtentando: ſed definierunt etiam prorſus eſſe adorandum. Quæ doctrina omnino diabolica eſt: eamque nominatim Ambroſius, ut Ethnicam ſuperſtitionem improbat.

Crucem proxime ſubſequitur titulus, quem Pilatus affigi juſſit, in quo inſcripſit, Jeſus Nazarenus Rex Judæorum. Sed ſciendum eſſet, quo loco, tempore, & modo repertus eſt. Dicet aliquis, Socratem hiſtoricum Eccleſiaſticum ejus facere mentionem. Fateor. Sed quid de eo factum ſit, reticet. Ita haud magni momenti erit hoc teſtimonium. Præterea ſcriptum illud propere atque ex tempore exaratum fuit, quum jam Chriſtus crucifixus eſſet. Quamobrem alieniſſimum à ratione eſt, tabulam curioſe & veluti oſtentandi cauſa depictam exhibere. Si igitur vel unicus tantum oſtenderetur, pro falſo & ficto merito haberi poſſet: ſed quum Tholoſates id ſe habere jactent, contradicant Romani, & oſtendant ad S. crucis, mendacii ſe invicem coarguunt. Litigent ergo inter ſe quantum volent: tandem utrique convincentur mendacii, ſi rite examinentur omnia.

Sed de clavis major adhuc controverſia eſt. Referam eos de quibus fui admonitus. Hinc vel minimus puer judicabit diabolum nimis indigne mundo illuſiſſe, omni ratione ac ſenſu ei ademptis, ne amplius hac in re diſcrimen habere poſſet. Si vera narrant antiqui ſcriptores, ac præſertim Theodoritus veteris Eccleſiæ hiſtoricus, Helena unum filii ſui galeæ inſeri, reliquos duos equi freno aptari juſſit. Tametſi Ambroſius non omnino conſentiat. Unum enim Conſtantini coronæ impoſitum fuiſſe dicit: ex altero, frenum equi factum: tertium ab Helena ſervatum. Id ergo jam ante mille & ducentos annos controverſum fuiſſe videmus, quid clavis factum eſſet. Quid igitur nunc certi habere poſſumus? At vero Mediolanenſes jactant ſe illum habere qui equi freno inſertus fuit. Intercedunt Carpentoractenſes, ſibique illum vendicant. Atqui Ambroſius haudquaquam equi freno inſertum, ſed frenum ex eo factum fuiſſe refert. Quod nullo modo convenire poteſt, cum iis quæ tum Mediolanenſes, tum Carpentoractenſes affirmant. Eſt etiam alius Romæ, ad divæ Helenæ: alius ibidem, ad ſanctæ Crucis: alius Senis: alius Venetiis: in Germania duo: unus Coloniæ, ad trium Mariarum: alter Treveris. In Gallia, unus Lutetiæ ad ſancti Sacelli: alius apud Carmelitas: alius ad D. Dionyſii in Francia: alius apud Bituriges: alius in Abbatia, cui à Forficibus eſt nomen: alius Draguiniani. En numero quatuordecim. Porro unuſquiſque locus idoneis probationibus niti ſibi videtur. Unum certe concedam: ſingulis æquum jus eſſe. Itaque nihil expeditius, quam eandem de omnibus ferri ſententiam: nempe, ut quicquid jactant, pro mendacio ducamus: quum id aliter expediri non poſſit.

Sequitur mucro lanceæ, quem unicum eſſe oportuit: ſed alchymiſticæ cujuſdam fornacis forſitan ignem expertus, ſic excrevit ac multiplicatus eſt. Quatuor enim prodierunt: præter eos qui hic illic habentur, meque prætereunt. Unus eſt Romæ, alter Lutetiæ ad ſancti Sacelli, tertius apud Xantones in cœnobio cui à Forficibus nomen eſt: quartus Selvæ, prope Burdegalam. Quis nunc eorum pro vero eligetur? Expeditius omnino erit omnes miſſos facere, & quales ſunt ipſi, tales ſinere. Sed quamvis unicus tantum eſſet, tamen unde prodiiſſet, ſcire vellem. Nec enim veteres hiſtoriæ aut ulla aliorum

ſcri-

ſcripta, de eo mentionem faciunt. Recens igitur fabricatum fuiſſe neceſſe foret.

Quod ad coronam ſpineam attinet, fragmenta ejus, quo vireſcerent, plantata fuiſſe dicendum eſt: Alioqui neſcio, quomodo potuit in iſtam magnitudinem excreſcere. Primum, tertia ejus pars eſt Lutetiæ, ad ſancti Sacelli: deinde Romæ, ad ſanctæ Crucis, tres ſunt ſpinæ: ibidem ad Euſtathii aliqua portio. Senis neſcio quot ſpinæ: Vincentiæ una: Biturigibus quinque: Veſontione, ad Joannis, tres: totidem in Monteregio. Ad Salvatoris in Hiſpania, aliquot, quarum numerum non teneo. Compoſtellæ, ad D. Jacobi, duæ: apud Helvios, tres: Tholoſæ, Matiſconæ, Charrovii Pictonum, Cleriaci, Sanfloridi, Sanmaximini in Provincia, item in cœnobio Salliæ, item Novioduni ad D. Martini. Singula hæc loca ſingulas habent ſpinas. Quod ſi diligens inquiſitio fieret, plures quadruplo poſſent nominari. Unde falſitatem & impoſturam evidentiſſime patere neceſſe eſt. Quid igitur certi de omnibus conſtabit? Adhæc notandum eſt, nunquam in vetere Eccleſia ſcitum eſſe, quid corona illa factum eſſet. Hinc facile eſt concludere, primum virgultum multis poſt mortem Chriſti annis, enatum fuiſſe.

Sequitur veſtis purpurea, qua Pilatus Chriſtum induit, eum ludibrio habens, quod ſe Regem nominaſſet. Erat autem pretioſa veſtis, haud ita temere abjicienda. Nec exiſtimandum eſt Pilatum aut ejus domeſticos ſic eam abjeciſſe, poſtquam ſemel Chriſtum irriſiſſent. Equidem ſcire vellem, quis mercator eam à Pilato emit, ut eam pro reliquiis aſſervaret. Ut autem aliquid commento ſuo coloris afferant, quibuſdam guttis ſanguinis aſperſam oſtendunt. Quaſi vero nefarii illi voluiſſent regiam veſtem perdere, poſteaquam per ludibrium eam humeris Chriſti impoſuerant. Neſcio an uſquam alibi quæpiam alia ejuſdem nominis reperiatur. Veſtis quidem contexta à ſummo ad infimum, ſuturis carens, quia ad incitandos ad pietatem rudes magis apta videbatur, plures alias peperit. Nam Argentolii, qui pagus eſt in agro Pariſienſi, exhibetur una: altera Treveris. Quod ſi verum dicit bulla quæ eſt ad Salvatoris Hiſpanienſis, Chriſtiani inconſiderato ſuo zelo gravius deliquerunt, quam impii illi milites qui non auſi ſunt ipſam dividere. Chriſtiani vero quo eam adorarent, diſcerpere veriti non ſunt. Sed quid reſpondebunt Turcæ, qui eorum dementiam irridens, illam apud ſe eſſe dicit? Quanquam minime neceſſarium eſt eos cum Turca committere, ut cum ipſo litigent: ſufficit enim ſi ſuam inter ſe dirimant litem. Interim juſta ratione excuſabimur, ſi nullis eorum fidem adhibeamus, ne abſque cauſæ cognitione alicui favere videamur. Id enim ab æquitate eſſet alienum. Quin etiam ſi fidem ſibi haberi velint, primum ipſos cum Euangeliſtis convenire neceſſe fuerit. Porro, ſic res habet: veſtem illam, cujus cauſa ſors jacta eſt, tunicam fuiſſe, quam Græci χιτῶνα vocant. Velim nunc homines diligenter animadvertere, cujus formæ ſit ea quæ Argentolii, aut Treveris oſtenditur. Certe invenient Argentolienſem inſtar eſſe Miſſariæ veſtis, quam Chaſulam vocant. Itaque, etſi hominum configerent oculos, perſpiceretur tamen eorum falſitas, & quaſi manibus attrectaretur. Ut finem faciam huic articulo, quæſtiunculam libens propoſuero: nempe, milites inter ſe veſtimenta Chriſti diviſerunt, ut Scriptura teſtatur. Hoc ab ipſis commodi ſui cauſa factum eſſe certiſſimum eſt. Indicent mihi nunc: quis Chriſtianorum redemit à militibus & tunicam, & alia veſtimenta, quæ alibi, veluti Romæ ad Euſtathii, & aliis in locis oſtenduntur? Quomodo Euangeliſtæ ejus rei obliti ſunt? Eſt enim abſurdum dicere, milites inter ſe veſtimenta partitos eſſe, niſi addatur à quibus redempta fuerint, ut tanquam reliquiæ ſervari poſſent. Adhæc qui veteres ſcriptores adeo ingrati fuerunt, ut ne verbum quidem ullum fecerint? Ad ſolvendas quæſtiones iſtas, diem illis præfigo, quo homines ſenſu, intelligentia, atque judicio carebunt. Hoc melius, quod cum veſte talos etiam habere voluerunt, quibus ſors à militibus jacta eſt. Quorum unus eſt Treveris, alter ad Salvatoris, in Hiſpania. In hoc autem genuine inſaniam ſuam prodiderunt. Jactas enim fuiſſe ſortes referunt Euangeliſtæ, quæ tunc è pileo vel urna ſolebant educi, ut quum hodie fabis eligitur rex, vel Biancha, quod vulgo aiunt, luditur. Denique nemini ignotum eſt, quomodo ſortes jaci ſolent, quum prædia aut hæreditates dividuntur. Beſtiæ vero iſtæ, imaginati ſunt ſortes illas fuiſſe talorum ludum, qui nondum in uſu erat, ſaltem qualem noſtro tempore habemus. Nam punctorum loco, quæ noſtris affixa ſunt, tunc certa quædam habebant ſigna, quæ nominibus ſuis appellabant, veluti Venerem, aut Canem. Nunc exoſculentur reliquias ſub hominum tam inepte mentientium & adeo ſtupidorum fide.

Jam de ſudario tractandum eſt, in quo adhuc apertius tum impudentiam, tum ſtoliditatem ſuam prodiderunt: nam præter ſudarium Veronicæ, quod Romæ ad Petri oſtenditur, & peplum virginis Mariæ, pudendis Domini, ut ferunt, impoſitum, quod ad Joannis Lateranenſis monſtratur, quod rurſum eſt Carcaſſonæ apud Auguſtinienſes. Item, ſudarium quo obvolutum eſt caput ipſius in ſepulchro, quod ibidem exhibetur: ſunt præterea ſex ad minimum urbes, quæ jactant ſe integrum ſepulturæ Domini ſudarium habere: veluti Nicea illud, quod è Camberiaco translatum fuit. Item, Aquæ in Germania. Item, Trajectum. Item, Veſontio. Item, Cadonium Lemovicum. Item, oppidum quoddam Lotharingiæ, Alſatiæ vicinum: præter fragmenta, quæ hac & illac diſperſa ſunt, veluti ad Salvatoris in Hiſpania, atque apud Auguſtinenſes Helviorum. Sudarium adhuc integrum prætermitto, quod eſt Romæ in quodam mulierum monaſterio: quoniam Papa ſolenniter illud oſtendi vetuit. Quæſo, an non valde inſanierunt homines, quum in tam longinquas regiones magno ſumptu, majore moleſtia excurrerunt, ut panniculum cernerent, de quo nihil omnino poterant habere certi: ſed potius addubitare cogebantur? Quiſquis enim ſudarium certo quodam in loco eſſe putat, cæteros qui ſe habere jactant, accuſat falſi. Ut exempli gratia, qui panniculum quod fuit Camberiaci, verum eſſe ſudarium credit, Veſontinos, Aquenſes, Cadonios, Trajectenſes, & Romanos mendacii condemnat, & ſceleris: quod plebem ad idololatriam impellant, atque ita ei imponant, ut credat profanum panniculum, linteum eſſe, quo Redemptoris ſui corpus involutum fuit. Nunc ad Euangelii teſtimonia veniamus. Parum enim eſſet eos mutuo à ſeipſis mendacii coargui, niſi Spiritus ſanctus ipſis repugnans, omnes ſimul ad unum aperte convinceret. Primum, valde mirum eſt Euangeliſtas nullam Veronicæ mentionem facere, quæ faciem Chriſti peplo abſterſit: quum de mulieribus omnibus loquantur, quæ Chriſtum ad crucem comitatæ ſunt. Res quidem præclara & memoratu digna fuit, faciem Chriſti linteo impreſſam ſtupendo miraculo fuiſſe. Contra, non magni videtur eſſe ponderis, aliquas mulieres Chriſtum ad crucem comitatas, nec ullum interim ipſis exertum eſſe miraculum. Qui fit, ut Euangeliſtæ leves iſtas res nec magni adeo momenti referant: præcipuas vero taceant? Equidem ſi tale editum eſſet miraculum, ut vulgo imponitur, accuſandus eſſet Spiritus ſanctus aut oblivionis, aut inconſiderantiæ, qui prudenter eligere nequiviſſet ea, quæ referri magis conducebat. Hoc habeant pro Veronica ſua, ut cognoſcant omnes quam apertum ſit mendacium, quod vulgo perſuadere volunt. Quod attinet ad ſudarium quo involutum fuit corpus, ſimiliter eos rogatos velim: Quum Euangeliſtæ

diligenter recenſeant miracula quæ in morte Chriſti contigerunt, nec quicquam prætermittant eorum quæ pertinent ad hiſtoriam: quomodo hoc ita ipſis excidit, ut tam excellens miraculum filerent? nempe effigiem corporis Domini, linteo quo ſepultus fuit inhæſiſſe. id enim non minus quam alia multa merito referendum fuit. Quum etiam Joannes declaret, Petrum ingreſſum in ſepulchrum, vidiſſe lintea in quibus humatus fuerat, ſeorſim disjecta. De effigie miraculoſa, nulla mentio. Non eſt autem exiſtimandum hoc præclarum Dei opus eum celaturum fuiſſe, ſi quid tale fuiſſet. Objicitur & alia dubitatio. Nempe ab Euangeliſtis nuſquam referri, lintea illa à diſcipulis aut piis mulieribus extra ſepulchrum translata eſſe, ſed potius ibi derelicta fuiſſe innuunt, licet non exprimant. Sepulchrum autem à militibus cuſtodiebatur: in quorum poteſtate poſtea linteum fuit. An veriſimile eſt eos pio alicui dediſſe, ut pro reliquiis haberetur? Præſertim quum Phariſæi eos ad perjurium illexiſſent pecunia: ut ſic affirmarent, corpus à diſcipulis clam ſubreptum fuiſſe? Omitto quod falſitas ſolo figurarum, quas oſtendunt, aſpectu coargui ac convinci poteſt. Manu enim hominum depictas eſſe facile perſpicitur. Nec poſſum ſatis mirari: primum, quomodo tam obtuſo fuerunt ingenio, ut aſtutia ad fallendum aptiore caruerint: ac longe magis, quomodo tam ſtolidi fuerunt homines, ut ſibi oculos perſtringi finerent, ne rem adeo perſpicuam intuerentur. Quin etiam ſe ad manum pictores habere oſtenderunt. Combuſto enim uno ſudario, aliud perinde integrum compertum eſt. Id ipſum quidem eſſe affirmabant, quod prius cernebatur: ſed adeo recens erat pictura, ut mendacio non eſſet locus, ſi modo oculi ad cernendum minime defuiſſent. Denique, ut finem faciam, ſolidiſſima hac ratione prorſus eorum impudentia convincetur. Quibuſcunque in locis ſacrum ſe ſudarium habere jactant, ibi linteum grande monſtratur, quo tegebatur totum corpus una cum capite. Atque illic integri & continui corporis effigies conſpicitur. Joannes autem Euangeliſta, refert Chriſtum Judæorum more & ritu ſepultum fuiſſe. Qualis mos ille fuerit, non ſolum percipi poteſt ex Judæis, qui etiam nunc ipſum obſervant: ſed etiam ex eorum libris, quibus antiquus ille mos declaratur. Nempe, corpus ſeorſim ad humeros uſque involvere ſolitos: deinde caput peplo, quatuor angulis in nodum collectis obligare. Quod etiam exprimit Euangeliſta, quum ait, Petrum lintea quibus involutum fuerat corpus ex una parte vidiſſe: ex altera vero ſudarium, quod impoſitum fuerat capiti. Talis enim eſt ſudarii ſignificatio, ut pro panniculo quo abſterguntur ſudores, aut pro peplo accipiatur: non pro grandi linteo, quo totum corpus involvi ſolet: tametſi ego una cum ipſis voce abuſus ſum. Ut paucis concludam: aut Joannem Euangeliſtam mendacem eſſe, aut omnes qui ſe ſudarium habere jactant, ſalſitatis convinci neceſſe eſt: ut aperte conſtet eos nimia impudentia miſeræ plebi impoſuiſſe.

Nunquam finem eſſem facturus, ſi omnia ludibria quibus utuntur, ſigillatim perſequi vellem. Romæ ad Joannis Lateranenſis oſtenditur calamus, qui loco ſceptri in manum Chriſto datus eſt, quum in domo Pilati per ludibrium cæderetur. Ibidem, ad Crucis oſtenditur ſpongia, qua fel cum myrrha ori ipſius oblatum eſt. Quæſo, ubi illa recuperata fuerunt? Impii ea habebant in manibus: an præbuerunt Apoſtolis, ut pro reliquiis aſſervarent? vel, an ea ipſi incluſerunt, ut poſſent in futurum conſervari? Quantum ſacrilegium, ſic nomine Chriſti ad fabulas adeo frigidas obtegendas abuti! Eadem ratio eſt denariorum, quos Judas, ut Dominum proderet, accepit. Refert Euangeliſta redditos fuiſſe ab ipſo in ſynagoga Phariſæorum: inde emptum fuiſſe agrum in quo peregrini ſepelirentur. Quis vero è venditoris manu denarios illos recepit? Si diſcipulos recepiſſe dicant, nimis ridiculi erunt. Alius igitur color paulo ſpecioſior quærendus eſt. Si longo poſt tempore id factum fuiſſe reſpondeant, id longe minus coloris habiturum eſt: quum per varias manus pervagari, aliiſque admiſceri potuerint. Eſſet igitur ab ipſis commonſtrandum, dominum agri ea ratione ipſum vendidiſſe, ut denarios illos recuperaret, quos haberet pro reliquiis, aut iterum eos venderet fidelibus. De hoc autem nulla unquam in Eccleſia veteri habita eſt mentio. Simile commentum eſt de gradibus prætorii Pilati, quæ ſunt Romæ ad Joannis Lateranenſis, cum foraminibus in quæ guttas ſanguinis à corpore Domini decidiſſe ferunt. Ibidem, ad Praxedis oſtenditur columna, cui alligatus fuit, quum flagellis cæderetur: tres vero aliæ ad Crucis, per quas moriturus circumductus eſt. Has omnes columnas neſcio ubi ſomniarunt. Hoc certe non dubium, quin ipſi cerebro ſuo eas imaginati ſint. Nihil enim in tota Euangelii hiſtoria de iis legimus. Legitur quidem cæſum flagellis Chriſtum: alligatum vero fuiſſe columnæ, eorum commentum eſt. Perſpicietur ergo nihil aliud hos impoſtores, quam immenſum quoddam mendaciorum pelagus coacervare conatos eſſe. In quo tantum ſibi licentiæ tribuerunt, ut ex cauda aſini, quo Dominus geſtatus eſt, reliquias fingere non ſint veriti. Ea enim Genuæ monſtratur. Sed eorum impudentia non magis commoveri nos decet, quam amentia & ſtupiditate hominum, qui ſumma religione tale ludibrium amplexi ſunt.

Hic objicere poſſet aliquis, non eſſe veriſimile reliquias, quas jam nominavi, tanta pompa oſtendi, quin ſimul allegari poſſit unde profectæ, & è cujus manu receptæ fuerint. Ad id unico verbo reſpondere liceat, tam perſpicuis mendaciis nullam veriſimilitudinem obtendi poſſe. Quantumcunque enim ſeſe Conſtantini, aut Regis Ludovici, aut alicujus Papæ nomine muniant, ea omnia nihil ipſos juvant, quo probent Chriſtum quatuordecim clavis affixum cruci: aut ſepem quandam integram, ſpineæ coronæ conficiendæ implexam: aut mucronem lanceæ tres alios peperiſſe: vel tunicam ipſius ita multiplicatam, ut tres productæ ſint: vel immutaſſe formam, ut ex tunica fieret Miſſatia veſtis, quæ nihil habet ſimile: vel ex unico ſudario, tanquam ex gallinæ pullatione tantum numerum prodiiſſe: ac Chriſtum aliter ſepultum fuiſſe, quam Euangeliſtæ referunt. Si plumbi maſſam oſtendens dicerem, Aurum hoc mihi à tali Principe datum eſt, merito demens eſſe cenſerer, neque ob aſſertionem meam, plumbi color aut natura immutaretur, ut aurum fieret. Sic quum dicitur, En quod Godefredus Biliomius in has regiones miſit, poſtquam Judæam ſubegiſſet, ratio autem aperte repugnat mendacio: an ita ſinemus nobis verba dari, ut non intueamur ea quæ oculis noſtris patent? Enimvero ut ſciant omnes quam tutum ſit fidem adhibere iis quæ pro reliquiarum ſuarum approbatione adducunt: notandum eſt, præcipuas & maxime authenticas quæ Romæ viſuntur, à Tito & Veſpaſiano (ut aiunt) allatas eſſe. eſt autem commentum nihilo magis vafrum, quam ſi diceretur Turca Jeroſolymam profectus ut inde crucem Domini Conſtantinopolim afferret. Veſpaſianus priuſquam Imperator factus eſſet, partem Judææ ſubegit, ac vaſtavit. Poſtea, quum imperium eſſet adeptus, Titus ejus filius quem in Judæa legatum ſuum reliquerat, Jeroſolymam cepit. Erant autem Ethnici, quibus non magis curæ erat Chriſtus, quam qui nunquam natus eſſet. Itaque judicari poteſt, an non perinde audacter auſi ſint mentiri, quum Godefredum Biliomium, aut Regem Ludovicum allegarunt, quam quum Veſpaſianum auctorem laudant. Præterea, animadvertant quo judicio

dicio

dicio præditi fuerint, tum Rex ille quem divum Ludovicum vocant, tum ejus ſimiles. Erat quidem in illis ſpecies religionis, & zelus qualiſcunque propagandi nominis Chriſtiani: ſed ſi caprarum ſtercora eis oſtenſa fuiſſent, ac ſimul dictum fuiſſet coronas eſſe divæ Mariæ, ea ſine ulla contentione adoraſſent, vel huc importaſſent ſuis navibus aliquo in loco honorifice collocanda. Ac certe, & opes & corpora ſua conſumpſerunt, atque etiam ditiones ſuas bona ex parte exhauſerunt, ut acervum neſcio quem nugarum ac minutiarum referrent, quibus faſcinatæ erant ipſorum mentes, quod pretioſiſſima monilia eſſe exiſtimarent. Ut clariorem adhuc rei demonſtrationem præbeam: notandum eſt, in univerſa Græcia, Aſia minore, & Mauritania, quæ vulgo Indorum regio vocatur, antiquaria quæcunque miſeri iſti idololatræ ſe habere putant, oſtendi cum magna affirmatione. Quid de iis ac de illis judicandum eſt? Dicent noſtrates illinc reliquias allatas eſſe. Chriſtiani qui adhuc illic morantur, affirmant eas ſe habere, & ſtultam jactationem noſtram rident. Quomodo lis iſta dirimi poterit ſine inquiſitione, quæ fieri nullo modo poteſt, nec unquam fiet? Quamobrem unicum remedium eſt, ſpretis utriſque, rem, ut eſt, in ſtatu ſuo relinquere.

Ultimæ reliquiæ quæ ad Chriſtum pertinent, ſunt quæ ipſius reſurrectionem ſequuntur: veluti piſcis aſſi fruſtum, quod Petrus ei obtulit, quum ad littus maris apparuiſſet. Verum, mirabili condimento ipſum aſpergi oportuit, ut tam diuturno temporis ſpatio ſervari poſſet. Sed, prætermiſſis jocis, an exiſtimandum eſt Apoſtolos ex eo reliquias feciſſe, quod prandii cauſa paraverant? Quiſquis apertam hic irriſionem Dei non perſpiciet, eum ego ut belluam ampliore monitione indignam relinquo. Eſt præterea miraculoſus ſanguis qui ex pluribus hoſtiis manavit: ut Lutetiæ ad Joannis Arenarii: item, ad Joannis Angelici: item, Divioni, & pleriſque aliis in locis. Atque, ut acervum majorem efficerent, ſacrum cultellum addiderunt, quo Lutetiæ à Judæo quodam hoſtia transfixa fuit: quem miſeri Pariſienſes majore reverentia, quam hoſtiam ipſam, proſequuntur. Quod Doctor à Quercu inique ferens (nam quum parochiam teneret divi Joannis Arenarii, donaria quæ hoſtiæ offerebantur, illi obveniebant: quantum dabatur cultello, tantum ex ejus lucro minuebatur) Judæis clamitabat eſſe deteriores: quod adorarent cultellum, qui violando ſacroſancto corpori Chriſti inſtrumentum fuerat. Hoc adduxi, quoniam idem dici poteſt de lancea, clavis ac ſpinis: nempe, omnes qui ea adorant, ex ſententia Magiſtri noſtri à Quercu, ſceleſtiores eſſe Judæis, qui Chriſtum crucifixerunt.

Similiter oſtenduntur pedum veſtigia, quæ ſolo impreſſit, quum nonnullis poſt aſcenſionem appareret: veluti Romæ, ad Laurentii, in eo loco ubi Petro factus eſt obvius: eique prædixit ipſum paſſurum Romæ. Aliud, Pictavii, ad Radegondæ. Aliud apud Sueſſiones. Aliud, Arelatæ. Non diſputo, an Chriſtus pedis ſui veſtigium lapidi imprimere potuit: ſed de facto tantum diſputo: ac dico, quum nulla adſit probatio legitima, totum id pro fabula habendum eſſe. Sed præſtantiſſimum in hoc genere ſpecimen eſt, natium forma, quæ Rhemis in lapide poſt majus altare viſitur. Idque eveniſſe aiunt eo tempore, quo Dominus latomus factus eſt, ut atrium templi illius ædificaret. Blaſphemia hæc adeo execrabilis eſt, ut de ea loqui me pudeat.

Pergamus igitur, & diſpiciamus quid de imaginibus ipſis dicatur: non de iis quæ vulgo à pictoribus fiunt, aut ſculptoribus & fabris. Earum enim eſt infinitus numerus: ſed de iis quæ præcipuam aliquam dignitatem habent: ſingulareſque & pretioſæ habentur, ceu reliquiæ. Harum autem duo ſunt genera: nonnullæ enim per miraculum factæ ſunt: ut quæ Romæ oſtenditur ad Mariæ, quæ vocatur In porticu. Item, alia ad Joannis Lateranenſis. Alia in qua effigies Domini, quum duodecim annorum eſſet, depicta eſt. Item, alia apud Lucenſes, quam ab Angelis effictam eſſe aiunt: ac vocatur Vultus ſanctus. Fabulæ ſunt adeo futiles, ut operam luſurus ſim, ac mihi nimium ridiculus & ineptus videar, ſi iis refutandis inſiſtam. Quamobrem, obiter eas notaſſe ſufficiet. Nemo enim ignorat picturam ad Angelorum manus minime pertinere: atque Dominum longe aliter à nobis cognoſci velle, atque in memoriam noſtram reduci, quam per mortuas imagines. Euſebius refert in hiſtoria Eccleſiaſtica, eum regi Abagaro imaginem ſuam ad vivum depictam miſiſſe: verum, id haud plus certitudinis habet, quam aliquod ex chronicis Meluſinæ commentum. Sed tametſi ita eſſet, quomodo eam ab Abagaro rege nacti ſunt? Romæ enim eam ſe habere jactant. Non dicit Euſebius illam ad ſua uſque tempora integram manſiſſe: ſed ex auditu tantum loquitur, tanquam de re longo jam tempore tranſacta. Credibile ſcilicet, eam ſexcentis aut ſeptingentis poſtea annis ſuſcitatam, atque è Perſia, Romam uſque veniſſe. Eodem modo crucis imagines fabricati ſunt, ut corporis Nam Brixiæ jactant eam ſe crucem habere, quæ Conſtantino apparuit. De qua adverſus eos mihi non eſt litigandum: ſed eos mitto ad Curtonenſes, qui eam apud ſe eſſe conſtanter aſſeverant. Litigent ergo inter ſe. Qui litem obtinuerint, tunc prodeant, eiſque reſpondebitur. Quanquam facilis ſit reſponſio, qua dementiæ convinci poſſint: nam quod ſcriptores nonnulli dixerunt, Conſtantino crucem apparuiſſe, de cruce materiali intelligendum non eſt: ſed de figura, quæ per viſionem ipſi in cælo exhibita fuit. Quamvis igitur id verum eſſet, tamen facile perſpicitur eos nimis ſtupide aberraſſe. Itaque impoſturas ſuas abſque fundamento extruxerunt.

Quod attinet ad ſecundam ſpeciem imaginum, quæ pro reliquiis habentur ob quædam miracula quæ ediderunt: in hoc numero ſunt imagines Crucifixorum, quibus barba creſcit. Ut quæ Burgis eſt in Hiſpania. Item, ad Salvatoris, & Aurengiæ. Si in hoc inſiſtam, ut demonſtrem quantæ ſit dementiæ, aut potius quam belluinæ ſtupiditatis id credere, ridiculus ero. Eſt enim res adeo per ſe abſurda, ut in ea refutanda operam conſumere minime neceſſe ſit. Tamen miſera plebs adeo hebes eſt, ut major pars non minus certum id eſſe putet, quam Evangelium. In hunc ordinem redigo Crucifixorum imagines quæ loquutæ ſunt: quorum magna eſt multitudo. Sed exempli cauſa, una contenti ſimus: ea ſcilicet quæ eſt ad D. Dionyſii in Francia. Loquuta eſt, inquiunt, ut dicatam eſſe Eccleſiam teſtaretur. An rei magnitudo id poſceret, cogitandum relinquo. Sed adhuc quæro, quomodo Crucifixi imago tunc in templo eſſe potuit, quum in dedicatione, omnes imagines ſoleant è templis erui? Quomodo ſeſe tunc ſuffuratus eſt, ne cum cæteris transferretur? Videmus ſane nihil eos negotii ſibi eſſe putaſſe in fallendo mundo: quum pro nihilo duxerint, ſi aperte ſibi ipſi repugnarent: ſed illis ſatis fuit, mendacia pleno ore evomere: minime præcaventes ea quæ objici poterant. Denique ſunt & lachrymæ: una Vindonici, alia Treveris, alia apud D. Maximinum, alia Aureliæ ad Petri Puellaris, præter eas quæ mihi ſunt incognitæ. Aliæ, ut aiunt, ſunt naturales: ut ea quæ eſt apud divum Maximinum: nam, juxta eorum chronicon, decidit Domino, quum Apoſtolorum pedes ablueret. Aliæ ſunt miraculoſæ. Quaſi credendum ſit ligneas Crucifixi imagines adeo ſtomachoſas eſſe, ut lachrymentur. Verum, eis hæc culpa ignoſcenda eſt: ipſos enim puduit minora à ſuis, quam ab Ethnicorum ſtatuis effici. Fingebant autem Ethnici, idola ſua interdum lachrymari. Itaque

Digitized by Google

hæc illis jure adjungi, & in eundem ordinem redigi poſſunt.

Quod ad virginem Mariam ſpectat: quia corpus ejus in terris eſſe negant, adempta eſt eis occaſio jactandi ſe oſſa ipſius habere. Alioqui eos ſuaſuros fuiſſe arbitror, corpus ei tantæ fuiſſe magnitudinis, ut ſarcophagum mille cadaverum implere poſſet. Cæterum, quod in toto corpore negabatur, id ſibi vendicarunt in capillis & lacte. Capilli aliqui monſtrantur Romæ, ad Mariæ ſupra Minervam: ad Salvatoris in Hiſpania: Mariſconæ, Cluniaci, Nuceriæ, ad Sanfloridi, ad Sanjacquerii, ac pleriſque aliis in locis. Locos autem annumerare ubi lac oſtenditur, minime neceſſe eſt. Nullus enim eſſet operi finis. Nec enim ullum eſt tam parvum oppidulum, nullum tam vile cœnobium, ſive Monachorum, ſive Monialium, ubi non aliquid monſtretur. Plus in nonnullis, in aliis minus. Non quod eos puduerit jactare ſe plenas habere amphoras: ſed quia videbatur tectius eorum fore mendacium, ſi tantulum haberent, quantum in exigua pyxide, aut vitrea, aut cryſtallina poſſet contineri: ne res propiori aſpectui pateret. Verum etſi ſanctiſſimæ Virgini mammæ diſtentiores fuiſſent quam vaccæ, ac toto vitæ ſuæ tempore nutrix fuiſſet, vix tamen eis tantum lactis reddere potuiſſent. Rurſum libenter quærerem, quomodo lac iſtud, quod hodie monſtratur ubique, colligi potuit, ut in tempus noſtrum ſervaretur? Neminem adeo curioſum fuiſſe legimus. Legitur quidem paſtores adoraſſe Chriſtum: Magos ei munera obtuliſſe: ſed nuſquam legimus eos lac abſtuliſſe loco præmii. Refert Lucas id quod Simeon Virgini prædixit: petiiſſe vero lac à Virgine, non refert. Si tantum hoc ſpectetur, majore argumentatione opus non eſt, quo pateſiat, quam alienum ſit ab omni ratione hoc delirium, atque omni ſpecie careat. Mirum profecto quod iſtis in mentem non venerit, ei amputare ungues, aliaque ejuſmodi, quom nihil aliud de ejus corpore nanciſci poſſent. ſed non omnium fortaſſe memores eſſe potuerunt.

Cætera quæ habere ſe jactant de reliquiis Virginis, ſunt de ejus ſarcinis, aut ſupellectile. Primum, Carnutis eſt quædam interula, quæ idolum eſt ſatis celebre: alia etiam Aquis, In Germania. Unde eas nacti fuerint, prætermitto: nam certiſſimum eſt Apoſtolos, cæteroſque pios homines, non tam ſtolidos fuiſſe, ut animum in rebus adeo frivolis occuparent. Verum, inſpiciatur tantummodo forma: ac protinus cedam, niſi oculis ipſis eorum impudentia cernatur. Quum Aquis in pompa circumfertur interula, quam ibi eſſe diximus, appenditur perticæ, æque longa, ut alba ſacerdotalis, quam vocant. Atqui licet virgo Maria fuiſſet ex gigantum progenie, vix tamen adeo grandem interulam geſtaſſet. Ut autem reddatur illuſtrior, ſimul feruntur D. Joſephi caligulæ, quæ puero prorſus aut nano aptæ forent. Vetere proverbio dicitur, Mendacem memorem eſſe oportere, ne oblivione lapſus, in ſeipſum impingat. Male profecto obſervata ab eis fuit hæc regula, quum de proportione, inter caligas viri & interulam uxoris conſtituenda non cogitarunt. Nunc excurrant homines cum ſumma religione exoſculatum tales reliquias, quæ nullam omnino ſpeciem veritatis habent. Pepla duo tantum ſcio, unum Treveris ad D. Maximini: alterum Liſii in Italia. Sed animadverti vellem cujus telæ ſint, ſimulque an eo tempore in Judæa talis formæ uſus fuerit. Vellem etiam ambo inter ſe conferri, ut quæ ſit inter ea ſimilitudo cerneretur. Eſt autem Bononiæ quoddam ejus pittacium. Quæret ex me aliquis, an id commentitium eſſe putem. Reſpondeo, me idem exiſtimare, quod de eo cingulo, quod eſt Prati: item de eo quod eſt ad Mariæ Montisferrati. Item de crepida quæ eſt apud Sanjacquerium: item de calceo qui apud Sanfloridum eſſe fertur. Quod ſi nihil eſſet aliud, nemo vel mediocri prudentia præditus ignorat, talem piorum morem non fuiſſe calceos & caligas colligendi, quo ex iis reliquias facerent: neque ullam eorum, pluſquam quingentis, poſt Virginis deceſſum, annis, habitam eſſe mentionem. Quid igitur majore diſceptatione opus eſt, acſi res eſſet dubia? Quin etiam hoc ſanctiſſimæ Virgini imponere voluerunt: eam ſcilicet ornandi ſui & comæ pectendæ valde curioſam fuiſſe: duos enim oſtendunt ejus pectines: unum Romæ, ad Martini: alterum Veſontii ad Joannis: præter eos qui alibi etiam oſtendi poſſunt. Niſi id ſit Virginem ſacroſanctam ludibrio habere, quid ſit ludibrium non intelligo. Nec vero obliti ſunt annuli ſponſaliorum: habetur enim Peruſii. Quia nunc eum morem ſervamus, ut vir in ſponſione facienda cum uxore, eam donet annulo: talem etiam eo tempore fuiſſe imaginati ſunt. Ac majore inquiſitione neglecta, pulchrum & pretioſum annulum in hunc uſum ſtatuerunt: nec conſiderarunt inopiam in qua Virgo ſanctiſſima vitam tranſegit. De veſtibus ejus nonnullæ Romæ habentur, ad Joannis Lateranenſis, ad Barbaræ, ad Mariæ ſupra Minervam, ad Blaſii: item ad Salvatoris in Hiſpania. Saltem fragmenta quædam ſeſe habere jactant. Audivi etiam alia loca nominari: ſed eorum minime recordor. Tantum materiam veſtium inſpici oporteret, quo falſitas deprehendatur. Ipſis enim viſum eſt, tam facile eſſe Virginem ſuo arbitrio veſtire, quam idola ſua, quibus ſubinde novos ornatus fingunt.

Supereſt ut de imaginibus loquamur: non de vulgaribus, ſed de iis quæ præter cæteras ſingulari aliqua dote commendantur. Imponunt autem Lucæ, ipſum quatuor Romæ depinxiſſe in eo loco ubi nunc templum eſt Mariæ, quæ vocatur Inviolata. Quarum una illic in ſacrario monſtratur: eamque devotioni ſuæ, ut aiunt, aptavit, cum annulo quo Joſeph eam ſibi deſponderat. Altera oſtenditur Romæ, ad Mariæ Novæ, quam etiam à Luca Troade effictam ferunt: ac poſtea illuc ab Angelo importatam. Tertia, ad Mariæ quæ dicitur Ara cæli: ea forma qua prope crucem erat. Verum, ad Auguſtini, præcipuam omnium ſe habere jactant: nam ſi fides ipſis adhibeatur, ea eſt quam Lucas ſecum perpetuo gerebat, ita ut eam in ſepulchro ſuo defodi voluerit. Obſecro, quanta hæc blaſphemia eſt, ex ſacroſancto Dei Euangeliſta, nefarium idololatram effingere? Quid vero habent coloris, quo Lucam pictorem fuiſſe perſuadeant? Paulus quidem ipſum medicum vocat. Pingendi vero artem unde iſti affinxerint, prorſus ignoro. Quod ſi verum eſſet hoc artificio uſum eſſe, nihilo tamen veriſimilius fuerit ipſum virginem Mariam, quam Jovem, aut Venerem, aliudve idolum pingere voluiſſe. Non fuit certe tunc in more Chriſtianis idola habere, nec longo poſt tempore is uſus invaluit, donec Eccleſia ſuperſtitionibus corrupta eſt. Rurſum referti ſunt omnes orbis anguli imaginibus, quas à Luca depictas eſſe ferunt: veluti Cameraci, ac pleriſque aliis in locis. Sed quali ſpecie? Tam honeſta, acſi quis impudicam fœminam depingeret. Sic eos excæcavit Deus, ut non major fuerit in ipſis, quam in beſtiis mutis conſideratio. Quanquam haud ita mirum mihi videatur, quod Lucæ Virginis imagines attribuerint, quum idem ſimiliter Jeremiæ auſi ſint imponere. Cujus impudentiæ teſtis eſt Puteus oppidum Arvernorum. Jamjam, ut arbitror, miſeros homines oculos recludere, ac rem tam perſpicuam cernere tempus fuerit. De Joſepho dicere omitto: cujus nonnulli crepidas habent: ut Treveris in cœnobio Simeonis: alii caligas, ut jam diximus, alii oſſa: ſed exemplum quod jam protuli mihi ſufficit, quo tanta ſtoliditas detegatur.

Hic D. Michaëlem ſubjungam, ut virginem Mariam comitetur. Ego vero jocari videbor, ſi de Angeli reliquiis recitem. Comœdi enim & hiſtriones

ſes ipſi: hæc irriſerunt: ſed non propterea deſierunt impoſtores monachi & ſacrifici populum ſerio fallere. Carcaſſonenſes enim jactant ſe ejus habere reliquias: ſimiliter & Turonenſes, ad Juliani. Ad magni vero Michaëlis, qui peregrinorum confluxu adeo frequens eſt, oſtenditur ejus ſica, pugioni puerili perſimilis: atque etiam clypeus ei valde accommodatus. Eſt enim ſimilis cucurbitulis æneis, quæ frenis equorum affigi ſolent. Nemo profecto eſt hominum, aut etiam muliercularum, tam hebes, cui quam ridicula hæc ſint, non pateat. Sed quia ſub religionis velo tecta ſunt hæc mendacia, Deum & Angelos irridere, malum non videtur. At objicient, Scripturis teſtatum eſſe, Michaëlem pugnaſſe adverſus diabolum. Verum ſi enſe vincendus eſſet diabolus, validiore & horribiliore opus foret, quam ille ſit. Suntne adeo belluini, ut exiſtiment, bellum quod cum Angeli, tum fideles gerunt adverſus diabolos, carnale eſſe, atque ſicis & mucronibus confici? Verum illud eſt quod ab initio dixi, mundum id egregie commeritum eſſe, ut belluina hac ſtupiditate ſeduceretur: quum adeo perverſa hac cupiditate flagraret, idola & imagunculas Dei vivi loco adorandas, undique coacervandi.

Ut ordinem ſervemus, nunc de Joanne Baptiſta tractandum eſt, qui juxta hiſtoriam Euangelii, id eſt, veritatem Dei, poſtquam capite plexus eſſet, à diſcipulis ſuis humatus eſt. Theodoretus refert ſepulchrum ejus, quod erat Sebaſtæ, Syriæ oppido, aliquanto poſtea tempore ab Ethnicis apertum, oſſa fuiſſe exuſta, & cineres in aërem ſparſos. Tametſi addit Euſebius, Jeroſolymitanos quoſdam ſuperveniſſe, qui clam inde aliquid ſubripuerant, & tulerunt Antiochiam: quod poſtea Athanaſius intra murum incluſit. Caput vero, Sozomenus ſcripſit à Theodoſio Imperatore Conſtantinopolim delatum fuiſſe. Quamobrem, ut veteres hiſtoriæ teſtantur, totum corpus, dempto capite, exuſtum fuit; ac perierunt oſſa & cineres omnes, præter exiguam quandam portionem, quæ clam ab heremitis Jeroſolymitanis ſubrepta eſt. Nunc quæ de eo extent videndum: Ambiani ſe faciem habere gloriantur: & in larva, quam oſtendunt, vulnus apparet, quod Herodiadem cultro inflixiſſe dicunt. Sed repugnant Joannis Angelici incolæ, atque eandem partem oſtendunt. Reliquum vero capitis, nempe à fronte ad cervicem uſque, erat quondam in Rhodo: nunc vero, ut arbitror, in Melita. Saltem ejus ordinis fratres ſimularunt ſibi à Turca fuiſſe redditum. Occiput eſt Nomoroſi. Cerebrum, Novii Rantrovienſis. Sed nihilominus ad Joannis Morienni pars capitis habetur. Eſt etiam ejus mandibula Veſontione, ad Joannis majoris. Altera pars eſt Lutetiæ, ad Joannis Lateranenſis, & extremum auriculæ ad Sanfloridi in Arvernia: frons vero & capilli, in Hiſpania ad Salvatoris. Eſt etiam Novioduni fruſtum aliquod, quod magnifico apparatu oſtendi ſolet. Quædam etiam pars, qualis ea ſit ignoro, Lucæ habetur. Hæccine ita ſunt? Nunc eatur Romam: & in Sylveſtri cœnobio integrum Joannis caput eſſe audietur. Fingunt Poëtæ quondam in Hiſpania regem, nomine Geryonem, fuiſſe tricipitem. Si noſtri reliquiarum fabricatores idem de Joanne Baptiſta dicere poſſent, id ipſis ad juvanda mendacia ſua valde commodum eſſet: ſed quum non ſit huic fabulæ locus, qua excuſatione utentur? Nolo autem ipſos adeo urgere, ut quæram quomodo ſic minutatim conciſum fuerit caput ipſius, ut in tot, tamque varios locos dividi poſſet: nec quomodo ipſum nacti ſint è Conſtantinopoli: ſolum dico Joannem monſtrum fuiſſe oportere, aut iſtos impoſtores eſſe impudentes, dum tot ejus capitis fragmenta oſtendunt.

At, quod deterius eſt, Senenſes ſe ejus brachium habere jactant. Quod veteribus hiſtoriis omnibus, ut jam diximus, repugnat. At nihilominus toleratur hæc impoſtura; imo etiam approbatur, ut in Antichriſti regno nihil cenſeatur malum, dummodo populum in ſuperſtitione retineat. Aliam præterea fabulam excogitarunt: nempe, quum ejus corpus exuſtum fuit, digitum, quo Chriſtum monſtraverat, integrum manſiſſe, nec ullo modo fuiſſe violatum. Hoc autem non ſolum veteribus hiſtoriis conſentaneum non eſt, verum etiam ex ipſis facile poteſt coargui. Euſebius enim & Theodoretus nominatim referunt, corpus ad oſſa uſque conſumptum fuiſſe, quum Ethnici ipſum rapuerunt. Nec certe talis miraculi obliti eſſent, ſi ita accidiſſet: nam alioqui in referendis talibus nugis, plus ſatis curioſi ſunt. Sed tametſi hoc verum foret, ubi ſit digitus ille paulisper audiamus. Unus eſt Veſontione, ad Joannis magni: Tholoſæ alius: alius Lugduni: alius Biturigibus: alius Florentiæ: alius ad Joannis fortulti prope Matiſconem. Hic nihil aliud dico, quam quod lectores omnes rogatos velim, ne adverſus monitionem adeo certam & perſpicuam animum obdurent: ne in tam clara luce claudant oculos, quo tanquam in tenebris ſemper ſeduci ſe patiantur. Si præſtigiatores eſſent à quibus ita faſcinarentur oculi noſtri, ut digiti in una manu ſex eſſe viderentur, tamen eo uſque eſſemus circumſpecti, ut cautionem adhiberemus adverſus impoſturam. Hic autem nullus eſt ingenioſus aſtus. Tantum hoc agitur, an credere velimus D. Joannis digitum eſſe Florentiæ, & quinque aliis in locis. Idem de Lugduno, Biturigibus & reliquis. Vel, ut paucioribus dicam, an velimus credere ſex digitos non niſi unum eſſe, aut unicum eſſe ſex? De iis tantum quæ mihi cognita ſunt verba facio: nec dubito, ſi inquirerentur diligentius, adhuc totidem alibi repertum iri. Capitis certe alia adhuc fragmenta reperirentur, quæ taurini capitis magnitudinem ſuperarent. Verum, ne quid prætermitterent, finxerunt, etiam ſe ejus habere cineres, quorum partem Genuæ, alteram Romæ ad Joannis Lateranenſis eſſe ferunt. At legimus eos per aëra ſparſos fuiſſe: ac nihilominus jactant ſe bonam eorum habere partem, ac præſertim Genuenſes.

Nunc reſtant ea quæ proxime ad corpus accedunt: veluti calceus, qui Lutetiæ eſt apud Carthuſianos, qui ante duodecim aut tredecim annos ſubreptus fuerat: ſed repente prodiit recens alius. Et ſane quamdiu ſupererunt calcearii, non deerunt tales reliquiæ. Romæ ad Joannis Lateranenſis, jactant ſe ejus habere cilicium, de quo in Euangelio nulla fit mentio: niſi quod refertur eum pilis camelorum indutum fuiſſe: veſtem in cilicium convertere volunt. Ibidem aiunt ſe aram habere, ſuper qua in deſerto precabatur: acſi eo tempore altaria ex omni occaſione, & quovis in loco erigere ſoliti fuiſſent. Mirum etiam quod nihil de Miſſæ celebratione ei imponunt. Avinione eſt enſis, quo ipſi caput amputatum fuit. Aquis in Germania linteum, quod ſub ipſo extenſum eſt quum decollatus fuit. Equidem, unde tanta ſpiculatori comitas, libenter ſcire velim: qui tam benignus ei fuit, ut ſolum carceris tapetis ſterneret, quum vellet eum tam ignominioſo mortis genere afficere. Nonne abſurdæ ſtoliditatis eſt id comminiſci? Enimvero, quomodo iſta ad eorum manus pervenerunt? Quam veriſimile eſt eum à quo interemptus fuit, ſive ſatelles eſſet, ſive ſpiculator, linteum dediſſe, & gladium ſuum, ut ex iis fierent reliquiæ? Quum adeo abſolutum omni ex parte reliquiarum acervum cogere vellent, graviter peccarunt in eo, quod Herodiadis cultrum prætermiſerunt, quo vulnus oculo ejus inflixerat: præterea omnem ſanguinem qui effuſus eſt, atque adeo ſepulchrum ipſum. Verum ego ipſe falli poſſem: nec enim ſcio, an alibi præclara iſta monilia reperiantur.

Nunc prodeant ſuo ordine Apoſtoli. Sed quia multitudo confuſionem parere poſſet, de Petro & Paulo primum agemus ſeparatim; deinde de cæteris.

ris. Romæ ſunt eorum corpora. Dimidia pars ad Petri, altera ad Pauli. Atque Sylveſtrum ea libraſſe aiunt, ut æquales utrimque partes diſtribueret. Utriuſque caput eſt etiam Romæ ad Joannis Lateranenſis: tametſi in eodem templo, unus è dentibus Petri ſeparatim habeatur. Quum hæc ita ſint, non tamen eorum oſſa ubique eſſe deſinunt. Veluti Piſtavii, mandibula Petri habetur cum barba. Treveris, utriuſque oſſa permulta. Argentonæ Biturigum, Pauli humerus. Sed quis unquam finis erit? Ubicunque enim templa extant iis dicata, ibi etiam ſunt eorum reliquiæ. Si quales ſint, quæratur: revocetur in memoriam quale fuit cerebellum D. Petri, de quo prius ſum loquutus, quod erat ad majus altare hujus civitatis. Quemadmodum pumicem eſſe compertum eſt, ſic permulta reperientur aut equorum aut canum oſſa, quæ duobus hiſce Apoſtolis tribuuntur.

Corpora ſubſequuntur eorum appendices. Ad Salvatoris in Hiſpania, crepida habetur. De cujus forma & materia reſpondere nequeo. Sed exiſtimandum hoc mercaturæ genus ſimile eſſe iis quæ Piſtavii habentur, quæ ex ſerico raſo ſunt, & auro ſegmentatæ. En ut ſplendide ornatur poſt mortem, ut paupertas in qua vitam egit, ſarciatur. Quoniam hujuſce temporis Epiſcopi, dum Pontificalem majeſtatem repræſentant, ita laute veſtiuntur, derogare ſibi viderentur Apoſtolorum dignitati, niſi idem ipſis affingerent. Pictores quidem imaguncculas effingere poſſunt ſuo arbitratu, ipſas inaurando, variosque à capite ad calcem adhibendo ornatus, deinde nomen Petri aut Pauli, aut quale ipſis viſum eſt tribuendo: ſed non ignoratur quo veſtium genere in hoc mundo fuerint induti: haud alio ſcilicet quam inopes homines. Eſt etiam Romæ Epiſcopalis cathedra Petri, cum veſte ſacerdotali ad Miſſam celebrandam. Quaſi vero eo tempore Epiſcopi thronos habuerint in quibus ſederent. At eorum potius officium fuit docere, conſolari, exhortari, & publice & privatim, ac veræ humilitatis exemplum præbere gregi ſuo: non ſe populo adorandos oſtentare, ſicuti noſtri temporis Præſules facere ſolent. Quod ad veſtem Miſſariam attinet, nondum introductus erat mos ille, hiſtrionum in morem ſe larvandi: nec enim in Eccleſia ſicuti nunc, agebantur fabulæ. Itaque, ut Petrum Miſſaria veſte indutum fuiſſe probent, prius ipſum, ſacerdotum Papiſticorum more, quum Deum colere vellet, hiſtrionem egiſſe commonſtrandum foret. Miſſariam quidem veſtem ei tribuere potuerunt, quum etiam altare ipſi aſſignarint: ſed neutrum eorum plus altero coloris habet. Quales tunc Miſſæ celebrabantur, ignotum non eſt. Nam Apoſtoli, ſuo tempore, Cœnam Domini tantum celebrabant, cui altare neceſſarium non fuit. Qualis bellua eſſet Miſſa, omnino ignorabatur: nec multo poſt tempore ſcitum eſt. Hinc perſpicuum eos, dum reliquias ſuas fabricati ſunt, neminem ſibi adverſaturum credidiſſe: quum ita impudenter ac diſſolute auſi ſint mentiri. Quanquam nec de altari iſto inter ſe conveniant. Romani enim id ſe habere affirmant: Piſani itidem ipſum monſtrant, in ſuburbio quod ad mare vergit. Ut autem undique lucrum colligerent, gladium quo auris Malcho abſciſſa eſt, minime prætermiſerunt. Acſi lepidum aliquod monile & reliquiario dignum foret! At vero pedum ejus omiſeram, quod Lutetiæ monſtratur, ad Stephani, cui à Saxis nomen eſt, quod tanti æſtimandum eſt, quanti aut altare, aut veſtis Miſſatica: eadem enim eſt ratio. Ejus autem ſcipio, plus aliquanto ſpeciei habet: nam exiſtimandum eſt, tali ipſum baculo armatum fuiſſe, dum iter faciebat: ſed diſturbant omnia, dum ipſi inter ſe convenire non poſſunt. Colonienſes enim apud ſe eſſe conſtanter aſſeverant: ſimiliter & Treveri. Ita dum ſe invicem mendacii arguunt, magnam occaſionem præbent, ut utriſque fides derogetur. De catena Petri qua ligatus fuit, dicere omitto. Ea oſtenditur Romæ, in æde ipſius. Item de columna ſuper qua capite truncatus eſt: quæ monſtratur ad Anaſtaſii. Tantum lectoribus cogitandum relinquo, unde accepta eſt catena illa, ut ex ipſa fierent reliquiæ. Item, utrum eo tempore ſuper columnis ſupplicia de hominibus ſumerent.

Nunc de cæteris Apoſtolis una tractabimus, quo citius abſolvamus. Ac primum recitabimus, ubi integra ſint eorum corpora: ut utriuſque facta inter ſe comparatione, quid certi ex eorum dictis colligi poſſit, judicetur. Nemo ignorat Tholoſates exiſtimare ſe ex iis habere ſex: nempe Jacobi majoris, Andreæ, Jacobi minoris, Philippi, Simonis & Judæ. Patavii eſt corpus Matthiæ. Salerni corpus Matthæi. Ortonnæ vero, Thomæ. Neapoli, aut circa eam regionem, Bartholomæi. Nunc qui eorum duo aut tria corpora habuerint, animadvertamus. Andreas enim, Melphis, alterum habet corpus. Philippus & Jacobus minor, uterque alterum corpus Romæ, ad ſanctos Apoſtolos. Simon & Judas itidem, ad Petri. Bartholomæus etiam Romæ in æde ipſi dicata. En igitur ſex quibus bina ſingulis ſunt corpora. Atque etiam auctarii loco Piſis oſtenditur pellis Bartholomæi. Matthias tamen reliquos omnes exuperat. Eſt enim ipſi Romæ corpus ad Mariæ majoris: eſt & tertium Treveris. Præterea ipſi eſt aliud ſeparatim caput, & brachium ſeparatim, idque etiam Romæ. Fruſta vero quæ de Andrea hic atque illic habentur, dimidia ſaltem ex parte id compenſant. Romæ enim, ad Petri, eſt ei caput: ad Griſogoni, eſt humerus: ad Euſtachii, coſta: ad Spiritus, brachium: ad Blaſii, pars quædam alia. Aquis Sextiis, pes unus. Ex iis ſimul conjunctis, fient duæ quartanæ corporis partes, modo æqua proportione aptari inter ſe poſſint. Ut autem Piſis Bartholomæus reliquit pellem, ſic & alteram manum: Treveris, neſcio quod aliud membrum: Frenis, digitum: Romæ etiam, ad Barbaræ, quædam aliæ extant ejus reliquiæ. Itaque non adeo eſt inops, quin abundet. Cæteris non ſunt tantæ copiæ. Singulis tamen adhuc aliquod fruſtum abundat. Eſt enim Philippo pes unus Romæ, ad ſanctos Apoſtolos: atque etiam, ad Barbaræ neſcio quid reliquiarum. Præterea etiam Treveris. In poſtremis duobus hiſce templis, Jacobum habet pro ſocio: cui ſimiliter eſt caput ad Petri, & brachium unum ad Griſogoni: item alterum ad ſanctos Apoſtolos. Matthæus & Thomas pauperiores cæteris reſtiterunt. Ille enim, præter corpus, nihil habet: niſi oſſa quædam Treveris, & brachium Romæ ad Marcelli, & caput ad Nicolai: niſi forte mihi aliquid exciderit, quod fieri potuit. Quis enim in tanta abyſſo non obturbetur?

Quia in chronicis ſuis corpus Joannis Evangeliſtæ evanuiſſe comperiunt, ſimulatque humi defoſſum fuerat: ejus oſſa proferre minime potuerunt: ſed ut quod ei in parte deerat, ſupplerent alia ratione, irruerunt in ejus ſarcinas. Ac primum eis in mentem venit calix in quo venenum bibit, quum à Domitiano damnatus eſſet. Sed quia duæ civitates eum apud ſe eſſe voluerunt: aut credendum omnino, quod Alchymiſtæ aiunt de multiplicatione: aut iſti, cum calice ſuo, mundum ludibrio habuerunt. Unus eſt Bononiæ: alter Romæ, ad Joannis Lateranenſis. Poſtea, tunicam commenti ſunt, & catenam qua conſtrictus erat, dum vinctus duceretur ab Epheſo: una cum oratorio, ubi dum in vinculis eſſet, precabatur. Libenter ſcirem, an tum fabros lignarios conduxerat, qui oratoria ei conſtruerent. Item, quid familiaritatis erat Chriſtianis, cum cuſtodibus, ut ab eis catenam nanciſci & in reliquiarum numerum collocare poſſent? Stolida nimirum ſunt hæc ludibria: etiam ſi ludendis pueris fabrefacta eſſent. Sed monile omnium lepidiſſimum, eſt duo-

decim

decim pectinum Apoſtolicorum, qui ad Mariæ Inſulanæ prope Lugdunum monſtrantur. Puto quidem initio illic fuiſſe collocatos, ut exiſtimarentur ad duodecim Pares Franciæ pertinuiſſe: ſed adaucta poſtea fuit eorum dignitas, & Apoſtolici facti ſunt.

Cætera paucis expedienda erunt: nam alioqui nunquam hanc ſylvam egrederemur. Paucis igitur recitabimus quæ habeantur reliquiæ Sanctorum, qui tempore Chriſti vixerunt: deinde veterum Martyrum, atque etiam reliquorum. Ex eo lectores, quid cenſere debeant, judicabunt. Anna mater virginis Mariæ, unum è corporibus ſuis habet Aptæ, oppido Provinciæ: alterum ad Mariæ Inſulanæ, Lugduni. Præterea unum è capitibus Treveris: alterum Tureni apud Juliacenſes: tertium in oppido Turingiæ, quod ab ea nomen habet. Omitto fragmenta quæ habentur pluſquam centum in locis. Inter cætera, memini me olim partem quandam Urſicampi, quod eſt cœnobium in agro Noviodunenſi, exoſculatum eſſe: atque illic magna reverentia colitur. Denique alterum brachiorum ejus eſt Romæ ad Pauli. Conſtituatur hic fundamentum aliquod, ſi fieri poteſt.

Sequitur deinde Lazarus, & Magdalena ejus ſoror. Is porro tria tantum, quod ſciam, habet corpora. Unum Maſſiliæ: alterum Auguſtoduni: Avalonæ tertium. Magna quidem inter Auguſtodunenſes & Avalonenſes controverſia fuit: ſed magnis ſumptibus ultro citroque factis, perinde utrique quieſcunt, atque cauſa evicta: ſaltem in poſſeſſione tituli permanſere. Quia vero Magdalena mulier erat, eam fratre inferiorem eſſe oportuit, ideoque duo tantum habuit corpora: quorum unum eſt Veſeli, prope Altiſſiodorum: alterum quod eſt majoris nominis, apud Sanmaximinum oppidum Provinciæ: ubi caput ſeparatum eſt, cum ſuo, Noli me tangere: quod fruſtum ceræ eſt: ac tamen exiſtimatur nota eſſe Chriſti, quam ei iratus impreſſit, quod ipſum vellet attingere. Non refero reliquias, tum oſſium, tum capillorum ejus quæ ſparſæ ſunt per univerſum orbem. Qui de his omnibus certi aliquid habere vellet: primum inquireret, an Lazarus ac Martha & Magdalena ejus ſorores, unquam venerint in Galliam Euangelii prædicandi cauſa. Nam ſi legantur veteres hiſtoriæ, judiciumque & ratio adhibeatur, perſpicue cernetur ſtolidiſſimam omnium eſſe fabulam, quæ nihilo plus habet ſpeciei, quam ſi diceretur, nubes, vitulinas pelles eſſe: & tamen certiſſimæ ſunt omnium reliquiæ. Verum, etſi ita foret, annon ſatis erat uno corpore abuti ad idololatriam, niſi ex uno, quod vulgo aiunt, diabolo, duo aut tres crearentur?

Iidem collocarunt in numero divorum eum qui latus Domini in cruce transfodit, eumque Longinum vocarunt, puerili certe errore: nam quum nomen hoc Græcis lancearium ſignificet, tanquam proprium unius hominis nomen arripuerunt. Poſt talem denominationem, duo ei dederunt corpora: quorum unum eſt Mantuæ, alterum ad Mariæ Inſulanæ, Lugduni. Idem fecerunt de Magis, qui Chriſtum, poſtquam natus fuit, adoratum venerunt. Ac primum definierunt eorum numerum, ac dixerunt tres ſolum fuiſſe. Quot autem fuerint, nihil Euangelio exprimitur: & veterum Doctorum nonnulli quatuordecim fuiſſe affirmarunt: velut is qui commentarium imperfectum in Matthæum ſcripſit, qui Chryſoſtomo tribui ſolet. Deinde quum Euangeliſta eos Magos, id eſt, Philoſophos nominet, iſti repente regiam eis dignitatem ſine ulla ditione, aut ſubditis, tribuerunt. Denique nomina ipſis dederunt: uni, Balthaſar: alteri, Melchior: tertio, Gaſpar. Porro ut impune per nos illis fabulari liceat, certiſſimum eſt Philoſophos illos in Orientem rediiſſe. Id enim Scriptura teſtatur. Nec aliud omnino dici poteſt, quam eos illic obiiſſe. Quis eos illinc tranſtulit ab eo tempore? Quis eos ita noverat, ut notare poſſet, quo reliquias faceret ex eorum corporibus? Verum, ſuperſedeo: facio enim ſtulte, quum hæc adeo ridicula coarguo. Tantum dico, Colonienſes ac Mediolanenſes litigare inter ſe debere, quis ea ſit habiturus: quia utrique apud ſe eſſe contendunt: quod fieri nequit. Quum lis eorum finem ceperit, quid agendum erit, diſpiciemus.

Inter veteres Martyres, Dionyſius eſt percelebris. Habetur enim pro diſcipulo Apoſtolorum, & primo Gallorum Euangeliſta. Ob hanc dignitatem, pleriſque in locis habentur ejus reliquiæ: corpus tamen duobus tantum in locis integrum manſit: Sandionyſii Franciæ, & Ratiſponæ. Quia Franci id ſibi vendicabant, Ratiſponenſes Romæ litem moverunt, ante centum, aut circiter, annos: quibus corpus ſententia definitiva adjudicatum fuit, quum adeſſet legatus Franciæ: ac perbellum diploma obtinuerunt. Qui apud Sandionyſium, quod eſt in agro Pariſino, diceret corpus illic non eſſe, lapidibus obrueretur: qui vero negaret eſſe Ratiſponæ, haberetur pro hæretico: quia ſedi Apoſtolicæ rebellis eſſet. Itaque conſultius erit ab eorum controverſiis abſtinere: Confodiant, ſi velint, ſibi invicem oculos: ſicque nihil proficiant, niſi ut detegant omnia ſe in mendaciis poſita habere.

Stephani vero corpus ita diſſecuerunt, ut tamen ſit integrum Romæ, in æde ipſi dicata: caput Arelatæ: oſſa pluſquam ducentis in locis. Atque ut oſtenderent ſe iis conſentire qui ipſum interfecerunt, conſecrarunt etiam lapides, quibus trucidatus fuit. Quæretur forſan ubi reperiri potuerunt, quomodo eos nacti ſunt, qua via, è quorum manibus. Reſpondeo breviter, ſtultam eſſe hanc quæſtionem. Ubi enim reperiuntur ſilices, neque magno conſtat vectura. Florentiæ, Arelatæ apud Auguſtinienſes, Vigani in Aquitania. Quiſquis oculos claudere, aut omni ſe intelligentia privare volet, credet eos ipſos eſſe lapides, quibus Stephanus obrutus eſt: qui vero rem parumper expendet, riſurus eſt. At certe Carmelitæ Pictavienſes à quatuordecim annis, unum repererunt, cui id aſſignarunt muneris, ut parientibus adeſſe, eaſque angoribus levare poſſet. Dominicani, quibus conſtat Margaretæ deſtinata huic eidem uſui ſubrepta fuerat, magnam adverſus eos litem moverunt, & adverſus talem impoſturam vociferabantur: ſed illi tandem fortiter obſiſtendo ſuperarunt.

De Innocentibus (quos vocant) ſilere propemodum ſtatueram: quia tametſi eorum velut exercitum colligerem, ſemper tamen objicerent id cum hiſtoria non pugnare, quia eorum numerus præfinitus non eſt. De multitudine igitur dicere omittam. Tantum obſervetur, nullam eſſe fere regionem in toto orbe, ubi non aliquis extet. Nunc quæro: quomodo tam longo poſtea temporis intervallo, reperta fuerunt eorum ſepulchra: quum pro ſanctis non haberentur, dum Herodes ipſos interfecit? Deinde quando allati ſunt? Nihil aliud poſſum reſpondere, quam id quingentis aut ſexcentis poſt eorum mortem annis factum eſſe. Judicent imperitiſſimi omnium idiotæ quid eveniet, ſi fides tam abſurdis deliriis habeatur. Adhæc tametſi forte ab aliquo reperti fuiſſent, qui fieri poſſet ut plura eorum corpora importarentur in Galliam, Germaniam, italiam: ut inter urbes adeo inter ſe remotas diſtribuerentur? Hanc igitur falſitatem, tanquam perſpicuam & convictam relinquo.

Quoniam Laurentius in veterum Martyrum numero eſt, hic locum ipſi aſſignabimus. Haud equidem ſcio corpus ipſius pluſquam uno in loco eſſe: Romæ videlicet, in æde ei dicata: ſed vas plenum carnis ejus aſſæ ſeorſum habetur. Item ampullæ duæ: quarum altera ſanguinis ejus plena eſt, altera adipis. Item, in æde cui Paliſpernæ cognomen eſt, brachium & oſſa: ad Sylveſtri aliæ reliquiæ. Verum

rum ſi omnia oſſa colligerentur, quæ in Gallia ſolum monſtrantur, duo haud dubie corpora ſuis partibus abſoluta effici poſſent. Eſt præterea craticula, ſuper qua aſſus fuit: tametſi Paliſperna illa, de qua jam loquuti ſumus, fragmentum ejus quoddam ſe habere jactet. Quod ad craticulam attinet, adhuc condonarem: ſed ſunt aliæ reliquiæ nimium notabiles, quas mihi nefas eſſet reticere. Veluti carbones qui oſtenduntur ad Euſtathii. Item, mappa qua Angelus ei corpus abſterſit. Quum itaque iſti ad excogitanda ejuſmodi delitia, otio abuſi ſint, ut mundo imponerent, qui hanc admonitionem viderint, otium ſibi ſumant ad hæc conſideranda, quo ſibi proſpiciant ac caveant ne ſic in poſterum irrideantur. Ex eadem officina prodit dalmatica, quæ etiam Romæ ad Barbaræ monſtratur: quia Laurentium diaconum fuiſſe audiebant, exiſtimarunt eum iiſdem indumentis ornatum fuiſſe, quibus eorum Diaconi ſeſe transformant, dum in Miſſa perſonam ſuam agere volunt. Verum, longe aliud munus in Chriſtiana Eccleſia fuit, quam ſit hodie in Papatu. Atque ad gerendam pauperum curam, diſtribuendaſque eleemoſynas creabantur Diaconi, non ad hiſtrionicos ludos agendos: itaque dalmaticis aut ſimilibus larvis, minime opus habebant.

Laurentio Gervaſium & Protaſium adjungemus, quorum ſepulchrum Mediolani repertum fuit Ambroſii tempore, ut ipſe teſtatur. Similiter Hieronymus, Auguſtinus, & plerique alii. Ita Mediolanenſes etiamnum ſibi eorum corpora vendicant. Sunt nihilominus Briſaci in Germania: ac Veſontione, in parochia quæ D. Petro dicata eſt: præter infinita fruſta, quæ variis in templis ſparſa ſunt: adeo ut neceſſarium ſit, quatuor ad minimum ſingulis fuiſſe corpora: aut oſſa abjicienda ſunt, quæ falſo & mendaciter eorum nomine inſcribuntur.

Quia Sebaſtiano curandæ peſtis munus tribuerunt, eo factum eſt, ut majore in pretio fuerit, omneſque vehementius illum appetiverint. Effecit hæc exiſtimatio, ut in quatuor corpora multiplicaretur: quorum unum eſt Romæ ad Laurentii, alterum Sueſſione, tertium Piligni, apud Armoricos, quartum prope Narbonam, in ſolo ejus natali. Habet præterea capita duo: unum Romæ ad Petri, alterum Tholoſæ apud Dominicanos. Sed concava ſunt, ſi Andegavenſibus Franciſcanis fides adhibetur: qui cerebrum ſe habere jactant. Quin etiam Dominicani Andegavenſes brachium unum habent. Eſt etiam aliud Tholoſæ ad Saturnini: aliud Caſedei in Arvernia: aliud Mousbriſonnæ Foreſtanorum: præter minuta fruſta quæ in variis templis habentur. Sed quum bene expenſa fuerint omnia, divinetur ubi ſit corpus Sebaſtiani. Verum, neque his contenti, ex ſagittis quibus transfixus fuit, reliquias fecerunt: quarum una monſtratur Lambeſci in Provincia: altera Pictavii, apud Auguſtinienſes: aliæ hic atque illic ſparſæ ſunt. Hinc perſpicitur eos ſtatuiſſe, nunquam de ſuis impoſturis rationem reddere.

Eadem ratio in Antonio valuit ad multiplicandas ejus reliquias. Quod enim ſit, ut fingunt, iracundus ac pernicioſus, ita ut incendat eos quibus indignatur, hac opinione ſe formidabilem reddit. Ex ea formidine nata eſt ſuperſtitio, quæ deſiderium corporis ejus habendi, commodi cauſa exacuit. Ideo Arelatenſis civitas multum diuque litigavit cum Antonianis Viennenſibus: verum exitus omnino idem fuit, qui in talibus controverſiis eſſe ſolet: id eſt, omnia confuſa manſere: nam ſi patefacienda eſſet veritas, neutros æquum tueri conſtaret. Ad duo iſta corpora accedit & genu, quod eſt apud Auguſtinienſes Helvianos: varia item membra quæ Burgi, Matiſconæ, Divionæ, Catalamni, Ovronii, Veſontione, habentur: præter ea quæ paſſim ferunt impoſtores circumforanei: quorum quantitas haud exigua eſt. En quid ſit damni inferendi famam col-legiſſe: nam alioqui bonus ille Sanctus jaceret in ſepulchro, aut neglectus in aliquo angulo latuiſſet.

D. Petronillam omiſeram, Petri filiam: cui corpus integrum eſt Romæ, in æde patri ſuo dicata. Item, reliquiæ quædam ad Barbaræ, ſeorſum locatæ. At nihilominus Cœnomani aliud corpus habent in cœnobio Dominicanorum, quod illic perceleb re habetur: propterea quod homines ſanet à febribus.

Quia variæ Sanctæ fuerunt nomine Suſannæ, haud ſatis ſcio, an eis propoſitum fuerit unius corpus duplicare. Corpus quidem unum Suſannæ Romæ habetur in æde ipſi dicata: aliud Tholoſæ. Helenæ, non tam proſpere ſucceſſit: nam præter corpus quod habent Veneti, nihil aliud ex abundanti lucrifecit, quam caput alterum, quod eſt Coloniæ ad Gerionis. D. Urſula, in hoc eam ſuperat. Primum enim, habet corpus, ad Joannis Angelici: deinde caput unum Coloniæ: partem etiam quandam apud Dominicanos Cœnomanorum: item apud Dominicanos Turonenſes: aliam etiam Bergerati. De ejus ſociabus, quas undecim millia Virginum appellant, ubique haberi poteſt. Ac certe inſigniter adjuti ſunt eo commento, ut liberius mentiri auderent: nam præter oſſa quæ Coloniæ ſunt, quæ onerandis quadrigis centum ſufficerent, nulla eſt fere urbs in tota Europa, quæ non aliquo in templo, aut etiam pluribus, iis ornata ſit.

Si vulgarium Sanctorum luſtrationem inciperem, ſylvam ingrederer, unde mihi nullus pateret exitus. Quamobrem exempla aliquot adducere mihi ſufficiet, ex quibus poterit de reliquis ferri judicium. Pictavii duæ ſunt Eccleſiæ, quæ de Hilarii corpore inter ſe contendunt: nempe canonici ædis ipſi dicatæ, & monachi Sellæ. Controverſia adhuc unco appenſa eſt, quoad viſitatio fiat. Interim idololatræ, duo unius hominis corpora adorare cogentur: fideles vero de corpore ejus minime ſolliciti, ipſum, ubicunque fuerit, ſinent quieſcere. D. porro Honorati corpus eſt Arelatæ: eſt etiam Inſulæ Lyrinorum, prope Antipolim. Ægidius unum è corporibus ſuis habet Tholoſæ: alterum in oppido Aquitaniæ, quod ab ejus nomine vocatur. Guillelmus vero, in cœnobio Aquitaniæ, cui nomen eſt D. Guillelmi à deſerto: item in oppido Holſatiæ, quod vocatur Ecrichenum, ubi etiam caput ſeorſum habetur. Quanquam ei ſit & aliud caput in ſuburbio Tureni Juliacenſium, apud Guillelmitanos. Quid dicam de Symphoriano, cujus tam variis in locis & corpus & oſſa extant? Similiter de Lupo, qui eſt Altiſſiodori, Senis, Lugduni, eundemque Genevæ eſſe fingebant? Itidem de Ferreolo: cujus integrum corpus eſt Uticæ in Aquitania, & Briodæ Arvernorum? Saltem tranſigerent inter ſe, ne tam aperte proderent mendacia ſua: ſicuti canonici Treverenſes, cum Leodienſibus de capite Lamberti. Convenerunt enim de oblationibus pro certa pecuniæ ſumma: hac lege ne interim ipſum publice oſtenderent, ne prodigii loco eſſet, ſi duabus in civitatibus adeo vicinis conſpicerentur. Verum id ipſum eſt, quod initio dixi, nunquam eos exiſtimaſſe ullum obſervatorem proditurum, qui ad tantam impudentiam coarguendam, vel hiſcere auderet.

Poſſet autem rogare quiſpiam, quomodo iſti reliquiarum ſtructores, res multas veteris Teſtamenti, eaſque notabiles, omiſerint: quum abſque ratione cumularint omnia, quæ ipſis in mentem veniebant, & veluti flando, quicquid ipſis libebat fabricarint. Huic quæſtioni nihil aliud reſpondeo, quam quod aſpernati ſint, quia haud magnam ex ipſis utilitatem ſe habituros ſperabant: tametſi prorſus eas obliti non ſint. Romæ enim jactant ſe oſſa habere Abrahæ, Iſaac & Jacob, ad Mariæ ſupra Minervam. Ad Joannis etiam Lateranenſis, jactant ſe arcam fœderis cum virga Aaronis habere. Et tamen eadem virga

eſt

eſt Lutetiæ ad ſacri Sacelli; atque etiam Salvatorenſes in Hiſpania aliquod fragmentum tenent. Præterea Burdegalenſes virgam D. Martialis, quæ ad Severini monſtratur, eam ipſam eſſe aſſerunt, quæ Aaronis fuit. Videntur profecto ad æmulationem Dei, miraculum novum edere voluiſſe: nam quum ejus virtute virga in ſerpentem converſa fuerit, ita nunc eam in tres virgas converterunt. Fieri quidem poteſt, ut pleraſque alias ejus generis nugas habeant; ſed verbum hoc attigiſſe ſufficiat, quo patefiat eos tam fideles ſe in hac parte, quam in cæteris præſtitiſſe.

Nunc lectores rogatos velim, ut id meminerint quod initio dixi: nempe mihi inquiſitores non fuiſſe ad manum, qui omnium regionum, quarum hic mentionem feci, ſacraria luſtrarent. Quamobrem id quod de reliquiis dixi, ne ſic accipiatur quaſi integrum ſit, aut abſolutum inventarium earum quæ reperiri poſſent. Germanicas urbes circiter ſex, plus minus, ſolum nominavi. Hiſpanicas tres, quod ſciam. Italicas circiter quindecim. Gallicas triginta, vel quadraginta. Nec quicquid apud eas reliquiarum eſt, teneo. Conjecturam igitur ſecum unuſquiſque faciat, qualis farrago foret, ſi reliquiarum multitudo, quæ in orbe Chriſtiano ſunt, ordine deſcriberetur: in iis duntaxat regionibus, quæ nobis notæ ſunt, & in quibus verſamur. Hoc enim præcipue notandum eſt, omnes reliquias, quæ in Europa de Chriſto & Prophetis monſtrantur: etiam reperiri in Græcia, Aſia, cæteriſque regionibus, ubi aliquæ extant Eccleſiæ Chriſtianæ. Nunc quæro, quum Orientalis Eccleſiæ Chriſtiani dicant penes ſe habere illa omnia, quæ apud nos eſſe putamus, quid in ea re ſtatui, aut definiri poterit? Si adverſemur ipſis, excipientes hoc corpus allatum fuiſſe à mercatoribus, illud à Monachis, aliud ab Epiſcopo: partem ſpineæ coronæ, ab Imperatore Conſtantinopolitano, miſſam ad Regem Galliæ: alteram, quæſitam bello: ſicque de ſingulis: ridentes quatient caput. Quomodo dirimentur hæ controverſiæ? Eſt enim in ancipitibus cauſis ex conjecturis judicandum. Hac ratione ſemper obtinebunt. Quæ enim ſua ex parte proferunt, veriſimiliora ſunt iis, quæ hinc poterunt quomodocunque obtendi. Hic certe nodus difficilis ad ſolvendum, apud eos qui reliquias tueri volunt.

Ut finem faciam, lectores obteſtor per nomen Dei, ut ad veritatem, interim dum aperte ipſis pateſit, animum advertant, atque agnoſcant id ſingulari Dei providentia factum eſſe: ut qui miſeram plebem ita ſeducere voluerunt, adeo cæci fuerint, ut de obtegendis mendaciis ſuis nunquam cogitarint: ſed, veluti Madianitæ, oculis confixis, ſecum ipſi pugnare cœperint. Quemadmodum videmus iſtos inter ſe bellum gerere, ac mutuo ſeſe arguere mendacii. Quiſquis obſtinato, ad veritatem ſponte impugnandam, animo eſſe nolet, etiamſi nondum plane intelligat, execrabilem eſſe idololatriam, reliquias ullas adorare, qualeſcunque ſint, aut veræ, aut falſæ: quum tamen falſitas erit adeo conſpicua, nunquam ipſi cordi erit ullas oſculari: & qualicunque antea religione ductus fuerit, omnem earum guſtum amittet.

Hoc quidem præcipuum foret, ſicuti ab initio dixi, Ethnicam iſtam conſecrandarum reliquiarum ſuperſtitionem, inter nos aboleri, qui Chriſti nomen profitemur: ſive ipſæ Chriſti ſint, ſive Sanctorum, quo ex ipſis emergant idola. Talem enim pollutionem ac ſpurcitiam, nullo modo deceret in Eccleſia tolerari. Id quod antea rationibus & teſtimoniis Scripturæ demonſtravimus. Si quis eo contentus non ſit, veterum patrum morem & uſum ſpectet, quo ſeſe conformet ad eorum exemplum. Permulti Patriarchæ, Prophetæ, Reges, aliique fideles ſub vetere Teſtamento extiterunt. Plures ceremoniæ inſtitutæ fuerunt à Deo, quam hodie à nobis deceat obſervari. Quin etiam ſepultura ipſa, majorem tunc, quam hodie, apparatum requirebat: quo figuris ſuis repræſentaret reſurrectionem glorioſam, quæ nondum ita apertis verbis, ut hodie, revelata erat. An legimus Sanctos unquam erutos fuiſſe è ſepulchris, quo ex iis pueriles pupæ fierent? An Abraham, omnium fidelium pater, ſic in ſublime elatus fuit? Sara etiam princeps in Eccleſia Dei, an è foſſa educta eſt? Nonne cum aliis Sanctis, in quiete relicti ſunt? Atque adeo Moſis ipſius corpus, Dei voluntate occultatum fuit, ita ut nunquam potuerit reperiri. Nonne Satan cum Angelis, ut inquit Judas, ob eam cauſam contendit? Quare Dominus ipſum removit à conſpectu hominum, diabolus vero reducere conatus eſt? Nimirum, ut fatentur omnes, Deus populo Judaico Idololatriæ occaſionem adimere: contra, diabolus eam ſtabilire voluit. At populus ille, dicet quiſpiam, ad ſuperſtitionem proclivis erat. Nos vero, quales ſumus? Nonne major eſt Chriſtianorum, in hac parte, quam Judæorum perverſitas? Quid in Eccleſia veteri actum fuerit animadvertamus. Fideles quidem Martyrum corpora eripere ſemper ſtuduerunt, ne à feris & avibus laniarentur, eoque honeſte ſepelierunt: ſicuti de Stephano & Joanne Baptiſta legimus. Verum id agebant, ut conderentur terra, atque illic uſque ad reſurrectionis diem quieſcerent, non ut collocarentur in hominum conſpectu, quo omnes ſeſe ad ea proſternerent. Nunquam infelix hæc conſecrandi pompa in Eccleſiam introducta fuit, priuſquam everſa & quaſi profanata fuerint omnia: partim ſtupiditate Præſulum ac Paſtorum, partim avaritia, partim quod conſuetudini, quæ jam invaluerat, nequirent obſiſtere: quod etiam populus ſponte decipi vellet, animum ad nugas pueriles, potius quam ad veram Dei adorationem adjiciendo. Quamobrem ſi quæratur ſolida hujus corruptelæ emendatio, dirui atque funditus everti neceſſe foret, quod ab initio perperam, & adverſus omnem rationem inſtitutum fuit. Quod ſi quis ad intelligentiam iſtam primo gradu pervenire non poſſit, pedetentim ſaltem progreſſum faciat: ac primum recludat oculos, atque ad diſcernendas reliquias, quum offerentur, judicium adhibeat. Id porro haud difficile eſt ei qui attendere volet: nam inter tot mendacia adeo perſpicua, qualia ſunt ea quæ protuli, ubi diligentur veræ reliquiæ, de quibus certi aliquid haberi poſſit? Præterea, quæ attigi, præ iis quæ reſtant, pauca ſunt. Quin etiam dum libellus hic excudebatur, de tertio præputio Domini ſum admonitus, de quo nullam mentionem feceram, quod Hyldesheymi oſtenditur. Eſt etiam aliorum ſimilium quædam infinitas. Denique, viſitatio longe plura detegeret, quam dici poſſit. Caveat ergo unuſquiſque, ne ſe inſtar beſtiæ tranſverſum rapi & in errorem abduci ſinat, nullamque interim viam cernat aut ſemitam, qua tuto dirigatur. Memini quæ, me puero, imagunculis parochiæ noſtræ fieri ſolebant. Quum Stephani feſtum appropinquabat, ornabantur carnifices, qui ipſum lapidibus obruebant, tum ſertis, tum monilibus, non minus quam Stephanus ipſe. Eos dum mulierculæ cernebant ita ornatos, Stephani ſocios eſſe exiſtimabant. Itaque, ſua unicuique candela offerebatur. Quin etiam, id fiebat diabolo Michaëlis. Idem accidit in reliquiis. Sic confuſa ac permixta in iis ſunt omnia, ut Martyris alicujus oſſa haberi nequeant, quin periculum ſit ne latronis aut furis, vel etiam aſini, aut equi, aut canis oſſa adorentur. Annulus D. Mariæ aut pecten, aut cingulum adorari non poteſt, quin periculum ſit, ne ex mundo ſcorti cujuſpiam aliquid adoretur. Quamobrem caveat à periculo qui volet. Nemo enim poſthac ignorantiæ excuſationem poterit obtendere.

ACTA SYNODI TRIDENTINÆ,

CUM

ANTIDOTO.

JOANNES CALVINUS,

PIO LECTORI.

Aiunt Catonem, quum de corrigendis ſumptibus immodicis apud populum Romanum verba facturus eſſet, ita præfatum eſſe: multum ſibi fore negotii, quia venter aures non haberet. Mihi vero ſi ad reſtituendam pietatis doctrinam, repurgandaſque Eccleſiæ corruptelas hodie Romanenſes hortarer, aliquanto plus eſſet difficultatis. Neque enim cum ſurdo ventre modo, ſed etiam cum cæca ambitione pugnandum foret. Videmus enim quibuſcunque rationibus victi fuerint, eos nihilominus ſtare obſtinatos, quia de vita & honore ſibi dimicandum judicant. Proinde, non ero tam ineptus, ut eos ad ſanam mentem revocare fruſtra coner. De iis loquor, quorum deploratam omnino contumaciam cernimus. Verum potius alio me convertam, ut agnoſcant pii omnes, quam ſceleſta ſit ipſorum impietas. Cujus rei ſpecimen, minime obſcurum hic in actis Tridentini Concilii exhibeo: ubi interiores omnes ſuos ſenſus ita explicarunt, ut nemini dubium reliquerint, qualem habituri ſimus Eccleſiæ ſtatum, ſi eorum ſtetur arbitrio. Verum, quo melius id pateat, lectores primum rogatos velim & monitos, ut meum, De neceſſitate reformandæ Eccleſiæ, librum, percurrant: deinde conferendo æſtiment, utram in partem debeant potius inclinare. Genevæ, III. Idus Novemb. M. D. XLVII.

ADMONITIO,

ATQUE

HORTATIO LEGATORUM SEDIS APOSTOLICÆ,

Ad Patres in Concilio Tridentino,

Lecta in PRIMA SESSIONE.

Reverend. Patres, &c. Quum ipſa muneris noſtri ratio, qui in hac ſancta Synodo Præſidentium, & ſedis Apoſtolicæ Legatorum perſonam gerimus, hoc poſtulatura videatur, ut creſcentibus negotiis, quæ in hoc ſacro Conſeſſu, ad Dei gloriam, & Eccleſiæ utilitatem ſunt expedienda, ſæpius apud vos cohortandi, & commonendi cauſa verba faciamus, tum vero in hac prima Seſſione, quæ felix (ut ſperamus) principium ipſi Concilio eſt datura, minime hoc à nobis prætermittendum duximus. Eo vero libentius hoc officio fungimur, quod quum vos vel hortamur ut ea faciatis quæ digna tanto Conventu ſint, vel à contrariis dehortamur, noſmetipſos etiam hortamur ac dehortamur, qui in eadem quaſi navi vobiſcum ſumus, iiſdemque periculis, quibus vos, eiſdem tempeſtatibus ſubjicimur: noſmetipſos inquam excitamus ad vigilandum, ne vel in ſcopulos incidamus, qui plurimi procul dubio in hoc curſu ſeſe offerent, vel magnitudine negotiorum tanquam fluctuum obrui nos negligentia noſtra patiamur: verum, ſpe, & fide erecti, eo navigationem dirigamus, quo maxime portus ſalutis ad Dei gloriam in Chriſto Jeſu ſeſe oſtendet. Igitur, ut ab eo incipiamus, de quo maxime in hoc principio admonendi omnes ſumus: unuſquiſque noſtrum ante oculos ſibi in primis proponere debet, quænam ſint, quæ ab hoc ſacro Concilio expectentur: ex quo quiſque facile intelliget, quantum ſibi oneris incumbat. Sunt vero ea (ut omnia ſummatim complectamur) quæ in bulla indictionis Concilii continentur, nempe, hæreſum extirpatio, diſciplinæ Eccleſiaſticæ & morum reformatio, ac tandem pax externa totius Eccleſiæ. Hæc ergo ſunt, quæ nos curare, vel potius pro quibus aſſidue orare, ut Dei benignitate fiant, oportet. Atque illud eſt, de quo ante omnia in ipſo Concilii exordio omnes & ſingulos, qui huc convenimus, primum autem noſipſos, qui in tam ſancto miniſterio præſidemus, admonendos duximus, ne unquam cogitemus, vel per ſingulos, qui hic adſunt, vel per univerſum Concilium, etiamſi omnes Paſtores ex univerſo terrarum orbe huc coirent, tantis malis, quibus nunc grex Chriſti eſt oppreſſus, provideri poſſe. Si enim putamus hoc à nobis perfici poſſe, aut ab alio, quam ab ipſo Chriſto, quem Deus Pater unicum nobis Servatorem & Paſtorem dedit, cui etiam omnem poteſtatem dedit, erramus ſane in fundamento omnium actionum noſtrarum, & divinam iram magis provocabimus. Adjungimus enim ad ſuperiora mala, quæ propterea nobis acciderunt, quod ipſum fontem aquæ vivæ reliquimus, hoc alterum maximum peccatum, quod noſtra vel prudentia, vel potentia iiſdem malis mederi velimus: ut merito de nobis dicatur, quod Propheta, in perſona Dei, veterem populum accuſans, dicit: Duo mala fecit populus hic: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas non valentes continere aquas. Tales vero ciſternæ ſunt omnia conſilia, quæ noſtra prudentia, non afflata Spiritu divino, proficiſcuntur: quæ non modo populos in pietate, & obedientia, tanquam aquas in ciſternis continere non valent: ſed quo magis his artibus retinere eos laboramus, eo violentius tanquam torrentes à nobis defluunt, & diſcedunt, ut ſuperiorum annorum experientia multis in locis ſatis nos docere poteſt, & nunc admonere, unicam tantum viam medendis his malis relictam, ſi noſtra omnia remedia inutilia eſſe agnoſcentes, & valere potius ad augenda, quam ad tollenda mala: ad Chriſti potentiam, quem dexteram ſuam Deus Pater appellat, ad Chriſti ſapientiam, qui eſt ſapientia Patris, in omnibus nos, qui

Patrum

Patrum perſonam gerimus, fide & ſpe confugiamus, hujus nos in omnibus miniſtros eſſe agnoſcimus. Hic vero quæritur (inquit Apoſtolus) inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur. Hoc autem nunc nobis agendum eſt, ut miniſtros nos in omnibus idoneos præbeamus. Erimus vero idonei, ſi nos ex nobis minime idoneos eſſe judicaverimus. Quis enim (inquit idem Apoſtolus) ad hæc idoneus? ut qui ne cogitare quidem aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, ſimus ſufficientes. Verum, hoc fateri non ſatis eſt nobis. hoc dicere potuit Apoſtolus, & per hanc portam ingredi ad obeundum munus ſuum, & in eo ſe miniſtrum fidelem, ac idoneum oſtendere, qui ſimul dicere potuit, de miniſterio ſuo loquens: Nihil mihi conſcius ſum. Nobis vero, qui, ſi verum fateri volumus, aliter dicere non poſſumus, quin nobis conſcii ſimus in adminiſtrando munere nobis impoſito, in plurimis defeciſſe: & horum etiam malorum, ad quæ corrigenda vocamur, non minima ex parte cauſam extitiſſe: non ſatis eſt hic fateri, ad tantam munus nos impares eſſe. Quid ergo nobis agendum, ut idonei hoc tempore, Chriſti miniſtri in Eccleſia inſtauranda eſſe poſſimus? Idem prorſus, quod Chriſtus ipſe Epiſcopus animarum noſtrarum fecit, quum venit ad fundandam & formandam Eccleſiam ſuam. Idem ſane, Patres, faciendum erit nobis, quod ipſa ſapientia Patris fecit, quum venit, ut multos filios in gloriam adduceret: id quod nobis item propoſitum nunc eſſe debet. Is enim quum oppreſſos peccatis omnes inveniſſet, omnia omnium peccata in ſeipſum tranſtulit: ſeque unum ante Deum pro omnibus reum, & nocentem conſtituit, ac pœnam nobis debitam ſuſtinuit, tanquam omnia flagitia, & omnia ſcelera, quæ nos commiſeramus, ipſe commiſiſſet, quum tamen ab omni labe peccati puriſſimus eſſet, quippe qui peccatum non fecit, neque unquam inventus eſt dolus in ore ejus. Quod vero Chriſtus, pro immenſa ſua charitate erga Deum Patrem, & pro miſericordia erga noſtrum genus, fecit, hoc nunc, ut ipſi faciamus, juſtitia ipſa à nobis flagitat, ut omnium horum malorum, quibus grex Chriſti eſt oppreſſus, nos paſtores coram tribunali miſericordiæ Dei reos conſtituamus: atque omnium peccata in noſipſos non tam pie, quam juſte transferentes, quia revera horum malorum magna ex parte nos cauſa ſumus, divinam miſericordiam per Jeſum Chriſtum imploremus. Quod vero dicimus nos paſtores his malis, quibus Eccleſia eſt oppreſſa, cauſam dediſſe; ſi quis hoc acrius & magis per exaggerationem quandam verborum, quam vere dictum exiſtimet, hoc quidem ipſa rerum experientia, quæ mentiri non poteſt, comprobabit. Reſpiciamus ergo paululum ad ipſa mala, quibus Eccleſia opprimitur, ac ſimul etiam ad noſtra peccata. Sed quis hæc dinumerare valeat? quæ ſimul cum reliquis malis multitudine ſuperant arenam maris, & uſque ad cælum clamant. Circumſcribamus ergo tantam multitudinem noſtrorum malorum illis limitibus, quibus hoc Concilium, quod capitulibus malis medendis eſt vocatum, ea circumſcripſit. Sunt vero illa tria, quæ ſupra commemoravimus, hæreſes, lapſam morum diſciplinam, & inteſtinum, atque externum bellum. Hic ergo videamus, & conſideremus, quam jam multis annis Eccleſia his calamitatibus vexetur, an denam ipſa originem habuerint, num illis nos quodammodo principium, num fomentum dederimus. Primum vero examinemus initium hæreſum, quæ hac noſtra ætate paſſim pullularunt e quibus ſi negare volumus nos principium dediſſe, quia nullius hæreſeos ipſi auctores fuimus, tamen quum perverſæ de fide ſententiæ, tanquam vepres quædam ſint, & ſpinæ, quæ in agro Domini, qui nobis colendus commendatus eſt, ortæ ſunt: etſi illæ quidem ſua ſponte, ut ſolent aliquando vitioſæ herbæ, pullularunt: tamen qui non coluit, quem debuit, agrum, qui non ſeminavit, qui pullulantes per ſe, non ſtatim curam adhibuit ut exſtirparet, non minus quidem principium illis dediſſe dicendus eſt, quam ſi ipſas ſeminaverit: præſertim quum hæc omnia à negligentia agricolæ ortum ducant, & incrementum habeant. Hic ergo ſeipſos excutiant, qui ſunt agricolæ in agro Domini, conſcientiam ſuam interrogent, quomodo in eo colendo, quomodo in ſeminando ſe geſſerint. Quod qui fecerint his præſertim temporibus, quibus pauciſſimi agro Domini colendo incumbunt, non multum (credimus) dubitabunt, num ad ipſos pullulantium paſſim in Eccleſia hæreſum culpa pertineat. Hæc vero monendi tantum cauſa dicta ſatis ſint de iis, quæ ad primum caput pertinent. Veniamus ad ſecundum, quod lapſam morum diſciplinam, & abuſus (ut vocant) complectitur. Hic vero nihil attinet diu inveſtigare, quinam tantorum malorum auctores fuerint, quum præter nosipſos, ne nominare quidem ullum alium auctorem poſſimus. Quare ad tertium accedamus, quod impedimenta pacis Eccleſiæ in ſe continet: qualia ſunt arma vel domeſtica, vel externa. Hæc enim jampridem pacem Eccleſiæ perturbarunt, & adhuc perturbant: de quibus hoc tantum dicimus, ſi (quod Deus ipſe certiſſimis ſignis oſtendit) hæc arma flagella ejus ſunt, quibus nos affligit: quia duorum priorum capitum rei ſumus, in quibus nos excuſari non poſſumus: etiam horum armorum præcipuam nos cauſam eſſe, negare non poſſumus. Ejuſmodi vero flagella, Deum ob eam cauſam immittere cenſemus, ut nos peccantes caſtiget: & peccata ipſa, quibus majeſtatem ejus maxime offendimus, nobis ante oculos ponat. Hic vero quiſquis aliquando animadvertit, quibus modis Eccleſia armorum violentia vexata fuerit, ſecum ipſe conſideret, quænam illa ſint, in quibus præcipue Eccleſia, propter ipſa arma, detrimentum patiatur. Nec vero hic refert, de quorum armis loquamur, ſive de inteſtinis, noſtrorum Principum, ſive de externis Turcarum armis, quæ ſuperioribus annis nos magnis calamitatibus affecerunt: ſive de eorum, qui ab obedientia ſuorum paſtorum diſceſſerunt, & ipſos à ſuis ſedibus expulerunt. Hoc enim ſummatim dicimus de omni genere armorum, ſi qui illa contra nos tractarunt, à ſuis Eccleſiis paſtores fugarunt, ordines confuderunt, laicos autem in Epiſcoporum locum ſuffecerunt, Eccleſiæ bona diripuerunt, curſum verbi Dei impediverunt. Hic, inquam, dicimus, nihil horum eſſe, quod in libro abuſuum paſtorum maxima illorum pars, qui hoc nomen ſibi vendicant, per ſe factum eſſe, ſi legere libuerit, non ſcriptum apertis verbis inveniat. Noſtram enim ambitionem, noſtram avaritiam, noſtras cupiditates, his omnibus malis, populum Dei prius affeciſſe ſtatim inveniet, atque horum vi ab Eccleſiis paſtores fugari, eaſque pabulo verbi privari, bona Eccleſiarum, quæ ſunt bona pauperum, ab illis tolli, indignis ſacerdotia conferri, & illis, qui nihil à laicis, præterquam in veſtis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum eſt, quod negare poſſimus per hos annos à nobis factum eſſe? Quare, ſi Turca, ſi hæretici hoc idem adverſus nos faciunt, quid hic aliud, quam flagitia noſtra, & ſimul juſtum Dei judicium videmus, judicium vero plenum miſericordia: ſi enim pro meritis nos caſtigaret, jampridem ſicut Sodoma, & Gomorrha fuiſſemus. Cur vero hæc nunc commemoramus? An ut vos confundamus? Abſit. Sed magis vos, ceu patres & fratres chariſſimos, primum autem noſmetipſos admoneamus, quo pacto hæc, quibus nunc affligimur flagella, & graviora, quæ impendent niſi reſipiſcamus, vitare poſſimus, ut effugiamus tremendum illud Dei judicium, omnibus quidem non reſipiſcentibus tremendum, maxime vero illis, qui præſunt. Judicium enim grave, inquit Scriptura, his qui præſunt fiet. Judicium vero incipere nunc videmus à domo Dei. Dum enim nunc ejiciuntur Sacerdotes, dum conculcantur ab hominibus: quid aliud hoc indicat, quam divinum de nobis judicium, quod prædixit Chriſtus, quum diceret, Sacerdotes ſuos eſſe ſal terræ: quod ſi ſal evanuerit, ad nihil valere altra, niſi ut ejiciatur foras, & conculcetur ab hominibus? Hæc vero omnia, nos nunc patimur. Quod ſi propter juſtitiam, ut noſtri majores,

jores, beati nos quidem: at nunc juſte quidem, quia ſic evenit: minime autem propter juſtitiam patimur: in omnibus enim noſtris afflictionibus videmus judicium Dei. Atque utinam quidem illud videremus: hoc enim initium eſſet omnia Dei judicia, & flagella effugiendi, atque in gratiam, & veram gloriam ingrediendi. Quæ res fecit, ut in his commemorandis acriores, & longiores fuerimus. Niſi enim hæc bene cognita, & perſpecta fuerint, fruſtra intramus in Concilium, fruſtra invocamus Spiritum ſanctum, qui primum ingreſſum in animam hominis ſemper facere ſolet, per ipſius hominis condemnationem, ut condemnet mundum de peccato. Quare, niſi ille Spiritus nos apud noſmetipſos primum condemnaverit, nondum illum ingreſſum eſſe ad nos, affirmare poſſumus: ac ne ingreſſurum quidem, ſi peccata noſtra audire recuſamus. Idem enim dicetur nobis, quod populo veteri per Prophetam Ezechielem eſt dictum, quum nondum agnitis ſuis ſceleribus Deum per Prophetam interrogare vellent. Sic autem ait Propheta: Venerunt viri Iſraël ad interrogandum Dominum, & ſederunt coram me. Hæc autem dicit Dominus: Numquid ad interrogandum me, veniſtis? Vivo ego, dicit Dominus, quia non reſpondebo vobis. Sequitur autem: Si judicas eos, abominationes patrum illorum oſtende illis. In quibus verbis oſtendit Deus, quare noluerit reſpondere illis: quia nondum ſcilicet abominationes ſuas, & patrum ſuorum audierunt. Quare, quum idem Dei Spiritus ſit, qui tum dabat reſponſa, & quem nunc nos ſedentes coram Domino invocamus: quid nobis faciendum ſit, ut propria reſponſa habeamus, ex his videtis: & ſimul quam neceſſario nos, qui præſidemus in hoc ſacro Conceſſu, à detegendis noſtris peccatis, ſermonis exordium vobiſcum duximus. Quia vero nonnullos nunc videmus, ſua primum peccata, & noſtri ordinis graviter deflentes, atque Dei miſericordiam omnibus votis implorantes: ideo quidem in maxima ſpe ſumus, ad nos veniſſe, quem invocamus Dei Spiritum: hoc vero maximum pignus divinæ miſericordiæ habemus, nempe, ipſam hanc inchoationem Concilii, in quo nunc convenimus ad erigendam & inſtaurandam pene collapſam Eccleſiam, ut vetus populus poſt diuturnam captivitatem apud externos Reges, rediit Hieroſolymam ad inſtaurandum Templum. In illius vero populi ſtatu, in illorum læta ad patriam profectione, & Templi inſtauratione, noſtri quidem temporis, & noſtri ſtatus, in hoc præſertim Concilio imaginem intueri poſſumus: & in Ducum ejuſdem populi exemplo, veſtrum, qui Duces eſtis populo Dei ad cæleſtem patriam contendenti, officium videre. Quare omnes vos magnopere hortamur, ut ſæpius ad memoriam revocetis, quæ in Eſdræ, quæ in Nehemiæ, quæ etiam in Danielis libris ſunt ſcripta: in quibus conſilia omnium Ducum populi explicantur, quæ hunc unum ſemper ſcopum habuerunt, ut ſua, & populi, atque patrum peccata confitentes, ad pœnitentiam, & implorationem divinæ miſericordiæ omnes excitarent. Quod quum populus faceret, tum quidem omnia illis feliciter ſucceſſere. Eadem vero conſilia nobis, ſi felicem ſucceſſum, & exitum expectare volumus in inſtauranda Eccleſia, ob quam cauſam læti hic in Spiritu convenimus, ſequenda erunt: atque eo quidem magis, quo etiam majora nobis certamina impendent inſtauraturis Eccleſiam, quam illis inſtauraturis Templum. Si enim illis mali, quominus id perficeretur, ſe oppoſuere: ſi multi etiam, quum opus impedire non poſſent, eos irriſerunt: hoc quidem ſic habetote, nobis nec irriſores defuturos, nec qui maximis viribus à cœpto opere nos deterreant, & avocent. Habebimus vero non modo colluctationem cum carne, & ſanguine, ſed cum ſpiritualibus nequitiis in cæleſtibus. Verum, his omnibus potentior eſt is, in cujus nomine, hoc opus ſumus aggreſſi. Quare, in eo confidamus, ipſum precibus invocemus, & ipſe omnia perficiet. Quia vero hoc Concilium cum deliberantium, tum vero judicantium ſpeciem refert, in quo & deliberatur de iis, quæ ad univerſalis Eccleſiæ bonum pertinent, & etiam judicatur tum de rebus, quam de perſonis (ſedemus enim tanquam judicantes duodecim tribus Iſraël, quibus comprehenditur univerſus populus Dei) ideo hic maxime locus videtur noſipſos admonendi, ut caveamus ab his, quæ vel conſultandi, vel judicandi vim in nobis depravare ſolent. Hæ vero ſunt ipſæ animi paſſiones, quæ ideo etiam perturbationes vocantur, quia rectum, & verum de rebus judicium, & ſenſum perturbant, ac pervertunt: in quibus maxime illa ſunt cavenda, quæ recte monet Ethnicus ille in conſiliis abjicienda, quum dicit, Omnes homines, qui de rebus dubiis conſulunt, ab ira, odio, amicitia, vacuos eſſe debere. Nam quum in hæc omne genus hominum ſit propenſum, tum vero ii maxime, qui Principibus ſerviunt: tales enim vehementiores habent affectiones, facillime autem ad gratiam loquuntur, vel ad odium: ut ſcilicet ipſos exiſtimant Principes affectos eſſe, à quibus mercedem expectant. Quum vero de Principibus loquimur, tum de his qui Eccleſiaſtici vocantur quam qui Seculares, loquimur: ac licet quidem nos Principes Chriſtianos habere agnoſcamus, & gaudeamus, id quod in veteri, & jam recens fundata Eccleſia patres noſtri non habuerunt, tamen ante omnia nobis in hoc Concilio ſemper eſt animadvertendum, hunc non eſſe locum laudandi aliquem, niſi ſolum Deum in Chriſto Jeſu, atque illum ſolum juſtificandi, omne autem genus hominum condemnandi: primum vero noſipſos, qui hæc loquimur, ut cum Daniele dicamus: Nobis confuſio faciei, Regibus noſtris, Principibus noſtris, & Patribus noſtris, qui peccaverunt: tibi autem, Domino Deo noſtro, miſericordia & propitiatio: quia receſſimus à te, & non audivimus vocem Domini Dei noſtri, ut ambularemus in Lege ejus, quam poſuit nobis per ſervos ſuos Prophetas. Et omnis Iſraël prævaricati ſunt Legem tuam, & declinaverunt, ne audirent vocem tuam, & ſtillavit ſuper nos maledictio, & deteſtatio. Hic vero nunc locus eſſet, ut ejuſdem Prophetæ exemplum ſequentes, cujus verba modo recitavimus, non ſolum noſtra, qui Sacerdotes ſumus, ſed populi, ſed Principum eorum Deo & Eccleſiæ ejus, peccata confiteremur, proque omnibus veniam imploraremus. Sic vero dicit Daniel: Quumque adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei. Nomine Populi hoc loco omnium ordinum perſonas complectens, ut ejus confeſſio, quam modo recitavimus, declarat. Qua in re, quid nobis, qui pro ſalute univerſæ Eccleſiæ tantis malis oppreſſæ, huc convenimus, faciendum ſit, ſatis indicare videtur: nimirum, ut noſtra, & ſimul Principum, ac populi peccata flentes, confiteamur, id quod plane in ſpiritu mœroris ſatis nunc abunde facimus, verbis vero uberius faceremus, ſi ipſi Principes adeſſent: qui ſuam nobiſcum confeſſionem, & lachrymas conjungerent. Ejuſmodi vero, quaſi funiculis peccatorum, ut Prophetæ loquuntur, Sacerdotum ac Principum, atque ipſius populi peccata ſunt colligata: ut difficile ſit de unius ordinis peccatis inquirere, quin reliquorum ſimul ordinum peccata appareant. Sic vero omnes ordines una orationis ſerie accuſans, in veteri populo dicit Ezechiel, in perſona Dei: Sacerdotes ejus contempſerunt Legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſacrum, & profanum non habuerunt diſtantiam. Principes ejus in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem, ad perdendas animas, & avare ſectanda lucra. Populi terræ calumniabantur calumniam. Hæc ille: quæ utinam ad illa ſolum tempora pertinerent, ac non noſtri quoque temporis imaginem referrent. Utinam quum de corruptela morum Sacerdotum loquimur, hujus maximam occaſionem, maximam materiem, & auctoritatem ipſos Principes, atque ipſum populum dediſſe negare poſſemus. Sed reprimamus nunc verba uſque ad tempus magis oppor-

Digitized by Google

opportunum, fontes autem communium lachrymarum aperiamus. Redeamus vero ad eos, quos cœpimus admonendos, præſertim Epiſcopos, qui cum mandatis Principum huc venerunt. Sic vero illos admonemus, ut omni, qua poſſunt fide, & diligentia ſuis Principibus ſerviant: verum, ut Epiſcopos decet, ſic illis ſerviant, ut ſervi Dei, non ut ſervi hominum. Nolite, inquit Apoſtolus, ſervi hominum eſſe. Primum vero ſerviant uni Regi Chriſto, cui Deus Pater omnem poteſtatem dedit: deinde vero, propter eum, omnibus, maxime autem Principibus: cui honorem, honorem: cui tributum, tributum. Hortamur autem, ut Principibus ſerviant ad honorem, quemadmodum eorum mandata verbis ipſis præ ſe ferunt, in quibus nihil fere, niſi honorificum, & ad publicam utilitatem ſpectans, proponitur. Sic vero in ſumma ſerviant, ut eorum officium in primis ſpectet ad honorem Dei, & utilitatem hujus Concilii, quod propter publicum bonum eſt convocatum. Quare, ut ab hoc maxime dehortamur omnes, qui hic ſententias coram Deo, & Angelis ejus, atque coram univerſa Eccleſia ſumus dicturi, ne ad gratiam hominis alicujus loquamur: ſic etiam multo magis, ne ad odium cujuſquam ſententiam proferamus, etiamſi contra nos adverſarii, vel inimici, & hoſtis perſonam gerat: denique, ut ab omni inter nos contentione abſtineamus, maxime optamus, & in Domino hortamur. Hæ enim ſunt, quæ contriſtant, & repellunt, quem invocavimus Spiritum ſanctum, ſine quo, nihil omnino facere poterimus, quod ad bonum & pacem Eccleſiæ cedat. Quum enim, inquit Apoſtolus, ſint inter vos contentiones, nonne homines eſtis: & ſecundum hominem ambulatis? Quum vero homines eos appellat, Spiritus Dei expertes intelligit. In omnibus autem, quæ ad reformationem Eccleſiæ pertinent, ob quam cauſam convenimus, imitari nos oportet illum, qui eam primum formavit, de quo ad ipſum opus ingrediente ſic in perſona Dei Propheta loquitur: Ecce ſervus meus, quem elegi, dilectus meus, in quo bene complacuit animæ meæ: dedi Spiritum meum ſuper eum, judicium Gentibus nunciabit, non contendet, neque clamabit, arundinem quaſſatum non confringet, & linum fumigans non extinguet. Hunc vero Spiritum pacis, charitatis & manſuetudinis, quum ſemper apud omnes, & cum omnibus oſtendere debeamus: tum vero maxime in hoc ſacro Conſeſſu, in quo convenimus, ut per gratiam ipſius Spiritus, contentionibus, quæ nimis diu Eccleſiam vexarunt, finis tandem imponatur. Quare, ne ipſi ullam contentionis anſam alicui demus, qui pacificorum perſonam gerimus, maxime eſt cavendum. Hoc vero, & cætera omnia incommoda, & impedimenta pacis unico modo evitabimus, atque ad optatum pacis portum perveniemus, ſi precibus ab humili & contrito corde profectis, ipſum Chriſti Spiritum, qui eſt pax noſtra, invocaverimus, ut in Concilio præſideat: ut lucem cordibus noſtris infundat: atque nos in omnibus ad ipſius honorem, & veram Eccleſiæ utilitatem regat & dirigat. Ad tales enim ipſe dicit: Adhuc te loquente, ecce adſum. Quare, ut hujuſmodi orationibus aſſidue incumbamus, quanta poſſumus charitate, vos in Domino hortamur, ut uno ore, atque uno Spiritu Deum Patrem in Chriſto Jeſu glorificemus, qui eſt Deus benedictus in ſecula, Amen.

PRÆFATIO
IN
ANTIDOTUM.

HOc habet reverentiæ in Eccleſia Chriſtiana ſacri Concilii nomen, ut auditum, non imperitos modo protinus, ſed graves etiam & ſano judicio præditos homines commoveat. Et ſane, quum hoc ab initio curandis Eccleſiæ ſuæ morbis uſitatum remedium adhibuerit Deus, ut convenirent pii & ſancti Paſtores, ac invocato ejus nomine, ſtatuerent quod Spiritus ſanctus dictabat: merito apud omnes pios in honore Concilia eſſe debent. Hoc intereſt quod vulgus hominum immodica admiratione obſtupeſcit, ut nihil poſtea judicet. Qui vero ſunt ſaniores, ſenſim quidem & modeſte, ſed tamen inquirere ſibi ante permittunt, quam plane aſſentiantur. Atque ita fieri convenit: ne temere nudis hominum placitis, ſed uni tantum Deo ſubſcribat fides. Sed reclamant, quibus certo perſuaſum eſt, aut qui ſaltem aliis perſuadere volunt, Concilium, qualecunque ſit, modo rite ſit indictum, non poſſe errare: quia Spiritu ſancto regatur. Volunt igitur, oraculi inſtar, abſque controverſia recipi, quicquid inde prodierit. At quanto Auguſtinus prudentior? qui pro ſingulari quidem ſua modeſtia, non mediocrem Conciliis honorem defert: illam tamen, quam dixi, moderationem, non propterea retinere deſinit. Nam adverſus Maximinum Arrianum ſcribens: Neque ego Synodum Nicenam, inquit, nec tu Ariminenſem debes, tanquam præjudicaturus afferre. Nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum auctoritatibus, non quorumcunque propriis, ſed utriuſque communibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cauſa, ratio cum ratione certat. Tantum ſibi & aliis libertatis ſanctus vir concedit, ut ne ad præjudicium quidem valere Nicenum Concilium velit, niſi cauſæ veritate ex Scripturis bene perſpecta.

Verum, de priſcis illis Conciliis ſermonem longius producere, nihil opus eſt in præſentia. De Tridentino enim Concilio agere inſtitui: quod illis longe eſt diſſimile. Quum tot cernerentur in Eccleſia corruptelæ: quum de religionis doctrina graves exortæ eſſent contentiones, diu & ardenter multorum votis expetitum fuit Concilium: qui ſcilicet hoc modo finem malis omnibus allatum iri ſperabant. Imperite id quidem: nam ut hodie conſtitutus eſt rerum ſtatus, facile perſpiciunt, quicunque vel mediocri prudentia ſunt præditi, nullam malorum levationem ab iis ſperandam eſſe, quorum eſt, tum habendi Concilii poteſtas. Sed quia non apparebat alia melior ratio, plurimi non mali homines, qui conſultum Eccleſiæ optabant, ex Concilio aliquid ſibi pollicebantur. Itaque à multis deſideratum, tandem quaſi communi Chriſtiani orbis voce flagitatum fuit. Quibus autem de cauſis aliquandiu dilatum fuerit, perſpicaciores agnoſcunt. Nam quas Romanus Pontifex in ſua bulla cauſas prætendit, impudenter eſſe confictas, quiſquis non videt, pluſquam cæcus eſt. Quibus autem cauſis fuerit adductus, ut quaſcunque poſſet moras necteret: ipſe quidem melius novit: aliqua tamen ex parte conjicere poſſumus. Hoc ideo factum putant nonnulli, ne tanquam vulgare quiddam, Concilium vileſceret tam apud Principes, quam apud plebeios, ſi tam facile ſtatim fuiſſet impetratum. Solet enim pretium rebus addere longa expectatio, modo ne tædium interveniat. Ego tamen aliam fuiſſe rationem judico. Tametſi enim Concilium quod daret, ſciebat nihil fore aliud, quam conductitiam turbam ſuorum aſſeclarum, in qua ipſe ſolus emineret, ea tamen eſt vis malæ conſcientiæ, ut trepidaret ad ſolam Concilii mentionem. Nam adeo diſſoluta & effreni libidine graſſatur tyrannis Papatus, ut coërcendam eſſe non dubitent, qui maxime eam in longum tempus ſalvam volunt. Ergo non abs re, tempus extrahendo, quamlibet potentiæ ſuæ

Digitized by Google

imminutionem refugere conatus eſt. Quod poſtea clarius etiamnum apparuit: quæcunque enim præter receptum morem in ordinando ſuo Concilio induxit, totidem ſunt ejus, quam notavi, diffidentiæ argumenta. Atque ut infinita alia omittam, quorſum tres Legati, niſi ut eorum unuſquiſque aliis eſſet æmulus, ne quid auderent? Neminem igitur invenit in ſua cohorte, in qua omnes habet ſibi prorſus addictos, cui fideret.

Hoc privatum fuit Papæ conſilium. Aliud ſpectarunt, qui præſentem Eccleſiæ ſtatum, qualiſcunque ſit, convelli nolunt. Sic enim ſtatuebant: quidvis experiri multo eſſe ſatius, quam de rebus hodie controverſis ullam cognitionem ſuſcipere. Cur ita? Partim, quia indignum illis videtur, quocunque foro diſceptationem movere de hominum placitis, quæ ſemel fidem obtinuerint: partim, quoniam eos magis delectat violenta poſſeſſio, quam ingenuæ gubernationis ſpecies. Nam quotuſquiſque eſt eorum, qui Papatum Eccleſiarum prætextu nunc tuentur, qui non cupiat ita oppreſſam eſſe Chriſtiani populi libertatem, ut de corrigendis Eccleſiæ vitiis nemo hiſcere audeat? vel non clamitet ſupervacuum eſſe Concilium, adeoque atrocem fieri prioribus decretis injuriam, niſi illis, ſepulta omni Concilii mentione ſtetur? Quid hoc, inquiunt, aliud eſt, quam actum agere? Et quanta in poſterum licentia dabitur omnia novandi, & turbandi, niſi rebus ſemel judicatis acquieſcimus? Si oracula ſunt Spiritus ſancti, jam prius editæ definitiones, quis novæ diſceptationis profectus erit? Quorum omnium facilis eſt refutatio. Nam & quæſtiones hodie agitantur, hactenus nunquam rite diſcuſſæ: & palam eſt, cùm doctrinam, tum vero univerſam Papatus adminiſtrationem ita diſſidere à pleriſque Conciliis veteribus, ut nihil magis adverſum fingi queat: & tam variis tamque exitialibus morbis oppreſſa eſt Eccleſia, ut nullum unquam magis neceſſarium fuerit habendi Concilii tempus: ſi quidem legitimum impetrari poſſe, ſpes eſſet. Apparet igitur, ne minimo quidem pietatis ſenſu tangi, ſed miſerabilem Eccleſiæ interitum ſecuros ac propemodum hilares inſpicere, qui ſic loquuntur. Quod autem rurſus agitari nefas eſſe ducunt, de quibus ſemel pronunciatum eſt, in eo nimis ſunt inepti. Quid enim differet ab hominum decretis ſacroſanctum Dei verbum? Quod ſi auctoritates ſaltem ex melioribus illis ſeculis peterent, quæ & doctrina florebant, & pietate, eſſent fortaſſis utcunque audiendi: ſed ejus generis ſunt Concilia, quorum auctoritate nos obſtringi volunt, in quibus nihil præter craſſiſſimam inſcitiam apparet, cum barbara ferocia conjunctam. Quod quidem veriſſime dictum eſſe, palam ſuo loco fiet. En cur tam faſtuoſe ſuperbiant rebus judicatis.

Porro, ſi hactenus dubitatum fuit, quantum inter Concilium interſit, & Spiritus ſancti tribunal, quod omni provocatione exemptum eſt, illuſtre in Tridentino Concilio ſpecimen nobis oſtenſum fuit. Concilium errare non poſſe ideo contendunt: quia repræſentet Eccleſiam. Quid autem, ſi hoc poſterius negetur verum eſſe? Atqui, ut de eo ſtatuatur, videndum, opinor, quibus hominibus conſtet. Adſunt forte quadraginta aut circiter Epiſcopi. Neque enim numerum teneo, neque etiam admodum curo, quia parum ad rem pertinet. Reſpondeant mihi bona fide patroni Conciliorum. Si quis ordine ipſos omnes recenſeat: quotumquemque ex illis non contemnent? Imo, quum ſe illi ipſi venerandi patres mutuo aſpiciunt, fieri non poteſt, quin eos ſui pudeat. Nam & ſibi noti ſunt: & quale ſit aliorum de ſe judicium, non ignorant. Proinde, ſi removeas Concilii nomen, nihil niſi quiſquilias fuiſſe, quicquid illic Epiſcoporum fuit, totus Papatus fatebitur. Verum, ſua aliis nationibus ornamenta libet intacta relinquere. Gallos tantum meos rogabo, ut quam ipſi contulerunt, portionem juſto pretio æſtiment. Inter primaria Eccleſiæ membra, Galliæ ſane regnum numerant. Illinc duo adfuerunt Epiſcopi, Nanetenſis, & Claromontanus, ambo æque indocti ac ſtupidi. Hic etiam poſterior, non ita pridem tam ridiculus habitus, quam moriones: & tam libidinoſus, ut, inſtar canis venatici, impudicas omnes domos odorari ſolitus eſſet, donec in diſciplinam Soſiæ cujuſdam famoſæ apud Pariſios mulieris, ſe tradidit: ex quo repente evaſit ſapiens: ſi tam facile ſapientes efficere queat Franciſci Picarti diſcipula, cujus magiſtrum cerebro penitus carere, fanaticis eſſe perſimilem, nec procul à furioſo diſtare, conſtat. Nam Aquenſem Archiepiſcopum inter Gallos vix numero. Agatenſis autem, ut ſolent curioſi homines, tanquam otioſus ſpectator adfuit. Obſecro vos, Galli mei, quis veſtrum ſibi perſuadeat à Spiritu ſancto profecta eſſe, quæ vel innumera talium hominum multitudo effutiverit? Atqui, ne prima quidem theologiæ rudimenta duo iſti, de quibus loquor, unquam guſtarunt. Quam igitur miſera Chriſtianæ Eccleſiæ conditio futura eſt, ſi pro oraculo habendum ſit, quicquid ipſis ac paucis nihilo melioribus placuerit? Et adhuc eo uſque ſocordes ſunt plurimi, ut quum audiunt publicari ſacræ Synodi placita, non cogitent eos eſſe auctores, quibus ne de minima quidem quæſtione fidem ſint habituri. Nam ſi in mentem hoc illis veniret, protinus non ſine ſtomacho abjicerent, calcarentque pedibus, quæ nunc inconſiderate oſculantur. Quid enim? an judicio quicquam probant? Minime. Sed oculos perſtringit Concilii reverentia. At cujus eſt ſtultitiæ, quem aſinum eſſe ſcias, ſub leonis pelle, tanquam formidabilem vereri?

At jam ſubit, quid rurſum objici queat à parte adverſa: non ſolis Epiſcopis commiſſas eſſe decernendi partes. Intelligo. Atque id eſt, quod maxime volebam: ſunt enim garruli quidam & audaces monachi, quorum alii mitras, alii galeros aucupantur: omnes certe Romano Pontifici ſuam loquacitatem venditant. Fingamus porro, eximios eſſe, ac eruditione non vulgari theologos. Hoc tamen habeo, venerandis patribus, ex quorum nutu pendet tota religio, ſophiſtas neſcio quos verbis præire, ut eorum dictata nobis deinde cantillent. Quorſum autem attinet, eos tam altum ſuggeſtum conſcendere; ut tanquam ſemidei ex alto pronuncient quod illis ex inferiore ſubſellio præſcriptum eſt? Ubi illa Eccleſiæ repræſentatio, cui Spiritum ſanctum alligant, ſi coguntur aliunde precario mutuari, quod opus eſt, ne aut ſileant, aut perperam loquantur? Veſtrum eſt axioma, Qualiſcunque ſit cœtus, cui nomen univerſalis Concilii imponitis, illic Spiritum ſanctum præſidere, ut nihil inde manare queat; niſi cæleſte ac divinum. Interea famelicos, & venalis linguæ monachos præficitis, quos ſpiritus iſte veſter, quem fingitis, auſcultet. Atqui, longis & accuratis diſputationibus agitant illi, quicquid à patribus eſt definiendum: nempe, ita audivi: ſtridulum neſcio quid ipſos rixando, tanquam ranas Ariſtophanis, coaxare: inde confici præclara iſta decreta; quæ deinde Spiritus ſancti reſponſa jactantur. Quid enim diſſimulanter agerem in re notiſſima? Certum eſt, nullam eſſe tam obſcuram ſcholam quæ non præ ſe deſpiciat quicquid eſt Tridenti theologorum. Quid igitur? An eos, ſimulatque locum mutaverint, repentino afflari numine putabimus, acſi Phœbades Delphicam cortinam ſubiiſſent? Nugæ. Nam ſi hodie Pariſienſi Sorbonæ allatum foret, Tridentinos patres ab ipſius decretis, vel uno apiculo diſcrepare, ſtatim, calefactis cerebris, ad prælium concurrerent magiſtri noſtri: nec modo Concilii auctoritatem pro nihilo ducerent, ſed unumquemque nominatim lacerarent atrociſſimis conviciis. Nunc ſi inſulſiſſimis quibuſque

deli-

deliriis album calculum addiderint, ſcholæ omnes Gallicæ, Hiſpanicæ, Germanicæ, Italicæ, certatim applaudent. Quantæ ergo improbitatis eſt, orbi Chriſtiano adorandum obtrudere, quod ipſi intus nihili faciunt?

Agedum tamen, diſputatores illos, qui cudendis placitis inſudant, fingamus non tantum mirabili acumine, doctrinaque excellere, ſed Angelos eſſe recens è cælo delapſos. Tantum præterea abſurdum adverſariis ignoſcamus, Concilium, quod immediato Spiritus afflatu regi faſtuoſe prædicant, à paucis hominibus emendicare, quod orbe univerſo quaſi divinitus allatum iogerat. At ne ſic quidem unciam fidei Tridentina Synòdus obtinebit. Nihil enim illic, niſi ex unius Romani Pontificis nutu, ſtatuitur. Quare, omittant in poſterum iſtas ampullas: Non hominibus, ſed Deo repugnare, qui Concilii placita reſpuit. Illos enim nihil eſſe, niſi organa: hunc Præſidem, qui mentes & linguas Spiritu ſuo moderetur. Si ita eſſet, nimis in Spiritum ſanctum contumelioſos eſſe ipſos dico, cujus reprehenſorem faciunt Papam ſuum, dum ipſius arbitrio cenſuræque ſubjiciunt omnia. Ego de rebus vulgo tritis loquor. Simulatque compoſitum eſt decretum aliquod, Romam volitant curſores: veniam, pacemque expoſcunt à pedibus idoli ſui. Privatis ſuis conſultoribus examinandum tradit ſanctiſſimus pater, quod eſt allatum. Demunt illi, addunt, & mutant quod videtur. Redeunt curſores, Seſſio indicitur. Recitat notarius, quod improbare nemo audeat. Aſini auribus annuunt. En oraculum, quod religione totum mundum obſtringat. Cur non aperte ſatentur quod res eſt? Monachos decem aut viginti, quorum conductas habent operas, decreta conſarcinare, Papam cenſorio ſtylo confodere ſi quid non arridet, cætera comprobare: nihil aliud Concilio reliquum fieri, quam promulgandi onus. Olim quod conſultaverat Romanus Senatus, plebs ſciſcebat. Papa vero ſciſcendi jure minime contentus, ſibi præterea in Synodi conſultis ſumit corrigendum quicquid non adlubeſcit. Nimis quidem ſuperbe, ſi præſidere illic Spiritum ſanctum putat. Nobis vero impune (opinor) contemnere licebit, quod à talibus magiſtris compoſitum, à tali Ariſtarcho correctum eſſe agnoſcimus. Nam Synodi pronunciatio, nihilo plus momenti habere debet, quam auctionarium aliquod præconium.

Sed ne præfando ſim longior, ſi Concilii alicujus placita, firmis verbi Dei teſtimoniis fretus, in controverſiam adducerem, jam mihi probaſſe videor, non eſſe cauſam, cur me ullius temeritatis damnent ſani lectores. Nunc vero, quis mihi, niſi pluſquam fatuus, ſuccenſeat, ſi aſſerendæ veritatis neceſſitate coactus, ſimiam, quamvis purpura ornatum, traducere non dubitavero: ut ſimia, ſicuti eſt, omnibus appareat? Jam abunde monſtravi, Neptunios iſtos patres, nec tam formidabiles eſſe cum ſuo Tridento, quin verbo Dei intrepide flagellare ipſos liceat: nec tam eſſe ſacroſanctos, ut nefas ſit eos attingere. Verum, ut video, ne id quidem agitur. Larvam enim hominum oculis oppoſuit Romanus Pontifex, quæ neminem oculatum fallere queat. Ego ſane, quum ante annos decem paſſim fieret mentio Concilii: atque ita perſuaſum foret, Papam non poſſe jam amplius tergiverſari, quin ſerio pecudes ſuas cogeret: bullæque citatoriæ jam volitarent: primum, indictiones ex bullis natas conjiciebam paulatim in fumum abituras. Nam & alterius bullæ Mantuanæ memineram, quæ ſub Pii ſecundi Pontificato, ex magno tumore ſtatim evanuerat. Verum, ſi tandem cogeretur aliquod Concilium, ita mecum reputabam, omnia facturum eſſe Rom. Pontificem, ut ſplendore aliquo non vulgari ſimplicium oculos perſtringeret. Atque hæc cogitatio, ut verum fatear, me vehementer angebat. Minime hoc dubium erat, quicunque ſeſſum admitterentur ad ſententiam dicendam, eos partim ambitione irretitos, partim excæcatos avaritia, partim rabie accenſos totidem infeſtos ſanæ doctrinæ hoſtes fore, qui ad ſtabiliendam tyrannidem Papatus, arcana inter ſe conjuratione obligati, ad deſtruendum Chriſti regnum incumberent: pauciſſimos fore non tam impio crudelique affectu, ſed tamen nihil virile habentes ad reſiſtendum. Itaque, ſtatuebam, mox, indicta cauſa oppreſſum iri veritatem, ſub tam iniquis judicibus. Etenim ne hoc quidem ſperandum erat ut quiſpiam pius ac cordatus, vel morte ſua, unius horæ audientiam apud eos redimeret. Interea, multis imperitis, quanquam alioqui probis, impoſuiſſet hic fucus: Eccleſiæ definitioni eſſe acquieſcendum. Nunc habenda eſt Papæ gratia, qui talem nobis inſtruxit pompam, quæ pueris quoque ipſis ludibrio futura ſit. Nihil tamen aliud poſtulo à lectoribus, niſi ut, depoſito in utramque partem præjudicio, integri ad hanc diſceptationem accedant. Quod ita demum fiet, ſi oculos à perſonis ad ipſius rei intuitum convertant.

IN PRÆFATIONEM LEGATORUM,

Qua uſi ſunt

PRIMA SESSIONE:

Aliaque Concilii proœmia.

Bene habet. Tandem fatentur Romanenſes, horrendam Eccleſiæ diſſipationem, quam hodie boni omnes lugent, ſibi magna ex parte ferri debere acceptam. Si quis non admodum aſtutus tam ingenuam confeſſionem audiat; protinus aliquid bonæ ſpei concipiet. Exhortationes vero, quæ poſtea ſequuntur, ſtudium non vulgare præ ſe ferunt inſtaurandæ Eccleſiæ. Jam vero pars illa, ubi non alium eſſe admonent, qui lapſis rebus ſubvenire queat, quam unicum Paſtorem Chriſtum: hunc igitur implorandum eſſe unum, huic auſcultandum: feliciter ceſſura omnia, ſi actiones omnes moderetur, illiſque præſideat: alia omnia conſilia, alias artes nihil eſſe, quam rimoſas ciſternas, quæ diffluant: hominum prudentia nihil aliud, quam magis iram Dei provocari, & augeri mala potius, quam ſanari: pars, inquam, illa tota quantam pietatem ſpirat? Sed ex actis, quæ deinde ſequuta ſunt, has fuiſſe voces fruſtra in aërem jactatas, apparet. Imo non expectant ipſi, dum ex actis fiat judicium. Nam in ſalutis doctrina, quam ipſi impiis ſceleratiſque ſuis commentis totam adulterarunt, in Sacramentis, quæ penitus vitiata proſtituunt ad fœdam ac pudendam nundinationem, nihil inveniunt apud ſe corrigendum. Quantulum igitur opis perditis rebus afferunt? Et ſane non eſt quod à Tridenticolis, qui ſub Neptuni auſpiciis militant, quicquam expectemus, niſi aqueum: ubi ſcilicet ſuſcipienda eſt corrigendæ in melius Eccleſiæ cura. Nam ſi adverſus innoxios ſit ſæviendum, & ſancienda piorum ſanguine impia ſua tyrannis, toti mox erunt ignei. Quanquam Neptuni regnum hoc quoque redolet: albentes magno cum ſtridore ſpumas agere: ſed quæ ſuo ipſarum tumore eliſæ, mox flac-

ceſcant. Ergo ſimulac prima fronte ſparſerunt ſuos fumos, non diſſimulanter oſtendunt, quis futurus ſit actionum ſuarum ſtatus, quod ad præcipuum caput attinet: nempe, ut impietates ſuas omnes mordicus retineant: nos, qui nihil quam Chriſtum regnare cupimus, puram Evangelii doctrinam aſſerentes, hæretici judicemur. Sic enim priuſquam ad cognitionem ventum ſit, pronunciant hæreticos eſſe, quicunque contra receptam Eccleſiæ Romanæ doctrinam aliquid movere hoc tempore auſi ſunt. Quid hoc eſt? Totus orbis Chriſtianus Concilium expectabat, in quo juſta de rebus controverſis diſputatio inſtitueretur: iſti ſe non alium in finem ſedere profitentur, niſi ut damnent quicquid non adlubeſcit. Proinde, nemo jam ultro ſe fallat: quando ex ipſorum ore audimus, non, inquirendi cauſa, celebrari hanc Concilii pompam, ſed tantum, ut ſtabiliatur qualecunque fuit illud doctrinæ genus, quo monachi & ſophiſtæ orbem imbuerunt: maneant ritus omnes, quacunque ſuperſtitione obrepſerint: omnes conſcientiarum laquei arctiore nodo ſtringantur. Et adhuc erit quiſpiam tam ſtupidus, qui malorum levationem à Concilio petendam cenſeat? Totam pietatis doctrinam impiis dogmatibus vitiatam eſſe conquerimur: totum Dei cultum fœdis ac pudendis ſuperſtitionibus vitiatum: puram Sacramentorum inſtitutionem horrendis ſacrilegiis mutatam eſſe: eorum uſum ad profanas nundinationes converſum: miſeras animas, quæ regi Chriſti doctrina debuerant, crudeli ſervitute teneri oppreſſas: nihil in Chriſtiana Eccleſia ſpectari, niſi deforme ac fœdatum: Chriſti gratiam non modo jacere ſemiſepultam, ſed partim laceratam in fruſta, partim extinctam penitus eſſe. Quod juſtæ porro ſint noſtræ querimoniæ, jam tot annos, & libris editis, & quotidianis concionibus palam facimus: parati etiam ſumus, ubicunque data fuerit loquendi copia, planum facere. Ea enim eſt cauſæ noſtræ bonitas, ut lucem minime reformidet. Ac multæ quidem ſunt hominum myriades, quibus hoc jam certo perſuaſum eſt: ut non aliam inquiſitionem deſiderent. Sed tamen, ne ſublatis diſſidiis in ſanctam concordiam iterum Chriſtianus orbis coaleſcat, Synodus indicitur. An non diſcutiendæ prius erant controverſiæ, quam ſibi vel aliis præjudicarent? At nihil tale admittunt: quin potius ſi quis pilum ex eorum inſtitutis convellere tentaverit, eum jam pro damnato habent.

En ſpecioſa reformatio, cujus promiſſione hactenus mundum lactarunt: tot idololatriæ portenta, quibus deformata eſt Eccleſia Dei, tot ſuperſtitionum inquinamenta, tot ſacrorum profanationes, tantam errorum colluviem non attingere: nihil minuere de tyrannico legum impiarum jugo, quibus illaqueatæ ſunt miſeræ conſcientiæ: ſed hæreticos judicare, qui novari aliquid cupiunt. Ubi illa audientia, quam ſibi multi nimium ſimplices pollicebantur? Quod ſi qua eorum animos tangeret religio, imo ſi quem omnino Deum eſſe putarent, an tanta ſecuritate res tanti momenti, quaſi per jocum, tranſilirent? Agitur Dei gloria, æternum Chriſti regnum, totius Eccleſiæ ſalus. Coguntur, ut aliquouſque communibus Chriſtiani populi votis morem gerant, Concilium habere. Præfantur tamen, ideo ſe veniſſe, ut ſpem emendationis præcidant. Tantundem enim valent eorum verba, acſi plane ac diſerte negarent, fore in poſterum melius. Neque tamen ſic agendo, quicquam alienum deſignant ſua perſona: nihil enim in pietatis everſione, aut ſacrorum corruptelis deplorant hodie boni omnes, cujus non illi, qui ad judicandum ſedent, culpam ſuſtineant. Miramur ergo, ſi ipſi, dum rei aguntur, ſecundum ſe protinus, intacta cauſa, ferunt ſententiam? Sed hoc pluſquam abſurdum eſt, judicandi poteſtatem iis permitti, quorum crimen in judicium adducitur. Et tamen, quid aliud proficiunt, niſi ut agnoſcant oculati omnes, ſcelerum eos minime pœnitere, dum pertinaciter defendunt quicquid in illis accuſamus? Neque enim efficient, ut rata ſit eorum impietas, quia ſunt ipſi obſtinati.

Quæret nunc quiſpiam: Quem igitur Concilii fructum oſtentant? Nempe, ut compoſitis inter Principes Chriſtianos bellis, tranquillam reddant Eccleſiam. Nugæ. Quis enim neſcit, Romanenſes flabella eſſe concitandis bellorum motibus, quocunque eorum afflatus penetraverit? Reſtat igitur, ut collapſam morum diſciplinam, præſertim in ſuo clero, reſtituant. Quam fideliter autem incubuerint in hanc partem, ex actis liquet. Viam enim illic patefaciunt, ut videbimus, qua liceat in poſterum, quod ſemper licuit. Ne tamen nihil actum fuiſſe quis putet tam ſumptuoſo apparatu, erit forte in pileis, & calceis, reliquoque veſtitu aliqua reformatio. Hunc in modum quum Deo & hominibus illudant, non pudet eos Prophetarum induere perſonas: ut tres Antichriſti legatos, dicas tres eſſe illos interceſſores, de quibus loquitur Ezechiel, qui ad iram Dei placandam, primi omnium ſe opponant. Commemorant humilem peccatorum confeſſionem: commemorant gemitus & lachrymas, pœnitentiæ ſigna. Vix à riſu abſtinuiſſe puto, quum lector ab ipſis ſubornatus hæc recitaret. Quanquam dum hiſtriones agere volunt, vox illis una interim excidit, quæ mihi inſtar vaticinii cæleſtis videtur habenda. Quid enim prohibet, quominus, ut olim Caiphas, ita nunc quoque prophetent Chriſti hoſtes? Spiritum ſanctum ſibi non adeſſe affirmant, niſi ſe ipſi accuſent: negant etiam adfuturum, quamdiu recuſabunt peccata ſua audire. Oraculum accipio. Mentiontur quidem poſtea, ſe fletus videre, ut Conventum ſuum ornent. Sed quum res ipſa clamet, obſtinatos ſedere, ad ſtabiliendum impietatis regnum, credamus eorum vaticinio nihil minus, quam à Spiritu Dei ipſos gubernari. Et quis non videat arcano Dei impulſu, quaſi adhibita quæſtione, coactos fuiſſe præter animi ſui affectum ad hanc confeſſionem? Teſtis ab ipſis advocatur Ezechiel: qui Deum reſponſa daturum negat populo, niſi ſuas patrumque ſuorum abominationes prius agnoverint. Ubi talis apud ipſos agnitio? Sileant igitur: aut fateantur ſe temere cerebri ſui figmenta proferre. Quod ſi nondum hoc omnibus perſuadeo: meminerint ſaltem lectores, quum ad ipſam rerum tractationem ventum erit, judicium ex ipſa veritate faciendum eſſe, an à Spiritus ſancti afflatu prodierint ipſorum decreta. Antehac reſponſa Dei, ſine exceptione eſſe jactabant, quæcunque Synodo placuiſſent: nunc vero hanc illis vocem, tanquam maleficis in aculeo, Deus extorſit: hac nota diſcerni oportere, numquid ſuæ Synodo præſideat Dei Spiritus, ſi ſuis patrumque abominationibus damnatis, ad veram reſipiſcentiam converſi fuerint. Quiſquis ſponte falli non volet, ad hanc regulam examinet quæ poſtea ſequentur decreta. Niſi luce clarius oſtendero, nihilo plus in illis fuiſſe reſipiſcentiæ, quam in Iſraëlitarum peſſimis, habeant ſane quod poſtulant, Dei non hominum eſſe vocem. Ergo, ut libet, cum Eſra, Nehemia, & reliquis populi veteris Ducibus, ſuam catervam conferant; ſua & populi peccata, cum ſpiritu mœroris, ſe ſatis abunde deflere, per os lectoris dicant: ſit, inquam, illis impunita hæc licentia, ut ſanctis Dei miniſtris tam atrocem contumeliam inurant, illos cum impuro porcorum grege comparando: & ſiccis oculis, lachrymas ſuas impudenter jactent: quid enim ipſis non liceat? & tamen lectoribus non eripient hanc libertatem, quominus ex re ipſa fiat æſtimatio potius, quam ex verbis. Id vero perquam ridiculum, quod poſtquam ſe abunde in ſpiritu mœroris ſua peccata deflere prædicarunt,

poſtea

poſtea ſe & alios hortantur, ut lacbrymarum ſontes aperiant. Obliviosſum ſane rbetorem fuiſſe oportet, qui hanc illis declamationem compoſuit. Et quid ſi ipſos ludibrio, ut digni ſunt, exponere voluerit? Fieri quidem poteſt, ſed rem nihil ad me pertinentem omitto.

Piget ſingula perſequi, neque opus eſt: nam ita laudes exbortationibus permiſcent, ut nihil ſit in utriſque niſi fictum, & ſimpliciter falſum. Quod Eccleſias noſtras accuſant, quia paſtoribus expulſis, laicos in eorum locum ſubſtituerint, ordines confuderint, Eccleſiaſtica bona diripuerint, curſum verbi Dei impedivetint, prompta eſt ac expedita ad tales criminationes reſponſio. Initio, paſtores nominant, quos fugatos eſſe conqueruntur. Quousque autem titulo hoc ſe vendirabunt, qui, præter argentei pedi inſigne, nibil paſtorale habent? Ordinum confuſio quam deplorant, nihil aliud eſt, quam modica diſciplinæ reſtitutio. Sacroſanctos enim ſe haberi volunt, jure unctionis. Hoc privilegio muniti, ſua vitia attingi ſas eſſe negant. Quare, modo liceant illis omnia, nihil erit non rite ordinatum. Si violatur ſacer ordo, perinde confuſa ſunt omnia, eorum quidem judicio, acſi cælum rueret. De bonorum direptione, utinam noſtris bominibus tam parata eſſet ſatisſactio coram Deo, quam ingenua veraque adverſus illos defenſio nobis conſtat. Otioſis ventribus ademptas fuiſſe facultates, quas ingurgitabant, fateor. Videamus, an Eccleſiæ ereptum quicquam fuerit. Conſtat certe à prædonibus fuiſſe occupatum, quod venerandi Legati, Eccleſiæ nunc voce ſua dedicant. Conſtat, non ad farciendam modo eorum ingluviem ſuiſſe inſumptum, ſed in ſcortationes, aleam, ſaltationes impudicas, & ſumptus nihilo honeſtiores turpiter dilapidatum fuiſſe. Pauperes negligebantur. A ſcbolarum magiſtris potius aliquid emungebant, quam ut ſtipendiis eos juvarent. Nunc vero ſi nondum tam pura eſt ſanctaque adminiſtratio, quam optandum eſſet, pii ſaltem Paſtores aluntur, qui ſalutis doctrina paſcant animas: aliquid in ſcbolas impenditur: in pauperes erogatur plus decuplo, quam babere ſolerent: confertur etiam nonnulla portio in alios uſus, nec profanos, nec reprehenſioni obnoxios. En cur direptionis inſimulent noſtros homines. Sed quid de impedito verbi Dei curſu dicturus ſum? Graviſſimum eſt crimen. Prorſus bæreo. Vos, ô nefarii, veræ doctrinæ extinctores, ſacrilegium, cujus rei eſtis coram Deo, & Angelis ipſius, totoque mundo, nobis audetis imputare? Neque tamen ſic in tali cœtu loquutos eſſe miror: ubi nibil ſciebant futurum plauſibile, niſi quod nequiter dictum foret.

Sed enim acceſſerunt alii monitores, quibus curæ ſuit emendare, ſi quid vel omiſſum, vel peccatum ſuerat à Legatis. Extant aliquot orationes à monachis habitæ, quos credibile eſt veluti canales fuiſſe, quibus in ora patrum influxit Spiritus ſanctus. Una etiam Epiſcopi neſcio cujus, qua nihil poteſt ineptius omnino fingi. Hæc porro omnium eſt ſumma: nos brevibus decretis obruendos eſſe: quia fixum manere oporteat, nibil in ſua doctrina, antequam prodirent noſtri, fuiſſe, niſi probum ac ſincerum. Quia Dominum Jeſaias murum, & antemurale Jeroſolymæ ſore promittit, Sotus quidam (quod nomen bardum, ac ſatuum ſonat lingua Gallica) duplex Eccleſiæ munimentum excogitat: ex divinis & humanis legibus. Et in hoc tam ſtulto commento perinde exultat, acſi magnificum de nobis triumphum ageret. Egone in exagitanda hac beſtia, perderem operam, & tempus? Atqui, mihi plus ſatis eſt, rem digito breviter indicaſſe. Quia muro & vallo muniuntur urbes: Dominus ſe unum pro utroque fore denunciat. Soti autem interpretatio vallum ad bumanas leges transfert: nec aliter reſtitui poſſe Eccleſiæ ruinas docet, quam ſi interruptio à nobis facta ſarciatur.

Alter quoque nomine Marinarius, ex culina Carmelitana fumos exhalat, nos libertatem Euangelicam omne genus corruptelis prætexere. Atque ut aliquid elegantiæ aſpergeret ſuæ orationi, exclamat: O cœnum! ô labes! Tametſi nihil habeant frontis, negare tamen non audebunt, quin major apud ſe graſſetur vitiorum licentia. Plus certe apud nos eſſe veræ caſtæque ſeveritatis, & arctioris diſciplinæ, teſtes ſunt quotidianæ noſtræ conciones. Et tamen bunc canem è cœno ſœtidi clauſtri emerſum, nihil pudet ita nobis oblatrare. Atqui votis abrogatis, refracto cælibatu, ſacris precibus contemptis, calcatis jejuniis, rejectis patrum inſtitutionibus, arripuimus occaſionem peccandi, quaſi vitæ ducem. Qualis igitur Apoſtolorum fuit vita? quibus ignotus fuit cælibatus, pro quo dimicant Papiſtæ: ſub quibus nulla fuit unquam votorum mentio: qui nullam in ciborum delectu neceſſitatem impoſuerunt conſcientiis: qui contenti ea regula, quam Dominus præſcripſerat, nullos unquam legum aut traditionum laqueos injicere tentarunt. Nihil enim in nobis calumniatur, cujus non idem nobiſcum crimen ſuſtineant Apoſtoli. Quæ votorum genera improbemus, ex ſcriptis noſtris conſtat. Quantam ſpurcitiarum colluviem orbi univerſo intulerit eorum cælibatus, quem ſancto conjugio mutatum cupimus, utinam minus eſſet notum. Cælibatum in junioribus viduis ut olim Paulus reprebenderet, boc argumento adductus fuit, quia quædam ad Satanam deſecerant. Hodie plus eſſe in clauſtris monacborum & monialium obſcœnitatis, quam in ullis lupanaribus, ſatis compertum eſt. Quocunque penetrant ſacrifici, ſignum aliquod ſuæ impudicitiæ impreſſum relinquunt. Quaſi in hunc ſolum finem probibiti ſint à conjugio, ut libidinem ſuam ubivis profundant. Et tot experimenta non tantum apud nos valebunt, ut illis cælibatus neceſſitas remittatur? Chriſtiana jejunia, & ſacras preces à nobis damnari, improbe mentitur. Sed ideo ſecure facit, quia ſciebat tanto ſe majori cum plauſu facturum, quanto petulantior, in nos debacchando, foret. Et interim bonus Euangelicæ libertatis vindex, ejus fructus, ſolatia, delicias, & fomenta vocat quicquid ſervilium eſt ſuperſtitionum in Papatu. Mirum cur non cælirum quoque nectar & ambroſiam appellaverit. Quid hac pecude facias? Paulus Chriſtianæ libertatis partem in libera rerum indifferentium uſurpatione poſitam eſſe docet: & quanquam externum uſum charitati ſubjicit, ut decet, conſcientias tamen nullo vinculo patitur adſtringi: ac ſedulo admonet, cavendum eſſe jugum ſervitutis, ne eo implicemur. Hic lepidus Veneris frater (nam ex mari ambo nomen habent) ſalvam fore negat libertatem, niſi infinitis ceremoniarum, legumque cumulis obruatur: tandem exclamat, probatas nos Patrum ſententias, Sacramenta, Sanctorum bonores, & quicquid ſacri eſt, execrari. His figmentis ſolebant antebac plebeculas rerum omnium inſcias in nos inflammare: nunc judicare promptum eſt, quam alii de aliis opinionem mutuo habeant, quum ex tam illiberali mentiendi licentia, plauſum captant in ſacerrimo ſuo Conſeſſu. Qua in re, obſecro, minuimus Sanctorum honores, niſi quod idola fieri vetuimus? An hoc eſt bonore Sanctos afficere, ereptum Deo honorem in ipſos transferre, ut cum Deo promiſcue colantur? Id apud ſe fieri negabunt, quia latriæ, & duliæ vocabulis adhibetur diſcrimen. Egregia ſcilicet cavendæ idololatriæ ratio, quum duabus voculis prorſus ſimiles cultus, tanquam equos in eodem ſtabulo longuriis diſtinguunt: & interim Sanctos indifferenter cum Deo coli permittunt. Quid paſſim in populo Iſraëlitico damnant Prophetæ? niſi quod ſuffitum adoleat ſuis idolis, quod ſacras epulas in-

ſtruat, ornet donariis, ſacella dicet, coram illis ſe proſternat? In his omnibus Iſraëlitas ſuperant Papiſtæ. Nam mortuis ſimulachris mortuorum lampades ac cereas accendunt, ſuffitum aſpergunt, ſolennibus epulis celebrant eorum memoriam, altaribus imponunt, oblationibus proſequuntur, circumferunt hnmeris in pompa, longas ad ea viſenda peregrinationes ſuſcipiunt, coram illis proſtrati adorant, ſimul & orant. Quin etiam mulierculæ & idiotæ fere omnes, in orando Hugone, vel Lubino, non alia precandi forma utuntur, quam quæ nobis tradita eſt à Filio Dei. Ita ligni truncus, erit ille cæleſtis Pater. Tam horrendis ſacrilegiis adeo ſe nemo opponit, ut occinant ſacrifici & monachi, Euge, euge. Et nobis magni criminis loco objicitur, quod ſacroſanctum Dei cultum ſtuduimus à tot profanationibus repurgare. Hinc nominamur ſacrorum omnium hoſtes. Neque tamen qnicquam nobis accidit novi: quum idem & Prophetæ, & Apoſtoli audierint. Alia convitia non attingo, quæ ipſa rerum tractatione melius diſcutientur. Niſi quod unum prætermitti non debet: nos nihil moliri aliud, niſi ut veteris & Apoſtolicæ Eccleſiæ prætextu, carnalem veteris Adæ filiam, Satanæque ſponſam erigamus: piæ reformationis loco, Chriſtianæ Reip. perturbationem, vitiorumque omnium licentiam ingeramus. Atque ut omnem defenſionem nobis præcidat: hoc totum addit, eventu jam compertum eſſe. Qualem Eccleſiam votis optemus, Deus quidem præcipue novit, ac nobis teſtis eſt: ſed plurima etiam documenta mundo abunde teſtatum faciunt. Non aliunde certe, quam ex doctrina, & ex re ipſa judicium verius ac rectius fieri poteſt. Noſtra cum illorum ſcriptis conferat quiſquis volet: tum ad rei inſpectionem oculos convertat: nihil dico amplins, niſi mox planum fore, quam juſtis de cauſis Eccleſiæ defleamus interitum & collapſum ejns ſtatum reſtitui flagitemus: in præſcribenda autem ratione, quam nihil admiſceamus carnalis vel prudentiæ, vel ſtudii: ſed noſtros omnes ſenſus, noſtra conſilia, ſtudia, conatus referamus ad veram & unicam regulam. Quid porro tota eorum hierarchia, quam faſtuoſe prædicant, conſentaneum vel affine habet Chriſti & Apoſtolorum gubernationi? Imo quid non penitus adverſum? Sed ignoſcendum eſt Marinario, qui dum ora patrum Tridentinorum intuetur, admiratione tanti ſplendoris raptus, Chriſtum ſe videre & audire putat. Ita nihil mirum, ſi turbidas ſpumas pro verbis, eſtaticus homo evomat. Vos, inquit, patres dum contemplor Eccleſiaſtica dignitate præeminentes, omnique doctrinæ genere inſignes, vos mundi lumina & decora, Chriſtum videre videor ſuper aquas ambulantem, eundemque audire dicentem: Confidite, ego ſum. Hæc cauſa eſt ſcilicet, cur in nos tam atrociter invehatur, quia divinum illum Synodi Tridentinæ ſplendorem, ad quem obſtupeſcit, nihilo pluris facimns, quam puerile aliquod ludicrum. Ego autem tam ſordidam adulationem quibus verbis inſecter? Quanquam vix, in Carmelitæ perſona inſectatione digna eſt: quando jam pridem aſſuefactus eſt orbis, ne quid ingenuitatis in ejuſmodi mendicabulis requirat.

Inflat deinde ſuam buccinam Ambroſius Catharinus, ex ordine Dominicanorum, vetus ille Lutheri antagoniſta: quem ego putabam ante annos viginti pudore confuſum, in obſcuras latebras ſe abdidiſſe. Tanto enim dedecore à Luthero, novitio adhuc milite, proſtratus fuerat, tam fuerat turpiter ordinum omnium conſenſu, exſibilatus, ut prodire in hominum conſpectum, ſi ſaperet, nunquam debuerit. Nnnc autem, ut video, bulla Concilii publicata, quaſi edicto Jubilæo excitatus, tanquam novus homo, in lucem rurſus prodit: idem tamen eſt qui prius erat. Ergo qui Catharini inſulſitates aliquando legerunt, neſcirent putridum illud cadaver adhuc ſpirare, niſi concionem in Synodo habitam legerent, ubi Chriſti mater fideliſſima ejus ſocia vocatur, & aſſidere fingitur ejus throno, ut gratiam nobis impetret. Multi antehac, impudentiæ ſuæ frena laxarunt. Sed qui ſociam Chriſti nominaret, dum fictitiis titulis volunt ornare ſanctam Virginem, inventum puto neminem fuiſſe. Et vocem adeo ſacrilegam in tali Conſeſſu prolatam, & exceptam non parvo favore, poſteritas nunquam crediſiſſet, niſi ab illis publicata fuiſſet oratio. Quid enim eſt Chriſtum lacerare, ſi hoc non eſt? Proinde, quod à Deo nobis advocatum fuiſſe datam commemorat, perinde loquitur, acſi quod de Chriſto prædicant Apoſtoli, in illam dimidia ex parte competeret. Et ſe audet Simeoni comparare hoc ſilicernium: quum ille venerandus ſenex, in unicum Dei ſalutare, etiam nondum revelatum, toto animo intentus fuerit: huic autem Chriſtus unus ſit ex turba advocatorum. Poſtquam ordinem in cælo tam concinnum ſtatuit, ad terrenam hierarchiam delabitur: & alienum eſſe à Chriſti corpore pronunciat, quiſquis recuſat Paulo tertio ſubeſſe. Quid? Etiamne ſi inter impios tanquam diabolus quiſpiam, tenebit principatum? Fieri, inquit, aliter non poteſt, quin Chriſti ſit vicarius, qui Rom. ſedem occupat. Nondum pudet iſtos nugatores tam futilibus næniis ludere, quas ſciunt, ad tædium uſque fuiſſe millies refutatas. Quo tempore adhuc Romæ erat Eccleſia & Epiſcopatus, mentio primatus, qualem nunc ſibi arrogant Romanenſes, nulla fuit. Unius enim Chriſti eſt univerſalis Epiſcopatus, cujus partem in ſolidum ſinguli ſibi paſtores vendicant: ut eſt apud Cyprianum. Hæc vero appellatio ſi in hominem conferatur, Gregorins ſacrilegam, & nefariam, & ſceleſtam, prænunciamque Antichriſti fore, paſſim teſtatur. Quid? An à corpore reſecti erant Aphricani, quum ne primi quidem aut ſummi Epiſcopi titulum Romano concederent? An ab Eccleſiæ communione ſe abdicabat Cyprianus, quum Stephanum Rom. Epiſcopum non modo cogebat in ordinem, ut ſe docilem ſuis collegis præberet: ſed erroris, inſcitiæ, & præfractæ obſtinationis illum damnabat? An faciendæ à Chriſti grege diſceſſionis auctor erat Hieronymus, quum ſuperbia divitiarum, vel paupertatis humilitate ſuperiorem vel inferiorem Epiſcopum fieri negaret: ſive Romanns eſſet, ſive Eugubinus? Sed enim ut nobis annuentibus, in tertium cælum evehatur Rom. ſedes: quam ridiculum eſt, Primatem Epiſcoporum facere, qui Epiſcopo non magis eſt ſimilis, quam lupus agno? Parum eſt, nihil in eo cerni Epiſcopale: verum quum ſit profeſſus Chriſti & Eccleſiæ hoſtis, etiamne Chriſti vicarium agnoſcemus? Quanquam has diſputationes longius protrahere, non eſt præſentis inſtituti. Et ex ſcriptis noſtris petere ſatius eſt, quæ ad hanc rem faciunt. Et ipſa Catharini verba nos admonent, diutius non eſſe hic immorandum. Nam ſimulatque pejeravit, ſe minime gratiam, adulando, aucupari, continuo ſubjicit: Sed ad rem. Quo verbo innuit, ſe extra rem evagatum, & abs re loquutum eſſe. Ad rem vero ut nos reducat, nulla ſpes eſt, niſi prius ad ſanam mentem redeat.

Si leonem ab unguibus æſtimare placet: jam habent lectores, quid de Tridentino Concilio ſentire debeant. Nam credibile eſt ex monachis, qui affuerunt, hos, quibus potiſſimum datus eſt declamitandi locus, habitos fuiſſe primarios, & quaſi ſelectum florem. Eoſdem ergo ſciamus eſſe, ex quorum ingenio prodierunt decreta: qui patribus cornutis dictarunt, quod tacito nutu, quaſi mutæ perſonæ, approbarent. Quo recidimus? Ut pro divinis oraculis habenda ſint quæcunque talibus beſtiis libuerit, obſtrepera voce, in aliorum aures demurmurare? Quanquam non ſum adeo rerum ignarus, ut credam orationes, quæ iſtorum nomine editæ ſunt, qualeſcunque ſint, ab ipſis fuiſſe compoſitas. Habent enim

ſuos

ſuos logodædalos, quibus ſuas inſulſitates, ne riſum pueris moveant, aliquo verborum colore fucandas tradunt. Sed fingamus nibil eſſe, quod non induſtria ſua limaverint: id tamen in magno lucro ponendum eſt, tale extare ſpecimen, in quo formidabilis illa Papatus ſapientia appareat.

Nec vero prætereundus eſt Epiſcopus neſcio quis, Cornelius nomine, qui ut ſuperiores omnes dignitate, ita & ſtultitia longe ſuperat. Si quid alias grave eſſet, aut ſerium in actionibus Synodi, buic diceres attributas eſſe morionis partes in fabula: ſed quia dubium non eſt, quin delectus fuerit hic unus inter Epiſcopos, in quo totus ordo ſua decora oſtentaret: niſi eos ſui pigeat jam ac pudeat, vehementer me ipſorum miſeret. Unum eſt, quod illis perſtringere queat oculos, quod floſculos omnes undique collegit: imo quicquid unquam elegantiæ didicerat, ſedulo in ſuam orationem infercit, ut ſe pro diſerto venditaret. Ac per me ſane licebit, ut ſe putet diſertiſſimum, ſuiſque talis videatur. Ciceroni quidem valde familiarem fuiſſe oportet, ex quo tanta fiducia laceras ſententias mutuatur: ex quibus ſuam orationem male conſarcinet. Verum, ut ſcurrili more ludendo, emendicatam illam ſuam garrulitatem ad opprimendum Chriſti regnum contorqueat, & Scripturam pro libidine profanet, id vero nullo modo ferendum. Quoniam ſingula notare infiniti eſſet operis, guſtum ex pancis capiant lectores. Poſtquam hilaris orator triplici gaudio perfudit auditorium, ſibi & ſociis gratulatur, quod oculis jam videant, & manibus tangant beatam illam ſpem, quam multi videre quum cuperent, non potuerunt. Quod partim de priore Chriſti in mundum adventu, partim de ultima revelatione, quam adhuc expectamus, dictum eſt, quis pius ſine ſtomacho audiat ab iſto inſano ad Tridentinam colluviem transferri? Et ne quid ad impudentiæ cumulum deeſſet, tertium membrum ex 11. ad Hebræos cap. de ultima fidelium perfectione aſſuit. Poſt hæc præludia, quid non ſibi licitum putaret? Itaque non dubitat Chriſtum nudare, ut ejus ſpoliis Papam ſuum ornet. Papa, inquit, lux venit in mundum. Os ſacrilegum, tune ſacroſancto illo elogio, quod non niſi in Filium Dei competebat, fœtidum illud tuum monſtrum commendabis? Si quem eſſe Deum crederes, annon ipſe nefariæ vocis ſonitus te ſubito horrore perculiſſet, ac reddidiſſet attonitum? An ſi quis in præclara illa Synodo fuiſſet pietatis ſenſus, tanta non modo Scripturæ profanatio, ſed in Filium Dei contumelia non omnes iracundia inflammaſſet? Et adhuc Spititum ſanctum jactabunt præſidere, ubi Redemptor noſter ita impune illuditur? Quid enim illo honore magis Chriſto proprium? ut Euangeliſta nominatim Baptiſtam, vel potius ſub ejus nomine univerſos mortales ipſos excludens, illi uni aſſerat. Illic autem clamat, Filium Dei lucem noſtram è cælo apparuiſſe. Ejuſmodi eſt ſententia, quæ excitare pios omnes animos ad ſummam reverentiam debeat. Excipitur autem à Synodo quaſi ludierum aliquod dicterium. An ſatis pro indignitate, exagitari poſſet tanta impietas? Sed bene eſt, quod non multis verbis indigent lectores, ut eam ſuo pondere examinent. Quamobrem & reliqua omnia leviter percurram. Quum in laudes Pauli tertii erumpit, dicas eum ex pleno fonte hauſiſſe quod profert: tantum eſt verborum profluvium. Fortiſſimus, inquit, & optimus poſt hominum memoriam: quem gentium omnium linguæ celebrabunt: de cujus laudibus nulla unquam ætas conticeſcet. Legerat hæc apud Ciceronem. Eleganter putavit dicta eſſe, ut ſunt: modo apte accommodentur. Sed quam bene quadrent Paulo tertio, teſtes ſint eorum conſcientiæ, qui vel ejus tyrannidi ſunt addictiſſimi. Ineptus nimium ſim, ſi ſingula encomia perſequar quibus detonandis hic nugator guttur ſuum exercet. Poſtquam mirabili Dei providentia conſervatum fuiſſe dixit, ut fide, ſapientia, poteſtate ſua nos bearet, jubet venerandos patres, tripudiantium more, exclamare: Vivat ſanctiſſimus, Vivat œcumenicus, Vivat Apoſtolicus. O bone patercule, quanto præſtaret te ſanum eſſe, quam non mortuo ſolum, ſed exitiali peſtiferoque monſtro occinere illud tuum Vivat! Nam quod poſtea cælo dignum prædicas, neſcio an intelligas quod omnes judicant: terra eſſe indignum. Sed in eo vehementer errasti, quod procul à cælo debueras ſuam illi ſtationem aſſignare. De reliqua laudum congerie, quibus idolum ſuum onerat lepidus encomiaſtes, hoc tantum babeo quod dicam. Vetus forte proverbium audierat: Dulcis cantilena, laus. Non animadvertit, quorſum ſpectaret. Itaque, ut ſuavis orator videretur, totum ſe in laudes profudit. Inde tranſit ad Synodum: & ex tribus Legatis unum facit cæleſtem. Cardinalem ſcilicet à monte, quem omnes truculento ingenio, feriſque moribus eſſe norunt: ſecundum, Chriſtianæ politiæ ſeverum exactorem, qui utinam à ſuo cubiculo inciperet: tertium, Angelum: qui utinam ambitionem, præcipuam carnis partem, exuiſſet. Tandem illi Concilium eſt nova Jeruſalem: & quid non? Hoc ſcilicet profectum eſt gravi illa obteſtatione, qua uſi fuerant Legati, ne quiſpiam laudaretur. Verum, illud perquam facetum, quod quum hæc omnia dicturus eſſet, indignationem ſuorum deprecatur. Nemo, inquit, veſtrum mihi ſuccenſeat. Nam meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis. Immites ſane, & formidabiles eſſe beſtias oportet, ſi tam blandis palpationibus irritantur. Quid enim facerent durius laceſſitæ? Poſtea quaſi placatis illis, ſecurus exultat. Venimus, vidimus, vicimus. Potuit hoc quidem jactare Cæſar. Sed quam ridiculi ſunt iſti pæanes in umbra vallis Tridentinæ, extra hoſtis conſpectum? Velim enim ſcire quid viderint, ut vincerent. Periculum eſt, ne me calumniari excipiat: quum ratio mox ſequatur, apertis Concilii foribus, apertas eſſe fores cæli: nempe, niſi omnibus palam eſſet, quantum inter Concilium & cælum interſit. Sed homini deliro concedendum eſt, ſi extra metas vagatur. Proinde ſibi gratulatur, reſtitutam eſſe Eccleſiam, quæ jam ad interitum inclinaverat, niſi nova lux Dei, & ejus qui ad Deum proxime accedit, Pauli tertii oblata eſſet. Quid? etiamne Angelis, etiamne Prophetis, & Apoſtolis ſuperior eſt Paulus? Video quid ſit. Legerat Ciceronem (quem paulo deterius imitatur, quam hominem ſimia) populo Rom. ſic aliquando fuiſſe adulatum. Tam bellum dicterium perdere noluit. Sed interim, quæ pia mens non talem blaſphemiam execretur?

Quis Spiritum Synodo abeſſe neget, quem talibus flabellis videmus excitari? Quanquam Epiſcopulus, de ſanctiſſimi Pauli & patrum clementia, magnifice concionatur. Prædicat enim Paulum ſui oblitum, noſtri memorem, nihil niſi humanum & paternum meditari. Atque hoc quidem ſperabimus; adeo manſuetum eſſe Pauli animum, ubi ipſum ſui oblitum eſſe apparuerit. Fucus tamen iſte aliquanto eſt tolerabilior, quam crudele incitamentum rhetoris, non dico cujus, (nomen enim, honoris cauſa, taceo) qui forte veritus, ne ſcribendis ſanguinariis decretis parum audaces forent Tridentini, eos ad audendum hortatur: & ſimulatque juſſerint, paratas fore carnificum manus promittit. Itane vero ut tu, qui neſcius non es, indignis modis tractari innoxios: & qui potius, ſi quem haberes conſcientiæ ſenſum, caput tuum opponere debueras, acuere ad ſævitiam non dubites, qui jam toti ardent immani ac belluina rabie? Adeone ſenſus omnes tuos profanavit aër Italicus, ut non cogites Filium Dei, cujus agitur cauſa, juſtum aliquando fore judicem? An oblitus es, quanti regnum ſuum faciat, quod Euangelii prædicatione continetur? An memoria non tenes, quam ſeve-

Digitized by Google

ſeverum ſe, vel imminutæ Patris gloriæ vindicem denunciet? Quibus eloquentiæ picturis horribiles illas minas delebis, quibus adverſus perfidam ſimulationem fulminat? Quæ tanta amentia te excæcavit, ut calcare pedibus ſacrum martyrum ſanguinem non verearis, quem ſibi non fruſtra aſſerit eſſe pretioſum? Una denique iſta vox tibi horrorem non incutit? *Jeſa. 5.* Væ qui mentiuntur lucem eſſe tenebras. Ego vero tua cauſa totus expaveſco, dum formidabilem illam ultionem mente concipio, quæ te brevi manet, niſi in viam redeas. Atque ideo tibi non parco, ut Deus parcat: ſed ita eſt profecto, meretricias tandem rhetorum linguas fieri oportet, ubi ſemel meritoriæ eſſe cœperunt. Quod ſi illi ad maledicendum ſunt diſerti, nos ad reprimendam eorum virulentiam, mutos eſſe non convenit. Turpis enim ignaviæ eſſet, dum martyrum memoriam (quam, ut inter pios benedicta eſſet, ore ſuo Dominus conſecravit) quibus poſſunt probris lacerant, nos diſſimulando, id pati: perfidiæ vero nimis flagitioſæ, dum æternam Dei veritatem (cujus defenſio nobis tantopere commendatur) infamant, nos tacendo, velut eam prodere. Sed jam ad ſecundæ Seſſionis decretum, tanquam ad primum fabulæ actum veniamus.

DECRETUM PUBLICATUM
IN
SECUNDA SESSIONE
SACRI CONCILII TRIDENTINI,
Die 7. Januarii, 1546.

SAcroſancta Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, agnoſcens cum beato Jacobo Apoſtolo, quod omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, qui iis qui poſtulant à ſe ſapientiam, dat omnibus affluenter, & non improperat eis: & ſimul ſciens, quod initium ſapientiæ, timor Domini: ſtatuit & decrevit, omnes & ſingulos Chriſti fideles, in civitate Tridentina congregatos, exhortandos eſſe, prout exhortatur, ut ſe à malis & peccatis hactenus commiſſis emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare, & deſideria carnis non perficere, orationibus inſtare, ſæpius confiteri, Eucharistiæ ſacramentum ſumere, Eccleſias frequentare, præcepta denique Dominica (quantum quiſque poterit) adimplere, necnon quotidie pro pace Principum Chriſtianorum, ac unitate Eccleſiæ, privatim orare velint. Epiſcopos vero, & quoſcunque alios in ordine ſacerdotali conſtitutos, œcumenicum Concilium in ea civitate concelebrantes, ut aſſidue Dei laudibus incumbere, hoſtias, laudes, & preces offerre, ſacrificium Miſſæ quolibet ſaltem die Dominico (in quo Deus lucem condidit, & à mortuis reſurrexit, ac Spiritum ſanctum in diſcipulos infudit) peragere ſatagant: facientes, ſicut idem Spiritus ſanctus per Apoſtolum præcipit, obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro ſanctiſſimo D. N. Papa, pro Imperatore, pro Regibus, & cæteris qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ac pro omnibus hominibus: ut quietam, & tranquillam vitam agamus, pace fruamur, & fidei incrementum videamus. Præterea hortatur ut jejunent, ſaltem ſingulis ſextis feriis, in memoriam paſſionis Domini, & eleemoſynas pauperibus erogent. In Eccleſia autem cathedrali, ſingulis quintis feriis, celebretur Miſſa de Spiritu ſancto, cum litaniis, & aliis orationibus ad hoc inſtitutis. In aliis vero Eccleſiis, eadem die dicantur, ad minus litaniæ, & orationes. Tempore autem quo ſacra peraguntur, colloquutiones & confabulationes non fiant: ſed ore & animo, celebranti aſſiſtatur.

Et quoniam oportet Epiſcopos eſſe irreprehenſibiles, ſobrios, caſtos, domui ſuæ bene præpoſitos, hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in menſa ſervet ſobrietatem moderationemque ciborum. Deinde quum in eo loco ſæpe otioſi ſermones oriri ſoleant, ut in ipſorum Epiſcoporum menſis divinarum Scripturarum lectio admiſceatur: familiares vero ſuos unuſquiſque inſtruat & erudiat, ne ſint rixoſi, vinoſi, impudici, cupidi, elati, blaſphemi, & voluptatum amatores: vitia demum fugiant, & virtutes amplectantur: & in veſtitu, & cultu, & omnibus actibus honeſtatem præ ſe ferant, ſicut decet miniſtros Dei.

Ad hæc, quum hujus ſacroſancti Concilii præcipua cura, ſollicitudo, & intentio ſit, ut propulſatis hæreſum tenebris (quæ per tot annos operuerunt terram) catholicæ veritatis lux (Jeſu Chriſto, qui vera lux eſt, annuente) candor puritaſque refulgeat: & ea quæ reformatione egent, reformentur: ipſa Synodus hortatur omnes catholicos, hic congregatos, & congregandos, atque eos præſertim, qui ſacrarum literarum peritiam habent, ut ſedula meditatione diligenter ſecum ipſi cogitent, quibus potiſſimum viis & modis, ipſius Synodi intentio dirigi, & optatum effectum ſortiri poſſit, quo maturius, & conſultius damnari damnanda, & probanda probari queant: ut per totum orbem omnes uno ore, & eadem fidei confeſſione glorificent Deum, & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.

In ſententiis vero dicendis, juxta Toletani Concilii ſtatutum, in loco benedictionis conſidentibus Domini ſacerdotibus, nullus debeat aut immodeſtis vocibus perſtrepere, aut tumultibus perturbare: nullis etiam falſis, vaniſve aut obſtinatis diſceptationibus contendere: ſed quicquid dicatur, mitiſſima verborum prolatione temperetur: ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur.

Inſuper, ipſa ſacra Synodus ſtatuit, ac decrevit, quod, ſi forte contigerit aliquos debito in loco non ſedere, & ſententiam etiam ſub verbo Placet proferre, congregationibus intereſſe, & alios quoſcunque actus facere, Concilio durante: nulli propterea præjudicium generetur, nulliſque novum jus acquiratur.

IN DECRETUM
SECUNDÆ SESSIONIS.

QUia honorabile eſſe Concilii nomen ſciunt: commendationem inde ſibi accerſunt apud bonos viros, quibus ſunt ignoti: nam dum intumeſcunt iſtæ ampullæ, ſacroſancta, œcumenica, & univerſalis Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata: perſtringunt ſimplicium oculos. Verum, ut Chriſtianæ modeſtiæ eſt, Eccleſiæ auctoritatem vereri: ita & prudentiæ eſt circumſpicere, ne fallaci prætextu nobis Satan illudat. Quanquam hic non tam exacta prudentia opus eſt. Neque enim, vel à præſtigiis, vel ab occultiore aliquo aſtu nobis cavendum eſt. Tantum aperiamus oculos, & perſpiciemus nihil eſſe quod tam ſplendidis titulis obtendunt. Quum publicarent hoc decretum, viginti forte Epiſcopi ſedebant. En cur univerſalem Synodum ſe appellent: nec eo contenti, quo magis terreant ignaros, nomen Græcum uſurpant, quaſi vox ignota vim habitura ſit magicæ incan-

Digitized by Google

cantationis. Sed quid tamen valet œcumenica Synodus? Perinde ac ſi quis dicat, undique Tridentum confluxiſſe Epiſcopos, quaquaverſum habitatur orbis. At ſi provincialis foret Synodus, deberet eos pudere ſuæ paucitatis. Unde autem, aut quo jure ſacroſanctam hanc Synodum cenſebimus? Quouſque tandem ſibi ducent cum pueris eſſe negotium, ut crepitaculis riſu dignis majeſtatem ſibi concilient? In Spiritu ſancto rite ſe eſſe congregatos, unde nobis fidem facient, niſi forte ex bullari indictione? Quaſi vero ſemper faſcinatas hoc ſtupore teneant hominum mentes, Spiritum ſanctum è cælis elici, Papæ nutu. Quo tempore habita ſunt Concilia, quibus ipſi primarium honorem deferre coguntur, nulla penes Rom. Epiſcopum indictionis erat poteſtas. Sed cum Imperator cum reliquis, ſuo edicto convenire jubebat. Hoc fuiſſe obſervatum, non in quatuor ſolum magnis Conciliis, quæ vocant, ſed etiam in plurimis aliis, vetuſta acta, quæ adhuc ſuperſunt, & omnes hiſtoriæ teſtantur. Ac ne cauſentur indictionem fuiſſe parum legitimam: id Leonis epiſtolis refellitur, quibus ſuppliciter petit à Theodoſio, Valentiniano, & Marciano, Auguſtis, ut, pro Imperatoria poteſtate, locum & diem Epiſcopis edicant. Idem & Gregorius aliquanto poſt à Mauricio petiit.

Verum tres ſedis Apoſtolicæ Legati, Spiritum ſanctum forſan attulerunt. Si ita eſt, non fuit Synodus Nicena rite congregata: quæ Romanæ Eccleſiæ legatos in quartum locum rejecit. Quid de Aquileienſi dicendum, quæ quum in Italia celebraretur, eſſetque univerſalis, nullam facit Rom. Epiſcopi mentionem? Si non eſt rite conſtitutus ordo, niſi præſideant Papæ legati, quid reſpondebunt Aphricani, qui duobus Bonifacii legatis Philippo & Aſello poſtremum locum aſſignarunt, quod Presbyteri tantum eſſent, non ex ordine Epiſcopali? Nunc Romanæ Eccleſiæ diaconus, modo rubro pileo ſit inſignis, altus eminebit ſuper omnium Epiſcoporum capita. Tametſi, quem quiſque inter eos gradum obtineat, mea nihil refert: nec ea de cauſa illis moleſtus ero. Quin facile patiar mitras à galeris vinci: modo ne Spiritum ſanctum larvis nuper à ſe compoſitis alligent: ut ubicunque conſpectus fuerit purpuræ fulgor, Synodus ſit rite congregata. Et tamen ſi hanc nobis legem imponunt: cur Synodus Baſilienſis legitima, illorum judicio, non habetur? Quis ferat tantam impudentiam, ut Spiritum emittat homo, & quoties libuerit revocet? Proinde ut vero argumento perſuadeant, Spiritum Dei ſuum eſſe præſidem, in primis probent neceſſe eſt, Chriſti nomine & auſpiciis ſe eſſe congregatos.

Atqui longe ſecus eſſe, acta clamitant: nam ſimulac buccas ita inflarunt, primum nihil dignum proferunt tanto hiatu: deinde primo ſtatim ingreſſu, quod ſibi videntur habere optimum, ex craſſiſſima ſuperſtitionum fæce hauriunt. Ac de priore quidem parte, quam flaccidi ſint & emortui, omnique Spiritus energia vacui in primo ſuo Decreto, lectoribus judicium relinquam: quia nemo eſt mediocri intelligentia præditus, qui non per ſe animadvertat. Secundam attigiſſe ſufficiet: quia ex brevi indicatura judicium facere promptum erit. Epiſcopos & ſacerdotes Concilium celebrantes, hoc eſt, ſeipſos hortantur, ad peragendum, quolibet ſaltem Dominico die, Miſſæ ſacrificium. En præclaræ reformationis initia. Clamamus, miſſale ſacrificium, nihil aliud eſſe, quam impiam Cœnæ Dominicæ profanationem. Idque ex claris Domini verbis planum facimus. Neque enim ſacrificandi partes nobis injungit in ſacra Cœna inſtituenda: ſed ad participandum, quod ipſe unus & ſemel obtulit ſacrificium, nos invitat: diſtributionem fieri præcipit: utroque ſymbolo communicare omnes pariter jubet. Neque enim obſcura ſunt verba: Accipite: diſtribuite inter vos: bibite ex hoc calice omnes. Quid ſimile inter ejuſmodi actionem, quæ Domini mandato reſpondet, & Papalem Miſſam? ubi ſe Chriſtum Patri offerre fingunt, ad expianda ſuo ſacrificio mundi peccata: neque id ſolum, ſed etiam ad impetrandam mortuis redemptionem: ubi nulla fit ad participationem invitatio: ſed potius unus ſe à toto grege ſeparat: quod ſi quis forte accedit, à dimidia parte arcetur. Olim quum minor eſſet populi frequentia, dicebat Chryſoſtomus: Fruſtra ergo aſtamus ad altare. Dicebat hoc, qui jam tamen aſſueverat multis corruptelis. Quid dicturus eſt Dominus, non corrupta modo, ſed everſa prorſus ſua inſtitutione? Eant igitur, & magis magiſque ſuo ſacrilegio iram Dei jam plus ſatis concitatam, rurſus deintegro inflamment. Secundo hortantur, ut ſingulis ſaltem feriis ſextis, in paſſionis &c. memoriam. Hoccine eſt, quod de obſervatione dierum docet Paulus? Hoccine eſt quod de ciborum delectu admonet, eadem ad Coloſſenſes Epiſtola? ἐθελοθρησκείαν eſſe, hoc eſt, commentitium Dei cultum, qui utcunque ſpeciem habeat ſapientiæ, quia tamen pendet ex hominum placitis, una cum cibis ipſis evaneſcit, qui uſu ipſo pereunt. Ubi, quæſo, legerunt, Dominum talem commendaſſe mortis ſuæ memoriam? Quin potius moriendo, quicquid tale eſt, abrogavit. Quid ergo de præparationibus iſtis dicendum, quibus Spiritum ſanctum elicere de cælo volunt: niſi fatuas eſſe ſuperſtitiones, de quibus ad focum, ſedentes cum lana & colu aniculæ fabulantur? His demum adjungit litanias: hoc eſt, centones ex totidem blaſphemiis conſutos, quot verbis. Quo enim colore excuſabunt, quod quum de Chriſti interceſſione illic altum ſit ſilentium, advocatorum ſibi centurias, ex quibus volunt mortuis, deligunt? Quid hoc, vel cum Scripturæ doctrina, vel cum veteribus piorum inſtitutis ſimile habet? ut prætereito uno Dei & hominum mediatore, nominatim enumerent quos ſibi finxerunt pro ſuo arbitrio: & tandem univerſum Sanctorum chorum, quaſi uno faſciculo colligatum invocent? Ut diſcedere ſibi permittant à pura Euangelii doctrina: certe quo tempore eouſque invaluerat ſuperſtitio, ut rectam lineam tenere non poſſent ſancti paſtores, diſertis tamen verbis prohibitum fuit in Concilio Carthaginenſi, ne Sancti ad altare invocarentur: & ne hanc vocem proferrent ſacerdotes, Sancte Petre, vel Paule, ora pro nobis. Qualis nunc ab his ſperanda reformatio, qui à corrupti ſeculi vitiis tantopere in pejus degenerant?

PRIMUM DECRETUM

PUBLICATUM IN

TERTIA SESSIONE

TRIDENTINÆ SYNODI,

Die Jovis, 4. Februarii, 1546.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Hæc ſacroſancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis: magnitudinem rerum tractandarum conſiderans, præſertim earum, quæ duobus illis capitibus de exſtirpandis hæreſibus, & moribus reformandis continentur, quorum cauſa

præ-

præcipue eſt congregata: agnoſcens autem, cum Apoſtolo, non eſſe ſibi colluctationem adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus ſpirituales nequitias in cæleſtibus: cum eodem omnes & ſingulos in primis hortatur, ut confortentur in Domino, & in potentia virtutis ejus, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſſint omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, atque galeam ſpei ſalutis accipiant, cum gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Itaque ut hæc pia ejus ſollicitudo principium & progreſſum ſuum per Dei gratiam habeat, ante omnia ſtatuit & decrevit, præmittendam eſſe confeſſionem fidei, Patrum exempla in hoc ſequuta, qui ſacratioribus Conciliis hoc ſcutum contra omnes hæreſes in principio ſuarum actionum apponere conſuevere: quo ſolo aliquando, & infideles ad fidem traxerunt, hæreticos expugnarunt, & fideles confirmarunt. Quare Symbolum fidei, quo ſancta Romana Eccleſia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Chriſti profitentur, neceſſario conveniunt, ac fundamentum firmum & unicum contra quod portæ Inferi nunquam prævalebunt, totidem verbis, quibus in omnibus Eccleſiis legitur, exprimendum eſſe cenſuit. quod quidem ejuſmodi eſt:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem cæli & terræ, viſibilium omnium, & inviſibilium. Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia ſecula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt. Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cælis: & incarnatus eſt de Spiritu ſancto, ex Maria virgine: Et homo factus eſt. Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus, & ſepultus eſt, & reſurrexit tertia die, ſecundum Scripturas, & aſcendit in cælum, ſedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos: cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre, & Filio, ſimul adoratur, & conglorificatur, qui loquutus eſt per Prophetas. Et unam ſanctam catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma, in remiſſionem peccatorum: & expecto reſurrectionem mortuorum. Et vitam venturi ſeculi, Amen.

Eadem ſacroſancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, in ea præſidentibus eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, intelligens multos Prælatos, ex diverſis partibus accinctos eſſe itineri, nonnullos etiam in via eſſe, quo huc veniant: cogitanſque omnia ab ipſa ſacra Synodo decernenda, eo majoris apud omnes exiſtimationis, & honoris videri poſſe, quo majori fuerint, & pleniori patrum concilio, & præſentia ſancita, & corroborata: ſtatuit & decrevit, futuram Seſſionem, poſt præſentem celebrandam eſſe die Jovis, quæ ſubſequetur Dominicam Lætare, proxime futuram. Interim tamen non differri diſcuſſionem & examinationem eorum quæ ipſi Synodo & diſcutienda & examinanda videbuntur.

IN DECRETUM
TERTIÆ SESSIONIS.

Dicas, altum neſcio quid velle excludere venerandos patres, quum de ſpirituali armatura ex Paulo concionantur. Sed ex monte inflato, præter inanem fumum, nihil tandem prodit, quod ſaltem præſenti neceſſitati ſerviat: nam fidei confeſſioni duntaxat ſubſcribunt quæ in templis canitur. Initio Januarii primum Decretum publicaverant: hujus ſecundi publicationem differunt in Februarium. Quid tam longa conſultatione opus fuit in re liquida? An vero menſis unius fuit hæc inquiſitio? Valde ſedulos, & laborioſos in rebus arduis eſſe oportet, qui, ubi nihil eſt negotii, tamdiu occupantur. Ergo, quaſi non fruſtra tempus conſumpſerint, ubi dies advenit, Conſedere duces, & vulgi ſtante corona, alta voce pronunciant ſe credere, de quo nihil eſſe controverſiæ, ſciebant omnes. Hoc dicent ex ritu, inſtitutoque veteri fuiſſe factum. Atqui, an nullius difficultatis ceremoniola menſem integrum requirebat? Nimis certe puerilis eſt hic fucus, dum ſedent ad nihil dicendum, quo probent, ſe non fuiſſe otioſos. Sed qua gravitate pronunciant? Symbolum, inquiunt, profitemur nos credere, ut eſt in Miſſali. Ut eorum ineptias non exagitem, mirum niſi eos ſponte ſui pudeat. Quod multos Prælatos putabant ex variis partibus accinctos eſſe itineri, eos fefellit opinio. Nam ad extremum vix ad quadraginta fuerunt collecti. Quare illam exiſtimationem, quam ſperabant ex magno numero, perdiderunt. Tametſi, mea opinione, ſibi ſunt injurii, dum paucitati ſuæ detrahunt: nam tanti apud me eſt ipſorum auctoritas, ut ſi quingentos præterea haberent ſui ſimiles, ne minimum quidem momentum acceſſurum ſit ad pondus.

PRIMUM DECRETUM
QUARTÆ SESSIONIS
8. *Aprilis* 1546. *celebratæ*,
CONCILII TRIDENTINI.

Sacroſancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis: hoc ſibi perpetuo ante oculos proponens, ut ſublatis erroribus, puritas ipſa Evangelii, in Eccleſia conſervetur: quod promiſſum ante per Prophetas in Scripturis ſanctis, Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, proprio ore primum promulgavit: deinde per ſuos Apoſtolos, tanquam fontem omnis & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ, omni creaturæ prædicari juſſit. Perſpicienſque hanc veritatem, & diſciplinam contineri in libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ipſius Chriſti ore ab Apoſtolis acceptæ, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu ſancto dictante, quaſi per manus traditæ, ad nos uſque pervenerunt: orthodoxorum Patrum exempla ſequuta, omnes libros, tam veteris quam novi Teſtamenti, quum utriuſque unus Deus ſit auctor, nec non traditiones ipſas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus à Chriſto, vel a Spiritu ſancto dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia catholica conſervatas, pari pietatis affectu, ac reverentia ſuſcipit, & veneratur. Sacrorum vero librorum indicem, huic Decreto adſcribendum cenſuit, ne cui dubitatio ſuboriri poſſit, quinam ſint, qui ab ipſa Synodo ſuſcipiuntur. Sunt vero infraſcripti: Teſtamenti veteris, quinque Moſis, id eſt, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Joſueh, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, Eſdræ primus, & ſecundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Heſter: Job, Pſalterium Davidicum centum quinquaginta Pſalmorum, Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus: Eſaias, Hieremias, cum Baruch, Ezechiel,

Digitized by Google

chiel, Daniel: duodecim Prophetæ minores, id eſt, Oſeas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: duo Machabæorum, primus & ſecundus. Teſtamenti novi, quatuor Evangelia: ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, Joannem: Actus Apoſtolorum à Luca Evangeliſta conſcripti: Quatuordecim Epiſtolæ Pauli Apoſtoli: ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephęſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos: Petri Apoſtoli duæ, Joannis Apoſtoli tres, Jacobi Apoſtoli una, Judæ Apoſtoli una, & Apocalypſis Joannis Apoſtoli. Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas ſciens & prudens contempſerit: anathema ſit. Omnes itaque intelligant, quo ordine & via ipſa Synodus, poſt jactum fidei confeſſionis fundamentum, ſit progreſſura, & quibus potiſſimum teſtimoniis ac præſidiis in confirmandis dogmatibus, & inſtaurandis in Eccleſia moribus, ſit uſura.

SECUNDUM DECRETUM QUARTÆ SESSIONIS.

INſuper eadem ſacroſancta Synodus, conſiderans non parum utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus Latinis editionibus quæ circumferuntur ſacrorum librorum, quænam pro authentica habenda ſit, innoteſcat: ſtatuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus & vulgata editio, quæ longo tot ſeculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus, & expoſitionibus, pro authentica habeatur, & quod nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præſumat.

Præterea ad coërcenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra eum ſenſum, quem tenuit & tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam contra unanimem conſenſum Patrum, ipſam Scripturam ſacram interpretari audeat, etiamſi ejuſmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent. Qui contravenerint, per Ordinarios declarentur, & pœnis à jure ſtatutis puniantur.

Sed & impreſſoribus modum in hac parte, ut par eſt, imponere volens, qui jam ſine modo, hoc eſt, putantes ſibi licere quicquid libet, ſine licentia ſuperiorum Eccleſiaſticorum, ipſos ſacræ Scripturæ libros, & inſuper annotationes, & expoſitiones quorumlibet indifferenter, ſæpe tacito, ſæpe etiam ementito prælo, & (quod gravius eſt) ſine nomine auctoris imprimunt: alibi etiam impreſſos libros hujuſmodi temere venales habent: decernit & ſtatuit ut poſthac ſacra Scriptura, potiſſimum vero hæc ipſa vetus & vulgata editio, quam emendatiſſime imprimatur. Nullique liceat imprimere, vel imprimi facere, quoſvis libros de rebus ſacris ſine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud ſe retinere, niſi primum examinati, probatique fuerint ab Ordinario, ſub pœna anathematis, & pecuniæ, in Canone Concilii noviſſimi Lateranenſis appoſita. Et ſi regulares fuerint, ultra examinationem, & probationem hujuſmodi, licentiam quoque à ſuis ſuperioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, juxta formam ſuarum ordinationum.

Qui autem ſcripto eos communicant, vel evulgant, niſi antea examinati, probatique fuerint, eiſdem pœnis ſubjaceant, quibus impreſſores: & qui eos habuerint, vel legerint, niſi prodiderint auctorem, pro auctoribus habeantur. Ipſa vero hujuſmodi librorum probatio in ſcriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel ſcripti, vel impreſſi, authentice appareat. Idque totum, hoc eſt, probatio, & examen, gratis fiat: ut probanda probentur, & reprobentur improbanda.

Poſt hæc temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur & torquentur verba & ſententiæ ſacræ Scripturæ, ad ſcurrilia ſcilicet, fabuloſa, vana, adulationes, detractiones, ſuperſtitiones impias, & diabolicas incantationes, & divinationes, ſortes, libellos etiam famoſos: mandat, & præcipit, ad tollendam hujuſmodi irreverentiam, & contemptum, & ne de cætero quiſquam, quomodolibet verba Scripturæ ſacræ ad hæc & ſimilia audeat uſurpare, ut omnes hujus generis homines, temeratores & violatores verbi Dei, juris & arbitrii pœnis per Epiſcopos coërceantur.

Item, hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit, & decrevit, proximam futuram Seſſionem tenendam, & celebrandam eſſe feria quinta, poſt ſacratiſſimum feſtum proximum Pentecoſtes.

IN QUARTAM SESSIONEM.

VEtus eſt proverbium: Romani ſedendo vincunt. Hac fiducia, degeneres iſti, ac ſpurii Romanæ ſedis, hoc eſt, magnæ meretricis filii, ad vincendum ſe compoſuerunt, indicta tertia Seſſione. Quid enim prohibet, quominus erecto trophæo, voti compotes abeant: ſi illis conceditur quod uno decreto complexi ſunt? Quatuor autem ſunt capita. Primo definiunt, in doctrina non ſolis Scripturis ſtandum eſſe, ſed traditis etiam per manus placitis. Deinde, in conficiendo Scripturæ catalogo, eadem libros omnes creta notant: & apocryphos vetant ex aliorum ordine ſubmoveri. Tertio, repudiatis aliis quibuſcunque interpretationibus, vulgatam ſolam retinent, ac jubent eſſe authenticam. Poſtremo, ſibi in locis omnibus vel obſcuris, vel dubiis, jus interpretationis vindicant, abſque provocatione. Quatuor iſtis conſtitutis: quis neget eſſe debellatum? Itaque, ſupervacuæ magis oſtentationis cauſa, poſtea diſputarunt, quam quod ita neceſſe foret. Quicquid enim protulerint, ſi nulla Scripturæ auctoritate fultum erit, inter traditiones numerabitur: quas nihilo minus fidei habere volunt, quam Legem & Prophetas. Quid vero jam licebit improbare? quum nullum ſit tam craſſum aut anile delirium, quod non hoc prætextu defendant. Imo nulla eſt tam prodigioſa ſuperſtitio, cui non hunc, veluti Aiacis clypeum, applicent, quo muniatur. Adde, quod ſibi nova ſuffragia comparant, quum libros apocryphos auctoritate dignantur. Ex ſecundo Machabæorum & Purgatorium probabitur, & Sanctorum interceſſio. Ex Tobia, ſatisfactiones, exorciſmi: & quid non? Ab Eccleſiaſtico non pauca mutuabuntur. Unde enim fæcem melius haurirent? Quanquam non is ſum, qui lectionem horum librorum velim prorſus improbare: ſed fidem illis tribuere, quæ hactenus nunquam habita fuit, quorſum attinebat, niſi ut ad colorandos ſuos errores adulterino fuco uterentur? Verum, quia ſæpe ex Hebraica aut Græca veritate refellitur iſtorum inſcitia in citandis Scripturis, & temeritas cohibetur, adeoque retunditur Thraſonica jactantia: huic quoque nodo ingenioſe occurrunt, dum ſtatuunt ut ſola ad fidem valeat vulgata translatio. Erant nunc qui multum operæ temporiſque ſumpſerunt in linguarum ſtudio, ut genuinum Scripturæ ſenſum ex fontibus ipſis peterent. Saltem ne poſthac Romanenſibus moleſti ſint, hoc decreto abunde proviſum eſt. Nonne hoc eſt Græciam, totumque Orientem ſubigere? Unum adhuc deerat: ſemper enim emergunt homines moroſi, quibus ſatisfieri aliter nequit, niſi Scripturis probetur quod vertitur in quæſtione. Sunt alii nimium perſpicaces, qui etiam in vulgata trans-

Google

lationе arma reperiunt, quibus ad laceſſendum Papatum inſtruantur. Ne quid inde accipiant damni, optimum remedium excogitant, dum ſibi legitimam adjudicant Scripturæ interpretationem. Quis jam male providos exiſtimet? qui uno capite huc perveniunt, ut quidvis habeant ex Scriptura probatum: & nullo Scripturæ teſtimonio quantumvis contrario urgeantur. Nam ſi confeſſio probanda eſt: in promptu erit illud: Oſtendite vos ſacerdotibus. Si quæratur, an ad mortuorum interceſſionem confugiendum ſit; ſtatim illud occurret: Ad aliquem ſanctorum convertere. Item, Pro hac orabit ad te omnis ſanctus. Nec Purgatorium deſtituetur certo fundamento: quia ſcriptum eſt: Non exibit inde, donec ſolverit ultimum quadrantem. Denique, licebit quidlibet ex quolibet facere. Quum antehac ejuſmodi teſtimonia proferebant, jam erant pueris quoque ipſis ridiculi: nunc jus authenticæ interpretationis ſcrupulum omnem, ſi illis creditur, eximet. Quod autem tam clarum aut firmum teſtimonium illis contra objicietur, quod non eludent? Impune enim qualicunque cavillo ſe expedient. Adverſus contrarias rationes hic oppoſitus erit murus aheneus: Tu quis es, qui Eccleſiæ interpretationi obſtrepis? Hoc ſcilicet eſt, quod vulgari proverbio inter ſe prædicant Scripturam eſſe naſum cereum: quia converti poſſit in omnes formas. Si ejuſmodi poſtulata Mathematicis darentur, non modo ex cubito palmam facerent: ſed ſtadium evincerent cubito brevius, donec miſcerent cælum terræ.

Quid ergo cum hac victrice, & jam quaſi triumphali Seſſione nobis agendum eſt? nempe, ut ſtando diſcutiamus iſtos fumos. Quod ad traditiones attinet: ſcio illarum non raram fieri mentionem à vetuſtis ſcriptoribus; ſed non eo conſilio, ut fides noſtra extra Scripturas excurrat, in quibus ipſam perpetuo includunt. Ritus tantum quoſdam Apoſtolis referunt acceptos: quorum pars ab illis videtur habere originem: pars autem illis auctoribus indigna eſt. Et tamen omnes quos attingunt, & numero pauci ſunt, & genere tolerabiles. Nunc vero quicquid Romanenſibus libuerit obtrudere, id ex Apoſtolorum traditione fluxiſſe, credi volunt: adeoque nihil habent frontis, ut quæ non ita pridem inter ignorantiæ tenebras obrepſerunt, in illum ordinem, ſublato diſcrimine, referant. Ergo, ut illis demus, inſtituta quædam poſteris Apoſtolos Domini per manus tradidiſſe, quæ ſcriptis nunquam mandaverint: primum, hoc nihil ad fidei doctrinam: ut apiculum unum inde eliciant: ſed tantum ad externos ritus, vel decoro, vel diſciplinæ ſervientes: deinde probare neceſſe habebunt, traditionem eſſe Apoſtolicam, quamcunque hoc titulo commendabunt. Proinde, non eſt quod putent, hoc ſibi quicquam ſuffragari, vel ad tyrannidem legum ſuarum ſtabiliendam, quibus conſcientias miſere excarnificant: vel ad ſuas ſuperſtitiones obtegendas, quas conſarcinatas eſſe ex vitioſis omnium ſeculorum gentiumque ritibus, conſtat. Præcipue vero repudiandum illud, quo doctrinæ certitudinem ex iis, quæ vocant ἄγραφα, non minus quam ex Scripturis pendere volunt. Tenendum enim ſemper eſt illud Auguſtini: Fidem ex Scripturis conceptam eſſe.

De libris omnibus in Canonem promiſcue receptis, non dicam aliud, niſi præter Eccleſiæ veteris conſenſum id fieri. Scitur enim quid Hieronymus ex communi majorum ſententia referat. Et Ruffinus etiam tanquam de re minime controverſa, cum Hieronymo pronunciat, Eccleſiaſticum, Sapientiam Solomonis, Tobiam, Judith, & Machabæorum hiſtoriam, libros non Canonicos à Patribus, ſed Eccleſiaſticos fuiſſe vocatos, qui ad populum quidem legerentur, ſed ad fidem dogmatum faciendam non valerent. Nec me tamen latet, idem quod nunc Tridentini patres ſtatuunt, in Concilio Carthaginenſi tertio haberi. Quod Auguſtinus quoque in libro de doctrina Chriſtiana ſequutus eſt. Sed quum variis locis teſtetur Auguſtinus, non idem ſua ætate ſenſiſſe omnes, relinquatur id ſane in medio. Quod ſi argumentis ex re ipſa ſumptis pugnandum ſit, præter phraſin ipſam, multa oſtendent debere inferiore loco ſubſidere, quæ Tridentini patres in altum extollunt. Ut alia omittam, quiſquis Machabæorum ſcripſit hiſtoriam, in fine optat, ut ſi bene & congruenter ſcripſerit: ſin minus, veniam deprecatur. Quantum, obſecro, à Spiritus ſancti majeſtate aliena eſt hæc confeſſio?

In translationibus, præter unam vulgatam, damnandis, ut craſſior eſt inſcitia, ita magis barbarum edictum. Sacra Dei oracula Moſes & Prophetæ lingua Hebraica, Apoſtoli Græca prodiderunt. Ne quis mundi angulus expers eſſet tanti theſauri, acceſſit etiam donum interpretationis. Factum eſt, neſcio quibus modis, certe nec judicio nec recto delectu, ut interpretationibus diverſis una obtinuerit inter indoctos, ſaltem qui nulla linguarum notitia inſtructi, qualecunque ignorantiæ ſuæ ſubſidium quærebant. Porro qui linguas tenent, hanc interpretationem deprehendunt infinitis erratis ſcatere; idque apertiſſimis demonſtrationibus planum faciunt. Patres decernunt ex adverſo, etiamſi ex fonte ipſo purum liquorem proferant, etiamſi ex certa veritate falſum coarguant, minime eſſe audiendos. Nemo unquam ſenſu communi præditus, hoc bono privare auſus eſt Eccleſiam Dei. Veteres, quamvis linguarum cognitione, ac præſertim Hebraicæ, deſtituerentur, ingenue tamen ſemper agnoſcunt, nihil eſſe melius, quam ipſam conſulere, ut inde verus germanuſque ſenſus hauriatur. Ultra progrediar. Nemo eſt mediocri ingenio, qui vulgatam translationem cum aliquot aliis conferendo, non facile videat, multa feliciter in his eſſe reſtituta, quæ perperam in illa habebantur. Hic nos Synodus cogit ad perſpicuam lucem cæcutire, ut ſponte erremus. Quis putaſſet tam fore amentes, ut bonorum judicia tam ſecure contemnerent, nec dubitarent omnibus ſe inviſos ac deteſtabiles reddere? Qui ſciebant eos nihil utile meditari, ſic tamen perſuaſi erant: ut fucum aliquem mundo facerent, negotium cudendæ novæ translationis juratis ſibi hominibus daturos. Atqui, non fraudulenter agunt. Vitioſiſſima translatione non modo contentos eſſe nos jubent, ſed eam, non aliter ac cælitus delapſam, volunt adorari: & quum omnibus conſpicuæ ſint mendæ, quicquam deſiderari prohibent. En à quorum arbitrio Eccleſiæ inſtauratio pendeat. Locos perperam inſulſeque redditos notare, quam longi eſſet operis? Adeo nulla eſt integra pagina, ut vix tres ſint continui verſus, non inſigni aliquo errore fœdati. Sufficiat in ſpecimen unus Pſalmorum liber: cujus pauca exempla obiter attingam: magis ut, propoſito tenui guſtu, invitem lectores ad cognoſcendum, quam ut eos doceam. Pſalmo ſecundo præclara eſt exhortatio: Oſculamini Filium. Pro qua vetus translatio habet: Apprehendite diſciplinam. Nihil ſimile. Illud quum verum eſſe conſtet, hoc cur potius authenticum habebitur? Vulgaris in-
terpres habet: Filii hominum uſquequo gravi cor- *Pſal. 4.*
de? Quum verba Hebraica nihil ſimile contineant: *verſ. 3.*
ſed, Uſquequo gloria mea ad ignominiam? Ubi Da- *Pſal. 32.*
vid conqueritur ſuccum ſuum converſum fuiſſe in *verſ. 4.*
ſiccitates æſtivas, interpres ſuppoſuit: Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina. Item altero verſu: In lupato & freno ora eorum ad coërcendum, ne accedant ad te. Interpres vero ſic: In chamo & freno maxillas eorum conſtringe, qui non approximant ad te. Et quid intelligemus per lumbos impletos illuſionibus? quod legitur Pſal. 38. Quanquam imprudenter facio, qui ſylvam immenſam ingrediar. Proinde ad unicum Pſalmum me recipiam. Is erit ſexageſimus octavus. Ubi David inter alias Dei laudes hanc quoque recenſet, quod unicos habitare faciat in domo: hoc eſt, orbos & ſolitarios ditet familia. Interpres vero ſupponit, unius moris. Sequitur:

Digitized by Google

quitur: Rebelles autem in ſiticuloſo loco. Pro quo interpres: Similiter eos qui exaſperant: qui habitant in ſepulchris. Poſtea ubi ſenſus optime fluit in verbis Davidis, Interpres ænigmata involvit, unde ſe nullus OEdipus expediat. Sic loquitur David, Reges exercituum fugerunt, fugerunt: & habitatrices domus diviſerunt ſpolia, hoc eſt, mulieres quæ domi quieſcebant. Interpres vero: Rex virtutem dilecti dilecti: & ſpeciei domus dividere ſpolia. Paulo poſt: Etſi dormiſtis inter medias ollas. Interpres vertit, medios cleros. Suſpicari montes coagulatos poſuit, pro Invidere montibus opimis. Ubi habet Hebraica veritas, Etiam deſectores: ut inhabitet Dominus Deus: interpres murat: Etiam non credentes inhabitare Dominum Deum. Item, quum ita ſit ad verbum: Reducam ex Baſan, reducam ex profundis maris: Interpres ea adverſo, Ex Baſan convertam, convertam in profundum maris. Item, Ibi parvulus Benjamin dominator eorum. Interpres neſcio quid cogitans, In mentis exceſſu. Dimidiam Pſalmi partem, aut paulo plus recenſui. Quæ tamen monſtra hic agnoſcunt lectores? Quanquam, ut verum fatear, danda eſt venia Latino interpreti, qui Græcam translationem, qua potuit diligentia, expreſſit. Iſtos vero aſioos quis ferat, dum interpretationis donum eripiunt Eccleſiæ: & hoc tanquam luto oppoſito, aditum præcludunt, ne ad puram Davidis intelligentiam accedat? Adde, quod non ignorantiam modo lapſuſque interpretum præferunt veræ aliorum cognitioni: ſed nulla erit tam craſſa hallucinatio, quæ non divini oraculi vim habeat. Quale exemplum Pſalmo 132. extat. Nam, quum illic Dominus victum ſe populi ſui benedicturum promittat, ſacrificulus quiſpiam luſcioſus duas literas conjunctim legens, c. & t., putavit ſcriptum eſſe vidum. Quia autem vox erat nullius ſignificationis, interpoſita litera induxit novam lectionem, quæ in toto Papatu regnat. Nullum enim eſt Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ templum, ubi non magno clamore reboënt: Viduam ejus benedicens benedicam. Et tam ſunt vel attenti, vel perſpicaces, ut nemo tam ridiculam corruptelam animadverterit. Sed nihil mirum, ſi erepta nobis panis voce, nomen viduitatis reducant: quum in hoc ſint toti, ut animas pane cæleſtis vitæ crudeliter viduent. Quid? Vulgatam novi Teſtamenti verſionem authenticam facere an eos non pudet: quum in omnium manibus verſentur Vallæ, Fabri, & Eraſmi ſcripta, quæ innumeros in ea locos vitiatos digito vel pueris demonſtrant? Primo ad Rom. capite, interpres Chriſtum nominat prædeſtinatum Dei Filium. Laborant in iſta voce explicanda, qui Græcam linguam non tenent: quia proprie, quæ nondum ſunt, ea dicimus prædeſtinari. Porro, Chriſtus Filius eſt æternus Dei. At vero in Græca voce, nihil eſt difficultatis, quæ declaratum ſignificat. Unum exemplum produxi: in reliquis ſupervacuus eſſet labor. Summa ſit: non aliter ratum hoc fore edictum, niſi efficiant Tridentini patres, ut mundus, apertis oculis, oblatam ſibi lucem non cernat.

Venio ad jus interpretandi quod ſibi arrogant, quoties de ſenſu dubitatur. Suum, inquam, eſſe aiunt, de Scripturæ ſenſu dare reſponſa, quibus acquieſcere oporteat. Nam quicquid Eccleſiæ deferunt, ſibi deferunt ipſis. Equidem fateor, ſicuti non
2 Petr. 1. verſ. 21. privato hominum arbitrio allata eſt Scriptura, ita indignum eſſe, ut ad privatum cujuſque ſenſum trahatur. Quinetiam ſi de obſcuro loco ambigatur, quonam ſenſu accipi debeat, non alia via meliore, ad veram intelligentiam poſſe perveniri, quam ſi pii doctores, religioſa diſceptatione, in commune inquirant. Atqui, non hoc agitur. Volunt enim tyrannico ſuo edicto, libertatem omnem ex Eccleſia tollere: ſibi autem arrogare infinitam licentiam. Nam qualemcunque ſua libidine ſenſum affinxerint Scripturæ, eum mox amplecti neceſſe erit. Præter ipſos vero nemini fas erit, quicquam ex Scripturis probare. Atque utinam præſtandæ tantæ rei pares forent. Sed boves, ephippia ſibi uſurpant: vel potius aſini, lyram. Denique hoc moliuntur, ut Scripturam in tenebris abditam revereantur omnes, tanquam Cereris myſteria: nemo ad ejus intelligentiam aſpirare auſit. Nullus eſſet exitus, ſi exempla undecunque colligerem, unde palam fieret lectoribus, quam iniquæ & non ferendæ ſervitutis laquei hoc decreto nectantur. Ergo in unius tantum Synodi exemplo, ſpecimen ante oculos ponam. Circiter annum à Chriſto nato octingenteſimum, habita eſt Synodus Nicena, quæ & everſas ſub Leone imagines reſtituit, & adorandas decrevit. Eam Synodum Papiſtæ, quia idololatriæ ſuffragatur, ſanctam & legitimam eſſe ducunt. Proinde, ſecundum eorum axioma, in Scripturæ expoſitione errare non potuit. Atqui, ſi tales audiendi ſint ſacrorum interpretes, (quod eſt dictu abominandum) præſtabit Ægyptiorum religio Chriſtianæ. Ut ſimulacris ac picturis templa rite ornari, ex Scripturis conſtaret, adducti ſunt hi loci in medium: Creavit Deus hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam. Joſue duodecim erexit lapides. Nemo accendit lucernam, & ponit eam ſub modio: unde colligebant, ſuper altaria collocandas eſſe imagines. Item, Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine: ſicut audivimus, ita & vidimus. Domine, dilexi decorem domus tuæ. Oſtende mihi faciem tuam, quia ſpecioſa eſt. Ut adorationem ſtatuerent, his teſtimoniis ſunt abuſi: Abraham populum terræ adoravit: Jacob erexit titulum, ac benedixit. Item, Adoravit ſummitatem virgæ filii ſui Joſeph. Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Adorate ſcabellum pedum ejus. Mirabilis Deus in ſanctis ſuis. Et ne quid deeſſet ad impudentiæ cumulum, attexuerunt ex alio Pſalmo, Sanctis qui ſunt in terra: idque ad imagines retulerunt. Scio vix credibilia fore quæ narro. Et ipſe obſtupui, quum legerem. Quanquam debent nobis jampridem ad hæc quamlibet abſurda, occalluiſſe aures. Quod ſi mihi colligendæ eſſent eorum interpretationes, pueris etiam ipſis ridendæ: nec hæ quidem omnes, ſed quæ notabili aliqua inſulſitate excellunt: triplo quam Scriptura ipſa longius conficiendum eſſet volumen. In ſumma, hoc voluit ſpiritus Tridentinus ſuo decreto, ne quid nobis ſignificet Scriptura, niſi quod monachi ſomniando luſerint. Quid enim per Eccleſiam aliud intelligunt? Nam ut confluant ex toto orbe Romanenſes Epiſcopi, hoc eſt, quotquot ſub vexillo, auſpiciiſque illius Antichriſtianæ ſedis militant: quam tandem, collatis inter ſe capitibus interpretationem nobis conflabunt? Bona pars vix Grammaticæ elementa didicit. Hoc certe mihi negare non audebunt: vix centeſimum quemque ex illis eſſe, qui integrum unum Prophetarum librum, aut unam Apoſtolorum epiſtolam, aut unam Euangelii hiſtoriam legerit. Aliis enim curis magis ſunt occupati, quam ut vacet illis ſacra legere. Supereſt, ut hoc ſedi Apoſtolicæ privilegium tribuant: atque ſacrum illud os Pauli Freneſii de Scripturæ interpretatione rogandum eſſe dicant. Alioqui, Eccleſiam nobis aſſignent, quæ ſuſtinendo tanto oneri par futura merito credatur. Namquibuſcunque ſedem Romanam extollant elogiis, nunquam ſanis hominibus perſuadebunt, vel Cepham eſſe caput: vel pudicum ſanctumque conjugium, carnalem eſſe vitam, quæ ſit coram Deo maledicta. Quorum utrumque Papalibus reſponſis eſt proditum. Clamant, totam Eccleſiæ auctoritatem labefactari, ſi jus illi interpretandæ Scripturæ adimitur: atque ita januam patefieri laſcivis ingeniis, ut quovis perrumpant. Imo ſolent hoc nobis crimen ad conflandam invidiam, objicere, nos ideo arrogare nobis Scripturæ interpretationem, ne quo freno cohibeatur noſtra libido. De nobis quominus dicam quod res habet, impedit verecundia. Veriſſime tamen licebit

profiteri, nos, intelligendis Scripturis plus lucis attuliſſe, quam omnes, qui ab exorto Papatu inter eos extiterunt, doctores. Neque hanc ipſi laudem detrahere nobis audent. Atqui, nemo interea eſt noſtrum, qui non libenter ſuas lucubrationes Eccleſiæ judicio ſubmittat. Ergo Eccleſiæ auctoritatem, neque contemnimus, neque extenuamus: nec protervis hominibus habenas laxamus, ut quidvis audeant. Utinam vero Eccleſiam nobis oſtenderent, qualem Scriptura ipſa depingit: facile de honore conveniret. Sed quum falſum Eccleſiæ titulum ementientes, ejus expilatæ ac nudatæ ſpolia ſibi rapiant, quid aliud poſſumus, quam reclamare?

PRIMUM DECRETUM
QUINTÆ SESSIONIS,

Habitæ die 17. Junii, 1546.

CONCILII TRIDENTINI.

UT fides noſtra Catholica, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, purgatis erroribus, in ſua ſinceritate integra & illibata permaneat, & ne populus Chriſtianus omni vento doctrinæ circumferatur, quum Serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hoſtis, inter plurima mala, quibus Eccleſia Dei his noſtris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, ejuſque remedio, non ſolum nova, ſed etiam vetera diſſidia excitaverit: Sacroſancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem tribus Apoſtolicæ ſedis Legatis, jam ad revocandos errantes, & nutantes confirmandos, accedere volens, ſacrarum Scripturarum, & ſanctorum Patrum, ac probatiſſimorum Conciliorum teſtimonia, & ipſius Eccleſiæ judicium, & conſenſum ſequuta, hæc de ipſo peccato originali fatetur, ſtatuit, ac declarat.

Si quis non confiteatur primum hominem Adam, quum mandatum Dei in Paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatem, & juſtitiam, in qua conſtitutus fuerat, amiſiſſe, incurriſſeque per offenſam prævaricationis hujuſmodi, iram & indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, & cum morte captivitatem ſub ejus poteſtate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc eſt, diaboli, totumque Adam, per illam prævaricationis offenſam, ſecundum corpus & animam in deterius commutatum fuiſſe: anathema ſit.

Si quis Adæ prævaricationem ſibi ſoli, & non ejus propagini aſſerit nocuiſſe, & acceptam à Deo ſanctitatem, & juſtitiam, quam perdidit, ſibi ſoli & non nobis etiam eum perdidiſſe: aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudiſſe, non autem & peccatum, quod eſt mors animæ: anathema ſit: quum contradicat Apoſtolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.

Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum omnibus, ineſt unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium aſſerit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui nos Deo reconciliavit in ſanguine ſuo, factus nobis juſtitia, ſanctificatio & redemptio: aut negat ipſum Chriſti Jeſu meritum per Baptiſmi Sacramentum, in forma Eccleſiæ rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari: anathema ſit. Quia non eſt aliud nomen ſub cælo datum hominibus, in quo oportuit nos ſalvos fieri. Unde illa vox: Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi, & illa, Quicumque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.

Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamſi fuerint à baptizatis parentibus orti: aut dicit in remiſſionem quidem peccatorum eos baptizari, ſed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam; unde fit conſequens, ut in eis forma Baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, non vera, ſed falſa intelligatur: anathema ſit. Quoniam non aliter intelligendum eſt, id quod dixit Apoſtolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt: niſi quemadmodum Eccleſia catholica ubique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, ex traditione Apoſtolorum, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in remiſſionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Niſi enim quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.

Si quis per Jeſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam aſſerit non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, ſed illud dicit tantum radi, aut non imputari: anathema ſit. In renatis enim nihil odit Deus: quia nihil eſt damnationis iis, qui vere conſepulti ſunt cum Chriſto per Baptiſma in mortem: qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti effecti ſunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti: ita ut nihil prorſus eos ab ingreſſu cæli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vel fomitem, hæc ſancta Synodus fatetur, & ſentit: quæ quum ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Chriſti Jeſu gratiam repugnantibus non valet: quinimo, qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, ſancta Synodus declarat, Eccleſiam catholicam nunquam intellexiſſe peccatum appellari, quod vere & proprie in renatis peccatum ſit: ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium ſenſerit, anathema ſit.

Declarat tamen hæc ipſa ſancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam & immaculatam virginem Mariam, Dei genitricem: ſed obſervandas eſſe conſtitutiones felicis recordationis Sixti Papæ quarti, ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas innovat.

DECRETUM SECUNDUM
QUINTÆ SESSIONIS.

EAdem ſacroſancta Synodus piis ſummorum Pontificum, & probatorum Conciliorum conſtitutionibus inhærens, eaſque amplectens, & illis adjiciens: ne cæleſtis ille ſacrorum librorum theſaurus, quem Spiritus ſanctus ſumma liberalitate hominibus tradidit, neglectus jaceat: ſtatuit & decrevit, quod in Eccleſiis illis, in quibus præbenda, aut præſtimonium, ſeu aliud quovis nomine nuncupatum ſtipendium, pro lectoribus ſacræ theologiæ deputatum reperitur, Epiſcopi, Archiepiſcopi, Primates, & alii locorum Ordinarii, eos, qui præbendam, aut præſtimonium, ſeu ſtipendium hujuſmodi obtinent, ad ipſius ſacræ Scripturæ expoſitionem, & interpre-

terpretationem, per ſeipſos, ſi idonei fuerint, alioquin per idoneum ſubſtitutum, ab ipſis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Primatibus, & aliis locorum Ordinariis eligendum, etiam per ſubtractionem fructuum cogant & compellant. De cætero vero præbenda, præſtimonium, aut ſtipendium hujuſmodi, non niſi perſonis idoneis, & qui per ſeipſos id munus explicare poſſint, conferantur: & aliter facta proviſio, nulla ſit, & invalida.

In Eccleſiis autem Metropolitanis, vel cathedralibus, ſi civitas inſignis, vel populoſa, ac etiam in collegiatis exiſtentibus in aliquo inſigni oppido, etiam nullius diœceſis, ſi ibi clerus numeroſus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præſtimonium, ſeu ſtipendium hujuſmodi deputatum reperitur, præbenda, quomodocunque, præterquam ex cauſa reſignationis, primo vacatura, ad eum uſum ipſo facto perpetuo conſtituta, & deputata intelligatur. Et quatenus in ipſis Eccleſiis nulla, vel non ſufficiens præbenda foret, Metropolitanus, vel Epiſcopus ipſe per aſſignationem fructuum alicujus ſimplicis beneficii (ejuſdem tamen debitis ſupportatis oneribus) vel per contributionem beneficiatorum ſuæ civitatis & diœceſis, vel alias, prout commodius fieri poterit, de Capituli conſilio ita provideat, ut ipſa ſacræ Scripturæ lectio habeatur: ita tamen, ut quæcunque aliæ lectiones, vel conſuetudine, vel quavis alia ratione inſtitutæ, propter id minime prætermittantur.

Eccleſiæ vero, quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tam exigua eſt cleri & populi multitudo, ut Theologiæ lectio in eis commode haberi non poſſit, ſaltem magiſtrum habeant, ab Epiſcopo cum conſilio Capituli eligendum, qui clericos, aliosque ſcholares pauperes Grammaticam gratis doceat: ut deinceps ad ipſa ſacræ Scripturæ ſtudia, annuente Deo, tranſire poſſint. Ideoque illi magiſtro Grammatices, vel alicujus ſimplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perſtiterit, aſſignentur; dum tamen beneficium ipſum, ſuo debito non fraudetur obſequio: vel ex Capitulari, vel Epiſcopali menſa, condigna aliqua merces perſolvatur: vel alias Epiſcopus ipſe, aliquam rationem ineat ſuæ Eccleſiæ, & Diœceſi accommodam, ne pia hæc, utilis, atque fructuoſa proviſio, quovis quæſito colore negligatur.

In monaſteriis quoque monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio ſacræ Scripturæ habeatur: qua in re ſi Abbates negligentes fuerint, Epiſcopi locorum in hoc providentes, ut ſedis Apoſtolicæ delegati eos ad id opportunis remediis compellant.

In conventibus vero aliorum regularium, in quibus ſtudia commode vigere poſſunt, ſacræ Scripturæ lectio ſimiliter habeatur: quæ lectio à Capitulis generalibus vel provincialibus aſſignetur dignioribus magiſtris.

In gymnaſiis etiam publicis, ubi tam honorifica, & cæterorum omnium maxime neceſſaria lectio hactenus inſtituta non fuerit, religioſiſſimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate, ad catholicæ fidei defenſionem, & incrementum, ſanæque doctrinæ conſervationem, & propagationem inſtituatur: &, ubi inſtituta foret, & negligeretur, reſtituatur.

Et ne ſub ſpecie pietatis, impietas diſſeminetur, ſtatuit eadem ſancta Synodus, neminem ad hujuſmodi lectionis officium, tam publice quam privatim admittendum eſſe, qui non prius ab Epiſcopo loci, de vita, moribus & ſcientia examinatus & approbatus fuerit. Quod tamen de lectoribus in clauſtris monachorum non intelligatur.

Docentes vero ipſam ſacram Scripturam, dum publice in ſcholis docuerint, & ſcholares, qui in ipſis ſcholis ſtudent, privilegiis omnibus, de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum ſuorum in abſentia, à jure communi conceſſis, plene gaudeant, & fruantur.

Quia vero Chriſtianæ Reipublicæ non minus neceſſaria eſt prædicatio Evangelii, quam lectio, & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum munus: ſtatuit, & decrevit eadem ſancta Synodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos, teneri per ſeipſos, ſi legitime impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum Jeſu Chriſti Evangelium.

Si vero contigerit Epiſcopos & alios prædictos legitimo detineri impedimento, juxta formam generalis Concilii, viros idoneos aſſumere teneantur, ad hujuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubjaceat ultioni.

Archipresbyteri quoque, plebani, & quicunque parochiales, vel alias curam animarum habentes, Eccleſias quocunque modo obtinent, per ſe, vel alios idoneos, ſi legitime impediti fuerint, diebus ſaltem Dominicis, & feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis: docendo ea, quæ ſcire omnibus, neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Id vero ſi quis eorum præſtare negligat, etiamſi ab Epiſcopi juriſdictione quavis ratione exemptum ſe eſſe prætenderet: etiamſi Eccleſiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui monaſterio, etiam extra Diœceſim exiſtenti, forſan annexæ vel unitæ, modo re ipſa in Diœceſi ſint: provida paſtoralis Epiſcoporum ſollicitudo non deſit, ne illud impleatur: Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Itaque, ubi ab Epiſcopo moniti, trium menſium ſpatio, muneri ſuo defuerint, per cenſuras Eccleſiaſticas, ſeu alias, ad ipſius Epiſcopi arbitrium cogantur: ita ut etiam ſi ei ſic expedire viſum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id præſtet, honeſta aliqua merces perſolvatur, donec principalis ipſe reſipiſcens, officium ſuum impleat.

Si quæ vero parochiales Eccleſiæ reperiantur ſubjectæ monaſteriis, in nulla Diœceſi exiſtentibus, ſi Abbates, & regulares Prælati in prædictis negligentes fuerint: à Metropolitanis, in quorum provinciis Diœceſes ipſæ ſitæ ſunt, tanquam quo ad hoc ſedis Apoſtolicæ delegatis compellantur. Neque hujus decreti executionem conſuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, ſive recurſus impedire valeat, quouſque deſuper à competenti judice, qui ſummarie, & ſola facti veritate inſpecta procedat, cognitum, & deciſum fuerit.

Regulares vero cujuſcunque ordinis, niſi à ſuis ſuperioribus, de vita, moribus & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia: etiam in Eccleſiis ſuorum ordinum prædicare non poſſint. Cum qua licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopis præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis vero, quæ ſuorum ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum ſuperiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur: ſine qua in ipſis Eccleſiis, non ſuorum ordinum, nullo modo prædicare poſſint. Ipſam autem licentiam gratis Epiſcopi concedant.

Si vero (quod abſit) prædicator errores, aut ſcandala diſſeminaverit in populum, etiamſi in monaſterio, ſui vel alterius ordinis prædicet: Epiſcopus ei prædicationem interdicat. Quod ſi hæreſes prædicaverit, contra eum, ſecundum juris diſpoſitionem, aut loci conſuetudinem procedat, etiamſi prædicator ipſe generali vel ſpeciali privilegio exemptum ſe eſſe prætenderet: quo caſu Epiſcopus auctoritate Apoſtolica, & tanquam ſedis Apoſtolicæ delegatus procedat. Curent autem Epiſcopi, ne quis prædicator, vel ex falſis informationibus, vel alias calumnioſe vexetur, juſtamve de eis conquerendi occaſionem habeat.

Caveant præterea Epiſcopi, ne aliquem vel eorum, qui quum ſint nomine regulares, extra clauſtra tamen, & obedientiam religionum ſuarum vivunt, vel presbyterorum ſecularium, niſi ipſis noti ſint, & moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum prætextu, in ſua civitate vel Diœceſi prædicare permittant, donec ab ipſis Epiſcopis ſuper ea re, ſancta ſedes Apoſtolica conſulatur, à qua, privilegia hujuſmodi, niſi tacita veritate & expreſſo mendacio, ab indignis extorqueri veriſimile non eſt.

Google

Quæſtores vero eleemoſynarii, qui etiam Quæſtuarii vulgo dicuntur, cujuſcunque conditionis exiſtant, ullo modo, nec per ſe, nec per alium prædicare præſumant: & contra facientes ab Epiſcopis, & Ordinariis locorum, privilegiis quibuſcunque non obſtantibus, opportunis remediis omnino arceantur.

Indictio futuræ Seſſionis.

Item hæc ſacroſancta Synodus ſtatuit & decernit, primam futuram Seſſionem tenendam, & celebrandam eſſe die Jovis, feria quinta poſt feſtum ſancti Jacobi Apoſtoli.

IN PRIMUM DECRETUM SESSIONIS QUINTÆ.

UT ſit in hoc decreto aliquid, quod præfationi reſpondeat, prima quatuor capita ex veteri, probataque Eccleſiæ doctrina mutuantur: de quibus ſcilicet nihil erit controverſiæ. Itaque malitioſe ſactum apparet, quod ſe diſſidia componere velle præfantur, quæ hoc tempore ſuerint excitata. Quorſum, obſecro, attinebat, tot anathemata detonare? Niſi ut imperiti crederent aliquid ſubeſſe cauſæ, quum tamen nihil ſit. In quinto capite, ubi jam aliquid ſuum afferunt, agere incipiunt ſuo more: hoc eſt, inculcare ſophiſtarum ſuorum nænias, & pertinaciter tueri. Anathema eſſe jubent, ſi quis neget totum in Baptiſmo tolli, quod propriam peccati rationem habet: ſed tantum radi, aut non imputari doceat. Aſtute hic admiſcent radendi verbum, quod odioſum eſſe norunt: nam & inde Auguſtinum gravabant Pelagiani. Ergo valeant cum ſua raſura. Nos totum peccati reatum vere tolli in Baptiſmo, aſſerimus: ita ut quæ manent peccati reliquiæ, non imputentur. Quo res clarius pateat, in memoriam revocent lectores, duplicem eſſe Baptiſmi gratiam: nam & peccatorum remiſſio illic, & regeneratio nobis offertur. Remiſſionem plenam fieri docemus: regenerationem inchoari duntaxat, ſuoſque tota vita facere progreſſus. Proinde manet vere peccatum in nobis, neque per Baptiſmum ſtatim uno die extinguitur: ſed quia deletur reatus, imputatione nullum eſt. Nihil hac doctrina magis expeditum. Eam cur Synodus anathemate damnet, videndum. Nihil, inquiunt venerandi patres, in renatis odit Deus. Ut hoc illis concedam: an propterea ſequitur, nihil odio eſſe dignum? ac non potius ideo nihil odit, quia quod jure poſſet odiſſe, ignoſcit? Rom. 8. Nam teſtimonium Apoſtoli quod arripiunt, nobis plane ſuffragatur: Nihil eſſe damnationis iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu: quia fideles his verbis non eximit à culpa, quaſi puri ſint, & omni peccato immunes, ſed tantum reatu liberat, eo quod ſub peccati onere gementes, hac conſolatione fulciantur, cujus ante meminerat, & de qua fuſius poſtea diſſerit, ut mox videbimus. Addunt præterea, nihil eſſe quod eos ab ingreſſu cæli remoretur. Fateor, non tamen quod nihil impedimenti habeant: ſed quia Chriſti innocentia veſtitis, nihil noceat. Ipſi vero cornuti patres, longe aliam cauſam aſſignant. Quia ſcilicet veterem hominem exuentes, & induentes novum, qui ſecundum Deum creatus eſt, puri ſint ac innoxii. Quis non eos prævaricari dicat? Nam qui adhuc in actu ſunt, nondum effectum habent. Non ergo caret aperta repugnantia, eos vocari puros & innoxios, qui adhuc proficiunt in veteri homine exuendo. Quod ſi præſenti tempore, loco præteriti ſe abuſos eſſe reſpondeant, illos omittam. Fideles enim Paulus alloquitur, Ephes. 4. vers. 22. quum jubet Epheſios veterem hominem exuere. Quo ſignificat non unius diei eſſe tantum hanc mutationem qua ex carne in ſpiritum renovamur. Quid hactenus in verbis Tridentinorum obſervarunt ſani lectores, quod minima ex parte eos juvet: imo quod non illis ſit penitus adverſum?

Pergamus tamen in excutiendo eorum decreto. Negant, concupiſcentiam vel ſomitem peccati, quem ſatentur manere in renatis, nocere poſſe non conſentientibus, quum ad agonem relictus ſit. Nempe, ideo non nocet, quia Deus virtutem ſuam in noſtra infirmitate perficit. Sed ſi exercendæ tantum virtutis cotem eſſe volunt: falſo conqueritur Paulus Rom. 7. vers. 24. hoc ſolo nomine ſe eſſe miſerum. Tametſi inepte facio, qui ex voce miſeriæ adverſus eos pugnem: quum nec concupiſcentiæ, nec vitii, nec peccati nomina eos moveant. Si pravitas in voluntate non eſt peccatum, neque homo eſt animal. Si vitium coram Deo culpa caret, Sol non eſt lucidus. De peccato quid dicam? Cavillantur, hoc verbo abuſum eſſe Paulum, quia peccati cauſa ſit, & pœna. Quaſi non palam reclamet contextus. Poſtquam enim peccati meminit, mox ſubjicit, Invenio per Legem volenti mihi facere bonum, adjacere malum. An hoc quoque illis improprie dictum videtur? Si verbi tantum eſſet quæſtio: tamen nihilo plus eſſent audiendi, quam qui infantes negant proprie cum peccato naſci. Utrique peccatum eodem modo interpretantur. Hoc intereſt, quod poſteriores de originali peccato generaliter ſic loquuntur. Iſti autem venerandi patres, eandem rem contendunt à Baptiſmo non amplius eſſe, quod prius erat, quum tamen eadem res maneat. Si cauſam ſuam meliorem eſſe volunt, in primis doceant oportet, ita converti rerum naturas, ut quod idem eſt, ſibi ſit diſſimile. Sed ipſa rei conſideratio certamen omne tollit. Negari enim, niſi impudenter, non poteſt, quin repugnantia adverſus Legem Dei vere ſit peccatum. Atqui, hoc de morbo in renatis hærente Apoſtolus prædicat. Sequitur ergo, ſuapte natura eſſe peccatum, tametſi non imputetur, ac proinde Chriſti gratia abolitus ſit reatus. Si iſta eſt vera juſtitiæ regula, Deum ex toto corde diligere, ex tota mente, ex totis viribus, cor certe alio inclinari non poterit, quin à juſtitia declinet. Atqui, ſe impedire conqueritur Paulus, ne bonum, quod cupit, faciat. Perſectum, inquam, Dei amorem Lex requirit: non præſtamus. Currendum erat: nos claudicando lente progredimur. Nihil in tali defectu reperiunt venerandi patres, cur peccatum cenſere debeant.

Ejuſdem eſt improbitatis, quod declarant, Eccleſiam nunquam ſecus intellexiſſe. Atqui, Ambroſius, teſte Auguſtino, diſerte iniquitatem nominat. Quid ipſe Auguſtinus? Multi ſunt loci, ex quibus non obſcura ejus confeſſio apparet. Quemadmodum quum tradit libro ſecundo contra Julianum, peccati legem in Baptiſmo remitti, non finiri. Item, ſolutum eſſe reatum: ipſam manere. Item, mortuum eſſe peccatum, in reatu quo nos tenebat: ſed mortuum quoque rebellare: donec ſepulturæ perfectione ſanetur. Item Homilia in Joannem quadrageſima prima: Quamdiu vivis, peccatum neceſſe eſt eſſe in membris tuis. Saltem regnum illi auferatur: non fiat quod jubet. Cæterum ex multis locis unum opponere ſufficiet: qui videtur, data opera, ad refutandam eorum vanitatem, conſcriptus. Nam libro adverſus Julianum quinto, nominatim tres cauſas enumerat, cur peccatum vocetur, etiam in renatis. Verba ſunt: Ut cæcitas cordis peccatum eſt, quo in Deum non creditur: & pœna peccati, qua ſuperbum cor digna animadverſione punitur: & cauſa peccati, quum aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiſcentia carnis, cui reſiſtit bonus Spiritus, & peccatum eſt, quia illi ineſt inobedientia adverſus dominatum mentis: & pœna peccati, quia reddita eſt meritis inobedientis:

dientis: & cauſa peccati, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis. Significationem verbi, quam veteri Eccleſiæ fuiſſe incognitam Synodus declarat, primo loco hic poni à primario antiquitatis teſte, nemo eſt qui non videat. Multum certe valebit Synodi definitio, ſi tenebras ex tam clara luce efficiat: atque ita faſcinet hominum oculos, ut fluvium ſe videre pntent in arbore.

IN SECUNDUM DECRETUM SESSIONIS QUINTÆ.

PRimum ſcire velim, quænam ſint illa probata Concilia, quæ ſummis Pontificibus adjungunt: nam quo tempore legitima Concilia, probæque notæ habebantur: nemo unus agnoſcebatur ſummus Pontifex, ac ne primus quidem Epiſcopus: nam id nominatim in Synodo Carthaginenſi vetitum fnit. Proinde videmus, quæ tam ſpecioſo fuco hic pinguntur Concilia, non alia eſſe, quam ſex aut ſeptem adulterina, poſt extinctam ſanæ doctrinæ lucem, poſt collapſam diſciplinam habita, quibus meri aſini & craſſi boves interfuerunt: quæ nihil præ ſe ferunt antiquæ dignitatis: ſed Gothicam Romanæ ſedis tyrannidem redolent. O exactam reformationem! Ut quæ ex putida corruptiſſimi ſeculi fæce collegit Synodus Lateranenſis, & poſterioribus Conciliis in deterius etiamnum mutata ſunt, poſtliminio revocentur. Quanquam hic erro: nam ſe, neſcio quid, addituros profitentur. Ergo qualis iſta ſit acceſſio, ex decretis videndum.

Jubent, ut qui præbendas obtinent ſacræ theologiæ lectoribus deſtinatas, docendi officium exerceant, vel per ſe, vel per alios, ſi minus erunt idonei. Indoctis itaque hominibus, & penitus ineptis locum, quem fraude, quem injuria, quem ſacrilegio, quem nulla juris ſpecie occuparunt, relinquit Synodus: modo vicariis aliquantulam ſtipendii portionem erogent. Sed in poſterum diligenter cavet, ne quis, niſi idoneus, admittatur. Quorum judicio? Et quibus injungerent has partes, niſi loci Canonicis? Creabit ergo Epiſcopus qualem volet lectorem. Quod erit tam moroſum collegium, cui non ſufficiat ille, qualiſcunque fuerit? Verum, ſi improbari contingat, lis orietur. Niſi pluſquam monſtrum appareat, rata erit Epiſcopi nominatio. Jam quis legendi ordo? quod tempus? quod auditorium? Quæ omnia prudenter tacent venerandi patres, ut ſimplicibus perſuadeant aliquid ſe agere, quum nihil egerint. Quid enim? Nonne quod præſcribunt, uſitatum eſt, ut ſingulis ſeptimanis lector, retinendæ poſſeſſionis cauſa, duos aut tres ex compotoribus invitet ad inane lectionis ſpectaculum?

Secundo capite novas lectiones inſtituunt. Ubi? In Metropolitanis Eccleſiis, aut Epiſcopalibus: ſi tamen erit inſignis civitas ac populoſa. Quorſum iſta addita eſt exceptio? Veriti ſunt ſcilicet, ne frigeret auditorium, ſi minus celebris eſſet locus. Hoc vero perinde eſt, acſi nihil dicerent: ſed volunt idem jus in oppidis inſignibus ſervari. Dicunt quidem: ſed quam rationem expediunt. Ut vel Epiſcopus ſtipendium ex ſimplici beneficio aſſignet, vel contribuat clerus diœceſeos, vel à Canonicis ineatur alia ratio. Iſtæ vero disjunctivæ tantundem valent, acſi totidem ſeculis res protraheretur.

Simile eſt, quod de magiſtris ſubjiciunt: nam ut ſacerdotia in eum uſum conſerantur, nunquam ſperandum eſt. Multo vero minus, ut Epiſcopi de menſa ſua quicquam detrahant. Supereſt tertium, ut Epiſcopus modum aliquem diſpiciat. Atqui, priuſquam inter eum & clerum de contributione lis finiatur, ſepulta erit Tridentini Concilii memoria. Neque ignorant boni decretiſtæ. Sed aliquid fingi oportuit, ne ſtatim palam fieret, nihil eſſe actum.

Quartum caput ſi obiter legatur, non parvum terrorem monachis incutere queat, ne ad theologiam revocentur. Sed duæ ſunt illic exceptiones, quæ omni eos metu liberant: neque enim alibi lectiones ordinant, quam ubi erit commodum. Atqui, nullum eſt monaſterium, quod non ſit bonis omnibus ſtudiis magis inhoſpitale, quam olim Cyclopum regio. In ſecunda vero tutius etiamnum quieſcunt. Mandatum enim datur Epiſcopis, ut Abbates compellant, ſi negligentes fuerint. Idque faciant, ut ſedis Apoſtolicæ delegati. Ergo ſi quis Epiſcopus moleſtiam Abbati faceſſet: mox interveniet provocatio. Romæ agetur cauſa. Quis exitus? Prius totam Scripturam monacbi vorabunt, quam cogantur ad lectionem unam audiendam.

Porro, ne quod celebre gymnaſium theologica lectione careat: Principes, ac Reſpublicas bortantur ad ſumptus conferendos. Quaſi multum ponderis habitura ſit perfunctoria hæc commendatio. Præſertim quum ſatis conſtet, plus centuplo ingurgitari ab otioſis ventribus, quam quod in hunc uſum ſufficeret. Cur ergo inde potius ſumi non præcipiunt: niſi quia cavent veluti data opera, ne quid fiat?

Quando ejuſdem generis ſunt reliqua, non eſt quod excutiendis talibus næniis bonas horas male perdam. Certum quidem eſt, eos, verba fundendo, voluiſſe tenebras offundere ſimplicibus, ut aliquid rei ſubeſſe crederent, donec experimento diſcerent, ſe fuiſſe deluſos: quiſquis autem unciam habet ſani judicii, mecum agnoſcet nihil eſſe, præter raucum verborum murmur, quod ne ipſi quidem exaudiri volunt.

SESSIO SEXTA.

QUum hoc tempore non ſine animarum jactura, & gravi Eccleſiaſticæ unitatis detrimento, erronea quædam diſſeminata ſit de juſtificatione doctrina: ad laudem & gloriam omnipotentis Dei, Eccleſiæ tranquillitatem, & animarum ſalutem, ſacroſancta, œcumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea nomine Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & D. N. Pauli, divina providentia Papæ III. Reverendiſſ. Dominis, Dominis Joan. Maria, Epiſcopo Præneſtino, de Monte: & Marcello tit. ſanctæ Crucis in Hieruſalem Presbytero, Rom. Eccleſiæ Cardinalibus, & Apoſtolicis de latere Legatis: exponere intendit omnibus Chriſti fidelibus, veram ſanamque doctrinam, ipſius juſtificationis: quam Sol juſtitiæ Chriſtus, fidei noſtræ auctor & conſummator, docuit, Apoſtoli tradiderunt, & catholica Eccleſia, Spiritu ſancto ſuggerente, perpetuo retinuit. Diſtrictius inhibendo, ne deinceps audeat quiſquam aliter credere, prædicare, aut docere, quam præſenti decreto ſtatuitur, & declaratur.

De imbecillitate naturæ, ac Legis, ad juſtificandos homines.

II. *Declarat ſancta Synodus, ad juſtificationis doctrinam proprie ac ſincere intelligendam, oportere, ut unuſquiſque agnoſcat, & fateatur, quod quum omnes homines in prævaricatione Adæ, innocentiam perdidiſſent, facti immundi, &, ut Apoſtolus inquit, natura filii iræ: quemadmodum etiam in decreto de peccato originali expoſuit: uſque adeo erant ſervi peccati, & ſub poteſtate diaboli, ac mortis, ut non modo Gentes, per vim naturæ, ſed nec Judæi quidem, per ipſam etiam literam Legis Moyſi, inde liberari, aut ſurgere poſſent, tametſi in eis liberum arbitrium minime extinctum eſſet, licet viribus attenuatum, & inclinatum.*

De diſpenſatione, & miniſterio adventus Chriſti.

III. *Quo factum eſt, ut cæleſtis Pater, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, Chriſtum Jeſum, Filium ſuum, & ante Legem & Legis tempore multis ſanctis Patribus declaratum, ac promiſſum, quum venit beata illa plenitudo temporum, ad homines miſerit, ut & Judæos, qui ſub Lege erant, redimeret, & gentes quæ non ſectabantur juſtitiam, juſtitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent: Hunc propoſuit Deus propitiatorem, per fidem in ſanguine ipſius, pro peccatis noſtris: non ſolum autem pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi.*

Qui per Chriſtum juſtificentur.

IV. *Verum, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, ſed hi duntaxat, quibus meritum paſſionis ejus communicatur. Nam ſicut re vera homines, niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerentur, non naſcerentur injuſti; quum ea propagatione, per ipſum dum concipiuntur, propriam injuſtitiam contrahant: ita, niſi in Chriſto renaſcerentur, nunquam juſtificarentur: quum ea renaſcentia per meritum paſſionis ejus, gratia, qua juſti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio, Apoſtolus gratias nos ſemper agere hortatur Patri, qui nos dignos fecit in partem ſortis ſanctorum in lumine, & eripuit nos de poteſtate tenebrarum, tranſtulitque in regnum Filii dilectionis ſuæ. In quo habemus redemptionem, & remiſſionem peccatorum.*

Inſinuatur deſcriptio juſtificationis impii, & modus ejus in ſtatu gratiæ.

V. *Quibus verbis juſtificationis impii deſcriptio inſinuatur, ut ſit tranſlatio ab eo ſtatu, in quo homo naſcitur filius primi Adæ, in ſtatum gratiæ & adoptionis filiorum Dei, per ſecundum Adam, Jeſum Chriſtum ſalvatorem noſtrum: quæ quidem tranſlatio poſt Evangelium promulgatum, ſine lavacro regenerationis, aut ejus voto fieri non poteſt: ſicut ſcriptum eſt, Niſi quis renatus, &c.*

De neceſſitate præparationis ad juſtificationem in adultis, & unde ſit.

VI. *Declarat præterea, ipſius juſtificationis exordium in adultis, à Deo per Chriſtum Jeſum præveniente gratia ſumendum eſſe: hoc eſt, ab ejus vocatione, qua nullis eorum exiſtentibus meritis vocantur, ut qui per peccata à Deo averſi erant, per ejus excitantem atque adjuvantem gratiam, ad convertendum ſe, ad ſuam ipſorum juſtificationem, eidem gratiæ libere aſſentiendo, & cooperando diſponantur: ita ut tangente Deo cor hominis, per Spiritus ſancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens: quippe qui & illam abjicere poteſt: neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram ipſo, libera ſua voluntate poſſit. Unde in ſacris literis, quum dicitur: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: libertatis noſtræ admonemur. Quum vero reſpondemus: Converte nos Domine, & ad te convertemur: Dei nos gratia præveniri confitemur.*

Modus juſtificationis.

VII. *Diſponuntur autem ad ipſam juſtitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera eſſe, quæ divinitus revelata, & promiſſa ſunt. Atque illud in primis: à Deo juſtificari impium per gratiam ejus, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu: & dum peccatores, ſe eſſe intelligentes, à divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad conſiderandam Dei miſericordiam ſe convertendo, in ſpem eriguntur, fidentes Deum per Chriſtum ſibi propitium fore: illumque, tanquam omnis juſtitiæ fontem, diligere incipiunt. Ac propterea moventur adverſus peccata per odium aliquod, & deteſtationem: hoc eſt, per eam pœnitentiam, quam ante Baptiſmum agi oportet. Denique dum proponunt ſuſcipere Baptiſmum, inchoare novam vitam, & ſervare divina mandata. De hac diſpoſitione ſcriptum eſt: Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt: & quod inquirentibus eum remunerator ſit. &, Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. &, Timor Domini expellit peccatum. &, Pœnitentiam agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Jeſu Chriſti, & accipietis remiſſionem peccatorum veſtrorum, & donum Spiritus ſancti. &, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, docentes eos ſervare ea, quæcunque mandavi vobis. Denique, Præparate corda veſtra Domino, &c.*

Quid ſit juſtificatio impii, & quæ ejus cauſæ.

VIII. *Hanc præparationem, ſeu diſpoſitionem, juſtificatio ipſa conſequitur, quæ non eſt ſola peccatorum remiſſio, ſed & ſanctificatio, ac renovatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum: unde homo ex injuſto fit juſtus, ex inimico fit amicus: ut ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ. Hujus juſtificationis cauſæ ſunt: Finalis quidem, gloria Dei, & Chriſti, ac vita æterna. Efficiens vero, miſericors Deus, qui gratuito abluit & ſanctificat, ſignans & ungens Spiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. Meritoria autem, dilectus unigenitus Filius ſuus, D. N. Jeſus Chriſtus, qui quum eſſemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ſua ſanctiſſima paſſione in ligno crucis, nobis juſtificationem meruit, & pro nobis Deo Patri ſatisfecit. Inſtrumentalis item, Sacramentum Baptiſmi, quod eſt Sacramentum fidei, ſine qua nulli unquam contigit juſtificatio. Demum unica formalis cauſa eſt juſtitia Dei, non qua ipſe juſtus eſt, ſed qua nos juſtos facit: qua videlicet ab eo donati renovamur ſpiritu mentis noſtræ: & non modo reputamur, ſed vere juſti nominamur & ſumus, juſtitiam in nobis recipientes unuſquiſque ſuam, ſecundum menſuram quam Spiritus ſanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecundum propriam uniuſcujuſque diſpoſitionem & cooperationem. Quanquam enim nemo poſſit eſſe juſtus, niſi cui merita paſſionis Chriſti communicantur: id tamen in hac impii juſtificatione fit, dum ejuſdem ſanctæ paſſionis merito, per Spiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui juſtificantur, atque ipſis inhæret: unde in ipſa juſtificatione, cum remiſſione peccatorum, hæc omnia ſimul infuſa accipit homo, per Jeſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem. nam fides, niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neque unit perfecte cum Chriſto, neque corporis ejus vivum membrum efficit. Qua ratione veriſſime dicitur fidem ſine operibus mortuam, & otioſam eſſe: & in Chriſto Jeſu, neque circumciſionem, neque præputium aliquid valere, ſed fidem quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante Baptiſmi Sacramentum, ex Apoſtolorum traditione, catechumeni ab Eccleſia petunt, quum petunt fidem, vitam æternam præſtantem, quam ſine ſpe, & charitate, fides præſtare non poteſt. Unde & ſtatim verbum Chriſti audiunt: Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. Itaque veram & Chriſtianam juſtitiam accipientes, eam, ceu primam ſtolam, pro illa, quam Adam ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Jeſum illis donatam, candidam, & immaculatam, jubentur ſtatim renati conſervare, ut eam proferant ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti, & habeant vitam æternam.*

Quo-

Quomodo intelligatur, impium, per fidem, & gratis juſtificari.

IX. *Quum vero Apoſtolus dicit, juſtificari hominem per fidem & gratis: ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quem perpetuus Eccleſiæ catholicæ conſenſus tenuit, & expreſſit: ut ſcilicet, per fidem ideo juſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum, & radix omnis juſtificationis: ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, & ad filiorum conſortium pervenire. Gratis autem juſtificari, ideo dicamur, quia nihil eorum quæ juſtificationem præcedunt, ſive fides: ſive opera, ipſam juſtificationis gratiam promeretur: ſi enim gratia, jam non ex operibus: alioquin gratia, jam non eſſet gratia.*

Contra inanem hæreticorum fiduciam.

X. *Quamvis autem neceſſarium ſit credere, neque remitti, neque remiſſa unquam fuiſſe peccata, niſi gratis, divina miſericordia per Chriſtum: nemini tamen fiduciam & certitudinem remiſſionis peccatorum ſuorum jactanti, & in ea ſola quieſcenti, peccata dimitti, vel dimiſſa eſſe dicendum eſt: quum apud hæreticos, & ſchiſmaticos poſſit eſſe, imo noſtra tempeſtate ſit, & prædicetur, magna contra Eccleſiam catholicam contentione, hæc vana, & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud aſſerendum eſt, oportere eos qui vere juſtificati ſunt, abſque ulla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe vere eſſe juſtificatos, neminemque abſolvi à peccatis, ac juſtificari, niſi eum qui certo credat ſe abſolutum, ac juſtificatum eſſe: atque hac ſola fide abſolutionem ac juſtificationem perfici: quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſſione, deque mortis ac reſurrectionis Chriſti dubitet efficacia: nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, ac Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, ſic quilibet dum ſeipſum, ſuamque propriam infirmitatem, ac indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, ac timere poteſt: quum nullus ſcire valeat certitudine fidei, cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequutum.*

De acceptæ juſtificationis incremento.

XI. *Sic ergo juſtificati, & amici Dei, ac domeſtici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apoſtolus inquit, de die in diem: hoc eſt, mortificantes membra carnis ſuæ, & exhibentes ea arma juſtitiæ Deo, in ſanctificationem, per obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, in ipſa juſtitia, per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, creſcunt, & magis ac magis juſtificantur, ſicut ſcriptum eſt: Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc: & iterum, Ne verearis uſque ad mortem juſtificari: & rurſus, Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum. Hoc vero juſtitiæ incrementum petit ſancta Eccleſia, quum orat: Da nobis, Domine, fidei, ſpei, & charitatis augmentum, &c.*

De obſervatione mandatorum, deque illius neceſſitate, & poſſibilitate.

XII. *Nemo autem quantumvis juſtificatus, liberum ſe eſſe ab obſervatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, & à Patribus ſub anathemate prohibita voce uti, Dei præcepta homini juſtificato, ad obſervandum eſſe impoſſibilia: nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis: cujus mandata gravia non ſunt: cujus jugum ſuave eſt, & onus leve. Qui enim Dei ſunt, Chriſtum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipſemet teſtatur, ſervant ſermones ejus: quod utique cum divino adjutorio præſtare poſſunt. Licet enim in hac mortali vita, quantumvis ſancti & juſti, in levia ſaltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata, quandoque cadant, non propterea deſinunt eſſe juſti. nam juſtorum illa vox eſt, & humilis & verax: Dimitte nobis debita noſtra. Quo fit, ut juſti ipſi, eo magis ſe obligatos eſſe ad ambulandum in via juſtitiæ ſentire debeant, quo liberati jam à peccato, ſervi autem facti Deo, ſobrie, juſte, & pie viventes, proficere poſſint, per Chriſtum Jeſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus namque ſua gratia ſemel juſtificatos non deſerit, niſi prius ab eis deſeratur. Itaque, nemo ſibi in ſola fide blandiri debet, putans fide ſola hæredem ſe eſſe conſtitutum, hæreditatemque conſequuturum: etſi Chriſto non compatiatur, ut & conglorificetur: nam & ipſe Chriſtus, quum eſſet Filius Dei, didicit ex his quæ paſſus eſt, obedientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Propterea, Apoſtolus ipſe monet juſtificatos, dicens: Neſcitis, quod hi qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? ſic currite, ut comprehendatis: Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans, ſed caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne quum aliis prædicaverim, ipſe reprobus efficiar. Item Princeps Apoſtolorum Petrus: Satagite, ut per bona opera, certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hoc enim facientes, non peccabitis aliquando. Unde conſtat eos orthodoxæ religionis doctrinæ adverſari, qui dicunt juſtum in omni opere bono peccare, ſaltem venialiter: aut, quod intolerabilius eſt, pœnas æternas mereri. Atque etiam eos, qui ſtatuunt in omnibus operibus juſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam: quum ſcriptum ſit: Inclinavi cor meum, ad faciendas juſtificationes tuas, propter retributionem. & de Moſe dicat Apoſtolus, quod reſpiciebat in remunerationem.*

Prædeſtinationis temerariam præſumptionem cavendam eſſe.

XIII. *Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivit, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeo præſumere debet, ut certo ſtatuat, ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quod juſtificatus, aut amplius peccare non poſſit, aut ſi peccaverit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat: nam ſine ſpeciali revelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.*

De perſeverantiæ munere.

XIV. *Similiter de perſeverantiæ munere, de quo ſcriptum eſt: Qui perſeveraverit uſque in finem, ſalvus erit: quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo, qui potens eſt, eum qui ſtat, ſtatuere, ut perſeveranter ſtet: & eum qui cadit, reſtituere: nemo ſibi certi aliquid, abſoluta certitudine polliceatur; tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim, niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle, & perficere: tamen qui ſe exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur, in laboribus, in vigiliis & in eleemoſynis, in orationibus, & in oblationibus, in jejuniis & caſtitate. Formidare enim debent, ſcientes quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloriam renati ſunt, de pugna quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum diabolo: in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent, dicenti: Debitores ſumus non carni, ut ſecundum carnem vivamus: ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſi autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

De

Digitized by Google

De lapſis, & eorum reparatione.

XV. *Qui vero ab accepta juſtificationis gratia, per peccatum exciderunt, rurſus juſtificari poterunt, quum excitante Deo, per pœnitentiæ Sacramentum, merito Chriſti, amiſſam gratiam recuperare procuraverint. Hic enim juſtificationis modus eſt lapſi reparatio: quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam, apte nuncuparunt Patres. Etenim pro his qui poſt Baptiſmum, in peccata labuntur, Chriſtus Jeſus Sacramentum ſtatuit pœnitentiæ, quum dicit: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Unde dicendum eſt, Chriſtiani hominis pœnitentiam, poſt lapſum, multo aliam eſſe à baptiſmali: eamque continere non modo ceſſatione à peccatis, & eorum deteſtatione, aut corde contrito & humiliato: verum etiam eorundem ſacramentali confeſſione: ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendа: & ſacerdotali abſolutione. Itemque ſatisfactione, per jejunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia: non quidem, pro pœna æterna, quæ etiam Sacramenti voto, una cum culpa remittitur: ſed pœna temporali, quæ, ut ſacræ literæ docent, non tota ſemper, ut in Baptiſmo fit, dimittitur illis, qui gratiæ Dei, quam acceperunt, ingrati, Spiritum ſanctum contriſtaverunt, & templum Dei violare non ſunt veriti. De qua pœnitentia ſcriptum eſt: Memor eſto unde excideris: age pœnitentiam, & prima opera fac. Et iterum: Quæ ſecundum Deum triſtitia eſt, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Et rurſus: Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ.*

Quolibet mortali peccato amitti gratiam, ſed non fidem.

XVI. *Adverſus etiam quorundam hominum callida ingenia, qui per dulces ſermones, & benedictiones, ſeducunt corda innocentium: aſſerendum eſt, non modo infidelitate, per quam etiam ipſa fides amittitur: ſed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti, divinæ Legis doctrinam defendendo: quæ à regno Dei non ſolum infideles excludit, ſed & fideles quoque, fornicarios, adulteros, molles, maſculorum concubitores, fures, avaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, cæteroſque omnes, qui lethalia committunt peccata, à quibus cum divinæ gratiæ adjumento abſtinere poſſunt, & pro quibus à Chriſti gratia ſeparantur.*

De fructu juſtificationis, hoc eſt, de merito bonorum operum, deque ipſius meriti ratione.

XVII. *Hac igitur ratione juſtificatis hominibus, ſive gratiam acceptam perpetuo conſervaverint, ſive amiſſam recuperaverint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino: non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis, & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ejus. Et, Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus, uſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei, per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces, ex ipſius Dei promiſſione, bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda. hæc eſt enim corona juſtitiæ, quam poſt ſuum certamen, & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus, à juſto judice ſibi reddendam: non ſolum autem ſibi, ſed & omnibus qui diligunt adventum ejus. Quum enim ille ipſe Chriſtus Jeſus, tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos juſtificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſent: nihil ipſis juſtificatis amplius deeſſe credendum eſt, quominus plene illis quidem operibus, quæ in Deo ſunt facta, divinæ Legi, pro hujus vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore, ſi tamen in gratia deceſſerint, conſequendam vere promeruiſſe cenſeantur. Quum Chriſtus Salvator noſter dicat: Si quis biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ita neque propria noſtra juſtitia, tanquam ex nobis propria ſtatuitur, neque ignoratur aut repudiatur juſtitia Dei: quæ enim juſtitia noſtra dicitur, quia per eam, inhærentem nobis, juſtificamur; illa eadem Dei eſt, quia à Deo nobis infunditur, per Chriſti meritum. Neque vero illud omittendum eſt, quod licet bonis operibus in ſacris literis uſque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus, eum non eſſe ſua mercede cariturum: & Apoſtolus teſtetur, id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operari in nobis. Abſit tamen, ut Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino: cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unuſquiſque, ſicut miſericordiam, & bonitatem, ita ſeveritatem & judicium, ante oculos habere debet: neque ſeipſum aliquis, etiamſi nihil ſibi conſcius fuerit, judicare: quoniam omnis hominum vita non humano judicio examinanda & judicanda eſt, ſed Dei, qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit unicuique à Deo, qui, ut ſcriptum eſt, reddet unicuique ſecundum opera ſua.*

Poſt hanc catholicam, de juſtificatione doctrinam, quam niſi quiſque fideliter, firmiterque crediderit, juſtificari non poterit: placuit ſanctæ Synodo, hos Canones ſubjungere, ut omnes ſciant, non ſolum quid tenere & ſequi, ſed etiam quid vitare & fugere debeant.

CANONES.

I. *Si quis dixerit, hominem, ſuis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires, vel per Legis doctrinam fiunt, abſque divina per Chriſtum gratia poſſe juſtificari: anathema ſit.*

II. *Si quis dixerit, ad hoc ſolum divinam per Chriſtum Jeſum gratiam dari, ut facilius homo juſte vivere, ac vitam æternam promereri poſſit, quaſi per liberum arbitrium, ſine gratia, utrumque, ſed ægre tamen & difficulter poſſit: anathema ſit.*

III. *Si quis dixerit, ſine præveniente Spiritus ſancti inſpiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, ſperare, diligere, aut pœnitere poſſe, ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur: anathema ſit.*

IV. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium, à Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti & vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat atque præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit: ſed velut inanime quoddam, nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere: anathema ſit.*

V. *Si quis liberum hominis arbitrium, poſt Adæ peccatum, amiſſum, & extinctum eſſe dixerit, aut rem eſſe de titulo ſolo, imo titulum ſine re, figmentum denique à Satana invectum in Eccleſiam: anathema ſit.*

VI. *Si quis dixerit, non eſſe in hominis poteſtate, vias ſuas malas facere: ſed mala opera ita ut bona, Deum operari, non permiſſive ſolum, ſed etiam proprie, & per ſe: adeo ut ſit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli: anathema ſit.*

VII. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante juſtificationem fiunt, quacunque ratione facta ſint, vere eſſe peccata, vel odium Dei mereri: aut quanto vehementius quis nititur ſe diſponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare: anathema ſit.*

VIII. *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad miſericordiam Dei, de peccatis dolendo confugimus, vel*

à pec-

à peccando abſtinemus, peccatum eſſe, aut peccatores pejores facere: anathema ſit.

IX. *Si quis dixerit, ſola fide juſtificari impium, ita ut intelligat nihil aliud requiri quod ad juſtificationis gratiam conſequendam cooperetur, & nulla ex parte neceſſe eſſe, eum ſuæ voluntatis motu præparari atque diſponi: anathema ſit.*

X. *Si quis dixerit, homines, ſine Chriſti juſtitia, per quam nobis meruit, juſtificari, aut per eam ipſam, formaliter juſtos eſſe: anathema ſit.*

XI. *Si quis dixerit, homines juſtificari, vel ſola imputatione juſtitiæ Chriſti, vel ſola peccatorum remiſſione, excluſa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum ſanctum diffunditur, atque illis inhæret: aut etiam gratiam, qua juſtificamur, eſſe tantum favorem Dei: anathema ſit.*

XII. *Si quis dixerit, fidem juſtificantem, nihil aliud eſſe, quam fiduciam divinæ miſericordiæ, peccata remittentis per Chriſtum, vel eam fiduciam ſolam eſſe, qua juſtificamur: anathema ſit.*

XIII. *Si quis dixerit, homini cuilibet ad remiſſionem peccatorum aſſequendam neceſſarium eſſe, ut credat certo, & abſque ulla hæſitatione propriæ infirmitatis, & indiſpoſitionis, peccata ſibi eſſe remiſſa: anathema ſit.*

XIV. *Si quis dixerit, hominem abſolvi à peccatis, aut juſtificari ex eo, quod ſe abſolvi, aut juſtificari certo credat: aut neminem eſſe juſtificatum vere, niſi qui credit ſe eſſe juſtificatum, & à ſola fide abſolutionem & juſtificationem perfici: anathema ſit.*

XV. *Si quis dixerit, hominem renatum, vel juſtificatum teneri ex fide, ad credendum ſe certo eſſe in numero prædeſtinatorum: anathema ſit.*

XVI. *Si quis dixerit, magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum, ſe certo habiturum, abſoluta & infallibili certitudine: niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit: anathema ſit.*

XVII. *Si quis juſtificationis gratiam, non niſi prædeſtinatis ad vitam contingere dixerit: reliquos vero omnes, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divina poteſtate prædeſtinatos ad malum: anathema ſit.*

XVIII. *Si quis dixerit, Dei præcepta, homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto, eſſe ad obſervandum impoſſibilia: anathema ſit.*

XIX. *Si quis dixerit, nihil præceptum eſſe in Evangelio, præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera: aut decem præcepta, nihil pertinere ad Chriſtianos: anathema ſit.*

XX. *Si quis hominem juſtificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantum ad credendum: quaſi vero Evangelium ſit nuda, & abſoluta promiſſio vitæ æternæ, ſine conditione obſervationis mandatorum: anathema ſit.*

XXI. *Si quis dixerit, Chriſtum Jeſum à Deo hominibus datum fuiſſe ut Redemptorem, cui fidant, non item ut Legiſlatorem, cui obediant: anathema ſit.*

XXII. *Si quis dixerit, juſtificatum, vel ſine ſpeciali auxilio Dei, in accepta juſtitia perſeverare poſſe, vel cum Dei auxilio non poſſe: anathema ſit.*

XXIII. *Si quis hominem ſemel juſtificatum, dixerit amplius peccare non poſſe, neque gratiam amittere, atque ideo eum, qui labitur, vel peccat, nunquam vere fuiſſe juſtificatum: aut poſſe tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, niſi ex ſpeciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Virgine tenet Eccleſia: anathema ſit.*

XXIV. *Si quis dixerit, acceptam juſtitiam non conſervari, atque etiam non augeri coram Deo, per bona opera: ſed opera ipſa, fructus ſolummodo, & ſigna eſſe juſtificationis adeptæ, non etiam ipſius augendæ cauſam: anathema ſit.*

XXV. *Si quis in quolibet bono opere juſtum, ſaltem venialiter peccare dixerit, aut, quod intolerabilius eſt, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri: tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem: anathema ſit.*

XXVI. *Si quis dixerit, juſtos non debere, pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & ſperare æternam retributionem à Deo per ejus miſericordiam, & Jeſu Chriſti meritum, ſi bene agendo, & divina mandata cuſtodiendo, uſque in finem perſeveraverint: anathema ſit.*

XXVII. *Si quis dixerit, nullum eſſe mortale peccatum, niſi infidelitatis: aut nullo alio, quantumvis gravi & enormi, præterquam infidelitatis peccato, ſemel acceptam gratiam amitti: anathema ſit.*

XXVIII. *Si quis dixerit, amiſſa per peccatum gratia, ſimul & fidem ſemper amitti: aut fidem, quæ remanet, non eſſe veram fidem, licet non ſit viva: aut eum qui fidem ſine charitate habet, non eſſe Chriſtianum: anathema ſit.*

XXIX. *Si quis dixerit, eum qui poſt Baptiſmum lapſus eſt, non poſſe per Dei gratiam reſurgere: aut poſſe quidem, ſed ſola fide, amiſſam juſtitiam recuperare, ſine Sacramento pœnitentiæ, prout ſancta Romana & univerſalis Eccleſia, à Chriſto Domino, & ejus Apoſtolis edocta, hucuſque profeſſa eſt, ſervavit, & docuit: anathema ſit.*

XXX. *Si quis, poſt acceptam juſtificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, aut reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exolvendæ, vel in hoc ſeculo vel in futuro, in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere poſſit: anathema ſit.*

XXXI. *Si quis dixerit, juſtificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur: anathema ſit.*

XXXII. *Si quis dixerit, hominis juſtificati bona opera, ita eſſe dona Dei, ut non ſint etiam bona ipſius juſtificati merita: aut ipſum juſtificatum bonis operibus, quæ ab eo, per Dei gratiam, & Jeſu Chriſti meritum, cujus vivum membrum eſt, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipſius vitæ æternæ, ſi tamen in gratia deceſſerit, conſequutionem, atque etiam gloriæ augmentum: anathema ſit.*

XXXIII. *Si quis dixerit, hanc doctrinam catholicam, de juſtificatione, à ſancta Synodo, hoc præſenti Decreto expreſſam, aliqua ex parte gloriæ Dei, vel meritis Jeſu Chriſti Domini noſtri derogare, & non potius per eam veritatem fidei noſtræ, Dei denique, ac Chriſti Jeſu gloriam illuſtrari: anathema ſit.*

IN SEXTAM SESSIONEM.

Doctrina de hominis juſtificatione, facilis eſſet explicatu, niſi falſæ opiniones, quibus præoccupati ſunt hominum animi, tenebras claræ luci obducerent. Hæc autem præcipua obſcuritatis cauſa, quod ægerrime adducimur, ut uni Deo in ſolidum relinquamus juſtitiæ gloriam. Cupimus enim ſemper aliquid eſſe: & quæ noſtra ſtultitia eſt, etiam nobis videmur. Ejuſmodi ſuperbia, ſicut ab initio ingenita fuit hominibus, ita Satanæ januam aperuit, ad eos multis impiis praviſque perſuaſionibus imbuendos, quibuſcum hodie nobis luctandum eſt. Et extiterunt ſeculis omnibus Sophiſtæ, qui in extollenda hominum juſtitia, quod ſciebant fore plauſibile, ſtylum exercerent. Poſteaquam ſingulari Dei beneficio factum eſt, ut communi veteris Eccleſiæ conſenſu, Pelagii impietas repudiaretur, non tam proterve amplius de hominum meritis garrire auſi ſunt: mediam tamen viam excogitarunt, ut in homine juſtificando, neque totum Deo, neque nihil darent.

Hæc moderatio eſt, quam tenent venerandi patres, ad errores corrigendos, quos de juſtificatione homi-

Digitized by Google

hominis, noſtra ætate exortos eſſe dicunt. Sic quidem præfantur, ut initio nihil ſpirent præter Chriſtum: ſed quum ad rem ventum eſt, multum abeſt; quin illi relinquant, quod ſuum eſt. Imo, nihil tandem aliud continet eorum definitio, quam tritum illud ſcholarum dogma: Partim gratia Dei, partim operibus propriis juſtificari homines: ut aliquanto ſe magis verecundos oſtendant, quam fuerit Pelagius. Quod ex re ipſa judicare promptum erit.

Nam capite ſecundo, ubi de peccato originali diſſerunt, liberum arbitrium pronunciant viribus fuiſſe attenuatum, & inclinatum, non tamen extinctum. De nomine non litigabo: ſed quum libertatem minime extinctam fuiſſe contendunt, hoc ſane intelligunt, aliquid reſtare facultatis humanæ voluntati, ad bonum eligendum. Ubi enim non eſt interitus, illic ſaltem aliqua eſt vitæ portio. Tollunt deinde omnem ambiguitatem, quum attenuatum dicunt & inclinatum. Ergo, ſi illis credimus, debilitavit nos peccatum originale, ut voluntatis noſtræ vitium non pravitas ſit, ſed infirmitas. Nam ſi prava omnino voluntas eſſet, non inclinatæ modo eſſet ſanitatis & attenuatæ, ſed perditæ, donec nova fieret. Atqui, hoc poſterius ubique Scriptura docet. Ut innumera

Rom. 3. verſ. 12.

teſtimonia omittam, Paulus quum de natura humani generis concionatur, non infirmitatis damnat liberum arbitrium, ſed omnes eſſe inutiles pronunciat, averſos à Deo, & tyrannidi peccati addictos: ita,

2 Cor. 3. verſ. 5.

ut idoneos eſſe neget ad quicquam boni cogitandum. Neque tamen interea negamus, quin maneat homini voluntas, ſed mala. Nam lapſus Adæ, non ſuſtulit voluntatem: ſed ex libera, ſervam fecit: non modo ad peccandum ſit proclivis, ſed peccato obnoxia. Qua de re paulo poſt rurſus dicendum erit.

Tertium & quartum caput non attingo. Circa finem quinti capitis, translationem in ſtatum gratiæ fieri negant, ſine Baptiſmo, aut ejus voto. Quæſo, an non præſtitiſſet dicere: verbo & Sacramentis communi carinobis Chriſtum: vel ſi ita loqui magis placebat, applicari: quam ſolius Baptiſmi facere mentionem? Verum, infantes à regno Dei arcere libuit, qui ante erepti ſunt in hac vita, quam offerri ad Ba-

1 Cor. 7. verſ. 14.

ptiſmum potuerint. Quaſi vero de nihilo dictum ſit, eos naſci ſanctos, qui ex fidelibus naſcuntur. Imo, quo jure ad Baptiſmum eos admittimus, niſi quod promiſſionis ſunt hæredes? Niſi enim jam ante ad eos pertineret vitæ promiſſio, Baptiſmum profanaret, quiſquis illis daret. Quod ſi Deus in regnum ſuum eos adoptavit, quanta injuria ſit promiſſioni, quaſi per ſe ad eorum ſalutem non ſufficiat? Invaluit contraria opinio, fateor: ſed iniquum eſt, hominum errore, quamvis diuturno, obrui Dei veritatem. In-

Gen. 17. verſ. 7.

cluſa eſt infantium ſalus in promiſſione, qua Deus fidelibus teſtatur, ſe fore illis & ſemini eorum in Deum. Hac ratione ſibi naſci pronunciabat, qui ex Abraham ducebant originem. Hujus promiſſionis beneficio recipiuntur ad Baptiſmum, quia cenſentur Eccleſiæ membra. Non à Baptiſmo igitur initium habet eorum ſalus, ſed quæ jam verbo fundata erat, Baptiſmo obſignatur. At obtrudunt definitionis ar-

Joan. 3. verſ. 5.

chitecti illam ſententiam: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu. Primum, ſi aqua Baptiſmum illis ſignificat: quis eis concedet, ſimul etiam ſignificare Baptiſuui percipiendi votum? At ſi dicam, alium eſſe loci ſenſum, ac quoſdam ex veteribus ſequutus, Aquæ nomen, pro Mortificatione accipiam: non erunt, opinor, tam infeſti, ut me propterea hæreticum judicent. Ego tamen epitheti vice additum interpretor, ut vim naturamque Spiritus exprimeret: neque enim efficient, ut magis hic aqua ſumatur pro Baptiſmo, quam alibi ignis pro quovis Sacramento,

Matth 3. verſ. 11.

quum dicitur: In Spiritu ſancto & igni. En cur ſibi ſummum jus interpretandæ Scripturæ uſurpent.

Sexto capite aſſerunt, gratia Dei nos præparari ad percipiendam juſtitiam: ſed huic gratiæ partes aſſignant excitandi, & adjuvandi: ut ipſi libere cooperemur. Nempe, putidas nænias hic audimus, quas in ſcholis deblaterare Sophiſtæ ſolent. Ego autem quæro, ſitne idem excitare voluntatem, & adjuvare per ſe infirmam: an cor novum formare in homine, ut velit? Reſpondeant ergo, an cor novum

Eze. 11. verſ 19. & 36:26.

creare, ex corde lapideo facere cor carneum (quorum utrumque Scriptura teſtatur Deum in nobis facere) nihil aliud ſit, quam ſupplere quod deeſt in-

Pſal. 51. verſ. 12.

firmæ voluntati. Quod ſi minus eos movent illa teſtimonia: reſpondeant, an qui efficit in nobis velle,

Philip. 2. verſ. 13.

ſimpliciter voluntatem adjuvet. Paulus totum Deo vendicat: iſti nihil ei, præter adminiculum, acceptum ferunt. Sed in quo hominem Deo ſocium adjungunt? Quia gratiam Dei, quam repudiare poſſet, libere recipit, & Spiritus ſancti illuminationem. Quantum ex Dei virtute detrahunt, quæ à Propheta deſcribitur? Dabo, inquit, legem meam in corda

Jer. 32. verſ. 39.

veſtra, faciamque, ut in præceptis meis ambuletis.

Eze. 36. verſ. 27.

Sed hoc eſt ſcilicet, quod alicubi ab Auguſtino traditum eſt: Laborant, inquit, homines, ut inveniant

Hebr. 8. verſ. 10. & 10:16.

in noſtra voluntate, quid boni ſit noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo: & quid inveniri poſſit, ignoro. At vero, ut alibi tradit: Si relinqueretur homini ſua

Lib. de peccator. merit. & remiſſ. 2.

voluntas, ut in adjutorio Dei maneret, ſi vellet nec Deus etiam efficeret ipſum velle: inter tot ac tantas tentationes, infirmitate ſua voluntas ſuccumberet:

De corrept. & gratia.

ideo ſubventum eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur: & ideo, quamvis infirma, non deficeret. Excudunt autem Neptunii patres in nova officina, quod Auguſtino fuit ignotum: non eſſe ex Deo gratiæ receptionem: quia libero voluntatis propriæ motu, Deo vocanti aſſentiamur. At repugnat Scriptura, quæ Deum auctorem facit bonæ voluntatis. Aliud eſt, moveri à Deo voluntatem, ut obſequatur, ſi libeat: aliud autem, formari ut bona ſit. Porro non ſe facturum promittit Deus, ut poſſimus bene velle: ſed ut bene velimus: imo ultra progreditur, quum dicit, Faciam ut ambuletis. Quod diligenter ab Auguſtino annotatum eſt. Atque idem Paulus affirmat, quum docet Deum eſſe, qui & velle efficit in nobis, & perficere, pro ſuo beneplacito. In eo hallucinantur, quod motum nobis offerri ſomniant, qui mediam electionem nobis relinquat: nihil autem de efficacia illa cogitant, qua cor hominis renovatur, ut ex pravo fiat rectum. Hæc vero efficax Spiritus ſancti operatio ab Jerem. cap. 32. deſcribitur, quum ita loquitur in perſona Dei: Ponam timorem nominis mei in cordibus eorum, ne declinent à mandatis meis. Denique in eo falluntur, quod nullum obſervant inter regenerationis gratiam, quæ nunc miſeriæ noſtræ ſubvenit, & primam quæ Adæ data fuerat diſcrimen: quod diligenter Auguſtinus exponit. Per

Lib. ad Bonif. 2. cap. 8.

mediatorem Chriſtum, inquit, ex malis Deus facit deinceps in æternum bonos. Iſtam gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet eſſe malus. Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret quum vellet: & in quo permaneret, ſi vellet: non quo fieret, ut vellet. Sed potentior eſt gratia in ſecundo Adam, qua fit etiam, ut velimus: tantumque velimus, ac tanto ardore diligamus, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate ſpiritus vincamus. Paulo poſt: Eſt in nobis, per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perſeveranter tenendo, non ſolum poſſe quod volumus, verum etiam velle quod poſſumus. Quanquam longius eſt argumentum, quam ut tam breviter expediri queat: non tamen vereor, ne mea, quamlibet brevis admonitio non ſufficiat apud ſanos lectores refellendis eorum commentis. At Scripturam ſibi quoque ſuffragari obtendunt. Nam quum dicitur, Converte me Domine,

Jer. 31. verſ. 18.

& convertar: ex eo colligunt, præveniri homines Dei gratia. Rurſum ex his verbis, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos: liberi arbitrii vim eliciunt. Scio alicubi Auguſtinum hac diſtinctione uti: ſed longe diverſo ſenſu. Diſerte enim teſtatur,

idque

Digitized by Google

idque plurimis locis, gratiam Dei ſic operari in nobis, ut ex nolentibus volentes faciat: unde etiam concludit, nihil hominem boni facere, quod Deus *Lib. ad Bonifac. 3. cap. 8.* in ipſo non faciat. Quid ergo, inquies, ſibi vult Auguſtinus, quum de libertate voluntatis loquitur? Nempe, quod toties repetit: non cogi homines invitos Dei gratia, ſed voluntarios regi, ut ſponte pareant ac ſequantur: ideo tamen, quia eorum voluntas ex mala, verſa ſit in bonam. Unde illud: Nos *Lib. 2. de bon. perſ. cap. 13.* ergo volumus, ſed Deus in nobis operatur & velle. Nos operamur, ſed Deus efficit & operari. Item, *Lib. 2. 23. de grat. & lib. arb.* Bonum, quod non tenemus niſi propria voluntate, non tamen tenebimus, niſi operetur in nobis & velle. Item, Certum eſt, nos velle quum volumus: ſed ille facit ut velimus. Certum eſt, nos facere quum facimus: ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati. Hæc ſit ſumma: Perperam eos facere, qui ſic inter Deum & nos partiuntur, ut obedientiam piæ voluntatis, quæ Dei gratiæ aſſentitur, ad nos transſcribant: quum proprium ſit ipſius Dei opus.

Sed inſiſtunt Prophetæ verbis: quod converſionem à nobis exigendo, liberum arbitrium compeller, quod fruſtra faceret, eorum quidem opinione, niſi aliquod eſſet liberum arbitrium. Fateor ſane, abſurdas fore ejuſmodi loquutiones, niſi eſſet aliqua in homine voluntas. Non tamen propterea concedo, liberam obſequendi facultatem inde poſſe colligi. Valde enim novitios eſſe oportet venerandos iſtos patres, ſi ex præceptis æſtimant quid valeat homo: quum ideo potius requirat à nobis Deus, quod ſupra vires noſtras eſt, ut imbecillitatis noſtræ convicti, ſuperbiam omnem exuamus. Meminerimus ergo, aliud eſſe voluntatem in homine, aliud liberam boni ac mali electionem. Sublata enim poſt lapſum primi hominis eligendi libertate, ſola voluntas relicta eſt, quæ ſub peccati tyrannide captiva uſque adeo tenetur, ut non niſi ad malum feratur.

Porro, ne longius hic immoremur, dico aperte pugnare quod hic pronunciant Tridentini patres, *Joan. 6. verſ. 45.* cum illa Chriſti ſententia: Quiſquis audivit à Patre meo, venit ad me. Nam ut prudenter animadvertit *De præd. Sanctor. libr. 1. cap. 8.* Auguſtinus: inde ſequitur, nullum à Deo audire & diſcere, quin ſimul in Chriſtum credat: motumque Spiritus ſancti ſic eſſe efficacem, ut fidem ſemper gignat. Conſtituunt autem hoc in hominis optione, ut Dei inſpirationi, ſi velit, auſcultet. Hæc nullo modo inter ſe conciliari poſſunt: omnes qui à Deo didicerint, Chriſto credere: & non aliter valere, ratamque eſſe Dei inſpirationem, niſi homines ex ſeipſis aſſentiantur. Prioris ſententiæ auctorem habemus Filium Dei, qui ſecum minime diſſidet. Secundam ergo, quæ prorſus contraria eſt, cui acceptam feremus, niſi patri mendacii?

Poſtquam ſeptimo capite, de modo præparationis, ita frigide tractarunt, ut quemvis non prorſus inſipidum Papiſtam merito tantæ inſulſitatis pudere debeat, tandem, capite octavo, ubi ad ipſam definitionem ventum eſt, in primis hoc cavent, ne ſola fide conſtare videatur hominis juſtificatio. Quæſtio eſt verbi, quid ſit juſtificatio. Negant ſolam eſſe remiſſionem peccatorum: ſed renovationem & ſanctificationem ſimul contineri volunt. Numquid hoc verum *Rom. 4. verſ. 6.* ſit, videamus. Verba Pauli ſunt capite ad Rom. 4. David beatitudinem hominis dicit, cui Deus impu- *Pſal. 32. verſ. 1.* tat juſtitiam ſine operibus: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Si ex hac Davidis ſententia Paulus gratuitæ juſtitiæ definitionem rite elicit: ſequitur, in remiſſione peccatorum eſſe poſitam. Sic enim interpretatur Paulus, juſtum à Davide nuncupari, cui Deus juſtitiam imputat, non imputando peccata. Sic & idem Apoſtolus, non adducto alterius teſtimo- *2 Cor. 5. verſ. 19.* nio, alibi loquitur: Erat Deus in Chriſto, mundum ſibi reconcilians, non imputando hominibus peccata. Deinde, continuo poſt adjicit: Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut eſſemus juſtitia Dei in illo. Quid apertius requiras, quam nos coram Deo juſtos cenſeri, quia Chriſti ſacrificio expiata ſint peccata noſtra, ne amplius ſub reatu nos teneant? Nec locus eſt vulgari cavillo, de juſtificationis initio ipſum agere: nam utroque loco tractat, non qualiter incipiant juſti eſſe, qui fuerant hactenus infideles: ſed quomodo juſtitiam, quam ſemel conſequuti ſunt, retineant toto vitæ curſu. David enim de ſe loquitur, poſtquam inter filios Dei fuerat cooptatus. Et Paulus aſſerit, hanc eſſe perpetuam legationem, quæ in Eccleſia quotidie auditur. In eundem quoque ſenſum ad Rom. 10: 5. Moſes juſtitiam Legis *Lev. 18. verſ. 5.* deſcribit, quod qui fecerit ea, vivet in ipſis. Fidei autem juſtitia ſic dicit: Qui crediderit, &c. Videmus ideo Legis juſtitiæ opponi fidei juſtitiam, quod operibus minime conſtet, ſicut illa. Idem ſibi volunt *Actor. 13. verſ. 38.* verba, quibus Lucas apud Antiochenos ipſum eſſe uſum refert: Per hunc vobis annunciatur remiſſio peccatorum: & ab omnibus, à quibus non potuiſtis juſtificari in Lege Moſis, in hoc omnis qui credit, juſtificatur. Nam & remiſſioni peccatorum juſtificatio, velut interpretationis loco, ſubjicitur, & abſolutionem proculdubio ſignificat: & Legis operibus detrahitur, ut ſit gratuita, fide percipi dicitur. Quid? juſtificatio publicani, Lucæ 17., quid aliud ſonat, quam juſtitiæ imputationem, dum gratis acceptus eſt Deo? Et quoniam de verbi proprietate lis eſt: *1 Cor. 1. verſ. 30.* quum Chriſtus à Paulo juſtitia, & ſanctificatio noſtra prædicatur, certe inter hæc duo ſtatuitur diſcrimen, quod Tridentini patres confundunt. Nam ſi duplex eſt gratia, quod nos Chriſtus juſtificat, & ſanctificat: juſtitia vitæ innovationem ſub ſe non complectitur. Nec aliter poteſt exponi illud ad Rom. 8. Quis accuſabit adverſus electos Dei? Deus eſt qui juſtificat, quam de gratuita acceptione.

Nollem de verbo litigare, niſi inde totus cauſæ ſtatus penderet, Verum, quum tunc juſtificari hominem tradunt, quum in obedientiam Dei reforma- *Rom. 4. verſ. 14.* tur: totum illud Pauli argumentum evertunt: Si ex Lege eſt juſtitia, exinanita eſt fides, & abolita promiſſio. Intelligit enim, neminem inventum iri inter homines, in quo ſalutis promiſſio compleatur, ſi innocentiæ conditione ſit implicita: & ruituram mox eſſe fidem, ſi operibus fulciatur. Quod ideo verum eſt, quia quamdiu reſpicimus quales ſumus, neceſſe eſt nos coram Deo trepidare: tantum abeſt, ut certa & inconcuſſa vitæ æternæ fiducia nobis conſtet. De regeneratis loquor. Quantum enim abeſt à juſtitia, quæ in hac vita inchoatur vitæ novitas?

Neque tamen interea negandum eſt, quin perpetuo conjunctæ ſint ac cohæreant duæ iſtæ res: ſanctificatio & juſtificatio: ſed perperam inde infertur, unam ac eandem eſſe. Exempli gratia: Solis lumen, etſi nunquam ſeparatur à calore, non tamen calor exiſtimandus eſt. Nemoque tam rudis invenitur, qui non unum ab altero diſtinguat. Fatemur ergo, ſimulatque juſtificatur quiſpiam, neceſſario innovationem quoque ſequi. Neque vero de eo ambigitur, an ſanctificet Chriſtus nec ne, quoſcunque juſtificat. Hoc enim eſſet lacerare Euangelium, adeoque Chriſtum ipſum diſcerpere, ſi quis juſtitiam, quam fide conſequimur, ſeparare velit à pœnitentia. Sed tota noſtra diſceptatio eſt, de cauſa juſtificationis. Hanc Tridentini patres duplicem eſſe fingunt: acſi partim remiſſione peccatorum, partim ſpirituali regeneratione juſti eſſemus. Vel, ut aliis verbis exprimam quod ſentiunt: acſi partim imputatione, partim qualitate, juſtitia noſtra conſtaret. Ego autem unicam & ſimplicem eſſe aſſero, quæ tota continetur gratuita Dei acceptione. Eam præterea extra nos conſtituo: quia in ſolo Chriſto juſti ſumus. Proferant ſi quod habent ex Scriptura teſtimonium, ut perſuadeant quod docent. Ego quum totam habeam Scripturam mihi ſuffragantem, hac una ratione nunc contentus ero: quod quum mentio fit juſtitiæ ope-

rum, eam Lex & Euangellum in perfecta Legis obe-
dientia conſtituunt. Ea quum nuſquam appareat, ni-
hil aliud faciunt reliqui, niſi ut confugiamus ad ſo-
lum Chriſtum: ut in ipſo juſti cenſeamur, quod in
nobis non ſumus. An mihi locum unum proferent,
qui inchoatam novitatem pro juſtitia apud Deum
probari teſtetur, vel in totum, vel ex parte? Quod ſi
auctoritate deſtituuntur, cur non liceat repudiare
quod hic obtrudant figmentum de partiali juſtitia.

Porro, quam frivola ſit & nugatoria cauſarum
partitio, quæ ab illis commemoratur, ſuperſedeo di-
cere: niſi quod taceri hoc nec debet, nec poteſt, ni-
mis eſſe abſurdum, quod cauſa inſtrumentalis nomi-
natur ſolus Baptiſmus. Quid igitur fiet Euangelio?
An ne poſtremo quidem angulo hærebit? Sed Bapti-
ſmus eſt fidei Sacramentum. Quis negat? Ubi tamen
omnia dicta fuerint: hic nihilominus obtinebo, ni-
hil eſſe aliud, quam Euangelii appendicem. Præpo-
ſtero igitur ordine primas illi deferunt: ac perinde
omnino faciunt, acſi quis inſtrumentalem ædificii
cauſam diceret eſſe trullæ manubrium. Sane quiſquis,
poſthabito Euangelio, Baptiſmum inter ſalutis cauſas
numerat, eo ipſo, quid ſit Baptiſmus, aut quid valeat,
quodnam ſit ejus officium, aut quis uſus, neſcire ſe
prodit. quid in cauſa formali præterea deſiderem,
Canone 10. dicendum erit: tantum hic attingam,
quod præſenti loco convenit. Iterum enim affirmant,
nos vere juſtos eſſe, non tantum reputari. Ego con-
tra tametſi concedo, nunquam recipi nos in Dei gra-
tiam, quin ſimul nos regeneret in vitæ ſanctitatem:
falſum tamen eſſe contendo, ullam juſtitiæ partem
in qualitate ſitam eſſe, vel habitu, qui in nobis reſi-
deat: ſed gratuita acceptione nos eſſe juſtos. Nam
Rom. 6. quum docet Apoſtolus, propter unius obedientiam
verſ. 19. juſtos conſtitui multos: ſatis, niſi fallor, oſtendit,
mutuari nos aliunde juſtitiam, cujus in nobis indige-
mus. Et primo ad Epheſios capite, quum dicit nos
prædeſtinatos eſſe in adoptionem filiorum Dei, ut
grati eſſemus in Filio, ſummam juſtitiæ noſtræ com-
plectitur. Quantulacunque enim portio in opera no-
ſtra conferatur, eatenus vacillabit fides, & ſalus no-
ſtra hoc modo tota periclitabitur. Ergo cum Apo-
Philip. 3. ſtolo diſcamus, juſtitiam noſtram, quæ ex Lege eſt,
verſ. 9. tanquam noxium impedimentum, abjicere, ut illam
obtineamus, quæ ex fide eſt Jeſu Chriſti. Qualis
autem ſit, jam ante abunde demonſtravimus, & uno
verbo Paulus, tertio capite ad Galatas, indicat:
quum negat, juſtitiam Legis cum juſtitia fidei con-
gruere, quia in operibus ſita ſit.

Sed quid facias iſtis beſtiis? Nam, poſtquam mul-
tas juſtificationis cauſas recenſuerunt, obliti de cauſa
juſtificationis ſibi eſſe tractandum, juſtitiæ partem
operibus conſtare hinc colligunt, quod nemo abſque
Spiritu regenerationis per Chriſtum Deo reconcilie-
tur. At quam craſſa eſt iſta hallucinatio? Perinde
enim id valet, acſi dicerent: Remiſſio peccatorum
divelli à pœnitentia non poteſt: Ergo hæc eſt pars
illius. Hoc unicum eſt controverſiæ caput: quomo-
do juſti cenſeantur coram Deo: ubi fides noſtra, qua
ſola juſtitiam percipimus, eam quærere debeat. Ut
millies repetant, non poſſe nos aliter merito paſſio-
nis Chriſti communicare, quin ſimul regeneremur
ejus Spiritu, non tamen efficient quominus illud fi-
xum maneat: ideo propitium nobis eſſe Deum, quia
Chriſti morte placatus nobis fuerit: ideo nos repu-
tari juſtos coram ipſo, quia illo ſacrificio expiatæ
Rom. 3. fuerint noſtræ iniquitates. Habemus, inquit Paulus,
verſ. 25. propitiationem per fidem in ſanguine Chriſti. Deni-
& 5: 11. que, ubi de cauſa quæritur, quorſum attinet, acci-
dens inſeparabile obtrudi? Deſinant ergo iſtis ine-
ptiis ludere, vel cavillis ineptire: Accipit homo fi-
dem, ſimul & ſpem, & charitatem: non igitur ſola
fides juſtificat. Nam ſi nobis & oculi, ſimul & au-
res, & pedes, & manus conferuntur, non propter-
ea tamen aut pedibus nos audire, aut manibus am-
bulare, aut palpare oculis, dicendum eſt. De Pauli
teſtimonio perperam adducto, alibi dicetur.

Sequitur putidæ illius diſtinctionis approbatio:
de fide informi, & formata. Pudet quidem veneran-
dos patres voces iſtas uſurpare: ſed quum balbutiunt,
non uniri ſola fide hominem Chriſto, niſi ſpes quo-
que, & charitas accedant, fidem certe ſomniant cha-
ritate vacuam, quæ à Sophiſtis vulgo informis voca-
tur: quo inſignem ſuam inſcitiam produnt. Nam ſi
verum eſt quod docet Paulus, Chriſtum habitare in Epheſ. 3.
cordibus noſtris per fidem: nihilo magis fidem à verſ. 17.
charitate ſeparabunt, quam Chriſtum à Spiritu ſuo.
Si fide purificantur corda, quemadmodum Petrus Actor. 15.
affirmat: ſi quicunque credunt, habent vitam æter- verſ. 9.
nam, quod toties pronunciat Chriſtus: ſi fide obti- Joan. 3.
netur æternæ vitæ hæreditas, longe aliud eſt fides, verſ. 16.
quam mortua neſcio quæ perſuaſio. Viva nos Chri- & 5: 24.
ſti membra fide effici, negant. Quanto melius Au- & 6: 40.
guſtinus, qui fidem appellat animæ vitam, ſicut ani- & 20: 31.
ma vita eſt corporis? Quanquam non tam Auguſti- Rom. 4.
nus hic citandus auctor eſt, quam Paulus, qui fate- verſ. 14.
tur ſe fide Chriſti vivere. Ignoſcendus forte eſſet illis In Joan.
hic error, quia non aliter de fide garriunt, quam de cap. 11.
fabuloſis inſulis (quis enim eorum unquam, vel ſum- Galat. 2.
mis labris guſtavit, quid eſſet fides?) niſi miſerum verſ. 20.
orbem eadem ſecum ignorantia in exitium traherent.
Nos autem meminerimus, fidei naturam à Chriſto
æſtimandam eſſe: quia quod nobis offert Deus in
Chriſto, non niſi fide recipimus. Proinde, quic-
quid nobis eſt Chriſtus, id ad fidem transfertur, quæ
nos compotes & Chriſti, & omnium ejus bonorum
facit. Neque aliter verum eſſet illud Joannis, fidem 1 Joan. 5.
noſtram eſſe victoriam, qua mundus vincitur: niſi verſ. 4.
nos in Chriſtum insereret, qui ſolus eſt mundi vi- Joan. 16.
ctor. Ac eorum ſtuporem animadvertere operæpre- verſ. 33.
tium eſt, quod dum citant illum Pauli locum, Fides Galat. 5.
quæ per charitatem operatur: non cogitant ſe hoc verſ. 6.
quaſi gladio jugulari. Nam ſi fructus eſt, ac effectus
fidei, charitas: quis non videt informem illam
fidem quam fabricarunt, inane eſſe figmentum?
Erit enim perquam abſurdum, ſi filia matrem interi-
mat. Quanquam monendi ſunt lectores, locum illum
intempeſtive adduci, quum de juſtificatione agitur.
Quandoquidem illic non diſputat Paulus, quid ad
hominem juſtificandum valeant fides, aut charitas:
ſed quæ ſit Chriſtiana perfectio. Quemadmodum
quum alibi ſcribit: Siquis in Chriſto, nova creatura. 2 Cor. 5.

Longum eſſet ac moleſtum ſingula notare. ſed hoc verſ. 17.
magis inſigne eſt, quam ut præteriri debeat. Subji-
ciunt, catechumenis fidem ab Eccleſia petentibus
reſponſum dari: Si vis ad vitam ingredi, ſerva man- Mat. 19.
data. Væ eorum catechumenis, ſi tam dura illis con- verſ. 17.
ditio imponitur. Quid enim aliud, quam æterna illis
maledictio indicitur? Siquidem agnoſcunt cum Pau-
lo, maledictos eſſe omnes, qui Legi ſunt obnoxii. Galat. 3.
At Chriſtum habent auctorem. Utinam obſervarent, verſ. 10.
quorſum ita loquutus fuerit. Quod judicari non po-
teſt, niſi ex contextu, & perſonæ ratione. Interro-
gaverat ille cui reſpondet Chriſtus: Quid facere
oportet, ut habeam vitam æternam? Certe quiſquis
vitam operibus vult promereri, regulam habet ſibi
à Lege præſcriptam: Hæc fac, & vives. Sed conſi-
derandus eſt, qui à Paulo indicatur finis: ut vires
ſuas expertus homo, vel potius impotentiæ ſuæ con-
victus, depoſita ſuperbia, nudus ad Chriſtum con-
fugiat. Neque enim locum habet fidei juſtitia, do-
nec compertum habuerimus, fruſtra nobis ſalutem
ex Lege promitti. Quod enim impoſſibile erat Le-
gi, quandoquidem in carne noſtra infirma erat:
Deus per Filium ſuum præſtitit, peccata noſtra per
ſacrificium mortis ejus expiando, ut juſtitia ſua im-
pleatur in nobis. Adeo autem præpoſteri ſunt Tri-
dentini patres, ut quum Moſis officium ſit, nos ad Galat. 3.
Chriſtum manu ducere, ipſi nos à Chriſti gratia, ad verſ. 24.
Moſen traducant.

Ac

Ac ne parum ſint in prædicandis hominum viribus liberales, iterum in hoc capite repetunt, Spiritum Dei agere in nobis, ſecundum propriam cujuſque diſpoſitionem, & coöperationem. Qualem, obſecro, diſpoſitionem invenier Spiritus Dei in cordibus lapideis? An non puder eos diſpoſitionem fingere, ubi Spiritus ipſe ubique in Scripturis pronunciat, omnia eſſe contraria? Nam hoc gratiæ initium eſt, ut ex nolentibus adeoque repugnantibus, faciat volentes. *Lib. de prædeſt. Sanct. 1. cap. 9. 10, 11.* Ut fides, tam in ſuis exordiis, quam incrementis, ad ultimamque uſque perfectionem, Dei ſit donum: & gratuita Dei electio ſit ſuſcipiendæ gratiæ præparatio, ut ait Auguſtinus. *Ephes. 1. verſ. 3.* Et clara ſunt Pauli verba: Deum nos benedicere, omni benedictione ſpirituali, quemadmodum nos elegit in Chriſto, ſecundum placitum voluntatis ſuæ. Quibus certe nos cohibet, ne in tanto beneficio gratiæ Dei, placito gloriemur voluntatis noſtræ, inquit idem Auguſtinus. *Cap. 8.* Itane? ut quod Deo acceptum referre homo deberet, id illi quaſi meritum opponat? Nam unde prima diſpoſitio, niſi quia ſumus Chriſti oves? Quis porro ſibi tantum auſit ſumere, ut ſe ovem faciat? Itaque *Actor. 13. verſ. 48.* Lucas quum de efficaci vocatione loquitur, crediſſe eos docet, non qui à ſeipſis erant diſpoſiti, ſed qui ad vitam erant præordinati. *Ephes. 2. verſ. 10.* Et Paulus, unde recta ſit diſpoſitio exprimit, quum docet, præparata eſſe à Deo bona opera in quibus ambulemus. Potius itaque Auguſtinum audiamus, qui longe aliter docet, quam iſti blaterones. *Libr. 2. de bono perſ. cap. 9.* Poſt caſum hominis, inquit, non niſi ad gratiam ſuam pertinere voluit Deus, ut homo accedat ad eum: neque niſi ad gratiam ſuam pertinere voluit, ut homo non recedat ab eo. Ipſe enim eſt, qui ſe daturum cor promittit, ut intelligamus, & aures, ut audiamus. Quamobrem ſola eſt ejus gratia, quæ nos diſcernit: quemadmodum Paulus admonet. *Libr. de corrept. & grat. c. 8.* Atque ut ejuſdem Auguſtini verbis concludam: Voluntas humana, non libertate gratiam conſequitur, ſed gratia libertatem: & ut perſeveret, delectabilem perpetuitatem, & inſuperabilem fortitudinem.

Capite nono, dum aliquam dare ſtudent modeſtiæ ſignificationem, impudentiam ſuam magis produnt. Quoniam in promptu erat Scripturæ doctrina eorum placitis repugnans, ut hanc ſuſpicionem avertant, primum quid ſit, fide juſtificari hominem, exponunt: nempe, quod fides ſalutis ſit initium, & fundamentum juſtificationis. Quaſi hac ſolutione eſſent expediti, mox ad alteram transvolant: gratis nos juſtificari ideo Apoſtolum docere, quia quæcunque juſtificationem præcedunt, ſive fides, ſive opera, ipſam non promerentur. Quæſo, ſi in re ſeria verſari ſe putarent, an adeo leviter, quaſi oſcitantes, perfungerentur? Omitto, quod hominum judicia nihil veriti ſunt, quaſi ſacroſancto hoc decreto omnium oculos confodiſſent: Fides juſtificat, quoniam inchoat juſtitiam. Primo, hoc commentum ſenſus communis reſpuit. Quid enim magis puerile, quam totum effectum velle reſtringere ad ſolum actum inchoandi? Sed inſpiciamus pauliſper, num- *Rom. 1. verſ. 16.* quid Pauli verba patiantur tam facile ſe perverti: Euangelium, inquit, potentia Dei eſt, in ſalutem omni credenti: quia in eo revelatur Dei juſtitia, ex fide in fidem. Quis non videt principium & finem pariter hic deſignari? Alioqui dicendum erat, Ex fide in opera: ſiquidem perficerent quod fides inchoat. *Habac. 2. verſ. 4. Gal. 3: 11.* Eodem facit Habacuc teſtimonium: Juſtus ex fide victurus eſt: quod improprie dictum foret, niſi vitam perpetuaret fides. In Abrahæ perſona, relucet præcipuum juſtificationis ſpeculum. Audiamus *Geneſ. 15. verſ. 6. Gal. 3: 6.* ergo, quo tempore fides illi ad juſtitiam imputata fuiſſe prædicatur. Non erat certe novitius: ſed relicta patria, jam annos complures Dominum ſequutus erat: ut eſſet non vulgare ſanctitatis, omniumque virtutum exemplar. Non ergo aditum illi ad juſtitiam patefacit fides, ut aliunde poſtea juſtificatio complcatur. Et tandem concludit Paulus, nos ſtare *Rom 5: 2.* in ea gratia, quam fide conſequuti ſumus. Quantum diſtat fixa & immota ſtatio, à momentaneo tranſitu: tantum à Pauli ſenſu, diſtant in ſuo iſto dogmate. Omnes Scripturæ locos colligere, & longum eſſet, & ſupervacuum. Satis quidem ſuperque ex his paucis liquere arbitror, non minus juſtitiæ complementum, quam initium, fidei tribuendum eſſe.

Secundum membrum eſt, gratuitam ideo juſtificationem vocari à Paulo, quia nullum meritum præcedat. Quid ergo? quum idem Paulus clamat, ex- *Rom 3. verſ. 27. & 4. 2.* cludi omnem carnis gloriationem lege fidei, an ad anteactæ vitæ duntaxat merita reſpicit, ac non potius admonet, nihil eſſe, quo glorientur homines, uſque ad vitæ finem, qui fide juſti ſunt? Nam quum ex Davide aſſerit imputari, abſque operibus, juſtitiam, perpetuum fidelium ſtatum declarat. Quemadmodum & David, ſe, ac reliquos omnes Dei filios, *Pſal 32. verſ. 1.* non in unum diem, ſed tota vita, peccatorum remiſſione beatos eſſe exclamat. Nec de unius momenti juſtificatione loquitur apud Lucam Petrus, quum di- *Actor 15. verſ. 11.* cit: Per gratiam Jeſu Chriſti credimus nos eſſe ſalvos, quemadmodum & patres noſtri. Ille enim erat quæſtionis ſtatus: an exigenda foret à Gentibus Legis obſervatio. Id fieri debere negat: quod non alia ſit ſalus in Chriſtiana Eccleſia, quam per Chriſti gra- *Actor 4. verſ. 12.* tiam: nec alia unquam fuerit. Et merito. Nec enim aliter firma erit promiſſio, niſi ex Dei gratia pendeat, ac fide nitatur, inquit Paulus. An illic etiam *Rom 4. verſ. 16.* de præcedentibus meritis agi, garrient? Imo ſelectiſſimis quibuſque ſalutis fiduciam poſſe conſtare negat, niſi recumbat in Chriſti gratiam. Fidem igitur abolet, qui non retinet hanc unicam juſtitiam uſque ad mortem. Juſtificamur gratis, inquiunt, quod nulla opera, quæ juſtificationem præcedant, ipſam promerentur. Atqui, dum Paulus Abrahæ materiam adimit gloriandi, eo quod fides ſit illi imputata ad juſtitiam, probationis loco mox ſubjicit: ubi ſunt opera, illic debitum præmium rependi: fidei autem quod datur, gratuitum eſſe. Notemus de ſancto Patriarcha verba fieri. Negat Paulus, quo tempore mundo renunciaverat, ut ſe totum Dei obſequio addiceret, ullis operibus fuiſſe juſtum. Si excipiant adulterini iſti patres, tunc demum cœpiſſe juſtificari: aperte refellitur hoc cavillum, Sacræ hiſtoriæ contextu. Multis enim annis ſe exercuerat in quotidiana Dei invocatione, & Dei vocationem conſtanter ſequutus erat, in qua vitæ æternæ promiſſio continebatur. Nonne ergo ter cæci judicandi ſunt, qui gratuitam Dei juſtitiam non vident, niſi in ipſo veſtibulo? regnare autem in ipſo ædificio putant operum merita? Verum attendere convenit, qualem tam craſſæ impietati fucum inducant. Hoc quippe modo ſatisfactum pronunciant Apoſtoli ſententiæ: Si ex gratia, ergo non ex operibus. Atqui Paulus, quod *Rom. 11. verſ. 5.* ſalvæ fiunt reliquiæ, & ab æterni exitii periculo mirabiliter à Deo conſervantur uſque in finem, id acceptum refert Dei gratiæ. Multum igitur abeſt, quin ad tantulam portionem, hoc eſt, ad ſolum principium, reſtringat.

Abſurdum quidem illud delirium: ſed hoc etiamnum aliquanto craſſius, quod eorum opinione, nihil omnium, quæ juſtificationem præcedunt, ipſam promeretur: ſive fides, ſive opera. Quæ nobis hic opera comminiſcuntur juſtificatione priora? Cujus hoc erit ordinis, ut radicem fructus tempore præcedat? In ſumma: ut intelligant pii lectores quantum ad doctrinæ correctionem profectum ſit, monachi reverendis patribus, quorum partes erant auribus annuere, veterem hanc dictarunt cantilenam: bona opera, quæ juſtificationem præcedunt, non meritoria eſſe æternæ ſalutis, ſed præparatoria duntaxat. Atqui, ſi qua opera fidem anteverterent, ipſa quoque venirent in calculum. Sed ideo nullum meritum, quia nulla ſunt opera. Nam ſi opera ſua quærant homines,

Digitized by Google

mines, mala duntaxat invenient. Poſteris vix perſua-
debitur, tantum fuiſſe ſtuporis in Papatu, ut juſtifi-
cationi ullum opus præponerent, etiamſi negarent
eſſe tanti boni meritorium. Quid enim ab homine
prodibit, donec Spiritu Dei fuerit regenitus? Longe
diverſa eſt Pauli ratiocinatio. Epheſios admonet,
cap. 2., ut ſe meminerint gratia ſalvatos eſſe, non ex
ſeipſis, neque ex propriis operibus. Probationem
ſubjicit, non qua lymphati iſti patres utuntur, opera,
quæ præcedunt, nulla ſufficere: ſed quam ego ad-
duxi, non aliis operibus nos eſſe prædiros, niſi quæ
Deus præparavit: quia ſumus illius factura, ad ſan-
ctam & piam vitam creati. Fides porro juſtificatio-
nem ita præcedit, ut tamen Dei reſpectu ſequatur.
Quanquam de fide quod dicunt, tunc fortaſſis locum
haberet, ſi fides ipſa, quæ nos in poſſeſſionem juſti-
tiæ mittit, à nobis eſſet. Verum, quum ipſa quoque,
gratuitum ſit Dei donum: ſupervacua eſt iſta, quam
ponunt, exceptio. Quanquam Scriptura hanc dubita-
tionem alia ratione tollit, dum fidem opponit operi-
bus: ne inter merita cenſeatur. Neque enim quic-
quam noſtrum affert fides ad Deum: ſed quod ultro
nobis offert Deus, recipit. Hinc fit, ut fides, quam-
vis imperfecta, perfectam nihilominus juſtitiam
poſſideat: quia non alium, quam gratuitæ Dei boni-
tatis, reſpectum habet.

Capite decimo, in vanam, ut ipſi quidem jactant,
hæreticorum fiduciam invehuntur. Ea autem eſt, ſe-
cundum eorum definitionem, dum certo ſtatuimus
nobis remiſſa eſſe peccata; in eaque certitudine ac-
quieſcimus. Verum, ſi hæreticos facit talis certitudo:
Pſal. 32. ubi erit felicitas, quam David prædicat? Imo, ubi
erit pax illa, de qua Paulus concionatur 5. ad Roma-
nos capite, ſi alibi quam in ſola Dei benevolentia
acquieſcimus? Unde porro Deum habemus propi-
tium, niſi quia non intrat nobiſcum in judicium? Fa-
tentur nunquam, niſi gratis, remitti peccata propter
Chriſtum: ſed hoc in ſuſpenſo relinquunt, quibus &
quando remittantur, dum omnes conſcientias tran-
quilla fiducia ſpoliant. Ubi igitur audacia illa, de qua
Epheſ. 3. alibi docet Paulus, & acceſſus cum fiducia ad Patrem
verſ. 12. per fidem Chriſti? Non contentus fiduciæ nomine,
audacia nos inſtruit: quæ certe plus quicquam eſt,
Rom. 8. quam certitudo. Quid etiam quod certitudinis vo-
verſ. 37. cem aliquoties uſurpat? Neque alibi eam fundat,
quam in ſola gratuiti Dei amoris perſuaſione. Imo
omnem veram Dei invocationem iſti evertunt, quum
piorum animos trepidatione ſuſpendunt, quæ ſola
nobis januam præcludit. Qui hæſitat, inquit Jaco-
Jacob. 1. bus, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento circumfer-
verſ. 6. tur. Non ergo exiſtiment tales, ſe quicquam impe-
traturos à Domino. Sed qui vult exorare, nihil hæſi-
tet. Notanda eſt antitheſis inter fidem, & hæſitatio-
nem: unde colligere promptum eſt, fidem deſtrui,
ſimulac tollitur certitudo.

Sed quo melius tota eorum theologia pateſiat
lectoribus, expendant, quæ in eodem capite ſequun-
tur verba. Sed neque illud aſſerendum, oportere
eos qui vere juſtificati ſunt, abſque dubitatione apud
ſeipſos ſtatuere, ſe eſſe juſtificatos. Si ita eſt: vi-
deant qua ratione conciliari queat πληροφορία cum du-
bitatione. Illam enim Paulus fidei perpetuam facit
comitem. Taceo quod inſtar axiomatis hic ponunt,
Rom. 4. quod Paulus pro ingenti abſurdo ducit. Si ex Lege
verſ. 14. eſt hæreditas, inquit, exinanita eſt fides. Fidei nul-
lam fore certitudinem argumentatur, ſi operibus ni-
tatur ſalus hominum. Non dubitat hoc pro abſurdiſ-
ſimo in medium proferre. Et merito. Quum mox,
abolitam quoque eſſe promiſſionem, inde colligat.
Pudet autem me quaſi de re ambigua contendere,
cum iis qui ſe Chriſtianos appellant. Clara eſt Scri-
1 Joan. 4. pturæ doctrina: Scimus, inquit Joannes, nos eſſe
verſ. 6. filios Dei. Et poſtea, unde hæc ſcientia naſcatur,
exponit: nempe, ex Spiritu quem dedit nobis. Sicut
1 Cor. 2. & Paulus admonet, non mundi ſpiritum nos ac-
verſ. 12.
cepiſſe, ſed Spiritum qui ex Deo eſt, ut ſciamus
quæ à Deo donata ſunt nobis. Alibi etiam expreſ- Rom. 8.
ſius: Non accepimus iterum ſpiritum ſervitutis in verſ. 15.
timorem: ſed adoptionis Spiritum, in quo clama-
mus Abba, Pater. Hinc acceſſus ille cum fiducia,
& audacia, cujus paulo ante meminimus. Et ſane
totam fidei naturam ignorant, qui eam dubitatione
miſcent. Si dubitaret Paulus: non auderet morti &
inferis inſultare, quemadmodum facit Rom 8. ubi
ſe tam certum eſſe jactat de amore Dei, ut nihil eum
ab iſta perſuaſione dimovere queat. Non auderet, ca-
pite quinto, gloriari ſuper ſpe gloriæ Dei. Quod ex
ejus verbis liquido apparet. Cauſam enim aſſignat:
quod charitas Dei in corda noſtra diffuſa ſit, per Spi-
ritum ſanctum qui datus eſt nobis. Quo ſignificat,
conſcientiam noſtram, teſtimonio Spiritus ſancti ac-
quieſcentem, intrepide apud Deum de ſpe æternæ
ſalutis gloriari. Sed non mirum eſt, ſi hæc, quam
Spiritus Dei piorum cordibus obſignat, certitudo
ſophiſtis ignota eſt. Sic enim fore prænunciavit Chri- Joan. 14.
ſtus: Mundus eum non cognoſcet: ſed vos ſoli apud verſ. 17.
quos manet. Non mirum eſt, eos, qui abjecto fidei
fundamento, in opera potius recumbunt, huc &
illuc vacillare. Veriſſimum enim eſt illud Auguſtini: In Pſ 88.
Quia non ſecundum merita noſtra, ſed ſecundum
ejus gratiam firma eſt promiſſio: nemo debet cum
trepidatione prædicare, de quo non poteſt dubi-
tare.

Videntur tamen quibuslibet objectis ingenioſe oc-
currere, quum de Chriſti gratia generalem perſua-
ſionem commendant. Prohibent, ne quis dubitet de
efficacia mortis Chriſti. Sed ubinam locari volunt?
In aëre, ut confuſa tantum ſit imaginatio. Nemini
enim permittunt ſibi gratiam, firma certitudine
fidei, applicare. Quaſi de nihilo deſtinentur nobis
iſtæ promiſſiones: Ecce Rex tuus venit. Vos hære- Mat. 21.
des eſtis promiſſionis. Complacuit Patri in te. Ju- verſ. 5.
ſtitia Dei in omnes & ſuper omnes qui credunt. ſane Zach. 9.
ſi concedant, fide nos percipere quod Deus offert: verſ 9.
non ita mihi, & aliis proponitur Chriſtus, ut tantum Actor. 2.
credamus Abrahæ fuiſſe redemptorem: ſed ut quiſ- verſ. 39.
que ſibi propriam, quæ ab ipſo parta eſt, ſalutem fa- Luc. 12.
ciat. Et cujus, obſecro, improbitatis eſt id aſſerere: verſ. 32.
Nemo ſcire fidei certitudine poteſt, ſe gratiam Dei Rom. 3.
conſequutum? Paulus & Joannes inter Dei filios non verſ. 22.
agnoſcunt, niſi qui id ſciunt. De qua ſcientia id in-
terpretabimur, niſi quam Spiritus ſancti magiſterio
didicerint? Præclare enim Bernardus: Fidem hic Serm. 5.
nobis ſubvenire neceſſe eſt: hic oportet ſuccurrere in dedic.
veritatem: ut quod de nobis latet in corde Patris, temp.
per Spiritum reveletur: & Spiritus perſuadeat cor-
dibus noſtris, quod filii Dei ſimus. Perſuadeat au-
tem, vocando & juſtificando gratis per fidem. Quod
ſi Paulus, dum Corinthios hortatur ut ſemetipſos 2 Cor. 13.
probent ſint ne in fide, omnes reprobos pronunciat, verſ. 5.
qui Chriſtum non cognoſcunt in ſe habitantem: ego
cur verear his reprobos pronunciare, qui tale exa-
men à tota Eccleſia procul arcent, ac de gratia Dei
nihil certi reliquum faciunt?

Capite undecimo, ubi incrementa juſtitiæ deſcri-
bunt, non modo gratuitam juſtitiæ imputationem
confundunt cum operum meritis, ſed illam prope-
modum exterminant. Verba ſunt: Creſcere fideles
in juſtitia bonis operibus per obſervationem man-
datorum Dei & Eccleſiæ, magiſque inde juſtificari.
Saltem ſi hac Auguſtini exceptione uterentur: Juſti- Lib. de
tiam fidelium, quamdiu degunt in mundo, magis civitat.
peccatorum remiſſione conſtare, quam perfectione Dei 19.
virtutum. Tametſi ne illa quidem operum juſtitia, cap. 27.
quam contemptim nominat, uitendum ulla ex parte
docet. Unam enim piorum omnium, qui ſub carnis Lib. ad
infirmitate gemunt, ſpem eſſe hanc prædicat, quod Bonif. 3.
mediatorem habent Jeſum Chriſtum, qui ſit pro cap. 5.
peccatis eorum exoratio. Contra Tridentini patres,
vel emptitii potius monachi, qui tanquam Latini
tibici-

Digitized by Google

tibicines, qualecunque volunt carmen illis componunt: modis omnibus diſcipulos ſuos avocantes à gratiæ intuitu, falſa operum fiducia excæcant. Libenter ſane confitemur, quotidiano bonorum operum profectu creſcere debere fideles: bonaque eorum opera, quibus ornati ſunt à Deo, interdum juſtitiæ titulo inſigniri. Verum, quum hæc tota operum dignatio non ex alio fonte manet, quam gratuitæ acceptionis: quam abſurdum foret, hanc ab illa labefactari? Cur non reminiſcuntur, quod pueri in ſcholis didicerunt: non pugnare quod ſubordinatur? Dico gratuita imputatione fieri, ut coram Deo juſti cenſeamur: dico inde quoque alterum beneficium provenire, ut Juſtitiæ nomen habeant opera, quæ procul alioqui à juſtitiæ veritate abeſſent. Denique, non proprio merito, ſed fide ſola, tam perſonam, quam opera juſtificari affirmo, & ex perſonæ juſtificatione hanc operum, tanquam ex cauſa effectum, pendere. Ergo & ordine ita præcedat, & gradu ita ſupereminéat neceſſe eſt unica fidei juſtitia, ne quid eam vel prævertat, vel obſcuret. Proinde iniquiſſima eſt calumnia, gratuitæ juſtitiæ meritoriam neſcio quam ſubſtituere: ut ſemel nos gratis Deus momento uno juſtificet: nos autem tota vita Legis obſervatione, juſtitiam ipſi nobis comparemus. De obſervatione mandatorum Dei, hoc mihi velint nolint fatebuntur: multum à perfecto ejus complemento diſtare omnes mortales. Nunc mihi reſpondeant: an qualiſcunque ejus pars, juſtitia ſit, aut pars juſtitiæ. Poſterius hoc ſtrenue aſſerent. Verum repugnat Scriptura, quæ hunc honorem, niſi perfectæ obedientiæ nequaquam tribuit: Qui fecerit hæc, vivet in ipſis. *Galat. 3. verſ. 10.* Maledictus autem qui non compleverit omnia. Item, Qui defecerit in uno, *Jacob. 2. verſ. 10.* factus eſt omnium reus. Nemo eſt qui non agnoſcat, etiam me tacente, maledictioni ſubjici nos omnes, quamdiu in Legis obſervatione claudicamus: proinde aliunde mutuandam eſſe juſtitiam, quandoquidem operibus ablata eſt. De mandatis Eccleſiæ quæ permiſcent, alibi dicendum erit. Obiter tamen moniti ſint lectores, nullum hic omitti impietatis genus. Quis enim ſacrilegium hoc excuſet, quod ſuis etiam inventis juſtificandi vim arrogare non dubitant? Id ne Pelagius quidem unquam tentavit. Impia nempe perſuaſione faſcinare miſeros homines conatus eſt, quaſi divinæ Legis obſervatione, juſtitiam acquirere ſibi ipſi poſſent: humanis vero legibus tantum deferre, nunquam illi venit in mentem. Eſt enim execrabilis in Deum blaſphemia, ubi eo temeritatis prorumpit quiſquam mortalium, ut ſuis traditionibus vitæ æternæ mercedem aſſignet.

Sed quo me vertam? Loquitur enim ſacra Synodus, quæ errare in Scripturæ interpretatione non poteſt. Habet autem Scripturæ teſtimonia: primum ex Eccleſiaſtico: Ne verearis uſque ad mortem juſtificari. Una, opinor, ratio eſt, qua me expediam. Locum inſpiciant lectores, & à bonis patribus impudenter corruptum fuiſſe invenient. Dicit enim ſcriptor ille: Ne vetêris, hoc eſt, prohibearis uſque ad mortem. Quanquam potius vertendum erat, Ne differas: nam Græcum verbum eſt μείνῃς. Invehitur enim adverſus eorum ſocordiam, qui ſuam ad Deum converſionem procraſtinant. Quod de initio dictum eſt, religioſi patres ad progreſſum, non tantum craſſa inſcitia, ſed aperta etiam malitia falſo referunt. In *Jacob. 2. verſ. 24.* loco Jacobi plus aliquanto coloris habent. Verum, quiſquis ſcripta noſtra legit, ſatis intelligit, nihil etiam illis Jacobum ſuffragari. Juſtificationem quippe non pro cauſa juſtitiæ, ſed pro approbatione tantum accipit. Quod ex contextu plane liquet. Pluſquam ridiculum vero eſt, quod inde hominem colligunt juſtificari bonis operibus: quoniam Eccleſia ſibi fidei, ſpei, & charitatis augmentum precatur. Quis iſtis crepitaculis non terreatur, niſi qui plane puer non eſt?

Capite duodecimo, vetus illud anathema renovant: ne quis Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum impoſſibilia dicat. De voce impoſſibilis litigare, nihil attinet: mihi abunde ſufficit: ſufficere etiam debet piis omnibus, ac minime contentioſis: neminem extitiſſe unquam, qui Legi Dei ſatisfecerit: nec ullum poſſe inveniri. Quid enim? An Spiritum ſanctum arguemus mendacii, qui univerſos non unius tantum ſeculi homines, tranſgreſſionis reos peragit: ſed quotquot uſque in finem mundi futuri ſunt? Non eſt homo ſuper terram, inquit Solomo, qui non peccet. *1 Reg. 8. verſ. 46.* Dixerat autem David, Non juſtificabitur in conſpectu tuo ullus viventium. *Pſal. 143. verſ. 2.* Si poſſibile eſt aliquem inveniri, qui Legem impleat, retractet Spiritus ſanctus hæc oracula. Sed abſit, ut diabolica hominum ſuperbia æternum veritatis auctorem faciat mendacem. Quin etiam evaneſceret illud Pauli argumentum. Scriptum eſt: Maledictus *Galat. 3. verſ. 10.* omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt. Ergo quicunque ſunt ſub Lege, maledictioni ſunt obnoxii. Promptum enim erit excipere: Legem poſſe impleri. Sed Apoſtolus pro confeſſo principio ſumit, quod anathemate iſti damnant. Itaque alibi, *Rom. 7. verſ. 24.* quum ſervitutem deplorat, qua ipſe cum ſanctis omnibus premebatur, non aliud remedium tandem invenit, niſi ut liberetur à corpore. Vexabant etiam Auguſtinum hac calumnia Pelagiani. Fatetur Deum, ſi velit, poſſe quidem homines ad tantam perfectionem evehere: ſed neque feciſſe unquam, nec facturum: quia aliter Scripturæ doceant. Ego autem ulterius progredior, ac impoſſibile eſſe aſſero, quod Scripturæ nunquam futurum pronunciant. Quanquam ſi de loquutione agitur: ea quoque expreſſa eſt à Petro, Act. 15. quum Legem jugum appellat, quod nullus patrum ferre potuerit. Fallitur enim qui putat, ad ceremonias tantum hoc ſpectare. Quid enim tam arduum continebant ceremoniæ, ut omnes humanæ vires ſub earum onere deficerent? Sed proculdubio ſignificat, impares fuiſſe ab initio univerſos mortales Legis obſervationi, hodieque eſſe: ideo nihil reſtare, niſi ut confugiamus ad Chriſti gratiam, quæ, ſoluto Legis jugo, ſub libera cuſtodia quodammodo nos continet. Ac notandum, de regeneratis ipſum loqui: ne cavillentur Tridentini patres, de carnis infirmitate id eſſe dictum, ubi abeſt auxilium Spiritus. Prophetas enim, & Patriarchas, & pios Reges, utcunque Dei Spiritu adjuvarentur, ferendo Legis jugo pares fuiſſe negat: nec ambigue pronunciat, impoſſibilem fuiſſe Legis obſervationem.

At, Scripturam ipſi quoque ex adverſo teſtem producunt. Nam Joannes mandata ejus non eſſe gravia tradit. *1 Joan 5. verſ. 3.* Fateor: modo ne illam, de peccatorum remiſſione doctrinam, excludas, quam omnibus mandatis præponit. Nam, ſi grave non ſit Legem præſtare, homines mihi complures abſque peccato reperies, qui Deum faciant mendacem: quod ab eodem Joanne traditur. *1 Joan 1. verſ. 8.* Sed aſini iſti non conſiderant, inde pendere facilitatem, de qua Joannes loquitur, quod ſancti paratum habent remedium, quo defectus ſuos ſuppleant: dum ſcilicet ad veniam confugiunt. Hinc etiam fit, ut ſuave ſit Chriſti jugum, & onus ejus leve: quod ſanctis alacritatem faciat ſua libertas, dum ſe non amplius ſub Lege eſſe agnoſcunt. Nam & hunc tanquam optimum exhortationis ſtimulum illis admovet Paulus. *Rom. 6. verſ. 12.* Et David idem docet: Apud te eſt propitiatio, ut timearis. *Pſ. 130. verſ. 4.* Illam mihi veniæ ſpem tolle: & minimum Legis mandatum onus erit Ætna gravius. Verum, quid hoc ad otioſos monachos, qui ne minimo quidem digito unquam attigerunt mandatorum obſervationem, de cujus facilitate tam audacter garriunt? Imo ſuum Epicuriſmum aperte produnt, vel hoc uno dogmate. Quid enim? Ecce eximius ille Apoſtolus ſe captivum teneri gemit, quominus Legi, ut par eſt, obſequatur: *Rom. 7. verſ. 23.* morbumque incurabilem eſſe clamat, donec morte ſanetur.

ſanetur. Iſti robuſti doctores ſuaviter rident, fruſtraque tales querimonias fundi canunt, quum leve ſit Mat. 11. verſ. 30. Chriſti onus. Subjiciunt poſtea: Chriſtum diligunt ſui diſcipuli. Qui autem diligunt eum, ſervant ejus Joan. 14. verſ. 23. ſermonem. Hoc totum verum eſt. Sed ubi Chriſti perfectus amor? Ubi, inquam, amor ille ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus? Nempe ubi caro non concupiſcit adverſus ſpiritum. Ergo nequaquam in hoc mundo. Chriſtum itaque ſerio & ſincero cordis affectu diligunt ſui diſcipuli: & pro menſura dilectionis ſermonem ejus ſervant. Sed hoc quantulum eſt, præ illa tam exacta perfectione, cui nihil omnino deſit?

Nunc attendant ſani lectores, quam bene cohæreant patrum dicta. Ubi Legem à fidelibus impleri poſſe, fortiter aſſeruerunt, fatentur etiam ſanctiſſimos ſaltem in levia & quotidiana peccata interdum cadere. Primum quæro, an ullum ſit omnino quamlibet leve peccatum, quod non Legis obſervantiæ repugnet. Quæ enim vitioſa cogitatio obrepet in hominis animum, ſi totus Dei amore occupetur? Non autem ſatisfit Legi, niſi quum diligitur Deus ex toto corde. At non propterea deſinunt eſſe juſti fateor. Pſal. 32. verſ. 1. Sed unde id, niſi quia beati ſunt, quibus non imputantur peccata? Quod ſi juſtos operibus eſſe volunt, ut hac fiducia nitantur eorum conſcientiæ apud Deum: primum fidem evertunt, & injuriam faciunt gratiæ Dei minime ferendam. Deinde, nihil afferunt, quod impiam ipſorum perſuaſionem juvet, de poſſibili Legis obſervatione. Nam ſi pro nihilo ducant leviores, quos vocant, lapſus: inſonat horribilis illa ſupremi judicis ſententia: Qui unum ex minimis iſtis mandatis contempſerit, minimus vocabitur in regno cælorum. Quanquam ſcire velim, quæ vocent ſaltem levia peccata: (ſic enim extenuandi gratia loquuntur) & cur potius quandoque dicant juſtos in ea cadere, quam aſſidue, vel identidem. Vix enim momentum præterit, quo non contrahamus novum aliquem reatum. Levia peccata illis ſunt omne genus concupiſcentiæ, quæ nos ad quævis mala ſollicitant: tentationes item omne genus, quæ nos uſque ad Dei blaſphemias impellunt. Quicquid ſit, in manifeſta contradictione hic tenentur.

Quæcunque poſtea continentur in eodem capite, nihilo plus cauſæ præſenti ſerviunt, quam ſi quis ex pedum ingreſſu probare velit, manus non palpare. Aliquot ad piam vitam exhortationes colligunt. Quid tandem inde extorquebunt, niſi quod centuplo melius, & longe alia energia, tum ex ſcriptis, tum ex concionibus noſtris, tum ex quotidianis etiam ſer- 1 Theſſ. 4. verſ. 7. monibus diſci poteſt, non ad immunditiem nos eſſe vocatos, ſed ad ſanctificationem: apparuiſſe Dei mi- Tit. 2:11. ſericordiam, ut abnegatis carnis cupiditatibus, pie Coloſſ. 3. verſ. 1, 2. & ſancte vivamus in ſeculo: nos cum Chriſto reſurrexiſſe, ut cæleſtia cogitemus. At magnum quiddam videntur ſibi effeciſſe, dum colligunt, fruſtra gloriari cæleſti hæreditate, qui paſſionum Chriſti conſortes eſſe nolunt. At nos id ipſum quanto melius, judicent lectores. Unum tamen intereſt, quod nos Rom. 8. verſ. 17. communicandum eſſe docemus paſſionibus Chriſti, ut ad ſocietatem perveniamus beatæ reſurrectionis, non ſeparamus Chriſtum à ſeipſo. Iſti, quod nullo modo ſequitur, perperam inferunt: nos patiendo mereri vitam æternam: & in eo ſitam eſſe juſtitiæ noſtræ partem, ne ſola Dei gratia nitamur.

Verum, improbius etiamnum ludunt in ſua conſequentia: nam inde colligunt, inimicos eſſe religionis Chriſtianæ, qui juſtos tradunt in omni bono opere, ſaltem venialiter peccare. Scire velim, ex qua dialectica tales conſequentias didicerint: Sic currite, ut præmium apprehendatis: Ergo in bonis ſanctorum operibus nihil eſt reprehenſione dignum. Nonne ter beſtias eſſe oportet, quibus beſtiæ iſtæ perſuadebunt, à Spiritu ſancto proficiſci tales nænias? Verum, hac quoque inſulſitate præterita, rem ipſam videamus. Concedant, neceſſe eſt, opera ex interiore potius animi affectu, unde manant, & ex fine quo ſpectant, æſtimanda eſſe, quam ex larva externa, quæ hominibus apparet: cor enim intuetur Deus, ut Samueli dictum eſt: & oculi ejus veritatem reſpiciunt, ut monet Jeremias. Nunquam autem perfecto nos Dei amore ferri agique ad obſequendum ejus juſtitiæ, plus ſatis conſtat. Variis enim cupiditatibus retrahimur à curſu, ut vix ambulemus, quum ſumma contentione feſtinare Deus præcipiat: vixque teporem afferamus, pro ſummo ardore. Quod ſi defectum hunc, præ hypocriſi, non ſentimus, Deus tamen cernit & judicat: in cujus conſpectu ne ſtellæ quidem liquidæ ſunt, nec ſol lucidus. Denique, ſeptimum caput ad Rom. controverſiam iſtam dirimit: ubi in ſua piorumque omnium perſona, fatetur Paulus, ſe à perfectione diſtare, etiam quum optima eſt voluntas. Quare blandiatur ſibi homo, ut libet: ſi tamen in judicium Dei, vel præſtantiſſimum opus, quod unquam fuerit, vocetur, nævo aliquo reperietur deformatum. Atqui, Deo probantur. Quis negat? Tantum contendimus, fieri non poſſe, ut abſque venia placeant. Quid autem eſt, quod Deus ignoſcat, niſi peccatum? Inde ſimul conficitur, non eſſe tantopere exagitandos, qui dixerunt, quamlibet bona opera, ſi exacto rigore cenſeantur, æterna potius damnatione, quam vitæ præmio digna eſſe: ubi enim peccatum, quamlibet nobis exiguum videatur, illic nemo ſanus mortis eſſe materiam negabit. Fit tamen immenſa Dei miſericordia, ut in cælo mercedem habeant, quæ non modo nihil tale merebantur, ſed mortis æternæ præmium habitura erant, niſi per Chriſtum abſterſa eſſet immundities, qua alioqui fœdata erant. Porro, quam inepta ſit argumentatio, quæ ex nomine Mercedis, dignitas, aut meritum elicitur, multis locis docui. Nec obſcura eſt ratio: quum retributio ipſa, quam ſophiſtæ in merito fundatam volunt, à gratuita acceptione pendeat.

Capite decimo tertio, ſi tantum quod præ ſe fert titulus agerent, me quoque haberent ſubſcriptorem. Sed quia ſe temerariæ præſumptioni velle occurrere profeſſi, huc toto ſtudio incumbunt, ut totam ſuæ electionis fiduciam ex piorum animis deleant, hic repugnare illis cogor: quia Scriptura palam repugnat. Quorſum enim Paulus, 1. ad Epheſios capite, tam prolixe de æterna Dei electione concionatur, niſi ut perſuaſum habeant, ea ſe cooptatos eſſe in vitam æternam? Nec ſane conjecturis opus eſt: ſæpius enim ita concludit: debere ita Epheſios habere in animis ſuis conſtitutum, ſe vocatos eſſe, & Evangelii factos participes: quemadmodum, antequam mundus conderetur, in Chriſto electi fuerant. Capite item ad Rom. 8. nominatim electionis doctrinam cum fidei certitudine conjungit. Fateor equidem, & ſedulo nos omnes docemus, nihil eſſe magis pernicioſum, quam in arcanum Dei conſilium inquirere, ut inde electionis noſtræ notitiam petamus; adeoque hanc eſſe voraginem, quæ nos in exitium abſorbeat. Sed quum æternæ noſtræ adoptionis ſpeculum nobis in Chriſto proponat cæleſtis Pater: nemo quid nobis per Chriſtum datum ſit, vere tenet, niſi qui ſecum certo ſtatuit, ſe illi à Patre datum eſſe, ne pereat. Quid enim? An de nihilo hæc dicuntur? Pa- Joan. 6.
trem, qui nos in Filii ſui tutelam ac fidem tradidit, verſ. 39.
majorem eſſe omnibus? Nec paſſurum eſſe Filium, & 10:28.
ut quicquam pereat? Imo, ideo dicuntur, ut quicunque ſunt filii Dei, tali ſalutis ſuæ freti cuſtode, inter media pericula tutos ſe eſſe non dubitent: imo, periculis infinitis obſeſſi, ſuam ſalutem extra periculum eſſe confidant, quia in manu Dei ſit. Sed enim quos Deus elegerit, niſi ex ſpeciali revelatione, ſciri poſſe negant. Concedo. Atque ideo dicit Paulus: non ſpiritum nos hujus mundi accepiſſe, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt: ut ſciamus quæ à Deo nobis donata ſint. Donum autem alibi interpretatur adoptionem,

nem, qua cenſemur inter ejus filios: quam adeo vult nobis certam eſſe, ut clara voce de ipſa gloriemur. Cæterum, quid per ſpecialem revelationem deſignent, non me latet. Ego autem eam voco, qua filios ſuos peculiariter dignatur Pater cæleſtis. Nec eam, qualem prædico, ex meipſo comminiſcor. Nota *1 Cor. 2. verſ. 10.* enim ſunt Pauli verba: Nobis, inquit, quæ abſcondita ſunt humanis ſenſibus, revelavit Deus, per Spiritum ſuum, qui etiam Dei profundiſſima ſcrutatur. *1 Cor. 2. verſ. 16.* Item: Quis mentem Domini cognovit? aut, quis conſiliarius ejus fuit? Nos vero mentem Chriſti tenemus.

Videmus ergo in ſumma, ut venerandis patribus nihil aliud ſit temeraria damnataque præſumptio, niſi ſancta revelatæ nobis per Chriſtum noſtræ adoptionis fiducia, ad quam ubique ſuos Deus animat.

Prohibent capite decimo quarto, ne quis perſeverandi conſtantiam ſibi, abſoluta certitudine, ex Deo polliceatur: tametſi firmiſſimam de illa ſpem in Deo collocari, non improbant. Sed nobis primum oſtendant, quonam cæmento coagmentari queant res tantopere inter ſe diſſidentes, firmiſſima ſpes, & ſuſpenſa expectatio. Nam certe, qui ita expectat vitam æternam, ut abſoluta certitudine non nitatur, eum variis dubitationibus circumagi oportet. Talem ſpei naturam, nequaquam deſcribit Paulus: quum ſe certo perſuaſum eſſe commemorat, neque vita, neque morte, neque præſentibus, neque futuris diſſolutum iri charitatem, qua ipſum complectitur Deus in Chriſto. Hoc non diceret, niſi ultimum vitæ finem ſuperaret ſpei Chriſtianæ certitudo. Et quid promiſ- *Abac. 2:4.* ſiones ſonant? Non modo pronunciat Spiritus, juſtum fide ſua vivere, ſed victurum eſſe. Huc ergo ſpes ſe extendat oportet. Quod etiam demonſtrat Paulus, quum hoc illi tribuit, quod per patientiam expectet, quæ adhuc ſunt abſcondita. Atqui, ſpem non tollunt, ſed abſolutam certitudinem. Quid? an dubiæ opinionis vel conjecturæ vox eſt, quum jam *2 Tim. 4. verſ. 8.* intrepide aſſeverat Paulus, repoſitam ſibi eſſe coronam juſtitiæ? An aliquid eſt conditionale in iſtis verbis, dum nobis datam adoptionis noſtræ arrbam prædicat, ut Deum audeamus alta voce, Patrem clamare? Confugiunt ad illud, quod jam ipſis excuſſi, frivolum cavillum: id ex ſpeciali revelatione Paulum habuiſſe. At nihil ſibi tam ſpeciale arrogat, quod non cunctis fidelibus ſecum faciat commune: quum tam audacter morti ſimul ac vitæ, præſentibus ac futuris inſultat ſuo pariter & omnium nomine. Nec ſibi uni privatim vindicat Joannes ſcientiam illam, qua glo- *1 Joan. 3. verſ. 2.* riatur, quum dicit: Scimus, nos ſimiles futuros Deo: quia videbimus eum ſicuti eſt. Atque idem Paulus, *Rom. 5: 2.* quum dicit: Gloriamur ſuper ſpe gloriæ Dei. Item: *2 Cor. 5. verſ. 1.* Scimus, quum terrenum hoc tabernaculum ceciderit, nobis domicilium in cælo paratum eſſe.

Fucum faciunt ex eo quod habetur decimo prioris ad Corinth. capite: Qui ſtat, videat ne cadat. Cujus duplex eſt ſolutio: nam neque aliud quam carnis arrogantiam illic cohibet Paulus, quæ cum ſpei certitudine nihil commune habet, neque ſolos compellat fideles: ſed quicunque ex Gentibus Chriſto nomen dederant: inter quos permulti eſſe poterant inani confidentia turgidi. Nam quæ illic ponitur Judæorum cum Gentibus comparatio, non ad ſolos electos reſtringitur: ſed omnes comprehendit, qui titulo tenus ad Eccleſiam pertinebant. Ego tamen unica illa reſponſione contentus ero, quia abunde ſufficit: non præcipi nobis timorem, qui vel tantillum minuat de fidei aut ſpei certitudine: ſed tantum qui nos in Dei timore ſollicitos contineat. At nondum in gloria renati ſunt, ſed duntaxat in ſpem gloriæ: & multum adhuc pugnæ reſtat: nempe, ſi inde colligerent, excutiendum igitur eſſe torporem, nec ſecuritati indulgendum, nemo ſanus non illis ſubſcriberet: ſed quum, hoc quaſi ariete, ſpei noſtræ firmitudinem concutere moliuntur, quum nos ad formidinem impellunt: minime vero id ferendum eſt: nam quod exceptionem addunt ad Pauli ſententiam, tunc demum à Deo perfectum iri in nobis opus ſalutis, quod inchoavit, ſi non defuerimus ejus gratiæ, nimis inſcite faciunt: quia non obſervant, hanc quoque eſſe partem gratiæ, quod Deus nobis adeſt, ne gratiæ ſuæ deſimus. Neque tamen occaſionem dare ſocordiæ debet hæc doctrina: tantum agnoſcant homines quid Deo acceptum referre, & quid ab eo expectare debeant.

Optarem multa præterire, ſi liceret ſine prævaricationis nota: ſed quid facerem? Vix unus eſt verſus, qui non aliquo notabili errore conſperſus ſit: & qui diſſimulationem non ferat. Capite decimo quinto, ubi de reparatione poſt lapſum tractant, aptam eſſe pœnitentiæ definitionem aſſerunt, quod dicit Hieronymus, eſſe ſecundam tabulam à naufragio. Si dictum Hieronymi vellem exagitare: rogarem, cur non & tertiam & quartam appellaverit. Quotus enim quiſque eſt, qui non niſi unum naufragium tota vita faciat? Imo, quis unquam repertus eſt, quem non ex quotidianis naufragiis eripuerit Dei gratia? Sed cum Hieronymo nihil eſt mihi negotii in præſentia. Tridentini patres non de pœnitentia tractant, ſed de pœnitentiæ Sacramento, quod à Chriſto inſtitutum fingunt. Ubinam? Quia dixit: Accipite Spiritum ſan- *Joan 20. verſ. 22.* ctum. Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt. Primum, ſi Chriſtus hac auctoritate donavit Apoſtolos, eſtne propterea Sacramenti inſtitutio? Ubi ſymbolum? ubi forma? Deinde, quis ignorat, munus illic fuiſſe Apoſtolis injunctum, quo erga extraneos fungerentur? O patrum aures bene patulas, quas tam inſulſæ deliri monachi ineptiæ præterfluere nullo obſtaculo potuerint! Chriſtus teſtimonium, quod de peccatorum remiſſione Apoſtoli redditurí erant mundo, confirmat. Ea porro legatio eſt, quæ per Euangelium defertur: & quidem in Eccleſiam nondum cooptatis. Blatero quiſpiam, ex monachis qui Concilium regunt, quum nunquam locum forte inſpexiſſet, certe nunquam expendiſſet, commentum ſuum recitavit, præſcribi illic formulam, qua in ſtatum gratiæ reſtituerentur, qui poſt Baptiſmum lapſi erant. Patres ad ſeſquipedem uſque auriti, annuerunt. Locus tamen ipſe clamitat, impudenter ſe alio fuiſſe detortum, quam oportuit. Inde inferunt, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum, longe aliam eſſe à baptiſmali. Quaſi unam tantum ſpeciem attingat Chriſtus: ac non potius idem, quod Lucæ 24. doceat, prædicandam in ſuo nomine eſſe pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.

Ultra ſe proripiunt: conſtare hanc, de qua nugantur, pœnitentiam, non tantum contritione cordis, ſed oris confeſſione, & operum ſatisfactione. Quanquam ne parum clementes appareant, rigorem legis ſuæ mitigant, dum confitendi voto ſe placari ſinunt. Quid longam hic diſputationem ordiar? De remiſſione peccatorum agitur: quæ ſalutis eſt ſcien- *Luca 1. verſ. 77.* tia. Eam nobis gratuitam promittit Deus, in Chriſti ſanguine: de auriculari confeſſione verbum nullum facit. Novi iſti legiſlatores confitendi formulæ alligant, præter Dei mandatum: & ſatisfactióne redimi aſſerunt. Quid miſeris conſcientiis reliquum fiet, ſi diſcedere cogantur à Dei verbo, ut in hominum placitis acquieſcant? Cupio ſalutis meæ fieri certior. Via mihi ſimplex in verbo Dei monſtratur, quæ me in ſolidam, tranquillamque tanti boni poſſeſſionem recta inducat. Nihil dicam amplius. Homines ſunt, qui injiciunt manum, ac confitendi neceſſitate me obſtringunt, qua me ſolvit Chriſtus. Satisfaciendi onus mihi imponunt, ut à meipſo afferam, quod à ſuo unius ſanguine petendum oſtendit Chriſtus. An mihi diu ambigendum eſt, quidnam facere expediat? Imo vero faceſſat omnis conſultatio, ubi ab unico ſalutis auctore abducimur. Millies licet crepent, ſyllaba nulla reperietur, ubi Chriſtus in aurem hominis confiteri peccata jubeat. Quæcunque de peccatorum remiſſione extant promiſſiones, ne tenuiſſimam quidem ejus

Digitized by Google

rei mentionem faciunt. Apoſtolis fuit ea lex prorſus incognita. In tota Eccleſia Orientali, nullus unquam propemodum uſus fuit. Imo, ubique gentium diutius mille annis libera fuit obſervatio: donec Innocentius tertius, cum pauculis cornutis beſtiis, laqueum hunc populo Chriſtiano induit, quem Tridentini patres adſtringunt. Quod dico, ſatis ſuperque teſtatum eſt veteribus hiſtoriis. Teſtimoniis referti ſunt noſtri libri. Atque horum nihil ignorant, qui Concilio dictarunt præclaram hanc formulam: & tamen tam ſunt impudentes, ut perſuadere uno verbo velint, clauſam eſſe ſalutis januam, niſi fictitiæ confeſſionis clave aperiatur. At vero, quis tantum eis licentiæ concedat, ut qua velint conditione impoſita, Chriſti promiſſiones reſtringant: adeoque claudant quod ille aperit? Non diſputo in præſentia, quam crudelis ſit torquendis ac excruciandis conſcientiis carnificina, lex illa Innocentii, quam iterum promulgant: quam multos in deſperationem egerit præcipites: quale ad alios ſopiendos, hypocriſeos condimentum fuerit: quot ex ea flagitiorum monſtra ſcaturierint. Quin etiam, fingamus quod ipſi falſo jactant, nonnihil inde utilitatis manare: totum hoc tamen nihil ad rem faciet. Quæſtio enim vertitur: quomodo in Dei gratiam reſtituantur, qui ab ea exciderunt. Scriptura ubicunque modum oſtendit, confeſſionem non attingit: quæ longo poſt tempore in humanis cerebris excuſa eſt. Cujus audaciæ eſt, ad ſpem veniæ obtinendæ aditum præcludere, niſi accedat ejuſmodi confeſſio, quam præſcribere libuerit? De pœnitentia habetur ſermo. Ejus totam vim ac naturam tam frequenter, tam copioſe, tam aperte depingit in Lege, in Prophetis, in Euangelio Spiritus ſanctus, ut nullum ſit doctrinæ caput luculentius explicatum. De confeſſione, qualem iſti fingunt, altum ubique ſilentium. Quis ergo credet negantibus veram eſſe pœnitentiam, cui non adjuncta ſit illa appendix? imo, niſi eam ſub ſe contineat? Hæc mihi duo abunde ſufficiunt: quod pœnitentiam prorſus aliam confingunt, quam quæ nobis in Scriptura commendatur: & impetrandæ peccatorum remiſſioni conditionem ſtatuunt, qua nos ſolutos eſſe voluit, penes quem unum remittendi eſt poteſtas. Hoc vero poſterius, perinde valet, ac ſi Deum vetarent ſalutem promittere, niſi ex ſuo permiſſu: vel ſaltem illi ſe opponerent ne fidem ſalutis, quam dedit, præſtare audeat. Neque enim aliter illi permittunt peccatorum facere veniam, quam ſi religione qua nos ipſi obſtringunt, exoluti fuerimus.

Quod ad ſatisfactiones ſpectat, ſubtiliter diſtinguere ſibi videntur, quum fæcem corradunt ex putidis ſophiſtarum commentis: non æternas quidem pœnas ſcilicet, ſed temporales ſatisfactionibus penſandas eſſe. Quis ſophiſtas neſciebat ita garrire? Quanquam dum pœnam æternam, una cum culpa, nobis confeſſione remitti fingunt, vel confitendi voto: quid aliud ſibi volunt, quam nos opere promereri, quod gratuito ſe daturum promittit Deus? Sed nunc videndum quid valeat diſtinctio. Prophetæ ſane, quum gratuitam peccatorum remiſſionem commemorant, fere referunt ad alterum illum finem, placatum fore Deum, ne amplius vindicet populi ſcelera, vel flagellis ſuis perſequatur. Quiſquis in Scripturæ lectione mediocriter verſatus eſt, veriſſimum eſſe agnoſcet, quod dico: mitigari, laxari, finiri denique pœnas, quibus digni eramus: quia nobis Deus ignoſcit, non merito aliquo noſtro, tanquam compenſatione placatus, ſed ſola provocatus ſua miſericordia. Exilium Babylonicum pœna temporalis erat. Quod ſeptuaginta annis terminatur, quum longe magis diuturnum promeriti eſſent Iſraëlitæ, id gratuitæ ſuæ clementiæ acceptum vult ferri Deus. Ac paſſim hic fructus commemoratur gratuitæ reconciliationis, quod ceſſant flagella, quæ ſe inflicturum Deus minatus erat. Pœnæ certe temporalis relaxationem his verbis promittit Deus: Non *Jeſa. 48.*
propter vos faciam, ſed propter nomen meum. Et *verſ. 9.*
Jeſaias, quum admonet ſatisfactionem, aut pretium *& 53: 5.*
pacis noſtræ impoſitum fuiſſe Chriſto, non ab æterna modo pœna nos fuiſſe ejus beneficio liberatos, ſed ideo pœnas omnes, quibus ſolet peccata noſtra ulciſci Dominus, aut caſtigare, ipſum ſubiiſſe noſtra cauſa: ut quantumvis indigni, etiam præſentis vitæ bonis fruamur. At fideles nihilominus Deus etiamnum caſtigat. Fateor. Sed quorſum? An ut pœnas ſumendo ſibi ac judicio ſuo exolvat quod debetur? Minime: ſed ut incuſſo iræ ſuæ terrore, eos humiliet: afficiat ſerio reſipiſcentiæ affectu, in poſterum cautiores reddat. At remedia ſunt, quibus eaſdem pœnas avertant: nempe, quum ipſi ſponte præoccupant, non eſt cur eos Deus quaſi violenter trahat. Quorſum enim ferula, niſi quum deeſt voluntaria
correctio? Proinde docet Apoſtolus, non judicatum *1 Cor. 11.*
iri à Domino, qui ſeipſos judicaverint. Sed quam *verſ. 31.*
præpoſterum eſt, ſatisfactiones inde elicere? Deprecati ſunt plerique fidelium Dei flagella, quibus ſe
fecerant obnoxios. Quin etiam Achab, ubi ſe ultro *1 Reg. 21.*
humiliat, mitiorem ſentit Dei manum: ſed ipſæ *verſ. 29.*
quoque deprecationes, quibus uſi ſunt ſancti, locupletiſſimæ ſunt teſtes gratuitæ ſatisfactionis. Atqui, nihil afferunt, quod non teſtimoniis probent: ſic
enim docet Paulus: Triſtitia, quæ ſecundum Deum *2 Cor. 7.*
eſt, pœnitentiam in ſalutem, non pœnitendam efficit. *verſ. 10.*
Quid? An ad ſatisfactiones nos hic revocat Paulus? Nullum enim verbum audio. Satis quidem improbe nobis illudunt. Improbius tamen quod ſequitur: de eadem pœnitentia intelligendam eſſe Joannis con-
cionem: Pœnitentiam agite: & facite fructus pœni- *Luc. 3: 8.*
tentiæ dignos. Sed enim quos compellabat Joannes his verbis? Nonne qui ſe ad Baptiſmum offerebant, nondum Chriſti fide imbuti? Paulum abſimile eſt, nec tamen minus abſonum, quod citant ex Apocalypſi, capite ſecundo. Memor eſto unde excideris: & primum opera fac: quum prima opera, vel priora illic legantur. Hortatur ſcriptor Epheſios, ut ad priſtinum vitæ ſtatum redeant. Qua fronte hoc ad ſatisfactiones trahetur? Quum tam proterve albi nomen nigro imponerent, putabantne fore oculos ſuæ nequitiæ æſtimatores? Dixit aliquando Lyſander legatis in ſociorum cœtu imperioſius loquutis, quam par eſſet: opus illis eſſe civitate, quæ morigeram ſe illis præberet. Iſtis vero magiſtris opus eſſet boum armento: ſi auditorium habere velint, cui perſuadeant quod volunt. Nunc ſe immediate regi à Spiritu ſancto jactent: quum in depravandis Scripturæ teſtimoniis palam ſint falſarii.

Ut ſummam colligamus: quum aſſidua debeat eſſe inter fideles pœnitentiæ meditatio: ratum neſcio quid eſſe imaginantur ſancti patres. Quum Scriptura pœnitentiam pronunciet totius hominis eſſe innovationem: quum fontem ipſum deſignet, timorem ex vero divini judicii ſenſu conceptum: partes enumeret, abnegationem noſtri, quæ conſtat peccati odio, noſtræque pravitatis diſplicentia: & vitæ novitatem, aut regenerationem Spiritus, quæ nihil aliud eſt, quam divinæ in homine imaginis inſtauratio: effectus ſedulo notet, totamque ejus naturam explicate definiat: nihil afferunt venerandi patres, præter dilutas nænias, quibus ſub Papatu adulterata fuit pœnitentiæ doctrina. Quæ ab Eccleſiaſticis doctoribus de externa diſciplina dicta ſunt, quæ ad ſolennem pœnitentiæ profeſſionem ſpectabat: ea imperite ad ſpiritualem renovationem detorquent, de qua ſermonem inſtituerant. Ne longior ſim in ſingulis recenſendis: ſi quis præclaram eorum lucubrationem cum ſcriptis noſtris conferat: converſam ab illis lucem fuiſſe in tenebras, inveniet ac fatebitur.

Hactenus dedi operam, ne quid accuſatorium continerent meæ cenſuræ. Atque id animadvertent æqui lectores, nihil me, niſi coactum, reprehendere.

Sed

Digitized by Google

Sed nulla eſt ſententia, quæ non mihi plus extor-
queat, quam vellem. Qualis eſt, quæ habetur capite
decimo ſexto: Non infidelitate modo, ſed quolibet
peccato mortali, amitti juſtificationis gratiam. Si
intelligerent, ejici nos à tanti boni poſſeſſione per
malam conſcientiam, minime pugnarem: nempe,
quoad nos attinet. Tametſi enim non abjicit nos
Deus: mala tamen conſcientia cjuſmodi inter nos &
ipſum diſſidii cauſa eſt, ut vivifica illa, & juſtifica-
trice paterni erga nos ejus amoris notitia minime
fruamur. Sed in eo primum ſunt præpoſteri, quod
nullum peccatum, niſi craſſum & palpabile, mortale
agnoſcunt: quum pleraque interiora gravius, ad
interitum uſque animos vulnerent: deinde quod bo-
nam conſcientiam non intelligunt individuam eſſe
Actor. 15. verſ. 9. fidei comitem. Alioqui, quomodo ſtaret illud, Fide
purificari corda? Item, Bonæ conſcientiæ reſponſio-
Epheſ. 3. nem eſſe ex fide reſurrectionis. Item, Chriſtum fide
verſ. 17. habitare in cordibus noſtris. Item, Victoriam eſſe
1 Joan. 5. noſtram, qua mundum vincimus. Item, Scutum eſſe
verſ. 4. Epheſ. 6. repellendis diaboli inſultibus. Item, Fide nos in vir-
verſ. 16. tute Dei cuſtodiri in ſalutem. Non ergo dubium eſt,
1 Petr. 5. quin ſepulta ſit obrutaque fides in homine, ſimulat-
verſ. 9. que victus eſt tentatione aliqua, ut à timore Dei diſ-
1 Petr. 1. cedat. Non enim magis Spiritus ſanctificationis à
verſ. 5. fide, quam Chriſtus ipſe ſeparari poteſt. Neque ta-
men aſſero, quum excidimus à timore Domini, pror-
ſus extingui in nobis fidem. Sed quemadmodum pra-
vis concupiſcentiis opprimitur Dei timor, ita hanc
ſuffocari dico, ut vim ſuam nihilo plus, ad tempus,
exerat, quam ſi quodammodo eſſet intermortua.
Aſtute ſcilicet cuniculum effodere moliuntur ſancti
patres, in quo dogma illud ſuum impium occulent:
non ſola fide nos juſtificari. Sed quia hæc non ſucce-
dir, alia adoriantur via.

Supereſt poſtremum caput, de merito bonorum operum. Nihil porro inter nos controverſiæ eſt, quin exhortandi ſint ad bona opera fideles, & propoſita etiam mercede ſtimulandi. Quid igitur? Primum, quod vitam æternam faciunt mercedem, in eo ab illis diſſentio: neque enim ſi in vita æterna Deus opera remuneratur, inde protinus conficient, vitam ipſam eſſe, quæ in ea rependitur mercedem. Quin potius hæreditatem eſſe, ubique Scriptura clamitat, quæ non alio, quam gratuitæ adoptionis jure, nobis obvenit. Sed major eſt in eo contradicendi materia, quum eos affirmare non pudet, nihil deeſſe fidelibus, quominus Legi Dei, pro hujus quidem vitæ ſtatu, ſatisfeciſſe, & vitam æternam promeruiſſe cenſeantur. Ubi ergo erit illa beatitudo quæ à Davide prædicatur, Pſal. 32. ſine qua ſumus omnes ter miſeri? Væ autem miſeris iſtis, qui non intelligunt, eum qui proxime ad perfectionem acceſſit, nondum ad dimidium uſque iter progreſſum eſſe. Nam veriſſimum
Lib. de civ. eſſe illud Auguſtini ſentiunt, quicunque exercitatam
Dei 19. habent conſcientiam: Sanctorum juſtitiam in hac vita
cap. 27. remiſſione peccatorum conſtare magis, quam per-
Lib. ad fectione virtutum. Verius etiamnum illud alterum
Bonif. 3. quod jam citavi: quamdiu ſub carnis infirmitate ge-
cap. 5. munt, unicam illis ſpem reliquam eſſe, quod mediatorem habent Chriſtum, per quem Deo reconciliantur. Sed non mirum eſt, craſſulos monachos, qui nullum unquam certamen conſcientiæ experti, nunc etiam vel ambitione inebriati, vel crapula, ſuo tantum idolo venditare ſe cupiunt, de Legis perfectione ita garrire. Eadem ſecuritate cælum promereale exponunt, ipſi interea in præſenti mercede, cui inhiant, occupati. Fruſtra enim pulchris iſtis, quos poſtea inducunt, coloribus, oculos non prorſus hebetes tentant perſtringere: dum prohibent, ne quis operibus vel glorietur, vel confidat: quoniam ſint Dei dona. Siquidem ut omittam, quod humanis viribus majori ex parte prius arrogarunt, quæ dona eſſe Dei nunc fatentur: tria ſunt in eorum decreto, quæ ferri non debent, errata. Nam etſi obiter attingunt, Chriſti merito bona piorum opera eſſe meritoria; quod tamen in primis neceſſe erat, prætereunt: nullum eſſe opus, quod non infectum ſit labe aliqua, niſi Chriſti ſanguine abluatur. Quin potius falſam operibus dignitatem affingunt, ut ſine venia placeant. Speciofum quidem eſt quod obtendunt: fluere omnia à Spiritu Chriſti. Sed ubi abſoluta Spiritus ſancti
virtus reperietur? Annon ad menſuram, unicuique *1 Cor. 12.*
diſtribuitur? Debebant ergo obſervare, ſemper ali- *verſ. 11.*
quid noſtræ fæcis admixtum, quod puritatem illam inficiat. Quum autem deformet coram Deo quicquid à nobis operum prodit, quæ nobis inhæret vitioſitas: unum ſupereſt, ut gratuita acceptione, gratiam, quam non habent à ſeipſis, recuperent. Id fit, dum in æſtimationem non veniunt ipſa: ſed ſuum à Chriſto pretium mutuantur, & quaſi emendicant.

Hæc jam nimis craſſa impiaque hallucinatio: non agnoſcere, hoc ſolo demum nomine acceptum eſſe Deo quicquid operum à nobis prodit, quum paterna indulgentia, quicquid vitioſum eſt, ignoſcitur. Altera autem fere ſimilis: quod non reputant, ſi quid etiam opere uno ſimus promeriti, totum id, quan-
tumcunque ſit, contraria transgreſſione perire: Qui *Jacob. 2.*
deliquerit in uno, factus eſt omnium reus. Quam *verſ. 10.*
tibi promittis mercedem, ubi nihil, quam mortis æternæ reatus inducitur? Faciunt itaque perperam, dum ad unicum hoc remedium non confugiunt, ut liberali favore dignetur Deus, ſi quid in nobis eſt boni, mala, quæ longe & numero & pondere ſuperant, non imputando. Tertius vero error longe deterrimus: quod ſalutis fiduciam ab operum intuitu ſuſpendant. Verbo quidem uno prohibent, ne nobis fidamus: ſed quum rurſus in opera jubent intueri, ut eatenus nobis certa ſit ſpes ſalutis, quantam illic reperiemus ſperandi materiam? nonne totam in nobis fiduciam aperte locant? Itaque & clauſulam adjungunt tali doctrinæ congruentem: dubio eventu militandum eſſe in hac vita: donec unicuique Deus ſecundum ejus opera rependat. Quo totam fidei no-
ſtræ gloriationem evertunt: vel, ut Pauli verbo utar, *Rom. 4.*
fidem exinaniunt ipſam. At Paulus juſtificatum ſene- *verſ. 14.*
gat: etiamſi nihil ſibi ſit conſcius. Fateor, ideoque ut *1 Cor. 4.*
ſtabilis conſtet, ac tranquilla juſtitiæ poſſeſſio, poſt- *verſ. 4.*
habita operum mentione, judicem noſtrum deprecari *Pſal. 143.*
convenit, ut ne in judicium intret nobiſcum. Hic enim *verſ. 2.*
unicus ſecuritatis noſtræ portus eſt, quod judicis perſonam Deus exuit, ut ſe nobis patrem exhibeat.

Nec tamen pudet iſtos porcos, territandis ſimplicibus ſævam denunciationem intonare: neminem juſtitiæ compotem futurum, qui non firmiter teneat quod præſcribunt. Quid? An nova juſtificationis ratio nuper exorta eſt: ac non potius ſicut una eſt ſalus, ita eadem omnes ad ipſam pervenimus via? Quid ergo Prophetis & Apoſtolis fiet, qui operam talibus magiſtris non dederunt? Proinde Tridentina ſchola valere juſſa, eam teneamus fixam fidem, quam ex Chriſti Spiritu nobis Prophetæ & Apoſtoli tradiderunt, ſcientes unde didicerimus. Cæterum, ne cui obſcurum foret, venerandos patres, ex eorum eſſe numero, quorum os maledictione plenum eſſe
clamat David: totidem fere, quot ipſi ſunt homines, *Pſal. 10.*
anathemata truculentis buccis deſpumant, quibus *verſ. 7.*
honorificum, & plauſibile imponunt Canonum nomen. Et tamen ne maligne agere videar, quaſi ejus, quam hactenus ſervavi, moderationis ſim oblitus, tribus primis libenter ſubſcribo. Reliquis breves cenſuras attexam.

CANONUM ANTIDOTUM.

In I. Canonem, II. & III. Amen.

In IV.

Dictum eſt ſupra, quomodo liberum arbitrium Deo aſſentiatur vocanti, & excitanti. Obſequimur certe Deo volentes: ſed voluntate, quam in nobis formavit. Qui ergo motum aliquem libero arbitrio pro-

prium

prium tribuunt, & ſeparatum à Dei gratia, nihil aliud quam Spiritum ſanctum diſcerpunt. Neque *Philip. 2. verſ. 13.* vero Paulus volendi facultatem nobis dari, ſed velle ipſum in nobis effici prædicat: ut non aliunde, quam à Deo ſit aſſenſus, vel obſequium rectæ voluntatis. Intus agit, corda tenet, corda movet, eoſque voluntatibus eorum, quas in illis operatus eſt, trahit: inquit Auguſtin. lib. de corrept. & grat. cap. 14. Et qualis erit cordis ferrei à ſeipſo præparatio, donec mirabili converſione carneum eſſe cœperit? Quod ſolidum eſſe Dei opus, teſtatur Propheta. Diſſentiet quidem à Deo hominis voluntas, quamdiu erit contraria: verum ſi in obedientiam compoſita fuerit, jam ſublatum eſt diſſentiendi periculum. Atqui eam eſſe divinæ gratiæ efficaciam, ut ſubacta omni repugnantia, ex invitis nos faciat obſequentes, non ipſi ſumus auctores: ſed Dominus per Prophetam: quum ſe facturum promittit, ut in præceptis ſuis am- *Joan. 6. verſ. 45.* bulemus. Item Chriſtus, quum dicit: Quiſquis audivit à Patre meo, venit ad me.

Io V.

De verbo ne moveamus rixam. Sed quia per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quæ ſit in utramque partem libera & ſoluta, titulum ſine re eſſe qui affirmant, Chriſtum habent auctorem, quum dicit: liberos fore, quos Filius liberaverit: alios eſſe ſervos peccati. Libertas certe, & ſervitus, contraria ſunt. Quod ad ipſam vocem attinet, audiant *Epiſt 144. ad Anaſtaſ.* Auguſtinum: qui liberam hominis voluntatem eſſe negat, quamdiu vincentibus & vincientibus cupidi- *Hom. 53. in Joan.* tatibus ſubdita eſt. Alibi autem ſic loquitur: Victa *De perfect. juſtitia.* vitio, in quod cecidit voluntate, caret libertate natura. Item, Libero arbitrio male uſus homo, & *Lib. de verb. Apoſt. ſerm. 3.* ſe perdidit, & ipſum. Item, Magnas homo liberi arbitrii vires, quum conderetur, accepit: ſed peccando amiſit. Non attendunt ſtulti homines, in liberi arbitrii nomine ſonare libertatem. Si autem ſervi *De ſpiritu & litera, cap. 30.* ſunt peccati, quid ſe de libero arbitrio jactant? A quo enim quis devictus eſt, huic & ſervus addictus *De corrept. & gratia, cap. 13.* eſt. Quin etiam alibi palam nomen ipſum ridet. Liberum, inquit, arbitrium, ſed non liberatum. Liberum juſtitiæ, ſervum peccati. Quid ergo tantopere ſuccenſent miſeros homines admonentibus ſuæ ſervitutis, ut ad liberatorem confugere diſcant?

In VI.

Ego quum à paradoxis abhorream, libenter etiam hoc repudio, tam proprium eſſe Dei opus Judæ proditionem, quam Pauli vocationem. Sed permiſſive tantum agere Deum in malis, cui perſuadeant, niſi qui totam Scripturæ doctrinam ignorat? Magis enim urgent ſententiæ, quæ reprobos teſtantur ſan- *Jeſa. 10. verſ. 5.* ctificatos eſſe ad opus Dei exequendum: eſſe ejus retia, gladios & ſecures, quæ manu ejus regantur: *Ezech. 17. verſ. 20. & 32: 3.* excitari ejus ſibilo, convenire ad peragenda quæ Dei manus & conſilium decrevit, Chriſtum à Judæis *Pſal. 17. verſ. 13.* definito ejus conſilio interemptum, quam ut permiſſionis ſuffugio eludi queant. Melius ergo Auguſti- *Actor. 2. v. 4. 23.* nus: qui citatis Scripturæ locis, ubi & Pater Filium tradidiſſe dicitur, & Chriſtus ſeipſum, mox ſubji- *De verb. Domin. ſerm. 63.* cit: Quid ergo fecit Judas, niſi peccatum? Nec vero jure reprehendetur quod alibi ſcribit, operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit: ſive ad bona, pro ſua miſericordia: ſive ad mala, pro meritis eorum: idque judicio ſuo, interdum aperto, interdum occulto, ſemper autem juſto. Siquidem addatur exceptio, quam continuo adhibet: malitiam non ipſius eſſe *De gr. & lib. arbitr. cap. 21.* opus. Quemadmodum & paulo ante poſuerat: Non jubendo præcipere impiis, ubi obedientia laudetur: ſed voluntatem proprio vitio malam, occulto juſtoque judicio, in hoc vel illud maleficium inclinare. Nihil enim hic audimus quod non iiſdem prope verbis, Scriptura doceat. Nam & inclinandi & vertendi, obdurandi, & agendi verba illic exprimuntur.

In VII.

Certe arbor mala non poteſt niſi malos fructus *Matth. 7. verſ. 17.* producere. Quis autem, niſi perditus, neget, nos malas eſſe arbores, donec inſiti in Chriſtum ſimus? Ergo ſi quis bonus fructus in homine laudatur, in fide quæratur radix, ut Auguſtinus admonet. Deinde *In Pſa. 31. ſerm. 1.* toties clamat Deus, ſe non morari externas larvas: ſed fidem cordis inſpicere: & nominatim per Jere- *Jerem. 5.* miam. Qualis autem erit cordis mundities, aut veri- *Actor. 15. verſ. 9.* tas, quod non niſi fide purificari docet Petrus? Ergo præclare Auguſtinus ad Bonifacium: Religio noſtra *Lib. 3. c. 5.* juſtos ab injuſtis non operum, ſed ipſa fidei lege diſcernit, ſine qua, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur. Adhæc, Ideo peccant infideles, quicquid agant, quod facta ſua non ad legitimum finem referunt. Qua de re copioſe diſputat idem ſcriptor, libro adverſus Julianum 4. Unde & eleganter alibi erroneum vocat illorum curſum, in quo ut quiſ- *Præfat. in Pſal. 31.* que magis eſt ſtrenuus, longius à meta recedit: ideoque fit miſerior. Ac tandem concludit, melius eſſe in via claudicare, quam extra viam currere. Et quid plura volumus? Apoſtolum anathematiſent, qui ne- *Hebr. 11. verſ. 6.* gat, abſque fide poſſe quempiam placere Deo. Chri- *Joan 5.* ſtum & Paulum anathematiſent, qui omnes infide- *Epheſ. 2. verſ. 5.* les mortuos eſſe pronunciant: ac per Euangelium à morte ſuſcitari.

In VIII.

Reſpondeo: Amen. Nec cuiquam id puto unquam in mentem veniſſe. Qualis enim ab illis deſcribitur, veram pœnitentiam continet, ac cum fide eſt conjunctus. Sed de ſervili illa gehennæ formidine, quæ aliquouſque cohibet infideles, ne tam furioſo præcipitique impetu ruant in maleficia, idem ſentimus cum Auguſtino, cujus verba ſunt: Et quis co- *Ad Anaſt. epiſt. 144.* ram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, ſi ſubtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipſa voluntate reus eſt, qui vult facere quod non licet fieri: ſed idem non facit, quia impune non poteſt fieri. Nam quantum in ipſo eſt, mallet non eſſe juſtitiam, peccata prohibentem, atque punientem. Et utique, ſi mallet non eſſe juſtitiam, quis dubitaverit, quod eam, ſi poſſet, auferret? Ac per hoc, quomodo juſtus eſt, juſtitiæ talis inimicus, ut eam, ſi poteſtas detur, præcipientem auferat, ne comminantem vel judicantem ferat? Inimicus ergo juſtitiæ eſt qui pœnæ timore non peccat. Et ſane, ubi non alius eſt profectus, quam ut peccator terrore cohibitus fremat adverſus Deum, quis peccatum tali contumacia augere neget?

In IX.

Hic canon minime eſt canonicus: quia rerum inter ſe pugnantium complexionem continet. Fide enim juſtificari hominem imaginantur, nullo ſuæ voluntatis motu. Quaſi vero non corde credatur ad juſtitiam. Hoc inter eos & nos intereſt, quod motum ſibi perſuadent oriri ab ipſo homine: nos autem voluntariam fidem adeo aſſerimus, quod voluntates noſtras Deus ad ſe trahat. Adde, quod hominem ſola fide juſtificari qoum dicimus, fidem non fingimus charitate vacuam: ſed ipſam ſolam juſtificationis cauſam eſſe intelligimus.

In X.

Si pondus haberent hæc anathemata, non levem ſimplicitatis ſuæ pœnam daturi eſſent, quicunque in ſophiſtica non ſunt exercitati. Prius in ſuis placitis, unicam formalem juſtificationis noſtræ cauſam eſſe aſſerebant, juſtitiam Dei: nunc anathematiſant, qui formaliter nos Chriſti obedientia juſtos eſſe dicunt. Sed alio ſenſu. Video equidem, vel ſaltem

ſub-

ſubolfacio. Sed quotuſquiſque ambiguitate non falletur? Quanquam fieri poteſt, ut quam forte alicubi legerint ſententiam, non intellectam audacter damnent: nam ſicut impie dicetur, nobis Chriſti juſtitiam, exemplar duntaxat vel typum eſſe: ita ſi quis formaliter, hoc eſt, non qualitate, ſed imputatione juſtos eſſe doceat; ut ſignificet in prædicamento relationis ſitam eſſe noſtram juſtitiam; nihil in eo erit reprehenſione dignum: atqui ad utrumque ſenſum extenditur adverbium, Formaliter.

In XI.

Hoc ſemper lectoribus teſtatum eſſe volo, quoties in hac quæſtione nominamus ſolam fidem, non mortuam à nobis fingi, & quæ per charitatem non
Gal. 5: 6. operatur: ſed ipſam ſtatui unicam juſtificationis cau-
Rom. 3. vers. 22. ſam. Fides ergo ſola eſt quæ juſtificet: fides tamen quæ juſtificat, non eſt ſola. Quemadmodum Solis calor, ſolus eſt qui terram calefaciat: non tamen idem in Sole eſt ſolus, quia perpetuo conjunctus eſt cum ſplendore. Quare totam regenerationis gratiam non ſeparamus à fide: ſed vim juſtificandi, ac facultatem, fidei in ſolidum, ut neceſſe eſt, vindicamus. Neque vero tam nos, quam Paulum anathematiſant patres Tridenticolæ, cujus ea eſt definitio: juſtitiam hominis conſtare peccatorum remiſſione. Verba ſunt capite ad Rom. 4. Beatum hominem dicit
Pſal. 32. vers. 1. David, cui Deus acceptam fert juſtitiam, ſine operibus: Beati, quorum remiſſæ ſunt iniquitates. Videmus, ut beatitudo, & juſtitia, idem Paulo ſignificent. Ubi vero utramque, niſi in ſola peccatorum remiſſione, collocat? Idem ſibi volunt quæ tradit capite ſecundæ ad Corinthios quinto: Erat Deus in Chriſto mundum ſibi reconcilians, non imputando hominibus peccata. Nam mox quomodo ad nos perveniat illa reconciliatio, ſubjicit: Legatione, inquit, fungimur, quaſi Chriſti nomine obſecrantes. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut ſimus juſtitia Dei in illo. En ut Chriſti ſacrificio reconciliati Deo, ſimul etiam juſti, & quidem in ipſo cenſeamur. Quid tamen unum atque alterum locum cito, quum paſſim hanc doctrinam Prophetæ & Apoſtoli nobis occinant? Porro, operæpretium eſt notare, quam dextre ipſi Scripturam accommodent. Charitatem negant oportere excludi, quæ per Spiritum ſanctum diffunditur in corda noſtra. Et jam ſecundo hoc teſtimonium ita depravant. At Paulum non de noſtra ipſorum charitate illic, ſed de paterno Dei erga nos favore loqui, contextus indicat: nam conſolationem in rebus omnibus adverſis hanc proponit, quod Spiritus nobis ſuggerat divinæ erga nos benevolentiæ teſtimonium. Porci iſti in contrariam partem detorquent, non pudefieri nos à ſperando, quia Deum diligamus. Et ſimulac gutture inſonuerint ſuos ructus, inſtar oraculorum haberi volunt. Ejuſdem eſt notæ, quod ex gratia juſtificante habitum faciunt: Dei favorem eſſe negant. At vero pluſquam clara ſunt Scripturæ verba in contrariam partem;
Rom. 4: 4. nam Paulus quum dicit imputari credentibus mercedem non ſecundum debitum, ſed ſecundum gratiam: item, hæreditatem eſſe ex fide, ut ſit ſecundum gratiam: quis aliter exponet, obſecro, quam de gratuito favore? Et quid aliud propoſitum gratiæ ſignificat? In primis vero illuſtris eſt locus Epheſ. 1. capite, ubi docet, Patrem nos ſibi gratioſos reddidiſſe in Filio, verbum ex verbo deducens.

In XII.

Non placet venerandis patribus, fidem juſtificantem eſſe fiduciam, qua miſericordiam Dei peccata propter Chriſtum remittentis amplectimur. At pla-
Rom. 3. vers. 24. cet Spiritui ſancto qui per os Pauli ſic loquitur: Nos gratis juſtificatos eſſe Dei gratia, per redemptionem quæ eſt in Chriſto: quem Deus propitiationem conſtituit, per fidem, quæ eſt in ſanguine ejus, in remiſſionem præcedentium delictorum. Nec aliter poteſt exponi quod dicit poſtea: nos fide juſtificatos pa- Rom. 5: 1.
cem habere cum Deo. Unde enim id, niſi quod tunc demum tranquillæ ſunt conſcientiæ, dum in miſericordia Dei acquieſcunt? Quod etiam diſerte continuo poſt exprimit, addita ratione, quod charitas Dei in corda noſtra diffuſa ſit per Spiritum ſanctum, qui ſcilicet nobis gratuitæ adoptionis teſtis eſt: nec 2 Cor. 5.
id modo, ſed etiam arrha & ſigillum. Item alibi: In vers. 5.
Chriſto habemus ſecuritatem & aditum cum fiducia, Epheſ. 3.
quæ eſt per fidem ejus. Eadem ratione Euangelium vers. 12.
ideo appellat Doctrinam fidei, potius quam Legem. Rom. 10. vers. 8.
Porro alibi Euangelium prædicat legationem eſſe re- 2 Cor. 5.
conciliationis. vers. 18.

In XIII.

Id ſibi tamen vult Paulus, quum exinanita fide; Rom. 4.
abolitam eſſe promiſſionem concludit. Id ſibi vult vers. 14.
vocabulum πληροφορίας, quo aliquoties idem utitur. Proinde non aliter cenſet rite illuminari oculos mentis noſtræ, niſi cernamus quæ ſit ſpes noſtræ hæreditatis. Et ex teſtimoniis ſuperioribus ſatis conſtat, non eſſe rectam fidem, niſi quum audemus, tranquillis animis, nos in conſpectum Dei ſiſtere: nam, ut præclare Bernardus, Si turbetur conſcientia, non Super Cantic.
perturbabitur, vulnerum Domini memor. Illic enim ſerm. 61
tuta firmaque infirmis requies & ſecuritas. Quod ipſum ſonant Zachariæ verba: Deſcendet quiſque in cap. 3: 10.
vitem ſuam, ſub ficu ſua habitabit ſecure, quum remiſſa fuerit terræ iniquitas.

In XIV.

Non video quorſum idem bis damnent: niſi quod timebant, ne caſſum eſſet prius fulmen. Atqui, nihilo plus adverſus tam liquidam Dei veritatem proficient, centies fulminando. Dicit Chriſtus: Fili, confide: remittuntur tibi peccata tua. Hanc ſententiam abominantur cornuti patres, ſi quis abſolutionem doceat fide ſola perfici. Quanquam meminiſſe debet pius lector, non excludi à nobis pœnitentiam, quæ omnino neceſſaria eſt: ſed de cauſa obtinendæ abſolutionis quum quæritur, ſolam fidem nominari. Et merito: Quomodo enim vere Deum timere incipiet, niſi qui jam ſibi propitium eſſe, perſuaſus fuerit? Unde autem perſuaſio, niſi ex abſolutionis fiducia?

In XV.

Verum eſt quidem: noxiam eſſe, ideoque fugiendam nimis ſcrupuloſam hujus rei inquiſitionem. Idque ſedulo docemus. Sed ea ſcientia prædeſtinationis, quam nobis commendat Paulus, nec ſævum Neptuni tridentem, nec omnes Æoli flatus, nec Cyclopum fragores, nec ullas tempeſtatum procellas formidat. Vult enim hoc ſcire, ac pro certo habere Epheſios, ſe participes factos cæleſtis gratiæ in Epheſ. 1.
Chriſto, quemadmodum electi in ipſo fuerant ante vers. 4.
mundi creationem. Sic ergo ſuæ electionis certos eſſe convenit univerſos fideles, ut illam in Chriſto, tanquam in ſpeculo, intueri diſcant. Neque vero de nihilo Chriſtus ſuos hac conſolatione animat, ex Joan. 6.
iis qui ſibi dati ſunt à Patre, periturum neminem. Et vers. 39.
quid aliud, amabo, eſt certa prædeſtinationis noſtræ cognitio, quam illud adoptionis teſtimonium, quod piis omnibus commune facit Scriptura?

In XVI.

Ne ſæpius eadem repetere cogar: nihil aliud hic damnant, quam quod certis Spiritus ſancti oraculis proditum eſſe, prius oſtendi.

In XVII.

Verba Lucæ ſunt: Crediderunt omnes qui præor- Actor 13.
dinati erant ad vitam. Unde in uno auditorio tale vers. 48.
extiterit diſcrimen, ut alii crediderint, alii perſtiterint in ſua obſtinatione, indicat: ſimiliter Paulus eos Rom. 8.
vocari aſſerit, quos ante elegit Deus. An non etiam vers. 29.
vocan-

Digitized by Google

vocantur reprobi? Sed non efficaciter. Hoc enim intereſt in Dei vocatione, quod omnes promiſcue invitat verbo ſuo: electos autem ſolos intus docet. *Joan. 6. verſ. 37.* Quemadmodum ait Chriſtus, Quicquid mihi dedit Pater, ad me veniet. Denique, regenerationis Spiritum non dari, niſi electis, quiſquis ignorat, neſcio quid in Scripturis teneat.

In XVIII.

Si perfecta eſſet regeneratio in hac vita, poſſibilis eſſet Legis obſervatio. Sed quum fideles, quamdiu hic vivunt, medio ex ſtadio ad metam aſpirent, magniſque difficultatibus anhelent: ubi reperietur, quam iſti ſomniant, obedientiæ perfectio? Sed non mirum eſt, de rebus ignotis tam audacter eos garrire: Dulce enim bellum inexpertis.

In XIX.

Amen.

In XX.

Sicuti nemo ſanus, Dei jugum à fidelium humeris excutiet, quaſi non debeant mandata ejus ſervare: ita ſciendum eſt, à mandatorum obſervatione nequaquam pendere ſalutis fiduciam. Stat enim ſemper illud Pauli, in eo differre à Lege Euangelium, quia non ſub conditione operum, ſicut illa, ſed ex fide vitam promittat. Quid enim illa antitheſi clarius? *Rom. 10. verſ. 5.* Legis juſtitia talis eſt: Qui fecerit hæc, vivet in ipſis. At quæ ex fide eſt juſtitia, ſic habet: Qui crediderit, &c. Eodem & alter ille locus ſpectat: *Rom. 4. verſ. 14.* Si ex Lege eſſet hæreditas, exinanita eſſet fides, & abolita promiſſio. Ergo ex fide eſt, ut ſecundum gratiam, firma ſit promiſſio omni credenti. De legibus Eccleſiæ ipſi viderint: nos unicum agnoſcimus legislatorem, cujus eſt tradere vitæ regulam, ſicuti ab eo vitam habemus.

In XXI.

Neque hoc quiſquam dicit. Sua igitur ipſorum figmenta anathematiſant patres: niſi forte ideo ſuccenſeant, quod Chriſtum negamus legislatorem, qui novas aliquas leges orbi tradiderit. Quod ipſi ſtulte imaginantur: neque enim vana erat illa Moſis *Deut. 30. verſ. 19.* teſtificatio, Legem quam tulerat, viam eſſe vitæ & mortis. Item: Hæc eſt via: ambulate in ea. Nec fruſtra, quoties de vera & ſolida juſtitiæ perfectione differunt Prophetæ & Apoſtoli, ad Legem ipſam nos revocant. *Mat. 19. verſ. 17.* Nec fruſtra reſpondit Chriſtus Phariſæo: Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata. *Luc. 18. verſ. 20.* Proinde quum Legem infirmitatis Paulus inſimulat, vitium non conſtituit in ejus doctrina, quominus ſalutem nobis conferat: ſed in carne noſtra. Rom. ſeptimo capite, & octavo.

In XXII.

Amen.

In XXIII.

Qui hominem ſemel juſtificatum peccare poſſe negant, eos damnamus: qui item vere juſtificatos eſſe negant, quibus labi contingit: ſimiliter eos, qui etiam à minimis peccatis abſtinere poſſe aſſerunt hominem Dei Spiritu regeneratum. Sunt enim hæc fanaticorum deliria, qui vel diabolica arrogantia dementant, vel hypocriſi faſcinant hominum mentes, vel in præcipitium deſperationis eas adducere moliuntur. De ſpeciali virginis Mariæ privilegio, quum cæleſte diploma protulerint, credemus quod jactant: nam Eccleſiam quid appellant, niſi Concilium Claromontanum? Eccleſiæ certe membrum erat Auguſtinus: qui tametſi, amoliendæ invidiæ cauſa, mavult alicubi de Beata Virgine ſilere: paſſim tamen, ſine ejus exceptione, totum Adæ genus peccato involvit. Quin etiam prope diſertis verbis eam in peccatorum ordinem aggregat, quum ad Marcellinum ſcribens, multum eos errare tradit, qui ulli ſanctorum, præterquam uni Chriſto, neceſſariam fuiſſe hanc deprecationem negant: Remitte nobis debita noſtra: minimeque eos placere ſanctis quos laudant. Membra Eccleſiæ erant Chryſoſtomus & Ambroſius, qui ambitione tentatam fuiſſe ſuſpicantur. Quæ omnia non alium in finem commemoro, quam ut intelligant lectores, nullum eſſe tam nugatorium figmentum, quod inter fidei dogmata ab iſtis aſinis non cenſeatur.

In XXIV.

Quin bona piorum opera mercede proſequatur Deus, prioreſque gratias aliis novis & amplioribus cumulet, non negamus. Opera autem quiſquis augendæ juſtificationis cauſam eſſe aſſerit, ille nec quid nomen juſtificationis valeat, nec quid ſit cauſa, tenet. Tum nos cenſeri juſtos, quum accepti ſumus Deo, jam ante probatum eſt. Hinc quoque mutuantur opera quicquid habent gratiæ.

In XXV.

Recte Solomon, quum admonet, homini rectas *Prov. 16. verſ. 2.* videri vias ſuas, at Deum corda ponderare. Unde enim fit, ut hanc execrationem cornuti aſini fundant, niſi quod perverſa opinionis ſuæ trutina, non Dei ponderibus examinant? Dei judicio nihil eſt ſincerum nec probum, niſi quod ex perfecto ejus amore manat. Si nunquam eouſque reformatur in hac vita cor hominis, quin multis vitiis laboret, quin diſtrahatur cupiditatibus variis, quin ſæpe mundi illecebris titilletur: aliquid inde inquinamenti ſemper trahant opera, neceſſe eſt. Nullum ergo opus quod non ſit peccatum, niſi ex gratuita æſtimatione pretium acquirat.

In XXVI.

Nihil mirum, tam eſſe audaces, qui nullo unquam ſerio divini judicii affectu tacti fuerunt. Expectent ſane pro bonis operibus vitam æternam: modo, auctore Paulo, nos eam ex Dei gratia ſperemus. At gratiam ſic loquendo, non evertunt. Tametſi dimidia ex parte relinquunt gratiæ nomen: quamdiu tamen, in quærenda ſalutis cauſa, ad opera circumſpectant conſcientiæ, ſi trepidatione vacillant, væ illis: quia fidei certitudine exciderunt: ſi quid certi ſibi audent polliceri, væ iterum: quia diabolica arrogantia ſunt inflatæ. Maneat ergo illud Pauli, non ex *Rom. 4. verſ. 14.* Lege eſſe hæreditatem, ſed ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni credenti.

In XXVII.

Quemadmodum peccatum quodvis, quoniam Dei Lege damnatum eſt, mortale eſſe fatemur, & ſentimus: ita ex infidelitate manare omnia, vel ſaltem ex fidei defectu, Spiritus ſanctus docet. Mors ſane æterna eſt Dei maledictio, quæ adulteris, & furibus, & perjuris denunciatur: at, ubicunque regnabit fides, iram Dei, peccatis omnibus expulſis, non ſecus avertet, acſi quis ignem extingueret, ſubducto ligno.

In XXVIII.

Semen aliquod fidei manere in homine, licet ſuffocatum, etiam inter graviſſimos lapſus, non nego. Id quantulumcunque eſt, particulam fateor eſſe veræ fidei: addo etiam, vivæ, quando aliter non poſſet ex ea oriri fructus. Verum quoniam non apparet ad tempus, nec ſe uſitatis ſignis exerit, perinde habetur atque emortua, quoad ſenſum noſtrum. Sed nihil tale in mentem venit patribus, aut eorum dictatoribus monachis. Tantum inſulſum illud de fide informi & formata, ſuum dogma volebant ſtabilire. Hinc illud, quod veram eſſe fidem contendunt, quæ ta-

men

men ſit mortua. Quaſi vero animæ vita poſſit eſſe fides: quemadmodum etiam, ex perpetua Scripturæ doctrina, eleganter ipſam nuncupat Auguſtinus: quæ ipſa viva non ſit. Idem valet, quod Chriſtianos eſſe contendunt, qui nihil habent charitatis. Ita ut anathema pronunciant: ſi quis ſecus ſentiat. Nempe ergo Spiritum ſanctum anathematiſat, qui falſam Chriſtianiſmi profeſſionem deridet, ac pro nihilo ducit. Paulus Iſraelitas eſſe negabat, qui non eſſent vere Abrahæ filii. Verum quoque Chriſtianiſmum definit, quum deponitur vetus homo: & ab iis, qui pie non vivunt, Deum abnegari pronunciat.

In XXIX.

Prius membrum, una cum auctore ejus Novato, nos quoque execramur. Quod ad ſecundum attinet, ſi non recipiuntur in gratiam lapſi, niſi per pœnitentiæ Sacramentum: quid Petro fiet, cui poſt tam horribilem caſum defuit, quod pluſquam neceſſario exigunt, remedium? Imo quid fiet tot hominum myriadibus, quibus, per aliquot ſecula, ignota fuit auricularis iſta confeſſio, quam nunc januam ſalutis eſſe fingunt? Nam quod Chriſti & Apoſtolorum magiſterio gloriantur, hac in parte nimis impudenter faciunt: quum de confeſſione ante annos quadringentos, legem nullam extitiſſe, etiam ex eorum hiſtoriis conſtet. Ergo ſi tam improbis figmentis fidem haberi velint, non modo omnia vetuſtatis monumenta ex hominum memoria exterminent, neceſſe erit: ſed ut hominibus etiam judicium mentemque adimant.

In XXX.

Culpa remiſſa, pœnæ reatum manere volunt. Atqui, remiſſæ culpæ fructum hunc ubique Scriptura commemorat, quod flagella ſua remover Deus: ac iræ ſuæ, ultioniſque oblitus, nos benedicit. Et quum
Pſal. 32. verſ. 1. David beatos eſſe clamat, quibus non imputat Deus peccata, non ſolam profecto culpæ remiſſionem deſignat: ſed de pœna loquitur potiſſimum. Et quis, obſecro, finis erit aut modus, ſi de peccatis hominum pœnas exigere incipiat Deus: quæ & numero ſunt infinita, & pondere tam gravia, ut centeſima pars ad profundiſſimos uſque inferos nos deprimat? Facile quidem eſt patribus, diabolica ſecuritate ebriis, temporales vocare pœnas: quibus peccatum fere nullum eſt, niſi quis hominem occiderit: quibus ſcortatio vix leviculum eſt erratum: quibus fœdiſſimæ libidines, virtutis ſunt exercitia, quæ in laude ponunt: qui nullum occultum conſcientiæ vulnus pilo æſtimant. At nobis, qui poſt longum examen, quaſi obruti & confuſi, in hanc demum vocem cum Davide, erumpere cogimur: Delicta quis intelliget? non tam explicata eſt ſolutio. Neque tamen negamus, quin, data culpæ venia, nos interdum Deus caſtiget: ſed ut moneat & corrigat, non ut vindicet. Profanum ergo figmentum eſt, quod putant Dei judicio pœnas exolvi. Adde, quod neque æquali omnes modo puniuntur: nec quantum quiſque deliquit: ſed prout quemque ferulis opus habere Deus judicat, ut in poſterum tali diſciplina eruditus, melius ſapiat. Cæterum, hic demonſtrant Patres quam ſtrenui ſint architecti, qui verbulo uno labyrinthum ex mille labyrinthis compoſitum abſolvunt. Immenſum ſane gurgitem eſſe oportet, quo omnes animas abſorberi tradunt: nos quidem univerſas mundi opes videmus exhauriri. In ejus conſtructionem, ſaltem paulo plus operæ inſumere debuerant. Purgatorii nulla prorſus in tota Scriptura fit mentio. Atqui, teſte Auguſtino, ubi res naturaliter obſcura *Epiſt. 157 ad Optatum.*
modulum noſtrum vincit, & aperte Scriptura non ſubvenit, temere hinc aliquid definire humana conjectura præſumit. Quid ergo hic ſtatuendum, quam temere facere iſtos nebulones, dum ex ſuo capite fabricare audent, quod nullum habet in verbo Dei fundamentum? Niſi forte inſtar vaticinii accipi volunt ſuum de Purgatorio commentum, qui à ventriloquis procedit. Nullum enim eſt, quod ad refarciendos eorum ventres æque valeat. Quid autem, quod ſtare nequit Purgatorium quod fabricarunt, quin tota Scripturæ veritas deſtruatur? Longa eſſet ejus rei demonſtratio: ſed in ſcriptis noſtris luculenta extat. Denique, ſatisfactionibus everſis, ruere ſimul Purgatorium neceſſe eſt.

In XXXI.

Qui vere juſtificatus eſt non negliget, fateor, mercedem ſibi repoſitam: ſed ea, tanquam optimo ſtimulo, ad bene agendi ſtudium incitabitur. Attamen hunc ſolum reſpectum non habebit: nam quum ingenuam à filiis ſuis obedientiam requirat Deus, ſervile ejuſmodi obſequium non repudiabit modo, ſed procul etiam rejiciet. Ideoque longe alium pie ſancteque vivendi ſcopum, Spiritus ſanctus, cùm in Scripturis paſſim, tum per os Pauli nobis præfigit, primo ad Epheſ. cap.

In XXXII.

Quo jure, aut quo ſenſu noſtra vocentur, quæ in nobis efficit Chriſti Spiritus bona opera, breviter Auguſtinus docet, quum ſimilitudinem ex Oratione Domini adducit: ubi panem quem petimus nobis donari, noſtrum ſimul, non alio quam donationis titulo, nuncupamus. Itaque, ut alibi docet idem ſcriptor: dona Chriſti nemo amplectetur, niſi ſua merita oblitus. Rationem aliquoties reddit: quia nihil aliud eſt quod dicitur meritum, quam gratuitum Dei donum. Nos ergo crepare ſinamus Patres iſtos, meritum à gratia ſeparando, perperam lacerantes quod vere unum eſt. Quid porro mereantur opera, qui ex ſuperioribus cenſuris noſtris didicerit, non magnopere præſentem anathematis crepitum exhorreſcet.

In XXXIII.

Ingenioſa vero cautio: ne quis videat, quod vident omnes. Parum abeſt, quin & Dei gloriam, & ſimul Chriſti gratiam exinaniant. Et interim dira execratione ſanciunt, ne quis aliqua ex parte utrique derogari putet. Perinde acſi quis hominem interficiat, medio foro, ſub omnium conſpectu, & cædem omnibus conſpicuam, prohibeat tamen veram credi. Porro hic ſuopte ſe indicio produnt ſorices, quum anathematis terrorem aliis incutiunt, ne impietatem cernere auſint, cujus ipſi ſibi conſcii erant.

SEPTIMA SESSIO.

AD conſummationem ſalutaris de juſtificatione doctrinæ, quæ in præcedenti proxima Seſſione, uno omnium Patrum conſenſu promulgata fuit, conſentaneum viſum eſt, de ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis agere, per quæ omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur. Propterea, ſacroſancta, œcumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitime congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ ſedis Legatis, ad errores eliminandos, & extirpandas hæreſes, quæ circa ſanctiſſima ipſa Sacramenta hac noſtra tempeſtate, tum de damnatis olim à Patribus noſtris hæreſibus ſuſcitatæ, tum etiam de novo adinventæ ſunt, quæ catholicæ Eccleſiæ puritati, & animarum ſaluti magnopere officiunt: ſanctarum Scripturarum doctrinæ, Apoſtolicis traditionibus, atque aliorum Con-

Digitized by Google

cilìorum, & Patrum conſenſui inhærendo, hos præſentes Canones ſtatuendos, & decernendos cenſuit; reliquos, qui ſuperſunt ad cœpti operis perfectionem, deinceps, divino Spiritu adjuvante, editura.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

I. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à Domino noſtro Jeſu Chriſto inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quam ſeptem: videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium: aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe vere & proprie Sacramentum: anathema ſit.*

II. *Si quis dixerit, ea ipſa novæ legis Sacramenta, à Sacramentis antiquæ legis non differre, niſi quia ceremoniæ ſunt aliæ, & alii ritus externi: anathema ſit.*

III. *Si quis dixerit, hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, ut nulla ratione aliud ſit alio dignius: anathema ſit.*

IV. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua, & ſine eis, aut eorum voto per ſolam fidem homines à Deo gratiam adipiſci juſtificationis, quum omnia ſingulis neceſſaria non ſint: anathema ſit.*

V. *Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter ſolam fidem nutriendam inſtituta fuiſſe: anathema ſit.*

VI. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantum externa ſint acceptæ per fidem gratiæ, vel juſtitiæ: & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernantur fideles ab infidelibus: anathema ſit.*

VII. *Si quis dixerit, non dari gratiam per hujuſmodi Sacramenta, ſemper & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiamſi rite ea ſuſcipiantur: ſed aliquando, & aliquibus: anathema ſit.*

VIII. *Si quis dixerit, per ipſa novæ legis Sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem divinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere: anathema ſit.*

IX. *Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile, unde ea iterari non poſſunt: anathema ſit.*

X. *Si quis dixerit, Chriſtianos omnes in Verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem: anathema ſit.*

XI. *Si quis dixerit, in miniſtris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia: anathema ſit.*

XII. *Si quis dixerit, miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modo omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, ſervaverit, non conficere aut non conferre Sacramentum: anathema ſit.*

XIII. *Si quis dixerit, receptos & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe: anathema ſit.*

DE BAPTISMO.

I. *Si quis dixerit, Baptiſmum Joannis habuiſſe eandem vim cum Baptiſmo Chriſti: anathema ſit.*

II. *Si quis dixerit, aquam veram, & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi: atque ideo verba illa Domini noſtri Jeſu Chriſti, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit: anathema ſit.*

III. *Si quis dixerit, in Eccleſia Romana (quæ omnium Eccleſiarum mater eſt, & magiſtra) non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam: anathema ſit.*

IV. *Si quis dixerit, Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum: anathema ſit.*

V. *Si quis dixerit, baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem: anathema ſit.*

VI. *Si quis dixerit, baptizatum non poſſe, etiamſi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, niſi nolit credere: anathema ſit.*

VII. *Si quis dixerit, baptizatos per Baptiſmum ipſum, ſolius tantum fidei debitores fieri, non autem univerſæ legis Chriſti ſervandæ: anathema ſit.*

VIII. *Si quis dixerit, baptizatos, liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta, vel tradita ſunt, ita ut ea obſervare non teneantur, niſi ſe ſua ſponte illis ſubmittere voluerint: anathema ſit.*

IX. *Si quis dixerit, ita revocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, ut vota omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in Baptiſmo ipſo jam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea, & fidei, quam profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi Baptiſmo: anathema ſit.*

X. *Si quis dixerit, peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſola recordatione, & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri: anathema ſit.*

XI. *Si quis dixerit, verum, & rite collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi qui apud infideles fidem Chriſti negaverit, quum ad pœnitentiam convertitur: anathema ſit.*

XII. *Si quis dixerit, neminem eſſe baptizandum, niſi ea ætate, qua Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo: anathema ſit.*

XIII. *Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe, ac propterea quum ad annos diſcretionis pervenerint, eſſe rebaptizandos: aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in ſola fide Eccleſiæ: anathema ſit.*

XIV. *Si quis dixerit, hujuſmodi parvulos baptizatos, quum adoleverint interrogandos eſſe, an ratum habere velint quod patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt: & ubi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi ut ab Euchariſtiæ, aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant: anathema ſit.*

DE CONFIRMATIONE.

I. *Si quis dixerit, Confirmationem baptizatorum otioſam ceremoniam eſſe, & non potius verum ac proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quam catecheſim quandam, qua adoleſcentiæ proximi fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant: anathema ſit.*

II. *Si quis dixerit, injurios eſſe Spiritui ſancto, eos qui in Sacramento Confirmationis, chriſmati virtutem aliquam tribuunt: anathema ſit.*

III. *Si quis dixerit, ſanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemvis ſimplicem ſacerdotem: anathema ſit.*

E*Adem ſacroſancta Synodus, iiſdem præſidentibus Legatis, inceptum reſidentiæ & reformationis negotium, ad Dei laudem, & Chriſtianæ religionis incrementum proſequi intendens, ut ſequitur ſtatuen-*

Digitized by Google

ſtatuendum cenſuit, ſalva ſemper in omnibus ſedis Apoſtolicæ auctoritate.

Ad cathedralium Eccleſiarum regimen, nullus niſi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, gravitate morum, literarumque ſcientia, juxta conſtitutionem Alexandri III. *quæ incipit, Quum in cunctis: in Concilio Lateranenſi promulgatam, prædictus aſſumatur.*

Nemo quacunque etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas, ſeu cathedrales Eccleſias, in titulum ſive commendam, aut quovis alio nomine, contra ſacrorum Canonum inſtituta recipere, aut ſimul retinere præſumat: quum valde felix ſit ille cenſendus, cui unam Eccleſiam bene ac fructuoſe, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute, regere contigerit. Qui autem plures Eccleſias, contra præſentis Decreti tenorem nunc detinent, una quam maluerint retenta; reliquas infra ſex menſes, ſi ad liberam ſedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur. Alioqui Eccleſiæ ipſæ, ultimo obtenta duntaxat excepta, eo ipſo vacare cenſeantur.

Inferiora beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis, & habilibus, & quæ in loco reſidere, atque per ſeipſos curam ipſam exercere valeant, juxta conſtitutionem Alexandri III., *in Lateranenſi, quæ incipit, Quia nonnulli, & aliam Gregorii* X., *in generali Lugdunenſi Concilio, quæ incipit, Licet canon, editam, conferantur. Aliter autem facta collatio, ſive proviſio, omnino irritetur: & ordinarius collator pœnas conſtitutionis Concilii generalis, quæ incipit, Grave nimis, ſe noverit incurſurum.*

Quicunque de cætero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica, ſive per viam unionis ad vitam, ſive commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine & titulo, contra formam ſacrorum Canonum, & præſertim conſtitutionis Innocentii III., *quæ incipit, De multa, recipere, ac ſimul retinere præſumpſerit: beneficiis ipſis, juxta ipſius Conſtitutionis diſpoſitionem, ipſo jure, etiam præſentis Canonis vigore, privatus exiſtat.*

Ordinarii locorum, quoſcunque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, diſpenſationes ſuas exhibere compellant, & alias procedant juxta conſtitutionem Gregorii X., *in generali Lugdunenſi Concilio editam, quæ incipit, Ordinarii: quam eandem ſacroſancta Synodus innovandam cenſet, & innovat. Addens inſuper, quod ipſi Ordinarii, etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum aſſignationem, omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, & beneficia ipſa, debitis obſequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, & exemptionibus quibuſcunque, etiam cum judicum ſpecialium deputatione, & illorum inhibitionibus, in præmiſſis nemini ſuffragantibus.*

Uniones perpetuæ, à 40 *annis citra factæ, examinari ab Ordinariis, tanquam à ſede Apoſtolica delegatis, poſſint: & quæ per ſubreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ vero quæ à dicto tempore citra conceſſæ, nondum in toto vel in parte ſortitæ ſunt effectum, & quæ deinceps ad cujuſvis inſtantiam fient: niſi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus cauſis, coram loci Ordinario, vocatis quorum intereſt, verificandis, factas fuiſſe conſtiterit: per ſubreptionem obtentæ præſumantur: ac propterea, niſi aliter à ſede Apoſtolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.*

Beneficia Eccleſiaſtica curata, quæ cathedralibus, collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel monaſteriis, beneficiis, ſeu collegiis, aut piis locis quibuſcunque, perpetuo unita & annexa reperiantur, ab Ordinariis locorum annis ſingulis viſitentur: qui ſollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios perpetuos, niſi ipſis Ordinariis pro bono Eccleſiarum regimine aliter expedire videbitur, ab eis, cum tertiæ partis fructuum, aut majori vel minori, arbitrio ipſorum Ordinariorum, portione, etiam ſuper certa re aſſignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum judicum deputatione, & illorum inhibitionibus quibuſcunque, in præmiſſis minime ſuffragantibus.

Locorum Ordinarii Eccleſias quaſcunque, quomodolibet exemptas, auctoritate Apoſtolica ſingulis annis viſitare teneantur, & opportunis juris remediis providere, ut quæ reparatione indigent reparentur, & cura animarum, ſi qua illis immineat, aliiſque debitis obſequiis minime defraudentur: appellationibus, privilegiis, conſuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præſcriptis, judicum deputationibus, & illorum inhibitionibus, penitus excluſis.

Ad majores Eccleſias promoti, munus conſecrationis infra tempus à jure ſtatutum ſuſcipiant, & prorogationes ultra ſex menſes conceſſæ nulli ſuffragentur.

Non liceat Capitulis Eccleſiarum, ſede vacante, infra annum, à die vacationis, ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias, ſeu reverendas (ut aliqui vocant) tam ex juris communis diſpoſitione, quam etiam cujuſvis privilegii, aut conſuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi, occaſione arctatus non fuerit, concedere. Si ſecus fiat, Capitulum contraveniens, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: & ſic ordinati, ſi in minoribus ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio clericali, præſertim in criminalibus, gaudeant: in majoribus vero ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, ſint ipſo jure ſuſpenſi.

Facultates de promovendo à quocunque, non ſuffragentur: niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in literis exprimendam: & tunc non ordinentur, niſi ab Epiſcopo in ſua Diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.

Facultates de non promovendo, præterquam in caſibus à jure expreſſis conceſſæ, ad annum tantum ſuffragentur.

Præſentati, ſeu electi, vel nominati à quibuſvis Eccleſiaſticis perſonis, etiam ſedis Apoſtolicæ Nunciis, ad quævis beneficia Eccleſiaſtica non inſtituantur, neque confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujuſvis privilegii, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: & nullius appellationis remedio ſe tueri poſſint, quominus examen ſubire teneantur. præſentatis tamen, electis, ſeu nominatis ab Univerſitatibus, ſeu Collegiis generalium ſtudiorum exceptis.

In exemptorum cauſis conſtitutio Innocentii IV., *quæ incipit, Volentes, in generali Concilio Lugdunenſi edita, ſervetur: quam eadem ſacroſancta Synodus innovandam cenſuit, & innovat. Addendo inſuper, quod in civilibus cauſis mercedum, & miſerabilium perſonarum, clerici ſeculares, aut regulares extra monaſteria degentes, quomodolibet exempti, etiamſi certum judicem à ſede Apoſtolica deputatum in partibus habeant; In aliis vero ſi ipſum judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tanquam in hoc ab ipſa Sede delegatis, conveniri, & jure medio ad ſolvendum debitum cogi, & compelli poſſint: privilegiis, exemptionibus, conſervatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adverſus præmiſſa nequaquam valituris.*

Curent Ordinarii, ut Hoſpitalia quæcunque, à ſuis adminiſtratoribus, quocunque illi nomine cenſeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur: conſtitutionis Concilii Viennenſis, quæ incipit, Quia contingit, forma ſervata. Quam quidem Conſtitutionem eadem ſancta Synodus innovandam duxit, & innovat, cum derogationibus in ea contentis.

IN SEPTIMAM SESSIONEM.

QUam ſit in qualicunque certamine ſudandum, ubi mala cauſa agitur, proxima Seſſione experti erant venerandi patres. Ergo, ne ſe nimium fatigarent ſecundo conflictu, ad illud ſuum compendium maluerunt redire, ut fulminatione rem tranſigerent. Et ſane dictaturio ipſorum ſtylo indignum erat, rationis reddendæ ſubire moleſtiam. Quid ergo? Nempe, æra ſonant Corybantes, & clangorem ſuum ingeminant. Expaveſcite pueri. Quiſquis autem ſcintilla virilis animi præditus erit, contemptis nihili crepitaculis, quid tandem contineant eorum placita, intrepidus, animoque compoſito, inquiret. Ego quam inſulſis abſurditatibus ſcateant, digito me oſtenſurum, profiteor.

In I. Canonem.

Volunt, ſeptem à Chriſto inſtituta eſſe Sacramenta. Cur ergo non ipſum jubebant inſtituere? Nobis cur ſuccenſeant, nihil eſt cauſæ. Septenarius numerus, quem ſub anathemate ſanciunt, non modo à Scriptura nullum habet teſtimonium, ſed ne ab ullo quidem probato auctore. Parum eſt: ex Sacramentis quæ numerant, alia oſtendimus fuiſſe temporaria, ut eſt infirmorum unctio: alia falſo ita vocitari, ut eſt matrimonium. Planæ & firmæ ſunt rationes, quibus id evincimus. Quid enim? An dono ſanationum pollere ſe jactabunt? Si ejus doni ſymbolum eſt unctio, nonne ſimiæ ſunt, dum eam abſque re uſurpant? Deinde, quænam in hac ceremonia eſt promiſſio, quæ quidem ad nos pertineat? Si gratia ſpirituali, & externo ſigno conſtat Sacramentum, quidnam tale in pœnitentia reperient? Matrimonium vero cur hoc nomine cenſeant, non alia ratio eſt, quam craſſa monachorum inſcitia: qui quum, in Epiſtola ad Epheſios, Sacramentum legerent, pro myſterio, & quidem de arcana Chriſti & Eccleſiæ conjunctione, ad matrimonium tranſtulerunt. Harum omnium rerum demonſtrationes in ſcriptis noſtris luculentæ extant & copioſæ, quas boni patres una anathematis vocula repellunt. Id eſt abſque certamine vincere: aut potius abſque victoria triumphare.

Epheſ. 5. verſ. 32.

In II.

Quando Sacramentorum utriuſque Teſtamenti idem eſt auctor, eædem promiſſiones, eadem veritas, & idem in Chriſto complementum: merito dicimus, externis ſignis inter ſe differre, in illis autem rebus, quas commemoravi, vel ſummatim in re ipſa convenire. Sunt enim doctrinæ appendices. Atqui, doctrinæ eadem ſubſtantia. Sequitur ergo, id quoque in Sacramenta competere. Forte non intelligerent lectores, quorſum hoc fulmen jaculentur patres Tridentini, niſi breviter eos admoneam. Vulgare eſt apud Sophiſtas dogma: Sacramenta Legis Moſaicæ figuraſſe gratiam, noſtra vero exhibere. Nos autem Deum aſſerimus ſemper in ſuis promiſſis fuiſſe, veracem: nec quicquam figuraſſe ab initio, quod non patribus re ipſa exhibuerit: nam ſub Moſe conſtabat Circumciſionis veritas. Et tunc eandem fuiſſe eſcam ſpiritualem, qua participabant, eundemque potum ſpiritualem teſtis eſt Paulus. Quid habent quod reſpondeant, niſi aliter in ſcholis tradi? Paucis verbis attingo, quæ ex ſcriptis noſtris fuſe diſcent lectores, ſi volent. Summa hæc ſit: ex Dei verbo, non Romanenſium placitis, diſcendum eſſe, quid vel diſcriminis, vel ſimilitudinis inter ſe habeant Sacramenta. Neque tamen interea negamus, quin uberior ſub Chriſti regno percipiatur gratia. Atque ideo ſolemus duplicem notare differentiam: quod Sacramenta noſtra non procul Chriſtum, tanquam abſentem indicent, ſed quaſi digito oſtendant exhibitum. Deinde quod pro ampliore revelationis modo ſit etiam gratiæ communicatio uberior.

1 Cor. 10. verſ. 3.

In III.

Quis non malit Neptunium ſuſtinere fulmen, quam æquare Chriſti inſtitutis hominum inventa? Baptiſmum legimus à Chriſto commendatum: ſimiliter & ſacram Cœnam. De aliis, nihil tale. Imo multis poſt ſeculis fuiſſe incognitum, quod iſti tradunt. Atqui, obſcurum non eſt, quorſum ſpectet, ac quidnam valeat illa Chriſti interrogatio: Baptiſmus Joannis eſtne ex cælo, an ab hominibus? Significat enim, non aliter fore legitimum, niſi à Deo ſit profectus. Proinde tuto conſtituamus, auctore Chriſto, nihil eſſe periculi, ſi repudiemus quæcunque à ſola hominum auctoritate fluxerunt. Parem tamen omnibus dignitatem arrogare non contenti, Confirmationis ſuæ chriſma præferunt Chriſti Baptiſmo. Nam quod aliud alio faciunt dignius, non ideo eſt, quod velint ad inferiorem gradum deducere, quæ ex Scriptura non habent teſtimonium: ſed illas execrandas blaſphemias renovant, quas prius evomuit Concilium Aurelianenſe: Baptiſmo fieri nos duntaxat ſemichriſtianos, Confirmatione perfici: & quæ in eundem ſenſum illic habentur.

Mat. 26. & 28. cap.

Mat. 21. verſ. 25.

In IV.

Facile patiar, ut quæ nobis Chriſtus dedit ſalutis adjumenta, eorum uſus neceſſarius dicatur: quando ſcilicet datur facultas. Quanquam ſemper admonendi ſunt fideles, non aliam eſſe cujuſvis Sacramenti neceſſitatem, quam inſtrumentalis cauſæ, cui nequaquam alliganda eſt Dei virtus. Vocem ſane illam nemo pius eſt qui non toto pectore exhorreat, res eſſe ſuperfluas. Sed hic boni patres pro ſua craſſitie, non animadvertunt, quicquid nobis gratiæ per Sacramenta confertur, nihilominus fidei imputandum. Qui enim à Sacramentis fidem ſeparat, perinde facit, acſi animam à corpore tolleret. Ergo quemadmodum Euangelii doctrinam non excludimus, quum dicimus, nos ſola fide, Chriſti gratiam adipiſci: ita nec Sacramenta, quorum eadem eſt ratio, quum Euangelii ſint ſigilla. Quicquid præterea hic attexunt, hauſerunt ex lutoſis ranarum ſuarum paludibus.

In V.

Fatemur non alendæ tantum, ſed augendæ quoque fidei deſtinata eſſe Sacramenta. Sed aliud ſibi volunt cornutæ beſtiæ. Fingunt enim ſubeſſe vim magicam Sacramentis, quæ ſit extra fidem efficax. Quo errore tollitur, quæ inter fidem & Sacramenta in Scripturis perpetua ſtatuitur, relatio. Hoc ut clarius intelligant lectores, ſemper memoria repetendum eſt, Sacramenta nihil quam inſtrumentales eſſe conferendæ nobis gratiæ cauſas, quæ tunc demum proſunt ſuumque effectum habent, quum fidei ſerviunt.

In VI.

Scoriam hic, ut ſunt præpoſteri, argento miſcent. Quare à nobis adhibenda eſt diſtinctio. Ac primum quidem, ſi qui ſint qui negent Sacramentis contineri gratiam quam figurant, illos improbamus. Sed dum adjiciunt cornuti patres, per ipſa nobis conferri gratiam non ponentibus obicem, totam Sacramentorum vim pervertunt. Semper enim ad vetus illud Sophiſtarum delirium relabuntur: etiam infideles, gratiam, quæ in Sacramentis offertur, percipere: modo ne oppoſitis aliis obicibus, eam repellant. Quaſi vero non ipſa per ſe ſatis magnum obſtaculum ſit infidelitas. Teneamus ergo, non aliter nos oblata in Sacramentis gratia potiri, quam ſi fide ſimus capaces. Quod ſequitur continuo poſt, perquam vel malitioſe vel inſulſe attexuerunt. Quaſi,

inquiunt,

inquiunt, externa tantum ſint ſigna. Imo perinde loquuntur, acſi inter hæc duo nihil eſſet medium. Nos vero, ſicuti monachale illud commentum repudiamus, aliter prodeſſe Sacramenta, quam per fidem: ita libenter cum ſignis ipſis conjungimus veram rei exhibitionem: ut nullus eorum extra fidem ſit effectus, & tamen non inania ſint, nudaque gratiæ procul remotæ ſigna.

In VII.

Primo definiendum erat, quid ſit rite ſuſcipere Sacramenta: nam porci iſti præterita fide, ac poſthabita pœnitentia, non illa quidem ceremoniali, quam magnifice prædicant, ſed interiore cordis, qua totus homo ad Deum convertitur: in ſimulata neſcio qua devotione, ut loquuntur, ſitum eſſe putant, ut rite quis Sacramenta recipiat. Quod ſi de legitima diſpoſitione hominis conſtaret, nihil amplius de efficacia reſtaret controverſiæ. Quis enim rite ut decet, accedentibus, exhiberi dubitat quam illic Deus promittit gratiam? Proinde quiſquis de puro Sacramentorum uſu mediocriter fuerit edoctus, inſulſe eos diſtinguere agnoſcet, quum ex parte Dei gratiam dari aſſerunt: nam qualiſcunque ſit hominis indignitas, manere Deum ſemper veracem oportet. Nihil ergo, ex parte quidem Dei, Sacramentorum efficaciæ vel decedit, vel derogatur, quamlibet indigna ipſorum profanatione, quo ad malam hominum conſcientiam ſpectat: ſed tantum perit effectus, vel ſaltem intercidit, quominus ad nos perveniat.

In VIII.

Hic vero non modo clarius, ſed etiam craſſius impietatem ſuam detegunt. Commentum de opere operato, & recens eſt, & ab indoctis monachis excuſum, qui de Sacramentorum natura nihil unquam didicerant: nam in Sacramentis proprie ſolus Deus agit: quia nihil illuc homines ſuum afferunt, ſed accedunt, oblatam ſibi gratiam recepturi. Ita in Baptiſmo Deus nos Filii ſui ſanguine abluit, ſuoque Spiritu nos regenerat. In Cœna carne ſanguineque Chriſti nos paſcit. Quam ſibi operis partem abſque ſacrilegio homines vendicabunt, ubi totum gratiæ eſſe apparet? Nam quod hominibus commiſſa eſt adminiſtratio, id Dei operationi non magis derogat, quam manus artifici: quando per eos agit unus Deus, efficitque omnia. Pecudes autem iſtæ, taceo quod in gratuitis Dei donis reperiunt aliquod hominis meritum, ſed fingunt nos, nihil agendo, Deum promereri, nobiſque reddere obnoxium: nec eo contenti, monſtra verborum evomunt, quibus hoc extorqueant Deo, ne ſolus in Sacramentis agere cenſeatur. Hinc ſequitur neceſſario quod adjiciunt: non ſola fide gratiam percipi. Nam ſi conceditur illis quod poſtulant, opere operato comparari gratiam in Sacramentis: ſeparatur à fide pars meriti, ut per ſe valeat Sacramenti uſus, ad ſalutem. Atqui, ſi de Sacramentis idem quod de Verbo prædicandum eſt: nihil prodeſſe, niſi fide percepta, teſtis eſt Apoſtolus.

In IX.

Quod de charactere indelebili fabulantur, ex eadem prodiit officina: nam veteribus hoc totum ignotum fuit: & magis conſentaneum eſt incantationibus magicis, quam ſanæ Euangelii doctrinæ. Eadem ergo facilitate repudiabitur, qua excogitatum fuit. Baptiſmum non eſſe iterandum, ſatis inter pios conſtat. Quod verum erat de Baptiſmo, temere poſtea ad ſuam Confirmationem, & ordines tranſtulerunt. Quæſita eſt inter curioſos homines ratio. Ne nibil dicerent, characterem hunc fictitium adumbrarunt. Nunc ſi quis tam futili non aſſentiatur figmento, anathema illi denunciatur.

In X.

Nemo ſanus Chriſtianos omnes in Verbi, Sacra-
mentorumque adminiſtratione pares facit: non ſo-
lum quia decenter, & ordine geri omnia in Eccleſia 1 Cor. 14.
decet: ſed etiam quod ſingulari Chriſti mandato, verſ. 40.
ad eam rem ordinantur miniſtri. Ergo quum pecu-
liaris reqniratur vocatio, nemo, niſi vocatus, hono- Heb. 5: 4.
rem ſibi uſurpet. Porro, munus baptizandi ubi mu- 1 Chr. 13.
lierculis injunctum reperient, quemadmodum illis verſ. 10.
permittunt?

In XI.

Parvi ſe facere anathemata ſua oſtendunt, in quibus fundendis adeo ſunt prodigi. Quod de intentione conſecrandi garriunt, à ſophiſtis nulla probabili ratione fuit proditum. Hoc, quamvis non tolerabile, levius tamen foret, niſi funditus everteret quicquid ex Sacramentis ſolidæ conſolationis habent fideles, & Dei veritatem ſuſpenderet ab hominis arbitrio. Nam ſi neceſſaria eſt miniſtri intentio, nemo eſt noſtrum, qui certam Baptiſmi ſui fidem facere ſibi auſit; qui certa fiducia ad ſacram Cœnam accedat. Baptizatus ſum: ſi ita ſacerdoti libuit, cujus fides mihi nihilo magis quam Æthiopis cujuſpiam comperto eſt. Ut mihi in ſacra Cœna conſtet Chriſti promiſſio, id in hominis mihi ignotinutu poſitum eſt. Qualis erit fides, quæ pendebit à ſecreta alterius voluntate? Et adhuc ſua anathemata, hoc eſt, ſuos crepitus nobis minari porci iſti non verentur, niſi mox ſubſcribamus talibus blaſphemiis. Ego vero ſacroſanctæ Chriſti inſtitutioni tantum defero, ut ſi Epicureus quiſpiam, intus totam actionem ſubſannans, mihi Cœnam ex Chriſti mandato, & ſecundum regulam ab eo datam, rituque legitimo adminiſtret, non dubitem panem & calicem illius manu porrecta, vera mihi eſſe corporis & ſanguinis Chriſti pignora. Putidas iſtas nænias piget excutere, ubi dicunt: ſaltem faciendi quod facit Eccleſia. Nempe magiſtrorum ſuorum dictata recinunt. Sed quis oculatus non videt, perinde hoc valere, acſi præciperent uno verbo, quæcunque unquam ſomniarunt in ſuis luſtris monachi, vel ſophiſtæ in ſuis rixis blaterarunt, quantumvis inſulſa ſint & abſurda, rata nihilominus, firmaque haberi?

In XII.

Amen.

In XIII.

Quos vocent receptos & approbatos Eccleſiæ catholicæ ritus, nemini obſcurum eſt. Proinde hac cautione, quicquid ſuperſtitionum puris Domini inſtitutis hominum protervia inductum fuit, ſtabiliunt. Simplex eſt, & genuinus Baptiſmi ritus, ſimplex & Cœnæ adminiſtratio, ſi reſpicimus quod Dominus præcepit. At vero, quot & quam variis, quam diſcoloribus additamentis obruta eſt hæc ſimplicitas? Dicent, ſi quid eſt nimium, reſcindi oportere: ſed non niſi ex ſua ſententia. Verum, quam nobis ipſi ſpem faciunt, dum anathemata ſua Bacchico furore exſufflant, ſi quis ceremoniolæ unius omiſſionem licitam faciat? Conqueruntur, vel ſaltem gemunt pii omnes, pluris in Baptiſmo fieri chriſma, cereum, ſalis ſaporem, ſputum denique, quam aquæ lavacrum, quo tota conſtat Baptiſmi perfectio. Cœnam non modo talibus inquinamentis vitiatam eſſe deplorant: ſed converſam in adulterinum neſcio quod ſpectaculum. Secundum patres Tridentinos, nihil erit tam prodigioſum, quod non inter probatos Eccleſiæ catholicæ ritus locum habeat. Auguſtinus jam ſuo tempore conquerebatur, onerari Judaica ſervitute Eccleſiam, quum vix decima pars rituum obtinuiſſet, quorum obſervatio nunc ſeverius requi-

Digitized by Google

ritur, quam ullius divinæ aut humanæ legis. Deliberant Tridentini, quidnam ſactu opus ſit. Nulla ſpe levationis oſtenſa, diras & execrationes omnibus intentant, qui non ad unguem ſe uſitatis præſcriptis dediderint.

DE BAPTISMO.

In I. Canonem.

Magnum piaculum ſcilicet: ubi eadem eſt doctrina, eadem gratia offertur, idem ſervatur ritus, ſimilitudinem illic ſtatuere. Si quid in tribus iſtis diverſum habuerit Chriſti Baptiſmus ab Joannis, viciſſe eos fateor. Sin vero utrique communia ſunt omnia: fruſtra bilem ſuam eructant: quia nemo erit compoſitæ mentis, qui terreatur. Quod ſi putaſſent certandum eſſe ratione, longe fuiſſent moderatiores.

In II.

Cur de priore parte moveant quæſtionem, neſcio: niſi forte hac una in re ſapere velint, frivolas Sorboniſtarum argutias cohibendo. At quod adverſus omnes fulminant, ſecum in loci unius expoſitione non ſentientes, in eo nimis ſunt iracundi. Præſertim quum ex veteribus nonnullos citare liceat, qui me-
[*Joan. 3. verſ. 5.*] taphorice verba illa accipiunt: Niſi quis ex aqua & Spiritu renatus fuerit. Sed quemadmodum initio dixi, execrationes ex locuplete penu, non mirum eſt, ſi liberaliter depromant.

In III.

Cur non hinc potius ſumebant exordium, quum hoc jacto fundamento, quidvis ſuperſtruere liceat? Nam ſi verum eſt quicquid docent: quid adhuc pugnamus? Atqui, ſcripta noſtra luculente teſtantur, totam, quæ apud ipſos obtinet, de Baptiſmo doctrinam, partim mutilam eſſe, partim vitioſam. Nunc quum refellere argumenta noſtra nequeant, fruſtra ſepelire ſe putant, uno anathematis fulgetro. Quod autem Romam omnium Eccleſiarum matrem ac magiſtram faſtuoſe prædicant: cujus eſt impudentiæ? Græcaſne & Orientales Eccleſias in Chriſto genuit, à quibus ipſa potius genita fuit? Quale illius magiſterium pervenire ad alias Eccleſias potuit, quæ longe doctiores habebant Epiſcopos? Ut revolvant omnium ſeculorum exempla, quem omnino ex toto catalogo, parem vel Cypriano, vel Ambroſio, vel Auguſtino proferent?

In IV.

Quid facere intendat miniſter, noſtra parum refert: modo actio ipſa genuinæ Chriſti inſtitutioni reſpondeat, tum in doctrina, tum in ritu. Nobis ergo ſufficiat, quod, in nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizati ſumus: qualiſcunque vel impietas, vel ignorantia eorum fuerit, qui Baptiſmum nobis adminiſtrarunt: ſolus enim Chriſtus eſt, qui vere & proprie, per manum cujuslibet hominis, baptizat.

In V.

Ne circumveniantur imperiti: inter liberum, & neceſſarium, medius eſt aliquis gradus. Qualiter hoc poſterius vocabulum accipiunt Romanenſes. Nam & nos Baptiſmi uſum neceſſarium confitemur: ne cui liceat vel negligentia, vel contemptu, ipſum omittere. Atque hoc modo nequaquam liberum facimus. Nec fideles modo ſevere adſtringimus ad ejus obſervationem: ſed ordinarium quoque Dei inſtrumentum aſſerimus, ad nos lavandos & renovandos, ad ſalutem denique nobis communicandam. Hoc tantum excipimus, ne manus Dei inſtrumento ſit alligata: quin poſſit per ſe hominum ſalutem perficere. Nam ubi deeſt Baptiſmi facultas, abunde valet ſola Dei promiſſio. Verum, hac de re, in ſuperiorem Seſſionem, aliquid dictum eſt.

In VI.

Paradoxum, quod damnant, nos quoque repudiamus, vel hanc unam ob cauſam, quod fidei vitam extinguit.

In VII.

Si intelligerent, quid ſit lex Chriſti, de reliquo non difficulter convenirет: ſed ut de Chriſti lege ſolent loqui, hoc uno capite demonſtrant, quam procul abſint à vera Baptiſmi notitia. Neque tamen ignoro, quid eos fefellerit. Nam, quemadmodum Circumciſione, ad ſervandam Moſis Legem obligari hominem docet Paulus: ita & in Baptiſmo, quoad [*Gal. 5: 3.*] legem Chriſti, ſimilem obligationem ſtatuunt. Atque hæc quidem comparatio apta foret, niſi in primo, ut aiunt, limine impingerent: nam vehementer errant, dum exiſtimant Paulum de vero Circumciſionis uſu, ac non potius de abuſu, illic diſſerere. Nam ſi implendæ Legis fuerunt debitores, quicunque fuerunt circumciſi: ſequitur, maledictioni fuiſſe obnoxios. Atqui, longe aliter docet idem Paulus, quum Cir- [*Rom. 4. verſ. 11.*] cumciſionem ſigillum appellat juſtitiæ fidei. Qui autem opus eſſe meritorium fingebant, iis etiam erat profeſſio ſervandæ Legis. Nobis quid hodie Baptiſmus? Tametſi chirographum eſt mutuæ inter nos & Deum obligationis, hoc tamen habet præcipuum, ut de gratuita peccatorum remiſſione, perpetuaque adoptionis gratia nos certiores reddat. Quod cum Tridentina affirmatione æque pugnat, atque liberatio contraria eſt ſervituti.

In VIII.

Unus eſt Legiſlator, inquit Jacobus, qui poteſt [*Jacob. 4. verſ. 12.*] ſervare & perdere. Ubi falſum hoc eſſe demonſtraverint, non recuſabimus, quin ſuis nos legibus adſtringant. Sed quamdiu hoc conſtabit, Deum regendas verbo ſuo piorum conſcientias ſumpſiſſe, atque hoc ſibi imperium ubique vindicare: ſtatuere tuto ſimul licebit, non eſſe ſanctam Eccleſiam, quæ illaqueare conſcientias tentabit aliis legibus.

In IX.

Principio illud conſtituendum erat, quænam ſint vota legitima. Quo poſito: nihil aut parum reſtaret controverſiæ. Nunc autem vota, quorum laqueis induuntur, vel potius ſtrangulantur miſeræ animæ, non modo ſuperſtitione plena ſunt, ſed etiam à recta Chriſtianæ vitæ regula prorſus diſſident. Quare ut ratum ſit votum aliquod, ad Baptiſmi profeſſionem exigi oportet. Quod ſi fiat: nullum ex votis in Papatu hodie uſitatis non erit irritum.

In X.

Qui ſola Baptiſmi recordatione deleri peccata tradunt, non nudam ipſam aut frigidam intelligunt, ſed cum fide ac pœnitentia conjunctam. Qualis eſt prima quoque Baptiſmi cognitio. Neque enim tantum in mentem nobis venire debet aquæ aſperſio: ſed potius ſpiritualis veritas, quæ bonæ conſcientiæ fiduciam parit ex Chriſti reſurrectione, quemadmodum loquitur Petrus. Ejuſmodi, inquam, recorda- [*1 Petr. 3. verſ. 21.*] tio, non venialia modo peccata facit, ſed prorſus obliterat: nam quoties de peccatorum remiſſione quæritur, ad Baptiſmum confugiendum eſt, ut inde petamus ejus confirmationem. Quemadmodum enim quotidianis Evangelii promiſſionibus nos ſibi Deus reconciliat; ita hujus, quæ quotidie repetitur uſque ad vitæ finem, reconciliationis fidem & certitudinem Baptiſmo nobis obſignat. Semel quidem ſumus baptizati: ſed eſt perpetuum veniæ, & gratuitæ in Chriſto propitiationis teſtimonium. Quid venerandi patres?

patres? Ex tritis ſophiſtarum rhapſodiis, Baptiſmi promiſſiones in præteritum tempus reſtringunt: ſimulatque peccaverit quiſpiam, ſepulta Baptiſmi memoria, jubent in fictitio pœnitentiæ Sacramento acquieſcere. Quaſi vero non ipſe Baptiſmus proprium eſſet pœnitentiæ Sacramentum. Et adhuc jactabunt penes ſe ſanam de Baptiſmo eſſe doctrinam, quum totam ejus vim momentanea & evanida gratiæ promiſſione includant.

Proximis tribus capitibus non invitus ſubſcribo. In quarto eatenus illis aſſentior, ut lectores interea monitos velim, quanto anathematum profluvio diffluxerint. Quod improbatur, alicubi Eraſmo excidit: parum conſiderate fortaſſis. Non nego. Quod ſi tamen ingenuus adſit interpres, correctum aliquid in verbis cupiet: hominem judicabit non ſatis in Eccleſiæ gubernatione exercitatum. Ad anathematum quidem terrores, nemo æquus & moderatus proſiliet.

DE CONFIRMATIONE.

In I. Canonem.

Quia biſulcum eſt hoc anathema: ne priore ſulco feriar, mature ex eorum numero me nequaquam eſſe profiteor, qui otioſam Confirmationis ceremoniam eſſe putant, qualis ſub Papatu Romano obſervatur: utpote, qui eam inter maxime exitiales Satanæ præſtigias numerem. Meminerimus, nuſquam in Scriptura nobis commendari quod fingunt Sacramentum, neque hoc nomine, neque hoc ritu, neque hac ſignificatione. Nunc quibus figmentum ſuum elogiis ornent, audiamus. *De conſecr. diſt. 5.* Sub nomine Melciadis Papæ pronunciant, Spiritum in Baptiſmo dari ad innocentiam: in Confirmatione, augmentum ad gratiam. Baptiſmum ſufficere ſtatim morituris, ſed Confirmatione armari victuros, ut agones ſuſtinere valeant. Ita dimidia pars efficaciæ à Baptiſmo truncatur: *Rom. 6:6.* quaſi de nihilo dictum ſit, crucifigi veterem hominem in Baptiſmo, ut in vitæ novitate ambulemus. Addunt præterea, quanquam neutrum ex his duobus ſine altero perfici poſſit: Confirmationem tamen majori veneratione colendam eſſe, quam Baptiſmum. Extat etiam decretum Aurelianenſis Concilii: neminem debere exiſtimari Chriſtianum, qui non Epiſcopali unctione fuerit chriſmatus. Digna enim ſunt eorum verba, quæ pueris quoque propinentur in ludibrium. Multum ab otioſa ceremonia differt ſacrilegium, tam execrandis blaſphemiis refertum. De ſecundo membro quid aliud dicam, niſi eos parum æſtimare, quanti ſua anathemata valeant: quibus evomendis ita ſunt faciles, ut putent ex albo nigrum protinus fieri debere? Verum ita res habet, qua vulgi admiratione, vel potius quo ſtupore myſteria ſua hactenus ſpectari viderunt, eodem quoque exceptum iri putarunt quicquid balbutirent. Hinc tanta confidentia. Neque enim unquam vel craſſiſſimi ſubulci judicio permittere auſi fuiſſent ſuas inſulſitates, niſi Concilii larvam ſperaſſent oppoſitam fore omnium oculis.

In II.

Quæſtio eſt an ab hominum arbitrio novam & arcanam Spiritus virtutem oleum accipiat, ſimulatque illis placuerit vocari Chriſma. Olei enim qui faciat mentionem, nemo eſt ex veteribus, imo nec ex media illa ætate, quæ jam multis vitiis abundabat. Crepent igitur licet, nihil proficient negando, ſe in Spiritum Dei eſſe contumelioſos, ejus virtutem dum ad putidum oleum transferunt.

In III.

Et certe digni ſunt cornuti inſulatique aſini tali prærogativa. Quid enim agerent, quando ad obeundum munus Epiſcopale nihilo ſunt aptiores, quam ad canendum porci? Nec vero illis invideo: modo in ſuis cauponis, extra Dei Eccleſiam ejuſmodi inquinamenta tractent. Sed unde, quæſo, probabunt, Epiſcopis magis quam reliquis ſacerdotibus convenire has partes, niſi quia incertis auctoribus ita placuit? Nam ſi ex Scriptura petatur ratio, nullum illic eſt, omnium confeſſione, Presbyteri & Epiſcopi diſcrimen. Deinde manuum impoſitionem jubetur Paulus ab Anania recipere, qui unus erat ex diſcipulis. *Act. 9. verſ. 17.* Si illis Confirmatio, eſt manuum impoſitio: cur Deum non accuſant violati ordinis, adeoque profanati myſterii, quo Presbyterum promiſcue Epiſcopo miſcet? Denique vel Dei lege ſancitum eſt quod volunt, vel humano placito. Si Dei lex eſt: cur eam violare non verentur? Nam Presbyteris extra ordinem concedunt jus confirmandi. Pro humano autem placito ita fulminantes, cui formidinem incutient?

In Canones qui poſtea ſequuntur, de Reſidentia.

Interdum mirari ſubit, qui fiat, ut in tanta Evangelii luce non ſecus ſint inſulſi, atque olim in denſiſſimis tenebris ſolebant. Sed mox ad Dei admirabile judicium cogitationem meam refero, quo certum eſt eos excæcari & obſtupefieri, non modo, ut nihil videant, nec ſentiant: ſed etiam ut abjecto pudore, ſua dedecora non diſſimulanter jactent. Quia proventus Eccleſiæ, qui Paſtoribus ad victum deſtinati erant, pridem cœperunt eſſe otioſorum hominum reditus: & qui aluntur Eccleſiæ ſumptu, nihil ſibi oneris impoſitum eſſe cogitant: ad tantum flagitium ſe corrigendum accingi profitentur. Quum ad rem ventum eſt: nonnihil videntur dicere. Eſt iſtud, fateor, in tanta vitiorum exundatione, magni æſtimandum: ab uno homine non teneri duos Epiſcopatus. Et reliqua ſimilia, ad coërcendam, quæ hodie graſſatur, licentiam compoſita. Tametſi multum abeſt quicquid tentant reformationis, non dico à priſca illa & auſteriore diſciplina, quæ ante annos mille viguit: ſed à tolerabili aliquo piæ & non profanæ gubernationis ſtatu. Epiſcopum longius dimidio anno abeſſe à ſua diœceſi vetant. Satis liberalis miſſio, ut quotannis ſex menſium vacationem habeant, qui dies & noctes continenter excubare, pro gregis ſui cuſtodia, debuerant. Additur tamen etiamnum exceptio: niſi juſtam abſentiæ excuſationem habeant. Et quando illa deerit? Sed tamen, ut quod hic præſcribitur exactiſſime ſervent: quo profectu id facturi ſunt, niſi forte, ne alio pecuniam, quæ illis ex reditu conficitur, totam transferant? Si urbes amant, habebunt ſua palatia, ubi procul ab omni ſtrepitu bibent, ludent, dormient, pro more: ſin rura magis ipſos oblectabunt, in ſuis prætoriis & arcibus ſuaves habebunt receſſus. Ita ſuo munere perfuncti erunt, nihil agendo. Hæc certe erit vera reſidentia.

Quantum ad parochias, ſua ſcholis privilegia confirmant: ut ſtudii prætextus excuſet abſentiam. Itane? Ut interea dum adoleſcens & novus tiro paſtorem agere diſcit, nihilominus lac gregis exugat, qui carebit paſtore? Demus hoc eſſe tolerabile. Quis tamen neſcit, ſcholarum privilegiis ſolos ignavos homines & culinarios frui? Ita fiet, ut perpetuo cogantur miſeræ Eccleſiæ alere duos lupos: unum domi, alterum foris. Quod diſpenſationes de non promovendo ultra annum, valere poſthac nolunt, id vero non niſi à datariis ſuggeſtum fuiſſe olfacio. Quanta enim fiet quæſtus acceſſio, ſi quotannis nova prorogatio emenda erit? Denique, unum hoc illis fuiſſe curæ videtur, ut qualemcunque juris ſpeciem haberent, in confuſa rerum omnium perturbatione.

Verumetiam ſi ad unguem formata eſſent præſcripta, non eſt tamen quod ſpe melioris ſtatus ſibi

Digitized by Google

boni gratulentur. Prius enim quam legem ullam proferant, omnes ſimul abrogant uno verbo: vel ſaltem rationem demonſtrant, quo poſſint momento abrogari. Præfantur enim ex iis quæ dicturi ſunt, nihil fore impedimento, quominus ſalva maneat ſedis Apoſtolicæ auctoritas. Nunc ſecum quiſque reputet, quibus illa finibus terminetur, vel quouſque pateat. Nonne tantundem valet ejuſmodi præfatio, acſi Papæ licitum eſſe juberent quod libuerit? Quale, obſecro, malis remedium afferunt, ſic agendo? Neque enim eorum quæ corrigenda ſuſcipiunt, quicquam hactenus uſitatum fuit, tanquam communi jure permiſſum: ſed quod leges probibebant, diſpenſationibus effectum eſt, ut impune fieret. Itaque nunquam jactarunt, ſe regulam ipſam tenere: ſed quia legibus ſoluti erant, licitum putarunt, quod per ſe legitimum alioqui non erat. Nunc cavent Neptunii patres, ne ſit in poſterum melius: quum diſerte excipiunt, ne quid minuatur ex Romanæ curiæ potentia: nam ut mille jam nectantur legum nodi, exertus eſt Alexandri enſis, qui ſimul omnes reſcindat. An poterant magis aperte illudere orbi Chriſtiano? Quid dico illudere? An contumelia majore inſultare poterant bonorum expectationi, quum ita præciſe, barbaroque faſtu, tam effrenatæ Papæ tyrannidi modum ſe impoſituros negant? Utcunque jam ad omnia mala occalluerint qui ſub Papatu degunt, diceres tamen hac una in parte ſervitutis oblitos, quod non modo liberos gemitus, ſed altos clamores paſſim edunt: diſpenſationibus perditam eſſe Eccleſiam. Converſi ſunt omnium oculi in venerandos patres, quaſi ſeveri animoſique cenſores, ad cobibendam ejuſmodi libidinem, ſedeant. Seſquiannum meditati, tandem pronunciant, ſibi placere veterem diſciplinam, modo ſedi Apoſtolicæ jus diſpenſandi, quale fuit, maneat. Hoc eſt dicere: ut eatenus ratæ ſint leges, ne gratuita ſit libertas, ſed pretio redimatur. Et ne verecundia impediatur, parum audacter exerceat Papa hanc poteſtatem, titulum univerſalis Epiſcopi, quem Gregorius nefarium, ſacrilegum, ſceleſtum, prænunciumque Antichriſti appellat, ſubinde illi confirmant, dum Epiſcopis nihil aliud relinquunt, quam ut ſint ipſius vicarii. Ubi nunc illa, quam Hieronymus prædicat, æqualitas, dum Romanum Epiſcopum comparat Eugubino? Ubi illa Cypriani ſententia, Unum eſſe Chriſti Epiſcopatum, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur? Scribit Bernardus, communem ſuo tempore fuiſſe querimoniam, truncari & mutilari Eccleſias, quod Romanus Epiſcopus, omnium poteſtatem ad ſe trahendo, ordines confunderet. Ut medeatur huic malo ſacra Synodus, jubet Epiſcopos eſſe Papæ vicarios.

Hieron. ad Euagr.

Cyprian. de ſimpl. Prælat.

Bernar. de conſid. ad Eug. lib. 3.

Ego, in exagitanda illorum impudentia, non plus ſumam operæ. Sed quum nemo non videat, eſſe pluſquam deploratos: quiſquis ſapiet, non amplius morabitur eorum decreta, ut inde fidem habeat ſuſpenſam. Eſſet quidem maxime optandum, diſſenſiones, quibus hodie turbatur Eccleſia, piæ Synodi auctoritate componi: verum ut res habent, nondum id ſperare licet. Proinde, quum horrendum in modum diſſipatæ ſint Eccleſiæ, nec ulla ſpes colligendæ diſperſionis ab hominibus appareat: ſingulis nihil eſt melius, quam ad vexillum properare, quod nobis Filius Dei proponit. Hic non eſt quod alii alios exſpectent. Ut quiſque emicantem Scripturæ lucem animadvertit, eo mox ſequatur. Quod autem ad univerſum Eccleſiæ corpus attinet: ejus curam Domino commendemus. Non ſimus interea reſides, nec ſecuri: pro ſe quiſque ſatagat: conferamus quicquid in nobis eſt conſilii, ſtudii, facultatum denique, ad inſtaurandas Eccleſiæ ruinas. Sed in rebus tam deſperatis, ſuſtentet nos, atque animet iſta promiſſio: quia nemo prodit ex hominibus, qui has, virili & heroico animo, partes ſuſcipiat, fore, ut Dominus ſua juſtitia armatus, brachioque ſuo inſtructus, omnia ſolus peragat.

INTERIM ADULTERO-GERMANUM,

Cui adjecta eſt

VERA CHRISTIANÆ PACIFICATIONIS, ET ECCLESIÆ REFORMANDÆ RATIO.

De conditione hominis ante lapſum.

DEus creavit initio hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, eumque gratia ornavit, & fecit per originalem juſtitiam, ut eſſet omnibus cùm corporis, tum animi viribus rectus, nec agitaretur ullis turpibus & pravis motibus: ſed in eo caro ſpiritui, atque inferiores animi vires ſuperioribus, quæ tantum ad bonum hortabantur, parerent.

Quum igitur animus hominis tam bene conſtitutus eſſet, reliquit eum Deus in manu conſilii ſui uſque eo, ut non minorem haberet vim ad eligendum bonum, quam malum. Quod ſi hac libertate ſua uſus fuiſſet recte, & mandatis quæ ipſi Deus dederat, obediſſet: bona quæ acceperat homo, atque juſtitiam ſibi & omni poſteritati ſuæ conſervaſſet, nihilque ei ac poſteritati ipſius defuiſſet ad bene beateque vivendum: non fames, non ſitis, non frigus, non æſtus, non dolor, non morbus, non mors eum afflixiſſet: omne denique peccatum atque vitium vitaſſet: nec ab illis, tanquam peccatorum ſtipendiis, periculum ei ullum poſteriſque illius allatum fuiſſet.

De conditione hominis lapſi.

Verum, poſtquam primus parens noſter contra, quam mandaverat Deus, fecit: incidit in pœnam à Deo propoſitam, & juſtitiæ originalis donum pulcherrimum amiſit: hinc carentia juſtitiæ hujus, una cum vitioſo concupiſcentiæ habitu, quæ ſpiritui & ſuperioribus animi viribus perpetuo repugnat. Quod peccatum, hoc eſt, privationem illius juſtitiæ, qua parte rationem ſubditam reddebat Deo, una cum concupiſcentia in omnem poſteritatem ſuam propagavit, ut cum eo omnes, quotquot in hanc lucem eduntur, homines naſcantur: nec eo vacuus ſit ullus, nec unius quidem diei infans, ſecundum Scripturas. Hinc illud naturæ noſtræ vulnus, ut animalis homo non percipiat quæ ſunt Spiritus, nec eadem ante gratiam expetat atque libere eligat: quum concupiſcentiæ & affectus carnis, qui in eo dominatur, inimicitia ſit adverſus Deum, & à Lege Dei abhorreat: tantoque magis impediat in bono, quanto magis ad malum impellit.

Et quanquam retinet homo talis libertatem arbitrii, licet infirmam & læſam, ex qua tanquam fonte

pro-

profluunt & virtutes morales Ethnicorum, & harum actiones: tamen ante gratiam Dei & reparationem; ad juſtitiam quæ coram Deo valeat, aſpirare haud poteſt: ſed eſt potius ſervus peccati, Satanæ mancipium: inimicus Dei, & malis hujus mundi obnoxius: premitur enim fame, ſiti, frigore, æſtu, dolore, morbo, & ad extremum morte ipſa evertitur. Per unum enim hominem peccatum in hunc mundum introivit, & per peccatum mors. Hæ autem iſtius primæ prævaricationis pœnæ, renatis cum peccatoribus communes ſunt. Illis tamen à Deo etiam ad exercitium adhibentur, injuſtis vero & impiis infliguntur ad pœnam.

Adde huc quod in homine tali, quem peccatum originale depravavit, quoad natura tantum conſtat, nec per gratiam inſtauratur, regnat una cum concupiſcentia prava etiam Satan, qui eum vinculis ſervitutis ſuæ conſtrictum tenet, in eoque operatur, ut converſetur in deſideriis ſuis, faciens voluntatem carnis & cogitationem, ac originale quod à parentibus traxit peccatum actualibus cumulet, ſitque filius iræ, ſecundum Apoſtolum, ut ſi in hac miſerrima conditione ſua moriatur, juſto tandem Dei judicio in gehennam conjectus, æternis ibi ſuppliciis plectatur, ut nec ignis ejus, ut apud Jeſaiam ſcriptum eſt, extinguatur, nec vermis moriatur.

De redemptione per Chriſtum Dominum noſtrum.

Deus igitur, qui dives eſt in miſericordia, nolens perire quos condiderat, Filium ſuum miſit in mundum, ut quum impoſſibile eſſet homini, ſeipſum liberare, in Domino hoc noſtro atque Salvatore haberet redemptionem per ſanguinem ejus, ut ſcriptum eſt apud Apoſtolum. Poſuit enim Deus ſuper eum iniquitates noſtras, ut in corpore ſuo peccata ferret in cruce, affigens ea in ligno. Hic quum innocens pro nobis peccatoribus pateretur atque ſatisfaceret, redemit quidem nos, & Deum Patrem ita placavit, ut idem Pater miſeros nos & peccatis inquinatos, ob ſanguinem ipſius abſolveret, ac ſibi reconciliaret. Vere enim inquit Paulus, Erat Deus in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum.

Et quanquam Deus gratuito & propter nomen ſuum propitius eſt nobis, & iniquitates noſtras delet propter ſe: tamen ne ſine ullo ſanctificationis pretio peccata remitteret, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ pro incomprehenſibili ſapientia & immenſa bonitate ſua, juſtitiam cum miſericordia miſcuit, & voluit, ut pretium pro redimendis nobis Filii ſui ſanguine conſtitueretur, ut quas nos peccatores dare deberemus pœnas, eaſdem Agnus ille innocentiſſimus perferret in cruce, noſque è vulneribus ipſius, quod nobis miſeris deeſſet redemptionis pretium mutuari, & ad liberationem ſalutemque noſtram uſurpare poſſemus, ut quum miſereatur noſtri benigniſſimus Pater gratuitò, non tamen miſereatur niſi interveniente ſanguine Filii ſui: ut quod nobis hic gratis contingit, id tamen merito ac juſtitiæ Chriſti acceptum ferre debeamus, ut quicunque gloriatur, in hoc Domino Redemptore & Salvatore noſtro glorietur.

De juſtificatione.

Jam qui pretioſo ſanguine Chriſti redimitur, & cui meritum paſſionis Chriſti applicatur, continuo is juſtificatur: hoc eſt, invenit remiſſionem peccatorum ſuorum, à reatu æternæ damnationis abſolvitur, & relevatur per Spiritum ſanctum, atque ita ex injuſto fit juſtus. Nam Deus quando juſtificat, non humano tantum more agit cum homine, ut ei ignoſcat duntaxat, peccatum donet, & reum abſolvat, ſed facit etiam meliorem: id quod homines attribuere nec ſolent, neque poſſunt. Communicat namque cum illo de Spiritu ſuo ſancto, qui purificat cor ejus, & per charitatem in eodem corde diffuſam incitat, ut quod bonum ac juſtum eſt, expetat: & expetitum, opere ipſo perſequatur.

Hæc eſt vera illa juſtitiæ inhærentis ratio, quam deſiderabat David, quum hanc emitteret vocem: Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. De hac Apoſtolus ſcribit: Abluti eſtis, ſanctificati eſtis, juſtificati eſtis: & quum inquit, Deum ſecundum ſuam miſericordiam nos ſalvos feciſſe per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, quem effudit in nos abundanter per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ. Quanquam autem juſtitia hæc, quæ è fonte legis Spiritus profluit, longe eſt abundantior, quam fuit Scribarum atque Phariſæorum juſtitia: tamen in iis qui hac præditi ſunt, nihilominus concupiſcentia repugnat ſpiritui quoad hic vivitur. Eo fit, ut iidem illi mente quidem ſerviant Legi Dei: carne autem legi peccati, & ſine peccato non vivant.

Quum igitur homo plenam juſtitiæ inhærentis perfectionem, quoad in hac terra vivit, non conſequatur: certe Chriſtus, qui factus eſt nobis ſapientia, juſtitia, ſanctificatio, & redemptio à Deo, nobis in hac etiam parte benigniſſime ſuccurrit, quatenus & per communicationem juſtitiæ ſuæ juſtitiam hominis de illa participantis inhærentem ut efficit: ita auget, ut de die in diem renovetur, donec in æterna patria plene perficiatur: & per meritum ſanguinis ſui pretioſi atque juſtitiam, quam conſtituit perfectiſſimam, impetrat homini indulgentiam: ut quod homo per infirmitatem ſuam minus poteſt, id per ipſius Chriſti perfectionem recuperetur ac condonetur. Hinc illa Joannis conſolatio: Filioli, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis, ſed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.

Concurrunt quidem Chriſti meritum & juſtitia inhærens, ad quam renovamur per donum charitatis: inhærens, ut ex ea pie, juſte ac ſobrie vivamus in hoc ſeculo, expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magnæ Dei & Salvatoris noſtri. Sed meritum Chriſti, ut ſit juſtitiæ noſtræ inhærentis cauſa, & ut quum in multis labamur omnes, ac propter infirmitatem imperfectionemque noſtram multa occurrant, quæ animos noſtros turbare, & ad deſperationem ſollicitare poſſint, in eodem merito & pretioſo Chriſti ſanguine reſpiremus, ac inveniamus quo ad ſpem ſalutis firmiſſime niti valeamus. Nam in Chriſto Jeſu Domino Redemptore & Salvatore noſtro, quem induunt pii, & cum quo donantur eis omnia, ſecundum Apoſtolum, omnia nobis ſunt firmiſſima, ſolidiſſima, & perfectiſſima, ut eiſdem ipſis ad ſpem vivam recte fulciamur.

Auguſtin. lib. 19. cap. 7. contra Fauſt.

De utilitate & fructibus juſtificationis.

Habent quidem juſtificati pacem ad Deum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: eis namque Deus eſt placatus, miſericors & propitius, ut ſperare poſſint, ſi quum inimici eſſent, Deus reconciliaverit ſibi ipſos per mortem Filii, multo magis futurum eſſe, ut reconciliati ſalventur, ut verbis Apoſtoli, quæ conſolationis pleniſſima ſunt, utamur. Item, qui juſtificantur, iidem etiam adoptantur Deo filii, ut hæredes ſint Patris æterni in cælis, cohæredes autem Chriſti, auctore Paulo: & jam habeant jus adeundæ hæreditatis illius, quæ eſt vita æterna.

De modo, per quem homo juſtificationem accipit.

Etſi Deus non ex operibus juſtitiæ, quæ fecit homo, ſed ſecundum ſuam miſericordiam juſtificat eum, idque gratis, hoc eſt, ſine merito ejus, ut ſi gloriari velit, in Chriſto tantum glorietur, cujus ſolius merito redimitur à crimine, & juſtificatur: tamen Deus miſericors non agit hic cum homine, ut

cum

cum trunco, ſed trahit eum volentem, ſi adultus ſit. Talis enim non accipit beneficia illa Chriſti, niſi præveniente gratia Dei, mens ejus atque voluntas moveatur ad deteſtationem peccati. Nam quum peccatum ſeparet inter Deum & nos, ut Jeſaias inquit, nemo ad thronum gratiæ & miſericordiæ accedere poteſt, niſi qui prius per pœnitentiam ab eodem peccato fuerit averſus. Itaque Joannes quum præpararet viam Domino, dixit: Agite pœnitentiam, appropinquat enim regnum cælorum. Mox eadem gratia divina movet mentem in Deum per Chriſtum, ut hic modus eſt fidei, per quam homo ſine hæſitatione credens Scripturis ſanctis & promiſſionibus quas eædem afferunt, aſſentitur. Chriſtus enim ipſe, quum primo exegiſſet pœnitentiam, mox fidem talem requirit, inquiens: Quoniam impletum eſt tempus, & appropinquat regnum Dei, agite pœnitentiam, & credite Euangelio.

Qui ita credit, & divinæ juſtitiæ timore, quo utiliter concutitur ad conſiderandam miſericordiam Dei & redemptionem per ſanguinem Chriſti, eſt converſus: hic erigitur, & monente gratia Dei, concipit fiduciam atque ſpem, ut credat præter ſpem meriti ſui, in ſpe miſericordiæ promiſſæ, tribuens gloriam Deo: atque ita perducitur ad charitatem. Tali in Deum fide, quicunque miſericordiæ divinæ ac Chriſti merito nititur, ſeque eiſdem committit, accipit promiſſionem Spiritus, & ſic juſtificatur per fidem in Deum, ſecundum Scripturam, ut ei non ſolum remittatur peccatum, ſed idem etiam ſanctificetur & renovetur per Spiritum ſanctum: ea namque fides impetrat donum Spiritus ſancti, quo diffunditur charitas in cordibus noſtris. Quæ quatenus ad fidem & ſpem accedit, eatenus per juſtitiam inhærentem vere juſtificamur. Hæc enim juſtitia, fide, ſpe ac charitate ita conſtat, ut ſi aliquam harum juſtitiæ huic ſubtraxeris, eandem ipſam mancam plane reliqueris.

De charitate & bonis operibus.

Charitas autem, quæ eſt finis præcepti & plenitudo Legis, ſimulac juſtificationem ingreditur, fœcunda eſt, jamque omnium bonorum operum ſemina intra ſeipſam includit: quæ ut parata eſt ferre bonos juſtitiæ fructus, ita fert eos in juſtificatis quam primum, & quoties debet, eique operandi facultas impedimento aliquo non adimitur. Itaque fides, quæ per dilectionem non operatur, non videtur viva, ſed ſterilis potius ac mortua, auctore Jacobo. Quin imo homo quantalibet fide præditus, ſi ei deſit charitas, manet in morte, ut Joannes teſtatur, quum præſertim charitas jam eſſe debeat pars vitæ æternæ in nobis inchoatæ, & tandem per glorificationem perficiendæ. Quanquam enim fides & ſpes deſinent, quum migraverimus in illa æterna tabernacula, charitas tamen manebit, & in eadem ipſa introibit, ut ſecundum eam beatiſſime vivere, ac Deo, qui tum nobis erit omnia, ſempiterno ævo frui poſſimus. Eſt tamen fides nihilominus vera, qua Chriſtiani ab infidelibus diſcernuntur, quatenus Scripturis & revelatis à Deo aſſentiuntur, etſi eadem à charitate disjuncta ſit. Ex hoc maximo Dei dono, quod quanto magis in nobis augeſcit, tanto magis vetuſtas carnis noſtræ imminuitur, quæ manant tanquam è fonte bona opera, ad ſalutem cujuſque juſtificati tam neceſſaria ſunt, ut qui ea non fecerit continuo, gratiam Dei amittat, & tanquam palmes inutilis excindatur à Chriſto, & in ignem projiciatur, ut Chriſtus ipſe in Euangelio ſuo docet.

Et quanquam opera hæc talia ſunt, ut Deus jure quodam ſuo ea à nobis exigere poſſit, & ſancti, etiamſi omnia quæ ex eis præcepta ſunt, fecerint, & agnoſcere & dicere debeant ſe eſſe inutiles ſervos: tamen quum ex charitate Dei profluant, & gratiæ Dei effectus ſint, ac quia Deus ſecundum ſuam voluntatem operantibus mercedem liberaliſſime promiſit: eadem & temporalium bonorum, & æternæ vitæ remuneratione dignatur, ſecundum Apoſtoli teſtimonium, inquientis, Abundate in omni opere bono, ſcientes quod labor veſter non eſt inanis in Domino. Non enim eſt injuſtus Deus, ut obliviſcatur operis veſtri & dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ejus. Ac juſtificati jam ut ſervi facti juſtitiæ, membra ſua exhibentes ſerva juſtitiæ ad ſanctificationem, cooperante gratia, bonis operibus abundant: & quanto magis eiſdem abundant, tanto majora juſtitiæ incrementa ipſis adjunguntur, ut qui juſti ſunt, juſtiores fiant. Ne verearis, inquit Scriptura, juſtificari ad mortem. Item, Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc. &, Qui in Chriſto fructuoſus eſt, expurgetur à Patre cæleſti, ut fructum copioſiorem ferat, ut Chriſtus ipſe docet. Et hæc eſt illa ex operibus juſtificatio, de qua Jacobus frater Domini.

Quod reliquum eſt, etſi opera à Deo mandata, ut neceſſaria ad ſalutem, ſunt præcipue urgenda, juxta illud Chriſti: Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata: quæ tamen præceptis ſuperaddita aut pie aut honeſte ſuſcipiuntur: ipſa etiam commendanda ſunt, ne à Spiritu ſancto multa horum in Scripturis ſanctis commendante, diſcrepemus. Alias relinquere aut vendere omnia, & ſequi Dominum: Item ſervare virginitatem aut continentiam, bonum & utile non eſſet. Quin imo David quum ſaltaret ante Arcam, jure fuiſſet irriſus à Michol. Item, Paulus fruſtra remiſiſſet ſalarium iis, quibus verbum Dei prædicaverat. Breviter, diſcernenda ſunt opera ſupererogationis, quæ ſupra præceptum (ut verbo Chryſoſtomi utamur) fiunt, ab iis quæ contra fiunt. Hæc enim Chriſtus ipſe damnat, ut fermentum Phariſæorum: at illa Spiritus ſanctus in Scripturis loquens, commendat, inquiens: Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine.

De fiducia remiſſionis peccatorum.

Hic cavendum eſt, ne aut homines faciamus ſecuros nimis, ſibique fidentes, aut anxia dubitatione in deſperationem impellamus. Itaque quum Paulus dicat, ſe quidem nullius peccati conſcium, ſed in hoc tamen non juſtificatum eſſe: homo non poteſt ſine dubitatione propriæ infirmitatis aut indiſpoſitionis, credere ſibi peccata remiſſa eſſe. Sed tametſi non debet ſe in ipſo jactare, non ita tamen terrendus eſt, ut de promiſſis Dei deque mortis & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet, & deſperet ſe remiſſionem peccatorum & ſalutem conſequi poſſe: quin ei omnis ſpes & totius fiduciæ certitudo eſſe debet in pretioſo ſanguine Chriſti, qui effuſus eſt propter nos, & propter noſtram ſalutem: in quo ipſo reſpirare nos atque confidere & poſſumus certo & debemus, confirmante nos Spiritu ſancto, qui dat teſtimonium ſpiritui noſtro, quod ſimus filii Dei.

De Eccleſia.

Nunc de Eccleſia, quæ eſt univerſitas Chriſti fidelium, agendum videtur, in quam Spiritus ſanctus ita contrahit ac jungit renatos atque Chriſtianos, ut ſint una domus, unum corpus ab uno Baptiſmo & una fide: quæ (auctore Paulo) una eſt in omnibus Chriſtianis. Itaque neceſſe eſt, vitam Chriſtianorum, ut ad perfectum finem, quo tendit Eccleſia, perveniatur, bonam eſſe ac piam: nemo tamen ſibi ipſi perſuadeat, ullam vitæ probitatem ſibi profuturam eſſe, niſi ſe huic fidelium unitati & communioni junxerit atque accommodaverit. Sit igitur Eccleſia domus Dei viventis, & corpus illud, cujus caput eſt Chriſtus: multi enim unum corpus ſumus in Chriſto, inquit Paulus. Pro hac Eccleſia idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſe tradidit, ut eam ſanctificaret, mundans ipſam lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ſibiglorioſam, non habentem maculam, aut rugam,

aut

aut aliquid hujuſmodi: ſed ut ſit ſancta & immaculata. Ac quum Eccleſia unica ſit illa columba & corpus unum, certe ut hanc ſolam Spiritu ſuo ſanctificat & fovet Chriſtus: Ita extra eam bona gratiæ ſuæ tribuit nemini. Qui igitur in communione hujus corporis non eſt, nihilo magis Spiritu ſancto vivificatur ad ſalutem æternam quam ullum membrum naturale à corpore ſuo abſciſſum atque avulſum ad vitam naturalem: eo quod Spiritu vitali ab uno ſuo capite defluente, non amplius vegetatur. Itaque credendum eſt, neminem extra Eccleſiam Chriſtianam & communionem ejus ſpiritualem, vitam æternam conſequi poſſe. Communionis autem hujus eam eſſe rationem, ut quum Spiritus Chriſti ab eo ut capite delabatur in corpus ſuum, hoc eſt, Eccleſiam & omnia membra ejus permeet, ſingula membra percipiant ex eo, quantum ſibi ſatis ſit ad ſalutem: & quod ſingulis bonum contingit, id omnibus commodare, atque adeo univerſitati ipſi conſulere. Nam (ut ait Apoſtolus) creſcunt membra in charitate per omnia, in illo, qui eſt caput Chriſtus: ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem uniuſcujuſque membri, augmentum corporis facit in ædificationem ſui in charitate. In tali conjunctione, atque ſocietate hominum, eſt ſumma conjunctio, ilum membra pro ſe invicem ſollicita ſunt. Et ſive patitur membrum unum, compatiuntur omnia membra: ſive gaudet unum membrum, congaudent omnia membra.

Et quanquam Eccleſia, quatenus conſtat membris talibus, quæ ſecundum charitatem vivunt, ſanctorum eſt tantum, & eatenus ſpiritualis & inviſibilis: eadem tamen etiam ſenſibilis eſt, qualem Chriſtus ipſe monſtrat, inquiens: Dic Eccleſiæ. Ad hanc eandem pertinent Epiſcopi, qui regunt populum, quem Chriſtus ſanguine ſuo acquiſivit. Pertinent alii item miniſtri. Dedit namque Deus quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios Paſtores & Doctores. Ad hanc eandem Eccleſiam pertinet verbum Dei, quod in aures influit: pertinent Sacramenta, pertinent claves ligandi atque ſolvendi, pertinet poteſtas coërcendi per excommunicationem, pertinet jus ordinandi miniſtros Eccleſiæ, pertinent vocationes ad munera Eccleſiaſtica, pertinet denique jus ſanciendi Canones. Debent autem quæ ad ſenſibilem & externam Eccleſiæ partem pertinent, ſervire ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Jam in Eccleſia non ſolum ſancti, ſed etiam mali, ut ejus membra, licet arida, verſantur: unde eam Chriſtus modo reti in mare jacto, & tam bonos quam malos piſces comprehendenti, modo agro ſeminato, bonas fruges & zizania ſimul ferenti, comparat: nam qui membra facti ſunt Eccleſiæ per Baptiſma, recidunt ſæpe in crimina: faciuntque ſe ſervos peccati atque æternæ damnationis reos. Et quanquam gratiam communionis ſanctorum & ſpiritualis Eccleſiæ amittunt, hærent tamen nihilominus in externa Chriſtianorum ſocietate atque Eccleſia: audiunt verbum Dei, & Sacramenta capiunt, & alia item ſenſibilia cum Eccleſia habent communia, niſi vel per excommunicationem juſtam, vel per ſchiſma, vel per hæreſin, vel per defectionem à fide Chriſtiana abſcindantur. Miſera eſt quidem conditio eorum, qui ex peccato mortali languent, & à ſpirituali communione remoti, in periculo æternæ damnationis verſantur. Sed quia tamen eis verbum Dei audire, & Sacramentis item uti licet, utiliter hiſce tanquam inſtrumentis divinæ gratiæ in communionem ſanctorum reſtitui facilius poſſunt: præſertim quum in Eccleſia etiam externa Spiritus ſanctus ſalutem per verbum Dei & Sacramenta operetur. Verum ſchiſmatici, hæretici, & à fide Chriſtiana deſciſcentes, quia non ſolum à ſpirituali, ſed etiam externa Eccleſiæ ſocietate ſejuncti ſunt, quamdiu in hoc calamitoſo ſunt ſtatu, non habent quo poſſint juvari ac recreari. Imo tanquam membra à toto Eccleſiæ corpore abſciſſa, in ſuam ipſorum perniciem putreſcunt, non digni qui in ulla corporis Chriſti parte conſiſtant, cujus unitatem tam turpiter ſcindunt atque lacerant. Hinc illud Apoſtoli: Hominem hæreticum poſt unam & alteram admonitionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui hujuſmodi eſt, & delinquit, quum ſit proprio judicio condemnatus.

De notis & ſignis Eccleſiæ veræ.

Ac quoniam varii ſunt cœtus humanæ conſociationis, operæpretium eſt notas & ſigna, quibus Eccleſia ab aliis ſocietatibus humanis diſcernatur, noſſe: quum præſertim, qui ab Eccleſia vera deficiunt, ſchiſmatici atque hæretici conſtituant ſuos cœtus, eiſque auctoritatem & nomen Eccleſiæ adjungere non dubitent, & alii eorum alio in loco Chriſtum eſſe dicant: à quibus ut caveamus nobis, Chriſtus ipſe monet. Sunt igitur ſigna Eccleſiæ veræ, hoc eſt, magnæ illius domus, in qua non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia, & quædam in honorem, quædam in contumeliam: doctrina ſana, & rectus Sacramentorum uſus, quibus ab Ethnicorum & Judæorum cœtibus Eccleſia disjungitur: quorum utrique & ſana doctrina, & Sacramentis novi Teſtamenti carent. Tertium ſignum eſt, unitas, quæ vinculo charitatis & pacis continetur, ac membra Eccleſiæ ita conglutinat, ut non ſolum quod perpetuus Sanctorum conſenſus ab Apoſtolis uſque ad nos recepit & approbavit, idem ſentiant, ſed etiam idem loquantur, monente Apoſtolo: Obſecro autem vos per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Quartum ſignum Eccleſiæ veræ eſt, quod ſit Catholica & univerſalis, hoc eſt, per omnia loca & tempora diffuſa, & per Apoſtolos eorumque ſucceſſores continuata uſque ad nos, ſucceſſione propagata uſque ad fines terræ juxta promiſſiones Dei: Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hæreditatem tuám, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. Item, Multi venient ab Occidente & Oriente, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Jacob in regno cælorum. Item, Et eritis mihi teſtes in Hieroſolyma, & in omni Judæa, & Samaria, & uſque ad ultimum terræ. Item, Et ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere. Hæc duo ſigna diſtinguunt Eccleſiam Chriſtianam à ſchiſmaticorum atque hæreticorum gregibus, qui vinculum pacis rumpunt: & à Catholica unione ſeipſos in ſuam ipſorum perniciem divellunt, dum partem ſuam toti atque univerſæ Eccleſiæ anteferunt.

De auctoritate & poteſtate Eccleſiæ.

Etſi Scriptura, ut Chriſtus inquit, ſolvi non poteſt, & idcirco immobilis & omni humana auctoritate major eſt tamen fuit penes Eccleſiam auctoritas diſcernendi Scripturas veras ab adulterinis. Hinc eſt ille Canon Scripturarum, qui germanas à falſis, quæ ſub nomine Apoſtolorum atque diſcipulorum Domini obtrudebantur, diſcrevit. Et ut Eccleſia hujus rei auctoritatem poteſtatemque habuit ſemper, ſic etiam interpretandi atque adeo ex eiſdem Scripturis eliciendi & explorandi dogmata: quippe quum huic Spiritus ſanctus non deſit, qui ipſam in omnem ducat veritatem, quemadmodum Chriſtus ipſe promiſit. Hinc illud Petri: Omnis prophetia Scripturæ, propria interpretatione non fit, ſed Spiritu ſancto inſpirati, loquuti ſunt ſancti Dei homines. atque hæc interpretandi poteſtas cum primis neceſ-

Digitized by Google

neceſſaria eſt, in iis præſertim quæ difficilia ſunt intellectu: id quod res ipſa docet.

Habet præterea Eccleſia traditiones, à Chriſto & Apoſtolis per manus Epiſcoporum ad hæc uſque tempora delatas: quas qui convellit, is negat eandem columnam eſſe & firmamentum veritatis. Hujus generis ſunt Baptiſmus parvulorum & alia.

Conſtat item, poteſtatem coërcendi atque excommunicandi eſſe penes Eccleſiam, idque ex inſtituto Chriſti de poteſtate ligandi. huic conſentaneum eſt illud Apoſtoli: Tollite malum ex vobis. Habet item poteſtatem jurisdicendi. Nam cui competit jus coërcendi, & poteſtas jurisdicendi deeſſe non poteſt. Ac, ſi quæſtiones dubiæ oriantur in Eccleſia, habet quidem hæc poteſtatem judicandi de eiſdem atque decernendi, idque per Synodum; & quod hæc, in Spiritu ſancto legitime congregata, decernit, Spiritus ipſe ſanctus decernere videtur: juxta illud Concilii Hieroſolymitani: Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis. Itaque ſaluberrimam eſſe Conciliorum auctoritatem, dubitare debet nemo. Et quod ex eodem Concilio Hieroſolymitano intelligitur, eſt etiam penes Eccleſiam poteſtas conſtituendi Canones: idque ad utilitatem Eccleſiæ, cujus poteſtas omnis eſt ad ædificationem, & non ad deſtructionem.

De miniſtris Eccleſiæ.

Habet Eccleſia doctrinam divinitus traditam, quæ populo explicanda eſt. Habet & ſacra externa, quæ pie & ſalubriter ad utilitatem Chriſtianorum tractanda ſunt atque explicanda: quo minus miniſtri, qui muneribus ad has res neceſſariis funguntur, eidem Eccleſiæ deeſſe vel poſſunt vel debent. Ac munera quidem hæc, omnibus Chriſtianis communia non ſunt: verum Deus ipſe initio dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam Prophetas, alios vero Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Itaque tempore Apoſtolorum non omnibus data fuit poteſtas ad functionem munerum Eccleſiæ, ſed certis tantum, iiſque ad eadem ipſa ſegregatis. Nam quum Antiochæ eſſet Barnabas, Lucius, Manahen & Saulus, miniſtrantibus illis Domino (ut Lucas in Actibus Apoſtolorum ſcripſit) & jejunantibus, dixit illis Spiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos. Cavendum eſt igitur nobis, ne ſpirituale ſacerdotium quod omnibus Chriſtianis, quos Spiritus ſanctus unxit, commune eſt, cum hoc externo atque miniſteriali, quod non omnium eſt, ſed eorum tantum qui ad hoc vocati atque rite ordinati ſunt, confundamus: quod ſine gravi ac pernicioſa Eccleſiarum perturbatione atque calamitate accidere non poteſt.

De Pontifice ſummo & Epiſcopis.

Atque ut Eccleſia, quæ eſt unius capitis, hoc eſt, Chriſti unum corpus, eo facilius in unitate contineri poſſet, etſi multos habet Epiſcopos, qui populum ejus, quem Chriſtus pretioſo ſanguine ſuo acquiſivit, regant, idque jure divino: unum tamen in remedium ſchiſmatis, qui cæteris omnibus præſit cum plenitudine poteſtatis, ſummum Pontificem habet, idque pro prærogativa Petro conceſſa: quod ipſum quam utile ſit ad avertenda ab Eccleſia ſchiſmata, ſatis conſtat iis qui non ignorant, à contemptu hujus ſummi Sacerdotis plerumque ſchiſmata orta eſſe, ut Cyprianus ſcribit, & res ipſa teſtatur. Qui igitur cathedram Petri tenet ſummus Pontifex, eo jure quo Petrus accepit à Chriſto, dicente, Paſce oves meas: univerſam Eccleſiam & gubernat, & gubernare debet. Qua tamen poteſtate ſua uti debet non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. Hanc autem plenitudinem poteſtatis ſic videtur Chriſtus Petro, ejuſque ſucceſſoribus dediſſe, ut reliquis Epiſcopis partem ſollicitudinis ejus commiſſæ non abſtulerit, ſed ſuarum Eccleſiarum & Diœceſium veros jure divino Epiſcopos eſſe voluerit. Debent autem Chriſtiani homines & Pontifici ſummo, & ſingulis ſuis etiam Epiſcopis parere, juxta illud Apoſtoli: Obedite præpoſitis veſtris, qui vigilant pro animabus veſtris.

De Sacramentis in genere.

Sacramenta duabus potiſſimum de cauſis divina auctoritate inſtituta ſunt. Altera, ut ſint ſigna & notæ quædam magnæ illius congregationis, quæ eſt Eccleſia: in nullum enim nomen coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum vel Sacramentorum viſibilium conſortio colligantur. Quamobrem Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſocietatem novi populi, Sacramentis numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis, colligavit: Baptiſmo videlicet, Confirmatione, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema unctione, Ordine, & Matrimonio. Altera vero eſt, ut non ſolum ſignificent, ſed etiam ſanctificent & conferant inviſibilem Dei gratiam, non propria rerum externarum virtute, aut merito miniſtri, ſed Domini inſtituentis ac ſecretius operantis. Itaque etſi decet bonum eſſe Sacramentorum miniſtrum, tamen malus etiam poteſt ea utiliter diſpenſare.

De Baptiſmo.

Ac primo quidem, quia homini ad ſalutem neceſſarium eſt, ut regeneretur in novam creaturam, quum alias natura ſit filius iræ: inſtituit Chriſtus ipſe Sacramentum Baptiſmi, ut ſit lavacrum illius regenerationis, quod ſane homini non minus eſt neceſſarium ad vitam novam, atque ſpiritualem, quam nativitas carnalis ad vitam naturalem. Nec ſalutem quiſquam conſequi poteſt, niſi aqua & Spiritu ſit renatus, ut Chriſtus ipſe teſtatur. Hoc igitur Sacramentum abluit nos, ſanctificat, juſtificat: hoc Sacramentum facit, ut conſequamur remiſſionem peccatorum noſtrorum originalium atque actualium. Hoc denique Sacramentum tale eſt omnino, tamque ſalutare, ut qui eo initiatur, induat Chriſtum, ut Paulus ſcribit. Conſtat autem Sacramentum hoc, verbo Dei & aqua. Nam ſimulac verbum ad elementum accedit, fit Sacramentum, cujus lavacro regeneramur & mundamur ab omni peccato. Itaque quoties aquam corpus abluentem cernimus foris: toties Spiritum, quem non cernimus, intus plus operari cogitemus. Jam formam verborum, ſine quibus myſterium hoc confici non poteſt, Chriſtus Apoſtolis *Mat.* 28.
tradidit, quum præceperit ut in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizarent. Huic præcepto Domini, quoties Baptiſmus confertur, & fides accipientis, ſi adultus ſit, pro infantibus vero, cùm ſuſcipientium eos & pro ipſis confitentium, tum totius Eccleſiæ fides & fungentis miniſtri verbum innititur, quatenus hic ait: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Ac nobis quidem videtur, ad excitandam fidem, conſolationemque adultorum vehementer pertinere, ut intelligant, qui in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizantur, ſe jam poteſtate, virtute & potentia Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, conſecrari ac ſanctificari, ſeque totos reconciliari Deo, & jam peculium Dei fieri, qui eſt Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus: in cujus tutelam jam tranſeunt, ſeque fœdere ſempiterno cum Deo jungunt, quatenus diabolo ejuſque operibus abrenunciant, promittuntque ſe Deo militaturos.

Quod autem ad munus baptizandi attinet, etſi hoc ad ſacerdotes maxime pertinet, tamen laicus etiam recte & utiliter in caſu neceſſitatis baptizare poteſt: nec ſi hæreticus baptizaret, dummodo debita materia, forma ac intentione utatur, Sacramentum hoc iterandum eſt, quum hoc idem non dignitate

mini-

miniſtrl, ſed veritate verbi divini & Spiritus ſancti virtute conſtet.

Quanquam autem Baptiſmus aufert omnia inquinamenta noſtra ſecundum Scripturas, hic tamen non omnem vitiatæ naturæ languorem aufert, ut ſupra etiam monuimus: relinquit enim concupiſcentiam ad malum inclinantem, reatu ipſo ſublato. Concu-
Galat. 5. piſcentia autem illa contra bonum in homine ſpiritum pugnare non deſinit, quoad in hac terra vivimus. In quo tamen ipſa Baptiſmi virtus nobis non deeſt, ut quæ non ſolum peccati omnis reatum ſemel ademit, ſed contra concupiſcentiam adhuc hærentem in nobis & deſideriorum bella cientem firmat vires noſtras per Spiritum ſanctum: quo ipſo ita munimur contra omnem concupiſcentiæ vim, ut reſiſtere ei ac prævalere poſſimus, monente Apoſtolo: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Hactenus de Baptiſmo.

De Confirmatione.

Atque ut hnminl ad vitam corporis non ſolum neceſſe eſt ut naſcatur ac ſir, ſed etiam ut creſcat atque nutriatur, ita eidem ad ſalutem non ſolum neceſſe eſt regenerari, vetum etiani in bono confirmari, & per virtutem Spiritus ſancti augeri: in quam rem inſtitutum eſt Sacramentum cum primis utile, ipſa nimirum Confirmatio, quam celebrarunt Apoſtoli, quum Samaritanis imponerent manus, cum utili hujus efficacia, ut in Actibus Apoſtolotum ſcriptum eſt: & quod hic egerunt Apoſtoli, Chriſti nomine fecerunt: & in myſterio hoc inducendo, non aliter quam in aliis partibus muneris ſui, vicem Chriſti geſſiſſe videntur. Innititur autem myſterium hoc promiſſionibus Chriſti de gratia Spiritus ſancti, hujuſque miſſione: Ego mittam promiſſionem Patris mei in vos. Item: Paracletus autem Spiritus, quem mittet Pater in nomine meo, ille docebit vos omnia. Et quanquam Sacramentum Confirmationis initio impoſitione manuum tantum celebratum fuit, tamen Eccleſia ſub ipſis ſtatim Apoſtolorum temporibus ex eorundem rraditione, ut externo ſigno internam Spiritus ſancti unctionem deſignaret, ritui ejus adhibuit chriſma, cum impreſſione ſigni ſanctæ crucis: quem morem, eumque pervetuſtum Eccleſia catholica approbare non deſinit. Et credit, quos famulos ſuos Deus regeneravit ex aqua & Spiritu, eoſdem hoc myſterio ita conſignari, ut ſeptiformem Spiritum ſanctum paracletum de cælis, Spiritum ſapientiæ & intellectus, Spiritum conſilii & fortitudinis, Spiritum ſcientiæ & pietatis ac timoris, capiant. Hæc quum credat, & in hujus Sacramenti adminiſtratione teſtificetur Eccleſia catholica, quæ eſt optima myſteriorum Dei interpres: qui aliter ſentit, eandem negat veritatis columnam eſſe atque firmamentum.

Vis igitur Sactamenti hujus eſt, ut qui eo confirmantur, accipiant Spiritum ſanctum, qun in via ſalutis progredi, perſeverare, & tentationibus atque inſidiis carnis, mundi, diaboli feliciter reſiſtere poſſint. At quia plerique eorum qui baptizantur, infantes ſunt, nec fidei profeſſionem per ſe edunt: conveniet ut puerl, quum jam adulti, de religione Chtiſti jam ſatis inſtructi, ad perficiendum Confirmationis Sacramentum accedunt, fidem Chriſti & obedientiam Eccleſiæ ſuo etiam ore profiteantur: & jejuni atque confeſſi hoc ſacro myſterio initientur, quemadmodum per Concilium Aurelianenſe conſtitutum eſt. Non tamen cenſemus, propterea parvulos ab hoc Sacramento repellendos eſſe, quum Chriſtus ipſe non dubitarit eis manus imponere: non enim legem hic damus Eccleſiis. Miniſter autem hujus Sacramenti ſit Epiſcopus: id quod conſenſu totius Eccleſiæ catholicæ, & Apoſtolorum praxi comprobatur.

De Sacramento Pœnitentiæ.

Ac quoniam homines renati ſæpe in gravia crimina incidunt, inſtituit Chriſtus Sacramentum Pœnitentiæ, quod poſt Baptiſma ſit nobis tanquam ſecunda tabula in naufragio. In hunc enim uſum tradidit clavem ſolvendi, inquiens: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Simulac enim peccatorem peccati ſui pœnitet vere, idemque cum fiducia accedit ad thronum miſericordiæ, & credit hoc Sacramento accipi, quod Chriſtus promiſit, fit ei ſicuti credit: nec deeſt Sacramento huic quod promiſſum eſt. Ut enim Sacramenta alia, ſic & hoc vim habet ſanctificandi. Conſiſtit autem Sacramentum hoc in abſolutiooe ſacerdotis, quæ inſtituto & verbo Chriſti nititur, qui io hanc rem poteſtatem ſuam delegat ſacerdotibus, inquiens: Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Sed quia tamen ſacerdos non ſolum habet poteſtatem remittendi, verum etiam ligandi, quum utraque ſimul divinitus tradatur: videtur eatenus poteſtatem judicandi accipere, quatenus hanc utriuſque clavis poteſtatem accipit: nec eam exercere poſſe, niſi intelligat utrum remittere an retinere debeat. Tale autem judicium non poteſt aliunde, quam ex confeſſione oris & peccatorum enumeratione hauriri. Nam quum pleraque hominum delicta ſine teſte committantur, occulta autem crimina animam etiam ſaucient atque obſideant, ac manifeſtis interdum graviora & periculoſiora ſint, ſacerdos de his non ſane judicare poteſt, niſi qui commiſit ea recenſeat & confiteatur, & hæc ſua quaſi vulnera ipſe aperiat.

Itaque quatenus ad ſananda hominum delicta pœnitentiæ remedium mouſtratum eſt, eatenus etiam confeſſio pœnitentis, cum enumeratione peccatorum, nobis commendata videtur: quare ut Sacramentum Pœnitentiæ tanquam ſalutare & neceſſarium probandum eſt populo Chriſtiano, ita ipſa etiam confeſſio & peccatorum enumeratio, quæ ut non nimis laxanda eſt, ita viciſſim non nimis aſtringenda. Delicta enim quis intelligit? Itaque enumeranda ſunt peccata, quæ non quidem anxie nimis, ſed tamen diligenter cogitanti & ſeſe excutienti in mentem veniunt. Quæ autem io mentem oon veniunt, generali confeſſioni recte includuntur, & nihilo minus ea remittuntur, quam ſi ea confitendo enumeraſſet. Et quoniam hic ex abſolutione quæritur venia, non tantum oneris imponit confeſſio, quantum conſolationis abſolutio credenti affert. Jam etſi illa ſatisfactio, quæ culpam & æternam pœnam expiat, ſoli Chriſto tribuenda eſt, ſatisfactio tamen quæ in pœnitentiæ fructibus conſiſtit, maxime autem jejunio, eleemoſyna & oratione, ſive à nobis ipſis ſuſcepta, ſive à parochis & diſpenſatoribus Sacramentorum iujuncta: ſi ex fide & charitate peragitur, peccatorum cauſas excindit, & peccati reliquiis medetur, ac temporalem pœnam vel tollit, vel mitigat, & In exemplum denique adhibetur. Sed ut ad abſolutionem ſacerdotis, in qua conſiſtit vis Sacramenti Pœnitentiæ, redeamus: forma ejus & verbum tale eſſe debet, ut qui confitetur, audire atque intelligere poſſit ſibi virtute, merito ac beneficio Chriſti, peccata remitti, juxta hujus inſtitutum & verbum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Nam hoc munus eſt Dei, quum miniſterium ſit ſacerdotis, ut verbis Ambroſii utamur.

De Sacramento Eucharistiæ.

Qui jam per Sacramentum Pœnitentiæ revixit in Domino, ei item neceſſe eſt ali, & in bono ſpirituali creſcere. Inſtituit igitur Chriſtus Sacramentum Eucbariſtiæ ſub viſibili ſpecie panis & vini, quod verum Chriſti corpus & ſanguinem nobis præbet,

 & hoc

& hoc ſpirituali cibu unit nos ſibi, ut capiti & membris corporis ſui, ut in ipſo ad omne bonum enutriamur, & cum ſanctis in eorumque communione augeſcamus per charitatem. Unus enim panis, unum corpus multi ſumus, omnes qui ex uno pane participamus, inquit Paulus. Forma autem hujus Sacramenti, ſunt verba illa ſolennia, quæ Chriſtus ipſe dedit: Hoc eſt corpus meum. & iterum: Hic eſt enim calix ſanguinis mei, &c. Quod ſi igitur Chriſto & verbo ejus tantum tribuimus, quantum debemus: dubium non eſt quin ſimulac verba eadem accedant ad panem & vinum, ex his fiat verum corpus & verus ſanguis Chriſti, quatenus panis ac vini ſubſtantia in verum Chriſti corpus & ſanguinem transmutatur: quod qui negat, idem Chriſti omnipotentiam in dubium vocat, & eundem ipſum vanitatis inſimulat: quo magis cavendum eſt, ne indigne hoc Sacramentum ſumatur. Scriptum eſt enim: Nam qui edit aut bibit indigne, judicium ſibi edit ac bibit, non dijudicans corpus Domini. Propter hoc multi inter voa infirmi ſunt ac imbecilles, & dormiunt multi. Indigne autem ſumit Sacramentum illud, quicunque aut aliter de eo ſentit, quam oporteat, aut non vere reſipiſcit. Nam, ut Auguſtinus inquit, mutet vitam, qui vult accipere vitam: nam ſi non mutet vitam, ad judicium accipiet vitam: & magis ex ipſa corrumpitur, quam ſanetur: magis occiditur, quam vivificetur. Itaque probanda eſt conſuetudo Eccleſiæ, quæ hominem non ante ad ſacramentum Euchariſtiæ ducit, quam Pœnitentiæ ſacramentum eum repurgarit. Habet Euchariſtia vim roborandi in bono ſpirituali: cui rei non ſane ullus eſt locus niſi repurgatio peccatorum anteceſſerit. In quo ipſo imitari debemus bonos medicos, qui non ante præbent quæ roborare ac confirmare poſſunt, quam malos humores è corporibus ejecerint: quod niſi fecerint, non proſunt ægroto, ſed magis obſunt. Jam quanto major hic adhibenda eſt cautio: ne indigne ſumas: tanto plus conſolationis capiunt, qui Euchariſtiam digne ac pie ſumunt, & cogitant ſe pane è cælo deſcendente, qui vitam dat mundo, veſci: & ex hoc verum atque ſpirituale robur contra omnia mala percipere.

De ſacra Unctione.

Sacramenta, quæ paulo ſuperius poſuimus, magnam ſane & multiplicem utilitatem generi humano afferunt: tum aut ex vetuſtate carnis languentes regenerant, aut regeneratos, in gratia quam acceperunt, confirmant: aut relapſos, in gratiam unde deciderunt, reſtituunt, aut reſtitutos, Chriſto firmius uniunt: in quem uſum, eumque ſalutarem, non deeſt Sacraméntis gratia Chriſti: ſed hæc potius per eadem veluti inſtrumenta hominibus tribuitur. Quanquam igitur horum Sacramentorum utilitas latiſſime per omnem vitam patet, tamen ne homo, quum ægrotat, deſideret ſubſidium peculiare, quod hoc ejus periculoſiſſimo tempore, vel corpori ipſius ſubvenire, vel animam contra ignita Satanæ tela munire poſſit, inſtituta eſt Unctio ſacra, ad quam oratio Eccleſiæ accedat. hanc Unctionem primi exercuerunt Apoſtoli, qui mandato Domini ad prædicandum Euangelium miſſi, dæmonia ejiciebant, & oleo ungebant multos infirmos, & ſanabantur. Quæ utique ſacramentalis & myſtica, non medicinalis aut corporalis, unctio fuit: ad quam inter initia fidei, externa etiam corporis ſanitas, quaſi quoddam internæ ſanationis ſignum, conſequebatur. quemadmodum in aliis Sacramentis, ad commendationem & confirmationem rudis adhuc fidei, interna virtus externis & ſenſibilibus ſignis & miraculis demonſtrabatur. Nunc vero adulta & corroborata fides, ſigna quæ infirmis dantur, non requirit. Hujus myſticæ & ſalutaris Unctionis à Domino fundatæ ritum, quo adminiſtrari eam conveniat, Apoſtolus Jacobus promulgavit: Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, ut orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &c. Quanti autem in Eccleſia eſſe debeat teſtimonium fratris illius Domini, teſtimonium dicimus: imo vero promulgatio: quam quum fecit legatus atque Apoſtolus Chriſti, Chriſtus ut à ſe factam proculdubio ratam habuit. Qui igitur contemnit hoc Sacramentum, Chriſtum ipſum contemnere, & gratiam quam hic per Unctionem ſacram nobis quodammodo porrigit, aſpernari videtur: atque hoc fuerit tanto periculoſius, quanto gravius eſt diſcrimen, in quo ægrotus verſatur, non ſolum corporis, ſed etiam animæ, in quod poteſtates tenebrarum eum adducunt, quatenus in extremo vitæ tempore, omnes quaſi machinas ad extinguendam ſalutem hominis admovent, ejuſque animum terroribus incredibilibus frangere, & in deſperationem impellere conantur. Unctionem quidem hanc ſacram, ſolis infirmis adhibendam Jacobus Apoſtolus inſinuat, quod reliqui etiam Apoſtoli ſervaverunt: non tamen in omnibus, ſed periculoſis modo infirmitatibus, & ubi vitæ hujus interitus timetur, exercenda eſt myſtica illa Unctio.

De Sacramento Ordinis.

Quod autem ad miniſteria Eccleſiæ attinet, quanto hæc majora ſunt, tanto magis dono Dei ac gratia egent. Quanquam enim Chriſtiani omnes ſunt ſacerdotes, quatenus ſpirituales hoſtias Deo offerre, & nomen item ejus in omni loco utiliter invocare poſſunt: non omnes tamen ſunt Eccleſiæ miniſtri, ſed jam inde ab ortu Eccleſiæ ſegregati ſunt quidam in miniſterium Eccleſiæ, qui hujus muneribus fungerentur: & eoſdem ita diſtinxit Deus, ne iidem omnia poſſent, neve ex promiſcua illa ratione perturbatio naſceretur. Neque enim Deus eſt confuſionis auctor. Inſtitutum eſt igitur Sacramentum Ordinis, cum ſigno impoſitionis manuum, & aliis huic Sacramento congruentibus ritibus, quo qui conſecrarentur, ad munera Eccleſiæ acciperent gratiam, qua ad eadem ipſa munera adminiſtranda apti, habiles atque idonei efficerentur. Hinc illud Apoſtoli ad Timotheum: Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii. Hoc autem Ordinis Sacramentum, verbis Chriſti nititur: Sicut me miſit Pater, & ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Item: Euntes in mundum univerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Item: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eas. Item: Hoc facite in meam commemorationem. Quibus igitur in perpetua Eccleſiæ ſucceſſione manus imponunt Epiſcopi, ut Ordinibus initientur, poteſtatem muneris ſui exequendi dant: quæ ſane duplex eſt, Ordinis videlicet & Jurisdictionis. Sub alteram cadit miniſterium verbi divini, adminiſtratio Sacramentorum, & Eccleſiarum ordinatio ad ædificationem: ſub alteram vero, poteſtas excommunicandi, pœnitentes abſolvendi. Ordines autem quos catholica Eccleſia agnoſcit, ſunt hi ſeptem, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolytorum, Lectorum, Exorciſtarum, Oſtiariorum, quibus diſtincta munera, eaque aut neceſſaria Eccleſiis, aut utilia, aſſignari debent: ut facile appareat, eum de Eccleſia Chriſtiana male mereri, quicunque ordines hos vel ſpernit, vel tollit.

De Sacramento Matrimonii.

Inſtituerat Deus in Paradiſo Matrimonium, quo mas & fœmina ad perpetuam & individuam vitæ ſocietatem conjungerentur, juxta verbum Domini: Quamobrem homo relinquet patrem & matrem,

& adhæ-

& adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Quanquam autem matrimonium ad tam arctam hominum ſocietatem inſtitutum erat, tamen ſub Lege patrum matrimonia à prima inſtitutione duobus modis degeneraverunt: videlicet, ut & unus plures uxores duceret, & ductam, aliquando dato libello repudii, à ſe dimitteret: quorum prius ex diſpenſatione Dei permiſſum, futuri temporis myſterio ſerviebat, ut per plures unius viri uxores inſinuaret, Chriſtum tam ex Synagoga, quam ex multitudine Gentium, Eccleſiam ſibi collecturum, & ſponſam ſibi adjuncturum, & ut fœcunditate plurium uxorum, Chriſto Salvatori ex eodem ſemine naſcituro ſervirent. Repudium vero Moſes populo ob duritiam cordis permiſit, levius ducens, uxorem à viro odio habitam dimitti, quam occidi, ut cæde ejus novis nuptiis locum aperiret. Verum poſtquam plenitudo gratiæ Dei venit, ut alia, quæ vel in cælo vel in terra eſſent, reſtauravit Chriſtus, ſic etiam matrimonium reſtituit. Hinc illud Chriſti: Qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos Deus, & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quos igitur Deus conjunxit, homo non ſeparet. Et paulo poſt: Moſes ob duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras, ab initio autem non fuit ſic. Quamobrem quicunque dimittit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur. Quod Apoſtolus interpretatur, quum ait: Iis qui matrimonio juncti ſunt, præcipio non ego, ſed Dominus, uxorem à viro non diſcedere: quod ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut viro ſuo reconciliari. Hæ itaque Chriſtiani matrimonii ſingulares conditiones, manifeſtis Scripturæ ſanctæ teſtimoniis comprobantur. Una, ut ſit matrimonium duorum tantum, hoc eſt, viri unius cum una muliere conjunctio. Duo, inquit, erunt in carne una. Nec ſic junctis liceat, defraudato conjuge ſuo, alicui tertio corporis ſui poteſtatem permittere, prohibente Apoſtolo & dicente: Mulier poteſtatem corporis ſui non habet, ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier. Altera conditio eſt ut vinculum conjugii inter duos ſemel colligatum, nullo amplius divortio, ſed ſola alterutrius morte, diſſolvatur. Nam quod Chriſtus ob fornicationem dimitti poſſe uxorem inſinuat, hæc ſeparatio thori & menſæ conſuetudinem inter conjuges ſcindit, vinculum conjugii non ſolvit: ita ut adulterium committat, ut alienam contrectans uxorem, quiſquis ſic dimiſſam duxerit.

Quoniam igitur Chriſtus matrimonium gratia ſua melius fecit, & arctiori quaſi vinculo conſtrinxit, ut quemadmodum Chriſtus unius Eccleſiæ unus eſt ſponſus, idque indiſſolubili nexu, ſic unius uxoris unus ſit maritus, idque perpetua conjunctione, & ſimiliter atque Chriſtus cum Eccleſia ſponſa ſua perpetuo jungitur: quare matrimonium non ſolum conjunctio eſt maris atque fœminæ, ſed etiam Sacramentum, ob gratiam Chriſti, quæ ei nunquam deeſt: ut quum vir uxorem ſuam diligere poſſit, perindè quaſi Chriſtus Eccleſiam, ſic ille cum hac colat ſocietatem individuam, ut una ſit in perpetuum contentus. Nec cum hac invita divortium faciat, exceptis cauſis quæ jure divino explicantur.

Ac quoniam Deus fovet matrimonium gratia ſua, idemque approbat, quatenus conjuges inter ſe matrimonium contrahunt, ſignum datur illuſtre, ad ſperandam conſuetudinem ipſorum cùm bonam eſſe per ſe, tum Deo gratam. Et quanquam prolis procreandæ cauſa matrimonium potiſſimum contrahi debet, tamen qui contrahit etiam fornicationis vitandæ cauſa, non peccat. Habeat enim unuſquiſque uxorem ſuam propter fornicationem, inquit Paulus. Vis igitur Sacramenti hujus eſt, ut intelligant conjuges, ſe non humana, ſed divina auctoritate conjunctos, gratiam accepiſſe, qua ipſis legitimus congreſſus non imputetur ad culpam: qua item Chriſtianus uxorem gentilem, cum eo manere volentem, ſanctificet, & ſanctos, hoc eſt, Deo dicatos filios procreet: qua denique perpetuam fidem conjugi ſervet, ut ſint duo in carne una: & qua mulier fidelis ſalva fiat in procreatione filiorum, ſi permanſerit in fide & dilectione & ſanctificatione cum ſobrietate. Itaque matrimonium honorabile, in eoque thorus immaculatus eſſe poteſt. Quod quum Manichæi, Tatiani, & Encratitæ ignorarent, matrimonium reprehendere non dubitarunt: quam eorum ſceleratam temeritatem, à doctrina dæmoniorum profectam, Apoſtolus Paulus damnat.

Ac quoniam vinculum matrimonii tale eſt omnino, tantamque vim habet ad conjungendum, ut non ſit ullum conjunctionis humanæ vinculum, quod magis conſtringat: quod quum agnoſceret Adam in paradiſo, ſic de muliere, quam Deus è coſta corporis ipſius ædificaverat, loquutus eſt: Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea: ob hoc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt. Quamobrem relinquet homo patrem & matrem & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque quum patria poteſtas huic inter conjuges conjunctioni ſuo juri cedat, audiendi non ſunt, qui volunt hoc tempore matrimonium vel ſponſalia contracta ſcindi & irrita eſſe, ſi parentum conſenſus non acceſſerit. Nihil hic detrahimus obedientiæ, quam liberi parentibus debent, ſed nolumus parentes in impediendis aut dirimendis matrimoniis poteſtate ſua abuti. Quia tamen cenſemus honeſtatis eſſe, ut liberi ſine conſilio & conſenſu parentum non contrahant, hujus officii ſui per Concionatores ſedulo admonendi ſunt. An vero parentibus poteſtas permitti debeat in hoc caſu, liberorum inobedientiam derogatione, aut ſaltem diminutione dotis, aut aliqua alia via puniendi, de hac re ordinariæ poteſtati cura relinquenda videtur.

De ſacrificio Miſſæ.

Ut religionem, ſine qua nulla gens vivit, jus naturæ introduxit, ſic etiam ceremonias, ſine quibus religio coli non poteſt, nec ſolet. In ipſis vero ceremoniis externam oblationem, velut præcipuam, omnes omnium ſeculorum gentes obſervaverunt, quæ etſi (teſte Cypriano) Circumciſionem velut crudelem & naturæ inimicam horruerunt, non tamen ſimiliter repudiarunt reliqua ſacrificia: ſed in multis legem naturæ ſequentes, expiationum retinuerunt inſtrumenta, & immolare victimas, & incendere adipes, & libaminibus fundere coram Deo vota & preces, cultu cum ipſa natura hominibus inſito, & per omnium animos divinitus purgato, perſeveraverunt. Sed & hoc commune & omnium animis affixum, omnes gentes tenuerunt, ut externæ oblationis cultu, vim Deo deberi magno conſenſu exiſtimarent. Nemo enim externa oblatione colendum unquam cenſuit, niſi quem Deum eſſe aut ſcivit, aut putavit, aut finxit. Hujus cultus antiquitatem, duorum fratrum Cain & Abel ſacrificia comprobant, quorum priorem ſimul & munera ejus averſatus reprobavit Deus, minoris vero oblationem placatus aſpexit.

Auguſt de civ. Dei lib. 10. cap. 6.

Hunc vero ſacrificandi ritum, Deus volens omnes homines ſalvos fieri, mentibus hominum hac de cauſa divinitus inſevit. Quum enim propter unius hominis peccatum, univerſum genus humanum iræ Dei & juſtæ damnationi obnoxium teneretur, tantoque gravior & periculoſior illis damnatio immineret, quanto magis peccata peccatis accumulando, juſtam Dei iram contra ſe incitabant: Deus nolens perire quos condiderat, mediatorem & reconciliatorem humano generi deſtinavit qui nos

cum auctore noſtro reconciliaret, & juſtam Dei iram ſingulari ſacrificii oblatione placaret. Deus igitur magnæ dilectionis Filium ſuum carne noſtra circumdatum miſit in mundum, qui peccata noſtra in ſe ſuſcipiens, in corpore ſuo ea pertulit iu cruce, & ſemetipſum pro nobis hoſtiam appendens, per proprium ſanguinem in ſancta ſemel ingreſſus, æternam redemptionem adinvenit.

Hujus pretioſiſſimæ hoſtiæ nidore delinitus Pater, iram remiſit, & homines prius peccatis immerſos, impuros & injuſtos, & damnationi obnoxios, nunc Filii ſui ſanguine ablutos abſolvit, juſtificavit, ac ſibi reconciliavit. Hujus unicæ oblationis virtus atque efficacia, non illi modo tempori ſerviens, quo Chriſtus in carne hoſtiam ſe appendit, ſed omnes omnium ſeculorum ætates complectens, omnium hominum qui ab origine mundi fuerunt, & in finem uſque ſeculi naſcituri ſunt, delendis peccatis ſuffecit. Vere enim erat Deus iu Chriſto, mundum ſibi reconcilians. Et, Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. &, Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: & non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi. Mundus autem non unius temporis, ſed omnium ætatum homines comprehendit. Hinc in Apocalypſi Chriſtus agnus dicitur ab origine mundi occiſus, quoniam ſanguis ejus omnium ætatum jam inde ab initio mundi delicta emundavit. De hac oblatione, quæ ad totius generis humani reconciliationem una ſuffecit, Paulus ait: Uuica oblatione conſummavit in æternum ſanctificatos. &, Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſum, pacificans per ſanguinem crucis, ſive quæ in terris ſive quæ in cælis ſunt. &, Placuit inſtaurari omnia in Chriſto, quæ in cælis & quæ in terra ſunt in ipſo. Et in Jeſaia, Torcular, inquit, calcavi ſolus. &, Cujus livore ſani ſumus.

Ut vero hujus tam efficacis oblationis, quæ omnium hominum ſalutem pleniſſime, ſufficientiſſime, & perfectiſſime meruit, omnes homines participes fierent, & ejus fructum in ſe transferrent: Deus ab initio mundi, ſub lege naturæ divina inſpiratione in animis hominum ſacrificandi ritum excitavit, & mox data Lege, diverſa ſacrificia monſtravit: quorum omnium hic uſus erat, non ut homines Deo reconciliarent, & ſalutem ipſa mererentur, ſed ut per hæc externa ſacrificia venturi ſacrificii, in quo redemptionem omnium Deus promiſerat, memoria in animis hominum ſubinde excitaretur, fides confirmaretur, & fructus ejus credentibus, & in virtute venturi ſacrificii ſperantibus applicaretur. Et ut quoties iſta ſacrificia celebrarentur, homines cùm aliorum beneficiorum Dei, quæ continua ejus benignitate accipiebant, tum ſalutis ſuæ per promiſſum reconciliatorem accipiendæ, gratis animis recordarentur. Nullum itaque ſive ſub naturæ, ſive ſub Moſis Lege ſacrificium per ſe Deo placebat, quippe qui iis quæ offerebantur, ſe nou indigere ſæpe proteſtatus eſt: Si eſuriero, inquit, non dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ & plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Sed quatenus hæc viſibilia ſacrificia, inviſibilis & futuri ſacrificii ſacramenta erant, ſi quis ea in fide à Deo promiſſi reconciliatoris obtuliſſet, hoc agens his externis ſacrificiis, ut fidem in venturum Chriſtum oſtenderet, & ſalutaris iſtius ſacrificii fructum, quem jam & fide conceperat, & firma ſpe expectabat, in ſe transferret, & Deo pro tantis beneficiis animi ſui gratitudinem declararet: utque talia ſacrificia & Deo grata, & offerenti ſalutaria erant, nulla quidem ſua propria, ſed futuri ſacrificii virtute, quam per fidem offerenti applicabant.

Et ut ratio ſacrificiorum diſerte intelligatur, unicum eſt ſacrificium meritorium, cujus virtus delendis hominum peccatis efficax, homines à Deo alienatos, & iræ ejus ac damnationi obnoxios reconciliavit, & æternam ſalutem & redemptionem toti hominum generi meruit: illa videlicet Chriſti victima ſalutaris, qua pro delictis hominum in cruce ſe hoſtiam appendens, in æternum conſummavit ſanctificatos: cujus meritum non accipit augmentum, quia perfectum eſt: nec diminuitur aut exhauritur, quia æternum eſt. Unde & reliqua omnia ſacrificia nihil huic ſacrificio ſuperaddunt, nihilque ipſa per ſe merentur: ſed unicæ hujus oblationis fructum credentibus applicant, & ad excitandam & retinendam in animis hominum hujus unicæ oblationis memoriam, & fidem confirmandam, & pro omnibus Dei beneficiis declarandam gratitudinem ſerviunt. Sunt autem hujuſmodi applicatoria ſacrificia quædam legibus omnibus communia, & promiſcue omnibus hominibus permiſſa: qualia ſunt ſacrificium contribulati cordis & humiliati ſpiritus, & ob colendam pietatem ſuſceptæ carnis afflictiones, ſacrificium labiorum, precum, gratiarum actionis & laudis, & ſi qua ſunt ſimilia. Quædam vero ſemper fuerunt uniuſcujuſque legis propria, & certis hominum officiis alligata, à quorum oblatione alii magnis comminationibus & pœnis arcebantur, primo Regum decimo tertio, ſecundo Paralipom. vigeſimo ſexto. Nec ulla lex, quemadmodum nunc, nec ulla gentium religio ſacrificiis caruit: hæc enim tria colligata ſunt, & ſe invicem neceſſario conſequuntur: Lex, ſacerdotium, & ſacrificium, Hebr. 7. Sic itaque ſub lege naturæ juſti homines, & de Dei promiſſionibus edocti, in eum quem futurum ſciebant Salvatorem, credentes, ſacrificia offerebant: quorum oblatione, futuræ ſalutis fidem & ſpem, & pro ea gratitudinem ſuam declarabant, & ejus quod futurum expectabant, ſalutaris ſacrificii meritis adjuvari ambiebant. Hunc morem cæteræ gentes, occulta inſpiratione animis eorum inſita, imitantes, non quidem Deum, ſed quem Deum aut putabant, aut fingebant, ſacrificiis placare voluerunt. Lex vero per Moſen data, ad legem naturæ accedens, non ut eam tolleret, ſed ut meliorem redderet, oblationes externas inſtituit: quæ & præfigurarent futurum Chriſti ſacrificium: & quoties eas celebrarent Judæi, cùm aliorum beneficiorum Dei gratis animis recordarentur, tum illius venturi ſacrificii virtutem in ſe, credendo & ſperando & orando, transferrent. Chriſtus qui non venerat Legem ſolvere, quatenus vel naturalis, vel moralis erat, ſed eam potius adimplere, quum novam Legem ſuam, de qua jam ante per Jeremiam promiſerat, in mundum induceret, ne eam ſolam in hac parte, contra præcedentium legum communem morem, mancam aut imperfectiorem relinqueret, peculiari ſacrificio pariter & ſacerdotio eam inſtruxit: ſiquidem neceſſe fuit, juxta Apoſtoli ſententiam, ſuccedente nova lege, etiam ſacrificium huic legi peculiare conſequi, Hebr. 7. & ſacerdotes, velut hujus ſacrificii miniſtros, aſſumi, Hebr. 5. In qua legis parte, ſane bona, ſancta & pia, idem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ne Eccleſiæ ſuæ deeſſet, in ultima Cœna quum gratias egiſſet Deo, Sacramentum corporis & ſanguinis ſui inſtituit, duplicem ejus uſum ſtatim commendans: ut à fidelibus velut animæ ſalutare alimentum ſumeretur. Accipite, inquit, & comedite: & ut in memoriam paſſionis ſuæ offerretur. cujus oblationis miniſterium, Apoſtolis, velut novæ legis ſacerdotibus, contradens: Hoc, inquit, facite in mei commemorationem. Quemadmodum igitur ante Chriſti adventum Deus patribus certa quædam ſacrificia tradidit, quibus magni iſtius ſacrificii, quod futurum ipſi expectabant, memoriam in animis ſuis excitarent, fidem ſtabilirent, & fructum ejus credendo & orando ſibi applicarent, & per eorum oblationem beneficiorum Dei gratis animis recordarentur: ſic Chriſtus Eccleſiæ ſuæ mundam & ſalutarem corporis & ſanguinis ſui oblationem, ſub ſpeciebus

panis

panis & vini commendavit, qua corporis ejus in cruce pro nobis appenſi, & ſanguinis effuſi memoriam ſubinde in animis noſtris renovaremus, & fructum iſtius oblationis cruentæ, qua in æternum conſummavit ſanctificatos, in nos transferremus: hoc eſt enim facere in memoriam ejus, id eſt, gratis animis commemorare mortem Domini, & per memoriam & meritum paſſionis ejus deprecari Patrem, ut nobis reconcilietur.

Hæc eſt munda & ſalutaris oblatio, illius unici ſacrificii, quo omnium ſalus comparata eſt, rememorativa, non ſolum ſignificans, ſed re ipſa in ſe comprehendens veritatem illarum rerum, quas diverſorum ſacrificiorum oblationes olim præſignabant: eadem nimirum corporis & ſanguinis Chriſti hoſtia quæ in cruce eſt oblata, non alia: idem agnus, non alius, & unus utrobique Chriſtus, ſed tunc cruento & paſſibili modo oblatus eſt, qua oblatione omnibus credentibus remiſſionem peccatorum & redemptionem ſufficienter impetravit. Nunc vero eundem ſub myſterio & modo incruento & impaſſibili offerimus, non ut peccatorum remiſſionem & animarum noſtrarum ſalutem jam primum promereamur, ſed ut paſſionis Dominicæ memoriam recolentes, Deo gratias agamus pro ſalute nobis in cruce impetrata: & ibi promeritam peccatorum remiſſionem & redemptionem, fide & devotione nobis applicemus & appropriemus. Hanc tam ſalutarem victimam in Spiritu prævidit Malachias, quum ait: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim Solis uſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Quod vaticinium de ſolis ſpiritualibus ſacrificiis accipi non poteſt, quæ nullius legis propria, ſed omnibus temporibus & hominibus communia exiſtunt, & cum ſacrificiis veterum ſemper commixta duraverunt. At ipſa verborum ſerie ſatis convincitur, Prophetam loqui de ſacrificio, quod ſublatis veteribus ſacrificiis, in locum eorum erat ſucceſſurum. Unde recte hæc verba de ſacratiſſimo Chriſti ſacrificio accipiuntur, non illo quidem, quo ſe in cruce pro peccatis generis humani obtulit (illud enim nec inter Gentes, nec in omni loco, ſed in Judæa conſummatum eſt) ſed quod ex Gentibus congregata Eccleſia per totum terrarum orbem offert ad recordationem mortis Domini, & ad virtutem ejus in credentes transfundendam: atque hic loci illius intellectus, luculentis Patrum teſtimoniis roboratur. Irenæus lib. 4. contra hæreſes cap. 32. Eum qui ex creatura panis eſt accepit, & gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum. Et calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura, quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & novi Teſtamenti novam docuit oblationem, quam Eccleſia ab Apoſtolis accipiens, in univerſo mundo offert Deo. de quo in 12 Prophetis Malachias ſic præſignavit: Ab ortu Solis uſque ad occaſum, nomen meum glorificatur inter Gentes, & in omni loco incenſum offertur nomini meo & ſacrificium purum. Auguſtinus: Noverint, inquit, qui legunt, quid protulerit Melchiſedech quando benedixit Abraham. Et ſi jam ſunt participes eis, vident tali ſacrificio nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Unde alius Propheta dicit ad eum, qui ſecundum carnem eſt Iſraël: Non eſt mihi voluntas in vobis, &c. Ambroſius de hoc novæ legis ſacrificio teſtatur: Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Chriſtus offertur quaſi recipiens paſſionem, & offert ſeipſum quaſi Sacerdos. Chryſoſtomus: Nonne per ſingulos dies offerimus? offerimus quidem, ſed recordationem facientes mortis ejus: & una eſt hæc hoſtia, non multæ. Quomodo eſt una, & non multæ? quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſancta ſanctorum. Hoc autem ſacrificium, exemplum eſt illius, idipſum ſemper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper idipſum, &c. Athanaſius: In æternum, inquit, Chriſti eſt ſacerdotium: quia quotidie offertur per miniſtros Dei oblatio, Chriſtum & Pontificem habens, & ſacrificium.

Auguſtin. contra adverſar. Legis, lib. I. cap. 20.

Hanc vero oblationem, quam Eccleſiæ in recordationem mortis ſuæ faciendam Chriſtus commendavit, prius ipſum in Cœna exercuiſſe, & Patri ſeipſum ſub ſpeciebus panis & vini obtuliſſe, magni teſtes comprobant: inter quos David, Chriſtum appellans Sacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, ſatis oſtendit, Chriſtum ſacrificio panis & vini, figuram, quæ in Melchiſedech Sacerdote præceſſerat, adimpleviſſe. de qua re ſanctus martyr Cyprianus lib. 2. epiſt 3. Qui ordo utique eſt de illo ſacrificio veniens, & inde deſcendens, quod Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit, & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet corpus & ſanguinem? Et mox: Ut ergo in Geneſi per Melchiſedech Sacerdotem benedictio circa Abraham poſſet rite celebrari, præcedit ante imago ſacrificii, in pane & vino ſcilicet conſtituta: quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit: &, qui eſt plenitudo, veritatem præfiguratæ imaginis adimplevit. Arnobius: Hic (inquit, de Chriſto loquens) qui per myſterium panis & vini Sacerdos factus eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui panem & vinum ſolus obtulit in ſacerdotibus dum Abraham victor reverteretur de prælio. Damaſcenus: Pane & vino ſuſcepit Melchiſedech Abraham ex cæde alienigenarum, qui erat Sacerdos Dei altiſſimi. illa menſa hanc myſticam præfiguravit menſam, velut & Sacerdos ille Chriſti veri Sacerdotis præfiguratam præ ſe ferebat imaginem. Tu es, inquit, Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech. Similia multa teſtimonia inveniuntur apud Hieronymum ad Euagrium, Auguſtinum de doctrina Chriſtiana lib. 4. cap. 21. Ambroſium de Sacramentis lib. 4. Chryſoſtomum, Theophylactum.

Secundum hæc ſacræ Scripturæ & ſanctorum Patrum teſtimonia, Catholica Eccleſia duo Chriſti ſacrificia agnoſcit. eadem ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum rationem & ritum offerendi multum diverſa: Unum in cruce cruentum: Alterum, quo in Cœna ſub panis & vini ſpecie corpus & ſanguinem ſuum ipſe Sacerdos juxta ordinem Melchiſedech Patri obtulit, perpetuum condens novæ legis ſacrificium, quod Apoſtolis ſuis ac ſucceſſoribus ipſorum, ut ad finem uſque ſeculi in memoriam ipſius facerent, commendavit. Horum ut modus offerendi diverſus, ſic & uſus diſcretus eſt: cruento ſuo ſacrificio Chriſtus totius mundi reconciliationem & propitiationem pro peccatis, & plenam omnium redemptionem impetravit. Alterum vero ſacrificium, ad recordationem cruenti ſacrificii inſtitutum & Eccleſiæ commendatum eſt, quo Chriſtum impaſſibili & incruento modo ſiſtimus Patri, non ut remiſſionem peccatorum & redemptionem de novo mereamur, ſed ut in cruce meritam fide & devotione nobis applicemus, Chriſti juſſionem ſequentes, qua juſſit ut hoc in memoriam ſui faceremus: id eſt, ut per memoriam & meritum paſſionis ſuæ, Patrem pro reconciliatione noſtri & peccatorum remiſſione, & animarum noſtrarum ſalute, proque corporum ac rerum noſtrarum incolumitate deprecaremur.

Hactenus oſtenſum eſt, quibus rationibus & teſtimoniis ſacrificium altaris ſubnixum ſubſiſtat: nunc de ritu hujus pauca ſubjiciantur. In celebratione ſacrificii altaris, nunc laudes Dei, nunc fideles populi preces, nunc gratiarum actiones, nunc Scripturarum

rarum lectiones ſubinde admiſcentur. Unde & laudis, & gratiarum actionis, & precum ſacrificium recte nuncupatur: quo ritu catholica Eccleſia Chriſti exemplum refert, qui in Cœnæ ſacrificio pro incolumitate Eccleſiæ, quam in terris relicturus erat, multas preces ad Patrem fudit, & tandem hymnis & gratiarum actione Cœnam myſticam conſummavit. Sed & hanc Pauli ſeriam commonitionem, qua in primis fieri voluit obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate: Eccleſia in celebratione ſacrificii altaris, juxta Auguſtini ſententiam, plene & examuſſatim obſervat: tum obſecrationes facit, antequam illud quod eſt in Domini menſa, incipiat benedici. Orationes vero, quum benedicitur & ſanctificatur: poſtulationes autem, ſeu interpellationes, quum populus benedicitur, & miſericordiſſimæ poteſtati commendatur. Quibus peractis, & participato Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Vide Auguſtinum Epiſtola 59. ad Paulinum, ubi ritum celebrandi ſacrificii altaris, qualem hodie obſervat Eccleſia, perſpicue agnoſces. Sed & apud alios omnium ætatum viros catholicos hunc ritum receptum & confirmatum videre licet, qui admixtas in celebratione hujus ſacrificii preces, & gratiarum actiones, & ipſam hoſtiam ſolenni prece conſecrari ſolitam, magno conſenſu meminerunt: de qua re Chryſoſtomus in Matthæum Homilia 83. de Sacerdotio libro tertio. Baſilius Magnus de Spiritu ſancto capite 27. Theophylactus in cap. 14. Marci. Gregorius Epiſt. 63. ad Joannem Epiſcopum Syracuſanum. Ambroſius de Sacramentis libro quarto, cap. 5. qui & hunc canonem, quo nunc utitur Eccleſia, pene ſecundum ſingula ejus verba, paſſim in libris à ſe editis recenſet.

De memoria Sanctorum in altaris ſacrificio fieri conſueta, & de eorum interceſſione inibi expedita: & obiter de Sanctorum invocatione.

Quum itaque in hoc altaris ſacrificio immenſi iſtius beneficii memoriam recolimus, quo Chriſtus ſemetipſum pro totius corporis ſui myſtici, id eſt, pro omnium credentium incolumitate & ſalute hoſtiam fecit, ibique ſecundum Domini exemplum & Apoſtoli commonitionem, pro totius Eccleſiæ incolumitate preces ad Deum fundendæ, & pro omnibus ejus beneficiis gratiæ agendæ ſint: Eccleſia intra ſeſe omnia ſua membra colligens, eorum etiam memoriam facit, qui hac mortalitate exuti, apud Dominum vivunt, & in primis grata veneratione Deo dilectos Sanctos complectens, pro his gratias Deo agit, qui eos quum natura imbecilles eſſent, gratiæ ſuæ munere ita roboravit, ut vitia carnis ſuperarent, & contra peccatum, diabolum & mortem non ſua ſed Dei virtute fortes, viriliter dimicando, coronam juſtitiæ à juſto judice impetrarent. De hujus gratiarum actionis pro Sanctis antiquitate & conſuetudine, per totam Eccleſiam divulgata, vide apud Dionyſium Areopagitam, Cyprianum lib. 3. Epiſt. 6. lib. 4. Epiſt. 5. Auguſt. de civitate Dei lib. 8. cap. 27. lib. 22. cap. 10., contra Fauſtum Manich. lib. 20. cap. 21.

Nec ſolum veneramur Sanctos, & pro his gratias agimus, ſed eorum precibus & meritis in omnibus divinæ protectionis auxilio muniri poſtulamus, recte ſentientes, eos velut ejuſdem communionis cives, & corporis ejuſdem membra, etiamnum uno ſpiritu & vinculo charitatis nobiſcum colligatos, ſalutem noſtram appetere, & malis noſtris indolere: ideoque pro neceſſitatibus noſtris apud communem Deum Patrem, per Jeſum Chriſtum communem omnium Mediatorem, interpellare. Quod ut faciant, ipſum jus communionis qua nobis juncti ſunt, ſimul & præceptum eos adducit: Orate, inquit Jacobus, pro invicem ut ſalvemini: & charitas qua erga nos afficiuntur, ſuadet & monet; & ea qua apud Deum nunc pro ſe ſecuri, & ab infirmitatibus & defectibus immunes vivunt, facultas non prohibet: quodque eos in alia vita facere apertis Scripturæ teſtimoniis cognovimus, 2 Machab. 15. ubi Onias conſpicitur manus protendens, & orans pro populo: & alius vir, ætate & gloria mirabilis, de quo dicitur: Hic eſt fratrum amator & populi Iſraël: hic eſt qui multum orat pro populo & univerſa ſancta civitate Hieruſalem, Jeremias Propheta. & Zachariæ primo, Angelus pro civitatibus Juda interpellat: Domine exercituum, uſquequo non miſereberis Hieruſalem, & urbium Juda, quibus iratus es? Hac fide, ſicut eorum qui nobiſcum in carne vivunt, ita & Sanctorum apud Deum viventium preces pro nobis poſtulamus: & ut pro nobis orent, eos nominatim appellamus, nec dubitamus quin ei qui poteſt omnia, facile ſit efficere, ſive per Angelorum miniſteria, ſive alia ſibi placita ratione & via, ut noſtras petitiones Sancti reſciſcant, qui utique hoc præſtat, ut Angeli peccatoris converſionem in cælo cognoſcentes, gaudio exultent.

Merita vero Sanctorum non talia eſſe aſſerimus, qualia in Chriſto invenimus, qui ſemetipſum pro nobis impendens, & ſanguinem ſuum pro nobis fundens, plenam cum Deo reconciliationem mundo promeruit. Sancti vero merita ſua, quibus & ipſi ſalvati ſunt, & nobis ſuffragantur, ex eodem omnis ſalutis & totius meriti fonte, Chriſti videlicet paſſione, hauſerunt. Non enim ſi juſtitiæ rigorem ſpectamus, cuiquam ſanctorum operationes ſuæ, quantumvis fructuoſæ, ad propriam ſalutem ſuffeciſſent, juxta illud: Non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Et illud Chriſti: Si feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Quia ſervi inutiles ſumus. Et illud Pauli: Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis, ad futuram gloriam quæ revelabitur in vobis. Ex Dei autem miſericordia & liberalitate, & Chriſti gratia, non ſolum ipſis ad ſalutem Sanctorum merita conducunt: ſed etiam nobis ad protectionem & gratiæ divinæ impetrationem proſunt, Deo in eis miſericorditer complente, quod veraciter promiſit, quum ait: Ego ſum Deus tuus fortis, zelotes, viſitans iniquitates filiorum in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia iis qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Sic defuncti Abrahami merita, filio Iſaac profecerunt: & Jacob in religione nepotes ſuos erudiens, nomen ſuum & patrum ſuorum ſuper ipſos invocari edocuit, Geneſ. 48. quod & Moſes plena fiducia fecit: Quieſcat, inquit, ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui: recordare Abraham, Iſaac & Iſraël ſervorum tuorum, Exod. 32. Sic propter gratiam, qua apud Deum valuit David vir ſecundum cor Dei, tota ejus poſteritas indulgentiam Dei in commodum ſuum perſæpe ſenſit, 3 Reg. 12. 4 Reg. 19. Jeſa. 37. Ezech. 14.

De memoria defunctorum in Chriſto.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, ſecundum voluntatem Patris, hoſtiam redimendis hominibus ſalutarem ſeipſum in cruce affigens, utique omnes eos, qui hanc victimam ſuam ſalvandis hominibus jam inde ab origine mundi deſtinatam, fide & voto prævenisſent, vel in ſequentibus temporibus fide eam amplexuri eſſent, intra ſeipſum velut membra ſua collegerat, volens paſſionis ſuæ fructum ad omnes pariter qui corporis ejus membra unquam effecti eſſent, pervenire: unde Eccleſia communis hujus ſacrificii memoriam recolens, omnia ſua membra pariter advocare, nec quenquam eorum excludere debet, qui ſecundum Domini liberalem voluntatem, utilitatis hujus ſacrificii capax exiſtit. Ideoque, quemadmodum

Digitized by Google

dum prius Sanctorum, ita poſtea etiam reliquorum Chriſtianorum memoriam circa ſacrificium altaris inducit, quos in vera Chriſti fide deceſſiſſe pie credit, de quibus tamen ſatis certum eſſe nequit, utrum ſatis emundati & purgati hinc emigraverint. Aliam tamen Sanctorum, & aliam aliorum in ſomno pacis quieſcentium, memoriam ſervat. Illorum quidem, non ut oremus pro eis, ſed magis ut orent ipſi pro nobis, ut veſtigiis eorum inhæreamus: Horum vero, ut communi Domino pro eis ſupplicemus, quatenus

Auguſtin. in Joan. tract. 84.

Deus omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerii, lucis & pacis indulgere dignetur per Chriſtum Dominum noſtrum. Eos vero, qui nos in ſigno fidei præceſſerunt, ut à commercio orationum noſtrarum non ſecludamus, ipſa communionis quam cum omnibus Sanctis confitemur, ratio diſerte expoſcit: quippe qui etiam corporibus ſoluti, ſpiritualibus tamen nexibus nobiſcum cohærent, & uno ſpiritu velut ejuſdem corporis membra nobis adglutinantur, & vinculo charitatis connexi adhærent nobis, nec mors eos corporalis ex myſtici corporis Chriſti compage præſcindere aut ſeparare poteſt.

Quum itaque talem orandi formam nobis Dominus inſinuaverit, ut nemo pro ſua tantum, ſed velut magnæ communionis civis, pro omnium utilitate rogare debeat, & per Apoſtolum præcipiat nos pro invicem orare, ut ſalvemur: magnæ in conſortes ſuos crudelitatis, & contra Dominum deteſtandæ temeritatis fuerit, ſi quis à commercio orationum noſtrarum in Chriſto defunctos excluſerit: quod eum facere nuſquam Scriptura præcipit, & communionis ſpiritualis, quam cum Sanctis omnibus profitemur, ratio diſerte vetat. Hanc autem conſuetudinem per totam Chriſti Eccleſiam divulgatam, qua circa altaris ſacrificium memoria defunctorum adhibetur, ex Apoſtolica traditione promanaſſe, magnis & fide dignis teſtimoniis abunde doceri poteſt. Dionyſius Areopagita lib. Eccleſiaſt. Hierarchiæ cap. 7. De prece ſuper defunctis facienda, ex divinis ducibus, hoc eſt, Apoſtolis traditio pervenit ad nos. Ubi & totum harum precum ordinem & rationem luculenter explicat. Precatur, inquit, oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per humanam infirmitatem admiſſa peccata defuncto, eumque

Chryſoſt. ad popul. Hom. 69. In 1 Cor. Hom. 41.

in luce ſtatuat & regione vivorum. Chryſoſtomus ad populum Antiochenum Hom. 69. Non temere, inquit, ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum: quum enim conſtiterit populus extenſis manibus, & tremendum proponatur ſacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?

In Serm. de iis qui in fide hinc migraverunt.

Damaſcenus: Apoſtoli, inquit, diſcipuli Salvatoris, qui totius mundi circulum cepere prædicando verbum vitæ, quod ſuis oculis viderant, in tremendis vitalibuſque Sacramentis, memoriam eorum qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt: quod adhuc firmiter atque adeo ſine contradictione obſervat Apoſtolica & catholica Eccleſia Chriſti & Dei, à finibus uſque ad fines terræ, ab eo tempore uſque in

In Enchir. cap. 10. in quæſt. 2. ad Dulc.

præſens & in finem mundi uſque. Auguſtinus: Neque negandum eſt, defunctorum animas pietate ſuorum viventium relevari, quum pro illis ſacrificium Mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in Eccleſia fiunt: ſed hæc eis proſunt, qui, quum viverent, ut hæc eis prodeſſe poſſent, meruerunt, &c. Similia vide apud Epiphanium lib. 3. contra hæreſes. Tertull. ad uxorem de corona militis. Ambroſium in Orat. pro Imperatore Theodoſio de exceſſu fratris. Item libro 2. Epiſtolarum ad Fauſtum. Cyprianum lib. 1. Epiſt. 9. Bernardum in Cant. 1. Serm. 66.

Poſt hanc defunctorum memoriam, ubi jam iterum Eccleſia communem viventium ſalutem clementi Domino commendavit, reliquæ preces ad dignam ſumendæ ſacroſanctæ Euchariſtiæ præparationem referuntur: quæ pars Miſſæ peculiaris eſt præſentibus, & ſacroſanctam Euchariſtiam ſacramentaliter aut ſaltem ſpiritualiter ſumentibus: nec in commune admodum ſervit, quum nemo ſicut pro alio baptizari, ita nec Sacramentum ſumere utiliter poſſit. Participato tandem Sacramento, & cæteris rite peractis, gratiarum actio cuncta, ut ait Auguſtinus, concludit.

De communione cum ſacrificio jungenda.

Auguſtin. de Spir. & lit. cap. 2.

Atque hic expedierit, quum veriſſimum illud & ſingulare ſacrificium offertur, veterem Eccleſiæ morem revocare, quo non ſolum ſacrificans ipſe, ſed & diaconi & reliqui Eccleſiæ miniſtri, qui diebus ſolennioribus velut teſtes tanti ſacrificii & neceſſariorum miniſteriorum coadjutores adhibentur, ut perceptionis corporis & ſanguinis Domini noſtri Jeſu

De conſec. diſtinct. 2. c. peracta. c. relatio.

Chriſti participes ſe præberent, ſeria Canonum ſanctione jubebantur: ſed & fideles omnes pro recolenda mortis Domini & noſtræ redemptionis memoria, ad hoc Mediatoris noſtri ſacrificium confluentes, ſedulis exhortationibus monendi & excitandi ſunt, ut prius explorati, confeſſi & abſoluti, ſacroſanctæ communionis gratiam ſumant, & diviniſſimæ Euchariſtiæ participationem una cum ſacerdote ſedulo & devote frequentent.

De ceremoniis & uſu Sacramentorum.

Ceremoniæ veteres, quæ Sacramento Baptiſmatis adhibentur, retineantur omnes, Exorciſmus videlicet, abrenunciatio, profeſſio fidei, chriſma & alia: pertinent enim ad efficaciam hujus Sacramenti adumbrandam & ſignificandam. Item, in ceremoniis veteribus, quæ ab Eccleſia catholica adhibentur Miſſæ, nihil mutandum videtur: ſunt enim omnes ad id, quod in Miſſa agitur, cum primis aptæ. Et quod ad uſum hujus ſacri attinet, debent in ſingulis civitatibus & in ſingulis Eccleſiis (etiamſi in una civitate aut loco plures ſint) quæ proprios ſacerdotes & populi illuc convenientis frequentiam habent, ſingulis diebus duæ ad minimum Miſſæ celebrari. altera matutina, cui intereſſe poſſint homines qui labore manuum rem quærunt, ut convenientes, vel communicent de Euchariſtia, vel ſe Deo pie commendent. Altera vero celebrior, quæ canetur circa horam octavam diei antemeridianam, cui eodem modo adſint, qui vel communicare de Euchariſtia, vel ſe Deo commendare velint. In pagis autem, ſingulis quibuſque Dominicis & feſtis diebus, ſingulæ Miſſæ ad minimum celebrentur. Atque ut populus ad uſum Miſſarum revocetur commode, Concionatores juxta ſententiam de hoc ſacro ſuperius explicatam, populum hortari debent, ut eidem libenter interſit: cui etiam præſcribendæ ſunt certæ meditationes, eæque ad ſingulas Miſſæ partes aptæ: & ante præfationem presbyter aut diaconus, ſi hujus copia ſit, oſtendat verum Miſſæ uſum, eumque populo ex præſcripto, de quo etiam conveniat, commendet pro ratione de ſacro hoc ſuperius explicata. Canon item, in quo nihil mutetur, habeat etiam ſuam ſuccinctam & dilucidam interpretationem, ut inde presbyteri & functionem officii ſui eo melius intelligere, & quod intelligunt, populo explicare poſſint. Ceremoniæ reliquæ Sacramentorum, juxta præſcriptum Agendarum veterum, adhibeantur: in quas tamen ſi quid irrepſit, quod cauſam dare poſſit ſuperſtitioni, tollatur. Altaria, veſtes ſacerdotum, vaſa Eccleſiæ, vexilla: item, cruces, candelæ, imagines, retineantur in Eccleſia. Sed ita tamen, ut ſint monumenta: nec cultus latriæ in hoc genus transferatur: nec ad imagines & ſtatuas ſuperſtitioſe concurſus fiat.

Horæ item canonicæ, & illa pia pſalmodia, quam nobis Apoſtolus ipſe commendavit, ex Eccleſiis minime

nime tollantur: & ubi ſublatæ ſunt, reſtituantur: maxime vero de tempore & Dominica & aliis vetuſtis & ſolennioribus feſtis. Quæ autem de Sanctis adjecta ſunt ad ea quæ in veteri de Sanctis communi poſita ſunt, revocanda: & ſicubi modum excedunt, corrigenda videntur. Vigiliæ item & exequiæ mortuorum de more veteris Eccleſiæ celebrentur: eſſet enim immane, in Eccleſia nullam illorum memoriam retinere, quaſi animæ ipſorum una cum corporibus interierint.

Feſti item dies ab Eccleſia recepti, retineantur, ſi non omnes, tamen præcipui: Dominicæ dies, Natalis Domini, Circumciſio Domini, Epiphania, Palmarum, Paſcha cum duobus diebus ſequentibus, Aſcenſio Domini, Pentecoſte cum duobus diebus ſequentibus, Corporis Chriſti. Feſti item dies beatæ Mariæ virginis, & ſanctorum Apoſtolorum, ſancti Joannis Baptiſtæ, Mariæ Magdalenæ, Stephani, Laurentii, Martini, Michaëlis, Omnium Sanctorum: & apud ſingulas Eccleſias eorum Sanctorum, qui ibidem ſingulares patroni habentur, ut in eiſdem Sanctorum feſtis Deum in Sanctis honoremus, noſque ad imitationem ipſorum excitemur, & conſideremus orationibus ipſorum adjuvari & meritis aſſociari. Dies item rogationum ante Aſcenſionem Domini, & Litania in die ſancti Marci, & per annum aliæ conſuetæ proceſſiones pro veteri more obſerventur. Similiter in hebdomada Sancta & circa reliqua Eccleſiæ feſta debitæ ſolennitates adhibeantur, & in vigilia Paſchæ & Pentecoſtes aqua Baptiſmalis per omnes Eccleſias parochiales ſolenni benedictione præparetur.

Ac quum abſtinentia carnium, quæ non abominationis, ſed temperantiæ cauſa ſuſcipitur, per ſe bona & ad carnem caſtigandam apta ſit, ac etiam publica utilitas poſtulet, ut certis temporibus à carnibus abſtineamus, quum alias pecora ad aſſiduum carnium eſum ſufficere vix poſſint: mos & inſtitutum veteris Eccleſiæ diebus jejuniorum, feria ſexta & Sabbatho à carnibus abſtinendo, retineatur. Hanc enim abſtinentiam Eccleſia ex nulla ſuperſtitione ſuſcepit, quæ à cibis quibuſdam certis temporibus abſtinet, non ob ullam ciborum immunditiem (ſciens omnia munda eſſe mundis, & nihil inquinare hominem quod per os ingreditur) ſed ad edomandam carnem, ut anima à pravis cupiditatibus & à malis motibus melius humilietur: eamque abſtinentiam præcipue diebus feriæ ſextæ & Sabbathi indixit, ut homines ad cultum Deo debitum perſolvendum, ad auditionem verbi Dei, & ad ſacroſanctæ Euchariſtiæ perceptionem (quæ olim frequentior diebus Dominicis ſervabatur) biduana abſtinentia præparati, magis idonei & digniores accederent: & ut hac voluntaria caſtigatione quaſi cum Chriſto (cujus paſſionis memoria his diebus potiſſimum à fidelibus recolitur) carnem ſuam crucifigerent. Conſueta etiam Eccleſiæ jejunia obſerventur, ſed ita tamen, ut non adſtringantur quos neceſſitas excuſat: quales ſunt qui gravioribus laboribus exhauriuntur, & peregrinantes, item gravidæ mulieres, lactentes pueri, ſenes, ægroti. Nec improbetur benedictio earum rerum, quæ exorciſmis & orationibus ad uſum hominum præparantur, dummodo operationes quæ inde naſcuntur, non rebus ipſis, ſed divinæ virtuti tribuantur: & caveatur, ne eædem ad ullum incantationis aut ſuperſtitionis genus transferantur.

Et quanquam cum Apoſtolo ſentiendum, eum qui cælebs eſt curare quæ ſunt Domini, &c. eoque magis optandum, multos inveniri clericos, qui quum cælibes ſint, vere etiam contineant: tamen quum multi, qui miniſterii Eccleſiaſtici functiones tenent, jam multis in locis duxerint uxores, quas à ſe dimittere nolint: ſuper ea re generalis Concilii ſententia expectetur, quum alioqui mutatio in ea re, ut nunc ſunt tempora, ſine gravi rerum perturbatione nunc fieri non poſſit. Illud tamen negandum non eſt, etſi conjugium per ſe honorabile eſt, juxta Scripturam: eum tamen qui non ducit uxorem, & vere continet, melius facere, ſecundum Scripturam.

Eadem eſt ratio uſus Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, cui multi etiam aſſueverunt, & ab eo avelli ſine gravi rerum motu hoc tempore non poſſunt: & quia Concilium OEcumenicum, cui omnes Imperii Status ſe ſubmiſerunt, proculdubio piam & ſollicitam curam adhibebit, ut in hoc caſu conſcientiis multorum & publicæ tranquillitati optime conſulatur, qui uſum utriuſque ſpeciei antehac receperunt, eumque relinquere nolunt: ſuper ea quoque re deliberationem & ſententiam OEcumenici Concilii exſpectent. Hi tamen qui utriuſque ſpeciei uſum amplectuntur, illam inveteratam ſub una ſpecie communicandi conſuetudinem reprehendere non debent: nec alteri alteros perturbent donec ſuper ea re Concilium OEcumenicum decreverit. Et quanquam Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie inſtitutum eſt, non tamen ſentiendum eſt Chriſtum in carne dividi, contra quam Scriptura divinitus inſpirata tradit, ſed ſub ſingulis ſpeciebus integrum contineri. Ac quoniam in Sacramento Euchariſtiæ eſt verum Chriſti corpus, & verus Chriſti ſanguis, in hoc Sacramento Chriſtum merito adorare debere. Item Sacramentum Euchariſtiæ ſemel verbo Chriſti conſecratum, etiamſi aſſervetur diutius, tamen Sacramentum & corpus & ſanguinem Chriſti remanere donec ſumatur.

Quæ vero ad diſciplinam Cleri & populi pertinent, videntur cum primis neceſſaria eſſe ad tollenda ex Eccleſiis ſcandala, quæ dant magnam cauſam horum temporum perturbationi: id quod res ipſa loquitur. Itaque ſi quam Eccleſiis utilem reformationem Cæſarea Majeſtas procuraverit, tantum abeſt ut quiſquam ſanctæ religionis noſtræ & publicæ tranquillitatis ſtudioſus, repudiare eam velit, ut omnes etiam pro ea citius promovenda & procuranda, Cæſaream Majeſtatem obnixe & humillime precari debeant.

VERA CHRISTIANÆ PACIFICATIONIS, ET ECCLESIÆ REFORMANDÆ RATIO.

SPecioſum quidem nomen eſt Pacis (inquit Hilarius) & pulchra opinio unitatis. Sed quis ambigat, eam ſolam unicam Eccleſiæ pacem eſſe quæ Chriſti eſt? Digna profecto ſententia, quæ nobis in mentem veniat quoties de conſtituenda inter Chriſtianos pace concordiaque agitur: ac præſertim ubi quæritur in doctrina conſenſus. Nam quia à diſſidiis pii & moderati homines abhorrent, contentiones vero & certamina deteſtantur: fieri vix poteſt, quin plauſibilis ſit primo auditu, quæcunque

de illis

de illis ſedandis habetur oratio. Et quis, niſi humanitatis expers, ſi pacificandæ Eccleſiæ vera & feria fiat mentio, non libenter aurem animumque accommodet? Nemo enim eſt, vel modico duntaxat pietatis ſenſu præditus, quem non excruciet, ac mœrore conficiat fœda hæc, horrendaque corporis Chriſti laceratio. At vero quum aſtuti homines hoc ſe prætextu non raro inſinuent, dum adulterare volunt ſinceram Chriſti doctrinam: quis neget prudenter circumſpiciendum eſſe, qualis pax nobis afferatur? Nam ſicuti ubique nobis pacem in primis commendat Chriſtus, ita Euangelii ſui veritatem unicum eſſe illius vinculum docet. Proinde, non eſt cur nobis fucum faciant Concordiæ nomine, qui à ſincera Euangelii profeſſione abducere nos tentant. Quid ergo? Optanda quidem eſt pax, ſummoque ſtudio quærenda. Sed potius quam redimatur ulla pietatis jactura, cælum terræ, ſi ita opus eſt, miſceatur.

Neque vero hic mihi vel cum Turcis, ac Judæis diſputatio eſt, qui nomen Chriſti cuperent penitus extinctum, vel cum craſſioribus Papiſtis, qui apertam veræ doctrinæ abnegationem à nobis flagitant: ſed cum fucatæ neſcio cujus pacificationis architectis, qui nobis ita dimidium relinquunt Chriſtum, ut nullam interea doctrinæ ipſius partem vel non obſcurent, vel non aliqua mendacii labe aſpergant. Atque hoc deformandæ pietatis artificium reformationis titulo, ſi Deo placet, venditant. Itane? ut quum nos furtim abducant à pacis auctore, fucum nobis faciant, pacem fruſtra pollicendo? Quanquam ſimulando nunquam tantum proficient, quin pateant ipſorum conſilia. Sperant proculdubio, ſi Eccleſiæ quæ puriorem Chriſti doctrinam amplexæ ſunt, ſemel declinaverint, paſſæque fuerint aliqua ex parte ſe corrumpi, facile, quod reliquum erit boni, mox perdituras. Nec ſane opinione falluntur. Hæc enim & juſtiſſima & ordinaria eſt Dei ultio: ut qui ſacroſanctam ſuam veritatem ſcientes ac volentes ſinunt mendaciis inquinari, tanti boni poſſeſſione in totum exuantur. Neque enim res eſt adeo vulgaris, ut vel minima ejus diminutione, quod pretioſiſſimum ducitur inter homines, redimi debeat. Equidem ſcio impios & profanos homines, non ex Dei judicio æſtimare, quid futurum ſit. Sed cauſam neſcientes de eventu recte judicant.

Atqui, mirum eſt quoſdam eſſe tam leves, ne dicam mente alienatos, qui fidem talium hominum dictis habeant. Neque vero me latet quid cogitent: ſi paululum nunc ceſſerint, majores deinde progreſſus, oblata occaſione ſe facturos. Sed unde ſubito illa, quam ſibi promittunt, occaſio emerget? Video nunc eos à via recedere. Proinde nihil minus ſperandum, quam ut errando ad ſcopum perveniant: quin potius timendum eſt, ne Deus dimidium hoc, quod retinent, auferendo, tam perfidæ defectionis ultor appareat. Verum qualemcunque ſibi ſpem fingant, nimium tamen, ac plus nimio ſibi permittunt, quum de æterna & immutabili Dei veritate paciſcuntur, quouſque valere debeat. Modo quod præcipuum eſt maneat ſalvum, inquiunt, aliorum tolerabilis erit jactura. Hoc vero perinde dicunt, acſi Chriſtus eorum arbitrio ſe dividendum tradidiſſet. Eſt aliquid, fateor, quum integra pietatis inſtauratio obtineri primo ſtatim die nequit, præcipua ſaltem capita conſequi: modo quod adhuc deeſt, perſequi non deſinamus. Verum, ubi integram Euangelii ſui doctrinam nobis fruendam dedit Filius Dei, eam ex compacto lacerare, ut partem aliquam nobis ſervemus, quam indignum ſacrilegium eſt?

Sed hoc eſt, ſcilicet: quum ſubeunda eſt vitæ dimicatio, pauci quid ſit Chriſti cauſam defendere noverunt. Quin etiam eo uſque progreditur iſtorum impudentia, ut ſibi in animo eſſe negent, temere Deum tentare. Quaſi vero in diſcrimen ſe projiciant non neceſſarium qui extrema quæque experiri malunt, quam à vitæ doctrina vel minimum unguem deflectant. Ubi ergo ſunt magnificæ illæ voces, quas paulo ante gladiis accincti edebant? Qui fit, ut illis temeritas eſſe incipiat tuendæ veritatis conſtantia, ſimulac moriendum eſſe vident, potius quam ab ea recedatur? Nos vero, Palmæ exhortationis memores, Chriſto ejuſque Euangelio gloriam dare pergamus, ſive per vitam ſive per mortem. Quicquid autem accidat, conſtitutum hoc cum animis noſtris habeamus, nullas auribus conditiones pacis admittere, quæ putæ Dei veritati hominum figmenta permiſceant. Maneat, inquam, illud fixum, audiendam ab omnibus eſſe ſolam Paſtoris vocem: alienorum cavendam eſſe, ac reſpuendam.

Hinc colligere promptum eſt, quænam ſit in pacandis diſſidiis ineunda ratio. Niſi enim nos terrerent hominum offenſæ, & quaſi oculos perſtringerent: imo niſi quidam, dum nimium cauti eſſe volunt, cæcutirent in clariſſima luce, facile, quæ neceſſaria ſint ad conſervandum Eccleſiæ ſtatum doctrinæ capita, inter nos conveniret. Sed quia rectum judicium, niſi ex re ipſa, fieri nequit, operæpretium mihi videor facturus, ſi ea ipſa, in quibus nihil remitti poteſt, breviter recenſeam. Scio multis tritam eſſe hanc vocem: de cæteris non eſſe pertinacius litigandum, modo ſalva maneat gratuitæ juſtificationis doctrina. Qui ſic loquuntur, neque totum, neque nihil dicunt. Fateor equidem, nunquam nobis conſtare ſolidam ſalutis noſtræ notitiam, quin totam fere ſummam Chriſtianæ doctrinæ ſecum trahat. Sed primum, in Chriſtianæ doctrinæ ſumma Dei cultum (in quo ejus honor vertitur) non modo poſthaberi ſaluti hominum, ſed ſilentio præteriri, perquam iniquum erat, ut poſtea iterum attingam. Deinde multum intereſt, verbone uno duntaxat proferas, fide nos juſtificari, an rem totam diſerte explicatam proponas. Quodſi in rebus quoque minutis, ſedulo obviare omnes ſolent controverſiis, quæ oriri ex verborum obſcuritate poſſent, cur non in re maximi momenti eadem ſaltem, ſi non major adhibebitur cautio?

Proinde, quo probent iſti homines, ſibi curæ eſſe, ut hanc doctrinæ partem de gratuita juſtificatione ſalvam retineant, primo ſtatuendum eſt, quid per ſe valeat homo. Nam hoc ordine primum eſt, quum inter hominis naturam & Dei gratiam diſcernimus, videre quidnam illa proprium habeat. Hic, Mediatores neſcio qui exoriuntur, qui ut flexiloquis ambagibus adverſarios placantes, interimant pias animas, arbitrii libertatem homini relinquunt, licet infirmam ac læſam. Scilicet de alieno ſunt liberales, quum ad hominem transſcribunt, quod proprium erat Dei gratiæ. Fatendum eſt ſane, homini reſtare voluntatem, etiam dum captivus tenetur ſub peccati & Satanæ tyrannide: ſed qui ſe putant ſatisfacturos, quum ſuperbum libertatis nomen, infirmæ potentiæ epitheto defunctorie temperant? Quum vero modum adipiſcendæ juſtificationis deſcribunt, Deum non agere cum homine docent, quaſi cum trunco. Non enim trahere, niſi volentem. Quis negat? Sed hoc quæritur, unde iſta humanæ voluntati docilitas, ut ſe Deo obſequentem præbeat, quum natura prorſus contumax ſit & immorigera? Annon hoc eſt in limine impingere, quum hinc extenuant hominis miſeriam, hinc divinæ gratiæ auxilium obſcurant? Aut ergo vera juſtificationis ratio nobis minime conſtabit, aut hinc faciendum erit exordium: cæcam eſſe hominis mentem, donec à Dei Spiritu illuminetur: voluntatem malo eſſe addictam, totamque ad malum ferri ac rapi, donec ab eodem corrigatur: nec aliunde naſci voluntariam gratiæ receptionem, niſi quod Deus cor ex lapideo, carneum formans, ad ſe nos reflectit, qui prius eramus averſi.

Quum autem ad ipſam verbi definitionem venitur, hic

hic vero cavendum eſt, ne operum reſpectus admi-
ſceatur gratuitæ reconciliationi, quæ tota in remiſ-
ſione peccatorum poſita eſt. Etſi enim nunquam re-
conciliamur Deo, quin ſimul donemur inhærente
juſtitia, diſtingui tamen debent, quæ ſeparari ne-
queunt. Atque hoc ſecundum eſt in hac quæſtione
membrum: definitam habere rationem, qua nos
Deus juſtificat. Dicimus itaque, nos fide juſtificari,
quia nobis imputatur Chriſti juſtitia. Si quis ex ad-
verſo objiciat, non aliter nos fieri participes Chriſti
juſtitiæ, quam dum ejus Spiritu in obedientiam Le-
gis renovamur: hoc quidem fatendum eſt: ſed in
regeneratione, qualiſcunque ſit, negamus conſti-
tuendam eſſe juſtitiam. Neque id facimus vel liti-
gandi ſtudio, vel quia nihil, quod minus nobis pla-
ceat, velimus prætermiſſum. Urget nos cauſa maxi-
me neceſſaria. Agitur enim conſcientiæ tranquilli-
tas: ſine qua nos omnes miſerrimos eſſe oportet,
imo jam fere perditos. Quæritur, inquam, ubinam
tuto acquieſcant conſcientiæ, quum de ſalute noſtra
Rom. 4. agitur. Si inquietudine agitantur vel hæſitant, Paulus
verſ. 14. exinanitam eſſe fidem docet. Id autem neceſſario ac-
cidere pronunciat, quamdiu in Legem reſpiciunt.
Quid igitur? Ut nobis ſalus conſtet, ſimul neceſſe
eſt certam conſtare juſtitiæ fiduciam. Hujus quantu-
lacunque pars in operibus fuerit repoſita, tanquam
parum ſolido fundamento ſuffulta, nutabit. Reſtat
igitur, ut in ſolam peccatorum veniam recumbat.
Plana res eſt, non aliter nos poſſe in Dei judicium
intrepidos venire, quam ſi certo perſuaſi ſimus, eum
nobis eſſe Patrem: quod fieri nequit, quin juſti co-
ram eo cenſeamur. Adeoque præcluſus eſt nobis
omnis ad ipſum aditus, niſi paterna ejus benevolen-
tia freti, ut Patrem non dubitanter invocemus. Quod
ſi nulla eſt nec ſalus, nec Dei invocatio, ſine tran-
quilla certaque conſcientiæ fiducia; rurſus autem
nuſquam acquieſcere conſcientia poteſt, niſi in certa
juſtitia: quis dubitet totam hominis juſtitiam, cui
inniti debet, gratuita peccatorum remiſſione conti-
neri? Fucum itaque faciunt Mediatores, qui juſti-
tiam inhærentem concurrere fingunt cum Chriſti
merito, quum de juſtificando homine diſputatio eſt
inſtituta. Ejuſmodi concurſus horribilem conflictum
pariat neceſſe eſt, donec operum prorſus obliti, ab-
jectaque eorum mentione, non juſtitiæ modo par-
tem, ſed totam ipſam in ſolidum à Chriſto mu-
tuemur.

Negant Deum terreni judicis more agere nobiſ-
cum, ut abſolvat tantum, non etiam vera juſtitia
donet. Fateor. Sed quum duplex ſimul gratia nobis
à Chriſto conferatur, ad quid utraque valeat, ſedulo
conſiderandum eſt. Nunc quæritur, unde fiat, ut
Deo ſimus accepti. Si opera cum gratuita juſtitiæ
imputatione miſceantur, altera mox emerget quæ-
ſtio, quouſque in conciliando Dei favore illa va-
leant: an hæc præcipuas obtineat partes, an quaſi
inferius ſit adminiculum. In hunc modum ſi diſtra-
hatur ſalutis fiducia, nihil poterit quam vacillare.
Quid hoc aliud eſt, quam ſubvertere ab imo funda-
Rom.4: 6. mentum? Itaque merito Paulus fidei juſtitiam in
Pſal. 32. peccatorum remiſſione ſimpliciter includit, docens
verſ. 2. eam à Davide deſcribi, quum beatum hominem pro-
nunciat, cui non imputantur peccata. Et certe bea-
titudo illa, cujus David meminit, ex juſtitia manat.
Sequitur ergo, nos eo eſſe juſtos, quia nobis pec-
Luca 1. cata non imputantur. Unde & hanc ſalutis ſcientiam
verſ. 77. nuncupat in cantico ſuo Zacharias, ubi de peccato-
rum remiſſione ſumus edocti. In ſumma, memineri-
mus, non hic ſimpliciter de multiplici Dei erga nos
gratia eſſe diſputationem: ſed de cauſa noſtræ, cum
ipſo, reconciliationis: quæ niſi unica ſtatuitur, nulla
eſt. Neque enim Scriptura, partem duntaxat noſtræ
1 Cor. 1. juſtitiæ mutuari à Chriſto jubet, ut ſuppleat quod
verſ. 30. operibus noſtris deeſt: ſed palam teſtatur Apoſtolus,
2 Cor. 5. ipſum nobis factum eſſe juſtitiam. Et alibi, nos in
verſ. 19. ipſo juſtos eſſe apud Deum, quia non imputentur no-
bis amplius peccata.

Commendanda quidem eorum, quæ à Chriſto
percipimus, bonorum tum amplitudo, tum varie-
tas, neque ad unam ſpeciem ejus officium vimque re-
ſtringi decet. Nec vero, quum homines dicimus
gratis juſtificari Chriſti beneficio, tacenda eſt rege-
nerationis gratia: quin potius cavendum, ne à nobis
ſeparentur, quæ perpetuo Dominus conjungit. Quid
ergo? Doceantur homines, fieri non poſſe ut juſti
cenſeantur Chriſti merito, quin renoventur ejus Spi-
ritu in ſanctam vitam: fruſtraque gratuita Dei ado-
ptione gloriari omnes, in quibus Spiritus regenera-
tionis non habitat. Denique, nullos à Deo recipi in
gratiam, qui non juſti quoque vere fiant. Sed diſtin-
ctione opus eſt, ne ex duobus donis alterum alteri
quid deroget. Ita ſibi neceſſariam eſſe cenſeant re-
generationem, filii Dei, ut plenam nihilominus ſibi
juſtitiam in Chriſto conſtare ſciant. Ita ſe intelligant
ad vitæ ſanctitatem bonorumque operum ſtudium
creatos & ordinatos, ut in unum Chriſti meritum
toto animi ſui ſenſu recumbant. Ita fruantur, qua
donati ſunt, vitæ juſtitia, ut ea tamen diffiſi, non
aliam quam obedientiæ Chriſti fiduciam, in Dei ju-
dicium afferant.

Atque, ut removeantur ambages, neceſſe eſt ita
in ſummo gradu collocari, quam fide obtinemus ju-
ſtitiam, & quæ gratis nobis accepta fertur: ut quo-
ties ad Dei tribunal vocantur conſcientiæ, ipſa ſola
emineat. Ita fiet, ut operum juſtitia, qualiſcunque
eſſe in nobis poteſt, in ordinem ſuum coacta, illi
minime, veluti ad conflictum opponatur. Et ſane
æquum eſt, quum hæc ab illa pendeat, ita ſubordi-
nari, ut totam illi poſſeſſionem in hominis ſalute re-
linquat. Nec dubium eſt, quin Paulus, ubi diſpu-
tat de hominis juſtificatione, in hoc uno capite verſe-
tur, quomodo Deum ſibi propitium eſſe ſtatuat. Hic
non ad qualitatem nobis infuſam nos revocat, ſed
prætermiſſa operum mentione, quærendam extra nos
juſtitiam eſſe docet. Alioqui, nunquam ſtabit illa,
quam tantopere ubique urget, fidei certitudo Multo
minus illa inter fidei & operum juſtitiam antitheſis,
quam refert decimo ad Romanos capite. Ergo, niſi *Rom. 10.*
ludere in re tam ſeria lubet, quod nimis periculo- *verſ. 3.*
ſum foret, retinenda eſt verbi proprietas, quæ rei
cognitionem ſecum trahit. Nam ſi rem nobis con-
cederent, qui hanc doctrinæ partem involvunt ſuis
commentis, ego certamen de verbo facile remitte-
rem. Sed qui duas inter ſe juſtitias committunt, quia
hoc moliuntur, ne gratuita ſit in ſolidum hominis ju-
ſtitia, nequaquam ferendi ſunt.

Obviandum etiam eſt eorum calumniæ: dum Ja-
cobum obtendunt, & alios ſimiles locos colligunt in
Scripturis, ubi verbum Juſtificandi aliter capitur:
ut ſuum inde concurſum ſtabiliant. Neque enim in-
telligit Jacobus, hominem vel minima ex parte ſibi *Jacob. 2.*
apud Deum acquirere juſtitiam operum meritis: ſed *verſ. 21.*
de juſtitiæ tantum approbatione tractat. Quis autem
negat, factis unumquemque ſuis probare qualis ſit?
Sed longe aliud eſt, hominibus facere affectus tui
fidem, quam ſalutem coram Deo promereri. Proin-
de, ne ex diverſa vocis ſignificatione fucus nobis fiat,
ſemper notanda eſt relatio vel ad Deum, vel ad ho-
mines. Porro, non negamus, juſtos nominari Dei
filios, aut à vitæ ſanctitate, aut à pura conſcientia.
Sed quia nullum opus, ſi appendatur in Dei trutina,
reperietur niſi mancum, & ſordibus etiam inquina-
tum: inde conſtituimus, hanc juſtitiæ appellationem
ubi operibus tribuitur, in gratuita venia fundatam
eſſe. Ergo ideo juſti ſunt operibus fideles, quia nullo
operum merito aut reſpectu juſti: quum operum ju-
ſtitia ex fidei juſtitia pendeat. Hinc etiam apparet,
quid de operum mercede ſit ſentiendum. Non eſt
certe inanis in Domino piorum labor, cui & varia
quotidie præmia in mundo rependuntur, & ſum-
mam

mum in cælis repoſitum eſt. Sed longe falluntur, qui putant quicquam mercedis bonis operibus, quaſi debitum, rependi: ſemper enim huc redeundum: ſicuti nullam eſſe juſtitiam Deus pronunciat, niſi in perfecta Legis obedientia, ita, nihil homines promereri, niſi omnia Legis mandata in ſolidum præſtent. Quiſquis enim vel in uno apice defecerit, eum manet æterna maledictio, ſi jure cum ipſo agatur. Quare promiſſiones univerſas, quæ pactum Legis implendæ continent, non dubitat Paulus irritas facere, donec gratuitæ promiſſionis beneficio mitigatus fuerit ille rigor. Promiſſionem gratuitam accipio, non qualiter multi ſolent: quia quum nos & noſtra omnia debeamus Deo, ipſe ultro & liberaliter operibus, quæ jure ſuo exigere à nobis poterat, mercedem promiſerit: ſed quia mercedem ex voluntaria potius favoris ſui dignitate, quam ex propria eorum dignitate aſſignat. Nam illa quamvis liberaliſs promiſſio, quæ pacto Legis implendæ annexa eſt, per ſe nihil nos juvat: quia nemo, qui officio ſuo ſatisfaciat, unquam reperietur. Proinde, novæ iterum promiſſionis ſubſidio opus eſt: ut ſcilicet ideo præmium habeant opera, quia cum venia placent. Ita fit, ut non fraudentur ſpe mercedis fideles, qui illis ſtimulus eſſe debet ad bonorum operum ſtudium: neque tamen rurſus vel perverſa fiducia inflentur, neque efferantur inani gloria. Hæc vera eſt mercedis ratio: non ut operum merito aut dignitati ex æquo reſpondeat, ſed ut gratuita eorum acceptione nitatur.

Adhæc minime ferendum, ut fides ipſa, quæ cauſa eſt juſtitiæ, falſa interpretatione non obſcuretur modo, ſed etiam adulteretur. Quod faciunt, qui eam vere ſtare fingunt abſque charitate. Vetus eſt ſophiſtarum commentum, fidem quæ ſit informis, veram nihilominus eſſe: acceſſione vero charitatis formari. Porro inde natus eſt error, quod fidem eſſe putant nudam frigidamque notitiam, quæ Deum eſſe veracem confuſe apprehendat. Nos de vocibus non litigamus: ſed quum in hac quæſtione vertatur ſalus hominum, nimis periculoſa eſt ambiguitas, quæ totam doctrinam tenebris involvat. Sicuti nos gratis juſtificat Deus, Chriſti obedientiam nobis imputando, ita tanti beneficii non niſi ſola fide compotes efficimur. Sicuti peccata noſtra expiavit Filius Dei, mortis ſuæ ſacrificio, Patriſque ira placata, adoptionis gratiam nobis acquiſivit, nuncque juſtitia ſua nos donat: ita non niſi fide ipſum induimus, ut ſimus bonorum ejus participes. Nunc ſi neſciamus quid ſit fides, quis nobis ad ſalutem adipiſcendam aditus patebit? Qui autem obliquis ſuis moderationibus pacem hodie redimunt à Papiſtis, fidem veram, quæ Chriſtianos ab infidelibus diſcernit, fatentur charitate poſſe eſſe vacuam. Perinde ergo faciunt, acſi quis vinum in dolio incluſum commendet, epiſtomium vero abſcindat, ne cui liceat inde haurire.

Jam ſatis patere arbitror, quantopere referat, ut ſalva maneat de juſtificatione doctrina, habere certam fidei definitionem. Et certe, quænam ſit, partim ex juſtificationis effectu licet colligere. Juſtificat enim, quia facit ut Chriſtum induamus, ut habitet in nobis, ut ſimus ejus membra. Quæ cum Filio Dei nos unum facit, an ſine ejus Spiritu eſſe poteſt? Id vero non minus eſt abſurdum, quam ſi quis aſſerat, animam carere vita, quæ ipſa corpus inſpirat, quæ motum illi dat & ſenſum, quæ ipſius denique vita eſt. Si quis hoc unum teneat, fide Chriſtum poſſideri, in illa diſtinctione fidei formatæ & informis non amplius hæſitabit. Fides, inquam, firma eſt conſcientiæ certitudo, quæ Chriſtum amplectitur, qualis nobis per Euangelium offertur. Atqui, nonne unum eſt ex præcipuis donis quæ nobis confert vitæ novitas? Unde & in ſignificationem nobis datus eſſe dicitur. Fides, animæ eſt reſurrectio, quemad-
Joan. 11. verſ. 26. modum Chriſtus pronunciat his verbis, Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet. Quomodo igitur mortua eſſet, quum ſit vivifica? Fides divinæ adoptionis eſt teſtimonium. Quomodo autem filii Dei, niſi qui Spiritu ejus reguntur? Fides nobis aditum ad Deum patefacit. Quomodo id fieret ſine bona conſcientia?

Ut hæc vel non ſint, vel taceantur: tamen ut pax in unitate fidei in nobis conſtet, prius de fidei nomine inter nos convenire neceſſe eſt. Sed quia jam præfatus ſum, mihi in præſentia ſufficere, ſi demonſtrem quam procul à retinenda juſtificatione abſint, qui dum hoſtes veritatis placare ſtudent, medium excogitant doctrinæ genus, quod neque cælum neque terram attingit: in hoc argumento me contineo. Ergo quantum ad obtinendam coram Deo juſtitiam ſpectat, hæc quinque de fide neceſſario tenenda eſſe dico. Primum, indubiam eſſe perſuaſionem, qua verbum à Prophetis & Apoſtolis allatum, tanquam veritatem à Deo profectam, ſuſcipimus. Deinde hanc in verbo Dei proprie intueri gratuitas promiſſiones, Chriſtumque præſertim earum pignus & fundamentum: ut in paterno Dei favore acquieſcentes, ſalutis æternæ fiduciam concipere audeamus. Tertio, non eſſe hanc nudam notitiam, quæ in mente volitet, ſed vivum quoque affectum ſecum trahere, qui cordi inſideat. Quarto, non ex humanæ mentis perſpicacia eandem hanc naſci, vel ex proprio cordis motu, ſed eſſe ſingulare Spiritus ſancti opus, cujus eſt, tum mentes illuminare, tum obſignare corda. Poſtremo, non omnes promiſcue hanc Spiritus efficaciam ſentire, ſed qui ad vitam ſunt ordinati. Quod ordine primum poſuimus, quia in confeſſo eſt apud omnes, probatione nulla indiget. In ſecundo etiam probando, non tam ſedulo colligenda ſunt teſtimonia, quam admonendus lector, ut quæ paſſim occurrunt in Scripturis, expendat. Sunt enim prope innumera: Et brevitati ſtudendum eſt. Paulus quum à
Lege diſcernit Euangelium, fidei doctrinam appel- *Rom. 10.*
lat. Et alibi, revelari in ipſo Dei juſtitiam docet ex *verſ. 6.* *Rom. 1.*
fide in fidem. Item, Ideo, inquit, ex fide, ut ſecun- *verſ. 17.*
dum gratiam: quo firma ſit promiſſio. Eodem perti- *Rom 4.*
net quod ſcribit, Euangelium in obedientiam fidei *verſ 16.*
prædicari. Et ubi Euangelium non ex Lege, ſed ex *Rom 1: 5.*
promiſſione eſſe docet: continuo poſt concludit, Ut *Gal 3: 22.*
promiſſio ex fide detur. Quibus verbis aperte notatur mutua inter fidem & gratuitas Dei promiſſiones relatio. Hinc jam conficitur, fidem in Chriſto ſolo
quieſcere: utpote in quo omnes Dei promiſſiones *2 Cor. 1.*
ſunt Etiam & Amen. Ita enim Deus dilexit mun- *verſ. 20.*
dum, ut Filium ſuum unigenitum dederit: ut quiſ- *Joan. 3.*
quis in eum credit, non pereat. Quæ ſententia non *verſ. 16.*
fruſtra toties repetitur. Quare alibi Paulus, quum *2 Cor. 4.*
lucem Euangelii commendat, dicit illic refulgere *verſ. 6.*
Dei gloriam in facie Chriſti. Nec temere, quum de fide meminit Scriptura, quaſi expoſitionis vice additur, in Chriſtum. Significat enim hæc particula,
quod latius docetur tertio cap. ad Romanos: Chri- *Rom. 3.*
ſtum eſſe propoſitum reconciliatorem, ut per fidem, *verſ. 24.*
intercedente ipſius ſanguine, gratis juſtificemur Dei gratia. Quod ipſum deinde pluribus locis confir-
mat. Idem ſibi vult quod ad Galatas ſcribit, non *Gal. 3: 16.*
niſi in uno ſemine, hoc eſt, Chriſto, ſtabilitas fuiſſe
promiſſiones. Eadem ratione, tam ad Epheſ. quam *Epheſ. 4.*
ad Philip. fidem interpretatur, cognitionem Filii *verſ. 13.*
Dei, in qua etiam totam ſapientiam piorum includit: *Philip 3.*
quemadmodum alibi negat, quicquam ſibi aliud eſſe *verſ. 8.*
eximium: & ſe Jeſum Chriſtum prædicaſſe gloria- *1 Cor. 2.*
tur, tanquam in quo conſiſtat Euangelii ſumma. *verſ. 2.*

Porro ex fide gigni divini in nos amoris fiduciam,
vel unus locus abunde teſtatur quinto ad Rom. cap. *Rom. 5.*
ubi docet Paulus tranquillas nobis eſſe conſcientias, *verſ. 11.*
ut audeamus de ſpe vitæ æternæ gloriari. Et prius *Rom. 4.*
dixerat, nos ex fide eſſe hæredes, ne vacillemus tre- *verſ. 16.*
pidi & dubii. Unde conſtat requiri firmam certitudinem. In eundem modum ad Epheſios ſcribit, nos *Epheſ. 3. verſ. 12.*
per

Digitized by Google

per Chriſtum habere audaciam & aditum ad Patrem [1 Joan. 3. verſ. 2.] cum fiducia, quæ eſt per fidem ejus. Nec Joannes opinari nos dicit, ſed ſcire, quod filii Dei ſimus: tametſi nondum appareat. Hoc ergo qui non tenet, fidei naturam prorſus ignorat. Hoc autem poſito, liquet fidem cum ſerio affectu ſemper conjunctam [Coloſſ 2. verſ. 7.] eſſe. Alioqui, non juberet nos Paulus radices agere in Chriſto & ſuperſtrui fide, nec ipſa haberet no- [Philip 2. verſ. 12] men obedientiæ: multo minus victoria noſtra adver- [Rom. 1: 5.] ſus mundum diceretur. Et ſane quum Paulus ſcribit, [1 Joan 5.] corde, ad juſtitiam credi, non eam in cerebro locat: [verſ. 4.] ſed penitus defixam eſſe ſignificat in hominis anima. [Rom 10.] Elogia illa, quæ prius commemoravi, nunc omitto: [verſ. 10.] quod ſit vita animæ, quod per eam Chriſtus in nobis habitet, quod nobis adipiſcendæ ſalutis ſit cauſa, ac ſimilia: quæ tamen ſimplici notitiæ nequaquam con- [2 Cor. 3.] venirent. Atque hoc eſt quod alibi intelligit Paulus, [verſ. 18.] quum dicit, nos faciem Dei in Euangelii ſpeculo intuentes, in ipſam transformari ex gloria in gloriam. Viva enim & efficax ſit oportet cognitio, quæ ita nos in imaginem Dei transformet.

Jam fidem divinæ illuminationis opus eſſe, tot teſtimoniis Scriptura confirmat, quoties cæcitatis damnat humanam mentem. Sed quoniam nimis longum eſſet, locos omnes colligere: paucos tantum annotabo, qui ſe primi offerent. Aliud nihil agit Paulus primo & ſecundo capite Epiſtolæ ad Corinthios prioris, niſi ut hebetem eſſe & nihil omnem humani ingenii perſpicaciam in Dei myſteriis, oſten- [Joan. 1.] dat. Qui ergo ad ea penetrant, non ex voluntate ho- [verſ. 13.] minis aut carnis, ſed ex Deo nati ſunt. Neque enim [Mat. 16.] caro & ſanguis revelant: ſed Pater qui in cælis eſt. [verſ. 17.] Quare rogat Paulus Deum ut Epheſiis aperiat mentis [Epheſ. 1.] oculos, detque illis Spiritum ſapientiæ & revelatio- [v. 17, 18.] nis in agnitionem ſui, ut comprehendere queant, quæ ſit ſua vocatio. Et merito: ſiquidem, ut poſtea ſubji- [Epheſ 3.] cit, dilectio Chriſti ad quam vocamur, omnem co- [verſ. 19.] gnitionem ſupereminet. Unde ſequitur, quod alibi [Philip 1.] affirmat, nobis dari ut credamus: nec poſſe homi- [verſ. 29.] nes quicquam accipere, niſi illis è cælo datum fue- [Joan. 3.] rit: neminem ad Chriſtum venire, niſi trahatur à [verſ. 27.] Patre. Adhæc, ſi excutiamus cor humanum, repe- [Joan. 6.] riemus non modo ad diffidentiam propenſum eſſe, [verſ 44.] ſed toto naturæ inſtinctu illuc ferri. Quare, iterum hic nobis ſubveniat Dei Spiritus, neceſſe eſt, ſitque [Rom. 8.] nobis & arrhabo & ſigillum. Hic eſt, qui nobis os [verſ. 15.] aperit, ut audeamus abſque metu, Deum Patrem [Gal. 4: 6.] invocare, qui ſanguine Chriſti animas noſtras irri- [1 Pet 1: 2.] gat, qui ratam nobis facit ejus gratiam, qui Dei cha- [Rom. 5: 5.] ritate corda noſtra perfundit, ut intrepide glorie- [Joan. 16.] mur, nos eſſe ejus filios, qui denique nos ducit in [verſ. 13.] omnem veritatem: idque ut ſciamus, quæ nobis à [1 Cor. 2.] [verſ. 12.] Deo donata ſunt.

Quod ultimo loco poſui, ſumptum eſt ex Luca, qui Pauli doctrinæ credidiſſe narrat, quotquot ad vitam erant præordinati. Et ſane, quum omnes promiſcue externa prædicatione invitet Deus: hoc ſolo electos ſuos diſcernit à reprobis, quod hos cæcutire in luce ſinens, illos novis oculis donat, quibus cernant, & corda in obedientiam verbi ſui inclinat. Proinde efficaci vocatione arcanam ſuam electionem [Epheſ. 1.] patefacit. Vocat nos, inquit Paulus, quemadmodum [verſ. 4.] in Filio ſuo elegit ante creatum mundum. Item, Illius [Epheſ. 2.] opus ſumus, creati in Chriſto ad bona opera, quæ [verſ. 10.] præparavit, ut in illis ambulemus. Hoc ideo notandum eſt, quia, ut plus æquo ſuperbi ſunt homines, ad ſe rapiunt quod erat uni Deo adſcribendum. Cui præpoſteræ arrogantiæ gratuitam ſuam adoptionem opponit Deus, quæ ipſa ſibi cauſa eſt ad nos vocandos: adeoque ſola nos diſcernit. Nunquam certe prævenitur à nobis Deus, ſed quærit oves errantes ac perditas. Porro efficacia vocationis, cujus memini, ſic accipi debet, quod non tantum nobis offertur Dei gratia, ſed ad eam amplexandam voluntas quoque noſtra formatur. Nam inter electos & reprobos id intereſt, quod quum utroſque alloquatur Deus voce hominis, illos peculiariter Spiritu ſuo intus docet. Commune, inquam, utriſque eſt hominis miniſterium: ſed interior Spiritus gratia, ſpecialis eſt electis. Quo pertinet Chriſti ſententia: [Joan. 6.] Quicunque à Patre audivit ac didicit, venit ad me. [verſ. 45.]

Niſi hæc extra controverſiam poſita fuerint: licet avium more ſubinde garriamus, nos fide juſtificari, juſtificationem ipſam nunquam tenebimus. Nihilo autem melius eſt, furtim ſubduci ab unico ſalutis fundamento, quam palam excuti. Verum, ſunt etiam alia, in quibus larvati Mediatores hanc doctrinæ partem malitioſe ſubvertunt, quam velle ſe tueri verbo profitentur. Peccatorum confeſſionem obtinendæ veniæ neceſſariam eſſe fingunt. Cui autem confiteri nos jubent? Non Deo: ſed ſacerdotibus. Nonne pluſquam impudenter obtenditur nomen gratuitæ juſtificationis, quum hæc conſcientiis imponitur neceſſitas? Ut liberæ ſint conſcientiæ à metu æternæ mortis, ipſam quoque Dei Legem abrogari oportet, ne maledictione eas obſtringat. Quid nunc ſi novarum legum laqueis induuntur, quæ fortius eas adſtringant? Scriptura nos juſtificari teſtatur, non quia impleamus Legem, ſed quia recumbamus in Chriſti ſacrificium, quo expiata ſunt peccata. Non ergo Legis obſervatio, ſed transgreſſionum venia nos juſtificat. Nunc quum ipſa peccatorum remiſſio quæ à vinculis omnibus nos ſolvit, conditioni illigatur, nonne tota conſcientiis excutitur ſalutis certitudo? Peccatorum remiſſionem nobis promittit: ſed hac lege, ſi in aurem ſacerdotis confeſſi fuerimus. Quid hoc, quæſo, aliud eſt, quam humanæ legi ſubjicere divinæ Legis abſolutionem, & ipſi, ut ita loquar, manumiſſionis vindictæ ſervitutem imponere? Sic enim ſtatuunt ejuſmodi legiſlatores, ne peccatorum remiſſio, quæ nos liberat, ipſa ſit libera.

Præterea atrocem Deo injuriam faciunt, qui tantum arrogant hominibus, ut ipſorum arbitrio remittantur peccata. Præſertim quum hoc uni ſibi tam ſevere vindicet apud Prophetam. Ego ſum, ego ſum, [Jeſa. 43.] inquit, qui deleo iniquitates tuas. Quid autem? an [verſ. 25.] Deus ipſe quum beneficium iſtud nobis offert, confitendi legem imponit? An Chriſtus ipſe, cujus maxime proprium eſt hoc officium & mandatum, tale quicquam præſcribit peccata remittendo? Nuſquam hoc legitur. Nunc quum inſurgunt homines, manumque injiciunt Chriſto ad reſtringendam ejus gratiam, nonne pluſquam ſacrilega audacia eſt? Et nos, ſi tantum juris permittimus hominibus, ut reconciliandæ inter nos & Deum gratiæ ipſi ſint arbitri ad leges dictandas, nonne Chriſti beneficium; tali ingratitudine repudiamus? Hoc certe, niſi impudenter, negari non poteſt. Confugimus miſeri omnes nos, ut neceſſe eſt, ad peccatorum veniam, tanquam ad unicum ſalutis aſylum. Certa nobis via à Filio Dei monſtratur. Certa ratio traditur tanti boni potiendi. Hic ſe interponit mortalis homo, aditumque præcludere audet: januam oſtendit à ſe obſeratam, nec aperiri niſi confeſſionis clave, patitur. Hanc in ſe tyrannidem qui ſuſcipiunt, ſtatuuntne Chriſtum unicum juſtitiæ auctorem, ac non potius honoris partem illi ereptam alio transſcribunt? Et ubi gratuita juſtitia, ſi hoc modo redimitur?

Porro, quoniam hactenus expertæ ſunt piæ animæ, quam dira eſſet carnificina, quum ad ejuſmodi confeſſionem adigebantur: ut minore doloris ſenſu eas interimant falſi Mediatores, mediam viam excogitant. Dicunt enim, neque nimis laxandam confeſſionem, neque rurſus nimis ſtringendam. Videtur certe aliquid profectum, quum ex illa anxia enumeratione aliquid remittitur. Nugæ ſcilicet: nam ſi ſtatuimus non abſolvi coram Deo, niſi qui ſacerdoti ſua peccata confeſſi fuerint, cui inde apiculum detrahere fas erit? Nonne ſemper periclitabimur, ne ſi quid à nobis prætermiſſum eſt, in judicium Deus revocet?

Digitized by Google

revocet? Hæc demum pax eſt conſcientiæ, ſine qua nulla eſt ſalus, quum indubia eſt abſolutionis fides. Si confiteri prius quempiam neceſſe eſt, quam abſolvatur, quouſque urgeat hæc neceſſitas, non eſt in hominis arbitrio definire. Ita nihil præter aſſiduam inquietudinem, lentumque tormentum, & perplexas ambages relinquitur, quæ animam nihilo minus conficient, quam ſi aperte jugularetur. Contenti ſunt Mediatores, ſi recenſeantur peccata, quæ diligenter cogitanti, & ſeſe excutienti in mentem veniunt. Quid hoc eſt aliud, quam venenum gutta mellis illinere, ut primo guſtu minus ſentiatur? Nam ſi quid juſtæ diligentiæ vel minimum defuerit, hic hærebit peccator. Imo labefactabitur tota promiſſio: & tandem abyſſus abyſſum trahet. Si hæc eſt ſalutis ſcientia, tranquillo animo in peccatorum veniam recumbere: quiſquis hunc laqueum ſponte induet, ſciens ac volens ſalutem ſuam projicit.

Quod autem huic impiæ tyrannidi prætexitur Chriſti auctoritas, non minore fit impudentia, quam malitia. Antehac Sorbonicis theologaſtris propter craſſam inſcitiam poterat ignoſci, quum Scripturam perperam corrumperent. Nunc in tanta luce non eadem valere debet excuſatio. Obtendunt Mediatores, ligandi & ſolvendi poteſtatem Apoſtolis eſſe datam. Addunt poſtea, exerceri non poſſe, niſi intelligat qui ea fungitur, retinerene, an ſolvere debeat. Inde enumerationem conficiunt. Quid tam puerile objectum, toties à nobis refutatum, nunc de integro excutiam? Quum inſtruuntur ligandi & ſolvendi poteſtate Apoſtoli, hoc elogio vim & fructum Euangelii commendari, certum eſt. Magnopere enim refert, ut ratam eſſe coram Deo abſolutionem ſciamus, quæ nobis nunciatur ore hominis. Meminerimus, homines eſſe mortales, qui nos ab æternæ mortis reatu exemptos eſſe teſtantur. Tantæ rei teſtimonio, ne Angeli quidem pares forent. Quid ergo nobis fieret, niſi ſuam auctoritatem interponeret ipſe Filius Dei, ad ſanciendam mandati ſui fidem? Ipſa porro mandati exequutio, omnem hac de re dubitationem tollit. Neque enim audiendis confeſſionibus, ſed prædicando Euangelio, ligandi ſolvendique munus exercuerunt Apoſtoli. Quin etiam palam eſt, melioribus ſeculis, quibus floruit religio, vel ignotum fuiſſe confitendi ritum, vel non ita communiter receptum fuiſſe. Certe extra controverſiam eſt, totos mille annos & ſupra, hac lege ſolutas fuiſſe Eccleſias, quam novi Mediatores quaſi perpetuam, & una cum Euangelio natam, obtrudunt. Quod ſi neceſſaria eſt, quam fingunt cognitio, ut peccata remittere nequeat, niſi qui audivit: temeritatis damnandi ſunt, non modo præſtantiſſimi quique veteris Eccleſiæ paſtores, ſed Apoſtoli ipſi, adeoque omnium Magiſter & Dominus, qui omnes, quum morem confitendi neſcirent, ligare tamen & ſolvere auſi ſunt.

Scio ejuſmodi homines, ubi ſpecies aliqua utilitatis ſe oſtendit, quidvis ſibi jubendum permittere. Atque hæc ratio eſt, cur tantopere confeſſionem urgeant, quia mundum volunt ſibi obnoxium facere, ut obſequentem habeant. Multis ergo nominibus confitendi ritum utiliſſimum eſſe contendunt. Nempe, ſi reputamus, quid privatim ipſis expediat. Quum tamen omnia dixerunt, nihil afferunt magis ſpecioſum, quam quod impios cogunt ſemel quotannis erubeſcere. Scilicet, multum profectum eſt, quum apud nos plus hominum valet pudor, quam Dei & Angelorum reverentia. Et tamen hoc ipſum eſſe falſiſſimum, uſus, qui optimus eſt magiſter, docet. Eo enim majore peccandi protervia laſciviunt, quia ſe fore ſalvos confidunt, ſimulac in aurem ſacrifici quicquid intus eos gravat, exoneraverint. Perinde acſi Dei tribunal effugerent, judicium hominibus deferendo. Denique non ſecus ac ebrioſi, vomendo ad novam crapulam ſe comparant. Quid autem ex adverſo nobis promptum eſſet objicere? An non ex hac Lerna innumeras malorum ſpecies prodire notum eſt? Verum ut demus eſſe verum quod poſtulant, nihil tanti eſſe debet, ut in ſervitutem redigantur conſcientiæ, proſtituatur Chriſti gratia, opprimatur fides. Ut maxime, inquam, expediat, cogi ad confitenda ſua peccata homines, fucum tamen facere, quaſi res ſit ad ſalutem neceſſaria, neque fas eſt, neque expedit. Stringi enim talium legum vinculis conſcientiæ nequeunt, quin ſtrangulentur. Ergo omnibus illis abruptis, diſcamus ſolis gratuitæ miſericordiæ promiſſionibus, omnes ſenſus habere devinctos.

Similiter, quum de ſpirituali conſcientiæ foro agitur, nulla ſatisfactionum fiat mentio. Unica enim eſt Chriſti ſatisfactio, quæ non culpæ tantum æternæque mortis reatu nos eximit: ſed temporalibus quoque pœnis redimendis eſt pretium. Arridet quidem, prima ſpecie, illa diſtinctio: pœnam æternam gratis remitti Chriſti beneficio: temporales autem, noſtris ſatisfactionibus: ſed re propius inſpecta, protinus evaneſcit. Reclamant primum omnes Prophetæ, qui Dei miſericordiæ, pœnarum relaxationem ubique aſſignant. Quod Deus gratis condonat, certum eſt, nullis operibus nos promereri. Atqui, dum ita Deum loquentem inducit Propheta: *Ezech. 20.*
Propter me faciam, non propter vos: de remittenda *vers. 44.*
temporali pœna ſermo habetur. Imo quoties fere ad *& 36.*
petendam gratuitam veniam confugiunt, externas *vers. 22.*
calamitates deprecantur, ut ſunt iræ Dei indicia. Et quum nos recipit Deus in gratiam, ſimul finem malis ſe impoſiturum promittit. Denique ſicut culpam pœna ſequitur, tanquam fructus arborem: ita culpa remiſſa, tanquam exciſa radice, pœna quoque extinguitur. Verum eſt quidem, hoc optimum eſſe remedium ne judicentur homines à Deo, ſi ſeipſos
judicent: quemadmodum teſtatur Paulus. Id tamen *1 Cor. 11.*
perinde accipi non debet, acſi mutua compenſatio- *vers. 31.*
ne ipſum placarent. Sed quum hoc unum agat Deus nos puniendo, ut ad pœnitentiam cogat, non mirum eſt, ſi pœnæ dicatur occurrere peccator, qui ſponte ſe corrigit. Verbis enim nos invitat prius cæleſtis Pater, quam manu feriat. Si voluntaria in nobis converſio apparet, obtinuit quod volebat. Illic jam ceſſat puniendi materia. Denique, ſicut in futurum tempus reſpiciunt, quæ piis infliguntur pœnæ: ita qui eas avertere cupit, non eſt quod ſtudeat ſatisfactione aliqua, quod deliquit, expungere: ſed ſe quibuſcunque poteſt modis cùm ad humilitatem, tum ad veram reſipiſcentiam erudiens, ſui ipſe peccati ultor ſit homo, ne Deum experiatur ultorem. Qui Deum ſibi vult parcere, ipſe ſibi ne parcat, nec indulgeat. Qui erigi vult à Deo, ſe ipſe humiliet. Sed hoc totum nihil ad mutuam compenſationem: nam qui in hunc modum de ſe pœnas ſumunt, quo præveniant Dei judicium, conſtituunt ſibi nihilominus in Chriſti ſacrificio non modo culpæ expiationem, ſed pœnarum etiam, quaſcunque meriti ſunt, veniam. Satisfactiones porro, quarum uſus eſt in Eccleſia, quum ad exemplum magis pertineant, pars ſunt ordinis politici, non autem ſpiritualis juſtitiæ ſubſidia.

Huic doctrinæ, qui vel tantillum derogant, nunquam tam ſpecioſos habebunt prætextus, quin ſaltem palam fiat, exitiales ipſos tendere inſidias hominum ſaluti: quas ſi cavere negligimus, fruſtra poſthac gememus ſalutem amiſſam, quam ipſi ſponte prodiderimus Satanæ & ejus miniſtris. Cavendum itaque, ne illæ nos demulceant Sirenum voces: Hoc parum eſt: Hoc commoda interpretatione mitigabitur: Hoc facile latebit: Hoc admittetur non magno periculo.
Potius audiamus monentem Chriſtum: Ambulate *Joan. 12.*
dum lucem habetis. Nam ſi quas patimur claræ luci *vers. 35.*
nubeculas opponi, citius quam putemus, obruent nos tenebræ. Unica eſt janua, qua ingredi nos in

vitam æternam oportet: unica eſt via, qua ad eam pervenitur. Minimus ab his deflexus, proclivis eſt in mortem error. Huc accedit, quod obliquis velut cuniculis ſimul impetitur Chriſti gloria, quam ita conjunctam eſſe cum ſalute noſtra voluit, ut alteri qui detrahit, utrumque violet. Ergo in aſſerenda gratuitæ juſtificationis doctrina, non tantum quam ſit nobis chara noſtra ſalus, ſed etiam quam pretioſa Chriſti gloria, ſpecimen edendum eſt. Unde apparet, quam deteſtandum interitum nobis moliantur perfidi Mediatores, qui ſuis fucis huc nos inducunt, ut non minus in Filium Dei ſimus ingrati, quam propriæ ſalutis proditores.

Atque ut demus, relinqui nobis iſtud integrum, juſtificari ſola fide hominem: qui tamen nihil præterea relinquunt, quo tandem loco habendum cenſent cultum Dei? Eſtne illis res tam frivola, ut pacem Eccleſiæ morari non debeat? Atqui, hominum & Angelorum ſaluti præferendam eſſe dico. Proinde, qui non tantum poſthabito, ſed etiam relicto Dei cultu, alterum illud caput duntaxat urgent, quid ſit vera religio nondum didicerunt. Si quis objiciat, præcipuam divini cultus partem fide, ejuſque exercitiis contineri: ego id quidem fateor: ſed diſputare, quomodo ſalutem adipiſcantur homines, quomodo autem rite colatur Deus, tacere nimis eſt præpoſterum. Adde quod hujus rei cognitio propriam explicationem deſiderat: cujus duo potiſſimum ſunt membra. Primum enim ſtatuendum eſt, ſpiritualem eſſe Dei cultum, ne in externis vel ceremoniis, vel aliis quibuslibet operibus reponatur: deinde non eſſe legitimum, niſi ad ejus cui præſtatur, voluntatem ſit compoſitus, tanquam ad ſuam regulam. Utrumque pluſquam neceſſarium eſt: nam ut nihil quam terram & carnem ſapimus, ita Deum metimur noſtro ingenio. Unde fit, ut ſemper magis arrideant externæ pompæ, quæ nihili ſunt coram Deo, quam interior cordis veritas, quam ſolam probat ac requirit. Rurſus, nota eſt ingenii noſtri laſcivia, quæ hic maxime exultat, ubi nihil prorſus audendum erat. Quoslibet cultus, & alios ſubinde atque alios comminiſci, homines ſibi permittunt. Neque hoc eſt ſeculi unius vitium. Uſque ab exordio mundi
1 Sam. 15. verſ. 22. ita licenter mundus cum Deo luſit. Ipſe autem clamat, nihil ſibi pluris eſſe quam obedientiam. Itaque omnes cultus, præter mandatum ſuum confictos, non modo tanquam irritos reſpuit, ſed plane damnat. Quid teſtimoniis utar in re tam aperta? quum proverbiales inter Chriſtianos eſſe debeant hujuſmodi ſententiæ.

Quod prius membrum, quaſi ſupervacuum ſecure omittunt fucoſi Mediatores, ut ne verbulo quidem attingant, ſpiritualem eſſe Dei cultum: quid aliud, quam latebras quæritant ad fallendum? Fingamus tamen id eſſe tolerabile. Quod autem in operibus per ſe bonis numerant, quæ ſponte ſuſcipiuntur abſque Dei mandato, in eo totam pie recteque vivendi regu-
Mat. 15. verſ. 9. lam pervertunt. Ubi enim erit illud, Fruſtra me colunt, docentes præcepta hominum: ſi vagari ſuo arbitrio extra Dei legem, hominibus liceat? Ac eo impudentiæ erumpunt, ut dicant à Spiritu ſancto diſcrepare, qui non probant ſupererogationis opera.
Jeſa. 1. verſ. 12. Cur iſtud? An quoniam ejuſmodi opera apud Jeſaiam commendat Spiritus, quum hoc ſolo titulo damnat quæcunque pulcherrimam alioqui ſpeciem habent, quod ea Deus non requirat è manibus noſtris? Video quid objiciant: ut omnia vendamus, ut perpetuam colamus virginitatem, ut gratuitam prædicationis operam impendamus Eccleſiæ, non præcipi quidem à Domino, placere nihilominus. Atqui, reſpondeo, etiamſi quis hæc omnia ſimul, & longe majora præſter, nihil ultra præſtare, quam quod Lex continet. Illic enim jubemur Deum ex toto corde diligere. Quis hominum hanc metam ſua perfectione ſuperet? Si excipiant, nullum tamen de operibus ipſis ſpeciale extare mandatum: ad hoc quoque facilis eſt reſponſio. Neque enim hæc omnibus convenirent. Neque rite ſuſcipiuntur in eum finem, quaſi per ſe valeant, aut quaſi ita coli Deus velit. Si quis nulla neceſſitate inductus, vendat quæcunque habet, abjecta familiæ ſuæ cura, quaſi venditio per ſe ſit virtus, nonne ſtultitiæ merito damnabitur? Neque enim omnes promiſcue alloquitur Chriſtus, quum dicit: Vade, & *Mat. 19. verſ. 21.*
vende omnia: ſed eum qui ſe falſo tota Lege perfunctum putans, inani fiducia turgebat. Ut cum oſtendat Chriſtus, procul adhuc à tota perfectione abeſſe: vitium, in quo ſibi blandiebatur, attingit: quod ſcilicet opibus ſuis nimium addictus eſſet. Unde patet, tale venditionis genus ſub Legis mandatis contineri. Idem & de virginitate ſentiendum. Videre enim quiſque debet quid ſibi datum ſit, ne quis incontinentia laborans, dum cælibatum appetit, cum Deo luctetur. Deinde, qui continentiæ dono præditus eſt, placere ſibi non debet cum ſuo cælibatu, quaſi genus vivendi colat aliis perfectius. Neque enim virginitas, quaſi per ſe virtus ſit, laudatur: ſed dum refertur in ſuum finem: ut liberius, avocamentis omnibus ſoluti, ſtudia noſtra & curas omnes conferamus in Dei obſequium. Et cur ſtipendio abſtinuit Paulus, niſi ut obviam iret pſeudoapoſtolorum malitiæ, qui ideo nihil poſcebant, ut infamiam crearent ejus miniſterio, vel ſaltem auctoritati detraherent? Quid autem obſecro, præter officii ſui modum ſupererogat miniſter, dum nihil prætermittit, quod ad Eccleſiæ utilitatem facturum videt? Non potuit aliter facere Paulus, quin ſe & Apoſtolatum ſuum improborum ludibrio exponeret. Quid ergo fecit, primum quod non debuerit, deinde quod non eſſet ex Dei præſcripto?

Jactant etiam exemplum Davidis, qui coram arca ſaltavit. Verum, quid hoc ad commentitios cultus ſtabiliendos? Nam ſi novum quempiam cultum erigere in animo habuit David, quis ejus temeritatem excuſet, quum rem tam ſevere à Domino prohibitam aggreſſus ſit? Lex certe illa communis erat omnium: *Deut. 12.*
ne facerent quod ſingulis placeret: ſed tantum quod *verſ. 8.*
Dominus præceperat. Si quid ergo ad mandatum de ſuo addidit David, perperam auſus eſt pluſquam licebat. Si fatemur peccaſſe: quid imitatores juvat perverſum exemplum? Ego vero non concedo, hoc animo ſaltaſſe Davidem, ut cultum ſibi non mandatum Deo exhiberet. Satis ſcitur, ceremonias ita pietatis fuiſſe exercitia, ut non tam ex ſe, quam ex fine æſtimarentur. Quid ergo ſibi aliud voluit illa Davidis ſaltatio, niſi ut arcam Domini magnifice in locum cælitus illi deſtinatum & conſecratum deduceret? Quanquam non dubium eſt, quin peculiari Spiritus inſtinctu huc adductus fuerit: quod in extraordinariis ſanctorum factis ſemper obſervandum eſt.

Verum, ne quis calumnietur, nos in rebus externis nimium eſſe moroſos, qui adeo præciſe tollamus omnem libertatem: hic teſtatum velim piis lectoribus, me non de ceremoniis litigare, quæ decoro tantum & ordini ſerviunt: vel etiam ſymbola ſunt & incitamenta ejus, quam Deo deferimus, reverentiæ. Nobis enim de operibus diſputatio eſt, quæ per ſe Deo placere fingunt Mediatores, & quibus eum rite coli affirmant. Nam quum illis de operum juſtitia, adeoque meritoriis operibus ſermo eſt, ejuſmodi figmenta obtrudunt, quæ ad Dei legem hominum arbitrio adduntur. Quis autem non videt hoc modo [illegible], quæ a Paulo damnantur, Dei mandatis opponi? Certe, ſi verum dicerent, falſum eſſet illud Chriſti: fruſtra Deum coli hominum mandatis. Nego igitur, legitimum eſſe alium Dei cultum, quam qui ad ejus voluntatem exigitur: nam is ſolus rationabilis à Paulo vocatur hac de cauſa, quod ubi ſapere pluſ- *Rom. 12. verſ. 1.*
quam oportet, homines volunt, à ratione viaque aberrant. De operibus autem mediis, quorum libera eſt electio, alibi erit opportunior dicendi locus: tantum oſtendere volui, ſi abſque Dei mandato ſuſcepta à nobis opera, in partem divini cultus, ſpiritualiſque juſtitiæ obrepant, quod in religione præcipuum eſt, everti.

Quo-

Quoniam in tradenda reformationis formulæ, poſtquam de juſtificatione egerunt Mediatores, ad Eccleſiam deſcendunt: videndum quatenus eorum placitis acquieſcere pio homini liceat, qui nolit à veritate diſcedere. Quas ponunt dignoſcendæ Eccleſiæ notas, ego quoque libenter recipio; puram doctrinam, rectum Sacramentorum uſum, & ſanctam, quæ inde pendet, unitatem. Sed quod addunt de continua Epiſcoporum ſucceſſione, quis non animadvertat captioſe ab illis dici? Non abs re contendimus, ita ſeculis aliquot laceratam & diſſipatam fuiſſe Dei Eccleſiam, ut deſtituta fuerit veris paſtoribus. Contendimus nihil minus quam paſtores fuiſſe, qui hunc honoris titulum ſibi arrogarunt. Iſti, non modo lupos cenſeri volunt paſtores, ſed Eccleſiam alibi quam apud eos quærendam eſſe negant. Nos certe non negamus ſemper fuiſſe Dei Eccleſiam in mundo. Audimus enim quid de perpetuo Chriſti ſemine Deus promittat. Hoc etiam modo non negamus, quin ab exordio Evangelii continua uſque ad nos fuerit Eccleſiæ ſucceſſio: quemadmodum certo perſuaſi ſumus, ad finem uſque mundi fore: ſed non concedimus, ita affixam eſſe externis larvis, ut penes Epiſcopos vel fuerit antehac, vel poſthac futura ſit. Et unde, quæſo, id neceſſarium eſſe probant? Nulla uſquam invenietur promiſſio.

2 Pet. 2. verſ. 1.
2 Theſſ. 2. verſ. 4.

Quin potius, dum Petrus admonet, falſos doctores in Eccleſia Chriſtiana fore, ſicuti in populo veteri fuerunt: & Paulus ſeſſurum in templo Dei Antichriſtum pronunciat, non extraneos hoſtes deſignant, qui violenta irruptione, ad exiguum tempus turbent Eccleſiam: de ordinaria quam vocant, præſulum adminiſtratione loquuntur: ne quis tranquillum ac florentem regni Chriſti ſtatum ſomniaret. Ergo, ſi penes Apoſtolorum ſucceſſores reſidet Eccleſia, eos quæramus ſucceſſores, qui traditam ab illis doctrinam poſteris fideliter per manus tradiderint.

Scio, ut continuam hanc ſucceſſionem commendent Irenæus, Origenes, Auguſtinus & alii quidam ex veteribus. Sed merum fucum faciunt, qui ejuſmodi teſtimonio, tyrannidem Papatus, quæ nihil commune habet cum antiqua Eccleſiæ forma, defendere conantur. Irenæo & Origeni negotium erat cum improbis nebulonibus, qui, quum prodigioſos errores proferrent in medium, eos ſibi divinitus revelatos eſſe jactabant. Hujus mendacii facilis erat refutatio, quod adhuc ſuperſtites erant multi, qui familiares Apoſtolorum diſcipulis fuerant. Recens erat ejus doctrinæ memoria quam Apoſtoli tradiderant. Ipſi quodammodo parietes adhuc eorum vocibus perſonabant. Miramur, ſi illi ſancti viri, teſtes citaverint Eccleſias, quæ & ab ipſis Apoſtolis inſtitutæ fuerant, & eorum inſtitutionem, ſine controverſia retinuerant. Pugnabat Auguſtinus contra Donatiſtas, qui furioſa ſuperbia inflati, ſolos ſe Eccleſiam habere gloriabantur, quum tamen nihil eſſet cauſæ, cur ab aliis diſſiderent. Objicit illis Auguſtinus, quas illi repudiabant Eccleſias, & à quibus diſceſſionem fecerant, continua ſerie ab ipſis Apoſtolis fluxiſſe. Optimo id quidem jure: quum eas in recepta ſemel doctrina perſtitiſſe, Donatiſtæ agnoſcerent. At longe diverſa eſt noſtra ratio. Succeſſores enim Apoſtolorum fuiſſe negamus, qui ab eorum fide doctrinaque deſciverint. Perfidioſi iſti Mediatores, qui tenebras miſcent cum luce, quam diſſimilis ſit antiquo Eccleſiæ regimini, vel potius contraria præſens diſſipatio, non ignorant. Cujus ergo impudentiæ eſt, ad opprimendam Eccleſiam, nomen Eccleſiæ ipſius obtendere? Utinam vero ad hunc uſque diem ſtetiſſet illa, quam mentiuntur, ſucceſſio. Apud nos certe non difficulter inveniret, quam meretur, reverentiam. Sit, inquam, Petri ſucceſſor Papa, ſi Apoſtoli fungatur officio. Sed in quo ſita eſt ſucceſſio, niſi in perpetuitate doctrinæ? Si autem ab his corrupta eſt, imo extincta & abolita Apoſtolorum doctrina, qui eorum haberi volunt ſucceſſores: quis non ſtultam eorum jactantiam derideat? Eodem nempe argumento probare mihi licet, tyrannos omnes optimos fuiſſe libertatis vindices: quoniam à republ. ad eorum monarchiam continuus fuerit tranſitus. Nunc an ita ſit, ex re fiat æſtimatio. Sed hoc ipſum ne fiat, ex profeſſo cavent Mediatores, qui ex honore, quem perſonis deferunt, præjudicium fieri volunt de doctrina.

Ut locum hunc breviter concludam: Eccleſiam Dei quærimus. Fatemur omnes, ſic propagatam fuiſſe ab initio, ut continuo ſeculorum ordine ad nos uſque duraverit, & hodie diffuſa ſit per totum orbem. Reſtat altera quæſtio: Sitne perſonis alligata. Nos quam periculoſum ſit hoc fateri, tametſi videmus, noluimus tamen adeo eſſe ſolliciti, ut caveamus in poſterum. Sed quum ſibi uſurpent nomen Eccleſiæ, qui eam funditus, quantum in ſe erat, perdiderunt, cujus ſocordiæ fuerit, ſaltem præſenti malo non reclamare? Jam ſuo tempore dicebat Hilarius, Eccleſiam potius deliteſcere in cavernis, quam in primariis ſedibus eminere. Quæ ad tam horrendam, quæ ubique hodie graſſatur, vaſtitatem deplorandam querimoniæ ſufficiant? Aliunde igitur, quam ex hominum titulis, petenda erit Eccleſiæ cognitio. Et fruſtra in ejus inveſtigatione circuimus, quum ultro ſe nobis veriſſima ratio offerat. Quis enim noſtrum, ut hominem agnoſcat, ejus calceos vel pedes intuebitur? An non in faciem potius recta conjicimus oculos? Cur ergo in conſideranda Eccleſia, non ab ipſo capite incipimus, præſertim quum eo nos Chriſtus ipſe revocet? Ubi erit cadaver, inquit, illuc congregabuntur aquilæ. Quare ſi in certam Eccleſiæ unitatem coaleſcere libet: in veritatem Chriſti tantum conſentiamus.

Mat. 24. verſ. 28.

Quum ad Eccleſiæ auctoritatem ventum eſt, quibuſcunque fucis imperitorum oculos ludant Mediatores, huc tandem recidunt, ut pro verbo Dei, ſola valeat hominum libido. Nota eſt illa triplex cantilena: Eſſe penes Eccleſiam, diſcernere veras Scripturas ab adulterinis: Eandem habere jus interpretandi: Ejus traditionem oraculorum vim habere. His jactis fundamentis, palam eſt, ereptum Deo imperium, ad lituos & infulas transferri. Qualiſcunque ſit eorum caterva, qui modo Epiſcopali titulo ſint ornati, Eccleſiam conſtituit. Porro, immenſum eſt quod illis licebit, ſi arbitrio ſuo interpretentur Scripturam, ſi fidei articulos fabricent, leges imponant conſcientiis. Quid igitur Deo fiet reliquum? Hæc pluſquam manifeſta eſt regni Chriſti, ſanæ doctrinæ, ſalutis noſtræ proditio. Et nos diſcordias alere, pacemque impedire ac turbare clamabunt, niſi protinus aſſentiamur? Quin proprium Eccleſiæ officium ſit, Scripturas veras à ſuppoſititiis diſcernere, non nego: nempe, quia obedienter amplectitur, quicquid Dei eſt. & oves audiunt vocem paſtoris, alienorum vocem non admittunt. Sed Eccleſiæ judicio ſubmittere ſacroſancta Dei oracula, ut quaſi precario ſuam inter homines auctoritatem obtineant, ſacrilega eſt impietas. Nam quum ſuper Apoſtolorum & Prophetarum doctrinam, teſte Paulo, fundata ſit Eccleſia, perinde iſti loquuntur, acſi garrirent matrem à filia eſſe genitam. Notum eſt præterea, quid captent. Hinc ille, aiunt, Canon, &c. Primum quæro, quo ipſum tempore editum fuiſſe putent: nam in Niceno Concilio nulla ejus mentio. Et tamen illic ſatis validis contra Arium inſtructi armis erant ſancti Patres, quum Scripturas in manu haberent. Deinde, quid Legi libriſque Propheticis fiet, ſi tamdiu pependit eorum auctoritas, donec aliquid poſt duo tandem annorum millia, ex quo Lex lata fuerat, decerneretur? Nam Machabæorum libros, Tobiam, ejuſdemque farinæ alia, quoniam in vulgari eorum canone continentur, pro legitimis haberi volunt. At de ipſo Canone, quem adeo ſuperciliose nobis obtrudunt, inter ſe non conſentiunt veteres Scriptores. Suis ergo

Epheſ. 2. verſ. 20.

ſtruantur Mediatores, ut libet, modo nobis liberum ſit ea repudiare, quæ divinitus non eſſe prodita, ſani omnes, ſaltem ubi moniti fuerint, judicabunt.

Sequitur jus interpretandi, quod ut Mediatores confictæ à ſe Eccleſiæ aſſerant, adducunt Petri teſtimonium: non eſſe privatæ interpretationis Prophetiam: quia non à ſeipſis loquuti ſunt Prophetæ, ſed à Spiritu Dei impulſi. Sed hac conſequentia apud intelligentes parum proficient. Admonet Petrus, nihilo nunc magis humani ingenii perſpicacia intelligi poſſe Prophetias, quam olim conflari potuerint. Hortatur ergo, ut quemadmodum divinitus ſunt allatæ, ita genuinum earum ſenſum poſtulemus à Dei Spiritu nobis patefieri. Nihil ambitioni, nihil arrogantiæ eſſe dandum. Sed an inde conſequitur, jus interpretandi rediiſſe ad paucos? Obtendunt etiam, promiſſum eſſe Eccleſiæ Spiritum, à quo ducatur in omnem veritatem: & qui ſuggerat quæcunque docuit Chriſtus. Atqui, quum eripiant interea Eccleſiæ quod illi à Chriſto datum eſt, annon detegenda eſt eorum fallacia? Dono interpretationis inſtruit Spiritus Domini quos viſum eſt, in communem Eccleſiæ ædificationem. Hujus doni vim & uſum non ſupprimunt tantum, ſed in nihilum redigunt, qui ſolis Epiſcopis poteſtatem faciunt aliis dictandi, quod neceſſario ſequantur. Sæpe accidit, ut genuina Scripturæ intelligentia deſtituti ſint Epiſcopi. Ergo qui nos ad tenenda eorum præſcripta cogunt, furioſos armant gladio, quo Scripturam totam miſere conſcindant. Denique, quiſquis Scripturæ ſenſum, Epiſcoporum ſubjicit arbitrio, interempta ejus anima, nihil præter mortuum corpus relinquit. Extrahendus enim nobis eſt anguis, quem ſub hoc dumeto Mediatores occultant: nempe hoc volunt, ut nihil tam ſit firmum & perſpicuum in Scripturis quod non uno verbo eludere promptum ſit, ſi quidem cornutis beſtiis minus adlubeſcat.

Tertiam partem Eccleſiaſticæ poteſtatis locant Mediatores in ſanciendis, tam dogmatibus, quam legibus. Atque priorem illam ſpeciem, Traditiones vocant, quas ſi quis convellat, eorum ſententia, negat Eccleſiam fundamentum eſſe veritatis. Hac captione irretiuntur miſeræ animæ, ne quam omnino ſuperſtitionem rejicere audeant, quæ modo longi temporis uſu invaluerit. Plauſibile quidem exemplum adducunt in Baptiſmo parvulorum: ſed quum nullum ſit tam craſſum aut puerile commentum, quod non Traditionis nomine venditetur in Papatu, omni ſuperſtitionum genere ultro ſe implicat, quiſquis ab hac captione ſibi non cavet. Tametſi, ne hoc quidem illis concedo, ex Eccleſiæ traditione fluxiſſe Pædobaptiſmum, quem certo conſtat, in ipſa Dei inſtitutione eſſe fundatum, & à Circumciſione habere ſuam originem. Parum enim haberet firmamenti, ſi hominum tantum arbitrio ſtaret. Adeoque hæc tenenda eſt univerſalis regula, non eſſe legitimum Sacramentum, niſi quod à Deo eſt, non ab hominibus. Sed ut ad præſentem cauſam revertar: non modo cerei Paſchalis benedictionem, aquæ exorciſmum, & ſimiles nugas, quæ numero ſunt infinitæ: ſed miſſandi ritum, & impios omnes ejuſdem formæ cultus, una (ut aiunt) fidelia dealbant, quum illis Traditionum imponunt nomen. Ut quicquid longi temporis præſcriptione defenditur, quaſi extra controverſiam poſitum, inter ipſa Dei mandata emineat. Et hic ſe nemo opponet? Imo ſubeunda potius millies turbatæ pacis infamia, quam ut perfida diſſimulatione prodamus tam neceſſariam Dei veritatem, quæ hic alioqui periclitatur.

Leges non alias unquam tulit vera Chriſti Eccleſia, niſi quæ ad retinendum ordinem, ad fovendam concordiam, ad tuendam diſciplinam, facerent. Tales nemo ſobrius non fatebitur, & jure ferri, & ab omnibus piis ſervandas eſſe. Nec vero de eo contendimus. Sed duobus malis ſubvenire neceſſe eſt, ſi volumus ſalvam eſſe Eccleſiam. Quod hodie nihilo leviora & æque multa & varia legum onera impoſita ſunt Chriſtianis, quam olim ſuſtinebant Judæi, id eſſe præter Chriſti inſtitutum, nemo dubitat. Qui enim Dei leges abrogavit, ut nos à ſervitute laxaret, novis profecto hominum legibus nos premi noluit. Factum eſt tamen. Nec tantum liberale illud regimen ablatum, ſed quaſi in diram carnificinam coactæ ſunt animæ. Saltem fieri nequit, quin aſſidue torqueantur. Nam & quædam aperte cum præſcripta à Deo regula pugnant, & quarundam obſervatio impoſſibilis. Tam procul abſunt a levanda hac tyrannide, qui habenas tenent, ut tantum de ea ſtabilienda cogitent. Et nunc Moderatores noſtri, oppoſita Eccleſiæ auctoritate, impiorum libidini obſequuntur. Alterius quoque mali non minus neceſſaria eſt correctio. Leges, quas ſub Eccleſiæ nomine commendant, tyranni, ſpirituales vocant: ut quæ regendis conſcientiis ſint deſtinatæ. Hujus mali appendix eſt illa, cujus memini ſuperſtitio: quod earum obſervationem ad cultum Dei pertinere fingunt. At Deus ſibi uni ſpirituale regimen, verboque ſuo vindicat: ut intactæ ab hominibus conſcientiæ in ſolum ejus nutum reſpicere diſcant. Unus Legiſlator, inquit Jacobus, qui ſalvare poteſt ac perdere. [*Jacob. 4. verſ. 12.*] Et Paulus ſevere admonet, ne ſe hominibus addicant, qui Chriſti beneficio ſunt manumiſſi. [*1 Cor. 7. verſ. 23.*] Et alibi Coloſſenſes objurgat, quod decretis teneantur. [*Coloſſ. 2. verſ. 20.*] Quid ad hæc Mediatores? Nulla remedii facta mentione, ſimpliciter, ut hactenus, parendi neceſſitate nos obſtringunt. Atqui, tantundem abrogatur imperio Dei, quantum hominibus tribuitur. Valeat ergo prævaricatrix iſta obedientia, quæ Dei frenum abrumpit, ut nos hominum laqueis ſtrangulet.

Jam quod toti Eccleſiæ præficiunt Rom. Pontificem, cùm per ſe non eſt tolerabile, tum vero acrius refutandum, quia prærogativam eſſe Petro conceſſam fingunt. Mandat Petro Chriſtus, ut paſcat oves ſuas. [*Joan. 21. verſ. 16.*] Quid? Aliis non mandat? Sed non fruſtra hunc nomine compellat Chriſtus. Quaſi non conſtet, illic ter repetito oves paſcendi juſſu, eum reſtitui in honorem Apoſtolatus, unde ter Chriſtum abnegando, exciderat. Nomen autem ovium, qua fronte, quæſo, univerſam Eccleſiam interpretantur? Eodem nempe argumento dicam, munus, quod Chriſtus illi contulerat, aliis reſignaſſe, quos ad paſcendum Chriſti gregem hortatur. [*1 Pet. 5. verſ. 2.*] Gubernare, ſecundum iſtos, debuit Petrus totam Eccleſiam, quia illi dictum fuerat, Paſce oves meas. Ergo ſi aliis idem faciendum jure ſcribit: aut in eos transfert jus ſibi commiſſum, vel ex æquo cum illis participat. Nimium vero proterve Scripturis ludunt, quum totam Eccleſiam fingunt in nomine ovium comprehendi. Ipſe quidem paſtor fuit ovium Chriſti, ſed quibus operam ſuam impendit, & quam late ſe extendere potuit ejus miniſterium. Nam ſi cum plenitudine poteſtatis, ut garriunt Mediatores, præeſſe debuit Eccleſiis omnibus, inique Paulus agebat, ſuperiorem illi gradum negando. Et quis unquam fando audivit, Petrum quicquam ſibi in alienas Eccleſias vendicaſſe? Quin potius quum ab Eccleſia mittitur, obtemperat, tanquam unusquilibet ex conſeſſu. Fuit inter alios eximius non nego, & pro excellentia donorum, quibus pollebat, illi honor deferebatur, ut primas teneret, quoties erant congregati. Sed aliud longe eſt, orbi univerſo præeſſe, quam præſidere in exiguo hominum cœtu.

Sed fingamus, datum fuiſſe Petro, quantum jactant. Quis tamen concedet patrimonium fuiſſe donatum, quod in hæredes transmitteret? Succeſſoribus idem, inquiunt, quod acceperat, jus reliquit. Ergo Satanam eſſe oportet, quiſquis eſt Petri ſucceſſor: quoniam hoc elogio inſignitus fuit. Ubinam ſit ulla ſucceſſionis mentio? Paulus quum de tota Eccleſiæ adminiſtratione ex profeſſo diſſerit, neque unum conſtituit caput, neque primatum hæreditarium facit. Et

tamen

tamen illic totus eſt in commendanda unitate. Poſt-
Epheſ. 4. v. 4, 5, 6. quam autem commemoravit unum Deum Patrem, unum Chriſtum, unum Spiritum, unum corpus Eccleſiæ, unam fidem, unum Baptiſma: modum conſervandæ unitatis deſcribit: quia unicuique Paſtorum diſtributa ſit gratia ſecundum menſuram, qua donati ſunt à Chriſto. Ubi plenitudo poteſtatis, quum ſingulos ad certum modum revocet? Cur non unum Papam mox ſubjecit, quo nihil ad præſentem cauſam erat commodius, ſi quidem ita res tuliſſet?

Demus præterea, ſancitam in Petro fuiſſe primatus in Eccleſia perpetuitatem: cur tamen Romæ potius ſedes primatus, quam alibi collocabitur? Cauſam allegant, quia fuerit Petri ſedes. Perinde acſi quis in deſerto conſtituat præcipuam Eccleſiæ Judaicæ ſedem: quia illic Moſes ſummus omnium Propheta, & Aaron primus Sacerdos, uſque ad mortem, munere ſuo defuncti ſint. ſed valeat hæc ratio. Quid Antiochia? Romam præferunt: quia illic mortuus ſit Petrus. At probabiles ſunt conjecturæ, unde colligere licet, fabuloſum eſſe, quod de Romano Petri epiſcopatu tradunt. Complures privatos ſalutat Paulus, quum ſcribit ad Romanam Eccleſiam. Triennio poſt, illuc vinctus adducitur. Exceptum à fratribus fuiſſe refert Lucas. Iterum nulla Petri mentio. Scribit Paulus ex carcere varias Epiſtolas. Nomina quorundam, etiam ignobilium, exprimit. Petro nullus inter eos locus. Si illic fuiſſet, non caruiſſet inſigni contumelia tale ſilentium. Jam quum ſibi neminem adfuiſſe in prima ſua defenſione conqueritur, an non turpem nimis perfidiæ notam Petro inureret, ſi tunc fuiſſet Urbis paſtor? Item, dum alibi omnes, quos ſecum habet, perſtringit, quis credat in hoc numero fuiſſe Petrum? Et tamen illud fere totum eſt tempus, quod Romanæ illius ſeſſioni aſſignant. Verum, ut iſtam quæſtionem non moveamus: ſi ideo primatum obtinet Roma, quia fuerit ultima Petri ſedes, cur ſaltem Antiochia ſecundum locum inter Patriarchias non tenuit? Cur Jacobus & Joannes, qui cum Petro videbantur columnæ eſſe, non proximam ſedibus ſuis dignationem acquirere potuerunt? Quam præpoſtera fuit diſtributionis ratio, quum Alexandriam ſedem Marci, qui tantum unus erat ex diſcipulis, Epheſo & Jeroſolymæ prætulerunt? Verum Apoſtolos inter ſe conferre deſino: ipſe enim Dominus omnium ac magiſter, ad cujus fulgorem evaneſcit omnium dignitas, ubi ſummi Sacerdotii munus, & docendo & moriendo, niſi Jeroſolymæ obiit? Ergo Jeroſolyma Chriſti ſedes nulla erit, & Roma ad ſe honorem rapiet? Huc accedit, quod Petri Apoſtolatus Judæis fuit peculiaris, teſte
Gal. 2: 8. Paulo: ideoque proprie ad nos non ſpectat. Quare Judæos, quorum res agitur, ſinamus de hac ſucceſſione litigare.

Eodem pudore Cyprianum advocant teſtem in hac cauſa: nempe is eſt qui tyrannicæ ſuperbiæ damnat Epiſcopos, ſi in collegas quicquam imperii ſibi uſurpent. Unum quidem Epiſcopatum nobis commendat: ſed Chriſti, cujus partem in ſolidum, ut loquitur, quiſque Epiſcoporum tenet. At ſchiſmata ex ſummi Pontificis contemptu orta eſſe, alicubi tradit. En eorum ingenuitas. Quod de ſacerdotio Levitico ſcribit Cyprianus, ad Papatum rapiunt. Nam ſi pro ſchiſmaticis haberet Cyprianus, quicunque Pontifici Romano ſubeſſe renuunt, quo loco habendus ipſe foret, qui adverſus Stephanum tam libere invehitur, non inſcitiæ modo & arrogantiæ ipſum accuſans, ſed perinde ipſum cogens in ordinem, acſi unus eſſet ex gregariis? Quare, deſinant hic Dei & hominum teſtimonio tam impudenter abuti. At utile, inquiunt, remedium eſt, tollendis diſſidiis, ſi unus emineat, cui cogantur omnes parere. De hoc itaque liberam Eccleſiæ conſultationem relinquant, nec fingant verbo Dei præſcriptum eſſe, quod ſtatui ex uſu debet. Quanquam hæc quoque utilitas falſo ab ipſis prætexitur. Præſertim ubi iſta, quam jactant, plenitudo poteſtatis licentioſe exultat, quæ nihilo minus poteſt à tyrannide ſejungi, quam ignis à calore ſuo. Et ne hic diutius hæream, ſi plena in Chriſtianum orbem poteſtas, nihil aliud eſt, quam Epiſcopatus univerſalis, hanc Gregorius, ut nefariam & ſacrilegam, & ſoli Antichriſto congruentem, ubique deteſtatur. Cui de Papatu fides habenda potius quam ipſi Papæ? Nunc ſibi, ut volet, blandiatur Rom. Pontifex hoc imperio, quod illi adulatores tribuunt: ſed apud ſanos nihil aliud proficiet, niſi ut Antichriſtum ſe oſtendat.

Nunc, ut alia omnia remittam, ſi Romanum Pontificem volunt totius Eccleſiæ caput agnoſci, primo loco dent nobis verum Epiſcopum neceſſe eſt. Quis enim inter Epiſcopos eminebit, niſi unus, & quidem eximius in ordine Epiſcoporum? Et ipſi quoque, dum Papatum ornare volunt, ſubinde in ore habent, Petri ſucceſſionem, & Chriſti vices. Porro, quem Chriſti vicarium dicere audebunt Mediatores, qui profligata Chriſti veritate, extincta luce Evangelii, ſalute hominum everſa, corrupto & profanato Dei cultu, calcatis atque laceratis omnibus ſacris ejus inſtitutis, diſſipato Eccleſiæ ordine, barbarum in morem dominatur? Quid ſimile, obſecro, habet cum Chriſto Papa, ut ejus vices perſonamque ſuſtineat? quid habet commune ejus dominatio cum miniſterio Petri, ut cenſeatur ejus ſucceſſor? Ergo, ut inter nos conveniat de primatu, inde faciendum erit exordium, ut Epiſcopum vere præſtet, cui primas in Eccleſia deferamus. nam qui hoc ſtatuit unitatis vinculum: qualis qualis ſit Rom. Epiſcopus, totum illi orbem ſubeſſe debere, non aliter hoc conſequetur, quam impiam à Chriſto defectionem excitando.

In Sacramentis hanc boni & æqui Pacificatores moderationem adhibent, ut ſeptenarius numerus, qui temere indoctorum hominum confictus audacia, ſtulta mundi credulitate obrepſit, quaſi ſacer retineatur. Subinde obteſtandi ſunt mihi lectores, ut cauſæ, quæ tractatur, magnitudinem pondusque reputent. Sacramenta inſtituit Chriſtus, ut ſint non modo ſymbola veræ religionis, quæ filios Dei à profanis hominibus diſcernant, ſed teſtimonia quoque divinæ erga nos gratiæ, adeoque pignora. In Baptiſmo nobis & remiſſio peccatorum, & regenerationis Spiritus offertur. In ſacra Cœna invitamur ad fruendam Chriſti vitam, una cum bonis omnibus. Quale nunc temperamentum erit, ſi his miſceantur hominum figmenta? Obtendunt quidem, Deum eſſe omnium auctorem. Sed hæc poſtea quæſtio expedietur. Nunc tantum dico, nimium nos fore ſocordes, ſi natas in hominum cerebris qualeſcunque ceremonias talibus myſteriis patimur æquari, in quibus ſalutis noſtræ ſumma continetur. Quum rogat Chri- *Mat. 21. verſ. 25.*
ſtus, ex cælo ne, an ab hominibus ſit Joannis baptiſma, non aliter legitimum ratumque nobis eſſe debere ſignificat, quam ſi cælitus fuerit inſtitutum. Eadem in Sacramentis omnibus valet ratio. Et ſane quum profiteantur iſti Mediatores, Sacramenta non teſtari nobis modo, ſed etiam exhibere, quæ ſupra hominum captum ſunt ac facultatem: nimium perverſos fore palam eſt, illa ſi ſubjiciant hominum arbitrio. Sacramenta duo à Chriſto nobis eſſe commendata, extra controverſiam eſt. De quinque ergo reliquis videamus quid ſit ſentiendum.

Prius tamen quam huc progrediar, in Baptiſmo breviter adnotare operæpretium eſt, melius potuiſſe omitti quod de præciſa ejus neceſſitate commemorant. Præterquam enim quod externis ſignis perperam alligatur animæ ſalus, injuria fit non levis promiſſioni, acſi minus ad præſtandam quam offert, ſalutem, niſi aliunde adjuta ſufficeret. Sancta ideo naſcitur ex fidelibus progenies, quod adhuc utero incluſi, ipſorum liberi, antequam vitalem ſpiritum hau-

hauriant, cooptati tamen ſunt in fœdus vitæ æternæ. Nec ſane alio jure per Baptiſmum aggregantur in Eccleſiam, niſi quia ad corpus Chriſti jam ante pertinebant, quam in lucem ederentur. Alios enim ad Baptiſmum qui admittit, ipſum profanat. Nunc ergo, qui ita neceſſarium ſtatuunt Baptiſmum, ut à ſpe ſalutis excludant, niſi qui eo tincti fuerunt, tum in Deum ſunt contumelioſi, tum ſe quoque ipſos implicant magna abſurditate. Nam à Chriſto alienos ſacra Chriſti nota inſignire, qui fas eſſet? Baptiſmum ergo præcedat adoptionis gratia neceſſe eſt: quæ non dimidiæ tantum ſalutis cauſa eſt, ſed eam ipſam ſalutem in ſolidum affert, quæ Baptiſmo deinde ſancitur. Hinc, ut error alius ex alio ſcaturire ſolet, baptizandi munus quod ſolis Eccleſiæ miniſtris peculiariter mandavit Chriſtus, non ad unum modo quemlibet ex plebe, ſed ad mulierculas etiam delegant. Taceo quod de forma Baptiſmi diſputantes, poſthabita myſterii explicatione, quaſi parum ad rem faceret, in nudam verborum pronunciationem inſiſtunt: acſi Chriſtus quum Apoſtolos in nomen Patris, & Filii, & Spiritus ſancti baptizare juſſit, magicum neſcio quod carmen dictaſſet: ac non potius ſummatim indicare voluiſſet, unde & tota vis Baptiſmi fluat, & cujus nomine juſſuque adminiſtretur, & cujus fide nitatur, & quorſum referri debeat.

Ceremonias omnes, quibus purum Chriſti Baptiſmum poſteritas partim vitiavit, partim obfuſcavit, illibatas manere jubent: imo etiam reſtitui, ſicubi ſint abrogatæ. Hoc autem quid aliud eſt, quam cœnoſis hominum inquinamentis cæleſte Filii Dei lavacrum inficere? Simplex aquæ ſymbolum nobis mandavit Chriſtus. Eo, ut par erat, contenti fuerunt Apoſtoli. Non eadem apud ſucceſſores valuit ſobrietas. Arriſit enim oleum & cereus, & ſimiles nugæ. Demum obrepſit, quæ ſolet, perverſa ſuperſtitio, ut chriſma ab hominibus additum pluris quam aqua ore Chriſti conſecrata, fieret. Aquam vero ipſam novo & ſumptuoſo ritu, quaſi alias profana eſſet, oportuit conſecrari. Denique ipſa baptizandi actio ex tam variis & multis partibus conſarcinata eſt, ut aquæ ſymbolum, quod ſolum debuerat illic eminere, ſub magno cumulo lateat. Cauſantur ſuperſtitionum magiſtri, hæc additamenta ornandu Baptiſmo ſervire. verum res ipſa clamat, obſcurari potius puram ejus adminiſtrationem. Aliqua igitur ſaltem correctione opus erat. Eam Mediatores adeo non admittunt, ut diſerte caveant, ne quid moveatur. Detur hoc vetuſtati: ut quæ non ſupervacua modo, ſed etiam inutilia ſunt, tolerentur. Quid autem, ſi qua abſurda & ridicula, parumque congruentia cum myſterii dignitate reperiantur? Atqui, ejuſmodi eſſe ſputum fateri cogentur,
Joan. 9. verſ. 6. quo ſumma parvulorum labra irrigant. Sputo Chriſtus attigit os muti, cui ſermonem reſtituere volebat. Quam præpoſtera eſt æmulatio, quum idem in parvulis tentant! An ſic decebat commemorari Chriſti miracula? Ludibrium hoc, quod unde vel quando emerſerit neſcitur, nullum certe gravem auctorem habet, pertinaciter quum defendunt, nonne aperte huc ſe tendere oſtendunt, ne qua lucis ſcintilla nobis maneat?

In tractanda Cœna transſubſtantiationis commentum revocant: cui reclamare coguntur, quicunque verum Cœnæ uſum ſibi perire nolunt. Hoc habent proprium Sacramenta, ut pro humani ingenii modulo, quod ſpirituale eſt, in viſibili ſigno conſpiciendum præbeant. Hæc porro Cœnæ ſpiritualis eſt veritas, carnem Chriſti eſſe cibum, & ſanguinem ejus potum, quibus animæ noſtræ paſcuntur. Huic, niſi ſignum reſpondeat, ſublata eſt Sacramenti ratio. Panem ergo nobis porrigi & vinum neceſſe eſt, ex quibus diſcamus quod hic nobis Chriſtus figurat. Jam ſi inane eſt panis ſimulachrum, quod cernimus, quid nobis teſtabitur, niſi inanem carnis Chriſti umbram? Speciem panis eſſe fingunt, quæ oculos ludat. Quo nos tandem hæc imago perducet? Proinde, ut verum animæ paſtum hic fideles agnoſcant, ſignum illis ſiſti oportet, quod corpori paſcendo conveniat. Denique, hoc in Sacramentis agitur, ut ſigni reique ſignatæ analogia & affinitas, quidam ſit veluti tranſitus à ſenſu corporis ad animæ intelligentiam. Quid nunc boni Moderatores? Quod te panem guſtare putas & vinum, falleris: deſiit enim panis eſſe qui erat, nec quicquam reſtat, niſi ſpectrum. Cujus ergo rei mihi ſymbolum erit? Quo res melius pateat, ſimilitudinem mutuemur ex Baptiſmo. Si quis aquam eſſe neget, qua illic abluimur, annon protinus evaneſcet tota Baptiſmi veritas? Quis enim ſibi perſuadeat, lavacrum ſe habere regenerationis, ſi in ſigno nihil tale inveniat? Ergo ut fructuoſum ſit nobis Sacramentum, hoc nobis nunquam patiamur excuti, quod etiam compluribus & firmis Scripturæ teſtimoniis comprobatur: Panem qui frangitur inter nos, eſſe corporis Chriſti κοινωνίαν: ſimiliter & vinum, ſanguinis.

Accedit ad perſpicuam Scripturæ doctrinam veteris Eccleſiæ conſenſus. Nihil certius eſt, quam hoc delirium, quum plus ſexcentis annis nemini veniſſet in mentem, à rixoſis ſophiſtis ſubito, quaſi abortivum aliquem fœtum, prodiiſſe: & tamen ſic obtinuerat illa, quam dixi de ſigni cum re ſignata analogia, perſuaſio, ut initio exploſum fuerit. Fluxerunt deinde complures anni, quibus crevit barbaries, & una cum bonarum omnium artium ſtudio purior religio obſolevit. Hoc vero fuit opportunum Satanæ tempus, quo rejectitium hoc dogma de integro inveheret. Et tamen extiterunt ſeculis fere omnibus ſani homines, qui ſaltem diſplicere ſibi non diſſimularent, idque non libera modo voce, ſed ſcriptis quoque facerent teſtatum. Sed demus ſane errorem eſſe longa vetuſtate confirmatum, nos tamen religione conſtrictos tenent verba Chriſti, ne ullis hominum placitis, quæ nos inde abducant, ſubſcribere audeamus. Jubet Chriſtus panem accipere & edere. Hæc omnium maxime ſeria actio eſt. Promiſſio additur, quæ aliter ſtare nequeat, niſi panem vere edamus. Retinenda eſt enim ſemper illa quam notavi, ſimilitudo: Sicuti pane & vino alitur corpus, ita cibum animæ eſſe Chriſti carnem, & ſanguinem ejus, potum. Nos itaque Chriſti mandato obtemperantes, promiſſionem quoque ſimul amplectimur, non dubitantes, quin arcana Spiritus ſui virtute intus efficiat in nobis, quod panis oculis ſignificat. Boni iſti viri, qui Pacificatorum perſonas induunt, fictitiam μετουσίωσιν, cujus nuſquam in Scripturis fit mentio, tanto ſupercilio aſſerunt, acſi centum oracula ad eam comprobandam cælitus allata eſſent.

Negamus fas nobis eſſe, diſcedere à certis Chriſti verbis. Quid eſt cauſæ, cur in hanc, quam Chriſto deferimus, reverentiam, adeo atrociter ſæviant, ut hoc ſolo crimine nos habeant pro hæreticis? Nam ſimplici & uſitata damnatione non contenti, calumniantur vocari à nobis in dubium Chriſti omnipotentiam, ipſumque inſimulari vanitatis: quaſi vero hic de Chriſti potentia diſputetur, ac non potius ex ejus verbo quærenda ſit myſterii veritas. Rerum omnium converſionem fieri poſſe à Chriſto, nos quoque fatemur. Verum, ſi quis inde cælum colligat converſum eſſe in terram, ridiculus erit virtutis divinæ æſtimator, qui naturæ ordinem ab illo fixum & conſtitutum, monſtra ſibi fingendo, revellat. Ita in hac quæſtione, quærendo quidnam poſſit Chriſtus, fruſtra ſe fatigant, quum hæc una cognitio ſenſus omnes noſtros in ſe continere debeat, quidnam velit. Voluntas autem ejus non alibi quam in verbo quærenda. Nunc ſyllabam unam proferant, quæ teſtis ſit hujus, quam jactant converſionis. Atqui,

nulla

Digitized by Google

nulla uſquam reperietur. Nimis ergo futilis eſt calumnia, quod nos cum Chriſti potentia in certamen, quod nullum eſt, committunt. Vanitatis porro Chriſtum à nobis argui quam improbe mentiuntur? Pronunciat Chriſtus ſe corpus & ſanguinem ſuum dare, panem ac vinum porrigendo: hoc totum recipimus, nec vero dubitamus, quin ſua conſtet promiſſioni fides, quæ certe conſtare nequit, quin res exhibeatur ipſa. Sed hoc eſt ſcilicet, nihil præ ſuis portentis æſtimant quicquid & ore Chriſti proditum eſt, & ſolidam myſterii vim explicat, & totum, in quo acquieſcit fides, ſpiritualis gratiæ effectum continet. Hic ut plurimas abſurditates non enumerem, vel magis errorum prodigia, quæ iſta transſubſtantiatio peperit: quis omnino pius, & rite eruditus in Chriſti ſchola, non eam vel hoc nomine deteſtetur? Quod quum proprium hoc habeat Cœna Chriſti, ut in cælum nos attollat: ſimulac animis noſtris inſederit hæc perſuaſio, converſum eſſe in corpus Chriſti panem, deorſum mentes in terram flectit, quæ in cælum aſſurgere debuerant. Ad ſe nos Chriſtus invitat. Quia tam alte conſcendere non poſſumus, manum ipſe præbet, & quæ idonea nobis adminicula eſſe novit, iis nos juvat, atque attollit in cælum uſque: ut ſcitiſſime loquuntur, qui Sacramenta ſcalis comparant. Jam fingamus, quod iſti volunt: non eſſe panem qui ſpectatur in ſacra menſa, ſed incluſum eſſe Chriſtum: quis non in terra, ubi ſe Chriſto potiri putat, defixus hæreat, non mente minus quam corpore? Ita fiet, ut ſignum, quod ſingulos corporis ſenſus exercere, ad mentem ſupra cælos erigendam, debuerat, hanc corporis ſenſibus alligatam retineat ſub mundi elementis. Neque aliud hic dico, quam quod mundo accidiſſe notum eſt. Quotus enim quiſque reperietur in Papatu, qui non ad externi ſigni intuitum ſic obſtupeſcat, ut Chriſtum in cæleſti gloria quærendum eſſe obliviſcatur?

Huic tam craſſo ſtupori annexa eſt deterior etiamnum ſuperſtitio. Ubi enim adoratur Chriſtus, niſi in pane? Atqui, ſi apud nos valeret Scripturæ auctoritas, ita magnifice cogitandum erat de cæleſti ipſius gloria, ut nihil carnale aut terrenum de ipſo ſentire nobis permitteremus. Si leve ducimus vitium, præpoſteram Chriſti adorationem, coram Deo certe & Angelis execrabile ſacrilegium cenſeri non deſinet. Habenda eſt tamen Moderatoribus gratia, quod tacitum minime reliquerunt quid ſentirent. Poterant enim tacendo fallere. Sed quum merito Chriſtum in Sacramento adorari aſſerunt, his verbis admonemur, quid nobis ſit præſtandum, ſi ſubſcribimus eorum decretis. Fateor certe, Chriſtum, ubicunque ſimus, eſſe adorandum. In Cœna vero, quum ſe nobis fruendum offerat, rite aliter recipi nequit, quam ſi adoretur. Sed hoc quæritur: Surſumne, an deorſum reſpiciat noſtra adoratio. Porro, quum nihil illic niſi cælitus geratur, etiamſi in terra fiat: ſi velimus cum fructu ad participationem nos comparare, altius terris & mundo exerendæ ſunt mentes. Deinde, quum in cæleſti gloria reſideat Chriſtus, quiſquis alio ſe convertit ejus adorandi cauſa, ab ipſo diſcedit. Et quid illa valebit antiqua præfatio, ut ſurſum corda tollantur, quam hodieque in ſuis Miſſis cantillant Papiſtæ, ſi cultus noſter in terra hæret? Sed ita neceſſe eſt omnibus accidere, qui ſemel labyrinthum ſunt ingreſſi, ut in novos magiſque perplexos ſubinde flexus ſe projiciant. Proinde, Chriſtum adoraturi, ut oportet, terrenam omnem de ipſo cogitationem exuamus. Ita fiet, ut Cœnam celebrantes, adoremus quidem ipſum quaſi præſentem: ſed animis in cælum ſublatis, quo nos fides vocat, non in panem defixis: quod eſt non minus à recta fidei regula, quam à glorioſa Chriſti majeſtate alienum.

Jam quod peracta Cœna, manere nihilominus aiunt Chriſti corpus, quamdiu panis conſecratus ſervatur: id addi oportuit, ut ſibi in errore conſtarent. Quo enim transvolaret Chriſti corpus, ſi in locum panis ſemel ſubiiſſet? Verum, qualem iis religionem dicemus eſſe, qui tam putidis ineptiis aſſentiuntur: niſi quod potius ſimulant? Quis enim, niſi plane à diabolo faſcinatus, plus appetet in Sacramento, quam quod continent promiſſiones? Nunc expendamus Chriſti verba. Certe non panem alloquitur, ut fieri corpus ſuum jubeat. Panis ergo non ſibi, neque in ſe corpus eſt: ſed nobis, quatenus nobis in ſpirituale ſymbolum offertur. Deinde quum inter ſe cohæreant mandatum & promiſſio: noſtrum non eſt divellere, quæ Filius Dei conjunxit. Quid autem ille? Priuſquam nobis corpus & ſanguinem ſuum promittat, jubet accipere, edere & bibere. Tollatur nunc communicatio quam præcipit, quem amplius locum habebit quæ annexa eſt promiſſio? Corpus, inquam, ſuum nobis Chriſtus porrigit, ſed edendum: ſanguinem ſuum propinat, ſed bibendum. Tota ergo vis conſecrationis ad nos dirigitur, non ad panem aut vinum: & quidem ad nos, mandato Chriſti obtemperantes. Hæc relatio melius ex ſimili patefiet. Paulus, Man cibum fuiſſe ſpiritualem teſtatur, & aquam ex petra profluentem ſimiliter eundem cum noſtro ſpiritualem potum. *1 Cor. 10. verſ. 3. 4.* Clara verba ſunt, ſub diverſis licet ſignis ejuſdem patres illos Chriſti fuiſſe nobiſcum participes. Quis autem fando audivit, lagenam Mannæ, quæ ſervata fuit, à piis fuiſſe adoratam? Imo quum furioſo prope impetu ad omne genus idololatriæ projecti eſſent Judæi, nemini hoc venit unquam in mentem. Quid ſi aliquid inter edendum caſu decidiſſet, an pedibus calcatum fuiſſet Chriſti corpus? Quid? quum putreſcebat quod ultra juſtam menſuram collectum fuerat, an vitium accidebat Chriſti corpori? Si quis aqua illa ſordes laviſſet, an infectus fuiſſet Chriſti ſanguis? Quod terræ venis hauriebatur, quod potabant jumenta (nam aliunde nulla erat aquatio) quid erat præter aquam? Videmus ergo, ſignis nihil ſubeſſe, niſi eorum reſpectu, ad quos ſignificatio pertinet. Atque hoc ſimili refutatur etiam quod de adoratione garriunt. Nam quum petram fuiſſe Chriſtum teſtetur Paulus: non tamen adeo ſtupidi erant Iſraëlitæ, ut ſe coram ipſa proſternerent. Verum ad cauſam, quæ nunc in manibus eſt, redeo. Volunt Mediatores conſecratione facta, remanere ſemper extra Cœnæ uſum, Chriſti corpus. Certe ſi quid valere debent conjecturæ, quum primam Cœnam celebravit Chriſtus cum Apoſtolis, probabile eſt aliqua panis fragmenta ſuperfuiſſe: nec legimus eum, qui poſtremus calicem accepit, totum ebibiſſe. Juſſi enim ſunt ex calice bibere omnes, non exhaurire. Ita factum eſſet, ut ſanguis Chriſti temere à quolibet obvio ſorberetur. Quid? quum panis unus frangeretur in prima Eccleſia: an dicent reliquias in arculam fuiſſe conditas? Nondum ſcilicet innotuerat hæc nova ſapientia, quæ magica incantatione panem mutari fingit. Nos ergo Chriſti ipſius verbis inhærentes, nihilo magis corpus ejus agnoſcamus per panem nobis exhiberi, quam Dei gratiam extra ejus promiſſiones. Neque enim corpus ſe dare pronunciat, quod in ciborio incluſum, ſervetur, ſed quod diſtribuatur inter fideles.

Calicis uſus, quoniam ab eo, niſi ægre, prohiberi nequeant, qui hactenus aſſueverunt, quaſi per veniam ab illis conceditur: eaque lege, ut conſuetudinem ſub una parte communicandi longo tempore uſitatam, non reprehendant: deinde tamdiu fruantur hoc privilegio, donec Concilii decreto quid ſibi agendum ſit, intelligant. Quid autem ſtabile erit in religione, ſi ita hominum arbitrio abroganda ſubjicimus, quæ Filius Dei ſtatuit? Clarum eſt mandatum: Bibite ex hoc omnes. Puerili cavillo effugiunt, ſolis Apoſtolis ita loquutum eſſe Chriſtum,

Digitized by Google

quos jam fecerat ſacerdotes. Quaſi non communem omnibus regulam præſcribat. Quid enim? An peculiare ſacerdotibus Sacramentum inſtituit, ac non
1 Cor. 11. toti potius Eccleſiæ? Ac Paulus quidem, ſi quid du-
v. 23. 25. bitationis alioqui eſſet, id tollit, dum ſe Corinthiis, tam viris quam mulieribur, teſtatur quod à Domino acceperat, tradidiſſe: nempe, ut indifferenter omnes bibant. Quærendusne erit melior interprer? Atque hunc communicandi morem, ut erat à Domino traditus, pluſquam ſeptingentis annis in Eccleſia uſitatum fuiſſe notum eſt. Quin etiam extat edictum Gelaſii, quo excommunicantur, qui à calice abſtinentes, partem alteram ſumunt. Arceantur, inquit, ab integris, aut integra percipiant: quia ejuſdem myſterii diviſio, ſine magno ſacrilegio ad eos pervenire non poteſt. Eo deinde ſacrilegii, quod tantopere Gelaſius deteſtatur, prorumpere homines auſi ſunt, non ſuperſtitioſa modo abſtinentia, ſed tyrannica prohibitione. Hanc diabolicam audaciam quir pius non vehementer horreat? Qui in ejus defenſionem obtendi ſolent colores, nihil quam malum duplicant. Quum aliqua ſanguinis interdum gutta effunderetur, huic periculo fuiſſe obviandum cauſantur. Ita ſi illis creditur, quod ab æterna Dei ſapientia non fuerat proviſum, ſoli animadverterunt: quod temere ab illa vitium admiſſum erat, ab ipſis corrigi oportuit. Verum huic periculo jam ante occurrimus, falſam magici exorciſmi opinionem diluendo. Et tamen etiamſi inſtarent mille pericula, fas tamen eſſe nego, aliquid in perpetuo & inviolabili Chriſti edicto mutari. Allegant, totum ſub pane Chriſtum percipi: quia non dividatur. Hujus quoque cavilli facilis eſt refutatio. Sic enim in ſe integer eſt Chriſtus, ut pro fidei tamen noſtræ modulo, ſe nobis communicet. Non fruſtra certe ſub pane corpus ſuum, ſub vino ſanguinem ſuum nobis offert: ſe enim hoc modo vitam in ſolidum noſtram eſſe teſtatur, quæ cibo & potu conſtat. Non ut partem vitæ modo, ſed totam in ſe vitam noſtram quæramus, jubet Chriſtus. Ad eam rem quia nos adjumento aliquo indigere novit, cibi ac potus ſymbola nobis proponit: ac panem quidem porrigendo, carnem ſuam pro cibo nobis fore pronunciat: calicem addit, ut in ſuo ſanguine potum nos ſpiritualem habere ſignificet. Nunc quum ſe interponunt homines, & alteram partem nobis abunde ſufficere jactant, quia dividi Chriſtus nequeat: an in tam aperta myſterii everſione ſunt audiendi? Et ſanc ita agendo, Chriſtum quoad in ſe eſt, diſcerpunt, dum ſacras corporis & ſanguinis ipſius teſſeras, quas individuo nexu conjunxerat, ſeparare non verentur. Totum, inquiunt, Chriſtum, qui ſub panis ſpecie habet, eo contentus eſſe debet. Atqui, quum ſub ſymbolis duobus, corpus nobis & ſanguinem ſuum ſeparatim communicet: tunc demum contenti erimus ſi totum habeamus quod ipſe dedit. Nam ad dimidium reſtringere qui hominibus permittit, primum tantundem Chriſto derogat: deinde myſterium lacerando, vi ejus ſe privat ac fructu. Ac fortiter repudiandæ ſunt iſtæ quorundam aſtutorum hominum voces: quia res ſit externa, non eſſe magnopere digladiandum. Nam quum pro adoratione idoli ſui tot trucident innoxios homines, unde iſta repente oritur tantæ facilitatis mentio? Nos vero in vindicanda ſanguinis, quo redempti ſumus, teſſera, ſanguini noſtro, ſi opus fuerit, non parcamus.

Ut Confirmationem pro Sacramento venditent, nihil differre ſimulant à manuum impoſitione, qua uſos fuiſſe Apoſtolos refert Lucas. Quod ſi verum eſt: qui ſibi licuiſſe oſtendent, promiſcue nulloque delectu vulgare, quod certis duntaxat hominibus deſtinatum erat? Neque enim Apoſtolos legimus manus omnibus impoſuiſſe, ſed hoc ſymbolum adhibuiſſe, tantum diſtribuendis Spiritus ſancti donis: quæ omnium fuiſſe communia, ne iſti quidem dicunt. Jam hoc ergo erit diſſimile, quod Sacramentum, quo non niſi certos homines dignati ſunt Apoſtoli, peræque omnibus, novi Mediatores exponunt. Jam quum fateantur chriſma ſuperadditum, quum ſola manuum impoſitio in uſu fuiſſet Apoſtolis: cui ſe perſuaſuros exiſtimant, tantum fuiſſe hominibus conceſſum, ut quam ipſis libuerit gratiam Spiritus ſignare, exhibeant? Poſtquam ſeptem numerarunt Sacramenta, unumquodque ipſorum tradunt in nobis efficere quod figurat. Ergo ſi hominibus licuit, Sacramentum ſine verbo Dei prodere, ſubjectum fuit eorum arbitrio, quod ſibi uni Deus vindicat. Repugnat præterea ipſa quoque Sacramenti definitio. Neque enim mihi negabunt, Sacramentis hunc propoſitum eſſe finem, ut quaſi ſigillum nobis ſint, ad ſanciendas in animir noſtrir Dei promiſſiones. Quorſum ergo Sacramenti uſus, ſi nulla eſt promiſſio quam obſignet? Nulla autem reperietur, quam ſuæ Confirmationi aptare queant. In Sacramentis quæritur divini erga nos favoris teſtimonium, cujus rei Deus ipſe ſolus idoneus eſt teſtis. Quid tale adfert Confirmatio? Denique, quemadmodum probam monetam ab adulterina, forma publica diſcernit: ita ubicunque non cernam inſculptum Dei verbum, illic Sacramentum falſo jactari, ſecure excipiam. Audio quid ex adverſo proferant Moderatores: quaſcunque enim habemus de Spiritus gratia promiſſiones, huc accommodant. Sed hanc licentiam nimis proterve ſibi uſurpant: ut quod Deus ſimpliciter promittit, reſtringant ad ſuas qualeſcunque ceremonias. Simplex eſt, nulloque ſigno implicitum, quod audio ex ore Chriſti, Spiritum fidelibus perpetuo adfuturum. Iſti in oleo, quaſi in theca Spiritum ſe incluſum habere fingunt, & ſua unctione depromi. Et interea quas ita depravant promiſſiones, fundamenti loco ſumunt, ne videantur ſine ratione loqui.

At, quum ita credat Eccleſia: nos aiunt illam negare columnam eſſe veritatis, ſi aliter ſentimus. Atrox crimen, ſiquidem verum eſſet. Sed quum nomen Eccleſiæ non minus improbe, quam audacter mentiantur, quid aliud quam velut oppreſſæ veritati inſultant? Ac quo melius barbaram ſuam ferociam prodant, commentum illud de ſeptiformi gratia toties exploſum, fidem Eccleſiæ appellant, de qua fas
non ſit dubitare. Jeſaias ſex enumerat Spiritus dona, *Jeſa. 11.*
quibus præditum fore Chriſtum docet. Septimum *verſ. 2.*
neſcio quomodo in vulgari translatione additum fuit. Quaſi ſublime aliquod ſubeſſet myſterium, ſeptiformis gratia inde excuſa fuit. Sed primo ex errore natus eſt ſeptenarius numerus. Deinde, ut hoc taceam, cujus erit æquitatis, ad ſeptem effectus, quaſi in anguſtum cogere Spiritum Dei: quum alibi veritatis & ſanctificationis, gratiæ, precum, adoptionis Spiritus perinde nominetur, ut hic ſex epitheris ornatus eſt à Prophera? Si tanta eſt ſeculi noſtri vel ingratitudo, vel cæcitas, ut iniquis præjudiciis cauſæ noſtræ bonitas obruatur: at certe major in poſteris erit æquitas: ut agnoſcant quam importune in oves Chriſti innoxias graſſati ſint iſti lupi, qui ſibi paſtorum nomen arrogant. Nihil eſt tam abſurdum, nihil tam deforme, quod non hac una fidelia dealbent: Eccleſiam, quæ optima eſt divinæ voluntatis interpres ita ſentire. Ita quum ſolir Epiſcopis confirmandi jus aſſignant, id comprobatum eſſe addunt totius Eccleſiæ conſenſu: nempe, ſi ejuſmodi conſenſus æſtimandus eſt eorum libidine. Sed hoc etiamnum indignius, quod jactare non verentur Apoſtolorum
praxin. Tres duntaxat quum ſint loci apud Lucam, *Actor. 8.*
ubi narrat hac ceremonia diſtributum eſſe Spiritum: *verſ. 17.*
non minus ipſi Paulo manus ab Anania fuiſſe impo- *& 9: 17.*
ſitas teſtatur, quæ aliis à Petro, Joanne & Paulo. *& 19: 6.*
Quem Ananiæ Epiſcopatum dabunt, ne alienum arripuiſſe munus dicatur? Et tamen hæreticos eſſe nos clamant, niſi tam convictis mendaciis aſſentiamur.

Quin

Quin etiam dum gregarios ſacerdotes in neceſſitate ſubſtituunt Epiſcopis (qua de re extat in eorum canonibus Gregorii epiſtola) illam, cujus obtentu nobis illudunt, Apoſtolorum praxin oſtendunt ſibi nequaquam eſſe pro lege.

Diſtin. 95. cap. Peruenit.

At manuum tamen impoſitio ſervanda eſt. Nam ſi credibile noo eſt, ea niſi Cbriſti mandato, uſos fuiſſe Apoſtolos, nobis inſtar legis eſt eorum obſervatio. Huic alterum quoque annexum eſt, inane ſymbolum non fuiſſe. Pro Sacramento igitur babendum eſſe conficitur. Ego vero utrumque iſtorum fateor. Sed quod minime prætereundum erat, non conſiderantes Mediatores noſtri, cujus rei ſcilicet fuerit Sacramentum, ex temporali imperite perpetuum faciunt. Gratias Spiritus, quæ tunc conferebantur per manuum impoſitionem, aliquanto poſt conferri deſiiſſe, notum eſt. Sive hoc mundi ingratitudine factum fuerit, ſive quia ſatis jam centum fere annorum miraculis illuſtrata erat Euangelii doctrina: nihil ad præſentem cauſam refert. Ablatum certe nobis fuiſſe quod illo ritu indicabant Apoſtoli, omnes vident. Quorſum ergo, ubi finem veritas accepit, ſignum prorogabitur? Si quis hodie morem incubandi mortuis conetur inducere, quia & Helias & Paulus ſuſcitandis mortuis hoc ſymbolum non temere adhibuerint, quis non ſtatim repudiet tam præpoſteram imitationem? Sacramentum itaque Apoſtolis fuiſſe, non negamus: ſed quod re ſublata abrogatum ſit. Quare, ſi ejus retineri uſum volunt Mediatores, rem ſignatam prius nobis reſtituant. Etſi autem fateor, quum ceſſaſſent miracula, retentam nihilominus in veteri Eccleſia conſuetudinem manus imponendi, non eſt tamen cur hoc præjudicio gravemur, niſi proferatur certa Dei auctoritas. Deinde, cauſam longe à veterum cauſa ſeparatam agunt Mediatores. Nam quum fateatur Auguſtinus, nihil niſi ſolenne precationis eſſe ſymbolum: fruſtra eorum umbra tegere ſe conantur, à quibus tam procul abſunt. Nos quoque ejuſmodi ritum ubique reſtitutum merito optaremus, quo offerantur Deo pueri, poſt editam fidei ſuæ confeſſionem. Atque hæc eſſet non indecora catecbiſmi approbatio. Sed quamlibet tum pia, tum utilia ſint hominum inſtituta, longe tamen infra Sacramentorum gloriam ſubſidant neceſſe eſt, quæ divinitus ſunt nobis tradita, & fœdus æternæ ſalutis habent in ſe comprehenſum.

Jam vero recipi unctio non poteſt, ſine illis appendicibus, quas merito exhorrere pii omnes debent. Quid enim minus ferendum, quam præferri Confirmationem Baptiſmo, vocarique dignius Sacramentum & majori colendum veneratione? Has quidem tam tetras blaſphemias callide diſſimulant Mediatores: ſed quum oleum neceſſario comitentur; quid captant tali ſilentio, niſi ut nos ſine ſenſu jugulent? Unctio ſecundum eos, ab Eccleſia prodiit. At eadem eſt Eccleſia, ſi ipſis creditur, quæ meretricios illos fucos induxit, ejus ornandæ cauſa. Si aſſentiamur, annon merito exprobrabit nobis Chriſtus, irrita nos facere Dei mandata propter hominum traditiones? Quale vero Dei mandatum ſpernetur? Baptiſmus, lavacrum regenerationis, quo Chriſtum induimus: Baptiſmus, teſtimonium adoptionis noſtræ, ingreſſus in regnum Dei, ablutio in Chriſti ſanguine, novæ & æternæ vitæ exordium, oleo in hominum torculari expreſſo cedet. Et nos Chriſtiani judicabimur, ſi non ſilentio tantum noſtro, ſed aperta ſuffragatione, locum dabimus tam iniquæ comparationi? Decrevit etiam Concilium Aurelianenſe confirmandos eſſe omnes qui baptizati fuerint, ut pleni Chriſtiani inveniantur: quoniam Chriſtianos eſſe negat, niſi qui oleo Epiſcopali inuncti fuerint. Hoc eſſe Eccleſiæ decretum, pro confeſſo ſumunt Mediatores. Quid ergo & Apoſtolis & Martyribus univerſis fiet, qui nunquam oleati fuerunt? Imo quid nobis fiet, ſi alium quam ipſi habuerint, Chriſtianiſmum appetimus? Neque enim tam in illos contumelioſum eſt, quam nobis exitiale hoc dogma, quod nos ab eorum ſocietate avellit. Aliam quoque diabolicam ſententiam, quam evomit Concilium, nominatim confirmant Mediatores: tametſi paulo verecundius loquuntur. Sed quid refert, quum in eundem utrique finem ſpectent? Hæc ſumma eſt: nos in Baptiſmo regenerari ad vitam: Confirmatione ad pugnam inſtrui. Hoc autem quid aliud eſt, quam ſpoliare Baptiſmum dimidia virtutis ſuæ parte? Nam ſi illic induimus Chriſtum, ſi in ſimilitudinem mortis ejus inſerimur, ut carni mundoque mortui, reſurgamus in vitæ novitatem, quæ perpetuo duret: quis non videt Mediatores ad commentitiam ſuam unctionem transferre, quod ſub Baptiſmo continebatur? Noſtrum ergo eſt, vitam potius noſtram centies opponere, quam ut Baptiſmum noſtrum ita lacerari, taciti ac diſſimulantes ſinamus.

Sacramentum Pœnitentiæ jam aliqua ex parte excuſſimus, de confeſſione diſſerendo. Tantum in præſentia hoc attingam, atrocem fieri injuriam Deo, quum Sacramenti nomen abſolutioni, qualem neceſſariam eſſe fingunt, imponitur. Omitto quod ita pernicioſus laqueus injicitur conſcientiis, quum ad obtinendam peccatorum remiſſionem confitendi præſcribitur neceſſitas. Hoc jam alibi dictum eſt. Sed quod hominis cum Deo reconciliationem obſignari abſolutionis ceremonia volunt, hoc nimis arroganter ab hominibus fieri dico. Unde enim tanta licentia, ut ſignum fabricent ſuo arbitratu, quod mox pignus ſanciendæ ſalutis eſſe jubeant? Deus peccatorum remiſſionem nobis promittit: de ceremonia nullum verbum. Iſti ad ſacerdotem nos ablegant, qui manus agitatione, nobis teſtetur peccata eſſe remiſſa. Quaſi penes eos ſit, mortis Chriſti virtutem ſuis placitis affigere. Ergo quanti æſtimamus peccatorum remiſſionem, tam ſerio contendere nos decet, ne à ritu humanitus invento ſuſpendatur ejus fides.

Unctionem, quam ſanandis ægrotis adhibuerunt Apoſtoli, ſicut fatemur fuiſſe Sacramentum, ita negamus ad nos pertinere: quia pro ratione gratiæ cui ſerviebat, temporale fuit. Donum ſanationis non fuiſſe perpetuum, omnes norunt. Eſt enim ex eorum genere, quibus novam Euangelii prædicationem illuſtrari Deus voluit, donec fidem in mundo acquireret. Itaque paulo poſt fuiſſe ablatum, ex veteribus hiſtoriis colligere licet. Teſtimoniis uti ſupervacuum foret in re notiſſima, adeoque confeſſa. Quid ergo ſibi volunt Mediatores? Donum quod olei ſymbolo notabant Apoſtoli, ſi ultra eorum ætatem duraſſe obtendant, turpiſſimæ impudentiæ convincentur. Vulgare autem proverbium eſt: Acceſſorium ſequi naturam principalis. Conſtituo igitur, ex quo res ablata eſt, non fruſtra modo retineri ſignum, ſed nimis petulanter ludi in re ſeria: ut veri ſint Apoſtolorum imitatores, dono ſanationis præditos eſſe oportet. Nunc quum illo carentes, ſignum nihilominus uſurpent, nihil ſunt quam ſimiæ. At Jacobus frater Domini non teſtimonio ſolum hanc unctionem, ſed promulgatione quoque ſua celebrat. Nam hic rhetorica vehementia perquam tumultuoſe inſurgunt. Ego vero Jacobi verbis ſuffragium meum libenter addo. Sed hoc illi conſilium nego fuiſſe, ut quod efficax eſſe noverat repræſentandæ Dei gratiæ ſymbolum, ad frigidam æmulationem proſtitueret. Certum eſt autem, unctores hujus temporis nihilo magis ejus gratiæ, de qua loquitur Jacobus, eſſe miniſtros, quam Rex olim fuerit hiſtrio, qui perſonam Agamemnonis agebat in ſcena. Contemni gratiam, cauſantur, quam hic Chriſtus porrigit. Sed quænam eſt illa? Quos ungebant Apoſtoli, teſte Marco, ſimul ſanabant. Nunc vero nulli niſi morituri unguntur: ut parum abſit, quin profanata unctio cenſeatur, ſi quis ex morbo convaleſcat. Atque hanc

Jacob. 5. verſ. 14.

Marc. 6. verſ. 13.

banc cautionem repetunt Moderatores, ne oleum' afferatur, niſi qunm inſtat mortis periculnm. Verum, mihi reſpondeant: qunm hoc ægrotantibus levamen indifferenter Jacobus aſſignet: qua fiducia ipſum reſtringunt ad periculoſos lethaleſque morbos? Si tanti illis eſt Jacobi auctoritas, cur non dubitant ab ea diſcedere? Ut tamen illis impunita ſit hæc licentia, qua fronte Jacobum objiciunt, cujus maxime verbis labefactatur quod ſtabilire volunt? Levatum enim iri ægrotum teſtatur ille. Nunc quotuſquiſque oleo ſanitatem recuperat? Vix centeſimus quiſque ab unctione vivit. Imo ne hoc quidem agunt, ut medeantur ægritudini, ſed tantum ut pinguiores ad ſepulchrum mittant. Et nos adhuc crudelitatis accuſant, quia ſolatium tam eximium laborantibus negemus? Quaſi vero unus ſit aliquando viſus, qui opis quicquam inde ſenſiſſet. Omitto quot præterea ineptiis referta ſit hiſtrionica hæc unctio: imo quot impiis ſuperſtitionibus turgeat: quia ſatis eſt in præſentia, eorum vanitatem monſtraſſe.

Manuum impoſitio, qua in ſuum munus conſecrantur miniſtri, quin Sacramentum vocetur, non pugno. Sed banc appellationem trahi ad ſeptem, quos vocant, ordines, ut bactenus receptum fuit in Papatu, & Mediatoribus placet, nequaquam rationi conſentaneum eſſe dico. Quin etiam quod de ſacerdotio affirmant, nugatorium eſt: ejus ſcilicet honorem ac poteſtatem conferri omnibus, quos ordinant Epiſcopi. Principio ſatis notum eſt quorſum ordinentur in Papatu, nempe ſacrificandi cauſa. Hoc enim habet ſolenne inaugurationis carmen: poteſtatem illis dari, placabiles offerendi Deo boſtias. Atqui, nihil ſibi tale à Chriſto fuiſſe mandatum, oſtendent. Quanquam enim bujus rei tractatio in primum locum melius differetur: uno tamen verbo ſacerdotium, quod fingunt, evertere promptum eſt. Nam quos nullo Dei juſſu præficiunt Epiſcopi ad offerenda ſacrificia, iis Spiritum ſanctum quo jure efficient? Nego totum ſacerdotium Papale divinæ vocationi inniti. Ceremoniam ergo, qua ordinantur, quomodo Sacramenti nomine dignarer? Adhæc, dum iterum nobis perpetuam ſucceſſionem inſinuant fucoſi Mediatores: viciſſim obviandnm eſt rurſus eorum aſtutiæ: nam & legitimos cenſeri presbyteros volunt, quicunque à cornutis Epiſcopis ſunt creati: & omnes excludunt à miniſterio, niſi qui fuerint eorum manu ordinati. Quanquam in priore quidem longe majus prædicant: nam inde acſi novas facerent creaturas, fingunt indelebilem characterem ab Epiſcopi benedictione imprimi. Et quidem operæpretium eſt notare quis ſit ritus imprimendi hujus characteris. Quia flatu ſignificavit Chriſtus Spiritum, quo Apoſtolos donabat, quaſi Spiritum ſanctum efflarent ex gutture, Chriſti exemplum, more ſuo, hoc eſt, præpoſtere æmulantur. Mutuantur & ex lege Moſaica, aliud: nempe ut dignos inungant. Sed quis ipſos docuit in uſum revocare, quæ ſuo adventu Chriſtus abrogaverat? Hac in re, non modo præcepto deſtituuntur: ſed ne vetuſtatis quidem patrocinium, niſi falſo, obtendere queunt. Eſt enim utrumque novitium inventum, quod prioribus ſeculis ignotum fuit. Si jus ſacerdotii, quo gloriantur, in perpetua ab Apoſtolis ſucceſſione fundatum eſt: ipſa primum origo inveſtigetur. Præcipua inter eorum ceremonias ea eſt, quam dixi: cujus auctores eſſe Apoſtolos nego. Ab ipſo igitur initio ceſſat, vel, ut proprie loquar, longe ab initio quod jactant, diſtat eorum ſacerdotium. Verum ut ad fontem perveniant: quoties tamen multis in locis interrupta fuit ceſſio? Quam multis Eccleſiis hæreticos præfuiſſe, eorum hiſtoriæ narrant? Tota fere Germania bis, ante noſtram ætatem à ſede Romana diſceſſionem fecit: ſemel quum divortium facere cum uxoribus cogerentur presbyteri: iterum quum Gregorius ſeptimus, Henrico quarto Imperatori infeſtus, Germanos fulminando, vellet ab ipſo divellere. Omittam recentiora exempla quæ per ſe expendent ſani lectores. Quis enim rerum mediocriter peritus ignorat, ut tres Antipapæ ſuis factionibus Eccleſiam detraxerint? Ex duobus ſaltem neuter fuit qui non plures ordinaverit Epiſcopos: à quibus rurſum creati presbyteri. Ubi continua ſucceſſio? Verum bis omiſſis, Joannam Papiſſam tranſiliant oportet, ſi continuare ſuam ab Apoſtolis ſeriem volunt. Si excutiantur vetuſti annales, multas reperiemus primarias ſedes ab hæreticis fuiſſe occupatas. Tot interruptiones diſſimulando, nihil proficiunt. Ut ad propinquiora tempora redeam: donec Baſilienſe Concilium probaverint non legitimum fuiſſe, ſemper obtinebo, neminem eſſe in toto clero Papali non ſchiſmaticum. Omnes enim ab Eugenio ducunt originem: quem Synodus non modo abdicaverat Papatu, ſed cum ſua univerſa ſecta, hæreſeos damnaverat ac ſchiſmatis. Scio quid reſpondere ſoleant. Quod enim illis unicum reſtat aſylum: fortiter Synodi illius auctoritatem repudiant. Sed quum habuerit quaſcunque ipſi legitimæ Synodi præſcribunt notas, quanti valere debeat iſta rejectio, pii lectores æſtiment.

Atque ut nihil horum eſſet, nego ſub toto Papatu unum eſſe vere Epiſcopum: niſi forte titulo & inſignibus in tantæ rei probatione contenti ſimus. Non dico nunc, cujuſmodi ſint inſignia, quibus ſibi reverentiam conciliant: norunt tamen pii omnes, profanas eſſe larvas: quarum aſpectu obſtupeſcerent Apoſtoli, ſi viverent. Fingamus tamen, ſi veritas ſubeſſet, alioqui convenire, an tamen ex inani ſpectaculo Epiſcopos judicabimus? Nihil enim præterea Epiſcopale habent, niſi quod pauci ſuggeſtum interdum conſcendunt: ut, una atque altera habita concione, velut defuncti, toto anno aliud agant. Alios arcet inſcitia: bona pars neſcio quid ſua dignitate inferius eſſe putant, verba ad populum facere. Quanquam vix centeſimus quiſque reperietur, qui poſſit docendi munus obire, quin ſe ludibrio exponat. Fingamus tamen, ſilendo & nihil agendo ſucceſſores eſſe Apoſtolorum, quotuſquiſque eſt eorum, qui presbyteros ſua manu creare dignetur? Nonne putida mendicabula, ut plurimum, in has partes ſubrogant? Deus bone, quo recidimus? ſi tantum ludibrium in Eccleſia valere debeat, ut qui voto perpetuæ paupertatis obſtrictus, mendicando ac fallendo corraſerit aureos trecentos, bullamque hoc pretio mercatus fuerit, quæ eum Aſcalonitam Epiſcopum nominet, ſubito emergat Apoſtolorum ſucceſſor, qui paſſim creandis presbyteris locet operam, ne intercidat Eccleſiæ ſucceſſio? Si hanc tam fœdam ſacri ordinis confuſionem intueantur Apoſtoli, quid in ea ſuum agnoſcent?

Quid, ſi ad canonicas electiones eos revocem? Nec jam loquor de Chriſti regula, quæ tamen una ſufficere nobis deberet. Tantum quæro, ſitne juſtus is habendus veri Epiſcopi ſucceſſor, qui aut per vim obtruſus, aut per ſimoniam inductus fuerit, aut profano more emerſerit ad Epiſcopatum. Hoc poſito, de electione Papæ ſui mihi reſpondeant, num affine quicquam habeat, non dico veteri & nimis rigidæ formæ, ſed Nicolai præſcripto, quod Gratianus refert. En Nicolaus, qui jam immenſo intervallo à pura ratione deſciverat, eligendi modum tradit, qui utcunque tolerabilis eſſe queat. Si ſummo jure agatur, tunc quoque interrupta erat ſeries. Quid autem hodie fit? Nihil dicam, niſi quod omnes norunt: nihilo magis Cardinales in eligendo Papa reſpicere, quid illud Nicolai decretum præcipiat, quam diaboli in ſuis inferis tumultuantes, loquentem è cælo Deum audiunt. Quid de Epiſcopis univerſis ſentiendum? Verba ſunt Leonis Rom. Epiſcopi: Qui omnibus præeſſe debet, ab omnibus eliga-

Diſtin 23. cap. In nomine.

Diſtin 79. cap ſi quis Apoſtolica. Epiſt. 90.

eligatur. Nam, qui niſi probatus & cognitus aſſumitur, per vim intruditur. Ac quoties ejus rei facit *Epiſt. 87. & alibi.* mentionem, negat verum eſſe Epiſcopum, niſi qui à clero electus, & à plebe expetitus fuerit. Nec aliter pluribus locis Gregorius. Si hæc ſententia locum habet: prædones ſe fateantur eſſe oportet, quicunque hodie vocantur in Papatu Epiſcopi. Nemo enim quamvis impudens, ſe à populo expetitum fuiſſe dicet. Quod ad clerum ſpectat, jampridem invaluerat hæc antiqui moris corruptela, ut ſoli otioſi ventres, qui ſe canonicos appellant, ſuffragia venderent. Nunc Regum eſſe beneficia cœperunt Epiſcopatus. Huc accedit manifeſta ſimoniæ fœditas. Qua enim commendatione, ut plurimum, nunc ad honorem pervenitur? Ego ſane longa recitatione adeo non delector, ut tam flagitioſa Chriſtiani nominis probra vel attingere pigeat. Bene tamen habet, quod me tacente, res loquitur, nihil ab ordine Apoſtolorum magis diſcrepare, quam talem graſſandi licentiam, qua hodie Epiſcopatus occupantur. Quum Apoſtolus diſputat, qualiter ſecundum ordinem Melchiſedech conſtitutus ſit pontifex Filius Dei, diligenter ſimilitudinem perſequitur, ſine qua non conſtaret illa à Davide poſita comparatio. Niſi velint ſingulari quodam novoque privilegio ſe extollere ſupra Filium Dei, oſtendant quomodo ad rationem Apoſtolicam compoſiti ſint hodierni Epiſcopatus. Nempe inter hos & illam optime convenier ſi is qui plebem commiſſam tota vita nunquam vider, ſi puer decennis, ſi leno, ſi aleo, ſi venator, in omni nequitia exercitati, omnis & pietatis & liberalis doctrinæ expertes, Apoſtolorum perſonam ſuſtineant.

Aliud etiamnum exoritur majus certamen: nam ſi eos conſter infenſiſſimos eſſe hujus doctrinæ hoſtes, quam Apoſtoli non modo prodiderunt, ſed proprio etiam ſanguine obſignarunt: ſi omnia eorum conſilia, conatus omnes, totumque inſtitutum huc tendere palam fiat, ut quod ſummis laboribus conſtituerunt Apoſtoli, ex profeſſo evertant: quid amplius volumus? Detur modo nobis audientia, facile oſtendemus, vix ullam eſſe ſanæ doctrinæ partem, quam non ſuis corruptelis infecerint. Hoc quidem obtinebimus: purum Dei cultum impiis ſuperſtitionibus ipſos contaminaſſe: infinitis erroribus implicuiſſe tum fidei, tum pœnitentiæ doctrinam: Chriſti virtutem ac gratiam non obſcuraſſe tantum variis tenebris, ſed propemodum extinxiſſe: adulteraſſe indignis modis Sacramenta. Id jam totos triginta annos egerunt Chriſti ſervi. In eodem hodie curſu pergimus. Nihil dico, cujus libri noſtri non ſint luculenti teſtes. Boni viri ubi ſe pluſquam convictos, & lethaliter confoſſos vident, negant Apoſtolorum ſucceſſoribus exhibendam eſſe moleſtiam. Atqui, hujus rei cognitio ex doctrinæ diſcuſſione petenda erat. Ad eam ultro ipſos, freti bonæ cauſæ fiducia, provocamus. Ne reſpondeant, præjudicium de hoc ipſo fieri volunt, quod in quæſtionem vocatur. Itane? Ut qui omnia Apoſtolis habent contraria, ſola temporis continuatione ſe eorum tenere locum, viceſque agere probent? Atqui eodem colore, qui homine jugulato, in ejus domum involaverit, ſe illius jactabit eſſe vicarium. Multo plus à ratione illa gubernandi, quam nobis Apoſtoli commendant, diſtat Papatus, quam à libero ac bene compoſito libertatis ſtatu tyrannis, quamvis ſæva & truculenta. Quis jam tyrannum ferat, Conſularis aut alterius legitimi Magiſtratus, quem ipſe ſuſtulerit, nomine gloriantem? Nihilo autem minor eſt iſtorum impudentia, qui poſtquam ſanctum illud regimen cùm Chriſti juſſu, tum Apoſtolorum uſu conſtitutum, labefactarunt, ejus tamen ſucceſſionem ſuæ tyrannidi obtendunt. Nam ut maxime continua fuerit temporis ſeries, ſi tamen interciderit Apoſtolatus (quod lacerato Dei cultu, ſepulto Chriſti officio, extincta doctrinæ luce, pollutis Sacramentis neceſſe eſt) quæ manere poteſt ſucceſſio? Niſi forte, quod ſicuti mortuo hæres ſuccedit: ita iſti pietatis interitu partam ſibi dominationem putant. Sed quum totam gubernandi rationem penitus mutaverint, magis profundum eſt inter eos & Apoſtolos chaſma, quam ut ulla juris communicatio intercedat. Atque ut locum hunc uno verbo claudam, nego eſſe ſucceſſionem, cujus rei nulla eſt origo. Nego item ſacrificandi munus, quod in ſuo ſacerdotio præcipuum numerant, unquam fluxiſſe ab Apoſtolis. Quare alios jam quærant ordinis ſui auctores.

Quod autem, eodem prætextu, os occludunt piis omnibus, qui Eccleſiæ inſtaurationi ſtudent, quaſi ad docendi munus rite non ſint vocati: eo nihil aſſequuntur, niſi ut totus mundus intelligat, non aliter ſtare eorum tyrannidem poſſe, quam veritate oppreſſa. Verum eſt quidem, in Eccleſia bene ordinata, nullos ad publicum docendi munus eſſe admittendos, niſi qui per ordinarios paſtores vocati fuerint. Sed quid hoc ad Papatum? Niſi ad Antichriſtum Chriſti poteſtas transferatur? Dederunt Apoſtoli operam, ut par erat, propagandæ ad poſteros Eccleſiæ. In hunc finem, creatos populi ſuffragiis paſtores ordinarunt. Poſtea, una cum doctrinæ puritate, juſta eligendi ratio obſolevit. An nemo erit juſtus Chriſti miniſter, niſi qui per corruptelam obrepſerit? Succeſſionem, quam ſibi tanto ſupercilio arrogant, jam illis eripui. Meminerimus præterea, quum ſacrificos ſua inauguratione creent, non paſtores, illigari ſacrilegio, quicunque illorum ordinati manu ſuſtinent. Nemo igitur poterit, niſi malo deteſtandoque auſpicio, ad promovendum Chriſti regnum accedere? Imo, inquiunt, utcunque peſſum eant omnia, nemo, niſi vocatus, accedat. Jam ſum præfatus nihil eſſe controverſiæ, quin ubicunque incolumis, aut ſaltem tolerabilis eſt Eccleſiæ ſtatus, expectanda ſit ordinaria vocatio. Sed an propterea lex Deo impoſita eſt, quin extra ordinem, qui collapſam dirutamque Eccleſiam reſtituant, Prophetas ipſe excitet ſuo Spiritu, ac alios miniſtros? Sed enim, inquiunt, id accidere nunquam patietur Eccleſiæ perpetuitas. Ego ſane concedo, fieri nunquam poſſe, ut Eccleſia intercidat. At quum ad paſtores referunt, quod de perpetua Eccleſiæ duratione promittitur, in eo vehementer errant. Neque enim ſi deſint paſtores, ideo protinus deſinit Eccleſia. Tunc quidem, fateor, vere & ſtat & floret, quum in unum ovile colliguntur oves: quod niſi paſtorum opera fieri nequit. Sed experientia docet, interdum diſſipatas etiam oves ſervari arcana Dei virtute. Latet, inquam, interdum Eccleſia, fugitque hominum oculos, ut fruſtra externum in ea regimen aut principatus quiſpiam requiratur. Itaque abrupta Epiſcoporum ſucceſſione, ſtat nihilominus Eccleſiæ perpetuitas. Si nondum intelligunt, de nihilo ſe protervire, quæro ubinam legerint, oportere ad finem uſque mundi, continua ſerie alios ſuccedere aliis Epiſcopos. At nos legimus, quum olim ſacerdotum partim inſcitia & ignavia, partim perfidia & ſcelere, vitiatus eſſet Dei cultus, inculta jaceret ſacrorum adminiſtratio, perverſa eſſet pia doctrina, Eccleſia prope concidiſſet, extraordinario Dei afflatu ſuſcitatos fuiſſe Prophetas, qui res perditas reſtituerent. Quid obſtabit, quominus idem nunc quoque præſtet? Et ſane, ita neceſſe fuit. Nec vero minus ad nos, quam ad veterem populum quod habetur apud Ezechielem & Jeremiam, pertinet: *Eze. 34. verſ. 2. Jerem. 2. verſ. 15. & 33:12.* Deum, ut improborum paſtorum nequitiam ulciſcatur, illis depulſis, probos daturum ac fideles, qui ſecundum ejus voluntatem paſcant.

Tametſi

Tametſi enim tales quotidie dat per hominum vocationem: ſingulare tamen eſt donandi genus, quum ceſſante hominum opera, ſolus ipſe conſtituit, quos & neceſſarios eſſe, & hominum judicio præteriri vider. Jam ſi quod in nos vibrant telum, quiſpiam in ipſos retorqueat, quo ſe clypeo defendent? Suggeſtus fere omnes apud ipſos occupant monachi, vel conductitii alii rabulæ, qui declamitare, rixando in ſuis Sorbonis, didicerunt. Quæ eſt omnium iſtorum vocatio? Certe non aliam proferent, tiſi quod quum muti eſſent Epiſcopi, cum toto ſacerdotum ſuorum grege, alienos in locum ſuum ſubrogarunt. Sed quum nova ſit iſta ſubſtitutio, ſaltem plus octingentis demum annis poſt ætatem Apoſtolorum nata: deſinant horum nomine tam impudenter abuti. Qui nobis hoc tempore facem prætulerunt, nt à dinturno errore in viam rediremus, ſanctos Dei Prophetas fuiſſe, teſtatur præclarum, quod ediderunt, & vere divinum miniſterii ſui ſpecimen. Ad hoc beneficium Eccleſiæ præſtandum nunquam vocati fuiſſent à lupis qui vorandi perdendique rabie ardebant. Ergo ad ſanandum malum incurabile, præſertim quum uſitata remedia deficerent, Dei ipſius manu ad opem ferendam emitti oportuit: quos libenter totus mundus impediſſet. Nunc iidem lupi, qui ovile obſidebant, nos injuſſu ſuo queruntur eſſe ingreſſos, turbatumque à nobis fuiſſe ordinem clamant: quia non expectato ſuo mandato, ſuccurrere miſeris ovibus quiſque noſtrum, ut par erat, pro ſua virili ſtuduerit. Cæterum, ex quo res in meliorem paulo ſtatum noſtris laboribus ſunt reſtitutæ, ſanctius longe apud nos, quam in toto Papatu, colitur manuum impoſitio.

Venio nuuc ad ordines reliquos, in quibus recenſendis vulgatam conſuetudinem ſequuntur noſtri Moderatores, ac ſingulis nomen Sacramenti aptant. Minus hic ero prolixus, quam meretur rei dignitas. Nam hrevibus oſtendere promptum eſt, quam impudenter à nobis poſtulent, ut Sacramenta eſſe fateamur. Taceo, qnod in toto Papatu ordinantur diaconi, & inferiores: non qui officium exerceant, ſed quicunque presbyterii honorem ambiunt: ad quem gradatim conſcendere jubent ipſorum canones. Etſi inventa eſt expedita tranſiliendi ratio. Uno enim die minores omnes tituli in unum hominem congeruntur. Denique oullæ ab hiſtrionibus tam ludicræ fabulæ aguntur, quam ſpectare in illa ordinandi pompa licer. His flagitiis quaſi nondum opportuna eſſet correctio, connivent boni Moderatores. Ego antem, ut hæc taceam, ferendum eſſe nego ut Sacramenti nomen ad actiones neſcio qnas transferatur, ad quas nulla pertiner Dei promiſſio. Nam ut quiſpiam templi foribus præficiatur ad fugandos canes, quid opus eſt fingere Sacramentum? Exorciſtarum vero, quænam eſt hodie opera? Nam quod in aliis ſolent, hic ne ſimulant quidem. Et tamen male de Eccleſia mereri pronunciant, quiſquis ejuſmodi ordines vel ſpernit, vel tollit. Sed qui perſuadeant, reverenter eſſe excipiendum, cujus ne inanem quidem umhtam fallendis oculis oſtentant? Umbratiles enim & nihili exorciſmos ſoli in Papatu ſacrifici peragunt. Acoluthos creant: hoc eſt, pediſſequos. Tantane eſt in Epiſcopo comitando majeſtas, ut excudendum fuerit ſpirituale myſterium? Certe nihil eos pudet, quum Sacramenti nomen proſtituunt ad tales nugas. Ac notandum eſt, hanc inter nos quæſtionem verti. Neque enim digladiamur de Acoluthis & Oſtiariis, expediatne eos babere nec ne. Sint ſane hæc utilia rudimenta exercendæ eorum adoleſcentiæ, qui ad Eccleſiæ regimen aſpirant. Tametſi nihil tale viſitur in Papatu, & ſi quid olim fuit boni, jampridem in deſuerudinem abiit. Verum ut illis demus quod de utilitate poſtulant: nimiæ tamen audaciæ, ne dicam ſacrilegii, fuit ementiri nomen illud, quod nonniſi cælitus inſtitutis divinæ gratiæ ſymbolis conveni. Quam profanationem, ſi audacter Lucianici bomines redimendæ pacis gratia, ſe approbare ſimulant: quotquot ſerio in Dei timore præditi ſunt, eos retinebit conſcientia ne aſſentiantur.

Ultimum illis Sacramentum eſt Matrimonium: idque, ut aiunt, ob Chriſti gratiam quæ ei nunquam deeſt. Verum hæc ratio ad quodvis honeſtum & Deo probatum vivendi genus extenditur. Ergo Sacramentum erit agricultura, pecuaria, & artes omnes, aut quæ ingenuæ vocantur, aut mechanicæ: quarum nulla eſt, quam Deus ſua benedictione non dignetur. Videmus ergo quam pueriliter ineptiant. Sed additur altera ratio probabilior: quia cum ſacra ſpiritualique ſocietate, quam habet Chriſtus cum Eccleſia, confertur matrimonium. Quaſi vero non & paſtori, & agno, & leoni, & Soli, & lapidi comparetur Chriſtus ipſe: & Deus bellicoſo Principi, & procellæ, & flammæ ardenti? An totidem igitur erunt Sacramenta, quot occurrunt in Scripturis ſimilitudines? Atqui hoc modo ſurtum in ordine Sacramentorum cenſebitur, quia legimus, furi ſimilem fore diem Domini. Multum itaque abeſt, quin Sacrametuum nobis conficiat nuda ſimilitudo. Nec vero in eo hallucinati ſunt primi hujus commenti anctores. Sed quum apud Paulum, ubi de matrimonio diſſerit, in clauſula legiſſent Sacramenti nomen, inconſiderate arreptum, fingendo novo dogmati ſufficere putarunt. Nec interea vehit illis in mentem, Paulum illic Myſterii nomine, ſimpliciter commendare inæſtimabilem iſtam gratiam, qua nos proſequitur Filius Dei quum in ſuum corpus inſerit. Ergo ut ejus admirationem excitet, magnum exclamat arcanum eſſe. Id enim ſonat Myſterii nomen, quod poſuit: *Epheſ. 5.*
cujus loco Vetus interpres, ut alias quoque in eadem *verſ. 32.*
Epiſtola, tranſtulit Sacramentum: ſed minime cogitans quod indocti homines poſtea ſomniarunt. Ex hac tam craſſa ignorantia natus error nimis impudenter à Moderatoribus defenditur. Verum, quo magis videmus naſutos homines ſecure illudere Dei verbo, nt Antichriſtis adulentur: eo major religio conſtringere animos noſtros debet, ne qua tantæ impietatis ſocierate nos illigemus.

Hinc, ut error errorem ſecum trahit, colligunt, nec ſolvi conjugii vinculum, adulterii cauſa; nec audiendos eſſe, qui ratam eſſe fidem negant, quam ſibi abſque parentum conſenſu, adoleſcentes ac puellæ mutuo dederint. Primum quod dicunt, ex falſa & perverſa verborum Chriſti interpretatione fluxit. Nam quum affirmat mœchari eum, qui repudiatam ducit, ſubaudienda eſt exceptio quam poſuerat: nempe, niſi ob adulterium. Et ſane, fruſtra de mulieribus adulteris concionatus eſſet, quarum divortium ſequebatur capitalis pœna apud Judæos. Quod ſi non magno periculo errarent, dum ita pervertunt Chriſti verba, ignoſci ſorſan ubicunque ipſis poſſet: verum, hic ſalus virorum agitur, qui adulteras uxores è coutubernio ſuo pellunt. Illis æqui Moderatores imperant perpetuum cælibatum. Quid ſi uxore indigeant? Sine remedio ſcilicet; æſtuabunt tota vita, ut animæ exitio pœnam luant alieni ſceleris. Ita vir Chriſtianus, aut fovere adulteria, probraque vorare impudicæ uxoris cogetur, aut crudeliter addicetur perpetuæ inquietudini, ſi quidem incontinentiæ morbo laborabit. Quum miſeris conſcientiis tam male conſulant: an noſtro aſſenſu inhumanam eorum tyrannidem adjuvabimus? De ſponſalibus, quæ temere ab adoleſcentulis contrahuntur, hoc tantum dicam: verbo negari poſſe, quod verbo aſſerunt Moderatores. Quis enim rata eſſe debere illis revelavit? Parentum auctoritatem requiri, ipſa quoque natura dictat: idque & jure gentium obſervatum ſemper eſt, & Scripturæ teſtimonio comprobatur. At Sacramenti, inquiunt, dignitas, præferenda eſt juri patrio. Ut Sacramenti nomine abuti illis permittam: pluſquam abſurdum eſt, in Sacramenti honore poni, quum perperam & inordinate

aliquid

Digitized by Google

aliquid geritur: nam quo plus habet dignitatis conjugium, eo majore & modeſtia & religione ſuſpiciendum erat. Quod ſi honor eſt Sacramenti talis indulgentia: cur in ſacerdotum & monialium conjugio non ſunt perinde faciles? At obſtat votum. Nempe quemadmodum hic obſtat jus naturæ: quod perfringere non dubitant.

Quod unicum eſſe Chriſti ſacrificium agnoſcunt, quo expiata ſunt peccata, & reconciliati homines Deo, utinam in eo perſtarent. Sed paulo poſt oſtendunt, non aliud ſibi fuiſſe conſilium ita præfando, quam ut ſpecioſum Miſſæ ſuæ colorem inducerent, quo illius unici ſacrificii applicatio cenſeatur. Cæterum, quibuſcunque eam fucis ornent: nunquam tamen efficient, quin filiis Dei omnibus deteſtabilis ſit meretricia ejus fœditas. Verum, ut certo ordine progrediamur: ab illo generali capite initium ſumendum eſt, ubi ſacrificia, unici illius applicatoria eſſe docent, cordis humiliationes, & pietatis cauſa ſuſceptas carnis afflictiones, & quæ ſunt ejus generis. Quæ iſta eſt vel incogitantia, vel oblivio, vel ſtupiditas, ut fidei ſacrificium prætereant, cujus tamen præcipuæ in hac applicatione ſunt partes? Parum dico: neque enim aliter quam fide, vim mortis Chriſti percipimus. Alia vero ſic fidem comitantur, ut ſint quaſi appendices, & ab ea mutuentur quicquid habent. Fidem certe eximium eſſe ſacrificium, ex Paulo conſtat. Idem docet, ea nobis reconciliationem applicari cum Deo, quam nobis morte ſua Chriſtus peperit. Accuratam ejus rei tractationem quum ſe perſequi Mediatores præ ſe ferant, qui fit ut prorſus ſileant de fide? Nam ea propriе ſola eſt, quæ omnia pietatis exercitia ſanctificat. Deinde à quo didicerunt, carnis afflictionibus, quas modice pro-
1 Tim. 4. verſ. 8. deſſe teſtatur Paulus, partam morte Filii Dei gratiam nobis applicari? Adminicula ſunt fateor, quæ nos ad quærendam in Chriſto peccatorum remiſſionem manuducunt: ſed ſtulte inde colligitur, per ea nobis applicari Chriſti ſacrificium; quaſi jejuniis, aut alia quavis externa carnis affli-
Pſal. 51. verſ. 19. ctione adipiſcamur ſalutem. Audio quid David dicat: ſacrificium ſcilicet Deo gratum eſſe, contritum cor, & humiliatum: ſed eo nobis applicari quod Chriſtus, ad nos Deo reconciliandos, obtulit ſacrificium, neque ipſe, neque ullus vel Prophetarum, vel Apoſtolorum docet. Tantum abeſt, ut hoc honoris mereantur externa opera, quæ longe inferiore loco ſubſidunt.

Fateor tamen Mediatores alio poſt loco, quaſi expergefactos tandem fidei recordari. Sed qualem tunc quoque fidem nobis fabricant? Quæ in Miſſæ ſacrificium intueatur. Proinde merito eam cum devotione copulant: quando execratione dignus eſt, qui averſus à Chriſti morte, huc vel illuc, ſalutem quæritans, circumſpectat. At ſacrificium Miſſæ à Chriſti morte pendet. Hoc vero jam expendamus. Chriſtus, inquiunt, ut corpus ſuum fidelibus edendum obtulit, ita ejus offerendi mandatum dedit Apoſtolis, quos inſtituebat novæ legis ſacerdotes. O putidam eorum ἀλαζονείαν, quos ego novi eſſe hujus inſulſæ farraginis opifices! Ubi enim præcipitur oblatio? Reſpondent, ubi dicitur: Hoc facite. Quum ante annos viginti Clithoveus & ſimiles beſtiæ ſacrificium ex hoc verbo elicerent, verſumque in eam rem citarent Virgilii, Quum faciam vitula pro frugibus: nemo erat mediocri judicio præditus, qui non rideret argumenti levitatem: ignoſcebatur tamen eorum ſtultitiæ, quia balbutiebant de rebus ignotis. Nunc autem mente captos eſſe oportet qui in tanta luce vomere tales ineptias non dubitant, quas & ſecum intus rident ipſi, & aliis non ignorant ridiculas fore. Sed tamen, quaſi res ſit conſideratione digna, animos advertamus. Facere verbum pontificale eſſe dicunt. Fateor. Sed quo idiomate loquutum eſſe Chriſtum putant? neque tamen hic cardo vertitur. Faciendi enim verbum, ubi de ſacrificiis agitur, interdum Hebræi uſurpant. Tantum nunc diſputamus, quo ſenſu Chriſtus dixerit: Hoc facite in memoriam mei. Nodum hunc ſolvit Paulus optimus interpres, hæc duo ſimul contexens: Hoc facite quotieſcunque biberitis. Quid enim agerent aliud diſcipuli, quam quod ſuo exemplo præmonſtraverat Magiſter ipſe? Imo, quis non videt non referri hoc ad ſuperiorem ſermonem, ubi juſſi fuerant accipere, & inter ſe communicare? Quanquam audita Pauli interpretatione, fruſtra de re indubia litigamus. Quod ſi nondum acquieſcunt: quia dictum id fuerit Apoſtolis, quos fuiſſe ſacrificos imaginantur: reſpondeant mihi velim, quoſnam alloquebatur Paulus, quum eadem verba repeteret. Nonne poſtquam toti Corinthiorum Eccleſiæ, viris promiſcue ac mulieribus, ſe tradidiſſe præfatus eſt, quod à Domino acceperat: hoc ipſis faciendum mandat? An ita contumelioſe lacerare Chriſti verba ſibi permitterent, niſi Epicureo contemptu inflati, deſpectui haberent omne numen?

Simile eſt quod jactant, priuſquam ſub panis ſpecie porrigeret corpus ſuum Chriſtus diſcipulis, obtuliſſe Patri. Unde enim id eſſe factum divinant? Res ſane digna erat, cujus fieret aliqua mentio. Atqui, ſic texitur ab Euangeliſtis hiſtoria: quod acceperit panem, fregerit, ac dederit. Quo igitur ore, quod nuſquam invenitur, nullumque habet colorem, ſic affirmant? Si omnes adducerent conjecturas: cauſæ tamen magnitudo non permitteret, quicquam inde ſtatui. Verum, quum ab omni veriſimilitudine abhorreat quod nugantur, quis non fortiter reſpuet? Negant alioqui ſtare illud, quod Chriſtus Sacerdos ſit ſecundum ordinem Melchizedec. Scio non eos primum nunc impingere ad hunc lapidem. Verum, ſi rem, omiſſis hominibus conſiderare libet, id vanitate ipſa eſſe vanius, mox conſtabit. Narrat Moſes, obtuliſſe Melchizedec Abrahæ panem & vinum. Qui ſacram oblationem & myſticam illic piſcantur, intelligunt obtuliſſe Deo. Atqui, ſimulac meminit illic Moſes, ipſum veniſſe Abrahæ obviam, ſubjicit, obtuliſſe, vel attuliſſe panem & vinum. Quum vero membrum quod mox ſequitur, cauſæ redditionem eſſe putant, nihil aliud quam duplicant errorem. Adducit quidem Moſes: Et erat Sacerdos Dei altiſſimi. Sed hoc ad jus benedictionis pertinet: ut ſciamus, ex officio perſonaque ſacerdotali, Melchizedec Abrahæ benedixiſſe. Hactenus nullum cernitur in Melchizedec panis ſacrificium. Sed accedit validius argumentum, quod Apoſtolus, dum ſingula prope ſcrupuloſe excutit, in quibus conveniat hæc ſimilitudo, nihil tale attingit. Nomen & ſedem regni, regnum & ſacerdotium diligenter notat: deinde quod tamen à ſeipſo ortus, nullam habeat genealogiam, quæ quidem ſit ſcriptis prodita: quod Abraham illi, tanquam præſtantiori minor decimas obtulerit. Denique, quod jure ſacerdotis benedixerit Abrahæ. Si quod fuiſſet in pane myſterium, nihil ad cauſam, quæ illic tractatur, aptius adduci poterat. Oblivione certe non præteriit Spiritus ſanctus. Qui fit ergo ut ſileat? Nempe, quia intempeſtive ingerere noluit. Quanquam mirum eſt, eos quærere in pane figuram, qui panem in corpus verſum ante eſſe dictitant, quam offeratur. Quomodo ſecundum eos reſpondebit figuræ veritas, ſi nullus in ſacra Cœna eſt panis? Sed hoc nobis in præſentia ſufficiat: nihil illis ſuffragari panem à Melchizedec oblatum, quia rem à Spiritu ſancto minime animadverſam comminiſcuntur.

Arripiunt & tritam iſtam Malachiæ ſententiam: In omni loco offeretur nomini meo, inter Gentes,

oblatio munda. Quaſi vero non aliud ſit quam Miſſæ ſacrificium. Atqui ſi locos omnes novi Teſtamenti recenſeamus, qui de ſacrificio tractant, nuſquam invenietur Miſſa. Annon oblatio munda eſt, quum per Euangelium conſecramur Deo? quum ſe quiſque noſtrum carnis mortificatione illi offert? quum vitulos labiorum immolamus, ut inquit alter Propheta? Cur ergo poſthabitis ſacrificiis omnibus, quæ nobis Scriptura commendat, ad ſolam Miſſam, de qua nullum uſquam verbulum, ſe convertunt, niſi quia in omnibus ſunt præpoſteri? Cæterum, quum ſanis omnibus conſtet ſimpliciter, more Prophetico, deſignari hic ſub ſacrificii nomine, Dei cultum: quid de nihilo argutari prodeſt? Mos hic Prophetis perquam familiaris eſt, ut ſicut illis ſomnia & viſiones, Dei notitiam ſignificant: ita templum, altare, ſuffitus, & ſacrificia accipiant pro cultu Dei. Hinc autem nata iſthæc loquendi ratio, quod doctrinam ſuo ſeculo accommodabant, quo ſcimus involutum talibus ceremoniis fuiſſe Dei cultum. Denique, ejuſmodi loquutiones quum Legis pædagogiam ſapiant, elicienda oobis inde ſpiritualis veritas, quæ ſola ad nos pertinet. Jam ſatis ſuperque apparet calumnioſe citari Malachiam, quaſi de Miſſa vaticinetur, quum nihil minus cogitaverit.

Nec veterum ſententias moror quas ad obruendam veritatem huc congerunt Moderatores. Solenne eſt nebulonibus iſtis, quicquid vitioſum in Patribus legitur, corradere: acſi quis ſolam auro neglecto ſcoriam, & abjectis granis, quiſquilias ſtudioſe legeret. Quum ergo objiciunt locum Malachiæ ſic ab Irenæo exponi: oblationem Melchizedec ſic tractari ab Athanaſio, Ambroſio, Auguſtino & Arnobio: breviter reſponſum ſit, eoſdem illos ſcriptores alibi quoque panem interpretari Chriſti corpus: ſed ita ridicule ut diſſentire nos cogat ratio & veritas. Nam inducit Jeremias, impios qui adverſus eum conſpiraverant, ita loquentes: Mittamus lignum in panem ejus. Perinde hoc valere notum eſt, acſi dixiſſet: Strangulemus eum pane ſuo, vel aliquid ſimile. Veteres hoc ad Chriſtum trahunt, & allegorice, ut dixi, panem interpretantur corpus, quod ligno fuit affixum. deſinant ergo boni Moderatores veterum ſententiis pugnare in mala cauſa. Jam ante oſtendi, quo ſenſu dicatur Melchizedec obtuliſſe panem: res clara eſt: deinde ſilentium Apoſtoli vice probationis eſſe nobis debet: quia nunquam prætermiſiſſet quod tam appoſite dicturus erat, ſi quidem potuiſſet vere dici. Non eſt ergo quod vel Ambroſium, vel alium quempiam ex tota veterum cohorte acutius vidiſſe putemus, quam ipſum Apoſtolum: niſi tantum illis perſpicaciæ tribuere libet, ut myſterium cognoverint, quod Spiritum Dei per os Apoſtoli loquentem fugit.

Cùm omnibus in cauſis colenda eſt ingenuitas, tum vero quum de religione agitur, callide aut etiam diſſimulanter agere, ſas non eſt. Adverſarii noſtri, quoniam nos Dei verbo armatos vident, hinc inde captant quæ poſſunt teſtimonia, multaque ſuis cavillis depravant, ut objecto antiquitatis fumo, divinæ veritatis lucem obſcurent. Interea quantum ab antiquitate ipſi diſſideant, nolunt inquiri. Palam tamen eſt. Cujus rei in Miſſæ ſacrificio illuſtre ſpecimen habemus. Ut vulgares Sorboniſtas omittam, Mediatores noſtri pro tuendo Miſſæ ſacrificio, & vetuſtum loquendi uſum, & ſacrificandi ritum prætexunt. Utrumque illis concedo: veteres non modo ſacrificii voce abuſos eſſe, ſed etiam ceremonia. Verum, ſi reputemus, quantum à veterum corruptela diſtet, quæ nunc ab ipſis fucatur impietas, immenſum eſt fere intervallum. Qualecumque erat quod agebant veteres, ſacrificii memoriam eſſe interpretantur. Iſti antiquarii (ut haberi volunt) memoria non contenti, applicationem inculcant, ut paulo poſt videbimus. Etſi autem puri ab impia ſuperſtitione, quæ poſtea invaluit, fuerunt veteres: non tamen prorſus excuſandi ſunt: quatenus ſcilicet ipſos apparet, à puro & genuino Chriſti inſtituto deflexiſſe. Nam quum in hunc finem celebranda ſit Cœna, ut ſacrificio Chriſti communicemus: eo non contenti, oblationem quoque addiderunt. Hoc auctarium vitioſum fuiſſe dico: partim quia beneficium, Chriſti morte nobis præſtitum, obſcurat: partim quia alienum eſt à ſacræ Cœnæ natura. Officium Chriſti fuit, ſe Deo offerre. Jam non aliæ nobis reſtant partes, quam ut veſcamur. Qui in ſola receptione non acquieſcit, ſed appetit ſacrificii imaginem, minus quam par erat tribuit & morti, qua defunctus eſt Chriſtus, & Cœnæ myſterio, quod in mortis ſuæ memoriam reliquit. Nunc ut millies clament vel Papiſtæ, vel alii Papiſtis non multum diſſimiles, oblatum olim fuiſſe panem, veteres ita ſolitos facere, non novam eſſe conſuetudinem: toties excipere nobis licebit, Chriſti mandatum, inviolabilem eſſe regulam, quæ nulla hominum conſuetudine, nulla præſcriptione temporum, nullis novis placitis convelli aut refigi debeat.

Reſpondi quod videbatur, de Patrum auctoritate. Itaque, quum Mediatores concludunt, Eccleſiam ſecundum Scripturæ ſanctorumque Patrum teſtimonia, duo ſacrificia agnoſcere: in altero mentiuntur, in altero errant, plus hominum placitis, aut opinioni, quam debeatur, tribuendo. Scripturam enim, quæ tota ubique illis reclamat, falſo prætexunt, adeoque turpiter lacerant, ut ne pueris quidem, qui duntaxat moniti fuerint, fucum ſint facturi. Certe pluſquam aperte reſutavi eorum nequitiam. Quod ad veteres ſpectat, non eſt quod in eórum gratiam ab æterna & inflexibili Dei veritate recedamus. Proinde incruentum illud ſacrificium, quod commenti ſunt homines, ſibi habeant, quibus non ſatisfacit Dei ſapientia. Simplex & minime ambigua Scripturæ doctrina eſt, ſacrificio quo reconciliari Deo homines oportebat, ſemel defunctum eſſe Chriſtum: ejus ſacrificii vim eſſe æternam, fructumque quotidie à nobis percipi. Ut autem eo fruamur, inſtitutam eſſe ab eodem Dei Filio ſacram Cœnam, in qua corpus ſuum ſemel immolatum nobis in cibum porrigit, quo veſcamur. Hoc modo unici illius ſacrificii virtutem applicari nobis, ut ejus fiamus participes. Ubi totam Scripturam revolveris, nihil aliud reperies, quam Paſcha noſtrum immolatum eſſe. Sacerdotem unicum ſemel ingreſſum eſſe in Sancta, ut oblatione unica, mundi peccata expiaret. Nobis nihil aliud præcipi, quam ut epulemur. Cujus nunc ergo audaciæ erit, hominem mortalem ſe ingerere, ut ſacerdotio ſibi nunquam mandato, fungatur, ut incruentum ſacrificium, quod nuſquam requirit Deus, offerat? Proinde, alibi ſecundum illud ſacrificium locent Mediatores, quam in Eccleſia. A nobis ut agnoſcatur nunquam efficient, donec alium eſſe idoneum ſacrificii auctorem perſuaſerint, quam Filium Dei: qui Sacerdos eſt in æternum conſtitutus, nullo vel ſucceſſore, vel collega. Quicquid præter ejus auctoritatem additamenti obrepſit in ſacram Cœnam, hominum vel cupiditate nimia, vel facilitate, ad hujus auctoritatis normam corrigatur. Ita enim faciendum admonet Paulus, & hoc volunt ejus verba quum dicit: Accepi à Domino quod & tradidi vobis. Oblationem porro, quæ ab ignoto ſonte manavit, ſcelerate & nequiter Chriſto acceptam referunt Mediatores.

Video quid dicturi ſint, qui miſcere Chriſtum cum Belial parati ſunt, modo qualemcunque pacem redimant. Nam & hominum novi ingenia, & dicteriis pridem aſſuevi. Immodicæ nos ſcilicet moroſita-

roſitatis arguent, qui de voce una, & externo ritu contentionem non neceſſariam moveamus. Nec vero mirum eſt, nos hoc nomine ab illis accuſari: loquuntur enim ut ſentiunt. Sed quum nobis melius ſentire datum ſit, confiteri etiam oporter, quod corde credidimus. Hanc enim legem piis omnibus
Pſal. 116. verſ. 10. fert Spiritus Dei: Credidi, propterea loquar. Quum nuper mihi à bonis viris narratum eſſet, cornutum quendam, ex fœtido Papalium Epiſcoporum grege, Caprum, qui jampridem medius inter cælum & inferos volitat, ita ſolere loqui: Nullam ſibi videri cauſam, cur fucatam banc moderationis formulam amplecti recuſaremus: reſpondi quod de Alexandro hiſtorici referunt: Me, ſi eſſem ejus loco, non recuſaturum. Illum vero, ſi mihi eſſet ſimilis, idem facturum, quod nunc me facere miratur. Nam ejuſmodi homines, qui Chriſtum abnegando tot annos ſunt exercitati, ſimplicitatem noſtram probro vertere cur miremur, quum ſubſannare Deum ipſum non dubitent? At nobis tanti eſſe debent cæleſtis Magiſtri decreta, ut pro iis ad extremum dimicare non dubitemus. Nec quicquam putemus libertati noſtræ ſubjectum, de quo nobis quid fieri vellet, præcepit. Sed hic de re nobis, non de verbo tantum ac ritu, certamen eſt cum Mediatoribus. Tradunt enim, comprehendi in Miſſæ ſacrificio veritatem earum rerum, quæ vetuſta omnia ſacrificia figurabant: eandem hic eſſe corporis & ſanguinis Chriſti hoſtiam, quæ in cruce mactata fuit. Unde apparet, unico Chriſti ſacrificio, ſecundarium hoc ſubrogari, quo illius efficacia ad nos perveniat. Ego autem breviter reſpondeo: quæcunque unquam in uſu fuerunt ſacrificia, ad hunc, veluti lydium lapidem, probanda eſſe, ut proba cenſeantur: à Deone habeant, an ab hominibus originem. Præterquam enim quod in Chriſtum reſpicere debebant, Deum quoque auctorem eſſe oportuit. Itaque quamvis in ſpeciem nihil aut parum differre videantur à ſacrificiis piorum, quæ à Gentibus oblata legimus, hæc tamen non dubitamus tanquam adulterina damnare: illa autem pronunciare ſancta & legitima. Unde porro hoc diſcrimen, niſi ex illa duplici nota, finis, & mandati? Nunc igitur ut micam veritatis in ſacrificio Miſſæ contineri probent Mediatores, Dei mandatum in primis neceſſe eſt proferri, quale nullum exſtat. Undè audacter conſtituimus, nihil quam inane eſſe figmentum.

Quod ſuccinctam & dilucidam Canoni interpretationem attexi volunt, fateor non eſſe de nihilo. Sed quas gloſſas invenient, quibus tegantur adeo craſſæ abſurditates? Principio, certum eſt, pugnantia illic contineri, centoneſque eſſe male conſutos ab indoctis artificibus. Dicunt ſe Deo offerre de ejus donis & datis hoſtiam puram, panem ſanctum vitæ æternæ. Quæ verba ſonant, conſtare ex pane Chriſti corpus. Emolliant ut volent, hanc verborum aſperitatem: perſpiciunt tamen oculati homines, quam precationem vetus Eccleſia de communibus oblationibus concipere ſolebat, conſarcinatores miſſatici Canonis ad corpus Chriſti inſcite tranſtuliſſe. Eleemoſynæ quas conſerebant fideles, tanquam Deo ſacræ, altari imponebantur. Deum populi nomine orabat ſacerdos, ut eas gratas haberet. Barbari homines qui poſtea ſequuti ſunt, vel antiqui moris ignari, vel aliud quam imaginarium ſuum ſacrificium neſcientes, temere addiderunt corpus & ſanguinem. Hanc inſcitiam melius patefacit, quod paulo poſt attexunt: Per quem hæc omnia ſemper bona creas, ſanctificas, benedicis. Certe hæc oratio utcunque torqueatur, Sacramento aptari nequit. Quæ ſunt igitur bona, quæ Deus quotidie nobis creat, niſi quæ quiſque piorum ex ſuis facultatibus confert in uſum pauperum? Hanc enim fuiſſe olim oblationes conſecrandi formulam, ex Arauſicani Concilii decreto apparet: Offerimus tibi Domine, quæ de manu tua ſuſcepimus. Quibus obſecro gloſſis ſe extricabunt, quin hic turpiſſimæ hallucinationis convicti teneantur? Levicula ſunt iſta: nec alium in finem à me attinguntur, niſi ut omnes intelligant, nullas eſſe tam putidas ineptias, quas non pervicaciter defendant hiſtriones iſti, qui Mediatorum perſonam induerunt.

Nunc pergamus ad magis ſeria. Corpus & ſanguinem Filii Dei miſſarius ſacerdos in ſacrificium ſe offerre dicit. Actio eſt prorſus divina, ad quam nemo, niſi cælitus vocatus, ingerere ſe debet. Nam quum de legitimo ſacerdotio diſputat Apoſtolus, nulli tantum honorem concedit, niſi *Hebr. 5.*
cui Deus contulerit. Ut ipſum quoque Chriſtum *verſ. 4.*
dicat oportuiſſe Patris invocatione inſtitui. Si perperam ac præter jus & fas ſibi honorem uſurpat, qui ſacerdotio fungitur non vocatus à Deo, nunc oſtendant ſacrifici miſſales, quo Dei mandato Chriſtum offerre auſint. Tota Apoſtoli diſputatio in Epiſtola ad Hebræos à ſeptimi capitis initio, ad finem uſque decimi, duobus his cardinibus verſatur: Chriſtum unum fuiſſe idoneum qui ſe offerret: deinde unica oblatione perfunctum, quæ perpetuo vigeat. Hanc ſibi habere videntur belliſſimam argutiam, qua effugiant: dum idem ſe hodie offerre ſacrificium jactant, quod ſemel Chriſtus obtulit: non novum aut diverſum introducere. Sed quum Scriptura, & ſoli Chriſto vindicet offerendi munus, & ſemel teſtetur obtuliſſe, nihil illo cavillo identitatis, ut ita loquar, proficiunt: nam interea ad ſe rapiunt, quod ſolius eſt Chriſti: & quod ſemel peractum fuit, quotidie millies iterant. Addit Canon id fieri pro redemptione animarum. At reclamat Apoſtolus, qui tradit Chri- *Hebr. 9.*
ſtum in cælos aſcendiſſe, æterna redemptione par- *verſ. 12.*
ta. Si oblatum in cruce ſacrificium, æternam redemptionem peperit: mentiuntur certe, qui ſe hodie adhuc ſacrificare redimendi cauſa, profitentur. Hic commoda interpretatione nobis ſatisfieri, hoc eſt, oculos perſtringi volunt Mediatores. Fatebuntur uno Chriſti ſacrificio redemptos eſſe: ſed hoc modo nobis illius gratiam applicari. Sed hunc fucum jam ante ſatis abſterſi: imo ad vivum eraditur uno Apoſtoli verbo, quum Legis ſa- *Hebr. 10.*
crificia negat paria fuiſſe tollendis peccatis, quia *verſ. 1.*
ſæpius repeterentur: & nos hac nota diſcernit à patribus, quod apud illos quotannis fieret peccatorum commemoratio. Certe & nos aſſidue peccata noſtra confiteri decet, nec aliter ea deprecari poſſumus, quam ſacrificii recordatione. Itaque non aliter intelligi locus ille poteſt, quam hoc conſtituto diſcrimine, quod tunc quidem ad teſtandam peccatorum expiationem, viſibile ſacrificium adhibebatur: hodie non item, ex quo veritas ipſa ſignorum fuit exhibita. Denique, qui offerri hodie Chriſtum fingunt pro animarum ſalute, morte ejus expiata fuiſſe peccata, Deumque hominibus reconciliatum fuiſſe negant. An vero nos huic blaſphemiæ ſubſcriberemus, quæ proprium mortis Chriſti munus ad humanam actionem transſcribit? Tunc vero nos merito Chriſtus tanquam perfidos ac fœdifragos, tanti beneficii participatione abdicet, ſi unico æternoque ſuo ſacrificio ejuſmodi adminicula quæ nunquam vel inſtituit, vel probavit, ſubrogari taciti ſinamus. Quam vero congruenter poſtea rogatur Deus in Canone, ut hoſtiam carnis ac ſanguinis Chriſti gratam habeat; ſicut Abelis Abrahæque ſacrificia, jubeatque per manus Angeli perferri in ſublime altare ſuum. En pietas, quum vix eodem Filium Dei honore dignantur, quo pecudes. Quid enim precantur? Ut Patri Chriſtus inſtar arietis illius, quem immolavit Abraham, placeat. Saltem in eo nimime cano-

canonicus eſt Canon, quod umbram, veritatis regulam facit: gratiam, qua pollet Chriſti ſacrificium, ad eam quæ pecuariis victimis ſuberat, exigendo. Cæterum obtendant quicquid libuerit. Sed nos qua conſcientia in tam fœdam Chriſti contumeliam, ut fere poſthabeatur brutis animalibus, conſentiemus? Non eſt præterea auctarium iſtud negligendum: ſi nihil in Canone mutetur, orandi pro Papa noſtro Paulo tertio, nobis neceſſitatem injungi. Ergone, dum apparemus in Dei conſpectum, ubi cor ſe totum quodammodo effundere debet, patrem nominemus eum, qui omnium filiorum Dei crudeliſſimus eſt carnifex? Eum fateamur eſſe paſtorem, qui ad mactandas & vorandas Chriſti oves, princeps eſt latronum ac luporum? Ei primum in Eccleſia locum aſſignemus, qui non ab ea tantum eſt alienus, ſed infeſtiſſimus quoque eſt ejus boſtis? Sibi vero talem babeant patrem Iſlebius, ſimileſque apoſtatæ, quo impiæ ſuæ defectionis teſtem quoque faciant Deum: ſicuti eam turpiter apud homines flagitioſeque profiteri non verentur. Nobis vero centum potius oppetendæ ſunt mortes, quam ut in ſui flagitii ſocietatem nos trahant.

Tandem, ne quid in Miſſæ ceremoniis mutetur, cavent Mediatores: quia omnes ad id quod illic agitur, valde ſiut appoſitæ. Si de puerili ludicro ſermo eſſet, vere fortaſſis illud diceretur: at cum ſacra Chriſti Cœna nihilo plus habent affinitatis, quam ſus aut canis cum Dei altari. Quum in omni religionis actione relucere debeat cæleſtis quædam majeſtas, tum vero in Cœnæ celebratione, ubi Dominus ad arcanam carnis & ſanguinis ſui participationem nos invitat. Quid porro gravitatis contineant Miſſales ritus, ex ea parte quam bic recitabo, guſtum capient lectores. Ac omiſſo, quem vocant, Iotroitu, aliiſque infinitis nugis, ſolius Canonis geſticulationes attingam: Junctis manibus ſe inclinet ſacerdos ante altare, poſtea in dextra parte oſculetur: hic faciat tres cruces: elevet manus ac expandat, junctis manibus memoretur vivorum: parum flectat genua: extendat manus ſuper boſtiam; faciat quinque cruces: jungat manus. ſurſum, tergat manus ad corporale: elevet hoſtiam, deinde calicem. Illis repoſitis, extendat bracbia quaſi de ſe crucem faciens: retrabat bracbia, & faciat ſuper torum ſacrificium tres cruces, quartam ſuper corpus, quintam ſuper calicem: ponat manus ſuper ſacrificium, & oculos ſurſum erigat: inclinet ſe ad altare manibus cancellatis: oſculetur altare: ſignet ſe ſigno crucis: junctis manibus memoriam babeat mortuorum, percutiat pectus ſuum ſemel vel ter: faciat tres cruces: diſcooperiat calicem: de pane faciat tres cruces ſuper ipſum, deinde duas inter ſe & calicem: oſtendat manu dextra hoſtiam, cooperto calice expandat manus: tangat patena pedem calicis, medium, ſummitatem: ad os ſuum & oculos admoveat. De hoſtia tres faciat partes: ſed unam aliis majorem: de minima parte faciat tres cruces, deinde ponat in calicem: reliquas oſculetur. Excipient res eſſe medias, quarum indifferens ſit uſus Chriſtianis. Cur ergo quicquam omitti vetant? Verum ut hoc ſubjiceam, quam indignum eſt hiſtrionem plus habere centuplo in ſcena gravitatis, quam in ſanciendo Dei & hominum fœdere habeat ſacerdos? Nimium profecto ſibi licentiæ in rebus externis ſumunt, ſi pro nihilo ducunt cæleſte Cœnæ myſterium tam indecoris geſticulationibus deformari: à quibus exagitandis adeo abſtineo, quia tam fœda Chriſtiani nominis ludibria meminiſſe piget. Iſti vero nebulones, ut ſunt proſtituti pudoris, etiam ſummarum abſurditatum minimam correctionem reſpuunt. Unde apparet, nihil eos aliud captare, quam ut brevi iterum, quicquid lucis noſtro tempori affulſit, extinctum pereat. Hic porro impudentiæ cumulus eſt, quod Miſſæ hodiernæ ritum ab Auguſtino perſpicue monſtrari jactant. Citatur quidem ab illis Epiſtola ad Paulinum, quæ eſt ordine, quinquageſima nona. Ego autem, ut perſpicue appareat quam improbam mentiendi licentiam ſibi indulgeant, ex lectione ipſa fieri judicium patiar.

Sequuntur genera duo mortuorum memoriæ, quæ ut antiquitus fuerunt culta, ita nunc retineri volunt Mediatores. Mos antiquus fuit, inter ſacræ Cœnæ celebrationem, Apoſtolos primarioſque Martyres & maxime vulgo notos nominare, ut talibus exemplis excitaretur omnium fides. Secundo loco recitabant eorum nomina, qui recens mortui, ſpecimen ſuæ pietatis ad extremum ediderant: ut ita ſolenne haberent ſuæ perſeverantiæ teſtimonium. Hæc omnia quum ad Chriſtianæ unitatis commendationem valerent, viviſque ſtimulos adderent ad imitandam mortuorum fidem, & nulla ſubeſſet adhuc ſuperſtitio: nos minime improbamus: ut nihil opus fuerit teſtimoniorum congerie, quam Mediatores, oſtentationis potius quam doctrinæ cauſa, coacervant. Paulo poſt obrepſit utrobique corruptela. Nam & uſu receptum fuit, ut ſe Martyrum precibus juvari Eccleſia peteret, ſuaſque viciſſim preces interponeret pro impetrando mortuis refrigerio: qui in fide Chriſti deceſſerant. ita triplex tam Martyrum quam aliorum memoria inducta fuit. Nec vero diſſimulo, quin à multis ſeculis obtinuerit utraque ſuperſtitio. Sed in religione, cujus unicum eſt fundamentum æterna Chriſti veritas, non multum valere debet annorum numerus. Jam de priore videamus. Non recitari tantum honoris cauſa nomina Martyrum, atque ut pro eorum pietate gratias agamus Deo, Mediatores jubent, ſed, ut eorum precibus etiam juvemur. Ego autem tali commemoratione, quaſi profano inquinamento, pollui dico ſacram Chriſti Cœnam. Nam cùm omnis invocatio pura & religioſa eſſe debeat: tum vero myſterium boc quum celebratur, reverentiam invocandi Dei, ejus conſpectu augeri decet. Porro, Deum rite orari negat Paulus, donec edocti ſimus *Rom. 10.* ejus verbo. Unde conſtat non eſſe legitimam *verſ. 14.* orandi formam, niſi quæ ſit in verbo Dei fundata. Nunc oſtendant, ubi nos doceat Spiritus, ullius vel Prophetæ, vel Apoſtoli, vel Martyris patrocinium Deo opponere. Hoc principium ſemper teneamus, Nos non recte orare niſi præeunte Dei verbo. Si ergo Sanctorum interceſſionem, quam non dictavit, illi ingerimus, profana noſtra oratio eſt.

Audiamus quid contra, Mediatores. Rationi conſentaneum eſſe dicunt, ut pro nobis orent Sancti, qui Deo extra mundum vivunt: teneri enim ipſos Jacobi præcepto: Orate pro invicem, alii *Jacob. 5.* pro aliis. Atqui, hactenus putaveram, Epiſtolam *verſ. 16.* hanc vivis ſcriptam eſſe, non mortuis. Hoc certe acumine neminem ferient, niſi valde obtuſum. Eos hortatur Jacobus, qui non doctrina modo, ſed fratrum quoque precibus, ſub carnis infirmitate laborantes indigent. In quo numero non ſunt jam Apoſtoli aut Martyres ſuis certaminibus perfuncti: curſum enim fidelium, morte abſolvi Paulus teſtatur. *2 Tim. 4.* Sed par eſt eos noſtris malis condoleſcere. Unde *verſ. 7.* etiam & pro nobis apud Deum intercedere ſequitur: quia nec voluntas illis deeſt, nec facultas. Reſpondeo, nimis curioſe facere eos, qui de mortuorum ſtatu divinant, quod nullo Scripturæ teſtimonio proditum eſt. Temere vero facere eos, qui affirmant. Rogandi ſunt Moderatores noſtri unde illis revelatum fuerit, vivorum neceſſitatibus conſcios eſſe, quos ab eorum ſocietate mors ſeparavit, Verba Pauli ſunt apud Lucam, Davidem quum *Actor. 13. verſ. 36.*

ætati

ætati ſuæ ſerviiſſet eſſe mortuum. Quibus ſubindicat, miniſtrare nunc à morte ſua poſteris. Quin regni Dei complementum expetant, quicunque ſunt ex Chriſti corpore, non nego: ſed illis affectus tribuere noſtris ſimiles, quaſi omnia cernant quæ in mundo geruntur, temerarium eſt, niſi claris Scripturæ teſtimoniis monſtretur.

Sed hoc quoque urgent Moderatores. Oniam enim adducunt & Jeremiam qui mortui pro ſalute populi protendunt ad Deum manus. Id Judam Machabæum ſomniaſſe narrat, fateor, ſecundus Machabæorum liber: ſed quantum fidei mereatur Judæ ſomnium, unde, quæſo, ſtatuemus? Veniam deprecatur hiſtoriæ illius ſcriptor, ſi quid, hominum more, minus commode ſcribendo, deliquerit. Detur ergo illi, quam petit, venia: modo ne quem ſecum errare cogat. Nobis autem qualiacunque hominum ſcripta diſcernere liceat à certis Dei oraculis. Scire tamen velim, cur non Oniæ & Jeremiæ patrocinium, quod ſibi ex Scriptura notum eſſe jactant, potius commendent Moderatores, quam Petri, vel Pauli, de quo nihil tale proditum eſt. Atqui, poſthabitis Prophetis, recentiores tantum patronos appetunt & in ore habent. De Angelis, pro diverſa officii ratione, aliter ſentiendum eſt. Illis mandata eſt piorum cura & cuſtodia: ſollicitos ergo de ſalute noſtra eſſe oportet, ut Deo pareant. nec aliud quam injunctam ſibi functionem exercent, pro nobis orando. At has dum peculiariter Angelis partes aſſignat Scriptura, piorum animas, quæ in Domino quieſcunt, ab eorum ordine ſegregat. Et ſane ſi earum miniſterio ad curandam ſalutem noſtram uteretur Deus, nihilo de his magis Scriptura, quam de Angelis taceret. Angelos ſuos omnes pro piorum tutela excubare, Deus pronunciat. Quorſum id, niſi ut majore fiducia inſtruamur? Tantundem de ſanctis ſpiritibus dicendum erat, ſi vera eſſet comparatio. Nunc quod tacetur, pro nihilo ducendum eſt: præſertim ubi de re agitur in primis cognitu utili. Atque, ut demus pro nobis orare Apoſtolos & Martyres, implorandum tamen eſſe eorum patrocinium,
Geneſ. 24. verſ. 7. perperam inde colligitur. Audit ſervus Abrahæ, adfuturum ſibi Angelum: ſed ubi opus eſt Angeli præſentia, ad eum ſe minime convertit. Videt miniſter
2 Reg. 6. verſ. 17. Eliſei ingentes Angelorum copias ad opem ſibi ac magiſtro ferendam armatas eſſe: eorum tamen ſuffragatione, Deum invocans, non nititur. Iterum memoria repetant pii lectores, quod prius dixi, hanc nobis omnibus orandi legem eſſe impoſitam, ne quid niſi ex Dei verbo. Qui autem alios ex cælo interceſſores, præter Chriſtum, ſibi advocant, extra verbum Dei vagantur: quare & recte orandi metas tranſilire eos dico: nam quem ex locis quibuſdam fucum Mediatores faciunt, refellere nullo negotio promptum eſt. Nomen ſuum à poſteris ſuis invo-
Geneſ. 48. verſ. 16. cari voluit Jacob, inquiunt. Quod ſequutus Moſes his verbis orat: Memento Domine ſervorum tuo-
Exod. 32. verſ. 13. rum, Abrahæ, Iſaac & Jacob. Sic & in Pſalmo orant fideles Deum, ut recordetur Davidis. Reſpondeo,
Pſal. 132. verſ. 1. non obſcurum eſſe, quid in benedictione Ephraim & in Manaſſe invocatio ſignificet: neque enim aliud voluit Jacob, quam ut divini fœderis gratia ad nepotes ſuos, jure hæreditario perveniret. Promiſſa erat ſalus ejus ſemini: promiſſionem Deus in manus Abrahæ, Iſaac & ipſius Jacob depoſuerat. Hoc ergo petit, ut inter ſancti populi tribus cenſeantur. Nec vero ad hominum perſonas reſpicit Moſes, quum nomina Abrahæ, Iſaac & Jacob in medium adducit: ſed ut ſe alioſque in promiſſionis fide confirmet, cauſam commemorat, cur ipſis oporteat præſtari. Acſi diceret: Domine, non alia quam promiſſionis tuæ fiducia ad te accedimus: quia nos ſumus populus ille, cujus te fore Deum, Abrahæ, Iſaac & Jacob patribus noſtris es pollicitus. Non eſt ergo quod nobis oculos perſtrictum iri ſperent Mediatores, tam evanidas nugas ſpargendo.

Venio ad Sanctorum merita, quibus etiam preces noſtras ſubniti volunt. Eſt quidem hoc aliquid, quod ſuperbam de illis jactantiam mitigant: hoc tamen minime ferendum eſt, quod ex Dei liberalitate, Chriſtique gratia prodeſſe ea nobis dicunt, tam ad protectionem, quam gratiæ impetrationem. Nuſquam hoc illis tribuit verbum Dei. Proſequitur, fateor, gratiam ſuam Dominus erga homines in milleſimam uſque generationem, ſicuti promiſit: ſed ſtulte hinc inferunt Mediatores, re- *Exod. 20. verſ. 6.*
dundare in filios patrum merita. Quin potius hic quidam eſt divinæ miſericordiæ cumulus, ut modis omnibus exundet, quod poſtquam ſalutarem manum gratuito porrexit patribus, eam ad poſteros quoque extendit. Minimam hujus laudis partem à Dei bonitate traducere ad hominum merita, impiæ & ſacrilegæ eſt malignitatis. Nec ejuſmodi errori ſuffragatur, quod de Davide obtendunt Moderatores, in ejus ſcilicet gratiam, Deum populi ſæpius miſertum eſſe. Quia enim cum Davide ſancitum erat fœdus in totius populi ſalutem: hac, ut ita dicam, qualitate induendus eſt, ſi probe volumus intelligere, cur ejus rationem potius in ſervando populo, quam Ezechiæ aut Joſiæ Deus habuerit. Si perfidis Scripturæ corruptoribus hæc non ſapiunt, nihil mirum: ſunt tamen ad quaſſandas diruendaſque omnes inferorum machinas valida. Quanquam ſemper tenendum eſt illud, quod ante poſui, fundamentum: non aliam eſſe pie, recteque precandi rationem, niſi quæ ad divinæ voluntatis præſcriptum exigitur. Tota autem Scriptura non alium Deo Mediatorem proponere jubet, quam ſolum Chriſtum: nec alterius vel patrocinio, vel meritis ſubniti docet, ut certa fiducia nos ad Dei tribunal ſiſtamus. Atque ita reperiemus, quiſquis alios ſibi patronos vel interceſſores quæritat, non eſſe hujus patrocinio contentum. Sollicite ergo cavendum, ne plures aditus captando, januam illam nobis claudamus, qua ſola acceſſus ad Deum patet.

Centies, ſi fieri queat, moriamur potius, quam ut noſtro conſenſu in ſacroſanctam Chriſti Cœnam irrumpat talis profanatio. Nihilo etiam magis concedendum eſt, quod feſtis diebus coli mortuos volunt, ut ſuis nos meritis aſſocient, ſuaque juvent interceſſione apud Deum. En Chriſtiana reformatio, cujus ſpem faciunt imperitis. Si feſtos dies quædam veluti invitamenta eſſe dicerent, ad colendam virtutum memoriam, quæ nos ad imitationem provocet, aliquis ſane eſſet color: ſed cultum inſtitui ex dierum obſervatione, id quod faciunt, nimis deforme eſt. Negabunt, ſcio, hoc ſibi eſſe conſilium: ſed ex re ipſa judicium fiat. In unaquaque parochia feſtum patroni diem celebrandum præcipiunt: nec eo contenti, vocant ſingulares patronos, quibus hic honor deferatur: quum ſatis conſtet, non aliter hactenus habitos eſſe patronos, quam deos tutelares: an non auribus noſtris inſonare debet vox illa Prophetica? Secun- *Jerem. 2. verſ. 28.*
dum numerum urbium tuarum ſunt dii tui. Quam igitur fœda erit noſtra ingratitudo, ſi relicto vitæ fonte, tales nobis fodiamus ciſternas? Si ſolos Prophetas & Apoſtolos eveherent ad hunc honorem, acriter intercedere deceret, ne ex ſanctis Dei miniſtris idola fierent: nunc ad hanc impietatem accedit nimis inſulſa abſurditas: quibuslibet enim patronis ſuos dies feſtos aſſignant. Multa porro ſunt templa Catharinæ dicata, vel Chriſtophoro, vel aliis fictitiis nominibus. Catharinæ aut Chriſtophori precibus, ut juvetur plebs hujus loci, à Domino poſtulabit. Itane cum Deo luditur, ut qui nulli unquam fuerunt obtrudantur ad Deum exorandum patroni? Talibus monſtris qui fomenta ſuppedi-

 tant,

tant, guſtumne aliquem unquam habuiſſe credendi ſunt feriæ ſinceræque Dei invocationis? Omitto Dominicum & ſimiles carnifices. Omitto Medardum, Labitum, & ſimiles ejus beſtias. Quis enim finis eſſet, ſi ſingulas labyrinthi ambages excutere vellem, in quem nos Mediatores pelliciunt? Sed væ bis ac ter eorum perfidiæ, qui ſe tam facilè projiciunt in voluntarium interitum, quem centum mortibus, ſi centum haberent vitas, propulſare debuerant.

Supereſt alter ordo mortuorum, quorum mentionem in Cœna fieri volunt: ut detur illis locus refrigerii, lucis & pacis. Non nego hanc fuiſſe vetuſtiſſimam conſuetudinem: & quoniam magna eſt vis conſuetudinis, aut potius regnum, ideo ejuſmodi preces fateor Chryſoſtomo, Epiphanio, Auguſtino, & ſimilibus probatas fuiſſe, quod à majoribus quaſi per manus, traditæ eſſent. Etſi non exiſtimo, multo ante eorum ætatem, quos nominavi, obrepſiſſe in uſum. Sed quod brevi tempore utcunque invaluerat, nimia facilitate, ſine ratione aut judicio, ſequuti ſunt. Verum, quia Auguſtinum Moderatoribus libuit citare teſtem: audiant quantum ipſe idem alibi in contrariam
Homil. in Joan. 49. ſententiam magis inclinet. Recepti ſunt in pace, inquit, ſancti Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, boni fideles. Omnes tamen adhuc in fine recepturi ſunt, quod promiſit Deus. Promiſſa enim eſt carnis etiam reſurrectio, mortis conſumptio, vita æterna, cum Angelis. Hoc omnes ſimul accepturi ſumus. Nam requiem, quæ continuo poſt mortem datur, ſi ea dignus eſt, tunc accipit quiſque, quum moritur. Si una omnibus eſt requies, non minus pro quovis ex grege fidelium ſupervacaneum erit orare, quam pro Jeſaia vel Paulo. Atqui, hoc poſterius fieri debere, Auguſtinus ubique negat. Supereſt igitur, ut quiete ſua, ultra quam nihil nunc melius optari illis poteſt, ſinamus eos frui: nec Dei nomine in precibus non legitimis, abutamur. Traditionem Apoſtolicam Mediatores eſſe volunt: idque Dionyſii teſtimonio probant. Porro, in recitandis ejus verbis Apoſtolorum nomen ita furtim interſerunt, ut videatur ab ipſo poſitum. Atqui, divinos illic duces nominat, quos ſubinde vocat magiſtros. Deinde, quaſi oculos mundo confixerint, epitheto Areopagitæ ornant ſuum Dionyſium. De Areopagita Euſebius aliquoties meminit: quem Athenienſis Eccleſiæ primum fuiſſe Epiſcopum dicit: atque ita traditum à Dionyſio Alexandrino, refert. Sed quicquam ab eo literis mandatum, non dicit: quod certe, ſi fuiſſet verum, non erat omiſſurus. Hieronymus vero, in ſcriptoribus Eccleſiaſticis, duos numerat Dionyſios: Corinthium unum, qui ſub Marco Antonino Vero, & L. Commodo floruerit: alterum Origenis diſcipulum, qui Alexandrinus Epiſcopus fuerit, ſub Galieni imperio. Sed inter eorum ſcripta, quæ diligenter recenſet, cæleſtis vel Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, mentio nulla. Quoties ergo citantur libri iſti, ſciamus ignoti eſſe ſcriptoris, & non adeo antiqui, quod & ſtylus ipſe, & argumentum clare demonſtrat. At Chryſoſtomus Apoſtolis fert acceptum: nempe, ut alia permulta, quæ quum vulgo recepta eſſent, tamen ignotæ erant originis. Damaſcenum qui legerunt, ſi unicam habent unciam ſani judicii, non multum ejus auctoritati deferent. Quis neſcit puellis infantibus, quum adhuc à nutricis mamma penderent, veteres Euchariſtiam dare ſolitos? Atque hunc morem proculdubio ſe ex traditione Apoſtolica habere putabant. Hoc Cyprianus, Chryſoſtomo & Auguſtino aliquanto antiquior, dixiſſet. Perverſum tamen fuiſſe morem, & à Chriſti inſtitutione alienum,
1 Cor. 11. verſ. 28. teſtatur hæc Pauli ſententia: Probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Denique, poſterior ætas non immerito correxit. Quid igitur ex falſo traditionis nomine fucum iſti faciunt Moderatores, quum in ſimili cauſa ſatis oſtendant, quod volunt eſſe ſacroſanctum, ſibi pluma eſſe levius? Sed quorſum hic divinare attinet? Extant Apoſtolorum ſcripta, quæ copioſe & aperte quicquid in doctrina pietatis erat cognitu neceſſarium, complectuntur. Quin & de mortuis interdum ex profeſſo loquuntur. Pro ipſis orare, nuſquam præcipiunt. Quum Theſſalonicenſes hortatur Paulus, ut luctum in morte ſuorum temperent, *1 Theſſ 4. verſ. 13.* conſolationes adhibet, quas ſciebat ad hanc rem maxime appoſitas. Precum nullus ſermo, qui maxime fuiſſet opportunus, ſi pro mortuis precari liceret. Ad Corinthios ſcribens, argumenta omnia colligit, quibus animas probet à morte eſſe ſuperſtites. Hoc nondum adducit, quod fuiſſet alioqui validiſſimum: Eccleſiam pro mortuis non fruſtra orare. Pro quibus ordinarias preces velit in Eccleſia concipi, Timotheum admonet. De mortuis *1 Tim. 2. verſ. 1.* illic quoque ſilentium. Quod ſi precibus noſtris hodie indigent mortui, major ſub Lege fuit earum neceſſitas. Atqui Sciptura, quum & luctum, & ſepulturam, & alia quædam in ſpeciem minuta accurate referat, verbum de precibus nullum facit. Cui, obſecro, credibile erit, Spiritum ſanctum quod præcipuum erat, oblivisci, dum levioribus inſiſtit? Hinc ſane hominibus non contentioſis liquebit, rem fuiſſe Prophetis & Apoſtolis incognitam.

Sed enim Scripturam quoque opponunt Mediatores: quia præcipiat Apoſtolus, orare alios pro aliis. Si quis eſſet apud eos Dei timor, ſi qua valeret religio, ſi quis vigeret conſcientiæ ſenſus, pœnam certe horrerent, quam impiis Scripturæ ſacræ corruptoribus cogimur imprecari, & quam proculdubio aliquando Deus expetet. Ut viciſſim oremos alii pro aliis, Jacobus nos monet, quum ante *Jacob. 5. verſ. 16.* præcepiſſet de mutua confeſſione. Si comprehendit in hoc ordine mortuos, reſurgant oportet, ac confiteantur nobis peccata ſua: alterum enim cum altero conjungit. Ego vero Jacobi verba multo aptius in eos retorqueo: quando eos ſolos, qui communiter laborant, jubet inter ſe communicare mutuas preces: mortuos eſſe omittendos, qui jam ſuis laboribus ſunt perfuncti. Jacobus, inquam, non alios precibus noſtris commendat, quam qui verſantur adhuc in præſentis vitæ certaminibus. Contra Scriptura beatos pronunciat, qui ſunt in Domino mortui, eo quod jam requieſcant à laboribus ſuis. Si ita eſt, quid illis opitulari queant noſtræ preces? Et tamen magnæ in fratres crudelitatis, & deteſtandæ in Dominum temeritatis damnare non verentur Mediatores, ſi quis ab orationum noſtrarum conſortio mortuos excludat. Imo crudelitatis Deum accuſent potius, qui quum identidem nos tam ſollicite ad orandum pro fratribus hortetur, hanc doctrinam ſemper ad vivos reſtringit. Res certe adeo levis non erat, miſeras animas, quæ ad opem flagitandam mutæ ſunt, ſublevare, ut præteriri debuerit. Cur ne verbo quidem uſquam attingitur? Præſertim quum toties, tamque diligenter, tam copioſe, tam luculenter concionentur Prophetæ omnes, Apoſtoli, Chriſtus denique ipſe, de officiis charitatis: cur hoc ſupprimunt, quod inter alia poſtremum non erat? Jam quæ noſtra eſt in Dominum temeritas? Regulam orandi certam tradit. Eam tenemus: nefas eſſe putamus, inde vel unguem unum deflectere. At Dominus, inquiunt, nequaquam mortuos à vivis ſeparare præcipit. Imo hoc præcepti vice nobis eſſe debet, quod quum ubique vivos nominatim exprimat, mortuos ſegregat ex eorum numero: deinde, quum finitam eorum militiam teſtatur, non amplius habere auxilio noſtro opus, ſignificat. Nuſquam prohibet Deus,

Deus, ne pro Angelis oremus. An eum deteſtabitur, qui orandum negabit? Pro Apoſtolis non eſſe orandum, nec pro Martyribus, fatentur ipſi quoque Mediatores. Atqui, nuſquam legitur prohibitum. Cur in reliquis mortuis tam erit deteſtanda noſtra temeritas? Ipſi vero in Spiritum ſanctum palam ſunt contumelioſi, quem oblivionis in re tam neceſſaria inſimulant. Atque hinc ſimul apparet, quanta ſit eorum moderatio, qui ſuas deteſtationes tam futiliter in nos evomunt.

Eſto tamen, valeat Eccleſiæ veteris conſuetudo, ut ſacerdos in Cœnæ celebratione, mortuos Deo commendet: an ideo debent vigiliæ, anniverſaria & ſimiles nugæ retineri? Sic autem placet Mediatoribus. Obſecro, ſi qua eos cura inſtaurandæ & pietatis, & Eccleſiæ tangeret, ex tanta ſuperſtitionum ſylva, quibus ſcatent mortuales, ut loquuntur, vigiliæ, nihil omnino reſecarent? Imo, ſi quid haberent ingenui pudoris, an non verbo ſaltem attingerent, corrigenda eſſe quædam, quæ nimis inſulſa abſurditate quemvis mediocriter intelligentem offendunt? Fœde illic diſcerpitur Scriptura. Miſcetur incompoſita ſententiarum, hinc inde temere congeſtarum, farrago. Denique, quicquid illic fit ac dicitur, craſſa eſt Scripturæ corruptela. Hoc totum non modo diſſimulant Mediatores, ſed etiam calculo ſuo abſolvunt. Sed audienda eſt præclara eorum ratio: Quam immane eſſet, inquiunt, mortuorum ſupprimi memoriam, acſi animæ una cum corporibus interirent. Ergo quatuor annorum millibus ante Chriſti adventum, & deinceps plus mille annis, quibus nondum erant natæ vigiliæ, nulla fuit de animæ immortalitate fides. Nam certe, ſi huic blaſphemiæ ſubſcribimus, omnes qui à mundi exordio fuerunt Patriarchæ, quicunque ſub Lege vixerunt Prophetæ, pii Reges & alii, Chriſtus, Apoſtoli, univerſi Martyres, Epicurei erunt: quia nullis vigiliis animas vindicarunt ab interitu.

In carnium abſtinentia videntur ſibi optime corrigere quicquid hactenus ſuperſtitionum fuit: quum temperantiæ cauſa non abominationis, eam ſuſcipi docent. Si in ſolo eſu carnium omnes eſſent deliciæ, concedi forte poſſet quod jactant: ſed quis neſcit, in divitum culinis, tunc multo lautiores inſtrui epulas, quum à carnibus abſtinetur? Pauperibus certe, qui larido aut bubula tenuiter victitant, nihil opus eſt, carnis edomandæ cauſa, carnem prohiberi. Divitibus ſolis lex iſta neceſſaria eſt, quæ ad frugalitatem eos revocet. Atqui, ut dictum eſt, nihil minus eſt prohibitio carnium, quam luxuriæ ſumptuumque reſtrictio: tunc enim maxime fumant culinæ: tunc immodici apparatus exundant. Denique, nunquam minus ſunt in victu temperantes, quam quum à carnibus abſtinent. Bis ergo ridiculi ſunt Mediatores, qui frugalitatem ita conſtituunt in abſtinentia carnis, acſi nulla eſſent præter carnem voluptuoſa edulia: ita carni domandæ ſalubre eſſe remedium fingunt, acſi non ſuavioribus ferculis feria ſexta, quam ſecunda, menſæ refertæ eſſent. Hinc certe pluſquam abſurdum eſſe patet, hoc nomine carnes diſcernere à reliquis cibis: quaſi ſublato illarum uſu, cohibita ſit luxuries victus, & inventa macerandæ carnis ratio: quum potius ipſa ciborum varietas novum ſit ſaturis, edendi irritamentum. Verum, ut hoc aliqua ex parte verum ſit: ſuperſtitioſa tamen eſſe dierum obſervatio non deſinit. Excuſant Mediatores, olim ab Eccleſia veteri interdictum fuiſſe carnium eſum ſexta feria & Sabbatho, ut homines tali abſtinentia præparati, ſanctius ad ſacram menſam accederent. Imo certum eſt ex veteribus hiſtoriis, olim nihil tale fuiſſe injunctum. Jejunium, quod Romæ Sabbatho colebant, tanquam rem inſuetam refert Euſebius. Carnis quidem abſtinentia paulatim ſe privata quorundam ſuperſtitione inſinuavit: ac primo quidem occupavit diem Veneris, hinc ad Sabbathum ſe extendit, donec ex conſuetudine lex demum nata eſt, quæ invitos quoque obſtringeret.

Sed quia hoc argumentum copioſe tractare, non eſt præſentis inſtituti: quatuor vitia, quæ in hac prohibitione continentur, breviter notare ſufficiet. Primum injuria fit Deo, quum ſimpliciter, etiam ad certos dies, eſus carnium interdicitur. Carnes non minus quam olera, & piſces, & poma Deus in uſum noſtrum deſtinavit. Hæc creavit omnia, ut cum gratiarum actione veſcamur. Liberum, inquam, omnium uſum, modo ſobrius ſit & frugalis, promiſcue nobis permiſit. Surgunt poſtea homines, qui hac nos libertate privant: ne liceat, quod Deus licere voluit. Meminerimus totum genus vetari, in quo multæ ſunt ſpecies, procul à deliciis luxuriaque remotæ: ut non alio nomine diſpliceant, niſi quia carnis nomen habent. Deinde, ſuperſtitione non caret talis dierum notatio. Honore ſe Chriſti mortem proſequi exiſtimant, & ſepulturam, qui carnem biduo illo non guſtant. Eodem coluntur honore & feſti dies: nec Deo tantum, ſed Apoſtolis aut Martyribus dicati. Si merito reprehenduntur, qui *Galat.* 4. inter diem & diem diſcernunt: carnis abſtinentiam *verſ.* 10. certis diebus alligare, quis ſuperſtitioſum eſſe non videt? Tametſi quadrageſimam non exprimunt: quum tamen ſine exceptione conſueta jejunia, nova ſanctione confirmant, ea quoque in integrum reſtituitur. Quo autem commendari titulo præcipue ſolet, niſi imitationis Chriſti? At ſi ea eſt imitatio: cur quotannis repetitur, quum ſemel tota vita tale jejunium Chriſtus ſuſceperit? Deinde, ſi exemplum hoc eſt, quod ſequi debeamus, eadem fuit in Moſe & Helia ratio. Cur ergo tot ſancti Reges & Prophetæ imitationem neglexerunt? Tota certe vetus Eccleſia non parvo reatu tenebitur. Cur etiam Dominus ipſe, quum adhuc in terris ageret, ſui exempli nullam inter diſcipulos haberi rationem paſſus eſt? Excuſat enim eos, quod non jejunent. Piget in *Luca* 5. re tam liquida verba perdere. Nec vero Mediato- *verſ.* 34. res ipſos fugit, pueriliter errare eos, qui primi quadrageſimale Chriſti jejunium æmulari ſe putarunt, quum abſtinentia qualicunque defungerentur. Quantum enim hoc à dierum quadraginta inedia differebat? Ad hoc, quale temperantiæ exemplum, ubi nec fames eſt, nec cibi appetitus? Multum enim fallitur, qui Chriſtum tunc luctatum cum fame eſſe putat, quum edendi neceſſitate exemptus fuerit. Jejunium illud non ſuſcepit Chriſtus, niſi poſt annum vitæ triceſimum. Suſcepit, quum jam auſpicari vellet ſuſceptum à Patre munus. Suſcepit, ut Euangelio non minus acquireret fidei, quam Lex prius obtinuerat. Denique, ſingulare fuit divinæ virtutis ſpecimen, quod & in ipſo edi, & quo ipſum ab aliis diſtingui oportuit. Contrarium errorem fovere, ut nihil aliud ſit mali, Chriſtianæ ſinceritati minime eſt conſentaneum.

Venio ad tertium vitium, quod priora duo ſuperat. Nam & hoc modo conſcientiis laqueus injicitur, & libertas eripitur, non tantum à Domino conceſſa, ſed etiam parta Chriſti ſanguine. Serio nos Paulus admonet, ne ſervitutis jugum ſubeamus, re- *1 Cor.* 7. nunciantes libertati, ad quam ſumus vocati. Ea vero *verſ.* 23. non tentatur ſolum, ſed labefactatur tota, quum nobis lex ſpiritualis imponitur, quæ conſcientias liget. Nam quod civilem cautionem inſerunt Mediatores, ideo à carnibus interdum arcendos eſſe homines, ne pecora forte aſſiduo eſu conſumant: in eo ſe vel pueris faciunt pluſquam ridiculos. Scilicet quum hominibus Deus permiſit, ut carne quovis tempore veſcerentur, parum conſiderate fecit, hoc periculum non præcavendo. Et optime generi pecuario conſuluerunt, qui poſt quatuor annorum millia cohibuerunt priorem veſcendi licentiam. Mirum eſt autem tam ſtupidos interea fuiſſe homines, ut animalium diminutionem non ſenſerint, quæ eos ad quærendum celerius remedium

cogeret: præſertim quum magnam copiam ſacrifi-
ciis abſumerent. Sed hoc in præſentia non agitur.
Legem enim non politicam, ſed ſpiritualem confir-
mant, qua neceſſitas imponitur conſcientiis. Hoc
nullo modo ferendum eſſe dico, ut imperium uſur-
pent homines in animas: ut quod Dominus liberum
reliquit, illicitum faciant.

Quartum vitium eſt in falſa cultus Dei opinione.
Nam quicquid prætexant Mediatores, quæcunque
obſervatio quaſi neceſſaria, commendatur, conti-
nuo cenſetur ad cultum Dei pertinere. Cujus rei
non eſt quod longius petamus exemplum. Quis
enim non putat religionis partem eſſe, carnium abſ-
tinentiam? Atque hæc ratio eſt, cur per hypocriſin
1 Tim. 4. mentiri & fallere Paulus dicat eos, qui ciborum pro-
v. 2, 3. hibitione novam pietatis formam inducunt. Nam
Rom. 14. quum in cibo & potu non eſſe regnum Dei alibi do-
verſ. 17. ceat, jure hypocriſeos damnat tales de rebus exter-
nis ſanctiones. Sola, inquam, eſt interior cordis
veritas, quam per ſe Dominus requirit. Quæcun-
que vero accedunt exercitia, eatenus probanda ſunt,
quatenus ipſi veritati ſerviunt, aut tanquam utilia
incitamenta, aut tanquam profeſſionis notæ, ut
fidem apud homines noſtram teſtemur. Nec tamen
interea rejicimus quæ ad ordinis diſciplinæque con-
ſervationem faciunt. Sed ubi laqueo induuntur con-
ſcientiæ, & religione obſtringuntur, in quibus re-
bus Deus ſolutas eſſe voluerat, fortiter reclaman-
dum eſt: ne & cultus Dei vitietur commentis ho-
minum, & mortalis homo, qui Legi ſubjectus eſſe
Jacob. 4. debuerat, unici Legiſlatoris tribunal occupet, unde
verſ. 12. conſcientiis imperet, in quibus ſolus Chriſtus re-
gnare debuerat. Denique, audiamus quid Paulus
Coloſſ. 2. dicat: Si mortui ſumus elementis hujus mundi per
verſ. 20. Chriſtum, indignum eſſe ut talibus decretis devin-
ciamur, Ne eſitaveris, ne guſtaveris, ne tetigeris.
Atque ubi ſemel invaluit illa ſuperſtitio, ut ſibi quiſ-
piam nefas eſſe putet carne veſci, eam protinus ſe-
quitur in aliis damnandis audacia: quæ quum zeli
titulo ſplendeat, ſacrilegio tamen affinis eſt. Po-
ſtremo, nunquam fere abeſt præpoſtera illa, de qua
Mat. 15. conqueritur Chriſtus, inanium, imo nihili traditio-
verſ. 9. num admiratio, ut in earum gratiam irrita fiant
mandata Dei.

Sacerdotibus fit conjugii venia, qualis in ordine
militari eſt cauſaria miſſio. Siquidem ne qui gra-
viores motus exiſtant, miniſtros, qui jam conjugio
ſunt impliciti, ſubito divortio non audent ab uxori-
bus divellere: reſtringunt tamen hanc ſuam indul-
gentiam ad tempus generalis Concilii. Hæc duo
ſunt diligenter obſervanda, non permitti conju-
gium miniſtris, quia probetur: ſed tantum ſeditio-
num metu: deinde nihil ſtatui, donec Concilium
definierit. Rationem hanc cur minus placeat ſacer-
1 Cor. 7. dotum conjugium, allegant: quia, teſte Paulo, qui
verſ. 32. cælebs eſt, melius & ſolutiore animo curat ea quæ
ſunt Domini. Audio quid dicat Paulus. Sed an pro-
pterea paſtores ac miniſtros Eccleſiæ cogit ad cæli-
batum? Imo ne hortatur quidem: niſi quatenus ſibi
quiſque expedire agnoſcet. Cuperent Mediatores,
multos inveniri clericos, qui veram caſtitatem in cæ-
libatu colerent. Id optandum eſſe fateor: ſed quum
aliud experientia doceat, quid prodeſt fruſtra cum
neceſſitate luctari? Videmus quo tempore floruit
ſumma inter Chriſtianos ſanctitas, miniſtris Eccleſiæ
non fuiſſe indictum cælibatum. Apoſtolos certum
eſt, quum ſtationem nuſquam fixam haberent, ma-
luiſſe uxores ſuas circumducere, quam ut eas dimit-
terent à ſuo contubernio. Sic enim narrat Paulus.
Nec audiendum eſt puerile illud cavillum, mariros
ſuos ideo ſequutas eſſe, ut publico Eccleſiæ ſumptu
ſimul viverent. Quid enim? Annon poterant ali ex
publico, niſi communi menſa veſcerentur? Idem
Paulus, quum imaginem veri Epiſcopi numeris
omnibus abſolutam pingit, doteſque enumerat qui-
bus excellere maxime debeat, cælibatus nullam fa-
cit mentionem. Hoc patum eſt. Nominatim eligen-
dos eſſe admonet, qui ſingulis uxoribus contenti, *1 Tim. 3.*
fidem conjugalem pudice colant: honeſti ſint patres- *verſ. 2*
familias: liberos ſuos inſtituant in timore Domini. *Tit. 1: 6.*
Hanc eſſe veram ac ſolidam Epiſcopi perfectionem,
cujus Paulus exemplar præſcribit, negari non poteſt.
Quiſquis ergo deeſſe aliquid Eccleſiæ miniſtris pu-
tat, niſi cælibes vivant, aliud ſibi habeat Eccleſiæ
regimen, quam quod nobis Filius Dei commenda-
vit. Atque ut minus dubitationis eſſet, diſerte alibi *Hebr. 13.*
pronunciat Spiritus Dei, Honorabile eſſe in omni- *verſ. 4.*
bus conjugium. Quem locum citando nequiter de-
pravant Mediatores. Prætereunt enim id quod præ-
cipuum erat orationis membrum, nempe, In omni-
bus. Quid enim novi protuliſſet Apoſtolus, ſi ſim-
pliciter dixiſſet, conjugium probro carere? Non-
dum enim talis, vel inter Judæos, vel inter Gentes
ſuperſtitio emerſerat, quæ illud ignominia notaret.
Sed quum forte cælibatum moroſi quidam homines,
tanquam ſanctius per ſe vitæ genus, immodice extol-
lerent: quum horribilem Dei ultionem ſcortatori-
bus & adulteris denunciat, ſimul incontinentiæ re-
medium proponit, ut ſuam quiſque uxorem habeat.
Ne vero conjugium aſpernaretur quiſpiam, teſtatur
eſſe in omnibus honorabile. Quo ſignificat, nemi-
nem eſſe tanta virtutum excellentia præditum, quem
non deceat: nec ab ulla functione quantumvis præ-
clara eſſe alienum. Unde igitur hæc nova ſanctitas?
Reperiemus profecto à Montano, Encratitis, &
ſimilibus eſſe ortam. Damnati quidem illi fuerunt
jam olim: hoc tamen obtinuit Satan ut damnatis ho-
minum perſonis, impius error dimidia ex parte pro-
baretur. Paulatim deinde crevit ſuperſtitio, ut ma-
trimonio ſacerdotibus interdicere quidam vellent.
Idque fuiſſe in Nicena Synodo agitatum refert So- *Tripertit.*
zomenus: ſed tunc interceſſit Paphnutius martyr, *hiſt. lib. 2.*
qui, quum ipſe thori conjugalis expers eſſet, dixit *cap. 14.*
tamen, caſtitatem quoque eſſe, cum uxore propria
concubitum. Nunc vero noſtri Mediatores, ne vi-
deantur conjugio nimium iniqui, tolerandos eſſe
admonent miniſtros, qui adduci non poterunt, ut
quas habent uxores, repudient. Quanquam ſedulo
rurſum cavent, ne ipſorum cauſam probare videan-
tur, dum hoc illis concedi volunt, ne ſi præter mo-
dum urgeantur, tumultum moveant. Hoc modo
concubina Iſlebio conceditur, ne ab ea violenter
avulſus, ad arma conclamet. Dignus certe qui,
quum ſit inanis gloriæ cupidiſſimus, tale probrum
ſuſtineat. Sed miror nullum adeo eſſe pudorem Mo-
deratoribus, ut ſolvere non dubitent ſacram con-
jugii fidem, niſi periculum à graviore motu eſſet.
Atque hic breviter quod prius attigi, repetere ite-
rum cogor. Nam quum hunc honorem deferri Sa-
cramento velint, ut contractum temere inter adole-
ſcentes conjugium nihilominus ratum maneat, etſi
præter jus & fas initum fuerit: quæ iſta eſt deſultoria
levitas, ut quum de ſacerdotibus agitur, Sacramento
nihil habeant honoris? Nos vero dum audimus ex
ore Pauli, diabolicum eſſe commentum, conjugii *1 Tim. 4.*
prohibitionem: his diabolos intrepide vocemus, *v. 1, 3.*
qui ut hanc tyrannidem defendant, conjugium Dei
nomine conſecratum profanare conantur.

Quanquam, ne ſint nimium liberales, addunt,
expectandum eſſe Concilii decretum. Quid ſi igitur
pronunciet Concilium, rata ſe non habere miniſtro-
rum conjugia, an hominum arbitrio protinus fas
erit ſeparari quos Deus conjunxit? Hoc ſane modo
hominum judiciis Dei inſtitutum, quod merito in-
violabile debebat eſſe, ſubjiciunt: niſi Prophetas,
Apoſtolos, præcipuumque ſanctorum Paſtorum flo-
rem expungere velint è numero ſervorum Dei, ſa-
cerdotum conjugium probari à Deo & benedici non
negabunt. Nunc ſtat Dei ſententia, ut relictis, ſi
opus eſt, parentibus, maritus & uxor duo ſint in car-
nem

nem unam. Quibus verbis ſignificat Moſes ſanctum adeo præ aliis eſſe hoc fœdus, ut arctiſſimo etiam ejus conjunctionis vinculo præferatur, quæ prima eſt in natura. Cujus ergo audaciæ eſt, quod tam ſevere à Deo ſancitum eſt, pro nihilo ducere? Præterea ubi cælibatum imperaverint, quis continentiam dabit? Niſi palam Chriſto & Paulo reclamare volent: ſingulare eſſe continentiæ donum, adeoque rarum, & pauciſſimis commune, fateri cogentur. Eo quicunque non ſunt præditi, conjugii remedium ſi reſpuunt, cum Deo pugnando, nihil proficient. Nam ut maxime arceatur externa intemperies, interior tamen libidinum æſtus in corde fervebit. Hinc miſera conſcientiæ inquietudo, quæ hominem non patietur quicquam tranquillo animo, & quemadmodum loquitur Paulus, ex fide aggredi. Ita fiet, ut tale mox pullulet clericorum ſemen, quale nobis jam ante multos annos protulit impurus hic cælibatus. Proinde nunquam volentes patiamur injici Eccleſiæ laqueum, qui non ſolum à miniſterio arceat pios & alioqui maxime idoneos viros, qui puram mentis & corporis caſtitatem in ſancto conjugio colent: ſed fœda fœtidaque ſcortatorum colluvie totum ſacerdotii ordinem inquinet.

Quod ad ceremonias pertinet, quum prope infinita ſit earum congeries, & bona pars ſtultis abſurdiſque ſuperſtitionibus ſit referta, eas dum Mediatores volunt ſervari, correctionem leviter uno verbo attingunt. Quanquam penitus tacuiſſe præſtabat, quam adeo frivola corrigendi ſimulatione defungi. Arcanas operationes, quas ſuis benedictionibus ſubeſſe imaginantur, Deo non rebus ipſis tribuendas eſſe, admonent. Quaſi vero non hic ſemper fons omnium ſuperſtitionum fuerit, Dei nomine abuti! Si fides eorum dictis habetur, luſtralem aquam non per ſe, ſed Dei virtute valere cenſebimus ad dæmones abigendos, propulſandumque quodvis noxæ genus. Nominatur hic quidem Dei virtus, ſed in aquæ guttulam concluſa. Mille alia ejuſdem farinæ prætereo: quia hinc ſatis licebit æſtimare, quale à noſtris Mediatoribus veneni temperamentum miſceatur. Sequitur alio loco: ne ſuperſtitioſi ad imagines concurſus fiant. Atqui, eo ipſo curſitandi licentiam idololatris permittunt: quia ſi abeſſe ſuperſtitionem excipiant, in definitione hærebimus. Quaſi vero in quovis concurſu non ſit aperta convictaque ſuperſtitio, quoſdam vitii notando, alios oblique ab omni vitii nota liberant. En quo ſinceritatis ſtudio agantur. Crucibus & vexillis docent non eſſe exhibendum latriæ cultum. Quid hoc ſibi vult? Ut fiat quod antehac factum eſt. Nam Papiſtis hæc exceptio commune veluti pharmacum eſt ad perverſos omnes cultus excuſandos, dum latriam verbo tantum excludunt. Pluſquam futile hoc quidem cavillum eſt, cultum fingere ſine cultu. Neque enim aliud Græcis ſonat Latriæ nomen, quam Latinis Cultus. Itaque qui latriam ſe deferre ſimulachris negant, quæ adorant religionis cauſa, perinde loquuntur, acſi ἄνθρωπον eſſe hominem negarent, & ζῶον animal. Jam animadvertere licet, qualem in una vocula fucum nobis faciant boni viri: quia modo Græca cultus appellatio removeatur, nec ſimulachrorum improbant cultum, & imaginicolas blande fovent. Denique, nulla illis idololatria diſplicet, modo ne latria vocetur.

Qualiſcunque ſubeunda ſit nobis tam apud imperitos quam apud improbos, vel invidia, vel infamia, talibus impoſturis acriter reſiſtendum eſt. Nimis enim chara erit exiſtimatio, quæ tam perfidioſi ſilentii pretio redimetur. Quanquam non famæ hic tantum, ſed vitæ quoque jactura infracto animo facienda eſt. Interea non metuo, ne qui vere pii ſunt, & Dei veritatem quo decebat ſtudio amplexi, eadem conſtantia retinent, nimium à me vehementer exagitari putent ſceleſtam hanc impietatum farraginem: quæ eo deteſtabilior eſt, quod quum fucoſæ moderationis titulo venditetur, totam Dei gloriam, una cum Chriſti gratia, & hominum ſalute, peſſundat.

Itaque, quum mihi nuper allatum eſſet antidotum Roberti Cenalis, ad poſtulata quæ vocat de Interim, initio valde miratus ſum, quis hominem malis probandis natum novus genius impuliſſet, ut ſtylum adverſus impias iſtas blaſphemias ſtringeret: quarum debuerat patronum ſe, ex more, profiteri. Eſt hic Robertus, de quo loquor, vetulus Sorbonæ theologaſter, & Epiſcopus Abrincenſis. Cogitabam equidem homines minus ſani cerebri, ſenio non deliros reddi tantum, ſed aliquanto etiam moroſiores. Sciebam præterea, quam magiſtrale ſit Sorbonicis doctoribus ſupercilium, imo quam truculenta pertinacia: ut qui non niſi flammis & carnificum manu, pugnare ſoleant. Sed quum ex adverſo libellum, quem refutandum ſuſceperat, viderem tot ſcatere corruptelis, ex tot præſtigiis eſſe conflatum, nihil relinquere purum aut integrum in pietatis doctrina, multiplices claræ luci tenebras obducere, partim æquare divinis legibus, partim etiam præferre hominum placita, continere denique totam fere Papatus inſtaurationem: non videbatur conſentaneum, ut tam infeſto eum impetu aggrederetur Cenalis, unus ex animoſis Papæ ſatellitibus. Si non erat omni ex parte plauſibilis, cauſa tamen non erat tantopere ſtomachandi. Quum inter varias ſuſpiciones hæſitarem, librum curſim evolvo. Hinc agnoſco miſerum ſenecionem, dum materiam pugnandi venatur, in umbra ſua verberanda multum ſumpſiſſe moleſtiæ. Habet hoc præ ſuis gregalibus eximium, quod in poëtarum lectione verſatus eſt. Ex qua ſaltem hoc profecit, ut non modo orationem ſarciat multis carminibus, ſed etiam ſcribendo in hemiſtichia ſubinde prorumpat: nec dubito, quin ſibi vehementer placeat ejuſmodi tinnitu. Niſi enim oblectaretur, non tam anxie in eo elaboraret. Habebat, quantum ſuſpicari licet, collectos ejuſmodi floſculos, quos niſi mature emitteret, videbat perituros: ſecum vero perire nolebat. Et quum ſuam gloriam multi cupide in ſepulchrum ferant, homo minime ſcilicet glorioſus, eam apud vivos relinquere maluit. Nam quum ſcribendi argumentum nullum inveniret, finxit ſibi furfuraceum neſcio quod monſtrum, cui nomen de Interim impoſuit: in quo profligando, vires ſuas omnes experiretur. Nam quæ Proteſtantium eſſe poſtulata nugatur, vel finxit ipſe ſibi, vel naſutus quiſpiam per ludibrium illi obtruſit. Cæterum ſive ultro ſibi accerſivit hoc certamen, ſive alius ſtulta ejus credulitate abuſus, bilem illi acuerit, ſerio non minus quam miſere contra larvam pugnando, ſudat. Admonitus quidem poſtea familiariter ab amico, Interim illud, quod impugnat, nunquam à Proteſtantibus prodiiſſe, ſed à cauponario aliquo ſcurra, ut plurimæ ejuſmodi gerræ quotidie volitant, animi gratia fuiſſe compoſitum: ſuam, in credendo, levitatem ſimul ac ſocordiam rideri maluit, quam laborem tam bene collocatum pèrdere. Quiſquis enim ſenſu communi erit præditus, primo ſtatim guſtu animadvertet, poſtulata quæ recitat, ab omni veri ſpecie abhorrere. Unde colligere promptum erit, bonum ſeniculum umbræ ſuæ fruſtra iraſci. Sed hoc Sorbonico doctori Epiſcopo minime ignoſcendum eſt, ut nugas à neſcio quibus confictas exagitando, orbem temere conturbet. Niſi forſan excipiat, quaſi privilegio quodam licere, & Epiſcopis ineptire, & Sorbonicis deſipere, quia bonæ parti jampridem uſitatum eſt.

Porro, librum Epiſcopalem excutere tametſi non eſt præſentis inſtituti: facere tamen nequeo, quin ex eo pauca delibem. Citantur illic graves auctores, quorum & pondere obruantur, & ſplendore extinguantur,

guantur, & majeſtate concidant omnes hæretici: Ivo Carnotenſis, Speculator, Ahbas Panormitanus, Iſidorus, Thomas Aquinas, Bonifacius Papa, Nicoiaus, & ſimiles. Quid ni? Quum ex emptitiis Speculatoris reſponſis oracula faciat. Quis tam bene inſtructo athletæ victoriam non deſpondeat? Ipſe vero, non expectato aliotum plauſu, feſtivis ſubinde acclamationibus triumphum ſibi canit. Atque nt Areopagum ſuum compleat, Cochlæum etiam illis adjungit: qui quum omnes cochleas hebetudine ſuperet, quanto ſcilicet maſculum præſtare decet fœminis, vocatur hic ſagaciſſimus ſpirituum diſcretor. Digni ſane ambo, qui mutuum ſibi præconium commodent: nam par morionum ex tota Gallia & Germania deligi aptius vix poterat. Quibus autem de rebus litigat Cenalis? Negat ferendum eſſe, ut Eccleſiæ facultates à Proteſtantibus retineantur. Quid ergo? Vultne legitimum in uſum conferri? Imo nec pauperum haberi rationem, nec ſcholis conſuli patitur. Spoliatorum modo reſtitutionem urget: ut ſacerdotum ac monachorum ventres ſaginentur. Quanto itaque ſubulcus melior fuiſſet, quam Epiſcopus, qui tantam porcorum curam habet? Multa tranſilio de quibus ſine adverſario contendit. Tale eſt, quod prohibet legatum mitti, qui veniam abjurationis faciat Proteſtantibus. Atqui, per omnes bonos, quibus ſolis infenſus eſt Cenalis, licebit Romano legato domi quieſcere. Unum eſt caput in quo impotenter furit, quum tractat de ſacerdotum conjugio. Poſtquam enim omnia eloquentiæ ſuæ fulmina vibravit, hoc eſt, evomuit quæcunque ab homine protervo & inſano excogitari poterant convitia: tandem ad arma conclamat: ut ſanguine potius operiatur terra, quam ut tantum nefas, ſicuti ipſe quidem interpretatur, aſpiciat. Sed qui fit ut ſacerdotum conjugia tantopere quaſi inceſtuoſa, ſacrilega, impura, diſdigama & obſcœna deteſtetur? Reſpondet: quia jubemur ſpiritu ambulare, ne carnis deſideriis obſequamur. Atqui, dictum illud Pauli, ad Chriſtianos omnes, ſine exceptione, pertinet. Videmus ergo ut ſanctum conjugium hic canis ſacrilego latratu infamet. Nam ſi cælibes eſſe nos oportet, ut ſpiritu ambulemus, quis dubitet profligandum eſſe ex Eccleſia conjugium? Hanc quidem blaſphemiam ex Syrycio Papa ſuo didicit. Sed quæ tanta ipſos rabies agit, ut palam Montano, Encratitis, & Manichæis ſubſcribant?

Exclamat Cenalis, magnam eſſe improbitatem, magnum flagitium, immane ſacrilegium, ſi in ſacrarium legum divinarum, luxus & carnales trahantur deliciæ. Cur igitur luxum & delicias domi ſuæ graſſari ita patitur: niſi forte quod illinc divinæ leges exulant? Sed quis hominem mente eſſe alienatum non videt, ut ſancto conjugio tam petulanter maledicere non vereatur? Quid enim? An Patriarcharum tabernacula, ædeſque Prophetarum, ac piorum Regum, profana quædam luxus receptacula fuiſſe dicet? An in Apoſtolorum domibus nihil niſi luxurioſum reperiet? Quæ unquam cæleſtis philoſophiæ puriora fuerunt ſacraria? Atqui, eos fuiſſe conjugatos legimus. Quin etiam id inter ſummas eorum laudes Spiritus Dei numerat, quod pie & in caſta diſciplina familias ſuas educarent. Exclamat rurſus: Quis furor, quodve delirium, carnalibus curis ac deſideriis eos immergere, qui non niſi puritatem colere debent? Omitto quod diabolica amentia percitus, ſubinde conjugii honorem ſcelerate deformat. Sed hoc cujus eſt furoris, furioſos & deliros vocare, qui in ordine ſacerdotali conjugium probant? Quum certum ſit, annis plus trecentis in tota Eccleſia fuiſſe
1 Tim 3. verſ. 2. probatum. Paulus quum ad exquiſitiſſimam amuſſim præſcribit quales oporteat eſſe Epiſcopos, nominatim conjugatos laudat. Neque enim dicit, qui fuerint: ſed præſentem ſtatum commemorat. Quo cum ſibi putat eſſe negotium, quum in Dei Spiritum Pauli ore loquentem fœtida ſua maledicta eructat?
Idem Paulus teſtis eſt Apoſtolos, quas habebant 1 Cor. 9. verſ. 5.
uxores non modo retinuiſſe in ſuo contubernio, ſed huc & illuc circumduxiſſe. Tota Eccleſia, quum in perfectionis ſuæ flore eſſet, ne & Deo conjugii auctori, & Prophetis Apoſtoliſque injuriam faceret, paſtores ſuos maritos habuit & patresfamilias. Quum ducentis fere poſt annis fanatici homines cælibatum imperare vellent ſacerdotibus, ſanctus martyr Paphnutius, qui ad extremam ſenectutem cælebs vixerat, acriter interceſſit: ſuaque auctoritate perfecit, ut Synodus Nicena liberum ſacerdotibus, ut prius fuerat, conjugium relinqueret. Nunc phreneticus iſte, cornuum, quæ in mitra geſtat, fiducia, quaſi Solem cadere è cælo videat, ad tantum prodigium obſtupeſcit. Et tam execrandæ in Spiritum blaſphemiæ excipiuntur, magno cum plauſu. Pergit deinde fœtidas ſuas voces ructando. Nam, ut ſe Ovidium legiſſe probet, quod profanus ille de impudico amore dicit, detorquet ad ſanctum conjugium, Non bene, inquit, conveniunt, nec in una ſede morantur, deliciæ maritales, & mens in Deum erecta. Ergo ſecundum hanc pecudem, neque Prophetæ, neque ſancti Patres, neque Apoſtoli, neque infiniti Martyres unquam animos in cælum ſuſtulerunt. Ergo Moſes, cui præ aliis datum eſt coram & quaſi facie ad faciem Deum videre, mente in terram curvata, nihil unquam cæleſtis gratiæ guſtavit. Ejuſdem fere etiam notæ eſt, quod eos viam Balaam ſequi dicit, qui ſacerdotibus conjugium permittunt. Quaſi honeſtum piumque conjugium in caſto Dei timore auſpicari, & Madianitica ſcorta populo Dei miſcere, pelliciendis ad idololatriam animis, nihil inter ſe differant. Nicolaitas præterea vocat ſacerdotes omnes conjugatos: quaſi qui in ducenda una uxore, variis ac profuſis libidinibus, quæ paſſim hodie in toto Papatu graſſantur, remedium quærit, promiſcue uxores vulget ac proſtituat. Sed negat hic bonus doctor, neceſſarium eſſe corrigendæ incontinentiæ remedium, quod Paulus ex Spiritu Dei injungit. Contendit enim poſſe, quicunque volunt, uſtionis morbo eximi: quia ſcriptum ſit, Omnia poſſum in eo qui me confirmat. Sed non conſiderat ex adverſo, Chriſtum his ſolis eſſe adjutorem, qui vocationi ſuæ obtemperant. Ergo ut victricem illam Chriſti potentiam in omnibus experiamur, pendere nos ex Dei mandato neceſſe eſt: ne quis ſibi plus ſumere auſit, quam ab illo conceditur. Quid autem
Paulus ad hæc? Aperte pronunciat, non omnibus 1 Cor. 7.
communiter dari continendo facultatem: eos vero verſ. 9.
omnes, qui incontinentiæ vitio laborant, ne urantur, ad conjugium ſe conferre jubet. Quid etiam
Chriſtus ipſe? Quum Apoſtoli audita cælibatus lau- Mat. 19.
de, beatum vivendi genus eſſe dicerent, negat verſ. 11.
omnes eſſe ejus capaces: quo ſignificat non alios eſſe idoneos, niſi qui peculiariter à Deo vocentur. Atque hinc ſatis apparet, nihil minus quam Eccleſiaſticas eſſe leges, quæ à conjugio arcent quos illuc nominatim Spiritus Dei invitat. Certe Apollonius vetuſtiſſimus ſcriptor, teſte Euſebio, Montano exprobrat, quod matrimonia primus ſolverit, & primus ſolvenda docuerit. Cujus ſe diſcipulos oſtendunt, qui nec contrahi volunt conjugia ſecundum Dei inſtitutum, & quæ ſic contracta erant, rata negant eſſe. Porro, ne inſanire abſque ratione videatur Cenalis, terram mox incolarum multitudine obrutum iri admonet, niſi cælibani nimia ſoboles cohibeatur. Perinde hic loquitur ſubtilis doctor, acſi cælibatus & continentiæ nullum eſſet diſcrimen. Atqui, omnes norunt propagando hominum generi nullum eſſe magis fœcundum ſemen, quam ſacerdotale. Eo enim prorupit indomita omnium fere monachorum ſacerdotumque Papalium libido, ut caſtiſſimus merito cenſeatur, qui domeſtico ſcorto contentus eſt. Quare, ne terram repleant, non à conjugio prohibendi

bendi tantum, ſed penitus caſtrandi erunt. Alioqui fieri non deſinet, quod pridem eſſe factum norunt omnes: ut pro legitimis duobus, cogatur terra tres alere ſpurios. Quod niſi Cenalis totum capitis ſui acumen in mitra Epiſcopali haberet, nunquam ita ſe propinaſſet vel pueris ridendum. Quid enim obſecro riſu dignius, quam quum emiſſarios tauros pinguiter in otio & uſque ad ſaginam paſci jubet, ne ſoboles nova ſuccreſcat? Verum hoc majoris etiamnum amentiæ eſt, quod quum benedictionem ſuam Dominus vocet humani generis propagationem, Cenalis quaſi infelicem ſtrumam ſcalpello reſecari præcipit: & quaſi fortuito gignerentur liberi, timet ne ſupra juſtum modum excreſcat numerus. Sed digna eſt ſacrilega talium hominum ſuperbia, quæ ſe in extremas quaſque abſurditates præcipitet. Nam ſi tot monſtruoſis nefandarum ſcortationum exemplis ſancti conjugii contemptum ultus eſt Deus: quanto graviore ſupplicio digni ſunt contumelioſi iſti inſultus, quibus bacchatur importunum hoc animal? Cæterum, ut nomini ſuo reſpondeat Cenalis, iterum ad culinam revolvitur. Nam ſi homini ſolitario vix tria, inquit, ſacerdotia ſufficiunt, quomodo numeroſæ familiæ unum ſat erit? Niſi pluſquam vecors eſſet, annon cogitaret in promptu eſſe reſponſum: non modo optimum fundum eſſe parſimoniam, cui magis patresfamilias aſſueſcunt: ſed iſtis ſolitariis, quos jactat, multo ſemper amplius eſſe ſodalitium? Frugaliter cum uxore & liberis vivet maritus, ut ex tenui quoque reditu aliquid ſuperſit: at ſacrifici Papales, priuſquam meretrices, ſpurios, lenones ac lenas expleverint, multo uberiores abſumpti erunt proventus, quam qui multis honeſtis familiis pares fuiſſent. Quid profuſos luxus enumerem, in quos quicquid undecunque rapere poſſint vel radere, tanquam in gurgites inexhauſtos projiciunt: ut videantur tantum ad perdendam pecuniam ingenioſi? Nam quo magis abundant, totum fere orbem immergunt ſuis corruptelis. Porro, ut ſe tribeneficiariis ſuis venditet, vertiginoſos appellat, qui unum ſingulis ſacerdotium aſſignant. Certe, ô bone pater, aut ebrium, aut bene ſaturum fuiſſe te oportet, quum tanta vertigine percitum tibi cerebrum fuit, ut ordinem hunc improbare auderes, quem audaciſſimi quoque & improbiſſimi non modo fateri coguntur eſſe rationi conſentaneum, ſed tanquam à natura dictatum, ſervari præcipiunt. Poſtquam ſceleſtus hic nebulo, quicquid unquam in ſua Sorbona haurire potuit blaſphemiarum in Deum evomuit: demum, ſublatis cornibus, Thraſonicam jactantiam efflat: ſe in arenam deſcendere paratum, vel ſi ad ſanguinem uſque pugnandum ſit. Equidem, ut eſt homo ſanguinarius, non dubito, ſi trucidandi eſſent omnes Dei ſervi, fundenduſque innoxius virorum pariter ac mulierum ſanguis, quin ſe libenter anteſignanum præbeat: ſui autem parcere didicit. Cæterum, quum hunc Cyclopem videamus, non minus rigida pertinacia ad oppugnandam veritatem inſiſtere, quam rabioſo adverſus eam odio flagrat; pluſquam turpes flagitioſique ſumus, ſi in confeſſione ſinceræ fidei minus oſtendimus conſtantiæ.

Sed ut ad reformationis adulterinæ fucum revertar: quum perſpicuum ſit, totam illic ſanæ doctrinæ ſinceritatem corrumpi, quiſquis eo ſibi oculos illini ſinet, quomodo ſe Chriſtianum probabit? Video equidem, quæ pericula omnibus propoſita ſint, qui ingenue Chriſtum confiteri volent: quanta apud imperitos invidia urgeantur: quanta in futurum tempus infamia eos maneat. Sed jam ante admonui, nihil tanti eſſe, ut deflectamus ab ea doctrina, in qua & Dei gloria & totius mundi ſalus continetur. Nam quoſcunque hinc inde prætextus ſibi conquirant, qui ad excuſandam ſuam mollitiem plus hodie ſunt ingenioſi, quam par eſſet, nimis tamen indignum eſt, majorem à nobis propriæ famæ rationem haberi, quam Dei gloriæ: magis nos à ſtultis & temerariis hominum opinionibus pendere, quam in Chriſtum reſpicere unicum cæli terræque judicem, adeoque in Angelos & ſanctos omnes, qui ejus ſententiæ ſubſcribunt: beatam illam immortalitatem, quæ nobis promiſſa eſt, ac in cælis repoſita, mundo & huic caducæ vitæ à nobis poſthaberi. Jam tempus poſtulat, ut fidem noſtram, quam antehac lingua & atramento ſumus confeſſi, ſanguine quoque noſtro obſignemus. Jampridem ſi rite profeciſſemus in Chriſti ſchola, debueramus in hac meditatione eſſe exercitati. Hoc enim primum veluti tirocinium eſt, quo ſuos erudit: ut ſeipſos abnegantes, tollenteſque crucem ſuam, ad mortem indefeſſo curſu properent. Nunc perinde novi ſumus ad ſubeunda pro Euangelii teſtimonio pericula, acſi nullum unquam Filius Dei hac de re, quam aſſidue inculcat, verbum feciſſet. Quum olim Caius Caligula ſtatuam ſuam Hieroſolymis in templo collocari mandaſſet, Judæi undique quaſi apum examina, non ut vi & manu impedirent tale ſacrilegium, ſed ut cervices ſuas gladiis opponerent, pro vendicanda templi majeſtate, concurſum ad Præſidem fecerunt. Neque ſubitus ille animorum impetus fuit, qui ſtatim reſideret: ſed quoties de templi profanatione agebatur, innumera prope tam mulierum quam virorum turba, ſui oblita, alacriter ſe ad mortem offerebat: ut non niſi per ſtragem corporum ſuorum via idolo pateret. Et nos non lapideum jam templum, in quo Deus invocetur, habentes, ſed Filium Dei, in quo tota Patris majeſtas habitat, ſilentes ipſum patiemur adeo turpiter violari? Idolum enim erigitur, non quod externam ſacrarii ſpeciem deformet, ſed quod totam Eccleſiæ ſanctitatem inquinet ac pervertat: quod labefactet totum Dei cultum, nihil in religione noſtra impollutum relinquat. Si ad propiora tempora deſcendimus: quot Martyrum millia, adverſus præſentiſſimos mortis terrores invicta fortitudine perſtiterunt? Quid de terroribus loquor? Annon morte ipſa intrepide teſtati ſunt, aliam ſe vitam & quærere, & certo ſperare? Ac tunc quidem ſimulatque exigua lucis ſcintilla hominibus emicuerat, totum cor inflammabat tanto cæleſtis vitæ deſiderio, ut vitam hanc facile, mortemque contemnerent. Nunc quum plenus intelligentiæ fulgor nobis illuceat, nihil fere cordis apparet. Et ſalutem ſperamus ex Euangelio, pro cujus veritate aſſerenda nemo vult periclitari? Itaque, hæc pluſquam perfida ignavia, quam anni unius experimentum prodidit, documentum eſt nimis luculentum noſtræ ingratitudinis: ut jam non amplius quærenda ſit ratio, cur in tot urbibus, atque provinciis puritas Chriſtianiſmi concidat. Cur enim inæſtimabili Dei beneficio diutius fruerentur, qui pro nihilo ipſum duxerunt? Hæc ideo dico, ut quicunque aliquo pietatis ſenſu tanguntur, quaſi extenta Dei manu, ad mortem ſe vocari meminerint. Ac ne animi deficiant, beatius multo ſibi eſſe non dubitent, laboranti, perculſæque Eccleſiæ ſe ultro adjungere ſocios, quam nimium ſibi cavendo, privatæque tranquillitati conſulendo, ſortem appetere à filiis Dei ſegregatam. Dicebat ille, quum mors eſſet præ oculis, ſe nihilòminus ſenectutis fiducia eſſe liberum: etiam ubi non erat tam neceſſaria libertas. An apud nos pro gloriæ Chriſti patrocinio minus futuræ vitæ valebit æternitas, quam apud illum præſentis vitæ brevitas valuit? Pudeat nos quoties illam mulieris vocem audimus quæ inducitur ab ethnico Poëta: Uſque adeone mori miſerum eſt: ſi in reſtanda fide noſtra, ubi diſcrimen aliquod ſe oſtendit, ſuſpenſi hæſitamus. Ego vero, ut mihi ſatis conſcius ſum meæ imbecillitatis, ita Dei ſubſidio fretus, re ipſa, quum uſus poſtulabit, me oſtenſurum confido, quam ſerio crediderim ac credam, beatos eſſe, qui in Domino moriuntur.

APPEN-

APPENDIX LIBELLI DE VERA ECCLESIÆ REFORMANDÆ RATIONE,

In qua refutat Joannes Calvinus cenſuram quandam typographi ignoti, de parvulorum ſanctificatione, & muliebri Baptiſmo.

Annus jam fere præteriit, ex quo mihi indicatum fuerat, libellum meum De vera genuinaque Eccleſiæ reformatione, qui ex typographi noſtri officina, primum juſſu meo prodiit, fuiſſe rurſus in Germania excuſum. Atqui nunc demum, ſerius quam oportuit, admonitus fui corruptum eſſe & mutilum illud Germanicum exemplar: neque id modo, ſed additam ſimul cenſuram fuiſſe, in qua atrociter proſcindor. Quando typographus nomen ſuum ſubticet, cum quo expoſtulem, non habeo. Neque id etiam multum referre arbitror. Quiſpiam forte bene potus, vini aut cerviſiæ ſuæ fumos in me exhalavit. Fieri etiam poteſt, ut aliquis turbulento cerebro, etiam jejunus, impetum in me fecerit. Verum, hominem, quiſquis tandem eſt, omitto. De re ſi agitur, hæc certe indignitas eſt non ferenda, quum ego fideliter ac ſerio in opus aliquod incubui, librarium ignotum arbitratu ſuo conſcindere quicquid non arridet, ac ſcriptum lacerum pro integro venditare. Quanquam ne cui privatam cauſam agere videar, ab hac quoque querimonia ſuperſedeo. Tantum quod totius Eccleſiæ intereſſe arbitror, quia diſſimulare fas non eſt, breviter attingam. Hoc citra arrogantiæ notam, mihi, ut ſpero, per bonos omnes licebit gloriari, labores meos Eccleſiæ Dei mediocriter eſſe utiles. Nunc ſi pravi & impii dogmatis maculam illis adſpergi patiar, multum de fructu, quem inde colligere poterant filii Dei, imminutum iri video. Tacendo, itaque, minorem, quam par erit, publicæ utilitatis rationem à me haberi oſtendam: præſertim ubi in grege Domini numerantur qui me traducunt. Profeſſos enim hoſtes parum moror, à quibus hæreticum me vocitari neceſſe eſt, ſi Chriſtianus haberi velim. Fateor quidem, hoc quaſi ſatale eſſe Chriſti ſervis, ut bene agendo male audiant. Neque vero mihi recuſanda eſt hæc conditio, ut cum Paulo per infamiam & bonam famam progrediar. At quoties locus & facultas datur, non eſt negligenda bonæ cauſæ defenſio. Deinde quum mihi probe conſtet, ſanam eſſe, & ex puro Dei verbo ſumptam doctrinam quæ oppugnatur, mihi ejus patrocinium deſerere, quum à me ſemel tradita fuerit, jam non eſt integrum. Hac enim lege, doctrinæ ſuæ miniſtros Dominus nos conſtituit, ut non minus eam conſtanter tueri jubeat, quam fideliter tradere.

In libello meo ita ad verbum loquutus eram: In Baptiſmo, breviter annotare operæpretium eſt, melius potuiſſe omitti, quod de præciſa ejus neceſſitate commemorant. Præterquam enim quod externis ſignis perperam alligatur animæ ſalus, injuria fit non levis promiſſioni: acſi minus ad præſtandam, quam offert, ſalutem, niſi aliunde adjuta, ſufficeret. Sancta ideo naſcitur ex fidelibus progenies, quod adhuc utero incluſi ipſorum liberi, antequam vitalem ſpiritum hauriant, cooptati tamen ſunt in fœdus vitæ æternæ. Nec ſane alio jure per Baptiſmum aggregantur in Eccleſiam, niſi quia ad corpus Chriſti jam ante pertinebant, quam in lucem ederentur. Alienos enim ad Baptiſmum qui admittit, ipſum profanat. Nunc ergo qui ita neceſſarium ſtatuunt Baptiſmum, ut à ſpe ſalutis excludant, niſi qui eo tincti fuerint, tum in Deum ſunt contumelioſi, tum ſe quoque ipſos implicant magna abſurditate. Nam à Chriſto alienos ſacra Chriſti nota inſignire, qui fas eſſet? Baptiſmum ergo præcedat adoptionis gratia neceſſe eſt: quæ non dimidiæ tantum ſalutis cauſa eſt, ſed eam ipſam ſalutem in ſolidum affert, quæ deinde in Baptiſmo ſancitur. Hinc, ut error alius ex alio ſcaturire ſolet, baptizandi munus, quod ſolis Eccleſiæ miniſtris peculiariter mandavit Chriſtus, non ad unum modo quemlibet ex plebe, ſed ad mulierculas etiam delegant.

Hunc locum ſic exagitat larvatus cenſor, ut craſſum Pelagii errorem à me renovari pronunciet. Ipſe vero nimis craſſus, qui lucem à tenebris non diſtinguit. Pelagius ſupervacuum infantibus Baptiſmum putabat, quia eos fingebat à peccato immunes. Imo nulla illi proprie de Pædobaptiſmo diſputatio erat. Sed quum ad probandum originale peccatum objicerent ſancti Patres Eccleſiæ conſuetudinem in pueris baptizandis, atque inde colligerent, omnes Adæ poſteros reatum æternæ mortis ex utero ſecum afferre: hoc extremum homini præfracto aſylum fuit, non indigere Baptiſmo infantes, quia ſine peccato naſcantur. Quid obſecro Pelagii errori in meis verbis affine reperietur? An ego à peccati reatu eximo pueros? An illorum ſalutem in originali, ut loquuntur, juſtitia, & naturæ integritate colloco? An illos gratuita Dei miſericordia in Eccleſiam recipi nego? An non ubique ipſis quoque remiſſionem peccatorum eſſe neceſſariam contendo, eamque Baptiſmo obſignari profiteor? Jam ſatis conſtare arbitror, quanta ſit cenſoris inſcitia, qui Pelagii errorem, in tam diverſo loquendi genere ſe deprehendiſſe jactat. Certe vel Auguſtini ſcripta nunquam attigit, vel non tantum habuit judicii, ut quænam eſſet Pelagii opinio animadverteret. Ego tamen potius exiſtimo, ab homine antiquitatis imperito, veteris hæretici nomen ex vulgari ſama auditum crepari.

Neque in eo minus peccat, quod non obſervato quæſtionis ſtatu, temere argumenta ſua in ventum ſpargit. Si quis Pædobaptiſmum acriter & validis rationibus hoc tempore defendit, ego certe unus ſum ex numero. Nec de cauſa aut fine controverſia eſt, quin ideo baptizentur, ut inſiti in Chriſti corpus, liberentur ab æterno interitu, peccati, quod illis natura ingenitum eſt, remiſſionem obtineant, induantur gratuita juſtitia. Hujus rei luculentum mihi teſtimonium reddit mea Inſtitutio, Catechiſmus, Solennis formula, quam ego in quotidianum Eccleſiæ noſtræ uſum compoſui. Qua igitur in re diſſenſio eſt? Nempe quod præciſa neceſſitas, quam vulgo nimium urgent, à me improbatur: Puerum, ſi morte repentina abreptus, offerri per tempus ad Baptiſmum non potuerit, arcendum propterea à regno Dei non concedo. Vim Baptiſmi non extenuo: non obſcuro legitimum ipſius uſum: tantum animæ ſalutem alligari ſigno non patior, quin Dei promiſſio ſufficiat. Liberi enim fidelium jam antequam gignantur, adoptati ſunt à Domino, quum dixit: Ero Deus veſter, & ſeminis veſtri. *Geneſ. 17. verſ. 7.* Hac promiſſione contineri infantium ſalutem, certo certius eſt. Cui vero illa non ſufficit, is Deo atrocem facit injuriam: neque enim veracem ipſum agnoſcit, quum ſervandi efficaciam detrahit ejus verbo. Et Chriſti reſponſum controverſiam hac de re dirimit. *Mat. 22. verſ. 32.* Nam ſi vere colligit, Abraham à morte eſſe ſuperſtitem, quia is qui

vivo-

vivorum, non mortuorum Deus eſt, ſe Deum Abrahæ pronunciat: eadem ratione conficitur, genuinos Abrahæ filios, etiam prius quam naſcantur, vitæ æternæ eſſe hæredes, quando in eodem ipſos gradu collocat Dei promiſſio. Meminerint ergo lectores, non hic diſputari, an baptizari infantes neceſſe ſit; nec vocari in dubium, an Baptiſmo inſerantur in Chriſti corpus, an illis ſit lavacrum regenerationis, an peccatorum veniam obſignet: ſed tantum de præciſa neceſſitate moveri quæſtionem. Meminerint, quo argumento contendam, eos ſine Baptiſmo ſalutem poſſe conſequi: nempe, quia per ſe ſatis efficax ſo promiſſio, quæ adhue in utero incluſis vitam aſſignat. Huc pertinet, quod Paulus ſan-
1 Cor. 7. verſ. 14. ctos, honoris cauſa, eos nominat: ſignificans ipſos à communi hominum ſemine, jure fœderis ſegregari.

Alterum argumentum adduco: Quod externis ſignis minime alliganda ſit animæ ſalus. Quid enim Chriſti ſanguini reſiduum fiet, ſi in aqua vitam ſpiritualem includimus? Addo præterea: Ideo baptizari infantes, quia domeſtici ſunt Eccleſiæ. Hoc enim jure nititur Pædobaptiſmus, quod jam Deus ſuos agnoſcit, qui noſtro miniſterio illi offeruntur. Unde & ſuos olim vocabat, quicunque ex Iſraële ducebant originem. Ac merito: ſancta enim erat progenies, ut Paulus docet, Rom. 11: 16.

Hæc omnia diſſimulans cenſor, primum hac ratione contra inſurgit: quod non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis aut viri, ſed ex Deo naſcamur in ſpiritualem vitam: quod non niſi caro ex carne deſcendat: quod omnes naſcamur filii iræ. Quaſi vero negem, maledictum natura eſſe totum Adæ genus, adeoque infantes ipſos, antequam io lucem prodeant, mortis æternæ reatu teneri implicitos. Sed in eo nimirum fallitur quod inter vitium naturale, & remedium aliunde proveniens, non diſcernit. Nec vero novam ſolutionem nunc ex tempore comminiſcor: ſed referam duntaxat, quod ante annos quatuor à me proditum eſt. Sic enim in ſeptimum caput prioris ad Corinthios Epiſtolæ loquor: Qui conveniet hæc ſententia, ſanctos eſſe piorum liberos, cum eo quod alibi tradit: Omnes eſſe natura filios iræ? Item cum ſententia Davidis: Ecce in peccato conceptus ſum? Reſpondeo, univerſalem eſſe propagationem peccati & damnationis in ſemine Adæ: omnes igitur ad unum ſub hac maledictione includi, ſive ex fidelibus, ſive ex impiis deſcendant. Neque enim ſpiritu, ſed carne, liberos ſuos generant fideles. Æqualis itaque eſt in omnibus naturæ conditio, ut ſint tam peccato quam æternæ morti obnoxii. Quod autem liberis fidelium ſpeciale privilegium tribuit Apoſtolus, id fluit ex beneficio fœderis: quo ſupervenienre, deletur naturæ maledicto: & Deo per gratiam conſecrantur, qui natura profani erant. Sic ego illic ad verbum. Inſtitutio quoque noſtra pleniorem ejus rei explicationem continet: ſic enim alicubi loquor: Quum ſcriptum ſit, nos omnes eſſe natura filios iræ, ac in peccato conceptos, cui damnatio adhæret: è natura noſtra demigremus oportet, antequam in regnum Dei aditus nobis pateat. Et quid dici clarius poteſt, quam carnem & ſanguinem regnum Dei poſſidere non poſſe? Aboleatur ergo quicquid noſtrum eſt, tum poſſeſſionem hanc cernemus. Inde colligo, regeneratione opus habere infantes. Sed hanc ex promiſſione gratiam illis provenire contendo: Baptiſmum vero, ſigilli inſtar ſequi. Denique hoc paſſim inculco, ſupernaturale eſſe privilegium, quod à reatu eximuntur. Quanquam cenſori hæc ſolutio ignota eſſe non debebat: quum ex Auguſtino eam ſumpſerim.

Quod Joannes Baptiſta ab utero ſanctificatus eſt, inter alia quæ illic narrantur miracula referendum eſſe dicit. Aſſentior: neque ego hoc teſtimonio in præſenti cauſa oſus ſum. Alibi contra Anabaptiſtas adduco, ex quorum numero, tameſi hunc non puto eſſe, tamen, ut inconſiderati homines ſolent, ſe in malam ſuſpicionem temere projicit. Porro quaſi duos jam profligaverit errores, poſtquam temere effutivit Pelagii oomen, & ex Paulo recitavit, omnes eſſe natura filios iræ, ad tertium errorem ſe deſcendere profitetur. Quiſnam vero hic error? Quod Baptiſmum, ſi alienis conferatur, profanari dico. Atqui, ſi cenſori negotium foret cum Anabaptiſta, eandem mecum rationem adduceret, jure conferri Baptiſmum pueris, quos Deus in fœdus ſuum adoptavit. Quid ergo abſurdi in re prorſus confeſſa invenit? Excipit ſcilicet, nos quoque fuiſſe alienos & ex Gentibus peccatores: fuiſſe tamen baptizatos Chriſti mandato: qui non ſanctos tantum vel ſanctorum filios, ſed omnes gentes baptizari juſſit. Certe hic bonus pater, ſecure, ut video, in umbra vini aut cerviſiæ philoſophari ſolitus, eandem confidentiam longius ſpargere voluit. Sed expendere debuerat, quo ſenſu profanari Baptiſmum dicam, ſi alienos promiſcue ac domeſticos ad eum admittimus. Et vero id ex Chriſti mandato quod citat, evincere promptum eſt. Chriſtus omnes jubet baptizari, inquit. An non prius vult Euangelium prædicari? Hunc enim ordinem commendat Apoſtolis, ut Mat. 28.
doceant ac baptizent. Ergo Euangelii doctrina, qui verſ. 19.
prius alieni erant, inſeruntur in Eccleſiam. Ita Paulus docet, quum Judæi, qui naturales rami ſanctæ Rom. 11.
radicis erant, defracti fuerint, Gentes tanquam verſ. 20.
ſylveſtres oleaſtros, fuiſſe in illorum locum inſitas. Quomodo hoc? Nempe per Euangelium. Abſurde ergo cenſor noſter, qui membrum unum decerpit: imo, quæ à Chriſto conjuncta erant, divellit ac lacerat. Quare, breviter reſpondeo: vocari quidem ad Baptiſmum, Chriſti voce, alienos: ſed prius Euangelii prædicatione cooptari in familiam. Ita ante domeſticus erat Abraham, quam Circumciſionis ſignum accepit. Quod ad minores natu attinet, quia illos etiam comprehendit Deus in fœdere, non alieni jam reputantur, ſed gratiæ ſunt hæredes. Quemadmodum & ex Petri concione diſcimus. Quid autem hac de re prius tradiderim, teſtis eſt mea Inſtitutio, ubi ad verbum ſic habetur: Cur in Abrahamo fidem Circumciſio ſequitur, in Iſaac filio omnem intelligentiam præcedit? Quoniam eum, qui adulta demum ætate in fœderis ſocietatem recipitur, à quo fuerat hactenus alienus, ejus conditiones antea perdiſcere æquum eſt: infantem vero ex eo progenitum non item, qui hæreditario jure, ſecundum promiſſionis formulam, jam à matris utero, in fœdere continetur. Aut, quo res clarius ac brevius indicetur, ſi fidelium liberi citra intelligentiæ adminiculum, fœderis ſunt participes, non eſt cur ob id à ſigno arceantur, quia in fœderis ſtipulationem jurare nequeunt. Qui vero infidelis eſt, impiis ortus parentibus, donec per fidem Deo uniatur, à fœderis communione extraneus cenſetur. Itaque, nihil mirum, ſi nec ſigno communicet, cujus ſignificatio in eo fallax inaniſque foret. Non alioſum hæc refero, niſi ut cuivis appareat cenſoris confidentiam ex mera inſcitia proficiſci, quia mentem meam non ſit aſſequutus. Hinc refellitur alterum objectum: Chriſtus ſanis opus non eſſe medico dixit. Fateor ſane: & ideo non aliter quam ejus gratia, reſtitui ſanitatem doceo, tam parvulis quam adultis. Sed qui in aqua ſola quæri volunt medicinam, quid ipſi Chriſto, quid ejus ſanguini, quid Euangelio, quid Spiritus virtuti faciunt reliquum? Porro non alia de re mecum litigat cenſor, niſi quia reſtituendis in vitam parvulis, ubi mors ſubita Baptiſmi facultatem illis auſert, remedium in promiſſione, quam proprio ſanguine Chriſtus ſancivit, efficax plerumque eſſe doceo: ille autem ſalutis ſpem præcidit, niſi ab externo elemento petatur. Quærit an Judæo vel Turcæ negandus ſit Baptiſmus, ſi eum poſtulent. Hic nemo non videt, quam craſſe hallucinetur,

qui alienos fingit, quibus fidem aſſignat. Quid autem ſecum ipſe deliret, nihil moror. Verum ſtulte hoc argumento me aggreditur, qui ubique doceo, fide eos omnes, qui alieniſſimi fuerant, in Dei familiam & Chriſti corpus coaleſcere. Neque tamen id obſtat, quominus per Baptiſmum quoque in Eccleſiam ſolenni ritu aggregentur: quo magis rata ſit eorum inſitio, dum ſigillum in ejus confirmationem accedit.

De Papiſtarum liberis expedita eſt reſponſio. Quod jure eos baptizari pro confeſſo aſſumit, libenter illi concedo: ſed falſo exiſtimat, extraneos ideo à me cenſeri, quia neque ex patre ſancto geniti, neque ex ſancta matre nati fuerint. Neque enim propterea ſanctorum filii eſſe deſinunt, quum longius ducenda ſit originis ſeries. Neque enim in uno gradu conſiſtit Deus, ſed vitæ promiſſionem in mille *Rom. 11. verſ. 16.* generationes diffundit. Ita Paulus, dum ex radice ſancta ramos eſſe ſanctos colligit, & conſperſionem in primitiis conſecrari docet, qualis unicuique fuerit pater, non reputat: ſed omnes agnoſcit ſanctos, qui ex Abraham & reliquis Patribus fuerant Progeniti. Quærit an non pius fieri poſſit Impii hominis filius. Et mox exclamat, nihil hoc errore craſſius fingi poſſe. Ego vero ſine exclamatione placide ipſum moneo, ne poſthac in tantum fervorem, nulla cauſa incitatus, prorumpat: nam de eo inepte certamen movet, quod verum eſſe omnes fatentur.

Quod profanari Baptiſmum dico, ſi alienis conferatur, perinde valere exiſtimat, acſi quis ægrotum non eſſe curandum diceret, quia ægrotus eſt. Tametſi aliquid haberet coloris hæc ſimilitudo apud imperitos, breviter tamen oſtendere promptum eſt, quam ſit intempeſtiva. Domeſticos enim appello, non qui ſani ſunt, ut Chriſto non indigeant: ſed qui in ſe mortui, vitam in eo quærunt. Sicuti per alienos non intelligendi ſunt, quicunque alienati ſunt à Deo per peccatum, ſed quos à regno ſuo adhuc arcet, ut noſtrum miniſterium ſe ad eos uſque non extendat. Tales vero ſunt omnes, quibus non deſtinatur Baptiſmus, Chriſti mandato: ſed hæc omnia ex uno ignorantiæ fonte manant, quod nunquam intellexit cenſor, qui immundi ſunt natura, eoſdem fœderis beneficio ſanctos eſſe: qui exulant à regno Dei ob peccatum; jure adoptionis propinquos eſſe Deo: qui æternæ morti obnoxii ſunt, imo penitus in Adam mortui, benedictionem ex hoc verbo conſequi, Ero ſeminis tui Deus: ut vitæ cæleſtis ſint hæredes. Denique, nunquam expendit quale inter Chriſtianorum & Turcarum liberos eſſet diſcrimen. Accedit etiam altera perinde craſſa naturæ efficaciæque Baptiſmi ignoratio: nam ſi hoc illi modo in mentem veniſſet, Baptiſmum, Verbi eſſe appendicem, hoc ipſum de quo litigat, vidiſſet ſequi: non eſſe ſigni capaces, niſi qui jam Verbo ſanctificati fuerint.

Ex eodem principio fluit & iſtud delirium, quod mulieres facit Baptiſmi adminiſtras in caſu, ut vocat, neceſſitatis: me vero, qui hanc alieni muneris illicitam eſſe uſurpationem dico, toto errare cælo ſuperciliose pronunciat. Hæc vero non gravis literati hominis cenſura eſt, ſed barbara hominis mechanici licentia, adeo ſuperbe hominem non male de Eccleſia meritum damnare. Toto cælo errare Calvinum, ignotus & ſine nomine typographus cenſet. Quantum ponderis habitura eſt gigantis hujus auctoritas, nullis rationibus ſuffulta? Cæterum, quia vetus ac tritum proverbium eſt apud imperitos, communem errorem haberi juris loco: hæc autem opinio temere concepta ſub tenebris Papatus ita obtinuit, ut vix hodie ex multorum animis revelli queat: quam frivola ſit & abſurda, paucis verbis oſtendam. Mulieri jus, munuſque baptizandi ordinarium non competere fatentur omnes: neceſſitatem excuſant, ſi immineat mortis periculum. Sed unde hoc perſuaſum habent, niſi quia libet ita credere? Nec vero me fugit, neceſſitatem, quam fingunt, ex Chriſti verbis ſolere colligi: Niſi quis *Joan. 3. verſ. 5.* renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non intrabit in regnum Dei. Nempe ſimili olim errore ducti, infantibus panem Euchariſtiæ & calicem ingerebant: quia ſcriptum eſt: Niſi carnem Filii hominis comederitis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Atqui, hodie ne Papiſtæ quidem, quamlibet cæci ſint, ad hunc ſecundum lapidem impingunt. In Baptiſmo neſcio qui factum ſit, ut abſolutam neceſſitatem conſtituerent. Quanquam hoc abſurdum, quod quum in adultis aliquam adhibeant moderationem, ſolis infantibus ſe inexorabiles præbent. Adultæ ætatis hominem ſine Baptiſmo ſalvum fieri poſſe concedunt, modo votum adſit. Cur ergo infantem recens natum pia parentum vota eximere à reatu non poterunt? Cæterum, Chriſti verba aliorſum trahunt, quam intelligi debeant. Primum, totam fere illam concionem allegoricam eſſe conſtat. Verum, ut illud omittam, ſi quis integro judicio locum hunc expendat, nullam fieri Baptiſmi mentionem, facile animadvertet. Sed hoc mali eſt, quod qui temere arripiunt vocem Aquæ, præſumpta opinione deluſi, nihil poſtea judicant. Porro, mihi non aliud ſignificat aqua & Spiritus, quam Spiritus & ignis: nam ut hic poſteriore loco nomen Ignis vice epitheti ponitur: ita priore illo aquam puto vocari Spiritum, quia vim officiumque Aquæ habeat. Alii ſpiritum & aquam, ut ſubtilia elementa, terræ opponunt. Et quidam ex veteribus aquam interpretantur, carnis mortificationem. Horum certe utrumque magis tolerabile, quam ſymbolo alligare hominis ſalutem.

Non agitur hic de neceſſaria Baptiſmi obſervatione: nam infantes baptizandos eſſe inter nos convenit: ut libera non ſit ſigni omiſſio. Sed ubi filium libenter parentes ad Baptiſmum offerrent, ſi morte præripitur, an deſperanda ſit ejus ſalus, quæſtio eſt. Qui perditos eſſe volunt omnes, quibus aqua tingi non contigit, nimis maligne ſentiunt de Chriſti regno: ſub quo reſtrictiorem Dei gratiam eſſe fingunt, quam olim ſub Lege fuerit. Quia fas tunc non erat ante octavum diem circumcidere, ſi quis puer triduo poſt natalem ſuum mortuus eſſet, nulla erat noxa: ſiquidem fœdus & promiſſio, illi in jus adoptionis ſatis erat. Nunc quum dies præſcriptus non ſit Baptiſmo, qui nec contemptu, nec negligentia ſignum præteribit, pluſquam abſurdum eſt Dei beneficio fraudari, quo Judæi ſub Lege potiebantur. Alioqui, veniſſe Chriſtum non ad implendas, ſed abolendas promiſſiones dicemus, quando promiſſio quæ ante ad ſalutem conferendam per ſe valebat, nunc abſque ſigni adminiculo rata non erit. Sed aliter plerique ex vetuſtis Eccleſiæ ſcriptoribus ſenſerunt. Atqui, ſimul notare operæpretium eſt, quatenus ſuæ ſententiæ deferri voluerint. Id Auguſtinus Epiſt. 28. ad Hieronym. paucis verbis dilucide explicat. Contra Cypriani opinionem, inquit, qui forte non vidit quod videndum erat, ſentiat quiſque quod volet. Tantum contra manifeſtiſſimam Apoſtoli fidem non ſentiat, qui dicit omnes in condemnationem naſci: contra Eccleſiæ fundatiſſimum morem non ſentiat, quæ propter animæ periculum ad Baptiſmum currit. Ego vero omnes in Adam mori fateor, nec parvulos minus quam adultos opus habere Chriſti redemptione. Nec receptum morem Eccleſiæ improbo, ut ad Baptiſmum currat. Tantum in eo falli Auguſtinum dico, quod periculum ſtatuens, ſpem vitæ præcidit infantibus, quos Dominus ſuos eſſe pronunciat, & quibus Baptiſmus non competeret, niſi jam in Eccleſiæ ſocietatem, Dei promiſſione vocarentur. Quæ igitur, dicet quiſpiam, currendi ratio? Nempe hæc opinor ſatis legitima, ut quam

Domi-

Dominus ſalutem verbo ſuo promittit, in corpore filii obſignatam & quaſi inſculptam cernat parens: ut filii ablutionem in Chriſto quærens, ſe morti obnoxium cum toto ſuo ſemine profiteatur: ne teſſeram, quæ confirmandæ fidei data eſt, videatur negligere. Denique, ut Chriſtianorum inſigne filius in ſepulchrum ferat. Illa autem periculi opinio, quia privatum fuit commentum, ſecure repudiari poteſt: quia manifeſtis Scripturæ teſtimoniis, quæ prius citavi, contraria eſt, faceſſere debet è medio. Quod ſi cui Auguſtini ſententiam pervicaciter tueri placet, omnes ſibi damnandos meminerit, quibus non licuerit per ætatem fieri Cœnæ Domini participes: nam in eodem utrumque ordine locat: ut non minus periiſſe cenſeat, qui Cœnæ Dominicæ participatione caruit, quam qui Baptiſmum non accepit. libr. De merit. & remiſſ. peccat. 1. cap. 24. & ad Bonifac. Epiſt. 106.

Neque tamen dicit Auguſtinus, adductam ejuſmodi periculo Eccleſiam fuiſſe, ut baptizandi licentiam mulieribus permitteret: nam in extremo etiam periculo ad templum properare ſolitos dicit, ut publico miniſterio uterentur. Unde ſequitur, nullo Eccleſiæ uſu aut more fuiſſe receptum, ut privatim ſibi quiſpiam munus arriperet. Alibi quoque dicit, matres in templum currere, ut filiorum ſaluti conſulant. Nuſquam eas dicit, manu ſua remedium adhibere. Ex eo etiam quod tradit lib. 2. contra epiſtolam Parmen. cap. 13 conjicere licet, omnino muliebrem Baptiſmum illa ætate fuiſſe incognitum. Si laicus, inquit, neceſſitate compulſus, Baptiſmum dederit, neſcio an quiſquam pie dixerit eſſe repetendum: nulla enim cogente neceſſitate ſi fiat, alieni muneris uſurpatio eſt. Si autem neceſſitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum eſt. Debuerat certe potius de muliere movere quæſtionem, ſi ullum tale exemplum tunc extitiſſet. Quum de ſolis viris dubitat, nemo certe non videt, nihil de mulieribus veniſſe in mentem, quia res erat prorſus inaudita. Adhuc in viris ipſis dubius hæſitat, nec eos prorſus excuſare audet à veniali peccato. Sed omnem dubitationem apertius tollit Carthaginenſis
cap. 100. Concilii decretum, ubi ſine exceptione prohibentur mulieres à Baptiſmi miniſterio. Quare ne amplius dicat typographus me toto errare cælo, cujus pedem in ſtabili fultura tam bene fixum eſſe videt. Hac ratione Tertullianus, Non permittitur mulieri, inquit, in Eccleſia loqui: ſed nec docere, nec tingere, nec offerre: ne ullius virilis, nedum ſacerdotalis officii ſortem ſibi vindicet. Qui locus mendoſe quidem legitur. Sed nemini mediocriter erudito dubium erit, quin hæc Tertulliani ſit ſententia. Nec vero prætereundum eſt, quod apud Epiphanium habetur: nam libro contra hæreſes primo Marcioni exprobrat, quod mulieribus det baptizandi licentiam: idque inter ludibria numerat quibus plenam fuiſſe ſectam dicit. Libro autem ſecundo de Phrygibus & Priſcillianis loquens, irridet eorum amentiam, quod mulieres faciant Epiſcopos, quia in Chriſto non ſit mas aut fœmina. Neque vero me latet, quid dicturus ſit cenſor, multum ſcilicet inter communem uſum intereſſe, & extraordinarium remedium quum urget ultima neceſſitas. Sed quum nulla ab Epiphanio neceſſitas excepta ſit, ubi ludibrium eſſe pronunciat, dare fœminis baptizandi licentiam, probe mihi colligere videor, corruptelam hanc ita ab eo damnari, ut nullo prætextu ſit excuſabilis. Ita libro tertio, quum hoc, ne ſanctæ quidem Chriſti matri fuiſſe permiſſum docet, nec ullam reſtrictionem addit, quis non videt muliebrem Baptiſmum generaliter ab ipſo improbari? Denique ſumma impudentia eſt, vetuſtatis patrocinium hic obtendere: quando aperte conſtat nonniſi cum barbara totius Chriſtianiſmi confuſione inoleviſſe hunc abuſum.

Citatur ex adverſo Sephoræ exemplum: in quo nonnulli plus juſto ſibi placentes, ἀβλεψίαν ſuam produnt. Primum, vel ipſis concedentibus, Circumciſionis & Baptiſmi diſſimilis eſt ratio. Neque enim verus illud ſymbolum ita abſolute neceſſarium fuiſſe tradunt. Deinde quod placatus fuit Domini angelus, inde perperam colligi dico, probatum Deo fuiſſe quod egit Sephora. Alioqui dicemus placuiſſe illi cultum, quem perfunctorie exhibebant Samariæ incolæ, illic ab Aſſyriis traducti, 2 Reg. 17. Tertio fuit illud facinus ſingulare, quod in exemplum male trahetur. Adhæc, nuſquam ſacerdotibus ſpeciale circumcidendi mandatum legimus datum eſſe. Aperta autem ſunt Chriſti verba: Ite, docete omnes gentes, ac baptizate. Certe eoſdem conſtituit & Euangelii præcones, & Baptiſmi adminiſtros. Si nemo honorem ſibi rite in Eccleſia uſurpat, teſte Apoſtolo, niſi qui vocatus eſt, ut Aaron: quiſquis ſine legitima vocatione baptizat, eum temere involare in alienam functionem dico. Quid enim? quum ne Dei quidem Filius ſe ingerere voluerit, an ſibi neſcio quis terræ filius ſe publicum tanti myſterii diſpenſatorem nulla auctoritate creabit? In rebus etiam minutiſſimis, ut in cibo & potu, quicquid dubia conſcientia aggredimur & audemus, Paulus aperte peccatum eſſe clamat. Porro in muliebri Baptiſmo quæ fidei certitudo eſſe poteſt, quum tradita à Chriſto regula violetur? Nam quod Euangelii ſui miniſtris munus injungit, mulieres ad ſe rapiunt. Reſpondeat mihi cenſor, an homini fas ſit divellere, quæ Dominus conjungit? A Chriſto enim hæc conjuncta eſſe oſtendo, Euangelii prædicationem, & baptizandi miniſterium. Os ergo contra diſertam Spiritus prohibitionem, mulieribus aperiat, qui alterum, quod inde ſequitur, illis vult licere. Sed mirari ſatis nequeo tam hebetes eſſe, qui hunc colorem obtendunt, ut non perſpiciant nihil minus Sephoræ fuiſſe propoſitum, quam ut Deo miniſterium præſtaret. Fremens & indignabunda præputium in terram projicit. Marito ſic convitiatur, ut Deum ipſum crudelitatis inſimulet. Nec me latet, quid hoc loco fabulentur Judæi. Res tamen clara eſt: fœminam impotentia animi ardentem, Deo & marito obſtrepere, quod filii ſanguinem ipſa fundere cogitur. Denique, ne ſermonem longius protraham, breviter oſtendam ſenſu communi eſſe deſtitutos, qui regulam ex facto Sephoræ petendam contendunt. Præſente marito, circumcidit filium. Et quiſnam eſt vir ille? Moſes primarius Dei Propheta, quo nullus unquam major in Iſraële ſurrexit. Reſpondeant mihi gynæcobaptiſtæ, an fœminæ daturi ſint coram Epiſcopo baptizandi licentiam. Certe, pudorem illis incutiet tantum portentum. Neque frontem typographi adeo perfrictam eſſe puto, quin ipſum ebriæ cenſuræ pudeat.

Interea ſobrios lectores obteſtor, ut qualem ego religionem tractandis Dei oraculis affero, ipſi quoque modeſtiam legendis ſcriptis meis adhibeant. Sane mihi teſtis eſt conſcientia, reverenter, & qua decet humilitate, tanquam in Dei & Angelorum conſpectu aliis tradere, quod mihi à Spiritu Chriſti datum eſt: nec tam quod mihi adlubeſcit, ſequi, quam mentem meam in Dei obſequium addicere. Me vero procul abeſſe ab eorum numero, quos ad captandam dogmatum novitatem, ambitio ſollicitat, tota vitæ meæ ratio teſtatur. Et in libris meis, ut opinor, nulla oſtentatio: ſimplex autem ædificandi ſtudium ubique eminet.

R E S P O N S I O
A D
VERSIPELLEM QUENDAM
M E D I A T O R E M,

Qui pácificandi ſpecie rectum Euangelii curſum in Gallia abrumpere molitus eſt.

EXcuſus eſt his diebus virulentus liber plauſibili titulo fucatus, De officio pii, ac publicæ tranquillitatis vere amantis viri, in hoc religionis diſſidio. Auctor nomen ſuum ideo ſe non adſcripſiſſe excuſat, ne conceptum ex perſona præjudicium, cauſæ obeſſet. Equidem facile patiar de re tota integrum ex libro judicium fieri: modo è medio tollantur larvæ, quas ſibi multiplices induit ad fallendos imperitos. Se à prima adoleſcentia valde religioſum fuiſſe jactat, nec tamen ſuperſtitionibus deditum: ſibique arrogat quod nemo quamlibet excellentis ingenii de ſe profiteri auſit: ut ſimplicibus, qui præſertim eum non noverunt, perſuadeat ſe Angelum è cælo delapſum, cujus voci non ſecus atque oraculo acquieſcere rectum ac tutum ſit. At quoniam apud nos, quibus pridem familiariter cognitus eſt, nullum hujus tantæ vel pietatis, vel prudentiæ ſpecimen edidit, ſibi à nimia credendi facilitate caveant lectores. Conqueritur graves & moderatos viros, quorum videri vult ſignifer magis quam poſtremus, excludi à publicis conſiliis, nec auctoritate qua decebat valere ad ſedandas turbas. Quaſi vero nos lateat quorſum nuper profectus ſit in Galliam: quam fallaci prætextu ſimulaverit curanda ſibi eſſe domeſtica negotia, quum recta ſe ad eum contulerit, ex cujus gratia ſperabat opimam prædam: quæ conſilia coxerit, & poſtea agitaverit: quam ſe proditorie inſinuaverit apud quoſdam Proceres: & quibus nunc quoque artibus ſe venditare cupiat. Commendat ſuum ſtudium: æquo, moderato, amico, & fraterno animo librum meras impoſturas & præſtigias ſpirantem, tuendis ac tegendis impiis erroribus compoſitum, & refertum calumniis ac virulentia, à ſe editum fuiſſe aſſerit. Atqui par ſuperbiæ & faſtus, deinde ſervilis malitiæ & verſutiæ exemplum reperire, difficile eſſet. Faceſſant igitur è medio decipulæ, quibus nimium credulos deludere tentavit: ne fallaces prætextus, quibus favorem venatus eſt, iniquo præjudicio; cauſæ veritatem gravent. Ego viciſſim, ne videar acquirendæ fidei cauſa obtendere perſonam, quæ lectores ſuo pondere moveat, nomen meum ſubticebo.

Prodit in medium Pacificator quidam, ac ſe brevem & expeditam rationem afferre prædicat, qua dirimantur omnes controverſiæ quibus hodie laborat Eccleſia. Exclamare libet, Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu? Nolim tamen ſperni, ſi quod utile afferat: nec vero temere deſpiciendus eſt qui experientia duce & magiſtra, poſt varias fluctuationes tandem portum ſecuritatis reperit, ad quem alios invitat. Sed hic cavendum eſt, ne ubi imago quieti portus oſtenditur, errore trahamur in arenas, quæ nos abſorbeant. Et certe mox deprehendent quicunque mediocri judicio erunt præditi, ſatius eſſe duriter vexari inter ſcopulos quoslibet, quam demergi in hac palude, quæ loco portus ab hoc bono & fido duce oſtentatur. Quia autem ſuſpicatus eſt non poſſe omnes ſuis illecebris facile incantari, poſtulat ut eo animo feramus à nobis diſſentientem, quo nos ipſe tolerat, dum ab ipſo diſſidemus. Magnum certe & primariæ auctoritatis virum eſſe oportet, à cujus ſententia fas non ſit diſcrepare, niſi par pari reddatur, ut libere rejiciat quicquid diſplicuerit. nempe laudabili modeſtia nomen ſuum ideo ſuppreſſit, ne ejus fulgore nos obrueret. Sed homo ἀνώνυμος meliore ſe exornat elogio: quod jam inde ab adoleſcentia rituum Eccleſiæ obſervantiſſimus fuerit: ſic tamen ut natura, vel divino potius impulſu, omnem ſuperſtitionem vehementer ſit deteſtatus. Rara indolis felicitas & incredibilis: toto mundo cæcutiente, unum ipſum fuiſſe in ea ætate perſpicacem. Acceſſit moderatio & gravitas pluſquam virilis: ſic exoſas quæ ceremoniis admixtæ erant corruptelas habuiſſe, ut politiam Eccleſiæ, quæ his ceremoniis fere conſtat, non ſublatam & everſam, ſed repurgatam & emendatam eſſe vellet. Quis maturæ ætatis viro nunc audeat obſtrepere, qui à teneris annis Angelica dexteritate præditus, & prudentia imbutus erat? Hinc fit ut vereatur naturæ adſcribere tantam præſtantiam: quanquam dubitanter naturam ſibi fuiſſe ducem gloriatur. Tollitur quidem ſuſpicio hic loqui Balduinum, qui longiſſime ſemper ab omni ceremoniarum reverentia abfuit.

Jam quo decentius ſibi cenſoris partes uſurpet, viri perſonam induit. Ubi iterum perſpicaciam ſuam ſatis liberaliter extollit: quod mox antequam ex profeſſo ad cognoſcendum ſe accingeret, animadverterit eos qui pravas opiniones corrigere ſtudebant, ὑπὲρ τὰ ἐσκαμμένα proſilire. Mirum, niſi hæc tam admirabilis in obſcuro vitio notando ſeveritas terreat omnes ac compeſcat, cogatque linguas omnes obmuteſcere. Tandem ſcriptis utriuſque partis diligenter & attente examinatis (ſi vera narrat) ultroque & citro pari æquitate expenſis, arbitrum ſe interponens, nimiam vehementiam & exceſſum in utraque parte damnat. nempe quia audivit ut plurimum in æſtu contentionum id accidere, facturus ſibi operæpretium viſus eſt, ſi integri & ad ſummam moderationem compoſiti hominis exiſtimationem ſibi acquireret. Ergo ut ſedato animo ad cenſuram agendam ſe accedere probet, conſulto ſe ab omni partium ſtudio abſtinuiſſe dicit. Sed quum certum ſit eum non minus fervoris olim præ ſe tuliſſe, quam quos nunc intemperantiæ accuſat, quid juvat ſpectrum altis cothurnis indutum in ſcenam inducere, ut ſe genium neſcio quem è cælo delapſum perſuadeat? Hoc refellendæ putidæ & futilis arrogantiæ cauſa breviter dictum oportuit.

Ac ne cui videar nimis præciſe aut moroſe hominem aſpernari, qui ut vigeat purior religio, certam aliquam reformationem expetere videtur: antequam longius progrediar, inſidioſam vulpis aſtutiam breviter detegere neceſſe eſt. Cui gratificetur, & qua ſpe conductus provinciam hanc appetiverit, in præſentia non diſputo. certe qua ambitione & avaritia flagrat, deinde qua confidentia eſt inflatus, non vulgarem ſibi mercedem propoſuit. Non utar conjecturis tanquam in re ambigua. ſciunt mille teſtes in cujus clientelam ſe nuper contulerit, cui fidem ſuam obſtrinxerit, cui ſe devoverit, & addixerit ſua obſequia, cui denique libel-

libellum ſuum obtulerit, non abſque condimento. Nam quia labra nactus erat ſimilia ſuis lactucis, non poſſe aliter componi & pacari Galliæ turbas præfatus, quam ſublatis quibuſdam craſſioribus vitiis, ſibi in manu artificium eſſe jactavit quo violentos, ut vocabat, piorum conatus diſcuteret ac diſſiparet. Supercilium quamlibet efferat, ſerviliter adulari voluit novo patrono: cui hoc commentum placuiſſe, non eſt quod miremur. Cœperat enim ſex ante menſibus ad hanc praxin animum adjicere, & quotidianæ ejus voces jam fere in proverbium tranſierant, inconſideratos eſſe qui ſe reformationi opponerent. Cupide ergo oblatam turbandi materiam arripuit, ut piorum ſtudia frangeret: quia nullum abrumpendi curſus compendium melius ſit, quam ſi hæc nebula obtenebrandæ luci ſpargatur. Correctione quidem opus eſſe: ſed ab acribus remediis non minus eſſe periculi, quam ab ipſo morbo: quia exitialis ſit ſeveritas quæ ad extremum uſque vitia perſequitur, nec modum ſanationis temperat. Unum hoc nunc agunt qui cupiunt in Gallia reſtitui purum Dei cultum, ut Eccleſia ſordibus & inquinamentis, quibus miſere fœdata eſt, purgetur. Erumpet ſubito conductitius interceſſor, qui admoneat diu tanta de re deliberandum eſſe. Quamvis enim plurimis vitiis corrupta ſit religio, & graviſſimis morbis laboret Eccleſia, fas tamen non eſſe ſacram Romanæ Eccleſiæ auctoritatem convellere, totiuſque Occidentalis Eccleſiæ ſtatum, qui inde pendet, labefactare: quia ſine crimine defectionis & ſchiſmatis, perpetua quæ ab ipſis Apoſtolis hucuſque duravit ſucceſſio, violari nequeat. Nec deerunt ſuffragatores ad reliquas fabulæ partes ſubordinati. Ita vana utilitatis ſpecie omnes piorum conatus facete eludent. Hac vafritie libellum fuiſſe à larvato pacificatore contextum, facile ex contextu deprehendent oculati.

Hæc porro totius farraginis ſumma eſt, nullum poſſe certius judicium inveniri, quam ſi ipſa Scriptura, ejuſque vera intelligentia adhibeatur. Hic primo obſervent lectores, Scripturam in ſummo gradu ita locari, ut pars tamen judicii aliunde pendeat. Quod ad intelligentiam pertinet, fateor ſane non ideo traditam eſſe Scripturam ut aboleat Prophetiæ donum: ideoque tenendam eſſe Petri regulam, Non eſſe privatæ interpretationis quæ ſcripta ſunt Dei oracula: quia non hominis voluntate olim allata eſt Prophetia, ſed à Spiritu ſancto impulſi ſancti homines loquuti ſunt. At vero longe alio nos trahit cenſor ſuis ambagibus: ne quid momenti in ſe contineat Scriptura, niſi adjuta hominum decretis. Ergo poſtquam viſus eſt aliquid Scripturæ deferre, in ejus locum callide ſubſtituit hominum placita, quæ Catholicæ traditionis elogio inſignit: ut veritas non ſcripta, quam appellat, ad dirimendas omnes controverſias una valeat. Neque tamen me latet hanc eſſe veterem & tritam cantilenam, qua jam annis quadraginta Papatus impietas defenſa fuit à ſuis patronis. ſed quia noſter Ænobarbus, ut eſt fronte ferrea, & pectore chalybeo, niſi plumbeum quis malit, ut olim de atavo Neronis dictum eſt, quaſi rem novam & in ſua officina fabricatam protulit, non invideo quam tantopere affectat veteratoris laudem: modo palam appareat per fœdiſſimum ludibrium calcari Scripturam, dum nihili per ſe æſtimatur: quin potius ad hominum arbitrium tota ejus transfertur auctoritas.

Nos vero his nugis adeoque ſacrilegis figmentis
libere opponimus quæ de Lege, Prophetis, & Euan-
Deut. 30. gelio, Spiritus Dei ſæpe teſtatus eſt: Legem viam
vers. 15. proponere vitæ & mortis: lucernam eſſe pedibus
Pſal. 119. fidelium, & certum lumen: ſapientiam conferre
vers. 105. parvulis: eſſe teſtimonium Dei fidele: mandata
& 19: 8. ejus probos eſſe conſiliarios: Deum non in abſcon-
Jeſa. 45. dito loquutum eſſe: nec fruſtra dixiſſe ſemini Ja-
vers. 19.
cob, Quærite me: ſcriptas Prophetias inſtar eſſe 2 Pet. 1.
lucernæ ardentis in loco caliginoſo: Scripturam vers. 19.
eſſe utilem ad docendum, arguendum, erudiendum 2 Tim. 3.
in juſtitia, ut integer ſit homo Dei: breve com- vers. 16.
pendium Euangelii ſcriptum eſſe ut credamus, & Joan. 20.
credendo habeamus vitam æternam in Chriſti no- vers. 31.
mine. Niſi clara ſit & certa, quam Lex continet directio, perperam denunciat Moſes illic proponi viam vitæ & mortis. ſi dubia eſt ac flexibilis, temere David exclamat, Illuminare oculos, ut parvuli quoque inde ſapiant. ſi perplexa eſt ac ambigua, non teſtabitur fideliter quid rectum ſit. ſi ejus mandata ſuſpenſos reddunt diſcipulos, quomodo vocantur conſiliarii? ſi doctrina ejus involucris tecta eſt, falſum illud Jeſaiæ, non loqui illis Deum in abſcondito. ſi caliginem ſuam objiciat
quiſpiam nebulo, occurrit Apoſtolus, Scripturæ 2 Cor. 4.
lucem in tenebris quoque fulgere. Jam ſi ex ſola vers. 6.
Scriptura peti non poteſt certa definitio, ubi illa quam magnifice Apoſtolus prædicat utilitas ad doctrinæ perfectionem? Poſtremo, qui conveniet ſufficere nobis quod ſcriptum eſt ad ſolidam fidem, ex qua ſalutem conſequamur: & tamen abſque traditione nihil liquido cognoſci?

Verum antequam longius progrediar, breviter refutanda eſt cenſoris noſtri objectio. Hæreſes, inquit, quæ exortæ ſunt paulo poſt Apoſtolorum mortem, non Scripturæ verbis, ſed ſana intelligentia profligatæ ſunt. Ego autem ut hoc poſterius concedo, ita fortiter contendo apertis Scripturæ verbis devictos fuiſſe hæreticos. Nam quod Arianos dicit, dum negant voce [illegible] hypoſtaſim vel perſonam ſignificari, rationibus uti æque probabilibus atque orthodoxos, in eo ſe patronum deteſtandæ impietatis prodit. Nam ſi admittimus quod vult, deitas Chriſti in ſolo Concilii decreto fundata erit. Quis non videat hominem profanum aliud ſimulando, hoc fidei principium malitioſe convellere? Docet Joan-
nes æternum Sermonem Dei, qui ab initio vita erat, Joan. 1.
& Deus apud Deum, carnem induiſſe. Ridet cenſor vers. 14.
noſter: & probabile eſt ſimas nares ſuo more contraxiſſe, dum rationes Arii tam perſpicuæ ſententiæ opponit. Si quid unquam humana lingua diſerte expreſſum eſt: ubi Sermo vocatur Deus, hæc loquutio clare ſonat eſſentiam: ubi autem additur, Fuiſſe apud Deum, hypoſtaſis palam monſtratur. Nunc quid fidei meretur qui & æternam Chriſti eſſentiam, & hypoſtaticam à Patre diſtinctionem, Scripturæ teſtimonio ſpoliat?

Similis impudentia in aliis quos recitat locis. In
utramque partem probabiliter torqueri poſſe garrit
quod ſcriptum eſt, Verbum carnem eſſe factum, niſi Joan. 1.
traditio Patrum ſuccurrat. Quaſi vero non perſpicue vers. 14.
ſtatuatur una Chriſti perſona in duabus naturis. nam ſi Deus factus eſt homo, convicta eſt de duplici Chriſto, Neſtorii impietas. Diſcernitur etiam increata deitas ab humanitate creata. Quod ſi contra vel Eutyches, vel Servetus inſurgant, ac cavillentur Verbum eſſe converſum in carnem, in promptu eſt ſolutio: ſic eſſe Deum manifeſtatum in carne, ut in Chriſto habitaverit plenitudo deitatis: ut caro fuerit Dei templum. Quid ergo opus erit mutuari aliunde quod nobis τὸ ἔγγραφον ſuppeditat? Cenſori ambigua eſt ac ænigmatica propoſitio:
Ego & Pater unum ſumus. Potentiam ſuam ut Joan. 10.
commendet Chriſtus, in cujus fiduciam recumbit vers. 30.
piorum ſecuritas, ſe cum Patre unum eſſe aſſerit. Cujus impudentiæ eſt, ſenſum apertiſſimis verbis detrahere, acſi confuſus tantum ſonus à Spiritu ſancto editus foret? Et certe male nobiſcum ageretur, niſi firma ex Lege, Prophetis & Euangelio nobis religio conſtaret. Negat bonus cenſor, doctrinam illic comprehenſam mederi poſſe erroribus. Quid autem Jeſaias? Quum multiplici ſuperſtitionum labe vitiatus eſſet Dei cultus, & veritas men-

 daciis

daciis obruta, ut remedium adhibeat tantis malis, non niſi ad Legem & teſtimonium ſuos revocat. Quo dilucidius tota pietatis ſumma in Euangelio patefacta & expoſita fuit, illic haud dubie liquidior ſuggeritur omnium errorum diluvio. Quare Paulus *Epheſ. 6. verſ. 17.* Eccleſiam ad omnes pugnas inſtruens, ſatis habet vocare Dei verbum, Gladium ſpiritualem: Traditionis non ſcriptæ, nulla mentio.

Verum in quem labyrinthum nos conjicere velit impoſtor, prudenter expendant lectores, ut ſibi caveant. fatetur veram eſſe & catholicam doctrinam quæ ſacris literis eſt expreſſa: ſed pari fidei integritate amplectendam eſſe ducit, quæ ex earum mente & intelligentia ab ipſis uſque Apoſtolorum temporibus tradita ad nos pervenit. Verum cujus erit momenti, verum cenſeri cujus abſconditus ſit ſenſus? Catholica ſit veritas quicquid Scripturis continetur. Verum ſi quid in controverſiam vocetur, quia flexibile eſt τὸ ἔγγραφον inſtar naſi cerei, abſque traditionis ſubſidio quicquam definire fas non ſit. Quid jam fiet præcipuis fidei noſtræ capitibus? Tria ſolum exempli cauſa proferam: Naturæ noſtræ corruptio & miſera animæ ſervitus ſub peccati tyrannide, gratuita juſtificatio, & Chriſti Sacerdotium apud vetuſtiſſimos Scriptores ita obſcure attingitur, ut nulla inde certitudo poſſit elici. Nondum exorti erant pernicioſi errores, De libero arbitrio, De operum meritis, De ſatisfactionibus: nondum creati erant ingenti turba patroni: nondum qui pro mundi reconciliatione Chriſtum Patri offerrent, inaugurati erant ſacrifici. Et Satan callide ſpinoſis quæſtionibus pios Doctores intricabat: multaque deliria, quibus refutandis occuparentur, ſpargebat per fanaticos homines, ut negligentiores eſſent in hac parte. Quoniam vero errores, quibus profligandis tunc circumagebantur, magna ex parte ſunt obſoleti, mediocrem duntaxat fructum percipimus ex eorum libris. Interea ſi ex eorum traditione haurienda ſit cognitio ſalutis noſtræ, jacebit omnis fiducia: quia ex illis nunquam diſcemus quomodo Deo reconciliemur: quomodo illuminemur à Spiritu ſancto, & formemur in obſequium juſtitiæ: quomodo gratis accepta nobis feratur Chriſti obedientia: quid valeat ſacrificium mortis ejus, & continua pro nobis interceſſio. quarum rerum luculenta explicatio in Scriptura paſſim occurrit. Itaque novo hoc magiſtro auctore, quæcunque ad ſalutem apprime cognitu neceſſaria ſunt, non tantum manebunt ſemiſepulta, ſed quia nulla traditio ſuffragetur, certitudine carebunt: hoc ſcilicet non erit ſponte ad plenum Solis fulgorem cæcutire?

In altero membro æque peſtifera labes: ut pari integritate amplectamur quæ ab exordio Euangelii recepta ſunt dogmata, atque Scripturam. Ubi ergo *Rom. 10. verſ. 17.* illud Pauli, fidem ex auditu eſſe, auditum autem ex verbo Dei? Si excipiat cenſor, verbum eſſe Dei quod approbatum fuit communi Eccleſiæ conſenſu: tergiverſandi non eſt locus, quando Paulus ex profeſſo hominum placita à Dei oraculis diſcernit. Primum inter nos conveniat quid ſit verbum Dei. Si reſpondeat cenſor aliud eſſe ſcriptum, aliud non ſcriptum: hæc ſecunda ſpecies qua nota inſignietur, ne de ea ambigere liceat? Summum crimen & nefas erit non credere veritati non ſcriptæ. Porro nullum erit ejus diſcrimen ne miſceatur mendaciis. Quid agent miſeræ conſcientiæ his anguſtiis conſtrictæ, ut neſciant quid credendum ſit? Quod ſi rurſum excipiat cenſor, tribus notis deprehendi poſſe hoc ſpectrum Catholicæ traditionis, antiquitate, univerſitate & conſenſione, non multum apud ſanæ mentis homines proficiet malus dialecticus, qui membrum unum in duo diſcerpit. Quid enim eſt Univerſitas & Conſenſus, niſi Univerſalis conſenſus? quia ſi pars tantum conſentiat, nihil ad traditionem Eccleſiæ. Verum ut huic inſcitiæ ignoſcam, velim nobis exponat, ſufficiatne unaquæque ex notis. Si in ſola antiquitate acquieſcendum eſt, prodigioſiſſimæ quæque hæreſes, quæ Apoſtolorum ætati contiguæ fuerunt, fidem Catholicam efficient. Si tres notas ſimul connexas eſſe oporteat, non aliis fidei noſtræ capitibus accommodari poterit, quam de quibus nulla eſt inter nos & Papiſtas controverſia. Sic nuſquam reperietur univerſitas. Unde apparet non modo fucum fieri, ſed inanes præſtigias obtendi ſimplicium oculis, dum ſub fallaci traditionis titulo obtruditur confuſum ex varia mixtura chaos. Porro, qualis ingenuitas, ſpectrum antiquitatis objicere, ex quo mox prodigioſa ſcaturiat errorum omnium congeries? Nam ſi rogemus quænam ſit vetuſtas, cujus decretis parendum eſt: nobis inſulſas nænias jactabit cenſor, quæ ſub nomine Ignatii, Clementis, Lini & ſimilium circumferuntur. Miror etiam, quum facile erubeſcat, non magis eſſe verecundum, dum lucem quæ refulget in Scripturæ ſimplicitate, ex confuſa denſaque priſcorum interpretum caligine peti jubet. Atque, ut breviter abſolvam, hæc fuit origo Cabalæ quæ Judæos faſcinavit. Hinc prodiit Phariſæorum ſecta, qui Legem & Prophetas contaminarunt adulterinis commentis. Ex eadem lacuna emerſit Papatus: nec alia fultura nititur Mahometis religio. Quibus exemplis ſatis ſuperque monemur quam exitiale ſit, vel tantillum à puro & genuino Dei verbo deflectere.

Ad alias poſtea ſpecies deſcendit: ac doctrinam, quæ ab omnibus Eccleſiis, vel majori certe parte eſt recepta, & probabilibus rationibus è ſacris literis confirmata, vult indubie ſuſcipi: quamvis ingenioſis hominibus rationes occurrere poſſint quibus probabiliter refutetur. Telam quidem araneæ texit impoſtor. ſed quibus nos inſidiis appetat, obſervandum eſt. Paulo poſt in locum Eccleſiæ Catholicæ ſubrogabit Romanam ſedem. quum ergo pertinaciter tota, quam vocat, Occidentalis Eccleſia defendat quicquid impietatum merito deteſtamur, ſublata erit tota inquirendi libertas. Quantumvis enim probabili ratione oppugnes quod videtur non eſſe rationi conſentaneum, ingeretur clypei inſtar, majoris partis conſenſus. At ſententiam hanc prudenter temperat cenſor, dum probabilem confirmationem exigit è ſacris literis. Nugæ. nulla enim tam craſſa in quæſtionem veniet abſurditas, cui non inducant colorem. Miſſam ſi ſacrilegium eſſe dicamus, in qua fingunt Chriſtum immolari, probabilis ſuppetet ratio quod Melchiſedech obtulerit panem & vinum, & Propheta denunciet ab Ortu uſque ad Occaſum Gentes Deo purum ſacrificium oblaturas. Si fatuitatem hanc repudiemus, ſufficiet adverſæ parti τὸ φαινόμενον, ut rata ſit auctoritas.

Quartum genus quæſtionum quod enumerat, videtur quædam eſſe retractatio. Nam ſi qua doctrina neque tam claris Scripturæ teſtimoniis, neque tam antiquo & magno conſenſu Eccleſiæ nitatur, poſterioribus tamen temporibus in præcipua Occidentis parte recepta ſit, quum divinis literis manifeſte non repugnet, in ejus confutatione neque pugnaciter agendum cenſet, nec ideo turbandam eſſe pacem. Quibus verbis etſi primo intuitu videtur recentioris Eccleſiæ placita à ſuperioribus diſtinguere, quam tamen flexiloquus ſit, hinc palam liquet, quod nuper dubitationem tollens de majoris partis conſenſu, nullam ætatem deſignavit. Sed in eo ſe prodit turpior nequitia, quod nunc claris Scripturæ teſtimoniis exornat, quæ prius ἀδιάφορα eſſe voluit. Quorſum vero tendit præclara ejus ſententia? Notemus de recentibus figmentis eum loqui, quæ carent omni antiquitatis ſuffragio. ea non vult pugnaciter confutari, niſi manifeſte repugnent

gnent ſacris literis. Cur iſtud ſuum Manifeſte inſeruit, niſi ut ἀντιλογία nulla credatur, in qua verbum cum verbo non confligat? Ergo ſi quis Baalim adoret, eximere ſe poterit à manifeſta repugnantia: quoniam articulate non aſſerat plures eſſe deos.

Longius provehitur arrogantia cenſoris: nempe ſi ſententia aliqua jam omnino recepta, minus probabilis videatur, de ea tamen non paſſim & odioſe contendi oportere, ſed cum eruditis & moderatis viris placide inquirendum. Primo dubium non eſt quin verborum blanditiis mali gravitatem extenuet, dum ſententias minus probabiles appellat Falſa, perverſa, aut vitioſa commenta. Quid autem eſt odioſe certare, niſi populum ingenue monere ut ſibi caveat? Non patitur cenſor hujus generis errores niſi inter doctos agitari: ut ſcilicet in umbra confabulentur qui eruditionis opinione ſuperbiunt: totus Chriſti grex à veri cognitione arceatur. Interea plus licentiæ quam par eſſet, curioſis & protervis hominibus concedit: ut in probabili diſputatione libera ſit quidvis ſequendi facultas. Etſi enim nullus nobis eſt in terra fidei magiſter, cujus arbitrio ſtare & cadere nos oporteat, hic tamen aptior erat modeſtia & ſobrietas quam fovendis erroribus. Cæterum quicquid hactenus dixit adeo venuſte fucatum eſt, ut quæcunque in medium producta fuerit doctrina, ad tertiam, quartam vel quintam claſſem, pro cujuſque libidine referri queat. En ſinceritatis ſtudium, quo ſe toties inſinuat in lectorum gratiam. qua jactantia aliquid proficeret, ſi cum beſtiis eſſet negotium.

Nunc audire operæpretium eſt quid de ſententiis pronunciet, quæ & divinis literis & veteris Eccleſiæ traditioni adverſæ, & per errorem, vel imperitiam, vel ambitionem poſtremis his & corruptiſſimis temporibus invectæ ſunt. Eas ut fermentum vitandas & cavendas non negat: ſic tamen ut privato homini temere apud quoſvis contendendum non putet, ubi certa offenſio: utilitatis & profectus nulla ſpes. Expendant lectores in hoc ordine ex immenſa errorum congerie quæ in mundo graſſatur, nullum prorſus comprehendi. Nuper de poſteriorum temporum corruptelis diſſeruit. eas de quibus nunc habet ſermonem, reſtringit ad poſtrema hæc & corruptiſſima tempora. Atqui ex tot erroribus, de quibus hodie nobis certamen eſt, & quos obſtinate Papiſtæ tuentur, fateor vix ullum reperiri qui non ſit centenarius. Traditiones nondum attingo, quarum mentio paulo poſt fiet. Falſas & impias doctrinas, quibus adulterata eſt tota religio, jam ante noſtram & patrum ætatem fabricavit Satan. Ergo quacunque parte aggrediamur Papatum, hoc propugnaculo munitus erit, pro fermento non eſſe habendum niſi quod poſtremis annis invectum ſit. Dicemus puram & legitimam Dei invocationem corrumpi, dum ad patrocinium mortuorum confugitur. Faceſſat omnis diſceptatio: quia res tot ſeculis comprobata, traditio eſt. Dicemus tyrannicam eſſe legem, & ſacrilegæ audaciæ plenam, imo diabolici furoris, dum quiſque jubetur quotannis proprio ſacerdoti omnia peccata confiteri: atqui ſeculum præteriit ex quo Innocentius tertius in Concilio Lateranenſi decretum hoc condidit. De transſubſtantiatione litem movebimus: in promptu erit reſponſio, quadringentos annos non cenſeri in hac poſtrema ætate. Videmus ergo ut bonus cenſor facete ſcurrando fermenta omnia ſepeliat, dum negat pro fermento habendum eſſe, niſi de quo nulla movetur controverſia. Neque etiam dolo vacant exceptiones, Per errorem, imperitiam, vel ambitionem: quia antequam pateat ad diſceptationem aditus, unum ex his tribus coarguendum erit. Quid autem ſi per avaritiam, vel cujuſpiam Epicurei vafritiem error obrepſerit? Videmus ergo ut meris nebulis perſtringat oculos. Jam qua ſeveritate phantaſma ſuum perſequitur? Doctrinas palam impias, quæ heri emerſerint, cavendas non negat ut fermentum: modo qui eas noverit, non temere apud quoſvis contendat. Quid hoc ſibi vult? Nempe ut qui aliis præire debebat, perfido ſilentio prodat fratrum ſalutem. Paulo quidem honeſtius quod ſtatim ſubjicitur: ubi gloria Dei, vel proximi utilitas poſtulat, quod ſentias, libere & conſtanter dicendum eſſe. Sed facilius ignem cum aqua concilies, quam flexuoſas iſtas ambages quæ homines saniore intelligentia præditos nunc jubent ſibi ſolis ſapere, nunc ad libere loquendum incitant: præſertim quum in medio contextu laudetur calliditas, Non eſſe quod ſentias, paſſim & ubique dicendum.

Ad ceremonias dum ventum eſt, quæ à Chriſto inſtitutæ ſunt ad colligendam novi populi ſocietatem, & Sacramenta vocantur, ſtatuit caſte & integre obſervandas: nihil eorum inſtitutioni tanquam mutilatis & imperfectis addendum, neque ut ſuperfluis detrahendum. Eſt hoc quidem aliquid, quamvis non totum: quia alios omnes ritus obliquo artificio in Eccleſiam admittit. Sed hæc dimidia veritas quam extorſit pudor, altero poſt verſu evertitur, quando Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus jus conceſſum eſſe credit ceremonias inſtituendi, quæ in Sacramentis adminiſtrandis ornatus loco accederent. Ergo qui nihil addendum confeſſus erat, nunc adventitias traditiones non modo admittit, ſed etiam commendat. Verum arguto effugio ſe expediet: modo ne Sacramenta putentur mutila aut imperfecta, ferendas eſſe acceſſiones. Ita quibuſcunque mixturis prope in novam figuram mutata fuerint Sacramenta, nihil erit vitii. modo ne palam Chriſto exprobretur, mancum eſſe vel mutilum quod inſtituit. Scio equidem quam vetuſta ſit origo exſufflationis & chriſmatis, atque etiam Paſchalis cerei: his poſtea acceſſit ſputum ſale mixtum, aliæque multæ inſulſitates. Si quis hæc additamenta repudiet, uno verbo lis dirimetur, Optimo conſilio Chriſti inſtitutioni adjuncta fuiſſe: quoniam ipſa Baptiſmi actio nullo ſplendore ornata per ſe frigeret. quaſi vero per incogitantiam hæc utilitas Chriſtum fugerit, neque ſatis providerit, oleo, & cerei lumine non minus quam aqua repræſentandam eſſe Spiritus gratiam. Porro quæ ab ipſis Eccleſiæ initiis per univerſum orbem ſummo conſenſu ad nos propagatæ ſunt ceremoniæ, quum earum rationes perpetuæ ſint, perpetuam quoque obſervantiam, cenſoris judicio, eſſe convenit. Sed quomodo hoc cum proxima pagina conveniat non video: ubi dicit ritus quoſdam, qui per univerſum fere orbem olim obſervabantur, quia non tantum habebant momenti, aut temporum commutatione utiles eſſe deſierant, aut intemperantia populi in abuſionem venerant, paulatim deſuetudine eſſe abrogatos. Ubi igitur perpetua ratio, ex qua perpetuam obſervandi legem nuper ducebat? Itane homini arreptitio, qui ſui repente oblitus, ſecum pugnat, ſe totus orbis ſubjiciet ad diſſenſiones ejus arbitrio ſedandas?

At Auguſtinum habet patronum. Quid ille? Si quid Scripturæ divinæ præſcribit auctoritas, non eſſe dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus. ergo Scriptura per ſe conſcientias ſtabiliet, nec jam erit inutilis, quamvis traditione ἀγράφῳ non adjuta. Si quid vero tota per orbem frequentat Eccleſia (idem Auguſtinus pronunciat) vocare in controverſiam, inſolentiſſimæ eſſe inſaniæ. Hoc ſanctus vir cenſuit utile eſſe pacis fovendæ cauſa, quod ad paucorum rituum conſuetudinem de quibus nemo noſtrum litigare vellet. ſic enim habent verba ſancti viri, Retineri quædam non ſcripta, vel ab ipſis Apoſtolis, vel Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima auctoritas, ſtatuta: ſicuti quod Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cælum, & adventus è cælo Spiritus ſancti, anniverſaria ſolennitate celebrantur. & ſi quid aliud tale occurrerit quod ſervatur ab univerſa quacunque ſe diffundit Eccleſia. Cujus,

obſecro, pudoris eſt, ex hac paucitate immenſum acervum conficere? quod impoſtor noſter molitur. Atque hac modeſtia viam ſibi ſternere voluit ad liberam querimoniam qua poſtea utitur, Eccleſiam, cui libertas à Deo conceſſa erat, ſervilibus oneribus premi, ut tolerabilior eſſet conditio Judæorum, qui ſub jugo ſervitutis, Legalibus tamen ſarcinis, non humanis præſumptionibus ſubjecti fuerant. Verum eſto, plus detulerit Auguſtinus conſuetudini quam par erat: an ejus conſilium fuit, Sacramenta à Chriſto tradita, humanis commentis inquinare? Neque enim de quibuslibet ceremoniis agit, ſed quarum liber uſus Eccleſiæ relictus eſt, ſicuti ſe ipſe explicat. Nos quoque priſcos ritus, quibus indifferenter uti licet, quia verbo Dei conſentanei ſunt, non rejicimus, modo ne ſuperſtitio & pravus abuſus eos abolere cogat. Scimus enim quæcunque ad decorum & ordinem pertinent, non habenda eſſe pro humanis placitis: quia divinitus approbantur. Sed quid hoc ad cenſoris aſtutiam? qui ſub fallaci integumento corruptelas omnes occultat: quod nunquam ſancto viro in mentem venit.

Additur putidius cavillum, Paulum & Barnabam non tantum Eccleſiis mandaſſe ut expreſſa Dei mandata ſervarent, ſed etiam ut parerent Apoſtolorum & Seniorum decretis. Primo expendere convenit, quænam decreta intelligat Lucas: deinde quorſum ad ea ſervanda Eccleſias hortatus fuerit Paulus: Pacatæ fuerant contentiones, quæ omnibus Aſiæ & Græciæ Eccleſiis ex horribili diſſipatione ruinam & exitium minitabantur, nihil autem decretum fuerat, niſi Dei verbo conſentaneum. Ne ſcilicet Gentes ad ritus Legales adigerentur, ſed tantum à ſanguine & ſuffocato abſtinerent. Huic decreto obtemperandum eſſe Paulus docuit: ſed ad tempus, donec adoleſceret eorum fides qui Moſi nimium erant addicti. Et certe paulo poſt abrogavit ipſe Paulus quod pacis retinendæ cauſa ſervare ſuadebat. Mirum autem eſt, exemplum obtrudi à cenſore noſtro, qui nihil ex communi veteris Eccleſiæ uſu remitti patitur. Dic mihi, bone vir, utrum tibi ſanctius eſt obſervatu quod Apoſtoli mandarunt, & Paulus firmum manere juſſit, an quod ab ignotis auctoribus profectum eſt? ſi Apoſtolos præfers; cur ſanguine libere veſceris, chriſma non credis abrogandum? & adhuc Paulum traditionum præconem citabis, quo inviolabilis ſit earum auctoritas! Alios antiquos ritus, quorum veſtigia & lineamenta apparent, quamvis à ſuo fine & uſu nonnihil deflexerint, pacis & unitatis ſtudio obſervandos exiſtimat, donec legitima auctoritate aut reſtituantur priſco ſuo fini, aut ex uſo removeantur. Quoniam aſtute quid velit diſſimulat, monendi ſunt lectores, ad hanc claſſem referri omnes hiſtrionicos geſtus, qui ſimiis magis conveniunt quam hominibus, & vix in actione profana eſſent tolerabiles. Utcunque à fonte non vitioſo manarint, conſtat nihil aliud hodie eſſe quam ſacrorum inquinamenta. Pax igitur tua, nugator, cujus ſtudio quævis pietatis ludibria obtegis, quando ter proditoria eſt, à nobis procul faceſſat. Quod ritus quoſdam antiquiſſimos, qui religioſe olim fuerunt obſervati, & paulatim obſoleverunt, rurſus in uſum reſtitui cupit per legitimam auctoritatem, & quam minima fieri poſſit perturbatione, ſi palam feciſſet de quibus loquatur, ſignum aliquod ingenuitatis dediſſet. Uſum calicis in ſacra Cœna populo, cui indigne ereptus eſt, reddi non modo rectum foret, ſed omnino neceſſarium. Nec dubito quin hoc inferendo, favorem captaverit. ſed quam dilute reſtitutionem hanc procurat? Dimidia tantum Cœnæ pars reſidua eſt in Papatu. Hæc laceratio, an ad momentum ferenda eſſet? Et qui licet vel ad momentum diſcerpere quæ Chriſtus individuo nexu conjunxit? Nugator à putidi Cleri nutu pendere nos jubet, & quaſi in re levicula cavere omnem perturbationem. Sed minime obſcurum eſt, quin eadem qua prius malitia, ſpecies omnes ſubtiliens, nova onerum mole opprimere tentet miſeras animas.

Quantum ad ritus particulares, vigeat ſane Auguſtini ſententia: ut ſingulis Eccleſiis liberum ſit morem ſuum tenere: imo interdum utile eſt, ne externis ceremoniis alligetur religio, aliquid eſſe varietatis: modo abſit æmulatio, nec alii ab aliis novitate illecti, diverſum aliquid habere affectent. Quanquam ut intelligant lectores ſincerum nihil ab hoc homine prodire: memoria teneant, longe aliam fuiſſe temporis illius rationem ac noſtri, ex quo turmatim innumera ſuperſtitionum congeries ad obruendum Dei cultum exundavit. Expendere etiam convenit quid valeat, neque contra fidem, neque contra bonos mores injungi. Nam quum velit Deus ex præſcripto Legis ſuæ coli, ac proinde fictitios cultus deteſtetur, fidei certe repugnat, quicquam ejus mandatis addi, hominum arbitrio: nec bonis moribus conſentaneæ ſunt ludicræ ineptiæ, quibus tota religio fœdata eſt in Papatu. Si qui ritus per ſe boni ſint ac utiles, errorem qui occupat quorundam mentes non obſtare fateor, quominus bono bene utantur qui recte ſentiunt: modo ne communis ſit error, quem uſus ipſe confirmet. Multis enim ceremoniis per ſe non damnandis ita adhæret ſuperſtitio, ut quiſquis eas uſurpat, exemplo teſtetur ſe unum eſſe ex errantium numero. Ita ſæpe falſa opinio quæ vulgo concepta fuerit, abuſu contaminat ritus alioqui puros: ut non tantum privata cautione vitandi ſint, ſed etiam libere notandi, ne ſimplices magis ac magis obdureſcant. Neque enim Chriſtiani zeli eſt, quemque ſibi ſeorſum conſulere, niſi moneantur alii quoque ut ſibi caveant. Itaque quod ex ſcriptore Italico adducit, abuſu non tolli bonum uſum, ſi abſque exceptione intelligas, minime verum erit: quando non minus prudenter attendere jubemur ne infirmos fratres lædamus noſtro exemplo, quam ne quid tentemus illicitum. etſi enim ubi Paulus vetat carnem guſtando quæ idolis fuerit immolata fratres offendere, de una ſpecie differit, generalem tamen præſcribit regulam, ne malo aut noxio exemplo turbemus debiles conſcientias. Ita rectius ac ſanius dicetur: quæ Deus ipſe inſtituit, nullo abuſu aut vitio poſſe aboleri: quæ autem humanitus tradita ſunt, poſtquam errore ſunt vitiata, ſi eorum uſus noceat, & pariat offendiculum fratribus, eſſe abſtinendum. Ac miror cenſorem, ubi tandem concedit interdum eo uſque invaleſcere ſuperſtitiones, ut publica auctoritate tollendæ ſint res ipſæ è medio (ſicuti de ſerpente æneo à rege Ezechia factum legimus) non perſpicere ſuam verſutiam bonis omnibus exoſam fore: quod de uſu tolerabili ſubtiliter diſputando, craſſiſſimas quaſque ſuperſtitiones oblique ſalvas & intactas manere velit. Quid enim in Papatu non ſimile ſerpenti æneo, præter originem? Juſſu Dei conflatus fuerat à Moſe: ſervatus fuerat in beneficii memoriam. inter Ezechiæ virtutes numeratur, illum fuiſſe confractum & in cineres redactum. Magna pars ſuperſtitionum quibuſcum hodie bellum gerunt veri Dei cultores, è lacunis neſcio quibus manavit, omnes impiis erroribus implicitæ ſunt, imo delibutæ, qui nunquam elui poſſint, niſi abrogato illarum uſu. Cur non ergo ſimpliciter quod verum eſt agnoſcimus, neceſſarium hoc eſſe purgandæ à ſordibus Eccleſiæ remedium?

1 Cor. 10. verſ. 28.

Num. 21. verſ. 9.

2 Reg. 18. verſ. 4.

Quod addit conſtitutiones nonnullas, quamvis exiguum habeant uſum, tamen unitatis retinendæ & ſcandali vitandi cauſa ſervandas eſſe, etſi veri ſpecie non caret, dolum tamen ſubeſſe ex contextu planum faciat. mox enim exceptionem addit, Si

quæ

quæ utiles plerumque ſint, tamen earum obſervatio privatim vel noxia ſit, vel impoſſibilis, ad mentem legiſlatoris confugiendum eſſe. Ergo lex de ciborum delectu, qua interdicitur eſus carnis, ovorum, lactis & butyri, publice noxia non cenſebitur. Unde colligere promptum eſt, ſuſque deque ſacere bonum virum, ſi conſcientiæ humanis decretis ſerviliter opprimantur, modo abſque valetudinis jactura fiat. Denique quoad onera tyrannidis commode ſerre poterimus, illis ferendis nos obſtringit. Quid ergo illa Pauli ſententia fiet?
Coloſſ. 2. verſ. 16. Nemo vos judicet in cibo & potu. Item, Quid
adhuc decretis tenemini? Item, State, & ne iterum ſubjiciamini jugo ſervitutis. *Galat. 5. verſ. 1.* En Reformationis ſtudium, quod tam faſtuoſe jactat. Jam clauſulam attexens, Cultus per ſe vitioſos privatim poſſe caveri ab agnoſcentibus vitium: etſi videtur nonnihil dicere, maligne tamen extenuat quod ſummam deteſtationem meretur. Quid enim ſi & Dei cultum ſceleſte profanari, & fratres meos in exitium ire præcipites videam? taciturne utrumque patiar? Hæc ſcilicet ratio eſt cur peccari admoneat, ſi nimio ſuperſtitionum odio, ritus qui tolerari poſſunt, pro noxiis & impiis temere damnentur. Id quidem interdum contingit: ſed quid ad præſentem cauſam, quum nemo abjiciendum contendat, niſi quod manifeſta impietatis labe turpiter corruptum eſt?

Porro ſi cui occulta ſunt quæ hactenus jecit fundamenta, quorſum ſpectaverit, palam tandem demonſtrat, Papæ regnum pro Eccleſia nobis obtrudens, cujus ſocietas ſancte inviolabili jure colenda ſit. Unde ſtatuit, quibuſcunque impietatum monſtris ſcateat Papatus, qui tamen ab eo diſceſſionem fecerunt, omnes eſſe ſchiſmaticos. Ac primo quidem ſynonyma facit Occidentalem & Romanam Eccleſiam: acſi nulla in Occidente quærenda eſſet Eccleſia, niſi quæ ſub ditione Papæ ſe contineat. Dictum ſuum confirmat, quia in ea regeniti ſumus, ejuſque cives & membra per Baptiſmum effecti: deinde quod in ea retinetur profeſſio Chriſtiani nominis, Scripturarum auctoritas, & doctrina illa Apoſtolica, quod ad capitales religionis articulos attinet: adhæc quod Sacramenta, ut ſunt à Chriſto inſtituta, illic ſerventur (quamvis in Euchariſtiæ celebratione & diſpenſatione nonnihil vitii videri poſſit) præterea quod in multarum ceremoniarum & rituum obſervatione illic adhuc conſpicitur priſcæ Eccleſiæ imago: denique quod perpetua Presbyterorum ſeu Epiſcoporum, quamvis multum à priſca integritate degenerantium, jam inde ab Apoſtolis ſucceſſione gubernetur. Ut breviter ad ſingula reſpondeam, nimis improbe ludit præſtigiator in Eccleſiæ nomine. Chriſtianiſmum prorſus fuiſſe extinctum ubicunque graſſata eſt Papæ tyrannis, nemo unquam ſanus dixit. unde conficitur, aliqua ex parte reſiduam illic eſſe Eccleſiam. Tantum quæritur, Quatenus? Reſponſio noſtra ſolida ratione nititur: tametſi ordinarium baptizandi miniſterium penes larvatos Paſtores qui illic præſunt, reſideat, nihilo tamen plus auctoritatis eos mereri quam Cybeles ſacrificos. Quin Jeroſolyma vera fuerit Eccleſia quo tempore Sacerdotes à legitimo Dei cultu deflexerant, minime ambigitur. An vero ejus Eccleſiæ auctoritas vigere & valere debuerit apud pios, ex Prophetis patet: qui ubique clamant longiſſime ab impia eorum factione recedendum. quanquam longe diſſimilis eſt ratio Papatus: ubi neque templum eſt, neque altare, neque ſacerdotium quæ divinitus inſtituta fuerint. Itaque aptior erit comparatio, ſi conferatur cum ſtatu Iſraëlitici populi, ex quo Jarobeam adulterinum cultum erexit. Etſi enim magnifice jactabant decem tribus ſe offerre ſacrificia Deo redemptori ſuo, & mercenarii Levitæ cenſeri volebant Dei miniſtri, & Jarobeam ipſe defectionis auctor prætexuerat non alienari nova forma populum à Deo Abrahæ, ſed tantum moleſtia levari, ne cogeretur aſcendere in montem Sion: illa tamen tota religio, ut adulterina erat, ſic & fidelibus deteſtabilis. Negare tamen penitus ullam fuiſſe tunc apud Iſraëlitas Eccleſiam, dictu aſperum foret: imo reclamat Dei ſententia, dum
ſæpius pronunciat, illic ſibi genitos fuiſſe filios: *Eze. 16. verſ. 20.*
quia ſcilicet in uſu erat Circumciſio, adoptionis ſym-
bolum. Qua ratione Joſias, quum tubæ clangore *2 Reg. 23. verſ. 21.*
vocaret miſeros apoſtatas ad Paſcha celebrandum, non tamen denuo circumcidi juſſit. En Circumciſio, quam Deus apud Eccleſiam depoſuit, in Iſraële manet: quo pignore oſtendit Deus aliquas Eccleſiæ reliquias apud decem tribus manere. Verum quod gratiam ſuam in illo populo Deus noluit in totum deleri, nihil ad ſacerdotii dignitatem facit: ſicuti ex Oſeæ vaticiniis clariſſime apparet.

Hæc nunc obiter dicta ſint de Eccleſia, quorum paulo poſt ſequetur fuſior explicatio: ſed inſidiis occurrere neceſſe fuit, ne putarent minus exercitati, ſimulac propoſitum fuerit Eccleſiæ nomen, conſenſum malorum præſulum & degeneris populi pro lege habendum eſſe. Interea diluta eſt prima ratio: Quia per Baptiſmum regeniti ſumus in Papatu, nos eſſe Romanæ Eccleſiæ filios. nempe eodem jure quo adſtricti fuerunt ad colendam ſocietatem Dan & Bethel, qui in Iſraële circumciſi fuerant. Si vero non aliter ſe probarunt integros veri Dei cultores, niſi commentitio altari & templo renunciarent: nos Baptiſmus noſter, licet nobis in Papatu adminiſtratus, vexilli inſtar, ex diſſipatione colligere debet ad Chriſti obſequium: tantum abeſt ut impiæ obſtinationis vinculum ſit. Secunda ratio putidior: Confeſſio nominis Chriſtiani retinetur in Papatu. An non ſemper ab omnibus hæreticis retenta fuit? Sed eo minus tolerabilis eſt falſa jactantia, quod pudendum nominis Dei ludibrium continet. De Scripturæ auctoritate prompta eſt reſponſio, Fateri Papam cum ſuo clero quod negare non audent: Scripturæ credendum eſſe, modo ſoli ſint ejus interpretes, nec quicquam ex ea probetur, niſi quod ipſis libitum ſit annuere. Eodem prætextu miniſtri Bethel ſuum ſacerdotium defendere poterant, quum in ſpeciem ſacroſancta illis eſſet Legis auctoritas. Doctrinam vero Apoſtolicam quoad capitales articulos, quod aſſerit ſalvam illic ſupereſſe, quam fœtidæ loquacitatis eſt? Utinam ita eſſet. nos beata tranquillitate frueremur: miſer iſte Luciani diſcipulus quietum tutumque angulum in mundo non reperiret. Si addita exceptione ſe tueatur, quod doctrinam reſtringit ad præcipuos articulos: nugæ. quaſi vero de lana caprina hodie cum Papiſtis litigemus. Remiſſio-
nem peccatorum Zacharias vocat Scientiam ſalutis: *Luca 1. verſ. 77.*
de ea acerrimum eſt certamen. Cultu Dei nihil pretioſius: de eo quoque fervent inter nos contentiones. Chriſti ſacerdotio tota religio ſancita eſt: vim ejus ac dignitatem in Papatu fœde calcatam eſſe conquerimur. Corruptio ſcilicet humanæ naturæ, & ſervitus cui ſumus mancipati, levis momenti res ſunt: Fidei & pœnitentiæ definitio non ſunt ex primis Euangelii capitibus: Fidem ſingulare eſſe donum Dei, & gratuitæ electionis fructum, volatile quoddam eſt problema. Longum eſſet ſingula perſequi: ſed nihil impudentius fingi poteſt, quam fingere præcipuos fidei articulos in Papatu eſſe ſuperſtites.

Tertia nota Eccleſiæ, quam reperiri dicit in Papatu, eſt Sacramentorum uſus, quem pro ſua incredibili impudentia jactat Chriſti inſtitutioni optime congruere. Verba enim ejus ſunt, Illic adminiſtrari ut ſunt à Chriſto inſtituta: quum nihil ſit magis contrarium. Non abs re dicunt Marcus & Lucas, Baptiſmum fuiſſe prædicatum: quia Sacramen-

tum

tum ſine Verbo, inane ludicrum eſt, & actio mortua. Imo ut magis proprie loquar, anima Sacramenti verbum eſt: non quale in Baptiſmo ſuo ſuſurrant ſacrifici Papales, quorum murmur parum differt ab incantatione magica. ad plebem Latine loquendo, barbari eſſe affectant: quia teſte Paulo barbaries eſt incognita lingua ſermonem habere in cœtu fidelium. quin etiam agricolas, opifices & mulierculas cogunt Latine loqui: & in exorciſmis ſuum illud Abrenuncio diligenter inculcant. Hoccine eſt Baptiſmum diſpenſare ut Chriſtus præcepit? Jam quibus corruptelis eum inquinant? Alibi confeſſus ſum chriſma & cereum ex antiqua conſuetudine manaſſe: fatendum tamen eſt jam tunc diſceſſum fuiſſe à genuina inſtitutione Chriſti, dum excogitatæ ſunt pompæ quæ ablutionem à Chriſto mandatam obruerent. Verum ut hæc prætercam, reſpondeat cenſor quid ſit Ephetah, niſi manifeſtum Chriſti ludibrium. Chriſtus muto linguam reſtituit luto & ſputo inter ſe mixtis: Chriſti miraculum æmulatur hiſtrio, ſputum admovens labris infantis. Quid à Chriſti inſtitutione remotius? Itaque dicere ſoleo, ut integro Baptiſmo fruar, me chriſmati & aliis fæcibus renunciare. Quoad Cœnam, videtur ad ingenuitatem accedere, ubi in ejus celebratione nonnihil vitii poſſe videri agnoſcit. Sed quid hoc eſt Nonnihil vitii: deinde Videri: tertio Poſſe? O lingua pluſquam meretricia! Ergo nonnihil vitii videri poterit, quod in locum communicationis ſucceſſit excommunicatio, quum unus devorat quod Chriſtus juſſit inter fideles diſtribui: quod dum ſemel quotannis partem erogant populo, nefando divortio calicem ſeparaverint à pane, atque ita mutilaverint ſacram Cœnam: quod fruſtulum panis adorandum loco Chriſti attollant: quod ubi jubet Chriſtus ipſe accipere, Deo Patri ſe offerre fingant: quod jactent ſacrificium applicari tam vivis quam mortuis, in quorum gratiam redimitur: quod fœdam in ſuis Miſſis nundinationem exerceant: quod ſacra Chriſti Cœna in miſſam Barbaræ & Chriſtophori converſa ſit. Quid obſecro affine habet Chriſti inſtitutio cum tot diabolicis præſtigiis?

Sequitur ultimo loco validiſſimum præſidium, quod nobis opponere ſolent omnes rabulæ qui ad Papatus defenſionem linguam ſuam locant aut vendunt, Perpetua ſcilicet Epiſcoporum ſucceſſio: de qua hoc loco prolixe, ut res poſtulat, diſputare, actum agere eſſet. nec ſum ex eorum numero qui centies idem dicendo ſe oblectant, nec ſe ſatiant. Si quem moveat hoc cavillum, Inſtitutio nodum ſolvet. Si quid amplius deſiderent lectores, conſulant Refutationem Interim Germanici. Unum ſcire velim ex cenſore noſtro, crearintne in ſuum locum Apoſtoli ſacrificos: qui Chriſtum mactarent? *Rom 15. verſ. 16.* Paulus ſacerdotio ſuo gloriatur, quod Euangelii gladio Gentes Deo immolet puram victimam. Qualis autem inaugurandi forma in Papatu? Nota ſunt verba ſolennia, Damus tibi poteſtatem offerendi placabiles hoſtias, &c. An id unquam venit in mentem Apoſtolis reſignare aliis Chriſti Sacerdotium, atque ita dare quod non acceperant? Ergo ut bene texatur ſucceſſio, deſinant qui nunc vocantur Præſules, eſſe ſacrifici. Donec enim offerendi Chriſti munere ſe abdicaverint, nihil habebunt cum Apoſtolis commune: imo alieniſſimam perſonam geſtabunt. Porro ut illis largiar ſucceſſiſſe Apoſtolis multos degeneres Epiſcopos, abruptio tamen pluſquam prodigioſa non patitur continuam ſeriem ducere. Papa illis eſt Epiſcopus univerſalis: an hoc Apoſtolicum? Nulli jam Epiſcopi cleri & plebis ſuffragiis eliguntur: Papæ ipſius creatione nihil magis probroſum. Jam quibus inſignibus ſe probabunt eorum eſſe ſucceſſores, qui à Chriſto ordinati ſunt ad docendum? Dicebat olim Sacerdotibus Leviticis Propheta, quorum tamen ex *Oſ. 4: 6.* Dei Lege hæreditaria erat ſucceſſio: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam & ego te, ne ſacerdotio mihi fungaris. Quum ergo docendi onus abjecerint ſpurii iſti Apoſtolorum hæredes, & ſuppoſititii partus, quid attinet eorum fœditatem honeſto titulo fucare? Ex quo è Babylone reverſus fuerat populus, quum ſuam dignitatem jactarent poſteri Aaron, apud alterum Prophetam refellitur eorum jactantia, Corruptum & abolitum ab ipſis fuiſſe fœdus Levi, quoniam populum abduxerant à Lege. Atque hæc non veteris tantum ſacerdotii, ſed hodierni quoque in Eccleſia regiminis regula traditur, ut labia Sacerdotis cuſtodiant ſcientiam, & Legem requirant ex *Mala. 2. verſ. 7.* ore ejus: quia Angelus Domini exercituum eſt. Reſpondeat iterum nobis cenſor noſter, quoniam Juriſconſultus eſt, quo jure ſucceſſor ſit latro ejus quem jugulaverit? Atqui longe deterior eſt eorum conditio, qui ut imperio ſuo Eccleſiam ſubjicerent, non homines modo jugularunt, ſed crudeliter perdiderunt miſeras animas, extinxerunt æternæ ſalutis doctrinam, Chriſtum non abſque ſumma contumelia transfigurarunt, & improba falſitate rapuerunt vel furati ſunt alienum titulum. Quod ſi horum quoque nulla fiat mentio, ſaltem oſtentent umbram aliquam ſimilitudinis, unde conjicere liceat ipſos originem ab Apoſtolis ducere. Sed Heliogabalus reperietur Camillo ſimilior, quam ipſi Apoſtolis. Apud antiquos ſcriptores, quum aliqua adhuc luceret Epiſcopalis forma, objicitur, fateor, hæc ſucceſſio hæreticis qui novum ſibi Euangelium fabricabant. Sed frontis ſunt nimium perfrictæ, qui purioris ſeculi elogium ad porcos & canes, aliaſque impuras beſtias trahunt. Interim quod per incogitantiam elapſum eſt cenſori, non prorſus repudio, Romanam Eccleſiam membrum eſſe Catholicæ, modo Eccleſiam aliquam Romæ monſtraret, nec ſecum pugnaret ipſe adeo turpiter, Catholicam Eccleſiam poſtea vocando, cui nunc tantum adſcribit membri nomen.

Superiori doctrinæ attexit, Quamvis alieni tyrannidem exerceant in Romana Eccleſia, Eccleſiam tamen eſſe: quia multos electos in ſe contineat, & in ea ſerventur Dei verbum & Sacramenta. De electis, concedo ubique eſſe diſperſos. Neque verum eſſe inficior quod ex Auguſtino citat, Multos eſſe in domo Dei, qui non pertinent ad ædificium: intus quoque illic habere hoſtes. Nec vero opus fuit tam longe petere rei certæ teſtimonium. Sed cur præteriit quod ex re & cauſa præſenti magis erat, Multas eſſe oves foris? unde colligere promptum eſt, non diffindi Eccleſiam viſibilem, quacunque diſperſi ſunt electi. In illa enim diſſipatione non ſecus conſervat Deus ſuos, atque Daniel mirabili privilegio ſervatus eſt, quum à cœtu fidelium abeſſet. De doctrina & Sacramentis perfricta fronte eum nugari, paulo ante oſtenſum eſt. Monendi interea ſunt Principes Germaniæ, quibus oculos oblinere voluit, ne tam proterve ſe deludi ſinant. Non poteſt eos damnare qui ab eruditis admoniti, quædam correctione indigere in aliqua Eccleſiæ parte, præeunte ſumma auctoritate, accedente communi illius Eccleſiæ conſenſu, in doctrinæ genere aliqua repurgarunt, & ceremonias aliquot etiam vetuſtiores auferendas putant: modo id quam minimo ſcandalo & perturbatione fiat. Si rogetur quoſnam intelligat: optimum Principem, cujus ſumptibus præter meritum alitur, primum ſtatuet in ordine. Sed an ille quum ſuæ ditionis Eccleſias conſtituere vellet, conſilium ſuum ſuſpendit à communi totius Occidentis conſenſu? An nutum Pontificis expectavit? Adhæc quam improba verſutia, dum eos non damnans qui doctrinam repurgarunt, ubi ad ceremonias ventum eſt, eos tantum tolerat qui auferendas putant? Unde ſequitur, ſi quis manum admoveat, temeritatis & ſeditioſi conatus reum fieri.

Quæ ſequuntur non magis cohærent quam ægri ſomnia, vel phrenetici deliria. Non poſſum, inquit,

à Chri-

à Chriſto & Eccleſia ſeparare qui in his cœtibus ita verſantur, ut nihil aliud quam Chriſti gloriam quærant, totoque animo ad Eccleſiæ pacem & unitatem incumbant, & cum reliquo Eccleſiæ corpore, etiamſi quadam opinionum & rituum varietate diſcrepent, charitatis vinculo ſint colligati. Nempe ſibi viſus eſt Heidelbergæ eſſe. Quos enim alios cœtus deſignat pronomine Hos? Verum ſi exiſtimationi ſuæ conſulere voluit, non debuerat tertio ſe Genevam conferre, ut Calvini ſe filium & diſcipulum profiteretur. Ut hoc omittam, cur eos tam anxie excuſat qui privatam vitam agunt in ditione Illuſtriſſimi Principis: ex quo Princeps ipſe, qui palam deſcivit à Papatu, & alios pro legitima poteſtate inde retraxit, à damnatione exemptus eſt? Sed eadem mox fidelia nigredine obducit quos ante dealbaverat. Probare eos non poteſt qui ita à Romanæ Eccleſiæ corruptelis recedere voluerunt, ut ab ea defecerint, ſeque ab omni ejus communione ſeparaſſe videantur. Non quæro quoſnam intelligat: quia ſatis apparet nos pro ſchiſmaticis haberi. quanquam inique nobis exprobrat, ſtudia nos omnia non ad medicandum, ſed ad perdendum conferre. Quum innumera hominum millia teſtentur, quam ſalubrem medicinam reperiant in ſcriptis noſtris quicunque ſunt ſanabiles: an ad perdendum ſerri & rapi eos dicemus, qui innoxias animas quotidie eripiunt ex faucibus luporum? Sed artis fuit, ſiniſtra eos calumnia gravare, quos ſentit proditoriis ſuis conſiliis fore infeſtos.

Cauſam eſſe negat, cur cœtui in quo impii dominantur, & recte monentes perſequuntur, nomen Catholicæ Eccleſiæ detrahamus. Fateor certe quod ſubjicit, non eſſe tribuendum Eccleſiæ quod falſi & infidi gubernatores committunt. Recipio etiam, interdum ſervum infidelem præfici Dei familiæ,
Mat. 25. ut docet Chriſtus in parabola. Addo etiam ex
verſ. 14. Pauli vaticinio, Antichriſtum ſedere in ſanctuario
2 Theſſ. 2. ipſo Dei. Ita de veteri populo non tantum concedo
verſ. 4. quod adducit, Jeruſalem lapidaſſe veros Dei Pro-
Pſal. 118. phetas: ſed Præſules ipſos, qui vocantur in Pſalmo
verſ. 22. Architecti, reprobaſſe lapidem in quo volebat Deus fundatam eſſe Eccleſiam. Si tantum contendit non fieri malorum Paſtorum vitiis, quin Eccleſiæ colenda ſit unitas, nihil ad nos, qui eam moroſitate noſtra non ſcindimus vel abrumpimus, acſi tolerandi non eſſent in ordine Paſtorum, niſi omni macula & nævo puri. Quin etiam docemus tenendam eſſe quam Auguſtinus præſcribit regulam: ut amentur ac probentur boni, mercenarii ferantur: tantum fugiantur lupi, vel fures & latrones. Ergo apud Anabaptiſtas & ſimiles concionetur, perperam facere qui hominum ſceleribus ita ſuccenſent, ut ab Eccleſiæ ſocietate ſe avellant: quando nos divortium non fecimus niſi cum errorum impietate, & deteſtahdi profanatione cultus Dei. Verum Zacharias, Simeon, Anna, Maria, Joſeph, communionem Eccleſiæ in qua lupi dominabantur, non defugerunt. Fateor quidem à ſacrificiis divinitus mandatis non abhorruiſſe: veniſſe etiam in Templum Dei verbo conſecratum, ut ex ejuſdem Legis præſcripto teſtatam facerent ſuam pietatem. nec vero, ſi daretur ſimilis in Papatu facultas, illorum exemplum ſequi grave eſſet. Sed communio, ad quam nos invitat cenſor, quorſum ſpectat, niſi ut fœtidis luſtris, neſandæ idololatriæ innumeriſque ſacrilegiis & ſuperſtitionibus nomen demus? A qua ſimulatione remotiſſimi fuerunt ſancti omnes. Exemplo uno contentus ero. In gra-
2 Reg. 16. tiam regis Achaz erexit Urias ſummus Sacerdos
verſ. 11. altare ſimile Damaſceno, & in templo Dei locavit. Certe illic offerre ſacrificia, fuiſſet ſceleſta Dei abnegatio. Atqui tali aſſentatione, quæ nos à Deo & fide abduceret, ſi cenſori creditur, ſervanda eſſet Eccleſiæ unitas.

Itaque dictum Chriſti de audiendis Scribis, ad ſuum commodum detorquet. Fateor eorum doctrinam multo fermento fuiſſe corruptam: (à quo cavere non fruſtra ſuis Chriſtus præcipit) irrita feciſſe Mat. 16.
mandata Dei propter ſuas traditiones. Sed an per- v. 6, 11.
miſit Chriſtus diſcipulis contagione fermenti ſe Mat. 15.
inficere? An voluit fictitiis traditionibus eſſe ad- verſ. 6.
dictos: quum pronunciet hoc modo Deum fruſtra
coli, & Jeſaiæ vaticinium confirmet, ubi horribi- Jeſa. 29.
lem vindictam ſumpturum ſe minatur de toto po- verſ. 13.
pulo, qui ipſum coluerat mandato & doctrinis hominum? Tollat hoc jugum ſervitutis è Papatu cenſor, ut ad eorum conventus liber nobis acceſſus pateat. Sed notare operæpretium eſt quam improbe frivolo commento depravet Chriſti verba. Admonet, inquit, Chriſtus ſuos ut audiant in cathedra Moſis ſedentes, id eſt, ſumma auctoritate & poteſtate fungentes ex inſtituto Moſis. At turpis inſcitiæ coarguitur, ſummam auctoritatem arrogans Scribis & Phariſæis, quorum plerique ex genere & ordine Sacerdotali non erant. Ubi unquam Moſes, obſecro, ſedem attribuit ſectarum magiſtris? Deinde quid eſt cenſori Audire, niſi propoſitam doctrinam obedienter amplecti? Ergo diſcipulos erroribus parere oportuit, à quibus cavere juſſi fuerant. Hoc falſi crimen incogitantiæ prætextu extenuari non poteſt. neque enim ignorat, non aliam eſſe verborum Chriſti ſummam, niſi perverſa & flagitioſa Scribarum vita nihil decedere Legis doctrinæ, quin ſemper apud filios Dei vigeat ejus auctoritas & reverentia. Quum ergo Chriſti conſilium fuerit mederi vulgati morbo, (quia dum æſtimat mundus cæleſtem doctrinam ex flagitioſis eorum moribus qui eam exponunt, eam ut plurimum vilipendit) cenſor his verbis obtegi vult & fucari errores quoſlibet ac doctrinæ corruptelas. Videtur quidem ab hoc ſcelere ſe tandem purgare, quum addit, parendum ex Legis præſcripto monentibus. Sed quid juvat tam inſulſe tergiverſari, quum paulo ante præfatus ſit non obſtare errores tum doctrinæ tum traditionum, quin illis obediendum ſit?

Orditur deintegro eandem telam, ac Papiſtas à defectionis crimine abſolvit, quia non ſe prorſus alienaverint ab Eccleſia, quamvis à doctrinæ puritate quæ in primitiva Eccleſia floruit, degeneraverint. & ſpecioſum colorem inducit, Eccleſiam ab ipſo fundamento, quod eſt Chriſtus, æſtimandam eſſe: cui fundamento ſi poſteri pro auro, & argento, & lapidibus pretioſis, lignum, fœnum & ſtipulam ſuperſtruxerint, non tamen continuo à fundamento receſſiſſe. Hæc ſunt ejus verba. Itane, ut in Chriſto fundati eſſe dicantur qui totam ejus virtutem funditus diruerunt? Atque ut cenſoris vel malitiam, vel ſtuporem melius animadvertant lectores, quum duo in Chriſto conſideranda ſint, eſſentia ejus, & officium ac virtus: altero contentus, non dubitat quod præcipui eſt momenti exinanire. Chriſtum Papiſtæ fatentur Deum & hominem, & ejus perſonam fatentur duabus naturis conſtare: errores omnes quibus olim vexata fuit Eccleſia, diſtincte repudiant: fortiter anathematizant Arium, Sabellium, Neſtorium, Eutychem, Marcionem, & Manichæos. Ita de eſſentia deitatis & humanæ naturæ, & earum unione optime inter nos convenit. Verum ſi ſpolietur gratia ſua Chriſtus, frigebit tota hæc doctrina. certe quam minimum vel nihil proderit ad ædificium pietatis.
Ergo quum docet Paulus in uno Chriſto fundatam Epheſ. 2.
eſſe Eccleſiam, non aliud ſentit quam quod alibi verſ. 20.
clarius explicat: nempe quatenus factus eſt nobis 1 Cor. 1.
à Patre ſapientia, redemptio, juſtitia, & ſan- verſ. 30.
ctificatio. An non ſapientiam hanc abjecit, qui inſtar Mahometis magiſtrum ſe ſubſtituit, & ſuis commentis ſuffocavit totam Euangelii lucem?

Con-

Digitized by Google

Conciliet cenſor, ſi poteſt, cum redemptione de qua loquitur Paulus, Papatus doctrinam de libero arbitrio. Jam quid juſtitiæ quam per Chriſtum conſequimur magis adverſum, quam operum merita? Adhæc, ſi ſanctificatio nobis in Chriſto quærenda eſt, quomodo cum adjutrice Spiritus gratia concurret hominis voluntas? Ubi autem ad modum & formam juſtitiæ ventum fuerit, concidere certum eſt, niſi Chriſtus ſit unicus Sacerdos & Advocatus noſter, & unicum ſit atque æternum mortis ejus ſacrificium. Atqui advocatorum turba in ejus locum ſuppoſita fuit. Qui paſtores eſſe debuerant, ſe jactant eſſe victimarios. Quot Miſſæ quotidie aguntur, totidem ſacrificiis fingunt expiari mundi peccata. hæc tam fœda gratiæ & virtutis Chriſti everſio, longe aliud eſt quam ligni, fœni, & ſtipulæ congeries. Non inficior ex legitimis Eccleſiæ miniſtris quoſdam fuiſſe, qui commenta ſua miſcendo, puram doctrinam obſcuraverint. Verum longe diverſa eſt Papatus ratio, ubi nudum & inane reſonat Chriſti nomen: de ejus officio, quod in ſalute noſtra præcipuum erat caput, altum ſilentium. Deſinat ergo præſtigias facere impoſtor, otioſum & inutile ſpectrum loco Chriſti obtrudendo. Quod aquæ turbidæ comparat doctrinam multis vitiis contaminatam, perinde eſt, acſi quis veneficus diceret, non obſtare vitioſum colorem cibi & potus, quo minus edere & bibere liceat. Aquam turbidam bibat ipſe ſi volet, limo & cœno ſe ingurgitet. Verum cui perſuadeat, vinum quod è puro dolio prodierit, dum lethali veneno infectum propinatur bibendum eſſe? vel aquam, quia ex ſalubri ſcaturigine profluxerit, quamvis corrupta ſit ac ſoetida, non eſſe tamen noxiam?

Eat nunc & neget à crimine ſchiſmatis poſſe nos excuſari, quia à colluvie Papatus ſponte receſſimus. Hæreticos non eſſe ſatis clare indicat, quos non inſimulat ullius erroris. Schiſma exprobrat, quaſi abrupérimus charitatis vinculum, quia nefas ducimus communicare cum Papiſtis. De charitate futiliter eum hominem blaterare nihil miror, qui prorſus ἄστοργος eſt, ſibi uni natus & addictus. Certe charitatem à nobis minime negligi, nedum violari, inde apparet, quod non alio referimus omnia ſtudia noſtra, niſi ut miſeræ animæ in ſpem ſalutis revocentur. Sed eam partem aſpernamur, quæ vetus Catholicorum & Romanæ Eccleſiæ nomen retinet, omnemque ejus communionem defugimus, nec amore & miſericordia proſequimur ut decuerat, ſed abominamur ut corpus Satanæ & Antichriſti. De communione jam ſatis reſponſum eſt: eam duntaxat nos fugere, quæ idololatria & ſuperſtitionibus omnes inquinat qui ea tenentur impliciti. Hominibus certe non ſumus inimici, de quorum ſalute non minus ſollicite quam de noſtra laboramus. Hic vero maledicus, qui nos miſericordiæ oblitos eſſe jactat, non minus proterve quam malitioſe nota ſævitiæ infamat liberam perfidæ ſimulationis deteſtationem, ad quam ab omni hominum odio puros, religio nos cogit. Cum Papiſtis non communicamus. An quaſi ſint nobis porci vel canes, ut alieni ſimus ab eorum congreſſu? Imo vero nos eorum cæcitatis miſeret: eorum vitiis, quantum in nobis eſt, ſtudemus mederi: fraterna ipſos benevolentia complectimur: libenter eos admittimus, ſi nobiſcum pure Deum invocare ſuſtineant: denique ad ipſos modis omnibus accedere parati ſumus, modo ne à Chriſto nos abducant. Tantum idololatriæ ſocietatem fugimus, quæ nihil quam eos obduraret, nos vero pollueret, utroſque ſimul eodem involveret exitio.

Porro ut fucum faciat ſimplicibus & parum exercitatis, urget nos auctoritate Lutheri, qui Romanam curiam, quum adhuc eſſet alphabetarius, Eccleſiæ titulo ornavit. Fingamus Lutherum eo tempore inconſiderate loquutum eſſe, quum vix principia quædam ſincerioris doctrinæ guſtaſſet: quid minus conſentaneum, quam ſermonem rebus turbulentis & confuſis vel extortum vel elapſum arripere, ut præjudicio bonam cauſam gravet: acſi non licuerit homini agnitis repente tot portentis attonito, per varios progreſſus ſenſim proficere? Sed quam fallaciter torqueat quod alio ſenſu & conſilio ſcriptum fuit, inde colligere promptum eſt, quod eodem tempore Romam ſubinde vocavit Babylonem. Etſi anxie de re ſupervacua litigare nihil attinet: quum plane omnibus liqueat, ex quo uſu & experientia rectius judicium collegit Lutherus, quam acriter eos omnes deteſtatus ſit, qui non palam & libere diſceſſionem facerent ab impietate & ſacrilegiis Papatus. Adducit deinde Calvini teſtimonium, qui Sadoleto reſpondens, non negat eſſe Eccleſias quibus præſident Pſeudoëpiſcopi: quamvis Pontificem Rom. cum toto Pſeudoëpiſcoporum grege dicat immanes eſſe lupos, &c. Atqui ut taceam quæ prolixius Calvinus in ſua Inſtitutione diſſerit, ex eadem illa Epiſtola ſatis ſuperque refellitur falſarii improbitas. Deformes Eccleſiæ ruinas qui agnoſcit in Papatu, an beſtiis titulum Epiſcopalem occupantibus quicquam defert? Atqui claris verbis ſcriptor ipſe ab hac calumnia ſe vendicat. Poſtquam enim quaſdam errorum ſpecies recenſuit, quæ fidei principia evertunt: Non patiar, inquit, Sadolete, ut ejuſmodi flagitiis Eccleſiæ nomen inſcribendo, & eam contra fas & jus infames, & nobis invidiam apud imperitos facias: acſi bellum cum Eccleſia gerere nobis decretum foret. Nam ut fateamur jacta fuiſſe olim ſemina quædam ſuperſtitionum, quæ ab Euangelii puritate nonnihil degenerabant, ſcis tamen iſta quibuſcum belligeramus impietatis monſtra, non ita pridem vel nata eſſe, vel certe in hanc magnitudinem excreviſſe. Tandem detecta Papatus fœditate ſubjicit: Et adhuc obedientiam, humilitatemque veſtram nobis venditas, quod vos retineat Eccleſiæ veneratio, quominus ad exigenda hæc flagitia manum admoveatis? Quid homini Chriſtiano cum iſta prævaricatrice obedientia, quæ verbo Dei licentioſe contempto, obſequia ſua defert hominum vanitati? Quid cum iſta contumaci præfractaque humilitate, quæ deſpecta Dei majeſtate homines modo ſuſpicit ac reveretur? Prius autem, quam Papæ mercenarii nebulam offundunt ex Eccleſiæ prætextu, luculenta explicatione diſcuſſerat Calvinus: quam parum verecunde obtegit cenſor, quum totam Epiſtolam aliquando memoriter recitaverit. Ex uno autem verbo plane liquet quam perverſe mutilam ſententiam detorſerit. Sic enim Sadoletum compellat Calvinus, Tu mihi pro Eccleſia obtrudes, quæ omnes religionis noſtræ ſanctiones, & quæ Dei oraculis ſunt proditæ, & quæ ſanctorum quoque Patrum libris ſunt conſignatæ, & quæ priſcis Conciliis decretæ, furioſe perſequitur? Denique hæc ponitur Eccleſiæ definitio: ut ſit ſocietas ſanctorum omnium, quæ per totum orbem diffuſa, per omnes ætates diſperſa, una tamen Chriſti doctrina, & uno Spiritu colligata, unitatem fidei ac fraternam concordiam colit atque obſervat.

Quæ ſequuntur, adeo implicita ſunt tortuoſis ambagibus, ut ſuos rhonchos, ſicuti arridendo ſemper ſolet, efflare dicas. Amplecti ſe affirmat & venerari tanquam Eccleſiæ proprium, quicquid in utràque Eccleſiæ parte, ſive ea antiquo nomine Catholica, ſive nuper nato Euangelica nuncupetur, integrum, ſanum, doctrinæ Euangelicæ & Apoſtolicæ traditioni conſentaneum invenit. Quid autem, ſi ejus placitis ſtamus, aliud eſt traditio Apoſtolica, quam antiquitus recepta opinio? Ita ſacer & indubia fide munitus erit error quilibet, vetuſtatis umbra obtectus. Addit eam ſe Eccleſiam pro vera Eccleſia agnoſcere, quæ in fundamento veræ & Apoſtolicæ doctrinæ conſiſtat, nec impio ſchiſmate à reliquarum Eccleſiarum communione ſe ſeparet. De noſtris Eccleſiis

cum

Digitized by Google

eum loqui, ex contextu apparet: ubi nos Syris, Æthiopibus & Armeniis comparat. Cur ergo antè pronunciavit nos pro ſchiſmaticis habendos? Quis non videt ſpectrorum objectu eum ludere? Quod autem non putat ad diſtrahendas Eccleſias valere ceremoniarum aliquot & quæſtionum diverſitatem, modo in Chriſto capite & ſincera charitate communio retineatur: recte id quidem, niſi multiplicem & varium Chriſtum tam ex adulterinis commentis, quam ex Evangelii doctrina conflaret; ſicut ante viſum eſt. Quibus enim portentis non aptabitur Chriſti nomen: quando eum dicit caput retineri in Papatu, ubi miſere laceratus eſt ac diſcerptus, avulſus à ſuo Evangelio, & ejus veritas horribili deformitate fœdata? Ergo hic etiam ludit. Si pro ſua gravitate in primis odit factionum nomina, & ex inferis emiſſa credit: dum hi alios Papiſtas, Antichriſtianos, Satanæ miniſtros, hoſtes doctrinæ Chriſti: illi vero contrà alios hæreticos, ſchiſmaticos, apoſtatas, Eccleſiæ Chriſti hoſtes appellant: cur ipſe nova & inaudita, nec minus odioſa paulo poſt comminiſcitur; dum Anticatholicos & Calvinianos recte vocari cenſet, quos olim pro ſuis condiſcipulis habuit? Quod ſi deſultoria hac levitate vanitatem ſuam prodidit, ſaltem veteri magiſtro pepercIſſet.

Videndum nunc ſi ejus decreto acquieſcimus, ubi nos conſiſtere oporteat ut Chriſtiani cenſeamur. Quod eos perperam facere judicat, qui partium ſtudia vitando neutralem inducunt ſectam, libenter recipio. Nec vero mihi placet quenquam immodico partis ſtudio eſſe addictum, quod libertatem & æquitatem judicandi præpediat. Sed quod probe dixiſſe viſus eſt, momento poſtea evertit. contendit enim rurſum, quia religionis fundamentum in Papatu manet, pios in eo cœtu poſſe verſari. Sed qua fronte aſſerit fundatum eſſe in Chriſto Papatum, ubi tota ejus gloria & virtus proſtrata jacet? Quomodo illic credetur ſtare religio, ubi doctrina Prophetica & Apoſtolica hoſtiliter oppugnatur? Et quum pronunciet hæreſes damnandas eſſe, quomodo eas ſeparabit à Papatu, qui innumera impiorum dogmatum turba ſcatet? Sed non aliud videtur remedium, ubi religio inter duo mala poſita eſt. Ergo ita nunc [illegible] eſt cenſor noſter, ut clandeſtino artificio neutrum genus fabricet. Vera eſt tam apud Papiſtas quam apud nos religio: utroſque tamen obnoxios facit multis erroribus. Quid ſupereſt, niſi ut parte doctrinæ utrimque abolita, quod reſiduum erit ſimul aſſuatur, ut nova Eccleſia ex duabus diverſis compoſita ſurgat? Interea mire verſipellis eſt theologia, Pſeudocatholicos nunc vocare quibuſcum voluit communionem ſervari. Quid ergo piis Dei cultoribus, qui inter Papiſtas degunt, ne fiant ſchiſmatici, agendum? Illic certe dominantur qui Pontificem Romanum tantum non Deum faciunt, ut cenſor loquitur, ejuſque auctoritatem non modo ſupra totam Eccleſiam, ſed ſupra Scripturam efferunt: ab his diſceſſionem ſponte facere ſi religio ſit, manere in ſacrilego illo cœtu, quam turpis & ſcelesta erit proditio? Cæterum donec noſtræ doctrinæ vitia & errores oſtenderit, commentum ejus, Religionem inter duo mala eſſe poſitam, admittere iniquum eſſet, ſicuti nemo ſanus admittet. Et tamen quod negaverat ſibi probari neutralem ſectam, quaſi ſui oblitus nunc repudiat, tertium quoddam genus hominum ponendo, quibus ſe adjungit ſocium. In quo ſubſcriberem ejus ſententiæ, ſi probaret ſinceram pietatis doctrinam, quia apud nos non reperitur, in medio quærendam eſſe. Sed quum ne in minimo quidem apice, à pura ſimplicique fidei orthodoxæ regula deflexiſſe oſtendat, quid minus conſentaneum eſt quam eos ſolos laudare, qui à nobis non aliter quam à Papiſtis diſſentiunt? acſi hoc & recti judicii & ſanctæ moderationis optimum eſſet documentum.

Tenendum quidem eſt, hoc modo neutrales qui ſe Nicodemitas falſo nominant, ſolos ſapere & manere in gradu; quia ſe à contentione ſubducunt, ad quam inviti pertrahimur ingenua fidei profeſſione.

Porro dum circumſpicio quid hoc libro ſibi voluerit, hoc unum ei conſilium fuiſſe probabile videtur, rebus alibi turbatis, alibi incompoſitis, præſertim vacillante Gallia, gravis & moderati hominis perſonam induere, ut pacificandi ſpe objecta, ſe inſinuaret in eorum gratiam, quos putabat aliquid ſatis propenſos eſſe ad medias pactiones. Habuit forte rationem quoque præteriti temporis, ut qui ſæpius transfuga fuit & deſertor, perfidiæ levitatis infamiam quoquo modo elueret. Specioſa enim excuſatio eſt, eodem animo ſemper in utriſque verſatum caſtris: quia non deſtiterit Catholicæ Eccleſiæ unitatem nobiſcum, perinde ac cum Papiſtis colere. Præcipue tamen ſiniſtrum avertere præjudicium voluit, ne patrono in cujus clientelam dare ſe optaverat domicilii cauſa ſuſpectus foret. ac initio quidem ad hunc ſcopum venenata omnia ſpicula direxerat, ut diſſipato piorum conſenſu, Evangelii curſum interrumperet. nec laboris pœnitebat, dum primis diebus comiter exceptus, non vulgarem mercedem fama ſpe devorabat: à qua poſtquam excidit, lugubri cantu deplorat quod impendet naufragium: quia ad ſuos ſcopulos attrahere non potuerit quos magis delectat rectæ navigationis curſus. Hinc ſcilicet iſtæ lachrymæ, niſi valeat Nicodemitarum conſilium, non poſſe concordiam & pacem coaleſcere. Interea ferendum non eſt, ut impurus calumniator ſuis maledictis innoxios Chriſti ſervos opprimat, qui pietatis jactura nolunt pacem redimere. De noſtris adverſariis veriſſime prædicat, quum pacem optare ſe fingant, non aliam velle, niſi quæ conjuncta ſit cum noſtro interitu. De nobis autem quum improbe mentiatur, teſtis eſt ejus conſcientia. Tyrannidem Papatus, quæ non minus hominum ſaluti quam Dei gloriæ inimica eſt, ſi cupimus deletam, nihil mirum, quando ea ſtante nec religio, nec Dei cultus, nec Chriſti regnum poſtliminio in ſuum gradum reſtitui queunt. Sed quum id agendo conſulamus eorum ſaluti qui nobis crudeliſſimi ſunt hoſtes, immerito nobis exprobratur quod ab omnibus noſtris ſtudiis & actionibus remotiſſimum eſt, velle ſcilicet iſtos perditos, nec aliter quam eorum oppreſſione placari poſſe.

Faceſſat quam adducit bellorum civilium ſimilitudo. Neque enim cum aliis bellum gerimus, niſi qui pietatem funditus evertendo profeſſi ſunt Eccleſiæ hoſtes: quibus tamen ipſis reconciliari parati erimus, modo ſalva & intacta maneat veritas, quæ & Dei gloriam, & Eccleſiæ ſalutem in ſe continet. Nobis nihil quærimus: victoriæ laus ad Deum referatur, fructus ad totum fidelium corpus. Sed pacificandis diſſidiis inſulſa præſcribitur ratio à cenſore: ut cedamus utrimque, & aliquid remittamus, ut neutram partem ſuæ conditionis pœniteat. quaſi vero noſtrum ſit mediis pactionibus de jure Dei tranſigere. Ubi de agrorum finibus inter ſe litigant homines, vel de dignitate certant, vel de pecunia aliiſve terrenis negotiis contendunt, audienda Chriſti admonitio, ut ſtatim pacem quæramus. ſed noſtræ dimicationi finem alium quærere fas non eſt, quam ſi ultro citroque ad ſubeundum Chriſti jugum manus demus. Summum in animas imperium Deus uni ſibi vendicat: ereptum eſt, reſtitui volumus. Totam pietatis ſummam verbo ſuo complexus eſt, & æternæ ſalutis viam monſtravit: tota Legis, Prophetarum & Evangelii doctrina perverſis commentis, imo prodigioſis erroribus, ac deliriis indigne corrupta eſt: reſtitui ſuo nitori poſtulamus; quod fieri nequit, niſi prorſus concidant quæ cæleſtibus oraculis oppoſita fuerunt hominum commenta. Templum Dei, cujus inviolabilis eſſe debeat ſanctitas,

fœde profanatum purgari cupimus, quiſnam hominum ex ſacroſancto Dei jure vel tantillum ſubducere audeat, ut inter nos coëamus? Specioſum quidem nomen eſt pacis, inquit Hilarius, & pulchra opinio unitatis: ſed quis ambigat eam ſolam Eccleſiæ atque Evangeliorum unitam pacem eſſe quæ Chriſti eſt? Pacem Chriſti vocat ſanctus vir, quæ ſic pios inter ſe conjungit, ut ſub capite contineat: quæ fundata eſt in ſincero conſenſu, ut eadem omnes animo & uno quaſi ore Deum patrem invocent: cujus denique vinculum eſt pura Evangelii doctrina: non qua laceratur unica ſalutis noſtræ cuſtos Dei veritas, & exitiale fit inter Deum & nos divortium. Quicunque hoc ſunt animo, ut mori centies malint quam nefaria deciſione mutilare integram fidei doctrinam, legitimi demum & idonei ſedandis contentionibus erunt auctores. Nec minus improbe nobis invidiam facere tentas ex magnatum & potentum favore, à quo ſi pependiſſent qui præcipuam in aſſerenda pietatis doctrina operam navarunt, neceſſe fuiſſet ad formidabiles minas, ſæva edicta, & mortiferos impetus non trepidare modo, ſed penitus concidere. Atque ut propitios hodie habeant totius mundi proceres, quid inde poterit lucri accedere? Nihil ergo putidius, quam illis objicere quod remotiſſimum eſt, acſi opes, potentiam, divitias & honores affectent.

Contra Anom-ium & Arianos.

Verum hic quoque ſe opponit cenſor, dum ſatis amplam pietatis exercendæ materiam propoſitam eſſe aſſerit in quibus rebus utrimque convenitur. De fide, inquit, collocanda in Chriſtum mortuum & reſuſcitatum, de charitate Deo & proximo exhibenda, nulla controverſia eſt. atqui in his duobus capitibus pietatis ſumma conſiſtit. Nugator, an fidem in morte & reſurrectione Chriſti locant, qui libero ſuo arbitrio & meritis prope exinaniunt vim ejus & fructum? qui fictitiis ſatisfactionibus obruunt gratuitam peccatorum veniam, & qui ea expiari volunt quotidianis ſacrificiis? qui patronos & advocatos hinc inde ſibi accerſendo, Chriſtum in turba occultant? Et quum invitus agnoſcas, pietatem coli dum obtemperamus Dei mandatis, an non de hoc etiam capite acerrima nobis eſt dimicatio: dum nos Legiſlatore uno contenti, in cujus Lege acquieſcimus, pars adverſa nihil quam humana commenta & placita opprimendis miſeris conſcientiis obtrudit? Verum quidem eſt quod attexis, Chriſti diſcipulos non ſectari ſubtiles de rebus arduis quæſtiones, nec curioſe inveſtigare res latentes & abditas: modo ne in hoc ſimplicitatis fuco lateret aſtutiæ venenum. Porro quum nulli minus argutiis indulgeant, quam quos non minus indigne, quam maligne perſtringis: an non vulpes ſub alieno habitu te gallinis inſinuas cuſtodem? Eſto: ſimplicitas inter Dei filios primum gradum teneat: an tibi videntur de rebus frivolis rixari, qui contendunt in natura noſtra nihil eſſe niſi vitioſum & corruptum, donec Spiritu Dei regeniti, juſtitiæ vivamus? An inanis tibi eſt ſpeculatio, mentes noſtras cæcas eſſe, donec cæleſti gratia illuminentur? corda eſſe perverſa & contumaciæ addicta, donec in juſtitiæ obſequium reformentur? nos denique Satanæ eſſe mancipia, donec Filius Dei à miſera illa tyrannide nos liberet? An nihili eſt curioſitas, quærere quomodo tranquillæ animæ in ſolida ſalutis fiducia quieſcant? An ſubtilis eſt quæſtio de legitima Dei invocatione diſſerere? An obſcura ſunt ænigmata, præcipere quomodo rite colatur Deus ex Legis ſuæ præſcripto, an hominum figmentis? An certamen eſt de re nihili, dum Baptiſmum purgare nitimur fœdis & pudendis ſordibus: ſacram vero Cœnam, quæ prorſus abolita fuit, poſtliminio reſtituere, ac rurſus profligare deteſtabile Miſſæ ſacrilegium, quod innumeris impietatum monſtris ſcatet? Non recenſeo ſingulas ſpecies, quia pauca hæc attingere ſufficiat: quibus monſtratis, lectores tuam impudentiam palpent. Obſervatu digna eſt Irenæi ſententia, Melius eſſe non tenere cujuslibet rei cauſam, nec aliud quærere ad ſcientiam niſi Jeſum Chriſtum, quam per quæſtionum ſubtilitates & multiloquium in impietatem cadere. Huic quoque recte ſuffragatur Hilarius, In ſimplicitate eſſe fidem, in fide juſtitiam: nec Deum nos ad beatam vitam per difficiles quæſtiones vocare. In expedito & facili nobis eſſe æternitatem, ſi Jeſum Chriſtum credimus ſuſcitatum à mortuis, & ipſum eſſe Dominum confitemur. Sed uterque ſic præfatus, an non qua poteſt vehementia errores exagitat? Quos labyrinthos cogitur Irenæus diſcutere, ut fidei puritatem à prodigioſis fallaciis vindicet? Quam anxie in diluendis Arianorum cavillis laborat Hilarius? Quum his certaminibus ſe exerceant, dicemuſne ejus ſobrietatis fuiſſe oblitos quam paulo ante commendaverant? Imo ita maxime ſobrii reperiuntur, dum nihil imminui ſuſtinent ex doctrina verbo Dei patefacta.

Videtur quidem exemplum quod producit cenſor, colore rationis non carere, dum in tractanda prædeſtinatione moderationem exigit. Et certe ſedulo cavendum eſt, ne perplexis & ſpinoſis quæſtionibus nos implicemus. Sed aliud homini maledico conſilium fuiſſe ex clauſula liquet. Quamvis enim invidiam declinet, ubi fatetur nonnullas eſſe quæſtiones quæ à curioſis & inquietis hominibus excitatæ, etiam doctis & piis hominibus negotium faciunt: quia eos quibus ſtudium fuit gratuitam Dei electionem aſſerere, oblique carpit, doctrinam ſimul ipſam quæ fontem ſalutis noſtræ oſtendit, & quæ piæ ſanctæque humilitatis unicum eſt fundamentum, indigne ſuis calumniis deformans, furtim labefactare nititur. Fateor ſane arcanum Dei judicium, quo alios ad ſalutem, alios ad interitum prædeſtinavit, ſemper impiorum blaſphemiis fuiſſe expoſitum: & hoc doctrinæ caput fuiſſe non ſuperfluis modo, ſed noxiis quæſtionibus perperam diſtractum: dum profani homines in profundas abyſſos cæca temeritate penetrare non dubitant. Frenanda eſt igitur hominum laſcivia, ne pluſquam fas eſt ſcire appetant. Commendanda etiam eſt docta ignorantia, dum non aliunde ſapimus quam ex Dei verbo, & reverenter miramur quæ Deus voluit eſſe abſcondita. Sed non ideo à ſobrietatis regula diſceditur, ubi cordate refellitur canum latratus, qui ſua importunitate id ſæpe extorquent. Nec vero Auguſtinus quamvis admoneat Valentinum & reliquos, ne eos perturbet hujus quæſtionis obſcuritas parendum eſſe Pauli conſilio, ut idem ſentiamus omnes, & expectemus revelationis diem, ſi quid aliter ſentimus, ideo protinus doctrinam ſepelit, aut omittere vel fugere jubet: quin potius ubi lectorum animos ad docilitatem flexit, libere & fortiter explicat quæ prius imperitos terrebant myſteria.

Spatiari eum in locis communibus, & de præpoſteris remediis conqueri facile patiar, modo ne per flexuoſos circuitus oberrans non tantum ſua tela vibret adverſus immeritos, ſed venenum quoque ſuum inſtillet ad corrumpendos ſimplicium animos, & clandeſtinis obſtaculis Evangelii curſum moretur. Dicerem latere inſidias, ubi deflet triſte regni Galliæ exemplum, niſi ſe aperte proderet prava ejus malignitas dum nulla re magis uritur, quam felici regni Chriſti progreſſu. Interim non abs re dicit odium ſibi conflari objectis levitatis & timiditatis criminibus: quia toties apoſtata nihilo plus meretur fidei, quam canis & inimicus crucis Chriſti, eamque fugitans, laute & delicate in otio vivere affectat.

JOAN-

JOANNES CALVINUS

LECTORI.

HEcubam fingunt Poëtæ, quum Troia everſa paſſim maledicta in hoſtes ingerendo, intemperanter dolori indulgeret, tandem fuiſſe in canem converſam. nempe quod immodicus ille conyitiandi impetus nihilo pluris quam canis rictus fieret. Si hoc de nobiliſſima Regina dictum fuit, quam ſi tot tamque acerbæ clades in rabiem adigerent, aliqua tamen excuſatione dignus erat mulieris luctus: quid de homine nihili dicendum, qui cæco magis furore quam iracundia percitus, non tantum in obvios quoſque probra temere conficta evomuit, ſed optimos cupide appetit quibus proterve maledicat? Ergo quum me hactenus hortati ſint multi, ut Franciſci Balduini petulantiam compeſcerem, ne cum canis latratu confligere viderer, beſtiam contemnere viſum eſt: necdum me conſilii poenitet. quid enim in putidis ejus calumniis refutatione dignum? Vixit apud me: & humaniter acceptus ac liberaliter, quo ſe pluſquam barbarum eſſe probet, mendacium ſtulte confictum arripit, me, dum malefici damnantur, pro tribunali judicem ſedere. Scripſit hoc futiliter Heshuſius. Antea putaveram ab errone quopiam & mendico ut aſſem ab eo emungeret, fuiſſe dictatum. Nunc vero quum idem mihi objiciat bonus hoſpes Balduinus, qui Heshuſio collega fuit: quis alium quæret fabulæ architectum? Atqui in publicis judiciis me ſemper omnes viderunt ſtare ad latus rei qui ad ſupplicium ducendus eſt. In his ſcilicet nugis ſtylum exerceam? Exprobrat quod pro Rhedonenſi Epiſcopo dixeram Nenetenſem in Concilio Tridentino ſedere. Capitale crimen, quod ovum unum loco alterius ovi ſumendo deceptus fuerim. Maximum, ut ſibi quidem videtur, odium cum infamia mihi conflat, ex meis & benedictæ memoriæ viri fratriſque mei venerandi Buceri literis.

Antequam reſpondeo, monendi ſunt Lectores nihil hac monedula eſſe furacius, ut hac in parte fratrem ſuum patruelem Antonium Balduinum ſuperet, cui ob furandi ſolertiam cognomen Ablativi à condiſcipulis inditum fuit. Tanta fuit mea erga ipſum facilitas, ut quicquid erat in bibliotheca mea chartarum libere me abſente excuſſerit. Subripuiſſe quæ in rem ſuam fore putabat, non aliunde petenda eſt luculentior probatio, quam ex ejus ſcripto, in quo ſe belle prodidit. certe fides ejus & hoſpitalitas hic deprehenditur.

Nunc tamen videamus de re ipſa. Quum ex meis prope viſceribus proferre in manu ejus eſſet, ſiquid deprehendiſſet in me vitii, nihil reperit atrocius, quam quod Bucero confeſſus fuerim me eſſe natura iracundum, & aſſidue luctari cum hoc vitio: neque tamen proficere quantum vellem.

Alia quæ admiſcet, ſibi fabricavit. In hac vero accuſatione quid ſibi vult? niſi ſuo ſuffragio eos demum laude eſſe dignos qui non tantum ſuis vitiis indulgent atque ignoſcunt, ſed perfricta fronte procul à ſe rejiciunt, quorum ſibi ſunt conſcii? Nos vero aliud in Chriſti ſcholâ didicimus. Quanquam ſi illi in mentem veniſſet illud Ciceronis, irritabiles eſſe bonorum naturas, forte non ita ridicule tibias inflaſſet; atque ut ei ſpecioſus ſit inſultandi color, vel contumelioſum aliquod dictum vel crudele factum quod mihi extorſerit iracundia, proferendum erit. Jam vero quid Bucerus? quoniam me de quibuſdam verbi Dei miniſtris aſperius ſcripſiſſe exiſtimabat, ſuſcepta eorum cauſa, vehementiam meam reprehendit.

Hæc porro ſunt ejus verba: Judicamus prout amamus vel odimus. Dexter interpres Balduinus, quo ſit odioſior expoſtulatio, mutata perſona id in me torquet. Verum ut pro noſtra familiaritate concitatior in me tunc fuerit Bucerus, alioqui placidiſſimi ingenii vir, cur non quid de eadem cauſa ſcripſerit, peræque Balduinus commemorat? Nam poſtquam veniam à Chriſto precatus excuſationes aliquot adduxit, ſermonem claudit hoc epiphonemate: Sed quid facio peccatum meum elevans, quando me ipſa damnat conſcientia? Mihi certe in hoc Buceri patrocinio acquieſcere tutum eſt. Quam vero ſemper honorifice de me loquutus ſit ac ſcripſit, pudore impedior referre. Tantum abeſt, ut Balduini ineptias imitari libeat, qui literas blandis aſſentationibus à Philippo Melanchthone elicitas, quales ignotiſſimis quibuſque ſcribere ſolebat vir ille, magnifice jactat. Dictum hoc frequenter habuit in ore, quia paſſim invaluit uſus, ut doctiſſimi, clariſſimi, ornatiſſimi vocentur qui infra mediocritatem ſubſidunt, ſe in his titulis eſſe liberalem: & vero nomen viri boni non ita proſtituere. Quid ſi me non modo reverendum, ſed optimum virum in literis ſuis vocavit? ſed faceſſant iſtæ nugæ.

Meæ ſuperbiæ atque etiam tyrannidis exemplum memorabile adducit Balduinus, quod implacabili fere ſævitia invectus contra quendam amicum meum fuerim, quod tantum ex publicis Eccleſiæ precibus vocem unam litura induci optaſſet, ubi fœdus novum dicitur veteri longe præſtantius. Atqui actis tam Conſiſtorii quam Senatus refelletur craſſum mendacium. Ille enim temere ac inſcite ſparſerat, non fuiſſe ullo modo dicendum Melius, quod idem eſſet. Id inter multos vagatum fuerat, antequam nobis innoteſceret. Promptum ſcilicet fuit producto Apoſtoli teſtimonio hominem pudefacere. Ergo levitatis convictus veniam à me petiit, & ſimul impetravit. Quin etiam deprecator fui apud Senatum nequid ſeverius de ipſo ſtatueretur. Ab eo tempore non aliter domum meam frequentavit quam ſolebat: ex Gallia ubi mortuus eſt, quoties ad me ſcripſit, erat obſequentiſſimus filius, ego reverendus pater. Hoc certe nitatur teſte Balduini impudentia, ego autem laborem? Multo vero minus in frivolis quas efflat jactantiis me movet ejus ſtoliditas. Porro tametſi quieſcendum mihi duxi, conſilium optimi & integerrimi fratris mei Bezæ adeo non reprehendo, ut me non parum oblectaverit concinna & ſimul omni fuco pura ejus reſponſio. Utinam celerius inchoaſſet: quia incredibilis feſtinatio ut totam cauſam pro ſuo arbitrio perageret, non tulit. Satis tamen erit, veritatem in hac ſincera ingenuaque defenſione ita ſplendere, ut victrix ſupra omnes Balduini nebulas emineat.

Digitized by Google

JOANNIS CALVINI
RESPONSIO
AD BALDUINI
CONVITIA.

NEſcio an frigidas rhapſodias, quæ rurſus in lucem prodietuur ad leges De famoſis libellis, ante annos quatuor ediderit Franciſcus Balduinus. Nam viceſima quinta die Julii, anno quinquageſimo ſeptimo, privilegium impetravit. nunc opus retexens quo pleno gutture ſuam in me virulentiam evomeret, an jure privilegium illud quod libro tunc compoſito datum erat, novæ invectivæ aptaverit, velim mihi reſpondeat Juriſconſultus. Certe beneficio Regis ante biennium mortui, opus à quatuor menſibus ſcriptum ornare, abſurdum fuit. Atque ut apices juris omittam, ſicuti loquuntur, falſarium hic deprehendi ſenſus dictat. Porro quamvis & audacia ejus & improbitas pridem omnibus cognita fuerit, nunquam tamen putavi eo amentiæ prorupturum, ut mihi tam proterve malediceret. Verum ut ejuſmodi homines ad rabiem incitat deſperatio, præcipitem eum egit mala conſcientia: ut cæco impetu in ſeipſum potius quam in me rueret. Commotum ejus intemperie me fuiſſe non negabo: quando fieri non poteſt quin hominibus cordatis & ingenuis ſtomachum moveat tanta indignitas: ſed ejus convitia perinde acſi me non attingerent facile deſpexi. Celebre eſt Socratis dictum, An aſino, ſi me calce petiiſſet, coram Prætore diem dicerem? Etſi autem procul abſum ab ea animi magnitudine qua excelluit Socrates, longo tamen uſu jam obdurui ad iſtorum canum latratus, atque ex meliore ſchola didici Deum probris & contumeliis ſervos ſuos ut probet eorum tolerantiam ſubjicere. De magnitudine quidem revelationum, quaſi ad Paulum accederem, non gloriabor. hoc tamen mihi commune eſſe cum Paulo agnoſco, angelum Satan, ne extollar, mihi divinitus miſſum eſſe, qui me colaphis cædendo ad humilitatem erudiat. Quoniam tamen nobis quotidie rogandus eſt Deus, ut diabolum ejuſque miniſtros compeſcat, noſtrarum quoque partium eſt, ne eorum mendaciis obtuatur veritas, effreni eorum licentiæ obſiſtere. Baſileæ ante quinque menſes editum fuit ſcriptum abſque auctoris nomine: cui plauſibilis inſcriptus fuit titulus, acſi ſedandis Eccleſiæ diſſidiis optimum remedium afferret. Huic oppoſita fuit brevis refutatio, in qua perſtrictus fuit Balduinus. hac occaſione nunc me aggreditur, & ad capitale judicium vocat, vel potius trahit, acſi injuſte à me traductus foret. Quid vero ſi negem libellum, cui tam ardenter infeſtus eſt, à me ſcriptum? Et certe ſi cavillari libeat, negare promptum eſt. quia tamen magna ex parte ex meo ſermone fuit exceptus, pro meo agnoſcam. Hic velis expanſis in me Balduinus invehitur, ſeque falſa calumnia gravari conqueritur: & quanquam auctorem non nominat, alienum tamen opus dicit immerito ſibi aſcribi. Ego autem eum libenter adjuvo: ac teſtatum volo eſſe lectoribus, nænias illas non ab uno conſarcinatas fuiſſe. Eſt Caſſander quidem ab hominum conſuetudine, ut aiunt, remotus. nec unquam innotuiſſet ejus nomen, niſi Balduini impulſu nunc à me productus eſſet in theatrum. Is ex ſolitudine αὐθάδειαν, ut fieri ſolet, ita contraxit, ut omnes fere ejus ſenſus obſtupefecerit moroſitas. Quoniam olfecerat Balduinus illum viginti annorum otio ad mediam quandam & flexuoſam religionem cudendam abuſum eſſe, ex ejus ſinu infauſta illa commenta facile elicere potuit: quæ lucem tenebris miſcendo ſub peſtiferæ concordiæ prætextu omnes in Eccleſia corruptelas foverent. Vix enim credibile eſt quanta ſagacitate quicquid pietati noxium eſt inveſtiget. Qualiſcunque autem erat illa farrago, eam ſuo artificio polivit. Nam ſi quis roget cur nulla in Refutatione facta fuerit Caſſandri mentio, reſpondeo nullam fuiſſe rationem cur lamia illa, vel larva, è ſuo antro, ubi hactenus bene latuit, extrahi deberet. Verum quia paſſim Balduinus non obſcuras ſtyli ſui notas libello impreſſerat, ut omnibus conſpicuum eſſet non niſi ex ejus manu prodiiſſe (nec typographus negaret) ac quicunque mediocri præditi erant judicio idem ſentirent ac loquerentur: oblique eum perſtringere qui libellum vulgando venenum ex clauſa pyxide effuderat, nulla, opinor, vetabat religio, vel æquitas. Atque hic craſſi mendacii convictus tenetur, ſe totius rei inſcium fuiſſe ſimulans: quum longo ante tempore prædam hanc apud Caſſandrum venatus eſſet. Adde quod is qui Coloniæ tot annos in ſterquilinio ſuo ad hunc uſque diem jacuit, acſi in medio Galliæ ſinu degeret, deplorat turbulentum regni ſtatum. Quorſum hæc tam putida fabula? Et quis tam obtuſus eſt, qui non Balduini penicillum agnoſcat? nullo certe unquam atramento hoc quicquid eſt delebit. Hæc enim probi hominis & ingenui excuſatio, dum hiſtrionis in morem querulando lachrymas ſtultis vult elicere. Quum in intima eſſem Gallia, inquit, quidam in extremis Germaniæ finibus qui de Gallia neque ſciebat neque cogitabat quicquam, libellum compoſuit & edidit. Quid ergo ſibi vult querimonia, in qua Galliæ turbas deplorat ille quiſquis eſt libelli auctor? Jam quid attinet Coloniam Agrippinæ locare in ultimo aliquo Germaniæ receſſu? ut taceam de intima Gallia, quum emiſſo aculeo Rhemos ſe contulerit ad venditandas Cardinali ſuas operas. Porro quum duplicem quæſtionem agitandam eſſe præfatus ſit, Facti, an ipſe librum compoſuerit: & Juris, an dignus ſit liber tam acerba inſectatione: quam feliciter priorem partem expediat, penes lectores eſto judicium: nempe libelli culpam, cujus auctor non eſt, immerito in ſe transferri. Inficiando ſe purgat. ſi volet adjungat & perjurium quo me temeritatis reum faciat: quia de re incerta libere pronunciare auſus fuerim. Ego vero rem totam de qua trepide balbutit, ingenue & familiariter aperio: nec invidia onerari volo, quantum res patitur. Editum eſt ſcriptum quod mihi notam infamiæ apud omnes aſpergeret: ſuppreſſum eſt auctoris & typographi nomen data opera, ut impune me lacerare liberum eſſet. Excuſat Balduinus opus non eſſe ſuum. ut hoc illi concedam: quando proxeneta, vel leno & productor fuit, denique libellum tradidit manu ſua, & vulgandum curavit, ejuſdem criminis reus tenetur. Si in jus eum accerſerem, tribus verbis finita eſſet cauſa. Quanta vero ſit injuriarum, quibus me vulnerare conatus eſt ille ſcriptor, atrocitas, non commemoro: quia mihi privatim nihil exprobrat. ſed quum nihil ſibi poſſet fidei acquirere, niſi quantum mihi abrogaſſet, quicquid hactenus pro defenſione cæleſtis doctrinæ laborum ſuſtinui, quicquid ſtudii & diligentiæ impendi in aſſerendo Dei cultu, maligne calumniando me facit violentæ ſectæ ducem: quæ totam Eccleſiam peſſundare malit, quam ex ſua pertinacia minimum cedere. Diſſidia, quibus nunc Eccleſia miſere laceratur, bello civili comparat. Tanto nos flagrare odio adverſæ partis fingit, ut neglecta ſanandi cura, tantum ad perdendum feramur. Ac hujus quidem maledicti

faci-

facilis eſt reſutatio, quibus cordi eſt ſimplex veritas indigne gravari, quia non claudicent in utramque partem. Sed poſthabita futili illa procacitate, quod upprime neceſſarium erat, detecta ſuit mediatoris perfidia: quæ ſallaci redimendæ pacis prætextu religionem ſimul cum æterna animarum ſalute prodebat. Hic miratur Balduinus me tumultuari, acſi Hannibal eſſet ad portas. Legir hoc ſemel apud Ciceronem. placuit. quaſi proverbiali dicterio farſit omnes ſuos libellos. Ego vero non fruſtra operæpretium duxi fideles monere, non ut Hannibali extra portas occurrerent: ſed quando intus erat Sinon, ut ſibi mature caverent ab ejus inſidiis. Excudebatur Baſileæ liber: Rhemis proditor licitabatur cum Cardinale. racendumne fuit? Quid ergo judices citare opus fuit, qui diligentius inquirant cur ego hic trepidem, qui tam ſecure alioqui contemno ſpicula in me directa? nempe quia nec mihi quicquam periculi eſt à ralibus quiſquiliis: & multorum ſimplicitati metuens, mature exiſtimo eſſe monendos, ut ſibi à proditoribus caveant. Quod negat pro hoſte capitali habendum eſſe quem mediſtorem nomino: primum conſulat rudimenta Grammatices, ubi inveniet quid ſit per conceſſionem loqui. deinde librum quem impetit, ſana & compoſita mente percutrar, ubi palam oſtenditur quam exitiali mercede pacem redimi velir qui ſe ſub ſallaci perſona inſinuat. Certe præſtabat malæ cauſæ defenſionem omittere, quam inſulſis ſcommatibus manifeſtum crimen eludere, cujus odium & deteſtationem ex piorum cordibus nunquam eluet. Quæritur qualis ſit liber, quem ſi non peperir Balduinus, in partu tamen obſtetricis munere functus eſt. Metis impoſturis refertum & compoſitum eſſe in Eccleſiæ perniciem, Reſponſio, cui Balduinus iraſcitur, quaſi digito monſtrat. Bonus vir ut dedecus tegat omnium oculis expoſitum, convitiando perturbat totam actionem. Porro ut perſuadeat me terribilem bilem, ut loquitur, cæco furore effundere, conjecturas ſibi fabricat cur veteris amicitiæ oblitus hoſtiliter in eum exarſerim. Primum adducit quod rogatus à piis proceribus ſententiam ſuam conſignaverit contrariam novis meis & capitalibus decretis, dum cenſeo ſevere adverſus hæreticos animadvertendum eſſe. Non inquiro quinam ſint proceres quorum crepat nomina: ſint ſane Caſtalio & Bojonus. quod uno verbo attingere libuit: ut nugator iſte ſuas phaleras alibi venditet. Sed quomodo quæ tantum ex Dei Lege ſumpſi novitatis inſimulat? imo Deum ipſum, cujus Leges recito, ſævitiæ infamia aſpergere non veretur. Et ſane id argumentum attingere nunquam mihi in mentem veniſſet, niſi hortatu venerandi fratris noſtri D. Henrici Bullingeri: quem tamen reum non ſubſtituo: quia morem gerendo conſilium ejus mihi probari teſtatus ſum. Audivi quidem Balduinum aliquid contra blateraſſe: ſed riſi, ut licebat. adeo vero commotus non ſum, ut me inſulſitatis ejus piguerit. Quare male divinar hanc mihi iracundiæ fuiſſe cauſam. Intempeſtive quoque alteram aſſignat, quod exiſtimet habendam eſſe rationem antiquitatis in ceremoniis Eccleſiæ. Sed quando tandem antiquarius eſſe cœpit? Vixit apud me familiariter: fidem ſuam in hac Eccleſia, & Argentinæ apud homines noſtræ linguæ profeſſus eſt: an verbulo unquam ſignificavit ſe plures ceremonias appetere quam nobis in uſu eſſent? Addit ſe odiſſe juvenilem intemperiem in ordine conſtituendo, quæ cælum terræ miſcere videatur. Dicas Neſtorem aliquem concionari. ſed quorſum tam putida jactantia: acſi ullum unquam edidiſſet vel prudentiæ vel moderationis ſpecimen? Et tamen ut aliqua gravitatis ſpecie ſuperbiat, cothurnum induit, ſeque prædicat tanto magis eſſe religioſum. Affirmet ſane, modo nemo credat. Nam quod me vulr id fateri, ridiculum eſt, ut alia. Urger demum, ſi male me hoc habeat, ut ingenue dicam: ſcilicet is eſt Balduinus, cujus me judicium urat ac cruciet. Ego vero quid futiliter garriat de rebus Eccleſiaſticis homo ut pietatis expers, ita ſacrorum omnium ignarus, nihil moror: modo ne clandeſtinis artibus diruere moliatur quam fideles Chriſti ſervi puræ religionis doctrinam erigere & ſtabilire pridem conati ſunt. Quare nihil ſtultius quam fraudem mihi objicere, acſi alium cauſæ ſtatum fingerem. Ego tametſi ex multis idoneis teſtibus compertum habui Balduinum toto hoc biennio proditorie ſe geſſiſſe, multa ſceleſte & nequiter cum paucis ſui ſimilibus agitaſſe, ac inteſtinum fuiſſe Eccleſiæ hoſtem: continui me tamen: ac ejus defectione perinde dolui, miſerique interitum deflevi, acſi nunquam in caput meum cum improbis nebulonibus conſpiraſſet: ut vix patientiam meam ferrent veteres ejus amici. Hoc vero extremo actu edito, tacere mihi non permiſit: & tamen impurum os perfricans, ſubinde rogitat, quænam me intemperantia contra ipſum adegerit. Quaſi vero non plus ſatis mihi temperaverim, quum apoſtatæ peperci, nec ante vel ſiniſtra voce eum pupugi, quam dum mihi pateſacta fuit deſperata ejus improbitas, ubi ſe Cardinali aut locare, aut vendere non dubitavit. Per me impune quieviſſet occultior ejus improbitas: ſed ubi ultro prorupit, ſeque inſolenter jactavit, quorſum attinet de re conſpicua ſciſcitari? Certe à me quæſitus non eſt: verum amentiæ ſuæ imputet, ſi Eccleſiam oppugnando in unum ex fidis ejus cuſtodibus incurrit, qui nocere quantum volebat paſſus non eſt. Se tamen à tam manifeſto crimine purgatum exiſtimat, ſi verbulo uno excipiat fabulas me ex trivio arripere, vel nebulas ſpargere quas ipſo tacente dies pridem diſcuſſit. Quaſi vero tam ſceleſtæ conſpirationis & nefandi colloquii memoria ex piorum cordibus deleri queat ſardonio riſu. Ut volet nebulas elevet, nunquam obliviſcentur cordati homines, dum captioſis ſuis artibus ad meritorium quæſtum fertur, per eum non ſtetiſſe, quo minus gravis plaga infligeretur Gallicæ Eccleſiæ. Quare deſinat patroni nomen obtendere, à cujus clientela, ſimulac probe innotuerit, non minus facile excidet, quam fallaciter obrepſit. Hinc porro apparet quam jejuna ſit ambitio, quod neſcio quid tam inſolenter jactitat. acſi dubium eſſet in aulis Principum peſſima interdum mancipia favorem adipiſci. Quin etiam conſcientiam meam coram Deo appellat: quod ubi ſcio nullam eſſe controverſiam, odioſe velim aliis perſuadere eſſe maximam, quæ vero eſt, aſtute diſſimulem. Quaſi vero de re notiſſima neceſſe ſit ad arcanum Dei judicium provocare. Atqui notare operæpretium eſt quam bene inter ſe conveniant aſtutia, & cæcus furor, in quem me alieno impulſu repente præcipitem actum eſſe fingit. Quis non videt hominem petulantiæ deditum, vomere potius quæ ſtomachum gravant quam loqui? Atque ita ſcilicet nodus magnæ & arduæ quæſtionis ſolvitur, quomodo Balduinum laceſſere ſuſus ſim, qui tot habeam inimicos. Mihi enim in promptu defenſio eſt: quotquot mihi inimici ſunt, eſſe profeſſos Chriſti hoſtes: nullas vero inimicitias me unquam ſuſcepiſſe privata cauſa, nec cupide appetiviſſe: nullas denique à mea culpa fuiſſe ortas. Sed hoc mihi plus ſatis eſt nullum mihi alia de cauſa eſſe inimicum, niſi quia ſacrilega audacia inſurgere adverſus pietatis doctrinam, & Eccleſiæ ſalutem, auſus fuerit. Quotquot noſtro tempore Chriſtum, ejuſque Eccleſiam hoſtiliter impetere tentarunt, eorum furori fortiter me oppoſui: atque ut acriter eos excepi, ita infatigabili conſtantia perſequutus ſum. nec me hujus aſſiduæ militiæ unquam tædebit. Hac de cauſa inimicus ſum Balduino, quem aliquando amavi. Reſpondeat nunc ipſe mihi velim, quomodo tot ſibi acquiſierit hoſtes: cur ſe & ipſos atrocibus

pugnis exercuerit: cur nuſquam reliquerit verum amicum. Cui probetur neſcio. omnibus certe doctis & probis viris, quibuſcum verſatus eſt, exoſum eſſe conſtat. Fontem ſi quærimus, non alius reperietur, quam ejus ambitio, ſuperbia, invidia, & ſi qua eſt ſimilis virtus. Sed toto libello ſe prodit pudenda ejus fatuitas: qua voce gravius cum vulnero, quam ſi omne genus ſcelerum in eum conferrem. Recto enim & honeſto pridem valedixit: modo acutus & vafer credatur. Serio tamen docendus eſt quam putidum ſe reddat inſipidis ſuis facetiis. Negat ſe cenſuram accipere quam detuli, ſeque mihi dicit relinquere, qui nullum collegam fero. Primum videant lectores quam ſuperciliose Balduino Caſſander in libello ſe ſupra omnes cenſores offerat: deinde quam fuerit placidus hic noſter, erga ſuos collegas comis & humanus, inquirant: reperient ubique fuiſſe intolerabilem: Sed fruatur ſane Iſmaëlis gloria: cujus manus eſt contra omnes, ſicuti manus omnium contra eum. Mea vero in ferendis non collegis tantum, ſed majoribus quoque, nec ferendis modo, ſed etiam optandis moderatio notior eſt quam ut futile cavillum refellere opus ſit. Nemo ætate mea pietate & doctrina excelluit, quem non coluerim qua decebat obſervantia, & cujus virtutes liberaliter non prædicaverim. Nemo etiam eorum fuit, qui me non complexus ſit ſummo amore, & plus detulerit quam vellem. ut de me loqui ſolitus fuerit Philippus Melanchthon, cujus una vox obruere poteſt omnes Balduini latratus, ipſum appello teſtem: qui ſi negaverit ſibi eſſe compertum, coarguetur à plurimis. Honorifica ejus de me elogia tantum abeſt quin mihi animum inflaverint, ut quum me ſibi præferret, & quidem ſcripto, dixerim non ferendum eſſe illud mendacium. Is tamen nihil offenſus reſpondit ſe quod ſcripſerat ſentire, & verum eſſe. Nec vero adeo ſtultus ſum ut id credam verum eſſe, vel ab aliis credi velim: ſed ut bonis omnibus fœteat nebulonis hujus protervia. Quin etiam Buceri de me judicium recitat, quod ab ipſo improbiſſime confictum eſſe Deum & Angelos ejus teſtor. Bucerus, inquit, aliquando tibi dixit, nullum te ſervare odii vel amoris modum, ſed ea te eſſe vehementia, ut vel ſupra cælos attolleres, vel ad inferos uſque dejiceres. Ita vero mihi propitius ſit Deus, ſiquid unquam tale audierim. quin potius vir ille, quem loco patris reverebar, tanta comitate viciſſim fraternam mecum amicitiam coluit, ut ægerrime paſſus ſit Argentina me avelli. Certe ad extremum uſque contendit, quibuſcunque fieret modis me retinendum. Extant etiam ejus ad Senatum noſtrum literæ, quibus conqueritur cum maxima Eccleſiæ totius jactura me huc retrahi: ac demum eo uſque provehitur, ut dicat me inter ſanæ doctrinæ miniſtros nemini eſſe ſecundum, paucos vero habere pares. Si immodico mei amore excæcatus modum exceſſit in me laudando, ſaltem Balduinum pudeat effrenis ſuæ proterviæ: vel agnoſcant lectores qua ad convitiandum veſania feratur. Collegam ſcilicet non fero. Atqui nullus eſt in toto orbe fidelis Chriſti ſervus, cui non porrexerim fraternæ ſocietatis manum. De noſtro domeſtico conſenſu reſpondeant collegæ mei, quibus communis mecum eſt hujus Eccleſiæ adminiſtratio. Quicunque exoriuntur magnæ ſpei, modis omnibus adjuvo quantum in me eſt, ut gratia & auctoritate floreant. Ac teſtari cum Moſe licet, Utinam omnes prophetent in Dei caſtris! Denique unum ſi poteſt nominet obtrectator, quem invidia aut æmulatione moratus ſim, quo minus, ſi fieri poſſet, collega etiam gradu eſſet ſuperior. Ita per ſe evaneſcit puerile de ſummo pontificatu cavillum: acſi non ſemper tam ex animo quam ex profeſſo defugere ſtuduerim quicquid me extra modeſtiæ fines abriperet. Sed quid hoc ſibi vult, dum me ſecurum eſſe jubet, ſi non alium habeo quam ipſum vel rivalem vel competitorem maximi ſacerdotii? Si tam inſulſe nugari libebat, ſaltem à præfatione tam male conſentanea abſtinere debuit. Valeant, inquit, ineptiæ. Expectes aliquid grave & ſerium. mox omnes ineptias ſuperat, denunciaſſe ſcilicet non eſſe timendum ne me dejiciat è gradu. Et quis ſuſpicatus eſſet hominem nihili tantum ſibi arrogare, niſi ſeipſum proderet? Eat nunc & buccas inflet inani jactantia. Si ambitioſus eſſem, inquit, nunc demum putarem me eſſe aliquid. Pædagogia ſcilicet fraudulenter elicita eum extulit ſupra nubes, ut reliquos omnes contemptim deſpiciat. Interea quidem ſtolida ejus ambitio riſum omnibus movere poteſt. Severe mecum expoſtulat, quod non pietatis modo, ſed humanitatis quoque in ipſo laceſſendo oblitus fuerim. Quid per ſua erga me officia intelligat, non aſſequor. Fateor fuiſſe mihi familiarem. quum ſigna melioris ingenii daret, hoſpes apud me fuit. Serpentem ſcilicet ac peſtem domi meæ alui. Hoc vero prætextu quod me ſibi vult eſſe obſtrictum, ex quo jure hauſerit, neſcio. Ultra progreditur: me atrociores mereri pœnas quam Oreſtem, qui matrem aliqua cauſa incitatus occidit: quod ſævus magiſter inſontem & inauditum, veteremque diſcipulum, & prope filium, non equis, ut infelix pater Hippolytum, ſed ſtylo meo diſcerpſerim. Obliquas ſtrophas omitto, in quibus facetum ſe fore putavit: quod me ſuum fuiſſe præceptorem ſignificem, & ipſo diſcipulo aut filio glorier. Ego vero ſiquid in eum juris unquam vendicare mihi potui, libenter remitto: quia cum Satana, cui ſe totum addixit, mihi nihil eſt commune. Sed ex ejus literis agnoſcent lectores, ſi nunc immaniter contra me ferociat, ingratitudinis culpam in eo reſidere. Agedum vero inſontem ſe probet: ſicuti audacter facturum minatur. ego autem ſimpliciter excuſo, quoniam non modo perfidioſe mecum agendo, ſed nunc inſidiis, nunc aperto conatu in communem Eccleſiæ perniciem graſſando ſpem meam ſceleſte feſellerit, eo juſtiores mihi fuiſſe iracundiæ cauſas, quam in exterum quemlibet vel ignotum. Quod ſi humano more de me conqueſtus eſſet, forte eadem ſpe quæ me fruſtrata erat, iterum deceptus, optaſſem de vehementia aliquid remiſſum. nunc vero quum belluina ejus rabies perditæ & deſperatæ mentis ſignum ſit non obſcurum, dicere mihi cum Propheta, ut arbitror, licebit, Quod perit, pereat. Porro quam non præcipitanter in ipſum efferbuerim multi ſunt idonei teſtes, quibus notæ erant præclaræ ejus actiones. Ex brevi tamen narratione judicium faciant ſani & integri lectores, quam humaniter eum toleraverim. Ex quo fidem hic ſuam profeſſus erat, in Galliam diſcedens (ſicut aliud ſemper lingua præ ſe tulit, quam haberet in cordis receſſu) dixit ad expedienda quædam negotia exiguo tantum temporis ſpatio opus eſſe: & quia ipſius magis quam mea intererat, ipſum cito redire, mihi perſuaſit. Deriſa eſt ab iis qui propius ejus mores noverant mea credulitas. Et certe experientia docuit, quia noſtræ tenuitatis eum pigebat, conditiones alibi opimas & ſplendidas venari. Quum tergiverſando alias ex aliis moras necteret, diſplicuit quidem mihi calliditas: neque tamen offenſionis ſignum dedi, vel etiam gravius offenſus ſum, donec apud Bituriges rurſum idololatriæ ſordibus ſe polluit. Quanquam poſt tale quoque defectionis flagitium tanta fuit erga eum mea facilitas, ut ſe mihi reconciliaret. Itaque quum illa Bituricenſis conditio eum gravaret (oſtentatio enim, qua ſola pollet, evanuerat, ut ſpei & votis minime ſatisfaceret) non dubitavit huc ſe recipere: & quum undique liberis eum convitiis exagitarint qui prius amici fuerant, humaniter à me impetrata venia ad-

miſſus

miſſus fuit. Feci quidem quod neceſſe erat: ut ſevera objurgatione correctus, lapſus ſui fœditatem agnoſceret. Serviliter aſſenſus eſt, & adulatorie meis ſe conſiliis regendum permiſit. Argentinam profectus nomen dedit apud Paſtorem & Seniores Gallicanæ Eccleſiæ. Porro quia apud Bituriges mox de ejus diſceſſu fugæ ſimili ſiniſtri rumores vulgo ſparſi ſunt: quo hanc notam elueret, Duarenum inſignem Juriſconſultum quem ipſe in cælum uſque extulerat, aggreſſus eſt. Quam acris fuerit contentio, ex libris ultro citroque editis plus ſatis conſtat. In ea pugna quum veris armis deſtitui ſe videret Balduinus, ad illiberales inſidias deſcendit, & Duareno ex puræ & orthodoxæ fidei approbatione invidiam conflando, carnificum furori eum objecit. Capitale, ut ſcitur, in Gallia erat, non tantum doctrinæ noſtræ ſubſcribere, ſed libros etiam noſtros furtim legere. Bonus hic pietatis ſectator, dum oſtendere conatur Duarenum ex me didiciſſe, & ex meis libris eſſe mutuatum quicquid in libro De ſacerdotiis probe & ſincere docuerat, non alio ſpectavit quam ut furioſis Eccleſiæ hoſtibus gladium homini jugulando porrigeret. Si barbara hæc immanitas mihi diſplicuerit, nihil mirum. quin potius hoc uno ſtratagemate deteſtabilem ſe piis omnibus reddidit. Et tamen quum de ea per literas, & coram conqueſtus eſt Duarenus, hominem ingenio, facundia, eruditioneque ſic inſtructum, ut in certamine longe futurus eſſet ſuperior, mitigavi. Sciunt permulti quam fidelem operam dederim ſedandis quorundam animis, qui ab eo injuſte provocati, magnas, niſi obviam iviſſem, turbas dediſſent. Certe non negabit ſic me fuiſſe medium, ut ejus exiſtimationi quoad potui conſuluerim. Cui tam clementer peperci, & quem ſuſtinui tanta patientia, adhuc de mea inhumanitate conqueritur: Quam vero indignam mercedem retulerit, partim breviter expoſui, partim diſſimulo, ne privatas injurias perſequi videar. Certe, ut ſtylum in eum ſtringerem nunquam adductus ſum, donec ſe voluntarium obtulit. Nam quum male ſatagere non deſiſteret, ab eo tamen abſtinui. tantum abeſt ut ſecurum & dormientem, ut mentitur, configere in animo fuerit. Quo majore ludibrio digna eſt fatua ejus protervia, ubi prope parricidium nominat, quod eum qua dignus erat objurgatione verberare auſus fuerim. Ac ne zeli excuſationem obtendam, prior occupat, & longe à zelo diſtare excipit rabiem dentibus hominem innoxium laniantem. audio maledictum, quod liber de quo agitur me tacente diſcutiet. Carnificem interea ſe prodit, qui lanienas tam libenter crepat. Nam quod odioſe nos zelotis comparat, qui per cædes & latrocinia graſſando Judæam miſere perdiderunt, non minus inſulſæ dicacitatis eſt, quam perditæ audaciæ. Neque enim ſecus ac gladiatores in cædem ruunt, hic facetus ſcurra præceps ad convitiandum fertur: ut non ſtigmate modo, ſed ſuffixione opus ſit, ſi de nequiſſimo calumniatore pœna pro merito ſumatur. Plauſibile dictum eſſe putat alienum ſe jactare à meis factionibus, ab eorum intemperie vehementer abhorrere, qui tumultuando augent diſſidia religionis, & oderunt omnes piæ & placidæ conciliationis rationes. Ergo nebulo neſcio quis cœno emergens impura ſua procacitate Soli tenebras obducet: Nempe ſic factioſus fuit Jeremias, quum perverſis impoſtoribus larvam detraheret. Sic tumultuati ſunt omnes Prophetæ, quum in genuino Dei cultu nihil mutandum clamarent. Sic Chriſtus & Apoſtoli ab impiis Dei contemptoribus novæ ſectæ vocati ſunt duces. Sic ab Epicureis Balduini ſimilibus olim turbarum omnium culpa in Chriſtianos conjecta fuit. Porro quum ſua cuique ſit factio quorſum attinet multas in me congerere? Quænam tamen iſtæ ſint tot factiones oſtendat: paci & concordiæ hoſtem me eſſe probet: tum ali quid fatebor eſſe ab eo dictum. Atqui longe fallitur, ſi quid aliud aſſequi ſe confidit, quam ut intolerabilis ejus ſuperbia omnibus fœteat. Quod lugere ſe fingit Eccleſiæ diſſipationem, cumulus eſt ſtolidæ jactantiæ. Interdum tamen ſcurrando miteſcit, nunc Virgilii carmina reſonans, ut ex tripode vaticinari dicas, nunc frigidos jocos hinc inde conſarcinans, quibus ſecure ſe fabulari oſtentet. Ergo ſi me contempſerit, protinus Sublimi feriet ſidera vertice. Quo conſilio ſe nugari magnifice prædicat, frivola neſcio quæ dicteria in me jaciendo. Quid enim aliud facerem? inquit. nempe magnus vir cenſebitur, ſi per luſum & jocum nullo negotio me exagitet. Quid ergo ſibi volunt tot tragicæ exclamationes, quibus cælum & terram invocat? Nugator, quod nomen vere tibi ſumpſiſti, ſi te poëtica melodia delectat, quomodo non in mentem venit illud Horatii, Si vis me flere, dolendum eſt? Neque enim ſatis convenit, eum qui ſe prope nefando parricidio impetitum fuiſſe deplorat, delicias ſibi facere, & in ſua pernicie ſuaviter jocari. Hac de cauſa etiam mihi inſultat, quod non omnes ſciant qua parte me premat pulcher calceus. Quaſi vulgari proverbio in hominem ab omni oſtentatione longe remotum temere projecto, opprimi queat comperta omnibus ſimplicitas. Poſtquam vero ſe tam bellis dicteriis ſatiavit, ſibi aſciſcit ſeveri monitoris & magiſtri partes: verecunde tamen: quia malus Comœdus præpoſtere falſas perſonas inducit. Mihi vero nihil opus eſt Bucerum, cujus nomine non minus pueriliter quam improbe abutitur, è cælo elicere, qui ſcurtam refellat: quando mortui ſuperſtites ſunt literæ, atque etiam libri publice editi, ex quibus cognoſcere promptum eſt, quam ſtolide Balduinus ejus perſonam induerit, ut licentioſe in protervia inſultaret. Sævo in me probro jam invectus fuerat, quum rogaret ecquo libertas communis reciderit, ſi non licet loqui, niſi ex arbitrio & formula unius alicujus novi doctoris. Omitto quod novum appellat doctorem, cujus reſponſa olim ſibi eſſe pro oraculis ſcribebat. ſed quam falſo comminiſcatur hanc me ſervitutem illis imponere, ut ex meo nutu pendeant, teſtes ſunt qui tametſi libere à me diſſentiant, non tamen deſinunt eſſe amici. Invidioſius quod ſequitur: Niſi meis conſiliis obviam itum fuerit, non modo cauſa, ſed & vita cadendum eſſe, omninoque pereundum, ſi quid exciderit quod mihi non placeat. Forte id ab ipſo impetravit Caſtalio, tanquam firmum amicitiæ pignus, ut patrocinium cauſæ Serveti ſuſciperet. Juſtas quidem ille pœnas dedit: ſed an meo arbitrio? Certe arrogantia non minus quam impietas perdidit hominem. Sed quodnam meum crimen, ſi Senatus noſter meo hortatu, ex plurimarum tamen Eccleſiarum ſententia, execrabiles blaſphemias ultus eſt?

Vituperet me ſane hac in parte Franciſcus Balduinus, modo Philippi Melanchthonis judicio poſteritas mihi gratitudinem debeat, quia tam exitiali monſtro Eccleſiam purgaverim. Senatum etiam noſtrum, ſub cujus ditione aliquando vixit, perſtringat ingratus hoſpes: modo idem Philippus ſcripto publice edito teſtetur dignum eſſe exemplum quod imitentur omnes Chriſtiani Principes. Vanitatis, futilitatis, calumniæ, maledicentiæ magnam eſſe turpitudinem fateor. Cur ergo his omnibus vitiis infamiam, & odium omnium ſibi acceſſit? Sit ſane magnum odium ſævitiæ adverſus inſontes inflammatæ: ſit etiam magna Dictaturæ invidia bonos cives proſcribentis: intolerabilis res ſit in Eccleſia tyrannis: quando nihil horum in me competit, libenter admitto. Si me ſugillare impuro convitiatori propoſitum eſt, acta ſævitiæ meæ commemoret, inſontes nominet à me afflictos, tabulas proſcriptionis oſtendat: denique tyrannica acta proferat, quæ exercuerim ſub religionis ſpecie. Et tamen

 poſt-

Digitized by Google

poſtquam libidini ſuæ adeo intemperanter indulſit, multo atrociora in poſterum denunciat: & pro ſolita urbanitate nunc ſe mihi parcere jocatur. Atqui nihil melius quam veſanum hunc furorem, qui ad me non pertingit, è tuto deſpicere: quia ubi latratus omnes ſuos conſumpſerit, idem manebit qui ſemper fuit obſcœnus canis. Glorietur ſe mihi non cedere in Reip. & Eccleſiæ ſervandæ ſtudio: modo inani faſtu crepantem pueri quoque ſubſannent. Nec vero Galliæ oculos configere neceſſe eſt, ut de perpetua mea fide, diligentia, integritate, modeſtia, tolerantia, & aſſiduis pro Eccleſia laboribus judicet: quod tot inſignibus documentis jam uſque à mea adoleſcentia probatum eſt. Hac fiducia in gradu meo ad extremum uſque perſtare mihi ſatis erit. Nam quod me errare clamitat, ſi in eo me jam ſolio puto locatum, ut mihi quod libet liceat, omnibus inſultem, omnibus indicam ſilentium, ſolus imperem & fulminem, ejuſdem eſt futilitatis quæ jam in aliis ſpurcis conviriis patefacta eſt. Ne quid tamen proterviæ reliquum faciat, quia aliquando ne quid amicis crearet periculi nomen meum, privatim quum ad eos ſeriberem, Lucanium me inverſis literis vocavi, trahit bonus hic Reip. defenſor in crimen: & ſimul Luciani nomen permiſcens, infamiam aſpergere mihi conatur, Calvinum in Lucianum vertendo. Nempe hoc dicterio ſe religioſum probare voluit, vel ſaltem occupare, ne ad magiſtrum ſuum Lucianum ablegaretur. Hi ſcilicet ſalſi ſunt lepores boni Rhetoris: præ quibus tolerabile eſſet cavillum, ſi quis Badinum pro Balduino diceret. quod tamen putidæ eſſet affectationis. Sed nihil mirum ſic hominem mente alienatum deſipere, qui crimen ἀστοργίας ſibi objectum diluere volens, orbitatem mihi exprobrat. Dederat mihi Deus filiolum: abſtulit: hoc quoque recenſet inter probra liberis me carere. Atqui mihi filiorum ſunt myriades in toto orbe Chriſtiano. Si vero filiola tua, quam celebras, & qua ſuperbis, adoleſcat, merito eam pudebit tali patre fuiſſe progenitam. Quorſum tamen colligat bonus Philoſophus quid ſit στοργὴ me neſcire, qui nondum ſim pater, fateor me non aſſequi. στοργὰς enim hactenus putavi extendi ad alios quoque humanæ pietatis gradus. Quo jure ipſum minime στοργικὸν eſſe clamant Bituriges, qui ſuos privignos ſimul cum eorum avia ſpoliaverit. Porro ſi turpe eſt ſeni Theologo aſperius virum ætate adhuc florentem tractare, unde junioribus licentia tam proterve ſenibus inſultandi? Equidem Dei beneficio ſum ſenex, ſed nondum ſexagenarius, ut me hic nepos è ponte ſublicio dejiciat. Has, non dico ſpurcitias, ſed ineptias, quiſquis expendet, quomodo Balduinum credet aliquid honoris mei cauſa, ſicut ſimulat, tacere?

Porro de præclaris ſtudiorum ſuorum, & optimæ erga Rempublicam voluntatis monumentis in Germania relictis,glorioſe teſtari (ſunt enim hæc ejus verba) nihil miror: quum me invidia frementem ad ſe oppugnandum rapi dicat. Quid tibi invideam miſer? Quid tam ſtolida comparatione aſſequi te putas, niſi ut os tuum impurum omnes conſpuant? Si omnia recenſeam quæ homini vel ferreæ vel nullius frontis, comminiſci & garrire libuit, nullus erit modus. Tandem quaſi ad ſeipſum reverſus, & philoſophice diſſerens, admonet ſingulare vanitatis exemplum, cujus ad omnem poſteritatem triſtis forte extabit memoria, in me divinitus fuiſſe propoſitum, quo omnes criſtas demittant, eoſque miſereat communis miſeriæ atque cæcitatis. Sit vero hoc memorabile tuæ vanitatis trophæum, qui non modo inſolentius quam antehac criſtas erigere, ſed linguam, ungues, & dentes acuere ita cœpiſti, ut nihil unquam extiterit vel ſuperbius vel truculentius. Eat nunc, & ſe in ſuo ſtercore volutans, fœtoris ſui odore delectetur, donec ordinum omnium deteſtatione obrutus, quid ſit pudor & miſericordia diſcere incipiat. Judicum, ad quos provocat, cognitionem minime formido, aut defugio. quomodo enim non me ſubjicerem eorum auctoritati, quos raris & exquiſitis virtutibus inſignit? Verum quod fortes juris vindices fore pronunciat contra injurias, defenſores juſtæ libertatis contra novæ tyrannidis ferociam, patronos innocentiæ adverſus vim & inſidias, nihil ad me. Fuit hoc ſeculis omnibus uſitatum, ut rabulæ, quos famelica gloriæ cupiditas ad rabiem adigebat, quo quiſque dignitate eſſet præſtantior, protervius in eum linguam exercerent. Vetus ſcurrarum Rhetorica eſt, aut potius virulenta dicacitas, omnem virtutis ſplendorem tyrannidis nomine fœdare. Quid tibi faciam Balduine? quum mihi propoſitum eſſet tota vita latere, Deus me extulit quo nolebam, & aliquo gradu eſſe voluit in ſua Eccleſia: tu, quem urit & excruciat inſana gloriæ fames, fruſtra inhias honoribus, & tot erraticis venationibus nihil proficis. an mihi luenda eſt tuæ ſtoliditatis pœna? Meam vero innocentiam vi & minis opprimere tam perſuadebis futili tuo mendacio, quam Virgiliani carminis tinnitu Coloniam miſiſſe ſicarios, qui Caſſandrum occiderent, quem proxima pagina adhuc ſuperſtitem manere denuncias. Hac ſcilicet probitate libertas tibi parta eſt, ut in mendacia non minus ſevere quam optimus veritatis aſſertor, inveharis. Sed quid hoc ſibi vult, tanquam pecudes naribus à me tractari quos negat vel cæcos eſſe, vel fatuos, vel ad degenerem ſervitutem abjectos? Verba tam contraria implicare quis vel ſani vel ſobrii hominis eſſe credat? Ex eadem amentia ebullit quod proxime ſequitur: dum lamentabili voce deplorat ſe miſerum pupillum eſſe, & ſimul gloriatur, quamvis ego qui terribilis ſum magiſter, flammas ore vomam, ſe magno ſuo qui in cælis eſt tutore fretum, aſſurgere ſupra omnium larvarum & dirarum terriculamenta: & reputare quod melior magiſter docuit, Beatos eſſe quibus maledicunt homines mentientes. Si Dei pupillus cenſeri volebat, cur non ſpeciem aliquam modeſtiæ præ ſe tulit? Quorſum vero attinet Dei nomine ſic abuti qui divina & humana jura non minus ſuperbe contemnere quam ſcelerate violare non dubitat? Certe perperam ad Dei tutelam confugit qui tam malus fuit vitricus. ſed voluit ſcilicet religionis opinione ſibi gratiam acquirere apud ſimplices: acſi crederet ullum in cælo eſſe numen. Hoc vero eſt non aſſurgere ſupra larvas, ſed larvarum omnium integumenta congerere ad fallendum. Porro quod me ad judicium citat, reperient lectores non alio conſilio factum eſſe, niſi ut infereret quod de Publio Galba legerat apud Ciceronem, primum eſſe ex Pontificibus qui tractus fuerit ad populi judicium. Quoniam itaque putavit ad me perſtringendum hoc fore plauſibile, ne tam bellum dicterium perderet, tribus vel quatuor paginis adverſus meam potentiam invehitur: acſi omnibus legum vinculis ſolutus tyrannide inſtar Romani idoli dominarer. Scilicet non ſatiatur crudele ejus in me odium tot quibus me omnes Chriſti hoſtes impetunt calumniis, niſi in arenam projiciar à feris laniandus. Hæc mea eſt immunitas, ut omnes omnium impetus in me ruant, eorumque tela in me dirigantur. Unde apparet quam putida ſit hominis oſtentatio, dum me ab Æolia mea exire jubet, quo mecum confligat aperto Marte. Quaſi vero non ſatis hucuſque penetrent ejus & ſimilium maledicta: aut Geneva ventos exſufflet quibus ipſe crepat. Quanquam non expectavi dum me è ſecuro, ut fingit, nido extraheret: quia quo tempore totius Regii Conſilii odia in nos accenderent improbi, nullo ſalvi conductus (ut loquuntur) diplomate petito, libere poſtulavi ut inter medios ignes cauſam dicere liceret. Simile aliquid de ſe narrat Balduinus. Sed quia cum Cynico ſcurra nullus eſſet litigandi modus, præſtat verborum ampullis ſolidam rerum ipſarum veritatem opponere. Una re

maxime

maxime gloriatur, quod relicta patria, contemptis divitiis & honoribus, exilium & inopiam pro Euangelii profeſſione pertulerit. Equidem in laude duco, quod Euangelii nomine in diſcrimen vitæ adductus fuga ſibi conſuluerit. Fortunis exutum fuiſſe negant conterranei & ſamiliares: quia extra Cæſaris ditioem à matre & cohæredibus permiſſum fuit ſumere quantum ex hæreditate, ſi integra fuiſſet ejus conditio, pervenire ad eum poterat: ut ne unius quidem aſſis jacturam fecerit. Et aliquando coràm homini gratulatus ſum, quod tam facile recuperaſſet quod ſibi credebat periiſſe. Verum ne falſis laudibus contra Chriſtum Regem gloriæ ſuperbiat, iidem ejus familiares affirmant, ſimulac ſe eripuit à periculo, per Claudium Cantiunculam, qui tunc Cancellarius erat Lotharingiæ, de reditu tentaſſe, quem fœda Euangelii abnegatione redimere paratus erat. Etſi autem repudiatus alio ſe vertit, jam tunc voluntarius fuit apoſtata. Ego quibus vel deliciis, vel commodis vel opibus Chriſtum prætulerim, non commemoro. tantum dico, ſi mihi fuiſſet animus Balduini, non fuiſſe adeo difficile quæ fruſtra ſemper ambivit, & quibus hodie nimis cupide inhiat, adipiſci. Sed valeat illud. Ego tenuitate mea contentus frugalitatem ſic colui, ut nemini gravis fuerim: qoietus maneo in ſtatione mea: de ſtipendio, quod mihi mediocre conſtitutum erat, aliquid remiſi, tantum abeſt ut de augendo verba fecerim: meas omnes curas, labores, ſtudia non modo in utilitatem hujus Eccleſiæ, cui peculiariter ſum adſtrictus, ſed ad omnes Eccleſias quibus poſſum ſubſidiis juvandas confero: docendi munere ſic defungor, ut in ſumma fide & diligentia nulla ambitio appareat: multas moleſtias devoro: tolero multorum ruditatem: nullius potentia impeditur mea libertas. Itaque magnis per adulationem non indulgeo: nullas metuo offenſiones: nulli me hactenus inflarunt proſperi ſucceſſus: ſicuti multis & gravibus procellis jactatus eas intrepide ſuſtinui, donec ſingulari Dei beneficio emergerem: comiter vivo cum meis æqualibus: fideliter amicitias tueri ſtudeo. Quid Balduinus? tanquam venaticus canis huc & illuc aſſidue oberrat, illiberalis quæſtus cauſa ſordidam juris nundinationem exercet: quæ nunc arriſit conditio paulo poſt in faſtidium venit: inani oſtentationis ſtudio deditus quid ſit in publicum prodeſſe ignorat: floreatne an peſſum eat religio, ſuſque deque habet: privatæ curæ non tantum otii permittunt, ut de communi ſalute & Eccleſiæ ſtatu cogitet: niſi quod infelici genio, vel fatali quodam morbo, ſemper ad nocendum ſatagit: ſibi uni addictus, omnes à quibus nihil ſperat faſtuoſe deſpicit: potentum ſavorem captat ſine modo blandis aſſentationibus: bonis quibus invidet pluſquam ferociter inſultat: quocunque venit, fax eſt prorſus furialis ad excitandas diſcordias: denique ut neminem unquam ſincere dilexit, ita neminem ex probis & integris Dei cultoribus habet amicum. Si aſperior viſus fuero, auctore Paulo culpam in eum ipſum rejiciam qui me coëgit.

GRATULATIO
AD
VENERABILEM PRESBYTERUM
DOMINUM
GABRIELEM DE SACONAY,
Præcentorem Eccleſiæ Lugdunenſis, de pulchra & eleganti Præfatione quam libro Regis Angliæ inſcripſit.

FUit noſtra ætate Præcentor quidam Eccleſiæ Aurelienſis, Cortæus nomine, qui quum linguæ protervium exereret adverſus omnes, ſolebat à ſeipſo ordiri: atque ita facete occupabat quæcunque in ipſum torqueri poterant dicteria. In homine igitur improbo & nequam aliqua fuit verecundiæ ſpecies, quod nihilo magis ſibi quam aliis parcebat. Nunc vero exortus eſt nobis longe diſſimilis Præcentor Lugdunenſis Eccleſiæ, Gabriel de Saconay, qui ſumpta gravi perſona, tanquam larvatus Theologus theatrum cum altis cothurnis aſcendit: ac perinde diſſerere audet de cæleſtibus myſteriis, acſi à puero in Apoſtolorum & Prophetarum ſchola educatus eſſet, & pietatis doctrina probe imbutus, quum tamen in ganeis & luſtris demerſum ſemper fuiſſe conſtet. Si Lugduni quæritur famoſum lupanar, domus ejus primas tenebit. Omitto choreas & ſaltationes quas ſeveri caſtique homines vocarent lenocinia. Simpliciter dico, non minus aperte hoſpitium præbere ſcortationibus, aliiſque flagitiis, quam ſi meritoria taberna eſſet. Domos frequentat omni dedecore refertas, fœtoremque tanquam venaticus canis olfacit pro ſuaviſſimo odore. Si quas autem magis integras & honeſtas intrat, ſuarum libidinum ſordibus eas inficit. Niſi Veneris ſtigmata in facie geſtaret, forte difficilior eſſet probatio. Quam belle vero ceciderit plaga, tenere operæpretium eſt. Erat illi optimus ſodalis, & moribus ejus aptiſſimus, cui nomen Samouſſeto, quod Lugduni pueris quoque notiſſimum eſt. Tanta inter eos animorum conjunctio, ut mutuo conſenſu, & quaſi ex compacto, ſcortum ambobus commune eſſet. Verum quum tertius quidam eſſet rivalis, neſcio qui factum ſit ut Samouſſetus eum lecto potitum ſuſpicatus, noctu ad vindicandam injuriam oſtium domus pulſans, in miſerum ſocium inciderit. Ut erat zelotypia accenſus, nimis feſtinavit in vulnere infligendo. Defertur hic infelix athleta domum. Cognito errore, advolat Samouſſetus: collachrymati, mutuo amplexu amicitiam confirmant. Hæc inſignia ſcilicet, quæ ex lupanari retulit, animos faciunt ad magnificam hanc loquentiam: qua non ſecus audet tonare, quam ſi incognita eſſet totius vitæ ejus obſcœnitas. Quio etiam pudicitiæ patrocinium ſuſcipit homo verecundus, certe dignus qui Bonæ deæ ſit ſacerdos. Quid, os impurum, unde nihil præter teterrimum ſœtorem exhalari poteſt, hoc quoque ad tuam impudentiam reſtabat, ut de caſtitate verbum facere auderes? Declamitet in promiſcuos concubitus, quorum licentiam apud nos graſſari non minus ſecure affirmat, quam ſi de alio orbe fabularetur. Atqui ſi eadem Lugduni quæ apud nos vigeret legum ſeveritas in puniendo hoc ſcelere, pridem cadaver tuum ad furcas ſuſpenſum, corvorum fuiſſet cibus. Audes negare, ſi capitale, ut oportuit, eſſet adulterium, te honeſtas fœminas vel ſtuprando, vel ſollicitando, centum mortes fuiſſe meritum? domum ſplendidam, quæ non procul à Veteri moneta ſita eſt, fuiſſe tuis flagitiis infamem? minis ac terroribus libidines tuas fuiſſe repreſſas? Et tu, ganeo, tanquam patronus caſtitatis in medium prodibis? Atqui ſcena, vel in optimo hiſtrione, talem perſonam vix admitteret. Subolfacere tamen

men

men licet quid hoc artificio captaverit. Deleta ſuperioris vitæ memoria, ſi pudicitiæ famam acquireret, domos ſibi clauſas patefactum iri ſperavit. Quaſi vero poſt tot experimenta vel fatui credant te alium & novum eſſe hominem. Committeret tibi quiſpiam uxorem, qui non modo projectæ libidinis taurus es, ſed leno quoque & adoleſcentum corruptor? Oblitane eſt civitas, quam belle in ſchola tua filium nobilis familiæ erudieris, donec ſcilicet ſuſpendiarium redderes: quando invito patre, tametſi urbis Præfectus erat, domus tua miſero fuit aſylum, in quo impune ad omnem nequitiam indureſceret? Verum attendere convenit quas nobis pro virgineo ſuo pudore ſcortationes exprobret. Nocturnos cœtus dicit Lutetiæ fuiſſe habitos, ubi extinctis candelis ſinguli prout libitum eſſet cum fœminis & puellis coirent. Tu forte eorum quibus ſalſum crimen aſpergis, timiditatem rides, quia ſoleas ad clarum lumen multorum zelotypiam aperta laſcivia accendere. Sed unde portentum de quo grunnis, ô porce, comperiſti? Veſtri quidem ſunt lepores, dum incaluiſtis comeſſando, veſtra flagitia in homines puros & innoxios rejicere. Sed quum diris tormentis & immanibus ſedulo inquiſierint qui religionis noſtræ ac nobis infeſtiſſimi erant hoſtes, ac nihil omiſerint ſævitiæ, quo detegerent ſi qua eſſet obſcura criminis ſuſpicio, fateri coguntur improbiſſimi quique nullius culpæ convictos, niſi quod ad audiendam pietatis doctrinam, & ſacras preces, convenerant. Tu ergo unus es, cui credatur eſſe verum, quod acta publica à profeſſis hoſtibus conſcripta vaniſſimum eſſe clamitant? Eodem nempe colore piis Martyribus, quorum circiter exordia regni Chriſti floruit ſanctitas, objecta ſunt à tui ſimilibus infanticidia. En integritatis ſpecimen, quo tibi fidem in dogmatibus concilies: quando nihil pudet tam ſtulte in ſpargendis calumniis ineptire. Qua etiam fiducia tranſſubſtantiationem ſecure ac plenis buccis aſſerere audeas, neſcio, niſi forte quia tibi peræque facilis videtur tranſmutatio panis in corpus, ac metamorphoſis mulieris in virum. Hoc enim ſuavitatis genere convivas tuos oblectas, dum mulieres virili habitu ad menſam inducis. Hunc ludum quam ſæpe tibi præbuit plebeia meretrix, quam partim à propria venuſtate, partim ab opificio mariti Bellam corderiam vocabant! In rabioſo urbis Genevæ odio, ne fallaci zeli prætextu te vendites, breviter aperienda eſt origo, unde appareat privatam cauſam te agere. Vendiderat hic homo frugi quaſdam ex ſuo patrimonio decimas. Ut temperanter vivit, pretium ſtatim fuit conſumptum. Venales iterum proſcripſit. Senatus Genevenſis, cui commodum erat emere, quod alias poſſidebat contiguas, juſtum pretium numeravit. Poſtea in archivis reperta fuit prior venditio. Mirabiturne quiſpiam hominem graviter excanduiſſe, & adhuc ſtomachari, ereptam ſibi fuiſſe pecuniam quam ingurgitaverat, & tantundem ex annuo proventu, qui prodigis ſumptibus alioqui non ſufficeret, fuiſſe detractum? Verum de fœdis ac pudendis belluæ moribus jam plus ſatis: itaque ad rem ipſam tranſeo: modo prius pauca verba fecero de auctore Præfationis, qui Gabrieli de Saconay calamum ſuum conduxit. Sic enim decebat, ne præfatio ipſa à libro quem commendat, ſaltem in hac parte diſcreparet. Quum inter exordia pugnarum Lutheri viderent Papæ ſatellites in Anglia ſe rationibus obrui, nova ab illis excogitata fuit ratio, ut oppoſito clypeo auctoritatis, videri poſſent ſuperiores. Liber ergo conſarcinatus eſt à monachis & ejuſmodi rabulis, cui Rex à malis conſiliariis perſuaſus, nomen ſuum inſcribi paſſus eſt. Quia vero inconſiderati fervoris poſtea eum pœnituit, & ipſa inſulſitas operis ad memoriam abolendam ſatis erat, triginta annis alto ſilentio ſepultum fuit. Nunc quum liguritor quidam menſæ Gabrielis de Saconay, jactaret ſibi eſſe in manu præclaras rhapſodias, quæ cauſam noſtram non parum læderent, quæſita eſt plauſibilis edendi occaſio. placuit igitur Regis Angliæ librum qui pridem obſoletus erat, rurſus excudere. Laudem vero Præfationis, quam conductitius ille rhetor reſignabat, cupide arripuit Gabriel, ac ſibi dimidius rex fore viſus eſt, ſi regio nomini ſuum miſceret. Ridicula vero ejus fatuitas, qui non vidit puerorum quoque ludibriis ſe obnoxium fore. Fidei ſcilicet Catholicæ defenſor credetur, cujus veternus ac ſtupor ex crapula, aleæ luſu, ſtupris & bruta petulantia abunde cognitus eſt? Nec vero in Præfatione quicquam eximium apparet, in quo ſibi artifex placere debeat. Sed quamlibet tenuis ingenii vel doctrinæ ſcintilla emicet, tollitur omnis dubitatio. Suæ ergo exiſtimationi, ſi qua eſſe poteſt, male conſulit Præcentor, qui tanquam cornicula alienis plumis ſe veſtivit, & dedecora produxit in medium, quæ vel in oblivione jacebant, vel manebant incluſa inter muros urbis.

Ut capita breviter percurram, primo loco declamitat contra hæreſes. Ac ne in certamen deſcendere videatur, niſi bene armatus, coacervat plurimos Scripturæ locos, quibus monentur fideles ab erroribus & ſectis cavere. Spatietur ſane in hoc campo, atque etiam exultet quantum libuerit. Ego autem ubi omnia dixerit, totam ejus actionem duobus verbis claudam. Recte admonet Petrus, ſicuti fuerunt in veteri populo, ita ſub regno Chriſti orituros falſos doctores, qui Eccleſiam conturbent. Reſpondeat quibuſcum certaverint omnes Dei ſervi: anne alios ſuſtinuerint graviores impetus, quam ab ipſo templo, quum ſuperbe jactarent ſacerdotes & pſeudoprophetæ ſibi quidvis ſtatuendi eſſe arbitrium, quia Lex à ſacerdotibus nunquam periret. Deinde, quum de triſti & horrenda defectiooe, quæ Eccleſiam diſſipatura erat, vaticinatur Paulus, Antichriſtum in ipſo Dei ſanctuario ſeſſurum eſſe affirmat. Hæreſibus refertum eſſe orbem deplorat Præcentor, & merito: quando Poëtis quoque hæc trita pridem fuit cantilena. Sed Petrarcha qui paulo melior erat Poëta, quam hic Muſicus, Romam vocans hæreſeôn matrem, grave vulnus ſuis inflixit. Vagus igitur & erraticus erit ſermo Gabrielis, donec hæreticos definiat, quorum cavendæ ſint inſidiæ. Nobis autem ſic in eos torquere ac dirigere promptum eſt quæcunque de noxiis Eccleſiæ peſtibus continet Scriptura, ut non modo in cute, ſed in viſceribus defixa hæreant. Multo etiam inſipidior altera congeries, quam ex vetuſtis Scriptoribus aſſuit. Hortantur illi Eccleſiam ad fugiendos hæreticos. Atqui ex perpetua eorum doctrina, nullo negotio demonſtrabo quoties opus fuerit, ſi obtemperare placeat eorum conſilio, nihil magis fugiendum eſſe idololatria Papali. Hactenus ſtrenue vociferando hoc adeptus Præcentor: quoniam Eccleſia erroribus aſſidue infeſtatur, ſedulo cavendos eſſe hæreticos, & cordate ipſis reſiſtendum. En quam feliciter liberali doctrina imbutus fuerit, qui rem indubiam confuſe exagitando, ſe magis & ſuam catervam quam adverſarios gravet.

Tranſit deinde ad hypotheſin: utcunque Scripturam obtendant hæretici, obſerandas eſſe aures: quia ſolenne illis ſemper fuerit mundum hoc fuco decipere, & iiſdem armis Chriſtum aggreſſus ſit Satan. Equidem judicio opus eſſe fateor, ne credulitate nimia irretiamur, ubi laqueos tendunt perverſi Scripturæ interpretes. Sed ideo fidem Scripturis abrogare, quia eam adulterino ſenſu vitiant ac corrumpunt hæretici, & fallaci ejus objectu capiuntur ſimplices, non minus inſipidum eſt quam profanum. Gloriantur, inquit, Scripturis hæretici, & Dei Spiritum ſibi arrogant. Fateor ſane. Ergo penitus excutiantur, & ſtatim deprehendetur vanitas. Præcentor autem melodiæ oblitus, neglecto examine,

Scri-

Scripturam repudiari jubet. Quanquam enim verbo fatetur ſacram eſſe ejus auctoritatem, & quam nefas ſit convellere, nec de ipſa eſſe controverſiam, ſed tantum de ſenſu: negat tamen aperte quicquam in ea eſſe firmum, perſpicuum, vel ſolidum, in quo tuto acquieſcas. Summa redit ad vulgare proverbium, Flexibilem eſſe inſtar naſi cerei. Audacter enim negat, ullis erroribus, quibus jam ab initio concuſſa fuit orthodoxa fides, allatum fuiſſe remedium ex Scriptura, ſed Eccleſiæ decretis fuiſſe profligatos. O ſtuporem pluſquam belluinum! Tibi ergo Chriſtus erit Deus, quia ſic placuit Nicænæ Synodo; nec aliud tuam conſcientiam contra Arrium fulciet, quam humana auctoritas? Quod ſi hodie ſuperſtites eſſent Athanaſius & ejus collegæ, pecudem hanc deteſtarentur: quia nulla illis afferri atrocior injuria poteſt, quam ſi quid aſſeruerint non præeunte Scriptura. Si excipiat, gubernatos quidem fuiſſe Spiritu & verbo Dei, ſimpliciter tamen ſtandum eſſe eorum judicio, ut tollatur ambiguitas, & animi fluctuare deſinant, ipſos quidem Patres à temeritate abſolvet, ſed in Deum nimis ſceleſte contumelioſus ac blaſphemus erit: qui per Moſen clamat ſe palam feciſſe viam vitæ & mortis; ac in Lege pateſeciſſe quicquid cognitu utile erat: per Jeſaiam vero, ſe non in abſcondito loquutum eſſe, nec fruſtra mandaſſe, ut ab Iſraël quæratur. Sed quid in re ſupervacua laboro: quando ejuſmodi ſententiæ paſſim occurrunt, quibus teſtatur Spiritus claram ſalutis lucem in Lege, Prophetis & Euangelio fulgere? Si tantum ſuſpectam reddere doctrinam molitus eſſet, tergiverſando forte extenuaret culpam, ſibi non aliud fuiſſe in animo quam multorum levitatem corrigere. Nunc vero quum omnes aditus Scripturæ occludat, ac quicquid ex ea proferimus, ſecure abſque delectu repudiari velit, quid agendum eſt cum tam effreni temulentia? Ad ſpernendam Scripturam ſuos hortatur: quia periculoſum ſit ad eam attendere. Velim ergo mihi reſpondeat quibus armis ſe defenderit Chriſtus, ac Satanæ inſultum repulerit. Vibraverat ille telum ex Scriptura ſumptum. An non Scripturæ clypeum viciſſim oppoſuit Chriſtus? Pluris ne erit nobis ſemiſomnis ganeo, quam dux ac ſignifer ſalutis noſtræ, unicuſque magiſter, Filius Dei? Nec vero Paulus, poſtquam certandum nobis indixit, aliis armis nos inſtruit, quam ſpe, fide, Euangelii doctrina: nec in manum porrigit alium gladium quam verbum Dei. Nam ſi ideo emergunt hæreſes, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant, nunquam Spiritu diſcretionis electos ſuos deſtituet Deus. Atqui Satan ejuſque miniſtri ſe transfigurant in Angelos lucis. Nempe ipſo dictante tibi impoſitum fuit Gabrielis nomen, quo majore licentia ſatageres ejus te angelum monſtrare. Verum ut breviter tranſigamus, quid juvat multas paginas ſarcire jejuna & frigida ſententia: quia Scriptura abutuntur hæretici, genuinumque ejus ſenſum pervertunt, metuendas eſſe inſidias? Frigidum voco, quod ad præſentem cauſam non aptatur: Jejunum, quod futiliter in aërem jactatum, ſine fructu evaneſcit. Prudenter multa de hæreticis orthodoxi doctores, inſulſe vero Præcentor, qui ad conflandum nobis odium, quæcunque ex librorum indicibus corradere potuit teſtimonia, recenſuit, quum ne verbulo quidem ullum in doctrina noſtra errorem attingat. Longe alia noſtra eſt agendi ratio. Neque enim linguas aut calamos exercemus agitandis communibus locis, neque aures obtundimus umbratilibus verborum præludiis: ſed manus conſerimus, urgemus, ac premimus adverſarios, protrahimus eos (quantumvis ſubterfugiant) è tenebris in lucem: denique aperte & ſerio quod nobis mandavit Deus, docendi munus, & illuſtrandæ veritatis, exequimur. Quid Gabriel? Poſtquam longo verborum circuitu ſe fatigavit, acſi raram coronidem addere vellet, fugiendos hæreticos eſſe denunciat; quia vel idolorum ſint cultores, vel coli appetant quaſi idola: quum ſcriptum ſit, Fugite idola: deinde, Ne miſceamini cum idololatris. Nos vero non allegorice vel perplexe caput hoc tractamus: ſed libere detegimus ac traducimus veſanum furorem quo ardent Papiſtæ in colendis idolis. Fœdari oſtendimus Dei gloriam, quum ſub ligno vel lapide, vel pictura repræſentatur. Duplicari ſacrilegium liquido monſtramus, quum transfertur ejus cultus ad fictitias imagines. Invocationem Dei everſam eſſe conquerimur, quum diabolicæ ſcholæ dubitanter preces concipere jubent, & abolito Chriſti patrocinio, innumera turba ſubſtituitur in ejus locum, dum ſibi quiſque hunc & illum deprecatorem aſciſcit. Probamus exitiali confidentia præcipites agi miſeros homines, dum Spiritus gratiam nonniſi cooperatricem, & quaſi pediſſequam, in ſubſidium liberi ſui arbitrii advocant. Contendimus mortifero etiam veneno diabolicæ ſuperbiæ inebriari; dum ſalutem petere ex operum meritis jubentur, quæ non alibi quam in gratuita Dei miſericordia reperiri poteſt: dum peccata ſatisfactionibus penſare docentur, ut ſe à reatu eximant. Convincimus Dei cultum extraneis & adulterinis figmentis corruptum ita eſſe, ut nihil aliud quam mera ſuperſtitio ubique appareat. Cominus cum dira & crudeli tyrannide confligimus, quæ non tantum opprimit miſeras conſcientias, ſed excarnificat. Oſtendimus quam fœdum & intolerabile ludibrium ſit hierarchiæ titulum imponere barbaræ dominationi, in qua nihil affine apparet Eccleſiaſtico ordini. Docemus non longius cælum à terra diſtare, quam fœdam Papalis cleri colluviem, à legitimis Chriſti miniſtris. Acriter invehimur in pudendam ac nefandam ſacrorum omnium profanationem. Quinque inanes ceremoniarum pompas docemus falſo cenſeri inter Sacramenta, quum ex hominum cerebro manarint. Baptiſmum deflemus adventitiis multis commentis eſſe infectum. Cœnæ vero loco deteſtabile ſacrilegium erectum eſſe: in quo furciferi fictitia ſua immolatione Chriſtum aſſidue crucifigunt, ſacerdotium ejus ſceleſto latrocinio ad ſe rapiunt, hiſtrionicum ludum fingunt reconciliationem mundi eſſe: acſi Filius Dei ſuo ſacrificio tantum monſtraſſet quomodo expianda ſint peccata. Panis fruſtulum Dei loco oſtentant, acſi illic incluſus deliteſceret: unde naſcitur craſſa adoratio. Denique veſtras omnes corruptelas, quarum decimam partem vix recenſui, evolvimus & aperte explicamus, ut cæcis fere palpabilis ſit earum fœditas: nec in tot controverſiis ullum eſt caput quod non diſerte & ingenue excuſſerimus, ad imum uſque penetrantes. Gabriel autem ab omni conflictu procul declinans, in erratica velitatione triumphos ſuos agit. Qua fatuitate videtur ex profeſſo gratiam captare. Certe prævaricando non poſſet partis ſuæ cauſam magis lædere, quam dum cedendo & fugitando, arenam in qua certandum erat, deſerit. Quin etiam ubi recitat quæ proferimus contra eos Scripturæ teſtimonia, omiſſa reſponſione alio transvolat. Certe dignus erat locus quem dilueret, dum citat illud Chriſti, Fruſtra me colunt, docentes doctrinas, mandata hominum. Callide obmuteſcit. Concionetur ergo quam volet prolixe de unitate, ubi totus ſermo profluxerit, rogabo quorſum: deinde excipiam, Nugatorium eſſe quicquid de unitate loquitur, niſi teneatur ejus vinculum, nempe Lex, Prophetica doctrina, & Euangelium. Qua in parte vecordiam ſuam prodit Gabriel: quia niſi ſoluto vinculo, nullam unitatem agnoſcit. Quid enim præſcribit in quærenda concordia, niſi ut poſthabito & valere juſſo Dei verbo, veteribus placitis, qualiacunque ſint, ſtemus? Aliquid demum agere videtur, ubi de recta Scripturæ interpretatione diſſerens: iniquum eſſe dicit,

dicit, ut ad proprium cujuſque ſenſum torqueatur. Nec ſane ad eam rem probandam teſtes hinc inde acceſſere opus erat omiſſo Petro, qui unus omnibus aliis præſtat. Nam quia non humana voluntate olim allata eſt Prophetia, ſed divinitus inſpirati loquuti ſunt ſancti homines: inde colligit Propheticam minime ſubjici propriæ vel privatæ interpretationi. Fateor igitur quamvis affulgeat Dei veritas in Scriptura, homines tamen in clara luce cæcutire, donec eorum mentes & animos Deus Spiritu ſuo illuſtret. Fateor rurſus Spiritum eſſe doctorem humilium, qui ratione carnis in obſequium Dei ſubacta, ſincero animo ſcire appetunt quid velit & jubeat, ſeque dociles & morigeros offerunt. Simul addo puram conſcientiam ſanæ fidei cuſtodem eſſe. Quia nihil horum omnium unquam guſtavit Gabriel, per ſuas ſalebras vagatur. Quod autem ſibi prodeſſe exiſtimat, ſolum mordicus arripit, Penes Eccleſiam eſſe rectum Scripturæ ſenſum. qua ratione vocatur columna & firmamentum veritatis à Paulo. Cæterum ne litigando & altercando fruſtra teratur tempus, ſuccurrat oportet Eccleſiæ definitio, quam Gabriel ſecure præterit. Nam quod antiquitatem ebuccinat, ſtolidæ impudentiæ eſt. Perinde nobiſcum agit, acſi bellum indixiſſemus toti veteri Eccleſiæ: à quo ita longe abſumus, ut doctrinam ſanctorum Patrum barbariſe Papatus obrutam ſuo nitori reſtituere conemur. Certe noſtro ſtudio, vigiliis, ac diligentia factum eſt, ut nunc multis ſint familiares veterum libri, qui ſub denſo pulvere apud ignavos monachos latebant. Quando itaque non hoc agitur, ut concidat veterum auctoritas, quam ex animo veneramur, neque nobis propoſitum eſt fidem antiquitus receptam convellere: quin potius plane liquet majori in parte nos veteribus ſuffragari, eorumque auctoritati nos adjuvari: faceſſant importuni clamores, indignum eſſe ut unus homo quicquid ante annos mille quingentos traditum eſt, labefactet. Plauſibiliter ſibi videtur adverſus Calvinum exclamare, Siccine univerſæ Eccleſiæ detrahet? Sic ſolus Spiritum Dei ſibi vendicabit? Sed ubi oſtendes ſuperbas ejuſmodi voces elapſas eſſe Calvino? quem ſic exercitatum eſſe conſtat in veterum ſcriptis, ut parem in tota veſtra colluvie non ſis reperturus. Nam quod dicax eſſe appetis, ejus ſanctitatem, caſtimoniam, jejunia, vigilias ſugillando, ſcurriliter hoc magis quam facete agis. Nam ſaltem optandum eſſet, ejus vitam imitari maximos quoſque Papatus zelotas, non tui ſimiles porcos, ſed qui aliquam honeſti ſpeciem in veſtra caterva præ ſe ferunt. Tu tamen hoc loco inculcas, Attende hic diligenter quiſquis es Chriſtianus. Obſecro, tantam attentionem flagitando, an metuis ne in tua inſulſitate ſatis emineant aſini aures? Ergo è medio tollatur vana iſta jactantia; nobis non eſſe dandum, ut quicquid ſancti Patres docuere, exitiabile cenſeatur. Quod ſi verum eſſet, nihil abſurdius: ſed quia vaniſſimum eſt, nihil putidius eſſe dico. Revolvitur tamen iterum Gabriel ad ſuum illud axioma, Nonniſi Eccleſiæ judicio diſcerni poſſe errores. Porro ut Romanam ſedem evincat Catholicam Eccleſiam ſecum trahere: Arrius, inquit, damnatus eſt in Synodo Nicæna à trecentis & octo Patribus. Paulo poſt, in Ariminenſi à ſexcentis & pluribus abſolutus eſt. Nihil cauſæ fingi poteſt, cur prævaluerit Synodus Nicæna, niſi quod eam Eccleſia probaverit, in qua ſedes Apoſtolica conſtituta eſt. Tu igitur ignoras, beſtia, Romanum Epiſcopum, Liberium tertium, Sylveſtri ſucceſſorem, à partibus Arrianorum in Concilio Ariminenſi ſtetiſſe, & turpi ſocietate fuiſſe implicitum, donec ab errore vi & minis fuit retractus? Regero tibi aliud exemplum. Epheſina Synodus an non impulſu Leonis coacta eſt? quem ſic excæcaverat ambitio, & ſuis blanditiis Eutyches delinierat, ut in gratiam ſcelerati hæretici ſancto viro Flaviano ſe oppoſuerit. Illic approbata fuit Eutychæ impietas. Reclamarunt, fateor, qui miſſi fuerant ab Epiſcopo Romano, ſed penes quem reſidebat totius mali culpa. Nec inficior Leonis epiſtola fuiſſe opportune adjutos, qui poſtea in Chalcedonenſi Concilio Eutychem damnarunt. Verum præcipua remedii laus Cyrillo, qui præfuit, jure debetur. Jam cur Synodo Aquileienſi, quæ præſidem habuit Ambroſium, non interfuit Romanus Epiſcopus, vel quempiam miſit qui ſubſcriberet ſanis decretis? Periclitabatur recta fides, quum multos ſuo delirio faſcinaſſet Eunomius. Si in Romana ſede ſtabilitur Synodorum auctoritas, Eccleſiæ & fidei fuit deſertor veſter Apoſtolicus, qui otioſus fuit certaminis ſpectator. Ac de fictitio Romæ primatu pluribus agere ſupervacuum eſſet, quem centies dirutum fruſtra inani linguarum ſuarum flatu fulcire tentant conductitii rabulæ. Interim quam firma ſit Gabrielis fides, hinc conjiciant lectores, quod Chriſtiana fide nihil incertius fore prædicat, niſi Eccleſiæ præſideat Romana ſedes. Etiamſi tibi largiar, morio, quod frivolum eſſe liquido cognoſcitur ex noſtrorum libris, quid hoc tamen ad tyrannicam Papæ veſtri dominationem? Fuerit ſane Roma Eccleſiarum mater, quamdiu fuit Eccleſia. Verum ſcite Lutherus pridem dixit longe aliud eſſe Romanam curiam, quæ in extinctæ Eccleſiæ locum ſucceſſit. Quare nihil te nugacius, qui Neronem & Caligulam, vel Heliogabalum, pro Curiis & Camillis, & Scipionibus nobis obtrudis. Alio deinde argumento pugnat Gabriel: *nos ab Eccleſia diſceſſionem feciſſe*, quia miſere inter nos diſſecti ſimus. Diſſidii exemplum proponit in ſenſu verborum Chriſti: quæ tam aperta eſſe vult, ut per mille fere annos à Chriſti paſſione, nemo, quantumvis hæreticus, de illis dubitaverit. Nempe, quum ex inferis nondum prodiiſſet diabolicus veſter error. Multas hæreſes excitavit Satan per mille annos: veſtram hanc in ſuis theſauris abſconditam ſervavit, donec ad extremum uſque mundus deſiperet. Quid eſſet transſubſtantiatio tam longa ætatum ſerie fideles omnes latuit. Tertulliano panis eſt figura corporis Chriſti: ſic Auguſtinus loquitur. Alibi ſignum vocat: ſicut Chryſoſtomus & Baſilius antitypum. Longa farrago texenda foret, ſi referre vellem innumera quæ in noſtrorum libris teſtimonia reperient lectores. Uno igitur Auguſtini contentus ero: Niſi quandam earum rerum quas figurant ſimilitudinem gererent Sacramenta, earum ſacramenta non eſſent. Secundum hanc ſimilitudinem panis in ſacra Cœna quodammodo corpus Chriſti eſt, & vinum quodammodo ſanguis. Quum modeſtia præ aliis omnibus excelluerit ſanctus ille vir, minime dubium eſt, ex recepto conſenſu id ſumpſiſſe. Quod ergo ſine controverſia per annos mille amplexi ſunt omnes fideles, hodie docemus. Ubi ergo defectio cujus nos inſimulat Gabriel? Imo apertæ ab Eccleſia defectionis convincitur Papatus, qui deteſtandam hæreſin ab annis quingentis in Concilio Vercellenſi natam ſtulte amplexus, obſtinate tuetur. Quanquam autem ab eo tempore ſervili metu tacuerunt qui mediocri ingenio præditi erant, colligitur tamen ex eorum dictis nunquam fuiſſe perſuaſos. Nec enim diſſimulat Scotus, rationes omnes in contrariam partem ducere, niſi obſtaret Concilii determinatio. Thomas vero argutiis elabitur, quas nemo unquam percepit. Jam de palinodia Berengarii, quam refert Gratianus, non dubitat dicere Gloſſæ auctor, periculum eſſe ne ſuccedat hæreſis deterior, ſi verba ſumantur ut ſonant. Quid? confeſſio à Rom. Papa dictata deterrima erit hæreſis, niſi mitigetur aſperitas? En quam bonus antiquarius ſit Gabriel, qui hoc titulo apud rerum omnium ignaros ſodales ſe venditat! Ne tamen prudentia vacuum eſſe credas, allegoriæ pallio ſe involvit, & ſub umbra turris Babel, rei cognitionem occultat. Nam quod locis quibuſdam ab Eccio & tota

In lib. de reſurrect. carn. Auguſtin. contra Adimant. lib. 12. Auguſt. in Pſalm. 3. Epiſt. 23. ad Bonifacium.

cap. Ego Berengar. de conſecratione, diſtinct. 2.

illa

illa caterva citatis abutitur, ut tranſſubſtantiationem perſuadeat, nolo refutando, rem actam agere. Cavillatur in voce una, acſi aliud eſſet antiquis ſcriptoribus panis mutatio in corpus, quam fieri ſpiritualem cibum ex quo conſecratus eſt, quum ante duntaxat terrenum & corruptibile ventris alimentum foret. Concludit Gabriel, non eſſe ambigendum quin maneat tantum ſpecies panis abſque ſubſtantia poſt conſecrationem. Quum innumeri loci, quorum centeſima pars faſtidium gigneret, teſtentur Patres non aliter ſenſiſſe quam remanere panis ſubſtantiam, ſi quam veterum paginam guſtaſſet, veniſſet in mentem celebre illud dictum Irenæi [Lib. 4. cap. 33.]: Duas res eſſe in Chriſti Cœna, terrenam & cæleſtem. Et tu latrator, doctrinæ noſtræ opponere audebis Martyrum ſanguinem, quem adeo proterve calcas? Irenæi ſanguis non modo ingluviem tuam replet, ſed tuis ſcortationibus, aleæ, & aliis luxuriæ partibus ſumptum ſuppeditat: interim hæreticos vocas, qui ex ore ejus loquuntur. Addit poſtea Apoſtolos vocare poſt conſecrationem corpus quod ante fuerat panis. Flagellis certe, non verbis caſtiganda eſſet hæc improbitas. Quid enim Paulus? [1 Cor. 10. v. 16, 17.] Panis quem frangimus, communicatio eſt corporis Chriſti. Item, Unum corpus ſumus omnes, qui unum panem participamus. Uſque adeone ſtupidum te reddidit tua ſcabies, ut te ex omni parte confodi non ſentias? Paulo poſt tamen homo vertiginoſus puerile illud cavillum obtendit de virga Aaron, quæ nomen ſuum retinet poſtquam converſa eſt in ſerpentem. Quaſi aliquas præſtigias Apoſtoli in Cœnæ myſterio comparent. Quin etiam illud Jeremiæ [Jer. 11. verſ. 19.] quod proxima pagina de Scriptura interpretatus erat, Mittamus lignum in panem ejus, ad uſum ſuum ex communi errore accommodat. Quaſi vero Prophetæ in mentem venerit Cœnæ myſterium, ubi hoſtes ad cibum ſuum veneno inficiendum conſpiraſſe deplorat. Quatenus ergo prodigium tranſſubſtantiationis oppugnavit Lutherus, catholicæ Eccleſiæ conſenſu fretus, merito totum Papatum deſpexit. Ubi referre Gabriel incipit quæ poſtea ſequutæ ſunt diſſenſiones, proterve, ſicuti ſolet, inter mulierculas fabulatur. Neque enim virorum aut locorum tenet nomina, & ab hiſtoria longiſſime aberrat: & ineptiarum refutatio ex libris editis peti poteſt. Teſtimonia ex Melanchthone & Luthero ſumpta quam calumnioſe depravet, nullo negotio oſtendere promptum eſt. Gravabat Carolſtadius Lutherum, quod de Papa victoriam adeptus nollet opinioni ſuæ ſubſcribere. Id in eum retorquet Melanchthon, Lutheri odio impulſum fuiſſe ut litem hanc moveret. Angelus Satanæ perinde vult accipi, quaſi Luthero exprobret Melanchthon nullo pietatis zelo orbem turbaſſe. Extat liber, qui Gabrielem falſarium eſſe oſtendet. Cæterum, quia Lutherus, qui in medio curſu ſubſtiterat, non ſatis placide expendit quod ab aliis rectius additum fuerat: quin potius eos non tantum pro conſueta ingenii ſui vehementia, ſed à flabellis quibuſdam inſtigatus, intemperanter vexavit: odioſe coacervat Gabriel omnes ejus hyperbolas, quæ piorum animos à veri inquiſitione avertant. Neque id modo, ſed omnia permiſcet ad obnubilandam lucem, ſuffuſo identidem calumniarum ſuarum veneno. Diſſenſio, inquit, & hoſtile certamen fuit Luthero adverſus OEcolampadium & Zuinglium. Omnes damnavit Calvinus. Quid? nebulo. Si verecunde Calvinus, & adhibita qua decebat reverentia, lectores admonuit quantum nocuiſſet contentionis fervor, ut compoſitis ad moderationem animis rem melius expenderent, an tibi erit tumultuandi materia, ut pios alienes à veritatis ſtudio? Carolſtadii certe commentum ſi Lutherum offenderit, nihil miror, in quo ſe prodebat manifeſta abſurditas. Atque utinam placide ſedatoque animo OEcolampadium & ſimiles primo audiſſet. Verum exceſſerit modum Lutherus, & multa iracunde protulerit: an ideo alienabuntur à veri inquiſitione omnium animi, ut clauſis oculis ſe in tenebras demergant? Ex altera parte Calvinum perſtringit, quod inviderit Luthero Heliæ titulum. Nempe quia eorum ſtultitiam compeſcuit, qui ultimum Heliam in ejus perſona apparuiſſe dicebant. Id de quocunque dicatur, præpoſterum & intolerabile eſſe Calvinus affirmat. Quo igitur colore dicacitatem ſuam exercet inſipidus ſcurra, acſi unquam Calvinus quem deteſtatur titulum appetiviſſet? Multo vero magis eum exagitat in docendi forma quam tenuit. Imo dicit novam & prius inauditam ſententiam protuliſſe: nec pro ſua hebetudine cernit, Calvinum, eo ipſo quem adducit loco, ſe potius aliis recte ſentientibus adjungere, quam affectare laudem novitatis. Hoc jam nimis craſſum mendacium: cui tamen alia duo accumulat, Nulla ipſum Scripturæ auctoritate, vel Patrum, niti. Quoſnam te alloqui putas Gabriel? ſodaleſne tuos Canonicos, an meretrices? Nam ſi qua unquam de re exacte diſputatum fuit, nihil diligentiæ omiſit Calvinus quin & Scripturæ & Patrum teſtimoniis cauſam ſuam muniret. Poſtea ad calumniam arripit Calvini verba, ubi profitetur ſe dicturum ſincere & abſque fuco, deinde libere, ſicut ſolet, quid ſibi videatur. Hic Gabriel quaſi à veterno expergefactus exclamat, Attende lector. Paulus de hoc tremendo myſterio tractans, Ego, inquit, accepi à Domino quod & tradidi vobis. At Calvinus, Dicam, inquit, non quid Chriſto & ejus ſponſæ Eccleſiæ, ſed quid mihi videatur. Piget quidem tam futilibus næniis reſpondere. Sed quum Apoſtoli & Seniores ſcripſerunt, [Actor. 15. verſ. 28.] Viſum eſt Spiritui ſancto, & nobis, an ſe à Spiritu ſeparabant? Quid autem alibi idem Paulus? Dico, [1 Cor. 7. v. 8, 25.] inquit, virginibus & viduis. Item, De virginibus præceptum Domini non habeo: conſilium autem do, tanquam miſericordiam conſequutus à Domino, ut ſim fidelis. Quid? Dum Euangelium nominat [Rom. 2. verſ. 16.] ſuum, an Chriſto quicquam derogat? quin potius ſumit pro confeſſo quod alibi dicit: An experimentum [2 Tim. 2. verſ. 7.] ejus quæritis qui in me loquitur Chriſtus? [2 Cor. 13. verſ. 3.] Quod ſi quid inſectatione dignum eſt in verbis Calvini, Lucas ei ſuo exemplo ad defenſionem ſufficiet, qui ſic in totum Euangelium præfatur: Quoniam multi aggreſſi ſunt texere narrationem &c. viſum eſt & mihi ex ordine tibi omnia ſcribere. Nunc quicquid petulantiæ in me exerit Gabriel, ſuſtineat Lucas. Quanquam plenior ſuppetit cavilli dilutio. Neque enim illic præcipue de capite aliquo religionis agitur, ſed de ſpeciali verborum ſenſu, in quo libertas interpretibus ſemper hac lege permiſſa fuit, ut meminiſſet quiſque, Spiritus Prophetarum Prophetis ſubjectos [1 Cor. 14. verſ. 32.] eſſe. An modeſtia canis latratu in miram arrogantiam & faſtum vertetur? Cæterum quaſi ad ſe reverſus, contendit paulo poſt falſo citari à Calvino locum, quod Spiritus ſanctus vocetur columba: quum dicant tres Euangeliſtæ, Vidi Spiritum ſanctum deſcendentem quaſi columbam. Ergo mentitus es, & improbe calumniatus, ſine Scriptura Calvinum loqui. Quam bella vero refutatio: Non vocari Spiritum ſanctum columbam, quoniam addatur particula ſimilitudinis. An quia Grammaticæ elementa non tenes, ideo homini non tam indocto, Latineque loquenti, luenda eſt inſcitiæ tuæ pœna? Huc tendunt Calvini verba: nomen Spiritus impoſitum fuiſſe columbæ. Spiritum inviſibilem eſſe conſtat: eum quomodo vidit Baptiſta, niſi in figura viſibili? Abſurda erit loquutio, niſi metonymicam eſſe concedas. Et rurſus obgannies, Calvinum ſine Scriptura loqui, ac non potius lucem pertæſus te in alicujus ſcorti gremium abdes? Pergamus tamen in recitandis fabulæ næniis, ut ejus ambitio ſaturetur, quando in faciem Dei ſpuendo, voluit innoteſcere. Dicit Calvinum pri-

Digitized by Google

vata ſua ſententia figuram aſſerere in Chriſti verbis, Hoc eſt corpus meum. Quid ergo fiet Tertulliano, Chryſoſtomo, Baſilio, Auguſtino, & reliquis, qui omnes uno conſenſu idem tradunt? Quod ſi quis figuram non admittat, an non palam refragantur verba ipſa? Quid enim eſt tibi pronomen demonſtrativum, Gabriel? Panis ſpecies ſcilicet. An albedo illa corpus eſt Chriſti? Deinde an calix ſanguis? Quando ſub magiſtri ferula puer tam male profeciſti, quis non flagris & fuſtibus in piſtrino mulctandum cenſeat? Ad hæc reprehendit, panem & vinum vocati teſſeram carnis & ſanguinis Chriſti: quum nemo ex tota vetuſtate hanc ſimilitudinem non ſit amplexus. Sed cur maligne interea diſſimulat, teſſeram vocari, cui annexa ſit rei exhibitio? Cur etiam mentitur, negare Calvinum participes nos fieri ſubſtantiæ carnis & ſanguinis Chriſti in Cœna, quum Subſtantiæ nomen diſerte uſurpet? Facile erit Gabrieli non centum modo Calvinos, ſed Chriſtum, Prophetas, & Apoſtolos omnes hæreticos facere in tanta mentiendi licentia. Itaque nihil mirum, ſi nullam in Scriptura ſyllabam Calvinum proferre audacter jactet, dum tranſſubſtantiationem oppugnat: quia pro nihilo ducit, fideles eundem panem in Cœna participare, & panem eſſe κοινωνίαν corporis Chriſti. Æque ſubtiliter eludit quod de natura Sacramentorum ſecundo loco addit Calvinus: nihil ſcilicet credendum, quod non expreſſum ſit in Scripturis. Quaſi vero aliunde petendum ſit quicquid de Sacramentorum natura cognoſci poteſt. Certe non ab homine quopiam mortali didicimus viſibili ſymbolo illic repræſentari rem inviſibilem. An Baptiſmus nobis erit ſpiritualis ablutio, niſi reſpondeat aquæ analogia in abluendis corporis ſordibus? Sic nec color ſpiritualis alimenti nobis erit ſymbolum, ſed panem adeſſe oportet, ut conveniat inter animæ & corporis cibum ſimilitudo. Poſtquam adeo bellis dicteriis Calvinum ſugillavit, alio crimine onerat, Quod ſecum ipſe pugnet. Docet quidem Calvinus, Reipſa offerri Chriſti corpus fidelibus in Cœna. Contrarium vero membrum nuſquam in ejus ſcriptis reperiet Gabriel, Panem inane eſſe ſpectrum. Quod ſi nunquam Cœnæ myſterium exinanivit, quin ſymbolo conjuncta eſſet rei veritas, quamdiu feretur hic canis cum ſuo latratu? Tertiam quoque quaſi rurſus cum aliis pugnantem ſententiam enumerat: quamvis ſolus panis cernatur oculis, corpus tamen vere percipi: quia vacuis figuris non oblectet ſuos Chriſtus, ſed efficaciter arcana virtute impleat quod promittit. Quum hæc nullo modo conciliari poſſe exclamet, an alius quam phreneticus cenſeri poteſt, qui ſoles geminos videat? Clamitet nunc Calvino non eſſe credendum, quod ſolus & à ſeipſo loquatur, ſed intelligat ſuam vanitatem ridiculam fore donec ejus libros, qui paſſim in tota urbe leguntur, occiſis trecentis millibus teſtium, qui auctorem defendent, aboleverit. Nullus eſſet modus ſi ſingulis ſententiis inſiſterem: quando ſubinde reſorbet hic canis ſuos vomitus, quos iterum atque iterum egerat. Quale eſt quod inculcat, Calvinum panem merum ſtatuere in Cœna, & tantum teſſeram corporis Chriſti: quum centum & pluribus locis teſtetur exhiberi ſimul cum pane corpus, modo tollatur localis præſentiæ & immenſitatis figmentum. Tranſilit deinde ad Miſſam: quæ quoniam hiſtrionica actio, & ſimiæ æmulatio à Calvino vocatur, concludit Chriſtum igitur ſimiam eſſe & hiſtrionem, ex cujus præcepto corpus conficitur. Atrociſſimum crimen, ſi accedat probatio. Citat verba, Hoc facite in mei memoriam. Nugabitur ergo cum magiſtro ſuo Eccio & tota cohorte, Chriſtum dediſſe mandatum ſacrificandi. Juſſit Chriſtus exemplo ſuo communicari inter fideles panem & vinum. Accipite, inquit, diſtribuite inter vos. Quid Papiſtæ? Primo Chriſtum immolant: deinde populum excommunicant quotidie ab eſu panis. Quod ſi quotannis ſemel panem porrigant, fraudant altera parte: acſi nunquam dictum eſſet, Bibite ex hoc omnes. Ubi de pane ſermo habetur, omiſſa univerſali nota, contentus fuit Chriſtus ſimpliciter ad edendum hortari. Ubi ad calicem ventum eſt, omnes jubet bibere. Prohibitio Gabrielicæ Eccleſiæ non modo integrum Cœnæ uſum ad dimidiam partem reſtringit, ſed ex profeſſo quod cunctis dederat Chriſtus, nonniſi ab uno deglutiri patitur. Quanquam non huc ſolum reſpexit Calvinus, ſacrificos Papales vocando hiſtriones & ſimias: ſed innumeras geſticulationes ſummatim complexus eſt, quibus referta eſt Miſſa. Et quid, obſecro, magis hiſtrionicum, quam in illo præclaro veſtitu decem myſteria fabricare: fabulam agere nunc motoriam, nunc ſtatariam: patenam ventilare: nunc obvertere tergum populo, nunc faciem momento oſtendere? Sed ineptus ſum, qui pueriles iſtos luſus tanquam aliud ſerium commemoro. Jam quia Luthero & Zuinglio pepercerit Calvinus, aliud crimen inuritur à Gabriele, hæreticos ipſum fovere, quos jubet Chriſtus haberi pro Ethnicis & publicanis. Quaſi non excipere promptum ſit, nec hæreticos unquam fuiſſe, quamvis aliqua in parte lapſi ſint, nec in Eccleſiam contumaces, cui fideliter, nec ſine uberrimo fructu ſervierunt. Una interim facetia tantopere arriſit homini inſulſo, ut probabile ſit, hac fere de cauſa Præfationem ſcripſiſſe, ne illa intercideret: nempe dum Genevam vocat Gehennam: quod nomen ſingulis fere paginis iterat. Et quia alicubi non obſervata fuerat tam concinna alluſio à typographo, inter errata ſedulo repoſuit. Neque tamen immerito his deliciis captus eſt, quum apud Rhetores nulla reperiatur talis figura. Arripit poſtea triviale illud convitium, Negare nos Chriſti divinitatem, verbum EST ſignificative, aut figurative ſumendo: quoniam idem valebit in aliis locis, Tu es Filius meus dilectus: &, Verbum caro factum eſt. Collectos ſcilicet ex Saxonica Theologia lapides ſine magno labore in nos projicit, ſed quos ſecure contemnere poſſumus quia cæco impetu alio feruntur, neque nos attingunt. Fixa enim, vel crepantibus iſtis omnibus furioſis, manebit generalis regula, In omnibus Sacramentis ſubeſſe figuram aut tropum, quoties res de ſigno prædicatur, aut ſignum de re. Petra erat Chriſtus, an ſubſtantialiter? Si aqua Baptiſmi noſtra eſt ablutio, quid ſanguini Chriſti fiet? Ergo quum panis & calix ſacræ Cœnæ ſigna ſint, colligitur ex perpetuo Scripturæ uſu, interpretatione eſſe opus quæ minime coacta eſt, ſed ſponte ſano lectori occurrit. Atqui Joannes ſi putaſſet tropum ſubeſſe, id plane explicuiſſet: quod non fecit. Quid? beſtia. An apud Joannem ulla fuit Cœnæ mentio? Fateor quidem Cœnam nihil aliud eſſe quam ſpeculum, in quo repræſentatur quicquid continet nobilis illa concio quam refert Joannes 6. capite: atque inde ſtuporem tuum coarguo. Nam ſi panem vitæ ſe vocans, & carnem ſuam cibum, & ſanguinem potum, non niſi per ſimilitudinem loquitur, cur non eadem quoque ſimilitudo in Cœna extabit? Caro Chriſti vere eſt panis vivificus, nec tamen ſic vocatur abſque figura. Quum idem interpoſito ſigno repetit & confirmat Chriſtus, an conſentaneum erit figuram excludere, quæ magis hac in parte ad demonſtrandam externi ſigni rationem neceſſaria eſt? Verum ut bardum hominem nihil pudet, fortiter contendit in illa concione proprie & literaliter ſumi quicquid dicitur. Cur autem ei non venit in mentem ex Auguſtino interpretationem petere? *Tractat. in Joan. 26. & 27.* Atque ut ubique ejus ineptiæ appareant, in locum verborum Chriſti, Hic calix eſt ſanguis meus, ex ſuo Miſſali ſubſtituit, Hic eſt enim. *Lib. 3. de doctrina Chriſt. cap. 16.*

enim. Credatur nunc Catholicæ fidei defenſor, cui Miſſale eſt Euangelium: Quod Lutheri verbis iterum nos oppugnat, non anxie in refutatione laboro: quia iniquum eſſet inconſiderato Lutheri fervore obrui bonam cauſam. Hyperbolica vero clauſula, ubi dicit nucleum Chriſtianitatis eſſe in Papatu, ingenue à Luthero retractaretur, ſi hodie viveret. Cur enim ei non licuerit triginta & tribus annis in melius proficere? Valde iraſcitur Gabriel, quod dixerit Calvinus conſecrationem Papiſtis magiam eſſe aſcitam à Gentibus. Item alibi, Papiſtarum conſecrationem ab incantationis ſpecie nihil differre. Ambroſium quidem contra objicit: ſed ridebit Calvinus, ex ſuppoſititio libro adduci quod nemo ſani judicii magni faciat. Quanquam ut demus Ambroſium eſſe auctorem, quantæ vecordiæ eſt non expendere nomen Papiſtarum? Puram & legitimam conſecrationem reverenter ſuſcipit ac ſuſpicit Calvinus, qua ſub ſymbolis panis & vini, carnis ſuæ & ſanguinis nos Chriſtus facit participes. Sed ea qualis ſit, attendere convenit. nempe in qua clare reſonat hæc promiſſio, qua nos invitat Chriſtus ad carnis ſuæ & ſanguinis κοινωνίαν. A diſcipulis enim intelligi voluit, quum diceret, Hoc eſt corpus meum. Unde & Auguſtinus appellat verbum fidei, quo Sacramentum conficitur ex viſibili elemento. Quid autem ſacrifici Papales inſuſurrant in panem, in calicem ſufflant. Et non erit magica incantatio, qua ſonora vox Chriſti, quæ piorum omnium auribus deſtinata erat, in raucum & flatuoſum murmur converſa ad panem & vinum præpoſtere dirigitur? Deſinat ergo Gabriel vel Chryſoſtomum, vel alium quempiam ex vetuſtate opponere: quibus, ſi eſſent ſuperſtites, non minus deteſtabiles eſſent iſtæ præſtigiæ, quam Calvino. Cæterum, ne ſit ubique ſtupidus, una in re notanda eſt ejus ſagacitas. Calvinum enim comperit fuiſſe aliquando ſacrificum. Hoc vero modo transſubſtantiationem ſuam belle confirmat: qui ſola imaginatione ſimplicem laicum, ut vocant, repente ſacrificum creat. At Calvinus quoddam ab utero præſagium attulit, ipſum à veſtra ſorde fore immunem: quia ſemper abhorruit à ſapore olei. Tandem in latiſſimum impudentiæ campum, in quo licentioſe proterviat, deſcendit Gabriel, dum nos ſectariis omnibus permiſcet, & eorum infamia aſpergit. Dicerem ex Staphylo, & ſimilibus apoſtatis banc criminationem hauſiſſe: niſi quod eorum de quibus garrit, ignorat nomina. Pro Schuinkfeldio ſupponit Suentrefeldium. Sed ubi omnia evomuerit, quibus deformari noſtram doctrinam putat, quo tamen jure vel titulo errorum culpam in nos transſcribet, quorum induſtria & labore proſtrati ſunt? Ex quo cœpit Lutherus Papatum convellere, exorti ſunt ſubito innumeri prope hæretici, qui prodigioſis commentis Germaniam turbarunt. Poſtea emerſerunt aliæ etiam ſectæ. Eſto. Nam & promulgato Euangelio non minor errorum & ſectarum turba ebulliit. Hæc eſt Gabrielis pietas, dedecore nos afficere, quod in Chriſtum & Apoſtolos redundet. Similis eſt cauſa & prorſus communis. Quis igitur non videt, ſi errorum, qui hinc inde confertim emerſerunt, crimen ſuſtineant Lutherus, Zuinglius, & alii, idem ſubeundum eſſe judicium Chriſto & Apoſtolis? Nempe ſuſque deque eſt Cynicis iſtis ac Epicureis nebulonibus, quibusvis blaſphemiis exponi Chriſti nomen, modo nobis maledicant. Prompta vero & expedita nobis defenſio eſt, etiamſi ſocietas quæ nobis cum Chriſto eſt, cauſam noſtram non aſſereret. Breviter enim Gabrieli reſpondeo: apud æquos & non ſiniſtros interpretes, tanta errorum quæ ſurrexit, colluvie, adeo non labefactari doctrinæ noſtræ fidem ut magis confirmetur: ſiquidem eorum quæ à Chriſto prædicta ſunt effectum oculis cernere, non modo pios animos offenſione levat, ſed erigit, tranquillat, fulcit. Quid autem Chriſtus? Non poſſe à patrefamilias ejuſque ſervis ſeminari purum triticum, (*Mat. 13. verſ. 24.*) & agrum fideliter conſeri, quin diabolus ſtatim noctu ſurgat ad ſeminanda zizania. Si hoc noſtra ætate impletum eſt, an accuſabitur fidelis opera ſervorum Chriſti, quia ejus fructum corrumpere tentabit Satan? Quod ſi injuſte accuſentur, an non eorum innocentiæ patrocinium ſuſcipiet ipſe Paterfamilias? Ultra progredior. Nunquam in hominum corpora & animas majori licentia graſſatus eſt Satan, quam Chriſto in carne manifeſtato. Non modo plena fuit Judæa dæmoniacis, ſed Maria à ſeptem dæmonibus obſeſſa fuit, alius autem à legione. Latratum ſuum tunc adverſus Chriſtum exerat Præcentor, ac dicat ejus adventu apertos & perruptos fuiſſe inferos, ut diaboli turmatim ſcaturirent: atque ita quod Deus pro admirabili ſua ſapientia illuſtrandæ unigeniti Filii ſui gloriæ ſtatuit, in probrum convertat. Sabbathariosne, Adamitas, Davidicos, Anabaptiſtas, & ejuſmodi monſtra genuerunt noſtri homines, cum quibus nihil magis affine habent, quam lux cum tenebris? Cui ſano perſuadebis, bone Rhetor, hæreſeôn auctores eſſe, qui eas ſoli ſingulari Dei gratia profligarunt: & quidem vobis comeſſantibus, ludentibus, ſcortantibus, ſtertentibus? Eadem eſt ingenuitas in reliquo contextu. Eruperunt phrenetici quidam apud Helvetios ante annos triginta ſex in pago cui Abbatiſſellæ nomen eſt: hic vero bonus hiſtoricus Apocellam facit, eos narrans abjecto omni pudore brutorum inſtar fœda libidine ſe contaminaſſe. Addit, Poſt decantatas more Genevenſium Dei laudes. Quid miſer? Quum Geneva putris adhuc eſſet fœditatum veſtrarum lacuna, idololatriæ receptaculum, & porcorum tui ſimilium prurigine tota fœteret, potuit quaſi præcinendo miſeris illis canendi rationem oſtendere? Ergo in diluenda ejus maledicentia, nihilo plus operæ ponendum eſt, quam in cohibendo aſini rugitu. Eſt quidem non ferenda indignitas, & quæ bonis omnibus ſtomachum moveat, quod Joannis Montani & Michaëlis Serveti blaſphemias imputat Calvino. Vel ab ipſo, inquit, didicerunt, vel ille ab ipſis. Quomodo ipſos docere potuit Calvinus, qui adhuc adoleſcens juris civilis ſtudio addictus erat, quum utriuſque efferbuit inſania? Imo vix annos XII natus erat Calvinus, quum primum cœpit Montanus tumultuari. Itaque nobis non invitis ridendum ſe propinet Gabriel, licet, dum Serveti hæreſin ex Calvino eſſe ſcribit. Sed quam probabili ratione? quoniam adorationem panis meram idololatriam affirmat. Verum, ut te ſtuporis tui aliquando pudeat, beſtia, fortiter contendit Servetus: Chriſtum ſub pane adorandum, quia deificatum eſt ejus corpus, ac vere Deus, ſuaque immenſitate cælum & terram implet. Quæ poſtea convitia ingerit, centies à noſtris refutata per ſe evaneſcunt. Fecit Deus quæcunque voluit: voluntas Chriſti ex verbis notiſſima eſt, Hoc eſt corpus meum: ergo Chriſtus non eſt Deus, niſi ex pane corpus faciat. Nos autem excipimus, ſtulte pro notiſſimo obtrudi de quo ambigitur, imo quod vera interpretatione craſſæ abſurditatis convincitur. Noſtrorum libros, qui totam hanc rem dextre expediunt, & luculente enarrant, legere præſtat, ne repetitio faſtidium pariat lectoribus. De morte Serveti quam ſtolide fabuletur, paulisper attendere operæpretium eſt. Omitto quod Genevam cloacam facit, ubi transfugæ in luxu & libidine, tanquam ſues in cœno volutantur. Atqui ſi non majore indulgentia libidines alerentur Lugduni quam Genevæ, tu porce, primo quoque die illinc transfugeres, ac in latibulum aliquod impunitatis te abderes, cum uno aut altero ſcorto. Sed mendacia de Serveto effutire, quæ ſpe-

cie omni careant; quam belluini furoris eſt? Quum ſermonem, inquit, contuliſſet cum Calvino, tandem poſt multam contentionem, quum dogma ſuum aliquantulum diſſimile ab illo Calvini tueretur, nec vellet in verba prioris magiſtri jurare, capite damnatus eſt. Ergo magiſter Calvinus, qui minor erat natu: & diſcipulus Servetus, qui ſuas de Trinitate blaſphemias viceſimo ætatis anno vulgaverat. Pergamus. Sermonem qui potuit conferre Servetus, niſi in carcerem incluſus, qui triginta contra Calvinum & Genevenſem Eccleſiam editis epiſtolis, male ſibi conſcius, furtim tranſibat? Iterum tamen facetias affectat Gabriel, dogmata aliquantulum diſſimilia vocans: quum Calvinus non minus ex ſanctis Patribus quam ex Scriptura fidem orthodoxam aſſereret, ille vero nullum apicem ex fidei articulis relinqueret integrum. Sed quum rem totam ex actis quoque publicis in libro ſuo patefecerit Calvinus, quid aliud agit Gabriel, niſi quod palmam inter mendaciſſimos nebulones ſibi vendicat? Ejuſdem amentiæ eſt quod Calvinum jactat Regem Galliæ nuncupaſſe tyrannum, quia in hæreticos ſæviret. Primum falſitatis & calumniæ coarguetur ex libris Calvini, ubi nihil ſimile legitur. Tametſi autem de ſævitia conqueſtus eſt, quæ exercetur in veros & puros Dei cultores, blaſphemos tamen ac hæreticos nunquam cenſuit tolerantia fovendos eſſe. Telam mendaciorum contexit Gabriel, & Calvinum cum Abbate neſcio quo Præmonſtratenſi miſcet, qui negavit eſſe inferos, & Chriſto deſperationem affinxit. Hunc vero calumniandi colorem inducit, quoniam in Catechiſmo neget Calvinus Chriſtum ad inferos deſcendiſſe. Quaſi vero Calvinus non aperte contendat retinendum eſſe hunc fidei articulum, ac frigidum commentum de ſepulchro repudiet. Epiphonema quod ſubjicit, ſuperioribus optime reſpondet. Abrogato, inquit, ſacerdotio, everſo ſacrificio, Sacramentis omnibus conculcatis, eo tandem res producta eſt, ut nec infernus, nec cælum eſſe credatur, & Chriſtus à multis Deus eſſe negetur. Abrogatum quidem fateor ſacerdotium, quod ſacrilega audacia ſibi arrogaverant qui ſe abſque ulla vocatione in locum Chriſti obtruſerant: everſum quoque fuiſſe Miſſæ veſtræ ſacrilegium, quod à vobis fingitur eſſe Chriſti mactatio, & quo expiatio ejus morte parta exinanitur. Sacramenta autem nequiter mentiris fuiſſe conculcata, quibus reddita fuit integritas, quum veſtris corruptelis ſceleſte fœdata eſſent. Nam adulterina figmenta, quibus falſo impoſitum erat illud nomen, è medio tolli oportuit, ſi vellent noſtri Eccleſiam ſtercoribus purgare. Qua fronte cæli & inferni te vindicem oſtentas: quum tua impietas omnibus fœteat, non minus quam vitæ ſpurcities: conſtet autem noſtrorum omnium ſcriptis vitam hominum ad ſerium Dei timorem, & pietatis ſtudium rectius ac magis dextre centuplo formari, quam tota librorum congerie qui unquam in Papatu editi ſunt? Hac ſua magniloquentia adeptum ſe exiſtimat ut unus ſolo nutu par ſit ad ſedandos omnes Galliæ motus. Perinde enim concionatur ac Cato quiſpiam è nubibus delapſus. Nugator, ſi fallaci gravitatis ſpecie fidem acquirere tibi optabas, cur à mendacio exorſus es, quod jam dixi ab infeſtiſſimis quoque noſtris hoſtibus refelli poſſe? Deprehenſos dicis fuiſſe Lutetiæ, qui extinctis lucernis fœda ſe invicem libidine contaminarent. Non rogo ut cognitio ſuſcipiatur: carnifices ipſos tuæ ſtultitiæ pigebit: quia ſemel pudefacti, tam frivolas nænias cuperent ſepultas eſſe. Porro quia tota concio ex ventoſis rabioſi hominis ſpumis conflata ſeipſam frangit, eam prætereo. Clamet Gabriel: Hic ſiſte gradum Gallia, & provide attende quos tumultus & tragœdias excitaverit hæretica rabies ubicunque graſſata eſt. Declamitet adverſus Pſalmos: quid aliud quam fœtorem ſuum exhalando, ingenuos omnes & cordatos ad iracundiam provocat, aliis ſuppeditat ridendi materiam, apud ſodales vero ſuam impudentiam detegit? Mirum vero eſt, ſi nos omnes tam ſecure contemnit, ut ſimulat, tanta intemperie eum ardere. Certe niſi rara quædam eum torqueret anxietas, ſuas lautitias ſtylo quoque præ ſe tuliſſet. Hæc vero inter ſe minime conveniunt, quod doloris amarulentiam tota Præfatione evomens, triumphos de nobis & noſtrorum hominum libris magnificos agit. Nulla ſecundum eum ferme fit mentio librorum Lutheri, niſi forte in aliquo Saxoniæ angulo. Nempe hæc ratio eſt cur vacuum locum occupaverit. Succedat igitur in vicem librorum Lutheri Gabrielis Præfatio. Denunciet per curſores, ut ad vecturam præſto ſint carrucæ, quæ pretioſum theſaurum in omnes Europæ partes advehant. Verum quid te inſipidius, qui ſaltem non olfacis quanta librorum copia & varietas Papatum è ſuis ſedibus quotidie depellat? Quod vero dicit Melanchthonem à Luthero deſciviſſe, libenter amplector: quando cauſam noſtram non vulgariter adjuvat ejus viri conſenſus, quem tametſi mortuo Luthero liberius confeſſus eſt, ejus tamen non obſcura documenta vivo illo ediderat. Illius vero libros Genevæ excudi cur vetaret Calvinus, qui deterrima hoſtium ſuorum ſcripta ingenue publicanda curavit? Imo niſi te prorſus excæcaſſet furor, ſcires quædam ex Lutheri ſcriptis in Gallicam linguam verſa, orbis & typographi nomen habere inſcriptum. Quoſcunque vero ejus libros emere qui volet, reperiet venales in tabernis. Nec vero à tuo vaticinio metuit Calvinus, dum brevem interitum minaris ejus operibus, quia nihil ſolidum contineant, ſed inani verborum fuco ſint referta, ut ſi verborum ambages tollantur, & rhetoricæ floſculi, maledicta in Sacramenta, & in Eccleſiam ſcommata, Hortenſii aut Laurentii Vallæ potius ſit quam Chriſti diſcipulus, Grammaticus aut Rhetor magis quam Theologus reperiatur. Crede mihi, qua eſt ſimplicitate, nullos ex tua cenſura aculeos ſentiet. Sed ex te ſcire velim, bone judex, quid tibi in mentem venerit, Laurentium Vallam Hortenſio conjungere: deinde quo conſilio Hortenſium elegeris, à quo nulla ſyllaba relicta eſt, unde conjiceres Calvinum, vel minimo lineamento, aliquam ejus imitationem referre. Sed nimis acriter urgeo. Tantum quæro, quem tibi de Theologia ſententiam ferenti crediturum putes. Si permittunt ſodales ut in menſis quidvis tibi arroges, an tibi in luce inter ſobrios ac ſanos homines atque etiam eruditos idem conceſſum iri ſperas? Præfatio vero demonſtrat quam idoneus ſit eloquentiæ judex aut arbiter, quiſquis fuerit ejus opifex & architectus. Cæterum ut tuam ſtultitiam deſpicere ac ridere poſſumus, ita ſcito nos cordatiores eſſe, quam ut totius mundi ingratitudo, ſi omnes eſſent tui ſimiles, curſum noſtrum impediat. Oleum quo Rex Galliæ ungitur, adulatione tua magnifice extollis, quo Regem ipſum, ſi tuis næniis fidem haberet, in obſequium Papæ mancipes. Seditiones, quæ ſemper à vobis accenſæ ſunt, aut certe aliunde exarſerunt, inique nobis objicis. Quod ex Chryſoſtomo citas paucitatem magiſtram eſſe veræ diſciplinæ: vide ne breviter retractare cogat experientia, ubi prudentiſſimi quique tyrannidis veſtræ tædio ad eam reprimendam digitum tollent. Interea te admonitum velim, quem Chryſoſtomum errore vocas, unum ex Sacramentariis eſſe, qui aperte negat in Euchariſtia eſſe Chriſti corpus, ſed duntaxat in myſterio repræſentari. Quod charitatem jacere deplorat, in eo haud dubie famelicis ſuis fraterculis, qui ex quotidiana Miſſarum nundinatione victitant, gratificari voluit. Verum ut alium quemlibet deceat ſic loqui, quid minus conſentaneum eſt quam immanem & barbarum Cyclopem de charitate verba facere:

cere:

cere : cujus inſatiabili avaritia & rapinis prorſus ſe exhauſtos deplorant miſeri ruſtici, qui ejus ungulis obnoxii ſunt? Habent enim Canonici Lugdunenſes multos ſuæ ditionis pagos, quorum ita fit inter eos partitio, ut ſinguli proprium poſſideant, & quiſque uberiorem, pro antiquitatis gradu. Suos quum hic bonus charitatis magiſter non ſecus excoriet ac lanjo in macello animalia quorum venditurus eſt carnem, alienis quomodo parceret? Quale vero erga familiarem ſuum & intimum amicum ediderit tam humanitatis quam fidei ſpecimen, breviter indicare expedict. Depoſuerat ille in cuſtodiam Præcentoris beneficium, quod ſuo nomine tenere non poterat : quum repoſceret, non ſine convitio repulſam tulit: acſi fidum cuſtodem ſimonia maculare vellet. Reſpondit enim Gabriel, quum ſevere à Canonibus damnentur ſimulatæ reſignationes, ſe in amici gratiam nunquam fore ſimoniacum: ac miſero ſocio, quem adeo improbe ludebat, fortiter minitatus eſt, niſi verecunde à nefando ſcelere abſiſteret. Etſi autem à ſuorum congreſſu ob dedecus rejectus fuit, minore tamen flagravit invidia, quia talem quæſtum factitare pridem conſuevit. Alio etiam vitio laborat præclara ejus exhortatio : quod in eadem pagina turbæ & multitudini acquieſcendum non eſſe contendit, & ſimul noſtram paucitatem ridens, ſuæ partis multitudine gloriatur. Quam juſte Calvino exprobret ſedere ipſum in templo Dei ut adoretur, me tacente judicent à minimo uſque ad maximum quicunque & ſenſu communi, & aliqua modeſtia, & æquitate præditi ſunt. Et tamen quaſi plauſibilem occaſionem nactus, adverſus idola invehitur. Euge, animoſe gloriæ Dei vindex, plauſum libenter dabimus, ſi idola omnia proſternas. Sed fucum facit impoſtor. Simul enim ac de idolis verbum facere viſus eſt, mox allegoriis perſtringit ſimplicium oculos. Atqui, teſte Auguſtino, nullus eſt deterior cultus ſimulachrorum, quam dum phantaſmata ſua colunt homines : & quicquid animo errante cum ſuperbia & tumore cogitando imaginati fuerunt, religionis nomine obſervant. Agnoſco certe : atque ideo totum Papatum, etiam ſi nulla apud vos ſtatua, vel pictura viſeretur, tanquam lacunam idolis refertam fugimus & abominamur. Quid enim illic eſt religio, quam ad humana commenta obſtupeſcere? quid Dei cultus, niſi poſthabitis ipſius mandatis hominum legibus ſe addicere? Nec vero obſcurum eſt te & alios omnes Papæ ſatellites non alibi locare victoriæ fiduciam, quam ſi humanæ traditiones Dei verbum ſepeliant. Interea de Regis ſalute ſe vehementer ſollicitum eſſe ſimulans, una re incolumem fore promittit, ſi indefeſſus ſit Papatus aſſertor, quum Eccleſiæ ſalus à ſummi Sacerdotis dignitate ſecundum Hieronymum pendeat. Totieſne falſarium te deprehendi? De ſingulis Eccleſiis loqui Hieronymum ex contextu liquet: quia mox ſequitur ſine juſſione Epiſcopi neque Presbyterum, neque Diaconum jus baptizandi habere. Nec ſane quæſtio erat cum Luciferianis de Romani Epiſcopi primatu : ſed quomodo pax inter cujuſque Eccleſiæ ordines ſit colenda. Tu vero quod de omnibus erat dictum, perperam ad unum trahis, atque id reclamante Hieronymo : cujus nota ſunt verba ex reſponſo ad Euagrium : Quid mihi profers unius urbis conſuetudinem? quid paucitatem, unde ortum eſt ſupercilium, in leges Eccleſiæ vendicas? Ubicunque fuerit Epiſcopus, ſive Romæ, ſive Eugubii, ſive Conſtantinopoli, ſive Rhegii, ejuſdem meriti, & ejuſdem ſacerdotii eſt. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas ſuperiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Et adhuc nebulo in eo ſtatues Eccleſiæ unitatem, ſi veſter Antichriſtus ſuaviter delicietur in pacata tyrannide? & proſcribi Chriſtum ex Gallia dices, ſi excutiatur lethale illud jugum? At fides, teſte Cypriano, ſine unitate non

De ſimpl. Prælat.

tenetur. Sed cur de vinculo taces, quod ſanctus Martyr illic præcipue commendat? Antichriſtum obrepere dicit ſub Chriſti titulo, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec cæleſtis Magiſtri doctrina ſervatur : quæ ſi quis conſideret & examinet, tractatu longo atque argumento opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Dicit quidem paulo poſt, quamvis eſſent cæteri Apoſtoli quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, dictum fuiſſe Petro, Dabo tibi claves, ut in uno homine Eccleſiæ unitas monſtretur. Sed ne quis malus cæmentarius, qualis es, voci unitatis lutum pro gypſo illinat, eam in ſua puritate aſſerit, adjungens, Epiſcopatus unus eſt, cujus à ſingulis in ſolidum pars tenetur. Certe in corpore mutilo & trunco nos non detinet Cyprianus : ſed prudenter nos ad caput revocat, ne ulla quæratur cum hominibus conjunctio, quæ nos à Chriſto ſeparet : ne ulla transferatur in homines dignitas, quæ vel minimum ex ejus Epiſcopatu deroget : ne ulla unitas prædicetur, niſi in Euangelii fide fundata, & quæ à Scriptura non abſtrahat. Reſtat igitur ut ex ipſa doctrina æſtiment lectores ubinam ſit vera & legitima unitas: quando non aliter ſincerum judicium fieri poteſt: niſi forte novum aliquem Chriſtum inveniat Gabriel Euangelio ſuo exutum. Nos autem retecta facie gloriam ejus in ſpeculo Euangelii repræſentamus: ac gloriari cum Paulo jure licet: ſi adhuc velatum eſt Euangelium noſtrum, inter eos qui pereunt, velatum eſſe: in quibus Deus hujus ſeculi excæcavit ſenſus infidelium, ne illuceſceret illis lumen Euangelii gloriæ Chriſti, qui eſt imago Dei. *2 Cor. 4. verſ. 4.* Roſtro ſuo deforment porci doctrinam noſtram licet, vel ſuo grunnitu impetant, lacerent eam canes, vel allatrent, utroque officio fungatur Gabriel, ipſa ſe ab impuris eorum ſpurcitiis vindicabit. An nos impulerit ambitio ad excogitanda nova dogmata, ex re ipſa æquis omnibus arbitris permittimus cognitionem ſuſcipere. Certe non prædicamus noſmetipſos, ſed una cum Paulo Jeſum Chriſtum Dominum: nos autem Eccleſiæ ſervos propter ipſum. *2 Cor. 4. verſ. 5.* Et quanquam ferimus hunc theſaurum in vaſis teſtaceis, quæcunque tamen convitiorum ſputa in nos congerant omnes rabulæ, minime obſcurabitur quæ in noſtra prædicatione totoque miniſterio refulget Dei gratia. Diſcerpitur quidem fides, infauſta opinionum varietate : ſed unde tanta diſſenſionum licentia, niſi quod dum tota cleri Papalis colluvies violenter nos infeſtando omnia conturbat, aperta eſt diſſenſionibus janua, ſuoſque miniſtros turmatim inſtigat Satan, ut majore licentia ad inſaniendum ſe projiciant? Et interim ſolvi unitatem deplorat Præcentor, qui ſuaviter cum tota ſua cohorte triſtibus pugnis oblectatur, non ſecus ac laniſtæ ludum gladiatorium cum maxima voluptate ſpectant. Qua vero fronte teſtimonia ex Auguſtino congerit, ut Eccleſiæ unitatem abrumpere cenſeatur à Papatu defectio? Stylum adverſus Donatiſtas, qui ſimiles fere Anabaptiſtis erant, ſtringit Auguſtinus. Eorum moroſitate conqueritur Eccleſiæ corpus ſcindi, quum ſe ab Eccleſiis avellerent, in quibus fatebantur retineri puram doctrinam : hunc ſolum alienationis prætextum jactantes, nullum eſſe Baptiſmum, niſi quem miniſter ſuis meritis & ſanctitate ratum faceret. Adde, quod levis arrepta fuerat occaſio, quum obtenderent Epiſcopis quibuſdam fuiſſe datam veniam abjurationis : & calumniæ ſæpius convicti, pertinaciter non minus quam improbe divortium illud urgebant. Hac defenſione utitur Auguſtinus, fieri non poſſe irrita vaticinia, quibus pollicitus erat Deus regnum ſuum diffuſum iri per totum orbem. Eccleſiam non negabant Donatiſtæ fuiſſe per omnes terræ plagas propagatam:

interea paucorum vitiis offenſi, ab ejus communione ſe ſubduxerant. Nunc pietatis doctrinam, quæ in Papatu abolita eſt, Dei invocationem, legitimum cultum, ſacra denique omnia, quæ peſſundata ſunt, reſtituat Gabriel, ut Auguſtini patrocinio juvetur. Sed occurrit ſanctus ille vir, & frivolas ineptiarum nebulas diſcutit. Dilaniari corpus Chriſti dicit Au- *Tractat. 2. in Epiſt. Joan.* guſtinus, ſi diſpergitur quod ille collegit: cur non ex eodem opere citas quod jubet cognoſcere ſponſum & ſponſam, ut rite nuptiæ celebrentur? Qualis autem additur cognitio ſponſi? Ut prædicetur in ejus nomine pœnitentia & remiſſio peccatorum ex Lege & Prophetis. Qualis etiam Eccleſiæ origo deſcribitur? quod ab Jeruſalem manavit per totum *Serm. 2. Dominica 2 poſt Epiphaniam.* orbem vera religio. Adde quod alibi repudium impuræ veſtræ Synagogæ clare denunciat, quum docet Chriſtum, ut eſt ſacrum caput, non poſſe corpus habere niſi ſe condignum. Cui reſpondet quod alibi *De verb. Apoſtol. Serm. 31.* dicit, Ad nuptias veniamus, tabulas legamus, & non litigemus. Has faceſſere jubet Gabriel, dum imaginario Eccleſiæ titulo contentus, nobis in Scriptura acquieſcentibus audacter inſultat. Quam diſſimilis hac in re Auguſtino? qui Baptiſtæ verba expo- *Tract. 13. in Evang. Joannis.* nens, Non, inquit, gaudeo propter vocem meam, ſed propter vocem ſponſi. Ego ſum in audiendo, ille in dicendo: ego ſum illuminandus, ille lumen: ego ſum in aure, ille in verbo. Sic & Apoſtolus amicus ſponſi zelat & ipſe, non ſibi ſed ſponſo. *2 Cor. 11. verſ. 3.* Metuo, inquit, ne ſicut ſerpens decepit Evam, ſic corrumpantur ſenſus veſtri à caſtitate quæ eſt in Chriſto. Si qua in nobis apparent ſigna pietatis, ea vilipendit Gabriel, quod hæreticorum ſacrificia Deus non probet. Esne mentis compos, qui quum nuper dixeris omni excuſſo pudore nos agere vitam belluinam, nunc pietatis & aliarum virtutum ſpeciem nobis concedens, laudem omnem deformes una hæreſeos nota? Quaſi vero aliquam in nobis hæreſin demonſtraveris: niſi forte Jeremiæ verbis, quæ mox citas, nos exiſtimes reos peragi. Nolite, inquit ille, audire verba Prophetarum qui viſiones cordis ſui loquuntur, & non ex ore meo. Item, Currebant, & non mittebam eos. Placet ſane conditio, neminem eſſe audiendum, niſi qui ex ore Domini loquitur. Quid ergo Papæ fiet? cui commune principium eſt cum Mahumete, fidem perperam affigi Scripturis, ſed à Spiritus revelatione pen- *Jere. 23. verſ. 28.* dere. Nos autem ex eodem Prophetæ loco regerimus: Propheta apud quem eſt ſermo meus, proferat ſermonem meum verum. Quid paleis ad triticum? Porro quoniam audet ſacrilegus iſte proferre horribilem illam Pauli ſententiam, Evaneſcere in ſuis cogitationibus omnes qui Deum cogni- *Joſue 7. verſ. 19.* tum non glorificant: ſicut olim Acham hortatus eſt Joſue ad dandam gloriam Deo, ita ſi eſſet ſanabilis, libenter eum commonefacerem, ut ſaltem ad momentum ſuſciperet cogitationem hominis ſobrii, quia certe mox eum ſui dedecoris puderet. Sed quoniam in reprobum ſenſum conjectus videtur, paucis verbis quas in clauſula Præfationis evomit calumnias expediam. Quo odioſum reddat Lutheri nomen, & in ejus perſona totam noſtram doctrinam infamet, commemorat quam obſcurum, debile, & contemptum fuerit exordium: progreſſu vero temporis exiguas ſcintillas in magnum incendium erupiſſe. Quid, obſecro, feciſſet Lutherus, cui ſcintilla tantum, & quidem obſcuræ lucis, emicuerat? Protulit ergo ingenue quod ſciebat, hoc eſt, paulo plus quam nihil. Attollit tamen cothurnos Gabriel, & Lutherum atrociter accuſat, quod ſecum in pleriſque diſſideat, quod Papam, quem initio reveritus eſt, habere poſtea cœpit pro Antichriſto: Purgatorium, quod ſe credere profeſſus erat, merum figmentum eſſe dicit: Sanctorum denique invocationem, ſacrificium Miſſæ, & fictitios cultus ſuſtulit, tyrannicam legem de cælibatu & confeſſione abrogavit. Mirum cur non in crimen voces, quod non loquutus etiam fuerit antequam prodiret è matris utero. Plus tibi largior quam ſumas. Indulgentias vocabat initio pias fraudes. Inſcite omnino: nempe quia nondum tenebat à profundiore lacuna ortas eſſe. Et forte diutius hæſiſſet in hoc luto, niſi eorum ſtultitia qui craſſiſſimos quoſque errores tunc defendere conati ſunt, fuiſſet expergefactus. Scite alicubi dicit: Velim, nolim, cogunt me adverſarii in dies fieri doctiorem. Nempe quum novas ſubinde abſurditates cumularent, cur non aperiret oculos ad conſideranda Papæ myſteria, de quibus ambigere nunquam auſus fuerat? Quod ſi quicquam aſtute celaſſe dicis, ut paulatim & oblique ſerpendo ſe inſinuaret, qui conveniet hæc ſimulatio cum vehementia, quam tu pluſquam violenter exagitas? Deinde ſi totus flagrabat Papæ odio, quanto fuiſſet utilius multiplici impetu repente tonare, qui totum Papæ regnum horribili modo concuſſiſſet? Hoc tamen probare conatur ipſius Lutheri verbis: ut qui confeſſus ſit magni beneficii loco ſe fuiſſe ducturum, ſi quis perſuaſiſſet in Cœna nihil eſſe præter panem & vinum, quia videbat quantum hoc Papatui incommodaret. Ea bonus interpres ſic torquet, tam fuiſſe pravo affectu, ut præſentem Chriſtum fuerit in Cœna denegaturus, modo Papatui incommodaret. Tune poſthac jactare audebis generoſos nobilium animos, & ſimul te nobilem vocare? Si ex clariſſima & antiquiſſima familia eſſes progenitus, quibus flagitiis coopertus es, tenebras generi tuo poteras inducere. Nunc quantæ ſtultitiæ eſt, abs re gloriari: quum tam ſpurcis mendaciis etiam apud ſubulcos merito poſſis fœtere? Dicit Lutherus ſe qua parte maxime infeſtus Papæ fuiſſet, in ea fuiſſe mutum, quia perſuaſus non erat recta conſcientia poſſe fieri. Hic præſtigiator quod album omnibus apparet, nugando perſuadebit atrum eſſe. Eadem in reliquo contextu impudentia ſic in Lutherum invehitur, ut ſeipſum vanitatis coarguat. Hoc tantum dicam, certamina conſcientiæ, quibus virum illum exercuit Deus, claro documento fuiſſe ſerio Dei timore præditum: ſicuti ejus vita non minus longe à probris tuis abfuit, quam ſceleſti tui mores ab omni honeſtate remoti ſunt. Nec vero ſatis prolixe mentitum ſe putavit, niſi ad mortem uſque Lutheri, proterviam ſuam extenderet. Annotat bonus hiſtoricus ſubitanea morte fuiſſe conſumptum: & cauſam mortis aſſignat, crapulam ac ebrietatem. Quaſi vero non ſatis ſuperque publicis monumentis refellatur hæc falſitas. Niſi prorſus eſſes deſperatus, dixiſſes potius cum Balaam, Moriatur anima mea morte juſtorum, quam ex ara tua ſic auſus eſſes grunnire. Lepore tamen ſuæ dicacitatis hoc deletum iri confidit, dum mortuo inſultat qui de proximo Papatus interitu vaticinatus, eum reliquerit ſuperſtitem. Atqui ſi Papam interroges, fatebitur ſe in Lutheri doctrina, cujus aculeis aſſidue configitur, nimis vivam efficaciam ſentire: regnum vero ſuum diuturna tabe putridum, quaſi vivum eſſe cadaver. Etſi autem omnibus lethargicis ſtupidior es, quod tamen maxime formidas, inſtare denuncio, ut culina tua congelaſcat. Hoc exorciſmo tecum tranſigere volui, quando es ex eo dæmoniorum genere quæ non poſſunt niſi in jejunio ejici.

CEN-

CENSURA,

SEU

BREVIS REFUTATIO CALUMNIARUM ANTONII CATHALANI MENDICABULI.

Ex Gall. QUamvis hodie nebulones non pauci, chartam nugis maculantes, gregatim appareant, ut doctos jam ſere pudeat aliquid in lucem emittere: nemo tamen impudentior quodam errone mendicabulo Antonio Cathalano, quondam Albauguſtano minoritæ, nunc preſbytero (ut vocant) ſeculari comperietur. Is nihilominus, laudis palmam ſe attigiſſe ſomnians, dum quaſcunque cudere poteſt calumnias, aut quæ in aures illi ſuggeruntur in nos convitia temere eructat: lucellum famelico cuipiam typographo attulit, qui, prius in caupona ſemel aut iterum utcunque ſaginato Cathalano, ejus ſordibus poſtea mundum inquinaret. Nuper enim libellum emiſit in me, ut doctrinam quam profiteor damnaret, tantaſque in Deum & omnem veritatem blaſphemias effudit, ut inde multi ingenii nomen, & gratiam ſe reportaturum exiſtimet ab iis qui ejus ventrem aliquot bolis farcire queunt. Quærat aliquis, cur tam inſulſum monachum oppugnem? fateor illum ſuis ineptiis hoc reſponſum extorſiſſe. Syndicis Genevenſibus dominis meis Epiſtolam ſuam inſcripſit, ut me ad juſtam defenſionem cogant: quaſi convictum omnes tenere debeant, ſi forte mihi impono ſilentium. Poſthac garriat ut libuerit, nullum certe reſponſum eripiet: abſit enim ut bonas horas tam male collocem, & lectores monachi nugis ſilentio obruendis detineam. At, niſi blaſphemas voces damnaret Dei verbum, equidem perceperem ſexcentos hujuſmodi patronos quotidie Papatum defendere: aptius enim conſpurcari & detegi nequit. Ea eſt autem juſto Dei judicio, magnatum, qui tyrannidem Pontificiam ſtabilitam cupiunt, cæcitas & amentia, ut patiantur iſtos idoli Romani aſſeclas tot inquinamenta quæ tecta volunt, naribus omnium olfacienda & execranda proferre. Vix enim inter conductitios ſcriptores ullum repetias, in diffamanda Pontificia illa hierarchia ſeu colluvie, Cathalano ſuperiorem: qui me adactum ad reſpondendum ſuæ Epiſtolæ, ſomniat.

Primum autem, lectores monitos velim, qui fiat ut non in me ſolummodo debacchetur, ſed etiam Eccleſiam & Academiam Lauſannenſem convitiis obruat: Farellum item numero adjungat: tantum ut cuicunque nobis conjuncto conciliet invidiam. Res autem ita ſe habet: Poſtquam cum meretrice, quam ubique locorum ſecum trahebat, Genevam appulit Cathalanus, initium fecit à ſtipe petenda, operam ſuam tamen in regulis Arithmeticis docendis offerens. Quoniam vero ignotus erat, per aliquot dies expectando, pecuniæ aliquid ad victum accepit. Ne vero longa informatione opus eſſet, ipſe & itineris comes in medium prodierunt, nemine provocante. Geſtus & ſermones caſtæ matronæ ſummam ejus impudicitiam ſatis prodebant: nullus enim tam vultu confidens erat, cui pudorem ſcortum illud laſcivia ſua non incuteret. Præterea in hoſpitio in diras prorumpere & in crines involare mutuo cœperunt. Intra biduum tale ſpecimen ab eis editum fecit, ut amplius examinandos non judicaverimus, ſed ad magiſtratum deferendos, quo civitate expellerentur. Paucis dicam quid compertum ſit: propria videlicet utriuſque confeſſione, hunc lenonem, illam vero proſtibulum fuiſſe deprehenſos. Prætexebant quidem initio matrimonium: at quum ſeparatim interrogarentur qua in parœcia, varia templa Papiſtica nominarunt. Tandem rem totam, ut geſta erat, fateri coacti ſunt. Hinc tam ſubito expulſi, itineri ſe accingunt: ille Bernam petit, &, quod incognitus eſſet, ſtipendium impetravit, ut tanquam alumnus Bernatum in Academia Lauſannenſi literis daret operam. Porro, quum cito aſini Cumani apparuiſſent auriculæ, contra ſpem frigide exceptus eſt. Beza, tunc Academiæ Rector, hominem provectæ ætatis, ignarum, aliquid magni ſtultitia ſua ambientem intuitus, ut anſam audaciæ præſcinderet, juſſit Cathalanum, more puerorum, aliquod thema dare. Ingenioſus doctor autem ſcriptum thema, non ſine probato chirographo offerre cupiens, appoſuit, Per me Antonius Cathelan. Nihil affingo: extat adhuc manuſcriptum thema. Rector tantum ſtuporem indigne ferens, erratum fuſtuario dignum eſſe demonſtrat. Ille vero, (ne quis miretur eum tanta impudentia nunc in me ferri) abjecto prorſus pudore, reſpondit: Quid? omnia nomina propria nonne ſunt indeclinabilia? Stipendiis privari ſatis meruerat: quo ſe verteret etiam non videns, novis mediis rem facere conatus eſt. Conſilium vero tam male ceſſit, ut paulopoſt exilio ſit mulctatus, ni flagris cædi vellet. Paucis hiſtoriam Cathalanicam complexus ſum, ne ignorent lectores, quam inique agat dum ſervos Dei tot contumeliis afficit. Nec tamen immorari velim in refutandis mendaciis, quibus egregium librum ſuum (cujus titulum & lectionem neglexi) opplevit. Nugatur, ut audio, me convivio nuptiali adfuiſſe: & laute exceptum, quamvis diei unius itinere abhinc celebratum ſit, nec magis interfuerim quam qui ultra mare habitat. Monialem me domi tenuiſſe dicit, quam aiunt me ſemel coram multis teſtibus per horæ ſemiquadrantem vidiſſe. Huic autem ita adjeci oculum, ut ſi adſtaret, non magis agnoſcerem, quam ſi nunquam mihi apparuiſſet. Quid vero tam lepido ſycophantæ facias, niſi ad capitulum mittatur: ubi, ſecundum monachorum proverbium, pœnas det uſque ad vitulos? Verumtamen ne glorietur mihi os obturaſſe ſua Epiſtola, ad quam refutandam poſtulat me cogi, en expeditum & breve reſponſum.

Porro, quæ præfatur neſcio an expediat attingere: multa enim ſunt quæ non capio, quod ſint (ni fallor) inter pocula, & poſt largiorem potationem conſcripta. Ita cerebrum Cathalani volitat, ut extra oleas perpetuo diſcurrens, nunquam ſibi conſtet. Tandem illi placet nos accuſare blaſphemiæ, quando Reformatorum Euangelii nomen nobis vendicamus. Unde vero didicit ita loqui? quandoquidem credimus, ſublata voce & perpetuo vociferamur, Euangelium unicam eſſe regulam ad quam omnes reformari oporteat: abſit, ut imperfectum Euangelium

Digitized by Google

ſomniemus, cum Pontifice Romano & Mahumete, quorum hic ſuo Alcorano, ille ſuis Canonibus, decretis & revelationum rhapſodia, Dei veritatem perfectiorem reddere voluit. Obſervanda vero eſt magiſtri Antonii ratio, Chriſtum videlicet promiſiſſe ſe adfuturum fidelibus ad ſeculi uſque conſummationem. Quid magis abſurdum? Præterea quomodo convincet Papam & ejus aſſeclas eſſe Chriſti membra, à quo certiſſime rejicientur? At ſibi modum ponit Cathalanus. Salva, inquit, meliore ſententia, modo etiam Euangelia vera ſint. Temulente, judicio hominum ſubjiciendane fuit Euangelii veritas? Porro, vident omnes qua ſobrietate garriat. Satis illi fuit obſoletum ſophiſma proferre, cui toties reſpondimus, ut lapides ipſi verba noſtra reſonare queant. Quis negat Chriſtum pollicitum eſſe ſe ſuis ſemper adfuturum? Qui ſint, videamus. Ipſemet vero eos deſignat dicens; Oves meæ vocem meam audiunt. Pater item è cælis edictum promulit, Chriſtum unicum Eccleſiæ magiſtrum hac voce conſtituens, Hic eſt Filius meus dilectus, illum audite. Si Pontifex Romanus & Pontificii, puritatem Euangelicam faſtidientes, eam ſuis ſordibus inquinarunt, & Eccleſiam à paſtore & capite ſuo avocarunt: quid tam manifeſtum ſcelus prodere amplius oportet? Sed, quod potiſſimum eſt, videamus quibus armis in harenam deſcendens magiſter Antonius nos adoriatur.

Quærit, quorſum eleemoſynam impertiri Papiſtis nolim, quum ſuper juſtos & injuſtos Solem emittat Deus. Quaſi vero hæc unquam mihi excidiſſent, nec potius tam apertum mendacium refellerent ſcripta mea. Imo, non ignorat impurus ille me auctore, & forte meis ſumptibus, quamprimum hic ſe adjutum fuiſſe: quum autem poſtero die cum proſtibulo foribus meis adſtaret, tanquam mendicos certe, non tamen hoc teſtimonium cauſatus, repuli. Sed illud præ me ferebam, iniquum fore ſi pauperes fraudaremus, ad erigendum inter nos lupanar. Cæterum, ne mala fide me agere clamitet, quod omnibus petentibus, opertis (quod aiunt) oculis dandum non exiſtimem:
Galat. 6. vers. 10. Paulum alloquatur, qui domeſticis fidei primum gradum tribuit: univerſam denique ſanctam Scripturam oppugnet, quæ cùm pauperiem tum pietatem petentium nos jubet reſpicere. Quod ſi Solem profert, perpendat etiam
Pſal. 31. vers. 19. quod Pſaltes cecinit, Quam ampla ſunt, Domine, bona quæ timentibus te repoſuiſti! Nec decet nos in diſpenſando magiſtrum prudentia ſuperare. At video quid Cathalanum moverit. Uritur, quod crumenam, mendicitatis ſuæ nutricem, cito non obturimus. Quid ad me vero? Dum mendicus, impoſtor & impurus leno merito ejectus eſt, ideone oportuit Solem è cælis teſtem evocari?

Articulo ſecundo de caſtitate verba facit, & conqueritur quod doceam Deum tentari ſi quis ſe continentem fore voveat. Sed longe fallitur. Caſtitatem enim pii omnes colere debent. Votum autem cælibatus, rebellio eſt in Deum, quam voce & ſcriptis improbo. Addit, me ad doctorum confirmationem ſacerdotes Græcos teſtes citare: unde patet Cathalanum nunquam legiſſe quæ de hoc negotio ſcripſi: & mihi imponit, quæ intellexit fuiſſe ab alio in medium producta. Quamvis autem ſtupidus, aſtute tamen hic agit: aquam enim ſibi hærere ſentiens, per paludes fuga ſibi conſulere conatur. Satis eſt illi verba mea recitaſſe, nec erroris convincere, aut me vera docuiſſe fateri. Harena deſerta, canit nihilominus triumphum. Scripſi mortalem temerarium eſſe qui perpetuam continentiam voveat.
Mat. 19. vers. 9. 1 Cor. 7. Quid ita? Chriſtus & Paulus aſſerunt non omnibus datum eſſe. Hæc præterit Cathalanus, & ex adverſo profert ex Apoſtoli verbis, eum melius facere qui cælibatum colit, quam qui contraxit matrimonium. Modo videlicet datum ſit. Sed omnibus promiſcue qui iſta applicat, Apoſtoli conſilium evertit, qui teſtatus ſe nolle piis injicere laqueum, ad vitandam fornicationem vult matrimonium contrahi: unumquemque quid humeri ferre valeant perpendere, & libertate ſua uti, ſedulo hortatur. En præclarus voti continentiæ defenſor. Porro, novum in me ſpuit mendacium, ſed tam evidens, ut nulla abſterſione mihi opus ſit. Affirmat me clam pro ſcortatoribus habere omnes moniales & monachos quorum in hac Eccleſia matrimonium eſt celebratum: libros, domeſticos & amicos meos teſtes citat. Libri mei ejus jugulum petunt, dum fatetur ejuſmodi conjugia me ſcriptis probare. Quoad domeſticos, amicos & alios familiares attinet, eorum unanimi conſenſu mendax arguetur. Quid præterea? quum Deus, Angeli, omnes denique, & impiorum peſſimi, impurum nebulonem reprobent? Sed quid agas? perpetua percitus ira tanquam ſcabie uritur, quod hinc cum proba ſocia ſit expulſus. Inde liquido conſtat quam reverenter de vera caſtitate ſentiamus, qui ſacrum conjugium turpiter profanari minime paſſi ſumus.

Tertius articulus de votis diſputationem continet: ibi accuſor quod votum à Scriptura non probatum repudio. hæc ſunt Cathalani verba, quæ mihi minime conciliant invidiam. Nihil enim agendum niſi Deus approbet. Quis autem polliceatur quod non poſſit vere adimplere? Idcirco traducit me ſceleſtus iſte tantum eo nomine, quod nihil fieri velim niſi cum bona Dei venia. Fundamentum deinde pro me ſternit, peccatum eſſe quicquid non eſt ex fide: quod probo, tametſi ſatis conſtat Cathalanum ſcripta mea de votis ne à limine quidem ſalutaſſe. Ejus vero hac de re ſententia eſt, Servos & ancillas heris debere obſequium, ſubditos Principibus honorem, mercatores aliis fidem & integritatem. Reſpondeo vero, nullum ex hujuſmodi officiis præſtari niſi ex fide: quandoquidem à Deo juſſa, & ipſa lege naturæ ſtabilita ſunt. Cæterum, ſemper in docendo diſtinctionem adhibui inter hominum ſtulta, temeraria, ſuperſtitioſa vota, & illa quæ Dei voluntati & gloriæ non repugnant. Expreſſe dico, vota quæ Deo fiunt, majore reverentia concipienda, quam ſi cum hominibus nobis foret negotium. Hic ignobilis ganeo opponit bene datam fidem ſervandam eſſe: facete etiam addens, eas quæ nubere coactæ ſunt, debere voluntatem parentum ratam habere: cujus erroris craſſiores Papiſtas judices conſtituo, ut, pro ſuo zelo, globulis precatoriis dorſum Cathalani probe feriant. Ut vero riſum moveat, iterum jocatur, homines hujus civitatis malle tres in manu coronatos, quam ſub vana ſpe decem expectare. Plurimos nummis inhiare avidius non diffiteor: ſed, Dei beneficio, Euangelii doctrina firmiores, quam antea, reddidit inter nos promiſſionum contractus. Perfatuum autem eſſe oportuit, qui ſimiles huic mendicabulo impoſtores promoviſſet. Nihil enim Cathalanus præter æream frontem, & nequiſſimi monachi, ad viatores in ſylvis crudeliter excipiendos parati, vultum attulit. Nugatur me fraudes docere: quarum peritum eſſe oportuit. At, neminem à me unquam deceptum fuiſſe, Dei gratia, mihi conſcius ſum. Unicum illud addam, etiamſi rumpatur magiſter Antonius: munus mihi injunctum poſtulare, ut à viris fraudulentis ſibi caveant, omnes admoneam.

De confeſſione auriculari poſtea blaterat, conquerens me eam inutilem cenſere, quod multa arcana aperiat, unde ſcortationes, proditiones & ejuſmodi malorum monſtra tandem prodeant. Nunc vident lectores, iſtum nebulonem ad ſummum impudentiæ perveniſſe, quum nullus cibus in fauces injiciendus appareat, etiamſi chartam adhuc macu-

Digitized by Google

maculaſſet. Porro, de confeſſione Papiſtica docui ſemper, eam non modo tollendam eſſe, quòd multa patiat incommoda: verum etiam quod lex de confeſſione auriculari ſancita, diabolica ſit: quandoquidem non eſt mortalis cujuſquam condere leges quæ animas conſtringant, & divini judicii reas conſtituant. Deinde, quum Deus, verbo ſuo, omnibus peccatoribus gratiam & delictorum veniam offerat, dummodo humili corde & vera reſipiſcentia ſuam fœditatem agnoſcant, nulla cautione adhibita de ſuſurris in aurem ſacrificuli: enormem & ſacrilegam audaciam eſſe aio, quod homunciones Dei beneficium ſuo ſenſu metiantur, Dei ſedem occupent, jugum imponentes, cujus nunquam ille meminit. Affirmo præterea, hanc legem eſſe prorſus impoſſibilem, ut homo ſemel in anno omnia peccata ſua enumeret: nec alium fructum proferre, quam ut in deſperationis barathrum conſcientias præcipitet. His expoſitis, incommoda, quæ in mundum invexit iſta carnificina, excutio: deinde oſtendo, paucis abhinc annis hanc tyrannidem Eccleſias invaſiſſe. Quamvis enim omnia fere occupaſſet ſuperſtitio, tamen liberum unicuique manebat iſtud jugum excutere vel recipere. Nec antiquitatem ſuam, quam tantopere venditant, hic obtendere poſſunt Pontificii: quum Synodi Lateranenſis decretum, non ita vetuſtum ſit. Quod fructus uberrimos ex auriculari confeſſione naſci Cathalanus vociferatur, mirum eſt tam vecordem eum eſſe ut non animadvertat peccatorem poſſe, etiam ſine ſacrificulo, pudere male actæ vitæ, cor contritum habere, & veniam à Deo humiliter precari. Nec ignoramus, quam vehementer ad reſipiſcentiam ſuos auditores hortentur Prophetæ & Apoſtoli, qui tamen hujuſmodi tam neceſſario Cathalani remedio carebant. Quid vero? Geneva ejecti ſunt crumenilegæ, & nummorum expilatores Confeſſionarii, quorum exemplo, Cathalanus cuperet ſibi permitti impune hanc pecuniam tractare, ut quam commendat utilitatem, liberius guſtaret: eam enim ſubolfecit, aut ſuorum more, ſolummodo linxit.

Cæterum, propter ſolos abuſus & corruptelas auricularem confeſſionem non ſuſtulimus, verum etiam quòd ſit intoleranda corruptio, ſi rem ipſam ab origine & fundamentis excutias. At, impurus iſte, imprudenter ſeipſum jugulat, dum ineptiis, quas pro ſatisfactione ſibiipſis fabricarunt ſuperſtitioſi, tribuit virtutem quam in morte Chriſti quærimus. Trita eſt hæc inter Papiſtas blaſphemia: quam tamen inſulſus Cathalanus debuit aliorum doctorum exemplo fucare. Sed, ut ut ſe triſtem fingat, certe peroptaviſſet confeſſionem adeo rigide apud nos requiſitam haud fuiſſe. Nam multa fateri coactus eſt, non ut rubore ſuffuſus pœniteret, qui jampridem pudere deſiit: ſed ut quam primum expelleretur, ne huic Eccleſiæ illuderet. Tandem apud ſe redit, & tanquam me loquentem profert Scripturæ teſtimonium, ad confeſſionem abolendam: videlicet, peccata remitti à ſolo Deo. Rationem hanc recipio, verum non ſine expoſitione. Quum enim Dei ſolius peccata remittendi auctoritatem hominibus detrahimus, hic brutum iſtud pecus inſurgit, quid latret ignorans: nec poteſt capere quo ſenſu dicatur Deus ſolus remittere peccata, & tamen hominibus mandatum & poteſtatem dederit ea remittendi: quod, ſcilicet, miniſterium Paſtoribus commiſerit, ſibi vero reſervarit auctoritatem. Denique, Cathalanus ſua ſtultitia malam Papiſtarum cauſam non parum labefactat. Non quærimus autem, an hominibus conceſſum ſit remiſſionis peccatorum officium. quod narrat Euangeliſta amplectimur. Sed controverſia eſt, quomodo Apoſtolorum ſucceſſores peccata remittant: an ſigno crucis ludicre facto, an publica & privata prædicatione gratiæ Dei peccatoribus per Euangelium oblatæ. Quomodo ſe in hoc negotio geſſerint Apoſtoli, expendat lector, tunc nodus quæſtionis ſolvetur. Si quis auctoritatem à Chriſto datam oppugnat, merito, tanquam θεομάχος damnabitur. Idcirco Moſis & Aaronis cauſam amplectitur Dominus, quoniam nil ſine ejus juſſu & approbatione fuerant aggreſſi, ut etiam teſtantur: Nos vero quid ſumus, aut quid egimus?

Quod ad Baptiſmi Sacramentum, me arguit Cathalanus, acſi docerem nil referre an baptizentur infantes nec ne: affirmat item me velle ut hanc teſſeram parentes infantum negligant. Itane vero tam acriter profligaſſem Anabaptiſtas? Præterea, norunt omnes, hunc noſtræ Eccleſiæ morem eſſe, ut ſi infans parentum ſocordia, non baptizatus moriatur; illi vocantur, & culpæ pœnas luunt. Sed hæc flocci fecit ganeo: tantum curavit ut chartas maculans, typographi impenſis ingluviei ſuæ conſuleret. Fateor quidem, infantulum quem Dominus ad ſe vocavit priuſquam aqua tingatur, non ideo morti æternæ ſubjici. Rationem addo, non qualem hic potator ſomniat, ſed quod ſatis ſit efficax Dei promiſſio ad infantes ſervandos. Baptizantur enim, quoniam ab utero matris Deo pertinent, à quo adoptati, in ejus familiam recepti, & promiſſionum ſalutis participes facti ſunt. Hujus gratiæ Baptiſmus eſt ſigillum, nec tamen aquæ ita gratiam ſuam alligavit Deus ut veritate ſua non præſterquæ pollicitus eſt, & Baptiſmi externi omiſſionem compenſet. Ait noſter hiſtrio neminem poſſe ingredi regnum cælorum, niſi aqua & Spiritu regenitum. Quaſi vero aquæ nomine nil aliud intelligatur. Et certe, de Baptiſmo hic non diſſeritur, ut neque de Cœna cap. 6. ejuſdem Euangelii. Sed μετωνυμικῶς aquæ nomen tribuitur Spiritui ſancto, qui paulo poſt exprimitur. Alibi, quum dicitur, Qui credet & baptizatus fuerit, ſervabitur, non videt beſtia, de iis ſermonem haberi qui maturam ætatem attigerunt. nec in oppoſito membro dicitur, Qui non baptizatus fuerit, damnabitur, ſed tantum, qui non crediderit. En bonus rhetor. Tranſeo, quod tam dextre extra oleas vagatur, ut quid velit neſcias: garrit enim intolerandum blaſphemum eſſe, qui affirmem Deum ſuos electos ſecundum electionis decretum renovare quo tempore conſtituit & vult. Mendax foret Deus, inquit, qui pollicitus eſt ſuos ſe non relicturum orphanos. Quid ſibi velit, conjicite. Etſi enim Matthias & Paulus vocati ad Euangelii fidem orphani non manſerunt, ſequiturne eos tanquam oves non erraſſe? nam Paulus fuit lupus rapax ante converſionem. Hæc paucis perſtringo, quo videat lector impuri iſtius convitia ut aſini ruditum negligi debere. Pergit in ſua impudentia, mihi imponens quod doceam hominem regeneratum non poſſe peccare. At mei libri tam putidum mendacium millies refellunt; nec non idem argumentum prolixe & ex profeſſo tractatum adverſus Libertinos. Trecenti ſane in meis ſcriptis loci occurrunt, in quibus hunc errorem plane repudio, & ita detego, ut Papiſtæ convicti maneant me huic diſputationi lucem attuliſſe. Tamen ignobilis belluo, & crapula diſtentus, nubes eſſe veſicas lectori ſe perſuadere poſſe putat. Eſurivit, credo, cogitationes, pro more temulentorum: nec unquam legit quid de hoc negotio ſcripſi.

Eadem ingenii felicitate ultimum articulum probat, quum ait me Sacramenti Euchariſtiæ profeſſum eſſe hoſtem. Primum autem concedit me invitum fateri Deum extra Sacramenta ſua non eſſe. Quæſo, quid ſibi vult ineptus iſte? Exprobrat deinde me Euchariſtiam ſignum facere ſolummodo. Hic controverſiæ cardo vertitur, & libri mei in quibus ſæpiſſime hanc doctrinam explico, ex adverſo demonſtrant ſigna à Chriſto inſtituta, nunquam veritate;

ſub:

ſubſtantia & efficacia ſua deſtitui. En cur me inconſtantiæ accuſet Cathalanus. Ad Miſſam deinde accedit, quam ut probe tueatur, citat mandatum Chriſti diſcipulis, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum. Scilicet, acſi Cœnæ verbis Miſſa niteretur. Nonne conveniunt ut ignis & aqua? Non quæritur, magiſter Antoni, an Chriſtus in Cœna à ſe inſtituta fidelibus communicet corpus & ſanguinem ſuum, verum, an inſtitui debeat ſacrificium, an homini offerre Deo liceat, non à Deo accipere, ut verba ſonant: an unus edere & bibere quod commune eſt toti Eccleſiæ, debuit: an conſecratio ſit incantatio quæ flatu & murmure panis naturam mutet: an in redemptionem animarum hæc ceremonia celebranda ſit: an uſus defunctos ipſos pertingat: & cætera ejuſmodi errorum monſtra. Porro non tam acute iſta perpendit hic mendicus: interim, ut cauſa cadam tam impudenter laceſſitus, affirmat me non credere Chriſtum factum eſſe hominem: acſi me incredulum digito oſtenderet. At, Dei beneficio, norunt omnes qua animi ſubmiſſione ſacras Literas evolvo. Deinde ut cæcorum oculos perſtringat, in hanc vocem erumpit: Quis nunc fidem Joannis Calvini amplectetur? quandoquidem Miſſam idolum appellat. Et tamen fateor Chriſtum Euchariſtiæ adeſſe. Nulla certe apparet diſcrepantia, ſi Chriſti virtutem ſuo inſtituto adeſſe, & quæ ex oppoſito obtruſa ſunt hominibus, meras eſſe Satanæ præſtigias, affirmem. Quid eſt Euchariſtia? Sacramentum à Dei Filio conſtitutum, in quo re ipſa præſtat, quod figura promittit. Miſſa autem? Cento blaſphemiarum, cum Dei promiſſionibus non plus ſocietatis habens, quam magorum incantamenta. Vident lectores, quam bonus dialecticus ſit ganeo iſte & clauſtri mediaſtinus. Tandem ut ſuperius dicta tanquam condimento muniat, lepide ait, me immerito miſſatica ornamenta profanare: quum Legales Sacerdotes & Levitæ ſacris veſtimentis uſi ſint. Acſi templi velum non fuiſſet ſciſſum, ut omnia hæc abrogata eſſe intelligeremus. Addit mulieres errorem meum ſatis convincere, quæ diebus feſtis pretioſas veſtes non contaminant. Neſciebam certe Miſſæ ſanctimoniam fundatam eſſe ſuper veſtes, faſcias, brachialia & mundum mulierum. Vicerit Cathalanus. Sed illud addam: Quando huc accedit circumforaneus nebulo, non ita ornatus incedebat. Nil habuit ſcortum aut ille quod Miſſam decoraſſet: omnia enim ſecum portabant, ut hebdomadis abjectiorem diem Cathalani galerus peniculatus fœdaret.

Piis lectoribus breve hoc ſcriptum obtuli, ut pudorem incuterem Papiſtis qui talibus clypeis armantur. Quod ſi perrexerit mendicus iſte, impudentia & futili mendacio me adoriri, & illum & ſimiles beſtias, non ita tamen in ſalſas, ſecure ſpernam. Non meum eſt enim canum omnium latratus compeſcere.

SECUN-

SECUNDÆ PARTIS TRACTATUUM VARIORUM JOANNIS CALVINI,

CLASSIS SECUNDA.

Adverſus Anabaptiſtas & Libertinos.

PSYCHOPANNYCHIA,

Qua refellitur quorundam imperitorum error, qui animas poſt mortem uſque ad ultimum judicium dormire putant:

Simulque docetur quæ ſit conditio & vita animarum poſt hanc vitam.

PRÆFATIO JOANNIS CALVINI AD AMICUM QUENDAM.

QUum mecum pridem nonnulli pii viri agerent, & ſubinde etiam inſtarent ut publice aliquid ederem, ad eorum intemperiem compeſcendam, qui de animarum vel dormitione, vel interitu, imperite ſimul ac tumultuoſe hodie diſputant: nullis tamen hactenus nec precibus, nec flagitationibus ceſſeram. adeo mihi ab omni contentionis genere abhorrebat animus. Et erat tum ſane quod excuſarem: partim, quia ſperabam fore ut ineptum iſtud dogma ſtatim, nullo ſubſcriptore, evaneſceret: aut certe inter pauculos nugatores deliteſceret: partim, quod mihi minime expeditum erat cum iis manum conſerere, qui ſtarent ab adverſis partibus: quorum nec caſtra, nec tela, nec ſubterfugia noveram. Nondum enim quicquam ad me perlatum erat, præter murmura & raucos ſtrepitus: ut congredi cum iis qui in arenam nondum prodierant, nihil prorſus aliud videretur, quam aërem clauſis oculis verberare. At de ſucceſſu longe aliter accidit quam ſperaveram. Siquidem blaterones illi tanta ſtrenuitate in partes ſuas incubuerunt, ut aliquot jam hominum millia in eandem ſecum inſaniam traxerint. Et ipſum etiam malum (ut video) incruduit. quidam enim principio confuſe garriebant, mortuorum animas dormire: neque definiebant quid per ſomnum vellent intelligi. Emerſerunt poſtea ψυχοκτόνοι iſti, qui prorſus eas jugulant, ſed ſine vulnere. Illorum quidem errorem non ferendum, horum vero inſaniam graviter coërcendam exiſtimo. utroſque nec ratione nec judicio niti. Verum id aliis perſuadere non ita facile eſt: niſi vanitatem palam, & (quod dicitur) in os refellam: quæ non niſi in eorum ſcriptis deprehenditur. Dicuntur autem ſuas nugas neſcio quibus ſchedulis ventilare, quas mihi needum videre contigit. Tantum ab amico notulas quaſdam accepi: quibus perſcripſerat quæ vel ex ore loquentium excipere illi curſim licuerat, vel undecunque colligere. Altera igitur excuſatio quanquam ex dimidia parte ſublata eſt, ob notulas: ex altera tamen mihi nunc quoque ſupereſt. Verum quum illis ſuſurris, & qua maxime pollent, garrulitate, clanculum ſe inſinuantes, non pauciores ſuo errore illaqueent, quam ſi excuſis libris publice curſitarent: cauſam mihi habere non videor quin veritatis proditor dicar, ſi in tanta neceſſitate taceam ac diſſimulem. Certe quando permagnum operæ meæ uſum imperitioribus & minus exercitatis fore confido, nonnullum etiam & mediocriter eruditis, qui hoc argumentum levius attigerint: non dubitabo apud bonos omnes deponere fidei meæ rationem: non illam quidem fortaſſis ſatis inſtructam omnibus & machinis quibus impetum in hoſtem faciat, & præſidiis, quibus arceat: ſed non penitus exarmatam. Quod ſi per eorum importunitatem licuiſſet, qui hæc ſomnia in vulgus ſpargunt, libens abſtinuiſſem me ab hoc genere certaminis: quod non tantum fructus refert quantum inſumit operæ: quam præſertim hac in parte valere exiſtimarem Apoſtoli exhortationem, ſiquando uſui foret, ut ad ſobrietatem ſapiamus. Et quanquam iſti quam optamus ſobrietatem, nobis non permittunt: modice tamen, aut etiam intra modum diſſeram. Atque utinam inventa eſſet alia ratio, quæ malum hoc plus nimio pullulaſcens mature recideret: ne, velut cancer, magis ac magis in dies ſerpat. Neque tamen nunc primum naſcitur. Siquidem legimus Arabicos fuiſſe quoſdam hujus dogmatis auctores: qui jactarent animam cum corpore una emori, in die judicii utrumque reſurgere. Et aliquanto poſt tempore, Joannem Epiſcopum Romanum, quem ſchola Pariſienſis ad palinodiam adegerit. Verum ſeculis aliquot ſopitum, nuper per aliquot ex Anabaptiſtarum fæce excitatum, ſcintillas emiſit. Hæ vero longe lateque pervagatæ, juſtas faces accenderunt: quæ utinam pluvia illa voluntaria, quam Dominus hæreditati ſuæ ſegregavit, primo quoque die extinguantur. Agam autem citra ullius odium, citra privatam cujuſquam contumeliam, denique citra convitiandi procacitatem, ut jure nullus queri debeat ſe læſum aut leviter etiam offenſum eſſe. Quanquam ſpectare hodie aliquos licet, inſania carpendi, mordendi, ſugillandi libidine æſtuantes, quos ſi ſummo digito attingas, flebiliter deplorant ſcindi unitatem Eccleſiæ,

Euſeb. Eccl. hiſt. l. 6. c. 36. Aug. lib. de Hæreſ. c. 83. in dec. diſt. 16. Joan. 2. de quo Gerſ. in Sermone Paſch. priore.

cleſiæ, violari charitatem. His reſponſum ſit, primum, nullam nos agnoſcere unitatem, niſi in Chriſto: nullam charitatem, niſi cujus ipſe ſit vinculum. Eſſe ergo hoc caput conſervandæ charitatis, ut fides nobis ſancta atque integra maneat. Deinde, nulla charitatis offenſione hanc diſputationem tranſigi poſſe: modo tales aures afferant, qualem ego linguam afferre ſtatui. Tibi autem, ornatiſſime vir, hanc lucubratiunculam nuncupare, cùm multis nominibus viſum eſt: tum hoc præſertim uno, quod inter iſtos vanarum opinionum tumultus, quibus ſpiritus vertiginis Eccleſiæ quietem exagitant, firmum te ac integrum ſumma prudentia ac moderatione conſiſtere perſpicio. Aureliæ, M. D. x x x i v.

LECTORIBUS.

QUum diſputationem hanc relegerem, animadverti, quædam inter differendi contentionem, paulo acrius atque etiam aſperius eſſe dicta: quæ aures quorundam delicatulas rodere fortaſſe poſſent. Et quando ſcio nonnullos bonos viros quibus de hoc ſummo aliquid in animum inſtillatum fuerit, vel nimia credendi facilitate, vel ignorantia Scripturæ, qua ad reſiſtendum, pro tempore, non fuerint ſatis armati, in eorum offenſionem (quoniam non pervicaciter peccant, nec malitioſe) quoad per eos liceat, nolim incurrere. Volui igitur hic commodum eos præmonere, qui tales ſunt, ne quicquam in contumeliam ſuam trahant: ſed quoties aliqua dicendi libertate evehor: ſciant me agere cum nequiſſimo illo Anabaptiſtarum grege (è quorum ſcatebris hæc primum, ut dixi, aqua profluxit) qui nec ſic quidem pro meritis ſuis tractantur. Cum quibus ſic pugnam inſtitui, ut ſi in poſterum obluctentur, ſenſuri ſint, ſi non valde peritum, certe conſtantem veritatis defenſorem, &, ut mihi audeo de gratia Dei promittere, invictum. Quanquam nec contra eos, niſi modice, bilem effudi: ut qui ab omni procacitate & loquendi petulantia perpetuò abſtinuerim: ſicque fere ubique ſtylum temperaverim, ut docendo eſſet aptior, quam cogendo: trahere tamen poſſet eos qui duci nolint. Omnes certe in viam reducere magis quam inceſſere, animus fuit. Lectores autem, ſiqui futuri ſunt, hortor & obteſtor per nomen Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut integrum judicium ad legendum adferant, & animum, quaſi paratam veritati ſedem. Scio quantum gratiæ habeat novitas ad demulcendas quorundam aures. Sed debemus cogitare, unam eſſe vocem vitæ: quæ eſt ex ore Domini. Huic uni parere debere aures noſtras, quum de doctrina ſalutis agitur: cæteris omnibus clauſas eſſe. illius, inquam, verbum non novum eſt: ſed quod fuit à principio, eſt, & ſemper erit. Et quam errant, qui verbum Dei, perverſo uſu & ignavia deſitum, quum in lucem redit, novitatis nomine infamant: tam peccant in alteram partem qui velut arundines, quovis vento impelluntur: imo ad quamlibet levem auram nutant & inflectuntur. An hoc eſt Chriſtum diſcere, quibuſvis doctrinis, etiam veris, ſine verbo Dei aurem accommodare? Si accipis ut ab homine: nonne & mendacia eadem facilitate hauries? Quid enim homo ſuum habet, niſi vanitatem? At non ſic illi, qui quum recepiſſent verbum, ſcrutabantur Scripturas, an hæc ita ſe haberent. Præclarum exemplum ſi quidem imitaremur, verum nos neſcio qua deſidia, ſeu potius contemptu, verbum Dei recipimus, ut quum tres ſyllabas didicerimus, ſtatim opinione ſapientiæ turgeamus, & tantum non crepemus nobis divites ac reges. Hinc tam multos videas, qui in omnium ſeculorum ignorantiam tragice vociferantur, non minus ipſi indocti: ſed quid facias? Chriſtiani videri volunt, & dicuntur: quia aliquot capita locorum communium delibarunt. & quum neſcire aliquid pudeat, de omnibus confidentiſſime, quaſi ex tripode, reſpondent. Hinc rurſum tot ſchiſmata, tot errores, tot fidei noſtræ ſcandala. qua occaſione nomen ac verbum Dei blaſphematur inter impios. Tandem (quod eſt caput mali) dum obſtinate tueri pergunt quod ſemel temere effutiverunt: tum oracula Dei conſulunt, ex quibus errorum ſuorum patrocinia quærant. Ibi, Deus bone, quid non invertunt? quid non depravant atque corrumpunt? ut ad ſenſum ſuum, non dico inflectant, ſed vi incurvent. Scilicet vere dixit Poëta, Furor arma miniſtrat. Hæccine eſt diſcendi via? verſare ac volutare Scripturas, ut libidini noſtræ ſerviant? ut ſenſui noſtro ſubjiciantur? quo nihil eſt ſtolidius. O ſonticam peſtem, & certiſſima zizania inimici hominis: quibus vult obcæcare verum ſemen. Et adhuc miramur unde tot ſectæ inter eos qui primùm nomen Euangelio dederant, ac renaſcenti verbo? Equidem terret me dira illa denunciatio, Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum ejus. finem hic conquerendi faciam. Nam longum volumen conſcribendum eſſet, ſi in hac temporum perverſitate ad juſtum modum declamare libeat. Nos vero, fratres, tot exemplis moniti, vel ſero tandem ſapiamus. Pendeamus ſemper ex ore Domini: & nequid ad ejus ſapientiam addamus aut admiſceamus de noſtro, ne velut fermentum, totam maſſam corrumpat: & ſalem etiam ipſum, qui in nobis eſt, infatuet. Præſtemus nos Domino quales vult habere diſcipulos: pauperes, ſapientiæ noſtræ inanes & vacuos: diſcendi avidos, ſed nihil ſcientes, aut etiam ſcire volentes, niſi quod ille docuerit: quicquid eſt exoticum, non ſecus ac præſentiſſimum venenum, fugientes. Volo autem & iis occurrere, qui conſilium meum reprehendent: quod de re nihili concitem ingentes pugnas, atque iſtæc leptologemata cruentis diſſidiis decidam. non enim deſunt qui ſic me accipiant. His reſponſum ſit: quum ex profeſſo tentatur Dei veritas: nullo modo ferendum eſſe, ne tantillum quidem ex ea delibari. Nec rem eſſe nihili aut contemnendam, videre tenebris diaboli extingui Dei lucem. Deinde, majoris momenti eſſe hanc cauſam, quam à multis credatur. Neque tamen (ut falſo interpretantur) ad cruorem uſque diſſidet, qui aliorum erroribus non acquieſcit. Reprehendi eorum curioſitatem, qui has quæſtiones, revera nihil aliud quam ingenii tormenta, exagitarent. Poſtquam autem moverunt hanc camarinam, reprimenda eſt eorum temeritas, ne ſupra veritatem invaleſcat. Id an effecerim, neſcio, volui certe: & quod optimum habui, dedi. Alii, ſiquid melius habeant, in commune bonum conferant. Baſileæ, M. D. x x x v i.

PSYCHOPANNYCHIA,

Qua refellitur quorundam imperitorum error, qui animas poſt mortem uſque ad ultimum judicium dormire putant:

Simulque docetur quæ ſit conditio & vita animarum poſt hanc vitam.

IN hac diſputatione expolienda, ut non multum à me ſtudii ponetur, ita dabitur opera, quo ſenſum meum quam ſimpliciſſima perſpicuitate, explicatum habeant lectores. Et ſane quacunque de re inſtituatur diſputatio, cùm ubique plurimum refert, rem ipſam quæ agitatur, & ſcriptori probe perſpectam eſſe, & lectori perſpicue definitam: ne aut ille ſuos fines tranſiliat, ac longius oratione evagetur: aut hic in ipſo diſputationis campo, ſine certa via aberret: tum id vero præſertim in omni controverſia diligenter obſervandum: quando hic non docendi ſolum habenda cura, ſed cum adverſario negotium eſt, qui certe (ut fere ſunt hominum ingenia) nec vinci ſe unquam patietur, niſi invitus: nec victum ſe fatebitur, quamdiu cavillando, reſtitando, tergiverſando, ludere ac delicias facere poterit. Hæc autem optima premendi, ſtringendique adverſarii, ne qua elabatur, ratio eſt: ſi controverſiæ caput ita deſignate dilucideque explices, ac in medium proponas, ut, quaſi in rem præſentem, manu conſertum vocare poſſis. De hominis ergo anima nobis certamen eſt, quam alii fatentur quidem eſſe aliquid: ſed à morte, ad judicii uſque diem, quo è ſomno ſuo expergefiet, ſine memoria, ſine intelligentia, ſine ſenſu dormire putant. Alii nihil minus quam ſubſtantiam eſſe concedunt: ſed vim duntaxat vitæ eſſe aiunt, quæ ex ſpiritu arteriæ, aut pulmonum agitatione ducitur: & quia ſine corpore ſubjecto ſubſiſtere nequit, ideo una cum corpore interire & evaneſcere fingunt, donec totus homo ſuſcitetur. Nos vero & ſubſtantiam eſſe ipſam contendimus, & vere poſt corporis interitum vivere, ſenſu videlicet & intelligentia præditam: ac utrumque evidentibus Scripturæ teſtimoniis nos probaturos recipimus. Valeat hic quicquid eſt humanæ prudentiæ: quæ multa quidem de anima cogitat, nihil tamen certum percipit. Valeant philoſophi: quibus, quum in omnibus pene rebus ſolenne ſit, nec finem, nec modum facere diſſenſionibus, hic ita inter ſe rixantur, ut vix duos teſtes habiturus ſis, in quacunque tandem opinione acquieſcas. De animæ facultatibus præclare aliquot locis Plato: argutiſſime autem omnium Ariſtoteles diſſeruit. Verum quid ſit anima, & unde ſit, fruſtra ab iis & univerſa omnino ſapientum natione quæras, quanquam multò certe & prudentius & ſincerius ſenſerunt, quam iſti noſtri, qui ſe Chriſti diſcipulos eſſe gloriantur. Prius tamen quam longius progrediamur, anſa logomachiæ præcidenda: quam arripere ex eo poſſent, quod nunc ſpiritum & animam promiſcue vocabimus id, de quo nunc nobis controverſia eſt: interdum, ut diverſa, diſtincte enunciabimus. Nam hic eſt uſus Scripturæ, dare his verbis varias acceptiones: quarum plerique dum nullam habent rationem, ut quæque prima ſibi occurrit, eam mordicus tenent, & pervicaciter defendunt. Aliquoties legerunt animam pro vita: id perpetuum putant, & acerbe con-
Pſal. 49. firmant. At ſi quis contra objiciat verſum Davidis:
verſ. 19. Anima eorum in vita benedicetur: interpretabun-
2 Sam. 11. tur vitam in vita benedici? Similiter ſi locus ille ex
verſ. 11. Samuele proferatur: Per vitam tuam, & per vitam
Pſal. 119. animæ tuæ: an iſtis verbis nihil ſignificari dicent?
verſ. 109. Nos itaque ſcimus, animam ſæpiſſime pro vita poni,
Job. 13. ut in iſtis locis, Anima mea in manibus meis. Item,
verſ. 14
Mat. 6. Quare lacero carnes meas dentibus meis, & animam
verſ. 25. meam porto in manibus meis? Item, Nonne anima
pluris eſt quam eſca? Item, Stulte, anima tua hac Luc. 12.
nocte repetetur abs te. Et ſimilibus, quos iſti ani- verſ. 20.
micidæ ſemper in ore habent. Non tamen eſt, quod
ſibi inde tantopere placeant: ſiquidem animadver-
tere debebant, illic metonymice animæ nomen, pro
vita uſurpari: quod anima, cauſa ſit vitæ, quodque
vita conſtet anima: quam figuram inter elementa
pueri quoque perdiſcunt. Quis vero non miretur
tantam hominum confidentiam, qui & ſibi de ſe ma-
gnum aliquid perſuadeant, atque aliis etiam videri
velint qui tamen docendi ſunt tropos & loquendi
ſchemata? Scimus & pro voluntate ſeu deſiderio ac-
cipi, non abſimili ratione: nempe, quia voluntatis
& deſiderii ſedes eſt. Quo ſenſu dicta eſt anima Jona- 1 Sam. 18.
thæ, conglutinata animæ Davidis: & anima Sichem verſ. 1.
adhæſiſſe cum Dina, filia Jacob: & Lucas dicit, mul- Geneſ. 34. verſ. 3.
titudinis credentium fuiſſe cor unum, & animam Actor. 4.
unam. Quis vero non videat iſtis Hebraiſmis mul- verſ. 32.
tam vim ineſſe? Benedic anima mea Domino. Ma- Pſal. 103.
gnificat anima mea Dominum. Dic animæ meæ, Sa- verſ. 1.
lus tua ego ſum: pluſque neſcio quid exprimi, quam Pſal. 104.
ſi dictum eſſet, ſine adjecto, Benedic Dominum, verſ. 1. Luca 1.
Magnifico Dominum, Dic mihi, Salus tua ego ſum. verſ. 46.
Aliquando ſimpliciter pro homine animato. Ut,
quum dicuntur ſexaginta ſex animæ deſcendiſſe cum Exod. 1.
Jacob in Ægyptum. Item, Anima quæ peccaverit, verſ. 5.
ipſa morietur. Anima quæ declinaverit ad magos Eze. 28.
& ariolos, morte morietur, &c. Nonnunquam & verſ. 4.
flatum vocari, quo ſpirant ac reſpirant homines: in Lev. 20.
quo vitalis corporis motus reſidet. Quomodo hos verſ. 6.
locos accipio: Anxietas apprehendit me, etiamſi tota 2 Sam. 12
anima mea adhuc in me eſt. & Anima ejus in ipſo eſt. verſ. 9.
&, Revertatur anima pueri intra viſcera ejus. Quin & Actor. 20.
eadem loquendi forma, qua vulgo dicimus animam verſ. 10.
efflari & expirari, Scriptura animam egredi dicit. 1 Reg. 17. verſ. 21.
Ut de Rachel: *Egrediente autem anima* (nam ipſa Geneſ. 35.
moriebatur) vocavit nomen pueri, Ben-oni. Scimus, verſ. 18.
ſpiritum eſſe flatum ac ventum, & hac ratione vo-
cari à Græcis frequentius πνεῦμα. Scimus, pro re vana
& nihili uſurpari apud Jeſaiam: Concepimus & Jeſa. 26.
parturivimus, & peperimus ſpiritum: ſæpiſſime verſ. 18.
vero, quod ex Spiritu Dei regeneratum eſt in no-
bis. Nam quum Paulus ſcribit, ſpiritum concupi- Galat. 5.
ſcere adverſus carnem: non intelligit, animam pu- verſ. 17.
gnare cum carne, aut rationem cum cupidine: ſed
animam ipſam, quatenus à Spiritu Dei regitur, ſe-
cum luctari, quatenus adhuc Spiritu Dei vacua eſt,
ſuiſque cupiditatibus addicta. Scimus, dum ſimul
junguntur, per Animam, voluntatem deſignari:
per Spiritum vero, intellectum. Sic loquitur Je- Jeſa. 26.
ſaias, Anima mea deſideravit ad te in nocte: ſed & verſ. 9.
in ſpiritu meo intra me vigilabo ad te. Et Paulus,
quum precatur ut Theſſalonicenſes integro ſint 1 Theſſ. 5.
ſpiritu, & anima & corpore, ita ut in nullo poſ- verſ. 23.
ſint culpari in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti:
hoc enim vult, ut recta omnia cogitent & velint,
nec membra ſua exhibeant arma iniquitatis pec-
cato. Eodem pertinet, quod ſcribit alibi Apo- Hebr. 4.
ſtolus: ſermonem Dei vivum eſſe, & penetran- verſ. 12.
tiorem omni gladio ancipiti, pertingentem uſque
ad diviſionem animæ & ſpiritus, compagumque,
& medullarum, diſcretorem cogitationum cor-
dis. Quanquam in hoc poſtremo loco, nonnulli
per Spiritum, malunt intelligere eſſentiam illam,
cui ineſt ratio ac voluntas, de qua nunc diſce-
ptamus: per Animam autem, vitalem motum,

& ſenſus quos philoſophi ſuperiores & inferiores
vocant, id eſt, ὁρμαὶ καὶ αἰσθήσεις. Verum quum utrum-
que plurimis locis eſſentiam immortalem, quæ in
homine vitæ cauſa eſt, ſignificet, non rixandi cau-
ſas captent ex nominibus, ſed rem ipſam percipiant,
quocunque ſignificetur nomine. Id vero quam verum
ſit, nunc doceamus.

Incipiemus autem ab ipſa hominis creatione, in
qua perſpiciemus, qualis ab initio factus fuerit. Sa-
Geneſ. 1. verſ. 26. cra hiſtoria nobis, ante creatum hominem, com-
memorat Dei conſilium de faciendo ipſo ad imagi-
nem & ſimilitudinem ſuam. Quæ verba de corpore
Ambroſ. lib. 6. hex. Auguſtin. cap. 4. de trin. & alibi. nullo modo accipi poſſunt. In quo, tametſi mirabile
opus Dei, præ cæteris corporibus creatis, appa-
ret, nulla tamen ejus imago effulget. Quis enim
hæc loquitur? Faciamus hominem ad imaginem &
ſimilitudinem noſtram: nempe, Deus, qui ſpiri-
tus eſt, qui nulla corporis effigie repræſentari
poteſt. Atqui, ut imago corporea, quæ faciem
externam nobis refert, debet ad vivum exprimere
omnia lineamenta & omnes ductus, ut ex pictura
vel ſculptura concipiamus, quæcunque in exem-
plari conſpici poſſunt: ita hæc imago Dei debet,
ſua ſimilitudine, aliquam Dei cognitionem in ani-
mis noſtris informare. Audio quoſdam eorum ſic
nugari, ut dicant imaginem Dei referri ad impe-
rium quod traditum eſt homini in belluas: quod
homo ea in parte ſimile aliquid cum Deo habeat:
cujus imperium eſt in omnia. In quem lapſum
Chryſoſtomus quoque incidit, dum nimia conten-
tione provehitur contra inſanos anthropomorphi-
tas. Sed Scriptura non patitur ſic ſe eludi. Nam
Moſes, ne quis in hominis carne hanc imaginem
conſtitueret, prius è limo terræ corpus formatum
narrat, ſed nullam imaginem Dei referens. Dein-
de ait inditum luteo corpori vitæ ſpiraculum: ut
tum demum eluceret in homine Dei imago, quum
omnibus ſuis partibus conſtaret. Quid igitur? di-
xerit aliquis, an ſpiraculum illud vitæ, imaginem
Hilar. in Pſal. 63. Aug. lib. de ſpiritu & anim. cap. 39. Baſil. hex. Homil. 8. eſſe Dei putas? Non ſane. Quanquam id cum mul-
tis, nec fortaſſe improbe dicere poteram. Quid
enim, ſi contendam verbo Dei conſtitutum diſcri-
men, quo iſtud vitæ ſpiraculum, à belluarum ani-
mis diſtinguatur? Unde enim habent ortum alio-
rum animalium animæ? Producat (inquit Deus)
terra animam viventem, & cætera. Ita in terram
reſolvantur, quæ de terra emerſerunt. Anima vero
hominis non de terra eſt, ſed ex ore Domini: hoc
eſt, ex virtute ſecreta. Sed hic, inquam, non hæ-
reo: ne pugnam mihi faciant: ſed unum tantum
obtinere volo: Imaginem ipſam eſſe extra carnem:
alioqui, non admodum præclarum foret elogium
hominis, quod ad imaginem Dei factus ſit: quod
tamen nobis tantopere Scripturis commendatur,
ac ſubinde repetitur. Quid enim opus erat, Deum
deliberantem inducere, & quaſi in conſilium mit-
tere, ſi vulgare aliquid facturus erat? Nam reliqua
omnia ut eſſent, dixit, & facta ſunt. Quum ad
hanc imaginem ventum eſt, velut ſingulare ſpeci-
men editurus, ſapientiam ſuam & virtutem advo-
cat, & ſecum cogitat, antequam manum admo-
veat operi. Hos ergo loquendi tropos, qui ἀνθρωπο-
παθῶς, ad balbutiei noſtræ modulos, Dominum
ἀνθρωπόμορφον nobis figurant, an de nihilo tam anxie
Moſes affectavit? ac non potius imaginem Dei,
quæ in homine relucet, magnifice commendavit?
nec ſemel dixiſſe contentus, ſæpius repetit. Quic-
quid nugentur vel philoſophi, vel iſti ſomniatores,
habemus nihil eſſe quod imaginem Dei ferat, niſi
ſpiritum, ut Deus ſpiritus eſt. Hic non eſt agen-
dum conjecturis, ut inquiramus, quæ ſit hujus ima-
ginis ſimilitudo ad ſuum archetypum: quando id
Coloſſ. 3. verſ. 10. facile ex Apoſtolo diſcere licet: qui dum præcipit
ut induamus novum hominem, qui renovatur in
agnitione, ſecundum imaginem ejus qui creavit
illum, liquido oſtendit, quæ ſit hæc imago, aut in
quo conſiſtat. Et alibi dum ſcribit: Induite novum *Epheſ. 4.*
hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt, in *verſ. 24.*
juſtitia & ſanctitate veritatis. Quæ omnia quum
uno verbo comprehendere volumus, dicimus ho-
minem, ſecundum ſpiritum, factum eſſe participem
ſapientiæ, juſtitiæ & bonitatis Dei. Hoc ſequuti
ſunt duo ſacri ſcriptores: quorum alter, quum ho- *Eccleſ. 17.*
minem diſtribuat in duas partes, corpus de terra *verſ. 1.*
ſumptum, & animam, ad quam refert Dei imagi- *Sapient. 2.*
nem, breviter complexus eſt quod Moſes longius *verſ. 23.*
proſequutus fuerat. Creavit, inquit, Deus homi-
nem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum. Al-
tera vero, quum exegetice vellet deſignare, quo per-
tineret Dei imago, vocavit hominem inextermi-
nabilem, qui creatus eſſet ad imaginem Dei. Quo-
rum ſcriptorum auctoritate adverſarios noſtros non
valde premerem, niſi eos ipſos nobis opponerent.
Qui tamen utcunque, aliquo loco nobis eſſe de-
bent: ſi non ut canonici, certe ut veteres, ut
pii, ut multorum ſuffragiis recepti. Verum eos
omittamus, illam imaginem Dei in homine reti-
neamus, quæ, niſi in ſpiritu, ſedem habere non
poteſt.

Sed jam, quæ apertius de anima Scriptura loqui-
tur, audiamus. Quum de animarum ſalute Petrus *1 Pet. 1.*
loquitur, & quum carnalia deſideria militare ad- *v. 9, 22.*
verſus animam dicit: & quum caſtificare animas *& 2.*
noſtras præcipit, & Chriſtum vocat Epiſcopum *v. 11, 25.*
animarum noſtrarum, quid ſibi vellet, niſi animæ
eſſent, quæ ſalvarentur, quæ oppugnarentur à
pravis deſideriis, quæ caſtificarentur, quæ ab Epi-
ſcopo ſuo Chriſto regerentur? Et in hiſtoria Job *Job. 4.*
legimus: Quanto magis qui habitant domos luteas, *verſ. 19.*
& terrenum habent fundamentum? Quod ſane de
anima, ſi propius animadvertas, dici intelliges,
quæ in corpore luteo habitat. Non enim hominem
vas luteum appellavit: ſed dicit vas luteum inco-
lere: quaſi bona pars hominis (quæ eſt anima) do-
micilio illo terreno contineatur. Sic Petrus: Ju- *2 Pet. 1.*
ſtum, inquit, arbitror, quamdiu ſum in hoc taber- *verſ. 13.*
naculo, excitare vos per commonitionem: quum
ſciam brevi futurum, ut deponam hoc meum taber-
naculum. Qua loquendi forma, niſi valde ſtupidi
ſumus, poſſumus intelligere & aliquid eſſe in taber-
naculo, & aliquid quod exuatur tabernaculo: vel
(ut ait ipſe) tabernaculum deponat. Eandem diſtin-
ctionem carnis à ſpiritu manifeſtam ſtatuit auctor
Epiſtolæ ad Hebræos: quum parentes carnis noſtræ, *Hebr. 12.*
à quibus geniti ſumus, nominat: unum autem *verſ. 9.*
Deum, Patrem ſpirituum. Et paulo poſt, quum
Regem cæleſtis Jeruſalem Deum nominaſſet, ſubji-
cit cives, Angelos, & ſpiritus juſtorum perfecto-
rum. Nec video quomodo aliter intelligi poſſit
illud Pauli: Has igitur habentes promiſſiones, mun- *2 Cor. 7.*
demus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus. *verſ. 1.*
Nam ſatis conſtat, illic non eſſe collationem, qua
alibi uti ſolet: quum ſpiritui inquinamentum tri-
buat, quo nomine aliis locis ſignificat meram puri-
tatem. Addam & locum alterum: quanquam video
eos, qui calumniari volent, protinus ad ſuas gloſſas
delapſuros. Dum enim ait: Quis eſt hominum, *1 Cor. 2.*
qui ſciat quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis *verſ. 11.*
qui in ipſo eſt? Ita, & quæ ſunt Dei nemo cogno-
vit, niſi Spiritus Dei. poterat dicere hominem ſcire
quæ ſua ſunt: ſed partem illam verbo appellavit,
in qua reſidet vis cogitandi & intelligendi. Atque
etiam, quum dicit, Spiritum Dei teſtimonium red- *Rom. 8.*
dere ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus, nonne *verſ. 16.*
eadem loquendi proprietate uſus eſt? Quid, quod
uno verbo convincere eos potuit? ſcimus enim,
quam ſæpe Chriſti voce damnatus ſit error Saddu-
cæorum, cujus partem eſſe Lucas in Actis ſcripſit, *Act. 23.*
quod ſpiritum non eſſe dicerent. Verba ſunt: Sad- *verſ. 8.*
ducæi autem dicunt, non eſſe reſurrectionem, ne-
que

que Angelum, neque ſpiritum: Phariſæi vero hæc omnia confitentur. Vereor ne de Spiritu ſancto cavillentur hæc intelligi, aut de Angelis. Cui objecto facile eſt occurrere. Nam & Angelos ſeorſum poſuit: & certum eſt Phariſæis illis nullam fere fuiſſe Spiritus ſancti notitiam. Atque etiam id melius aſſequentur, qui Græce norunt: Lucas enim ſine adjectione articuli dixit πνεῦμα, adjecturus indubie, ſi de Spiritu ſancto loquutus eſſet. Hoc ſi non illis os obſtruit, non video qua ratione vel trahi, vel duci poſſint: niſi forte dicant, neque damnatam fuiſſe ex eo Sadducæorum opinionem, quod ſpiritum negarent: neque probatam Phariſæorum, quod aſſererent. Cui cavillo ipſa Euangeliſtæ verba obviant. Ubi enim Pauli confeſſionem poſuit, Phariſæum ſe eſſe: ſubdit eam Phariſæorum ſententiam. Aut igitur oportet callidam & malitioſam fuiſſe Pauli ſimulationem: (quod recipi non debet in confeſſione fidei) aut cum Phariſæis de ſpiritu ſenſiſſe.

Eccleſiaſt. hiſt. co. 4. cap. 13. Quod ſi nobis fidem faciunt hiſtoriæ, hoc perinde inter Apoſtolos certum erat ac conſtitutum, atque mortuorum reſurrectio, aut aliquod ſimile fidei noſtræ caput. Non pigebit huc adſcribere verba *Ejuſd. cap. 19.* Polycarpi, viri, omnibus & dictis & factis, ſpirantis martyrium: qui & diſcipulus Apoſtolorum fuit, & ita ſincere quod ab illis acceperat, poſteris tradidit, ut nihil unquam immiſceri fermenti paſſus fuerit. Is igitur inter multas præclaras voces, quas flammæ admotus edidit, eo die repræſentandum ſe dixit coram Deo in ſpiritu. *Ejuſd. cap. 24.* Quo eodem tempore Melito Epiſcopus Sardenſis, vir paris ſinceritatis, librum ſcripſit de corpore & anima: qui ſi hodie extaret, ſuperfluus eſſet hic labor. Adeo autem hæc ſententia meliore illo ſeculo valuit, ut Tertullianus reponat eam inter com- *Lib. de reſurrect. carnis.* munes & primas animi conceptiones, quæ natura communiter apprehenduntur. Tametſi jam multis rationibus pugnatum eſt, quæ evincere, niſi fallor, debuerunt quod contendebant: nempe, animam aut ſpiritum hominis, ſubſtantiam eſſe à corpore diſtinctam: quæ tamen nunc ſubjicientur, certiorem adhuc ejus rei fidem facient. Venio enim ad id, quod ſecundo loco à me propoſitum erat: Eam ipſam animam, ab interitu corporis ſuperſtitem manere, ſenſu ac intelligentia præditam. Fallitur autem qui exiſtimat me hic aliud quidpiam affirmare, quam animæ immortalitatem. Siquidem qui animam vivere fatentur, illamque ſimul omni ſenſu ſpoliant, prorſus animam fingunt, quæ nihil animæ habeat: aut animam ipſam à ſe ipſa avellunt: quum ejus natura, ſine qua conſiſtere ullo modo nequit, ſit, moveri, ſentire, vigere, intel- *Lib de carne Chriſti.* ligere: atque (ut ait Tertullianus) animæ anima, ſenſus ſit. Iſtam ergo immortalitatem ex Scriptura diſcamus.

Mat. 10. verſ. 28. Quum Chriſtus ſuos hortatur, ne timeant eos qui occidunt corpus, animam autem occidere non poſſunt: ſed eum timeant, qui quum occiderit corpus, animam poteſt mittere in gehennam ignis: an non innuit animam ſupereſſe poſt mortem? Benigne vero in eo nobiſcum egit Deus, quod animas noſtras iſtorum arbitrio non permiſit, qui adeo ex facili eas trucidant: aut certe quia non poſſunt, conantur. Tyranni torquent, ſecant, urunt, verberant, ſuſpendunt, ſed corpus: ſolus eſt Deus, qui jus habet in animam, ut eam mittat in gehennam ignis. Aut igitur anima reliqua eſt poſt mortem: aut falſum eſt, tyrannis poteſtatem non eſſe in animam. Hic (ut audio) reſpondent, animam quidem ad præſens occidi, dum mors infligitur: ſed non perire, quia futurum eſt, ut ſuſcitetur. Qua via evadere volunt, concedant oportet neque corpus occidi, quod etiam ſuſcitabitur. Et quia utrumque conſervatur in diem judicii, neutrum perit. Verbum autem Chriſti fatetur corpus occidi, animam eſſe ſalvam teſtatur. Hac dicendi forma, *Joan. 2. verſ. 19.* Chriſtus utitur de ſua ipſius morte, quum ait, Solvite templum hoc, & in triduo ſuſcitabo illud. Dicebat autem de templo corporis ſui: qua ratione animam ab eorum poteſtate eximit, quam etiam moriens in *Luc. 23. verſ. 46.* manus Patris commendat, ut Lucas ſcribit, & David prædixerat. Et Stephanus ejus exemplo, Do- *Pſal. 31. verſ. 6.* mine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Habent hic quod *Act. 7. verſ. 59.* garriant, Chriſtum Patri, & Stephanum Chriſto vitam commendare, in diem reſurrectionis cuſtodiendam. Sed verba aliter ſonant, præſertim illa *Joan. 19. verſ. 30.* Stephani. Et Euangeliſta addit de Chriſto, quod inclinato capite tradidit ſpiritum: quæ verba ad anhelitum, aut pulmonum agitationem reſpicere non poſſunt.

1 Pet. 3. verſ. 19. Nec minus evidenter Apoſtolus Petrus, animas à morte & eſſe, & vivere oſtendit: quum tradit, Chriſtum his, qui in carcere erant, ſpiritibus prædicaſſe: nec ſpiritibus modo piorum, remiſſionem ad ſalutem: ſed impiorum quoque ſpiritibus confuſionem. Sic enim illum locum interpretor, qui multa ingenia torſit: & perſuaſurum me bonis omnibus confido. Nam quum de humilitate crucis Chriſti loquutus eſſet, oſtendiſſetque pios omnes oportere ad ejus imaginem conformari, ne deſperatione conciderent, continuo attexit reſurrectionis mentionem, ut doceat quibus tribulationibus futurus ſit finis. Commemorat enim, Chriſtum non ſuccubuiſſe morti: ſed, ea ſubacta, victorem emerſiſſe. Id ſuis verbis dicit mortificatum quidem carne, vivificatum tamen ſpiritu: eodem ſcilicet ſenſu, quo Paulus ſcribit, paſſum fuiſſe in humilitate carnis, excitatum autem virtute Spiritus. Jam ut virtutem ipſam ad ſe quoque pertinere fideles intelligerent, ſubjungit Chriſtum hanc virtutem erga alios exeruiſſe: neque erga vivos modo, ſed etiam mortuos: deinde non tantum erga ſervos ſuos, ſed incredulos quoque ac gratiæ ſuæ contemptores. Porro intelligamus defectivam eſſe orationem, deeſſeque ex duobus membris alterum: cujus generis multa ſunt in Scripturis exempla, præſertim ubi multæ ſententiæ una clauſula colliguntur, quemadmodum hic factum eſt. Nec vero miretur quiſquam includi carcere ſanctos Patres, qui redemptionem Chriſti expectabant. Quia enim, veluti ſub nube & umbra, eminus lucem proſpiciebant (veluti qui reliquias diei vident ſub ſerum crepuſculum, aut diem venientem ſentiunt, ante auroram) nec adhuc habebant exhibitam ſibi Dei benedictionem, in qua requieſcerent: eorum expectationem, vocavit carcerem. Erit igitur ſenſus Apoſtoli: Chriſtum in ſpiritu, iis qui in carcere erant ſpiritibus prædicaſſe, hoc eſt, virtutem redemptionis per Chriſtum partæ, mortuorum ſpiritibus apparuiſſe, ac exhibitam eſſe. Hic deeſt alterum membrum, quod ad pios pertinebat, qui hunc fructum agnoverunt & perceperunt. Exprimit autem de incredulis qui eundem ipſi hunc nuncium receperunt in confuſionem. Viderunt enim unam eſſe redemptionem: à qua excluſi, quid aliud poſſent quam deſperare? Video iſtos jam fremere, ac mutire, gloſſam hanc eſſe è capite meo effictam: his legibus ſe non ſubjici. Non addicam ergo eos meis legibus, ſed hoc tantum rogabo, annon ſpiritus carcere clauſi, ſpiritus ſint? Clarius eſt quod apud eundem ſcriptorem legitur: In hoc mortuis *1 Pet. 4. verſ. 6.* prædicatum eſſe Euangelium, ut judicentur ſecundum homines carne; vivant autem ſecundum Deum ſpiritu. Videtis, ut carne in mortem tradita, ſpiritum aſſerat in vitam? Quum enim relatio ſit vitæ ac mortis, per antitheſin, alterum mori clarum eſt, alterum vivere.

Eccleſ. 12. verſ. 7. Idipſum ex Solomone diſcimus: qui mortem hominis deſcribens, longo diſcrimine animam à corpore ſeparat. Donec, inquit, revertatur pulvis in terram unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum, qui

dedit illum. Scio eos parum affici hoc argumento: quod dicunt vitam redire ad Deum, qui eſt fons vitæ: itaque nihil amplius eſſe. Sed verba ipſa clamant, ſibi hoc modo vim inferri, ut nullum ſit operæpretium refellere hanc argutiolam, indignam & lectu & auditu. Jam hoc ſignificet illis oportet animas redire ad fontem vitæ ſuæ per ſomnium. Atque huic *4 Eſd. 3. verſ. 2.* ſententiæ reſpondet quod eſt apud Eſdram: quem equidem ſcriptorem eis non opponerem, niſi ipſo valde niterentur. Audiant igitur ſuum Eſdram: Terra reddet quæ in ea dormiunt, & in ſilentio habitant: & promptuaria reddent quæ illis commendatæ ſunt animæ. Nugantur, promptuaria eſſe providentiam Dei: animas vero, cogitationes: ut liber vitæ offerat cogitationes in conſpectum Dei. Quæ in hoc tantum ab eis dici conſtat, quia, quum tacere pudeat, nihil habent melius quod dicant. Quod ſi ad hunc modum liberet Scripturas circumvolvere, pervertere omnia promptum eſſet. Nihil tamen hic (quanquam alia multa ſuppetunt) de meo contra proferam. quando ſe ipſe ſcriptor à calumnia tuetur. *4 Eſd. 4. verſ. 3.* Paulo enim ante dixerat: Nonne de his interrogaverunt animæ iſtorum in promptuariis ſuis, dicentes: Uſquequo Domine ſperamus ſic? quando veniet fructus areæ mercedis noſtræ? &c. Quæ ſunt iſtæ animæ, quæ interrogant & ſperant? Hic cuniculum alium effodere eos oportet, ſi ſubterfugere volunt.

Luc. 16. verſ. 22. Veniamus nunc ad hiſtoriam divitis & Lazari: quorum alter præteritis hujus mortalitatis laboribus & ærumnis, tandem in ſinum Abrahæ delatus eſt: alter in tormenta patitur: hic recipit conſolationem. Magnum chaos interpoſitum inter hujus gaudia, & illius afflictionem. Suntne hæc ſomnia portæ corneæ, de qua Poëtæ fabulantur? Verum, ut habeant effugium, quo elabantur, faciunt ex hiſtoria parabolam: aiuntque fictionem eſſe, quicquid de Abraham, divite, paupere, veritas loquitur. Tantum reverentiæ & Deo, & verbo ejus deferunt. Cedo, proferant unum duntaxat in Scriptura exemplum, ubi in parabola, nomine aliquis vocetur. Quid ſibi hæc verba volunt? Erat quidam mendicus nomine Lazarus. Aut verbum Dei mentiri oportet, aut veram eſſe narrationem. Id etiam animadvertunt veteres Scripturæ interpretes: nam Ambroſius, Narratio eſt, inquit, magis quam parabola, quia nomen additur. Idipſum ſentit Gre- *Tertul. lib. adverſus Marcion. Iren lib 4. contra hæreſ cap 4. Origen. Hom. 5. in Ezech. Cyprian. Epiſt. 3. Hieron in Jeſ c. 49. & 65. Hilar. in Pſal. 3. Cyril in 1. cap. Joan. c. 22. Lib. 8 de Gen. ad lit.* gorius. Certe Tertullianus, Irenæus, Origenes, Cyprianus, Hieronymus, quaſi hiſtoriam referunt. Ex quibus Tertullianus arbitratur in divitis perſona, Herodem ſignari: in Lazaro, Joannem Baptiſtam. Verba autem Irenæi ſunt: Non fabulam narravit nobis Dominus, Lazari & divitis, &c. Et Cyrillus dum reſpondet Arrianis, qui ex eo loco machinam ſtruebant adverſus Chriſti divinitatem, non refellit ut parabolam, ſed ut hiſtoriam interpretatur. Hoc magis ridiculum, quod errori ſuo prætendunt Auguſtini nomen, quem cavillantur in hanc opinionem conſenſiſſe: opinor, quia quodam loco dixerit, In parabola per Lazarum, Chriſtum intelligendum: per divitem, Phariſæos: quum nihil aliud ſignificet quam narrationem transferri ad parabolam, ſi Lazari perſona, Chriſto; divitis, Phariſæis attribuatur. Hic mos eſt eorum, qui in præjudicatam opinionem toto impetu feruntur: quum vident nihil ſibi eſſe ſtabile, quo innitantur, non ſyllabarum decipulas, ſed ipſos literarum apices in ſuum commodum rapiunt. Ne quid tamen adhuc obſtrepant, alibi ipſe ſcriptor profitetur, ſe pro hiſtoria recipere. Eant nunc & vendant ſuos fumos in media luce. Neque tamen effugere poſſunt, quin ſemper in eoſdem incidant laqueos. Ut enim concedamus eſſe parabolam (quod minime obtinere poſſunt) quid aliud evincent, quam eſſe collationem, quæ ſine veritate ſtare non poteſt? Id ſi neſciunt magni iſti theologi, diſcant ex elementis Grammaticorum: & parabolam invenient eſſe ſimilitudinem, ſumptam ex veritate. Sic, quum dicitur, hominem quendam habuiſſe duos filios, quibus diviſit ſuas portiones, oportet eſſe in rerum natura & hominem, & filios, & hæreditatem, & diviſionem portionum. Denique, hæc eſt perpetua lex parabolæ, ut primum concipiamus rem nudam, ut proponitur: deinde, ex ea conceptione deducamur ad finem parabolæ: hoc eſt, ad rem ipſam, cui accommodatur ſimilitudo. Imitentur Chryſoſtomum, hac in re ſuum Achillem. *Hom. 25. in Mat.* Exiſtimavit quidem ille eſſe parabolam, ex qua tamen veritatem ſæpe elicit. *Hom. 57. in eundem.* Ut quum inde probat, mortuorum animas in certis eſſe locis, oſtendit ge- *In Par. ad The. lapſu.* hennæ gravitatem, & deliciarum perniciem. Ne hic mihi multum verborum perdendum ſit, conſu- *Quanquam* lant ſenſum communem, ſi quem habent: & facile aſſequentur vim atque rationem parabolæ.

Et quando ſatisfieri, quantum in nobis eſt, omni- *Hom. 4. in Mat. videtur narrare ut hiſtoriam.* bus volumus: nonnihil diſſeremus hoc loco de animarum quiete, quæ in certa fide promiſſionum Dei, à corporibus ſolvuntur. Siquidem, per ſinum Abrahæ, nihil aliud quam quietem illam Scripturæ nobis deſignare volunt. Primum, nos quietem vocamus, quam illi ſomnum. Neque ſane abhorremus à ſomni nomine, niſi jam eorum mendaciis corruptum, & penè pollutum eſſet. Deinde, per quietem, non deſidiam, aut veternum, aut aliquid ſimile ebrietatis, quale animæ affingunt, intelligimus: ſed conſcientiæ tranquillitatem & ſecuritatem: quæ quum ſemper fidei adjuncta ſit, nunquam tamen perficitur, aut ſuis numeris conſtat, niſi poſt mortem. Audit quidem ex ore Dei benedictiones fidelium Eccleſia, quæ hanc terram adhuc, velut advena incolit: Ambulabit populus *Jeſa. 32.* meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis *verſ. 18.* fiduciæ, & in requie opulenta. Quæ & ipſa rurſum gratias agens occinit benedicenti Domino: *Jeſa. 26.* Domine, dabis nobis pacem. Omnia enim opera *verſ. 3.* noſtra operatus es nobis. Hanc pacem habent accepto Euangelio fideles, quum Deum, quem prius judicem cogitabant, ſibi patrem eſſe vident: ſe pro filiis iræ, filios gratiæ: effuſa in ſe viſcera miſericordiæ Dei: ut jam nihil aliud à Deo expectent, quam bonitatem & manſuetudinem. Verum, quoniam militia eſt, vita hominis ſuper terram, *Job. 7: 1.* neceſſe eſt eos, qui ſentiunt & aculeos peccati, & carnis reliquias, in mundo preſſuram habere, in Deo autem conſolationem: atque ita non plane animo eſſe compoſito & imperturbato. Verum, quum carnem & concupiſcentiam (quæ, ceu hoſtes domeſtici, eorum pacem infeſtant) exuerint: tunc vero demum acquieſcunt, & apud Deum reſident. Sic enim loquitur Propheta: Juſtus perit, & non *Jeſa. 57.* eſt qui recogitet in corde ſuo: & viri miſericor- *verſ. 1.* diæ colliguntur: à facie enim malitiæ collectus eſt juſtus. Veniat pax: requieſcat in cubili ſuo, qui ambulavit in directione ſua. An non eos ad pacem vocat, quibus pax fuerat domeſtica? Sed quia illis pax fuerat apud Deum, pugna cum mundo: eos ducit in altiorem gradum pacis. Ideo Ezechiel *Ezech. 1.* & Joannes, quum vellent deſcribere thronum glo- *verſ. 28.* riæ Dei, circumdant eum iride, quam ſcimus eſſe *Apoc. 4.* ſignum fœderis inter Deum & homines. Quod alio *verſ. 3.* loco clarius idem Joannes docuit: Beati, inquit, *Geneſ. 9. verſ. 13.* mortui, qui in Domino moriuntur. amodo jam, *Apoc 14.* dicit Spiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis, &c. *verſ. 13.* Hic igitur ipſe eſt ſinus Abrahæ. Ipſe enim eſt, qui promiſſam ſibi in ſuo ſemine benedictionem, ita prompto animo complexus eſt, ut nihil dubitaverit, quin verbum Dei, virtus eſſet ac veritas. Et quaſi jam opere Deus impleviſſet quod promiſerat, ſemen illud benedictum, non minus certa fide expectavit, quam ſi manibus contrectaſſet,

ac omni-

ac omnibus animi corporiſque ſenſibus percepiſſet. *Joan 8. verſ. 56.* Itaque teſtimonium reddit illi Dominus noſter, quod viderit diem ſuum, & gaviſus ſit. En pax Abrahæ, en quies, en ſomnus: modo non polluatur fœdo iſtorum dormitantium ore honeſtum nomen. Quid enim ſuavius poteſt habere conſcientia in quo ſecure acquieſcat, hac pace: quæ illi cæleſtis gratiæ theſauros aperit, quæ dulcedine calicis Domini inebriat? Quid, ô dormitabundi, quum auditis ebrietatem, an non vertiginem capitis, gravedinem, craſſum carnalemque ſomnum veſtrum cogitatis? Hæc enim ebrietatem ſequuntur incommoda. Hæc vos quidem, pro veſtra craſſitie: at intelligunt theodidacti, eodem dicendi uſu ſomnum vocari, tranquillitatem conſcientiæ, quam Dominus ſuis largitur in domo pacis: quo ebrietas, affluentia dicitur, qua Dominus ſuos ſatiat in domo opulentiæ. Si Abraham pacem hanc poſſedit, medius adhuc inter hoſtium incurſus, labores, diſcrimina, imo ferens ſecum ſuam carnem, hoſtem domeſticum, quo nihil eſt pernicioſius: quantam putamus ejus pacem, ubi extra hoſtium ictus, telorumque jactus evolavit? Miretur nunc aliquis, cur requieſcere in ſinu Abrahæ dicantur electi Dei, qui ex hac vita ad Deum ſuum tranſierunt: nempe, quod in ſede pacis recipiuntur cum Abraham patre fidelium, ubi Deo fruuntur ad ſatietatem, citra faſtidium. Quamobrem, non abs re Auguſtinus quodam loco: *De civit. Dei, l. 19.* Quemadmodum, inquit, finem beatorum appellamus vitam æternam, ita poſſumus vocare pacem. Nihil enim melius dare poteſt, qui nihil aut majus aut melius ſeipſo dare poteſt, qui Deus eſt pacis. Poſthac ergo, quum de ſinu Abrahæ ſermo fiet, non rapiant ad ſuum ſomnium: quoniam eorum vanitatem arguit ac convincit Scripturæ veritas. Eſt, inquam, *1 Cor. 15. verſ. 12.* requies illa, cæleſtis Jeruſalem, hoc eſt viſio pacis: *1 Theſſ. 5. verſ. 13.* in qua Deus pacis dat ſe videndum ſuis pacificis, juxta Chriſti promiſſum. *Matth. 5. v. 8, 9.* Quoties autem hujus pacis meminit in ſacris literis Spiritus, adeo familiariter utitur dormiendi & quieſcendi tropo, ut nihil ſit magis obvium. *Pſal. 149. verſ. 5.* Exultabunt, inquit David, ſancti tui, lætabuntur in cubilibus ſuis. Alter vero: *Jeſa 26. verſ. 19* Vivent mortui tui, interfecti tui reſurgent. Expergiſcimini, & laudate habitatores pulveris: quia ros pratorum ros tuus: & terram gigantum detrahes in ruinam. Vade popule mi, intra in tabernacula tua, claude oſtia tua ſuper te, abſcondere ad modicum, donec pertranſeat indignatio. Quin Hebraica lingua, hoc verbum uſurpat ad ſignificationem cujuſvis ſecuritatis ac fiduciæ. David rurſum: *Pſal. 4: 9.* In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Et Propheta: *Oſea 2. verſ. 18.* Percutiam fœdus in die illa cum beſtia agri, & cum volucre cæli, & cum reptili terræ: arcum, & gladium, & bellum conteram de terra: & dormire eos faciam abſque terrore. Moſes vero: *Levit. 26. verſ. 6.* Dabo pacem in finibus veſtris, & non erit qui exterreat. In libro vero Job: *Job 11. verſ. 18.* Et habebis fiduciam propoſita tibi ſpe, & defoſſus ſecurus dormies. Requieſces, & non erit qui exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi. Cujus rei nos Latinum quoque proverbium admonet: Dormire in utramque aurem, pro ſecure agere. Dormiunt igitur & pacem habent viventium animæ, quæ verbo Domini acquieſcunt, nec præire Dei ſui voluntati cupiunt: ſed quo ille vocaverit, ſequi paratæ, ſub ejus manu ſe continent. Quod illis præceptum eſt: *Habac. 2. verſ. 3.* Si moram fecerit ejus veritas, expecta illam. Item, *Jeſa. 30. verſ. 15.* In ſpe & ſilentio erit fortitudo veſtra. Quum autem expectent aliquid quod non vident, & deſiderent quod non habent: conſtat pacem eorum eſſe imperfectam. Rurſum, quum certo expectent quod expectant, & fide deſiderent quod deſiderant: clarum eſt, quietum eſſe deſiderium. Hanc pacem auget & in melius provehit mors, quæ hujus mundi militia ſolutos, & quaſi exauctoratos, ducit in locum pacis? ubi dum toti animo & aſpectu in Deo hærent, nihil habent melius, quo avertant oculos, aut deſiderium retrahant. Deeſt tamen adhuc quiddam, quod videre cupiant: nempe, ſumma & perfecta Dei gloria, ad quam ſemper aſpirant. Ut nulla ſit illis impatientia deſiderii, nondum tamen plena & perfecta quies. Siquidem requieſcere dicitur, qui eſt ubi eſſe appetit: nec modus deſiderii finem habet, niſi eo pervenerit quo tendebat. Si autem oculi electorum ad ſupremam Dei gloriam, velut ad ſcopum, collimant, ſemper in curſu eſt eorum deſiderium, donec impleta fuerit Dei gloria: cui implementum affert dies judicii. Tunc verum erit illud: Satiabor, quum evigilavero, aſpectu vultus tui. *Pſal. 17. verſ. 15.*

Ut autem reprobos omittamus, quibus quid accidat, non magnæ curæ nobis eſſe debet, velim mihi bona fide reſpondeant, unde illis ſpes reſurrectionis, niſi quia Chriſtus reſurrexit? Ipſe eſt enim primogenitus mortuorum, & primitiæ reſurgentium. Quemadmodum ille mortuus eſt & reſurrexit, ita nos in eo morimur ac reſurgimus. Si enim mors cui obnoxii eramus, vincenda illi fuit per mortem, haud dubie mortem eandem ſubiit, quam & nos, atque idem in morte paſſus eſt, quod nos patimur. Id planum facit veritas, quum vocat primogenitum mortuorum, & primitias reſurgentium. *Coloſſ. 1. verſ. 18.* Atque ita docuit, ut fideles in media morte ipſum ſibi ducem agnoſcant, & dum mortem ſuam ipſius morte ſanctificatam aſpiciunt, nullam ejus maledictionem formident. *Apoc. 1. verſ. 5.* Quod ſignificat Paulus, dum ait, conformem ſe fieri morti ejus, donec perveniat ad reſurrectionem mortuorum. *Philip. 3. v. 10, 11.* Hanc enim conformitatem, hîc per crucem inchoatam, proſequebatur, donec eam morte adimpleret. Nunc pauliſper, ô ſomniatores, redeatis ad cor, & vobiſcum cogitetis, quemadmodum Chriſtus mortuus eſt. Num tunc etiam dormiebat, quum vigilaret in ſalutem veſtram? Non ſic ipſe de ſe loquitur: Sicut, inquit, Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit Filio habere vitam in ſemetipſo. *Joan. 5. verſ. 26.* Qui in ſe vim vitæ habet, quomodo eam perderet? Neque mihi reſpondeant, hæc ad divinitatem ſpectare. Si enim ei datur qui non habet, homini igitur, non Deo, datum eſt in ſe habere vitam. *Auguſtin. ſic accepit, ſed nimis durum.* Quum enim Jeſus Chriſtus Dei ſit Filius, & hominis: quod eſt natura ut Deus, id eſt gratia ut homo. Ut ſic de plenitudine ejus omnes accipiamus, & gratiam pro gratia. Apud Deum vitam eſſe ſi audiant homines, quantum inde ſpei concipiant: quum ſimul ſciant, peccatis ſuis, nubem inter ſe & Deum oppoſitam? At hæc demum vere magna conſolatio eſt, quod Deus Pater Chriſtum unxerit oleo lætitiæ præ conſortibus: quod ipſe Chriſtus homo acceperit à Patre dona in hominibus, ut in natura noſtra vitam reperire poſſimus. Qua ratione legimus turbam poſt ſuſcitatum puerum, glorificaſſe Deum, qui dediſſet talem poteſtatem hominibus. Hoc profecto vidit Cyrillus, qui nobiſcum in hujus loci explicatione conſentit. Quum autem dicimus Chriſtum, quatenus homo eſt, habere vitam in ſemetipſo, non ipſum ſibi cauſam eſſe vitæ dicimus: ſed hoc tantum, omnem vitæ plenitudinem à Deo Patre effuſam eſſe in Chriſtum hominem. Quod familiari ſimilitudine planum fieri poteſt. Fons, ex quo omnes hauriunt, ex quo rivuli defluunt & derivantur, aquam in ſemetipſo habere dicitur: nec tamen ex ſemetipſo, ſed ex ſcaturigine, quæ illi aſſidue ſubminiſtrat quod & rivis labentibus, & haurientibus hominibus ſufficere poſſit. Ergo Chriſtus habet vitam in ſemetipſo, hoc eſt, vitæ plenitudinem, qua & ipſe vivat, & ſuos vivificet: non tamen habet ex ſemetipſo: quemadmodum ipſe alibi teſtatur, quod

vivit propter Patrem. Et quum in ſe, ut Deus, vitam haberet, ubi hominem aſſumpſit, donum accepit hoc à Patre, ut vitam ea etiam parte haberet in ſemetipſo. Hæc nobis certiſſimam fidem faciunt, Chriſtum extingui morte non potuiſſe, etiam ſecundum hominem, & quanquam vere ac naturaliter in mortem traditus eſt, quam omnes ſubimus, donum tamen illud Patris ſemper retinuiſſe. Vera mors fuit corporis & animæ ſolutio. Cæterum, anima vitam ſuam nunquam perdidit, quæ Patri commendata, non poterat non ſalva eſſe. Id volunt verba ex concione Petri, quibus affirmat impoſſibile fuiſſe teneri
Actor. 2. ipſum à morte, ut Scriptura impleretur: Quoniam
verſ. 27. non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. In qua prophetia, ut concedamus animam vitam eſſe, duo petit & expectat à Patre Chriſtus, ne aut vitam ſuam in perditionem deſerat, aut ſe in corruptionem venire ſinat: quod impletum eſt. Nam anima ejus, divina virtute ſuffulta eſt, ne in perditionem rueret: & corpus ejus in ſepulchro ſervatum eſt ad reſurrectionem. Hæc omnia uno verbo complexus eſt Petrus, quum dixit, non potuiſſe teneri à morte Chriſtum, κρατεῖσθαι, hoc eſt, mortis imperio ſuccumbere, & in mortis poteſtatem venire, aut à morte comprehendi. Quod autem Petrus in illa concione, omiſſa diſputatione de anima, corporis duntaxat incorruptionem proſequitur: id facit, ut ſuo ipſorum teſtimonio, Judæos convincat, hanc prophetiam non pertinere ad Davidem, cujus ſepulchrum apud eos extabat, cujus cadaver noverant in putredinem collapſum, quum Domini noſtri reſurrectionem abnegare non poſſent. Præbuit & nobis aliud argumentum immortalitatis animæ ſuæ, quum Jonam triduo immerſum in ventre ceti, mortis ſuæ typum conſtituit: ſic enim ſe futurum in ventre terræ, tribus die-
Jon. 2: 2. bus & tribus noctibus. Atqui, Jonas de ventre piſcis clamavit ad Dominum, & exauditus eſt. Venter ille, mors eſt. Animam igitur ſalvam in morte habuit: ſecundum quam clamaret ad Dominum.
Geneſ. 22. Iſaac quoque, qui figuram Chriſti geſſit, & à morte
verſ. 10. Patri redditus eſt, quodam, ut ait Apoſtolus, reſur-
Hebr. 11. rectionis typo, nobis veritatem in figura aperit:
verſ. 19. quum enim impoſitus eſſet altari, parata victima, & alligatus eſſet, poſtea juſſu Domini ſolutus eſt. Sed aries, qui inter vepres hæſerat, in vicem Iſaac ſuppoſitus eſt. Quid eſt autem quod Iſaac non moritur, niſi quia quod proprium eſt hominis, immortale Chriſtus præſtitit, hoc eſt, animam? Aries vero, animal irrationale, qui in ejus locum ad mortem ſubſtituitur, corpus eſt. Quod autem alligatur Iſaac, animam repræſentat, quæ in morte Chriſti ſpeciem morientis dedit: & dat etiam quotidie in vulgari morte hominum: ubi omnia, humana opinione, creduntur extincta: quum tamen ex vinculis ſoluta ſit Chriſti anima, & noſtræ quoque ſolvantur, antequam pereant. Perfricet frontem nunc quiſpiam ex vobis, & jactet mortem Chriſti ſomnum fuiſſe: vel omnino in caſtra Apollinaris transfugiat. Ille quidem vigilavit, dum incumberet in ſalutem veſtram: vos autem dormitis ſomnum veſtrum, & tenebris cæcitatis obruti, vigilias non exauditis.

Præterea non hoc tantum nos conſolatur, quod Chriſtus caput noſtrum, in medio umbræ mortis non periit: ſed ad hanc ſecuritatem accedit ejus reſurrectio, qua mortis dominum ſe conſtituit, ac nos ſupra mortem extulit, quicunque partem in
Coloſſ. 3. ipſo habemus. Ut non dubitaverit Paulus dicere,
verſ. 3. vitam noſtram abſconditam eſſe cum Chriſto, in
Galat. 2. Deo. Et alibi: Vivo ego, jam non ego, ſed vivit in
verſ. 20. me Chriſtus. Quid ſupereſt, niſi ut aperto ore, Chriſtum in animis dormientibus dormire, & deſidere clament? Si enim Chriſtus eſt qui in illis vivit, idem eſt qui in illis moritur. Si vita Chriſti noſtra eſt, qui vitam noſtram finiri vult morte, detrahat Chriſtum è dextera Patris, & in ſecundam mortem deturbet. Si mori ille poteſt, certa mors nos ſequitur: ſi nullum habet vitæ finem, neque animæ noſtræ, quæ illi inſitæ ſunt, finiri ulla morte poſſunt. Et quid adhuc laboramus? An vero ſunt obſcura ejus verba? Quia ego vivo, & vos vivetis. Si vivimus, Joan. 14.
quia vivit: ergo ſi morimur, ipſe jam non vivet. verſ. 19.
An obſcurum eſt quod promiſit, eum in ſe manſu- Joan. 6.
rum, & ſe in eo, qui per fidem ſibi junctus fuerit? verſ. 56.
Avellamus ergo à Chriſto membra ſua, ſi volumus ipſis vitam adimere. Noſtra hæc confeſſio eſt, quam ſuis armis ſatis inſtruximus: In Adam quidem omnes nos eſſe mortuos: ſed in Chriſto vivere. Hæc ſplen-
dide & magnifice à Paulo tractantur: nempe, quod Rom. 8.
ſi Chriſti Spiritus habitat in nobis, corpus quidem verſ. 10.
mortuum eſt propter peccatum, at ſpiritus vita eſt propter juſtitiam. Corpus ſcilicet vocat maſſam peccati, quæ ex carnis nativitate in homine reſidet: Spiritum vero, partem hominis ſpiritualiter rege-
neratam. Quare, quum paulo ante, ob peccati re- Rom. 7.
liquias in ſe hærentes, miſeriam ſuam deploraret, verſ. 24.
non ſimpliciter optabat tolli, & nihil eſſe, ut ex illa miſeria evaderet: ſed liberari à corpore mortis, hoc eſt, maſſam peccati in ſe interire: ut ſpiritus purgatus, & quaſi defæcatus, pacem cum Deo haberet: hoc ipſo declarans, meliorem ſui partem, corporis vinculis captivam teneri, ac per mortem liberatum iri.

Utinam recta fide percipere poſſemus quale ſit regnum Dei, quod eſt intra fideles, etiam dum hanc vitam vivunt. Nam ſimul facile eſſet intelligere, inchoatam vitam æternam. Promiſit hoc
nobis qui fallere non poteſt. Qui verba, inquit, Joan. 5.
mea audit, habet vitam æternam, & in condemna- verſ. 24.
tionem non venit: ſed tranſivit à morte in vitam. Si tranſitus factus eſt in vitam æternam, cur eam
morte interrumpunt? Alibi: Hæc, inquit, eſt vo- Joan. 6.
luntas Patris, ut omnis qui credit in Filium, non verſ. 40.
pereat, ſed habeat vitam æternam: & ego ſuſcitabo
eum in noviſſimo die. Rurſum, Qui edir carnem Joan. 6.
meam, & bibit meum ſanguinem, habet vitam verſ. 54.
æternam, & ego ſuſcitabo eum in noviſſimo die. Non ſicut comederunt patres veſtri manna, & mortui ſunt. Qui ederit panem hunc, vivet in æternum. Nolite huc veſtra commenta ingerere, de die noviſſimo. Duo nobis pollicetur, vitam æternam, & illam reſurrectionem. Duo quum audiatis, alterum tantum amplectimini. Magis etiam vos convincit
altera Chriſti vox. Ego ſum, inquir, reſurrectio & Joan. 11.
vita. Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet. Et omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum. Nec evadent ſi dixerint, non mori eum in æternum, qui ſuſcitatur: quoniam non id tantum voluit Dominus, ſed nunquam accidere poſſe, ut moriantur. quem ſenſum melius exprimit Græca phraſis, ubi legitur, εἰς τὸν αἰῶνα: quod Latinis In ſeculum ſignificat. Qua loquendi forma ſignificamus nunquam fore, id quod in ſeculum futurum negamus. Sic alibi: Qui ſermonem meum ſervaverit, mortem non videbit in æternum. Hoc invictum ſtat argumentum contra eos, Nou viſurum mortem eum, qui ſermonem Domini ſervaverit. Quod unum ſatis eſſe poſſit Chriſtianis ad armandam ſuam fulem, contra eorum pravitatem. Hoc credimus, hoc expectamus. Illis autem quid reliquum, niſi ut fortiter dormiant ſomnum ſuum, donec eos expergefaciat clangor tubæ, qui, ut fur, deprehendet in tenebris dormientes?

Et ſi fidelis animæ vita, Deus eſt, perinde atque ipſa, vita eſt corporis: quid eſt quod anima, quamdiu in corpore eſt, ipſum agitat, nec unquam ita otioſa eſt, intentionemque ſuam remittit, ut non aliqua officii parte fungatur, Deus autem velut agendo fatigatus ceſſat? Si tanta eſt vis animæ, in maſſa terræ ſuſtinenda, movenda, impellenda:

quanta vis erit Dei in anima, quæ natura agilis eſt,
movenda & agenda? Et audent alii dicere, animam
evaneſcere: alii, vi ſua non exerceri poſt diſſolutam
compagem corporis? Quid ergo reſpondebunt ad
Pſal. 73. carmen Davidis? quo principium, medium, &
finem viæ beatorum deſcribit. Ibunt, inquit, de
virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion:
vel (ut habent Hebraica) de abundantia in abun-
dantiam. Si creſcunt ſemper donec Deum videant,
& ab illo incremento tranſeunt ad Dei viſionem,
quomodo eos ſepeliunt iſti in ebrietate & alta ſo-
cordia?

Idipſum teſtatur Apoſtolus, & multo apertius:
ut ſi rumpantur, Spiritui Dei amplius reſiſtere
2 *Cor.* 5. non poſſint. Scimus quod ſi terrenum domicilium
hujus tabernaculi deſtructum fuerit, ædificationem
habemus ex Deo, domicilium non manu factum,
æternum in cælis. Nam in hoc gemimus, domicilio
noſtro, quod eſt è cælo, ſuperiudui cupientes: ſi
tamen induti, non nudi reperiemur. Etenim, qui
ſumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, pro-
pterea quod nolumus exui, ſed ſuperindui, ut ab-
ſorbeatur mortalitas à vita. Poſt paulo: Itaque bono
animo ſumus ſemper, & ſcimus quod quum domi
ſumus, in corpore, peregrinamur à Domino (per
fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem) confi-
dimus autem & magis probamus, peregre abeſſe à
corpore, & præſentes eſſe apud Dominum. Hic
rimam inveniunt: in diem judicii conferenda Apo-
ſtoli verba, quo & ſuperinduimur, & abſorbetur
mortalitas à vita. Proinde hæc, inquiunt, una clau-
ſula comprehendit Apoſtolus: Manifeſtari omnes
oportere coram tribunali Chriſti. Verum, cur illud
ſuperindui magis ad corpus referunt, quam ad Dei
benedictiones, quibus à morte luculenter abunda-
mus? Quis cogit vitam illam accipere de reſurre-
ctione? Quum ſimplex & promptus ſit ſenſus Apo-
ſtoli, Nos quidem cupere egredi ex hoc corporis
ergaſtulo, ſed non vagemur incerti ſine hoſpitio.
Eſſe enim meliorem domum, quam nobis Dominus
præparavit: ſi tamen induti, & non nudi reperie-
mur. Indumentum ſiquidem noſtrum Chriſtus eſt,
Epheſ. 6. & armatura illa, qua nos induit Apoſtolus. Et ſcri-
Pſal. 45. ptum eſt, quod Rex concupiſcet decorem conjugis
ſuæ, quæ fortis erit in muneribus, cujus omnis glo-
Apoc. 7. ria intrinſecus. Denique ſignavit ſuos Dominus,
quos & in morte, & in reſurrectione agniturus eſt.
Cur non potius reſpiciunt ad id quod proxime dixe-
2 *Cor.* 4. rat, & cui hanc ipſam ſententiam connectit? Licet
verſ. 16. is qui foris eſt homo noſter corrumpatur, tamen eum
qui intus eſt, renovari de die in diem. Quod autem
Apoſtolus clauſulam illam ſubdidit, de manifeſta-
tione coram tribunali Chriſti, magis eos ſtringit:
quum prius dixiſſet nos & domi, & peregre agen-
tes, contendere ut illi placeamus. Quum per do-
mum, corpus intelligat, quid eſt illud peregre? Ut
ergo nihil addamus, verba ſine interprete hoc lo-
quuntur, nos, & in corpore, & extra corpus, con-
tendere ut placeamus Domino: deinde, nos ſenſu-
ros Dei præſentiam, quum ab hoc corpore ſepara-
bimur. Jam non per fidem ambulaturos, ſed per
ſpeciem: quoniam hoc terræ pondus, quo premi-
mur, nos à Deo, quaſi maceries, longo intervallo
ſeparat. Iſti nugatores contra, nos per mortem,
longius à Deo diſceſſuros garrlunt, quam dum ſumus
Pſal 88. in hac vita. De quibus enim ſcriptum eſt: Domine,
Rom. 8. in lumine vultus tui ambulabunt. Item, Ipſe Spiri-
tus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod filii
Dei ſumus. & multa ejus generis: his & lumen vul-
tus Dei, & Spiritus teſtimonium adimunt. Quod ſi
verum eſt, feliciores nunc ſumus, quam poſt mor-
tem. Etſi enim ſub elementis hujus mundi vivimus,
habemus tamen habitationem & politiam in cælis,
Philip 3. ut ait Paulus. Ubi autem veternus ille, & rerum
omnium oblivio animas à morte exceperit, per-
dunt quamcunque habent ſuavitatem guſtus ſpiritua-
lis. Melius nos docent ſacræ literæ. Corpus, quod
corrumpitur, aggravare animam, & terrena habi-
tatione deprimi ſenſum multa cogitantem. Si corpus
animæ eſt carcer, ſi terrena habitatio, compedes
ſunt: quid anima ſoluta hoc carcere, exuta his vin-
culis? nonne ſibi redditur, & quaſi ſe colligit? Ut
dicere liceat, tantum illi accreſcere, quantum de-
creſcit corpori. Velint nolint, hoc ſemper in con-
feſſo eſt, Ubi molem hanc corporis abjicimus, ceſ-
ſare pugnam illam ſpiritus adverſus carnem, & car-
nis adverſus ſpiritum. Denique mortificationem car-
nis, eſſe vivificationem ſpiritus. Tum igitur anima,
excuſſis ſordibus, vere eſt ſpiritualis, ut conſentiat
voluntati Dei, nec ſentiat carnis tyrannidem ſibi re-
pugnantem: ut in hac tranquillitate reſideat, nihil
aliud, quam Deum cogitans. Et tunc ſcilicet dor-
mit, quum elevare ſe, nullo pondere aggravante,
poteſt? Tunc ſtertit, quum multa percipere ſenſu
& cogitatione poteſt, nullo impedimento interpel-
lante? Hæc non ſolum errorem iſtorum produnt,
ſed etiam malignitatem contra Dei opera & virtutes,
quas eum in ſanctis ſuis operari Scripturæ prædi-
cant. Nos agnoſcimus Deum velut naſcentem in
electis ſuis, & de die in diem creſcentem: quod nos
docet Sapiens: Juſtorum, inquit, ſemita, quaſi lux *Prov.* 4.
creſcens in perfectum diem. Et affirmat Apoſtolus. *verſ.* 18.
Quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet *Philip* 1.
uſque in diem Domini Jeſu. Iſti non ſolum opus Dei *verſ.* 6.
ad tempus intermittunt, ſed etiam extinguunt. Qui
prius ibant de fide in fidem, de virtute in virtutem,
& beatitudinis guſtu fruebantur, quum ſe in Dei co-
gitatione exercerent, eos & fide, & virtute, &
omni Dei cogitatione exuunt: deſides tantum & ve-
ternoſos in ſtratis collocant. Quomodo enim profe-
ctum illum interpretantur? An exiſtimant animas
perfici, quum dormiendo ſaginantur: ut pingues &
nitidæ offerantur in conſpectum Dei, quum ad ju-
dicium ſederit? Si micam ſalis haberent, non ita
craſſe balbutirent de anima: ſed quantum diſtant
cæli[illegible]rra, cæleſtem animam à terreno corpore
diſcer[illegible]ent. Ergo, quum deſiderat Apoſtolus diſ- *Philip* 1.
ſolvi, & eſſe cum Chriſto, an illis videtur velle dor- *verſ.* 23.
mire, ut nullo amplius Chriſti deſiderio teneatur?
Nempe, hoc fuit ejus deſiderium, qui ſciebat ſe
aliam ædificationem habere ex Deo, domum non
manu factam, ſi terreſtris domus ſui habitaculi diſ-
ſolveretur. Pulchre vero eſſet cum Chriſto, qui de-
ſineret vivere vitam ſuam.

Quid? an non horrent ad vocem Domini, qui
vocans ſe Deum Abraham, Iſaac & Jacob, ſimul re- *Mat.* 22.
ſpondet, ſe Deum eſſe viventium, non mortuorum? *verſ.* 32.
Neque igitur ille eſt eis in Deum, neque illi ſunt in *Marc.* 12.
populum. Sed aiunt hæc tum demum vera fore, *verſ.* 27.
quum mortui ſuſcitabuntur ad vitam. Quum etiam
verba ſic ſe habeant: De reſurrectione mortuorum
non legiſtis quod dictum eſt? non tamen ſic ſe expli-
cant. Quum enim Chriſto negotium eſſet cum Sad-
ducæis, qui non reſurrectionem modo negabant,
ſed animarum quoque immortalitatem: hoc uno
verbo duos errores convicit. Nam ſi Deus, viven-
tium eſt Deus, non mortuorum: Abraham autem,
Iſaac & Jacob, defuncti erant hac vita, quum Moſi
Deus loqueretur, dicens ſe eorum eſſe Deum: colli-
gitur ergo eos aliam vitam vivere. Eſſe enim eos
oportet, quorum Deus ſe Deum facit. Unde & Lu-
cas addit: Omnia enim illi vivunt: non intelligens
omnia vivere Dei præſentia, ſed ejus virtute. Hoc
ergo relinquitur, Abraham, Iſaac, & Jacob, vi-
vere. Cui ſententiæ accedit illud Apoſtoli: Sive vi- *Rom.* 14.
vimus, Domino vivimus: ſive morimur, Domino *verſ.* 8.
morimur: ſive vivimus, ſive morimur, Domini ſu-
mus. In hoc enim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit,
ut vivis dominetur, & mortuis. Quid poterat ſoli-
dius erigi ad fulciendam fidem noſtram, quam dicere,

Chriſtum mortuis dominari? Non enim dominari poteſt niſi his qui ſunt: quum ſubjectos eſſe oporteat, ubi ſit imperium.

Ecce etiam teſtimonium contra eos ferunt, in cælo, coram Deo, & Angelis ejus, animæ Martyrum, quæ clamant voce magna ſub altari: *Apoc. 6. verſ. 9.* Uſquequo Domine non vindicas ſanguinem noſtrum de his qui habitant in terra? Et datæ ſunt illis ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum: donec compleantur conſervi eorum, & fratres eorum qui interficiendi ſunt, ſicut & illi. Clamant mortuorum animæ, dantur illis ſtolæ albæ. Quid ô ſpiritus dormitorii vobis ſunt ſtolæ albæ? pulvinaria ſcilicet, in quibus ad ſomnum decubent. Videtis jam ſtolas albas ſomno non convenire. Vigilent oportet, quæ ſic induuntur. Quod ſi verum eſt, haud dubie ſtolæ albæ principium gloriæ deſignant, quod divina liberalitas Martyribus impertit, donec expectatur dies judicii. Non enim novum eſt, in Scripturis ſtolam albam, gloriam & feſtivitatem figurare & gaudium. Nam in veſte candida Dominus in viſione conſpectus eſt Danieli. *Dan. 7: 9.* Apparuit hoc habitu Dominus in monte Thabor. *Mat. 17. verſ. 2.* Apparet Angelus Domini ad ſepulchrum mulieribus in veſte alba. *Mat. 28. verſ. 3. Marc. 16. verſ. 5.* Apparent eadem ſpecie Angeli diſcipulis in cælum reſpicientibus, poſt Domini aſcenſionem. *Actor. 1. verſ. 10.* Eadem fuit ſpecies Angeli apparentis Cornelio. *Actor. 10. verſ. 30.* Et quum filio, qui diſſipata ſubſtantia, ad patrem reverſus erat, reddita eſt prima ſtola, ſymbolum fuit gaudii & feſtivitatis. *Luc. 15. verſ. 22.* Deinde, ſi clamabant mortuorum animæ, non dormiebant. Quando igitur iſto ſopore perfundi cœperunt? Neque mihi obtrudat quiſpiam, quod ſanguis Abel clamabat ad Deum. Vulgaris tropus eſt, fateor, rem ipſam loqui: ſanguinis effuſionem, vindictam poſtulare. Hoc vero in loco, affectum Martyrum per clamorem nobis repræſentari certum eſt, quod eorum deſiderium ſine ulla figura exprimitur, & petitio deſcribitur. *Apoc. 6. verſ. 10.* Uſquequo Domine non vindicas, &c. Quare in eodem libro Joannes duplicem reſurrectionem prodidit, quemadmodum mortem duplicem. Nimirum priorem animæ, ante judicium: alteram, quum corpus ſuſcitabitur, & quum anima quoque ſuſcitabitur in gloriam. Beati, inquit, qui habent partem in reſurrectione prima: in his, ſecunda mors non habet locum. Itaque vobis horrendum eſt, qui primam illam reſurrectionem agnoſcere non vultis, quæ tamen unus ingreſſus eſt ad beatam gloriam.

Hoc etiam acerrimum telum eſt contra eos, quod reſponſum eſt latroni imploranti miſericordiam. Rogaverat ille, *Luc. 23. verſ. 42.* Memento mei Domine, dum veneris in regnum tuum: Audit, Hodie mecum eris in Paradiſo. Ille ſe affuturum latroni promittit, qui ubique eſt. Et Paradiſum promittit, quia ſatis deliciarum habet, qui Deo fruitur. Neque illum rejicit in longam dierum ſeriem, ſed eo ipſo die vocat ad delicias regni ſui. Jactatur iſtorum cavillum, quo Chriſti verbum eludunt. *2 Pet. 3. verſ. 8.* Unus, inquiunt, dies, ſicut mille anni, in conſpectu ejus. Sed non meminerunt Deum humanis ſenſibus ſe accommodare, quoties hominibus loquitur. Neque legunt diem unum in Scripturis poſitum, pro mille annis. Quis ferat hunc interpretem, qui quum audierit ex Deo, aliquid hodie futurum, cogitet annorum millia? An vero, quum Ninivitis Jonas denunciaret, Adhuc quadraginta dies, & Ninive ſubvertetur: poterant illi expectare Dei judicium, ſecure, donec quadragies mille anni effluerent? Neque hoc ſenſu dixit Petrus, mille annos, in conſpectu Dei, ſicut diem unum. Sed quum pſeudoprophetæ aliqui, dies & horas ſupputarent, ut Deum mendacii arguerent, qui non ad primum eorum votum promiſſa ſolveret: admonet apud Deum eſſe æternitatem, cui mille anni vix ſunt unum momentum. Quoniam vero ſentiunt ſe teneri adhuc implicitos, contendunt, Hodie, in Scripturis ſignificare tempus novi Teſtamenti, ſicut Heri, veteris. Huc torquent quod in Epiſtola ad Hebræos legitur: *Hebr. 13. verſ. 8.* Jeſus Chriſtus heri, & hodie, ipſe in ſecula. Hic vero toto cælo errant. Nam ſi heri tantum fuit, aliquando cœpit eſſe qui non erat ante initium veteris Teſtamenti. Ubi erit Jeſus ille Deus æternus, juxta humanitatem etiam primogenitus omnis creaturæ, *Coloſ. 1. verſ. 15.* & Agnus ab origine mundi occiſus? *Apoc. 13. verſ. 8.* Deinde, ſi Hodie id temporis deſignat, quod intercedit inter diem judicii, & Chriſti humanitatem, habemus Paradiſum obventurum latroni ante eum diem, quo ſurgere animas à ſomno ſuo docent. Atque ita, eorum confeſſione, extorquebitur, impletam promiſſionem latroni datam, ante judicium: quam, niſi poſt judicium, implendam negant. Quod ſi verbum illud ad tempus trahunt, quod judicium ſequitur: cur addit auctor Epiſtolæ, Et in ſecula? Atque, ut palpare poſſint ſuas tenebras: ſi reſpiciebat Chriſtus in ea promiſſione tempus judicii, non debuit dicere Hodie, ſed futuro ſeculo. Quemadmodum Jeſaias, *Jeſ. 9: 6.* quum vellet ſignificare reſurrectionis myſterium, vocavit Chriſtum, Patrem futuri ſeculi. Quum autem heri & hodie & in ſecula dixerit Apoſtolus, pro eo quod dicimus, fuit, eſt, & erit, (quæ tria tempora nobis æternitatem deſignant) quid aliud agunt ſuis argutiolis, quam ſenſum Apoſtoli pervertunt? Hanc eſſe proprietatem primi vocabuli, ut tempus æternum contineat, licet ex Propheta diſcere, qui ſcribit præparatam ab heſterno impiis gehennam: *Jeſa. 30. verſ. 33.* quum ſciamus, ex Chriſti verbis, præparatum ab æterno ignem diabolo & angelis ejus. *Mat. 25. verſ. 41.* Vident hic, quibus eſt aliquid judicii aut ſanæ mentis, nihil futurum illis reliquum, quo eludant manifeſtam adeo veritatem. Eſt tamen adhuc quiddam quod obſtrepunt: ſic promiſſum fuiſſe Paradiſum latroni eo die, quemadmodum indicta mors primis parentibus, quo die guſtarent de arbore ſcientiæ boni & mali. Quod ut illis concedamus, hoc tamen extorquebimus, latronem eo die reſtitutum à miſeria, in quam inciderat Adam, quo die legem ſibi dictam prævaricatus fuerat: fuiſſe igitur redditam latroni immortalitatem. Deinde quum de morte ſtatim diſſeram, ſatis (ni fallor) explicabo, quomodo eo die mortui fuerint primi parentes, quo die ſe à Deo abalienaverunt.

Nunc mihi ad eos ſermo convertatur, qui bona pace conſcientiæ, promiſſorum Dei memores, in illis acquieſcunt. Hæc inquam fratres, hæc vobis fides non excutiatur, etiamſi omnes inferorum portæ inſultent, ubi Deum habetis ſponſorem, qui veritatem ſuam abnegare non poteſt. Vox ejus eſt minime obſcura, ad Eccleſiam adhuc in terris peregrinantem: Non erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem, neque ſplendor lunæ illuminabit te, quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam. *Jeſa. 60. verſ. 19.* Quod ſi ſuo more ad ultimam reſurrectionem nos trahunt, promptum erit refellere vanitatem ex ſingulis verbis capitis: quibus nunc Dominus promittit ſuum Chriſtum, nunc Gentes in fidem cooptandas, &c. Semper in memoriam nobis redeat quod Spiritus docuit per os Davidis: Juſtus ut palma florebit, ſicut Cedrus in Libano multiplicabitur. *Pſal. 92. verſ. 13.* Plantati in domo Domini, in atriis Dei noſtri florebunt: adhuc germinabunt, in ſenectute pingues & virides erunt. Ne vos terreat quod omnes naturæ virtutes deficere creduntur: quum auditis ſenectutem viridem, pinguem, & germinantem. Hæc vobiſcum reputantes, exemplo Davidis occinite animæ veſtræ: *Pſal. 103. verſ. 5.* Benedic anima mea Domino, qui ſatiat bono os tuum: renovabitur, ut aquilæ, juventus tua. Cætera Domino permittite, qui cuſtodit introitum noſtrum, & exitum noſtrum, ex hoc nunc, & uſque in ſeculum. *Pſal. 121. verſ. 8.* Hic eſt qui

pluit

Joel. 2. verſ. 23. pluit imbrem matutinum & ſerotinum, ſuper electos ſuos. De quo nobis dictum eſt: Deus noſter, *Pſal. 67. verſ. 21.* Deus ſalutis eſt: & Domini Dei egreſſus mortis. Hanc Patris bonitatem expoſuit nobis Chriſtus, *Joan. 17. verſ. 24.* quum dixit: Pater, quos dediſti mihi, volo ut ubi ego ſum, & illi mecum ſint: ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi.

Hanc igitur fidem, omnibus Prophetiis, Euangelica veritate, Chriſto ipſo ſubnixam, teneamus. Spiritum, imaginem eſſe Dei, inſtar cujus vigeat, intelligat, æternus ſit. Quamdiu in corpore eſt, virtutes ſuas exerere: quum ex illo ergaſtulo egreditur, ad Deum migrare, cujus ſenſu interim fruitur, dum in ſpe beatæ reſurrectionis requieſcit. Hanc requiem, illi eſſe paradiſum. Spiritum vero reprobi hominis, dum terribile judicium in ſe expectat, torqueri illa expectatione, quam Apoſtolus ob id φοβερὰν, id eſt, formidabilem vocavit. Ultra inquirere, ſe immergere eſt in abyſſum myſteriorum Dei. quum ſatis ſit didiciſſe, quod ſatis habuit docuiſſe Spiritus optimus magiſter: cujus verbum eſt: Audite me, & vivet anima veſtra. Quam ille ſapienter, præ iſtorum vaniloquentiſſima arrogantia: Juſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis. Viſi ſunt oculis inſipientum mori, illi autem ſunt in pace, &c. Hic finis eſt noſtræ ſapientiæ, quæ, ut ſobria eſt, & Deo ſubjecta, ita novit eos qui ſupra ſe nituntur, ſemper corruere.

Nunc cunas excutiemus, in quibus ſopitas animas componunt: & papaver diluemus, quod illis ad conciliandum ſomnum propinant. Circumferunt enim aliquot Scripturæ locos, qui videntur iſti ſomno ſuffragari: tum, quaſi ad liquidum dormitio probata ſit, fulminant in eos, qui non ſtatim errori ſuo conſentiunt. Objiciunt primum non aliam homini infuſam animam à Deo, quam quæ ſit illi cum beſtiis omnibus communis. Omnibus enim ex æquo Scriptura attribuit animam viventem. Ut quum di-
Geneſ. 1. verſ. 21. citur: Creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem. Item, Bina ex omni carne, in qua *Geneſ. 7. verſ. 15.* erat ſpiritus vitæ: & alia ejuſdem generis. Et ſi nuſquam ſacræ Literæ meminiſſent, nos tamen liquide admoneri ab Apoſtolo, animam illam viventem nihil differre à præſenti vita, qua corpus hoc vegetatur.
1 Cor. 15. verſ. 42. Verba ſunt: Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in infirmitate, ſurget in virtute: ſeminatur corpus animale, ſurget ſpirituale. Quemadmodum ſcriptum eſt, Factus eſt primus Adam in animam viventem, noviſſimus in ſpiritum vivificantem. Fateor animam viventem non ſemel attributam beſtiis, quia & ipſæ vitam ſuam degunt: verum aliter illæ vivunt, aliter vivit homo. Anima vivens eſt homini, qua ſapit & intelligit: anima illis vivens eſt, quæ motum & ſenſum dat corpori. Quum igitur animæ hominis inſit ratio, intellectus, voluntas, quæ virtutes non ſunt corpori adnexæ: nihil mirum, ſi ſine corpore ſubſiſtat, nec pereat inſtar brutarum, quæ nihil aliud habent, quam ſenſus
Actor. 17. verſ. 28. corporeos. Qua ratione non erubuit Paulus, poſt ethnicum illum poëtam, genus nos Dei appellare. Itaque jam, ut volent, communicent belluis animam viventem cum homine, quum eadem prorſus vita ſit omnibus, quantum ad corpus attinet: verum ex eo gradum ſibi facere non poſſunt ad confundendam cum belluis, hominis animam. Neque mihi obtrudant Apoſtoli verbum, quod magis nobiſcum, quam contra nos pugnat. Factus eſt primus Adam in animam viventem, noviſſimus in ſpiritum vivificantem. Eſt enim antipophora ad eorum quæſtionem, qui de reſurrectione perſuaderi non poterant. Sic enim objiciebant: Quomodo reſurgent mortui? Quali corpore venient? Cui objectioni ut occurrat Apoſtolus, ſic eos aggreditur: Si uſu diſcimus, ſemen quod vivit, quod creſcit, quod fructum reddit, prius mortuum eſſe: cur non inſtar ſeminis, corpus quod mortuum fuerit, reſurgere poteſt? Et, ſi nudum ac ſiccum granum ſementem refert uberiorem poſtquam mortuum fuerit, virtute mirabili, quam illi Deus indidit: cur non eadem Dei virtute, corpus ſuſcitabitur melius, quam mortuum fuerat? Et ne adhuc mireris: unde vivit homo, niſi quia formatus eſt in animam viventem? Hæc tamen anima, tametſi ad tempus molem corporis agitat ac ſuſtinet, non tamen dat illi immortalitatem aut incorruptionem: & quamdiu etiam ſuam vim exerit, non tamen per ſe ipſa ſufficit, ſine adminiculis cibi, potus, ſomni, quæ ſigna ſunt corruptionis: nec conſtantem illi ac continentem dat ſtatum, quin aliis atque aliis inclinationibus ſubjectum ſit. Ubi autem *Sic loquitur Tertul. & Auguſtin. epiſt. 3. ad Fortunat.* Chriſtus nos ſecum aſſumpſerit in gloriam, non ſolum erit animale corpus, ab anima vivificatum: ſed ſpirituale, quale nec mens noſtra cogitare, nec lingua exprimere poteſt. Vides igitur nos non aliud futuros in reſurrectione, ſed tamen alios: detur verbo venia. Atque hæc quidem de corpore dicta ſunt, cui anima ſub elementis hujus mundi vitam adminiſtrat: ubi autem figura hujus mundi præterierit, participatio gloriæ Dei id ſupra naturam evehet. Habemus verum ac germanum Apoſtoli ſenſum: In quo explicando quum lapſus eſſet Auguſtinus, (ut nunc iſti) errorem poſtea agnovit, ac correxit inter ſuas retractationes: & alibi etiam multo apertius idipſum *Eod. retract. in cap. 10. epiſt. 146. Conſentio.* tractat. Ex quo loco pauca transſcribemus. Anima in corpore animali vivit quidem: ſed non vivificat uſque ad auferendam corruptionem. In corpore vero ſpirituali, quando adhærens perfecte Domino, unus ſpiritus efficitur, ſic vivificat, ut ſpirituale corpus efficiat: abſumens omnem corruptionem, nullam metuens ſeparationem. Denique, ut omnia illis concedam de anima vivente (in quo nomine, ut jam dixi, non hæreo) illa tamen ſedes imaginis Dei ſemper ſalva conſiſtit: ſive animam, ſive ſpiritum, ſive quidvis aliud nominent. Nec magis ad refellendum difficile eſt quod ex triceſimo ſeptimo Ezechielis capite objiciunt: ubi Propheta quandam reſurrectionis hypotypoſin faciens, vocat ſpiritum à quatuor ventis, qui vitam inſpiret aridis oſſibus. Inde optime ſibi colligere videntur, hominis animam nihil eſſe aliud, quam vim facultatemque motionis ſine ſubſtantia: quæ vis in morte quidem evaneſcat, in reſurrectione vero iterum colligatur. Quaſi vero mihi etiam non liceat eodem modo colligere, Spiritum Dei aut ventum aut evanidam motionem eſſe, quum in prima ſua viſione Ezechiel ipſe ventum nominet, pro æterno Dei Spiritu. Sed homini non prorſus ſtupido facilis erit ſolutio hujuſmodi, quam boni iſti viri, pro ſua vel inſcitia, vel ruditate, non obſervant. Utroque enim loco factum eſt, quod fieri ſubinde ſolet à Prophetis: qui res ſpirituales ac humano ſenſu altiores, corporeis ac viſibilibus ſymbolis figurant. Quum ergo Ezechiel expreſſa & quaſi iconica viſione & Spiritum Dei & hominum ſpiritus ſub oculos quodammodo repræſentare vellet, idque eſſet à ſpirituali natura alienum: ſimilitudinem ſumpſit à rebus corporeis, quæ imaginis vice eſſet.

Objiciunt ſecundo, animam, tametſi immortalitate donata eſſet, in peccatum tamen prolapſam: qua ruina, immortalitatem ſuam obruerit ac perdiderit. Hæc conſtituta erat pœna peccato, & denun- *Geneſ. 2. verſ. 17.*
ciata primis parentibus: Morte moriemini. Et Pau- *Rom. 6. verſ. 23.*
lus ait, ſtipendium peccati, mortem eſſe. Et Propheta, animam quæ peccaverit, morituram clamat. *Eze. 18. verſ. 4.*
Hæc illi aut ſimilia. Sed quæro primum, an non etiam diabolo redditum eſt idem peccati ſtipendium? nec tamen ille ſic mortuus eſt, ut non ſemper vigilet, ut non circumeat, quærens quem devoret, ut non operetur in filiis diffidentiæ. Deinde, an omnino aliquis finis futurus eſt ejus mortis, an non? Si enim

nullus eſt, ut certe fateri eos oportet: igitur illi,
quantumlibet mortui, ignem tamen æternum ſen-
tient, & vermem qui non moritur. Hæc nobis cla-
rum faciunt, ſuam animæ immortalitatem, quam
aſſerimus, quamque boni vel mali ſenſu conſtare di-
cimus, etiam tum eſſe, quum mortua eſt, mortem-
que illam, aliud quidpiam eſſe quam quod obtinere
volunt in nihilum redigi. Neque id etiam tacuerunt
Scripturæ, ſi animum inducerent, illis potius ſen-
ſum ſuum accommodare, quam arroganter affir-
mare; quicquid cerebrum adhuc à ſomno fumoſum
dictaverit. An vero quum Deus adverſus hominem
peccatorem, ſententiam hanc pronunciat: Pulvis
es, & in pulverem reverteris, aliud dicit, quam
quod ſumptum è terra eſt, in terram rediturum?
Quo igitur anima? an in ſepulchrum deſcendit, ad
marcorem & putredinem? Atque iſta quidem,
paulo poſt apertius. Nunc quid tergiverſantur?
Audivimus, quod terræ eſt, terræ etiam redden-
dum. Cur ſpiritum hominis ſub terras demergi-
mus? Non dicit hominem in terram rediturum: ſed
qui pulvis eſt, reverſurum in pulverem. Is vero
pulvis eſt, qui formatus eſt de limo terræ: ille in
pulverem revertitur, non ſpiritus, quem aliunde
quam è terra acceptum, Deus homini dedit. Ad
Job. 10. hunc modum legimus in libro Job: Memento quia
verſ. 9. ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.
Hactenus de corpore. Paulo poſt ſubdit de ſpiritu:
Vitam & miſericordiam tribuiſti mihi, & viſitatio
tua cuſtodivit ſpiritum meum. Illa igitur vita non
erat reditura in pulverem. Mors animæ longe alia
eſt: judicium ſcilicet Dei, cujus gravitatem miſera
anima ferre non poteſt, quin tota confundatur, con-
cidat, & diſpereat: ut & Scripturæ nos docent, &
uſu ipſo experti ſunt, quos Deus horrore illo ali-
quando perculit. Ut enim ab Adam incipiamus,
qui primus exitiale illud ſtipendium meruit, quo
animo putamus fuiſſe, imo quid omnino fuiſſe,
quum horribilem illam vocem audivit: Adam ubi
es? Facilius ſane eſt cogitare, quam dicere: quan-
quam ne cogitari quidem poteſt, niſi ſentiatur. Et
quemadmodum majeſtas Dei quam ſit ſublimis, ver-
bis explicari non poteſt: ita nec quam terribilis ſit
ira iis, quibus incumbit. Vident præſentem Dei
omnipotentis gravitatem: quam ut effugiant, in
mille abyſſos ſe demergere parati ſunt, effugere ta-
men non poſſunt. Et quis non fateatur hanc eſſe ve-
ram mortem? Hic rurſum dico, verbis opus non
habere eos, qui aliquando conſcientiæ cauterio
compuncti ſunt: qui vero experti non ſunt, au-
diant Scripturas: quibus Deus noſter, ignis con-
ſumens eſt: qui dum in judicio loquitur, occidit.
Exod. 20. Talem noverant, qui dixerunt: Non loquatur Do-
verſ. 19. minus nobiſcum, ne forte moriamur Vultis ſcire
Deut. 18. quæ ſit animæ mors? Deo carere, à Deo deſertam
verſ. 16. eſſe, ſibi relictam eſſe. Si enim Deus, ejus vita eſt,
perdit vitam ſuam, quum perdit Dei præſentiam.
Atque ut quod dictum eſt in univerſum, partibus
oſtendatur: ſi extra Deum lux non eſt, quæ nocti
noſtræ luceat: ubi lux illa ſe ſubduxerit, anima
certe in tenebris ſuis ſepulta, cæca eſt. Tunc muta
eſt, quæ confiteri non poteſt ad ſalutem, quod cre-
diderit ad juſtitiam. Surda eſt, quæ vivam illam vo-
cem non audit. Clauda eſt, imo ſe ſuſtinere non
poteſt, ubi non habet cui dicat: Tenuiſti manum
dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me.
Nullo denique vitæ officio fungitur. Sic enim lo-
Baruc. 3. quitur Propheta, quum vult oſtendere fontem vitæ
verſ. 14. eſſe apud Deum: Diſce ubi ſit prudentia, ubi ſit
virtus, ubi ſit intellectus, ubi ſit diuturnitas vitæ
& victus, ubi ſit lumen oculorum & pax. Quid
ultra ad mortem requiritis? Et ne hic aqua no-
bis hæreat, nobiſcum cogitemus, qualem vitam
nobis attulerit Chriſtus: & ſuccurret, à quo ge-
nere mortis nos redemerit. Utrumque nos docet
Apoſtolus: Surge, inquit, qui dormis, & exurge *Epheſ.* 5.
à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Ubi non cine- *verſ.* 14.
rem alloquitur: ſed eos qui involuti peccatis, infe-
ros & mortem ſecum ferunt. Alibi: Et vos, quum *Epheſ.* 2.
eſſetis mortui peccatis, convivificavit vos in Chri- *verſ.* 1.
ſto, donans vobis omnia delicta. Ergo quemad- *Coloſſ.* 2.
modum Apoſtolus nos mori peccato dicit, dum *verſ.* 13.
extinguitur concupiſcentia in nobis: ita & Deo *Rom.* 6.
morimur, dum viventi concupiſcentiæ noſtræ in no- *verſ.* 2.
bis ſubjecti ſumus. Imo vero (ut uno verbo comple-
ctamur quod de vidua deliciante ait) viventes, mo- *1 Tim.* 5.
rimur: hoc eſt, immortales ſumus ad mortem. Quia *verſ.* 6.
licet anima ſenſum ſuum retineat, tamen mala con-
cupiſcentia quaſi ſtupor quidam eſt mentis. Jam
vero qualis erat illa animæ mors, Chriſtus tamen pro
nobis ea defunctus eſt. Quod enim prophetiis pro-
miſſum erat, de ejus victoria contra mortem, ipſe
morte ſua præſtitit. Prophetæ pronunciabant: Præ- *Jeſa.* 25.
cipitabit mortem in æternum. Item, Ero mors tua, *verſ.* 8.
ô mors: morſus tuus, ô inferne. Apoſtoli jam facta *Oſea* 13.
denunciant. Deſtruxit quidem mortem: illuminavit *verſ.* 14.
autem vitam per Euangelium. Rurſum: Etenim ſi *Coloſſ* 2.
per unius delictum mors regnavit per unum: multo *Rom.* 5.
magis ii qui exuberantiam gratiæ acceperunt, per *verſ.* 17.
vitam regnabunt in Chriſto. Hæc fulgura, non ver-
ba, ſi poſſunt, ſuſtineant. Quum enim ex Adam di-
cant eſſe mortem, quod fatemur: non quam ipſi
fingunt, ſed eam quam in animam cadere nuper do-
cuimus: nos rurſum vitam à Chriſto: quod inficiari
non poſſunt. In comparatione Adæ & Chriſti, to-
tius controverſiæ cardo vertitur. Concedant primum
Apoſtolo neceſſe eſt, non modo inſtauratum in
Chriſto id omne quod in Adam collapſum fuerat,
ſed quanto fuerit effuſior gratiæ quam peccati vir-
tus, tanto Chriſtum fuiſſe potentiorem in reſti-
tuendo, quam Adam in perdendo. Palam enim
prædicat, non eſſe donum ut peccatum: ſed longe
exuberaſſe: non quidem in plures homines: ſed
abundantius, in quibus exuberavit. Reſpondeant,
ſi volent, exuberaſſe, non quia abundantiorem vi-
tam dederit, ſed quia multa peccata deleverit:
quum unicum Adæ peccatum nos in ruinam detra-
xiſſet. Hoc ego demum poſtulabam. Deinde,
quum alibi tradat, aculeum mortis eſſe peccatum, *1 Cor.* 15.
quid habet mors quo nos pungat, ubi aculeus *verſ.* 56.
mortis retuſus, imo conſumptus eſt? Atqui, ni-
hil aliud agit multis capitibus Epiſtolæ ad Roma-
nos, quam ut plane declaret, peccatum eſſe peni-
tus abolitum: ne in fideles imperium ſuum exer-
ceat. Jam vero ſi virtus peccati Lex eſt: quum
occidunt eos qui in Chriſto vivunt, quid aliud
quam in maledictionem Legis eos retrahunt, quæ
è medio ſublata eſt? Quamobrem confidenter ja-
ctat Apoſtolus, nullam eſſe damnationem iis qui *Rom.* 8:1.
ſunt in Chriſto Jeſu, qui non ſecundum carnem
ambulant, ſed juxta ſpiritum. Scilicet in eos, quos
Apoſtolus ab omni condemnatione liberat, graviſ-
ſimam ſententiam pronunciant: Morte moriemini.
Ubi autem gratia, ſi mors adhuc regnat inter
electos Dei? Jam (ut ait Apoſtolus) peccatum
quidem regnavit in mortem: gratia vero regnat
in vitam æternam: quæ ſi peccatum ſuperat, nullum
morti locum relinquit. Ergo, quemadmodum mors
per Adam ingreſſa regnavit: ita nunc per Jeſum
Chriſtum regnat vita. Scimus autem quod Chri- *Rom.* 6:9.
ſtus excitatus à mortuis, jam non moritur: mors
illi ultra non dominabitur. Quod enim mortuus fuit,
peccato mortuus fuit ſemel: quod autem vivit,
vivit Deo. Atque hic videre eſt, ut ſuum errorem
ſuo ipſi gladio confodiant. Dum enim pœnam pec-
cati mortem eſſe dicunt, ſimul profitentur homi-
nem, ſi lapſus non eſſet, futurum fuiſſe immorta-
lem. Nam & quod cœpit, aliquando non fuit: &
quod pœnæ eſt, non eſt naturæ. Contra Apoſtolus,
peccatum abſorberi à gratia clamat, ut adverſus
electos

electos Dei agere amplius non poſſit. Obtinemus igitur, electos Dei tales nunc eſſe, qualis fuerit ante peccatum Adam. Et ut ille creatus eſt inextermінabilis, ita & nunc eos eſſe, qui per Chriſtum in meliorem naturam recreati ſunt. Neque obſtat illud *1 Cor. 15. verſ. 54.* Apoſtoli: Tunc fiet verbum: Abſorpta eſt mors in victoria. Quando Fieri, pro Impleri dictum, nemo inficiari poteſt. Implebitur enim in corpore, quod nunc inchoatum eſt in anima. Vel potius, In anima ſimul & corpore implebitur, quod in anima duntaxat inchoatum eſt. Nam & mors hæc communis, qua velut communi naturæ neceſſitate omnes defungimur, magis eſt electis naturalis quidam tranſitus ad ſummum gradum immortalitatis, quam aut malum, *De diſcrimine vitæ humanæ & brut. cap 43.* aut pœna: atque, ut ait Auguſtinus, nihil aliud quam carnis occaſus, qui non conſumit conjuncta, ſed dividit: quum origini ſuæ utrumque reddit.

Tertio loco afferunt, quod toties dormire legantur, qui mortui ſunt. *Actor. 7. verſ 60.* Ut de Stephano, Obdormivit in Domino. *Joan. 11. verſ. 11.* Item, Lazarus noſter dormit. *1 Theſſ. 4. verſ. 13.* Item, Nolite ſolliciti eſſe de dormientibus. In libris vero Regum ſæpiſſime, ut vix alia phraſis Scripturæ ſit familiarior. Maxime vero inſtant, quum arripiunt ſententiam ex libro Job: Lignum habet ſpem: ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit: & rami ejus pullulant: Homo vero ubi mortuus fuerit, & nudatus atque conſumptus, ubi quæſo eſt? Quomodo ſi recedant aquæ de mari, & fluvius vacuefactus areſcat: ſic homo quum dormierit, non conſurget, nec evigilabitur de ſomno ſuo, donec atteratur cælum. Si animæ ideo vobis dormire credantur, quia mors vocatur Dormitio: primum, anima Chriſti eodem ſomno correpta eſt. Sic enim in perſona ipſius loqui- *Pſalm. 3. verſ 6.* tur David: Ego durmivi, & ſomnum cepi, & exurrexi, quia Dominus mecum eſt. Et audir ab *Pſal. 41. verſ. 9.* inimicis ſibi inſultantibus verbum iniquum: Numquid qui dormit, non adjiciet ut reſurgat? Si autem nihil tam humile atque abjectum de anima Chriſti ſuſpicandum eſt, ut diſputatum eſt fuſius; nemo ambigat, quin Scriptura externam duntaxat corporis compoſitionem ſpectaverit: & illud dormire ab hominum aſpectu duxerit. Hæc enim duo promiſcue leguntur: Dormivit cum patribus ſuis: &, Appoſitus eſt patribus ſuis. Quum anima non apponatur animis patrum: ſed corpus in ſepulchrum patrum deferatur. Eſt etiam ſecundum me, quod impiis quoque Regibus attribuit Samuel hanc dormitionem in Regum hiſtoria: quod idem videre eſt in poſterioribus libris Regum, & libris Paralipomenon. Quum auditis dormire impium, cogitatis animæ ſomnum? quæ pejorem habere carnificem non poteſt, à quo torqueatur, quam malam conſcienriam. Ubi ſomnus inter tales anguſtias? Impii enim ſicut mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus *Jeſa. 57. verſ. 21.* in conculcationem & lutum. Non eſt pax impiis, dicit Dominus. Et tamen David quum vellet expri- *Pſal 13. verſ. 4.* mere conſcientiæ aculeum acerrime pungentem, Illumina, inquit, oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem. Ecce fauces inferorum miſerum obſident, vis peccati exagitat, & tamen dormit: imo vero ideo dormit, quia hæc patitur. Hic etiam ad prima diſcendi elementa rejiciendi ſunt, qui necdum didicerunt κατὰ συνεκδοχὴν à parte interdum totum intelligi, interdum à toto partem: quum hæc figura toties uſurpata ſit in Scripturis. Nolo mihi fidem haberi, niſi prius locos aliquot protulerim, qui evincant ſynecdochen eſſe in uſu illius verbi, quoties pro morte legitur. *Job. 7:21.* An vero quum Job diceret, Ecce nunc in pulvere dormio, & ſi mane me quæſieris non ſubſiſtam: exiſtimabat animam ſomno perfuſum iri? Atqui, non erat conjicienda in pulverem. Ergo non in pulvere dormitura erat. Alio *Job. 21. verſ. 26.* etiam loco, quum diceret: Et tamen ſimul in pulvere dormient, & vermes operient eos. Et David: Sicut *Pſal. 88. verſ. 6.* vulnerati dormientes in ſepulchris: an videntur vobis animas vermibus expoſuiſſe, quas arroderent? Idem nos docet Propheta, qui ſcripturus exitium Nebuchadneſar: Conquievit, inquit, & ſiluit omnis terra, abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani: ex quo dormiſti, non aſcendit qui ſuccidat *Jeſa. 14. verſ. 8.* nos. Et paulo poſt: Omnes Reges Gentium univerſi dormierunt in gloria, vir in ſede ſua: Tu autem projectus es è ſepulchro. Quæ omnia de cadavere dicta ſunt: ut Dormire, ſit jacere & proſterni: à more dormientium, qui humi proſtrati jacent. Hanc loquendi formam poterant eos docere Ethnici, quorum unus: Nobis quum ſemel occidit brevis lux, Nox eſt perpetua una dormienda. Alter vero, Stulte, quid eſt ſomnus, &c. Alibi, Dicite, Naſonis molliter oſſa cubent. Atque hæc quidem loquuntur, qui multa fingunt de inferis portenta, multaſque & varias paſſiones, quibus mortuorum umbræ afficiantur. Qua ratione à veteribus impoſitum nomen loco, qui mortuorum ſepulchris deſtinaretur, κοιμητήριον, ἀπὸ τοῦ κοιμᾶσθαι, quod dormire ſignificat. Non quod intelligerent illic mortuas animas ad quietem reponi: ſed corpora. Jam ſatis evanuiſſe arbitror ipſorum fumos, quibus animarum dormitionem involvebant. Ubi probatum eſt, nuſquam inveniri in Scripturis, dormiendi verbum attributum animis, quoties pro morte legitur poſitum. Cæterum de animarum quiete fuſius alibi diſſeruimus.

Quarto, locum Solomonis in nos, quaſi fortiſſimum arietem, impellunt. Ubi ille in Eccleſiaſte ſuo ſcribit: Dixi in corde meo de filiis hominum, ut *Eccleſ. 3. v. 18, 19, 20, 21.* probaret eos Deus, ut oſtenderet ſimiles eſſe beſtiis. Idcirco unus interitus eſt hominis & jumentorum, & æqua utriuſque conditio. Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius. Cuncta ſubjacent vanitati, & pergunt in unum locum. De terra facta ſunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit an ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſpiritus jumentorum deſcendat deorſum? Quid ſi uno verbo Solomon ipſe hic illis reſpondeat? Vanitas vanitatum, dicit Eccleſiaſtes, vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quid enim aliud agit, quam ut ſenſum hominis vanum, & rerum omnium incertum oſtendat? Videt homo ſe mori inſtar belluarum, ſibi vitam & mortem cum illis eſſe communem: conditionem igitur ſibi æquam cum illis, colligit. Et quemadmodum poſt mortem illis nihil ſupereſt, ita ſibi nihil facit reliquum. Hæc mens hominis, hæc ratio, hic intellectus. Animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt Spiritus: ſtultitia eſt illi, & non poteſt intelligere. Homo videt oculis carnis, ſpectat mortem præſentem: hoc unum ſecum reputat, de terra omnia orta eſſe, & in terram pariter reverti: interim animæ nulla ratio. Atque id eſt quod ſubjicit: Quis novit, an ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum? Quod ſi ad animam veniatur, humana ratio tota in ſe contracta, nihil ſtatum aut liquidum, ſtudendo, meditando, ratiocinando, comprehendet. Quum igitur Solomon humani ſenſus vanitatem ex eo oſtendat, quod in animi conſideratione varius ſit & ſuſpenſus, minime errori eorum patrocinatur: ſed fidem noſtram præclare ſuſtinet. Quod enim humanæ mentis captum excedit & modulos, hoc nobis explicat Dei ſapientia: ſpiritum ſcilicet filiorum Adam ſurſum aſcendere. Proponam ſimile ex eodem ſcriptore, quo duram iſtam cervicem paulum illis inflectam. Non intelligit homo odium vel amorem *Eccleſ. 9. verſ. 1.* Dei erga homines: ſed omnia ſervantur incerta, eo quod univerſa æque eveniunt juſto & impio, bono & malo, immolanti victimas & non immolanti, &c. Si omnia ſervantur incerta in futurum: ergo fidelis, cui omnia in bonum cooperantur, afflictionem interpretabitur eſſe Dei odium? minime: fidelibus enim dictum eſt: In mundo preſſuram habebitis, in me conſolationem. Cui verbo dum incumbunt, non

modo

modo infracta animi æquitate perferunt quicquid evenerit, ſed etiam gloriantur in tribulationibus, confitentes cum beato Job: Etiamſi occiderit nos, in ipſo ſperabimus. Quomodo igitur in futurum ſervantur incerta omnia? Hæc ſecundum hominem. Veruntamen vanitas omnis homo vivens. His ſubjicit: Hoc eſt peſſimum quod vidi ſub Sole, quia eadem cunctis eveniunt: unde & corda filiorum hominum implentur malitia & contemptu, in vita ſua: & poſt hæc, ad inferos deducuntur. Nemo eſt qui ſemper vivat, & qui hujus rei habeat fiduciam. Melior eſt canis vivus leone mortuo. Viventes enim ſciunt ſe eſſe morituros: mortui vero nihil noverunt amplius. Nec habent ultra mercedem: quia oblivioni tradita eſt memoria ipſorum, &c. Nonne hæc loquitur de eorum craſſitia, qui cernunt tantum ante pedes, nec futuram vitam, nec reſurrectionem ſperantes? Nam & ſi verum eſſet, nihil nos eſſe poſt mortem: ſupereſt tamen reſurrectio, in cujus ſpem ſi intuerentur, non imbuerentur contemptu Dei, nec replerentur malitia: ut omnia alia omittam. Conſtituamus ergo poſt Solomonem, hæc omnia non cadere ſub ſenſum rationis humanæ. Quod ſi certum aliquid habere volumus, ad Legem curramus & ad teſtimonium: ubi veritas & viæ Domini. Hæc nobis
Eccleſ. 12. verſ. 7. loquuntur: Donec revertatur pulvis in terram, unde erat: & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum. Nemo ergo dubitet, qui verbum Dei audierit, quin ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum. Aſcendere autem ſurſum, ſimpliciter illic accipio, pro conſiſtere, & immortalitatem retinere: quemadmodum Deorſum deſcendere, dixiſſe mihi videtur, pro collabi, decidere, diſperdi.

Quintum argumentum pleno adeo atque aperto gutture intonant, ut profundiſſimum ſomnum dormientibus excutere poſſint. In eo enim meliorem ſuæ victoriæ partem conſtituunt. Et quum fucum ſuis neophytis facere volunt, id potiſſimum arripiunt, quo fidem eorum, & ſanam mentem labefactent. Unum, inquiunt, judicium, quod reddet omnibus ſuam mercedem, piis gloriam, impiis gehennam. Nihil ante illum diem ſtatuitur, aut beatitudinis, aut miſeriæ. Sic ubique Scripturæ te-
Mat. 24. verſ. 31. ſtantur: Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à ſummis cælorum, uſque ad terminos eorum.
Mat. 13. verſ. 41. Item, In conſummatione ſeculi, mittet Filius hominis Angelos ſuos, & colligent de regno ejus omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem, & mittent eos in caminum ignis. Tunc juſti fulgebunt, ſicut
Mat. 25. verſ. 34. Sol, in regno patris ſui. Item, Tunc dicet Rex his qui à dextris erunt: Venite benedicti Patris mei, poſſidete regnum paratum vobis à conſtitutione mundi: Diſcedite à me maledicti in ignem æternum. Et ibunt, hi in ſupplicium æternum, juſti autem in
Dan. 12. verſ. 1. vitam æternam. Simile eſt apud Danielem: Et in tempore illo ſalvabitur populus tuus; omnis qui inventus fuerit ſcriptus in libro. Hæc omnia, inquiunt, ſi de die judicii ſcripta ſunt, quomodo vocabuntur tunc ad regni cæleſtis poſſeſſionem electi, ſi nunc poſſident? Quomodo dicetur illis ut veniant, ſi jam ſunt? Quomodo ſalvabitur populus, ſi nunc ſalvus eſt? Quamobrem fideles, qui nunc etiam in fide am-bulant, non alium expectant ſalutis ſuæ diem, ut ait
2 Cor. 4. verſ. 14. Paulus: Scientes, quoniam qui ſuſcitavit Jeſum à mortuis, & nos cum Jeſu ſuſcitabit. Et alibi: Expectantibus revelationem Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui & confirmabit vos uſque in finem, in diem adventus, &c. Verum, ut hæc omnia illis concedamus, cur addunt de ſomno ſuum? Non enim in tot locis ac ſimilibus, ſyllabam unam de ſomno proferre poſſunt. Atqui, etiamſi vigilent, carere poſſunt gloria. Quare quum inſani ſit hominis, nedum temerarii, ſine Scriptura definire de iis, quæ ſub ſenſum hominis non cadunt: quo tandem vultu pergunt temulenti iſti & novi dogmatiſtæ in defenſionem ſomni, quem non acceperunt ex ore Domini? Hoc ſanis & ſobriis ſatis eſſe poſſit: quo agnoſcant ſomnum iſtum improbe confingi, qui aperto Dei verbo probari non poſſit. Sed age, hos locos obiter ediſſeramus, ne quid ſimpliciores moveant, quum audiunt ſalutem animarum in diem judicii differri. Primùm illud quidem in confeſſo eſſe volumus, quod jam ante explicatum à nobis eſt, beatitudinem noſtram ſemper in curſu eſſe, uſque ad diem illum, qui omnem curſum claudet & terminabit: ita electorum gloriam, & ultimæ ſpei finem, ad eum ipſum diem ſpectare, ut impleatur. Nam hoc ſatis inter omnes convenit, nullam eſſe vel beatitudinis, vel gloriæ perfectionem: niſi perfectam cum Deo conjunctionem. Huc omnes tendimus, huc properamus, huc omnes Scripturæ mittunt, & Dei pro-
missiones. Quod enim ſemel Abrahæ dictum eſt, ad *Geneſ. 15. verſ. 1.*
nos etiam pertinet: Abraham, ego merces tua magna nimis. Hæc ergo quum ſit conſtituta omnibus merces, qui cum Abraham partem habent: Deum poſſidere, & eo frui: præter quam, & ultra quam, nullam aliam appetere liceat: conjiciendi ſunt illuc oculi, quum de expectatione noſtra agitur. Hactenus, ni fallor, aſſentiuntur nobis adverſarii noſtri. Atque iſtud rurſum nobis, ut ſpero, concedent, regnum illud, ad quod fideles poſſidendum vocantur, quod & ſalus alibi, & merces, & gloria nuncupatur, non aliud eſſe, quam illam cum Deo unionem: ut ſcilicet in Deo plene ſint, à Deo impleantur, ipſique viciſſim Deo adhæreant, Deum plene poſſideant, unum denique cum Deo ſint. Sic enim dum in fonte ſunt omnis plenitudinis, ultimam metam attingunt omnis juſtitiæ, ſapientiæ, gloriæ: quibus benedictionibus conſtat regnum Dei. Nam id eſſe
ultimum punctum regni Dei inſinuavit Paulus, quum *1 Cor. 15.*
inquit: Ut ſit Deus omnia in omnibus. Si Deus illo *verſ. 28.*
demum die vere erit omnia in omnibus, & ſuos fideles ad juſtum modum implebit: non abſque cauſa dies ille ſalutis noſtræ dicitur: ante quem non omnes ſalutis noſtræ numeri implentur. Quos enim Deus implet, ii implentur omnibus divitiis, quas neque lingua eloqui, nec auris percipere, nec oculus videre, nec mens cogitatione aſſequi poteſt. Hæc duo ſi extra controverſiam ſunt: fruſtra nituntur noſtri hypnologi convincere, ſanctos Dei ſervos, hac vita defunctos, nondum ingreſſos eſſe in regnum Dei, ex eo quod illis dicetur: Venite, poſſidete regnum, &c. & ſimilibus. Promptum enim nobis eſt reſpondere: non ideo nunc nullum eſſe regnum, quia nondum perfectum eſt. Sed contra, dicimus tunc perficiendum eſſe, quod jam inchoatum eſt: cujus rei fidem tunc demum factam à me volo, ubi planam fecero, ex certis Scripturarum argumentis.
Nam & dies ille regnum Dei dicitur, quia tunc vere *1 Cor. 15.*
ſubjiciet ſibi poteſtates adverſarias, Satanam inter- *verſ. 24.*
ficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adven- *2 Theſſ. 2.*
tus ſui, ipſe vero totus in electis ſuis habitabit & *verſ. 8.*
regnabit. Neque enim aliter regnare olim in ſe Deus poteſt, quam regnavit ab initio: cujus majeſtati, nihil accedere aut decedere poteſt. Sed regnum ejus dicitur, quod omnibus manifeſtabitur. An vero dum oramus ut regnum ejus adveniat, cogitamus nunc nullum eſſe? Et ubi erit illud? Regnum Dei intra vos eſt. Regnat igitur Deus jam nunc in electis ſuis, quos agit Spiritu ſuo. Regnat & contra diabolum, peccatum & mortem, dum jubet è tenebris lucem ſplendeſcere, qua confundantur error & mendacium: & dum prohibet, ne noceant poteſtates tenebrarum iis, qui ſignum Agni in fronte gerunt. Regnat, inquam, jam nunc, cujus ut regnum adveniat, oramus. Regnat quidem dum operatur virtutes in ſuis, dum Satanæ legem dicit. Sed tunc regnum ejus adveniet, quum implebitur. Implebitur autem, quum plane manifeſtabit gloriam maje-
ſtatis

Digitized by Google

ſtatis ſuæ electis ſuis ad ſalutem : reprobis ad confuſionem. Quid autem aliud vel dicendum vel credendum eſt de electis ? quorum regnum eſt & gloria, in regno Dei glorioſo eſſe, & cum Deo veluti regnare, & in eo gloriari : denique divinæ gloriæ participes eſſe. Hoc quidem regnum, tametſi nondum adveniſſe dicitur, tamen aliqua ex parte ſpectare licet. Nam in regno Dei incipiunt eſſe, qui regnum Dei quodammodo intra ſe habent, & cum Deo regnant : adverſus quos portæ inferorum prævalere nequeunt. In Deo juſtificantur, de quibus dictum eſt : In Domino juſtificabitur, & laudabitur omne ſemen Iſraël. *Jeſa. 43. verſ. 21.* Ut prorſus regnum iſtud, ſit Eccleſiæ ædificatio, ſeu profectus fidelium, quem nobis deſcribit Paulus : qui per omnes ætatum gradus adoleſcunt in virum perfectum. *Epheſ. 4. verſ. 13.* Vident boni iſti viri hujus regni principia, vident incrementa : ſtatim atque hæc abeunt ex oculis, non dant fidei locum, nec ſuſtinent credere, quod non habent præ oculis carnis. At vero longe aliter Apoſtolus : Mortui, inquit, eſtis : & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. *Coloſſ. 3. verſ. 4.* Quum autem Chriſtus apparuerit, vita veſtra, tunc & vos ſimul cum ipſo apparebitis in gloria. Vitam quidem abſconditam nobis tribuit cum Chriſto, capite noſtro, apud Deum : gloriam differt in diem gloriæ Chriſti, qui ut caput eſt Eccleſiæ, trahet ſecum ſua membra. Idem prorſus Joannes aliis verbis : Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, ſed nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Non dicit, nos interea, aliquo temporis intervallo, nihil futuros : ſed quum ſimus filii Dei, qui expectamus hæreditatem Patris, ſuſtinet ac ſuſpendit expectationem noſtram in diem illum, quo in omnibus gloria Dei manifeſtabitur, & nos in eo gloriabimur. Hic rurſum mirari ſubit, quum audiunt Dei filios, qui non redeant ad ſanam mentem, & ſentiant hanc generationem immortalem eſſe, quæ ex Deo eſt, & qua divinæ immortalitatis ſumus participes. Sed ad inſtitutum pergamus. Clament quantum volent, non vocari benedictos Dei ad regnum ante diem judicii, nec ante promitti ſalutem populo Dei. Reſpondeo, Chriſtum caput noſtrum eſſe, cujus regnum & gloria nondum apparuerunt : ſi membra caput præcedant, perverſum ac præpoſterum eſſe ordinem. Tum vero nos ſequuturos Principem noſtrum, quum ille veniet in gloria Patris ſui, & ſedebit in ſede majeſtatis ſuæ. Interim tamen vivere, quod ex Deo in nobis eſt, hoc eſt, ſpiritum noſtrum, quia Chriſtus vivit vita noſtra : abſurdum enim eſſe, ut vivente vita noſtra, pereamus ipſi. Vitam autem hanc & apud Deum, & cum Deo eſſe, & beatam eſſe, quia in Deo ſit. Hæc omnia ſibi conſtant, & veritati conſentiunt. Cur enim nondum ſalvati eſſe dicuntur, aut regnum Dei poſſidere, qui in Domino mortui ſunt ? Quia expectant, quod nondum habent, nec finem ſuæ felicitatis attigerunt. Cur nihilominus beati ſunt ? quia & Deum agnoſcunt ſibi propitium, & futuram mercedem eminus vident, & in certa expectatione beatæ reſurrectionis acquieſcunt. Quamdiu certe habitamus in hoc carcere luteo, ſperamus quæ non videmus : & præter ſpem, credimus in ſpem : quod ait Apoſtolus de Abraham. *Rom. 4. verſ. 18.* Ubi autem oculi mentis noſtræ, qui nunc ſepulti in hac carne, hebetes ſunt, abſterſerint hanc velut lippitudinem, videbimus quæ expectabamus, & in ea requie delectabimur. Neque enim veremur id poſt Apoſtolum dicere, qui è converſo dicit φοβερὰν τινὰ ἐκδοχὴν κρίσεως manere reprobos, id eſt, formidabilem expectationem judicii. *Hebr. 10. verſ. 27.* Si hæc terribilis : illa ſane & læta, & beata merito vocabitur. Et quoniam conſilium eſt docere adverſarios magis quam cogere : commodent nobis paulisper aures, dum ex figura veteris Teſtamenti eruimus veritatem, neque id ſine auctore. Quemadmodum Paulus in tranſitu filiorum Iſraël, tractat allegorice ſubmerſum Pharaonem, viam liberationis per aquam : *1 Cor. 10. verſ. 1* permittant etiam nobis dicere : in Baptiſmo ſubmergi Pharaonem noſtrum, crucifigi veterem hominem, mortificari membra noſtra, nos ſepeliri cum Chriſto, migrare è captivitate diaboli, ac imperio mortis : ſed migrare duntaxat in deſertum, terram aridam ac inopem, niſi Dominus pluat mannam è cælo, & aquam ſcaturire faciat è petra. Anima enim noſtra, ſicut terra ſine aqua illi, quæ rerum omnium penuria premitur, donec ille pluit gratia Spiritus ſui. Tranſitur poſtea in terram promiſſionis, duce Jeſu filio Nave, terram abundantem lacte & melle : hoc eſt, gratia Dei nos liberat è corpore mortis, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, non tamen ſine ſanguine & ſudore. Siquidem caro tum maxime reſilit, & vires ſuas ad pugnam exerit, ut confligat adverſus ſpiritum. Poſtquam in terra reſidetur, tunc paſcimur in abundantia. Dantur enim ſtolæ albæ, & requies. Sed nondum erecta eſt Jeruſalem, caput ac ſedes regni. Nondum Solomon rex pacis ſceptra tenet, omniaque moderatur. Sunt ergo ſanctorum animæ poſt mortem in pace, quæ extra manum hoſtis evolarunt. Sunt in opulentia, de quibus dictum eſt : Ibunt de abundantia in abundantiam. Ubi vero ſurrexerit in gloriam ſuam cæleſtis Jeruſalem, & verus Solomon Chriſtus, rex pacis, ſublimis ſederit in tribunali, regnabunt cum ſuo rege veri Iſraëlitæ. Quod ſi libet à rebus hominum petere ſimilitudinem : pugnamus cum hoſte, quamdiu conflictatio eſt nobis adverſus carnem & ſanguinem : vincimus hoſtem, dum exuimur hac carne peccati, ut toti Dei ſimus. Agemus triumphum, & fructu victoriæ potiemur, quum caput noſtrum ſupra mortem, vere erigetur in gloria : hoc eſt, quum mors in victoria abſorbebitur. Hæc meta, hic ſcopus noſter, de quo ſcriptum eſt : Satiabor, quum evigilavero, aſpectu gloriæ tuæ. Hæc ex Scripturis facile diſcere poſſunt, quicunque Deo auſcultare, & vocem ejus exaudire didicerunt. Hæc etiam nobis per manus tradiderunt, qui parce & reverenter tractarunt Dei myſteria. Sic enim permiſerunt ſibi loqui veteres, ut dicerent animas quidem in paradiſo & in cælo eſſe, nondum tamen gloriam aut mercedem percepiſſe. Nam Tertullianus : Et merces (inquit) & periculum, in reſurrectionis pendet eventu : *Lib. de reſurrect. carnis.* qui tamen, ſine ulla ambage, docet animas cum Deo eſſe, & in Deo vivere, ante eventum illum. Alibi : Cur non capiamus ſinum Abrahæ dici, temporale aliquod fidelium animarum receptaculum, in quo delineetur fidei imago, ac candida utriuſque judicii proſpiciatur? Irenæus vero : Quum Dominus in medio umbræ mortis abierit, ubi animæ mortuorum erant, poſt deinde corporaliter reſurrexit, & poſt reſurrectionem aſſumptus eſt : *Lib. 9. adverſus hæreſ.* manifeſtum eſt, quia & diſcipulorum ejus, propter quos hæc operatus eſt Dominus, animæ abibunt in inviſibilem locum, definitum illis à Domino : & ibi, uſque ad reſurrectionem commorabuntur, ſuſtinentes reſurrectionem : poſt, recipientes corpora ſua, & perfecte reſurgentes, hoc eſt, corporaliter, quemadmodum & Dominus reſurrexit, ſic venient in conſpectum Dei. Nemo enim diſcipulus ſupra magiſtrum, &c. Et Chryſoſtomus : Intelligite quale & quantum eſt, *Hom. 28. in 11. ad Hebr.* Abraham ſedere, & Apoſtolum Paulum, quando perficiatur, ut poſſint tunc mercedem recipere. Niſi enim nos illuc venerimus, tunc prædixit eis Pater, ſe non daturum mercedem : ſicut bonus pater amator filiorum, & probabilibus filiis, & opus perficientibus, dicit, ſe non daturum cibum, niſi venerint alii fratres. Tu autem anxius es, quia necdum accipis ? quid autem faciet Abel, qui ante vicit, & adhuc ſine corona ſedet ? Quid Noë ? quid cæteri illorum temporum ? Quia ecce expectaverunt, & alios expectant, qui poſt te futuri ſunt. Paulo poſt:

Prævenerunt nos in certaminibus, ſed non prævenient in coronis: quia unum definitum eſt tempus omnium coronarum. *Lib. 12. de civit. c. 9. lib. 13. c. 8. & alibi:* Auguſtinus autem multis in locis ſecreta receptacula deſcribit, quibus piorum animæ contineantur, donec coronam & gloriam recipiant: quum interim reprobi pœnas luunt, expectantes juſtam judicii pœnam. Et quadam ad Hieronymum Epiſtola: Anima, inquit, poſt mortem corporis, requiem eſt habitura, & corpus tandem ad gloriam receptura. Bernardus vero, Homiliis duabus habitis in feſto omnium Sanctorum, ubi ex profeſſo hanc quæſtionem tractat, ſanctorum animas corporibus exutas, adhuc in atriis Domini ſtare docet, ad requiem admiſſas, non autem ad gloriam. In illam, inquit, beatiſſimam domum nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis: id eſt, nec ſancti ſine plebe, nec ſpiritus ſine carne. Et multa alia in hanc ſententiam. Qui autem in cælo eas collocant, modo non attribuant illis reſurrectionis gloriam, nihil ab ea ſententia diſſident: *De Eccleſ. dogmatib.* ſicut Auguſtinus ipſe facere alicubi videtur. Nam quum certum ſit, nunc torqueri malos dæmones *2 Petr. 2.* (ut Petrus affirmat) ignis tamen ille, in quem mittentur reprobi in die judicii, dicitur præparatus *Jud. 1.* diabolo. Utrumque ille expreſſit, qui ſcripſit reſervatos ſub æternis vinculis, in judicium magni diei. Ubi per reſervationem, pœnam ſignificavit, quam nondum ſentiunt: per vincula, præſentem, *In Pſ. 36.* quam ſuſtinent. Et Auguſtinus ipſe alio loco ſe exponit, quum inquit: Tuus certe dies ultimus longe abeſſe non poteſt. Ad hunc te præpara. Qualis enim exieris de hac vita, talis redderis illi vitæ. Poſt vitam iſtam non ſtatim eris ubi erunt ſancti, quibus dicetur, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum eſt ab initio mundi. Nondum ibi eris, quis neſcit? ſed jam poteris ibi eſſe, ubi illum quondam ulceroſum pauperem, dives ille ſuperbus & ſterilis, in mediis ſuis tormentis, vidit à longe requieſcentem. In illa requie poſitus, certe ſecurus expectas judicii diem, quando recipias & corpus, quando immuteris, ut Angelo æque*Idem de quantit. animæ.*ris. Neque diſplicet, quod alicubi docendi cauſa traditum eſt ab eodem, ſi tamen ſanum & modeſtum interpretem habeat: multos eſſe gradus animæ: primum, animationem: ſecundum, ſenſum: tertium, artem: quartum, virtutem: quintum, tranquillitatem: ſextum, ingreſſionem: ſeptimum, contemplationem. ſeu quis malit: primum, de corpore: ſecundum, ad corpus: tertium, circa corpus: quartum, ad ſeipſam: quintum, in ſeipſa: ſextum, ad Deum: ſeptimum, apud Deum. Quæ verba huc accerſere viſum eſt magis, ut ſancti viri ſenſum hac in re oſtenderem, quam ut quenquam, aut me etiam ipſum, ad hujus diſtinctiunculæ legem adigam. Id enim ne ipſe quidem Auguſtinus, opinor, optavit: ſed quam potuit craſſiſſime, enarrare voluit quendam eſſe animæ profectum: qui non ad ultimam metam perveniat, uſque ad diem judicii. Poſtremo ſuccurrit, ex hoc judicii die, qui tantopere incumbunt, errorem eorum poſſe revelli. In Symbolo namque, quod eſt fidei noſtræ compendium, confitemur non animæ, ſed carnis reſurrectionem. Neque erit locus cavillo, ut dicant, Carnis nomine, totum ſignificari hominem. Quod quidem illis interdum eſſe concedimus: ſed hic minime admittimus, ubi rudi populo admodum ſignificantia & ſimplicia verba expreſſa ſunt. Certe Phariſæi, egregii reſurrectionis aſſertores, & ſemper in ore habentes ejus nomen, ſimul tamen credebant non eſſe ſpiritum.

Injiciunt tamen adhuc nobis manus, & nos hærere cogunt ad hunc ſcopulum. Verba Pauli citant quibus teſtatur nos eſſe omnibus hominibus miſerabiliores, ſi mortui non reſurgunt. Quorſum, inquiunt, reſurrectione opus eſt, ſi ante reſurrectionem beati ſumus? Imo vero quæ tanta eſt Chriſtianorum hominum miſeria, quæ omnium hominum miſeriam ſuperat, ſi verum eſt eos eſſe in requie, dum interim alii torquentur, & miris modis cruciantur? Hic eos admoneo, ſi eludendi conſilium eſſet (quod ipſi unum moliuntur) patere mihi elabendi locum. Quid enim prohibet, ſanos quoſdam homines ſequi, qui diſputationem illam accipiunt, non de ultima modo reſurrectione, qua ex corruptione recipiemus corpora incorruptibilia: ſed de vita, quæ nobis ſupereſt poſt hanc vitam mortalem, quam nomine reſurrectionis in Scripturis deſignari, uſitatum eſt? Quum enim dicitur, Sadducæos negare reſurrectionem, non refertur ad corpora: ſed ſimpliciter dicitur, ex eorum opinione, nihil supereſſe homini poſt mortem. Cujus rei probabile eſt argumentum, quod omnia, quibus ibi ſententiam ſuam adſtruit Paulus, uno verbo elevari poterant, ſi reſponſum eſſet, animas quidem vivere: corpora vero, quæ in pulverem evaneſcerent, nullo modo ſuſcitari poſſe. Exempla ſubjiciamus. Quod ait: Ergo qui in Chriſto dormierunt, perierunt: refutari poterat à philoſophis, qui animæ immortalitatem fortiter aſſerebant. Ad id quod dicit: Quid facient qui baptizantur pro mortuis? facile erat reſpondere. Quia animæ poſt mortem ſuperſtites. Ad illud vero: Ut quid nos periclitamur omni hora? nos exponere fragilem hanc vitam pro immortalitate: in qua meliori noſtri parte vivemus. Jam multum verborum poſuimus, quorum nullus uſus fuiſſet inter dociles. Ipſe enim Apoſtolus, nos eſſe miſeros dicit ſi in hac tantum vita in Chriſto ſperamus. Quod ſine controverſia liquidum eſt: vel eo teſte, qui fatetur motos ſibi pene pedes, & pene effuſos greſſus, dum videt pacem peccatorum in terra. Et ſane ſi ante pedes reſpicimus, beatum dicemus populum, cui omnia ex ſententia affluunt. Si vero longius extendimus oculos, beatus erit populus, cujus Dominus Deus eſt, penes quem eſt exitus mortis. Nos tamen certius aliquid adferemus, quod non modo ipſorum refellat objecta, ſed germanam Apoſtoli mentem explicet iis, qui citra verborum contentionem diſcere volent. Nam ſi non eſt carnis reſurrectio: merito, vel ob hoc unum, infelices vocat pios: quod tot vulnera, flagella, tormenta, contumelias, ultimas denique neceſſitates in corporibus ſuis perferunt, quæ putant deſtinata ad immortalitatem, quandoquidem hac ſpe ſua falluntur. Quid enim magis, non jam dico miſerum, ſed ridiculum, quam ſpectare eorum corpora, qui in diem vivunt, omnibus deliciis delibuta; Chriſtianorum corpora, fame, frigore, plagis, omni contumeliarum genere confecta, ſi & horum & illorum corpora ex æquo intereunt? Poſſem enim id ex ejus verbis confirmare, quæ ſubjicit: Ut quid periclitamur omni hora? Quotidie morior per veſtram gloriam fratres, &c. Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Satius, inquit, eſſet illud valere inter nos, Manducemus, &c. ſi hæc quæ patimur in corporibus noſtris opprobria, non ea, quam ſperamus, gloria mutarentur. Quod non futurum eſt, niſi in reſurrectione carnis. Deinde ut hoc præſidio cedam, poſſum hic alteram rationem addere. Ideo nos eſſe omnibus hominibus miſerabiliores, ſi non ſit reſurrectio, Quia tametſi ante reſurrectionem beati ſumus, non tamen ſine reſurrectione. In hoc enim beatos eſſe ſanctorum ſpiritus dicimus, quia acquieſcunt in ſpe beatæ reſurrectionis: quæ ſi non eſſet, periret hæc omnis beatitudo. Eſt igitur verum illud Pauli, nos eſſe miſerabiliores omnibus hominibus, ſi non ſit reſurrectio. Nec cum illis verbis pugnat hoc dogma: beatos eſſe ſanctorum ſpiritus, ante reſurrectionem: ſed propter reſurrectionem.

Pro-

Proſerunt etiam quod in Epiſtola ad Hebræos legitur, de veteribus patribus. *Hebr. 11. verſ. 13.* Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis promiſſionibus: ſed à longe eas ſalutantes, quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hoc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere. Et ſiquidem ipſius meminiſſent, de qua exierunt, habebant utique poteſtatem revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id eſt, cæleſtem. Unde in hunc modum ratiocinantur: Si appetunt patriam cæleſtem, ergo non poſſident. Nos vero ſic: Si appetunt, ergo ſunt: non enim cadit appetitus, niſi in ſubjectum. Et, quod ab illis ſolum exprimere conor, convenit eſſe ſenſum boni & mali, ubi eſt appetitus, qui aut ſequatur, quod boni ſpeciem præfert, aut refugiat, quod malum viſum fuerit. Appetitus ille, dicunt, jacet in Deo. Quo nihil magis ridiculum cogitari aut fingi poteſt. Siquidem è duobus, alterum evincimus: aut Deum quippiam appetere, melius quam habet: aut aliquid eſſe in Deo, quod non ſit Dei. Quæ res mihi conjecturam facit, in re ſeria eos ludere. Atque ut hæc omittamus, quid vult ſibi revertendi poteſtas? Redeant itaque ad cor, & aliquid melius audiant, quam hactenus ſenſerunt. Si tamen perſuaſum habent, quod in primis labris circumſerunt. Loquitur Apoſtolus de Abraham, & ejus poſteritate, qui inter extraneos habitarunt in terra aliena; tantum non exules, certe inquilini, vix corpora tegentes humilibus tuguriis: juxta Dei præceptum quod Abrahæ datum fuerat, ut exiret de terra ſua, & de cognatione ſua. His promiſerat Deus, quod nondum exhibuerat. Salutaverunt ergo eminus promiſſiones, & in certa fide defuncti ſunt, fore olim, ut præſtaret Deus promiſſa ſua. Juxta quam fidem confeſſi ſunt, non eſſe ſibi ſtatam ſedem in terris, & extra terram ſibi eſſe patriam, quam appeterent: nempe in cælo. In fine vero capitis ſignificat eos omnes, quos recenſuit, non adeptos eſſe ultimam repromiſſionem, ne ſine nobis perficerentur. Cujus verbi, ſi proprietatem obſervaſſent, nunquam concitaſſent tantas turbas. Mirum quomodo cæcutiant in tanta luce. Sed hoc magis mirum, quod panem nobis pro lapidibus porrigunt; hoc eſt, dum volunt impellere, ſuſtinent.

Actor 9. verſ. 40. Jam quod de Thabita narratur in Actis Apoſtolorum, putant valde firmum ſibi eſſe columen, quæ quum diſcipula eſſet Chriſti, plena bonis operibus & eleemoſynis, ſuſcitata eſt ex mortuis à Petro. Injuriam aiunt factam Thabitæ, ſi verum dicimus, animas ſolutas à corpore, cum Deo & in Deo vivere, quod revocata ſit à conſortio Dei & beata illa vita, in hoc mare malorum. Quaſi vero non liceat idem contra eos retorquere. Nam ſive dormiebat, ſive nihil erat, quia tamen defuncta erat in Domino, beata erat. Non igitur expediebat illi redire in hanc vitam, quam confecerat. Hunc nodum quem colligarunt, priores ipſi diſſolvant. Siquidem æquum eſt eos legi parere, quam aliis imponunt. Quanquam nobis diſſolvere facile eſt. Quæcunque nos maneat ſors poſt mortem: quod de ſe ait Paulus, *Philip. 1. verſ. 23.* transfertur ad omnes fideles: ut mori nobis ſit lucrum, & eſſe cum Chriſto melius. Et tamen Paulus dicit, *Philip. 2. verſ. 27.* Epaphroditum, qui certe in numero fidelium erat, miſericordiam conſequutum à Domino, quod infirmatus ad mortem, revaluiſſet. Iſti quidem, qui tam irreverenter & parum ſobrie tractant Dei myſteria, miſericordiam iſtam interpretarentur crudelitatem. Nos vero miſericordiam ſentimus & fatemur, quum ſint gradus miſericordiæ Dei, ſanctificari electos, glorificari ſanctificatos. Nonne igitur miſericordiam ſuam exercet Dominus, quum nos magis ac magis ſanctificat? Quid, ſi voluntas Dei eſt magnificari in corpore noſtro per vitam, ut ait Paulus, nonne miſericordia eſt? Quid, quod Deo legem miraculorum dicere non noſtrum eſt? ſatiſque eſt, ſi in illis eluceat auctoris gloria. Quid ſi dicamus Deum non conſuluiſſe Thabitæ commodis, ſed pauperes reſpexiſſe? ad quorum certe preces ſuſcitata eſt, flentium & oſtendentium veſtes, quas conſuebat illis Thabita. Hanc enim rationem vivendi ſufficere ſibi credebat Paulus, quum multo melius eſſet illi, ad Deum migrare. Et quum Deum miſertum eſſe Epaphroditi dixiſſet, ſubjecit, Non ſolum autem ejus, ſed & mei, ne triſtitiam ſuper triſtitiam haberem. Ite nunc, & Deo dicam dicite: quod mulierem in miniſteria pauperum ſedulam, reddidit pauperibus. Nam ut conſtet nobis operis ratio, hoc certe Chriſtus meruit, ut glorificetur in vita noſtra, & in morte, qui mortuus eſt & reſurrexit, ut vivis dominetur & mortuis.

Vocant & Davidem in cauſæ ſuæ patrocinium, noſtræ optimum patronum: ſed adeo ſine pudore, aut etiam ſenſu communi, ut pudeat ac pigeat multa, quæ ab eo argumenta mutuantur, referre. Omnia tamen quæ ab illis uſurpari audivimus, bona fide à nobis referentur. Audent primum iſtud citare: *Pſal. 82. verſ. 6.* Ego dixi, Dii eſtis, & filii excelſi omnes: vos autem, ſicut homines, moriemini, &c. Ac interpretantur, deos quidem & filios Dei eſſe fideles, ſed mori & cadere cum reprobis: ut æqua ſit ſors utrorumque, donec ſeparabuntur agni ab hœdis. Reſpondemus, quod à Chriſto accepimus illic vocari deos, *Joan. 10. verſ. 34.* ad quos ſermo Dei factus eſt: hoc eſt, Dei miniſtros: judices ſcilicet, qui gladium in manu gerunt, acceptum à Deo. Et ſi deeſſet nobis Chriſti interpretatio, uſuſque Scripturæ, qui ubique concinit, locus ipſe per ſe ſatis clarus eſt, quo objurgantur qui judicant iniquitatem, & facies peccatorum ſumunt. Hi dicuntur dii, quod perſonam Dei ſuſtinent, quum aliis præſunt. Sed admonentur, futurum ſibi judicem, cui rationem reddant functionis. En ſpecimen.

Pſal. 146. verſ. 4. Audiamus alterum: Exibit ſpiritus ejus, & revertetur in terram ſuam. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Ubi accipiunt ſpiritum pro vento, hominem abiturum in terram, nihil futurum niſi terram, perituras omnes cogitationes, quæ utique remanerent, ſi eſſet anima. Nos vero non ita ſubtiles ſumus, ſed pro noſtra craſſitie, ſcapham, vocamus ſcapham, & ſpiritum, ſpiritum. qui dum exit ab homine, ipſe homo in terram ſuam revertitur, de qua ſumptus eſt, ut diffuſe explicavimus. Reſtat ut videamus, quid ſit cogitationes perire. Admonemur, ne conſtituamus fiduciam in hominibus, quæ debet eſſe immortalis: foret enim incerta & parum ſtabilis, quum vita hominum cito pertranſeat. Ad quod ſignificandum, dixit perire eorum cogitationes: hoc eſt, quicquid moliebantur dum viverent, diſſipari & in ventum abire. Ut alibi: *Pſal. 112. verſ. 10.* Peccator videbit & iraſcetur, dentibus ſuis fremet & tabeſcet, deſiderium peccatorum peribit. quod alias dicitur, *Pſal. 33. verſ. 10.* diſſipari. Dominus diſſipat conſilia gentium. Item, *Jeſa. 8. verſ. 10.* Inite conſilium, & diſſipabitur. Quod verborum periphraſi, beata Virgo in cantico ſignificavit: *Luca 1. verſ. 51.* Diſperſit ſuperbos ſenſu cordis ſui.

Pſal. 78. verſ. 39. Tertium: Et recordatus eſt, quia caro ſunt, ſpiritus vadens, & non rediens. Et ſpiritum pro vento poſitum, ut fere ubique contendunt. In quo non intelligunt, ſe non animarum modo immortalitatem abolere, ſed ſpem quoque reſurrectionis præcidere. Si enim eſt reſurrectio, ſpiritus certe redit. Si non redit, reſurrectio tollitur. Quamobrem eos imprudentiæ culpam hic magis deprecari convenit, quam fortius inſtare, ut obtineant tam perverſum poſtulatum. Atque hæc quidem in hoc tantum dicta ſint, ut videant omnes, quantum pateat effugium, ſi de refutandis eorum argumentis tantum cogitaremus. Fatemur enim libenter, idque ex noſtra ipſorum ſententia, hic quadrare nomen venti. Concedimus homines ventum eſſe fugientem nec redeuntem. Quod ſi ad ſua ſenſa trahunt, errant, ne-

ſcientes Scripturas : quibus mos eſt, per id ge-
nus periphraſis deſignare, nunc humanæ conditio-
nis imbecillitatem, nunc brevitatem vitæ. Quum de
Job. 14. hominedicit Job, florem eſſe qui egreditur & con-
verſ. 1. teritur, & velut umbram fugere, quid aliud, quam
deſcribere voluit, hominem eſſe fluxum & fragi-
Jeſa. 40. lem, & ſimilem floris decidui? Jeſaias vero clamare
verſ. 6. jubetur omnem carnem fœnum eſſe; & omnem ejus
gloriam, quaſi florem fœni. Exiccatum eſſe fœnum,
& cecidiſſe florem. Verbum autem Domini æternum
permanere. Agedum, colligant uno verbo, ani-
mam hominis exarere & emarcere : & paulo acutius
cernant, quam craſſus ille piſcator, qui ex eo pro-
bat fideles omnes immortales eſſe, quia renati ſint
ex ſemine incorruptibili, hoc eſt, verbo Dei, quod
æternum permanet. Eos vero Scriptura florem flu-
xum vocat, & ventum prætereuntem, quibus fidu-
cia eſt in hac vita. Qui quaſi hic ſedem permanen-
tem fixerint, regnaturos ſe putant ſine fine : nec
eum finem reſpiciunt, quo ſit mutanda conditio, &
Jeſa. 28. alio demigrandum. De quibus etiam ait Propheta;
verſ. 15. Pepigimus fœdus cum morte, & cum inferno fe-
cimus pactum. Eorum vanam ſpem irridens, noo
deputat ad vitam, quod illis eſt initium mortis peſ-
ſimæ. Ac deſinere & mori eos affirmat, quibus me-
lius eſſet non eſſe, quam ſic eſſe. Simile eſt quod
Pſal. 103. alio Pſalmo legitur : Quomodo miſeretur pater filio-
verſ. 13. rum, miſertus eſt Dominus omnium timentium ſe.
Quoniam ipſe cognovit figmentum noſtrum : recor-
datus eſt quia pulvis ſumus. Et homo, ſicut fœnum,
dies ejus tanquam flos agri, ſic efflorebit. Quoniam
ſpiritus pertranſibit in illo, & non ſubſiſtet, &
non cognoſcet amplius locum ſuum. Ex quibus ver-
bis ſi affirment ſpiritum perire & evaneſcere : ite-
rum illis prædico, videant ne feneſtram aperiant
Epicureis, ſi qui ſint qui inſurgant, ac noſtram,
eorumque fidem de reſurrectione labefacere conen-
tur, ut certe multi ſunt. Eadem enim ratione, colli-
gent, ſpiritum in corpus non redire, quum dicatur
non cogniturum amplius locum : ſed dicent, Vitioſe
colligent. Quoniam huic ratiocinationi aperte recla-
mant loci de reſurrectioot. Et ipſi vitioſe colligunt,
quibus eſt cum illis commune argumentum. Simile
Eccleſ. 18. fere eſt illud Eccleſiaſtici: Numerus annorum homi-
verſ. 8. nis, ut multum, centum anni, quaſi guttæ aquæ ma-
ris deputati ſunt, & ſicut calculus arenæ, ſic exigui
anni in die ævi. Propter hoc patiens eſt Deus in illis,
& effundit in eos miſericordiam ſuam. Fatendum
igitur illis, longe diverſam fuiſſe Prophetæ ſenten-
tiam, ab ea quam ſomniant : Dominum eſſe eorum
miſertum, quos agooſceret, ſola ſua miſericordia
ſtare, à quibus ſi pauliſper manum retraheret, eos
in pulverem redituros, unde ſumpti eſſent. Deinde
ſubjicit brevem humanæ vitæ deſcriptionem : eam
flori comparans, qui dum hodie viret, nihil aliud
eſt, quam craſtinum fœnum. Quod ſi pronunciaſſet
ſpiritum hominis perire & decidere in nihilum, ne
ſic quidem armaſſet ipſorum errorem. Nam quum
dicimus ſpiritum hominis eſſe immortalem, non
affirmamus contra manum Dei ſtare poſſe, aut ſine
ejus virtute ſubſiſtere. Abſint à nobis hæ blaſphemiæ.
Sed dicimus, ejus manu ac benedictione ſuſtineri.
Iren. l. 5. Sic Irenæus, qui oobiſcum ſpiritus immortalitatem
adverſus aſſerit, vult tamen diſcamus, natura nos mortales
hæreſ. eſſe, ſolum autem Deum immortalem. Et eodem
loco : Ut non quaſi ex nobis habentes vitam, infle-
mur aliquando, & extollamur adverſus Deum : ex-
perimentoque diſcamus, quoniam ex illius magni-
tudine, & non ex noſtra natura habemus in æternum
perſeverantiam. Hæc igitur nobis pugna eſt cum
Davide, quem faciunt nobis tantopere adverſarium.
Pſal 39. Ille ait hominem, ſi ab eo auferat ſuam miſericor-
verſ. 12. diam Dominus, ruere ac perire. Nos docemus, Dei
benignitate ac virtute ſuſtineri : quoniam ipſe ſolus
habet immortalitatem : & quicquid eſt vitæ, ab eo eſt.

Quartum : Satiata eſt malis anima mea, & vita *Pſal.* 88.
mea inferno appropinquavit. Æſtimatus ſum cum *verſ.* 4.
deſcendentibus in lacum : ſicut homo ſine adjutorio,
ſicut interfecti dormientes in ſepulchris, quorum
non es memor amplius, & qui de manu tua abſciſſi
ſunt. Quid, inquiunt, ſi abſciſſi ſunt à virtute Dei,
ſi providentia ejus & memoria exciderunt, nonne
eſſe deſierunt? Quaſi vero non liceat mihi retor-
quere. Quid? ſi abſciſſi ſunt à virtute Dei, ſi me-
moria exciderunt, quomodo rurſum erunt? Et ubi
erit reſurrectio? Rurſum, qui convenient iſthæc?
Juſtorum animæ in manu Dei ſunt. Aut, ut certis *Sap.* 3: 1.
Dei oraculis agamus, In memoria æterna erit juſtus. *Pſal.* 112.
Non igitur exciderunt à manu Domini, nec memo- *verſ.* 6.
riam ejus fugerunt. Quin potius hoc loquendi ge-
nere, percipiamus gravem ſenſum hominis afflicti,
qui apud Deum conqueritur, ſe pene deſertum cum
impiis in perditionem : quos Deus non ooſſe, &
oblitus eſſe dicitur, quia nomina eorum io libro vitæ
ſcripta non ſunt : & de manu ſua abjeciſſe, quia eos
non regit Spiritu ſuo.

Quintum : Numquid mortuis facies mirabilia, aut *Pſal.* 88.
medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi? Num- *verſ.* 11.
quid narrabit aliquis io ſepulchro miſericordiam
tuam? aut juſtitiam tuam in terra oblivionis? Item, *Pſal.* 115.
Non mortui laudabunt te, Domine, neque omnes *verſ.* 17.
qui deſcendunt in infernum. Sed nos, qui vivimus,
benedicimus Domino, ex hoc nunc & uſque in ſecu-
lum. Item, Quæ utilitas io ſanguine meo, dum de- *Pſal.* 30.
ſcendero in corruptionem? Numquid confitebitur *verſ.* 10.
tibi pulvis, aut annunciabit veritatem tuam? Qui-
bus conjungunt illud prorſus ſimile, ex cantico
Ezechiæ, Quia infernus non confitebitur tibi, ne- *Jeſa.* 38.
que mors laudabit te : non expectabunt, qui deſcen- *verſ.* 18.
dunt in lacum, veritatem tuam. Vivens, vivens,
ipſe confitebitur tibi ſicut & ego hodie : pater fi-
liis notam faciet veritatem tuam. Et illud Eccleſia- *Eccleſ.* 17.
ſtici : A mortuo, quaſi nihil, perit confeſſio. Con- *verſ.* 24.
fiteberis vivens. Nos reſpondemus, non ſimplici-
ter his locis vocari mortuos, qui communi na-
turæ lege defuncti ſunt, dum ex hac vita decedunt.
Non ſimpliciter dici, laudes Dei à morte ceſ-
ſare : ſed partim ſignificari, non cantaturos Do-
mino laudes, niſi qui ejus bonitatem & miſeri-
cordiam ſenſerint : partim vero, non illuſtrari poſt
mortem nomen ejus : quia non annunciantur tunc
inter homines ejus beneficia, quemadmodum io
terra. Hæc ſingula expendamus ac ordine pertra-
ctemus, ut ſimul & ſingulis locis reddamus ſuum
ſenſum. Primum, hoc diſcamus. Etſi per mor-
tem, præſentis vitæ ſolutio ſignificatur ſæpius : &
per infernum, ſepulchrum : uſu tamen Scripturæ
non infrequenti, hæc nomina accipi pro ira Dei
& abjectione : ut mori & io infernum deſcendere,
vel in inferno habitare dicantur, qui alienati ſunt
à Deo, qui Dei judicio proſtrati ſunt, & ejus
manu attriti. Infernus ipſe non ſepulchrum, ſed
abyſſum & confuſionem ſignificet. Atque hoc qui-
dem ſchema, quum paſſim in Scripturis ſe offerat,
Pſalmis tamen maxime eſt familiare : Veniat mors
ſuper illos, & deſcendant in infernum viventes.
Item, Deus meus ne quando ſileas, & aſſimila- *Pſal.* 28.
bor deſcendentibus in lacum. Item, Domine, edu- *verſ.* 1.
xiſti ab inferno animam meam : ſalvaſti me à deſcen- *Pſal.* 30.
dentibus in lacum. Item, Convertantur peccatores in *verſ.* 4.
infernum, omnes gentes quæ obliviſcuntur Deum. *Pſal.* 9.
verſ. 18.
Item, Niſi quia Dominus adjuvit me, paulo minus *Pſal.* 14.
habitaſſet in inferno anima mea. Item, Diſſipata *verſ.* 7.
ſunt oſſa noſtra ſecus infernum. Item, Collocavit *Pſal.* 143.
me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi. In novo autem *verſ.* 3.
Teſtamento, ubi apud Euangeliſtas eſt ᾅδης, inter-
pres reddidit Infernum : ſicut Lucæ ſexto decimo,
de impio divite : In inferno autem quum eſſet, &c.
Item, Matthæi undecimo : Et tu Capernaum, num-
quid in cælum exaltaberis? Amen dico tibi, uſ-
que

Digitized by Google

que in infernum deſcendes. In his locis non tam lo-
cum, quam eorum conditionem, quos Deus damna-
vit addixitque exitio, ſignificat. Atque id eſt quod
in Symbolo confitemur, Chriſtum ad inferos de-
ſcendiſſe: hoc eſt, in omnes mortis dolores pro no-
bis à Patre conjectum eſſe: omnes ejus anguſtias &
terrores pertuliſſe, & vere afflictum eſſe: quum
prius dictum eſſet, fuiſſe ſepultum. Sic rurſum vi-
vere & victuri dicuntur, quos Deus ſua benignitate
Pſal. 133. proſequitur. Quoniam illic mandavit Dominus be-
verſ. 3. nedictionem & vitam uſque in ſeculum. Item, Ut
Pſal. 33. eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame.
verſ. 19. Item, Eveller te Deus de tabernaculo tuo, & radi-
Pſal. 52. cem tuam de terra vivorum. Item, Placebo Domino
verſ. 7. in regione vivorum. Ut finem faciamus, unus nobis
Pſal. 56. locus ſufficiat: qui utrumque ita graphice depingit,
verſ. 14. ut, nobis tacentibus, ſenſum noſtrum abunde expli-
Pſal. 49. cet: Qui confidunt in virtute multa: & in multitu-
dine divitiarum gloriantur. Frater non redimit, re-
dimet homo? non dabit Deo placationem ſuam? Et
pretium redemptionis animæ ſuæ: & laborabit in
æternum, & vivet adhuc uſque in finem? Non vi-
debit interitum, quum videbit ſapientes morientes?
ſimul inſipiens & ſtultus peribunt. Sicut oves in in-
ferno poſiti ſunt: mors depaſcet eos. Et domina-
buntur eorum juſti in matutino: & auxilium peri-
bit in inferno, à gloria ipſorum. Veruntamen
Deus redimet animam meam de manu inferi, quum
acceperit me. Hæc ſumma: Qui ſpem in divitiis
habent, & virtute ſua, morientur, & in infernum
deſcendent: dives & pauper, ſtultus & ſapiens,
ſimul interibunt: Qui ſperat in Domino, liberabi-
tur à poteſtate inferni.

Hæc nomina Mortis & Inferni, non aliam ha-
bere poſſe acceptionem, in verſibus Pſalmorum
quos obtrudunt, & in Cantico illo Ezechiæ, con-
tendo. Atque id certis argumentis evinci poſſe, con-
firmo. In his enim verſibus: Numquid mortuis fa-
cies mirabilia, &c. Item, Quæ utilitas in ſanguine
meo, &c. Sive Chriſtus, caput fidelium, ſive Ec-
cleſia, ejus corpus, loquitur: mortem, ut rem hor-
ribilem ac deteſtandam, refugit ac deprecatur. Quod
etiam facit Ezechias in ſuo Cantico. Cur ſic horrent
ad nomen mortis, ſi Deum miſericordem ac ſibi
propitium ſentiunt? An quia amplius nihil futuri
ſunt? Sed evadent ex hoc turbulento ſeculo, ex in-
feſtis tentationibus, ex inquietudine in ſummum
otium, & beatam requiem. Et quia nihil erunt,
nihil mali ſentient: excitandi ſuo tempore ad glo-
riam, quæ & eorum morte nihil differtur, neque
vita acceleratur. Convertamur ad aliorum Sancto-
rum exempla, an tale aliquid eis acciderit. Quum
Noë moritur, non deplorat miſeram ſortem ſuam.
Geneſ. 49. Abraham non lamentatur. Jacob etiam inter ultimos
verſ. 18. ſpiritus gratulatur ſibi, quod ſalutare Domini expe-
ctet. Job non lachrymatur. Moſes, quum audit à
Domino, ultimam horam inſtare, non commove-
tur. Omnes, quantum videre licet, prompto ani-
mo mortem amplectuntur. Voces illæ, quibus vo-
canti Domino, Sancti reſpondent, paſſim obviæ
ſunt: Ecce, ego adſum, Domine. Oportet igitur
aliud quiddam eſſe, quod Chriſtum, & ejus fideles
compellat ad hujuſmodi querimonias. Non dubium,
quin Chriſtus, quum ſe offerret pro nobis ac repræ-
ſentaret ad pœnam, cum poteſtate diaboli, cum
inferorum cruciatibus, ac doloribus mortis pugna-
verit. Quæ omnia in noſtra carne vincenda erant: ut
jus ſuum, quod in nobis habebant, perderent. In
hoc igitur agone, quum rigori ac ſeveritati divinæ
juſtitiæ ſatisfaceret, quum adverſus inferos, mortem,
ac diabolum congrederetur: invocavit Patrem, ne
ſe in tantis anguſtiis deſereret, ne ſe poteſtati mortis
permitteret: nihil aliud à Patre petens, quam ut in-
firmitas noſtra, quam in ſuo corpore ſuſtinebat, à
poteſtate diaboli & mortis ſolveretur. Hæc eſt fides
noſtra cui nunc incumbimus, quod pœna peccati in
carne noſtra admiſſi, quæ in eadem carne ſolvenda
erat, ut divinæ juſtitiæ ſatisfieret, ſoluta ac depenſa
eſt in carne Chriſti, quæ noſtra erat. Mortem igitur
non deprecatur Chriſtus: ſed gravem ſenſum ſeveri-
tatis Dei, qua per mortem pro nobis corripiendus
erat. Vis ſcire ex quo affectu hæc vox prodierit?
Non poſſum tibi melius exprimere, quam vox ejuſ-
dem altera, Pater, Pater, ut quid me dereliquiſti?
Hos igitur mortuos & ſepultos, in terram oblivio-
nis deportatos, vocat à Deo derelictos. Ad hunc
modum Sancti, docente Spiritu Dei, non uſurpa-
bunt has voces, quo à ſe avertant mortem, ut Dei
vocationem: ſed quo judicium, iram, & ſeverita-
tem Dei deprecentur: qua per mortem corripi ſe à
Deo ſentiunt. Hoc ne comminiſci videar: quæro,
ſitne fidelis vocaturus ſimplicem & naturalem mor-
tem, iram & terrores Dei? Non arbitror illos eo
uſque impudentes, ut audeant affirmare. Atqui, mor-
tem illam ſic interpretatur Propheta iiſdem locis: *Pſal. 88.*
In me tranſierunt Deus iræ tuæ, & terrores mortis *verſ. 17.*
conturbaverunt me. Et multa alia ſubjicit, quæ per-
tineant ad iram Dei. Alterius vero loci hæc verba *Pſal. 30.*
ſunt: Quoniam momentum in indignatione ejus, & *verſ. 6.*
vita in benevolentia ejus. Sed lectores hortor, ad
volumen ſe conferant: ut ex integris duobus Pſalmis,
& Cantico illo, certiorem fidem petant. Sic enim
nec fucus illis fiet: & facile obtinebo apud eos, qui
ſano judicio legent. Conſtituimus ergo, mortem
illis locis eſſe, ſentire iram ac judicium Dei, hocque
ſenſu perterreri ac conturbari. Sic Ezechias, quum
videret ſe relinquere regnum expoſitum hoſtium
probris ac direptioni, prolem vero ſe non relin-
quere, à qua deſcenderet expectatio Gentium: hæc,
quæ ſigna erant irati & punientis Dei, ſollicitabant
animam ejus, non mortis terror; quam poſtea nulla
deprecatione ſubiit. In ſumma fateor, mortem ex ſe,
malum eſſe, quum ſit maledictio & pœna peccati:
&, cùm ipſam, per ſe, plenam eſſe terroris ac de-
ſolationis, tum vero in ultimam deſperationem eos
depellere, qui ſentiunt eam ſibi infligi ab irato &
puniente Deo. Unum eſt condimentum, quod tan-
tam ejus acerbitatem temperet, inter ejus anguſtias,
cognoſcere Deum ſibi eſſe patrem, Chriſtum habere
ducem ac comitem. Hoc condimento qui carent,
habent mortem pro confuſione & perditione æterna.
Quare Deum laudare in morte non poſſunt.

Jam verſus ille: Non mortui laudabunt te, &c.
claudit laudes populi, gratias agentis Deo, quod
ejus manu protectus eſſet à periculo: in hunc ſenſum,
Si permiſiſſet nos opprimi Dominus, ac venire in
poteſtatem hoſtis, inſultaſſet ejus nomini ille, & glo-
riatus eſſet ſe ſuperaſſe Dominum Iſraël. Nunc vero
ubi Dominus ejus ferociam repreſſit ac contudit, ubi
nos ab ejus ſævitia eripuit, in manu potenti & bra-
chio excelſo: non poterunt Gentes dicere, Ubi eſt
Deus eorum? qui ſe vere Deum viventem oſtendit.
Nec poterit ejus miſericordia in dubium venire,
quam adeo mirifice exhibuit. Et hic mortui appel-
lantur, derelicti à Deo, & qui ejus virtutem ac be-
nignitatem erga ſe non ſenſerunt. Quemadmodum,
ſi populum ſuum libidini ac ferociæ impiorum tradi-
diſſet. Hanc ſententiam plane confirmat oratio,
quæ eſt in libro Baruch: ſaltem qui ejus nomine in- *Baruc. 2.*
ſcribitur: Aperi oculos tuos, & vide: quia non *verſ. 17.*
mortui qui ſunt in inferno, quorum ſpiritus acce-
ptus eſt à viſceribus ſuis, dabunt gloriam & juſti-
tiam Deo: ſed anima, quæ triſtis ſuper magnitu-
dine mali, incedit curva & infirma, & deficien-
tes oculi, & anima eſuriens, dabit gloriam. Ubi,
citra dubium, videre eſt, mortuorum nomine
contineri, qui afflicti & contriti à Deo, in exi-
tium abierunt: animam triſtem, incurvam & in-
firmam, quæ ſua virtute defecta, & ſui fiducia
non innixa, currit ad Dominum, eum invocat, ab

eo au-

eo auxilium expectat. Hæc omnia ſi quis velit per proſopographiam accipere, facilem habebit methodum, ad eorum explicationem: ut in perſonis, rem ipſam accipiat: & dum mortuos audit, mortem intelligat, hoc ſenſu: Dominum miſericordiæ & bonitatis laudem non conſequi, dum affligit, perdit, ac punit (tametſi juſtæ ſunt pœnæ) ſed tum demum creare ſibi populum, qui laudem ſuæ bonitatis concinat & celebret, dum afflictos, contritos & deſperatos, liberat ac in ſpem erigit. Sed ne cavillentur, nos ad figuras & obliqua ſchemata confugere, citra figuram quoque accipi poſſunt.

Secundo loco dixi, perverſe ex his locis ſtatui, Sanctos, poſt mortem, ceſſare, ac deſinere à laudibus Dei. ſed laudare potius, eſſe commemorare, ac prædicare apud alios Dei beneficia, in quibus laudetur: quem ſenſum non modo recipiunt verba, ſed neceſſario exigunt. Nam annunciare, & narrare, & patrem notum facere filiis, non eſt animo menteque concipere Dei gloriam: ſed ore celebrare, ut alii audiant. Hic ſi me interpellent, quod illis idipſum agere liceat, ſi (ut credimus) in Paradiſo ſunt cum Deo: reſpondeo: In Paradiſo eſſe, & cum Deo vivere, non eſt alterum alteri loqui, & alterum ab altero audiri: ſed tantum Deo frui, ſentire bonam ejus voluntatem, in eo acquieſcere. Si hoc illis Morpheus aliquis κατ' ὄναρ revelavit, habeant ſibi certum. Ipſe mihi non adſciſcam tortuoſas illas quæſtiones: quæ ad contentionem valent, nihil ad pietatem conferunt.

Eccleſiaſticus non hoc agit, ut oſtendat mortuorum animas perire: ſed dum hortatur, ut mature, & per occaſionem, Deo confiteamur: ſimul docet, non eſſe confitendi tempus poſt mortem: hoc eſt, non eſſe locum pœnitentiæ. Quod ſi quis ipſorum adhuc obſtrepit: quid perditionis filiis futurum ſit,
Pſal. 118. nihil ad nos. Ego pro fidelibus reſpondeo: non mo-
verſ. 17. rientur, ſed vivent, ac narrabunt opera Domini.
Pſal. 84. Qui habitant in domo ejus, laudabunt eum in ſecula
verſ. 5. ſeculorum.
Pſal. 146. Sextum: Laudabo Dominum in vita mea, pſallam
verſ. 2. Deo meo, quamdiu ſum. Et in hanc formam argutantur: Si laudabit Dominum in vita, & quamdiu erit, non laudabit poſt vitam, & quando non erit. Quando hæc per luſum jocumque ab illis jactari opinor, ipſe quoque in eorum gratiam ludam. Æneas Virgilianus, quum hoſpitæ ſuæ promittebat animi gratitudinem, dum memor eſſet ſui, an innuebat, aliquando ſe venturum in ſui ipſius oblivionem? Quum dicebat: Dum ſpiritus hos reget artus: an non cogitabat, & apud manes, in illis fabuloſis campis, ſe gratiam habiturum? Abſit, illis ut concedamus ſic torquere hunc locum, ne ſimul & hæretico Helvidio ſuccumbamus. Nunc ſerio loquar: Et
ne obtendant, ſecum non paria feciſſe me, quintu-
Pſal. 30. plum reddam. Deus meus, in æternum confitebor
verſ. 13. tibi. Item, Benedicam Dominum in omni tempore,
Pſal. 34. ſemper laus ejus in ore meo. Item, Confitebor tibi
verſ. 2. in æternum, quia feciſti. Item, Laudabo nomen
Pſal. 52. tuum in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Item, Sic
verſ. 11. pſalmum dicam nomini tuo in ſeculum, & in ſecu-
Pſal 145. lum ſeculi. Agnoſcunt illum Davidem nuper ſibi
verſ. 1. amicum, ſeſe tam acriter impetentem? Apageſis
Pſal. 61. hæc argumenta, quæ ex atomis literarum conſi-
verſ. 9. ciuntur.
Pſal. 39. Septimum: Deſine à me, & roborabor, donec
verſ. 14. vadam, & non ſim. Cui conjungunt illud Jobi:
Job. 10. Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum,
verſ. 20. antequam vadam, & non revertar ad terram tenebroſam, & opertam mortis caligine, terram miſeriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Hæc nihil ad cauſam. Verba enim ſunt æſtu & anxietate conſcientiæ plena, vere exprimentia, & quaſi in tabula referentia affectum eorum, qui terrore judicii Dei perculſi, manum Dei jam ferre non poſſunt. Orant autem, ut ſi merentur à Deo abjici, ſaltem vel tantillum reſpirare liceat ab ira Dei, qua concutiuntur: idque in ultima deſperatione. Nec mirum eſt, ſanctos Dei
ſervos illuc adigi. Dominus enim mortificat, & vi- *1 Sam.* 2.
vificat: deducit ad inferos, & reducit. Non eſſe *verſ.* 6.
autem, pro eo dicitur, quod eſt à Deo alienum eſſe. Si enim ille ſolus eſt, qui eſt: non vere ſunt, qui in illo non ſunt. Propterea quod à facie ejus perpetuo confunduntur ac dejiciuntur. Deinde, non video, quid nos tantopere offendere debeat hæc loquendi forma, ſi ſimpliciter non eſſe dicantur mortui, modo id ad homines referatur. Jam enim non ſunt apud homines, nec coram hominibus: tametſi apud Deum ſint. Ita (ut uno verbo explicemus) non eſſe, erit
non extare. Quale eſt illud Jeremiæ: Vox in Rhama *Jere.* 31.
audita eſt, Rachel plorantis filios ſuos: & noluit *verſ.* 15.
conſolari, quia non ſunt.

Jam ad ea veniamus, quæ ſuperſunt ex hiſtoria Job. Quædam enim ſparſim, ut occurrebant, atti-
gimus. Primum: Quare non in vulva mortuus ſum? *Job.* 3.
Egreſſus ex utero non ſtatim perii? Cur exceptus *verſ.* 11.
genibus? Cur lactatus uberibus? Nunc enim dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem, cum regibus & conſulibus terræ, qui ædificant ſibi ſolitudines: aut cum principibus, qui poſſident aurum, & replent domos ſuas argento: aut ſicut abortivum abſconditum, non ſubſiſterem: ut qui concepti, non viderunt lucem. Ibi impii ceſſaverunt à tumultu, & ibi requieverunt feſſi robore: & quondam vincti, ſine moleſtia, non audierunt vocem exactoris. Parvus & magnus ibi ſunt: & ſervus, liber à domino ſuo. Quid ſi decimum quartum Jeſaiæ caput retorqueam? ubi mortui deſcribuntur, prodeuntes è ſepulchris, ac obviam euntes Regi Babylonio: ubi eorum ſermones referuntur: Ecce, tu humiliatus es quemadmodum nos, &c. Nihilo enim minore prætextu inde arguam, mortuos ſentire atque intelligere, quam ipſi ex verbis illis colligunt, omni ſenſu excidiſſe: ſed relinquo illis tales nugas. In loco autem, quem citant, explicando, non multum erit negotii, niſi volumus nobis ipſi fingere labyrinthos. Job enim preſſus multa afflictione, & quaſi fatigatus ſub onere, præſentem duntaxat miſeriam reſpicit: & eam non ſolum maximam omnium facit, ſed pene ſolam. Mortem nihil horret, imo appetit, quod omnibus æquam afferat ſortem: regum imperia finiat, & ſervorum preſſuras: quæ ſit denique rerum omnium linea, in qua, quam quiſque ſortitus ſit in hac vita conditionem, deponat. Sic enim ſperat, ut & ipſe ſuæ calamitatis finem viſurus ſit: interim non reſpicit, quibus legibus illic vivatur, quid facturus, quid paſſurus ſit. Tantum, omni animi ardore expetit mutari præſentem rerum ſtatum. Ut mos eſt eorum, qui vehementi doloris ſenſu urgentur, atque afflictantur. Nam ſi in magnis æſtatis caloribus, benignam hyemem judicamus: rurſum, hyemis frigoribus puncti, omnibus votis ad æſtatem aſpiramus: quid faciet is, qui manum Dei ſentit ſibi adverſam? Nihil malorum refugiet, modo præſens malum effugiat. Hoc ſi non illis perſuadetur, nihil mirum. Concerpunt enim minutas ſententiolas, quibus ſe inſtruant: at ſummam totius operis non collimant. Qui vero recto oculo totam hiſtoriam perſequuti ſunt, iis me approbaturum meam rationem confido.

Secundum: Memento, quia ventus eſt vita mea: *Job.* 7: 7.
& non revertetur oculus meus ut videat bona: nec aſpiciet me viſus hominis. Oculi tui in me, & non ſubſiſtam. Sicut conſumitur nubes & pertranſit, ſic qui deſcenderit ad inferos, non aſcendet. Quibus verbis, Job deplorans apud Deum ſuam calamitatem, in hoc exaggerat: ut cui nulla ſpes exitus ſit propoſita. Habet præ oculis mala ſua, quæ ſe perſequantur ad ſepulchrum.

Tum

Digitized by Google

Tum occurrit, ut mors miſera ſit exceptura vitam calamitoſam. Non enim aliter poteſt cogitare, qui manum Dei ſentit ſibi adverſam. Ab hac igitur amplificatione movet miſericordiam: & ſe Deo miſerabilem facit. Non video quid præterea quæratis in hoc loco, niſi non expectandam reſurrectionem. Quod non eſt hujus inſtituti excutere.

Job. 17. Tertium: Solum mihi ſupereſt ſepulchrum. Item,
verſ. 1. In profundiſſimum inferni deſcendent omnia mea. Iſtud quidem veriſſimum eſt. Neque enim quicquam ſatius reſtat ei, qui Deum propitium non habet, (qualem ſe eſſe Job tunc cogitabat) quam infernus & mors. Quum igitur percurriſſet omnem fabulam ſuarum miſeriarum, dicit extremum actum eſſe, confuſionem. Atque hic eſt exitus eorum, quos Deus ſua manu tangit. Mors enim in ira ejus: vita autem in miſericordia. Id non ineleganter explicavit
Eccleſ. 37. Eccleſiaſticus, quum ait: Vita viri in oumero die-
verſ. 28. rum: dies autem Iſraël innumerabiles. Verum quia non eſt firmæ auctoritatis ſcriptor, omiſſo illo, audiamus Prophetam id ſuis verbis pulchre docentem:
Pſal. 103. Afflixit in curſu virtutem meam, inquit, abbrevia-
verſ. 24. vit dies meos. Dicebam autem: Domine mi, ne tollas me in dimidio dierum meorum, in æternum ſunt anni tui. Peribunt cælum & terra, quæ tu pridem fundaſti: inſtar veſtium corrumpentur. Hactenus quam fragilis ſit & fluxa hominum conditio expoluit, quamque nihil ſit ſub cælis ſtabile: quum ipſi quoque ad interitum vergant. Sequitur poſtea: Tu autem es, & anni tui non finientur. Filii ſervorum tuorum habitabunt, & poſteritas eorum coram te ſtabilietur. Hic videmus, ut piorum ſalutem cum Dei æternitate conjungit. Quoties igitur mihi objicient Job manu Dei afflictum & pene deſperabundum, oihil ſibi reliquum facientem, præter infernum & mortem: reſpondebo, irato Domino, hunc exitum nos manere: & hanc eſſe ejus miſericordiam, quod eripimur à mortis faucibus.

Quartum: Si direxerit ad eum cor ſuum, ſpiri- Job. 34.
tum & flatum hominis ad ſe trahet: deficiet omnis verſ. 14.
caro ſimul, & homo in cinerem revertetur. Quæ verba ſi de judicio accipiunt, quaſi dicatur, hominem ejus ira diſſolvi, disjici, confundi, & in nihilum abire: plus illis concedam quam poſtulent. Si intelligunt ſpiritum, id eſt, animam per mortem ad Deum redire, & flatum, id eſt, virtutem motus, ſeu vitalem agitationem recedere ab homine: nihil reluctor. Si contendunt, animam perire, fortiter reclamo. Quanquam paulo etiam ſecus habent Hebraica. Verum eorum cavilla contentus depuliſſe, non inſequar longius.

Vibrant & alia quædam, ſed obtuſa tela: quæ nec feriunt, & terrent non multum. Citant enim nonnulla, minime ad rem facientia, eaque ex libris incertæ fidei, quarto Eſdræ & ſecundo Machabæorum: quibus nihil aliud reſponſum volumus, quam quod prius diſſeruimus de reſurrectione. Quanquam hic omnibus ſe produnt, quam ſint perdita fronte: qui Eſdram, quum totus noſter ſit, ad ſe trahere audent. Machabæorum libros pro ſe proferre non verentur: ubi Jeremias mortuus Dominum precatur, pro belligerante populo: ubi inſtituuntur pro defunctis orationes, quibus à peccatis ſolvantur. Habent forte & alia: ſed mihi incognita. Ut cui eorum commenta omnia videre non contigit. Nihil ſane præterii ſciens, quod ſimpliciores vel de gradu dejicere, vel movere poſſet. Iſtud rurſum lectores omnes (ſi qui tamen erunt) memoria tenere volo: Catabaptiſtas (quos, ad omne genus flagitiorum deſignandum, nominaſſe ſatis eſt) eſſe præclari hujus dogmatis auctores. Merito enim debet nobis eſſe ſuſpectum, quicquid à tali officina prodierit: quæ tot portenta, & fabricata eſt, & quotidie fabricatur.

BREVIS INSTRUCTIO

Muniendis fidelibus adverſus errores communis ſectæ Anabaptiſtarum.

JOANNES CALVINUS *Miniſtris & Paſtoribus Eccleſiarum Comitatus Neocomenſis* S.

SI quis miretur, fratres & ſymmyſtæ chariſſimi, quare librum perenni ſilentio obruendum refellere aggredior, quandoquidem gravioribus utilioribuſque ſtudiis me committere poſſem: juſta equidem erit hæc defenſio, ſi vota & petitiones multorum piorum obtendo, qui librum è remotiſſimis regionibus miſſum affirmarunt manus meæ reſponſum poſtulare, niſi multarum animarum interitus mihi gratus eſſet. Illud cordatis viris ſatisfacturum confido, me judicio & deſiderio piorum acquieſcere voluiſſe. Sed præterea aliud reſponſum iis offero, quibus ineptus videor, quod tam putidum & vanum libellum ab inſulſiſſimis hominibus confectum refutare inſtituerim: nos ſanctorum Prophetarum privilegio frui, nec operam noſtram illorum laboribus eſſe pretioſiorem. Ezechielem autem videmus, voce & ſcriptis non modo ſeductores imperitos & ignobiles, verum etiam mulierculas Prophetiſſas adoriri. Quandoquidem Propheta cum mulierculis etiam diſputationem iniit, & quidem ex Dei mandato, quod ſuis mendaciis tenebras veritati offundentes, populum in ſuperſtitionem & errores impellebant: ſuperbiæ merito damnaremur, ſi idem præſtare nobis injucundum foret. Libenter fateor, librum iſtum, quem rogatus & admonitus confuto, apud doctos, adverſa explicatione non indigere, ita ſeipſum inepto improboque ſtylo arguit & confodit. Quoniam vero ſuo fuco imperitos allicere & decipere poteſt, noſtri eſt muneris opem eis ferre, & ſubdolas artes Satanæ detegere, ne incauti ſeducantur. Omnibus ſumus debitores, inquit Apoſtolus: omnibus igitur inſervire, quantum in nobis eſt, prout que poſtulat neceſſitas, tenemur. Meum ergo fuit (teſtor) conſilium, pios omnes non ſatis adhuc exercitatos admonere, quam lethale venenum ſit dogma Catabaptiſtarum, & adverſus illud verbo Dei tanquam certiſſimo antidoto eos præmunire, ne miſere pereant. Aut ſi qui jam in laqueis hærent, liberatos in rectam viam reducere conor. Rogatos itaque velim quotcunque in pura Chriſti cognitione & Euangelii obedientia permanere cupiunt, ut patenti & attento animo, quem eis offero, libellum perlegant, citata argumenta adhibita trutina expendant diligentiſſime, & patefactæ veritati dent manus. Duo autem occurrerunt, propter quæ librum hunc vobis dicavi. Primum, ut ſit mutuæ & mihi acceptiſſimæ noſtræ conjunctionis publicum teſtimonium, in quo omnes videant doctrinæ & zeli [illegible]. Deinde, ut ab iis alacrius legatur, quibus Chriſti verbum annunciare debetis, ſicque vobis ab ἀρχιποιμένι commiſſæ oves, puram doctrinam hauriant, & ab omni pravarum opinionum contagio ſerventur. Veſtrum quidem erat, fratres chariſſimi, me ab hoc onere liberare. Symmyſta etiam noſter D. Gulielmus Farellus, pro donis à Spiritu ſancto receptis, tanquam veteranus

miles

miles in oppugnandis & expugnandis hoſtibus & impiis dogmatis, Deo ejuſque veritati bellum inferentibus, & regni Chriſti indefeſſus aſſertor, ſatis ſuperque quod à me requiritis, præſtitit, quemadmodum ex actis Colloquii Bonevillani conſtat: ita ut rerum quæ hic tractantur magis perſpicuam explicationem, ad tollendos conſcientiæ ſcopulos, nemo deſiderare poſſit. At quoniam me onus iſtud amplecti volunt quibus placere & obſequi ſum paratus, omnibus perfugiis omiſſis, eorum votis ſatisfacio. Dominus Jeſus vos ſemper Eccleſiaſque veſtras protegat, Spirituque ſuo gubernet, & miniſterio veſtro ad ſui nominis gloriam, puſillique gregis ſalutem utatur. Genevæ, Calendis Junii, 1544.

BREVIS INSTRUCTIO

Muniendis fidelibus adverſus errores communis ſectæ Anabaptiſtarum.

Ex Gall. SI adverſus omnes errores & falſas opiniones Anabaptiſtarum ſcribere vellem, longum opus ſuſciperem: atque ingrederer abyſſum, unde mihi exitus non pateret. Nam iſta colluvies ab aliis hæreticorum ſectis in eo differt, quod non tantum certis in rebus erraverit, verum ſit immenſum quoddam ſtupendorum deliriorum mare: adeo, ut vix unius Anabaptiſtæ caput reperiri poſſit, quod non ſit imbutum aliqua opinione diverſa à reliquis. Itaque, nullus eſſet operi finis, ſi impias omnes hujus ſectæ doctrinas excutere, aut etiam recitare vellem. Tandem vero ad duas ſectas præcipuas reducta ſunt omnia: quarum una, etſi multis erroribus impiis & pernicioſis referta eſt, majorem tamen ſimplicitatem retinet. Saltem enim ſacræ doctrinæ libros probat & nobiſcum recipit. Si cum ejus ſectatoribus aliquid tractandum eſt, quid cum eis ſit diſſidii, intelligi poteſt: quid animo conceperint, declarant: ac tandem in quo conventum ſit, quæ ſuperſit controverſia, percipitur. Altera eſt veluti implicatiſſimus labyrinthus deliriorum, & quidem adeo abſurdorum, ut mirum ſit creaturas figuram humanam gerentes ita ratione & ſenſu deſtitui, ut in eas incidant imaginationes, à quibus beſtiæ ipſæ mutæ abhorrerent. Hæc ſecta Libertinorum appellatur. Hi adeo ſe ſpirituales ſimulant, ut nihilo pluris faciant ſacroſanctum verbum Dei quam fabulas, niſi quum ipſis viſum eſt, idque ita poſſunt depravare, ut diabolicis opinionibus ſuis violenter ſervire cogant. Habent præterea peculiare quoddam genus ſermonis (eorum more quos Gallice Gueos hoſtiariæ vocamus) quo quid effari velint, intelligi non poteſt: neque etiam ſeipſos intelligunt: niſi quod talibus aſtutiis uti noverunt, ut eo modo tegant turpitudinem doctrinæ ſuæ. Ejus enim principia ſunt, omne boni & mali diſcrimen confundere, Deum cum diabolo miſcere, ita ut alterum ab altero amplius diſcerni nullo modo poſſit: homines non ſolum ſtupidos reddere in conſcientiis ſuis coram Deo, verum etiam coram hominibus impudentes. En cur hac verborum ambiguitate & obſcuris involucris ſeſe occultant, ne fœditas eorum appareat, omneſque ipſos horreant & execrentur, ut revera communis hominum ſenſus, monſtris quæ iſti proferunt, prorſus repugnat. Itaque, ut in ſumma ſcribamus adverſus Anabaptiſtarum errores, & brevius & expeditius erit hanc diviſionem tenere: atque in tractatum unum colligere errores eorum, qui non tam deſperata omnino inſania abrepti ſunt. In altero autem venenatam ac peſtiferam infelicium iſtorum malitiam detegere, qui ſub ſpiritualitatis (ut ita nominem) colore, homines beſtiis mutis ſimiles reddere volunt. Neque tamen prioris ſectæ homines ita inter ſe conveniunt, ut facile ipſorum errores in unum colligi poſſint, quo certo ordine refutentur. Sed quia primarii eorum doctores, & veluti totius ſynagogæ Patriarchæ, poſt multas & varias conſarcinationes, tandem definitionem ſuam protulerunt, qua ſummam eorum, in quibus nobis & Papiſtis adverſantur complexi ſunt articulis ſeptem, quibus Anabaptiſtæ omnes vulgo adhærent: atque etiam viam invenerunt, qua præclara hæc definitio excuderetur, ut ubique ſpargant venenum ſuum, & miſeram plebem inficiant: contentus ero, quod etiam, ut mihi quidem videtur, ſufficiet, oſtendiſſe, quam falſa ſint ea, quæ in majore horum articulorum parte continentur: ne poſſint conqueri, me quorundam culpam falſo in eos transferre, quo totam ſectam immerito traducam. Eo abſoluto, ſi mihi per otium aliquando licuerit, libellum alium ſcribam adverſus ſecundum illum ordinem: nempe Libertinorum, de quibus antea ſum loquutus. Nunc vero, ut jam dixi, ſufficiet omnes veritatis ſtudioſos monuiſſe, quicquid miſeri iſti homines communi conſenſu pro inexpugnabili fundamento fidei ſuæ habent, lethalem impoſturam eſſe, à qua, tanquam à peſte omnes cavere oportet: omnes, inquam, qui ſe veritati obſequentes præbere volunt. Sunt enim in hac infelici ſecta nonnulli, atque ii præcipue, qui doctores agere volunt, qui ſuperbia & arrogantia præoccupati in omnibus quæ ipſis proponuntur caligant: aut pervicacia potius & obſtinata malitia claudunt oculos, ne claram lucem, quum eis proponitur, intueri poſſint. Ita ut rationibus cum eis agere, quo in viam reducantur, ſit operam ludere: niſi quod ſaltem hæc utilitas redit, quum boni impudentiam eorum deploratam vident, ſeſe ab eis ſemovent, & tanquam venenum lethale effugiunt.

Quia vero nulla ſpecie illuſtriore ſeduci poſſunt miſeri Chriſtiani, qui zelo aliquo Deum ſectantur, quam dum prætenditur verbum Dei: Anabaptiſtæ, adverſus quos nunc ſcribimus, ipſum perpetuo in ore habent, idque ſemper præfantur. Et certe ſimulatque hoc propoſitum eſt, Deum eſſe qui loquitur, creaturas omnes reverentia nominis ipſius commoveri oportet, ut animo humili & demiſſo quæ dicuntur auſcultent. Quum intelligimus ſermonem Dei revera proponi, ne hiſcendum quidem, ut repugnemus aut contra diſputemus: ſed omnino obmuteſcendum eſt. Nec enim Papiſtarum more dicimus ſacroſanctas Scripturas miſſas fieri oportere, ut auctoritati hominum acquieſcamus. Hoc enim effugium, cenſemus blaſphemiam execrabilem eſſe. Sed volumus omnia quæ à Deo profecta atque ex ipſius verbo hauſta eſſe conſtabit, à cunctis humiliter admitti, & recipi ſine controverſia. Quin etiam nullam aliam doctrinam cenſemus, præter eam, quæ ab hoc fonte unico veritatis manat, pro vera ac certa recipiendam eſſe. Quocirca ſive Anabaptiſtæ, ſive alii affirment ea, quæ proferunt, ſe à Deo accepiſſe, & ſumpſiſſe ex ore ipſius, id eſt, ex Scriptis ſacris, eam gloriam tribuamus Deo, ut audiamus placide ac modeſte, atque an ita ſit intelligamus. Verum ut noſtrarum eſt partium iis quæ dicuntur audiendis aurem præbere, donec quale ſit unumquodque compertum habuerimus: ita neceſſarium eſt prudenter inter verum & falſum diſcernere, adhibendumque judicium numquid vere an falſo nobis verbum Dei obtendatur. Juſſi enim ſumus probare ſpiritus, & expendere an ex Deo ſint. *1 Joan. 4. verſ. 1.* Quod quam neceſſarium ſit reipſa perſpicimus. Nam ipſe quoque diabolus ſeſe armavit verbo Dei, eoque gladio ſe accinxit, ut Chriſtum invaderet. *Mat. 4. verſ. 6.* Atque experimur

ipſum

Digitized by Google

ipſum quotidie his artibus uti per organa ſua, ut veritatem depravet, ſicque miſeras animas in exitium ducat. Quod ad miſeros iſtos fanaticos attinet, qui ita verbum Dei ſecum facere jactant: an ita ſit, res ipſa per ſe ſatis demonſtrat. Jam multum tempus aſſiduis laboribus conamur ſanctum Dei verbum reſtituere: cujus rei gratia bellum adverſus orbem univerſum ſuſtinemus. Hi vero quantum id promoverunt, aut quid præbuerunt nobis adjumenti? Turbarunt nos potius, & vehementer impedierunt. Adeo ut quid profecerint dici non poſſit, niſi ut quantum promovebatur à nobis verbum Dei, tantundem retardaretur ab iſtis, ac ceſſim iret. Quin etiam in nonnullis Chriſtianæ religionis capitibus præcipuis conveniunt cum Papiſtis, & opiniones tuentur ſacræ Scripturæ ex diametro contrarias, ut de Libero arbitrio, de Prædeſtinatione, de Cauſa noſtræ ſalutis. Falſo igitur abutuntur hoc prætextu, atque ſimplicioribus perſuadere moliuntur ſe ex ſacrarum Literarum præſcripto gubernari: quum iis omnino abjectis, ſolius cerebri ſui imaginationem ſequantur. Nunc ad primum articulum veniamus præclaræ illius definitionis, quam pro revelatione è cælo profecta habent.

ARTICULUS I.

DE BAPTISMO.

Baptiſmus exhiberi debet iis, qui ad pœnitentiam edocti ſunt, & credunt peccata ſua per Chriſtum deleta eſſe: ac volunt in ipſius reſurrectione ambulare. Quamobrem iis diſtribui debet, qui per ſe ipſi flagitant, non infantibus, ut in regno Papæ factum eſt.

REFUTATIO.

Hoc eorum eſt pronunciatum. Sed reſpondeo: Primum non eſſe morem recenti memoria introductum: nec ſub regno Papæ initium cepiſſe. Aio enim ſacroſanctum inſtitutum eſſe perpetuo obſervatum in Eccleſia Chriſtiana. Nullus enim eſt priſcæ vetuſtatis tam antiquus doctor, qui non fateatur Apoſtolos ita ſemper uſos eſſe. Quod perſtringere obiter volui, non alia de cauſa, quam ut ſimpliciores commonefaciam hos fanaticos impudenter calumniari, quum perſuadere volunt obſervationem adeo vetuſtam ſuperſtitionem novam eſſe: ac fingere à Papa profectam: quum univerſa Eccleſia eam teneret antequam intelligeretur quid ſibi vellet regnum Papæ, aut quicquam de eo auditum eſſet. Cæterum minime peto, ut in eo probando nos antiquitas ullo modo juvet, niſi quatenus in verbo Dei fundata reperietur. Scio enim ſicuti hominum conſuetudo auctoritatem Sacramento non tribuit: ſic uſum Sacramenti, ut rectus ſit, ad normam conſuetudinis exigendum non eſſe. Ad veram igitur regulam veniendum, de qua loquuti ſumus: nempe ad verbum, quod ſolum hic locum habere debet. Hoc eorum eſt propoſitum, Baptiſmum nulli communicandum eſſe præterquam ei qui poſtulat, cum fidei & pœnitentiæ profeſſione. Propterea Baptiſmum infantium inventum eſſe ab hominibus contra verbum Dei. Ut id probent, ultimum Matthæi caput allegant, ubi Chriſtus Apoſtolos ita alloquitur: Euntes docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti: cui adjungunt hanc ſententiam ex ultimo Marci: Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. En fundamentum, quod eis adeo firmum videtur, ut everti non poſſit. Cui reſpondeo, In illis locis de Baptiſmo obiter ſolum mentionem fieri. Adjicitur enim velut appendix prædicationis Euangelii. Dominus Jeſus Apoſtolos ſuos mittit ut concionentur, homineſque inſtituant in doctrina Dei: deinde Baptiſmum adjungit ad doctrinæ confirmationem. Eſt autem notandum, doctrinam debere eo modo Sacramento præire, quod ad eam obſignandam adjungitur. Atque in eo facile conſentimus. Sed de modo quærendum eſt. In eo enim decepti ſunt male feriati iſti & fanatici homines, quod modum non conſiderarunt. Si quis igitur ſit alienus ab Eccleſia Chriſti, veluti Turca aut Judæus, aut quivis alius infidelis, ut fiat Chriſtianus non eſt à Baptiſmo inchoandum: ſed antequam baptizetur inſtrui debet. Atque etiam talis uſus veteris Eccleſiæ fuit. Qui enim ad Chriſtianiſmum convertebantur, ſuas habebant ſeparatim conciones, quas Catechiſmos vocabant. Deinde, habito fidei & pœnitentiæ ipſorum teſtimonio, baptizabantur. Idque ratio poſtulat. Nam quum homo non tantum in Eccleſiæ communionem cooptetur per Baptiſmum: verum etiam teſtificationem obſignatam habeat, qua Deus pro filio eum agnoſcit: dubium non eſt doctrinam præcedere debere, qua doceatur, ut cum fide & pœnitentia convertatur ad Deum. Idem videmus erga Abraham in Circumciſione Dominum feciſſe. Antequam enim hoc ſignum ſtatueret, eum in fœdus ſuum receperat & inſtruxerat in doctrina.

Nunc autem notandum eſt, quum homo à Deo in cœtum fidelium admittitur, promiſſionem ſalutis quæ ei datur non ad ipſum ſolum, verum etiam ad liberos pertinere. Nam ei dicitur: Ego ſum Deus *Geneſ. 17.*
tuus, & Deus ſeminis tui poſt te. Proinde qui in *verſ. 7.*
hoc fœderis vinculum non eſt ab incunabulis à Deo receptus, is ab Eccleſia alienus eſt, donec per ſalutis doctrinam ad fidem & pœnitentiam ſit adductus. Tunc autem ſemen ejus domeſticum Eccleſiæ eſſe incipit. Idcirco infantes fidelium baptizantur vi hujus fœderis, quod cum parentibus initum eſt eorum nomine. In hoc igitur ſeſe decipiunt miſeri Anabaptiſtæ. Non repugnamus quin doctrina Sacramentum præcedere debeat. Sed in eo tota difficultas ſita eſt, quemadmodum dixi, ut modum & rationem conſideremus. Quum enim homo jam ætate provectus, qui nunquam Chriſtianus fuit, baptizandus eſt, prius doceri debet, ac moneri eorum quæ per Baptiſmum figurantur. Liberi autem ipſius baptizantur in ea doctrina quam recepit: quæ continet, Deum non tantum ipſi, ſed etiam liberis in Deum fore. Ut vero facilius intelligatur: quum is qui alienus fuit à cœtu fidelium convertitur ad Deum, doctrina in qua baptizatur, ipſum compellat, & quodammodo alloquitur. Propterea ab ipſo intelligi debet, & ante percipi quam Sacramentum recipiat. Doctrina vero in qua pueri infantes baptizantur, non compellat eos, ſed parentes eorum & totam Eccleſiam. Non eſt igitur neceſſe ut eam prius intelligant, quam recipiant ſignum.

Quamobrem quum hoc ſtruitur argumentum: Dominus juſſit Apoſtolos prædicare antequam baptizarent, atque dixit, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Sequitur ergo neminem ad Sacramentum admittendum eſſe, præter eos qui jam credunt: peſſime concluditur. Perſpicuum enim eſt Dominum in illis locis de iis ſolum loqui, qui doctrinæ ſunt capaces, quique prius ab Eccleſia Chriſtiana fuerunt alieni. Si nullam hujus circumſtantiæ rationem habeamus, multos locos confundi neceſſe erit, noſque ipſos in iis explicandis perturbari. Scriptum eſt, eum qui non laborat, mandu- *2 Theſſ. 3.*
care non debere. Nemo tamen adeo crudelis eſt, *verſ. 10.*
ut velit infantes eo ſupplicii genere condemnare, ut fame pereant. Omnes enim perſpiciunt Apoſtolum nolle ipſos in hoc ordine cenſeri, ſed tantum de iis loqui, quibus ſuppetunt vires, & ratio victus quærendi. Quum igitur illis in locis Dominus mentionem de iis ſpeciatim faciat, qui doceri poſſunt, quique antea ipſius diſcipuli non fuerunt:

omnia

omnia depravant & pervertunt ii, qui eos detorquere volunt ad Chriſtianorum pueros infantes, quibus nulla eſt audiendi facultas: atque jam in fœdere Dei ſunt cum parentibus comprehenſi, ut ſint Eccleſiæ domeſtici.

Adducunt poſtea miſeri iſti fanatici uſum & conſuetudinem Apoſtolorum. Actorum ſecundo refertur, homines ad duo millia audita Petri concione, compunctos in animo, conſilium petiiſſe, quid agere deberent: Petrum vero reſpondiſſe, Pœnitemini, & credite Euangelio. Item, quum Eunochus petiit ut baptizaretur, Philippum dixiſſe, id licere, ſi modo ex animo crederet. Hinc concludunt Apoſtolos in iis quos baptizabant prius fidem & pœnitentiam requirere ſolitos fuiſſe. Quod quidem concedo in iis, quos recens in Eccleſiæ Chriſtianæ communionem recipi oportebat: ſed in pueris infantibus, qui antequam ex utero prodierint jam in communione Eccleſiæ ſunt, longe diverſa ratio eſt. Nam ipſorum parentes atque avi promiſſionem recipiunt, ſuper qua Baptiſmus eorum fundatus eſt. Neceſſe igitur erat Jeroſolymitanos, qui alieni erant ab Eccleſia Chriſti, quique in eadem Domini noſtri conſenſerant, vera pœnitentia tangi, antequam per Baptiſmum daretur eis teſtimonium gratiæ, qua Dominus Jeſus ipſos in fidelium numerum recipiat. Neceſſe erat Eunuchum per veram fidem in gregem Chriſti cooptari, antequam ipſius nota inſigniri poſſet. Sed quum omni fideli homini hæc promiſſio *Geneſ. 17. verſ. 7.* facta ſit, Ego ſum Deus ſeminis tui; liberi qui ex ipſo naſcuntur, alio fruuntur privilegio: nempe, quod Deus eos pro ſuis propter parentes agnoſcit. Quod ne ex meipſo comminiſci aut excogitare vi*Geneſ. 21. verſ. 4.* dear, Dominus ejus rei nobis in Iſaac exemplum dedit. Nam, ſicuti diximus, prius inſtruxit Abraham in doctrina fidei & pœnitentiæ, quam ei Circumciſionem communicaret. Poſtquam vero ipſum in Eccleſiam ſuam recepit, ſtatuit etiam ut ejus ſoboles tanti boni eſſe particeps. Itaque Iſaac & reliqui ab infantia ipſa circumciſi ſunt. Deum igitur hujus differentiæ, ex qua tota hujuſce quæſtionis difficultas pendet, auctorem habemus. Sed quia ſimilitudinem, quam adducimus inter Circumciſionem & Baptiſmum, admittere nolunt, priuſquam ulterius progrediamur, neceſſe erit oſtendere idem eſſe. Quum de Sacramento aliquo agitur, animadvertendum eſt ſubſtantiam omnem & vim ex doctrina æſtimandam eſſe, à qua confirmationem capit. Notemus ergo doctrinam veluti rem præcipuam, Sacramentum vero velut appendicem eſſe. Nunc Baptiſmum cum Circumciſione comparemus. Baptiſmus pœnitentiam aut renovationem vitæ continet, cum promiſſione remiſſionis peccatorum. Utrumque iſtorum, Circumciſio, nec plus aut minus complectitur. Nam quod ad pœnitentiam attinet, de ea ſæpe & apud Moſem & Prophetas fit mentio, quum monent ut circumcidantur corda. Idipſum enim eſt quod novo Teſtamento dicitur, veterem hominem mortificare. In ſumma, ſpiritualis Circumciſio idem ſibi vult quod pœnitentia. Quod vero ad alteram partem attinet, ſcilicet ad remiſſionem peccatorum, clarior *Rom. 4. verſ. 11.* approbatio petenda non eſt, quam ex Pauli ſententia, ubi dicit Circumciſionem Abrahæ datam eſſe ad juſtitiæ gratuitæ confirmationem, quam fide obtinuerat. Si igitur ita argumentari velint, rationi conſentaneum non eſſe, ut infantes baptizentur, qui nec fidem nec pœnitentiam habent, quum Baptiſmus ſit Sacramentum regenerationis & lavacri ſpiritualis, quo per Chriſtum abluimur: reſpondeo, idem de Circumciſione dici poſſe. ac Deum nihilominus juſſiſſe ut infantes circumciderentur. Deum ergo ipſum redarguunt, quum aiunt rationi adverſari, ſi Sacramentum, quod fidei & pœnitentiæ teſtimonium eſt, communicetur infantibus. Quid igitur dicendum? Sane ſi quæ à Deo conſtituta ſunt probemus, ejus doctrina certo oſtendit minime neceſſarium eſſe veritatem, quæ Sacramento ſignificatur, ſemper præcedere, ſed aliquando ſufficere, ſi ſubſequatur ſaltem pro parte. Renovatio enim vitæ ſignificabatur per Circumciſionem: ac ſimiliter juſtitia quam fide obtinemus: nec pœnitentia, nec fides erant in puero infante, nec tamen propterea minus capax erat Sacramenti recipiendi. En igitur quomodo ſignum veritatem antecedebat. Si hoc aliquando licitum & rationi conſentaneum fuit, quare nunc erit diſſentaneum?

Verum objiciet aliquis non ſufficere ſi ſimiliter factum fuiſſe allegemus, niſi etiam oſtendamus idem hodie fieri oportere. Hoc quidem fateor, nec inſtare volo ut parvulorum Baptiſmus approbetur, niſi etiam talem eſſe Dei voluntatem oſtendero. Interim vero quod jam probavi teneamus, diſputari adverſus Deum ab iis qui ſemper veritatem ſigno priorem eſſe volunt. Cæterum, à nobis probandum eſt, verbo Dei conſentaneum eſſe, quod infantes baptizamus. Quod facile poterit ſine longa controverſia à quovis percipi, ſi gratiam, quam Dominus Jeſus adventu ſuo nobis attulit, agnoſcamus. Prius promittebat Deus Judæis ſe ipſorum liberis fore in Deum: atque in ejus rei teſtimonium Sacramento fœderis ſui eos inſigniebat. Nunc vero, ut ait Paulus Rom. 13., Dominus Jeſus advenit, ut promiſſiones Judæis factas confirmet ac ratas efficiat, Deique miſericordiam per univerſum orbem effundat. Atque ut notat alio in loco, intermedium parietem diruit, quo alii ab aliis ſecernebantur, ut nihil amplius ſuperſit diſcriminis: ſed omnes una eodem fruentes privilegio ſimus filii Dei. Quamobrem quiſquis minorem vult efficere erga nos & liberos noſtros gratiam Dei, quam erga populum Judaicum fuit, is magnam Chriſto injuriam infert, eumque vehementer blaſphemat. At dicet quiſpiam, non imminui gratiam Dei erga nos, ſi infantes ad Baptiſmum non admittentur: modo non negetur Deum ipſos pari miſericordia proſequi, qua liberos Judæorum. Ego vero valde imminui oſtendo. Nam gratiam Dei præcipue æſtimare debemus ex declaratione, quam tum Verbo, tum Sacramentis facit. Quum igitur Baptiſmus hodie inſtitutus ſit, ut promiſſio ſalutis in corporibus noſtris obſignetur, ut olim in populo Judaico fiebat: ſingulari conſolatione privarentur Chriſtiani, ſi hæc confirmatio liberis ſuis adimeretur, qua ſemper potiti ſunt fideles omnes: ut viſibile ſignum haberent, quo Dominus oſtendit ac teſtatur ſe liberos ipſorum in Eccleſiæ communionem recipere.

Cavillationem qua hic utuntur Anabaptiſtæ, non ignoro: dum infantis nomen allegorice accipiunt, pro iis qui malitia ſunt parvuli, non ætate: noſque propterea irrident, quod ita ſimplices ſimus, ut literæ ſenſum ſequamur. Sed qualis eſt iſta quæſo ſubtilitas? Velle promiſſa Dei adeo clara & facilia evertere, quibus ait ſe miſericordia ſua fidelium ſemen, etiam poſt ipſorum mortem proſequi? Hujus vero rei quem meliorem aut certiorem interpretem habere poſſumus quam Spiritum ſanctum? qui ipſe per Apoſtolos expoſuit quod ante denunciaverat per Prophetas. Petrus teſtatur Judæis ipſos promiſſionum filios, id eſt, hæredes eſſe, quatenus ex ſtirpe Abraham originem ducunt. Paulus etiam quamvis data opera pugnet adverſus Judæorum arrogantiam, qua ſeſe ob cognationem illam carnalem efferebant, non tamen negat Abrahæ ſtirpem propter fœdus, quod Deus cum ipſo iniit, peculiariter ſanctificatam eſſe. Evenit quidem interdum ut fidelium liberi majores facti, ſeſe alienent à Deo, & quantum in ipſis eſt, Baptiſmi veritatem in nihilum redigant: ſed non propterea dicendum eo minus Deum ipſos elegiſſe ac ſegregaſſe à reliquis, ut ſalutem ipſis offerret, Alioqui, fruſtra diceret Paulus, infantem patre *1 Cor. 7. verſ. 14.*

aut

aut immundus foret, ſi progenitus eſſet ab infidelibus. Quum Spiritus ſanctus, omnis ſanctificationis auctor & origo, teſtetur Chriſtianorum liberos ſanctos eſſe, an noſtrum eſt eos à tanto bono excludere? Quod ſi Baptiſmi veritas in eis reſideat: qui eo ſigno, quod longe minus & inferius eſt, privare audebimus?

At objiciunt uſum & conſuetudinem Apoſtolorum contrariam fuiſſe: nam ſcriptum eſt, Paulum & *Act. 16. verſ. 32.* Silam prædicaſſe verbum Domini cuſtodi carceris & domeſticis ipſius, antequam baptizarentur. Huic objectioni jam antea ſatis reſpondi, oſtendens in eo qui alienus fuit ab Eccleſia, doctrinam antecedere debere: ſed poſteaquam ſemel in communionem fidelium receptus eſt, promiſſionem vitæ, non ipſius tantum nomine, ſed liberorum quoque illi offerri. Sed expreſſius argumentum ſe habere putant, & quod ſibi magis ſuffragetur ex decimo nono capite Actorum, ubi ſcriptum eſt, Paulum, quum aliquos diſcipulos reperiſſet, qui nondum Spiritum ſanctum receperant, eos deintegro baptizaſſe. Porro certiſſimum eſt Lucam illic agere de viſibilibus gratiis Spiritus ſancti. Nec enim aliter ea quæ dicit convenire poſſent: nempe quod ii de quibus loquitur, qui Judæi erant, reſpondent ſe neſcire an ſit Spiritus ſanctus. Ignorare autem minime poterant Deum Spiritu ſuo fideles ſanctificare, quum de eo apud Prophetas omnes tam crebra mentio fiat. Sed neſciebant an gratiæ illæ, de quibus interrogabat Paulus, Eccleſiæ Chriſtianæ datæ eſſent. Quum itaque nominentur diſcipuli, non adeo ignari erant, quin Deum ac Chriſtum quodammodo cognoſcerent, ut hodie idiota quiſpiam ex vulgo Chriſti anorum. Sed hoc ipſis deerat, quod gratias viſibiles non acceperant, quas tum Deus in ſervos ſuos effundebat. Hæ per manuum impoſitionem à Paulo ipſis collatæ ſunt. Non eſt novum in ea ſignificatione accipi Baptiſmi nomen: ut apertiſſimo exemplo docemur, Actorum undecimo, quum dicitur Apoſtolos memioiſſe verborum Domini, quibus dixerat, Joannem baptizaſſe aqua, ſe vero baptizaturum Spiritu. Eſt præterea hic uſus frequens in Scripturis, ut verbum unum per aliud, ſententia aliqua per aliam exponatur. *Act. 19. verſ. 5.* Illic dictum eſt, Paulum in nomine Chriſti ipſos baptizaſſe. Deinde, ut explicet quid hoc ſibi velit, adjungit ipſum eis impoſuiſſe manus, ac Spiritum ſanctum deſcendiſſe. Eſt igitur res eadem, duobus modis, ex Scripturæ uſu, varie expreſſa, ſicuti diximus. Sed nihilominus videamus quid probi iſti viri colligere poterunt, etiamſi omnia quæ poſtulant, eis concedamus. Nihil quidem certe aliud, quam Paulum iterum diſcipulos illos ob eorum ignorantiam baptizaſſe. Quod ſi ob hanc cauſam iterandus ſit Baptiſmus, quid Apoſtolis factum eſſet, qui tres annos poſt Baptiſmum ſuum adhuc tot erroribus abſurdiſque opinionibus tenebantur? Ita ut exiſtimarent Chriſti regnum terrenum eſſe, nihil de morte aut paſſione ipſius animo conciperent, & pleraque ejuſmodi? Tanta certe ruditas alterum Baptiſmum merito requirebat, ſi ignorantes iterum baptizandi eſſent. Quod autem ad nos pertinet, lacum aut fluvium ſemper à tergo habere oporteret, ſi quoties Dominus nos repurgat aliquo errore, ex integro baptizandi eſſemus. Huc præterea accedit, quod Paulus eos de quibus agitur, baptizavit antequam eis imponeret manus. Qui ordo reprobandus eſſet, ſi miſeri iſti fanatici verum dicerent. Nam ex eorum imaginatione Spiritum ſanctum prius diſcipulis dari oportebat, ſignum deinde ſubſequi. Sed quid ampliore diſputatione opus eſt, quum res ipſa omnino perſpicua ſit?

Nulla igitur ſupereſt amplius eis calumnia, ut parvulorum Baptiſmum inſectentur & mordeant, præterquam quod aiunt, nuſquam commemorari Apoſtolos eo uſos eſſe. Reſpondeo, nuſquam etiam legi adminiſtratam ab ipſis fuiſſe Cœnam vel unicæ mulieri. Cur ergo plus difficultatis in uno quam in altero conſtituunt? Dicere non audebunt mulieres recipiendæ Cœnæ Domini non eſſe idoneas. Non tamen legimus ipſas unquam ex manu Apoſtolorum eam accepiſſe. Unde ergo reddemur certiores? Nempe ſi inſtitutionem, naturam & ſubſtantiam Sacramenti intuemur. Sic enim perſpiciemus æque mulieribus ac viris convenire. Oſtendimus autem idem eſſe in Baptiſmo. Convenire ſcilicet infantibus, atque ad eos pertinere: quoniam Dominus eos pro domeſticis habet Eccleſiæ ſuæ. Quid plura requirimus? Nonne ſuperfluum eſt de conſuetudine inquirere, ubi jus ipſum apertum & perſpicuum eſt? In hac, inquam, materia in qua ſolum Dei placitum ſufficere oobis debet? Quod ad hunc articulum ſpectat, ſpero me omnibus abunde ſatisfeciſſe, qui veritatis normam ſequi volent. Quanquam ſi quis ampliorem declarationem deſideret, poterit ea videre quæ tractavi in Chriſtiana Inſtitutione, ubi copioſius omnia horum argumenta deducuntur.

ARTICULUS II.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Uſus excommunicationis inter omnes eſſe debet, qui ſe Chriſtianos profitentur. Qui baptizati, nihilominus noxam aliquam imprudenter aut caſu admittunt, non ex induſtria, ii ſecreto moneri debent ſemel atque iterum: tertio publice coram toto cœtu exterminandi ſunt. Ut poſſimus eodem zelo una panem frangere, & calicem bibere.

REFUTATIO.

Excommunicationem bonam & ſanctam politiam eſſe non negamus: atque etiam in Eccleſia non utilem modo, ſed etiam neceſſariam confitemur. Quin etiam hi miſeri & ingrati quicquid de ea tenent, à nobis didicerunt: niſi quod ignorantia ſua aut arrogantia corruperunt doctrinam, quam pure docemus. Sed ut breviter articulum iſtum expediam: in quo conſentiamus annotabo, & quid habeant nobiſcum diſcriminis. Docemus, ut jam dixi, conſtanter, excommunicationem, qualis à Chriſto inſtituta eſt, in uſu eſſe debere, & conſervandæ Eccleſiæ adminiculum neceſſarium eſſe affirmamus. Atque etiam curamus & omni ſtudio contendimus, ut reſtituatur in ſtatum ſuum, eaque, ut decet, utantur omnes, admonentes errorem graviſſimum eſſe, & vitium vehementer reprehendendum, ſi non ita fiat. In eo igitur Anabaptiſtæ nihil à nobis diſcrepant. Si damnaremus excommunicationem, aut ſuaderemus inutilem & ſupervacaneam eſſe, aut libenter aſſentiremur ne ei in Eccleſia locus eſſet, tunc murmurandi adverſum nos occaſionem haberent. Sed de eo bene inter nos convenit. In hoc tota eſt controverſia, quod putent nullam ibi Eccleſiam eſſe, ubi hæc politia non eſt conſtituta, aut non eo quo decet modo exercetur: nec illic homini Chriſtiano licere Cœnam recipere. Eoque prætextu ſeſe ab Eccleſiis ſegregant, in quibus verbum Dei pure annunciatur: nolentes, ut inqoiunt, ejus pollutionis participes eſſe, qua commaculantur ii, qui flagitioſos & ſceleratos non relegant. Nos è diverſo fatemur, ſi hic ordo alicui Eccleſiæ deſit, imperfectiorem eam & prava macula notatam eſſe: ſed non eo minus pro Eccleſia ipſam habemus, ac perſiſtimus in ejus communione, atque affirmamus ſingulis ſeſe ab ea ſegregare non licere.

Quia vero non ſatis eſt verbo aſſerere: videamus an ex Scripturæ doctrina firmam probationem ſimus habiuri. Huic enim legi me libenter ſubjicio, ut dictis meis nulla adhibeatur fides, niſi teſtimonium ex Scriptura habeam. Prima igitur quæſtio eſt: an pro Eccleſia Chriſtiana habendus ſit is cœtus, qui nullum excommunicationis uſum habet, qualis à Chriſto

Digitized by Google

Chriſto inſtituta eſt. Hoc certe deerat Corinthiis eo tempore quo Paulus ad eos ſcribebat, ut ipſe oſtendit ac conqueritur: at nihilominus eum honorem eis [*1 Cor. 1. verſ. 2.*] tribuit, ut eorum congregationem, Eccleſiam Chriſtianam vocet. Diverſæ illic ſectæ & factiones erant. Ambitio & avaritia vigebant inter plures. Litibus & jurgiis ſeſe mutuo corrodebant. Crimen quod inter fideles execrabile fuiſſet, non tolerabatur ſolum, ſed etiam propemodum fovebatur. Quin etiam præter tantam corruptionem morum, errores in ipſa doctrina reperiebantur. Paulus tamen non ex ſeipſo loquens, ſed velut os & organum Spiritus ſancti, ſic inſcribere Epiſtolam ſuam non deſinit: Eccleſiæ Chriſtianæ quæ eſt Corinthi. Quis nunc ex nobis tantum audebit, ut ſeverior ipſo Deo eſſe velit in judicando? Qui hoc auſus fuerit, præbebit inſigne documentum ſuæ temeritatis. Nihil tamen de eo quod ſemel pronunciavit Deus, immutabit. Quid dicemus de Galatis? Scimus quanta apud eos perturbatio & confuſio fuit: id tamen non prohi- [*Gal. 1: 2.*] bet, Paulum illic Eccleſiam agnoſcere. Omne quidem ſtudium à nobis adhibendum eſt, ut eam perfectionem, quæ in Chriſti corpore eſſe debet, aſſequi poſſimus: ſed una Eccleſiæ conditio alia à nobis quærenda non eſt, quam quæ prædicta eſt à certa & immutabili veritate. Ne ergo fallamur, perfectam in hoc mundo Eccleſiæ formam imaginando. Nam ſe- [*Mat. 3. verſ. 12.*] mel pronunciavit Chriſtus eam areæ ſimilem fore, ubi grana tritici ſic paleæ admixta ſunt, ut ſæpenumero non appareant. Item, reti ſimilem fore, in [*Mat. 13. verſ. 47.*] quod varia piſcium genera aggregantur. Quæ ſimilitudines nos docent, quamvis puritas ſumma deſideranda ſit in Eccleſia, & in ea conſequenda omnem operam adhiberi oporteat, nunquam tamen ita puram fore, quin multis adhuc maculis polluta ſit.

[*Epheſ. 5. verſ. 26.*] Quod enim dicitur Chriſtum effudiſſe ſanguinem ſuum, quo eam mundaret, ut careret omni ruga & macula, non ſignificat eam omnino jam mundatam, & omni nævo vacuam eſſe, ſed potius adoleſcere in dies, & proficere: eo tendentem, quo nunquam in hoc ſeculo poterit pervenire. Verum adhuc duobus modis maculata eſt Eccleſia. Nullum enim eſt ipſius membrum adeo purum aut perfectum, quod multis adhuc vitiis circumſeptum non ſit. Fideles igitur omnes, quamdiu hic verſantur, ſemper immunditiem aliquam habent, quæ in eorum carne reſidet, ut tota Scriptura teſtatur, ac præſertim Paulus ad Romanos ſeptimo. Quod ad hanc immunditiei ſpeciem attinet, etiamſi Eccleſiam, quam optime fieri poſſet, adminiſtratam haberemus, tamen evitare non poſſumus, quin à Domino nos ablui neceſſe ſit, & ipſius miſericordia nobis peccata noſtra remitti. Sequitur alterum genus immunditiei, quo Eccleſia maculata eſt. Bonorum gregi ſemper admixti ſunt hypocritæ, qui ſordibus ſuis totum cœtum inficiunt. Nonnunquam etiam admixti contemptores Dei, vitæ diſſolutæ, & flagitioſæ: aut qui ſibi cavebunt, ne reprehendantur ab hominibus, ſed interim oſtendent ſe nullo Dei timore, nulla reverentia tangi. Hæc pollutio excommunicationis diſciplina tollenda eſt, & in eo quanta fieri poteſt diligentia elaborandum. At multæ reperientur Eccleſiæ, quæ in eo male officio ſuo defunguntur, ut ab ejuſmodi ſordibus ſeſe repurgent. Aliæ, quæ ſtudium & diligentiam adhibebunt, tantum efficere non poterunt, quin magnus iniquorum numerus impunitus maneat: quoniam hypocritarum malitia ſæpe occulta eſt: aut ſaltem non ita detegitur, ut adverſus eam ferri ſententia poſſit. In ſumma igitur, teneamus quod Dominus noſter ait, ad finem uſque mundi permultas herbas nocivas tolerandas eſſe, ne ſi omnes velimus evellere, ſimul quod boni tritici erit, una perdamus. Quid deſideramus plura? Dominus, ut probaret ſuos, huic miſeriæ obnoxiam reddere Eccleſiam ſuam voluit: nempe, ut boni perpetuo eſſent admixti malis. Subeunda igitur eſt hæc conditio.

Et ſane ſic agendi optima nobis ratio conſtat. Id enim honoris nos ſacroſancto Dei verbo ſanctiſque ejus Sacramentis deferre par eſt, ut ubicunque annunciari hoc verbum videmus, atque ex regula, quam nobis præſcribit, pure Deum adorari, rejecta omni ſuperſtitione adminiſtrari Sacramenta, illic ſine ulla controverſia Eccleſiam Dei eſſe concludamus. Alioqui quid dicemus? An hypocritarum aut contemptorum Dei nequitia, dignitatem & virtutem verbi Dei & Sacramentorum abolere poteſt? Fateor quidem diſciplinam ad Eccleſiæ ſubſtantiam requiri: quod ad id attinet, ut rite ordinetur: ſique recta adminiſtrandi ratio & politia deſit, veluti ſi excommunicatio non ſit in uſu, tantundem de ejus ſpecie detractum iri, ut ſit quodammodo deformis. Sed non propterea dicendum eam omnino dirutam eſſe, neque ædificium amplius ullum manere, quum doctrinam retineat, in qua fundata eſt Eccleſia. Prætermitto quod eo poſito nullius rei habendam eſſe rationem quam hominum morumque, ſæpe tamen falli poſſemus, cœtum & aliquem improbando, eumque æſtimando, propter ſua vitia, Eccleſiæ nomine indignum. Accidere enim ſæpenumero poſſet, ut probis & ſanctis viris fieret injuria, quorum numerus inter improbos ſic latet, ut tritici grana ſub paleis occultantur. Præterea cogitare debemus, nonnullos qui vitiis laborant, ſibi nihilominus in ipſis diſplicere, & cum vera pœnitentia cupere ſeſe ex eis eripere, ut integritate majore Deum colant. Hoc etiam animadvertendum, ſeverius eſſe ac durius, aliquem ob unicum delictum rejici. Addo quod naturæ noſtræ ea eſt pravitas ut tum ad male ſuſpicandum ſit proclivis, tum ad temere judicandum, antequam res bene perſpecta ſit. Quamobrem eo diligentior cautio à nobis adhibenda eſt, ne hic impingamus. Verum, ut dixi, perperam à nobis fieret, ſi hominum tantum rationem haberemus. Tanti enim facere debemus verbum Dei & Sacramenta, ut ubicunque viderimus ea, ibi Eccleſiam Dei eſſe certo ſciamus, quamvis errores & vitia in communi hominum vita reperiantur. In ſumma, quum quæritur quid ſit Eccleſia, merito judicium Dei noſtro præferendum eſt. Anabaptiſtæ vero, ut oſtendimus, judicio Dei acquieſcere non poſſunt.

Altera quæſtio in hoc articulo eſt, Quum excommunicationis ordo non eſt in aliqua Eccleſia conſtitutus, vel in eo quo decet uſu non eſt, an propterea nos ab ea ſegregari oporteat, nec liceat in ea Cœnam recipere? Anabaptiſtæ aiunt, ubicunque mali non excluduntur à communione, illic Chriſtianum communicando ſeſe polluere. Nos è diverſo dicimus Chriſtianum mœſtitia affici debere, quum ſacroſanctam Cœnam pollui videt ab iniquis & improbis, qui ad eam admittuntur: & curare quantum in ipſo eſt, ne id fiat: quod ſi fiat, ipſi tamen ſeſe privare Cœna, & à communione ſubducere, non licere: debere potius in eo perſiſtere, ut quamdiu in eo loco agit cum cæteris, Deum adoret, verbum audiat, Cœnamque recipiat.

Proferant Anabaptiſtæ auctorem ſuum, ut ſententiam ſuam probent. Nos enim nihil omnino aſſerimus, quam ex Prophetarum & Apoſtolorum ſententia. Videmus quæ vitia in Eccleſia Judaica Prophetæ reprehendant: aut potius contra quas abominationes vociferentur. Neque vero reprehenſiones illæ competunt in unum genus hominum: ſed palam denunciant à primoribus ad plebem uſque, à ſummis ad infimos omnia ſic corrupta & depravata fuiſſe, ut vix unicum membrum ſanum reperiri poſſet: Hæc enim ſunt ipſorum verba. An vero pro- [*Jeſa. 1. verſ. 6.*] pterea deſierunt cum populo iniquo & perverſo convenire, ut adorarent Deum, ut offerrent ſacrificia, ut audirent doctrinam Legis? An ſeorſum templum

plum aut altare extruxerunt, ut pura Eccleſia potirentur? Si polluitur fidelis, quod in precibus cum iniquis communicet, in audienda doctrina, in Sacramentis recipiendis: Prophetæ omnes polluti fuerunt, ac veluti duces, qui cæteros exemplo ſuo in exitium ducerent. Nunc ad Chriſtum Dominum noſtrum & ipſius Apoſtolos veniamus. Primum, ſcimus qualis eo tempore fuerit Eccleſiæ Jeroſolymitanæ ſtatus. Tamen cum cæteris Dominus Jeſus

Luca 2. v. 21, 22. circumcidi voluit. Deinde, purgationis die ad Templum afferri, ut ex ſolito more Deo offerretur. Si allegent, ſancti viri manibus ſuſceptum fuiſſe: reſpondeo, id totius Eccleſiæ nomine factum: quæ tamen ſpurcitia multa & abominandis vitiis ſcatebat. Si rurſum objiciant, infantem fuiſſe, nec ab eo proprie facta: reſpondeo, ita infantem fuiſſe in humana natura, quam à nobis acceperat, ut interim providentia ſua divina regeretur, qua nunquam ſiviſſet ſe ulla actione contaminari, quæ filiorum Dei puritati repugnaret. Quin etiam vir factus, ac quod amplius eſt, quum prædicaret verbum Dei & officio ſuo fungeretur, eam viam perſequutus eſt uſque ad extremum diem vitæ. Si offenditur Deus ab eo qui precandi & teſtificandæ fidei ſuæ gratia in cœtum aliquem ingreditur, à quo ſcelerati non arcentur: quid ſibi voluit Dominus noſter, quale exemplum præbuit, quum Templum Jeroſolymitanum ingrederetur, ut una cum Scribis, & Phariſæis, & populo tunc perditiſſimo ſacra faceret? Protinus, ſat ſcio, excipient, Chriſtum in Templum non aſcendiſſe, niſi ut vitia & ſcelera reprehenderet, quæ tum admittebantur: non ut cum eorum ſacrificiis & cæteris teſtificationibus fidei participaret. Verùm falſam eſſe hanc ſolutionem, facile eſt

Gal. 4: 4. commonſtrare. Non abs re dicit Paulus eum ſubditum Legi factum (de Chriſto ſemper intelligo) ut ab ejus ſervitute omnes, qui ei ſubjiciebantur, redimeret. De ceremoniali Lege nominatim verba facit. Quum igitur ad Templum ac præcipue diebus feſtis & ſolennibus accedebat, quamvis eo veniret, ut meliorem promovendi Euangelii, & corrigendis impiorum vitiis, occaſionem nanciſci poſſet: tamen non deſinebat ſeſe Legis obſervatorem oſtendere, quæ Lege jubentur faciens, veniens in Templum adorandi & ſacrificandi cauſa. Quod ipſe ore ſuo confirmavit, quum Samaritanam conveniret. Loquens

Joan. 4. verſ. 22. enim ex omnium Judæorum perſona, ait: Scimus id quod adoramus: ut vos, quod adoratis, neſcitis: quia ſalus ex Judæis eſt. Haud certe ab illis ſe ſegregat, quum loquitur de adoratione, qua etiam ſacrificia continentur, verum ſeſe redigit in communem ordinem cæterorum. Id quod ratio ab eo adjuncta, magis etiam confirmat: nempe, quia ſalus ex Judæis eſt. His enim verbis nihil aliud intelligit, quam cultum, qui Jeroſolymis exhibebatur Deo, ipſi gratum fuiſſe, tantum ob fœdus, quod cum populo illo inierat. Ex quibus perſpicimus, eum qui Sacramentis à Deo inſtitutis cum iniquis communicat, ipſorum congreſſu non pollui, modo ipſe crimine vacet, puraque conſcientia ſit præditus.

Idem Apoſtoli, Magiſtri ſui exemplum ſequuti, fecerunt. Verum ne prolixiores ſimus, quam par ſit, Paulo uno contenti ſimus. Omitto quod quemcunque in locum veniret, ſine ulla difficultate in Synagogam Judæorum ingreſſus eſt, ut oraret Deum, & de Scriptura tractaret. Omitto etiam, quod ei religio non fuit ſeſe in Templo exhibere, ut ibi Deum adoraret, & ceremoniis legitimis una cum reliquis uteretur: quamvis ſumma eſſet Sacerdotum & Scribarum, qui tum illic erant, improbitas & nequitia. Non quod illa ad rem non faciant: ſed quia clariore probationum genere, quæ calumniis minus eludi poſſunt, non caremus. Nempe, quod conqueritur eos qui ipſum adjuvare debuerant,

Philip. 2. verſ. 21. Chriſti honore & Eccleſiæ propagatione poſthabitis, privatis commodis ſuis ſtuduiſſe. Neque tamen legimus ipſum, ne pollueretur, ſe ab eorum cœtu ſegregaſſe. Item, quum vitia illa horrenda,

1 Cor. 5. verſ. 1. Galat. 5. verſ. 4. quibus Corinthii & Galatæ laborabant, reprehendit: non vetat eos qui puri ſunt & immunes, ullam cum cæteris communionem habere, quoad bene purgata fuerint omnia: ſed tantum adhortatur, ut vitia, quæ ſuo quæque loco reprehendit, corrigant: nulla mentione facta de ejuſmodi ſegregatione, qualem iſti fanatici introducere volunt.

Quid vero neceſſe eſt adeo diſputare? quum Apoſtolus ipſe alio in loco tractans, quo quiſque modo præparari debeat ad recipiendam, ut decet, Cœnam Domini, non jubet unumquemque proximi ſui vitia

1 Cor. 11. verſ. 28. examinare: ſed ita loquitur, Probet ſeipſum homo, ac ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Nam qui edit & bibit indigne, judicium ſibiipſi edit & bibit. In quibus verbis duo ſunt obſervanda. Primum, indigne panem Domini edere, non eſſe cum iis qui indigni ſunt communicare: ſed non rite præparare ſeipſum, nec expendere fidem propriam & pœnitentiam. Alterum, quum Cœna recipienda eſt, ne initium faciamus ab aliis, quo examinemus ipſos, ſed noſmetipſos probemus. Et certe, ſi accurate conſiderentur omnia, qui ita otio abundant, ut inquirant in alios, ſæpius in re ſua ſunt negligentes & obliviosi.

Hominem novi adhuc ſuperſtitem, qui hoc errore detentus, quod vereretur nobiſcum, propter quorundam vitia, Cœnam ſumere: ſeſe Eccleſiæ communione privabat: interim domi duos habebat famulos vitæ flagitioſæ & diſſolutæ. Quod quum intellexiſſem, eum commonefaciendum curavi (quoniam eo tempore mihi auſcultare noluiſſet) merito cogitare ipſum debere de purganda domo ſua, quæ ipſi commiſſa erat, quum ſe pollui exiſtimaret eorum vitiis, qui ad ejus adminiſtrationem nullo modo pertinebant. Tum ſtultitiam ipſe ſuam animadvertere cœpit, ac veluti caſtigationem à Deo miſſam agnoſcere, qua ſuam illi arrogantiam exprobraret. Ita ſe & Eccleſiæ & mihi reconciliavit; agnoſcens hoc eſſe primum, ut de nobis ac familia noſtra cogitemus: deinde habeamus cæterorum rationem: non ut in eorum odium, quod non ita, ut decet, ſe gerant, nos ſubducamus ab Eccleſia: ſed ut corrigamus eos, ac, ſi fieri poteſt, reducamus in viam, aut ejici curemus. Sin minus, commendemus Deo, ut in meliorem ſtatum redigat omnia.

1 Cor. 5. verſ. 2. Objici poterit, Paulum eadem Epiſtola acriter reprehendere Corinthios, quod in eorum cœtu vitia non puniuntur excommunicatione: atque adeo prohibet ne cum fornicatoribus, ebrioſis, deceptoribus, idololatris, & ejuſmodi hominibus verſantur. Cui objectioni reſpondeo; vitium in Eccleſia valde reprehendendum eſſe, quum delictis nulla correctio adhibetur. Imo vero aio, ſæpe accidere poſſe, ut Dominus hanc ſolam ob culpam, in populum univerſum animadvertat. Quamobrem, neque Eccleſia adhuc iſta excommunicationis diſciplina carens, ſibi aduletur, quaſi levis culpa ſit nullum ejus uſum habere: ſed potius unaquæque ſibi proſpiciat, detque operam, ut erigi & ſtatui poſſit. Similiter privatus quiſque ſe in eo impendat, & ei reſtituendæ, quam omnino poterit, operam navet. Sed non propterea dicendum, juſtam eſſe cauſam privato cuique ſe ab Eccleſia abalienandi, quoties rerum ſtatus ipſius voto minime reſpondebit. Notare enim debemus hanc politiam non eſſe in unius membri poteſtate: verum ex totius corporis conſenſu exercendam eſſe. Idcirco Paulus non ſpeciatim ſingulos compellat, ut ſeorſim vitium cujuſque culpæ hoc aſſignet: ſed totum corpus inſimulat.

In ſumma, quod ad Eccleſiæ communionem attinet, demus operam, ut membra putrida, aut contagione infecta, omnes ſcilicet, qui flagitioſam & diſſolutam vitam degunt, abſcindantur. Quid autem in nobis ſit, ipſi conſideremus: quumque functi ſimus officio noſtro, ſi nequeamus aſſequi quod volumus, quodque vehementer optandum eſſet, reliqua commendemus Deo: ut quemadmodum ipſius eſt opus, ita manum admoveat. Interim, etſi merito triſtes ſimus, quod Eccleſiam nondum rite ordinatam & in integrum reſtitutam intuemur, feramus tamen vitia, quæ emendare non poſſumus.
1 Cor. 5. verſ. 11. Quod autem vetat Paulus cum iis cibum ſumere, qui vitæ ſunt diſſolutæ, id ad privatam conſuetudinem pertinet, non ad publicam communionem. At, dicet aliquis, ſi homini Chriſtiano non liceat cum ſcelerato verſari, corporei victus percipiendi cauſa, multo minus panem Domini cum illo ſumere licebit. Reſpondeo, in libertate noſtra & facultate poſitum eſſe, an familiariter verſemur cum ſceleratis. Quo fit, ut unicuique ſit ab eo abſtinendum. At non eſt ita in arbitrio noſtro poſitum, an Cœnam recipiamus, necne. Itaque diverſa eſt ratio. Notemus ergo, ſi Eccleſia hominem indignum ferat & toleret, probe facturum eum qui talem noverit, ſi ab ejus conſuetudine abſtineat, idque, quoad poterit, facere debere: modo ne ſchiſma ullum aut ſeparationem in Eccleſiæ communione inducat.

De excommunicationis materia, quantum locus hic requirebat, tractatum eſt. Tantum obiter omnes veritatis ſtudioſos monitos velim, ejus quod in hoc ipſo Anabaptiſtarum articulo continetur, ut ex eo animadvertant, quantum fidei debeant reliquis adhibere: nempe, quod aiunt hominem, qui imprudentia, non deſtinata malitia erraverit, poſteaquam bis ſeorſim fuerit admonitus, publice caſtigari de-
Mat. 18. verſ. 15. bere, aut excommunicari. In eo, errorem unum eis condono: quod Dominus non vult Eccleſiam ad excommunicationem progredi, etiam quum peccator privatus admonitiones binas neglexerit: ſed vult tertio admoneri publice, antequam rejiciatur. Falluntur iterum in eo, quod non conſiderant Dominum eo in loco de ſecretis delictis verba facere. Manifeſta enim, quæ populo offenſionis cauſam præbent, alia ratione corrigenda ſunt, quam ſecreta monitione. Hi duo errores facile demonſtrant: quam præclari doctores ſint Anabaptiſtæ, quo ſpiritu ducantur ad omnia reformanda, quum vix tria verba proferre poſſint, quin permiſceant & confundant omnia. Verum hoc adhuc eis ignoſco, ut ad eam partem veniam, quæ plus momenti habet. Quum enim aiunt, eum qui imprudenter non ſponte peccavit, ſignificant, ut etiam aperte docent & aſſeverant, hominem qui ſponte deliquit, nunquam veniam obtenturum. Non, ex eorum opinione, peccatum voluntarium adverſus Spiritum ſanctum committitur, cui nulla datur venia. Hanc opinionem, blaſphemiam execrabilem eſſe dico, & delirium pernicioſum, quo miſeræ animæ in deſperationem conjiciuntur. Quod re ipſa in nonnullis vidi, qui per aliquod tempus ab hac infelici ſecta fuerant ſeducti, nos quidem cogitare debemus in nobiſipſis, & alios monere remaſſe non parvi ponderis, Deum ſponte offendere, & repugnante animi noſtri conſcientia aliquid admittere, quo ira Dei adverſum nos provocetur. Quiſquis ergo his uteretur vocibus: Quamvis accidat nos poſt agnitum Deum, contra animi noſtri conſcientiam peccare, ea culpa facilo remittitur, nec eam tanti facit Dominus, ut magnopere torqueri nos oporteat; is repellendus eſſet ceu Satan aliquis, qui talibus nos adulationibus ad Dei contemptum vellet adducere. Aſſidue potius meditemur, leve crimen non eſſe contra ſanctiſſimam voluntatem Dei rebelli animo & contumaci aliquid facere, juſtitiam ejus data opera violando: & qui id faciunt, eos nimis diſſolute abuti collata in ſe gratia: proinde periculum eſſe maximum, ne ii qui adeo habenas ſibi laxant, dentur in reprobum ſenſum, ut in malitia obdureſcant, ne unquam convertantur. Revocemus etiam in memoriam comminationes, quas Scriptura in talem ingratitudinem pronunciat. Verum poſtquam hæc omnia dicta & facta fuerint, non tamen conjiciendi in deſperationem ii ſunt, quibus ſic contigerit labi. Quo enim delaberemur? Vix decimus quiſque reperietur, qui aſſerere poſſit, ſe poſteaquam Deum novit, non ſponte deliquiſſe. An non eſſet Eccleſiam perdere, velle eos omnes conjicere in deſperationem? At dicent ſic conſcientias ſopiri, ut facile aſſentiantur malo. Ego vero contra reſpondeo, conſopiri potius eorum animos qui ſibi ita imponunt, ut putent ſe nunquam niſi ignorantia peccare: ſeque adeo innocentes exiſtimant, ut nunquam malo ſint animo aut prava voluntate. Conſideremus, quæſo, quot modis nos tentet diabolus. Si non opprimimur omnino, quis tamen virtute tanta præditus eſt, ut aliquando non deflectat, nunquam aberret: quamvis ſit commonefactus à Deo, & teſtimonium habeat conſcientiæ ſuæ, quo in rectam viam reducatur? Peccato contra Spiritum ſanctum admiſſo veniam nullam dari allegant. Fateor. Sed peccatum voluntarium multum differt ab eo, quod in Spiritum ſanctum committitur. Is enim reſiſtit Spiritui ſancto, qui aperte repugnat veritati Dei, & obſtinato animo nititur ipſam evertere, quaſi Deo certamen indicere videretur. Peccare autem ſponte poterit aliquis, qui tamen nec bellum adverſus Deum gerere, nec in ejus verbum contumelioſus eſſe volet.

Sed breviter & facile expedietur hæc quæſtio, ſi ejus definitionem ad Deum referamus: id eſt, ſi pronunciatis ipſius, ut æquum eſt, acquieſcamus. Quum enim auctoritatem remittendi peccata ſibi ſoli reſervaverit: ipſius etiam eſt ſolius definire, quæ remitti, quæ non remitti debeant. Ab initio vero in populo Judaico inſtituit duo ſacrificiorum quotidianorum genera: unum pro voluntariis peccatis, alterum pro iis quæ ignorantia admitterentur, addita hac promiſſione, tam prioribus quam poſterioribus ſe veniam daturum. Quid ad hæc miſeri iſti fanatici reſpondebunt? Pronunciat Dominus, ſe remiſſurum fidelibus peccata voluntaria (fiebant enim ſacrificia pro iis qui jam Eccleſiæ membra erant) iſti vero Deo manus colligare, ac ne talem miſericordiam exerceat, prohibere volunt. Si excipiant, id in veteri lege factum, aliam vero temporis noſtri eſſe rationem, nimium frivola erit hæc cavillatio. Satis enim perſpectum eſt, infinitam bonitatem Dei, adventu Chriſti Domini noſtri haudquaquam imminutam, ſed potius amplificatam eſſe. Præterea ſcimus ſacrificia antiqua figuras tantum fuiſſe eorum, quæ in Chriſto implenda erant. Quum ergo voluntariorum peccatorum remiſſionem ſacrificia antiqua repræſentarent, quæ domeſticis fidei exhibetur, certum & perſpicuum teſtimonium eſt, fideles non tantum ignorantiæ ſuæ, ſed etiam delictorum ſponte admiſſorum, remiſſionem per Chriſtum obtinere. Cujus etiam rei tot habemus exempla, ut eam revocare in dubium, impudentiæ ſit maximæ. Si ex veteri Teſtamento ſumamus. Patriarchæ quum in fratris necem conſpirarunt, male ſe agere non ignorabant. Ruben non imprudenter patris ſui thorum contaminavit. Judas ſatis perſpectum habebat fornicationem diſplicere Deo: ab ea tamen non abſtinuit. David, qui ſontes quotidie puniebat, non poterat errore aut imprudentia illud adulterii crimen admittere. An miſericordia, quam Deus illis omnibus impartivit, defecit aut interiit, ut non poſſit ipſam eodem modo ſuis hodie exhibere? Sed ex veteri Teſtamento exempla mutuari minime neceſſe eſt: quum iis abundet novum. Nam Petrus antequam abnegaret Chriſtum, hanc

ſen-

ſententiani audierat: Qui me coram hominibus abnegaverit, illum abnegabo coram Deo Patte meo. Ignorantiæ ergo excuſationem obtendere non poterat: Chriſtus tamen ei veniam dedit. Paulus de nonnullis conqueritur, qui Theſſalonicæ flagitioſam vitam ducebant: nec tamen deſinit bene de iis ſperare: modo corrigantur, ut ad pœnitentiam adduci poſſint. Qui io Eccleſia Corinthiorum in flagitioſas libidines & vitæ genus adeo diſſolutæ proruperant, ſibique adeo placebant in vitiis ſuis, ut nullam admonitionem audire vellent, nonne rei erant criminis prava voluntate admiſſi? Non tamen deſinit idem Apoſtolus eos ad reſipiſcentiam adhortari, veniæ locum ipſis apud Deum relinquens. Idem legimus de Petro erga Simonem magum. Quid plura deſideramus? Dominus theſauros miſericordiæ ſuæ aperit, etiam iis, qui concupiſcentiis ſuis victi, quamvis mali cognitionem haberent, tamen infirmitate carnis ſuæ à recto deflexerint. Quis bominum miſeris peccatoribus januam claudet? nec ſinet eos gratiam, quam ipſis Deus offert, recipere? Ex his igitur perſpicimus venenum lethale ſub iſtis Anabaptiſtarum verbis latere: quum nullis aliis peccatis veniam dari aiunt, quam iis, quæ imprudenter admittuntur.

Ut autem in hoc Articulo concludamus, Chriſtianos omnes admonitos eſſe neceſſe eſt, quæ ſint ex eo conſequeotia. Nam etſi facile judicatur nimiæ eſſe ſeveritatis, nolle ullum omnino vitium in Eccleſia tolerare: non tamen primo intuitu videmus, quam pernicioſa ſit hæc opinio, quod ea quæ conſequuntur non animadvertamus. Olim duæ fuerunt hæreticorum ſectæ, quæ Eccleſiam vehementer turbarunt. Quorum alteri Græco nomine Cathari, id eſt, Puri: alteri Donatiſtæ, ex primi auctoris & magiſtri nomine appellabantur. Utrique in eodem errore fuerunt quo iſti ſomniatores: Eccleſiam quærentes, in qua nihil poſſet deſiderari. Idcirco ſe ab univerſa Chriſtianorum ſocietate ſegregaverant, ne commacularentur aliorum ſordibus. Porro, quid accidit? Dominus eos cum tam arroganti cœpto diſſipavit. Hinc ergo moneamur quum ſub ſpecie ſtudii perfectionis, imperfectionem nullam tolerare poſſumus aut in corpore, aut in membris Eccleſiæ, tunc diabolum nos tumefacere ſuperbia & hypocriſi ſeducere, ut ad deſerendum Chriſti gregem nos inſtiget: certo ſciens ſe victoriam obtinere, quum nos inde abduxit. Quum enim nuſquam alibi ſit aut remiſſio peccatorum, aut ſalus, tametſi vitæ pluſquam Angelicæ ſpeciem præ nobis feramus, tamen ſi tali audacia nos ſeparemus à Chriſtiano cœtu, ſimus diaboli.

Tertius eorum Articulus, eſt de receptione Cœnæ: in quo nihil dicunt, quod ipſis non concedamus: imo quod non quotidie doceamus: nempe, ne quis ad ſacroſanctam banc menſam accedere audeat, niſi vere ſit membrum corporis Chriſti, unum Deum cum fidelibus cunctis adorans & colens, in vocatione juſta & legitima. Sed quum Articulo quarto declarant, quomodo quiſque ſe caſtum integrumque ſervare debeat, ut adhæreat Deo: iterum omnia depravant. Quamvis initio bonis utantur verbis, veluti quum Papiſticas ſuperſtitiones damnant, & jubent Chriſtianos omnes ab eis abſtinere. Sed venenum eſt in cauda, ut inquit proverbium. Tandem enim concludunt, omnem armorum uſum diabolicum eſſe. Nulli quidem privato, uſus gladii permittendus, ut obſiſtat malo. Nam Chriſtianorum
Luc. 21. arma, ſunt preces & manſuetudo: ut in patientia
verſ. 19. poſſideant animas ſuas, & bono malum vincant,
Rom. 12. juxta doctrinam Euangelii. Uniuſcujuſque igitur
verſ. 21. officium eſt, patienter ferre, potius quam vi & armis uti, quum nobis inferetur injuria: ſed publici gladii poteſtatem, quam Deus noſtri protegendi gratia conſtituit, condemnare, in Deum ipſum bla-
ſphemia eſt. En Spiritus Dei per Paulum pronun- *Rom. 13.*
ciat magiſtratum miniſtrum Dei eſſe, in gratiam & *verſ. 4.*
utilitatem noſtram conſtitutum, quo vis & furor iniquorum reprimi & impediri poſſit. Atque idcirco gladium ipſi datum in manu, ut flagitia & ſcelera puniantur. Quum Deus ea ſic ordinaverit, qui ſumus nos, ut audeamus ei obſiſtere? Adhæc quum tale præſidium nobis offerat, cur eo uti non licebit?

Præterea, certiſſimum eſt miſeris iſtis fanaticis hoc eſſe propoſitum, ut improbent & damnent munitiones omnes, propugnacula urbium, armorum præſidia, cæteraque ejuſmodi, quæ ad tuendam patriam ſpectant, atque probibeant ſubditos principibus & magiſtratibus obedire, quum re poſtulante, eorum opera uti volent. Improbare autem quod nunquam improbavit Deus, nimiæ eſt, homini inquam mortali, temeritatis & arrogantiæ. Hoc autem perpetuo teneamus, uſurpari Dei auctoritatem, quum id, quod permiſit, condemnatur. Nuſquam vero Scriptura mentionem facit, prohibitum eſſe principibus armorum uſum, adverſus eos, qui ipſis injuria moleſti erunt. Prophetæ quidem de
regno Chriſti loquentes, aiunt futurum ut gladii *Jeſa. 2: 4.*
& lanceæ in ligones, & vomeres commutentur: verum his loquendi formis nihil aliud ſignificant; quam bella omnia & inimicitias inter fideles ſublatum iri. Atque utinam ita inter homines profeciſſet Euangelii doctrina, ut id locum haberet in omnibus. Sed quum fides & amor Dei non ita in majore hominum parte dominentur, quin ambitio & avaritia ſuperiores adhuc partes teneant: quum urbs aut regio aliqua injuſto bello invadetur ac infeſtabitur; tantum abeſt, ut princeps ad eam tuendam & defendendam conſtitutus, male agat, iniquæ violentiæ obſiſtens, ut potius officii & muneris ejus ſit id præſtare, neque aliter facere debeat. Princeps quidem Chriſtianus omnes ineundæ pacis rationes inveſtigare debet, atque etiam paratus eſſe remittere de ſuo, ut eam care redimat: ita ut omnia tentet, priuſquam armis: extremumque hoc remedium, quantum poterit, vitet, nec niſi invitus ad id confugiat. Sed quum nihil omnino, quod officii ſui eſſet, prætermiſit, bellumque, quoad ejus fieri potuit, ſemper averſatus eſt: ſi non aliter regionem ſibi commiſſam tueri poſſit, extremum remedium eſt, uti gladio, quem Deus ei in manum dedit. Eadem enim eſt ratio ſtringendi gladii in ſceleratos, qui publicum ordinem conturbant: & eos, qui regionem aliquam injuſte invadunt, repellendi. Quod quum accidit, ſi vir Chriſtianus ex regionis inſtituto ad operam ſuam principi præſtandam vocetur, non ſolum non offendit Deum, ſi arma capiat, verum etiam ſancta eſt ea vocatio, nec poteſt citra nefandam blaſphemiam improbari.
Proinde, quum milites ad Joannem Baptiſtam ac- *Luc. 3: 14.*
ceſſerunt, ut inſtruerentur, non juſſit eos abjecta vocatione ſua, arma deponere: ſolum admonuit, ut ſtipendiis ſuis contenti, neminem vexarent, ne prædarentur, ſed ab omni ſcelere abſtinerent. Pe-
trus Cornelium baptizavit, eumque centurionem, *Actor. 10.*
id eſt, ordinis militaris ducem: nec tamen jubet *verſ. 47.*
ipſum militiæ munus ut reprobum abjicere: quin imo viſibiliter accepto Spiritu ſancto, militiæ munus exercere non deſinit. Ut finem orationi huic imponamus: ſi medium tenere velimus in reprehendendis vitiis, quæ armis conjuncta ſunt, ne omnino damnemus eorum uſum, quum auctoritate principis, pro patriæ defenſione ſuſcipiuntur: quum princeps nulla alia ratione quam bono publico patriæ ducitur: populus vero nihil aliud conſiderat, quam ut id præſtet quod eſt officii ſui: ſed ſceleratas animorum libidines, quibus bella ſuſcitantur, reprehendamus: damnemus crudelia facinora, rapinas, effrenatam violentiam;

direptiones, vaſtationes, depopulationes, aliaque gravia & horrenda ſcelera, quæ io iis admitti ſolent. Sed bonum malo commiſcere, ut ſine diſcrimine ſimul utraque damnentur, omnino non convenit.

QUINTUS Articulus eſt de Paſtoribus, in quo conſilium quodammodo ſuum immutarunt. Prius enim delirium hoc mentes eorum omnino perſtrinxerat, ut putareot eos adverſari Deo, qui paſtores certis locis præſtitui vellent: atque cenſebant, omnes qui ad hoc munus vocabantur, huc illuc diſcurrere debere, quaſi Apoſtolorum ſimias, non veros imitatores. Hæc porro philoſophia inde manabat, quod ſerio cuperent fideles miniſtros ſibi cedere, vacuumque locum ſinere, quo liberius venenum ſuum ubique effundere poſſent. Nunc vero, ſive agnoſcant errorem ſuum, ſive plus ſibi privilegii arrogent, quam cæteris veliut concedere, in hoc cum eis conſentimus, nullam Eccleſiam poſſe abſque miniſtro ſtatum ſuum retinere, atque ideo in omni congregatione paſtorem conſtituendum: modo etiam agnoſcerent, ubicunque miniſter rite conſtitutus eſt, ac fideliter munere ſuo fungitur, unumquemque, qui pro Chriſtiano haberi vult, debere ei adhærere, & cum reliquo grege, ipſius miniſterio frui. Sed quid agunt? Quia eorum erroribus obſecundare noluimus, quamvis pure annunciemus verbum Dei, nos tamen pro lupis rapacibus habent, noſque ita abominantur, ut credant ſe facinus morte dignum admiſſuros, ſi vel uni noſtræ concioni adfuerint. Dehinc, ſubitos miniſtros creant, & momento uno factos, ut divellant Eccleſiam, populum diſtrahant, cœtuſque incant inter ſe contrarios: ne Dei nomen, uno omnium conſenſu, & ea qua decet concordia invocetur.

ARTICULUS VI.

DE MAGISTRATU.

Concedimus gladium eſſe ordinatum à Deo, extra perfectionem Chriſti. Itaque principes & ſuperiores hujus ſeculi conſtituti ſunt ad puniendos ſontes, & morte mulctandos. Sed in perfectione Chriſti, excommunicatio extrema pœna eſt, ſine morte corporali.

REFUTATIO.

Animadvertendum hic moderationem eſſe ab ipſis adhibitam: ut corrigerent ea quæ prius dixerant, quoniam pro ſua abſurditate videbant ab omnibus rejici. Hoc enim honoris principibus & magiſtratui deferebant, ut eos haberent pro prædonibus. Sed quum viderent hoc nullo modo tolerari poſſe, conſilium eis fuit hoc ſenſim & leniter ſub hoc ſpecioſo colore tetractare: nempe terrenam dominationem, Dei ordinatiooem eſſe, extra perfectionem Chriſti. Hoc autem verbo ſignificant munus eſſe Chriſtianis omnibus vetitum ac illicitum: ut ipſi etiam poſtea declarant. Nunc expendamus an Chriſtiana religio cum magiſtratu aut principatu convenire non poſſit: adeo ut qui ad unum vocatur, cogatur ſe altero abdicare. Primum quæro, ſi munus ſit fidelium vocationi contrarium, gladii poteſtatem exercere, aut principatu aliave dominatione fungi, quomodo in veteri Teſtamento Judices, item boni illi Reges, David, Ezechias, Joſias, atque etiam nonnulli ex Prophetis, veluti Daniel, iis uſi ſunt? Nec enim ullo modo convenit, ut dicamus id vitioſum in ipſis fuiſſe: quum Spiritus ſanctus teſtetur Judices à Deo ſuſcitatos, ut per eos populus liberaretur: idque præcipue in Moſe perſpicuum eſt, qui quum nominatim eo munere fungi juberetur, libenter tamen recuſaſſet. Sed ut morem gereret Deo, hoc munus ſuſcipere ei neceſſe fuit. Davidis vero regnum, Deus non ſolum approbavit, ſed etiam laudibus extulit, & ornavit titulis magnificis. De ejus ſucceſſoribus, quum eadem ſit ratio, idem cenſendum eſt. Nullum igitur ſupereſt iſtis omnis ordinis hoſtibus ſubterfugium, quam ut dicant majorem à Domino perfectionem in Eccleſia Chriſtiana, quam olim in populo Judaico requiri. Hoc quidem verum eſt, quod ad ceremonias attinet. Illud falſum, nos aliam vivendi regulam habere quam veteres, quod ſpectat ad legem, quam moralem vocant. Qui hoc cogitarunt, ceperunt occaſionem ex 5. cap. Matthæi, ubi prima fronte videtur Dominus quædam ad ea quæ prius populo mandaverat, adjungere. Sed ſi bene diligenterque conſideremus ea quæ continet Lex Moſis, & collatione facta, alterum alteri comparemus, perſpiciemus id non fuiſſe conſilium Domini, aliquid addere: ſed veram Legis intelligentiam, quam Rabini falſis interpretationibus depravarant, reſtituere in integrum. Hoc ergo apud nos firmum ratumque ſit: Quod ad veram juſtitiam ſpiritualem ſpectat, id eſt, ut fidelis bona ſit conſcientia præditus, ſitque integer coram Deo tum in vocatione ſua, tum in operibus, nos plenam atque integram declarationem habere in Lege Moſis, quam nos ſimpliciter ſequi oportet, ſi rectam viam tenere velimus. Quiſquis ergo ei addit, aut de ea imminuit, terminos transgreditur. Sic argumentum hoc certiſſimum atque omni dubitatione vacuum erit. Nos quum eundem colamus Deum, quem olim veteres illi Patres coluere, & eadem nobis quæ olim ipſis lex & vitæ norma propoſita ſit, quæ docet quomodo unuſquiſque ſe gerere debeat, ut recte ambulet coram Deo: conſequens eſt, vocationem, quæ tum ut ſancta & legitima probata eſt, non poſſe inter Chriſtianos improbari. Vocatio enim præcipua pars eſt humanæ vitæ, & quæ plus momenti habet coram Deo. Concludendum ergo civilis juſtitiæ munus neque à nobis abdicandum, neque ab Eccleſia Chriſtiana rejiciendum eſſe, quum Dominus id in populo Judaico inſtituerit & approbarit: quum præſtantiores è ſervis ſuis atque etiam Prophetas eo fungi voluerit.

At fortaſſe objicient, adminiſtrationem illam civilem, regni ſpiritualis Chriſti figuram fuiſſe: ac propterea uſque ad ipſius adventum ſolum duraſſe. Fateor quidem ex parte fuiſſe umbram ac figuram: ſed oego, nec abſque ratione, nihil aliud quam figuram fuiſſe. Fuit enim per ſe civilis adminiſtratio, qualis in aliis populis requiritur. Quod ita eſſe ſatis demonſtratur ex eo quod dicitur de ſacerdotio Levitico: nempe finem accepturum & abolitum iri adventu Chriſti. Ubi de politia externa unquam dictum fuit? Sceptrum quidem auferendum, & tollenda adminiſtratio de tribu Juda, & domo Davidis: at uullam omnino adminiſtrationem fore, id Scripturæ apertiſſime repugnat.

Verum ad eximendum penitus hunc ſcrupulum, probatione clariore & manifeſtiore non caremus. Quum Prophetæ loquuntur de regno Chriſti, aiunt venturos reges adoratum ipſum, atque pro Domino agnituros. Non dicunt ſeſe abdicaturos ſuo munere ut fiant Chriſtiani: ſed potius ut in regia dignitate locati, Chriſto tanquam ſummo Domino ſe ſubjiciant. Exinde David ipſos monens ut fungantur officio ſuo, non jubet eos ſceptra aut diademata abjicere: ſed tantum Filium exoſculari, id eſt, hono- *Pſal. 2.*
ris & fidelitatis ſignum exhibere, quo ſeſe ei ſum- *verſ. 12.*
mittant cæteris dominando. Certum eſt de regno Chriſti verba facere. Reges ac principes monet, ut ſapiant, ſibique provideant. Qualis vero hæc ſapientia eſt? Qua ratione ipſos inſtituit? An docet, ut abjiciant omnia? Minime: ſed ut timeant Deum, ejuſque Filio honorem exhibeant. Quin etiam prædixit Jeſaias, reges Eccleſiæ Chri- *Jeſa. 49.*
ſtianæ nutritios fore: reginas veluti nutrices ube- *verſ. 23.*
ribus ſuis eam lactaturas. Quæſo, qui poſſunt iſta convenire, ut reges tutores ſint Eccleſiæ Chriſtianæ,

nec

Digitized by Google

nec tamen poſſit eorum munus cum religione Chriſtiana conſiſtere? Si Dominus ipſis vel locum tantummodo inter populum ſuum dedit, ut Prophetis, qui ipſos anteceſſerunt, jam illud ad probandam noſtram ſententiam abunde ſufficiet: nunc vero, quum tam honorificam ſedem eis aſſignet in cœtu populi ſui, hoc inquam honoris eis tribuit, ut tutores Eccleſiæ ſuæ ipſos conſtituat, quantæ impudentiæ eſt ipſos inde omnino excludere? Concludamus ergo principes, qui Deo inſerviunt, Chriſtianos eſſe poſſe, quum Dominus talem eis eminentiam & dignitatem in Chriſtiana republica tribuit.

Itaque nimis abſurdum eſſe talem vocationem tanti fieri, atque ita extolli à Deo, ſi hominem Deo
1 Cor. 7. verſ. 20. ſervire prohiberet. Paulus unumquemque Chriſtianorum hortatur, ut in ea vocatione permaneat, in qua fuerit vocatus. Omnes opiliones, bubulci, agricolæ, opifices, cæterique ejuſmodi, munus ſuum ſanctum exiſtimare debent, nec Chriſtianæ perfectioni impedimento eſſe. Nunc videamus utrum vitæ genus magis à Deo probetur, paſtoriſne pecudum, an hominum gubernatoris: nec probetur ſolum, ſed etiam tanquam dignius præſtantiuſque cæteris laudetur. Multa Scripturæ teſtimonia non aliena ab hoc propoſito, brevitatis cauſa prætermittam. Unum enim ſufficiet pro omnibus. An majorem alicujus muneris laudem deſideramus, quam quum ex ore Dei ipſius, divinum appellatur? Si titulus hic principum muneri datus eſt à Deo, quis audebit homine fideli indignum dicere? Sed adhuc majora audiamus. Dominus tantum tribuit principibus, ut
Pſal. 82. verſ. 6. ipſos vocet Deos, non perſonarum ratione, ſed propter officii dignitatem. Rationem reddit Chri-
Joan. 10. verſ. 34. ſtus ipſe: quoniam conſtituti ſunt à Deo, qui tale munus ipſis mandavit. Non mihi quidem videtur Dominus locupletius teſtimonium dare poſſe quo genus aliquod vitæ probet, quam quum nomen ſuum homini, quem in eo conſtituit, communicat, acſi vicarium ſuum, qui perſonam ipſius gerit, vocaret. Quamobrem concludo, omnes qui hanc vocationem, quam Deus adeo honeſtavit, contemnunt, in cæleſtem ipſius majeſtatem blaſphemos eſſe. At reſpondebunt minime à ſe contemni, quum perfectione Chriſtiana inferiorem faciunt. Ego vero nihil contumelioſius dici poſſe affirmo. Quum enim Chriſtianæ religioni non convenire aiunt, ut profanam rejiciunt. Specioſos colores nihil moror, quibus blaſphemiam ſuam tegere volunt, quum dicunt eſſe ordinationem Dei. Tota enim controverſia in eo ſita eſt: ſitne munus ſanctum, quod à fidelibus exerceri poſſit: an qui ſeſe ei admiſcet, polluatur. Aiunt autem omnes qui in tribunali ſedent, indignos eſſe qui habeantur pro Chriſtianis, propterea quod gladii munus, in Chriſtiana republica locum non habeat.

Etiamſi nihil eſſet præter id quod ait Paulus, id inquam unicum ſatisfacere poteſt iis, qui rationi ac-
Rom. 13. verſ. 4. quieſcere volent. Pronunciat enim, principes miniſtros eſſe Dei, atque gladium ipſis à Deo in manum datum, ut conſerventur boni, mali vero puniantur. Hoc miſeri iſti fanatici commento depravant: conſtitutos quidem eſſe à Deo, ſed fidelibus eo munere fungi non licere. Perinde acſi quis diceret: Fateor opus hoc à Deo mandatum eſſe, à nemine tamen illæſa conſcientia effici poſſe: quin imo quiſquis efficiet, abnegabit Deum. Quæſo, an is, cui vel ſola cerebri uncia ſupereſſet, ita loqueretur? Sed huic unicæ rationi reſpondeant. Quum nullo modo dubitent univerſas artes utilitati generis humani deſtinatas, licitas & ſanctas eſſe: cur ex eo numero principum vocationem excludunt, quæ reliquas omnes exuperat? ut exempli gratia: Sutorem aut cerdonem Chriſtianum eſſe poſſe non negabunt: quum tamen hæc opificia nullum habeant expreſſum teſtimonium à Scriptura. Cur igitur non eodem ſinunt Chriſtianum magiſtratu fungi, quum munus hoc Dei ipſius ore cum ſumma laude probetur? Deus pronunciat principes & magiſtratus omnes miniſtros ſuos eſſe, & à ſe conſtitutos bonorum & innoxiorum tutores, ac vindices malorum: quumque funguntur ſuo munere, eos negotium ſuum, id eſt, quod ipſis delegavit, agere teſtatur. Quis vero fanaticos iſtos eo adigit, ut hoc addant: magiſtratus, dum ſerviunt Deo, arceri à cœtu Chriſtianorum? Quod de canum lanione, ut fatentur ipſi, non diceretur.

Unicum adhuc locum citabo, deinde finem faciam. Quum Paulus videret ſui temporis principes, ut plurimum Euangelii hoſtes capitales eſſe, idque fideles poſſe indigne ferre, ac minus bono erga ipſos
eſſe animo: Timotheo præcipit, ut nihilominus pre- *1 Tim. 2.*
ces pro ipſis in Eccleſia ſolennes fiant: addita hac *verſ. 2.*
ratione, quod Deus velit omnes ſalvos fieri, & ad veritatis cognitionem venire. Non intelligit Deum velle mortales ad unum omnes, nemine excluſo, ad ſalutem, ſicque ad Euangelium ſuum adducere: ſed omnes vitæ conditiones & ſtatus: quia ſtatus principum rejectus à Deo & maledictus videri poterat, eo quod omnes Euangelium infeſto animo perſequerentur. Quod ſi ita fuiſſet, ſupervacaneum erat ac ſtultum pro eis orare. Nunc ex iis Apoſtoli verbis quod aperte elici poteſt, colligamus. Si Deus velit principes ad cognitionem veritatis adducere, qua auctoritate Anabaptiſtæ ipſos repellent? Si quis reſpondeat, principes poſſe ad Deum converti, ſed abjecta ſua dignitate, nimis aperta calumnia eſt. Nec enim dicit Paulus, ipſos abnegaturos principatum ſuum, ut fiant Chriſtiani. Quin imo, verba quibus utitur, nullo modo poſſunt cum ejuſmodi tergiverſatione convenire. Nam ſi principem oporteret dignitatem à ſe abdicare, ut fieret Chriſtianus, ſequeretur munus illud, ut reprobum atque indignum, Dei gratia deſtitui.

Verum ut ab Eccleſiæ communione & omni ſalutis ſpe rejiciant principes, rationes inexpugnabiles ſe habere putant, dum locos aliquot perperam à ſe intellectos adducunt, quos eo impudenter detorquent. Primum allegant Dominum Jeſum non conſtituiſſe, ut mulier quæ fuerat in adulterio deprehenſa, lapidibus, quemadmodum Lex Dei jubebat, obrueretur: ſed miſericordia uſum erga ipſam,
dixiſſe: Abi, ac noli amplius peccare. Priuſquam *Joan. 8.*
reſpondeam, hoc eos rogabo. Aiunt enim excom- *verſ. 11.*
municationem in gladii locum ſucceſſiſſe in Eccleſia Chriſtiana, ita ut crimen, quod olim morte plectebatur, nunc ſit excommunicatione puniendum. Quæro igitur quomodo Chriſtum facti ſui excuſabunt? Ipſorum enim regulam minime obſervavit, quod non magis à ſancta congregatione ablegaverit mulierem illam, quam morte damnaverit. Hinc jam perſpicitur, ut cerebro careant. Nunc ad veram ſolutionem venio, quæ facillima eſt. Notandum eſt miſeras haſce beſtias in hujus loci interpretatione ſacerdotes Papiſticos ſequi, qui nefandas libidines ſuas eo tutati ſunt. Quod enim interdictum ipſis eſſet matrimonium, id impune ſcortandi licentia compenſari voluerunt. Ita ſibi mutuati ſunt uxores vicinorum. Ne vero tam grave adulterii crimen videretur, nos, quantum ad id ſpectat, ſub lege gratiæ eſſe dixerunt. Nec fere in ulla alia re gratiam Chriſti agnoverunt, quam ut impunita ſinantur adulteria. Miſeri iſti homines, ut jam dixi, illos ſequuntur: idque evenit quod ſententia ſua protulit Chriſtus: Quum cæcus cæcum ducit, ambo in foveam cadunt. Eſt autem certiſſimum, Chriſtum de ordine & adminiſtratione civili nihil immutare voluiſſe: cui derogare nolens, eo officio functus eſt, cujus gratia in hunc mundum venerat: nempe, ut peccata remitteret. Nec enim miſſus eſt à Deo Patre, ut judicis terreni officium exerceret: ſed ut morte ſua redimeret mundum, & prædicatione Euangelii, gratiæ

hujus redemptionis, beneficiorumque omnium, quæ pet ipſum recipimus, teſtimonium daret. *Luc. 23. verſ. 43.* Quemadmodum videmus eum promittere latroni, ſe recepturum ipſum in Paradiſo: qui tamen ſcelerum ſuorum pœnam ferre non deſinit. Eodem igitur modo adulteram liberat, & latronem. Sed latro punitur judicum ſententia: adultera vero impune evadit, quod judices pudefacti ſeſe ſubducunt. In ſumma, quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus in adulteram fecit, non eſt aliud, quam quod hodie ſervi ipſi, miniſtri verbi, agunt in omnes ſceleſtos. Iis enim ſolum exhortandis operam dabunt, ut reſipiſcant, & pœnitentia ducti, redeant in viam: deinde conſcientias eorum conſolabuntur, oblata Jeſu Chriſti gratia, & de peccatotum remiſſione certiores reddent. Hoc vero minime ſibi ſument, ut puniant delicta: nec enim ad eotum munus id pertinet. Sed interea judices manum injicere non vetabunt. Caput rei eſt, ut officium Domini noſtri Jeſu Chriſti intelligamus: ſic enim difficultate omni expediemur. Ejus officium eſt peccata remittere, & ſermonem ſuum ad peccatorum conſcientias deſtinare. Corporum vero punitionem non attingit: ſed illis hoc relinquit, qui ea auctoritate præditi ſunt, quibus id muneris eſt delegatum: ut ipſe alio loco dicit: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari. Ex eodem ignorantiæ fonte manat, quod ſecundo loco allegant. Chriſtus, aiunt, noluit inter duos fratres familiæ herciſcundæ arbiter eſſe. Sequitur ergo nullum Chriſtianum debere ſe controverſiis civilibus admiſcere, ut de iis judicet. *1 Cor. 6. verſ. 4.* Primum, Chriſtianis permittit Paulus, quod Chriſtus eo loco recuſavit: ut ſcilicet lites & jurgia, quæ propter fortunas accident inter fideles, amice componant. Poſtquam enim Corinthios reprehendit, propterea quod litigatent coram Ethnicis judicibus, atque ea occaſione blaſphemaretur nomen Dei: ſimul monet quanto præſtet controverſias dirimere bonotum virorum arbitratu: atque ex ipſis fidelibus judices eligere, qui præſint litibus decidendis. Quin etiam hoc argumento utitur: quum ſimus Angelos judicaturi, rebus terrenis judicandis multo magis idonei ſumus. Si exemplo Chriſti judicia & arbitria omnia à nobis recuſanda eſſent, perperam ageret Paulus, qui nos ad ea ſuſcipienda vellet adducere. Minime vero dubium eſt, Spiritum ſanctum per os ipſius loquutum eſſe. Itaque, perſpicuum eſt, quomodo vertiginoſi iſti Deum blaſphemant: dum, id quod ipſe approbat, condemnare volunt. Præterea, ſi non liceat homini Chriſtiano ſeſe dirimendis controverſiis admiſcere, quæ ad prædia, poſſeſſiones, & reliqua bona ſpectant: à bonis iſtis doctoribus quæro, quid mundo eveniet? Nam fieri non poteſt, quin dum inter ſe contrahunt homines (quod ad communem ſtatum retinendum neceſſe eſt) accidant ſæpe dubitationes, quæ interpretem ac diremptorem, ſive judex ſit, ſive arbiter, deſiderant. Si dicant inter Chriſtianos minime id eventurum, delirium eſt: quum etiam duo boni viri, quæ naturæ noſtræ eſt infirmitas, in controverſiam aliquam incidere poſſint. Ut in cauſa noſtra ipſi cæci ſumus, uterque æquum tueri ſe exiſtimabit. Si vir Chriſtianus nolit eam controverſiam attingere, ut arbitrio ſuo eos conciliet, quam tandem confuſionem accidere neceſſe erit? Hinc facile eſt perſpicere, miſeros iſtos fanaticos non alio tendere, quam ut conturbent omnia, & talem bonorum communionem inducant, ut qui ad ſe rapere poterit, is laudetur: quamvis id vehementer negent. Sed judicia & arbitria tollantur è mundo, ut ipſi volunt, & arcte jubent: quid eveniet, niſi latrociniorum ſumma licentia & impunitas? Aut certe cuperent principibus & magiſtratibus omnibus perſuadere, ut cedant loco ſuo, quo ſuccederent ipſi, & tanquam in vacuam poſſeſſionem irrumperent.

Quid igitur? inquient. An Chtiſtus ſanctum & pium opus recuſaſſet? Audiamus ejus reſponſum, & *Luc. 12. verſ. 14.* quæſtio ſoluta erit. Quis me, inquit, conſtituit judicem aut diviſorem inter vos? Non dicit rem illicitam eſſe: ſed tantum ſe in ea vocatione minime conſtitutum. Et certe obſcuraſſet officium, cujus gratia in hunc mundum venerat, ſi ſe negotiis illis admiſcuiſſet. Quare, ſi quam ex eo exemplo utilitatem colligere velimus, ut ipſum ſequamur: ſumenda eſt regula, quam præſctibit Paulus: ut unuſquiſque munus ad quod vocatus eſt, videat: & quo- *1 Cor. 12. verſ. 21.* niam unum corpus in Domino ſumus, ne quod oculi eſt, brachium uſurpet: aut manus, quod eſt pedis. Atque ut paucis concludamus: quæro, nonne licitum eſt inter Chriſtianos familiam hetciſcere? vel an omnia confuſa & permixta eſſe oportet? Si enim prædia dividere & partiti liceat, qui ſe huic negotio intetponet, nihil reprehenſione dignum admittet, modo ſcilicet, in eo ſit munere conſtitutus.

Adhuc alio argumento utuntur iſti ordinis & politiæ hoſtes. Chriſtus, aiunt, ſe recepit in montem & abſcondit, quum populus eum in regem creare vellet. Sequitur ergo Chriſtianum ſi ad magiſtratus functionem eligatur, nullo modo accedere, ſed Magiſtri exemplo, longiſſime aufugere debere. Me fere pudet iſta adeo frivola recitare: ſed quoniam video ſimplices & rudes homines his ſeduci, quomodo ſeſe iſtis expedient, eos monere cogor. Nemini ignota eſt ſtulta Judæorum imaginatio de Meſſia: quem putabant florentiſſimum regnum in hoc mundo habiturum, ut hic in otio & quiete, beatam & felicem vitam ducerent. Adeo ut Apoſtoli ipſi etiam poſt reſurrectionem Domini, adhuc opinione iſta tenerentur: ut Actorum primo Lucas oſtendit. Hæc eſt cauſa, quæ populum ad Chriſtum in regem vi creandum incitabat: ut ſcilicet à Romanorum ſervitute in libertatem vindicaretur. Non eſt igitur mirum, ſi ſe Dominus occultavit, quum id ab errore perverſo ac deterrimo proficiſceretur: ex quo multa conſequuta eſſent perniciosa & nociva. Certiſſimum eſt, regnum ipſius neque carnale, neque ex hoc mundo, ſed ſpirituale omnino eſſe, atque in rebus nihil ad terram ſpectantibus conſiſtere. Si igitur obtemperaſſet ſtultitiæ populi, nonne errorem altius jam eorum animis infixum confirmaſſet? Nonne ſic conſepulta fuiſſet ab eo ipſius virtus & gratia? quoniam nihil de eo quam carnale imaginati fuiſſent. Præterea fuiſſet ſeditione conſtitutus ab iis, quorum minime jus erat. Nam quum Judæa Romano imperio ſubdita eſſet, non erat liberum populo novum regem eligere ſuo arbitratu. Itaque, has ob cauſas regium munus detrectavit Chriſtus, non ut ipſum tanquam nefarium, aut vitæ Chriſtianæ repugnans improbaret. Sed interim per ipſum regnare dicantur reges: Proverb. 8. Dicitur ipſe gratiam ſuam magiſtratui & judicibus impartiri, ut æquis legibus & ſtatutis populos tegant. Quid plura deſideramus? Chriſtus non eſt rex in ſua perſona: ſed ut omnia regna fundavit atque inſtituit, ſic eorum tutor & defenſor eſt.

Verum, fanatici iſti objicient Dominum juſſiſſe, ut idem faceremus ipſi, quum diceret Apoſtolis: Reges Gentium dominantur ipſis, vos au- *Luc. 22. verſ. 25.* tem non ſic. Fateor non idem eſſe Apoſtolorum & principum officium: atque in illo nullam eſſe dominationem: Chriſtus autem nihil aliud quam alterum ab altero diſcernere voluit. Inde enim ortus eſt ſermo: quod jam inter ſe Apoſtoli contenderent, quis inter eos major eſſet, & veluti rector aliorum in regno Chriſti. Ut ejuſmodi tolleretur ambitio, monet regnum ſuum ſpirituale eſſe, non in mundana celſitate poſitum: non in pompa aut dominatione: ſed omnem miniſtrorum ſuorum eminentiam in hoc conſtitutam eſſe, ut ſerviant. Quum ergo non aga-

Digitized by Google

agatur eo in loco, an reges Chriſtiani eſſe poſſint, nec ne: ſed tantum dicat Apoſtolos & miniſtros Eccleſiæ regibus non fore ſimiles, nempe ut dominentur: ſummæ ſtoliditatis eſt, illinc colligere, omnem dominationem nobis vetari. Perinde eſt acſi quis diceret: Officio miniſtri fungi regibus non licet, ad quod minime vocati ſunt. Officium ergo miniſtri nefarium & illicitum eſt. Quæſo an facit munerum & officiorum diſcrimen, ut damnetur unum, quod alterum laudetur & in pretio ſit? Reges igitur ſe intra ſuos limites contineant: Paſtores vero exercendo officio ſuo contenti ſint: neque id uſurpent quod ipſis minime convenit: ſic probe omnia habebunt. Dominus vero utroſque approbabit. Perperam igitur ab iſtis fanaticis expoſitus eſt ille locus, quum aiunt eo gladii poteſtatem vetitam eſſe.

Ut autem ingentem cogant teſtimoniorum acervum, *Rom. 8. verſ. 29.* ſimiliter citant quod ait Paulus, Deum quos prævidit eos præordinaſſe, ut eſſent conformes imagini Filii ſui. Aſſentior, juxta Pauli monitionem, nos Chriſti mortificationem in corporibus noſtris ferre debere, æquo animo pati afflictiones & miſerias, quibus nos Deus probare volet. Sed an ex eo ſequitur, fidelem non poſſe populum ſuæ adminiſtrationi commiſſum gubernare? Hi vero ſequi aiunt, quia Chriſtus paſſus, non dominatus eſt. Quod ad primum, dico Davidem etiam multa paſſum: ac figuratas in ejus perſona ærumnas & afflictiones, quas Dominus noſtra cauſa tulit. Neque tamen eo minus dominatus eſt. De ſuo igitur alteram partem adjungunt, Epiſtolam Petri falſo depravantes. Sic enim in ſuo libello Petrum loqui fingunt: quum nihil minus. En igitur David, qui Rex fuit, gladii poteſtatem adminiſtrans: neque tamen hoc illi impedimento fuit, quominus pateretur: ac patiendo conformaretur imagini Chriſti, adeo ut ejus eſſet typus & figura. Hæc ſequutus *Actor. 8. verſ. 37.* Philippus, quum Eunuchum baptizaturus eſſet, qui unus erat è gubernatoribus regni Æthiopum, hanc ei legem minime imponit, ut non dominetur amplius: ſed tantum petit, an ex toto animo in Chriſtum credat: eumque in ipſo, in quo erat, ſtatu relinquit. Et certe ſi dominatus Chriſtiano homini non conveniret: id æque in unico homine, ac in univerſo populo verum erit. Paulus autem dominatum & poteſtatem Chriſtianis permiſit in ſervos, qui tum mancipia erant: nec juſſit eos jus illud à ſe abdicare: ſed tantum ut moderate uterentur: ac benigne & humaniter ſervos ſuos tractarent. Quin imo paſſus eſt Philemonem, quem collegam ſuum vocat, ſervum ſuum in poteſtate retinere: tantum, ut eum humaniter tractaret, ipſi commendavit. Quamvis igitur nominatim dictum eſſet Chriſtum minime dominatum eſſe, perſpicimus tamen quam ſtulta ſit hæc argumentatio: Chriſtus paſſus eſt, non dominatus. Omnis igitur dominatio improbanda. Idem enim eſt acſi quis diceret: Chriſtus non habet locum, ubi caput ſuum reclinet, ut ipſe teſtatur. Perperam igitur agunt Chriſtiani qui domum, aut agrum, aut denique prædium ullum poſſident. Quantum vero id à ratione alienum ſit, omnibus perſpectum puto.

Tandem, quemadmodum ebrioſi poſt multos ructus, crapulam cum multo fœtore evomunt, ſic infelices iſti, poſtquam muneri ſanctiſſimo, quod adeo honeſtavit Deus, multum detraxerunt, blaſphemias atrociores pleno gutture egerunt. Magiſtratuum, inquiunt, gubernatio ſecundum carnem eſt: Chriſtianorum vero, ſecundum ſpiritum. Mihi Papam Syricium contra ſanctum matrimonium blaſphemantem audire videor. His enim ipſis verbis utitur. Sed exigua hæc ſunt præ iis quæ ſequuntur. Magiſtratuum, inquiunt, habitatio tantummodo in hoc mundo eſt: Chriſtianorum vero in cælis. Vos moneo omnes veri fideles, & obſecro per nomen Dei, ut diligenter conſidereris ea quæ Petrus & Judas de nonnullis corruptoribus dixerunt, qui jam ſuis temporibus ſimplicium fidem pervertebant: & eorum verba conferatis cum iis Anabaptiſtarum ſermonibus, quos nunc recitavi. Nihil aliud dico, quam quod unuſquiſque perſpiciet, ſectam illam nihil ab iſta differre. Quia vero non ſunt ita omnibus libri in manu, locos ipſos adjungam. Prior ſic loquitur 2 Petr. 2. Erunt audaces, præfracti, qui dominationem contemnent, qui gloria præcellentes non verebuntur convitiis inceſſere: brutis animantibus ſimiles, vituperantes ea quæ non intelligunt. Similiter Judas: Dominos ſpernunt, in poteſtate præditos maledicta congerunt. At Michaël Archangelus quum adverſus diabolum certans diſceptaret de corpore Moſis, non eſt auſus illi maledictionis judicium proferre: ſed dixit, Increpet te Dominus. Iſti autem vituperant, quæ ſibi ignota ſunt: in omnibus quæ apprehendunt naturali ſenſu, ſeipſos, ut brutæ pecudes corrumpunt. En Apoſtolorum verba quæ tam proprie conveniunt Anabaptiſtis, ut nominatim de ipſis prædicta videantur. Quod aiunt principes hic permanentem habitationem habere: quoties David eos convincit mendacii, quum teſtatur ſe toto ſtudio ad vitam ſpiritualem aſpirare ac tendere? Ac certiſſimum eſt reliquos omnes probos reges idem feciſſe. Deus præcipit Danieli, ut in curia regis Perſarum ſuum adminiſtrationis politiæ munus exerceat: interim dum ea quæ ipſi revelata fuerant ac denique reſurrectionis diem expectat. Moſes vero Prophetarum princeps, non deſiit ſpe & votis in cælis verſari, dum in hiſce terris populum gubernabat. Oppono igitur Anabaptiſtis Moſem, Davidem, Ezechiam, Joſiam, Joſephum, Danielem, denique omnes Iſraëlis Reges & Judices, ut ſuam cauſam tueantur: an ſcilicet priventur regno Dei, quod in hoc mundo gladii poteſtatem exercuerunt. Quod autem dicunt omnes principum ſollicitudines mundum hunc ſpectare: Jeſaias vehementer eis repugnat, qui prædixit fore, ut reges terreni conſervando cæleſti & ſpirituali regno Chriſti ſerviant. Paulus etiam hortatur, ut pro omnibus qui præſunt, fundantur preces: ut ſub eis in otio & pace vivamus, in timore Dei, & vitæ ſanctitate. In quo demonſtrat non eſſe præcipuum magiſtratus finem, pacem inter ſubditos externam ſolum tueri: ſed potius curare, ut in ipſorum ditionibus colatur & honoretur Deus, ac unuſquiſque ſanctam atque honeſtam vitam degat. Hinc perſpicimus, quam falſæ & perverſæ ſint Anabaptiſtarum allegationes, quibus magiſtratuum vocationem, quam tantopere probavit Deus, damnare volunt. Atque etiam videmus, quomodo diabolus per eorum os loquitur, ut avertat principes, & ſuo munere fungi prohibeat. Quum enim potius monendi ſint, ut omnem operam, ſtudium ac diligentiam adhibeant extollendo nomini Dei, ita ut ſupra ipſos regnet, ſintque tantummodo ipſius clientes & miniſtri; iſti contra perſuadere nituntur, hoc nihil ad ipſos pertinere, nec ullo modo debere ſe iis, quæ ad honorem Dei ſpectant, interponere. De fine vero quem ſibi proponunt, pauca dicam: nempe quod in eo oſtendant ſe & Dei, & generis humani hoſtes. Eſt enim bellum gerere cum Deo, dedecore afficere quod ipſe honoravit: & quod adeo extulit, pedibus conculcare. Neque vero breviore compendio mundi ruinam moliri, & latrociniorum licentiam ſummam ubique introducere poſſent, quam quum reipub. adminiſtrationem, aut gladii poteſtatem abrogari volunt. Quæ certe tollitur omnino, ſi non liceat eam homini Chriſtiano exercere.

Articulus VII.

Quod ſpectat ad jusjurandum, venimus in hanc concordiam, ut judicemus eſſe confirmationem, quæ fieri debet tantum in nomine Dei: in veritate, non mendacio, juxta præceptum Legis: ſed Chriſtianis omne jusjurandum per Chriſtum prohibitum eſſe.

REFUTATIO.

Prima facie, nihil huic articulo videtur ineſſe mali. Videmus hodie mundum in juramentis effrenem & diſſolutum eſſe. Nullus eſt boni animi vir, cui non valde moleſtum ſit ita contemptui haberi nomen Dei. Eo fit, ut omne jusjurandum, qualecunque ſit, odioſum reddatur. Præterea nonnihil ſpeciei habet quod ex verbis Domini allegant, jusjurandum omne in totum prohiberi. Hoc quidem ita videbitur, niſi propius ſenſum ejus loci attendamus. Quod ad primum, nobis profecto vehementer diſplicere debet tam diſſoluta jurandi licentia, qua homines hodie abutuntur. Ac longe melius eſſet non jurare omnino, quam ita temere ac levi de cauſa, aut nulla potius, jusjurandum adhibere. Sed animadvertamus modum reprehendendæ & corrigendæ corruptelæ non eſſe, eam cum legitimo uſu miſcere ac confundere, ut utrumque ſine diſcrimine damnemus. Hodie in eſu & potu, ac præcipue in conviviis nimius eſt apparatus, ac profuſiſſima luxuries. Ebrioſitas vitium turpiſſimum & inhoneſtiſſimum viget hodie apud multos. Si quis, ut has corruptelas reprehenderet, omnino vini omniumque bonorum ciborum uſum damnaret, nonne blaſphemaret Deum, ſic vituperans ac improbans creaturas, quas ad uſum noſtrum deſtinavit? Idem de jurejurando aut etiam multo magis dicendum eſt. Dominus id inſtituit, ut veritas, quum res poſtular, confirmetur, atque approbetur. Talis jurandi modus ad honorem Dei bifariam vergit. Nempe hoc modo charitatem tuemur inter homines: & veritatem, quæ ſummo in pretio eſt apud eum, conſervamus. Et quum ſolus veritatis teſtis allegatur, unam è præcipuis laudibus quas à nobis requirit, ipſi tribuimus. Ac certe in Lege oſtendit jusjurandum verum ac legitimum ſpeciem eſſe honoris, quæ ipſi à populo ſuo exhibetur. Quemadmodum enim vult ſolus adorari & invocari, ita jubet ut tantummodo per ipſius nomen juretur. Et Prophetæ vociferantes adverſus idololatriam, ſæpe mentionem faciunt, quod per alienos deos juratum ſit: ut quum è diverſo cultum Dei reſtitutum iri ſignificant, aiunt fore ut per ipſius nomen jurent omnes.

Hic igitur eſt verus tractandi jurisjurandi modus. Primum, oſtendere convenit duplicem ipſius uſum eſſe. Nempe ut teſtimonium reddatur anteactarum rerum: atque ut in futurum aſtringamur ad ea peragenda quæ à nobis licite requiri poſſunt. Deinde monendum quid ſit jurare, nempe teſtem citare Deum. Qua in re oſtendere par eſt, quid illi reverentiæ deferamus. Hinc conſequens eſt, neminem unquam jurandi cauſa vel hiſcere tantum debere, niſi cum magno timore Dei, ſumma humilitate ac reverentia. Sic omnia blaſphemiarum genera quibus contumelioſe ſumitur nomen Dei & Jeſu Chriſti, optima ratione improbarentur. Præterea docendum, quot modis nomen Dei ſumitur in vanum: ac primum perjuria ac falſas teſtificationes, ut blaſphemias execrabiles deteſtari, quod veritas Dei in mendacium convertatur: quod evertatur gloria ipſius: quaſi homines eum ad ſeſe abnegandum cogere velint. Hinc oſtendere quantus Dei contemptus ſit, ſanctiſſimum ejus nomen temere aſſumere aut animi gratia, aut fucandi ſermonis cauſa, vel iracundia, vel riſus & feſtivitatis cauſa: idque vitium eo aſperius & acerbius reprehendere, quo altius in hominibus radices egit, eaque conſuetudo invaluit. Rurſum vituperandæ ſuperſtitiones, quibus pollutum eſt nomen Dei: quum abſque diſcrimine ſumpta ſunt Sanctorum nomina, ut cum ipſo miſcerentur. Sic enim jurejurando minime profanaretur nomen Dei, ſed honori ejus permultum ſerviret. Quod ſi omnibus is eſſet propoſitus finis, quis rem malam & vitioſam eſſe pronunciare auderet? Summa eſt, ut moneantur omnes nihil tam commendatum eſſe Deo, quam gloriam nominis ſui, ut ſalva ſit & illibata, iique puniantur qui ipſam aut imminuerint aut obſcurarint. Quia nemo ipſius nomen uſurpare debet, niſi cum ſumma religione, eum ſolummodo finem ſibi proponens, ut ipſi gloria tribuatur.

Sed Anabaptiſtæ ſine ulla moderatione terminos perrumpunt, & omne jusjurandum ſine exceptione damnant: neque diſcernunt, an bonum an malum ſit. Unde manifeſte apparet eorum doctrinam nulla omnino ratione niti. Nunc ad auctoritatem veniamus: an ſcilicet aliquod teſtimonium habeant ex verbo Dei. Inſigni ſe clypeo muniri putant, quum citant verba Chriſti, quibus omnino jurare vetat. Illinc enim concludunt, neque jure neque injuria jurare licere. Quibus ut reſpondeam: primum quæro, an Chriſtus Legi Patris ſui aliquid adjungere, an ſolummodo interpretari voluit. Ad id aiunt, ipſum perfectionem Legis docuiſſe. Sed magis urgeo ac quæro, an nunquam cognita fuerat hæc perfectio? Si enim incognitam fuiſſe reſpondeant, dico apertum eſſe mendacium. Moſes publicata Lege teſtatus eſt populo ſe viam vitæ & mortis oſtendiſſe. Item in ſummam colligens omnia, dicit: doctrinam ſuam eo tendere, ut homo ex toto corde, tota mente, tota anima, denique totis viribus Deum amet. Item alio loco: Et nunc Iſraël, quid à te requirit Deus, niſi ut ipſi toto animo penitus adhæreas? &c. His ſententiis abunde probatur doctrinam Legis, bene vivendi regulam continere, quæ hominem ad integram perfectionem deducat. Eſt igitur certiſſimum, Deum voluntatem ſuam in Lege patefeciſſe: Mat. 19. & alibi: ſemel, inquam, pronunciaſſe quid bonum, quid malum, quid ipſi gratum ſit, quid item diſpliceat. Quare Dominus noſter Jeſus, quoties de vita perfecta incidit quæſtio, eos quos docebat ſemper illuc adegit. Ac Paulus Rom. 12. nos ad eum finem reducit, ut recte intelligamus quid ſit officii noſtri. Itaque dicere Moſem dimidia tantum ex parte populum Judaicum inſtituiſſe in cultu Dei, execranda blaſphemia eſt: inventa primum à Papiſtis, nunc vero à miſeris iſtis fanaticis renovata, qui fabulas aniles, quas ab aviis ſuis audierunt, pro revelatione è cælo profecta habent.

Si contra objiciant, Chriſtum perfectionem Legis vocari: ac ſcriptum eſſe nos doctrina puerili *Hebr. 5. verſ. 14.* non amplius, ut veteres olim, gubernari: reſpondeo, Perfectionis vocabulum ad doctrinam minime referri, ſed ad gratiam Spiritus ſancti, qua quicquid in Lege continetur, inſcriptum atque impreſſum eſt cordibus noſtris: ut Dominus, non tantum aures noſtras, ſed etiam voluntatem alloquatur: neque ſolum audiamus quæ jubet, verum etiam faciamus. Altera ratio eſt, quod Chriſtus ipſe ſolus omnem juſtitiam in ſeipſo adimplevit, Legemque exacte ſervavit: ut obedientia quam exhibuit Deo Patri, nobis accepta feratur. Quod Paulus Legem, *Gal. 4: 9.* doctrinam puerilem vocat: id ad ceremonias tantum & figuras pertinet. Eoque ſenſu alibi dicitur, non *Hebr. 7. verſ. 18.* poſſe diſcipulos ſuos ad perfectionem adducere. Quoniam finis ipſius, complementum, & veritas, in Chriſto eſt. Cæterum, quod attinet ad doctrinam, qualis ab initio fuit, nunc eadem eſt, ac nobis eſt cum populo Judaico communis. Neque variatur ipſa: ſed ut conſtans & immutabilis eſt voluntas & juſtitia Dei: ita Lex, quæ certa & vera eſt ipſius declaratio, eadem in omne ævum permanebit, qualis ab initio fuit.

Si fateantur Chriſtum ſimpliciter interpretatum

eſſe

eſſe præceptum Patris ſui de jurejurando, oec quicquam adjunxiſſe, ut fateri neceſſe eſt: jam obtinemus quod volumus. Nec enim Lex prohibet quovis modo aſſumi nomen Dei, ſed iu vanum aſſumi vetat: ſignificans aliquem eſſe nominis Dei ſumendi modum licitum ac legitimum. Sed verba Domini noſtri exponere neceſſe eſt: quia prima facie jusjurandum prohibere videtur. Quorum ut certam ac rectam intelligentiam habeamus, animadvertendum qua occaſione ita loquutus ſit, Matth. 5. Scribæ & Phariſæi, ut ex toto illo capite apparet, falſis commentis ita populum corruperant, ut nulla eſſet religio, præcepta Dei multis modis violare: modo ſeſe aliqua tergiverſatione aut diverticulo tegere, ac effugere poſſent. Ita vulgo minime malum eſſe ducebant, fruſtra & inaniter per cælum & terram jurare, modo ne directo per nomen Dei juraretur. Chriſtus vero ineptam cavillationem ac ſophiſticam eſſe oſtendit, ſic velle ſeſe coram Deo purgare, quum ſub nomine cæli & terræ, nomen etiam ipſius oblique comprehendatur. Sic quum jusjurandum omnino vetat, hæc dictio Omnino, ad loquendi formam, aut ad verba quibus utitur, referenda eſt. Quod facile confirmari poteſt ex eo, quod poſtea adjungit: Neque per cælum, quia thronus Dei eſt; neque per terram, quoniam ſcabellum eſt pedum ejus. Anabaptiſtæ vero perverſe ad cauſam illa applicant: acſi jurare vetitum eſſet quacunque occaſione. Quod prorſus conſilio Domini repugnat, atque ſententiæ, quam exprimit poſtea ipſo verborum contextu.

Interim hoc imponunt, nos ita locum hunc interpretari, acſi diceretur: per cælum & terram perperam jurari, ſed jurare per Deum licere. Aut ſaltem nos ita apud ſimplices criminantur, qui nihil ſcriptorum noſtrorum aut viderunt aut audierunt, unde judicare poſſint. Deinde ſparſa hac calumnia exclamant, O ſtulti, ô cæci, qui Deum throno ſuo majorem eſſe non animadvertunt! Sed in quos inſultanr, niſi in ſeipſos, quum illi ipſi fanatico ſuo ingenio hoc commenti ſint? Quia io illis Domini verbis ſequitur, oe quis per caput ſuum juret: quod nullus pilum capitis ſui nigrum aut album facere poſſit. En, inquit, cur jusjurandum omne prohibeatur, quod nequeamus præſtare id quod promittimus. At contra dico beſtias ipſas, ſi fari poſſent, prudentius loquuturas. Primum in iis, quæ blaterant, ſibi ipſi contradicunt. Specialis enim eſt illa ratio in jurejurando, quo nos aliquid facturos præſtiturosve ſpondemus. Sequitur ergo jusjurandum quo jam ante acta & præterita aſſevero, miuime malum fore. Nonne, quæſo, omnino inſanire ipſos oportet, quum ita argumentantur? Non poſſumus præſtare quod promittimus: ideo jusjurandum omne vetitum eſt. Reſponſio ad id in promptu eſt, ſpeciem eſſe aliquam jurisjurandi, qoa de obligatione faciendi præſtandive non agitur: ſed ſolummodo de iis, quæ anteacta ſunt, teſtimonium dandum eſt. Atque adeo ea eſt frequentior jurisjurandi forma. Deinde longiſſime abeſt à vero ſenſu quod imaginantur. Pergit
Mat. 5. verſ. 36. enim Dominus id quod cœperat, demonſtrare: Siquis per caput ſuum juret, oblique aſſumere nomen Dei: ut quum jorat per cælum aut per terram, aut per Jeruſalem. Quemadmodum igitur dixerat cælum, thronum Dei eſſe: terram, ſcabellum pedum ipſius: Jeruſalem, civitatem ſanctam: ſic deinceps oſtendit caput hominis imperio ſuo ſimiliter ſubditum eſſe, quia ſolus ipſe de eo ſtatuit ſuo arbitratu. Acſi diceret: quum quis per caput ſuum jurat, ſi exiſtimet ſe per id quod ſuum eſt jurare, nec jurejurando ſuo majeſtatem Dei attingere, fallitur. In id enim dominatur etiam Deus, ita ut nulla homini in ipſum relicta ſit poteſtas. Sic ergo ſemper ſumitur nomen Dei. Videmus ut Chriſtus continua verborum ſerie ſermonem ſuum ſit proſequutus: quem tamen veſani iſti quaſi deſultorie à gallo, ut aiunt, ad aſinum trajiciunt.

Porro concluſio eſt, Ut ſermo noſter ſit, eſt, eſt: *Mat. 5.*
non, non. Quod ultra hæc adjungitur proficiſci à *verſ. 37.*
malo. Hæc facilia ſunt intellectu, niſi porci iſti roſtris ſuis ita inverterent, ut confundant omnia. Aiunt enim idem eſſe acſi dixiſſet, ſermones noſtros tales eſſe debere: eſt, eſt: non, non: ac male agi quum aliquid præterea adjungitur. Dominus autem bis utrumque verbum repetit, quo nos firmos & conſtantes in ſermonibus eſſe oportere demonſtret. Acſi diceret: Ne varietis, aut ſitis inconſtantes: ne verba veſtra ſubinde retractetis. Ne ſit in ſermonibus veſtris mendacium aut ſimulatio. Sed ut veſtrum eſt, ſit eſt: veſtrum autem non, ſit non. Et certe Jacobus eandem doctrinam tradens, ſic fere ad verbum loquitur, Jacob. 5. Veſtrum eſt, ſit eſt: veſtrum non, ſit non. Quo ſignificat debere fideles firmam in verbis ſuis conſtautiam habere. Si talis eſſet inter nos fidelitas & conſtantia, jusjurandum omne ſupervacaneum eſſet. Sufficeret enim illa verborum ſimplicitas, qua citra jusjurandum aut affirmatur aut negatur. Ubi ergo frequens eſt uſus jurisjurandi, ibi veritatem nou regnare neceſſe eſt. Ideo non abs re pronunciat Dominus id à malo proficiſci. Ac certe cauſa cur juretur, ea eſt, quoniam totus orbis adeo refertus eſt mendaciis, aſtutiis, ſimulationibus, infidelitate, ut nemo ſit, qui vel fratri ſuo fidere audeat. Sic mala trahuntur malis. Sed in iis omnibus Dominus oullo modo jusjurandum legitimum attingit, quod Lege permittebatur: ſed reprehendit ſolum & corrigit effrenem populi licentiam, quam male inſtructus à ſuis doctoribus ſibi indulgebat, ac putabat noo jurari, quum oblique ſumebatur nomen Dei: perjurium pro levi offenſione, jusjurandum autem ſupervacaneum & inane, pro re nihili ducebat.

Quum penitus everſa ſint à me fundamenta, quibus nituntur Anabaptiſtæ, dum ſine ulla diſtinctione aut exceptione omne jusjurandum improbare volunt: ſupereſt, ut rationibus & teſtimoniis Scripturæ oſtendamus, quo modo, citra offenſionem Dei, Chriſtiano jurare liceat. Teſtor autem, quod prius dixi, me oolle hominibus habenas laxare, ut temere jurando, Dei nomine abutantur: ſcio enim nimis vulgare vitium eſſe: potiuſque reprimi quam augeri oportere: ſcio quoque non levem eſſe culpam temere aſſumere nomen Dei, eoque majorem impendendam eſſe operam, ut tantum malum modis omnibus coërceatur. Quid vero? ut corruptela tollatur, an ſimul damnandum quod bonum eſt? Hæc profecto minime tenenda eſt via. Quamobrem, quum dico licere interdum homini Chriſtiano jurare: intelligant omnes me de recto jurisjorandi uſu loqui; qui cum timore & reverentia nominis Dei conjunctus eſt: ne quiſquam ex verbis meis occaſionem ſumat, in eam licentiam prorumpendi, ut temerario aut ſupervacaneo aut ullo modo vitioſo jurejurando utatur. Et ut clarius definiamus, quum dico hominem Chriſtianum citra offenſionem jurare poſſe, primum iotelligo: quum agitur de teſtimonio reddendo veritati: deinde quum operæpretium eſt. Quæ conſideratio ad honorem Dei refarenda eſt & amorem proximi: hoc eſt, ut expediat & utile ſit jurare, tum ob honorem Dei, tum ut charitas inter nos conſervetur. Tertio, quum neceſſitas poſtulat, id eſt, ſi neceſſarium ſit uti tali confirmatione. Quarto, ut ejus qui jurat, talis ſit finis & deliberatio. Denique ut eo deſcendat, cum timore, ac ſtudio ſanctificandi nominis Dei. His ego, non aliis conditionibus, uſum jurisjurandi, homini Chriſtiano licitum eſſe dico. Siquis contemptor hinc licentiæ prætextum captet, id faciet ſuo exitio.

Quod ut confirmem, allego præceptum Dei, cui omnino acquieſco: Nempe quod ſtatuit ac voluit

per

Digitized by Google

per nomen ſuum jurari, ſi legitima cauſa fuerit. Hinc concludo, rem non eſſe ſimpliciter, nec per ſe malam, jurare. Nam fieri non poteſt, ut quod malum ſit, placeat Domino. Quin imo quum ſpecies ſit honoris, qui Deo exhibetur à fidelibus, ut per Prophetas ſæpe oſtendit: qui vitium ac peccatum eſſe dicunt, nimis aperte reſiſtunt veritati. Accedit etiam ſimul ratio. Nempe quod expediat veritatem, quæ alioqui lateret, atque in dubio eſſet, confirmari. Quod aliter fieri quam per jusjurandum non poteſt. Quod allegant Anabaptiſtæ de correctione hujus præcepti, manifeſta blaſphemia eſt. Sequeretur enim Chriſtum retractaſſe quod ſemel à Patre fuiſſet conſtitutum. Quod, ut vidimus, nullo modo tolerari poteſt. Ac certe Apoſtolus, de jurejurando loquens, obiter id quidem atque aliud tractans, non dicit uſum ipſius abrogatum eſſe: ſed humanarum
Hebr. 6. controverſiarum finem & deciſionem vocat. Quæſo,
verſ. 16. quum Apoſtolus apud Chriſtianos verba faciens pronunciat finem imponi controverſiis per jusjurandum: nonne abunde ſignificat talem uſum eſſe approbatum à Deo, ut in Eccleſia Chriſtiana locum habeat? Quantæ ergo temeritatis eſt, contra repugnare, & quaſi damnandum vitium rejicere quod pro remedio dedit?

Accedunt ad doctrinam exempla, tum Dei, tum ſervorum ipſius. Hebr.6, Homines, inquit Apoſtolus, jurant per nomen Dei, quod ipſis majus ſit: Deus per ſeipſum juravit, quod ſuperiorem ſe nullum haberet, ſed ſupremum eſſet omnium. Quod ad Deum attinet, Anabaptiſtæ reſpondent eum jurare poſſe, quia poteſt omnia quæ dicit, præſtare: ſicque eſſe extra periculum perjurii: quum ſit fidelis, ac velit omnia quæ promittit, obſervare. Diverſum autem eſſe in homine mortali: qui, etiamſi cupiat, ſæpe tamen promiſſa exolvere non poterit: ideoque temerarium eſſe ſeſe jurejurando adſtringere, ad id quod excedit facultatem ſuam. Quum hanc ſolutionem in aëra jactarunt, jam actum eſſe, & os ſe nobis obſtruxiſſe exiſtimant. Verum quod contra objiciamus in promptu eſt: nempe ipſos non poſſe idem dicere de Patriarchis, Prophetis, ſanctis Regibus, Patribus antiquis, qui Dei exemplo etiam jurarunt. En Abraham fidelium omnium pater juravit. En Iſaac, Jacob, David, Ezechias, ac Joſias ſimiliter idem fecerunt. Qualis eſt inter nos & ipſos differentia? Saltem conſtat iſtorum reſponſionem, meram cavillationem eſſe: imo facile eſt judicare ipſos ad primum ſtatim verbum impingere.

Si, ut tergiverſentur, allegent exempla hæc ex veteri Teſtamento ſumpta eſſe, nunc vero in Eccleſia Chriſtiana arctioribus habenis conſtringi: tametſi error hic jam ſit refutatus, ſic tamen nihil proficient. Producemus enim Apoſtolos, qui jurejurando uſi ſunt etiam in ſcriptis ſuis, quum res id poſtulabat. Sed audiamus præclaram excuſationem qua effugiunt. Petrus, inquiunt, ac Paulus, jurejurando nihil promiſerunt ipſi, ſed tantum promiſſionem à Deo affirmarunt factam. Hic perſpicue intueri poſſumus, quantis abſurditatibus ſeſe implicent, qui ex induſtria reſiſtunt veritati: nec tamen ipſos pudet impudentiæ ſuæ. Primum, quum ita reſpondent, concedunt aliquam jurisjurandi ſpeciem licitam eſſe, nempe quum de præteritis rebus teſtimonium datur. Sequitur enim ex ipſorum verbis, tunc ſolum jusjurandum malum eſſe, quum in futurum aliquid promittimus. Adhæc, an non valde impudentes ſunt, quod tam aperte mentiantur, ac ſuadere velint, id omnino non eſſe, quod oculis ipſis cernimus? Paulus jurejurando affirmat 2 Corinth. 1. ſe ad ipſos non veniſſe, ut eis parceret: quod ei neceſſe fuiſſet ipſos durius tractare. Item Rom. 9 ſe cupere à Chriſtu rejici, ut populum Judaicum ſalvum redderet. Similiter jurat, ut teſtetur amorem quo Philippenſes proſequitur. Iterum 2 Corinth. 12. jurejurando aſſeverat ſe apud ipſos recta conſcientia verſatum. Item Theſſalonicenſibus, quod non pecuniæ aut lucri ſtudio ipſos adierit: ac Deum teſtem invocat quam ſancte ſe geſſerit. Phrenetici vero iſti aiunt Apoſtolos nunquam juraſſe, ut de facto ſuo affirmarent: ſed tantum ut teſtificarentur de fœdere Dei. Quæſo, quid meretur talis impudentia? An vel digni ſunt quibus refutandis verbum duntaxat fiat?

Verum difficultas quam proferunt expedienda eſt. Nempe neminem promittere quicquam debere cum jurejurando, quod ipſius non ſit id præſtare. Reſpondeo, quum ſubditus principi jurejurando ipſi promittit ſe quicquid eſt officiũ ſui præſtaturum, fidelem nempe ac obedientem fore: haudquaquam fiducia virtutis ſuæ id facit, quaſi deſpicato Deo ſeſe jactans: ſed potius invocans opem Dei, de ſua voluntate ſpondet, qualem ipſam eſſe oportet. Tametſi nimium ſtulta ſit imaginatio jusjurandum improbare, quum ſimplices promiſſiones approbantur. Nam ſi in uno ſit temeritas, itidem erit in altero. Quare ſi promittere licet, allegaenda eſſet ratio, cur promiſſionem noſtram jurejurando confirmare minime licet, quum res poſtulat & requirit. Qua conditione poſita, jusjurandum ſanctum ac legitimum eſſe, Scripturæ exempla ſatis oſtendunt: ac præ aliis tria quæ præcipue notanda ſunt. Scriptum eſt libro Chronicorum, Aſam regem Juda ab Azaria ſacer- *2 Chr. 15.*
dote & Propheta monitum, univerſum populum convocaſſe in Jeruſalem, ac juſſiſſe omnes jurare, ſe Deo cultum ac venerationem in perpetuum exhibituros. Idem recitatur de Joſia, quum liber Legis repertus eſſet: ad novandum fœdus à Moſe initum, populum adjuraſſe, ut promitteret ſe in obſequiu Dei perpetuo futurum. Tertium exemplum eſt de Eſdra & Nehemia, quorum auſpiciis & ductu, populus è Babylone reverſus, juravit ſe Deum ac verbum ipſius in poſterum ſequuturum. Tametſi nec perpenſis omnibus idem in prima Legis publicatione factum ſit. Sed quia ſcio mihi negotium eſſe cum hominibus nullius cerebri ac pertinacibus, eos tantum locos allegare volui, quibus expreſſa ſit mentio jurisjurandi. En igitur tota Eccleſia Iſraëlis, quæ jusjurandum ſolenne dat, ac rem difficillimam promittit: nempe fideliter adhærere Deo. Id autem non ſemel. Quin bona ſit actio ipſa, minime dubium eſt: habet enim à Spiritu ſancto teſtimonium & laudem. Non multum immorabor in eo explicando, quomodo poſſint homines ſeſe obligare Deo, ut faciant ea quæ non habent in poteſtate: tantum monebo, quod ante perſtrinxi, memoria tenendum eſſe, fideles hoc pro certo ſumere, Deum nunquam ſibi defuturum in gratia, quam promiſit: atque hoc habere fundamentum jurisjurandi. Quum Deus hanc jurisjurandi ſpeciem approbet, & Eccleſia ſæpenumero, ex ipſius inſtituto, ea uſa ſit: peto à vertiginoſis iſtis, qua auctoritate audeant ipſum improbare? Aut potius, ne cum ipſis agendo, tempus fruſtra teram, & operam ludam: hortor & obſecro fideles omnes, ut conſiderent, quantæ ſit arrogantiæ, ignaros iſtos ac infelices homines quaſi ſummos magiſtros ſtatuere definitiones ſuas, ad quas velint totum orbem adigere, acſi oracula eſſent divina à quibus diſcedere non liceret. Ego vero non dubito, quin in hac jurisjurandi materia, ut in ſuperioribus, abunde ſatisfecerim omnibus, quibus aures & ingenium non minime defuerint, quique perſpectæ veritati volent acquieſcere.

Expediti ſunt Articuli ſeptem eo libro comprehenſi, quem Anabaptiſtarum Patriarchæ, veluti definitionem ſupremam eorum quæ tenent, ſeorſim à reliquis ediderunt. Idcirco nihil aliud ſupereſſet, quam ut finem imponeremus huic libello, niſi duos Articulos reliquiſſent non minoris momenti, quam quivis ex aliis, de quibus tractare neceſſe eſt: quum Anabaptiſtæ omnes iis vulgo adhæreant. Quin etiam

huc

hoc ſcio, illos à quibus præclara hæc definitio ſcripta eſt, eo tempore ita docuiſſe. Unus eſt, quod Chriſtum verum hominem fuiſſe non putant; ſed potius phantaſma fuiſſe corpus ejus fingunt. Alter eſt, quod exiſtimant animas ſeparatas à corporibus, uſque ad diem judicii ſine ſenſu aut intelligentia ulla dormire: vel animam hominis eſſe vitam ipſius, quæ moriendo deficit, quoad ſuſcitetur. Unuſquiſque, quanti momenti ſint hi duo errores, facile poteſt perſpicere. Quod de iis ſubticent, neſcio an aſtutia factum ſit, quod adeo ſint odioſi, ut merito ipſorum doctrina execrabilis reddi debeat. Quicquid ſit, quum hoc ſuſceperim, ut armem fideles ac probos viros adverſus falſas eorum opiniones, non eſt æquum me hæc adeo peſtifera & flagitioſa dogmata, quum inter ipſos vulgo recepta ſint, diſſimulare. Quod vero nonnulli ipſorum de bonorum communione tenuerunt: item virum unum plures uxores habere poſſe, ita ut eo adigerent eos qui una contenti erant, ſexcentaſque alias abſurditates non attingam. Ultro enim ipſi, quum eos ſcilicet tantæ inſaniæ puderet, majore ex parte ſeſe paulatim ab eis erroribus ſubduxerunt. Sed in his duobus articulis, de quibus ſum loquutus, diverſa ratio eſt. Adhuc enim in his perſiſtunt.

Quod ad primum attinet, de corpore aut natura humana Domini noſtri Jeſu Chriſti notandum eſt duas veteres hæreſes huic perſimiles fuiſſe, aut quæ ſaltem quam proxime accederent. Nam Manichæi imaginati ſunt Chriſtum cæleſte corpus in uterum virginis intuliſſe. Marcionitarum delirium, aliquantum diverſum fuit. Finxerunt enim ipſum, non corpus re vera ſubſtantiale, ſed ſpeciem tantummodo aut ſimilitudinem corporis habuiſſe, quod phantaſma vocamus. Utrique hunc ſibi finem propoſitum habebant, ut negarent Chriſtum ex humano ſemine quicquam ſumpſiſſe. Quamobrem, videmus Anabaptiſtas ſolummodo expergefacere jam ſopitos errores, quos diabolus ante quadringentos & mille annos excitarat: qui verbo Dei ſublati fuerant ac deleti. Ut tamen initio teſtatus ſum, nullum ex eo præjudicium ipſorum cauſæ adferri volo, niſi prius ipſos convicero ſolo verbo Dei, acſi nulla unquam habita fuiſſet ab hominibus mentio. Id vero ea de cauſa ſolum dixi, ut omnes intelligant, ex quo fonte manent, ea quæ Anabaptiſtæ, quaſi nuper ipſis è cælo revelata proferunt. Atque etiam ut commonefaciam ipſos. Nam ejus ſectæ vel doctiſſimi, hiſtoriæ & omnis antiquitatis adeo ignari fuerunt, ut nullus eorum unquam hoc ſolum intellexerit, quid ſibi vellet nomen Marcionis. Operæpretium eſt igitur tum ipſos, tum alios moneri, primum auctorem hujuſce opinionis, qua hodie perturbant homines, non à certis ſolum hominibus ſed ab univerſa Eccleſia rejectum, & cum anathemate damnatum fuiſſe: idque ſtatim, id eſt, circiter quadraginta annos poſt obitum Apoſtolorum. Euſebius enim & Hieronymus referunt Polycarpum, qui diſcipulus & familiaris fuerat Joannis Apoſtoli, obvium Marcioni Romæ factum, eum primogenitum Satanæ appellaſſe. Alios errores quibus Eccleſiam turbavit prætermitto. Quum enim hic diligenter expenſus fuerit, perſpicient, ut ſpero, omnes, magis execrandam reperiri nunquam poſſe.

Primum, multis ac certiſſimis Scripturæ teſtimoniis oſtendam, Chriſtum re vera carnem noſtram & humanam naturam ſumpſiſſe: quum nobis à Deo Patre in hoc mundo revelatus eſt: idque tam aperte oſtendam, ut etiam à minimo puero perſpici poſſit, nimia impudentia præditos fore Anabaptiſtas, ſi ulterius tergiverſari pergant. Quanquam haud neceſſe ſit locos omnes, qui ad rem iſtam faciunt, colligere. Ne ergo ſim prolixior, eligam eos, qui mihi con-
Geneſ. 3. verſ. 15. venientiores videbuntur. Scimus Dominum ab initio mundi, Evæ promiſiſſe, fore ut ſemen ipſius ſerpentem vinceret. Videamus an id in nobis impletum ſit, aut in ullo uſquam homine mortali, niſi per Jeſum Chriſtum, qui nobis Satanam vicit ac ſuperavit. Sed quia promiſſio hæc adhuc quodammodo obſcura erat, poſtea multo clarior facta eſt, tum Abra- *Geneſ. 12. verſ. 18.*
hæ tum Jacob, quum eis dictum eſt, univerſas terræ nationes in eorum ſemine benedictionem recepturas. Semen iſtud, ut interpretatur Paulus, & ratio *Gal. 3:16.*
demonſtrat, eſt Chriſtus. Promiſſionis ergo veritas aliter teneri non poteſt, quam ſi Chriſtus ex progenie Abrahæ deſcenderit. Similiter, quum dictum eſt Davidi: Fructum ventris tui ſuper ſedem tuam *Pſal. 132. verſ. 11.*
collocabo, ut regnet in æternum. Hoc ipſum eodem ſenſu confirmatur ab Jeſaia Propheta, qui ait *Jeſa. 11. verſ. 1.*
fore ut quaſi ſurculus de radice Iſai exoriatur. Scimus hæc de alio intelligi non poſſe, quam de ipſo redemptore, qui Abrahæ fuerat promiſſus. Igitur ipſum de ſobole Davidis ſecundum carnis propagationem eſſe neceſſe eſt: aut inanis eſſet promiſſio. Ideo Matthæus genealogiam ipſius recitare vo- *Mat. 1: 1.*
lens, inde exorditur: vocans ipſum filium David, filii Abrahæ: ut expreſſius deſignet eum ipſum eſſe qui promittebatur. Et certe ea loquendi forma atque hæc appellatio communis & uſitata erat inter Judæos, quemadmodum ex Euangeliſtis *Mat. 22. verſ. 42.*
conſtat.

Ad hæc omnia ſic reſpondent Anabaptiſtæ, ut facile oſtendant quales ſint beſtiæ, & quam perdite impudentes. Vocatur, inquiunt, filius David, non quod aliquid ex virgine Maria ſumpſerit, aut quod ex ipſius ſubſtantia homo ſit factus, ſed quia ſolummodo ipſum in utero geſtarit, ceu tubulus per quem aqua ducitur. Hoc quidem dici poſſit, niſi ſeminis vocabulum exprimeretur, quamvis re vera perſpicerent omnes ſani judicii homines meram eſſe tergiverſationem: plus tamen coloris aut integumenti quodammodo haberent. Sed quum adeo frequenter iteretur ex ſemine Abrahæ eſſe, quæ ſupereſt cavillatio, qua verum hominem fuiſſe negent? Ac certe, quum Jeſaias adventum ipſius prænunciat, non ſolum ex Virgine naſciturum, ſed prius ab ea conceptum iri nominatim dicit. Conceptio iſta oſtendit ex ſemine ipſius formandum fuiſſe, ſicuti quibus nota eſt verbi ſignificatio, facile poſſunt judicare. Sed magis adhuc ipſos urget Paulus, quum ait factum fuiſſe ex ſemine David ſe- *Rom. 1: 3*
cundum carnem: ac nihilominus declaratum eſſe Filium Dei in potentia. En poſtquam Chriſtus pronunciatus eſt Filius Dei: deinde dicitur, ſecundum humanam naturam à Davide originem ducere. Nonne hominem vehementer inſanire oportet, qui ad hæc omnia claudit oculos, atque aures obturat, ut è contrario aſſerat Chriſtum nihil naturæ humanæ habere, quantum ad ſubſtantiam corporis pertinet? Similiter alio loco Apoſtolus de Judæorum *Rom. 9: 3.*
dignitate ac prærogativa loquens: inter cætera ait, ſucceſſores eſſe patrum, atque eorum ſobolem, à quibus Chriſtus ortus eſt ſecundum carnem. Mul- *1 Tim. 3. verſ. 16.*
tos alios locos prætermitto, ut quum ait Deum exhibitum in carne: item in humilitate carnis paſſum eſſe: ſimiliter quum Joannes ait: Verbum caro *Joan 1. verſ. 14.*
factum eſt: ac præſertim quod ſibi ipſe tam frequenter filii hominis titulum attribuit: cæteroſque ejuſmodi, quia poſt illos duos tam inſignes quos adduxi, ſupervacui viderentur. His igitur contentus ero, quæ id quod volo abunde probant: ſimulque declarant, quantum neceſſe ſit credere Chriſtum, quum homo factus eſt, communem nobiſcum naturam re vera ſumpſiſſe. Apoſtolus in Epiſtola *Hebr. 2. verſ. 16.*
ad Hebræos præclarum argumentum ſumit, ut amorem, quo Deus nos proſequutus eſt, amplificet: quod non Angelorum naturam, ſed noſtram acceperit. Si infelicium iſtorum ſomnia admittamus, hæc gratia & inæſtimabilis bonitas Domini

noſtri

noſtri Jeſu Chriſti è memoria noſtra delebitur: ne amplius ipſum nos magis quam Angelos honoraſſe agnoſcamus. Poſtea addit, per communicationem quam in carne ſua & ſanguine nobiſcum habet, ſe fratrem noſtrum vocare, ac re vera fraternam nobiſcum conjunctionem habere. Hinc concludendum, ſummam omnium bonorum nobis ereptum iri, niſi Chriſtus nobiſcum in carne & ſanguine communicet. Qui enim eſſemus filii Dei, niſi ipſius fratres ſimus? Apoſtolus autem ait nos tale bonum non aliter obtinere, quam quod ejuſdem naturæ ſocietate nobiſcum conjunctus ſit. Adjicit deinde congruum fuiſſe, ut fratribus ſuis perſimilis eſſet, ut fidelis patronus eſſet, ac miſericors. Unde ſingu-
Hebr. 4. larem conſolationem deducit: nos non habere advo-
verſ. 15. catum qui infirmitates noſtras ſuſtinere non poſſit, quum ipſe eodem modo fuerit tentatus, per omnia nobis ſimilis factus, dempto peccato. Quum in ea ſimilitudine, qua nos Chriſto comparat, ſolam hanc exceptionem peccati addat, ſequitur in reliquis nobis eſſe perſimilem, quum nominatim illic de natura humana loquatur. Ex his locis non tantum Chriſtum re vera naturæ humanæ conjunctione fratrem noſtrum eſſe, ſed etiam utilitatem quæ inde ad nos redit, perſpicimus: qua nos ſpoliant ac privant ii, qui neſcio quod cæleſte corpus ei attribuunt, quod cum noſtro nihil habeat commune.

1 Cor. 15. Similiter Pauli diſputatio, quam habet apud
verſ. 12. Corinthios, ut in Chriſti reſurrectione noſtram omnium ſtabiliat, tota corruit, niſi naturam nobiſcum communem habet. Si Chriſtus, inquit, reſurrexit, nos quoque reſurgemus. Quod ſi nulla ſit nobis reſurrectio, nec Chriſtus omnino reſurrexit. Parata enim ad repugnandum eſſet reſponſio, ſi dici poſſet Chriſtum, corpus cæleſte ſecum in matris uterum detuliſſe. Nec enim mirum eſſet, ſubſtantiam profectam è cælo eximi à corruptione: nec inde ſequeretur, corpora noſtra terreſtria, quæ præter putredinem nihil in ſe continent, ſuſcitanda eſſe. Ut ergo firmum ſit ejus diſputationis fundamentum, neceſſe eſt Chriſtum nobiſcum ejuſdem naturæ conjunctione participare. Hæc enim eſt unica ſpes quam habemus de reſurrectione: nempe carnem iſtam, quam nunc corruptioni obnoxiam circumferimus, jam ſuſcitatam in Chriſto, & in poſſeſſionem cæli ingreſſam, ibique immortalem eſſe. Hoc, inquam, modo optimum & certiſſimum arrhabonem habemus, quo certiores reddamur: alioqui omni ſpe
1 Tim. 2. deſtituti ſumus. Alio loco idem Apoſtolus oſten-
verſ. 5. dere volens, Chriſtum Mediatorem noſtrum eſſe; hominem eſſe ait. Quia intelligebat nos nunquam adduci poſſe, ut ad ipſum confugeremus, niſi prius eſſemus perſuaſi, nobis eum proximum eſſe, noſque attingere. En igitur ubi ſita eſt & quieſcit fiducia noſtra: ut adhæreamus Chriſto, eumque pro Mediatore quæramus: quod videlicet nobiſcum conjunctus ſit, & ejuſdem naturæ ſit particeps. Idque
Jeſa. 7. intelligit Jeſaias Propheta, quum ait factum eſſe
verſ. 14. Immanuel, id eſt, nobiſcum Deum. Hoc enim, ſine vera ſimilitudine & naturæ unione fieri non poteſt.

Sunt & aliæ rationes ſolidiſſimæ: quæ tameſi in Scriptura non exprimantur, non minus propterea certæ ſunt, quum in ea fundamentum ſuum habeant. Quam enim neceſſarium fuerit, eum qui Mediator noſter futurus erat, verum Deum ac verum hominem eſſe, conſtat ex officio Mediatoris, quod in eo conſiſtit, ut homines cum Deo conciliet, & inimicitias capitales aboleat, quæ prius intercedebant. Nulla autem ſpes erat id futurum, niſi Dei majeſtas ad nos deſcendiſſet, ſeque cum naturæ noſtræ infirmitate conjunxiſſet. Similiter, officium Mediatoris erat, nos filios Dei atque hæredes regni ejus efficere, quum antea mortis & damnationis hæredes eſſemus. Hoc arrhabone fiducia noſtra confirmatur, quod ſimus filii Dei: quia Filius ejus naturalis, corpus è corpore noſtro, carnem è carne noſtra aſſumpſit. Præterea id omnino ad redemptionem noſtram neceſſarium erat, ut inobedientia commiſſa in carne noſtra, in eadem ſarciretur. Ideo venit Dominus noſter re vera homo, veluti perſonam ipſius Adæ referens, cujus etiam nomen ſumpſit, ut pœnam peccati in carne in qua admiſſum fuerat, perſolveret. Qui ergo natura humana Chriſtum ſpoliant, obſcurant bonitatem ipſius: magnam etiam nobis faciunt injuriam, quum verum objectum deſtruunt, quo ad plenam & integram ejus fiduciam ducimur.

Sed ne videar quicquam diſſimulare eorum quæ ipſis ſuffragari poſſent: producam ea, quæ ſolent adducere, ut aliquid coloris ad imaginationem ſuam
afferant. Paulus ait, Chriſtum ſeipſum exinaniviſſe, *Philip. 2.*
quum indueret formam ſervi, ac ſimilem factum ho- *verſ. 7.*
minibus, & ſpecie apparuiſſe tanquam hominem. Hinc Marcio olim colligebat corpus ipſius phantaſma fuiſſe. Anabaptiſtæ eo juvari volunt, ut oſtendant non fuiſſe noſtro ſimile. Reſponſio facillima eſt. Nec enim Paulus de ſubſtantia corporis Chriſti tractat: ſed tantum oſtendit, Chriſtum quum poſſet ſe in majeſtate glorioſa ut Deum exhibere, ſe puſillum hominem in omni humilitate exhibuiſſe. Nam Philippenſes ad humilitatem hortatur. Cujus rei gratia Chriſti exemplum adducit, inquiens, ipſum in forma, hoc eſt, in gloria Dei fuiſſe, & tamen exinaniviſſe ſemetipſum. Poſtea adjungit quomodo id factum ſit: nempe quia in hominis forma ſeſe exhibuit, ac ſe ut hominem geſſit. Quid aliud ſignificant hæc verba, niſi ſub velamento carnis, in qua parvus & contemptibilis apparebat, gloriam divinitatis ſuæ abſcondiſſe: ita ut ejus conditio fragilis, quam præ ſe ferebat ſolum agnoſceretur? Itaque in hujus loci ſolutione, nulla eſt difficultas. Sed alius eſt locus qui plus aliquanto ſpeciei habet. Nempe, 15. prioris ad Corinthios, ubi Paulus ait primum Adam de terra terrenum, ſecundum è cælo cæleſtem eſſe. Illinc Anabaptiſtæ cum Manichæis, majoribus ſuis, concludunt: Chriſtum corpus cæleſte habuiſſe, non ex ſemine humano creatum aut formatum, hoc eſt, ex ſubſtantia Virginis matris ſuæ. Solutio hujus argumenti in eo ſita eſt, ut quid illic Paulus tractet ſpectemus: ac connectantur ſententiæ, non ad depravandum ſenſum abſcindantur. Paulus oſtendere volens unde mors, unde reſurrectio oriatur, illam nempe ex Adam, hanc ex Chriſto eſſe, inter cætera ait: Adam factum in animam viventem, Chriſtum in animam vivificantem. His autem negare non vult, Chriſtum animam noſtræ ſimilem habuiſſe, ſed plus habuiſſe ſignificat: nempe ſpiritum non tantum viventem, ſed qui in ſe vivificandi vim haberet. Deinde adjungit primum Adam de terra, terrenum: ſecundum Adam cæleſtem, è cælo. Dubium non eſt, locum iſtum eodem modo quo alium, accipi debere, de qualitate Chriſti non de ſubſtantia. Intelligo de illa ſupernaturali & divina virtute, quam ut Filius Dei habet è cælo: non è terra, ut mortalis homo. Et certe, ut jam diximus, fundamentum quod ſumit Paulus ad confirmandam ſpem reſurrectionis nullum eſſet, ſi Chriſtus corporis ſubſtantiam à noſtro diverſam haberet. Allegant deinde conceptum fuiſſe à Spiritu ſancto. Verum, hæc Spiritus ſancti virtus non excludit ſubſtantiam matris. Nulla quidem viri & mulieris conjunctio interceſſit, ut juxta naturalem aliorum ordinem generaretur: ſed hoc non impedit, quominus admirabili Spiritus ſancti operatione, de ſubſtantia matris formatus ſit, ut vere ſit Abrahæ ſemen, & fructus ventris David, ut Spiritus ipſe, longo prius tempore, ipſum nominarat. Scio quid ad hæc objiciant: hoc abſurdum fore, quod ſemen humanum maledictum & corruptum ſit: ſicque ſequeretur Chriſtum ex corruptione deſcendiſſe. Sed reſpondeo admirandam iſtam conceptio-

ceptionem, omnem difficultatem tollere. Quod enim intervenit Spiritus ſanctus, hoc ejus ab initio ſanctificandi gratia factum eſt. Qua ſanctificatione, præſervatus fuit, ne qua generis humani macula pollueretur. Ideo ait Paulus, ipſum ſimilitudinem carnis peccati ſumpſiſſe, ut in ea peccatum damnaret. Aſſumens enim carnem noſtram, peccatum minime ſumpſit: quoniam virtus Spiritus ſancti eum ſecrevit à reliquis.

Stulta etiam & ſanatica conſideratione tenentur, quum exiſtimant dedecus inuri Chriſto, ſi eo demittatur, ut naturæ noſtræ ſimilis fiat. Idcirco imaginantur, ipſius dignitati convenientius eſſe, ſi cæleſte corpus ei tribuatur. Reſpondeo, magnæ eſſe dementiæ, exiſtimare gloriam Chriſti ulla in re minui, vel ipſius dignitati ullo modo derogari, quum dicitur ſeſe ita abjeciſſe, atque adeo exinaniviſſe, ſalutis & redemptionis noſtræ cauſa. Abjectiora multo dicuntur de eo, Pſalm 22:7. Vermem eſſe non hominem, opprobrium hominum, & abjectio-
Jeſa. 53. verſ. 3. nem plebis. Similiter quod ait Jeſaias, contemptum fuiſſe ut hominem nihili, inſtar leproſi habitum, annumeratum cum ſceleſtis. Sed quis plura dicere poſ-
Gal. 3: 3. ſet quam Paulus ipſe? Nempe, maledictum & execrabilem pro nobis factum eſſe. Si hoc honorem ipſi debitum imminueret, pudeat nos etiam fateri ipſum pro nobis cruci affixum fuiſſe. Fuit enim genus mortis magis infame & probroſum, quam ſi quis hodie in furcas tolleretur. Quare ne ſtultis imaginationibus iſtis inhæreamus, ut noſtro more veneremur Chriſtum: nec vereamur ipſum dedecore afficere, quum ſic eum, quantum ad humanam naturam pertinet propter nos abjectum fuiſſe agnoſcimus. Ut enim ab æterno fuerat Deus, ejuſdem gloriæ particeps cum Patre ſuo: ſic etiam talis permanſit ſine ulla diminutione. Quod induit carnem noſtram, & in ea humiliter abjectus eſt, teſtimonium eſt memorabile infinitæ ſuæ bonitatis, & incomprehenſibilis amoris, quo nos proſequutus eſt. Itaque tantum abeſt, ut celſitudini ipſius hoc ullo modo derogare poſſit ut ejus laudandi & magnifice extollendi, præcipua nobis ſit materia. In ſumma, ſi Chriſtum pro Salvatore noſtro vere agnoſcere velimus, ſequamur
1 Joan 4 verſ. 2. Joannis exhortationem, & fateamur ipſum in carne veniſſe: quo nos Deo patri conjungeret, per obedientiam quam ipſi in humanitate ſua, quaſi in perſona noſtra exhibuit. Qui talem confeſſionem edere recuſat, Antichriſtus eſt: eumque exhorrere, & execrari debemus.

Reſtabat alter articulus de animarum ſtatu, poſtquam è corporum vinculis exceſſerunt: in quo etiam pernicioſe errant Anabaptiſtæ. Sed quia iiſdem argumentis, & quaſi totidem verbis hoc abunde tractavit auctor ipſe ſuperiore libello, qui Pſychopannychia inſcribitur, in quo apertiſſimis Scripturæ teſtimoniis animas, quæ ex hac vita deceſſerunt, in Chriſto vivere probat, eadem hic repetere ſupervacaneum exiſtimavi. Præſtat enim omnino, quæ ab ipſo auctore ſcripta ſunt, quam à me converſa legere. Quod etiam ſtudioſis omnibus magis gratum eſſe ſcio. Itaque ad libelli concluſionem veniam.

Teſtatus ſum initio mihi minime propoſitum eſſe omnes Anabaptiſtarum opiniones ſigillatim expendere. Id enim eſſet immenſam ſylvam ingredi, unde nullus pateret exitus. Id quod etiam minime neceſſe eſt. Suſceptumque eſſet magis curioſum quam utile, colligere omnes imaginationes tam abſurdas, quas ſtolida quæque iſtorum capita protulerunt. Mihi igitur ſatis fuit, quam fideliſſime potui, breviter tractare articulos, quibus vulgo adhærent ii, qui minus temulenti ſunt cerebri, aut ſaltem non omnino vertiginoſi. Nam de inſanis illis & furioſis qui ſe Libertinos vocant, alio libro tractare inſtitui. Nunc, ut finem faciam, pios omnes lectores rogatos velim, ut ad Scripturæ normam examinent omnia, ut lydius eſt lapis, quo doctrina omnis probatur. Nec dubito quin omnibus qui veritatem ducem ſequentur, ſeque ſubjicient rationi, abunde ſatisfiat iis, quæ in hiſce articulis tractavi. Præterea me imbecilliorum ruditati, quorum gratia præcipue laborabam, accommodare niſus ſum. Sic Anabaptiſtæ minime ut ſolent, calumniari poterunt, me ſubtilitatibus ipſos vincere, aut eloquentiæ humanæ artificio opprimere voluiſſe: quum formam adeo popularem & ſimplicem ſequutus ſim, ut ſimplicior deſiderari non poſſit. Verum fideles omnes à me de iſtorum malitia commonefieri neceſſe eſt. Quia cauſam non aliter approbare poſſunt, niſi confundant omnia, ita ut omnis eorum doctrina ſit confuſa quædam permixtio, quaſi corpus capite, brachiis, & pedibus carens, otuntur abſurdis ac peregrinis formis loquendi, & dedita opera à legione, quod aiunt, ad culinam ſubinde tranſiliunt, varioſque ſermones intertexunt: conciſos & abruptos adducunt locos Scripturæ: atque in eo ſibi placent, ac perſuadent longe plus majeſtatis id præ ſe ferre, ſi balbutiant & confuſe loquantur, quam ſi res digerant ordine. Horum autem confutandorum nulla melior iniri poteſt ratio, quam ſi diſtincte & dilucide, ſigillatim & certo ordine materia quæque explicetur: expendanturque & obſerventur ſententiæ Scripturæ, quo verus & genuinus eliciatur ſenſus: ſimplexque & aperta ſit oratio à communi hominum uſu minime abhorrens. Quum id fit, clamant ſibi à nobis imponi, ſeque humana aſtutia & ſophiſtica circumveniri. Quaſi vero talis ſit mos aut inſtitutum ſophiſtarum, res involutas evolvere atque enudare. Equidem fateor me in eo ſtudium & diligentiam adhibere, ut quæ trado, certo ordine diſponam, ut facilem & claram intelligentiam præbeam. Si Anabaptiſtæ id ferre non poſſunt: nihil aliud reſpondeo, quam exoſam eſſe lucem iis qui male agunt.

Ut autem aliquid præterea coloris ſuæ doctrinæ afferrent, curarunt ut cum definitione ſua excuderetur hiſtoria mortis cujuſdam Michaëlis aſſeclæ ſui: ac certe hoc tanquam firmo clypeo tegere ſe ſolent, multos obiiſſe mortem, quod opiniones iſtas defendiſſent, nec voluiſſe ullo modo ipſas retractare, quum alioqui ea conditione poſſent vitam ſuam redimere. Ac certe teſtimonium hoc perbellam ſpeciem præ ſe fert, ut doctrinæ alicui tribuatur auctoritas, quum quis ad eam confirmandam conſtanter omnique difficultate ſublata, vitam profundit. Ut quum proponuntur ea quæ Prophetæ, Apoſtoli, cæterique Martyres perpeſſi ſunt, ut veritatem Dei tuerentur: eo magis roboramur, ut fidei noſtræ, quam ſanguine ſuo obſignarunt, firmius adhæreamus. Fateor igitur non eſſe parvi faciendam mortem ſervorum Dei: quum in ejus conſpectu pretioſa ſit: eorumque conſtantia ac fortitudo, ad infirmitatem noſtram juvandam non parvo ſit adjomento. Sed quia ſobinde poſſemus decipi, niſi ultra progrederemur, redeundum eſt ad fundamentum, ſine quo certum aut firmum judicium in hac cauſa ferri nequit. Certum eſt mortem hominis, quiſquis ille ſit, nunquam tanti eſſe debere, ut præjudicio ſit veritati Dei: nec tantum valere, ut falſam ac perverſam doctrinam approbet. Hoc igitur teneamus: quemadmodum ſana doctrina ac ratione ſubnixa, à teſtium & confeſſorum, qui eam tuentur ac ſuſtinent morte confirmationem capit: ſic omnes univerſi orbis homines moriendo nunquam mendacium approbaturos. Atque illud eſt diſcriminis inter Martyres Dei & diaboli: quod illi, pro juſta, hi pro injuſta cauſa tuenda moriuntur. Itaque, ſicuti laudabilis conſtantia eſt, mortem, ſi res poſtulat, perpeti ob teſtimonium veritatis: ita inſana eſt obſtinatio ob malæ cauſæ defenſionem pati. Adeo ut quo quiſque ob eam graviora ſuſtinet, eo magis ſit vituperandus. Tantum abeſt, ut hoc prætextu omni judicio & con-

ſideratione privati, nos ſtatim rapi ſinamus. Si veritatis divinæ, quam prædicamus, certitudo quæritur, eam copioſam & uberem ſupra quam neceſſe ſit, habemus in morte Chriſti Domini noſtri, omniumque Prophetarum, Apoſtolorum, ac Martyrum, tum primitivæ Eccleſiæ, tum hujuſce temporis. Quicquid autem ei repugnat, fruſtra ſanguine aut cera obſignatur: nunquam enim mendacium eſſe deſinet.

INSTRUCTIO,

Adverſus fanaticam & furioſam ſectam Libertinorum, qui ſe ſpirituales vocant.

PRÆFATIO.

Ex Gall. *1 Cor. 11. verſ. 19.* NOn abs re ait Paulus, ſectas eſſe oportere, ut qui probati ſunt manifeſti fiant: nam ſi quid turbarum fuerit ſubortum in Eccleſia Dei, aut falſa aliqua doctrina emergat, detegitur ea occaſione multorum animus, qui ſe Chriſtianos haberi volunt: & qua quiſque affectione verbum Dei receperit, cognoſcitur. Tunc enim qui conſtanter perſeverant in veritate, eam in animis ſuis radices egiſſe re ipſa oſtendunt: alii, dum ſeduci ſe facile ſinunt, & quaſi omni vento transferri, ſua inconſtantia demonſtrant ſe eam leviter tantum attigiſſe. Hoc nunc pluribus explicare nolo: ſed tantum exemplum ſumere eorum, quæ oculis ipſis intuemur. Satan à viginti annis, ut doctrinam Euangelii, quam emergere videbat, extingueret aut præfocaret, aut ſaltem diffamaret, & hominibus redderet odioſam, varias hæreſes & perverſas opiniones excitavit. Plurimi qui antea fideliter in pura Euangelii doctrina edocti fuerant, ſtatim abrepti atque abalienati ſunt. Alii quorum animus ad ſuſtinendas offenſiones paratus erat, magis ac magis roborati ſunt, & in verbo Dei confirmati. Hoc, ut dixi, ſic evenire vult Dominus, atque ita ſtatuit, tum ut probet ſuos, tum ut hypocriſin & vanitatem eorum detegat, qui ſe fideles profitebantur, priuſquam oblata eſſet materia incredulitatis ipſorum dignoſcendæ. Nonnullos quidem certe ignorantia & ſimplicitate circumveniri accidit: ſed dubium non eſt Dominum ſiviſſe tales labi, ut eos in poſterum humiliores redderet, & magis erudiret: ut priore ſecuritate ſua aut arrogantia correcta, firmius ac ſolidius fundamentum habeant in verbo Dei. Adeo ut nemo à recta via abductus, quo mendacio & falſitati adhæreret, excuſationem habeat, quin ipſius culpæ aſſignandum ſit: ac merito puniatur, quod non, ut par erat, amaverit ac timuerit Deum: ſicuti poſtea dicemus. Quicquid ſit, quum ſceleſta & pernicioſa aliqua ſecta pullulare cœpit, præſertim vero quum augeſcit, eorum quos Deus ad ædificandam Eccleſiam conſtituit, officium eſt, ire obviam ac fortiter obſiſtere, priuſquam ad perdenda & corrumpenda omnia vires ſumpſerit. Et certe, quum ſint Eccleſiæ paſtores, non ſolum iecta cibaria gregi Domini adminiſtrare debent: ſed etiam excubias agere, adverſus lupos & fures: ut ſi ad gregem accedere voluerint, eos magnis clamoribus & acri vociferatione quam longiſſime ſummoveant. Licet, ut proprie loquamur, hæretici non ſolum lupis & furibus ſimiles, ſed longe deteriores ſint. Quia dum ſacroſanctum verbum Dei corrumpunt, tanquam venefici ſub ſpecie boni cibi, quo ſe alios paſcere velle fingunt, miſeras animas trucidant. Adhæc quum Satan modis omnibus moliatur diſſipationem ſanctiſſimæ unitatis hujus, quam habemus in Chriſto per verbum ipſius, eo magis nos ipſo Verbo ad Eccleſiam conſervandam armari decet, ut eo veluti gladio & clypeo utamur ad ejuſmodi machinationes repellendas. Quia vero Domino noſtro, per immenſam ipſius bonitatem placuit, nulla habita ratione qualis ipſe eſſem, me ad eorum numerum adjungere, quos non ſolum ad veritatem ſuam publicandam, ſed eam quoque aſſerendam contra adverſarios omnes conſtituit: ut meipſum pro ea facultate, quam mihi conceſſit, ei muneri impendam neceſſe eſt. Quum etiam multi boni viri ac fideles intelbigerent, partim etiam oculis intuerentur horribilem diſſipationem quam iſti male feriáti homines inchoaverunt, mihi aſſidue inſtare non deſierunt, donec me manum operi adhibiturum recepi.

CAPUT I.

Ubi docetur quam pernicioſa ſit ſecta Libertinorum.

TAmetſi omnes hæreticorum ſectæ, peſtes lethales ſint in Chriſtiana republica: tamen in veteribus hiſtoriis nuſquam legimus ullam fuiſſe adeo pernicioſam, quam ea eſt, quæ hodie Libertinorum vocatur. Verum, ut ſcelerata, ita longe magis prodigioſa ac belluina eſt: adeo ut nemo ſana mente præditus, ſine horrore de ea cogitare poſſit. Cæterum, hoc ſaltem boni eſt, quod terreri nos minime decer, acſi novi aliquid contineret. Quod enim attinet ad ſummam doctrinæ, ea jam Apoſtolorum temporibus, ſaltem aliqua ex parte, ut ſtatim oſtendam, initium cepit. Reliqua habent à Valentinianis, Cerdonitis, aut Manichæis, qui ante quadringentos & mille annos Eccleſiam Dei conturbarunt. Hi quidem homines indocti ſunt, ac idiotæ, qui non uſque adeo evolvendis chartis ſunt exercitati, ut ex eis deliria ſua addiſcere potuerint. Nec veriſimile eſt ipſos ſcire ullam unquam de his mentionem habitam fuiſſe. Denique id lectione percipere non potuerunt: ſed idem magiſter, qui veteres illos hæreticos olim ſuſcitarat, eadem doctrina iſtos imbuere potuit, qua illos inſtruxerat. Quum enim, ut monet Chriſtus, ſciamus eum ab initio patrem fuiſſe mendacii, minime dubium eſt errores, quotquot unquam fuerunt ac futuri ſunt, in ejus officina fabricatos eſſe. Quo fit, ut mirum non ſit ipſum infelicem hanc ſectam iterum expergefeciſſe: atque ignaros homines excitaſſe, à quibus inſtauraretur. Nec enim quempiam alia ſchola edoctum fuiſſe opus eſt, quo diſcat blaſphemare Deum, & malitioſis aſtutiis veritatem ejus evertere. Quicquid enim eſt inventionum ad veritatem impugnandam, ſub mendacii nomine comprehenditur, cujus ipſe doctor eſt præcipuus. Sed quoniam leve eſſet id dicere, niſi re ipſa ita eſſe oſtendam: videndum eſt, num ea quæ dixi, vera ſint: & claris probationibus demonſtrandum, Libertinos nihil novi producere, quod attinet ad præcipua capita doctrinæ ſuæ: ſed jam Apoſtolorum temporibus ſimiles fuiſſe hæreticos, ac ſtatim poſtea alios ſubortos eſſe, qui eadem deliria ſequebantur, quibus iſti totum orbem cupiunt inficere. Sic enim qualis ſit eorum ſecta, facile poterit judicari.

CAP. II.

Quid ſimilitudinis habeat Libertinorum ſecta cum ea, de qua Petrus & Judas loquuntur.

EX poſteriore Epiſtola Petri, tum etiam ex ea quam Judas ſcripſit, perſpicitur jam eo tempore ſceleratorum ſectam fuiſſe, qui ſub Chriſtianæ

ſtianæ religionis nomine ſimplices ad vitæ genus diſſolutæ adducebant: ſublato enim diſcrimine boni & mali, vanis adulationibus ſopiebant conſcientias: ut ſine ullo ſcrupulo unuſquiſque viveret ſuo arbitratu: Chriſtiana libertate abutentes, frænum laxabant cuivis carnis licentiæ: in eo ſeſe oblectantes, ut totum orbem confunderent, omnemque politiam, ordinem, humanitatem, denique honeſtum

2 Pet. 2. verſ. 12. omne inverterent. His enim verbis utitur Petrus, veluti mutæ beſtiæ, animales, genitæ ad captionem & perniciem, iis quæ non intelligunt male dicentes, in vanis voluptatibus felicitatem conſtituunt. Deinde eos nubibus comparat, quæ tempeſtate huc & illuc agitantur: & fontibus vacuis aqua: quod quum ſublimi ſtylo inſonuerint, acſi vellent auditores ſupra cælos transferre, ad carnis delicias ipſos attrahunt, & in concupiſcentias iterum dejiciunt, à quibus ſeſe ſubduxerant: & quum omni corruptioni ſerviant, libertatem illis pollicentur.

Jud. 10. Similiter Judas ait: Quæ non noverunt, ea maledictis inſectari: neque præter carnalem ſenſum, ullam cognitionem habere: & ut animantia expertia rationis in omni apprehenſione corrumpi. Quiſquis noverit quales ſint Libertini, & attente diligenterque eos locos obſervarit, facile judicabit Spiritum ſanctum eos deſcribere voluiſſe, ut moniti nobis ipſis caveremus. Ego profecto nunquam plane & perſpicue, quæ ibi deſcripta ſunt, intellexiſſem, niſi ea in ipſis recognoſcerem. Sed quoniam non omnes eos noverunt: optimum erit notas iſtas, ut re vera ad eos pertinent, accommodare. Primum, quod attinet ad ſublime & tumidum illud dicendi genus, de quo illic fit mentio: obſervandum eſt quum iſtos audire cœperis, parum abfuturum, quin ecſtaſi aliquando ſupra nubes raptos fuiſſe putes. Nam præterquam quod totus eorum ſermo de ſpiritu eſt, idiomate quodam adeo peregrino loquuntur, ut qui ipſos audiunt, prima facie ſtupefiant. Id autem affectant ex induſtria, ut auditores rapiant in admirationem, & talibus fumis eorum oculos perſtringant, ſicque prius obrepant in eorum animos, quam abominationem doctrinæ ipſorum potuerint animadvertere. Sed poſtquam ſublimia prooemia ſua deſpumarunt, ſtatim in barathrum hoc decidunt, ut ſublato omni diſcrimine, homines pecudibus ſimiles reddant. Perſuadent enim fruſtra hominem torqueri, ſi quo ulla in re ſcrupulo pungatur: ſed unumquemque debere ſeſe ſuo ſpiritui ducendum committere. Sic omnem ordinem confundunt, & tum Dei timorem, ejuſque judicium, quo tanguntur fideles, tum etiam omnem honeſti reſpectum ludibrio habent. Ea ſcilicet eſt libertas, quam promittunt, ut homo ſit ita ſuæ libidini & cupiditati addictus, ut ſine difficultate omnia perperret, acſi nulli legi, aut rationi eſſet ſubditus. Id enim pro ſervitute habent, de qua nihil prorſus audire volunt. Si quis me ipſos falſo criminari putet, digito oſtendam me ſolum ipſorum verba recitare: ac tantummodo uſitatis loquendi formis ea proferre, quæ ipſi peregrino ſermone transformant. Quod ſuo loco patefiet.

Cap. III.

De ſimilitudine quam Libertini habent cum multis veteribus hæreticis.

Statim poſt tempora Apoſtolorum exortæ ſunt hæreſes portentoſæ, ut mirum ſit deliria adeo abſurda, in hominum mentes irrepere unquam potuiſſe. His tamen vexata eſt per aliquod tempus Eccleſia Chriſtiana. Sed poſtquam cognita eſt tanta abſurditas, unuſquiſque abhorruit: adeo ut à mille & ducentis annis, nemo in toto orbe ſit repertus, qui iis adhærere voluerit, aut ſaltem auſus fuerit profiteri, uſque ad iſtos dies quibus infelices iſti, qui ſe Libertinos vocant, à Satana incitati fuere, non tantum ut ſimili modo quo cæteri blaſphemarent, ſed ut execrabiliores etiam errores adjungerent. Primus fuit Cerdo, qui duo principia ponebat: alterum bonum, alterum malum: atque aiebat ab uno quicquid in mundo eſt venire, & ex propria ipſius ſubſtantia eſſe. Sic reſurrectionem negabat: quia imaginabatur omnia, quæ ab uno horum principiorum orta erant, ad ſuam originem redire. Chriſtum vero dicebat imaginarie tantum apparuiſſe: & paſſum eſſe. Poſtea exortus eſt Marcio, ei fere ſimilis: nam ejus verbis novam formam induxit, potius ut novæ opinionis gloria potiretur, quam ut ea quæ perperam dicta fuerant, colore aliquo tegeret. Eodem fere tempore fuerunt & Gnoſtici, qui ſe hoc nomine appellabant, ut excellentem ſibi ſupra cæteros cognitionem tribuerent: quamvis fideles eos nominarent Borboritas, ut oſtenderent ſe illos tam nihili facere, quam ranas è cœno profectas. Hi ſimiliter affirmabant animam ex propria Dei ſubſtantia eſſe: duoque principia conſtituebant, alterum bonum, alterum malum: aſſerentes animas, quæ ſe caſtas & puras in humanis corporibus ſervaſſent, ad boni Dei naturam reverti: ad mali vero naturam, quæ ſe fœdis voluptatibus polluiſſent. Cæterum obſcuro & peregrino ſermone utebantur, ut de rebus ſpiritualibus obgannientes minime intelligi poſſent. Haud magna erat inter ipſos, & Valentinianum, & Appellem differentia: niſi quod unuſquiſque ad dicta aliorum aliquid adjungebat de ſuo: ut ſe novæ ſectæ auctores conſtituerent, & famam inde aliquam colligerent. Sed quia Manichæorum ſecta inter reliquas percelebris fuit & majorem ſectatorum multitudinem habuit, & fuit diuturnior, conſarcinavit etiam undiquaque errores, ut in falſis doctrinis copioſius abundaret, ſumenda præſertim erit veluti pro ſpeculo, ut demonſtremus id quod volumus. Illi igitur rejecto veteri Teſtamento, Legem & Prophetas ludibrio habentes, Deum crudelitatis & nimii rigoris accuſabant. Ex novo Teſtamento, ſparſim decerpebant ea, quæ ad rem ipſorum videbantur facere, abjectis iis, quæ minime ipſis placebant, aut eorum opinioni adverſabantur. Deinde duos diverſos Deos conſtituebant, alterum boni, alterum mali initium. Similiter, duas in homine animas fingebant: alteram à bono Deo profectam, quam dicebant inferioribus iſtis rebus pollui: ideoque purgandam: ut veluti gradibus ad primam originem ſuam rediter: alteram vero, corrigi non poſſe dicebant: ſed in tenebras, unde initium habebat, redire. Purgationes autem illorum nefariæ erant præſtigiæ & execrabiles fœditates, ſicut & aliorum hæreticorum, quos ſupra nominavi. Animas eorum qui à ſecta ſua alieni erant, in animantia bruta redire aſſirmabant. Præterea in tres ordines ſive claſſes, eorum ſecta diviſa erat. Doctores, Macaros, id eſt, felices ſe vocabant: Catharitas vero, quum in purgando officium ſuum exercebant. Deinde, ſcholaſticorum duæ erant ſpecies. Alii quibus arcana ſcholæ revelabant, vocabantur Electi: alii, quos eminus pedetentim ineſcabant, nominabantur Auditores. Quamvis nondum hic locus ſit deducendæ articulatim & diſtincte doctrinæ Libertinorum: nunc tamen notare debemus, veteres illas hæreſes, quas recenſui, ſolum ab ipſis expergefactas eſſe, ut centones ex ſingulis colligendo, confuſionum acervum ſtruerent: niſi quod tandem hoc conſequuti ſunt, ut aliis omnibus diſſolutiores eſſent, ac tam dementia, quam impudentia vincerent omnes. Initio audacter rejiciebant Scripturas: probroſis etiam ſcommatibus unumquemque Apoſtolorum inceſſebant, ut eorum auctoritatem elevarent. Apud eos Paulus, vas confractum erat: Petrus abnegator Dei: Joannes, adoleſcens ſtolidulus: Matthæus, fœnerator. Nec ullo

pudore retinebantur, quo minus ita aperte blaſphemarent. Poſtea quum viderent ſe ita alloquentes omnibus eſſe horrori, tectius & obſcurius agendum eſſe animadvertunt: Ut ſimulantes ſe Scripturam minime rejicere, in allegorias ipſam converterent & detorquerent in alienos & peregrinos ſenſus: equum in hominem transformantes, & (quod vulgo dicimus) fingentes nubem laternæ cornu eſſe. Quam aſtutiam à Priſcillianiſtis acceperunt, qui olim hoc artificio utebantur, & in eo à Manichæis differebant. Poſtea, quomodo talibus allegotiis invertant & torqueant Scripturas, tractabimus. His enim quæ nunc refero, ſolum oſtendere volo, quam viam ſequuti ſint, & quales fuerint eorum anteceſſores. Quantum ad Deum & animarum ſubſtantiam, tametſi non eodem omnino modo, quo Manichæi, loquuntur: quæ tamen obſtrepunt & obſcure muſſitant, eo redeunt, unicum tantum eſſe ſpiritum, Deum ſcilicet: ex altera parte, mundum: creaturas omnes nihil eſſe, niſi quod homines ſpiritu Dei, qui in ipſis eſt, conſervantur, quoad ſeſe ſubduxerit: quod autem præter id habent, non niſi mundum eſſe, aut Satanam, aut nihil. Si quis eorum ſectæ ſit, ipſum factum Deum, atque animam ipſius ſpiritum Dei eſſe aiunt, nec tamen pluris ipſum faciunt, quam equum: quia nihil in ipſo eſt, præter mundum, quod nihil eſt. Quod ſi rem ad vivum perſequamur, comperiemus eos ſomnia ſua ſuper fundamentum Manichæorum ædificare, quod attinet ad duo principia: niſi quod faciliorem viam invenerunt, quam Manichæi, qua ſeipſos Deos facerent. Nam purgationum & exorciſmorum loco, in quibus illi multum operæ ponebant, hi ſui purgandi cauſa nihil aliud habent, quam ut claudant oculos, ac omne boni & mali diſcrimen tollant, & ſopiant conſcientias, ne quo inferorum timore percelli poſſint, tuncque ſunt Angelis nitidiores. Quicquid Chriſtiani de vita æterna, de reſurrectione tenent, ipſis fabula eſt. Hoc enim imaginantur: animam hominis, quæ eſt Deus, ad ſeipſam redire, quum ad mortem ventum eſt: non ut tanquam anima humana, ſed tanquam Deus ipſe vivat, ſicuti ab initio, quod poſtea pluribus declarabitur. Quod attinet ad diverſos diſcipulorum gradus, Manichæorum omnino ſequuntur morem. Nec enim facile prodeunt, quo ſe patefaciant: nec unicuique, quod animo gerunt, declarant: ſed diu ſuſpenſos tenent, & per longas ambages circumagunt, quos volunt ad ſectam ſuam adducere: nec prius arcanum excubiarum ſymbolum, ut aiunt, ipſis revelant, quam perſpiciant ita à ſe faſcinatos eſſe, ut facile quicquid voluerint, perſuadeant. Solum iis qui veluti jurejurando aſtricti ſunt, detegunt myſteria ſua: niſi quod primarii doctores ſibi ſemper capita aliqua reſervant, quibus exiſtimationem ſuam & dignitatem tueantur. Nunc comparationes iſtas attigiſſe ſufficiet: nam ordo quem ſequi inſtituimus, ut pluribus rem tractemus, poſtulabit.

Cap. IV.

Quale fuit initium ſectæ Libertinorum, quique ejus fuerint præcipui duces.

EQuidem ſi in univerſum comprehendere aut recitare vellem omnes, qui hunc Libertinorum titulum aſſumpſerunt, quique ad vagas iſtorum imaginationes acceſſerunt, de quibus hoc libro tractare inſtitui, nunquam finem facerem. Etenim variæ fuerunt ſectæ, tum in Hollandia, tum in Brabantia, cæteriſque inferioris Germaniæ regionibus. Sed quia iis ſolum ſcribo, quibus linguæ Gallicæ uſus eſt, ab iis quæ in aliis regionibus acciderunt recitandis, tanquam à re ſuperflua, abſtinebo. Mihi ſatis erit, ſi commonefecero paucis, quomodo venenum hoc ad noſtrates pervenerit: quique primi hic atque illic ipſum ſparſerunt. Quod ut narrare incipiam: à quindecim annis & eo plus, Flander quidam nomine Coppinus Inſulanus, vir indoctus, cui nihil omnino erat quo ſe promoveret, præter audaciam, fæces iſtas, in ea civitate qua natus erat, commovere cœpit. Poſtea ſubortus eſt alius nomine Quintinus, qui tantum colligit famæ, ut prioris extinxerit memoriam: adeo ut hujus ſectæ caput & auctor exiſtimetur. Et qua ſuperbia ganeo iſte præditus eſt, hac exiſtimatione vehementer oblectatur, ac diligenter cavet, ne mentionem faciat illius magiſtri: aut ab eo quicquam videatur didiciſſe. Hic ex Hannonia aut circa eam regionem natus eſt. Ex quo autem tempore in Franciam venerit, non ſatis ſcio. Hoc tamen ſcio, me ante annos decem illum vidiſſe. Tunc illi ſocietate conjunctus erat quidam, nomine Bertrandus: quidam à Moletrinis, qui nuper aut Deus aut nihil factus eſt, ex eorum opinione: id eſt, exceſſit è vita. Ego vero non ſolum ipſos nollem falſo criminari, ſed ſiquis id faceret, pro viribus impedirem. Tamen diſſimulare non poſſum quod ex Stephano à Fabrica intellexi (cujus recordatio, ut ſancti Chriſti martyris, inter fideles ſancta eſſe debet) nempe iſtos potius ob maleficia, quam ob verbum Dei, è patria ſua egreſſos eſſe. Intelligo etiam, tertium quendam nomine Claudinum Perſevalum his adjunctum fuiſſe. Hi omnes tam egregiam operam navarunt, ut quam plurimos corruperint in Francia: adeo ut nullo habitarint in loco, quem purum & integrum ab hac contagione reliquerint. Quanquam interim idem agere & moliri in patria ſua non deſierint, ut ſimpliciores & idiotas aut quos reperiebant, ad ſui imitationem appoſitos, ſeducerent. In quo ita profecerunt, ut horribile auditu ſit, quam infecta ſint illic omnia. Verum, quod omiſeram, opem etiam eis quidam ſacrificulus, ſtatura parvus, quem Antonium Pocquium vocant: quem etiam à tribus annis cognovi. En totius ordinis primi doctores, & veluti Patriarchæ. Poſtea eorum exemplo unuſquiſque, quemadmodum & illi, aliquid nominis ſibi comparare niſus eſt. Flandris, Hollandis & Brabantinis, ut jam dixi, abſtinebo. Sed in Gallica lingua, jam veluti examen Doctorum hujus ſectæ reperietur, qui tertio ſtatim die eum gradum adepti ſunt: nec quiſquam eorum eſt, qui maximus eſſe non appetat. Nec profecto mirum eſt. Non enim idem eſt, acſi doctum aut præclaro ingenio præditum eſſe ad aliquam exiſtimationem conſequendam oporteret: ſola enim impudentia illic palmam obtinet. Ac certe omnes, de quibus ſum loquutus, adeo ignari ſunt ſupra quam dici poteſt. Nec quicquam eorum ſermonibus ineſt, ut vulgo dici ſolet, aut rithmi aut rationis, non magis quam ſi cetariæ de aſtrologia diſputarent. Quod autem Quintinus ejuſque ſocius ex ſartoribus Doctores facti, atque ita immutati ſunt, id in cauſa fuit, quod delicate & molliter vivere vellent: nec ſibi putarent labores convenire. Propterea commodius omnino exiſtimarunt, ut quemadmodum ſacerdotes & monachi cantillando, ſic ipſi garriendo vitam quærerent. Tametſi alter eorum hoſtiarius, alter cubicularius libenter fieri ſuſtinuerit. Quod ad Antonium attinet, putavit amœnæ ſibi voluptati fore, ſi poſtquam Miſſam ſuam cecinit, has ſpeculationes ruminaret. Nec enim hujus conditionis homines multum habent negotiorum, quibus occupentur. Sed quum explicatum fuerit, in quo ſita ſit eorum ſapientia, adhuc apertius perſpicietur, quam facile ſit ſtrenuum ſe gerere ad magnam famam ſtatim colligendam. Duæ rationes me ad iſtos infelices nominandos impulerunt, qui alioqui ne mentione quidem ulla digni ſunt: tantum abeſt, ut chartæ debeant eorum nominibus conſpurcari. Primum nonnulli

qui

qui ignorabant quid ſibi vellet Libertinorum nomen, id Quintini nomine cognituri ſunt. Expedit etiam belluas adeo pernicioſas nota aliqua inſigniri, ut dignoſci poſſint ab unoquoque: nec quiſquam non monitus damnum aliquod recipiat. Cæterum minime ignoro me haud gratum omnibus ſacturum, quod eos nominem. Sed quid agerem? Quum quatuor ganeones (aut tres ſaltem) video, qui pluſquam quatuor millia hominum in exitium duxerunt, etiamnum hunc aſſidue lapidem volvere ut evertant veritatem Dei, miſeram Eccleſiam diſſipent, in errorem abducant omnes, quos irretire poſſunt, blaſphemias execrabiles ſpargant, & quod omnium deterrimum eſt, totum orbem perturbent ea confuſione, à qua beſtiæ ipſæ abhorrerent: an tacere debeo aut diſſimulare? Quam vero crudelis eſſem, ſi ut parcerem alicui, aut placerem, & ſinerem ab iis vaſtari & deſtrui omnia, neque monerem homines, ut ſibi præcaverent? Si ſcirem viam aliquam à latronibus obſideri, nonne meum eſſet id revelare, ne miſeri viatores in eorum manus inciderent? An ego veneficos celare deberem, qui in univerſi alicujus populi necem conſpiraſſent? Nullum eſt autem latrocinium adeo ſceleſtum, nec venenum adeo pernicioſum, quam execrabilis hæc doctrina: quæ eo tendit, ut non ſolum Chriſtianam religionem, ſed etiam honeſtatem omnem atque humanitatem diſſipet ac deleat, quæ hactenus etiam inter Turcas ipſos atque infideles ſemper valuit. Si igitur hoc facerem, merito ipſe cenſerer homicida: quum malo veluti aſſenſum præberem. Egone obmuteſcerem, quum iſtos video ita Chriſti nomine abutentes, ut ejus prætextu abominationem omnium, quæ unquam in univerſo orbe fuerunt, teterrimam introducant, ac ipſi Chriſto probrum inurant, quo diabolo deterior cenſeri poſſit. Hoc ſi facerem, nonne eſſem cane væcordior, qui dominum ſuum invadi non ſinit, quin ſaltem oblatret? Elato igitur clamore vociferari cogor: ſi ulli unquam fuerunt hæretici, qui effræni & profuſa libidine, non dico falſas opiniones & errores, ſed execrabiles & horrendas blaſphemias protulerint, omnes fuiſſe ab his ſuperatos. Nunquam talia fuerunt monſtra, adeo unquam abominanda, quam Quintinus, cum ſua cohorte. Præclarum profecto eſſet me Papam ejuſque ſocios atque miniſtros pro viribus infamare (nec enim aliter Eccleſiam Dei ædificare poſſum, quam bellum gerens cum iis, qui eam diruere conantur) interim autem iſtis parcerem, qui hoſtes Dei ſunt longe pernicioſiores, veritatemque ipſius magis evertunt. Nam Papa aliquam adhuc religionis formam relinquit: ſpem vitæ æternæ non tollit: docet timendum eſſe Deum: aliquod ſtatuit boni & mali diſcrimen: Chriſtum verum Deum atque hominem agnoſcit, aliquid auctoritatis tribuit Verbo Dei. Iſtis autem, hic finis propoſitus eſt, ut cælum terræ miſceant: omnem religionem in nihilum redigant: omnem ingenii humani cognitionem deleant: ſopiant veluti lethargo conſcientias: nec ullum prorſus inter homines & beſtias diſcrimen relinquant. Cauſa cur tamdiu tacuerim, ea fuit, quod tam abſurda deliria placide evaneſcere, priuſquam in hominum notitiam venirent, optabam. At quum Dominus colluviem iſtam tam late ſpargi ſiverit, ut publica ſit contagio, nullum jam ſilendi tempus eſt. Quamobrem nemo conqueri poterit, quod tam ſceleſtos homines detegam: niſi etiam prodere velit ſe non invitum opem eis laturum ad nocendum, eorum nequitiam tegendo. Si qua ratio eſſet ſupprimendæ eorum turpitudinis, hac lege ne ſilentio aleretur, eam libenter tenerem. Sed quum omnino neceſſe ſit me digito ipſos commonſtrare, ne nocere pergant, nemo certe offendi debet, præſertim quum diuturnitas moræ, me neceſſitate prorſus urgeri oſtendat. Si prima facie ſic efferbuiſſem, ut ſcripſiſſem adverſus ipſos, tametſi officii mei fines non eſſem prætergreſſus, tamen moroſus aliquis me nimiæ feſtinationis arguendi colorem habuiſſet. Nunc autem quum poſt longam expectationem mihi nullum aliud remedium ſuperſit: ſi quis iniquo animo ferat, quomodo ſuſpicionem eluere poterit, quominus eorum conſcius ac fautor cenſeatur? Quinimo quiſquis vel tantillum zeli habet, potius niti debet, ut cognoſcantur à ſummis & infimis. Ac omnes ad pueros uſque ipſos conſpuere in faciem prætereuntium deberent, ut hoc execrationis ſigno, pudore afficerent eos, qui dum ipſos tuentur multis animarum millibus exitii cauſa fuerunt: præter offendicula & remoras, quibus Euangelii curſus vehementer retardatus eſt: ac, ne in poſterum magis retardetur, periculum eſt, niſi Deus Optimus Maximus infinita bonitate ſua obviam eat. Quod ad infamiam, quæ illis inde inuri poteſt, an mihi curæ eſſe debet illorum famam tueri, qui ſacroſanctum nomen Dei, & verbum ipſius majori probro & ignominiæ exponunt, quam ullum fuerit idolum ab initio mundi? Adhæc, major adhuc ratio me ad hoc faciendum impellit. Quantum enim perſpicere potui, canes iſti hac utuntur aſtutia, ut ſeſe inſinuent ſub prætextu nominis ſervorum Dei, ſicque ſimpliciores ſeducant. Sicuti à duobus jam circiter annis, quum Antonius Pocquius aliquod tempus in hac civitate egiſſet, ac diſſimulaſſet nefariam doctrinam ſuam: diſcedens hoc agebat, & ſollicite curabat, ut teſtimonium aliquod ex me haberet, quo ſeſe juvaret apud eos, qui mihi aliquid tribuunt auctoritatis, acſi diabolicos ejus errores approbarem. Perſonam vero ſuam non ſic callide egerat, quin ſaltem eum pro deliro & fanatico homine habuiſſem: ut in cœtu etiam noſtro eum monui: quamvis nequitiam ejus ignorarem, quæ poſtea mihi comperta fuit. Certior enim factus ſum ipſum tunc, ex Hannonia & Arteſio à ſpargendo veneno ſuo rediiſſe. Quum ſe nihil à me elicere poſſe perſpexit, tum mihi allegavit fratrem noſtrum, Martinum Bucerum, (cujus nomen apud Chriſtianos omnes honorificum eſſe debet) quod ei denegabam, facile conceſſiſſe. Unde apertiſſime conſtat, iſtum, dum venenum ſuum celabat, probum illum Dei ſervum feſelliſſe: ut poſtea ejus auctoritate abuteretur: atque aditum ſibi patefaceret ad eos, qui aliquo Dei timore tenentur. Quæſo, an ſilendum mihi eſt, quum oculis ipſis intueor impuros iſtos atque impudentes, nobis, id etiam ignorantibus, quaſi lenonibus uti, ut miſeras animas corrumpant? Quam ſtrenue ſilentio noſtro abutentur, quum adeo inverecundi ſint, ut nefariæ doctrinæ ſuæ à nobis approbationem extorquere velint? Quamobtem, æquiſſimum eſt eis larvam detrahere, qua aliam formam inducere nituntur, ut deteſtabiles conatus ſuos perficiant, hoc eſt, ut honorem Dei everrant, & ſalutem animarum.

Cap. V.

Qui fieri poſſit ut adeo Bellvinæ factionis tot ſint aſſeclæ: ubi etiam tractatur, quæ hominum genera eam ſectantur.

Dicet hic quiſpiam: quum hæc doctrina adeo abſurda ſit, neque ſolum ſacroſanctæ Scripturæ, verum etiam omni humanitati repugnet: quum etiam ejus doctores adeo rudes & ignari ſint, qui fieri poteſt, ut tot ſectatores habeant? unde fit ut multos ad ſe adducant, qui antea puræ Euangelii doctrinæ guſtum habuerunt? Primum, ſicuti Dominus ſectas excitari ſinit, ut uniuſcujuſque conſtantia probetur: & boni à malis diſcerni poſſint: ita declarationem talem fieri, itaque evenire neceſſe eſt, ut plurimi, qui in ſpeciem Euangelium ſequi videbantur, & formam Chriſtianorum induerant, tandem quales ſunt, pa-

teſtant : ut purgetur ejuſmodi fæcibus Eccleſia Chriſtiana : ſintque exemplo cæteris : quo diſcant omnes, cum Deo minime jocandum eſſe. Verum præter radicem communem & quaſi matrem omnium hæreſum, arrogantiam videlicet, aut confidentiam, ſi propius intuemur, comperiemus duo vitia in cauſa fuiſſe, cur tanta hominum multitudo in hoſce errores incideret. Nonnulli enim ſtultæ curioſitati addicti, ad vanas & ſuperfluas quæſtiones animum appellebant : quum debuiſſent utilia & ædificationi propria quærere : nec Scripturæ ſimplicitate contenti, in vanis & frivolis ſpeculationibus, velut in aëre volitabant : quo vel ſatisfacerent inſanæ & improbæ ſuæ cupiditati, vel ſe ſubtiliores eſſe, ac ſublimiora perſequi oſtenderent.

Alii, qui Euangelii puritate imbui cœperant, ea abuſi ſunt, non tantum ceu ſcientia profana, ſed etiam ut effrenem licentiam ſibi ſumerent, ac vitam ducerent flagitioſam & diſſolutam : aut quum perſpicerent id Euangelio minime permitti, ſed potius ipſo quaſi freno ſe cohiberi, ſeceſſus aliquos aut diverticula quærebant, ubi ſeſe in omnem turpitudinem profundere ipſis liceret. Ac quidem certe omnes hujus ſectæ diſcipuli, fere ſub iſta duo genera comprehenduntur. Aut enim ſunt fanatici, qui ſtultas & evanidas quæſtiones ſolum movere cupiunt, & in rerum inutilium occupatione delectantur : aut homines profani, qui jugo Chriſti ferendo fatigati, deinceps ſopire voluerunt conſcientias ſuas, ut ſine ulla religione, Satanæ inſervirent. Verum adhuc quæri poterit : qui fieri poſſit, ut ii qui ſtudium ſuum in eo applicant, ut majora inquirant, quam ad ſe pertineant, ſe ineptiis adeo puerilibus ſtupefieri ſinant, quibus rudiſſimi omnium atque obtuſiſſimi haudquaquam fallerentur ? Ac vehementer quidem novum videtur, eos, qui quam longiſſime à Deo fugere cupiunt, ut ſuo arbitrio vivant, poſſe delitiis tam abſurdis acquieſcere. At reſpondeo, juſtam eſſe vindictam Dei, qua ipſos in reprobum ſenſum tradit, ut beſtiis ſint perſimiles, niſi quod ſpeciem & figuram hominum gerunt. Quanto enim dedecore Deum hujus ſectæ principes affecerunt, dum vagi ipſi & tanquam abreptitii, inveſtigandis novis quæſtionibus incumbebant, acſi cæleſtis ſapientia, quæ nobis per Euangelium revelata eſt, pro ipſorum magnitudine nimium ſimplex & abjecta foret. Quum Deus idoneus ipſis magiſter non videatur, nonne æquiſſimum eſt eos ab ipſo tradi Satanæ, & ad ejus ſcholam ablegari ? Quum intra veritatis terminos ingenium eorum contineri nequeat, nonne in labyrinthum fallaciarum ingredi neceſſe eſt, ubi via aut ſemita nulla ſit ? Qui vero doctrina Euangelii ſic abuſi ſunt, ut ea occaſione ſe à recta vivendi via ſubducerent : aut quia eam, ut nimium auſteram, ferre non potuerunt : nonne digni erant quibus ſenſus communis, & omne boni & mali diſcrimen tolleretur ? Cognoſcamus ergo Deum ſic ulciſci contumeliam, quæ verbo ſuo irrogatur, dum ab aliis habetur contemptui, ab aliis in occaſionem flagitioſæ licentiæ rapitur. Quum autem homines ſic ſe à verbo Dei excluſerunt : quo ſolo tanquam lumine ad rectam viam dirigimur : hanc
2 Theſſ 2. verſ. 9. Pauli ſententiam in ipſis impleri oportet : nempe, ut Deus det efficaciam Satanæ, quo eos quocunque libuerit abripiat. En, paucis cauſas præcipuas retuli, cur Quintinus ejuſque ſocii tot habeant ſectatores. Cæterum, haud inficior, quin aſtutia qua utuntur, plurimum ipſos juvet. nam initio, tam novo atque inſolenti ſermone utuntur, ut rapiuntur idiotæ, credentes ſe in cælos ſublatum iri : ſicque auditores ſuos diu ſuſpenſos tenent, quoad ipſos ita faſcinarint ut perſuadeantur, umbram, quod dici ſolet, eſſe arborem. Hac porro ratione plurimos ab ipſis illaqueatos eſſe certiſſimum eſt. Eos enim qui ſeſe facilius committunt, pedetentim hac & illac circumducunt, ſicque novo illo & obſcuro loquendi genere ſtupefaciunt, & perſtringunt oculos, ut album (quod vulgo dicimus) à nigro diſtinguere non poſſint. Nec tamen in tam craſſa ignorantia & deliriis adeo ſtultis & abſurdia quicquam proficerent, ut ad ſe allicerent homines, ſicuti faciunt, niſi Dominus eos punire vellet, qui ſe irretiri ſinunt, eoſque in reprobum ſenſum traderet, quod nec ſibi nec verbo ſuo acquieſcere voluerint. Denique præcipua quædam eſt cauſa, quæ ſpectat ad principes & omnes magiſtratus cujuſvia ordinis : nempe quia nituntur impedire, quominus ſana Dei doctrina in eorum ditiones perveniat, eamque abolere conantur & extinguere : dum eos perſequuntur, qui aut eam annunciant, aut vias ſternunt, quibus ad ipſam perveniri poſſit : quibus denique poſſunt modis, eam procul rejiciunt & propulſant. Ideo Dominus eos punit, dum ſinit ipſorum regiones hac colluvie infici. Nonne vero æquiſſimum eſt, quum rejiciant benedictionem Dei, ejus loco maledictionem illia ſuccedere ? Hoc quidem minime cogitant, quin potius exiſtimant gladiis & ignibus ſeſe quod volunt facile effecturos. Verum falluntur. Quicquid enim moliantur & faciant, fortius erit verbum Dei, ac ſuperabit impedimenta omnia, quæ ad abrumpendum ejus curſum ab ipſis objiciuntur : atque Eccleſia ipſa augebitur in mediis perſequutionibus. Interim efficiet Deus, ut flagitioſæ ſectæ magis ac magis in ipſorum regionibus pullulent, quibus eorum populi corrumpantur, quoad in tantam confuſionem venerint, ut nemo hominum mederi poſſit. Nihil enim proficient, quamdiu eo utentur conſilio, quo ſine diſcrimine puniunt omnes, qui Antichriſti ſuperſtitionibus adverſantur : quoniam nulla eſt alia evellendis impiis ſectis & hæreſibus apta ratio, quam ſi puræ Dei veritati, quæ una ſuo ſplendore tenebras fugat, locus detur. Quod ipſa experientia apertiſſime docet.

CAP. VI.

Quibus remediis cavere quis poſſit, ne in Libertinorum errores incidat : aut ſi jam forte inciderit, ſeſe eripiat.

QUum Dominus promiſerit ſeſe cognitionem ſui patefacturum iis, qui in timore & humilitate ipſum quærent : ſi ad eum cupimus accedere, hoc iter teneamus. Demus, videlicet, operam, ut eum cognoſcamus in Domino Jeſu Chriſto : nec tantum nobis arrogemus, ut putemus nos in tantam ſublimitatem proprio ingenio evolaturos : ſed rogemus ut nos idoneos reddat, ad capeſſendam ejus doctrinam : quod nequimus efficere, niſi prius abjecerimus iſtam arrogantiam,
ne pluſquam par ſit ſapere appetamus. Unum in- *Rom. 12. verſ. 16.*
quam Deum cognoſcere optemus in Chriſto Jeſu, nec quicquam aliud nobis propoſitum ſit : ut re vera Deus nihil aliud nobis verbo ſuo proponit. Nec tam moroſo ingenio, aut delicatis auribus præditi ſimus, quin acquieſcamus puræ & ſimplici veritati, in qua infiniti Dei theſauri incluſi ſunt. Ne profanemus verbum Dei, ipſum aut in vanam & infrugiferam ſcientiam, aut in alium uſum, quam in ædificationem conferendo. Ne in vanum recipiamus ipſum : contemnentes tum minas & terrores judicii Dei, tum gratiam quæ nobis in eo offertur. Denique, ut ſciamus quem in finem nobis datum ſit Euangelium : atque ipſum, ſicuti Deo placet, recipiamus. Reputemus qualiter animis nos eſſe comparatos oporteat : atque à Deo, ut nos ita formet,

preci-

precibus poſtulemus. Tunc verendum non erit, ne hæretici nobis oculos configere poſſint, quo nos à Deo avertant. Atque in primis ne vereamur nos ita ab eo deſtitutum iri, ut in hanc belluinæ Libertinorum ſectæ abyſſum ruamus. Hæc admonitio ad omnes ſpectat. Dominus infinita miſericordia ſua cœperat Principum aulas per verbum ſuum viſitare. Multi oblectamenti loco Euangelium ſumere voluerunt. Nos quod illis accidit, ſpectantes: eorum exemplo, tanquam ſpeculo, utamur. Speculum perſimile habemus in quæſtorum ærariorum menſis, & hominum otioſorum ſeceſſibus, in mercatorum tabernis, atque in officinis opificum. Ne igitur ſimus tanquam arundines omni vento agitatæ: agamus radices in Domino Jeſu Cbriſto, ne pueris infantibus ſimiles ſimus, omni deceptioni expoſiti: confirmemur & augeamur in ipſo: in Domino, inquam, noſtro, Jeſu Chriſto, qualis jam olim demonſtratus eſt à Prophetis, & plene in Euangelio exprimitur. Quod ſi nonnulli levitate ſeducti fuerunt, ne ſibi placeant in ſuo malo: ne obdurato ſint adverſus Deum animo: ne ad ſanctas admonitiones, quas hic audituri ſunt, aures obſtruant: ne ſua ſponte inebrientur, quo omne judicium ſibi tollant, ne ſemiſopitas conſcientias ſuas obſtupefaciant: verum excitari ſe patiantur, ab eo, qui Sol eſt juſtitiæ: qui in mundum venit, ut nobis illuceſceret. Suſtineant omnes una, dum eis animadvertere liceat monitiones, quibus agam cum ipſis: ut ſint veluti notæ, quibus ſibi caveant, ne imprudenter intercipi poſſint. Spero enim, adjuvante Deo, me ſic ad vivum monſtra iſta depicturum, ut unicuique etiam eminus animadvertere & ab iſtis ſibi cavere liceat.

Cap. VII.

De idiomate & forma loquendi, quibus utuntur Quintiniſtæ.

PRimum, quemadmodum circulatores, aliique errones, quales ſunt, qui ex Bohémia profecti pet totum fere orbem vagantur, cæterique ejus farinæ homines, peculiari quodam ſermonis genere utuntur, quod à nemine, niſi ſuæ factionis & fratriæ intelligitur: ita ut coram hominem fallere, ac prodere poſſint non ſentientem: ſic Quintiniſtæ peregrina & inſolenti utuntur lingua, qua ſic cornicantur, ut nihilo plus perſpicuitatis inſit, quam in avium cantu. Non nego, quin utantur communibus vocabulis, ſed ita ſignificationem eorum deformant, ut nemo intelligat qualis propoſita ſit materia, de qua agitur, nec quid negare aut affirmare velint. Id quidem malitioſe agunt, ut poſſint clanculum, velut ex inſidiis idiotas circumvenire. Nemini enim revelant abominationum ſuarum myſteria, quæ ſub illis verborum tegumentis latent, præterquam iis qui jam jurejurando ſibi aſtricti ſunt. Quos enim adhuc pro novitiis habent, iis nihil omnino patefaciunt: & quaſi obſtupeſcentes ad eorum verba hiſcere ſinunt. Ita ſub iſtis ambagibus, tanquam latrones in latebris ſuis ſeſe occultant. Atque hi quidem ſublimes ſunt illi ſermones, quos Petrus & Judas bullis & ſpumis comparant, quod nihil ex eis conſequatur: ſed dum aliorum mentes ſuo ſublimi ſtylo in errorem abducere ſtudent, ſe quoque ita abripiunt ipſos, ut quid garriant minime intelligant. Memini quum aliquando Quintinus in magno hominum cœtu videret me, garritum ſuum nimis acriter reprimere: ac ictum, quod aiunt, declinare vellet, dixiſſe: me orationem ſuam, quod eam minime intelligerem, improbare. Tum reſpondi me in iis paulo plura, quam ipſum intelligere: quod ea quæ dicebat nullo modo perciperet: mihi vero perſpectum erat ipſum velle deliriis iſtis abſurdis & pernicioſis, hominum mentes faſcinare. Quod quidem ita eſſe comperietur; nempe, ſic ipſos in inſultas ſpeculationes ſuas ſe immergere, ſicque involvere, ut neque cælum, neque terra illis appareat. Hac igitur nota diſcernantur ab aliis, quum ſic loquentur, aut cornicabuntur potius, ut nihil intelligi poſſit. Lingua enim ad exprimendas cogitationes noſtras à Deo creata eſt, ut una inter nos communicare poſſimus. Quo fit, ut 1 Cor. 14. verſ. 19.
ordinem à Deo inſtitutum pervertant, qui confuſo vocis ſono verberant aërem: aut longis ambagibus circumeunt, ut alternandi materiam præbeant auditoribus, ac demum ſuſpenſos relinquant. Præterea, quum tractanda ſunt myſteria Dei, Scripturam pro regula habere debemus. Sequamur ergo loquendi regulam, quam tradit; neque extra illos fines evagemur. Quum enim Dominus ſciat ingenia noſtra eo uſque conſcendere non poſſe, ſi tantum iis verbis, quæ majeſtatem ſuam decent, uteretur, ſeſe parvitati noſtræ accommodat: & quemadmodum nutrix balbutit cum infante ſuo, ſic erga nos, rudioribus loquendi formis utitur, quo intelligi poſſit. Qui ergo hunc ordinem invertere conatur, nihil aliud ſpectat, quam ut ſepeliat veritatem Dei, quæ percipi alio modo non poteſt, quam eo, quo Dominus nobis ipſam revelavit. En, cur laborandum erit in explicandis eorum ambagibus, ut in lucem quaſi vi pertrahantur: ſicque abominationes, quas tegere ſtudent, omnibus innoteſcant. Similiter Chriſtianos omnes monitos eſſe oportet, ut quum eos ſic obſtrepentes audient, ſtatim abrumpant ſermonem, ac dicant: Aut eo ſermone utamini quo Dominus nos inſtruxit, & in Scripturis uſitato: aut abite, lapidibus atque arboribus verba facturl.

Cap. VIII.

De ſumma malitia & impudentia Libertinorum, qua ſe duplices & animo & lingua eſſe gloriantur.

VErum, adhuc effrenatius & magis projecta libidine præcipites ruunt. Nam abſque ulla religione, nunc hoc, nunc illud aſſerunt: atque ad auditorum voluntatem & arbitrium ſeſe transformant. Quin etiam vehementer in eo gloriantur; & magni ſe æſtimant, quod ea ſimulatione uti norunt. Atque adeo hic unus eſt ex præcipuis capitibus theologiæ ipſorum: artem ſimulandi, & ſeſe transformandi noſſe oportere, quo facilius hominibus imponant. Quod, an impudentiam, an malitiam vocem, neſcio. Quum enim ſimplicitas præcipua ſit virtus, quæ apud nos commendata eſſe debet: naturæ omnino perverſæ ſignum eſt, ſiquis eo animum applicet, ut nunc hac, nunc illac ſeſe inflectat, anguium more, & complicet, ut ex eorum manibus, qui ipſam tenere putant, elabatur. Rurſum, verecundiam omnem ipſos prorſus abjeciſſe oportet, dum nullo afficiuntur pudore, quod eis exprobretur nullam eſſe in eorum verbis fidem nec conſtantiam. Ex eodem fonte manat hæc ſimulatio, qua ſibi permittunt omnem ſpeciem induere, quo placeant hominibus. Quemadmodum nulla eſt ipſis religio coram idolis ſe proſternere: ita ſe omnibus ſuperſtitionibus Papiſtarum adhærere ſimulant, quod ex eorum opinione externa omnia in hominis Chriſtiani libertate poſita ſint. Verum hoc argumentum in aliud caput reſervo. Tantum hoc ſtrictim attingere volui, ut moneam lectores, magnam iſtis eſſe oblectationem in ridendis & ſubſannandis, tum geſtu, tum ſermone hominibus; & veſte, quod aiunt, ſubinde invertenda: ita ut qua ex parte apprehendi poſſint, neſcias. Hinc fit, ut ſi hodie Quintinus vinctus teneretur ſive à Chriſtianis, ſive à Papiſtis, & ſtaretur ipſius confeſſioni, non multum eſſet anxius. Certus enim eſſet de ſua liberatione, quod tum horum, tum illorum voluntati aſſentiretur. Neque tamen

propterea doctrinam ſuam abnegaret. Primus enim fidei ipſorum articulus eſt, ut jam dixi, hoc artificio utendum eſſe, ut bilingues ſint, & in multiplices ſpecies ſeſe transforment. In quo nullos alios judices præter ethnicos habere velim, à quibus condemnentur. Noverunt enim ipſi, ac pronuntiarunt probæ naturæ nihil tam eſſe contrarium, quam ita ſe aſtute transformare: adeo ut ex eorum ſententia præſtabilius ſit leoni, quam vulpeculæ ſimilem eſſe. Verum neque hoc ipſi adhuc contenti ſunt, niſi etiam Deum probro afficiant: dum ſe hoc ab ipſo didiciſſe aſſeverant: ſeque muniunt eo loco Pſalmi
Pſal. 2: 4. ſecundi: Qui habitat in cælis, irridebit eos. Hinc probare volentes, Deum ſimulatorem eſſe. En quomodo applicant Scripturas. Propheta ſignificans, Deum, judicium quod in iniquos & Eccleſiæ perſecutores laturus eſt, differre, & ad tempus ſinere impunitos, non quod dormiat, aut remedium nullum afferre poſſit, ſed potius quod eorum audaciam rideat, quoad tempus exitii ipſorum advenerit, utitur his verbis, idque noſtri conſolandi gratia, ne animum deſpondeamus, quum rerum potiuntur ſcelerati homines, neque interim nobis apparet auxilium Dei. Putidi vero iſti hoc ſic accipiunt, quaſi Deus irriſor quidam eſſet, Protheum quendam ſe faciens, quo imponat hominibus. Eodem etiam crimine po-
Mat. 13. verſ. 11. ſtea Chriſtum onerant. Ad id allegant reſponſum, quod Apoſtolis dedit: ipſis quidem clare exponenda eſſe ſecreta regni Dei: populo autem, qui audiendæ ſimplicis & apertæ veritatis indignus erat, ſe loqui in parabolis. Quaſi vero Dominus noſter Jeſus Chriſtus, parabolis utens, album, nigrum eſſe dixerit, aut aliud pro alio ſuppoſuerit, ut circumduceret animos auditorum: aut potius eo adduceret, ut quod ab ipſius mente alieniſſimum erat, conciperent. Quales fuerint ſimilitudines aut parabolæ, de quibus agitur, perſpicuum eſt: ſunt enim ad ea, quæ proponebat, ſignificanda convenientes & aptiſſimæ. Cui vero uſui apta ſint, cognoſcitur. Primum, ut ornamentum atque etiam majeſtatem afferant orationi, dum auditorum animos excitant, & attentiores reddunt. Deinde, ut eoſdem ſtrictim pungant, atque occaſionem præbeant ſecum accuratius conſiderandi. Fateor quidem ipſas expoſitione indigere, quod res ſub figuris inſinuentur. Sed quid populum eas intelligere prohibebat, niſi quod aſpernabatur? in ignorantia ſua deliteſcere, quam diſcendi cauſa inquirere malebat. Jam olim veteris Teſtamenti tempore, teſtatus fuerat Deus
Jeſa. 45. verſ. 19. per Jeſaiam Prophetam, ſe non clanculum aut in latebris loquutum eſſe: nec fruſtra ſui inquirendi mandatum populo dediſſe. An tanto dedecore afficiemus Chriſtum, ut dicamus ipſum in mundum veniſſe, ut clarum lumen obſcuraret, aut potius extingueret? ut rebus perſpicuis offunderet tenebras, & involveret ea, quæ plana & expedita erant? Quomodo id in eum competeret, qui Sol eſt juſtitiæ, Lux mundi, & cujus officium eſt tenebris lumen afferre? Nonne atrociſſima hæc contumelia eſt? Præterea multum abeſt, quin ea quæ Paulus de Euangelio prædicat, conveniant cum iis, quæ iſti obtendunt. Teſtatur enim planam & illuſtrem eſſe doctrinam, qua facies Dei nobis in Chriſto Jeſu patefiat, ſublato omni velo, quo noſter intuitus impediri poſſet. Deinde adjungit, ſi quis in tam clara luce nihil videat, eum à diabolo obcæcatum eſſe. Lectoribus cogitandum relinquo, quantum ſit diſcriminis inter Paulum & iſtos nebulones? Jactat enim ſe doctrinam claram, certam, puram, omnibuſque expoſitam habere: inquiens, eum, qui obſcuritate utitur, pudoris velum aſſumere, quo turpitudinem ſuam tegat. Hi vero vehementer laborant in eo, ut non ſolum intorqueant doctrinam ſuam, adeo ut neque initium, neque finis appareat: ſed etiam, ut hac & illac ipſam invertant, & præſtigiatorum more ſubinde tranſilire
cogant. Quod attinet ad exemplum Chriſti, quo ſe *Mat. 13.*
armare volunt: neceſſe eſſet ipſum ſeſe abnegare, *verſ. 18.*
quo iſtis adhæreret. Nec enim naturam habet Euangelio ſuo contrariam. Atque, ut jam monui, non eſt loquutus in parabolis, ut ambigua oratione uteretur, aut ſine ulla intelligentia deblateraret: ſed potius, ut infigeret animis auditorum doctrinam ſuam, & plus ei ponderis adjiceret. Et quamvis infideles nihil intelligerent, neque ullam utilitatem referrent: non tamen propterea ænigmata confuſa dicenda ſunt, ſed potius intuendum, cujus culpæ aſſignari debeat. Id autem aperte exprimit, crebrius hoc repetens: Qui habet aures audiendi, audiat. His enim ſignificat permultos eſſe ſurdos, quibus fruſtra fiunt verba, aures enim minime accommodaturos. Tandem concludit in iis dictum Jeſaiæ comprobari: obcæcatos eſſe animis, & induratos corde, ut pereant in incredulitate ſua. Quocirca ſi
veri imitatores Domini eſſe velint, Pauli exemplum *2 Cor. 4.*
ſequantur, auferant ac rejiciant vela omnia, quæ de- *verſ. 4.*
decoris ſigna ſunt: purumque ac ſyncerum Euangelium doceant, quod nemini ſit intellectu difficile, præterquam iis qui mentem ſuam incredulitate abalienarunt. Alioqui, eos in Chriſtum blaſphemos eſſe dico, quod ſic agendo ejus ſimiæ videri velint.
Hanc etiam auctoritatem adducunt: Nos ſerpen- *Mat. 10.*
tum prudentia præditos eſſe oportere. Sed quum *verſ. 16.*
eodem in loco etiam columbarum ſimplicitatem requirat, utrumque una conjungamus: ac facile erit judicare, minime ipſum velle nos aſtutia malitioſa præditos eſſe, qua tergiverſemur, & hominibus imponamus: ſed tantum admonet, ne quid agamus inconſiderate. Quod ſi quis ampliorem hujus prudentiæ declarationem requirat, eam ſumat ex ipſo Paulo, ubi monet, ut quum nobis in medio mundo verſandum ſit, qui perverſus omnino ac corruptus eſt diligenter caveamus, ne ſeducamur: verum ſcientes quæ ſit voluntas Dei, recto curſu prudenter incedamus. Iſti vero canes, ſub præclaræ hujus doctrinæ ſpecie, audacter mentiuntur, quoties eis commodum viſum fuerit: neque ſolum in omnibus ſimulationibus & mendaciis ſuis ſeſe excuſant, verum etiam gloriantur: atque adeo innocentes homines in periculum mortis conjiciunt, quo ipſi evadant.

CAP. IX.

Quam auctoritatem Libertini ſacroſanctæ Scripturæ tribuant.

JAm diximus iſtos initio aperte ridere ſolitos fuiſſe, ſi quis Scripturas allegaret: nec diſſimulaſſe, quin eas pro fabulis haberent. Interim tamen non deſinebant iis uti, ſi quis eſſet locus, quem in ſenſum ſuum torquere poſſent. Non quod eis adhiberent fidem: ſed tantum, ut perturbarent idiotas, atque ita concuterent, ut tandem eos ad ſe poſſent facilius adducere. Si quis locus ipſis objiceretur, reſpondebant, nos literæ minime obnoxios eſſe: ſed ſpiritum, qui vivificat, ſequi oportere. Quinetiam porcus ille Quintinus, unumquemque Apoſtolorum aliquo ſcommate notaverat. Veluti Picardico ſuo ſermone Paulum vocans vas fractum: Joannem, juvenem ſtolidulum: Petrum, abnegatorem Dei: Matthæum, fœneratorem. En quomodo ille fœtoris gurges putido ore ſuo blaſphemare audebat. Et qui tam ſevere in eum animadvertere debuiſſent, ut cæteris exemplo eſſet, eum alunt & ſtipendio honorant. Equidem invitus de iis verba facio: verum ſi eis pepercero, Deus nec mihi, nec ipſis parcet. Quum autem animadverterunt bonos omnes tale ſacrilegium deteſtari, quo ſacroſanctum verbum Dei pedibus conculcatur: juxta fidei ſuæ articulum, quo ſtatuunt bilinguem eſſe expedire, ſeſe hoc amictu induerunt, ſub quo nunc deliteſcunt: nempe, quod non profitentur ſe ſacroſanctas Scri-

Digitized by Google

pturas rejicere: ſed eas admittere fingentes, majorum ſuorum Priſcillianiſtarum, de quibus loquuti ſumus, exemplo, detorquent, & in allegorias commutant. Quicquid ſit, non majore afficiunt honore verbum Dei, dum ſic ipſum deformant, quam ſi omnino abnegarent. Semper enim hoc retinent principium: Scripturam in naturali ſenſu ſuo acceptam, literam mortuam eſſe, atque occidere: ideoque miſſam eſſe faciendam, ut ad Spiritum vivificantem veniamus. In quo ſibi duo proponunt. Primum, ne ſimplici ſenſui Scripturæ acquieſcamus, ſed ludamus allegoricis interpretationibus. Deinde, ne adhæreamus iis, quæ ſcripta ſunt, ut aſſentiamur omnino: ſed ſublimius ſpeculemur, & revelationes novas inquiramus. Tametſi à Papiſtarum ſecta hæc multum diverſa ſit, longeque deterior ac perniciosior: utraque tamen hoc principium inter ſe commune habet, ut Scripturam in allegorias transforment, & ſapientiam meliorem & perfectiorem affectent, quam quæ illic continetur. Utrique communi conſenſu hanc Pauli ſententiam obtendunt, Literam occidere. Quia vero locum hunc ad ſe trahendo, nequiter depravant: neceſſe erit primum mentem Pauli declarare: deinde, ad ea, quæ ex ipſa conſequentia eſſe volunt, veniemus. Apoſtolus eo loco Legem, ſi à Chriſto ſeparetur, cum Euangelio comparat. Legem vocat Literam, quod ſine gratia Dei frigida ſit & inefficax, eo quod uſque in corda non penetret: ſicuti alio in loco Circumciſionem Literalem appellat, eam quæ ſolum fit in corpore, quod ſit externa tantummodo ceremonia. Econtrario autem, Euangelium Doctrinam ſpiritualem vocat: quia Chriſtus in ea comprehenditur, qui vivificat verbum, atque efficit per Spiritum ſuum, ut in animis noſtris proficiat. Deinde ait, Legem ſi eo modo literalis manſerit, occidere, quod nihil poſſimus in ea reperire, præter condemnationem. Quod paulo poſt declarat, quum addit, Prædicationem eſſe mortis. Econtrario autem Euangelium vivificare, quod afferat gratiam Chriſti, per quam in nobis fructum edit ad ſalutem. Hic ſimplex eſt Pauli ſenſus: ex quo nihil aliud elici poteſt, quam diſcere nos oportere, non eſſe ſeparandum verbum Dei & quaſi abſcindendum à Chriſto, qui ejus anima eſt, ut poſtea etiam monet: per quem ſolum eam vim habet, ut nobis ſit ſalutaris. Quid vero præclari iſti interpretes? Formam ſcilicet novam introducere volunt, qua Scriptura, naſus, quod vulgo aiunt, cereus fiat: aut inſtar pilæ ſurſum deorſumque agitetur. Nec enim plus eſt firmitatis in allegoriis, quam, in bullis, quas pueri cum feſtuca emittunt. Certo certius eſt Paulum nunquam id cogitaſſe. Deſinant igitur eum in teſtem producere, quo juvent cauſam ſuam. Alterum quod ſibi proponunt, adhuc magis diabolicum eſt. Conantur enim nos à Scripturis avertere, ut in imaginationibus ſuis vagari, aut potius extra Scripturæ fines errare cogant: ut unuſquiſque ſomnia ſua, & diaboli præſtigias loco verbi Dei ſequatur. Ut autem de vitanda ac repellenda adeo periculoſa tentatione moniti ſint Chriſtiani omnes, quem in finem Dominus Spiritum ſuum nobis promiſerit, notandum eſt. Non enim ideo promiſit, ut prætermiſſa Scriptura, per nubes & aëra vagemur: ſed ut veram ejus intelligentiam adipiſcamur, eaque contenti ſimus. Hæc enim ſunt verba Chriſti: Quum venerit Spiritus veritatis, patefaciet vobis omnia, quæ à me audiiſtis. Videmus eum non promittere Apoſtolis Spiritum, qui novas doctrinas fabricet: ſed qui ſolum eos confirmet in Euangelio, quod ipſis fuerat prædicatum. Deinceps, quum poſt reſurrectionem, duobus diſcipulis ſuis mentes aperuit: nolebat peregrina, & quæ Scriptura minime continerentur inſpirare: ſed efficere, ut Scripturam ipſam intelligerent. Et vero, quibus uberius datus eſt Spiritus Dei, quam Apoſtolis? Nec tamen inde occaſionem recedendi à Scriptura, aut eam contemnendi ſumpſerunt: ſed contra, videmus ipſos omne ſtudium & diligentiam adhibuiſſe, ut ei parerent, noſque ſub eadem obedientia continerent. Quod ad Paulum attinet, abſit, ut nos velit ab ea abducere. Quum enim totus in eo ſit, ut ejus dulcedinis guſtu nos alliciat, auctoritatemque ejus commendet, ut nobis perſuadeat ne quid ſciamus, aut ſcire cupiamus, niſi quod in ipſa continetur, aſſerens ipſam, ad docendum, exhortandum, arguendum utilem eſſe: poſſe nos in omni opere bono reddere perfectos: illinc patientiam, conſolationem ſumendam eſſe, ut in ſpe confirmentur. Verbo autem Spiritus nihil eum ſuperiore loco à Scriptura diverſum ſignificare, hinc apparet, quod prædicationem ſuam Spiritus miniſterium vocet. Ad Theſſalonicenſes ſcribens, poſteaquam monuit ne Spiritum extinguant, adjungit, ne prophetias aſpernentur. Quo declarat, ſuffocari lumen Spiritus Dei, ſi nos ab ejus verbo ſubducamus: verbo, inquam, quod nobis prædicatur. Scriptura enim & prædicatio, vera Spiritus Dei inſtrumenta ſunt. Quocirca omnes illos pro diabolis habeamus, qui nos ab illis aut clanculum, aut aperte in alia diverticula abducent: eoſque ceu venenum lethale fugiamus. Adhæreamus, inquam, puro & ſimplici verbo Dei, in quo pleniſſimam voluntatis ſuæ declarationem protulit: ac rogemus, ut per Spiritum ſuum (cujus etiam officium eſt) velit eam animis noſtris infigere. Dicamus cum Davide: Domine, aperi oculos meos, & conſiderabo mirabilia ex Lege tua.

2 Cor. 3. verſ. 6. — *Rom. 2. verſ. 29.* — *Joan. 14. verſ. 26.* — *2 Tim. 3. verſ. 16.* — *Rom. 15. verſ. 4.* — *1 Theſſ. 5. verſ. 20.*

CAP. X.

Variis modis Libertinos abuti verbo Spiritus, quod ſemper in ore habent.

PRæter id quod nuper diximus, notandum eſt, eos nullum poſſe aliqua de re ſermonem inchoare, quin nomen Spiritus ſtatim ab eis proferatur: vixque binas clauſulas continuare poſſunt, quin ſubinde repetant. Id vero non ſolum in una ſignificatione: ſed quemadmodum ruſticani parochi ſimulachrum aliquod quinque aut ſex ſanctulis accommodare ſolent, ut totidem oblationum generibus ornentur: ſic ganeones iſti, nomen Spiritus ad omnia applicant, quoties ipſis commodum videtur, ut omnibus modis res ſuas agant: aut ſaltem commune ex eo cibis omnibus condimentum conficiant. Verbum Dei ſpiritum eſſe aiunt. Dominus quidem ſemel hac loquutione uſus eſt, inquiens: Verba quæ ego loquor, ſpiritus & vita ſunt. Sed nemini dubium eſt, quin intelligat verba ſua ſpiritualia eſſe, ac vivificare. Nam de ipſius corpore edendo agebatur. Quod Capernaitæ imaginabantur fieri modo aliquo carnali. Id autem non ita eſſe declarat. Quod ad hunc articulum pertinet: nulla controverſia eſt, quin omnis doctrina Dei ſit ſpiritualis, ſicuti etiam docemus. Fanatici vero iſti, nihil aliud in lingua gerunt, quo quid ſibi velint, ignoratur: niſi quod novum quoddam verbum tanquam phantaſma nituntur fabricare. Chriſtum etiam ſpiritum vocant. Paulus ei ſemel hoc nomen, ſed non ſimpliciter, attribuit. Vocat enim ſpiritum, id eſt, animam Legis: propterea quod ſine ipſo ſit veluti mortua, ſicuti jam diximus. Verum beſtiæ iſtæ omnia ſine ratione confundunt: nihilque ponunt inter Filium Dei & Spiritum ejus diſcriminis. Non omnes modos refero, quibus ipſi utuntur. Nunquam enim finem facerem. Hæc ſolummodo exempla allegare volui: quo fideles omnes moneam, ut ſi ab eis nomen Spiritus nominari audiant, obſervent in qua ſignificatione accipiatur: ne ſe confuſis rebus implicari ſinant, quibus ratio nulla aut

Joan. 6. verſ. 63.

ſem

ſententia ſubjecta ſit. Præterea, notandum eſt quum ſic confuſe nomen ſpiritus applicant ad omnia quæ ipſis in mentem venerint, non ſolum auditorum ſenſus perturbare, ea permiſcendo, quæ diſtingui neceſſe foret: ſed etiam illudere, ſuadentes ipſis ſe ſpirituales ac plane divinos, & jam cum Angelis ſemiraptos eſſe. In quo etiam optimos quoſque initio decipi facile eſt, quoad perſpectum habuerint, quo ſpectet hæc ſpiritualitas. Hæc autem dico, quod magna ſit bonis omnibus offenſio, quum magnam levium hominum multitudinem vident verbum Dei ad libidinem ſuam trahentium, atque libertatem Chriſtianam vertentium in diſſolutam licentiam carnis: aut dum ſermocinantur de Euangelio, interim turpem & flagitioſam vitam degunt, & operibus ſuis Deum blaſphemant, ore gloriam ei tribuentes. Si quis igitur vir pius in manus iſtorum impoſtorum incidat, atque audiat eos de ſpiritu tantum verba facere: verbum Dei nihil aliud quam ſpiritum eſſe: ſimiliter Chriſtum eſſe ſpiritum: noſque cum ipſo ſpiritus eſſe oportere: vitam etiam noſtram ſpiritum eſſe debere: prima facie videbuntur pietatis ſtudioſi homines, & ardenti zelo præditi, quibus moleſtum ſit videre ſic pollutum verbum Dei, & omnium vituperio expoſitum ob flagitioſam pſeudochriſtianorum vitam. Sic ineſcatus, bonam de iis opinionem concipiet: qua in amorem eorum inducetur, & eis quodammodo fidem adhibebit. Poſtea vero, venenum ſuum evomere incipiunt, & de ſublimi illo ſermone decidunt, ut inquit Judas, in doctrinam beluinam. [*Jud. in Epiſt.*] Nam, poſtea videbimus nullum quamlibet proſtitutæ libidinis ſcortatorem, nullum latronem, nullum ex profligatiſſimis ac penitus deſperatis hominibus eſſe, qui eo progredi auſit, aut ut omnia crimina approbet quantumvis execranda, quemadmodum probi iſti ſpitituales faciunt. Quid ergo? dicet quiſpiam: an propterea ſpiritus nomen nobis ſuſpectum eſſe debet? Minime vero: abſit à me ut id cogitem. Eam ob rem ab initio dixi nos prudentes & circumſpectos eſſe oportere: non ut ipſum aſpernemur, aut rideamus: ſed ut quem in uſum accommodetur, poſſimus diſcernere. Si quis igitur hominem ſimplicem & candidum animadvertat, monentem verbum Dei ſpirituale eſſe, quo animi noſtri in fide & vitæ ſanctitate reformentur: ſi loquatur de invocatione nominis Dei, de bonis operibus, ac piis Chriſtianorum exercitiis, purum ipſorum uſum ex Scriptura demonſtrans: ſi vere ac ſine ullo fuco ea tractet: ſi vanitatem eorum reprehendat, qui in primoribus ſolum labiis habent verbum Dei, atque moneat in alium uſum ſumendum eſſe, is attente audiatur, adjuvetur etiam ab aliis, in reprehendendis ac corrigendis vitiis, quibus hodie ſcatet totus orbis. Verum ſi quis audiatur longa verborum ambage & circuitu utens, abrumpendus eſt ei ſermo, ac quærendum quid ſignificare velit. Quod ſi ita circumire pergat, & implicare ſermones ſuos ſinuoſis flexibus, ut ſerpentes caudam, tum ad claram lucem pertrahatur etiam invitus: acſi latro aliquis aut ſceleſtus è latibulis ſuis educeretur. En quomodo diſtinguemus inter lumen & tenebras, ne in omnium abominationum voraginem cum miſeris iſtis præcipitemur: dum putamus nos eorum ope in cælum ſublatum iri. Unuſquiſque etiam videt quo jure ac titulo Spiritualium nomen, quo gloriantur, uſurparunt: adeo ut Chriſtianorum nomen præ illo nihili putent.

Cap. XI.

De primo Articulo Doctrinæ Libertinorum: quo docent unicum tantum Spiritum immortalem eſſe: Cui adjuncta eſt declaratio, quomodo id Scripturæ veritati adverſetur.

Jam ad quæſtionum tractationem veniendum eſt, quæ in hac infelici ſecta ſunt, veluti articuli fidei. Primum, ut auſpicato ordiantur, hoc ſtatuunt: Unicum eſſe tantum ſpiritum Dei, qui ſit ac vivat in omnibus creaturis. Ita in nihilum redigunt tum humanæ animæ, tum angelicæ naturæ eſſentiam. Tametſi refellendi iſtius erroris cauſa nihil proferrem, atque obmuteſcerem omnino: nemo tamen ſani judicii vir, tantam abſurditatem non abhorreret. Verum quanta abominatio ſub ea lateat, quid è diverſo doceat Scriptura, demonſtrandum eſt. Olim quidem inter veteres Philoſophos nonnulli fuerint adeo fanatici, ut imaginarentur unicum tantum ſpiritum eſſe ubique diffuſum, omniaque animantia motu & ſenſu prædita, ejus eſſe partes, quæ ab ipſo proficiſcerentur, & ad ipſum tandem redirent. Sed quia ratio & experientia repugnant, nemo unquam moderati ingenii vir (de philoſophis ethnicis loquor) tantam dementiam non improbavit. Superius ſectas quaſdam nominavimus, quæ olim Eccleſiam Chriſtianam perturbarunt delirio non omnino ſimili, ſed tamen multum affini. Nempe, ajebant animas ac cæleſtes ſpiritus ex propria Dei ſubſtantia conſtare, ut ardens carbo ex igne aſſumitur. Libertini vero ut omnes hæreticos qui unquam fuerunt, impudentia ſuperent, ad veterem iſtam ethnicorum imaginationem redierunt: Unicum eſſe ſpiritum diffuſum ubique. Abſurda multa quæ inde ſequuntur, hic minime tractabimus. Ea enim in ſuum locum differo. Nunc tantum eſſentiæ quæſtionem attingam. Quum igitur unicum tantum ſpiritum ſtatuunt, fingunt Angelos nihil aliud, quam inſpirationes aut motus, non creaturas eſſentia præditas eſſe. Animarum noſtrarum loco aiunt Deum vivere in nobis, vegetare corpora noſtra, nos ſuſtinere, atque omnes vitales actiones efficere. Præter alios autem pretextus, de quibus poſtea loquemur, hoc principium ſumunt: nos non ſolum Scriptura, verum etiam natura doceri, ſpiritum æternum Dei, fontem atque originem rerum omnium eſſe. Quod ipſis libenter concedimus. Sed non inde ſequitur, ipſum creaturis, ut eſſent ac ſubſiſterent, non dediſſe. Hæc enim valde diverſa ſunt: creaturas omnes à Deo proficiſci, & quod à Deo creatum eſt, ipſum eſſe Deum. In ipſo ſumus, inquit Paulus, ac vivimus. Unde merito genus ipſius nominamur. [*Act. 17. verſ. 28.*] Verum id quidem: ſed non ſignificat, Deum eſſe naturam illam ſpiritualem, quæ habitat in homine. In ipſo quidem ſubſiſtimus: quod fundamentum noſtri in nobis minime ſitum ſit. Sed inter opus & auctorem ipſum, magna eſt differentia. Nunc ab Angelorum tractatu ſuperſedebo. Quale vero id eſt, negare hominis animam veram ſubſtantiam ac creatam eſſe? Nonne horrendum, hoc inter eos qui ſe Chriſtianos vocant, in dubium revocari? Verumtamen quum ſic acciderit, bellas ipſorum rationes audiamus. Unicus eſt tantum Deus, qui vere ſit. Fateor: ſed non propterea deſinimus in eo ſubſiſtere: quemadmodum nos ſemel creavit ea conditione, noſque virtute ſua tuetur. Paulus, inquit, vocat Deum ſolum immortalem. [*1 Tim. 1. verſ. 17.*] Mihi vero bene convenit cum Paulo. Sed intelligit Deum ſolum ex ſeipſo, & propria natura hoc privilegium habere, ita ut ſit immortalitatis origo. Quod autem ex ſe habet, hoc per gratiam ſuam communicat animis noſtris, poſtquam eas ad imaginem ſuam formavit. En validiſſimæ argumentationes ad confundenda omnia: ut Deus fiat creatura, & anima humana in nihilum redigatur. Si diabolica iſta opinio coarguenda eſt, tam apertæ ſunt rationes, ut teſtimoniis Scripturæ armari minime neceſſe ſit. Anima humana ignorantiæ obnoxia eſt: Hoc Deo competere non poteſt. Affectionibus obnoxia eſt: Hoc nihilo magis Deo convenit. Quid vero de inconſtantia & mutabilitate dicemus? quid de imbecillitate ejus atque fragilitate? quid tandem de peccato? Sophiſticis profecto evaſionibus ſuis nihil proficient, dum inquiunt opinationem tantummodo eſſe

in

in homine, non Spiritum Dei. Accedat enim Quintinus ipſe, aut alius apoſtata ex ejus cohorte. Audebitne jactare ſe omnia, & ſcire, & poſſe? Id quidem aſſeret, ſat ſcio, ſuo illo incognito idiomate. Verum hoc non admitto: ut Deus omnia ſciat in cælo, idem autem ipſe, quum in homine eſt, aliquid ignoret. Porro, talis eorum imaginatio eſt, Deum à ſeipſo diverſum eſſe: quod alius omnino in hoc mundo quam in cælo ſit. Nonne multo me otio abundare oporteret, ſi profligandis hiſce monſtris diutius inſiſterem? Quamobrem ne fruſtra tempus in eo conſumam, mihi ſat erit digito commonſtraſſe. Cæterum, doctrina Scripturæ ſimplex & aperta eſt, Deum formaſſe animas noſtras ad ſimilitudinem ſuam: quæ ſic in corporibus noſtris habitant, ut quum inde excedunt, unaquæque ad eum locum redeat, quem ſibi ipſa in hoc mundo præparavit: aliæ in quietem & conſolationem: aliæ in anguſtias & tormenta inferorum. Verum de hoc ita abunde tractavi ſcribens adverſus Anabaptiſtas, ut amplius verba facere ſupervacaneum ſit.

Cap. XII.

Quid Libertini cenſeant de diabolo, mundo, & homine à ſecta ſua alieno. E contrario vero, quid ſentiendum ſit.

QUæret igitur hic aliquis, quæ ſit eorum opinio de diabolo. Reſpondeo, ipſos eum nominare, & de eo loqui, ſed ſuo more & ſenſu. Diabolum enim, mundum, & peccatum accipiunt pro imaginatione, quæ nihil eſt. Talemque hominem eſſe aiunt, quoad ſit in ipſotum ſecta reformatus. Ideo hæc omnia uno verbo comprehendunt, nempe, opinatione. Quo ſignificare volunt imaginationes tantum frivolas & inanes concipi, quum aliquid de diabolo aut peccato opioamur. Nec ſolum de diabolo loquuntur ut de Angelis, cenſentes ipſos eſſe inſpiratiooes eſſentia vacuas: ſed aiunt vanas eſſe cogitationes, quæ, veluti ſomnia, oblivione obruenda ſunt. Quod ad peccatum attinet, non ſolum aiunt boni privationem eſſe: ſed eſt illis opinatio, quæ evaneſcit & aboletur, quum nulla habetur ejos ratio. Denique ſic de eo loquuntur, ot Paulus de idolis. Quum enim ait idolum nihil eſſe, intelligit id ſolum in apprehenſione imperitorum hominum, citra rationem aut fundamentum ſitum eſſe; ideoque nullo loco habendum. Sic iſti eo tendentes, ut tollant diſcrimen boni & mali, docent non eſſe amplius inhærendum opinationi, quum abolitum ſit peccatum: ſtultumque eſſe, acſi aliquid foret, de eo amplius laborare. Similiter hominem componunt ex corpore ipſius, & opinatione: inquientes hominem naturalem animam habere, diaboli & mundi participem, ideoque veluti fumum prætereuntem eſſe, minimeque permanere. Nunc ad puram Scripturæ doctrinam veniamus. Docet enim diabolos Spiritus malignos eſſe, qui nobiſcum aſſidue bellum gerunt, ut nos in exitium ducant. Et quemadmodum æternæ damnationi deſtinati ſunt, ſic nobis in idem exitium pertrahendis ſemper intentos eſſe. Item eſſe inſtrumenta iræ Dei, quæ ipſius vindictam exequuntur, incredulos & rebelles puniunt, uos excæcant, & miram exercent tyramnidem, ut ad omne flagitium incitent. His omnibus referta eſt Scriptura: ſuntque adeo vulgata teſtimonia, ut ea neceſſe non ſit adducere. Niſi igitur Scripturam abjicere velimus, res ipſa per ſe omnino ſatis aperta eſt. Verum hic aſtutiam Satanæ animadvertere oportet. Nihil eſt, quod magis cupiat, quam ut nos ex improviſo adoriri & intercipere poſſit. Quam vero meliorem rationem inire poteſt, quam ut nobis ſic imponat, ut putemus ipſum nuſquam eſſe, ne quis ab eo ſibi caveat? Quamobrem, videmus quanto ſit odio habenda hæc doctrina: non ſolum quod adverſetur veritati, ſed quod pernicioſiſſima ſit omnium, quæ unquam excogitari poſſunt: eoque tendat, ut miſeras animas diripiendas, veluti prædam, diabolo exponat, ſuadendo nullo uos hoſte invadi aut oppugnari, quum ſimus veluti oves in medio luporum, vel, ut Scriptura eos nominat, leonum rugientium. Mundi nomen, in Scripturis varie accipitur. Sed quum ſumitur in malam partem, ſignificat corruptionem, quæ propter peccatum eſt in genere humano. Unde manant vitia omnia, quæ ab hominibus admittuntur: ambitio, avaritia, odium, detractio, beluatio, ſuperbia, fornicatio, arrogantia, & omnium malorum fons, incredulitas. Porro omnes vitioſæ naturæ noſtræ cupiditates, & omnem perverſitatem, quæ ubique terrarum eſt, ſub hoc opinationis verbo ſepelire, nonne idem eſt, acſi flatu mare univerſum abſorbere vellent? Sed quemadmodum diabolorum memoriam delere nituntur, ne amplius præcavendi cauſa vigilemus, ſic oblivione obrui volunt quicquid tradit Scriptura, de armis & inſtrumentis, quibus ab hoc hoſte invadimur: noo ut deſtruantur, ſed ne ulla de iis in mentem veniat cogitatio, quoad lethaliter percuſſi ſimus, & vulnus receperimus, quod nulla curatione ſanari poſſit. Idem faciunt de peccato. Quid quæſo aliud eſt peccatum vocare opinationem, niſi larva ipſum tegere, ne amplius perſpici poſſit, quicquid mali inſerat? Urget adeo Scriptura ut moniti ſimus, quam peſtilens venenum ſit peccatum: atque hortatur ut ei fortiter omnique ſtudio & diligentia obſiſtamus. Tam diligenter oſtendit qualis ſit ejus natura, quæ radix, quales fructus inde naſcantur. Nec immerito. Eſt enim perquam neceſſarium. Hinc perſpici poteſt, quo ſpiritu miſeri iſti aguntur: dum hanc doctrinam adeo neceſſariam non ſolum obſcurare, ſed in nihilum omnino redigere volunt. Quod ad hominem ſpectat, Scriptura docet animam ipſius, ex quo averſus eſt à Deo, ignorantiæ & vanitatis plenam eſſe, perverſitate & rebellione in Deum refertam, malo deditam, victam atque oppreſſam infirmitate. Neque tamen propterea deſinit eam vocare creaturam Dei, habentem in ſe conditiones naturales, quibus prædita eſt à Deo: niſi quod omnia per peccatum corrupta & depravata ſunt. Quamobrem ex Scripturæ ſententia, anima eſt ſubſtantia ſpiritualis, ſenſu & ratione prædita, quibus intelligat & dijudicet: prædita etiam voluntate, qua deligat atque expetat ea ad quæ fertur ſuo motu. Nos quidem poſtea monet Scriptura, perverſam in nobis eſſe intelligentiam propter peccatum, ita ot cæci ſimus: voluntatem etiam malam eſſe, ut nihil niſi iniquum ab ea manare poſſit. Sed oon ideo anima deſinit in eſſentia ſua permanere, ac retinere quod naturaliter, & juxta ordinem à Deo conſtitutum, non poteſt ab ipſa ſeparari. Nonne igitur nimis impudenter reſiſtunt veritati, qui animam, imaginationem eſſe fingunt, præterquam quod hominem adducunt ad ignorationem ſui, ut nulla amplius animæ ſuæ ſollicitudine tangatur, quam Dominus toti terra- *Mat. 16. verſ. 26.*
rum orbi à nobis præferri voluit?

Cap. XIII.

De opinione Libertinorum, qua ſentiunt unicum Spiritum immortalem omnia efficere. Quæ peſtis lateat ſub hac ſententia.

POſteaquam unicum Spiritum ſuo arbitratu finxerunt, deſtructis atque abolitis tum Angelorum, tum diabolorum, tum etiam animarum naturis: aiunt ſolum hunc Spiritum efficere omnia: non ut id ſignificent, quod docet Scriptura, de eo loquens, omnes creaturas, ut in eo ſubſiſtunt, ſic ab eo ipſo gubernari, ejus providentiæ ſubditas eſſe, atq; ſingulas in ordine

ordine ſuo ſervire ipſius voluntati: ſed quicquid in mundo fit, opus ipſius directo cenſendum eſſe. Ita nullam homini voluntatem tribuunt, acſi eſſet lapis: atque omne boni & mali diſcrimen tollunt: quod nihil eorum judicio perperam agi poſſit, quum Deus ſit auctor omnium. Ut autem res apertius declaretur, exemplum aliquod ſermocinationis eorum adducam. Quum aliquando porcus ille Quintinus forte in locum veniſſet, ubi quidam interfectus jacebat, atque illic adeſſet aliquis vir pius, qui præ horrore diceret, Hei mi: Quis hoc ſcelus admiſit? ſtatim ille Picardico ſermone ſuo reſpondit: Ego, ſi ſcire vis, admiſi. Tum alter veluti attonitus, Tune, inquit, adeo ſceleſtus es? Excepit Quintinus: Is non ſum, ſed Deus. Qui, inquit alter, ſuntne imputanda Deo crimina, quæ puniri jubet? Tum putidus iſte venenum ſuum magis evomere cœpit, inquiens: Ita res habet: tu ipſe admiſiſti, ego admiſi, Deus admiſit. Quod enim ego aut tu facimus, Deus efficit. Quod etiam Deus facit, ipſi facimus. Nam in nobis eſt. Hoc conceſſo, imputandum eſſet Deo peccatum: aut concludendum nullum in mundo peccatum fieri, quum nihil ſit quod non fiat à Deo. Sic omne boni & mali diſcrimen tollitur. Unde ſequetur, nobis non licere aliquid, ut malum, vituperare, quum omnia ſint opera Dei: licebitque hominibus veluti laxis habenis quicquid in mentem venerit, peragere: non ſolum quia ſumus extra periculum peccandi, ſed etiam quod deſiderium aliquod cohibere, ſit impedire Deum. Exempli gratia. Scortatus eſt aliquis? Vituperandus non eſt. Nam Deo irrogaretur blaſphemia. Concupivit uxorem vicini ſui quiſpiam? Ea potiatur, ſi poteſt. Certo enim ſcit, ſe nihil à voluntate Dei alienum facere. Quod ad fortunas attinet: Qui eas arripere poterit aut vi aut ſubtili aliqua ratione, audacter id faciat. Nihil enim ſuſcipiet quod non probetur à Deo. Qui rapuit omnia quæ potuit, ne multum de iis reſtituendis laboret. Neque enim conveniens eſt, ut Deus corrigatur. Poſtea quidam præclaras iſtas ſpeculationes in commodum ſuum vertunt. Nam quicquid fit, nec ſe attingi volunt, nec Deum quem imaginantur, quicquam agere quod eis nocumento eſſe poſſit. Si quis autem detrimentum in ſe, aut bonorum jacturam tulit, rident, eaque omnia optima eſſe aiunt: eos autem litigare cum Deo, qui ſceleris auctores accuſant. Sed ſi vel minimus eorum digitus attingatur, bellarum iſtarum rationum obliti, ſtatim in bilem prorumpunt, nec ulli ſtomachantur vehementius. Hiſtoriam jucundam hic narrabo, qua oſtendam quid eis, quum maxime neceſſe eſt, proſint hæc deliria. Lutetiæ quidam Cerdo, hujus ſectæ veneno ſic imbutus erat, ut jam nihil malum eſſe judicaret. Accidit ut quum is aliquando Stephanum à Fabrica inviſeret, cum quo aliquid uſus habebat, eumque mœſtum reperiſſet propter famulum, qui eo derelicto pecuniam aliquam ſecum abſtulerat. Præcipua vero triſtitiæ cauſa erat, quod verebatur ne alicubi abuteretur, apud negotiatores, ipſius nomine. Cerdo ille rogavit, quid eum male haberet. Ille tribus verbis reſpondit, ut erat vir paucorum verborum. Statim Cerdo ſeſe attollens, quaſi expanſis alis ſupra nubes volaturus, Stephanum reprehendit, quaſi blaſphemantem Deum, quod ejus opus nequitiam vocaret: quumque Deus faceret omnia, nihil cenſendum eſſe malum. Stephanus ſciens ſe nihil ratiocinando cum illo profecturum, uno verbo ſermonem ejus abrupit. Aliquot poſtea diebus accidit, Dei voluntate, ut huic philoſophaſtro Cerdoni famulus quidam furtum faceret. Ille quaſi furore correptus hac & illac diſcurrens, aliquid de famulo audire ſatagebat. Quum non reperiret hominem, ad Stephani domum acceſſit, ut conquerendo ac ejulando animum allevaret ſuum. Jam cœperat convitiorum acervos in furem illum jactare, atque ulterius progreſſurus erat, quum Stephanus ſic ejus ſermones interrupit: Quid? Siccine, ait, blaſphemandum eſt? An poſſumus accuſare Deum? Si ipſe hoc fecerit, potius laudandus eſt. Fanaticus ille ſuis verbis, quibus antea uſus erat victus, & pudore ſuffuſus abiit: nec tamen propterea reſipuit. Hoc exemplo docemur quomodo Dominus inſanos iſtos experientia ipſa confundat: neque tamen hoc eis proficit, quominus pertinaciter inhæreant dementiæ ſuæ: poſſidentur enim à diabolo, qui non ſinit ea quæ oculis eorum objecta ſunt, cernere. Notandum eſt ex hoc articulo, tria admodum execranda conſequi. Quorum primum eſt, hoc conceſſo, nullum inter Deum & diabolum diſcrimen fore: ut etiam, re vera, Deus quem nobis fabricant, idolum eſt diabolis ipſis deterius. Alterum, quod homines nulla amplius ad vitandum malum conſcientia movebuntur: ſed belluæ, nullo rerum habito diſcrimine, ſequentur appetitum ſuum. Tertium, quod nemo jam audebit de re aliqua judicare, ſed omnia probanda erunt: ſcortationes, homicidia, furta, & crimina omnium flagitioſiſſima pro laudandis facinoribus habenda erunt. Ut hic articulus melius expediatur, de his tribus ordine tractandum erit, quæ conſequentia eſſe oſtendi: eaque, dirutis fundamentis quibus abutuntur, refutanda.

Cap. XIV.

Quomodo conſideranda ſit providentia Dei, qua efficit omnia: quomodo Libertini de ea loquentes, omnia confundunt. Quæ prima eſt ſuperioris articuli conſequentia.

NOn negamus ipſi, quin omnia fiant Dei voluntate. Atque adeo quum declaramus cur dicatur omnipotens, poteſtatem in omnibus creaturis efficacem ei tribuimus: atque docemus, ut ſemel creavit orbem univerſum, ſic etiam ipſum tegere, manumque operi ſemper admotam habere, ut omnia in ſtatu ſuo conſervet, & arbitrio ſuo diſponat. Ut facilius exprimam quid hoc ſibi velit: aio, nobis conſiderandum eſſe, Deum, in univerſi adminiſtratione, tribus modis operari. Eſt enim primum univerſalis operatio, qua dirigit omnes creaturas juxta conditionem & proprietatem, quam ſingulis, dum eas formaret, dedit. Hæc gubernatio nihil aliud eſt, quam quod ordinem naturæ vocamus. Nam quum infideles nihil aliud in diſpoſitione mundi agnoſcant, quam quod oculis intuentur, ideoque naturam veluti deam conſtituunt, quæ omnibus præſit ac dominetur: hæc Dei voluntati laus tribuenda eſt, quod ipſa ſola moderatur ac regit omnia. Quocirca quum ſolem, lunam, ſtellas, curſum ſuum conficere videmus, exiſtimemus ipſa obedire Deo, ipſius juſſa exequi: neque id tantum, ſed Dei quoque manu gubernari, fierique omnia ejus virtute. Sic quum rerum terrenarum curſum cernimus, tribuenda Deo omnia: creaturæ vero cenſendæ, veluti inſtrumenta in manu ipſius, quæ quomodocunque libuerit, operi applicet. Univerſalem iſtam providentiam ſæpe attingit Scriptura, ut diſcamus gloriam tribuere Deo in omnibus operibus ſuis. Ac præcipue hanc ſuam virtutem nobis Deus commendat, ut eam in nobis agnoſcamus, quo exuatur arrogantia, quæ ſtatim in nobis exurgere ſolet, ſimulatque nos in ipſius manu eſſe obliviſcimur. Huc pertinet quod Athenis dicebat Paulus: Ipſe eſt in quo vivimus, movemur & ſumus. Iis enim admonet, *Actor. 17. verſ. 28.* niſi nos ſuſtineat manu ſua, vel minimo temporis momento ſtare non poſſe, quum in ipſo ſubſiſtamus: atque ut anima vim ſuam per univerſum corpus effundens, membra agitat: ſic nos vivificari à Deo, à quo quicquid eſt in nobis facultatis aut virium obtinemus. Hæc tamen univerſalis operatio Dei non

pro-

prohibet, quominus ſingulæ creaturæ tum in cælo, tum in terris, qualitatem & naturam ſuam retineant, propriamque inclinationem ſequantur. Alter modus quo Deus operatur in creaturis ſuis, eſt, quod eas addicit in obſequium bonitatis ſuæ, juſtitiæ, & judicii: prout nunc ſervos ſuos adjuvare, nunc ſontes punire vult, nunc fidelium patientiam probare, aut eos caſtigare paterno affectu. Sic quum frugum copiam nobis vult largiri, dat pluvias ſuo tempore, calores per ſolem ſuum immittit, lucidoſque & ſerenos dies: tum etiam naturalibus aliis mediis utitur, veluti inſtrumentis benignitatis ſuæ. Quum vero manum ſuam ad ſe revocat, cælum fit veluti æneum, terra quaſi ferrea. Itaque, is eſt qui tonitrua, gelu, grandines, tempeſtates efficit, & ſterilitatis cauſa eſt. Ideo quicquid Ethnici & ignari tribuunt fortunæ, nos divinæ providentiæ aſſignare debemus: non tantum univerſæ illi virtuti, de qua loquuti ſumus, ſed ordinationi ſpeciali, qua moderatur omnia, ut maxime expedire ac conducere ipſi videtur. Idque docet,
Jeſa. 45. quum ait per Prophetas, ſe tenebras & lucem creare,
vers. 7. vitam & mortem immittere: nihil boni aut mali acci-
Amos 3. dere, niſi è manu ſua: adeo ut dicat ſe etiam ſortes,
vers. 6.
Prov. 16. & alia quæ fortuita videntur, moderari. Quod ſi ali-
vers. 33. quis forte occidatur non ex induſtria, ſe cauſam eſſe mortis illius, atque ita conſtituiſſe: ne quicquam fortuito, ſed omnia ex conſilii ipſius definitione, evenire putemus. Ac vehementer indignatur, quum exiſtimamus quicquam aliunde proficiſci, neque in ipſum intuemur, ut eum agnoſcamus, non ſolum ut præcipuam omnium cauſam, ſed etiam ut auctorem, hoc vel illo modo omnia conſilio ſuo ſtatuentem. Sic igitur concludamus, tam proſpera quam adverſa, pluvias, ventos, grandines, gelu, ſerenitates, abundantiam, famem, bellum, pacem; opera Dei eſſe: creaturas autem, quæ inferiores cauſæ ſunt, inſtrumenta ſolum eſſe quæ in uſu habet ad exequendam voluntatem ſuam: ideoque iis arbitrio ſuo uti quocunque libuerit ea convertere, eoque adducere, ut omnino fiat quod conſtituerit. Præterea notandum eſt, ipſum non ſolum creaturis ſenſu carentibus hoc modo uti, ut per eas operetur, & exequatur voluntatem ſuam, ſed & hominibus ipſis atque etiam diabolis. Adeo ut & Satan, & iniqui ſint exequutores divinæ voluntatis. Quemadmodum Ægyptiis uſus eſt, ad affligendum populum ſuum: aliquanto poſt ſuſcitavit Aſſyrios, alioſque ſimiles, ut ejus delicta vindicaret. Diabolo uſum eſſe cernimus, ut Saulem torqueret, ut deciperet Achab, & in omnes iniquos, quum neceſſe fuit, judicia ſua exerceret: aut è diverſo ad probandam
Job. 1 dam ſuorum conſtantiam: cujus rei Job nobis eſt ex-
vers. 12. emplum. Quæ quum Libertini audiunt, temere atque incogitanter irruentes, neque longius ſpectantes, concludunt, nihil amplius agere creaturas. Sic horribiliter omnia permiſcent. Nec enim tantum cælum cum terra, ſed Deum cum diabolo confundunt. Idque ita accidit, quod exceptiones duas valde neceſſarias minime obſervent. Prior eſt, Satanam & iniquos non ſic eſſe inſtrumenta Dei, quin ipſi etiam ſuas agant partes. Nec enim imaginari oportet, Deum ſic per hominem iniquum ut per lapidem aut truncum operari: ſed ut per creaturam rationis participem, ſecundum naturæ, quam ei dedit, qualitatem. Quum igitur dicimus Deum per creaturas operari: id non prohibet, quominus etiam impii ſua ex parte operentur. Quod etiam Scriptura apertiſſime oſten-
Jeſa. 5. dit. Ut enim pronunciat Deum ſibilaturum & quaſi cantaturum tuba ut ad bellum educat infideles: induraturum aut inflammaturum animos: ſic narrare non deſinit proprium eorum conſilium, & qua fuerint voluntate: atque opus illis adſcribit, quod Dei decreto exequuti ſunt. Altera exceptio, cujus infelices iſti nullam habent rationem, hæc eſt: magnam eſſe differentiam inter opus Dei, & opus impii, quum eo Deus vice inſtrumenti utitur. Impius enim ſua avaritia aut ambitione, aut invidia, aut crudelitate incitatur ad facinus ſuum, nec alium finem ſpectat. Ideo ex radice illa, id eſt, ex animi affectione & fine quem ſpectat, opus qualitatem ſumit, & merito malum judicatur. Sed Deus reſpectum omnino contrarium habet: nempe, ut juſtitiam ſuam exerceat ad conſervandos bonos: gratia & bonitate ſua utatur erga fideles: male autem meritos caſtiget. En quo pacto ſit inter Deum & homines diſcernendum, ut hinc in eodem opere juſtitiam, bonitatem ac judicium ejus contemplemur: illinc diaboli & infidelium malitiam. Sumamus autem præclarum & perlucidum ſpeculum in quo iſta intueamur. Quum Jobi affertur nuncium tantæ bonorum jacturæ, interitus filiorum, tot calamitatum quæ ipſi acciderunt: agnoſcit ſe viſi-
tari à Deo, inquiens: Dominus hæc mihi omnia de- Job. 1.
derat, eadem ipſe abſtulit. Et ſane ſic res habebat. vers. 21.
Sed interim, nonne ſciebat diabolum eam ipſi cudiſſe fabam? Nonne intellexerat Chaldæos armenta & pecora ſua abegiſſe? An prædatores illos & latrones laudabat? an excuſabat diabolum, quod à Deo afflictio illa oriretur? Minime. Magnam enim eſſe inter hæc differentiam intelligebat. Itaque malum damnans, inquiebat: Sit nomen Domini benedi-
ctum. Similiter David, quum eum Semei perſeque- 2 Sam 16.
retur, dicit ſe id recipere à Deo, ac vider impium vers. 10.
illum eſſe virgam, qua Deus eum caſtigat: ſed Deum
laudans, non eo minus poſtea Semei condemnat. De 1 Reg. 2.
hoc autem, adhuc alio in loco tractandum erit. Hoc vers. 8.
nunc tenere ſufficiat: Deum ſic per creaturas ſuas operari, iiſque uti ad providentiam ſuam, ut inſtrumentum quo agit malum eſſe non deſinat: quodque Satanæ & impiorum hominum malitiam in bonum convertit, non propterea excuſari ipſos aut expiari quo minus delinquant, eorumque opera iniqua & damnanda ſint: ſumunt enim omnia qualitatem à propoſito & voluntate auctoris. Qui igitur iſta non diſtinguunt, omnia tanquam porci roſtro ſuo evertunt, & horribili confuſione perturbant quæ pulcherrimo ſunt ordine conſtituta. Tales ſunt Libertini, qui non tantum diabolum cum Deo ſocietate conjungunt: ſed etiam in Deum ipſum transformant: laudabilia ejus opera cenſentes hoc prætextu, quod nihil agat niſi à Deo conſtitutum. Hæc autem hæreſis, ſi antiquis doctoribus fidem habemus, originem cepit à Simone Mago. Nos contra obſervare debemus, creaturas in ſuo gradu opera ſua in terris efficere, quæ prout effecta fuerint hoc vel illo fine, ſic aut bona aut mala exiſtimanda ſunt. Interim omnia gubernat ac moderatur Deus, eaque ad rectum finem dirigit: malum in bonum convertit: aut ſaltem naturæ ſuæ bonitate agens, ex eo quod malum eſt, boni aliquid elicit: ita utitur diabolo, ut ſe cum eo non admiſceat, quo aliquid habeat cum ipſo commune, vel ſocietate mali conjunctus implicetur, vel mali naturam deleat juſtitia ſua. Sicut enim ſol in cadaver radios ſuos emittens, & corruptionem quandam in eo generans: nihil aut corrupti, aut impuri ad ſe trahit: neque efficit puritate ſua quominus cadaver putridum ac fœtidum ſit: ita Deus per Impios ſic operatur, ut juſtitia quæ in ipſo eſt, eos non juſtificet, nec ipſe eorum nequitia & corruptione contaminetur. Tertia ſpecies operationis divinæ, in gubernatione fidelium conſiſtit, in quibus vivit & regnat per Spiritum ſuum. Quatenus enim corrupti ſumus peccato originali, terræ ſiccæ & ſterili perſimiles ſumus, boni fructus nihil omnino producenti. Nam corruptum eſt judicium noſtrum, voluntas noſtra Deo rebellis, ad malum proclivis & propenſa: denique tota natura noſtra vitioſa eſt. Quod quum ita ſit, non ſolum bonis rebus animum appellere non poſſumus: verum, quod majus eſt, unicæ bonæ cogitationi con-
cipiendæ non ſumus idonei: ſed, ut inquit Paulus, 2 Cor. 3.
ſi quid idonei ſumus, id ab ipſo proficiſci neceſſe eſt. vers. 5.
Ideo is eſt qui operatur in nobis & velle & perfi-

cere: qui nos illuminat, ut ad ſui cognitionem addu-
cat, nos ad ſe trahit, format nova corda in nobis,
duritiem noſtram emolliens. Idem ipſe eſt qui no-
bis inſpirat precandi affectum, vim ac poteſtatem
impertit reſiſtendi omnibus tentationibus Satanæ:
Eze. 36. verſ. 27. efficitque ut in præceptis ſuis ambulemus. Sed in-
terim notandum eſt, nos à natura electionem & vo-
luntatem habere. Cæterum, quia utraque peccato
depravata eſt, Dominus eas reformat, & è malis,
bonas facit. Quod igitur ad diſcernendum apti ſu-
mus, quod volumus, quod hoc vel illud facimus,
id naturale donum eſt. Quod vero nihil aliud poſſu-
mus eligere, expetere aut facere quam malum, id
ex corruptione peccati eſt. Quod bene operari cu-
pimus, atque exequendi poteſtate ſumus præditi,
id à ſupernaturali gratia proficiſcitur, qua in melio-
rem vitam ac plane divinam regenerati ſumus. En
igitur quid Deus in filiis ſuis efficiat: Perverſam
nempe eorum naturam delens, eos Spiritu ſuo dirigit
in obſequium ſuæ voluntatis. Temulenti vero iſti, à
Deo fieri omnia perſtrepentes, eum mali auctorem
conſtituunt. Deinde quaſi immutetur mali natura,
quum ſub hoc nominis Dei velo tegitur, bonum eſſe
affirmant. In quo atrociore & ſceleratiore contume-
lia Deum afficiunt, quam ſi poteſtatem aut juſtitiam
ipſius alio transferrent. Quum enim Deo nihil magis
proprium ſit quam ſua bonitas, ipſum à ſe abnegari
oporteret, & in diabolum transmutari, ut malum
efficeret, quod ei ab iſtis tribuitur. Ac certe iſtorum
Deus idolum eſt, quod nobis execrabilius eſſe debet
omnibus Gentium idolis. Verum rite ablutas (ut
aiunt) manus ſuas putant, quum reſpondent ſe affir-
mare omnia bona eſſe, quum à Deo fiant. Quaſi in
ipſorum poteſtate eſſet, nigrum in album commu-
tare. Præclare ſcilicet defuncti ſunt, ſi poſtquam
Deum latronem, furem, ſcortatorem vocaverint,
adjiciant nihil omnino his ineſſe mali. Verum, quis
homicidium damnavit, ſcortationem, latrocinia,
furta, niſi Deus? Sic eum profecto à nobis mendacii
argui oporteret, ut opera ipſius excuſaremus. At
Scriptura, inquiunt, in univerſum pronunciat Deum
omnia efficere in omnibus. Reſpondeo, ipſos per-
peram & falſo Scripturam ad id accommodare.
Quum enim hac ſententia utitur Paulus, tantum
loquitur de gratiis Spiritus ſancti. Idque locus ipſe
ſatis demonſtrat, in quo admonet Corinthios, ut iis
bene utantur, quum ſint dona Dei: quoniam, ut
1 Cor. 12. verſ. 3. inquit, nemo poteſt vel unicum verbum in laudem
Chriſti efferre, niſi per Spiritum ſanctum loquens,
à quo bona omnia proficiſcuntur. Et certe quod ad
bonum pertinet, id totum perlubenter tribui Deo
ſinemus. Malum vero, qui oſtendent à Deo naſci?
Ubi demonſtrabunt Deum furari in fure? in latrone
& ſicario interficere innocentes? Itaque hæc tegu-
menta non tantum non purgant ipſorum blaſphe-
mias, ſed vehementer adaugent, & duplo graviores
reddunt.

Cap. XV.

De altera conſequentia quæ ex eo ſequitur: Deus efficit omnia: nempe, neminem amplius ullius rei conſcientia moveri debere.

SUperius diximus, ſi Deo tribuantur omnia, ut
volunt Libertini, & homo nihil agere dicatur,
fore ut nullius rei conſcientia moveamur. Nec
enim id eſſet cavere à peccato, ſed potius retroagere
opus Dei. Nec tantum dico id poſſe ex ſuperiore
eorum ſermone deduci, ne laboremus diſputando,
an talis ſit eorum ſenſus necne: ſed idipſum aio,
quod ipſi confitentur. Atque adeo id præcipue ſibi
proponunt, ut ſopiant conſcientias, quo omni ſolli-
citudine vacui homines, quicquid ſeſe offeret, quic-
quid appetierint, perpetrent. Quaſi Deus fruſtra
Legem ſuam dederit, qua bonum à malo diſcernatur.
Hoc autem ab ipſis quæro, An non in Lege declara-
tionem divinæ voluntatis habemus? Ea autem pro-
nunciavit Deus, ſcortationem, furtum, homicidium,
& ut conſequens eſt, avaritiam, odium, invidiam,
ambitionem, cæteraque ejuſmodi ſibi diſplicere.
Nunc ſi illa ipſi grata eſſe dicantur, nonne arguitur
mendacii? Teſtatur Moſes datam eſſe Legem, ut
ſervire Deo, atque ipſi adhærere, voluntati ejus pa-
rere diſcamus, ne ipſius iram flagitiis noſtris in nos
provocemus. Infelices iſti hoc moliuntur, ut nobis
tales cogitationes excutiant. Et ne quicquam per-
ſpicere poſſimus, hac faſcia oculos noſtros obligant:
nempe, fieri omnia voluntate Dei: proptereaque
nihil ipſi diſplicere, acſi mutabilis eſſet Deus, ſibi-
que ipſe repugnaret: aut eſſet ſimulator, affirmans
ſe id odiſſe ac deteſtari, quod tamen cupit ac probat.
Propter hæc, inquit Paulus, venit in infideles ira Dei.
Mœrore afficitis ſpiritum Dei, inquit Jeſaias. Mo-
leſti mihi fuiſtis, inquit Dominus alio in loco. Item,
Dominus vehementer iratus eſt: inflammata eſt ira *2 Sam. 24.*
ipſius adverſus Iſraël. Scio quidem Deum humanis *verſ. 1.*
affectionibus minime obnoxium eſſe. Sed omnes hæ
loquutiones ſignificant ab ipſo improbari ac damnari
malum: atque ideo peccatum, inimicitiarum inter
nos & ipſum, cauſam eſſe: nec poſſe nobis, quam-
diu male agimus, cum ipſo convenire: expectandam
eſſe potius punitionem ac vindictam, quod juſtus
ſit judex à quo nulla poteſt iniquitas tolerari. Nihil
aliud in univerſa fere Scriptura legimus, præter iſtas
exhortationes: Time Dominum: Vide ne ipſum
offendas: Cave tibi à malo. Inſani vero iſti contra
vociferantur, ſtultum eſſe vereri, ne ipſum offenda-
mus, quum nihil agamus aut boni aut mali, ſed omnia
in nobis efficiat. Paulus admonet Gentes ipſas, & *Rom. 2.*
doctrina & Scripturis carentes, Legem habere im- *verſ. 14.*
preſſam cordibus ſuis: nempe conſcientiam, qua ſeſe
coram Deo vel accuſant vel defendunt. Eam male
feriati iſti homines delere cupiunt, negantes quic-
quam eſſe, cujus nos accuſemus: quum omnia fiant
à Deo. Qui eos puderet Scripturas evertere, quum
tantum audeant, ut perſuaſionem naturaliter animis
noſtris infixam, atque inſculptam à Deo, evellere
non dubitent? Si noſtri excuſandi cauſa ignorantiam
allegare velimus, ad conſcientiam noſtram nos Deus
amandat, quæ abunde adverſum nos teſtificari poteſt.
Phrenetici vero iſti, hoc teſtimonio ſuppreſſo, aiunt
Deum oportere prius ſeipſum accuſare, ſi adverſum
nos accuſationem intendere velit, quum in nobis effi-
ciat omnia. Moſes id vocat radicem, fel & abſin- *Deut. 29.*
thium germinantem, quum adulationibus conamur *verſ. 18.*
omnem ſynterеſin ſopire, nobiſque ita imponere, ut
malum putemus ludicrum eſſe. Ac re vera, quod in
univerſo orbe venenum lethalius aut peſtilentius eſſe
poteſt? Id etiam vocat ebrietatem ſiti adjungere, ac *Deut. 25.*
merito: naturalis enim affectio noſtra, inordinatus
eſt appetitus, & veluti male agendi ſitis. Quum igitur
nobis ipſi benedicimus, ut eo loco ait, atque nobis
perſuademus nos pace potituros quamdiu nequiter
& perdite vivimus: id perinde eſt, acſi quis vehe-
menti ſiti accenſus, ſeſe inebriaret vino, ne ullo am-
plius tangeretur ſenſu, quum potius ſitim illam fre-
nare & reſtinguere ſobrietate & abſtinentia debuiſ-
ſet. Præclarus ſane locus noſtri commonefaciendi
cauſa: ut intelligamus quid amaritudinis lateat ſub
melle, quod inauſpicati iſti homines nobis propi-
nant. Ad hanc nihilominus latebram ſe perpetuo re-
cipiunt, nihil omnino fieri præter voluntatem Dei.
Sed reſpondeo, quod attinet ad opera quæ nos faci-
mus, conſiderandam à nobis voluntatem Dei, quali-
ter eam ipſe declarat. Ut, exempli gratia, quum jubet
ſuum cuique ſervari: ne cui damnum aut injuria in-
feratur: ibi voluntas ejus perſpicua eſt. Quid igitur
ei placeat amplius diſquiri non oportet. Scimus enim
nos, ſi id facimus, ejus voluntati obſequuturos: ſin
minus, ei minime gratos fore. Si quis ergo furetur,
ac

acdeinde dicat, ſe nihil admiſiſſe præter voluntatem Dei, mentitur impudenter: quum transgreſſus ſit præceptum Dei, quo de ipſa docebatur. Quæret quiſpiam, an invito Deo aliquid fieri poſſit? Fateor non poſſe. Sed cavendum omnino, ne de ejus providentia, quæ nobis occulta eſt, inquiramus: quum ſciamus quid à nobis requirat, quid approbet, aut
Prov. 25. vers. 27. condemnet. Non abs re Solomo affirmat fore, ut is obruatur gloria, qui majeſtatem ſcrutatur. Et certe ſic omnino accidere neceſſe eſt, atque hoc modo ſuperborum arrogantiam puniri. Quod in iſtis experimur, qui quum ſupra nubes aſcendere velint, ut voluntatem Dei inquirant, quum revelationi, quæ de ea in Scripturis habetur acquieſcere nolint, in deliria tam abſurda tamque belluina ruunt, ut horribile dictu & auditu ſit.

CAP. XVI.

De tertia conſequentia quam Libertini trahunt ex hac propoſitione: Deus facit omnia: nempe, non eſſe fas quicquam improbare.

POſteaquam ſic frena laxarunt omnibus, ut ſinant unumquemque vivere ſuo arbitratu, hoc prætextu, quod ſe à Deo regi ſinant, ex eodem principio deducunt perperam fieri, ſi de re aliqua judicetur. Nullam vero aptiorem doctrinam habere poſſunt, qua ſuis abominationibus aditum patefaciant. Multum enim conſequuti ſunt, quum ſic obſtruxerunt, an potius confixerunt oculos auditoribus ſuis, ut nemo amplius audeat judicare, an dicta eorum & facta, bona vel mala ſint. Atqui, ſi hoc eis
Jeſa. 5. vers. 20. concedimus, quo ſpectabit hæc Dei ſententia, quæ maledicit omnibus, qui malum bonum eſſe dixerint? En Deus dira & infauſta omnia nobis denunciat, ſi quod malum eſſe judicat, pro juſto habeamus. Hi contra, nihil omnino condemnari patiuntur. Si ſuperiores ipſo Deo eſſent, ut pœnam, quam edicit, poſſent remittere, eſſet fortaſſe deliberandi locus. Sed quis volet condemnari à Deo, ut à Quintino abſolvatur? Quum articulum iſtum in medium proferre volunt, hiſce verbis utuntur, Oportere Chriſtianum omnia in utilitatem ſuam convertere. Nam, ut ab initio dixi, nunquam ſimpliciter & aperte loquuntur, ut quod animo conceperint, liquido exprimant: ſed obliquis flexibus rem implicant. Libenter quidem ipſis concedo, Chriſtianum debere quidvis, ut ille ait, reputare in lucro: ſed eo ſenſu quo docet Scriptura:
Rom. 8. vers. 29. nempe, ut adverſis rebus ſecum reputet, quod Paulus ait: ideo affligi fideles, ut conformentur imagini Chriſti, ſicque afflictiones ipſis adjumento ſint ad ſalutem conſequendam, & eo ſolatio ſe ſuſtentent. Si fratrem ſuum labi aut errare videat, hoc ei ſit vice ſpeculi, quo naturæ humanæ infirmitatem cognoſcens, majore in timore ambulet. Quod ſi ipſi labi contingat, eo moneatur imbecillitatis ſuæ, ut viribus ſuis diffidat, humilior reddatur, omnemque arrogantiam ponat: ſicque ei veluti ſtimulus, quo ad Deum ardentioribus votis invocandum inſtigetur. En quomodo Chriſtiani omnia in utilitatem ſuam convertunt: non ut ſibi placeant in vitiis ſuis, aut claudant oculos, ne quod malum eſt animadvertant: ſed potius ut mœſti ac triſtes, quod Deum tum abs ſe, tum ab aliis offendi videant, ad pœnitentiam, humilitatem & timorem Dei inſtruantur, ſintque ſolliciti ut ſibi in poſterum caveant. In hunc modum David ex eo, quod admiſerat, delicto, fructum collegit, minime quidem ſeſe juſtificans, ſed condemnatione ſui audita, magis ac magis ſeſe confirmans in bonitate Dei, præcavens ne de cætero in tantam calamitatem recideret. Eadem
1 Cor. 10. vers. 11. etiam ratione Paulus nos monet, ut ea peccata, quæ filii Iſraël adverſus Deum admiſerunt, in utilitatem noſtram convertamus: nempe, ut dum puniciones, quæ ſubſequutæ ſunt, conſideramus, eorum exemplo doceamur. En denique, quorſum Scriptura recitat tum fidelium, tum contemptorum Dei peccata: non ut nos cæcos reddat, quo nihil certo definire aut pronunciare poſſimus, atque dubitemus, an quod malum eſt, bonum ſit: ſed ut mali cognitione percepta, ipſum vitemus. Ut etiam ipſa aperte pronunciat, quid à nobis de quoque opere cenſendum ſit. Verum, allegant ſcriptum eſſe, ne judicemus. Dominus quidem
his verbis utitur: Nolite judicare. Sed quorſum? Ut *Mat. 7: 1.* eorum temeritatem reprehendat, qui auctoritatem Dei uſurpant, de rebus ſibi ignotis judicando. Idem argumentum tractatur à Paulo, decimo quarto ad Romanos: ubi reprehendit eos, qui ob actionem indifferentem fratres condemnant. Unum, inquit, judicem habemus omnes. Ei reddenda à nobis eſt ratio. Ipſius eſt de ejuſmodi rebus definire. Ne igitur proximos opinioni noſtræ ſubjiciamus. Præclara quidem & utiliſſima doctrina eſt: quemadmodum unicus eſt Legislator ſpiritualis, videlicet Deus: ſic ſolum eſſe ipſum idoneum judicem animarum noſtrarum. Interim vero, non ideo minus validum eſt judicium, quod jam tulit. Quum ergo ſcortationem, furtum, blaſphemiam, ebrietatem, ambitionem, flagitioſa eſſe vitia judicamus, non proferimus ex nobis judicium, ſed quod jam tulit Deus, id approbamus. Verum, è diverſo impudentes iſti canes, fingentes ſe nolle judicare, ſeipſos Deo ſuperiores judices conſtituunt. Quæſo, ſi poſtquam ſupremus judex ſententiam tulit, privatus quiſpiam diceret, rem in dubio relinquendam, acſi nihil omnino definitum eſſet, & rem judicio damnatam pro mala habendam non eſſe, nonne is tanquam factioſus aut ſeditionis auctor, gravi animadverſione dignus merito putaretur, quia vellet omnem juris ordinem evertere? Impuri vero iſti canes, ſub hoc prætextu, quod non eſſe judicandum aiunt, ſuprema ſummi Dei judicia, quæ toti orbi publicavit, irrita eſſe volunt: meramque fruſtrationem eſſe quicquid pronunciavit. Videmus itaque, ſicuti non uſque adeo nobis audendum eſt, ut ex libidine animi noſtri judicia feramus: ita approbanda eſſe omnia, & aſſenſu noſtro, veluti rata habenda, quæ Deus judicavit. Proinde, ut eum bonum & æquum eſſe judicem teſtemur, opera iniqua cum ipſo condemnemus: atque, ut monet, arborem bonam aut malam ex fructibus judicemus. Poſtea ſententiam
iſtam allegant: Hypocrita, erue prius trabem ex *Mat. 7: 5.* oculo tuo, deinde feſtucam ex oculo fratris tui removebis. Verum, quid ex eo concludere volunt? Hæc reprehenſio ad hypocritas pertinet, qui vitia ſua occultantes, aliena tantummodo obſervant. Veluti quum iis, qui adulteram accuſabant, dixit: Qui veſtrum peccato caret, primus in eam lapidem conjiciat. Non ideo vetat puniri ſceleratos: ſed tantum admonet, ut quum reprehendimus alios, initium faciamus à nobiſipſis: quum eos, qui deliquerunt, corrigimus, vacemus his criminibus, ob quæ animadvertimus in ipſos: ut oſtendamus nos vero juſtitiæ zelo duci: malum tam in nobis quam in aliis odiſſe, ſine ulla acceptione perſonarum. Sed permagna inter iſta duo differentia eſt: nihil per hypocriſin judicare, vel
non judicare omnino. Jubet Dominus, ut ex veritate *Levit. 19.*
judicemus: ne magis adverſus proximos, quam ad- *vers. 15.*
verſus noſipſos ſeveri ſimus. Canes vero iſti, hoc colore, judicium omne, quantumvis rationi conſentaneum, excludi atque aboleri volunt. Quanquam ſi hypocrita ſeſe adulans, alium reprehenderit, non ſequitur eum, qui deliquit, propterea excuſari: ſemper enim malum damnandum eſt. Sed hoc hypocritæ vitium eſt, quod non eadem ſe metitur regula: & facile ſibi ignoſcens, ſummo jure utitur in alios. Verum, ut initio dixi, non fruſtra ganeones iſti hoc aſſequi nituntur. Præclarum enim ſibi ingreſſum patefacerent, ſi perſuaderent mundo, nihil omnino improbandum eſſe. Cæterum, aſtutiam Satanæ hoc loco obſervare, & quem in finem ſpectet, optimum eſt. Nam præter-

quam quod proximorum delicta, & caſtigationes quibus Deus ea punit, ſatis nos monere debent, ne iram ipſius adverſum nos provocemus: aliud etiam à nobis requiritur: nempe, animos noſtros dolore affici oportere, quod Deus offenditur, quod anima peccatoris in exitium ruit. Tanto nos honoris Dei zelo flagrare decet, ut quum læditur, premamur dolorum anguſtiis, quibus animus noſter aduratur. Tam propenſa animi affectione proximos noſtros proſequi debemus, ut quum imminere ipſis, præcipueque eorum animis exitium videmus, miſericordia commoveamur. Satan vero per nebulones iſtos vellet homines ſtupidos reddere, ut quamcunque viderimus confuſionem, nulla omnino cura tangamur, nec ullo modo afficiamur, ſi nomen Dei blaſphemiis proſcindi cernamus, ſacroſancta ejus præcepta violari, perdi animas, graſſari omnia ſcelera & flagitia. Ut re vera iſti ſubſannatores, quicquid acciderit, rident, nulla cura tanguntur, ne ſorte eos enecet atra bilis, niſi quum aliquid minus ipſis gratum admittitur: tunc enim lepidas has omnes ſpeculationes de non judicando obliti, cæteris longe acriores & rigidiores fiunt. Atque etiam eos à quibus nutriuntur clam irrident, & linguam poſt ipſorum terga exerunt. Omnis enim eorum oblectatio & ſtudium in eo eſt, ut quieti & ſecuri genium ſuum bene & hilariter accipiant. Audierunt ſcilicet hanc Solomonis ſententiam: Triſti ſpiritu oſſa deſiccari. *Prov. 17. verſ. 22.* Ita ne macie deterantur, hanc invenerunt viam, ſuaviter & placide deliciandi, excuſſa omni ſollicitudine, videlicet ea omnia probando, quibus filios Dei angi, & animo torqueri neceſſe eſt: ne ullam amplius mœſtitiæ cauſam haberent. En quomodo in malis rebus, peræque ac in bonis, ſeſe oblectantes, omnia in utilitatem ſuam convertunt. Paulus vero ait, hunc nequitiæ cumulum eſſe, quum quis non ſolum admittit mala, ſed etiam eis cum oblectatione aſſentitur. *Rom. 1. verſ. 32.* Quamobrem, ſi fides Paulo adhibenda eſt, iſtos pro deploratiſſimis omnium hominum habeamus: qui non eo contenti, quod indormiant malis ſuis, eo nequitiæ prorumpunt, ut etiam aliorum vitiis applaudant.

Cap. XVII.

Qualis ſit Chriſtus Libertinorum, & quomodo ipſum pro Redemptore ſuo agnoſcunt.

POſtquam ad libidinem ſuam Deum ſibi fabricatunt, qui ſit veluti elegans pictura, ſub qua omnes eorum abominationes tegantur, in eadem etiam proplaſtice Chriſtum fingunt, qui non tantum idolum ſit erectum adverſus Filium Dei, ſed veluti ſordium omnium ſaccus, aut cloaca, in quam fæces omnes recipiantur. Primum, eum componunt ex Spiritu Dei, qui in nobis omnibus eſt, & ex eo quod opinationem, aut mundum vocant. En monſtrum quod nobis imaginantur ejus loco, qui quum ſolus ſit verus & naturalis Filius Dei, ejuſdem eſſentiæ cum Patre, naturam noſtram aſſumpſit, ut fraternam conjunctionem nobiſcum haberet. Ne vero quiſquam exiſtimet me falſo ipſos criminari: duo Valentianæ extremo ſupplicio affecti ſunt, quod dicerent Chriſtum non obiiſſe in cruce, ſed tantum opinationem. Nonne præclarum hoc eſt principium, quo Chriſtus fiat veluti phantaſma, in quo nihil cognoſcatur? Quum de officio ejus agitur, & gratia, quam per ipſum obtinuimus, multo adhuc deteriora promunt. In eo enim conſtituunt redemptionem noſtram, quod Chriſtus ſolum velut typus fuit, in quo contemplemur ea, quæ ad ſalutem noſtram requirit Scriptura. Utuntur quidem præclaris ſententiis, perinde acſi virtutem ejus vellent extollere, ut turpitudinem doctrinæ ſuæ tegant. Sed eo redit omnis eorum oratio: quod Chriſtus fecit & paſſus eſt, tantum comœdiam aut hiſtrionicam actionem fuiſſe in theatro exhibitam, qua myſterium ſalutis noſtræ nobis figuretur. Exempli gratia: Quum aiunt Chriſtum aboleviſſe peccatum, ſenſus eorum eſt: Chriſtum abolitionem illam in perſona ſua repræſentaſſe. Quum dicunt, victam eſſe mortem, quia, inquiunt, Chriſtus perſonam illius egit, qui eam patiebatur: in reſurrectione vero facinus edidit ducis, victoriam ab hoſte referentis. Cæterum, ut imaginantur, nemo noſtrum non eſt Chriſtus: quodque in ipſo factum eſt, in omnibus effectum dicunt. Nam, ut dixi, Chriſtum fingunt, velut imaginem aut exemplar, in quo figurata ſunt ea, quæ ad ſalutem noſtram requiruntur: ſed interim imaginantur, quod in ipſo factum eſt, in nobis quoque factum fuiſſe. Hinc fit, ut Quintinus excandeſcat, quoties rogatur ut valeat. Quomodo, inquit, an Chriſtus male habere poteſt? Adeoque hoc modo exponunt verba, quæ Chriſtus moriens pronunciavit, Conſummatum eſt. Quum enim ſimus Chriſtus, id quod perfectum in nobis fuit, iterandum non eſt. Itaque Chriſtus ipſis idolum eſt, quo excæcantur: ut ſibi falſo perſuadeant ſe omni obligatione erga Deum atque homines ſolutos eſſe: atque ita ſolutos, ut nihil in poſterum boni agere debeant. A ferendis moleſtiis, quantum fieri poteſt, ſeſe ſubducunt atque eximunt. Quum alii affliguntur, magnanimi ac fortes videri volunt: Deum blaſphemari aiunt, ſiquis lamentetur, aut ſenſum aliquem doloris præ ſe ferat. Ut aliquando me præſente Quintinus, homini vehementer ægrotanti, propterea quod ſolum id dixiſſet: Heu, Deus mi, quantos dolores ſentio: adjuva me: objurgans, reſpondit: Ain vero? rectene hoc dicitur, Chriſtum male habere? nonne dolores ipſius omnes præterierunt? Nonne eſt in gloria Patris ſui? Huc uſque tantum progreſſus es? Sed quum ipſos exercet Deus, ſtupent attoniti, quod homines ſe eſſe reperiant, diſſimiles Filio Dei: aut ſaltem, quod in ſe non reperiunt idolum illud, quod ſibi in aëre fabricarant. Ut Coloniæ ſuperiore æſtate unus ex hoc grege conquerebatur gemens: An, inquit, me adhuc pati oportet, quum omnia conſummata ſint? En quid proficiunt, quum deliriis ſuis naturam rerum transformant. Nec dubium, quin Filius Dei injuriam ulciſcatur, quam ipſi inferunt, dum ejus nomen ſic uſurpant, ut perverſiſſime abutantur. Nos vero, quum intelligimus nomen Chriſti tam nequiter profanari ab ipſis, ut eorum abominationibus ſerviat, ne commoveamur, illud eorum ore pronunciari audientes, niſi ut tantum ſacrilegium eo magis execremur.

Cap. XVIII.

Qua ſignificatione Libertini verbum Regenerationis accipiant: & è diverſo, quid juxta Scripturæ veritatem ſignificet.

FAtentur quidem nobiſcum, nos Dei filios eſſe non poſſe, niſi renati ſimus. Ac prima quidem facie idem nobiſcum ſentire videri poſſint, ſi tantum verba ſpectentur. Magnificis enim & ſplendidis admodum verbis utuntur, ut regenerationem extollant. Et vero, quum in ipſorum ore verba iſta reſonare audimus: ſi Dei ſumus, veterem hominem in nobis crucifigi oportere: veterem Adamum interire: mortificari carnem noſtram: mundum deſtrui, ne peccatum in nobis regnet amplius: quis non falleretur? Eſt enim pura Scripturæ doctrina, & præcipuum vitæ Chriſtianæ caput: adeo, ut in his verbis nihil reprehendi poſſit: neque Angeli ipſi melius loquerentur. Ipſe enim Deus nos ſic loqui docuit. Sed quum explicandum eſt, quid per ea ſignificare velint, omnia pervertunt: tum impias & execrabiles blaſphemias ſuas evomere incipiunt: ut non ſolum omnem timorem Dei & ſanctitatem vitæ evertant, verum etiam honeſtum omne, quod etiam apud Gentes ſemper inviolabile fuit: atque omnibus frena laxant, ut ſinant unumquemque in omni libidinum etiam belluinarum genere volutari.

volutari. Hoc enim principium ſumunt: nempe, regenerationem eſſe reſtitutionem innocentiæ, in qua Adam, antequam peccaſſet, conſtitutus erat. Hunc autem innocentiæ ſtatum ſic accipiunt: nihil dignoſcere, nec inter album, quod aiunt, & nigrum diſcernere: quia hoc Adæ peccatum fuit, comedere de fructu ſcientiæ boni & mali. Sic, ex eorum ſententia, veterem Adamum mortificare nihil aliud eſt, quam nihil diſcernere, quaſi mali cognitione ſublata: ac puerorum more naturalem ſenſum atque inclinationem ſequi. Huic orationi locos Scripturæ accommodant, quibus puerllis ſimplicitas commendatur. Quaſi Spiritus Dei jubens nos pueris infantibus ſimiles eſſe, non etiam ſimul adjungat: haudquaquam ſenſibus, ſed manſuetudine, ſinceritate, ſimplicitate eos referre oportere. Quaſi vero rurſus non moneat, ut creſcamus in Chriſto, donec ad juſtam & perfectam ætatem pervenerimus. Quaſi non requirat à nobis, ut prudentia ſpirituali abundemus. Quaſi non hortetur, ne temerarii & inconſiderati ſimus, ſed circumſpecti, quæ ſit voluntas Dei intelligentes. Quis ad convincendam impiorum iſtorum impudentiam, qui Scripturas ſic depravare audent, clariores interpretationes deſideret? Ad præcipuum igitur ipſorum axioma redeamus. Si quem videant mali conſcientia moveri: O Adam, inquiunt, adhuc aliquid cernis? Vetus homo nondum in te crucifixus eſt? Si quem perſpiciant timore judicii divini percelli: Adhuc, inquiunt, pomi guſtum habes? Cave ne buccella te iſta ſtrangulet. Si quis peccata ſua conſiderans ſibi diſpliceat, ac mœtore afficiatur: peccatum adhuc in ipſo regnare aiunt: & ſenſu carnis ſuæ captivum teneri. Ut autem facilius iſtorum turpitudo innoteſcat, notandum eſt, peccatum, mundum, carnem, veterem hominem, nihil aliud eſſe apud ipſos, quam id quod Opinationem vocant. Sic, modo ne amplius opinemur, ex eorum ſententia non peccamus. Sub hac autem opinatione comprehendunt omnem ſynteréſin, ſcrupulum, denique ſenſum omnem judicii Dei. En præclara regeneratio, quæ ediſcitur in eorum ſchola: ne ulla omnino re amplius animus tangatur: ſed ad libidinem noſtram ſine ulla difficultate vivamus. Qui nullam habent rationem peccati, ipſum pro nihilo ducentes, Novas creaturas vocant: quod ab opinatione vacui ſint, ſicque nullum in ſe peccatum habeant. En, in quo conſtituunt beneficium redemptionis per Chriſtum factæ: nempe, quod opinationem illam deſtruxit, quæ Adami culpa in mundum ingreſſa erat. Quum hæc opinatio abolita eſt, nullus, ex eorum ſententia, ſupereſt aut mundus, aut diabolus. Nullum enim alium, à quo infeſtentur, inimicum habent. Unde apparet bene ipſis cum Satana & poteſtatibus inferorum, quum eas omnino nihili faciant, convenire. Atqui, Spiritus Dei longe aliter de regeneratione loquitur. Quod ſi nos omnino deficerent Scripturæ, ſola tamen humana ratio, abunde ſufficeret. Rationem intelligo, non eam quæ ſtultitiæ damnata eſt, ob cæcitatem quæ inſita eſt nobis: ſed rationem quæ naturaliter animis noſtris impreſſa eſt à Deo, ut omnis excuſatio & ignorantiæ prætexus infidelibus adimatur. Naturalis igitur ille ſenſus veluti edictum manu Dei inſculptum in nobis, ſatis oſtendit ac dictat ſanctam & honeſtam vitam, quam fatentur omnes regenerationis Chriſtianæ fructum eſſe, non conſiſtere in eo, ut bonum & malum ignoretur, ſed potius ut inter utrumque diſcerni poſſit, ut ab omni iniquitate puri & vacui ſimus, & conſcientiæ teſtimonium coram Deo, operam vero coram hominibus habeamus. Hic eſt naturalis ſenſus, quem Deus ab initio, ut in-

Rom. 2. verſ. 15. quit Paulus, gentibus omnibus dedit. Scriptura vero nos adhuc clarius docet, qualis ſit regeneratorum ſtatus. Haud certe is eſt, qui nos ita ſecuros reddit, ut ſine diſcrimine quicquid collibitum fuerit, ſequamur. ſed contra, ut vigilantiores ſimus, quam unquam, & majore cum prudentia ac ſollicitudine, quam antea incedamus. Admonet enim diabolum *1 Petr. 5. verſ. 8.* hoſtem noſtrum perpetuo inſtare, ac circumire, ut prædam ad ſe aliquam rapiat: ideoque ne nos intercipiat, ſine intermiſſione vigilandum: ejuſque tentationibus aſſidue obſiſtendum eſſe. Similiter bellum continenter & ſine induciis gerendum adverſus carnem noſtram, & vitioſas cupiditates, quibus ad malum incitamur: peccatum habitare in nobis, cui ſemper obſiſtendum. Minime etiam nos ſomnolentos reddit, neque eo adducit, ut nulla amplius culpæ conſcientia moveamur: quum dicit, juſtum à ſeipſo accuſari: & felicem eum pronunciat, qui animum *Prov. 28. verſ. 14.* ſuum ad timorem ſollicitat, in memoriam reducens judicium Dei, quo ſeſe cohibeat, & ad humilitatem inſtruatur. Verum ut brevem & perſpicuam totius rei definitionem habeamus, talis Scripturæ doctrina, regenerationem in pœnitentia conſiſtere. Pœnitentia enim, ut proprie loquamur, nihil aliud eſt, quam abnegatio noſtri: ut ſimus novæ creaturæ, & juxta Dei voluntatem vivamus. Quid autem iſta ſignificent, nemini ignotum eſt: an, ut omni ſollicitudine abjecta, molliter & delicate vivamus, rerum nominibus immutatis: an, ut vim afferamus animo noſtro, eumque ab inclinatione naturali in obedientiam Dei reducamus, ac perverſos noſtros affectus corrigamus. Verum, ne ſim prolixior, quod accidere neceſſe eſſet, ſi plenius iſta tractare vellem, tantum producam aliquot Scripturæ teſtimonia: ſed adeo perſpicua, ut nemo ſit tam rudis, qui non aperte intueatur, Regenerationis vocabulum, quo impii iſti abutuntur, veræ regenerationi ac Chriſtianæ aperte tam contrariam eſſe, quam eſt igni aqua. Primum enim, pro eo quod garriunt Chriſtianum debere ſeſe affectioni ſuæ committere, neque amplius peccatum intueri. Econtratio, Chriſtianos omnes hortatur Paulus, ut mortificent terrena membra ſua: nempe, *Coloſſ. 3. verſ. 5.* ut ipſe exponit, pravas cupiditates, fornicationem, avaritiam, ambitionem, & ejuſmodi. Ut timorem eis incutiat, mittit eos ad judicium Dei: inquiens, propter ea iram Dei in rebelles provocari. Jubet, ut vetere homine abnegato, de die in diem renoventur. *Epheſ. 4. verſ. 22.* Monet, ut ſobrietati ſtudeant, ſicuti decet filios lucis. Hortatur ne vanis adulationibus decipi ſe ſinant. Commonefacit, ut in vocatione ſua cum timore & *Philip. 2. verſ. 12.* tremore ambulent. Ipſos non ad immunditiem, ſed ad ſanctificationem vocatos eſſe commemorat. Ex- *1 Theſſ 4. verſ. 7.* hortationes iſtæ, quibus avocamur à malo, ad bonum vero incitamur, tam vulgares ſunt in Scripturis, ut nihil magis. Quid vero, ut jam dixi, Dominus Apoſtolos prædicare juſſit, niſi pœnitentiam & remiſſionem peccatorum? Idque non unum tantum diem, aut primo ingreſſu, ſed uſque in finem. Idcirco, Paulus teſtari volens, ſe ſuo munere rite defun- *Actor. 20. verſ. 21.* ctum eſſe, ait, ſe utrimque tum Judæos, tum Gentes docere non deſtitiſſe. Quamobrem, omnes qui puræ veritati Dei adhærere volent, dent operam, ut toto vitæ ſuæ tempore in ea pœnitentiæ doctrina aſſidui ſint: quæ continet, ut virtute Spiritus Dei & gratia ipſius adjuti, opera carnis mortificemus: nec peccatum regnet in nobis: ut ab ingenio proprio atque animo transformemur, & reducamur in obedientiam Chriſti, à pollutionibus hujus mundi caveamus: quo in vocatione noſtra contineamur. Quod ad innocentiam perfectam attinet, quam iſti imaginantur, fingentes hominem regeneratum ab omni peccato purum & immunem eſſe: atque regenerationem inſtar Angelici eſſe ſtatus, in quo homo delinquere aut labi non poſſit: ſi res ita ſe haberet, quo pertineret oratio, qua nos Chriſtus precari juſſit, ut remittat Deus nobis debita noſtra? Id enim ad infideles non pertinet. Sed omnes filii Dei ſic juxta regulam Chriſti orare debent. Hæc oratio teſtificationem continet, qua fideles ſe peccatores eſſe confitentur. Quiſquis ejus ordinis eſſe recuſat, à numero filiorum

Digitized by Google

Dei ſeſe excludit. Si exemplum ſpeciale quæritur, an ullus inter omnes mortales nominari poterit tam integer, quam Paulus fuit, aut pietatis tam eximiæ? Fatetur autem ſe dum his corporis vinculis conſtringebatur, aſſidue ei belligerandum fuiſſe adverſus peccatum, quod in ipſo habitabat: ſua autem infirmitate adeo præditum ut bonum quod volebat minime efficere poſſet. Atque ad extremum tandem exclamat: *Rom. 7. verſ. 24.* Miſer ego homo, quis me liberabit de iſto corpore mortis? In quo ſignificat, nullam aliam rationem iniri poſſe, qua in perfectionis ſtatum evehatur, atque eripiatur à ſervitute peccati, quam ſi è corpore excedat, in quo captivus, velut in carcere tenebatur. Subſannatores iſti quidem, quæ illic Paulus tractat, depravantes, quum reprehenduntur de maleficiis ſuis, certo proverbio utuntur: ſe illa minime admiſiſſe, ſed aſinum. Quanquam id minime conveniat cum iis quæ dicunt de perfecto Chriſtianorum ſtatu, ac manifeſta ſit in eorum ſermonibus repugnantia, turpiſſima tamen & execrabilis blaſphemia eſt, aſinum ſuum, ut à malo ſeſe excuſent, inſtar clypei opponere. Quum enim dicit Paulus, Non ego malum operor, ſed peccatum quod habitat in me: non ideo ſe juſtificare vult, aut jocando vitiorum ſuorum culpam alio rejicere: ſed tantum oſtendere vult, hanc præcipuam eſſe affectionem ſuam, ut ad Dei voluntatem omnino conformetur: quod ſi aliquid in eo deſideretur, non ideo fieri quod ſit malo deditus, ſed quod infirmitate carnis ſuæ ita rapitur, ut non poſſit ex animi ſententia in ſolidum Deo ſervire. Sicuti etiam poſtea dicit: *Rom. 8. verſ. 14.* Qui filii Dei ſunt, Spiritu Dei duci debere: ne obſequantur carnis affectibus. Certum eſt autem, peccatum in filiis Dei habitare, quamdiu verſantur in hoc mundo, non tamen regnare. Impediuntur quidem, & variis afficiuntur moleſtiis à carne ſua: ſed non ita eam ſequuntur, ut vinci ſe ſinant. Idque ſatis demonſtrat Paulus. Poſteaquam enim ſe malo aſſenſum non præbere dixit, non eo minus ſe infelicem cenſet, ob captivitatem, in qua detinetur. Imo vero nobis expreſſam imaginem ſtatus regeneratorum in ſeipſo proponit, atque exhibet, inquiens fidelem hominem veluti in duas partes diviſum eſſe: nempe, quatenus reformatus eſt per verbum Dei, aſſentitur bono: ſed quatenus corruptæ naturæ reliquiæ adhuc in ipſo manent, repugnantiam ſentit ejuſmodi, ut ipſius caro, hoc eſt, ea pars quam nondum reformatam à Deo adhuc in ſe reliquam habet, ipſum abripiat, & ad contraria impellat. Si quæratur, unde proficiſcitur iſta repugnantia, rationem reddit: Quia, inquit, Lex ſpiritualis eſt, id eſt, perfectam vitæ ſanctitatem & conſcientiam puram atque integram requirit: nos autem è contrario carnales ſumus. Iis igitur, quæ definit, acquieſcamus: nempe, fideles omnes, quamdiu hic degunt, Legi Dei parere: quatenus per gratiam ejus renovati ſunt: verum, ſecundum carnem, peccato eſſe obnoxios. Ita Chriſtianorum perfectio, ut tribus verbis abſolvam, in eo ſita eſt, ut ſine ulla ſimulatione puro colendi Dei affectu ducantur: ne ſint animo duplices: ſed ſincera & ſimplici integritate præditi, ita ut teſtari poſſint, ſe hoc præcipue in votis habere, ut placeant Deo. Interim, ut ait Auguſtinus, ſumma eorum perfectio erit, agnoſcere imperfectionem ſuam: atque aſſidue infirmitates ſuas coram Deo confiteri. At iſti fanatici, quo errorem *1 Joan. 3. verſ. 9.* ſuum probent, hac Joannis auctoritate niti volunt: Qui natus eſt ex Deo, non peccat. Hoc quidem ipſis facile concedo, ſi quis perfecte regeneratus reperiri poſſet, nullum in eo peccatum fore. Sed in hoc tota verſatur difficultas: ut ſciamus, an regeneratio unquam in ullo mortalium fuerit perfecta. Aio vero nullum ab origine mundi exemplum extitiſſe. Quare Joannis verba nihil aliud ſignificant, quam hominem, quatenus regeneratus eſt à Deo, non peccare: ſed quia id tantum ex parte factum eſt: quamdiu vitam trahimus in hoc mundo, ne imaginemur nos jam ad metam perveniſſe, quum adhuc iter faciamus. Objiciet aliquis ſupervacaneum videri, eo ſenſu Joannis verba accipi: atque adeo aliam eſſe Joannis mentem, ex ipſo contextu apparere. Reſpondeo, Joannem quidem ſignificare velle, haud amplius in homine regnare peccatum, ex quo regeneratus eſt. Gratia enim Spiritus Dei in eo ſuperior eſſe debet, ad cohibendas omnino & comprimendas affectiones carnis. Verum hoc interim perpetuo tenendum eſt: hominem à ſervitute peccati eximi juxta menſuram gratiæ ab eo acceptæ, quæ uberior aliis, aliis tenuior exhibetur: ſed in nullo omnino, quiſquis ille ſit, plena atque abſoluta fuit. Nec profecto Joannes alio interprete indiget, quum ſeipſum ſatis explicet, jubens omnes pro remiſſione peccatorum orare, inquiens: Si quis ita ſibi imponat, ut ſe peccato carere putet, *1 Joan. 1. verſ. 8.* fallitur, vultque mendacii Deum arguere. Hæc itaque ſufficere debent ad demonſtrandam veram regenerationem filiorum Dei, qualis ſit eorum perfectio in hoc mundo: & quam contraria ſint infelicium iſtorum deliria, iis quæ de utroque docent Scripturæ: quum ſanctitatem fidelium conſtituant in ignorantia belluina, ſuadentes hunc innocentiæ ſtatum eſſe, naturæ appetitum ſequi: atque hominem tunc perfectum eſſe ſomniantes, quum judicii Dei oblitus, nullam amplius boni aut mali rationem habet: ſed quicquid ei collibitum fuerit, id bonum eſſe cenſet.

Cap. XIX.

De libertate Chriſtiana quomodo eam accipiant Libertini: qualem è diverſo nobis eam Scriptura tradat.

PRæclara iſta renovatione, quam nobis fabricati ſunt, conſtituta, libertatem Chriſtianam deinceps ita extendunt, ut ſtatuant omnia homini ſine exceptione licita eſſe. Ac certe poſtquam homo in belluam converſus eſt, cur ei belluinum affectum ſequi non licebit? tametſi aut cohibentur aliæ beſtiæ, aut ligantur catenis, aut includuntur. Inſani vero iſti ſic homini frena laxant, ut nulla re prorſus retineri aut impediri poſſit, quominus ſibi omnia permittat. Primum, quum Scripturæ oſtendant nos à Legis maledictione exemptos eſſe, ſicque in libertatem vindicatos, ne amplius horribili ſententiæ obnoxii ſimus, quam tranſgreſſoribus denunciat: phrenetici iſti, ſublata omni diſtinctione, totam Legem abolere volunt: inquientes, nullam amplius ejus habendam eſſe rationem, propterea quod in libertatem aſſerti ſimus. Hoc adhuc planius & apertius reddam. Duo in Lege conſideranda ſunt: nempe doctrina, quæ bene vivendi regula eſt. Ea enim oſtendit Dominus quid ſibi gratum ſit, quidque approbet. Itaque doctrina Legis eo ſpectat, ut nobis viam & rationem oſtendat, qua vita noſtra ad Dei voluntatem conformetur. Alterum, eſt rigor: eo quod maledictionem omnibus denunciat, qui vel apice in uno lapſi fuerint: neque ſalutem promittit, præterquam iis qui omnia præcepta perfecte obſervarint. Quamdiu rigori iſti locus eſt, omnes à vitæ ſpe dejicimur, atque ſub condemnatione includimur, quam omnibus denunciat. Nemo enim omnium mortalium reperietur, qui in iis quæ requirit, ſuis defungatur partibus. Sic omnes in deſperationem conjectos cernimus, ſi Lex cum appendicibus ſuis auctoritatem in nos obtineat. Nam fieri omnino non poteſt, ut iis quæ à nobis requirit ſatisfaciamus: condemnationem autem effugere quî poſſumus? Nullum igitur aliud ſupereſt remedium, quam ut ab ejuſmodi ſervitute in libertatem vindicemur. Manumiſſionem iſtam nobis affert Euangelium: quum aſſerit nos ſub *Rom. 6. verſ. 14.* Lege amplius non eſſe. Hic porro nunc controverſia eſt: quod phrenetici iſti his verbis intelligant Legem prorſus abrogatam eſſe, ut eorum quæ docet, nulla amplius ratio habeatur: ſed ſinamus eam quieſcere, tanquam doctrinam, quæ nulla in re ad nos

ſpectet.

ſpectet. Sed longe alium eſſe Dei mentem, & Scripturæ ſententiam, nemini ſano dubium eſt: nempe doctrinam illæſam in ſuo ſtatu permanere, ut nos in rectam viam deducat: tantum ſublatam eſſe maledictionem, ita ut quamvis infirmitate labamur, grati Deo eſſe non deſinamus: cultumque quem ipſi exhibemus, quamvis imperfectum, nihilominus acceptum habeat: quia culpam, qua rei ſumus, nobis
Rom 6. remittit. Paulus enim poſteaquam in Epiſtola ad
verſ. 14. Romanos de libertate Chriſtiana tractavit, ac dixit nos ab ejus ſervitute liberatos eſſe: nos nihilominus ad ejus doctrinam reducit, docens eam obſervari debere. Quomodo hæc inter ſe conveniunt: nos amplius ſub Legis ſervitute haudquaquam teneri: doctrinæ tamen ipſius ad vitam noſtram regendam adhuc eſſe locum? Perſpicue cernimus, libertatem hanc, maledictionem tantum aut rigorem ſpectare.
Galat. 5. Idem facit in Epiſtola ad Galatas. Poſtquam enim
verſ. 13. fideles hortatus eſt, ut libertatem ſuam tueantur, ſtatim ſubjicit, ac jubet ut charitatem colant, quod ſit Legis plenitudo. Denique nulla extat ejus Epiſtola, in qua non remittat eo fideles, tanquam ad bene vivendi regulam, ad quam omnes conformari decet. Quod ſi illa tantum extaret admonitio, qua ſcribens ad Galatas, præcipit ne abutamur libertate noſtra, aut in effrenem carnis licentiam prorumpamus: ea reſtrictio, antevertendæ canum iſtorum impudentiæ ſufficere poſſet, qui jugum omne excutiunt: ut ſublata omni lege ac regula, quamlibet vitæ degendæ licentiam ſibi indulgeant. Simili exhortatione uti-
1 Petr. 2. tur Petrus, quum ait libertatem Chriſtianam quam
verſ. 16. nobis Chriſtus acquiſivit, nequitiæ velum eſſe non debere. Quomodo vero id fieri poteſt, niſi quum à rigore Legis liberamur, ne per eam amplius coram Deo maledicti ſimus: ac nihilominus ex ejus præſcripto inſtituamus vitam noſtram? quum bona & ſalutaris doctrina eſſe non deſinat, quamvis illam ſeveritatem, tam erga nos, quam erga infideles, exercere deſierit. En præclarum principium quod ſtatuunt Libertini, in tractanda libertate Chriſtiana. Deinceps Scriptura docet abrogatas eſſe veteres ceremonias, ideoque nos ad earum obſervationem minime aſtrictos eſſe: ac generatim conſcientias noſtras rebus externis minime obligari: ſed potius omnes nobis eſſe ſubditas, ac nullam idcirco poſſe nobis neceſſitatem imponi. Vertiginoſi vero iſti, in univerſum doctrinam hanc ſumunt, acſi ad omnia extenderetur, atque ad ea ipſa quæ Dominus ſevere à nobis exigit, ſine quibus nulla poteſt ſanctitas aut honeſtas vitæ conſiſtere. Ut autem hæc facilius declarentur, Scripturæ ſententias ſumam: quas iſti, dum eas imaginationibus ſuis accommodant, omnino perver-
1 Cor 6. tunt. Paulus omnia ſibi licere aſſerit. Quorſum id di-
verſ. 12. cat, nemo mentis ſuæ compos non perſpicit. Id quod
1 Cor 10. etiam circumſtantia loci aperte demonſtrat: de rebus
verſ. 23. enim externis agitur: veluti, de carnium eſu, quæ idolis ſunt conſecratæ: modo abſit ſuperſtitio. Quoniam id indifferens eſt, Paulus id per ſe licere fatetur, ſed uſum ejus ad ædificationis normam moderandum eſſe. Dæmoniaci vero iſti, generalem ſententiam ſtatuunt: eoque prætextu nihil omnino Chriſtiano homini vetitum eſſe volunt. Quaſi vero Paulus ſcortari, furari, atque homicidam eſſe, licere intelligat. Quid vero? Quamvis Scripturam univerſam, quum eis viſum eſt, irrideant: hic tamen ſimulant ſe ejus verbis inſiſtere. Qui omnia, inquiunt, nominat, nihil excludit. Verum materiam, de qua illic agitur, ſpectare oportuit, non evagari extra oleas. Nam de re media illic tractabat Paulus, quæ nec bona per ſe, nec mala, ſed ex conſequutione judicanda eſt. Oſtenderat ſe abſtinuiſſe ab iis quæ ſibi per Deum licebant, ut omnem offenſionem vitaret: rurſum patefecerat id magnam offendiculi cauſam præbere, quod erat in controverſia. Ut tandem concludat: ait, non quod nobis licet ſpectandum, ſed quid expediat, idque in ædificationem fratrum. His autem feræ iſtæ beſtiæ inferre volunt ſine exceptione, licita eſſe omnia. Verum, hanc eorum impudentiam ne miremur, quum ad hæc adjungere non vereantur, quæ Paulus ante 1 Cor. 9.
dixerat. Nonne mihi & Barnabæ poteſtas eſt circum- verſ. 5.
ducendarum uxorum? Adeo, inquam, inverecundi ſunt, ut pro clypeo hanc ſententiam objiciant, quo tollant omne diſcrimen boni & mali. Sed qua de re loquitur Paulus? Haudquaquam de re vetita à Deo: de matrimonio enim agit, quod Deus omnibus hominum ordinibus permittit. Eo ſe minime uſum eſſe gloriatur: aut ſaltem quod in iis peregrinationibus, quas ſuſcipiebat, non circumduceret uxorem, ne id ipſi impedimento eſſet. Si id egiſſet, nihil admiſiſſet mali: verum ſponte abſtinebat, ut quorundam infirmitatem ſuſtineret. Nonne mare uno paſſu tranſilire eſt, ſic eam torquere ſententiam, ut probent omnia licere homini Chriſtiano, eique nihil prorſus vetitum eſſe? Hæc exempla ſufficient monendis lectoribus, quam impudenter canes iſti lacerent Scripturas, ut diabolicæ ſuæ libertati, quam in medium proferre conantur, prætextum ex eis aliquem afferant. Sed hoc libertatis tegumento ſimulationem occultant, qua fingunt ſe omni impietati & idololatriæ conſentire. Homini enim permittunt ante idola genu flectere, candelas offerre, peregrinationes ad divorum templa ſuſcipere, celebrare Miſſas, denique fingere ſe aſſentiri omnibus abominationibus Papiſtarum: licet eas in animo ſuo irrideant. Si objiciatur, nos debere glorificare Deum in corporibus noſtris, ac coram hominibus Chriſtum confiteri, fidemque noſtram teſtari coram mundo, reſponſionis loco hunc libertatis clypeum ſolummodo objiciunt. Sed quia in alio tractatu de hac materia abunde ſcripſi, illuc lectores remittere malo, quam nunc diutius immorari. Ac profecto ſola iſta monitio convincendæ iſtorum impudentiæ ſufficere poteſt: quod ad ea pertinet, quæ Deus juſſit aut vetuit, nulla ſit immutandi libertas. Neceſſitas enim inviolabilis eſt. Cætera ſunt indifferentia, & poſita in noſtra libertate: ſic tamen ut ſemper in ædificationem illis uti ſtudeamus.

Cap. XX.

Quid Libertini per vocationem fidelium intelligant: & quomodo ſub hoc colore, omnem turpitudinem excuſent.

PAulus admonet ut unuſquiſque in ea vocatione 1 Cor. 7.
in qua vocatus eſt, permaneat. Vocationis au- verſ. 20.
tem nomen, omne genus vitæ ac ſtatum comprehendit, inſtitutum à Deo & fundatum in verbo ipſius. Hoc enim Scriptura nobis præcipue commendatum eſſe vult: ut ſic inſtituamus vitam noſtram, ne pro animi libidine, quodcunque viſum fuerit deligamus: ſed ea quæ ipſe probavit, ſequentes, intra verbi ipſius terminos contineamur. Apoſtoli igitur mens talis eſt: ut unuſquiſque in eo ſtatu, in quo vocatus eſt, Deo ſerviat, eoque ſit contentus: ne expetat mutationem, ne irruat in munus alterius, ne invitus aut perfunctorie officium faciat: nam de matrimonii ſtatu & virginitate loquebatur. Capta occaſione etiam loquitur de aliis. Ad id concludit, ut unuſquiſque in ſua conditione ſeſe contineat: ſi modo vocatio legitima fuerit. Infelices iſti ſententiam hanc evertunt, ut probent ac perſuadeant omnibus, unumquemque oportere naturalem inclinationem ſequi, atque ſic agere & vivere ut libebit, aut è re ſua eſſe videbitur. Tametſi proverbium hoc vulgare ſit inter homines, Ululandum eſſe cum lupis: qui tamen eo utuntur, id laudare non auſint tanquam probe factum: ſed qualemcumque hanc excuſationem ſumunt, ut culpam ſuam leviorem reddant. Miſeri vero iſti, non ſolum iniquitatem excuſant, dum fatentur id eſſe ululare cum lupis, quum quis ſociorum corruptela & contagione ad nequitiam abducitur: verum etiam honorando hoc vocationis titulo, ipſam ornant, quaſi nos Deus ad eam vocaret. Sed notandum eſt,

tria prorſus diabolica in hoc articulo contineri. Primum eſt, quod nulla ſit in orbe vivendi ratio, quam ipſi non probent, tametſi Deus eam verbo ſuo condemnet. Veluti ſacerdotium Papale bonum eſſe cenſent. Itaque ex eorum ſententia Canonicus aut maleficiatus aliquis in cœno ſuo delireſcere debet, quæ idolis offeruntur comedere, ſacrilegiis veſci, Miſſam canere, & alia peragere ejuſmodi. Vocatio enim ipſius eſt. Monachi in clauſtris ſuis, tanquam porci in hara ſtertere ac ſaginari debent. Eſt enim ipſorum vocatio. Hinc accidit, ut quum aliquando Quintinus ſolenni cujuſdam Cardinalis Miſſæ adeſſet, diceret ſe gloriam Dei videre. Neque ſolum hoc prætextu omnia vitæ genera probant, quæ repugnant veritati Scripturarum: ſed etiam ea quæ Gentes ſenſu tantum naturali præditæ condemnarunt. Leno, inquiunt, fungatur munere ſuo: fur audacter furetur: eſt enim conſentaneum rationi, ut unuſquiſque vocationem ſuam ſequatur. Si quis ex adverſo objiciat, tam fœda illa eſſe, ut natura nos ab eis abhorrere doceat: reſpondent, hoc ſolum ſufficere, quod unuſquiſque in ſua vocatione permanere debeat. Jam vero reprehendendæ hujus blaſphemiæ rationem oſtendimus: nempe, conſiderandum quo nos Deus vocet: & pro vocatione habere, ſtatus omnes quos probat, & pro legitimis habet: omnem vitæ degendæ rationem, cui nullum à voluntate ipſius teſtimonium datur, non ſolum incertam & periculoſam cenſere, ſed errabundum curſum, tanquam hominis ab itinere ſuo averſi, & per devia loca vagabundi. Cæterum, quæ repugnant verbo Dei, per ipſum reprobanda, ac pro certo inferorum ingreſſu habenda ſunt. Alterum eſt, quod abuſus & corruptelæ, quibus omnes vitæ ordines hodie infecti ſunt, nihil habent mali. At mundum univerſum adeo corruptum ac diſſolutum hodie cernimus, ut horrendum ſit quantis vitiis turgeant omnia genera vitæ, quæ per ſe alioqui legitima & bona ſunt: non quod ideo licita eſſe deſinant: ſed vitia corrigi oportet. Veluti nobilitas vanitatis plena eſt, atque immodicæ pompæ, ſuperbiæ, diſſolutionum, inſolentiæ, blaſphemiarum, ambitionis. Forum judiciale favoribus, avaritia, fraudibus, refertum eſt, atque adeo, laniena quædam eſſe videtur. Mercatorum commercia mendaciis, dolis, perjuriis, rapinis, deceptionibus, crudelitate ſcatent. Denique nulla eſt omnino vitæ conditio, in qua flagitia multa non admittantur. Belli vero iſti doctores, inter puram inſtitutionem Dei, & hominum corruptionem diſtingui nolunt: ſed omnia ſub vocationis titulo comprehendi. Ita profecto ſi huic theologiæ adhibetur fides, culpa vacabunt nobiles inſolentes ac protervi, atque etiam profligatæ libidinis, proſtituti ad omnem vanitatem & pompam, denique in omni voluptate diſſoluti. Sic enim fert eorum vocatio. Quamobrem? Quoniam ita ſe gerit mundus. Quaſi vero hominum conſuetudo, Dei juſtitiam immutet. Si judex jus habeat venale, ſi alterum ſublevare velit, quo alterum oneret: ſi bonam cauſam opprimat, quo faveat injuſtæ, minime vituperandus erit. Eſt enim rationi conſentaneum, ut unuſquiſque vocationis ſuæ curſum ſequatur. Si mercatores monopoliis univerſum orbem deſtruant, ſi merces fucent atque adulterent, ſi pejerent qualibet hora, ut fraudent & circumveniant alios: ſi quicquid arripere poterunt, expilent ac devorent, obmuteſcendum eſt: alioqui Dei vocatio blaſphemabitur. Quis, quæſo, orationem adeo execrabilem ex hominis ore prodituram exiſtimaret? aut ullum hominem ita mente captum fore, ut auſit res tam abſurdas ac turpes in medium proferre? In iis tamen gloriantur, acſi præclara quædam eſſet ſubtilitas. Tertium eſt, quod omnis hominum inclinatio, ſive à natura ſive à mala conſuetudine proficiſcatur, vocatio Dei eſt. Veluti, ſi quis ad ebrietatem ſit proclivis, hoc vitium in eo vituperare non licet: ad id enim vocatus eſt. Si quis ludo ſit deditus, tolerandum: non eſt enim à ſua vocatione abducendus. Denique volunt unumquemque appetitum ſuum ſequi pro regula: & coe hominis quoquo impellat, vocationis ſuæ magiſtrum eſſe. Ex hoc fonte turpiſſima omnium quæ unquam audita fuère lenocinia ſequuta ſunt: nempe, tum viris tum mulieribus permittunt ſeſe quibuſcunque viſum fuerit, copulare. Idque matrimonium ſpirituale vocant, quum alter altero contentus eſt. Si quis igitur non oblectetur uxore ſua, alias mulieres, quas ſibi adjungat, quærere poteſt. Interim, ne uxor deſtituta ſit, ei conditionem meliorem quærere, & ubicunque oblata fuerit, eam accipere permittunt. Si quis igitur petat, quid de matrimoniis fiet, quæ indiſſolubilia eſſe exiſtimantur, ſi ea adeo temere retractare liceat? Aiunt matrimonium etiam ſolenni ritu initum coram hominibus carnale eſſe, niſi ſpiritus ipſi bene conveniant, atque ideo Chriſtianum hominem minime ad id aſtrictum eſſe, ſed id ſolum inter Chriſtianos firmum eſſe debere, in quo utrique ſimul cum altero bene eſt. Quanquam, neque hæc firmitas perpetua eſt: nam ſimulatque adulteram ſcortatoris ſui tædium ceperit, eum ſubinde commutare poteſt, ſi quis alius magis gratus ſeſe offerat. Similiter ſcortator, hac & illac procandi cauſa ſe inſinuans, ut novas uxores ſpirituales acquirat, & quas repererit aſſumat. Et adeo impudentes ſunt, ut talem turpitudinem tegant vocationis prætextu: quoniam, ut dixi, interpretantur id eſſe vocationem, animi appetitum ſequi. Nunc conſiderent omnes quid ſalvum manebit in toto orbe: quid ordinis, quid fidelitatis, quid honeſti, quid ſecuritatis amplius erit: ſi matrimonium, quod ſanctiſſimum omnium fœdus eſt, & quod fidelius ſervari debet, ſic poteſt violari. Matrimonium, inquam, inſtitutum à Deo: in quo tantam vim poſitam eſſe voluit, ut naturales conjunctiones omnes exuperet, adeo ut arctiſſimo neceſſitudinis vinculo, quo filius cum patre conjunctus eſt, præferatur. Matrimonium, quod Chriſtus indiſſolubile eſſe pronunciavit. Matrimonium, quod in nomine Dei conſecratum eſt, ſicut in ipſius auctoritate fundamentum habet. Matrimonium, quod Solomo divinum fœdus appellat: quod Paulus comparat unioni ſpirituali, qua cum Chriſto juncti ſumus. Nonne eos à Satana poſſideri neceſſe eſt, quum tam prodigioſe omnia confundunt: & tanquam cælum terræ permiſcent? Quod aiunt: matrimonium illud carnale eſſe, quum viri animus uxori minime adhæret, aut maritus uxori parum gratus eſt: nonne turpiſſimæ impudentiæ eſt, promiſſionem ſolenni ritu in nomine Dei coram Eccleſia factam ſic ridere? Quod reſpondent, hominem Chriſtianum nulla obligatione conſtringi: quæro, quo de vinculo loquebatur Dominus, quum aiebat, Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet? Neque enim quicquam tunc auditum fuerat de execrando iſto matrimonio ſpirituali. Quæro, quorſum Paulus viros hortatur, ut uxores ſuas diligant: ac jubet utroſque ad extremum uſque diem vitæ una vivere? Quod ſi diſſenſio aliqua ſuboriretur, vetat ne uxor nubat alteri. E diverſo canes iſti matrimonium carnale, ideoque nullius momenti eſſe aiunt, ſi uxorem mariti ſui tædium ceperit. Paulus jubet uxorem reconciliari viro, ſi qua lis aut diſſenſio ſuborta ſit. At ſcriptum eſt hominem à Deo fuiſſe conditum: marem & fœminam creatos eſſe. Itaque tantum reſtat, ut diligamus, quum omnes unum corpus ſimus. Quaſi fruſtra diceret Scriptura, duos fore in una carne. Neque enim aut tres aut quatuor nominat, ſed duo tantum, inquiens: Derelinquet homo patrem & matrem, ut adhæreat uxori ſuæ. Acſi fruſtra Deus Legem ſuam dediſſet, qua vetat uxorem alterius concupiſcere. Quaſi Dominus abſque cauſa adulteria & ſcortationes damnaſſet. Quaſi ſupervacanea eſſet

Pauli

Pauli monitio; qua jubet unumquemque uxore ſua eſſe contentum. Quocirca, ut ptius oſtendi, inſelicem hanc ſectam, licentiam eſſe latrocinia ac homicidia omnia exercendi in hominum corpora: prædandi, expilandi, diripiendi bona omnium, quaſi prædæ expoſita: ſic nunc perſpicimus, ea feneſtam aperiri commaculandis omnibus thoris ac domibus, atque omnis caſtitatis è mundo exterminandæ.

Cap. XXI.

Qualis ſit fidelium communio juxta figmentum Libertinorum.

Jam vidimus quomodo inſelices iſti matrimonium proſanant, homines cum mulieribus, prout libido ducit, permiſcendo, inſtar belluarum. Quo pacto matrimonii ſpiritualis nomine, belluinam hanc pollutionem tegant: ſpiritualem motum vocantes furioſum impetum, quo viri taurorum inſtar, fœminæ ut canes coitus appetitu percitæ, accenduntur. Ut autem nullum ordinem hominibus reliquum faciant, eandem in bona confuſionem inducunt: communionem ſanctorum eſſe dicentes, ſi nemo quicquam poſſideat tanquam ſuum: ſed unuſquiſque, undecunque nanciſci poterit, ad ſe rapiat. Initio nonnulli Anabaptiſtarum cerebro carentes, ſic loquuti ſunt: verum, ex quo tanta abſurditas ab omnibus repudiata fuit, tanquam humano ſenſui contraria, adeo ut primarios auctores ipſos puderet: eam iſti quaſi profugam receperunt, ſicuti eorum ſecta cloaca eſt aut ſentina quædam, in quam omnes ſordes confluunt. Prima quidem fronte ſpecioſum colorem obtendunt, dum conqueruntur de avaritia eorum, qui ſe Chriſtianos vocant: eo quod omnes adeo avidi ſunt lucri, ut major pars, ſint ſimiles famelicis beſtiis, aut potius ſint voragines. Nec profecto dubitandum, quin Dominus permittat: & habenas laxet Satanæ, quo ejuſmodi furioſos impellat, qui ſic bona omnia prædæ conentur exponere: ut ingratitudinem eorum puniat, qui ipſis abutuntur, id eſt, univerſi propemodum orbis. Perſpicitur enim ut hodie omnes & ſummi & infimi accumulandi & rapiendi ad ſe cupiditate, fornacum inſtar, accenſi atque inflammati ſint: quibus etiam artibus & commerciis conentur diteſcere. Videmus ut ii qui potiuntur bonis, ea ingurgitant ſoli, aut incluſa tenent: nec inopum fratrum eos miſeret, ut eorum ſubveniant inopiæ, & bonorum ſuorum faciant participes. Nos Dei monitis non auſcultamus. Eſt igitur rationi conſentaneum, diabolum iſtos inferorum titiones movere atque exagitare, ut confuſionem augeant, quam, Deo admonente, non emendamus. Quare iſthinc initium facere neceſſe eſt: ut ſciamus qualiter nos Deus velit erga opes hujus mundi affectos eſſe: quæ rationes earum acquirendarum licitæ ſint: quis eorum uſus rectus ſit ac legitimus. Primum igitur ac præcipuum eſt, ne bonorum hujus ſeculi cupiditate ducamur. Si premamur inopia, eam moderate feramus: ſi vero potiamur bonis, ne iis animum aut fiduciam adjiciamus: ea à nobis abdicare ſimus parati, quoties Deo libuerit. Sive habeamus ea, ſive careamus: tanquam res caducas & fragiles aſpernemur, atque ſolam benedictionem Dei toti mundo præferamus: ſpirituale Chriſti regnum quæramus, nec pravis cupiditatibus implicemur. Alterum eſt, ut iis quæ ad victum cultumque neceſſaria ſunt, quærendis operam navemus: lucrum quod inde proficiſcetur, capiamus tanquam ex manu Dei: neque malis artibus utamur, quo facultates aliorum ad nos trahere poſſimus: ſed bona conſcientia ſerviamus proximis: fructum laboris noſtri, tanquam juſtam mercedem, percipiamus: ne vendendo aut emendo mendaciis aut fraudibus aut fallaciis utamur: ſed aperte ſimpliciterque agamus omnia, eademque fidelitate, quam requireremus ab aliis. Poſtremum eſt, ut qui pauca habet, non propterea deſinat gratias agere Deo, & placide edere panem ſuum: qui vero abundat, ne per ingluviem aut intemperantiam abutatur: ne per ambitionem aut vanitatem ſumptus faciat ſupervacaneos aut pompæ ſervientes: ſed moderate utendo, facultates in ſe à Deo collatas, proximis ſublevandis & juvandis impendat: agnoſcens ſe Dei veluti œconomum eſſe, ea conditione bona poſſidentem, ut aliquando rationem reddat, ſimilitudinem illam perpetuo mente agitans, qua Paulus divitias cum manna comparat: *2 Cor. 8. verſ. 15.* nempe, ut is qui magna copia abundat, id tantummodo ſumat, quod uſui ſit: cui vero parum eſt, is ne indigeat. Denique, ut quemadmodum Chriſtus ſeipſum nobis dedit, ſic beneficia in nos ab ipſo collata, proximis communicare ſtudeamus: eoque pacto opem ferentes ipſis, communicemus eorum inopiæ. En qua via progrediendum, & quis modus tenendus ſit. Quoniam vero id minime facimus, agnoſcamus juſta Dei vindicta fieri, ut inſani iſti eo prorumpant ad omnem ordinem evertendum, omnemque bonorum diſtinctionem tollendam, dum ex univerſo orbe, ſylvam facere moliuntur latrociniorum plenam: in qua unuſquiſque ſine pretio, aut nulla fide habita, quicquid poterit ad ſe rapiat. Tot vero ſunt teſtimonia Scripturæ ad fœdam iſtam confuſionem refutandam, ut nunquam finem eſſem facturus, ſi omnia recitare vellem. Hoc contenti ſimus, haudquaquam juberi à Domino, ut abjiciamus omnia: ut ſi divitiis affluimus, eas penitus abdicemus à nobis: ſed tantum moneri, ut iis bene utamur. Non vult humanos contractus civilemque agendi rationem tolli, ad uſus vitæ neceſſariam: ſed tantum ad æquitatem & veritatem reducit. Supervacuum igitur eſſet, multa ad hæc teſtimonia allegare, quum iis adeo abundet Scriptura, ut ea nemo ignorare poſſit. Verum phrenetici iſti, ut colore aliquo errorem ſuum prætexant, id allegant quod monachi ſolent obtendere, ut ſtatum ſuum perfectum & Angelicum eſſe probent. Nempe, quod Dominus adoleſcenti illi quærenti quid ageret, ut vitam æternam adipiſceretur, reſpondit: Vade, inquit, & vende *Mat. 19. verſ. 21.* omnia quæ habes, & da pauperibus, ac ſequere me. Sed facilis eſt ſolutio: nec enim Dominus illic ſententiam univerſalem omnibuſque convenientem pronunciat: ſed hominis, quem alloquitur, rationem habet. Quum enim ſe erga Deum officio ſuo egregie functum exiſtimaret, omnia Legis mandata obſervando, ſicque ſibiipſi per hypocriſin imponeret, Dominus morbum, qui ipſum latebat, detegit. Erat enim dives, opibuſque ſuis animum adjecerat: neque id vitium eſſe ducebat. Ejus igitur ſcabiem Dominus ſcalpſit: ut malum ipſe ſuum ſentiret, neque jactaret amplius ſe omnia Dei præcepta adimpleviſſe, unde longiſſime aberat. Summæ ergo ſtupiditatis eſt, ſententiam hanc, qua probando unius hominis ſpeciatim animo uſus eſt, ſic torquere, ut ex ea univerſalis doctrina ſtatuatur. Cæterum, rationi conſentaneum eſt, ut unuſquiſque non ſolum vendere, ſed etiam perdere quicquid habet paratus ſit, ob honorem Dei: utque ii, quibus bonorum copia in manu eſt, nihilominus inopes ſint animo. Certo autem ſcimus, venditionem bonorum reipſa minime requiri ab iis, quos Dominus inſtruit ad perfectionem Chriſtianam: ut non poſſint eſſe Chriſtiani, niſi ſe bonis omnibus exuerint. Similiter eo nisi volunt, quod in Actis ſcriptum eſt: neminem diſcipulorum *Actor. 4. verſ. 32.* aliquid ſuum eſſe dixiſſe, ſed omnes protuliſſe bona ſua ad pedes Apoſtolorum. Atque adeo eos quibus agri & poſſeſſiones erant, ea vendidiſſe, ut ex pecunia quam redegiſſent, ſubvenirent pauperum inopiæ. Præclarum certe exemplum, modo recte accommodetur. Atque utinam talis eſſet hodie affectio in omnibus qui ſe Chriſtianos vocant. Uniuſcujuſque enim neceſſitati ſubveniretur, ac longe meliori ratione diſtribuerentur bona, quam hodie fieri ſolet. At vertiginoſi iſti, longe aliud imaginan-

ginantur, quam quod Lucas docere voluit. Quamobrem, ne in hoc delirium incidamus, quo falluntur ipſi, ac mundum perturbant: animadvertamus quam bonorum communionem Lucas ſignificet, dum ait, neminem id quod poſſidebat, ſibi proprium eſſe dixiſſe. Eſt enim forma loquendi linguis omnibus communis: ut quum de homine liberali loquimur, eum nihil ſibi proprium habere dicamus: quod ſemper aperta ſit ejus manus ad largiendum iis qui inopia laborant. Ac majore quidem ratione, ſi quis ſit amicorum coetus, tam bene inter ſe convenientium, ut nemo ipſorum, cæteris laborantibus deeſſe velit: ſed unuſquiſque proximum juvare ſit paratus, merito dicentur tales homines nihil ſibi habere proprii; etiamſi interim unuſquiſque familiam ſuam regat, bonis ſuis fruatur, poſſeſſionumque ac facultatum adminiſtrationem habeat: nec in eundem acervum congeſta & confuſa ſint omnia. Talis erat fidelium congregatio de qua loquitur Lucas. Unuſquiſque retinebat familiæ ſuæ regimen, res ſuas ſibi habebat, & ſeparatim adminiſtrabat ſua. Verum, ita ſe mutuo ac fraterno amore proſequebantur, ut nemo inter ipſos inopia laboraret. Idque, ut jam dixi, dilectionis Chriſtianæ ſpeculum veriſſimum eſt: cui ut conformaremur, magno ſtudio nos eniti oporteret. Atque utinam Quintinus & ejus aſſeclæ talem reformationem reſtituere poſſent. Minime quidem ipſis obſiſterem. Verum, neque id inquirunt, neque eum ſibi proponunt finem. Huc enim tendunt, ut miſceant & confundant omnia. Nam in hoc inſiſtunt, ut nemo aliquid habeat proprii. Et quum reſponſionem hanc admittere debuiſſent, quod poſtea
Actor. 4. ſequitur, objiciunt: Omnes ſcilicet, quibus agri &
verſ. 34. poſſeſſiones erant, ea vendidiſſe. Itaque, ex eorum ſententia nemo Chriſtianus eſſe poteſt, niſi qui ſe omnibus iis quæ poſſidet, exuerit. Ad hæc reſpondeo, ipſos dupliciter falli. Primum enim, haudquaquam dicit Lucas, omnes bona ſua vendidiſſe, neque eos qui vendebant, nulla re prorſus excepta, aut ſibi reſervata, omnia diſtraxiſſe. Ne autem videar hanc ipſe ſolutionem confingere, quæſo, an veriſimile eſt, Lucam duos tantum propoſiturum fuiſſe exempli cauſa, quorum unus hypocrita fuit, Deoque volebat imponere, ſi omnes vendidiſſent? Joſem Cyprium nominat, qui bona animi affectione ductus, re vera agrum vendidit. Alter quem nominat, inanis gloriæ ſtudio ducebatur, & partem pretii ſolum attulit. An credibile eſt, è ſex millibus fidelium, aut eo plus, omnes qui agros & prædia habebant, ipſa vendidiſſe: Lucam vero unicum tantum exempli gratia fuiſſe nominaturum? Dixi ſecundo, fideles ipſos, qui eo tempore prædia ſua diſtraxerunt, ut fratrum inopiæ ſubvenirent, non ita omnia vendidiſſe, ut nihil ſibi reliquum facerent. Retinebant enim domos & familias ſuas, eaſque tuebantur & alebant, iiſque bonis, quæ Deus ipſis dederat, utebantur. Id autem ſatis demonſtratur ex eo quod
Actor. 9. poſtea adjicitur de Tabitha, foemina ſingulari cha-
verſ. 36. ritate prædita, & in pauperes liberaliſſima. Unde vero eſſet largita, ſi omnia abjeciſſet? Scriptum eſt
Actor. 10. Petrum apud Simonem coriarium divertiſſe: quod
verſ. 6. fieri non poterat, niſi domum & familiam habuiſſet.
Actor. 12. Idem poſtea dicitur de Maria matre Joannis: nempe
verſ. 12. Petrum, ſtupendo miraculo ereptum è carcere, in
Actor. 16. ejus domum veniſſe. Idem de Lydia. Poſtquam enim
verſ. 14. ad Chriſtum converſa fuit, haud ſemel Apoſtolos hoſpitio recepit: ſed etiam ipſi carcere liberati, in ejus domum ſeſe recipiunt. Ii autem de quibus loquor, inter Chriſtianos perfectiſſimi fuêre. Nec tamen inter ipſos confuſa fuit bonorum communio. Verum ſupervacaneum & nimis longum foret, ſingularia exempla omnia colligere, ut oſtendam fideles bona ſua inter ſe communicando, ea non ſimul coacervaſſe: ſed quemque apud ſe retinendo, aliis, quemadmodum res exigebat, diſtribuiſſe. Doctrinam enim generalem habemus, cui acquieſcere tutius eſt. Unum adhuc ſpeciale exemplum producam: deinde concludam juxta univerſalem illam doctrinam, ceu veram regulam, qua dimetienda ſunt omnia. Eo Philemon, quem Paulus, non abs re, commilitonem ſuum vocat in opere Domini, & laudat ob fidem ipſius & excellentem charitatem celebratam ubique, qua erga Deum & omnes ſanctos affectus erat. Neque tamen propterea deſinit prædia ſua ac mobilia poſſidere: ſed etiam ſervos & ſervas, qui eo tempore mancipia erant. Neque enim tunc mercede conducebantur ſervi, ſed ita poſſidebantur, ut vel toto vitæ tempore retineri, vel alienari poſſent. Erat igitur longe abſurdius, dominum ea conditione frui ſervis ſuis, quam reliqua bona, id eſt, cenſus & poſſeſſiones retinere. Paulus autem, minime jubet eum omnia abjicere: ſed rogat ut ſervum ſuum Oneſimum, qui aufugerat, recipere velit. Si is qui cæteris eſt veluti ſpeculum perfectionis, illæſa conſcientia, bonis ſuis fruitur, atque in eo probatur à Paulo, quis diverſam omnino legem poterit Chriſtianis imponere? Ad communem doctrinam veniamus, in qua vera definitio ſita eſt. Paulus
non docet Timotheum, ut jubeat divites hujus ſe- *1 Tim.* 6.
culi, divitiis omnibus cedere: ſed non ſuperbire, ne *verſ.* 17.
in opibus corruptioni obnoxiis ſpem locent, ſed ut
in bonis operibus ſint divites. Non jubet dominos *Epheſ.* 6.
manumittere mancipia ſua, ſed tantum humaniter & *verſ.* 9.
benigne tractare. Non vetat emptiones aut vendi- *1 Theſſ.* 4.
tiones: ſed ne vendendo aut emendo circumvenia- *verſ.* 6.
mus proximos, aut fraudemus. Item, ut ii qui *1 Cor.* 7.
emunt, tales ſint, acſi non emerent. Non jubet *verſ.* 30.
prædia relinqui, ſed ut qui ea poſſident, ita ſe gerant, acſi nulla poſſiderent. Denique, de eleemoſy- *2 Cor.* 8.
nis verba faciens, non jubet in acervum conjici, ut *verſ.* 11.
unuſquiſque, quantum ſibi neceſſe erit, inde ſumat: ſed vult unumquemque pro arbitratu & affectione animi ſui dare: non quaſi coactum aut vi impulſum, ſed ingenue ac liberaliter: non ut qui dives eſt, ſeſe ad inopiam redigat, quo ſuppeditet aliis: ſed ut penuriæ proximorum ex abundantia ſua ſubveniat. Hæc ſunt Pauli verba. Quid plura requirimus? Diſcamus ergo communionem, quam inter ſe habent fideles, quod ad facultates ſpectat, cum ordine & politia conjungere: ſicque rejiciamus atque abominemur diabolica iſtorum deliria, qui bona omnia confundi volunt, ut non ſolum Labyrinthos in mundum invehant, ſed etiam horrenda latrocinia: ſicuti unuſquiſque animadvertere poſſet, ac clarius experimento perſpiceret. Quod attinet ad illas ſententias Lucæ, quæ prius allegatæ fuerunt: conſtat iis nihilo plus fanaticos iſtos juvari, quam monachos, qui iis niti voluerunt, ut præclaras ſuas, imo ſuam, communionem fundarent, quibus in clauſtris ſuis utuntur. Omitto quod charitas ipſorum non eo progreditur, ut deteriorem conditionem ſuam reddant, quo beneficiis afficiant alios: nam, æquo animo ferunt alios ſeſe exuere, quo ornentur ipſi: ſed quid ſit aliis donare, prorſus ignorant. Quamobrem ſolitus ſum eos vocare doctores paſſivæ charitatis: quia ſe quantis fieri poterit, beneficiis affici patiuntur: verum, ubi omnia ingurgitarunt, neque ſic tamen contenti ſunt, ſemper obmurmurant. Quod ſi dandum ſit, quæratur alius qui id faciat: hoc eorum animos ſubire non poteſt. Atque tantum abeſt ut poſſint charitatem activam bonis exemplis docere: ut nunquam eam addiſcere poſſint. Cæterum, quia in eo oſtendunt tantum, quo animi ſtudio aguntur: in hac parte eos ulterius non proſequar. Mihi enim ſatis eſt oſtendiſſe quam impia & damnanda hæc doctrina ſit.

CAP. XXII.

Cap. XXII.

De Reſurrectione quam tenent Libertini.

2 Tim. 2. verſ. 17. PAulus mentionem facit Phileti & Hymenæi, qui jam ſuo tempore reſurrectionem eſſe factam dicebant: oſtendens nefariam eſſe hæreſim, qua fides Chriſtiana prorſus evertitur. At nihilominus canes iſti execrabilem errorem ſuum adverſus ſententiam adeo perſpicuam tueri non deſinunt. Rident enim ſpem omnem, quam de reſurrectione habemus, idque jam nobis eveniſſe dicunt, quod adhuc expectamus. Si quæratur, quomodo id intelligant: nempe, inquiunt, ut homo ſciat animam ſuam ſpiritum immortalem eſſe perpetuo viventem in cælis: ac Chriſtum morte ſua opinationem aboleviſſe, eaque ratione nobis reſtituiſſe vitam, quæ in eo eſt, ut nos minime mori cognoſcamus. En quomodo impii iſti cum majoribus ſuis Hymenæo & Phileto præcipuum fidei noſtræ fundamentum evertunt: ſine quo Euangelium, ut ait Paulus, nequit conſiſtere. *1 Cor. 15. verſ. 14.* Sublata enim reſurrectione, quid amplius reſtat? Tollitur autem, quum talis concipitur imaginatio, qua veritas deſtruitur. Verum quidem eſt, eum qui credit nunquam interiturum, ſed à morte in vitam tranſiiſſe: nullam adverſus eos eſſe condemnationem: mortem ipſis amplius non dominari: quatenus reſidet in ipſis Dei Spiritus, qui Chriſtum à mortuis ſuſcitavit, ſemenque ipſis immortale eſt. Verum, ex eo non ſequitur beatitudinem, quam expectamus, jam in nobis revelatam eſſe, nos jam ipſa frui, atque in hæreditatis noſtræ poſſeſſionem re ipſa eſſe ingreſſos. Expedit autem Scripturæ locos annotare, quibus rudium & imperitorum oculos perſtringunt, quo ſe jam reſurrexiſſe credant. Solomo in Eccleſiaſte, de morte verba faciens, ait ſpiritum hominis redire ad Deum qui ipſum creavit: quemadmodum corpus redit in terram, unde originem cepit. Illinc concludunt ſpiritum ad eſſentiam Dei redire, eique jungi, ita ut unicus ſpiritus maneat. Sed cui perſuadebunt hanc verborum ſignificationem talem eſſe, animam ſcilicet humanam, ad Deum redeuntem, fieri Deum? Dominus quidem moriens ſic loquebatur: *Luc. 23. verſ. 46.* Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Stephanus etiam ſimili oratione Deum rogavit: *Act. 7. verſ. 59.* Domine Jeſu, ſuſcipe ſpiritum meum. Sed tantum abeſt ut loci iſti eorum errorem juvent, ut etiam ad eum plane convincendum abunde ſufficiant: demonſtrant enim aperte, Deum animas noſtras in tutelam ſuam recipere, ac conſervare uſque ad id tempus, quo ſuis corporibus conjungentur. Si quæratur qualis ſit interim eorum ſtatus & conditio, ſatis oſtenditur aliis in locis, eis gaudium & conſolationem afferri, & miſeriis liberatas, bonis omnibus à Deo expleri. En quod ſpectat ad animas. Nunc de corporibus loquamur. *Epheſ. 2. verſ. 19.* Paulus magnifice extollere volens gratias, quas per Chriſtum recipimus, ait: nos domeſticos eſſe Dei, atque una cum ſanctis cives regni ipſius: & jam in locis cæleſtibus, cum Chriſto ſedere. *Coloſſ. 2. verſ. 12.* Alio etiam in loco ait, nos cum ipſo reſurrexiſſe. Verum id quod in fine adjicit, dicere omittunt: nempe id totum nos ſpe obtinere. Itaque omnia quæ de præſenti Chriſtianorum felicitate dicuntur, ad eam certitudinem referenda ſunt, quam Deus eorum animis infixit: non quod jam ipſa felicitate potiantur, aut ejus effectum cernant. *Coloſſ. 3. verſ. 3.* Quod enim alibi ait Paulus, verum eſſe oportet: nempe, ſalutem noſtram, quum in ſpe ſita ſit, adhuc abſconditam eſſe. Spes enim abſentium & futurarum rerum eſt. Item, in ſpeciem nos ſimiles eſſe mortuis: neque vitam noſtram prius manifeſtandam, quam Chriſtus ad judicium venerit. De omnibus igitur quæ Chriſtus promittit, certi ſumus. Idque interim dum ipſum præſtolamur. *1 Joan. 3. verſ. 2.* Atque, ut ait Joannes, ſcimus nos eſſe filios Dei: ſed nondum apparuit. *Epheſ. 2. verſ. 14.* Idcirco dicit Apoſtolus alibi, nos geſtare arrham vitæ in animis noſtris, habentes Spiritum Dei, quo nobis teſtimonium redditur, nos eſſe filios Dei. *Coloſſ. 2. verſ. 12.* Quod Paulus dicit nos reſurrexiſſe, non loquitur de glorioſa vita, quæ nobis promiſſa eſt. Itaque non ſignificat nos ipſa nunc frui: ſed tantum de regeneratione verba facit, ut ex orationis contextu facile eſt judicare. Quid igitur ſibi vult? Haud quicquam aliud, quam nos renunciantes mundo, aſpirare ad vitam cæleſtem debere, de regno Dei meditari, nec quicquam aliud quærere, quam ut ipſius voluntati conformes ſimus. Quid hæc faciunt ad deſtruendam ſpem reſurrectionis, quam Deus nobis dedit? An credibile eſt Paulum voluiſſe nos ab ea avertere? Qui omnes aperte tanquam hæreticos condemnat, qui eo tendebant? Vel, an eo ſpectat quod dicit de novitate vitæ? Minime quidem certe. Hoc igitur ei imponere, nimiæ impudentiæ eſt. Itaque, quemadmodum Deus nos elegit atque adoptavit ante creationem mundi: ita eum adoptionis noſtræ teſtimonium animis noſtris per Euangelium obſignaſſe intelligamus: & jam quodammodo in poſſeſſionem hæreditatis noſtræ, ſpe videlicet, immiſiſſe. Quamdiu vero degimus in hoc mundo, velut peregrini ſumus, expectantes quoad bona nobis promiſſa, re ipſa præſtentur: quodque nobis nunc proponitur, tanquam in ſpeculo & figuris obſcurioribus, ut ait Paulus, coram intueamur. *1 Cor 13. verſ. 12.* Abſumus à Deo, ut alio loco dicit, quia fide ambulamus: non autem oculis cernimus, aut re ipſa fruimur. *2 Cor. 5. verſ. 6.* Proinde laboramus, ſpe quietis poſt mortem potiundæ: pugnamus, cum ſpe percipiendi fructus victoriæ noſtræ: gemimus, cum ſpe conſolationis & gaudii perfruendi. Denique, quoniam infeliciſſimi eſſemus omnium hominum, ſi ſpes noſtra in hac vita incluſa eſſet, *1 Cor. 15. verſ. 19.* ad ſummam illam felicitatem, quæ ingenium noſtrum exuperat aſpiramus: felicem, inquam, vitam illam, in quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus ingreſſus eſt, quo nos etiam aliquando ſecum deducat. Interim, certo credimus, quod nobis per os Pauli dictum eſt: nos, quum terreſtre hoc domicilium dirutum fuerit, permanentem in cælis, domum habituros. *2 Cor. 5. verſ. 1.* Eo nos ab Euangelio vocari ſcimus: ideoque ex hoc carcere cupimus migrare, ut ſimus cum Domino: *Philip. 1. verſ. 23.* certo perſuaſi, nos cum ipſo vere contentos fore, ac bonis omnibus perfruituros. Cæterum, quia Scriptura nos ſemper ad extremum diem revocat, quo promittit Chriſtum venturum, ut judicet vivos ac mortuos: *2 Tim. 4. verſ. 8.* in eo omnis ſpes noſtra ſita eſt: nam etſi fidelium animæ, ſimulatque ſeparatæ ſunt à corporibus, vivunt cum Deo, ac felici regni ipſius gaudio potiuntur: tamen perfecta omnium filiorum Dei felicitas, uſque ad ſecundum Chriſti adventum differtur. Ita ut Abel, Noë, Abraham, omneſque antiqui patres nos expectent, necdum coronas ſuas receperint, ut una omnes coronemur. *Hebr. 11. verſ. 40.* Oportet igitur fidelium mentes in eum diem eſſe defixas, eorumque animos in eo conquieſcere: ſicuti etiam Scripturas talium exhortationum plenas videmus. Quid igitur ſibi volunt infelices iſti, qui præcipuum religionis noſtræ caput nobis adimunt? Clamat Scriptura, & clara voce contendit, ut ſi ſalutem noſtram velimus contemplari, ad ſupremum illum diem animos erigamus. Canes vero iſti latrant fruſtra id fieri, noſque jam reſurrexiſſe: nullam amplius reſurrectionem expectandam. Teſtimonia adeo perſpicua ſunt, ut nihil ſupra: quibus oſtenditur corpora noſtra, quæ nunc corruptioni, cæteriſque miſeriis obnoxia ſunt, ad glorioſam illam immortalitatem adipiſcendam: ſimiliterque infidelium corpora, ad ignominiam perpetuam ſuſcitanda eſſe. Si non reſurgimus, inquit Paulus, neque Chriſtus reſurrexit: Euangelium nihil aliud quam mendacium eſt: exinanita eſt fides. *1 Cor. 15. verſ. 13.* Similiter hæc doctrina tam crebro iteratur, Dominum Jeſum venturum in majeſtate ſua cum Angelis, ad ſupremum judicium ferendum: ad filios Dei in plenam cæleſtis hæreditatis *2 Theſſ. 1. verſ. 10. Mat. 25. v. 34. 41.*

Digitized by Google

tatis poſſeſſionem vocandos: impios vero mittendos ad ſupplicium æternum: ut ſegreget hœdos ab agnis: ut opos redemptionis à ſe factæ, in membris ſuis adimpleat. Iſti vero porci ex adverſo doctrinam hanc roſtris ſuis evertunt, dicentes nihil omnino amplius reſtare, opinatione ſublata: hoc ſufficere, ſpiritum excedentem è corporibus noſtris, redire ad Deum. Tunc enim ex eorum ſomnio, vere in locum ſuum & perfectionem ſuam redactus eſt. Ex quo perſpicimus, eos non minus perverſe ac nequiter finem quam initium facere. Sicut enim de hominum creatione & omnibus operibus Dei, verba facientes, Deum cum diabolo miſcent ac confundunt: ita quum ad reſtaurationem omnium ventum eſt, quicquid Scripturis continetur, evertunt: ſpem ſalutis noſtræ tollunt: nihil nobis reliquum faciunt præter hanc vitam, ut eam tranſigamus, deinde in nihilum redigamur. Quamobrem de hac execrabili blaſphemia moniti, vivamus in ſpe, quam adeo certam & perſpicuam nobis Deus per totam Scripturam proponit.
1 Theſſ. 4. Nempe Dominum Jeſum è cælis appariturum ſuo
verſ. 16. tempore: & eos qui prius deceſſerint, quorum corpora jam compurruerint in terra, ad tubæ ſonitum, id eſt, ad vocem Archangeli, qui eos ad judicium citabit, ſuſcitatum iri: reliquos vero ſuperſtites momento immutatum iri: ipſos quoque, omneſque una innovatos obviam venturos Regi, ut ſeſe coram ipſius majeſtate repræſentent. Tunc filios Dei præmium ſpei ſuæ recepturos, eiſque revelatum iri beatitudinem illam, quam nunc avide expectant: eam, inquam, coram ac plene ipſis patefactum iri, utcunque nunc, quod ad humanum ſenſum, eos lateat. Tunc nos inductum iri in poſſeſſionem hæreditatis nobis per Euangelium promiſſæ. Tunc felicitatis plenam fruitionem adepturos: quum nunc miſeriis & calamitatibus obruamur. Tunc nos præſentem
1 Joan. 3. Deum habituros, eumque viſuros ſicuti eſt: quum
verſ. 2. nunc fide tantum cognoſcamus. Tunc corpora noſtra, tametſi corruptioni & putredini nunc obnoxia, in gloriam Domini noſtri Jeſu Chriſti transformatum iri. Sic itaque futuram reſurrectionem noſtram in ipſius reſurrectione contemplemur. Nempe quemadmodum ad immortalitatem reſurrexit: ita non dubitemus, quin idem in membris ipſius ſit futurum, quum tempus advenerit. Ac certi ſumus,
Hebr. 11. ſicuti Apoſtolus teſtatur, nos à patribus, Prophetis,
verſ. 40. cæteriſque fidelibus expectari, qui nondum paratam ſibi à Deo coronam receperunt, ut eam omnes una adipiſcamur. Neque id ſolum, ſed etiam ut creaturæ
Rom. 8. omnes nos comitentur, quæ, ut ait Paulus, cum
verſ. 21. gemitu expetunt diem redemptionis noſtræ, ut reſtituantur in priſtinum ſtatum, & eripiantur à ſervitute, in qua nunc ob peccata noſtra redactæ ſunt. Quo magis perſpicitur miſerorum iſtorum inſania, qui creaturis ipſis ſenſu carentibus, lapidibus inquam ipſis & ſtipitibus ſtupidiores ſunt. Inde reputemus quid ſit in reprobum ſenſum dari: & judicium Dei timere diſcamus.

CAP. XXIII.

Quo omnia, quæ tum de ſtylo tum de falſa ac damnanda impietate Libertinorum dicta ſunt, quaſi digito commonſtrantur ex libello Antonii Pocquii hujus ſectæ aſſeclæ: quo, ut aiunt, à gallo ad aſinum ſubinde tranſilit.

QUoniam ea quæ prius tractavi, tum de execrandis erroribus Quintiniſtarum, tum de eorum aſtutia, qua ſub integumentis verborum callide involvunt venenum impiæ & pernicioſæ doctrinæ ſuæ, longe facilius comprehendi poterunt, ſi exemplum aliquod propoſitum fuerit: quo plenius inſtruantur lectores, involucra aut ambages neſcio quas Antonii Pocquii ſacrificuli illius, de quo initio loquutus ſum, hic inſerenda putavi: additis exhortatiunculis nonnullis, quibus rudes ac imperiti moneantur, qui alias forſan minime ſibi præcaverent. Tricas autem iſtas, deſultationes voco à gallo ad aſinum: quod ſermones illic congeſti, tam bene cohærent, quam capratum ſtercora, ſicuti unuſquiſque facile judicabit. Porro notandum eſt illic alliciendis imperitis, veluti eſcam proponi. Neque enim grandia myſteria deteguntur, quæ nullis aperiri ſolent, præterquam iis qui ſe omnino ipſis dediderunt, ut in eorum ſchola inſtituantur. Illud eſt videlicet, quod ab initio dixi: quemadmodum monachi novitium aliquem ineſcare volentes, diligenter cavent ne ordinis ſecreta ei pandantur: ſed quæ pulchriorem habent ſpeciem, ei in conſpectu ponunt, donec ipſos in laqueos ſuos attraxerint: ſic canes iſti, initio bella aliqua ſpecie ſeſe fucabunt, ut rudioribus aliquem doctrinæ ſuæ guſtum dare poſſint: neque unquam ſentinam abominationum ſuarum detegent, quoad certi ſint hominem ita à ſe faſcinatum eſſe, ut eorum deliriis prorſus conſentiat. Ut ergo miſeri novitii, apud monachos, poſteaquam profeſſione ſua laqueum perpetuæ ſervitutis induerunt, ibi inferos eſſe comperiunt, ubi cæleſtes delicias quærebant: atque mel ipſis in fel convertitur: ſic rudes ac imperiti homines, prima facie exiſtimantes hanc infelicem ſectam veluti cælorum januam eſſe, prius in exitium præcipites ruunt, quam malitiam ac nequitiam eorum cernere aut animadvertere potuerint. Quamobrem, ne quis non monitus fallatur, magnum iſtum doctorem Antonium Pocquium, eorum more concionantem audiamus:

Laudabilis eſt Deus, qui his poſtremis diebus, mihi per organum ſuum patefacere libuit magnum, in quo fui, errorem, quod vos reprehendere ac corrigere vellem, quum ſcriptum ſit: Omnes erunt docti à Deo.

CENSURA.

OBſervate præcipuam iſtius eſſe ſapientiam, ſinere unumquemque animi ſui libidinem ſequi, nec miſeros homines errore ſeductos, reprehendere. Ita omnem doctrinam & monitionem, inter homines ceſſare oportebit. Quod longe alienum eſt ab eo, quod Paulus ab omnibus fidelibus requirit: Docentes, inquit, vos & admonentes mutuo. Item, Pleni eſtis ſapientia, ut vos invicem hortemini. Item, Argue, admone, increpa. Item, quod ait Dominus: Si peccaverit frater tuus, corrige eum inter te & ipſum.

Exiſtimabam me aliquid intelligere, nec quicquam intelligo: Deus enim intellectus meus eſt, virtus mea, & ſalus mea: atque adeo vos judicabam, & murmurabam acute in proximos meos, in me vero nihil cernens. Quæ omnia vetita ſunt: fecit enim nationes mundi capaces ſalutis. An is qui Deum pro intellectu ſuo habet, nihil intelligit? ſic enim Deus nihil aliud efficeret, quam nos excæcaret: quum nos illuminare ipſius officium ſit.

CENSURA.

HOmo quidem fidelis, ſe nihil ex ſeipſo intelligere cenſet: ſed an propterea debet oculos claudere, ne quid intueatur, ut vult iſte inſanus? Prohibitum quidem eſt, ne obſervemus alios, ad vitia noſtra connivendo: ſed Dominus non vetat, quominus uno peracto, alterum etiam efficiamus. Diligenter autem notanda eſt præclara ratio quam adjungit: Omnes nationes capaces ſunt ſalutis. Non licet igitur in proximum animadvertere: ſed contrarium prorſus concludo. Quum enim ſimus miniſtri Dei, & ejus coadjutores ad proximos noſtros in ſalutem inſtruendos: nos operam noſtram ipſis impendere, nec unquam ceſſare oportet.

Pri-

Primum haudquaquam intelligebam, quomodo ex nihilo creati ſumus, & corpora noſtra in cineres reducenda: ſpiritum vero, ut aërem clarum fore, & ſparſum ut nubem: uſque etiam intelligebam me ex genere terreſtri eſſe, id eſt, ex eo qui primum factus eſt in animam viventem. Deus nihil ſine cauſa facit: & quomodo exiimus ex utero terræ, matris noſtræ, ubi omnis ineſt dolor? Quamobrem dicebat Job: Qui vulnus inflixit, ipſumque ſanavit: qui deducit ad inferos & reducit: qui liberat à ſex tribulationibus, ſeptimæ vero malum non attinget.

CENSURA.

QUæſo, quis tenor in his ſermonibus? haud ſane major quam in deliriis hominis phrenitide laborantis. Cæterum, ingreditur in præclaram illam philoſophiam quam attigimus: ſpiritum ad Deum reverti poſt interitum hominis, dicens in nubem ſparſum iri.

Fuit enim anima mea vivens, quæ putavit loqui. Sed gratia Deo, per hunc Spiritum renovationis à morte erectus ſum, & vivificatus ſum cum Chriſto: mihi præterierunt opera Legis: vocatus ſum cum Angelis, & factus filius Dei: hæres immortalitatis & membrum Chriſti, corpora noſtra templa Spiritus ſancti, animæ noſtræ imagines, & loca ſecreta divinitatis. Horribilis vero illa beſtia, quæ vocatur diabolus, cui obligati & ſervi eramus, eratque impoſſibile ex nobiſmetipſis ab ipſo liberari: Erat igitur ſuperbia, aut avaritia aut mundus, qui jam per ignem finitus eſt, ut amplius ſum dicturus.

CENSURA.

NUnc undas illas deſpumat, de quibus Judas loquitur, id eſt, grandiloquentiam, quæ mirificæ ſpiritualitatis ſpeciem præ ſe ferat. Quis enim prima facie non affirmarit Antonium Pocquium ſemiangelum eſſe, ſi eum tam ſublimi ſtylo intonantem audierit? Verum, ſi bene perpendantur, nihil aliud ſunt quam veſicæ ſpecie ſua bene tumidæ, ſed turgidæ vento: niſi quod ſub harum ſpumarum tumore, multæ latent blaſphemiæ. Vult enim fanaticam hanc reſurrectionem, de qua loquutus ſum, introducere. Deinde quamvis nominet diabolum, tamen judicat id tantum imaginatione ſe facere: declarans ſe nihil aliud intelligere quam ſuperbiam, mundum, aut avaritiam. Id quod eſt eorum opinatio, de qua jam tractavi. En igitur quid diabolus apud eos ſignificat. Denique quod dicitur de conſummatione mundi per ignem, ad ſtultam allegoriam trahens, hunc fidei noſtræ articulum deſtruit, qui tam diſerte exprimitur in Scripturis: ſpemque tollit, quam de omnium creaturarum renovatione habemus.

Quemadmodum ſcriptum eſt de transfiguratione, ubi erat Moſes, Helias, & Jeſus in medio. Moſes erat lex vetus, dura & importabilis: Chriſtus erat lex mitis, pergrata & tractabilis: Helias poſtremus erat, finem mundi ſignificans, at diſcedens in ardenti curru ſuo ignis pleno oſtendit: qui vocatus eſt ſpiritus duplex, per quem extra hunc terreſtrem mundum conſumimur. Erat ſcilicet mundus, qui jam finem cœperat: non omnibus, ſicuti neque adhuc hodie finem cepit. Mundus finitus eſt pro iis qui ſunt in Chriſto, neque amplius vivunt ſecundum carnem: nam prudentia carnis, mors eſt, & plena mortis.

CENSURA.

PErſpicite hujus furciferi audaciam, quem non pudet magnum doctorem agere, dum recitat fabulas aniles, ex libro, ut aiunt, coluum, pro myſticis interpretationibus Scripturæ. En Chriſtus qui ſe in gloria exhibet in medio Moſis & Heliæ, id eſt, Legis & Prophetarum: ut indicet Moſem & Prophetas ſibi teſtimonium reddidiſſe, ſeque eſſe verum finem, ad quem omnis illorum doctrina referenda eſt: atque in medio eſt, ut in loco eminentiſſimo quo ſe oſtendat caput in domo Dei, ut dicit Apoſtolus: alios autem famulos tantum fuiſſe. Porcus iſte præclarum hoc myſterium, roſtro evertens, ne Chriſtus ſit amplius omnium finis, Heliam in ſupremo gradu collocat: & univerſorum perfectionem facit, nihil aliud Chriſto attribuens, quam quod nos ad medium itineris perducit. Quæ Mahometis doctrina eſt. Deinde, quum dicit mundum jam finem cepiſſe, adhuc apertius blaſphemias ſuas evomit, tum de ſua perfectione, quam imaginantur, tum de ea reſurrectione, quam prædicant: nempe jam eſſe factam: quod imaginatione glorioſi atque adeo Angelis ipſis excelſiores ſunt. Quod fingit currum igneum, in quo 2 Reg. 2. Helias extra mundum hunc raptus eſt, duplicem ſpi- verſ. 9. ritum eſſe: primum, textum corrumpit, & apertæ falſitatis convincitur. Illic enim ſolum refertur, Heliſeum à magiſtro ſuo petiiſſe, ut Spiritum Dei abundantiorem duplo quam habuerat, poſt ipſum haberet: atque additur, id ipſi conceſſum fuiſſe. Deinde in hoc vocabulo latet hujus ſectæ abominatio, quod ſeſe fingunt atque fucant, tum in verbis, tum in geſtu, tum etiam in operibus: Chriſtianam perfectionem eſſe dicentes ſic duplices eſſe animo: ne ulla ex parte deprehendi poſſint, neque ullus in ipſis tenor ullave certitudo.

Nam ſcriptum eſt: Factus ſum totus homo. Quum factus ſit totus homo, accipiens naturam humanam, ac mortuus ſit, poteſtne adhuc in his inferioribus locis mori? Magni eſſet erroris hoc credere: nam mortuus eſt & reſurrexit: & credendum eſt eum nullum membrorum reliquiſſe, quod eum ipſo mortuum non ſit, atque etiam reſurrexerit. Quare ſcriptum eſt: Omnes ſumus membra Chriſti.

CENSURA.

UBi ſcriptum eſt quod allegas? Nonne falſitas manifeſta eſt? Nulla enim talis ſententia in Scripturis reperietur. Sed in primis notemus quid ex illa falſa allegatione deducat. Nempe nos amplius non mori: acſi nihil à Chriſto differremus. Nos quidem, ſi membra Chriſti ſumus, jam mortui & ſuſcitati eſſe debemus, quod ad ſanctitatem vitæ pertinet: abnegando, inquam, noſmetipſos, vivere Deo. Sed an id jam eſt perfectum? E contrario oſtendit Scriptura id nunc fieri tantum ex parte. An propterea abolita eſt mors naturalis? An dicendum nullam amplius ſupereſſe ſpem reſurrectionis? Contra ait Paulus, mortem noviſſimum hoſtem eſſe qui de- 1 Cor. 15. ſtruatur. Videtur quidem huic venerabili ſacrifico verſ. 26. ineptiis comprobandis ſufficere, quod ſcriptum eſt, nos eſſe membra Chriſti. Sed non animadvertit Deum, gratias ſuas in menſura largiri, & unicuique partem ſuam in hoc mundo diſtribuere, pro cujuſque membri qualitate, ut ait Paulus. Quare ſicuti Chriſtus non abſolute adhuc in nobis eſt: ſic etiam multum abeſt quin bonis ipſius ac donis integre potiamur. Redeamus igitur ad id quod alio loco ſcriptum eſt: Unumquemque ſuo ordine ad beatam re- 1 Cor. 15. ſurrectionem perventurum. verſ. 23.

Quin etiam dicit: Infirmitates alii aliorum ſuſtinete: nam ſi detractores ſimus, adhuc erimus cum ſerpente, qui diabolus vocatur, accuſante fidelem, quod in ſuperbia ſua ſe adhuc eſſe opinetur: ſed Deus extollet parvos & humiles: magnos vero & ſuperbos deprimet. Quamobrem ii qui Chriſti ſunt, habentes ſapientiam fidei, ubique opera Dei agnoſcunt, nihil mirantur, omnia in utilitatem ſuam convertunt, agnoſcentes omnia ex voluntate & providentia Dei proficiſci.

CENSURA.

DOminus quidem jubet ut fratrum infirmitates Rom. 15. ſuſtineamus: non tamen ut approbemus ipſas, verſ. 1. ſed tanquam vitia corrigamus. Hic autem impius,

pins, quo reprehenſiones omnes tollat, vetat ne ſimus diabolo ſimiles. Qua in re? Detrahendo, inquit. Fateor. Sed nonne magna eſt differentia inter detractionem, & reprehenſionem, quæ fit fratris emendandi cauſa? Si igitur falſo calumniemur proximum, aut maledicendi cupiditate traducamus, imitatores ſumus diaboli: quum vero errores quos animadvertimus in ipſis, ſincero animi candore arguimus, imitatores ſumus Dei. At furcifer iſte adhuc effrenatius erumpit: addens fidei hanc eſſe ſapientiam: omnia, tanquam opera Dei, bona eſſe judicare. Ait nos neminem vituperare debere. Rationem adjungit, quia nihil malum eſſe poteſt. En quomodo indulget homicidiis, latrociniis, ſcortationibus, hoc prætextu, quod alteri minime detrahendum ſit. Quodque omnium deterrimum eſt, hanc infert Deo contumeliam, ut ei maleficia omnia imputet, ne improbentur.

Scriptum eſt enim: Omnia munda mundis. Qui autem fide purificatus eſt, totus eſt gratus Deo. Sed caveat ne infirmo fratri ruina ſit. Quare ſcriptum eſt: Ama proximum, & illi conjunctus ſis fide: neque ulciſci velis. Qui enim vult ſe ulciſci, vindictam inveniet à Domino, ſervando peccata. Quare ſcriptum eſt: Ignoſce proximo qui tibi nocet. Et quum orabis, peccata tua tibi remittentur. Homo enim ira affectus, nihil rogare debet. Quomodo enim ſanationem petet, ſi miſericordia careat erga homines ſimiles ſui: quum adhuc ſit in carne, noviſſimorum temporum memoria carens, quum non ſinat eſſe hoſtis, id eſt, diabolus: non reminiſcens teſtamenti, quod docet abſtinendum eſſe à rixis & contentionibus, abolens omne peccatum, nec ſpectans ignorantiam proximi tui? Dixit enim Dominus: Percutiam, & ſanabo: interimam, & vivificabo. Quare ex toto animo attendite verba mea, & renovemini in novitate ſenſus, ut cognoſcatis quæ ſit voluntas Dei: non reddentes malum pro malo, ſed vincentes bono malum: nam ſi ames proximum, adimplebis Legem. Dilectio proximi tui, nihil mali admittit: eſt enim plenitudo Legis.

CENSURA.

Tit. 1: 15. HIc perſpicitur qua impudentia bonum cum malo confundunt. Paulus de cibis loquens, dicit nullum immundum eſſe, aut rejici debere: quoniam bonæ ſunt creaturæ Dei. Putidus iſte, hanc ſententiam eo applicat, ut latrocinia, ſcortationes, homicidia, pro mundis & ſanctis rebus habeantur. Quod poſtea ſequitur, confuſus eſt ſententiarum acervus, nihil ad rem facientium. Veruntamen, certum eſt, malitiam ſub eis occultam latere. Quum ait ignoſcenda eſſe delicta: intelligit aſſentandum eſſe: atque ultionis verbum cum reprehenſione confundit, ut concludat neminem licere in malo ſuo condemnare: quia debemus iis ignoſcere, à quibus offenſi ſumus. Verum id quidem. At remiſſio illa, quæ nobis præcipitur, ad charitatem refertur. Interim non uſurpamus auctoritatem Dei, ut malum, bonum eſſe dicamus. Videmus igitur quomodo canes iſti ſacroſancto Dei verbo ad blaſphemias ſuas abutantur.

En cur ſcriptum ſit venturum qui liberaret infirmitatem Jacob, dicendo: Hoc ſummum teſtamentum ex me habebunt, quum abſtulero peccata ipſorum. Nam, ſcriptum eſt Deum incluſiſſe omnia in infidelitate, ut omnium miſereretur. Judicia enim ipſius incomprehenſibilia ſunt. Nam ex ipſo & in ipſo, & per ipſum omnia facta ſunt. Moſes dicit: Miſerebor, ubi miſerebor. Quocirca Dominus miſeretur cujus vult, & indurat quem vult. Deinde Jeſus dicit: Sine me nihil poteſtis facere: &, Nemo poteſt venire ad me, niſi ei datum ſit à Patre meo. Nonne veritas infallibilis ita loquuta eſt? An volumus ipſius verbo contradicere? Nonne ſcriptum eſt Deum cognoviſſe antequam nos crearet, an boni vel mali futuri eſſemus? Et omnia novit, & quæ evenerunt, & quæ ventura ſunt.

CENSURA.

EN præclara eorum theologia. Aiunt Chriſtum in hunc mundum veniſſe, ut peccatum tolleret. Abolet quidem peccatum in ſuis fidelibus; verum id facit mortificando ipſos per gratiam Spiritus ſui, ut virtutes ſequantur, vitia vero fugiant. Delet etiam maledictionem peccati, ne nobis amplius coram Deo imputetur: ſed non ideo peccato carent fideles ipſi, neque minus ſeipſos in malo ſuo condemnare debent, ut à Deo abſolvantur. Similiter non minus debent ſeſe mutuis admonitionibus corrigere, ut reſipiſcant à vitiis. Deus incluſit omnia ſub increduli- *Rom. 11.*
tate, id eſt, homines omnes convictos, ac propria *verſ. 32.*
incredulitate damnatos tenet: adeo ut nemo ſalvus evadat, niſi miſericordia ipſius, quam iis exhibet, quibus ſibi viſum eſt: ſed non ideo peccatum juſtificat, quum ipſum ignoſcit. Sed quorſum, quæſo, omnes illas ſententias nullo ordine aut ratione congeſtas accumulat, niſi ad perſtringendos lectorum oculos, ut ignorent omnino quo ſe vertere aut ubi conſiſtere debeant? Quemadmodum ii qui aberrant à via, neque aut iter aut ſemitam ullam vident, per medios agros incerti vagantur.

Scriptum eſt, Non tendes ad malum: cavens ne adulteres in verbo, ſicut multi faciunt. Talis ego fui: ſed omnia remiſſa ſunt. Nam ſcriptum eſt, Abſtinete vos ab adulteratione, ut poſſitis vas veſtrum in ſanctificatione & honore poſſidere. Quum ſimus mortui Legi per corpus Chriſti, ut alterius ſimus, qui ſuſcitatus eſt ex mortuis, ut fructificemus Deo viventi: non eſtis igitur in carne. Prudentia carnis eſt inimica Deo, nec poteſt Deo placere. Niſi enim ſpiritus Chriſti ſit in vobis, quomodo eſſetis in ipſo? Sed ſi in nobis ſit, corpus mortuum eſt propter peccatum, ſed ſpiritus vivit ob juſtificationem: id eſt, juſtificavit nos, quatenus ejuſdem ſpiritus ſumus. Si ergo ſpiritus illius qui Chriſtum à mortuis ſuſcitavit, qui habitat in vobis, quum mortuus ſit pro omnibus, ac ſcriptum ſit ipſum fuiſſe omnem hominem, & pro omnibus mortuum eſſe, ut qui vivunt, non amplius vivant in ſeipſis, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt & reſurrexit.

CENSURA.

HAud multum laborat venerabilis presbyter Antonius in allegande Scriptura, ea videlicet, quam ſequitur ratione: falſo hunc locum citans, illum depravans, nonnullos etiam fabricans, pro ſua libidine ſcriptum id eſſe fingens quod ipſe ſomniavit, confundens omnia: ac ſi Scriptura in hoc edita eſſet, ut tanquam confuſum ex ea ædificium conſtrueretur, ex omnis generis fruſtis ſine ullo ordine congeſtis in acervum. Paulus ad Corinthios ſcri- *2 Cor. 4.*
bens, dicit ſe non adulteraſſe verbum Dei, more *verſ. 2.*
multorum, id eſt, non fucaſſe (quemadmodum mangones merces ſuas fucare ſolent) ut in quæſtum abuteretur. Stolida hæc beſtia, locum hunc conjungit cum eo quod Apoſtolus Theſſalonicenſibus dicit de caſtitate; dehinc tranſilit ad octavum caput Epiſtolæ ad Romanos, ut ſanctas exhortationes, quæ nobis illic proponuntur, pervertat. Nam quum illic Paulus *Rom. 8.*
nos ad vitæ ſanctitatem hortetur, ut mundum & cu- *verſ. 13.*
piditates carnis abnegemus, infelix iſte, rudes faſcinare conatur, ut eos ad infernalem ſpiritualitatem trahat; quam in eo conſtituit, totamque perfectionem in eo ſitam eſſe vult, ut nihil malum eſſe judicent: eo prætextu, quod, ut ipſi videtur, habeant ſpiritum Chriſti. Atque illud eſt quod in fine dicit, falſo allegans locum Pauli, nos eſſe juſtificatos, quod ejuſdem ſpiritus ſimus: quum Paulus dicat, ſpiritum Dei nobis eſſe vitam, propter juſtitiam, quam nobis dedit.

Quamobrem neminem nunc ſecundum carnem cognoſcimus: quare ſi cognovimus Chriſtum ſecundum carnem, nunc non ſic eum amplius cognoſcimus, quia

renati

renati & regenerati ſumus nova creatura in Chriſto. Itaque res veteres & aridæ præterierunt, quia omnia renovata ſunt: & omnia ſunt ex Deo, qui nos ſibi reconciliavit per Chriſtum. Deus enim erat in Chriſto, reconcilians mundum ſibi, non imputans ipſi peccata. Ideo ſcriptum eſt: Qui videt peccatum, peccatum ei manet, & veritas in ipſo non eſt. Deinde, præterea dicit, eum qui peccat in uno, peccare in omnibus.

CENSURA.

PAulus volens eorum ſuperbiam deprimere, qui in rebus externis gloriantur, dicit neminem cognoſcendum ſecundum carnem, ut eum ab externa larva æſtimemus: ſed eos magni faciendos eſſe, qui novæ ſunt creaturæ. Hic nebulo eo ſpectat, ut imperitos rapiat in iſtam imaginationem, ne amplius inter bonum & malum diſcernant, acſi eſſet ſecundum carnem judicare. Quod ut melius confirmet, impudenter corrumpit locum Joannis, ubi Dominus Phariſæos ſic alloquitur: Quia dicitis, videmus, peccatum veſtrum manet: eumque in aliam omnino formam convertit: Qui videt peccatum, peccatum ei manet. An egregie ſublimes illos & tumidos ſpiritualitatis ſermones deſpumavit? nunc uno verbo definit, qualis ſit præclara illius ſectæ innocentia & ſanctitas: nempe, ſenſu & intelligentia potcis nihil præcellere.

Sed quum inſpicitis in Deum, omnia iſta non videtis. Non enim habitat in Deo peccatum: & tamen facit omnia: & quæ facit omnia, bona ſunt: ac ſcientia hominis, ſtultitia eſt coram Deo. An ergo reſpicietis in hominem, id eſt, in carnem, quæ non eſt Deus? Etiam ipſi non ſunt.

CENSURA.

HIc perſpicitur quomodo tribuens malum Deo, ut bonum judicetur, peræque Deum blaſphemat, aut etiam atrocius, quam ſi juſtitiæ ejus palam malediceret. Quia vero nullus eſt humano ſenſu præditus, qui tam prodigioſam fœditatem ferre poſſit: omnia fieri à Deo, ideoque nullum eſſe peccatum: ſapientiam hominis, ſtultitiam eſſe allegat. Quod ei concedo: ſed dico, condemnare malum, & peccatum cernere, ut ipſum odio habeamus, ſcientiam eſſe Dei, niſi omnino velit diabolum per ſacroſanctam Scripturam loquutum eſſe.

Et quia omnia quæ fiunt extra Deum, nihil ſunt: dicit Scriptura, quod omnia quæ facimus, aut ſcimus facere, nihil ſunt quam vanitas. Quare dictum eſt: Abnega temetipſum, tolle crucem meam, & ſequere me. Qui mecum ambulat, non eſt in tenebris, ſed ambulat in luce.

CENSURA.

NUlla adeo præclara in Scripturis ſententia eſt, quam os iſtud impurum atque impudens ad belluinam affectionem ſuam non trahat, nimirum ut unumquemque ad vitam, ſuo arbitratu degendam, impellat. Quum Scriptura dicit, nihil aliud eſſe in nobis quam vanitatem, nec ſine Chriſto boni quicquam poſſe efficere: id eo ſpectat, ut ſe quiſque inutilem ad bene agendum agnoſcens, Dei gratiam imploret, quæ omnia operetur. Impius iſte, contrarium prorſus concludit. Nempe, nos nihil agere, idque ſufficere, ut credamus Deum facere omnia: ac nos tum nihil admittere mali, quum Deo omnia imputamus.

Aſpicite, adeſt tempus quo diſcipulus Heliæ duplicem ſpiritum petebat. Atque illud erat, quod Chriſtus dicebat Apoſtolis ſuis, inquiens: Adhuc nonnulla habeo vobis dicenda, quæ nunc ferre non poſſetis: ſed quum Spiritus ille veritatis advenerit, vos omnem veritatem docebit. Neque enim loquetur à ſeipſo, ſed omnia dicet quæ audierit, & ventura omnia nunciabit vobis. Ille clarificabit me. Accipiet enim de meo, & vobis nunciabit, per quem incorruptibiles futuri eſtis, qualis ego ſum. Plura dicere ſuperſedebo, donec tempus advenerit.

CENSURA.

ACute & ſolerter nobis eſſet divinandum, ut quorſum ſpectet hujus ſacrifici ſermo intelligeremus: videtur enim à primo Miſſæ ſuæ memento, ad ſecundum tranſilire. Sed animadvertendum eo ipſum ſpectare, ut mundum à ſimplici & purâ Scripturæ doctrina avocet: acſi Chriſtianorum ſapientia in eo ſita eſſet, ut novas revelationes inquirerent: idque nunc duplicem ſpiritum vocat, ea prætergredi quæ Scripturæ finibus continentur. Tametſi, quoties ipſi libet, id diverſa omnino ſignificatione accipiat. Cæterum perdite & nequiter adulterat locum Joannis, ut blaſphemiam ſuam confirmet. Nam quum Dominus dicat Apoſtolis, Spiritum patefacturum intelligentiam eorum, quæ ex ipſius ore audierunt: veterator iſte illa ſic immutat, ipſum nunciaturum ea quæ futura ſunt. Deinde Chriſtum loquentem facit pro ſuo arbitratu, ejuſque perſonam, tanquam in fabula, introducit, dicentem ea, quæ ne in mentem quidem ipſi unquam venerunt. Sed ea reverentia Scripturam colunt ut ejus nomen obtendant: quo plebi imperitæ, & quid ipſa contineat ignoranti, imponant.

Aſpice quomodo Deus plantavit hortum voluptatis: deinde conſtituit in eo hominem, ut eum coleret & ſervaret. Quum autem Deus ipſum creaſſet, obdormivit, & Deus cepit unam è coſtis ipſius, ex qua creavit fœminam, ut conſociaret eam viro: deinde dixit eis: Creſcite & multiplicamini ſuper terram. En prima lex quam ordinavit Deus, quæ vocabatur lex naturæ. Itaque, intelligite quomodo Joannes oſtendit in Apocalypſi de ſeptem candelabris & ſeptem ſtellis: quomodo in quinta ambulaturi eramus in tenebris, dicens primum eſſe ſanctum, & poſtremum ejuſdem ſolennitatis cum primo. Nos autem ſumus in poſtremo tempore, & fuit verum vinculum factum in arbore crucis, quod vocamus Matrimonium: & tunc obdormivit, & fuit apertum latus, ut coſta reponeretur quæ eſt fœmina, Eccleſia dicta, & unio totius naturæ humanæ: & fieri omnes in uno membro, cujus Chriſtus eſt caput. Quare, relinquamus mortalibus quod eſt mortale & corruptibile: nam regnum & excellentia animæ noſtræ, non eſt hic inferius, niſi ſordida & maculata. Aſpiciamus bene quomodo Eccleſia facta fuit & formata, quæ erat præfigurata per Adam & Evam. Quare Chriſtus eſt ſponſus, & nos ſponſa, ut ſcriptum eſt in cantico: Veni ſoror mea, ſponſa mea.

CENSURA.

QUum Paulus hac ſimilitudine Adami & Evæ utatur, ut vinculum illud ſpirituale, quo cum Chriſto juncti ſumus, nobis unice commendet: nempe, ut communicemus cum ipſo beneficiiſque ipſius: ſceleſtus iſte ſeductor, eam detorquet ad diabolicam imaginationem ſuam: nempe, nos ipſam eſſe Chriſti perſonam. Prætcrea quod legem naturalem vocat multiplicare & creſcere: deinde addit eo eſſe redeundum, ut ſimus in primo innocentiæ ſtatu: id facit juxta eorum doctrinam de ſpiritualibus matrimoniis, ut unuſquiſque ſeſe ad eam applicet, quæ prima occurrerit. Quod interſerit de Apocalypſi, à gallo ad aſinum eſt. Attamen perſpicuum eſt ſenſum loci ab eo perverti: dum ad hoc tempus perfectionem regni Dei allegat: quod ut adveniat quotidie rogantes, fatemur nondum adimpletum eſſe.

Sed ſi adhuc committamus delictum, & ingrediamur hortum voluptatis, qui adhuc nobis prohibitus eſt, ne quid velimus facere, ſed ſinamus nos duci à voluntate Dei. Alioqui non eſſemus exuti veteri ſerpente, qui eſt primus parens noſter Adam, & videremus peccatum

ſicut ipſe & uxor ejus, qui putabant tegere humanitatem & peccatum ſuum, quod tunc commiſerant. Prius non videbant voluntatem ſuam, neque pudebat eos ſuæ humanitatis: non videbant peccatum ſuum: ſed quum viderunt ipſum, imputatum eſt eis in peccatum, & prorſus immutatum eſt in contrarium. Deliciæ enim fuerunt converſæ in miſerias & labores: & maledicta eſt terra in omnibus quæ producebat. Homo verſus eſt in vanitatem.

CENSURA.

QUalem mortificationem doceant iſti ganeones hic perſpicimus: nempe ut homo ſeſe appetitui ſuo committat, neque ullius rei conſcientia moveatur. Tunc enim ex eorum ſententia Deus operatur in nobis, quum opus noſtrum eſſe non dicimus. Hanc blaſphemiam adhuc iteratam videmus, tollendum eſſe ex animo omnem ſcrupulum: atque in eo totam innocentiam ſuam ſitam eſſe, ut claudant oculos, ne bonum aut malum intueantur: quod, ut inquit Solomon, omnis iniquitatis faſtigium eſt. Idem etiam poſt ipſum dicit Paulus, ſignum eſſe hominis à Deo prorſus deſtituti, quum nullo tangitur dolore aut pungitur. Præterea, obſervandum quomodo omnia evertit, dum originem exitii humani ſtatuit in eo, quod hominem ſuiipſius pudere cœpit: quum malum ortum ſit ex infidelitate & inobedientia: ille vero pudor, punitio fuit quæ ſequuta eſt, quam tamen Dominus ei in ſalutem convertit. Perſpicuum eſt igitur quanta ſit fœdi iſtius hominis impudentia, affirmantis peccatum ideo Adæ fuiſſe imputatum, quod illud viderit & noverit. Nam è contrario, quod vidit peccatum, obtinendæ gratiæ initium fuit: ut revera peccatorem à ſeipſo condemnari oportet, quo veniam à Deo obtineat. Alioqui, quo ſpectabit pœnitentia, quam Chriſtiani omnes ad mortem uſque meditari debent? Cæterum, alia adhuc malitia notanda eſt: nempe quod Adamum & ſerpentem, unum eundemque facit, juxta ſuam doctrinam, quæ docet peccatum, diabolum, mundum, animam hominis viventem, & opinationem, unam atque eandem rem eſſe.

Quare relinquamus veterem Adam, id eſt, animam noſtram viventem, & veniamus ad rem majorem, id eſt, ad ſpiritum. Dictum enim fuit Adæ quod moreretur, & revera mortuus eſt. Nunc vivificati ſumus cum ſecundo Adam, qui eſt Chriſtus, non cernendo amplius peccatum, quia eſt mortuum: nam ex peccato facta eſt gratia per Patrem noſtrum in Jeſu Chriſto. Unde igitur veniret hic pavor & timor mortis, aut inferni dejecti? Unde poſſunt ſic mitti in errorem, decepti, qui nihil aliud ſunt quam vanitas?

CENSURA.

HIc perſpicitur quomodo ſerpentes iſti Veteris hominis & Spiritus vocabula intorqueant. Nam, quum Scriptura Veteris hominis nomine ſignificet corruptionem, quæ in nos irrepſit propter peccatum: ex eo faciunt animam viventem, quæ homini à prima creatione data fuerat, antequam peccaſſet, aut ullo vitio laboraret. Verbum Spiritus non eſt ipſis ex gratia regenerationis: ſed imaginatio illa, quod Deus in nobis eſt, eumque, omnia quæ vult, agere ſinendum eſſe. Perſpicitur etiam quid intelligant per vitam, quam habemus in Chriſto: nempe omnia nobis licita eſſe, nihil eſſe malum, modo nullum ejus ſenſum habeamus. Fidelis quidem nec mortem nec inferos timere debet: nempe dum cognoſcit ſe redemptione Chriſti in libertatem vindicatum. At contemptus hic, minime ex ſtupore naſcitur, quemadmodum impii iſti volunt, aut ſublata opinione mortis & inferorum, ac ſi puerorum terriculamenta eſſent. Atque is eſt finis quem Pocquius juxta communem ſectæ ſuæ doctrinam ſpectat.

Nam quum Jeſus deſcendiſſet in terram, qui in multis adhuc clauſus eſt, quamvis Chriſtus vicerit omnes diabolos, qui eſt mundus, & adeo admirabatur quis erat Rex iſte tam glorioſus, reddens lumen ſuum tenebris, & faucibus inferni, dicebat: Attollite portas, &c. ſicut antea dixi vobis, deducit nos & reducit. Sed perpetuo eſt nobiſcum. Non poſſumus eſſe ſine ipſo: neque ipſe ſine nobis. Sicut enim dixi, nos ſibi deſpondit in cruce, & tam firmiter affixus fuit, ut non poſſit, neque velit remotus eſſe à nobis, propter magnam charitatem quam habet in nos.

CENSURA.

DIfficillimum quidem eſſet, omnia interpretari quæ Miſſarius hic doctor effutit. Eſſet enim rationem agere cum inſania. Semper tamen redit ad illa duo capita, ut talem nobis fingat Chriſtum, quo freti, Deum offendere non vereamur, nihil habentes in nobis præter juſtitiam: deinde ut perſuadeat omnia adimpleta eſſe, ne amplius aut paradiſum aut inferos expectemus. Notandum etiam perpetuo, diabolum nihil apud ipſum eſſe quam mundum, id eſt, opinationem. Quod attinet ad locum Davidis quem citat, erratum illud facile ipſi poteſt condonari, quum totam ſcientiam ſuam breviario ſuo incluſam teneat: eamque fabulam die Paſchæ, quam floridam vocant, in pago ſuo agi viderit: nempe quum ſacrificus baculo crucis fores templi petit, fingens ſe inferorum portas diſrumpere. In textu autem Davidis, nihil omnino tale habetur: ſed orationem ſuam dirigit ad fores templi Dei, jubens ut Pſal. 24. verſ. 7.
capita ſua attollant, quo Deus ingrediatur. Quare aptius omnino & convenientius eſſet, venerabili huic presbytero demurmurare preculas breviarii ſui, Miſſam canere, & ſublata mappa lingere paropſides culinæ, quam agere doctorem.

Et charitas omnia in utilitatem ſuam convertit, nec quærit utilitatem ſuam: nec pro ſeipſa eſt, ſed pro omnibus: orat pro inimicis ſuis, & donat quod illis deeſt, & operit multitudinem peccatorum, nec cernit peccatum. Deſtruxit enim omnia per ſummum hoc mandatum quod ſtatuit & ordinavit, dicens: Diligite invicem, quemadmodum dilexi vos. Non veni pro me, ſed pro vobis omnibus qui creditis in me. Et ero in vobis, & vos in me. Sicut Pater & ego unum ſumus, ita vos & ego unum erimus. Scitis me exiiſſe à Patre, & veniſſe in mundum. Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Quanquam non ſum ſolus, ſed Pater mecum eſt.

CENSURA.

TAmetſi, pro more ſuo involvit ſermones iſtos, tamen in ſumma ſignificari vult, peccatum non eſſe amplius, quum remiſſum ſit per charitatem Dei, neque nos imputare ipſum debere, quum charitas multitudinem peccatorum inter homines tegat. Deus certe, fateor, peccata noſtra tegit, ſiquidem ad ejus miſericordiam confugimus: ſed non ideo minime nos peccare dicendum eſt: alioqui, qualis eſſet remiſſio, ſi nulla eſſet culpa? Neque etiam dicendum, nos peccatorum noſtrorum ſenſu tangi non debere, quum fides ſine pœnitentia nequeat conſiſtere.
Similiter fateor, charitatem fidelium tegere in pro- Prov. 10.
ximis multitudinem peccatorum. Vetum, id neuti- verſ. 12.
quam aſſentando aut blandiendo. Nec enim Paulus, Galat. 3.
quamvis acriter fratrum ſuorum vitia reprehende- verſ. 1.
ret, charitate præditus eſſe deſinebat. Nec quicquam
à charitate alienum facit, quum dicit ſe lætari, quod 2 Cor. 7.
mœrore affecit Corinthios, & doloris cauſam intulit, verſ 9.
quæ ipſos ad pœnitentiam adduceret. Blaſphemia eſt igitur, dicere charitatem non videre peccatum.

Dico vobis ut pacem habeatis invicem, id eſt, in me, oppreſſiones habebitis in mundo. Confidite, ego vici mundum. Sed ii qui ſunt in carne, Deum videre non poſſunt. Scriptum eſt enim, Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt. Deinde dictum eſt: Beati & benedicti qui ſunt mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt.

C e n s u r a.

COncluſio reliquis perſimilis eſt, id eſt, ſententiarum male cohærentium farrago. Interim ſcopus eſt: ut videamus Deum, nos in carne amplius eſſe non oportere. Quo intelligit nullius rei conſcientia debere amplius commoveri: ſed exiſtimandum nos jam in cælis ipſis agere, quum ibi ſit Chriſtus, qui ipſe in nobis eſt. Quod delirium ut con-
1 Cor. 15. verſ. 50. firmet, citat teſtimonium Pauli: carnem & ſanguinem regnum Dei poſſidere non poſſe: omnino præter mentem Apoſtoli. Ibi enim loquitur de ultima reſurrectione. Perditus vero iſte, ſic illud adducit, acſi jam perfecta & adimpleta eſſet. Sed minime mirandum. Præcipuum enim hujus ſectæ fundamentum eſt, ut jam dixi, omnia eſſe facta, quum ſimus in Chriſto: animam carnalem in nobis amplius non ineſſe, ſed ſpiritum vivificantem: in eoque non ſolum juſtitiam noſtram, ſed reſurrectionem & gloriam ſitam eſſe. Itaque nemo non cernit, aut potius contactu percipit, quam vere de inſanis iſtis beſtiis ſim loquutus: nec quicquam illis calumnioſe affinxerim, ut eos gravarem aut eos redderem odioſos. Nam lepidum hoc ſpecimen Antonii Pocquii locuplex teſtimonium reddit, tum præclaræ rhetoricæ, quam in uſu habent, tum etiam conſilii, & quem in ſcopum intendant. Rurſum ii, quos turpis Miſſator nugis ſuis circumvenire molitur, inſignem hic notam animadvertent, qua commonefiant quo ſpiritu agatur: nec ipſe ſolum, verum etiam omnes hujuſce factionis. Quanquam oporteat inter cæteros, quum à patre ejus Quintino diſceſſerim, notatum eſſe. Nam præter aditum qui ei ad plurimos patefit, ut venenum ſuum effundat: præterquam etiam quod in diſcurſando hac & illac nimium eſt ſedulus, ut miſeras animas perturbet, ubicunque diabolo magiſtro ſuo ſine periculo inſervire poteſt: ſe quoque tegit, quantum intelligo, Valdenſium nomine, ut facilius ſe in ſimplicium animos inſinuet, quibus perſpecta eſt ejus populi probitas. Quum ergo ovis pelle ſeſe induat, ad agendas lupi partes, hoc eſt, ad devorandum & perdendum: hoc eum tegumento nudari par eſt. Quod me ei ita ademiſſe puto, ut qualis ſit beſtia omnes intueri poſſint. Præterea ferendum non eſt, ut impius iſte probrum hoc inferat populo tam Chriſtiano, & ſimplici animi candore Euangelii puritatem colenti: ut ex eo ſe eſſe jactet, quo illum apud fideles Dei ſervos atque etiam imperitos traducat & diffamet. Præſertim quum ita præbeatur occaſio blaſphemandi nominis Dei, ſi Valdenſes commune quicquam cum iſto cane habere putentur.

C a p. XXIV.

Quo monentur lectores de nonnullis libris in vulgus editis, quibus utuntur Libertini, quamvis non omni ex parte cum ipſis faciant.

QUia ſemel imbutum aut implicitum ſtulto aliquo delirio ingenium, ſemper in deterius labi ſolet, operæpretium eſt, fideles lectores de nonnullis libris monitos eſſe, qui fanaticis opinionibus infecti, poſſent veluti aditum & viam munire ad ſectam Libertinorum: ut re vera iis cauſam ſuam fulciunt, quo rudium ingenia in errorem impellant. Inter cæteros unus extat, falſo inſcriptus Inſtructio & ſalutaris admonitio, ut perfecte vivamus in hoc mundo, & quomodo patientes erimus in noſtris adverſitatibus. Si ex me quæratur, quid in eo mali reperio: primum, dico totum ejus argumentum eſſe vagum, nec certam ex eo definitionem ſumi poſſe. Deinde ſtultæ ſunt & abſurdæ in eo ſpeculationes, quæ nulli omnino uſui eſſe poſſunt, quam ad concutienda ingenia, ut poſtea dubia & ſuſpenſa relinquantur. Tertio, ſermones diſſolutos, atque ab omni ratione alienos continet. Veluti, homini fideli tam gratum eſſe agere in inferis, quam in Paradiſo: & ejuſmodi. Cæterum mihi ſatis eſt nominaſſe: nec enim eſt inſtituti mei contra diſputare. Alius extat liber paulo longior, inſcriptus, Specillum Chriſtianorum: qui re vera ad turbandam aciem quam juvandam longe aptior eſt. Auctor quidem libelli, non tam bardus eſt aſinus, quam Quintinus, aut Pocquius, quibus aut plus in ſpecie eſt, quam in re, dempto confuſi garritus ac ſtridendi potius quam loquendi aſtu, ut ex ambagibus & involucris ſcientiæ opinionem colligant. Hic vero nonnullius eſt ingenii, alicujus etiam doctrinæ, & nonnihil habet methodi: ita ut ſpeciem aliquam opus ejus habere poſſet, niſi ſtultæ & pernicioſæ opiniones admixtæ eſſent. Rationibus quidem bene expenſis & ſubductis totus liber à principio ad finem uſque, haud multum habet ſucci: ſed tamen quodammodo reciperetur, ſi ſtulta illa deliria abeſſent, quibus infercitus eſt. Ab initio ipſo, negat afflictiones, quas in hoc mundo patimur, eſſe flagella Dei. Ut id probet, addit medicinas tantum ſpirituales eſſe, quæ nos à vitiis repurgant. Non eſt autem valida hæc ratio. Cur enim pater filium caſtigat, niſi ut ipſum emendet? Non eſt igitur alienum à ratione, flagellum ipſum, remedium eſſe. Rurſum notandum eſt, ſicuti Dominus fideles bello, fame, peſte, aliiſque adverſis rebus caſtigat in ipſorum correctionem & ſalutem: ita incredulos & contemptores punire, juſtam adverſus ipſos ultionem exercens. Proinde, quemadmodum ignis aurum & argentum repurgans, paleam & fœnum conſumit: ita afflictiones purgandis bonis, reprobis vero deſtruendis immittuntur. Poſtea, dicit eos qui membra Chriſti ſunt, vitam corporalem amplius non degere: quæ loquendi forma nimis hyperbolica eſt, videturque hominis ex ſomnio delirantis. Omitto quod ab ipſo perperam exponitur locus Joannis, in quo præcipuam theſin ſuam fundat. Dehinc politiam omnem condemnat, quæ bonis conſervandis conſtituta eſt. Rurſum, medicinam, quæ tuendæ humanæ vitæ ordinata eſt, improbat. Et quamvis nonnullis in locis talem temeritatem corrigere, aut ſaltem moderari conetur: ſemper tamen in eo perſeverat, omnes humanas leges, quæ ad reipublicæ adminiſtrationem pertinent, diaboli eſſe inventa, medicinam vero meram eſſe idololatriam. Si corruptelas, quæ in iis admittuntur ſolum reprehenderet, facile ei conſentirem: nec tam multa dicere poſſet, quin ego plura adderem. Sed dum ea quæ bona & ſancta ſunt, vituperat, blaſphemat Deum, à quo illa manarunt. Deinde, bella omnia in univerſum condemnat, ſublato omni diſcrimine, an juſta de cauſa ſuſcepta fuerint vel injuſta: atque etiam ſi princeps defendendi ſolum populi ſui cauſa bellum gerat, nulla aut ambitione, aut avaritia impulſus: ſed tantum ut officio ſuo fungatur. Ut id
confirmet, adducit locum, quo jubemur iræ locum *Rom. 12.*
cedere. Paulus autem per nomen Iræ, vindictam Dei, *verſ. 19.*
& juſtam ejus punitionem intelligit, quam principes exercere jubet. De bellis veteris Teſtamenti loquens, ait ea nos imitari non debere, quum ſub charitatis lege ſimus: quaſi vero tunc etiam ipſa neutiquam fuiſſet. In eo non ſolum gravi contumelia afficit ſanctos Patres: ſed Deum quoque ipſum, à quo fuerunt edocti. Neque vero ſimplici & moderata utitur reprehenſione, ſed vociferatur & tumultus movet, acſi cum omnibus inferni diabolis bellum gereret. Execrabilem enim cenſet eſſe blaſphemiam, atrocem injuriam in Deum, impiam infidelitatem, legibus humanis ad mundum gubernandum uti. Cur ita? Quia Deus ſatis ſuperque ipſum providentia ſua regere
poteſt. Verum providentia Dei per Solomonem cla- *Prov. 8.*
mat, hoc à ſe proficiſci, quod principes & conſiliarii *verſ. 15.*
ipſorum leges & jura conſtituunt. Imo, inquit, Satan principum animis hoc ſuggerit, ut quod ſolius Dei eſt, ſibi uſurpent: nempe, efficere ut voluntas ipſius adimpleatur. Quaſi leges humanæ ſpectarent alio, quam ut mundum in juſtitiæ ordine & modo continerent. Id quod etiam vult ac jubet

Rom. 13. Deus: eumque in finem, ut Paulus ait, Principatus
verſ. 4. in mundo ordinavit. Non eſt, inquit, Principis mu-
1 Tim. 2. nus, audire querelas & contentiones ſubditorum,
verſ. 2. aut lites dirimere; nam ubicunque eſt lis, utrimque
etiam transgreſſio eſt. Primum hanc rationem veram
eſſe nego: Fieri enim poteſt ut alter æquum tueatur.
Velut is qui jus ſuum defendit, quum injuſte invadi-
tur. Rurſum dico, ſi quid mali ſit, ad remedium ve-
niendum eſſe. Cauſam omnium calamitatum, quas
1 Sam. 12. filii Iſraël perpeſſi ſunt, huic culpæ aſſignat, quod
verſ. 19. Regem poſtularunt. Quaſi vero populus antea affli-
ctionibus minoribus aut paucioribus, quam poſtea
vexatus fuiſſet. Nimis igitur inconſiderate garrit,
& nimis ſocordi hiſtoriæ ignorantia labitur. Verum,
hoc adhuc ab ipſo quæro, num prius politicus ordo
inſtitutus erat à Deo, qualis hodie is eſt, quem ipſe
condemnat? Rogo, an non Moſes & judices audie-
bant controverſias populi, eaſque dirimebant? Quid
vertiginoſo homini facias & cerebro carenti: dum
transverſus rapitur in vanas ſpeculationes & funda-
mento vacuas? Tantum obiter hoc perſtringere vo-
lui, ut inde liceat, qualis ſit totus liber, æſtimare.
Perſtrinxi, inquam; nimis enim longum fuiſſet plene
pertractare. Adhæc, ſupervacuum mihi videbatur,
quæ de iis in mea Inſtitutione diſſerui, repetere.
Quin etiam adeo ſtulta & abſurda deliria ſunt, ut inter
homines ſani judicii ea digito commonſtraſſe ſuffi-
ciat, quo præcaveri poſſint. Quum ad medicinam
ventum eſt, non minus effrenate erumpit: ringitur,
furit adverſus eam, phreneticorum more, qui fe-
riunt, mordent unguibus, petunt eos qui ipſis opem
ferre ac conſulere volunt. Nunc autem omnes medi-
cinæ laudes referre, ac per ſingula demonſtrare
artem illam, non tantum bonam & divinam eſſe, ſed
etiam honore & pretio dignam, nimis longi ſermo-
nis eſſet. Reſpondere etiam calumniis omnibus,
quibus eam traducit, prolixioris eſſet controverſiæ.
Nec profecto tanta prolixitate opus eſt ad refutandas
ſtolidas illas rationes quas adducit, vel tuendam tam
liquidam certamque cauſam, qualis eſt illa quam im-
pugnat. Primum, res eſt pudenda cum iis, qui ſe
Chriſtianos nominant, & tales haberi volunt, imo
etiam doctores ſe profitentur, de ea re contendere,
quæ inter Gentes certa & indubitata fuit. Commu-
nis enim inter eos fuit hæc ſententia, medicinam
eſſe donum Dei. Tametſi nolim hoc eum præjudicio
gravare, niſi quatenus veritas unicuique patebit.
Dicit medicinam ſpiritus maligni ſuggeſtione, in
mundum irrepſiſſe. Ego vero dico, atque etiam
probo eſſe à Deo profectam: quum ſcientia ſit bene
utendi Dei creaturis, quas nobis deſtinat, prout
neceſſitati nos obnoxios eſſe voluit. Sicut enim Deus
corpora noſtra fami & ſiti ſubjiciens, eſculenta &
poculenta dedit, quibus huic neceſſitati ſubvenire-
mus: frigori & calori nos ſubjiciens, adjumenta qui-
bus obviam iremus ſuppeditavit: ſic quum nos mor-
bis reddidiſſet obnoxios, remedia ſubminiſtravit,
quibus mederi nobis ac proſpicere poſſemus. Qui
negabit morbos à vitioſis qualitatibus proficiſci, ab
intemperantia, ab accidentibus etiam quæ aliunde
manant, is merito, ut ſenſu & ratione carens, ab
omnibus rejicietur. Herbarum vires cæterarumque
rerum percipiuntur experientia: ita ut qui vel mi-
cam habet cerebri, id oculis ipſis cernat. Scriptura
1 Reg. 4. refert Solomonem librum compoſuiſſe hujus argu-
verſ. 33. menti. An naturalis illa cognitio tam præclara, quæ
in evidenti ratione ſita eſt, & à Scriptura ſacroſancta
approbatur, pro incantatione, aut præſtigiis Satanæ
Coloſſ. 4. habenda eſt? Quum Paulus mentionem facit de Luca,
verſ. 14. medicum nominat. Lucas, inquit, medicus, vos
ſalutat. An hoc titulo eum dedecore afficere voluit,
acſi latronem aut prædonem vocaret? Nunc ab
egregio hoc cenſore dicti ſui approbationem requi-
ro: nempe, medicinam à diabolo fabricatam fuiſſe.
Allegat nos debere in meditatione Legis, noctes &
dies occupari: ideoque nihil nobis vacui ad cogno-
ſcendas herbas ſupereſſe temporis, quia ſunt ſpecu-
lationes otioſorum hominum. Talis fanaticus dignus
eſſet qui in cubiculo cum Bibliis includeretur,
ademptis omnibus cibariis ac veſtibus, ut perſpici
poſſet, quomodo cæteris cogitationibus prætermiſ-
ſis, ad ſacri verbi Dei lectionem noctes & dies ani-
mum appelleret. At dicet, nobis comedere licitum
eſſe. Excipiam nullo modo licere, ſi ejus dementiæ
fides adhiberetur. Quales enim ſunt hæ diſtractio-
nes, terram colere, ſerere, metere, triturare, mo-
lere, pinſere, coquere? Quantum temporis conſu-
mendum in iis artibus perdiſcendis, quæ ad victum
& cultum corporis neceſſariæ ſunt: quanto etiam
longiore opus eſt in iis exercendis? Interim medita-
tioni verbi Dei, quæ nobis adeo commendatur, nihil
detrahi velim: ſed oſtendo deliros iſtos homines,
quid præceptum illud ſibi vellet, nunquam intelle-
xiſſe. Nec enim Dominus nos in iis occupari vetat,
quæ ad hanc vitam tuendam requiruntur: modo ſem-
per ad altiora aſpiremus, neque in eo præcipuam
impendamus operam, quod acceſſionis tantum loco
eſſe debet. Ut oſtendat Deum non tentari, ſi medi-
cina contemnatur, dicit, verbum fore diabolicum,
ſi quis ſecus loquatur: quo evertitur univerſa Chri-
ſtianorum religio. Sed quæ eſt ratio? Quoniam,
inquit, is non tentat Deum, qui omnem in eo fidu-
ciam locat. Fateor: ſed dico eum qui media à Deo
ordinata contemnit, in ipſum minime confidere,
ſed prava temeritate & arrogantia tumere. En præ-
clara argumenta ad condemnandas creaturas Dei,
cum ejus dedecore & probro qui ipſas in uſum no-
ſtrum deſtinavit, ut ipſis cum laude & gratiarum
actione frueremur. De multis ſententiis ſtultis & ab-
ſurdis, quibus paſſim aſperſus eſt liber ille, dicere
omitto. Veluti, quum dicit Dominum noſtrum Je-
ſum ſolum eſſe hominem, in quo omnes ſumus: &
quum poſtremus ſit, nullum præter ipſum ſupereſſe.
Id quod ad Libertinorum blaſphemiam accedit, de
qua prius diſſeruimus. Item, ſolam animam viven-
tem homini poſt peccatum remanſiſſe. Quaſi non
eſſet eadem anima divinis prius ornata dotibus, quæ
nunc etiam per Chriſtum inſtauratur. Item, blaſphe-
miam eſſe magnam contra bonitatem Dei, parentes
pluſquam alios diligere. Quaſi fruſtra hæc præcepta
eſſent: Honora patrem & matrem: Viri diligite *Exod. 20.*
uxores veſtras: ſimiliter uxores viros ſuos ament. *verſ. 12.*
Sed habemus, inquit, fraternitatem ſpiritualem quæ *Epheſ. 5.*
longe præſtantior eſt. Fateor: ſed nego alteri ab al- *verſ. 25.*
tero ullo modo derogari: modo in gradu ſuo ſinguli
permaneant. Item, quum dicit, quæ Deus præcipit,
non ideo facienda quod ita jubeat, ſed tantum, quod
exemplum ipſe præbuerit. Item, quum dicit ferre
crucem, eſſe pati æquo animo nos fieri vaſa ignomi-
niæ: quum è diverſo Deus nobis hanc perpetuo con-
ſolationem proponat: crucem quam ferimus ſocieta-
tem eſſe cum cruce Chriſti, ut imagini ejus confor- *Rom. 8.*
mes facti, glorioſæ ejus reſurrectioni communice- *verſ. 17.*
mus, ſicque fiamus honoris vaſa, non ignominiæ.
Exiſtimo nemini non eſſe ſatis perſpectum, quam
fugiendi ſint tales libri, infecti opinionibus adeo fa-
naticis. Quod ego demonſtrare, nec ultra progredi
volui.

CONCLUSIO.

NUnc omnes qui ex animo Deum quærunt,
ac veritati ejus libenter parent, rogatos ve-
lim, ut diligenter & tanquam in ſpeculo
conſiderent quam pernicioſum ac peſtiferum ſit,
ſinere ſe à pura Chriſti ſimplicitate abduci. Eſt enim
formidabile exemplum iræ Dei, homines ratione
præditos, quin etiam illuſtratos aliquo intelligentiæ
lumine, in tam horribiles tenebras labi, ut ſe be-
ſtiis mutis ſimiles reddant. Quo periculum ejuſmodi
vitemus, demus operam, ut in timore & ſollici-
tudine

tudine vocationis noſtræ curſum perſequamur: & proficiamus in doctrina, ſed bona & utili: eumque nobis ante omnia finem proponamus, ne quid velimus ſcire, præter id quod Dominus Scriptura ſua nobis revelare voluit: ne ſacroſanctum Dei verbum, ſenſui noſtro aut cupiditati ſubjiciamus: ſed acquieſcamus omnino iis quæ nobis præſcribit. Cavendum ſedulo ne profanemur, quum nos in ſanctificationem vocare Deo libuerit. Ne ſimus rerum novarum cupidi, ne pruriamus auribus, quo curioſa ſectemur: ſed quæramus ea quæ & nobis utilia eſſe, & ædificationi ſervire poſſunt. Ne inconſtantes adeo ſimus aut mutabiles, ut in dies varietatem aliquam expetamus: ſed ad verum iter deducti, ne inde deflectamus: compotes divinæ veritatis facti, illi adhæreamus, tanquam individua copula connexi. Cæterum nemo miretur aut conſternetur, quum tam inſolitos atque ab omni ratione alienos errores cernit. Nemo conturbandi ſui, aut abſiſtendi ab Euangelio inde occaſionem ſumat. Potius omnibus modis nos in eo confirmare ſtudeamus, ut hoc tanquam perenni fulcimento ſubnixi, adverſus omnes tempeſtates ac procellas invicti ſtemus. Non peto ut quiſquam ſententiæ meæ adhæreat, niſi ea conditione, ſi prius id quod doceo utile eſſe cognoverit. Non peto ut infauſta hæc doctrina, contra quam ſcripſi, improbetur, niſi quatenus repugnat doctrinæ Dei: neque id tantum, ſed erroribus etiam referta eſt adeo execrandis, ut ſolo auditu horrorem incutere debeant. Reſtat ſolum ne oculi ad cernendum quod palam eſt, deſint. Siquidem certum eſt neminem niſi juſta Dei vindicta excæcatum, & ſenſu reprobo damnatum, hic poſſe circumveniri, quod Deum in verbi ejus contemptu contumelia affecerit. Atque id cauſæ eſt, cur tam ſedulo fideles hortatus ſum, ut vocationis ſuæ perpetuo memores, nunquam ab ea deflectant: atque proſpiciant, quorſum Scriptura nobis data ſit, quomodo ea ſit utendum, ne profanetur ipſa, dum in alienum uſum trahitur, ab eo, in quem à Deo deſtinata fuit.

JOANNES CALVINUS,

Servus Jeſu Chriſti, omnibus piis qui degunt Rotomagi.

Ex Gall. ZElus quo afficior pro domo Dei, fratres, has me literas ad vos ſcribere cogit, tum quia ſollicitus ſum de ſalute veſtra, tum quia dum uſpiam nomen Dei blaſphemari, ejuſque doctrinam corrumpi intelligo, diſſimulare non debeo, ſi qua mihi contradicendi ratio ſit, aut facultas. Oblata ſunt mihi ſcripta cujuſdam Franciſcani, qui apud vos, tanquam religionis Chriſtianæ ſtudioſus, in vinculis tenetur: quibus perſpicio hominem hæreticum, ac nequiſſimum, cujus veneno miſeræ multorum animæ infici, atque in exitium duci poſſent, niſi ab iis quibus illuxit gratia Dei, remedium afferatur. Ac, ne incertis quorundam delationibus temere fidem habuiſſe videar, vos monitos velim, me jam ante annum, dialogum ab eo conſcriptum, horrendis blaſphemiis refertum legiſſe: ac me nuper à viris fide dignis certiorem redditum, alia ſcripta quæ ad me miſſa ſunt, & quæ finem eundem ſpectant, ab ejus manu prodiiſſe. Unica enim, ut aiunt, cantilena, ipſi nota eſt, quam perpetuo recinit: nempe, quum Deus rerum omnium auctor ſit, nullum jam boni & mali diſcrimen eſſe habendum: ſed quicquid agitur, bonum eſſe, modo nullus animo ſcrupulus inhæreat. Intelligo vero, dum execrandas haſce blaſphemias evomit, permultos ei favere, atque adeo fœminas quaſdam non vulgares eum habere in deliciis. Ex quo facile eſt judicare, laſcivas ac proſtituti pudoris iſtic eſſe mulieres, quæ ſplendidius ornantur, quo inſigniora ſcorta ſint. Nam ſi honeſti vel mica tantum iis reliqua eſſet, neque perfrictæ omnino frontis eſſent, vel minimum cum ipſo commercium exhorrerent. Sed quoniam audio quoſdam etiam minime malos homines, prima fronte ab ipſo falli, vos admonitos volui, ut quum venenum ejus detexero, diligenter ab eo caveatis.

Specioſis quidem prefationibus uti ſolet, ut fucum faciat: ſed quum ad rem aggrediendum eſt, nihil præter inanem ſpeciem deprehenditur, tanquam ſepulchri quod intus corruptione & fœtore ſcatet. Longis vero procemiis utitur, veluti, Omnes noſtri ſenſus Deo ſubjiciendi ſunt, nec quicquam de ſapientia noſtra perſuaſum habere debemus: mens noſtra ſubigenda, ut veluti captiva morem Chriſto gerat: quod & ipſi fatemur. Imo nullo utitur apparatu hic impoſtor, quem ex doctrina noſtra furatus non ſit. Sed dum vobis aureum calicem porrigit, eo tantummodo ſpectat, ut vos veneno ſuo enecet. Non eſt igitur hærendum iis locis, quos extra rem citare ſolet: ſed urgendus ſtatim atque impellendus, ut ad rem redeat. Primum, ei vulgare eſt, quod Libertinis omnibus, ſacroſanctis Scripturæ verbis ludificari: dum eam pro libidine torquet, variiſque allegoriis transformat: quod nihil aliud eſt, quam genuinum ejus ſenſum adulterare. Hoc dum iſte agit, infinita deliria comminiſcitur: deinde Scripturam invertit impudenter, ut eam ſomniis ſuis accommodet, ac veluti ſubſervire cogat. Ut autem ad ſummam rei præcipuam veniamus, Deum inſimulat, quod hominem crearit cum ea pravitate & vitioſitate naturæ, qua nunc præditus eſt. Quæ aperta blaſphemia eſt, occaſionem homini præbens excuſandæ nequitiæ ſuæ, ut in Deum culpam rejiciat. Conteſtatur quidem ſibi longe aliam eſſe mentem: ſeque Deum mali auctorem facere nolle affirmat. Sed quid prodeſt ejuſmodi ſubterfugium in re tam aperta? Si cujus malam percuſſero, an excuſabor, ſi obteſter id me offendendi hominis cauſa non egiſſe? Etenim res ipſa manifeſta eſt. Ut errorem ſuum approbet, teſtimonio Pauli abutitur, quum ad Epheſios ait, natura nos iræ filios eſſe: atque admonet, ut nomen naturæ diligenter expendatur. *Epheſ. 2, verſ. 3.* Atqui, perſpicuum eſt, Paulum de natura corrupta loqui, quam ex Adamo ducimus. Unde vero oritur hæc corruptio? Paulus ad Romanos quinto, id declarat: nempe, per unum hominem peccatum in mundum ingreſſum eſſe. Itaque, nomen naturæ, creationem, qua conditi ſumus à Deo, non ſignificat, ſed genos quod omnes à primo parente ducunt. Quemadmodum ſecundo ad Galatas ait, Nos Judæi ſumus natura. Nam intelligit eos originem duxiſſe ab Abrahamo, atque ita benedictionis ei, ac ſemini ejus promiſſæ, eſſe participes. Ut etiam ad Romanos decimo, omnes Judæos, naturales ramos ſanctæ radicis vocat. Ita natura æternæ damnationis hæredes ſumus: quoniam omne humanum genus, in Adam maledictum eſt. Videtis ergo ut fanaticus iſte, Deum ejus rei inſimulet, quæ primo homini imputanda eſt. Scriptum eſt enim, Deum creaſſe hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam: atque oſtendit Paulus, imaginem hanc prius in nobis inſtaurandam eſſe: unde ſequitur, Adæ peccato fuiſſe deletam. Atque hinc concludo, perverſam ac vitioſam hanc naturam à creatione Dei non oriri, ſed à culpa Adæ qui ſeſe corrupit: quemadmodum etiam Solomo teſtatur, inquiens: Scio Deum creaſſe hominem rectum. Sed ipſi varias inventiones quæſierunt.

Porro, ſub prædeſtinationis prætextu ſic homi-

nem in nihilum redigere conatur, ut reprobi exitio ſuo nihil agant. Atque hinc prædeſtinationis doctrinam obſcurant exemplo ſophiſtarum: quam ut illuſtrarem & planiorem redderem, omnes me ſtudium atque operam adhibuiſſe ſciunt. Sed ſi comparentur ea quæ tractavi cum interpolatis ſententiis, quas iſte undequaque evertit, perſpicuum erit omnibus quanta hic audacia Scripturæ locos adulteret, quibus veram ac certam ſolutionem attuli. Quid enim ejus refert, modo evadat? Fateor igitur Deum quos vult, indurare, & miſereri quorum vult: nec rationem cur id faciat, ab ipſo repoſcendam eſſe. Nec tamen ſequitur reprobos, propterea quod indurentur à Deo, à ſeipſis non indurari. Nam dum ita loquitur, ſacram Scripturam arguit mendacii. Interea nihil ad rem facit, quod ait, malum nobis inhærens, ab originali peccato, hoc eſt, ab homine ipſo non oriri: tametſi Deus præviderit ac ſtatuerit priuſquam mundum crearet, quid unicuique noſtrum fieri vellet. Nec vero fruſtra ad Dei imaginem creati ſumus: ſed nos convictos tenere voluit, ut à nobiſipſis exitium noſtrum oriri intelligamus, quemadmodum *Oſea 13. verſ. 9.* per Oſeam Prophetam teſtatus eſt. Perditus hic nebulo tria ſolummodo interiora peccata eſſe affirmat: nempe, inanem ſapientiæ, virtutis, ac juſtitiæ noſtræ perſuaſionem ac confidentiam. Ac ſubjicit exteriora peccata omnia eo referri poſſe. Fateor quidem hæc tria vehementer damnanda: nec ullam eſſe capitaliorem peſtem, quam ſi quis arroganter ſibi de ſe perſuadeat. Sed ſi hæc tria ſolummodo peccata ſunt: quid avaritia, quid invidia, quid ulciſcendi libido, quid mœchandi cupiditas, & ejuſmodi? De interioribus vitiis tantum loquor, quæ animis inhæreſcunt. Quum hujus quod cudit ternarii ſpeculum proponere vult, Petri exemplum citare ſolet: ſed unicum tandem, nempe, perverſam virtutis confidentiam reperit. Atque in eo belluinus hominis ſtupor aperte deprehenditur. Tres, inquit, abnegationes quibus Petrus uſus eſt, triplicis peccati figuram gerunt. Poſtquam nominavit primum, ſi alia duo quærantur, nihil habet quod reſpondeat. Sed videamus an Petrus arrogantia tantum & falſa perſuaſione elatus, peccarit. Nam abnegavit Dominum ſuum, quod vitam hanc miſeram & caducam pluris, quam pretioſiſſimum fidei teſtimonium faceret. Hæc autem imbecillitas qua ſic ad momentaneam mortem trepidamus, ut fontem vitæ abnegemus, ac pluris faciamus mundum hunc quam honorem Dei, deteſtabile vitium eſt, ſicuti abunde patet. Et tamen venerandus hic doctor, hujus rei rationem haberi vetat, ne peccatum cenſeatur.

Verum, ex conſequentibus quæ hinc deducit, magis patet ipſius nequitia. Ait enim peccatum ideo remiſſum Petro, quod agnoverit & confeſſus ſit, ſibi quicquam agendi poteſtatem defuiſſe, ſeque nihil egiſſe. Contra, non eſſe remiſſum Judæ, quod viribus ſuis præfideret, inquiens, Prodidi ſanguinem juſtum. Quis tantam blaſphemiam non exhorreat? qua univerſa pœnitentia in eo ſtatuitur, ut dicamus nihil à nobis factum aut admiſſum eſſe. Qui igitur poſt admiſſum adulterium, latrocinium, aut homicidium dicet: Nihil agere poſſum, itaque nihil egi, juſtus erit: & qui humili & mœſto animo fatebuntur ſe gravia in Deum ſcelera admiſiſſe, damnabuntur ut rei, ac pœnitentiæ expertes. Quid ergo perditus hic ganeo de Paulo ſentiet? In eundem enim ordinem cum Juda ipſum rediget, quum ſimilem confeſſionem edat. Poſtquam enim dixit ſe prius Eccleſiæ perſequutorem atque fidei hoſtem fuiſſe, ſubjungit, ſe ignorantia & incredulitate id feciſſe. Quid de Davide pronunciabit? De craſſa & belluina ejus ignorantia omitto dicere: quum nullum in Davide peccatum præter arrogantiam agnoſcit. Nam adeo impudens eſt, ut dicat Davidem, quum Uriam occidi juſſit, juſtitiæ ſuæ; quum Bethſabeam rapuit, viribus ſuis confidiſſe. Sed his prætermiſſis, de ejus pœnitentia videamus. Nonne ſe crimen, cujus Nathan ipſum accuſat, fatetur admiſiſſe? Ex præclari hujus doctoris ſententia, David pro indurato habendus eſt: quod in Deum ſcelus non rejiciat, nec fateatur ſe nihil poſſe. Denique improbat omnes confeſſiones quæ à Scriptura probantur, quum fideles aiunt, Peccavimus, inique egimus. Nec tamen huic miſero homini ſufficit hæc blaſphemia: niſi etiam addat ſtimulos, quibus homines ad lætitiam incitet, poſtquam inique egerint: quod ita placeat Deo, cui quod placet, rectum eſt: quum potius ipſos ad gemitus & luctum hortari oporteret. Quo evadet doctrina Pauli monentis, eos quos ſceleris ſui pœnitet, triſtes eſſe debere? *2 Cor. 7. verſ. 9.* Item, quod ab Ezechiele Propheta dictum eſt, Tuarum tibi viarum in mentem veniat, & erubeſces. *Ezec. 16. verſ. 61.* Ut talem blaſphemiam comprobet, Jeremiæ locum adulterat, ubi ait, Scio *Jer. 10. verſ. 23.* non eſſe hominis viam ejus, nec in hominis poteſtate eſſe, ut dirigat greſſus ſuos. Atqui, non eſt ea Prophetæ mens, ut nihil in poſterum magis agere poſſimus, quemadmodum perditus hic nebulo concludit: ſed quum non ſit in manu noſtra poſitum, ut quod nobiſcum ipſi ſtatuimus, ad exitum perducatur: nec quicquam à nobis conſtitui poſſe, quod non evertat Dominus, ut dementiam noſtram puniat: ideo ſe totum addicit ac ſummittit Deo, ut ipſo duce ac directore utatur. Adulterat etiam Jeſaiæ locum, ubi Propheta ait: Ut ſciamus vos deos eſſe, bene facite, aut male facite. *Jeſa. 41. verſ. 23.* Quem locum ſic interpretatur, acſi Deus impios rideret, qui bene aut male agendi poteſtatem ſibi eſſe putant. Atqui illic agitur de idolis, quorum vanitatem arguit Dominus, quod neque ſuis cultoribus prodeſſe, nec contemptoribus obeſſe poſſint. Boni enim nomine, beneficia: mali vero, ſupplicia atque animadverſiones intelligit.

Idem agit aliis locis, quos veluti ſus impurus roſtro evertit: ac præſertim ſeptimum caput Epiſtolæ ad Romanos: inquiens Paulum illic perſonam gerere Adami, quod jactet ſe male agere poſſe. Atqui Paulus tractat de homine regenerato, cui ſemper reliquiæ peccati nonnullæ reſtant. Quin etiam Paulus ſeſe exemplo proponit, & fatetur ſe ob carnis infirmitatem, quæ ſpirituali deſiderio repugnat, bonum quod cupit, efficere non poſſe. Sed infauſto huic homini ſacras Scripturas diſcerpere ac divellere nulla religio eſt. Equidem non nego eum qui vero pœnitentiæ ſenſu afficitur, agnoſcere debere ſibi nullas omnino ad bene agendum aut vitandum malum ineſſe vires: ut poſtulet à Deo virtutem, qua alterum fugiat, alterum vero ſequatur. Sed non ideo concludendum eſt peccatorem ſcelerum ſuorum ſenſu affici non debere, ut ſe peccaſſe intelligat.

Jam ſatis ſuperque vobis notæ ſunt, fratres, execrandæ blaſphemiæ, quas impurus hic nebulo adverſus Deum & ſacram ipſius doctrinam evomit. Nec quicquam præterea cordatis & bona conſcientia præditis viris referendum erit, ut ipſum exhorreant ac deteſtentur. Si jubet Paulus eos notari qui admonitioni ſuæ parere nolunt, ut omnes ipſos devitent: quanto magis execranda hæc peſtis notanda eſt, quæ quum ſimulet ſe gloria afficere Deum velle, eum in diabolum commutat? Neque vero hic nobis Scribas & Phariſæos alleget, quos doctrina Chriſti offendebat. Nam hæreſes quas iſte docet, nihilo magis conveniunt, aut commune quicquam cum Chriſto habent, quam Belial. Obtendit perſequutiones quas ſuſtinuit, acſi Satan martyribus careret. Parum enim eſt perſequutionem pati, niſi cauſa diſcernatur. Quod omnes qui ipſi repugnant, tanquam ſuperbos & inani ſcientia tumidos condemnare audet, is ipſe arrogantiam ſuam demonſtrat. Nam ii quibus ſanum judicium eſt, facile perſpiciunt beſtiam eſſe ignaram, quæ ſacras Scripturas convellit ac diſtorquet. At nihilominus effertur vana

per-

perſuaſione ſui, ſicque applaudit ignorantiæ ſuæ, ut eos rideat, quos Deus donis amplioribus ac præſtantioribus ornavit. Tametſi iu eo ſibi ipſe repugnat. Nam interdum, quod neſcit, vituperat: interdum ſe Hebraicum fingit, quo pluris ab idiotis & vulgo æſtimetur. Ut quum ait: Iſraël ſignificat Videntem Deum. In quo ſe plane cæcum demonſtrat. Moſes enim interpretatur Fortem coram Deo, aut potentem. Deinde, Latinæ linguæ interpres eſſe vult, cujus haud magis peritus eſt, quam Hebraicæ. Sed pavonem eſſe diceres, qui expanſis alis ſeſe admiratur, dum temere de rebus incognitis diſputat. En venerandi hujus doctoris humilitas, qui tanquam oraculum, pronunciat ſe, ex quo Dei notionem adeptus eſt, nihil niſi optimum dixiſſe. Cui ego cum Auguſtino reſpondeo, ejuſmodi jactationem non poſſe, niſi ab homine inſano, atque prorſus hebete proficiſci.

Conabor nihilominus ſummam doctrinæ ipſius paucis explicare, ut de ea ipſe loquitur. Hominem creatum eſſe improbum à Deo, ſimul & diabolum, fingit: ac Deum quum id faceret, nihil mali feciſſe, *Jeſa. 45. verſ. 7.* dicit. Hoc ut probet, ſententiam adducit Jeſaiæ, dicentis: Ego ſum Deus, creans lumen & tenebras, faciens pacem & malum. In quo ſibi ipſe repugnat: nam ex ipſa ſententia, Deus ſe mali auctorem vocat: quod tamen negat. Diſcat igitur concordibus tibiis hic canere. Notandum eſt autem Jeſaiæ ſententiam ab ipſo corrumpi, quemadmodum & Amos, dum *Amos 3. verſ. 6.* ait, Eſtne malum in civitate, quod non fecerit Dominus? Uterque enim Propheta incredulitatem eorum reprehendit, qui judicia Dei, fortunæ tribuebant. Mali igitur nomine intelligunt, quas vulgo res adverſas vocamus. Itaque Jeſaias malum opponit paci, qua res proſperæ apud Hebræos ſignificantur.

Cæterum, quum diabolum ſemper malignum fuiſſe aſſerit, id Scripturæ aperte repugnat. Niſi ſatisfaciant ei, quæ octavo capite Joannis dicuntur, aperta ſunt teſtimonia Petri, Epiſtola ſecunda. Item Judæ: ubi tractatur de lapſu eorum, qui, quum Angeli eſſent, diaboli facti ſunt. Sed videamus qualem in modum ſe à Joannis teſtimonio explicet. Ait verbo Standi, Latine ſignificari Eſſe. Id forſan verum eſt, idiomate Franciſcanorum. Sed non animadvertit Joannem Græca lingua ſcripſiſſe. Quid ageres cum lepido hoc magiſtro, cui ſatis eſt modo à probis mulierculis æſtimetur, quæ ipſum delicate tractant, dum tenetur in vinculis, ut ſe lenonem iis præbeat, ac perſuadeat nihil eſſe mali in ſtupris & adulteriis, quum à Deo omnia fieri cognoſcimus. At ſecum facere contendit quod illic dicitur: Diabolum mendacem fuiſſe ab initio. Acſi Joannes diceret, ipſum à creatione talem fuiſſe. At longe ipſi alia mens eſt: ſignificat enim, diabolum ab initio ſeduxiſſe homines, quum prius à veritate in mendacium decidiſſet.

Fateor quidem Paulum ad Romanos 9. ſic de prædeſtinatione tractare, ut oſtendat omnia fieri admirabili conſilio Dei. Neque ulla cauſa eſt cur calumnietur à nobis paſſivum effingi Deum: nam, ei ſummam rerum omnium adminiſtrationem, tribuimus. Sed nihilominus quum diaboli & homines peccant, id eorum vitio & culpæ tribuendum: ut de diabolis dicitur illo Joannis loco, quem citavimus. Quum mendacium loquitur, dicitur ſua loqui. Quod attinet ad conſilium illud arcanum Dei, humiliter ipſum adoramus, quod ca ſit ingenii noſtri imbecillitas, quæ ad tantam celſitudinem pertingere nequeat.

Ut ſe excuſet, ait ſe non ignorare malum in nobis hærere. Quid præterea? Aſſerit nihil à nobis agi. *Pſal. 51. verſ. 6.* Contra, fatetur David: Malum coram te feci, Domine, ut juſtificeris, adverſus eos qui te condemnant. Sed alia adhuc in ejus verbis repugnantia eſt. Nam ſi Deus ſic omnia faciat, ut creaturæ nihil agant, ſequitur nihil fieri mali. Si quid enim agitur mali, auctor citetur. Atqui nullus reperietur præter Deum, in quem hoc cadere non poteſt ut male agat. Quo igitur evadent nomina peccati, iniquitatis, prævaricationis, nequitiæ, contumaciæ, quibus Scriptura referta eſt? Quorſum vero Deus homines accuſat, ſi nihil mali agunt? Quid tandem reperiet in iis quod condemnet aut puniat? Quæret, utrum negem à Deo fieri omnia? Reſpondeo, ſic Deum agere, ut etiam creaturæ agant ſuo modo & gradu: atque in eodem opere, quum Deus pro ſua bonitate bene agit, hominem pro ſua malitia male agere. In ſumma, huc tantum ſpectat, ut diſcrimen tollat boni & mali: ut nemini quidvis facere aut perpetrare religio ſit, quum omnia Deo tribuat. Quamobrem, ait peccatum Sodomæ eſſe, quum quis ſe male agere putat. Ita execrandum illud & belluinum Sodomitarum crimen, quod tam graviter damnat Scriptura; diluit, atque in auras emittit, ne peccatum cenſeatur. Quod ego ipſum haud abs re facere arbitror. Nam facile exiſtimo ipſum, ut ordinis ſui privilegiis frueretur: inſigne hoc facinus exercuiſſe. Et nunc, ut præclara fert ejus philoſophia, iiſdem cogitationibus ſeſe oblectat, quoniam opus Dei eſſe cenſet. Nec enim pudet ipſum aſſerere, nos malis agendis, cooperari Deo. Scriptura quidem ait impios eſſe velut inſtrumenta iræ ipſius: ſed execranda blaſphemia eſt iis tribuere cooperariorum nomen, quod ſocietatem & conjunctionem notat. Nimia vero admodumque ſtolida ipſius impudentia eſt, quum nos Adamo creationem noſtram tribuere fingit, ut quæ de peccato originali dicimus, eludat. Nam ſi hominis elephantiaci liberi eandem ab ipſo corruptionem ducunt, id tamen honorem Dei nullo modo imminuit. Nec quicquam dicimus, niſi quod David teſtatus eſt: nos in iniquitate conceptos eſſe. *Pſal. 51. verſ. 7.* Sed tamen creatum fuiſſe Adamum contendit, quales nunc ſumus, neque ab ipſo naturæ noſtræ vitium proficiſci. Quod certe, prorſus repugnat doctrinæ Pauli, docentis nos omnes in Adam peccatores eſſe. Similitudo quam adducit ex Jeremia, nihil ad rem facit. Illic enim Propheta nullo modo loquitur de peccato, aut creatione hominis: ſed quia pervicaci & obdurato animo reſiſtebat populus, nec minas Dei verebatur, declarat Propheta tam facile Deo fore ipſos delere, quam facile à figulo vaſa lutea conteruntur. Nam ab ipſo in eum, quem obtinebant ſtatum, evecti erant. Novam ergo naturam nobis ab Adamo traditam eſſe non dicimus, ſed Deum juſto judicio nobis in ipſo maledixiſſe, ac voluiſſe nos ob illius peccatum, corruptos naſci, ut in Chriſto inſtauremur.

Ut probet & diabolos & homines natura malitioſos eſſe, imo Deum iis malitiam indidiſſe, locum Jobi citat, ubi Deus iniquitatem in Angelis ipſis de- *Job. 4. verſ. 18.* prehenſurus eſſe dicitur. Quum adducit hunc locum, cum Scriptura ſacra, more ſuo, ludit. Nam ſi de diabolis illic ageretur, argumentatio convenire non poſſet. Huc ſpectat Spiritus ſanctus, ut hominibus demonſtret, neminem prorſus coram Deo juſtum fore. Idque ut planius doceat, ait, ne Angelos quidem ipſos adeo puros aut perfectos eſſe, quin multa in iis requirat, ſi ſummo jure cum ipſis agere velit. Et certe, quid creatura eſt, ſi cum Creatore conferatur? Quemadmodum etiam dicitur, ne ſtellas quidem coram ipſo lucidas eſſe. Quid, quæſo, fanaticum hunc hominem iſta juvant? Deinde, quum ei viſum eſt, fatetur eſſe diabolos, ac momento vel minimo, ſententiam mutat, negans ſerpentem, de quo loquitur Moſes, *Geneſ. 3. verſ. 1.* diabolum fuiſſe.

Ut autem probet, Deum nihilominus animadverſurum in eos, qui ab omni noxa abſtinuerunt,

exem-

Digitized by Google

Mat. 21. exemplum fici adducit, quæ à Chriſto maledicta
verſ. 19. eſt, quum tamen Deus ſterilem ipſam redderet,
Marc. 11. ſoluſque in cauſa eſſet. Sed longe aliter de hominibus
verſ. 13. loquitur Spiritus ſanctus, ut quum ore Pauli dixit,
2 Cor. 5. omnes prout in corpore geſſerint, ſive bonum, ſive
verſ. 10. malum recepturos. Nec tamen intelligo nos boni,
quod agimus, auctores eſſe. Si excipiat eandem in
Oſea 13. malo valere rationem: longe aliter à Propheta pro-
verſ. 9. nunciatum eſt: Perditio tua ex te Iſraël: à me tan-
Rom. 6. tummodo eſt auxilium tuum. Ideo Paulus, alio loco,
verſ. 23. inter hæc duo diſtinguit nominatim: inquiens: mor-
tem, peccati ſtipendium: vitam vero æternam, do-
num Dei gratuitum eſſe.

At perditus hic nebulo omnia confundit, neque
ullum diſcrimen admittit: interea magno faſtu ſen-
tentias jactat male intellectas: ut quum allegat id
Joan. 14. quod Chriſtus ait: Pater, qui in me habitat, ipſe
verſ. 10. eſt qui facit opera. Atqui, illic agitur de probanda
divina virtute, quæ in miraculis ipſius elucebat. Pro-
pterea dicit, fieri non poſſe, ut ea miracula ederet,
niſi Pater in ipſo habitaret: quoniam opera illa viri-
bus humanis ſuperiora erant. Delirus hic impoſtor
locum illum torquet, ut Deum omnia facere oſten-
dat. Cæterum, non nego Deum providentia ſua
efficere omnia: ſed declarationem adjungo, quam
Scriptura docet: nempe, nos regi Spiritu ipſius,
ut bona agamus, quæ nobis agenda dedit. Atque ita
inferiore gradu à nobis agi, quod per nos ipſe agit.
Quod attinet ad malum, nos ejus auctores vocandi
ſumus: utque jam antea diximus id noſtrum eſſe,
quod ejus radix noſtra ſit, & naturæ noſtræ inſita:
non ei quam Deus creavit, ſed quatenus corrupta &
vitioſa reddita eſt. Quod autem objicit, hoc modo
non fore auctorem rerum omnium: facilis eſt ſolu-
tio inter eos, qui non penitus cerebro carent. Ma-
litia enim & perverſitas, quæ tum nobiſipſis, tum
diabolo inhæret, creata ſubſtantia non eſt: ſed ope-
ris divini corruptio, atque imminutio eorum, quæ
nobis à Deo indita fuerant: quemadmodum omnes
pravæ cupiditates nihil aliud ſunt, quam effrenes &
diſſolutæ eruptiones adverſus regulam, quam pro-
bavit Deus ac præſcripſit. Quamobrem dicimus dia-
bolum & hominem, quum creati ſunt à Deo, fuiſſe
bonos, mutabiles tamen, atque voluntate Dei, no-
bis incognita, æqua tamen & juſta, utroſque lapſos,
lapſuque ſuo naturam ſuam mutaſſe, atque eidem
condemnationi ſubjectos, exceptis iis quos elegit
Dominus, atque eximit per gratiam Jeſu Chriſti.
Hæc quæ nos Spiritus ſanctus docet, impius iſte
evertere conatur, ut tenebras cum luce miſceat ac
confundat.

1 Reg. 22. Objicit, Deum miſiſſe Satanam, ut seduceret
verſ. 21. Achab: fateor, nec permiſiſſe, ſed ita ſtatuiſſe dico.
Sed diabolicæ doctrinæ eſt, negare Satanam falſoſ-
que doctores nihil agere mali, dum homines ſedu-
cunt. Videte, quæſo, fratres, atque iterum legite
diligenter, quæ de hac re in mea Inſtitutione tra-
ctavi: ac reperietis, quod animos veſtros pacatos
reddat, ut gloria reddatur Deo: vos autem pude-
facti, voſmetipſos ſummiſſe humiliterque geratis.
Cæterum, quod fingit Micheam ad tempus ſeducto-
rem & ſimulatorem fuiſſe, idemque de Paulo obli-
que perſuadere conatur, impia calumnia eſt. Nam
Micheas ridebat Achab, quod aſſentatorem potius,
quam Prophetam habere vellet: acſi diceret, Non
ſum à te accerſitus, ut fungar officio Prophetæ, tibi-
que vera prædicem: ſed potius, ut aſſenter, tibique
placeam. Agedum: quandoquidem ex libidine ani-
mi tui hæc fieri cupis. Atque hæc ironia plane ab im-
pio Rege intellecta eſt. Quare, ſanctiſſimo Prophe-
tæ, maxima à perdito hoc homine infertur injuria.
Idem de Paulo dicendum eſt: nec enim ſimulatione
uſus eſt, ut illiciti quicquam faceret, aut imperitos
falleret: ſed eorum imbecillitati ſeſe accommoda-
vit, quantum per Chriſtianam libertatem ipſi lice-
bat, quæ omnibus piis ad promovendam atque ædi-
ficandam Chriſti Eccleſiam data eſt.

Sed quo deinceps hic tendat, perſpicuum eſt:
nempe, ad ſpiritum duplicem Libertinorum. Ait
enim, Abrahamum, dum mentitus eſt, à Spiritu ve-
ritatis impulſum ac directum fuiſſe: quod apud im-
peritos mentiri ipſi liceret. Atque in eo adverſus
ſanctum Patriarcham & adverſus Deum blaſphemus
eſt: nec enim mentitus eſt Abraham: hoc eſt, nihil
ſua ſponte adverſus veritatem pronunciavit. Menda-
cium velut licitum tueri, ut imperiti fallantur, bla-
ſphemia eſt in Deum, cujus officium eſt mendaces
perdere ac delere.

Mortificationis nomen, ſæpe ipſi, ut cæteris Li-
bertinis, in ore eſt: ſed quale mortificandi genus
intelligat, attendite: ut ſe ipſe aperit. Si quis intel-
ligat omnia fieri à Deo, ratum deinceps erit quic-
quid aget. Modo enim quiſpiam dicat, Nihil poſ-
ſum: quicquid libet, ei licet. Denique, mortificatio
eſt, quum quis nec boni, nec mali diſcrimen tenet:
& tanquam laxis habenis quovis impellitur, atque
omnia belle habere dicit, quod ea Dominus efficiat.
Nam, ſicuti jam prius expoſui, nullam aliam pœni-
tentiam agnoſcit, qua perfectus homo reddatur,
quam ſi quis fateatur à Deo fieri & cognoſci omnia,
ipſumque ſolum eſſe juſtum. Cætera omnia ſuperva-
canea, imo damnanda eſſe affirmat. Hanc contro-
verſiam moveat cum Paulo, qui conqueritur de iis,
quos ſuæ impudicitiæ, ſcortationis, atque immun-
ditiæ non pœnitet. Fortaſſe dicet, Paulum theolo-
gia non tam abſtruſa & recondita inſtructum fuiſſe,
ut ei ſatisfaciat. Verum his tribus gloriam Dei con-
ſiſtere dicit. Quid igitur de bonitate & miſericordia
cenſendum, quæ gloria κατ' ἐξοχὴν vocatur? Quum
Deus per Jeremiam ait, nos in ejus cognitione glo-
riari debere, ſubjungit, ſe cognoſci velle: ibique
judicium & miſericordiam potius, quam ſapien-
tiam & virtutem nominavit. Legimus titulos, quos
ſibi in ſumma illa authentica divinitatis ſuæ revela-
tione attribuit, quum ſe Moſi pateſecit. Non videmus
illic triadem hanc, qualem fanaticus iſte fingit: ſed
Deus, gloria afficitur in miſericordia & clementia
ſuá, in patientia & veritate. At dicet hæc omnia ad
tria illa referri. Cur vero ad tria potius, quam ad
quatuor? Eſtne quicquam magis proprium Deo,
quam veritas? Ubinam oſtendet Deum nominari
Virtutem, Sapientiam, aut Juſtitiam ut à Joanne
Charitas vocatur? Perſpicuum eſt igitur ab ipſo ob-
ſcurari & reſtringi gloriam Dei, quum tribus hiſce
virtutibus, contra Euangelii doctrinam ipſum inclu-
dat. Inanes ſunt argutiæ, quæ prima fronte pla-
cent: ſed quum propius cernuntur, inſtar fumi eva-
neſcunt.

Accedit alius articulus de perfectione, ad quam
ex ejus ſententia, pertingere poſſumus in hoc mundo.
Ac nititur præclara ratione: nempe, duo contraria
in eodem ſubjecto eſſe non poſſe. Acſi Paulos non
doceret, pios in hac mortali vita, aſſiduam inter car-
nem & ſpiritum pugnam ſentire. Alloquitur enim
filios Dei, quum Galatis ſcribens, ait, Spiritus pu- Galat. 5.
gnat adverſus carnem, & caro adverſus ſpiritum: verſ. 17.
ita ut quæ vultis, ipſi non faciatis. Atque ſeptimo
ad Romanos fuſius hoc argumentum deducit. Inſa-
nus hic ait, Paulum ſuſcipere perſonam carnalis ho-
minis non mortificati. Atque, ut calumnioſæ inter-
pretationi, quam affert, colorem aliquem obtendat,
adducit quod dicitur initio capitis: Eos alloquor
qui Legem norunt. Sed nimiæ impudentiæ eſt id re-
ferre ad eam ſimilitudinem, quam attingit Paulus de
obligatione uxoris erga virum. Et certe, quæ illic
continentur, aliis convenire nequeunt, præterquam
iis, quos Deus Spiritu ſuo regeneravit: nam diſerte
ait, ſe, quum noſſet Legem, ſeipſum adjudicaſſe
morti, nec amplius inanem vitæ perſuaſionem ha-
buiſſe. Item, ſibi ad ſequendum Deum voluntatem

eſſe

eſſe alacrem atque promptam: quæ certe nemo, niſi
per regenerationem, adipiſci poteſt. Item, à ſe
non fieri malum, ſed à peccato, quod in ipſo inha-
bitat. Quo ſignificat id ſibi potiſſimum eſſe in votis,
ut adhæreat juſtitiæ Dei, ſed imbecillitate carnis ſuæ
prohiberi. Sed nihil adeo miror, quam concluſio-
nem ab hoc phrenetico non ſpectari. Fatetur enim,
veram eſſe hominis mortificationem, quum quis
omnem poteſtatem Deo, non ſibi attribuit. Atqui,
Paulus ſe miſerum ac ſervum peccati eſſe ſatetur, nec
uſquam, niſi in gratia Chriſti, conquieſcit. An illa,
quæſo, hominis carnalis oratio eſt? Quod alio loco
Galat. 2. dixit: Non jam vivo ego, ſed vivit in me Chriſtus:
verſ. 20. huic ſententiæ non repugnat. Ac facile uterque locus
conciliatur ex eo, quod octavo capite dictum eſt:
Corpus mortuum eſt propter peccatum: ſpiritus au-
tem vita ob juſtitiam. En quomodo contraria in eo-
dem ſubjecto, adverſus fanatici hujus doctrinam,
eſſe poſſint. Nam vita inchoata eſt, & mortis non-
nihil reſtat. Et certe ingredimur in vitam fide, incre-
Marc. 9. dulitas autem mors eſt. Scriptum eſt autem: Credo,
verſ. 24. Domine, adjuva incredulitatem meam. Item, Do-
mine, adauge nobis fidem. Hinc perſpicuum eſt,
fanaticos ejuſmodi homines, nunquam guſtaſſe quid
Deus donumve ipſius eſſet, quum non intelligunt ea
eſſe imperfecta, & quod illis deeſt, contrarium iis
vitium eſſe.

Exempla omnia quæ cumulat, ut perfectionem
probet, quam in hominibus eſſe poſſe imaginantur,
dum iſtic vivunt, nihil ipſum juvant. Joſephum alle-
gat, quem typum Chriſti geſſiſſe dicit: atque hinc
contendit ipſum ab omni peccato fuiſſe immunem.
Aio vero, Aaronem, illiuſque ſucceſſores, ſimili-
ter typum geſſiſſe Chriſti: ac nihilominus juſſos eſſe
ſacrificare pro peccatis ſuis, antequam pro populo
1 Sam. 3. intercederent. Porro, quia de Samuele ſcriptum eſt,
verſ. 19. nullum unquam ab ejus ore verbum cecidiſſe in ter-
ram, quærit, an exiſtimandum ſit, ipſum ad ulti-
mum uſque diem vitæ, peccatorem fuiſſe. Aio vero,
male ab iſto intellectam eſſe hanc ſententiam, qua de
iis tantum agitur quæ Propheta loquutus eſt, dum
munere ſuo fungeretur. Quod etiam de Jeſaia &
Daniele vere dici poteſt: & tamen Jeſaias in extrema
Jeſa. 64. ſenectute dixit: Peccavimus, Domine. Daniel quo-
verſ. 5. que, ſeptuaginta annos natus, ut ipſe refert, ſua &
Dan 9: 8. populi peccata fatebatur. Sed ne prolixior ſim,
quam par ſit, ad Davidem venio. Quærit enim hic
fanaticus, an non inter tot preces ac gemitus, quos
edidit, dum à peccato liberari cuperet, exauditus
ſit. Reſpondeo, exauditum fuiſſe: ſed eo modo,
quem Paulus docet, qui idem optabat: nempe,
quum ex hoc mortali corpore ereptus eſt, quo,
veluti carcere, in ſervitute peccati detinemur. Nec
alio ſane quam ejus ipſius teſtimonio opus eſt, quum
Pſal 143. ait: Ne ingrediaris in judicio cum ſervo tuo, Do-
verſ. 2. mine: quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis
vivens. Neque hunc canem oblatrando & blaſphe-
mando excipere oportet, Davidem eo tempore car-
nalem fuiſſe: nam eo tempore, quo perfectiſſimus
fuit, ac tanquam Propheta Dei, loquutus eſt. Nec
tantum de præſenti tempore loquutus eſt, ſed totam
hominis vitam comprehendit: quemadmodum etiam
Pſalmo triceſimo ſecundo perpetuam doctrinam tra-
dit, inquiens, Beati quorum remiſſæ ſunt iniquita-
tes, &c. Quam doctrinam Paulus omnibus filiis Dei
accommodat. Et certe, non abs re Dominus noſter
Jeſus Chriſtus Apoſtolos ſuos precari docuit in hunc
modum: Remitte nobis debita noſtra. Perditus hic
ganeo execrandam blaſphemiam evomit, inquiens,
Chriſtum diſcipulos ſuos eo tempore, quo carnales
erant, ita docuiſſe: quod certe, nec Celeſtini, nec
Pelagiani unquam dicere auſi ſunt, qui hanc ipſam
hæreſim tuebantur. Et quum verba Chriſti expen-
dentur, eo magis patebit fanatici iſtius impudentia.
Nec enim ait, Nunc ita precandum: ſed Precabimini
in hunc modum, perpetuam iis regulam tradens.
Denique, quiſquis remiſſione peccatorum non eget,
neque diſcipulus Chriſti, neque membrum Eccleſiæ
ſit. Omnes enim Chriſtiani, poſtquam ſe univerſa-
lem Eccleſiam credere confeſſi ſunt, adjungunt, ſe
quoque remiſſionem peccatorum credere, ſecundum
ea quæ à Prophetis prædicta fuerunt: nempe, omni-
bus veræ & ſpiritualis Hieroſolymæ incolis, peccata
remiſſum iri.

Obſecro autem vos, fratres, ut quanta perditi
hujus hominis impudentia ſit, attendatis. Nam
quum hunc Joannis locum ſolvere conatur: Si dici- *1 Joan. 1.*
mus quod peccatum non habemus, noſmetipſos ſe- *verſ. 8.*
ducimus, & veritas in nobis non eſt: reſpondet id
carnalibus dictum eſſe. Atqui, paulo prius dixerat
Joannes: Si in luce ambulamus, ſicut ipſe in luce
eſt, ſocietatem habemus inter nos mutuam. Quid
furioſæ huic beſtiæ faceres? Excipit, poſtea dici à
Joanne, Eum qui natus eſt ex Deo, non peccare. *1 Joan. 3.*
Fateor: verum id pro menſura regenerationis, quam *verſ. 9.*
adeptus eſt, intelligendum: ita, ut peccatum in
ipſo non regnet. Omnes autem filii Dei re ipſa expe-
riuntur hanc regenerationem haud ſtatim primo die
perfici: ſed contra, ad eam ſemper magnis labori-
bus contendunt, & cum Paulo aiunt, ſe nondum
adeptos eſſe. Sed huic fanatico inanibus verbis de
regeneratione blaterare haud difficilius eſt, quam
Scholaſticis de bello, quod nunquam experti ſunt.
Dico igitur, eum qui ex Deo natus eſt, non peccare,
quoniam peccato deditus non eſt, ſed præcipuus ejus
affectus tendit ad cultum Dei, quemadmodum ait
Paulus: Ne regnet peccatum in mortali veſtro cor- *Rom. 6.*
pore. Optandum ſane eſſet, ut ne inſideret quidem *verſ. 12.*
ullo modo: ſed quoniam id fieri non poteſt in hoc
mundo, ei dominationem adimi jubet, ut juſtitiæ
Dei ſummittamur. Similiter abutitur hic fanaticus
dicto Pauli ad Romanos octavo, dum ait, nihil eſſe
damnationis iis qui ſunt in Chriſto Jeſu, qui Spiri-
tum ducem, non carnis ſuæ impetum ſequuntur.
Atque hinc perſpicuum eſt ipſum, tanquam nequiſ-
ſimum de grege Epicuri porcum, ſacroſancta Dei
ſcripta ridere. Nam ſtatim apud Paulum ſequitur,
corpus mortuum eſſe ob peccatum. Et quum iis nihil
damnationis eſſe dicit, intelligit peccata ipſis non
imputari. Væ enim illi, qui judicabitur ex juſtitia ſua.
Quemadmodum etiam Jacobus gravius comminari, *Jacob. 2.*
aut majorem iſto terrorem inferre nequit, quam ut *verſ. 13.*
ſublata quiſpiam miſericordia judicetur. Fateor qui-
dem nos, ſi filii Dei ſumus, à Spiritu ſancto duci ac
regi debere, ut voluntati Dei conformemur: atque
domemus & mortificemus rebellionem carnis no-
ſtræ: ſed nihilominus ſemper in nobis vitia reſtant:
ita, ut vera perpetuo ſit Auguſtini ſententia, dicen-
tis: Juſtitiam, quam pii obtinent in hac vita, magis
conſiſtere in remiſſione peccatorum, quam in virtu-
tis perfectione.

Nec pugnant iſta cùm iis quæ phreneticus iſte ad-
ducit: nempe, ſi nunquam homines à peccato libe-
rari poſſent, Paulum non ita frequenter moniturum *Epheſ 4.*
fuiſſe fideles, ut veterem hominem enecarent. No- *verſ. 22.*
bis enim ſcopum demonſtrat ad quem omnes colli-
mare oportet. Progrediamur ergo & proficiamus,
quantum fieri poterit: ac multum profecto efficie-
mus, ſi eo uſque ad extremum vitæ accedamus. Alio-
qui fruſtra vita hæc, Curſus vocaretur. Quamobrem
prætermiſſis hiſce deliriis, quibus Satan vos excæ-
care, perditi hujus ganeonis miniſterio conatur,
fratres, doctrinæ Euangelii adhærete, quæ nos do-
cet, ut ad extremum uſque diem vitæ in pœnitentia
proficiamus.

Conteſtetur, quantum volet, ſe licentiam pec-
candi præbere nolle: hoc enim nihil aliud quam ina-
ne, nimiſque ridiculum ſimulationis velum obten-
dere: quoniam peccatum, ipſi nihil eſt, quum Deus
omnia facere putatur. Atque idem eſt integumen-
tum;

Digitized by Google

tum, quo tegitur, ut ſe Deum gloria afficere fingat. Nobis quidem unice omnique ſtudio curandum eſt, ut gloria Deo ubique omnibuſque in locis in ſolidum reddatur. Sed quum his tribus articulis concludit gloriam Dei, nimis audaciter ipſi præſcribit: ait enim Deum non aliter affici contumelia, quam quum falſa ſapientiæ noſtræ, meriti, atque liberi arbitrii perſuaſione efferimur. Hinc conſequens eſſet, Deum nulla ab Antichriſto Romano contumelia affici, quum juriſdictionem uſurpat in animas, quas pro libidine ſua condemnat. Excipiet hic nugator, id ſub tribus articulis ab ipſo expreſſis comprehendi. An non Spiritu ſancto ſapientior eſt, ut ejus linguam immutet? Diſertis enim verbis admo-
Rom. 14. verſ. 10. net Paulus, quod ſolius Dei eſt ab homine mortali uſurpari, ejuſque majeſtatem imminui, quum quis ſe proximorum judicem ſtatuere audet: Tu quis es, inquit, qui fratrem tuum judicas? An non omnes ſtatuemur apud tribunal Chriſti? Similiter & Jaco-
Jac.4:11. bus: Quod ſi judicas Legem, non es obſervator Legis, ſed judex. Unus eſt Legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere. Quæſo, an non hæc ſuperbia ſeorſim notanda eſt: quum homo, qui pulvis ac cinis eſt, conſcendit tribunal Dei, ut judicia in animas exerceat, quæ ſibi tantum reſervavit? Rurſus posteaquam hic blatero multum obſtrepuit, ut ſe Deum gloria afficere velle ſimulet: ſumma huc redit, ut omnia recte fieri agnoſcamus, quod Deus omnia efficiat, ut hoc velo, quicquid eſt ſcelerum, vel maxime deteſtabilium, tegatur: & quicquid putidiſſimum eſt, optimi odoris eſſe judicetur. Denique, ut Deus ſtupratoribus & adulteris ſe lenonem, latronibus & homicidis receptatorem ac fautorem præbeat: quæ blaſphemiæ adeo horrendæ ſunt, ut omnes earum commemoratione cohorrere, atque expaveſieri debeant. Nec vero ipſi ſat eſt cauſam ſuam tueri, niſi etiam Quintini defenſionem tanquam patronus, ſuſcipiat. Si referenda eſſent ea, quæ Chriſtiani omnes in Quintino deteſtari debent, non referrem ea quæ accepi ab aliis, ſed quæ ipſe vidi ac perſpexi. Ego tamen ab iis abſtinebo, & nonnihil de ejus exitu ſolummodo perſtringam ut qualiſnam fuerit præclarus hic martyr, omnes agnoſcant. Nulla fuit alia occaſio, cur in vincula conjiceretur, quam quod honeſtas & pudicas fœminas ad ſtuprum ſollicitaret. Nam ut emiſſarii equi, quamvis ſenio confecti, ad equas, ſic ille ad fœminas hinniebat. Nimiæ vero impudentiæ foret id negare, quum univerſa Nerviorum civitas hujus rei optima ſit teſtis. Conjectus in vincula, nihil non effecit, quo evaderet: nam præclara iſta, quam ſequuntur, philoſophia, ſimulare, mentiri, fallere, atque in omnes formas ſeſe immutare licet, ut iis, quos Carnales vocant, imponatur. Ita omnia abnegavit, aſſerens Papiſtico ritu, ſe optimum, ut vocant, Catholicum eſſe. Tandem & teſtimoniis convictus, & libro, quem nuper edidit, (eo enim judices, ut ut miſerabilis eſt apud ipſos hodie judiciorum ſtatus, uſi ſunt) petiit, ut ne ſaltem crudeli ſupplicio afficeretur, promptum ac paratum ſe præbens ad omnia dicenda, quæ ipſi juberentur: quod etiam ſtrenue ab ipſo præſtitum eſt. Nam productus in theatrum, à monachis & ſacrificis Antichriſti impulſus, his populum hortatus eſt, ut diligenter à ſacris Literis caveret: nihil pejus aut pernicioſius earum lectione ſimplicibus & illiteratis viris. Quam ergo injuriam impudens hic impoſtor infert ſanctis Jeſu Chriſti martyribus, quum in eorum ordinem & ſocietatem Quintinum cooptat? quem univerſa Nerviorum civitas, non ſolum flagitiorum & effrenatæ ſuæ libidinis pœnas dediſſe novit, ſed etiam execrandæ blaſphemiæ, qualem libello meo explicui & deſcripſi. Neque vero iſta à me hominis odio dicta ſunt, ſed quia diſcrimen rerum habendum eſt, ac præſertim dum periculum eſt ne ab iſtis Satanæ miniſtris seducamur.

Cæterum perſpexi irriſorem iſtum nos occulte perſtringere & calumniari, quaſi divites nobis conciliare nitamur, ut aliqua ex iis commoda percipiamus, atque interea pauperes aſpernemur. Cui nihil aliud reſpondeo, quam mihi duplicem, Libertinorum more, linguam non fuiſſe, ut variis ſermonibus erga hos atque illos uterer, pro ſtatu & conditione perſonarum: ſed promiſcue idem reſponſum planum atque apertum dediſſe omnibus: quemadmodum regula Dei & ſummis & infimis eadem & communis eſt. Quale vero mihi conſilium fuerit, quid animo propoſitum habuerim, res ipſa aperte docet. Pauperum quam plurimorum adventus mihi diſpendio magno fuit: majori etiam, quod iſtic commorati ſint; nemo autem omnium eſt, qui me, vel obolo uno auxerit. Et certe maximæ ſtultitiæ foret, ſi hac ratione divitias, aut commoda noſtra quærere vellem: nec enim divites huc, ſine maxima bonorum ſuorum jactura & imminutione commeare poſſunt. Sed eos, qui ipſis in idolorum cultu & ſuperſtitione adulantur, ac perſuadent licere in iis verſari & commorari, ſeque mundo accommodare, hoc facere certiſſimum eſt, ut partem aliquam facultatum ipſis emungant: pluriſque abſolutionem iſtam vendunt, quam Romanus Antichriſtus ſuam, ac diplomata indicarit. Pluribus hanc calumniam perſequi nolo, tum quia nimium aperta & perſpicua eſt, tum etiam quia gloriæ ducendum ſit, quum nobis hujuſcemodi canes oblatrant.

Ut finem dicendi faciam, obſecro atque obteſtor, per nomen Dei, fratres, ut Joannis exhortationem memoria teneatis: nempe ut probentur ſpiritus, ne nos deliri iſti homines ab Euangelii ſimplicitate abducant inanibus fallaciis, quæ lumen Euangelii in tenebras adeo obſcuras convertunt, ut nihil in eorum dictis & ſententiis præter horrendam confuſionem appareat. Deum noſtrum bonitatis & miſericordiæ Patrem rogo atque imploro, ut vos tueatur, & Spiritu ſapientiæ ac prudentiæ regat, omni virtutum genere muniat ac confirmet, voſque omni ſanctitate dedicet, ut ejus gloria, ſicuti par eſt, in nobis reluceat, Amen. Genevæ, 20. Auguſt. M. D. XLVII.

SECUN-

SECUNDÆ PARTIS
TRACTATUUM VARIORUM JOANNIS CALVINI,
CLASSIS TERTIA,
Adverſus Pſeudonicodemitas.

De fugiendis impiorum illicitis ſacris, & puritate Chriſtianæ religionis obſervanda.

JOANNES CALVINUS, *optimo viro, & amico ſingulari, N. S.*

EGo vero, amiciſſime frater, moleſtiſſime tecum fero, ac pro eo ut debeo, vices tuas miſereor: cui nondum ex illa Ægypto emergere liceat, in qua tot idolorum, idololatriæque portenta obverſantur tibi aſſidue, ac oculis tuis ingeruntur: ad quorum famam quum piæ aures perhorreſcant, præſenti aſpectu oculos (quorum ſcilicet & tenerrimus eſt ſenſus, & vehementius afficitur) ſupra quam dici poteſt, graviter offendi, par eſt. Cogeris ſpectare (ut narras) in monachis & ſacrificulis fœdas impietatis formas, in plebe mille genera ſuperſtitionum, plurima veræ religionis ludibria: quibus omnia iſtic ſcatent & perſtrepunt. A quibus ſpectaculis qui oculis ſuis parcunt, eos beatos exiſtimo: prout illa eſt tua, quam refers, vere miſera neceſſitas. In primis vero, ſummum illud abominationum omnium caput, Miſſa, ſpectabilem ſe ac viſendam exhibet, ac inter reliquas omnes nequitiæ partes longe ſupereminet: in qua quicquid ſceleratiſſimæ impietatis cogitari poteſt, perpetratur. Hujoſmodi ſpectacula ſi ludicra eſſent, poſſent forte abs te rideri: nunc autem ubi maxime ſeria ſunt, cum graviſſima Dei contumelia, non dubito (quæ tua eſt pietas) quio bilem tibi magis quam ſplenem moveant, vel lacrymas potius eliciant. Quod autem mecum deliberas, qua te ratione, inter nefanda illa ſacrilegia & Babylonis ſordes, in quibus pro temporis rerumque tuarum conditione vivere nunc tibi neceſſe eſt, purum Domino atque impollutum conſerves: id quidem ego perlibenter facio, tota ut ea de re animi mei ſenſum tibi exponam, eoque magis, quod quum multos hodie, qui guſtum Dei aliquem percepiſſe videri volunt, profeſſioni ſuæ minime reſpondere conſpiciam, hac tamen in parte præſertim, pleroſque fere omnes à recta via decedere video. Neque valde ſane impedita res eſt, conſilium hac de re dare, ſi te in Dei diſciplinam totum tradideris, tuoſque affectus omnes ejus verbo domandos permiſeris. Sed neſcio quomodo bona pars noſtrum improba temeritate adverſus ejus imperia interdum exultamus, ac iis contemptis, aut certe omiſſis, ideoque & contemptis, earum rerum quas acerrime prohibeant, licentiam, quoties libet, nobis facimus. Atque id potiſſimum in præſenti negotio uſu venire ſolet. Quum enim ii, qui inter tales anguſtias verſantur, quales te nunc circumſtant, nec tranquillitatem ſe ſuam tueri, nec cum iis quibuſcum vivunt, retinere ſe poſſe concordiam proſpiciunt, niſi eorum idololatriæ ſimulando indulgeant: tanta hac difficultate obſeſſi atque impliciti, magis quid ſibi expediat, quam quid Deo placeat: magis quo modo bomines habeant propitios, quam quo Deo ſatisfaciant, cogitant. Interim defenſionem quoque meditantur, qua ſuas coſcientias armentcoram Dei tribunali: ſe minime conſentire interiori cordis affectu in ullam impietatem: ſed modica, eaque innoxia ſimulatione ſe inire rationem, qua imperitorum hominum ignorantiæ cedant: quibus ſic melius conſulturi ſint, ſiqua ſpes eſt eos erudiri poſſe: certe quos ſummo ſuo periculo, nullo fructu, majori libertate irritare ſtultum ſit. Verum talibus initiis videmus ruinam ſuam auſpicatos, quibus hac noſtra memoria contigit, velis retrorſum datis, in oaufragium recurrere, unde enatatant. Principio, quum magnum vel in conſpectu diſcrimen eſſet, ſi quibus in rebus oportebat ingenue profiterentur quod habebant in animo, ſecum reputabant rem eſſe non magni momenti, ſi in populi gratiam paulum ineptirent: qua tamen ratione graves offenſiones redimere promptum eſſet. Itaque impiis ceremoniis promiſcue cum aliis defungebantur. Deinde quum ne ſic quidem hominum ſuſpicionem effugerent, pedem adhuc alterum progrediebantur: ſatis eſſe, ſi bonos viros fidei ſuæ conſcios baberent: aliorum opinionem quavis arte falli, nihil nocere. Hic, ſiquid ab adverſariis Chriſti in veram doctrinam deblateratum erat, vultu, nutu, totius corporis geſtu, voce denique aſſentiebantur. Quum neque hunc ſibi aſtum ſatis ex ſententia ſuccedere intelligerent, ſecreta ab omni hominum arbitrio conſcientia contenti eſſe incipiebant: quod ut obtinerent, diligenter cavebant, ne quam darent Cbriſtiani pectoris ſignificationem. In hunc modum quom à recta officii linea, qoadam (ut ſibi videbantur) temperata cautione deflecterent paulatim, ac delaberentur, tandem cæci ac veluti ſui obliti, ſeſe in exitium præcipites dederunt. Manifeſta ſane Dei vindicta: qua eos ſenſus ſui vanitate dejici æquum fuit, qui præpoſtera ſua prudentia Deum fallere & homines cogitabant. Nam hic poſtremus ſabulæ actus illis fuit: non modo oullius aures atque oculos, cordis ſui teſtes, ot prius ſolebant, admittere: ſed quantum io ſe erat, omni ſtudio contendere, ut omnes haberent earum rerum teſtes, quæ quam longiſſime ab homine Chriſtiano abeſſe debent: & quod antea occultum ſaltem apud ſe retinebant, averſari palam ac deteſtari. Talibus ſcilicet documentis admoneri nos decet, ut omiſſa noſtri ratione, ſolliciti ambulemus in conſpectu Dei

noſtri,

[Mich. 6.] noſtri, quemadmodum Propheta loquitur: ne, laſciviente quadam audacia, iis nos legibus ſolvamus, quibus nos Dominus alligavit: ac quod aſtringit, relaxemus: tum vero etiam terreri, ne ſi ſapientes ſimus apud nosipſos, [Job. 5.] [1 Cor. 3.] comprehendat ille ſapientes in aſtutia ſua, & prudentium conſilia ſubvertat. Sed eſt illud ſcilicet, quod principio ſum queſtus, verius quam vellem, bonam hominum partem nihil hic liquide perſpicere, nihil recte judicare, nihil ſincere ſtatuere poſſe: quod dum ab integra puraque divinæ Legis obſervatione videt imminere pericula, eorum metu perplexa & conſternata circumſpectat, quomodo cum Dei venia retinere poſſit hominum gratiam. Qua in conſultatione nihil niſi ex ſua anxietate cæcaque perturbatione conſulit: perverſe omnino quidem utrumque, & præpoſtere. Nam & quod Dei voce decretum ſemel ſancitumque eſt, deliberationi noſtræ nefas eſt ſubjici: neque rurſum quicquam bonæ ſpei reliquum ſibi facit, qui de tanti momenti rebus, timiditatem puſillanimitatemque ſuam in conſilium mittit: ex quo affectu turpes ſemper (ut ille inquit) filii naſcuntur. Itaque & hanc deliberandi perverſitatem ſimile conſilium ſequitur. Siquidem deflexis à verbo Dei oculis, nihil à ſe plus exigunt, quam quod incolumi ſalutis ſuæ rerumque ſuarum ſtatu præſtari queat: quicquid diſcrimine aliquo nimiaque difficultate involutum eſt, id ut miſſum faciant, ſibi facile permittunt, nec interim exaudiunt, quam horribilis edicta ſit in eos vindicta, qui contemptis Dei præſidiis, quo meliora ſibi comparent, ſuam ſtationem deſerunt. Sic enim per Propheram Judæos Dominus objurgat, quod præſentibus opibus, quibus eos acquieſcere ipſe juſſerat, diffiſi, interdicta Ægypti ſubſidia ſibi accerſerent: [Jeſa. 30.] Væ, inquit, filii deſertores, ut agitaretis conſilium, & non ex me: ut ordiremini telam, & non per Spiritum meum: ut adderetis peccatum peccato: qui vos accingitis, ut deſcendatis in Ægyptum, & os meum non interrogaſtis: ſperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & fiduciam ponentes in umbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confuſionem: & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam. Quum vero tanta in eos aſperitate feratur, quid indulgentius mitiuſve expectent iſti, qui indigne ferentes, frementeſque omnium ſeſe odiis, omnibuſque periculis Dei voluntate objectari: ea valere juſſa, novas ſibi illicitaſque cautiones ſuo marte confingunt? Neque vero ignoro, quanto ſuavius carnis noſtræ mollitudini blandiantur ſuffugia, quæ periculum aliquod ſubmovere videantur: quam ſimplex iſtæc erga Dei verbum obedientia, cui tantum diſcriminum ſit propoſitum. Verum nulla eſt tanta difficultas, quam non eluctetur, qui hac ſe cogitatione affirmaverit: non poſſe gravius quicquam minari univerſum hominum genus, quam quod caſtrorum ſuorum deſertoribus, in illa quam retulimus prophetia, Dominus denunciat. Non minimum operæpretium fuerit hic nobis ſuccurrere, quod de Cypriano, quodam loco narrat Auguſtinus: Poſtquam capite damnatus fuiſſet, datam illi optionem redimendæ vitæ, ſi verbo duntaxat abnegaret eam religionem, cujus cauſa mortem obibat: nec illi factam modo poteſtatem, ſed ubi jam in ſupplicii locum ventum eſſet, ambitioſe rogatum à Provinciæ præſide, ut deliberaret, an non vitæ ſuæ (quoniam ita licebat per Cæſarum clementiam) conſultum mallet, quam pœnam luere ineptæ pervicaciæ. Illum contra breviter ad omnia reſpondiſſe: In re tam ſancta nullum eſſe deliberationi locum. Si quis ſanctum virum, quum in conſpectu eſſent tormentorum apparatus, inſtaret atroci truculentoque vultu carnifex, cervicibus jamjam immineret ictus gladii, diræ undique inſanientis populi mixtæ probris imprecationes obſtreperent, terriculamentis illis omnibus non fuiſſe dejectum miratur, quominus ſeſe velut devotam aræ victimam in cruciatum alacriter daret: jure id quidem facit: ſed ſimul cogitet, ipſum una hac cogitatione infractam illam animi magnitudinem ad extremum ſuſtentaſſe: quod quum mentem in Dei mandatum, quo ad pietatis confeſſionem vocabatur, cogitationemque defixam penitus haberet, ſimul à talibus ſpectaculis, quorum terrore vacillare poterat, totam avertebat. Vocem ergo edidit ad omnem quidem immortalitatem conſecrandam, ſed non laude magis quam imitatione dignam. Ita eſt ſane. Quæcunque ſeſe nobis ingerat vel boni, vel commodi ſpecies, quæ nos vel latum unguem à Patris noſtri cæleſtis obedientia ſubducat, confeſtim occurrere primæ deliberationi nos decet: quod res adeo ſancta, quam nobis ſanctum eſſe debet qualecunque Dei mandatum, non extra omnem modo controverſiam, ſed deliberationem quoque poſita ſit. Quum enim primum deliberare nobis permittimus, jam fines eo ipſo tranſilimus: quibus refractis, nimirum procul evagari, longiuſque aberrare, perquam proclive eſt. Hæc contra communem omnium noſtrorum timiditatem, non abſque cauſa, antequam ad tibi reſpondendum aggrederer, præfari libuit: quod videam ejus (ut ita dicam) lippitudine magis animos noſtros impediri, ne verum hac in parte cernant, quam alia quavis ignoratione. Ac longius fortaſſe id quidem feci, quam res ferebat ipſa: ut certe brevius etiam, quam hujus poſtulent ſeculi mores: quando plurimos hodie video, qui niſi objurgatorie aſpereque ad ſanguinem pene uſque vellicentur, ad omnem doctrinam obſurdeſcunt. Jam iſtud quoque noſtri æque ac ſeculorum omnium vitium eſt, tam vafras eſſe, amabiles, captioſas, ſpecioſiſque prætextas nominibus, ad illudendum unumquemque, carnis ſuæ illecebras, ut illam arcere à conſiliis noſtris, abigereque, primus ſit ſapiendi gradus. Neque vero adeo ingenio tuo diffido, ut tantum in exhortando verborum poſiturus fuerim, ſi tui unius hic rationem ducerem. Satis enim ſuperque tam placidæ manſuetæque docilitati fuerit (quantam eſſe tuam permultis jamdudum argumentis ſum expertus) ſimpliciter admonitam ac edoctam eſſe. Verum dum poſtulatis tuis privatim ſatisfacere inſtituo: quia tamen ejus generis res eſt, de qua interrogas, in qua & periculoſe & vulgo peccatur, non fruſtra, nec ſine fructu aliquo facturum me exiſtimavi, ſi eadem ſimul opera compluribus me docendis accommodarem, qui in eodem verſantur errore: ut ſi qui forte eorum in hanc Epiſtolam inciderint (ego autem omnes incidere non modo facile patiar, ſed etiam vehementer cupiam) ſibi quoque ſcriptam putent: & ſiquidem auſcultare volent, habeant quam ſequantur officii ſui admonitionem: ſin minus, teſtimonium ſaltem adverſum ſe accipiant, quo convincantur, ſcientes prudentes, ac etiam volentes in exitium ſuum perrexiſſe.

Principio in id nos, velut defixis oculis ſemper intueri convenit, quod diſcipulis ſuis omnibus proponit Chriſtus, dum primo eos ſcholæ ſuæ tyrocinio initiat. Nam ubi à ſui ipſorum abnegatione cruciſque tolerantia auſpicari eos docuit, ſimul & hoc ſubjicit: Qui me & meos [Luc. 9.] ſermones erubuerit coram hominibus, hunc Filius hominis erubeſcet, quum venerit in majeſtate ſua, & Patris, & ſanctorum Angelorum. Hoc ergo nobis à Chriſto Domino, quum in ejus familiam primum adſcribimur, edici meminerimus: hoc perpetuum eſſe edictum, in omnem vitam iis promulgatum, qui in ejus regno cenſeri volent: ut ſi vera cordis pietate, ejus amplexi ſunt doctrinam, eam ipſam cordis pietatem externa profeſſione declarent. Et ſane, quanta fuerit improbitas, eum nolle inter homines profiteri, à quo ſe coram Angelis agnoſci velint: & quam ſibi

in cælo

in cælo conſtare velint Dei veritatem, in terra abnegare? Quare, non eſt quod callida diſſimulatione jam hic ſibi quiſquam placeat, aut falſa pietatis opinione blandiatur, eam ſe fovere in corde fingens, quam externis teſtificationibus prorſus evertat. Vera enim pietas, veram confeſſionem parit. Nec *Rom. 10.* vanum haberi debet, quod ait Paulus: Quemadmodum corde ad juſtitiam creditur, ita ore fieri confeſſionem ad ſalutem. Denique ſuos ad confeſſionem vocat Dominus: quam qui detrectant, alium ſibi magiſtrum quærant oportet: quando ab eo ferri ſua ſimulatione non poſſunt. Quærat hic quiſpiam: Num igitur qui inter impiam ac ſuperſtitioſam multitudinem pauci ac diſperſi vivunt fideles, iis, quo fidem ſuam rite teſtificentur, neceſſe ſit opportune, importune, publice ſimul ac privatim in ſuorum popularium impietatem vociferari? ad prædicandam Dei veritatem plateas occupare? ſuggeſtus conſcendere? conciones advocare? Minime id vero, quin potius quum peculiariter ad verbi ſui miniſterium accerſat Dominus ſive Apoſtolos, ſive Prophetas, ſive nuncios, ſeu quo alio nomine appellare libet, quorum voces publice perſonare velit; idem ab omnibus paſſim tentari adeo neceſſe non eſt, ut nec omnino expediat, ac ne deceat quidem. Quamobrem hoc agendum magis, ut ſinguli quid vocationi ſuæ, ſuoque ordini conveniat, pro ſe quiſque cogitent: cui ſi optime reſpondeant, quod officii ſui eſt præſtabunt etiam optime. Quos verbi ſui miniſterio Dominus deſtinat, iis veluti publicam perſonam imponit, ut eorum vox in luce verſetur, & ſuper tecta, ac tanquam tubæ clangor exaltetur. Cæteris ſic à publico Apoſtolorum munere abſtinendum eſt, ut privatæ tamen vitæ officiis, Chriſtianos ſe eſſe profiteantur. Hoc quia tanta brevitate commode explicari non poteſt, quale ſit, pluribus diſſeramus. At vero illam, quam ad certos homines peculiariter rejecimus, publicæ profeſſionis functionem omittemus in præſens: de qua erit forte alias opportunior dicendi locus: tantum quod peræque ad unumquemque è populo pertineat, inquiremus, qualem ſcilicet confeſſionem exigat à ſuis Dominus, qui inter impios ſparſi palatique degunt eo in loco, unde veræ religionis diſciplina exulet: tum qualibus in externa vitæ actione notis eos ab idololatrarum turba, cui permixti ſunt, differre velit. Neque rurſum animus eſt certo definire, quando & apud quos, & quo loco, & quam apertum fidei ſuæ teſtimonium ſit editurus homo Chriſtianus: nec limitare, quatenus progredi debeat, vel ubi conſiſtere poſſit citra offenſam, quoties propagandæ Dei gloriæ oblata occaſio, aut ſpes quoquo modo proficiendi facta fuerit. Quæ diſputatio, præter id quod prope immenſa foret, etiam ab hoc docendi genere nonnihil eſt aliena: quod certis regulis includi comprehendique nequeat. Neque enim illi, quam à nobis requirit Petrus, promptitudini fines præſcribere facile eſt, quum vult nos paratos eſſe ad reſpondendum cuilibet poſcenti, ut loquamur de ea quæ in nobis eſt, ſpe: nec item ingenti illi celebrandæ nominis Dei, regnique ejus magnificentiæ ſtudio, quo exultantem æſtuantemque Dei populum inducunt Prophetæ, quum ita loquentem faciunt: *Jeſa. 2. Mich. 4.* Venite, aſcendamus in montem Domini, ad domum Dei Jacob: & docebit nos de viis ſuis, & ambulabimus in ſemitis ejus. Quibus verbis (ut videmus) ineſt pene clamoſa ad appetendam Dei cognitionem cohortatio. Jam vero tot Pauli de ſectanda ædificatione præcepta quam late pateant, quis non videt? ut nullam certiorem legem expectare debeant, qui vera erga Deum ſuum pietate ſunt affecti, quam ut ſanctam ejus majeſtatem (cui totos eſſe conſecratos ac devotos ipſos decet) quacunque licebit commoda ratione illuſtrent: non alium ſibi finem modumve ejus illuſtrandæ præſtituant, quam ut omnibus occaſionum articulis immineant, omniaque (ut ita dicam) continenter captent momenta, quamdiu aliquid ſe poſſe efficere confident. Alius quidem alio & præſtantius, & fortius, & conſtantius: omnes tamen huc ſinguli, ſecundum gratiæ ſuæ modum, ſimul contendant. Quare, ut diximus, in illam adeo fuſam diſputationem exſpatiari, non eſt hujus loci proprium: quo non univerſum complecti propoſitum eſt, quantum vel Domini gloriæ, vel ædificationi hominum debeas, ſed duntaxat breviter oſtendere, quæ tibi iſtic inter impios agenti, neceſſario tenenda ſit cautio: & quam prætermittere, quin te profanis illorum ſacrilegiis inquines, non poſſis.

Ac quoniam quicquid de hac re Scripturis traditum eſt, eorum præſertim cauſa præceptum fuiſſe videtur, qui inter gentes Dei ignorantes verſarentur, plurimum autem inter illarum idololatriam, & eorum, quibuſcum hodie nobis negotium eſt, ſuperſtitionem intereſſe vulgo exiſtimant, (quod hæc Dei & Chriſti nomine quodammodo obtecta fucum facit; illa paulo craſſiore ignorantia ſummi Dei cultum palam aſpernabatur) nos, illa prius proponemus, quæ in Scripturis extant præcepta: deinde oculos ad noſtra tempora referemus, & ex rerum ſimilitudine, quid ad nos pertineant, diſpiciemus. Quanquam non video cur æterna Dei mandata ita unius ſeculi ſpatio terminemus, ſed hunc ordinem imperitis, ne quis in eorum animis ſcrupulus reſideat, concedemus. Quum Lege ſua Dominus idola *Exod. 20.* coli aut adorari vetuit, hoc capite totum illum externum cultum complexus eſt, quem deferre ſuis idolis impii ſolent. Nam & verbis, quibus uſus eſt, ea ineſt proprietas: quorum alterum incurvari, alterum honorare ſignificat. & eam adorationis ſpeciem notatam eſſe conſtat, qua lignea lapideave ſimulacra corporis geſtu coluntur. Hæc itaque interdictio eſt, non qua ſimpliciter populum ſuum Dominus prohibeat in ligno aut lapide, gentium inſtar, obſtupeſcere, ſed ullo modo profanam earum ſtoliditatem imitari, coram ſimulacris ſeſe honoris cauſa proſternendo, aut aliam quamvis obſervantiæ ſignificationem dando, qualem dare aut nudato capite, aut genu flexo nobis in more eſt. Qua ratione ubi puros ſui cultores deſcribit, ab hac eos nota deſignat: Servabo, inquit, mihi ſeptem millia viro- *1 Reg. 19.* rum. Quid? an quorum corda non ſunt vanitate ac mendaciis Baal infatuata? non id modo: ſed quorum genua non ſunt curvata ante Baal, & quorum ora non ſunt oſculata manum ejus. Eodemque alibi ſymbolo, quum agnoſcendam omnibus & cæleſtibus & terreſtribus, & infernis, ſuam majeſtatem affirmat, agnitionem ipſam exprimit: Mihi, inquit, *Jeſa. 45.* curvabitur omne genu, & omnis lingua in nomine meo jurabit. Quo contra efficitur, ſimulacrum ab iis Dei religione conſecrari, qui ullo corporis geſtu, ejus cultum ſignificant. Neque ad eorum convincendam prævaricationem intereſt, qua id ſimulatione, vel ſinceritate faciant. Idolum enim quicunque eſt aliqua venerationis ſpecie proſequutus, utrunque ſit animo perſuaſus, Deum eſſe confeſſus eſt. Divinitatis vero nomen idolo qui tribuit, Deo ſuſtulit. Itaque tres illi Danielis comites, quanti ejuſmodi *Dan. 3.* foret ſimulatio, docuerunt: quibus corpus accenſi fornacis flammis crudeliter abſorbendum tradere, levius viſum eſt, quam paululum inflexis coram ſtatua poplitibus, Regis oculis ſatisfacere. Quorum aut nos inſaniam rideamus, quod nullam adeo ob cauſam potentiſſimi Regis iracundiam in ſe, magno capitis ſui diſcrimine, inflammarint, vel exemplo diſcamus, externæ quoque ſuſceptæque in hominum gratiam idololatriæ gravius omni morte ſubeſſe piaculum. Quare, quum è duobus eligendum eſſet alterum, aut ut excuſſo Dei timore, ſcelerato edicto obſequerentur: aut homines ſe præ Deo conte-

rnnere palam declararent, notum eſſe Regi voluerunt, quod ejus non colerent deos, nec quam erexerat ſtatuam, adorarent. Parem etiam Danielis ipſius in cauſa perquam ſimili conſtantiam, quicunque ſit ille ſcriptor, qui ad ejus prophetiam appendicem adjecit, commemorat: quum maluiſſe narrat leonum unguibus ſe diſcerpendum permittere, quam ad draconis cultum, qui pro Deo à cæteris colebatur, genu ſubmittere. At quoniam non omnibus fidem facit hiſtoria, ex ea fidem dictis meis conciliare ſuperſedeo. Porro ne qui ab adorandis ſtatuis caput duntaxat, aut genu abſtinuiſſet, ideo ſe perfunctum exiſtimaret, plurima addidit præcepta Dominus de ceremoniis ſuis ſancte cuſtodiendis, de
Jeſa. 52. viis Gentium in totum fugiendis. Apud Prophetam autem uno verbo pronunciavit, quam procul ab omni impietatis communicatione abeſſe populum ſuum vellet, quum Judæis Babylonem deportatis omnino interdixit, immundum ne attingerent. Quæ clauſula (ut Paulus interpretatur) ſummatim comprehendit, ne qua religionis ſuæ ſanctitare aliena indignaque ceremonia ſe contaminarent. Nam Co-
2 Cor. 6. rinthiorum Eccleſiæ de ea re præcipiens, ad colligendam totius ſuæ ſententiæ ſummam hoc teſtimonio contentus fuit. Non eſt iſtud, mihi crede, leviter nec oſcitanter prætereundum: ſacroſanctam Dei religionem rite eos ſolos conſervare, qui nullis ipſam perverſarum ſuperſtitionum inquinamentis profanent. Eandem illos violare, polluere, lacerare, qui impuris ipſam impiiſque ritibus miſceant. Qua cogitatione qui ſe exercebunt fideles, tali ſacrilegio ne quando ſe obſtringant, omni ſtudio providebunt. In eum modum Abraham, Iſaac, cæterique Patriarchæ, quum regionum eſſent earum inquilini, quæ idolorum abominationibus refertæ eſſent, quanquam non ſine gemitu ſpectabant hoſpitum ſuorum inſanias, quia tamen mederi non poterant, ferebant quidem eas, ſed ſe in puro illibatoque Dei ſui cultu ſollicite continebant. Atque ut ab eorum ſuperſtitionibus ſe diſſidere, publice non proclamabant: ita nec ullam dabant ſignificationem, qua ſe conſentire ſimularent. Hujus ſimplicitatis inſigne extitit in Da-
Dan. 6. niele documentum, nam quamvis Babylone in mediis idololatriæ ſordibus verſaretur, quia tamen ab omni procul aberat communicationis ſimulatione, perinde acſi longo intervallo disjunctus eſſet, maculam nullam contrahebat: quoniam autem in conſeſſu populi veræ pietati videbat non fore locum, ab ejus conſpectu ſubductus, obductis cœnaculi foribus, Deum ſuum, qua decebat puritate, ſeorſum colebat: ita in publico urbis ac gentis errore, à via ipſe non deflectebat. Huc & illa Judæis in Lege præcepta obſervatio ſpectabat, ut non aurum vel argentum è gentium ſculptilibus appeterent, ac inferrent in domos ſuas: ſed quaſi ſpurcitiam & ſordes abominarentur, quod Domini forent anathemata. Sic enim ad deteſtandum id omne, execrandumque quicquid idoli nomine ſemel inuſtum fuiſſet, eos inſtituebat: quo ab omni Gentilium ſuperſtitionum immunditie animoſius abhorrerent.

Quod ſi tanta externæ profeſſionis ſinceritate religionem ſuam, obſcuram adhuc, & figuris duntaxat adumbratam, ſub veteri Teſtamento coli voluit Deus: quanto id Chriſtianæ Eccleſiæ verius fuerit præſtandum: cui ipſe per unigenitum Filium dum apparuit, ſapientiæ ſuæ myſteria late reſeravit, & toto veluti ambitu veritatem ſuam illucere fecit? Idque ipſum Apoſtolorum doctrina confirmare promptum eſt: nam argumentum, quo Paulus adverſus fornicationem utitur, quando hujus quoque loci propriam habet rationem, huc accommodare minime
1 Cor. 6. abſurdum erit: Neſcitis, inquit, corpora veſtra, membra eſſe Chriſti? Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis? Abſit. Sic & ad eandem nobis formam ratiocinari licet: Membra noſtra quum Chriſti membra ſint, idolorum cultu vel immundis ſuperſtitionibus fœdabimus? at quid hoc fuerit, niſi vel Chriſti gloriam tali ſubjicere ignominiæ: vel corpus noſtrum à Chriſti corpore abſcindere, ut cum idolis fornicetur? Quam vero demum præceptionem ſubjicit, ad omnem externam moderationem generalis eſt: ut corpus noſtrum meminerimus templum eſſe Spiritus ſancti: nos non eſſe noſtros: emptos enim eſſe pretio magno, idcirco portandum & glorificandum Deum in corpore noſtro. Ecquid elucebit in corpore noſtro Dei gloria, ſi inter ſacrilegiorum ſordes provolvatur? Ecquid ſacra templi Dei ſanctitas conſervabitur, ſi alienis profaniſque ritibus polluatur? Verum, ſi qua alia in parte vehemens eſt ad officium cohortator Paulus, in hac maxime cauſa vehementiæ ſuæ nervos omnes contendit, dum Chriſtianos admonet, ne quid in hominum oculis fidei ſuæ confeſſione indignum, pravas ceremonias uſurpando, præ ſe ferant. Duabus autem propoſitis noxis, Dei inhonoratione, & hominum offenſione, quas ſecum ferat omnis idololatriæ ſimulatio, vel quacunque ratione ſuſcepta imitatio, ab ea nos longiſſime abſterret. De divini nominis ac honoris profanatione, hæc ejus verba ſunt: Chariſſimi, fugire ab idolorum cultu (ſub Cultus nomine, exteriores omnes ritus collegiſſe, qui impiorum ſacris adhibeantur, jam ex ſequentibus manifeſtum erit) ut prudentibus loquor: vos ipſi judicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio ſanguinis Chriſti eſt? & panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini eſt? Ergo unus panis & unum corpus multi ſumus, omnes qui de uno pane participamus. Videte Iſraël ſecundum carnem. Nonne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Quid ergo? Dico quod idolis immolatum ſit aliquid? aut quod idolum ſit aliquid? Sed quod quæ gentes immolant, dæmoniis immolant, & non Deo. Nolo autem vos participes fieri dæmoniorum. Non poteſtis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non poteſtis menſæ Domini participare, & menſæ dæmoniorum. Initio in memoriam illis revocat, quam propinqua ſit iſtæc illis cum Chriſto Domino ſocietas, corporis & ſanguinis ipſius participes fieri, ut quanto eos propius illi adjunxerit, tanto ab omni idolorum paticipatione longius abſtrahat. Externa autem ſacramenta quædam quaſi vincula eſſe, quibus cum Domino cohæreant: idipſum igitur illis è converſo accidere, qui immundis ceremoniis ſe admiſcent, ut per eas idolorum ſocietati ſe innectant atque inſerant. Deinde omnem tergiverſationem præcidit, quum eorum objecta occupat, qui prætendere poſſent, idolum nihil eſſe: idcirco carnem idolis immolatam, nihil à vulgari carne differre. Quod illis, quantum ad carnis ipſius ſubſtantiam, concedit: ſed aliam eſſe hominum opinionem excipit, quorum judicium in factis noſtris ſpectari debeat, quæ ipſorum oculis ſubjiciuntur. Eos autem, qui carne idolis immolata veſcantur, argumentum imperitorum errori præbere, unde judicent, eo modo idolis ipſos ſacrificare, ſic in hominum conſpectu Deum inhonorari. Jam & aſperiorem ſententiam poſtea ſubjicit, tantum eſſe inter Chriſti & dæmoniorum menſam diſſidium, ut altera ſe abdicet, qui delibet quicquam ex altera. Hac demum clauſula exhortationem ſuam abſolvit: Num provocamus Dominum? Num fortiores illo ſumus? Cujus tanta vis eſt, ut magis acriter, ac magis pene dixerim tragice, exagitare ſceleratum ullum facinus non potuerit, quam illam exagitavit ſuperſtitionum fictionem: quæ vix pro leviſſima culpa hodie à multis ducitur. Alibi, Nolite *2 Cor. 6.*
jugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitare? aut quæ pars fideli cum infideli? Quæ ſocietas luci cum tenebris? Quæ con-

Digitized by Google

concordia Chriſti cum Belial? Quis porro conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei,
Levit. 26. ſicut dicit: Quoniam inhabitabo in illis, & inter eos inambulabo, & ero illorum Deus, & erunt mihi populus. Non vult uſque eo Chriſtianos ab omni infidelium neceſſitudine abhorrere, ut nulli inter eos intercedant civiles contractus, nulla commercia,
1 Cor. 6. nulla denique colloquia. Nam alioqui, ut ipſemet ait, exeundum eſſet ex hoc mundo: ſed nullam coire ſocietatem permittit, quæ horum imitandis ſuper-
Jeſa. 52. ſtitionibus fideles irretiat. Poſt Jeſaiæ ſubnectit teſtimonium: Propter quod exite de medio eorum, & ſeparamini, dixit Dominus, & immundum ne tetigeritis. Quo non ab incredulorum corporibus, locorum ſpatiis procul eſſe diſſitos, ſed à pollutis eorum ſacris longe diremptos eſſe jubet. Quod vero Prophetæ verbis, ſive de ſuo, ſive aliunde attexuit Paulus, quod tum ſit recepturus nos Dominus, & patrem nobis præſtaturus, noſque agniturus in filios & filias, valde percellere nos debet, ne ſi contra quam præcipit, immundorum attrectatione non prorſus abſtinuerimus, abjici ab ipſo repudiarique mereamur. Proximi offenſionem cùm alias ſæpe, tum in priore ad Corinthios Epiſtola abunde tra-
1 Cor. 8. ctat, ad hunc modum: De epulis quæ idolis immolantur, ſcimus quod idolum nihil eſt, & quod nullus eſt niſi unus Deus: nam tametſi multi nominantur, ſive in cælo, ſive in terra, dii: nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illo: & unus Dominus Jeſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per ipſum. ſed non eſt in omnibus ſcientia. Hic etiam ab anticipatione exorditur, qua eos qui interioris conſcientiæ innocentiam obtendendo cavillantur, talibus ſubterfugiis excluſos, ad hominum opinionem revocat: quos factorum ſuorum teſtes dum adhibent, ad eadem audenda exemplo ſuo invitant. Audent vero, non quia licere intelligant, ſed quod auctorem vident quem imitentur, tametſi ex adverſo hæſitante, imo reclamante conſcientiæ judicio. Ac vide, quam ſevere hac una exceptione omnes tergiverſandi anſas circumcidat. Idololatriæ ſpeciem quandam & ſimulationem habebat ille ad ſacrum idolorum epulum accubitus: accumbebant nihilominus ex fidelibus quidam, hoc prætextu, quod puras & ſanctas Dei creaturas ederent: quæ etiamſi millies idolis eſſent conſecratæ, contaminari tamen ſacrilega hujuſmodi conſecratione non poſſent: quandoquidem nihil ſit idolum, niſi vanum indoctorum figmentum. Futilem hunc prætextum quo illis tollat Apoſtolus, illam nimium verſutam prudentiam, qua præteritis neglectiſque fratribus, ſibi duntaxat ſaperent, acerbe caſtigat: Scientia, inquit, inflat, charitas ædificat. Si quis autem exiſtimat ſe ſcire aliquid, nondum quicquam intelligit, qualiter noſſe oportet. Ac ſimulacrum quidem nihil eſſe concedit: ſed contra objicit, aliquid eſſe ſimulacrorum cultum: cujus obeundi indoctis ipſi auctores eſſent. Non eſt, inquit, in omnibus ſcientia. Quidam vero cum idoli conſcientia, quaſi ſimulacris conſecratum manducant, & conſcientia ipſorum quum ſit infirma, polluitur. Si quis eum viderit, qui ſcientiam habet, in ſimulacrorum epulo recumbentem, nonne conſcientia ejus, quum ſit incertus, ædificabitur ad manducandum? & peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt? Sic autem peccantes in fratres, & vulnerantes infirmas eorum conſcientias, in Chriſtum delinquitis. Acſi diceret: Quod omnes gentium de diis ſuis perſuaſiones, vana eſſe ac frivola commenta (ut re vera ſunt) ducitis, vobis id ſolis ſapere eſt: quod præ vobis palam fertis, ad falſorum deorum cultum quod pertinere videri poſſit, id vero facitis multorum periculo. Nam qui ejuſmodi ſpectaculo rudes adſunt, & ſimplices, quum nondum veſtram illam prudentiam ſint aſſequuti, qua intelligant idola nihil eſſe, vos autem idolorum ſacris communicare videant: quid concipere aliud animo poſſunt, niſi vos idolorum eſſe cultores, ac proinde veſtro exemplo confirmari ad id perpetrandum, quod conſcientia ſua judice damnatum habeant? Quare illam, quam obtenditis, prudentiam nihil moror: quæ ut captioſa eſt fratribus, errandique materiam præbet, ita indigna eſt hominibus Chriſtianis. Quin illa quæ ab indoctis ad imitationem veſtram committitur impietas, quando veſtra culpa contrahitur, vobis præſtanda eſt. Jam ergo ſatis perſpicuum eſt, tametſi publico profitendæ religionis munere non omnes pariter Chriſtiani defungi neceſſe habeant, eſſe tamen privatam quandam confeſſionem, quæ à ſingulis, citra exceptionem poſtuletur: quæ intra quos conſiſtere fines debeat, nullo modo definire licet. Propterea quod nec eadem omnes ad ipſam edendam gratia præditi ſunt, & ejus ratio bona ex parte ab occaſionibus pendet, quæ non omnibus ſimiles obveniunt: eatenus certe progredi debet, ne quid fidei veritate indignum, ne quid religionis noſtræ integritate alienum, à nobis vel dicatur, vel fiat. Ejus confeſſionis exempla, quantum conjicere partim ex Apoſtolorum ſcriptis, partim ex vetuſtis hiſtoriis poſſumus, in primis illis bene inſtitutis ac moratis Eccleſiis præclare elucebant. Nam ut non leguntur ejus ſeculi fideles, in viis ac locis publicis de ſua religione declamitaſſe: ut etiam Chriſtianos ſe eſſe diſſimulaſſe coram iis, quibus evulgari periculoſum eſſet, leguntur: ita non minore ſtudio rurſum obſervabant, ne vel adverſus ſuam religionem quicquam deſignarent, vel alios ſimularent ſe eſſe quam Chriſtianos. Et ſane quo numero habeat Dominus eos, qui fidem omni confeſſione vacuam intus continent, animadvertere ex elogio licet, quo ab Euangeliſta deſcribuntur: Mul- *Joan. 12.*
ti, inquit, ex principibus crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non confitebantur, ne ejicerentur è ſynagoga. Dilexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei. O exitialem gloriæ appetentiam! Nam ſi ab hominum probris auſpicanda eſt gloria, quam apud Deum expectamus, quid iis futurum eſt, qui hominum ſe quam Dei judicio approbare malunt? Et ſi Domini ſententia *Mat. 10.*
pronunciatum eſt, eos in futurum ſeculum animam *Luc. 9.*
ſuam perdere, qui in hoc ſalvam habere velint: *Jer. 14.*
quanto id in gloriam cadit aptius, cujus longe ſit facilior quam vitæ jactura? Porro ſi ab iis ſe velle ſanctificari declaravit, quibus ſe in ſanctificatio- *Jeſa. 8.*
nem pollicetur futurum: quid de ſe ſperare auſint, qui ejus non tanti dignantur ſanctificationem, quam vel mediocri opinionis ſuæ imminutione rediment? Quod vero de hac confeſſione ad præſentem locum proprie attinet, ſit extra controverſiam iſtud poſitum, quod minime dubiis verbi Dei teſtimoniis luculenter evictum eſt: non oris modo abjuratione violari ipſam ac labefactari, ſed externa quoque omni impiarum ſuperſtitionum ſimulatione: ac quavis veræ religionis profanatione. Quamobrem eum qui ſincero pietatis ſtudio afficiatur, non linguam modo ab impiis vocibus, ſed partes omnes corporis, à ſacrilego omni ritu continentes habere oportet.

Verum quoniam permulti (ut ſupra commemoravimus) qui Chriſtianam pietatem, ſi ullis idolorum abominationibus commiſceatur, diſſipari atque everti nihilo minus quam nos fatentur, à Papiſticis tamen ſacris (ſacrilegis quidem illis & profanis, ſed quæ, ut aiunt, Dei, non idolorum titulum præ ſe ferunt) non perinde hodie nobis abhorrendum cenſent: refellendus eſt hoc loco nobis eorum error, & quod polliciti ſumus, ex rerum præſentium collatione, cum eorum temporum ſtatu, quibus illa, quæ ex divinis Literis protulimus, ſcribantur, oſtendendum, non minus eſſe in ceremo-

niis quibuſdam Papiſticis anathematis, quam in ullis unquam idolorum abominationibus. Ac de ea quidem, quam cauſantur, diſcriminis ratione, poſtea viderimus: hoc modo inter nos, quod dico, prius conſtiterit, nullum unquam in Gentium ſuperſtitionibus magis execrabile extitiſſe ſacrilegium, & quod veram pietatem vel opprimeret gravius, vel contumelioſius afficeret, quam ſunt hodie nonnulla quæ paſſim in regno Papæ viſuntur. Quanquam autem, ſi aliquando dederit Dominus ut ad plenum repurgentur Eccleſiæ, quas præſtigiarum ille antiſtes ſuis impoſturis corrupit, non alia melior futura ſit moderationis ratio, quam ut à radice evellantur univerſa, & una (ut dicitur) litura corrigantur, quæ ex ejus diſciplina prodierunt. Non tamen ſunt ejuſmodi ex iis quædam, quin tu ea ad tempus tolerare, atque una cum aliis citra piaculum aliquod exequi poſſis. Verum enim prudentia hic & diligenti animadverſione opus eſt, qua quæ ejus notæ ſunt & formæ, diſcernere ab iis noveris, quæ cum Dei verbo non obſcure pugnant, & velut impreſſam in fronte gerunt manifeſtam impietatem. Quod totum, exempla & ſub oculos ſubjicient melius, & brevius expedient. Carnium eſum religionis nomine interdicere, hocque interdicto fidelium obligare conſcientias, plane tyrannicum, atque etiam (ut Apoſtolus loquitur) diabolicum fuit. *1 Tim. 4.* At quum ſit iſtud Domini permiſſum tibi in medio relictum, veſcariſne omni die carnibus, an in totam vitam abſtineas; illis diebus quin te abſtineas, nihil prohibet. Cur enim non interdum liceat, quod ſemper liberum eſt? Ita ſcelerato imperio abſque ſcelere parebis, animus ſit tibi modo, rudium ignorantiæ in hoc concedere, non etiam animam in illos traditionum laqueos tuam inſerere. Arcere conjugio eos, qui carnis incontinentia exagitantur, ex eodem eſt tyrannidis genere: nec tamen eadem tibi parendi fuerit facultas, ſi quidem illo ardoris aculeo pungeris, quod non ut carnium, ita uxoris abſtinentiam libertati tuæ permiſerit Dominus. Hunc, quem in ceremoniis veſtratibus, quarum cauſa hæc inſtituta eſt diſputatio, pro eo tempore, quo iſtic tibi vivendum eſt, ſemper intuearis, ſcopum tibi propono: ut quæ nulla ſunt impietate notabiles, iis ſobrie quidem & parce, ſed tamen quum uſus poſtulabit, libere ſecureque defungaris: facile ut appareat, nullam eſſe tuam nec in affectando, nec in refugiendo ſuperſtitionem. Quæ vel minima ſacrificii nota ſunt aſperſæ, eas non magis quam venenatum ſerpentem attingas: eſſe enim re vera quovis ſerpente, ſolo attactu peſtilentiores, quin tibi ſim probaturus, nihil diffido. Earum vero in numero, ſimulacrorum venerationem, unctionis ſuſceptionem, indulgentiarum emptionem, irrigationem ex aqua execrandis illis exorciſmis incantata, ſimileſque alios per ſe damnabiles ritus repono. Quid enim tandem afferri queat, quod in eorum omnium excuſationem ſatis valeat, quo minus tanti à nobis maleficii damnari debeant? Scio enim quoſdam eſſe moderatores, quibus ad exagitandas leves iſtas (ut credi volunt) & nihili nugas, videmur oi-mium aſperi: ſed quid illi, inquam, ad diluendam nimiam hanc noſtram (quando ita vocari placet) acerbitatem tandem afferunt? Negare certe non audebunt ubicunque ad cultum proſtant in templis ſimulacra. maximam & prope univerſam hominum multitudinem divinis ipſa honoribus proſequi: ac in eo in ſecundum Legis præceptum, quod eſt de non colendis idolis, impingere. Non ſtolidum hominum vulgus, ſed prudentiſſimos quoſque, & ſummis ingenii doctrinæque dotibus præditos, hoc errore captos involutoſque eſſe dico: ad ipſorum te opinionem (quod Apoſtolus fieri, ut meminiſti, jubet) revoco. Si, quo illis teſtatum facias, religione te ab ipſis non diſcrepare, caput coram ſimulacro detegis, aut genu curvas; quid aliud quam diſerta teſtificatione idololatram te eſſe profiteris? At ut ſimulacro te honorem deferre hominibus fingas, Dei tamen unius cultum cogitatione complecteris. Quaſi vero tuum ſit, honorem ad arbitrii tui modum inter ſimulacrum & Deum viventem partiri: Deoque omnia intuenti perinde palam illudere, acſi ejus oculos, quod omnium hominum perſpiciunt oculi, præteriret. De Chriſmate quid dicam aliud? in quo ſuſcipiendo ſi te nihil peccare defendis, quod hominum iniquitati ut ſatisfacias, membra duntaxat inungi, nulla conſcientiæ religione patiaris: ego contra, graviter te delinquere arguo, qui vel frontem afferas, in quam inſcribatur, quæ in ſua Confirmatione ab illis uſurpatur blaſphemia, te ſalutis Chriſmate confirmari: vel manus porrigas, in quibus illa inſculpatur, qua ſacerdotes ſuos peragunt, ſacrificandi te poteſtate donatum: vel omnes corporis partes exhibeas non minori execratione inurendas, qua in extrema (quam vocant) unctione utuntur, per oleum tibi remitti peccata. Quod quidem vel leve, vel nullum delictum eſſe tibi concedam, niſi tua ipſius confeſſione obtinuero, rem eſſe pluſquam indignam, quæ ad incorruptionem regni Dei deſtinata ſint corpora, tanta blaſphemiarum fœditate conſpurcari, quam in conſpectum Domini afferant, quo die ad recipiendam immortalem gloriæ coronam ejus tribunali ſiſtentur. Sic qui in arculam ſtipem conjecerit, ubi venales proſtent veniæ, aut quicquam omnino ex illo plus ſatis fœcundo ac liberali indulgentiarum diſpenſationumque theſauro ſibi redemerit, in nefandas illas nundinationes nomen inſcripſit ſuum, ac in eas conſentire ſe, velut data teſſera comprobavit. Neque illam, quæ vulgo jactator, excuſationem accipio: non ſecus ac injecta offa maleficæ belluæ compeſcuntur, ita vel pauculis nummis, vel etiam largiore interdum nummorum copia deliniendam eſſe ſacrificulorum rabiem: qui quum de lucro agitur, ſic prædæ inhiant, quovis ut famelico leone ſint rabidiores, prælium (quem morem pſeudoprophetis ac pſeudoſacerdotibus ſemper fuiſſe, teſtis eſt Propheta) ſuper unumquemque ſan- *Mich. 3.* ctificantes, qui non illis aliquid in os dederit. Hanc, inquam, accipiendam eſſe excuſationem nego. Quid enim diplomata illa, quorum te gratiam appetere ſimulas? An non edita voce clamant, ut nummis relictis, plenas anathemate, atque omni execratione dignas indulgentias tibi auferas? Hoc qui intelligunt (nemo autem non intelligit) ac nummum te offerre vident (videri autem niſi cuperes, non faceres) num parum luculentam habent abs te teſtificationem, indulgentiarum participatione velle te uti frui? Atqui earum latebras ſi excuſſeris, nuſquam prolixius quam illic Chriſtum cum ſua cruce irrideri comperies. Aqua denique illa, diabolicis exorciſmis conſecrata, frontem qui aſpergunt, quam omnino frontem habent, ut impune id licere contendere auſint? Quid enim tali ſibi aſperſione volunt? an ut putidæ aquæ guttula faciem in publico emaculent? an ita in celebri hominum cœtu ſine cauſa laſcive ludunt? Neutrum iſtorum eſt, nec quicquam ſimile. Verum ſpectantem populum eo ſymbolo atteſtantur, exorciſmi ſanctitatem ſe contemptui non habere. Quo ſimul haud dubie omnes, quæ ab exorciſmis evomuntur, blaſphemias obſignant: virtutem illi aquulæ infuſam eſſe, quæ dæmones pellat, curet morbos, abigat phantaſmata, noxas omnes diſſolvat. Ac ne calumnioſe me criminari ſua facta queri poſſint, quæ procul abſint ab ea, quam illis affingo, impietate, eorum conſcientiam ſemper appello, ejuſmodi ritibus dum perfunguntur, an aliquid minus, quam quod reprehendo, populo perſuadere velint? Illum igitur ipſum populum, cujus ſatisfacere judicio hic ſtudent, illis judicem fero: è quo nemo erit, qui non pronunciet, idem ſibi videri. Iniquum ſi eſſe dicant, ad hanc ſe exigi regulam; cum Apoſtolo,

cujus iſtæc eſt ſeveritas, non mecum, expoſtulent.

Video nullum fore, nec mihi dicendi exitum, nec iis finem tergiverſandi, qui repugnare velint: niſi certa una in re conſtiterimus, in qua planius ac penitus evidenter, id quod docere volumus, perſpici poſſit. Sit igitur Miſſa nobis exempli loco, iu quam niſi pluſquam juſto jure conferri poſſit, quicquid de idololatria vel Scripturis traditur, vel dici poteſt, quo minus ceremoniis iſtis omnibus, à quibus tantopere fugiendum cenſeo, velut rebus mediis indifferenter abutaris, cauſam non dico. Ipſam autem eligere ex omnibus potiſſimum libet: quod una præ omnibus uſque adeo ſancta obſervatione colitur, ut quum in aliis prætereundis hominum fallere animadverſionem quoquo modo liceat, hac te eximere, quin mulrorum oculis obſerveris, haud facile queas. Quo fit, ut in cæteris quantum inſit mali qui videant, ac illis ſe ideo abſtineant, ſatis multi reperiantur: qui vero fateantur, quanta ſcateat abominatione Miſſæ cultus, vel ab eo ſeſe plane extricare auſint, perpaucos offendas: ſive terrore obcæcati, verum non cernunt, ſive animi dejectione magis & languore, quam mentis errore labuntur. Quamobrem ſic exiſtimo, totam præſentem cauſam ſolo hoc capite, quodammodo contineri, hac ut hallucinatione diſcuſſa, qua maxime perſtringuntur, de teliquis partibus, in quibus uon ita graviter cæcutiunt, ultro mihi ſint omnes conceſſuri. Omnes, intelligo tui ſimiles, qui ſancto Dei verbo parere auſcultareque didicerint: quales, ut ſum præfatus, tecum hic docendos ſuſcipio. Quale ergo ſit iſtud, ne ſacroſanctæ Miſſæ majeſtas ludibrio tibi deſpectuique eſſe videatur, ejus peragendis myſteriis intereſſe, atque adorantis ritu inter eorum cultores ſtare, paululum perpendamus. Primum omnium, tametſi quid Miſſa ipſa ſit, non ignorant quicunque vel mediocri Dei cognitione ſuut imbuti: id tamen ipſum quod norunt, ut probe teneant, mihi ſunt monendi. Siquidem bonam eorum partem ex eo labi video, quod totam ejus vim quum domi luculenter meditatam habeant, ad ipſam dum accedunt, quam horrendæ tragœdiæ futuri ſpectatores veniant, obliviſcuntur. Verum ne longam ac alte repetitam diſputationem ordiri mihi neceſſe ſit, de Miſſæ ſacrilegiis ud Inſtitutionem noſtram lectores mittam: ubi ſatis explicate pro operis duntaxat brevitate, expediiſſe me arbitror cùm univerſum eum locum, tum quicquid ex eo huc pertinebit. Tantum dico, quod fidelium neminem latere debet unum ſacrificii nomen (ut ipſum quidem miſſarii ſacrifici accipiunt) & Chriſti crucem prorſus abolere, & ſanctam ejus Cœnam, in qua mortis ſuæ memoriam conſecravit, evertere. Nam & ſua gloria, ut ſcimus, Chriſti mors penitus ſpoliatur, niſi unicum habetur æternumque ſacrificium: & ſi ullum adhuc ſacrificium reſtat, tota corruit atque à radice labefactatur Chriſti Cœna: quæ non aliud eſt, quam unicæ illius oblationis teſtimonium, & quædam veluti obſignatio. Hæc autem duo, quæ ita continenter Miſſæ ſunt affixa, ut avelli ab ea nullo modo queant, ſi ſola eſſent, quibus omnem Miſſæ communicationem facere tibi execrabilem conarer: quid poſſes, niſi uno mecum ore ipſam deteſtari? Quid enim? An tu cui nulla alia in re quam in Chriſti cruce gloriari licet, quum ad extinguendam ejus gloriam, ad concidendum evertendumque ejus teſtimonium conjuratos conveniſſe videas, illis te ſocium adjungas? Atqui ſi recto oculo rem intueri volumus, quid aliud, quam ad talis conjurationis ſocietatem profitendam digitum tollunt, qui ſe quavis Miſſæ participatione alligant? Eſt tamen iſtud etiamnum tertium, quod quo eſt manifeſtius, eo pios animos afficere preſſius poteſt: nempe nefanda idololatria, dum panis divinitatem induere fingitur, proque Deo in ſublime adorandus tollitur, ſublatus ab omnibus colitur. Quæ tanta atrocitate tantaque indignitate referta res eſt, ut vix, niſi ſpectetur, credi queat: ſic omnium oculis ſubjecta patet, ut argumentis opus minime habeat. Pro Deo, inquam, oſtentatur, adoratur, invocatur panis cruſtulum: Deus denique eſſe creditur: quod de ſuis ſimulacris nullis unquam Gentibus perſuaſum fuit. Neque hic mihi quiſpiam obſtrepat, non panem, ſed Chriſtum adorari, qui in panis locum ſubierit, ex quo legitimo ſit ritu conſecratus. Quod etiamſi ſanctæ Chriſti Cœnæ convenire demus, quanquam nihil minus concedimus, ad Miſſam tamen nihilo pertinet magis, quam ad veteres Pontificum cœnas, aut Saliorum epulum. Id quidem ſi inter nos conveniret, quod certo conſtare debuerat, Dominum in myſtica ſua Cœna corpus præbere non quod adoremus, ſed quod edamus: præſentiamque non illam naturalem, quam loco illo contineri oporteat, ſed ſpiritualem, quam nullum loci intervallum, nulla diſtantia impedire poſſit, proponere: aut, ſi mavis, non naturam ſui corporis præſentem illic & circumſcriptam exhibere, ſed efficaciam & virtutem: ne iu ipſa quidem Cœna hic ſcrupulus reſideret. Verum quoniam nondum id videre omnibus datum eſt, rem dubiam ac controverſam pro confeſſa certaque me præſumere nequis cavilletur, illa parte non inſtabo. Adſit ſane in ſua Cœna præſens vero ac naturali corpore Chriſtus, manibus attrectetur, dentibus atteratur, faucibus deglutiatur, divinitatem illic præterea ſuam ſiſtat, qualiter in ejus carne ineffabili modo habitavit, quam jus faſque ſit adorari (quorum tamen utrumque vaniſſimum eſſe, alibi demonſtratum abunde à nobis eſt) verum utrumque ubi conceſſum fuerit, quid tamen inde ad panis fruſtulum acceſſerit, extra Chriſti Cœnam? Non enim ſi Dominus ſuis fidelibus, mortis ſuæ memoriam pie colentibus, corpus ſuum ſub pane edendum præbet, protinus etiam conſequitur, impuris ipſum ſacrificulis immolandum ſe, mactandumque, quoties illis libeat, tradere: niſi forte tantam putido oleo ſubeſſe virtutem arbitramur, qua omnes quas inunxerint manus, peritos Chriſti formandi reddat artifices: aut ſacrificuli libidinem, cæleſtis decreti pondus habere credimus, ut quoties è cælo Chriſtum deducere decreverit, præſentem ad nutum extemplo habeat: aut Chriſti verbis vim quandam magicam affingimus, quæ articulate tantum demurmurata, energiam ſuam explicent. Talibus enim ineptiis è pane Chriſtum ſe educere, nobis perſuadere contendunt. Quicquid ergo illi de ſua poteſtate, conſecrandi intentione, verborum pronunciatione ſtolide garriunt, valere ſinamus. Nos promiſſionem quam falſo jactant, primum eſſe Cœnæ propriam: deinde piorum fidei datam, non impiorum irriſioni ſcimus. Quod ſi extra Cœnam locum nullum habet, in Miſſa, quæſo, quem habebit, qua nihil uſquam Cœnæ magis adverſum eſt? Et ſi non niſi piis ad alendam confirmandamque ſuam fidem propoſita eſt, qui unica Chriſti oblatione, quam in cruce peregit Deo Patri, æternum ſanctificatos ſe credunt: quî præſtaretur iis, qui nec ipſam intelligunt, & ipſius prætextu ad illudendam ejus veritatem ſcelerare abutuntur? Illum igitur Deum, quem ludibundus ſacerdos quaquaverſum circa ſuum altare ventilat, non è cælo, ut credi volunt, elicitum: ſed talem eſſe, qualis è piſtrino ſit extractus, palam eſt. Nam promiſſionem quæ Chriſti corpus ſub panis ſymbolo fidelibus præbet, non ad eos magis, quam ad pecudes: nec ad Miſſas magis, quam ad Bacchanalia aut Turcarum prandia ſpectare, nihil eſt jam ambigendum. Quid? hiſtrionicæ illæ geſticulationes, ita indecoræ prorſus & immodeſtæ, ut à ſanis ſobriiſque hominibus proficiſci non debeant, dum in Chriſtum conferuntur, ſacroſancto ejus nomini videnturne tibi leviter contumelioſæ? A morioni-

rionibus forte talia tolerari iudicta poterant. Dominum vero illis inſcribi, ut graviter ejus ſanctitati injurium eſt, ita indigniſſime, aut (quod verius dixerim) nullo modo nobis eſt ferendum. Præſertim quum eo recta tendere videamus, ut inſtitutam divinitus ſpiritualis Cœnæ ceremoniam, ſepultam, ſubverſamque penitus extinguant. Agedum, ad ſimulandam Miſſæ religionem, qua conſcientia peragendis ejus myſteriis interſis, mecum nunc recognoſce. Primo ſtatim ingreſſu ſeſe in conſpectum infert altare, parum illud quidem à menſæ compoſitione differens, ſed quod ipſa tamen nuncupatione ſacrificando ſe deſtinatum clamet. Jam hoc certe ſolum blaſphemia non caret. Vides prodeuntem ſacrificum, qui quatuor digitorum unctione pacificatorem ſe inter Deum & homines conſtitutum glorietur: qui Chriſti promiſſionem, qua corpus & ſanguinem ſuum ſub panis & vini ſymbolis ſervis ſuis edendum bibendumque proponit, ereptam fidelium Eccleſiæ, atque ab ipſa Cœna abreptam, ſibi ſimilibuſque ſui carnificibus vendicat: qui cæleſtem ejus Cœnam Miſſæ nomine, in qua tota ipſa invertitur ac deformatur, inhonorat. Adſtat populus, nihil non eorum divinum eſſe perſuaſus: cui permixtus, eadem teneri religione ſimulas. Ubi ad altare propius ille acceſſit præſtigiator, fabulæ ſuæ actus partim motorios, partim ſtatarios orditur, magicaſque illas ſuſurrationes, quibus è cælo Chriſtum ſibi videtur evocaturus, aliis quidem certe videri vult, quibus evocatum, ad immolationem devovet: quibus Dei erga hominum genus reconciliationem, acſi in demortui Chriſti locum ſubrogatus eſſet, molitur. Hæc cum ſimili, qua ſuperiora illa, veneratione excipi ab univerſa multitudine vides, ad eam quoque ipſam imitandam vultum aſſimulas, in quem (ut minimum) inſcriptam eſſe ejuſmodi ſpectaculi acerrimam abominationem decebat. Et adhuc mihi negabitur, qui Miſſam religionis ſpecie audit, eum totidem, quot in ea perpetrantur, ſacrilegiorum conſortem ſe apud homines, quicquid animus Deo intus canat, profiteri? Ecce demum idolum illud, corporis quidem ſpecie puſillum, aſpectuque candidum, ſed omnium longe & peſtilentiſſimum & teterrimum, ad tangendos ſuperſtitione ſpectatorum animos attollitur. Huic dum ſeſe omnes ſtupefacti advolvunt, tu ſimul converſo in ipſum intuitu, venerabundus proſterneris. O perditam noſtram impudentiam: ſi quicquam eorum, quæ ſacris literis adverſus idololatriam prodita ſunt, ab iſta ſic deprehenſa convictaque deprecamur! Quid enim? an hoc eſt aliud idoli genus, quam quod adorare ſecundo Legis capite vetamur? Quod ſi ita eſt, cur ejus cultum minore delicto, quam Babylonicæ illius ſtatuæ cenſeamus? quem tamen tres illi, quos ſupra retulimus, Iſraëlitæ, & morte, & exquiſito ad ſævitiam mortis genere, gravius exhorruerunt? Si vulgaribus ac quibuslibet gentium ſuperſtitionibus ſubeſſe pronunciat Dominus immunditiem non tangendam, in tanta ſordium congerie, quanta hic conſtat, tot ſacrilegiorum cumulis volutari qui liceat? Ut autem omnes Apoſtoli ſententias, quibus in idololatriam invehitur, uno iſto verbo complectamur, non poſſe nos menſæ dæmoniorum & Chriſti menſæ una fieri participes, quis ad Miſſam id ſpectare neget? cujus altare everſa Chriſti menſa erigitur: cujus epulum diremptis, laceratis, ſordidatis menſæ Chriſti epulis inſtruitur: in qua Chriſtus traducitur, ejus mors illuditur, execrabile pro Deo idolum ſupponitur, eam vocare dæmoniorum menſam ſuppudebit? ac non potius, quod tantæ impietatis meretur inſolentia, novum excogitabimus aliquod nomen, quo deteſtabilius quiddam (ſi fieri poſſit) exprimatur? Et ſane de eo hæſitare quomodo hominibus non prorſus cæcis in mentem veniat, valde miror, an dæmoniorum menſam appellare Miſſam debeant, ad quam exædificandam ſternendamque, omnes dæmoniorum technas, machinas, copias concurriſſe, plane conſpiciunt.

Verum, novæ rurſum ambages ab aliis mihi obtenduntur. Nam eorum nonnulli, qui olim, quum in communi errorum labyrintho verſarentur, ſacerdotii Papalis oleo inuncti fuerunt, in veteris etiamnum haræ ſtercoribus conſidunt: & quanquam de unico æternoque Chriſti ſacerdotio, Dei beneficio, præclare ſunt edocti, ſacrificare nihilominus pergunt: idque ut impune ſibi liceat, poſtulant. Impudens ſane poſtulatum: nempe ut Miſſæ præeſſe ſibi concedatur: cui ne intereſſe quidem Chriſtianis hominibus, jamdiu validiſſimis rationibus contendo. Quas tamen ad elabendum argutiolas nectant, audire, refutareque obiter operæpretium eſt. Quando, inquiunt, neque ſacrilega illa immolandi Chriſti cogitatio, nec vana de panis in Deum tranſitione opinio, neque earum ſuperſtitionum quæ Miſſam ipſam impiam faciunt animis noſtris ulla inſidet: externi ritus, quorum repræſentatione, indoctorum iniquitati ſatisfacere cogimur, quales ſint, non magnopere refert: nec vero poſſunt, quominus pro Miſſa ſanctam Domini Cœnam celebremus, impedire. Nam nimium perverſa iſta fuerit moroſitas: Miſſam externa ceremoniarum larva levibuſque duntaxat ineptiis æſtimare, non pravis opinionibus ac ſacrilegis mendaciis, quibus in rebus ſitam eſſe ejus impietatem omnes fatemur. Omiſſa igitur offerendi mentione, ſuperſtitionum omnium vanitate ſublata, ſi Cœnam Domini, quo modo per iniquos ſeculi mores licet, colere nos nihil ambigitur, frivolas quaſdam ceremoniarum nugas, ingentis ſceleris inſtar inſectari perquam indignum eſt. At ſi eorum quempiam ex adverſo aggrediar: Cœnam Domini ſuis & ipſam ceremoniis, nequaquam negligendis, conſtare, quod & à cæleſti magiſtro ſint inſtitutæ: & ſic inſtitutæ, ut propria eſſent germanaque Cœnæ ſymbola, quibus ſublatis, agnoſci jam illa non poſſet: cujus permiſſu tantum ſe auſum eſſe reſpondebit, illud ut neſcio quid omnibus Cœnæ ſymbolis exutum ac deformatum, fabulæque magis quam ullius divini myſterii ſimile, Cœnam nuncuparet? Cœnam eſſe Domini nego, ad cujus ſpirituales epulas, non in commune omnes qui adſunt fideles invitentur, niſi in qua & ſancta panis ac calicis ſymbola Eccleſiæ proponantur, & promiſſiones, quibus obſignandis data eſt, enarrentur, & acquiſita nobis per Domini mortem vitæ gratia prædicetur. Horum tu mihi vel minimum apicem in Miſſa oſtendes? ac non potius adverſa, contraque pugnantia omnia? Tu igitur aut Dei nomine ſtolida hominum temeritate excogitatam inſulſitatem inſignies, aut Cœnæ nomen ad circulatorios luſus, in quibus nullum ejus veſtigium appareat, transferes? Tu denique ſub diabolicæ Miſſæ imagine Domini menſam repræſentabis? Tu in quo Domini mortem ignominioſe traducas, in eo te ejus Cœnam colere perſuadebis, qua nos ad prædicandam mortem ſuam nominatim exhortatur? Quid tecum tacite demurmures, à nemine exauditur. Atqui quum totius corporis actione ſacrificium eſſe, quod peragis, diſerte pronuncies, idne eſt mortem Domini annunciare? quam, ſi ſacrificiis locum poſt ſe reliquit, vanam fuiſſe conſequitur. Et cur non ſemel cavillis eorum omnibus, quod facile eſt, viam præcludo? Populum enim, quem ſabulæ ſuæ ſpectatorem admittunt, ad ſacrificii celebritatem conveniſſe ſciunt. Huic quod expectat ſacrificium præſtent re vera, nec ne, ad rem nihil pertinet: certe quod ejus opinione ſacrificium haberi velint, exhibent. Ad flagitioſam idoli adorationem paratum vident: adorandum, propriis manibus, ipſi excelſo in loco ſtatuunt: quaſi eaſdem ſimul manus & ad Deum viventem extendere, & ad proſtituendum idololatræ populo, quo cum fornicetur, idolum attollere poſſint? Non hic dico, quod ſi dixerim, an reſel-

refellere ipſi ſat probe queant, neſcio: ne minimam quidem pietatis ſcintillam fovere eos, quibus ad nefandi adeo flagitii geſtionem manus ſuppetant, quos non inter medios ſaltem conatus, vires omnes ac nervi deficiant, quibus non membra omnia horrore tremant ac labaſcant. Sed id ſolum dicam, cui poſthac inficiando non erunt: viam illam, qua ſe accedere ad Domini Cœnam jactabant, ab ejus acceſſu tantum abducere, quam hæc inter ſe duo longe differunt, divinæ gloriæ ſtrenuum præſtare animoſumque præconem: & perpetrandis ſacrilegiis ducem, præſidem, auſpicem ſe præbere. Simul etiam reliquos obteſtor: quibus (ſi quis eos, quod ad audiendas Miſſas ingrediantur, accuſet) reſponſare mos eſt, Miſſæ dum interſunt, ſibi quid ſacrificulus ſeorſum deblateret, curæ non eſſe: ſed eam ſymboli tantum loco ſe accipere, quo perinde acſi ſanctæ Domini Cœnæ interſint, mortis ejus memoria exerceantur: eos, inquam, obteſtor, poſthac nulla ut potius, quam hac miſera excuſatione utantur: neque (ut ſpero) utentur. Si quidem cum animis ſuis recte reputent, quam ſit utrumque multis modis abſurdum, & monumentum mortis Chriſti facere Miſſam, quæ nullam, niſi oblivione omni pejorem ejus recordationem hominum animis afferat (utpote quæ vim ejus univerſam oblitteret ac ſepeliat, cum ſumma præterea Chriſti ipſius contumelia conjuncta ſit) & eandem dicere ſibi propemodum Cœnæ eſſe loco, in qua tantum ab annuncianda Domini morte abſunt, ipſam ut propemodum abjurent. Nam primum quantum ad Miſſam attinet, quoquo vertant oculos, quid ſpectare poſſunt, quod ſibi æternæ illius ſanctificationis, juſtitiæ, redemptionis, per unicum Chriſti ſacrificium partæ, memoriam ſubjiciat? quod unicum ſacerdotem eſſe Chriſtum, nullo conſorte, nullo ſucceſſore, doceat atque oſtendat? quod ejus morte perfecta, quæ in ſalutem noſtram erant omnia, teſtetur? Et quo igitur jure Miſſa ejus mnemoſynon cenſeatur, cujus nec apiculum proferat? Porro quod ſeſe aiunt eundem fere inde uſum, quem è Cœna capere: ampliſſimum ipſi de ſe teſtimonium ferunt, nihil ſe illic meditari minus, quam ut gloriæ confeſſionem Chriſto Domino tribuant, ad quam præſcriptis verbis in Cœna vocantur fideles.

Ejus autem diſcriminis, cujus ſpecie præſentis idololatriæ rationem, à veteris illius cauſa disjungere vulgo conantur, quanquam exemptam jam plane bonis viris omnem dubitationem arbitror, quale id tamen ſit, quando ita nos facturos recipimus, & quorundam forte frangendæ obſtinationi expedit, conſideremus. Cur tot execrationibus ſancitum ſit olim à Domino, ne gentium ſuperſtitionibus ſervi ſui ullo ſe modo commiſcerent, cauſam fuiſſe aiunt, quod ille idolis habitus honor quum falſis diis manifeſte tribueretur, divinitatis quoque honorem à vero Deo ad illos transferebat. mundum quidem non minus abominanda hodieque ſuperſtitione inſanire, ceremoniis ineptire æque prope ſtolidis & fatuis: verum hoc intereſſe, quod quales tandem cunque ceremoniæ iſtæ ſint, quia tamen Dei nomen præ ſe ferunt, ejuſque ſunt cultui deſtinatæ, eas ſi quis perverſa ſuperſtitione vacuus ſolutuſque uſurpet, nihil de vera Dei religione ſit derogaturus. Hæc ſi de mediis ritibus, quos docendi cauſa, indifferentes nuper vocavimus, diſputarent, eorum permiſſioni non vehementer reclamarem. At quum eas quoque ceremonias complectantur, quæ manifeſta ſunt impietate ac non ferendo Dei opprobrio inſignes, quam inſcite ratiocinentur, paucis è Scriptura

Num. 21. petitis exemplis oſtendemus. Serpentem illum æneum, qui poſtquam uſum præſtare deſiiſſet, cujus cauſa fuerat excitatus, poſteris etiam, quo æternum eſſet ſeculis omnibus divini beneficii monumentum, relictus fuerat: quum præpoſtera patrum imitatione à filiis poſtea coli cœptus eſſet, eundem ſemper optimæ religionis prætextum retinuiſſe quis dubiter? paſſimque & vulgatum fuiſſe, & obtinuiſſe; illam ſummi Dei eſſe imaginem, quæ in ejus gloriam

adoranda foret? Quod ſi eorum quempiam, quos *1 Reg. 1*

tum Dominus prolabi in tantam cæcitatem paſſus non erat, narrarent hiſtoriæ, procul omni ſuperſtitione, tantum ut publicæ populi inſaniæ ſe accommodaret, genu coram idolo illo incurvaſſe: noſtrum opinor nemo fuerit, qui non confeſtim illam ſimulandi improbitatem deteſtetur: & ſane communi piorum omnium abominatione digna eſſet. At niſi nobis fruſtra blandimur, nihilo nunc leviore flagitio genua coram panis cruſta incurvamus, quam tum inflectere coram ſerpente licuiſſet. Quid? Aaron quum *Exod. 32.*

vitulum à ſe conflatum populo Iſraël oſtenderet, ac irriſorie diceret eos eſſe deos, à quibus educti eſſent è terra Ægypti, nonne ille ſerio aſſentiebatur? nempe Deum, quem redemptorem ſuum libertatiſque nuper acquiſitæ vindicem non abnuebant, in vitulo tamen cernere volebant: quod prope ſibi adeſſe non confidebant, niſi præſentibus ipſum oculis intuerentur. Itaque ſolenne Dei ſacrum quum ab Aarone indictum eſſet, nihil reſtitabant, nec deprecabantur: ſed quam Deo viventi gloriam dare volebant, eam coram vitulo ceu ſpectro ejus quodam, perſolvebant. Tollant utrimque, ut libet, ſuperſtitionem omnem: non tamen ſatius idcirco fuiſſe, aut tolerabilius, coram hoc vitulo honoris cauſa procidere, quam coram bove Ægyptiaco,

dicere certe ſuſtinebunt. Jeroboam quoque quo vitu- *1 Reg. 12.*

los ſuos conſilio ſit fabricatus, ſi quærimus, neque novos ſibi deos aſciſcere in animo habebat, neque ſic à Deo plane ſe deſciſcere cogitabat: neque Dei modo religionem non aſpernabatur: ſed ne ſanctas quidem ceremonias, quas peſſundare conabatur, improbabat: ſola erat diffidentia, quæ hominem in hanc amentiam præcipitem ferret. Nam quum illa, quam nobis refert Sacra hiſtoria, anxietate miſere æſtuaret, ne Templi religione, ſanctaque majeſtate tacti plebis animi, ad Davidis domum, unde deſecerant, rurſum inclinarent, novos excogitare ritus voluit, quibus à Templi conſpectu abſtractos, ſimul à regno Judaico paulatim alienaret. Vitulos ergo quum proferret, non à priore Deo ut ad illos deficerent, hortabatur: quod futurum erat omnium auribus nimis aſperum: ſed veterem aſſuetumque Deum ut in illis colerent, edocebat. Huc enim illa ſpectabat oratio: Vobis ultra modum in Jeruſalem aſcendere grave eſt: O Iſraël, hi ſunt dii tui, qui te eduxerunt è terra Ægypti: illis ut perſuaderet, non ſe exterminato priore Deo, novitium aliquem inferre Deum: ſed modum tradere duntaxat, quo minore moleſtia illum ipſum adorarent, cujus virtute quondam fuiſſent è miſero Ægypti ſervitio liberati. Ille vitulorum cultus, quantumvis æterni Dei nomine prætexeretur, qualis fuerit, abunde teſtantur Prophetæ. Utcunque abeſſet ſuperſtitio, utcunque à vituli veneratione interior cogitatio abhorreret, innoxius eſſe non poterat, quicunque in Bethel ad ſacrificandum aſcendiſſet: quam Dei verbum Bethaven pronunciabat. Quod ſi ſceleſti illi: nos juſti ſcilicet, qui panis micam, ſimulatque impii ſacrificuli deſtinatione, devota immolationi fuerit, nobis pro Deo eſſe profitemur? Jam & Samaritanorum religionem non ob id imitari non licebat omnino, quod deorum eſſet alienorum cultu implicata, ſed quod pravo illegitimoque Dei cultu polluta foret. In hoc, mi frater, in hoc fallimur, quod demum immundas per ſe & ſacrilegas ceremonias eſſe non putamus, niſi quæ Gentilium deorum nominibus palam ſint inſignitæ, ſacroſanctum Dei nomen profanare, ſummum eſſe ſacrilegium obliviſcimur. Profanatur autem non magis, dum ſuppoſitis aliis diis, plane ipſe repudiatur: quam dum commentitium illi quippiam, quod ejus majeſtatem inhonoret, affingitur. Eant nunc, qui

qui ad miſſalis illius è panario Dei conſpectum, genua ſimulandæ religionis cauſa inclinant: & levius ſe delinquere jactant, quod ſub Dei nomine idolum adorent. Acſi non illa potius nefaria ſui nominis uſurpatione bis irrideretur Dominus: quod & eo nihilo ſecius relicto, ad idolum curritur, & tranſire ipſe in panem fingitur, obſcuro ac velut magico murmure incantatum.

Porro quod omni impiarum ſuperſtitionum communione ita præciſe interdico, id in eam partem nolim accipias, quaſi earum rerum tibi religionem injiciam, quas vel effugere omnino non ſit in tua poſitum facultate, vel liberas alioqui eſſe conveniat. Neque enim ſi intra templorum omnium, quæ quidem iſtic ſunt, parietes, infinita quotidie impietatis exempla eduntur, idcirco te à primis eorum limitibus arceo: nec ſi ſimulacra omnia nefandis ſacrilegiis ſunt dedicata, ideo ea protinus aſpicere veto. Quando alterum ſine noxa eſt: alterum, præter id quod nihil obeſt, ſimulac pedem domo extuleris, (tanta idolorum multitudine refertæ ſunt viæ omnes) tui arbitrii eſſe deſinit. Te ergo uſque adeo ſuperſtitioſum eſſe nolo, ut templi magis ingreſſu pedem, aut ſimulacri aſpectu magis oculum pollui exiſtimes, quam ſi vel illum in vulgarem quemvis locum inferas, vel hunc in rudem informemque aliquem lapidem conjicias. Verum enim, ut illa tibi eſſe permiſſa audis: ita ne ultra ejus libertatis modum, licentia progrediaris, etiam atque etiam reputes. Hunc modum definire non improprie mihi videor, quum ab omni in univerſum ſacrilegiorum communione abſtinendum tibi doceo. Si quidem per communionem, non ſimplicem loci propinquitatem (quæ minime nos illis implicat) ſed tum interiorem conſenſionem, tum externam quamvis teſtificationem, quæ in illorum approbationem ſubſcribatur, intelligis. Conſenſo ne illis adhæreſcant, qui modica veritatis luce ſunt irradiati, vix eſt timendum. Illis teſtificationibus ſceleſtæ participationis laqueis ſeſe induunt: nec intelligunt, ſuperſtitione id, an callida ſimulatione faciant, ad rem non pertinere. Quando utroque pariter modo & ſacram Dei religionem ludibrio habent inter homines, & exemplo ſuo partim rudium inſcitiam, ad obſtinationem & pervicaciam confirmant, partim imbecillium dubias hæſitanteſque conſcientias labefactant. Communicare

Ephes. 4. ubi vetuit Apoſtolus operibus infructuoſis tenebrarum, ſimul adjicit ut potius à nobis redarguantur. Qua poſteriore particula, quid per illam priorem voluiſſet, explicavit: nempe tum nos flagitioſis ac iniquis facinoribus communicare, quum illa nobis placere quoquo modo ſignificamus. Unde profecto abſque dubio perſpicis, ab iſtarum abominationum, de quibus nobis ſermo eſt, inquinamentis eum ſe demum præſtare immunem, qui nullam earum, ne fictam quidem imitationem in ſe ſuſcipiat: cæterum, qui ſe ad eum modum abſtinentem præſtiterit, eum nec aſpectu, nec ingreſſu, nec vicinitate, ullam adeo vel noxam, vel maculam contrahere, ut ex eo conſtantiam ſuam Domino magis approbet, quod hoſtilibus copiis circumſeſſus, expugnari tamen ſe

Actor. 17. non patiatur. Hac ratione Paulo licuit, illæſa pietate, non modo circum omnes Athenienſium aras obambulare, eaque loca pedibus terere, quæ eſſent mille impietatum notata veſtigiis, & recentium forte ſacrificiorum odorem adhuc referrent. Verum, oculos huc atque illuc circumferre, & quid in unaquaque ara inſcriptum foret, curioſe contemplari. Non enim ad ſingula deorum nomina ſeſe religioſe inclinabat, nec quos in ſalutandis ſuis ſimulacris ritus obſervabant idololatræ repræſentabat: ſed ſuperſtitionum omnium neglectum præ ſe ferens, requirebat quod tandem reperit, unde ad illuſtrandam Domini gloriam, velut ex adverſariorum tabulis argumentum proferret. Eadem ratione periculum non fuit, ne conſcenſa navi, quæ inſigne haberet Geminorum, aliquid ex ea dedicatione pia- *Actor. 28.* culi in ſe ſuſciperet, quum ita ſe gereret, nullum ut ſuperſtitionis tinum cum impiis ipſum communicare facile appareret. Neque enim, quod alios ex more egiſſe veriſimile eſt, arbitrari poſſumus ipſum, aut ſub primum ingreſſum deos tutelares ſalutaſſe, aut ſolventem à portu, ſecundam ab illis navigationem petiiſſe, aut petentibus ſuccinuiſſe, quaſi in eorum precationem conſentiret. Quare ne quo ſcrupulo vanæ Gentium dedicationes animos noſtros impedirent (acſi efficere poſſent, ne iis rebus uti pure liceret, quas in uſum noſtrum Dominus ſanctificavit, modo ne perperam abutamur) nominatim expreſſit Lucas, Paulum illos Caſtoris & Pollucis titulos, quo minus trajiciendi cauſa, navem illis conſecratam conſcenderet, nihil reformidaſſe. Quod dubium nemini futurum erat, tacuit: diligenter hoc caviſſe ac præſtitiſſe, ut quod Chriſtiani hominis erat, ab omni idololatriæ ſpecie quam longiſſime abeſſet.

Quanquam autem (quæ tua eſt erga Dei veritatem obſervantia) ſententiam quam tot divinis teſtimoniis obſignatam videas, tibi jam plane probatam eſſe confido: quando tamen non tibi hæc uni ſcribuntur, aliorum ut me rationem ſimul habere patiaris, abs te peto. Quos ad concedendum veritati aliquanto eſſe in hac cauſa difficiliores quam oporteat, minus idcirco miror, quod inſuave illis ingratumque eſſe non dubito, ab ea, cui diu placideque indormierint, indulgentia excitari. Ac mihi ſane videre jam quoſdam videor, frivolam intempeſtivamque hanc meam moroſitatem irridentes, qui rem non ita magni ponderis perinde urgeam, acſi in eo cardine tota religionis ſumma verteretur. Nam & ipſe quoſdam memini, quibuſcum de hac re mihi olim ſermo fuit, quum preſſius me inſiſtere viderent, quam ut ſuam cauſam recta ratione tueri poſſent, ad hunc confugere locum ſolitos. Ut nunc temporum foret ratio: nondum à reſcindendis gravioribus vereque ſeriis malis tantum eſſe otii nobis ut de frivolis iſtis delictis, & velut minutis næniis valde ſollicitos eſſe oporteret. Primum hanc decere eſſe curam, ut vera in hominum animis inſeratur ac coaleſcat pietas, ut mores ad pietatis regulam exigantur ac formentur: ut denique tota charitate, manſuetudine, patientia, cæteriſque Spiritus donis vita intingatur. Id ubi conſequuti fuerimus, tum fore idoneum tempus ad hæc leviora deſcendendi. Tanta contra perverſitate eſſe hodie quoſdam, ut quum una Miſſarum ac ceremoniarum abominatione totam religionis noſtræ vim deſcribant, quidvis in homine Chriſtiano ferant potius, quam Miſſam unam auditam: eum vero qui à Miſſa ſtrenue abhorruerit, etiamſi nulla in reliquis vitæ partibus mica pietatis eluceat, ſolum Chriſtiani nomine dignum & agnoſcant, & prædicent. Talibus objectis quid tum reſponderim, teſtes illi mihi ſunt, quos dico. Verum quoniam nonnullos, ut dixi, fore proſpicio, qui nunc quoque non diſſimiliter nos accipiant: hac ſua ratiocinatione parum ſe proficere, ut intelligant, facturum me ſpero. Eos igitur omnes hortor, primum, ut omni contentione poſita, ſecum diſpiciant, num pro facili levique delicto ſit ducendum, quo Paulus Dominum ad pugnam provocari, quo adverſus Chriſtum peccari, quo menſæ dæmoniorum communicari, quo Chriſti menſam repudiari tradit. Si leves illi, facilique digni venia lapſus: flagitiis ac ſceleribus definiendis, quæ digna tandem verborum gravitas reperietur? Huc ſi oblique illas Pauli objurgationes detorqueri aiunt, quo igitur dirigi poſſunt, non video. Acerbum illum ſtylum in eos ſtringebat, qui ad edendas hoſtiarum reliquias, feſtis idolorum epulis aſſidebant. Deum ipſi de conſcientiæ ſuæ innocentia teſtabantur: quandoquidem contempta Gentium

vani-

vanitate, nihil aliud quam veſcerentur puris Dei creaturis, quas oratione ac gratiarum actione ſanctificari in fidelium uſum noſſent. Excipiebat ille contra, conſeſſum illum infidelium, ad ſimulacri cultum convenire; ſolenne illud epulum, idoli nomine gratiaque inſtitutum. In ea ergo & conventus & epuli celebritate qui ſederet, utcunque animatus apud ſe eſſet, id tamen committere, unde & idololatrarum ludibrio Dei gloria exponeretur, & imbecillæ fratrum conſcientiæ ſubverterentur: quod & illi conſortem ad ſimulacri ſui cultum habere ſe Chriſtianum hominem autumarent, ac gloriarentur: & hi ejus exemplo ad idem agendum, quanquam nutante vacillanteque conſcientia, audaces fierent. Quid autem iſti noſtri? Ad Miſſam, quam longo varioque ſacrilegiorum apparatu inſtructam vident, conveniunt: & conveniunt eum multitudine, quam pernicioſa Miſſæ perſuaſione miſere infatuatam norunt. Cujus tamen ſic cæcitatem ſuperſtitionemque intus miſerantur, ut exterius imitentur. Panem quem idolum reliquis eſſe ſciunt, ſimul cum illis unoque geſtu venerantur. An non hic & Chriſti crucem apud ejus inimicos deridiculo proſtituunt, & infirmorum fratrum hæſitantem ſimplicitatem exemplo ſuo ad imitandum concutiunt? Non eſt igitur cur hinc ſuæ prævaricationi molliter blandiantur, adverſus quam tanto verborum fulmine exardere Apoſtolum vident. Quid, quod à profeſſis juratiſque Chriſti & Euangelii ejus adverſariis, hoc veluti pignus abnegandæ veræ pietatis de ſe exigi intelligunt? Hic enim illis hodie ad explorandam uniuſcujuſque fidem, lapis Lydius eſt, curioſe obſervare quis Miſſam audiat, nec ne: ut in uno Miſſæ cultu tacitam neſcio quam profeſſionem accipiant, qua in univerſas ſuas abominationes ſemel juretur: unius Miſſæ contemptu, corruere easdem & interire exiſtiment. Reſpondeant nunc mihi bona fide iſti Miſſarum alumni, quibuſcum mihi quæſtio eſt, dum capitalibus verbi Dei hoſtibus id concedunt, quod illis abjurandæ veræ religionis ſymbolum eſſe non ignorant: an non hoc, ceu dato pignore, illorum ſeſe execrabili religione obligant ac devinciunt? Non enim jam qualis ipſa per ſe ſit Miſſæ audientia, conſiderandum ſolum dico, ſed quantum ponderis cum ſuis circumſtantiis appenſa ſecum ferat. Æſtimandam autem tanti cenſeo, quantum impiorum improbitati in ea dare volunt. Sit nobis ille in exemplum Eleazarus, de quo Machabæorum narrat hiſtoria: illa item, quæ ibidem refertur, mulier cum ſeptem ſuis filiis. Omnes quum pauxillum ſuillæ carnis guſtando, vitam redimere poſſent, extremos ſubire cruciatus maluerunt, quam ejus ſaporem, linguæ admovere. Quorum omnium ſi factum per ſeipſum ſpectes, parum aberit quin tibi in oppetenda uſque eo temere morte, inſaniſſe videantur: ſin cauſam diligenter expendas, graviſſimam fuiſſe rationem invenies, cur ad ſæviſſima quæque perferenda ſupplicia darent potius ſeſe, quam interdicti cibi guſtu contaminarent. Fateor in ſuillæ eſu nihilo fuiſſe alioqui plus religionis, quam in manducandis panibus propoſitionis: quibus tamen urgentem famem depellere Davidi nullo piaculo licuit. Verum quum impius tyrannus, qui non Dei Legem modo abolitam, ſed nomen quoque penitus extinctum cupiebat, illis inſtaret, ut hoc ſymbolo ab obſervatione Moſaicæ Legis deficere ſe teſtarentur: reputabant, id quod res erat, non in una duntaxat ceremoniola, ſi obſequerentur, violatum iri à ſe Legem: ſed editum iri teſtimonium, quo Deum cum univerſa ſua Lege abnegarent. Quo factum eſt, ut quum ſancto illi viro ab amicis carnes aliæ ſupponerentur, quas pro ſuillis ederet, ne ea quidem ſimulatione elabi ſuſtinuerit, quod videbat eandem ſemper Dei adverſariis blaſphemiæ teſſeram ſe daturum. Non eſt, aiebat, ætati noſtræ decorum, fingere: quo multi adoleſcentes Eleazarum nonagenarium, ad vitam alienigenarum tranſiſſe arbitrati, & ipſi propter meam ſimulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur: atque ita maculam & execrationem meæ ſenectuti acquiram. Nam etſi in præſenti tempore hominum ſuppliciis eripiar, manum tamen Omnipotentis, nec vivus, nec mortuus effugiam. Quapropter vita fortiter excedendo, agam quod ætate mea dignum eſt: adoleſcentibus autem exemplum forte relinquam, ſi prompto animo ac conſtanter pro graviſſimis & ſanctiſſimis legibus, honeſta morte perſungar. En profecto, non dicam appoſitiſſimum exemplum, ſed expreſſam imaginem quæ nobis ad vivum referat, quid ſit, ad placandos Euangelicæ veritatis adverſarios, Miſſam audire. Adhæc, utut iſtud vitii in minimis malis habeant: ſi tamen & vitium eſſe, & divinæ voluntatis transgreſſionem fatentur, quod negari non poteſt, non adeo nihilo æſtimare debent, ut nobis prope permiſſum faciant. Quanquam enim ſi inter ſe ipſa conferantur Dei mandata, alterum altero præponderatur: ubi tamen ab illa collatione diſceſſimus, nihil tanti eſſe nobis debet, quod non eorum poſtremo facile cedat. Sic enim ipſe quoque Magiſter ſua voce docet: Qui unum, inquit, ex minimis iſtis mandatis ſolverit, & ſic docuerit homines, minimus vocabitur in regno Dei. Videmus hac oratione genus illud Doctorum directe peti, qui ſic inter Dei leges diſtinguunt, quaſdam ut leviores eſſe doceant, quarum contemptui facilius ſit indulgendum. Nullum fore numero in regno cælorum quum audiunt eum, qui vel minimum ex Dei præceptis contemptibile ſua facilitate fecerit, qua confidentia dictitare adhuc audent, omittendam in præſens ejus mentionem, in quo vulgo ab omnibus fere delinquatur? Nimirum hæc humani judicii eſt pravitas, quale ipſum ſit quod jubetur, opinione ſua, non Dei voluntate expendere: deinde in ſolum præceptum intueri: non advertere interim (quod maxime referebat) Deum eſſe Legislatorem, cujus majeſtas levibus etiam illis, ſi ita volunt, transgreſſiunculis minuatur. At vero Dominus, ut huic pravitati obviaret, doceretque quam nulla Legis ſuæ particula elevanda eſſet à nobis, volumen maledictionis in univerſam faciem terræ egreſſum Prophetæ in viſione oſtendit, quo furtum omne & omne perjurium pariter condemnaretur. In eandem quoque ſententiam ab Jacobo dictum eſt: Qui vetuit occidere, vetuit & adulterari, & furari, & aliena concupiſcere. Quare, qui totam Legem ſervaverit, ſi offendat in uno, factus eſt omnium reus. Sic ſic inſtituendi erant homines, nullum eſſe in Dei præceptis, quantumvis exigua de re præcipere videatur, quod non pluſquam ſacroſanctum nobis eſſe debeat. Nam dum ita vel minimæ rei (cujus tamen obſervationem Lege ſua mandaverit Dominus) negligentia in hominum animos inſinuatur: irrepit paulatim & ſubſequitur Legis univerſæ ac juſtitiæ contemptus. Inſulſos illos, quos aiunt, religionis deſcriptores, ſi qui tamen ſunt, qui totam ipſam intra unam Miſſæ abominationem limitant, adeo tueri mihi in animo non eſt, ut etiam eorum errori fortiter reſiſtendum cenſeam: nec pro fidelibus agnoſcendos ducam, à quibus maxima ex parte pietatis vis ſic enervetur. Neque tamen ſi præpoſtere agunt, dum totam religionem minima ejus portiuncula terminant, idcirco non & illa, quantulacunque eſt portio, inter ejus partes continetur. At iſti dum tantopere Miſſam deteſtari non oportere ex eo colligunt, quod quidam nihil aliud eſſe pietatem falſo autumant, quam ejus deteſtationem, perinde faciunt, acſi quis furtum & homicidium contemnenda dicat, quod qui in ipſa acerrime hodie vindicant, adulteriis, perjuriis, blaſphemiis ignoſcunt. Non ſic Dominus noſter. Nam quum Phariſæorum & Scribarum hypocriſin caſtigaret, qui ſic minutiſſima quæque Legis puncta conſectaban-

Joſeph. in libello de Machab.
2 Mach. cap. 6, 7.
Matth. 5. verſ. 19.
Zach. 5. verſ. 3.
Jacob. 2. verſ. 11.
Luc. 11. verſ. 42.

bantur, ut ſumma interim capita præterirent, judicium, miſericordiam, & veritatem: non docuit, illis omiſſis, hæc facienda: ſed hæc fieri oportuiſſe, illa vero non omitti. Itaque bonis quidem iſtis viris hoc non adimo, quin eorum inconſiderantiam jure reprehendant, qui ad cætera vitia conniventes, & plura numero, & pondere graviora, unam Miſſæ deteſtationem pedibus ac manibus urgent: verum ſi præſtare volunt quod par eſt, non modo ut eorum errorem jure reprehendere, ſed in melius etiam corrigere exiſtimentur: non id tollant, in quo illi nimium hærent (quando ſine pietatis jactura tolli nequit) ſed dum non eſſe negligendum concedunt, alia quoque eſſe non minus curanda commonefaciant. Vides profecto, mi frater, quam late totus hic locus patebat, ſi in eum oratione excurrere voluiſſem: ſed quoniam me agere cum illis hominibus confido, qui veritati, ſimulatque ipſam agnoverint, manus ſint daturi: mihi nihil majori ſtudio fuit, quam illam ipſam veritatem, qua ſumma poteram brevitate, indicare.

Equidem neque etiam me præterit, quas prætexta ſibi ad palpandam carnis ſuæ mollitiem, alii ad ignaviam animi ſui obtegendam, delicias facere ſoleant: Se nihil ſibi permittere aiunt, niſi quod Naaman illi, militiæ regis Syriæ præfecto, à Propheta Domini Eliſeo conceſſum fuerit.

2 Reg. 5. verſ. 18.

Nam ille ab idolorum vanitate ad unius Dei religionem converſus, confeſſuſque nullum eſſe in univerſa terra Deum, niſi Deum Iſrael: quum tamen rem unam ſibi à Domino ignoſci petiiſſet, ſi cum Rege ſuo in templum Remon ingreſſus, illic adoraret: cum pace ab Eliſeo dimiſſus eſt. Si illi, inquiunt, in idoli templo non fuit nefas adorare, cur nobis non liceat Deum in iis templis adorare, quæ ejus nomini ſunt dedicata, etiamſi agere aliud videamur? Utinam in cognoſcenda officii ſui rectitudine tam eſſent acuti & perſpicaces, quam ad exquirenda ſubterfugia, ingenioſos ſe eſſe produnt. Viam potius eam ſequerentur, ad quam tot Dei vocibus diſerte vocari ſe audiunt: quam in ſemitam declinarent neque ſatis cognitam, & unius duntaxat hominis pedibus preſſam. Nam cùm cæteris quidem in rebus omnibus, ſingularibus hominum exemplis inſiſtere, ſiquid peculiari Dei permiſſu egiſſe leguntur, non ſatis tutum eſt: tum vero in fidei confeſſione, id in primis periculoſum, cujus ſibi legem unuſquiſque pro cognitionis, qua præditus eſt, modo, ſtatuere debet. Ac id ſane ipſi viderint. Ego tamen niſi in Naaman exemplo, diſſimilia eorum factis eſſe omnia oſtendero, quin illis ſuffragetur, non reſiſtam. Sin contra planum fecero, totum id, cujus Naaman inſimulant, ab eo longiſſime abfuiſſe, alieno falſoque prætextu velim ut ſe excuſare deſiſtant. Quod ipſe ante pollicitus erat, quam illa deprecatione uteretur, ſe nullis poſthac diis ſacra facturum, niſi uni Deo Iſraël: ſub ea pollicitatione publicam fuiſſe teſtificationem comprehenſam dico, qua & Regem, & gentem Syriæ univerſam, religionis ſuæ conſciam faceret. An vero quum potentiſſimus Dynaſtes (quem quotidianis ſacrificiis deos ſuos placare oportebat, ſi aliqua eorum religione teneretur, & ſolitum antea fuiſſe veriſimile eſt) ne exiguo quidem thure in tota vita litaret, ignoraret: imo dubitaret quiſquam, deos illos abnegaſſe, quos honore nullo dignaretur? Quid ergo poſtea deprecatur, ſibi ut in idoli templo adorare liceat? Simulandæ ſuperſtitionis cauſa ſi id poſtulaſſe probarent & à Propheta obtinuiſſe, verbum non adderem: ſed ſi rem longe ſecus habere ipſa Sacræ hiſtoriæ verba clamant, facile hæc jam ſolvitur difficultas: præſertim ubi conſtat, ſic publicata ejus religione, qualiter evulgaturum ſe promittebat, nullum ſuperfuiſſe dubitationi locum, quin idola omnia plane & contemneret, & execrationi haberet. Hæc autem eſt poſtulati forma: Si templum Remon ingrediatur forte Rex meus, & mihi innixus adoraverit, ego quoque ſi ſimul in templo Remon adoraverim, hanc rem ne imputet Dominus ſervo ſuo. Illud de Rege in illum innitente tam aperte, tamque notabiliter dictum ſi vel non obſervant, vel abs re poſitum putant, valde ſunt hebetes. Nam inde citra controverſiam colligitur, non aliam ſibi concedi adorationem petiiſſe, quam qua ſe ad Regis inclinationem, quem fulciebat ipſe & ſuſtentabat, accommodaret. Id autem erat, non idoli cultum fingere, ſed ſua Regi officia obſequiaque reddere. Nunc ſi Naaman imitari volunt, ne ſint illi in eo diſſimiles, in quo ſolo à me reprehenduntur. Id ſibi habeant cum illo commune, quo ſolo conſequutus eſt ille, reprehenſione ut ſuum factum careret: nempe omni ſe idololatriæ ſuſpicione prius liberent: quamque toto animo ab illis ſuperſtitionibus abhorreant, quarum incidere poſſet dubitatio, teſtatum omnium hominum conſcientiis faciant. Id ubi præſtiterint, tum demum videbo, ſimne illis conceſſurus, ut civilis officii cauſa, ſive in cognatorum honeſtandis funeribus, ſive nuptiis celebrandis, ad Miſſas, aliaque ejuſmodi profana ſacra interdum accedant. Jam & ex eo quod in Epiſtola illa legitur, quæ ſub Jeremiæ titulo fertur, ad populum Babylone exulantem, nonnullam ſibi defenſionem quærunt. Nam quemadmodum illic captivo populo ſuadebat Propheta, vel quiſquis fuit Epiſtolæ auctor,

Baruc. 6. verſ. 3.

ut quoties in humeris circumferri aureos & argenteos deos videret, turbamque undequaque obſtupeſcentem, ne ipſe eodem afficeretur ſtupore, ſed adorans in corde ſuo diceret: Te oportet adorari, Domine. Ita ſe aiunt, dum inter ſeculi hujus ſacrilegia verſantur, cordibus tamen ad Dominum ſublatis cogitare illum eſſe, quem oporteat adorari. Quaſi vero ad interiorem cordis adorationem dum illos vocaret Propheta, ſimul annueret nihil periculi fore, ſi vultu ad ſimulacrorum cultum compoſito, Babyloniis interim gratificarentur. At vero quum nemo non videat, eo duntaxat ſpectaſſe ipſum, ut quando minime licebat Iſraëlitis publicam gentis, ſub cujus imperio ac jugo degerent, ſuperſtitionem cohibere, ſuæ tamen religionis integritatem ſibi privatim in animis ſuis retinerent: non eſt quod idololatriæ ſuæ patronum boni iſti viri eum idcirco advocent. Quod ſi ad hanc ipſam Prophetæ trutinam recte expendere ſua facta in animum inducant, ſuo ſemet gladio jugulari facile perſpicient. Qualis enim hic quæſo fuerit, imo quis eſſe omnino poterit, qui conſcientia intus Deo canente, ipſum eſſe unum quem deceat adorari, vultum externumque corporis geſtum componere ad idoli adorationem ſuſtineat? Ipſos proinde interrogo, qua conſcientia eodem temporis momento, quo Deum ſolum qui adoretur dignum eſſe apud ſe recognoſcunt, idola venerari ſe palam apud homines ſimulant? Quid enim arcana iſta confeſſione proficiunt, niſi quod externam illam ſuam idololatriam coram Dei tribunali proprio animi teſtimonio accuſant? Quare, quod in ejuſmodi ſimulandi improbitate, Prophetæ conſilio ſe obtemperare jactent, fruſtra id mentiuntur. Neque enim ab illis quicquam plus ipſe exigo, quam quod ille (quiſquis eſt ſcriptor) ſuis popularibus imperat: nempe ut publice ſacrum Dei nomen profanari dum aſpiciunt, tacitis animi votis ipſum apud ſe ſanctificent: tantum ne externis ſignificationibus, ejus ſe profanationis conſortes eſſe teſtentur. Adhæc, ſiquid ea ſimulatione peccant: exemplo Pauli ſe peccare, oſtendere conantur,

Actor 21. verſ. 26.

qui non valde diſſimili fictione uſus fuerit, quum ad recolligendam gentis ſuæ gratiam, votum, cujus ceremoniam cum cæteris Legis umbris abrogatam eſſe noverat, nuncupavit, atque ad id perſolvendum detonſus, & ex Legis præſcripto purificatus in Templo ſe ſtitit, ſpectandumque omnibus exhibuit. Non hic dicam, quod

vel

vel eorum nonnullis arriſurum eſſe certo ſcio, nos perperam agere, ſi eam Pauli aſtutiam ad imitandum nobis proponamus, quam infelici ſucceſſu caſtigatam minime ſibi placere Dominus declaravit: quandoquidem rationem eſſe nullam video, cur hoc Pauli facinus pravæ ullius verſutiæ inſimulemus. Sed eos toto cælo hic quoque errare dico, qui innoxiam, nullaque impura ſuperſtitione aſperſam Pauli detonſionem, cum ſacrilegis ritibus comparandum putent. Nam ut demus, Nazaræorum purificationem & oblationem id fuiſſe ceremoniæ genus, quod prodeunte Chriſto, una cum reliquis Moſaicæ Legis figuris evaneſcere debuerit: quia tamen nullum alium in finem inſtitutum erat, quam ad referendam Domino gratiarum actionem, ac ſacrificium laudis offerendum, ex eorum utique numero fuit, in quibus Apoſtolo ad tempus licuit, Judæis ſe Judæum præbere, quo Judæos lucrifaceret. Eadem ſi foret Miſſarii ſacrificii ratio, quæ fuit ejus oblationis: ſi idem ipſis conſilium eſſet, quod Apoſtolo fuiſſe conſtat, ego ſane & tam benignam adverſus infirmos fratres manſuetudinem exoſcularer, & eos exhortarer ad pergendum. Verum quantum inſit in Miſſa flagitii, planum à me factum eſſe confido. Quid animi habeant, ipſi ſibi locupletiſſimi ſunt coram Deo teſtes. Quod vero illis poſtremum ſuffugium eſt, quam vanum ſit ac frivolum cavillum, ſatis fuerit uno verbo indicare. Plurimos eſſe bonos viros, Deique timentes, objiciunt, qui nulla veri cognitione adhuc imbuti, Miſſam habeant ſacroſanctam: eſſe quoque in fratribus non peſſime alioqui verbo Dei edoctos, quibus nondum tamen perſuaſum ſit, quanta ſit execratione referta. Ejus itaque contemptum ſi coram ipſis præ ſe ferant, maximas utrimque offenſiones imminere cauſantur, quibus occurrere, Chriſtianæ ſit modeſtiæ ac manſuetudinis. Bene iſtud quidem, & prudenter, ſi eſſet hoc ſcandalis obviam ire, ſic cavere ne in re incurrant hominum offenſiones, ut ſimul eorum pedibus ſcandala inſtruas, quibus in Chriſtum ipſum impingant. Et quid aliud agunt, dum operam dant, ne Miſſæ contemptu, vel prorſus indoctos, vel nondum plane confirmatos offendant? Nam illorum quidem offenſionem à ſe amoliuntur: ſed ad Deum offendendum exemplo

Rom. 15. verſ. 1, 2. ſuo eos illectant. At non ita inſtituit Dominus, qui vult profecto nos omnibus placere, non tamen niſi in bonum: qui præcipit, ut infirmis nos accommodemus, at in ædificationem, quam minime omnium ſectantur, qui eorum ſimplicitatem pernicioſiſſimo errore, quo illaqueatam ipſam vident, fortius adhuc conſtringunt. Hinc porro accidit, ut dum omnes ſcandali conſcientia deterreri ſe fingunt, re vera hominum adverſum ſe indignationem reformidant, nemo ſincera integraque puritate præire unquam aliis incipiat. Quid enim cauſæ eſſe putemus, quod è tanta multitudine nemo in hac parte expergiſcitur, niſi quia dum ita alter alterum intuetur ad Deum oculos nemo dirigit? ac dum unuſquiſque quid alii præſtent expendit, juſta regula, hoc eſt, Dei verbo, modum officii nemo metitur? Et quum in hunc modum ipſi ſibi mutuo laqueos nectant, ſcandalorum mentionem facere audent: quæ aut nulla, aut quam minima eſſent, niſi in plana expeditaque via ab ipſis objicerentur.

Nunc ut ad te, ſuaviſſime frater, ſeſe oratio noſtra referat: quanquam certe ipſe per te jam intelligis quid conſilii tibi reſtet, ubi perſpectum habes, quo te ducat verbi Dei linea (ad quam deliberationes omnes tuas conformari limitatique decet) ne qua tamen in parte tantis deſim tuis anguſtiis, quam à me tibi præſcribi officii formulam literæ tuæ flagitant, eam quam potero breviſſime tibi expediam. Adſit modo viciſſim tum accincta propenſaque ad auſcultandam Domini vocem obedientia, tum ad exequenda ejus imperia conſtans intrepidaque animi deſtinatio: ac denique, id quod eſt, memineris, non tam ab homine tibi dari conſilium quam è ſacro æterni Dei ore acceptum oraculum per hominem pronunciari. Hoc ergo in primis tibi in univerſum interdictum arbitrare, ne te quiſquam aut Miſſæ ſacrilegio communicantem, aut coram ſimulacro caput detegentem conſpiciat, aut ullam omnino ſuperſtitionem ſuſcipientem, ex earum genere, quibus obſcurari Dei gloriam, quibus ejus religionem profanari, quibus ejus veritatem corrumpi, ſupra docuimus. Quas uſurpare non potes, quin & impiis confeſſionem edas, in Deum penitus contumelioſam: & imbecillos fratres in exitialem ruinam exemplo tuo trahas. Sic autem dum tu geris (ſiquidem ad manifeſtiorem confeſſionem progredi animus non eſt) perſpiciendum ſimul eſt tibi, quantum in te ſitum fuerit, ne miſeri illi ac cæci idololatræ (quibus ſublata ſua ſuperſtitione, Deus ipſe cum tota ſua religione collapſus videtur) dum tibi ſua idola contemptui deridiculoque eſſe obſervarint, Dei quoque contemptorem te ac deriſorem eſſe opinentur. Quod aliqua ex parte aſſequeris, ſi & rarus in eorum ſacris compareas, & totam vitæ rationem ſic inſtituas, ut religioſum illis quiddam ſpiret. Age igitur, optime vir, tale in tuis moribus eluceat pietatis, bonitatis, continentiæ, charitatis, caſtitatis, innocentiæ ſtudium, quod omni te impietatis ſuſpicione in omnium hominum conſpectu præclare purget: ut etiamſi ſuperſtitioſuli non eſſe te ſui ſimilem indigne accipiant, ſervum tamen Dei, velint, nolint, agnoſcere cogantur. Deinde, niſi ad exponendam cuivis fidei tuæ rationem te comparas, eorum moroſitati eatenus indulgeas, ne quo tempore ſacra ſua peragunt, in ipſa media te te inferas, contemptum ſine cauſa oſtentaturus, quem ab ipſis (qua ſunt ignorantia) pro mera in Deum impietate acceptum iri ſcias. Et quid inde lucri vel tibi, vel aliis redeat, ſi atheon te eſſe ſuſpicentur, quem nulla tangi religione exiſtiment? Verum, ut illam ſuſpicionis cauſam ne ultro dataque opera præbeas, conſulo: ita ſi forte fortuna illuc incideris, ſatius multo fuerit, quidvis de te ſuſpicentur, quam idololatram conſpiciant. Quod ſi dignam Chriſtiano homine ſanctitatem mores tui habuerint, tum ad refutandas eorum ſiniſtras obtrectationes, in illa vitæ integritate præſidii ſatis habebis. Jam & familiæ inſtituendæ curam in primis cave prætermittas: cui non ideo ſolum te eſſe præfectum cogitare debes, ut obſequia tibi ſua operaſque reddat, ſed ut religioſe abs te in timore Domini educetur, optimaque diſciplina imbuatur. Nam ſi verum eſt quod ab Ariſtotele dicitur, ſuam unicuique domum quandam eſſe parvuli regni effigiem, in qua paterfamilias ipſe inſtar reguli, leges ferat, quibus plebeculam ſuam ad omnem juſtitiam innocentiamque inſtruat: ne hominum quidem judicio excuſandus eſt ille, qui regendæ familiæ ſecurus, modo ipſam erga ſe ſatis ſedulam ac officioſam ſemper habeat, in Deum & homines flagitioſam eſſe ſinit. At tibi altius etiam cogitatione aſſurgendum eſt: nempe cuſtodiæ fideique tuæ commiſſos à Domino eos, quibus te dominum deſtinarit: à Domino, inquam, tibi aſſignati ſunt, qui tibi ſubſunt ſervi, quos ipſi primum, deinde & ſub ipſo tibi obedire ſervireque doceas, atque aſſuefacias. Quare, non ſine cauſa tam gravi cenſura notavit eos Apoſtolus, qui admi- 1 Tim 5. verſ. 8.
niſtrandæ familiæ ſollicitudinem abjicerent, ut eos aſſereret fidem abnegaſſe, & eſſe infidelibus deteriores. Quid enim aliud, quam provinciam ſibi à Deo traditam deſerunt & abjurant, vocationemque ejus renunciant? At peſſimo ſunt ingenio famulorum pleri que, & in quibus verum fere vetus illud de ſervis proverbium experimur: Tot eſſe domi nobis hoſtes, quot ſint ſervi. Sic quidem vulgo & exiſtimatur, & jactatur: ſed non ita eſt. Non enim eos

habemus hoſtes, ſed vitio noſtro nobis facimus, dum eos inſtar brutarum animantium ſine doctrina, ſine Dei cognitione, ſine pietatis inſtitutione alimus: ac conſervos eſſe noſtros obliviſcimur, quorum regimen nobis fuerit à cæleſti Domino commendatum. An vero Scriptura Chriſtiani elogium, homini nemini deferet, ut non ſimul adjiciat ipſum credidiſſe, & domum ejus totam: nos autem de Chriſti fide gloriabimur, ejus abnegationem intra domus noſtræ parietes, in ſervis noſtris foventes? Quare, ſi in homine frugi iſtud apprime requiritur, ut recte & ordine familiam adminiſtret: Chriſtiani autem hominis familia tum rite demum compoſita cenſeri debet, ſi cujuſdam veluti Eccleſiolæ ſpecies in ea ſpectatur: danda omnino tibi opera eſt, ne tuam pietatis rudem, atque ignorantem relinquas. Neque eſt quod te vulgares illi ſcrupuli morentur: Egone vitæ meæ arbitrium famulo permittam? Ego, ad me jugulandum, exertum enſem in manum præbebo? Primum, fac tales in familiam tuam allegas, quorum indoles ac nativum ingenium boni nonnihil polliceatur: eos nactus, Dei doctrina excolere aude, verbique ejus ſemine conſerere. Providebit ipſe cætera, datoque ſucceſſu efficiet, ne te mandatis ſuis obſequutum fuiſſe unquam pœniteat. Et ſane niſi tibi ſponte imponis, diſpicere tecum potes, quanto majore tum moleſtia, tum periculo habiturus ſis perpetuo in ipſis domus tuæ penetralibus, quos appoſitos tibi cuſtodes ducas, à quorum inſidiis tibi ſemper metuas, quorum timore angulum nullum habeas, in quo hiſcere audeas, niſi bis ante circumſpectes, an te obſervent: quam ſemel eorum fidem vel periculoſe tentare. Sic verbi ſui contemptum ſæpe ulciſcitur Dominus. In connubio contrahendo (quando eam tibi libertatem integram hactenus eſſe Dominus voluit) vide quos tibi laqueos induas, ſi uxorem accipis religione tecum diſſidentem. Quanquam quid te conſiderare jubeo labyrinthos illos, quos animo complecti nemo queat, niſi qui jam malo ſuo expertus fuerit? Utinam timeas potius & caveas, quam aliquando velis experiri. Veſtras illas tricas novi: Ita nunc adverſatur, ut paulatim manum daturam confidam. Noli hoc de te fruſtra pol-
Prov. 19. liceri, ſed de Domino: cujus donum eſt ſingulare,
verſ. 14. uxor bona. Bonam autem ab eo expectare qui auſis,
2 Cor. 6. quem non audis ſevere interdicentem, ne jugum du-
verſ. 14. cas cum infidelibus? Habes à me quod poſtulabas, vel potius per manum meam à Domino, conſilium: periculoſum quidem illud carni tuæ, & parum blandum, ſed animæ tuæ fidele & ſalubre, addo & tibi prorſus neceſſarium, niſi Domini jugum à cervicibus tuis excutere, ejuſque religionem abjurare voles.

Tuum nunc eſt, ad reddendam Domino, quam abs te poſcit, laudis confeſſionem, temet exhortari, tibi inſtare, te urgere & excitare, animumque colligere: quo labaſcere ſervum Dei, in tanto præſertim religionis cardine, perquam abſurdum indignumque eſt. Nam quod tibi ſupra confirmavi, id ut ſubinde memoria repetas, tibique aſſidue ſubjicias, nunc etiam te coram Deo & ſanctis ipſius Angelis obteſtor: non hic leviore de cauſa controverſiam agitari, quam quomodo Chriſtum in hominum conſpectu non ab-
negemus: ne ab ipſo nos rurſum (quod per Apoſto- 2 Tim. 2.
lum ſuum minatur) quum ſummum illud tribunal ad judicandum conſcenderit, abnegemur. Ac ne ſingulare neſcio quid tibi imperari credas, quod præſtare non ſit cujuslibet, in promptu eſt, quo ejuſmodi errori occurram. Siquidem pietatem tuam non peto, ut propalam profitearis: ſolum ne impietatis profeſſione ipſam abneges, abs te contendo. Quid enim aliud, vel tota diſputatione ſpectavi, vel nunc obtinere volo, quam ne horrendis ſacrilegiis ſanctam Dei religionem contamines? ne corpus tuum, quod ſibi in templum dedicavit, fœdis abominationibus profanes? ne in execrabiles blaſphemias tuum nomen inſcribas? Et iſtæc ſcilicet omnia tanti eſſe ægre perſuademur, quæ cum aliquo vitæ periculo, aut etiam, ſi opus ſit, fuſo ſanguine fugiamus? Imo vero brevem miſeræ hujus vitæ uſuram nimio æſtimamus, ſi tanti eam ducimus, quæ talis impietatis mercede conſtare debeat: mortemque nimium perhorreſcimus, ſi gravius in ea quiddam eſſe putamus, quam in hominum venia, quæ nos coram Deo faciat ſacrilegos, apoſtatas, perfidos, proditores: ſi à Chriſto audire malumus, indignos eſſe nos qui ejus diſcipuli cenſeamur, quam ab hominibus nos eſſe dignos, qui moriamur: ſi denique ejus timore, ſpem æternæ vitæ reſignamus. O inanes glorioles noſtræ flatus, ſive fidem in Chriſtum jactamus, ſive quo alio titulo nos venditamus! An vero Poëtam illum, qui mortem terribile ducebat eſſe exitium, in aliena quidem perſona, ſed ex ſua ſententia exclamare patiamur: Uſque adeone mori miſerum eſt? Nos autem verbo Dei edocti, nihil aliud, quam per momentaneum doloris ſenſum, in vitam immortalem, ac beatam quietem ingreſſum ipſam eſſe, contra reclamabimus miſerum eſſe mori? O nos ſepties miſeros, quos cunctis mortalibus ca-
lamitoſiores teſtatur Paulus, ſi præſentis duntaxat 1 Cor. 15.
vitæ fiducia nitamur! In alto, inquies, pinguique verſ. 19.
otio viriles iſtos igniculos jacere facile tibi eſt: non ſecus ac de bello in umbra philoſophari: at ſi in rem præſentem ventum fuerit, aliter ſentias. Equidem quanquam longe meliora de ejus bonitate mihi polliceor, cujus virtute omnia poſſumus: nec dubito, quocunque me tandem certaminis diſcrimine implicari permiſerit, quin eundem, quem dedit animum, ad extremum uſque ſpiritum ſit confirmaturus: nolo tamen in me oculos conjicias. Non enim ea tibi ſolum propono, quæ in umbratili mea quiete mecum ſim meditatus; ſed quæ ſibi ſemper in mediis crucibus, ignibus, ferarum laniemis, ſubjecerunt invicti Dei martyres. Quorum recordatione niſi ſeſe acuiſſent, æternam Dei veritatem, quam ſuo ſanguine fortiter obſignarunt, perfide, dicto citius abnegaſſent. Atqui non ideo illi in aſſerenda veritate conſtantiæ exemplo nobis præierunt, eam ut nunc deſeramus, quam ſic teſtatam conſignatamque nobis tradiderunt: ſed artem docuerunt, qua Domini præſidiis freti, inexpugnabiles contra totam mortis, inferni, mundi, Satanæ aciem conſiſtamus. Vale.

De Chriſtiani hominis officio, in ſacerdotiis Papalis Eccleſiæ, vel adminiſtrandis, vel abjiciendis.

JOANNES CALVINUS, *veteri amico, nunc Præſuli, N. S.*

QUum hæc ſcribere inſtituerem, ſubveritus ſum primo, ne ineptire tibi atque adeo inſanire quodammodo viderer, quod inter tot gratulantium voces, unus tibi mea moroſitate obſtrepam: quin & ipſum id in te deplorem, quod alii tibi omnes tantopere gratulantur. Neque enim dubium eſſe poteſt, quin ea in gente, quæ præcipuam ac prope unicam hominum dignitatem in facultatum amplitudine, fortunæque ſplendore reponit, ampliſſimi hujus ſacerdotii, quo te nuper auctum intellexi, acceſſio plurimum tibi & gratiæ & ornamenti attulerit: ut ſine controverſia vere beatus ac fortunatus communi omnium ſuffragio & videaris, & prædiceris. Amicos vero fere omnes videre mihi jam videor, quo ſuam in te benevolentiam teſtentur, ingentem animi lætitiam certatim pro ſe quemque, aut literis, aut præſenti voce declarantes. Quibus blandimentis te non aliquantum demulceri quam ſit difficile intelligo: quando & ad delicias ejuſmodi omnes, minime natura corneæ ſunt hominum aures: & tales ſunt iſtæ, quibus nunc tentaris, ut ſeveriores quoque aures nonnihil delinire queant. Siquidem ut permultos eſſe concedamus, vita procul omni ambitione compoſita, auræ popularis minime appetentes: pauciſſimos tamen reperias, vel eorum qui habentur alioqui moderatiſſimi, qui ſi totius theatri plauſu accipiantur, animis auribuſque offirmatis, nihil moveantur. Atqui ubi te vel tantillum palpandum populi blanditiis titillandumque dederis, te, nec ſentientem, non dico in cupiditates nunquam antea cogitatas, ſed in ipſius tui oblivionem prorſus abripient. Id ſpectaculi quum animo meo proponerem, non modo, quod jam nuper ſum confeſſus, ſubdubitavi quam in partem eſſes accepturus obſtreperas iſtas meas voces: ſed ſubſtiti etiam paulum in ipſa ſcribendi cogitatione, & parum abfuit, quin conſilium prorſus abjicerem, quod inter ſuaves illas Sirenum cantiones ullum ſanis conſiliis locum fore, confidere vix audebam. Enimvero quum mecum rurſum reputarem, quantos in ſcopulos incautum te paulo poſt illiſuræ eſſent hæ ipſæ, quæ nunc tibi ſuaviter arrident illecebræ: hoc me amicitiæ noſtræ veteri, fraternæque pene conjunctioni putavi debere, ne in exitialem ruinam ferri te ſciens, ac videns, quum præcipitanti manum dare liceat, diſſimulem. Non diſſimulabo igitur, & extremum hoc, quod à me deberi exiſtimo neceſſitudini noſtræ officium perſolvam. Cujus ſi fructus aliquis extiterit, qualem emergere & vehementer cupio, & libenter ſperem, magnam labori meo gratiam ipſe retuleris. Sin minus, neque ſic tamen operæ pœnitebit: quæ ut tibi ſit & aliis quibuſdam, vel etiam centum, ſi libet, ac mille lectoribus infructuoſa, nonnullos tamen fore plane confido, qui ad rem uſque adeo ſeriam, animi intentionem propius admovebunt. Quanquam enim qui ex illo Romanæ menſæ calice ſemel vel hauſerunt vel minimam guttam delibarunt, eos venefica illa potione ebrios fere omnes videmus: niſi tamen vehementer fallor non ſic omnes obſtupuerunt, ut non poſſint unus & alter meis aculeis, quibus hic eorum ſomnolentia pungetur, excitari. Quamobrem hanc Epiſtolam ſic tibi deſtinavi, ut qui in eadem (ut dicitur) tecum navi vehuntur, omnes ſibi ſcriptam intelligant. Nam neque in uno ſacerdotii genere tractando (quod tibi ſatis erat) eam conſumere, ſed per univerſam veſtrarum opum colluviem deducere in animo eſt: & ſtylum ita ſtudebo temperare, ut non cum uno duntaxat homine, ſed toto ſimul ordine mihi eſſe negotium appareat. Equidem non ſum neſcius, quam ardua difficilique in cauſa verſer, dum eos mihi fero judices, quorum fortunas honoreſque omnes in judicium poſtulo. Ac quibuſdam forte inſanus videri poſſim, qui ſola facundia obtinere in animum inducam, ut ſe unicis vitæ præſidiis abdicare ultro iſti velint: quibus ægerrime cedunt, qui vi manuque illis exuuntur. Apud integros ſane & incorruptos judices non ita difficile fuerit palam facere totam illam Romanenſis opulentiæ congeriem, ab ipſa ſuprema ſede, ad minimam uſque capellaniam (ut vocant) ex impoſturis, furtis, rapinis, ſacrilegiis, peſſimiſque artibus conflatam eſſe: & cujus nullam particulam attingere poſſis, quin multorum ſcelerum conſcientia te obſtringas. Nam de eo ſiquis ambigit, ei facile ſua dubitatio, antequam dicendi finem faciamus, eximetur. Eandem vero confeſſionem ab iis exprimere, quorum ut venter ejuſmodi impoſturis, rapinis, furtis, ſacrilegiis, paſcitur, ita mens animuſque corrumpitur: non ita promptum eſt. Neque enim ſcite magis quam vere pronunciatum olim hoc à Catone fuit, Ventri nullas eſſe aures, quibus rationi melioribuſque conſiliis auſcultare queat. Atqui, non hic cum uno duntaxat ventre mihi negotium eſt, ſed cum ambitione quoque: cujus affectus ad verum perſpiciendum non minus cæcus eſt, quam ad audiendum ſurdus illius ſenſus. Eſt tamen quiddam, quod in tanta etiamnum difficultate ſpem mihi aliquam faciat, in ipſis vel docendis, vel monendis, vel obſecrandis, non inanem me operam ſumpturum. Tametſi enim omnes præſtigiis illis faſcinati, quibus ſuos excæcare ſolet Romanus Pluto, quam calamitoſas poſſideant opes, non vident: bona etiam pars malo ſuo altius indormit, quam ut ullis clamoribus expergiſcatur: non ſic tamen omnes (niſi vehementer fallor) ad meliorem doctrinam obſurduerunt, ut non vel dimidiam ſaltem aurem, è tam numeroſa genre pauculi nobis arrigant. Magna ſane vis eſt verbi Domini, potentiorque quam reputare quiſquam temere queat, niſi expertus, & quæ plurimum valeat in utramque partem: ut quicquid eo attactum fuerit, quamlibet durum ſit & ſaxeum, vel emolliatur protinus, vel conteratur: ut quicquid petitum ejus odore fuerit, vel in mortem afficiatur, vel in vitam. Sint igitur innumeri, qui devoto animo in ſuam ipſorum perniciem ruentes, mea iſta exhortatione, fideliſſimo alioqui mali ſui remedio, gravius adhuc exulcerentur: quoſdam tamen fore minime dubito, qui objectum naribus ſuis vitæ odorem, magna cum lætitia perſentiſcant. Quorum in numero ut te, vir mihi amiciſſime, certiſſima fiducia ponere auſim, facit cùm ingenium illud tuum, & præclaris naturæ dotibus ornatum, & optimis artibus liberaliſſime expolitum: tum vero reliquiæ, quas in te ſemper reſidere confido, priſtinæ tuæ pietatis: quam & ingenti cum fructu, nec ſine admiratione olim mihi ſpectatam, vere aſſevero. Tentemus igitur quantum apud te, alioſque nondum deploratæ cæcitatis homines, poſſit Dei veritas: hoc prius à Domino ipſo comprecati, ut te pariter ac eos caſtigatione ſua corrigere malit quam frangere.

Felicem te omnes, Fortunæque alumnum prædicant, ob novum iſtum Epiſcopatus honorem: qui præter inſigne illud Præſulis nomen ac decus, cujus majeſtati paſſim aſſurgitur, cujus gratia illuſtres conciliantur amicitiæ, cujus auctoritate plurimæ clientelæ comparantur, magnarum quoque opum ingentem proventum tibi ſit allaturus: unde non privatos modo vitæ ſumptus ſuſtinere, ſed multorum etiam ſublevare egeſtatem, beneficentiamque in commune exercere liceat: atque (ut nimirum in hanc partem fere creduli ſumus) tibi ſorte perſuadent. Ego vero dum reputo quale ſit illud totum quod vulgi opinione tanti æſtimatur, calamitatem ex animo tuam miſeror: eoque magis, quod ſub felicitatis ſpecie ſic fallit, ne miſerum te eſſe cernas. Ille enim ordinis veſtri ſplendor, illa majeſtate plena veneratio, opulentia illa, domeſticus nitor, amplum famulitium, quandoquidem ab hominibus proficiſcuntur, quale ſit veſtratis populi de ipſo judicium, oſtendunt: at, ſane Dei judicium, à quo Epiſcopus ipſe profectus eſt & inſtitutus, primo loco requirendum erat. Quare, ubi illa omnia audies quæ ſolent ad tibi gratulandum commemorari, popularis illud trutinæ examen eſſe memineris: in quo ea ſæpius præponderant, quæ in Dei trutina nec appenduntur: in æſtimando autem Epiſcopi munere, populo neque recte, neque tuto credi: judicium unius Dei eſſe audiendum, cujus & auctoritate conſtitutum eſt illud, & legibus definitum. Atque adeo ſi animum ſerio ad Dominum advertere libet, diffluant inanes illi omnes fumi, tibique penitus evaneſcant oportet: qui ſiqua in parte hæreant tuæ cogitationis, oculos non impedient modo, ſed oblimabunt, quominus ſpectare ad liquidum queant illam, quam Dominus proponet veritatem. Nihil æquius cogitari poteſt hoc meo poſtulato. Verum, ad tantam æquitatem adeo nulli ſunt attenti, ut neque primo, neque ſecundo, nec poſtremo quidem loco, quam à Domino provinciam acceperint, cogitent. In mitra partim, & lituo, & pallio, & annulo, reliquaque ejuſmodi ſupellectile defixæ ſunt omnium mentes: partim vero, & quidem altius, in illis facultatibus, quibus & domeſticus ſplendor, & populoſa familia, & menſæ elegantia, & omne deliciarum magnificentiæque genus continetur. At enim univerſam iſtarum ineptiarum vanitatem tantiſper ex animi intuitu ſemove, dum veram muneris tui rationem mecum è verbo Dei recognoſcas. Epiſcopus creatus es? Inſtat tibi mox ſua exhortatione [Coloſſ. 4. verſ. 17.] Apoſtolus Paulus: Proſpiciendum eſſe tibi, quod acceperis in Domino miniſterium, ut illud impleas. Miniſterii nomen quum audis, & conſtitutum te aliis debitorem, neque tuo te commodo, ſed in rem uſumque aliorum Epiſcopum eſſe ſuccurrat. Miniſterium autem ipſum quale ſit, ut non ſine cauſa videre jubet, ita diligenter in hanc curam eſt incumbendum. Nam neque paſcendæ Chriſti Eccleſiæ præfectum eſſe, res eſt vulgaris momenti: nec levis operæ negotium, functionem ipſam fideliter exercere: neque mala fide adminiſtrare, mediocre, faciliſque veniæ delictum. Quos Eccleſiæ ſuæ paſtores [Jeſa. 62. verſ. 6.] Dominus præficit, eos ſe in populi ſui tutelam, & cuſtodes apponere, & ſpeculatores collocare [Ezech. 3. verſ. 17.] teſtatur. Tantum ponderis vel his duobus verbis ſubeſt, quantum ad erigendas omnium mentes ſatis eſſe debeat, ne tanta in procuratione vel contemptu, vel ſecuritate, vel ignavia, vel negligentia torpeſcant. Non hic ago de ordinis dignitate: operis etiam molem nondum attingo: ſed de ipſa duntaxat rei magnitudine loquor, ne exigua contemptibilique in provincia verſari ſe putent, quibus eſt id muneris à Domino demandatum. Sunt igitur, quicunque regendis Eccleſiis præſunt, cuſtodes populo Dei conſtituti, qui ejus curam & habeant, & gerant: ſunt & ſpeculatores, qui in ejus ſalutem invigilent: præclara omnino adminiſtratio, digniſſimaque (ſi qua alia ſub cælo digna eſt) in qua nervi omnes contendantur, tota ingenii vis explicetur, omnes denique & animæ & corporis partes deſudent. Simul enim & œconomi intelliguntur in Domini familia conſtituti, & in moderando ejus regno quidam veluti procuratores. Qualis vero œconomiæ ſpecies? Non ad tenue ſane ſordidumque aliquod miniſterium, ſed ad diſpenſanda cæleſtis ſapientiæ [1 Cor. 4. verſ. 1.] myſteria, adeoque ad ipſam Dei domum exædificandam & conſtituendam deſtinantur. [1 Cor. 3. verſ. 10.] Qualis regni procuratio? Non ea certe quæ exigua aliqua in parte aut leviculis functionibus, ſed quæ in exerenda, exercendaque, ad fidelium ſalutem, Domini potentia, verſetur. Quare & ſal terræ, & lux mundi, & [Matth. 5. verſ. 13.] Angeli Dei, & ipſius Domini cooperarii vocantur, [Malach. 2. verſ. 7.] quicunque docendi perſonam in Eccleſia Domini [1 Cor. 3. verſ. 9.] ſuſtinent: ipſa autem prædicatio, & virtus Dei in ſalutem omni credenti, & regnum Dei nuncupatur. [Rom. 1. verſ. 16.] Hæc ergo provinciæ magnitudo, ſi oſcitantiam omnem excutere tibi debet, ubi ad ipſam operis [Matth. 2. verſ. 17.] molem animum converteris, enarrari non poteſt, quanto ſtudio excitari te inflammarique oporteat, nequid in obeundis ejus muniis diligentiæ reliquum facias. Non enim ea eſt, quæ aut torpere hominem ac deſidere ſinat, cujus humeris incubuerit, aut levi perfunctoriaque opera contenta ſit. In præfecturis quidem & ſatrapiis, quibus familiares ſuos, reges honorant, otioſam ſæpius dignitatem ſpectare licet: at quos Dominus ad regendam Eccleſiam ſuam vocat, iis adminiſtrationem demandat, negotii, curæ, ſollicitudinis plenam: niſi vero ideo facilem eſſe judicamus, quia pauciſſimis verbis apud Prophetam perſtringitur: ubi Dominus jubet accipi ab ore ſuo verbum, & ex ſe populo annunciari. Sed huic paucorum verborum imperio quantum ſubſit ponderis, Dominus noſter indicavit, eos demum familiæ ſuæ œconomos officio ſuo reſpondere teſtatus, [Luc. 12. verſ. 42.] qui in reddenda procurationis ratione, duas non vulgares virtutes, fidem ac diligentiam approbare poſſint.

Enimvero hic pleroſque videmus hallucinari, qui dum annunciandi verbi munus ſibi demandatum audiunt, præclare ſe defunctos putant, ſi qualemcunque populo Verbi guſtum præbuerint: minime autem animadvertunt, aut quale annunciari verbum velit Dominus, aut quam annunciandi rationem ſtatuat. Atqui non exiguum quiddam ab Eccleſiæ ſuæ miniſtris requirit Dominus, quum eos dicit ſe [Jeſa. 62. verſ. 6.] poſuiſſe cuſtodes, qui nec die nec nocte quieſcant, quin perpetuo excubent ad eam protegendam. Deinde quales ipſos agere excubias velit, per alte- [Eze. 33. verſ. 7.] rum quoque Prophetam declarat: Nempe, ut populo quietem agente, ipſi quaſi è ſpecula eminus circumſpiciant, ne qua improviſa calamitas incautos opprimat: ſed quæ impendere pericula viderint, longe ante denuncient, ut ſit eorum providentia, non ſecus ac omnes Eccleſiæ oculi: eorum vox, non aliter atque clangor tubæ, in cujus ſignum intenta ſit civitas univerſa. Quanquſm ne his quidem adhuc finibus tota Epiſcopi functio continetur, ſed omnes ejus partes ſemel complexus eſt Dominus, ubi Paſcendi verbo deſignavit, quum Petrum paſcendis ſuis ovibus præficeret. Nam ut Platonem & Homerum omittamus (qui plurimas regis dotes melius exprimere non poſſunt, quam dum ποιμένα λαῶν vocant) ſacræ Literæ, dum omnem pietatis, amoris, ſuavitatis, ſollicitudinis affectum complecti volunt, Paſtoris nomine hæc omnia ſimul enunciant: plus utique aliquid ſignificantes, quam ſi vel patrem, vel præſidem, vel ducem, vel cuſtodem dicerent. Siquidem paſtor & deducendi, & regendi, & ſervandi non ſolum curam gerit: ſed quodammodo

etiam

etiam pater eſt. Neque temere reperiri poſſit in patris viſceribus tantus amoris ardor, quantum Dominus noſter paſtori tribuit, quum bonum paſtorem
Joan. 10. *verſ.* 11. dicit animam pro ovibus ſuis ponere. Itaque ipſe quoque cujus ſanguine paſcimur, Paſtoris titulo à Prophetis præſignatus eſt, & ſe quoque præſens hoc nomine appellavit. Atque ut clarius perſpicias, quibus jam limitibus deſcribatur Epiſcopi officium, dum paſtoritio muneri comparatur, quibus in rebus vigilantia ſedulitaſque paſtoris ſita ſit, tecum ipſe conſidera. Ut enim hujus integritatem nemo laudaverit, niſi qui ſufficiendis gregi paſcuis intentiſſimam curam impendat, nec minus interim de arcendis ab eo depellendiſque omnibus & injuriis & inſidiis ſit ſollicitus, poſtremo vocando ac deducendo, viam ſemper ipſi demonſtret, quam ſequatur: ita nec Epiſcopum ſuo munere rite defungi putes, niſi qui tribus iſtis ſedulo totoque ſtudio advigilarit: Eccleſiam ut verbi pabulo nutriat, & verbi præſidiis adverſus Satanæ incurſiones muniat; demum vitæ ſanctitate viam oſtendat, quæ ſit iis tenenda, qui ad regnum Dei aſpirant ac contendunt. Hanc ſane paſcendi legem & ſibi fuiſſe pro-
Actor. 6. *verſ.* 4. poſitam vidit Apoſtolus Petrus; tanta ſe ejus muneris difficultate premi confeſſus, ut ne menſis quidem ſimul vacaret miniſtrare: & aliis quoque pro-
1 *Pet.* 5. *verſ.* 2. poſuit, quos exhortatur, ut curam gregis agant, excubantes in ejus ſalutem, non quaſi neceſſitate coacti, ſed ſincera animi propenſione: neque ſordido lucri ſtudio, ſed tota pectoris alacritate: nec dominium exercentes in hæreditatem, ſed ſe ad omnis boni exemplar regulamque formantes. Quid quod Eccleſiæ ſuæ miniſtris tantam impoſuiſſe ſollicitudinis molem Dominus non contentus, canum etiam vices, qui ipſorum alioqui paſtorum excubitores eſſe ſolent, ſufficere ſupplereque jubet? adeo ab hoc munere omnem feriandi ſecuritatem laboriſque remiſſionem ſublatam eſſe voluit. Jam videmus non ſine cauſa facere Apoſtolos, dum tot dotibus inſtruunt eum, qui ſit in paſtoris locum cooptandus: quandoquidem plurimum abeſt, quin ſit cujuſvis præſtare, quod in ordine illo Dominus ſeveriſſimo requirit.

Verum nos, ſepoſita vitæ mentione, docendi duntaxat officium, quale ſit, in præſens oſtendamus. Idque ipſum, quo dilucidius ſub oculos tuos ſiſtatur, ab amplis illis, quibus diffunditur, ſpatiis reductum, ſecundum Pauli partitionem in duo membra colligamus. Neque enim hic abſolutam veri paſtoris imaginem formare ſtatuimus, ut juſtam de ejus miniſterio diſputationem neceſſe ſit ordiri: ſed te paucis admonere, quantum oneris ſuſtineas, dum tu, etiamſi alienum ab Eccleſiaſtico paſtore munus profiteris, nomen tamen Epiſcopi perſonamque ſuſtines. Sic ergo totam docendi provinciam cum
Tit. 1: 9. Apoſtolo partimur, ut eo qui ſecundum doctrinam eſt ſermone inſtitutus Eccleſiæ miniſter, talis ſit, qui & exhortari poſſit in doctrina ſana, & eos qui adverſantur convincere. Cum duplici hominum genere negotium illi proponi vides: quorum apud alios quidem exhortationis eſt uſus, aliorum frangenda eſt revincendaque pervicacia. Et quid hoc aliud eſt, quam quod jam antea demonſtratum fuit: partim paſcendis ovibus, partim lupis abigendis intentum eſſe oportere ejus & animum & ſtudium? Qui veri primariique paſtoris voci aures habent apertas, & ad auſcultandum paratos facileſque ſeſe præbent, ac tractabiles, hi ſunt ovium loco habendi. Proinde, ſive docenda eorum ignorantia, ſive excitanda tarditate, ſive imbecillitate exhortanda, ſive lapſibus objurgandis, ſive erroribus monendis, ſemper & fovere paſtoritia ſollicitudine ipſos, & benignitate tractare ſtudeas oportet. Rurſum, altero quoque oculo ſunt obſervandi lupi: ne à Chriſti ſeptis abductas incautas oves deprædentur, quales partim ſunt contemptores iſti, quibus ut verbum Domini prope fabula eſt, ita eodem Dei contemptu verbique ejus ludibrio, pios animos imbuere ſummæ eſt voluptati: partim pſeudoprophetæ, qui veram puramque religionem & pernicioſis mendaciis obſcurare, & pravis dogmatibus contaminare, & diſſidiorum contentione ſcindere, & quibus denique viis poſſunt, evertere conantur.

Jam vero ſequitur, quod tertio loco propoſitum erat: nihilo eſſe neglectæ deſertæque functionis pœnam leviorem, quam ſit adminiſtrandæ difficultas. Nihil enim gravius proferri potuit, quam illa plane horrenda denunciatio, quæ Epiſcopi auribus aſſidue inſonare debet. Id enim ipſum quod Prophetæ ſuo denunciabat olim Dominus, nihilo ad eos minus, quam ad Prophetam, cui ſemel dictum eſt, pertinet: Poſui te, inquit, populo meo ſpeculatorem. Si dicente me ad impium, morte morieris, non loquutus fueris, ut avertatur à via ſua impia, & vivat, ipſe quidem in ſua iniquitate morietur: ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. *Ezech.* 3. *verſ.* 17. *&* 33: 8. Quis jam in eo delinquendi ſibi licentiam indulgere audeat, in quo ulciſcendo ſe adeo ſeverum fore Dominus oſtendit? Quis jam negligentiæ ſuæ blandiatur, adverſum quam ſic tonat Dominus ac fulminat? Quis impunitatis confidentia ſeſe deludat, terribili hac ſententia pronunciata? Paulus ſane, quanta ſententiæ hujus religione teneretur, abunde teſtatus eſt, quum & neceſſitate ſe ad euangelizandum obſtringi ait, & maledictionem ipſe ſibi indixit, niſi neceſſitati pareret: addita ſola iſta ratione, quia munus ſibi creditum eſſet. Quare, & quum apud Epheſinæ Eccleſiæ miniſtros de ſua integritate diſſereret, quo ſuo eos exemplo animaret, ideo ſe mundum eſſe ab *Actor.* 20. *verſ.* 26. omnium ſanguine affirmavit, quoniam non ſubterfugerat, quominus omne Dei conſilium illis annunciaret.

Verum ne quicquid in genere de paſtorum officio diſputatur, quaſi minimum ad te pertineat, ſecurus audias: jam converſo ad te ſermone, experiar num aliquis adhuc in te reſideat Dei timor, quo te olim non penitus vacuum eſſe ſenſi. Iſtud tamen diſſimulatum tibi nolo, mirari me non ſatis poſſe, qualis ſit ille tuus ſtupor, ut quum tot Domini judiciis ac telis letalibus configantur ignavi paſtores, nullum eorum in te dirigi ſentias: quum illi tamen, niſi per tuum latus, vulnerari non poſſint. Quid enim, poſtquam Epiſcopi & nomen & locum tenes? Omnia pro Epiſcopi jure ac poteſtate adminiſtras: omnium in te conjecti ſunt oculi, velut in religionis antiſtitem: fidem Eccleſiæ tuam obligaſti: quo quæſo prætextu officium ipſum abs te rejicies? Tu, dum tuum commodum, dum poteſtas, dum prærogativa, dum dignitas agitur, Epiſcopus agnoſci voles: dum abs te exigitur, ut quod muneris eſt tui viciſſim præſtes, Epiſcopum eſſe te negabis? Noli putare, ô bone vir, vel talibus ineptiis Deum, quocum hic tibi negotium eſt, ludificari: aut talibus cavillis verbum ejus eludi poſſe: quando ne homines quidem iſtam in tyranno barbariem ferrent, ſi rodendo populo, principem ſe eſſe prædicaret, regendo negaret. Et tamen audio abs te, tuique ordinis hominibus, voces iſtas ſubinde jactari: ſacerdotia, quæ ſub Epiſcoporum titulo geritis, nihil eſſe minus quam epiſcopatus: ſed dominia potius, aut civiles præfecturas, aut honorarias penſiones, aut aliud quidvis, modo ne epiſcopatus cenſeantur. An non hoc eſt Deum ſimul & homines velle fallere? Quoniam inſtitutum Domini eſt, ut eligantur, qui Eccleſiis præſint, paſtores: hoc obtentu allectus es in eam quam obtines dignitatem: qualiſcunque tandem ſit, aut quocunque vocetur nomine: non ut ſatrapiam invaderes, ſed ut Eccleſiæ adminiſtrationem obires, arripis conditionem, invocato Dei nomine, juras in probi ſanctique paſtoris munus. Ea quæ

ſum dignitatis pro Epiſcopo geris: & quo populum habeas obſequentem, nomen libenter præfers, totum populum in te quaſi viæ directorem, reclinare: rejectaque ad tuam providentiam religionis cura, ſecurum eſſe pateris. Ita Deo & hominibus obſtrictus, nihil tua referre nugaris, ſi omnia peſſum eant, quorum in te procurationem recepiſti. Equidem ſi me interroges, quo te loco aut ordine habeam, quidvis potius eſſe te, quam Epiſcopum reſpondebo: in quo ne obſcuriſſimam quidem lineam extare conſpicer, quæ Epiſcopum aliqua ſaltem ex parte figuret. At non propterea debere deſinis, quod es, Deo teſte & hominibus, aut verius, Deo ſimul & hominibus, ſacramento pollicitus: quod expectari abs te hominum opinione vides: denique quod tuo nomine profiteris. Quod profecto ipſum, ſacrilegii te reum agit: quandoquidem ore Domini in ſanctos Eccleſiæ uſus conſecratum, ita perverſe abs te & improbe profanatur. Quamobrem frivolis illis tergiverſationibus valere juſſis, nunc tu appello & obteſtor præſidem religionis, quam fideliter & ſollicite in componenda conſtituendaque religione labores: ducem ac moderatorem populi, quanta ſedulitate curandis populi rebus invigiles. Si te vidente & connivente proſcindi, conculcari, contaminari, everti denique totam Dei religionem: ſi populum miſere circumſcribi, fraudibus irretiri, in ruinam præcipitari oſtendo: qualem jam prætextum afferre poſſis, qui vel ad minimam excuſationem valeat? Quid quod non connives modo; ſed talibus quoque flagitiis teipſum inſcribis? nec tacendo ſolum & diſſimulando, verbum populumque Domini prodis, ſed manu ipſe tua & labefactas veritatem, & populum trucidas. Hoc enim non eſt quod neges: centum furtorum genera, quibus ſimplex plebecula expilatur: mille ſacrilegiorum formas, quibus & nomen Dei profanatur & diſſipatur veritas: in ſumma, quicquid pene impietatis & abominationis habet tua diœceſis, & manus tuæ ſubſcriptione approbata eſſe, & annulo conſignata. Quod eſt ſacrilegium ſub cælo Miſſa execrabilius? Et tamen ſacerdotes nefandis illius ſacris, aut ipſe initias, aut alteri de manu in manum (quod dicitur) initiandos tradis. Quo poſtea ſe Chriſti carnifices jactent, ac ipſum populo, veluti promercalem, quotidie proſtituant: non ſine ſumma crucis ejus contumelia, cujus virtutem commentitiis illis ſuis ſacrificiis prorſus enervant. Miſſis ergo ſuis, quibus nulla eſt in terris nocentior lues, quoties populum faſcinant, acceptum abs te venenum porrigunt. Circulatores iſtos probe noſti; qui populum, ut pecunia emungant, mortuorum oſſa circumferunt. Quid vel eorum nundinatione fœdius, vel præſtigiis nocentius? Utrumque tamen non ſine tuo permiſſu, addo etiam commendatione, exercetur. Quales vero ſunt excommunicationes? quæ nunquam, niſi tua auctoritate prætextæ, efferuntur? Qualia ſunt edicta omnia, quæ nomine tuo publicantur? ſive aliquid interdicant, ſive indulgent, an non ſemper meram ſpirant tyrannidem? Verum quia eluendæ hujus ſentinæ nullum futurum finem video, diutius in enumeratione non commorabor. Tantum, ſi tuum eſt, quicquid à Suffraganeo, à Vicario, ab Officiali tuo ex officio geritur, quid ex tribus illis officinis prodeat cognoſce: & per me plane abſolutus eſto, niſi plus illic peſſimorum ſcelerum reperias, quorum conſcientia obſtrictus tenearis, quam ſermone deſignare poſſim. Nullum enim vel impietatis in Deum, vel adverſus homines injuſtitiæ genus prætereunt, dum optima fide, quod ſuarum eſt partium exequuntur. Earum, inquam, partium, quas tua voce privatim demandaſti, quas publice ſolenni diplomate confirmaſti. Ut geſta eorum perinde habenda ſint, acſi gerendis illis coram ipſe præfuiſſes. Equidem invitus, nec ſine pudore facio, ut delicta iſtæc tua tam præciſe urgeam: ne accuſationem magis inſtruere videar, quam monitorem agere. Sed quid in re aperta tibi blandiar? Præſertim, quum eo periclitari maxime te cognoſcam, quod in perpetrandis id genus nequitiis, perinde acſi quiddam ludicrum foret, tibi delicias facis? Hoc ergo rurſum pronuncio, cui inficiando nequaquam eris: religionem plebemque Dei, quarum tibi cura demandata erat, non tua modo ignavia deſertas peſſum ire, ſed improbitate etiam nequitiaque profligari. Si jure in militiæ deſertorem capitaliter leges animadvertunt: quæ ſatis juſta pœna in transfugam conſtituatur, qui non loco tantum & ordine ſuo ceſſerit, ſed hoſtiliter etiam caſtra ipſa vexarit, quorum in defenſionem juraverat?

Age vero, nihil hic gravius, quam officii permiſſione, te delinquere fingamus (quanquam longe ſecus rem habere palam eſt) quot tamen adhuc Dei maledictiones undique te obſideant, cernis. Væ mihi niſi euangelizem, dicebat Paulus: munus enim mihi demandatum eſt. Et qua, quæſo, majore prærogativa, Væ iſtud abs te depreceris, quod ipſe ſibi Apoſtolus denunciabat? Debitorem ille ſe eruditis pariter & rudibus profitebatur, ad quos *Rom. 1.* Apoſtolus mittebatur. Tu cur aliquid minus tuis debeas, quibus Epiſcopus es præfectus? Ille Epheſinis mundum ſe ab omnium ſanguine teſtabatur, *Act. 20, verſ. 26.* quia nunquam ſubterfugiſſet, quominus omnem Dei voluntatem illis enarraret. Tu quam à ſanguine munditiem jactabis, cujus ex ore nulla pene unquam ſyllaba audita eſt, quæ vel una in te Domini voluntatem ſaltem ſubobſcure indicaret? Neque vero eo uſque ſum iniquus, ut paſtorem nullum ferendum cenſeam, niſi qui incomparabilem illam & vere divinam Pauli virtutem æquis, ut dicitur, paſſibus ſit aſſequutus. Quin potius & permultos fuiſſe olim, & hodie eſſe non paucos dico, non Epiſcoporum nomine ſolum, ſed laude etiam admirationeque omnium digniſſimos: quorum neminem tamen video parem illi extitiſſe. Sed hoc honore dignamur eos, qui etſi ad ultimam illam perfectionem non pertingant, ad eam tamen ſtrenue contendunt & enituntur, ut ſi cum Paulo ipſo comparentur, impares eſſe dicas, magis quam diſſimiles. Tu quum nullam ejuſmodi ſimilitudinem præ te feras, mirum eſt, ſi Væ illud, impendere tibi non ſentis: quod à ſe non audebat ſanctus Dei Apoſtolus deprecari, ſi partibus ſuis defuiſſet. Jam vero (qualis eſt præſens Eccleſiæ tuæ ſtatus, aut verius ruina) niſi pluſquam ſaxeus eſſes, eorum quoque fortuna commoveri te oportebat, quos in fidem tutelamque tuam Dominus contulit. Quibus olim oculis otioſus & oſcitabundus tantam eorum cladem aſpicis, quorum tibi ſalutem adeo ſollicite Dominus commendavit? Unus ſi deſidia tua perierit, ſanguinem è manu tua ſe repoſciturum Dominus edicit. Recognoſce paulliſper mecum, quot jam paucis his menſibus, quibus Epiſcopi locum occupaſti, animæ tua culpa perierint, etiam quotidie pereant: ſi tamen potes. Nam ſi verum eſt quod per Prophetam ſuum conqueritur Dominus: Infernum propterea in immen- *Jeſa. 5. verſ. 14.* ſum os ſuum aperuiſſe, & animam ſuam dilataſſe, propterea captivum eſſe ductum populum, quia non habuerit ſcientiam: quis inferni gurges ad degluriendam miſeram hanc & tua perfidia perditam plebeculam, ſufficiet? quæ non vulgari inſcitia obvoluta tenetur, ſed altiſſimis tenebris immerſa, oculos vix jam attollere poteſt. Illam Judæorum ignorantiam, quam deplorat Propheta, cum ſeculi hujus cæcitate conferas: illos ſane præ tuis eximie ſapuiſſe dices. Adeo nihil iſtis ſupereſt humani ſenſus, quominus plane obſtupuerint, niſi quod nihil aliud, quam perire edocti, mira pereundi cupiditate inſaniunt. Et quum

ita

ita omnes ad unum agminatim attoniti, & velut exitio ſuo devoti ſeſe in voraginem ultro devolvant, inſtant tamen ſemper à tergo furiæ, quæ novis ſubinde aculeis inſtigent, & præcipitantes impellant. Denique non alia eſt facies, quam ſi civitas aliqua & gravi peſtilentia correpta, & hoſtiliter expugnata, duplici pariter internecione concideret, & uno ſimul incendio univerſa conflagraret. Ad buccinam excubitor, ad arma paſtor. Quid ceſſas? quid torpes? quid dormis? Dum animum externis & nihil ad rem pertinentibus curis abreptum, huc non advertis, omnia ſtrage referta ſunt. Tot mortes Domino debes, infelix, toties homicida es, toties reus ſanguinis, cujus guttas omnes è manu tua Dominus requiret. Et ſuſtines adhuc tantum fulmen intrepidus? Non exhorres? non turbaris? non animo & corpore totus concidis? O te nimium præfracta contumacique cervice hominem, ſi ad tantum Domini judicium non conſternaris, cujus profecto gravitatem cælum & terra, & ipſa muta elementa non ſuſtinerent. Sed parum adhuc dico, quum te homicidam appello, & tuorum proditorem. Hoc enim majus omni probro flagitium eſt, quod Chriſtum ipſum, quantum in te eſt, rurſum vendis, rurſum crucifigis. Quid eſt enim aliud, Eccleſiam (quam ſuo ſanguine Chriſtus acquiſivit) modo improbam lucri cupiditatem expleas, diſſipandam proſtituere, quam ipſum Chriſti ſanguinem, quo æſtimata eſt pretio addicere? Quid eſt autem Chriſtum crucifigere, niſi hoc eſt? ſanguini ejus contemptim illudere, ac tantum non ipſum ludibrio habere? Et hanc ſcilicet tam inſignem contumeliam ſemper feret ille, quem Pater gloria & honore coronavit? Tu vero, ſi ſapies, nunc ſacroſanctum Chriſti ſanguinem, quanti meretur, potius æſtimabis: quam expectabis, dum ſupplicii atrocitate diſcas, quanti à Domino ipſo fiat.

Proinde videndum nunc tibi quoque eſt, quo jure ad te redeat proventus ille ampliſſimus, quem Epiſcopi dum eſſe jactas, tuum facis. Equidem video ſic eſſe à Domino conſtitutum, ut qui Euangelium adminiſtrant, iis viciſſim, quicquid eſt ad uſus vitæ neceſſarium, adminiſtretur. Nec illi placere, ut os obligetur bovi trituranti. Sed quis tibi concedat, ut fructum, quo Euangelii miniſterium Dominus muneratur, ipſe, nihil minus, quam Euangelii miniſter, legas: & quæ bovi trituranti adjudicat alimenta, otioſus vores? Presbyteros, qui bene præſunt, nobis commendat Apoſtolus, ut duplici in honore habeantur: præſertim qui in verbo laborant. Eum ergo qui ſibi honorem poſcit Epiſcopi, bene regendo prius efficere æquum eſt, ut honore dignus jure cenſeatur. Quod ſi etiam ita te geras, ut ad optimi Paſtoris fidem, ſtudium, diligentiam, integritatem nihil deſiderari poſſit: quorſum tamen immodica illa, nulliſque finibus terminata opulentia? Vitæne Paſtoris ſuſtinendæ, cujus ipſam moderationis eſſe vult Dominus, limitata: ac non tyrannicæ potius luxuriæ par eſt? Sed eam nondum reprehendo, quæ ſuo poſtea loco perſtringetur. Hanc in præſentia duntaxat improbitatem accuſo: quod uberrimos inde fructus referas, ſementem ubi penitus nullam feceris. Hæc, inquam, impudentiſſima eſt rapacitas: &, quod audire ordinis tui homines minime ſuſtinent, furtum bis manifeſtum: Eum qui manum operi nunquam admoverit, operæ tamen mercedem imperioſe flagitare. Si fuſtuario dignus eſt, qui vicini parietem perfodiſſe ſit deprehenſus, quo in ejus arcam involaret: flagitioſum hoc tuum latrocinium, quæ furcæ ſatis pro dignitate mulctabunt? qui hinc, quod officii laboribus debetur ſtipendium, ſuffuraris? inde omnium domos rapaciſſime deprædaris? Sic quidem longa annorum præſcriptione obtinuit illa furandi licentia, ut honeſtis etiam titulis ornetur. Verum utcunque inter homines æſtimetur, non eorum errore tamen reſcindetur, quæ ſemel adverſus eam pronunciata eſt à Domino, ſententia: Væ paſtoribus, inquit, qui paſcunt ſemetipſos. *Eze. 34. v. 2, 3 &c.* Nonne greges à paſtoribus paſci moris eſt? Vos autem lac comediſtis: quod pingue erat occidiſtis: lanis fuiſtis operti, gregem autem meum non paviſtis: quod infirmum fuit, non ſtabiliſtis: ægrotum non ſanaſtis, confractum non alligaſtis: abjectum non reduxiſtis: quod perierat, non quæſiſtis: ſed cùm auſteritate imperaſtis gregi, & potentia: & diſperſæ ſunt oves meæ, eo quod non eſſet Paſtor: & factæ ſunt in devorationem, nec erat qui requireret: non erat inquam, qui requireret. Propterea, paſtores, audite verbum Domini: Vivo ego, dicit Dominus: quia factæ ſunt oves meæ in rapinam ac devorationem beſtiis agreſtibus, eo quod Paſtore carerent: nec enim eas requirebatis, ſed tantum paſcebatis voſmetipſos. Ideo ecce ego gregem meum requiram de manu veſtra: & ceſſare vos faciam, ne ultra gregem meum paſcatis: liberaboque ipſum ex ore veſtro, ne ſit poſthac vobis in eſcam. Tu ſcilicet aut his deſignari te negabis: quæ non tam vitæ tuæ faciem ad vivum depingunt, quam te tibi totum velut in ſpeculo repræſentant? Aut judicium Domini inane terriculamentum eſſe dices, quod minus feriat, quam minatur? Quamobrem non eſt cur iſtis opibus jam te beatum putes, quarum & te furem eſſe vociferatur Dominus, & repetundarum poſtulat. Furti ergo ſacrilegiique ignominiam nec tu nec ullus è cornuto illo grege, inficiari poteſtis. Verum, quoniam nonnullos inferioris claſſis Paſtores iſtic eſſe audio (ex eorum ſcilicet ordine, quos & Parœcos, & Curiones vulgo appellant) qui aliqua officii ſui particula utcunque defunguntur, hocque prætextu ſeſe tueri plane conentur, quod paulo quam alii verecundius delinquunt, illi mihi ſunt pauliſper hoc loco appellandi. Quo autem intelligant, quam non ſim malignus æſtimator qualiſcunque iſtius, quam paſcendis Eccleſiis impendunt, ſedulitatis, plus aliquid ultro illis dabo, quam poſtulare auſint. Tametſi eas ut plurimum Eccleſias, quibus præfecti ſunt, non incolunt: adſunt tamen ad ſolennes multos dies: verba pauca pro concione faciunt: populo ſemina quædam pietatis aſpergunt, ac guttas veluti quaſdam inſtillant purioris doctrinæ, neque illaudati diſcedunt totius ſuæ plebis ſuffragiis. Atqui ſi hæc officiola ipſorum ad eam, quam ex Dei verbo deſcripſimus, regulam exigantur, immane quantum à veris etiamnum Paſtoribus aberunt: qui cum tota illa ſua ſedulitate nihil aliud, quam infideliter ſeſe in opere Domini verſari produnt. Hoc enim ut diſſimulem, muneri ſuo minime ipſos reſpondere, niſi tempeſtive ſimul & intempeſtive inſtando, arguendo, increpando, exhortando, cum omni lenitate & doctrina *2 Tim. 4. verſ. 2.* (quorum omnium illis nihil curæ eſt) quid tamen operam ſuam magno venditent, cujus ne quod omnino pretium extet, ipſi diligenter provident? In re perſpicua longiori argumentatione opus non eſt. Miſeram plebeculam, cujus eruditores videri volunt, quum tanta ignorantiæ caligine excæcatam, tot errorum præſtigiis deluſam, tot mendaciorum faſcinis incantatam & conſopitam ſatis norint (quod nemini quidem eſt incognitum) ſentire ut nihil queat, niſi quod manibus pedibuſque palpet atque attrectet: quia tamen ingenue verum dicere periculoſum eſt, nec ſuam vocationem tanti æſtimant, ut laudi ſibi eſſe velint, in ea docenda, obſcuritatem data opera & vafritiem adhibent, qua vel acutiſſimum quemque fallere conantur. Iſtudne, quæſo, docere eſt, quum apud ruſticanos homunciones, natura non valde argutos, prava etiam

inſti-

inſtitutione hebetatos, habenda eſt oratio, ſententias per ſe hominum ingenio difficiles, ſic perplexis ænigmatibus implicare, quo in illis intelligendis OEdipus quoque ipſe laboret? Nam ſi quid dicere ejuſmodi inſtituunt, unde ſibi aliquid negotii, moleſtiæve fore ſuſpicentur, illud velut conceptis verbis obſcuriſſime effantur: ut ſi diſcrimen immineat, tergiverſatione ſemper elabi poſſint. Atque id potiſſimum iis in rebus uſu venit, quas explicatiſſime & tradi, & enarrari Chriſtianæ Eccleſiæ referebat: quandoquidem ut quidque ad ſtabiliendum Chriſti regnum maxime conducit, ita Satanæ eſt odioſiſſimum ejuſque furore impetitur acerrime. Itaque ſic de fide concionantur, ut plebis diffidentiam nihilo emendent magis, quam ſi tacerent. Sic Chriſtum mediatorem oſtendunt, ut in Sanctis ſemper hæreatur. Sic Dei gratiam prædicant, ut eadem meritorum propriæque juſtitiæ hallucinatio ſemper maneat. Sic verbi Dei auctoritatem commendant, ut pluris fiant fabuloſa hominum commenta. Sic Deum unum colendum docent, ut eandem ſemper idololatriam relinquant. Sic de vera religione diſſerunt, ut è tot impiis ſuperſtitionibus nullam convellant. Denique ſic veritatem proponunt, ut ſtet mendacium ſemper incolume. Apageſis tergiverſatoriam iſtam calliditatem, & perplexitatem affectatam, ab eo, qui docendi munus profitetur: cujus prima eſt virtus, auditorum captui ſeſe attemperare. A Chriſtiano vero doctore quam longiſſime arceatur, à quo nihil niſi ſinceriſſimum, & ſimpliciſſimum audiri debet. Nam ſi docendus eſt populus, quorſum iſta ænigmata, quæ nihilo doctiorem dimittant auditorem, quam venerat? Nempe hoc unum ſatis clarum indicium eſt, qualis ſit eorum opera: quando hoc quod agunt, agendo, nihil prorſus agunt. Sed iſtud ad refutandam eorum vanitatem, multo certius eſt argumentum: quod palam eſt, eos ne ſtudere quidem, ut quicquam proficiant: quin potius data opera cavere, ne quid proficiant. Porro quo dilucidius adhuc perſpiciant, ineptiis illis ſuis omnibus ſe nequaquam aſſequi, ut ne perfidi magis proditores, quam probi Paſtores cenſeantur: paucis vero demonſtremus, id quod Paſtoribus Dominus mandavit, quam illi bona fide exequantur. Hac enim comparatione obtineri facile poſſe puto, ne nugaci neſcio quo, nihilique prætextu freti, aliorum numero poſthac ſe eximant. Quoniam autem quæ ſit Epiſcopis tenenda docendi ratio, ſummatim declaravit Apoſtolus, dum ſtrenuos eſſe ipſos juſſit, & ad exhortandum in doctrina ſana, & ad eos qui contradicant, revincendos, ad eam regulam, morem docendi iſtorum metiemur. Qualem ergo ſe gerit eorum præſtantiſſimus? Quum Satanam Eccleſiæ ſibi commiſſæ dominari, afflictæ oppreſſæque Dei veritati inſultare, laceras & mutilas Chriſti oves in prædam abigere, planeque ceu Chriſto ſubjugato, triumphare videat: paucis anni diebus in concionem, defungendi tantum cauſa prodit, non aliter quam ſi tranquilla omnia, atque optime compoſita forent. Rurſum, qua rabie, Chriſti adverſarii, apud vos, ad evertendum ejus regnum, ferantur, quum non liberam modo & conſtantem, ſed paulo ſinceriorem verbi prædicationem cum vitæ ſuæ diſcrimine conjunctam ſciat: ipſe autem vel minimæ unguiunculæ jacturam, Chriſti cauſa facere reformidet: conciones ipſas ita moderatur, ut ſe extra periculi aleam contineat. Hæc præclara ſunt eorum ſtratagemata, quorum merito præ aliis eximii haberi volunt: in quibus ſi neutrum adhuc eorum ſpectare licet, quæ Epiſcopis in illa Pauli regula præſcribuntur, tam inani fiducia ſuperbire illis non concedam. Quorſum enim Chriſtianæ Eccleſiæ conciones, niſi quibus ſana doctrina inſtituatur? Quæ autem ſana inſtitutio tradi ab eo poteſt, qui nihil, niſi cum Satanæ pace experitur? Id ſi alioqui dubium eſſet, ipſi ſuo documento faciunt certiſſimum. Quicquid de vera orandi ratione præcipiant, non alium tamen orandi in populo ſuo uſum eſſe vident, quam peſſimam illam orationis peſtem, inanem battologiam, qua eadem ſubinde verba ſine mente, ſine corde, ſine intellectu, magico more demurmurant: ut illis non aliud ſit orare, quam roſarii circulum evolvere. Atqui, hoc malum quia niſi periculoſe attingere non licet, ſecure diſſimulant. Utcunque de vero Dei cultu diſſerant: qui ut interiore cordis fiducia, ſeria invocatione, laudis confeſſione conſtat, ita totus ſpiritualis eſſe debet: populum tamen quia inde avelli citra gravem Satanæ offenſionem nequeat, in ſtolidis ac his carnalibus ceremoniis toto pectore ſtupere ſinunt. Utcunque ad Dei adorationem vocent, idolis tamen hærere quum omnes cernant, neminem autem reprehendant, ſua illa diſſimulatione, quæ mutus inſtar, & tacitæ cujuſdam approbationis accipitur, fortius affingunt. Quicquid de juſtitia, ſanctificatione, ſalute à Chriſto petenda balbutiant: ſuſque deque tamen habent, quod populus, omiſſo Chriſto, ea omnia quærit, ubi minime reperiri poſſunt. O præclaras in ſana doctrina exhortationes, quæ dum inſanienti populo placide blandiuntur, ac tantum non applaudunt, ſimul etiam efficiunt, ut obſtinatius furere pergat! Quis enim diſplicere illis putet, quæ inter conciones ipſas eorum oculis aſſidue ingeruntur: ejus generis præſertim, quæ ſi mala forent, vel tantillum tolerare nefas fuerit? Quicquid autem non diſplicere illis putatur, eo loco habetur, acſi ipſorum ſuffragio palam confirmatum eſſet. Et quæ jam eorum eſſet in revincendo adverſario magnanimitas, ſi ad certamen ventum foret: qui tantam in ſimplici exhortatione animi puſillanimitatem prodant? qui ſine adverſario ita protinus concidunt, & de præſidio ſtationeque nondum oppugnata decedunt? Quanquam ſi qualis hodie ſit Eccleſiæ conditio conſideremus, Chriſto reſtitui non poteſt, niſi è luporum faucibus erepta: ad Dei paſcua non adduci poteſt, niſi hominum laqueis ſoluta: recta via agi non poteſt, niſi errorum labyrinthis extricata. Sic enim in evertenda extinguendaque religione, Satanæ miniſtri profecerunt, ut eam, niſi ab ipſorum impietate aſſertam, inſtillare hominum animis non liceat. Id in obruenda obliterandaque Dei veritate conſequuti ſunt, ut in lucem emergere, niſi ab illorum mendaciis vindicata, nequeat. Interim quid egregii iſti & excubitores, & paſtores? Gladium conſpiciunt, non cervicibus impendentem, ſed jugulis prope admotum. Oves cernunt, non luporum inſidiis appetitas, ſed dentibus correptas & mutilatas. Securi tamen, ut in media pace, torpent: niſi quod ſuo capiti privatim timentes, abjecta publicæ ſalutis cura, de ſeipſis plus ſatis ſunt ſolliciti. Iſtam quidem inertiamne an perfidiam potius vocem, dubito: ſi impune ſibi futuram confidunt, meras ſibi fabulas eſſe quicquid Dominus aut promittit, aut minatur, ex eo teſtatum faciunt. Quod enim per Ezechielem Dominus edixit ſe populi ſanguinem è ſpeculatoris manu repoſciturum, qui quum imminentem gladium videret, clangore tubæ non indicavit, in quem magis proprie competere, quam in ſeipſos reſpondebunt? Nempe ſi ea lege, Eccleſiæ excubiis impoſiti ſunt cuſtodes, qui neque nocte, neque die quieſcant: non minus ſanguinaria eſt eorum taciturnitas, qua populi ſalus malitioſe proditur, quam ipſe hoſtium furor, quo inermes & indefenſi opprimuntur. Jure ergo ex eorum manibus ſanguis repoſcitur, quo non minus, quam hoſtium gladii, aſperſæ, fœdatæque ſunt. Quod aliud hominum genus certius, quam ſeipſos, cauſabuntur, illa Chriſti ſententia, qua paſtorem cum ſeveriſſime objurgat, & mercenarium contumelioſe appellat, cui *Joan. 10. verſ. 12.* negat curæ eſſe oves, qui dum venientem proſpicit lupum, & jamjam inſtantem, in fugam, relicto grege, ſeſe proripit? Quod ſi nunquam id à Domino

pro-

pronunciatum eſſet, propriam illis conſcientiam judicem fero: paſtorem, qui vel minimas inſidias noctu ſenſerit: niſi expergefactus mox accurrat, nonne ignaviæ accuſabunt? Eum vero, qui perfoſſis ſtabuli parietibus, confractoque oſtio, pauperculum gregem omnibus ventorum, imbrium, hoſtium, luporum inſidiis expoſitum obnoxiumque reliquerit, quantæ ſocordiæ condemnabunt? Quid ille? cujus ſub aſpectu media in luce oves atrociter laniantur, ipſo ad lupos abigendos ne digitum quidem commovente? Quo ſatis digno elogio inſigniri poterit iſthæc tam flagitioſa perfidia? qua ſupplicii gravitate digne pro merito mulctari? Poſthac ſi juſtam & ſuæ ſpeculationis, & paſtoritiæ curæ rationem reddere volent, videant hoc in primis, ſine quo nihil efficiunt, ad fidem ſuam approbandam, nihil ſibi eſſe reliqui, ubi rei ſanguinis merito arguuntur, à quo ſe mundos eſſe improbiſſime mentiuntur, niſi cum Paulo vere ac ſerio affirmare queant, ſe nequaquam ſubterfugiſſe, quominus publice privatimque unumquemque admonendo, omnem Dei voluntatem enarrarent: præſertim ubi circumventam Satanæ artibus Eccleſiam, gravius periclitari ſenſerint. Quas in partes tanta ſolertia incubuiſſe ſanctum illum Apoſtolum videmus, ut ſæpius coram monuiſſe ſuos non contentus, eadem quoque monita ſcriptis ab-
Philip. 3. ſens, ac è vinculis repeteret: obſervarent canes, obſervarent pravos operarios, obſervarent conciſionem, quæ impiis contentionibus veram Eccleſiæ unitatem diſcinderet.

Quid quod non connivendo tantum, ac indulgendo miſeræ ac perditæ plebeculæ cæcitatem fovent: ſed errorum ſuperſtitionumque omnium adminiſtros ei ſe præbent? Etenim huic teterrimo flagitio quotuſquiſque ipſorum inficiando erit, quin primo ſtatim ingreſſu peſſimo errore plebem imbuat, dum ipſa ſpectante, & ad ſtuporem uſque attenta, ſtolidis exorciſmis aquam incantat, mille poſtea infandis ſuperſtitionibus ſervituram? Quin è ſuggeſtu rurſum ad altare prodeat? ſacrificium illud abominandis blaſphemiis refertum aut peragat, aut ſe peragere ſimulet? ad execrabilis idoli venerationem, populum & exemplo ſuo & nutu invitet? Quin dira illa auricularium confeſſionum carnificina miſellos ipſemet excruciet? vanis ſatisfactionibus, commentitiiſque abſolutionibus deludat? quin fabuloſas purgatorii nænias quæ tantum ſecum vehunt pernicioſæ impietatis, ſolenni prece ſtabiliat? Neque vero recipi debet, quod objectare ſubinde ſolent: His ſuperſtitionum morbis non alia melius ratione purgari hominum animos poſſe, quam ſi molliter initio ac paulo indulgentius attrectentur, donec ferendis mali remediis aſſueverint, & quodammodo ſint confirmati. Itaque, niſi quis moderationem adhibeat, quæ eorum teneritudini nonnihil concedat, exorituras ſine ullo profectu graves offenſiones, odiumque adverſus Dei veritatem acerbius exarſurum. Id ſane nemo eſt qui non libenter illis conſulat, nedum permittat: quin doctrinam omnem ſuam ſic temperent, ut rationem ſemper habeant tantæ imbecillitatis, quanta nunc populum fere laborare conſtat; quin præteritis interdum minutis rebus, apprime neceſſaria urgeant: quin emendandis majoribus delictis inſiſtentes, ad exiguos quoſdam nævos pro tempore conniveant: denique lacte ac melle paſcant, qui nondum ſolido cibo ſunt idonei. Sed enim illorum viciſſim fuerit, primum dare operam, ne ſuæ ipſorum imbecillitati prætextum magis captent, quam rationem ineant ſuſtinendæ eorum infirmitatis, quibus confirmandis ſtudere debent. Deinde non ea diſſimulare, quibus ſtantibus emergere Chriſtus cum Euangelii ſui luce prorſus nequeat: tum non ea indulgentia ignorantiam ferre, qua magis ac magis indureſcat, ſed qua paulatim diſſuatur: quando momento uno reſcindi commode non poteſt. Poſtremo veritatis prædicationem ſic moderari, ne pernicioſis rurſum mendaciis ipſam contaminent. Quid autem clarius eſt, quam ſiniſtra illa ſua prudentia non aliud quærere, niſi ut ſibi duntaxat ſapiant? Si nullo diſcrimine libere docendi poteſtas facta illis eſſet, ſatis appareret, quam infirmitatem curæ habent. Et ſi verum eſſet, aliqua ipſos populi ſollicitudine tangi, quod quidem vaniſſimum eſt: quis tamen illis largiatur, ut horrenda impietatis exempla ſub oculis ſuis perpetrari diſſimulanter ferant? Quis unquam Apoſtolorum, Deum unum annunciavit, qui non aperta voce deos omnes Gentium, dæmonia eſſe clamaret? Quis de puro Dei cultu concionatus aliquando eſt, qui non à vanis deorum ſuperſtitionibus longiſſime abſtraheret? Quis ſitam in Chriſto ſalutem docuit, qui non ab idolorum fiducia prorſus averteret? Quis cum mendacio veritatem, lucem cum tenebris, Euangelium cum execratione, Chriſtum cum Belial, eadem copula colligavit? Iſti vero deorum myriades, idolorum plauſtra, ſuperſtitiones pluſquam magicas æquo animo ſe tolerare cauſantur, quo indoctam rudemque plebeculam, ſine offenſione, ad veri cognitionem adducant. Salutis fiduciam, quæ à Chriſto pendere tota debuerat, huc atque illuc tantiſper divagari non ægre patiuntur, dum eminus raptimque inſpecto Chriſto, populus toto pectore, ſi libuerit, ad ipſum applicet. Atque iſthæc erant prima exordia, quibus Eccleſiam inchoare: prima fundamenta, quæ ad exædificandam jacere debuerant. Quare, hæc tolerantia, in rebus minime tolerandis nihil ſimile habet cum lacte illo, quo imbecilles adhuc Corinthios Paulus nutriebat. Illo enim, qui ſunt adhuc in Chriſto pueri, utcunque pro ſuo modulo ad pietatem imbuuntur: hac, univerſa religio diſſipatur. Illo pedetentim ignorantia diluitur: hac in pervicaciam coaleſcit. Illo nutriuntur ad cæleſtem vitam animæ: hac enecantur. Verum inepte facio, qui in re expeditiſſima, & quæ verbo uno abſolvi poteſt, diutius commoror. Siquidem eum nemo audiendum dixerit, qui ad ſalutem rebus extremis afferendam miſſus, quo melius procedat ſua opera, prima ſalutis initia in longum tempus differre ſe dicat: præſertim ubi palam ſit illius mora, omnia peſſum ire, ne cujus poſtea ope inſtaurari queant. Porro, ad refellendam eorum tergiverſationem, illud quoque accedit, quod omnibus prope errorum peſtibus quibus repurgandam Eccleſiam ſuſceperunt, eam inficiunt. Quid enim aliud eſt, pro mortuis apud Deum intercedere, quam peſtilenti Purgatorii opinione inquinare hominum mentes? Quid, audita peccatorum enumeratione, junctaque ſatisfactione, abſolutos dimittere: niſi quibus involuti ſunt laqueis, fortius adhuc ipſos conſtringere? Quid vero, ut alia multa omittamus, Miſſaticum ſacrificium peragere, niſi uno ſimul exitio & populum dare, & ipſam quoque religionem? Perinde acſi chirurgus, ad comparandam homini incolumitatem, ipſum ante juguler: aut ſi medicus ſtomachum ſalubri potione refecturus, toxico primum imbuat. O moderatores, quibus & Dei verbum, & hominum animas, ſine modo, ſine ratione, ſine delectu contaminare, obſcurare, perturbare, disjicere, extinguere ſatius eſt, quam cuticulæ jactura, præſcriptam à Deo ſimplicitatem tenere! Ejus ergo populi ut fidi probique Paſtores cenſeantur poſtulabunt, quem non modo libidini proſtituunt impiorum, ſed ipſi flagitioſe circumſcribunt? Conciones illas neſcio quales, faſtuoſe nobis obtrudent, ad quas talibus procemiis auditores comparant: quas talibus demum cataſtrophis claudunt atque terminant? Imo qua fronte verbum jam in ſui defen-

defenſionem facere audebunt, quos deteſtabilis idololatriæ, & non unius ſacrilegii auctores eſſe conſtat? Taceo reliquum anni tempus, quo procul à ſuis Eccleſiis abſentes, per vicarios ſuos, furaciſſimos prædones, rapinas, direptiones, populationes, latrocinia omne genus exercent, quibus enumerandis, volumen unum non ſufficeret. Et ſunt adeo prodigioſa nomina, quibus expilationes illas ſuas prætexunt, ut non niſi ab illis, paucisque captioſis pragmaticis, intelligantur. Atque ut viſcos illos, & tot furandi artes diſſimulemus, quo tamen jure præripiunt, quod Paſtorum alimentis deſtinatum erat? Quum enim reddenda erit Principi Paſtorum ratio; quomodo expenſum ille ſceleratis latronibus feret; quod probis ſanctisque Paſtoribus in laboris ſtipendium cedere voluit? Scilicet non cogitant, jam olim ab ipſo ea de re pronunciatum eſſe: ubi canes ſomnolentos tam ſevere objurgat, qui quum muti ſint, & ad latrandum ignavi, ſaturitatem tamen neſciunt.

Enimvero majus mihi certamen cum reliqua ſacerdotum turba (atque ut ipſis quidem videtur) multo difficilius reſtat. Nam quorum ſacerdotia non ea ſunt conditione, ut Eccleſiis paſtorum nomine ipſi præſideant (quo è genere ſunt prodigia illa nominum Abbatiæ, Prioratus, Præbendæ, Capellaniæ, Decanatus item, Præpoſituræ, Theſaurariæ, aliique infiniti, ut vocant, perſonatus) nulla ratione ſibi videntur impediri, quominus & teneant illa, & eorum proventus, ceu juſto patrimonio, in quos viſum fuerit ſumptus abutantur. Sed de proventu mox: nunc tantum ejuſmodi pedicis an illi ſe implicare liceat, conſideremus. Audio quid pro ſe dicant Abbates, ſiqui ſunt qui à verbo Dei non alieni videri velint: præſentem rerum ſtatum ſibi non minus, quam optimo cuique improbari: atque ut totam monaſticem, quam ſcatere omni impietate norunt, abominationi habent, ita eam ſe minime fovere. Neque vero per ſe ſtare, quo minus pereat ac dejiciatur: ſi res in ſua poteſtate ſita foret, ejus animi ſpecimen ſe edituros. Quod autem fructus è paludibus illis provenientes colligunt, non tamen ideo ſe in illatum cœnum provolvere, ſed oblatam à Domino benedictionem non ſpernere: hac interim conſcientia ſecuros, quod nullius flagitii, vel auctores ſunt, vel fautores. Hæc ſi ſerio prædicarent, an ejus quam deteſtari ſe aiunt, impietatis principes haberi paterentur? Ac non magis eam ſic toto animo averſarentur, ut à minima etiam participatione penitus ſe dimoverent? Quid autem eſt Abbas, niſi monaſticæ ſuperſtitionis præſes atque aſſertor? Proinde non video, cur vituperari monachiſmus debeat, ut non prima voce impetatur ille, qui monaſterii adminiſtrationem non ſecus ac rem ſanctam recipit: niſi forte ammendum ei ducimus, qui damnata piratica, archipiratam laudet. Quid? Annon, quæcunque in fœtidis illis fornicibus peraguntur ſacrilegia, auſpiciis ductuque Abbatum perpetrantur? Et quis jam illis diſplicere credet, quæ nomine nutuque eorum geruntur? Quis ſpecimen expectet, unde ſibi improbari declarent, quæ quanta poſſunt, approbatione confirmant? Jam quod otioſam ſibi, & ſine onere dignitatem obtigiſſe putant, in eo quidem opinione falluntur. Quis enim dubitet, eorum unumquemque Paſtorem in ſuo collegio debere præſtare, cui regendo Abbas eſt conſtitutus? Neque enim alia conditione cooptantur in eum locum, niſi ut paſtorali ſollicitudine defungantur: & illi, dum munus ineunt, idipſum ſacramento confirmant. Si è vulgo quiſpiam de Abbatis officio interrogetur, extemplo reſpondebit, monachis eſſe illum moderatorem poſitum: qui pura doctrina, ſanctisque moribus, toti collegio præeat, rudes inſtituendos curet, delinquentes caſtiget, errantes in viam reducat. Hæc quum in triviis, tam diſerte de eorum munere diſſerantur, quam frivole mentiuntur, nihil ad ſe pertinere, qualis ſit monachorum vita? neque ſua quicquam referre, quam ſit aut probe compoſita, aut perdite effrenata? Ut autem id totum de hominum judicio eludant: quia tamen fidos ſe fore Paſtores, ſolennibus verbis declararunt, ſua certe promiſſione obſtringuntur. Eorum ergo curam longe à ſe rejicient, quos in fidem cuſtodiamque ſuam, Deum atque homines prius atteſtati, ſuſceperunt? Ubi reverentia, qua nomen ſuum uſurpari Dominus imperavit? Ubi jurisjurandi religio, nulli non Barbariæ ſacroſancta? Ubi promiſſorum veritas, pars humanitatis potiſſima? Porcos ſibi commiſſos aiunt, quorum explendi ſunt ventres, non animi excolendi. Sed homines Deus creavit, quos oportet à belluina illa, in quam degenerarunt, feritate, ad humanam manſuetudinem, optima diſciplina revocari. At durior eſt barbaries, quam quæ doctrina emolliendam ſe præbeat. Cur ergo provincia non ſe protinus abdicant, cui ſe impares eſſe agnoſcunt?

Hactenus, quæ propria quodammodo Abbatum erant, perſequuti ſumus: nunc quæ habent communia cum reliqua illa, quam nuper recenſuimus, colluvie, uno, ut dicitur, faſce, ſimul complectamur. Quoniam autem ſingulas flagitiorum ſpecies, quæ nefandis iſtis omnibus ſacerdotiis perpetuo cohærent, ſeorſum excutere, & ordine explicare, prope immenſum fuerit: mihi ſatis erit oſtendiſſe, nullum penitus ex univerſo numero teneri poſſe, quod non abominandis duobus ſacrilegiis conſtet: quo pretio nullam omnino felicitatem redimere pectus Chriſtianum ſuſtineat. Vulgare inter eos proverbium eſt, propter officium beneficio ſe frui, & honori ſuo ſemper eſſe annexum onus. Quanquam autem oneris variæ ſunt genera, hoc tamen omnibus perpetuum ineſt, ut Miſſariis ſacrificiis, velut ſatisfactione perſoluta, mortuorum animæ à peccatis ſuis expientur. Hoc, inquam, onere utcunque defungi neceſſe eſt eorum unumquemque, qui ſacras illas opes participant. Nulla eſt tam opulenta Abbatia, nulla rurſum Capellania uſque eo tenuis, quæ non ea lege devincta ſit. Nec intereſt, ipſine per ſe, an conducta vicarii opera, ſanctum illud munus exequantur. Siquidem non defuturos ſuſpicor, qui ad miſeram hanc excuſationem ſe conferent: quod inquinamentis illis ad ſordidos ſacrificulos ablegatis; opes ipſi poſſideant nullo ſcelere profanatas. Sed quid inde porro aliud conſequentur, niſi ut dum culpa una purgare ſe moliuntur, duplicem nequitiam prodant? Cedo, quod ſcelerate perpetratum iri conſpiciunt, ab eo religioſe manus abſtinent: perpetrandum tamen interim diligenter curant. Quibus jam obſecro culpa facinoris adſcribetur, niſi quibus auctoribus admiſſum fuerit? Quum vero juſſu auctoritateque ſua ad maleficium impellant, quorum miniſterio abutuntur, annon alterum quoque crimen hic ſe profert? Si quis hominem à ſe interemptum ideo negaret, quod non ſua manu, ſed conducto à ſe ſicario cæſus eſſet, à quo noſtrûm non conſpueretur? Nempe qui ſua confeſſione bis ſe accuſaret: & quod cædis auctor fuerit, & quod alterum malis artibus corruptum, in ſceleris ſocietatem traxerit. Quid autem ab illo diſſimile iſti faciunt, qui & contumeliam Deo irrogandam procurant, & ad id audendum, alios pretio corrumpunt? At non eos, inquiunt, corrumpimus, qui venales ad patrandam quamvis impietatem proſtant. Perinde acſi homicida ille minime ab ſe corruptum defenderet, quo ad maleficium adminiſtro uſus fuerit, quia gladiator antea fuiſſet, latrociniis aſſuefactus. Itaque quemadmodum ille, dum latronem exercitatione acuit, ejus audaciam confirmat: ita iſti quos novis ſubinde ſacrilegiis exercent, eos ad nequitiam magis ac magis in dies obdurant. Sed hac parte propius inſtare animus non eſt: neque verbum feciſſem, niſi ſua me improbitate coëgiſſent, dum in re adeo perſpicua fucum tamen neſcio quem

facere

facere conantur. Nihil, inquam, eos ultra laceſſo, modo inter nos iſtud conſtet, quod nullo cavillo declinare jam poſſunt: neminem eorum eſſe, qui gemina illa, quam nuper commemoravi, impietate non ſit inquinatus. Nemo eſt enim, qui non de Miſſariis ſacris peragendis ſceleratum commercium ineat: nemo qui non commentitiis ſatisfactionibus, quas pro mortuorum redemptione Satan excogitavit, pretium ſtatuat. Si per Miſſam, Chriſti ſacerdotium, quod æternum eſſe oportet, abrogatur: ſi ſacrificium, quo ſemel omnia delicta expiavit, aboletur: ſi ſanguis ejus, cujus munditie abluimur omnes, conſpuitur: ſi tota redemptio, morte ejus acquiſita, diſſipatur: ſi Cœna, qua nobis mortis ſuæ memoriam commendavit, profanatur: ſi Dei majeſtas, erecto in ejus locum idolo, dejicitur; viderint qui faciendis Miſſis ſumptus ſuppeditant, qua ſatis ſpecioſa ratione purgare ſe poſſint, quo minus iſtorum omnium rei agantur, quibus occaſionem ſcientes ac volentes præbent. Si denique nullum à Miſſa blaſphemiæ genus abeſt, quo Dei Chriſtique gloria poſſit obſcurari, viderint quoties ſacrificulum ad altare mittunt, an non triumphum apparent, quo totum Chriſti regnum à Satana traducatur? In hunc modum ſi Chriſtum cum ſua cruce ludibrio habere, & proſtituere homini Chriſtiano nefas non eſt, nihil erit quod non liceat. Imo vero mille potius mortes oppetendæ, quam tale probrum ſacroſancto Chriſti nomini, noſtra culpa, aliquando inuratur. Quis enim eo interceſſore confidat, quem ſuo ſacerdotio, hoc eſt intercedendi munere, quotidie ſpoliet? Quis æternam ſui ſanctificationem reponat in una Chriſti oblatione, quam ſuppoſitis aliis aſſidue inducit ac obliterat? Quis ſuarum ſordium ablutionem ſperet à Chriſti ſanguine, quem porcis conculcandum projicit? Quis ſpem beatæ vitæ ex Chriſti morte concipiat, cujus fructum alio ut transferat, eam tota ſua virtute enervat? Quis ſe Chriſti participatione, extra quam non niſi mors eſt, vivere cogitet, qui ſacram ejus communicationis teſſeram diſrumpit? Quam conſcientiæ ſecuritatem ad Dei tribunal afferat ille, qui ejus gloriam, quam illibatam ſibi uni ſervari poſcit, ad idolum traductam procuret? Atqui in eo corde, cui ſint illa omnia ablata, quæ vel fidei vel pietatis ſcintilla reſtare poteſt? Illas præterea ſatisfactiones dum mercantur, quibus à cruciatu ſolvantur mortuorum animæ, mirum niſi probe intelligunt, quam flagitioſa in Chriſtum perfidia ſeſe obſtringant. Quotquot enim animarum ſalutem pretio nundinantur, eos veram illam ac unicam, quæ non auro aut argento, ſed pretioſo Chriſti ſanguine conſtitit, redemptionem abnegare, certo certius eſt. Jam neminem fore exiſtimo, cui quidem in aliqua frontis particula pudor hæreat, qui conſcientiæ innocentiam in tenendis profanis illis ſacerdotiis teſtari auſit: quorum quæ putiſſima videntur, tantum execrabilis nequitiæ ſecum trahunt.

Nunc ad te, ô vir eximie, alioſque in univerſum omnes, qui in Papæ regno locum aliquem beneficii nomine obtinent, orationem meam refero. Quicquid proventus annuatim inde ad vos redit, qua conſcientia uſurpare audeatis, quæro. Si in cancellis veſtratium judiciorum hæc diſputatio verſaretur: ſcio ad obtinendum ſatis ſuperque eſſe, allegari annorum præſcriptionem: verum ſi hujuſce rei cognitio ad bonos viros deferatur, qui juſtum potius & æquum, quam annorum numerum expendant: quo titulo, amabo, veſtram poſſeſſionem defendetis? Fingamus vero apud Dei tribunal hanc cauſam agitari, quando & ad illius cognitionem proprie pertinet, nec inter homines melior reperiri poteſt, aut juſtior arbiter. Facultates, quantum intelligo, quadrifariam partitas habetis. Nam partim decimis, partim annuis aut agrorum aut vectigalium penſionibus, partim blandis captionibus (quas vos extraordinarias oblationes) partim violentis exactionibus (quas ſpiritualia jura nuncupatis) conſtant. Decimas quia Lex Moſaica Levitis attribuebat, ad vos (Leviticum ſcilicet genus) optima ratione nunc eſſe translatas dicitis. De his ergo primo loco diſſerendum. Quanquam ſupervacuum, ac prope ridiculum arbitror, anxiam de jure decimarum tecum diſputationem inſtituere, qui non ignoras ſucceſſionem iſtam cupidorum hominum calliditate, vafre quidem, ſed nulla probabili cauſa excogitatam. Nam quod ex Apoſtolo citant, translato ſacerdotio, Legis translationem neceſſario ſequutam: id quam infirmum ſit & evanidum, oſtendere piget. Ad Chriſtum ſane tranſiit Aaronis ſacerdotium, cujus beneficio non certus raſorum numerus, ſed univerſa ſine exceptione fidelium natio in regale ſacerdotium aſſumpta fuit. Quid hoc ad neſcio quos pſeudo-Levitas? quibus ne poſtrema quidem ſubſellia in Dei populo concedimus. Quod ſi in Levitarum vices ſubierunt, eadem qua ipſi fuerunt conditione: cur præter decimas tot poſſeſſiones abſorbere, tantam undique rerum varietatem corradere, ſibi permittunt? Ea enim lege *Joſ. 14. verſ. 3. & alibi.* hujuſmodi portio Levitis aſſignabatur, ne pedem terræ præter domicilium poſſiderent. Cur vini uſum tam benigne ac liberaliter ſibi indulgent, quod Levitis guſtare non licebat? *Levit. 10. verſ. 9.* Faceſſant ergo nugæ iſtæ: quas tametſi refutatione indignas ducebam, quia tamen video imperitis fumos offundere: verbo uno attingere neceſſe habui. Equidem ſi quibus ordo iſte approbetur, ut quemadmodum apud Iſraëlitas decimis alebantur Levitæ, ita in populo etiam Chriſtiano decimæ colligantur, quæ in alimenta Paſtorum conferantur, & pauperum, nihil reclamo: quin potius eorum ſententiæ meum quoque calculum addo: quandoquidem alicunde certe deſumi, quod ad ſuſtentandos Eccleſiarum miniſtros impendatur, neceſſe eſt. Nec expedire mihi videtur, quod æquiſſime conſtitutum fuerit, ſine cauſa innovari: modo ne jus illud Leviticum falſo prætendatur, & Eccleſiaſtici Paſtoris ſtipendium, non decimarum fertilitate, ſed Apoſtoli præſcripto definiatur, ut ſit neceſſariis vitæ ſubſidiis contentus. Cæterum quum in hos uſus deſtinantur decimæ, ſimul arcentur, velut poſitis repagulis, omnes iſti pigri ventres, qui ſe illis nunc ſoli referciunt, ne ſegetis ſpicam, aut pullum unum attingant. Ut nunc autem res habent, decimas nullo neque divino, neque humano jure ſibi debitas extorquendo, improbiſſimo furto, in alienas fortunas invadunt. In jure annuarum penſionum deſcribendo, hoc eſt (niſi fallor) [illegible], omnes donationis titulo vobis obveniſſe, quam Juriſconſulti ob cauſam vocant: ut Miſſæ ſacrilegio, aliiſque incantatoriis precibus, ex illo Utopienſi purgatorii carcere, mortuorum animas eliceretis. Sic enim in Papæ ſchola inſtituti homines fuerunt, ut delictorum conſcientia trepidis, hac demum conditione ſpes obtinendæ veniæ proponeretur: ſi vel pœnam nihilominus Dei ſeveritati exolverent, vel ſatisfactione redimerent. Supplicii exactio, purgatoriæ flammæ ardore torreri fuit: ſatisfactio, in monachorum ac ſacerdotum ventres ingurgitare, quod eorum judicio ad delicti compenſationem ſatis foret. En quibus natæ exordiis, quibus deinde incrementis progreſſæ hucuſque ſint veſtræ poſſeſſiones: quo perveniſſe hodie videmus: ut nulla ſit prorſus terræ uncia, quam non acceptam purgatorio referre debeatis. Nunc te coram Deo appello vir mihi amiciſſime, alioſque qui à verbi Dei puritate non abhorrent, quorum ex animis diſcuſſus eſt inanis ille purgatorii fumus: quum probe intelligatis, quaſcunque

teneis

tenetis poſſeſſiones, non alia lege vobis fuiſſe tranſſcriptas à ſuis dominis, niſi ut à purgatorii cruciatu veſtra interceſſione ſolverentur (parum dico) niſi ut abominandæ ipſorum impietati à vobis ſatisfieret: juſtamne poſſidendi rationem vobis conſtare ducitis? Sane leges civiles (quum nihil voluntati magis adverſum ſit quam error) donatorem, qui vel errore deceptus, vel fraude circumſcriptus fuerit, abſolvunt. Donationes autem iſtas ſolo errore niti, bona etiam ex parte impoſtura non carere ſcitis. Iiſdem legibus, quæ illicitam conditionem habet donatio, irrita eſſe pronunciatur. Nulla eſt iſtarum donationum, quæ horribili Dei blaſphemia non vos obſtringat. At nihili ducendæ ſunt ejuſmodi leges. Quid autem vobis permiſit alienas copias veſtro arbitrio obtinere, quæ dum aſcripta lege vobis ceduntur, niſi illa intercedente veſtra non fiunt? Jus enim iſtud pactorum, quæ mutuam habent obligationem pervulgatum eſt ac cuivis cognitum: ut agere ex pacto non poſſit, nec fructum ullum percipere, niſi qui defunctus promiſſo fuerit. Itaque aut aliena uſurpatis, aut ea conditione veſtra ſunt, quam in ſe receperunt, quorum per manus vobis ſunt tradita. Quod ſi flagitia hæc illis paciſci fas non fuit, vobis in pacti ſocietatem ſuccedere qui liceat, conſiderate. Itaque niſi accenſa purgatorii flamma, calere hac parte culina veſtra non poteſt: quo extincto, tantundem remittatur oportet. Nam hominum quidem oculis præſtigias, quibus ludificentur, offundere promptum eſt: ad Dei autem tribunal ubi cauſa veſtra vocata fuerit, quemadmodum certe olim vocabitur, ſolo furti prædæque titulo prætexta corruet. Quæ autem donariorum & anathematum nomine templis oblata in crumenas veſtras recidunt (quod tertium fecimus veſtrarum opum genus) ſic anathemate referta ſunt omnia, ut ad ipſum contactum vos non exhorreſcere valde mirer. Quibus idolis, quanta cum Dei contumelia, qua ſuperſtitione offerantur, vobis clam non eſt. Quo tamen hæc quaſi vobis dicata devoretis, vos talium ſacrorum myſtas & antiſtites profiteri nihil pudet. O Roma (ut uno verbo radicem omnium malorum, avaritiam complectar) quot alioqui non male nata ingenia corrumpis? peſſima tua educatione corrupta, magis ac magis nequitia depravas, ita depravata perdis? Tantane cæcitate percuſſos eſſe homines, ut quum è manibus offerentium ſuſcipiant conſecrata idolis donaria, quæ talium ſuperſtitionum antiſtitibus ſint deſtinata, tota idololatriæ participatione illigari ſe non cogitent? Si tantus Domini furor in Iſraëlitas exarſit, ob clanculariam anathematis expilationem: quam impunitatem expectant, qui ad deglutiendas execrationis plenas oblationes, idolorum ſacrificiis præeſſe non verentur? Sequuntur jam exactiones, quæ jura ſpiritualia vobis auctoribus cenſentur: quæ ab oblationibus voluntariis eo differunt, quod illis quidem fraudulente populus circumſcribitur, his autem hoſtiliter vexatur. Ac tui quidem ordinis homines, quorum latrociniis patet latior campus, opimiores prædas agunt (ſic enim inter ſuos diſtinxit Romanus archipirata, ut quo quiſque gradu propius ad eum accedit, eo licentius prædetur) æque tamen immaniter depopulantur alii omnes, quod ſuæ rapacitati putant attributum. Itaque obſignator ille rapinarum tuarum annulus, copioſiore multo præda quotannis te onerat, quam minutum aliquem parœcum ſua in corradendo converrendoque ſtrenuitas: nihilo tamen minus diræ ac ſanguinariæ ſunt illius vexationes, quibus plebem ille ſuam pro ſuo modo exercet ac fatigat. Porro quantum quiſque accipit, tanto ſe peculatu obligat. O nunquam ſatis deteſtatas opes, quamlibet inſana hodie multorum cupiditate (quæ eſt ſeculi noſtri perverſitas) furioſe expetantur! in quibus nummus nullus eſt non furto, aut ſacrilegio; aut latrocinio pollutus. Illiſne placide fruentur, ac ſe habebunt Chriſtiani? Scilicet, ſi tanti ſunt, ut earum cauſa ſpe æternæ hæreditatis noſmetipſos abdicare debeamus: quam ſane neque fures, neque rapaces unquam conſequentur. Sed operæpretium eſt audire ſpecioſam quorundam exceptionem. Sunt enim qui ſe pulcherrime excuſatos putent, quod has utcunque partas facultates, non turpiter, nec libidinoſe dilapident: ſed partim in moderatos vitæ uſus conferant, partim vero decidant ſublevandæ pauperum egeſtati. Quaſi vero iſta ſatis ad furem prædonemve purgandum, defenſio valeat, ſi ſuam domi parſimoniam & frugalitatem approbarit: aut accepta ſit Domino benignitas, qua furtorum reliquias egenis impartimur. Qui frangere quidem eſurienti panem jubet, ſed noſtrum: qui jubet elargiri pauperibus, ſed de noſtra ſubſtantia. Contra vero, vehementi interdicto canis mercedem ſibi vetat offerri: quo ſymbolo immundam & ſcelere quæſitam quamvis oblationem, abominationi ſibi eſſe deſignat. adeo verum eſt quod ſcripſit ille, eum qui è pauperis ſubſtantia ſacrificium offert, non ſecus æſtimari coram Domino, quam qui filium in patris conſpectu mactat. Tu vero, tuique ſimiles, quorum turpitudini ſub hoc quidem inani & perfluo integumento locus eſt, quid obtendetis? Jam vobiſcum ſummo jure, hoc eſt, Dei verbo non diſceptabo: ſed quid, ſi jus ipſum Canonicum (cujus beneficio vivitis) repetundarum vos etiam damnet? ac litem non multo minoris quam pro noſtra poſtulatione æſtimet? Velitis, nolitis, fateri hoc convenit, nihil hic à vobis uſurpandum, quam quod ipſis canonibus defertur. Atqui non adeo Spartacum veſtrum depuduit, quin ſeptinis ſuis ſanctionibus hoc ſaltem Hieronymi verbulum insereret: Bona clericorum, bona pauperum eſſe, quibus ultra exigua frugique alimenta ſiquis abutitur, eum pauperibus furari. Immanis autem illa profuſio, quæ domi veſtræ viſitur, quid cum hac regula ſimile habet? Injuriam, ſcio, vobis à me fieri clamabitis, omnes pſeudo-euangelici Præſulies, qui ſub jugum, piis omnibus excutiendum, indigne vos adigam. Mihi vero hic de veſtra aut libertate, aut ſervitute non eſt inſtitutus ſermo: ſed quemadmodum in agri jure dignoſcendo, non qualem habeat dominum, ſed quo ipſum jure leges regionis eſſe definierint, quæritur: ita ſepoſita veſtri mentione, quæ in Papæ ditione ſacerdotia, non niſi illius permiſſu, ac ſecundum ejus leges obtinetis, fundum ſuum ſequi dico: hac inquam lege teneri vos dico, nequid plus è ſacerdotiis in rem veſtram convertatis, quam per Papiſticos canones vobis conceditur. Quorum vinculis adſtringi ſi vos piget, illis ne vos ultro implicetis. Sed quid in hac re evincenda anxie laboro? quandoquidem eos, quorum liberalitate locupletes eſtis, nihil dubium eſt non ideo detractas hæredibus proprias opes vobis tam plena manu fuiſſe elargitos, ut regiis lautitiis inſtrumentum miniſtrarent: ſed veſtræ fidei commiſiſſe, quæ bonis viris cum pauperibus communes forent. Itaque non tam earum vos dominos, quam œconomos inſtituerunt. Si extremum eſt perfidiæ genus in depoſito fidem fallere, vobis ſane ignoſcendum nullo modo eſt, qui adeo inſigni improbitate pauperibus præcipitis, quod apud vos depoſitum in hoc fuerat, ut in eorum manus perveniret.

Huic malo alterum quoque proximum eſt: quod eam perſonam non poteſtis ſuſtinere, quin multa offenſionum ſemina variis modis ſpargatis. Ut iſtud unum ſatis cauſæ ſit homini Chriſtiano, quo centum ſimul ſacerdotiis, quamlibet opimis & ſplendidis, ſe protinus abdicet. Nemo enim fere piorum eſt, qui non iſto exemplo magnopere perturbetur. Qui paulo ſunt adhuc imbecilliores, hac dubitatione percelluntur, jocone an ſerio, malitioſene an ſincere adverſus Papiſtas contendamus: dum noſtræ partis homines, Papæ ſtipendiarios ſimul vident. Alii dubitare

Joſ. 7: 1.

Jeſa. 58. verſ. 7.

Prov. 3:9.

Deut. 23.

Eccleſ. 34. verſ. 23.

bitare malunt, ſinie res licita, à qua viros, quos ipſi non malos exiſtimant, nequaquam abhorrere vident. Quidam etiam animoſiores ad imitandum accenduntur. Plerique totam fabulæ ac ludibrio religionem vobis eſſe, merito perſuaſum habent. Chriſti autem adverſarii, quibus non calumniis ſanctum Dei Euangelium proſcinduut? quibus non lœdoriis Chriſti ſervos ſubſannant? quos non triumphos agunt? Quid dicam? Perquam pauci ſunt, qui non ad vitæ veſtræ lapidem, aut hoc, aut illo modo impingant. Qualis hic (malum) eſt ſtupor: ad omnia proborum æque ac pravorum hominum judicia nec tantillum commoveri? præſertim ubi per veſtram ignominiam, ſannaſque illas ac ſcommata, quibus cæca veſtra cupiditas jure optimo perſtringitur, ipſam quoque Dei majeſtatem illudi, ſacrum ejus Euangelium maledictis lacerari, venerandam ejus religionem conculcari intelligitis? Si ſanæ mentis guttula (ut ita dicam) in vobis reſediſſet, ac non illa vos neſcio quæ rabies corpore & animo penitus transverſos egiſſet, primo ſtatim limine voa Dominus admonebat, ne ad hoc lethale præcipitium, gradum jaceretis. Quibus enim primordiis eſtis auſpicati? An non in Papæ nomen ac verba jurat totum illud cornutum Epiſcoporum, Abbatum, ac Priorum pecus: dum Romanæ ſedi obſequentes, ſtudioſoſque dignitatis illius vindices ſacramento adacti, ſe pollicentur? Minorum autem claſſium ſacrificuli, an non etiam ipſi, ſua quadam joramenti forma, ſanctæ matris Eccleſiæ obſequio devoventur? Hujuſmodi auſpicia quem fauſtiorem eventum portendere valeur? Imo quam nullis ambagibus infelicem exitum minantur? Quare, veſtram hebetudinem mious jam mirari incipio: qua haud dubie vindicari tantus ille Dei contemptus merebatur. Qua tamen excuſatione culpæ partem nonnulli deprecentur, prætereundum non eſt. Nam etſi ingenue fatentur, reprehenſione ſe non penitus carere, minori tamen publico malo Eccleſiis ſe præeſſe dictitant, quam ſi deteriores illis præſiderent (quales ſunt jurati Chriſti hoſtes) qui Euangelii ruinam ex profeſſo machinantur. At ſi hæc ratio recipitur, cur non ſpeluncas occupamus? itinera obſidemos? in inſidiis excubamus, eo animo, ne viatores, ut efferati iſti ſolent latrones, violemus, ſed ſpoliatos dimittamus? Sic enim mitioribus latrociniis mundus infeſtaretur. Enimvero boni viri eſt, non improborum hominum ſubire vices, quo mala quadam tenus moderetur: ſed cum improbis, ac cum ipſa etiam improbitate acerrimum bellum gerere: quo ſuo conatu ſi parum proficit, ſuam tamen officium ſic præſtiterit. Quod illi ſatius eſſe debet, quam delicto uno mille flagitidia occurrere. Fures itaque excipiendis prædis, latrones hominibus jugulandis ſinatnus eſſe intentos: nos vero, ſi Chriſtiani ſumus, in omnem puritatem, innocentiam, ſanctitatem vocatos meminerimus.

Si tantum exhortatione mea profectum eſt, ut te ad dandas Domino manus, affectumque tuum illius imperio penitus ſubjiciendum comparatis: non dubito, quin jam in me reſpicias, mecumque deliberes, qua ratione in meliorem viam recipere te queas. Ego vero, quanquam opportunitate præſenti ad aliquid pro Chriſti gloria fortiter animoſeque gerendum uti te malim, niſi quid tamen melius potes, exeundum tibi primo quoque die cenſeo. Te enim quoquo modo ex hac palude evolvi præſtat, quam diutius illic hærendo, & in illius gurgite profundius in dies defigi, & cœno magis magiſque conſpurcari. Satius illud quidem & longe optabilius, ne tantam illuſtrandæ Domini gloriæ occaſionem è manibus amittas: quando ea eſt rerum agendarum penes te facultas, quæ ſi tota in Dei obſequia optima fide impendatur, multum momenti ad promovendum Euangelium afferre poſſit. Et noſtrarum eſt partium, non ignavia torporeque noſtro, admittere, ut hoc genus opportunitates è Dei manu nobis oblatæ, infructuoſæ pereant. Sed enim ſi præſtando veri fidique Paſtoris officio nullo modo idoneum te vides, hoc ſecundum eſt, male tibi aſſignatum munus ut deponas potius, quam indigne ac perfidioſe adminiſtres. Cedendo enim, Epiſcopum te non eſſe ſaltem declarabis: cujus perſonam nunc ſuſtines, & functionem profiteris. Equidem ſi aut Eccleſiæ Chriſtianum in morem utcunque compoſitæ, legitimo ritu præfectus eſſes, aut etiam plebem iſtic haberes, tua ſedulitate Chriſto acquiſitam, cujus oculi in te ceu Ducem ac Paſtorem converterentur, nunquam concederem, ut abjecta temere non dubia Domini vocatione, libertatem tibi ſumeres alio, quo ferret animus, demigrandi. Chriſtiania enim (quos in ſua vocatione perſtare decet) aliena eſt deſultoria iſta levitas. Sed ab hac minime recta vivendi via, in quam te Satana, non Domino, vocante, contuliſti, quo minus pedem referas, quid te impediat non video. Omnino ſane, aut tibi, quod ab Epiſcopo requiri audis, præſtandum eſt: aut ſedes Epiſcopi deſerenda. Flebiles illas veſtras querimonias novi: quibus ſiquis ad indulgendam vobis veniam non permoveatur, eum non hominem eſſe judicatis. Quid? Ergone fortunis omnibus exuti, hinc nos velut è præſentaneo incendio proripiemus? Quid autem fiet miſeris nobis? Scilicet ut qui tranquille ac placide in noſtro habitamus, vagi ac palantes in alienas concedamus, nobiſque incognitas terras? Quorum largitate vivunt plurimi, precariam pene vitam aliorum beneficio agitemus? Qui deliciis aſſuevimus, non ſine dignitate, tenuiter, aſpere, contumelioſe victitemus? Quibus nunc otioſis ſeritur ac metitur, atrum ex jure heſterno panem, ut ille inquit, ſudore noſtro manibuſque partum voremus? Verum adeo ſpecioſis querelis uno verbo reſpondeo. Ergo Chriſtiani ne ſitis. Chriſtiano enim hæc manet neceſſitas, ut ſi furabatur, furari jam deſinat: ſed manuum labore potius, & ſuæ, & fratrum inopiæ ſuccurrat. Grave quidem, non ſecus atque abjecta ſui cura, ſubſidiis præſentis vitæ omnibus exuere ſe ac nudare: ſed multo gravius haberi debet, tot maleficiorum conſcientiam ſuſtinere, cujus flagellis exagitari te, cujus aculeis perpetuo lancinari (ſi tamen Deum vivere, atque alteram quandam in ejus Regno vitam fore putas) neceſſe eſt. Durum & iſtud quoque eſt, fateor: natale ſolum, ubi & amœniſſime & honorifice accipiaris, aliena regione, in qua futurus ſis abjectus hoſpes, exilii ſpecie vertere: ſed multo etiamnum durius, quoquo te vertas, judicium hoc circumferre. Quod ne dubium nobis foret, Dominus per ſuum præconem jampridem promulgavit: ſic enim apud Zachariam legimus: O Paſtor inanis, derelinquens gregem! Gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus. Brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus dexter ejus obſcurabitur. Quanquam hic etiam mitificum artificem Dominum experiuntur fideles, qui rem hominum judicio tam acerbam, paupertatem dico, ſuavem illis, verbi ſui condimento, gratioſamque reddit. Non quod aſperitatem prorſus nullam guſtu percipiant: ſed quia, illa condimenti ſuavitate temperatam, non nimis ægre, quin nec ſine eximia jucunditate ferunt. Quod ſi tamen alterutrum eligendum tibi ſit, ut vel calamitoſam probitatem ſecteris, vel calamitatem nequitia effugias: cur non ſanctam ac dignam vocatione tua vitam potius in miſeriis agas, meliori expectatione fretus, quam momentaneam neſcio quam mollitiem, Dei indignatione, & æter-

Zach. 11. verſ. 17.

næ mortis ultione redimas ? Ita eſt ſane : ſi ad illam populo Dei promiſſam hæreditatem ſerio aſpiras, Moſen te vitæ ducem ſequi oportet : qui ejurato
Hebr. 11. verſ. 25. Pharaonis genere, ſatius ſibi eſſe cum Dei populo affligi duxit, quam temporariam habere peccati fruitionem : pluris Chriſti opprobrium, quam omnes Ægyptiorum divitias æſtimans. Nam ut ille ſimul & nepos vocari Pharaonis, & inter Abrahæ filios cenſeri non potuit : nec Dei benedictionem, una cum Ægyptiis opibus poſſidere : ita vaniſſima ſpe teipſum lactas, ſi locum tibi in Dei populo eſſe confidis, dum in Antichriſti caſtris manes : ſi & cæleſte regnum cum Dei Filio, & cum ſceleſtis latronibus furta ac rapinas participare te ſimul poſſe ſperas. Quare, nec illa ſolenni vobis deprecatione magnopere moveor, niſi multa humanæ imbecillitatis vitia, qualis ſcilicet in piorum carne ſemper reſidet, toleramus : (ut in hominibus nihil eſt perfectum) nos Chriſtianum neminem poſthac relicturos. Quin neque penes nos manſurum Chriſtianorum nomen, niſi cum venia vita noſtra expendatur. Hoc autem veſtrum delictum, ſi quod nominari aliud poteſt, ejuſmodi eſſe cui merito ſit ignoſcendum. Noſtram illam communem omnium imbecillitatem ſcimus ſane, & hanc veniam petimuſque, damuſque viciſſim : ne propterea quod interdum titubamus ac labimur (quod perfectiſſimo cuique ſæpius quam optandum fuerit, accidit) Chriſtiani tamen inter nos haberi deſinamus. Sed non alia lege, niſi qui ſic claudicat, vacillat, ac decidit, viam nihilominus Domini ſequatur : neque vero claudicatione ſic impediatur, quin enitatur contra, incedendique difficultatem eluctari ſtrenue contendat : utcunque vacillando trepidet, nunquam deficiat animo : collapſus, etiam in pedes ſe recipiat : nulla denique remora ſic tardetur, quin intentis in Dei regnum oculis, cœptum iter perſequatur. Eos, inquam, cum ſuis delictis & lapſibus fraterna benignitate complectimur, eos fratrum in numero retinemus, eos in ſinu noſtro fovemus, quos vita Chriſtiane inſtituta, toto animo adſpirare ad Dei Regnum apparet. Etſi ne pios quidem ſic cum ſuis vitiis ferimus, ut ea palpando ac blandiendo nutriamus : ſed quos Dominus ſervos ſuos agnoſcit, è noſtro conſortio non abjicimus. In te vero quid prorſus ſimile ? cujus vita nec Chriſtianam ullam vocationem præ ſe fert, & toto curſu à via Domini averſa eſt ? Proinde quamdiu pauperum ſanguinem furtis ac direptionibus exuges, quem poſtea luxurioſe profundas : quamdiu locum Paſtoris ad perdendas, nequiſſima perfidia, oves occupabis : quamdiu in eo eris hominum grege, quos latrones & ſanguinarios Eccleſiæ ſuæ prædones Chriſtus appellat : de te, ut voles, æſtimabis : mihi certe nec vir bonus eris, nec Chriſtianus. Vale.

DE VITANDIS SUPERSTITIONIBUS

Quæ cum ſincera fidei confeſſione pugnant,

UNA CUM

EXCUSATIONE

AD

PSEUDONICODEMOS.

PHILIPPI MELANCHTHONIS,
MARTINI BUCERI, } Reſponſa de eadem re.
PETRI MARTYRIS

CALVINI ultimum reſponſum cum appendicibus.

Quibus acceſſit reſponſum Paſtorum Tigurinæ Eccleſiæ.

MUlti ſæpe de me quærunt, qualiter ſe gerere debeant inter Papiſtas, ubi Deum pure adorare illis non licet : quin potius coguntur multis ceremoniis uti, quæ adverſus Chriſti doctrinam pugnant, ac ſuperſtitionibus plenæ ſunt. Ad hanc quæſtionem non eſſet difficilis reſponſio, ſi cum animis ſuis prorſus conſtitutum haberent, ſine ulla repugnantia ſequi, quod Dominus oſtendit. Verum, fit neſcio quomodo, ut major pars hominum, poſtquam diſplicere hoc vel illud Deo cognovit, ſibi nihilominus permittat quod Deus prohibet. Atque adeo in hac ipſa cauſa plus centum animadverti, ſententiam meam non ſecus rogare, ac Balaam conſilium à Deo petebat, quum venire cuperet ad regem Balach. Siquidem jam noverat profectionem illam Deo improbari : neque tamen deſinebat petere, ut ſibi concederetur. Similiter iſti, quum jam propemodum convicti ſint in ſuis ipſorum conſcientiis nefas eſſe proſternere ſe coram idolis, ſciſcitantur tamen quidnam agere debeant : non quo ſubjiciant affectus ſuos Deo, & verbo ejus acquieſcentes, ſed potius ut frenum illis laxetur : atque, ut accepta reſponſione quæ ipſorum voto reſpondeat, malo ſuo per vanam adulationem indormiant. Denique, ſicut dicit Ezechiel, Pulvinaria quærunt ad ſopiendas ſuas conſcientias, ſibique perſuaderi volunt quod vivant, quum ſint in morte. Quia tamen eſt officii noſtri, ſincerum veritati teſtimonium reddere, diſſimulare mihi, aut ſubterfugere integrum non eſt, quin ſenſum meum de rebus cognitu utilibus exponam : præſertim quum id à me poſtulatur. Verum, quoniam inde manat tota difficultas, quod magis vulgo ſpectamus qualiter retineamus hominum gratiam quam qualiter nos Deo approbemus : monitum volo fidelem unumquemque, & hortor per Chriſti nomen, ut vim propriis affectibus afferat, quo ſe tradat in obſequium Domino. Moleſtum eſt ſe conjicere & omnes ſuas fortunas in diſcrimen, mundum in ſe provocare, probris & infamiæ ſe exponere, cedere patria, & in alienam regionem profugere, ubi carendum ſit iis commodis, quæ in patria ſuppetebant. Hæc vera eſſe fateor ; verum, quid primum diſcendum eſt in ſchola Chriſti, niſi ut renunciemus nobis ? Quod ſi qui tam ſint imbecillo animo, ut ſtatuere protinus nequeant, quid ſibi agendum ſit : peto tamen ne ſibi adulentur,

ne ſub-

ne ſubterfugia quærant, ſub quibus fruſtra ſe occultent. Sic enim agendo, rationes ſupputant ſine hoſpite, ut habet proverbium: nam ſic tergiverſando non evadunt judicium Dei. Quin potius videmus hoc initium quaſi primum ruinæ gradum fuiſſe iis, qui ſe à Dei gratia alienarunt: nempe, quod quum viderent ſibi non eſſe tutum profiteri coram hominibus, ſe Chriſti eſſe ſervos tite ipſum colendo, juſti & inculpati cenſeri volebant, quum ſe multis idololatriis pollueræent. Deinde, quum viderent, ne hoc quidem modo, ſuſpicionem omnem ſe poſſe vitare, defungi ſe tamen officio ſuo putabant, utcunque fidem ſuam occultam continerent, nec verbo uno eam teſtarentur: niſi forte cum amicis in ſecretiore loco incluſi. Interim, taciti patiebantur veritatem Dei conculcari, & quantumvis graves Chriſto contumeliæ fierent, non modo non ſe opponebant, ſed potius præ ſe ferebant quendam conſenſum: nihil aliud propoſitum habentes, niſi ut ne quod pietatis ſuæ ſignum darent, unde Chriſtiani agnoſcerentur. Sed quid tandem huic hominum generi contigit, qui carnis prudentia, hoc eſt malo aſtu, Deo & mundo illudere volebant? Dominus ipſos in horribiles tenebras paſſus eſt ruere, ac luce veritatis, qua donati fuerant, eos privavit. Ad extremum, eos poſſedit Satan, ac incitavit adverſus Eccleſiam, ut in eam ipſam doctrinam, quam ex Deo eſſe cognoverant, furioſe ſævirent. Merito ſane. Æquum eſt enim eos, qui veritatem Dei in mendacium vertunt, quo ſe in ſua iniquitate abſolvant, talem ſentire vindictam. Quamobrem, etiamſi nos infirmitas noſtra impediat, quo minus officium noſtrum impleamus: demus potius Domino gloriam, miſeriam noſtram fatendo, quam ut tergiverſando, quæramus inanes prætextus, quibus bis damnemur. Exempla enim iræ Domini, nos admonere debent, ut in ejus timore ambulemus.

Quid ergo agendum eſt? Principio, ne noſtrum officium proprio commodo metiamur: ſic enim nunquam perveniremus ad veritatem. Deinde, ne habeamus omnino rationem noſtri: ut quod carni noſtræ expedit, quæramus. Tertio, ne adhibeamus rationem noſtram in conſilium, ut à periculis omnibus & moleſtiis nos eximamus, ſed pendeamus toti potius à Dei providentia: nec dubitemus quin ſatis ſit potens ad nos inter mille mortes conſervandos, quoties euſque venire oportuerit. Sic agendo, nequaquam longa conſultatione opus habebimus, nec diu diſputandum erit in utramque partem, numquid cum moleſtia, cum jactura bonorum, cum vitæ periculo, debeamus Deo parere: num incurrere debeamus in hominum offenſionem, quo illius voluntati obſequamur: ſed contenti ejus mandato, ſequemur prompto animo, ac ſine hæſitatione, tanquam certum iter, quod oſtendet, exitum illi commendantes. Hæc ſola ratio eſt bene in hoc negotio nos gerendi. Referam inſigne exemplum, quod apud Auguſtinum extat. Quum damnatus capite Cyprianus eſſet, quia nollet idolis immolare, ac jam ad ſupplicii locum adductus eſſet: rogatus fuit, ut vitæ ſuæ vellet parcere. Adeoque ipſe judex eum ſervare cupiens admonebat, ut apud ſe cogitaret. Ipſe autem breviter reſpondit: In re tam ſancta non eſſe conſultationi locum. Mortem habebat præſentem ante oculos: ſed quia habebat fixum in animo, parendum eſſe mandato Domini, hæc cogitatio omni perplexitate ipſum liberat. Itaque non obſtupefactus fuit, non alternavit dubius: tantum abeſt, ut flexus fuerit: ſed perſtitit invictus, in eo quod ſemel conceperat. Nempe, quicquid à Deo ſtatutum eſt, fixum eſſe debere apud nos, nec deliberationi hominum eſſe ſubjectum. Præclara ſententia, & quæ memoriæ noſtræ inſculpta eſſe debet: ne diabolica audacia deliberemus nobiſcum, an debeamus obedire Deo nec ne: acſi correctores eſſemus voluntatis ejus. Quod ſi nobis iſtud ſinimus, ut deflectentes ab ejus verbo, audiamus noſipſos, certo nobis imminet maledictio, quæ denunciatur per Prophetam adverſus omnes, qui conſilia ineunt, & non ex Spiritu Dei: ordiuntur telam, & non ex ore ejus. *Jeſa. 30. & 31.*

Nunc videndum eſt, num ſic Deus voluntatem ſuam patefecerit in præſenti cauſa, ut quiſquis verbo ejus acquieſcere volet, ſciat quid rectum ſit. Hac quæſtione ſoluta, ſi quis reſponſare pergat, litiget adverſus Dominum: & periculum faciat, numquid ſuperior in hac lite futurus ſit adverſus tam validam partem, & malam cauſam defendens.

Primum nobis ſuccurrat, Chriſtum primo ſcholæ ſuæ ingreſſu, omnibus occinere hoc carmen: Quemcunque puduerit mei coram hominibus, pudebit & me illius coram Patre meo & ſanctis Angelis. *Luc. 9. verſ. 26.* Videmus non ſatis eſſe Domino, ſi quis eum intus in arcano cordis agnoſcat: ſed ipſum ſevere exigere, ut externa quoque profeſſione oſtendamus apud homines, nos ipſius eſſe diſcipulos. Nec vero alia lege in regnum ſuum nos admittit: & optima quidem ratione. Nec enim fallit Pauli ſententia: Sicut corde creditur ad juſtitiam, ita ore fieri confeſſionem ad ſalutem. *Rom. 10. verſ. 10.* Quibus verbis ſignificat non eſſe veram fidem coram Deo, quin confeſſionem coram hominibus pariat. In ſumma, Dominus ad confeſſionem nominis ſui vocat omnes. Quicunque ſe hinc ſubducit, alium magiſtrum quærat. Rogabit hic quiſpiam, numquid omnes in publicum prodire oporteat. Id ego non requiro. Nam quum ſpecialis ſit vocatio, publicum docendi munus, minime neceſſe eſt à ſingulis uſurpari: ac ne conveniret quidem. Proinde non injungo, ut ſuggeſtum omnes conſcendant ad fidem ſuam profitendam, vel in compitis eam ut promulgent: ſed enim ut quiſque pro vocatione ſua ad dandam Deo gloriam ſe comparet. Porro, quoniam Dominus neque tempus, neque locum præfixit, nec modum quo uſque progredi nos velit, ego etiam non poſſum certam in his legem præfigere. Verum, ſe quiſque fideliter impendat ad id præſtandum, prout occaſio & facultas dabitur: cogitans ſemper in quo vitæ genere verſetur, & quid ſibi datum ſit à Domino. Quia vero fere adeo ſocordes & pigri ſumus, niſi ſubinde ſtimulemur ad officium, memorabiles illas ſententias in animis ſemper impreſſas geramus, quæ jubent nos paratos eſſe ad reddendam omnibus rationem ſpei quæ in nobis eſt, & quemcunque noſtrûm arrepta proximi manu, debere ſanctis exhortationibus adducere, quos poſſumus ad Dominum: nam paſſim talem in nobis zelum propagandi regni Dei, tale ſalutis fratrum ſtudium requirit Scriptura, ut velit nos toto conatu ad id eniti, nervoſque omnes intendere. Sed quia certa regula non extat quæ doceat quo uſque: ſupereſt ut à Domino petamus omnes prudentiam, ut ſciamus quidnam expediat. Deinde, ut quiſque pro facultate ſibi data, pro gradu intelligentiæ, vias omnes tentet, ac occaſiones quærat utriuſque præſtandi. Quicquid ſit: imitatio Chriſti ſit nobis ſemper pro ſcopo. De ipſo autem ſcriptum eſt. Zelus domus tuæ comedit me. *Pſal. 69. verſ. 10. Joan 2. verſ. 17.* Quo indicatur, tanto flagraſſe ardore deſiderii, ad conſervandam Dei Eccleſiam, ut nunquam conquieverit, quin perpetuo in hoc opus incumberet. Rurſum audiamus quid de iis Spiritus pronunciet, qui Chriſti nomen confiteri auſi non ſunt, poſtquam in ipſum crediderant. Nempe, quod magis dilexerint gloriam hominum, quam gloriam Dei. Nonne hæc miſera & nimium perverſa eſt optio, ut homines Deo præferantur? Cavendum ergo, ne incidamus in hujuſmodi condemnationem.

Sed aliud eſt, quod tractare nunc inſtituimus. Nempe, an Chriſtianus recte edoctus in Euangelio, poſſit citra Dei offenſam, dum inter Papiſtas babitat, illorum moribus ſe accommodare: boc eſt, num Miſſæ intereſſe poſſit, & reliquis ceremoniis communicare, quæ illic ſunt in uſu. Atque ut anſam præcidamus omnibus cavillis, non quærimus an diſſimulate malum ſit: ſed an ſimulare aliquid & præ ſe ferre, contra veritatem liceat, nec ne. Diſſimulatio committitur, occultando quod quis in animo habet. Simulatio ultra procedit: fingit enim quod non eſt. Denique, quod eſt mentiri verbo, id eſt facto ſimulare. Jam ut hanc quæſtionem definiamus, notandum eſt, ſicut duplex honor Deo debetur, nempe ſpiritualis cultus, qui in corde ſitus eſt, & adoratio exterior: ita rurſum duas eſſe ſpecies idololatriæ. Prior eſt, quum bomo prava opinione polluit ac pervertit ſpiritualem Dei cultum. Altera, quum honorem ſoli Deo debitum, quavis de cauſa, vel ad creaturam transfert, vel ad imaginem. Incipiamus ergo ab ea obligatione, qua ſumus obſtricti Deo, ut rite ipſum colamus. Quæritur, ſatiſne ſit Deum ab unoquoque clam agnoſci, & intus in corde illi dari gloriam. Atqui plus quiddam à nobis requirit, quum præcipit ut nomen ſuum geſtemus tam in corpore noſtro, quam in ſpiritu, & rationem addit, quia utrumque ſuum eſt. Quod ſi hoc non eſſet præceptum, eſt tamen evidentiſſima ratio, quæ id nos doceat: nam quum ſacro Chriſti ſanguine redemptum ſit corpus: quam abſurdum eſſet coram idolo proſtitui! Quum templum ſit Spiritus ſancti: quam indignum eſt pollui tali ſacrilegio! Quum deſtinatum ſit ad beatam immortalitatem & ſocietatem gloriæ Dei: minime convenit tam fœda macula conſpurcari. Diſcamus ergo, ſicuti anima ſacra eſt Deo, ita corpus ejus bonori eſſe dicatum. Paulus, dum invebitur in ſcortationem, boc argumento utitur: Quum corpora noſtra membra ſint Chriſti, numquid fas eſt fieri membra meretricis? Eadem ratione dicere poſſumus: Quum corpora noſtra membra ſint Chriſti, reſcindemuſne ipſa ex ejus communione, & idolorum cultu profanabimus? Proinde, Dominus, quum de ſervis ſuis loquitur, bac nota eos inſignit: quod non flexerint genu coram Baal, nec oſculati ſint manum ejus. Poterat quidem dicere, non eſſe prava ſuperſtitione corruptos, aut non habere Baal pro Deo: verum, exprimere volens, non ſatis id eſſe, nominatim dicit, ne externo quidem geſtu cultum ipſos exbibere idolo. Hac deſcriptione annon admonet nos quoque, à tali pollutione eſſe cavendum, ſi ex ejus populo eſſe velimus? Idipſum etiam per Jeſaiam docet: Vivo ego, inquit, mihi flectetur omne genu: & omnis lingua jurabit mihi. Quibus verbis indicat, ſe non aliter rite coli à nobis, niſi externo quoque geſtu & corpore, ſicut anima, ipſum adoremus. Si quis autem contra, ſe coram imagine proſternat: annon ita ejus majeſtati derogatur? Quid volumus amplius? Nonne diſertis verbis

Exod. 20. verſ. 5. Levit. 26. verſ. 1.

probibet Lex, ne quo bonore idola proſequamur? Verbum enim quo illic Dominus utitur, non tantum pravam ſuperſtitionem notat, ſed impiam profanationem gloriæ Dei, quemcunque in finem ſpecter.

Eſt igitur frivola cavillatio, & quæ nihil quam peccatum auget: cauſari Deum ſolo animo eſſe contentum. Videmus enim hoc falſum eſſe. Similiter cauſari, idololatriam ex ſuperſtitione manare: atque ita non poſſe perpetrari niſi ex animo. Utcunque enim quiſpiam apud ſe idolum rideat, ſi tamen honorem illi ſe habere ſimular, jam reus eſt translatæ in creaturam Dei gloriæ. Verum, ut omne cavillum tollat: quid eſt quod poſſit quiſpiam hic obtendere? Negabit ſe peccare: quia malo non ſit animo. Dicet ſe Deum viventem intus ex corde colere, quicquid alii faciant. Dicet hoc ſibi non eſſe ignotum: abominationem eſſe, ſi quis preces ſuas ad idolum convertat, ſi quis inde auxilium expecter, ſi quis illud revereatur. Se ergo Deum precari: utcunque facie ad imaginem converſus oret. Hoc colore olim tentabant effugere Corinthii, quum hoc ipſum vitium reprehenderet in ipſis Paulus. Phratrias enim, quæ in idolorum honorem celebrabantur, frequentabant cum aliis: & ſolennibus epulis intererant. Idne agebant ſuperſtitione? Nequaquam: nam Paulus tanquam ex eorum perſona, hanc excuſationem adducit: Scimus idolum nihil eſſe: quicquid de eo opinentur homines. Scimus unum eſſe Deum, & unum Dominum Jeſum Chriſtum. Sed an id ſatisfaciebat Paulo? Quin potius è converſo clamat, hoc totum nihil eſſe, quum exemplo ſuo infirmos inducant ad colenda idola. Annon infirmus, qui te videt, inquit, cogitat idolum te habere in honore? Ergo commovetur tuo exemplo, ut idolo honorem deferat. Tu quidem ſanam intelligentiam in corde reconditam habes. Sed an convenit, eum pro quo Chriſtus mortuus eſt, propter ſcientiam tuam perire? Hac reſponſione, nonne prætextus omnes rejicit, quibus ſe plurimi hodie obtegere conantur? Aſperius etiamnum paulo poſt loquitur, quum addit: Sicut qui ſacrificiis Dei communicant, participes ſunt veræ conſecrationis: ita, qui ſe vitioſis & pollutis ſacrificiis permiſcent, inde profanari. Nugæ ſunt, inquit, ſi quis obtendat, imaginem nibil eſſe & nibil poſſe: nam quum impii diabolo ſacrificent, quicunque ſe in tali actione cum ipſis miſcet, diabolo ſe adjungit. Atqui, nemo poteſt ſimul particeps eſſe menſæ Domini, & menſæ dæmoniorum. Nemo bibere ſimul poteſt calicem Domini, & calicem dæmoniorum. Quicunque alterum eligit, alteri renunciat. Et ſane, ſi hoc legitimum eſſet effugium, temere ac ſtulte feciſſent ſocii Danielis, in mortem ſe exponendo. Nonne ſic poterant inter ſe paciſci? Alii quidem ſtatuam adorabunt, ſed nos mentibus in cælum erectis, Deum viventem adorabimus. Interea, ut evadamus periculum, erimus inter alios, & ſimulabimus nos agere quod ipſi agent. An talis cavillatio eos abſolvere coram Deo poterat? Nullus puto hoc dicere audebit. Quid ergo nobis volumus? Accuſabimuſne eos zeli inconſiderati, ut ſe conjicere in fornacem ardentem maluerint, quam ſimulare quidpiam, quod bonori Dei derogaret? Atqui, Spiritus ſanctus eos commendat in bac conſtantia. Objiciet quiſpiam, non omnes adeo robuſtos eſſe. Sed quid tum? nam exemplum eorum nobis ad imitationem proponitur.

1 Cor. 8. verſ. 1.

Ut ad quærendas vitiis noſtris latebras ingenioſi ſumus, quidam idoneam ſolutionem habere ſe putant, quum reſpondent: Hæc quæ diximus, omnia locum habere in Gentium ſuperſtitionibus, ideoque ad ætatem noſtram trahi non debere: nam Gentiles, inquiunt, peccabant, non tantum pravas ceremonias uſurpando, ſed etiam comminiſcendo falſos deos. Itaque non eſſe mirum dicunt, ſi Dominus eorum ritus tantopere execratur. Sed Papiſtarum ſuperſtitiones longe diverſam rationem babere putant: nam utcunque vitiatus ſit apud illos cultus Dei, non aliud tamen intendunt, quam Deum adorare. Hoc igitur diſcrimine ſe armant, quod illis non videtur tam grave malum eſſe idololatriæ, quæ nomen Dei præ ſe ferat, quam ſi qua hoc colore careat. Ego autem ex adverſo reſpondeo: Simulatque mundus Deum colere aggreditur perverſo & illicito ritu, jam idolum adorare, qualicunque fuco impietatem ſuam piogat. Quicunque ergo ſuperſtitiones erigunt à Deo damnatas, fruſtra adſciſcunt hanc defenſionem, ſe in animo habere, Deum colere: nam quum Deus talem cultum neque ratum habeat, neque probet: diabolo, non

ipſi

Rom. 1. verſ. 23. ipſi exhibetur. Qua ratione dicit Paulus, eos qui verterunt gloriam Dei in imaginem corruptibilem, creaturæ non Creatori ſerviiſſe. Verum, ut clarius pateat, quam infirma ſit hæc defenſio, ſumamus exempla ex Scripturis, quæ præſenti cauſæ conveniant. Serpens æneus non temere hominum libidine fabricatus erat: ſed Dei mandato: nec ſymbolum modo erat beneficii divini, ſed Sacramentum, quod Chriſtum figuraret. Poſterior ætas illo abuti cœpit ad idololatriam: neque tamen carebat hic abuſus ſpecioſo prætextu nominis Dei. Nunc ſcire velim, ſi quiſpiam tunc Serpentem ſe adorare finxiſſet, quo ſe accommodaret ſuperſtitioni populi: an eſſet excuſandus? Neminem fore puto, qui condemnare dubitet. Vitulus aureus, quem fudit Aaron, annon in hoc factus erat à populo, ut Deum viventem repræſentaret? Nam quum edictum promulgaſſet Aaron, ut convenirent ad diem feſtum æterni Dei: id ſine controverſia ab omnibus receptum fuit. Ceremonia igitur erat in honorem Dei erecta. Sed quum perverſa foret, ac pugnaret cum veritate, Deus idololatriam eſſe pronunciat. Si quis ergo ſimulaſſet ſe conſentire, & prætexuiſſet Dei titulum, fuiſſetne ideo innoxius? Quis non eum protinus condemnet? Cur ergo in ſimili cauſa nolumus culpam agnoſcere? Tantundem habendum eſt de vitulis,
1 Reg. 12. verſ. 28. quos Jeroboam erexit: neque enim profitebatur, ſe novum Deum velle inducere: quin potius præ ſe ferebat ſe adhærere Deo viventi. Et ſane non aliud ſpectabat, niſi ut obviaret periculo defectionis, ſtatumque regni ſui hoc modo conſervaret. Idololatria nihilominus erat: quia ritum inſtituebat alienum à verbo Domini, & ejus mandato contrarium. Si quis illic immolaſſet, non ex corde, ſed tantum in gratiam regis, fuiſſetne extra culpam? Et, ne ſimus longiores, legimusne quempiam ex ſervis Dei illic unquam adoraſſe? Quin potius legimus Deum fortiter hoc vetuiſſe per ſuos Prophetas, tanquam ſcelus execrandum. Ut finem faciam: reſpondeant mihi, fuerit ne templum Samaritanum Jovi dicatum, aut Marti? Scimus conſecratum fuiſſe Deo Iſraël. Licebatne propterea, cuiquam pio illic adorare? Fatentur omnes, graviſſimum fuiſſe futurum crimen, ſi quis hoc feciſſet. Quamobrem, ſecundum has rationes conſtituo, nihilo magis fas eſſe idololatria ſe implicare, quæ Dei nomine fucata ſit, quam ſi aperta eſſet, quales fuerunt Gentilium.

Antequam ultra pergamus, quia jam oſtendimus, idololatriam, etiamſi committatur ſola ſimulatione, ſemper diſplicere Deo, accommodare hanc doctrinam ad tempus noſtrum convenit. Si quis apud Turcas agat, dubium non eſt, quin facturus ſit impie ac nefarie, ſi templum eorum ingreſſus, eorum ſuperſtitionibus communicet. Quod ſi quis tam ſit impudens, ut hoc excuſare auſit: oſtendet eo ipſo, ſe cor habere omni timore Dei vacuum. Hæc ratio eſt: Quemadmodum adoratio, quæ in Eccleſia fidelium Deo exhibetur, ſolennis profeſſio eſt, qua teſtamur ipſum eſſe Deum noſtrum, idque palam apud homines: ita qui ſe Turcis adjungit in ſolenni adoratione, Deum verum abnegat. Idolum enim Turcæ colunt Dei loco, quum eorum adoratio ſit perverſa & impia. Idem ſi ſimpliciter dicam de Papiſtis, durum merito & iniquum cenſeatur. Multa enim habemus inter nos communia. Et quamlibet magnum ſit diſſidium: multo tamen propius inter nos convenit, quam nobis conveniat cum Turcis: vel ob hoc ſolum, quod ab uno Chriſto utrique nominamur. Videndum eſt ergo, qualiter & quo uſque homini vere Chriſtiano liceat cum ipſis communicare. De iis loquor, quibus revelavit Dominus, quantis abominationibus ſcateant Papiſticæ Eccleſiæ. Quo magis perſpicuum ſit diſcrimen, notare convenit, eorum quibus cultus Dei apud Papiſtas conſtat, partem eſſe excogitatam adverſus Dominum, & prorſus reclamare ejus verbo: partem vero alteram depravatam aut vitiatam fuiſſe poſterorum abuſu, utcunque ab initio origo mala non eſſet. Notandum præterea eſt, quaſdam eſſe ceremonias, quæ nullo modo excuſari poſſunt, quin apertam idololatriam contineant. Alias vero ſtultas quidem eſſe & ineptas: ſed quæ hominem non contaminent, niſi in illis obſervandis accedat prava opinio. Tertio, notandum eſt, quædam eſſe illic impie præcepta, quæ ſervari tamen ab homine ſine offenſa queant. Alia autem eſſe, quæ ſervari nec poſſint ullo modo, nec debeant. Operæpretium non eſt, minutatim ſingulas ſpecies excutere. Eas enim attigiſſe ſufficit: ne quis putet me adeo auſterum eſſe aut præciſi rigoris, ut velim in totum interdicere homini Chriſtiano, ſine ulla exceptione, ne ſe Papiſtis ulla in ceremonia aut obſervatione accommodet: neque enim mihi quicquam damnare propoſitum eſt, niſi plane malum, & palam vitioſum. Porro, quia hoc non poteſt liquido comprehendi, niſi exemplis, rem ipſam, qualis eſt, ante oculos ponamus. Quotidie celebratur Miſſa. Qui præ aliis religioſi videri volunt, illuc accedunt. Hoccine excuſari poteſt? Qui mediocriter in Evangelio profecit, non ignorat actionem illam abominabile ſacrilegium eſſe. Amabo, poteſtne quiſquam ſe coram idolo proſternere, & eo conſilio, ut omnes putent eum id facere ex animo, quin graviter in eo delinquat? Si nullum in ea re delictum eſt, quid fiet hac ſententia Spiritus: ubi vetat ne communicemus operibus infructuoſis tenebrarum, ſed magis redarguamus? Video opus impium & Deo exoſum. Intro me ingero, fingo me ratum illud habere. Poſtea, quaſi perfricta fronte, negabo me peccaſſe. Quid hoc aliud eſt, quam jactare cum impiis, de quibus David loquitur, Faciamus quicquid libuerit: Deus non videt? Sed obtendunt, ſe non eſſe auctores actionis. Sibi ergo non eſſe imputandum id, quod non poſſent corrigere. Reſpondeo: Me nihil aliud reprehendere in ipſis, niſi quod non abſtinent ab eo, quod malum eſſe noverunt: quin potius eo ſe implicando contaminant. Et ſane non magno negotio os illis in hac parte obſtruetur.

In Miſſa parochiali, multis videtur aliquanto plus eſſe coloris. Tametſi enim multas illic corruptiones fatentur eſſe, quas improbent, quia tamen, eorum opinione, mnemoſynon eſt Cœnæ Domini, eam ſe ita accipere excuſant: proinde, quando illuc accedunt, eo ſe animo & conſilio venire, ut mortis Domini recordentur. Itane pro noſtro arbitrio res transformabimus, ut vocemus tenebras lucem? Obſecro, quid ſimile habet Sacramentum à Domino inſtitutum, cum hac farragine ex variis fæcibus compoſita? Principio quod Miſſam imaginantur Papiſtæ ſacrificium eſſe quod Deo reconciliet non tantum vivos, ſed etiam mortuos: an id pro nihilo ducunt? An hoc etiam nihili reputant, quod Canon, qui tanquam præcipuum Miſſæ caput eſt, refertus eſt execrandis blaſphemiis? quod illic pro mortuis, qui purgatorio igne torquentur, preces fiunt, quas ſcimus omnino eſſe ſuperſtitioſas? Si nihil aliud eſſet mali præter diabolicum hoc figmentum, quod putant illic Chriſtum offerri Deo, ut tali opere expientur peccata vivorum & mortuorum, nonne jam id abnegare eſt Chriſti mortem? quæ in nihilum redigitur, niſi agnoſcatur unicum & perpetuum ſacrificium. Nonne etiam hoc modo profanatur ſacra Domini Cœna? Duas iſtas pollutiones certum eſt nihilo magis poſſe à Miſſa ſeparari, quam calorem ab igne. Quiſquis illuc ad participandum accedit, poteſtne purus & mundus eſſe, tale opus perpetrando? Hunccine honorem Deo Patri noſtro habemus? Hanccine gratiam rependimus Chriſto Redemptori: ut quum videamus talem utrique contumeliam irrogari, non modo non reclamemus, ſed potius adjungamus nos

ſocios ad tantum nefas? Et quod pejus eſt, alios ut id faciant, inducimus noſtro exemplo.

An non nimiæ impudentiæ eſt, excuſare opus, quo Deus contumelia afficitur, & proximi impelluntur ad exitium? Sequitur deinde idololatria, quæ omnem impietatem ſuperat: nempe, quum illic panis fruſtulum pro Deo adoretur: nec jam cenſeatur panis, ſed Deus ipſe. Si Cœna Domini rite illic adminiſtraretur, vera illic eſſet exhibitio corporis & ſanguinis Domini: ſed non ſequeretur propterea, aut ſubſtantiam panis mutatam eſſe in corpus, aut corpus ſub pane incluſum latere: nam ad hoc inſtituta eſt Cœna, ut in cælum nos erigat, non ut detineat in viſibilibus ſignis. Quanquam hæc diſputatio hoc loco ſupervacua eſt. Quo enim jure pertinet hæc promiſſio ad Miſſam? Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Priuſquam enim illic quicquam Dominus promittat, Sacramentum inter fideles diſtribui præcipit. Idne fit in Miſſa? Quin potius è converſo, ſacerdos, quaſi privatum negotium, ſeorſum conficit, perinde acſi ſe, data opera, excommunicare à tota Eccleſia vellet. Putamuſne, quum relicto Chriſti mandato, in contrarium tendimus, ipſum teneri obſtrictum nobis: ut cum eo ludamus, tanquam cum puero, vel potius, ut eum, inſtar pilæ, huc illuc jactemus? Adjungit deinde alterum mandatum, ut myſterium hoc celebremus in memoriam ſui, beneficium mortis ſuæ cum laude prædicantes. Qui hoc in Miſſa fieri poſſit, in qua nullum verbum intelligitur: ſed inſuſurrantur omnia obſcuro murmure & incognito? Præterea, ſermonem ad nos convertit Dominus, quum ſignum panis porrigendo, corporis ſui communionem nobis pollicetur. In Miſſa nihil eſt tale: ſed ſacerdos incantatorum, aut præſtigiatorum more, ſuper panem ſufflat, ut eum arcano exorciſmo incantet. Quanti hoc putamus valere? Denique, tantum abeſt, ut ſit aliqua ſimilitudo Cœnæ Papiſticæ cum ſacra Domini Cœna, ut dies à nocte non magis ſit diverſus. Quo igitur loco adorationem habebimus, quæ illic pani exhibetur? An non execrabilem idololatriam eſſe fatebimur? Atque adeo craſſiorem, quam ulla unquam extiterit inter Gentiles. Nunc videamus, qua conſcientia ſiſtere ſe illuc auſit homo Chriſtianus, ut ſe aliis conformet. Erigitur idolum in hunc finem, ut Dei loco adoretur, & invocetur: proſterno me in genua, me illud adorare profiteor: & reprehendi me non patiar? Quid hoc ſibi vult? Ut nulla vox hominis audiatur: nonne opus auctorem ſatis accuſat? Proinde, etiamſi parcant homines, Deus tamen non parcet. Si demus nihil aliud eſſe mali: non video tamen, quo prætextu tegere ſe poſſit fidelis, quin graviter in eo peccet. Nihilominus quidam omni ſe ratione deſtitui videntes, non deſinunt tergiverſari: hujus vel illius auctoritatem obtendere non ceſſant. Ille, inquiunt, non tantopere damnat. Sed quid prodeſt, adverſus Deum, hominum auctoritatem opponere? Proprias ipſorum conſcientias teſtes appello, an non ipſos convictos teneant.

Quid ergo proficiunt tantopere laborando, ut ab hominibus abſolvantur, quando coram Dei judicio rei ſunt? Verum, hoc eſt quod dixi ab initio, multos ſciſcitari, non ut quid rectum ſit, teneant: ſed ut reſponſionem eliciant voto ſuo congruentem. Deus autem, hoc modo, eorum hypocriſin ulciſcitur, dum facit, ut inveniant quod quærunt, idque ſuo exitio. Verum, quia malum latius patet, quam hactenus dixerim, quo clarius innoteſcat res tota, expendamus breviter, quid ſoleant facere fere omnes ad unum, qui inter Papiſtas verſantur: loquor de optimis, qui pro carnis prudentia, de retinenda hominum gratia cogitant. Horum, inquam, unuſquiſque, non tantum die Dominico, ad aquæ benedictionem & Miſſam veniet, ſed feſtis quoque diebus: quorum magna pars ex ſuperſtitione inſtituta eſt. Illic in honorem illius Sancti, vel illius Sanctæ, canetur Miſſa. Taceo quales multi ſint Sanctorum. Fingamus omnes eſſe Apoſtolos, vel Prophetas. Canetur ergo Miſſa in honorem hominis mortui. Quid magis abominandum, quam ut ſacra Domini Cœna ad talem abuſum transferatur? Putamuſne Deum paſſurum, ut tantæ pollutioni ſit obnoxia? Deinde, quales illic precationes eduntur? Impiæ ſcilicet & blaſphemiis refertæ. Qualis erit eorum excuſatio, qui illis communicant? Sunt autem ſicut dixi, fere omnes. Quotus enim quiſque ſe excipiet? Si ego ipſis adulari velim, an non proditor ero veritatis? Jam vero, ſi uxor ducenda eſt: quum ſe fideles Deo & Eccleſiæ offerre debeant ad benedicendum conjugium, ibit ille, quiſquis eſt, & multis hiſtrionicis ineptiis ludet in Dei nomine. Poſtea, Miſſam ſua pecunia redimet, pro conjugii ſui benedictione. Obſecro, ſacerdos, qui Miſſam vendit, nonne ſacrilegus habendus eſt? Quid ergo ſentiendum de eo qui emit? Spiritus pronunciat, uxorem bonam ſingulare eſſe Dei donum. Quo igitur tempore gratiæ agendæ eſſent Deo, petendumque precibus, ut perficiat quod incepit: tale ſacrilegium perpetrando, nonne iram ejus provocamus? Scimus præterea, quo in honore haberi velit Deus conjugium: quantopere ejus ſanctitatem commendet, dum illud cum unitate ſpirituali, quæ nobis eſt cum Chriſto, confert. Conjugium ergo, quod imago eſt tam ſacræ unionis, polluemus, initium ejus facientes à mortis Chriſti abnegatione? Non cogitamus tam atrocem ejus ignominiam Deum graviter vindicaturum? Si inde naſcatur proles: quum officium pii patris ſit, filium ſuum ad Baptiſmum offerre, ſecundum puram inſtitutionem Domini: contaminabit hic ſuos liberos multis perverſis & profanis ceremoniis. Fateor quidem, non ideo intercidere vim Baptiſmi, quantum ad infantem: quando ſacra Domini inſtitutio nullis humanis additamentis aboleri poteſt: ſed non propterea innoxius eſt pater, vitioſæ huic Baptiſmi adminiſtrationi conſentiens. Omitto Judaicas ſuperſtitiones, quibus in mulieris purgatione utuntur. Venio ad familiæ diſciplinam. Quotuſquiſque eſt, qui ſervos ſuos erudiri curet in timore Domini, ſecundum purum ejus verbum? An non potius vulgare eſt, ipſos negligere, patique, ut inſtar pecudum oberrent? Objiciunt, ingens ſubeſſe periculum. De periculo in præſentia ſileamus. An hoc impedit, quominus fieri debeat? Eſtne rationi conſentaneum, unumquemque noſtrum domi ſuæ imperare: Deum vero illic contemni, atque etiam probro affici? Quem ſucceſſum meretur ea domus, quæ Deum pro ſummo Domino non agnoſcit? Quid de ſervis loquor? Quam pauci ſunt, qui auſint uxores & liberos pure in doctrina pietatis inſtituere? Quia tamen in ea re peccatur magis, ceſſando ab officio, quam aliquid palam perpetrando adverſus Dominum: hæc ego vitia ulterius nunc non perſequar. Eſt enim præſentis inſtituti, ea reprehendere, in quibus apparet manifeſta transgreſſio. Nemo noſtrum eſt (de iis loquor, quos Euangelii luce dignatus eſt Dominus) qui non fateatur ſolennes exequias mortuorum quales fiunt in Papatu, adjunctis Miſſis, & aliis acceſſionibus; item Anniverſaria, meras eſſe abominationes: quia & res ſunt contra manifeſtum Dei verbum falſo confictæ, & quia vim mortis Chriſti extenuant. Si quem aut ex cognatis, aut ex amicis, aut ex vicinis mori contingat: is qui ſe Chriſtianum vocat, veniet una cum aliis ad funus proſequendum, Miſſis intererit, & ſimulabit cum aliis, mortui animam ſe velle redimere. Quo hic prætextu ſe teget, niſi ſacco madido? ut fert proverbium. Quod ſi patris agantur exequiæ,

aut

aut matris, non tantum approbabit hæc ſacrilegia, ſed etiam ſua pecunia redimet. Si ſacerdos Miſſas vendendo, Judæ negotiationem imitatur, eritne innoxius, qui ejus operam ad id conducit? Præteribo reliquum anni tempus: tantum dicam de die Paſchatis. Quid communiter tunc agunt, qui volunt haberi Chriſtiani? Abſque difficultate ad Miſſas accedunt, non tantum ut pareant tyrannidi Antichriſti: ſed ut blaſphemiis omnibus conſentiant, quas ſacerdoti libuerit proferre, & tanquam ſubſcribant conſentiendo. Quemadmodum enim abſolutionem confert ſacerdos auctoritate ſedis Apoſtolicæ, hoc eſt, idoli illius Romani, à quo non poteſt expectari, niſi exitium: ita qui adſunt, recipiunt tanquam ſalutarem. Obſecro, cui hoc rectum cenſebitur? Chriſtianos ſiſtere ſe, ac proſternere coram Antichriſti vicario, ad petendam peccatorum remiſſionem, quæ à vero Euangelii miniſtro petenda erat? Injungit poſtea idem ſacerdos pœnitentiam. Qualem? Sæpius, ut demurmurentur ſalutationes Angelicæ coram imagine Crucifixi, ut emantur Miſſæ, aut reliqua ejus generis. Qua conditione, aut in quem finem? Ut iis tanquam compenſationibus Deo ſatisfiat. Si probari hoc opus poteſt, non video quid in toto mundo reprehendi poſſit. Verum, ne ſimus æquo prolixiores, reputet apud ſe quiſque, quot impiæ ſuperſtitiones triduo illo peragantur. Ab illis autem quotuſquiſque abſtinet? Sunt forte nonnulli: ſed numerus eſt perquam exiguus. Ubi homo Chriſtianus tota vita in hoc luto defixus hæſerit: extremus actus deterrimus eſt omnium: nempe, in morte. Tunc enim majore conatu diabolus ad impetendam ejus fidem nititur. Aderunt ſacerdotes aut monachi Satanæ flabella: quibus etſi non acquieſcet, tamen neceſſe habebit geſtu ſaltem indicare aliquem conſenſum. Quali conſcientiæ tormento æſtuare debet, jam mox venturus ad tribunal judicis ſui, quem confiteri non audet? Præſertim, quum hæc ſententia ejus auribus inſonet: Chriſtum abnegaturum omnes, qui eum confeſſi non fuerint.

Hoc ſpeculum proponere libuit, in quo unuſquiſque fidelium, qui inter Papiſtas degit, vitia ſua agnoſcat: & quam miſera in conditione verſetur. Comprehendi autem breviter: & multa filentio præterire malui, quam amplificare mala, quæ jam per ſe nimia ſunt. Proinde, ſi quis præditus erit timore Domini, quum vitam ſuam recognoſcet, & quot modis impingat: ſatis argumenti habebit ad ſe ultro damnandum, nec hiſcere pro defenſione audebit. Sed quoniam nonnullis ſatis eſt habere qualemcunque clypeum, quem opponant: excutienda ſunt illis è manibus, quæ ad patrocinium ſuum arripere objecta ſolent. Exemplum Naaman Syri valde illis familiare eſt: qui quum profeſſus eſſet ſe poſthac ſequuturum Deum Iſraël, petit tamen ab Elizeo, ut ſibi cum Rege ſuo idoli templum ingredi liceret. Et quia ſolebat Rex, ejus
2 Reg. 5. verſ. 18. humero incumbere, veniam ſimul petiit, ſi una cum Rege corpus flecteret. Iſtud permiſſum eſt à Propheta. Quamobrem, ſimilem fictionem licere ſibi iſti volunt. Sed prodeat unus ex eorum numero: ego ipſum ita conveniam: Amice, vehementer miror, quum in verbo Dei habeas viam univerſalem, latam & bene tritam, in qua non poſſis aberrare: quid eſt, cur in particulare hoc exemplum, tanquam in anguſtam ſemitam, & parum uſitatam, declinare mavis, in qua facilis ſit error? Cur ad quærenda diverticula, & rimas perſpiciendas tam es acutus, & cæcutis in videnda porta? An neſcis rem eſſe plenam periculo, particularia exempla ſequi, ſine alia probatione? Nam quibuſdam aliquando permiſit Dominus, tanquam privilegio ſingulari, quod omnibus in commune prohibuit: ſimiliter quædam toleravit, quæ tamen non probabat. Non legimus hunc Naaman, de quo agitur, unquam fuiſſe circumciſum: neque credibile eſt. Hinc excuſationem captabis, quo tibi à Baptiſmo abſtinere liceat? Quid ſi excipiam adorationem Dei, & confeſſionem nominis ejus, ex fide manare? te ergo ad confitendam fidem eo magis aſtrictum eſſe quo plus intelligentiæ habes, quam ipſe Naaman: quid contra afferes? Finge hoc tibi tantum à me reſponderi. Non mirum eſt, ſi cum tali permiſſione dimittitur Naaman à Propheta: quum exiguam tantum intelligentiæ ſcintillam haberet. Tu vero, qui ampliore intelligentiæ menſura præditus es, debeſne ad hanc regulam exigere tuas actiones? Deus ſophiſta non eſt neque ſophiſticis iſtis effugiis eluditur. Hoc reſponſo audito, eſſeſne coram Deo quietus? Verum, longe aliud habeo, quod iſtis nugatoribus reſpondeam. Dico eos perperam abuti Scriptura: & planum hoc faciam iis, qui volent rem expendere. Principio notandum eſt, præfectum regium, quamdiu in ſuperſtitione vixerat, magno apparatu ſacrificare ſolitum fuiſſe: quum mediocres etiam homines hoc facerent. Quid autem pollicetur Naaman? Inter alia vovet, ſe poſthac ſacra non facturum, niſi uni Deo Iſrael. Id autem, quid aliud erat, quam publicam & omnibus notam profeſſionem edere: unde mundus intelligeret, ipſum non eſſe amplius idololatram: acſi præeunte tubæ clangore enunciaſſet? Cui enim fuiſſet dubium ipſum diis valedixiſſe, quibus amplius non immolaret, quum ante fuiſſet perpetuo ſolitus? Præterea, mulos duos onerat terra Iſraëlis, in qua Deum viventem adoret: ne terræ profanæ contagione polluatur, ſi illic ſacrificet. An non hic quoque habemus ſolennem profeſſionem qua teſtatur omni hæſitatione ſublata, ſe abhorrere à ſuperſtitionibus Syrorum? Sed poſtea veniam ſibi concedi poſtulat, ſi templum Remon ingreſſus fuerit. Si hoc facit, ut adorationem idoli ſimulet: fateor hoc ipſis nonnihil ſuffragari. Verum, rem ſecus habere conſtat. Sic enim ſonant verba: Si Rex dominus meus forte ingreſſus fuerit templum Remon, & ſuper humerum meum innixus adoret: ego quoque ſimiliter adorem, ne hoc imputet Dominus ſervo ſuo. Adorare hic, pro flectere, aut inclinare corpus accipitur. Cur nominatim hanc conditionem apponit? Si Rex humero meo incumbens adoret: nempe, ut ſignificet inclinationem hanc, fore civile officium: ne Regem impediat. Ergo, quod corpus inflectebat, in eo nulla erat idololatriæ ſimulatio: ſed civile obſequium, quod Regi exhibere conſueverat. Quicunque ergo exemplo Naaman tueri ſe volet, primum ſe purget omni ſuſpicione idololatriæ: & palam oſtendat à ſuperſtitionibus ſe eſſe alienum. Poſtquam id teſtatum fecerit, ego nullam illi controverſiam, aut litem movebo. Verum, nunc in tanto diſcriminis intervallo, quam ridiculum eſt, ipſos hoc operculum obtendere? Nam quod faciunt, huc ſpectat, ut videantur idololatriæ nomen dare. His tam frivolis cavillationibus, Deus ſatisfieri ſibi non patitur.

Citant etiam quod habetur in Epiſtola, quæ inſcribitur Jeremiæ: Quum videbitis portari deos aureos & argenteos, & Babylonios ſe incurvantes coram illis, dicite in cordibus veſtris: Te oportet adorari, Domine. Verum, an auctor Epiſtolæ, quicunque ſit, Iſraëlitas hortando ad dandam Deo gloriam, permittit ipſis genua coram idolis flectere? Quid illis prodeſt tam impudenter torquere hanc ſententiam? Deinde, quî fiet, obſecro, ut qui externo geſtu idolum adorat, dicat in corde ſuo, Deo deberi hunc honorem, niſi ut ſe damnet? Ego autem non exigo à fidelibus, ut quum à Papiſtis vident idola portari, eripiant illis ex manibus, aut lutum contra projiciant: Principum enim eſt officium, ejuſmodi ſordes repurgare. Tantum præcipio, ut ab eorum conſortio ſe abſtineant. Et quoniam iis non permittitur,

publice dare bonorem Deo, intus id in corde ſuo faciant.

Exemplum Pauli quod obtendunt, paulo plus habet coloris. Revera tamen minus illis ſuffragatur, quam exemplum Naaman: quo tamen ipſos nihil juvari prius oſtendimus. Paulus, inquiunt, quum [Actor. 18. verſ. 18. & 21:24.] ſciret ceremonias Legis abrogatas, in gratiam gentis ſuæ ſe totondit: ac purificationem vovit ex ritu Legis. Si hoc licuit Paulo, putant nihilo magis ſibi interdici debere, quominus Miſſas frequentent, & alia Papiſtarum ſacra. Reſpondeo, ipſos Deo primum graviter contumelioſos eſſe, qui ceremoniam ab ipſo inſtitutam, cum abominanda idololatria conferant: deinde ipſi Paulo, quum eum gravant hac infamia. En quid conſequantur, qui peccando juſti baberi volunt. Rogo igitur, fueritne damnata verbo Dei ceremonia, qua uſus eſt Paulus: an vero media adhuc fuerit, donec Euangelium clarius eluceret? Nemo eſt, qui non fateatur rem fuiſſe in libertate fidelium poſitam, pro eo tempore: nam ſimpliciter ſacrificium laudis erat. Tonſura quidem, & purgatio, ex umbris Legis erant. Sed nihil abſurdi eſt, ſi Chriſtianus iis utatur ad ædificationem. Atque id eſt, quod alibi dicit Paulus: ſe Judæis, Judæum fuiſſe factum: Gentibus, Gentilem: ut ad Chriſtum omnes adduceret. In Miſſa autem, quid eſt ſimile? Miſſam accipio etiam pro aliis ritibus, in quibus extat manifeſta idololatria, aut ſaltem ſuperſtitio, quæ pugnet cum verbo Dei. Quam ergo præpoſterum eſt, quod tunc fecit Paulus, ad excuſanda quæ plane vitioſa eſſe noverunt, obtendere? Si nihil differrent hæc duo, Tondere ſe, & Genua flectere coram idolo, facile illis concederem, Pauli exemplum ſequi. Sed eodem loco habere res tam diverſas, cælum terræ miſcere eſt.

Quanquam longius etiamnum reſpicere convenit: nempe, ad conſilium, vel finem operis. Nam ſi Paulus, pro retinenda hominum gratia, aut pro declinando vitæ periculo tali ſimulatione uſus eſſet, primus deberet reprêhendi: verum, ſcimus nihil aliud ſpectaſſe, niſi ut vitaret offendicula, & rudibus in ædificationem aliquid concederet. Audebuntne falſi iſti æmulatores ſimilem zelum profiteri? Atqui, conſcientiæ teſtimonio refellentur. Hæc tamen quæſtio nobis agitanda eſt, perinde acſi aliquid dubitationis haberet. Videre enim eſt, magnam eorum partem, qui in hominum gratiam impietatem ſimulant, hoc prætextu abuti: quod id totum faciant vitandæ offenſionis cauſa. Principio, eos ad Dei tribunal revoco, & propriæ conſcientiæ teſtimonium. Illic reperietur, nihil allud eſſe ipſis propoſitum, niſi ut moleſtias vitent & pericula. Quid, amabo, lucri facimus, ſic nobis contra veritatem adulando? Quid conſequimur, mendaciis cauſam noſtram tuendo? Vanas defenſiones excudimus, quibus honorem noſtrum tueamur apud homines: ne ambitione, aut avaritia duci videamur: interea conſcientia nos convictos tenet, ac ipſi adverſum nos ſumus judices. Objiciet quiſpiam, me temere facere, qui in affectus cordis exquiram, quod ſolius Dei eſt. Reſpondeo, judicium meum ſubniti operibus, quæ ob oculos patent. Ne cum Deo ludamus. Niſi nos impediret vel mortis timor, vel perdendæ auctoritatis ſuſpicio, niſi nos implicitos tenerent fortunæ noſtræ, niſi hominum gratia libertati noſtræ obſtaret: an è centum, vel etiam ex mille inveniretur unus, qui ita ſimularet, ut nunc faciunt omnes? Sed quia eo improbitatis prorupit mundus, ut tam petulanter Deo illudat: concedo illis quod poſtulant: bono animo hoc eos facere, neque ultra perſequar illorum hypocriſin. Ad rem ipſam veniamus. Ne ſcandalo ſimus, inquiunt, cogimur nos attemperare Papiſticis ſuperſtitionibus. Ut pateat, numquid hoc verum ſit, ſciendum eſt quid nomen Scandali ſignificet. Quum eo Paulus utitur, eos ſcandalum dare intelligit, qui conſcientiam infirmam turbant, quominus ad Chriſtum veniat, vel ut ab eo alienetur. Quum ergo hoc argumentum tractat, de quo nunc agimus, jubet ſumma diligentia ſcandalum vitare. Sed qualiter? Cave, inquit, ne de carne [1 Cor. 8. verſ. 10.] idolis immolata coram infirmo comedas: erit enim hoc offendiculo. Si ratio quæritur: reſpondet, quia ejus conſcientia in malum confirmabitur. Hanc enim carnem pollutam eſſe opinatur: & tamen inductus tuo exemplo, comedet. Ita illi præcipitii cauſa eris. Quod ſi ſe abſtineat, torquebitur tamen apud ſe hac opinione: quod Dei contemptu hoc fieri abs te putabit. Atque hoc modo labefactabitur, vel deſpondebit animum: quia nondum bene ſtabilitus eſt in ſalutis doctrina. Videmus nunc, à quibus ſcandalis nos revocet Paulus: nempe, ne temeritate noſtra occaſionem præbeamus infirmo impingendi, aut deflectendi à recta via. Denique, ſcandaliſamus eos, quos retardamus, vel impedimus, ne proficiant in Domino: quum illis potius adjutores eſſe debeamus. Similiter ad Romanos, poſtquam docuit, inhumanum eſſe, & charitati contrarium, moleſtiam exhibere infirmis, propterea quod quibuslibet cibis veſci non audeant: eoſque non eſſe importune vexandos, ut feſtinent repugnante conſcientia: neque ipſis afferendam eſſe triſtitiam: dum hanc orationem claudere vult, ſubjungit: Quiſque ergo ſuo proximo placeat in bonum, ad ædificationem. Nunc videmus in quem ſcopum collimare oporteat, quum de ſcandalo vitando agitur: nempe, ne proximo cauſam præbeamus impingendi, noſtro exemplo, ne verbis aut operibus eum à recta via abducamus. Hinc judicare promptum eſt, numquid qui ſe coram idolis proſternunt, & religionem ſuam tegendo, probris Deum afficiunt, vitent eo modo ſcandalum. Primum, oſtendunt, ſibi non in pretio eſſe Dei gloriam, quam ita profanant: deinde, alios inducunt, ſuo exemplo, ad eandem profanationem. Infirmos dico, qui guſtum aliquem veritatis habent. Nam audaciores eos reddunt ad id, quod merito alioqui horrerent. Poſtremo impios, in ſua malitia obdurant, redduntque obſtinatiores. Si hoc ſcandaliſare non eſt, fateor me nihil videre, nec eſſe rationis compotem. Non offendunt quidem filios ſeculi, ut eorum offenſionem in ſe provocent: non concitant adverſum ſe impiorum furorem, nec mundo occaſionem præbent obloquendi: verum, dum idololatriam omnem fovent ſua ſimulatione, in cauſa ſunt, ut alii ruant præcipites: alii gravi impactione collidantur: cadant multi: plures claudicent, vel à recta via evagentur. Proinde, omnes ad unum, cæci ſunt, cæcorum duces: nam dum alii alios, inſtar gruum, ſequuntur, mutuo ſe fallunt. Quia nemo interea verbum Dei ſequitur, quod unum pro regula eſſe debeat. Notare præterea convenit, quum Paulus jubet nos aliquid concedere fratrum Ignorantiæ, aut ruditati, ne illis ſimus offendiculo, non hoc requirere, ut in illorum gratiam illicitum aliquid tentemus, aut ſuſcipiamus omnino ullum opus à Deo prohibitum: ſed tantum, ut in rebus mediis, quas in libertate noſtra poſuit Deus, & quæ per ſe non malæ ſunt, habeatur à nobis ipſorum ratio, ne turbentur, aut labefactentur. Quamobrem, hoc ſemper primum ſit fundamentum: ut reputemus, num id, de quo agitur, nobis ſit liberum, quo in utramque partem uti liceat pure, & ſine offenſione Dei. Expendamus, inquam, num abſtinendi & utendi nobis relicta ſit à Deo facultas. Includere vero in hunc catalogum idololatriam, prorſus eſt à ratione diſſentaneum. Quando igitur ſimulatio, quæ huc uſque procedit ut homo ſe ſacrilegio polluat, cum aperto Dei mandato pugnat, fruſtra ſcandali periculum obtenditur, ad captandam ejus excuſationem.

Qui videntur omnium modeſtiſſimi, quum ſe omni legitima defenſione deſtitutos cernunt, non

excu-

excuſant in totum, nec contendunt recte fieri: ſed leve eſſe erratum, & facili venia dignum, prætexunt. Itaque, non ſuſtinent tam acriter reprehendi. Et ne loquantur ſine ſpecie, objiciunt multa hodie vitia regnare in mundo longe graviora & quæ ſeverius corrigenda eſſent. Initium ergo præpoſtere ab hac levi infirmitate fieri cauſantur: niſi forte Phariſæis velimus eſſe ſimiles, qui camelum deglutiunt, culicem vero colant. Incipiam ab hoc poſtremo capite. Fateor, horrenda flagitia & atrocia paſſim hodie graſſari iu mundo: quibus redarguendis fortiter ſit inſiſtendum. Fateor etiam, ſi quis ſolum hoc vitium externæ idololatriæ exagitet, interea vero ad illa omnia conniveat, aut leviter tantum carpat, eum quicunque ſit perperam facturum. Quemadmodum, exempli gratia, ſi nunc ebrioſis, ſcortatoribus, furibus, perjuris, & ſimilibus parcerem: ſi indulgerem avaris, de rapinis tacerem, faſtum & vanitatem non attingerem: mordicus autem arriperem hoc ſolum vitium inſectandum, merito præpoſterus judicarer, merito ſocordiam meam reprehenderent omnes, quod in curando uno vulnere intentus, reliqua tegerem. Verum, quum hoc non faciam: quis mihi obſtabit, quo minus in ſingula vitia invehar, & unumquodque inſecter ſuo gradu & ordine, nullo excepto? Hoc autem eſſe ex numero, nullus negabit. Atqui, modum excedis, inquiunt. Nam quidam, dum audiunt tanta vehementia te vociferantem adverſus externam idololatriam, defunctos ſe putant omni officio, ſi tantum ab ea ſe contineant. Et perinde aeſi tota ſanctitas in hoc ſita eſſet, non magno æſtimant gravia flagitia, præ uno iſto vitio. Vitæ enim interea ſunt diſſolutæ, vel rapaces ſunt, vel avari. Reſpondeo, hoc genus hominum longe errare, dum perfectionem ſuam in externa ſpecie collocant: fateorque, dum ita placare Deum volunt uno officio, non minus, quin etiam aliquanto gravius peccare, quam qui ſe liberant omni culpa, dum externis ſuperſtitionibus Deum coram mundo abnegant. Sed nimis iniquum eſt, eorum vitium mihi imputari: cujus illis cauſam nullam dederim. Hæc mea eſt doctrina: pium hominem, tam corpore quam ſpiritu, Deo conſecratum eſſe debere: modo ſpiritus priores ſemper obtineat. Quis inde inferat, ad hypocriſin inſtitui homines, ut cum Deo geſtu ludant & externis actionibus?

Porro, quod leve erratum eſſe imaginantur, ſi quis adorationem idoli ſimulet, ideoque non difficulter eſſe condonandum: reſpondeo, ſi comparatio fiat inter Dei mandata, alia tunc majora, alia minora fore. Quemadmodum pronunciat Chriſtus, hæc præcipua eſſe capita Legis, Juſtitiam, Judicium & Fidem. Verum, ſi unumquodque mandatum per ſe æſtimemus: nullum eſt quod non habeat grave pondus. Audimus enim quid Chriſtus alio loco dicat: Quicunque unum ex minimis mandatis his neglexerit, & ita docuerit homines: minimus reputabitur in regno cælorum. Quid ſibi vult hæc particula, Ita docuerit? nempe, ſi rem non magni momenti eſſe doceat, transgredi aliquod Dei mandatum, acſi parum ad rem faceret: atque hac illecebra laxet frenum cupiditati hominis. denique, ſi peccatum extenuando, audaciores ad peccandum homines reddat. Si is qui qualecunque Dei mandatum, quamlibet leve in ſpeciem videatur, elevat apud homines, tam ſevero judicio eſt obnoxius: quid de iis fiet, qui de mandati unius transgreſſione taceri prorſus volunt? Quod ſi micam ſani judicii habeamus, audebimuſne hiſcere ad hanc blaſphemiam proferendam, ut exiguum erratum eſſe dicamus, repugnare Dei voluntati? Quicquid enim eſt, de quo præcipiendo dignatus eſt Deus habere curam, & cujus cauſa dignatus eſt ſacrum os ſuum aperire, nonne tanti eſſe debet creaturis omnibus, ut cum timore & reverentia excitentur ad obediendum? Eſtne noſtrum inquirere cur hoc præceperit, illud vetuerit: aeſi ſola ejus voluntas nobis pro ratione non ſufficeret? Ne quis ergo hic fallatur: non enim ea tantum, quæ Deus præcipit aut vetat, intueri convenit: ſed in Deum ipſum qui loquitur. Quia non poſſumus, niſi majeſtatem ejus violando, transgredi ejus mandata. Proinde, ab ejus magnitudine æſtimanda eſt peccati menſura: tunc nullum nobis exiguum cenſebitur. Hac de cauſa denunciat per Zachariam, ſe miſſurum volumen maledictionis in univerſam terram: quo perjurus & fur ſimiliter maledicentur: quo ſignificat quamlibet Legis ſuæ transgreſſionem ſeveriter vindicandam. Quod Jacobus clarius etiamnum exponit, his verbis: Qui totam Legem ſervaverit, & deliquerit in uno, factus eſt omnium reus. *Jacob. 2. verſ. 10.* Nam qui vetuit occidere, vetuit etiam ſcortari & furari. Ut ſciamus quam gravis ſit quævis offenſio, ad Deum legislatorem nos revocat; aeſi diceret, Peccati magnitudinem inde eſſe metiendam, quod pugnat cum voluntate Dei, ac auctoritatem ejus evertit. Quamobrem Dominus Chriſtus, dum Phariſæorum hypocriſin reprehendit, qui ſic totum ſtudium collocabant in ultimis præceptis, ut præcipua interim à tergo relinquerent: non jubet eos, relictis minoribus, ſtudium ſuum ad præcipua conferre: ſed dicit, illa oportuiſſe quidem ſervari, hæc autem non negligi. Acſi diceret, nihil à capite (ut ita loquar) ad calcem negligi convenit: ſed non decet ita intentum eſſe uni ut alterum prætereas. Videmus ergo pernicioſum eſſe figmentum, quum volunt homines extenuare quamlibet Legis transgreſſionem: quum reverentiam Dei ex animis noſtris deleat. Et ſane, quum incipimus ex auctoritate verbi Dei quicquam ulla in parte detrahere, inde facile delabimur ad ſocordiam. Eſt ergo quidam veluti ingreſſus ad impietatem & contemptum. Itaque, quicquid adverſus Dei voluntatem perpetratur, generaliter reprehendi debet: & quidem ſerio, acrique ſeveritate. Hoc enim erit timoris & obedientiæ ſignum, ſi nullum apiculum contemnamus ex ejus mandatis.

Quanquam ſcire velim, qua ratione externam idololatriam inter minima delicta reputent. Cauſam adducent, quia non manat ex affectu cordis: neceſſitate enim cogi ſe dicent: ſe vero aliter facturos, ſi liceat. Prodeat ergo unus ex ipſis. Ego ſic eum compellabo: Amice, ſi periculi cujuſpiam timore, aut in gratiam ullius hominis atroci contumelia patrem tuum afficeres, eſſeſne propterea excuſandus? Quanto autem minus probrum irrogare Deo debes, nomen ejus profanando, dum ejus gloriam ad idolum transfers? Cogor, inquies. Annon putas pluris eum gloriam ſuam facere, quam tuam vitam? Sed omiſſis altercationibus, omnes obteſtor qui hoc errore detinentur, ut pauliſper mecum reputent, ſitne tolerabile delictum, quo Paulus Deum provocari denunciat quaſi bello ſibi indicto: quo dicit Chriſtum offendi: quo teſtatur renunciari menſæ ejus: quo dicit participes nos fieri menſæ dæmoniorum? *1 Cor. 10. verſ. 21.* Hæc certe verba horrorem incutere nobis deberent: quin etiam fulminat illic Paulus magis, quam loquitur. Sed objiciet quiſpiam falſo me torquere iſtas ſententias ad præſentem cauſam. Expendamus num res ita ſe habeat. Corinthii aut periculi timore, aut alio carnis intuitu, frequentabant cum infidelibus ſacra idolorum, ac ſolennibus eorum epulis ſe aggregabant. Hæc ipſorum erat excuſatio: Intus in corde, ſuperſtitiones omnes damnamus: ſcimus unum eſſe Deum, cui debeatur gloria. Non tamen ideo Paulus clamare deſinit, ipſos provocare Deum ad certamen: ipſos pollui conſortio dæmoniorum. Quid hodie minus faciunt, qui ſe proſternunt in Miſſa, ut ejus impietati ſubſcribant? qui omnes impias ſuperſtitiones approbare ſe palam ſimulant? Si negent, expendamus annon reperiantur in ipſis omnes cauſæ quæ Paulum adverſus Corinthios incitabant.

bant. Certum eſt Paulum hæc duo reſpexiſſe, quod tali ſimulatione, Corintbii occaſionem impiis præberent obloquendi de Chriſto: eos redderent obſtinatiores, & fidem noſtram eorum ludibrio proſtituerent: deinde quod infirmos labefactabant malo exemplo. Propter hæc duo ſcandala tam aſpere & minaciter in ipſos invehitur. Quid hodie faciunt, qui in gratiam Papiſtarum ſuperſtitionibus eorum conſentire ſe ſimulant? Sumamus exemplum hujus rei in Miſſa. Sciunt abominationem eſſe in Dei probrum erectam. Sciunt quo animo illuc populus conveniat. Atque ut nihil aliud ſit, ſciunt illic idolum adorari. Hoc quum ſciant, nonne communem cum aliis adorationem præ ſe ferunt? Nonne banc de ſe opinionem volunt haberi, quod ex animo id faciant? Sic agendo, annon, obſecro, Dei gloriam impiorum deriſioni ſubjiciunt? Nonne eos in ſua pravitate confirmant? Nonne infirmis ſunt offendiculo, quum alios malo exemplo invitant ad peccandum: alios labefactent, ut incipiant de doctrina hæſitare? Nihil ergo proficiunt mitigando quod Deo tam acerbum eſſe cernimus. Quin etiam ſatis conſtat Miſſam ab inimicis Chriſti baberi inſtar pignoris, ad impietatem ſuam approbandam. Hoc enim pignore accepto, mundum ſe habere putant ſibi obligatum. Nam ſi quis diligenter ac religioſe Miſſas frequentet: boc ipſo declarar, ſe fidele eſſe Antichriſti mancipium. Rurſum, Miſſæ contemptus eſt illis tanquam defectio ab Antichriſti tyrannide. Quum ergo homo Chriſtianus Miſſas frequentando, quaſi arrha data, profiteatur ſe in idololatria Antichriſti velle vivere, & mori: nonne ſimul oblique Chriſto & Euangelio renunciat? Qua tergiverſatione evadent qui tantum flagitium colore aliquo inducere conantur? Et quia dealbare prorſus nequeunt, adumbrant obſcuris involucris, ne tam conſpicuum appareat. Dico, Miſſam non ſimpliciter in ſe conſiderandam eſſe, ſed adjunctis circumſtantiis, adjunctis appendicibus, quas ſecum trahit. Dico rurſum, hanc perpetuam eſſe Miſſæ conſequentiam, quod illic ſolennis profeſſio editur, ad tyrannidem Antichriſti approbandam, quæ horrori debet eſſe piis omnibus. Si ſana conſcientia, & ſine ſophiſtica hunc mihi nodum ſolvant, non amplius illis moleſtus ero. Sed hoc, anno toto non facient. Referam hiſtoriam,
2 Mach. 7. verſ. 1. quæ apud Joſephum & in libris Machabæorum extat, de Eleazaro, muliere Judæa, ſeptemque ejus filiis. Urgebant tantum impii eos, ut carnem ſuillam guſtare vellent. Mori maluerunt. Videri poſſent prima facie, obſtinatione quadam potius, quam zelo moderato mortem ſubiiſſe tam levi de cauſa. Verum ſi reputemus quorſum id ſpectaret, ſecus non poterant, quin Deum abnegarent. Nam qui ab illis exigebant, ut ſuilla veſcerentur, cujus eſum Deus prohibuerat: teſtimonium flagitabant defectionis à Deo & ejus Lege. Hæc quidem hiſtoria in Scripturis non continetur, ſed fabuloſa tamen non eſt. Si hos habemus pro ſanctis Martyribus, & eorum laudamus conſtantiam, ſicuti meretur: annon culpari tanquam vitioſum debet quod contra fit? Ut finem faciam, dico eos omnes, qui fictionem hanc idololatriæ pro levi delicto habent, neſcire adhuc quanti Deo ſit ſuus honor: nec unquam guſtaſſe quid hæc ſententia valeat, quam profert per os Jeſaiæ: Vivo ego, non dabo gloriam meam alteri, nec honorem meum ſculptilibus. Nam his verbis oſtendit ſe minime unquam paſſurum, ut honor ſuus ad idola transferatur, quin hujus tanti ſacrilegii vindictam exigat. Dico etiam nunquam eos percepiſſe, quam ſingularis ſit erga nos hæc Dei gratia, quod corpora noſtra dignatus eſt ſibi in templa conſecrare: quod ea ſacroſancto ſanguine Chriſti redemit, ut aliquando in beatam immortalitatem recipiantur. Nam ſi hæc haberent cognita, dicerent ſtatim cum Paulo: Purgemus nos ab omni inquinamento, tam carnis, quam ſpiritus: Deum portemus, tam in corpore, quam in ſpiritu, quando utrumque Dei eſt.

His cavillationibus diſcuſſis, prodit prudentia carnis; ac ſuam perſonam agit. Hæc autem prima eſt ejus ratio: Si ſe omnes palam ſervos Dei profiterentur, quid accideret? Reſpondeo, ſi ita Deo placeret, ſævas inde perſequutiones exorituras. Alii enim relictis fortunis, fuga ſe eripere tanquam ex naufragio cogerentur, alii probris omnium lacerarentur: alii conjicerentur in vincula: alii in exilium pellerentur: alii etiam crudeliter trucidarentur, quantum ſcilicet Deus impiorum furori permitteret. Verum hic dandus eſſet honor Deo, ut eventum illi committeremus: ſperantes eum ſic obviam iturum, ne quicquam aliter, quam optandum ſit, eveniret. Huc enim nos exemplo ducit pater noſter Abraham, *Geneſ. 22. verſ. 8.* qui quum juſſus eſſet filium ſuum immolare, rogatus ab eo in itinere, ubinam eſſet ſacrificium, reſpondet: Dominus providebit, fili mi. Præclara ſententia, & quæ in cordibus noſtris inſculpta eſſe debet, ut nobis ſubeat in memoriam, quoties aliqua in re hæremus perplexi, nec exitum invenimus. Si modo poſſemus rejicere in Dominum ſollicitudines noſtras, certo perſuaſi, ipſum ſatis habere prudentiæ ad nos dirigendos, ubi conſilio deſtituimur: nihilo magis nobis deeſſet, quam ſervo ſuo Abrahæ deſuit: quem explicavit præter hominis ſenſum, ab illis anguſtiis, quibus diſtrictus tenebatur. Verum obſtaculo nobis eſt incredulitas noſtra, quominus Dei bonitatem experimento ſentiamus. Quum aliquid nobis præcipit Dominus, an putamus eum non prævidere pericula, aut eorum rationem non habere? Si providet, an putamus eum non ſatis habere potentiæ ad occurrendum? Quod deterius eſt, an volumus eum arguere mendacii, acſi præſtare non vellet quod promiſit: cuſtodem, ſcilicet, ſe fore eorum, qui in viis ſuis ambulabunt? Quamobrem loco hujus cantilenæ, Quid nobis accidet, ſi ſerviamus Deo? aliam canere diſcamus, quando omni conſilio deſtituimur, Suppetet Deo conſilium pro nobis: quando anguſtiis tenemur impliciti, quarum exitus non apparet: Deus viam nobis pateſaciet. Tantum pareamus ejus verbo, & omni nos periculo eximet. Deus præ omnibus hanc fiduciam requirit à nobis, ut ejus mandatis obedientes, finem operum noſtrorum & ſucceſſum, ejus providentiæ commendemus, in eaque acquieſcamus. Verum, ut mille timores ſe ante oculos noſtros ingerant, ut neſciamus quo nos debeamus vertere: ſequiturne propterea irritam eſſe & abrogatam Dei voluntatem? Atqui, ſcimus eam perpetuo conſtare, etiamſi cælum terræ miſceatur. Verum prudentia carnis nondum conquieſcit. Objicit enim aliud grande incommodum: quod ſi ſe vellent omnes ſubducere ab idololatria, ſtatim fidelibus nudarentur omnes regiones, in quibus Antichriſtus regnat. Secundo, non habituros locum, ubi pedem figant: quum omnes regiones, in quibus pure invocatur Dominus, eorum capaces futuræ non ſint. Reſpondeo, hunc vanum eſſe timorem. Nam ſi quicunque illuminati ſunt à Domino, unanimes & communi conſenſu, omnia potius relinquere & poſthabere inſtituerent, quam ſe profanare in ſuperſtitionibus, nova aliqua ratione, quæ nos latet, ipſos adjuvaret. Nam aut corda Principum incitaret ad idololatriam repurgandam, & verum Dei cultum erigendum: aut inflecteret ad humanitatem & clementiam, ne tantam violentiam exercerent in fideles, neve eos ad iſtas pollutiones adigerent. Præterea, ne altius ingrediamur in hanc quæſtionem, nego timendum eſſe, ne protinus omnes vaſis collectis iter arripiant. Nunquam enim deerunt qui oculos velatos habeant, quominus cernant, quantis ſint in ſordibus. Erunt etiam ſemper alii, qui ſic agnoſcent miſeriam conditionis ſuæ, ut interea tamen quaſi ligati, ab infirmitate carnis ſuæ

teneat-

teneantur. Alii autem ſic erunt implicati & oppreſſi variis ſarcinis, ut etiam ſi velint, facultatem exeundi habituri non ſint. Atqui, veriſimile eſt, dicet quiſpiam, eos qui ampliore doctrina & conſtantiore zelo præditi ſunt, qui denique ad alios ædificandos ſunt aptiores, in primis exituros. Quid ergo fiet? inquiunt. Ad hoc reſpondeo: Si quiſquam eorum qui huc illuc diſperſi ſunt, dimidium officii ſui faceret, non fore ullum angulum mundi, qui non ſtatim refertus eſſet luce veritatis. Hæc mali cauſa eſt, quod in pleriſque, & fere in omnibus nihil eſt zeli nec cordis. Verum, etiamſi ab aliquo loco exirent, quicunque illic non poſſint cum pace conſcientiæ vivere: an ideo extinctum illic eſſet ſemen Dei? Potius ſperandum foret, Deum unius loco, tres aut quatuor excitaturum. Breviter, ſemper ridiculi erimus, adverſus Deum litigando.

Neque me latet quoſdam eſſe, qui ſibi juſti videantur, dum objiciunt, mihi eſſe perfacile, tam fortiter loqui extra teli jactum: verum, ſi eſſem ipſorum loco, me nequaquam fore tam fortem. Reſpondeo, me nihil aliud proferre, quam quod in animo habeo: neque ad ſic docendum conſcientia urgeri. Impium ergo fore & blaſphemum, ſi ſecus docerem. Quamobrem ſi degerem in aliquo loco, ubi idololatriam fugere ſine periculo non liceret, confugerem ad preces: peteremque à Domino hanc conſtantiam, ut ipſius gloriam, quemadmodum par eſt, vitæ meæ præferrem. Nec dubito quin mihi eſſet adfuturus. Cæterum non ſpectemus quid ego facturus eſſem: neque enim me jacto: ſed tantum oſtendo, quid debeamus facere omnes tam ego quam alii. Quicunque ergo ſecus facit, reus eſt coram Domino: ſive ego, ſive alius. Sed quid in me reſpiciendo proficiunt? Si aliter vivam quam doceo, væ mihi: quia ore meo jam ſum damnatus. Sed quid inde excuſationis habent? Opus ſuum probet unuſquiſque, inquit Paulus: & tunc laudem habebit in ſeipſo, & non in alio. Hoc quidem vulgare eſt mundo, ut quiſque aliorum peccata, clypei loco, ad ſua tegenda opponat: at non ſic cum Deo agendum. Præterea, ne objectare queant verba me dare, ſed nullum exemplum extare: nihil exigo aliud ab ipſis, niſi ut per viam incedant, in qua nobis tot Martyrum millia præeunt: virorum ſimul ac mulierum, pauperum ac divitum. Hæc igitur doctrina, non ſpeculatio eſt, quam in umbra otioſus fabricaverim: ſed ea eſt doctrina, quam ſancti Chriſti Martyres inter media tormenta & ſævos cruciatus ſerio meditati ſunt: hacque meditatione ſe confirmarunt ad terrorem carceris, equulei, ignis, crucis, gladii, & cujuſvis tormenti ſuperandum. Niſi hanc cogitationem habuiſſent in cordibus inſculptam, centies ſibi ſatius eſſe mori, quam adduci ut quicquam facerent gloriæ Dei contrarium, nunquam ſe ad mortem obtuliſſent pro fidei confeſſione. Quin potius paſſi eſſent ad colenda idola ſe induci. Nobis autem non in hoc tantum narratur eorum conſtantia, ut laudetur à nobis: ſed in exemplum proponitur, ne veritatem abnegemus, tam fortiter ab ipſis aſſertam: ne gloriam Dei aboleamus, aut polluamus, quam tanti fecerunt, ut pro ea obſignanda, non dubitaverint ſanguinem fundere. Si evadere ſimulatione licet, quum inſtant nobis impii, ut ad idololatriam deflectamus: quorſum attinebat, ipſos tam atrocibus tormentis corpus ſuum exponere? Deum enim clam adorando, ſimulare poterant idolis ſe dare honorem, ut perſequutoribus ſatisfacerent. Verum, exemplo ſuo nos docuerunt, ridiculum eſſe hunc prætextum, quum prætendunt homines, Deum ſe intus colere, veritatem ejus coram hominibus prodendo, & ejus honorem profanando. Et ſane, ſi diligenter expendamus, non leve nobis judicium imminet: quod tam ſocordes ſimus & frigidi, prout fuit olim ardentiſſimus ille zelus in omnibus ſanctis. Nam ſimulatque quiſpiam, alioqui rudis & imperitus, tenuem modo guſtum Chriſtianæ doctrinæ perceperat, ſine difficultate libenter ſubibat periculum, pro fidei ſuæ confeſſione. Sic animati paſſim erant, ut vivi excoriari mallent, quam eo perduci, ut ſignum aliquod externæ idololatriæ ederent. Nos qui tam ampla cognitione ſumus illuſtrati, frigidiores interea ſumus glacie. Eamus nunc, & cauſam noſtram tueamur. Sed quid aliud, quam gravius judicium cumulabimus, iram Dei in capita noſtra duriorem provocando? Hoc pro ſe quiſque cum animo ſuo reputet. Porro, quemadmodum hactenus adverſus eos diſputavi, qui ſui purgandi cauſa, veritatem Dei falſitate depravant, aut pro extenuando ſuo vitio, majeſtati Verbi ejus derogant, mandatorum ejus auctoritatem elevantes: aut vanos colores adſciſcunt, quo ſibi impune & ſine reprehenſione peccare liceat: ita nunc tempus eſt, ut objectioni occurram, quam multi pii viri & Dei timentes adducunt: Numquid fideles omnes per Galliam, Flandriam, Angliam, & Italiam diſperſos, qui multas ſuperſtitiones ſuſcipere coguntur, pro damnatis & rejectis habeam? Antequam tamen reſpondeam ad hanc quæſtionem, Deum teſtor me adeo voluptatem nullam capere, miſeros fratres meos qui tali ſervitute premuntur, carpendo, & reprehendendo, ut potius comminiſci libeat rationem aliquam qua excuſari poſſint: ſed me tantum pronunciare, quod conſcientia mihi injungit: quod denique cogor, velim, nolim: idque tamen in eorum ſalutem. Teſtor etiam, quum protuli quod ſentio, me cum gemitu & ſuſpiriis ipſos Deo commendare, ut aliquam illis levationem afferat. Quod ad damnationem ſpectat, non mei conſilii eſt, quum aliquod in ipſis vitium reprehendo, ſimul eorum perſonas damnare. Novit Dominus me ita de plurimis ſentire, qui in Galliis habitant, me eſſe multo ſanctiores. Agnoſco præterea & ſatis reputo, plus eos laudis mereri, quod in media abyſſo impietatis in timore Dei ſe continent, quam me, qui tot occaſionibus non ſollicitor ad malum: ſed verbum Dei quotidie audio, & aliis annuncio, quo tanquam freno retinear. Fateor quoque, ſi quid peccent, facilius illis ignoſcendum, quam mihi. Itaque, tantum abeſt ut rejiciam eos, & expungam è fratrum numero, ut in reliquis eos venerer coram Deo & hominibus, & excellentiore in Eccleſia Dei loco dignos eſſe judicem, quam ego ſim. Faceſſat igitur falſa hæc opinio, excludi illos à me è numero fidelium, è nomine Chriſtiano deleri. Quum tamen habeam ipſos in pretio, non deſino propterea, ſi quid animadverto in ipſis vitii, reprehendere. Nam ut quis ſit vero pius, non ideo tamen ſequitur, omnia ejus opera laude digna eſſe. Reperient forte in me alia vitia. Patior ut ea damnent: modo ne malevolentia hoc faciant, aut obloquendi libidine, vel quia mutua criminatione ulciſci ſe velint.

Rogabit quiſpiam, quale igitur conſilium dem homini pio, qui in tali Ægypto peregrinatur, aut captivus tenetur in tali Babylone, ubi non conceditur pure adorare Deum: quin potius ſe attemperare cogitur ritibus vitioſis, & improbandis. Principio conſulerem exeundum eſſe, ſi poſſet: nam omnibus ſubductis, beatus eſt ille, qui procul abeſt à tantis abominationibus: quum difficillimum ſit, illis tam vicinum eſſe, quin polluatur. Conſulerem igitur ut in aliquem locum ſe reciperet, ubi non cogeretur ſe illis ſordibus conſpurcare, connivere ad blaſphemias, tacitus audire & videre mille impietates: ſed potius liberum eſſet, in cœtu piorum edere fidei ſuæ profeſſionem, puram Evangelii doctrinam audire, communicare fidelium precibus, Sacramentis pure adminiſtratis frui. Eo quid judicio meo factu ſit optimum. Si quiſquam nullam exeundi rationem habet, tum conſulam videre & experiri omnia, numquid ſe abſtinere ab omni idolola-

tria

tria poſſit, quo ſe purum & impollutum Deo conſervet. Deinde, domi ſuæ Deum adorare, precarique ut miſeram Eccleſiam reſtituere in ſtatum ſuum velit. De cætero, fideliter incumbere ad rudes ædificandos, quoad ejus fieri poterit. Si reſpondeat quiſpiam non poſſe id fieri ſine mortis periculo. Fateor: Sed Dei gloria, de qua nunc agitur, multo magis pretioſior eſſe debet caduca hac & fluxa vita, quæ proprie loquendo, nihil quam umbra eſt. Jam bonam partem audire mihi videor: Hei nobis! præferre quidem Dominum omnibus conveniret: ſed non ea pollemus conſtantia & fortitudine. Aut, parentes habemus qui nos retinent: aut familiis ſumus impliciti & onuſti. Quid ergo faceremus? Reſpondeo: Quum infirmitatem ſuam ſibi obſtare agnoſcant, quominus conſilium ſequantur, quod conſtat maxime tutum & ſalutare eſſe: quum agnoſcant ſe timore hominum à recta via deflectere, peccatum ſuum confiteantur coram Deo, cum gemitu & lachrymis ſibi diſpliceant, ſe accuſent, abſtineant ab omni defenſione. Ubi hoc fecerint, tamen admoneo ne malo ſuo indormiant adſoeſcendo, ſed quotidie ſe ſollicitent ad diſplicentiam, & mœrorem: quo veniam à Domino conſequantur. Deinde aſſiduis precibus Deum interpellent, ut quum redemptor ſit captivorum, eripere ipſos velit ex hoc labyrintho: aut Eccleſiam ſuam ubique repurgare, quo liceat honorem illi debitum exhibere. Tandem, ut vias omnes tentent ex hoc luto emergendi: & ſiqua illis facultas, vel opportunitas offeratur, eam ne recuſent: ſed arripiant potius, quo re ipſa teſtatum faciant, ſe nequaquam per hypocriſin liberationem à Deo poſtulaſſe. Si omnes ita fideliter partibus ſuis defungerentur, certo perſuaſum habeo, quod Dominus vim ſuam exereret ad omnes idololatrias è mundo exterminandas. Sed quia miſeriam noſtram non ſentimus, neque afficimur ut par eſſet, quin potius tanquam obducto callo contemnimus, non mirum ſi Deus tamdiu patiatur in ſordibus noſtris nos jacere. Et certe verendum eſt, ne ſi pergimus ita eſſe ſtupidi, tabeſcere nos & putreſcere in illis tandem ſinat.

JOANNIS CALVINI
EXCUSATIO
AD
NICODEMITAS:
Qui de nimio rigore ejus conqueruntur.

Quum citatur hoc proverbium Solomonis, Meliorem eſſe correctionem apertam, amore occulto: item, Correctionem amici bonam eſſe & fidelem: nemo eſt qui non aſſentiatur. Sed quum ad praxin ventum eſt, nemo eſt qui ſe intellexiſſe oſtendat. Hoc ideo dico, quia antehac edidi opuſculum, ubi oſtendo fideles, qui inter Papiſtas verſantur, non poſſe eorum ſuperſtitionibus communicare, quin Deum offendant. Hæc doctrina perſpicua eſt. Eam quoque Scripturæ teſtimoniis & ſolidis rationibus ſic probavi, ut refragari nullus queat. Quin etiam una eſt ratio, quæ totam cauſam uno verbo definiat. Nam quum Deus corpora creaverit, ſicuti animas, quum ea nutriat in hoc mundo, æquum eſt ipſa quoque ejus honori ſervire. Rurſum, audimus Deum dignari nos hoc honore, ut non animas modo noſtras, ſed etiam corpora, templa ſua vocet. Rogo igitur, num templum Dei profanare liceat. An non debeat ejus nomini eſſe dicatum, ideoque conſervari in pura & impolluta ſanctitate. Præterea, quum corpus fidelis hominis deſtinatum ſit ad Dei gloriam, ac beatæ immortalitatis particeps, Chriſtique corpori ſimile futurum ſit: omnis indignum eſt, ipſum ad ullam pollutionem proſtitui. Pollutio autem eſt, ſi ad idololatriam exponitur. In ſumma, Dei ſumus vel in ſolidum, vel ex parte. Si toti ipſius ſumus, glorificemus eum corpore & ſpiritu. Itaque, quum exigo ut homo fidelis ab externa idololatria ſe abſtineat, ac prohibeo ne in hominum gratiam ea ſe probare ſimulet, quæ coram Deo damnat: conſtat me nihil niſi æquiſſimum poſtulare.

Sunt tamen quidam, quibus nimium rigidus videar: quin etiam conqueruntur ſe nimium immaniter à me tractari. Si hujus querimoniæ ratio quæritur, hæc una eſt, quod ferre non poſſunt ut eorum ſcabiem ſcalpam. Qua enim ſpecie ſe excuſabunt, acſi inique eos damnarem? Habent omnino hoc miſerum ſubterfugium: quod arcano cordis affectu, Deum adorant, quicquid præ ſe ferant coram hominibus. Porro quid hoc eſt, niſi quod inter Deum & diabolum partiuntur: ut animam alteri aſſignent, corpus alteri? Animam quidem integram Deo ſervant: ſaltem ſi fides habetur eorum verbis: ſed corpora ſua exponere profanis inquinamentis, nulla illis eſt religio. Obſecro, an Deus tali mixtura contentus eſſe poſſit? Is qui pronunciavit omne genu coram ſe flecti debere, omnem linguam confiteri debere nomini ſuo: patieturne ut impune genua homines coram idolis flectant? Proinde, ſicut initio teſtatus ſum, quod ad doctrinam ſpectat, nihil eſt in ea difficultatis: ſi modo acquieſcere veritati non recuſemus. Probationes tam ſunt liquidæ, ut reclamare ſummæ impudentiæ ſit. Fit hoc tamen. Et qui faciunt, libenter perſuaderent ſe non ſine optimis rationibus contendere. Sed omnibus ſubductis, hæc eorum eſt præcipua ratio: Quod eorum opinione non eſt tam grave malum, quam à me prædicatur. Sed cur ita opinantur? Nempe, quod colores adſciſcunt quibus vel tegant, vel imminuant ſuum peccatum. Atqui ſcire velim, quas proferre excuſationes poſſint præter illas, quæ à me plus ſatis ſunt refutatæ. Concedant ergo mihi proprie loqui. Ego magis apta ſimilitudine uti non poſſum, quam ſi eos cum iis conferam, qui cloacas repurgant. Nam ſicut hi, quum tota vita aſſuefacti ſint ad movendum fœtorem, nullum amplius odorem percipiunt, quia ſunt obſtupefacti, alioſque derident qui nares obturant: ita iſti noſtri, poſtquam longa conſuetudine obduruerunt in ſuis ſordibus, quamlibet male olentibus, putant ſe inter roſas jacere: eoſque rident, qui fœtore offendi ſe fatentur. Atque ut ſimilitudinem ulterius ducam: quemadmodum qui purgandis cloacis operam locant, cepis, alliis, aliiſque graveolentibus cibis, tanquam antidotis ſe muniunt, quo fœtorem unum, alio propulſent: ita iſti, ne idololatriæ ſuæ putidum odorem olfaciant, inebriant ſe quodammodo putidis excuſationibus, quæ ſenſum illis olfactus adimant. Verum, hoc miſerum eſt remedium, quum ſe obſtupefaciunt ægroti, ne malum ſuum ſentiant.

Nondum hic de omnibus loquor, qui adhuc infirmitate ſua in Babylonica ſervitute detinentur: ubi ſe impuris ſuperſtitionibus polluunt. Multi enim ſunt,

qui

qui in animis ſuis reputant, oreque confitentur ſuam miſeriam, atque illic tenentur inviti: gementes aſſidue, & à Deo veniam petentes. Ad eos tantum pertinet mea oratio, qui, ut evadant reprehenſionem, ſubterfugia omnia captant: & contemptui habent omnes monitiones, vel indignantur & excandeſcunt uſque ad apertas blaſphemias. Quoniam mutuantur Nicodemi nomen, ut clypei vice nobis opponant, acſi ejus imitatores forent, in præſens vocabo eos Nicodemitas, donec oſtendero quantam injuriam huic ſancto viro faciant, eum in ſuum ordinem pertrahentes: &, quod pejus eſt, gloriantes ejus exemplo. Verum, ante omnia, optarim falſam opinionem ex eorum animis evulſam: nempe, quod putant me, data opera, ſibi bellum inferre, quo illis inſultem, aut ipſos mordeam. En cur nullo modo vinci ſe ſinant. Sed in eo longe falluntur. Poſſum enim coram Deo, ſanctiſque ejus Angelis teſtificari, mihi non aliud eſſe propoſitum, niſi cultum Dei, quoad in me erit, promovere: ut illi pure ſerviamus omnes. Nec tam ſum inhumanus, dum eos in tali labyrintho video, quin potius ad miſericordiam commovear, quam delecter carpendo eos ac mordendo: aut etiam contemnendo, quo magis ſupra eos emineam. Utinam plus mihi materiæ ad eos laudandos, quam vituperandos daretur: neque enim hoc argumento lætor. Secundo, non cogitant ſibi mecum non eſſe negotium, ſed cum Deo: cum quo litigare, eſt calcitrare adverſus ſtimulum. Quid ergo proficiunt, obloquendo me nimis eſſe aſperum? Voluntne à me benedici, quum à Deo damnentur? Quod ſi illis indulgeam, quid proderit mea abſolutio? Non eſt meum vivificare, quod Dominus morti adjudicat: nec ſententiam ab eo latam mitigare, ut ejus ſeveritatem corrigam. Mihi ergo valde dolet, quod ita mordicus in me inſiliunt, ut putent nihil aliud ſibi agendum, quam ut ſint uno homine ſuperiores: nec interea cogitant, ſe adverſus Deum impingere. Moneo igitur ipſos & obteſtor, ne ſibi amplius imponant, me pro accuſatore diligendo: ſed potius reputantes ſe nihil adverſus Deum profecturos, comparent ſe potius ad humilitatem: ac judicem ſuum deprecentur, ut tergiverſationibus omiſſis, placide fateantur peccatum ſuum. Quod ad me pertinet, non poſſum, ut illis gratificer, album vocare nigrum.

Quoniam autem Nicodemitarum non una eſt ſpecies, operæpretium hic erit, in tranſcurſu notare, quas eorum præcipuas ſpecies cognoſcam. Primi ſunt, qui ut ſe in hominum favorem inſinuent, profitentur ſe Euangelium annunciare: & guſtum aliquem porrigendo, populum alliciunt. Nam quum vident bonam mundi partem non poſſe amplius ferre, præ faſtidio, monachorum inſcitiam, & ludibrio habere illorum inſulſitatem & ineptias: nullum melius compendium vident acquirendi favoris, & opinionis ſibi comparandæ, quam homines hac illecebra ineſcando. Interea vero hunc ſcopum habent, ut Euangelio, tanquam lenocinio abutantur, vel ad acquirenda ſacerdotia, vel ad implendos loculos. Itaque, poſtquam capita quædam ſanæ doctrinæ proferendo, auditores ſuos ineſcarunt, ſic poſtea ſuſpenſos tenent, & circumducunt per ambages, ut nunquam ad liquidam veritatem adducant. Certum eſt, non omnes poſſe æquo paſſu progredi ad avaritiam, vel ambitionem: quia alii aliis longiora crura habent, quibus præcurrant: ſed qui pedum Epiſcopale arripere non poteſt, ad Prioratum aut Parochiam aſpirant. Sunt etiam monachi, quibus ſatis eſt bene ſaginari, & habere opimum quæſtum: quia nihil melius obtinere poſſunt. Hunc finem quum ſpectent, fieri non poteſt quin me damnent, tanquam nimis auſterum: ac de me conquerantur, quia victum illis è manu rapiam. Quin etiam eorum nonnulli, hoc ipſo non contenti, quo majore in pretio habeantur, fingunt eorum ſe libros contemnere, unde didicerunt quicquid habent: & ſine quorum lectione, piſcibus magis eſſent muti: niſi ſe omnibus ridiculos facere vellent, nugando & ineptiendo.

Poſſem exempla proferre: ſed hoc dico, ut ipſos commonefaciam, ne aliquando traducere illos cogar. Hi ſunt qui perpetuo ædificationis verbum in ore habent, & uſque adeo ſibi placent, ut opinentur, ſibi ſolis artem ædificandi notam eſſe. Utinam ſic defungerentur, ut nihil reprehenſione dignum admitterent. Ego certe ipſis non inviderem. Sed quid? Deſcendant in ſuas conſcientias, & poſtea mihi bona fide reſpondeant, quorſum Miſſas celebrent, in quibus ſciunt abominandum eſſe ſacrilegium: & ita alios inducant ſuo exemplo ad idololatriam. Quin potius reſpondeant Deo, non mihi, annon propoſitum habeant ſe ædificare non in anima, ſed in corpore. Quæret quiſpiam, numquid ita ſentiam de univerſis concionatoribus, qui inter Papiſtas propius aliis accedunt ad puram doctrinam: utcunque ex dimidio tantum doceant, ac multum deſiderari poſſit in eorum doctrina. Abſit: quin potius certo ſum perſuaſus, quoſdam ferri bono zelo: Deique honorem & ſalutem ſpectare, non ſuum commodum. At certum eſt eos qui ſic excandeſcunt pro tuenda ſua idololatria, eamque ſub umbra falſæ ædificationis tegere conantur, rebus ſuis intentos eſſe, & ſibi potius ædificare domos, quam Deo Eccleſiam. Quantum ad proximorum ædificationem pertinet, notare deberent quod Paulus indicat: nempe, tam in bonum, quam in malum ædificari poſſe. Nam miſerum populum ſuſpenſum tenendo, & in idololatria occupando, quid aliud quam ipſum obdurant? Si in hoc maledicto ædificio gloriantur, hanc gloriam illis concedo. En primum genus eorum, quibus ego non ſatisfacio: nempe, concionatores, qui quum exponere ſe morti deberent pro aſſerendo vero Dei cultu & evertenda idololatria, Chriſtum ſibi coquum eſſe volunt ad culinam inſtruendam. Quod alios ſpectat, qui recto affectu ducuntur, etſi ipſos reprehendam in quo delinquunt, ſcio potius agnituros culpam, quam ut monitiones reſpuant, quas videbunt ex puro Dei verbo ſumptas.

Sequitur ſecunda ſpecies: nempe, Protonotarii delicati: quibus non diſplicet habere Euangelium, & de eo ſuaviter jocando, cum domicellis garrire: modo hoc ipſis non obſtet, quominus vivant pro animi ſui voto. In eodem ordine collocabo molles aulicos, & domicellas, quæ nunquam niſi blanditiis aſſueverunt: proinde neſciunt quid ſit audire verbum aſperius. Non miror ſi iſti omnes aciem contra me inſtruant, & quaſi conſpiratione facta, ſacramentoque inter ſe conjuncti, me omnes uno ore damnent immodicæ auſteritatis. Et ſane jam hoc multo ante providi. Itaque, nunc mihi videor ipſos audire, ſic loquentes: Faceſſat Calvinus: eſt enim plus æquo inhumanus. Quid enim? Si vellemus illi morem gerere, non tantum ad mendicitatem nos redigeret, ſed duceret recta ad ignem. Æquumne eſt adeo nos præciſe urgeri? Si omnes optat eſſe ſui ſimiles, & invidet noſtræ quieti, quid hoc ad nos? Bene hic ſtamus: contentus ipſe ſit ſua ſorte: nos autem frui noſtra commoditate ſinat. Tandem concludunt, me non tenere mundi rationes. Quum mutuis aſſentationibus ſibi mutuo blanditi ſunt, putant ſe præclaram de me ultionem ſumpſiſſe. Cedo: ſed quid facient Domino, ad quem eos remitto, & ad cujus tribunal ipſos cito? Protonotarius quiſpiam ridere imaginem Crucifixi poterit, cujus ſumptibus deliciatur: eſt enim mortuum idolum. At Deus non patitur hoc modo rideri. Poterit aulicus hiſtrionicos omnes ritus, quibus mundus placare Deum conatur, derdiculo etiam habere: nam quum idolo-

rum ſit cultus, quicquid ſic pro ſua libidine comminiſcuntur homines, non eſt timendum ne ipſorum contemptu iraſcatur Deus. Sed quum de ſacroſanctis Dei mandatis quæſtio eſt, non eſt illic movendum caput. Poterit domicella ſacrificulum, quem antea horrebat, quod teſtem & conſcium ſecretioris vitæ habere cogeretur, nunc impune contemnere. Nam à neceſſitate confitendi liberatam ſe novit: ſed coram Deo veniendum eſt nihilominus ad calculum. Interior iſta animi confeſſio per Euangelium non aboletur. Imo quum antea rationes ſubduceremus cum ſacrificio, cum Deo nunc ſupputandæ ſunt. Velim hoc ſaltem ab ipſis impetrare, ut pro eo quod obſtinatis animis ad repellendas meas monitiones ſe comparant, cogitent ſibi ſemel apparendum eſſe coram Deo: ut ſecundum hanc ipſam doctrinam, quam nunc propono, judicentur. Quicquid ſit, ego meam operam ipſis ad blandiendum non locavi.

Tertius ordo ex iis conſtat, qui religionem quodammodo in philoſophiam convertunt: aut certe non admodum ſerio tanguntur: ſed quieti ac ſecuri expectant, donec Eccleſia in tolerabilem ſtatum reformetur: ut autem in eam rem incumbant, quia periculoſum eſt, adduci nequeunt. Quidam etiam eorum ideas Platonicas concipiunt: de modo colendi Dei. Itaque bonam partem Papiſticarum ſuperſtitionum excuſant: quia mundum talibus ineptiis carere non poſſe imaginantur. Hic ordo fere conſtat ex literatis. Non quod omnes literati ſint tales: ego enim mallem, & certe præſtaret ſcientias omnes exterminatas è mundo eſſe, quam ut ſtudio gloriæ Dei Chriſtianos alienent. Sed multi literarum ſtudioſi reperientur, qui in hac ſpeculatione indormiunt, ſatis eſſe ſi Deum cognoſcant: intelligant veram ſalutis viam: ſi ſecum intus domi meditentur, qualis debeat Eccleſiæ ſtatus eſſe, ac ipſum Deo commendent: ſe vero interponere, aut ſuſcipere hujus rei curam, negligunt, tanquam rem ſupervacuam, & ab officio ſuo alienam. Quin etiam ludibrio habent eos, quos vident hac ſollicitudine affici: & zeli inconſiderati eos damnant.

Porro, quum libellum illum, de quo dixi, ſcriberem, mihi facile erat prævidere, apud tale genus hominum, nequaquam gratum fore. Quare novum videri non debet, ſi accidat, quod animo præſumpſeram. Eos tamen obteſtor, ſi cauſarum ſunt patroni, ne defenſionem cauſæ tam ruinoſæ ſuſcipiant: ex qua nihil referre poſſint, niſi infamiam. Si judices ſunt, obteſtor, ne cognitionem uſurpent ſupra verbum Domini, quæ illorum foro ſubjecta non eſt. Quin potius ſibi diffidentes, à judicando ſuperſedeant: & cum reverentia & timore ſententiæ à Deo latæ acquieſcant. Si medici ſunt, ne emplaſtris & cataplaſmatis inutilibus malum tegant: quod curari, niſi in lucem proferendo, non poteſt. Si philoſophi ſunt, aut dialectici, ne ſcientias quas mundo dedit Deus ut ſint veritatis adminicula, ad fucandum mendacium convertant: nec tam infirmam eſſe putent Dei veritatem quæ invicta vocatur, ut ſuis coloribus, aut picturis, vel cavillationum argutiis opprimere eam poſſint. Si theologiæ ſunt ſtudioſi, caveant ne ſcientes ac volentes incurrant in hanc horrendam maledictionem, quæ omnibus denunciatur, qui dixerint bonum eſſe malum.

Quarta ſpecies ſit ex mercatoribus, & plebeiis: qui commode agentes in ædibus ſuis, inquietari nolunt. Itaque, quia non putant ſatis juſtam me rationem habere ſuæ quietis, pro magiſtro me habere recuſant. Conſtituunt autem ſe evaſiſſe Dei judicium, ſi conſilium meum reſpuant. Quanquam iſtorum non tanta eſt multitudo, quia plus ſimplicitatis habent: ideoque non tam ſunt inſtructi ad tergiverſandum. Nihilominus nulla eſt in mundo vivendi conditio, in qua non reperiantur aliqui Nicodemitæ, qui mihi indignentur, quod ipſos præter modum urgeam. En ut ſervos Dei comparatos eſſe oportet ad ſuſtinendas devorandaſque hominum offenſiones, dum fideliter unumquemque admonere volunt. Neque abs re fertur communi proverbio, hanc eſſe mercedem veritatis. Ego quidem hoc tantum ægre fero, quod video ita ſibi addictos, ut niſi Deus per omnia illis obſequatur, ſtatim adverſus eum fremant. Rurſum, quod ita male erga Euangelium affectos video, quod tamen ſequi ſe profitentur, ut quoties ſuavem illis cantilenam non canit, extemplo parati ſint ad ejus abnegationem: niſi primo ingreſſu faciant, ab uno in alterum delabi promptum eſt. Nam ſi hodie obſtinent animos, nec aurem Deo præbere ſuſtineant, cras in alia cauſa ſimiliter illi obſtrepent: donec faſtidio primum, deinde odio doctrinæ concepto, ad ejus auditum horreant. At vero officium meum eſt, ſtudere ut ſalutaris ſit omnibus mea doctrina. Poſtquam hoc conatus ſum, ſi non reſpondet ſtudio eventus, acquieſco in Dei voluntate. Quantum ad Epicureos & Lucianicos, qui abutentes Euangelii titulo, ipſum pro fabula habent, hic ſuperſedeo quicquam dicere: nam apud eos locum monitiones non habent. Tantum in quatuor illis generibus includere eos volui, qui aliquam ſaltem ſcintillam timoris Dei habent, verbumque ejus reverentur: ſed non eo uſque profecerunt in ſchola Chriſti, ut ſibi renunciare, mundumque & propriam vitam pro honore Dei obliviſci didicerint.

Ab iis ergo omnibus, qui tales ſunt, quæro, quid cauſæ habeant, cur me nimis rigidum arbitrentur, quia ipſis non permittam manifeſtis idololatriis pollui, & eos ritus ſuſcipere, quos ipſi coram Deo vitioſos eſſe & damnatos teſtes ſunt. Hic non de mea aut illorum opinione agitur. Oſtendo quid in Scripturis reperiam: nec feſtinanter ſententiam protuli: atque adeo nihil dico, niſi tam clarum ac perſpicuum, ut nemo contradicere queat, quin Dei verbo palam adverſetur. Tantum enim ex ore Magiſtri loquor. Nam teſtimonia produco, quæ id penitus evincant. Si fas ſibi eſſe putant probare quod Deus damnavit, pulchris coloribus pingendo, falluntur. Si perſuadere Deo volunt, bis falluntur. Dicet unus eorum, Ut mihi detur ædificandi opportunitas, Miſſas celebro, quanquam in illis contineri ſcio ſacrilegium cum Chriſti blaſphemia conjunctum. Ut demus finem ejus rectum eſſe, anne ideo ſequitur, quod facit, eſſe rectum? Faciet quidem interdum Dominus, ut viis illicitis verbum ſuum promoveatur: ut peritus eſt artifex, qui ex malo bonum elicere novit. Sequiturne tamen hoc illi probari: aut excuſationem habere, quum factum eſt? Ego quidem lætor, & Deo gratias ago, quum intelligo rimam aliquam apertam eſſe veritati: & concionatorem quempiam modico ſaltem guſtu rectæ intelligentiæ populum imbuiſſe. Si audio quempiam ulterius progreſſum in prædicando Chriſti regno, duplex gaudium percipio. Interea, ſi quid eſt infirmitatis, hoc vitioſum reputare non deſino. Porro, nunc ab ipſis quæro, ſitne tolerabile vitium, & ad quod conniveri debeat, quum is qui ſuggeſtum conſcendit ad ſuſtinendam Chriſti perſonam, ad populum ejus nomine & auctoritate docendum, ad obeundum denique cæleſtis legati munus, ſe abominationi conſentire ſimulat, quæ palam repugnat cum præcipuo capite doctrinæ Euangelicæ? Proinde, quoties ſuam bonam intentionem mihi objicient, ſtatim excipiam, Nihil mali agendum eſſe, ut bonum inde proveniat.

Eo minus audienda eſt querela, qua ſimul omnes me gravant. Quid ergo, inquiunt? Cedemuſne patria & fortunis omnibus, ut in locum profugiamus nobis ignotum, aut nos in mortem exponemus?

Colli-

Colligantur in ſummam quæcunque ad hoc argumentum pertinent, & quæcunque ipſi colligere ſolent. Proinde ſunt, acſi quis diceret: Quid? An non poſſum Deo adhærere, & verbum ejus ſequi, quin perſequutionem patiar? Si hac conditione Chriſtiani eſſe volunt, pingendus erit novus Chriſtus. Reſpondebit quiſpiam ipſorum: Si Deus perſequutiones immittat, patienter ferendas eſſe: ſed quoad licet, eſſe fugiendas. In primis vero cavendum, ne eas temeritate noſtra aſciſcamus. Hoc totum fateor. Sed quum hoc paciſci cum Deo volumus, ne quid perſequutionis ſubeamus pro ejus verbo: nonne hoc eſt Chriſtum transfigurare, ut talem habeamus, qualis appetitur à carne noſtra? Et quid aliud faciunt, qui hoc allegant pro ingenti abſurdo, ſe, quod præcipio, non poſſe præſtare ſine periculo mortis, aut rerum omnium ſuarum jactura? Si quid de capite meo confingo, pro nihilo ducatur. Verum, ſi huc nos Deus vocat, ut impiorum rabiem pro nominis ſui gloria in nos provocemus, aut conferamus nos in aliquem locum, ubi pure ipſum adorare liceat: quam irreverenter cum ipſo agimus ita reſponſando? Semel pronunciavit Chriſtus, omnes quibus pretioſæ erunt animæ ſuæ in hoc mundo, eas perdituros. Quum ergo hac excuſatione evadere conantur iſti, imminere mortis periculum, ſi faciant quod ex Scripturis doceo: an non Chriſtum cogere volunt ad ſententiam ſuam retractandam? At natura repugnat, inquiunt. Quis ignorat? Sed ubi eſt virtus Domini, quæ extare in nobis debuerat? Si fideles naſcente Eccleſia hoc dixiſſent, quid Chriſtianiſmo factum eſſet? An non inter initia concidiſſet, inſtar abortus? Quam vereor ne luculenta iſta cognitio veritatis, qua hic nos donavit Deus, nobis in gravius judicium cedat! Tota veterum Martyrum theologia, in his paucis capitibus incluſa erat: Unum Deum eſſe adorandum, in ipſo collocandam omnem fiduciam: verum ejus cultum in hoc conſtare, ut adoretur ſolus, invocetur, & cum gratiarum actione agnoſcatur bonorum omnium auctor, vita exigatur ad regulam verbi ipſius: item, nunquam alibi ſalutem eſſe & vitam, quam in ſolo Chriſto. Neque vero tam profundam iſtarum rerum cognitionem habebant, ut ſubtiliter poſſent de ſingulis diſputare: ſed rudi ſimplicitate contenti erant. Cum hac tamen alacres currebant ad ignem: aut aliud ſupplicii genus. Quin etiam illuc infantes ſuos portabant matres. Nos qui præ illis tam magni ſumus magiſtri, tam diſerte de quavis quæſtione diſſerere novimus, non capimus quid ſit Dei veritati reddere teſtimonium, quum opus eſt: & Chriſtianiſmum noſtrum probare.

Sed hoc eſt aliquanto deterius, quod quibuſdam non ſufficit tales querelas edere, ut à communi lege, quam ſuis omnibus impoſuit Chriſtus, ſe eximant: ſed blaſphemiis ſe armant ad reſiſtendum Deo. Blaſphemias appello, quum pro ſenſu carnalis prudentiæ, hanc eſſe optimam prumovendi Euangelii rationem ſibi perſuadent, communicare Papiſtarum idololatriis, nec periculum ea cauſa ſubire. Si tali opinione occupati fuiſſent Apoſtoli, quid, quæſo, nobiſcum actum eſſet? Objiciunt, paulatim eſſe progrediendum. Fateor: addu etiam, incipiendum eſſe à fundamentis: & quia non poſſint uno die ſimul omnia confici, ordinem tenendum eſſe. Sed quale hoc eſt fundamentum, quum ſuo exemplo abominationem ædificant verbo Dei tam contrariam: nempe, manifeſtam idololatriam? Alterum vero quod obtendunt, obliqua etiam eſt blaſphemia, præter id quod hypocriſi & mendacio non caret. Inviti, inquiunt, connivemus ad multa, & multa facimus, quo lucrifaciamus multos Domino. Hoc modo conſervatur Eccleſia & augetur, quæ ſecus agendo periret. Hunccine honorem habent Deo, ut eum non putent conſervare Eccleſiam ſuam poſſe, niſi ipſorum ſimulatione adjuvetur; quam ubique tam fortiter rejicit? De Apoſtolis quoque, quam honorifice ſentiunt, quum aiunt confundi omnia & Eccleſiam deſtrui, ſi quis eorum confidentiam ſequatur, qua uſi ſunt in plantando Chriſti regno? Quod ſi eos nihil pudeat imprudentiæ damnare Apoſtolos, quid tamen de ſucceſſu dicent, quem ardenti eorum zelo & conſtantiæ Dominus contulit? Jactabuntne ædificatam hactenus ſua opera decem hominum Eccleſiam, in urbe aliqua aut pago, cum tam magna iſta ſua diſcretione, & tam circumſpecta ſapientia: quum totus mundus ſimplici nudaque Euangelii prædicatione ad Deum fuerit adductus? Deinde, appello ipſorum conſcientias: numquid ad hunc finem tendant, ac non potius ut læſionem fugiant cutis ſuæ? Certo certius eſt, colorem hunc, quem prætendunt, procul abeſſe ab eorum conſilio. Sed hoc non moror: neque enim meliorem in partem accipi poterit hæc defenſio, quam ut blaſphemias iſtas contineat: nempe, medium, quod ordinavit Deus ad Eccleſiam ſuam promovendam & tuendam, neque aptum, neque utile eſſe: virtutem, quam hactenus exeruit in Eccleſiæ conſervatione, eſſe collapſam: non fiducia virtutis ejus promovendam eſſe Euangelii veritatem, ſed carnalis prudentiæ auxilio.

Ab hac ſcaturigine manant, quaſcunque præterea adducunt cavillationes: nempe, quod hanc gloriam dare non poſſunt Deo, ut illum ſinentes gubernare rerum eventus, quo feliciter ejus directione ſuccedant, ſine controverſia exequantur quod præcipit. Nec ſe hac ſollicitudine torqueant, Quid ſequetur? quid eveniet? Sunt autem hæc eorum argumenta: Si fugere idololatriam vellent omnes pii, regiones, ubi nunc copioſum eſt Dei ſemen, ſtatim deſertæ aridæque manerent. Reſpondeo Dei eſſe officium huic periculo mederi. Reſpondeo ſecundo, diſceſſum hominis ſonantius aliquando, & efficacius docere, quam ſi ore ſuo prædicaret. Reſpondeo tertio, me non poſtulare, ut quiſpiam patria cedat. Domini eſt terra. Tantum illum pura conſcientia colamus, ubicunque erimus. Si hoc agentibus non dabitur amplius conſiſtendi locus, commendantes nos ejus tutelæ, migremus alio. Quarto, reſpondeo, ſtulte facere ſingulos, dum ſic ſuſcipiunt communem omnium cauſam: ſcimus enim ad nos quoque pertinere, quod olim dictum fuit Petro: Quid aliis facturus ſim, nihil ad te. Sequere Joan. 21. verſ. 22.
me. Unuſquiſque noſtrum fateor, ſollicitus de ſuis proximis eſſe debet: ſed in hoc, ut mutuo nos adjuvemus, non ut occaſionem remoræ alii ab aliis ſumamus. Reſpondeo denique, eos, dum hoc periculum provident, perinde facere, acſi cogitarent quale vinum bibituri ſint hinc ad mille annos: neque enim omnibus æquali menſura gratias ſuas diſtribuit Deus, nec eadem ratione. Fruſtra ergo timent ne regiones totæ Chriſtianis nudentur: potius Euangelium centuplo magis propagaretur. Denique, ſi hoc poſſet ab illis impetrari, ut non amplius à maledicta carnis prudentia penderent, facile protinus inter nos conveniret.

Non eſt præſentis inſtituti, omnia eorum hic objecta refellere: nam id plus ſatis feci in opuſculo de quo conqueruntur: tantum attingere obiter volui, quid proficiant ſic adverſus Deum obloquendo, ut ſuperſedere potius diſcant, quam ut cauſam ſuam reddant pejorem. Præterea, admonitos velim, ut ab iſta ingratitudine deſiſtant, quam ſuis exprobrationibus produnt: Quum tantam ſtrenuitatem præ ſe ferat Calvinus, cur non huc venit ipſe, ut videamus qualiter ſe gerat? Facit idem, quod duces exercituum ſolent: qui in urbium oppugnationibus gregarios milites inſtigant ad irruendum, & excipiendos ictus: ipſi autem extra diſcrimen ſubſiſtunt.

Hac ratione, fidelibus olim ludibrio fuiſſent cunctæ Apoſtolotum exhortationes; quum eos incitabant ad ferendas contiuuas perſequutiones pro Chriſti nomine. Hortahantur, ne ullam oh calamitatem frangerentur animis: ut læti & alacres, bonorum jacturam facetent: ſuſtinerent æquo animo mundi opprobria: conſtanter ad mortem ipſam pergerent, poſtquam ita Domino viſum eſſet. Poterant excipere fideles: Huc venite ipſi, & viam nohis monſtrate. Dicet quiſpiam, Apoſtolos non immunes fuiſſe à perſequutionibus, atque hoc illis majorem fiduciam præbuiſſe requirendi ab aliis, quod ipſi opere præſtabant. Reſpondeo, ſæpe hortari ſolitos fuiſſe ad patientiam & fortitudinem Eccleſias, unde ipſi periculi metu aufugerant. Ohſecro, quum dicit
Hebr. 12. Apoſtolus Hebræis, Nondum ad ſanguinem uſque
verſ. 4. reſtitiſtis: nonne excipere poterant, Tibine dolet, an nobis invides, quod deteriore non ſimus conditione, quam tu? Adeoque ne ſim prolixior, quid
1 Petr. 4. Petro dici poterat, quum fidelibus oſtenderet,
verſ. 12. hanc eſſe veram beatitudinem, pati pro Chriſti nomine?

At vero fideles, eum reverentia, tales exhortationes amplectebantur. Quemadmodum hodie quoque faciunt, qui vere ſunt pii, ſcientes hominem non aliter deriſui habere ſanctas monitiones ex verbo Dei ſumptas, quam in ſuum exitium. Quod ad me pertinet, non me jactabo multa perpeſſum: ſed unum vere aſſeram, per me non ſteriſſe: quin etiam aliquoties me expoſuiſſe periculo. Et quia me cum præfecto militari conferunt, cur tam maligni ſunt, & inhumani, ut non ſatis habeant, ſi præſtem in hoc ſpirituali bello adverſus Satanam, quicquid à bono & fideli duce deſiderari poteſt in terrena militia? Quanquam in eo quoque falluntur, quod me tam procul à jactu telorum collocant. Nam etiamſi mihi ad oculum non immineat hódie perſequutio, quid tamen cras futurum ſit, neſcio. Quicquid ſit, nimium ſim ſtupidus, niſi me jam hac hora præparem, ne ex improviſo circumveniar. Quum eo venire oportuerit, ſpero hanc gratiam mihi non defuturam à Domino, ut nomen ejus ſanguine meo glorificem, quemadmodum nunc lingua & calamo. Nec remiſſiore animo vitam profundam, quam nunc verba facio. Ipſi vero ſuam in eo turpitudinem produnt, quum nihil habentes reliqui, ad probra & maledicentiam confugiunt.

Verum, adhuc ſibi videntur honeſtam operculum habere, quamdiu ſuh pallio Nicodemi teguntur: quod ſimile faciunt pallio Virginis, quam Lutetiæ pictam aliquando vidi apud Carmelitas: memini enim illic latere Monachorum legionem, tanquam pullorum catervam, ſuh alis gallinæ. In hunc modum iſti tam late extendunt Nicodemi pallium, ut inde tegantur omnes: saltem opinione ſua. Nam re vera quum quiſque ad ſe oram unam traheret, ſic diſtraxerunt huc & illuc, ut laceraverint, non tantum in fruſta, ſed etiam in fila. Qualiter igitur ſuh eo deliteſcunt? dicet quiſpiam. Nempe, idem illis accidit, quod perdicibus: quæ ſe bene latitare putant, inventa latebra ad caput occultandum. Proinde, hoc pallium Nicodemi, quo tegi ſe opinantur, non niſi falſa imaginatio eſt, qua ſe deludunt, acſi oculos clauderent, aut velo obducerent, ne poſſent ah aliis cerni. Quid enim habent cum Nicodemo ſimile? Quia venit ad Chriſtum nocte, inquiunt: nec ſe profeſſus eſt Chriſti diſcipulum. Fateor equidem Nicodemum, priuſquam illuſtratus eſſet, latebras quæſiiſſe: ſed ex quo illi Sol juſtitiæ illuxerat, numquid ſe in ſuis latibulis ſemper continuit? Quin potius videmus, qualem profeſſionem ediderit: & quidem quum omnia deſperatione plena eſſent, quum, ſcilicet, Pilatum adiit una cum Joſepho, ut Chriſti corpus ad ſepulturam peteret. Obſervemus tempus. En Sacerdotes, Phariſæi, & omnes veritatis hoſtes, tanquam victores triumphant. Ex adverſo, miſeri Chriſtiani conſternati ſunt, & prope attoniti, dum Magiſtrum & Redemptorem ſuum mortuum vident, & corpus ejus in patibulo inter latrones ſuſpenſum.

Scribæ, Phariſæi & Sacerdotes ſunt in excubiis, ut obſervent, num quis auſit muſſitare: nec enim ipſis ſatis eſt, occiſum eſſe Chriſtum, niſi in totum deleatur ejus memoria. Illa adhuc rabie, quam in eum exercuerant, inflammati ſunt ad perſequenda ejus membra. Populus etiam tumultuabatur: ut certum eſſet Nicodemo, ſe non aliter profiteri poſſe diſcipulum aut ſtudioſum Chriſti, quin omnium furorem in ſe concitaret. Profitetur, nihilominus evidenter coram omnibus: probrum & infamiam non metuit: non refugit odium: tumultum non horret: perſequutiones non reformidat. En quid ſit Nicodemizare, ſi Nicodemum Chriſtianum aſpicimus: non autem in illa ignorantia, qua detinebatur ante agnitum Chriſtum. Sed quid? Iſti, quod fecit Nicodemus incredulitatis ſuæ tempore, imitari volunt. Exemplum autem, quod fide jam donatus prodidit, diſſimulant ad ſe pertinere. Summa hæc ſit: Nicodemus ignorantia adhuc detentus, noctu ad Chriſtum venit. Poſtquam fide illuminatus fuit, palam & interdiu ipſum confeſſus eſt: idque tempore magis formidoloſo, quam fuiſſet antea. Quamobrem, qui ejus nomen pro integumento aſciſcunt, gravem illi faciunt injuriam, & nihilo interea magis proficiunt, quam ſi Chriſtianæ fidei perſequutor, Paulum in excuſationem obtenderet. Neque hoc ſolum eſt ſpecimen, quo Nicodemus, cum magno vitæ diſcrimine, ſe Chriſtianum oſtendit: jam enim tum cœpit periclitari pro Chriſto, quum in cœtu impiorum, contra omnes inſtitit, ne inauditum damnarent. Non edebat quidem, fateor, tunc integram confeſſionem: hoc tamen ipſum aliquo uſque progredi erat, cohibere furioſum impetum totius Synagogæ. Nunc in cœtu aliquo tres aut quatuor erunt iſtorum Nicodemitarum, qui taciti ſinent miſerum Chriſtianum crudeliter morti addici. Atque utinam nemo eorum damnationi ſubſcriberet. Hæc ergo eſt vera Nicodemizandi ratio, proficere de die in diem, & ſe animare temporis ſucceſſu, ad dandam Deo gloriam. Forte, una in re illis concedi poſſit, ſimiles eſſe Nicodemo: nempe, quod ad ejus imitationem Chriſtum ſepeliunt. Sed inter duas iſtas ſepulturas magnum eſt diſcrimen. Corpus enim ſolum ſepelivit Nicodemus, & pretioſis aromatibus unxit. Iſti corpus ſimul & animam, divinitatem & humanitatem, atque ſine honore. Nicodemus ſepelivit mortuum: iſti ſuh terram defodiunt, poſtquam reſurrexit. Ergo, poſthac deſinant opponere Nicodemum pro clypeo, quo ſibi licitum eſſe perſuadeant, fidem ſuam diſſimulare uſque ad idololatriæ ſimulationem: quum centuplo plus fortitudinis oſtenderit unus Nicodemus in morte Chriſti, quam ipſi omnes poſt ejus reſurrectionem.

Jam finiendi tempus eſt. Credo autem, quicunque guttam habent ſani judicii, eos clare perſpicere nullam eſſe rationem, cur accuſer nimii rigoris: quod ea tantum à Chriſtianis exigam, quæ Chriſtus illis preciſe injungit. Qui autem aures habent tam molliculas, ut me ferre nequeant: reſpondeo, duram non eſſe meam doctrinam, ſed duritiem cordis ipſorum facere, ut talem judicent. Si difficile factu eſt quod doceo, non ſequitur propterea, quin officii noſtri ſit. Scio non eſſe cujuſque corrigere publicum regni ſtatum: neque id requiro: ſed tantum, ut ſe quiſque reformet, à mali communione abſtinendo. Si res eſt ipſis moleſta ſecundum carnem, nihil miror: ſed ſi agnoſcant verum eſſe quod dico, potius

veritati

veritati pareant, quam ut, phreneticorum more, medicum percutiant. Non oblector ipſorum mœrore. Si tamen eos ad triſtitiam poſſem adducere, de qua Paulus loquitur, hoc eſt, quæ pœnitentiam in ipſis generet, non me pœnitebit: nam illis cedet in ſalutem. Si triſtantur, ut fremant & reſiſtant, doleo. Neque enim mihi cordi eſt ipſorum exitium: nec mihi vellem ejus imputari cauſam: ſed quum ipſi in cauſa ſint, quid facerem?

Hactenus cum iis loquutus ſum, qui adverſus Deum ſapiunt, ut ſe eo invito juſtificent: nunc ſermonem ad eos convertam, qui inter Papiſtas agentes, cum timore & humilitate miſeriam ſuam agnoſcunt: & inviti manent inter illas abominationes, quas ſpectare coguntur. Satis reputo, quantopere ſint perplexi. Rurſum ſcio, ſic tractandas eſſe pavidas conſcientias, ne conjiciantur in deſperationem. Atqui, videre licet ex opuſculo, me non fuiſſe tam inhumanum, quin rationem talium habuerim, ad ipſos conſolandos. Servavi, fateor, temperamentum, quale Dominus mihi permittit: non autem quale appetit mundus: nempe, quod illis non adulando, hortatus ſum ad preces & peccati ſui confeſſionem: ad gemitum & lachrymas: hortatus, inquam, ſum, ut Deo ſe commendent, & aſſidue ab ipſo liberationem poſcant ex hac ſervitute, aut fortitudinem & conſtantiam, qua inſtructi, honorem ejus præferant propriæ vitæ. Hortatus ſum denique, ut ſeipſos quotidie urgeant, ad quærendum mali exitum. In hac ſententia etiamnum perſto, ac ſic eos conſolari cupio qui peccant, ut non indormiant ſuæ ſocordiæ: neque ſe indurent adverſus Dominum. Et ſane non huc ſpectant Chriſtianæ conſolationes, ut animos ſopiant, perſuadendo ipſis malum eſſe bonum: ſed ut coram Deo dejecti & confuſi, mittantur ad unicum remedium: nempe, ut veniam à Deo poſtulent, & liberationem à malo. Quibus hoc non ſatisfacit, quærant alibi ſuum Balaam, qui benedicat, quod Deus maledixit. Hoc neque officii mei eſt, neque moris.

Hæc porro ratio eſt, cur tanta vehementia in hoc argumentum inſiſtam: quia non dubito, graviter hactenus à pleriſque provocatam fuiſſe iram Dei, quod tam parvo æſtimarint, adeoque pro joco duxerint ſacrum ejus nomen polluere, idololatriis ſe miſcendo. Jam illud quidem non leve crimen eſt, idololatriam externam perpetrare: corpus noſtrum, quod Dei templum eſt, ea fœditate inquinando, quam Scriptura non minus damnat, quam ſcortationem. Hoc quoque non exiguum eſt erratum, transferre ad idolum, Dei gloriam. De externa reverentia intelligo, quæ teſtimonium eſt ſpiritualis cultus. Hoc tantum modo profitemur nos idololatriæ conſentire. Nec vulgaris poſtremo culpa eſt, malum exemplum dare proximis, quo cæci in errore confirmentur: infirmi vero turbentur, vel offendantur. Verum, quando ad hæc omnia mala adjicimus impudentiam, & tanquam putidæ meretrices, os fricamus & frontem, quaſi nihil mali agamus: hoc vero eſt Deo illudere: & tanquam data opera, illi indicere certamen, vel potius illum in nos ad ultionem armare, quemadmodum etiam per Prophetam ſuum Jeſaiam oſtendit: jurejurando denuncians, talem iniquitatem non remiſſum iri. Videmus ut David, quum fugitivus è patria exularet inter Philiſtinos, nihil magis deploraverit, quam quod privatus eſſet facultate veniendi ad ſacros cœtus, ut ibi precaretur inter fideles: Dei doctrinam audiret, & ſe confirmaret Sacramentorum uſu. Præ hoc uno, parvi æſtimabat ſe expulſum eſſe à regno, quod tamen habebat ex dono Dei: privatum eſſe parentibus & amicis, uxore exſpoliatum. Neque enim ob has cauſas lamentatum fuiſſe legimus, ſicuti quod privatus eſſet acceſſu templi. Quamobrem, quicunque in regionibus degunt, ubi nulla extat Eccleſiæ facies, ad Deum rite adorandum & invocandum, ad audiendam ejus doctrinam, ad recipienda ejus Sacramenta, cum Davide gemere deberent, ſe orbatos eſſe tantis donis, tamque neceſſariis: nullo enim apertiore ſigno prodimus nos præfractos eſſe & contumaces Filio Dei, quam quum ad ejus flagella ſtupidi ſumus. Hoc porro flagellum, præ aliis omnibus horrori nobis eſſe debet, quum nobis adimit eas notas, quibus præſentiam ſuam teſtatur mundo. Hic autem extremus eſt rigor, quum huic captivitati nos alligat, ut idola cogamur adorare. An non ergo nimius hic eſt Dei contemptus, non affici & quodammodo ridere, quum ſignis evidentibus iratum ſe nobis declarat: adeoque multo acerbius, quam ſi peſte, bello & fame ſimul nos perſequeretur?

Quamobrem, omnibus ſubductis, non poſſum, ſicuti jam dixi, aliter ſtatuere, quam quod talis ſocordia Deum provocat, ut homines abjiciat, & relinquat in tali exitio. Nam ſi uno conſenſu omnes diligenter reputarent ſuam miſeriam, ſibique in eo diſplicerent, quod Deum non glorificant prout meretur, veniam ab ipſo deprecantes, poſcenteſque ut manus ſuæ potentiam ad eos eruendos velit exerere: exaudiret proculdubio eorum gemitus. Quod ſi id pridem factum fuiſſet, jam apparuiſſet ejus benedictio: neque enim recipiendæ ejus gratiæ capaces ſumus, donec premamur malis noſtris. Aliud impedimentum, quo retardatur opus Domini, eſt in eorum ignavia & timiditate. Dandus erat hic honor Deo, ipſum vias invenire poſſe regni ſui promovendi, quæ ſub ſenſum noſtrom non cadunt, ut hac fiducia ſe paulo audacius impenderent, quiſque pro facultate ſua. Sed quid è contrario fit? Antequam aggredi aut attentare quippiam auſint pro Dei honore, una voce pronunciant omnes, ſuperſedendum eſſe: quia nihil ſua opinione proficerent. Annon digni ſunt à quibus ſuam benedictionem retrahat Deus: & quibus virtutem ſuam occultet, quando eum tam imbecillum imaginantur? Quin etiam periculum eſt, ne Dominus in poſterum Verbi ſui curſum reflectat ab ipſis: ut ſteriles, aut deſtituti maneant. Hæc enim juſta eſſet ultio tantæ timiditatis. Quod ſi id nobis accidat, in nos certò conferenda erit culpa, quum nemo noſtrûm digitum admovere velit, ad promovendam Dei gloriam. Atque ideo hoc ſubterfugimus, quia diffidimus Dei ipſius virtuti, dum eam, quæ infinita eſt, captu ſenſus noſtri metimur. Proinde, ſe quiſque Dei fiducia roboret, quo ſe omnes ad operis partem pro virili accingant: nempe, ut cum Satana bellum gerendo, regnum Chriſti reſtituere conentur. Ne concionatores tanta cautione invigilent ad conſulendum vitæ ſuæ, quanto zelo ardeant ad exequendum ſuum munus: & implendum quod pollicentur, conſcenſo ſuggeſtu: quod tribunal eſt veritatis, unde ſolus Chriſtus audiendus eſt. Auditores doctrinæ efficaciam proferant: & eam propagare ſtudeant, alii aliis in manum tradendo. De cætero, quum David profeſſionem edere volens, piis omnibus communem, negat ſe communicaturum idolorum ſacrificiis, & nomina eorum ſibi in ore fore negat: ſaltem qui ab hac puritate deflectunt, agnoſcant ſuum delictum, ac continenter Deum precentur, tam pro venia imperranda, quam pro exitu. Ne quiſquam ſubterfugiat, vel aures obturet, vel claudat oculos: quemadmodum multi ſe aliquid conſequutus eſſe putant, dum abſtinent ab auditu & lectione ſanæ doctrinæ, ut cum Deo nunquam veniant ad calculum: nam omnibus, qui ejus verbum audire non ſuſtinebunt, quo objurgationem & minas effugiant, denuncio, manum ejus ſenſuros: quæ multo durius ipſos urgebit, & multo amarius clamare coget, Væ, væ, idque in exitium: quum verbum in remedium proponatur hodie ad ſalutem. *Pſal. 16.*

Conſilium PHILIPPI MELANCHTHONIS.

NOn dubium eſt, omnes creaturas rationales obligatas eſſe ad primum præceptum: ut verum Deum, vero timore, & vera fide colant, & fugiant omnia idola Ethnica, Mahometica, hæretica, & quarumcunque ſectarum portenta, pugnantia cum verbo Dei: in quo ſe verus Deus patefecit. Matth. 4. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Nec tantum interior cultus neceſſarius eſt, ſed etiam externa ſignificatio, ſeu confeſſio, ſeu profeſſio. Matth. 10. Qui negaverit me coram hominibus, negabo eum coram Patre cæleſti. Negat autem, qui nunquam aperte confitetur, imo etiam perſeverat in teſtimoniis contrariis veræ invocationi: legit Miſſas, aut adorat panem, aut ſtatuas. Quod enim quidam dicunt, ſe non negare, ſed interrogatos, dicturos eſſe quod ſentiant, nec opus eſſe ſine vocatione periculum accerſere: etſi hæc vera ſunt, tamen interea non ſunt contraria facienda veræ invocationi. Ut ſi quis captivus ex Chriſtianis, vivens inter Turcas, tacitus apud ſeſe Chriſtum invocaret, nec tamen externa profeſſione ſuam fidem oſtenderet, imo etiam intereſſet Turcicis ſacris: haud dubie reus eſſet æternæ iræ Dei. Sed ubicunque ſumus, ſive inter Turcas, ſive inter hæreticos, ſive inter vere pios, interdum aliqua confeſſio neceſſaria eſt, & certe contraria veræ invocationi non ſunt facienda. Si quis igitur eſt ſacrificulus aut monachus, & cogitur Miſſas celebrare, ut vocant, ſi intelligit ſe impie facere, omittat eas Miſſas, nec agat contra conſcientiam: nec poteſt inveniri excuſatio ulla pia, cur liceat retinere eam conſuetudinem. Idem dico de laicis. Et quæ norunt vere eſſe idolorum cultus, fugiant, juxta illud: Fugite idola. Sunt autem manifeſti cultus idolorum, invocatio ſanctorum, qui ex hac vita diſceſſerunt: invocatio ad certas ſtatuas, adoratio panis in impiis Miſſis, & in circumgeſtatione.

Aliqui diſſimulantes agnitam veritatem, confirmant ſævitiam regum. Hi etiam magis peccant, quam non fugientes idola. Propter has cauſas, tutiſſimum eſſet diſcedere ex locis, ubi defenduntur cultus idolorum. Sed dicat aliquis, non omnes poſſe in uno loco eſſe, nec poſſe diſcedere conjugem à viro, aut matrem à liberis. Hic reſpondeo. Duo ſunt genera: alii ſunt firmi: alii infirmi. Sed ſive firmus eſt quiſpiam, ſive infirmus, ſciat mandatum Dei eſſe, ut fugiat idola, & oſtendat aliquam confeſſionem. Et quum alius alio firmior ſit, alius confeſſionem magis, alius minus illuſtrem oſtendet. Joannes Apoſtolus firmior erat Nicodemo: quanquam uterque erat imbecillis. Pia materfamilias, habet cauſam non facile diſcedendi à marito & à liberis: ſed tamen oſtendat confeſſionem, & fugiat idola, eaque in re proficiat, dicat quid ſentiat, non accedat ad Miſſas, abſit à pompis, in quibus circumgeſtatur panis.

Hactenus dixi de rebus neceſſariis. Sæpe autem Eccleſia habuit aliquas confuſiones: ut Hieroſolymæ, tempore Zachariæ, multum erat vitioſorum cultuum, & pravarum opinionum in templo: & tamen eo, vera Eccleſia etiam conveniebat, ut Zacharias, Elizabeth, Maria. Tali tempore, hi qui ſunt in ſuis Eccleſiis, aperte improbent errores, ut fecit Zacharias: ritus autem bonos, aut adiaphoros ſervare poſſunt.

Volo pios, firmos & infirmos, accedere ad Baptiſmum infantum, in ſuis Eccleſiis, ubicunque ſunt. Servare etiam poſſunt ritus adiaphoros, ut intereſſe lectioni Pſalmorum in veſpertinis precibus, & aliis honeſtis congreſſibus, etſi aliquid vitii aliquibus admixtum eſt, quia in eo cœtu ſunt adhuc aliqui electi, & ſancti, ut pueri: & aliqui adulti recte ſentientes, ſed infirmi, qui tamen ſunt membra Chriſti, & ſunt paulatim provehendi.

Sed dicat aliquis, Si non accedam ad Miſſas, ad pompas publicas, quum geſtatur Sacramentum, rapiar ad ſupplicium. Ad id reſpondeo, Regulam, quæ docet quid ſit faciendum, notam eſſe: ſed aliud eſt loqui de regula, aliud de facto. Regula eſt, ut potius diſcedas ex illis locis, quam venias ad ſupplicium: ac infirmis facilius eſt ſuſtinere exilium: ſed qui nec exilia, nec ſupplicia ſuſtinere volunt, valde infirmi ſunt. His, ut ægrotis, non aliud dicere poſſum, niſi ut imbecillitatem agnoſcant, & deplorent, & paulatim vires confirment, & aliqua ſubinde illuſtriora teſtimonia confeſſionis edant. Scio rem difficilem eſſe, hæc exordia confeſſionis. Sed aut proficiendum eſt, aut expectandus interitus. Hic autem addo præmonitiones quatuor.

Prima: Prius bene jaciantur fundamenta, doctrinam Euangelii recte cognoſcamus, ne falſa pro veris amplectamur, nec augeamus nobis errores, & aliis: nec pericula propter falſas opiniones ſuſcipiamus: ſed fugiamus Anabaptiſtarum furores, qui multos errores circumferunt. Negant peccatum originis, improbant Baptiſmum infantum, corrumpunt doctrinam de juſtitia fidei, damnant politias, magiſtratus judicia, diſtinctionem dominiorum, vera juramenta: denique multi multis malis, & pernicioſis opinionibus dementari ſe ſinunt. Ideo ſimus prudentes, & circumſpecti, & vero judicio, doctrinæ genus eligamus: & amplexi veras ſententias, non abjiciamus.

Secunda præmonitio: Non blandiamur ipſi nobis, nec prætexatur infirmitas ſimulationi. Multi in aulis vocant ſe Nicodemos, & infirmos, quum ſint prævaricatores, & ſimiles Alcimi, cujus fit mentio in hiſtoria Machabæorum: confirmant ſævitiam potentum, ſua diſſimulatione. Multi etiam ſophiſticas mitigationes quærunt, ut excuſent cultus idolorum. Etiamſi ſacrificia in Miſſis non valent pro mortuis, inquiunt, valent tamen preces. Et poſſent exempla multa ſophiſticarum illarum excuſationum recenſeri: ſed ita ludere præſtigiis ſophiſmatum, eſt tentare Deum, & impie abuti nomine Dei.

Tertia præmonitio: Priuſquam periculo ſupplicii ſe homo exponat, cogitet de patientia, ſeu conſtantia. Multi θρασέως initio audacter inchoant mutationes, & poſtea quum pericula ſunt propiora, fracti animis abjiciunt doctrinam, ac multi deinde fiunt ſicut Epicurei. Quando igitur homo tantum roboris habeat, ut poſſit confeſſionis periculum ſibi accerſere, non poteſt regulis deſcribi: ſed eventus ipſe oſtendet, an Spiritus ſanctus confirmaverit animum. Noſtrum eſt tamen recte docere, non blandiri infirmitati. Et quanquam aliquantiſper tempori venia danda eſt, præſertim in καιρῷ, in magnis cauſis, in metu publicæ diſcordiæ: tamen non ſit diſſimulatio perpetua. Primum decalogi præceptum, Non habebis deos alienos, omnibus rebus aliis anteferendum eſt.

Quarta præmonitio: Fugienti in exilium cogitandum eſt etiam, quid ſit Eccleſia, & cui cœtui velit ſe adjungere: quia non ita fugiendum eſt, ut poſtea vivas in ſolitudine, aut latebris, aut ſolus tuis quibuſdam imaginationibus fruaris, aut fingas ſubinde novas opiniones, ſicut multi hoc tempore vagantur, Schuenkfeldius, Campanus, & alii innumerabiles: qui omnibus Eccleſiis maledicunt, & totum miniſterium Euangelicum contemnunt, & ſuis quibuſdam paradoxis in doctrina & in moribus, delectantur. Hæc exempla non imitemur: ſed eligamus verum & certum doctrinæ genus, & palam Eccleſiæ alicui publice nos adjungamus: amemus miniſterium, & conſpiciatur noſtra confeſſio in eo cœtu: ſimul utamur Sacramentis non depravatis,

con-

conjungamus noſtram invocationem cum Eccleſiæ invocatione: ſicut Chriſtus peculiari promiſſione commendavit nobis tuendæ congregationis publicæ: videlicet ut ſervetur publicum miniſterium, ut dicitur: Ubicunque duo aut tres erunt congregati in nomine meo, in medio eorum ſum; & fient eis quæ petent, &c. Vult honeſtam frequentiam eſſe publicorum congreſſuum, & hanc vult à ſingulis adjuvari. Vult enim miniſterium Evangelicum conſpici, & audiri, quod non fit in diſſipatione. Ideo multa dicta Prophetica commendant nobis ſtudium juvandi publicos congreſſus. Ut Pſal. 102. In conveniendo populos in unum, & reges ut ſerviant Domino. & Pſal. 135. Qui ſtatis in domo Domini, in atriis domus Dei noſtri. & Pſal. 150. Laus ejus in Eccleſia ſanctorum. Hanc ſententiam dextre intellectam judico eſſe piam. Nec tamen antefero meam ſententiam aliorum piorum, & doctorum judiciis; & admonitus, ſi quid deſideratur, corrigam. Die 17. Aprilis, quo Noha ante annos 3846. arcam ingreſſus eſt: quo exemplo Deus teſtatus eſt, ſe non deſerere Eccleſiam ſuam quum magnis fluctibus quaſſabitur.

PHILIPPUS MELANCHTHON.

MARTINI BUCERI *conſilium.*

SEntentiæ hic à domino Philippo ſcriptæ, in omnibus aſſentior. Opto quidem fratres, quos Babylonica tenet captivitas, diligentiſſime cavere, ne intempeſtive & petulanter vituperando vulgatas ceremonias, opinionem impietatis apud electos Dei, quos lucrifacere Domino oportebat, incurrant: atque eo ſe inutiles reddant, qui illos Domino adducant. Opto ut illud inter fratres certum teneatur, Quæcunque Dei & Chriſti ſuperſunt in vulgatis lectionibus, concionibus, & aliis Eccleſiaſticis actionibus, ita vitiati non poſſe, nec impietate miniſtrorum, nec irreligioſa humanorum commentorum admixtione, nec ſuperſtitione abutentium: quin pii homines loquentem & agentem in illis Dominum audire & ſentire queant, & ad incrementum pietatis illis uti. Ita ſcilicet, etiam poſt Chriſti necem uſi ſunt ceremoniis Hieroſolymitanis, vitiatis graviſſima impietate, & adminiſtrantium eas: & uſurpantium: tum etiam contaminatione inventionum humanarum. Quum autem ſimus ad hoc conditi & redempti, ut Deum & Patrem noſtrum, per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ubique & in omnibus noſtris invocemus, confiteamur, & celebremus, ſumma religione, libertate, fiducia, nec ullam omittamus occaſionem prædicandi regni ejus, adducendique ipſi, & ad gregem ejus, oves quæcunque ab ovili ejus adhuc aberrant; neceſſe eſt, ut omnes Chriſtiani, hoc ſummo ſtudio curent & faciant, in ſacris cœtibus atque ceremoniis, hoc eſt, coram ipſo Domino, & in ipſa invocandi, confitendi, prædicandi Dei & Servatoris profeſſione, atque gratiarum actione. Ad hoc enim ipſum convenitur in ſacris conventibus: & ad hoc ipſum inſtitutæ ſunt omnes ceremoniæ: quæ inſtrumenta ſcilicet ſunt, ſicut commendandæ & exhibendæ nobis redemptionis, atque communionis Chriſti, ita etiam invocandi, confitendi, & celebrandi Chriſti. Iſtud enim, Facite hoc ad meam commemorationem, ad omnia Sacramenta Chriſti pertinet. Jam quia iſta invocatio, confeſſio, & celebratio Domini debet fieri ex toto corde, ex tota anima, & ex omni virili, uti Dominus ſolus eſt qui largitur, & facit nobis omne bonum: quivis id facile cognoſcit, vere credentium Chriſto eſſe, ita invocare, confiteri, & prædicare Chriſtum Dominum, ut non ſolum ea quæ ipſius ſunt agnoſcamus, laudemus, & hominibus commendemus, ſed etiam quæ Antichriſti ſunt detegere, anathematizare, & homines ab illis revocare ſtudeamus. Sic intererant Apoſtoli ceremoniis vulgatis Hieroſolymis: quæ ſupererant ex inſtitutis divinitus, eas ad Chriſtum Dominum referebant, verumque uſum earum docebant: quæ admixta erant humanitus, ea prodebant & damnabant. Dominum Jeſum finem Legis, & omnium Lege traditorum, ſummo ſtudio prædicabant, & in templo, & in omni cœtu hominum, domi, & ubicunque reperiebant, qui audire ſuſtinerent. Utebantur quidem etiam diſpenſatione, & in doctrina & in ceremoniis. Infirmabantur cum infirmis, judaizabant cum Judæis: ſed ut electos Dei ſenſim & ordine ea, quæ Chriſti ſunt docerent, infirmos corroborarent, & ſublatis humanis ſtudiis, omnes in Chriſto pura & ſolida fide ejus unum novum hominem, & in via Dei perpetuo adoleſcentem, & ad menſuram plenæ adultæ ætatis Chriſti grandeſcentem efficerent. Nihil diſſimulabant, aut ſimulabant. Quæ agebant cum in communibus rebus, tum in ſacris, vero corde, & recto ſtudio glorificandi Chriſtum, & lucrifaciendi fratres, agebant. Tacebant quædam in loco, ſed ut ea commodius & efficacius docerent, quibus animos, & ad ea percipienda præpararent, quæ adhuc continebant: propterea quod tradere cum fructu nondum poterant. Utebantur ceremoniis interdum Judaicis, ſed ut ab illis revocarent qui eis utebantur ſuperſtitioſe. In confeſſo nunc eſt apud omnes rite doctos fidem Chriſti, in Miſſis eſſe manifeſtam Chriſti negationem: non ſolum propter vulgatam perſuaſionem ſacrificii, quod proſit per ſe communicantibus cum eo, præſentia tantum corporali, & largitione, ſine pœnitentia & fide Chriſti: ſed etiam quod Chriſtus ibi non prædicatur, Sacramentum pro eo adoratur, & quicquid in ſancta Cœna inſtituit, pervertitur.

Eadem admittuntur in pompis & cultibus Sacramentalibus, & reliquiarum, imaginum, atque ſtatuarum. Fugienda igitur hæc ſunt, detegenda & anathematizanda; & homines ab illis revocandi ſummo ſtudio. Cui vero Dominus tantum roboris non dederit, is tamen ne deſperet: ſed nec ſecurus in eo ſit, ſuamque infirmitatem, ne prudentiæ, aut diſpenſationis colore conetur infucare. Naaman Syrus quidem adoravit in templo Remon, ſed Deum verum, quod indubie non minus verbis quam ſacrificiis, quæ jam ſoli Domino faciebat, confeſſus eſt. Deum fratres infirmiores ſemper orent per Chriſtum Dominum, ut ipſe confitendi prædicandique ſui animum fortem inſpiret, viamque & rationem idoneam monſtret. Fortes, infirmiores ſpiritu manſueto inſtaurent, & corroborent, non abjiciant, aut frangant. Si quem Deus ad aſſerendum regnum ſuum, ſive in ſacro miniſterio, ſive in privata vita, ampliore diſpenſatione quam hic deſcripta eſt, vocaverit, hunc reget ipſe Spiritu ſuo: cui precamur, ut ductum Spiritus ſancti pure & feliciter ſequatur. Dominus Jeſus congreget ipſe oves ſuas, & paſcat, Amen.

Octavo Maii, M.D.XL.V.

MARTINUS BUCERUS.

PETRI MARTYRIS *conſilium.*

QUæ à dominis Philippo & Bucero ſcripta ſunt, mihi quoque probantur: iſtaque ſolummodo adſcribo, ut potius magis explicem, quam ut illorum conſilio adjiciam. In primis, qui Baptiſmum infantibus ſuis in Eccleſiis Papiſticis petunt, aut in illis precibus interſunt veſpertinis & matutinis, quum iſta ibi non perficiantur ſine mortuorum invocatione, aut ſuffragiis pro defunctis:

eorum partes ſunt, ita amplecti in iſtis Dei & Chriſti inſtituta, ut vitiis ipſi deteſtentur, non modo ſecum in animo, ſed pro opportunitate oblata, verbis ea patefaciant, idque potiſſimum eis, quos ut infirmos, vident ſe poſſe offendere ſuis illis actionibus. Ut vero Miſſæ interſint, & profanatiſſimæ Cœnæ Papiſtarum, non debent adduci exemplo ſanctorum Judæorum ante Chriſti adventum, qui ritibus & ceremoniis Hieroſolymis intererant, quum noſtra & illorum non ſit omnino eadem ratio. Illis enim tunc juſſerat Dominus, non ſolum ut illa facerent; ſed ut in anno ter apparerent coram Domino: neque alibi quam Hieroſolymis ſacrificare licuit. Modo, nos ubique poſſumus & Sacramenta percipere, & laudes offerre Deo. Neque nimis blandiantur ſibi exemplo Naaman Syri: nam ibi nil aliud à Propheta petit, niſi ut Deus ſibi velit ignoſcere, quando in templo Remon adoraverit. Ex ejus poſtulatione non evincitur, id quod erat facturus, non eſſe peccatum: ſed orat ut ſi in id inciderit, remiſſionem precibus obtineat. Neque Propheta aliquid ei promiſit in eo facto: ſolummodo reſpondit, Vade in pace. Quo reſponſo abeuntem ſalutat, aut recipit ſe pro illo oraturum, non tamen illud ei licere affirmat. Poſtremo, dum ſunt diſperſi fratres in Babylonica captivitate, videant ut aliquem, ſi fieri poteſt, inter ſe habeant ſanctum conventum. Apoſtoli enim Hieroſolymis, etſi poſt necem Chriſti intererant quandoque in templo, Judaicis ceremoniis: attamen inter ſe Cœnam Dominicam habebant, & orationibus atque verbo Dei ſimul vacabant.

PETRUS MARTYR.

Et hæc mihi probantur. M. BUCERUS.

JOANNIS CALVINI *conſilium & concluſio.*

QUoniam ſatis demonſtraſſe mihi videor Chriſtiani hominis officium non facere, qui nullam fidei ſuæ confeſſionem edit tota vita: multo vero minus, qui idololatriæ ſimulatione ſe contaminat: totam illam diſputationem hic omitto. Hoc igitur conſtituto: quæritur, numquid homini pio migrandum ſit potius è patria, & relinquenda ſua vocatio, quam ut Miſſis interſit, mortuorum exequias Papiſtarum more celebret, ac uſurpet uſitatas in Papatu ceremonias, cum verbo Dei pugnantes. Reſpondeo, Non modo ſpiritualem Dei cultum, ſed externam quoque ejus profeſſionem, qua Dei gloria continetur, patriæ, cognatis, vitæ denique præferendam eſſe. Proinde, quicunque in iis locis degunt, ubi Deo præſtare nequeunt quæ neceſſario exiguntur ab omnibus Chriſtianis, ſciant non minus ſibi quam Abrahamo hoc præcipi: Exi de terra tua, & de cognatione tua: niſi forte ea animi virtute & fortitudine præditi ſint, ut mortem obire non dubitent, quoties opus fuerit, potius quam ut in hominum gratiam quicquam à ſua profeſſione alienum deſignent.

Sed objicitur, Vocationem legitimam, quum à Deo ſit, non temere ulla de cauſa negligendam eſſe: ſponte vero deſeri nullo modo oportere. Reſpondeo, Chriſtianum hominem ſuæ vocationi alligatum eſſe, duntaxat uſque ad aras. Quare, niſi liceat Deo reddere quod ſuum eſt, nihil eſt quod retinere nos debeat, vel poſſit. Aut enim Deus reſpicitur in vocatione, aut alius propoſitus eſt finis. Niſi prima habetur gloriæ Dei ratio, fruſtra nomen hoc ad excuſationem obtenditur. Si primum locum obtinet, ut par eſt, eatenus nos vocationi aſtrictos meminerimus, ne à vero ſinceroque Dei cultu nos impediat. Denique, ſicut prior Tabula Legis ordine ſecundam præcedit, ita omnia ſecundæ Tabulæ officia, ad illam, tanquam ad normam, exigenda ſunt. Summa autem prioris Tabulæ eſt, ut purum Dei cultum, puram adorationem & invocationem retineamus.

Conſtituo igitur, nihil tanti eſſe, ut ejus cauſa debeat homo Chriſtianus ſe profanare ullo inquinamento ſuperſtitionis, quo minuatur, aut violetur Dei cultus. Et ſi faciat, non poſſe excuſari.

Porro cum in eo genere conſtituam Miſſas, mortuorum exequias, quales ſunt in Papatu, preces omnes ſolennes, ubi ſancti mortui invocantur: qui me audiet, nunquam ſibi permittet Miſſam audire, aut aliis ejuſmodi pollutionibus intereſſe: neque ſibi blandietur, quaſi hoc liceat.

Quid ſi autem in commune bonum, & multorum ædificationem magis expediat, quempiam modica, & quoad in ſe erit ſobria ſimulatione multas utilitates redimere? Reſpondeo, nihil iſtorum eſſe, quod veram & neceſſariam cultus Dei profeſſionem, & religionis teſtimonium præponderet. Deinde, non eſſe noſtrum æſtimare, quid futurum ſit utilius: ſed hoc tantum relinqui, ut agamus quod præſcribit Dominus. Dei enim ſolius eſt gubernare eventus. Poſtremo, nullis circumſtantiis illud mutari, quin debeamus nos ſpiritu & corpore ſervare Deo impolluros.

Quid ſi grave & noxium offendiculum ex diſceſſu oriatur? provocetur impiorum ſævitia? infirmis, labaſcendi detur occaſio? Reſpondeo, nobis hoc totum incertum eſſe. Nam Dominus ita moderari poterit, ut cedant omnia in contrarium. Et certe non tam inde quicquam mali timendum eſt, quam multum boni ſperandum. Quantacunque enim amentia excæcati ſint impii, hoc ad vulnerandam eorum conſcientiam non leve cauterium erit, videre qui patriam, cognationem, & quicquid hominibus dulce eſſe ſolet, relinquere malint, quam ſe idololatria polluere. Tanta animi magnitudo plus ad frangendam eorum contumaciam valebit, quam ad furorem inflammandum. Infirmis potius accedet confirmationis materia, quam ut titubare propterea aut vacillare debeant. Verum ut certo hæc omnia pericula immineant, officium ſemper noſtrum eſt, ſequi abſque controverſia & [illegible], quo Dominus vocat, eventus autem regendos illi commendare. Tantum ſedulo precemur, ut in bonum eos finem dirigat.

Quæritur de iis, qui miſeros fratres pro Chriſti teſtimonio laborantes nonnihil juvare aut ſublevare poſſunt. Locum enim ſi relinquant, eos ſimul deſtitutos relinquunt. Reſpondeo: Nullum talibus poſſe dari melius conſilium, quam ut vitam ſuam periculo objiciant, pro aſſerenda Chriſti gloria: ſin vero tantum non habent animi, nullum ſecundæ Tabulæ officium ab idololatria, & aliis inquinamentis ſuperſtitionum eos excuſat.

In ipſo quæſtionis ſtatu, & ſumma, non puto hoc meum reſponſum ab aliorum ſententia diſcrepare. Siquidem D. Philippus, cui alii duo aſſentiuntur, utcunque ſigillatim non reſpondeat iſtis objectionibus, dum tamen prætextus omnes uno verbo excludit, ſatis teſtatur, nihil ſibi tanti eſſe, ut homini Chriſtiano idololatriæ profeſſionem, etiam obſcuram, permittat.

Epiſtola CALVINI *ad quendam amicum.*

QUum haberem ad te literas, quas non longo poſt tempore miſſurus eram: alteræ tuæ ſupervenjunt, quibus iterum mihi pro laboribus, rogatu tuo ſuſceptis, agis gratias: ac ſimul petis, ut duas tibi quæſtiones expediam, ne quid in meo reſponſo deſideretur. Quod te referendæ gratiæ vix parem eſſe prædicas, ego vero mihi abunde relatam eſſe arbitror, quum meum qualecunque ſtudium vobis ita probari audio. Sed venio ad tua rogata.

gata. Quæris priore loco, num homini Chriſtiano, qui ſe ab omnibus ſuperſtitionum inquinamentis abſtinet, liceat patriam relinquere, propterea quod illic ſacrorum conventuum bono, magna ex parte privetur. Non quæris an illi ſit neceſſe; ſed an liceat. Illa deliberatio longe difficilior eſſet: hæc magis expedita, modo unum tollatur, ne is certæ vocationi ſit alligatus, quam deſerere fas non ſit. Proinde, quo res ſit liquidior: primo conſtituamus vitæ genus, à quo diſcedere ſit liberum. Qui in tali ordine erit conſtitutus, is duas habet juſtas cauſas cur diſcedat, ſi voluerit: Ut periculum antevertat, ut in eum locum ſe recipiat, ubi libera Sacramentorum communicatione fruatur, & in publico piorum cœtu Deum invocare poſſit. Sunt enim res magno æſtimandæ, ſolennis fidei profeſſio, ſacrorum conventuum uſus, purum Verbi & Sacramentorum miniſterium. Nec expectare nos jubet Deus, dum præſens capiti noſtro periculum immineat, niſi aliquod peculiare vinculum nos retineat, & quaſi præcludat exitum. Summa ſit: Licitum eſſe homini Chriſtiano, qui modo alioqui liber ſit in mutanda vocatione, prævenire impiorum rabiem, & tranquilliorem portum quærere, ubi Domino ſerviat. Relicta autem patria, concedere in eum locum, ubi fidem ſuam pure & abſque fuco profiteatur, non modo licitum eſſe, ſed etiam laudabile. Nam ſi hæc ſuſpiria ex Spiritus directione eſſe agnoſcimus: Quam dilecta
Pſal. 84. tabernacula tua Domine virtutum! Item, Quomodo
Pſal. 137. cantabimus canticum Domini in terra aliena? Item,
Pſal. 43. Quando veniam & intrabo in ſanctuarium Dei Jacob? qui Spiritu Dei regitur, is proculdubio, ſi qua ſit evadendi facultas, inde quamprimum evolare conabitur, ubi neque Deo canere permittitur, neque ſinceram fidei profeſſionem edere. At ſi vocatio aſtrictum quempiam tenebit, decies mori ſatius fuerit, quam ut ſtationem ſuam ſponte deſerat, hoc eſt, præſenti periculo non coactus. Quanquam ne periculum quidem ſemper excuſat. Sed illud prævenire voluntario diſceſſu, nunquam concederem. Nihil dum tamen inde certi conſtitui poterit, niſi definiamus quale ſit vocationis genus, quod hominem Chriſtianum aſtrictum teneat; tale eſſe Paſtoris officium extra controverſiam eſt. Qui enim Eccleſiæ gubernatione ſponte cedit, non alio loco habendus eſt, quam militiæ deſertor. Sed quoniam nulla eſt vocationis ſpecies tam libera, cui non annexum ſit vinculum aliquod: diſtinguere inter gradus convenit. Quanquam in omnibus tenenda eſt præcipue hæc regula: Ubi in conditione mutanda nulla eſt religio, liberum eſſe diſceſſum. Scio quid hic objici ſoleat: Nimiæ eſſe timiditatis, fugam præripere, antequam nobis moleſtiam faceſſant impii: & inhumanum eſſe, antequam ulla major vis cogat, eos deſtitutos relinquere, quibus profuturus ſis, manendo: & bene agendi facultatem quaſi projicere. Sed ut vitium in timiditate eſſe confitear: nego tamen culpandum eſſe remedium. Qua reſponſione alterum etiam illud objectum ſolvitur: prodeſſe enim fratribus quiſque debet, ſed pro facultate ſibi data. Et ſic quiſque adducere alios ſtudeat ad Dominum, ut formandæ ad Dei cultionem, propriæ vitæ primam habeat curam. Hic ſingulis mature videndum eſt, quantum ad excipiendas perſequutiones roboris, & conſtantiæ habituri ſint, ſi quando in arenam tracti fuerint. Non ſunt quidem fingenda temere pericula, quæ procul abſunt, aut certe nondum imminent. Sed qui quotidiana ſævitiæ exempla vident exerceri adverſus fideles, quibuſcum ſimilem habent cauſam, debent ſe ad perferendum quicquid acciderit, in tempore comparare, ne inopinato opprimantur. Proinde, ſuæ cuique facultatis conſcientia optima erit, meo judicio, hac in re moderatrix. Qui ſe inſtructum hac animi magnitudine agnoſcit, ut paratus ſit ſuſtinere quoſvis impetus, ne ſe loco moveat. Qui autem imbecillitatis ſuæ conſcius ſibi diffidit, nec quicquam ſibi polliceri audet, quin potius trepidat & eventum veretur, ſibi potius is conſulat periculum præcavendo, quam præcoci, ut ita loquar, fortitudine ſe in exitium præcipitet: nam qui de infirmitate ſua monitus, non fugit, quum Deum tentet, temeritatis ſuæ pœnam, quum in rem præſentem ventum eſt, merito luit. Quamobrem unumquemque in ſe deſcendere jubeo, ut qui ſe apertæ confeſſioni nondum aptum eſſe videt, ab impiorum rabie, quantum poteſt ſe ſubducat. Hac cauſa, qui exilium voluntarium ſubierit, omni reprehenſione caret. Secundam quæſtionem in duo membra divido; nam quæ tu putas unius eſſe quæſtionis, habent non parvum diſcrimen. Prius membrum eſt: Utrum qui vitam privatam degunt, aut funguntur eo munere, quod publicam Euangelii profeſſionem non requirat, dum ab idololatria abſtinent, conſilii ſui rationem obvio cuique reddere teneantur. Reſpondeo, me hic perpetuam legem præfigere non audere: video enim Chriſtum, quum ab improbis captioſe interrogaretur, interdum vel tacuiſſe, vel aliud dixiſſe, ut eorum inſidias eluderet. Ita, ſi quis ambiguis figuris ſuſpenſos relinquat eos, qui ipſum adoriuntur, non damno. Quanquam nec ſemper debet id fieri: nec niſi juſta de cauſa. Unum excipio: ne huc ſpectet ambiguitas, ut conſentire impietati videaris: nam ut claram Miſſæ deteſtationem exigere abs te non audeo, ita ſi Miſſæ te interfuiſſe, vel interfuturum ſimules, aut quoquo modo ejus religione te implicari annuas, aut præ te feras vel impietatis conſenſum, non dubito reprehendere ac damnare. Alterum membrum: An is qui ad tribunal impii judicis tractus, quum nullius rei convictus ſit, confiteri ſimpliciter & clare fidem ſuam debeat, ubi de ea rogatur: an ſatis habeat teſtari, ſe credere quod credit ſancta Eccleſia: & in ſingulis capitibus ad hanc latebram confugere. Quod ſi ulterius urgeatur, num provocare illi fas ſit ad publicos ſacræ theologiæ profeſſores: & eos quidem pios & doctos. Reſpondeo, ſi univerſalis eſſet interrogatio, deliberari poſſe, quidnam expediat: nam nec Paulus coram Sacerdotibus primum, deinde coram Proconſule diſertis verbis, quid de religione ſentiat, exponit: neque vero ſuperſedet, quia ſtudeat vitæ ſuæ parcere (nam ad mortem quaſi devoto animo ferebatur) ſed quia non eſſe utile judicat. Chriſti diverſa eſt ratio. Tacet enim de multis coram Pilato, quia tribunal illud erat non agendæ cauſæ, ſed audiendæ damnationis. Verum, de neceſſario aliquo religionis capite dum rogamur, illic ſubticere periculoſum: dicere autem, quo te impietatem approbare præ te feras, prorſus indignum eſt Chriſtiano pectore. Non præſcribo nominatim, quouſque progrediaris: ſed duo venire tibi in mentem volo: te illic, tanquam Dei manu ſiſti, ad edendam fidei profeſſionem: deinde ſophiſticen illi eſſe exoſam. Nunc videamus, ſuffugium illud quorſum ſpectet. Quid de peccatorum remiſſione ſentis? gratuitamne, an ſatisfactionibus redimi? Quod ſancta credit Eccleſia: nam ſi veram appelles, exprimere te cogent, de qua loquaris. Quorſum hoc totum? niſi ut illis gratificeris. Mea, inquies, nihil intereſt, modo evadam. Cupio infeſtiſſimos dimittere, modo ne gladium illis nimis aperta confeſſione, porrigam. Sed quis eſt hic Eccleſiæ prætextus? Nonne ideo evadis, quia te in Eccleſiæ Romanæ ſervitutem reductum eſſe putant? Quos porro theologos intelligent, niſi ſuos: hoc eſt, omnium blaſphemiarum architectos? Eorum te judicio ſubmittis, ut paratus ſis ſubſcribere omnibus eorum placitis, quæ omni impietate referta eſſe conſtat. Hoc ſi tibi ſemel permiſeris, cur non eodem jure, frenum tibi magis laxes ſubinde ac magis, ut illis in ſpeciem ad

quæ-

quævis poſtulata annuas? Gratuitane eſt remiſſio peccatorum, an ſatisfactione conſtat? Sane. Intus enim tibi canis, Chriſtum ſatisfeciſſe. Credis purgatorium? Quidni? Chriſti enim ſanguine purgamur. Hoc poſterius tacitum devorabis. Audietur interim ex ore tuo aperta blaſphemiæ ſimulatio. Ubi illa promiſſio? Dabitur vobis illa hora, quid loquamini, &c. Audebimusne ejuſmodi confeſſioni inſcribere Spiritum ſanctum auctorem? Qualis porro erit hic Dei martyr, qui impietati palam ſuffragabitur? Summa hæc ſit: omnes obliquas reſponſiones, quibus impiorum furorem, tanquam veritatis abnegatione, placare ſtudemus, alienas Chriſtianis eſſe cenſeo: nam & Deus ſophiſticen, ut dixi, abominatur: nec multum intereſt, quibus verbis jures fidei profeſſionem, ſi tibi propoſitum eſt impiis & Chriſti hoſtibus ſignificationem conſenſus dare.

Altera Calvini *Epiſtola ad amicum N.*

QUum mihi ignotus ſit is, cujus ſcriptum ad me miſiſti, & aliis potius de me quam mihi ſcribat, inepte, meo judicio, ſim facturus, ſi illi non rogatus reſpondeam. Quod tamen poſtulas, facere non recuſo: ut diluendis ejus argumentis aliquid operæ inſumam. Idque ea ſimplicitate facturum me ſpero, ut bonus vir non amplius mihi rhetoricam objiciat. Quanquam neſcio quid illi in mentem venerit, ut hanc mihi notam aſpergeret. Ego certe non videor cauſam illi dediſſe: neque enim ita male profeci in Chriſti ſchola, ut de tantis rebus, oſtentandi ingenii cauſa, declamitem. Atque utinam ad legendum ipſe eam religionem afferat, quam me ſcribendo adhibuiſſe, mihi probe coram Deo ſum conſcius. Poſſem aliquanto durius expoſtulare, ſed abſtineo. Tantum velim ſibi perſuadeat, pluris mihi eſſe animas ſacroſancto Chriſti ſanguine redemptas, quam ut ſtylum quaſi per jocum exerceam, ubi de earum vel ſalute, vel exitio tractatur. Si verum eſt quod de eo prædicas, tandem inter nos bene conveniet: nam ubi regnat timor Dei, omnium diſputationum recta erit concluſio.

Porro ſtatus quæſtionis eſt, an Miſſis intereſſe, idololatriæ ſit profeſſio. Ego affirmo: ille negat: ſed rem facit mediam. Neque vero ego ſolus ſum in hac ſententia: ſed alii quoque tres, quos aliter ſentire putat, mihi ſubſcribunt. Ne tamen videar hominum auctoritatibus velle eum gravare, illis omiſſis, quæramus de re ipſa. Quod ſe & quoſdam ſuos familiares abſtinere à multis pollutionibus teſtatur, huc ſpectat, ut appareat, non omnia eos ſibi permittere, neque uſque adeo ſibi blandiri, ut laxis habenis, ad omnia inquinamenta ſe proſtituant. Fateor igitur, & libenter agnoſco, eos tanto levius peccare. Interim miror, quî excuſare audeat, quod vulgari more, propinquorum exequias frequentant, ubi ſacrificium pro expiandis mortuorum peccatis offertur. Si hæc non eſt manifeſta Cœnæ Dominicæ profanatio: concedo me prorſus nihil intelligere. Eo quum accedunt, an non digitum palam tollunt, ad declarandum conſenſum? Atqui, timent ne inhumani videantur. Nimis iniqua merces, ſi humanitatem impietate in Deum oon dubia rediment. Negant ſe acceſſuros, ſi putarent tantum ſubeſſe mali. Sed velim mihi reſpondeant, aut ſaltem hic qui loquitur patronus, omnium nomine: quorſum illæ exequiæ, quibus interſunt, niſi ad mortuum è Purgatorio redimendum? Quum vero accedunt ipſi, annon communibus omnium ſuffragiis ſua quoque adjungere ſe velle teſtantur? Reputent pauliſper mecum, quales illic preces concipiantur, quales ritus uſurpentur, qualis ſit tota actio: quo conſilio in medium aliorum cœtum ſe ingerant. Si tam graviter olim animadvertit Deus in Corinthios, quod minus reverenter tractarent ſacram Cœnam, quanto graviorem pœnam meretur tam craſſum ejus ludibrium, dum ad mortuos transfertur? Negabunt ſe tantæ impietatis, vel auctores eſſe, vel approbatores. Quaſi vero plus ſit, duobus digitis ſubſcribere, quam ad conſenſus ſignificationem afferre totum corpus. At faciunt inviti. Nihil hoc ad me. Saltem in præſentia nihil refert quo animo faciant: tantum enim hoc diſputo, impietatem hic committi, à qua fideles penitus abhorrere debeant.

De Miſſa quid ſentiat, video: rem ſcilicet per ſe honeſtam ac ſanctam eſſe: vitioſis tamen quibuſdam acceſſionibus corruptam. Ne fruſtra litigemus, velim mihi Miſſam definiat. Ego quidem, quum de Miſſa loquor, actionem illam intelligo, quæ in locum Cœnæ Dominicæ ſubrogata eſt: ubi offertur Chriſtus Patri in ſacrificium: ubi panis pro Deo adoratur: ubi unus ſeorſum vorat quod conſecravit: ubi ſolennibus verbis concipitur oratio, ut valeat ſacrificium illud expiandis vivorum & mortuorum peccatis. Ex his, inquam, æſtimanda eſt Miſſa, non autem ex fucis illis, quibus picta eſt, ad faſcinandas hominum mentes. Quid enim, ſi colores furatus ſit Satan à Chriſto & Apoſtolis, ad tegendam abominationem, cujus ipſe ſolus auctor erat & architectus? Ornet igitur quam volet honorificis elogiis hic bonus vir, ſuam Miſſam, non tamen ita oculos mihi perſtringet, ut prætextu contentus, corpus ipſum, vel ſubſtantiam, ut loquuntur, intueri deſinam. Porro, ut illi concedam, multas illic eſſe corruptelas, quæ à bonis initiis ortæ ſint: nunquam id à me obtinebit, Miſſam eſſe Cœnam Domini, vitiatam extraneis quibuſdam inquinamentis: pugnat enim modis omnibus cum Cœna Domini: ut nihil magis contrarium fingi queat. Nam ſi inde melior aut ſaltem tolerabilior illi videtur, quia abuſus eſt Cœnæ Dominicæ; reſpondeat mihi, unde omnia Gentium ſacra, etiam Ægyptiorum, quibus nihil eſt abſurdius, aut fœdius, manarint. An non ex legitimis ſacrificiis, quæ à Deo ipſo primi Patriarchæ acceperant? Nam quum initio purum unius Dei cultum haberent filii Noach, poſteris etiam quaſi per manus tradiderunt: brevi autem factum eſt, ut hi degenerarent à ſanctis majorum inſtitutis. At majori abominatione digna fuerunt ſacra Gentilium, quod diis alienis nominatim dicata erant. Quaſi vero mortui qui à Papiſtis invocantur, & quibus nominatim dicant ſuas Miſſas, non ſint etiam Baalim. Quanquam litem de hac re non moveo. Sacrificia quæ in Bethel fiebant, cujus nomen præferebant? An autem ideo minus erat inquinamenti in illorum communicatione? Si quis æqua trutina expendat, plus ſimilitudinis habebant illa cum veris ſacrificiis templi Hieroſolymitani, quam Miſſa cum Chriſti inſtitutione. Cur ergo negabimus, hodie pollui, qui Miſſæ participant: ſi fatemur nemini piorum fas fuiſſe ſacrificare in Bethel? Si fuci illi perſtringunt nobis oculos, quod doxologia canitur, recitatur una ex Epiſtolis Apoſtolorum lectio, altera ex Euangeliis, cogitemus non defuiſſe etiam profanis veterum idololatrarum ſacris prætextus ſatis ſpecioſos. Sed intuendum ſemper quod præcipuum eſt in unaquaque actione, & acceſſionibus præferendum. ita reperiemus, Miſſæ ſubſtantiam com Chriſti inſtituto ex diametro pugnare. Certe ut moderatiſſime de ipſa ſentiamus & loquamur, non poſſumus aliter vocare, quam adulterinam Cœnæ larvam.

Sed negat auctor ejus ſcripti quod miſiſti, ullum impiæ profeſſionis ſignum edere, qui Miſſæ interſunt. Obſecro, quid igitur eos ad Miſſam adeundam cogit? Si ſua tantum, non aliorum cauſa illuc accedunt, bis peccare eos dico: ſi aliorum habent rationem, quorſum? An non ut hoc ſymbolo ſuam cum illis in religione conſenſionem probent? Tu deſtinato conſilio ad eam actionem te aggregabis,

quæ

quæ communis eſt omnibus impietatis profeſſio, & immunis eris à pollutione? Tu, quaſi dato pignore, in Miſſæ approbationem te obſtinges, & nulla erit profeſſio? An non præſtaret dare Domino gloriam, quam adeo manifeſtum delictum, parum verecunde defendere? Nam quod concludit, fas eſſe homini Chriſtiano, Miſſæ intereſſe, modo ab omni approbandæ impietatis ſignificatione abſtineat, fortaſſis verum eſſe concederem, ſi fieri id ullo modo poſſet. Verum, rationem nunquam mihi expediet, neque inveniet ipſe ſibi. Faceſſant ergo illæ de chimæra diſputationes.

De Cœnæ obſervatione breviter reſpondeo: non eſſe noſtri arbitrii ſymbola comminiſci à Chriſti inſtitutione aliena, quibus nos in memoria mortis ipſius exerceamus. Memoriam, inquam, mortis ſuæ voluit Dominus ſacræ Cœnæ celebratione à nobis coli. Quum ab ea diſcedimus, quicquid agimus, profanum eſſe dico. Abſtinendum itaque, meo judicio, potius foret ab uſu Sacramenti, quam vel miſcendum Sacramentum cum multis inquinamentis: vel loco Sacramenti uſurpanda inanis pompa. Panem, inquit, ſumimus conſecratum: vinum autem non conſecratum. Principio, quis hoc divortium facere permiſit? Pars una, tyrannide eripitur. Sed quis in altera parte Cœnam Domini reſtare illis revelavit? Hoc tamen omitto. Panem dicunt eſſe conſecratum. Quæro, quo ritu? Longe enim abeſt, à vera conſecratione incantatio, qua utuntur ſacrifici. Ergo, aut ſequantur atque obſervent quod præcepit Dominus, aut ne ſecus agendo inanibus titulis ipſos deludant.

Reſtat, ut de argumentis aliquid dicamus in quibus ſatisfactum ſibi negat. Solutionem meam de Naaman Syro valde exagitat: quia dixerim me libenter veniam daturum, ſi quis edita ſimili profeſſione, civilis duntaxat officii cauſa, Miſſæ interſit. Dicit ſe & ſuos hoc idem quotidie teſtari: ſed non palam, quia ſit periculoſum. Quid ſimile? quum Naaman in publico ſit profeſſus? Hic vero ſimplicitatem meam rider, quod imaginer innumeram turbam aſtitiſſe: quum veriſimilius ſit, ſeorſum cum Propheta loquutum. Ego vero profeſſionem ejus non includo in illis paucis verbis: ſed ex eo æſtimandum cenſeo quod ſacturum ſe pollicetur: imo quod ſtatim facit. Quorſum enim mulos duos terra onerat, niſi ut teſtatum faciat omnibus, ſe cultum habere ſibi peculiarem, atque à reliquis ſeparatum? Conſideremus quo loco fuerit, quam ſuſtinuerit perſonam: & fatebimur, tantam mutationem occultam non fuiſſe. Putamuſne quum ad regem ſuum reverſus foret, tacuiſſe de tam inſigni miraculo? Ego certe non dubito, quin modum curationis magnifice prædicaverit. Sed conjecturis non eſt opus in re perſpicua, Mulos onerat terra Chanaan, in qua Deum Iſraëlis adoret: ut ſe ab aliorum deorum cultu abhorrere teſtetur. Sic enim ſonant ejus verba. Quid hac confeſſione apertius? Hoc faciant, qui ejus exemplo ſe tuentur: & me habebunt clementiorem. Quanquam hic bonus vir pugnat ipſe ſecum. Ante confeſſus fuerat, alienorum deorum ſacra tantæ abominationi habenda eſſe, ut ab acceſſu interdiceret piis omnibus: nunc autem licitum eſſe contendit, quod ante prorſus damnaverat. Nam aut nihil proficiunt, ad exemplum Naaman confugiendo: aut tam licebit quævis Gentium ſacrificia, quam Miſſam frequentare. Verum ea, quam attuli, reſponſione contentos fore ſpero, quicunque veritati cedere non recuſabunt.

Quod ad locum Baruch ſpectat; ſuam ſibi veriſimilitudinem habeat. Nemini tamen ſano judicio unquam perſuadebit, populum Dei in ſolennibus Babyloniorum pompis, in idolorum circumgeſtationibus, permiſtum idololatris fuiſſe, qui ad idolorum venerationem ex profeſſo congregati erant. Neque verba tale quicquam ſubindicant. Videbitis, inquit, Babylonios illud agentes. Non dicit, Quum vos cogent: aut, Quum metu acceſſeritis. Neque tamen adeo nobis laborandum eſt de hoc teſtimonio, quum auctor ſit incertus. Mihi ſatis eſt, quod Prophetam audio clara voce illis concionantem: Fugite, fugite: ne immundum tetigeritis. Poſtremo, quid aliud eſt, corde dicere unum Deum adorandum: externo autem nutu, idoli cultum ſimulare, quam in ſuum reatum, conſcientiæ teſtimonio ſubſcribere? Simulat autem certe idoli cultum, qui data opera convenit, ne abhorrere ab illo videatur.

In comparatione quam adducit, ſerpentis ænei, & ſimilium impietatum, illi aſſentior: ſed parum congruenter ad præſentem cauſam accommodat. Non exprimitur, quo loco fuerit ſerpens ille adoratus, neque id magnopere ad rem facit: verum ſive in templo, ſive alibi ſuffitum illi fecerint Iſraëlitæ, fallitur, qui putat Prophetas aut piorum aliquos adfuiſſe, quum tanta abominatio perpetraretur. Urias, juſſu Achab, altare extruxit in templo, ubi ſacra Deo Samariæ fierent: ſed neminem ex fidelibus legimus ejuſmodi ſacris interfuiſſe. Neque vero credibile eſt. In excelſis vulgo adorabant: ſed mihi non eſt dubium, quin omnes veri Dei cultores religioſe à tali corruptela abſtinuerint. In hoc totum eſt ſitum, ne dum conventus ſolennes aguntur idololatriæ, illuc te aſſocies. Quamobrem ſupervacuæ ſunt iſtæ querelæ: Nuſquam ergo orare jam licebit: quia nullus angulus ab idololatria purus. Neque enim ſic pollutum eſſe locum dicimus, ubi ſuas ſuperſtitiones peragunt impii, ut ibi orare ſit nefas. Neque enim ubivis orare prohibeo, modo ab omni earum actionum ſocietate abſtineas, quæ idololatriæ profeſſionem continent. Quum autem ſponte accedis, quum ſponte interes, ſocietatem te coire dico, ſi non plenam, at ſimulatam. Ipſa, inquam, circumſtantia te convictum tenet, ut fruſtra te à pollutione immunem eſſe jactes.

Quod ſi clarius definiri poſtulat, quænam ſit illa confeſſio & qualis, quam ab homine Chriſtiano exigimus: ego vero quod in ſcripto meo poſui, iterum confirmo: magiſterio Spiritus id diſcendum eſſe magis, quam certis regulis poſſe tradi. Nemo certe mutus in profeſſione ſuæ fidei eſſe debet. Quo autem cuique amplior fidei menſura data eſt, eo luculentior ſit ejus confeſſio oportet. Sed maximam partem gubernat temporum ratio, & oblatæ opportunitates. Quare ad Spiritum prudentiæ & judicii ſemper confugiendum. Porro in tota ſuperiori diſputatione, quam edere confeſſionem debeat homo Chriſtianus, non diſſerui: ſed cavenda vitia oſtendi, quæ veræ confeſſioni repugnant. Faxit Dominus, ut non tam in captandis ſubterfugiis, quam in voluntate ejus inveſtiganda, ingenioſi eſſe velimus. Ego qui tam rigidus eſſe videor, nunquam ſine acerbiſſimo doloris ſenſu de fratribus cogito, qui ſe durius à me tractari conqueruntur: ſed mihi ignoſcant, ſi Chriſti jugum, ne tantillum quidem, laxare audeo. Vale frater & amice dilectiſſime. Genevæ, 14. Calend. Julii, M. D. XL V I.

RESPONSUM PASTORUM TIGURINÆ ECCLESIÆ.

Clariſſimo Viro, D. JOANNI CALVINO, *Genevenſis Eccleſiæ fideli Miniſtro, Domino & fratri colendiſſimo ſuo*, S. D.

LEgimus librum tuum, Calvine, frater in Domino venerabilis & dilecte, quem edidiſti de vitandis ſuperſtitionibus. Placuit is non mihi quidem ſoli, ſed omnibus apud nos piis, non tam propter eruditionem excellentem, quam propter religionis puritatem, & confeſſionis veræ fidei ſinceritatem fortiter aſſertam. Laudamus pietatem & integritatem tuam, precamurque ut pro bono opere benedicat tibi Dominus. Interim non ignoramus tibi contradici à pluribus, objicientibus te ſolum in hac eſſe ſententia. Ergo, ne ignorent & nos illa tua approbare, & tecum ſentire, ſi quando recudetur à typographo libellus tuus, hunc noſtrum ei conjungere poteris, quo idem tecum argumentum tractamus. Scripſimus eum in gratiam cujuſdam viri magni, pii & docti, qui noſtrum expetebat judicium. Vale. Tiguri, 30. *Septemb. Anno* M. D. XLIX.

Tuus H. BULLINGERUS.

An liceat homini Chriſtiano ſimulare aſſenſum falſæ doctrinæ, & ſuperſtitionum, quas tamen animus damnat.

QUum ſolutio quæſtionum omnium, quæ Chriſtianam doctrinam & fidem & opera ſpectant, petenda ſit è Scripturis ſanctis, maxime id facere convenit in hac quæſtione, in qua vel urgens oeceſſitas, vel miſericordia præpoſtera in afflictos, magnam præbent occaſionem excogitandi aut approbandi non pauca, quæ repognant divinis inſtitutis, & tamen ſub ſpecie tum prudentiæ, tum juſtitiæ, tum modeſtiæ, tum pietatis.

Præmonuit autem Deus in Scripturis ſanctis per Apoſtolos ſimul & Prophetas, fore noviſſimis temporibus, ut Eccleſiam Dei aggrediantur cùm doctores falſi, qui pravis opinionibus & fictis ſignis atque miraculis plurimos ſeducant, tum violenti perſequutores, qui minis & terroribus, & omni genere afflictionum, à via ſalutis impellant homines: adeo ut etiam electi ſeducantur, ſi fieri poſſit.

Cæterum, ut Deus in Scripturis ſanctis prædixit fœdam Eccleſiæ deformationem, multis à religione vera deſciſcentibus, ita etiam monſtravit præfixum eſſe finem extremæ infelicitatis, non modo ſeductoribus, qui partim aſtu capiunt homines, partim irrogando mala temporaria, vel eripiendo bona, pertrahunt in religionis formam pugnantem cum divinis placitis: ſed etiam iis, qui auctores iſtos perverſos ſectantur, & non potius Chriſtum principem, qui ſalus eſt, lux, via, veritas & vita.

Quæ quidem Dominus Deus, qui docet ac præcipit duntaxat utilia, non ſine cauſa toties & tam diligenter ingeſſit per divinos homines, verum maximi boni cauſa, quod ad homines univerſos pertineat: nimirum ut admoniti homines, caveant pericula & mala imminentia, & judicare poſſint, & confirmentur in religione divinitus tradita: aut ſi quis dolo impoſtorum, & violentia perſequutionis fuerit præoccupatus, revocetur in viam ſalutis.

Simul enim docet nos Dominus ac Deus noſter, quibus modis ac rationibus poſſint ac debeant tanta mala & pericula ultimæ tempeſtatis mundi ſuperari: quaque via homines ex omnibus procellis, quantumvis ſævis & naufragium machinantibus, modo ſeſe contineant intra navim Eccleſiæ catholicæ, in portum ſempiternæ beatitatis evehantur.

Præcipit namque, ne homines ſupini ſternant ac negligant ſalutem ſuam: verum levatis capitibus, circumſpiciant pericula maxima in quibus verſantur. Præcipit dijudicare ſpiritus, num ex Deo ſint: an Chriſtum, an potios Antichriſtum ſpirent. Vetat conſortium iofidelium, oe fruſtra moliantur pii ducere jugum cum impiis, aut lucem tenebris unire, aut Chriſtum & Belial conjungere. Jubet ſperare ac petere opem divinam, ne deficiamus in tentatione, ſiquidem caro imbecillis eſt, etiam cum ſpiritus promptus eſt. Requirit ſimplicem & apertam confeſſionem ſui nominis & veritatis, ac prorſus damnat non modo abnegationem, ſed etiam diſſimulationem Chriſtianæ religionis. Imperat mordicus retinere illa, quæ nobis à Deo tradita in Scripturis ſanctis certo ſcimus. Dictat patientiam, qua homines poſſidebunt animas ſuas: dictat perſeverantiam in finem uſque, quæ ſalvos efficiet. Hortatur luctari per anguſtam portam, & ingredi per arctam viam quæ ducit ad vitam: declinare autem ſpatioſam viam, & latam portam, quæ multos accipiunt & transmittunt ad æternum exitium. Denique, Deus imperat ſuis cultoribus, ut certent contra Satanam, & omnes hoſtes ipſius: certantibus autem, pollicetur tum gratiam & opem ſuam, tum victoriam, tum præmia longe ampliſſima. Timidis vero, qui Chriſti partes deſerunt, minatur juſtus ac verax Deus æterna ſupplicia, non ſecus quam canibus, & porcis, & mendacibus, & idololatris, & homicidis, qui aperte flagitioſi ſunt.

Etſi vero quivis facile agnoſcit hæc deprompta eſſe non ex humano commento, ſed ex oraculis divinæ Scripturæ, qui vel mediocriter in eis literis verſatus eſt: non pigebit tamen locos aliquos indicare. Dominus Chriſtus Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21, noviſſimi ſeculi faciem graphice depingit, & pericula omnia ponit ob oculos, utque vitari poſſint ſumma fide atque diligentia perdocet. Matth. 10. cap. & Joan. 15. 16. cap. præmonet Apoſtolos atque adeo cunctos ſuos diſcipulos Chriſtus, ut ſeſe præparent ad certamina, & in ſpem bonam erigit, etiam hoſtibus extrema tentantibus, & requirit confeſſionem minime ſimulatam. Matth. 15. & Luc. 6. Scribas & Phariſæos Iſraelitici populi magiſtros, quia male interpretando, Scripturas in alienum ſenſum torquebant, vocat cæcos duces, & jubet eos cavere: ſiquidem cæcus dux & eum ſequentes, abeunt in foveam perditionis. In Revelatione autem ſua, quam Dominus Chriſtus per Angelum Joanni Apoſtolo dictavit, copioſe deſcribit fata Eccleſiæ, & à capite quidem 11. uſque in finem libri certamina Chriſtianorum & hoſtium ita ob oculos ponit, ut ſimul athletas ſuos egregie inſtruat. Petrus Apoſtolus in Epiſtola poſteriori, falſos doctores prædicit graſſaturos in Eccleſia Chriſti, & ita eos ſuis coloribus deſcribit, ut latere non poſſint, niſi plane ſtupidos: nec tacet exitium, quod eos & ſectatores eorum manet: utque declinari poſſit ingens iſtud malum falſæ religionis, edocet. Idem agit Paulus doctor Gentium, præſertim 2 Theſſ. 2. & 1 Timoth. 4. & 2 Timoth. 3. 4. Idem graviter deterret Corinthios à communione idolothytorum, etiam ſcientes ido-

idolum nihil eſſe. Judas quoque Apoſtolus hoc argumentum verſat. Danielis autem prophetias accommodatas eſſe noviſſimis temporibus, ut Eccleſiæ filios inſtruant, confitentur pii omnes, ut cap. 7. 8. 9. 11. Zacharias quoque vaticiniis ſuis erudit nos adverſum doctrinas peſtiferas, ut cap 5. 11. 12. 13. 14.

Sunt autem exempla magna & illuſtria, quæ doctrinam hanc muniant. In veteri enim Eccleſia Prophetæ uſque adeo non aſſenſere doctrinis falſis, & ritibus jam receptis, & vulgo approbatis, ut oppugnarint etiam uſque ad vitæ periculum. Idem fecerunt ſæviente Antiocho, Eleazar, Mathatias, & multi alii. Apoſtoli quoque & Martyres, & Confeſſores vitæ ſuæ diſpendio teſtati ſunt, magis obediendum eſſe Deo quam hominibus.

Exempla plurima Confeſſorum & Martyrum ſuppeditat nobis Eccleſiaſtica hiſtoria, Euſebii inprimis, ut Polycarpi lib. 4. cap. 15. Blandinæ item mulieris ſanctiſſimæ, & multorum aliorum, lib. 5. cap. 1. 2. 3. Item lib. 6. cap. 31. lib. 8. cap. 3. Exclamabant, ait, Martyres ad templa idolorum adducti, ac jam in tormentis, ingenti voce, & teſtabantur ſe non ſacrificaſſe, ſed eſſe Chriſtianos: tali ſe gaudentes confeſſioné decorari. Nonnulli etiam majori fiducia neque immolaſſe, neque unquam immolaturos eſſe teſtabantur: quibus tamen ab aſſiſtentibus militibus ora continuo atque oculi contundebantur ut tacerent, & violenter expellebantur tanquam acquieviſſent, &c. In eodem & ſequenti lib. 9. innumera alia liberarum confeſſionum exempla exhibentur. Huc pertinet & exemplum militum Juliani libere confitentium Chriſtum. Nam alii quidem vexillum Imperatorium, in quo pictæ erant Jovis, Mercurii, & Martis imagines, adorare ut moris erat, renuerunt, alii vero donativa, quæ per ignorantiam non ſine ſuperſtitionis ſuſpicione è manu Imperatoris acceperant, Imperatori reſtituebant, clamantes ſe eſſe Chriſtianos, & in ea profeſſione permanere: per ignorantiam autem quod ſecerant, feciſſe, adeoque manum ſolam paganam eſſe, conſcientiam vero nihil ſimul egiſſe. Locus extat in Trip. hiſt. lib. 6. cap. 30.

Ex quibus omnibus perſpicuum fit, homini Chriſtiano minime licere, ut doctrinas, aut fidem, aut actiones inſtitutis Chriſti adverſantes vel per ſimulationem approbet. 17. Junii. Anno M. D. XLIX.

Paſtores & lectores miniſtri Eccleſiæ Tigurinæ in Helvetia.

JOANNIS CALVINI HOMILIÆ SIVE CONCIONES IV.

Ad omnes vere Chriſtianos homines, qui progreſſionem atque amplificationem regni Domini noſtri Jeſu Chriſti expetunt.

PRÆFATIO.

Ex Gall. QUum rationes cognoveritis quibus adductus has conciones pervulgare volui, ſimulque argumentum quod complectuntur intellexeritis, tum multo melius & fructum, qui ex iis eſt expectandus, percipere poteritis, & ad eum uſum accommodare, ad quem ego eas deſtinavi. Quanquam ego duos libellos antea ſcripſi, quibus ſatis copioſe demonſtravi non licere homini Chriſtiano, puram quidem doctrinam Euangelii cognoſcenti, dum vitam degit in Papatu, ita ſeſe comparare ut abuſibus, idololatriis, ſuperſtitionibus, quæ ibi dominantur, ullo modo conſentire aut adhærere videatur. Sunt tamen quotidie qui, quaſi nunquam ea de re loquutus eſſem, de integro conſilium ex me exquirunt. Intelligo etiam alios eſſe, qui contra ea quæ à me ſcripta ſunt, non deſinunt contrarias rationes ac neſcio quæ ſubterfugia allegare. Quare ut nullus locus inquirendi ac tergiverſandi relinquatur, cùm iis qui adhuc quærunt quod eis debebat plane cognitum eſſe ac perſpectum, tum vero illis qui contra Dei judicium, quaſi quodam, ut dicitur, madenti ſacco ſe contegunt: operæpretium exiſtimavi, ſi concionem hac de re à me habitam recognoſcerem, atque in ordinem redigerem: cujus quidem ſumma excepta & collecta ante fuerat. Quare hæc concio oſtendit, quanta ſit ingratitudo turpitudoque eorum, quibus Deus veritatem Euangelii ſui declaravit, quum iis Papiſtarum abominationibus ſe polluunt, quæ à Chriſtiana religione maximopere abhorrent: quum præſertim eo pacto Filium Dei, à quo ſunt redempti, quantum quidem in ipſis eſt, abnegent. Quoniam autem fieri non poteſt, ut homo Chriſtianus vivens ſub Antichriſti tyrannide, ſine perſequutionis periculo veram & vivam fidei ſuæ confeſſionem edat, adjunxi alteram concionem, in qua & fideles admonentur, ut honorem cultumque Dei ſuæ propriæ vitæ anteponant, & contra omnes tentationes confirmentur. Et certe quod plerique abſurdum eſſe arbitrantur, quod Ipſis non concedatur, quamvis perſonam ſuſcipere ac gerere, non ex ignoratione officii accidit, de quo plane ſunt convicti, quod filii Dei ab omnibus inquinamentis, atque idololatriis recedentes, integre ac caſte eum ſine ulla ſimulatione colere atque adorare debeant: ſed ex eo quod vident ſe fungi non poſſe Chriſtiani hominis officio, quin in ſe rabiem ac ſævitiam malignorum iniquorumque accendant. Hi autem quantum quidem poſſunt, cupiunt crucem vitare ac defugere. Itaque quum animadvertam doctrinam pure pieque colendi Dei nihil plane profuturam, niſi præparentur homines & ad vitam iſtam fragilem & caducam contemnendam, ut regnum Dei æternum expetant, & ad Chriſti crucem ſuſcipiendam ac ferendam, donec ad gloriam reſurrectionis ejus perveniant, adjunxi ſecundam concionem, qua eos qui nimium ſunt molles ac debiles, ad virtutem ac fortitudinem exhortarer. Tertia concio eſt inſtituta, ut intelligatur quantus ſit theſaurus, habere libertatem non ſolum pure colendi Dei, teſtificandæque publice fidei ſuæ, ſed etiam vitæ degendæ in Eccleſia bene conſtituta, ubi & docetur verbum Dei, & Sacramenta, quemadmodum oportet, adminiſtrantur: præſertim quum hæc maxima ſint adjumenta, quibus filii Dei ſe in fide continere poſſint, itaque ad vivendum moriendumque in ipſius obedientia excitare. Mihi autem hujuſmodi argumentum, hoc quidem tempore maxime neceſſarium eſt: propterea quod multi ſunt Chriſtiani opinioſi, &, ut Paulus nominat, [illegible], qui illos irrident, qui cauſa hujus libertatis perfruendæ eum ſuſcipiunt laborem, ut in alienam longinquamque regionem veniant. Sed quia multi retinentur atque impediuntur,

quominus hoc bonum, quod Deus tanti facit, perſequantur, vel amore & ſtudio commoditatum ſuarum ac voluptatum, vel diffidentia & metu ne rebus ad victum neceſſariis deſtituantur; alii vero adeo ſunt delicati, ut niſi omnia fluant ex animi ſententia, graviſſime querantur & murmurent, aut etiam ab ipſius timore Dei deſciſcant, atque ad priſtinam mundi nequitiam redeant: adjunxi quartam concionem, in qua Chriſtiani admonentur, ut adverſus omnes tentationes offenſioneſque muniti ac parati, patienter ferant omnia incommoda, quæ ipſis evenire poſſint, modo Deus pro ſua benignitate eos domi ſuæ complectatur ac tueatur. Ita ſumma quartæ concionis hæc eſt, quod quum hoc privilegium, ac præcipuum ſingulareque beneficium adepti ſimus, ut verbum Dei pure atque incorrupte prædicatum audiamus, & ſancte nomen ejus invocemus, & Sacramenta rite legitimeque uſurpemus, quod hæc tanta tamque expetenda bona, ſolatia, & gaudia, facile poſſunt compenſare omnes moleſtias, incommoda, perturbationes, quas Satan ſuſcitare aut importare poterit. Huc accedat brevis explanatio Pſalmi octogeſimi ſeptimi, quæ quidem ad rem propoſitam ac conſolationem inſtitutam maxime pertinere videtur. Nam in ea tractatum eſt de reſtauratione ac reſtitutione Dei Eccleſiæ. Videmus autem quam plurimos hoc tempore, qui animum plane deſpondent, quum tantam vident Eccleſiæ ſolitudinem ac vaſtitatem, ut prorſus peritura eſſe videatur. Hujuſmodi homines adeoque omnes fideles, hic illud ſolatium reperient, quo his miſeris turbulentiſque temporibus animos ſuos ſuſtentare poſſint, quum quidem videbunt eam ſpem, quam dat nobis Deus, Eccleſiæ aliquandiu afflictæ atque collapſæ in ſuum ſtatum reſtituendæ; ut quam diu juxta mundum deformata & miſera viſa fuerit, poſtea tandem felix & beata efflореſcat. Ego Deum noſtrum optimum oro, ne hic labor à me fruſtra ſuſceptus ſit, ſed cum eo fructu conjunctus, quem vos ad ædificationem veſtram redundare ſentiatis. Genevæ, 20. die Septemb. M. D. L I I.

CONCIO PRIMA,

In qua omnes Chriſtiani admonentur, ut externam idololatriam fugiant, ſumpta ex verſu quarto Pſalmi 16.,

Ego non communicabo eorum ſacrificiis ex ſanguine, neque nomina eorum ore meo uſurpabo.

TRactanda hoc loco doctrina quidem ſatis perſpicua & facilis, niſi maxima eorum pars, qui ſe Chriſtianos profitentur, ad tegendum malum ſuum, ſubtilitates neſcio quas quæreret ac adhiberet. Summa autem totius hujus doctrinæ hæc eſt, quod, poſteaquam Deum viventem, noſtrum Patrem eſſe cognovimus, noſtrumque Redemptorem Jeſum Chriſtum, debeamus & corpus & animam ei conſecrare, qui pro ſua infinita bonitate nos in numerum filiorum ſuorum adoptavit, omnique benevolentiæ, honoris, obſervantiæ genere recognoſcere id beneficium, quod optimus Servator tanto à ſe pretio comparatum, in nos conferre voluit. Ac quoniam debemus non ſolum omni infidelitati renunciare, verum etiam à ſuperſtitionibus omnibus nos ſegregare, quæ tum cum vero Dei cultu, tum cum honore Filii ejus pugnant, & quæ nullo modo poſſunt cum pura doctrina Euangelii, ac vera fidei confeſſione conſentire. Dixi hanc doctrinam per ſe ita eſſe facilem ut ejus tantummodo uſus atque exercitatio nobis debeat relinqui, niſi plerique homines quærerent fallaces quaſdam captiones, quibus nolunt in eo damnari, quod ore ipſius Dei maximopere eſt condemnatum. Ea cauſa eſt, cur nos hoc tempore cogamur ea in re demonſtranda diutius immorari, ut unuſquiſque officium cognoſcat ſuum, neque ſeipſum decipiat, exiſtimans ſe elapſum eſſe, tectum, ut dicitur, integumento madentis ſacci. Sed quoniam nonnulli in ea ſunt opinione, ut hoc argumentum putent nobis quidem plane eſſe ſupervacaneum quorum Eccleſiæ ab inquinamentis idololatriæ Paparus ſunt purgatæ, antequam ulterius progrediamur, videtur non incommodum, ut hujuſmodi homines abſurdiſſime falli demonſtremus. Primum, quum nobis eſt demonſtratum quanta offenſio ſit, nos una cum idololatris pollui ac maculari, ſimulantes nos impietatibus illorum conſentire, atque adhærere, admonemur pro prioribus delictis noſtris gemiſcere, eorumque veniam cum omni humilitate à Deo poſtulare, atque ea in re agnoſcere beneficium ſingulare, quo nos affecit, extrahens ex eo luto, in quo depreſſi demerſique tenebamur. Nam nunquam ſatis, nec pro dignitate hoc tantum ejus beneficium prædicare poſſumus. Et quoniam nobis non eſt exploratum quid nobis eventurum ſit, & ad quid nos reſervet Deus, magnopere expedit ut in tempore præmuniamur ac armemur, ut in quemcunque locum veniamus, aut quibuſcunque oppugnemur tentationibus, nunquam à puro Dei verbo recedamus. Primum, complures in hoc cœtu ac conventu noſtro eſſe poſſunt, quibus in aliquam Papiſtarum regionem proficiſcendum ſit, qui ad certamen nunc magnopere parati & armati eſſe debent. Deinde, ſi Deus hodie hanc dat nobis libertatem, in qua eum pure pieque colamus, neſcimus quam diuturnum hoc beneficium futurum ſit. Arripiamus igitur tempus, in quo nos ſumus quieti ac tranquilli, non ut perpetuo nobis duraturum, ſed quaſi tempus induciarum, in quibus nobis Deus nos confirmandi otium dat, ne quum fuerimus vocati ad edendam confeſſionem noſtræ fidei, novi ſimus atque imparati: propterea quod meditationem ejus rei in tempore opportuno neglexerimus. Neque vero interea noſtrorum fratrum debemus oblivіſci, qui ſub tyrannide Antichriſti miſerrimaque ſervitute tenentur oppreſſi, ſed eorum curam, cogitationem, ac miſericordiam capere, Deumque orare, ut eos confirmet ea conſtantia, quam in verbo ſuo requirit. Eos etiam oportet omni ratione admonere ac ſollicitare, ne in locis, in quibus ſunt, voluptaribus ſuis conſopiti conquieſcant: ſed in eam cogitationem voluntatemque incumbant, ut gloriam Deo debitam confiteantur. Neque enim nos nobis ſolum à Deo docemur, ſed ut ſinguli pro menſura fidei ſuæ fraterne cum proximis ſuis communicent, eiſque impertiant quod in ſchola ipſius Dei didicerint atque cognoverint. Videmus ergo utile eſſe, imo vero neceſſarium, non minus nobis quam noſtris fratribus, ut memoria hujus doctrinæ quam ſæpiſſime nobis renovetur: præſertim quum ipſe textus, quem
expoſituri ſumus, eo nos deducat. David teſtifica- *Pſal.* 16.
tionem & quaſi votum quoddam ſolenne facit, ſe *verſ.* 4.
ſacrificiis idololatrarum nunquam participaturum eſſe, atque etiam idola tanta odii acerbitate ac deteſtatione habiturum, ut ne ea quidem ſit unquam nominaturus, quaſi illa nominando os ſuum pollueret. Hoc autem uniuscujuſdam hominis factum non eſt, ſed Davidis præſtantiſſimi & Regis & Prophetæ exemplum, omnibus filiis Dei ad recte pieque vivendum communis quædam regula eſſe debet. Veruntamen ut id melius percipiamus, veroque Dei timore vehementius afficiamur, notanda eſt nobis ratio quam is adjun- *ibid. v.* 5.
git; in qua quidem eſt quaſi quoddam fundamentum ejus alienationis atque offenſionis, qua à communione idololatrarum maximopere abhorret:

Do-

Dominus, inquit, eſt hæreditas mea. Hoc autem, nonne omnibus fidelibus ac piis hominibus commune eſt? Nemo quidem certe eſt, qui hujuſmodi re tam præclara non glorietur. Atque illud ſine ulla dubitatione conſtat, quod Deus in perſona Filii ſui nobis ſemel datus, quotidie nos invitat ut eum poſſideamus. Sed perpauci ſunt, qui hac in parte ita affecti ſint, ſicut magnitudo & dignitas ipſius rei poſtulare ac mereri videatur. Neque enim Deum poſſidere ullo modo poſſumus, niſi ea conditione, ut nos quoque ipſius ſimus. David ergo optimo jure ac merito fundamentum pietatis ac religionis ſuæ in hac ſententia rationeque conſtituit: quum Deus ejus ſit hæreditas, ab omnibus idolorum pollutionibus, quæ ab ipſo Deo nos avertunt, abſtinebit.

Jeſa 44. & 45. Hæc cauſa eſt, cur Propheta Jeſaias, quum Judæis exprobraſſet, quod ſe ſalſis alieniſque diis, quos fabricati erant, dedidiſſent, addit poſt: Hi ſunt, inquit, portio tua: his verbis ſignificans Deum idolorum cultoribus omnem fœderis conjunctionem neceſſitudinemque renunciare, atque eos exhæredare, planeque privare tanto tamque infinito bono, quo, ſe ipſis dans, eos afficere ac ornare voluit. Quiſpiam excipiet, ac contra dicet, eo in loco tantummodo agi de iis, qui fiduciam ponunt ſuam in idolis, opinioneque atque incredulitate ſe decipiunt. Fateor ſane, ſed illud contra quoque reſpondeo, Si ii, qui Dei honorem ad idola transferunt, ab ejus communione plane reſecantur ac abſcinduntur, eos quoque certe ab eodem aliqua ex parte aberrare ac deflectere, qui metu atque imbecillitate animi, ſe ſuperſtitionibus conſentire ſimulant. Nemo enim poteſt corde, aut conformatione aliqua, aut voluntate, animique inductione, aut ſimulatione, ulla denique vera fictave ratione ad idola accedere, quin tam longe à Deo recedat. Quare hæc ſententia nobis plane perſuaſa, penituſque in animis noſtris infixa maneat, quod ii qui vero ac puro animo Deum quærunt, ut eum poſſideant pro hæreditate ſua, nullam cum idolis communionem ſocietatemque habebunt, quibuſcum Deus illud habet divortium ac diſſidium, ut velit ſuos omnes illis bellum ſempiternum exitioſumque denunciare ac inferre. Ac nominatim hoc loco David exprimit ſe nunquam oblationum eorum participem futurum, neque nomina eorum ore ſuo ſermoneque uſurpaturum. Poterat quidem ita dicere, Non me fallam ſtultis ineptiſque devotionibus incredulorum, in hujuſmodi abuſibus fiduciam meam non collocabo, neque veritatem Dei unquam relinquam, ut iſta ſequar mendacia: verum is non hoc modo loquitur, ſed hoc potius conſtanter pollicetur, quod nunquam ſit inter eorum ceremonias verſaturus. Teſtificatur igitur, quod ad cultum quidem Dei attinet, ſe in omni tum animi tum corporis puritate ſanctitateque perpetuo manſurum eſſe. Ac primum hoc nobis loco videndum eſt, ſitne idololatria, externis ſignis ſignificare declarareque conſenſum cum iis ſuperſtitionibus, quibus cultus ipſius Dei corrumpitur, planeque pervertitur. Qui inter duas, ut aiunt, natant aquas, illud quidem afferunt, Quum Deus velit adorari in ſpiritu, idola nullo modo poſſe adorari, niſi in his fiducia reponatur. Sed reſponſio facilis eſt, quod Deus ſpiritualem animi cultum adorationemque non ita requirit, ut condonet ac remittat idolis reliquam partem naturæ noſtræ, quaſi ea omnino nihil ad ipſum pertinere videatur. Nam in multis quidem locis dictum eſt, & genua coram Deo flectenda

Jeſa. 45. verſ. 23 Rom 14. verſ 11. Philip. 2. verſ. 10. eſſe, & manus ad cælum attollendas. Quid ergo? Præcipuus quidem, quem Deus requirit, cultus eſt ſpiritualis: ſed ſignificatio ac teſtificatio, quam fideles faciunt eum eſſe ſolum quem fideles colunt & honorant, ſtatim ita ſequi debet, ut eodem tempore conjungantur. Sed ad eam objectionem, quam ex uno verbo arripiunt, refellendam, unus locus ita ſufficiet pro omnibus, ut plane redarguantur ac revincantur. In ſecundo capite Danielis ſcriptum eſt, quod Sidrac, Miſach, Abdenago, recuſantes, neganteſque Nabuchodonozori, ſimulatione ſuperſtitioni excitatæ atque erectæ aſſenſum ſe ullum daturos eſſe, declarant ſe deos illius minime adoraturos. Si iſti boni ſapienteſque ſophiſtæ ibi tum fuiſſent, ſimplicitatem illorum trium ſervorum Dei irriſiſſent. Nam hujuſmodi, credo, eos verbis objurgaſſent: Miſeri homines, iſtud quidem non eſt adorare, quum vos iis rebus nullam fidem adhibetis; Nulla eſt idololatria, niſi ubi eſt devotio, hoc eſt, quædam animi ad idola colenda veneranda que adjunctio, atque applicatio. Sed illi ſancti homines melius ſapientiuſque conſilium ſequuti ſunt. Neque vero hæc reſponſio ex ingenio eorum proficiſcitur, ſed potius à Spiritu ſancto, qui illorum impellit linguas: cui niſi velimus reſiſtere, oportet nos hunc locum exemplumque accipere tanquam regulam ac definitionem quandam, quod idololatria eſt externa actio cultui Dei repugnans, etiamſi à ſimulatione tantum, non ab inductione animi voluntateque profecta ſit. Qua in re cavillari belle poſſunt nullum eſſe idolorum cultum, quum noſtra in his fiducia ſita non ſit. Condemnati tamen perpetuo manebunt ea ſententia, quam maximus Judex pronunciavit. At iſti quidem homines de verbo ſolum contendunt, hoc tantummodo agentes, ut culpam ſuam aliqua ex parte minuant, quam omnino defendere excuſareque non poſſunt. Fatebuntur ſane id male perperamque fieri: ſed tamen vellent illud actum, quaſi quoddam peccatum venia dignum judicari. Sed etiamſi concedamus ipſis de nomine quod poſtulant, non tamen inde tantum auferent commodi atque adjumenti, ut cauſam ſuam multo meliorem facere poſſint. Ponamus ita hujuſmodi ſimulationem idola adorandi, idololatriam non appellari: nihilominus tamen erit perfidia adverſus Deum ſuſcepta, actum quoddam confeſſioni fidei repugnans, fœda commaculatio ac pollutio nefarii ſacrilegii pleniſſima. Obſecro vos, quum Dei ſanctiſſimus cultus honoſque ita violatur ut perfidioſe fidem ei promiſſam datamque fallamus, ut ignavia & ſumma animi mollitie oblique ac fallaciter Chriſtianiſmum noſtrum abnegemus, ut ſimus varii ac duplices, ut denique nos turpiter iis rebus contaminemus, quas Deus omni maledictionis genere eſt execratus: eſtne res hujuſmodi ut ea ſuſcepta commiſſaque, os tantummodo noſtrum detergere debeamus, atque exiguam ac aliquam culpam à nobis admiſſam confiteri? Tollamus ergo iſta ſubterfugia, quum præſertim nullam aliam vim habeant, niſi ut nobis ad peccandum majorem præbeant audaciam & licentiam, culpam vero noſtram nulla in parte diminuant. Sunt etiam alii impudentiores, qui non ſolum id agunt, nomen commutantes ac transformantes, ut perſuadeant peccatum illud non eſſe tantum tamque indignum, ſed omnino ac præciſe negant peccatum eſſe. Satis eſt, inquiunt, ut Deus mente ac corde colatur. Ita ſane, ſi cor ipſum non eſſet duplex. Nam quum vera eſt animi integritas & caſtitas, corpus ipſum contrariam in partem nunquam trahetur. Quæro ex eis quidnam illud eſt, quod ferat deducatque in templum pedes ipſorum. Quum ad Miſſam quidem audiendam eunt, tibiæ eorum nunquam motu proprio movebuntur, interiore animi vi impellantur neceſſe eſt. Convincuntur ergo in ſe eſſe quoddam ſtudium atque animi motum, quo ad idola colenda deferuntur, & maxime quidem ex eo quod ad eorum voluntatem atque opinionem, qui inimici ſunt veritatis, ſe accommodare cupiunt, & plane ita conformare, ut illis gratificantes, cùm eorum gratiam, tum ſuam vitam honore Dei antiquiorem ac

chariorem habeant. Sed adhuc impudentia eorum ita manifeſta atque abſurda eſt, ut pudeat me contra diſputare, quaſi colorem aliquem aut rationis ſpeciem haberet: ſed faciendum tamen eſt, quum iſti quidem ſibi tantopere placeant, & quaſi temulenti ſuis opinionibus ac voluptatibus indormiant. Satis eis videtur eſſe ut in ſpiritu Deus adoretur. Cujus igitur corpus erit? Divus quidem
1 Cor. 6. verſ. 20. Paulus nos hortatur ut Deum feramus in utroque & animo, & corpore, quoniam ejus ſunt, non alterius cujuſquam. Deus creavit corpus, & nobis permittetur ut ex eo cultum diabolo ac honorem tribuamus, quaſi ejus auctor ac effector eſſe videatur? Melius eſſet ut ſe Manichæos aperte profiterentur, Deumque totius hominis Creatorem eſſe negarent. Si aliquem haberent vel tenuiſſimum Euangelii guſtum, nunquam in tantam licentiam impudentiamque erumperent. Nunc quidem ſatis oſtendunt ſe plane neſcire quæ ſit vis & beneficii magnitudo, ſanguine Filii Dei redemptum eſſe. Quod autem ita ſit, quomodo nos poſſumus reſurrectionem carnis expectare, niſi quod Chriſtum Jeſum tum corporum tum animorum Redemptorem eſſe credimus? Divus etiam Paulus admonet
1 Cor. 7. verſ. 23. nos ne ſimus hominum ſervi, quod tanto ſanguinis Filii Dei pretio empti atque acquiſiti fuerimus. Qui igitur impio cultui idolorum ſe adjungit ac addicit, nonne pedibus conculcat ſanctiſſimum Jeſu Chriſti ſanguinem, in quo pretium gloriæ immortalis ac æternæ, quam in corpore noſtro exſpectamus, conſtitutum eſt? Quæ autem ratio eſt, ut corpora noſtra ante idola maculentur profanenturque, quum corona æternæ vitæ in cælo eis promiſſa ſit? Hæc volutatio in lupanari Satanæ, fœdiſſimaque conſpurcatio, eſtne ratio atque via qua ad regnum Dei pervenire poſſimus? Præterea, non temere nec ſine graviſſima cauſa dictum eſt,
1 Cor. 6. verſ. 19. Corpora noſtra Spiritus ſancti templa eſſe. Itaque qui non intelligunt ea in omni ſanctitate conſervanda eſſe, ſatis oſtendunt ſe nihil unquam in Euangelio intellexiſſe ac cognoviſſe. Oſtendunt etiam, quæ vis Jeſu Chriſti ejuſque gratiæ ſit, ſe omnino ignorare. Nam quum ita dictum eſt, quod nos ſumus os ex oſſibus ejus, & caro ex carne ejus, intelligere debemus nos cum eo & corpore & animo conjunctos eſſe. Quare nemo poteſt quacunque ſuperſtitione corpus ſuum contaminare, quin ſe divellat ab hac tam ſancta conjunctione ac unione, qua nos membra Filii Dei facti ſumus. Jam vero reſpondeant mihi acuti ſubtileſque iſti doctores, an Baptiſmum in animis ſolum ſuis receperunt, an vero potius Deus mandaverit, atque inſtituerit, ut hoc ſignum in carne noſtra imprimatur. Corpus ergo, in quo nota Jeſu Chriſti impreſſa eſt, iis tam contrariis ac repugnantibus, tamque nefariis abominationibus polluetur ac defœdabitur? Cœna vero ab eodem inſtituta, an animo ſolum, ac non etiam manibus oreque accipitur? Deus Filii ſui inſignia atque ornamenta in corporibus noſtris inſculpſit, ut nos poſtea omni labe, maculis turpiſſimis, dedecoreque polluamus, atque ita indigne deformemus, ut nulla imago ſpecieſque Chriſtianæ pulchritudinis appareat? Non licet in nummo aureo ſignando duos imprimere cuneos: nec vero alicui ſubſignando inſtrumento duo ſigilla inter ſe contraria apponere. Homo vero mortalis eam licentiam ſibi permittet, ut Baptiſmum ſanctiſſimamque Cœnam Jeſu Chriſti adulteret atque depravet, atque etiam audeat dicere, in tanto tamque nefario ſcelere nihil plane mali eſſe? Hujuſmodi homines plane digni eſſent quibus ſervi ipſorum perſuaderent ac fidem facerent, ſe ſummam quidem habere voluntatem eis inſerviendi, quum tamen ſomno, deliciis, omnique otio dediti, ne unum quidem digitum moveant, quo aliquid operis aut muneris obeant. Quod ſi dicant non eandem eſſe rationem, propterea quod opus habemus opportuna opera eorum qui in noſtra poteſtate ſunt: ego reſpondeo: Etſi Deus nobis carere poteſt, tamen quum ad honorem cultumque ſuum noſtra opera, obſequio, obſervantia uti velit, indignam plane eſſe rem, ac ſummam turpitudinem noſtram & infamiam, quod ſecus quam ipſe vult omnia facientes, volumus immunes eſſe eorum ſtudiorum atque officiorum, quæ nos ei debeamus: eoque major eſt noſtra turpitudo, quod vermis terræ ac cadaver plus & juris & honoris, quam Creator ipſius poſtulet. Verum adhuc cum hujuſmodi belluis rudius craſſiuſque agendum eſt. Aiunt ſibi licere inter Papiſtas quidvis ſimulare ac fingere, atque ad eum habitum ac cultum ſe conformare, qui ad ſuperſtitionem ſovendam maxime accommodatus videatur. Quis ergo eis panem dat quo ibi veſcuntur? Quis fœcundat terram ut fruges fructuſque proferat? Si Deus eos, illis in locis in quibus ſunt, quemadmodum in cæteris terræ partibus alios omnes homines alit & ſuſtentat: cur illum auctorem ejus beneficii, ea in parte, quæ ab eo tam benigne alitur, non agnoſcunt? Cur potius ſuo corpore diabolum colunt & obſervant? Si iſti homines aliquo modo Chriſtiani eſſent, gravioribus ac ſublimioribus cum eis rationibus agerem, quærerem que ab ipſis, quæ ſit cauſa degendæ in hoc mundo vitæ noſtræ, ad quam rem ea referenda ſit. Sed ô rem miſeram, quod ii qui ſuis idolis ac fallaciis ludere cum Deo volunt, ita obbruteſcunt, ut non Spiritus ſolum divini, ſed ſenſus prope humani communis expertes nobis tractandi eſſe videantur. Atque illis quidem ſufficere videtur, ſi dixerint ſe hoc in genere nihil facere, niſi metu periculi adductos atque permotos: verum ſi hic color habeat locum, etiam dicere oportet Joſephum nihil mali facturum fuiſſe, ſi conſuetudinem ſtupri violenter à domina oblatam non repudiaſſet, ſed admiſiſſet: quum quidem non ſuæ obtemperaret voluntati, ſed cederet neceſſitati ac vi, quæ ab illa graviſſima inferebatur. Fuiſſet igitur ſtulte ab eo factum, ſubire periculum ejus tantæ & acerbitatis & infamiæ, quam poſtea falſo delatus ab improba muliere perpeſſus eſt: quum ea mala, ſi illi paruiſſet, poſſet effugere. Sed nobis quidem potius & exemplum Joſephi eſt imitandum, & approbandum Spiritus ſancti teſtimonium, qui conſtantiam ejus laudat. Si nihil flagitii ac ſceleris committitur in cultu idolorum, ad rabiem Papiſtarum crudelitatemque fugiendam ſuſcepto atque opportuno, non peccabit etiam qui vel lenocinium hero ſuo præſtabit, vel veneficium ad occidendum proximum, vel aliquod officium proditoris, adductus metu offendendæ voluntatis ejus, in cujus poteſtate eſt. Sed diutius quam oportet hoc in loco immoror, in quo quidem, ſicut ante dixi, nulla difficultas aut dubitatio ineſt. Non alienum autem ab inſtituto propoſitoque videtur eſſe, ut videamus in quantam delabuntur confuſionem ii, qui omni ſua aſtutia agunt, ut judicium Dei ſubterfugiant. Sunt enim nonnulli qui alium exitum effugiumque nacti, fatentur quidem impium deteſtabilemque eſſe cultum, Gentilium ſuperſtitionem: ſed ſuperſtitionum quæ vigent in Papatu, non eandem rationem eſſe: quaſi vero univerſa, quæ unquam fuit apud Gentiles impietas, non fuerit ipſius veri cultus Dei depravatio atque corruptio. A quibus enim aliis quam à ſanctis Patribus Gentiles ceremonias ſuas hauſerunt atque ad ſe tranſtulerunt? Qua in re illud eorum non leve peccatum eſt, quod ea depravarunt ac plane perverterunt, quæ à Deo bene ſapienterque inſtituta acceperant. Sed tamen omnes abominationes, quæ unquam in

mundo

mundo extiterunt, ſpecioſo quodam & nomine ipſius Dei, & cultu religionis tectæ fuerunt. Sed ea religionis integumenta, nunquam habuerunt eam commendationem, vim atque auctoritatem, ut aut Deus eos cultus cœtuſque unquam approbarit, aut fideles homines obiverint ac frequentarint. Age vero, progrediamur ultra. Quamvis iſtis concedam diſſimilem diverſamque eſſe rationem idololatriæ Papiſtarum, atque ejus quæ apud veteres Gentiles viguit: negare tamen non poterunt Deum non minus ſevere probibuiſſe cultum in Bethel impie conſtitutum, quam alias ſuperſtitiones omnes, quæ cæteris in locis inſtitutæ celebratæque fuerunt. Quum vituli fuerunt erecti in Dan & Bethel, illud quidem inſtitutum factumque eſt ſpecie quadam nominis Dei: ejus, inquam, qui populum ſuum ex Ægypto eduxerat: ſed cultus ille qui ibi eſt conſtitutus, cum doctrina Legis plane pugnat. Deus damnat eos omnes qui ſe eo maculandos ac polluendos conferent. Nec vero minus diſſident ac pugnant Cœna Jeſu Chriſti & Miſſa Papalis, quam ſacrificia Moſis atque Jeroboam. Quare, unde iſta diſpenſatio Miſſæ adeundæ ac audiendæ ſub quodam prætextu transformatæ vel potius deformatæ Cœnæ Jeſu Chriſti? Ego vero contra ſtatuo atque affirmo, eos omnes qui Deum vere metuunt ac pie colunt, eo majore atque acerbiore odio debere & proſequi & deteſtari, quo apertius violat & profanat ſanctam inſtitutionem Jeſu Chriſti, quam ſi non tam oppoſita contrariaque ei extitiſſet. Quamobrem in genere communem hanc regulam teneamus, omnia inſtituta inventaque hominum ad ſimplicem verbi Dei veritatem corrumpendam, cultumque, quem requirit & approbat, pervertendum, propoſita atque ſuſcepta, vera eſſe ſacrilegia: cum quibus homo Chriſtianus communicare nullo modo poteſt ſine ea injuria & contumelia, qua bonos Dei pedibus ſcelerate impieque conculcatur. Neque vero ſum ignarus, quantum hæc ſeveritas & quædam vis ſummi rigoris videatur moleſta & non toleranda iis, qui vellent pro animorum ſuorum libidine ſummaque mollitie mollius à nobis mitiuſque tractari. In quo quid ſibi volunt à me fieri? quam moderationem ac lenitatem adhiberi? Equidem quum eos tam molles delicatoſque cognoſcam, cuperem, ſi fieri poſſet, eis parcere: ſed oportet ut & ego & ipſi, ſimulatque Deus eſt loquutus, condemnationem ſubeamus, ac ſi ſaluti noſtræ conſulere volumus, animo æquo ſuſcipiamus. Neminem me uno, quemadmodum loquuntur, ſæviorem acerbioremque reperiunt. Ego vero contra ipſis volo demonſtrare me hactenus ipſis magis indulſiſſe, quam & rei veritas, & dignitas nominis Dei, & ipſorum ſalus poſtulabat. Quod quum ita ſit, non poterunt certe eximere ac liberare ſe neceſſitate ejus officii ac teſtimonii, quod Propheta Jeremias à Judæis Babylone captivis requirit, quibus non ſolum vetat ne ad Chaldæorum abominationes accedant, aut ſimulatione aut fictione ullum iis aſſenſum præbeant, verum etiam certum dat mandatum, quo impium illorum cultum ſibi teterrimum ſœtorem eſſe declarent. Ejus autem

Jere. 10. verſ. 11. oratio eſt hujuſmodi, Vos illis dicetis, Dii qui cælum ac terram non effecerunt, peribunt & ex terra & ſub cælo. Eſt etiam hoc loco alia circumſtantia annotanda, quod quum Propheta ſuum librum ſcripſiſſet Hebraico ſermone, hunc tamen verſum vulgaribus communibuſque verbis Chaldæorum expreſſum inſerit: quaſi eos hoc modo ad commutandam ipſorum linguam velit premere ac cogere, ut odium diſſidiumque, quod habent cum impiis idolorum cultoribus, apertius profiteantur. Nunc tenelli delicatulique noſtri ut lubet de me querantur, quaſi modum in admonendo omnem excedam: ego tamen ne dimidiam quidem partem unquam ejus officii flagitavi, quod Propheta requirit & poſtulat. Sed quæcunque ratio ſit meæ vel orationis vel moderationis, vel etiam taciturnitatis ac ſilentii: nihilominus ei Legi obligati ac obſtricti ſumus, quam Deus nobis imponit. Et certe Deus non ſine cauſa ſuos fideles alloquens, eis dicit, Vos eſtis teſtes mei, & ſervus meus quem elegi. *Jeſa. 44. verſ. 8.* Quare quicunque ſe membrum Jeſu Chriſti eſſe vult probare, omni ratione declarare debet hujus nominis commendationem ac dignitatem ita ad ſe pertinere, ut ii qui ſimulatione ſua opprimunt ac ſepeliunt ipſius veritatis teſtimonium, nullam omnino excuſationem ſibi relinquant. Quid, quæſo, eſt ſentiendum ſtatuendumque de iis, qui toto vitæ tempore eam ſubvertunt? Quo in genere ac numero ſunt ii, qui non ſolum occultant profeſſionem Chriſtianæ religionis, ne apud homines ullam ſignificationem ejus dent, ſed multa etiam & ea maxime aliena indignaque committunt. Itaque nihil jam aliud reſtat iis quidem, qui filii Dei ſunt, quique inter inquinamenta illa & flagitia verſantur, niſi ut exemplo optimi viri Lot animos affligant ſuos: ita etiam ut contra hujuſmodi tot ac tanta hominum vitia & ſcelera libere loquantur, ſicut Deus ipſis facultatem atque opportunitatem dederit. Nunc certa idololatriarum genera demonſtremus, hodierno die maxime uſitata. Quo in genere primum eſt Miſſa: de qua ante pauca quædam attigi. Quamvis autem ea ſit blaſphemia & abſurditate & magnitudine ſceleris ita inſignis, ut nihil abſurdius & ſceleratius fieri aut excogitari poſſit, tamen adhuc patronos malæ cauſæ reperit, qui in hac parte tergiverſentur. Sed velint nolint, cogentur id quod dico confiteri, Miſſam per ſe abnegationem eſſe mortis Jeſu Chriſti, & quoddam ſacrilegium ad abolendum Sacramentum Cœnæ à Satana excogitatum atque inſtitutum. Neque vero etiam negare poterunt, preces quas ad Sanctos adhibent, mortuorumque ſuffragationes, tot impios eſſe abuſus, quibus invocatio nominis Dei, res una omnium ſanctiſſima profanatur. Et tamen qui inter Papiſtas iis ſe contaminant ſordibus, nulli ſe culpæ obnoxios, reoſque eſſe arbitrantur. Quid vis faciamus? inquiunt illi. Nobis quidem non permittitur emendare ac corrigere ea, quæ vitioſa pravaque cognoſcimus, quum homines privati ſimus, & ii, qui poteſtatem atque auctoritatem habent publicam, acerrime ea defendant. Itaque nobis ea vis & neceſſitas eſt ſubeunda & ferenda. Equidem fateor quæ dicunt vera eſſe omnia: Sed idem ipſe quoque dico, id ad rem nihil plane pertinere. Non eſt officii ipſorum corrigere ac conſtituere communem populi ſtatum: ne id quidem quiſquam ab iis requirit: ſed tamen admonentur ut ſeipſos corrigant, privatam morum vitæque rationem conſtituentes: quod ad ipſorum officium ſine ulla dubitatione pertinet. Nec vero iis præcipimus ut templa & vias publicas expurgent: ſed ut ſinguli ſua & corpora & corda in puritate ſanctitateque cuſtodiant, omnique ratione elaborent, ut Deus in ſua domo honoretur, colatur, ac obſervetur. Sunt enim iſta diſſimilia multumque diverſa, abolere Miſſam in aliqua regione, & ei non intereſſe: quum ejus uſus cultuſque nulla alia ratione impediri poteſt. Sed repetunt iterantque ſuam cantilenam, ſe videlicet mortem ac paſſionem Jeſu Chriſti non abnegare, quum animi propoſitum non ſit hujuſmodi. Ego vero ex iis quæro, Quid eſt quod homo Chriſtianus ore confitetur, niſi id quod corde credit? Id quod agunt pugnare cum confeſſione fidei, ſatis notum eſt atque perſpectum. Ita, quantum quidem in ipſis eſt, verum ac proprium fidei teſtimonium non occultant ſolum, ſed etiam abnegant atque repudiant. Agam adhuc cum eis aliquanto familiarius & apertius. Nam Miſſam Papiſtæ dicunt eſſe ſacrificium,

crificium, in quo Jeſum Chriſtum offerre volunt ad reconciliandum ſe Deo. Hoc vero ſi ita eſt, ſequitur quod Jeſus Chriſtus ſua morte nobis juſtitiam & ſalutem æternam non acquiſivit. Circuitione ut lubet utantur, ad rem tamen ut redeant neceſſe eſt. Omnes plane qui nomine devotionis ac religionis Miſſam adeunt, ſe cum ea conſentire profitentur. Itaque, quantum certe in ipſis eſt, ſatis oſtendunt ſe ſuam redemptionem perfectam morte Jeſu Chriſti non habere. Sunt nonnulli qui orationem ſuam conſtringunt, nec per omnia Miſſarum genera, hoc eſt, ſacrilegia, vagari ſinunt. Unum tantummodo genus excipiunt atque defendunt, quod Parochiale nominant, in quo quidem eis plus ſimilitudinis ac conſenſionis cum Cœna Jeſu Chriſti eſſe videtur. At non inepte quidem dici poſſet, Miſſas omnes quæ dicuntur, cùm à ſacrificulis infimi in eo genere ordinis hominibus, tum etiam à canonicis, aut ab iis ſacerdotibus qui certis ſacellis ſunt præfecti, cæteraſque omnes quæ voto alicujus hominis fundatæ ſunt, aut ita venales ut diebus proſtent ſingulis, eſſe non diſſimiles meretricibus, quæ in lupanari proſtitutæ, ſine pudore ac verecundia omnibus corpora ſua pervulgant: Miſſam vero parochialem eſſe perſimilem ei meretrici, quæ ad impudicitiam ſuam occultandam, honeſtæque ſœminæ ac pudicæ exiſtimationem retinendam & tuendam, honeſto mariti nomine percallide abutitur. Quanquam ſimilitudo hæc omni ex parte non eſt propria: propterea quod meretrix marito juncta habebit aliquid verecundiæ ac modeſtiæ, ne omnibus ſe adeuntibus proſtituat & vulget: Miſſa vero parochialis eſt idololatria omnium maxime communis ac pervulgata, ad omnium cupiditates nefariaſque libidines opportuna atque expoſita. Tametſi impuri iſti lenones eam fucant ac poliunt eo colore ac venuſtate hujuſmodi, quod aliqua adhuc veſtigia Cœnæ Jeſu Chriſti retineat. Ita ſane quaſi latro tum quidem magnificentius glorioſiuſque ſe oſtentaret ac jactaret, quum potius amictuſque eſſet ſpoliis ejus, quem ipſe jugulaſſet, cujuſque equum conſcendiſſet. Nos, inquiunt, Cœnam Jeſu Chriſti quærimus: quum eam quidem puram non poſſumus habere in ea tyrannide, qua oppreſſi hic tenemur, nunc oportet nos acquieſcere in eo quod nobis relictum eſt, Dei manum & auxilium exſpectantes. Egregia vero & præclara excuſatio. Quoniam nullum Cœnæ rectum integrumque uſum habent, quaſi proviſionem quandam adepti, teſtantur & palam profitentur ſe Jeſum Chriſtum æternum unicumque Sacerdotem non habere, atque ſingulis hebdomadis novum ſacrificium quærere, quo peccata deleantur. Nam hoc quidem totum in Miſſa parochiali ineſt, non minus quam in ea quæ Nicolai nomine aut pro mortuis adhibetur. Qua quidem in re, ſimulant ſe idolum adorare, & tamen ſe jactant Jeſum Chriſtum quærere. Ac ne ſine gladio aut clypeo pugnare videantur adverſus Deum, hujus & illius auctoritatem afferunt atque opponunt: quaſi vero abſolutio unius alicujus hominis eos poſſit eximere ac liberare, ne à Deo condemnentur. Omitto illud dicere, eos inſigniter mentiri, quum eos quos adducunt patronos, ad defenſionem cauſæ ſuæ adhibent. Quod etiamſi ita eſſet, ut vir ſanctus ac pius aliquando pro tempore exiſtimaſſet nihil mali eſſe ad Miſſam parochialem accedere, tamen ſi poſtea ille cognovit quod verum rectumque eſt, ſi priorem ſuam opinionem improbavit ac damnavit, eo major fides poſteriori ejus ſententiæ habenda eſt, quod ad eam improbationem Deus illum deduxit, vel potius compulit, & quod ea in re deprehendit planeque cognovit ſe revictum eſſe, quam ante magnopere amplecti atque approbare videbatur. Sed quid opus eſt hic veritatem quaſi aquam puram & liquidam miſcere ac turbare? An vero ſe opinione atque oratione hominis mortalis Deum intercludere ac circumvallare arbitrantur? Nos ſcimus, præter ipſam veritatem nihil eſſe, quod in judicio ſine ulla perſonæ exceptione dominari debeat. Res autem eſt hujuſmodi, quod Miſſa parochialis eſt inſtituta ad ſacrificandum Jeſum Chriſtum, atque ad gratiam cum Deo reconciliandam tum pro vivis tum pro mortuis: & vero quod fruſtum panis ibi ita adoratur quaſi Filius Dei eſſet. Ego omnia quæ ibi ſunt inquinamenta & flagitia diligentius ſubtiliuſque non excutio: ſunt enim prope innumerabilia: ſed craſſiora tantum abſurdioraque commemoro. Nunc ii qui tot tantarumque impietatum ac corruptelarum conſenſum fingunt, manus lavent ſuas quantum voluerint, nunquam tamen Pilato juſtiores atque innocentiores erunt. Sed mirum quod iſti boni ac religioſi parochi, tum denique quum feſtum Paſchatis jam adeſt, ſeorſim ac ſeparatim aliquod ſacellum quærunt, aut monachum aliquem ſemi-Chriſtianum, qui Cœnam adulterinam eis paret ac exhibeat. Si Cœna parochialis proxime accedit, quemadmodum hi dicunt, ad Cœnam Jeſu Chriſti, cur eam non obſervant & retinent? Nunc vero poſteaquam ei per ſingulos dies Dominicos anni interfuerunt, ut Sacramento Cœnæ rite communicare videantur, ſubito eam relinquunt atque abjiciunt. Sed nobis quidem inconſtantia hujuſmodi minime mira videri debet: eſt enim hæc certa & debita pœna, quam perſolvunt ii, qui in animis ſuis nullum veritatis fundamentum unquam jecerunt, ut nutent perpetuò atque omnibus in rebus quas ſuſcipiunt & agunt, ſecum ipſi ſemper pugnent. Quantum ad eam Cœnam ita fucatam attinet, equidem ſcio eam ipſorum opinionem eſſe, ut ſummam ſibi injuriam fieri arbitrentur, quum ea improbatur ac reprehenditur. Sed quid nos ea in re præſtare poſſumus, quum ea quidem ad regulam magiſtri nullo modo apta ac congruens eſſe videatur? Nec vero eam condemno quod clam ab illis uſurpatur: ſcio enim Cœnam nunquam melius ſuiſſe celebratam nec ſanctius, quam quum diſcipuli clandeſtinum ſe in locum receperunt ut tyrannidem inimicorum fugerent. Sed duo hic ſunt vitia certe non tolerabilia. Primum, quod ii qui hujuſmodi Cœnam fabricantur, & veram Jeſu Chriſti Cœnam quaſi ſimiæ, depravate ac vitioſe imitantur, ſimulant ſe ſuam Miſſam obſervare ac colere. Alterum eſt, quod miniſter, qui plerumque ad majorem ſimulationem ac diſſimulationem ex ordine patrum, hoc eſt, monachorum adhibetur, non tanquam paſtor Chriſtianus eo fungitur munere, ſed ut ſacerdos profeſſione vitæ Papalis. Qua quidem in re exiſtimant ſe firmam habere defenſionem, ſi ipſorum Miſſæ cantor non habeat id propoſitum ut panem ac vinum ipſis adorandum præbeat, ſi canonem prætermittat, in quo majores continentur impietates, ſi omnibus qui adſunt, ſub utraque ſpecie Sacramentum diſtribuat. Sed quum ventum erit ad ſupremum Judicem, tum ſentient fructum quem ex hujuſmodi integumentis ac mendaciis quæſiverunt: imo vero jam ſentire debent. Atque ego eum graviſſimum judicii ſenſum ad ſtimulos aculeoſque refero, quibus conſcientiæ ipſorum compunguntur ac vulnerantur. Et certe oportet, ut eo in loco ſoroque, in quo veritas ſuos graves ac veraces habet teſtes, iſta cauſa decidatur atque plane tranſigatur. Nam ut nulla longior quæſtio diligentius habeatur, ipſi optime ſibi ſunt conſcii ejus rei, quam tum inimicis Dei, tum populo communi declarare conſtituerunt. Sed neceſſe eſſet, ut Deus ſeipſum plane abnegaret, ſi inſtitutum actumque

ejus

ejns profeſſionis approbaret. Quod ſi omnes qui ſunt in toto orbe homines uno animo ſtudioque conſpiratent, ut eos juſtos ptonunciarent, nullus tamen corum vel ſtrenuiſſimus ac paratiſſimus poſſet iſtos abſolvere ac liberare ea opinione, qua utraque parte claudicare exiſtimantur. Deus autem declarat per
1 Reg. 18. verſ. 21. ſuum Prophetam neminem unquam ei talem claudicationem probaturum. Jam vero de homine eo quem Cœnæ ſuæ miniſtrum deligunt, eſt ridiculum ipſos illius perſona abuti, ut ad id officium atque munus eum velle idoneum facere videantur. Ita ſane: ſed vis ipſius Sacramenti, inquiunt, dignitate perſonarum non continetur. Ego vero id non inficiot: quin illud etiam adjungo, Si diabolus aliquis Cœnam adminiſtiet, eam non fore deteriorem. Contraque ſi Angelus Miſſam canat, ne tum quidem eam meliorem futuram. Sed nos hoc tempore in quæſtione alia verſamur, au ordines à Papa cuidam monacho tributi, eum ad officium munuſque paſtoris idoneum efficiunt. Quod ſi contra referant ac dicant, ſe intelligere: id quidem ad tem nihil plane facere, neque illum ejus generis atque otdinis deligere: res ipſa contrarium loquitut. Ponamus ita eos, quod ad ipſos quidem attinet, omniuo nihil curare. Ego autem in externa profeſſione, quam luſcipiunt & colunt, inſiſtere, eamque ut alienam & indignam homine Chriſtiano premere ac ntgere debeo. Nam hoc quidem apertum eſt & manifeſtum, quod perſona ſacerdotis ad ſimulandum diſſimulandumque accommodata ſe tegunt ac tueri volunt. Sed ut rite ac legitime Cœnam celebrarent, officinm ipſorum erat, ſe ab otdine atque profeſſione idololatrarum ita ſegregare, ut nihil in eo cum illis commune habere plane viderentur. Nunc tantum abeſt ut ſe ab illis ſeparent, ut ſe in eorum ſocietatem communionemque adſcribant, ejuſque corporis membra eſſe ſinguli ſimulatione profiteantur. Et poſtea nos ea in re comparabunt veteribus hæreticis, qui uſum Sacramentorum propter vitia hominum condemnarunt: quaſi nos proptia hominum ſingulorum vitia, ac non potius communem ltatum conditionemque reſpiciamus. Ego hoc quidem hteviter percurro: ſed qnidquid attigi ſatis habet ponderis, aut etiam pluſquam ſatis, ad tam turpem tamque pudendam impudentiam convincendam. Quanquam ſi ii tanto animi mentiſque ſunt ſtupore ut eam turpitudinem non ſentiant, nobis quidem certe verbum Dei ſatis eſſe debet, ut quum
Jerem. 4. verſ. 1. Dominns per Jeremiam dicit, Iſraël ſi convertaris, convertere ad me: quibus verbis clariſſime exprimitur, qua nos ſimplicitate ac integritate animi cum Deo agere ambulareque debemus, ſine ulla cogitatione ac voluntate redeundi ad ea, quæ illi nec grata nec probata eſſe cognovimus. Quæ cauſa eſt, cur
Act. 14. verſ. 15. etiam divus Paulus teſtatur ſe miſſum eſſe, ut infideles ab ipſorum vanitatibus convertat ad viventem Deum: quaſi diceret, nihil omnino actum eſſe ſi malum aliquod priſtinum atque conſuetum cum aliis ſimulationibus ac fictionibus mutetur, ſed omnino oportere omnes ſuperſtitiones abolere, ut vera religio in ſua puritate ac ſanctitate conſtituatut. Nam ſine hac quidem fide ac integritate ad Deum recta nunquam veniunt, ſed vacillant ſemper & variant, incerti quam in partem ſe convertant. Sunt alii qui eo uſque deducuntut, ut Miſſam improbent ac repudient, ſed vellent adhuc retinere aliqua fragmenta ejus, quem cultum Dei nominant, ne, quemadmodum ipſi loquuntur, homines profani omni religione deſtituti eſſe videantur. Ac fieri quidem poteſt ut quidam ex iis impio ſtudio, animoque moveantur. Certe, utut ſit, verum id eſſe credere non recuſo: Cæterum qnodcunque ſit ipſotum ſtudium ac deſidetium, non tamen dicendum eſt, eos rectam regulam aut ullam bonam menſuram conſervare. Nonnulli dicunt, Ad Baptiſmos quidem poſſumus accedere, propterea quod nulla in ns eſt idololatria manifeſta. Quaſi vero hoc quoque Sactamentum non ſit vitiatum planeque deformatum in omni corruptionis genere, ut Jeſus Chriſtus ad omnia opprobria dedecoraque perpetienda in domo adhuc Pilati eſſe videatur. Poſtremo quod dicnnt eam eſſe cauſam cur velint aliquem Dei cultum retinere, ne omnis religionis expertes eſſe videantur: ſi quis eorum conſcientias interroget, ipſæ certe reſpondebunt, eos propterea facere, ut Papiſtis ſatisfaciant, & vultum fingere, ut perſequutionem fugiant. Alii etiam tempus obſervant, ne in Miſſas incidant, & tamen veniunt ad templnm ut eos Miſſam audiviſſe homines exiſtiment. Alii vero pro ſua portione Veſperas ſibi reſervant: ex quibus ſcire vellem, an nihil plane eſſe arbitrentur, quod eo quidem tempore idola adorentur, quod ad ſtatuas atque imagines fumigationes ſparguntur, quod ſolennis aliqua precatio adhibeatur in Sancti alicujus interceſſione atque meritis fundata, quod canticum Salve regina maxima voce canitur, omnique ex parte exauditur res blaſphemiis execrandis ac diabolicis adeo conferta plenaque, ut animus non ab offenſione ſolum aurium, oculorumque præſentium, ſed ab ipſa etiam cogitatione ac recordatione vehementiſſime abhorreat. Jam vero illud ego prætetmitto, quod cantus ipſe qualiſcunque ſit in lingua incognita, Scripturæ ſanctæ ac laudum Dei eſt manifeſta profanatio, ſicut divus Paulus decimo quattu ad Corinthios admonet. Sed hæc poſtrema eis culpa condonetur. Si il ad Veſperas accedunt, nt aliquod dent ſignum ac teſtimonium ſui Chriſtianiſmi, hoc quidem in primis & ſtudioſe ab illis majotibus feſtis diebus fiet. Tum vero ibi ſolenne incenſum ptæcipuis idolis adhibebitur, copioſaque & odorata fundetur fumigatio: quod ſacrificii genus eſt, quemadmodum Scriptura docet. Erat etiam ratio Gentilibus uſitata, qua homines infirmos ad abnegandum Deum compellebant. Itaque hæc fuit cauſa, pro qua maxima pars Martyrum mortem conſtanter pertulit: qnoniam idolis incenſa, ac fumigationes facere atque adolere uoluerunt. Iſti autem quum eo accedant, ut odorem thuribulorum naribus ſuis percipiant, ſimul eodem veniunt, ut ſe polluant ea pollutione quæ maxima maximeque execranda ibi verſatur. Et tamen arbitrantur nos hoc tantum maleficium ac flagitium celare atque occultare oportere. Sed per ſanctum ac venerandum Dei nomen eos oro, nt animadvertant diligenter id quod hoc in Pſalmo dictum eſt, Idola fideli ac pio homini ita eſſe deteſtanda, ut ne in ore quidem ejus linguaque verſentut: ne etiam habita de iis oratio, eam polluere ac contaminate videatut. Hoc quidem unum verbum nos abducere ac vehementer deterrere debet ab omni cœtu, conventuque idololatrarum, in quo verſantes, facile & implicari & contaminari poſſumus. Ut autem aperte ac libere dicam quod de iis omnibus ſentio, qui mediam quandam rationem inter Deum & diabolum quærentes, animos duplices varioſque gerunt, non poſſum ullam comparationem ad eos exprimendos viviſque coloribus pingendos magis aptam propriamque invenire, quam eam quæ ab exemplo Eſau hominis & ſpurci & duplicis duci poteſt. Nam quum is videt fratrem ſuum Jacobum à patre Iſaaco in Meſopotamiam ad quærendam uxorem miſſum eſſe, quod mulieres terræ Canaan ita ingratæ ac inviſæ patri ejuſque uxori Rebeccæ erant, ut in conſuetudine convictuque earum vitam ſibi amaram & acerbam ducerent, adeo nt mortem expeterent: ut parentibus ſuis aliqua ex parte ſatisfaciat, ducit quidem uxorem novam, ſed eam quam jam habebat non dimittit. Retinet igitut malum, de quo Iſaacus pater tam graviter querebatur: ſed nt illud aliquo reſarciat modo, novum conjugium

admiſcet. Ita ii qui ſic in mundo ſunt implicati, ut quod Deus jubet nullo modo ſequi poſſint, multa & varia miſcebunt atque agitabunt religionum ac ſuperſtitionum genera, ut ad ipſius quidem Dei voluntatem aliqua ratione ſe accommodent atque conforment, & tamen aliquam ſemper corruptelam retineant, ut quidquid ab illis fiat, nec purum nec rectum plane eſſe videatur. Neque vero ignoro multas iis in locis miſeras eſſe animas, quæ in maximis anguſtiis ac difficultatibus verſantur, quæ quidem ſine hypocriſi cupiunt recte ingredi: neque ſe tamen plurimis ſcrupulis atque impedimentis explicare poſſunt: quod equidem minime miror in tanta tamque horrenda confuſione, quam in Papatu hodie perſpicimus. Quin etiam graviter commiſeror miſerrimam eorum conditionem, qui rationes quærunt quibus & Deo pie deſerviant, & vitam degant inter inimicos fidei, ſi ullo modo fieri poſſit. Sed quid agam? Equidem nihil aliud his aut illis præſtare poſſum quam eorum erratum, peccatumque indicare, ut ipſi remedium adhibeant. Quod ſi poſthac ad me veniant, ut hoc aut illud diligentius ac minutius ex me quærant, remittam & rejiciam curioſos hujuſmodi inquiſitores ad communem regulam quam ex Deo habeo. Hoc autem eo dico, quod ex eo hominum genere ſunt quidam ita importuni, ut ſi ad omnes eorum difficultates ac dubitationes reſpondendum ſit, nihil unquam cum ipſis tranſigi poſſe videatur. Atque hujuſmodi quidem homines recte mihi videntur comparandi iis, qui poſtquam in concione admoniti fuerunt de modeſto veſtitu ac cultu corporis ſuſcipiendo ſine ullo diſſoluto & ſumptuoſo apparatu, vellent quidem ſibi ab ipſo concionatore ſcindi caligas & calceos conſui. Quid igitur nobis faciendum eſt? Ea quidem in re certum quiddam propoſitum eſt nobis, ad quod totam mentem, ſtudium, cogitationem dirigere ac conferre debeamus. Hoc autem eſt, ut zelus domus Dei cor noſtrum plane exedat; atque nos ita afficiat, ut dedecora, contumelias, opprobria quæ indigniſſime in ſanctum Dei nomen conferuntur, ea omnia ſubeamus, atque in nosipſos ſuſcipiamus. Quum hujuſmodi ſtudium honoris Dei, ſummuſque amor in animis noſtris erit accenſus, non inſtar ignis ſtipularum ſubito & accenſi & extincti, ſed ignis perpetuo ardentis: tantum abeſt ut ullam ſimulationem aut approbationem patiatur earum abominationum, quibus nomen Dei contumelioſe indigneque polluitur, ut quum eas videbit, diſſimulationem, ſilentium, taciturnitatemque nullo modo ferre poſſit. Ac notandum diligenter quod dictum eſt, Zelus domus Dei, ut ſciamus id ad ordinem externum, qui in Eccleſia eſt inſtitutus, referendum eſſe, ut nos in confeſſione fidei noſtræ exerceamus. *Pſal. 69. verſ. 10.* Neque vero magnopere me movent irriſores, qui dicunt nos quidem hic ſine ullo noſtro periculo, ac ſummo potius in otio iis de rebus belle loqui. Neque enim ego ſum is, quocum ipſi aliquid negotii habent: propterea quod, ſicut facile perſpici poteſt, nihil eſt hic ex fundo meo. Idem ſentiendum dicendumque eſt de omnibus iis philoſophis, qui ſententiam ſuam ſine ulla cauſæ cognitione dicunt. Nam quum ii Deum audire nolint, qui nunc quidem ut ipſos doceat tam humaniter eis loquitur, ego denuncio eum diem ac judicium, in quo vocati ad tribunal Dei, eam ſententiam ſunt audituri, contra quam nullus reſpondendi, ſeque defendendi locus relinquetur. Quum enim nunc eum audire nolint ut optimum atque humaniſſimum magiſtrum, tum denique ut ſeveriſſimum juſtiſſimumque ipſorum judicem cognoſcent ac ſentient. Quo quidem tempore ſtrenuiſſimi quique ac callidiſſimi eorum, ſe ſuis falſos fuiſſe opinionibus intelligent atque cognoſcent. Sint quantum velint exercitati & inſtructi ad juſtitiam atque æquitatem vel evertendam vel obſcurandam, forenſia tamen ipſorum & judicialia ornamenta, ſummæque & dignitatis & poteſtatis inſignia, quibus nunc inſoleſcunt, cauſæ tum victoriam eis nullo modo dare poterunt. Hoc autem propterea dico quod conſiliarii, judices, patroni cauſarum atque advocati, cæterique hujuſmodi homines in curiis judiciiſque dominantes, non ſolum audent cum Deo litigare, atque ita contendere, ut jus quoddam ejus majeſtatis irridendæ ac ludificandæ adepti eſſe videantur: verum etiam divinam omnem Scripturam rejicientes, ſuas blaſphemias, quaſi ſummas judicialeſque ſententias & ſuprema decreta evomunt. Atqui homunciones iſti, ſibi tantum arrogant, ut ſimulatque verbum unum protulerunt, non poſſint perpeti ut ratio & veritas, ullum, in quo conſiſtat, locum habeat. Sed tamen obiter illos moneo, melius fore ſi aliquam cogitationem ſuſcipiant ejus horribilis vindictæ, quæ parata iis eſt, qui juſtitiam cum iniquitate, veritatem cum mendacio commutarint. Neque vero doctores magiſtrique cubiculorum ac conviviorum delicioſi ac plane voluptarii homines gradum hic altiorem capiant, ut in conviviis ac deliciis ſuis garriant & contra Magiſtrum cæleſtem verba ſua effutiant, cui omnes nunc quidem ſummam audientiam præſtare debent. Neque etiam præclari atque inſignes tituli poterunt quenquam ex hoc judicio eripere, in quo quidem domini reverendique Abbates, Priores, Decani, Archidiaconi cogentur ut præſules ac præſultores choream ducere in ea condemnatione, quam Deus graviſſimam facturus eſt. Jam vero ſi aulici conſueverunt aſperſione aquæ ſuæ benedictæ hominibus gratificari, ne ſperent ſe Deo quoque eo officii genere poſſe ſatisfacere. Poſtremo omnes faceti ac dicaces homines linguam ſuam contineant, ne ſalſe dicta ſua jactent, niſi præpotentem ejus manum ſentire velint, ad cujus verbum debent perhorreſcere. Qua in re eorum certe error nimium abſurdus eſt, eos adduci ut credant ſe, quum me quidem pro adverſaria parte ſumpſerint, Deum judicem non habituros. Radant meum nomen ex ſuis tabulis, idque plane deleant, in hoc quidem quæſtionis ac cauſæ genere, in quo nihil aliud mihi propoſitum eſt, quam ut Deus audiatur, eique obtemperetur, non ut ego pro mea libidine conſcientias regam, eiſque neceſſitatem aut ullam legem imponam. Cæteros autem omnes, qui non ea ſuperbia verbum Dei aſpernantur, & tamen interea ita ſunt molles ac debiles ut commoveri nullo modo poſſint, etiam atque etiam hortor, ut majorem ſui officii & ſalutis & honoris Dei cogitationem curamque ſuſcipiant, neque ſibi amplius, quemadmodum hactenus fecerunt, blandiantur. Aperiant igitur oculos, ſeque excitent, ut miſeriam in qua verſantur, videre poſſint. Neque vero incommoda, difficultates, impedimentaque ignoro quibus ibi implicantur, neque etiam de cultu Dei inter idololatras pure ac caſte ſuſcipiendo ac tuendo ipſis loquor, quaſi de re facili: ſed ſi virtute deſtituuntur, eos moneo, ut ad Deum confugiant omnis fortitudinis auctorem, ut ab eo confirmentur, & diſcant illius gloriam omnibus rebus hujus mundi anteferre. Equidem vehementer cupio ut omnes homines fideles, qui miſere in Papatu affliguntur, hoc intelligant & cognoſcant, quemadmodum Propheta Jeremias quum Jeroſolymæ in Judæa remanſiſſet, hanc monitionem exhortationemque mittebat ad populum, qui captivus Babylone tenebatur. Si tyrannis Papæ, omniumque ejus aſſeclarum eſt ipſis dura & crudelis, exiſtimare debent Judæos quoque illius temporis ſervitutem gravem & acerbam permiſiſſe. Illis tamen eſt mandatum ut idololatriam Chaldæorum peculiari ejus regionis ſermone execrarentur. Neque enim eſt æquum ut hominum tyrannis infringat aut omnino minuat jus honoris à nobis debiti. Nulla eſt hic exceptio nec privilegii ratio, quam

summi

ſummi & infimi, divites aut pauperes uſurpare ſibi poſſint, aut omnino debeant. Omnes igitur collum ſubmittant, ac ſe Deo maxima cum humilitate ſubjiciant. Pauper porò Dei timore ſit affectus, ne ſi forte dicat, Incertus ſum quid agam: ipſi viciſſim Deus reſpondeat, Nec ego quid de te agam, ſcio. Divites vero ac locupletes homines ne utebriſ ſuis commoditatibus indormiant, in ſumma felicitate atque omnium rerum affluentia, veluti in fæce quadam contabeſcant: quin potius exemplo divi Pauli diſcant, quaſi ſtercus detrimentumque habere omne id, quod à ratione vitæ piæ ac Chriſtianæ devocare, aut aliquo modo retardare poſſit. Interea nos quoque qui hic quiete ac tranquille maximis & ſingularibus Dei beneficiis fruimur, ne obliviſcamur id quod initio attigi, ut ad noſtram etiam inſtitutionem admonitionemque accommodemus, ut in quamcunque mundi partem transferamur, aut quidquid nobis eveniat, in pura fidei noſtræ confeſſione conſtantes ſemper maneamus, deteſtantes omnes idolorum cultus, ſuperſtitiones, abuſus, qui cum veritate Dei pugnant, ejus honorem obſcurant, cultumque plane ſubvertunt.

CONCIO SECUNDA,

In qua continetur exhortatio ad ferendam perſequutionem inſtituta, ut in ea Jeſum Chriſtum Euangeliumque ſequamur, ſumpta ex loco Epiſtolæ ad Hebr. 13. cap.,

Egrediamur ad eum extra portas, opprobrium ejus ferentes.

OMnes exhortationes quæ ad aliquid patienter ac conſtanter tolerandum pro Chriſti Jeſu nomine cauſaque ipſius Euangelii nobis adhiberi poſſunt, non magnam apud nos vim auctoritatemque habebunt, niſi nobis cognita & plane perſuaſa ſit æquitas & veritas dignitaſque ejus cauſæ pro qua dimicationem ſuſcipimus. Nam quum in eo quidem certamine ac diſcrimine verſamur, ut vita nobis amittenda ſit, oportet id nobis maxime conſtare, cujus cauſa tantum periculum ſubimus. Hujuſmodi autem animi conſtantia, ac firmitudine præditi eſſe non poſſumus, niſi ea in certitudine ac perſuaſione fidei penitus fundata ſit. Reperientur quidem nonnulli, qui inconſiderate ac temere morti ſe objicient, pro ſtultis quibuſdam opinionibus, quas ſuo ingenio, quaſi ſomnia quædam, pepererunt. Sed hujuſmodi animi impetus, furor mentis potius quam zelus Chriſtianus cenſendus eſt. Quemadmodum re vera nulla firmitudo aut animi aut ingenii aut denique ſenſus communis ineſt in iis hominibus, qui tanta cum audacia & temeritate ſeſe in periculum conjiciunt. Hoc certe veriſſimum eſt bonam cauſam hoc unum efficere ut Deus nos ſuos martyres teſteſque agnoſcat & accipiat: quum mors quidem omnibus communis ſit, atque etiam eadem videatur eſſe latronum & filiorum Dei condemnatio, eademque ignominiæ cruciatuſque perpeſſio. Sed Deus diſcernit eos, quandoquidem abnegare ac repudiare veritatem ſuam non poteſt. Illud etiam requiritur, ut nos quoque ejus doctrinæ, quam defendere ac propugnare volumus, teſtimonium certum atque ab omni errore remotiſſimum habeamus. Quare, uti dixi, nulla eſt tam gravis exhortatio, quæ nos commovere poſſit, eoque ſtudio afficere ut pro Euangelio patiamur, niſi vera fidei certitudo in cordibus noſtris impreſſa ſit. Nam vitam quidem noſtram periculo exponere ſine ulla ratione; inconſulto ac fortuito, à natura prorſus abhorret. Idque ſi faceremus, temeritas potius quam virtus Chriſtiana habenda eſſet. Deus denique nihil approbat eorum, quæ facimus, niſi plane nobis perſuaſum ſit nos propter nomen & cauſam ipſius moleſtia affici, & mundo odio eſſe. Quum loquor de certitudine hujuſmodi animique perſuaſione, non id quidem ſolum intelligo, ut ſciamus diſcernere ac dijudicare inter veram religionem, atque ſtultas hominum opiniones ac conſtitutiones: verum etiam ut optime perſuaſi ſimus de vita cæleſti coronaque in cælo nobis promiſſa, poſteaquam in hac vita dimicaverimus. Interea noteinus has duas rationes ad officium noſtrum pertinere, atque ita conjungi oportere, ut altera ab altera ſejungi ſepararique nullo modo debeat. Ab eo igitur capite nos principium ducere oportet, ut plane intelligamus cognoſcamuſque quæ ſit Chriſtiana religio noſtra, quæ fides, quam tenere ſequique debemus, quæ vitæ regula, quam nobis Deus tradidit. Neque vero ſolum mentes noſtras hac pietatis doctrina imbutas habere debemus, ſed etiam animos ita munitos ac paratos, ut libere audacterque damnare poſſimus omnes errores, mendacia, ſuperſtitiones, quas Satan in mundum ad puram divinæ doctrinæ ſimplicitatem corrumpendam introduxit. Itaque minime mirandum eſt, ſi hoc tempore adeo paucos reperias, qui ad tolerandum patiendumque pro Euangelio, animo atque ſtudio parati ſunt, & ſi maxima eorum pars qui ſe Chriſtianos profitentur, vim Chriſtianæ religionis profeſſioniſque ſuæ neſciat. Sunt enim plerique omnes negligentes, in quibus nullum aut exiguum audiendi legendique ſtudium ineſt, & quibus ſatis eſt, ſi vel tenuiſſimum Chriſtianæ fidei guſtum perceperunt. Atque hoc illud eſt, cur nulla in iis perſpicitur animi firmitas atque conſtantia, & ſi quando in aliquod certamen ſunt adducti, ſubito conſternantur animo. Quo magis ſtudium noſtrum eſſe debet, ut diligentiſſime veritatem Dei inquiramus ac inveſtigemus, ut ea ſine ulla dubitatione animos noſtros perſuaſos habeat. Neque vero adhuc omnia in eo ſunt, ut hujuſmodi ſcientiam intelligentiamque habeamus. Nam multos quidem videmus in doctrina pietatis ita verſatos ut ea quaſi tincti ac plane imbuti eſſe videantur, in quibus tamen nullus Dei amor ſtudiumque eſt: non ſecus acſi nihil unquam doctrinæ divinæ niſi aliqua incerta, levi, ac vaga opinione cognoviſſent. Id quamobrem? niſi quod majeſtatem Scripturæ ſanctæ animo nunquam comprehenderunt? Et certe ſi omnes recte perpenderemus Deum eſſe qui nos alloquitur, cum majore diligentia, attentione, ac reverentia audiremus. Si cogitaremus nos quum Scripturam legimus, in ſchola Angelorum diſciplinaque verſari, aliud nos exercendi & ſtudium & deſiderium in ea doctrina percipienda caperet, quæ ad animos noſtros conſolandos, confirmandos, inſtituendoſque nobis propoſita eſt. Nunc quidem videmus, quæ ſit ratio præparandi nos ad tolerandum patiendumque pro Euangelio: nimirum ut in ejus doctrina eos jam progreſſus habeamus, ut perſuaſi plane de vera religione atque ea doctrina, quam tenere tuerique debemus, omnes fraudes ac illuſiones Satanæ, omniaque hominum inventa, deſpicere, ac pro nihilo ducere poſſimus, quaſi res non ſolum leves, verum etiam execrabiles, eo quod puritatem Chriſtianam plane corrumpunt. Atque ea quidem in re nos differimus quaſi veri Jeſu Chriſti martyres, à furioſis ac pertinacibus hominibus, qui pro ſtultis opinionibus ſuis patiuntur. Secundo autem loco ita

affecti

affecti eſſe debemus, ut certi de bonitate atque æquitate cauſæ, eo quo oportet ſtudio ſequendi Deum accendamur, quocunque nos is vocaverit, ejuſque verbum ea amplectamur reverentia, quam meretur, atque à figura fallaci hujus mundi avocari, toto animo & ſtudio quaſi rapti ad cæleſtem vitam transferamur. Sed ô rem miſeram planeque indignam, quod quum lux Dei nobis, ut ſi alias, his temporibus oborta tanta claritate luceat, tam parum tamen zeli, ſtudii, amoriſque reperiatur. Qua quidem in re eo major eſt miſeria noſtra, quod in tanta turpitudine ac ingratitudine, pudore & verecundia non obruimur. Nam brevi ad judicem veniendum erit; apud quem vitium ac malum noſtrum, quod omni ratione conamur occultare, in medium proferetur cum ea exprobratione ac reprehenſione, in qua juſtiſſima noſtri exitii cauſa perſpicietur. Etenim ſi Deo ita ſumus obligati atque obſtricti, ut pro modo cognitionis, quam nobis tribuit, honorificum & gratum ei teſtimonium dare teddereque debeamus, quid cauſæ eſt cur ad certamen ſubeundum tanto animi languore ac timore torpeamus? præſertim quum Deus hac ætate noſtra ſe ita patefecerit, ut recte ac vere dici poſſit, eum maximos theſauros ſecretorum ſuorum aperuiſſe atque omnino explicaſſe. An non illud dicendum eſt, nos de Deo ita exiſtimare, quaſi nihil eo plane indigere videamur? Nam ſi aliquam rationem majeſtatis ejus haberemus, nunquam certe auderemus doctrinam, quæ ex ipſius ore proficiſcitur, in philoſophiam aut otioſam neſcio quam ſpeculationem convertere. Nulla denique excuſatio nobis eſſe poterit, quin maxima nobis nec honeſta verecundia ſit, imo vero horrenda condemnatio quod in tanta cognitione, quam ſingulari Dei benignitate conſequuti fuimus, ad eam defendendam & tuendam tam parum animi ſtudiique afferamus. In primis autem ſi cogitatione repetamus memoriam veterum Martyrum, eorumque admirabilem conſtantiam cum hac noſtra mollitie ac ſegnitie conferamus, graviſſimam turpitudinis noſtræ deteſtandæ cauſam inveniemus. Hi enim magna ex parte non ita erant verſati exercitatique in divinis literis, ut poſſent erudite omnibus de rebus diſputare. Primum autem illud quidem cognoſcebant, & tenebant unum eſſe Deum, qui ipſis colendus atque adorandus erat: deinde ſanguine Jeſu Chriſti redemptos ſe fuiſſe, ut in eo ſolo atque ejus gratia omnem ſuam fiduciam ac ſpem ſalutis collocarent. Tum vero cætera omnia quæ ipſi homines ad colendum Deum excogitaſſent atque inſtituiſſent, nugas & ſordes eſſe judicabant, ut omnes idololatrias ac ſuperſtitiones facile damnare poſſent. Ut paucis abſolvam, hæc erat ipſorum theologia, Unus eſt ſoluſque Deus totius effector mundi, qui per Moſen & per Prophetas, poſtremo per Jeſum Chriſtum ejuſque Apoſtolos nobis ſuam voluntatem declaravit. Nos unum habemus Redemptorem, cujus quidem ſanguine acquiſiti fuimus, cujuſque gratia nos ſalvos fore ſperamus. Omnia mundi idola deteſtanda ſunt & execranda. Nulla alia doctrina ſcientiaque occultiore prædiri, ad ignem aut ad aliud mortis ac ſupplicii genus, animo magno, liberoque accedebant. Neque vero numerus erat duorum aut trium, ſed tanta multitudo, ut ii qui à tyrannis crudeliter vexati ac cruciati ſunt, innumerabiles atque infiniti eſſe videantur. Nos autem ita docti atque eruditi ſumus, ut nihil ſupra: nobis quidem certe videmur eſſe. Ac re vera quod ad intelligentiam Scripturæ attinet, Deus tantam nobis cognitionem, quantam ulli unquam ætati tribuit atque conceſſit. Et tamen interea vix, ac ne vix quidem, tenuiſſima amoris, ſtudiique erga Deum gutta in nobis ineſt. Ut autem hanc mollitiem animi ignaviamque alamus, nulla quidem ratio eſt, niſi forte velimus ſcientes prudenteſque iram Dei & vindictam in noſipſos provocare. Quid ergo faciendum eſt, ut animum magnum, fortem, conſtantemque ſuſcipiamus? In primis conſiderandum nobis eſt, quam pretioſa honorataque res ſit apud Deum, noſtræ fidei confeſſio, religioniſque teſtificatio. Nam tum quidem male cognoſcimus, quanti Deus eam faciat, quum noſtra vita, quæ nihil eſt, nobis antiquior ac charior eſt. Qua in re admiranda quædam & plane belluina ſtoliditas noſtra demonſtratur. Neque enim poſſumus hac in parte vitæ noſtræ parcere, quin confiteamur eam pluris à nobis, quam honorem Dei & noſtram ſalutem æſtimari. Quidam Gentilis illud quidem ſcivit dicere, Miserum eſſe cauſas vivendi pro conſervatione vitæ condonare ac prodere. Ille tamen atque ejus ſimiles nunquam plane cognoverunt, ad quem finem homines in mundo collocati eſſent, ac cur in eo viverent. Poterant quidem dicere virtutem ſequendam, colendam eſſe, vitamque honeſte ſuſcipiendam, & degendam ſine ulla reprehenſione. Sed omnes illorum virtutes, nihil aliud quam fuci atque fumi erant. Nos autem melius ſcimus ac intelligimus quam ad rem vita noſtra referenda ſit, nimirum ut ita Deum omni laude gloriaque celebremus, ut ipſe quoque noſtra gloria poſſit eſſe. Sine eo miſera eſt noſtra vita, quam ne momento quidem temporis prorogare poſſumus, quin tantum maledictionis perpetuo in noſipſos coacervemus. Interea nihil nos pudet pauculos dies ad languendum miſere in hac vita, regno æterno paciſci ac commutare, noſque ipſos ſeparare ab eo, cujus virtute in hac vita continemur. Si quis quærat ab imperitiſſimis, atque etiam ab iis qui mentis ſtupore, ac genere vitæ voluptariæ maxime ac proxime accedunt ad naturam belluarum, quænam vivendi ratio eis propoſita ſit, non audebunt quidem plane atque aperte dicere, ſibi eam in potu & cibo, ſomnoque eſſe conſtitutam. Sciunt enim ad rem ſe meliorem ac generoſiorem, altioremque creatos eſſe. Quam autem aliam rem reperiemus, niſi ut Deum omni honore afficiamus & ornemus, noſque ab eo, ſicut filios optimos à benigniſſimo parente gubernari atque regi patiamur, ut poſtea confecto hujus vitæ fluxæ caducæque curriculo, in æternam ipſius hæreditatem recipiamur? In hoc autem fine & conſtituendo & adipiſcendo, præcipuum ac maximum noſtræ felicitatis caput, imo vero omnia beatæ vitæ momenta conſiſtunt. Quum autem mentes noſtras ac cogitationes devocamus alio, vitamque iſtam præſentem mille mortibus deteriorem mordicus arripimus ac retinemus, quam excuſationem afferre poſſumus? Vivere enim, & cauſas vivendi ignorare, jam à natura alienum eſt. Cauſas autem propter quas nos hic vivimus repudiare propter cupiditatem breviſſimi ac fugaciſſimi ſpiritus tribus diebus hauriendi, amoremque vitæ in hoc fallaci mundo retinendæ, atque à Deo vitæ auctore ſeparandæ, neſcio ſane quibuſnam verbis hujuſmodi faſcinationem ac rabiem notare, demonſtrareque debeamus. Sed quæcunque ſit vel cognitio doctrinæ, vel vitæ conſtitutæ ratio, tamen quum ipſæ perſequutiones nihilominus ſint tam graves atque acerbæ, videamus quemadmodum & qua ratione Chriſtiani homines ad patientiam ſe confirmare poterunt, itaque animos ſuos roborare, ut conſtanter pro Dei veritate, vitæ periculum ſuſcipiant & ſubeant. Ad eam autem animi non æquitatem ſolum, ſed etiam alacritatem in morte pro nomine Dei oppetenda, textus ipſe quem nos recitavimus, quum recte intellectus fuerit, adducere nos poterit. Egrediamur urbe, inquit Apoſtolus, poſt Dominum Jeſum, *Hebr. 13.*
ferentes ejus opprobrium. Primum quidem nos hor- *verſ. 13.*
tatur & admonet, quamvis aut gladii nondum ad nos interficiendos diſtricti ſint, aut ad uſtulandos cremandoſque ignes accenſi, tamen nos vere cum Filio Dei conjunctos eſſe non poſſe, dum radices cogitationum cupiditatumque noſtrarum in iſto

mundo

mundo fixas habemus. Quare oportet ut homo Chri-
ſtianus, etiam dum eſt in quiete, alterum pedem
perpetuo ſublatum & paratum habeat ad certamen
adeundum: neque vero id ſolum, ſed etiam animum
à mundo plane ſegregatum, quamvis in eo corpus
verſetur. Quanquam id quidem nobis prima fronte
durum videatur: unum tamen Pauli verbum ſum-
mam apud nos auctoritatem ac vim, ad animos no-
ſtros in eam rationem adducendos, planeque perſua-
1 Theſ. 3. dendos habere debet, quod ad hoc ſumus vocati ac
verſ. 3. poſiti, ut perſequutionem patiamur: quaſi diceret
Luc. 11. eam eſſe conditionem noſtri Chriſtianiſmi, ut ea no-
verſ. 49. bis via ingredienda atque obeunda ſit, ſi Chriſtum
& 21:12. Jeſum ſequi velimus. Interea ad ſublevandam infir-
mitatem noſtram, atque ad moleſtiam triſtitiamque,
quam perſequutiones afferunt, mitigandam & le-
niendam, ampliſſima nobis adeſt compenſatio, con-
ſolatioque ſuaviſſima, quod omnia incommoda,
opprobria, vitæ pericula pro Euangelio tolerantes,
quaſi ſingula Filii Dei veſtigia conſectamur, atque
eum ut noſtrum ducem principemque ſequimur. Si
tantummodo nobis dictum eſſet, ad tuendam Chri-
ſtianam profeſſionem nobis per omnia mundi oppro-
bria eundum eſſe, atque etiam ad ipſam mortem,
quotieſcunque Deo placeret, libere intrepideque
accedendum, haberemus, ut quidem videtur, ali-
quam occaſionem reſpondendi, rem magnopere ab-
ſurdam eſſe, ita ſine duce evagari. Quum vero no-
bis præceptum ac mandatum eſt, ut Jeſum Domi-
num ſequamur, ejus directio gubernatioque ita &
recta & honorifica videri debet, ut nulla nobis,
juſta quidem, recuſandi ac detrectandi ejus imperii
cauſa relinquatur. Ut autem majore hujus & lauda-
bilis & ſalutaris exempli ſtudio ac deſiderio afficia-
mur, non ſolum dictum eſt Jeſum Chriſtum ut du-
cem ac principem noſtrum anteire: ſed nos etiam ad
imaginem ejus conformes eſſe. Nam ita quidem di-
cap. 8: 29. vus Paulus in Epiſtola ad Romanos loquitur, Deum
elegiſſe ac vocaſſe omnes eos, quos in numerum
filiorum ſuorum adoptavit, ut ſint conſimiles atque
conformes ad imaginem ejus, qui omnium exemplar
& caput eſt conſtitutus. Tantamne in nobis ineſſe
mollitiem, ut nihil omnino ferre perpetique veli-
mus aut poſſimus? Oportet igitur ut Dei gratiam
repudiemus, qua nos ad ſpem ſalutis vocat. Nam
hæc quidem duo plane conjuncta ſunt, quorum al-
terum ſeparari ab altero nullo modo poteſt, ut mem-
bra ſimus Jeſu Chriſti, atque ex ea conjunctione ac
communione multis afflictionibus calamitatibuſque
exerceamur. Hanc certe tam conjunctam cum Filio
Dei vitæ noſtræ rationem atque hujuſmodi con-
formitatem, deberemus pluris facere quam faci-
mus, eamque omni non profeſſione modo, ve-
rum etiam imitatione digniſſimam judicare. Mundi
quidem opinione ac judicio ſumma eſt infamia,
calamitatum toleratio perpeſſioque pro Euangelio
ſuſcepta. Sed quum ſciamus infideles omnes ita
occæcatos eſſe ut nihil videre aut recte judicare
poſſint, an non debemus nos acutiores oculos in-
tegrioreſque habere, atque ad judicandum adhi-
bere? Ignominia ſane eſt ab iis affligi ac vexari,
qui occupant ſedem juſtitiæ. Sed divus Paulus
exemplo ſuo nobis oſtendit, nos magnam & præ-
claram gloriandi occaſionem facultatemque habere
in Jeſu Chriſti ſtigmatis, & quaſi quibuſdam no-
tis impreſſis, quibus Deus nos inſignitos ornatoſ-
que, pro ſuis ſervis atque electis agnoſcit ac re-
cipit. Atque illud quidem ſcimus, quod de Petro
Actor. 5. & Joanne divus Lucas commemorat, eos maxi-
verſ. 41. mopere lætatos gaviſoſque fuiſſe, quod digni eſ-
ſent habiti, qui pro nomine Domini Jeſu infa-
miam, opprobrium, ignominiamque paterentur.
In quo quidem duæ res cerni poſſunt inter ſe con-
trariæ, ignominia & dignitas, ex eo nimirum
quod mundus furore & amentia præceps, contra
omnem rationem judicat, atque hoc modo glo-
riam Dei cum dedecore infamiaque commutat.
Nos autem nunc quidem ne dedignemur ita à
mundo deſpici ac vituperari, ut poſtea apud Deum
Angeloſque ejus, honorem, gloriam, ac laudem
conſequamur. Videmus quantum laboris homines
ambitioſi ſuſcipiant ut ordinem alicujus regis adi-
piſcantur, & adepti, quos triumphos agant. Filius
Dei nobis ſuum offert ordinem, & tamen eum unuſ-
quiſque aſpernatur, totoque animi impetu ad va-
nitatem mundi convertitur. Obſecro vos, quum
nos tam ſuperbe ingrateque agamus, num nobis
digni videmur, ut aliquid cum eo commune habea-
mus? Quanquam noſter quidem ſenſus, nihil po-
teſt hic percipere ac comprehendere, revera ta-
men iſta ſunt propria & eximia cœleſtis nobilita-
tis inſignia atque ornamenta. Carceres, exilia,
maledictiones nihil aliud afferunt opinione homi-
num, quam ſummam ignominiam ac infamiam.
Sed quid præter noſtram infidelitatem impedit,
quominus quid Deus iis de rebus judicet ac pronun-
ciet, videamus? Quamobrem danda nobis opera
eſt, ut nomen Filii Dei tantum habeat apud nos
auctoritatis, ponderis, ac dignitatis, quantum
pro ſua ſumma amplitudine excellentiaque mere-
tur: ut nobiſcum præclare atque honorifice agi ex-
iſtimemus, quod ejus ſtigmata quaſi quædam inſi-
gnia, in nobis ſint impreſſa: aut ingratitudo noſtra
nullo modo ferenda eſt. Quod ſi Deus pro noſtris
meritis nos perſequatur, an non juſtam habet cau-
ſam, cur diebus ſingulis ac modis infinitis nos ca-
ſtiget & puniat? Imo vero nullæ mortes ab eo nobis
impoſitæ, ne minimam quidem noſtrorum ſcelerum
partem adæquare poſſent. Sed pro ſua ſumma atque
infinita bonitate, pedibus ſupprimit omnia delicta
noſtra, eaque omnino abolet: ac pro eo quod nos
pro magnitudine noſtrorum peccatorum punire
poſſet, aliam invenit admirabilem rationem, qua af-
flictiones à noſtris juſtis pœnis ac ſuppliciis, ad ſum-
mum honorem & quoddam privilegium beneficium-
que ſingulare traducantur: propterea quod earum
communicatione ac perpeſſione in ſocietatem Filii
Dei recipimur. An non omnino neceſſe eſt ut fa-
teamur quum hanc tam præclaram & beatam vi-
vendi conditionem ac rationem aſpernamur & de-
dignamur, parum in doctrina Chriſtiana nos pro-
feciſſe? Hæc cauſa eſt cur divus Petrus poſtea- 1 Petr. 4.
quam nos eſt hortatus ad vitam pie ſancteque de- verſ. 12.
gendam in timore Dei, multum ab ea abhorren-
tem, propter quam cæteri homines, ut latrones,
ſcortatores, aut adulteri, homicidæque patiuntur,
ſtatim illud adjungit, Si nobis patiendum eſt ut
hominibus Chriſtianis, in eo quidem nos damus
Deo gloriam ejus ſummi ac ſingularis beneficii,
quo nos ipſe affecit atque ornavit. Neque vero
nulla cauſa eſt, cur ſanctus vir ita loquatur. Quid
enim, obſecro, ſumus, ut veritatis ipſius Dei te-
ſtes ſimus, & quodammodo patroni ad defenden-
dam & tuendam ejus cauſam conſtituti? Ecce mi-
ſeri homines quaſi abjecti vermes terræ ſumus,
creaturæ vanitatis plenæ, & ut verbo dicam,
mendaces: tamen Deus à nobis vult ſuam defendi
veritatem; qui honos tantus eſt, ut ne ad Ange-
los quidem qui ſunt in cælo, pertinere videatur. An
non hæc una ratio conſiderata diligenter, debet
animos noſtros inflammare atque excitare, ut nos
Deo totos offeramus, ut ei placet omnia noſtra
& ſtudia & officia in re tam ſancta & præclara adhi-
bere? Et tamen complures adhuc continere ſe non
poſſunt, quin Deo contradicant, aut certe apud eum
conquerantur, quod majorem imbecillitatis ipſo-
rum ſublevandæ rationem non habeat. Eſt mirum,
inquiunt, quod quum Deus nos hac gratia ſit proſe-
quutus ut filios ſuos elegerit, tamen tam crudeliter
vexari atque opprimi ab hominibus iniquis patiatur.

Ego

Ego vero illis adhuc reſpondeo, quamvis nulla nobis plane ratio conſtaret, cur Deus nobiſcum ita agat, eum tamen apud nos hujuſmodi debere auctoritatem obtinere, ut nos ad ipſius voluntatem accommodemus ac conformemus. Nunc vero quum videamus Jeſum Chriſtum nobis exemplar propoſitum ne aliud inquiramus, an non magnam felicitatem noſtram debemus exiſtimare, quod ita ad ejus ſimilitudinem imaginemque deducamur? Interea Deus nobis proponit atque oſtendit cauſas plane apertas & perſpicuas, pro quibus vult nos perſequutionem tolerare: ex quibus ſi nulla alia eſſet, quam *1 Petr. 1. verſ. 6.* ea ratio ac commonitio quam divus Petrus adhibet, nos ſimus oportet valde moroſi ac difficiles, niſi in ea acquieſcamus. Ea autem eſt, quod quum aurum & argentum, metalla corruptioni obnoxia, igne purgentur atque probentur, æquum eſſe ut noſtra quoque fides, quæ pretio omnes divitias ſuperat, hujuſmodi periculis vitæ ac moleſtiis perſpiciatur & approbetur. Poſſet quidem ſtatim ut ad ſe nos vocavit, ſine ulla dimicatione, atque iſtarum calamitatum perpeſſione nos corona donare. Sed ſicut is vult Chriſtum regnare in medio inimicorum ejus, ita nos quoque verſantes inter eoſdem illos, eorum vim oppreſſionemque tamdiu ferre, donec ab eo iis afflictionibus ac calamitatibus liberati fuerimus. Neque vero ignoro carnem ipſam, tum quidem magnopere recalcitrare atque imperium detrectare, quum eum in locum deducenda eſt: verum oportet, ut voluntas Dei omnibus noſtris voluntatibus cupiditatibuſque dominetur. Si nos in nobis aliquam contradictionem repugnantiamque ſentimus, non eſt magnopere mirandum. Id enim nimirum in natura noſtra eſt inſitum atque innatum, ut crucem defugiamus. Neque tamen interea in ea carnis mollitie conſiſtamus: ſed progrediamur ultra, ſcientes quidem obedientiam noſtram Deo gratam & probatam eſſe, modo ſenſus atque appetitus noſtros dejiciamus, atque ita ſubjiciamus, ut in ipſius ſint poteſtate. Nec vero Prophetæ & Apoſtoli eo animo ad mortem acceſſerunt, ut non ſentirent abhorrentem ab ea voluntatem, alioque inclinantem. Ducent te, quo tu *Joan. 21. verſ. 18.* non voles, dicebat Petro Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Ita quum noſtros animos hujuſmodi metus mortis pungit, omni ratione elaboremus ut nos ſimus ſuperiores, vel potius ut ipſe Deus ſuperior ſit, atque ita interea ſtatuamus planeque perſuaſum habeamus, gratiſſimum ei eſſe ſacrificium, quum nos reſiſtimus noſtris appetitionibus, eiſque vim facimus, ut hoc modo redacti in ipſius poteſtatem, ex ejus ſententia ac voluntate vitam noſtram & inſtituamus & degamus. Hoc vero præcipuum graviſſimumque bellum eſt, in quod Deus vult ſuos omnibus viribus incumbere, ut videlicet dejicere ac deprimere conentur omne id, quod in ipſorum ſenſibus, ingeniis, appetitionibus, ita ſe extollit, ut à via, quam Deus ipſis oſtendit, eos abducat atque abripiat. Interea quidem conſolationes ita ſunt magnæ atque graves, ut ſupra quam dici poſſit, molles ignavique videamur, quum iis in periculis ac moleſtiis animo debilitamur, aut etiam plane deficimus. Olim numerus prope infinitus fuit eorum, qui adducti cupiditate coronæ fluxis ex foliis compoſitæ, nullum laborem, moleſtiam, ac dimicationem defugiebant, atque etiam mortem ipſam ita oppetebant, ut vitam ſuam nullo in pretio habere viderentur. Et tamen nullus erat eorum, qui non fortuito contenderet, incertus præmiumne adepturus eſſet an amiſſurus. Deus nobis quidem coronam proponit immortalem, in qua ſummam ejus gloriam conſequamur. Nec vero certamen nobis fortuitum incertumque conſtituit, ſed hujuſmodi præmium promittit, ad quod nos debemus omnia vitæ conſilia, ſtudia, deſideriaque conferre. Quid autem cauſæ eſt cur in ejus honoris tam certi æternique amplitudine ac dignitate, ita animo langueſcamus? An vero fruſtra dictum eſſe arbitramur, Nos cum Chriſto victuros eſſe, ſiquidem cum *Rom. 6: 8.* eodem mortui fuerimus? Triumphus nobis paratus eſt: ſed nos quantum poſſumus, à certamine dimicationeque refugimus. At vero hæc doctrina eſt hujuſmodi, ut cum hominum judicio pugnare plane videatur. Ego id confiteor. Neque etiam Chriſtus, *Matth. 5. verſ. 10.* quum pronunciat eos eſſe beatos qui pro juſtitia *1 Petr. 3. verſ. 14.* perſequutionem patiuntur, proponit hujuſmodi ſententiam, quæ opinione mundi comprobetur, aut omnino accipiatur. Imo vero vult nos id ſummam felicitatem exiſtimare, quod ſenſus noſter maximam miſeriam eſſe judicat. Nobis quidem miſerrimi videmur, quum Deus patitur nos tyrannide ac crudelitate inimicorum affligi atque opprimi. Sed vehementer in hoc erramus, quod promiſſiones Dei nobis ante oculos non ponimus, quæ plane nobis confirmant omnia in noſtram utilitatem, gaudium, ſalutemque ceſſura eſſe. Nos animum abjicimus ac deſpondemus, quum videmus homines iniquos atque improbos nobis ſuperiores, eamque ſævitiam in nos ipſos exercere, ut jugulum noſtrum ſuo premere pede videantur. Sed hæc impiorum iniquiſſima vexatio, & tanta rerum perturbatio ac confuſio, ſicut monet divus Paulus, debet potius animos noſtros confirmare, erigere, in cælumque attollere. Nam quoniam natura noſtra ad ſtudium amoremque rerum præſentium ſumus propenſi, itaque inflammati, ut tota mente, animo, cogitatione, in hac vanitate adamanda & perfruenda occupemur, Deus quum patitur nos ita male tractari ac vexari, impios vero homines omnibus rebus vigere ac florere, per hæc quidem clara, illuſtriaque æquiſſimi judicii ſigna nos docet atque admonet eum aliquando diem venturum, in quo omnia quæ nunc ſunt perturbata & confuſa conſtituentur. Quod ſi tempus illud nobis longius ac diuturnius eſſe videatur, confugiamus ad remedium, neque nobis in vitio noſtro blandiamur. Nam certum quidem eſt, nos nullam omnino fidem habere, niſi oculos mentis animique noſtri in illuſtrem Jeſu Chriſti adventum conjiciamus. Deus autem ut nullam rationem prætermitteret, quæ quidem ad nos permovendos impellendoſque accommodata videatur, ex una parte promiſſiones, ex altera comminationes nobis proponit. Sentimus nos promiſſiones Dei in nobis non ſatis magnam vim auctoritatemque habere, ad eas confirmandas comminationes adjungamus. Quanquam nos quidem oportet etiam atque etiam maxime perverſos eſſe, quum non plus fidei, quam facimus, promiſſis Dei adhibemus. Quum Dominus Jeſus Chriſtus dicit ſe re- *Mat. 10. verſ. 32.* cogniturum nos ut ſuos, ac confeſſurum coram Pa- *Luc. 12. verſ. 8.* tre, modo nos quoque eum coram hominibus confiteamur, quid eſt quod nobis impedimento eſſe debeat, quominus eam, quam à nobis requirit, ei confeſſionem tribuamus? Quum homines omnia conati fuerint, nihil nobis gravius aut deterius facere poſſunt quam vitam eripere. Quo igitur in pretio ac honore nobis erit vita cæleſtis eum hac præſente comparata & amiſſa? Neque vero nunc id ago, ut hic omnes promiſſiones colligam, quæ in Scriptura propoſitæ, ad eundem finem referuntur. Tamen quum nobis tam ſæpe repetantur, atque etiam renoventur, deberemus earum non lectione ſolum, ſed etiam cognitione ac conſolatione ita conſuefacere, ut iis toti quaſi imbuti ac plane confirmati eſſe poſſimus. Quod ſi tum quum jam plagæ ſunt infligendæ, tres aut quatuor ad nos confirmandos ſuſtentandoſque non ſatis poſſunt, centum quidem certe deberent omnes contrarias adverſaſque tentationes ſuperare. Sed ſi Deus hac tanta promiſſionum ſuavitate, nos ad ſe allicere atque trahere non poteſt, nonne oportet maximam in nobis hebetudinem atque ſtupiditatem eſſe, quum ſeveritas minarum ejus nihilo plus in nobis efficit? Jeſus

Chri-

Luca 9. *verſ.* 26. Chriſtus diem dicit apud Patrem iis omnibus, qui
metu hujus vitæ amittendæ veritatem abnegarint:
Mat. 10. *verſ.* 33. quibus quidem & animi & corporis exitium propo-
ſitum, paratumque eſſe oſtendit. Alio etiam loco
Mat. 10. *verſ.* 38. denunciat ſe omnem communionem iis omnibus re-
nunciaturum, qui ipſum coram hominibus nega-
verint. Niſi prorſus omni ſenſu careamus, hæc qui-
dem verba deberent vehementer animos noſtros
commovere, eoque horrore afficere, ut ex ea for-
midine capilli etiam capitis erigantur. Equidem,
niſi nos ita fuerimus affecti ac permoti ſicut magni-
tudo rei periculique poſtulat, vel potius flagitat,
nihil aliud nobis reſtat, quam ut horribilem ac mi-
ſerabilem confuſionem expectemus. Qua in re cul-
pam noſtram, quantum voluerimus, deprecemur,
& dicamus nos in hac tanta naturæ noſtræ fragilitate
atque imbecillitate, miſericordia potius quam ulla
ſeveritate afflictionumque acerbitate dignos eſſe.
Hebr. 11. *verſ.* 27. Nam illud quidem contra ſcriptum eſt, Moſen, quum
Deum fide vidiſſet, ita obduratum obfirmatumque
fuiſſe, ut nulla tentationis vis animum ejus emol-
lire poſſet, atque à ſumma magnitudine conſtantia-
que inflectere. Quare quum nos ſimus ita molles
ac flexibiles, ut nulla animi firmi & conſtantis vir-
tus in nobis appareat, ſatis tum ſignificamus, ac
potius declaramus, nos omnino Deum atque ejus
regnum ignorare. Atque etiam quum admonemur
nos cum capite noſtro conjunctos ac conſociatos
eſſe oportere, nobis quidem videmur bellum colo-
rem habere nos ab eo eximendi ſegregandique, ſi
nos homines eſſe dicamus. Sed ii, qui nos ante præ-
ceſſerunt, hujuſne humanitatis expertes prorſus
extiterunt? Omnino, ſi nos nihil aliud quam pu-
ram pietatis doctrinam haberemus, omnes tamen
excuſationes, quas afferre poſſumus, infirmæ atque
leves haberentur. Nunc vero majore reprehen-
ſione ac condemnatione digni ſumus: quum tot tan-
taque tamque illuſtria exempla habeamus, quorum
ſumma approbatio & auctoritas vehementiſſime
animos noſtros excitare debebat ac confirmare.
Hujus autem vel cohortationis vel conſolationis no-
ſtræ duo ſunt nobis capita conſideranda. Unum,
quod univerſum Eccleſiæ corpus communi qua-
dam conditione fuit ſemper & erit uſque ad finem
mundi, hujuſmodi impiorum injuriis contumeliiſ-
Pſal. 129. *verſ.* 1. que obnoxium: ſicut in Pſalmo dictum eſt, Jam
à juventute mea me vexarunt, atque aratrum qua-
quaverſum per omnes dorſi mei partes traxerunt.
Spiritus ſanctus eo in loco veterem Eccleſiam in-
ducit ita loquentem, ut nobis quidem nunc neque
novum neque moleſtum videatur, ſi hodie quoque
eandem & cauſam & conditionem noſtram videa-
Rom 8. mus. Divus etiam Paulus allegans illum locum
verſ. 36. Pſalmi alterius in quo dictum eſt, Nos fuimus tan-
Pſal. 44. quam oves quæ ad victimam ducuntur, oſtendit
verſ. 23. non id ſolum unius ætatis fuiſſe, ſed communem
& uſitatam perpetuamque ipſius Eccleſiæ conditio-
nem eſſe, ac fore. Ita ſi hoc quoque tempore vi-
deamus Eccleſiam impiorum inſolentia ſuperbia-
que ita tractari ac vexari, ut unus eam allatret,
alius mordeat, multi affligant, eique ſemper ali-
quam peſtem ac perniciem machinentur: eam de-
nique tanquam rabioſi canes beſtiæque efferatæ at-
que immanes, ſine ulla intermiſſione aggredian-
tur: meminerimus jam inde à mundi primordio
factitatum fuiſſe. Deus certe aliquando inducias
ei concedit ut ſeſe rurſum colligat. Atque hoc eſt,
quod in Pſalmo ſupra allegato dictum eſt, Domi-
nus autem juſtus præcidit funes impiorum. Et alio
Pſal. 125. *verſ.* 3. loco, Quod virgam eorum frangit, ne boni ni-
mium preſſi deficiant, manuſque ſuas ad iniquita-
tem admoveant. Veruntamen Deus ſemper voluit
ſuam Eccleſiam in hoc mundo quaſi in quodam cer-
tamine verſari ac jactari, ſuam ei quietem in cælo
aſſervans. Interea tamen ipſarum afflictionum exi-
tus ſemper beatus extitit. Et quidem certe Deus
perfecit, ut Eccleſia multis ac magnis difficultati-
bus calamitatibuſque preſſa, nunquam plane op-
preſſa fuerit. ſicut alio quodam loco dictum eſt, *Pſal.* 7.
Impios omnibus ſuis conatibus non id conſequutos *verſ.* 15.
eſſe quod cogitabant. Divus etiam Paulus conſi-
mili ac felici afflictionum exitu eventuque gloria-
tur, ut oſtendat eam Dei gratiam in Eccleſia per-
petuam eſſe. Nos, inquit, omni afflictionum ge- *2 Cor.* 4.
nere premimur, at non anxietate atque ſollicitu- *verſ.* 8.
dine conficimur: in ſumma indigentia inopiaque
verſamur, at non deſerimur: dejicimur, at non
perimus, ſemper mortificationem Domini noſtri
Jeſu Chriſti circumferentes, ut vita quoque ejuſ-
dem in mortali corpore noſtro declaretur. Hic au-
tem afflictionum eventus atque exitus, quemad-
modum quidem videmus Deum felicem ac proſpe-
rum ſemper dediſſe in perſequutionibus Eccleſiæ,
nobis magnum animum afferre debet: quum ſcia-
mus patres noſtros, qui ſuæ quoque fragilitatis ac
infirmitatis conſcii fuerunt, victoriam ſemper ad-
verſus ſuos inimicos habuiſſe, quoniam firmi in
patientia permanſerunt. Breviter hoc primum ca-
put exhortationis inſtitutæ tracto, quo ad ſecun-
dum citius pergam: magis enim ad inſtitutum per-
tinet. Illud autem eſt, ut certa exempla Martyrum,
qui nos præceſſerunt, ad noſtram conſolationem
confirmationemque accommodemus. Atque hoc
in genere ac numero non unum atque alterum tan-
tummodo reperias: ſed magnam denſamque nu-
bem, ut Apoſtolus duodecimo capite Epiſtolæ ad
Hebræos ſcripſit. In quo ſignificat tantam eſſe
multitudinem eorum, qui pro veritatis teſtimo-
nio ſunt perpeſſi, ut non minus copia optimorum
exemplorum, quam graviſſima auctoritas ad æqui-
tatem animi, patientiam, moderationem, nos hor-
tari debeat. Ac ne in infinita multitudine copia-
que colligenda, nimium longa ſit mea oratio, ſu-
mam tantummodo eos Judæos, qui pro vera reli-
gione, cùm ſub tyrannide Antiochi regis, tum
etiam paulo poſt illius mortem, graviſſimam per-
ſequutionem pertulerunt. Dicere non poſſumus
exiguum hominum afflictorum numerum fuiſſe,
quum tum quidem maximus quaſi Martyrum exer-
citus, ad propugnandam & defendendam religio-
nem paratus eſſet. Neque etiam illud allegare, fuiſſe
quoſdam Prophetas excellentes, quos Deus è vulgo
ſelegiſſet ac ſegregaſſet. Nam fœminæ, pueri, in-
fantes etiam in eo Martyrum numero extiterunt.
Neque vero hoc dicere poſſemus, quod ſine ma-
gnis vitæ periculis, cruciatibus, tormentiſque cor-
porum, levi tantummodo aliqua jactura ea perſe-
quutione perfuncti fuerunt: quum in illis affligen-
dis, vexandis, cruciandis, nullum crudelitatis ge-
nus ſit prætermiſſum. Audimus etiam quid Apo-
ſtolus de iis commemoret, atque ad imitandum no-
bis proponat. Alii, inquit, in modum tympano- *Hebr.* 11.
rum diſtenti ſunt, redemptionem ac liberationem *verſ.* 36.
aſpernantes, ut meliorem reſurrectionem obtine-
rent: alii contumeliis & verberibus, aut vinculis
ac carceribus probati fuerunt: alii lapidati aut diſ-
ſecti, aut gladio ſunt interfecti: alii per montes
cavernaſque huc & illuc vagi oberrarunt. Nunc
porro illos nobiſcum comparemus. Si illi pro ve-
ritate, quæ tum quidem adhuc obſcura erat, tot &
tanta mala tormentaque pertulerunt, quid nobis
faciendum in hac clariſſima luce, quæ hoc tempore
illuxit? Deus nunc loquitur quaſi pleno nobis ore.
Maxima janua regni cælorum nobis patefacta &
aperta eſt. Jeſus Chriſtus è cælo ad nos delapſus,
ita nos ad ſe vocat, ut eum quidem quaſi præſentem
ante oculos habeamus. In quantum ingratitudinis
atque impietatis vitium incurremus, ſi ad patien-
dum pro Euangelio minus animi atque ſtudii ha-
beamus, qui promiſſiones Dei quaſi procul ſaluta-

runt, qui perexiguum oſtiolum apertum ad ingrediendum Dei regnum habuerunt, qui denique monumentum tantum Jeſu Chriſti, obſcurumque teſtimonium in figuris poſitum acceperant? Hæ tantæ res pro magnitudine ac dignitate ſua, nullis verbis exprimi ac declarari poſſunt. Quare eas in animo uniuſcujuſque cogitandas meditandaſque relinquo. Hæc autem doctrina, quemadmodum communem univerſalemque rationem habet, ita ad omnium quidem vitæ conſuetudinem atque exercitationem referenda eſt. Sed unuſquiſque ad uſum proprium, fructumque ſuæ conſolationi opportunum, eam accommodare debet. Atque hoc idcirco dico, ne ii qui vident ſe in nullo verſari periculo, certe manifeſto, eam eſſe ſupervacaneam, minimeque ad ſe pertinere arbitrentur. Nunc quidem in manibus tyrannorum non verſantur: ſed quid ſciunt quomodo Deus eos poſthac tractaturus ſit? Itaque eo nos animo judicioque eſſe oportet, ut ſi perſequutio aliqua præter expectationem nobis eveniat, ne in eam imparati incidamus. Sed vereor ne multæ ſint aures ſurdæ, ad quas hæc mea oratio ſine fructu habeatur. Tantum enim abeſt ut ii qui quiete ac tranquille vivunt ſecundis rebus fruentes, ſe præparent ad mortem, quum opus erit, & ſuſcipiendam & tolerandam, ut ne in vita nullam prorſus curam aut cogitationem colendi Dei habeant. Attamen hoc omne noſtrum ac perpetuum ſtudium eſſe deberet, præſertim in hac tanta temporum perturbatione, in qua nos maximis cum periculis verſamur. Interea ii, quos Deus vocat ad patiendum pro nominis ſui teſtimonio, debent re ipſa omnique officii ratione exiſtimare, ſe multo ante ſtudio ac certo Spiritus judicio ad eam malorum tolerantiam paratos deductoſque fuiſſe, ut in ea ſe conſtanter ac fortiter gererent. Tum vero in memoriam diligenter revocare omnes exhortationes, quas antea audiverunt: neque aliter earum admonitione excitari, quam ſtrenuus miles ad arma capienda, quum buccina canitur. Sed quid quærimus? In iis quidem periculis nihil aliud agitur, quam ut exitus evadendi effugiendique quærantur. Quod autem dico, de bona magnaque parte intelligo. Nam ipſa quidem perſequutio, eſt quaſi quidam Lydius lapis, quo Deus probat ac declarat qui ſunt ſui: veruntamen homines perpauci ea fide, animo, pietateque erga illum reperiuntur, ut pro ejus nomine ſe libenter ac libere ad mortem offerant. Eſt certe hoc prope incredibile, quod ii, qui aliquid in Euangelio ſe cognoviſſe gloriantur, os tam durum, impudens, inverecundum habeant, ut hujuſmodi cavillationibus utantur. Dicent aliqui, Quid proficiemus fidem noſtram confitentes apud homines pervicaces atque pertinaces, qui cum Deo bellum gerere propoſuerunt? An hoc non eſt porcis margaritas ſpargere? Quaſi vero Jeſus
Marc. 8. *verſ.* 38. Chriſtus apertiſſime non declararit, ſe apud homines etiam omnium maxime perverſos & iniquos, confeſſionem nominis ſui à nobis requirere. Quod ſi hoc teſtimonium noſtrum ad eorum ædificationem nihil prodeſt, ad confuſionem quidem certe proderit. Omnino confeſſio noſtræ fidei, optimi ac ſuaviſſimi eſt odoris coram Deo, tametſi hominibus reprobis perniciem atque mortem afferat. Alii vero inquient, Quid proderit mors noſtra, quum ea quidem plus offenſionis quam utilitatis allatura videatur? Quaſi Deus, quum ipſi volent, aut tempus mortis opportunum judicabunt, optionem moriendi ipſis reliquerit. Nos contra obedientiam ei noſtram approbamus: fructum vero qui noſtra ex morte percipiendus eſt, manui Dei providentiæque relinquimus. Quamobrem oportet in primis ut Chriſtianus homo, quocunque in loco ſit, diligenter videat ut ea cum ſimplicitate ac integritate vivat, quam Deus requirit: neque ab ea ſententia rationeque vitæ pie ac ſancte inſtitutæ, ullis unquam periculis atque minis deducatur. Caveat, quantum quidem poterit, rabiem luporum & inſaniam, modo hujuſmodi cautio cum prudentia carnis aſtutiaque non ſit conjuncta. In primis vero id agat, ut ſuam vitam in manus Dei fideliſſimi cuſtodis permittat, planeque rejiciat. Hanc vitæ rationem ac conſuetudinem quum is inſtituerit, coluerit, omnique ſtudio ac diligentia conſervarit, ſi poſtea eveniat ut in manus inimicorum delabatur, cogitet tum atque ſtatuat, ſe eum in locum à Deo ob eam cauſam deductum eſſe, ut ſe is teſtem Filii ſui habeat. Itaque quum certo Dei conſilio ad eam confeſſionem ſit vocatus ac deductus, nullam eſſe rationem recedendi, niſi fallatur violeturque fides ei, cui omnia & ad vivendum & ad moriendum officia promiſimus, & cujus quidem ſumus, etiamſi nihil unquam à nobis promiſſum eſſet. Neque vero id ago, ut ex eo neceſſitatem imponam omnibus edendæ plenæ integræque confeſſionis, atque totius fidei ſuæ declarandæ, ne tum quidem quum ab ipſis quæreretur. Novi etiam quonam modo hac moderatione divus Paulus uſus fuerit, qui, ſi quiſquam alius, ad libere defendendam Euangelii cauſam animo ſtudioque paratus fuit. Nec vero ſine cauſa à Domino Jeſu dictum ac promiſſum eſt, Deum eo in tempore atque re os & prudentiam nobis daturum. Quaſi diceret, officium Spiritus ſancti conſiſtere non ſolum in confirmando, ut nos alacres, ſtrenui, forteſque ſimus: verum etiam in dando eo judicio, prudentia, conſilio, quo nos quemadmodum oportet, in re tanta tamque difficili & ardua regere gubernareque poſſimus. Plane hæc tota ratio & oratio ſpectat eo, ut ii qui verſantur in hujuſmodi anguſtiis, eam moderationem, prudentiamque è cælo petant atque accipiant, nullum ſequentes carnis conſilium, quo aliquem exitum nacti fugam capeſſant. Sunt etiam qui ad hoc reſpondeant, Dominum Jeſum ne iis quidem, à quibus fuerat interrogatus, reſpondiſſe. Ego vero primum dico id non valere ad tollendam regulam, quam teſtificandæ fidei noſtræ, tum quum requiritur confeſſio, nobis dedit. Deinde nunquam eum aliquid diſſimulaſſe aut reticuiſſe ut vitam ſuam conſervaret. Poſtremo, nullum unquam dediſſe reſponſum ita ambiguum, ut in eo quidem ejus quod antea dixiſſet, idoneum teſtimonium non extaret, aut etiam quin prius iis ſatisfeciſſet, qui ejus omnia & verba & facta inſidioſe obſervabant. Quamobrem hoc quidem certum ac perſuaſum omnibus Chriſtianis maneat, nemini ſuam vitam chariorem aut pretioſiorem debere eſſe teſtimonio veritatis, in quo Deus laudem & gloriam nominis ſui extare vult. An vero ſine cauſa teſtes ſuos vocat (nam hoc nomen Martyris ſignificat) omnes eos quibus fidei ac religionis hoſtibus eſt reſpondendum? An non potius hujuſmodi cauſa eſt, ut eorum omni & oratione & ratione vitæ ad confeſſionem nominis ſui uti velit? Qua in re non oportet ut unuſquiſque noſtrum ad proximum ſociumque ſuum ita reſpiciat, ut ſine illius exemplo teſtimonioque nihil plane facturus videatur. Atque eo magis nobis ea curioſitas vitanda eſt, quod natura ad hoc vitium proclives ſumus. Petrus quum ex ore Domini noſtri audiviſſet, ſe quo nollet in ſenectute *Joan.* 21. *verſ.* 18.
ductum iri, quæſivit quid de Joanne ſocio ac comite ſuo agendum eſſet. Noſtrum nemo eſt, qui non ad recuſandum defugiendumque periculum non ita libenter reſpondeat: ſtatim enim hoc nobis in mentem venit, Quid eſt cauſæ, cur ego potius quam cæteri patiar? Contra vero Jeſus Chriſtus nos hortatur monetque, & omnes in genere & privatim unumquemque, ut parati ac præſto ſimus, ut ſicuti vocat hunc aut illum, ita ſinguli ordine noſtro procedamus. Atque illud quidem

ſupra

ſupra jam demonſtravi, nos ad martyrium & ſuſcipiendum & tolerandum imparatos inermeſque plane futuros, niſi promiſſionibus Dei muniti ſimus & armati. Nunc hoc reſtat, ut paulo copioſius hujuſmodi promiſſiones explicemus: non ut ſingulas accuratius ſubtiliuſque demonſtremus, ſed ut oſtendamus res præcipuas & præſtantiſſimas, quas Deus vult ad ſolatium noſtrarum calamitatum expectari. Hujuſmodi autem res ſunt tres. Prima, quod quum omnia noſtræ & vitæ & mortis tempora, in ipſius manu ſint conſtituta, nos virtute ſua ita conſervabit, ut ne pilus quidem ex noſtro capite, niſi ex ipſius voluntate, evellatur. Quare omnes fideles homines ita debent ſtatuere, ac ſibi plane perſuadere, quibuſcunque in manibus jactentur, Deum nullo modo depoſuiſſe eam tutelam & cuſtodiam, quam pro eis maxima cum cura ſuſceptam habet. Si hæc perſuaſio de paterna Dei cura & providentia in animis noſtris inſuleret, penituſque inhæreſceret, jam maxima parte liberati eſſemus earum dubitationum ac difficultatum, quæ nunc officium noſtrum conturbant & impediunt. Videmus ſævitiam tyrannorum & crudelitatem effrenatam, in omni ſuppliciorum acerbitate petulanter debacchari. Ex eo arbitramur ipſum Deum nullam jam amplius curam ac rationem noſtræ ſalutis tuendæ conſervandæque habere. Itaque ad proſpiciendum conſulendumque noſtris rationibus ita ſollicitamur ac commovemur, quaſi tota ſpes ſalutis opiſque divinæ ſublata plane videretur. At vero è contrario providentia Dei tanta, quantam nobis declaraverit, nobis inſtar arcis munitiſſimæ, & quæ nullis viribus expugnari poteſt, eſſe debet. Demus igitur operam ut hanc brevem ſententiam condiſcamus, planeque comprehendamus: Quod corpora noſtra in manu poteſtateque ſunt ejus, à quo etiam creata extiterunt. Atque iſta quidem cauſa eſt, cur Deus ſuos admirabili quadam ratione, & contra omnium hominum opinionem atque ſpem liberavit,

Dan. 3. & 6. Act. 12. verſ. 7.

ut Sidrach, Miſach, Abdenago, ex ardente fornace, Danielem ex leonum cavea, Petrum ex Herodis carcere, ubi incluſus cateniſque conſtrictus diligentiſſime cuſtodiebatur. His exemplis nobis declarare voluit, inimicos noſtros à ſe quaſi quodam freno cohiberi, quamvis hominibus non ita videatur; ſeque eam habere poteſtatem, qua ſimulatque voluerit, nos quaſi è faucibus ipſius mortis eripiat atque conſervet. Non quod hoc modo ſemper agat, ſuoſque hujuſmodi periculis liberet: ſed jure ſuo retinens auctoritatem totius noſtræ & vitæ & mortis conſtituendæ, vult nobis perſuaſum eſſe, nos ita ejus cuſtodia tutelaque contineri & conſervari, ut quicquid tyranni machinentur, aut quocunque nos furore aggrediantur, ejus tamen ſolius ſit de noſtra vita vel retinenda vel amittenda conſtituere, eamque rem totam ad ſuum arbitrium referre. Quod ſi hoc tyrannis permittit ut nos occidant, non tamen propterea ei noſtra vita non chara eſt, atque etiam infinitis partibus magis quam ea meretur, commendata. Atque hoc quidem ita eſſe ſatis declaravit, quum per os Davidis pronunciavit, Mortem ſanctorum in conſpectu ſuo pretioſam eſſe: tum vero quum per Jeſaiam dixit, Terram ipſam ſanguinem effuſum, qui obrutus latere videtur, in medium prolaturam.

Pſal. 116. verſ. 15. Jeſa. 26. verſ. 21.

Sint ergo quantum volent Euangelii hoſtes in Martyrum ſanguine profundendo prodigi: neceſſe hoc quidem eſt ut ejus ſanguinis tam chari ac pretioſi ſcelerata profuſio, atque horribilis ratio, ad ultimam uſque guttam ab eis aliquando repetatur. Ipſi quidem nunc ſuperbe atque petulanter rident, dum fideles homines comburunt, ac poſtquam in ſanguine eorum ſe merſerint laverintque, ita ebrii temulentique exiſtunt, ut omnes quas perpetrant cædes, ne flocci quidem facere plane videantur. Sed ſi nos ea animi æquitate ac moderatione ſumus, ut patienter expectare poſſimus, Deus tandem declarabit ſe non ſine cauſa vitam noſtram tanto pretio æſtimaſſe, atque in ſummo honore habuiſſe. Interea ne graviter moleſteque feramus, ſi ea ad Euangelium, quod dignitate cælum & terram longe ſuperat, confirmandum, ornandumque conferatur. Et ut magis certi ac perſuaſi ſimus Deum nunquam nos quaſi abjectos in poteſtate inimicorum relicturum, omni complectamur memoria illam ſententiam Jeſu Chriſti, qua dixit ſe eum ipſum eſſe quem homines in ſuis membris perſequantur. Deus quidem antea per Zachariam dixerat, Qui vos tangit, pupillam oculi mei tangit.

Act. 9. verſ. 4. Zach. 2. verſ. 8.

Hoc vero multo magis eſt expreſſum, ſi nos patimur Euangelii nomine, perinde eſſe acſi Filius Dei ipſe in ea afflictione verſaretur ac pateretur. Itaque ſtatuamus ita, Jeſum Chriſtum ſui oportere oblivisci, ſi nullam noſtri curam cogitationemque haberet, quum pro ipſius cauſa & gloria in carcere detinemur, aut in vitæ periculo verſamur: ſciamuſque Deum omnes contumelias, & injurias eo accepturum animo, quo ſi in Filium ſuum contuliſſent. Veniamus ad ſecundum conſolationis locum, qui in promiſſionibus Dei graviſſimus continetur. Is autem eſt, quod Deus in iis afflictionibus nos Spiritus ſui virtute ita ſuſtentabit, ut inimici noſtri quicquid agant, nec princeps quidem ipſorum Satanas ulla in re ſuperior ſit diſceſſurus. Et certe videmus ut in hujuſmodi diſcrimine, gratiæ ſuæ adjumenta præſidiaque explicet. Nam invicta animi magnitudo & conſtantia, quæ in veris Martyribus cernitur, eſt inſigne quoddam ſpecimen ejus potentiſſimæ virtutis, qua Deus in ſanctis ſuis utitur. Duæ ſunt res in perſequutionibus carni non tolerabiles, ſed graves atque moleſtæ: quarum altera in vituperio opprobrioque hominum verſatur, altera in tormento corporis ac cruciamento. In utroque autem genere ac tentatione, Deus promittit ſe nobis ita affuturum, ut omnem & infamiam & vim doloris cruciatuſque ſuperemus. Et certe quod nobis promiſit, re ipſa opitulationeque & certiſſima & clariſſima confirmat atque comprobat. Arripiamus ergo hoc ſcutum ad repellendas omnes formidines, quibus facile corripimur, neque virtutem Spiritus Dei ea mediocritate atque exiguitate metiamur, ut non exiſtimemus credamuſque eum omnes hominum injurias, acerbitates, contumelias facile ſuperaturum. Ac hujus quidem virtutis, divinæ plane atque invictæ, inter cætera multa, unum hac noſtra ætate exemplum memorabile habuimus. Quidam juvenis, qui nobiſcum in hac urbe Deum pie coluit, Tornaci captus, hujuſmodi ſententia fuit condemnatus, ut ſi editam confeſſionem abnegaret, truncaretur capite: igni vero cremaretur, ſi in teſtimonio propoſitoque permaneret. Quum ex eo quæſitum eſſet utrum vellet eligere, ita ſimpliciter reſpondit, Is qui mihi hanc gratiam impertiet, ut patienter pro nomine ſuo moriar, eadem quoque gratia efficiet, ut ignem, uſtulationemque perferre poſſim. Hanc quidem ſententiam nos accipere debemus, non tanquam mortali ab homine pronunciatam, ſed à Spiritu ſancto, ut ſtatuamus Deum non minus nos poſſe confirmare, atque victores omnium tormentorum cruciatuumque reddere, quam ad aliud mortis genus mitius æquo animo ſuſcipiendum inducere. Quin etiam ſæpenumero videmus quam conſtantiam tribuat maleficis ac miſeris hominibus, qui pro ſuis maleficiis ſceleribuſque patiuntur. Non loquor de obſtinatis atque in ſua pravitate obfirmatis, qui pœnitudine nulla afficiuntur: ſed de iis, qui ex gratia Jeſu Chriſti conſolationem percipiunt, atque ita animo æquo & placido pœnam graviſſimam acerbiſſimamque ſuſcipiunt & perferunt: ſicut illuſtre videmus exemplum in eo latrone,

qui in morte Domini noſtri Jeſu Chriſti ſe convertit. Itane vero Deus, qui tanta potentia adeſt criminoſis hominibus, qui pœnam meritam ſuiſque maleficiis dignam patiuntur, deerit ſuis, qui ejus cauſam propugnant ac defendunt, neque virtutem plane invictam illis dabit? Tertius locus promiſſionum, quas Deus offert ſuis Martyribus, eſt fructus quem ex tolerantia ac perpeſſione ſua, ex morte denique, ſi opus ſit, expectare debent. Hic autem fructus eſt, quod poſteaquam ſuo teſtimonio & nomen Dei ornaverint ac illuſtrarint, & Eccleſiam ædificaverint, tum in gloria immortali cum Domino Jeſu colligentur. Sed quoniam de hoc ſummæ ac æternæ gloriæ propoſito præmio, ſupra ſatis copioſe loquuti ſumus, ſufficit nunc ut eorum, quæ dicta ſunt, memoriam renovemus. Itaque diſcant fideles caput attollere ad coronam immortalitatis & gloriæ, ad quam Deus eos invitat, ne pro magnitudine ac dignitate ejus præmii, amiſſionem hujus præſentis vitæ moleſte ferant. Atque ut de hoc tanto bono, quod nulla oratione exprimi, nec cogitatione comprehendi, nec dignitate ulla ſatis æſtimari poteſt, certi ac perſuaſi plane ſint, ante oculos habeant perpetuo hanc conſimilem, conformemque cum Domino noſtro Jeſu Chriſto rationem ac cogitationem, ot in ipſa morte vitam contemplentur: ſicut ille per ignominiam crucis & infamiam pervenit ad reſurrectionem glorioſam, in qua omnis noſtra felicitas, triumphus, lætitiaque conſiſtit.

CONCIO TERTIA;

In qua fideles admonentur quanti facere hoc debeant; quod in Eccleſia Dei vivant, ubi eum poſſint libere atque pure adorare, ſumpta ex themate Pſalm 27.,

Unum petii à Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam pulchritudinem Domini, ſtudioſeque contempler templum ejus.

ETſi ea ſit in hominibus voluntatum cupiditatumque varietas & diſcrepantia, quæ ſumma admiratione digna videatur, tamen omnes in hoc uno plane conſentiunt ac congruunt, quod in hoc mundo tota mente, cogitationeque verſantur. Singuli quidem ſeorſim habebunt aliquid in quo vitam ponant beatam, in eoque omne ſuum & ſtudium & conſilium & totius vitæ ſtatum collocatum atque occupatum habeant. Sed hæc vanitas in omnibus communiter dominatur, ut nuſquam alibi quam in hac præſenti vita corruptioni obnoxia, ſummum bonum ac felicitatem ſuam quærant. Quæ res clariſſime oſtendit homines, qui ſuas mentes, ſpes, cogitationes abjecerunt, à dignitate ac præſtantia naturæ ſuæ ita degeneraſſe, ut obbrutuiſſe prorſus videantur. Nam ad alium finem plane huic contrarium conditi ſumus, ut in hoc verſantes mundo, toto animo atque ſtudio ad cæleſte regnum Dei contendamus. Atque hæc quidem cauſa eſt, cur præſens vita quædam peregrinatio, aut curſus & via nominetur. Quare quicunque non vult prudens ac ſciens hæreditate Dei æterna ſe privare, oportet ut ex hoc principio iter ſuum curſumque inſtituat, ut videlicet omnia præcidat ſtulta leviaque deſideria, quibus poſſet in hoc mundo retineri atque occupari: ita ut præcipuum ejus & ſtudium & deſiderium ſit ut ad Deum accedat, nihilque eum impediat, quominus mente quidem, cogitatione, ac voluntate eo contendat. Mente dico ſaltem ac cogitatione, quod magnopere requirendum ac optandum eſſet ut terreſtres omnes cupiditates, quæ abducunt nos à Deo, ex animis noſtris penitus eſſent convulſæ atque exſtirpatæ; ut curriculum ſpatiumque hujus vitæ, quod nobis eſt decurrendum, celeriter conficere poſſemus, atque eo, quo nobis eſt proficiſcendum, pervenire. Sed quoniam longiſſime abſumus, ut hujuſmodi animi puritatem omnibus vacuam pravis affectibus habeamus: reliquum eſt, ut omnia impedimenta, quæ nos demorantur, ſuperemus, ac ita quicquid vitii aut impedimenti in nobis ſit, curſum noſtrum eo & animo & ſtudio perſequamur, ut in maximis infirmitatibus noſtris, vitam ſemper cæleſtem omnibus rebus hujus mundi præferamus. Reſtat nunc ut videamus quibus rationibus ac viis, eo pervenire poſſimus. Non eſt autem noſtri nec ingenii nec officii, eas excogitare aut proponere: ſed hæ nobis ſunt ſuſcipiendæ atque ingrediendæ viæ, quas Deus inſtituit nobiſque propoſuit, ex quibus præcipuæ ac certiſſimæ hic à Davide nominantur, ut ordo & politia, ſtatuſque in Eccleſia ita conſtitutus, ut in ea verbo Dei doceamur atque inſtituamur, ut eum adoremus communi ſenſo & uno ore invocemus ac laudemus, uſumque Sacramentorum habeamus, ejus totius cultus ac pietatis adjumentum. Nam iſtæ quidem ſunt rationes, quibus exercere nos oportet, ut in fide, in timore Dei, in ſanctitate, in mundi denique contemptu & amore vitæ cæleſtis confirmemur. Neque vero alio ſpectat Davidis oratio ac teſtificatio, quod ex multis optatis, ac deſideriis, quibus in exilio afficiebatur, illud fuit præcipuum & maximum, ut in templo Dei habitaret. Nam hoc templi nomine, eam libertatem facultatemque comprehendit, qua, & cum fidelibus Deum poſſit caſte atque pie adorare, & fidei ſuæ confeſſionem edere, & preces & laudes ad Deum adhibere, & particeps eſſe cùm omnium eorum tantorum ſolariorum ac gaudiorum, tum vero Sacramentorum, quæ eo in templo rite ac legitime inſtituta fuerant. Nam eo quidem tempore Deus certum locum delegerat, in quo volebat ſibi offerri ſacrificia, omnemque obſervantiam ac honorem exhiberi, quo profiterentur, teſtarenturque unum ſe illum habere Deum, in quo ſpem ſuam collocaſſent: ejus Lege inſtruerentur: omnia denique haberent præſentiæ ejus teſtimonia. Et certe ipſe ſatis aperte exprimit, quid id ſit quod in hac poſtulatione in primis reſpiciat, quum cupit in templo Dei habitare, quum illud ſimul adjungat, ſe id expetere ob eam cauſam, ut pulchritudinem Dei videat. Qua in re oſtendit templum ex ſe nihil fuiſſe, neque in eo ſolum oculos ſuos defixiſſe: ſed mentem, & animum intentum habuiſſe potius in eum uſum cultumque, ad quem etiam conſecratum fuerat. Si arbitraremur eum nihil præter ædificium lignis, lapidibuſque conſtitutum reſpexiſſe aut deſideraſſe, inique nimium & contumelioſe de optimo ac prudentiſſimo viro exiſtimaremus: eo enim nomine non ſolum virtutis laudem non mereretur, verum etiam ſuperſtitionis notam merito incurrere videretur. Hoc igitur nobis perſuaſum eſſe debet, quod ea teſtificatione ſummi deſiderii plena declaravit, quam commendatum haberet externum ordinem ac regimen, quo fideles in Eccleſia gubernantur. Ut paucis quod de eo ſentio comprehendam, is ſignificat ſingulare eſſe beneficium, privilegiumque ſummum, verſari vivereque in Eccleſia, ut ſit particeps omnium earum rerum, quibus Deus vult ſuos filios ad ſe allicere atque adjungere. Ac notemus diligenter digni-

dignitatem atque auctoritatem ejus, qui loquitur. Neque enim gregarius quidam eſt, rudis atque imperitus: ſed Propheta ut ſi quis alius, & virtute & Spiritus ſancti lumine ac cognitione præſtantiſſimus. Non loquitur quid multitudini utile ſit ac ſalutare: ſed apertiſſime teſtatur, quod quidem ad ſe attinet, nihil ſibi optabilius, aut magis expetendum, quam in eo cœtu populi Dei ac conventu eſſe, in quo declaret fidem ſuam, ac doctrina ſalutari, quæ ibi prædicatur, & Sacramentis ſeipſum ædificet atque confirmet. Neque vero ſolum hoc loco hujuſmodi teſtificatione utitur: verum etiam in multis aliis deſiderium ardentiſſimum oſtendit: ut in Pſalmo præ-
Pſal. 26. cedente dixit, Domine, dilexi habitaculum domus
verſ. 8. tuæ, & locum in quo gloria tua domicilium habet ſuum. Item Pſalmo quadrageſimo ſecundo, Quemadmodum cerva clamat ad torrentes aquarum, ita anima mea clamat ad Deum, ad Deum vivum, dicens, Quando veniam & apparebo coram Deo? Hoc quidem dixiſſe ſufficiebat, ſed deſiderium vehemens eum rapit altius. Nam ſtatim addit ſe lachrymis loco panis paſtum fuiſſe eo toto tempore, quo abſens ad templum Dei venire non poterat. Illud etiam adjungit, Cor ſuum fuiſſe in ſe effuſum recordatione temporis ejus, quo cum multitudine fidelium laudans Deum, ad templum accedebat. Poſt tot ac tantos gemitus ac queſtus, moleſtiſſimaque expreſſa deſideria, nullam meliorem aliam conſolationem reperit, quam in ea expectatione atque ſpe, quam concipit de Deo: quod is amiſſum ſibi beneficium ſolatiumque ſit redditurus. Anima mea, inquit, cur dejecta perturbaris, tumultuariſque in me? Iterum adhuc videbo faciem Domini. In Pſalmo etiam quadrageſimo tertio hanc orationem ac conqueſtionem repetit: præcipue vero & graviter Pſalmo octogeſimo quarto ſingulare ejus Eccleſiæ adeundæ viſendæque ſtudium oſtendit. Nam poſteaquam exclamavit, O Deus exercituum, quam amabile eſt tabernaculum tuum! dicit cor ſuum & corpus exiliiſſe ardenti deſiderio adeundi atria Domini: rationem apponit, quod beati ſunt ii omnes, qui habitant in domo Dei: propterea quod illum laudant, hoc eſt, animo grato & uno communique conſenſu beneficia ejus recognoſcunt, In eoque gloriantur, edentes confeſſionem fidei ſuæ. Quum David vir tantus, qui in omni ſanctitate ac pietate tantos progreſſus fecerat, qui etiam in mundo, quaſi Angelus de cælo miſſus verſabatur, agnoſcit tamen ſe indigere iis adjumentis, rationibus, incitamentis, quæ Deus populo ſuo propoſuit: quid, obſecro, de nobis eſt ſentiendum, qui ſumus tam rudes ac terreſtres, quorumque fides eſt tam exigua, & religio frigida atque jejuna? Illud quidem certe exiſtimare ac ſtatuere debemus, etiamſi David propter ipſius perfectionem his inferioribus auxiliis carere potuiſſet, nobis tamen ea etiam maxime eſſe neceſſaria, præſertim in ſumma infirmitate, qua perpetuo laboramus. Sed quid quærimus? Ii qui majorem aliquam ac perfectiorem virtutis laudem ſunt conſequuti melius intelligunt quantum ſibi adhuc deſit, quam ii, in quibus nihil plane virtutis eſt. David Angelicis virtutibus eſt præditus atque ornatus. Ea virtutum præſtantia perfectioque facit ut melius intelligat & ſentiat, quam ei proprium ſit atque ad lætitiam animi ſalutemque accommodatum, ut prædicatione Legis & Sacramentis, cæteriſque exercitiis ſimilibus magis ac magis ad ſtudium amoremque pietatis excitetur ac inflammetur. At vero glorioſi iſti homines, omnis virtutis plane expertes, & omni vitiorum genere infames, qui res tam præclaras, tam neceſſarias, ſalutareſque deſpiciunt, ex eo ſatis oſtendunt, ſe non minimam guttam Chriſtianæ religionis ac pietatis habere. De philoſophis cubiculariis loquor ac clandeſtinis, qui ſub Papatu vitam degunt. Egregia vero, inquiunt, oratio, & quæ ad rem magnopere pertineat, ut nemo Chriſtianus eſſe poſſit, niſi Genevam accurrat, ut ibi aures ſuas concionibus expleat, utaturque iis ceremoniis, quæ ea in civitate inſtitutæ obſervantur. An vero non poſſumus nos ſeorſim ſinguli & legere & orare? Eſtne templum ingrediendum omnibus, ut in eo doceamur, quum unuſquiſque Scripturam domi ſuæ habeat? Ego vero ad ea hoc reſpondeo: Nos quidem nemini legem imponimus diſcedendi ex eo loco, in quo ſedem ac rationem rerum ſuarum conſtitutam habet. Quinetiam ſi quiſpiam pure ac caſte vivat ſub ipſa Papæ tyrannide, atque uti decet Deum colat, multis partibus pluris eum æſtimabo, quam nos, qui hac libertate ac quiete fruimur. Sed duo hic quærenda ſunt: unum, an peccent, qui ſua preſſi infirmitate, ad aliquam Eccleſiam Chriſtianam veniunt, ut in ea quærant eam animi conſolationem ac confirmationem, quam David ætate ſua Jeroſolymæ quærebat. Alterum, an omnes generatim, etiam ii, qui vi oppreſſi retinentur, non debeant ſuſpirare ac gemere, quum vident ſe deſtitutos iis rationibus, longeque remotos ab iis viis, quæ ipſos ad Deum ducere ac producere poterant. Beſtiæ, quæ omni ratione carent, fame impellente ad paſtum vociferantur. Hi vero, qui ſe filios Dei eſſe profitentur, nullam curam cogitationemque habebunt ejus rei, in qua una ſaluberrimus fidei paſtus, ejuſque firmiſſimus ſtatus continetur? Neque vero illis ſatis eſt, ſi gratias Dei tam præclaras & pretioſas ſuperbe pedibus conculcent: verum etiam irrident eos, qui in alienam currunt regionem, ut eas pio quærant ſtudio, eiſque cum ſuaviſſimo animi ſolatio, atque ſpiritus gaudio frui poſſint. Qua in re eorum animus elatus, iſque faſtus quo in eam opinionem adducuntur, ut conciones, Sacramenta, preces publicas ſibi ſupervacaneas eſſe putent, ita firmus ac idoneus teſtis eſſe poteſt ad eos excommunicandos, atque ex Eccleſia profligandos, ut nullo alio teſtimonio opus eſſe videatur. Neque enim divus Paulus dicit eum ordinem, quem Dominus in ſua Eccleſia inſtituit, ad rudes atque imperitos ſolum pertinere: ſed communem omnium eſſe, ſine cujuſquam exceptione. Ipſe, inquit, Doctores, Apo- *Epheſ.* 4.
ſtolos, Paſtoreſque conſtituit ad inſtaurationem ſan- *verſ.* 11.
ctorum, ad ædificationem corporis Chriſti, donec nos omnes ad unitatem fidei, ad hominem perfectum, ad menſuram ætatis integræ Chriſti perveniamus. Notemus illud in primis quod non dicit Deum reliquiſſe Scripturam ut unuſquiſque ſeparatim eam legat, ſed hujuſmodi politiam atque Eccleſiæ rectionem inſtituiſſe, in qua certi homines alios docerent: quo munere uno reliquas omnes res comprehendit, quæ ejus doctrinæ quaſi appendices quædam ſunt inſtitutæ. Itaque etſi ſinguli legant privatim, id tamen non debet impedire, quominus publice etiam audiant. Sed quinam ſunt ii, quos ad hanc publicam inſtitutionem atque diſciplinam vocet? tam ſummi quam infimi ſine ullo diſcrimine. An vero ad unum diem? minime: ſed jubet ut hanc diſciplinæ publicæ atque Eccleſiaſticæ rationem conſtanter perſequamur quoad mortem obierimus, in qua denique eſt tempus noſtræ redemptionis. Qui ergo dedignantur in hanc diſciplinam, quaſi in quandam claſſem redigi, ut communi ordine Eccleſiæ inſtituti proficiant in fide atque in omni genere virtutis, nulla re alia magis poſſent ſe à ſocietate ac communitate filiorum Dei reſecare. Nihil eſt quod cavillentur: Divi enim Pauli ſententia *Epheſ.* 4.
apertiſſima eſt, quod nemo eſt Chriſti corpore, nec *verſ.* 4.
haberi quidem poteſt aut debet, niſi huic ſe communi regulæ ſubmittat atque ſubjiciat. Quare, fratres chariſſimi, ne efferamus ita inſolenter animos noſtros: ſed demittamus potius & humilie-

mus, neque hac tanta elati temeritate Deum tentemus, exiſtimantes nos ſine alis, ot dicitur, volare poſſe. At dicet aliquis, Fieti poteſt ut David de eo loqueretur tempore, in quo umbræ figuræque vigebant. Nam Deus tum quidem ſuum populum regebat quaſi pueros puerili quadam diſciplina, quem-
Galat. 4. verſ. 3. admodum divus Paulus loquitur: & idcirco illa tam amara templi deſideria ad nos hoc tempore non pertinere: quum præſertim nunc iis comparemur, qui infantiam pueritiamque egreſſi, ad ætatem jam grandiorem firmioremque adoleverunt. Contra eam opinionem atque orationem hoc ego reſpondeo, Neceſſitatem, qua nobis opus eſt ut & concionibus doceamur, & Sacramentis confirmemur, & publicis precibus exerceamur, faciamuſque confeſſionem noſtræ fidei, nobis cum antiquis patribus communem eſſe. Atque eo quidem ſpectant tot promiſ-
Jeſa. 60. verſ. 4. ſiones, quæ præcipue ſunt apud Prophetam Jeſaiam: apud quem Deus dicit Eccleſiam ſuam infinitos habituram filios, eoſque poſteaquam conceperit ac pepererit outrituram. Negari nullo modo poteſt, quin id quidem ad regnum Jeſu Chriſti noſtramque ætatem maxime pertineat. Deus autem plane ac aperte filios in ſinum ac gremium Eccleſiæ matris nutriciſque remittit. Id quamobrem, niſi ut ordo & ratio ea conſervetur, quam ad ſuos quaſi quoſdam greges colligendos congregandoſque in Eccleſia inſtituit? Atque hoc quidem valde apte ac commode etiam expreſſum eſt pulchra atque eleganti ſimilitudine, qua idem Propheta utitur, quum ſexageſimo capite dicit Chriſtianos futuros quaſi columbas, quæ in ſuum ſe columbarium gregatim recipiunt. Quod autem, obſecro, eſt iſtud columbarium & fidelium omnium commune ac ſalutare receptaculum, niſi locus in quo verbum Dei prædicatur, Sacramenta adminiſtrantur, nomenque Dei invocatur? Ac profecto ii, qui ſe tam firmos & robuſtos eſſe arbitrantur ut hac gubernatione directioneque non egeant, non bene adhuc conditionem ſuam intelligunt. Etenim cur Deus nobis inſtituit propoſuitque Sacramenta, niſi quod nos iis circumdati veſtitique corpotibus tardiores ſumus, quam ut res ſpirituales comprehendere poſſimus, niſi hujuſmodi adjuti ſignis atque rebus, quæ ſub ſenſum & aſpectum noſtrum cadunt. Angeli habent Sacramentorum veritatem, & id quidem eis ſufficit: ſed noſtra ruditas poſtulat & flagitat ut Deus ad nos magis ſe demittat, atque ad ingenii noſtri imbecillitatem accommodet. At Chriſtiani iſti opinioſi, qui ſuis fallacibus ducuntur opinionibus ac vanis animi ſuperbi cogitationibus, ſpolient ſe corporibus, atque in cæleſtes Angelos transforment, & tum denique eximere ſe poterunt iis parvis auxiliis atque adjumentis, quorum nunc tam parvam tationem habent. Verum oportet ut omnes, qui ſe homines eſſe cognoſcunt, eam ingrediantur viam, ut huic politiæ ac diſciplinæ Eccleſiaſticæ, quam Deus omnibus ſuis propoſuit, libenter pareant. Non quod gratia Dei ſit ita alligata, aut virtus Spiritus ejus incluſa Sacramentis ac cæteris tebus externis, ut oon poſſit, quum ei videbitur, ſine hujuſmodi ſubſidiis aliquid agere. Sed nobis hoc tempore inſtituta eſt oratio de perpetuo atque uſitato ordine, quem Deus in Eccleſia ſua propoſuit, non de eo quod aliquando extra ordinem, & ad ſummam quandam rei raræ inuſitatæque admirationem facere ſolet. Veruntamen qui uſu Sacramentorum ac libertate, facultateque invocandi ejus nominis ptivati, miſeriam non ſentiunt ſuam ut ingemiſcant, ſtupore omnes beſtias ſuperant. Ego vero illud addo, ſi David juſtam & neceſſariam ita exclamandi cauſam habuit, Domine, quam deſiderabile eſt templum tuum! Beati qui habitant in domo tua, Anima mea ardet tota deſiderio adeondi atria Domini: nos hodie multo majorem, juſtiorem, magiſque neceſſariam habere, ut ſtudio, amore, deſiderio domus Dei inflammemur. Nam quæ erant illa templi bona & ſolatia, quibus David ita carebat, ut iis privatus & abſens, vitam plane amaram acerbamque duceret? Re quidem & ſubſtantia eadem quæ nos hodierno die habemus. Sed tamen ſcimus ea obſcura umbracula fuiſſe, quibus Deus non ita gratiam ſuam explicabat & declatabat, ut hoc tempore ante oculos noſtros effudit ac illuſtravit. Nam Deus in toto ordine Eccleſiæ, ea benignitate & ſumma quadam familiaritate ſe nobis patefecit ac declaravit, ut cæli ipſi quodammodo aperti videantur. Neque enim Sacramenta procul nobis oſtendunt Jeſum Chriſtum, quemadmodum ſub Lege, ſed ante oculos conſtituunt. Quare oportet nos egregie ingratos eſſe, niſi hæc tanta tamque illuſtria beneficia, quibus nunc Deus nos afficit, iis ſolatiis ac gaudiis, quæ David in templo Sionis propoſita habebat, præferamus. Jam in atriis, ſicut David loquitur, non ſumus, nec ullum amplius velum eſt expanſum, quod nos à Sanctuario removeat. Plane dicam nos maligne ac ingrate tantam beneficiorum magnitudinem agnoſcere, quum ſaltem noſtro ſtudio pium Davidis deſiderium non adæquamus. Atque hoc quidem dico ſimplici quadam doctrinæ forma & ratione. Nam exhortatio ſuo loco ſequetur poſtea. Nunc autem reſtat ut videamus quod tantum fuit ejus deſiderium, ut ad illud quaſi ad regulam quandam & vivendi normam, dirigere vitam noſtram & conformare debeamus. Unam, inquit, rem petii à Domino: loquens de una certa re, ſignificat ſe ejus ita fuiſſe cupidum ac ſtudioſum, ut cæteras omnes neglexerit atque reliquerit, quaſi oblivioni eas plane tradidiſſet. Fruebaturne David ita cæteris omnibus optatis ſuis, ut nulla alia res præter hanc unam, quam tantopere deſiderat, ei deeſſet? Imo vero patria expulſus profuguſque exulabat. In eodem exilio carebat etiam domo patris ſui, ſuaviſſimaque conſuetudine ac familiaritate propinquorum atque amicorum. Erat bonis ſpoliatus omnibus, privatuſque maximis honoris ornamentis ac dignitatibus, quibus in patria floruerat: uxor illi rapta fuerat. Denique ut homo omnibus bonis ornamentiſque exſpoliatus, atque omnibus ærumnis ac miſeriis deformatus, & plane abjectus in eo exilio videbatur. Et tamen ex plurimis & maximis jucundiſſimiſque rebus quibus tum carebat, nullius deſiderium ei tam grave & acerbum eſt, quam templi una cum cæteris adeundi ac frequentandi. Quemadmodum idem in contraria animi lætitia ac perfruitione rerum ſecundarum, quum gratias agit Deo pro beneficiis omnibus quæ ab ipſo acceperat: poſteaquam de potu & cibo & quiete ac cæteris corporis commoditatibus loquutus eſt, tandem in Pſalmo orationem ſuam gratiarumque actionem ita concludit, ſe omni tempore vitæ in *Pſal. 23.*
templo ac domo Dei habitaturum. Quo ſtudio atque *verſ. 6.*
animi propoſito apertiſſime teſtatur ſe quam ſummo otio ac omnibus deliciis frueretur, nihil majos, jucundius, antiquinſque habuiſſe ea vitæ ratione ac conſuetudine, qua tanquam ovis quædam in grege fidelium verſatur ac ſuaviſſime paſcitur, ut hoc modo ad ſummum bonum perduci poſſit. Itaque obſervemus diligenter, Davidem in omnibus ſuis rebus & adverſis & ſecundis eum animum ſtudiumque retinuiſſe, ut ea libertate, quam Deus filiis Iſraël dederat, perpetuo frueretur. Quæ quidem non mediocris virtus judicanda eſt. Nam videmus pleroſque, qui tum quidem quum malis miſeriiſque affliguntur, neceſſitate preſſi, memoriam Dei facile recolunt: ſed ſimulatque illis malis ſunt perfuncti ac liberati, quum jam ex animi ſententia ſunt, tum omnem Dei memoriam ac recordationem ex animis ſuis ejiciunt, atque etiam, quod eſt indignius, quaſi equi delicatius

tius ac pinguius habiti ferociunt, & in ipſum Deum calcibus inſultant. Alii vero hujuſcemodi res adverſas ita moleſte ac acerbe ferunt, itaque Deo iraſcuntur atque indignantur, ut graviſſime offenſi, nihil de ipſo audire poſſint. At vero David alium in Deum animum omni tempore habuit. Eſtne ea incommodorum malorumque, & multitudine & magnitudine afflictus ac oppreſſus, ut omnium hominum qui ſunt in mundo, miſerrimus eſſe videatur? tamen tantum abeſt ut animi ægritudo eum ita conficiat & opprimat, ut quum mentio Dei ſit ad aliquam animi acerbitatem indignationemque commoveatur, ut contra hujuſcemodi oratio, quam de graviſſimis ſuis malis habet, ſuaviſſima ei ſit conſolatio, etiam tum, quum ne de Deo quidem aliquid cogitare poteſt, niſi cum hujuſmodi querela, quod à templo exulet atque Sacramentis aliiſque fidei exercitiis privatus ſit. Tamen eorum malorum cogitatio ac deploratio, ex omnibus rebus gratiſſima ei accidit. An contra commutatione rerum facta in alio ſtatu eſt conſtitutus, omni & dignitati & felicitati reſtitutus? Itane ſuos vicit hoſtes, ut regno quiete ac tranquille potiatur formidandus omnibus? Eamne habet omnium rerum copiam, abundantiam ac licentiam, ut omnibus perfruendis voluptatibus ſe dare poſſit? Eum tamen animi ſenſum ac propoſitum conſtanter retinet, ut ſemper exiſtimet ſtatuatque veram felicitatem eſſe, quod aditum ad templum atque acceſſum habeat, ut particeps ordinis in Eccleſia inſtituti eſſe poſſit. Itaque videmus eum ingenue pieque teſtari ac confiteri, ſe non ſine cauſa eam unam rem à Domino etiam atque etiam petiiſſe. Nam ea quidem ei tam chara erat & jucunda, ut eam libenter cum cæteris omnibus ſuis & commodis & ornamentis gaudiiſque commutaſſet. Videamus nunc quis noſtrum eo & ſtudio & judicio ſit, quo David tum fuit. An ii qui ſuaviter conquieſcunt in iis bonis quæ ſuis tenent manibus, hanc libertatem facultatemque nominis Dei pure invocandi, verbi ejus audiendi, Sacramenta uſurpandi, domeſticis commoditatibus ac voluptatibus ſuis anteponent? Imo vero abdomine ventris pinguedineque conſopiti, ſuis deliciis ac voluptatibus ita indormiunt, ut nullius rei curam, quam bene curandæ cutis delicateque vivendi habeant. In ſumma, hujuſmodi eſt ipſius mundi ſtudium atque judicium, ut quaſi porcus ventri deditus alveorum malit cibis farctum & confertum, quam ſanctum Dei templum, eumque pluris æſtimet. Simulatque ſermo aliquis aut rumor eſt ſparſus eorum bellorum ac motuum, qui hodie magni excitari ſolent aut poſſunt, quiſque bonorum ſuorum expilationem ac direptionem extimeſcet, ne etiam patiatur cætera incommoda, moleſtias, pericula, quæ bellum importare ſolet. Ne vero prædicationem doctrinæ ſalutaris, purum Sacramentorum uſum, cæteraque pietatis adjumenta atque exercitia, quibus conjungimur cum Deo, amittamus, nulla cogitatio aut mentio ejus tanti periculi ac mali nos ſollicitat. Neque vero etiam eos, qui iis tot ac tantis bonis ſolatiiſque ſunt plane privati, laborare magnopere videmus. Niſi proventus ac reditus ipſorum uſque ad extremam anni partem eos tueatur, in eo vitæ ſtatu, ſplendore, cultu conſervando, ad quem ambitio impellit; ſi viæ atque rationes rei quærendæ ac amplificandæ non ſuccedunt, ſi opinio hominum exiſtimatioque amittitur, ita perturbantur & anguntur, ut actum omnino de ipſis eſſe videatur. Quum interea cibus paſtuſque filiis Dei proprius, ordinarius atque uſitatus, cujus quidem ſumma fames eſſe debet, ab illis negligitur, & pro nihilo ducitur. Et tamen Deus ea comminatione qua denunciat apud

Amos 8. verſ. 11.

Prophetam, ſe famem non panis, non aquæ, ſed verbi ſui miſſurum eſſe, ſatis oſtendit, nullum majus aut gravius malum nobis poſſe evenire. Quare, fratres, omni cura, ſtudio, diligentia caveamus, ne à Satana mundoque inducti illectique ita obbruteſcamus, ut hoc tantum tamque ſalutare bonum faſtidiamus ac deſpiciamus. Sed ex omnibus quæ nobis à Deo in hac vita tribui poſſunt, commendatiſſimum, chariſſimumque habeamus. Hoc autem eſt, ut in grege Dei perpetuo contineamur ſub eo ductu, diſciplina, ordine, quem inter ſuos conſtituit. Atque hoc quidem melius expreſſum eſt declaratumque ex eo, quod David adjungit, ſe iterum eam rem requiſiturum, quam poſtulavit: in quo ſignificat ſe non ſubito inflammatum, religionis ſtudium ſuſcepiſſe, quod paulo poſt deferbuerit, planeque refrixerit: ſed in eo bono perſequendo conſtantem fuiſſe, & futurum eſſe. Quoſdam videre eſt, qui eo animi ſtudio impetuque repentino promoventur, ut poſtridie quam ita permoti ſunt, omnes ſuas fortunas relicturi videantur. Sed rara quædam & eximia virtus eſt ea conſtantia, de qua David loquitur. Quin etiam maxima eorum pars, in quorum animis exarſit aliquis pietatis ardor, pro eo quod deberent eum ignem ſuſcitare, ut illud animi ſtudium amoremque accenderent, prudentes etiam, ſcienteſque extinguunt. Sed quod ad Davidem attinet, ſimile habemus teſtimonium in eo Pſalmo, quem ſupra allegavi. Nam quoniam hoc ei dici poterat, quod expulſus profligatuſque Judæa ſo hunc aut illum locum poſſet ſe recipere, exclamat, Tua altaria, Domine exercituum, Deus meus & Rex meus: quaſi dicat, Etiamſi mundi omnia palatia colat & poſſideat, nullum tamen locum ſibi gratum jucundumque ſit reperturus, quum interea nullum, ad templum Dei aditum habeat. Is etiam queritur paſſeres ac hirundines ibi locum ad nidificandum opportunum reperire, ſuam conditionem multo eſſe deteriorem. Cur ita? An quod nullum cubiculum aut culina ei erat? Minime id quidem: ſed quod nullum locum ad degendam vitam commodum ac ſibi gratum reperiebat, quum ab altaribus Dei excluſus eſſet. Nam hoc in exilio omnis cujuſvis loci etiam amœniſſimi habitatio, peramara ei extitiſſet. Illud quidem certum eſt, quod ſi hæc doctrina penitus in animos noſtros penetraſſet, non eſſemus aut tam præpediti aut plane abducti ab exercendis colendiſque rationibus iis, quas Deus in manibus noſtris poſuit, ut ea via, quæ ad vitam æternam ducit progrediamur. Sed quid quærimus? Ambitio alios retinet in perfungendis honoribus ac dignitatibus, atque alios ad eadem ornamenta expetenda perſequendaque invitat. Alios accendit habendi cupiditate avaritia, eoſque transverſos rapit. Multi vero nihil aliud habent in animo, quam ſuas voluptates ac delicias, nec minus vanam quam diſſolutam totius vitæ intemperantiam. Omnes quidem certe in cupiditatibus ac libidinibus ſuis relangueſcunt, quum interea nullus exclamet: Altaria tua, *Pſal. 84.*
Domine: ubi tua ſunt altaria, Deus meus, & Rex *verſ. 4.*
meus? Plane vanitas hujus mundi ita in illis dominatur, ut obedientiam Dei ferre nullo modo poſſint. Hoc verbum etiam plurimum habet ponderis, quum David dicit ſe eam rem de qua loquitur, ab ipſo Deo contendiſſe. Facile enim erit coram quidem hominibus hujuſmodi quædam pietatis ac religionis ſigna dare, ut animi ſummo amoris ardore flagrare plane videantur. Sed tum quiſpiam vere poterit dicere, ſe ex animo cupere in grege Domini verſari, etiamſi nullum alium animi ſui teſtem, quam ipſum Deum habeat, tamen hoc animo ſtudioque pietatis affectus ſit. Nam quum ad hujuſmodi judicem veniendum eſt, oportet ut omnis hypocriſis, hoc eſt, aſſicta pietatis ſpecies procul faceſſat: veritas vero & integritas animi appareat. Volumus ergo præclarum Davidis exemplum imitari? Quiſque in conſcientiam deſcendat ſuam, orationemque ſuam dirigens ad Deum dicat, Domine, tu ſcis me communionem tuæ Eccleſiæ pluris quam omnia mundi bona æſtimare. Illud etiam hoc

loco admonemur, ne in dolendo, gemendo, conquerendoque, noſtrum, ut dicitur, frenum mordeamus: ſed ſuſpiria noſtra ad eum dirigamus, & quaſi in ejus ſinum querelas noſtras effundamus, qui ſolus noſtris malis ac miſeriis mederi poteſt. Illud quidem certe debemus ſcire: horribilem religionis diſſipationem ac confuſionem, quam hodie videmus, ex eo quod totus cultus Dei corruptus eſt, doctrina verbi ejus adulterata & depravata, Sacramenta omnia contaminata perverſaque: eam, inquam, confuſionem eſſe gravem noſtrorum peccatorum animadverſionem ac vindicationem à juſtiſſimo Dei judicio profectam. Ad quem igitur nos in iis tantis malis corrigendis ac ſanandis confugiemus, ut & pura Sacramentorum doctrina poſſimus frui, & libere nomen Dei invocare, & noſtram fidem confeſſione teſtificari, niſi ad eum qui hac tam miſera tantorum bonorum privatione atque amiſſione nos caſtigat? Neque tamen ea caſtigationum pœnarumque magnitudo & acerbitas nos à Deo alienare debet, atque ita avertere, ut ad eum, in quo omnis miſericordiæ perfugium eſt conſtitutum, non accedamus. Multo vero minus debemus contra aculeum recalcitrare, nobiſcum indignantes ac dedignantes medicinam quærere in ejus ſalutari manu, qui hanc tam gravem & periculoſam plagam nobis inflixit. David profecto optime intelligebat ſe Judæa non ſine Dei providentia exulare: tamen non idcirco impeditur aut prohibetur, quominus ad Deum veniat atque apud eum querelas ſuas deponat: non quod ei non gravis & dura tentatio ſit, quod ab ipſo Deo plane profligatus videbatur, ſi conditio ejus miſerrimæ vitæ præſentis ſpectaretur. Sed fides, quam habet promiſſioni ei factæ, ipſum ſupra omnia erigit atque extollit, in eamque fiduciam inducit, qua Deum orat, ut ei id reddat fruendum perpetuo, quod ad tempus quoddam ademerat. Videor mihi hactenus iſtam doctrinam ad nos ac temporum noſtrorum conditionem rationemque accommodaſſe, niſi ingenia quorundam hominum tam rudia eſſent, ut nihil in eorum mentes animoſque intrare poſſit, niſi ſermo propoſitus, quaſi cibus quidam doctrinæ ſalutaris manſus ac remanſus, planeque confectus in animum eorum ingeratur ac demittatur. Quanquam ut vere dicam quod res eſt, non tam ingenii imbecillitas aut obſcuritas doctrinæ, harum rerum intelligentiam impedit, quam voluntas ipſorum prava, qua ſeipſos implicant, omnia quærentes ſubterfugia, quæ pro ſuo ingenio excogitare poſſunt, ut id quod per ſe clarum perſpicuumque eſt, obſcurent. Sed in ea repugnantia illud ineſt commodi, quod nos propter eam cogimur diligentius explicare ac declarare quemadmodum ea doctrina, quam ſupra expoſuimus, ad noſtram etiam ætatem pertineat. Fateor quidem non jam amplius templum eſſe materiale, ad quod ſacrificiorum offerendorum cauſa peregrinandum ſit: ſed nos hodie eſſe templa ſpiritualia, poſſeque omni in loco manus puras ad cælum tollere: veruntamen ordo & ratio invocandi nomen ejus eſt perpetua. Neque vero ea invocatio inter figuras veteris Teſtamenti numeranda eſt: ſed judicanda & habenda regula quædam certa, quam Dominus noſter Jeſus uſque ad finem obſervandam nobis dedit. Quare & ſi templum Sionis & ſacrificiorum ratio, tum quidem inſtituta pieque obſervata, aliquam cum Davide diſſimilitudinem ac differentiam afferat, in hoc quidem certe ei ſumus ſimiles, quod communiter ac unanimiter Deum oramus & invocamus, & quod unum certumque in locum convenimus, ut confeſſionem fidei noſtræ declaremus. Non ſumus nunc quidem ut pueri, qui ſub tutela Moſaicæ Legis teneamur: ſed tamen homines ſumus & erimus tamdiu, quoad nos Deus ex iſto mundo evocarit. Ita quamvis figuræ atque umbræ, quæ tempore Davidis viguerunt, ad nos jam nihil pertineant, tamen maximopere nobis opus eſt, ut & prædicatione Euangelii, & Sacramentorum adminiſtratione ac communicatione, ad cultum Dei excitemur & ducamur. Quod ſi quis contra hanc ſententiam rationemque pugnet, ad eum vincendum ipſa experientia eſt adhibenda. Nam qui maximos in pietate progreſſus habent, ſatis quidem oſtendunt in ratione totius vitæ ſuæ neceſſitatem hujus auxilii divini, ad ipſorum infirmitatem ſublevandam maxime opportuni & ſalutaris. Non agimus hoc loco ut diſputemus, an Deus poſſit ſuos ſine ullis inferioribus rationibus atque adjumentis regere ac ducere: ſed ut demonſtremus quemadmodum eos velit regere ac gubernare, in cultuque nominis ſui continere. Certum autem eſt, quod optimus humaniſſimuſque Deus quum noſtram imbecillitatem animadverteret, nobis dedit quaſi quædam adminicula aut ſulcimenta, quibus nos infirmi debileſque niteremur. Quæ, obſecro, & quanta iſta ſtultitia eſt, quum nos quidem ſentiamus tibias nobis deficere ac plane ſuccumbere, hæc tanta adjumenta ad pedes ſuſtentandos neceſſaria aſpernari, quaſi nullus eorum uſus eſſe videretur? Itaque quæcunque nobis cum Judæis ſit diſcrepantia, intelligamus tamen doctrinam, quam hoc loco proponit David, omnium communem eſſe. Tantummodo nomen templi nobis mutandum eſt, ex eo quod non amplius certum ad locum adſtricti atque alligati ſumus. Veri quidem certe cultus divini ratio, quam unam in primis ſpectabat David, non minus ad ipſos, quam eum pertinet. Homines quidem ſuperbi, & falſam de ſe opinionem habentes, non magni facient hanc pietatis exercitationem ac conſuetudinem divinitus inſtitutam, ut ad audiendum verbum Dei, publicas preces adhibendas, Sacramentaque adminiſtranda & uſurpanda, fideles homines unum in locum conveniant. Nos autem etiamſi nihil eſſet aliud quam ſanctiſſima ipſius Dei inſtitutio, in ea tamen libenter acquieſcamus, eique maximas agamus gratias, quod ea ratione tam humaniter noſtram infirmitatem fovere atque ſuſtentare velit. Sed tamen, ut ante demonſtravimus, nos quidem ſentimus eum pietatis fructum, qui ex ea inſtitutione divina uberrimus præſtantiſſimuſque ad nos redit. Quodcunque ſit, quum divus Paulus declaret hanc unam eſſe viam, quæ ad perfectam beatamque vitam ducit, ſi maneamus in eo Eccleſiæ ordine, quem Chriſtus paſtores conſtituens inſtituit, execranda ſit eorum arrogantia & ſuperbia qui volitare volunt in aëre, quique ſuis ſpeculationibus conantur in cælum aſcendere, pro nihilo habentes & doctrinam concionum, & uſum Sacramentorum, quaſi eſſent hujuſmodi res externæ, quarum uſus ac fructus non magnopere ſit requirendus. Hoc loco, fratres chariſſimi, attendere obſervareque debetis, de quo ego hominum genere nunc loquar. Equidem fateor Deum ſuos conſervare ſub dominatione Antichriſti, eaque miſerabili captivitate, quamvis iis adjumentis atque auxiliis ſint deſtituti, quibus nos in ſumma libertate utimur. Eis neque verbum Dei prædicatur, neque ullus locus in quo aliqua fidei confeſſio fieri poſſit conceditur: ipſa Sacramenta ſunt ablata. Sed quoniam ex Antichriſti abominationibus ſe ſegregantes ſuſpirant, & graviter atque acerbe ferunt ſe rebus carere iis, quas ad conſolationem ſalutemque ſuam maxime neceſſarias arbitrantur, Deus virtute Spiritus ſui in eis agit, ſuppletque id quod ipſos deficit. Sed ſunt alii, quorum quidem numerus maximus eſt ex iis qui ibi detinentur, qui quum in ſumma rerum tam neceſſariarum ſalutariumque deſtitutione verſentur, ſibi tamen valde placent, maximaque fame laborantes, nullam comedendi cupiditatem habent. Hujuſmodi homines ſunt, qui ſummos ſe philoſophos effingunt ac profitentur, quibus ſatis eſt ſi unam aut alteram pagellam legerint, ut omnia quæ ſunt cognoſcenda plane

1 Cor. 12. verſ. 28.
Epheſ. 4. verſ. 11.

plane ſcire videantur. Iſtis hominibus, quemadmodum quidem eis videtur, non neceſſaria eſt prædicatio & doctrina. Nam quod ad ipſam Cœnam attinet, nullam in partem ſua intereſſe arbitrantur, etiamſi nunquam propius ad eam accedant. Ordinem vero Eccleſiæ externum ad parvos pueros rejiciunt, tanquam ſeipſis inferiorem & indignum. Obſecro vos, quid de iſto hominum genere eſt judicandum ac dicendum, niſi eos totius mentis animique cæcitate laborare? Et tamen nos adhuc accuſabunt, quod eos, quibus Deus ſuam voluntatem declaravit, adhortemur, ut utantur iis rationibus & adjumentis, quæ ad fidem noſtram augendam, confirmandam, & uſque ad ultimum vitæ diem retinendam comparavit. Id quamobrem, niſi quod moleſte ferunt ſe à nobis admoneri, & quaſi è ſomno excitari, ut aliquem ſenſum eorum malorum in quibus ſunt, ſuſcipiant? Sentiamus nos quidem de illis atque ita ſtatuamus, eos idola cum cæteris Papiſtis non colere ac venerari: negare tamen profecto non poterunt, quin ſervitus ſit miſera omnique ratione deteſtanda & fugienda, non poſſe nomen Dei & Jeſu Chriſti, non dicam illuſtri confeſſionis teſtimonio celebrare, ſed aliquo modo ſignificare ac recognoſcere. Spiritus ſanctus quum vellet fideles, qui Babylone captivi erant, graviſſimo dolore vulnerare, hanc
Pſal. 137. verſ. 4. ſententiam in ore illorum inſerit, Quomodo nos caneremus Domini laudes in terra aliena? Equidem fateor regnum Dei nunc ubique eſſe, neque jam ullum eſſe diſcrimen inter Judæam atque alias regiones: illud tamen ſentio atque affirmo, omnem regionem, terramque, in qua cultus veræ pietatis ac religionis ſublatus eſt, dignam eſſe ut aliena & profana habeatur. Oportet igitur ut ii qui nulla animi moleſtia ac dolore ex eo afficiuntur, quod nullam fidei ſuæ teſtificationem facere poſſunt, neque nomen Dei ulla ratione prædicare ac ornare, ſumma totius mentis hebetudine ſtuporeque oppreſſi ſint. Filii autem Dei hac admonitione inſtituti atque eruditi, diligenter caveant, ne in eundem ſe errorem ac ſtuporem animi conjiciant. Nam quantum ad illos quidem pertinet, qui nos irridentes, garriunt, ac quærunt an nulla alia ad Paradiſum via eſt, niſi ea quæ Genevam ducit: utinam ipſi eum animum ſtudiumque ſuſciperent, ut quocunque ſint in loco, in nomine Jeſu Chriſti aliquos pios cœtus conventuſque habere poſſent aut vellent, atque in ſuis ædibus vicinorumque ſuorum hujuſmodi Eccleſiæ formam inſtituere, quæ huic noſtræ aliqua ex parte reſponderet. Sed ô præclara eorum ſapientia, ut aſpernantes repudianteſque ea pietatis ac ſalutis adjumenta, velint pii ac ſalvi eſſe. Hoc autem perinde acſi quærerent, poſſintne appellere ad portum, contrariam in partem, longiſſimeque à portu recedentes: ſic etiam ipſi Deum tentantes, à viaque ſalutis deflectentes poſſintne ſalutem adipiſci. Sed ſumant iſti quantum voluerint ingentes, altos, valenteſque ſpiritus, ut ſua freti magnitudine atque altitudine præcipites in exitium decidant, modo homines fideles caveant ne cum illis ita ſuperbe efferantur, ſeque in omni modeſtia, humilitate, verecundiaque contineant. Ac ſi quis eſt ex iis, qui nullam plane facultatem habeat vivendi in Eccleſia Chriſtiana, illud quidem certe, quod eſt in ejus poteſtate faciat, ut dies ac noctes ingemiſcat, dicatque, Tua altaria Domine, nihil præter tua altaria aliud eſt quod ego deſiderem, Deus meus & Rex meus. Atque hujus quidem ſanctiſſimi amoris deſideriique ignis ita debet in optimis ardere animis, ut nullis rebus, quæcunque evenire poſſunt, moleſte ferant ſe hoc tanto deſiderio tabeſcere, neque ulla tanta ſit temporis longinquitas, quæ hunc animi ardorem minuat atque extinguat: quin potius illud omni ſtudio ſine ulla intermiſſione expetat, ut ad gregem ipſius Dei aliquando adducatur. Præterea illud quiſque ſecum cogitare debet, ut celeriter ad vexillum recipiatur, cum cæteriſque colligatur, ſimulatque Dominus noſter aliquam ejus receptus facultatem dederit. Nam hoc modo declarare debent hanc poſtulationem, Ut habitent in domo Dei, ab animo ficto ſimulatoque minime profectam eſſe. Poſtremo ad concludendam hanc exhortationem illud reſtat, ut quod David adjunxit diligenter annotemus. Hoc autem eſt, quod pulchritudinem Domini perſpiciet, & conſiderabit templum ejus. Neque enim ſatis eſt, ut in ordine externo diſciplinaque Eccleſiæ exerceamur, niſi eo ſemper ſpectemus ac contendamus, ut ipſum Deum magis magiſque cognoſcamus. Duæ ſunt res quæ hoc loco requiruntur: una, ut ſummo ſtudio & diligentia tempus concionum precumque publicarum obeamus: altera, ut cauſam ejus Eccleſiaſtici conventus congreſſuſque noſtri intelligamus. Nam complures eo quidem conveniunt adducti ſtulta quadam devotione, exiſtimantes ſe plane ſatisfeciſſe, ſi eum in locum prodierint, & quaſi ſe in templo oſtentarint. Caveamus igitur, chariſſimi fratres, diligenter, ne in aliquam aut negligentiæ aut ignorantiæ ſtultitiæque culpam incidamus. Nam magnopere metuendum eſt, ne maxima pars eorum qui hic una nobiſcum ſunt, in horum vitiorum alterutro genere condemnati videantur, dum aut negligenter cœtum colunt Eccleſiaſticum, aut cur eo accedant, non expendunt ſecum nec intelligunt. Quam multi ſunt qui conciones ſequuntur, quibus tamen magnopere gratum eſſet ſi nulla unquam earum mentio fieret! Sed eos omitto, qui ipſa ratione vitæ ſe manifeſtos Dei contemprores oſtendunt. Loquar de eo contemptu ac neglectu, qui in multis eſt, quibus nunquam in mentem veniret ut ad concionem accederent, niſi dies Dominicus eos admoneret, moveretque ut eo tum ſe conferrent: & hoc quidem perfunctorie, quaſi unum aliquem concurſum ad Deum facerent. Campana quidem quotidie dabit ſignum, atque eos convocabit: ſed ipſis abunde ſufficit, ſi tum denique quum jam hebdomada elapſa eſt, in templum cœtumque Eccleſiæ prodeant. Die Dominico quater appellantur, ſed ipſi veniunt præclare, ſi ſemel eos adeſſe videamus. Nam ſunt etiam non pauci qui ſibi hoc permittunt, ut decimo quinto die tandem eum in locum veniant. Plane maxima eorum pars vetus proverbium experitur, ut vicini quum templo ſint, tamen longiſſime à Deo abſint. Quin etiam nonnulli ſunt ex iis, qui ut Deum pie colerent, patriam ſuam reliquerunt, qui in hoc pietatis genere colendo ſe ſatis negligenter gerunt. Quid ergo nobis faciendum eſt? Quum Deus ſe nobis ita oſtendat, pulchritudinem ejus contemplemur. Nec vero ratio pulchritudinis ejus contemplandæ ac perfruendæ nobis prætermittenda eſt. Ea autem eſt, ut ejus amore afficiamur, ac quodammodo rapiamur, atque, ut dicit divus Paulus, in ſimilitudinem imaginemque ejus transformemur. Quam ad conſequendam rem, oportet ut diligentius, ſtudioſius, attentiuſque quam facere ſolemus, conſideremus id quod Deus in templo ſuo nobis proponit. Nam quid, obſecro, eſt cauſæ, cur ex concionibus & Sacramentis tam parvum fructum percipiamus, niſi quod ad ea quæ ibi & dicuntur & aguntur noſtrum ſtudium non applicamus? Ita aures quidem habemus aſſidua verbi prædicatione tuſas, animos vero qui omnis pii motus affectuſque vacui ſunt, præfractos. Sunt etiam complures, qui integram non audiunt concionem, niſi obiter verbum aliquod, idque dimidium. Quare non ſine graviſſima cauſâ David dicit, Templum Domini ſibi ſumma cum attentione atque animi moderatione cogitationeque viſendum, atque perſpiciendum eſſe. Et certe præclari theſauri

ſummæ

Digitized by Google

ſummæ Dei ſapientiæ, qui in eo nobis proponuntur, digniſſimi ſunt ut in illis contemplandis mentis noſtræ oculos plane intentos ac defixos habeamus. Sed quemadmodum jam attigi, Deus non vult nos hujuſmodi theſauros cernere atque oculos noſtros paſcere, ut inde vacui atque inanes diſcedamus. Sciamus igitur doctrinam pietatis tum demum vim ſuam in nobis fructumque exhibuiſſe, quum ea eſt facta noſtrorum animorum, vitæ, morumque commutatio, ut Deum caſte integreque veneremur ac colamus. Atque hoc eſt quod dicit David Pſalmo octogeſimo quarto, Quod ii qui habitant in domo Dei perpetuo eum laudabunt. Cur igitur nos unum in locum convenimus? Cur Euangelium nobis prædicatur? Cur Baptiſmo & Cœna utimur, niſi ut Deus à nobis omni genere laudia afficiatur & ornetur? Hæc autem laus non ſumma ſolum conſiſtit lingua, ſed toto vitæ tempore viget, atque ad omnem æter-

Pſal. 26. verſ. 6. nitatem efflореſcit. Itaque alio loco idem dicit, Lavabo Domine in integritate manus meas, ac tum denique ad tuum altare introibo. Nunc videmus quis ſit verus ac legitimus uſus totius ordinis Eccleſiæ, nimirum ut in eo diligenter inſtituti, pure ac pie Deum colamus. Olim tempore Legis qui veniebant in templum ut Deum adorarent, ſacerdotes etiam eodem ingredientes ut officio ſuo munereque fungerentur, ſe lavabant. Ceremonia hæc ſane jam præteriit, ſed veritas adhuc permanens nobis omni ratione eſt retinenda & colenda. Et quoniam omnes vias nunc rationeſque habemus, quibus ad puriſſimum ac ſanctiſſimum Dei cultum pervenire poſſumus: idcirco majore cum integritate nobis quam cæteris via vitæ ingredienda & tenenda eſt. Nam quo majora nobis à Deo ſunt data pietatis adjumenta, eo minus excuſationis relinquetur, niſi ea cum ad ſalutarem uſum noſtrum, tum vero ad illuſtrem Dei cultum contulerimus. Quod ſi in via offendimus, ejus offenſionis cauſa ex eo non eſt, quod ante pedes noſtros iter tritum expeditumque non videamus. Si deflectimus è via, atque incerti evagamur, culpa ejus erroris non eſt in Deum conferenda, quaſi is clariſſimum verbi ſui lumen etiam atque etiam non accendat. Si vero officii noſtri obliviſcimur, ea prætermiſſio oblivioque non inde proficiſcitur, quod ab ipſo Deo non diligentiſſime admoneamur, ad omneque officium Chriſtianum excitemur. Nullam denique rationem Deus prætermittit, in qua non aliquis ad pietatem, ad religionem, ad ſalutem progreſſus ineſſe videatur. Itaque metuamus eam expro-

Jeſa. 65. verſ. 2. brationem, qua apud Prophetam Jeſaiam uſus eſt, Ego quotidie brachia mea expandi ad populum rebellem ac contumacem. Si ii qui vagi incertique errant per loca Papatus deſerta atque horrida, vindictam pœnamque juſtam non effugient, quod rectam viam non tenuerunt; quid, obſecro, de nobis fiet, qui & domi ut filii ſub oculis cæleſtis Patris educamur ac fovemur? Alii reliquerunt patriam chariſſimam, & locum incunabulorum ſuorum conſuetum ac familiarem, ut ad aliquam ſe Eccleſiam Chriſtianam aggregarent. Alii etiam eo majus beneficium, & quaſi quoddam ſingulare privilegium ſunt adepti, quod Deus in ipſorum patrio loco, quaſi proprio nido eos inviſit. Quod ſi ii qui hic ſunt nati, hanc tantam Dei gratiam ſalutemque tam expetendam cum omni animi grati ac memoris & pii teſtificatione non recognoſcunt, ut Deo, qui tam prope ad nos acceſſit, ſe totos dent dicentque, num tanta ingratitudo impunita relinquetur? Illud igitur potius dicant, Domine, tu hic tuum templum extruxiſti, atque erexiſti altare tuum apud nos. Pro tua eximia perpetuaque bonitate, eam quoque gratiam nobis impertis, ut animis, vita, moribuſque expurgemur, ne vitiorum noſtrorum maculis atque inquinamentis ſanctitatem donorum tuorum polluamus, illuſtremque gloriam tuorum beneficiorum in opprobrium convertamus. Hi vero qui remotis longinquiſque ex locis ſunt profecti, eam prudentiam, cautionem, diligentiamque adhibeant, ut ſicuti decet in domo Dei, ita ſancte atque integre verſentur. Poterant diſſolute alibi & intemperanter vivere, neque Papatus eis relinquendus erat ut in Eccleſia Dei vitam diſſolutam, Euangelioque indignam ducerent. Et certe nonnulli ſunt quibus multo ſatius fuiſſet in ipſo ſtatim exitu diſceſſuque à domo inferiore, mola (uti loquitur Dominus) ad collum appenſa præcipites ruere, quam veſtigium in hac Eccleſia ponere, ut in ea tam turpiter flagitioſeque ſe gererent. Quidam ſe contemptoribus atque irriſoribus adjungunt, ut eos in malitia magis magiſque confirment. Alii in cibo & potu omnique voluptatis genere intemperantiſſime verſantur. Alii omnis concordiæ ac pacis inimici, nihil aliud quam diſcordias, jurgia, rixaſque appetunt. Sunt etiam familiæ, in quibus conjuges eo diſſidio odioque conflictantur, ut canes ac feles commiſti, commiſſique eſſe videantur. Quidam augent & amplificant ſtatum vitæ, ac principes ſine ulla ratione imitantur, ſumptui, pompæ, luxuique hujus mundi plane dediti. Alii vero ita otioſi, molles, delicatique redduntur, ut quid laborare ſit, prorſus neſciant, quibus etiam nullus victus ſatisfacit. Sunt præterea maledici obtrectatores, qui etiam in ipſis cæleſtibus Angelis aliquid dignum reprehenſione reperiant; qui quum ſuis rumpantur vitiis, in eo omnem ſanctitatem ſuam ponunt, ſi rationem degendæ vitæ à proximis acerbe exigant, exiſtimantes interea Deum ſibi valde obligatum eſſe, quod Genevam ſe contulerunt: quaſi vero ipſis non melius fuiſſet in ſuo ſtercore fœdiſſime putreſcere, quam in Eccleſia Dei hujuſmodi ſcandala patrare. Quamobrem ſi vita anteacta hactenus hujuſcemodi vitiis ac peccatis laboravit, nunc unuſquiſque eam cogitationem curamque ſuſcipiat, ut poſterum omne tempus ad meliorem, modeſtiorem, honeſtioremque vitæ rationem convertat ac conferat. Si qui ſunt ita in ſuis vitiis obfirmati, ut nulla ratione corrigi atque emendari poſſint, filii quidem Dei debent ſe hac doctrina confirmare ac munire, ne improba illorum & flagitioſa vita corrumpantur. Omnino nos quidem graviter dolenterque ferre debemus, quum videmus Dei Eccleſiam iis tot inquinamentis flagitiiſque commaculari ac profanari. Sed quum oporteat nos hic cum impiis, quaſi granum cum paleis, una verſari ac miſceri, hanc vitæ confuſionem ſumma cum patientia, atque æquitate animi feramus, donec nos Deus plane à conſuetudine malorum ſegregarit. Neque vero dubitandum eſt, quin hæc Eccleſia ſit velut quædam coticula ad multos homines probandos cognoſcendoſque accommodata. Utcunque ſeſe res habet, in eam nunc rationem ac cogitationem incumbamus, ut quum Deus nos pro ſua admiranda atque infinita bonitate ex miſera diſperſione in ſuam familiam recollegerit, omne noſtrum ſtudium ad puritatem, innocentiam, pietatem conferamus, abhorrentes ab omni mundi pollutione, quæ profeſſioni vitæ ſanctiſſimæ ac pulcherrimæ maculam turpiſſimam & labem afferre poſſit: ut poſteaquam nos hic ita vixerimus, Dominus Jeſus in illo magno ac illuſtri die nos agnoſcat, habeatque in numero eorum, qui nomen ipſius caſte ac vere ſine ullo animi fuco & mendacio invocarint.

CONCIO

CONCIO QUARTA,

In qua demonſtratur quantis laboribus, ſtudiiſque ſit redimenda libertas Dei in Eccleſia Chriſtiana pure colendi, ſumpta ex themate Pſalmi 27.,

Cor meum dixit de te, Quærite faciem meam: Faciem tuam Domine quæram.

QUemadmodum homines in admirabilem ſe conjiciunt confuſionem, quum ſuis cupiditatibus libidinibuſque frenum laxant: ſic ſumma & rara quædam ſapientia eſt, quum exquirunt quæ à Deo mandata, ut ea toto animo ſtudioque amplectantur & ſequantur. Cujus quidem rei nos hoc loco præclarum atque imitatione dignum habemus exemplum. Neque enim David erat plane ſolutus ac vacuus iis animi perturbationibus, quibus nos vehementer ſollicitamur, atque coutrarias in partes impellimur: ſed ſine ulla dubitatione hujuſmodi tentationibus commovebatur, quibus ſpiritus ejus errare à Deo ac evagari poterat. Verum ut omnibus hujuſmodi occaſionibus, quibus à vera pietate Deique timore deſciſcimus, remedia adhibeat, certamque viam teneat, oculos ſuos in eo ſolum defigit, quod Deus ei oſtendit, id meditatur ac expendit. Ut paucis hanc præceptionem monitionemque proponam, Deus invitat omnes fideles, hortaturque ad quærendam faciem ſuam. David vero teſtatur ſe ita in eo mandato colendo conſervandoque omne ſuum ſtudium poſuiſſe, ut optimus quidem concentus ac conſenſus ſit inter Deum, qui ita dicit, ac præcipit, Quærite faciem meam, atque eum qui reſpondet, Ita mi Deus, ego te quæram. Nobis autem hic videndum eſt, cur Deus hoc nomen Faciem expreſſe ponat. Nam ſi nullam faciem haberet, & quaſi quandam vultus formam figuramque, in qua ſe nobis oſtenderet, ipſe nos deciperet jubens id quærere, quod in eo reperiti cernique non poſſet. Neque vero ignoro complures eſſe, qui acumen ingenii ſui hoc loco exhibere volent, qui hoc quidem non pluris facient, quam ſi ſimpliciter eſſet dictum, Quærite me. Sed qui diligenter in literis divinis ſunt exercitati, facile intelligent Deum notare ac declarare voluiſſe certum modum & rationem, qua omni tempore eſt uſus, ut ſeipſum hominibus familiariſſime oſtenderet ac exhiberet. Et certe Sanctuarium & Arcam fœderis nominare Faciem Dei, genus eſt ſermonis in Scriptura ita uſitatum ac frequens, ut nihil frequentius eſſe poſſit. Cur ita? Quoniam Deus, qui natura & majeſtate ſua nullo modo comprehendi poteſt, adhibet quaſdam rationes ad infirmitatem hominum ruditatemque accommodatas, quibus eos ad ſe adducat. Mundus quidem ſibi ſemper fabricatur falſa ſimulachra, vitioſe depravateque faciem Dei imitantia. Sed quæ nos excogitamus noſtris ingeniis, nihil aliud ſunt quam falſæ fallaceſque perſonæ, quibus Deus effingitur: aut ut clarius dicam quod de ea ſuperſtitione ſentio, Quum homines ſibi aliquam figuram fingunt, aut ſimulachrum, ut Deum aſpectabilem habeant, nihil aliud quam idolum efficiunt ac colunt. Sed quum Deus ex ſua ſententia ac voluntate ſe nobis repræſentat, atque hujuſmodi ſigna notaſque dat, quibus à nobis agnoſcatur, tum quaſi faciem quandam, in qua cernatur, ſuſcipit Qua in re nos monet ac jubet, ut ſinguli in eum aſpectum oculos noſtros conjiciamus, eumque ſumma cum diligentia, intentione, cura intueamur. Nam hoc quidem ſummum eſt bonum noſtrum, quo plene cumulateque debemus aliquando exſatiari, ut quemadmodum Pſalmo 60. dictum eſt, aſpectu vultuque Dei maxima cum omnium gaudiorum ſatietate fruamur. Quoniam autem in tam altum locum ſine adjumentis, & quaſi ſcalarum gradibus atque adminiculis aſcendere non poſſumus: ſecundo loco hoc ejus beneficium ponendum ac numerandum eſt, quod ea nobis adjumenta tribuat, quibus ad illud ptimum ac ſummum bonum pervenire poſſimus. Ita notemus eam ſententiam, qua Deus præcipit ut ejus faciem quæramus, hujuſmodi vim habere, quaſi januam nobis aperiret, qua in vitam æternam nos introduceret. Res non magna erat, ut quidem videtur, ætate Davidis ad templum accedere, ut tot ceremonias, quæ ibi tractabantur, homines aſpicerent. Sed ſi recte conſideremus illud exemplar ſpirituale, quod Moſi oſtenſum eſt, nihil alienum aut abſurdum judicabimus, quod Deus dicat id eſſe faciem ſuam. Et re vera, quum Chriſtus ibi revelatus eſſet, quid aliud poſſumus dicere, quam ipſum Deum ſe viſendum ſpectandumque exhibuiſſe? Nunc videamus an non Deus nobis aliquam inſtituerit ac propoſuerit rationem, in qua ſub ſenſum noſtrum aſpectumque aliquo modo venire poſſet. Verum eſt quidem in Filio ſuo apparuiſſe, qui ejus viva imago eſt, & in quo uno perfecte cognoſci vult. Sed tamen divus Paulus nihilominus declarat, Euangelium eſſe quoddam ſpeculum, in quo omnes eum tueri atque contemplari debent. Sacramenta eandem vim ac naturam habent: denique univerſus ordo in Eccleſia ab eo inſtitutus eundem nobis aſpectum exhibet. Itaque ſuperbi glorioſique hujus mundi homines, quantum voluerint hanc inſtitutionem Deique contemplationem rideant. Tamen quum Deus ita nobiſcum benigne humaniterque agat, ut hoc modo ad nos demittatur, minime nos pudeat hunc honorem verbo ejus Sacramentiſque habere, ut in his eum quaſi ad faciem contueamur ac contemplemur, non ut hic in elementis hujus mundi corruptioni obnoxiis retineamur, quemadmodum Papiſtæ, qui iis ſignis, quæ Deus nobis dedit ut per ea ad Jeſum Chriſtum deducamur, ſuperſtitioſe ad cultum idolorum abutuntur. Veruntamen oportet nos, ſi plene ac perfecte illa ſuaviſſima atque optatiſſima præſentia Dei aliquando frui volumus, ut nunc hac via ac ratione infima & humili, ad eum perveniamus. Neque vero hoc quod dico ita exacte intelligendum eſt, quaſi fideles nunquam accederent ad Deum aut appropinquarent, niſi tum quum in templum veniunt. Nam hæc quidem opinio certo in loco occupata, atque infixa, ſuperſtitio nimium abſurda eſſet. Sed ita intelligo nos Deum ſupra nubes collocare nullo modo oportere, ſicut faciunt quidam [illegible] homines, neque de illius ſuprema majeſtate quicquid nobis in mentem venerit ſpeculari, relinquentes cùm prædicationem Euangelii, tum cætera ejuſdem generis auxilia atque adjumenta, ad eam cognoſcendam ac contemplandam neceſſaria, quaſi oculos claudentes eam intueri poſſent. Illi enim profecto qui uſum quem dico Sacramentorum, totiuſque ordinis Eccleſiæ contemnunt, Deum videre dedignantur, tum quum ſe illis viſendum atque ſpectandum offert. Nunc videamus quantopere nobis neceſſaria ſit gravis ac vehemens illa exhortatio incitatioque, qua Deus nos ad ſe vocat. Jam diximus qua nos gratia, benignitate, honoreque proſequatur, quum tam ſuaviter ac humaniter nos ad ſe invitat

tat ut ſalutem noſtram promoveat, atque nos perducat ad veram perfectamque felicitatem, à qua natura noſtra longiſſime abſumus. Sed illud quoque nobis norandum atque animadvertendum eſt, Deum omnibus ſtimulis nos pungere ac commovere ut caveamus, ne in miſeriam incidamus. Primum oculos tam vagos ac lubricos habemus, ut res plane miſeranda videatur. Nam in hac quidem vita noſtra nihil eſt præter vanitates hujus mundi, quæ totos ſenſus noſtros occupant: & Satan babet infiniras atque efficaces illuſiones, quihus nos perpetuo circumvenit. Verum hoc quidem eſt, fallacias ejus omnes aliud eſſe nihil quam larvas quaſdam, aut ſcenicos hiſtrionum ludos & præſtigias: ſed egregiam ſtultitiam vel potius amentiam noſtram, experientia ſatis prodit, quum nos ita facile etiam atque etiam falli decipique patimur. Quare ſi cauti ac conſiderati eſſemus, perpetuo hæc vox aures noſtras perſonaret, Quærite faciem meam. Sed quid quærimus? Quo Deus eſt ſtudioſior ac diligentior in ſalute noſtra procuranda, eo nos in eadem perſequenda negligentiores ac tardiores ſumus. Utinam quidem non eſſemus ſimiles equis calcitroſis ac refractariis, regredientes potius quam progredientes. Sed tamen hoc exemplum non temere nobis eſt propoſitum. Nam hæc pia Davidis teſtificatio, quod in corde ſuo eam ſit doctrinam meditatus, qua & ipſe & omnes fideles admonentur ut faciem Dei quærant, nobis oſtendit quam nos ad rem ſtudium noſtrum conſerre debeamus, ne Deus nos ad ſe vocans, operam, ut dicitur, ſuam perdere plane videatur. Hujus autem doctrinæ duo ſunt capita obſervatione digniſſima. Primum eſt, quod ſimulatque Deus loquutus eſt ita præcipiens, Quærite faciem meam: ad hanc vocem optimo animi ſtudio ipſe reſpondit. Alterum eſt, quod poſteaquam præcepto Dei aſſenſit, atque affirmans ita dixit, pollicetur ſe ut faciem Dei quærat, re ipſa officio operaque præſtiturum. Et certe hic eſt ordo, quo in Deo colendo procedere debemus, ut in primis aditum acceſſumque verbo ac præcepto Dei præbeamus: quemadmodum etiam alius nos
Pſal. 95. verſ. 7. Hebr. 3. verſ. 7. Pſalmus admonet, Si hodie vocem ejus audieritis, nolite obfirmare corda veſtra. Sed perpauci repeniuntur, qui hoc animo mandata Dei amplectantur: maxima quidem pars hac præclara utetur oratione ac reſponſione, Ita ſane æquum eſt: non oportet aut licet contradicere. Sed multum abeſt ut quod ore aſſentiuntur, in animum ipſorum penetret. Itaque diſcamus nos hinc principium pietatis noſtræ ſacere, ut vere atque ex animo reſpondeamus Deo, nos plane intelligere ac ſentire ſummum ejus beneficium, quum ad contemplandam faciem ſuam tam humaniter invitat. Quum hic ſenſus ac motus animum ita affecit atque præparavit, fieri non poteſt quin reliqua officii ac pietatis pars ſtatim conſequatur, virtus videlicet præſtandi id, quod & à Deo juſtiſſime mandatum eſſe, & ad noſtrum quoddam ſingulare bonum pertinere cognoſcimus. Neque enim David frigidam & mortuam habuit meditationem ſine ulla motione, applicationeque totius vitæ, ad quærendum ac contemplandum illum Dei conſpectum conferendæ. Sed ſimulatque conſtituit ſibi Deum quærendum eſſe, in viam ſe dat cum ea teſtificatione, ut illud animi ſui ſtudium ſumma cum diligentia perſequatur. Qua in re maximopere eos pudere neceſſe eſt, qui ſe Chriſtianos profitentur, quod neque illud animi ſtudium morumque pium, neque conſequens vitæ officium colant atque exerceant. At quidam illud dicent, Sibi non licere patriam relinquere: quamvis ſalutari vitæ paſtu deſtituantur, nihilque ibi conſpiciatur præter horrendam vaſtitatem, qua univerſus Eccleſiæ ordo deformatus, aut omnino ſublatus eſt. Cur ita? ne officium violent ſuum, quod Principi ſuo naturali civilique præſtare debent. Ad hanc eorum orationem non multis verbis reſpondebo: tantummodo ex illis quæro, ſi in ea victus inopia ac deſtitutione verſarentur, ut quod ederent aut biberent, domi ſuæ omnino nihil haberent, an ulla eos dubitatio illis in locis retineret? Nemo certe eſt, qui ſibi non aliquam indulgentiam poſtularet, vel potius licentiam patriæ relinquendæ daret, ne fame ibi moreretur. Statuam etiam ac ponam illud, quod minus privilegii habet: ſi in terra aliena eis offerretur ſexcuplo plus bonorum quam in ſua habent patria, nulla difficultate impedirentur, quin iter illud ſuſciperent, quo eam bonorum poſſeſſionem adire poſſent. Quid prodeſt igitur hos colorum prætextus afferre, quum apertum manifeſtumque ſit ipſorum orationem ab animi ſenſu longe abeſſe? Non hic agitur, ut veniant in terram aliquam inimicorum inquietam belloque infeſtam, ubi cogantur contra Principem ſuum arma ferre, bellumque naturali ſuæ patriæ inferre: ſed tantummodo ut eum quærant locum ac ſedem, in qua Deum quiete ac tranquille colant, ubi nulla re impediantur, quominus pro ſuo Principe atque omnibus ejus ſubditis preces caſtas, pias, ſalutareſque adhibeant. Plane hujuſmodi profectio hunc in locum inſtituta, quod ad crimen quidem attinet, non alia eſt quam cæteræ, quæ propter aliquas vitæ præſentis commoditates atque opportunitates ſuſcipiuntur, quæ omni plane crimine carere ſolent. Sed videamus adhue an iſta neceſſitas ſatis eos excuſet. Ecce Deus qui præcipir ac dicir, Quærite faciem meam: Principes vero civiles ab eo deficiunt, ſeque longiſſime avertunt, atque alios ad eandem defectionem atque rebellionem cogunt, aut certe miſeras animas pabulo privant quotidiano, proque Dei facie figmenta ſuperſtitionum idolaque conſtituunt. Eſtne æquum ut hic homines mortales Deo viventi atque immortali præferantur? Si Deus eſt audiendus, oporter omnes orbis terras peragrare potius, atque in remotiſſimas regiones proficiſci ut ipſius facies quæratur ubi eam oſtendir, quam deliteſcere in ſuo nido & contabeſcere. Ita quotieſcunque Principes inſtituunt aliquid aut ſuſcipiunt cum præjudicio ejus, qui ſummam habet auctoritatem poteſtatemque ſupra eos atque etiam in eos, nulla eis fit injuria, quum ipſis non obtemperatur. Quanquam præter id quod jam dixi, homines hujuſmodi ſatis oſtendunt nunquam ſe quæ ſua ſit conditio cogitaſſe ac perpendiſſe. Quam miſera & fœda eſt captivitas, in qua oppreſſi detinentur? Niſi conſcientia ipſorum nimium jaceret conſopita, nullo modo fieri poſſet, quin in perpetuo animi angore eſſent, quaſi in tormento quodam & corporis cruciatu verſarentur. Quæ enim ſacultas eis datur ut Deus aliqua ratione in ipſorum familiis honoretur? Exemplum non longius petendum eſt: Si cui eorum infans eſt natus, officium ejus eſt, ut illum Deo cum precatione ac gratiarum actione offerat, poſtulans ut in ejus corpore, Baptiſmo nota ſalutis imprimatur. Scimus autem Baptiſmum in Papatu ita eſſe corruptum, contaminatumque hujuſmodi ſuperſtitionibus atque pollutionibus, ut eum infans ſuſcipere non poſſit, quin ſtatim polluatur. Ita pater infantem ſuum ſine peccato baptizare non poteſt. Quod ſi abſtineat, in eadem erit culpa, etiamſi nihil aliud eſſet præter offenſionem quam hominibus afferr, omittens rejicienſque Sacramentum quod Filius Dei inſtituit. Quanta eſt hujuſmodi perplexitas animi, ut res aliqua ſuſcipi non poſſit aut omitti, quin Deus graviſſime offendatur? Non commemoro cætera incommoda & mala, quoniam boc unum exemplum ad demonſtrandam eorum miſerabilem conditionem eſt pluſquam ſatis. Sed languit ſane quiſpiam ita miſere omni tempore vitæ ſuæ, incertus plane quo ſe vertat, adhuc in morte maximi inſultus, impetuſque ſunt expectandi, ac tum quidem diabolus omnia armorum ſuorum genera comparabit. Si miſer captivus cura & ſollicitudine uxoris ac familiæ ſuæ

antea

ancea fuit impeditus quo minus Deo ſerviret, ei mortis tempore deterrima moriendi conditio eſt. Hi ergo qui dubitant an ſibi liceat ex tam tetro luto, vel potius inferorum barathro emergere, ſub prætextu quodam obedientiæ terrenis Principibus debitæ, univerſum naturæ ordinem ſane pervertunt. Legitima quidem precatio, quam Deus à nobis pro Principibus noſtris fieri vult, plane congruit ac convenit cum ei auctoritati quam illis tribuit, tum etiam officio quo nos erga illos obſtrinxit & obligavit. Divus autem Paulus hortatur ad preces pro regibus magiſtratibuſque ſuſcipiendas atque adhibendas, ut cum honeſtate ac timore Dei vitam quietam placidamque traducamus. Hæc igitur acceſſio, atque amplificatio obedientiæ terrenis Principibus debitæ, nimium magna eſt, quæ conjuncta eſt cum deceſſione ac diminutione honoris cultuſque ejus, qui cœleſti Regi debeatur. Judæos quidem miſeros oportuit tamdiu in ſervitute Babylonis permanere, quoad illud tempus expleretur, quod ad eam graviſſimam calamitatem perferendam, à Deo illis conſtitutum erat. Sed iſti homines ita officii humani atque juris obſervantes, quibuſcum mihi contentio eſt, oſtendant nos hujuſmodi obſervantia, obedientiaque eo uſque obligari, ut noſtra ſponte nos privemus ſpiritualibus iis bonis, quæ Deus filiis ſuis benigniſſime largitur. Ipſi ſentiunt ſummam neceſſitatem, qua graviſſime premuntur: ſua etiam infirmitate magnopere ſollicitantur: Deus tantorum malorum remedium eis oſtendit. Quid cauſæ eſt, cur propter obſequium obſervantiamque eorum qui panem eis de manibus eripiunt, hæc tanta adjumenta & beneficia aſpernentur? Alia cauſa eſt mariti erga ſuam uxorem, aut uxoris in maritum. Nam quoniam Deus eos conjunxit in unam carnem, alter recte nullo modo ageret, ſi quærendi Dei prætextu, alterum relinqueret. Non quod ab eo longe recedere debeant, ut conjunctionem conſuetudinemque conjugalem tueantur ac colant: ſed unuſquiſque potius omni ratione ac diligentia laborare, ut ſocium ac conſortem vitæ ſanctæ ad illius cultum attrahat atque adducat. Hoc igitur eſt officium, quod alter alteri præſtare debet, ut maritus oſtendat uxori ſuæ, quam ſint miſeri atque infelices, quod ſancta fidelium ſocietate communioneque priventur; quod concionibus ac Sacramentis deſtituantur: quæ ſunt pignora certiſſimaque teſtimonia, ex quibus Deum nobiſcum habitare cognoſcimus, ac plane nobis perſuademus: deinde eam hortetur ne diffidat, ſed animum ſuſcipiat. Quod ſi eam tam cito quam vellet, in ſuam ſententiam adducere non poteſt ac lucrifacere, ne defatigetur, donec optatis ſuis potitus fuerit. Et quamvis uxor conſilio ipſius maximopere repugnet, non deſiſtat tamen etiam importune cum ea agere; omnique ratione animum ejus tentare, quoad illa ſe in propoſito ſuo obfirmatam obſtinatamque oſtendat. Si quum omnia egerit ac tentarit, quæ præſtari ab eo poterant, non poteſt diutius ibi manere, tum eſt liber, omnique conjugii lege ac neceſſitate commorandi plane ſolutus. Nam officio ſuo omni ex parte eſt perfunctus, neque per eum ſtetit, quominus eum uxor, quemadmodum debebat, ſequeretur. Quanquam hujuſmodi diſceſſus digreſſuſque à conjuge, non eſt divortium: ſed maritus quo Deus vocat, præit, ut uxori ſuæ iter oſtendat. Quod autem ad fœminam conjugem attinet, ea, quum caput non ſit, arctiore certe conjugii vinculo obſtricta eſt. Itaque neceſſe eſt ut ipſa omnibus quibus poterit modis virum ſuum adducat in eam rationem ac voluntatem, ut ſeſe & illum in libertatem reſtituat atque aſſerat. Quum omnia hæc ſedulo præſtiterit, nondum tamen ipſi liberum eſt, virum, cui ſubjecta eſt, relinquere: niſi perſequutio quædam excitaretur, in qua etiam periculum eſſet manifeſtum, & tum maxime, ſi maritus ejus ad mortem ipſius perſequendam inſtigaret: tum vero ea non diſcedit à marito ſuo; ſed malum fugit, quod ei paratum eſſet, furioſumque impetum inimicorum, quemadmodum Deus permiſit & conceſſit. Denique ſumma neceſſitas & vis, quæ ei affertur, ipſam liberat, eaque vitæ tam acerbæ ac periculoſæ conjunctione ſolvit: tamen quum omnia fuerint perpenſa & conſiderata, nulla hujus mundi ratio debet aut maritum aut uxorem retinere: ſed tantummodo mutua benevolentia, amor, charitas, quam in Deo alter alteri præſtare debet ad utrius ſalutem procurandam. Si enim oportet ut homo ita ſuiipſius obliviſcatur, ut eorum, quæ quidem ad hanc terreſtrem vitam corpuſque pertinent, nullam plane rationem habeat, ut eorum quoque quæ circa ſe ſunt ſimiliter obliviſcatur neceſſe eſt. Redeamus igitur ad iſtam æſtimationem, quam facit David, ut facies Dei quæratur; quemadmodum etiam Pſalmo octogeſimo quarto loquitur; in quo dicit melius eſſe diem unum in atriis Domini vivere, quam mille, & longe abeſſe: in quo ſignificat ab iis vitam fidelium nimium brevem eſſe non poſſe, modo Deus eam ipſis gratiam tribuat, ut in hoc mundo degentes, ſe in ejus cultu ac honore exercere poſſint, & promiſſionibus ejuſdem confirmare, nomen ejus omni pia confeſſione atque laude celebrantes. Si quis objiciat, illud in ſolitudine aliqua aut inter fidei hoſtes poſſe fieri, reſpondeo non temere eſſe, quod David nominatim atria templi exprimat. Conſiderat enim quantopere ordo Eccleſiæ hominibus mortalibus ſit neceſſarius, cognita præſertim eorum natura rudi & infirma. Quod ſi hæc oratio & admonitio in animis omnium penitus inſideret, ut ſinguli tantummodo in aliquam Eccleſiam Chriſtianam venire vellent, ubi quiete ac placide diem obire poſſent, nemo eſſet qui non facile ac celeriter ſuam ſarcinam colligeret. Sed quid quærimus? omnes cupiunt vivere, idque commode ac jucunde, unuſquiſque in eo voluptatis ac cupiditatis genere quo ducitur ac trahitur. Hæc cauſa eſt cur templum Dei hodie tantopere negligatur & contemnatur. Quin etiam complures ſunt acuti ingenioſique ad excogitanda oculiſque opponenda hujuſmodi obſtacula atque impedimenta, quibus ab eo pietatis ſtudio, quod in Daniele fuit, abducantur. Illud etiam afferunt, Quid proficiemus, inquiunt, mutantes locum? quocunque nos conferamus, mundum offendemus ubique ſui ſimilem. Summa eſt hoc tempore morum atque omnium rerum corruptio ac depravatio: omnia ſunt plena ſcandalis, tentationibus ac corruptelis hujuſmodi, quibus animi hominum à vero Dei timore facile abſtrahuntur. Equidem rem ita ſeſe habere non inficior. ſed ſi de corporibus ipſorum ageretur, atque admonerentur quo in loco peritos idoneoſque medicos, propria & ſalutaria remedia, cæteraque auxilia ad valetudinem vel reſtituendam vel conſervandam reperire poſſent, num dicerent illa ſibi minime curæ eſſe, quod ubivis terrarum homines in morbum incidere poſſint? Fateor quocunque in loco ſimus, nos infinitas male agendi occaſiones, corruptelas, undique illecebras offenſuros eſſe: ſed permultum intereſt, habeamuſne adjumenta & auxilia, quibus nos aut in officio retineamur, aut lapſi ex officii ratione reſtituamur, an his omnibus plane deſtituamur. Conſtituamus ita hodie in mundo vitia peræque vigere dominatumque habere, ſic ut eorum vi, quaſi peſte quadam aër inficiatur: an non meliore quam cæteri ſumus conditione, quod hujuſmodi remedia à Deo tributa filiis habeamus, quibus graves morbos aut venientes appropinquanteſque depellere, aut jam præſentes purgare profligareque poſſimus? Semper autem intelligo quum do-

ctrinam Euangelii quum ea quidem pure prædicatur, tum etiam Sacramenta, quum eorum legitimus uſus conſervatur, tum vero publicas preces, ac cæteras rationes ad nos excitandos admonendoſque vehementer neceſſarias, ne tentationibus mundi ac corruptelis quaſi quibuſdam venenis inficiamur. Eorum tantorum, tamque ſalutarium remediorum, ac beneficiorum nihil in Papatu eſſe omnes ſciunt: ſed contra quæ hiſce adverſantur, omnia. Videamus ergo ne in ſumma neceſſitate qua ſalus noſtra opitulationem flagitat, opem nunc à Deo benigniſſime oblatam repudiemus. Sunt etiam nonnulli, qui apertius animi ſui vitia atque inquinamenta evomunt. Quid, inquiunt, ibimus ad Eccleſiam, in qua cum ſumma offenſione noſtra videbimus eos motus atque ſcandala, quæ nobis nunc incognita noſtros oculos ac ſenſus animi non offendunt? Si in iis locis, in quibus Euangelium prædicatur, ea eſſet Eccleſiæ gubernatio ac rectio, quæ ad ædificationem noſtram requirenda videretur, ſi certi eſſemus nos tantummodo Angelos ibi reperturos, qui nos in Paradiſum deducerent, omni animi ſtudio ac contentione accurreremus. Sed quum nos eo venerimus, multa audiemus, & plura forte quam par eſt, non ſine animi offenſione audiemus. Multos reperias ad omnem nequitiam impudentiamque projectos, qui intemperantia vitæ Euangelium infamant: vanitates præterea, pompas, ebrietates, & id genus alia regnare. Atque etiam, quod gravius indigniuſque eſt, permulti prodent ſe eſſe contemptores Dei ita præfractos, ut major in eorum vita, quam inter Papiſtas impietas appareat. Præterea in Magiſtratibus & iis qui judicia dicunt, non minor corruptela, abuſus, injuſtitia, quam aliis in locis reperietur. Quin etiam in Eccleſiarum ordine multa reperias reprehenſione digna. Alii ſunt in miniſterio ſocordes, aut rebus privatis domeſticiſque ita occupati, ut munus ſuum negligant. Et quod gravius, in iſto hominum genere ac munere ſunt aſoti quidam, quibus nihil ſuave eſt niſi ut genio indulgeant, atque, ut ſeſe in omnium ſcelerum licentiam effundant, cum flagitioſiſſimis quibuſque conſpirant. Faciamus rerum ſtatum longe deteriorem eſſe: tamen frivola ſemper excuſatio eorum eſt qui obſtacula impedimentaque ſibi opponunt, ne ad Eccleſiam Dei accedant. Sed ſane, oculos noſtros in exemplum propoſitum Davidis defigamus. Obſecro vos, tempore Saulis tantamne in judiciis deprehendiſſes æquitatem quantam optare liceat? Contra vero audimus, quam graviter conqueratur de aſtutia, fraudibus, ſævitia, ſuperbiaque cùm ipſius regis, tum cæterarum poteſtatum. Sacerdotes porro ac Levitæ, ſacerdotium ac rerum divinarum miniſterium ſanctene adeo, integreque adminiſtrabant, ut juſtam haberet cauſam ſibi acquieſcendi? An non potius colligere poſſumus, maximam illorum partem malis vitiiſque adhæſiſſe, atque iniquitates adulando aluiſſe ac foviſſe? Nam quod ad populum ac vulgus reliquum attinet, maxima in eo erat hypocriſis, & plurima vitia peccataque plane manifeſta. Ecce ergo Dei Eccleſiam multis modis corruptam. Attamen David non propterea faſtidit ad eam accedere, neque frigeſcit ejus deſiderium ſancti cœtus. Tentatio mirum in modum gravis eſt & dura. Fateor. Nam quo quiſque ardentiore zelo ac ſtudio honoris Dei eſt affectus, eo majorem gravioremque dolendi ac mœrendi cauſam habet, quum ex pollutione Eccleſiæ maxima in ipſum opprobria redundare videat. Sed ratio ſuperandi ea omnia incommoda & impedimenta demonſtratur à Davide, nempe, ut faciem Dei quæramus, atque in ejus intuitu ita acquieſcamus, ut invitis omnibus ærumnis, quas Satan nobis excitat, hoc in animis noſtris ſtatuamus concludamuſque, nihil eſſe pulchrius aut delectabilius, quam in templo Dei habitare, ubi facies ejus conſpiciatur. Ita quotieſcunque hujuſmodi ſcandala nobis objicientur, meminerimus Satanam ſuo uſitato ac perpetuo artificio id agere, ut nobis oculos perſtringat atque turbet. Sed ea in re ſimus cauti, ne ab ea contemplanda unquam abducamur, utque ex illius jucundiſſimo aſpectu plenam & cumulatam voluptatem capiamus. Pudore ſuffundamur ad infelicium idololatrarum exemplum. Nam ſi quis eorum, pecunia ſtulte expenſa & corpore laboribus confecto ad ſtultam peregrinationem obeundam, quum eum in locum, quo conſtituerat, pervenerit, reperiat hoſpitem qui acerbe ab eo pecuniam exigat, aut nebulones audaceſque homines, qui ei aliquam vim afferant, & ſacrificulos qui eum circumveniant, nihil denique ibi offendat præter confuſionem: idcirco tamen ſtudium ejus ſuſceptæ religionis vel potius ſuperſtitionis nequaquam mutabit. Dicet enim ſe ob eam cauſam eo veniſſe, ut corpus alicujus Sancti benedicti, aut imaginem aliquam Virginis, aut aliquas reliquias adoraret. Itane vero ſolus aſpectus cadaveris alicujus, aut idoli majorem vim habebit ad incredulos in ſuis ſuperſtitionibus obdurandos, quam facies ipſius Dei & præſentia ad eam conſtantiam nobis afferendam, quæ ad perſequendum atque adipiſcendum bonum eſt neceſſaria? Animadvertimus vel hoc vel illud, quod animum noſtrum exacerbat: Deus nos ad ſe revocat, & vult ut faciem ejus intuentes contemplanteſque, eam lætitiam & voluptatem percipiamus, ut cætera incommoda patienter perferamus. Quare omnibus piis ac fidelibus hominibus hoc ſit ſcutum & perfugium, ut perpetuo affixi vultui aſpectuique ipſius Dei adhæreſcant, quomodocunque eos Satan conetur machineturque abducere. Et certe ſi vere ac pro dignitate faciem Dei æſtimaverimus, nihil ſane damni aut mali in cæterarum rerum amiſſione aut perpeſſione conſtituemus. Quanquam, ut verum dicam, maxima eorum pars non tam animi dubitatione impeditur, quam difficultate atque incommoditate rerum earum, quæ ad corpus pertinent. Non quin filii Dei in conſcientiis ſuis habeant gravia difficiliaque certamina, quum in iis Eccleſiis, quæ dicuntur reformatæ, ea offendunt ſcandala, de quibus ſupra loquuti fuimus. Itaque qui conſtituerunt recipere ſe ad ea loca, in quibus Euangelium prædicatur, illud ante omnia admonentor ſe gravibus inſultibus oppugnandos, ad eaque & ferenda & ſuperanda ſe præparent. Hi etiam qui jam ea incommoda & impedimenta ſunt experti, confirmantor, ut invito Satana faciem Dei conſtanter quærant. Verum ſi omnia recte fuerint expenſa & conſiderata, nihil erit præter meram diffidentiam, quæ majorem partem hominum multitudinemque remoratur. Atque ut homines ſunt valde ingenioſi ad excuſationes cogitandas, divites ſuas in genere ſuo afferunt: pauperes etiam habent ſuas. Qui fieri poterit, inquiet homo locuples, ut quæcunque habeo relinquam? itane bonis omnibus ac fortunis ſpoliabor? Eſt mihi uxor ac liberi: facile & commode ſine ullo labore conſuevimus vivere. Quid faciemus in regione aliena, ubi nullos proventus ac reditus habebimus? Pauper vero contra allegat, Parum quidem hic habeo: ſed adſunt amici, quorum benignitate tenuitas mea atque indigentia ſublevatur. Opera mea multis jam ita eſt nota & opportuna, ut cum eo labore vivere poſſim. Quid faciam apud exteros homines, ne teruncium quidem habens aut obolum, omnibus incognitus, nullius ſtudio, favore, ſubſidioque ſublevatus? Ac poteſt quidem fieri ut hujuſmodi excuſationes aliqua ex parte veræ ſint: & longiore omiſſa inquiſitione, omnibus do rem magnopere moleſtam & acerbam eſſe, non pa-

triam ſolum relinquere, verum etiam eum locum in quo ex diuturna & familiari conſuetudine jam quædam naturæ habitudo comparata videatur. Attamen hi omnes cogitant qua ratione poterunt ponere ſibi ob oculos ea impedimenta, quibus iter, quo ad Deum venire poſſint, intercludant, hoc eſt, quamvis non reperiant res tam difficiles, impeditaſque, quam clamitant: libenter tamen qualicunque ſe prætextu tuentur. Quin etiam quum iſtiuſmodi graves ac miſerabiles querelas effuderunt, arbitrantur ſe os obſtruxiſſe Deo, illumque ſibi, ſi eos adhuc premat, magnam injuriam facere, quaſi ipſos adigeret ad ea, quæ nullo modo fieri poſſunt. Ad hæc autem ego nihil habeo quod reſpondeam, quam id quod eſt ſcriptum in Pſalmo octo-
Pſal. 84. verſ. 7. geſimo quarto: nempe quod fideles tranſeuntes per valles ac ſolitudines ſiccas & omni aqua carentes, puteos aut ciſternas ſibi ſodient. Atque hoc quidem credo ſufficere ad domandos eos, qui obſtinata malitia nolent Deo repugnare. Quare ii qui ſe tot tantiſque incommodis difficultatibuſque circumſeſſos vident, ut nullam viam aut ſemitam qua ſit eundum videant, meminerint loca etiam deſerta, in quibus ne gutta quidem aquæ reperitur, non debere iter intercludere. Ut autem hunc ſermonem apertius planiuſque intelligamus, notandum nobis eſt Deum id agere, ut à filiis ſuis quæratur, non per ſpecioſa prata neque per amœnas umbras, ſed per itinera aſpera atque prærupta, per ſalebras & loca arenoſa, per vaſtas horridaſque regiones: eaque omnia fieri eo conſilio, ut eorum fides exerceatur, probeturque ſtudium ac deſiderium, ad ipſum perveniendi. Quamvis ergo ad Deum venire non poſſimus, quin tranſeamus per ſolitudinem aliquam, aut incultam agreſtemque viam, ſciamus non nunc primum hoc modo cum fidelibus à Deo agi, atque animemur ad ſequendos eos, qui multo ante tempore nos præceſſerunt. Huc accedit quod in filiis Dei tantum tamque ardentem zelum eſſe oportet, ut ab eo adorando nulla res eos abducat. Quod quidem hodie in perpaucis cernitur: adeo omnes prope ſunt ea animi mollitie, ut vel tranſverſa feſtuca (loqui ita liceat) moram ipſis ſubito injiciat. Non poſſumus ultra progredi, inquient. Cur ita? Quia dedignantur laborem ſuſcipere, quo exiguum impedimentum eluctentur. Oportet ſane animi ſtudium magnopere infirmum eſſe, quod rebus tam parvis debilitatur atque infringitur. Verum non modo non eſſe attonitos oportet, quin imo contra vel omnium maxima obſtacula, munitos eſſe. Ad eam rem hoc documentum animis noſtris ſemper obverſetur, Deum pro filiis ſuis nullos agnoſcere, niſi eos qui ipſum quærunt per loca ſicca & ſterilia, & qui ciſternas fodiunt, ubi ne tenuiſſima quidem aquæ gutta erat. His autem verbis ſignificatum nobis eſt nullum eſſe tantum laborem aut moleſtiam, quam non oporteat & ſuſcipere & perferre, ut facie Dei perfruamur. Eſtne igitur quærendus locus in quo libertas Dei pure colendi detur? Quæcunque difficilis via opponatur media, ne nos avocet ab itinere ſuſcipiendo. Premitur quis fame ac ſiti iter faciens? non tamen propterea deficiendum eſt. Neque vero quiſquam me ſpectet, quaſi ea de re ſummo in otio facile loquar. Nam Spiritus eſt qui nos docet terram vel unguibus perſodiendam eſſe potius quam deflectendum aut recedendum à templo Dei. Quod ſi qui in regionibus degunt remotis, & qui, ex hominum opinione, ſunt ſpoliati omnibus iis rationibus, quibus ad eum locum, ubi Euangelium prædicatur, veniri poteſt, nullam habent excuſationem: quanta, obſecro, illos manet condemnatio, qui quum Euangelium habeant præ foribus, non dignantur tamen pedem movere ut in templum Dei ingrediantur? Conciones ſingulis diebus habentur, preces publicæ concipiuntur, ut veniatur ad templum: rivulus tantum unius vici tranſcundus erit: tum quiſque cauſatur ſibi aliquid negotii domi eſſe. Denique, multi videntur felicitatem in eo ponere, ut à Deo ſeſe avertant. Nam opinantur ſe victoriam reportaſſe, ſi vel leviſſimum quodque ſubterfugium nacti ſunt. Quando autem natura ita ſumus proclives ad recedendum à Deo, imo ad divertendum ab eo quam longiſſime quum ille ad nos accedit, oremus ut nos ita confirmet, quo tamdiu poſſimus in ſuſcepto itinere alacriter pergere, quoad perennes ac ſalutares fontes ibi reperiamus, ubi antea nihil præter meram ſiccitatem erat. Et quamvis illud nobis deeſſet, ciſternas tamen perfodiamus, pluviam è cælo expectantes. Si Deo non placet ut tam cito ejus opem ſentiamus, ne deſiſtamus tamen ulterius progredi. Neque vero dubito, quin hæc res pleriſque hominibus perobſcura videatur. Sed unde iſta obſcuritas niſi ab experientiæ defectu? Nos quidem poterimus mille doceri annos, neque tamen ullum unquam verbum hujus doctrinæ comprehendemus, donec re ipſa ac vitæ experientia didicerimus, quid ſit via aliqua ſicca & ſiticuloſa iter facere, quum ad Deum veniendum eſt. Verum iſta quidem doctrina omnibus fidelibus perfamiliaris eſſe debet ut ſe comparent ac muniant contra omnes tentationes, quas Satan omni ratione moliri poterit, ad interrumpendum illud iter, quo hi ad Deum deducuntur. Et certe quicunque in hoc unum fideliter diligenterque incumbunt, ut Deum inquirant, etiamſi ex eo, in quo ſunt loco, non commoveantur, multa & moleſta incommoda offendunt, quæ facile eos poſſent reflectere, atque in contrariam partem revocare, niſi ad reſiſtendum firmum ac paratum animum haberent. Sed res miſeratione digna eſt, quod maxima eorum pars, quemadmodum jam dixi, ſuccumbit iis difficultatibus, quæ ipſis in via objiciuntur. Ipſi quidem fatebuntur ita faciendum eſſe, atque ad iter ingrediendum bene parati accinctique eſſe videbuntur: ſed ubi opus eſt, eos animus deficit: atque ii qui præclare ſunt ingreſſi, ut plurimum in media via fatiſcunt. Eo magis igitur hoc documentum recolendum eſt, ut puteos fodiamus, hoc eſt, ut quæramus adjumenta etiam nobis abdita atque obſcura, ut ultra ſemper pergere ac procedere poſſimus. Enitamur, inquam, atque ſupra omnem humanam virtutem contendamus. Si res non ſuccedunt ex ſententia, ne tamen optimum curſum, in quo nos Deus poſuit, cum patientia perſequi deſiſtamus. Certum eſt, ipſum ſi fide invocemus, poſſe ſolitudines aridas in fontes convertere. Sed interea pro officii noſtri ratione convenit, ut nos quoque manum operi admoveamus. Itaque non vult Deus ut inertes ſimus, inſtar eorum quibus neque pes, neque manus officium faciunt. Imo vero Deus jubet, ut puteos potius ſodiamus. Laboremus igitur tamdiu in hac foſſione, donec inſtitutum iter confecerimus. Ponamus ob oculos miſeram conditionem militum, qui vitam ſingulis menſibus certo pretio vendunt. Si in caſtris, quam miſeriam non patiuntur? Si obſidentur, gravius etiam premuntur. Si in itinere, nullis algoribus aut caloribus, ventis, aut imbribus ab inſtituta expeditione arcentur. In eam etiam neceſſitatem aliquando adducuntur, ut niſi terram fodiant ad aquam nanciſcendam, ne guttam quidem ad bibendum habituri ſint. Nulla eſt tanta inopia, labor, miſeria, in qua toleranda, ad id quod eis propoſitum ac ſuſceptum eſt, non perveniant. Confeceruntne rem? Sive evadant ſive intereant, omnem operam ſuam ac laborem luſerunt: propterea quod uni Satanæ ſervierunt. Filius Dei nos ſibi milites delegit pro gratia ſua infinita. Sci-

mus quam nobis mercedem paraverit. Quanto igitur nos animoſiores eſſe debemus ad operam noſtram ei præſtandam, quam ſint miſeri illi ad ſuam perniciem perſequendam? Neque vero ſolum illud hic agitur, ut quiſque itineris miliatia numeret, totumque illud ſpatium dimetiatur, quod intet ſuam domum intercedit & ad eum locum, in quo & libere Deum adorare, & confeſſionem fidei ſuæ facere, & puram Euangelicæ doctrinæ prædicationem audire poſſit. Nobis adhuc reſtat longius iter faciendum, in quo quidem totius noſtræ vitæ tempus conſumendum eſt. Templumne Dei annum unum, aut eo amplius frequentavimus? Continuantes ac perſeverantes quotidie novas ſolitudines reperiemus. Nam morbis aliquando affligemur, interdum paupertate. Accidet ut uxor & liberi moriantur, priſtina etiam libertas & facultas colendi Dei nobis eripiatur. Jactabimur turbis & motibus. Quare illa animi conſtantia patientiaque requiritur à nobis, ut uſque in finem manus paratas habeamus ad fodiendos puteos, atque etiam ungues ad terram ſcalpendam, ſi neceſſitas poſtulat. Si quis dicat, Quomodo ergo? nonne ſumus nos in templo Dei? Reſpondeo, nos in eo eſſe, ut ad illud ſingulis diebus accedamus atque intremus. Nos quidem quotidie faciem Dei contemplamur, ſed ejus pulcherrimo aſpectu nondum expleti atque exſatiati ſumus ſicut erimus quum is nos ad ſe collegerit. Itaque oportet ut in genere omnes boc ad uſum vitæ ſuæ applicent, & ut Satan non deſiſtit eos omnes impedire ac turbare, qui ad Deum ſe conferunt, ſic unuſquiſque ſe confirmet omnemque operam det, ut quod hodie egit, in eo agendo in poſterum perſeveret. Nam ſi hoſtis non fatigatur, operam dans ut rettocedere nos cogat: eo minus animus deſpondendus eſt, ut ſemper progrediamur, ſine fine atque intermiſſione novas vires colligentes. Sed ad eam rem opus eſſet animis noſtris inſculptum eſſe illud ſtudium quod in Davide excelluit. Malo, inquit, habitare ad limen domus Dei, quam in tentoriis tabernaculiſque iniquorum. Quibus verbis declarat ſe tantum beneficium habitandi in domo Dei libenter redempturum ſub dejectione ac contemptione. Conſideremus obſecro quæ fuerit ejus conditio. Fuit gener Regis, unus ex principibus totius Judææ, honore ac dignitate florentiſſimus: tamen libenter ab eo altiſſimo dignitatis gradu vult demitti, atque in infimum vulgi ordinem redigi, modo exiguum aliquem angulum in templo Dei habere poſſit. Si in omnium animis hoc deſiderium obtineret, non adeo laborarent ut ſeſe expedire poſſent: nec adeo prolixe & anxie diſceptarent de permutatione facienda, ut relicta domo & patria ad templum Dei ſe conferrent. Sed perpauci reperiuntur qui diminutionem fortunarum ſuarum æquo animo ferre & velint & poſſint. Unuſquiſque maxime vellet ſe molliter lectica deportari, ut Deum adoraret eo in loco ubi id libere fieri poteſt. Præterea ut agri, poſſeſſiones omnes, negotiatio, exiſtimatio, affinitates, atque cæteræ bujuſmodi vitæ commoditates ſtatim una ſequerentur. Quum autem id agunt, quanti quæſo Jeſum Chriſtum æſtimant? Nam quicquid eſt quod volunt agere, eo ſpectat, ut animi gratia, quaſi ad deambulandum ex arbitrio veniant: quæ ratio eſt miſera, & homine Chriſtiano plane indigna. Nam etſi nos quidem nihil ſumus, tamen tanti nos pro ſua infinita bonitate æſtimavit, ut pro ſalute noſtra ſibi non pepercerit: is, inquam, in quo perfectio omnium bonorum continetur. Interea graviter acerbeque feremus amiſſionem bonorum caducorum, atque conditionem noſtram ex eo deteriorem fieri, quod non tam commode quam antea habeamur? Hoc

Philip. 3. verſ. 7. vero longiſſime abeſt ab eo quod divus Paulus ſuo exemplo nobis ſequendum proponit: nimirum ut ſordes & quaſi ſtercus exiſtimemus omne id quod nos impedit, quominus Jeſum Chriſtum poſſideamus, atque etiam id ut damnum ac detrimentum abjiciamus, ſcientes quidem id omne quod nos abducit à vera vita, non poſſe niſi ad mortem ducere. Hoc etiam judicium ſtudiumque noſtrum multum abeſt ab amplectenda, ſequendaque exhortatione, qua Jeſus Chriſtus monet, ut omnia quæcunque habemus in hoc mundo pro regno cælorum vendamus & relinquamus, intelligentes id hujuſmodi lapidem eſſe pretioſum, qui ſua præſtantia infinitis partibus ſuperat ea omnia, quæ homines tantopere expetunt & habent in pretio. Si quis objiciat, unumquemque ad regnum cælorum poſſe pervenire ſine iſta derelictione domus ſuæ: reſpondeo non ſine cauſa eſſe, quod Dominus noſter Euangelii prædicationem hoc nomine inſignit. Qui igitur doctrina Euangelii ſunt deſtituti, neque curæ ipſis eſt quærere omnes rationes, quibus hoc tanto bono frui poſſint, oſtendunt ſe cupidius atque immoderatius quam oportet bonis hujus mundi adhærere, neque adhuc paratos eſſe ad eam permutationem, quam cum regno cælorum facere debent. Si poſſent utrumque ſimul poſſidere, ego ſane illis non inviderem. Sed ſuam quum non poſſint retinere poſſeſſionem, nec perpetuo in nido ſuo deſidere, quin ſalutari ac peculiari filiorum Dei cibo ſe fraudent, nec in eo quidem ſtatu, in quo nunc ſunt, permanere, quin ſeipſos ab Eccleſia Dei reſcindant: eorum officium eſt conſiderare neceſſitatem, quam Deus ipſis imponit. Facile quidem poterunt excuſationes afferre quales quales volent: ſed omnia hujuſmodi integumenta & patrocinia nihil tum eis proderunt, quum ſupremus Judex horribili voce ſua ſuper omnes eos intonabit, qui vitam terreſtrem, quæ communis nobis eſt cum beſtiis, magis adamarint, quam æternam hæreditatem, quam filiis ſuis dedicavit. Eſt valde abſurdum, multos putare ſe os nobis occludere, niſi rationem certumque ſtatum aſſignemus, in quo ſervientes Deo vivere poſſint. Conditio mea, inquient, eſt hujuſmodi in patria; ſi eam relinquam, quid de me fiet? quænam mei nutriendi ac ſuſtentandi ſpes erit? quaſi Deus, eos qui annunciant Euangelium, œconomos conſtituiſſet, qui ſingulis ſtatum vitæ dividerent, ac pro uniuſcujuſque dignitate certam penſionem atque mercedem tribuerent. Si conſilio aut ope adjuvare poſſumus, in eo quidem genere ac facultate ita ſumus obligati, ut nemini officium ſtudiumque noſtrum denegare ullo modo debeamus, etiamſi nullus id à nobis requireret. Quod ſi non eſt in nobis ſitum, idcircone etiam ea libertas eripietur, quo unumquemque quod mandatum eſt à Deo, doceamus? Quanquam ſi probe hanc Davidis doctrinam didiciſſent, fideliquc memoria cuſtodiſſent, ut parvum ad limen templi Dei aliquem angulum magis adamarent, quam ullum altiſſimum dignitatis locum, in quo inter infideles homines collocati eſſe poſſent, non tanta uterentur difficultate in conſilio capiendo. Sed hoc ipſos male habet, quod integrum vitæ ſuæ ſtatum tueri volunt, nec poſſunt ferre, ut honoribus atque opibus quidquam detrabatur, neque ut priventur commoditatibus, deliciis ac voluptatibus, hoc eſt, non poſſunt cervicem ferendo Jeſu Chriſti jugo ſupponere. Litigent de eo & contendant quantum volent, oportehit tamen ut cauſa cadant. Quod ad eos attinet, qui patriam ſuam reliquerunt ut venirent ad eum locum ubi libere Deum colere poſſunt, & ubi veritas Euangelii fideliter ipſis prædicatur, maximopere neceſſe eſt ut hanc ſententiam quam ſæpiſ-

ſime

ſime in memoriam revocent, ſeque in ea meditanda atque probanda ita exerceant, ut diuturno ejus uſu & longa conſuetudine animi ipſorum obdureſcant. Multa enim poſſunt evenire, ac revera eveniunt, quæ poſſent eorum animum frangere, qui eximio & ſingulari religionis amore ardoreque exciterunt. Qui ſe ad Eccleſiam Dei aggregant, non ita ſemper accipiuntur & tractantur, ſicut ipſorum dignitas poſtulat. Ordo ſæpe ita eſt perturbatus ut qui ſunt maxime digni qui promoveantur, dejiciantur. Hæc quidem tentatio poſſet etiam eos ab ipſorum ſalute revocare, niſi in ſinu Eccleſiæ ita acquieſcerent, ut noviſſimi ac contemptiſſimi omnium in domo Dei malint eſſe, quam ab ea excluſi in maximis honoribus verſari. Ita homines vere fideles, quibus non omnia commoda adſunt, quæ pro ratione vitæ priſtinæ poſſunt expetere, ſed contra, ea ſentiunt incommoda atque moleſtias, quibus multis & variis in ea patriæ derelictione afficiuntur, diſcant ſe in afflictione his paucis verbis ſuſtentare ac confirmare, Attamen in domo Dei ſumus. Nunc homines huic mundo deditì nos, quantum volent, irrideant, atque ut homines contemptos abjectoſque contumelioſiſſime ſuperbia ſua probris afficiant, tamen nobis quidem ſatis eſt quod Deus hoc honore nos dignatur, in ſuo palatio & ſanctuario habitandi. Videmus quantum laboris moleſtiæque ſuſcipiant homines ambitioſi, ſtulte gloriam hujus mundi ambientes, ut in familia principis alicujus admittantur. Arbitrantur ſe plane beatos, ſi vel ad culinam aut ad aulam aliquam aditum habeant. Quum autem, opinione hominum, fuerimus omnium abjectiſſimi, tamen modo ex Eccleſia Dei ſimus, introducimur ab eo ad ſumma admirandaque ſapientiæ ipſius arcana ea familiaritate, qua pater cum liberis communicare ſolet. Sumus difficiliores quam par eſt, niſi hæc compenſatio animis noſtris ſatisfaciat. Fideles quidem poterunt graviter tentari, atque in aliquam animi indignationem impelli quum ipſorum res in ſtatum recident deteriorem, impii vero in omni felicitate effloreſcent. Sed tamen ſi contra conſiderent ſe à Deo electos eſſe, ut ex domo ejus eſſent, in eaque ut filios retineri, hæc conſolatio parum valet, niſi omnia moleſta deſideria & incommoda, quibus affici poſſunt, leuiat ac mitiget, aut etiam omnem animi ægritudinem plane abſtergat. Et certe qui murmurant aut indignantur, ſe non tractari à Deo quemadmodum deſiderant, aut quos etiam pœnitet vitæ jam bene in pietate inſtitutæ, ſatis oſtendunt ſe conſilium Domini noſtri nullo modo ſequutos eſſe, nimirum, ut tum, quum aliqua ædificatio eſt ſuſcepta, diligenter ratio ineatur omnium ſumptuum ac impenſarum, quæ ad ædificium perficiendum requiruntur: ne poſtea plus impendiſſe quam oportuit ipſos pœniteat, atque ita opus inchoatum imperfectumque exiſtat. Ac, quod gravius eſt, maxima pars eorum qui ita in media vita fatigantur, præter rationem faciunt. Qua in re nimiam impudentiam produnt. Nam eos quidem, qui nec domos, nec agros habebant ullos, & quorum nihil plane intererat, in patriane an in extremis finibus orbis habitarent, nihil omnino pudet Deo exprobrare, quod hoc & illud reliquerunt. Sed faciamus adhuc eos ex fortunis ſuis aliquid pro Euangelio amiſiſſe: ridiculum tamen eſt, ſolidum unum pluris quam nummum aureum, & coronatum æſtimare. Interea nihil aliud auditur, quam hujuſmodi querelæ ac murmurationes. Utinam homines iſtiuſmodi procul à nobis remoti, ſuis voluptatibus commode fruerentur. Verum nec pauperes nec divites ullam juſtam habent cauſam à pio ſanctoque propoſito diſcedendi, propter afflictiones quas vocatio Dei ejuſque obedientia illis affert. Quoniam autem hoc nobis maxime eſt difficile, idcirco remedium in Pſalmo octogeſimo quarto commonſtratur, in quo David poſteaquam dixit beatum eſſe hominem, qui in Deo ſperat, adjungit, Et in cujus corde ſemitæ ejus ſunt. Quaſi diceret, qui habet animum addictum ad eam vitæ rationem inſtituendam quam Deus mandavit. Duæ igitur ſunt hic res, quarum una non eſt ſeparanda ab altera, ut in Deo ſpem noſtram collocemus, atque recta via ambulemus. Quamobrem ſicut infirmitas noſtra nos impedit quominus progrediamur, quin etiam ita molles ac ignavos reddit ut à ſanctiſſima ipſius Dei vocatione averſi nos alio convertamus facile: confirmemus nos in fide, atque ſpe, Deum noſtrum optimum ac benigniſſimum orantes quo oculos noſtros ad ſe ita convertat, ut nihil nos perturbet, faciem ipſius intuentes, confidenteſque iis ejuſdem promiſſionibus, quibus ſe nobiſcum & in vita & in morte, perpetuo futurum aſſeveravit.

CONFUTATIO

CUJUSDAM

HOLLANDI,

Qui ſpecioſe obtendens, Chriſtianos à ſe prorſus ſpirituales redditum iri, concedit ut corpora polluant quibuſvis idololatriis:

Scripta ad fratres Belgas.

Librum perlegi, fratres chariſſimi, quem ex veſtro idiomate transferendum curaſtis, quo refutare illum poſſem, ſi viſum fuiſſet. Id autem ut præſtem, vos etiam atque etiam à me contenditis. Verum comperio hunc Dei irriſorem, qui eſt libri auctor, ineptum adeo atque imperitum eſſe, ut univerſa ipſius garrulitate nemo in errorem poſſit abduci. Illud quidem verum eſt, multorum hominum aures demulcere hanc cantilenam, Nihil opus eſſe ſollicite angi de Chriſtianiſmo profitendo, & puro ſeſe atque incontaminato conſervando ab omni idololatria, ſed quidvis licere. Complures ſunt, qui obdormiunt in ſuis blanditiis, ſibi lubenter perſuadentes, poſſe ſe ad vitæ conſervationem, & ad ſe ex omnibus perſequutionibus eripiendum, officium deſerere, fucataque uti ſimulatione. Si quis applaudit, id ipſis gratiſſimum contingit: & ſimulabunt apud ſe hujuſmodi hominem Prophetæ loco eſſe, quanquam à ſua ipſorum conſcientia arguantur. Porro qui hactenus idololatriam permiſerunt, aliquem tamen tenuerunt modum, ſpecioſas obtendentes rationes, quibus ſimplicium oculos perſtringerent: at impudens iſte, cujus librum ad me miſiſtis, adeo effudit ſeſe, ut prima fronte viſus mihi fuerit labor ſupervacuus, ita manifeſtas abſurditates confutare. Et profecto nullus eſt ebrius, qui non loquatur magis ſobrie: quomodo etiam ſpiritus vertiginis, quo minatur Deus *Deut.* 28.
ſe hoſtes ſuos & verbi ſui contemptores potaturum, *verſ.* 28.
brutam ebrioſorum omnium amentiam ſuperat. *Jeſa.* 19. *verſ.* 14.

Quo

Quo vero eſt audacior, eo magis ipſius detegitur
impudentia, ut ipſis quoque infantibus ridendus
præbeatur. Arbitror opinatum fuiſſe, ſe cauſa ſu-
periorem futurum, ſi arrogantia ſupra nubes quo-
dammodo vagaretur. Præfationem legens, exiſti-
mabam dicturum eſſe aliquid, quod examinatione
ſaltem dignum foret. Hortatur enim auditores, ut
ſubjiciant ſe rationi ac veritati, docilitate ac mo-
deſtia, quæ eſt bene diſcendi regula, qua bonum
à malo diſcernas. Verum ſimulatque paulo es pro-
greſſus legendo, tanta turgere arrogantia, tanta
elatus confidentia atque audacia, tantaque imbu-
tus temeritate apparet, ut ipſum maxime dede-
ceat, eas laudare virtutes, quarum ne hilum qui-
dem habet. Quomodo enim modeſtiam doceat,
qui totus ſuperbia turget? quomodo qui omnes
nihili facit, poſtulare ſuſtineat, ut placide id au-
diatur, quod à ſe proponitur? quomodo qui abſ-
que ulla ratione univerſa cerebri ſui figmenta evo-
mit, legem ferat, ut ſobrio pacatoque ſimus ani-
mo? certe ad auctoritatem ſibi conciliandam, ma-
gis temperatus eſſe debuit. Non inquiro, quiſ-
Pſal. 69. nam ſit. etenim quomodo minatur Deus, ſe hu-
verſ. 29. juſmodi homines deleturum ex libro vitæ, ita de-
Apoc. 3. cet eorum memoriam in terris quoque ſepeliri ſem-
verſ. 5. piterna oblivione. Apud vos quidem, quibus no-
tus eſt, notari eum oportet, quo inſtar lethalis con-
tagii refugiatur. Et vobis eſto eo magis abominan-
dus, quod tentat famam acquirere, auctoritatem-
que ſibi conciliare ex improbitate. Veruntamen
omnino volui petitioni veſtræ tandem obſequi, ut ſi
quos idiotas forte obſtupefecit ſua jactantia: nemo
poſthac ab eo decipiatur, ubi patefacta fuerit ejus
impietas, adeo ut palpari quodammodo poſſit. Ipſe-
met libri ſui argumentum proponit in hæc verba:
*Non eſſe vitam à quoquam in periculum vocandam
propter uſum aut abuſum ceremoniarum, qualis qua-
lis ille ſit, niſi prius ſepulchrum ipſius purgatum ac
mundatum fuerit ab omnibus mortuorum oſſibus.* Pri-
mo ingreſſu ambigue ita loquitur, quod pudore
impediatur libere proloqui quid habeat propo-
ſitum. Sed paulo poſt ulterius progreditur: *Non
oportere, ut morti ſeſe tradant mortui, propter mor-
tuas ceremonias:* ſimulque exponit, *eos omnes à ſe
mortuos duci, qui charitatis ſunt expertes.* Verum hæc
altera quoque explicatio tricis adeo eſt involuta,
ut hæſurus fueris perpetuo, niſi ſtatim inſequentia
addidiſſet, nimirum, *Dominum noſtrum Jeſum Chri-
ſtum, mundo manifeſtatum, quando erexit regnum
ſuum ſpirituale, unum hoc dediſſe diſcipulis ſuis man-
datum, ut Deum & proximos amarent: atque hac
ratione omnes ceremonias aboleviſſe.* Et hactenus non
exiſtimes prima fronte, comprehendi his verbis
horrendas, quas ex iis eruit, blaſphemias. Primum
quod Euangelii finem, ſubſtantiam, ac ceu medul-
lam aſſerit eſſe charitatem, oſtendit ſatis ne prima
quidem doctrinæ Domini noſtri Jeſu Chriſti rudi-
menta ſe unquam intellexiſſe. Etenim Dominus
duobus hiſce capitibus Legem ac Prophetas con-
tineri docens, neque fidem excludit, neque pre-
ces, neque reliqua illa univerſa in Scripturis inſti-
tuta, ad noſtram in Deum fiduciam exercendam
atque augendam: ſed monet, quænam ſit bene vi-
vendi regula. Hic jam craſſus nimis eſt error, fi-
dem atque ipſius appendices à præceptis, quæ bene
vivendi normam tradunt, minime diſtinguere. Nam
conſequitur inde, hominum ſalutem ab eo abo-
leri, atque ad deſperationem illos adigi. Id ita eſſe
fit ex eo manifeſtum, quod quum docemur, quam
neceſſaria nobis ſit Domini Jeſu Chriſti gratia, ra-
tio additur, omnes in Lege Dei ſervanda deficere,
ac proinde neceſſum eſſe, ut alio confugiant. Duæ
ſunt itaque principes Euangelicæ doctrinæ partes,
quarum unam phreneticus iſte prætermittit. Etenim
præcepta, quæ nobis à Deo proponuntur in Euan-
gelio, primo perfectam bene vivendi normam de-
monſtrant: ſed quoniam ad condemnationem no-
ſtram illud faceret ſolummodo, remedium iſtiuſ-
modi poſtea adhibent, nempe, confugiendum eſſe
ad Dei miſericordiam, quo per illius mediationem,
quem nobis advocatum dedit, ipſi reconciliemur,
amplectendum eſſe vera fide Chriſtum Jeſum, qui ſit
tota noſtra juſtitia, rogandum eſſe ipſius Domini Jeſu
Patrem, ut peccata noſtra delens innovet nos Spiritu
ſuo, corde ac ore glorificandum eſſe Deum, atque
hæc omnia Sacramentorum uſu profitenda & teſtata
facienda. Quapropter turbator iſte miſcet ac con-
fundit omnia, quando concludit, *à Domino Jeſu
Chriſto unum illud mandatum datum nobis fuiſſe, ut
Deum & proximos amemus, quum veteres ceremonias
abrogavit.* Prudenter enim diſtinguendæ ſunt um-
bræ ac figuræ, quæ uſui fuerunt Judæis ante Jeſu
Chriſti adventum, ab iis quæ ſemper duratura no-
bis reſtarunt. Uno illo utar exemplo, quo ſe tuetur,
tanquam clypeo. Pronunciavit Dominus noſter Je-
ſus Chriſtus tempus adveniſſe, quum Deus neque *Joan. 4.*
Hieroſolymis, neque in monte Samariæ, ſed ubi- *verſ. 21.*
que in ſpiritu & veritate adorandus eſſet. Verum ſi
quis iſtud dogma inde eruat, Nullam prorſus ce-
remoniam uſurpandam eſſe in invocatione, longe
abſurdiſſime colligat. Contra enim Paulus, qui ſen- *1 Tim. 2.*
tentiæ Chriſti ſatis idoneus eſt interpres, jubet ubi- *verſ. 8.*
que manus puras attolli. Ecce ergo ceremoniam,
quæ nobis manet, neque tamen eſt ex antiquatis Le-
gis figuris. Alteram quoque ſuo exemplo probat, *Actor. 20.*
nimirum ut invocantes genua flectamus: atque item *verſ. 36.*
tertiam laudat, ut publice orantes nudato ſimus ca- *1 Cor. 11.*
pite. Æquum enim eſt ut fideles ſignis externis de- *verſ. 4.*
monſtrent, quam exhibeant Deo reverentiam. Ni-
hilominus non facit ſe propterea Judæorum ſocium.
Quinimo inter fidei noſtræ neceſſaria adjumenta
preces quoque publicas recenſet Scriptura, quæ
poſtulant, ut cogamur in locum aliquem. Quare ſi
quis utiles omnes ceremonias velit abrogare, præ-
texens templum Hieroſolymitanum abolitum eſſe,
brutam confuſionem invehat. At quemadmodum
demonſtravi, ceremoniæ, quæ abſentem Chriſtum,
ante ipſius adventum præfiguraverunt, longe ab
iis diſſident, quæ ad ſublevandam noſtram infirmi-
tatem fuerunt nobis relictæ. Illæ obſcuræ quædam
umbræ fuerunt, his optime convenit cum Euan-
gelii luce. Illæ ad tempus manſerunt, hæ ſunt per-
petuæ. Confutata eſt hac ratione objectio, qua
utitur turbator iſte, quod ad Sabbathi obſervatio-
nem attinet. Scimus quid ea de re pronunciarit Pau-
lus, Sabbathum fuiſſe umbram, qua opus non ha- *Coloſſ. 2.*
beamus jam, quum ipſo corpore in Chriſto Jeſu po- *verſ. 16.*
tiamur. Autumat turbator iſte, ſe cauſa ſuperiorem
eſſe, quum cauſatur, *Eum qui dixit, Non facies tibi* *Exod. 20.*
ſculptile, ut adores illud, dixiſſe itidem, Sanctificabis *verſ. 4. 8.*
diem Sabbathi. Unde colligit, *Uno præcepto antiquato,
alterum quoque abrogatum eſſe.* Si ita habet, quid
fiet illi dicto Joannis, Cavete vobis ab idolis? Ho- *1 Joan 5.*
rum errorum fons inde oritur, quod ſubſtantiam ac *verſ. 21.*
ceu medullam horum præceptorum ad Dei amorem
reſtringit, oblivione ſepeliens, aut poſthabens de-
bitum illi adorationis, precum & confeſſionis fidei
cultum, atque omnia quæcunque ad eum glorifican-
dum, tanquam Deum noſtrum, ſpectant. Servitus
obſervandi Sabbathum ſublata eſt: concedo. At col-
ligere hinc, Licitum eſſe idolis uti, & coram iis genu
flectere, ignorantia eſt refutatione indigna. nam ea
ratione de reliquis præceptis idem concludatur. Qui
Chriſtianiſmum profeſſi ſunt, ſemper intellexerunt,
obligationem, qua tenebantur Judæi obſervare diem
Sabbathi, fuiſſe temporaneam. Sed idololatriæ
longe alia eſt ratio. Do equidem, ceu corticem ſpi-
ritualis ſubſtantiæ, cujus adhuc viget uſus, noſipſos
abnegandi, & omnibus cogitationibus atque af-
fectionibus noſtris ſpoliandi, operibuſque noſtris
univer-

univerſis valedicendi, quo regat nos Deus, deinde
in Dei cultu nos exercendi, ex ejus verbo diſcendi,
qua in re ſita ſit noſtra ſalus, atque in unum conve-
niendi, ad teſtatam faciendam noſtram fidem: quæ
omnia differunt à Judaicis umbris: fuiſſe Judæorum
illud adeo ſervile jugum quod uno hebdomados die
ab omni opere abſtinere tenebantur, ita ut lignari
aut onus aliquod portare capitale eſſet. Hæc ſunt
turbatoris iſtius verba: *Si damnantur, qui coram ido-
lis flectunt genu, Chriſtus fuit dignus, qui lapidibus
obrueretur, quoniam violavit Sabbathum: nam ejus
criminis erat reus.* Præter omnem diſputationem hor-
rebunt iſtum blaſphemum, quicunque vel guttam
rationis naturalis habent. Veruntamen ſi res ita ha-
Matth. 4. *verſ.* 8. bet, licuiſſet Domino Jeſu Chriſto genua coram dia-
bolo flectere, quum ad eam rem fuit invitatus. Cæ-
terum profanus iſte nebulo, quemadmodum nun-
quam guſtavit quid eſſet religio, ita non animadver-
tit à Domino Jeſu nunquam violatum fuiſſe Sabba-
Mat. 12. *verſ.* 9 thum, quando ægrotos ſanavit, præcipiens claudo
ut ingrederetur, & paralytico ut grabatum tolleret.
Joan. 5. *verſ.* 8. Redeundum enim eſt ſemper ad illud principium,
ad quod ipſemet ablegabat Scribas, qui eum falſo
accuſabant, Opera illa non fuiſſe humana, ſed di-
Joan. 5. *verſ.* 17. vina. Eam ob cauſam inquit, Pater meus operatur
uſque adhuc, & ego operor: atque ipſis demon-
ſtrat, quum minime dubitent Sabbatho infantem
circumcidere, nullum itidem eſſe ab eo offendicu-
lum, qui ſit adminiſter virtutis ac bonitatis Dei, ut
eam exerat ad hominum ſalutem. Quando excu-
Mat. 12. *verſ.* 3. ſat diſcipulos, illud ipſis propter neceſſitatem con-
cedi exemplo Davidis aſſeverat. Ac profecto non-
dum tempus advenerat, Sabbathum ſimpliciter
ſolvendi, donec templi velum ſciſſum eſſet. Hæc
nimis craſſa eſt ignorantia in eo, qui novum agat
doctorem, & peculiare ſibi habeat delirium, cujus
ne ſando quidem unquam eſt auditum. Verum im-
probus iſte longius etiam aberrat, his utens verbis:
*Quando Chriſtus Jeſus Legem perfecte adimplevit,
quum eam abolere videretur, quoad externam obſer-
vationem, iniquum eſt dilectionis & ſpiritus filios
carnalibus ac terreſtribus vincire nexibus, qui cum
Jeſu Chriſto reſurrexerunt, neque amplius terreſtria
ſed ſuperna quærunt, & in externis operibus Judæo-
rum more illos damnare, qui alieno judicio non ſunt
obnoxii, propter partam ipſis libertatem: quod iſtud
ſit aliud nihil, quam carnale jugum eorum cervici
imponere.* Illud porro eſt hoc loco obſervandum,
totos libri margines ingenti citationum multitu-
dine farciri, perinde acſi per os Apoſtolorum tan-
tummodo loqueretur. Jeſum Chriſtum Dominum
noſtrum divinam dilectionem, ac Legis obſervatio-
nem nominat, modo loquendi exotico, & Scri-
pturis inuſitato. Ad ſomnium ſuum probandum
Rom. 13. *verſ.* 10. citat illum locum Epiſtolæ ad Rom. Ab eo qui
diligit proximum, Legem impleri. Tertium quo-
que adfert ad Coloſſ. caput, ut oſtendat fideles
nullis eſſe obſtringendos ceremoniis. Verum ibi
Paulus, demonſtrans, quæ ſit filiorum Dei ſanctitas,
in Legalibus umbris minime poſita, docet ad quam
rem potiſſimum animum debeant appellere. Id vero
non obſtat, quominus ſit ab ipſis & corpore & ani-
mo colendus Deus. Utitur etiam alio loco ex priore
1 Cor. 2. *verſ.* 15. ad Corinthios, ubi fidelis dicitur omnia dijudicare,
ipſe vero à nemine dijudicari. At eo loco de ceremo-
niis nullo agitur modo. Paulus exprobrat tantum-
modo Corinthiis, propter ambitionem, rixas, ſe-
ctas, aliaſque carnales affectiones, ipſos eſſe ine-
ptos ad capienda ſpiritualia Dei myſteria. Adfert
Gal. 5: 1. illud, Legem ſeu jugum non eſſe imponendum illo-
rum cervici, qui aguntur Spiritu Dei. Omninò ſane.
Sed videndum eſt, num permittat idcirco Deus
filiis ſuis, ut licenter vagentur, ceu laxatis habenis.
Diſcriminandum quoque eſt Chriſti jugum ab eo,
quod homines pro ſua libidine velint imponere.

Concedo, unum Deum eſſe ſpiritualem animorum
noſtrorum legiſlatorem: ſed nequaquam efficitur
propterea, non eſſe illi cultum externum exhiben-
dum, qui teſtatur, nos eſſe ipſius populum. Illud
quoque citat, Quis eſt, qui intentabit crimina ad- *Rom.* 8.
verſus electos Dei? Deus is eſt, qui juſtificat. Pau- *verſ.* 33.
lus autem eo loci non agit de ceremoniis, neque
itidem de humanis legibus: ſed oſtendit ſolum,
quando nos in gratiam recipit Deus, poſſe nos de
ſalute noſtra ſecuros eſſe, ac proinde inſultare iis
omnibus, quæ nobis adverſantur. Atque hinc liquet
ab iſto turbatore miſceri confundique omnia: &
Dei verbum inſtar pilæ ludicre tractari. Præ ſe fert
quidem, *ſe libertatem rerum omnium concedendam mi-
nime illud dare, ut aliena bona, aut uxores alienæ ra-
piantur: ſed illud unum ſibi propoſitum eſſe, ut Chri-
ſtianos in libertatem vindicet, quod ad ceremonias
externumque Dei cultum attinet.* Verum iſta excuſa-
tione nemini ſano judicio prædito ſatisfiat: quando
tota ipſius diſputatio eo ſpectat, ut demonſtret nobis
licere, quæcunque externam habent ſpeciem, quod
regnum Chriſti ſit ſpirituale. Attamen, ut illud quo-
que ipſi demus, neque Libertinum eſſe illum, ne-
que Anabaptiſtam, iis inſiſtamus, quæ adfert ad ſui
defenſionem. Contendit *Chriſtianos immunes eſſe ab
omnibus ceremoniis.* Si de Legalibus ageret ceremo-
niis, quæ figuræ tantum fuerunt, nobis cum illo
conveniret. ſed in genere complectitur abſque ulla
exceptione quidquid ad fidei noſtræ demonſtratio-
nem facit. Videamus autem quomodo conſentiant
quæ ab ipſo dicuntur, cum iis, quæ hac de re pro-
nunciavit Spiritus ſanctus. Inter cæteros locus eſt
inſignis apud Paulum, ubi hoc delirium damnat *Coloſſ.* 2.
apertiſſime. Etenim de Legalium ceremoniarum *verſ.* 11.
abrogatione tractans, nos ſpiritualiter eſſe circum-
ciſos aſſerit, non hominis manu: ſimulque addit,
nos per Baptiſmum cum Chriſto conſepultos eſſe.
Si unum illud diceretur, viſibilem Circumciſio-
nem abolitam eſſe, aliqua foret dubitatio atque
obſcuritas. At ubi demonſtravit veterem umbram
eſſe antiquatam, Sacramentum recens inſtitutum in
ejus locum ſubſtituit, & Baptiſmum Circumci-
ſioni teſtatur ſucceſſiſſe. unde manifeſtum fit er-
rorem eſſe nimis brutum, ea quæ Judæorum genti
ad tempus uſui fuerunt, ab iis non diſcriminare,
quæ Dominus Jeſus ad Eccleſiæ ſuæ uſum, uſque ad
ſeculi finem duratura inſtituit. Eadem eſt ratio agni
paſchalis, & Cœnæ Domini. Abrogatum fuit poſt
Jeſu Chriſti adventum viſibile illud ſacrificium,
quod erat in uſu. Sequiturne propterea nullam
Chriſtianis hac in parte obſervandam eſſe ceremo-
niam? Nobis vero compertum eſt, Cœnæ obſer-
vationem inviolabilem eſſe debere, juxta Magi-
ſtri præceptum, Facite hoc ad mei recordatio- *1 Cor.* 11.
nem. Papæis ſacrilegium exprobramus, quod uſum *verſ.* 24.
calicis in Cœna plebi ademerunt: quoniam id fa-
ctum fuit contra Filii Dei auctoritatem, diſerte *Mat* 26.
mandantis, ut omnes ex eo biberent. Iſte canis *verſ.* 27.
oblatrat, *Nos de umbra aſini, & de inani atque
infantili nænia certare.* Nemo unquam ferat tan-
tam blaſphemiam, qui præditus ſit vel gutta timo-
ris Dei. Ad alteram blaſphemiam accedamus. *Cul-
tum Dei nihil amplius eſſe* contendit, *atque ejus
neque legem neque normam habendam.* Quid ergo fiet
Pauli pronunciato, Glorificate Deum in corpore *1 Cor.* 6.
veſtro, & in ſpiritu veſtro, quæ ſunt Dei? Rurſus, *verſ* 20.
Promiſſiones haſce quum habeamus, purgemus nos- *2 Cor* 7.
ipſos ab omni inquinamento carnis ac ſpiritus. *verſ.* 1.
Agit iis locis diſerte de cultu Dei externo, & de-
monſtrat obſtrictos nos eſſe ad ejus obſervationem.
Quid opus eſt longiore diſputatione, in re adeo ma-
nifeſta? Imo ipſe etiam Dominus noſter Jeſus Chri-
ſtus, quando Satanæ tentationem repellit, illud Do- *Matth.* 4.
mini mandatum adfert, Dominum Deum tuum ado- *verſ.* 10.
rabis, & ei ſoli ſervies. Nonne denuo hinc ſtabilitur

cultus Dei externus? Cæterum iſte turbator, ſubverſis hunc in modum fidei noſtræ principiis, extra oleas vagatur, autumans ſe cauſam poſſe obtinere, ſi averterit idiotas ab argumento, quod tractare inſtituit. *Si requiritis* (inquiens) *adeo ſevere ceremoniarum obſervationem: eſt igitur vobis prorſus imitanda Domini Jeſu Chriſti vita: quia ſeſe uti ſpeculum atque exemplar nobis proponit.* Ex his colligit, *Incedendum nobis fore nudato capite, nudis pedibus, abſque gladio, abſque pecunia: docendum in montibus, in deſerto, ad littus maris, miracula facienda, ut demum crucifigamur.* Quaſi vero ipſi etiam pueruli non intelligant, à Domino noſtro Jeſu Chriſto alia edita fuiſſe opera ad noſtrum exemplum, alia vero perſonæ ipſius fuiſſe propria, quo ſe Dei eſſe Filium demonſtraret. præterea ſimilitudinem, qua nos ad ipſius, tanquam ad capitis noſtri, imaginem conformari oportet, non eſſe in eo poſitam, ut vinum in Judæa natum bibamus, aut ejus regionis pane veſcamur, aut juxta illorum temporum rationem amiciamur, aut inſutili tunica induamur: ſed in ſpectantibus communem obedientiam, quam debent pii omnes Deo. Jubemur Chriſtum Jeſum imitari. Concedo. Quanam in re? Non rerum levicularum frivolam & vanam imitationem ſuperſtitioſe ſectantes, ſed ipſius imagini conformes facti, afflictionibus, patientia, modeſtia, pietate, charitate, omnique ſanctitate. Hæc eſt cùm Chriſti, tum Apoſtolorum ipſius doctrina, quæ ſatis eſt ad turbatoris iſtius, imperite nimis ineptientis, ſcurrilitatem reprimendam. Chriſti miracula ſi velimus ſequi, quale illud fuit, dies ac noctes quadraginta jejunum permanere, ſtultam prodamus arrogantiam ac temeritatem: quoniam id ipſi fuit privilegio conceſſum. Imo præpoſtera quoque foret confidentia, imitari miracula ab Apoſtolis edita, quæ fuerunt temporanea, ad auctoritatem Euangelicæ doctrinæ conciliandam. Sed iis rebus inſiſtendum eſt, in quibus Dominus Jeſus, ipſiuſque Apoſtoli viam præmonſtrarunt, pure Deo ſerviendi, ac patefaciendi nos eſſe illius populum, utpote qui ab omni idololatria & ſuperſtitione ſimus alieni. Quapropter quum agitur de Deo adorando, corpore ac ſpiritu ipſius cultui conſecrato, capitis noſtri exemplum dignum omnino eſt imitatione: ſi quidem pro ipſius membris haberi ac cenſeri volumus. Nam Chriſtus Jeſus non ſolum præſtitit filiorum Dei officium, cultum externum, qui Dei eſt proprius, ipſi exhibendo, & ſanctum ipſius nomen confitendo: ſed etiam præcepit, ut ſe hac in parte imitemur, eodem modo

Dan. 3. verſ. 13. & 6: 10. agentes. Hoc demonſtrat ſatis, debere Danielis & ſociorum ipſius exempla ad noſtram inſtitutionem facere hoc tempore: quoniam ab ipſis editam confeſſionem non minus à nobis nunc poſtulat Deus, quam ab omnibus fidelibus tum temporis. Quod ſi effutiret aliquis, ſicuti facit iſte deriſor, *Eorum imitationem fore minutiarum ac nugarum quarundam ſectationem*, exemplo eſſet quam maxime deteſtando: quoniam in vitæ diſcrimen ſeſe conjecerunt, ut demonſtrarent ſolum viventem Deum à ſe adorari. Illud quidem certum eſt, Hieroſolyma converſum ado-

Dan. 6. verſ. 11. rare, quemadmodum factitavit Daniel, ex Legalibus figuris fuiſſe. Verum, quod Deum precabatur, & ſibi aſylum in eo ſolo conſtitutum teſtabatur, ſpectabat ad generalem normam, inviolabiliter uſque ad finem ſeculi ſervandam. Miſſa facio ſcommata, quibus iſte canis famæ noſtræ oblatrans, conatus eſt eam apud ſimpliciores labe aſpergere. Obgannit, *malle nos confeſſionem edere quam martyres eſſe.* Quaſi vero ſæpe non eripuiſſet nos Deus ex mortis periculo: imo quaſi etiam hodie non immineret gladius jugulis noſtris. Verum, quando mactare nos ipſe nequit, furit præ immanitate: & Deo ſtomachatur, quod nos ſervat.. At lubenter ex ipſo quærerem, qui fiat, quod charitate, cujus tam multam facit mentionem, magis non utatur. *Nullus*, inquit, *eſt alius Chriſtianiſmus, quam ſola charitas.* Totum charitate imbutum dicas. Atqui teſtatur Pau- 1 Cor. 13.

lus, charitatem non eſſe ſuſpicacem, neque ſuper- verſ. 4.

bam, neque maledicam. Quomodo ergo hominibus ſibi ignotis audet detrahere, atque adeo præter omnem veritatem? Conjungit me cum fanatico quodam Mennone: cum quo nihil eſt mihi commune: non magis quam aquæ cum igne. Quin imo hæreſeos Serveti me conſcium eſſe clamat. En quam pulchre demonſtrat bellam illam ſuam charitatem, quam prædicat. Quare fuerit inexcuſabilis, quicunque fidem adhibuerit iſtiuſmodi deriſori: quando ipſius impudentia prorſus eſt manifeſta. Imo ſuſtinet quoque, inter Ebionis antiqui hæretici ſectarios me recenſere: quum tamen omnes Patres & doctores Eccleſiaſticos, qui opera ſceleſti illius hominis oppugnarunt, damnet. Verum oportet antiquum proverbium comprobari, Nullam eſſe tantam audaciam, quanta eſt hominum imperitorum. Ne unam quidem antiquorum doctorum paginam perlegit unquam, nihilominus ſuppoſita quadam calumnia libenter perſuadeat ſe magnum eſſe fidei catholicæ fautorem. At ſatis demonſtravimus hactenus, nullo modo nobis convenire cum iis, qui voluerunt Judaizare. Addit ad hæc, *me pro Eccleſiæ primate haberi velle.* Quid eum impellit ad obloquendum hoc modo, niſi invidia, qua diſrumpitur, quod ex Dei beneplacito valeam auctoritate? Hæc eſt vera zeli ejus præpoſteri origo. Pergit deinceps, *Me Scribarum ac Phariſæorum more* (inquiens) *difficilia portatu onera ligare, atque in humeros hominum imponere, quæ nolim vel digito movere.* Verum probet ante omnia, me immunitatem à lege, quam aliis ſtatuo, uſurpare. Qua in re omnes verecundiæ fines mentiendo comperietur tranſiliviſſe. Poſtea judicandum eſt, num ſit onus portatu difficile, quod obteſtor, unum Deum eſſe adorandum. Miſſas facio, quemadmodum memini antea, umbras Legis. Quare falſo exprobrat, *me deſertis novi Teſtamenti exemplis, Judaicas fabulas inquirere.* Etenim de ſolo Dei externo cultu verba facio, qualem conſtituit Chriſtus Jeſus & verbo & opere. Verum ſuo (ut aiunt) ipſemet ſe conficit gladio, in abſurdam nimis contradictionem impingens: quando cauſatur, *primitivam Eccleſiam mihi eſſe imitandam, ac prædia vendenda, ut pauperibus diſtribuantur, ſi abſque externis ceremoniis nemo Chriſtianus eſſe poteſt.* Reſponſio eſt facilis. Huc ſe conferat, atque ipſum procuratorem inſtituam, quo vendat quæcunque in mundo poſſideo, ac in eleemoſynas eroget. At ipſe contra oſtendit, quo agatur ſpiritu, quum dicteria, quæ uſurpavit olim Julianus Apoſtata ad Euangelium probro exponendum evomat. Excipit, *rerum communitatem externam fuiſſe præcepti charitatis obſervationem.* Primum prodit ſe paulo familiarius uti Anabaptiſtis, à quibus tamen ſe diſtinctum voluit. At rem probe non expendit. Si bona ſua vendidiſſent univerſi, locupletes mendicare coacti fuiſſent, atque ita nemo poſſediſſet ædes ad habitandum, neque ad egenos excipiendos. Cæterum, ut paucis abſolvam, poſſunt uno verbo calumniæ ipſius confutari, Nimirum omnia exempla ad noſtram inſtitutionem facere debere, quo magis cum generali norma, & cum præcepto generali perpetuo duraturo conveniunt. Exempli gratia, quum dicimus non licere, ut ad perſequutiones declinandas cultui divino deroges, ſimulando idololatriam tibi probari, mandato illo

iſtud continetur, Corde credendum eſſe ad juſtitiam, Rom. 10.

& ore confeſſionem faciendam ad ſalutem. Quare verſ. 10.

ſumus inexcuſabiles, niſi imitemur exemplum, quo nobis præiverunt Martyrum myriades, ſeſe neci exponere anteponentium, quam genu coram idolis flectere. Hoc longe diſtat à bonorum omnium venditione. Notum eſt quid ea de re doceat tota Scri-

ptura: id nimirum, quod à Salomone duobus verbis Prov. 5.

com- verſ. 15.

comprehenditur, Ut bibat unuſquiſque aquam de
ciſterna ſua, & rebus ſuis abſque injuria fruatur,
poſtea proximorum indigentiam ſublevet. Apertius
2 Cor. 9. vers. 5. etiam pronunciat Paulus, Nullam neceſſitatem im-
ponendam eſſe, ſed oportere ut ſinguli ſint ultro libe-
rales, atque alienam indigentiam ita ſublevent, ut
qui bona poſſidet, iis rite fruatur, ſeſe minime
exhauriens. Ridet impudens iſte, *Deum à nobis fide-
lium animis ſpoliari, quum eos cohortamur ad optan-
dam potius mortem, quam ut idola colant.* Hinc mani-
feſtum fit, primo haberi ludibrio ab eo ſanctos
omnes Martyres, qui ſanguine ſuo Evangelium un-
quam obſignaverunt: perinde acſi ſtulte & præter
rationem ſeſe in vitæ diſcrimen conjeciſſent. Deinde
fabulæ inſtar duci, quod Scriptura pronunciat, Glo-
rificandum eſſe à nobis Deum æque morientibus at-
que vitam degentibus. Cauſatur *à Deo ceremonias
ſuipſius cauſa minime inſtitutas fuiſſe, quod iis indi-
geat, aut aliquo modo juvetur: ſed propter homines.*
Id ego facile conceſſerim. Verum quando addit *hac
ratione Deum gratificari eorum libidini voluiſſe, qui
deos petebant, ut ſe præcederent:* fœde nimis blaſphe-
mat: ſiquidem iſtud vitium emendare in primis
voluit Deus. Scribit, *Deo longe gratiorem futurum
cultum, qui ab hominibus ſibi exhibetur, omni proe-
ſus carentem ceremonia, modo id fieri poſſet.* Ad hanc
ſententiam confirmandam demonſtrandum illi fo-
ret, corpora noſtra à Deo minime fuiſſe ad ſui
gloriam creata. Similitudo, qua utitur, eſt pror-
ſus abſurda: *Nimirum parentem ſimulare, nati cre-
pundiis ſe oblectari, quo animum ad ea appellat, ne
forte ignem aut gladium cum detrimento, tractet.* Si
de Judaicis figuris verba faceret, ex parte fortaſſis
tolerari poſſet ipſius oratio. Verum quando agit de
cultu, quem Deus ſevere præcepit, infantile cre-
pundium id nequaquam eſt. Jeſus Chriſtus Domi-
nus noſter, quum genibus coram Deo Patre ſuo
flexis fundebat preces, non tractabat puellorum in-
ſtar crepundia: ſed præcipuum illud exhibebat,
quo teſtata eſt facienda reverentia, qua Deum pro-
ſequimur. Liquet hinc denuo, Filio Dei oblatrare
hunc canem, dum morſu me lædere opinatur. Ad-
moniti ſunto interea ſimpliciores, ne ſeduci ſe pa-
tiantur, propterea quod inſimulat *me filios Dei ad
Legis ſervitutem revocare.* Scripta mea univerſa con-
tra ſatis clamant, atque adeo res ipſa loquitur ſatis:
quia de puro ſinceroque Dei cultu tantummodo agi-
tur, quando profitemur nos nullum alium quam
unum Deum adorare velle, quantumvis ſuis calumniis
omnia corrumpens, ſibi non poteſt temperare, quin
Eze. 20. vers. 24. Scripturis abutatur. Per Ezechielem pronunciat
Deus ſe populo malas dediſſe leges, quod bonas
ſpreviſſet. Iſte nebulo ad Legem ceremonialem id
transfert, quum tamen loquatur Deus de Chaldæo-
rum tyrannide, cui ſubjecerat Judæos, propter in-
gratum ipſorum animum. Eas nunc, & venerando
huic Theologo credas. Inſtitutam perſequens ora-
tionem, addit, *Intellecturum eſſe, qui rem probe expen-
derit, eos qui ceremoniis nimium ſunt addicti, non modo
non proficere, imo potius ſibiipſis obſtacula objicere, quo-
minus ad veritatem perveniant.* Do equidem nimias
ceremonias ad aliud non conferre, quam ad impedi-
mentum. At videamus, quam apte utatur hoc dicto:
Corpus (inquit) *Jeſu Chriſti, quod præſtantiſſimum
eſt omnium Sacramentum, impedimento fuit Apoſtolis,
quando in eo hæſerunt, quominus acciperent promiſſum
Spiritum ſanctum.* Sed quæro, unde didicerit, intui-
tum corporis Chriſti, dum verſatus eſt in terris, Sa-
cramentum nuncupare. Id ex altiſſimo prorſus igno-
rantiæ cœno eſt erutum. Nihilominus ex eo colligit,
*Nullas poſſe dari ceremonias, quæ aditum nobis ad ſpiri-
tuale Chriſti regnum patefaciant.* Reſpondeo primum
non id agi, num novæ cudendæ ſint ceremoniæ: ſed
eas obſervandas eſſe, quæ in ſacris literis habentur.
Deinde aio blaſphemiam eſſe diabolicam, negare Ba-
ptiſmum & Cœnam eſſe adminicula, quibus ad Deum
adducamur. Tamen iſte nebulo viribus omnibus,
omnique utilitate illa ſpoliat. Ad blaſphemiarum cu-
mulum explendum, addit, *Perinde eſſe ſi abſtineas à
ſuillæ eſu, atque ſi declines idolorum cultum.* Quid igitur
fiet ſanctis omnibus Martyribus, qui quum poſſent
ſeſe, aliquid thuris in ignem conjicientes, ex mor-
tis periculo eruere, maluerunt nihilominus eam ob
cauſam mortem oppetere. Veruntamen religio ipſis
minime fuiſſet, ſuilla veſci. Joannes quoque præci- 1 Joan. 5.
piens, ut caveamus nobis ab idolis, ſervituti Legis vers. 21.
Moſaicæ fideles minime mancipat. Denique facile
quivis cenſeat, mediocri præditus judicio, qua fide
dignus ſit profanus iſte blatero: ſiquidem ſomnia
fanatici cujuſdam Sebaſtiani Franci, quem homi-
nem ipſo etiam ſenſu communi notum eſt caruiſſe,
opponit auctoritati Domini noſtri Jeſu Chriſti,
omniumque ipſius Apoſtolorum, item univerſorum
Martyrum, atque antiquorum Doctorum. Quod
exprobrat, *nos avertere Chriſti membra à ſpirituali
cultu ad externas ceremonias*, mendacium eſt, omni
probabilitatis ſpecie carens. Neque enim in exter-
nis ritibus religionem ac ſanctitatem docemus eſſe
poſitam, ut Deum oculis, manibus, pedibus ado-
remus: ſed externum cultum ſpiritualis appendicem
atque adminiculum eſſe contendimus. Hoc ſi poteſt,
confutet caput: neque extra oleas tantopere vage-
tur. Quod ſimulatores & fucatos homines duplices,
hypocritas, utroque pede claudicantes, proditores,
atque apoſtatas nomino: mecum expoſtulandum
non eſt: quoniam Scripturam, imo naturam ipſam
ita dictantem ſequor. Ad ſententiam ſuam bene con-
firmandam argutatur, *Chriſtum à ſua carne ad Spiri-* Joan. 6. vers. 63.
tum ſuum nos revocare. quaſi vero eodem loci carnem
ſuam non vocet verum animarum noſtrarum cibum. Joan. 6. vers. 55.
Quare quum carnem quidquam prodeſſe negat, nos
adeo ſpirituales minime vult reddere, ut Sacra-
menta, quorum uſus ſpiritualis eſt, poſthabeamus:
ſed oſtendit fructum, quem ipſius caro nobis adſert,
nonniſi Spiritus virtute percipi poſſe. Ecce quomodo
porcus iſte totum Scripturæ ſenſum roſtro ſubvertit.
Ad eandem rem utitur præterea Pauli teſtimonio, Rom. 2. vers. 28.
*Eum qui Judæus eſt in propatulo, non eſſe revera Ju-
dæum.* Unde concludit, *Eum qui baptizatus, obſer-
vatiſque ad meum libidinem ceremoniis, Chriſtianus
ſit ſpecie tenus, non eſſe tamen Chriſtianum cenſendum.*
Ne lingulaca quidem præ pudore blateret adeo ine-
pte. Scripta mea univerſa teſtantur ſatis, viſibilia
Sacramenta ad ſpiritualem ſubſtantiam ac veritatem
à me referri. Ita igitur cum Petro loquor, Lava- 1 Petr. 3. vers. 21.
crum aquæ non eſſe verum Baptiſmum, ſi conſcien-
tiæ noſtræ teſtimonio per Jeſu Chriſti reſurrectio-
nem coram Deo careat. At num efficitur propterea,
ut Chriſtianus ſis, externum Baptiſmum eſſe annul-
landum? Iſtud eſt à Charybdi in Scyllam. Inanis eſt
externus Baptiſmus, abſque ſpirituali veritate: num
idcirco efficitur inutilem eſſe? Iſte nebulo frontem
adeo perfricuit, ut id colligere ſuſtineat. Verùm
Dominum Jeſum Chriſtum blaſphemat hac ratione,
perinde acſi frivolo ſigno inſtituto luderetur à nobis,
atque illi imponeretur. Si placerem hominibus, ſa-
tis eſſe ſuadens, ut baptizentur, aliquid cauſæ eſſet
mihi contradicendi. Veruntamen regula Jeſu Chriſti
ſaltem ipſi eſſet uſurpanda: qui Scribas ac Phariſæos Mat. 23. vers. 23.
arguens, quod hominum animos rebus levibus occu-
parent, Hæc, inquit, oportuit facere, & illa non
omittere. Porro quando utrumque conjungendum
eſſe doceo, fera iſthæc bellua inſtar andabatæ in me
ruit, *Si Chriſtiani ſumus* (inquiens) *ſpiritu, deſerendus,
pedibuſque conculcandus eſt externus Baptiſmus.* Longe
aliter pronunciat Paulus: qui purgationem noſtri gra- Ephes. 5.
tiæ Dei, & verbo ipſius nos vivificanti tribuens, lava- vers. 26.
crum aquæ tamen minime præterit. Excipit, *Vitam* Tit. 3: 5.
noſtram abſconditam eſſe cum Jeſu Chriſto. Cur igitur
habitat in terris, ſi Chriſtianus vult haberi? Verum ad
pro-

propoſitam quæſtionem id accommodat, *Sequi ex eo, Eccleſiam ſpiritualem eſſe debere, ac proinde occultandam.* Si Deum ſolum ſuos cognoſcere vult: concedo. Si vult etiam, ut qui Chriſtiani coram Deo cenſeri ſtudent, eum cordis puritate colant: vere dicit. At errat toto cælo, quando colligit, *Nullam ergo eſſe viſibilem Eccleſiam.* Illud enim novimus, Eccleſiam à Spiritu ſancto nominari quemvis cœtum, in quo verbum prædicetur, nomen Dei pure invocetur, & Sacramenta adminiſtrentur. Quænam eſt igitur nebulonis iſtius terræ filii arrogantia, quod Spiritus ſancti phraſim immutare atque emendare audet? Excipit, *Illud quod viſibile eſt, temporaneum eſſe.* Do rem ita habere ſua ipſius natura. At bellua externam formam Sacramentorum ab eorum ſubſtantia ſeu veritate non diſtinguit. Aqua Baptiſmi ſuapte natura corruptibilis eſt: quomodo etiam panis & vinum Cœnæ Dominicæ: veruntamen eorum uſus ad æternam animorum ſalutem refertur. Rem apertius etiam explicabo. Quædam ſunt, quæ per ſeipſa Deo probantur, uti fides: ſunt alia quorum uſus ad ſublimiorem finem refertur, uti eſt verbum audire, quo inſtituamur. Quamvis autem auditus ſit temporaneus, non efficitur tamen propterea, prædicatio-
1 Petr. 1. verſ. 23. Rom. 1. verſ. 16. nem, quæ fit ore hominis mortalis, incorruptibile vitæ ſemen, ac potentiam Dei ad ſalutem cuivis credenti nequaquam eſſe. Excipit, *Res externæ laudem apud homines eſſe, non apud Deum.* Si externam ſpeciem à Deo minime ſpectari vult: admitto. Sed quoniam ipſi eſt propoſitum, omnes veræ religionis appendices abrogare atque abolere, quas conjunctas eſſe oporter cum ſua ipſarum veritate, ejus oratio æque caret ratione, atque latratus canis. *Hypocritæ coram Deo genua flectant.* Ex eo recte colligamus ceremoniam non eſſe præcipuum pietatis caput. Verum quando colligit, *Perinde eſſe coram Deone, an coram idolis flectas genua, atque in eo nihil eſſe poſitum*, belluino more argumentatur. Nihilominus audacter contendit, *demonſtratum eſſe iſtiuſmodi rationibus, neque Circumciſionem, neque præputium, neque Baptiſmum quidquam valere, neque itidem rem ullam externam.* Eſt autem lectoribus obſervandum eo loco
Gal. 5: 6. ubi leguntur iſta verba, Paulum agere de Circumciſione, tanquam antiquata jam & abrogata, atque adeo tanquam de ſigno, quo Judæi à Gentibus diſcriminabantur. Turbator iſte in eodem ſenſu ponit Baptiſmum, qui ad utroſque uniendos inſtitutus eſt, atque ad unionem hanc confirmandam. *Cœnam quoque nihil eſſe* garrit. *Deum externo reverentiæ ſigno adorare, fidei confeſſionem edere, ſunt res nihili*: ſi fidem ipſi adhibemus. Quid opus eſt pluribus ad tantas blaſphemias arguendas? *At Pauli verba diſerte*
Galat. 5. verſ. 6. *pronunciant, Nihil in Chriſto quidquam valere, niſi fidem per charitatem agentem.* Sane. Verum eſt obſervandum, duo hæc tanquam inſeparabilia conjungi à
Rom. 10. verſ. 10. Paulo, Corde nimirum credere, & ore confeſſionem facere. Et certe fides nos docet, unum Deum adorandum, & procul ablegandam omnem idololatriam. Cæterum à magno iſthoc doctore quæro, quomodo principem locum nunc tribuat fidei, quam ſuperhius nihili faciebat quod ſatis ipſi eſſet una charitas. Quis manifeſtam hic non perſpiciat contradi-
Actor. 21. verſ. 26. ctionem? Accedit poſtea ad Pauli exemplum, qui ſeſe ſanctificavit, ut votum ſuum Hieroſolymis in templo offerret. *Si quis à me ſimulationis damnatur, quod coram idolo flectat genua, longe magis Paulum culpandum eſſe* clamat. Dicas animum induxiſſe, rem ſibi cum belluis fore. Certe garrit perinde, acſi hoc cavillum nunquam ſolviſſem. Atque illud perinde tractat, acſi apertam prorſus veritatem pro libidine ipſi liceret corrumpere, atque adeo ipſam etiam colorum naturam quodammodo invertere. Supponit, *Apoſtolis, qui Paulo auctores fuerunt ejus rei faciendæ, non id ſolum fuiſſe propoſitum, ut offendiculum tolleretur, quod oriri poterat, ſi in templum fuiſſet ingreſſus Paulus, minime ſanctificatus: ſed etiam ut Paulus doctrinam ſuam celaret, ac ſimularet ſe docere, quod nequaquam docebat.* Primum grave nimis eſt convitium, quod in ſervum Dei jactat, duplicem eum ac ſimulatorem cenſens: perinde acſi ad agendam fabulam hiſtrionicam ſumpſiſſet larvam. Verum alibi demonſtrat Paulus, quam fuerit ab iſtiuſmodi ſimula-
tione alienus, quando Petrum damnat, quod ſeſe ex *Galat. 2. verſ. 11.*
Gentium cœtu ſubduxerat, Judæorum metu. Hic minime agitur de imaginaria ſpiritualitare, quam comminiſcitur iſte turbator. Illud unum exponitur, Petrum, ne Judæos offenderet, cum Gentibus veſci non fuiſſe auſum. Quid ea de re pronunciat Paulus? Jure illum à ſe fuiſſe damnatum, quod recto pede non incederet in veritate Euangelii. Atque ipſum ſimulationis diſerte inſimulat. Quomodo iſta conſentiunt, Paulum ſimulationis damnaſſe illos, qui ceremoniis quibuſdam externis utebantur, atque ipſummet tamen earum ceremoniarum approbationem diſſimulaſſe? Id profecto fuiſſet ſuum ipſius ædificium deſtruere. Attamen quænam ejus rei fuiſ-
ſet ratio? Demonſtraverat enim Hieroſolymis Pau- *Actor. 15. verſ. 4. & 22.*
lus, ſe ubi Euangelium prædicaverat, Legalium ceremoniarum jugum Gentibus minime imponere. Atque hæc obtinuerat doctrina, imo undequaque miſſæ fuerant literæ, ad hanc libertatem comprobandam. Itaque contradixiſſet ſibi Paulus, & mendacii ſe coarguiſſet, fraudulenter ſuadens, aliter prorſus à ſe prædicari, quam ſua ferret docendi ratio. Nihilominus triumphum canit iſte ineptus, *Paulum* (inquiens) *literæ ſervum minime fuiſſe, ſed Jeſum Chriſtum Sabbathi Dominum imitatum.* Faciamus rem ita habere. At longe aliud eſt, rem adiaphotam, aut rem ſua natura malam liberam facere. Quoniam Paulus ceremoniam ſua natura apud Judæos neque bonam neque malam uſurpavit, cenſet hic nebulo uti licere carmine illo, quod vocant Papæi Salve Regina: quod blaſphemiis totum eſt refertum, ubi Jeſus Chriſtus dignitate ſua fœde ſpoliatur, ut ea transferatur ad Mariam Virginem. Igitur iis rebus, quæ ſuapte natura vitioſæ non ſunt, libere poſſe nos uti, aut ab illarum uſu abſtinere, obſervandum eſt. At ubi liquet rem malam eſſe, longe alia eſt ſervanda ratio. Quapropter fruſtra inflatur iſte turbator, *Gentibus* (inquiens) *majorem occaſionem fuiſſe offendiculi in Paulo, ipſarum Apoſtolo, quam nobis, quum aliquem coram idolo genu flectentem videmus.* Speciosa fuerit oratio, ſi demus, quod petit, Voluiſſe nimirum Paulum ſimulare, contra ſuam ipſius doctrinam homines à ſe inſtitui. At longe certiſſimum eſt, optaturum fuiſſe potius Paulum trecenties in abyſſum detrudi, quam ut Euangelii puritatem ignominiæ exponeret, aut hujuſmodi ſimulatione ac mendacio corrumperet. Quid ergo habuit propoſitum? demonſtrare, non fuiſſe factam à ſe ſeceſſionem à Judæorum gente tanquam à gente execranda, neque horrori ſibi eſſe Legem. Et profecto fratres ex Gentibus, qui eum comitabantur, illa actione non fuerunt offenſi: ſcientes nolle Paulum evertere quod prædicaverat Euangelium, ſed velle falſam illam opinionem, de ſe tanquam Legis adverſario conceptam, à ſe avertere.
Id comprobat ipſe Apoſtolorum ſermo, Paulum *Actor 21. verſ. 24.*
ad oblationem faciendam cohortantium, ut omnes norint famam de ipſo ſparſam minime veram eſſe. Quare non fuit ei propoſitum, mendacio Judæos placare: imo potius eorum vanitatem coarguere, qui fuerant falſo ſeſe calumniati. Ex his efficitur, illam actionem optime cum tota ipſius doctrina conſenſiſſe. Factus quidem eſt ſervus Judæis, ut eos lucrifaceret, ſervatis quandoque ceremoniis ad ferendam illorum infirmitatem. Verum ad quos ſcri-
bens illa utitur oratione? Ad Corinthios, qui erant *1 Cor. 9. verſ. 20.*
ex Gentibus. Ergo minime jactat apud eos, ſe doctrinæ, quam ipſis tradiderat, palinodiam ceciniſſe,

aut

Digitized by Google

aut ſimulaviſſe ſibimet ſe contradicere. Nam ſuo
ipſius ore ſententiam adverſus ſe tuliſſet, quoniam
2 Cor. 1. verſ. 18. conteſtatur, ſermonem ſuum apud eos non fuiſſe
Etiam & Non: imo quod aliquid deliberaret, non
eſſe uſum levitate, ſed ſuum Etiam eſſe Etiam, &
Non Non. Quapropter apud alios fabulam agat hi-
ſtrio iſte, qui normam Paulo præſcribit, ut perſo-
nam agat, quæ ipſum nequaquam decet. Nititur
quidem allatam à me paulo ſuperius reſponſionem
infirmare: Magnum nimirum eſſe diſcrimen inter
ceremonias à Deo inſtitutas, & eas, quas commenti
ſunt homines. *Vel infans (inquit) diſtinctionem
hanc poteſt confutare: Nihil eſſe diſcriminis inter ho-
minum commenta, & res à Deo cum indignatione
improbatas.* Concedo, ſi quis re utatur, quam ſim-
pliciter vetuit Deus. At eadem non erat apud rudes
atque infirmos Legalium ceremoniarum ratio: qui-
bus earum uſus concedebatur adhuc, uſque dum
amplius in Euangelio profeciſſent, ad cognoſcen-
dam libertatem à Chriſto nobis partam. Res ergo
erat media, hoc eſt, neque bona, neque mala, ad
concordiam & conjunctionem Judæorum ac Gen-
tium fovendam, aliquam interdum ceremoniam ob-
ſervare: uſque dum ceremoniarum abrogatio per-
fecte intelligeretur. At illud certum eſt, Paulum
interfuturum nunquam fuiſſe ſacrificiis, quæ cum
Euangelio pugnabant ex diametro. Verum am-
plius etiam urget magnus iſte vir, & acumen ſuum
demonſtraturum ſe autumat, quando ait, *Longe
gravius fuiſſe crimen obſervationem dierum, licet à
Deo præſcriptorum, quam obſervationem humana-
rum traditionum quarumvis.* Confirmat hoc Pauli
teſtimoniis: qui ea de re ad Galatas hunc in mo-
Gal. 4: 11. dum ſcribit. Metuo de vobis, ne fruſtra fatiga-
& 5: 4. tus ſim apud vos. Item, Quicunque per Legem ju-
ſtificamini, à gratia excidiſtis. Magno neceſſum
eſt profecto furore agitari, qui adverſus ſe ita di-
micet. Verba, quæ citat, illud diſerte oſtendunt,
non agi de ritu aliquo externo, quem uſurpes:
ſed de falſa atque execranda ſuperſtitione, per
quam ſeducaris, hoc eſt, poſſe te gratiam ac ſalu-
tem adipiſci, aliquos feſtos dies obſervando. Longe
hoc diſſidet ab iſtius ſcopo. Et certe ſi alicujus
diei obſervationem, quo proximo gratificeris ac
placeas, conſequeretur, ut à Dei gratia excideres,
ipſemet Paulus ab ea excidiſſet. Verum hac de re
non eſt diſputandum hoc loco, tanquam de dubia
ac difficili quæſtione: quoniam non agit Paulus de
externo ceremoniarum uſu, uti habent diſerte
ipſius verba, ſed de falſa pravaque Galatarum opi-
nione, qui rerum inanium obſervatione ſalutem
nanciſci ſtudebant. Hactenus ergo patet, quo aga-
tur ſpiritu iſte homo, quæcunque comminiſci po-
teſt convitia adverſus me evomens: atque illud in
primis calumnians, decertare me pro mea tantum
gloria, dum cultus divini conſervare ſtudeo puri-
tatem. Cæterum arbitratur, nullam mihi fore re-
ſponſionem ad argumentum, quod ſubjicit: nimi-
Actor. 16. verſ. 3. rum, *Tuliſſe Paulum, ut circumcideretur Timotheus:
& 15: 2. quæ res pugnabat ex diametro cum ſynodo ab Apo-
Actor. 16. verſ. 4. ſtolis coacta, cui ipſe quoque Paulus interfuerat, at-
que adeo oppidatim præceperat, ut illius decreta ſer-
varentur.* Cauſam ſe ita obtinuiſſe exiſtimat, ut
libenter perſuadere cupiat, *optare me, ut eradatur
hic locus ex Bibliis, quod is me prorſus coarguat*
juxta ipſius ſermonem. Quærit, *num cenſeam tum
temporis liberam fuiſſe Circumciſionem.* Reſpondet
mei vice, *Non fuiſſe liberam.* At ego contra ſen-
tio, fuiſſe liberam. Alioqui fœde nimis impegiſ-
ſet Paulus, rem minime licitam perpetrans. Ete-
nim opera omnia ſua natura aut bona ſunt, aut
mala, aut media. Porro ſi non erat libera Cir-
cumciſio, erat ergo à Deo vetita. Manifeſtum
eſt itaque rem contra habere, quam ipſe aſſerat.
Gal. 5: 1. Quod adducit ex Epiſtola ad Galatas, Fideli-
bus perſtandum eſſe in libertate; qua eos Chri-
ſtus liberavit, eſt ἀδιάφορον. Quemadmodum enim
ſæpe ſum conteſtatus, non agitur in præſentia de
Legalibus figuris, ſed de cultu, quem poſtulat
Deus, ac proinde qui eſt neceſſarius. Verum exci-
pit, *Circumciſionem liberum eſſe non potuiſſe: quo-*
niam Paulus dicit, Si circumcidamini, Chriſtus ni- Galat. 5 verſ. 2, 3.
*hil vobis proderit. Rurſus, Teſtor omni homini, qui
circumciditur, eum eſſe debitorem totius Legis ſer-
vandæ.* Confutata eſt jam iſthæc ineptia. Paulum
enim non agere de externo ritu, ſed de ſtulta Ga-
latarum atque inani fiducia, qui Legalibus cere-
moniis volebant juſtificari. Hac enim ratione gra-
tiam rejiciebant, quam Jeſus Chriſtus nobis ad-
fert. Quando igitur exclamat, *Quid dicemus? Eratne
libera Circumciſio, quia fuit à Deo inſtituta, non ab ho-
minibus?* clamat inſtar cæci, qui duce orbatus erret.
Verùm ſomniat, quando ait, me cerebri ſui com-
mentum ſomniaſſe. Neque enim doceo ſimpliciter
licitam fuiſſe Circumciſionem, quod eſſet à Deo in-
ſtituta. Loquutio foret paulo durior: imo liceret
eadem ratione hodie quoque immolare boves atque
arietes. Quare ne proponat in poſterum iſte venera-
bilis ſua deliria, ea mihi adſcribens. Doceo autem
liberam fuiſſe Circumciſionem, quod ejus uſus non
eſſet apud eos prohibitus, qui nondum uſque adeo
in Euangelio profecerant, ut caperent ceremonia-
rum abrogationem. Si expendamus Circumciſionem
per fidem, poſt Chriſti adventum nihil eſt, neque
bonum, neque malum. Atque idcirco ſcribit alio
loco Apoſtolus, Circumciſus aliquis vocatus? Ne 1 Cor. 7. verſ. 18.
attrahat præputium. *At Paulus, quando rejicit Cir-
cumciſionem, tanquam execrandam, illos deteſtatur,
qui pios ad eam ſtudebant revocare.* Concedo: niteban-
tur enim fidem deſtruere, quam oportet in Jeſu
Chriſto conſiſtere, atque acquieſcere. Verum,
quod hujuſcemodi hominibus ſimilem eſſe me garrit,
quanam fit ratione? Aſſero Chriſtianis neceſſarium
eſſe, ut puros atque incontaminatos ſeſe conſervent,
quod ad ſpiritualem Dei cultum attinet. Suſtinebitne
iſte turbator effutire, deteſtandam eſſe rem atque
execrandam genu flectere coram Deo? Quod ſi con-
cedat, uti vel invitum oportet facere, licere ſaltem,
ſigno externo teſtatam facere reverentiam, qua
Deum proſequimur: efficitur ex eo, non eſſe idem
cum Circumciſione, quod ego poſtulo. In ſumma
diabolicam rabiem eſt animadvertere in hoc impro-
bo, quoniam ſpiritu vertiginis eum potavit Domi-
nus, ad ipſius nequitiam & contumaciam vindican-
dam. Attamen pergit adhuc, *Non magis nunc eſſe
liberam Circumciſionem, quam traditionum humana-
rum obſervationem.* Id ſi dedero, quid conſequetur?
Colligit, *Ceremoniarum quarumvis obſervationem
non magis Chriſtianum polluere poſſe, quum Pauls actio
quent.* Temporum diverſitas nullum ſcilicet habet
momentum. Audivimus ſuperius ex Pauli verbis, Coloſſ. 2.
antiquatam illis eſſe manufactam Circumciſionem, verſ. 11.
qui norunt Baptiſmi virtutem. Relinquendæ igitur
fuerunt ab initio liberæ, ad tolerandos infirmos, res
ſuapte natura veræ religioni minime repugnantes.
At procul ab illa ratione abſumus, quum per Euan-
gelii prædicationem abolitio hujus ſigni prorſus
fuerit manifeſtata. Alia ipſi venit in mentem ar-
gutia, *Quoniam externæ Legis ceremoniæ ſunt per
Euangelium abrogatæ, & Jeſus Chriſtus nullibi ve-
tuit genuflexionem, aut capitis nudationem, coram
idolis, haſce res liberas eſſe: ſiquidem ubi non eſt* Rom. 4. verſ. 15.
Lex, ibi nec transgreſſio eſt. Reſpondeo, Dominum
noſtrum Jeſum Chriſtum ſeſe adverſus Satanæ in- Matth. 4. verſ. 10.
ſultum armantem, mandatum de uno Deo ado-
rando ratum feciſſe. Vox enim qua utitur, ſigni-
ficat procumbere, ac genu flectere. Quando etiam
Petrus damnat reverentiam, à Cornelio centu- Actor 10. verſ. 25.
rione ſibi exhibitam, quod à religione manaret,
quæ uni Deo debetur, demonſtrat ſatis, externum
cul-

cultum requiri æque à nobis, atque olim à Judæis requirebatur. Certe ſi genuflexio inane eſſet ſignum, hiſtrionicam egiſſent pii, ac Deum riſiſſent, quum orantes hanc ceremoniam uſurparunt: uti de ſe teſtatur Paulus: & Lucas de Paulo atque omnibus Epheſinæ Eccleſiæ presbyteris narrat. (*Epheſ.* 3. *verſ.* 14. *Actor* 20. *verſ.* 36. *Luc.* 22. *verſ.* 41.) Quinimo nobis impoſuiſſet Dominus Jeſus Chriſtus, quando hujuſmodi exemplum propoſuit imitandum. Verum ſtolidus iſte illo ſeſe ſemper involvit errore, confuſe ceremonias omnes earum nomine complectens, quæ ſolis Judæis fuerunt præſcriptæ. Quod ſi admittatur iſtiuſmodi delirium, æque liceat hoc tempore vitulos atque agnos immolare, atque unquam licuit. Imo, quod etiam eſt gravius; liberum ſit coram ſtatuis omnibus atque idolis hiſce litare ſacrificiis. Quapropter, ut hoc de circumciſione Timothei caput abſolvam, illud aſſero: Quanquam errarent complures, propter ſuam ipſorum ruditatem, in ceremoniarum obſervatione, potuiſſe tamen à Paulo Judæi filium circumcidi, ut aditus ei ad ſuam gentem pateſieret. Simul etiam addo, non damnari Galatas à Paulo, propter externam actionem, quam ipſe liberam duxit: ſed propter falſam doctrinam, qua erant imbuti, Circumciſionem eſſe ad ſalutem neceſſariam. Tertio loco illud adjicio, non uſurum fuiſſe hac libertate, charitatis prætextu, niſi ſua natura Circumciſio fuiſſet res media, neque bona, neque mala. Verum quæro, cur diſſimuler, quod alibi ſcriptum extat, (*Gal.* 2: 3.) Recuſaſſe Paulum circumcidere Titum, propter falſos fratres, qui irrepſerant ad fidelium explorandam libertatem, ut eos in ſervitutem adigerent. Colligere eſt ex eo loco, liberum fuiſſe Paulo aliquem circumcidere, aut ſecus, pro loci ac temporis circumſtantia. Atque ita uno verbo eſt confutatum, quidquid blateravit iſte impoſtor. Quod addit poſtea, non ſpectat alio, quam ad ejus impietatem retegendam. Niſi enim immerſus eſſet in putida Libertinorum fæce, Spiritui prudentiæ non tribueret fictionem ac ſimulationem. Sed argutatur, *Quoniam hominum manibus coli non poteſt Deus, ne offendi quidem poſſe.* Reſpondeo, Paulum ita loquentem Gentium amentiam arguere, quæ Deum in viſibili ſpecie atque imagine adorabant: uti habent diſerte verba, (*Actor.* 17. *verſ.* 24.) Deum, qui fecit cælum & terram, quum ſit cæli & terræ Dominus, in manufactis templis non habitare, vel manibus hominum coli, alicujus rei egentem, quum ipſe vitam det univerſis: quando ergo ipſius ſumus progenies, non eſſe exiſtimandum auro aut argento, aut lapidi ſculptili, artificii aut commentationis hominum eſſe ſimilem. Ecce igitur Scripturæ nimis fœdam depravationem. Et profecto, niſi externus cultus Deo conveniret, fruſtra prohiberet Paulus, (*2 Cor.* 6. *verſ.* 14.) ne impari jugo cum infidelibus copulemur. Imo hanc confirmans ſententiam, quando verba illa ſubjicit, Nullam eſſe conſenſionem templo Dei cum ſimulacris, & fideles, quoniam ſunt templa Dei, ſecedere ab omni debere inquinamento: de hac quæſtione aperte decernit. Nam agere cum non de ſpirituali ſola, ſed de externa quoque idololatria, manifeſtum fit à concluſione, qua utitur: (*2 Cor.* 7. *verſ.* 1.) Oportere ut fideles purgent ſeſe ab omni carnis ac ſpiritus inquinamento. Præterea notum eſt, Corinthios non fuiſſe idololatras, quod opinarentur Deum à ſe coli: ſed ut placerent hominibus, liberum duxiſſe, egregie ſimulare, atque Ethnicos ad ipſorum ſacrificia proſequi. Denique fuiſſent libenter uſi privilegio quod iſte ſcurra uſurpat. Paulus contra denunciat indignos eſſe, qui pro filiis Dei cenſeantur, ſi vel ipſa corpora polluerint idolomania. Quomodo delet alio loco atque abradit idololatras ex eorum albo, (*1 Cor.* 6. *verſ.* 9.) qui regnum Dei poſſeſſuri ſunt. Nam colligere obvium eſt ex tota tractatione, Corinthios minime fuiſſe ad idololatriam ſuperſtitione impulſos, verum ad familiaritatem cum hominibus hujus ſeculi alendam. Quod huc accommodat illa Pauli dicta, (*Tit.* 1: 15. *Rom.* 14. *verſ.* 14.) Omnia pura eſſe puris: &, Nihil eſſe impurum per ſe, ſed ei qui exiſtimat aliquid eſſe impurum, id ei impurum eſſe: illa detorquet prorſus alio. Prior enim locus demonſtrat nullum hodie impurum eſſe cibum, quod ſimus ex Legis ſervitute vindicati. Altero explicat Paulus, eos qui ex Lege Moſis diſcrimen adhuc ciborum conſtituunt, ſpoliare ſeſe Dei beneficio, ac libertate illis conceſſa, ſua ipſorum dubitatione, quæ ab errore atque ignorantia manat. Num efficitur propterea, illum non inquinari, qui ſimulat ſe ad idolum transferre reverentiam, quam debet Deo? Verum expendamus, quam apte magnus iſte vir ad hæc reſpondeat argumenta. Quo demonſtret non damnari à Paulo externam idololatriam, id recitat quod in eadem Epiſtola ſcriptum extat, (*1 Cor.* 8. *verſ.* 4.) De eſu eorum, quæ idolis immolantur, ſcimus idolum nihil eſſe in mundo, & nullum eſſe Deum alium, niſi unum. ſed non in omnibus eſt ea ſcientia. Hoc loco jactabunde exclamat: *Mirum iſtud eſt. nonne norunt omnes, nullum eſſe alium Deum, niſi unum? Opinor id Judæis notum fuiſſe: atque hodie in Europa univerſa ſatis eſt notum.* Sibimet ipſe reſpondet poſtea, *Verum Deum à nemine cognoſci, niſi ab eo, qui omni ſpoliatus præjudicio ſalutem in eo quærit.* Id vere dicitur: ſed huc non pertinet. Paulus enim ita loquens, Scimus idolum nihil eſſe: non ſuam, ſed Corinthiorum ſuſtinet perſonam: qui hanc inaniter prætexebant defenſionem. Id manifeſte comprobatur ex præcedenti contextu. (*1 Cor.* 8. *verſ.* 1.) De iis quæ idolis immolantur, inquit, ſcimus nos omnes ſcientia eſſe præditos: ſcientia inflat. deinde addit inſequentia. Liquet ergo, rejici à Paulo Corinthiorum defenſionem, tanquam frivolam atque inanem; nimirum ſe non eſſe uſque adeo bardos, ut ſaxum aut lignum adorent, aut ullas Ethnicorum idololatrias in pretio habeant: ſed noſſe univerſas eorum ſuperſtitiones nihil eſſe aliud, quam vanas præſtigias. Eſto, inquit Paulus: at id minime ſufficit. Etenim ſunt imperiti multi, atque infirmi, qui arbitrantur nos religionis ergo id facere, & in errore obfirmantur hac ratione. Eam ob cauſam addit poſtea, (*1 Cor.* 8. *verſ.* 11.) Et tua iſta ſcientia frater, qui infirmus eſt, peribit? Obſervandum eſt porro, non damnari Corinthios hoc loco ab Apoſtolo, quod coram ſimulacro flexiſſent genua, aut quod aliquid ei obtuliſſent, aut quod idolum deoſculati fuiſſent: ſed tantummodo quod ſolennibus intereſſent epulis, in quibus edebatur caro ex idolothytis ſumpta. Quæ res, ſi caruiſſet offendiculo, ſua natura licita fuiſſet. Quemadmodum hodie liceat veſci pane, quamvis ſacrificuli exorciſmos ſuos ſuper triticum, ex quo confectus eſt, pronunciarint. Eſt enim actio ſua natura adiaphora. Verum iſte nebulo [illegible] concludit, *Compertum eſſe vel ipſis infantibus, nulla in re ullam eſſe pollutionem, ſed tantam in conſcientia.* Ut tantam blaſphemiam perſuadeat, opus eſt, ut nos belluino ſenſu prorſus induat. Sequiturne ex eo, quod aliquo veſci cibo non eſt inquinamentum, quia ſunt à Deo creata omnia, (*1 Tim.* 4. *verſ.* 3.) ad participationem cum gratiarum actione, licere ſacrum Cœnæ Domini panem cani porrigere, & idolum tollere, ut ejus adorationem præ te feras? Quæro, annon ſit ſcelus abnegare Deum & Chriſtum? Chriſtus porro pronuncians, (*Mat.* 10. *verſ.* 33.) ſe abnegaturum coram Patre & Angelis ſuis eos, qui ſe coram hominibus abnegaverint: non eos notat, qui ſcientes ac volentes blaſphemaverint, ſed eos qui perſequutionum terrore victi fuerint. Quapropter ſunt actiones quædam ſuapte natura malæ, quantumlibet fucentur ſpecioſe. Errorem alium præterea nimis fœdum admittit acutus hic doctor. Ita enim argumentatur: *Si idolothytum hunc polluit, non illum item, ſequitur pollutionis originem ab ipſa conſcientia duci.* Primum reſpondeo hoc vere dici de eo, quod ſua natura eſt medium, uti cibis quibuſvis libere veſci. Deinde moneo, uti re apud ſe diligentius expenſa intelligat, eſcam modo polluere, modo

non

non polluere unum & eundem hominem. Qui libere
veſcitur cibis quibuſvis, non inquinatur, modo ne
offendiculi anſam præbeat: at ſi peccandi occaſio-
nem dat proximo, tum polluitur. Ita concedit qui-
1 Cor. 10. vers. 25. dem Corinthiis Paulus, ut edant quicquid venditur
in macello, uihil intertogantes propter couſcien-
tiam: at ſi rudis aliquis atque infirmus in fide à
recta via illa occaſione abducitur, diſerte vetat ne
edant. Hoc ſenſu accipiendum eſt illud Domini Jeſu
Mat. 15. verſ. 11. Chriſti dictum, Non quod ingreditur in os, pol-
luit hominem. Nam ceremoniarum quæ ad tem-
pus fuerant inſtitutæ, de externis lavacris, nullum
amplius eſſe uſum indicat. Verum noſter homo,
ſatis intelligens ea, quæ capite decimo prioris ad
Corintbius habentur, admodum repugnare ſuæ ſen-
tentiæ, effugium comminiſcitur, quo uti nun-
quam ſuſtinuiſſet, ſi haberet vel micam pudoris, aut
verecundiæ. Idulolatriam eo loci à Paulo damnari,
negare non poteſt. Verum ejus rei ait hanc eſſe ratio-
nem, *quod Corinthiis non eſſet adhuc notum, nullum
eſſe alium Deum, niſi unum.* Quaſi vero non confu-
taſſemus jam hoc cavillum. Teneamus ergo potius,
in iis idolulatriam damnari, qui ſeſe in religione
1 Cor. 3. verſ. 1. præclare inſtitutos jactabant. Excipit, *Paulum di-
cere, ſe non poſſe ipſis loqui, at ſpiritualibus.* Si con-
cludit ex eo, quicquid univerſa complectitur Epi-
ſtola, reſpicere Corinthiorum ruditatem: efficie-
tur Inceſti, ſcortatorum, homicidarum, ebrioſo-
rum, ac furum condemnationem ad infantes tan-
tummodo ſpectare. Ad ſententiæ ſuæ confirmatio-
1 Cor. 11. verſ. 4 nem nititur probare, *Paulum, quando jubet ut viri
aperto, mulieres autem operto capite orent, lactis potu
eos alere, qui ſolidum cibum ferre nondum poſſunt.* Sed
enim quid reſpondet ad concluſionem, quæ ſtatim
1 Cor. 11. verſ. 16. ſubjicitur, Si quis eſt contentioſus, uos ejuſmodi
conſuetudinem non babemus, neque Eccleſiæ Dei?
Etenim iis verbis demonſtrat Paulus, ſe ad carnales
orationem minime dirigere, aut ad eos ſeorſim ac
ſpeciatim, qui Deo careant: ſed agere de generali
ordine, qui ſervandus eſt in Eccleſia Dei, adverſus
quem pugnet nemo, quiu ſe ſchiſmaticum prodat.
Ad ſummam, ſi credimus huic ſcurræ idolulatriam
octavo capite concedit Paulus, quam decimo poſtea
damnat. Numquid enim eum non pudet, totidem
verbis iſtud effutire? Veruntamen ad hujuſmodi re-
1 Cor. 6. verſ. 12. & 9: 4. pugnantiam defendendam ait, *Paulum de offendiculis
tractare, quæ in iis rebus perpetrantur, quas ille idem A-
poſtolus gloriatur eſſe in ſua poteſtate.* Hoc ipſi magis ad-
2 Cor. 11. verſ. 8. verſatur, quam ſi ageret Paulus de rebus prorſus ma-
lis: Etenim ſi mota fuiſſet controverſia de ſacrificiis,
quæ idulis fierent, ſimpliciter abominatus fuiſſet tan-
tum flagitium Paulus, & rem abſque diſputatione in
panca contraxiſſet, Trecenties potius eſſe oppeten-
dam mortem filiis Dei, quam tantum ſacrilegium
admittendum. Sed ulterius progreditur, gravius
etiam quid denuncians, Moriendum potius eſſe,
quam cum offendiculu uſurpandam actionem, etiam
natura ſua liberam. Quemadmodum malum non eſt
iis veſci, quæ ſunt idolis immolata, niſi rudes atque
infirmi aliquam in ea actione religionem nubis eſſe
ducant. Tunc ſevere mandat Paulus, ut ab ea abſti-
neamus. Iſte autem turbator verba recitans, corrum-
pit omnia. Etſi vero nou immoror in demonſtranda
ipſius ignorantia, imo etiam do idolothytorum eſum
minime malum eſſe: tamen inepte nimis concludit,
id cauſæ ſuæ nequaquam adverſari. Quinimo conatus
eſt ſuperius demonſtrare, *id eſſe idololatricum*: quod
ego inficior, & mecum negabit, quicunque judi-
cio valet. Autumat ſe bellam reperiſſe argutiam:
Æque magnum (inquiens) *eſſe flagitium veſci idolo-
thyto, quod eſca in corpus ingrediatur: atque eſt genu
flectere, aut caput aperire coram idolo.* Concedo non
levius fore peccatum, ſi eſus manifeſtam det idolo-
latriæ ſignificationem. Sed redeundum eſt ſemper
ad eam diſtinctionem, qua fecerimus id quod ex
diametro cum externo Dei cultu pugnat, ab eo quod
ſimpliciter illi non adverſatur. Verum ad hoc argu-
mentum magis illuſtrandum, miſerum hunc cæcum
in ſuis contradictionibus hærere ſinentes, rem paulo
altius repetamus. Certum eſt Apoſtolum 8. cap.
prioris ad Corinthios aliud prorſus argumentum tra-
ctare ab eo, quod initio decimi ſubnectens adjungit.
Nam octavo eos hortatur ad libertatem ſuam ita tem-
perandam, ut ne offendiculo ſint cuipiam infirmo.
Quare eſus, de quo agit, ſcandalum non habet na-
tura ſua adjunctum. Id exemplo ſuo comprobat
cap. 9. ſe ab exigendo præmio (inquiens) abſtinuiſſe,
ab Eccleſiis, quas docebat, etiamſi id ſibi liceret.
Inde rem altius repetit, eoſque arguit, quod idolo-
latriam ſimularent, & cultui Dei, ſinceræque Chri-
ſtianiſmi confeſſioni derogantes ſeſe multis pollue-
rent abominationibus. Eamque ub cauſam proponit
exemplum filiorum Iſraël: quos concludit punitos 1 Cor. 10. verſ. 11.
fuiſſe ad noſtri admonitionem, ue illos imitemur.
Quoniam vero excipere poterant Corinthii, ſe non
accedere ad altare ſacrificaturos, oſtendit Iſraëlitas
idololatriæ damnari à Moſe, uon ſimpliciter, quod
aureum vitulum adoraviſſent, ſed quod choreas du-
xiſſent, aliaque ludicra in religionis teſtimonium
peregiſſent. Quum enim dicitur ſediſſe populum ad 1 Cor. 10. verſ. 7.
edendum ac bibendum, & ſurrexiſſe ad ludendum,
nihil notatur aliud, quam ſolennis feſtivitas, in vituli
honorem celebrata. Quapropter eos hortatur ad fu- 1 Cor. 10. v. 14. 15. & 21.
giendam idololatriam, non internam, ſed eam, quæ
committitur in hominum conſpectu. Addens dein-
ceps, ſe peritis loqui, demonſtrat duo illa conciliari
minime poſſe, ut menſæ Domini noſtri Jeſu Chriſti
quis participet, ac menſæ dæmoniorum: quod ſint
res ex diametro ſecum invicem pugnantes, & quæ
ſimul nequeunt conſiſtere. Intelligimus igitur idolo-
latriæ nomine alveo reprebendi diſerte, quicquid
ejus ſpeciem præ ſe ferebat, neque aliter poterat in-
terpretati. Tum ad generalem revertens quæſtionem
reſpondet ad illud, quod cauſari poterant Corinthii,
nimirum videri Paulum habere idola in aliquo pre-
tio, aut vim aliquam ipſis tribuere: quod homines
externa pollui actione, atque ex fidelium cœtu ex-
ſcindi pronunciaret. Docet ergo, quum Gentes cor-
dis ſui figmentis ſacrificent, non debere ipſos ullo
modo cum iis eſſe dæmoniorum participes. Quo-
modo nos hodie pronunciamus, quando à Papæis in
Miſſa perpetrantur complura deteſtanda ſacrilegia,
eum, qui ſit hujuſmodi actionis particeps, & tantam
ſectetur abominationem, à Jeſu Chriſto deſciſcere.
Generalem tractationem perſequitur poſtea Paulus,
in rebus mediis & quæ liceant ſua natura, ſpectandam
eſſe ædificationem, ut nimirum imperitos ad timo-
rem Dei, puramque religionem adducamus, & qui
ſtant, in ea confirmemus. Quo loco concludit, quic-
quid à cultu Dei proximos avertit, atque iis errorem
aliquem parit, aut ſcrupulum injicit, nullam mereri
excuſationem. Quando igitur genuflexio coram ido-
lis imperitis ſcrupulum injicit, atque ipſorum ani-
mum ſtulta involvit opinione, exhibendum eſſe ho-
norem ſimulacris, efficitur nos ſimpliciter ac vere ſe-
cundum Pauli mentem, imo tanquam ex ipſius ore
loqui. Quod cauſatur deinceps, *Nos hypocritas eſſe,
qui exteriorem modo partem purgemus, quum intus pleni
ſimus rapina atque intemperantia:* mera eſt calumnia,
atque adeo nimis fœda. Agat cum iis qui ſunt hujuſ-
modi. Verum opinaturne obtinere cauſam ſe poſſe,
iniquiſſime nobis convitiantem? Ait, *Nos ſtudere, ut
magis hominibus placeamus, quam Deo* Oſtendat qua-
nam in re. Si ſatis eſſe doceremus ad pietatem, ut ſpe-
cioſe fucati atque inculpati curam hominibus appa-
reamus, merito iſtiuſmodi uteretur adverſus nos ex-
probratione. Sed quum ſequuti Prophetam docea- Pſal. 24. verſ. 4.
mus, oportere, ut Deo placeamus, nos corde puros
eſſe, & mundos manibus, non eſt ratio, cur fictionem
nobis exprobret. Imo frontem prorſus perfricuit,

Tt quum

quum exclamet, *Initium eſſe faciendum ab interioris
partis purgatione.* Teſtantur ſatis quæcunque de hoc
argumento ſcripſi, me præcipuam ſanctitatem non
ponere in rebus externis, ſed ſolum docere, confeſſio-
nem eſſe fidei appendicem, quæ ſeparari ab ea non
poteſt. Quod ex puro doctrinæ S. Literarum fonte
Rom. 10. derivatum eſt, atque ex ipſiſſimis Pauli verbis. At iſte
verſ. 10. turbator perturbat omnia, quando garrit, *Ab iis qui
ceremoniarum habent rationem, fieri contra Jeſaiæ Pro-*
Jeſa. 1. *phetæ ſententiam, Sacrificia non poſtulari à Deo, imo*
verſ. 11. *abominationi ipſi eſſe.* Nam locum illum ita detor-
quens, depravat, aut per imperitiam, aut per improbi-
tatem: quoniam Propheta non ipſum ceremoniarum
uſum abominandum eſſe Deo intelligit, ſed omnem
hypocriſin ab eo rejici, & deteſtandam haberi. Rem
ita habere illud probat, quod agit ad veterem popu-
lum, quem turbator iſte fatetur, imo negare minime
poteſt, obligatum fuiſſe ad feſtorum dierum obſerva-
tionem, ad ſacrificia peragenda, ad Legis jugum fe-
rendum. Efficitur ergo Prophetam non dare Judæis,
ut jugum ab ipſo Deo impoſitum excutiant. Sed de-
monſtrat omnem hypocritarum religionem coram
Deo aliud nihil eſſe, quam putidiſſimum ac fœtidiſſi-
mum ſtercus, donec purgarit ipſorum corda. Et pro-
Jeſa. 1. fecto id diſerte notat ratio, qua utitur, Manus ipſo-
verſ. 15. rum eſſe plenas ſanguinis. Præterea ſi eo loco reji-
ciuntur ceremoniæ, conſequitur, preces, & ritum at-
tollendi manus, abominationem eſſe. Nam apud Pro-
Jeſa. 1. phetam omnia ſunt eodem numero. Quum extende-
verſ. 15. tis (inquit) manus veſtras, occultabo oculos meos à
vobis: etiam quum multiplicabitis orationem, non
audiam. Exiſtimo iſtius turbatoris ſtupiditatem ſatis
eſſe patefactam. At prodit inſuper, ſe maligno agi ſpi-
ritu, & amaritudinis pleno, quum ſpecioſe mandata
ſecundæ tabulæ exaltans, cultum Dei nititur abolere.
Fortaſſis tutabitur ſe illo clypeo, quem obtendit, *Cul-
tum Dei ſitum eſſe in hominis corde.* Concedo: quando
agitur de principe ac primaria ejus parte. Sed perinde,
illud eſt, acſi dicat, poſſe aliquem abſque vitæ detri-
mento jugulari, quod vita poſita ſit in anima. Multos
locos coacervat, in quibus demonſtratur, Deum po-
ſtulare cultum ex cordis integritate manantem. Ve-
rum minime conſequitur, non eſſe virtutem Dei præ-
dicandam, quod ſumus vocati ad illuſtrem regni ejus
gloriam. Notum eſt quam multis demonſtret Apoſto-
lus ad Hebr., ceremonias nihil eſſe: veruntamen D.
Hebr. 3. N Jeſum Chriſtum Apoſtolum & Pontificem nomi-
verſ. 1. nat profeſſionis noſtræ. Atque ideo fideles hortatur,
& 4: 14. ut non in fide ſolum, verum etiam in fidei confeſſione
& 10: 22. perſeverent. Uti etiam aſſerit, tenendam eſſe ſpei no-
ſtræ profeſſionem non vacillantem. Ergo nimis eſt
frivola calumnia, genuflexionem coram idolo ex eo
concludere, quod Deum invocare præcipimur. Quod
ſubjicit, *quum non liceat in hominum conſpectu preces
fundere, aut eleemoſynam dare* (quod nihilominus con-
fert ad ædificationem) *eo minus in Baptiſmo aut Cœna
gloriam eſſe quærendam*, blaſphemia eſt execranda.
Primam depravat ſenſum verborum D. Jeſu Chriſti;
Matth. 6. 6. Mat. caput citans; ubi D. N. Jeſus Chriſtus non da-
verſ. 2, 5. mnavit publicas preces, quoniam ea ratione ſecum
Mat. 11. ipſe pugnaſſet: ſed illorum faſtum atque ambitionem,
verſ. 25. quibus unus Deus non eſt benefactorum idoneus te-
Joan. 11. ſtis, verum gloriam ab hominibus quærunt. Cæterum
verſ. 41. mandatum eſſe novimus, ut ſtudeamus ſancte atque
inculpate vivere, non in Dei ſolum, verum etiam in
hominum conſpectu. Quod vero Sacramentorum vi-
res uſque adeo enervat, ipſum auctorem graviter con-
temnit. Non eſt quidem gloria ex iis captanda, ut ne-
que idola ex iis fabricemus, neque ſalutis fiduciam in
iis reponamus. At illa rejicere tanquam res superva-
cuas, aut eorum neglectionem ſuadere, aliud eſt extre-
mum minime ferendum. Ad ſummam ſpecioſe veri-
tatem magnificans turbator iſte, ſtudet abolere ſigna,
quæ nobis donat Deus, ad gratiam ſuam teſtatam fa-
ciendam, & quibus nos ad cultus divini profeſſionem

utimur. Clamet quantum volet, *Animos hominum eſſe
plenos idololatriæ, licet externus cultus idolis non exhi-
beatur.* Neque enim doceo ſimulatione utendum, &
omnem puritatem atque integritatem cordis negli-
gendam. Sed quando duabus homo conſtat partibus,
ſpiritu nimirum & corpore, Deum puro ſinceroque
cordis affectu colendum aio oportere, totum ſe illi
animo & corpore conſecrare. Ridicula admodum pu-
gnat argutia: *Quum idololatria* (inquit) *ſub externa
ſanctitatis ſpecie latere queat, integritas quoque cordis ſub
externa poteſt idololatriæ ſpecie latere.* Quæ verba illud
ſonant: Quum poſſit aliquis cordis affectu homicida
eſſe, licet neminem reipſa interimat, efficitur ſince-
rum fraternumq; amorem ſub externo homicidio la-
tere poſſe. Quid facias uſque adeo furenti beſtiæ? Ta-
men perinde in hoc capite immoratur, acſi cauſam ob-
tinuiſſet. Quærit, *quomodo fieri poſſit, ut externa idolo-
latria, quæ umbra tantum eſt, hominem polluat, pietatis
autem ſpecies eum non purget.* Reſpondeo, nodum ab
eo in ſcirpo quæri. Pronunciat Apoſtolus, Bonos mo- 1 Cor. 15.
res à pravis corrumpi commerciis: Ergo ſi quis fue- verſ. 33.
rit vel geſtu diſſolutus, pollutus eſt. Veruntamen non
ſequitur prorſus eſſe purum, ex eo quod longe maxi-
mam caſtitatem ac pudicitiam præ ſe ferat, quoniam
pravam aliquam poteſt clam alere concupiſcentiam.
Ecce quomodo externum malum polluit hominem,
bonum autem externum non reddit eum prorſus in-
ſontem, neque prorſus innocentem. Unde fit manife-
ſtum, turbatorem iſtum nihil quam convitia inſtar fu-
rioſi evomere, quum blaterat, *nos ipſis Phariſæis magis
phariſaizare, juſtitiam in ritibus quærentes.* Quaſi vero
cultum Dei ſpiritualem non propugnemus aptius nos,
quam myrias ejuſdem cum eo farinæ hominum faciat.
Eadem eſt ratio, cur nobis exprobret, *quod judaize-
mus:* quia recuſamus ipſum imitari, ſectando idolo-
latriam. Videamus, quomodo ſeſe ex Pauli loco expli-
cet, in quo Corinthios hortatur, ut ne ſint idololatræ, 1 Cor. 10.
quemadmodum fuerant veteres Judæi. Cauſatur, *Eos,* verſ. 7.
*qui adorationem idolorum præ ſe ferunt in Papatu, non
eſſe contumacibus illis ſimiles: quoniam alacriter cervi-
cem ſupponunt Chriſti jugo, ſunt fideles, atque unum vi-
ventem Deum agnoſcunt, neque aurum aut argentum ad
conflandum idolum dant, ſed bona ſua pauperibus diſtri-
buunt.* Videtur ſibi evaſiſſe, hoc allato diſcrimine. Ve-
rum excipio jugi Chriſti partem in eo poſitam eſſe, ut
nomen ipſius confiteamur, & teſtatum faciamus deſi-
derium noſtrum, Deum pure colendi. Fidem non in
corde ſepultam jacere aſſero, ſed fructus ſuos in pro-
patulo edere. Unde manifeſtum eſt, eos omnes, qui ut
idololatris placeant, ſimulate agunt, ab iis ſe ſtare ali-
quod ſignum dantes, neque fide neque zelo obediendi
Deo præditos eſſe: ſed belluis errantibus eſſe ſimiles,
quum in mala ac perverſa exultent licentia. Non ex-
pendunt facultates in idolis fabricandis, ſed ipſorum
cultui corpora proſtituunt: quod eſt longe gravius.
Cæterum fœde hallucinatur iſte ineptus, quando aſſe-
rit, *Cenſuiſſe populum, ſe non à Deo, ſed à vitulo fuiſſe
redemptum ex Ægypto.* Contra enim populus hoc
obtendebat effugium, ſe vitulum colentem non abne-
gare Deum, à quo fuerat liberatus, ſed potius ipſius
imaginem venerati. Quomodo hodie ad ſua ſimula-
cra ſeſe projicientes Papæi, conteſtantur nihilominus
ad Dei honorem id ſpectare. Quare quicunque jugo
eodem cum iis copulantur, quantumvis clamitent ac
tergiverſentur, à Dei cultu recedunt. *Deum opinione
coli ab eo, qui Papales obſervet ceremonias*, aſſeverat.
Quaſi vero non fuerint Judæi hujuſcemodi opinione
decepti. Etenim bonæ intentionis clypeo nunquam
fuerunt ſpoliati: ſed quam frivolum illud eſſet de-
monſtravit Deus, contra voluntatem ſuam fieri pro-
nuncians. Verum neceſſe eſt nebulonem iſtum pror-
ſus perfricuiſſe frontem, utpote qui mentiatur ita
plenis buccis. Notum enim eſt Papæos preces ſuas
ad ſua ſimulacra dirigere, perinde atque factita-
runt Ethnici; imo D. N. Jeſum Chriſtum omnibus
ſpo-

ſpoliare elogiis, ut ea transferantur ad ſaxum aut
lignum. Tamen inſimulat nos immanitatis, quod
miſeros homines mactandos hoſtibus exponamus,
propter ſutiles ac pueriles nugas. Adeo præclare
ſentit de iis omnibus, quæ ad cultum ſuum inſtituit
Deus. Nihilominus prædicat ſe lynceis eſſe oculis,
ad infantiles hoſce ludos perſpiciendos, modo ita
obfirmetur aut inebrietur, ut nihil hæſitans Deum
honore ipſi debito ſpoliet, quo eum impertiat ſi-
mulacris omnibus, quæ miſeri infideles veneran-
tur. Etenim hæc eſt egregia concluſio, qua utitur:
*Quoniam nullus cultus eſt Deo gratus, niſi is qui ex
cordis integritate ipſi exhibetur: viciſſim nulla ſimu-
latio ingrata eſſe ipſi poteſt, quando idolorum adora-
tionem præ te fers tantummodo, ut gratificeris infide-
libus, animo nulla idolorum religione affecto.* Verum
Jeſa. 42. quid excipiet ad eum Jeſaiæ locum, ubi Deus per
verſ. 8. os Prophetæ pronuncians, ſe gloriam ſuam nemini
& 45. daturum, ſententiam ſuam exponit, Omne genu
verſ. 23. (inquiens) mihi flectetur? Quibus verbis demon-
ſtrat laudem ſibi debitam non manere integram, ſed
ea ſe ſpoliari, ſi vel ſpecie tenus cultum ac reveren-
tiam, quam ſibi ſervat, transferas ad idola. Do equi-
dem, Jeſum Chriſtum glorificandum eſſe, ipſius
veſtigiis inſiſtendo, ut nos ſpirituales eſſe demonſtre-
mus. Verum illud controvertitur, Annon imite-
mur Jeſum Chriſtum, ore, pedibus, & manibus,
perinde ac corde teſtatum facientes, nos templa eſſe
Dei, ejus cultui conſecrata. Quod cauſatur, *Pau-
lum, ſi fuiſſet adeo ſevere ad ſervandas ceremonias ob-
ſtrictus, non ita promoturum fuiſſe Euangelium, uti
promovit, quum eſſet Græcus Græcis, & Judæus
Judæis:* reſpondeo uno verbo, aliam neceſſitatem
1 Cor. 6. à me non imponi, quam à Paulo impoſitam, Ut glo-
verſ. 20. rificemus Deum in corpore & ſpiritu noſtro, quæ
2 Cor. 7. ſunt Dei: Item, ut purgemus nos ab omni inquina-
verſ. 1. mento tam carnis quam ſpiritus. Illidat ad hunc pa-
rietem, quantum volet, ut periculum faciat, num
ſit robuſtior futurus. Quod vero docuit Paulus, id
exemplo quoque comprobavit. Etenim aras idolo-
rum Athenis conſpiciens, tantum abeſt ut ſeſe ad eas
ſimulandi ergo projecerit, ut contra inflammatus
Actor. 17. fuerit ejus ſpiritus, quemadmodum narrat Lucas.
verſ. 16. Quare vel ipſi pueruli poſſunt judicare, quanta ſit
nebulonis iſtius impudentia, qui ſuſtinet effutire,
*ne unum quidem verbum de hoc argumento apud Pau-
lum extare.* Verum enimvero longius etiam aberrat,
quando nititur probare, *notari ubique avaritiam ido-
Coloſſ. 3. lolatriæ voce, quod alicubi Paulus loquatur eo modo.*
verſ. 5. Num eſt concludendum, vocem propriam depo-
ſuiſſe ſignificationem, quod avari vocentur idolola-
træ per ſimilitudinem? Verum ſatis arguit hanc Scri-
pturæ depravationem Paulus, Ne errate (inquiens)
1 Cor. 6. neque ſcortatores, neque idololatræ, neque mœchi,
verſ. 9. neque molles, neque qui concumbunt cum maſcu-
lis, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque
convitiatores, neque rapaces regnum Dei poſſide-
bunt: ubi eſt manifeſtum, à Paulo unum ab altero
1 Cor. 5. diſcerni, quemadmodum antea quoque fecerat. Alio
verſ. 11. etiam loco, Qui abominaris idola (inquiens) ſacri-
Rom. 2. legium admittis? non agit de avaritia, ſed de cultu
verſ. 22. divino ac religione. Quid ergo ſtultum iſtum juvat
cum Paulo diſputare, perinde acſi familiariſſimum
ipſum habens, ejus mentem prorſus caperet? Præ-
terea nunquam demonſtrabit alio ſpiritu ductum
fuiſſe Paulum, quam eo, quo Petrus & Joannes ejus
1 Petr. 4. collegæ acti fuerunt. Quum autem Petrus ſermoni
verſ. 3. de proterviis, vinolentiis, ac comeſſationibus ido-
lolatrias ſubjicit, vox aliter nequit uſurpari, quam
propria ac germana ſignificatione, pro cultu idolis
1 Joan. 5. exhibito, cum divini cultus profanatione. Joannes
verſ. 21. quoque nos cohortans, ut caveamus nobis non ab
idololatria tantum, verum etiam ab idolis, de ava-
ritia minime agit, ſed omnem puri cultus Dei pro-
fanationem damnat. Ex eo etiam liquet, non ma-
gis iſtum pudere mendacii, quam pudeat canem la-
trare, aut aſinum rudere. Perſuaderet libenter, *Ne
uno quidem verbo idololatriam ab ullo Euangeliſtarum
fuiſſe damnatam.* Atque exclamat hoc loco, *Chri-
ſtum Jeſum, qui verus eſt medicus, non præteriturum
fuiſſe ſilentio hunc morbum, ſi eſſet adeo lethalis.* Quaſi
vero ſuo ipſius ore non pronunciarit, cultu externo *Matth. 4.*
non eſſe adorandum niſi unum Deum. Tentatio enim *verſ. 10.*
qua ipſum oppugnabat Satanas, illud proponebat, *Matth. 4.*
ut procidens genu flecteret, quemadmodum di- *verſ. 9.*
ſerte habent verba. Reſpondet, id vetitum eſſe.
Quænam iſthæc eſt impudentia, apertam adeo rem
inficiari? Ad hæc ſevere adeo diſcipulis mandans *Mat. 10.*
horrendas adjiciens minas, ut ſe coram hominibus *verſ. 32.*
confiteantur, proculdubio complectitur ea omnia,
quæ fidei noſtræ confeſſionem concernunt. Et quan-
do minatur, ſe coram Patre ſuo abnegaturum eos, *ibid. v. 33.*
qui ſe coram hominibus abnegaverint: certum eſt
eum non parcere illis, qui ſibi cum infidelibus con-
venire ſimulaverint. Imo ipſe ſenſus communis di-
ctat, longe gravius eſſe crimen, coram idolo pro-
cidentem adorare, quam verbum aliquod ad obſcu-
randam veritatem obiter dicere. Quod ſi etiam per
os Apoſtolorum ſuorum loquutus eſt Dominus, ſa-
tis eſſe debent tam multa teſtimonia ſuperius allata,
ad demonſtrandum externam idololatriam non mi-
nus ab eo prohiberi, quam furta, homicidia, &
ſcortationes. Quomodo etiam ſatis demonſtrat Pe-
trus oportere, ut pii omnes ſint ab ea alieni. Hæc
ſunt ipſius verba: Satis eſt nobis, quod anteacto *1 Petr. 4.*
vitæ tempore libidinem Gentium patraverimus, *verſ. 3.*
quum incederemus in proterviis, cupiditatibus, vi-
nolentiis, comeſſationibus, compotationibus, &
nefariis ſimulacrorum cultibus. Quamobrem illi,
non concurrentibus vobis ad eandem luxus profu-
ſionem, peregrinari ſibi videntur, blaſphemantes.
Quod ſi fideles ſimulatione licenter uſi fuiſſent, ge-
nua coram idolis flectendo, quo Ethnicis gratifi-
carentur, nulla fuiſſet admirationis occaſio. Sta-
tuendum eſt ergo, apertum prorſus fuiſſe diſcrimen
in actione hac externa. Adeo imperite ſibi contra-
dicit, ut obmuteſcere ipſum oporteat, ſi quæ in eo
eſt verecundia, quum ait, *Interrogatum Dominum
Jeſum Chriſtum, quomodo regnum Dei poſſidere quis* *Mat. 19.*
poſſit, nos minime ablegare ad externam illam purita- *verſ. 16.*
*tem, quam ego poſtulo, neque jubere ut declinentur Ba-
bylonis inquinamenta: ſed ſatis habere, ut proximum
amemus.* Inſpiciant locum lectores, ubi diſerte pro-
nunciatum legent à Domino Jeſu Chriſto, ſervanda *Mat. 19.*
eſſe mandata, in quibus ſecundum eſt hoc, de quo *verſ. 17.*
agimus, Non eſſe adoranda idola. Suſtinuiſſetne
turbator iſte in medium adferre teſtimonium uſque
adeo adverſus ſe faciens, ſi fuiſſet mentis compos?
Addit, *Dominum Jeſum Chriſtum Velle miſericor-
diam, non ſacrificium.* Scilicet id à Propheta dictum *Hoſ. 6: 6.*
minime fuit, quo tempore ſacrificia ſevere man-
data erant. Quapropter Deo propoſitum nequa-
quam fuit externam populo idololatriam conce-
dere, quam adeo ſevere vetuerat: ſed ſolummodo
demonſtrare hypocritas operam ludere ſpecioſa
ſua ſimulatione, niſi ſecundæ tabulæ obſervatione
pietatem probent. Hoc ut capiamus melius, obſer-
vandum eſt nihil eſſe ceremonias, niſi ad finem
ſuum, purum Dei cultum, referantur. Quoniam
autem plerique ſunt ſimulationis pleni, atque ipſo-
rum cor teſtimonio non reſpondet, quod dant co-
ram hominibus: idcirco Deus revocat eos ad aliud
examen, nimirum probitatis, integritatis, ac mi-
ſericordiæ erga pauperes. Non vult tamen pro-
pterea priorem tabulam annullare: ut Deum ſper-
namus, dum conamur officio erga homines fungi.
Eadem eſt reſponſio ad illud, quod ſubjicit, *Ul-
timo die ſuis electis dicturum eſſe Dominum noſtrum
Jeſum Chriſtum, Venite benedicti Patris mei, qui* *Mat. 25.*
eſurientes ac ſitientes cibaviſtis & potaviſtis. Ex quo *verſ. 34.*

Tt 2 loco

loco colligit, ***Non exprobratum nobis iri genuflexio-***
nem coram idolis. Verum ſi locum habere debet hoc
gloſſema, conſequitur ſimul etiam, neminem da-
mnandum fore, quod Euangelio non crediderit,
quod nunquam Deum invocaverit, neque beneficia
ejus agnoverit, quinimo quod ejus nomen blaſphe-
maverit: quoniam eo loci nulla eſt fidei mentio, ne-
que precum, neque gratiarum actionis. Quare ſi
turbatorem hunc audiamus, ſatis foret, officium
erga homines feciſſe, licet Dei majeſtatem pedibus
conculcaſſes. Quod cauſatur, *Totam ſalutis noſtræ*
ſubſtantiam in Chriſto Jeſu poſitam eſſe, non conſe-
quitur idololatras ſervari: quoniam Jeſum Chriſtum
non poſſident, quando fœdis ſeſe polluunt inquina-
mentis. Redeundum enim eſt ſemper ad illud prin-
Mat. 10. cipium, Negaturum eſſe Chriſtum Jeſum coram Deo
verſ. 33. Patre ſuo, & ſanctis Angelis, eos qui ipſum nega-
verint coram hominibus, quantumvis mali ſint ac
perverſi. Excipit, *Nihil obeſſe illis poſſe, qui Deum*
amet ac proximos. Concedo. ſed quæro, num ſit
Deum amare, ipſum prodere, atque honore ſuo
ſpoliare, & licentia uti, idque perpetrare, quod
abominatur. Cauſatur, *Non omnes baptizatos puro eſſe*
corde. Quis inficiatur, & quicum ea de re decertat?
Verum ex eo colligere, Baptiſmum nihil eſſe, por-
corum inſtar grunnire eſt, non humano loqui modo.
Rom. 1. Euangelium non eſt mortua ceremonia, ſed viva Dei
verſ. 16. potentia. Si piorum ſanctitatem non eſſe ſpecioſam
ſimulationem colligeret, rectiſſime concluderet:
atque hoc docemus nos. Sed quis ferat, ut *inopinantem*
colligat, *Externam omnem reverentiam, quam Deo*
exhibemus, nugas eſſe ac nænias. Regula potius Do-
Mat. 23. mini Jeſu Chriſti ſequenda eſt, ut unum facientes,
verſ. 23. alterum ne omittamus. Quando ſeptimum Epiſtolæ
Rom. 7. ad Romanos citat caput, ut Legales ceremonias per
verſ. 4. mortem ac reſurrectionem Jeſu Chriſti abolitas
fuiſſe demonſtret, illum locum fœde corrumpit,
qui ad hanc rem nullo modo facit. Sed ut etiam dem,
quod petit, non conſequitur, omnes in univerſum
ceremonias eſſe abolitas. Neque enim Baptiſmus &
Cœna Domini eodem loco ſunt habenda, quo Cir-
cumciſio, & Agnus paſchalis. Novi equidem, ſana-
ticum hunc omnia abſque ullo diſcrimine abradere:
ſed eam ob rem tanto minus eſt ferendus apud eos
omnes, qui timore Dei præditi ſunt. Nititur dein-
ceps refellere, quod de vitandis ſcandalis docemus.
1 *Cor.* 8. Rem ab eo loco aggreditur, ubi Corinthios horta-
v. 9. 13. tur Paulus, ut videant ne libertas ipſorum infirmis
ſit offendiculo, aut eos in errorem abducat: & ſa-
tius fore demonſtrat carne nunquam veſci, quam
proximo eſſe offendiculo. Hoc loco autumat, bel-
lam ſibi occaſionem dari nobis illudendi. *Si eſt liber-*
tas, inquit, *res per ſe non eſt mala.* Quid multis eſt
opus, ad retundendam hujus belluæ arrogantiam?
Scripta mea univerſa demonſtrant, eo loci Paulum
agere de rebus mediis, quæ neque bonæ ſunt, neque
malæ, niſi ex conſequenti. At num efficitur, res
univerſas eſſe hujuſcemodi? Perinde iſtud eſt, acſi
1 *Petr.* 2. quis ex illo Petri dicto, Non habendam eſſe liberta-
verſ. 16. tem veluti malitiæ velamen, concludat ſcortationem,
atque ebrietatem liberam eſſe. Ergo palam eſt ſub-
verti omnia ab hoc ſtolido, dum perſuadere conatur,
conſcientias injuria ſubjici à nobis, rebus, quæ ipſis
conceſſæ ſunt. Hæc enim noſtra eſt doctrina: Si
omittendæ ſunt vel res licitæ, quando eſt aliqua ido-
lolatriæ ſuſpicio, qua rudes atque infirmi turben-
tur: longe magis eos eſſe damnandos, qui actiones
prorſus malas uſurpant, uti eſt coram idolo genu
1 *Theſſ.* 5. flectere. Jubet Paulus, ut abſtineamus ab omni ſpe-
verſ. 22. cie mali, ſequiturne propterea nullum eſſe malum,
niſi ſpecioſum? Porro illud propoſitum habet turba-
tor iſte demonſtrare, ſi aliqua in re ſumus liberi, eſſe
in omnibus omnino liberos. Interea videtur ſibi opti-
me ſeſe expediviſſe, dum ſcandala non ſunt ipſi curæ.
niſi quod addit, *Magnum eſſe inter Papales ac Gentili-*
tios ritus diſcrimen: quod olim capitale non erat idola
contemnere, ſed hodie niſi Papiſmum præ te feras, ma-
gno in vitæ diſcrimine verſaris. Bellum à ſe indictum
eſſe cruci Jeſu Chriſti nequeat apertius demonſtrare,
quam hac utens oratione. Tergiverſetur in poſte-
rum, & ſubterfugia verborumque involucra quærat,
quantum volet: illud eſt ſatis, quod uno verbo pate-
fecit, Velle ſe perſequutiones declinare, & vitam
cultu Dei ſibi pretioſiorem eſſe. Ita eos relinquam
ipſi diſcipulos, qui ſunt adeo molles, ut Chriſtiani-
ſmum deſerant, quo cum mundo vivant. Alió utitur
argumento, *Pauli tempore Chriſtianos fuiſſe ſibiipſis*
invicem notos, ſed hodie ignorari, quinam ſint in eo nu-
mero cenſendi. Reſpondeo mandatum nobis eſſe, ut
fidem noſtram teſtatam faciamus, non ſolum coram
bonis ac piis, verum etiam coram ipſis veræ ac puræ
religionis profeſſis hoſtibus. Excipit, *Eum qui bonus*
hominum opinione videtur, fortaſſe rejectum eſſe à Deo.
Eandem fuiſſe rationem quovis tempore aſſero. Nam
Eccleſia Dei paleam ſemper habuit tritico admixtam.
Cæterum non conſequimur propterea immunitatem,
à cultu Deo præſtando, & reverentia, qua ipſum
proſequimur, ſignis externis demonſtranda, ſive ad
bonorum ædificationem, ſive ad malos eo magis red-
dendos inexcuſabiles id faciat. Cavilli omnes, qui-
bus utitur, à variis noſtri ſeculi opinionibus non ob-
ſtant, quominus adverſus doctrinam pugnet, quæ
ſemper obtinuit in Eccleſia. *Calviniſtæ* (inquit) *à*
Lutheranis diſſident. Sane. Sed uno conſenſu doce-
mus omnes, abominandam eſſe idololatriam. Item in
eo quod per ſe liberum eſt, omnem ſpeciem ac ſuſpi-
cionem idololatriæ declinandam eſſe. Quod ſubjun-
git, fœdam adeo implicat contradictionem, ut vi-
deri queat nimium hauſiſſe. Etenim fieri nequit, ut
homo ſobrius ita pugnet adverſus ſe. *Mirum non eſt*,
inquit, *à Paulo, qui inſtar Angeli fuit, & ceu ſpe-*
culum perfectæ charitatis, ſervatam fuiſſe adeo exa-
ctam normam: ſed idiota, qui neſcit adhuc quid ſit
fides, non eſt ad ejus imitationem adigendus. Antequam
progrediamur, lectorem moneo, ut hujus nebulo-
nis verba diligenter expendat. Nam Libertinorum
ſermone utens, prodit omnino ſe Dei atque omnis
religionis eſſe contemptorem. *Opus eſt* (inquit) *ut*
in Chriſto Jeſu ſeipſum unuſquiſque prius diligat quam
proximos. Perinde eſt acſi dicat, Neminem Chriſtia-
num eſſe, qui ſeſe tanquam idolum non adoret, in
animum inducens, ad ſummum perfectionis gradum
ſe perveniſſe. Ex his colligit, *Ab eo ſtultiſſime fieri, qui*
perfectus quum minime ſit adhuc, ſeſe in mortis diſcri-
men conjicit, ut fidem ſuam teſtatam faciat. Cæterum
uti à furore ſuo impellitur, atque agitatur, ait *nos,*
quum poſtulamus, ut ſinguli externi cultus, quo Deum
proſequuntur, teſtimonium dent, plus exigere ab infirmis
atque idiotis, quam virtute ſua ac perfectione præſtiterit
Paulus. Verum quomodo conciliabit iſta cum iis,
quæ modo dixit, *Non eſſe infirmis atque idiotis impo-*
nendam legem, Pauli exemplum imitandi? Neque ſatis
iſtud eſt, in deterius ruit Quoniam enim fideles omnes
cohortamur, ut imitentur Abrahamum, credentium
patrem, exprobrat, *Nos velle pro libidine Eccleſiam re-*
gere, abſque ulla ratione. Nonne ſumma eſt (inquit) *re-*
rum confuſio, ſimpliciores atque idiotas & neophytos cum
ſancto Patriarcha Abrahamo copulare? Quum docet
Paulus, quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctri- *Rom.* 15.
nam ſcripta eſſe: item totam Scripturam utilem eſſe *verſ.* 4.
ad noſtri inſtitutionem: quæro annon ſanctiſſimorum 2 *Tim.* 3.
ac virtute præſtantiſſimorum quorumcunque com- *verſ.* 16.
plectatur exempla. Præterea, quum hortatur ad imi-
tationem ſui, Imitatores mei eſtote (inquiens), annon 1 *Cor.* 11.
dirigat orationem ad minimos quoſque, maximeque *verſ.* 1.
rudes. Imo iis verbis non contentus addit, Sicut
ego ſum imitator Chriſti. Id mirum videri minime
debet: quoniam ipſe Chriſtus diſcipulos alloquens, *Joan.* 13.
Exemplum, inquit, præbui vobis, ut prout ego feci, *verſ.* 15.
ita & vos faciatis. Omnis perfectionis exemplar,
vult

vult ut ſibi aſſimilemur. accuſabitne illud iſte nebulo, quod ratione careat? Novi equidem eſſe quædam facta particularia, quæ in exemplum trahenda non ſunt: quomodo non omnibus imperatum eſt, ut egrediantur de terra ſua, aut liberos mactatos immolent. Verum quanam in re immoratur iſte turbator? quod fideles docemus, acquieſcendum eſſe in Dei providentia, Abrahami exemplo: & quod pro divino cultu omnia contemnenda, atque ipſam adeo vitam negligendam affirmamus. Quid eſt illi hac de re diſceptandi cauſæ? Liquet ergo hunc canem ſuæ ipſius umbræ oblatrare. Veruntamen exclamat, *Nos eſſe immanes, qui miſeros multos homines mactationi exponamus.* Quaſi vero caducam hanc vitam cultu Dei æternaque animorum ſalute pretioſiorem eſſe oporteat. Revertitur quidem ad garrulitatem ſibi familiarem, *Non oportere, ut nos cremandos hoſtibus exponamus, propter ceremonias, quæ ſunt inanes nugæ.* At memoria recolant lectores, quid reſponſum ad hanc objectionem fuerit: Ceremonias, quæ ad fidei noſtræ confeſſionem, atque ad cultus, qui Deo exhibendus eſt, conteſtationem neceſſariæ ſunt, longe aliter eſſe æſtimandas, propter finem, ad quem referuntur. Ad ſummam, ſi præditus eſſet iſte nebulo vel una zeli gutta, ad propugnandum Dei cultum, reverentiamque ipſi debitam, longe aliam inſtitueret orationem. Teſtatur Joannes, [*Joan.* 2. *verſ.* 17.] Chriſtum purgantem templum illud impleviſſe, quod habetur in Pſalmo, [*Pſal.* 69. *verſ.* 10.] Zelus domus tuæ devoravit me. tamen agebatur de externo tantum cultu. Docet Paulus id commune eſſe fidelibus univerſis, atque in eo imitandum eſſe Chriſtum, proponens, quod eodem additur verſo, Oportere ut in nos incidant convitia eorum, qui convitiantur nomini Dei. Nonne plenis buccis eſt blaſphemare, quum videmus Dei cultum impiis ſuperſtitionibus everti, docere non ſolum eſſe deſerendum officium, ſed conſenſum quoque ſimulandum? [*Epheſ.* 5. *verſ.* 11.] Paulus ubi vetuit, ne commercium habeamus cum operibus infrugiferis tenebrarum, addit eſſe illa arguenda: iſte improbus *imperitiam ac ſtultitiam omnium Martyrum irridet*, quotquot hactenus eam ob cauſam paſſi ſunt. Nos adoritur poſtea, & hominem agens facetum, quærit, *cur non prodeamus ex noſtris luſtris ut anteſignani ad incendia gradiamur.* Faciamus, frigere me ac diſſolutum eſſe in officio faciundo, qui cæteros cohortor: num præjudicio erit doctrinæ meum peccatum? At ex Dei gratia, quod alios doceo, ad praxin ipſe retuli: neque *me in umbram ac tutum locum abdidi*, uti blaterat impudens iſte. Quinimo coram Deo atque ipſius Angelis ſancte poſſum teſtari me optaviſſe magis eorum, qui perſequutionibus agitabantur, ſocium eſſe, quam ullis hujus ſeculi deliciis aut dignitatibus frui. Idonei ſunt teſtes, quibus notum eſt, per me non ſtetiſſe, quin hoſtium rabiei, quando fuit opus, vitam exponerem. Etſi enim æque timidus ſum natura, atque ullus alius: nihilominus tantum audaciæ mihi tribuerat Deus. Veruntamen viſum ipſi eſt me ad hanc uſque diem incolumem ſervare. Quod cauſatur iſte ſcurra, *fieri à me contra Chriſti exemplum de* [*Zach.* 13. *verſ.* 7.] *quo ſcriptum extat, Percutiam paſtorem & diſpergentur oves gregis*: reſpondeo, ex eo quod caput membris præivit, minime conſequi, non eſſe à ſingulis ſuo ordine, prout vocantur, ſequendum. Cauſatur, *non perhiberi ullum ex Apoſtolis vivente adhuc Chriſto paſſum aliquid eſſe.* Cur vero rationem ſimul etiam non addit? Diſcipulos ceu in nuptiis egiſſe, interea dum cum ſponſo verſati ſunt. Sed [*Matth.* 9. *verſ.* 15.] monet Dominus adfuturum tempus, quo multæ perſequutiones erunt ferendæ, ac proinde hortatur, ut eo ſe præparent. Atqui tempus adeſt. Etenim Chriſtus mortuus eſt & reſurrexit, ut ipſi vivamus ac moriamur: & in corporibus noſtris per mortem ipſe glorificetur. **Quare quicquid ab iſto turbatore** aſſertur, adverſus eum pugnat. Do equidem, paſtoribus, niſi duces ovibus præeant, iſthanc ignaviam magno cedere probro. Verum tenenda eſt Magiſtri regula, ut ſe ſinguli ſequantur, ſicuti vocantur, ad commilitones minime reſpicientes. Quum enim Petro diceret Dominus, Sequere me, excipiebat, [*Joan.* 21. *verſ.* 20.] Joannem indicans, Hic autem quid? Sed reſponſum illi fuit, De Joanne quid ad te? tu ſequere me. Diſcamus ergo iis minime invidere, quibus parcit Deus. Interea tamen bibat unuſquiſque calicem ſibi præbitum. Aperte ſatis demonſtraverat hactenus impudens iſte, ſibi quidvis perinde eſſe, modo ſubſannatorem ſcurriliter agendo, frontem ſe perfricuiſſe, atque adeo inſtar canis prodat. Tamen prolixa ſua garrulitate inebriatus licenter magis ad extremum blaterat. *Tria ſunt* (inquit) *neceſſaria ad hominem aptum reddendum, quo Chriſtum confiteatur. primum ut ejus certam habeat notitiam: deinde ut optime norit dijudicare: denique ut ſit à Deo miſſus.* Non capiant ſimpliciores, quid ſibi velit hæc brevitas. Declarationem audiamus. *Illum* (inquit) *qui veritatem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, vult confiteri, oportet optime noſſe, quid ſit veritas. Si ita habet, neceſſum eſt, ut veritas ab omni peccato eum liberet. Nam qui peccat, vel mulierem concupiſcendo, ſervus eſt peccati. Quare nemo veritatem novit, niſi qui Chriſtum ſolum habet in ſe inhabitantem.* Ut rem ſpecioſam reddat, vulgato utitur argumento: *Non ſatis eſſe ad Chriſtianiſmum, ut intelligas, Papam eſſe Antichriſtum: Miſſam eſſe idololatriam: atque id genus cætera.* Porro lubens do, oportere nos, ut Chriſtiani ſimus, novas eſſe creaturas, ac nos minime noſſe, quid ſit Chriſtus, veritaſque Euangelii, niſi vindicati ſimus ex ſervitute peccati, & veterem hominem exuerimus, quo inſtauretur in nobis imago Dei. Verum aliud quæritur: Nempe utrum nonniſi perfecte regeneremur. Scriptura vero univerſa docet, neceſſum eſſe, ut fideles proficiant ac promoveant toto vitæ tempore: ac proinde neminem eſſe perfectum, ſed ſanctiſſimos quoſque in via verſari adhuc, quibus ſit adverſus ſuas infirmitates quotidie militandum. Imo Paulus quum [*2 Tim.* 4. *verſ.* 6.] ſe morti vicinum animadverteret, atque adeo jam libatus eſſet, ait ſe nondum perveniſſe ad metam, ad quam tendebat, ſed contendere ut perveniat. Non conſequitur ergo ex eo, quod Chriſtus in nobis regnat, atque ipſius Spiritus nos regit, ſummam atque abſolutam eſſe in nobis puritatem & perfectionem. Contra impudens iſte prætexens, *Chriſtianos in vitæ ſanctitatem renovatos eſſe debere*, contendit: *Neminem poſſe Chriſtum Jeſum confiteri, donec purgatus ſit ab omni macula ac ruga.* Quid vero ex his efficitur? Dum in hoc mundo vivimus, nulla ratione agnoſcendum eſſe Deum, quod ſimus imperfecti. Intertexat quantum volet præclaras ſententias, ad ſimpliciores fallendos, *Fidem non eſſe conciones aliquot audiviſſe, aut Euangelio credidiſſe*: quando redit eo, *ut neminem Chriſtianum eſſe dicat, niſi qui perfectus ſit, & neminem poſſe Chriſtum Jeſum confiteri, niſi eum, in quo nullum ſit vitium*: Euangelii profeſſionem à ſolis Angelis ac ſanctis demortuis poſtulat. Illud quidem aſſerimus, ut Chriſtum ore confiteamur, opus eſſe fidei radice in ipſo corde. At quando nugatur iſte ſcurra, *Nunquam tempus eſſe Chriſtum confitendi, donec ab omni labe purus ſit ac mundus*: hominibus, qui verſantur in terris, concedit, ut Jeſum Chriſtum licenter abnegent. Verum quæro, quoſnam alloqueretur Chriſtus, Quemcunque (in- [*Marc.* 8. *verſ.* 38.] quiens.) mei pudebit coram hominibus, ejus me coram Deo Patre meo pudebit? Profecto meliores ac præſtantiores erant tres illi, quibus poſtea dixit, Spiritus promptus, ſed caro infirma eſt. [*Mat.* 26. *verſ.* 41.] Certe Paulus ulterius progreſſus quam ipſi fuerat, quum ſuſpirans conqueratur, [*Rom* 7. *verſ.* 19.] ſe non facere bonum, quod vult, ſed malum quod non vult. Veruntamen ad oculos

idiotarum perſtringendos, à ſcopo aberrans cauſatur, *ſtulto illo*, quem vocat, *zelo Franciſcum Speram adactum ad deſperationem.* Si perſpectum illi eſt quod de illo homine ſcripſi, eſt improbus, qnod id diſſimulat. Sin perſpectum illi non eſt, ſuperſedeat poſthac de rebus ignotis garrire. Cognoſcere eſt atque animadvertere, hominem illum turgidum fuiſſe ambitione atque arrogantia. Ad auctoritatem ſibi conciliandam, erat etiam audacior. Quando intentantur minæ, quidvis abnegat, ad vitæ incolumitatem. Ut porro probrum ſuum velet, in erroneas ingreditur ſpeculationes, ad æternum exitium ſe fuiſſe prædeſtinatum. Hominum gloriam ſi quis ambiens magnum zelum præ ſe ferat ad tempus: quando autem pugnandum eſt, victus cedat: num propterea homo Dei timens non faciat teſtatam fidem ſuam in omni ſimplicitate ad mortem uſque? Recitat
Actor. 26. *verſ.* 11. Lucas, Paulum Eccleſiam perſequentem multos ſadegiſſe ad veritatem abnegandam, atqne adeo ad blaſphemandum. Oportuitne propter illorum levitatem omnes fideles mutos effici, nt ne idem paterentur incommodum? Longe aliud fuir Lucæ propoſitum in ea narratione. Imo potius Paulus, quem ita loquentem indncit, primum ſe contumaciæ atque immanitatis damnat: deinde alios levitatis, quod non fuerint ita conſtantes, uri oportebat. Ad ſummam,
Rom. 3: 4. quemadmodum ait Paulus Deum veracem eſſe, licet omnes homines ſint increduli ac mendaces: ita quando myriades hominum in fidei confeſſione deficerent, non oportet tamen, ut ullus fidelium propter iſtiuſmodi ſcandalum deflectat. Sed mirum eſt, oblivione ab eo ſepeliri innumeros prope Martyres, qui veritatem ſuo ſanguine conſtanter obſignaverunt. Criminatur, *magnum numerum fuiſſe à me impulſum ad oppetendam mortem.* Scilicet non adfuit ipſis Deus, quum hilariter oppetiverunt mortem, imo quum ad finem uſque perſeverarunt, quando vitæ incolumitas ipſis proponebatur, modo vellent aliquatenus cedere. Ecce viros, qui nullo ſunt errore imburi, accuſantur tantummodo, quod à Papatus abominationibus fecerint ſeceſſionem, ut puræ doctrinæ Euangelii adhæreant. Attentantur, ſollicitantur, blanditiis alliciuntur, minis ac terroribus contra oppugnantur. Invicta virtute reſiſtunt rebus omnibus, & ſe nolle alia lege vivere, quam Deum glorificando, teſtantur. Eam ob cauſam moriuntur. Quantumvis oblatret iſte canis, tamen neceſſe eſt, ut os ipſi obſtruatur. Quod ſi ſuſtinet adhuc inficiari, Deum in iis hominibus Spiritus ſui virtute operari, ſatis mihi erit ipſiuſmet verbis uti: *Iſtiuſmodi homines, ruptos quodammodo extra mundum, atque extra ſeipſos, ſano rectoque eſſe judicio, quod triticum glumæ, & aurum plumbo anteponunt.* Quicquid illud eſt, ſi miſeri unius, qui præcipitavit in deſperationis gurgitem, exemplo utatur, ingentem hanc Martyrum multitudinem, imo ſpiſſam hanc nubem, quomodo
Hebr. 12. *verſ.* 1. loquitur Apoſtolus, objiciam, ad oculos ipſi eruendos, quando lucem inſeri detrectat. Tanta eſt eorum, quæ ſubjicit, abſurditas atque ineptia, ut eum confutare me pudeat. Expedit nihilominus, ut admoneantur paucis lectores ipſius cùm impudentiæ
Luca 2. *verſ.* 10. tum imperitiæ. *Paſtores* (inquit) *accepto Angeli nuncio, natum eſſe Dei Filium, rem hac illuc non divulgant, ſed proficiſcuntur Bethleem, rei veritatem indagaturi.* Concedo credendum eſſe corde priuſquam
Luca 2. *verſ.* 17. ore fiat confeſſio. Verum quum additur, eos divulgaſſe, quod viderant: diſcamus ſinguli pro cognitionis noſtræ modo alios ad veritatis cognitionem
Mich. 4. *verſ.* 2. adducere. Sicuti ſcriptum eſt, Apprehendet vir manum proximi ſui, & dicet, Veni, aſcendamus in montem Domini, & docebit nos vias ſuas. Profecto Paulus non unum aut alterum, ſed omnes in univerſum monet, ut alii alios doceant, atque ædificent.
Mat. 16. *verſ.* 20. At excipit bonus hic ſilentii magiſter, *Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Apoſtolis poſteaquam ſecum erant familiariter verſati, & in nomine ſuo prædicaverant, ac miracula ediderant, interdixiſſe ne dicerent, ſe eſſe Chriſtum.* Sane: ſed tempus eſt notandum, vicinum fuiſſe ipſum morti quæ ſcandalum illis erat futura, ad eos à ſe abalienandos: quoniam regnum terrenum ad ſuos triumphos imaginati fuerant. Jubet ergo ut taceant ad breve tempus, ne ludibrio exponatur teſtimonium, atque in poſterum contemnantur. In ſumma uſurpandum eſt utrobique quod habetur in Pſalmo, Credidi, propterea loquar: ut nemo ſeſe im- *Pſal* 116.
miſceat muneri docendi, præter fidei menſuram, *verſ.* 10.
quam accepit: interea autem ne ſint muti, quos gratia ſua illuminavit Deus. Quare turbatoris iſtius concluſio, *Iis omnibus qui Chriſtum Jeſum oculis ſuis non viderunt, & manibus ſuis non contrectarunt, uti de ſe gloriatur Joannes, abſtinendum eſſe à teſtimonio veri-* 1 *Joan.* 1.
tati reddendo: ineptia eſt adeo manifeſta ut ſit ſatis *verſ.* 1.
præterita largiore diſputatione eam deteſtari. Hinc enim conſequeretur, Paulo non fuiſſe agendum de Jeſu Chriſto. Impietatem ſuam rurſus detegit, quum addit, *Eum, qui veritatis teſtis eſſe velit, debere profiteri, ſe nunquam cognoviſſe Deum, aut Chriſtum, aut ſeipſum.* Hoc modo omnes homines erunt immunes à teſtata unquam facienda gloria Dei vel uno verbo. Etenim ſi ipſum audiamus, nemini quidquam confitendum eſt, niſi perfecta cognitione prædito. Nunc autem vult, ut imperitos ſe eſſe univerſi profiteantur. Ita Deo ne unus quidem veritatis ſuæ teſtis in orbe reſtabit. Concedo, diligenter eſſe cavendum,
ne Dominus Jeſus nos objurgans, uti diabolum *Marc.* 1.
objurgavit, dicat Obmuteſce: aut ne Deus nobis *verſ.* 25.
interdicat, quemadmodum interdicit impiis omni- *Pſal.* 50.
bus, Quare uſurpas nomen meum in ore tuo? Ne- *verſ.* 16.
que enim ratione caret illa Pauli exhortatio, Diſ- 2 *Tim.* 2.
cedat ab injuſtitia omnis, qui invocat nomen Chriſti. *verſ.* 19.
Nos etiam diligenter docemus, quod ab Jeſaia de- *Jeſa.* 29.
monſtratur, Deum eos omnes abominari, qui ore *verſ.* 13.
ipſi appropinquant, corde autem procul ab eo abſunt. Verum non efficitur propterea, neceſſum non eſſe, ut in omnibus Chriſtianis ac Dei filiis concentus ſit atque harmonia, cùm interne tum externe Deum ſemper glorificandi. Accedamus jam ad alterum caput, quod poſtulat magnus iſte doctor, nempe judicium. Citat illud, quod diſcipulis
dixit Chriſtus, Vos eſtis ſal terræ. Demus hunc lo- *Matth.* 5.
cum ad rem facere. quid efficietur? Zelum abſque *verſ.* 13.
judicio inanem eſſe. Non eſt opus, ut ſit multus in re ſatis aperta comprobanda. Magnificet ergo judicium, quantum volet: *ſit illud modeſtiæ atque omnium virtutum magiſter: ſit* (quomodo ipſe nominat) *vitæ auriga.* Ubi diſſeruerit omnia, opus tamen eſt, quo ſe judicioſum probet, ut argumentum ſpectet, quod tractat. Atqui nihil ejuſmodi eſt in ipſo: vagatur tantummodo atque exilit in-
ſtar effrenis equi. Quod cauſatur, *Dominum noſtrum* *Matth.* 8.
Jeſum Chriſtum interdixiſſe aliquando iis, quos ſana- *verſ.* 2.
verat, ne rem divulgarent: non derogat univerſali normæ, ipſum eſſe ab omnibus agnoſcendum, quo colatur ab omnibus. Imo quando etiam ad tempus poſt reſurrectionem voluiſſet latere, tempus adeſt, quo omnis lingua (quemadmodum loquitur Pau-
lus) confiteatur eum eſſe ad gloriam Dei Patris. *Philip.* 2.
Quare non eſt veriſimile, ſanctum hunc Apoſtolum, *verſ.* 11.
qui excitat omnem linguam, ad Chriſtum palam laudandum, aliqua in pura Euangelii doctrina utentem ſimulatione lac parvulis atque infirmis præbuiſſe: ſed prudentiam adhibuit, qua ſe ad ſingu-
lorum captum accommodaret. Temeritatem Petri, *Mat.* 26.
atque imprudentem Jephthe zelum proponit iſte *verſ.* 33.
turbator. ſed quorſum? ad eundem ſcopum, ad *Jud.* 11.
quem ex Eccleſiaſtico ſeu ex Proverbiis reliqua illa *verſ.* 34.
omnia citat, nimirum tacendum eſſe, aut recte lo- *Prov.* 17.
quendum. At eſt dæmoniaci eo prætextu velle, ut *v.* 27, 28.
Dei veritas jaceat ſepulta. Nam fidelium prudentia *Ecleſ.* 20.
non eſt aſtutia, qua miſeris idiotis illudant, & Deum *verſ.* 7.

jure

Mat. 10. jure ſuo ſimul etiam fraudent: ſed juxta Jeſu Chriſti
verſ. 16. documentum, cum columbæ ſimplicitate conjun-
ctam eſſe oportet. ſi moneret, moderate loquendum
eſſe, nemo contradiceret. Verum demonſtrat, ſe igno-
raviſſe hactenus quid ſit modus, quum ab uno ex-
tremo in alterum labatur. Imo videtur reliquis omni-
bus ſilentium imponere, ut ſibi uni blaterare liceat.
Poſteaquam vero Chriſtianos omnes in Pythago-
ræos transformavit diſcipulos, adeo frontem perfri-
cuit, ut effutire ſuſtineat, *hanc ob cauſam Herodi &
Pilato nihil reſponſum fuiſſe à Domino noſtro Jeſu Chri-
ſto.* Aſſerit, *non tacuiſſe Dominum, quod eos duceret
indignos qui noſſent quod bonum eſt.* Quamobrem
ergo ſiluit? Reſpondet, *Noluiſſe ipſum obeſſe, quum
ſe nihil profuturum intelligeret.* Excipio, Filii Dei
doctrinam non futuram fuiſſe inutilem, imo utiliſſi-
mam Herodi ac Pilato, ſi fuiſſent auditores idonei.
Hic ergo aperta eſt contradictio. Cæterum liquet,
quam idoneus auditor fuerit Herodes: utpote qui
Luc. 23. ſtatuiſſet, illudere tantum Domino. Pilatum quoque,
verſ. 11. dicentem, Quid eſt veritas? manifeſtum eſt ſuperbe
Joan. 18. Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum contemnere:
verſ. 38. quod ſibi videretur imperitus ab eo duci. Verum hoc
præcipuum non eſt. Certum enim eſt tacuiſſe tum
temporis Dominum Jeſum, ut impleret, quod præ-
Jeſa. 53. dictum de eo fuerat ab Jeſaia: Non aperuit os ſuum:
verſ. 7. ſicut agnus ad mactationem ductus fuit, & non ape-
ruit os ſuum. Ac profecto neceſſum erat, ut ore oc-
cluſo condemnationem ferret, quo gloriandi anſam
atque argumentum nobis daret. Veruntamen me-
1 *Tim.* 6. moria recolendum eſt, quod ſcribit Paulus, Jeſum
verſ. 13. Chriſtum teſtatam feciſſe coram Pontio Pilato bo-
nam illam profeſſionem, ut nobis exemplo eſſet.
Quare ſi illum abnegaverimus, ipſe quoque nos ab-
negabit. Itaque omnia depravat iſte turbator, quando
Salomonis locum huc accommodat, ut demonſtret
fuiſſe à Chriſto ſepultam Euangelii profeſſionem.
Eadem eſt ratio eorum, quæ ſubjicit: *Jeſum Chri-*
Joan. 2. *ſtum non reſpondiſſe Judæis interrogantibus, quanam*
verſ. 18. *auctoritate ejeciſſet ex templo venditores & emptores.*
Joan. 8. *Neque illis item reſpondiſſe, qui mulierem in adulterio*
verſ. 6. *deprehenſam adducebant.* Quaſi vero doceamus Chri-
ſtianorum linguas crepare ſemper debere, inſtar
crepitaculorum. Nititur quidem nos iſtiuſmodi ca-
lumnia infamare: verum ſcripta noſtra ab ea nos ſa-
tis vindicabunt. Quinimo ipſa ejus concluſio, *Non
eſſe dandum ſanctum canibus, neque projiciendas mar-
garitas coram porcis*, quid aliud docet, quam id quod
in ſcriptis meis frequenter adeo explicatum occur-
rit? ad quæ lectores mitto, ne tædium ipſis pariam
ſupervacua oratione. Tertium quod propoſuerat ca-
put aggrediens explicare, interdicit, *ne ullus, niſi
vocatus, ſeſe immiſceat muneri concionandi.* Nihil
adfert, quod ex ſcriptis meis non diſcas ſatis: atque
adeo longe exactius arbitror, quam doceat unquam
ipſe, aut aliquis ſimilis. Opus ergo eſt ad conciona-
toris munus obeundum, ut rite ad illud ſis vocatus.
Nemo inficiatur. Veruntamen ad rem prorſus ma-
nifeſtam probandam, & quæ non eſt controverſa,
ſibi nequit temperare, quin depravet locos Scri-
pturæ quos citat. Vel unum illum Actorum cap. 17.
ubi narratur, Paulum ejeciſſe dæmonium ex ancil-
lula, quæ artem vaticinandi exercebat. Impudens
vero iſte prophetidem illam fuiſſe fingit. quod ta-
men non eſt graviſſimum peccatum. Obtendens
enim, *concionatoris officium à nemine uſurpandum eſſe*,
in labyrinthum ingreditur, *De Chriſto non eſſe á quo-
quam agendum ante Pentecoſtes feſtivitatem.* Conſe-
quetur ergo à nemine fidei confeſſionem edendam,
niſi accepto linguarum dono: *Spiritus ſancti eſt*, (in-
quit,) *non Calvini, docere quid ſit dicendum.* Con-
cedo. Sed ubi aliquid pronunciavit Spiritus ſanctus,
illi contradicere, quomodo facit iſte ineptus, arro-
gantiæ eſt diabolicæ. *Iis omnibus, quibus Chriſtus
viſus non eſt, & quos ſervos ſuos ac teſtes non conſtituit,
linguas eſſe frenandas* aſſerit. Demus id ita eſſe. Ve-
rum quando in genere de omnibus fidelibus, ita lo-
quitur Deus per Jeſaiam Prophetam, Vos eſtis te- *Jeſa.* 43.
ſtes mei, & ſervus meus, quem elegi: colligo ne- *verſ.* 10.
minem Chriſtiani appellatione dignum eſſe, qui
fidem ſuam teſtatam non faciat, quando opus eſt, ea
ratione atque occaſione, quam ipſi præbet Deus. Si
damnanda eſt temeritas atque arrogantia, ſcripta
mea teſtantur ſatis, quæ mea ſit ſententia. At ſobrie-
tas ac modeſtia filiorum Dei, non facit eos truncos,
ut credant, muti manentes. Univerſalis iſtius tur-
batoris concluſio eſt fanaticarum allegoriarum coa-
cervatio, quibus tamen fœdas interſerit blaſphe-
mias. *Qui propter ceremonias* (inquit) *patiuntur, dia-
bolo moriuntur.* At quemadmodum novimus, Mar- *Apoc* 6.
tyrum ſanguinem vindictam adverſus eos omnes *verſ.* 10.
ſummis clamoribus poſtulare, qui illum effuderunt
injuſte: ita nulla ejus eſt gutta, quæ gravem pœnam
ab hoc cane, adverſus eum iſtiuſmodi convitia evo-
mente, non ſit repetitura. Verborum bombo, quo
utitur, totum orbem perculſurus ſibi videtur. Pro-
fecto adeo belle interpretatur linguam Hebraicam,
ut illius ne peritiſſimus quidem ullus ſit quidquam
aſſequuturus. Nugamenta iſthæc ſi demas, ipſius
finis ſimii refert anum. Nam vel ab ipſis infantibus
pudenda perſpiciatur turpitudo. Illud tantum mo-
nebo, ut expendant lectores, quo jure ſibi con-
gruere dicat Pauli ſententiam, Nullam rem poſſe *Rom.* 8.
fideles ſeparare à charitate Dei. Superſedeo in præ- *verſ.* 39.
ſentia ipſius inſcitiam in loci interpretatione demon-
ſtrare. Verum quomodo gloriari audet, ſe ex illo-
rum eſſe numero? Etenim diſerte illud ſcriptum
extat, Si hujuſcemodi volumus haberi, opus eſſe,
nos Spiritum adoptionis, non ſervitutis accepiſſe,
per quem clamemus, Abba Pater: atque opus eſſe, *Rom.* 8.
ut cum Jeſu Chriſto patiamur, quo cum eo glorifi- *v.* 15, 17.
cemur. Contra vero impudens iſte vult, ut Dei no-
men ſepultum jaceat: ut prudentiam in ſilentio po-
namus: ut latitantes omnes perſequutiones egregie
declinemus. Cæterum quod Paulus pronunciat nos *Rom.* 8.
ſuperaturos quicquid nobis adverſatur, propter cha- *verſ.* 39.
ritatem erga nos Dei, uti habent diſerte verba: iſte
ineptus ſenſum invertens *amorem intelligit, quo
Deum nos proſequimur.* Miſſum faciamus hunc erro-
rem. Quomodo diſtinguas eos, qui Deum amant,
ab hoſtibus ac contemptoribus majeſtatis ipſius? Ar-
bitror Davidis exemplum nobis fore inſtar lydii lapi-
dis, ad hanc rem examinandam. Etenim ubi ſe Do- *Pſal.* 18.
minum dilecturum eſſe dixit, addit ſe in Gentibus *verſ.* 2.
illum prædicaturum, & nomini ipſius cantaturum *&* 50.
cantica. Quapropter ingrato huic nebuloni aliud ni-
hil reſtat, niſi ut aquæ inſtar effluat, ac tandem in-
tereat horrenda aliqua ratione, cum iis omnibus,
quos in ſectam ſuam pertraxerit execrandam.

SECUNDÆ PARTIS
TRACTATUUM VARIORUM
JOANNIS CALVINI,
CLASSIS QUARTA.

Admonitio adverſus Aſtrologiam, quam Judiciariam vocant.

Ex Gall. Divus Paulus de re uos admonet magnopere quidem neceſſaria: ſed quæ tamen à perpaucis animadverſa, ac uotata eſt: Nempe, quibus curæ nihil eſt quemadmodum cum ſincera conſcientia verſentur, eos à fide deflectere, atque aberrare. Nam innuir eos, qui ſuas conſcientias polluunt, ſeſe totos pravitati mancipaotes, non modo indignos eſſe qui in pura Dei notitia contineantur, verum etiam promereri, ut cæcitate affecti horribili, variis erroribus & falſis opinionibus traducantur. Mirum eſt autem quod tam levem cogitationem ejus rei ſuſcipiamus: quum quidem illius tot documenta quotidie nobis verſentur ob oculos. Conſtat enim Deum, quibus guſtum aliquem ſuæ veritatis impertierat, iis nunquam eam adimere, niſi quum indigne illam ſuſceperint: eaque adeo ad vanam ambitionem, aut alias affectiones carnis abuſi ſint. Enimvero quum ii, qui pecunias poſſident, adeo ſint in iis aſſervandis vigilantes, atque induſtrii, æquum erat inæſtimabilem hunc Euangelii theſaurum, quando eo nos Deus ditavit, in bona conſcientia quaſi includi: quæ ut ita dicam, vera eſt arca, cui tanquam fidæ & ſanctæ cuſtodiæ committi debeat, ne à Satana nobis eripiatur. Verum, quid contra fit? Magna pars hominum utitur verbo Dei, quaſi parato argumento, quo ſe det in ſermonem, in circulis & congreſſionibus quotidianis. Alii ducuntur ambitione: alii ſua ſectantur commoda: quinetiam quidam eo ad lenocinium abutuntur, ut inde ſibi aditum in conſuetudinem mulierculatum comparent. Plerique quamobrem ejus notitiam affectent, ne ſatis quidem perſpectum & conſtitutum habent: niſi quod eos pudet, quum alios intelligentes videant, ſe propter inſcitiam parvipendi. Utut ſit, omnes propemodum, aut plerique ſane omnium, hanc ſalutis doctrinam traducunt ad neſcio quam profanam philoſophiam. Quod certe tam immane ſacrilegium, Deus ferre nullo modo poteſt. Eſt enim ejus verbum ſacratius, quam ut eo ad hunc modum abuti liceat. Vivum illud eſſe oportet, ejuſque vis atque efficacitatis, ut in ipſa etiam corda permanet, excuſſurum exiſtimaturumque quicquid ineſt in homine, ipſaſque *Hebr. 4. verſ. 12.* adeo oſſium medullas, ut inquit Apoſtolus. Si ad ludum & oblectamentum rapiatur, an putemus Deum toleraturum eſſe, ut vis illius ita convellatur, & vana, ac prorſus inanis exiſtimetur? Mu- *1 Cor. 14.* nus ejus eſt, hominem arguere (ſicuti Paulus ſcribit) ut ſe ipſe condemnare diſcat: & ſeſe abjiciendo, gloriam Deo tribuere. Si ad jactationem & inanem gloriam rapiatur, nonne hæc perverſitas graviſſimum aliquod ſupplicium promeretur? Id nos *2 Cor. 3.* debuit ad imaginem Dei renovare: corrigens & emendans id quod è uoſtro in nobis eſt. Si quis ab eo ipſo quaſi auctore, occaſionem arripiat ſuis flagitiis indormiendi, atque in iis adhæreſcendi: nonoe æquum eſt, Deum animadvertere non in hunc modo tantum abuſum, quo ſcilicet cibus in venenum converſus eſt, verum in hoc etiam tantum ſacrilegium: quum bene beateque vivendi regula, ad vitiorum ſcelerumque omnium licentiam abutimur? Nec vero valde operæpretium eſt, iſtorum vitam ſubtiliter explicare, qui ſe profitentur veritatem Euaogelii notam perſpectamque habere: nam, ut ſemel dicam, illud ſane conſtat: qui reſipuiſſe & ſeſe ad bonam frugem, ut dicitur, recepiſſe debuerant, pleroſque deteriores evaſiſſe: cæteros in inſtituto, tanquam in luto adhæreſcere, certe quam minimum emendationis apparere. Paulus de reſipiſcentia com- *Epheſ. 4. verſ. 28.* memorans, & emendatione, quam io Chriſtianorum moribus eſſe decet, deque his fructibus, quos ex nova eorum vita profundi atque enitere oportet, ex quo ſcilicet ad imaginem Filii Dei renovati ac reſtituti ſunt: Qui furabatur, inquit, poſthac ne furetur. Quo dicto, percommode ſignificar, quod ſi prius de via aberraverimus, ſimulatque Dominus noſtri miſertus, voluntatem oobis ſuam patefecit, continuo relicto inſtituto curſu, remigrandum eſſe: & habenas, ut ita dicam, reflectendas. Arqui, qui ſe hodie Chriſtianos profitentur, ii ſibi quaſi religione ſoluti permittunr, aliorum ſaltem eſſe ſimiles: ut, qui prius luxuria diffluere conſueverant, uullum ſuæ turpitudinis finem faciant. Joci, ludorum commiſſiones, omnia oblectamentorum genera, blaſphemiæ, flagrant & vigent non minus, quam unquam antea. Jacturæ, ſumptibus infinitis & ſupervacuis, pompæ, magnificentiæ quærantur excuſationes: indifferentia nominantur: quum tamen ea nemo non videat, ſuperbiæ duntaxat, & ambitioni, atque vanitati ſervire. Quid? quod ſinguli ordines ſuum ſibi ſeorſum ab aliis Euangelium habent, prout cujuſque arbitratu fingitur? ut jam non minus diſpar ac diſſimile ſit Euangelium aulicorum, ab eo quod magiſtratuum eſt, aut advocatorum, aut mercatorum, quam nummi inter ſe differant, figura impreſſi varia, planeque diſparili: niſi quod eorum unumquodque unam eandemque perſimilem habet notam: è mundo enim ſunt omnia, ac terrena: in quo nihil habenr omnino cum Chriſto commune, qui nos inde revocare nititur.

Itaque non injuſtam, ſed debitam pœnam meritamque perſolvunt, qui Euangelii doctrinam ita dedecorant: quum ignominiis omnibus obruuntur, & à Deo, ad ejuſque deſpectum ac ludibrium exponuntur: quandoquidem occaſionem ſanctiſſimi illius nominis blaſphemandi præbuerunt. Par eſt præterea, ut eos non modo ſtupore, verum etiam immanitate Deus opprimat, & mentem illis ac rationem adimat,

adimat, poſtquam illa uti ſapientia commode ac ratione non potuerunt, quam etiam Angeli ac ſpiritus cæleſtes admirantur. Atque hinc ſcilicet tot leves opiniones, ac potius delirationes, quaſi à fonte derivantur: quæ quamvis ne umbram quidem ullam probabilitatis oſtendant, ita tamen excipiuntur, atque etiam approbantur, quaſi edita è cælo oracula. Denique, quum arrogantia ſit vera radix omnium hæreſum, vagarum errantiumque opinionum, commentitiorum & impiorum dogmatum, nemini mirum videri debet, quum Deus eos in tot errores turbulentos labi ſinit, qui veram regulam non retinuerunt, qua in obedientia veritatis conſtanter permanerent: ſeſe ſcilicet ſub illius metu ac reverentia ſubmittentes. At enim quum hæc ſit quædam hujus ætatis labes & macula, hodieque, ſi unquam antea, vel maxime graſſetur, nos quidem illius fructus uberrimos nunc videmus. Itaque, quotquot nunc errores ubique graſſantur, totidem ſunt ſupplicia hominum pervicaciæ: qui ſacroſancto Dei verbo abuſi ſunt. Quos quia non eſt in animo perſequi atque enumerare ſingulos, quippe qui ſunt innumerabiles, exemplum unum retuliſſe contentus ero.

Invaſit jam inde ab antiquis temporibus, animos hominum, quaſi tabes quædam & contagio, ſtulta quædam curioſitas ex cæli & ſtellarum ſitu prædicendi quid cuique eventurum, & quo quiſque fato natus eſſet: indeque conſilium exquirendi. Quam quidem diabolicam eſſe ſuperſtitionem nos deinceps, adjuvante Deo, probabimus. Et ſane una omnium voce & conſenſu tanquam humano generi exitialis, jampridem exploſa & repudiata eſt: nunc vero ita renovatur, ut multi, qui ſe arbitrantur ingenio præſtare cæteris, eamque adeo apud homines exiſtimationem habuêre, ea prope ſuperſtitione faſcinentur. Quod ſi Deus nobis Euangelii ſui puritatem noſtra hac ætate non illuſtraſſet, quum tamen humaniores literas excitarit, quæ ſunt ad vitam moderandam perutiles: & commodis hominum ſervientes, ſimul illius gloriæ ſervire poſſunt: merito certe, & optimo jure illorum ingratitudinem ulciſceretur, qui ſolidis & firmis rebus minime contenti, in aëre (ut dicitur) pervagari geſtiunt. Jam vero, poſtquam utrumque nobis largitus eſt, id eſt, & artes & diſciplinas redintegravit, præſertim autem puram doctrinæ ſuæ cæleſtis cognitionem nobis reſtituit, quæ nos ad eum perducat, atque in ſublimia & admiranda illius myſteria introducat: ſi qui eo uſu, cui eſſe potuiſſent, poſtpoſito, malunt huc & illuc errore vagari, quam intra cancellos conſiſtere, nonne pœnam altero tanto graviorem promerentur? Id quod etiam uſu venit: quum quidam adeo de mente & ſanitate dejecti ſunt, ut omne ſtudium omnemque operam ad impoſturam inaniſſimam applicent: in qua laborioſiſſime miſerrimeque, ſine ullo tamen fructu, ſe cruciant. Scio quibus titulis mentiantur huic tam ſtolidæ ſuperſtitioni colorem. Nemo neget, ſcientiam Aſtrologiæ in primis eſſe nobilem, honoreque ſummo digniſſimam. Itaque quaſi quodam pallio, ita ſe iſto titulo operiunt: ſe namque Mathematicos nominant: quo verbo ii ſignificantur, qui ſunt artium liberalium profeſſores. Hoc quidem nihil ſane novi: eorum enim auctores ac magiſtri jampridem ut alios in fraudem atque in errorem impellerent, idem ipſum obtendebant. Sed nos, quum ipſis (quod aiunt) oculis judicaverimus, iſtam illorum delirationem, nullo, neque Aſtrologiæ, neque ullius artis ſubſidio fundatam, atque conſtitutam eſſe, nihil erit quamobrem quiſquam iſtis larvis obſtupeſcat: niſi ſi pueros fortaſſe perterreant. Quin etiam homines mediocri quadam eruditione præditi, meo iſto admonitu magnopere ad ſibi cavendum ac providendum non indigebunt. Ita noſter hic libellus ad rudes potius, atque illiteratos pertinebit: qui quum veram & germanam Aſtrologiam ab iſta ſortilegorum ſuperſtitione diſcernere nequeant, facile in errorem induci poſſint. Hoc igitur primo loco videamus, quatenus Aſtrologia vera progrediatur: quæ plane aliud nihil eſt, quam ordinis naturalis cognitio, ejuſque diſpoſitionis, quam Deus in ſtellis & ſyderibus ordinandis adhibuit; unde cujuſque officium & natura, deſcribi poſſit: & ad ſuum finem uſumque reduci. Perſpicuum eſt quod ſcribit Moſes: Solem ac Lunam conditam eſſe à Domino, quibus & dies, & noctes, menſes, anni & tempora gubernarentur. Quibus verbis, quæcunque ad agriculturam & Reipublicæ gerendæ rationem atque prudentiam attinent, complectitur. Eorum autem, ipſum etiam vulgus, nonnulla primoribus (ut aiunt) labris deguſtat. Sed Aſtrologiæ ſcientia, præter effectum, cauſas etiam ipſas demonſtrat. Exempli cauſa: Nemo tam idiota eſt, ac rerum omnium rudis, qui non videat, æſtate dies eſſe longiores, quam hyeme: gelidam eſſe hyemem, æſtatem vero calidam: ſed non tamen uſque eo progreditur, ut quamobrem aut quomodo id fiat, dijudicet. Defectiones Solis & Lunæ, unicuique notæ ſunt: ſed earum cauſæ obſcuræ ac reconditæ, niſi ex arte & doctrina perdiſcantur Nihil opus eſt magiſtro, qui doceat ſtellas cælo inhæreſcere: ſed non eſt cujuſvis, earum motus, converſiones, occurſus, interſtitioneſque notare. Hoc enim raram ac ſingularem peritiam deſiderat. Aſtrologiæ igitur hic uſus eſt, ſtellarum ſcilicet curſus ac progreſſiones qua temporis qua ordinis & ſitus deſcribendi cauſa notare. Temporis quidem, ut quo quæque ſtella ſpatio, ipſumque adeo cælum converſionem ſuam compleat, cognoſcatur. Situs vero ad judicandum quanto invicem intervallo diſſideant: ad motus tectos, atque obliquos, ac pene contrarios diſcernendos: indeque notandum, cur potius Sol à nobis hyeme quam æſtate longius diſtet: cur æſtate diutius apud nos commoretur, quam hyeme: circa quod ſignum orbis ejus, qui Græce ζωδιακὸς dicitur, ſingulis menſibus verſetur: quos habeat cum cæteris ſyderibus occurſus: quamobrem Luna ortum aut obitum acceſſu aut receſſu Solis accipiat: quæ cauſa ſit Solis & Lunæ defectionum: ut etiam ipſa graduum & momentorum intervalla dimetiri poſſis. His quaſi jactis fundamentis, ſequuntur deinde effectus, quos hic quidem in terris videmus; ſed Aſtrologiæ beneficio, cauſam ſuam atque originem ſupra nos habere cognoſcimus: neque id tantum, poſtquam elapſi ſunt; verum ita, ut multo ante proſpici, atque provideri poſſint. Nemo non videt pluvias, grandines, nives; nemo ventorum ſtrepitus non audit: ſed nemo, niſi qui adjutus eſt Aſtrologia, cauſas eorum in natura eſſe poſitas intelligit: quæ ipſa, ut diximus, natura, etiam in poſterum conjiciendi facultatem aliquam ſuppeditat: tametſi nulla certa aut perpetua regula tradi poſſit. Sed nos de ordinario atque uſitato curſu loquimur: cui nihil quicquam extrinſecus accidens officit. Hic autem totius ejus diſputationis cardo vertitur, de qua nos deinceps explicare conabimur. Nam iſti adulterini Aſtrologi, enunciationem illam ſumunt, quæ proculdubio vera eſt ac fixa: nempe, Omnia terrena corpora, &, ut generatim loquamur, omnia inferiora corpora cum aſtrorum curſu cognationem quandam habere: atque inde qualitatem aliquam ducere. Verum illi hoc enunciatum perperam accommodant; nam Aſtrologia naturalis hæc quidem inferiora corpora à Luna affici inde monſtrabit, quod oſtreis & conchyliis contingat, ut cum Luna creſcant pariter, pariterque decreſcant; itemque oſſium medullis Lunæ plenum ac tenue lumen moderetur. Ab eadem quoque vera Aſtrologiæ ſcientia medici ducunt quod habent judicii, ad ſanguinis detractionem, potiones, pillulas, & alia ejuſmodi in tempore adhibenda. Itaque fatendum eſt, humanorum corporum habitudini, nonnihil eſſe cum ſyderibus cognationis. Hæc igitur omnia, ut modo dixi, Aſtrologia naturali comprehenduntur. Sed quidam impoſtores, qui artis prætextu ulterius progredi voluerunt, aliam quandam ſpeciem commenti ſunt:

quam

quam Judiciariam appellant. Ea autem duabus maxime in rebus poſita eſt: primum ut non modo naturam hominum, & corporum habitudinem notam ac perſpectam habeant: verum etiam quid cuique eventurum ſit, & quid quiſque in vita aut acturus ſit, aut paſſurus, cognoſcant: præterea quos exitus habitura ſint ea conſilia, quæ homines inter ſe contrahentes, ineunt, & ut ſemel dicam, de totius mundi ſtatu judicent. Nos, quæ ad cujuſque, ex natali die, habitudinem conſtitutionemque attinent, initio videamus. Quemadmodum autem nullus eſt tam abſurdus error, & impudens, quin aliquem veritatis colorem mutuetur: ita hercle fateor, quod ad corporis conſtitutionem attinet, præſertim vero ad affectus, qui corporis qualitati participant, eos quadam ex parte ab aſtris pendere, aut certe conſenſum, & ut Græci appellant συμπάθειαν quandam cum illis habere: veluti quum quis ad bilem atram propenſior dicitur, quam ad pituitam: aut contra: quanquam etiam in hoc genere pleraque diligenter obſervanda. Mathematici noſtri, quibuſcum nobis nunc res eſt, judicium ex naſcendi tempore faciunt. Ego contra affirmo, generandi tempus potius ſpectandum eſſe, quod plerumque ignotum eſt, neque enim perpetuo pariendi certum ac definitum tempus præſcriptum eſt. Tergiverſentur quantum volent: certe vi rationis fateri cogentur, aſtra non tantum in naſcendi, quantum in generandi tempus, ad certam ſcilicet homini qualitatem informandam, valere: cujus etiam rei quotidianus uſus documento eſt. Præclare namque Perſius, quum uno eodemque temporis puncto natos, diſſimiles & naturas & vitas & caſus habere ſignificaret, *Geminos (ait) Horoſcope varo Producis genio.*

Hoc enim identidem etiam in geminis fratribus uſu venit: quorum alter alterius non minus diſpar, ac diſſimilis erit, quam ſi diverſiſſimo cæli ac ſtellarum ſtatu natus eſſet. Mitto, quod, ad judicandum etiam ex ipſo naſcendi tempore, ſtatuendumque de cujuſquam hominis natura, præterquam quod ſingulos ejus horæ gradus, in qua natus eſt, diligenter notatos atque deſcriptos oportuit, neceſſe eſſet Genethliacum (Chaldæum Latine dicimus) manu aſtrolabium ſuum tenere: neque enim horologio fidere ſatis tutum eſt. Atqui, ſic ſe rem habere conſtat, ut ſi perpauca temporis momenta aberres, magna fiat cæli & ſtellarum inclinatio. Verum, ut maxime judicandum ſit ex generandi vel naſcendi tempore, illud tamen mihi velim reſpondeant: Nonne ſexus, alias omnes animalis qualitates longe lateque ſuperat? Atqui, uno eodemque temporis articulo, in uno eodemque utero concipientur mas & fœmina: eodemque momento alia marem pariet, alia fœminam. Unde iſta igitur varietas in eo quod eſt potiſſimum, niſi quod aſtrorum non eſt tanta vis, quantam illi perhibent? Quod ſi etiam adhibenda eſſet comparatio, certo certius eſt, ſemen parentis utriuſque, vim afficiendi longe majorem habere, quam omnia ſydera: & tamen id ipſum ſæpenumero fallere nemo non videt: poteſt enim conſtitutio eſſe diſſimilis. Ponamus igitur homines duos natura longe inter ſe differentes: quibus etiam uxores ſunt æque diſſimili natura: eodem ab utriſque temporis puncto conceptos, eodem ſuſceptos eſſe liberos: ſane uſu venire videbimus, ut liberi, parentum conſtitutione potius afficiantur, quam ullo ſyderum affectu, qui tamen utriſque par ſimiliſque contigit. Ejuſque rei ratio ita perſpicua eſt, ut nemo, qui ſit modo ſincero judicio, contra exiſtimet. Quid igitur dicendum de ea videtur affectione, atque, ut illi loquuntur, influentia, quæ ab orbibus illis cæleſtibus permanat in homines: Fateor ſecundum ea quæ ſuperius attigi, aſtrorum eſſe aliquem concentum, qui habitudines informet? eaſque præſertim, quæ ſunt corporis propriæ: ſed eam eſſe cauſam præcipuam, hoc vero inficior. Quinetiam affirmo ſeminis, unde fœtus naſcitur, vim eſſe multo majorem, quam cauſarum naturalium, quas inferiores appellant. Dico præterea, nullo fundamento niti Aſtrologos, dum ex partus potius, quam ex conceptionis tempore, judicium faciunt. Atqui, conceptionis tempus ignorant: ex quo efficitur, nihil eos certi, nihil explorati judicare poſſe. Addo etiam illud, Deum in pleroſque ſingulari quodam favore efficacem eſſe: etiam in ipſorum natura informanda: ut jam vis aſtrorum nihil ad eam pertineat: aut certe ita demerſa, latens, obſcurata ſit, ut hominibus apparere non poſſit. Hactenus de iis quæ ad propenſionem naturalem attinent. Quod ſi ad ea beneficia veniamus, quæ Deus filiis ſuis impertitur, quum eos Spiritu ſuo reformat, adeoque immutat, ut merito novi homines nominentur: quid ad hæc aſtrorum omnium aſpectus pertinebit? hæccine Deus æternæ electionis ſuæ fundamenta poſuit? Si Chaldæi noſtri affirmant, licere ſaltem iis uti, quaſi cauſis inferioribus & proximis: nimis hæc profecto frigida & ignava cavillatio eſt. Videmus enim Deum de induſtria nos ab iſtiuſmodi cogitatione revocare, quum eos voluit ſecundos in lucem ingredi, quos præferre decreverat: quemadmodum in Jacob exemplum habemus. Ecquid enim cauſæ eſt, cur Eſau, quem repudiare conſtituerat, prior in lucem eſt editus, niſi quod Deus, naturæ communem atque uſitatum ordinem infringens, altius mentes noſtras erigere voluit: eo nos admonens, debere noſtros oculos in ſolam illius voluntatem intentos & infixos eſſe: neque ad alias ullas cauſas inquirendas, deflectendos. Quamobrem hoc unum fixum in animis noſtris teneamus, in eoque veſtigia premamus, Deum ita homines vocatione ſua reformare, ut plane novi fiant. Diſerte ſcriptum eſt de Saule, quod quum Dominus vult ad regnum ſuſcipiendum illum præparare, eum plane alium atque antea fuerit redditurus eſt. Certe, hoc ille ex cæli ac ſtellarum ſitu non conſequitur: ſed in ipſo Deus eſt efficax præter naturæ ordinem: & præter quam quod humana ratione atque intelligentia comprehendi poteſt. Si hoc in eo efficit, quem ad temporalem adminiſtrationem elegerat, qualem in iis futurum exiſtimamus, quos ſibi filios & hæredes regni cæleſtis adoptavit? Enimvero, univerſam mundi fabricam rerumque naturam, longo intervallo ſuperet neceſſe eſt. Et certe ſic ſe res habet, ut quiſquis negat regenerationem, Dei opus eſſe, univerſam rerum naturam exuperans, is non modo ſe profanum eſſe demonſtret, ſed religionem Chriſtianam plane repudiet atque aſpernetur. Itaque vim aſtrorum inter ea continere debemus, quæ cùm ad res humanas, tum vero ad corpus, & primam naturæ propenſionem attinent: atque id excludere, quod Deus ſingulari favore aliis atque aliis, nullis utens ordinariis adminiculis, impertit: præſertim autem emendationem illam, quam in electis ſuis perficit, Spiritu ſuo eos renovans.

Verum hæc adulterina & fallax Aſtrologia, non contenta morum & valetudinis hominum conſtitutionem informaſſe, ſuum etiam imperium latius extendit. Quid enim cuique in vita eventurum: præterea quando & quomodo quiſque ſit moriturus, divinat. In quo mediusfidius præter meram temeritatem quid aliud ſit non video. Rationis enim & judicii plane nihil eſt: nam ut maxime poſſint ſydera, qualitates quaſdam in hominibus informare: non tamen efficient, ut poſtea vel hoc vel illud aliunde illis eveniat. Itaque Chaldæus, etſi hominem eſſe induſtrium, & ad rem attentum judicare valeat: minime tamen hariolari poterit, hæreditatem ei aliquam eſſe obventuram: quippe quum eventa hujuſmodi in alterius, non ipſius arbitrio ac voluntate poſita ſint. Atque hæc ſcilicet ipſa cauſa eſt, quamobrem jam olim vulgo dictum eſt, iſtos perſonatos

Aſtro-

Aſtrologos auribus implendis, exhauriendis vero loculis eſſe idoneos: nimirum, qui ante proſperos eventus prædicentes, curioſos vento paſcunt, eoſque pro ſuo arbitratu emungunt, poſtquam ſemel eos præſtigiis ſuis ineſcarunt. Prædicent igitur, quot uxores aliquis habiturus eſt. Quid? etiamne in illius natalitio ſydere id quod uxoris illius primæ ſydus natalitium eſt, reperiunt: ut quis vitæ terminus illi futurus eſt, intelligant? Nulla igitur fœminæ propria natalitia ſydera poſſidebunt: ſiquidem virorum ſyderibus ſunt obnoxiæ. Denique, privati cujuſque hominis horoſcopus judicium ac notationem univerſi ſtatus alicujus regionis comprehenderet: quum quidem iſti ſe profiteantur poſſe prædicere, num in conjugio fortunatus aliquis futurus eſt: num adverſa aut proſpera fortuna peregrinaturus: quæ diſcrimina ſubiturus: utrum morbo an gladio obiturus. Videamus nunc quot cum hominibus negotia nobis contrahenda ſint. Niſi ſi illorum omnium & fortunas & voluntates in manu, ut dicitur, habeant, quibus ad ſuum arbitrium libidinemque moderentur, ecquid tandem nobis de iis polliceri poſſint? Eſt igitur id, quod modo dixi, ſane veriſſimum, ita ſcilicet illos de homine judicare non poſſe, ſicuti profitentur, quin illius natalitium ſydus, ſit illis ſpeculum, in quo eos omnes, quibuſcum verſabitur, contemplentur. Æſtimetur nunc adhibita ratione atque judicio, num hoc fieri ullo modo poſſit: aut ſi ſit ulla in ea re ſimilitudo veri.

Concludo igitur, omnes iſtos, qui tantum ſibi ſumunt, ut ex natalitio cujuſque ſydere, quid cuique eventurum ſit, jactent ſe poſſe animadvertere, meros eſſe impoſtores, præſtigiatores, planos: quippe quum aliunde permanent cauſæ. Ne ſim longus, ſi omnia perſequar exempla, quæ commemorari poſſint, unum hoc ſolum attingam. Sæpenumero uno prælio ceciderunt hominum ſexaginta millia. Non perſequor majores clades: quod ſatis crebro contigit, id commemoro. Quæro, num iis omnibus, quos ita mors eadem copulavit, unus horoſcopus, unum idemque aſtrum aſſignari debeat. Si reſpondeant, id quod rarius eſt, minuſque ſæpe accidit, non debere communibus artis cujuſdam præceptis derogare, id quidem jam eſſet ſubterfugium minime audiendum: nos enim de communibus & pervagatis rebus loquimur. Tradunt hiſtoriæ, viginti præliis trecenta millia hominum in Hiſpania cecidiſſe. Ut nihil exactius perſcrutemur: cui tandem dubium eſt, quin ii, qui ad iſtum modum è vita una omnes exceſſerunt, diſſimiliter affecto cælo in eam ingreſſi ſint? Verum hoc illud eſt: in tanta turba ac multitudine, Capricornus, Aries, Taurus, ita ſe invicem cornibus feriunt, ut omnia confundantur ac perturbentur. Aquarius aquæ tantam vim effundit, ut eluvionem immittat. Virgo, ſuam virginitatem violat. Cancer retrorſum graditur. Leo, cauda ſua tam inſidioſe percutit, ut animadverti nequeat. Gemini, adeo inter ſe immiſcentur, ut in unum evadant. Sagittarius, ex inſidiis ictus infligit. Libra, fallax eſt & iniqua. Piſces, ita ſe in aquam immergunt, ut prorſus non appareant.

Quin etiam noſtri homines non contenti, ad natalem uſque diem majores pennas nido extendiſſe, ut ille dixit: judicium præterea, vel potius divinationem, de omnibus conſiliis atque inſtitutis uſurpant. Exempli cauſa: Si cui in patria negotium eſt, unde nunc ducentis abeſt, trecentiſve milliaribus: veniet Aſtrologus qui de cælo ſervet, atque animadvertat, quo temporis momento commodiſſimum erit iter ingredi: nimirum, ut quindecim poſt diebus, reperiat eos quibuſcum illi negotium eſt, probe affectos: quo tempore, is cæli ac ſtellarum poſitus, qui ſecunda omnia illi promittebat, inclinatus erit. Obſecro, ſi quæ vis in ſyderibus ineſſet, quæ ad hominum uſque conſilia atque inſtituta pertineret, nonne in iis ſolis conſideratio verſari deberet, quæ tum regnant ac dominantur quum negotium conficitur? Quæ tandem iſta dementia eſt, ſi merces quaſdam, ab eo qui trans mare negotiationem exercet, empturus ſum, affirmare ſydera quæ profectionis meæ tempore dominantur, felicem ſucceſſum mihi polliceri: quæ vero dum expeditur negotium, principatum obtinent, eorum vim eſſe nullam? Ac mihi quidem profecto ejus hiſtoriæ in mentem venit, quam de Cardinali Farneſio commemorant: qui quum neſcio quo legatus profectionem pararet, aſtrorum interpretem appoſuit, qui cæli ac ſtellarum ſignificationem expiſcaretur, ſi quando videlicet proſperam illius legationi fortunam portenderent. Ipſe interea prandium imperat, diſcumbit, nec mora, ecce tibi ex transverſo Aſtrologus, extemplo jubet hominem ſi bonis auſpiciis legationem obire cuperet, propere in equum aſcendere. Quæſo, ſi paululo tardius diſceſſiſſet, pranſus libere & ſolute, & veſperi ad idem hoſpitium quo conſtituerat, perveniſſet, ecquid tandem ea re vel adjumenti vel incommodi retuliſſet? Quis non videt hujus primam ac præcipuam habendam eſſe rationem, ut quomodo affecto cælo, compoſitiſque ſyderibus res tranſigitur, intelligatur? nos enim, quaſi fidem iſtis aliquam adhiberi oporteat, ita loquimur. Sed hoc quicquid eſt, meras eſſe nugas & mendacia, plane perſpicuum eſt. Audivi qui de nonnullis fanaticis narrarent: quod in mulum aſcendere, niſi bona via ab aſtris impetrata, non audeant: finge talem eſſe quempiam è ſupremæ cujuſdam curiæ ſenatoribus. Sunt horæ certæ atque conſtitutæ, quibus una omnes conveniant. Ac ſunt fortaſſe viginti numero judices quos eadem lex & regula ſubjectos tenet: ſed aſtrorum affectio aliis atque aliis longe diſſimilis, nihilominus omnes pariter lex evocat, quid tum fieri oportebit? ſi Aſtrologiæ regula ſequenda eſt, tantum abeſt ut ulla unquam controverſia poſſit dirimi, ut ne tres quidem judices ad ullam cauſam audiendam convenire poſſint. Aut igitur aſtra invertenda ſunt, ut alio quoquo modo in conſenſum concentumque reducantur: aut omnis politia, Reique publicæ gerendæ ratio plane reſcindenda eſt. Atqui, hunc ordinem à Deo probari conſtat, quum tempus certum ac ſtatutum eſt, quo exerceantur judicia ejus, verbum in concione audiatur, Sacramenta recipiantur, nulla cæli ac ſtellarum ſitus habita ratione. Si animus in ſtellarum curſu occupatus, ordinem à Deo conſtitutum negligit, & ſeſe quiſque alio atque alio ſeorſum recipit, vulgarem & communem hominum conſuetudinem aſpernans, nonne à ſe ipſe Deus diſſentiet? Quo tandem loco ſtabit illa immenſa, & infinita ſapientia, qua omnia tam ornate & concinne quaſi dimenſa diſpoſuit: ſi nulla ex parte mos illis geri poteſt, quin ſimul ab eo ordine recedatur, quem in natura conſtituit? Enimvero in hoc genus hominum ridiculum illud aptiſſime torquebitur, quo ab ancilla ſua Philoſophus quidam olim deluſus eſt, qui quum & mentem & oculos in cæli plagas majorem in modum intentos haberet, neque quod ante pedes eſſet, animadverteret: falſo impreſſo veſtigio, prolapſus, in foveam incidit: tum illa ridens, Sane, inquit: nihil enim utilius, quam ea, quæ propius ad nos pertinent, animadvertere. Neque vero hunc jocum velim in doctos & peritos Aſtrologos torquere: quorum nulla ſatis magna laus tribui labori poteſt, quem ut nobis cælorum arcana deſcriberent, quatenus id ſervire Dei gloriæ, & nobis uſui eſſe poſſet, ſtudioſe ſuſceperunt. Iſtos vero ſpeculatores, venatoreſque non naturæ, ut ille dixit, ſed inanium ſomniorum, qui ſibi nubes propemodum pervagari videntur, neque tamen quo Deus illos evocet, aſpiciunt, nullamque ſuarum habent partium rationem: ab eo curſu deflectunt, quem illis Do. præſcripſit, quid proximis ſuis præſtare deceat, quod officium cultumque tribuere, nullam curam, nullam cogitationem ſuſcipiunt: nonne ratio poſtulat ut Deus probris omnibus afficiat, & non modo pedibus impingere, verum etiam ad extremum ipſa cervice præcipites ferri patiatur?

Poſt-

Poſtquam unumquemque noſtrûm juriſdictiooi ſuæ aſtronomicæ Chaldæi ſubjecerunt, idem ſibi imperium in univerſum mundi ſtatum arrogant. Fateor autem equidem, ſecundum ea quæ ſuperius à nobis explicata ſunt, quatenus corporum terreſtrium cognatio & quaſi concentus atque conſenſus, quam, ut dixi, Græci συμπάθειαν appellant, cum cælo intercedit, cauſas quaſdam earum rerum, quæ in terris accidunt, ex aſtris notari poſſe. Quemadmodum enim vis cæleſtis ſæpenumero procellas, turbines, cæteraſque tempeſtates inducit, præterea imbres aſſiduos: conſequitur etiam, ut ſterilitatem, peſtilentiam, eluvionem, belluarum denique repentinas multitudines invebat. Quatenus igitur conſenſus ille diſtantium rerum quaſique neceſſitudo quædam apparebit, non repugno equidem, quin ab orbibus illis cæleſtihus cauſa & origo eventorum quæ in terris videntur, exquirantur. Cauſam autem appello, non perfectam ac principalem, ſed adjuvantem & proximam, quaſique adminiculum Dei voluntati ſubjectum: & quo tanquam præparatione utitur ad opus ſuum abſolvendum, prout æterno ſuo conſilio decrevit. Utut ſit, non omnino negandum eſt, quin quædam convenientia interdum exiſtat inter peſtilentiam, quam hic videmus, & cæli ac ſtellarum affectum: qui Aſtrologiæ beneficio cognoſcitur. Quanquam multum abeſt, ut hoc ſit perpetuum. Etenim,
2 Sam. 24. verſ. 13. quum tres varii generis pœnarum optiones Davidi factæ ſunt, & peſtem optavit, nemo ejus rei cauſam aſtris aſſignaverit. Ad hæc, quum tanta fames fuit in Syria & in Judæa Eliæ temporibus, tam longa præterea ſiccitas, ſtultiſſimum eſſet quærere, num eſſent ad eam rem affecta ſydera, quippe quum hoc ſingulare quoddam atque extraordinarium prodigium fuerit. Neque vero exemplum hoc quaſi rarum atque inſolens exiſtimandum eſt. Deus enim generatim loquitur apud Moſem, affirmans omnes mortalium res adverſas in theſauris ſuis eſſe reconditas. Quo ſignificat eas res juſto ejus judicio in homines immitti, tanquam ſcelerum ac flagitiorum vindices: quaſque, ſi homines ſuis fraudibus iram illius non provocarent, quaſi in arca incluſas & reconditas contineret. Et ſane vix ulla alia extat in Prophetis doctrina pervagatior, quam qua minatur ſe & cælum & terram quaſi ærea redditurum eſſe. Quum igitur earum rerum cauſam noſtris fraudibus aſſignet, omnis aſtrorum affectus excludendus eſt. Jam vero quod ad bella pertinet, multo etiam magis ineptum eſt cauſam in aſtris exquirere, cur ea eveniant: quippe, quæ ipſa etiam flagella Dei ſint, quibus hominum peccata, quæ non pendent ab aſtris, coërceat. Quum Dominus Abrahamo polliceretur fore, ut ejus poſteri Canaicæ regioni dominentur, Non-
Geneſ. 15. verſ. 16. dum, ait, venit dies. Non tribuit cauſam ſyderibus, quaſi nondum ad eam rem probe affectis. Quam ergo aliam affert? perfidiam & iniquitatem Amorrhæorum nondum ad cumulum perveniſſe. Itaque ſicuti tum arboris fructus decerpitur, quum aſſequutus eſt maturitatem, ita certe noſtra flagitia divinis ſuppliciis maturitatem afferunt. Nunc videamus num aſtra cauſa ſint impietatis & flagitiorum hominum. Fuêre quidem jam olim fanatici nonnulli, qui hoc animis & cogitatione finxerunt. Sed hæc deliratio merito ab omnibus exploſa, ac repudiata eſt: & pro commento diabolico habita, quod omnes Chriſtiani reſpuere ac deteſtari debeant: quippe quæ neque admitti neque approbari poſſit, quin univerſa Scriptura ſacra deleatur, Deus blaſphemetur, hominibus denique ad omnem nequitiam habenæ remittantur. Itaque, hoc ego quaſi concluſum ac probatum ſumo, quod mihi res manifeſta dat, Dei contemptum & mores corruptos ac depravatos, quibus regio aliqua infecta eſt, nihil quicquam cum ſyderibus habere rationis. Quæ quum ita ſint, non eſt tribuenda ſyderibus cauſa divinarum ultionum, quæ ob eas res eveniunt. Sed ad ea fortaſſe dixerit aliquis: Quidni Deus cauſis iſtis adjuvantibus & mediis in rerum natura poſitis, utatur ad hominum ulciſcenda ſcelera? Id quod equidem non inficior: verum eone ſequitur, ex naturæ ordine ſtato atque perpetuo illa contingere, prout ad ea ſydera parata ſunt? Imo vero, quando Dominus mare Rubrum & Jordanem exſiccare inſtituit, etſi eo vento qui ad eam rem erat in primis idoneus uti velit, non tamen is ventus vi quadam aſtrorum commotus traditur: ſed à Deo ex tempore excitatus: tametſi ego certe aſſentior, eum, quum illi videtur, ſyderum vim ac naturam ad ſuum commodum uſumque applicare. Tantum dico, nec famem, nec peſtes, nec bella, ideo unquam accidere, quia ſydera ad eam rem affecta ſint: niſi quum Dominus iram ſuam in hominum improbitatem exercere inſtituit. Contra, bonorum omnium copiam atque ubertatem, ſanitatem, integritatemque valetudinis, pacem & concordiam, nihilo magis ab aſtrorum affectu permanare: ſed beneficio Dei, bonaque ejus pace contingere: ſive ille nos ad pœnitentiam & meliorem frugem iſta lenitate atque indulgentia invitet: ſive amorem & benevolentiam ſuam erga nos, dum illius juſtitiam colimus, à nobis deguſtari velit. Denique, donec iſti fucati Aſtrologi docuerint, nos ad Dei obedientiam aut contumaciam adverſus eum, ſyderibus impelli, ſtatuo ea neque adverſarum, neque proſperarum rerum, quæ nobis eveniunt, cauſas eſſe. Alterum enim [illegible]terius eſſe conſequens nemo non videt. Quod ſi quiſpiam omnia, quæ huic argumento conveniunt, exempla perſequi voluerit, profecto neque modus neque finis erit ullus: & certe unicuique perfacile eſt, ea per ſe animadvertere. Quamobrem, diſcamus ad Dei promiſſa & minas, tanquam ad anchoram conſiſtere, quæ cum cæli ac ſtellarum ſitu nihil habentes rationis, docent nos, non debere noſtros animos in iis eſſe occupatos.

Atque hæc ipſa cauſa eſt, ſcilicet, quamobrem Deus apud Prophetam ſuum Jeſaiam, Ægyptios & Chaldæos deridet, quæ duæ gentes in ejus artis peritia alias omnes longe lateque ſuperarunt: illis nimirum exprobrans, quod quamvis inſtructi ac periti, exitium tamen illud, quod eis imminebat, prævidere non poſſent: utpote quod ex naturali aſtrorum curſu non emanaret, ſed ex arcano ejus conſilio. Neque reſponderi poteſt, eos tantum ab eo perſtringi, qui ſe falſu Aſtrologiæ peritia venditarent. Nam in artem ipſam diſerte ac nominatim invehitur, apertiſſime pronuncians, ejus quicquid eſt, nil niſi meram eſſe vanitatem, ſiquidem Ægypti regnum alloquens, Ubi nunc, ait, ſapientes illi *Jeſa. 19. verſ. 12.*
tui? prænuncient tibi tandem atque præſagiant quid in te decreverit exercituum Dominus. Si ulla uſquam extabat Aſtrologiæ peritia, extabat proculdubio in his populis: atqui, Propheta omnibus quaſi indicto bello illudit, qui in ea verſabantur, negans eorum eſſe, prævidere quid ſit eventurum, ſicuti ſe facturos profitebantur. Sed enim magis diſertis ſignificantibuſque verbis utitur, quum Babylonem compellat: Diſcruciaſti (inquit) te multitudine conſi- *Jeſa. 47. verſ. 13.*
liorum tuorum. Accedant nunc iſti tui aſtrorum interpretes, de cælo ſervent: ſcrutentur ac deſcribant ſtellas: & quæ tibi eventura ſunt, prænuncient. Ecce, ſtipulæ conſimiles fient, ardoreque flammæ conflagrabunt. Chaldæorum gens, ſi quæ unquam alia, fuit illa quidem Aſtrologiæ ſcientia clara in primis, & nobilis: itaque quicunque ſeſe in iſtam curioſitatem immerſerunt, nomen ab iis mutuati ſunt. Atqui, quemadmodum eos Deus damnet & improbet, nos quidem videmus: diſerte enim teſtatur, inclinationes & ruinas imperiorum, ex aſtris intelligi non poſſe: ac profitetur, eorum ſe arrogantiam ſevere & graviter ulturum, qui hoc ipſum attentare non dubitaverint. His etiam de cauſis, apud eundem

Pro-

Propbetam affirmat, ſe hariolorum & conjectorum ſigna delere, magos ad furorem adigere, ſapientes de mente ac ſanitate deturbare, denique ſcientiam illorum infatuare. Non eos temeritatis arguit, qui ejus diſciplinæ rudes atque imperiti ſunt: ſed omnia fundamenta, omnes enunciationes, &, ut illi appellant, axiomata funditus evertit, nimirum illam aſtrorum conſiderationem, de qua alio quodam loco commemorat. Quamobrem Daniel, quum inſtituiſſet regis Nebuchadnezer ſomnium interpretari, in quo Aſtrologi omnes ne gry quidem quod reſponderent excogitare poterant: non profitetur ſe aliis magis peritum, aut intelligentem artis, cæteros acumine ingenii & perſpicacia ſuperare, ſed tanquam res contrarias, illorum ſcientiam, & arcanam Spiritus Dei ſignificationem opponit.
Dan. 2. verſ. 27. Aſtrologi, inquit, & conjectores non potuerunt enunciare tibi myſterium. Eſt enim Dei, qui in cælis habitat, res occultas & reconditas patefacere. Ne multa, dubitari certe non poteſt, quin univerſa hæc Aſtrologiæ pars, quæ in conjectura & divinatione verſatur, quamque iſti Judiciariam nominant, non modo vana atque ad nullam rem utilis à Deo judicetur, verum etiam quaſi illius honori detrahens, & ſibi aliquid in ejus majeſtatem arrogans, condemnetur ac repudietur.

Quocirca, ſiquidem in illius populum aſcribi volumus, audiamus id, cujus apud Jeremiam Prophetam ſuum nos admonet:
Jere. 10. verſ. 2. nimirum ne ſimus Ethnicis ſimiles, qui cæli ſigna pertimeſcunt. Nec me latet perfugium, quod à nonnullis quæritur: non ita ſcilicet eſſe timenda ſydera, quaſi quædam illorum eſſet in homines dominatio, ac principatus: tametſi quædam ſit ſubdititia, & tanquam ſubminiſtra poteſtas, cujus moderandæ ac regendæ, Deus quaſi quaſdam habenas perpetuo teneat. Nam ſine ulla dubitatione, Propheta nos ad Dei providentiam revocare, eoque animos noſtros ab inani ſollicitudine dimovere conatur, qua ſeſe Ethnici miſerandum in modum excruciabant. Iſraëlitas enim alloquitur, quorum animi, ut ſe ad iſtas nugas adjungerent, Chaldæorum & Ægyptiorum exemplo titillabantur. Roget aliquis noſtros Genethliacos, unde tandem tota eorum diſciplina originem duxerit, quibus initiis, à quibus auctoribus profecta ſit: negare profecto non poſſunt, quin Babylon ſeminarium quoddam illius, & fons, atque origo fuerit: & quicquid illis hodie ſupereſt, id omne quaſi rivulos quoſdam ab ipſo capite ductos, atque accerſitos permanaſſe. Quum igitur Dominus ſemel populum ſuum commonuerit, ne iſtorum auctores ac magiſtros ſequeretur, rectene faciemus, quum iſtis fidem adhibebimus?

Profecto, ut nihil aliud ſit incommodi, quam quod adverſarum & proſperarum rerum cauſam ſyderibus eorumque affectibus aſſignantes, noſtris oculis quaſi caliginem offundimus, quæ à cogitatione providentiæ Dei nos arceat: hoc tamen unum ſatis ſuperque declarat, rem eſſe peſtiferam, & velis, ut dicitur, remiſque fugiendam. Verum hoc etiam accedit mali, quod homines in ſtellis occupati, &, ut quidam appoſite dixit, [illegible], deſinunt in ſe deſcendere, & in mores ſuos ſuamque vitam inquirere, & agnoſcere ſe omnium malorum ſementem in ſemetipſis ferre: ſuaque flagitia eſſe quaſi fomitem, quo ira Dei accendatur: unde bella, fames, peſtilentiæ, grandines, uredines, pruinæ, cæteraque hujuſmodi omnia eveniunt. Præterea, qui proſperitates ſecundaſque res ex aſtrorum prædictionibus expectant, & ex eorum promiſſis pendent, ſpem fiduciamque ſuam omnem à Deo revocant, ſegniores redduntur ad eum implorandum, acſi jam id quod exoptant, aſſequuti eſſent. Nec ſum neſcius quid, ut hæc cavillentur, altercari ſoleant. Citant Ptolemæi dictum, quod aſtrorum ſignificationes non ſunt Prætorum edicta: utpote, quæ imperio Dei ſubjecta ſint. Sed hoc quicquid eſt, inita ſubductaque ratione, profecto aliud nihil eſt, quam diverticula & flexiones quærere. Nam ſi adverſæ res omnes, quas nobis ſydera minantur, ex naturæ curſu deducuntur, fieri non poteſt, quin ſimul in opinionem veniamus, flagitia noſtra, cauſam igitur illarum eſſe. Mitto illud abſurdum, inter ſeque confligens, quod in eorum verbis apparet: nimirum, eum ordinem quem Deus ita conſtituit, ut conſtans & perpetuus eſſet, cauſis intervenientibus inverſum atque immutatum iri: perinde quaſi Deus ſibi ipſe repugnaret. Mihi hoc ſatis eſt, ſi modo Prophetæ mentem teneamus, quæ huc tantum ſpectat, ut tanquam res contrarias comparet rationem illam, & reſpectum aſtrorum, quo ducuntur Ethnici: ſibique perſuadent, conditionem ſuam omnemque totius vitæ ſuæ ſtatum inde pendere: ac notitiam, qua fideles niti debent, quod ſcilicet in manu Dei ſint, quodque illum ſincera conſcientia colentes, apud eum gratioſi futuri ſunt, ejuſque ſingulari favore ac benedictione fruituri: tum autem, omnes quibus afficiuntur calamitates & ærumnas, totidem eſſe in eorum delicta caſtigationes.

Sed noſtris quidem hominibus (Chaldæos dico, ſive, ut vocantur, Genethliacos) vehementer probabilis illa videtur horum argumentorum diſſolutio, quum aiunt, ſtellas à Propheta, Signa nominari. Inde enim effici putant, earum igitur munus in ſignificando conſiſtere. Cujus rei argumentum ac teſtimonium illud citant, quod capite Geneſeos primo ſcriptum eſt, eas ob cauſas eſſe à Deo conditas. Verum enimvero, ut hoc Signorum vocabulum etiam atque etiam ebulliant, ut omnis iſtius altercationis firmamentum in eo collocent, qui tandem ad id reſpondebunt, quod apud Jeſaiam ſcriptum eſt? Dominum omnia hario- Jeſa. 44.
lorum ſigna deleturum eſſe, ac funditus everſurum. verſ. 25.
Non dubium eſt, quin eo loco de Aſtrologis loquatur. Itaque, ut maxime hoc illis demus, neque valde repugnemus, quin ſigna quædam ac notas habeant, ſed quas tamen Deus evertat ac deleat: quid tum inde effecerint? Cæterum, nimis illa profecto impudens cavillatio eſt, quum aiunt Jeremiam eo ipſo oblique quodammodo fateri aſtrorum quandam eſſe ſignificationem, quod ea appellet Signa. Quis enim neſcit, ſatis vulgatam eſſe in vitiis reprehendendis illam loquendi formam ac figuram: quum iis utimur verbis ac vocabulis, quibus illi uti inter ſe ſolent, quos reprehendere volumus? Scriptura ſæpenumero vocat idola, Deos Gentium. Si quis inde probare vellet idola eſſe deos, quis non ejus rideret amentiam? Hoc igitur perſpicuum eſt, Prophetam commoneſacere Judæos, ne turbentur, vel angantur ob eam Gentium inaniſſimam opinionem, quod ſtellæ, vel hoc vel illud ſignificent. Sicuti ne nos quidem errores iſtos hodie reprehendere poſſumus, niſi ſi hominum animos in iſtis ſignificationibus dicamus non eſſe occupandos. Quod autem ad Moſis verba pertinet, ea profecto dum ad ſuam iſtam inſulſiſſimam opinionem rapere ac trahere nituntur, fœdiſſime flagitioſiſſimeque deliniant. Deus condidit ſtellas, ut ſint in ſigna. Quis negat? Sed in quarum rerum ſigna notandum eſt. Atqui, nemo qui modo ſano judicio ſit præditus, non intelligit, Moſem hoc ipſum attingere ac notare quod ſuperius de vero & legitimo uſu Aſtrologiæ explicavimus. Si ſtellæ ideo ſigna ſint, ut nobis ſerendi tempus, & ſanguinis detrahendi, medicinam adbibendi, abſcindendi ligna, demonſtrent: non tamen eas inde ſequitur eſſe ſigna, quæ declarent, an veſtem novam induere debeamus, negotiari potius Lunæ quam Martis die, aut Veneris, multaque hujuſmodi, quæ nullam cum aſtris rationem, nullam convenientiam habent. Quemadmodum igitur ſigna quidem naturalia non negamus, ita hercle præſtigias & veneficia iſta quæ diabolus hariolorum opera & miniſterio commentus eſt, omni contentione deteſtamur.

Quamobrem, nimis profecto impudens atque verecunda illa calumnia eſt, qua nos onerant, dum perſuadere nituntur, ordinem à Deo conſtitutum à nobis everti, quum ſignificandi facultatem aſtris adimimus:

mus: tum vero vel maxime, quod tam utilem ac præclaram diſciplinam damnamus. Atqui, uno verbo tota iſta callida & veteratoria ratio illis excutitur: ſi modo naturalem Aſtrologiam ab illa mentita & adulterina, quam nobis Sortilegi pepererunt, diſtinguamus. Dubium nemini eſt, quin cognitio illius certi & conſtantis curſus orbium cæleſtium, præterea vis eorum & facultatis, ac ſiquid eſt ejuſmodi, non ſolum magnam afferat hominibus utilitatem, verumetiam exſuſcitet animos ad auguſte magnificeque de Deo ſentiendum: eumque propter admirabilem ſapientiam, quæ in eo genere apparet, honore omni proſequendum. Etſi enim nulli adeo rudes ſunt, atque à natura tam male informati, quin quum oculos in cælum ſuſtulerint, tantumque ornatum mundi, tantam varietatem, pulchritudinemque rerum cæleſtium aſpexerint, non uberrimum atque ampliſſimum argumentum habeant, Deo gloriam & cultum debitum tribuendi: eos tamen qui ſtudium ſuum in occultis & reconditis naturæ myſteriis indàgandis applicarunt, quæ ipſa non ita ſunt omnibus expedita, par eſt multo ad eam rem acriores eſſe magiſque incitatos. Cæterum, inter uſum moderatum, ac legitimum, & abuſum multum intereſt. Si quis in laudando vino, ebrietatem etiam laudare vellet, nonne in in illum omnes inſurgerent, quoniam impie & nefarie Dei munera pollueret? Atqui, idem iſti faciunt, qui uilis & probatæ cujuſdam artis nomen mutuantur, aut potius ſuffurantur, ut tam aniles delirationes veritati ejus artis, quam profitentur, plane contrarias, involucris & quaſi velis quibuſdam obtendant. Et ſane calliditatem iſtam ab initio anteverti: teſtatus me non modo eam artem quæ ab ipſo naturali ordine profecta eſt, non repudiare, verumetiam in pretio habere, & quaſi ſingulare Dei beneficium, in maxima laude ponere. Ob eamque cauſam, ſiquando iſti noſtri Genethliaci ſuas nobis nugas ebulliant, arcemque (ut dicitur) ex cloaca faciant: propterea quod ſancta & magnifica quædam res eſt ac ſalutaris operum Dei contemplatio: cautionem quiſque diligenter adhibeat, ut ad rem, & eos cancellos quibus res circumſcripta eſt, eos revocet: nec abduci ſe extra oleas (ut aiunt) illorum ambagibus ac diverticulis patiatur. Idem enim prorſus faciunt, quod Alchymiſtæ: qui ſe longis præfationibus de temperamentis elementorum, de eo conſenſu & convenientia quam habent inter ſe, ac ſimilibus rebus, quæ ſunt veriſſimæ & rationi conſentaneæ, inſinuant. Sed poſt longos & verboſos circuitus, tandem quam ſolam venabantur prædam auferunt: & curioſis, nihil niſi verba dant. In ſumma, quum cæli Dei gloriam nobis enarrare debeant, & hanc mundi fabricam tanquam ſpeculum eſſe oporteat, in quo illius omnipotentiam atque infinitam ſapientiam contemplemur: diſcamus: ut inde noſtrum commodum comparemus, intra cancellos contineri: nec modo huc, modo illuc in varios opinionum errores vagari, quæ nos ab eo ſubducant atque removeant.

Sed noſtri Mathematici, dum omnes latebras perſequuntur, illud etiam objiciunt, quod Joſephus, Moſes, & Daniel in Ægyptiorum ſchola inſtituti ſunt: quodque hoc ad eorum laudem & commendationem ſcriptum eſt, non autem quaſi malum ac turpe recenſetur. Quibus ego, quod quidem ad Joſephum pertinet, illud reſpondeo, eum ſe quidem conjectorem ſimulare: ſed tamen longe aliter ſe rem habere: hoc enim aliud nihil eſſe (ſicuti unicuique perſpicuum eſt) quàm ſimulationem tantiſper temporis cauſa accommodatam, dum ſe fratres ſuos celare
Geneſ. 41. verſ. 27. vult. Cæterum, quum famem Ægypto venturam prædicit, an conjecturam ex aſtris ſumit? imo vero, mirabiliter oraculo Dei admonetur. Atqui, Ægyptii nullas cæli plagas non perſcrutantur: nullas non expiſcantur, ut quid ſydera ſignificent hariolari poſſint: & tamen eam famem non modo non comprehendere animo, ſed ne ſuſpicione quidem ulla poſſunt attingere: eaque adeo improviſo præter omnium expectationem oppreſſi fuiſſent. Ne multa, Dominus ejus famis admonet Pharaonem in ſomnis: Joſephus illi quod ſibi à Deo commiſſum eſt, enunciat. Quid eſt in hoc genere univerſo, quod eos juvet, qui hoc, tanquam clypeum, nobis opponunt? Jam, ut ad Moſem veniamus, memoriæ quidem traditum eſt, illum in Ægyptiorum ſapientia univerſa inſtitutum eſſe: ſed hoccine de ſuperſtitionibus intelligitur? Ego vero inter fœdiſſimas ac ſtultiſſimas eorum ſuperſtitiones eam numero curioſitatem, qua inducti, ex aſtris hariolari geſtiebant. Verum, ut dubitationem omnem penitus tollamus, videamus num Moſes in omnibus ſuis conſiliis atque propoſitis, iſta diſciplina uſus eſt. Quum Iſraëliticum populum reducturus eſſet, quæro, an aſtrorum auſpiciis eam provinciam ſuſceperit: an iiſdem mare Rubrum tranſgreſſus ſit. Denique, in omni eo genere, quod illius opera & miniſterio Deus perfecit, quæro, num artis iſtius placita unquam ſequutus ſit. Imo vero ex ore Domini perpetuo pendebat: ad cujus normam ac regulam & ſe & ſua omnia dirigebat: nihil aliud ſpectans, niſi promiſſionem in redemptionis tempus collatam: nihil aggrediens, niſi quatenus illi Dei oraculo præſcriptum eſſet. Daniel autem diſciplina qui- *Dan. 1.*
dem Chaldæorum inſtructus eſt: quod vero noſſe *verſ. 17.*
quicquam præter naturalem Aſtrologiam affectarit, id nuſquam legimus. Denique, dubitari non poteſt, quin Deus tam ſæpe de hariolis mentionem faciens, Ægyptiorum & Chaldæorum ſuperſtitionem apertiſſime damnare voluerit: cujus quaſi quadam contagione Iſraëliticus populus infici contaminarique poterat. Itaque, noſtri Genethliaci, quum diſciplinæ ſuæ commendandæ cauſa, iſtam antiquitatem objiciunt, aliud certe nihil proficiunt, quam quod inde perſpicitur, eorum artem, eam ipſam curioſitatem eſſe, quam Deus majorem in modum improbat: & qua Eccleſiæ ſuæ ſeveriſſime graviſſimeque interdixit. Utcunque ſit, illud certe ſatis conſtat, pios & ſanctos Patriarchas, magna ab iſtis affici injuria, quum eos falſo in ſuum numerum aſcribere conantur.

Juvant ſe præterea verbis Chriſti, quum ait fore *Mat. 24.*
ſigna in cælo, quæ diem adventus ſui poſtremi pro- *verſ. 29.*
nuncient. Enimvero nobis genus hoc hominum ex jure manu conſertum vocandum eſt: qui tam temere in alienas poſſeſſiones irruerint. Nam quod quidem ad Scripturæ ſacræ ſtudium attinet, profecto novi hoſpites nihil dum in hac regione quæſiverunt. Niſi ſi fortaſſe fuſtibus etiam expellendi ſunt, quod illotis pedibus in hoc tantum ſacrarium ingreſſi ſint. Porro, tantum abeſt, ut is locus eorum amentiæ ſuffragetur, ut etiam in eos ipſos retorqueri poſſit. Etenim D. N. Jeſus Chriſtus non agit eo loco de ulla ſyderum affectione, quæ ex naturæ ſtato & ordinario curſu eveniat: imo vero de eventu quodam extraordinario, cujus prorſus nihil eſt ſimile, & cum illo conveniens.
Quin ipſi quoque Prophetæ, quum ira Dei quam hor- *Ezech. 32.*
ribilis & formidoloſa futura ſit, exprimere conantur, *verſ. 7.*
hoc ipſum dicendi genus uſurpant: Solem ſcil. obſcu- *Joel 2.*
ratum iri, Lunamq; nullum lumen habituram: id quod *verſ 10.*
non ad eum tamen eveniſſe modum ſatis conſtat, ut *& 3: 15.*
oculis (ut dicitur) appareret, quoties Deus Eccleſiam *Jeſa. 13.*
ſuam caſtigavit. Tametſi hoc extremo tempore, quod *verſ. 10.*
rebus univerſis tanquam faſtigium imponet, ſigna quædam palam atque in oculis omnium apparebunt quæ & fideles commonefaciant, & infideles magis magiſq; convictos & inexcuſatos reddant. Ut ut ſit, ea certe ſigna & portenta de quibus ibi commemorat, ex motibus & reſpectu aſtrorum intelligi non poſſe conſtat; quippe quæ Deus proprie & peculiariter ad eam rem accommodaturus eſt: præterea, quæ motum atque ordinem illum communem immutabunt, in quo noſtri Chaldæi fingunt ſe artis ſuæ robur ac firmamentum omne collocare. Idem etiam de ſtella dicendum
eſt, quæ Magos ex Oriente deduxit. Valde enim ridi- *Matth 2.*
culi ſunt & inepti, qui naturæ ordini tribuunt, quod *verſ 9.*

Scri-

Scriptura in prodigio atque inuſitato quodam ac mirabili caſu poſuit. An cum artis iſtius doctrina conſentaneum eſſe affirmabunt, ſtellam obortam perrexiſſe verſus Judæam, inde recta in Hieroſolymam, ibidem evanuiſſe, mox ſe rurſus eduxiſſe, trajeciſſe in Bethlehem, & poſtremo ſupra domum quandam, indicandæ illius cauſa, conſtitiſſe? quodque etiam amplius quiddam eſt, tanquam dimenſo itinere ex eorum bominum, quibus quaſi facem præferebat, æquis ſpatiis & paſſibus procedere? Quamlibet ſcrutentur cælos, quamlibet omnes ſyderum curſus, motus, trajectiones obſervent, nihil profecto reperient, præter ſtellas certis infixas ſedibus, & ſydera cælo inhærentia. Hæc igitur ſupra naturam eſſe neceſſe eſt, ac proinde ſupra univerſam Aſtrologiæ ſcientiam. Jam vero, quid eſt abſurdius, quam ſingulare privilegium ad legem generalem extendere? Quis iſtam eorum impudentiam non videat, atque etiam derideat, quum argumentationem concludunt iſto modo? Deus extra naturæ uſitatum ordinem mirabiliter ſtellam induxit, quæ Magis Fillum ſuum adoraturis præluceret: eique progreſſionem ad eorum rationem moderatus eſt, qui neque univerſis cælorum motibus, neque ſtellarum curſibus conveniret. Ex quo efficitur, ſtellis ac ſyderibus notari, quæ cujuſque conditio & fortuna futura ſit: eorumque vi atque affectione vitam cujuſque univerſam gubernari. Non eſt opus ullo acumine ingenii ad hanc tantam refellendam amentiam. Quinetiam ut aliud nihil ſit argumenti, nemo tamen non videt quam ea fundamenta infirma ſint, quibus innituntur. Verum, ut eo magis impietas quæ hic, tanquam venenum in ſerpentis cauda, deliteſcit, ab omnibus cognoſcatur, commodiſſimum eſt unumquemque bonum admonere, nullo eos pudore ac verecundia teneri, quin omnem religionem Chriſtianam, non minus quam humana corpora, ſtellarum ac ſyderum imperio ſubjiciant: ac rationem adducant, qui ſit, ut Mahometi Alcoranus majos atque amplius imperium habeat, quam Euangelium Filii Dei? alterum enim benignius, alterum iniquius affecto cælo procedere. Quæ tandem iſta verborum eſt immanitas? Euangelium, ſceptrum Dei eſt, quo nobis imperat atque dominatur: illius dextræ virtus atque potentia, quam ad ſalutem omnium fidelium porrigit, ut Paulus ſcribit: illius conſtans & perpetua veritas, cui ſe omnes Angeli ac ſpiritus cæleſtes bumiliter debent ſubmittere: Spiritus ſanctus illud promovet, amplificat, nervos illi ac robur ſubminiſtrat, victoriam adverſus omnem & Satanæ & omnium mortalium contumaciam ei tribuit. Et iſti fanatici affirmabunt, neſcio quod orbis ſigniferi ſigillum, & vim & auctoritatem illi tribuere. Atqui, Mahometi ſecta, quemadmodum ex Scriptura intelligi poteſt, juſtiſſima Dei ultio eſt, qua genus humanum propter ingratitudinem ſuam plectitur. Iſti tamen reclamant, atque affirmant ita affectis ſyderibus promoveri. Quid verbis opus eſt? Tangere manu propemodum iſtorum impietatem videmur. Quid enim eſt clarius, quam eos omnes, qui tales ac tantas delirationes defendunt, de Deo & religione nibilo magis cogitare, qoam ipſas pecudes ac belluas, omni diritate atque immanitate efferatas.

Sed iſti, quaſi canes famelici, ut quidvis carpant ac vellicent, ad Solis & Lunæ defectiones, eaſque ſtellas quas Græci Cometas, Latini Cincinnatas vocant, confugiunt. Affirmant igitur, quod ſi quæ in illis inſit ſignificatio, idem etiam de cæteris ſyderibus exiſtimari poteſt. Ego vero quod quidem ad defectiones attinet, reſpondeo, nullam in iis ineſſe ſignificationem, ſi modo naturales ſunt, id eſt, naturæ ordini perpetuo atque uſitato conſentaneæ: niſi forte eorum, quæ ab illis generantur, ventorum ſcilicet, ac pluviarum, & turbinum, cæterarumque tempeſtatum: quemadmodum jam ante dictum à nobis eſt. Sed poſſe ab illis earum rerum conjecturam duci, quæ vel regnis, vel imperiis, adeoque privatis quibuſque hominibus eventuræ ſunt, boc vero arbitrari, hominum eſt pueriliter atque imperite judicantium. Scite enim Pericles quanquam non philoſopbi ſed imperatoris officio fungens: quum una cum exercitu, navim inſtructam atque ornatam aſcendiſſet, ſubitoque Luna Soli objecta radios ejus & lumen obſcuraſſet, & navarchus cæterique Athenienſes omnes ſummo timore commoverentur, pallio ſuo navarchi caput obvolvit, quæſivitque ab eo, num id rarum illi ac prodigioſum videretur: quod quum negaſſet: Quid tu igitur? inquit. An putas quicquam inter hoc & illud intereſſe, niſi quod majus quiddam eſt pallio, quod nunc tenebras offundit? Simile quiddam in Romanorum exercitu de Lunæ defectione proditum eſt. Nam C. Sulpitius Gallus, Trib. militum, ne quis ea re qoaſi auſpicio malo perterreretur, Conſulis permiſſu ad concionem militibus vocatis, pronunciavit, nocte proxima, hora ſecunda, uſque ad quartam horam noctis, Lunam defecturam eſſe: quod quum evenit, Macedones, ut triſte prodigium, occaſum regni perniciemque gentis portendens, commovit. Alia præterea commemorare poſſem pene innumerabilia: quibus intelligi debet, veram Aſtrologiam eam ſuperſtitionem tollere, qoam iſti plane deliri atque amentes bomines reducere conantur. Quod autem ad eas attinet defectiones, quæ contra communem naturæ ordinem mirabiliter eveniunt, cujuſmodi extitit illa Solis defectio, quæ ſub mortem Domini noſtri Jeſu Chriſti contigit: in iis fateor equidem non deeſſe quandam, eamque magnam ſignificationem: ſed tantum abeſt ut cum noſtris hariolis faciat, ut potius illis os obturet. Nam ſi quiddam inoſitatum atque extraordinarium mirabiliter accidere neceſſe eſt, ut quædam inſit ſignificatio, quo tandem modo talem vim ac facultatem in communi atque uſitato ordine reperient? Similiter fere de Cometis ſentiendum eſt: tametſi non idem plane. Verum, utcunque ſe res habeat, illi certe nihil aliud ſunt, quam ardores quidam, qui non ſtatis temporibus ſed prout Deo viſom eſt, procreantur. In quo ipſo clare perſpicitur, quantum inter Cometas & ſtellas interſit: quippe quum Cometæ cauſis intervenientibus procreentur. Neque tamen ideo aſſentior, ſignificationem illarum ratam ac certam eſſe: id quod etiam uſus frequens ſæpenumero docuit. Nam ſi Cometes apparuit, & poſt aliquantum temporis Princeps aliquis excedat è vita, affirmabunt ei diem à Cometa dictum eſſe: ſin nullius primarii viri obitus conſequamt, tacent, & ſine ulla notatione dimittunt. Quod etſi proculdubio ita ſe habeat, non tamen equidem inficior, quin Deus, quum manum ſuam porrigit ut judicium aliquod memorabile ſtatuat hominibus, id nobis aliquanto ante per Cometas pronuncier. Verum hoccine eorum opinioni ſuffragatur, qui & homines, & hominum conditionem pendere ab aſtrorum affectibus exiſtiment?

Reliquum eſt ut ad ea exempla reſpondeam, quæ nobis objiciunt: quæ ipſa ſane videntur exactam artis illorum confirmationem præ ſe ferre. Eſt autem ex iis ipſis unum quoddam ſingulare, & ad cujos narrationem multorum animi propemodum obſtupeſcunt: nimirum ejus Aſcletarionis mathematici, qui Domitianum aliquanto ante interfectum iri nunciavit. *Dion, in Domitiano.* Quum enim Domitianus vehementer in illum offenſus, eum ad ſe accerſitum interrogaret, quis ipſum maneret exitus: reſpondit, ut brevi poſt tempore diſcerperetur à canibus. Domitianus extemplo rogum accendi, cremari hominem & accuratiſſime ſepeliri juſſit. Interea, ecce repentina tempeſtate diruto funere, ſemiuſtum cadaver canes dilaniant. Aliquanto poſt Domitianus interficitur. Quod autem de Julio Cæſare & Spurina mathematico commemorant, non ita prorſus mirabile videri poſſet: ſed tamen non multo minus. Nam quum Cæſarem immolantem Spurina monuiſſet, ut caveret periculum, quod non ultra Idus Martias proferretur: Iduſque tamen ſine

ulla noxa adveniſſent, ob eamque cauſam à Cæſare rideretur: Atqui, inquit, venerunt illæ quidem, ſed tamen non præterierunt. Itaque eo ipſo die Cæſar in Senatu interfectus eſt. Ita, noſtri Chaldæi ſeſe arbitrantur ſine ulla cujuſquam diſſenſione cauſam ſuam obtiouiſſe: ac proinde dubitari non poſſe, quin eorum diſciplina magnopere certa ſit. Verum, ego libenter ab eorum quopiam quæſierim, an eo ipſo die, eoque ipſo temporis momento, quo J. Cæſar natus eſt, alium præterea nullum exiſtiment, aut Romæ, aut in tota Italia natum eſſe. Profecto veriſimile eſt fuiſſe non paucos, qui eadem cæli affectione primum ſpiritum duxerint, ac ſimul in vitam ingreſſi ſint: quod ipſum etiam de Domitiano dicimus. Verum, eone omnes uno die eodemque mortis genere extincti ſunt? Imo vero, quemadmodum eadem natalitia ſydera non omnes peperere Cæſares, ita hercle non idem mortis genus omnibus invenerunt. Ex quibus certe manifeſto conſtat, nullam neque rationis, neq; veritatis ſpeciem iſtis Chaldæorum prædictis contineri. Nam ſi quid in iis verum ac certum ineſſet, id eſt, ulla artis ratione conſtarent, non dubium eſt, quin in omnes æque valerent. Atqui triginta aut plus eo uno eodemq; aſtro naſcentur: quum tamen alius anno ætatis 20., alius 50. morietur: alium febris extinguet, alius in prælio occidet. Præterea ſinguli ſuam habent vitæ diſtinctam ab aliis conditionem. Quid? ſi ſua cuique eſſent ſydera natalitia, ex quibus quid cuique eventurum eſſet, poſſet intelligi, viſq; aliqua ineſſet in cæli ac ſtellarum ſitus ratione, nonne parem omnibus ac ſimilem vitæ mortiſque conditionem afferret? Eodemque prorſus modo perſacile eſt id quod de Auguſto citant, refellere: qui quum audiſſet ex Theogene, ſydere ſuo natalitio ſibi Romanum imperium portendi, tantam mox fati fiduciam habuit, ut thema ſuum vulgaverit: nummumque argenteum nota ſyderis Capricorni, quo natus eſt, percuſſerit. Cui tandem dubium eſt, quin eodem aſtro innumeri abjecta contemptaq; fortuna nati ſint, quorum alius ſubulci, alius armentorum paſtoris officium, & tamen ſimiliter affecto cælo, fecerit? Enimvero ſi cæli ac ſtellarum affectus, omnibus qui eodem quo Auguſtus temporis puncto nati, Romanum imperium impertiſſet, parva, me hercle, ejus imperii portio ad Auguſtum perveniſſet. Quamobrem illud equidem affirmare non dubito, iſta Chaldæorum aliorumque conjectorum prædicta, nulla recta ratione, nulla artis cujuſquam ſcientia conſtitiſſe: ob eamque cauſam,

——— incerta hæc ſi quis poſtulet
Ratione certa facere, nihilo plus acturum,
Quam ſi det operam ut cum ratione inſaniat.

Quod ſi objiciant ex eventis tamen veritatem apparere: reſponſio parata eſt. Non enim ideo ſequitur, artem eſſe legitimam ac probandam. Atqui nos id unum contendimus, impiam ſcilicet atque improbatam eſſe hanc totam à Deo curioſitatem: non autem quærimus, an harioli cauſa aliqua & fortuna, vera interdum prædixerint. Etſi enim quodcunque à Satana profectum eſt, nihil niſi merum mendacium eſt, meræque præſtigiæ: Deus tamen nonnunquam impoſtores permittit vera dicere: ſiquando videlicet impiorum perfidiam ulciſci ſtatuit iſto modo. Atque ut horum utriuſque exemplum in illa Samuelis pythoniſſa ſumamus, id quod Sauli ab ea prædictum eſt, omnino illud quidem evenit. Eone igitur illam affirmabimus certam ac ratione conſtantem ſcientiam calluiſſe, qua futura prædiceret? minime vero. Deus enim juſto judicio Satanam in regem impium invadere, eumque fallere permiſit: quandoquidem id rex fuerat promeritus. Abſurdum eſt igitur propterea exiſtimare, Chriſtianis ea uti licere ratione, quod vera pythoniſſa nunciaverit. Neque enim Deus ad hunc modum vult ea nos reſcire, quorum nos certiores fieri noſtra intereſt. Atque hujus quidem certam ac generalem regulam habemus, Deuteronomii cap. 13. ubi ſi quis Propheta quidpiam prædixerit, idque tandem evenerit, eoque nos velit ad cultum deorum alienorum abducere, graviter affirmat, eum Prophetam non eſſe audiendum: quoniam Deus tentat nos & explorat, num eum ex animo diligamus. Nos verbum hoc diligenter notemus, momentoque ſuo penderemus, quod quemvis prætextum, quamvis veri ſpeciem eæ res habeant quæ ſunt Deo contrariæ, quaſque ipſe verbo ſuo improbat, atque repudiat: ii tamen qui cum ſincera conſcientia verſantur, ab illis abſtinere poterunt: ſolos enim infideles atque hypocritas in fraudem inducent: quoniam quidem (ut Paulus ſcribit) 2 Theſ. 2. æquiſſimum eſt, eos qui lucem ſequi noluerunt, in terris tenebris & caligine verſari. Denique, tantundem ea, quæ iſtis mathematicis vera dixiſſe contigit, æſtimo, quantum ea falſa prodigia, quibus Pharaonis magi cum Moſe decertarunt; & quibus Chriſtus prædixit fore, ut humanum genus in errorem impellatur.

Jam, quemadmodum horribiles quidam ſunt mæandri, & quibus exitus inveniri non poteſt, ſtultitiæ & ſuperſtitiones quibus ſeſe homines implicant, poſteaquam ſemel curioſitati ſuæ frena laxarunt, multi futiles & leviculi qui animum ad Aſtrologicam divinationem applicarant, ſeſe multo profundius immergunt: nimirum, in omne divinationis genus. Neque enim ullæ ſunt Satanæ præſtigiæ, quæ illis non arrideant, poſteaquam ſemel unius cujuſdam illecebris & lenocinio allecti ſunt. Quoque ſuam diabolicam ſuperſtitionem probabiliorem reddant, nomen Solomonis quaſi velum quoddam ei obtendunt: acſi Solomon ſortilegus fuiſſet. Atqui, mentionem quidem facit Scriptura cognitionis ejus quam de reconditiſſimis naturæ myſteriis habuit: ſed eum tamen neque divinantem, neque hariolum appellat. Et ſane nota eſt omnibus ac perſpecta generalis condemnatio, quam in eos omnes Moſes pronunciat, qui ſe harum rerum ſtudio immiſcent. Præſertim Deut. cap. 18. ubi inquit: Ne quis inveniatur inter vos divinans qui diviner, neque dierum obſervans, neque augur, nec magus, nec incantator qui incanter, nec conſulens pythonem, nec ſortilegus, nec mortuos interrogans. Abominatur enim Dominus quicunque iſta facit: & ob hæc ipſa flagitia delevir populos qui hanc regionem incolebant. Meminerimus ſemper ejus doctrinæ quam ſuperius attigimus; nempe, quum Deus Ægyptios damnat, eo ipſo populum ſuum ab omnibus eorum moribus atque inſtitutis revocare: ac proinde Aſtrologiam omnem judiciariam condemnare, quæ veræ atque legitimæ ſcientiæ terminos egreditur, quum ad iſtam divinandi rationem traducitur: omnemque adeo magiam, quatenus hoc vocabulo reconditarum rerum cognitio comprehenditur, quæ per incantationes, aut ſpectra, aut alia generis ejuſdem exquiritur. Obſervemus etiam, Deum non contentum uno nomine illos appellaſſe, quoniam hominum ingenia, quaſi in libero verſentur, facile in omnia vanitatum genera labi poſſunt: ut omnem ſubterfugiendi occaſionem tolleret, ſingulas ſpecies enumerare atque recenſere, quæ per id temporis notæ erant: quinetiam quibuſdam uti verbis, quæ in honore & pretio habebantur: veluti Choſſeni, quo ſignificantur vates: & nonnunquam ad Prophetas transfertur, qui ea vaticinantur quæ adhuc occulta & obſcura ſunt. Item Hober, quod à conjungendo deducitur: Is, inquit, qui connectit aut conciliat conjunctiones: Aſtrologos proculdubio ſignificans, qui tranſverſa & obliqua ſydera in conjunctionem reducunt, ut quaſi ſibi invicem annuant. Item, Jidonei, quod ſcientes & intelligentes ſignificat: quemadmodum videmus ita nugas iſtas ab iis prædicari, quaſi alia præterea nulla ſcientia uſquam extet. Interea videmus quid de iis Do. pronunciet, & quam horribiles pœnas minetur, quæ certe iis omnibus debent horrorem incutere, qui eum ex animo metuunt. Quod ſi omne divinandi genus ita rejicitur, quid de iis ſentiendum eſt, qui pythones de rebus occultis conſulunt? Hoc enim nemo non videt ſortilegium eſſe manifeſtiſſimum. Atqui, nonnulli adeo ſunt (ut diximus) impudentes, ut ſuos

Digitized by Google

ut ſuos orbes aliaſque præterea incantationes Solomoni acceptas ferre non vereantur. Quinetiam affirmant, quum Spirituum partes ſint miniſtrare fidelibus, non eſſe improbandum, ſi quis ut ſibi inſerviant, eos adjuret. Verum, qua tandem fide freti miniſterium ab iis ſperant, quum id contra manifeſtam Dei voluntatem exigant? Etenim tantum abeſt, ut nobis iſtis uti arcanis adjurationibus liceat, quibus Angelos in colloquium noſtrum eliciamus, ut in ſuperſtitione nefaria ponendum ſit, ſi quis eos quoquo modo invocet. Præterea, quis illis diabolos mancipavit aut locavit, ut eorum miniſteriis utantur? Nam filii quidem Dei eos habent pro capitalibus hoſtibus, eoſque ſugere atque averſari debent: nedum aliquam cum iis conſuetudinem affectare. Itaque qui imperare illis volent, profecto ad extremum intelligent ſe leonem (ut dicitur) tondere, id eſt, dominis ſuis illudere. Hoc igitut ſecundum ea quæ Dominus pronunciat, concludamus, omnem divinationem immane & execrandum eſſe ſacrilegium: quippe, quum quoad ſacere poteſt graviſſime, contum aciam adverſus verbum ſuum condemnans, eam qua divinationi, qua idololatriæ comparet.

Hebr. 1. verſ. 14

Quocirca non ſine graviſſimis juſtiſſimiſque cauſis, civiles leges Mathematicos tam valde & tam ſæpe condemnant. Extat autem ea de re Conſtantii & Juliani ad populum conſtitutio in Codice, his verbis: Nemo haruſpicem conſulat, aut mathematicum, nemo hariolum. Augurum & vatum prava confeſſio conticeſcat. Chaldæi ac magi, & cæteri, quos Maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo divinandi curioſitas. Etenim ſupplicio capitis ferietur, gladio ultore proſtratus, quicunque noſtris juſſis obſequium denegaverit. Verba hæc illorum ſunt omnia. Neque ii audiendi ſunt qui hæc ideo conſtituta eſſe affirmant, vel quia impoſtores arte abuſi ſunt, vel quia odioſum fuit imperitis Magorum nomen. Non fuit Ulpianus imperitus aut rerum ignarus, qui diſerte reſpondit, boni & innocentis viri officio eum fungi, qui quum arbiter familiæ herciſcundæ invenerit in hæreditate libros improbatæ lectionis, magicos forte vel ſimiles (his enim ipſis verbis utitur) eos corrumpat. Sed quid hæc nos teſtimonia perſequimur? Extat ipſius Dei lex, quam tanquam judex Iſraëliticæ politiæ ſtatuit, ut & hujus criminis auctores, & omnes ei crimini affines, extremo ſupplicio damnentur. Quanquam, ut fingamus rem eſſe ab hominibus permiſſam, quum eam Deus adeo deteſtetur, quæ iſta tandem amentia eſt, velle cum religione Chriſtiana eam conjungere? quaſi quis cum luce tenebras conciliet. Et certe mirum eſt, quod Epheſii, qui prius ad iſtas inaniſſimas curioſitates animum adjunxerant, ſimulatque ad Chriſti religionem adducti ſunt, libros omnes ſuos exuſſerunt, quemadmodum Lucas in Actis teſtatur: nunc vero quidam ſunt adeo perverſi ac præpoſteri, ut Chriſti cognitio nihil illis aliud prodeſſe videatur, quam ut illorum deſiderii igniculum accendat ad omnes futiles vanitates undique conquirendas. Hoc certe nimis ingens diſcrimen eſt: quum alii ſimulatque doctrinam Euangelii deguſtarunt, omnes divinationes repudiant, in quibus totius fere vitæ ſuæ tempus contriverant: alii ob eam ipſam cauſam quod veritatem Dei cognoverint, quaſi quodam ſtimulo ad hoc ipſum ſtudium incitantur: quamvis quid illud ſit nunquam antea audierant: quum ii de quibus Lucas commemorat, libros combuſſerint, quorum pretium denariûm quinquaginta millium æſtimaretur: iſti vero inaniſſima quadam opinione quam animo finxerunt, infatuati, omnes ſuas opes in hoc ſtudium impendant. Quinetiam obſervandum eſt, quod Lucas non dicit artes quaſdam impias & diabolicas fuiſſe, ſed eas περίεργα nominat: quo vanæ & futiles curioſitates ſignificantur: tametſi erant illæ quidem omnino improbæ, atque vitioſæ: ſed ut omnem illis tergiverſandi occaſionem reſcinderet, qui diverticula tantum & flexiones quærunt: ut noſtri Mathematici, qui eo Simone Mago magiſtro atque auctore ſuo deteriores ſunt quod is potentiam Chriſti animadvertens, ita propemodum, obſtupeſcit, ut præ illa ſuam omnem artem flocci faciat, & quamvis adeo miſer ſit ac perditus, ut Spiritus ſancti gratiam velit pecunia comparare, agnoſcit tamen potentiam Filii Dei eam omnem ſcientiam obſcurare, ac penitus obruere, qua ſeſe antea præditum exiſtimabat. Iſti à Deo illuminati, ut veritatem illius agnoſcant, oculos deflectunt, & in funeſtiſſimas tenebras conjiciunt: maluntque in ſuis mendaciis caligare, quam frui luce cæleſti, in qua & vita & ſalus omnis noſtra poſita eſt. Ecquid igitur adverſus tanta mala remedii? nimirum, ſi eam ſobrietatem quam nobis divus Paulus commendat, adhibeamus tanquam frenum, quo in ſincera Dei obedientia teneamur. Quod ut fiat, ſtudioſe quiſque det operam, ut hunc inæſtimabilem Euangelii theſaurum in bona conſcientia, quaſi in ſancta & fida cuſtodia conſervet. Non dubium eſt, quin timor Domini, quam optima munitio ſit, quæ nos adverſus omnes errores tueatur. Itaque teneamus omnes hanc univerſalem regulam, ut & corpora & animas noſtras ſanctificemus Deo: eumque ex animo colamus. Deinde, videat quiſque quam provinciam ſuſceperit, quam Spartam nactus ſit, ut eam, quoad ejus ſacere poterit, exornet. Homines literati ad optima & utiliſſima ſtudia animum adjungant, futiles & inanes curioſitates, quæ ad nullam aliam rem ſunt utiles, quam ut ſtultorum ingenia detineant, fugiant atque averſentur. Tenues & qui ampliſſimæ fortunæ ſunt, ignari & eruditione præditi cogitent nos non ad res inutiles eſſe natos: ſed totius noſtræ induſtriæ, operæ & laboris hunc finem eſſe, ut & nos & alios in timore Dei ædificemus. Et ſane, ſi quis paulo attentius conſideret id quod res eſt: quales tandem iſti ſunt, qui hanc erraticam Aſtrologiam nobis afferunt? niſi vel homines temerarii, vel ſumma futilitate, atque levitate præditi, vel otioſi, qui neque quam ſectentur voluptatem, neque qua de re in circulis & conviviis garriant, ſatis norunt: cujuſmodi ſunt Protonotarii quidam delicati aſſectatores muliercularum: aliique præterea urbani, mundi, elegantes aulici: non quo ſcientiam ullam ejus aſſequuti ſint (ſi modo in re tam ſtolida, & futili ulla ſcientia eſt) nam illis ſatis eſt eam primoribus labris guſtaſſe, & extremis, ut dicitur, digitis attigiſſe: tametſi multos interea fraudibus ſuis incautos irretiant. Ob eamque cauſam admonui ſuperius, in rebus ſolidis conſiſtendum eſſe: nam qui in primis induceret animum Deum timere, ejuſque voluntatem explorare, ſe ipſe quam maxime ad ea quæ nobis Scriptura tradita ſunt, exercens: ſecundo loco, animum ad ea quæ ad ſuum officium pertinent adjunget, aut certe ad res frugiferas & utiles atque ſalutares: nullum vacuum tempus habebit in aërem avolandi, ut paſſim per nubes vagetur, neque cælum, ut dicitur, neque terram attingens. Nec ſum neſcius eos non commiſſuros, ut ſine altercatione diſcedant: alterum enim alteri non repugnare affirmabunt. Cui breviter reſpondeo, nullam probabilem ac frugiferam diſciplinam cum Dei timore diſſentire, aut cum ea doctrina quam nobis tradidit, ut nos ad vitam æternam perducat: modò ne quid agamus præpoſtere: id eſt, eam prudentiam adhibeamus, ut & liberalibus & ſordidis vel mechanicis artibus, quaſi per tranſennam prætereuntes, utamur: interea velis remiſque, ut dicitur, ad regnum cæleſte contendentes. Eſt autem hæc ipſa de qua agimus curioſitas non modo ſupervacanea, & ad nullam rem utilis, verum etiam exitioſa, & quæ nos cùm ab ea fiducia, quam in Deum habere debemus, & ab omni cogitatione quam vult nos de ſua juſtitia, judicio & miſericordia ſuſcipere, tum vero ab omni officii genere, quod proximis noſtris tribuendum eſt, longe lateque revocat.

Levit. 20.

Actor. 19. verſ. 19.

SECUNDÆ PARTIS
TRACTATUUM
VARIORUM
JOANNIS CALVINI,
CLASSIS QUINTA.
Contra Antitrinitarios.

Fidelis expoſitio errorum Michaëlis Serveti, & brevis eorundem refutatio: ubi docetur jure gladii coërcendos eſſe hæreticos.

Quanquam inter alia errorum portenta, quibus Satan renaſcentis Euangelii lucem hac ætate obruere conatus eſt, apprime deteſtabilis eſt impietatum congeries quam Michaël Servetus libris editis evomuit: antehac tamen hominem non putavi ex profeſſo refutandum, quia tanta ſuberat ejus deliriis abſurditas, ut nullo contra pugnante, ultro in fumum abitura ſperarem. Breviter quidem veluti in tranſcurſu in meis lucubrationibus attigi ejus nomen, ut pii lectores ab ejus inſidiis ſibi attentius caverent. Sed quia ſpinoſas & erraticas diſputationes quæ nihil quam ſimplicium fidem labefactarent, data opera agitare, meo judicio, utile non erat, à juſto conflictu abſtinui. Et ſupervacuus, ut nuper dixi, videbatur iſte labor: quia periculum non erat ne quos ſanæ mentis homines & mediocri ſenſu præditos, tam futiles ineptiæ caperent. Nam quum verſatilis ingenii hominem ſtulta efferret ambitio prorſuſque transverſum raperet, non mirum eſt ſi tali mentis ebrietate attonitus, plauſum quibuslibet ſuis figmentis dederit. Ut vero ſecum alios inebriaret, quorum diverſa erat ratio, non timui. Poſtea ex bonorum virorum relatu agnovi me fuiſſe deceptum. Non reputabam ſcilicet, quid valeat ſpiritus vertiginis & ſtuporis, quo Dominus ſacræ ſuæ doctrinæ profanationem ulciſci ſolet. Nec vero me latebat quid paſſim denunciet in Scriptura, quid variis omnium fere temporum exemplis teſtatum fecerit: ſed neſcio quomodo ſecurum me reddidit ipſa dogmatum fatuitas, ut in mentem non veniret, ſiquando iram Domini mundus provocavit, dignum eſſe noſtrum hoc ſeculum quod in ſummum nequitiæ cumulum pervenit, longe atrocioribus pœnis quam quas olim adverſus ingratos cæleſtis doctrinæ contemptores fuiſſe editas legimus. Pudenda ſunt ludibria quibus Valentinum & ſimiles nebulones luſiſſe teſtis eſt Irenæus. Sequuti poſtea alii ſunt perinde craſſi impoſtores, quos mirum eſt non ſtatim multis cum probris fuiſſe exploſos. Quid igitur cauſæ eſſe dicemus cur ne ipſis quidem defuerint aſſeclæ, niſi quod homines perperam curioſos novarumque rerum cupidos Dominus juſto judicio præcipites egit, ut clauſis oculis ſe in manifeſtos Satanæ laqueos induerent? Quid hodie? Major pars, humano quoque pudore excuſſo, palam Deo illudit: in tremenda ejus myſteria non minus proterve irrumpunt, quam ſi porci roſtra in pretioſum theſaurum ingererent. Multi impura ſceleſtaque vita Euangelii profeſſionem contaminant. Atque (ut alia taceam) videmus quam audacter laſciviant plurimi in ſuis commentis, quam inexplebilis novarum rerum cupiditas, inſani pruritus inſtar, alios exagitet. His ergo vitiis juſtam ac debitam mercedem rependit Deus, dum homines alioqui non ſtupidos, & aliqua doctrina tinctos bruta quadam ſocordia in fœdos pudendoſque errores prolabi ſinit. Hoc quanquam non in tempore (ut decebat) remedii adhibendi cauſa meditatus ſum: ubi tamen reipſa edoctus agnovi, non adeo miratus ſum, multos eſſe in Italia tabe iſta infectos. Quod dico, non modo in bonam partem accipient æqui & modeſti illius gentis homines, ſed in corrigendo patriæ ſuæ malo (quod utinam non aliis quoque regionibus & præſertim Galliæ noſtræ commune foret) mihi libenter ſubſcribent. Vulgaris hic morbus eſt, ac fere ubique regnat, quod ut quiſque ingenii agilitate pollet, ita eum titillat inanis curioſitas. Sed in Italis propter rarum acumen magis eminet. Jam qui ita cupide ventoſis argutiis inhiant, digni ſunt qui non ſolum vento paſcantur, ſed mortiferos quoque Satanæ afflatus ſorbeant. Hoc quum fidi & idonei teſtes quibuſdam ſuis popularibus contigiſſe retulerint, non eſt quod diſſimulem, ſi forte ad ſobriam mentem moniti redire poſſint. Atque ut eos ſuæ levitatis pudeat: quoſdam ſcio ex diametro inter ſe diſſidere, qui ſe tamen Serveti diſcipulos eſſe profitentur. Quis non videat tantam ex novitate (qualiſcunque tandem ſit) eos voluptatem capere, ut hoc ſolo titulo faveant ignotis erroribus, ac interea pudendum in modum ſe ad ambiguas pugnas quaſi Andabatæ projiciant? Verum (ut alienis proverbiis ſuperſedeam) potius ſe Madianitis ſimiles eſſe agnoſcant, quos ſpiritus vertiginis in cæcos conflictus ita inſtigat. Et ſane hoc non mediocre laboris mei pretium fore confido, ſi homines iſtos, qui parum conſiderate hactenus Serveto fuerunt addicti, ad ſobrietatem colligam. Quanquam mihi ſimul propoſitum eſt, ſiquorum inſanabilis pervicacia fuerit, ne imperitos ſecum irretiant, perverſis eorum fallaciis occurrere. Nam quod citius factum eſſe oportuit, ſaltem ut nunc aggrediar, major illa quam dixi, cogit neceſſitas: præſertim quum novos ſermones excitarit ſupplicium quod nuper de ipſo ſectæ auctore in hac urbe ſumptum fuit. Si quis objiciat vel ignavum eſſe bellum quod mortuo infertur, idque non ob-

ſcu-

ſcurum diffidentiæ meæ ſignum eſſe quod nunc mortuo inſultem, cui vivo & loquenti pepercerim: vel crudelem eſſe qui mortui hominis umbram inſecter: utriuſque prompta eſt faciliſque defenſio. Ego enim, quamdiu ſpes fuit ejus ad ſanam mentem revocandi, privatim operam meam impendere non deſtiti. Ac ne dubiis narrationibus lectores morer, tantum ſimpliciter referam quod duabus ante mortem ſuam horis verum eſſe coram multis teſtibus confeſſus eſt. Quum meum colloquium petiiſſet, miſſi ſunt duo Senatores qui me in carcerem deducerent. Quidnam vellet rogatus, dixit ſe veniam à me petere. Ego vero ingenue præfatus, me unnquam privatas injurias fuiſſe perſequutum, quanta potui manſuetudine admonui: jam me ante annos ſexdecim, non ſine præſenti vitæ diſcrimine obtuliſſe meam operam ad eum ſanandum, nec per me ſteriſſe quominus reſipiſcenti manum pii omnes porrigerent. Deinde literis privatis cum ipſo placide egiſſe, nec ullam captaſſe oſtentationem. Denique nullum à me benevolentiæ officium fuiſſe prætermiſſum, donec liberis meis objurgationibus magis exacerbatus, rabiem magis quam bilem effudit. Verum ſermonem de me abſcindens, rogavi ut veniam potius ab æterno Deo petendam ſibi cogitaret, in quem nimis atrociter contumelioſus fuerat, tres hypoſtaſeis ex ejus eſſentia delere tentans: ac Cerberum tricipitem vocans, ſi realis inter Patrem & Filium ejus, & Spiritum diſtinctio ſtatueretur. Filium Dei ſibi placare in animum induceret, quem fœde ſuis commentis deformans, & negans in ea carne quam induit, nobis ſimilem, adempto fraternæ conjunctionis vinculo, unicum Redemptorem abnegaverat. Quum monendo & hortando nihil proficerem, nolui ſupra magiſtri regulam ſapere. Nam ab hæretico homine, qui αὐτοκατάκριτος peccabat, ſecundum Pauli præceptum diſceſſi. Ad populum quod in plauſibili cauſa me non venditavi, modeſtiæ, non timiditati tribuent æqui & candidi judices. Nec vero mihi adeo formidabilis fuit Serveti eloquentia, ut ego ejus metu prohibitus, in ipſo reprimendo obmutuerim, qui longe robuſtiores pro aſſerenda Chriſti cauſa ſæpius laceſſere non ſum veritus. Quin potius timui, ne ſi argumentum illud ſerio tractandum ſuſciperem, malevoli forte aliqui obſtreperent, me pugnandi nimis eſſe cupidum. Nunc vero quum mortui hominis reliquiæ peſtiferum fœtorem ſpirent, quiſquis malum ne longius ſerpat, remedio arceri indignabitur, improbum ſe & crudelem oſtendet. Quam præpoſtera, obſecro, iſta eſt humanitas, ut ſilentio tegatur unius hominis dedecus, Satanæ aucupiis mille animas proſtitui? Utinam ſepulti eſſent Serveti errores. Sed dum eos volitare audio, tacere ſine perfidiæ culpa, non licet. Quanquam non tam hujus lucubrationis, quam inflictæ homini pœnæ reddenda ratio eſt. Nam quicquid à Senatu noſtro actum eſt, mihi paſſim adſcribitur. Nec ſane diſſimulo, mea opera conſilioque jure in carcerem fuiſſe conjectum. Quia recepto hujus civitatis jure, criminis reum peragere oportuit: cauſam huc uſque me eſſe proſequutum fateor. Ex quo convictus eſt, me nullum de pœna verbum feciſſe, non ſolum boni omnes viri mihi teſtes erunt, ſed malis etiam concedo ut proferant ſi quid habent. Sed quatenus progreſſus ſim, non tanti intereſt, ut publico libro calumnia quam mihi aſpergunt vel turbulenti homines, vel maligni, vel ſtolidi & ebrioſi, purgetur. Alia (ut video) cauſa nunc agenda eſt,

An Chriſtianis judicibus hæreticos punire liceat.

ATque ut hic mihi cum duobus hominum generibus negotium eſt, ita diſtincte utroſque ut merentur, tractabo. Multi hodie ſunt turbulenti homines, quibus ſi liberum foret quicquid intus conceptum habent effutire, nihil non pro effreni ſua audacia convellerent. Iſtis non mirum eſt ſi tantopere arridet impunitas, licentiæ mater. facile etiam ſubſcribunt Epicurei omnes at Lucianici, quum voluptati hoc unum deeſt, quod quæ inter ſe clanculum & ænigmatice ſacrilegia obmurmurant, pleno ore crepare non audent. Denique quotquot pœnæ metu magis quam pudore, à male ſcribendo cohibentur, indigna tyrannide Eccleſiam opprimi contendunt, niſi cuique liberum ſit, quæ placuerint in lucem proferre. Ex eorum numero ipſe quoque Servetus fuit, qui indomitam ſuam proterviam ullis habenis conſtringi indigne ferens, negabat in cauſis religionis aliquem eſſe gladii uſum. quanquam hac in parte homo vertiginoſus turpiter ſecum ipſe diſſidet. Nam ex triginta epiſtolis, quas velut ad me ſcriptas in publicum edidit, vigeſima ſeptima hanc quæſtionem continet, Liceatne Chriſtianis principibus ſcelera morte punire. Sententiam dicturus ita præfatur, Optimus ille ordo eſt quem docet intus Spiritus: qui & reluctantem carnem cohibere docet. ſed numquid occidere? Veritas Dei eſt, rigidum illud ad mortem judicium per Chriſtum eſſe remiſſum, ubi ſpes eſt correctionis. Hinc adulteræ dixit, Vade, & poſthac ne peccaveris. Et alibi adjecit, Ne quid deterius tibi contingat. Sicut Judex ille ſupremus nos corrigit, & monet antequam occidat: ita alii judices facere debent. Illud verum eſt, quod correctione non expectata, Ananiam & Sapphiram occidit Petrus, ibi morituros prædicens in criminis deteſtationem & aliorum exemplum. Aut certe quia Spiritus ſanctus tunc maxime vigens, quem ſpreverant, docebat eſſe incorrigibiles in malitia obſtinatos. Hoc crimen eſt morte ſimpliciter dignum & apud Deum & apud homines. In aliis autem criminibus ubi Spiritus ſanctus ſpeciale quid non docet, ubi non eſt inveterata malitia, aut obſtinatio certa non apparet, aut atrocitas magna, correctionem per alias caſtigationes magis ſperare debemus, quam mortem inferre. Inter correctiones exilium laudamus, Chriſto ita probatum, ut excommunicatio probatur in Eccleſia. Schiſmata & hæreſes ita initio puniebantur, durante Apoſtolicæ traditionis veſtigio. Qui extra fidei negotium ſunt facinoroſi, jure omnium gentium puniuntur: quod etiam jus naturale eſt. Hoc Chriſtus non negavit: ſicut hæreditatem dividere recuſans, non negavit eſſe qui hæreditates dividerent. Primum negat, occidere, ex Spiritus doctrina proficiſci. Deinde mortale judicium Chriſti adventu remiſſum eſſe, ubi ſpes eſt correctionis. Paulo poſt fatetur extra fidei negotium de ſceleratis capitale ſupplicium juſte ſumi: neque magis impediri tales pœnas Chriſti adventu, quam jus familiæ herciſcundæ. Et me ſcilicet Judæum appellat, quia juris rigorem intactum relinquo. Ego autem non vereor ne mihi probro vertant ſani lectores, ſi abrogare quod à Deo ſancitum eſſe conſtat, auſus non fuerim. Quid autem ipſe? Chriſtus capitaliter, inquit, puniri non vult, niſi qui ſe deſperatos oſtendunt. Unde probatur? Quia adulteræ dixit, Vade, & poſthac ne pecces. Atqui dum vindictam de adulterio non ſumit, an ſequitur adulteriis impunitatem ab eo dari? Certe nihilo magis pœnam Lege ſancitam abolet, quam hæreditates negat eſſe dividendas, quum judex vel arbiter eſſe renuit. Altera ratio, Spiritus carnem cohibere docet, non occidere. Dicas non legiſſe tres Scripturæ paginas: ubi non cohibitio, ſed mortificatio carnis toties præcipitur. Cæterum, quid hoc ad forenſes pœnas, quarum privatis hominibus exequutio non mandatur? De carne vero mortificanda, generalis eſt præceptio, & quæ ad ſingulos pertinet. Alia ratio, Cæleſtis judex imitandus eſt, qui pœnam non infligit niſi deſperatis. Jam hoc quidem nimis abſurde, quod Deum nunc fingit ſui diſſimilem, qui paternæ caſtigationis loco, quoſdam ex

ſuis olim terrena vita privavit. Sed quoniam Manichæis (ut alibi clare videbimus) ſe affinem eſſe non diſſimulat, ex veteri Teſtamento exempla non adducam. Paulum objiciam: qui poſtquam teſtatus eſt, *1 Cor. 11. verſ. 30.* multos Corinthi ob ſacræ Cœnæ neglectum mortuos eſſe, continuo poſt ſolatium addit, fideles à Domino corripi, ne cum hoc mundo damnentur. Si quis excipiat ab ultimo interitu liberari, quos Dominus à mundo tollit: hoc idem volo, jure interdum privari corporali vita, qui non prorſus reprobi ſunt. Jam in morte Ananiæ quam inepte cavilletur, perſequi nihil opus eſt. Tantum duo iſta inter ſe conferant ſani & ſobrii lectores: in aliis criminibus, ubi incorrigibilis malitia nondum apparet, aut atrocitas magna, & Spiritus ſanctus ſpeciale quid non docet, tentandas eſſe magis caſtigationes quæ ad pœnitentiam adducant, quam mortem inferendam: rurſus qui extra fidei negotium ſcelerati ſunt, jure gentium puniri: cui nullum obſtaculum ponit Chriſti doctrina. Miri vero artifices erunt Serveti diſcipuli, ſi res inter ſe adeo contrarias, abolito naturæ ordine concilient. Adhæc, unde inter fidei violationem, & alia maleficia diſcrimen niſi ex cerebro ſuo ſumpſit? Si vult Chriſti adventu mitigatum eſſe contra hæreſes rigorem, teſtimonium proferat. Verum non minus ſecure loquutus eſt, quam ſi pepigiſſet cum mundo, fidem ſuis ſomniis habendam eſſe. Prodit alter fanaticus ex ſuo antro, qui Servetum vocat optimum ſuum fratrem: & ideo puniendos eſſe negat hæreticos, quia ſacris oraculis ſenſum quiſque ſuo arbitrio affingat: ut certa veritas quaſi nubibus obvoluta lateat. Ita bonus interpres fidem ex hominum cordibus delere mavult, quam pœnis ſubjicere qui eam labefactant. Qualis enim extabit religio, quibus notis diſcernetur vera Eccleſia, quid denique erit Chriſtus ipſe, ſi incerta ſit ac ſuſpenſa pietatis doctrina? Quantum vero Dei probrum, ſi ita flexiloquus cenſetur in ſuis oraculis ut nobis jocoſe illudat? Atqui niſi certa religio prodita ſit in Scripturis, ſequitur, nos ambagibus, imo fallaciis ab ipſo fruſtra occupari. Quid ſupereſt, niſi ut ejuſmodi homines viam petulantiæ ſuæ facturi, Scripturam, quæ obſtaculo eſt, penitus ſubmoveant? Interea verum eſſe quod nuper dixi, apparet, tum Lucianicos & craſſos Dei contemptores, tum etiam omnes tumultuoſos ſuam cauſam agere, ut omnia impune perturbent, dum religionem tuendam à Principibus ſuſcipi, & legum pœnis vindicari nolunt. Sed jam ad bonos & ſimplices me converto: qui inſcitia quidem labuntur, præcipue tamen tyrannicis Papiſtarum edictis offenſi è recto judicio declinant. Vident, quum impie ſub Papatu fœdata ſit religio, & corruptelis innumeris referta, meris terroribus diabolicam illam confuſionem fulciri, ut contra vel ſyllabam unam muſſitare capitale ſit. Juſta ſane offenſio: veritatem Dei cernere ferro & ignibus oppreſſam, ut nemo eam ſuo patrocinio juvare audeat: errores vero legitimi judicii prætextu violenter ſeptos, ut coarguendi nulla ſit libertas. Atque hæc querimonia piis omnibus communis eſt. Itaque non taciti ſolum gemimus: ſed clara voce deflemus, eo ſervitutis redactum eſſe miſerum orbem, ut nec ulla diſceptatio locum habeat, nec qui Præſulum nomine dominantur, vocem aliquam ſuis placitis diſſonam admittant, nec denique dubitare vel inquirere permittant. Barbaries eſt non ferenda, ubi nulla viget cognitio, poſſeſſionem nullo jure nec ratione munitam, gladio tueri. Verum quum ſanctos Dei Prophetas & Apoſtolos olim ſimilis premeret iniquitas, non negarunt quin Dei cultum & cæleſtem ejus doctrinam fas eſſet legitima poteſtate defendi, ut de impiis ejus everſoribus pœna divinitus præſcripta ſumeretur. Severum certe, ut poſtea videbimus, judicium Deus in eos conſtituerat qui populum tentaſſent à vera religione abducere. A ſceleratis tyrannis Jeremias ad capitale ſupplicium tractus, & in foveam projectus, ad hoc aſylum minime confugit, cultum Dei non eſſe gladio vindicandum: ſed diverſa exceptione utitur, pœnam daturos veritatis hoſtes, ubi innoxium ſanguinem fuderint. Quid Apoſtoli? an expoſtulant cum adverſariis quod religionem ex Legis mandato, pœnis defendant? Imo ſola cauſæ bonitate freti nullam ſeveritatem refugiunt, ſi quid peccaſſe deprehenſi fuerint. Hilarium quidem longius provehi fateor. queritur enim Eccleſiam carceribus & exiliis terrere, atque ita cogere ad credendum, quæ exiliis & carceribus eſt credita: nimis propenſam eſſe ad dignitatem faventium, quæ perſequentium terrore conſecrata eſt: fugare ſacerdotes, quæ ſacerdotibus fugatis eſt propagata: gloriari mundi favore, quæ Chriſti eſſe non potuit, niſi eam mundus odiſſet. Sed illi Auxentii & ſimilium ferocitas ſtomachum movit, ut præſentem magis indignitatem carperet (ſicuti plauſibile illi dabatur argumentum) quam perpetuam tuendæ fidei rationem expenderet. Nam quod inopem ſuæ virtutis Chriſtum argui cauſatur, dum fidem terrena ſuffragia commendant: non debet in eam partem trahi, quaſi Evangelii certitudini quicquam deroget credentium auctoritas, vel religio vileſcat, Regum patrocinio adjuta: ſed in eos tantum querimonia dirigitur, qui Dei verbo deſtituti, manu armata perverſos errores ſuſtinebant. Idem hodie deflere licet, ſtatum Papalis Eccleſiæ nonniſi vi & cædibus ſuffultum eſſe, omiſſo Paſtorum officio, tyrannicis ſolum edictis fulminare, qui ſe Præſulum titulo venditant: quum vera & genuina Chriſti Eccleſia ex perſequutionibus orta, ſub iiſdem floruerit. Verum non obſtant perſequutorum gladii, quominus ſuis ſceptris pii magiſtratus Eccleſiam quæ injuſte afflicta olim fuit, tueantur: nec martyrum cruces impediunt quominus juſto legum præſidio ad Deum tranquille colendum fideles juventur. Prudenter enim Auguſtinus, Imperatores, inquit, ſi in er- *Epiſt. 166 ad Donatiſtas.* rore eſſent, quod abſit, pro errore ſuo contra veritatem leges darent: per quas juſti & probarentur, & coronarentur, non faciendo quod illi juberent, quia Deus prohiberet: ſicut juſſerat Nabuchadneſar ut aurea ſtatua adoraretur: quod qui facere noluerunt, Deo prohibenti placuerunt. Quando autem Imperatores veritatem tenent, pro ipſa contra errorem jubent: quod quiſquis contempſerit, judicium ſibi accerſit: nam & inter homines pœnas luit, & coram Deo ſortem non habet qui hoc facere noluit quod ipſa veritas per cor Regis juſſit: ſicut ipſe Nabuchadneſar poſtea miraculo commotus, atque mutatus, pro veritate contra errorem edictum propoſuit. Et ſane quod in religione conſpicimus, idem & de ejus tuendæ zelo ſentiendum eſt. Qui regulam ex puro Dei verbo petunt, rite & ordine ab illis religio colitur. Si quis ſibi cultum fabricat pro arbitrio: vel fortuito quod ab aliis temere commentum eſt, arripit, quo magis ſataget, eo ſe majore reatu conſtringet: quia nihil laudis meretur ſuperſtitio. Sic verus & legitimus Dei cultor, quatenus feret ejus vocatio, pro fidei ſuæ defenſione pugnabit. Incredulos cæca rabies abripiet. Ita in Papiſtis ſtultum, & ſcientia vacuum zelum qui eos præcipitat, merito damnamus: non minus ſcilicet quam inſanas ſuperſtitiones, quibus faſcinati ſuperbe Dei verbum conculcant. Si præpoſteri zeli vitium ex ignorantia ma- *Epiſt. 167 ad Feſt. Idem ad Dulcitium, Epiſt. 61.* nat: cur non laudabilis erit ille zelus qui non fortuito raptat Dei filios, ſed qui ad fidem quæ illis ſolide teſtata eſt, aſſerendam inflammat? Denique ſicut inter martyres & blaſphemos in pœnæ ſimilitudine, culpa tamen diſcrimen ſtatuit: ſic pios & rectos zelotas cognitio, iniquos & perverſos temeritas & cæcus impulſus facit. Trahetur ad ſupplicium qui figmentum eſſe contendet quicquid Sacris oraculis proditum eſt. quis tale monſtrum honorifico martyris titulo auſit ornare? Nempe, ut recte idem Auguſti-

nus

nus definit, martyrem facit cauſa, non pœna. Si non ille martyr: cur ſeverus Judex non cenſebitur qui de eo pœnam ſumit, potius quam crudelis perſequutor. Ergo hic tenenda eſt prudentia & moderatio, ne vel pro cauſa incognita tumultuoſe efferveant Principes, vel immani ſævitia ad ſanguinem fundendum ruant. Veteri proverbio, audax inſcitia vocata eſt: ſuperſtitionis vero mira eſt tam audacia quam crudelitas. Itaque videmus nihil hypocritis, quum ſuæ inſcitiæ & erroribus ſecure indormiant, magis eſſe ſanguinarium. Nec vero fieri aliter poteſt, quin patris ſui ingenium referant increduli omnes, qui & homicida fuit ab initio, & mendacii pater. Veris autem Dei cultoribus ab utroque vitio cavendum: ne vel ejus incognitæ patrocinium temere arripiant, vel ad ſeveritatem intemperanter ferantur. Nam ſi in terrenis cauſis omnium probris merito traducitur Judicis ſocordia, qui ex aliorum opinione, ignarus ipſe totius rei, ſententiam fert: quanto minus ferendi ſunt qui in cauſa pietatis inquiſitionem, quæ privatis etiam quibuſque præcipitur, ſupino faſtidio negligunt? Itaque deteſtabilis eſt illa quæ in Papatu dominatur barbaries; nec vero horribile Dei judicium effugiet. Adſunt parati martyres ad reddendam omnium rationem, ſi liceat. Adeo nulla ex verbo Dei conceditur defenſio, ut actionis principium ſit, nullam diſceptationem admittere. Itaque anſa rationibus præciſa, miſeros homines non auditos excarnificant diris tormentis: poſtea linguis exectis ad ignem extrudunt, non qui ſua flamma eos ſtatim abſumat, ſed lenta uſtulatione conficiat, quo ſe mori ſentiant, ut dicebat tyrannus ille. Exemplar ſane illud eſt tum belluini ſtuporis, tum immanis ſævitiæ. Recteque etiam in hac parte Auguſtinus, Si terreantur, inquit, & non doceantur, improba quaſi dominatio videbitur. Sed rurſus ſi doceantur & non terreantur, vetuſtate conſuetudinis obdurati, ad capeſſendum viam ſalutis pigrius ſurgent. De convictis hæreticis loquitur, qui ſuperba tantum moroſitate inducti, diſceſſionem ab Eccleſia fecerant. Quid ergo dicturum fuiſſe putamus, ſi pios & ſimplices unius Dei cultores crudeliter vidiſſet hac tantum cauſa uſtulari, quia hominum figmentis clarum Dei verbum opponerent? Neque enim Papæ incendiariis tantopere ſæviendi alia eſt ratio, niſi quod fictitiis ſuis legibus quicquam derogari non ſuſtinent. Sed eos ſuppreſſa doctrinæ luce, tam impotenter furere mirum non eſt, quorum dominatio in confuſis verbi Dei ruinis fundata eſt, & quibus ſpes victoriæ nonniſi in tenebris ſita. Longe aliter Eccleſia Dei, quæ ut fidei ſuæ confeſſionem ex ore Dei petit, ita ad eandem regulam, ne præpoſtere feratur, zelum ſuum temperat. Nobis igitur quin ſervanda ſit exacta tum prudentia, tum manſuetudo, nulla dubitatio eſt: deinde quin judicio præire debeat placida & religioſa doctrinæ cognitio. Sed hoc minime obſtaculo eſt quin magiſtratus officium ſit, gladio & pœnis coërcere, qui quum ipſi ſint apoſtatæ à recta fide, alios ad defectionem ſollicitant, & in Deum contumelioſi miſeras animas illaqueant ſuis fallaciis, pacem conturbant Eccleſiæ, & pietatis conſenſum ſcindunt ac lacerant. Quas tamen obtendant rationes imperiti, ſed non mali homines, quibus tanto ſceleri danda videtur impunitas, breviter videndum eſt. Regnum ſuum, inquiunt, manu & armis conſtitui Dominus non voluit, ſed ſpirituali Euangelii gladio: & ſuos hortatus eſt, ut parati eſſent proprium ſanguinem fundere: ut alienum funderent, nuſquam præcepit: Apoſtolos tanquam agnos in medium luporum emiſit, non inſtruxit carnis potentia. Atqui ſi contra excipiam, nuſquam Dominum ſuis mandaſſe ut furta, rapinas, adulteria, cædes, veneficia puniant: ideoque impune ferenda eſſe hæc omnia: quid dicturi ſunt? concedentne laxandas eſſe habenas ſceleratis, ac non potius dicent, non obſtare, quæ ſingulis præcipitur, tolerantiam, quominus vigeant legum ſanctiones? Verum quidem eſſe fateor, neque vi armata erectum ab initio fuiſſe Chriſti regnum, neque armorum præſidio ſtare. Euangelii enim prædicatione regnare Chriſtum oportet, ut impleatur vaticinium illud, Populus quem non noveram, mihi ſubjectus fuit: ad auditum auris obedivit mihi. Itaque Dominus, quo illuſtrior eſſet vocis ſuæ efficacia, nudos & inermes miſit Apoſtolos: nec modo deſtitui voluit terrena potentia, ſed totum fere mundum habere infeſtum, ut cæleſtem eſſe Euangelii victoriam omnibus conſtaret, dum inſtar palmæ contra tot tamque ardua obſtacula emerſit. Nec vero aliter hac ætate, quam invito & reluctante mundo vel denuo ſurrexit, vel adhuc floret. Sua igitur virtute, non hominum manu ſuſtinetur religio. Nec fruſtra Euangelii miniſtros patientia magis armat Chriſtus, quam bellandi facultate: quia ſic animatos eſſe convenit, ut quam lingua aſſerunt doctrinam, proprio ſanguine quoties opus fuerit, obſignare non dubitent. Primum, veræ, ſanæque doctrinæ plerumque adverſantur mundi Principes. Deinde multos, quibus ad breve tempus arriſit, ſuo rigore exaſperat. Pauci ſunt qui ferendo jugo cervicem libenter ſubmittant: & quemadmodum delicias ſibi ipſi faciunt, ita doctores appetunt blandos, & mellitos, qui ſerviliter adulentur. Jam videmus quam non æqualis ſit Principum ſucceſſio, ſed bene compoſitum à patre Eccleſiæ ſtatum filius quaſi violenta procella repente ſubvertat. Atqui Euangelii miniſtros minime ad quamlibet auram flexibiles nutare decet: verum quocunque inclinent hominum animi, & quamlibet diſſimilis ſit temporum conditio, rectum curſum tenere, ne æterna & Immutabilis Dei veritas, quæ apud eos depoſita eſt, perfida eorum ignavia concidat. Sic veteres Prophetas, licet propitiis interdum Regibus uſi ſint, eorumque præſidio adjuti, videmus tamen variis ſubinde tempeſtatibus fuiſſe jactatos: ut negari non poſſit omnes, ſub crucis Chriſti vexillo militaſſe. Hoc certe ſeculis omnibus commune eſt, hominibus non placere quicunque fideliter Chriſto ſerviunt. Abſurdum eſſe objiciunt, ſpirituale Chriſti regnum carnis potentia ſubniti. nempe ut fidem abſurdum eſt in humana eloquentia fundatam eſſe. Nunc ſiquis obmuteſcere jubeat quicunque diſerti ſunt, doctos omnes & liberalibus artibus politos à ſuggeſtu prohibeat, neminem acuto & felici ingenio præditum admittat ad docendi munus, ne fidem exinaniant eloquentia & paulo ſubtilior agendi dexteritas, nonne apertam Deo, ejuſque donis injuriam faciet? Stulteſcere quidem jubet Paulus quicunque ſapere videntur, ut Chriſti diſcipuli fiant: nempe ut ſapientia carnis in ordinem coacta, emineat ſola fides. Quod ſi nulla ratio impedit quo minus Euangelii prædicatio arcana tantum Spiritus virtute ſit efficax, & pediſſequas tamen habere poſſit humanas artes: ita nec religio, tametſi ſola Dei manu continetur, & ſub cruce triumphat, à legitimis tamen ſubſidiis, ut ita viſum eſt Deo, non abhorret. Quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus ut ſapientes confunderet. Verum, qui à piſcatoribus exordium fecit, poſtea alios ſibi deligit miniſtros neque ita rudes, & elegantiori doctrina tinctos. Quinetiam Paulus ipſe, qui ſe facundia deſtitui fatetur, non omnis doctrinæ expers, ut alii ejus collegæ, ſed à puero in Lege eruditus fuerat. Ut autem de ſucceſſoribus taceam, Jeſaiæ ſermo non modo purus & nitidus, ſed etiam artificio ornatus ſatis teſtatur eloquentiam, fidei interdum miniſtram eſſe. Et certe Chriſtus, non minus ſtellæ radio Magos ad ſe deduxit, quam paſtores Angeli voce. Quare nec rude obſcurumque vulgus, ex quo ſumpſit Chriſtus Eccleſiæ primitias, viam Regibus præcluſit quin ipſi quoque & ſe, & ſua omnia offerrent: & ipſa etiam gladii poteſtas, qua inſtructi ſunt, ſacra eſſet oblatio. Nunc videmus ut ad

Margin notes: *Joan. 8. verſ. 44.* — *Ad Vincentium Epiſt. 48.* — *Pſal. 18. verſ. 45.* — *1 Cor. 3.*

feren-

ferendam crucem, ad odia, probraque mundi ſubeunda paratos eſſe oporteat Euangelii miniſtros, ſicuti non aliis quam patientiæ armis Dominus eos inſtruxit: & tamen jubeantur Reges pietatis doctrinam ſuo patrocinio tueri. Adeoque in ipſis Principibus utriuſque officii documentum Chriſtus interdum proponit. Illuſtriſſimus Saxoniæ Elector Joannes, quum à carnificis manu non procul abeſſet, conſtanter & intrepide ad obeundam pro fidei ſuæ confeſſione mortem paratum ſe ac voluntarium oſtendit. Idem nunc, ſi quis impius apoſtata in ejus ditione purum Dei cultum evertere conetur, non dubitavit ſtrenuus regni Chriſti eſſe defenſor. Objiciunt deinde, nihil minus eſſe conſentaneum quam ut ad fidem, quæ propenſa obedientia conſtat, violenter cogantur homines. Ego, ut omittam quæ vere,

Ad Bonifacium Epiſt. 50. & aliis locis.

& ſcite in hanc ſententiam diſputat Auguſtinus, utiliter ſcilicet invitos trahi, qui Deo reluctantur, ut caſtigatione ſubacti ſponte accedant: reſpondeo in tuendo Eccleſiæ ſtatu alium eſſe gladii uſum quam ut ad fidem quis cogatur. Nam ut demus in Principum manu & arbitrio non eſſe, edictis ſuis penetrare in hominum corda, ut obedienter ſalutis doctrinam amplexi Deo ſe ſubjiciant, hoc tamen poſtulat eorum vocatio, ne impuris ac petulantibus linguis lacerare permittant ſacrum Dei nomen, ejuſque cultum peſſundari ſinant. Privatus homo qui vitæ & mortis poteſtatem non habet, ſi domum, cui præeſt, ſacrilegiis pollui ſinat, culpa non vacabit: quanto fœdior erit Principis ignavia, ſi ad effrenem pietatis violationem conniveat? Sedebit ſcilicet judex in ſublimi ac magnifico ſolio, & Chriſti gloriam probroſe dejici tacitus feret, & imperium ſibi pœnarum metu aſſerens, licentiam improbis diſſipandæ Eccleſiæ concedet? Ergo pietatis doctrinæ vindices erunt pii magiſtratus, non ſolum ut ad fidem cogant minus voluntarios, ſed ne ab ea ditione exulet Chriſtus in qua ejus beneficio regnant: ne ludibriis impune ſubjaceat ſacrum ejus nomen, cujus ſplendore honorifica eſt eorum poteſtas: ne contra ejus doctrinam proterviant impii, qui tranquillum eorum imperium continet: ne infirmos, quibus divinitus præfecti ſunt cuſtodes, in exitium rapi, ſilentes & quieti videant. Obtendunt præterea, Chriſti diſcipulis colendam eſſe manſuetudinem, quæ in Magiſtro apparuit. neque enim armis, inquiunt, præfractos compulit in ſuum obſequium: ſed doctrina omnes blande allicere tentavit,

Jeſa. 42. verſ. 1.

ut illud impleret Jeſaiæ vaticinium, Ecce ſervus meus non rixabitur, neque contendet, neque in plateis audietur ejus clamor: calamum quaſſatum non confringet, & ellychnium fumigans non extinguet. Quaſi vero nobis contraria exceptio non ſit in promptu, ut doctoris officio functus eſt Chriſtus, ita arreptum

Mat. 21. verſ. 12.

fuiſſe ab eo flagellum quo templum Dei à profana nundinatione purgaret. Si impetu profligavit Filius Dei, qui divini cultus prætextu hoſtias in atrio templi vendebant, tum gladium ſibi divinitus commiſſum non exerent pii magiſtratus ad coërcendos perfidos apoſtatas, qui totum Dei templum aperta contumelia profanant ac violant? Ac unum quidem hujus ſancti zeli ſpecimen edidit Chriſtus. In reliquo autem vocationis ſuæ curſu ab externo correctionis genere abſtinuit, ne ſpirituale regnum ſibi à Patre commiſſum terrenis imperiis miſceret. Nam qui hæreditatis inter fratres herciſcundæ arbiter eſſe renuit, ſuum tamen jus cuique ſervari vult à piis judicibus. Adhæc diſtincte notat Jeſaiæ vaticinium, non ad omnes promiſcue ſpectare quam commendat in Chriſto manſuetudinem. Placida Chriſto, mitiſque ſuavitas tribuitur, qua infirmos ſuſtineat, non qua robuſtam malitiam magis obduret. Manſuetus eſt Chriſtus, ut calamum quaſſatum non confringat: an ideo quoque ut eorum obſtinationem foveat, qui debiles confringunt? Manſuetus eſt ut parcat ellychniis fumigantibus: an ideo ut tenebras non diſcutiat? Quin potius ſceptro ferreo armatur, *Pſal. 2. 9.* quo inimicorum capita conterat. Scio equidem, ut non alio quam verbi gladio utatur Chriſtus, promptam illi eſſe vindictam in omnes impios: ſed non dicemus alio quam ejus Spiritu actum fuiſſe Petrum, quum Ananiam & Sapphiram ſubita morte percuſſit: nec Paulum dicemus fuiſſe Magiſtro diſſimilem, *Actor. 13.* quum Elymam magum cæcitate ultus eſt. Nec vi- *verſ. 8.* deo quorſum pertineant potentiæ, quas inter Spiritus dona commemorat idem Paulus, niſi ut ad incutiendum contemptoribus terrorem vigeret Spiritus ſeveritas. Ergo verbi miniſtris licuit corporali pœna coërcere impios: Principes, quorum proprium eſt munus gladio tueri ſanctum ordinem, in fidei diſſipatione ceſſabunt? Porro crudelis eſt iſta quam laudant clementia, oves exponere in prædam ut lupis parcatur. Animas ipſi pravorum dogmatum veneno interficiunt, & legitima gladii poteſtas ab ipſorum corporibus arcebitur? lacerabitur totum Chriſti corpus, ut putridi unius membri intactus maneat fœtor? Equidem ut moderate agant Principes, à piis doctoribus monendos hortandoſque eſſe fateor: & medicorum inſtar, vim ultimam non adhibeant niſi deſperatis morbis: ſed à diſſoluta mollitie, quæ nihil aliud eſt quam mali fomentum, multum differt lenis humanaque medendi ratio. Adducunt etiam quædam Scripturæ teſtimonia. in quibus unum videtur habere aliquid coloris: Sinite, inquit Chriſtus, *Mat. 13. verſ. 29.* zizania cum tritico creſcere, ne ſimul evellatur & triticum. Si præciſe nobiſcum agunt ex verborum formula, non tantum prohibentur magiſtratus ab uſu gladii, ſed omnem diſciplinam è medio tolli oportet. Excommunicatio purgandæ Eccleſiæ optimum eſt remedium: atqui locum non habebit, ſi zizania attingere fas non eſt. Adde quod non tantum de perverſis dogmatibus illic Dominus agit, ſed quaſcunque corruptelas ad vitiandum bonum ſemen ſpargit Satan, in genere deſignat. Faceſſant igitur leges & judicia, ſi relinqui zizania oportet uſque ad meſſem. Atqui ſanis lectoribus minime ambiguum eſt Chriſti conſilium. Quemadmodum enim alibi Eccleſiam areæ ſimilem facit, in qua paleæ permixtum eſt triticum: & ſagenæ, in quam pariter boni & mali piſces aggregantur: ita nunc agro eam comparat, qui lolium una cum bona ſemente ferre & alere cogitur. Inde enim zeli intemperies nimis acribus ingeniis, quod indignum eſſe putant ſordibus inquinari Dei ſanctuarium: ſponſam Chriſti, quam ſanguine ſuo mundavit, & in qua lucere Dei gloria debet, fœdis maculis eſſe aſperſam. Atqui Dominus ut nos humiliet, ut probet noſtram conſtantiam, ut nos ad cavendum ſollicitet, Eccleſiam ſuam multis vitiis eſſe obnoxiam patitur. Atque hinc fit ut malos cum gemitu ferre in ſuo gremio cogatur, quos fugare non poteſt. Eſt quidem illud verum, ſimulac cum Euangelio ſuo prodit Chriſtus, ventilabro paleas à tritico diſcernere: ſed hoc ita facere incipit, ut plena purgatio ad diem ultimum differatur, quo ſegregabit agnos ab hœdis. Non igitur quemlibet rigorem ceſſare Chriſtus jubet, ſed toleranda eſſe mala admonet quæ ſine pernicie corrigi nequeunt. Et certe quamlibet ſedulo & animoſe quiſque pro ſuo officio eradicandis vitiis incumbat, nunquam eo uſque proficiet ſeveritas quin multæ vitiorum reliquiæ maneant. Gamalielis auctoritas perperam ab *Actor. 5. verſ. 34.* illis adducitur. Suadet Gamaliel ut quieſcant Scribæ, quia ſi ex hominibus eſt doctrina, ſponte diffluet: ſin ex Deo, nunquam poterit diſſolvi. Nam id imperite dictum eſſe facile inde patet, quod non modo peſſundat omnem politicum ordinem, ſed Eccleſiæ quoque diſciplinam enervat. Et certe habenda erat perſonæ ratio. Nam Gamaliel ambigens quid rectum ſit, quaſi cæcus in tenebris, neque huc neque illuc ſe conferre audet; ſed ſuſpendit ſententiam. interim

ex

ex veris ptincipiis malam conſequentiam elicit, nihil adhibendum eſſe conſilii, quia Deus quod ſuum eſt tuebitur: quod autem ab hominibus eſt, peſſum ibit. Atqui Dominus tametſi unicus ſit agricola, mittit tamen operarios in vineam ſuam: tametſi ſolus det incrementum, vult tamen eſſe qui plantent, & rigent: tametſi templi ſui ſit architectus, miniſtros tamen & opifices ſibi adjungit qui in hoc ædificium laborent. Denique, tametſi defenſor ſit operum ſuorum & vindex, hominibus tamen utitur miniſtris. Putidius eſt quam ut refutatione iodigeat quod quidam ex profanorum hominum dictis colligunt, Si de cultu Dei, & Legis doctrina habetur quæſtio, noo eſſe ctimen morte aut vinculis dignum. Quis enim non videt, homines à vera luce alienos contemptim expoſuiſſe Dei Legem rixis & certaminibus, ut tandem in faſtidium & probrum veniret? *Actor. 23. verſ. 29.* Claudius Lyſias Felici ſcribit ſe nullum in Paulo reperiſſe crimen, quia tantum cum Judæis de Lege diſceptet: non quod probet Pauli cauſam, ſed quia Legem ſuſque deque habet: imo cuperet prorſus eſſe abolitam, ideoque gaudet inteſtinis diſſidiis convelli. Tam boni ſcilicet patroni voce, judicii laqueos diſſolvere conatus eſt Servetus: quaſi cæleſte eſſet oraculum quod Lucas à tam malo auctore profectum eſſe recitat.

Mat. 26. verſ. 52. Objiciunt tandem, quum juſſus eſt Petrus gladium in vaginam tecondere, Dominum ſatis clare teſtatum eſſe quam ſibi non placeat violenta & armata Euangelii defenſio. Sed quid ſi excipiam, ue verbis quidem coram Pilato ſuam innocentiam aſſeruiſſe, ut jure poterat? Si decreto Patris obſequi volens quaſi agnus coram tonſore obmutuit, & tantiſper à prædicando Euangelio abſtinuit, dum ſacrificio mortis ſuæ peccata expiaret: miramur ſi Petrum à cæde prohibuerit? Verum aliud eſt quod reſpondeam: Jus ſtringendi gladii Chtiſtus miniſtro ſuo non concedit: temere enim homo privatus eum arripuerat. Tumultuoſe repelli non vult milites à quibus vinciendus erat, nempe ne hanc infamiam ſubiret quaſi aleret pro Euangelii miniſtris ſicarios. Hinc colligi nulla ratio patitur, Principum manus ligari ne ordinarium munus ſuum exerceant. In ſumma, ut Petrum graſſari non ideo vetat, vel ut Magiſtratus exarmet, vel ut eos repellat à juſta Euangelii propugnatione: ſed quia illum ruete non vult præcipiti impetu extra vocationis ſuæ metas, nec mortis ſuæ, qua reconciliandi erant homines Deo, quicquam moræ afferri.

Hactenus quæcunque ab adverſa parte obtendi ſolent, bona fide retuli, & me ſatis diluiſſe arbitror. Supereſt ut non modo liberum eſſe Magiſtratibus doceam pœnas ſumere de cæleſtis doctrinæ corruptoribus, ſed quod illis nolunt licere imperiti, divinitus eſſe mandatum, ut peſtiferis erroribus impunitatem dare nequeant quin deſciſcant ab officii ſui fide. Ac primo quidem hoc dictare naturæ ſenſum, ut in omni politia bene compoſita principium teneat religio, & legum præſidio integra ſervetur, teſtes ſunt ipſi increduli. Legantur Philoſopbi, quicunque hoc argumentum tractarunt. Certe incipiunt à divino cultu, & eo religionis genere quod optimum eſſe putabant: ut ſecundum eos barbarus ſit, & inſipidus legiſlator, cui pietatis erga deos prima non eſt cura. Pudendum vero nobis erit, illos in tenebris vidiſſe quod nos in luce fugiat. Nec ſuperſtitiooi tribui poteſt quod illi in legibus ſuis religionis cuſtodiam complexi ſunt. Quid eoim abſurdius eſt, quum furta ſevere puniat Judex, ſacrilegiis licentiam dare? quum ſuum cuique honorem ſalvum tueatur, lacerandam impiis exponere Dei gloriam? De perjuriis nemo litem movere audebit quin graviter punienda ſint. Cur hoc fatentur qui hæreticis exhibendam eſſe moleſtiam negant, niſi quia perjutiis læditur bumana ſocietas? Ergo Dei gloria hominum commodis implicita vindicabitur: ubi autem nemo de ſua jactura queretur, inulta cum ludibrio jacebit? Supervacuum foret pluribus verbis hoc perſequi. Nam quum rectæ politiæ finis ſit, legitimi inter homines ordinis conſervatio, neglectus autem pietatis otdinem hunc ita diſſipet, ut extra ipſam bruta ſit hominum vita, mutilam eſſe gubernationis formam conſtat, in qua negligitur religio: & Magiſtratus nonniſi dimidios eſſe & umbratiles, qui forenſibus tantum negotiis intenti, de aſſerendo Dei cultu non cogitant.

Hujus rei illuſtre nobis exemplum Spiritus Dei proponit in Nabuchadneſer. Nam ejus edictum celebrat Daniel, quo capitalem pœnam denunciat ſiquis in Deum Iſraël blaſphemus fuerit. *Dan. 3. verſ. 29.* Honor profecto non vulgaris crudeli tyranno habetur, quum Prophetam ſuum Dominus ad publicandas quas tulit leges quaſi præconem aſſignat, & leges ipſas in acta ſua refert, ſacriſque ſuis oraculis annumerat. Quid? an Spiritus ſancti & Propbetæ elogio laudatur Nabuchadneſer, qui veri Dei gloriam pro imperio tutandam ſuſcepit, ut ad impiam ejus profanationem conniveant ſancti Magiſtratus? ac non potius his Dominus ſub profani regis perſona quid agere ipſos deceat præſcribit? Et certe quid magis præpoſterum quam in Eccleſiæ ſinu impune foveri ſceleſtas in Deum contumelias quæ in Babylone pœna capitali ſancitæ fuerunt? quam ſi tribunal in quo viget Dei cognitio, ſacrum ejus nomen, cujus cuſtos & aſſertot fuit rex Babylonius, præſidio, tutelaque ſua non dignatut? Non quod hominum auxiliis ipſe indigeat, ſed quia nihil minus conſentaneum eſt, quam Reges & Magiſtratus, quos ſibi in terris conſtituit miniſtros, ſua ſtudia ad tuendum ejus cultum non referre. Hoc tantum intereſt, quod ſi illum zeli ardorem in ſævo tyranno accendit exigua ſcintilla, Principes Eccleſiæ domeſticos, quibus certo comperta eſt, & clare illuxit Dei veritas, niſi pro ea longe animoſius pugnent, conſtat turpis ignaviæ bis reos eſſe.

Sed jam audiamus quid juris Dominus ſtatuerit in ſua Eccleſia. Poſtquam enim Prophetam, & *Deut. 13. verſ. 1.* ſomniatorem qui populum abducere tentaverit à recto pietatis cultu, juſſit occidi, eandem pœnam ad ſingulos extendit his verbis, Si incitaverit te frater tuus filius matris tuæ, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor quæ eſt in ſinu tuo, aut proximus quem habes quaſi animam tuam, ſecreto dicens, Eamus, & ſerviamus diis alienis, quos nec tu noviſti, nec patres tui: oon acquieſces ei, nec audies eum, non parcet ei oculus tuus, nec ei propitius erit, ut occultes eum. Quin potius occidendo occides eum, & manus tua ptima ſit ut illum interficiat: deinde manus totius populi: opprimes autem eum lapidibus donec moriatur. Eant nunc, & crudelitatis Deum accuſent, quibus inſtar levis & venialis delicti eſt à pura fide, & Dei cultu defectio. Cæterum, antequam ultra progrediamut, duo notare operæpretium eſt. Neque enim religionem, qualiſcunque tandem ſit, tam ſevere conſervat, ac ſancit, ſed quam verbo ſuo inſtituerat. Deinde lapidationis pœnam in exteros non edicit, ſed qui Legis doctrinam profeſſi, perfide ab ea deſciverint. Ita tollitur offenſio quæ multos imperitos fallit, dum metuunt ne hoc prætextu ad ſæviendum armentur Papæ carnifices. Nam ſi Dominus populo ſuo certam pietatis regulam ante patefecit quam pœnis

ſubji-

ſubjiceret apoſtatas: quiſnam mortalium ſumere hoc ſibi audebit: ut doctrinæ genus ſuo, vel alterius arbitrio confictum, gladio & pœnis ſanciat? Ergo non vaga & cæca poteſtate inſtruimus Magiſtratus, ut eorum præſidio ſine delectu recepta quævis religio in ſtatu ſuo maneat: ſed tenendam eſſe contendimus legem divinitus præfixam, ut compertæ veritati ſuccedat demum pœnarum ſanctio. Quare non eſt quod ſibi blandiantur errorum patroni, qui in fundendo innoxio ſanguine, ſtulto ſuo zelo & ignorantiæ indulgent, vel ſaltem inquiſitionis onus in alios rejiciunt, ut ſibi ex alienis reſponſis ſanctos Chriſti Martyres crudeliter interficere liceat. Adhæc, ſolvitur quorundam objectio, qui rogant an gladio adigendi ſint ad Chriſti fidem Judæi, Turcæ, & ſimiles. Neque enim promiſcue in omnes gladium ſtringi jubet Deus, ſed apoſtatas, qui ſe impie alienaverint à vero cultu, & alios ad ſimilem defectionem trahere conati fuerint, juſtæ pœnæ ſubjicit. Nunc vero quiſquis hæreticis, & blaſphemis injuſte pœnam infligi contendet, ſciens, & volens eodem ſe obſtringet blaſphemiæ reatu. Hic nobis non obtruditur hominum auctoritas, ſed Deum audimus loquentem, & quid Eccleſiæ ſuæ in perpetuum mandet, non obſcure intelligimus. Non fruſtra humanos omnes affectus excutit, quibus molliri corda ſolent: paternum amorem, quicquid eſt inter fratres, propinquos, & amicos benevolentiæ faceſſere jubet: maritos revocat à thori blanditiis: denique homines propemodum natura ſua exuit, nequid obſtaculi ſanctum eorum zelum moretur. Cur tam implacabilis exigitur ſeveritas, niſi ut ſciamus non haberi ſuum Deo honorem, niſi quæ illi debetur pietas, humanis omnibus officiis præfertur: & quoties aſſerenda eſt ejus gloria, propemodum ex memoria noſtra deletur mutua inter nos humanitas? Adde quod eadem pœna paulo poſt integras urbes conſtringit: Si audieris in una urbium tuarum, quas tibi Dominus ad habitandum dabit, egreſſos eſſe filios Belial è medio tui, & avertiſſe incolas urbis ſuæ, dicendo, Eamus, & ſerviamus diis alienis: quære ſollicite; & diligenter rei veritate perſpecta, ſi inveneris veram eſſe famam, ſtatim percuties incolas urbis illius in ore gladii, & delebis eam, & quæcunque in ea ſunt uſque ad pecora. Supellectilem ejus congregabis, & exures, ut anathema ſit. Videant iſti miſericordes, quos tantopere impunita hæreſeôn licentia delectat, quam male ſibi conveniat cum Dei mandato. Ne Eccleſiam Dei immodicus rigor infamet, vellent in unius hominis gratiam impios errores impune graſſari: Deus autem ne totis quidem populis ignoſcit: funditus deleri jubet urbes, & earum aboleri memoriam, trophea denique erigi in ſignum execrationis, ne totam terram occupet contagio, ac diſſimulatio ipſa ſceleris ſit, ac culpæ ſocietas. Nec mirum. ponitur enim hic craſſa à Lege Dei, & probatis ejus oraculis defectio, quæ divina & humana jura violat. Neque enim quum Magiſtratus tuendæ religioni cuſtodes præficimus, eorum acuimus gladios, ut de quolibet errore pœnas ſumpturi, mox ad ſanguinem proſiliant. Scimus enim tres eſſe errorum gradus: & quibuſdam fatemur dandam eſſe veniam, aliis modicam caſtigationem ſufficere, ut tantum manifeſta impietas capitali ſupplicio plectatur. Fideles ſæpius Paulus hortatur ut ſe invicem tolerent, quamvis aliqua ſit inter eos diſſenſio: nempe ſi qua levis ſuperſtitio & inſcitia ſimplicium mentes occupat, ut eam patientia corrigere potius ſtudeant quam intemperanter ad vindictam efferveant. Secundum errorum genus etſi caſtigationem meretur, mediocris tamen adhibenda eſt ſeveritas: tantum ne indulgentia alatur eorum improbitas & contumacia qui fidei unitatem ſcindere cuperent. Sed ubi à ſuis fundamentis convellitur religio, deteſtandæ in Deum blaſphemiæ proferuntur, impiis & peſtiferis dogmatibus in exitium rapiuntur animæ: denique ubi palam defectio ab unico Deo, puraque doctrina tentatur, ad extremum illud remedium deſcendere neceſſe eſt, ne mortale venenum longius ſerpat. Hanc regulam, quam ex ore Domini aliis præſcripſit Moſes, fideliter ipſe ſequutus eſt. Quam manſueto fuerit ingenio, apparet ex tota vitæ ejus hiſtoria: & Spiritus ſanctus illuſtre hujus virtutis teſtimonium ei reddit. Judex etiam quam humaniter in aliis criminibus puniendis ſe geſſerit, conſtat: in vindicando autem Dei cultu totus
ardet. Conſecrate, inquit, manus veſtras Domino: *Exod. 32.*
nemo fratri ſuo, vel propinquo ignoſcat: ut quiſ- *verſ. 29.*
que obvius fuerit, ſine venia occidite. An putamus ſubito furore correptum, ita ſolitæ clementiæ tunc oblitum fuiſſe ut ſacros Levitas ſanguine madefieri juberet? Imo Spiritus Dei quod ſuo ductu geſtum erat & auſpiciis, elogio etiam ſuo commendat. Ergo ut in aliis omnibus peccatis laudabilis ſit clementia, ſevere impietatem quæ Dei cultum evertit, ſanctis Judicibus ulciſci neceſſe eſt, ne hominum offenſas ſtulte mitigando, Dei ipſius iram in ſe provocent.

Sed quidam hunc ordinem regno Chriſti quod ſpirituale eſt, & præſenti ſeculo congruere negant: quia nuſquam in Euangelio Judicibus detur tale mandatum. Ergo quia diſertis verbis Chriſtus & Apoſtoli non præcipiunt quo pœnæ genere digna ſint adulteria, & furta, ideo ceſſabunt à ſuo officio Magiſtratus? Si quis excipiat, quia Chriſti adventu abolitæ non ſunt politiæ, ſumendas eſſe de maleficiis pœnas, ut legibus ſunt conſtitutæ: nempe huic reſponſo libenter ſubſcribo. Nullos fuiſſe Magiſtratus quibus præciperent Apoſtoli quid rectum eſſet, dicere ſuperſedeo. Hoc uno contentus ſum, Chriſti adventu nec mutatum eſſe politicum ordinem, nec de Magiſtratuum officio quicquam detractum. Agedum,
quod Paulus docet non fruſtra ab iis gladium geſtari, *Rom. 13.*
an ad ſpeciem unam reſtringi debet? Fatentur iſti *verſ. 4.*
quibuſcum nunc diſcepto ad alia crimina plectenda Judices divinitus eſſe armatos, modo à religione abſtineant, ut libere ipſis tacentibus impietas laſciviat. Verum reclamat innumeris locis Spiritus ſanctus, qui ſub Chriſti regno ſanæ doctrinæ, & legitimi cultus patronos, ac vindices fore Reges pro-
nunciat. Quando David Principes omnes ad oſcu- *Pſal. 2.*
landum Filium hortatur, quid potius ab illis exigit, *verſ. 12.*
quam ut ſanam doctrinam ſuo præſidio defendant? Quum toties dicit venturos eſſe ut Chriſto tributum offerant: quid aliud intelligit quam puræ adorationis præſides futuros, piæque doctrinæ cuſtodes?
Quomodo etiam illud Jeſaiæ vaticinium implebitur, *Jeſa. 49.*
Eccleſiæ nutritios fore, niſi ad tuendum pietatis ſta- *verſ. 23.*
tum potentiam ſuam conferant? Ergo, quin piis ſanctiſque Magiſtratibus ex Dei mandato regni Chriſti defenſio incumbat, minime ambiguum eſt.
Accedat jam Pauli ſuffragium, quo ſcrupulus omnis *1 Tim. 2.*
eximitur. Solennes in Eccleſia preces concipi jubet *verſ. 1.*
pro Regibus, & omnibus qui honore, & potentia excellunt. Quorſum? Ut quietam, inquit, & tranquillam vitam agamus. An hoc duntaxat? Imo, cum omni pietate & temperantia. Si tantum modeſtiæ, vel temperantiæ facta eſſet mentio, aliquid forte coloris prætenderent qui à Principibus religionis cauſam attingi nolunt. Sed quum hoc nominatim illis munus aſſignet Paulus, ut Deum rite colendum procurent: quantæ, obſecro, temeritatis eſt, injuncta divinitus poteſtate illos exuere? Duo hic obſervare operæpretium eſt. Neque enim privatos homines inſtituit Paulus, ut ſe Deo addicant, ſed de publica Principum functione diſſerit, quatenus in ſolio locati ſunt, & gladio inſtructi ad regendum humanum genus. Deinde, illorum munus non ſolum in tuendo cujuſque jure conſtituit, ſed ad fovendam pietatem ordinatos eſſe docet. Unde ſequitur, gladium in eorum manu eſſe depoſitum, quo ſanam do-

ctrinam

Digitized by Google

ctrinam propugnent. Quod præſtare nequeunt, niſi impias corruptelas pœnis cohibere liceat. Deſinant ergo indocti homines, & parum conſiderati negare de veræ doctrinæ corruptoribus ſumendas eſſe pœnas, niſi palam Deo obſtrepere velint.

Verum quicquid de jure Magiſtratuum probatum ſit, me propria invidia, qua gravor apud multos, non levat. Nihil minus decuiſſe aiunt, quam ut Servetum profeſſis Chriſti hoſtibus quaſi immanibus beſtiis objicerem. Mea enim opera factum fuiſſe affirmant, ut Viennæ in provincia Lugdunenſi captus fuerit. Sed unde mihi tanta cum Papæ ſatellitio repente familiaritas? unde etiam tanta gratia? Scilicet credibile erit literas inter eos ultro citroque volitare, quibus non minus eſt inter ſe diſſidium quam Chriſto cum Belial. Quare pluribus verbis tam futilem calumniam refellere nihil attinet, quæ ſimplici negatione fracta concidit. Jam fluxerunt anni quatuor ex quo hanc de me fabulam commentus eſt Servetus ipſe, & ſpargendam Venetiis curavit. Quanquam odiumne mihi de nihilo maligne conflare voluerit, an falſo ſuſpicatus ſit quod ſcribebat, non diſputo. Tantum quæro: ſi jam tunc meo Indicio proditus fuerat, qui factum eſt ut triennium quietus & ſine moleſtia ante hoſtium oculos tranſigeret? Certe aut concedant neceſſe eſt, confictum fuiſſe de me crimen: aut plus ſancto ſuo martyri ſavoris fuiſſe apud Papiſtas, quam ut illi mea accuſatio quicquam noceret. Nec vero ſi vere id mihi objicerent, putarem eſſe negandi cauſam, qui non diſſimulo, me auctore factum eſſe ut in hac urbe deprehenſus ad cauſam dicendam poſtularetur. Obſtrepant licet vel malevoli vel maledici homines, ego libenter fateor ac præ me fero (quia ſecundum urbis leges aliter cum homine jure agi non poterat) ex me prodiiſſe accuſatorem: nec inficior meo conſilio dictatam eſſe formulam, qua pateficret aliquis in cauſam ingreſſus. Cæterum, quid mihi tunc fuerit conſilii, ex ipſo deinde actionis progreſſu apparuit. Simul enim ac vocati ſumus ego & collegæ mei, minime per nos ſtetit quominus placide nobiſcum de ſuis dogmatibus conferre liberum illi eſſet. Imo perinde acceſſimus acſi ex vinculis reddenda eſſet doctrinæ noſtræ ratio: ac ſiquid objiceret, reſtati ſumus nos ad reſpondendum paratos eſſe. Quum plenis buccis convitia ſubinde in me evomeret, quorum Judices ipſos pudebat ac pigebat: ab ejus inſectatione abſtinui. Adde quod nullum inſtabat gravioris pœnæ periculum, ſi quo modo fuiſſet ſanabilis. Atqui tantum abfuit à quærenda moderatione, ut jactantiæ & ferociæ plenus, ſana omnia & utilia conſilia petulanter reſpuerit. Porro quam abſurdæ execrandæque blaſphemiæ illi inter loquendum exciderint, alibi forte opportunius dicetur. Hoc tantum in præſentia teſtatum volo, me non ita capitaliter fuiſſe infeſtum, quin licitum fuerit vel ſola modeſtia, niſi mente privatus foret, vitam redimere. Sed neſcio quid dicam, niſi fatali veſania fuiſſe correptum, ut ſe præcipitem jaceret. Nam quum poſt octo dies iterum eſſem productus, & libera conferendi nobiſcum illi daretur facultas, ſe triſtitia & curis impediri prætexuit: libros tamen quoſcunque petierat, partim ex mea bibliotheca, partim ex aliis, commodato dederam. Itaque probabilis ſuſpicio eſt alicunde vana fiducia inflatum fuiſſe, quæ illum perdiderit. Excipiet forte quiſpiam, cur ultra Pauli mandatum progreſſus ſim, qui deſperatos quoque hæreticos Timotheo ſolum vitandos eſſe ſcribit. Atqui mihi in promptu eſt excuſatio: mihi ſatis fuiſſe, hominem, cujus deplorata impietas mihi nota erat, vitare: & alios monere ut idem facerent: ſed illa cavendi prudentia neque me, neque alium quemlibet fuiſſe impeditum, quominus quiſque piorum coërcendum pro oblata ſibi facultate curaret. Idem Apoſtolus qui tantum à congreſſu hæretici Timotheum probibet, ſe Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidiſſe palam aſſerit, ut diſcerent non blaſphemare. Si tunc Paulo ad manum fuiſſet pius Magiſtratus & ſtrenuus gloriæ Chriſti vindex: ego quidem non dubito quin illis puniendos libenter daturus fuerit, quos permiſſa ſibi divinitus caſtigatione in ordinem cogebat. Neque enim quod mihi & omnibus Verbi miniſtris præſcriptum eſt, Judices conſtringit ac ligat ne munus ſibi divinitus injunctum exerceant: ac ne mihi quidem obſtat, ut eorum præſidio fideique Dei veritatem, ubi ita opus eſt, commendem.

1 Tim. 1. verſ. 20.

Jam ſi quis hominem tam peſtiferum fuiſſe non putat ut tollendus fuerit è medio; hoc quoque errore ſobrios & dociles breviter expediam. Duas eſſe cauſas ſane omnes concedent, cur puniendis falſorum dogmatum auctoribus major adhibenda ſit ſeveritas; ſi indomita ſit eorum contumacia ut reprobi, & à ſeipſis damnati nocere pergant: deinde, ſi deteſtanda ſit ac minime tolerabilis errorum impietas. Nunc an in Servetum utriuſque criminis pœna jure competat, videndum. Quam indocilis fuerit ac pervicax, non diſputabo pluribus verbis. Tantum lectoribus ſpecimen dabo unde certum de hominis ingenio judicium faciant. Narravi jam initio, me aliquando tentaſſe numquid reduci ad ſanam mentem poſſet. Omnia perſequi longum eſſet, ac tædio plenum. Lugduni quum eſſet, tres mihi quæſtiones quaſi illudens, ſolvendas miſit. Quod illi non ſatisfecit mea reſponſio, miratus non ſum. Verum quia eum licet placide, paulo tamen acrius quam ferebat ejus natura, admonui ut ſe temperatius gereret: nunc ex re ipſa ſtatuant lectores, annon ſeipſum, ut fecit, furioſe ulciſcens, incurabilem morbum prodiderit. Quæ huc inſeram, bona fide ex ejus manu ſumpta librarii typis mandarunt. In meis quoque reſponſionibus ne ſyllabam quidem mutavi. Modeſtiam meam bonis omnibus probatum iri confido: niſi quod mollities potius videbitur. Ipſe vero quaſi hippomanes hauſiſſet, quoſcunque meos libros nanciſci potuit, non deſtitit inſulſis convitiis ſarcire, ut nullam paginam à ſuo vomitu puram relinqueret. Mihi interea nihil melius viſum fuit quam tacere. Sciunt etiam familiares mei, non magis quam aſini ruditu, me fuiſſe commotum. Doctrinæ genus quale ſit, & quam validæ ſint vel infirmæ refutationes meæ, nondum excutio. Tantum in præſentia attendant lectores, qua materia, & quo flabello tam deſperata in homine rabies accenſa fuerit.

Tres Quæſtiones Joanni Calvino Propoſitæ à Michaële Serveto.

Prima quæſtio.

AN homo Jeſus crucifixus, ſit Filius Dei: & quæ ſit hujus filiationis ratio.

Secunda.

An regnum Chriſti ſit in hominibus: quando quis ingrediatur, & quando regeneretur.

Tertia.

An Baptiſmus Chriſti debeat in fide fieri ſicut Cœna; & quorſum hæc inſtituta ſint fœdere novo.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

Ad primam quæſtionem.

NOs vero Jeſum Chriſtum, hominem illum qui crucifixus eſt, credimus & confitemur eſſe Filium Dei. Alioqui non vocaret illum Paulus Dominum gloriæ: nec Thomas Dominum ac Deum ſuum: non concionaretur alibi Paulus, Eccleſiam, Dei ſanguine acquiſivam.

1 Cor. 2. verſ. 8. Joan. 20. verſ. 28. Actor. 20. verſ. 28.

1 Rationem hujus appellationis hanc docemus, quod Dei Sapientia ab æterno Patre genita ante temporis initium, poſtquam carnem noſtram induit, Deus fuit in carne manifeſtatus: quemadmodum [1 Tim. 3. verſ. 16.] Paulus docet. Ergo Chriſtum, etiam ſecundum ſuam humanitatem, agnoſcimus eſſe Filium Dei, ſed ideo quod Deus eſt. Loquutiones habemus in uſu, quæ breviter & dilucide ſenſum noſtrum exprimunt: ſed ab illis data opera abſtineo, ne occaſionem præbeant offendiculi. Omiſſa igitur verborum pugna, [Rom. 1: 3.] tantum ipſa de re videamus. Paulus, ubi docet Chriſtum ex ſemine Davidis genitum eſſe, & ex Judæis duxiſſe originem, mox adjungit, Secundum carnem. Ergo ſicuti Chriſtus ratione humanæ naturæ Filius Davidis nominatur: ita etiam ratione divinitatis Filius eſt Dei. Unus tamen eſt Chriſtus, non duplex, Filius Dei & hominis. Aliud enim eſt diſtinguere, quam diſcerpere. Tu Chriſtum fateris eſſe Filium Dei: ſed unitatem non admittis, niſi in confuſione. Nos autem, qui Filium Dei ſentimus eſſe fratrem noſtrum, ut ita ſit verus Emmanuel, agnoſcimus tamen in uno Chriſto Dei majeſtatem, & humilitatem hominis: eſſentiam æterni Dei, & naturam hominis creatam. Tu illas miſcendo, utramque deſtruis. imaginaris enim Deum in carne manifeſtatum, cujus divinitas ſit ipſa caro: cujus humanitas ſit ipſe Deus. Atqui unum eſſe oportet. Quaſi vero nos unitatem tollamus in homine, quum à cor- [Philip. 2. verſ. 6.] pore animam diſtinguimus. Alibi quoque Paulus de Chriſti exinanitione docens, præfatur non fuiſſe ductum pro rapina, ſi æqualitatem cum Deo præ ſe tuliſſet: tamen ſponte ſeipſum humiliaſſe uſque ad mortem crucis. Nego aliquid de gloria divinitatis fuiſſe imminutum: ſed quia in carnis infirmitate obſcura & contempta delituit, Chriſtus ipſe, qui unus eſt homo & Deus, dicitur exinanitus fuiſſe. Neque enim hoc referri vel ad divinitatem, vel ad humanitatem commode poteſt, ſed utramque ſimul Paulus complectitur, quia non duplicem faciunt Chriſtum, ſed unum duntaxat conſtituunt. Qui mediocriter verſati ſunt in Scripturis, agnoſcunt hanc genuinam eſſe phraſin Spiritus ſancti. Qui religioſe cogitant de redemptionis noſtræ arcano, ſuaviſſimam conſolationem percipiunt quum audiunt Chriſtum duabus ita naturis conſtare, & quidem diſtinctis, ut tamen unus ſit: atque eum qui filius eſt Mariæ, ſimul & conjunctim eſſe Filium Dei: & qui Filius eſt Dei, filium eſſe eundem Mariæ, ut frater noſter ſit, ac caro noſtra: nos vero per ipſum filii Dei.

Ad ſecundam quæſtionem.

Regnum Dei incipere in hominibus ſentimus quando regenerantur. Tunc autem regenerari dicimus, quando illuminantur in Chriſti fidem, reformantur in obedientiam Dei ipſorum corda: & in ſumma, quando in ipſis inſtauratur Dei imago. Sed regenerationem nego momento perfici; ſatis eſt ſi quotidianos faciat progreſſus uſque ad mortem: ut ſumma excellentia in hoc mundo ſit, tamen cum profectu conjuncta. Hinc etiam ſequitur, inchoari duntaxat regnum Dei in nobis: quamdiu hic vivimus novis quotidie incrementis augeri: perfectionem autem ejus hic non extare. Plena eſt Scriptura teſtimoniis ad hanc rem probandam: à quibus ſuperſedeo, ne laborando in rei claræ probatione ſim ridiculus. Neque in ſingulis tantum hominibus Scriptura regnum Dei promoveri docet: ſed ætatibus etiam attribuit augmenta. Quemadmodum Paulus, dum veterem populum nobiſcum comparat: dicit nos adoleviſſe in juſtam ætatem, pueros fuiſſe qui ſub Lege vixerunt. Utroſque tamen filios eſſe teſtatur, & hæredes, & liberos, & Spiritu libertatis præditos, cujus auſpiciis inchoatur & impletur in nobis Dei regnum. Deinde alteram quoque exceptionem adhibemus, quod nunc per ſpem ingreſſi in regnum Dei, realem, quam vocant, poſſeſſionem olim cernemus: hoc eſt, quod nunc ſpe obtinemus, re ipſa Chriſtus fruendum exhibebit ultimo ſuo adventu. Neque hoc membrum dubium eſſe debet inter eos qui ſe aliquid in Sacris literis legiſſe profitentur. Itaque non ſatis aſſequor quorſum tendat hæc quæſtio.

Ad tertiam quæſtionem.

Non negamus quin Baptiſmus fidem requirat: ſed non qualis requiritur in Cœna. fides enim relationem ſemper ad Dei promiſſionem habet. Ideoque ejus natura pendet ac æſtimanda eſt ex natura promiſſionis. Promiſſio Baptiſmi eſt, Ero Deus tuus, [Gen. 17. verſ. 7.] & Deus ſeminis tui. Promiſſio Cœnæ eſt, Quiſquis [Joan. 6. verſ. 54.] ederit panem hunc, & biberit ex calice celebrans memoriam mortis Chriſti, ut decet, particeps erit corporis ipſius & ſanguinis. Nullum fore Baptiſmi uſum ſentimus, donec fide apprehendatur hæc promiſſio. Verum non ſibi quiſque tantum, ſed pariter ſoboli ſuæ apprehendit: imo omnes in commune amplectimur gratiam illam Eccleſiæ oblatam. Si neges talem promiſſionem inveniri, quæ in Baptiſmum competat: mihi abunde ſufficit unus locus, ubi Pe- [Actor. 2. verſ. 39.] trus eam quæ Abrahæ in Circumciſione data fuit, extendit ad tempus novi Teſtamenti, Ad vos, inquit, & filios veſtros pertinet hæc gratia: eſtis enim hæredes promiſſionis. Cui ſententiæ ſuffragatur iſta Pauli, [Rom. 15. verſ. 8.] Chriſtus miniſter eſt Circumciſionis, ad implendas promiſſiones quæ Patribus datæ fuerant. Gentes autem ſuper miſericordia glorificate Deum. Poſtquam Judæis ſtabilivit ſuam poſſeſſionem, Gentes quoque in ſocietatem illis adjungit. In Cœna exigitur à ſingulis proprium examen, & propria fides. Neque vero aliud hodie diſcriminis ſtatuimus inter hæc duo Sacramenta, Baptiſmum ſcilicet & Cœnam, quam inter Circumciſionem & Peſah olim fuit. Sed nolo eſſe prolixior. Qui enim prudenter analogiam, quam dixi, inter fidem & promiſſiones expendet, huic doctrinæ non difficulter aſſentietur. Quod autem deinde rogas, quorſum inſtituta fuerint ſymbola Baptiſmi & Cœnæ in fœdere novo: breviter reſpondeo, Baptiſmo nobis adoptionem noſtram obſignari, ut cenſeamur inter Dei filios: ſacra Cœna Deum boni patrisfamilias officium peragere, nos alendo, poſtquam in ejus domum ſumus recepti. Neque me latet quæ objectari contra ſoleant. Sed quia mihi videor omnibus objectis alibi ſatisfeciſſe, fuſiorem explicationem inde peti malim. Siquid deeſt, paratus ſum adjicere, ſi fuero admonitus.

SOLUTIONUM REFUTATIO A SERVETO MISSA.

Ad primam quæſtionem de Filio Jeſu.

HOminem Jeſum crucifixum mecum fateris eſſe Filium Dei. Filiationis hujus rationem non dicis eſſe, quod homo ipſe ſit genitus à Deo, ſed quod ſit res alia genita, quæ carnem induit. Ad aſſumpti probationem ſolum citas allegoricum dictum de Sapientia genita: idque ex Eccleſiaſtico, qui etiam Sapientiam ait eſſe creatam. Si huic dicto vis eſſe auctoritatem, perpende eſſe allegorice ſcriptum, in umbra & præfiguratione rei futuræ. Alioqui improprie ibi dici quid in Deo creatum vel genitum. Siquid erat olim realiter genitum, id erat Filius incorporeus. Unde non ſolum diſcerpitur Deus, ſed & duo filii manifeſte docentur, alter corporeus, alter incorporeus. Deinde rem ipſam clarius oſtenſurus, citas Paulum, qui Chriſtum ait eſſe genitum ex ſemine Davidis ſecundum carnem. Unde infers, Ergo ſicuti Chriſtus ratione humanæ naturæ Filius Davidis nominatur, ita etiam ratione divinitatis Filius eſt Dei. Vere quidem. ſed natura ipſa humana non dicitur Filius: ergo nec natura ipſa divina dicetur Filius. Vides qualiter tuo gladio te jugulas. Tres quoque nobis filios facis:

facis: natura humana eſt tibi Filius: natura divina eſt tibi Filius: & totus ipſe Chriſtus Filius. Ego ingenue tibi fateor, Chriſtum ipſum ratione humanæ naturæ eſſe Filium Davidis: ſed naturam ipſam humanam non eſſe Filium. Chriſtum quoque fateor ratione divinæ naturæ eſſe Filium Dei, ſed naturam ipſam divinam non eſſe Filium. Tu es filius patris & matris, tamen id quod habes à patre non eſt ſeorſim filius, nec id etiam quod habes à matre: licet eorum ratione tu ſis filius. Hæc eſt ſumma totius rei, hoc unum ſupplex oro, ut me ratione vel auctoritate aliqua doceas, Deitatem illam quæ eſt in Chriſto, eſſe Filium.

Ad II. De regeneratione & regno Chriſti.

Regenerationem tecum fateor non momento perfici, incipere tamen certo tempore, idque in homine doctrinæ Chriſti capace. Sed quare non adjeciſti, regenerationem hanc eſſe ex aqua & Spiritu ſancto? Si hoc adjeciſſes, & pædobaptiſmum improbaſſes, & regnum Chriſti verum aperuiſſes. Nam pædobaptizati non regenerantur ex aqua & Spiritu ſancto, ut tu ipſe fateris. Si regeneratio eſt è cælo, nonne per regenerationem eſt introitus in regnum cælorum? Intramus nunc in regnum Chriſti per fidem in Spiritu: intramus & per ſpem, ſcilicet ſpem majoris gloriæ poſtea revelandæ. Tu ſolum fere habes ſpem, quam tamen magna ſit gloria hæreditatis Chriſti in Sanctis ejus, ut tales nos ſimus nunc in mundo hoc, qualis Chriſtus ipſe eſt in cælis, teſte Joanne. Judæos tu ſemper nobis obtrudis, non animadvertens, eos Scripturis omnibus declarari carnales, filios carnis, hæredes carnalis hæreditatis, & rei perfectioris umbram.

Ad III. An Baptiſmus in fide fiat, ſicut Cœna.

Promiſſio illa, in qua tuum pædobaptiſmum fundas, Ero Deus tuus, & ſeminis tui poſt te: in Circumciſione facta eſt, ut ipſe citas. Sed an in parvulis noſtris illa compleatur? annon in illis quos Chriſtus circumcidit circumciſione cordis, circumciſione Spiritus? Videris de ſemine Abrahæ ſecundum carnem, & de filiis carnis, carnaliter & Judaice ſentire, citans id quod Petrus ait, Vobis facta eſt promiſſio, & filiis veſtris, quoſcunque vocaverit Dominus. Vide quod ait, Quoſcunque vocaverit Dominus. Vide quod illi ſunt filii, & illi ſoli cenſentur ſemen Abrahæ, qui ingrediuntur via fidei, ut clare docet Paulus. Siniſtre ergo tu ad tuos parvulos promiſſionem detorques. Tecum pugnas, faciens parvulos carnales participes promiſſionis ſpiritualis. Figmentum Papiſticum eſt, quod in alterius fide alter baptizetur. Res de ſolo titulo eſt quod ais, Baptiſmo ſignari parvulis adoptionem, & cenſeri filios Dei. Imo filii ſunt iræ, donec crediderint. An juſtificatos putas parvulos ita obſignatos? Paulus enim omnes qui per Baptiſmum ſunt cum Chriſto mortui, ait eſſe juſtificatos, idque ex propria fide. Siquam in parvulis vis eſſe obſignationem, manuum impoſitione & oratione cum Chriſto utere. Ora pro eis ut interim ab occurſu mali ſerventur. Ita ſe habere ais Baptiſmum & Cœnam, ſicut ſe habebant olim Circumciſio & Peſah. Quare ergo parvulum baptizatum non admittis ad Cœnam, ſicut olim circumciſus admittebatur? In Cœna concedis eſſe veram promiſſionem hanc, Qui manducaverit panem hunc, & calicem biberit, particeps erit corporis & ſanguinis Chriſti. In Baptiſmo quoque concedere debes eſſe veram promiſſionem hanc, Qui natus deſuper fuerit, ex aqua & Spiritu, intrabit in regnum cælorum. Quando autem hæc fiunt, ut quis intret, manducet, & Chriſti particeps fiat? Annon hic æquiparantur ſymbola hæc? Rogo te per Deum, poſtquam pollicitus es te paratum reliqua adjicere, ſi fueris admonitus, doce me primo quæ eſt vera fides, & qualiter illa à Spiritu regenerationis vivificetur. Secundo, an ſine promiſſione poſſit quis juſtificari. Tertio, qualis ſit internus homo, non ex ſanguinibus genitus, ſed ex Deo. Quarto, quis eſt homo ille qui à Chriſto alitur in Cœna, an vere, an imaginarie? Quinto, quæ ſit gratia adventus Chriſti. Annon eouſque regnavit mors? annon patres omnes fuerant antea in inferno? Demum te precor, ne graveris iterum legere quartum librum de Baptiſmo. nam videris eum nondum legiſſe. Deus miſereatur noſtri. Amen.

ALTERA CALVINI RESPONSIO.

De prima quæſtione.

QUod Chriſtum ideo Filium Dei eſſe &, nominari dico, quia Sermo Dei ſit ex Patre ante temporis initium genitus, qui carnem noſtram induit: hanc rationem ſuſcipis impugnandam.

Dum autem teſtimonia vis refellere, quibus uſus fueram ad id probandum, fingis me ex Eccleſiaſtico locum protuliſſe, cujus nunquam venerat in mentem. Potius ad 8. caput Proverb. reſpexi. quanquam nullius loci mentionem feceram in meo reſponſo. Ergo ne fruſtra te fatiges, mihi ſatis eſt, ſi concedas Chriſtum antequam homo fieret, fuiſſe æternum Dei Sermonem. Id negas in ſcriptis tuis. nam imaginaris Sermonem tunc cœpiſſe quum Deus ſententiam ſuam de creando mundo pronunciavit. Hoc vero nimis abſurdum eſt delirium. Quaſi vero aut Deus aliquid tunc eſſe cœperit quod nondum erat: aut Sermo ipſe non ſit vere Deus. Atqui nunquam ſanis mentibus hoc principium excuties, quod ex perpetua Scripturæ doctrina abunde teſtatum habent, Chriſtum qui nunc eſt Deus in carne manifeſtatus, ſemper fuiſſe Dei Sermonem à Patre genitum. Quod de loquutionis improprietate objicis, mihi non obſtat. Libenter enim fateor, nihil ſatis exacte pro rei dignitate linguam humanam poſſe hic effari. Verum nobis vitio verti non debet, ſi ex ore Domini ſapimus.

Æternam tamen Chriſti genituram refutas hoc argumento, quia ſiquid realiter erat ex Deo genitum, inde ſequitur duos eſſe Dei filios, alterum corporeum, alterum incorporeum. Quaſi vero mihi non liceat antiſtrephon in te retorquere. Sermonem Dei fateris aliquando fuiſſe incorporeum, qui nunc factus eſt caro. Siquis adverſum te inferat, duos te facere Dei Sermones, nonne eadem erit ratiocinatio? Porro clamares tibi fieri injuriam. Noli igitur tibi placere tam futilibus calumniis. nos enim eundem eſſe Dei Filium prædicamus qui ab initio incorporeus, tandem corpore veſtitus fuit: & ita caro factus.

Poſtea amplificandæ calumniæ cauſa, ultra progrederis: me tres facere Dei filios: quia natura humana ſit mihi Filius, natura divina ſit Filius, & totus Chriſtus etiam Filius. Atque hic triumphabundus exultas, me jugulatum eſſe proprio gladio. Ego vero reſpondeo cum propriis commentis te confligere, non cum mea doctrina. Neque enim alium fuiſſe Dei Filium affirmo, quam qui filius eſt Mariæ. Nam qui Sermo Dei æternus fuit, cum ratione divinitatis, prædico Filium Dei: ratione humanitatis, Filium hominis. Diverſus tamen reſpectus utriuſque naturæ non facit duos Filios Dei. Nam totus Chriſtus, quatenus Deus eſt, & homo, Filius Dei eſt ac hominis. Nam ita diſtinguimus naturas, ut retineamus perſonæ unitatem.

Similitudo quam adducis merito cenſeri poteſt gladius, quo te jugulas. alio enim reſpectu patris mei ſum filius quam matris. neque tamen in duos homines diffluo, licet duplici relatione bis ſim filius. Tametſi hoc ſimile in præſenti cauſa nequaquam admitto. corpus enim à patre & matre habeo, Chriſtus autem à ſola matre corpus habuit. Aliud eſt quam corpus, quod dicimus à Deo fuiſſe genitum.

Nunc rogas ut te vel auctoritate, vel ratione doceam, Deitatem quæ in Chriſto eſt, eſſe Filium. Mihi una hæc ratio ſufficit, quod Deus ab initio, fidelium pater fuit, ac nominari voluit. Patrem vero hominum eſſe nego, niſi per unicum Filium. inde enim nos adoptione filii, quia ille natura. Si ad vulgare illud tuum aſylum confugis, prædeſtinatione olim fuiſſe Filium, qui reipſa non erat: rurſus excipio, Patris appellationem fuiſſe ante revelatam mundo, & realiter exhibitam, quam Sermo Dei caro fieret. Hac inquam fiducia Deum Patrem invocarunt omnes Patriarchæ & reliqui fideles, quod hypoſtaſin habebant ſuæ in Filio Dei adoptionis.

Auctoritates Scripturæ, quibus id penitus confirmatur, ſatis perſpicuas eſſe judico: utcunque tibi infirmæ videantur. Paulus teſtatur, Chriſtum eſſe Filium Davidis, & ex Judæis ducere originem, reſpectu humanitatis. Ex adverſo colligo, ratione divinitatis eſſe Filium Dei. Audio quid tu contra: ſed nihil moveor. nam ſicuti à matre accepit, cujus cauſa Filius Davidis vocatur: ita mihi concedes, à Patre habere, cujus cauſa ſit Filius Dei, idque ab humana natura eſſe aliud ac diverſum.

Sed de tempore quæritur quod humanitatem præceſſit. Dico plenam eſſe Scripturam teſtimoniis quæ divinam Chriſto eſſentiam tribuunt, quum nondum homo eſſet. Neque deſunt etiam permulta quæ in Chriſti perſona diſerte humanitatem à divinitate diſtinguant. His ego non temere ſum contentus ad probandam mihi æternam illius generationem. Nec video quid te illis acquieſcere prohibeat, niſi quod jam præſumptis opinionibus ita es inebriatus, ut nihil cernas. Chriſtum antequam homo fieret, Deum fuiſſe, nec tu quidem negas. Nunc addo, alium fuiſſe à Patre: quod abs te negari ſcio: ſed parum verecunde. *Λόγος* enim, quem Joannes Deum prædicat, teſtatur apud Deum fuiſſe ab initio. Et Chriſtus ipſe, eadem ſe gloria illuſtrari in carne poſtulat, quam habuerat ſemper apud Patrem. Neque hic teſtimonia colligere propoſitum eſt, ſed hæc tantum admonendi cauſa obiter attingere volui.

Nunquam certe efficies quin Sermo Dei ſemper fuerit hypoſtaſis diſtincta, & natura in Dei eſſentia ſubſiſtens, ſeu quocunque alio nomine appellare libuerit. Nam de vocabulis litem non moveo. Sermonem illum ex Deo ante tempus genitum, dico carnem induiſſe, ut verus ſit Deus & verus homo: ac naturæ illius divinæ reſpectu appellari Dei Filium. Hoc reſponſum cum priori ſi diligentius paulo expenderis, habes (niſi fallor) quo tibi ſatisfiat.

De ſecunda quæſtione.

Regenerationem negas inchoari, niſi in homine doctrinæ capace. Ego autem non alligo Spiritum Dei, quin ſuam potentiam ad parvulos quoque extendat. Video in Joanne Baptiſta peculiarem Spiritus effectum antequam per ætatem doctrinæ capax eſſet. Unum hoc ſpecimen, nos Dei gratiam ad ætates reſtringere prohibeat. Ego autem de parvulis nihil memineram: quia non arbitrabar id te quærere. nunc demum intellexi quorſum tenderes.

Reſpondeo igitur, locum illum intempeſtive abs te citari, quod nos renaſci oporteat ex aqua & Spiritu. Nihil enim hoc ad Baptiſmum. ſed metaphorice nomen aquæ Spiritui adſcribitur: quemadmodum alibi ignis. Quid eſt, In Spiritu ſancto & igni: niſi In Spiritu, qui idem ignis eſt? Ergo ſimiliter, Ex aqua & Spiritu interpretabimur, Ex aqua myſtica, quæ nihil aliud eſt quam Spiritus.

Et tamen non video, quid vos pædobaptiſmi hoſtes, juvet locus ille. nam ſi verba urgeamus, Baptiſmus præcedere Spiritus gratiam debebit. Hoc tamen omitto: quia cavillis non delector. Tantum indicare placuit, me illa interpretatione quam poſui, noluiſſe quicquam effugere quod mihi obſit. Nam ſi tibi conceſſero, ex Baptiſmo & Spiritu regenerari homines: nego te obtinere quod intendis, Baptiſmum parvulorum improbari. Verba enim ſenſu tuo accepta ſonant, Baptiſmo inchoari palingeneſiam, Spiritu perfici. Sed aliam fuiſſe Chriſti mentem prorſus agnoſco: ideo fruſtra mecum hoc telo pugnas. Sumis confeſſionem meam, non regenerari parvulos Spiritu. Atqui perperam ad parvulos detorques, quod de adultis diſſerui. Aliter enim de his, quam de illis loqui ſoleo: imo non ego, aut quiſpiam hominum, ſed ipſe Dei Spiritus. Quod ad me ſpectat, teſtimonium mihi ubique reddunt mea ſcripta, parvulos à gratiæ communicatione nequaquam à me arceri. Et cur ita ſentiam, luculentam rationem reddo in mea Inſtitutione.

Tua de fide & ſpe doctrina vagatur extra oleas. perinde enim loqueris acſi fides includeretur præſenti vita, ſpes futuri tantum ſtatus reſpectum haberet. Longe aliter Paulus, qui nos aſpectu frui negat quamdiu peregrinamur in hoc mundo, quia per fidem ambulamus. Itaque tam fides quam ſpes relationem habent ad futuram gloriam, & beatam immortalitatem. Quanquam interea non nego quin per fidem potiamur præſentibus Dei beneficiis: qualis eſt regeneratio. Non nego ſimiliter quin eatenus ingrediamur in Dei regnum, adeoque jam tranſierimus à morte in vitam, quatenus Spiritu Chriſti renovati ſumus. 2 *Cor.* 5. *verſ.* 6.

Quod autem me ſolam fere ſpem habere dicis, nimis improba eſt calumnia. Sed quia non deliro cum Libertinis de fictitia reſurrectione, ideo tibi non ſatisfacio. Opponis autem mihi magnitudinem gloriæ hæreditatis Chriſti in Sanctis. Quaſi vero ejus poſſeſſionem jam creverint Sancti. Paulus enim de futura gloria loquitur: quam fide quidem apprehendunt Sancti in hoc mundo, ſed reipſa non adipiſcuntur uſque ad diem ultimæ revelationis.

Ubi, quæſo, docet Joannes, tales nos eſſe in mundo, qualis eſt Chriſtus in cælis? Quin potius ubi dixit nos eſſe certos quod filii Dei ſimus, continuo ſubjicit, nondum apparuiſſe: tunc vero ſimiles ei futuros, quando videbimus eum ſicuti eſt. Fateor ſane nos ita contemplari nunc Deum in facie Chriſti, ut transfiguremur in ejus imaginem. Hic enim finis eſt vitæ Chriſtianæ, ut in nobis inſtauretur Dei imago. Sed quid hoc totum vel tibi ſuffragatur, vel mihi repugnat?

Judæos cauſaris perperam à me identidem obtrudi, quia vocentur carnales & filii carnis, & hæredes carnalis hæreditatis. Obſtupeo certe ad tuam arrogantiam. Quid enim continet locus iſte Pauli quem citaveram? nonne ornat eos titulo filiorum Dei? nonne eandem nobiſcum hæreditatem, & eundem libertatis Spiritum illis aſſignat? Tu vero ex alto pronuncias, hoc totum eſſe fabuloſum. Quis tu es, ut contempta Pauli auctoritate, per quem ſcimus loquutum eſſe Chriſtum, tuis commentis fidem habeamus? Annon te pudet, Abraham nominare carnis filium, qui in Spiritu vidit diem Chriſti, & exultavit? Carnalem tantum hæreditatem relinquere ſancto Jacob, qui inter ultimos ſpiritus nihil quam mortem habens præ oculis exclamabat, Salutem tuam expectabo Domine? Sed quid hic longius immoror? Qui ad aliam hæreditatem, vel ad aliud Dei regnum adſpirat quam quo ſpectarunt Patriarchæ, cohæres ſit diabolis. Nam de electis dicitur, quod recumbent cum Abraham, Iſaac & Jacob in regno Dei. Tu vero quos mihi titulos recenſes, non animadvertis in degeneres & quaſi adulterinos Judæos conferri. Utinam aliquando religioſius verſari diſcas in Scripturis.

De tertia quæſtione.

Promiſſionem iſtam, Ero Deus tuus, & ſeminis tui, locum habere negas in parvulis noſtris, quia in iis complectatur quos circumcidit Chriſtus circumci-

ſione

ſione cordis. acſi quis ita ratiocinaretur, Iſaac non eſſe natum Dei filium, quia Abraham fide fuerit factus. Verum, Dominus palam teſtatur per Ezechielem, omnes qui ex progenie Abrahæ erant, filios ſibi naſci. Si cordis circumciſionem excluderet adoptio parvulorum, valeret tua ratio. Sed Domino permittimus arcanam gratiæ ſuæ diſpenſationem in parvulis, ſi ante eos evocet ex mundo, quam ordinario modo ipſos circumcidat.

Exprobras quod de carnali Abrahæ ſemine carnaliter & Judaice ſentiam. Paulo id exprobra, quem ego doctorem ſequor. ſic enim de fœdere gratiæ diſputat nono & undecimo ad Romanos, ut illud reſidere aſſerat in vero & oaturali ſemine Abrahæ. Ego certe non ſum tam craſſus, ut quicunque ex Abraham geniti ſunt ſecundum carnem, cenſeri velim inter filios Abrahæ. Regnat enim libera Dei electio, quæ legitimos filios diſcernit ab adulterinis, hoc eſt, ſpirituales à carnalibus. Fateor quidem hoc prima facie videri abſurdum, quod Deus promittat ejus generis ſe fore Deum, in quo plures reprobi quam electi reperiuntur. Sed hunc nodum eleganter Paulus explicat. Poſtquam enim nono capite ſtultam Judæorum confidentiam retudit, qui in carne gloriabantur, ac docuit multos coram Deo reputari extraneos, qui ex Abraham genus ducunt ſecundum carnem, & rurſus multos qui alieni fuerant, cooptari in numerum filiorum: tractavitque id totum pendere ab electione Dei gratuita: demum capite undecimo contendit, non eſſe tamen inanem promiſſionem Dei. Deum enim ita libere eligere quos viſum eſt, ut tamen efficax maneat fœdus illud quod Deus cum Iſraële pepigit. Conveniunt igitur hæc duo, Non omnes qui carnis originem trahunt ex Abraham, eſſe Abrahæ filios: & tamen non fruſtra dictum eſſe ſemini Abrahæ, Ero Deus veſter: nec irritam eſſe gratiam fœderis quo fidem ſuam Judæis Deus obſtrinxit.

Alioqui de nihilo Paulus alibi diceret, Chriſtum eſſe miniſtrum Circumciſionis, ad implendas pro-
Rom 15. *verſ.* 8 miſſiones quæ Patribus datæ fuerant. Rom. 15. Quo
ſpectabat illa precatio Jacob, Invocetur ſuper eos
Gen. 48. nomen meum, &c. Geneſ. 48. Nihil enim profuiſſet
verſ. 16. ejus poſteris nomen illud, niſi quia ſecum trahebat
fœderis hæreditatem.

Dum Petri ſententiam excutere mihi conaris, nihil aliud proficis, niſi ut videam te pugnando magis intentum eſſe, quam diſcendo, & ſimul candorem homine ingenuo dignum in te deſiderem. Quod adducis, Petrum de promiſſione Spiritus loqui, nihil ad præſentem cauſam. Status in hoc vertitur, Cur Petrus dicat promiſſionem ad Judæos & filios eorum pertinere. Ad tergiverſandum arripis particulam quæ ſequitur, Quoſcunque vocaverit Dominus. Niſi tibi ex profeſſo veritatem fugere, & impugnare decretum ſit, breviter oſtendam procul te recedere à mente Petri. Dicit enim, Vobis primum facta eſt promiſſio, & filiis veſtris. Cur illis primum? Nempe quod Judæi eſſent. primogenitura enim illis debita erat. Sequitur, Et iis qui longe ſunt, quoſcunque advocaverit Dominus. Vox iſta Longe, non ſignificat loci diſtantiam, ſed longe eſſe dicit Gentes quæ erant à Deo alienæ. Quemadmo-
Epheſ. 2. dum & Paulus loquitur 2. ad Epheſ., Qui quondam
verſ. 13. eratis longinqui, nunc propinqui facti eſtis per
Chriſti ſanguinem. Veniens enim euangelizavit pacem vobis qui procul aberatis, & iis qui prope erant. Locus memorabilis, Judæos facit propinquos Deo, Gentiles remotos. Qua de cauſa? Reddiderat paulo ante cauſam, quum dixerat Gentiles alienos eſſe à fœdere Dei, quia eſſent extra politiam Iſraëlis.
Rom. 3: 2. hanc enim prærogativam illis concedit Paulus 3. & 9.
& 9: 4. ad Rom., quod apud illos peculiariter depoſitæ fuerint pactiones. Nunc ad orationem Petri redeo. Ubi primum gradum Judæis attribuit, ſocios gratiæ, & conſortes illis deinde adjungit: ut ſcirent Dei gratiam per omnes gentes ſpargendam eſſe: ſed ita ut ordo ille obſervaretur quem Paulus notat, Judæo primum, deinde Græco. Porro Deus vocationem ſuam nondum in Gentibus auſpicatus erat, quæ jamdiu ſonuerat in Judæa. Promiſcue ergo Gentes quoque advocandas in poſterum, admonet. Unde etiam illud Pauli ad Judæos, Vobis quidem primum prædicandum erat regnum Dei: ſed quia reſpuitis, ecce, convertimur ad Gentes. Cur illis primum? Nempe, quia progenies erant Abrahæ. Quinetiam altera concione idem confirmat, dum Judæos nominat filios Prophetarum & Teſtamenti. Vides, opinor, te nequaquam tuis ſuffugiis elapſum eſſe.

Quod per filios intelligis poſteros, ne unius tantum ſeculi hominibus deſtinata videretur gratia, facile recipio. Atque id mecum facit, quod Deus ſemini Abrahæ ſe Deum eſſe declaret in mille generationes. Sed ætatem requiris, quæ capax ſit regenerationis manifeſtæ. Eam ego nego uſpiam à Domino præſcribi. Deinde habeo clarum Domini mandatum, quo pueros ad Circumciſionem admittit. Tibi Circumciſio ſignum eſt carnale. Ego Paulo adhibeo plus fidei, qui pronunciat eſſe juſtitiæ fidei ſigillum. quanquam extant apud Moſen & Prophetas teſtimonia, quæ ſpiritualem ejus ſignificationem & vim declarant. Quod Pauli verbis innixus contendis eos demum Abrahæ filios eſſe qui per fidem fiant: mirum eſt abs te non conſiderari diſcrimen inter parvulos & adultos. Nam ſicuti in adultis fidem exigit Paulus, ut eos agnoſcat filios Abrahæ: ita viciſſim pronunciat, ſanctos patres eſſe radicem ſanctam: & primitiis comparat, quæ totum proventum ſanctificant. Qua ratione ſanctos etiam eſſe docet, qui ex patre aut matre fideli gignuntur.

Nos quoque docemus natura eſſe filios iræ, quicunque ex Adam deſcendunt: ſed docemus rurſum ſuperveniente Dei gratia aboleri maledictionem quæ in natura hæret. Nunc mihi oſtende ſi potes, me loqui pugnantia.

Si tua vox pro oraculo nobis eſt, credemus figmentum eſſe Papiſticum, quod in alterius fide alter baptizetur. Sed quia prohibet Dei inſtitutio ne tibi credam, ſecure contemno quod pronuncias. Nam, diruta maceria (quemadmodum jam citavi ex Paulo) fœdus vitæ æternæ nobis commune eſt cum Judæis. Hoc fœdus obſignatur Baptiſmo. Porro ad quos deſtinantur verba? Nempe ad omnes pios, ut ſe cum progenie ſua ſciant à Domino cooptari.

Res eſt tibi de ſolo titulo, quod in parvulis adoptionem obſignari trado per Baptiſmum. Tu quidem ita loqueris: ſed quis tibi ſanus credet? Excipies te addere probationem: quia ſcribit Paulus juſtificatos eſſe qui per Baptiſmum ſunt Chriſto commortui. Condono tibi quod plus ſumis quam extet apud Paulum. Solutio mea eſt, quod inepte facis, ac importune, qui ad parvulos detorques quod de adultis prædicat Apoſtolus, Qui non laborat, non manducet. Ergo fame pereant infantes qui adhuc ſugunt matris ubera. Ite, prædicate univerſæ creaturæ. Ergo Euangelium infantibus prædicetur.

Negas exemplo Chriſti plus nobis permitti quam ut impoſitione manuum Patri cæleſti commendemus parvulos. Ego autem ex adverſo tibi reſpondeo, quum impoſitio manuum ſolenne ſit ſymbolum benedictionis, eadem ratione Baptiſmum illis convenire. Nam illud tuum De occurſu malo, hauſtum eſt ex fæce Papatus.

Quando Baptiſmo cum Cœna eandem eſſe analogiam confiteor quæ fuerit olim Circumciſioni cum Peſah: rogas cur baptizatis non detur Cœna, ſicut tunc circumciſis dabatur Peſah. Reſpondeo ita dari. nam verba Moſis ita habent, Quum interrogaverint filii tui, & filiæ tuæ, Quid ſibi hoc vult? narrabis beneficium Dei tui. Peſah igitur non ſimpliciter

commune fuit epulum omnium, ſed eorum qui jam ad recipiendam doctrinam erant idonei.

Concludis æquiparari duo hæc ſymbola, ſed ſine ratione. Mihi autem conſtat optima ratio & ſolida, cur diſcrimen ſtatuam. neque enim ſi de adultis pronunciavit Dominus, renaſci oportere ex aqua & Spiritu, priuſquam intrent in regnum Dei: continuo tibi licebit ad parvulos transferre, ut dictum eſt. Deinde expoſitionem tuam cur repudiem, oſtendi. Tertio quos parvulos Dominus ex hac vita recolligit, non dubito regenerari arcana Spiritus operatione. In aliis agit pro ætatis modo: & ita agit, ut non ſit inane renovationis ſignum. Ideo autem inter Baptiſmum & Cœnam diſcerno, quia Cœnæ uſus
1 Cor. 11. verſ. 28. huic mandato aſtringitur, Probet ſeipſum homo, &c. Baptiſmus ſignum eſt adoptionis, commune omnibus filiis Dei, inter quos infantes ex fidelibus genitos numero: quia ex radice ſancta ſunt rami ſancti: non naturæ quidem puritate, quæ tota vitioſa eſt, ac damnata: ſed ſuperveniente fœderis gratia, quæ & naturæ maledictioni medetur, & ſalutis cauſam in ſe incluſam continet.

Quod me rogas ut tibi de aliis quoque capitibus reſpondeam: id facerem, ſi poſſem breviter. neque enim ſatis divino quid proprie deſideres. Magis autem ſum occupatus quam ut tibi uni vacet libros integros ſcribere. Deinde nihil quæris quod non reperias in mea Inſtitutione, ſi illinc petere libeat. Quanquam labori non parcerem, ſi mihi notus eſſet ſcopus quo tendis. Nunc autem quantam ſylvam ingrediar, ſi tractanda argumenta ſuſcipiam, quæ vis tibi explicari? Vis ut tibi definiam quæ ſit vera fides: juſtum erit volumen. Et tamen id erit actum agere: quia quod de fidei natura perceperam, id ſtudui fideliter & clare tradere. Rogas qualiter regenerationis Spiritu vivificetur. Quæ loqutio primum aliena eſt ab uſu Scripturæ: deinde falſum commentum reſipit: quaſi Spiritus adoptionis mortuam fidem afferat, quæ vitam deinde mutuetur à regeneratione. Vera autem fides Chriſtum apprehendere non poteſt in juſtitiam, quin ſimul apprehendat in ſanctificationem. Itaque quid tibi velis, non aſſequerer, niſi utcunque tuis deliriis eſſem aſſuefactus. ignoſce: ita res me loqui cogit. Ego te nec odi, nec contemno, nec durius inſectari velim. Atqui ferreus ſim, niſi commoveat, quum te ſanæ doctrinæ tanta protervia inſultare video.

Neminem ſine promiſſione juſtificari concedo. Verum, ſi inde inferas non juſtificari parvulos, quia promiſſionem non percipiunt, inepta erit conſequentia. Neque enim ad ipſos diriguntur promiſſionis verba, ſed ad patres.

Homo internus Paulo non ſignificat hominem novum, quemadmodum putas. Verum, omiſſa verbi controverſia, ſi cupias ex me diſcere quis ſit homo genitus ex Deo: reperies plenam ejus rei definitionem in ſecundo Inſtitutionis capite.

Dico animas noſtras quatenus fide ſunt renovatæ, vere in Cœna ali à Chriſto: nec eſſe imaginariam illic communicationem Chriſti, ſed veram.

Quæ fuerit gratia adventus Chriſti, & quid à Patribus differamus, reperies in capite de Veteri, & Novo Teſtamento. Faxit Dominus ut depoſito ſupercilio ſuſtineas humilis eſſe veritatis diſcipulus.

Hoc, puto, evidens ſignum fuit præfracti & indomabilis ſpiritus, quod tantum diris poſtea & execrationibus agendum ſibi putavit. Certe verbum Domini fœde pro ſua libidine diſcerpens, clare oſtendit, ſuſque deque ſibi eſſe totam religionem, modo petulantiæ ſuæ morem gereret. Adhæc, quale de eo homine judicium feremus, cui hoc unum fuiſſe propoſitum palam eſt, ut quicquid unquam de religione traditum fuit, nullo adhibito delectu convelleret, niſi hanc captaſſe laboris ſui mercedem, ut talibus offuſis tenebris, omnem divinitatis ſenſum ex hominum memoria deleret? Certe quanquam hæreticos præcipites agit ſua ſuperbia: eſt tamen ut plurimum admixta quædam temulenti zeli intemperies. Vita autem Serveti magis fuit diſſoluta, quam ut ſuſpicari liceat, errore ad turbandam Eccleſiam fuiſſe impulſum. Itaque à Judicibus in carcere rogatus (quum craſſis ſuperſtitionibus re ipſa ſubſcribere nunquam dubitaſſet, liberiore etiam indulgentia præ ſe tuliſſet non magnopere ſibi curæ eſſe Dei cultum) unde illi tantus fervor ad res novandas: obmutuit. nec ſane erat quod diceret niſi ſe in rebus ſacris fuiſſe audacem, quaſi Deo illudere liceret. In ipſa porro cauſæ actione non conjecturis tantum notata, ſed manifeſtis ſignis deprehenſa fuit ejus impietas. Quum diceret ex propria Dei ſubſtantia eſſe omnes creaturas, atque ita omnia eſſe deorum plena (nam hoc modo loqui & ſcribere quod meditatus erat, non erubuit) ego indignitate vulneratus contra excepi, Quid miſer? ſiquis pavimentum hoc calcando, ſe Deum tuum calcare dicat, an non te pudebit tantæ abſurditatis? Tunc ille, Ego vero & ſcamnum hoc, & quicquid oſtendes, Dei ſubſtantiam eſſe non dubito. Quum rurſus objectum foret, Ergo diabolus ſubſtantialiter Deus erit: ille in cachinnum ſolutus, An hoc vobis dubium eſt, inquit? Hoc vero mihi generale principium eſt: ex traduce Dei orta eſſe omnia, & rerum naturam eſſe ſubſtantialem Dei Spiritum. Prolatum eſt Geographiæ Ptolemæi volumen, cum ejus præfatione editum, ubi monentur lectores, vel pura jactantia tantam bonitatem Judææ fuiſſe adſcriptam: quia experientia mercatorum hanc incultam, ſterilem, omni dulcedine carentem depromit. Quum initio obmurmuraret, hoc ab alio ſcriptum eſſe: tam frigidum cavillum refellere promptum fuit. nam hoc modo, deprehenſus erat manifeſtus impoſtor. Ergo redactus in illas anguſtias, recte ſcriptum eſſe defendit. Rogatus deinde quiſnam vanus ille præco Judææ fuiſſet præter Moſen: Quaſi alii, inquit, non ſcripſerint de Judæa. Hic quod neceſſe erat excepi, Certe ut alii cum Moſe conſentiant: quia tamen omnium vetuſtiſſimus fuit, ſubſcribunt ejus elogiis. Quare penes eum præcipua erit culpa, qui mentiendo poſteros fefellit. Cujus enim eſt illud, Terram fluere lacte & melle? Adjeci præterea, inconſiderate ex præſenti terræ ſtatu fieri judicium: quia memoria tenendum ſit horribile judicium Dei, quod olim minatus fuerat peculiariter Judæis, & quod in genere deſcribitur Pſal. 107., Deum eſſe, qui fœcundis opimiſque regionibus, quaſi ſale ſeminato, ob hominum peccata ſterilitatem inducit. Judæam itaque hodie nobis illuſtre eſſe divinæ maledictionis ſpeculum. Dicam quod videri poſſet incredibile, niſi clariſſ. Senatus noſter una cum multis gravibus viris locuples eſſet teſtis: ubi ita convicta tenebatur impietas, obſcœnus canis tantum os perfricuit, & dixit uno verbo, nihil eſſe illic mali. Et quum nulla illi in mentem veniret fucata excuſatio, nulla tamen ingenua confeſſio exprimi potuit. Lugduni quum ſacris Bibliis corrigendis opera ejus conducta foret, poſtquam typographum quingentis libris Francicis emunxit, ne furatum eſſe quis diceret quod mercedis nomine ſumpſerat, ſingulas paginas partim multis futilibus nugis, partim impiis deliriis inquinavit. Quia ſingulis excutiendis tempus non dabatur: in primis objectum eſt caput Jeſaiæ 54. cujus perſpicuitas quum Judæis quamlibet impudentibus anſam calumniandi præciderit, hic falſarius auſus eſt ad Cyrum torquere. Ita quod de unico ſacrificio, partaque in eo expiatione æterna, de mundi cum Deo reconciliatione, de gratuita fidei juſtitia clariſſime Propheta differit, imo ſonora voce prædicat, delevit hic perfidus nebulo. Nam his Prophetæ verbis, Vere languores noſtros ipſe tulit, dolores noſtros ipſe portavit: Vulneratus eſt propter transgreſſiones noſtras, afflictus

eſt

eſt propter peccata noſtra; Caſtigatio pacis noſtræ ſuper eum; & livor ejus nobis fuit ſanitas: commentum Serveto dignum aſſuit, Defleri Cyrum qui exigentibus populi peccatis mortuus erat. Subjicit quidem, Chriſtum adumbrari, in quem ſolum proprie hæc omnia competunt. ſed interim nullam nobis pro peccatis ſatisfactionem, nullum propitiandi Dei remedium, nullam purgationem reliquam facit. Verum certe eſſe quod tunc illi objeci, mihi omnes concedent: quod nullo auctore fretus, inſignem hanc Prophetiam tam nequiter corruperit, non aliunde eſſe factum, niſi quia veſanam & furialem ex fidei interitu voluptatem capiens, omnis verecundiæ oblitus, ſummum dedecus in ſe ſuſcipere maluerat, quam non omnia pervertere. Omitto quod quum Nicolai Lyrani ſuffragium obtenderet, producto libro mendacii convictus non erubuit. fuit enim hoc illi ſolenne; ſcriptores quorum nunquam libros inſpexerat, audaciſſime citare. Cujus rei jocoſum & riſu dignum ſpecimen in Juſtino Martyre exhibitum fuit. Nam quia magnifice jactabat, aureo ejus ſeculo incognitas fuiſſe de Trinitate & Perſonis fabulas: codicem ſtatim afferri juſſi, & digito monſtravi certos locos, in quibus ſanctus vir non minus aperte fidem noſtram aſſerebat, quam ſi rogatu noſtro ſcripſiſſet. Atqui Græcum ſermonem nihilo magis legere quam puer alphabetarius potuit. Tum ſe turpiter deprehenſum videns, ſtomachoſe Latinam translationem ſibi dari petiit. Quid hoc rei eſt, dixi? quum nulla extet Latina translatio, Græce legere neſcias: tamen in Juſtini lectione familiariter te verſatum eſſe fingis. Unde igitur tibi illa teſtimonia, quibus citandis adeo liberaliter tibi indulges? Ille, ut ſolebat, ferrea fronte alio tranſiliens, nullum vel minimæ verecundiæ ſignum dedit. Verum ut duritiem illam omittam: quum palam fieret, præcipuum ſalutis noſtræ caput, de expiatis Chriſti morte hominum peccatis, diabolica ejus fraude ex Jeſaiæ libro eſſe deletum, nullo pœnitentiæ ſenſu tangi, hoc prodigioſæ cujuſdam malitiæ ſignum eſt. Nec vero dubito quin ſicuti mihi, ita bonis omnibus interior & deliberata diuque concocta impietas in eo ſe proferat, dum ex rerum omnium confuſione quaſi gratuita voluptas capitur. Cæterum ne male feriati nebulones vecordi hominis pervicacia, quaſi martyrio glorientur: in ejus morte apparuit belluina ſtupiditas, unde judicium facere liceret, nihil unquam ſerio in religione ipſum egiſſe. Ex quo mors ei denunciata eſt, nunc attonito ſimilis hærere, nunc alta ſuſpiria edere, nunc inſtar lymphatici ejulare. Quod poſtremum tandem ſic invaluit, ut tantum Hiſpanico more reboaret, Miſericordia, miſericordia. Ubi ad locum ſupplicii ventum eſt, hortatu optimi fratris ſymmyſtæque noſtri Farelli tandem ægre extorta ei vox fuit, ut populus communes ſecum preces conciperet. Porro qua id conſcientia ſibi facere permiſerit, non video. ſcripſerat enim manu ſua, fidem hic diabolicam regnare, nullam eſſe nobis Eccleſiam, nullum Deum, quia infantes baptizando, Chriſtum abnegaremus. Quomodo igitur ſe in precibus ſocium populo adjunxit, cujus fugienda erat communio? Annon profanatio eſt ſacræ unitatis, communem Deum & fidem cum impio & profano cœtu profiteri? Ac pro eo quidem ut ſupplicaretur, hortatus eſt Farellus, ſed nominatim ut Dominus perditi alias hominis miſertus, ab execrandis eum erroribus ad ſanam mentem reduceret. Ipſe interea, quanquam nullum reſipiſcentiæ ſignum dedit, pro ſuorum tamen dogmatum defenſione ne verbum quidem facere conatus eſt. Quid ſibi quæſo hoc vult, quod jam ſub manu carnificis poſitus, quum æternum Dei Filium invocare pertinaciter renueret, non breviter ſaltem (quod liberum erat) excuſaverit? Quiſnam mortem hanc martyris eſſe dicet, doctrinam, pro qua certandum erat, non modo omni patrocinio deſtitutam relinquere, ſed voluntario ſilentio tenere ſuppreſſam? nemo enim à loquendi ipſum libertate prohibuit. Unde quod paulo ante attigi, liquere arbitror, quamdiu impune ſe ludere putavit, plus ſatis fuiſſe audacem: ubi autem ſoluta eſt juſta merces, deſperatione concidiſſe.

Verum quia de homine dictum eſt jam plus ſatis: ſubjicienda eſt ſuo ordine, ut præfatus ſum, dogmatum deſcriptio: unde ſtatuant lectores, fueritne unus & alter mediocris & ferendus error, an vaſtum ac profundum impietatum pelagus, quæ totam fidem noſtram labefactant, imo etiam magna ex parte prorſus evertunt. Non quod mihi totam farraginem evolvere propoſitum ſit. video enim, ſi id facere tentavero, quam denſam ſylvam, ac potius quam profundum labyrinthum ingrediar. Sed idem, ut opinor, quod in ipſa cauſæ actione ſequuti ſumus, compendium tenere utile erit: nempe ut lectores genere ipſo doctrinæ, ut certis capitibus diſtinctum erit, notato, monſtrum non minus deteſtabile quam multiforme in ejus libris contineri agnoſcant. Quum varie, diuque verbis certatum foret, ac ſubinde querimoniam illam repeteret, non decere pietatis cauſas in carcere tractari: reſpondi quod verum erat, & initio præfatus eram, nihil mihi fore gratius quam ſi in templo & toto populo audiente, diſceptaretur: nec vero eſſe cauſam cur lucem & conſpectum ejus theatri fugerem, ubi cauſa plauſibilis, non adverſis auribus tuenda foret. Deinde quum ille provocaret ad alias Eccleſias: libenter à me hæc quoque conditio ſuſcepta fuit. Itaque clariſſ. Senatus noſter finem ambagibus facere volens, decrevit ut propoſitiones excerperem ex Serveti ipſius libris, quæ ei ſcriptæ darentur. Eodem Senatuſconſulto permiſſum illi eſt ut retractaret ſiquid videret à ſe non recte ſcriptum: ſiquid vero deprehenderet male à nobis detortum, refutaret: ſiquid injuſte putaret damnatum, ex verbo Dei defenderet. Ego, ne ultra modum prolixus forem, certa quædam capita ad verbum transſcripſi. Habuit ille quantum voluit temporis, ad reſpondendum: nobis non plus biduo datum eſt. Porro quia cauſam ſuam ſperabat magis fore plauſibilem, ſi poſtremas haberet loquendi partes: rurſus ſupplici libello hoc ſibi dari petiit, ac impetravit. Quamvis autem minime eum lateret, de capite ſuo agi: quia conſulebantur vicinæ Eccleſiæ, ex quarum reſponſo pendebat grave præjudicium: quam ſecure tamen cavillatus ſit, videbunt lectores: quos, nequid forte ſuſpectum habeant, monitos volo, nihil à me hic poſitum, quod non in acta publica relatum, & legitime conſignatum ſit.

SENTENTIÆ
VEL
PROPOSITIONES

Excerptæ ex libris MICHAELIS SERVETI, quas miniſtri Eccleſiæ Genevenſis partim impias ac in Deum blaſphemas, partim profanis erroribus & deliriis eſſe refertas aſſerunt: omnes vero à verbo Dei, & orthodoxo Eccleſiæ conſenſu prorſus alienas.

OMnes qui Trinitatem ſtatuunt in eſſentia Dei, eſſe Tritheitas, veros atheos: nec Deum habere niſi tripartitum & aggregativum. Item, habere connotativum Deum, non abſolutum: imaginarios habere Deos, & illuſiones dæmoniorum, lib. 1. de Trinitate, pag. 30. Quibus reſpondet quod addit pagina ſequenti: Somnia ut voles, dirige oculos ad phantaſmata, & tunc videbis tuam Trinitatem non eſſe intelligibilem ſine tribus phantaſmatibus. Tandem concludit omnes Trinitarios eſſe atheos.

2. Tot auctoritatibus fulciri Hebræos ut tripartitum Deum à noſtris introductum metiro admirentur. lib. 1. de Trinit. pag. 34.

3. Incorpoream Deitatem realiter diſtinctam, Mahometo cauſam dediſſe negandi Chriſtum. lib. 1. de Trinit. pag. 36.

4. Tres illas res incorporeas diſtinctas in Dei unitate non poſſe ſtare, & eſſe Triadem imaginariam. lib. 1. de Trin. pag. 29.

5. Ut fucum impiis ſuis dogmatibus inducat, fatetur quidem in Deo perſonalem fuiſſe diſtinctionem, ſed perſonam duntaxat externam intelligit, quæ in Dei eſſentia non vere ſubſiſtat: ſicuti lib. 3. de Trin. pag. 92. dicit Verbum fuiſſe idealem rationem ab initio, quæ jam hominem referebat: fuiſſe in Verbo apud Deum futuri hominis Jeſu Chriſti exemplar, perſonam, effigiem, vultum, faciem, hominia in Deo repræſentationem. Item Dial. 1. pag. 229. non eſſe inter verbum & Spiritum realem differentiam. Item lib. 5. de Trin. pag. 189., nullam fuiſſe in Deo realem generationem, vel ſpirationem.

6. Ut palam appareat confundi ab eo perſonas: lib. 2. de Trin. pag. 66., ſic loquitur, Ipſa Sapientia olim ſimul erat Verbum, & Spiritus, quia non erat realis diſtinctio, ipſamet Sapientia erat Spiritus. Et lib. 5. de Trinit. pag. 164., totum Verbi & Spiritus arcanum definit fuiſſe fulgentem Chriſti gloriam.

7. Quanquam autem negat diſtinctionem realem in tribus perſonis ante Jeſu Chriſti incarnationem: dicit tamen tanta gloria decoratum fuiſſe Chriſtum, ut non ſolum ſit ipſe Deus de Deo, ſed & ſit Deus de quo alius Deus procedat. lib. 5. de Trin. pag. 185.

8. Ipſum Chriſtum eſſe filium Dei, quatenus genitus eſt à Deo in utero virginis Mariæ. Idque non ſolum virtute Spiritus ſancti, ſed quia Deus ex ſua ſubſtantia illum genuit. lib. 1. de Trinit. pag. 11. & 12. Item epiſtola ad Calvinum 1. & 2.

9. Verbum Dei de cælo deſcendens eſſe nunc carnem Chriſti: ita ut caro Chriſti de cælo ſit. lib. 1. de Trin. pag. 17 & 18. Item lib. 2. de Trin. pag. 73., Corpus ipſum Chriſti eſſe corpus Deitatis, carnem ejus divinam: carnem Dei, cæleſtem: de ſubſtantia Dei genitam. Item Dial. 1. pag. 231., Animam Chriſti eſſe Deum: carnem Chriſti eſſe Deum: & tam Chriſti animam quam carnem fuiſſe ab æterno in propria Deitatis ſubſtantia.

10. Lib. 2. de Trin pag. 77., ſic loquitur, Eſſentia corporis & animæ Chriſti, eſt Verbi & Spiritus Deitas. Et Chriſtus ab initio eſt, tam ratione corporis quam ratione animæ. Item lib. 2. pag. 87., Non ſolum in anima, ſed & in carne Chriſti eſt ſubſtantia Deitas. Item lib. 5. de Trin. pag. 164., Deus erat Verbum, & Spiritus, Verbum & Spiritum varie diſpenſans in corpus & animam.

11. Ut oſtendat ſibi ludibrio eſſe Chriſti divinitatem, exponit eum dici Sapientiam & virtutem Dei, & ſplendorem gloriæ ipſius, perinde acſi vocaretur excellens quædam ſapientia & virtus. lib. 2. de Trinit. pag. 87.

12. Jeſum Chriſtum hominem, ab initio apud Deum fuiſſe in propria perſona & ſubſtantia. lib. 2. de Trinit. pag. 90. Alibi tamen tribuit Chriſto duas perſonas. lib 4. de Trin. pag. 129.

13. Poſtquam confeſſus eſt Verbum Dei factum fuiſſe hominem, dicit hoc Verbum fuiſſe ſemen Chriſti. lib. 4. de Trin. pag. 145. Item rem eſſe aliam à Filio. lib. 1. de Trinit. pag. 23. Item Verbum quo mundus eſt creatus, prolatum fuiſſe ejus gratia: unde ſequitur ipſum non eſſe illud Verbum. lib. 2. de Trinit. pag. 85. Item Verbum Dei fuiſſe rorem naturalis genituræ Chriſti in utero Virginis, ſicut ſemen generationis animalium. Dial. 2. de Trinit. pag. 260. Præterea Filium Dei naturaliter genitum fuiſſe ex Spiritu ſancto per Sermonem. lib. 1. de Regeneratione, pag 355.

14. Verbum ipſum Dei fuiſſe ſemen generationis Chriſti. Et ſicut generantia omnia prius in ſeipſis ſemen concipiunt, quam ſœtum extra ſe mittant: ita fuiſſe in Deo ſemen Verbi, priuſquam in Maria Filius conciperetur. lib. 4. de Trin. pag. 146. Item paternum ſemen genituræ Chriſti, idipſum in eo effeciſſe quod in unoquoque noſtrum facit ſemen creatum patris. Dial. 2. de Trin pag. 154.

15. Per actionem Spiritus Dei extitiſſe ipſum Chriſti corpus, quoniam Verbo divino quaſi rore genituræ Chriſti cum elementis his creatis ſimul ſe terræ miſcuerit: & quatenus divinus, & humanus halitus ejus animæ inſitus fuerit & coaluerit, extitiſſe hypoſtaſin unam Spiritus ejus, quæ eſt hypoſtaſis Spiritus ſancti. lib. 5. de Trinit. pag. 165. Et antea dixerat in Chriſto tria elementa eſſe de ſubſtantia Patris. lib. 4. de Trin. pag. 159.

16. Ut corrumpat dictum Apoſtoli, 2. cap. ad Hebræos, Chriſtum ſcilicet non aſſumpſiſſe naturam Angelorum, ſed ſemen Abrahæ: ſic exponit, nempe quod nos morte liberavit. lib. 2. de Trin. pag. 90.

17. Deum eſſe Patrem Spiritus ſancti. Quod nihil aliud eſt quam perſonas confundere, quales etiam ipſe fingit. lib. 5. de Trin. pag 187.

18. Ut oſtendat ſe ludere in voce Perſonæ, dicit unam ſolam fuiſſe perſonalem imaginem ſeu faciem, quæ erat Chriſti perſona in Deo, etiam Angelis communicata. lib. 3. de Trin pag. 102.

19. Tria elementa eſſe ab utroque parente tam in Chriſto quam in nobis. Terream vero materiam eſſe à ſola matre tam in Chriſto quam in generalibus omnibus. Unde ſequitur illum non habuiſſe corpus noſtro ſimile: id quod perinde eſt ac redemptionem noſtram delere. Dial. 2. de Trin. pag. 250. Quod etiam plenius exprimit lib. 5. de Trin. pag. 194., quum dicit in nobis ſolum eſſe elementa creata: in Chriſto eſſe, creata & increata, & ſubſtantiam Spiritus Dei, ipſi carni ſubſtantialiter communicatam.

20. Rorem illum cæleſtem Virgini obumbrantem, & ſemini ejus, & ſanguini ſeſe immiſcentem transformaſſe in Deum humanam materiam. Dial. 2. de Trin. pag 263.

21. Duas naturas confundens, dicit lucem creatam & increatam fuiſſe in Chriſto unam lucem: & ex Spiritu divino & anima humana conſtitiſſe in Chriſto unam ſubſtantialem animam. Dial. 2. de Trinit. pag. 268. Adeoque ſubſtantiam carnis & ſubſtantiam Verbi eſſe unam ſubſtantiam, pag. ſequenti. Tandem concludit carnem Chriſti ſubſtantiam Verbi habere corporaliter, ſubſtantialem ipſum vitalem Spiritum divinum, atque ita eſſe vere cæleſtem & de ſubſtantia Dei, carnem Verbi, carnem Dei, quæ exiſtentiam habet æternam. Dial. 2. de Trin. pag. 271.

22. Jeſum Chriſtum participationem Dei & hominis habentem non potuiſſe dici creaturam, ſed participem creaturarum. Dial. 2 de Trin. pag. 272.

23. Unam & eandem Deitatem quæ eſt in Patre communicatam fuiſſe Filio Jeſu Chriſto immediate & corporaliter. Deinde eo mediatore per miniſterium Angeli Spiritus communicatam fuiſſe ſpiritualiter Apoſtolis. Ac Chriſto quidem ſoli à natura eſſe Deitatem inſitam corporaliter & ſpiritualiter: verum ab eo dari aliis ſanctum & ſubſtantialem halitum. lib. 2. de Trin. pag. 22.

24. Sicuti Verbum deſcendit in carnem Chriſti, ita Spiritum ſanctum deſcendiſſe in Apoſtolorum animas. Dial. 2. de Trin. pag. 264.

25. Perſonas confundens ſic inquit, Naturaliter & voluntarie erat λόγος idealis ratio & prolatio, relucentia Chriſti apud Deum, Spiritus Chriſti apud Deum, lux ejus apud Deum: unde ſequitur nullam fuiſſe ſubſtantiam, quum figura tantum eſſet illius rei quæ nondum erat, & interea à Spiritu non differat. Dial. 1. de Trin. pag. 208.

26. Nullam ante Chriſti adventum viſam fuiſſe Spiri-

Spiritus hypoſtaſin. lib. 5. de Trinit. pag. 197. Ex quo ſequitur nullam tunc fuiſſe hypoſtaſin, nec perſonam, quum nulla ſit perſona niſi viſibilis: quemadmodum in libris ſuis affirmat, & reſponſis fatetur. Quibus reſpondet quod dicit Dialogo 1. pag. 217., Spiritum Dei umbram fuiſſe in creatione mundi.

27. Ut intelligatur qualem æternitatem Chriſto tribuat: Sicut, inquit, res omnes nunc ſunt in Deo, ita eodem ordine ante creationem erant in eo, & primus omnium Chriſtus. Item, Deus ratione ſua æterna corporalem ſibi & viſibilem Filium æternaliter decernens, talis ſpeciei ſubſtantia ſeipſum viſibilem præbet per Sermonem. Dial. 1. de Trinit. pag. 205.

28. Chriſtum quamdiu in carne mortali verſatus eſt, nondum accepiſſe Spiritum novum quem à ſua reſurrectione accepturus erat. lib. 5. de Trinit. pag. 185. Item lib. 5. de Trin. pag. 195., Chriſtum ante reſurrectionem nondum obtinuiſſe totam Dei gloriam, ſed poſtea Spiritum novum accepiſſe. Totam ergo nunc Verbi & Spiritus gloriam hypoſtatice ſolum Chriſtum continere. Cui etiam reſpondet quod Dialog. 1. de Trin. pag. 231., ſcribit, Deum ſpirantem ſpiraſſe in Chriſtum, ſicut in nos, Spiritum ſanctum ſupervenientem: atque ita totam denuo Deitatem diſpenſatione alia ſpiraſſe, ac ejus priorem Spiritum in reſurrectione innovaſſe, dato novo Spiritu, quem datus in Jordane Spiritus adumbrabat.

29. In Dei ſubſtantia partes eſſe & partitiones non eo modo quo in creaturis, ſed ſecundum diſpenſationis diſtributionem; ita ut in Spiritus partitione cujuſque portio ſit Deus. 3. de Trinit. pag. 121. Præterea ubi affirmavit ſpiritus noſtros ſubſtantialiter ab æterno fuiſſe, ſubjungit illos eſſe conſubſtantiales, & coæternos. Dial. 1. de Trin. pag. 226. Et tamen alio loco fatetur Spiritum quo illuminati ſumus, extingui poſſe. lib. de Regen. 4. pag. 555.

30. Omnibus inſitum eſſe ab initio Spiritum Deitatis ex Dei halitu. Dialogo 1. pag. 138.

31. Siquando in Lege dicitur eſſe in aliquo Spiritus Dei, non ſumi pro Spiritu regenerationis ſancto.

32. Angelos olim ut Deos à Judæis fuiſſe adoratos: lib. 5. de Trinit. pag. 184. ita ut illos ipſorum Deos appellet, pag. ſequenti. Cui etiam reſpondet quod dicit Dialog. 1. pag. 216., nunquam fuiſſe in Lege Deum vere adoratum, ſed Angelos adumbrantes Chriſtum, fuiſſe adoratos. Item Abraham crediſſe illi, qui Chriſtum adumbrabat, pag. ſequenti.

33. Etſi autem fatetur Chriſtum vel Verbum non habuiſſe hypoſtaſin realem ab initio, nihilominus affirmat Angelos & electos in Deo fuiſſe realiter ab initio. lib. 1. de Trin. pag. 135.

34. In omnibus creaturis Deitatem conſtituit etiam ſubſtantialem. Dial. 1. pag. 213.

35. Poſteaquam vero multa deliria, eaque perverſa ac pernicioſa de animarum ſubſtantia conſarcinavit à pag. 220. uſque ad pag. 225. 1. Dial. tandem concludit animam eſſe ex Deo, & ex ejus ſubſtantia. Item inſpirationem creatam in illam fuiſſe inſitam unà cum Deitate: & iterum nova ſpiratione in unam cum Deo lucem ſubſtantialiter coire per Spiritum ſanctum.

36. Quanquam autem anima non eſt Deus, eam tamen effici Deum per Spiritum, qui quidem eſt & ipſe Deus: adeo ut dubitare ſit nefas & animam noſtram, & ipſum Chriſti Spiritum ſanctum ſibi eſſentialiter junctam habere ejuſmodi elementarem ſubſtantiam, ſicut Verbum ſibi junctam habet carnem. Atque res creatas & increatas in unam animæ & Spiritus ſubſtantiam coire. lib. 5. de Trinitate, pag. 181, & 182.

37. Scripſit, adeoque vulgavit horrendas blaſphemias contra pædobaptiſmum, quemadmodum

ſatis.

ſatis conſtat ex integris quatuor libris de Regeneratione, præſertim vero ex concluſione, pag 576. Item non committi peccatum mortale ante annos viginti.

38. Animam redditam eſſe mortalem per peccatum, ſicut caro mortalis eſt: non quod in nihilum anima redeat, ſicut nec caro. Sed mori quando cum dolore vitalibus actionibus privatur, & in inferno languens detinetur quaſi non amplius victura. lib. 4. de Regen. pag. 551. Deinde concludit regenitos aliam habere animam quam ante, propter ſubſtantiam innovatam, & novam Deitatem adjunctam. pagina ſequenti.

Michaëlis Serveti reſponſio ad articulos Joannis Calvini.

EAm ſibi jam auctoritatem arrogat Calvinus, ut inſtar magiſtrorum Sorbonicorum articulos ſcribat, & quidvis pro ſua libidine damnet, nullam penitus ex Sacris adducens rationem. Mentem meam ipſe aut plane non intelligit, aut callide alio detorquet. Unde cogor, ſcopum meum totum hic paucis proponere, ac pro me rationes adducere, antequam ſingulis ejus articulis reſpondeam.

Scopus meus totus fuit, quod nomen hoc Filius, in Sacris literis proprie tribuatur homini filio, idque ſemper, ſicut eidem proprie ſemper tribuitur nomen Jeſus, & nomen Chriſtus. Ad hujus probationem adduxi omnes Scripturæ locos, in quibus ponitur ea vox Filius, quæ ſemper ſumitur pro homine filio. Nullum dico in Evangeliis poſſe inveniri locum in quo ponatur ea vox Filius, quæ non accipiatur pro homine filio. Si igitur Scriptura ita ſemper accipit, ita & nos ſemper accipere oportet.

Secundam perſonam in Deitate dixi olim dictam perſonam, eo quod eſſet perſonalis repræſentatio hominis Jeſu Chriſti, hypoſtatice jam olim in Deo ſubſiſtentis, ac in ipſa Deitate viſibiliter relucentis. Quia vero hæc perſonæ ratio eſt Calvino incognita, & quia inde res fere tota dependet, locos hic ex antiquis Eccleſiæ doctoribus adducam.

Ex Tertulliano.

1. *Primus Tertulliani locus eſt lib. 2. contra Marcionem, pag. 200. & 201. ubi ait, Deum olim humanos ſenſus & affectus ſuſcepiſſe, Deum in figura & reliquo ordine humanæ conditionis verſatum, Deum conformaſſe ſeipſum humanitati. Etenim ipſum fuiſſe viſibilem in Deitate Chriſtum. Nam & profitemur, inquit, Chriſtum ſemper egiſſe in Dei Patris nomine, ipſum ab initio converſatum, ipſum congreſſum cum Patriarchis & Prophetis. Et paulo poſt, In hæc diſpoſitus eſt Chriſtus à Patre, ediſcens jam inde à primordio hominem, quod erat futurus in fine. Et facie 201. Deum nunquam viſum docens Scriptura, Patrem inviſibilem determinat, in cujus auctoritate & nomine ipſe erat Deus qui videbatur Dei Filius. Sed & penes nos Chriſtus ibi in perſona Chriſti accipitur. Perſonam ideo dictam ait, quod eſſet perſona Chriſti olim viſa, atque ita perſonalis Filius.*

2. *Secundus eſt locus lib. adverſus Judæos, pag 138. ubi ait, Qui ad Moſem loquebatur, ipſe erat Dei Filius, qui & ſemper videbatur. Deum enim Patrem nemo vidit unquam. Ideo conſtat, ipſum Dei Filium Moſi eſſe loquutum & viſum. Viſibilis igitur tunc erat Filius homo Jeſus Chriſtus.*

3. *Tertius locus lib. de Reſurrectione carnis, pag. 41, ubi ipſam Adæ carnem ait de limo formatam & figuratam ad effigiem & imaginem Dei, id eſt, Chriſti, jam tunc in Deo talem effigiem habentis. Id utique quod Deus finxit, inquit, ad imaginem Dei fecit illum, ſcilicet Chriſti. Qui in effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimavit, eſſe ſe parem Deo. Citat ibi Tertullianus dictum Pauli ad Philippenſes 2., dicentis, Chriſtum jam olim fuiſſe in forma & effigie Dei conſtitutum,*

tum,

tum, eamque ipſam fuiſſe formam & effigiem Dei ait, ad cujus imaginem & ſimilitudinem eſt caro Adæ formata. Erat igitur effigies & perſona Chriſti viſibilis, in Deo jam tunc relucens.

4. Quartus locus lib. 5. contra Marcionem, pag. 135. & 136. In perſona Chriſti quis dixit, Fiat lux? In illuminatione mundi, quis Chriſto ait, Poſui te in lucem Gentium? Signatum eſt, inquit, ſuper nos lumen perſonæ tuæ, (ſeu vultus tui) Domine. Perſona autem Dei Chriſtus Dominus. Quæ perſona Apoſtolo dicta eſt imago Dei. Igitur Chriſtus erat perſona Creatoris dicentis, Fiat lux. Hæc ille. Ecce quoties repetit nomen perſonæ: & quid per perſonam intelligat, ipſam nempe Chriſti faciem in ipſa creatione jam hypoſtatice relucentem, ac vere loquentem. Exponit inſuper dictum Apoſtoli ad Coloſſ., imaginem Dei vocans ipſam Chriſti faciem divinam quæ in Deo relucebat.

5. Quintus locus eodem lib. 5. pag. 351., in hæc verba, Inviſibilis Dei imaginem ait Apoſtolus Chriſtum. Sed nos enim inviſibilem dicimus Patrem Chriſti, ſcientes Filium ſemper retro viſum in Dei nomine, ut imaginem ipſius: ne quam & hinc differentiam ſcindat Dei viſibilis & inviſibilis. Pulcherrimus eſt locus hic, junctus præcedenti, docens non eſſe in eſſentia Dei realem illam diſtinctionem Patris & Filii, ut duarum rerum inviſibilium, quas Tritheitæ ſomniant, ſed eſſe ſolum perſonalem diſtinctionem inviſibilis Patris & viſibilis Filii, quam & formalem diſpoſitionem in Deo vocat, libro adverſus Praxeam, pag. 418. 419. 420. 429. & apertius pag. 430.

6. Sextus locus eodem lib. 5. pag. 353. & 354., dicens, In effigie Dei erat conſtitutus Chriſtus. Alibi Apoſtolus, Chriſti imaginem Dei inviſibilis appellat, ea ratione qua in effigie Dei eum collocat. Erat igitur vere imago Dei & hominis, in Deo relucens, & hominem referens. Aurea verba, mente perpetuo tenenda.

7. Septimus locus lib. adverſus Praxeam, pag. 422. & 423. Affirmo, inquit, ſubſtantiam aliquid eſſe Sermonem, in Spiritu ipſo ita conſtructum, ut res & perſona quædam videri poſſit. Aliquid ſignificare, ſeu repræſentare Sermonem ait, ſed non ita ut ſit res inanis. Sermo noſter eſt ſtructura quædam ſuper aëre ipſo facta, ideo evaneſcit. At Sermo Dei in ipſa Deitate ſtructus, ut ait, in ſua repræſentatione permanet. Ait inſuper, non eſſe hic προβολὴν, prolationem rei alterius ex altera: ergo non eſt duarum rerum diſtinctio illa realis, ſed in ipſa Patris Deitate eſt prolatio, Sermonis fabricatio, ac formalis diſpoſitio. Hinc conſurgere ait œconomiam, diſpenſationem ſeu diſpoſitionem Trinitatis, in tot nominibus conſtitutam, in quot Deus voluit. ita pag. 419.

8. Octavus locus lib. de carne Chriſti, pag. 15. ubi ad oſtendendam humanam Verbi perſonam, tres rationes adducit, De Angelis, de Spiritu ſancto, & de anima. primam vero in hæc verba, Angelos Creatoris humanam effigiem geſtiſſe, legiſti tu Marcion, & credidiſti: ac tantam corporis geſtaſſe veritatem, ut pedes eis laverit Abraham, Gen. 18. manibus ipſorum ereptus ſit à Sodomitis Lot, Gen. 19. colluctatus quoque homini ſit Angelus, Geneſ. 32. Si ergo Angelis inferioribus id licuit, multo magis Verbo Dei. Idipſum repetit pag. 89.

9. Nonus locus eodem lib. pag. 16. ubi ex Evangelio citat, Spiritum ſanctum forma corporali, ſpecie corporali, figura corporali in Chriſtum deſcendiſſe: ac fuiſſe affirmat in ipſo Spiritu ſancti ſubſtantia corporis ſoliditatem. Itidem vigeat & in Verbo. Corpus autem, Tertulliano mere, intelligi oportet ſubſtantiam ipſum vere viſibilem.

10. Decimus locus eodem lib. pag. 19. ubi de Angelis dictum argumentum repetens, ait, Atqui tunc quoque inter Angelos ipſe Dominus Jeſus Chriſtus apparuit Abrahæ, dicto cap. Gen. 18. Ipſe Chriſtus jam tunc cœpit alloqui, liberare, judicare ediſcebat, in hominis ſubſtantiali forma vera, non ficta.

11. Undecimus locus eodem lib. pag. 24. ubi de anima arguit, quæ ſubſtantia exiſtens ſpiritualis, nihilominus corporis habet formam, & figuram ſuam ſervat humanam poſt ſeparationem à corpore. Igitur & Verbo Dei non erat inconſona forma talis.

12. Duodecimus locus eodem lib. pag. 29. ubi ait, Chriſtum ipſum hominem à Deo ipſo eſſe prolatum, & ex Patris ſemine eſſe Filium Dei. Quæ ambo dicta, quaſi magna crimina, mihi objicit Calvinus. Clamat, & nihil probat. Ignorantiam ſuam prodit, ac manifeſte indicat ſe Tertullianum nunquam legiſſe. Semen Patris ita vocat Irenæus, lib. 4. cap. 51. pag. 262.

13. Decimustertius locus, pag. 32. & 34., eodem libro, Hominem ipſum, qui fructus uteri eſt, flos & virga de radice Jeſſe, maſculus aperiens vulvam: eum ipſum ait eſſe proprie Filium Dei, qui & filius Mariæ. Idem ait pag. 106. 245. 246.

14. Decimusquartus locus lib. de Reſurrectione carnis, pag. 43. ubi ait, animam ita per corpus exercere operationes ſuas vitales, ut à corpore ſeparari, ſit ei veluti mori. Hoc dicto ego ſum uſus. Unde Calvinus mihi ſycophantice imponit, quod animas dixerim eſſe mortales, quum ego & ibi, & ſexcentis aliis locis oppoſitum ſemper docuerim.

15. Decimusquintus locus eodem lib. pag. 71. ubi ex Paulo citat, gloriam Dei, ac verum ipſum lumen Dei, in facie Jeſu Chriſti à nobis cognoſci, de qua viſione vera lucis divinæ in facie Jeſu Chriſti abunde ſcripſi lib. 3. de Trinitate. At Calvinus non vult Deum ita videre, cæcus perpetuo manens. Hanc ipſam divinam viſionem in facie Jeſu Chriſti, ex ipſiuſmet Chriſti dicto confirmat Tertullianus lib. adverſus Praxeam, pag. 436. Innumeri alii in Tertulliano ſunt loci de viſibili perſona & forma hominis Chriſti, in Deo ſemper relucentis, ut pag. 212. 213. 216. 228. 229. 327. 331. 430. 431. 432. 438. Ipſe homo Chriſtus ambulabat in Paradiſo, loquens ad ipſum Adam facie ad faciem. Ipſe poſt Noë ad ultimum clauſit arcam. Ipſe deſcendit in forma hominis ad judicandam turrim Babylonicam, ad loquendum cum Abraham, ad perdendos Sodomitas. Ipſe viſus ipſi Jacob, Moſi in dumo. Ipſe quartus apparuit in fornace ignis Babylonici, cujus aſpectus ibi dicitur ſimilis Filio Dei, Danielis 3. Hæc & alia citat Tertullianus dicta pag. 431. & 432.

16. Addam adhuc locum unum, ubi pulchre oſtenditur identitas faciei Chriſti, olim & nunc. Adverſus Praxeam, pag. 428. & 429., citat Tertullianus locum Exodi, cap. 33., ubi Moſes deſideravit videre faciem Dei tunc deliteſcentem. Eam ideo non vidit tunc Moſes, ſed poſt Chriſti adventum vidit eam in monte in transfiguratione, Matth. 17. atque ita tunc ejus deſiderium implevit Chriſtus, ut pulchre docet Irenæus, lib. 4. cap. 37. pag. 243. Ea ipſa eſt igitur ſemper intelligenda facies Chriſti, qualis nunc in cælo relucet, qualis in transfiguratione viſa eſt Matth. 17. Qualis à Paulo viſa Actor. 9. & à Joanne Apoc. 1., ſupra ſplendorem ſolis lucens, luce increata. Si poſſibile eſſet, humanitatem ab ea luce nunc ſeparari, adhuc maneret lux Dei in forma hominis, qua homini erat jam conformata: atque ita ab æterno in Deo ipſa relucebat. Nunquam enim eſt mutata forma divina. Sed jam ad Irenæum.

Loci ex Irenæo, de humana Verbi perſona.

1. Locus primus Irenæi eſt lib. 4. cap. 17. pag. 216. & 217. ubi ita ait, Judæi exceſſerunt, neſcientes, eum qui in figura loquutus eſt humana ad Abraham & Aaron & Moſem, fuiſſe Filium Dei, Verbum Dei, Jeſum ipſum, qui jam ad ſui imaginem hominem formarat, qui & ipſe erat jam figuratio Dei. Manifeſtiſſime docet Irenæus humanam in Verbo perſonam effigiem hominis, ad cujus imaginem & ſimilitudinem eſt caro Adæ plaſmata, ut aperte docet pag. 268. Ipſumque Verbum fuiſſe ait figurationem divinam, quia ſimul erat Verbum & Spiritus abſque reali diſtinctione. Nam in ipſa ſpirituali Patris ſubſtantia erat impreſſa Verbi figuratio & repræſentatio, ut Tertulliani locus ſeptimus nos jam docuit: eis ſimillima nunc docet Irenæus.

2. Secun-

2. Secundus Irenæi locus eſt eodem lib. 4. cap. 15. pag. 215. ubi ait ipſum Abraham dictum Verbi repræſentatione, noviſſe quod homo futurus eſſet Dei Filius. Audis, Calvine, in Verbo repræſentationem hominis? Nunquam auditum eſt, dici alicubi ſermonem, niſi repræſentet. Proprium item ſermonis eſt, proferri ſeu pronunciari. Quando igitur Joannes ait, In principio erat Sermo: intelligi oportet quod erat pronunciato in Deitate repræſentans Jeſum Chriſtum.

3. Tertius locus eſt eodem lib. 4. cap. 8. pag. 211., ubi citat ſeniorem quendam Apoſtolorum diſcipulum, qui dixerat, ipſum immenſum Patrem in Filio eſſe olim menſuratum: quemadmodum ait poſtea, ipſum inviſibilem Patrem in Filio eſſe viſum. In ipſa enim immenſitate & inviſibilitate lucis paternæ apparuit, extitit, prolata eſt viſibilis forma Filii, certa quadam menſura conſiſtens. Atque ita Pater per ſe immenſurabilis, in Filio eſt menſuratus: ſicut inviſibilis in ſe Pater, in Verbo eſt redditus viſibilis.

4. Quartus erit locus eodem lib. 4. cap. 37. pag. 242. & 243., ubi citans dictum Jeſaiæ cap. 6. Regem Dominum Sabbaoth vidi oculis meis, ita ait, Filium Dei hominem videbant converſatum cum hominibus. Et paulo poſt, Verbum quidem loquebatur Moſi, apparens in conſpectu, quemadmodum ſiquis loquatur ad amicum ſuum. Docet deinceps qualiter Moſes deſideravit olim videre faciem illam, quam poſtea vidit in monte transfiguratam. Atque fuiſſe ſemper eandem faciem Chriſti per quem Deus viſus eſt, & nunc videtur.

5. Quintus locus eſt lib. 5. pag. 298., ubi ait, totum ipſum Adæ corpus, ipſam Adæ carnem plaſmationem habuiſſe de limo terræ, ad imaginem & ſimilitudinem Dei: eo ſcilicet quod eſſet jam Chriſtus in effigie & forma Dei, ut Tertulliani locus tertius nos jam docuit.

6. Sextus eſt locus lib. 1. cap. 2. pag. 20. Ubi ait, Eccleſiam accepiſſe ab Apoſtolis prædicationem hanc, Unum eſſe Deum Patrem omnipotentem, & unum Jeſum Chriſtum Filium ejus, qui ſuam habuit ex Virgine generationem. Ergo ſi vere facta eſt ex Virgine generatio, vere factus eſt ex Virgine Filius. Subdit poſtea eſſe Filium Patris inviſibilis, Filium viſibilem ſemper docens.

7. Septimus locus lib. 2. cap. 18. pag. 84., & cap. 47. pag. 117., Deum ait eſſe totum Logon, & totum Spiritum, nec eſſe realem diſtinctionem. Idem apertius docet cap. 48. pag. 118., dicens, Logos ipſe eſt Pater. Et cap. 56. pag. 126., ait, Patrem feciſſe omnia per Verbum, id eſt per ſemetipſum. Ad eundem modum lib. 1. cap. 19. pag. 41., & lib. 2. cap. 2. pag. 66., & lib. 4. cap. 52. pag. 263., ait, Patrem non feciſſe per Verbum, quaſi per rem aliam, ſed quia ipſe dixit, Fiat, & factum eſt. Idque ab Apoſtolorum diſcipulis ſe ita didiciſſe ait Irenæus.

8. Octavus locus lib. 2. cap. 10. pag. 76., Scripturas de Verbo & Spiritu ait non referri ad res diſtinctas, ſed ad diſpoſitiones Dei. Et eodem lib. cap. 47. pag. 115., Verbum & Spiritum ait eſſe myſterium & diſpoſitionem exiſtentis Dei, ſubſiſtentis, prolati, & ſeipſum ita exhibentis. Non eſt facta productio, quaſi radii à ſole (nam hoc ſcinderet, ac divideret Deum) ut ait lib. 2. cap. 17. pag. 82.

9. Nonus locus lib. 2. cap. 6. pag. 143. & 144., Filium Dei ait olim ipſi Abrahæ manifeſtatum, & pleriſque aliis. Ab ipſo Chriſto ait Legem eſſe Moſi datam, lib. 4. cap. 3. pag. 258. & 259. Quomodo, inquit, eſſet finis Legis Chriſtus, ſi non initium ejus eſſet? hoc pag. 224. Abraham cum Verbo peregrinabatur, & in eo videbat Chriſtum, ut ait lib. 4. cap. 12. pag. 212. Verbum ipſum vidit Jacob. lib. 4. cap. 23. pag. 221. Verbum jam olim aſcendebat, & deſcendebat in forma hominis. lib. 4. cap. 26. pag. 224., & cap. 27. pag. 227. Verbum ipſum, homo Jeſus, videbatur in fornace Babylonica, perſonalis Filius Dei, idemque a Daniele viſus eſt in nubibus cæli. lib. 4. cap. 37. pag. 224. Idem ipſe in Paradiſo loquebatur cum ipſo Adam. libro 5. pagina 314. Erat igitur in Verbo perſona viſibilis, ac ſubſiſtentia vera.

10. Decimus eſt locus lib. 4. cap. 33. pag. 235. Nomen Jeſu Chriſti ait eſſe proprium ipſius Patris, ac imaginem ejus, imaginem Patris. Quemadmodum, inquit, ſiquis Rex filii ſui ſibi pingat imaginem, juſte illam dicet eſſe ſuam imaginem, ac imaginem filii: quoniam & filii ejus eſt, & ipſe fecit illam. Ad vivum exprimit quæ de Chriſto & Dei imagine ex Tertulliano jam docuimus: ut conſtet, Irenæum cum Tertulliano in ea re maxime convenire: ac etiam Clementem, imo & Petrum ipſum, quem nunc audiemus.

Loci ex Petro Apoſtolo & Clemente diſcipulo.

1. Locus primus eſt ex primo libro Clementis pag. 14. & 15. ubi ait Petrus Apoſtolus, Igitur Abraham quum rerum cauſas deſideraret agnoſcere, apparuit ei verus Propheta Jeſus Chriſtus, ac omnia quæ deſiderabat, aperuit. Omnibuſque rite ac ſufficienter edoctis, ad ſedes rurſus inviſibiles receſſit verus Propheta Jeſus. Quis hic plura teſtimonia deſideret? Annon ille ipſe qui apparuit Abrahæ, erat Verbum Dei? perſonalis Filius? homo Jeſus Chriſtus?

2. Secundus locus eadem pag. 15. Quum affligerentur, inquit, Iſraelitæ, apparuit verus Propheta Jeſus ipſi Moſi, & Ægyptios plagis cæleſtibus affecit, populumque Dei eduxit ex Ægypto.

3. Tertius locus eodem lib. 1. pag. 21., ubi Petrus ait, Chriſtus, qui ab initio, & ſemper erat, per ſingulas quaſque generationes piis, latenter licet, ſemper tamen aderat, iis præcipue a quibus expectabatur, quibuſque frequenter apparuit.

4. Quartus locus lib. 2. pag. 37., ubi de Chriſto vero Propheta ait Petrus, Ipſe verus Propheta ab initio mundi per ſeculum currens, feſtinat ad requiem, paſſim apparens, & corrigens.

5. Quintus locus lib. 4. pag. 78., ubi Petrus ait, Deus quum feciſſet hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, operi ſuo ſpiramen quoddam & odorem ſuæ Divinitatis inſeruit. Contra Simonem magum & ejus diſcipulos docet Petrus, eſſe nobis inſitam Divinitatem, cujus ratione eſt in nobis aliqua arbitrii libertas. Tertull. lib. 2. contra Marcionem, pag. 181., ait: Deum ſubſtantiam ſuam nobis communicare, per animæ ſenſum. Et pag. 182., hominem ait habere arbitrii libertatem, eo quod ſit afflatus Dei, utique liberi, & ſuæ poteſtatis. Idem multis docet pag. 185. & pag. 240. Nec ſecus docet Irenæus, ſemper contra magos liberum arbitrium defendens. Nemo unquam in Chriſtianiſmo aliter docuit.

Jam ad ſingulos Calvini articulos reſpondere ſupereſt.

In ipſo cam primo titulo mirari ſubit hominis impudentiam, qui ſe orthodoxum prædicet, quum ſit Simonis magi diſcipulus, ut in Apologia mea jam evidenter oſtendi. Quis orthodoxum dicat miniſtrum Eccleſiæ, accuſatorem criminalem, & homicidam.

1. Ad primum articulum jam ſæpius reſpondi, & ex citatis auctoribus conſtat, in ipſa Dei eſſentia & unitate, non eſſe realem trium inviſibilium rerum diſtinctionem. Sed perſonalem eſſe inviſibilis Patris & viſibilis Filii diſtinctionem. Hoc ſecundo modo Trinitas ſanctiſſime creditur, primo non item.

2. 3. 4. Ad ſecundum, tertium & quartum ſimilis eſt reſponſio. Quod de Mahometo ais, Turcæ hodie confirmant id ex parte verum eſſe.

5. Ad quintum, & externe & interne in Deo ipſo ſubſiſtentiam Filii ſemper profeſſus ſum. Et tu tibiipſi contradicis. Nam ſi idealis erat ratio, interna jam erat. Neſcis plane quid dicas. Quod de reali differentia ſubdis, à me jam eſt conceſſum & demonſtratum. Obſecro te, lege diligenter locos à me hic præſcriptos, & indue cor hominis Chriſtiani, orans ut tibi veritas reveletur.

6. Ad ſextum dico, non potuiſſe confundi ea quæ non erant ſeparata: ipſammet Sapientiam interpretatur

Irenæus

Irenæus Spiritum ſanctum, lib. 4. cap. 17. & 37. & Tertullianus lib. De carne Chriſti adverſus Hermogenem & adverſus Praxeam. Salomon item, quum Sapientiam ſibi datam teſtatur, Spiritum ſanctum intelligit. Idipſum oſtendit Eccleſiaſticus, Baruch, & liber Sapientiæ, ut Epiſtola 8. ad te jam citavi. Totum Verbi & Spiritus arcanum dico fuiſſe ad Chriſti gloriam, quia in eo eſt tota Verbi & Spiritus plenitudo. O te miſerum, ſi damnare pergas ea quæ non intelligis.

7. *Alium Deum dixi, alium Deitatis modum. Hoc inſuper ibi adjeci, Quod ſi hic loquendi modus te offendat, dicas aliam Deitatis perſonam. Quid opus fuit, te in calumniam vertere id quod eodem loco ego jam caſtigaram? Candidus ubique ſe oſtendit animus tuus.*

8. *Annon quis dicitur filius ejus, à quo genitus eſt? Ita dico, Deum de ſubſtantia ab æterno protuliſſe Filium hunc. Unde dicitur ille ex Deo naturaliter eſſe.*

9. *Verbum eſt nunc caro Chriſti unione hypoſtatica. Ita plane dico, carnem Chriſti de cælo eſſe ſecundum eſſentiam Deitatis, ipſamque carnem dici manna de cælo datum. Reliqua item concedo, in ſenſu à me ibi expoſito: qualia hic miſer emendicas, & primum veritatem omittis.*

10. *Eſſentia dicitur, à qua quis ſuſtentatur. Non te pudet, tanta hic referre, & nullam improbationis rationem adducere? Solo tuo canino latratu putas Judicum aures eſſe obtundendas?*

11. *Inique tu omnibus agis, & falſo locum citas. Non ita ego loquutus ſum ut mihi tu imponis.*

12. *Prima pars veriſſima eſt, quam tu utinam bene intelligeres. Chriſtus in ſe una perſona eſt, ſed in eo eſt vere Spiritus ſanctus, qui etiam perſona eſt.*

13. *Semen dico, ut Tertulliani locus duodecimus indicat, Irenæus item ibi citatus, & Philo in primo dialogo, pag. 201. ubi omnis tua calumnia aperiſſime tollitur. In loco illo quem citas, pag. 23., Sermo accipitur pro voce de cælo dicente hunc eſſe Filium Dei. Locum illum nec legiſti, nec intellexiſti, ideo nihil ad rem facit quod citas. Quod Verbi Deitas re ipſa aliud ſit quam homo Filius, quis non videt? Reliqua quæ ſubdis, concedo vera eſſe.*

14. *Totum concedo quia Deitas egit vice ſeminis, ut explicui dialogo primo, pag 201.*

15. *Ididem concedo, ſi ultimum de paternis elementis intelligas, dictum ob idealem eorum in Deo rationem.*

16. *Nihil ego corrumpo, ſed utramque interpretationem recipio, & tu ibi falſo omnia citas, & doces.*

17. *Confuſus eſt tibi animus, ut intelligere verum nequeas: metaphoram dico.*

18. *Auctores mecum de perſona loquentes jam citavi, nihil omnino ludens, ſed propriis dictionibus utens, quibus tu perfide abuteris.*

19. *Corpus Chriſti eſt noſtro ſimile, excepta peccati ratione, excepto item, quod ipſum eſt particeps Deitatis.*

20. *Transformatio, eſt ibi glorificatio, & illuſtratio.*

21. *Qui adhæret Deo, unus cum eo ſpiritus eſt. An eſt confuſio, quum duo in unum uniuntur? An confunduntur anima & caro, quum unum hominem faciunt? Ignoras miſer ipſa rerum principia.*

22. *Quid tum poſtea?*

23. *Verum eſt.*

24. *Quodammodo, ſere, ſimilitudo quædam eſt, ut ibidem oſtendo.*

25. *Tu teipſum confundis, non intelligens quæ loqueris, quaſi id quod in Deo hypoſtatice ſubſiſtit, non ſit vera ſubſtantia.*

26. *Perſona in Verbo dicitur hypoſtaſis viſibilis, in Spiritu eſt hypoſtaſis perceptibilis.*

27. *Bene habent omnia, niſi eſſet tibi animus perverſus.*

28. *Vera ſunt omnia, ſi tu candide intelligas.*

29. *Vera ſunt omnia, eo excepto, quod ſpiritus Dei in ſe non dicitur extingui. Sed quodammodo extinguitur in nobis: quia quum nos extinguimur, ipſe recedit.*

30. *Maxime verum eſt: & tu miſer à Simone mago illuſus, id ignoras, ut ſervum arbitrium ſtatuens, nos facias truncos & ſaxa. Vide locum ultimum ex Clemente & Petro citatum.*

31. *Ut plurimum ita ſolet accipi.*

32. *Ita fere omnia in figura contingebant illis.*

33. *Mendacium eſt quod commiſces. Nulla creatura erat realiter, niſi ab inſtanti ſuæ creationis.*

34. *In omnibus eſt Deus, per eſſentiam, præſentiam & potentiam, & omnia ipſe ſuſtentat.*

35. *Tolle verbum ex ejus ſubſtantia, & reliqua invenies eſſe vera, teque ſolum cum Simone mago delirare.*

36. *Verum eſt, multa in unum ita coire, ut oſſa, caro, nervi, anima, forma, ſpiritus in unam hominis ſubſtantiam coeunt.*

37. *Scripſi, fateor. Quum tu me aliter docueris, non ſolum recipiam, ſed & veſtigia tua exoſculabor.*

38. *Locus ipſe, quem contra me citas, docet te perfide agere. Nam ibi dico, animum velut mori, & in inferno languentem detineri. Ergo ſi languet, adhuc vivit. Vide quid de animæ ſuperſtite ego ſcribam, pag. 76. 229. & 718. Alia quodammodo dicitur in regenitis anima: ſicut propter accidentia nova, dicitur res nova.*

BREVIS
REFUTATIO ERRORUM

Et impietatum Michaëlis Serveti à miniſtris Eccleſiæ Genevenſis magnifico Senatui, ſicuti juſſi fuerant oblata:

Cum novis ipſius Serveti convitiis, quibus claræ luci tenebras obducere conatus eſt.

1. *Tu te primus accuſator offers: deinde curas ut jubearis, diſſimulator.* *Servetus.*

QUum initio dogma illud, vel potius convitium Serveti agitari cœpiſſet, Trinitarios omnes eſſe atheos, ipſe pro defenſione obtendit nomen Trinitatis ab Athanaſio, & Patribus [1] Niceni Concilii fuiſſe inventum. Hujus mendacii, ac impudentiæ Juſtini martyris, Origenis, & ſimilium teſtimoniis convictus, non deſtitit extra cauſam vagari. Magnificus ergo Senatus noſter, ut modum diſputationi ſtatueret, [2] nudas propoſitiones à nobis deſcribi voluit, quæ noſtro judicio impiæ eſſent, & à recta fide diſſiderent: ut ſiquid excuſationis haberet Servetus ipſe, in medium proferret, & quibuſcunque poſſet rationibus, probaret ſua dicta. Deinde, nos ex verbo Domini oſtenderemus nihil temere à nobis fuiſſe damnatum. Hoc præſente Serveto, nec recuſante actum eſt. Paruimus. Quia omnes errores recenſere nimis longum erat, quoſdam [3] bona fide ad verbum excerptos obtulimus, ut inde judicium de toto libro fieri poſſet. Nunc apparet an ſibi tyrannidem Sorbonicam arroget Calvinus, temere, & ſine ratione damnando: an vero petulanter ſuo more Servetus, & ſine ullo pudore in calumniam torqueat quod ſimpliciter, ut cauſæ ratio dictabat, & mandatum erat à Senatu, præcipua capita, de quibus erat quæſtio, expoſuimus.

1 *Trinitas realis eſt tunc publicata. Antea enim erat diſpoſitio Trinitatis, ut ex Irenæo & Tertulliano docui. nec ſecus docet Juſtinus, ut Origenem in medio relinquam.* 2 *Tu tibi ita fingis.* 3 *Cainiana homicidiali.*

Quod ſcopum ſibi fuiſſe dicit ut Filii nomen probaret ubique Chriſto homini tribui, facile ex ſingulis libri ejus paginis conſtat [1] quam frivola ſit hæc cavillatio. Scopum hunc habuit, ut Dei Sermonem, qui carnem noſtram induit, [2] negaret quicquam fuiſſe: [3] negaret à Patre genitum ante ſecula: & pluſquam atrocibus convitiis proſcinderet omnes pios,

pios, qui fatentur æternum fuiſſe [4] Dei Filium. Nos quoque aſſerimus [5] Sermonem Dei carne indutum, & Deum in carne maniſeſtatum, proprie, & [6] vere eſſe Filium Dei. Et verba Calvini ſunt in quinto Inſtitutionis capite, Chriſtum etiam [7] quatenus homo eſt, [8] vere eſſe Dei Filium, licet non humanæ naturæ ratione. Quare improbe Servetus Filium [9] à nobis connotativum fieri mentitur. Interea Chriſtum ſomniat [10] ideo Filium Dei eſſe, quoniam [11] cæleſtis ſit ejus caro, ac divina, ex tribus increatis elementis compoſita. Quod nuſquam inveniri in Euangeliis Filii nomen contendit, niſi de Chriſto homine acceptum, [12] de ea re nullum eſt certamen. Itaque tumultuandi cauſam non habuit: ſed [13] Eccleſiam ſcelerate turbavit monſtra ſibi fingendo, de quibus pugnaret. Non mirum ſane eſt ſi Apoſtoli [14] Sermonem Dei in carne exhibitum, Filium appellent: ſed interea videndum eſt, an Sermo ille non fuerit ante ſecula ex Patre [15] genitus. Nihil de tam abdito myſterio clarius dici poteſt, quam quod habetur primo Joannis capite: nempe quod Deus [16] Sermo apud Deum erat. Nam & majeſtas æterna, & eſſentiæ unitas, & [17] perſonæ diſtinctio illic diſerte exprimitur. Ludit in [18] voce perſonæ Servetus, ideam, aut [19] relucentiam eſſe fingens. Atqui Joannis verba tale cavillum [20] non ferunt. Et decimo ſeptimo capite, quum dicit [21] Chriſtus gloriam ſe ab initio habuiſſe apud Patrem: his verbis ſignificat non ſe gloriam duntaxat vel [22] ideam fuiſſe, ut Servetus imaginatur: ſed potius fuiſſe [23] Sapientiam, quæ ex [24] Patre genita, & apud ipſum [25] reſidens, ejuſdem eſſet gloriæ particeps. Realis etiam diſtinctio primo ad Hebræos capite notatur, ubi Apoſtolus [26] Filium appellat expreſſam [27] imaginem hypoſtaſeos Dei Patris. Niſi enim Patri ſua eſſet propria hypoſtaſis, non ſtaret illud Apoſtoli, Filium eſſe ejus characterem. Denique quiſquis Deum æternum Patrem agnoſcet, ſicuti eum Scriptura prædicat: æternum quoque [28] Filium non negabit. Quiſquis mundum à Deo Patre per Verbum fuiſſe creatum fatebitur, [29] talem diſtinctionem concedat neceſſe eſt. Et tamen ſi de verbo nobis rixari libeat, nomen Filii Dei, Proverb. 30. cap. habetur extra [30] humanæ naturæ reſpectum. Cæterum, quoniam hac de re quædam adhuc ſuis locis dicenda erunt, [31] nunc pluribus ſuperſedemus.

1 *Vide quid initio libri ego proponam pag. 5. & lib. 3. pag. 92. & in Epiſtola tua prima pag. 577. & in primo principio ad Melanchthonem, pag. 689. Quum hæc legeris, te ita mentiri pudebit.* 2 *Mentiris.* 3 *Mentiris.* 4 *Et ego ipſe id fateor pag. 182. & 733.* 5 *Perſonalem.* 6 *Non hominem ipſum. Ego hominem ipſum ſemper dico Filium, quemadmodum & Scriptura.* 7 *Et Filius quatenus Deus, ergo duo filii.* 8 *Variæ nugæ ſunt involutæ.* 9. *Ita certe ob gratiam unionis, ait hominem Dei Filium non naturaliter.* 10 *Non ob id ſolum.* 11 *Exempla eorum in archetypo Verbi fuiſſe dixi, pag. 120. 164. & 193. Sed tu omnia impudenter in malam partem vertis.* 12 *Imo maximum: nam tu perfide, hominem eſſe proprie, & ſemper Filium non agnoſcis.* 13 *Tu ſceleratus eam turbas tuo Simonis magi dogmate.* 14 *Imo ipſiſſimum hominem qui eſt Verbum homo, & Jeſus Chriſtus.* 15 *Perſonaliter.* 16 *Neſcis quid proprie ſit Sermo.* 17 *Verum eſt.* 18 *Perſonam ego propriiſſime accipio, & tu abuteris.* 19 *Subſtantialem.* 20 *Tibi non intelligenti.* 21 *Homo.* 22 *Hypoſtaſin dico veram.* 23 *Eam ipſam perſonam Chriſti.* 24 *Perſonaliter.* 25 *Vere.* 26 *Hominem Chriſtum.* 27 *Ut explicui lib. 3. pag. 116. & Tertullianus pag. 41. 336. 353. & 354.* 28 *Vere.* 29 *Contra docet Irenæus, ut loco ejus ſeptimo citavi, ac etiam Tertullianus.* 30 *Mentiris, imo eſt prophetia de Chriſto, & ad hominem Chriſtum ita refert Ignatius ad Philippenſes, pag. 31., & Tertullianus pag. 257. Quam ſis veritatis inops qui nullum alium de Filio locum habeas, quis hoc non videt?* 31 *Nihil aliud ex Sacris adducet: judicate, & illi triumphos decernite.*

Quod nonnullis veterum teſtimoniis [1] abutitur, quam indigne depravet eorum verba, vel futiliter, ac de nihilo obtendat, digito monſtrare [2] promptum eſt.

1 *Tu abuſor futilis & impudens.* 2 *Scilicet.*

Ex Tertulliano.

Primus locus quem adducit, nihil aliud continet quam Filium Dei olim Patribus apparuiſſe in [1] forma hominis, ut hoc futuræ incarnationis præludium eſſet. Quod uno conſenſu vetuſti [2] omnes Eccleſiæ doctores, adeoque [3] Sorbonici ipſi tradunt. Sed hoc nihil ad Serveti cauſam.

1 *In ipſa Deitate ſubſiſtente, quam ob id ille vocat Chriſti perſonam in Deo: ſed tu ſurdus ibi audire non vis nomen Perſonæ.* 2 *Nugaris.* 3 *Nugaris.*

Secundo loco docet Tertullianus ſemper [1] viſum fuiſſe Dei Filium. Hinc colligit Servetus, ſemper aliquam ſubſtantiam viſibilem extitiſſe, unde conflatum fuerit Chriſti corpus. Atqui ſentit Tertullianus Chriſtum diſpenſatione, [2] non ſua natura ſub typo quodam fuiſſe viſum. Deinde in Servetum retorquemus hæc ipſa verba. Nam ſi viſus eſt ſemper Filius, [3] neceſſe eſt ſemper fuiſſe [4] Filium.

1 *Nec aliter differre à Patre quam per viſibilis & invisibilis diſtinctionem, ut pag. 419. 430. & 431.* 2 *Sermonis natura eſt repræſentare: corpus item Verbo ob id tribuit Tertullianus.* 3 *Verum eſt.* 4 *Perſonalem.*

Tertius locus quum nihil aliud affirmet quam [1] imaginem Dei, ad quam creatus eſt homo, fuiſſe Filium, nulla indiget refutatione: quia nos ſemper idem [2] profeſſi ſumus.

1 *Formam & effigiem carnis in Verbo ſubſiſtentem tu confeſſus es. O impudentem tergiverſatorem.* 2 *Mentiris palam contra mentem Tertulliani.*

Ex quarto loco nihil probat niſi Chriſtum eſſe [1] perſonam Dei: ſed viciſſim elici poterit ex contextu [2] perſonam Chriſti fuiſſe in Patre. Cæterum ſimplex eſt [3] ſcriptoris ſenſus, reſulſiſſe in Filio [4] Patris hypoſtaſin quum eadem eſſet eſſentia.

1 *Faciem ipſam hominis ait illic perſonam & imaginem veram in Deo: ſed Satan tibi oculos clauſit.* 2 *Utinam tu hoc crederes.* 3 *Tibi plane ignotus.* 4 *Quibus Chimæris.*

Quinti loci ſumma eſt, Deum Patrem, qui per ſe eſt inviſibilis, ſemper fuiſſe viſum in Filio. Quod nos [1] libenter amplectimur: non quod Filii [2] eſſentia viſibilis fuerit: ſed quia per Sapientiæ ſuæ [3] lucem Deus hominibus affulſit. Et quia Verbum Dei vinculum communicationis fuit inter Deum & homines. Quam [4] flagitioſe Servetus realem diſtinctionem evertere conetur, nobis tacentibus cuivis conſpicuum eſt. Quo ſenſu vocetur [5] formalis diſpoſitio, [6] alibi dicemus.

1 *Per Chimæras.* 2 *Imo maxime id ibi contendit Tertullianus, Filii ſubſtantiam viſibilem & corporalem.* 3 *Tibi cæcam.* 4 *O nebulonem excæcatiſſimum.* 5 *Hæc eſt tota noſtra quæſtio non hic diſſimulanda.* 6 *Ubi ſubdole fingit victus.*

In ſexto loco [1] falſarius deprehendetur: quia corpus Chriſti imaginarium fuiſſe probare volens Marcion, Pauli dictum arripiebat, quod Chriſtus figura repertus fuerit ut homo: opponit Tertullianus, ſimul dici fuiſſe in forma Dei. Atque hinc colligit formam [2] cum veritate non pugnare. Verba ſunt, Numquid ergo & hic qua & in effigie eum Dei collocat, æque non erit Deus Chriſtus vere, ſi nec homo vere fuit in effigie hominis conſtitutus? Utrobique enim veritas neceſſe habebit excludi, ſi effigies, & ſimilitudo, & figura phantaſmati vindicabitur. Quod ſi in effigie, & in imagine, qua Filius Patris vere Dei præjudicatus eſt; etiam in effigie, & imagine hominis, qua filius hominis vere hominem inventum. Servetus autem callide, vel potius [3] ne-

Digitized by Google

quiter de ſuo ſupponit. Erat igitur [4] vere imago Dei & hominis in Deo relucens, & hominem referens. Deinde, fallaciæ ſuæ applaudens exclamat, Aurea verba mente perpetuo retinenda.

1 *Tu ſolus falſo niteris corrumpere ſenſum Tertulliani, qui de imagine, forma & effigie viſibili ſemper loquitur.* 2 *Sed fuiſſe formam & effigiem in ipſa ſubſtantia Dei, ſicut in ſubſtantia carnis: & utrimque figura ipſa, & effigies ſubſtantiæ accedat. Hæc ille.* 3 *Simon magus ſemper nequam & perverſus.* 4 *Excluſo utrimque phantaſmate.*

Septimus locus adeo nihil illi ſuffragatur, ut ejus [1] delirium acriter potius oppugnet. Quanquam enim non vere, nec ingenue citantur verba: rem tamen videri poſſe dicit. Sed multo [2] clariora ſunt quæ apud Tertullianum ſequuntur eodem loco. Filium enim, vel Sermonem ſubſtantia carere [3] negat, qui de tanta ſubſtantia proceſſit, & tantas ſubſtantias fecit. Quærit deinde an vacua, & inanis res ſit Sermo Dei, qui Filius dictus eſt, & ipſe Deus cognominatus eſt. Item, in qua Dei forma fuit? Utique in alia, non tamen in nulla. Item, Quæcunque ſubſtantia Sermonis fuit, illam dico [4] perſonam, & illi nomen Filii vindico: & dum Filium agnoſco, [5] ſecundum à Patre defendo. Totus in hoc eſt, ut [6] realem diſtinctionem [7] aſſerat. Quo major eſt Serveti impudentia, & minus tolerabilis, dum in tam clara luce fumos ſpargere non dubitat. Quod [illegible] ſe inducere negat, eo conſilio facit ut invidiam à ſe depellat, quam maligne, & calumnioſe ſtruebant hæretici. Interea clare teſtatur duo ſe dicere, [8] Deum & Sermonem ejus, Patrem & Filium ejus: ſicuti radix & frutex duæ res ſunt, ſed conjunctæ: fons & flumen duæ ſpecies ſunt, ſed indiviſæ: ſol & radius duæ formæ ſunt, ſed cohærentes. Omne enim quod prodit ex aliquo, neceſſe eſt ſit ejus ſecundum de quo prodit: non ideo tamen ſeparatum. Ubi autem [9] eſt ſecundus, duo ſunt: & tertius ubi eſt, [10] tres ſunt. Tertius enim eſt Spiritus à Patre & Filio. Tandem concludit, Ita Trinitas per conſertos, & connexos gradus à Patre decurrens, & monarchiæ nihil obſtrepit, & œconomiæ ſtatum protegit. Siqua verecundiæ gutta eſſet in Serveto, an hoc loco ad negandam [11] realem diſtinctionem abuti auſus foret?

1 *Dic nebulo quare Tertullianus pag. 422. linea 4., & 423. lin. 1. Sermonem ait eſſe ſtructum, & constructum Spiritu & Sophia? Quæ fabricatio fuit illa? Viſibilis, corporalis, ut ait.* 2 *Digreditur ne reſpondeat.* 3 *Vere.* 4 *Viſibilem.* 5 *Diſpoſitione.* 6 *Nihil eſt tale apud Tertullianum unquam auditum, ſed diſpoſitionem tantum.* 7 *Mentiris.* 8 *Ut inviſibile, à quo quid exiſtit viſibile, ita ipſemet declarat.* 9 *Diſpoſitione, ut ait.* 10 *Diſpoſitione.* 11 *Niſi Simon magus tibi oculos evertiſſet, videres ibi nunquam dici realem diſtinctionem, ſed formalem diſpoſitionem. Inter Sermonem & Spiritum diſtinctionem tollit, & aperiſſime negat, pag. 442.*

Octavus locus quum nihil doceat niſi Filium Dei [1] vere humana carne potuiſſe indui, quum Angeli vere humanis corporibus circumdati fuerint, aperte pro nobis facit, & Servetum [2] jugulat.

1 *Imo olim vere humanam formam habuiſſe.* 2 *Jugulatus eſt Simon magus.*

Nonus locus non alio ſpectat, niſi ut [1] ſciamus Filium Dei in vera carnis ſubſtantia apparuiſſe. Id Servetus furioſe ad ſuum [2] delirium trahit, quod ſemper fuerit in Deo viſibilis hominis ſubſtantia.

1 *Imo ut ſciamus veram in Deitate fuiſſe olim formam viſibilem.* 2 *Non te pudet in re tam aperta oculos claudere?*

Ex decimo loco nihilo plus quam ex aliis elicere licebit, Chriſtum inter Angelos Patribus apparuiſſe. Quod nemo unquam negavit. Atque hic quoque ſceleſta hominis falſitas manifeſte tenetur. Verba Tertulliani ſunt, Jam tunc Sermo Dei, & alloqui, & liberare, & judicare humanum genus ediſcebat in carnis habitu non natæ adhuc, quia nondum moritura, niſi prius & nativitas ejus, & mortalitas annunciarentur. Servetus autem adulterinam ſententiam illi affingit his verbis, Jam tunc alloqui, & liberare, & judicare ediſcebat in hominis [1] ſubſtantiali forma vera, non ficta.

1 *In vera Deitatis ſubſtantia.* 2 *Annon ille verus corporalis habitus erat vera ſubſtantialis forma?*

In undecimo loco citando pudendum in modum delirat. Diſputat illic Tertullianus contra hæreticos qui [1] Chriſti animam fingebant in corpus mutatam eſſe: & contendit diverſas eſſe ſubſtantias, ac naturas. Servetus vero in contrariam partem rapitur, ſomnians in ſpirituali Chriſti ſubſtantia corpoream formam. quod nihil eſt aliud quam hæreticis ſubſcribere, quibuſcum Tertullianus depugnat.

1 *Mentiris, imo carnem Chriſti illi negabant.*

Duodecimum locum non minus impudenter, quam perfide corrumpit. Quaſi doceat Tertullianus, Chriſtum hominem, ut ipſe imaginatur, ex Deo [1] eſſe prolatum, & ex Patris ſemine eſſe [2] Filium Dei. Fatemur quidem illic haberi aliquid ſimile: ſed longe diverſo ſenſu: In vulvam, inquit, Virginis, Verbum ſuum detulit Deus. Atque ut ſimplicius reſpondeamus, non competebat ex ſemine humano Dei Filium naſci. Niſi totus eſſet Filius hominis, non eſſet & Dei Filius. Ergo jam [3] Dei Filius ex Patris Dei ſemine, id eſt Spiritu, ut eſſet hominis Filius caro ea ſola, quæ erat ex hominis carne ſumenda ſine viri ſemine. Vacabat enim ſemen viri apud habentem Dei ſemen. Itaque ſicut nondum natus ex Virgine, Patrem Deum habere potuit ſine homine, æque quum de Virgine naſceretur, potuit matrem habere ſine patre homine. Tandem concludit carnem Chriſti ex carne eſſe factam, in qua natus eſt: nempe à matre ſola habere ſubſtantiam ſine ſemine virili. Atqui tanta eſt Serveti improbitas, ut hoc colore fucare velit execrandum ſuum errorem, Quod [4] caro Chriſti conflata ſit ex cæleſti Dei ſubſtantia.

1 *Vere prolatum.* 2 *Vere Filium Dei.* 3 *Memineris Tertulliano idem eſſe Verbum & Spiritum, ut ipſe teſtatur pagina 442. Idem etiam eſt ei Sapientia & Spiritus ſanctus, pagina 369. & 442., quia realem ipſe nunquam agnovit diſtinctionem.* 4 *Caro Chriſti ut erat in ſepulchro, erat vere particeps divinitatis.*

Decimumtertium locum ſine controverſia amplectimur, modo hoc ſimul fixum maneat, Sermonem Dei, qui carne noſtra circumdatus [1] proprie Filius Dei, & Chriſtus vocatur, merito cenſeri æternum Dei Filium, qui ante ſecula [2] ex Patre genitus ſit Sermo.

1 *Chriſtum tu ais eſſe proprie nomen hominis, & Filium nomen Deitatis. Et nunc ſophiſmate quodam ambo confundis.* 2 *Genitus ibi Chriſtus Jeſus, genitus homo corporaliter.*

Decimoquarto loco fruſtra impium, ac profanum ſuum errorem tegere conatur. Illic dicit Tertullianus, animam per carnem fulciri omni ſenſuum inſtrumento. Hinc minime ſequitur [1] animam inſtar carnis mortalem eſſe factam.

1 *Et tu mihi hoc impudentiſſime imponis.*

Locum decimumquintum calumnioſe detorquet, [1] quaſi ſpiritualis Chriſti ſubſtantia ab initio fuerit viſibilis, quum nihil tale velit Tertullianus, & aliud ſonent ejus verba, viſum ſcilicet fuiſſe Patrem in Filio: quia ſe per Sermonem ſuum, quo placuit modo patefecit. Quod receptum eſt omnium ætatum conſenſu.

1 *Tam impudens es, quam ſi negares nivem eſſe albam.*

Reſtat ut pro innumeris aliis teſtimoniis, quæ [1] ventoſus nebulo ſe habere ſimulat, paucos locos citemus: ſed [2] dilucidos, certos, unde genuinum ſcriptoris ſenſum intelligere liceat.

1 O Simonem magum, faſcinatum hominem. 2 Ridiculus mus.

Libro adverſus Praxeam, pag. 421., perſectam nativitatem Sermonis ſtatuit in mundi [1] creatione. & pagina ſequenti, generatum eſſe dicit, [2] quum prodiit ex Deo.

1 Contra te. 2 In creatione.

Eodem libro ratiocinatur Filium ſemper fuiſſe: [1] quia Pater fuit: & [2] diſtinctos eſſe: quia relative inter ſe habeant.

1 In propria perſona & ſubſtantia. 2 Perſonali diſtinctione.

Eodem libro, pag. 425., probamus ex Scripturis Deum Patrem [1] Filium ſibi feciſſe Sermonem ſuum. Si Filium nominat, Filius autem non alius eſt quam qui ex ipſo prodiit: [2] Sermo autem prodiit ex ipſo. Hic ergo erit Filius, non ipſe, de quo prodiit. Non enim ipſe prodiit ex ſemetipſo. Porro, qui eundem Patrem dicis & Filium, eundem & protuliſſe ex ſeipſo facis, & prodiiſſe quod Deus eſt. Quid apertius quæri poteſt ad realem diſtinctionem, probandam.

1 Perſonalem. 2 Viſibilis ex inviſibili. 3 Scilicet.

Eodem libro, pag 426., perſonas ſic realiter diſtinguit. Nam Pſalmum 110. citans, Spiritus, inquit, eſt qui pronunciat, Pater ad quem pronunciat, & [3] Filius de quo pronunciat. Sic & cætera, quæ nunc ad Patrem de Filio, nunc ad Filium de Patre, nunc ad Spiritum pronunciantur, unamquamque perſonam in ſua proprietate conſtituunt. Idem argumentum uſque ad paginam 428. proſequitur.

1 Filius ibi cum Patre confertur, id eſt, Chriſtus cum Deo, ut ibi exponis linea 9. Sunt enim prophetiæ de Chriſto homine.

Eodem lib., pag. 429., quomodo idem Chriſtus viſibilis ſit, & inviſibilis, differit. [1] Viſibilis, inquit, & inviſibilis idem; & quia idem utrumque, ideo & ipſe Pater inviſibilis, quia & Filius viſibilis. Quibus verbis ſignificat inviſibilem fuiſſe Sermonem in ſua eſſentia, diſpenſatione tamen fuiſſe imaginem Dei.

1 Praxeas hoc dicebat, quod improbat Tertullianus. Sed tu nihil intelligis. Quod Verbum etiam fuerit olim viſibile, docui ego facie 96. & 731.

Eodem libro, pag. 435., [1] realis diſtinctio non obſcure aſſeritur his verbis: Indubitanter alius oſtenditur qui fuerit à principio, alius apud quem fuerit. Alius Dei Sermo, alius Dominus, licet & Deus Sermo: ſed quatenus Dei Filius, non quá Pater. [2] Alius per quem omnia, alius à quo omnia.

1 Imo diſpoſitionem ibi vocat lin. 2. 2 Alium ait diſpoſitione.

Eadem pagina uno verbo fulminat contra totam Serveti doctrinam, quum tolerabilius eſſe dicit [1] duos prædicare diviſos, quam unum Deum verſipellem.

1 Quaſi inconveniens id deducitur quum utrumque negatur.

Quod perſonæ nomine [1] interior hypoſtaſis notetur, patet ex pagina 441., ubi dicit Patrem fieri viſibilem in Filio ex [2] virtutibus, non ex perſonæ [3] repræſentatione. Et paulo poſt ſubjicit hoc modo apparere perſonæ utriuſque [4] proprietatem. Et ſeipſum exponit, [5] quod non viſu, ſed ſenſu in Filio videbatur Pater.

1 Et externam & internam ego hypoſtaſin dixi, pag. 75. libri mei. 2 Virtutibus ipſius. 3 Scilicet ſeparata: qualem ibi petebat Philippus, ut ait lin. 13. 4 Et actionis proprietate diſtingui perſonas, ego aperte docui pag. 273. libri mei. 5 Per opera & miracula, ut ibi ait.

Nec aliter ſtabit quod habetur pag. 443. non in unum, (nam neque ſemel, ſed ter ad ſingula nomina tingimur in ſingulas perſonas) niſi conſtet [1] realis diſtinctio.

1 Quis neget à Deo Patre realiter diſtingui Filium?

Eadem pagina oſtendit quam procul abhorreat à Serveti delirio, carnem Chriſti [1] eſſe ex Dei ſubſtantia, quum dicit, Caro Deus non eſt, ut de ea dictum ſit, [2] Vocabitur ſanctum Filius Dei: ſed ille qui in ea natus eſt Deus. Et paulo poſt, initio pag. ſequentis, Igitur Sermo in carne utrumne quaſi transfiguratus in carnem, an indutus carnem? [3] Imo quia indutus. Deum enim immutabilem, & informabilem credi neceſſe eſt, ut & æternum. Transfiguratio autem interemptio eſt priſtini. Omne enim quod transfiguratur in aliud, deſinit eſſe quod fuerat, & incipit eſſe quod non fuerat. Quare conſequens eſt ut ſic caro factus intelligatur, dum fit in carne, & manifeſtatur, & videtur, & contrectatur per carnem. Si enim Sermo ex transfiguratione, & demutatione ſubſtantiæ caro factus eſt, una jam erat ſubſtantia, ex carne & Spiritu mixtura quædam, ut electrum ex auro & argento, & incipit nec aurum eſſe, nec argentum, dum tertium quid efficitur: ex utroque neutrum eſt. Atqui invenimus illum uſquequaque Filium Dei, & Filium hominis, Deum & hominem, ſine dubio ſecundum utramque ſubſtantiam in ſua proprietate diſtantem: quia nec Sermo aliud quam Deus, nec caro aliud quam homo. Tandem concludit: Videmus duplicem ſtatum, non confuſum, ſed conjunctum in una perſona Deum & hominem Jeſum. Quod ſi tertium quid eſſet ex utroque confuſum, ut electrum, non tam diſtincta documenta paterent utriuſque ſubſtantiæ: aut Sermo eſſet mortuus, aut caro mortua non eſſet, ſi Sermo eſſet converſus in carnem.

1 Vere participem. 2 Non ratione carnis, ſed ratione Spiritus convenit ſanctitas: ob idque & ipſum Spiritum ſanctum ait ibi natum, linea ult. 3 Hæc omnia ubique doceo, & nihil ad rem faciunt. 4 Omiſiſti XVII. *Tertulliani locum de divinæ illius facies Chriſti viſione olim & nunc, & qualiter impletum ſit tantum Moſis deſiderium quod habuit eam faciem videndi. Pulcherrimus eſt locus ſi conferas Irenæum, pag* 243.*, cum Tertulliano, pag.* 272. *&* 429.

Non putamus majore [1] congerie opus eſſe: quia ſatis manifeſte, & ſolide hinc convicta eſt hominis vanitas.

1 Non pluribus opus eſt, ut ita præter rem divageris.

Ex Irenæo.

Quum primus locus tantum doceat Jeſum fuiſſe, qui in figura hominis Patribus loquutus eſt: perperam Servetus inde [1] æternum hominis ſpectrum elicit. Quod ex pagina 298. citat, prorſus [2] commentitium eſt.

1 O impudentem. Et quando videbatur, tu ſpectrum ſolum fuiſſe putas? Si non mutabatur Deus, perſiſtebat forma illa divina. 2 Hæc ſunt ibi verba Irenæi, linea 23., Mixtionem & animæ ſpiritus divini factam in Adami carne, quæ eſt plaſmata ſecundum imaginem Dei. Erat igitur ibi imago talis, qualis in carne. Spiritum item ait homini inſitum, quod magus iſte negat.

Locus ſecundus nihil ad præſentem cauſam facit; Quod Abraham repræſentatione doctus fuerit inter homines futurum Dei Filium. Nam ex eo Servetus [1] inſulſe colligit non eſſe Sermonem, niſi repræſentet.

1 Si vel tuam Grammaticam, vel tuam linguam intelligeres, ſcires Sermonis eſſe proprium repræſentare. Ejuſdem ſignificationis ratione proprie apud Gallos dicitur Parolle. *Sed te ita Satanas in omnibus evertit, ut omnibus ſemper abutaris.*

Tertio loco ſimilem impudentiam prodit. Irenæus hominis ignoti ſententiam recitat, quod immenſus Pater fuerit in Filio menſuratus. Servetus unum ex diſcipulis Apoſtolorum fuiſſe [1] divinat. Sed illud leve. In hoc vero ſita eſt improbitas, quod menſuræ vocem, quæ [2] de mundi creatione illic accipitur, ad Chriſti ſubſtantiam transfert. Seipſum enim exponit Irenæus, dicens, Omnia in menſura & ordine facit Deus: & nihil non menſum apud eum: quia

nec incompoſitum. Poſtea ſubjicit, Menſura Patris Filius: quia & capit eum. Quæ vero aſſuit Servetus, propria ſunt ejus [3] commenta.

1 *Ita paſſim illum citat Irenæus, & ubique laudat.* 2 *Mentiris, ſed ab alio ad aliud ibi tranſit Irenæus.* 3 *Imo Irenæi & Tertulliani dicta.*

Quartus locus inepte adducitur, ubi palam [1] docet Irenæus, Patres ſpiritu Prophetico paſſibilem vidiſſe Filium Dei, qui tunc impaſſibilis erat. Hoc vero totum non minus fidei noſtræ conſentaneum eſt, quam figmentis Serveti adverſum.

1 *Impudentiſſime, annon vides ibi agi de viſione rei tunc præſentis, & ibi in conſpectu poſitæ?*

Quinti loci ſolutio jam ante poſita eſt, [1] ubi tertium locum Tertulliani expoſuimus. Nemo enim noſtrum ſic deſipit, ut Chriſtum fuiſſe neget æternam [2] Dei imaginem. Imo aſſerimus [3] imaginem quæ in Deo latebat, in homine refulſiſſe. Serveto autem nulla eſt [4] imago niſi viſibilis.

1 *Judicet cordatus lector, & auctoris mentem bene notet.* 2 *Chimæram invisibilem.* 3 *Quam?* 4 *Propriæ.*

Sextum locum ſuo more ſine pudore depravat. Illic dicit Irenæus rectam fidem eſſe in Deum Patrem, in unum Dei Filium pro noſtra ſalute incarnatum, & in Spiritum ſanctum, qui per Prophetas, eam, quæ ex Virgine eſt, Chriſti generationem, mortem, & reſurrectionem prædixit. Quam [1] nequiter verba mutet iſte corruptor, lectoribus judicandum relinquimus. Adeo autem frivola eſt ejus illatio, ut nobis verius ratiocinari liceat, [2] Irenæum duplicem innuere Chriſti generationem, dum eam, quæ eſt ex Virgine, à Spiritu fuiſſe prædictam diſerte teſtatur.

1 *Mentiris. Idipſum quod tu, & ego dico: ut quid tam nequiter inſurgis?* 2 *Quis hoc neget?*

Septimo loco mentitur negari [1] realem diſtinctionem: quia nihil illic docet Irenæus, niſi totam plenitudinem Deitatis eſſe in Filio & Spiritu, ut conſiſtat eſſentiæ unitas. Cui conſentaneum eſt quod habetur cap. 48. lib. 2. Lib. 1. cap. 19. nihil aliud habetur niſi quod Pater omnia creaverit [2] per Verbum. Hic autem falſarius ſupponit, non feciſſe quaſi per rem aliam. Conſentiunt & alii loci. Nec vero alia eſt noſtra confeſſio quam quæ illic traditur.

1 *Si λόγος ipſe eſt Pater, non realiter differt, pag* 118. 2 *Id eſt, per ipſum, ut ait pag.* 126.

Similis in octavo loco citando corruptela eſt. Negat Irenæus, ubi Scriptura plurali numero Dei meminit, diverſos notari deos, [1] ſed diſpoſitiones quæ in Deo ſunt. Servetus pro deorum varietate ſupponit res diſtinctas. Emiſſiones vero quales Valentinus, & alii fanatici homines fingebant, nemo eſt ſanæ mentis qui non repudiet.

1 *Quales ibi Verbum & Spiritus.*

In nono loco [1] nihil eſt difficultatis. Imo videtur prævaricari Servetus, qui tam fortiter inſiſtit in probanda Chriſti æternitate. Agnoſcimus quidem ejus cavillum, quod Chriſti caro æterna fuerit in idea relucente: ſed quod nullo negotio diluitur. Neque enim aliud ſpectavit Irenæus, quam Chriſtum, qui in carne tandem manifeſtatus eſt, fuiſſe [2] æternum Dei Sermonem, & Deum.

1 *Imaginem veram ille ait viſibilem, tu Chimæram inviſibilem. Nulla hic Calvino difficultas.* 2 *Hypoſtaſi viſibili ſubſiſtentem.*

Decimus locus craſſam [1] Serveti inſcitiam coarguit. In hoc tantum incumbit Irenæus, ut oſtendat communem, adeoque unam eſſe Patris & Filii gloriam. Hic bonus interpres hoc prætextu perſonas miſcet, ut nulla maneat diſtinctio.

1 *Imo impudentiſſimum tuum refugium. Locus eſt apertiſſimus.*

Cæterum, ut cuivis pateat, quantam injuriam faciat Irenæo Servetus, dum ſuis erroribus affinem eſſe fingit, paucos locos notare operæpretium eſt.

Libro tertio, pag. 192., Si non accepit ab homine [1] ſubſtantiam carnis, neque homo factus eſt, neque Filius hominis. Et ſi non eſt factus quod nos eramus, non magnum fecit quod paſſus eſt, & ſuſcitavit. Quoniam autem corpus ſumus de terra acceptum, & [2] anima accipiens à Deo ſpiritum, quicunque confitetur quod hoc factum eſt Verbum Dei ſuum plaſma in ſeipſum recapitulans. [3] Sed quia mutilus eſt locus ille, ſumamus quod dicit lib. 4. pag. 214., [4] Venit ad nos unigenitus Filius ſuum plaſma in ſeipſum recapitulans.

1 *Nihil ad rem: contra magos loquitur, qui carnem Chriſti negabant.* 2 *Hanc animæ Deitatem & tu cum Simone mago negas.* 3. *Alio te confer, tu hic nihil agis.* 4. *Quis hoc neget? Chriſtus ipſe ad nos ita à Deo venit.*

Eodem libro, pag. 216., inſulſum illud commentum de æternitate viſibilis ſubſtantiæ [1] reſellitur, & aſſeritur æterna Filii hypoſtaſis. Verba ſunt, Omnes qui ab initio prophetarunt, revelationem habuerunt à Filio ipſo, qui noviſſimis temporibus [2] viſibilis & paſſibilis factus. Quo etiam pertinet quod dicit eodem lib. 4., circa finem paginæ 239., [3] Adeſt enim Deo ſemper Verbum, & Sapientia Filius, & Spiritus, per quos & in quibus libere omnia fecit.

1 *Mentiris.* 2 *Quia antea delitescebat, & demum apparuit.* 3 *Quis hoc negarit? ſed audi quid ibi dicat, Subſtantiam creaturam fuiſſe in ipſo Deo, quam noſtram Deitatem tu excæcatus ſemper negas cum tuo Simone mago.*

Loci ex fictitio Petro, & larvato Clemente.

Quanquam nemini obſcurum eſt librum illum, qui Clementis nomine excuſus eſt, rhapſodias eſſe ab indocto aliquo monacho male conſarcinatas: nihil tamen inde profert Servetus quod non libenter illi demus. Sed ubi omnia obtinuerit, nihil proficiet. Fatemur Dei Filium ſemper inter Angelos fuiſſe principem, ſummi Prophetæ officio functum, & per omnes ætates latenter [1] ſanctis Patribus adfuiſſe. Jacet nihilominus Serveti cauſa, ut palam appareat hominem communi ſenſu deſtitui, dum ita frigide nugatur.

1 *Viſibili vera forma.*

Sed quum ſibi tantopere in illis rhapſodiis placeat, qua fronte [1] diſſimulat Xiſti epiſtolam, quæ illic inſerta eſt, pag. 76.? de æterna Patris & Filii, & Spiritus unitate. Sequitur etiam paulo poſt epiſtola Hyginii, pag. 60, qua æterna Filii generatio aſſeritur, quam probris quibuſcunque poteſt Servetus exagitat. Additur epiſtola Soteri, pag. 63., Quod Chriſtus ſecundum carnem factus ſit hominis Filius, ſecundum Divinitatem à Patre ſit genitus. Quo evertitur impius Serveti error [2] de confuſa Chriſti genitura. In epiſtola Eutychiani, pag. 78. & 79, aſſeritur communicatio idiomatum, cui adeo infenſus eſt Servetus, ut dicat mali dæmonis afflatu de charactere, beſtiæ ſumptam eſſe, Epiſtola nona ad Calvinum, pag 602.

1 *Ego Petri dicta ibi obſervo, non aliorum: quanquam & illa recipere poſſim.* 2 *Mentiris.* 3 *Ego in Apologia, pag 703., inter Verbum & hominem idiomata communicari dico, ſine veſtris illuſionibus.*

Miramur etiam quo conſilio nunc Ignatium ſepeliat, quem hactenus tam ſuperciliose [1] patronum aſcivit. At ille, quiſquis ſit, Epiſtola ad Magneſianos, pag. 22., [2] Chriſtum à Patre ante ſecula genitum fuiſſe [3] prædicat. Idem ad Philip. pag. 31., docet ad Chriſtum referri debere illud Solomonis, quatenus eſt Deus Sermo, Quod eſt nomen ejus, [4] vel nomen Filii ejus? Idem ad Smyrnenſes, pag. 51., teſtatur [1] unigenitum Filium eſſe Verbum Deum: ex genere autem David ſecundum carnem eſſe Filium Virginis. Idem ad Epheſios, pag. 74., Habemus medium Jeſum Chriſtum, qui ante ſecula [4] Filius unigenitus, & in principio Verbum: poſtea vero & homo ex Maria virgine, incorporalis in corpore, impaſſibilis in corpore paſſibili, immortalis in corpore

pore mortali. Apertior certe diſtinctio inter duas Chriſti naturas exprimi non potuit: quas ſic [1] confuſe miſcet Servetus, ut [2] carnem faciat Deum, & Verbum neget [3] hypoſtaſin habuiſſe à Patre diſtinctam.

1 *Ex ipſo plurima citavi & in Apologia & alibi.* 2 *Hominem.* 3 *Et ego.* 4 *Niſi eſſes cæcus, contra te id facere videres.* 5 *Chriſtum ait.* 6 *Homo in forma Dei.* 7 *Mentiris. Formam in Chriſto nec confuſam, nec alteratam, nec mutatam apertiſſime doceo, pag.* 201. *& in Epiſtola tua* 6. *pag.* 590. 8 *Participem.* 9 *Mentiris.*

Brevis Cavillationum Refutatio, quibus Servetus errores ſibi à nobis objectos diluere tentavit.

Timuit forte ne Judices neſcirent quam facundus eſſet, ac protervus convitiator, niſi Calvinum initio vocaret [1] homicidam, & multa ſubinde probra in in eum evomeret. Nos autem de rebus ipſis ſimpliciter agemus.

1 *Vere, & Simonis magi ſectatorem. Nega te homicidam, & actu probabo. Simonem magum te negare non audes. Quis tibi igitur fidem adhibeat, & te bonam arborem credat? In cauſa tam juſta ſum conſtans, & mortem nihil formido.*

Præciſe à Serveto [1] rejectum ſemper fuiſſe nomen Trinitatis quaſi ſacrilegum & deteſtabile, ex omnibus ejus libris [2] conſtat. Nunc autem in perſonali diſtinctione fucum facit. Nam, ut poſtea videbimus, perſona illi nihil aliud eſt quam [3] Dei transfiguratio. Omne vero [4] diſcrimen Verbi & Spiritus palam abolet, eundem affirmans eſſe Spiritum cum Verbo. Nihil ergo excuſationis admittit, nec quicquam veniæ [5] meretur prodigioſum illud blaſphemiarum chaos: quod lectores in locis à nobis citatis reperient.

1 *Mentiris. Trinitatem ego voco, & doceo, pag.* 22. *veriſſimam Trinitatem, pag.* 24. *& pag.* 273. *&* 704. 705. *& ſeq.* 2 *Mentiris.* 3 *Imo hypoſtatica forma.* 4 *Reale diſcrimen tollo, non perſonale.* 5 *Detur ergo venia Simoni mago.*

Quia ſilentio præterit quæ nos gravi reprehenſione digna cenſemus, judicium ex lectione ipſa fiat. Nec eſt quod excuſet, hodieque quoque jactare Turcas obſtaculo ſibi eſſe Trinitatem: quia non protinus ſequitur Mahometo [1] juſtam fuiſſe apoſtaſiæ cauſam. Quod vero in una Dei eſſentia inviſibiles & arcanas hypoſtaſes tam [2] ſuperbe repudiat, jam breviter [3] oſtendimus cum tota pietatis doctrina pugnare. Niſi enim fuiſſet realis inter Deum Patrem & Verbum diſtinctio, non potuit [4] Verbum in carnem deſcendere quin ſimul [5] Pater homo fieret. Quiſquis ergo realem diſtinctionem Patris & Filii [6] confundit, Patrem è cæleſti ſolio detractum ad crucem rapit. Et Paulus non dicit Chriſtum fuiſſe Dei formam: quod Serveti figmento congruet: ſed in [7] forma Dei fuiſſe. Si ante ſuſceptam carnem erat [8] in forma Dei, realem hypoſtaſin illi eripere fas non eſt, quæ formam hanc in ſe ſuſtineret. alioqui evanida eſſet [9] forma ſine ſubjecto. Et abſurda eſſet triplex nominis invocatio in Baptiſmo, niſi realiter differrent [10] Pater, [11] Filius, & Spiritus. Proprium & ſeparatum ſingulis tribuitur nomen. [12] Niſi rem agnoſcimus in Filio & Spiritu, ſequetur Baptiſmum inani nullius rei nomine quoad Patrem & Filium, luſorie conſecrari. Nec [13] moramur Serveti effugium, quod realiter in carne diſtincta ſit à Patre Filii perſona. Nam hinc illa [14] naſcitur diſtinctio, quod Chriſti caro Deus eſt. Atqui [15] longe alia Deitas, nempe æterna, nobis intelligenda eſt. Deinde in [16] Spiritus perſona conſtrictus ſemper tenetur, quod quum inviſibilis ſit ejus ſubſtantia, nomen tamen diſtinctum propriæ virtutis ratione habeat.

1 *Juſtam tu ſolus fingis impoſtor.* 2 *Realem in Deo diſtinctionem ego repudio.* 3 *Mentiris.* 4 *Ignoras miſer, tanti arcani diſpenſationem.* 5 *Perſona Verbi eſt homo.* 6 *Tu ſolus confuſas.* 7 *Idem eſt: ſophiſticis ſolis rationibus agis abſque Scripturis, & ex falſis fundamentis.* 8 *Si erat in forma Dei, formalis erat diſtinctio. contra teipſum loqueris.* 9 *Fabulæ: quaſi in Deo ſint talia accidentia & ſubjecta.* 10 *Deus.* 11 *Homo.* 12 *Furiis agitatur.* 13 *Filium proprie de homine dici contendo, at Chriſtum, at Jeſum.* 14 *Mentiris.* 15 *Blaſphemia tuis hæc eſt.* 16 *Spiritus perſona perceptibiliter ſubſiſtit, ut Verbi perſona viſibiliter. Ita doces pagina* 163. 164. 704. 705. *&c.*

Si [1] interne Filii in Deo ſubſiſtentiam profeſſus ſemper foret, non turbaſſet Eccleſiam de reali diſtinctione. Nam vel [2] inane ſpectrum eſt ſubſtantia, vel res aliqua. Si interne fatetur ſubſtitiſſe in Deo Filium, [3] realiter hunc ab illo diſtinguet. In verbis noſtris [4] nihil eſt repugnantiæ: ſed prius cælum terræ miſcebit, quam conciliet quæ ſimul concervat figmenta: nullam ſcilicet perſonam eſſe niſi viſibilem, & [5] interne fuiſſe in Deo Filii perſonam: fuiſſe ab initio hypoſtaſin Filii, & non fuiſſe niſi figurativum filium: fuiſſe ſubſtantiam Chriſti futuri in nube, & columna ignis, & ex elementis increatis fuiſſe in matris utero conflatum. Quare merito conquetimur ipſum dogmatum ſuorum impietatem fucoſe tegere, dum perſonæ nomen opponit, [6] non intelligens hypoſtaſin aliquam quæ apud Deum intus reſideat: ſed effigiem, vultum, & repræſentationem. In ſua reſponſione palam omnem [7] diſtinctionem Filii & Spiritus evertit, ac plenis buccis [8] Sabellium ſpirat. Unde apparet quicquid prius de Trinitate, & perſonis confeſſus eſt, mera ſimulatione fuiſſe implicitum. Nam ſi ex animo tres eſſe in Deo perſonas conceſſit, [9] forma ſaltem, & diſpenſatione oportuit Verbum à Spiritu diſtingui. Atqui contendit ipſammet [10] Sapientiam eſſe Spiritum, acſi diceret, Ipſummet [11] Spiritum fuiſſe crucifixum, & reſurrexiſſe à mortuis. Verum longe aliter Paulus, qui prædicat Chriſtum [12] excitatum eſſe ex morte à Spiritu Dei, Romanorum 8. Et alibi docet [13] Chriſtum fuiſſe declaratum Filium Dei in potentia per Spiritum ſanctificationis. Romanorum 1. Ad hunc errorem tutandum teſtimoniis, quæ citat, [14] inſcite, vel maligne abutitur. Irenæus & Tertullianus interdum Spiritum cum Verbo [15] improprie miſcent, quia Spiritus in uterum Virginis delapſus virilis ſeminis vicem ſupplevit. Jam Sapientiæ nomen non ſemper hypoſtatice ſumi fatemur: ſed pro ſpeciali Spiritus dono. Sicuti quum Sermonis fit mentio, ſæpius intelligitur Sermo prædicatus, quam interior ille qui ſemper apud Deum fuit. Atqui Servetus Verbum polyſemon eodem ſenſu [16] ubique arripiens, hallucinationis ſuæ pœnam infligere non dubitat.

1 *Internam ego hypoſtaſin dico, pag.* 704. 705. *& alibi paſſim.* 2 *Subſiſtentia vera interne de ipſa Deo formata.* 3 *Non ſequitur.* 4 *Monſtrum horrendum.* 5 *Eadem quæ intus erat, eſt externe exhibita viſibilis.* 6 *Tu teipſum non intelligis, & clamas ut cæcus per deſerta: quum ſit tibi in corde tam ardens vindictæ ſpiritus, in malevolam tuam animam non intrat ſapientia.* 7 *Realiter.* 8 *Mentiris.* 9 *Hoc millies à me dictum.* 10 *Hoc priori non contradicit: & ita Tertullianus, pag* 369. 422. 442. 11 *Deliras, homo eſt vere crucifixus.* 12 *Nihil contra nos.* 13 *Hominem.* 14 *Tu abuteris, nihil intelligens.* 15 *Solus Calvinus proprie loquitur ut Simon magus.* 16 *Mentiris.*

Mira certe hominis arrogantia, quod quum ſibi permittat [1] alium Deum dicere pro alio Deitatis modo, ſic in omnes pios truculente invehitur, qui auſi ſunt in Deo uno tres reales perſonas dicere. Sed quid ſibi vult hic novus Deitatis modus? Ipſe alium Deitatis perſonam interpretatur eodem loco. Unde colligitur [2] nullam fuiſſe Spiritus perſonam, donec repente à Chriſti reſurrectione emerſit. Quare [3] duplex error eſt, quod Spiritui ſancto [4] initium

Digitized by Google

perſonæ ab illo tempore aſſignat, & perſonæ reſpectu alterum [1] Deum ſtatuit.

1 *Et tu nebulo aliam Deitatem dicere non erubeſcis. Sed tibi omnia impune licent. Adde caſtigationem quam loco eodem adjeci.* 2. *Mentiris.* 3 *Mentiris.* 4. *Mentiris.* 5 *Nihil tale.*

Tametſi invidiam fugitans, aliqua ex parte ſuos errores hic [1] retractat: hæc tamen expoſitio nullo modo eſt tolerabilis. Nam ſi ex Deo [2] naturaliter eſt homo Chriſtus, & ex Dei ſubſtantia genitus quatenus homo eſt, [3] ſequetur non eſſe illi nobiſcum humanæ naturæ ſocietatem. Atqui hæc blaſphemia, in qua ſibi tam benigne indulget Servetus, totam ſpem redemptionis funditus [4] evertit. Dogmatis falſitas clare Apoſtoli teſtimonio refellitur, quum affirmat excepto peccato [5] nobis per omnia fuiſſe ſimilem. Sed totam redemptionem à radice evelli dico, niſi vera humanæ naturæ ſimilitudo nobis cum Filio Dei [6] conſtet. Quomodo enim ſtaret illud Pauli, Per obedientiam hominis unius juſtos conſtitui multos: niſi [7] in eadem natura expiatum eſſet peccatum? Ubi ſympathia quam in Mediatore neceſſariam eſſe Apoſtolus docet, ſi [8] tollatur naturæ ſimilitudo? Ubi [9] fraternitas, ſi carnis originem Chriſtus è cælo traxerit, quæ nobis ex terra manat? Ubi ſpes reſurrectionis, niſi Chriſtus mortale & caducum corpus, ac noſtro ſimile ſemel induiſſet? Videmus ergo quam [10] exitiale ſit hoc commentum, quod vinculum noſtræ cum Chriſto unitatis quoad humanæ naturæ communionem, ſcindens, ac lacerans, nos ab ejus vita ſeparat, Cæterum, longe aliter eum ſcripſiſſe, quam nunc [11] ſimulet, ex locis citatis [12] patet, ac paulo poſt ex aliis [13] patebit. Nam paſſim debacchatur in eos omnes qui Sermonem ab æterno genitum fuiſſe [14] credunt, quum genitura ſecundum ipſum nonniſi à carne [15] principium habuerit. Videantur loci.

1 *Mentiris, idipſum eiſdem verbis dixeram, pag. 56. 207. & in primis epiſtolis.* 2 *Naturali generatione.* 3 *Fabulæ: quaſi Deitatis participatio tollat humanæ naturæ ſocietatem. Indigna hæc quæ coram doctis proponantur.* 4 *Mentiris.* 5 *Accepiſſe omnia nobis ſimilia.* 6 *Conſtat vere.* 7 *Quid? an Deitatis expertet?* 8 *Deitatis poſitio nihil horum tollit. obſecro te ne tam frivole torqueas.* 10 *Exitiali ſpiritu tu cum Simone mago in carnem Chriſti ſtomacharis, quaſi non ſuam illa in ſepulchro habuerit divinitatem.* 11 *Mentiris.* 12 *Scilicet.* 13 *Mentiris.* 14. *Mentiris, imo ab æterno.*

Scitur quibus olim ſtrophis involvere ſua dicta [1] hæretici ſoliti fuerint: partim ut apertam veritatis confeſſionem effugerent: partim ut colore aliquo prætexerent quod perverſe dixerant. Inexcuſabilis eſt Serveti error, Quod [2] anima Chriſti ſit Deus, & caro Chriſti ſit Deus, ſicut ipſe Chriſtus eſt Deus: carnem Chriſti eſſe de cælo, & de ſubſtantia Dei. Duas enim naturas [3] confundit. Imo veram humanitatem [4] redigit in nihilum: Adde quod Deitatem quandam paſſibilem fabricat. Denique omnia [5] permiſcet. Tot monſtra uno verbo excuſat, Quod Verbum ſit caro unione hypoſtatica. Atqui non eſt hypoſtatica unio, quum [6] ipſa humanitas è cælo dicitur veniſſe. Et expoſitio ad quam nos ablegat, iſtas tergiverſationes præcidit. Sic enim ipſe loquitur, pag. 232., Quod anima Chriſti in propria Divinitatis eſſentia totam mundi animationem ab æterno ſpiret: caro autem de ſubſtantia Dei genita habeat eſſentiam Deitatis. Interim nos vocat miſeros, & mendicos, qui reprehenſionum anſas ex ignorantia primæ veritatis captemus. [7] Prima autem veritas illi eſt, inter duas Chriſti naturas non diſtinguere.

1 *Hæreticus hic Simon magus ſemper in carnem Chriſti ſpirat odia.* 2. *Annon in anima Chriſti ſeparata erat hypoſtatica Verbi unio eam deificans? Lege quod ſcripſi pag. 270.* 3 *Mentiris.* 4 *Mentiris.* 5 *Mentiris.* 6 *Ipſa caro divina. Si ipſe ſanguis dicitur ſanguis Dei, Actor. 20., & caro dicetur caro Dei. panis Dei dicitur, Joan. 6. & de cælo.* 7 *Prima veritas & fides juſtificans, eſt certo credere hunc hominem eſſe natura Filium Dei. Sed tu in cognitione Simonis magi juſtificatum te putas.*

Eadem arrogantia nobis caninum latratum hic exprobrat: quum tamen ne verbulum quidem de noſtro protulerimus. Quærit an nos non pudeat tanta hic referre, & nihil improbare. Nos [1] vero Senatus mandato defuncti ſumus. Nec vero, ſi quid modeſtiæ haberet, debuit illi moleſta eſſe defenſionis libertas quæ dabatur. Quum dixerit eſſentiam corporis & animæ Chriſti eſſe Verbi & Spiritus Deitatem, & Chriſtum [2] ratione corporis & animæ eſſe ab initio, an erat tam fœdi erroris improbatio difficilis? Niſi enim reperiatur in carne & anima Chriſti vera humanitas, & [3] noſtræ ſimilis excepta corruptione, Mediator eſſe deſinet: [4] quia homo non erit. Nihilo plus negotii erit in refellendo illo delirio, Quod Deus erat Verbum & Spiritus, Verbum & Spiritum in corpus, & animam varie diſpenſans. Neque enim obſcure transmutationem Deitatis in humanam Chriſti naturam [6] aſſerit. Quod eſt Chriſtum prorſus à nobis divellere. ubi enim fraterna conjunctio, [7] ſi ejuſdem naturæ non ſumus conſortes, ſed arcana infuſione ex Verbo & Spiritu ab initio confectus fuit homo ille qui futurus erat [8] Redemptor? Deinde quod [9] corpus crucifixum fuit, & quæ anima extremæ triſtitiæ, & mortis doloribus ſubjecta? quum utriuſque eſſentia nihil aliud ſit, teſte Serveto, niſi Verbi & Spiritus diſpenſatio, vel infuſio in novam formam? Sed quemadmodum Paulus dicit, [10] hæreticum hominem, qui monitus non reſipiſcit, à ſeipſo eſſe reprobum: ita errores ipſi ſine diſputatione ſeipſos conficiunt.

1 *Ita fingis. Senatus permiſit tibi accuſatori avido, ut contra ſcriberes.* 2. *Ratione Deitatis quæ in corpore eſt ſimul & anima.* 3 *Et ſimilis eſt, & Deitatem habens.* 4. *Rem inviſibilem ais eſſe hominem, & ipſum hominem non eſſe hominem.* 5 *Communicationem vocas tu transformationem.* 6 *Mentiris.* 7 *Jam pudet toties reſpondere beſtialitati hominis.* 8 *Utriuſque naturæ.* 9 *Verum corpus in quo Deus habitabat, ut ait Ignatius, pag. 12.* 10 *Qualis eſt Simon magus.*

Clamat inique ſecum agi: quandoquidem non ita loquutus eſt. Atqui poſtquam quæſtionem movit, An homo Chriſtus dicatur Sapientia, & virtus Dei: ſubjicit de abſtractis nominibus magnam eſſe Scotiſtis difficultatem, ſed Hebræis nullam: quia tritum ſit apud eos vocari Dei [1] quicquid eſt excellens. Nunc expendant lectores an illa vulgaris loquutio conveniat. Qualis enim Chriſti Deitas, ſi tantum [2] excellentia cenſetur?

1 *Ita à minori ad majus viam parabam.* 2. *Annon & ibi ſublimiora de Chriſti Deitate ſequuntur?*

[1] De prima parte aliquid jam ſupra attigimus, hominis Chriſti perſonam in Deo ſumi pro [2] figuratione: ſubſtantiam [3] pro conflatura illa quæ ab eo vocatur Dei in carnem diſpenſatio. Tales præſtigias quum ſolo nutu probare nobis velit, cur iraſcitur ſi [4] Deo potius credimus? Secundum membrum modis omnibus abſurdum eſt. exponit quomodo Chriſtus duas habeat perſonas, [5] quia in eo vere eſt Spiritus, qui etiam perſona eſt. Atqui excipere licebit, Quia in eo eſt vere Pater, ſicuti ipſe pronunciat, [6] tres habere perſonas. Ita elabi non poteſt quin omnia [7] pietatis principia corruperit.

1 *Joannes dicit ſe vidiſſe id quod ab initio eſt. Quid illud eſt?* 2. *Figurationem vocat Irenæus pag. 217.* 3. *Novas voces tuo mendacio mihi imponis: tuæ igitur ſunt præſtigiæ.* 4. *Nihil ex Deo tu citas.* 5 *Negas tu Chriſtum eſſe vere Spiritu ſancto unctum?* 6 *In Chriſto dico eſſe Deum, qui eſt tres perſonæ.* 7 *Sophiſmata ab hominibus conficta vocas pietatis principia.*

Quum nihil ad rem in ſua reſponſione afferat, tantum ad conſideranda ejus dicta oculos aperiant lectores. Nam ſi [1] Verbum fuit ſemen Chriſti, &

res

res alia à Filio, concidit illud, Verbum carnem eſſe factum. Nunc [2] cauſatur uno in loco ſe Verbum [3] poſuiſſe pro voce Patris. Atqui ſutile eſt cavillum. Toto enim contextu probandum ſumit, quod Sermo aliud ſit quam [4] Filius. Et hoc ſatis aperte declarat, quum dicit in mundi creatione prolatum fuiſſe Sermonem, Chriſti gratia. Et alibi [5] rorem fuiſſe naturalis genituræ. Item, Chriſtum fuiſſe genitum per Sermonem. Quum hæc omnia contumaciter vera eſſe defendat, palam eſt ab eo [6] labefactari redemptionis noſtræ myſterium: quia [7] evaneſcet illud Joannis, [8] Verbum caro factum eſt.

1 *Jeſaiæ 45. 55. & Pſal. 71. dicitur Verbum ros, nubes, pluvia germinare faciens Chriſtum. Semen expoſui, Deitas agens vice ſeminis, pag. 201.* 2 *Mentiris.* 3 *Non ego, ſed Joannes ipſe, ibi citatus, 1 Joannis 5.* 4 *Homo.* 5 *Ita David & Jeſaias.* 6 *Mentiris: ego tua figmenta labefacto.* 7 *Mentiris.* 8 *Vide pag. 266.*

Fatemur quidem in formanda Chriſti carne, Spiritus virtutem fuiſſe loco ſeminis, Sed hoc nihil ad phantaſma Serveti, Quod Verbum fuerit ſemen generationis.

1 *Eam ipſam ait Irenæus Verbi virtutem, & Verbum fuiſſe commixtum ſuo plaſmati. pag. 263. linea 1. Ita Tertullianus ſemen vocat Verbum ipſum: ſimul & Spiritum. pag. 29. & 442.*

Hinc perſpicitur quam cæca ſit ejus obſtinatio. Tota Scriptura clamat Chriſtum eſſe [1] ſemen Abrahæ, & filium Davidis. Servetus carnem ejus ex quatuor elementis conflat, [2] quorum tria fingit increata, ut paulo poſt videbimus. Ita alienus erit Chriſtus Serveti ab eo, qui olim in Lege & Prophetis [3] promiſſus eſt. Jam in ejus dictis implicita eſt deformis utriuſque naturæ confuſio. Nam hypoſtaſin unam vult commixtam eſſe ex Deo & homine: quia in unam eſſentiam [4] coaluerint.

1 *Et ſemen Dei, Malachiæ 2. & germen Dei, Jeſa 4.* 2 *Elementa creata quatuor in eo dico ſicut in nobis: ſed ei addo Verbi ſubſtantiam, quam exemplarem fuiſſe dico, vim in eo exprimentem trium ſuperiorum ut roris cæleſtis. vide pag. 120. & 256. Myſteria magna ſunt hæc Simoni mago incognita.* 3 *Talis erat promiſſus, qui ex Verbi rore cæleſti germinaret, ut pag. 120. & 256.* 4 *Ut anima & caro ſine confuſione. Si ſubſtantialis fuit unio, una inde ſubſtantia reſultat.*

Nihil [1] falſo à nobis citatum eſt, ſicuti pro ſolita ſua improbitate nos inſimulat. Contendit enim ſic locum Apoſtoli exponi debere, Quod Chriſtus à morte liberaturus humanum genus, quaſi in ſuum gremium [2] aſſumpſerit. Et huc [3] perperam detorquet octo vel novem Scripturæ teſtimonia, ne [4] fateri cogatur Chriſtum eſſe ex ſemine Abrahæ.

1 *Emendatus fuit poſtea numerus.* 2 *Et quotidie aſſumit: nam verbum eſt præſentis temporis.* 3 *Mentiris.* 4 *Nebulo peſſime, an id ego unquam negavi?*

Si [1] metaphora Servetum hic excuſet, nihil erit in religione quod non eludere liceat: fatetur perſonam Filii, poſtquam homo factus eſt, realiter à Patre eſſe diſtinctam. Illum Scriptura unicum prædicat, [2] Servetus Spiritum illi adjungit, quaſi ſecundo genitum. Quid ſalvum amplius nobis manebit in Scriptura? Mutua enim relatio poſtulat, ſi Chriſtus unigenitus eſt Dei Filius, ne alterius cujuſpiam Deus ſit naturalis Pater. Adde quod nominatim illic Verbum & Sapientiam cum Spiritu comparat. Eadem, inquit, figura vocatur [4] Pater Verbi.

1 *Quia Chriſtus ait ex Spiritu naſci Spiritum, Joannis 3. Spiritum ſanctum naſci ex Deo docuit Athanaſius, ut citavi pagina 41. Idipſum docet Tertullianus, pag. 443. linea ultima.* 2 *Mentiris, quia non pari ratione.* 3 *Vere.* 4 *Si ſine hominis perſona Verbum intelligas. Nebulo iſte ſententias meas truncat, ut per fas & nefas mihi imponat.*

Quando jam liquido [1] oſtendimus ipſum nunquam intellexiſſe quid veteres ſentirent, vel [2] perfide ipſorum teſtimonio abuti, reſtat ut illuſionem ejus obſervent lectores. Prius confeſſus eſt Trinitatem ſancte credi, modo ne inviſibiles [3] perſonæ credantur, Articulo primo. Nunc quum [4] unam tantum perſonam relinquat, neget ſe verſipellem eſſe, ſi poteſt.

1 *Mentiris.* 2 *Tu ſolus perfide ipſis abuſus es.* 3 *Tres res ſeu realiter diſtinctæ.* 4 *Mentiris nebulo, ſed in hominis creatione unam dixi perſonalem imaginem, & viſibilem faciem, ad cujus imaginem eſt caro Adæ formata. Hoc non tollit Spiritum ſanctum ſuo modo dici perſonam, ac etiam Patrem. Itane ſemper eris ſycophanta?*

Quum reſponſio Serveti cum hac exceptione dicat corpus Chriſti ſimile eſſe noſtro, ut ſciamus ipſum eſſe Divinitatis particeps, incogitantiæ damnandus erit Apoſtolus, cui tantum in mentem venit peccatum excipere. Per omnia reſtatur [1] Chriſtum nobis fuiſſe ſimilem in natura humana, excepto peccato. Ingerit ſe ex oppoſito Servetus, & diſcrimen longe majus obtrudit, quod Chriſti corpus ex tribus elementis increatis compoſitum fuerit, [2] à matre nonniſi quartam habeat portionem, quæ etiam ipſa in Deitatem [3] converſa eſt. Atqui longe etiam aliter Paulus, qui ſecundum carnem affirmat Chriſtum eſſe filium Davidis, & ex Patribus deſcendiſſe, 1. & 9. ad Romanos capite. Non particulam carnis illic nominat, ſed [4] carnem in ſolidum, cujus reſpectu Chriſtus ſit Davidis filius. Ubi etiam Deitatem palam à carne diſcernit, docetque Chriſtum eſſe Dei Filium, quod aliquid majus carne habeat.

1 *Quod ad hominis proprietates attinet. Tam futilis eſt objectio ut ſi micam frontis haberet Calvinus, puderet eum toties repetere. Dic nebulo, An erat Chriſtus nobis ſimilis in Deitate? Detur humanitas Chriſti ut tu vis pura creatura: adhuc eſt illa nobis diſſimilis in hoc quod à præſente ſibi ipſa Deitate illuſtratur.* 2 *Mentiris ſycophanta imperitiſſime. nam quatuor omnia elementa creata ei à matre tribuo. lege quæ ad 15. articulum nunc ſcripſi. Hic ipſe articulus 19. à te ſcriptus te falſarium oſtendit.* 3 *Mentiris.* 4 *Tota caro, quicquid à Deitate ſecernitur, eſt ex ſemine Davidis. Rumpitur magus iſte quod Deitatis participem faciam Chriſti carnem, quæ de Spiritu ſancto genita eſt.*

In Poëtarum fabulis nulla metamorphoſis [1] tam ridicula quam iſta in verbis Serveti, quod humanam materiam in Deum transformaverit Spiritus ſanctus: quia [2] glorificata fuerit Chriſti humanitas. Atqui longe diſtat [3] qualitas à materia.

1 *Ridicule magus agit cum carne Chriſti.* 2 *Glorificatio dicitur transformatio, Matth. 17. & Philipp. 3. vide Dialogum 2. pag. 270. & 271.* 3 *Qualitatem nebulo ais Chriſti gloriam? Imo ſubſtantialis eſt lux divina.*

Judicent lectores numquid excuſationis admittant ſententiæ quas [1] damnavimus. Et tamen [2] elementa rerum nos neſcire clamat Servetus, quia non concedimus ex Spiritu ſancto, & anima humana extitiſſe Chriſti animam. Fatemur uniri corpori animam, ut ſimul hominem efficiant, modo ſingulis maneat ſua proprietas: [3] ſed longe aliud eſt unio, quam ſubſtantialis unitas.

1 *Sicut damnaſti Aſtrologiam, quam nec à limine unquam ſalutaſti. Hæc eſt impudentia tua judicare quæ neſcias.* 2 *Vere, ſed ſolam Grammaticam.* 3 *Ubicunque eſt ſubſtantialis unio, ibi eſt unitas: ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus.*

Superbe ridet quod nobis abſurdum videatur, Chriſtum non debere cenſeri creaturam, [1] quatenus homo eſt. Sed hinc ejus ſecuritas, quod humanam naturam Chriſto [2] non tribuit, ſed [3] fabricat ſibi inane phantaſma, ut eum à nobis divellat, ne ſit os ex oſſibus noſtris, & caro ex carne noſtra, [4] noſque viciſſim caro ejus ſimus.

1 *Hoc de tuo adjicis, impoſtor.* 2 *Mentiris.* 3 *Mentiris.*

tiris. 4 Imo vere participes carnis & oſſiam ejus, Epheſ. 5.

Quando ſine difficultate tranſilit Servetus quod [1] primis Scripturæ elementis palam repugnat, eo turpius ſuum ſtuporem prodit. Si immediate & corporaliter communicata fuit Chriſto Patris Deitas, [2] ſequitur ipſum non prius fuiſſe Deum, quam humo extiterit. Nam adverbium immediate, ideo poſuit, ut æternam Verbi hypoſtaſin [3] tolleret. Ad hæc, reputent lectores qualis ſit Chriſti Deitas, [4] ſi eam nobiſcum habeat communem.

1 Quæ ta omnia ignorae. 2 Ab angalo ad parietem. 3 Mentiris. 4 Ipſa natura Deus nobis ex gratia ſuam gloriam communicat.

Quicquid prætexat Servetus, abſurda eſt, & [1] minime ferenda comparatio. Quid enim affine habet Verbi deſcenſus in carnem cum Spiritus ſancti deſcenſu in animas, niſi quod Servetus [2] mutuatitiam ſolum Deitatem Chriſto tribuit, ut nos pariter cum ipſa faciat deos? Atque illic ſeipſum exponit, quod ſcilicet elementaris ſit, & [3] divina Spiritus ſubſtantia quæ in nos diffunditur: ſicut elementaris, & divina fuit corporis Chriſti ſubſtantia. [4] Expendant diligenter lectores, & clare agnoſcent ſub Chriſti nomine Servetum imaginari phantaſma.

1 Sunt ibi analogiæ variæ etiam ſtirpium & vermium. 2 Imo naturalem. 3 Elementari Spiritai Chriſti communicata. 4 Expendant te magum, phantaſma abſque veritate aliqua.

Utinam [1] intelligeret Servetus quid ſit hypoſtaſis. Quum tamen inicite balbutiat de rebus ignotis, ratione, & judicio privat quicunque ejus deliriis non ſubſcribunt. Primo, [2] ideam nobis ponit pro Dei Sermone, qui Deus erat apud Deum. Deinde, Sermonem facit relucentiam, ut ſit viſibile [3] ſpectrum, non res intus ſubſiſtens. Tertio, [4] Λόγον dicit Spiritum Chriſti. Unde ſequitur Spiritum carnem eſſe factum. Ita Chriſtus non erit Sermo Dei manifeſtatus in carne: ſed Spiritus ſanctus homo factus. Quarto, Sermonem dicit [5] fuiſſe lucem Sermonis. qua definitione [6] tollitur ſubſtantia.

1 Utinam & ta. 2 Et Auguſtinus, & Clemens Alexandrinus, & alii ita vocant, ut citavi pag. 140. & 141. 3 Mentiris. 4 Λόγον ibi dico, & Spiritum ibi dico, ſed non omnino idem, quam duæ ſemper fuerint hypoſtaſes. 5 Lucem Chriſti dixi, & ta hic Sermonem mentiris. 6 An lux Dei ſubſtantia?

Perceptibilem facit hypoſtaſin Spiritus, licet viſibilis non ſit: [1] dicat quo ſenſu fuerit percepta. Et tamen meminiſſe debuit quam violenter flagellat [2] pios omnes, qui ab intuitu, & figura [3] perſonam ſeparant. Secum ergo manifeſte [4] diſſidet, ut jam prius viſum eſt. Ac ſecundus locus impudentiam ejus clarius convincit, ubi dicit [5] umbram Spiritus in mundi creatione fuiſſe: niſi fateri velit [6] hypoſtaſin nihil aliud eſſe quam umbram.

1 Id jam expoſui pag. 198., lege ſi velis. 2 Pietas eſt errorem docere, ſed non criminaliter accuſare. 3 Contra vim vocabali. 4 In quo? 5 Quia non tam lucide tunc illuſtrabat. Lege pag. 191. 192. 196. & 265. Me omnia explicuiſſe noſti, & contra conſcientiam agis. 6 Nugaris.

Ergo victoria Serveti in convitiis erit. Quæritur enim quomodo Chriſtum intelligat æternum eſſe Deum. Hæc eſt ejus definitio, Æternum fuiſſe Chriſtum, ſicuti res alias omnes. [1] quamvis ordine primum eſſe Chriſtum dicat. Ad tam ſacrilegam vocem quum omnes piæ mentes exhorreant, uno verbo dicit Servetus omnia bene habere. Hic animadvertant lectores quid ei ſignificet perſona, idea, & hypoſtaſis: nempe [2] imaginariam quandam æternitatem quæ [3] Chriſto & lapidibus ſit communis. Nec vero expoſitione indiget quod ſubjicit, Deus æterna ſua ratione Filium ſibi viſibilem decernens, hoc modo [4] viſibilem ſe exhibuit. Hæc igitur erit Chriſti Deitas, quod æternu Dei decreto [5] Filius eſt ordinatus.

1 Qui ſolus erat figura ſubſtantiæ Dei, ſplendorque viſibilis gloriæ: hæc verba ibi ſunt adjecta, quæ tu perfide omiſiſti, ut ſententia mea videretur exoſa. 2 Imo ſubſtantiam vere formalem. 3 Nihil tale. 4 Qualem ante hypoſtatice præformavit. 5 Subſtantialiter formatae & exhibitae.

Antequam mortuus eſſet Chriſtus, clamabat Joannes Baptiſta, [1] De plenitudine ejus accepimus omnes, & gratiam pro gratia. Item, Non enim dat Pater Spiritum ad menſuram. Servetus Chriſtum Spiritu ſuo [2] nudatum proponit. nec tantum hic agitur de menſura donorum: ſed Chriſtum prorſus Spiritu [3] novo privat. Jam ſi verum eſt quod ſubjicit, quum mortuus eſt Chriſtus, totam Verbi & Spiritus gloriam hypoſtatice in ſe non continebat. Ergo [4] perdiderat gloriam quam ipſe teſtatur ſibi initio fuiſſe apud Patrem, antequam mundus crearetur. Jam quid hoc ſibi vult, quod Deus Spiritum ſupervenientem in Chriſtum, veluti in nos ſpirando, totam Deitatem iterum [5] quadam diſpenſatione ſpiraverit? Qualis fuit Chriſti Deitas quum mortuus eſt, [6] ſi totam Deitatem poſtea in eum ſpiravit Pater? Saltem ſi diceret humanæ Chriſti naturæ infuſam eſſe [7] novam gratiam, plus haberet coloris. Quanquam nullo prætextu excuſari hoc poteſt, quod Spiritum novum Chriſtus nonniſi à reſurrectione acceperit. Nunc in eo cardine vertitur quæſtio, Ubinam conſiſtat Chriſti Deitas. Servetus totam Deitatem illi ſpiratam eſſe dicens poſtquam à morte reſurrexit, ſemideum fuiſſe docet, quamdiu verſatus eſt in mundo. Atqui Joannes affirmat tunc ſpectatam fuiſſe ejus gloriam quæ unigenito Dei Filio congrueret.

1 Plenitudinem Spiritus ſemper habuit Chriſtus, ſed ante reſurrectionem non erat glorificatus, Joan. 7. Ita dicitur novus Spiritus ob novam gloriam. Imo totae ipſe Chriſtus eſt factus homo novus, nova omnia. 2 Mentiris. 3 Deliras. 4 In carne & anima omnia ſervabantur. 5 Nova gloria. 6 Eandem diſpenſationem novam. 7 Quid ta gratiam vocas qualitatem creatam? Nulla talis eſt in Chriſto qualitas: ſed ipſiſſima Deitas. Magorum ſunt tuæ illæ qualitates infuſæ. Nos participes vere ſumus divinæ naturæ, 2 Petr. 1. Templum Dei nos vere inhabitantis, 2 Cor. 3. & 2 Cor. 6. Joan. 14. Actor. 2.

Si hæc vera ſunt, quid jam falſum dicere licebit? Si in Dei ſubſtantia [1] partes ſunt, & partitiones: ſi unaquæque portio Deus eſt, [2] quid jam non licebit de majeſtate Dei comminiſci, & garrire? Certe non aliter verſutum nobis Deum fabricat, ac Protheum quempiam. Sed non nova eſt hæc licentia, quum [3] accidentia ſibi i[illegible]o fingere permittat, Epiſtola 7. ad Calvinum. Magis etiam execrabile eſt quod ſequitur, [4] Spiritus regenitorum coæternos eſſe, & conſubſtantiales Deo. Et [5] tamen Spiritus ipſos alibi dicit extingui, non tantum quum morimur, ſed quum excidimus à Dei gratia. Pluſquam [6] ingenioſus erit artifex, ſi hæc inter ſe concilier, ſubſtantiam Deo coæternam [7] extingui: & Deum eſſe immutabilem, nec obnoxium obumbrationi.

1 Quadam Deitatis diſpenſatione. 2 Cum Simone mago tu Deum in angulo concludis: ego eum dico eſſe omnia in omnibus. 3 Entia omnia dico in Deo ſuſtineri. 4 Vide nebulo primam reſponſionem. Regeniti ſunt vere participes Divinæ naturæ, ſinguli ſuis modis, ſingulisque diſpenſationibus ſemper æternæ: in eis eſt ſubſtantia Spiritus æterni, lux æterna, ſedes eorum ab æterno in ipſo Deo ſunt præparatæ: regnum eis ab æterno paratum, & eorum nomina ab æterno in cælis conſcripta: Oculus non vidit, nec auris audivit, quæ ſunt hæc æterna nobis ita in Deo parata. Si Calvinus his animum intenderet, non eſſet in accuſando tam execrabilis. 5 Vide in quo ſenſu Paulus vocat Spiritum extingui. 1 Theſſ. 5 6 Tu pluſquam peſſimus. 7 Mentiris.

En hominis captivi modeſtia, [1] rabioſe clamare Simonis magi eſſe diſcipulos, qui ſubſtantialem Deitatem

tatem non conſtituunt in hominis anima. Atqui [2] nemo unquam ex Prophetis, nemo ex Apoſtolis, vel Martyribus de hoc Spiritu [3] Deitatis meminit. Scimus quidem ornatam fuiſſe hominis animam cæleſtibus donis, quæ gloriam & imaginem Dei referrent: & quidem divinas eſſe eas dotes libenter fatemur: ſed [4] fictitia iſta Deitas quam halitu Dei Servetus afflatam dicit, nihil infuſis Dei gratiis affine habet.

1 *Rabies eſt tua qua ad mortem uſque perſequeris.* 2 *Doctores nunc taces, qui omnes in Chriſtianiſmo ita ſemper docuerunt.* 3 *Imo Gen. 2. & 6. Job 33. & 34. Pſal. 103. Eccleſ. 12. Jeſaiæ 42. & 57. Joan. 1. Actor. 17. & plerisque aliis locis. Ita etiam ex Petro, Clemente, Irenæo, Tertulliano, & aliis omnibus jam citavi.* 4 *O blaſphemiam horrendam.*

Præciſe & generaliter [1] negavit, Patribus [2] ſub Lege datum fuiſſe Spiritum ſanctum: quum tota Scriptura clamet non alio nunc Spiritu fideles donari, quam quo præditi olim fuerunt Patres: ac nota ſit Davidis deprecatio, Spiritum ſanctum tuum ne auferas à me. Quum denique nulla potuerit niſi ex Spiritu ſancto eſſe fides, vel pietas, uno verbulo ſecure ſe abſolvit.

1 *Mentiris.* 2 *Vide pag. 192. Aliter ibi in Prophetis, aliter in vulgo accipitur Spiritus. Judæorum nomine dixi intelligendum vulgum ipſum: in Prophetis aliam fuiſſe rationem: ita pag. 557. & 650.*

Nos quoque fatemur ſub figuris oſtenſa fuiſſe Patribus quæ palam nobis in Chriſto fuerunt exhibita. Sed hinc ſacrilega ſua commenta perperam infert Servetus, [1] adoratos fuiſſe Angelos à Sanctis, ut deos. Nam de pura unius Dei adoratione non minus recte edoctus erat Abraham, quam quivis noſtrum. Nimis ergo indigna eſt contumelia, [2] Angelos fuiſſe ipſorum deos, & in Lege Deum nunquam fuiſſe [3] vere adoratum. Quaſi nemo tunc ex Sanctis intellexerit quid hoc ſibi vellet, Deum tuum adorabis. Si Abraham non proprie Chriſto, ſed Angelo ipſum adumbranti credidit, [4] ubi illa hypoſtaſis, & viſio quam magnifice prius extulit Servetus? En quam bene ſibi conſentiat.

1 *In Angelo Deus adorabatur.* 2 *Angelus ipſe adorabatur, Joſue 5. 9. & Judicum 6. Dii item vocantur, Geneſ. 20. & 35.* 3 *Collatione ad nos facta, erat ibi umbra, quum nondum patefacta erat lux veritatis ut nunc.* 4 *Sub velamine deliteſcebat, ut Adæ peccatum. Sexcentis locis ita explicui.*

Inſpiciatur locus, ubi dicit, non modo Spiritus juſtorum, ſed omnium hominum, & omnium rerum lucidas [1] formas fuiſſe ab æterno in Deo. Deinde ſubjicit, In Deo quoque [2] realiter ab initio erant Angeli. Jam nos mendacii accuſat dum ad verbum falſa ejus deliria referimus. Putat impietatem ſuam tectam fore, ſi nunc dicat, nihil creatum realiter fuiſſe, niſi ab inſtanti ſuæ creationis. Atqui illic diſputat quomodo ſemper in Deo fuerint res creatæ. Adverbium autem [3] realiter illic expreſſum eſt.

1 *Angeli erant realiter poſtquam creati ſunt, nos exemplariter ab æterno.* 2 *Niſi eſſes tu ſycophanta, nulla hic eſſet ambiguitas.* 3 *De Angelis ab initio creatis: ſecus de nobis, ut tu impudenti mendacio mihi imponis.*

De eo nihil eſt controverſiæ, an ſit Deus in omnibus per eſſentiam, præſentiam, & potentiam, & an omnia ſuſtentet. Sed [1] hinc non ſequitur in omnibus creaturis [2] ſubſtantialem eſſe Deitatem. Multo minus quod ipſe coram Judicibus confeſſus eſt, pavimentum quod pedibus [3] calcamus, Deitatis eſſe particeps: & [4] in diabolis omnia deorum eſſe plena.

1 *Idem eſt.* 2 *Ex Irenæo, & aliis id jam audiviſti. Subſtantia eſt à qua ſuſtentamur.* 3 *Pedem movens, dicebas te in Deo non moveri. Ergo in Satana movebaris: nos in Deo in quo vivimus, movemur & ſumus.* 4 *Etiam ſi ſis tu cacodæmon, adhuc tamen in Deo ſuſtineris.*

Mira hominis ferocia, quod cum Simone mago delirare exprobrat quicunque nolunt eſſe cum eo Manichæi. [1] Scripſit animam eſſe [2] ex Dei ſubſtantia. Nos eum errorem annotavimus. Tollatur, inquit, nomen ſubſtantiæ, & omnia vera erunt. Cur non ipſe ſuſtulit? Imo cur data opera loquutionem affectavit, quam ſciebat eſſe [3] piis omnibus exoſam? Nempe animas ex Dei traduce prodiiſſe. Palam ſe Manichæum gloriatur, & ſe reprehendi non ſuſtinet.

1 *Mentiris.* 2 *Ego creatam animam aperte doceo, pag. 178. 260. 326. & aliis locis. Similitudinem Angelos & animas habere dixi, cum ſubſtantia ſpiritus de qua emanarunt.* 3 *Tibi mago eſt Deitas exoſa.*

Quum protulerit horribilem blaſphemiam, ludibundus eam eludit. Convenit inter omnes multa in unum coire. Sed nimis abſurda eſt conſequentia, [1] animam effici Deum, ut res creatæ & increatæ in unam animæ ſubſtantiam coëant, ut anima conjunctum habeat ſibi elementarem ſpiritum, ſicuti Verbo unita eſt Chriſti caro. Quibus deliriis palam eſt [2] omnia Redemptionis myſteria profanari.

1 *Nos ſumus facti dii, annon ob animæ dona?* 2 *Unde ſequitur? dic peſſime.*

Atqui hominem [1] manſueti ſpiritus, ac docilem nihil minus decuit, quam furioſus ille debacchandi impetus, quum dicit [2] pædobaptiſmum deteſtandam eſſe abominationem, Spiritus ſancti extinctionem, Eccleſiæ Dei deſolationem, totius profeſſionis Chriſtianæ confuſionem, innovationis per Chriſtum factæ abolitionem, ac totius regni ejus conculcationem. Nec uno tantum in loco effutivit hæc probra: ſed quibuſcunque poteſt maledictis inceſſit, ac flagellat ſacram pædobaptiſmi adminiſtrationem, cujus Deum eſſe auctorem ſolidis rationibus probavimus. Adoleſcentes vero donec annum viceſimum ſuperent, à peccato mortali abſolvere quam diabolicæ ſuperbiæ fuit?

1 *Talem te erga me eſſe decebat, etiamſi eſſem ego à malo ſpiritu illuſus, ut tibi Apoſtolus præcipit, 2 Tim. 2.* 2 *Jam confeſſus ſum me id ſcripſiſſe: rationes quibus oppoſitum doceas non vidi.*

Attendant lectores ad perfidiam, cujus falſa infamia nos gravat. Ejus verba nos [1] bona fide recitavimus, ne ſyllabam quidem, quæ ad levandum ejus crimen faceret, omittentes. Nunc cauſatur ſe ibi dixiſſe animam velut emori. Hoc quidem verum eſt: ſed ejus impietatem magis aggregat. Quum enim illa ſimilitudinis nota, extenuari videret mortem animæ, ſubjecit, [2] Inſigniore alia ratione per peccatum anima reddita eſt mortalis, ſicut & caro, &c. Librum [3] certe excudere non debuit, niſi in tam manifeſtis calumniis deprehenſus teneri vellet. Alibi quidem non negat animas à morte eſſe ſuperſtites: ſed naturali privatione imbecilles factas, ut quaſi leves umbræ à Geniis agantur, ex ſeipſis vix quicquam valentes, pag. 229. Cui & alterum hoc addatur ex pag. 233., Animæ ipſius elementa diximus corruptibilia, & ob id eam in ambientem difflari, ſubſtantia ſua quaſi nudatam: ac deinde cacodæmoni quodammodo ſubditam ob Adæ peccatum in inferna trahi, quaſi nunquam amplius corpori reſtituendam. Quid certo ſtatui vult de ſuis dictis, quibus nunc in aërem difflantur animæ, nunc ſubſtantia ſua quaſi nudantur, nunc dicuntur quaſi mori: nunc inſigniori ratione in mortem cum carne traduntur.

1 *In priore accuſatione aliter mentitus es.* 2 *Spiritualis mors, ſeu peccati mors dicitur inſignior. Quid hoc ad Calvini rabiem?* 3 *Utinam tota magia tua eſſet adhuc in ventre matris tuæ.*

Quia ex immenſo [1] errorum labyrintho, ſi ſingulos eſſemus perſequuti, vix unquam emergere licuiſſet: ſatius fore duximus, ſpecimen tantum edere. In ipſis autem reſponſionibus danda eſt brevitati noſtræ venia, propter temporis anguſtias. Fuit enim bidui tantum lucubratio. Quanquam excuſatione hoc non indiget, quum abunde ſufficiat ejuſmodi

por-

portenta ante oculos poſuiſſe. Monendi tamen ſunt lectores, hunc infauſtum hominem nullum doctrinæ caput intactum à ſuis corruptelis reliquiſſe. In libero arbitrio [2] Pelagianus eſt. Perfectionem juſtitiæ ſtatuit, ut [3] Cathari, Novatus, & ſimiles. Legem Dei ſic [4] abolet, ut cuique ſuus afflatus ſit vivendi regula. Fidem à promiſſionibus diſcerpit. Gratuitam fidei [5] juſtificationem labefactat. Patres qui ſub Lege mortui ſunt, omni gratia ſpirituali [6] privat, quaſi inſtar porcorum ſaginati in terra fuerint. Sua phantaſtica regeneratione ſimplices in diaboli laqueos præcipitat, planeque hac in parte Libertinus eſt. Latius etiam impietatis ſuæ venenum ſparſit. Nam ante annos duodecim excuſa ſunt Biblia Lugduni, quorum margines multis perniciosis commentis inquinavit. Norunt fideles nuſquam melius in veteri Teſtamento virtutem mortis Chriſti teſtatum eſſe, quam Jeſaiæ 53. Quæ de reconciliatione nobis parta, de ſcelerum expiatione, de maledictione ſublata aſſerit Propheta, ad Cyrum hic corruptor detorquet, quod in ejus morte Judæi juſtas ſcelerum ſuorum pœnas dederint. Quiſquis ergo vere, & prudenter reputabit, hunc illi ſcopum fuiſſe agnoſcet, ut luce ſanæ doctrinæ extincta, totam religionem everteret.

1 *Utinam mihi liberum eſſet errorum tuorum facere catalogum.* 2 *Quicunque non eſt Simon magus, eſt Calvino Pelagianus. Omnes igitur quotquot fuerint in Chriſtianiſmo, ſunt à Calvino damnati: etiam Apoſtoli, etiam Apoſtolorum diſcipuli, etiam veteris Eccleſiæ doctores, ac reliqui omnes. Nemo enim unquam liberum arbitrium penitus ſuſtulit niſi Simon iſte magus.* 3 *Mentiris.* 4 *Mentiris.* 5 *Mentiris.* 6 *Mentiris nebulo peſſime.*

POſtquam ſua convitia ad ſatietatem uſque evomit Servetus, clariſſimus Senatus noſter quo certius ferret judicium, & minus obnoxium calumniis, ad quatuor Helveticas Eccleſias miſit: Tigurinam, Bernenſem, Baſilienſem, & Schaffhuſianam, deque tota cauſa, earum conſuluit Paſtores. Ne conqueri poſſet Servetus ſe multiplici concertatione à nobis obrui, ultimas ejus calumnias relinquere intactas maluimus, quam nobis ſumere quod jure noſtro licebat. Quinetiam agnoſcent lectores, ita nos brevitati ſtuduiſſe, ut non tantum ab omni fuco procul abfuerimus, ſed parcius quam res ferebat, nos continuerimus intra juſtæ expoſitionis metas. Nempe quo ſimplex & perſpicua veritas in conſpectum Judicum veniret, breviter tantum delibavimus ſumma capita: ut facile appareat nos uſque eſſe progreſſos, quo officii neceſſitas cogebat. Venerandi autem fratres noſtri, quos fuiſſe conſultos diximus, quum pro ſingulari ſua pietate, & eximio in Eccleſiam Chriſti ſtudio, ſtrenuam legendis omnibus operam navaſſent (quod ferebat eorum fides) cordate reſponderunt, totum librum deteſtabile eſſe monſtrum ex innumeris erroribus conflatum. Denique uno omnes conſenſu, & quaſi uno ore pronunciarunt, non minus ſincere quam juſte reprehenſos à nobis fuiſſe errores, quorum cauſa clamabat Servetus ſibi pluſquam atrocem fieri injuriam. Itaque ſupervacuum fore putavi ſingula reſponſa ordine recenſere. Tantum ut ſciretur nihil amplificandi cauſa à me hic fuiſſe dictum, Tigurinæ Eccleſiæ epiſtolam tanquam ſpecimen proponere libuit, quæ adeo nihil ab aliis diverſum continet, ut inſpecta liquidam omnium fidem factura ſit. Nec vereor ut reliqui in malam partem accipiant, ſuas eſſe ſuppreſſas, quaſi par honor non fuerit illis habitus. Nihil enim minus illis propoſitum fuit quam ſe mundo venditare: & hoc ſancti conſenſus teſtimonium longe pluris ipſis fore ſcio, quam ſiquid ſinguli privatum & ſingulare haberent. Magis à fratribus noſtris Tigurinis petenda erit venia, quod paſſim legenda profero, quæ paucis ſcripſerant. Sed quia ſic poſtulat publica Eccleſiæ utilitas, quæ apud illos præponderat, meæ fiduciæ, ut ſpero, facile ignoſcent.

Clariſſimis Syndicis, & Ampliſſimo Senatui Genevenſis Reipublicæ, Dominis noſtris colendiſſimis,

S. P.

ACcepimus per hunc tabellionem literas Amplitudinis veſtræ una cum libro Serveti, & articulis ex ipſo conſignatis, cum collatione ſcripta per veſtros Concionatores fratres noſtros venerabiles & charos, & Michaëlem Servetum. Ac quoniam illa omnia à nobis inſpici, diligenter expendi, & noſtrum de his judicium adjicere pietas veſtra poſtulavit, Amplitudini veſtræ morem gerentes, quid de toto hoc negotio unitatis & Trinitatis Dei, denique de Filii Dei myſterio ſentiamus & doceamus, ac quid de controverſia, & ſcriptis Miniſtrorum Eccleſiæ veſtræ, & Serveti judicemus, quanta poſſumus brevitate & perſpicuitate, Amplitudini veſtræ, Deo juvante, explicabimus. Myſterium adorandum unitatis & Trinitatis Dei benedicti in ſecula, nihil dubitamus ab exordio mundi, ab omnibus Sanctis & creditum eſſe firmiter, & poſteris credendum fideliter traditum, ſed & in Scripturas manifeſte relatum, à Spiritu ſancto inſpiratis veracibus Prophetis. Hoc ergo Theologiæ veræ principium & caput ita eſt comprobatum Dei oraculis, ita confirmatum evidentibus ſignis, unanimique conſenſione receptum à catholica & orthodoxa, tam veteris quam novi Teſtamenti Eccleſia, ut ipſum vel in quæſtionem vocare, nefas ſemper fuerit judicatum. Fatemur itaque cum ſancta & univerſali Eccleſia Dei, unam eſſe Dei eſſentiam, tres perſonas distinctas, non confuſas. Pater enim de cælis teſtificans de Filio ſuo, Hic eſt Filius meus dilectus, inquit, in quo placatus ſum. Filius is eſt cui Pater tulit teſtimonium: Spiritus ſanctus vero in ſpecie apparuit columbæ, tres quidem diſtinctæ in una eſſentia divinæ perſonæ. Emerſerunt quidem ante Concilium Nicenum Praxeas, Noëthus, & Sabellius, veteribus nuncupati Patripaſſiani, qui diſtinctionem perſonarum propter unitatem Dei conſervandam confundebant. Sed docte & irrefragabiliter à vigilibus Eccleſiæ præſidibus ſunt confutati, Scripturiſque propugnatum, & in Eccleſia conſervatum adorandum trinæ unitatis Dei myſterium. Unde certum eſt, in Concilio Niceno Eccleſiæ præſides non aliud nobis Symbolo condito tradidiſſe, quam quod à temporibus Apoſtolorum, imo & Prophetarum catholica, & orthodoxa retinuerat Eccleſia. Quod ergo Servetus Hiſpanus Trinitatem coæternam Dei triceps monſtrum, ac Cerberum quendam tripartitum, denique deos imaginarios, illuſiones ac tres Spiritus dæmoniorum appellitat, æternam Dei majeſtatem nefande & horribiliter blaſphemat. Quod Athanaſium, Auguſtinum, & alios Dei ſervos eximios, illuſtriaque Eccleſiæ lumina, Trinitarios atque adeo atheos nuncupat (ita enim omnes Trinitatem agnoſcentes appellat) non illos tantum, ſed totum chorum Sanctorum, adeoque totam Chriſti Eccleſiam nefandis, & non ferendis convitiis indigniſſime proſcindit. Abominandum vero illud eſſe videtur in homine infelici, quod Judæorum quoque blaſphemias in Chriſtianam religionem effuſas excuſat, & fœda hæc Mahumetis verba, tres in Trinitate perſonas, vel, ut ipſe ait, tres deos Patribus fuiſſe ignotos, & eſſe filios Beelzebub, approbat & extollit. Quid vero potuiſſet ab hoc homine magis impium in Deum, & indignius in intemeratam fidem Chriſtianam expui? Quæ obſecro aures Chriſtianæ iſta patienter audiant? De Filio Dei concorditer credidit, & docuit Eccleſia Dei, ab initio ſubſiſtere illum ab æterno in propria hypoſtaſi. hoc enim docta fuerat ex verbo Dei, Domino ipſo apertiſſime in Euange-

lio

lio dicente, Antequam Abraham eſſet, ego ſum: utique ſubſtantia non carnis quidem, ſed divinitatis. Juxta quam Apoſtolus illum dicit eſſe expreſſam imaginem ſubſtantiæ Paternæ: ubi ſimul illud ex veteri Scriptura citat teſtimonium, Filius meus es tu, ego hodie genui te. Hic Filius qui eſt ab æterno Dei Filius, Deus verus, in tempore factus eſt hominis Filius, homo verus: natus non ex ſubſtantia Dei Patris, ſed ex ſubſtantia Mariæ virginis matris, quam Deus Spiritu ſuo fœcundam reddidit, unde Filius ille, & ſemen benedictum mulieris, & germen Davidis, & Filius hominis appellatur. Manet autem in una indiviſa perſona, retinens tamen naturas duas impermixtas, aut inconfuſas, divinam & humanam. Id quod adeo perſpicuis & evidentibus Scripturæ teſtimoniis comprobatum jam olim, & nunc eſſe conſtat, ut qui addubitet, eum ratione inſaniat. Nos ideo ſimpliciter & concorditer, ita ut jam expoſuimus, firmiter credimus, & in Eccleſia fidei noſtræ concredita prædicamus. Rurſus ergo blaſphemus in Dei Filium deprehenditur Servetus, qui illam ab æterno Filii hypoſtaſin, exiſtentem & Patri coëſſentialem & coæqualem, diabolicam ideam, & fabuloſam quandam Chimæram convitiari non veretur. Inſuper aſſerere audet, corporalis Filii Patrem alium non eſſe ullum quam ipſum Deum Patrem, ex cujus ſubſtantia caro Filii nata ſit. Longe aliter docuit Doctor Gentium Paulus, qui dixit Filium Dei genitum fuiſſe ex ſemine David ſecundum carnem, & declaratum Filium Dei in potentia & Spiritu ſanctificationis. Cæterum cur ſingula iſtius blaſphemi hominis recolligere pergeremus? Satis diligenter & fideliter enormes aliquot iſtius errores, & apertas hæreſes collegerunt Eccleſiæ veſtræ Paſtores, & Doctores, eo ſcripto cui titulum præfixerunt, Sententiæ, vel propoſitiones excerptæ ex libris Michaëlis Serveti. Eas nec per calumniam excerptas invenimus aut conſignatas, nec illas ulla ratione recipimus, aut approbamus, ſed execramur potius. Nam Servetus reſponſione ſua mox ſubjecta, rem involvit, non explicavit: depravatis interim multis veterum de unitate & Trinitate Dei, deque Filii Dei myſterio, ſententiis. Id quod Miniſtri Eccleſiæ veſtræ ſatis perſpicue oppoſita reſponſione evicerunt. Replica vel ſcholia Serveti, præter extremam impudentiam, & convitia dira, parum aut nihil habent. Toties enim ſuum illud Mentiris Calvino impingit, toties magum, & Simonem magum criminatur, ut meminiſſe pigeat ac pudeat: præſertim quum res ipſa clamet, & ſcripta Serveti diligenter expenſa teſtentur, nihil confinxiſſe Calvinum: Servetum potius ea quæ dixit, rurſus negare, ac fuco aliquo tingere. Calvini paſtoris veſtri, & fratris noſtri fidem & diligentiam, denique egregia in exules ac pios merita, illuſtriora eſſe ſperamus, quam quæ iſtius criminationibus indigniſſimis, vel apud Amplitudinem veſtram, vel apud alios viros bonos obſcurari poſſit. Neque hoc diſſimulat Amplitudo veſtra, quæ (quod non ſine animi lætitia legimus) diſerte ſcriptis literis ſignificat judicium à nobis non requirere, quod Eccleſiæ veſtræ Miniſtris diffidat, ſed potius ut noſtrum quoque de iis non neſciat judicium. Porro quomodo Amplitudo veſtra coërceat hunc hominem, qui olim ab Eccleſia per Scripturas, convictas & damnatas hæreſes renovat, ac prima fidei noſtræ firma capita oppugnat, oppugnandoque Deo & Sanctis ejus convitiatur, veſtræ prudentiæ æſtimandum relinquimus. Si non fallit nos ſimilitudo nominis, movit hic Servetus hoc ingens malum ante annos viginti, conante tum beatæ memoriæ Domino Joanne OEcolampadio ipſum reducere in viam. Ac tunc quoque doctrina Serveti ab iis qui primi hiſce regionibus Euangelium Chriſti prædicarunt, condemnata fuit. Ille vero ſui ſenſus tenax, nihilominus anno 1531. curavit edi in Germania ſeptem libros de Trinitatis erroribus, & aliquot dialogos: quibus dubium non eſt quamplures parum exercitatos in Scripturis, & infirmiores in fide, præcipites actos in grave cùm animarum tum corporum diſcrimen. Quo tamen adeo non fuit ſatiatus, ut modo recuſis peſtilentiſſimis erroribus, & blaſphemiis non ferendis, ſemetipſum in impietate & blaſphemia ſuperare, & corruptiſſimam doctrinam ſub ſpecie reſtitutionis Chriſtianiſmi Eccleſiæ obtrudere pergat. Multa ergo fide ac diligentia contra hunc opus eſſe judicamus: præſertim quum Eccleſiæ noſtræ apud exteros male audiant quaſi hæreticæ ſint, & hæreticis faveant. Obtulit vero in præſenti, ſancta Dei providentia occaſionem repurgandi vos ſimul ac nos à prava mali hujus ſuſpicione: ſi videlicet vigilantes fueritis, diligenterque caveritis ne veneni hujus contagio per hunc ſerpat latius. Id quod facturos vos, nihil dubitamus.

Dominus Jeſus Chriſtus conferat pietati veſtræ ſapientiam & fortitudinem, viam, rationem & modum juſtum faciendi voluntatem ejus ad gloriam nominis ipſius, & ad fidei ſinceræ, Eccleſiæque conſervationem. Simul offerimus Amplitudini veſtræ noſtra obſequia, commendamuſque eidem nos omnes. Cæterum per tres dies integros tabellionem hunc veſtrum detinuimus, quod non potuerimus nos citius explicare. Datæ Tiguri, 21. Octob. Anno Dom. M. D. L I I I.

Veſtræ Amplitudini dediti Paſtores & Lectores, Miniſtri Eccleſiæ Tigurinæ.

ETſi autem illa ratio quam in cauſæ actione tenui, nunc quoque mihi ſufficere videtur, ut mediocrem duntaxat Serveticæ doctrinæ guſtum habeant lectores: quia tamen ſubobſcura forte eſſet conciſa illa, qua uſi ſumus, brevitas, ejus ſummæ quam propoſuimus, uberior jam & plenior texenda eſt explicatio. Nam quum ad homines peritos & exercitatos mittenda erat noſtra ſcriptio, ideo reſtricti fuimus, ne prolixa, & anxia tractatio tum illis tædio eſſet, tum aliquam daret ſuſpicionem diffidentiæ. Abſurdum vero erat pluribus verbis obtundere eorum aures, quibus res perinde ac nobis conſpicua erat. Lectorum quibuſcum nunc ago, diverſa ratio eſt, quorum pleriſque ne auditum quidem unquam fuit Serveti nomen: major pars non ita familiariter verſata eſt in Scripturis, ut per ſe, & abſque monitore quale ſit doctrinæ genus rite judicet: quidam metu tardiores erunt: alii forte falſis rumoribus occupati, opus habebunt acrioribus ſtimulis: alii denique maligno ſpiritu imbuti, nunquam, niſi cogantur, veritati cedent. Et tamen hæc quoque explicatio ſic erit temperata, ut ne moroſis quidem lectoribus afferat faſtidium. In primis vero à me dabitur opera, ut ſimplex rerum cognitio abſque ullo verborum ornatu, ſe oculis offerat. Idque tum pro meo ingenio, & more faciam, tum vero ne in illud probrum incurram quod nobis in perſona Philippi Melanchthonis objicit Servetus, nos ſolo dictionis lenocinio ſaturari, & affectata rhetorica falſitatem illecebris ornare. Scilicet fucum ſermonis affectat Melanchthon, qui tam procul abeſt ab hoc vitio, ut adventitium omnem ornatum non minus ſedulo fugiat, quam anxie & putide illum accerſit Servetus. Nemini enim obſcurum eſt, nonniſi per eum ſtare quominus ſplendidior illi eloquentia ſurgat. Nitida illi quidem Latini ſermonis puritas ubique conſtat. Ut apte, dilucide, & proprie loquatur, mediocre ſtudium adhibet. Facundiam tamen quæ illi ſponte flueret, data opera ſic reſtringit, ut multi ſplendoris cupidiores jejunum & exanguem eſſe querantur. Et hanc Melanchthoni notam aſpergit Servetus, cujus lutulenta verboſitas pluſquam ventoſis ampullis turget. Natura diſertus eſt Melanchthon: Serveto quanta eloquentiæ ambitio fuerit, hinc apparet, quod ſollicite cavet ne quam verborum elegantiam omittat, ſuas copias ſine delectu & modo oſtentat, flatuſque

ſuos

ſuos ubique projicit. De me nihil dicere attinet: niſi quod genuina orationis meæ ſimplicitas nullo ſe laborioſo artificio politam eſſe clamat. Adde quod nimis abſurdum eſt, invidiam ex dicendi gratia nobis ab eo conflari: quin paſſim linguarum omnium inſcitiam non mihi ſolum, ſed ipſi quoque Philippo exprobrat, ut nos ad diſcenda Grammatices principia remittere nou dubitet. Quod apud Servetum ſequitur, magis in ſanctos Dei Prophetas quam in nos contumelioſum eſt. Spiritum ſanctum negat unquam per talia organa loquutum eſſe. Quaſi non multo comptior ſit ſua lingua Davidis, & illuſtrior Jeſaiæ dictio, quam multorum ſcriptorum qui apud Græcos & Latinos habiti ſunt facundi: ſed nullo habito delectu, hoc unum ſpectavit nugator, ut ſolus cum ſuo profluvio libere tonaret.

Quum ſcopum ſibi totum fuiſſe præſatus eſt, ut Filium Dei oſtenderet eſſe Chriſtum, qui in carne exhibitus fuit, minime dubium eſt quin tenebras offundere voluerit Judicibus, quos putabat in hac diſcepatione parum eſſe exercitatos. Ergo ne hoc integumento tam craſſa monſtra obrueret, quæ à nobis in medium producta erant: ejus vafritiem cum pari impudentia conjunctam refellere mibi & Collegis neceſſe fuit. Sed quia me ſolum nominatim aggreditur, in me libenter quicquid actum eſt, ſuſcipiam. Me inſimulat mendacii, quia eum falſo & per cavillum profiteri dixi, illum ſibi fuiſſe ſcopum: facilis defenſio eſt: ſiqua tamen in re tam manifeſta, requiritur. Nunquam enim negavi unum hoc fuiſſe ex falſis ejus perverſiſque dogmatibus: ſed flexuoſum ſerpentem è ſuis latebris extrahere cupiens, admonui quod verum erat, minime in eo verti totum quæſtionis ſtatum. Omitto immenſam errorum congeriem, cujus fœtores paulo poſt movendi erunt. Nulla enim doctrinæ pars eſt, quam non veſano quodam pruritu, vel magis œſtro percitus labefactare conatus ſit. Verum hujus quæſtionis mera & genuina definitio eſt quam poſuimus, Sitne Chriſtus Filius Dei, quia Sermo eſt ante ſecula ex Patre genitus, qui carnem noſtram induit. Simplex de hac re ſemper fuit Eccleſiæ doctrina quam tenemus, Cbriſtum Deum, & hominem vere eſſe Dei Filium, quia æternus ſit Dei Sermo in carne manifeſtatus: & quia unione hypoſtatica Filius Dei humanam naturam ſuſceperit. Porro, unio hypoſtatica veteribus dicta eſt, quæ perſonam unam conſtituit ex duabus naturis. Atque hæc loquutio ad refellendum Neſtorii delirium inventa fuit, qui fingebat Filium Dei ita habitaſſe in carne, ut non idem ille eſſet filius hominis. Atqui, ſicuti docet Scriptura, piorum omnium conſenſu receptum fuit, unum eſſe, non duplicem Chriſtum, qui Deus eſt in carne manifeſtatus. Interea duplicis naturæ retenta fuit diſtinctio, ut unio à confuſione differret. Nam diſerte Scriptura nunc quæ hominis propria ſunt Chriſto tribuens, nunc illi rurſus aſſignans quæ ſeorſum in Deum competunt, duas in eo naturas diſtinguit. Cæterum, quia interdum unionis reſpectu, quod Dei proprium eſt, ad hominis naturam transfertur, orthodoxi Patres hoc loquendi genus vocarunt ἰδιωμάτων κοινωνίαν: quia hoc facile recipit perſonæ unitas, ut quæ diſtincta ſunt in duabus naturis, mutuo inter ſe communicentur. Dicit Paulus ſanguine Dei acquiſitam fuiſſe Eccleſiam. Nemo ſanus dicet Deo ſanguinem fuiſſe quem funderet. Cæterum quia humano ſuo ſanguine Chriſtus, qui Deus eſt, Eccleſiam redemit, non inepte, nec abſque ratione vocatur ille Dei ſanguis. Nec alium ſenſum admittit quod dicebat Cbriſtus adbuc in terris agens, Nemo aſcendit in cælum niſi qui deſcendit è cælo Filius hominis, qui in cælo eſt. Non erat certe immenſa Chriſti humanitas ut cælum repleret: ſed quia cæleſtis Deus idem erat Filius hominis, non abſurde dicitur in cælo fuiſſe Filius hominis ob perſonæ unitatem. Videmus ergo inter Chriſti naturas ultro citroque communicari quæ tantum earum alteri conveniunt: quia utramque in ſe unus idemque Chriſtus complectitur. Servetus autem cælum terræ miſcens, quid ſibi velit hypoſtatica unio ignorat. Naturas diſcerni non patitur. Ab illa vero quam diximus, communicatione ſic abhorret, ut exitiale appellet Satanæ faſcinum. Sed videamus quibus mixturis conflatum Dei Filium nobis obtrudat. Ac primo quidem de æterna Verbi genitura miras præſtigias involvit. In Apologia ad Melancbthonem; pag. 728., defendit eos qui ante creationem negarunt fuiſſe Sermonem & Spiritum: quia his verbis notetur externa loquutio, & ſpiratio tam apud Hebræos, quam Græcos, & Latinos. Atqui nihil notius eſt, quam דבר, Hebræis paſſim ſumi pro cogitatione intus concepta. Hoc ne tyrones quidem ipſos latet, qui ultra prima linguæ Hebraicæ rudimenta progreſſi ſunt. Joannes vero τὸν λόγον apud Deum in principio fuiſſe aſſerens, longe aliud deſignat quam loquutionem externam. Non enim dicit, quum Deus conſilium ſuum de creando mundo protulit, tunc Sermonem cœpiſſe, ſed æternum fuiſſe in Deo, antequam vim ſuam extra diffunderet. Tertulliani quoque verba falſo ad ſuum errorem inflectit. Dicit Tertullianus in mundi creatione fuiſſe Verbi nativitatem: nempe quia Sermo, qui prius occultus in Deo reſidebat, tunc ſe palam exeruit, ſicuti fœtus ex utero in lucem prodit quum naſcitur. Sed non obſtat talis nativitas, quin ante creatum mundum ab ultima æternitate Sermo ex Deo genitus fuerit, quemadmodum idem ſcriptor plus centies aperte pronunciat. Pergit Servetus in ſuo figmento. Nam pagina 704. ſic loquitur, Ex interna mente Dei extitit Sermo. exiſtentiam dico, ſicut dixit Deus, Exiſtat lux: & extitit lux. Ea enim ſimilitudine extitit Verbi lux, Sermo viſibilis. Videmus ut Verbum creatum comminiſcatur, quod ad ſimilitudinem lucis creatæ extare cœpit. Quod alibi craſſius affirmat, pag. 679., Creatum Verbum dicitur non ſolum in perſona Chriſti, ſed in ipſo Deo erat creatum, conditum, & fabricatum. Hæc æterna eſt genitura Serveto, creatio, & fabrica in Deo, ut Deum ipſum inter creaturas cenſeri neceſſe ſit. Hoc etiam notatu dignum, quod quum ubique hac nota Sermonem à Patre diſcernat, quia viſibilis eſt, ſecum diſſidens alibi inviſibilem natura ſua fatetur, pag. 731. Deus, inquit, natura ſua inviſibilis: Verbum item natura ſua nobis inviſibile, tum quia id ipſum quod à nobis videtur, non eſt ex natura, ſed ex ſpecie prolata. Fruſtra quiſpiam Serveti nomine excipiet, Speciem hanc Verbo fuiſſe circumdatam. Nam aliis locis paſſim inculcat in hoc differre Verbi hypoſtaſin à Deo, quia Deus inviſibilis ſit, Verbum viſibile. Unde ſequitur proprie Verbo competere viſibilem naturam, quia alioqui poſſet etiam Pater extrinſecam ſpeciem ſibi formare. Parem utriuſque eſſe naturam concedit Servetus. Quid ergo impediet quominus Pater illud adventitium quod Filio ſuo dedit, ſibi quoque uſurpet? Ergo ſi non effectu, ſaltem potentia viſibilis erit Pater, non minus quam Filius. Nondum tamen liquet quomodo genitum ex Deo Sermonem intelligat Servetus. In ſuis reſponſionibus ſimulat, æternam ſe Verbi generationem credere. Id quale ſit, videre operæpretium eſt. In Apologia ad Melanchthonem, pag. 683., ſic loquitur, Ab æterno fuit expreſſa jam in Deo voluntas generandi hunc Jeſum verum Prophetam: ideo dicitur genita voluntas, ſicut in te eſt genita voluntas faciendi quod facere incipis. Non ſolum erat in Deo conſilium & voluntas generandi, ſed actus ipſe generationis in creaturam extenſus. Nam Deus ipſe eſt actus æternus æternaliter agens in rem præſentem. Hic palam apparet generationem Serveto nihil aliud fuiſſe quam Dei decretum, quo Filium ſibi formare ſtatuit in ſpecie hominis. Ideo vere, & realiter alibi genitum negat, pag. 680.,

Digitized by Google

pag. 680., Verbum, inquit, genitum erat perſonaliter, genita erat imago, genita idea, Deus ab æterno genitor ſpeciei, ut ait liber Sapientiæ, forma hujus hominis erat ab æterno genita in Deo, ſine reali diſtinctione, generatio erat in Deo, ipſa generationis cogitatio ſimul & exhibitio. Generatio erat conſtitutio generationis, quæ ad generationem tendebat. Ore fatetur Verbum fuiſſe Deum, interea umbratilem ideam nobis ſupponit. illam quidem dicit fuiſſe Dei hypoſtaſin: ſed quum definit fuiſſe generandi Filii cogitationem, nihil ſolidi relinquit io ipſo Verbo, ſed ejus ſubſtantiam in carne locat. Nam & hoc illi ſignificat exhibitio: quia ſcilicet Deus formam hominis protulit, quæ futuri Chriſti perſona eſſet. Hoc modo Deum viſibilem à mundi creatione cœpiſſe fingit. Nec longo circuitu opus eſt, perſonaliter genitum fuiſſe dicit. Atqui ſecundum ipſum, perſonæ opponitur res ipſa, & veritas. Unde ſequitur non fuiſſe niſi figurative genitum. Atqui hujus rei dubitationem tollit, non alia ratione Deo Patris titulum concedens niſi quia ſpeciem genuit. Hic jam ſatis detecta eſt hominis impietas, quod Verbi genituram eſſe ſomniet externæ formæ creationem, in qua homo Chriſtus figurative apparuit. Turpis etiam impudentia detegitur, quod ex libro Sapientiæ teſtimonium detorquet. Invehitur ejus libri ſcriptor in homines vanos, & cæcos, qui vel Solem, vel Lunam, vel ignem, vel aquam, mundi opifices eſſe putarunt: quum unus Deus formarum genitor illa omnia condiderit. Serveto autem ſpecies eſt æternus ille Sermo, quem Joannes Deum ſemper fuiſſe aſſerit. Libro quioto de Trinitate, pag. 164., totum Verbi & Spiritus arcanum fuiſſe dicit fulgentem Chriſti gloriam, quia Deus erat Verbum & Spiritus, Verbum & Spiritum varie diſpenſans in corpus & animam. Dicat nunc centies Servetus ſe Deum credere æternum Patrem Verbi: interea patet nihil aliud Verbum illi fuiſſe quam diſpenſationem Divinæ virtutis ad conflandum Chriſti corpus & Spiritum. Dial. 1. pag. 208. ſic loquitur, Naturaliter & voluntarie erat Λόγος idealis ratio, & prolatio, relucentia Chriſti apud Deum, Spiritus Chriſti apud Deum. Omitto nunc quod Spiritum cum Sermone confundit, cui diſtinctam hypoſtaſin alibi coactus aſſignat. Satis fuerit monuiſſe lectores, λόγος, ſi Serveto creditur, nihil aliud fuiſſe quam ſpeculum, vel ideam quæ futurum hominem repræſentabat. Dialogo 2. pag. 249. poſtquam tres ſtatuit diſpenſationis gradus in Chriſto, quorum primus eſt Verbum apud Deum, ſecundus egreſſio in mundum, tertius regreſſio ad Patrem, continuo poſt definit qualiter fuerit Verbum apud Deum, nempe quod eſſet relucentia in gloria illa apparens, qua glorificandus erat Chriſtus: ſicuti paulo poſt, Chriſtum fuiſſe docet primam Dei cogitationem. In ſumma, non alia ſecundum Servetum quærenda eſt Verbi vel ſubſtantia, vel æternitas, niſi quod Deus ab æterno hominem formare propoſuit. Huic prodigioſo figmento nihil magis contrarium eſſe poteſt, quam quod dicit Joannes Sermonem ſemper fuiſſe apud Deum. Neque enim illic futuræ rei ſpeciem deſignat, ſed ſolidam hypoſtaſin, quæ vere, & reipſa in Deo ſubſtiterit. Jam quia illi objeceram, nova illa Verbi fabrica, de qua nugatur, Deum fieri mutabilem: iogenioſe reſpondet non eſſe mutatum Deum, quum ſingulas creaturas patefecit: ideo quum Chriſtus, caput omnium, patefactus eſt, non magis mutatum eſſe. Rurſus quia objeceram, ob res creatas nihil Deo in ſe accidiſſe novi: hoc artificio ſe explicat, quod Deus in ligno ſit lignum, in lapide lapis, formam & ſubſtantiam lapidis veram in ſe habens. Nam hæc ejus verba ſunt Epiſtola 6., pagina 189. Quam abſurde, imo prodigioſe Deum in lapide, lapidem eſſe dicat, in præſentia tractare ſuperſedeo. Tantum notent lectores, ſecundum Servetum Verbo fuiſſe principium, quo extare cœpit, & in illa ſpecie viſibili, quam piogit, non aliam fuiſſe Dei hypoſtaſin, quam in lignis, & lapidibus. Dabunt veniam lectores, ſi abſurditates tam impias & ſacrilegas vehementius non exagito. Nullus enim eſſet finis: & eas digito notaſſe, inſtar plenæ refutationis erit. Cæterum videmus ut non tantum de Filii nomine diſceptet Servetus, ſed contendat Sermonem non eſſe ex Deo genitum, niſi quatenus in Dei mente concepta, formata, & expreſſa erat Sapientia, figuratio Chriſti. Nam hæc ejus verba ſunt Epiſtola 1. pag. 578. Quibus mox ſubjicit relucentiam fuiſſe futuri Filii, quæ ad Filii generationem ſubſtantialiter tendebat. Atqui inde ego infero, oondum tunc fuiſſe ſubſtantiam, ſed aliquam fuiſſe præparationem ſubſtantiæ. Alibi tanquam ſui oblitus, aliam generationem ponit, Epiſtola 7., pagina 594., In creaturis ſunt reales omnes Dei actiones, in ſeipſo Deus hac ratione ab æterno egit, & genuit quod apud ſe meditans conſtituit. Verbum princeps conſtituit, & Spiritum principem ſine realibus veſtris motibus: atque ita conſtituens hominem Chriſtum genuit. Hic duplex fingitur generatio, quia Deus apud ſe meditans, Sermonem voluerit eſſe principem io gignendo Chriſto. Deinde, quod Chriſtum hominem Sermonis virtute genuerit. Et tamen nebulo ubique clamat duos à nobis induci Dei Filios, quia Sermonem, qui ab æterno genitus fuit, docemus hominem genitum fuiſſe arcana Spiritus virtute, & ideo in humana quoque natura eſſe Dei Filium. Epiſtola octava ad priores ſuas phantaſias relabitur. Nam ut probet Sermonem fuiſſe relucentiam, quæ Chriſtum figurabat, quoſdam Scripturæ locos pluſquam inſulſe depravat. Vocatur Filius primo ad Hebræos capite, Paternæ gloriæ ſplendor, & expreſſa imago ſubſtantiæ ejus. Atqui his verbis aperte convincitur Serveti error. Nam quum hypoſtaſin Filii à Paterna diſtinguat, ſequitur duas fuiſſe hypoſtaſes: unde emanat realis diſtinctio, cui tantopere infeſtus eſt Servetus. Sequitur deinde apud Servetum, quod Sapientia Paulo vocetur tertio ad Epheſios cap. præfinitio ſeculorum, quam fecit Deus in Chriſto: & 1. cap. arcanum Chriſti. Atqui nihil clarius eſt, quam Paulum reſpicere ad Evangelii prædicationem. Nam hoc ſublime myſterium erat, ſalutem Dei quæ à ſeculis Gentibus abſcondita fuerat, repente illis patefieri: impoſtor autem iſte ad ſuam ideam detorquet, in qua vult Chriſtum ſubſtitiſſe. Atque ut eludat quod de æterna Dei Sapientia diſſerit Solomo, mentem ejus Pauli verbis exponi dicit 1. Corinth. 2., Chriſtum eſſe Sapientiam Dei præfinitam ante ſecula: quum Paulus diſerte Sapientiam illic vocet Euaogelii doctrinam quæ nos perfecte in ſalutem erudit.

Nunc de Chriſti generatione tractemus. Chriſtum hominem vere Filium Dei eſſe aſſerit, quia ſubſtantialiter ex Deo genitus eſt, ex ſubſtantia Dei. Ad id probandum verba Angeli citat ex 1. cap. Lucæ, Quod ex te naſcetur ſanctum, vere erit Filius Dei, lib. 1. de Trinitate, pag. 9. Atqui impudens corruptor, omiſſis Angeli verbis alia ſupponit. Angelus enim vocandum eſſe Filium Dei affirmat qui ex Maria naſcetur. Verbo autem vocandi, manifeſtatio potius intelligi debet, quam eſſentiæ principium. Modum quoque explicat Servetus, quia Verbum Dei inſtar nubis Virgini obumbravit. Quid hoc eſt? Divinæ virtuti has partes aſſignat Angelus, ut Virgini obumbret, ſignificans hoc admirabile Dei opificium fore, quod virgo ſine virili congreſſu Filium Dei concipiet. Hoc Servetus ad Verbum transfert, quaſi Verbum dicatur factum caro, quia vim generandæ carnis io Virginem infudit. Ille eſt unus modus. Cæterum, eodem libro, pagina 16., ita loquitur, Verbum Dei de cælo deſcendens nunc in terra eſt caro Chriſti: caro Chriſti de cælo eſt, de ſubſtantia Dei, & à Deo exivit. Nunc Verbum non

dicitur ab eo obumbraſſe Virgini ad generandum hominem, ſed quaſi mutata natura, caro eſſe: & tamen paulo poſt, fortiter contendit alium eſſe Sermonem, quam Filium, quia Sermo de Filio quaſi de re alia teſtatur, pagina 23. Neque ferenda eſt cavillatio, qua elabi conatus eſt, illic de voce in nube audita ſe loqui. Nam & ſimpliciter Sophiſtas vocat qui Sermonem eundem faciunt cum Filio: & locum Joannis adducens, Tres ſunt qui dant teſtimonium in cælo, Pater, Sermo, & Spiritus, & hi tres unum ſunt: perverſe, & impie Sermonem à Filio ſeparat. Eodem pertinet quod habetur lib. 2. de Trinitate, pagina 85., Hic homo Jeſus eſſentialiter eſt Verbum illud per quod omnia facta ſunt, ejus gratia prolatum eſt Verbum, & creatus mundus. Craſſam repugnantiam hic omnes vident, quum eſſentialiter Verbum eſſe dicitur, in cujus favorem Verbum prolatum eſt. Verum proxima pagina prius illud ſuum delirium rurſus confirmat. Nam illud 1. ad Hebr. cap. citans, Verbo Filii omnia ſuſtineri: Audis, inquit, omnia fieri ejus Verbo, ne Verbum cum Filio metaphyſice ſumas. Atqui perfidus impoſtor fraudulenter τὸ ῥῆμα in locum τοῦ λόγου ſubſtituit. Non enim illic de æterno illo Sermone, qui carne indutus eſt, agit Apoſtolus: ſed ῥῆμα vocat imperium, vel nutum Chriſti. Aperte quidem interea negat Servetus Verbum eſſe Filium. Paulo poſt tamen, pag. 90., denuo in contrariam doctrinam abripitur, quod Verbum fuerit olim perſonalis Filius. Si olim perſonalis, ergo nunc realis. Atque hic expendant lectores quam pulchre ſecum ipſe conſentiat. In Apologia ad Melanchthonem, pag. 694., vere nunc & realiter genitum eſſe Chriſtum hominem dicit, vere & realiter à Patre differre. Cur non etiam concedit realem fuiſſe ab æterno Filium? Quia tunc, inquit, ſolum erat perſona futuri Filii. Atqui eodem loco dicit ſemper illum hominem fuiſſe in Deo, & hac ratione Patri fuiſſe coæternum, & conſubſtantialem: ſicuti priore pag. dixerat fuiſſe apud Patrem ab æterno in propria ſubſtantia, & forma hominis. Quid hoc eſt? Æternam hominis ſubſtantiam Chriſto tribuit Servetus, dum cogitur ab æterno Patre diſcernere, & tamen reale quidquam in illa perſona fuiſſe negat. Quaſi vero ſubſtantia & forma ſpectrum ſignificent, quod re ipſa nihil ſit. Adde quod paulo poſt ſubjicit illam Verbi ſubſtantiam fuiſſe hujus hominis ſubſtantiam. Cur autem nunc eadem ſubſtantia realiter diſtincta eſt magis, quam olim, niſi quia ita Serveto placet? Pag 692., tertium principium ſumit, tam perſonæ ſimilitudine inter Verbum & hominem, quam ſubſtantiali unitate rite Verbum illud dici hominem, & hominem hunc dici Verbum. Quam turpiter ſecum pugnet, mox patebit. Hæc in præſentia tenere ſufficiat, Si Verbum ſemper fuit homo ſubſtantialiter, & hic homo ſine controverſia Serveto realis eſt Filius, non eſſe cauſam cur Verbum neget reipſa fuiſſe ſemper Filium. Pergamus in tractanda hominis generatione. Libro de Regeneratione ſuperna, verſu ſeptimo, ita loquitur, Chriſtus per Sermonem Dei ex Spiritu ſancto naturaliter genitus eſt, & nos per gratiam ipſius vere ſubſtantialiter. Quam abſurdum ſit nos ex Deo gigni, nunc dicere ſuperſedeo. Hoc quidem aſſerit Servetus, per Sermonem Dei genitum eſſe Chriſtum. Ne commentum, ejus dicto aſſingere videar, ſit ipſe ſuus interpres. libro enim de Trinit. 4. pag. 145., ita ſcribit, Verbum Dei, quod erat Chriſti ſemen, ejus in ſe formalem rationem continebat, ac rerum omnium ſeminales vires. Si hoc reſpectu genitus eſt Chriſtus per Sermonem, ſequitur vitulos, & canes, & porcos non minus eſſe Dei filios: quia ſemen illud originale, nempe Sermo Dei, bruta animalia cum Chriſto omnia in ſe incluſa habebat. Hæc admiranda eſt analogia rerum omnium, quam celebrat pagina ſequenti, quod Verbum Dei generationis Chriſti ſemen omnia generet. Subtilius poſtea philoſophatur, pagina 58., quod in Chriſto tria ſint ſuperiora elementa de ſubſtantia Patris: ſicut paternum noſtrum ſemen eſt aqueum, aëreo & igneo ſpiritu plenum, ita nubes oraculi Dei velut aquea, aërea, & ignea fuit ros naturalis geniture Chriſti. Videmus ex qua materia Chriſtum ſuum conflet. Nam primum Dei eſſentiam componit ex elementis. Deinde hanc mixturam transfert in Chriſti corpus. Lib. 5. pag. 165., commentum ſuum proſequitur, niſi quod prorſus contrarias ſententias permiſcet. Secundum unum modum, inquit, eſt Verbum in carne, ſecundum alium eſt Spiritus in anima: ſecundum utrumque ſemper lux ſubſtantialiter. Sicut Deus erat Verbum Spiritus, & lux in nube: ita nunc eſt Verbum Spiritus, & lux in Chriſto. Ex his verbis ſequitur, Chriſtum nunc eſſe Verbum, & Spiritum, ſicuti Verbum ſemper fuit Deus. Hoc dictum concilient Serveti diſcipuli cum altero quod proxime ſequitur, & quod jam aliunde citavi, Verbum Dei fuiſſe rorem geniture. Nam ita concedant neceſſe eſt, Deum rorem fuiſſe geniture Verbi. Cæterum alibi dicit, pag. 197., ipſum Dei Verbum cum hominis ſubſtantia unum eſſe ſubſtantialiter in Chriſto corpus. Si Verbum ſit corpus ſubſtantiale, cur tantum ros geniture cenſebitur, & non potius quod genitum eſt? Verum alibi ſuam nequitiam detegit. Nam & aperte Dialogo 2., pag. 263., dicit, Verbo transformatam fuiſſe humanam materiam in Deum. Et pag. 266., dicit Verbum, carnem eſſe factum, quatenus erat hominis idea, ſeu perſona, & præfiguratio. Quod ſi admittitur, everſum erit principium fidei, Verbum in carne apparuiſſe, quia carnem noſtram induit. Ac, ſi Deo placet, illic profitetur ſe penitus myſterium illud exponere de Verbo in carne manifeſtato. Atqui videmus nihil aliud tradi, quam prodiiſſe hominem Chriſtum, quem Deus mente conceperat. Fatetur quidem alibi, contineri in Chriſto divinam, & humanam naturam, pag. 268. Sed mox quod bene dictum videri poterat, pervertit, dicens, lucem creatam & increatam in Chriſto unam eſſe lucem. Tollitur enim omnis diſtinctio, non tantum permixtis naturis, ſed in unam redactis. Mox etiam addit, ex tota mundi anima, & anima humana conſiſtere in Chriſto unam ſubſtantialem animam. Tandem pagina ſequenti concludit, Subſtantiam Verbi & carnis unam eſſe ſubſtantiam, & Deum eſſe in carne manifeſtatum, quia caro Chriſti eſt Deo ὁμοούσιος. Ubi jam reperientur naturæ duæ, ſi in carne Chriſti par & eadem eſt, quæ in Verbo Deitas? Neque ambagibus locus eſt: quia Epiſt. 6. pag. 590., negat incarnatione mutatum eſſe Verbum, ſed carnem quam aſſumpſit, in Verbum eſſe transformatam. Item lib. 4. de Trinit. humanam naturam in Chriſto unum eſſe cum divina, & humanam olim tranſmutari, eadem ſemper divina manente. Certe qui non tantum duo in unum coaleſcere docet, ſed ſimpliciter affirmat ex duobus quæ videntur alterum idem eſſe cum altero, non jam duas naturas relinquit. Rurſus in Apologia, pag. 697., ejus verba ſunt, Quodammodo facta eſt Verbi in carnem converſio, & perſonæ translatio, ut huic perſonæ carnis nunc tribuantur omnia, ſicut virga eſt in ſerpentem formaliter converſa, manente Verbi ſubſtantia. Eadem hujus corporis Deitas erat antea Verbi Deitas. Certe non obſcure blaterans carnem nunc eſſe, qui olim Sermo fuit, alteram ex duabus naturam neceſſario deſtruit. Si Chriſti humanitas eſt Verbi in carnem converſio, neceſſe eſt à carne abſorberi verbum, ut una tantum natura maneat. Et tamen miror quid ſibi cum iſta transſubſtantiatione velit Servetus, cui alibi caro Chriſti vocatur caro Verbi, & Dei exiſtentiam habens æternam, Dialogo 2., pag. 270. Hæc qua potui brevitate præfari viſum eſt, unde cognoſcerent lectores, quam ingenue contra me inſurgat, quia dixeram eum in voce Filii cavillari,

dum

dum omnes controverſias ad unum hoc caput reſtringit, quod Chriſtus homo ſit Filius Dei.

Nunc ſigillatim perſtringam quæ refutationis prætextu appoſuit, ſaltem quæ ad cauſam facient. Bis accuſat me mendacii, quia dixeram eum negare Sermonem, qui carnem noſtram induit, olim quidquam fuiſſe, & ex Patre ante ſecula genitum. Atqui bona fide refero quid ſentire ſe oſtendat. Nam aut Verbo ſua fuit hypoſtaſis à Patre diſtincta, aut nihil fuit Verbum. Prius negari à Serveto jam plane oſtenſum eſt. Itaque illi injuriam in ſecundo non facio. Quod autem ante ſecula genitum neget, tum ex ſuperioribus liquere arbitror: tum nihil aliud contendit lib. 1. de Trinitate, & Epiſtol. 1. 2. 3. Et quid aliud ſibi volunt ejus verba lib. 4. de Trinit. pag. 150? Cogitatio Dei erat Filii generatio, non erat tunc realis Filius à Patre diſtinctus, ſed naturalis ſcientia Dei, ut ſpeculo naturalis eſt rei propoſitæ relucentia. Videmus ut genitum Sermonem non concedat, niſi carnis intuitu. Quibus conſentit alter locus, pagina 205., Quod Deus ratione ſua æterna corporalem, & viſibilem Filium ſibi decernens, talis ſpeciei ſubſtantia ſeipſum viſibilem præbuerit per Sermonem, in quo erat Spiritus. Hoc ſi recipitur, quid erit Verbi generatio, niſi deſtinatio futuri hominis? Sicuti dialogo ſecundo, pag. 259., Spe quadam, aut ſeminis præparatione Chriſtum tempore Legis vocatum fuiſſe Filium contendit. Deinde magis ſe implicat dicens, Sicut generantia omnia prius ſemen in ſe continent, quam ad fœtum emittant: ita fuit in Deo ſemen Verbi, priuſquam in Maria generaretur. Hic quoque palam aſſerit non fuiſſe emiſſum à Deo ſemen ad generandum, donec formatus eſt in utero Virginis Chriſtus. Neque tamen nego quin alibi ſecum pugnans, ad nos propius accedat, ſicuti in Apologia, pagina 705., Modo (inquit) eodem, quo nunc eſt Deus Pater hominis, ab æterno erat Pater Verbi viventis, ſapientiæ ſubſiſtentis, virtutis ſuæ, & figuræ. Modo eodem quo nunc eſt homo Filius, erat ab æterno Verbum Filius. Si ingenua eſſet hæc confeſſio, inde nobis emergeret realis Verbi generatio ante ſecula. Nam ſi eodem modo Verbum ſemper fuit Filius ſicut homo nunc Filius dicitur, cur non agnoſcet Servetus Deum reipſa fuiſſe æternum Patrem, & non figurative? Atqui Epiſtola tertia hoc prorſus repudiat. Et in fine ſextæ Epiſtolæ ſic loquitur, In omni generatione quod à patre ſolo prodit, non per ſe dicitur filius, ſed per matrem. Unde igitur vos tantam Filii ſeparati in Divina generatione deformitatem ſomniatis? Quam matrem ante ſecula Verbo fabricabit Servetus, ut illum Filium efficiat? Videmus ergo abreptitii inſtar tranſverſum ferri. Et illo, quem prius citavi loco, modo paritatem, quam ſtatuere viſus fuerat, ſtatim evertit dicens, Genuit ab æterno Pater Filium hunc ineffabili Sapientiæ cogitatione, præparatione, &c. Magis etiamnum jejune in Apolog. pag. 685., Deus, inquit, Pater eſt Verbi, Pater Spiritus ſancti, Pater Spirituum, luminum, & gratiarum. Multæ ſunt in eo paternitates & generationes. Genitas in Deo duas voluntates concedimus, ac etiam creatas, ſicut Sapientia creata dicitur non realiter, ſed perſonaliter. Primum ſi Serveto creditur, inter generare & creare nullum erit diſcrimen. Ita, ut Verbi genitura nobis conſtet, extra Deum exire neceſſe erit, vel Deus ipſe creatura in ſeipſo fiet. Deinde realis negatur generatio, hoc eſt, quæ vere, & reipſa tunc fuerit. Tandem innumerum filiorum examen Deo affingitur. Neque enim ſecus Deum Verbi Patrem vocari aſſerit, quam omnium ſuorum donorum. Ita peribit mutua inter Patrem & Filium relatio. Eat nunc Servetus, & de Filio homine magnifice loquatur, quum incorporeæ donorum omnium turbæ nunc eum permiſceat. Quare fixum illud manet, in quo me Servetus mentiri arguit, Negari ab illo Sermonem Dei ante ſecula fuiſſe genitum. Quia dixeram proſcindi ab eo pios omnes, qui æternum Dei Filium confeſſi ſunt, tergiverſatur ſe quoque idem fateri, modo intelligatur perſonalis Filius. Quaſi vero de figura, vel ſpeculo rei futuræ, & non potius de vera generatione pugnetur. Tametſi enim perſonæ ſubſtantiam affingit Servetus, hac tamen voce umbratilem, vel figurativum Filium deſignat. Et in morte ejus apparuit quid ſentiret, quando hæc loquendi forma nunquam ex ore ejus exprimi potuit, ut æternum Dei Filium invocaret. Exprobrat quod hominem Chriſtum non credamus eſſe Dei Filium: & tamen citatur ex Inſtitutione locus, ubi diſerte hoc affirmo. Et quid unum locum citare attinet, quum lucubrationes noſtræ omnes clare id reſonent? Tantum exceptio illa à nobis additur, non humanæ naturæ intuitu Filium cenſeri: hoc vero pertinaciter urget Servetus, quia caro Deus eſt, ac Deitas, ipſam quoque eſſe Dei Filium. Calumniam, qua nos gravavit de Filio connotativo, ita tuetur, quia Filium dicimus hominem ob unitas in unam perſonam duas naturas: non autem naturaliter Filium eſſe concedimus. Hic quoque deprehenſa tenetur ſacrilega impietas: naturaliter hominem eſſe aſſerit Dei Filium, nempe quia ſeminis defluxu, non ſecus ac vitulus ex tauro, Chriſti caro formata ſit: ita nec homo erit, nec Deus Chriſtus, ſed Deitas in carnem converſa. Atque hæc ratio eſt cur tantopere ipſum urat hypoſtatica unio, qua duas naturas in unam perſonam diſtincte, non autem confuſe in unam ſubſtantiam coaluiſſe dicimus. Quanquam Servetus quid ſibi velit hypoſtatica unio, nunquam intellexit. Nam in Apologia, pag 695., efficax ſe contra nos colligere argumentum putat, quum dicit Spiritum ſanctum fore hominem, quia Chriſto homini unitus eſt: & ſimiliter Patrem, quia Filio unitus eſt. Atqui nemo unquam præter eum ſomniavit hypoſtatice Spiritum Chriſto unitum eſſe. Chriſtum non ideo ſolum ſibi Filium eſſe dicit, quia cæleſtis ſit ejus caro. Quid ergo melius affert, aut probabilius? nempe quia ejus exemplar in archetypo Verbi fuerit. Atqui ſi ejus phantaſmata recipimus, hoc idem non modo ad brutas pecudes, ſed etiam ad metalla, & lapides patebit. En quam feliciter cauſam ſuam ſublevet. Quod autem ex tribus increatis elementis compoſitam eſſe fingat Chriſti carnem, paulo ante oſtendimus. Quod nullum certamen eſſe dixi quin Filii nomen quoties in Euangeliis occurrit, in Chriſtum hominem competat, perfide me agere criminatur. Sed nimis ridicula eſt ejus inſultatio. Quis enim negat ex quo hominis naturam aſſumpſit Sermo Dei, eſſe hominem Filium? Nec vero aliter Euangeliſtæ de ipſo loqui poterant. Convenit igitur Filii nomen homini Chriſto: ſed non pro imaginatione Serveti, qui hominis ſubſtantiam Verbi Deitatem eſſe clamat. Citatus à me fuerat Joannis locus, quod ſemper apud Deum fuerit Sermo. Pulchre ſe elapſum putat, quum me non intelligere dicit quid proprie ſit Sermo: quia ſcilicet ejus commentum de cogitatione creandi Filii non amplector: ſed intelligo Sapientiæ hypoſtaſin ſic in Deo reſidentem, ut una ſit Dei eſſentia, diſtinctæ perſonæ. Ac perſonam quidem Servetus Verbo concedit, ſed luſorie, quemadmodum dixi. Excipit ſe propriiſſime accipere, me vero abuti: ſed quænam illa eſt proprietas? Nempe quod perſona formam, vel ſpeciem denotet. Ipſe vero Chriſti hominis vultum ſemper in Deo apparuiſſe dicit. Nobis vero, dum Patrem reputamus rerum omnium fontem, ac principium, gloriæ ejus fulgor ſatis illuſtris eſt perſona. In Sapientia etiam, aut Verbo affulget lux admirabilis, quæ Patrem repræſentat. Nec eſſentialis Dei virtus in Spiritu ſancto informis eſt, ſed perſonam quoque ſuam habet. Ita fit, ut in Dei eſſentia piis mentibus affulgeant tres perſonæ. Ac verum eſſe illud Gregorii Nazianzeni comprobat fidei experientia, non poſſe concipi Deum unum, quin tres

fulgores continuo nos circumdent. Verum Serveto nulla eſt Dei forma, niſi quæ oculis carneis apparet. Quod ſe ſubſtantialem in Verbo relucentiam poſuiſſe excuſat, nugatorium eſt. Nam alibi irradiatio tanquam in ſpeculo vocatur. Deus, inquit pag. 629., æterne cogitans, externeque proferens, velut œconomus Sapientiam acquiſivit, & prudenter adinvenit. Quænam autem illa fuit cogitatio? nempe, ut Epiſtola ſexta definit, pag. 591., quod naturalis erat in Deo ſcientia, ut in ſpeculo relucentia ſubſtantialiter, & primario Chriſtum continens, quæ in Chriſto dicitur [illegible]. Et paulo poſt concludit ideam, vel Sermonem non poſſe dici, quin alterius rei ſit relucentia: ideoq; gloriam Chriſti hominis fuiſſe, quæ ab initio in Deo fulgebat. Sic etiam lib. de Trinit. 3., pag. 96., gloriam, quam Chriſtus Joan. 17. teſtatur ſe habuiſſe ſemper apud Patrem, Deitati eripit, ac in hominem transfert. Cogita, inquit, quod non Deitas, ſed homo ipſe petit glorificari. Ergo homo ipſe erat glorioſus. Ubi nunc extabit illa ſubſtantia, vel unde nobis prodibit? Contendit enim Servetus imaginari in Deo larvam, quicunque mentis oculos in Verbum dirigunt: quia gloria, cujus meminit Chriſtus, nonniſi viſibilis & corporei Verbi fuerit. Sed quibus, obſecro, illam Pater viſendam exhibuit ante mundum conditum? imo qualis tunc potuit eſſe relucentia, Verbo nondum fabricato, cujus origo ad mundi creationem à Serveto reſtringitur? Nam pag 704. exiſtentiam Verbi ex eo deducit, quod dixit Deus, Fiat lux. Deinde, ſi quis requirat quomodo extiterit, ad ſpectrum illud ex increatis elementis compoſitum, Serveto duce, venire oportet. Nam id continet ejus reſponſio, quod Sapientia ſit perſona Chriſti, quod Filius non ſit Paternæ hypoſtaſeos imago, niſi quatenus homo eſt. Paulo poſt vero aut verſipellis ejus malitia, aut phrenetica illuſio ſe prodit. Dixeram fieri non poſſe quin Filium æternum agnoſcant, quibus Deus æternus cenſetur Pater: ſubſcribit ipſe. Verum ſi id facit ex animo, cur inter ultimos ſpiritus idem facere abnuit? Quanquam nihil opus eſt conjecturis, quum ſibi ſubterfugia omnia præcluſerit. Nam Epiſtola tertia, leviſſimam hanc eſſe rationem dicit ad tale monſtrum inducendum. Paulo poſt ſecum ipſe diſſidens duo axiomata ſubjungit. Dicebat Deus olim ſe fore Patrem, & nos fore filios, tunc in umbra, nunc in veritate: Deus Pater erat perſonaliter, ſicut in eo perſona erat Filii: erat Pater realiter ratione ipſius hominis Chriſti æternaliter ab eo geniti, ac ſi tu ab æterno ſpiraſſes ad prolem aliquam, & mulier eam nunc pareret. Hinc dicitur Chriſtus ſecundum ſpiritum eſſe Filius Dei, genitus. Primum detrahit impius latrator ſanctis Patribus, qui ſub Lege vixerunt, filiorum honorem; quem ubique in Scriptura Deum præſenti fiducia Patrem invocent. Nam apud Jeſaiam non dicunt, Tu olim novo populo eris Pater: ſed jam tunc ſibi fuiſſe Patrem gloriantur. Et quum Deus Ephraim primogenitum ſuum nominat, umbram rei futuræ quoad fideles ipſos, minime obtendit, ſed præſentem adoptionem commendat. In ſecundo membro fatetur Deum realem jam tunc fuiſſe Patrem, hominis Chriſti intuitu. Quomodo hæc convenient, Deum ſub Lege, non veritate, ſed in umbra duntaxat pollicitum fuiſſe quod futurus eſſet Pater: & tamen jam tunc realem fuiſſe Patrem? Nihil in Serveti verbis muto. Quare perſpiciant lectores, an illi ſani, & ſobrii ſpiritus gutta fuerit. Ut tamen venia antilogiæ detur, nondum elapſus eſt Servetus. Nam ſi tunc realis erat totius Eccleſiæ filiatio, realem quoque unigeniti Sermonis fuiſſe oportet, in quo prior illa fundata erat. Exhibitus nondum erat in carne Chriſtus, fateor: ſed æterna Verbi generatio à carne non pendebat: quemadmodum delirat Servetus, pruritum neſcio quem Deo affingens, donec Virginem nactus eſt qua fœtum ex eo conciperet: quemadmodum ſi quis hominum muliere privatus ad generationem adſpiret. Quia præciſe negaverat, vel unum in Scriptura eſſe locum ubi Filii Dei nomen ponatur, niſi de Chriſto homine: ne ſibi nimium placeret, locum adduxi ex Proverbiis, ubi Solomon nomen Filii Dei ineffabile eſſe ait. Mentiri me clamat Servetus, quia de futuro Chriſto ſit prophetia. Atqui eodem colore diceret alius hæreticus, de futuro Deo agi. Uno contextu, & abſque ulla diverſitatis nota, Solomon Deum & ejus Filium celebrat. Utriuſque nomen immenſæ gloriæ eſſe teſtatur, ut exprimi hominum lingua nequeat. Hæc ſimplicitas Serveto mendacium eſt: quia illi placet in futurum tempus trahere, quod in præſenti Solomo affirmat. Quaſi impuri hominis libidinem inſtar ſummi decreti haberi neceſſe ſit. Deinde inſultat, quia unum duntaxat locum protulerim. Quaſi vero ad coarguendam ejus ſuperbiam non ſufficiat unus locus. Unum locum oſtende, inquit, ad Melanchthonem: non poteris. Oſtenſus eſt unus. Inopiam noſtram ſubſannat. Et tamen præfatus eram, me in eo loco non inſiſtere: ſed obiter attingere, ut Serveto anſam de voce rixandi præciderem.

Nunc ad veterum teſtimonia venio: vel quæ ab ipſo nequiter corrupta demonſtravimus, vel quæ à nobis adducta diluere conatur. Hoc in genere tenendum eſt, quod facile ſingulis locis perſpicient lectores, Servetum de nihilo fucum facere, dum hoc principium arripit, Viſibile fuiſſe ab initio Dei Verbum: & Chriſtum hominem fuiſſe ex tribus increatis elementis compoſitum, quia Dei Verbum ſub hominis ſpecie apparuit. Hoc poſterius abſque controverſia receptum fuit inter veteres. Nugari me dicit Servetus, quum rem omnibus tritam refero. Nam Athanaſius, Baſil. Chryſoſt. Cyrill. Hilar. Ambroſ. Hieron. Auguſtin. & alii, quos Servetus Sophiſtas nominat, ſubinde hoc inculcant. Nec tantum inter Sorbonicos uſu hoc receptum eſt, ſed ad Canoniſtas uſque pervenit. Quare hic perpetuus fuit omnium ætatum conſenſus, Filium Dei principem inter Angelos ſub hominis forma apparuiſſe ſanctis Patribus. Quaſi vero Irenæus & Tertul. quicquam à reliquis diverſum tradant: eorum teſtimonio probare nititur Servetus jam tunc fuiſſe aliquod Chriſto corpus, in quo viſibilis eſſet Dei ſubſtantia, & Verbum ejus ſine corpore creato viſibile. Si obſervent lectores in quo hallucinetur Servetus, nobis non erit longa, nec flexuoſa diſceptatio. Viſibilem fuiſſe Dei Filium in forma hominis dicunt Irenæus & Tertullianus. Aſſentior, imo concinunt uno ore omnium ætatum Græci & Latini ſcriptores. Inde colligit Servetus, Viſibilem igitur fuiſſe Verbi Dei ſubſtantiam, & eandem fuiſſe futuri hominis Chriſti. Nulla autem ſyllaba apud Irenæum & Tertull. reperitur, quæ ad hoc commentum accedat. Quin potius adventitium fuiſſe corpus ſentiunt, ſub quo ſe patefecit Dei Filius. Ita ad primum locum Tertulliani prompta eſt reſponſio, Deitatem ſubſtitiſſe in hominis forma, quam tunc aſſumpſit Sermo Dei, modo ſimul teneamus aſcititium fuiſſe corpus illud, in quo viſibilem ſe præbuit. Secundi loci non abſimilis eſt ſolutio: viſum fuiſſe concedimus Dei Filium, ſed diſpenſatione, non ſua natura. Ex oppoſito inſurgit Servetus, in hoc à Patre differre Sermonem, quia viſibilis eſt. Atqui memoria repetere debuerat quod prius ex ejus Apologia citavi, Verbum ſua natura non minus inviſibile eſſe, quam Deum. Unde ſequitur adventitium fuiſſe ſpeciem vel formam, in qua videri potuit. Iterum excipit Servetus proprium eſſe Sermonis repræſentare. Ut hoc fatear, an repræſentatio ad ſolos oculos pertinet? Sermo hominis dicitur mentis character: an quia in oculos incurrit, & humana forma ſpectandum ſe præbet? Si ne humano quidem ſermoni convenit tam craſſa repræſentatio, quanto magis à divino talis craſſities abhorret? Adde quod paſſim Tertul. Filium Dei vere, ſemper, & reipſa fuiſſe prædicat. Servetus nulla ratione fretus nonniſi perſonalem admittit. Quod ad tertium locum ſpectat, ſtulte ſibi plau-

plaudit Servetus: quia confeſſus fuerim formam & effigiem carnis in Verbo ſubſtitiſſe. Nam hæc loquendi forma ut rationi conſentanea non eſt, mihi nunquam excidit. Deinde, ut demus effigiem carnis Verbo fuiſſe circumdatam, nihil hoc Serveto ſuffragatur, qui corpus divinam Verbi hypoſtaſin fuiſſe ſomniat. Nam etſi fatemur verum fuiſſe corpus, quod ſub Lege induit Filius Dei, non tamen ideo concedimus hominem fuiſſe factum: nihilo ſcilicet magis, quam Spiritum ſanctum fuiſſe columbam, dum ſub columbæ ſpecie apparuit. Hinc tanta audacia me contra mentem Tertulliani mentiri clamat Servetus: quia cum ipſo non imaginor formatum ex Deo corpus, quod neque Deus eſſet, neque homo, ſed utriuſque ſpeculum. Nec longa refutatione indiget quartus locus, niſi forte in abſtergendis Serveti ſputis ſatagere libeat. Hypoſtaſin Patris in Filio relucere dicit Tertullianus. De hac re fruſtra Servetus litem movet: niſi quia corporeæ, & increatæ formæ ſpeculatio ejus mentem occupat. Fatetur interim Chriſti perſonam fuiſſe in Patre. Quomodo hoc? Scio quid velit, in Dei ſcilicet eſſentia fuiſſe ideam, quæ ſimul cum luce prodiit: Tertullianus vero longe aliter. Poſtquam enim Filium dixit Patris eſſe perſonam, viciſſim perſonam in Patre locat, quæ referat Filium. A quo non minus, quam ab omnium ſuorum dogmatum ruina Servetus abhorret. De quinto loco breviter reſpondeo. Exultat quaſi victor Servetus, quia doceat Tertullianus Filium Dei viſibili, & corporali ſubſtantia fuiſſe præditum. Atqui id noſtræ doctrinæ minime repugnat: modo notetur aſſumptam ad tempus fuiſſe ſubſtantiam hanc à Filio Dei, ubi & quoties ita ferebat diſpenſationis ratio. Moſi in rubo ardenti loquutus eſt Dei Filius ſub hominis ſpecie. Effigiem illam libenter ſubſtantialem fuiſſe concedo, non inane ſpectrum. At vero Servetus ad corpus ſuum increatum rapitur, cui Sermonis nomen imponit. Rurſus Filium Dei, quem Tertullianus præſentem illic inducit, vult eſſe Filii nondum geniti figuram. Quia de formali diſpoſitione alibi opportunior erat tractandi locus, pauliſper diſtuleram. Atqui Servetus hic me urget, ac diſſimulandum eſſe negat. Quinetiam ſcurriliter jocatur, victum me fugere. Scilicet quaſi me aliqua violenta neceſſitas ad fugiendum compulerit. Quid ſibi velit diſpoſitio formalis, attingere non audeo: quum tamen docendi genus, quod tenemus, hæc loquutio optime confirmet. Primum, diſpoſitio naturæ opponitur. Deinde, forma eſſentiæ. Nam quod in naturam Dei proprie non cadit, ad diſpoſitionem refertur: quia ſcilicet Deus, ut ſe nobis accommodet, ex immenſa ſua, & incomprehenſibili altitudine quodammodo deſcendit. Formalis autem vocatur diſpoſitio, quæ tantum ad ſenſum noſtrum relata nihil derogat eſſentiæ Dei, nec quicquam in ea variat. Quare non ſine pudore repeto tam ſecuram nebulonis proterviam. In ſexto loco nihil proficit, juſtam reprehenſionem convitiis obruere tentans. Legantur Tertulliani verba: patebit Servetum perfide ſupponere, quæ ſancto viro nunquam in mentem venerunt. Fœdior etiamnum impudentia ſe prodit, dum ſuæ falſitati applaudens, exclamat, O verba aurea. Quod deprehenſus, tam convictum crimen purgare non nititur, danda eſt venia. quid enim faceret? Sed quod flagitium ſuum ſaltem tacendo non prætetit, pluſquam ferrea eſt durities. De ſeptimo loco ſic habeant lectores. Primum, ex ſcriptoris lectione cognoſci poſſe quod à me dictum eſt, non vere, nec ingenue à Serveto citata fuiſſe ejus verba. Deinde & alterum illud elicere promptum erit, oppugnari illic Serveti delirium, quum docet Sermonem videri non poſſe. Si enim res erat, ſequitur realiter à Patre fuiſſe diſtinctum. In fabrica viſibili, aut corporali non multum laboro: quia his verbis ſimpliciter aſcititiam formam commendat, in qua Filium ſuum Deus patefecit.

Porro, nimis ridicule cavillatur, me digredi, ne reſpondeam; dum ſyllabam unam à meipſo non proferens, eum perpetuo ejuſdem loci contextu urgeo. Propriam Filio Dei ſubſtantiam tribuit Tertullianus. Annuere quidem Servetus ſe fingit. Sed quo ſenſu? quia ſcilicet corpus ſit increatum, aut Verbum viſibile, neque Deus, neque homo. Mens vero Tertulliani longe diverſa, cui Sermo Dei idem eſt qui Filius: & aſſeritur non eſſe res inanis, & propriam formam habere dicitur à Patre diſtinctam. Ad perſonalem ſuum Filium ſi revolvitur Servetus, palam Tertullianus reclamat, nomen Filii proprie illi vendicans, & ideo defendens à Patre ſecundum eſſe, quia Filium agnoſcit. Excipit Servetus, diſpoſitione ſecundum eſſe. Atqui tale cavillum verba non ferunt, ubi Tertullianus Filii hypoſtaſin intus, & in ſua natura à Patre diſtinguit, non autem in ſolo hominum ſenſu. Realiter vero diſtingui à Patre, quid negare juvat? Nihil tale, inquit Servetus, auditum fuit. Quid autem eſt realiter diſtingui, niſi quum res aliqua ſeorſum eſſe aſſeritur? Diſerte exprimit Tertullianus Sermonem eſſe rem non vacuam. An inter res duas nullum erit reale diſcrimen? Subjicit Tertullianus duas res eſſe, Deum, & ejus Sermonem. Quomodo rem unam ab altera diſtingui vult Servetus, niſi realiter? Sed hoc perinde tranſmittit, acſi nihil ſonaret nomen rei. Colorem etiam inducit, quod Pater alius ſit à Filio tanquam inviſibilis à viſibili. Atqui hoc modo non conveniet ſimilitudo quæ apud Tertullianum ſequitur, nempe ut ſol & radius duæ ſunt formæ. Sed alias latebras quærit Servetus: quia Tertullianus apertiſſime alibi diſtinctionem tollat inter Spiritum & Sermonem. Etſi autem durius Tertullianum loqui fateor, nihil tamen minus illi propoſitum fuiſſe certum eſt, quam confundere quæ alibi paſſim diſcernit. Dum in hanc partem incumbit pius doctor ut Filio ſubſtantiam aſſerat à Patre diſtinctam: ac ſimiliter rem ſubſtantivam, oſtendat eſſe Spiritum: de mutua inter Sermonem ipſum, & Spiritum relatione non laborat, quin potius hæc duo unum eſſe dicit. Senſus tamen ſimplex eſt, infuſa Spiritus virtute in Virginem, Verbum carne fuiſſe indutum. Ideo paulo poſt ſubjici, res illas collatas fuiſſe in Virginem. Unde elicitur aliqua ſaltem diſtinctio. De octavo loco reſponſio, quam dedi, ſanis lectoribus ſufficiet. Quum Angeli humanis corporibus veſtiti olim fuerint, inde colligit Tertullianus Filium Dei non minus potuiſſe hominis carnem induere. Ergo Filius Dei eſt Sermo ſpiritualis, & inviſibilis eſſentiæ, qui carne indutus formam viſibilem aſſumpſit. Quod excipit Servetus, olim vere habuiſſe humanam formam, nihil ad rem facit. Habuerit ſane quoties ita placuit, quum tamen dicitur carnem induiſſe, ſeparatim extra carnem Filius Dei eſſe aſſeritur. Adhæc, quum aliunde corpus ſumpſerint Angeli, ſi idem factum eſt in Chriſto, ſequitur hominis ſubſtantiam à Verbi ſubſtantia differre. Servetus vero eandem eſſe contendit: quia ſecundum ejus figmenta Verbum in carnem converſum eſt, & caro Chriſti ipſa eſt Deitas. Ne juguletur Servetus, ad ſuum Simonem magum confugit. Cæterum, cur mihi probrum hoc aſpergat, ſuo loco dicetur, ubi etiam facile à me diſcutiam. Nonus & decimus locus nova expoſitione opus non habent. Nec moror, quod me in re aperta oculos claudere queratur Servetus. Vellet ſcilicet ſuum Verbum viſibile ſibi concedi. Atqui Tertullianus prorſus in diverſum ſcopum collimat. In undecimo loco an mentitus ſim, ſicuti mihi exprobrat Servetus, judicium ex codice fieri volo. Certe reperient lectores, ex profeſſo illic oppugnari quod nobis Servetus obtrudit delirium. Duodecimum locum ipſe ſibi extortum videns, alio tranſvolat: quod idem ſint Sermo, & Spiritus Tertulliano: quod paulo ante refutavi. Idem ſint etiam Sapientia & Spiritus: quaſi Tertullianus non

varie nomen Sapientiæ uſurpet. Nam diſerte Sapientiæ hypoſtaſin ſubeſſe negat, ſed accidens eſſe dicit. An vero realis diſtinctio nunquam ab eo ſcriptore agnita fuerit, qui plus centies pronunciat res eſſe diſtinctas: lectoribus judicandum relinquo. Sophiſma de quo in locum decimumtertium mihi invidiam facere tentat, nullum eſt. Chriſtum hominis epitheton non ego ſolum eſſe dico, ſed res ipſa clamat. Filii nomen ad Deitatem referri, alibi docuimus. Sed hoc non obſtat quominus vere ſit Filius Dei homo Chriſtus, ob perſonæ unitatem. Querimonia Serveti in locum decimumquartum, uno verbo ſolvitur. Nam quod ſibi impudenter imponi dicit, ad verbum lib. 4. de Regeneratione poſuit, ut ſuo loco dictum eſt, & iterum alibi repetam. De loco decimoquinto non eſt quod rixemur. Volumen inſpiciant lectores, nihil occurret quale finxit Servetus: ſed quod ipſe nullo auctore conceperat, Tertulliani ſuffragio videri vult probatum.

Ea eſt locorum, quos ex Tertulliano citavimus, perſpicuitas, quæ nullo artificio eludi queat: tantum abeſt ut inani Serveti garritu lucem ſuam amittant. Perfecta Verbi nativitas in mundi creatione ab illo ſcriptore aſſeritur. Serveto nulla eſt generatio Verbi, niſi in figura, ad futurum ſcilicet hominem reſpiciens. Neque tamen movetur, quum audit Sermonem abſque carne perfecte ex Deo eſſe natum. Quinetiam objicit ſententiam hanc mihi adverſam eſſe: quia ſcilicet non æterna ponitur nativitas, ſed initium illi datur. Quaſi vero difficilis ſit ſolutio: Tertullianus enim perfecte natum eſſe Sermonem aſſerit, qui ante arcano modo genitus erat: ſicuti Paulus Chriſtum genitum fuiſſe dicit, quum cæleſti potentia declaratus fuit Dei Filius. Senſus eſt igitur, Sermonem, qui occultus latebat apud Deum, effectu ipſo tunc palam emerſiſſe. Quo nihil ad fidei noſtræ confirmationem aptius dici potuit. Affirmat Tertullianus Patrem à Filio ſemper fuiſſe diſtinctum: quia relative inter ſe habent. Hic larvam ſuam opponens Servetus, mutuam relationem Patris & Filii delere ſe putat. Dicit Tertullianus Sermonem Dei ab initio fuiſſe Filium. Cavillatur Servetus perſonaliter hoc debere intelligi: quaſi Sermonem in locum rei ſubſtituere liceat, quoties ita viſum eſt. Negat Tertullianus Sermonem cum Patre eundem eſſe à quo prodiit: ſed inde colligit eſſe alium. Ridet Servetus, quod his verbis doceam realiter diſtingui. Dicit Tertullianus unamquamque perſonam in ſua proprietate conſtitui, quoties Pater ad Filium loquens, vel ad Spiritum ſanctum inducitur. Servetus prophetias eſſe cauſatur de futuro homine. Quaſi non mutua illic notetur relatio inter tres perſonas. Et quomodo hoc tam facile devorat Servetus, qui perſonam vocari non patitur, niſi viſibilem Verbi ſpeciem, quæ ſecundum ipſum futuri hominis erat hypoſtaſis? Multis locis atrociter me vexat: quia Patri aſſignem ſuam perſonam. Tertulliano aliud negat notari perſonæ voce, quam vultum increatum, vel ideam futuri hominis. Locum hunc tam apertum ſecure tranſilit de tribus diſtinctis perſonis. Tertullianus Filium docet eundem eſſe viſibilem, & inviſibilem. Hoc in Praxeam rejicit Servetus, & me nihil intelligere pronunciat. Atqui Tertullianus poſtquam ab adverſa parte objecit Filium fuiſſe inviſibilem, quia inviſibilis fuit Pater in Filii nomine, ex ſuo ſenſo deinde reſpondet in eum quem retuli modum. Interea Servetus ſuum de Verbo viſibili phantaſma, oraculi vice nobis obtrudit. Tertullianus diſerte alium fuiſſe pronunciat à Patre, qui ab initio fuit apud Patrem: licet Deus Sermo fuerit, fuiſſe tamen Deum, non quatenus erat Pater, ſed quatenus Filius. Serveto non iſta eſt realis diſtinctio, ſed diſpoſitio qualem ſomniat. Et certe fateor diſpoſitionis nomen illic haberi, ſed pro eſſentiæ modo, ne diſtinctio inter perſonas eſſentiæ unitatem laceret. Sed quid ſibi vult iſta pervicacia? nolle diſtingui vere, & re ipſa, qui duo clare vocantur, quorum alter ab altero differt. Tertullianus mallet admittere deorum pluralitatem, quam unum verſipellem Deum. Porro verſipellis Deus ab ipſo intelligitur, ſi Filius cum Patre miſcetur, & Pater cum Spiritu, ut nulla ſit diſtinctio, ſed Deus ſe in varia nomina transfiguret. Hoc uno dicto conficitur Servetus: ſe tamen attingi negat. Tertullianus clare aſſerit Patrem non fieri viſibilem in Filio perſonæ repræſentatione: ac deinde exponit, non oculis, ſed ſenſu Patrem videri. Servetus, qui ubique furioſe clamitat non eſſe perſonam, niſi quæ oculis conſpicitur, nullum eſſe Verbum, niſi quod Deum in perſona repræſentat, manet adhuc ſui ſimilis, nec ſuum vulnus ſentit: ne tamen videatur nimis ſtupidus, de perſona ſeparata hoc dictum eſſe exponit. Quaſi vero Tertullianus virtutes perſonæ opponens, non clare demonſtret perſonam ſibi eſſe occultam hypoſtaſin, quæ per ſe oculis non eſt expoſita. Atque hoc loco Servetus ipſe totam ſuam cauſam evertit: perſonas enim fatetur diſtingui. Quid hoc eſt? Nulla ſecundum eum perſona eſt niſi viſibilis. Quo igitur colore Patris perſonam, quæ inviſibilis eſt, nobis pinget? Nec de alia re acrius nobiſcum rixatur, quam ſoli Filio competere perſonam. Hinc apparet quam bene ſibi conſtet in ſuis figmentis. Cæterum ne aſtutiæ ſuæ fœtorem hoc emplaſtro tegat, breviter monendi ſunt lectores qualiter diſtinguat perſonas, pagina 274. Realiter, inquit, differt Filius à Patre, & à Filio Spiritus ſanctus, non eſſentialiter: quia eadem eſt Deitatis eſſentia. Pater eſt totius diſpenſationis, & Deitatis origo, ſimpliciter Deus, ſine creaturæ admixtione, vel participatione aliqua, in ſe conſideratus, incomprehenſibilis. Filius Deitatem habet Patris cum corporali participatione creaturæ. Spiritus ſanctus Deitatem habet Patris & Filii, creaturæ quoque participationem à Filio accipiens. In ſumma, realis eſt, inquit, diſtinctio, adjunctæ creaturæ intuitu. Annon hic eſt ille verſipellis Deus, quem tantopere exhorret Tertullianus, ut malit plures fabricari deos? Quoſcunque enim fucos inducat Servetus, res tamen eo cadit, unum eſſe Deum Patrem, qui ſe creaturis miſcens, diverſas perſonas ſibi adſciſcit: Sermonem non ſimpliciter eſſe Deum, ſed dimidia ex parte: quia admixtio creaturæ illum à Patre diſcernat: Deitatem quoque Spiritus nihilo magis puram eſſe, ſed creaturæ fæce infectam. Quis ad tales blaſphemias non contremiſcat? Interea convincitur Servetus cæco furore litem nobis moviſſe de tribus perſonis. Dicit Tertullianus nos ter in ſingulas perſonas tingi in Baptiſmo: Servetus fumum aſpergit, quod Patrem non neget à Filio realiter diſtingui: Filium vero hominem intelligat. Interea de Spiritu ſancto tacet, quem alibi cum Verbo confundit: neque id ſolum, ſed perſuadere conatur, nullum à Tertulliano poni diſcrimen. Docet Tertullianus Deum minime eſſe carnem, ac Verbum minime carnem factum, quia in carnem transfiguratus ſit, ſed quia carnem indutus, eo quod transfiguratio interemptio ſit priſtini: Servetus eandem nunc carnis Deitatem in Chriſto comminiſcitur, quæ olim fuit Verbi: ſubſtantiam quæ tunc Verbi erat, nunc eſſe carnis: denique carnem eſſe Deum. Si cum eo conſertis manibus Tertullianus pugnaret, non poſſet magis ex profeſſo eum ſtringere. Atqui ferream frontem hîc quoque oſtentat, ſe eadem ubique docere jactans, & tamen nihil ad rem facere. Quid hoc eſt? Sermo, Tertulliano teſte, non ex transfiguratione, vel demutatione ſubſtantiæ caro factus eſt, nec mixtura quadam, ſicut electrum ex auro & argento conficitur: ſed quia in carne ſe exhibuerit, ſubſtantias ſuas proprietate diſtinctas retinens. ac tandem concludit in una Chriſti perſona duplicem eſſe ſtatum: quia alioqui vel Sermo eſſet mortuus, vel caro mortua non eſſet, ſi Sermo eſſet converſus in carnem. Iſtis Serveti deliriis obtuſæ ſunt lectorum aures: me tamen

extra rem vagari fingit. Quid? hoccine eſt præter rem vagari? Tertullianum ita contrarium oſtendere, ut ſingula ejus verba cum totidem Serveti deliriis in certamen committam? Interea ut aliquid contra aſferat, conqueritur omiſſum fuiſſe à me locum de faciei divinæ conſpectu. Quaſi non jam plus decies caput hoc diſcuſſum, & ſolide expoſitum à nobis fuerit. Ac tam ſervilis eſt ejus ſcurrilitas, ut pulchritudinem loci illius jactando, contra tam clara teſtimonia oppedere non dubitet.

In Irenæi teſtimoniis iterum excutiendis dabo operam ne lectoribus ſim faſtidio. Et certe me pudet laborem hunc retexere. Sed quoniam ita cogit Serveti improbitas, hoc moleſtiæ mecum devorent pii lectores. Docet Irenæus, in figura hominis Jeſum Patribus loquutum. Hinc corpus increatum elicit Servetus, cui perſonæ nomen imponit, quod à mente Irenæi prorſus alienum eſt. Hominis ergo ſtultitiam merito refutavi, qui tale ſpectrum de nihilo ſibi confinxit. Graviter hic ſtomachatur, quia ſpectrum dixerim. Atqui non intelligo inanem fuiſſe figuram, ſub qua apparuit Filius Dei: ſed nomen hoc accommodo ad Serveti præſtigias. Nec abs re commentitium eſſe diximus, quod velut ex Irenæo citet ad imaginem vultus, aut figuræ Chriſti plaſmatam fuiſſe carnem Adæ. Nam de effigie iſta, quam Servetus oſtentat, nulla prorſus mentio fit: ſed quod homo perfectus fit, qui ex corpore & anima compoſitus ſuperveniente Spiritu formatur ad imaginem Dei. Quod Servetus exprobrat me negare inſitum hominibus Dei Spiritum: quale ſit, alibi exponam. Hic vero falſi crimen effugere non poteſt, qui ſua figmenta pro Irenæi verbis retulit. Dixi inſulſe colligere Servetum, non eſſe Sermonem niſi qui repræſentet: quia tradat Irenæus Abraham repræſentatione didiciſſe, Verbum Dei fore hominem. Superbe invehitur Servetus, & me Grammaticæ, ac ſimul maternæ linguæ ignarum eſſe clamat. Primum ſitne ex propria Verbi natura repræſentare, non diſputo: ſed tantum quid Irenæi verba contineant. Ab hoc nodo ſe expediat Servetus, poſt de Verbi natura videbimus. Repræſentationem Irenæus vocat, quod Chriſtus aſſumpto hominis corpore, futuræ ſuæ incarnationis quoddam (ut ita loquar) documentum oſtenderit. Corpus illud Servetus vult fuiſſe increatam Verbi ſubſtantiam, ut corporale fuerit Verbum. Porro Verbi repræſentatio qualis ſit, alibi dictum eſt. Nec ſcio in quo Galliæ angulo didicerit vocem *Parolle*, larvam ſonare quæ oculis conſpicitur. In tertio loco Irenæum clare demonſtravimus de mundi creatione loqui, in qua Deus ſe quodammodo nobis in Verbo comprehenſibilem exhibuit. Mentiri me Servetus clamat. Atqui verba fideliter à me referri ne ipſe quidem inficiatur. Sed phreneticus homo ſibi credi vult, Irenæum ab alio ad aliud tranſire. Quod tandem in fine ſubjicit, in contextu non haberi, lectores ex codice diſcant. Quarti loci ſolutio, quæ à nobis allata fuit, nihil perplexum continet. Patres ſanctus Martyr dicit Spiritu Prophetico vidiſſe paſſibilem Dei Filium, qui tunc impaſſibilis erat. De viſione rei præſentis agi clamat Servetus. Eſto. an ideo corporea fuit Verbi ſubſtantia, quod corpore aliunde ſumpto factum eſt viſibile? Quod quintum etiam locum calumnioſe ad ſuas nugas detorſerit, hinc liquet quod Irenæus de imagine Dei loquens, eam hominis naturæ inſculptam fuiſſe intelligit, dum ſpiritualium donorum particeps eſt factus, quemadmodum ſupra liquido expoſui. Serveto nulla eſt Dei effigies, niſi in corpore, ut increatum Verbi corpus, quod ſibi per ſomnium creavit, retineat. In ſexto loco ita confuſus jacet, ut nullum, niſi in aſſenſu effugium reperiat. Sed interea falſi convictus tenetur. Nam ut aboleat æternam Verbi generationem, contendit Irenæo teſte, Verbum ex Virgine eſſe genitum: quum Irenæus potius duplicem generationem innuens, fidem noſtram ſuo ſuffragio comprobet. Non minus clare in ſeptimo loco monſtrata à nobis fuit ejus perfidia. Irenæo enim hæc verba tribuit, quod realis non ſit inter Patrem & Filium diſtinctio. Quod falſiſſimum eſſe conſtat. Nunc ut mendacium excuſet, ratiocinatur, Si Pater ipſe eſt [illegible], realiter à Patre non differre. Quaſi vero communis nobis omnibus non eſſet iſta confeſſio, Totum Filium eſſe in Patre, & totum Patrem in Filio, ubi de eſſentiæ unitate agitur. Neque enim Eccleſia perſonas realiter diſtinguendo, Dei eſſentiam lacerat. Vere ergo dicitur Pater mundum per ſeipſum creaſſe, quem per Sermonem creavit: quia unus, idemque eſt Deus, ſimplexque eſſencia. Per alium nihilominus æque vere, & apte creaſſe dicetur: quia à ſuo genitore diſtingui neceſſe eſt, qui (eodem Irenæo teſte) ante ſecula genitus fuit. Quod in fine ſubjicit ſuppoſititium fuiſſe, negare tandem auſus non eſt. Multis locis profiteri Irenæum fingit, quod à diſcipulis Apoſtolorum didicerit, Patrem mundum non creaſſe per Verbum, quaſi per rem aliam. Nulla ſyllaba reperietur, quæ tale aliquid ſonet. Similis eſt octavi loci ratio. Nam ubi ſanctus Martyr plurali numero docet, non intelligi in Scriptura plures deos, ſed diſpoſitiones, quæ in Deo ſunt, Servetus pro diis pluribus, res diſtinctas ſubjicit: ſe tamen interea falſarium diſſimulat. Quod ad nonum locum ſpectat, inſipida Serveti conſequentia nullo negotio refellitur. Irenæus, quod fatemur omnes, Filium Dei olim viſum fuiſſe dicit ſub hominis ſpecie, nempe quia humanum corpus, quoties ita viſum eſt, aſſumpſit, in quo ſe patefaceret: non quod jam tunc homo factus ſit: quia hypoſtatica unio non erat: ſed quia formam ad tempus aſſumpſit, in qua futuræ ſuæ humanitatis guſtum præberet. Inde colligit Servetus, Verbum ſua natura fuiſſe viſibile, & formam hominis increatam fuiſſe, ac cæleſtem. Meam tamen fatuitatem ridet, quod nihil hic difficile percipiam. Interea impiam ſuam blaſphemiam imprudens retegit, quam fucare alibi laborat, nunquam fuiſſe Dei Sermonem, niſi ſub viſibili hypoſtaſi. Porro, quum hæc hypoſtaſis, vel ipſo teſte, in mundi creatione cœperit, hoc modo deſtruitur Sermonis æternitas. Decimi loci perinde facilis eſt explicatio. Quorſum enim tendit Servetus, niſi ut Sabellii errorem aſſerat, ne qua ſit inter Patrem & Filium diſtinctio? Me tamen accuſat mendacii, & impudenter fingere dicit, quum locus ſit apertiſſimus. Sed quid locus continet? Irenæi enim ſententiam ambabus ulnis libenter amplector: Serveto autem nihil inde accedit. Niſi forte victoriam in eo ſtatuat, quod Chriſtus vocatur Dei imago. Et ſane, ut video, in ſuum illud delirium ſubinde revolvitur, Verbo fuiſſe increatam effigiem. Sed quum omnium ætatum conſenſu agnitus fuerit Filius imago Dei, hoc beſtiæ ſomnium nemini unquam in mentem venit. Porro quicquid cavilletur, lectores videre exiſtimo quam contraria ſit impiis ejus commentis Irenæi auctoritas. Pronunciat ſanctus Martyr Chriſtum non eſſe hominem, niſi acceperit ab homine carnis ſubſtantiam. Servetus, qui ubique fœtide blaterat carnem Chriſti eſſe Deitatem, & ex Dei ſubſtantia formatam, nihil hoc ad rem facere excipit. Nebula quam aſpergit, quod contra Magos loquatur qui Chriſti carnem negabant, facile diſcutitur. Neque enim carnem ſolum vendicat Filio Dei, ſed eam ab homine ſumptam eſſe contendit, & ex humana ſubſtantia formatam: à quo prorſus abhorret Servetus. Paulo poſt, ubi facetus videri affectat, apparet ejus dicacitas ſine ſale. Vident lectores mutilam eſſe ſententiæ illius clauſulam, quæ à me citata fuerat. Ne dubio teſtimonio niterer, defectum illum aliunde ſarcire volui. Quaſi jocandi materia data foret, Alio, inquit, te confer, nihil hic agis. Ego quidem ferreum deſperati hominis pectus mollire non potui: apud alios tamen plus egi, quam

vellet. Secundus enim Irenæi locus palam docet unigenitum fuiſſe Dei Filium, qui carnem aſſumpſit. Deinde ſuum plaſma in ſe recapitulaſſe. Quibus verbis ſignificat ex Adæ ſubſtantia ſibi formaſſe corpus. Quum teſtetur Irenæus noviſſimis temporibus Filium Dei ſactum eſſe viſibilem, judicium cuivis relinquo, verene, & appoſite intulerim, refelli Serveti commentum de æternitate viſibilis ſubſtantiæ. Me tamen dicit mentiri. Sed unde mendacium arguit? Quia, inquit, ante deliteſcebat, & demum palam apparuit. Ubi nunc tritum illud ejus axioma: Non eſſe perſonam, niſi quæ palam oculis conſpicua eſt? Toties pleno ore jactat ſplendorem perſonæ Chriſti ſemper fuiſſe conſpectum: nunc eum in latebras demergit. Quanquam ne hoc quidem ſerpentis flexu elabitur. Viſibilis enim eſſe Filius Dei ſecundum Irenæum cœpit, ex quo paſſibilis factus eſt: idque factum eſſe aſſerit noviſſimis temporibus. Ergo evaneſcit æterna illa Verbi effigies, quam Servetus in cerebri ſui incude fabricavit. Denuo dicit Irenæus, Sapientiam Dei ſemper fuiſſe Filium. Servetus, qui verum Filium non agnoſcit niſi ex Virgine genitum, ſecure alio transvolat, fictitiam ſuam in creaturis Deitatem ventilans. Denique, Irenæus Verbum & Spiritum diſerte plurali numero diſtinguit. Hoc quoque poſtremum ſurda aure præterit Servetus, qui nuper aſſeruit eundem eſſe cum Spiritu Sermonem.

De locis ex Clemente adductis, multa verba facere ſupervacuum foret. Primum, ea eſt libri inſulſitas, cujus vel pueros ipſos mediocri doctrina tinctos merito pigeat: deinde nihil inde protulit Servetus, quod doctrinæ noſtræ non congruat. Summa eſt, latenter ſemper adfuiſſe Chriſtum ſanctis Patribus, & inter Angelos ſummi Prophetæ officio functum. Aſſerit nunc de ſuo Servetus, viſibili forma & vera. Hoc quoque concedo. Sed quæritur an forma illa fuerit Verbi hypoſtaſis, & increatum corpus, quod deinde in utero Virginis in carnem converſum eſt. Porro, citius oleum ex lapide exprimet Servetus, quam ex Clemente vocem educat probando tali portento. Tametſi autem in eodem libro multa veterum teſtimonia excuſa ſunt, quibus non minus duriter quam malleis, contunditur Serveti impietas, argute ſe explicat, quod ibi tantum Petri dicta obſervet. Nec vero quia magnopere teſtimoniis illis confidam, ea objicere viſum eſt: ſed ut ridicula hominis vanitas omnibus pateret, qui nos de nihilo territare volens, pro Apoſtolorum diſcipulis venditat ignotos ſcriptores, à quibus turmatim obruitur. Perſtat tamen in ſua duritie, & ſe poſſe recipere dicit. Quid hic dicam neſcio. Si teſtes mihi hodie ſubornare liceat, & pro arbitrio illis dictare quod reſpondeant: neque aliud, neque aliter cuperem ipſos loqui, quam quod ad verbum illic legitur. Uno tantum verbo deflectit nebulo iſte, quo recipere poſſit tam plenas ſententias, quibus errorum ejus farrago in nihilum redigitur. Quinetiam ſuum illud Mentitis, mihi ingerit: quia ejus commento Sotheri doctrinam de duplici generatione opponam. Quid, quum dico à Serveto tradi (quod ſingulæ libri ejus paginæ ſonant) Verbum Dei non fuiſſe olim, niſi perſonaliter genitum futuri hominis reſpectu, an ego mentior? Quum dico genituram Dei & hominis confuſam ab eo tradi, qui clamat duos fore Dei Filios, ſi Sermo incorporeus ab eo genitus fuerit, an ego mentior? Denique, quum errorem hunc refelli & concidere dico, ſi recipimus Chriſtum ſecundum carnem Filium eſſe hominis: quia vero ſecundum divinam naturam ex Patre ante ſecula genitus fuerit, cenſeri Dei Filium: an ego mentior? Quam odioſa illi ſit idiomatum communicatio, & quam infeſtus contra eam ebulliat, ex compluribus ejus dictis apparet. Eam tamen Eutychianus aſſerit: cui reſtagari non patitur antiquitas, ſi Serveto creditur. Ne eum ſubito obmutuiſſe quis putaret, Ego, inquit, idiomata inter Verbum & hominem communicari dico ſine veſtris illuſionibus: nempe, quia Verbum mortuum eſſe dicit, & Sapientiam Dei eſſe unctam. Loquutionis autem ratio illi eſt, quod Verbum in carnem converſum fuerit, & una ſit confuſe Dei eſſentia, ac natura. Cæterum, quicquid garriat, manet illi cum Eutychiano pugna, qui totam doctrinæ noſtræ ſummam de verbo ad verbum, ut aiunt, illic recitat.

Quum tam adverſus Serveto ſit Ignatius, vel quiſquis ſit ille Scriptor, cujus Epiſtolæ ſub Ignatii titulo feruntur: ideoque fallaciter Servetus ipſe nullam ejus feciſſet mentionem, quem prius alto ſupercilio optimum ſibi eſſe patronum jactaverat, diſſimulanda non fuit tanta improbitas. Dixi igitur mirum eſſe cur nihil ex Ignatio protuliſſet. Reſpondet ſe complures citaſſe locos in ſuis libris. Primum eo impudentior eſt, quod non erubuerit illum citare teſtem qui ex diametro ejus deliriis contrarius eſt. Sed hoc in præſentia non agitur. Nam priuſquam volumen nactus eſſet, decimo quoque verbo illi erat in ore, Ignatius ille domeſticus Joannis auditor: myſteria neſcio quæ in ejus Epiſtolis recondita dicebat, quæ totam controverſiam poſſent dirimere. Quare nullam ab eo ſyllabam proferri poſt tantas jactantias, pluſquam ridiculum fuit. Adhæc operæpretium eſt notare quo artificio ſe explicet. Credere ſe dicit Sermonem ante ſecula ex Deo fuiſſe genitum. Atqui ſupra hoc modo & Deum in fruſta diſcerpi, & Filios duos fieri cauſatus eſt. Neque tamen mihi excidit quid alibi dicat, Perſonaliter genitum fuiſſe Sermonem, quia in ejus ſubſtantia futurum hominem concepit Deus. Ignatius vero aliter, qui veram genituram ſine figura aſſerit. Adde quod dum Solomonis teſtimonio Ignatius Sermonem Dei Filium ſemper fuiſſe probat, non modo nihil movetur Servetus, ſed me cæcitatis damnat, quia non videam id facere contra me. Sic quum alibi unigenitum Dei Filium Sermonem eſſe docet, ac eundem dicit factum eſſe Filium Virginis ſecundum carnem, nodum hunc ſolvit Servetus, quod Chriſtum intelligat. Sic quum alibi iterum prædicat genitum fuiſſe ante ſecula, quatenus Sermo æternus fuit, poſtea & hominem ex Maria virgine fuiſſe genitum: reſpondet Servetus, hominem fuiſſe in forma Dei, perinde acſi Pythagoricus quiſpiam, oſtenſis hominis natalibus, metempſycoſin ſuam pro clypeo objiceret. Si hoc modo loquutus eſſet Athanaſius, clamaret Servetus ipſum eſſe fœdum carnificem Filii Dei, & duos imaginari Filios, in pelle aſini includi Chriſtum: ſuum vero Ignatium quia non audet ſic flagellare, in ſua ſpectra transformat. Ne hoc quidem ei difficile eſt ad ſolvendum, quod vocatur incorporeus Filius in corpore. Atqui nihil abſurdius eſſe clamitat, quam quod incorporeum eſſe credimus Sermonem ex Deo genitum. Tandem animi confuſus, dum ſua dicta retractare cogitur, me tamen bis mentiri dicit. Non ambigue multis locis aſſerit, Deum ab initio ad Filii generationem fuiſſe affectum, donec mulierem nactus eſt, quæ ex eo conciperet: nec dubitat, adducto humanæ libidinis exemplo, pruritum Deo affingere. carnem quoque aperte Deum vocat. Nunc dum parce & modeſte hæc attingo, me ſuo more ſemel & iterum proterve mendacii accuſat. Lectorum oculos oblinere ſibi videtur, dum carnem inducit Dei participem. Quaſi hac voce deleantur ſacrilegia illa, quibus referti ſunt ejus libri. Nec vero aliis locis opus eſt, quam quos in ſuam excuſationem adducit. Nam priore loco nugatur, Verbum illud quod olim eſſentialiter erat forma hominis, nunc eſſe Deitatem ſub forma hominis. Sub forma, inquit, non confuſa, nec imminuta. Quomodo hoc? Subjicit non eſſe tale Verbum, quale olim fuit: quia nunc caro factum eſt. Coacervat poſtea complures blaſphemias.

Digitized by Google

ſphemias, quod umbra olim fuerit duntaxat, ac rei futuræ præfiguratio: in quo & ejus imperfectio notata eſt. Secundo loco mutatum eſſe negat Verbum, ſed carnem fuiſſe in illud transformatam, ideoque formam hominis, quam habuit ab æterno, non fuiſſe confuſam, nec alteratam. Totum autem huc recidit, quod Chriſti caro mera ſit Deitas, nec alius ſit Chriſtus homo, quam qui olim nube increata fuit incluſus. Viderit interea quomodo huic ſententiæ conciliet quod alibi ex eo retulimus, Verbum fuiſſe in carnem converſum.

Calumniarum refutatio, quibus Servetus juſtam errorum ſuorum damnationem à Miniſtris Genevenſibus conſcriptam eluere, vel ſaltem eludere tentavit.

QUoniam ex ejus libris conſtare diximus, præciſe ab eo rejectum fuiſſe nomen Trinitatis, quaſi deteſtabile, cum ſuo MENTIRIS, ferociter inſultat. Id quale ſit, mecum expendant lectores. Plus centum locis Trinitas ſimpliciter ab eo vocatur triceps Cerberus, diabolicum phantaſma, Geryonis monſtrum, illuſio Satanæ, & quid non? Nuſquam moderandi cauſa, additur ſyllabæ unius exceptio. Sed alibi Trinitas ab eo conceditur. Honeſta ſcilicet excuſatio. Nam ſi eo nomine exprimitur ſacra Dei majeſtas, nonne ſumma veneratione colendum erat? Poſtquam illud ſine delectu pluſquam atrocibus contumeliis proſcidit, neque id ſemel, ſed plus centies, nunc paucos locos opponit, in quibus Trinitas verbo tenus admittitur. Videndum tamen eſt, quænam ſit iſta veriſſima Trinitas. Sic habet primus locus, quod Deitas, quæ eſt in Patre, Chriſto communicata eſt primum, deinde eo mediatore Apoſtolis. Atqui hoc modo longe major numerus nobis exurget, & ex Triade fiet Pentadecas. Jam qualis ab eo ſtatuitur Deitas Spiritus? Illum eſſe dicit quem Chriſtus moriens Patri commendat. Tandem concludit veriſſimam eſſe hanc Trinitatem, Deum Patrem, ſpeciem imaginis viſam, & munus inde procedens. ubi nunc erit æternus Sermo, ſi nulla ejus Deitas, niſi in imagine viſibili fuit? De Spiritu vero quam profane, & impie? Nam etſi Dei donum apte interdum, & ex Scripturæ uſu vocatur Spiritus, tenendum tamen in primis erat illud Pauli 1. ad Corinth. cap. 12. varietates donorum eſſe, ſed unum, & eundem Spiritum. Secundo loco, ſicuti jam expoſuimus, perſonam Filii & Spiritus diſcernit à Patris perſona, reſpectu admixtæ creaturæ. En Trinitas Serveti, non in Dei eſſentia, ſed in creaturis quæ neſcio quid mixtum, ac medium habent in quo differant à mera Deitate. Cæterum videamus quam bene in aliis locis ſibi conſtet. Certe pag. 28. Spiritum ſanctum excludens, ternarii numeri obliviſcitur. Si nemo, inquit, Patrem novit, niſi Filius, ubi eſt tertia illa res, quam metaphyſici volunt ſecundæ eſſe æqualem, in ſolio Trinitatis locatam, in tertio angulo triclinii? Item, ſi Chriſtus nos confitebitur coram Patre & Angelis, gravem tertiæ rei facit injuriam, cujus non meminit. Verborum Chriſti facilis eſt, ac prompta ſolutio: quia ſub Patris nomine totam Deitatem ſuo more complectitur. Interim videmus Serveto effluere Trinitatem, cujus vult nunc videri confeſſor. Sermonis hypoſtaſin ſi nomines, credere ſe annuit. Si Patrem voces ingenitum, & Sermonem genitum, duos clamat fieri deos, pag. 30. Unde ipſum ludere apparet. Sed qua ratione nititur, ut tam acerbe ſuccenſeat tribus perſonis realiter diſtinctis? Quia nequeunt, inquit, in mentem venire, quæ ſub ſenſum non cadunt, pag. 32. An tolerabilis eſt hujus beſtiæ ferocia, quod immenſam Dei gloriam, & arcana eſſentiæ ejus myſteria non tantum intellectus ſui modulo metitur, ſed infra ſenſus ſuos ſubjicere audet? Quis nunc miretur, ſi talem ſuperbiam horribili cæcitate punivit Dominus? Eant nunc Serveti diſcipuli, & perſuadeant hoc eſſe fidei principium, nihil recipere, niſi quod capiunt hominis ſenſus. Jam ſi locum habet aliud Serveti dogma quod ſupra attigimus, extincta tertia perſona, tantum reſtabit dualitas. Ipſammet enim Sapientiam contendit eſſe Spiritum, pagina 86. Unde ſequitur, niſi unus, & duo idem valeant, ſolam eſſe Filii perſonam, quæ Patri reſpondeat. Verum, alio poſtea ipſum rapit ſua vertigo, ut duas perſonas in Chriſto excudat. In ſolo, inquit, corpore, & Spiritu Jeſu Chriſti modus Deitatis eſt duplex: unde & duæ dicuntur perſonæ, pagina 129. Quod autem principium perſonæ Spiritus aſſignat quale audimus, nunquam pro abſurdo duxit. Adde quod innumeras hypoſtaſeis audacter ſibi fabricat. Per Deitatem, inquit, quæ nunc eſt in re quavis, poteſt Deus novum mundum creare, & per illam hypoſtatice apparere, quanto magis per Deitatem Chriſti? pagina 150. Quomodo autem hypoſtatice Deum conſtituat in tot perſonis, Epiſtola ſexta fuſius declarat, quod Deus ſit in ligno lignum, in lapide lapis, in arbore arbor. Deinde in Apologia, pagina 698., refutans locum illum ex primo capite Moſis, Faciamus hominem ad imaginem noſtram: quum Deus loquitur & præcipit monti, aut pluviæ, aut lapidi, loquitur Deitati, quæ in ſingulis eſt. Suntne ideo Deitates realiter diſtinctæ? Perſonæ ibi dici poſſunt, quæ audiunt vocem Dei. Quibus verbis annectit quod jam citavimus, poſſe Deum nunc per Deitatem, quæ eſt in re quavis, novum mundum creare, per illam hypoſtatice apparere, & ſeorſum agere. Et adhuc nebulo vocem Trinitatis proferre audebit, ut ſuos fumos venditet? Videmus enim quotquot ſunt in terra lapides, vel trunci, totidem illum induere Deo perſonas. Videmus etiam non plus Deitatis concedi Spiritui ſancto, quam ferro aut lapidibus. Pag. 699. tribus perſonis hoc prætextu illudit, quod quum ignis gehennæ ſit æternus, non jam Trinitas, ſed quaternitas in Deo ſit evidens, Patris, Filii, Spiritus, & ignis. Quod ſi thronus Dei addatur, jam futura ſit quinternitas. Quærit poſtea, ſitne Trinitas luminis, nubis & caliginis. Denique ſic multiplicat perſonas, ut inexplicabile ſit chaos. Poſtquam ſine modo omnia confudit, fatetur in Deo non modo tres perſonas, vel hypoſtaſeis, ſed etiam tres eſſentias, pagina 706. Hoc primo execrabile eſt piis omnibus, ſimplicem, ac individuam Dei eſſentiam in tres ſecare. Nec quiſquam ex tota hæreticorum colluvie unus extitit ante Servetum, qui ſibi in hac parte tantum licentiæ daret. Sed unde repente tam profuſus eſt, ut tres perſonas in una eſſentia non ferens, Deum in tres eſſentias lacerari concedat? Quia, inquit, Verbo, & Spiritui ſancto admixta eſt portio creaturæ. Ergo in Deitate fæculenta & impura erit eſſentiæ partitio. Sed redeo ad illam Verbi & Spiritus identitatem. In archetypo, inquit pagina 165., licet idem eſſent Verbum, Spiritus, & lux, & eſſet nubes eadem ſimul aquea, aërea, & ignea, prius tamen referuntur Verbum & Spiritus quam lux: prius aqua & aër, quam ignis. Hic vel ſenarium numerum concedat neceſſe eſt, vel omne diſcrimen tollat. Jam ſi perſona illi diſpoſitionem ſonat, videamus quænam ſecundum ipſum inter Patrem & Filium ſit relatio. Pagina 696., poſtquam ſibi ab adverſa parte objecit, ſi in homine Chriſto eſt Verbum & Spiritus, cur Verbum potius Filius vocetur: reſpondet, quanquam utrumque certa ratione dici poſſit, in modo tamen eſſe differentiam, quia in Verbo ſemper erat Spiritus, in Spiritu Verbum, virtus eadem, ſubſtantia eadem Verbi & Spiritus. In Sermone, velut in re externe viſa, erat interne contentus Spiritus. Verbum ergo ad corpus ipſum Filii potius ſpectabat.

Ubi

Ubi nunc diſtinctæ hypoſtaſes: imo ubi duæ eſſentiæ, quum ne inter perſonas quidem diſcrimen relinquat? Porro, qua ratione Spiritus ſancti Pater ſit Deus, definit pag. 187. Sicut Pater luminis, inquit, & Pater gloriæ, ac eadem figura dicitur Pater Sapientiæ, & Pater Verbi, ſi abſque homine hæc olim intelligas. Videmus quanto cum ludibrio de æterna Verbi genitura interdum garriat. Quamvis enim figurative eam ſe accipere declaret, ipſa tamen figura in nihilum tecidit, ſi non aliter cenſetur Deus Pater Verbi, quam luminum, miſericordiæ, conſolationis & bonorum omnium. Quid ſi tunc Serveto nihil præter umbram fuit Spiritus? Hinc certe ſequetur, Deum niſi umbratilem fuiſſe Verbi Patrem. Sic autem ipſe diſerte loquitur pagina 217. Videndum etiam reſtat, quo ſenſu honorem unigeniti Filii tribuat Chriſto, pagina 732., Si Deus alium mundum creaſſet, & in aliis formis alias rationales creaturas ex ſeipſis filios generantes, & ipſe quoque, ſi voluiſſet, in ea forma Filium eis ſimilem genuiſſet: ac tunc ille quoque fuiſſet in Sapientia genitus, & fuiſſet in Deo Sapientia eadem quæ nunc eſt exhibitio divina: & ſemper eadem eſſet ratio Filii Dei, quoad Divinitatem attinet. Videmus ut generi humano primarium quendam hominem præficiat, qui in Sapientia formatus, ideo nomen Filii Dei obtinet, quia ſit quoddam Deitatis exemplar. interea ſecundum diverſas ſabricas, alios potuiſſe gigni ſimiles filios. Hinc jam liquido conſtare arbitror, quid coloris habuerit frivola Serveti excuſatio. Deinde jure nec ne à nobis dictum fuerit, nihil veniæ mereri prodigioſum blaſphemiarum ejus chaos. Hic quoque notanda eſt hominis temeritas, quod de rebus prorſus incognitis non minus ſuperciliose pronunciat, quam ſi à prima mundi origine creatus eſſet temporum omnium cenſor. Quia Nicæno Concilio audierat præfuiſſe Athanaſium, quibuſcunque poteſt probris eum flagellar. Dico audiſſe: nam acta Concilii nunquam ab eo fuiſſe lecta mox patebit. Adeo quidem nemini veterum parcit, ut omnes dicat fuiſſe cæcos Sophiſtas, beſtiæ miniſtros, mancipia Antichriſti, & Satanæ præſtigiis faſcinatos. Athanaſio tamen præcipue ea, quam dixi, cauſa infeſtus, fœdam illi maculam inurit, quod Deum tripartitum ſtatuens, ſimul juſſerit imagines adorari, pag. 703., & aliis locis. Sed unde illud decretum hauſit, cujus nuſquam in hiſtoriis fit mentio? Inſcitiam ſuam craſſius prodit libr. De orbis perditione 1. pag. 399. Nam aptus, & peritus Prophetarum interpres, Chriſtum ut Daniel prædixerat, occiſum eſſe nugatur à Romano duce vere Babylonico, qui Babylonicas ſtatuit ceremonias, matrimonium interdixit, Legales fecit tonſuratorum regulas, unguenta conſecrationis, Judaicos ritus, Judaica & Babylonica ſacrificia. Paulo poſt hic Trinitatis ibidem in Deum blaſphemias induxit, & monarchiam Romanam migrate Conſtantinopolim fecit: glorioſus confeſſor. Idola & imagines, ut dixi, ſub hoc Sylveſtro cœperunt ad Helenæ mulieris ſuggeſtionem. Audierat in Concilio Nicæno, quod furioſæ mulieris Irenes auſpiciis, & imperio coactum erat, receptum fuiſſe, & probatum imaginum cultum: hanc Irenem audierat Imperatoris fuiſſe matrem: homo phreneticus nomen aliud, quamvis non multum affine, arripuit. Perinde ergo acſi ab Helena Conſtantini matre profecta imaginum adoratio foret, Athanaſium falſa ejus criminis invidia gravat, quod trecentis poſt mortem ejus annis admiſſum eſt. En cur bonus iſte antiquitatis vindex Clementis larvam, & ſimiles quiſquilias omnibus ſanctorum Patrum ſcriptis opponat. Cæterum omiſſa hac Serveti vecordia, nunquam eum expedient ſui diſcipuli, quin liquido demonſtrent primæ quatuor propoſitiones, quas ex ejus libris adduximus, ſacræ Trinitatis myſterium impie fuiſſe ab eo everſum. Nec vero difficile eſt in coloribus, quos poſtrema quaſi manu appinxit, hoc idem perſpicere. Nam ſi Verbi perſona erat homo, ſicut ipſe loquitur, non fuit Deitati Verbi ſua perſona, ſecundum quam à Patre differret. Nunc ſi Deus eſt in carne manifeſtatus, ſequitur Patrem fuiſſe crucifixum: à quo ſacrilegio recta fides abhorret. Sophiſticis rationibus hic me pugnare conqueritur, non Scripturis. Quaſi vero mihi ad manum trecenti Scripturæ loci non ſuppetant ad hoc probandum. Idem valere fingit, Chriſtum fuiſſe Dei formam, vel in forma Dei. Quaſi vero ipſis quoque pueris non pateat, qui Patri conformis dicitur, ſubſtantialiter, & diſtincte cum Patre conferri. Unde conficitur Chriſtum in ſua Deitate priuſquam carnem indueret, quatenus æternus erat Dei Sermo, conſortem fuiſſe Paternæ gloriæ. Si vocatus à Paulo eſſet forma Dei, triumpharet Servetus, viſibilem eſſe, & corpoream effigiem Dei inviſibilis. Dum vero Paulus Sermonem ipſum carne humana nondum veſtitum gloriæ Dei conformat, proſternitur illud delirium, quod homo fuerit Verbi perſona. Nam Paulus, data opera, contemptum naturæ humanæ habitum cum æterna Deitatis gloria comparat. Ideoque exinanitum eſſe dicit, aſſumpta hominis figura. Argute objicit Servetus, Si erat in forma Dei, ergo formalis erat diſtinctio. Imo potius colligetur ex Pauli verbis, quum ſtatuatur formæ paritas, in ſubſtantia, vel hypoſtaſi fuiſſe diſtinctionem. Certe ſubſtantiam eſſe oportuit, quæ forma prædita eſſet. Fabulas eſſe putat Servetus, quaſi in Deo ſint accidentia, vel ſubjecta. Ego autem hypoſtaſeis, ſubjecta quorum ſingulis attribuitur ſua proprietas, non inepte vocari puto. De accidentibus, litem illi non moveo. Solus enim ipſe accidentia in Deo comminiſcitur. Sed ei dolet fucum execrandis ſuis blaſphemiis detrahi. Poſtquam tres hypoſtaſeis lingua confeſſus eſt, hypoſtaſin vult eſſe eſſentiam, & hoc modo Filius, ſecundum ipſum, character dicitur Paternæ eſſentiæ: quia in eo ſolo ſubſiſtit Deus, ut ſe viſibilem præbeat. Nam expreſſam, inquit, illam effigiem videns, dicor videre Deum, ſicut diceter videre Gabrielem, aquilam videns, in cujus forma ad me veniret. Qualis nunc hypoſtaſeôn diſtinctio? niſi eſſentiam Dei partiri libeat ſecundum diſtributionem, ſicut ipſe poſtea nugatur pag. 121. Diſtincte fatetur invocari in Baptiſmo Patris & Filii nomen, quia realiter differunt Pater Deus, & Filius homo. Quid igitur de Spiritu dicendum, qui ipſo teſte carnem aſſumpſit? Nam hoc reſpectu non conſtabit triplex invocatio. Et tamen furiis me agitari dicit, quia Baptiſmum dico luſorie conſecrari, niſi rem agnoſcimus in Filio. De Chriſti Deitate mentem meam non eſt aſſequutus. Dico longe aliam eſſe Deitatem, quam carnis, nempe æternæ eſſentiæ. Putat phreneticus diverſas me facere Patris & Filii Deitates. Nec moror quod alicubi Spiritum perceptibili perſona induit, quando & multis locis perſonam non admittit niſi viſibilem, & perceptibilem nunc Spiritum faciens, de extrinſeca & adventitia qualitate loquitur. Quintæ propoſitionis crimen diluere volens, internam ſe hypoſtaſin confeſſum eſſe excuſat pagina 704. & 705. Verum nihil illic reperient lectores, niſi quod Verbum, lux perſona Chriſti, prius occulta ratio, deinde manifeſtus fuerit Sermo, quod hic fuerit Deitatis modus, quem apparitionis vocat: deinde alius communicationis. Tandem concludit Trinitatis myſterium in hoc Pauli dicto exponi, Deus manifeſtatus in carne, juſtificatus in Spiritu: vel potius myſterium duplex eſſentiæ Divinæ nobis exhibitæ. En illa interior ſubſtantia quam confeſſus eſt, quod Deus in carne Chriſti formam ſuam exhibuerit, & ſe communicaverit in Spiritus virtute. In ſumma, qui realiter Patris & Filii hypoſtaſin diſtingui non patitur, fallaciter in Dei eſſentia reſidere prætendit. Hinc quoque error,

in

in ſexta propoſitione à nobis objectus, convincitur. Sabellium enim ſe plenis buccis ſpirare quomodo negare audet, qui palam aſſerit idem eſſe Sapientiam cum Spiritu? Annon etiam hinc colligitur, Spiritum fuiſſe crucifixum? Nam aut Spiritum à Verbo diſcernat oportet: aut quod Joannes de Verbo teſtatur ſimiliter in Spiritum competet, nempe factum eſſe carnem, cui annexa eſt mors & reſurrectio. Millies hoc à ſe dictum clamat, quod forma ſaltem & diſpoſitione differat Spiritus à Filio. Fateor quidem, ubi de Spiritus perceptione ſuo more philoſophatur, diverſum modum Deitatis ab eo notari. Sed quum nunc duos in unum miſceat & confundat, minime eum levat ſiquid alibi in contrariam partem docere viſus eſt. Et nunc ſi ſerio de tantis myſteriis ageret, cur ad probandam identitatem Sapientiæ & Spiritus arriperet locos illos, ubi non perſona in Deo ſubſiſtens, ſed Spiritus donum intelligi debet? Septimæ propoſitionis quam honeſta eſt excuſatio? quod alium Deum poſuerit pro alio Deitatis modo. Hoc ſibi non minus fuiſſe licitum jactat, quam mihi dicere aliam Deitatem. quod mihi falſo imputat. Nam in meis lucubrationibus plus centies occurret, quod una, & eadem ſit Deitas. Ante Servetum nemo ita loquutus eſt, quod alius eſſet Deus. & certe non niſi impius ſenſus elici poteſt. Correctio vero ab eo addita, licet aſperam loquutionem mitiget, perverſum tamen figmentum non tollit. Et quid longius diſputo, quum ſupra Deum in tres eſſentias partitus ſit? Adde quod illud abſurdum nunquam effugiet, Spiritum ſanctum à Chriſti demum reſurrectione factum eſſe perſonam, quia tunc ex Chriſto Deo alius emerſit. Quod etiam ex alio loco clarius patet. Nam pag. 184. Spiritum alium & aliud à Filio ſubſtantia eſſe contendit, ac realiter differre eorum ſubſtantias. Si ſubſtantia eſſentiam notat, quam fœdum in modum diſcerpitur Dei majeſtas? Tres quæ ſequuntur propoſitiones quum inter ſe affines ſint, ſimul complectar. Chriſtum tradit Dei Filium eſſe, quatenus ex Dei ſubſtantia genitus eſt. Hoc modo negat Servetus concidere naturæ humanæ ſocietatem quæ nobis eſt cum Chriſto, ex qua ſalus noſtra pendet. Atqui nihil eſt clarius. Unde enim niſi ex communi natura, nobis cum Chriſto fraternitas? Deitatis poſitio, inquit Servetus, horum neutrum tollit. nempe ſi Deitatem carni noſtræ uniret, ſicuti Scriptura docet manifeſtatum eſſe in carne Deum. Atqui non modo naturas duas confundit, ſed eſſentiam carnis Chriſti non minus à nobis ſeparat, quam procul diſtat cælum à terra. Sicut per incarnationem, inquit pagina 275., Verbum effectum eſt caro, vel creatura: ita per reſurrectionem caro deſiit creatura eſſe. Omitto quod alibi fortiter negat Chriſtum vocari debere creaturam. Hoc tantum dico, Si Verbi ſubſtantia, carnis facta eſt, longe diverſam eſſe Chriſti naturam à noſtra. Verbum, inquit, de cælo deſcendens, nunc eſt Chriſti caro. Ultra etiam pagina 147. progreditur, humanam in Chriſto naturam unum & idem eſſe cum divina. Ubi nunc illa ſocietas quam Servetus diſſolvi negat? Et hic ſcilicet me hortatur, ne me torqueam. Sicuti ludibundus ſalutem humani generis prorſus diſſipat: ſic ruinam hanc quaſi ludicram, ſecure vult à nobis excipi. Itane, dum rupto fraternæ unitatis vinculo eripitur nobis Redemptor, ut taciti feramus? Ut frivola ſit fatigatio, ſi unicum adoptionis noſtræ pignus tueri conemur? Frater noſter, teſte Apoſtolo, ideo cenſetur Chriſtus, quia excepto peccato, nobis per omnia ſimilis factus eſt. Exponit Servetus, quod omnia nobis ſimilia acceperit. Verum illic de naturæ ſimilitudine diſſerit Apoſtolus. Et certe, ut nos reconciliaret Filius Dei, in carne ejus vere humana, non divina, terrena, non cæleſti, mundi peccata expiari oportuit, ut in eadem natura offenſæ ſatisfactio conſtaret. Pretium redemptionis noſtræ in carne ſua ſolvit Chriſtus. Si divina erat ac cæleſtis ejus caro, quid ſibi iſta compenſatio vellet? Quærit Servetus, an expertem Deitatis fuiſſe arbitrer hominis naturam. Facilis reſponſio eſt, à Deitate fluere quicquid eſt in Chriſti carne vivificum. Sed aliud eſt unio, quam unitas. Etſi enim carnis naturam induit Deus, ut unus eſſet in Dei & hominis perſona Redemptor: non protinus ſequitur quod Servetus blaterat, Deificam fuiſſe unitatem. Ita ſolvitur puerilis ejus objectio, quod caro Chriſti in ſepulchro jacens, ſua tamen divinitate minime privata fuerit: nempe, quia hominem ſemel aſſumptum nunquam depoſuit Deus, neque mors, neque ſepulchrum potuit unitas naturas dirimere. Verum hac ratione non tollitur earum diſtinctio. Placavit nobis Patrem Chriſtus ſua obedientia: in eſſentia Dei quomodo obedire Deo potuit? Adhæc, quam abſurdum erit humanis affectibus ſubjicere Dei ſubſtantiam? Nec vero abs te notata hoc loco à nobis fuit repugnantia in verbis Serveti. Ter me mentiri clamat, quia fucoſe dixerim ſimulari ab ipſo æternam Chriſti generationem, quam non credit. Quaſi vero non ſit hoc unum ex præcipuis dogmatibus quibus Eccleſiam turbavit, Patrem non eſſe Deum, niſi matris reſpectu: nec vere gigni potuiſſe Sermonem, niſi in utero. Æternam igitur matrem fabricet neceſſe eſt, ut mendacii me coarguat. Naturas confundi; ſi ipſamet Chriſti caro eſt Deus, nemo eſt qui non videat. Nunc hypoſtaticam Verbi unionem obtendit, quæ carnem Deificat. Quaſi vero hypoſtatica ſit unio, quum è cælo detrahit increatum Verbi corpus, quod in utero Virginis caro factum fuerit. Objicit illud Pauli, Sanguine Dei redemptam fuiſſe Eccleſiam. Si ſincere fatetur diſtinctas eſſe naturas, cur non quod proprium erat unius, ad alteram transferri agnoſcit, ut Chriſti hominis ſanguis dicatur fuſus eſſe, qui idem eſt Deus in carne manifeſtatus? Atqui diabolicum illi ſophiſma eſt talis idiomatum communicatio. Denique ſi inter duas naturas diſtinguit, fateatur æternam fuiſſe Verbi eſſentiam: carnis eſſentiam à tempore cœpiſſe, quum in utero Virginis creata eſt. Verum, carnem ex increatis elementis conflatam fingens, æternitatem illi vendicat. Quid quod eſſentiam corporis & animæ cum Verbi & Spiritus unitate confundit, unam & eandem rem eſſe aſſerens, & Chriſtum ab initio fuiſſe dicens corporis & animæ reſpectu? Nunc cavillatur hoc fieri Deitatis ratione, quæ eſt in corpore & anima. Quaſi vero ſi Deitas eſt ipſum corpus, ambagibus iſtis locus ſuperſit. Et tamen Servetum beſtialitatis meæ pudet, quia injuriam fieri Deo oſtendo, quum triſtitiæ, & mortis doloribus ſubjicitur. Hæc enim ſunt ejus verba, quod Deus Verbum & Spiritum in corpus & animam Chriſti diſpenſaverit. Cæterum de æterna & divina Chriſti humanitate tam magnifice in ſpeciem loquutus, mox ipſam Verbi eſſentiam in creaturarum ordinem cogit, exponens Sapientiam Dei vocari, ſicuti hoc elogio quicquid eximium eſt, ornare ſolent Hebræi: Innumera, inquit, nomina apud eos deſinunt in אל & in יה, accepta eodem ſenſu. Nec vero aliter poſtea definit. Ergo utcunque querantur inique ſecum agi, nunquam ſe ab hoc laqueo extricabit, quin ſancta Chriſti majeſtas parum honorifice ab eo dejecta fuerit. Superioribus concinit duodecima propoſitio, Chriſtum hominem ab initio in propria ſubſtantia fuiſſe. Quod ſi verum eſt, mentitur tota Scriptura, ipſum ſemen Abrahæ, & Filium Davidis appellans. Mentitur Apoſtolus quum ex muliere factum eſſe dicit, quæ ſub plenitudinem temporis nata eſt, ut ex ea naſceretur Chriſtus, & hoc modo temporale principium haberet. Partem illam tamen Servetus veriſſimam eſſe defendit, quia Joannes ſe quod ab initio eſt, vidiſſe dicit. Quaſi vero ob perſonæ unitatem viſus non fuerit

Deus in homine. Sed quid hoc ad Serveti delirium, æternam fuiſſe hominis naturam? Calumniatur tamen nos ex Deo nihil citare, quum nulla ſecundum Scripturas generatio, vel uativitas Chriſti nobis conſtet, niſi ex Adam, deinde ex Abraham & Davide, eorumque poſteris continua ſerie originem traxerit. Ipſe vero in propria perſona, & ſubſtantia æternum vult fuiſſe. Cæterum cur de ſecunda parte tacet, quod duæ ſint Chriſti perſonæ? Hic illi mira exprimitur confeſſio, in Chriſto eſſe Deum, qui eſt tres perſonæ. Cur ergo triplicem Chtiſto perſonam non impoſuit? Annon illa gloriæ ejus fuit diminutio, vel mutila ſubſtantiæ deſcriptio, quum ex tribus perſonis unam illi ſubtraheret? Pluribus excutienda non eſt abſurditatum farrago, quæ ſponte lectorum mentibus ſe ingeret. Deum vocat tres perſonas quem ubique inviſibilem eſſe dicit, niſi quod in Verbo corporali, & viſibili perſonam duntaxat unam protulit. Jam ſi tres perſonas ſuſtinuit Chriſtus, Patrem & Spiritum ſequetur non minus eſſe paſſos, quam Filium Dei. Adhæc, ſi in Filium competit Chriſti perſona, quomodo conveniet quod alibi fatetur realiter diſtinctos eſſe? Liquere jam arbitror, quam multis modis ſe implicuerit, dum ſuos errores contumaciter defendens, ex una abſurditate elabi tentat. Ut excuſet quod impie nugatus eſt, Verbum fuiſſe genituræ Chriſti ſemen, unde formata eſt ejus caro, locos ſuo more in ſenſum alieniſſimum detorquet, Dicit Jeſaias, Rorate cæli deſuper, & nubes pluant juſtitiam: aperiatur terra, & germinet ſalutem. Quaſi hic Sermo Dei, præparativum ſui ipſius ſemen vocetur, ac non potius huc tendat precatio, ut Deus juſtitiam & ſalutem ſuam per totum mundum diffundat. Alibi Jeſaias Verbum Dei pluviæ comparat, quæ terram irrigans, eam fœcundat: ut ſcirent Judæi, quod de ipſorum redemptione pollicitus erat Deus, minime fore irritum. Quid hoc ad humanæ in Chriſto naturæ generationem? Chriſtum Pſalmus 76. pluviæ comparat in pratum exectum ſtillanti, unde vis germinandi prodeat. De ſalutari Chriſti virtute loquitur, quæ ſe in totum Eccleſiæ corpus diffundet. Quam præpoſtere ergo ad Chriſti perſonam reſtringitur? Et tamen paulo poſt, Davide, & Jeſaia teſtibus confiſus, victoriam ſibi arrogat. Quod in loco Joannis Verbum accipi jactat pro voce Patris, nugatorium eſt. Nam teſtimonium Chriſti in carne patefacti Joannes ab æterno illo Sermone petit, qui, eodem teſte, caro factus eſt. Quod ſi Sermo eſt factus caro, perperam Servetus alium eſſe negatur. Commentum ſuum nobis obtrudit ex Dialogo 2. pag. 266., Ut penitus intelligas quid ſit caro factum, & quatenus ab eo differat quod eſt carni unitum, tria ſunt tibi in Verbo conſideranda, idea, elementum, & lux. Verbum quatenus erat hominis idea, ſeu perſona, & præfiguratio, dicitur caro factum, & quaſi in carnem perſonaliter conceſſiſſe. In elementati quoque, ſeu ſuperelementari ſeminis ſubſtantia Verbum eſt homo factum, quia ejus elementa ſunt corporaliter quodammodo facta carnis elementa: & ſpiritualiter animæ. Quatenus vero erat Verbum eſſentia lucis, dicitur carnis materiæ unitum, ut totum plaſma ſit unus homo, & una Dei caro. Tandem pagina ſequente concludit, ſicut animæ & Angeli ſunt Spiritus ſanctus, manent tamen animæ & Angeli: ſic Verbum licet caro fiat, manere tamen in ſua natura. Hic me tacente vident lectores quantopere pravis deliriis oblectatus fuerit hic nebulo, quæ totam fidei puritatem inficerent. Lucem nunc à perſona ſeparat, quum plus centies ipſiſſimam faciat perſonam. Elementum nunc in Verbo includit, quum alibi Verbum ſit illi pura Deitas. Verum ſi ſingulis inſiſtam, nullus erit finis. Interea nobis peribit ſimplex pietatis doctrina, quod Verbum carnem noſtram induerit. Concidet etiam illud, Chriſtum naturæ humanæ reſpectu ſemen eſſe Abrahæ. Occurrit Servetus, ac Dei quoque ſemen vocari affirmat Malachiæ 2., & germen Dei, Jeſaiæ 4. Malachias ſemen Dei vocat legitimum propagandi generis humani modum. Jeſaias magnificum fore Domini germen promittit, florente regni ſtatu. Hinc judicium fiat, quam dexter & fidus Scripturæ ſit interpres, qui carnem Chriſti inde colligit ex Verbi ſubſtantia eſſe genitam. Quod hic excuſat coaluiſſe Dei naturam cum homine, ut ſine confuſione unitur carni anima, utinam ſaltem ita moderate loquutus foret. Sed ab hoc longe diſſentaneum eſt quod prius ex Apologia citavimus, Quodammodo facta eſt Verbi in carnem converſio. Item, quod Verbum Dei cæleſte, nunc in terra ſit ipſa Chtiſti caro. Item, quod Euangeliſta tradat ſe manibus palpaſſe ipſam Verbi ſubſtantiam, pagina 122. Et falſo quidem citari Euangeliſtam dicere ſuperſedeo: quia nunc de confuſa mixtione agere mihi ſufficit. Decima ſexta propoſitio licet non mollierit ferream Serveti frontem, ejus tamen flagitium ſatis aperte detexit. Quum Apoſtolus homines in eo præfert Angelis, quod ſemen Abrahæ aſſumpſit Chriſtus, minime obſcurum eſt vel dubium quin aſſumptam intelligat à Chriſto hominum naturam. Quid autem Servetus? Quanquam hominem Chriſtum concedat carne veſtitum eſſe, locum tamen hunc aliter vult exponi, quod non venerit Chriſtus Angelos liberaturus, ſed recepturus ad ſe homines. Nunc ſimulat utramque interpretationem recipere. Atqui veram, & genuinam aperte repudiat. Et nunc rurſus quaſi collecto animo, præſens verbi tempus mihi objectat, quaſi doceat Apoſtolus quotidie aſſumi homines. Quaſi vero ad ſolum Abrahæ genus pateat hæc gratia. Quaſi etiam ſub Chriſto capite non colligantur Angeli in perfectam glotiam. Nec obſtat verbi tempus: quia ſatis tritum eſt, res ipſas, de quibus habetur ſermo, quaſi præſentes in medium ſtatui. Contextus certe omnem ejus rei dubitationem tollit. Si Spiritus ſancti Pater eſt Deus, abolitas eſſe perſonas facile patet. Quod ſe metaphorice loquutum dicit Servetus, metaphoricus quoque Verbi Pater erit Deus. Siquidem, ipſo eodem teſte, Spiritus eſt Pater, ſicut Verbi. Quo etiam pertinet quod dicit pagina 193., de ſubſtantia Spiritus non minus quam Verbi genitum eſſe Chriſtum. Nam ſi ideo Filius eſt Verbum, quia de Verbi ſemine profluxit, & caro factum eſſe dicitur, eadem in Spiritum ſimiliter competent. Negat Servetus pari ratione. Diſcrimen ergo ipſe oſtendat, qui æqualitatem illam, vel ſimilitudinem induxit. Truncari à me ſuas ſententias dicit, quum fidelius referre non potuerim. An conſentanea ſint hæc duo, tres eſſe in Deo perſonas, & unam duntaxat fuiſſe perſonam quæ eſt Angelis communicata, judicent lectores. Nunc novum effugium excogitat: Unam fuiſſe Dei imaginem, ad quam formata fuerit Adæ caro. Sed ſi conferantur ejus verba, nemo tam rudis erit quin fucum ſibi fieri intelligat. Illic ex profeſſo de imagine Dei diſputat: eam in ſingulari numero à Moſe poni dicit, quia una ſola erat perſonalis Dei imago, vel facies. Certe & Patris, & Spiritus perſonam ſatis aperte, niſi fallor, excludit, negans pluralem numerum valere in voce imaginis, quia non fuerint plures in Deo perſonæ. Convitietur ut libuerit, non faciet tamen ut ulla malæ fidei in me macula hæreat. Sequitur alchymiſtica corporis Chtiſti compoſitio, dum illud ex tribus increatis elementis, & terrea materia conflat. Diximus ſpem ſalutis peſſum ire, & evaneſcere redemptionis noſtræ fructum, niſi Chriſti corpus noſtro ſimile fuerit, excepta peccati corruptela. Altera à Serveto exceptio additur, quod fuerit Deitatis particeps. Sed quis hoc illi permiſit? Filius enim Abrahæ & Davidis vocatur ſecundum carnem, à cujus natura ſejungitur Deitas. Adde quod Chtiſti corpus abſurde vocaretur Templum

plum Dei, ſi pars eſſet Deitatis ipſius. Quomodo hæc duo convenient, Deitatem eſſe partem corporis, & Deum corpore ipſo non ſecus atque in templo habitare? Memoria quoque repetant lectores quod prius dixi non eſſe verum mediatorem, niſi quia & frater ſit, & homo ejuſdem naturæ ſocius. Humanitatem Chriſti, etiam ſi puta eſſet creatura, noſtræ diſſimilem fore contendit, quod à Deitate illuſtretur. Quaſi vero de qualitate inter nos vertatur quæſtio, ac non potius de ſubſtantia. Fatemur in carne illa, quæ vere humana erat, & ex Davide habebat originem, conſpicuam fuiſſe unigeniti Filii Dei gloriam. Imo carnem ipſam quum terreſtris eſſet ac mortalis, vivificam tamen fuiſſe & cæleſtis vitæ cibum. ſed hæc ad qualitatem referri debent: interim ipſa carnis natura nobis conſideranda eſt. Quæritur enim In qua carne completa fuerit peccati expiatio. Reſpondet Paulus, Damnatum in carne fuiſſe peccatum. Non fabricat cæleſtem carnem quæ ex elementis increatis defluxerit, ſed dum in vitio & corruptela externam illi ſimilitudinem cum noſtra tribuit, ſubſtantiam proculdubio, & puram naturam fuiſſe eandem ſignificat. Quæritur rurſus in qua carne futuræ reſurrectionis primitias inveniat fides. Qui diverſam à noſtra imaginatur, Chriſtum à membris ſuis ſeparans, terrenis & caducis hominibus beatæ ſpei januam præcludit. Quid enim id nos juvabat, corpus ex Dei ſubſtantia & increatis elementis conflatum, reſurrexiſſe? Nempe naturæ diverſitas, ſocietatem illam cujus fiducia nitimur, abſcindet. Jam quod teſte Paulo Chriſtus eſt filius Davidis ſecundum carnem, & ex Judæis ſecundum carnem deſcendit, non admittit fictitiam illam mixturam ut particula carnis credatur eſſe ab homine, non tota caro in ſolidum. Negat Servetus id quadrare in carnem, niſi quatenus à Deitate ſecernitur. Sed clariora ſunt Pauli verba, quam ut longiori diſceptatione opus ſit. Interim calumniæ me accuſat, quia dixerim, Chriſto nonniſi quartam humanæ naturæ partem hoc modo fieri à matre reſiduam. Falſarium quoque & mendacem me vocat, quia carnem ab eo dixerim in Deitatem converti. Sed quomodo ſecum agi vult, niſi ex verborum ſuorum formula? ſic autem Epiſtola 6. loquitur, Quod caro in Verbum transformata fuerit. De tribus elementis, locus eſt minime obſcurus Dial. 2. de Trinit. pag. 250. Quod ab ipſo Mariæ utero ſumpta ſit materia carnis Chriſti terrea, eadem tamen caro elementa Verbi habuerit vere divina, & Dei ſubſtantiam. Si de proportione rixatur, mihi certe in ſtatera appendere propoſitum non fuit, quanta à matre portio ſumpta foret. Quod voluit Servetus ſuis verbis abunde teſtatum fecit, tribus partibus à nobis differre Chriſtum, quia ex tribus elementis increatis compoſitum ejus corpus, non modo vere divinum ſit, cæleſte ac æternum, ſed rite cenſeatur Deus, non minus quam Spiritus & Chriſtus ipſe, Dial. 1. pag. 231. Jam quum nihil abſurdius fingi poſſit illo commento, rore cæleſti transformatam in Deum eſſe humanam materiam, novus tamen color à Serveto inducitur, transformari quod alia gloria illuſtratur, quam prius. Quaſi vero formæ mutatio, materiæ transformatio dici queat. Cæterum iraſcitur Servetus, quia Chriſti gloriam voco qualitatem, quum lex fuerit ſubſtantialis. Quaſi vero magicum ejus delirium pro confeſſo valere inter nos debeat, quod ex æterna Dei ſubſtantia formata ſit Chriſti caro, ac non potior ſit piis omnibus Scripturæ auctoritas, quæ Chriſti carnem teſtatur, quum prius mortalis eſſet, & terrenæ vitæ miſeriis obnoxia, beata immortalitate donatam eſſe. Reſpondeat mihi Servetus, Nihilne Chriſti carni contulerit reſurrectio? Quicquid autem reſpondeat ipſe, norunt fideles, ex quo in cæleſtem gloriam recepta eſt, longe diverſis, quam prius, dotibus fuiſſe ornatam. Quum dixiſſet ex Spiritu Dei, & humana anima conſtitiſſe in Chriſto unam ſubſtantialem animam, & carnem ejus ex Dei ſubſtantia eſſe, quæ exiſtentiam æternam habet, excuſandi, vel potius tergiverſandi cauſa, Pauli dictum objicit, Qui adhæret Domino, unum Spiritum cum eo effici. Quaſi vero talem mixtionem hominum cum Deo imaginatus ſit Paulus, qua homo ipſe, Deus fieri incipiat, ut dici poſſit æterna ejus eſſentia.

Cæterum ut me temerarium cenſorem probet, ad cauſam longe diverſam tranſit. Damnatam enim à me fuiſſe Aſtrologiam conqueritur. Veritus eſt ſcilicet ne lectores neſcirent omnibus Satanæ faſcinis ipſum fuiſſe dementatum, niſi Aſtrologiæ judiciariæ patronum ſe profiteretur. Aſtrologiam, ut par erat, ſuis ornavi laudibus: magicam vero illam ſuperſtitionem, quæ rerum omnium eventus ex aſtrorum poſitu divinans, fato alligat hominum vitam, & Deo mundi gubernationem eripit, an ego probare potui? Jam me Simonem magum appellet Servetus, quem fictitius ille Clemens hoc præſertim nomine infamat, quia aſtrorum dominio hominum vitam ſubjiceret. Sed ejus vecordiam modis omnibus ita Dominus mirabili conſilio traduxit, ut inſignes reprobi hominis notas ferens, neminem niſi volentem deciperet. Atqui hic ventoſus Gorgias rerum omnium ſcientiam ſibi vendicans, nos ad Grammaticam relegat, quia non fingimus in Dei ſubſtantiam converti quicquid Deo vel per gratiam, vel alio modo unitur. Quod tam abſurde, & impie effutiverat, Chriſtum hominem non eſſe creaturam, nec poſſe ita vocari, ne uno quidem verbo purgare dignatur. Quaſi Filius Davidis non ſit creatura: quaſi qui factus dicitur, & creatus ex homine, non etiam creatura vocetur. Quanquam hoc ego non minus ſtupori, quam ſuperbiæ tribuo. In una tamen voce tandem latebras quæritat: quia de meo adjecerim, Quatenus homo eſt. Atqui plus ipſe ſuis verbis expreſſerat, quam retuleram, Hominem ipſum crucifixum demonſtrans, nequis ad Sermonem id referret. Quod ſi creatura non fuit homo ille pro nobis crucifixus, quomodo ſtabit illud, Nos carnem eſſe ex ejus carne? Eadem dementia præciſe verum eſſe reſpondet, quod continet viceſimatertia propoſitio, unam & eandem Deitatem, quæ eſt in Patre, Filio immediate & corporaliter fuiſſe communicatam. Quid autem ſibi vult immediata & corporalis iſta communicatio, niſi quod Filius carnem induens, momento Deus eſſe incepit? Ridet hanc conſequentiam Servetus, quia ſit ab angulo ad parietem. Ipſe autem qui ſe verſutum dialecticum eſſe jactat, verſet ſe in omnes modos: non tamen hunc laqueum expediet quo irretitus tenetur. Neque enim negat quin Chriſti nativitas ſecundum corpus, temporale habuerit principium. Hoc conceſſo, ſi toti Filio immediate communicata fuit Deitas, quum carne veſtitus homo in mundum prodiit, quænam erit ſuperioris temporis ratio? Quibus hic argutiis opus eſt, ut iam craſſa impietas pateſiat? Quod ſi eadem nobis Deitas communicatur, totidem eſſe deos convenit, quot erunt in mundo fideles. Per gratiam, inquit Servetus. Quid hoc ad me, ſi eſſentialiter deos facit fides, quos Scriptura ſuæ infirmitatis ſenſu ubique humiliat? Comparationes nimis liberas uſurpat, qui redemptionis noſtræ myſterium cum donis inferioribus confundens, ad particulas Quodammodo, & Fere, confugit. Dixerat Spiritum ſanctum deſcendiſſe in Apoſtolos, ſicuti in uterum Virginis deſcendit Sermo, ut carnem indueret. Videmus quam deformiter res longe diverſas permiſceat. Quid enim ſimile inter arcanam Verbi cum carne unionem, & Spiritus donum, quo imbuti Apoſtoli fuerunt? An Spiritus tunc vel

carne

carne circumdatus eſt, vel humanam naturam induit, vel coaluit in unam cum hominibus perſonam, ut eſſet Petrus & Joannes? Serveto ſatis eſt dicere quandam eſſe ſimilitudinem: & dum à me coarguitur, me vocare Magum phantaſma.

Viceſimaquinta propoſitio plane continet quod dixi, nullam fuiſſe hypoſtaſin ſeminis, ſi tantum relucentia erat ac idea futuri Chriſti. Garrit quidem Servetus hypoſtatice in Deo fuiſſe quam imaginatur ideam. Sed quum futuræ rei hypoſtaſin exprimat, videmus eum voces ſibi incognitas temere in aërem effutire. Nimia etiam ejus improbitas in eo ſe prodit, quod veterum ſuffragiis abutitur, quaſi quicquam habeat cum ipſorum doctrina conſentaneum. Mentiri me dicit, quia negem Verbum ab ipſo agnoſci, rem quæ intus apud Deum ſubſiſtat. Et tamen nihil magis frequenter occurrit in ejus ſcriptis, quam diabolicas eſſe præſtigias, ſi quis rem inviſibilem in Verbi nomine concipiat. Jam ſi res fuit Verbum, cur de reali diſtinctione tam odioſe rixatur? & cur in ſuis reſponſis quaſi ex diametro, rem ſubinde perſonæ opponit? Longe adhuc impudentius ſimulat, ſe duas in Verbo & Spiritu ſemper fuiſſe hypoſtaſes ſentire. Hoc faſcino putavit ereptam eſſe vel mentem, vel memoriam lectoribus, ut quod paulo ante dixerat, extinctum nunc jaceret. Nec vero immerito conqueſtus ſum tolli ab ipſo Sermonis ſubſtantiam, quum ſimpliciter definit nonniſi lucem fuiſſe. Ne ratione deſtitui putetur, defenſiones affert prorſus contrarias, quod lux fuerit, non Sermonis, ſed Chriſti: & quod lux ſit Dei ſubſtantia. Atqui ſi vere Dei lucem fuiſſe agnoſcit, non eſt quod me falſi inſimulet, quaſi Sermonem doloſe pro Chriſto ſuppoſuerim. Huc etiam accedit quod diſerte ejus mentem explicui, ad futurum Chriſtum referens quod de luce vel idea balbutit. De luce Dei æque futile eſt cavillum: quia certe interior hypoſtaſis à viſibili ſplendore longe diſtat. Ex viceſimoſexto articulo facile ſe explicat. Malos interpretes hic quoque iterum eſſe affirmat, qui perſonam à figura ſeparant: idque fieri contra vim vocabuli dicit, quia nulla ſit perſona niſi viſibilis. Et tamen quod Spiritus perſonam induxit non viſibilem, id tacitus devorat. Interim nihil in ſuis verbis diſſidii ſe videre fingit. Scilicet tam craſſam abſurditatem putavit ſub unius convitii latebra ſe texiſſe, dum me accuſatorem criminalem vocat. Jam quum in mundi creatione Spiritus tantum umbram fuiſſe dixiſſet, dum requiro ubinam ergo fuerit hypoſtaſis: nugari me reſpondet. Miramur hunc hominem tantum negotii exhibuiſſe mundo, qui tam ſecure nodis omnibus ſe expediat? Quod habet propoſitio viceſimaſeptima, res omnes fuiſſe in Deo ante mundi creationem eo ordine quo nunc ſunt, & primum omnium Chriſtum: ad verbum fideliter retulimus, ut ne ipſe quidem additam fuiſſe ſyllabam negare audeat. Tantum cauſatur, me alia verba quæ ſequuntur non fuiſſe ſimul complexum. quaſi vero perfidiæ ſit crimen, ut jactat, quicquam ex ejus ſermone omittere. Chriſtum, fateor, ſolum vocat figuram ſubſtantiæ Dei: hoc nihilominus interim teneo, res omnes cum ipſo ſemper apud Deum fuiſſe: ut eadem luto tribuatur æternitas quæ in Chriſtum competit. Alterum etiam velit nolit, extorqueo, perſonam nihil aliud fore quam meram imaginationem: quia perſonaliter vel pro ideæ ratione non minus hodierna nebula, quam Chriſtus in Deo fuit. De ſecundo membro quid dicam, Quod Deus Filium ſibi corporalem decernens, viſibilem ſe in Verbo exhibuerit? Si in nudo decreto ſita fuit Verbi eſſentia, quia Deus hominem creare ſtatuerat, non alia erit Chriſti Deitas quam æterna creationis futuræ conceptio. Execranda eſt blaſphemia quam continet vigeſimaoctava propoſitio, Spiritu novo non ante præditum fuiſſe Chriſtum quam à mortuis reſurgeret. Eam ludicra ſolutione abolet Servetus, quod novus Spiritus dicatur ob novam gloriam. Interea ſua convitia crepat, me delirum eſſe & mendacem. Adde quod nihil eum pudet ex 7. Joannis teſtimonium illud adducere, Nondum fuiſſe tunc Spiritum ſanctum, quia nondum glorificatus erat Jeſus. Quid? An illic Euangeliſta Chriſtum novo Spiritu donandum eſſe prædicat, ac non potius hoc nominatim refert ad fideles? Chriſtum de Spiritu ſancto loquutum eſſe teſtatur, non quem expectaret ipſe à Patre, imo quem accepturi erant in eum credentes. Quanquam hoc longe abſurdius, quod Chriſtus adhuc mortalis totam Dei gloriam, ac potentiam non obtinuerit. Quomodo enim transfuſa erat in ipſum Verbi & Spiritus gloria? Quomodo in Deitatem converſa erat caro, ſi gloriam qua ad tempus caruit, quaſi precario reſurgens demum adeptus eſt? Nec vero de manifeſtatione hic agitur: quum teſte Serveto, ſpirata fuerit in Chriſtum ex integro Deitas. Porro quo ſenſu novum Spiritum appellet, operæpretium eſt ex ejus verbis intelligere, Dialogo 2. pag. 273. Spiritum Chriſti qui Deus erat in reſurrectione fuiſſe innovatum, quia ex Divino & humano ſpiritu ante erat unus Spiritus: nunc autem ob novam incorruptibilis halitus creaturam quam in ſe ſubſtantialiter continet, novum dici. Expendant primum lectores, quale portentum Servetus parturiat, quum Spiritum unum qui Deus eſt, nobis ex Dei eſſentia & humano halitu mixtum fingit. Deinde obſervent abſorptam doceri Chriſti animam à Deitate Spiritus. Poſtremo creatam fuiſſe quandam Deitatem, qua factum eſt ut humana anima in Dei eſſentiam tranſierit. Hæc omnia ſuo more tranſilit Servetus, quinetiam ferociter mihi ſuccenſet, quia Dei gratiam, ſicuti infuſa eſt humanæ Chriſti naturæ, nobis credam infundi. Nec eo contentus, magicas eſſe illuſiones adjicit. Itane ut Deus Spiritus ſui donis ornare nequeat fideles quin ſubſtantialiter deos faciat? Ubi ergo erit illud, Diviſiones quidem eſſe donorum, Spiritum vero unum eſſe? 1 Corinth. 12. Spiritum quidem ſuum effundere dicitur Deus ſuper homines: ſed ne ejus ſubſtantiam Servetico modo nobis uniri imaginemur, id fieri docet Paulus, quum unicuique diſtribuitur gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, Epheſ. 4. Reſtat ut magicis præſtigiis illuſum fuiſſe Paulum dicat Servetus, eumque Simonis diſcipulis mecum annumeret. Contra tamen objicit, nos conſortes eſſe Divinæ naturæ: nempe dum exempti carnis noſtræ corruptelis transformamur in Dei gloriam. Sed hoc minime obſtat quo minus liberaliter ſuas divitias in nos explicet Deus, ut tamen nos ſecum deos eſſentialiter non faciat. Objicit rurſum, nos templum eſſe Dei, quia Spiritus ejus habitat in nobis. quaſi non potius inde liceat inferre, non unam eſſe naturæ noſtræ eſſentiam cum Deo, ſi domicilium ſibi in nobis eligit. Ipſiſſima eſt Deitas, ſecundum Servetum, quicquid in Chriſto fuit Spiritus. quaſi non dicatur unctus inter ſuos participes. Nec me latet Serveto non eſſe abſurdum, ſi dicatur Spiritus in animas noſtras influere, ut nos ſubſtantialiter deificet: ſed ipſum nomen unctionis ſatis declarat irrigari nos divinitus, ut qui natura ſicci ſumus & ſteriles, ſugamus ab arcana Spiritus virtute precarium vigorem. Ab eo delirio pendet quod 29. cap. annotavimus. Fingit Servetus partes & partitiones eſſe in Dei ſubſtantia, ut in partitione Spiritus cujuſque portio ſit Deus. Unde hoc illi figmentum? Nempe quia hoc modo pro multiplici & varia donorum diſtributione, Spiritus eſſentiam partitur. Atqui longe aliter Scriptura, quæ Deum ita beneficum eſſe definit, ut Spiritus ſui dona effundens integer maneat. Quia hanc carnificis Serveti ſectionem,

nem, vel ut magis proprie loquar, lanienam non admitto, criminatur Deum à me in angulo recludi. Quaſi vero non omnia Dominus ut virtute, & eſſentia ſua implere poſſit, ut tamen ſe creaturis in hypoſtaticam unionem non miſceat. Nihil in cælo eſt, vel in terra, quod non ſua præſentia, arcanoque influxu vegetet Dei Spiritus. Nunc mihi reſpondeant Serveti, Spiritumne in ſeipſo indiviſibilem eſſe concedant. Si nulla eſt in ipſo diviſio, ſequetur, Spiritum pietatis & ſapientiæ habitare in lignis & lapidibus. En quos fructus proferat fictitia illa Deitas, quam inducere coactus eſt Servetus, ne diſtinctionem inter Spiritum ſanctum & ejus dona admitteret. Ejuſdem rationis eſt, quod accidentia in Deum conferre non dubitavit. Tantum erroris portentum uno verbulo obtegit, quod intelligat entia omnia in Deo ſuſtineri. ſcilicet, ut Deus infuſa Spiritus ſui virtute vivificet, ac ſuſtineat quæ ſemel creavit, neceſſe habebit caducæ mutationi ſe ſubjicere. Jam ut ſacrilegam illam ac deteſtandam vocem excuſet, coæternos & conſubſtantiales Deo eſſe fidelium ſpiritus, nulla profecto hyperbolica elogia coacervat, Quod participes ſint Divinæ naturæ. In illis ſit ſubſtantia Spiritus æterni, & eorum ſedes ab æterno paratæ. Qualis ſit illa Divinæ naturæ participatio, nuper attigi: perverſum quoque de æterna ſubſtantia delirium ſæpius refutatum eſt. Quid autem magis ridiculum quam æternos probare, quibus gratuitum regnum paravit Deus antequam naſcerentur? Conſubſtantiales Deo ſunt animæ regenitæ. Ergo nec per gratiam illis confertur quicquid habent lucis & juſtitiæ, ſed naturaliter illis ineſt: nec vero ſperandum eſt ut olim Deus ſua in illis dona gratuito coronet, niſi in ſeipſum liberalis eſſe velit. Jam & vita æterna donum ſimul & præmium eſſe deſinet. Quid enim accederet æternæ Dei eſſentiæ? Cæterum quia una illa vox Dei, Ego ſum, Ego ſum, & nemo præter me: ſatis oſtendit quam impie ad creaturas transferatur æterna ejus eſſentia, & æternitas divina: pluribus verbis ſuperſedeo. Nihilo excuſabilius eſt, quod poſtquam in Dei ſolium Servetus pios ſpiritus evexit, in extinctionem mox & interitum præcipitat. Cæleſtem & increatum Spiritum, Deo conſubſtantialem, & qui nos deificat, aperte dicit extingui. Tenendum memoria eſt quod alibi garrit, ſubſtantialiter nos ex Deo gigni, nec aliter in nos transfundi Deitatem, quam homo in Chriſti perſonâ, in Deum aſſumptus eſt: ut vere ſit hypoſtatica in nobis Divinæ & humanæ naturæ unio. Maſſam hanc ex Deo & homine conflatam, quocunque tandem nomine vocetur, ad interitum damnare, quid aliud eſt quam Deum facere corruptibilem? Formam hanc loquendi ex Paulo ſumptam eſſe defendit, qui Spiritum extingui non vetaret, niſi eſſet extinguibilis. Quaſi vero imbutus eſſet Paulus Serveticis commentis de ſpiritualis Spiritus cum anima mixtione. Quo ſenſu moneat Paulus Theſſalonicenſes ne Spiritum extinguant, nec mihi difficile eſt dicere, nec apud ſobrios anxia expoſitione indiget. Poſtquam enim de Prophetiis non ſpernendis præceptum dedit, continuo poſt, quo ſibi magis ſollicite caveant, terrendi cauſa ſubjicit, tali contemptu Spiritum extingui, quatenus ſcilicet in ſuis donis refulget. Itaque ad refellendam Serveti veſaniam, nihil hoc Pauli dicto aptius citari poterat: quia Spiritus extinctio, ab ejus donis eſſentiam manifeſte diſcernit. In capite triceſimo longius provectus eſt, Deitatem humanæ animæ ſtatim à creatione attribuens. Nunc de nova per Chriſti gratiam regeneratione non agitur, ſed de communi hominum natura. Inſitum ergo fuiſſe primo homini Deitatis Spiritum Servetus contendit: & quia non aſſentior, me in ſcholam Simonis magi ablegat. Divinis præditam fuiſſe dotibus Adæ animam, apud omnes pios in confeſſo eſt. Nec vero in tanta excellentia celebranda, à Deitatis nomine abhorreo. ſicuti etiam Scriptura ad imaginem Dei formatum fuiſſe hominem docens, inſculptas ejus menti Divinæ gloriæ notas fuiſſe intelligit. Verum longe alio rapitur Servetus: Promethei fabulam nobis renovans, particulam auræ cæleſtis nobis vult eſſe inſitam. Nam, eo teſte, ingenita eſt nobis eſſentialis Deitas: quam etſi fatetur ex parte deletam eſſe, partem tamen aliquam adhuc ſalvam reſtare aſſerit. Hoc ſi verum eſt, ſequetur omnibus carnis vitiis Dei eſſentiam involvi. Errare & labi omnibus nobis commune eſt. Deus ergo ignorantiæ obnoxius erit. Quotquot perverſi affectus in animam hominis competunt, totidem corruptelis ſubjicietur Deus. Denique craſſior eſt hujus delirii abſurditas, quam ut longius inſiſtere neceſſe ſit. Quia dixeram neque à Prophetis, neque Apoſtolis, neque Martyribus quicquam fuiſſe tale cogitatum, Servetus doctores mihi opponit. Unum ſaltem proferat. Ex quibuſdam Tertulliani & Irenæi locis fucum ſupra facere tentavit. Sed quam evanida fuerit ſpecies, lectoribus conſtare arbitror. In citandis Scripturæ locis, ſuo more pluſquam prodigus eſt. Spiravit Deus viventem animam in Adam. Quid? an ut ſuam in eum Deitatem transfunderet? Tempus vindictæ ſuæ, Geneſis 6 præfigit, ne perpetuo rixetur Spiritus ſuus cum homine. ubi Deitatis infuſio? Job 33. capite, fatetur ſe creatum eſſe Dei Spiritu, vivificatum ejus ſpiraculo. Atqui Deus nos creando non protinus tamen ſuam ſubſtantiam nobis inſtillat. Ejuſdem libri 34. capite, dicit Eliu ſimulac Deo viſum fuerit, retractum ab homine iri ſpiritum, & flatum. His verbis potius notatur fragilis creatura, quam eſſentialis Deitas. Adducit Servetus ex Pſalmo 105., Emitte Spiritum tuum, & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Hoc quum ad quodvis animantium genus pertineat, canibus & aſinis communis nobiſcum Deitas erit. Atqui Servetus ſermonem de halitu Divino inſtituerat, quo diſcernitur homo à brutis pecudibus. Eccleſiaſtes 12. capite, Spiritum hominis in morte ad Deum redire teſtatur, qui dedit illum. Atqui longe aliud eſt ſpiritum dari à Deo, quam ſubſtantialiter ipſum infundi. Jeſaiæ 42., Deus Spiritum ſuum Meſſiæ promittit, ut judicium Gentibus proferat. Peculiarem gratiam qua ornandus erat Chriſtus, Servetus ad totum humanum genus trahit, quaſi à vulgari carnis ſenſu Spiritus Chriſti nihil differat. Ejuſdem Prophetæ capite 57. pronunciat Deus Spiritum à ſe egredi, & ſe flatus creare: verum ubi probaverit Servetus Deum eſſe auctorem, an ſimul evincet, ex ejus ſubſtantia particulam in ſingulos homines transfundi? Quorſum his teſtimoniis annumeret primum Joannis caput, non video: niſi quod illic lux Dei illuminare dicitur hominem: & qui per fidem cooptantur in Dei filios, dicuntur ex Deo geniti. Sed inde Servetica Deitas elici minime poteſt: quum potius infuſam gratiæ qualitatem Euangeliſta commendet. Adde quod prius membrum ad communem naturam, alterum ad ſpiritualem regenerationis gratiam ſpectat. Nec etiam Serveti delirio ſuffragatur quod dicit Paulus Actorum 17., Nos in Deo eſſe, vivere & moveri: quo nihil aliud ſignificat, quam ab unico illo fonte nos haurire quicquid habemus vigoris, ut vita noſtra per ſe fluida & umbratilis, in ipſo ſubſiſtat. Catalogum locorum quem texuerat Servetus, breviter perſtringere libuit, ut rurſus agnoſcerent lectores, quam reverenter Scripturam tractare ſoleat. Quod homines truncos & ſaxa à me fieri criminatur, quia illis Deitatem non tribuam, aliquid haberet coloris, ſi inter Deum & truncos nihil eſſet medium. Et tamen ut maxime valeat Serveti apotheoſis, non eximentur homines ab hoc probro, quando Deum in lapide, lapidem

eſſe dicit, Epiſtola 6., pagina 589. Item in Apologia, pagina 698., Deum quoties monti, aut lapidi, aut pluviæ præcipit, Deitati præcipere quæ in ſingulis eſt. Porro, quum in ſanctos Patres qui ſub Lege vixerunt, palam & ſine verecundia ſemper contumelioſus fuerit: mirum eſt cur nunc ſerio invidiam fugere incipiat. Negavit Spiritum regenerationis ſanctum ſub Lege datum fuiſſe: atque hoc continet XXXI. propoſitio. Nunc me inſimulat mendacii quaſi fraude ad Prophetas extendam, quod nonniſi de vulgo dixerat. Hujus tam putidi cavilli prompta eſt refutatio, quum illic, ne eximiis quidem & ſingularis præſtantiæ viris parcat: imo quum non alios enumeret, niſi qui ſingulari aliqua dote excelluerunt. Quod autem nunc cauſatur ſe Prophetis plus dediſſe quam vulgari populo: id quidem interdum ab eo factum eſſe non inficior. Quantulum tamen illud ſit, & quam jejunum, breviter monendi ſunt lectores. Judæos, inquit, intelligo, maxime vulgus ipſum: nam Prophetas ſtabilis fides hæc juſtificabat. Qualis autem fides? Quia ſub umbra quadam, inquit, datum illis fuit Chriſtum videre, & ad eum ſuſpirare præ onere Legis: quamvis non ideo eſſent à Legis jugo exempti. Sed quid eum juvat, hoc in tranſcurſu ſemel aut bis attigiſſe, quando ex profeſſo, de veteri populo diſſerens, in unum omnes faſciculum complicat? Libro enim de Legis & Euangelii differentiis, Judæos omnes pronunciat Deo ſerviſſe in vetuſtate literæ, & non in novitate Spiritus. Ac nequis dubitet hoc patere ad ſelectiſſimos uſque Prophetas, ſic ad verbum loquitur, pagina 115., Nunquam aliquis fuit Judæorum electus aut prædeſtinatus ea electione qua nos prædeſtinavit Deus, ut liberam adoptionem filiorum reciperemus. Et Moſes & Prophetæ ſub Lege erant, non ſub gratia, Legis ſervituti obnoxii. Poſtquam autem Propheticas viſiones recenſuit, concludit tamen nec libertate vera fuiſſe donatos, nec veram adorationem apud ipſos viguiſſe. Præterquam quod facile perſpiciunt lectores, Servetum quocunque ferebat impetus, in contrarias ſententias dilapſum eſſe: minime obſcura eſt in ſanctos Patres contumelia, quam fruſtra eluere tentavit. Tandem ubi ad clauſulam diſputationis ventum eſt, pagina 321., Judæos negat pariter nobiſcum hæredes fore, quia ancillæ ſint filii. Eadem pagina, novam diſputationem exordiens, nullam veteri populo juſtitiam concedit, niſi mundanam: atque in hoc ordine, non modo Prophetas complectitur, ſed nominatim producit in medium, quod licet Spiritus ſanctus per eos loquutus ſit, ſuis tamen geſtis carnale quid, vel animale ſapiebant. Subjicit deinde, quanquam fidem habuerint, fuiſſe tamen carnales: quia fides ipſa, mundana erat, pagina 324. Quid? an illic quoque ſe de fæce plebis agere dicet? Imo in illam fæcem ab eo protruditur Abraham: Quanquam Prophetico Spiritu, inquit, ſub umbra quadam & ænigmate viderit Chriſtum, cæleſtem futuram vitam, & æternitatem in eo crediderit: non tamen fuit in eo tunc regenitus: temporalia tunc expoſcebat. Atque ita non obſtante futurorum ſpe, dicitur ipſius tunc juſtitia fuiſſe carnalis, ſicut acta alia carnalia. Abraham credidit verbo Dei in promiſſione veteri & carnali: nos credimus verbo Dei in Euangelio novo & ſpirituali promiſſiones omnes complente. Dicitur fides eadem, ut figura idem eſt cum figurato. Hic attendant filii Dei quam honorifice tractetur ſummus Eccleſiæ Pater, adeoque dux & anteſignanus fidei noſtræ. Conceditur quidem ei quædam ænigmatica Chriſti viſio: ſed ita ut in mundo ſubſiſteret, ac expoſceret temporalia, ut terrenam hæreditatem ſua fide apprehenderet. Quid hoc eſt? tota Abrahæ vita clamat, eum in cæleſtis vitæ meditatione aſſiduum ac totum fuiſſe: cum Servetus ſic in terram dejicit quaſi nunquam illi ſpiritualis promiſſio data foret. Ac ne longior ſim, Chriſti gratia regenitum fuiſſe negat: quod ſi verum eſt, à regno Dei abdicatur. Verum quando Chriſtus non alia lege fideles admittit in regnum cælorum, niſi ut cum Abraham, Iſaac, & Jacob recumbant: videmus ut Servetus ab hoc conſortio diſcedens, ſibi januam cælorum præcluſerit. Tandem pagina 326., diſerte Abrahæ mentionem faciens, ipſum & ejus poſteros, appellat viros ſanguinis, vindictæ avidos, qui pro inimicis non orabant. Eo tamen uſque non fueram progreſſus in mea cenſura: ſed tantum objeceram Serveto, fieri injuriam ſanctis Patribus, quos Spiritu regenerationis privaverat. Unde apparet, nullam habuiſſe verecundiæ guttam, qui tam proterve convitiando, crimen à ſe depellit. Cæterum ut de promiſcua turba loquutum eſſe demus: quomodo ſe Deo injurium fuiſſe negabit: qui juſtitiam Legis carnalem tantum fuiſſe fingit, quæ nec paradiſum aperiret mortuis, nec in regnum cælorum vivos induceret? Legem univerſo populo datam fuiſſe ſcimus: ejus finem & animam Chriſtum fuiſſe, Paulus teſtatur. Obſtrepit contra Servetus, nullum illis ſpiritualis vitæ datum eſſe guſtum. En cur Deus populum illum ſegregaverit, ut ſacer ac ſanctus eſſet: en cur tot ſplendidis elogiis ipſum dignetur, ac præſertim cur regale ſacerdotium ipſum appellet.

Eadem in propoſitione XXXII. apparet ingenuitas: adoratos à Sanctis ſcripſerat fuiſſe Angelos. Tam fœdum ſacrilegium novo integumento involvit, quod adorati fuerint Angeli & Deus ipſe. Quid hoc rei eſt? quum Lex cultum uni Deo in ſolidum vendicet, an Serveto licebit ſocios illi Angelos adjungere? Non potuit Abraham, ex vera pietatis regula rite Deum colere, niſi ſolum coleret. Qui deinde ſequuti ſunt fideles, claro Legis edicto prohibebantur ne vel Angelos, vel alias ullas creaturas cum Deo miſcerent: Servetus ſibi credi vult, non peccaſſe qui promiſcuum Deo & Angelis cultum tribuerent. Nihilo tolerabilius eſt illud alterum, Angelos fuiſſe veteris Eccleſiæ deos. Quaſi vero non toto affectu cordis reſpexerint ad unicum cæli & terræ opificem, cumque externa oris confeſſione celebraverint. Quod Angelos vocatos ſic fuiſſe jactat, frivolum eſt. Fateor equidem, ad eos non ſecus ac terrenos judices transferri nomen Eloim: ſed ita ut ſola Dei majeſtas, illis in ordinem ſuum redactis, emineat. Denique ſibi ipſe Servetus tergiverſandi anſam præcidit, dum pagina 316. ſcribit, ſub Lege ſolam fuiſſe veræ adorationis umbram: quaſi nulla in ſanctis Patribus viguerit pietas. Propoſitio XXXIII. luculentum Serveticæ impudentiæ ſpecimen eſt. Diſertis verbis ſcripſerat, piorum ſpiritus quum ſubſtantialem habeant æterni Spiritus portionem, ſuam æternitatem habere. Sequitur paulo poſt, Quum æterna fuerit cæleſtis civitas, æternos quoque oportuiſſe ejus eſſe cives. Nunc à ſycophantiæ probro tam certæ reprehenſionis jure me depellit Servetus. Quod ad creationem nunc reſtringere tentat, putidum eſt: quum in Chriſti æternitate fundatam fuiſſe dicat exiſtentiam illam: & nullo diſcrimine interpoſito, Angelos ab initio, in eadem Dei gloria fuiſſe, paulo poſt uno contextu ſubjiciat. Quam impie Deitatis ſubſtantiam includat in omnibus creaturis, jam ſupra expoſuimus. Quoniam hic error propoſitione XXXIV. reprehenſus à nobis fuerat, Servetus idem eſſe reſpondet, ſuſtineri creaturas Dei præſentia & potentia: deinde ſubſtantialem Deitatem illis ineſſe. Quaſi vero virtutem ſuam exerere nequeat Deus, quin ſubſtantiam ſuam in brutas quoque creaturas, ſenſuque carentes, transfundat: ut non minus, ſuo modo, lapis quiſpiam Deus ſit, quam Chriſtus ipſe. Non enim alio modo ab ære vel plumbo, vel aliis metallis diſcernitur, niſi quod

pri-

primarium in ſe continet Deitas exemplar. Et illa ſcilicet fuit præclara ejus confeſſio, non ſolum Dei Deitatem in aſſeribus calcari, ſed hypoſtatice dæmonibus eſſe unitam. Nunc quam improbe in contrarium partem retorqueat, vix conqueri audeo, ita me attonitum reddit perdita ejus impudentia. Præter conſeſſum Judicum, complures aderant idonei teſtes literati, & cordati viri, quum ego frenare ejus vecordiam cupiens, pavimentum calcavi: tum ex eo ſciſcitatus ſum, annon pluſquam abſurdum eſſet Deitatem ita calcari hominum pedibus: nunc quaſi teſtibus deſtituat, motu pedis indicaſſe me calumniatur, pedem meum in Deo non moveri. Adde quod ipſa abſurditas ſatis ſuperque ejus mendacium refellit. Propoſitio triceſimaquinta ipſum Manichæum eſſe convincit. Animam enim nobis fabricat ex Dei ſubſtantia: imo nomen Traducis, quod in veteri Eccleſia tantopere infame fuiſſe ſcimus, data opera oppoſuit, ne cui ambiguus eſſet cum Manichæis conſenſus. Quare ut me eſſe mentitum lectoribus perſuadeat, abradi ex ejus libris neceſſe eſt, quæ me fideliter retuliſſe, ne ipſe quidem negare audet. Nunc ut tantum ſacrilegium quodam velut tectorio obliniat, ſe alibi tradere dicit animas eſſe creatas. Quid autem mea refert, ſi ſecum ipſe in hoc capite, ut in aliis, turpiter pugnet? Fateor certe, adeo nihil eorum temere effutivit, conſtanter ubique, & æquabili doctrina ab ipſo aſſeri, ut majorem partem quaſi ſui oblitus alibi evertat. Fixum tamen illud manet, ex Dei traduce ortas eſſe animas, ideoque ſubſtantialem Deitatem in ſe continere: quod me tacente, piis omnibus deteſtabile fore ſcio. Nunc accedat propoſitio triceſimaſexta, in cujus excuſatione non multum laborat Servetus: quia ſi dii ſumus facti ob animæ dona, ſequatur animam coire in unum cum Spiritu Dei, ſicuti oſſa, caro, nervi, & anima in unam hominis ſubſtantiam coëunt. Primum quæro, quid per animæ dona intelligat. Magorum enim præſtigias ſupra vocavit quicquid de infuſis Spiritus donis à Scriptura traditum amplectimur. Quæro deinde ubinam legerit nos hac ratione fieri deos. Atque ut duo illa obtinuerit, perperam tamen colligit hominis animam cum Dei Spiritu in unum coaleſcere. Minus etiam tolerabile eſt alterum ejus dictum, quo ſuam impietatem exaggerat. Nam pagina 195. ita ſcribit ad verbum, Dubitare iterum quis poteſt, ſi in unam cum anima noſtra ſubſtantiam coit Spiritus ſanctus, quid illud totum eſt? Reſpondeo, Eſt anima, & eſt Spiritus ſanctus. Deitatis illa poſitio nec ſpeciei, nec individui nomen mutat. Eſt anima in Spiritu ſancto, & eſt Spiritus ſanctus in anima. Sicut Deus eſt in Chriſto, & Chriſtus in Deo, & Chriſtus eſt Deus manens homo: ita anima ſublimi regeneratione per hypoſtaticam unionem fit Spiritus ſanctus, & manet anima, ſicut homo fit Deus, & unum cum Deo. Equidem non vereor ut cuiquam Servetus tam inſipidas ſpeculationes perſuadeat veras eſſe. Sed quia multi rixarum nimis cupidi, impio falſorum dogmatum patrocinio ſeſe oblectant, ſiquis eo morbo laborans tuendum Serveti errorem ſuſcipiat, cogitet primum quid hoc ſibi velit, maſſam ex Spiritu Dei & anima hominis conflatam, confuſe animam & Spiritum ſanctum vocari, non ſecus ac Chriſtus promiſcue Deus eſt & homo, quia non modo ex Dei ſubſtantia genitus eſt, ſed abſorpta fuit ejus caro in Deum. Nihil mirum ſi Servetus infuſas Spiritus gratias tam faſtidioſe repudiat, quum hæc magica diſtillatio, quæ cælum cum terra confundit, ſtare nequeat, niſi abolitis Spiritus ſancti donis, quibus ſic ditantur fideles animæ, ut ſemper eas inopiæ ſuæ ſenſus humiliet. Porro Serveti patronis nimis grave onus incumbet, ut animam Spiritum ſanctum & Deum eſſe probent: non ſecus ac Servetus imaginatur eadem Deitate præditam eſſe humanam Chriſti naturam, quæ ab initio in Verbo Dei fuit. Idem phantaſma reperit Dialogo ſecundo, pagina 267., quod anima fit Spiritus ſanctus, & Angelus etiam fiat idem Spiritus, ſicut Verbum ubi fit caro, manet tamen Verbum, quia totum plaſma caro ſit Verbi. Ac nequis ſine ratione eum inſanire dicat, Scripturæ teſtimoniis inſtructus prodit. Pſalmo 15. & 72., ſcriptum eſt, Dominus pars mea. Nihil clarius eſt quam Davidem illic ad humanas hæreditates alludere, quia nihil charius vel pretioſius ſuo patrimonio habent homines. Eodem haud dubie reſpexerat Deus quum filios Abrahæ hæreditatem ſuam vocans, ſe illis in hæreditatem viciſſim fore pollicitus fuerat. Servetus hoc prætextu Spiritum in animas noſtras eſſentialiter diſtillat, qui ipſas deificet, ut ſit indiſcreta quædam maſſa. Mirum niſi tanta fatuitas, vel caninis frontibus ruborem exprimat. In penultima propoſitione mihi à lectoribus petenda erit excuſatio, ſi pædobaptiſmum ex profeſſo non defendam: non quod difficilis ſit vel moleſta, vel etiam laborioſa hujus cauſæ defenſio: ſed quia nolo actum agere. Hanc enim doctrinæ partem magis copioſe mihi tractaſſe videor, quam ut deintegro nunc ejus explicatio texenda ſit. Tantum breviter oſtendam, quibus ſtimulis ultra omnes Anabaptiſtas percitus fuerit Servetus ad maledicendum pædobaptiſmo. Viginti rationibus contendit libro de Regeneratione quarto, perperam ac præter Dei mandatum baptizari infantes. Prima eſt, Quod Chriſti ſymbola perfecta, viros perfectos exigant, vel perfectionis capaces. Reſpondeo, minus verecunde facere Servetum, quam ſolent Mathematici, qui principia ſaltem petunt. Hic vero à ſeipſo creatus magiſter, legem pro arbitrio ſuo nobis imponit. Reſponſio autem facilis eſt, Baptiſmi perfectionem, cujus uſus ad mortem uſque extenditur, ad unum temporis articulum non debere reſtringi: ideoque nihil eſſe abſurdi ſi baptizentur qui pro ætatis ſuæ modulo perfectionem nondum capiunt. Secunda ratio eſt, Quod Chriſti ſymbola ad memoriam ſint inſtituta, ut quiſque recolat ſe Chriſto fuiſſe conſepultum. Hic quoque deeſt principii petitio. De ſacra Cœna præſcribit Apoſtolus, ut ſe prius examinet homo, quam ad eam accedat: & huic myſterio peculiare eſt Chriſti mandatum, Facite in memoriam mei: de Baptiſmo nihil uſquam tale legitur. Admonet quidem Paulus fideles, ut Baptiſmi ſui finem expendant. Sed quis ſanus concedet ad præſentem articulum temporis, quo adminiſtratur, trahendum eſſe? Quin potius ſeſe oculis ingerit manifeſta illa, quam notavi diſtinctio. In tertia ratione ſibi tam ſuaviter plaudit Servetus, ut ſyllogiſmum inſolubilem ſe habere fingat, Omnis qui non credit Filio Dei, manet in morte Adæ, & ira Dei manet ſuper eum. Infans baptizatus non credit Filio Dei. Ergo manet in morte Adæ. Quod autem non credant, clarum eſt: quia fides eſt ex auditu. Antequam hunc Gordianum nodum ſolvam, contrarium ſyllogiſmum opponam. Quemcunque benedicit Chriſtus, ab Adæ maledictione & ira Dei eximit. Infantes autem ab eo benedictos eſſe notum eſt. Ergo ab ira Dei exemptos eſſe ſequitur. Quid, quod Servetus ipſe, ut paulo poſt videbimus, infantes æterno exitio non patitur addici? Imo beatæ reſurrectionis conſortes fore docet. Moriatur Infans ſeptimo, vel octavo menſe: imo puer anno duodecimo: ad eum ſalutis per Chriſtum partæ gratia, ſecundum Servetum; abſque Baptiſmo perveniet. Cur ergo nobis axioma obtrudit quod nec ipſe admittit, & à fide noſtra prorſus diſſentaneum eſſe non ignorat? Cæterum ſyllogiſmi facilis eſt ſolutio, quando illic Chriſtus infantes ad tribunal Dei non citat maledictionis reos, ſed tantum contumacibus judicium denunciat qui auditam Euangelii doctrinam reſpuunt. Hoc vero ad infantes non magis pertinet, quam capitalis pœna, qua Deus ulciſcitur rebelles

belles filios, qui violentam manum patri, vel matri intulerint. Quia in hoc ſyllogiſmo ſuum acumen miratus erat Servetus, ſecundum ejuſdem farinæ attexit, Quiſquis natus eſt ex Spiritu, vocem Spiritus audit, Joan. 3. Pædobaptizatus non audit: ergo non eſt natus ex Spiritu. Verum quod ex tertio Joannis capite citat, nuſquam apparet. Itaque diruto fundamento, totum ædificium concidit. Et tamen Serveto non concedam Spiritum ab infantibus non audiri: habet enim Deus arcanos modos quibus ſua figmenta paulatim, ut viſum eſt, formet. Ideo infantes ſuo modo Chriſtum induere dicimus, quia eos amplectitur Chriſtus, ut ſua juſtitia veſtiat. Quarta ratio eſt, Quod nemo ſpiritualis initio eſſe poſſit, quia præcedit quod animale eſt, 1. Corinth. 15. Miniſteria autem novi Teſtamenti ſunt Spiritus. Ergo non poſſunt à puero carnali incipere. Fateor certe omnes poſteros Adæ naſci iræ filios, & nihil ab utero quam mortem afferre: ſed præſcriptum divinitus tempus Servetus oſtendat, quo incipiat ſpiritualis vitæ novitas. Nos enim ſolidis, & claris Scripturæ teſtimoniis freti, ſimulac naſcuntur infantes ex ſanctis parentibus, Chriſtum dicimus illis manum porrigere, ut à communi reatu abſolvat. Quinta ratio ex allegoria ſumitur, Quia David in arcem Sion conſcendens, nec cæcos, nec claudos ſecum ducit, ſed ſtrenuos milites. Verum ſiquis parabolam opponat in qua Deus ad cæleſte epulum invitat cæcos & claudos, quomodo ſe expedict Servetus? Ego autem nihil aliud reſpondeo, niſi claudos & mutilos cum Davide prius militaſſe, ideoque minime eſſe prohibendos à ſacro ſymbolo, quo Chriſtus rudes, & novitios in ſuam militiam initiat. Sexta ratio eſt, Quod in fluminibus aquæ vivæ quæ manat ex cæleſti Jeruſalem, piſcatores ſunt hominum Apoſtoli, non parvulorum: quia boni piſcatoris eſt piſciculos non attingere, ſed majores tantum ex aquis tollere. Verum ſi quis facetus homo contra objiciat, in rete Euangelii promiſcue colligi omne piſcium genus, nonne cum ludibrio evaneſcet Serveti allegoria? Ego autem reſpondeo, bonos doctores ita piſcari quos ſua doctrina Chriſto acquirunt, ut eorum ſobolem minime rejiciant, quæ in ipſis parentibus ſanctificatur, teſte Paulo, perinde ac proventus novarum frugum in primitiis.

Septima ratio eſt, Quod ſpiritualibus quadrent ſpiritualia. Infantes vero non eſſe ſpirituales, Servetus ipſe pro confeſſo ſumit. Reſpondeo perverſe ab eo torqueri quod dicit Paulus ſe coaptaſſe cæleſtem ſapientiam ſimplicibus verbis, quæ Spiritus majeſtatem potius, quam humanæ facundiæ delicias reſiperent. Deinde hoc in primis evincat neceſſe eſt, arceri infantes ab omni Spiritus gratia. Quod poſtea ſubjicit, ſpirituali cibo paſcendos eſſe ſi facti ſint novi homines: facile diſcutitur, quia in novam vitam regeniti, arcana Chriſti virtute aluntur, donec per ætatem ad Cœnam recipiendam ſint idonei. Octava ratio eſt, Quod Chriſtus omnes Chriſtianos ad Cœnam ſuam vocet. Proferat Servetus teſtimonium, ut credamus. Nam Chriſtus nominatim teſtatur ſe nullos admittere niſi qui ad celebrandam mortis ſuæ memoriam formati ſunt, & edocti. Quod portentum eſſe dicit, hominem generari qui manducare nequeat: non alia reſponſione indiget, quam Chriſtum vitæ cibum eſſe infantibus, licet ab externo ſymbolo ad tempus abſtineant. Neque enim abſurdum fuit octavo die circumcidi infantes ſub Lege, qui tamen non ante ederent Paſcha, quam ſacræ ceremoniæ uſum perciperent. Sic enim ſonant Moſis verba, Quum rogaverint filii tui & filiæ tuæ, Quid hoc ſibi vult? docebis eos, &c. Nona ratio eſt, Quod bonus diſpenſator, familiæ cibum diſtribuat tempore ſuo. Reſpondeo, Ut præpoſterum nos ordinem tenere coarguat Servetus, probandum in primis eſſe, prohiberi à Chriſti gratia infantes. Decima ratio, Quod Chriſtus Apoſtolos jubeat reſpicere ad regiones quæ jam albeſcunt, & paratæ ſunt ad meſſem: unde ſequitur immaturam frugem perperam colligi. Quaſi vero perpetuam regulam illic Chriſtus præſcribat diſcipulis: ac non potius præſentem laboris fructum oſtendens, eos ad obeundum alacriter docendi munus magis extimulet. Nego igitur illis Chriſti verbis certos Apoſtolis fines præſcribi intra quos ſe contineant, ſed ex re præſenti ſumptam eſſe exhortationem. Alioqui non quadraret quod dicit Paulus, Eccleſiæ doctores ſeminare & rigare. Itaque iſtis Serveti argutiolis nihil putidius fingi poteſt, expectandum eſſe donec herba creſcat, deinde tenera ſpica, tertio granum integrum, & tandem ſpica matureſcat. Undecima ratio eſt, Quod iidem erant in prima Eccleſia Chriſtiani & diſcipuli. Quaſi ubi de ſolis adultis diſſeritur, deleantur ex humano genere, ac prorſus intereant infantes: quia in eos non competunt quæ viris ſunt propria. Ineptum ergo cavillum eſt, quod infert Servetus, nullos eſſe Chriſtianos niſi diſcipulos. Quaſi tunc ſancti patresfamilias ſobolem ſuam profanam duxerint. Duodecima ratio, Quod Chriſtiani omnes fratres ſint: infantes vero loco fratrum apud nos non haberi conſtet, quia à ſacra Cœna eos repellimus. Reſpondeo, æque ac Corinthios, vel alios quoslibet, ex Chriſti diſcipulis fuiſſe latronem, qui ad Chriſtum in cruce converſus eſt, quamvis ſacrum panem nunquam guſtaverit: nec fraterni nominis honore ſpoliari à nobis infantes, dum eos non ante ad ſacram Cœnam admittimus, quam ſolidi cibi capaces fiant. Decimatertia ratio eſt, Quod nemo frater noſter fiat, niſi per Spiritum adoptionis, qui tantum ex auditu fidei confertur. Reſpondeo, quod dicit Servetus, in adultis locum habere: ſed hunc ordinarium vocationis modum, quem tenet Dominus, minime obſtare quominus occultam vim Spiritus in pueris, ubi viſum eſt, exerceat. Imo quum dicit Paulus, fidem eſſe ex auditu, ne his quidem verbis imponitur Deo neceſſitas quin arcano inſtinctu ad ſe trahat diſcipulos, quibus de Euangelio verbum nunquam factum eſt. Decimaquarta ratio eſt, Quod Cornelius accepto Spiritu baptizatus ſit. Atqui ſi hoc exemplum inſtar generalis regulæ nobis eſſe debeat, quid Eunucho, & Samaritanis, & reliquis omnibus fiet, quos prius Baptiſmo ſacrari Deus ſibi voluit, quam Spiritu ſuo eos donaret? Inſulſe ergo Servetus, qui Spiritus gratiam ad temporis momentum alligat. Decimaquinta ratio, Quod regeneratione dii efficimur. Sunt autem dii, ad quos ſermo Dei factus eſt. Ergo pædobaptizati non ſunt dii, qui Dei ſermonem non audierunt. Omitto quod Servetus, qui dialecticam ſibi tam audacter arrogat, ſyllogiſmum unum conficere non poteſt. Cæterum unde axioma illud hauſit, Baptiſmo nos effici deos? Hoc tamen illi etiam remitto. Sed in minori pudenda eſt inſulſitas, quod Chriſtus deos vocet ad quos verbum Dei factum eſt. Scimus honorificum hunc titulum Judicibus tribui à Propheta, quod Dei perſonam ſuſtineant in ſua functione. Cauſam adducit Chriſtus, quia divinitus injunctum eſt illis gubernandi mandatum. Servetus ad Euangelii prædicationem id trahens, flagellum ſibi conficit quo infantes à Dei familia arceat. Decimaſexta ratio, Quod nova generatio eſſe nequeat, niſi ubi eſt novus homo. Novus autem homo non fit, niſi per ſermonem genitus. Reſpondeo, Quos Deus ſecundum ætatis gradus ad finem adducit, incorruptibili verbi ſemine regigni: ſed hoc non obſtare quominus ad imaginem ſuam refingat qui nondum capaces ſunt doctrinæ. Decimaſeptima ratio ex Legis figuris petitur, Quod ovis & capra non ſtatim ab egreſſu uteri oblatæ fuerint in ſacrificium. Sed quid ſi retorqueam, primogenita

omnia

omnia ſimulac vulvam apĕruerant, Deo ſacra fuiſſe? Quid ſi rurſus objiciam, agnum oportuiſſe anniculum, & tenerum mactari? Ubi jam erit illud virile robur, & plena perfectio, quam in Baptiſmo requirit Servetus? Decimaoctava ratio eſt, Quod non poſſit ad Chriſtum vocari, qui non poteſt à Joanne præparari. Quanquam autem mihi, ſi vellem, liberum eſſet ſuum axioma Serveto negare, de hac re tamen non litigabo. Sit ſane hoc generale, Joannis opera præparari Chriſto diſcipulos. Sed hoc inſcite ad infantes trahi reſpondeo, quos ante in gregem ſuum cooptat Chriſtus, quam diſcipuli eſſe poſſint, & quos pro ſuis agnoſcit nondum ab illis agnitus. Decimanona ratio eſt, Quia doceant Triſmegiſtus & Sibyllæ non convenire Baptiſmum niſi adultis. Ergo pluris erit Triſmegiſti auctoritas, quam Dei ipſius, qui Circumciſionem ejuſdem renovationis ac puritatis ſymbolum, infantibus communem eſſe voluit? Deinde quid profanus expiandi ritus, quo uſæ ſunt Gentes, Baptiſmo noſtro affine habet? Ego vero ſententias illas ex vulgari, tritaque ſuperſtitione ſumptas eſſe non dubito. Viceſima ratio, Si infantes liceat ſine intellectu baptizare, Baptiſmum à pueris ludentibus mimice, & per jocum poſſe adminiſtrari. Quaſi vero impoſitio manuum, qua benedixit Chriſtus infantes, ad puerile ludicrum trahi debuerit. An luſoria res eſt Dei promiſſio, qua ſe Deum ſobolis noſtræ fore teſtatur? Baptizamus quidem infantes priuſquam mente adoptionem ſuam percipiant: ſed dum illos in gregem ſuum cooptat Deus, mente & conſilio carere putandus non eſt. Nos quoque, qui fœdus ſalutis, eorum nomine amplectimur, quos Deus nobis adjungit illius participes, non ſine intelligentia gratiam Verbo teſtatam, aquæ ſymbolo obſignamus. En cur Servetus præcipiti furore in pædobaptiſmum ita exarſerit, ut nulla ſecundum ipſum deterior ſit, magiſque deteſtabilis Chriſtianiſmi profanatio. Nihil enim præterea adducit, cur infantibus non conveniat Baptiſmus, niſi quod ipſa Baptiſmi definitio, qualis in Scripturis traditur, ad ſolos adultos pertinet. Ad hoc probandum, quæcunque de uſu & efficacia Baptiſmi paſſim leguntur, in catalogum unum contrahit. Sed quum de Baptiſmo nihil afferat quod non ſimiliter in Circumciſionem competere Legis & Prophetarum teſtimoniis probemus, uno verbo evertitur tota prolixæ ejus diſputationis congeries. Nam quod Serveto Circumciſio nihil aliud fuit quam typus & umbra Circumciſionis novæ quæ fit per Chriſti Spiritum ſine hominum manu, ex nimis craſſa, & rudi inſcitia manat. Paſſim oſtendunt Prophetæ non minus ſpirituale ſymbolum fuiſſe veteri populo, quam ſit nobis hodie Baptiſmus. Nec fruſtra Paulus eam honorifico titulo inſignit, quod fuerit ſigillum juſtitiæ fidei. Ejuſdem notæ eſt, quod ita impletum eſſe dicit illud Pauli, conjunctos fuiſſe à Chriſto duos homines, novum & veterem: quum ſimplex Pauli ſenſus ſit, in unum corpus aggregatas eſſe Gentes cum Judæis, ut jam ſint quaſi unus homo in Chriſto, qui prius interpoſita maceria, non ſolum procul diſtabant, ſed hoſtile habebant diſſidium. Adde quod eodem loco alibi fucare contendit ſuum illud phantaſma de carnis Deitate, & Deitatis in carnem tranſmutatione. Porro, mirum eſt qui nimium rigidus infantibus eſſe metuit, quod ad uſum externi ſymboli ipſis tam iniquum eſſe. Pagina enim 357., nullos vel ex Ninivitis, vel Barbaris quibuslibet progenitos in futuram gehennam damnare audet, quia (ejus judicio) miſericors Dominus, qui impiorum peccata gratis ſuſtulit, nunquam adeo rigide eos damnaret, à quibus nulla eſt commiſſa impietas, & qui ſunt innocentiſſimæ Dei imagines. Quid hoc ſibi vult? Quos in ulnas ſuas tam comiter recipit Chriſtus, & ſolemni benedictionis ſymbolo dignatur, Servetus ab Eccleſiæ gremio excludit, licet innocentiſſimas eſſe dicat Dei imagines. Sed rationem aſſignat, quod liberatione non indigeant, qui peccati nondum ſunt ſervi. Unde autem liberos à peccato eſſe probat? Quia non ſit ſervus peccati, niſi qui facit peccatum. Verum ſemper ad eundem lapidem impingit, quæ diſtincta ſunt perverſe confundens. Peccati mancipia Chriſtus ex ſceleſta vita eſſe convincit, qui ſe pro filiis Abrahæ venditabant. Hinc probe, fateor, colligitur, impios omnes, ac reprobos ſe propria culpa ſervos peccato addicere. Sed inconſiderate Servetus inde infert nullos peccati ſervos naſci. Unde enim natura filii iræ? Unde hæreditaria maledictio? An atrociter ſæviret Deus in ſuas innocentiſſimas imagines? Cæterum Servetus poſtquam liberationem infantibus ſupervacuam eſſe aſſeruit, Chriſtum illis redemptorem ordinat, ut corporaliter reſurgant à corporali morte & inferno: Baptiſmum interea, quo in ſpiritualem vitam reſtituimur, illis quadrare negat. Hic obſervent lectores quam reverenter de juſtitia Dei garriat Servetus. Immunes à culpa eſſe fingit: innocentiæ laudem illis vendicat, pag. 387. Interim eos adjudicat morti & inferno. Hic ſi more Servetico ratiocinari libeat, nonne plauſibilis erit in Deum querimonia, qui impiis & ſceleratis ignoſcit, parum humaniter miſeros & innoxios infantes omni remedio privat? crudelem etiam eſſe, qui gratis ſcelera hoſtibus ſuis condonans, innocentiſſimas ſuas imagines à morte non eruit? Quam pulchre ſecum alibi conſentiat, dicere omitto, quadam coitus ſpecie diabolum eſſe intruſum in eorum carnem: ut ſatis appareat ſine ullo pietatis ſenſu eum luſiſſe. Jam videre operæpretium eſt quodnam legitimum tempus Baptiſmo ſuo determinet. Myſterium magnum eſſe dicit, quod Chriſtus non ante triginta annos baptizatus fuerit. Exemplo enim ejus nos eſſe edoctos, ante eam ætatem non eſſe quem ſatis aptum ad myſteria regni cælorum. Addit hanc ætatem ex Adamo, & Lege probari: quia ſicuti Adam triceſimo anno natus eſt, ſic eadem ætate renaſci nos debere. Nimis certe pueriliter de virili ætate, ne dicam de myſterio tam ſublimi nugatur. Cur tempus illud Chriſtus expectaverit, ſatis notum eſt. Nam Baptiſmi inſtitutio nonniſi ab Joannis prædicatione cœperat. Et vero abſurdum fuiſſet doctrinæ præire, cujus appendix erat & ſigillum. Triginta annis Chriſtus, quaſi privatus homo delituit. Ad obeundam functionem ſuam emergens, Baptiſmo ſe initiat. An legem aliis præſcribit, quorum longe diſſimilis eſt ratio? Imo ne à doctoris quidem officio arcere voluit juniores: tantum abeſt ut viam illis ad Baptiſmum præcluſerit. Quoto enim vitæ anno aſcitum fuiſſe Timotheum dicemus ad munus docendi, cui ſatis longo poſt tempore præcipit Paulus ut ſuam juventutem à contemptu aſſerat? Duplex affertur à Serveto ſolutio, quod quum ab initio converſionis ſuæ probatus eſſet omnium teſtimonio, colligere liceat annum triceſimum exceſſiſſe. Quomodo igitur eum ſui non pudet? Ante annum viceſimumquartum libro edito ſe pro unico orbis Propheta jactavit. Nunc probari quempiam poſſe negat, ut inter diſcipulos cenſeatur, niſi qui annis triginta ſit ſuperior. Sed cur octodecim annorum probari non poſſet, qui à puero ſacras literas didicerat, & fidem propemodum cum lacte imbiberat à matre ſua, & avia Loide? Puer in fide, & timore Domini educatus erat Timotheus, vita ejus caſte & honeſte compoſita fuerat: nullam tamen pietatis, vel honeſtæ vitæ laudem, auctore Serveto, ante annos triginta conſequi potuit. Non minus decennio poſt Timothei baptiſmum præterierat, quum Paulus eum admonet ut ſibi à concupiſcentiis juvenilibus caveat. Factumne id fuiſſe putamus, niſi adhuc à fervore ætatis vidiſſet eſſe periculum? Nec vero hic vel libido

veno-

venerea, vel aliæ carnis laſciviæ notantur in homine abſtemio, & plus ſatis temperato, vel potius auſtero, ut Paulus ad bibendum vinum hortari eum cogatur. Quid igitur? Certe hic ſimplex eſt verborum ſenſus, ut ingenii calorem, qui in juvenibus ut plurimum ebullit, gravitate temperet. Atqui excipit Servetus, puerum vocari Joſue poſt annum quadrageſimum, ſicuti & Roboam. Primo, hoc nihil ad Timotheum, cujus juventus non ex ſolo nomine, ſed ex certis circumſtantiis probatur. Deinde Servetus audacem inſcitiam ubique prodit. בחורים vocant Hebræi robuſtos juvenes, aut viros, quaſi delectos, vel egregios dicas: hic bonus Rabbinus neglecto omni delectu, vocem illam in puerum convertit. Secunda ſolutio eſt, in conſequentiam non trahi Timothei exemplum, de quo prophetia præceſſerat. Quid ſi ex oppoſito contendam, ex Chriſti quoque exemplo legem perverſe ſtatui, quando unigeniti Filii Dei ſeparata à nobis omnibus conditio fuit? Adde quod Baptiſmum non præceſſerant illæ prophetiæ. Quare æternam & inviolabilem Chriſti legem, ſi Serveto creditur, transgreſſus eſſet Paulus. Quid etiam de illo adoleſcente dicet, qui ſopore oppreſſus ex feneſtra decidit? Convenerat Eccleſia ad frangendum myſticum panem: adeſt cum reliquis non ſtatæ ætatis vir, ſed adoleſcens. Qua prophetia nondum aptus regno Dei, in ſacrum cœtum intruſus fuerat? Quid? an fruſtra deinde Timotheum admonet Paulus, ut ſe ætatum rationi accommodet? Juvenes, inquit, hortare ut fratres: juvenculas, ut ſorores. An quadragenarias juvenculas nobis confinget Servetus, ne Baptiſmus ad filias Dei natu minores effluat? Similiter quum Petrus jubet adoleſcentes ſenioribus parere, & ſubeſſe, velim ut hic bonus finitor utriuſque ætatis fines componat. Aliquod certe intermedium tempus eſſe oportet: quia abſurde alios aliis ſubjiceret Petrus unius vel alterius anni reſpectu. Jam illuſtrior ætatum diſtinctio ponitur à Joanne, quam ut frigidis Serveti næniis obſcurari queat: Scribo vobis patres, quia noviſtis eum qui eſt ab initio. Scribo vobis adoleſcentes, quia viciſtis malignum. Scribo vobis filioli, quia noviſtis Patrem. Nonne videmus, ut à pueritia uſque colligat Deo filios, ut in fidei unitatem coëant omnes ætates? Et certe quum Joël de Chriſti regno vaticinans, Spiritum Prophetiæ juvenibus perinde ac ſenibus promittat, à primo fidei tyrocinio eos prohiberi pluſquam abſurdum eſt. Nec vero quatuor filias Philippi, quæ adhuc domi ejus educabantur, vetulas fuiſſe quiſquam ſanus conjiciet: Spiritu tamen Prophetiæ dotatas fuiſſe Lucas teſtatur. Quis ergo ante annos triginta Baptiſmo maturas fuiſſe dubitet? Perſtat tamen Servetus, quod ætas triginta annorum ſit ætas adulta Chriſti, in qua docet Paulus perveniri ad veram Filii Dei cognitionem, quum ante nonniſi puerilis ſit cognitio, Epheſ. 4. Quis neget manu carnificis ad frangendam hujus beſtiæ contumaciam opus fuiſſe? Fideles alloquitur Paulus, quibus etiam ſe annumerat. Proficere eos omnes jubet, donec in plenitudinem fidei occurrant. Hic nebulo blaſphemiæ ſuæ vomitu, totius Eccleſiæ Baptiſmum delere conatur. Ut tamen aliquando ex hac colluvie egrediar: ſi obtineat lex Serveti, quid miſeris omnibus fiet, qui viginti annis majores ante triceſimum ex hac vita migrant? Mortale peccatum, auctore Serveto, ab annis viginti obrepit. Unde neceſſe eſt ſecundam quoque mortem dominari: lavacro regenerationis eripi nos ab exitio docet, ex quo mortali peccato ſumus obſtricti. Peribit ergo innumera hominum turba, quæ morte extinguitur intra illud decennium: quia remedium, quod eorum malo neceſſarium eſſe docet Servetus, crudeliter idem eripit. Et adhuc erit quiſpiam tam ſtupidus, qui de vita futura eum cogitaſſe credat, qui humanæ ſalutis tam fuerit prodigus? Quanquam certiore documento, Baptiſmum ſibi oſtendit ludibrio eſſe, cujus recipiendi nunquam ab eo quæſita eſt ratio. Quid hoc portenti eſt, quum ad annum quadrageſimumſeptimum vixerit, negligere tamdiu, vel ſaltem omittere quod jactabat neceſſarium eſſe ſalutis æternæ pignus? Verum mihi abunde ſufficit, relicto homine, oſtendere quam craſſa ſit, ac minime tolerabilis doctrinæ impietas. Huic autem errori, quem pro inſtituta brevitate ſatis refutaſſe mihi videor, annexum eſt alterum illud commentum: A peccati mortalis reatu immunes eſſe homines, donec annum viceſimum exceſſerint. Quid? quum fœdæ libidines ante ætatem illam maxime ferveant; quum ad rixas & cædes uſque ſæpe proſiliant octodecim annorum adoleſcentes: quum furtis, perjuriis, variiſque nequitiis ſe illigent: quum ad ebrietatem, & omne luxuriæ genus ſe projiciant; quum tunc denique maxime graſſetur Dei contemptus, nullum mortale peccatum Servetus illic reperit? Hæc eadem illi ratio eſt, cur neminem, niſi poſt annum viceſimum catechiſmo initiari velit. Quaſi inferior ætas vel pietatis guſtum non capiat: vel quia expers eſt omnis malitiæ, diſciplina opus non habeat. Utrumque arripit Servetus. uam pagina 363., Moſis teſtimonium ex 1. Deuteronomii cap. citans, negat ſcientiam boni & mali ante annum viceſimum contingere. Quaſi Moſes parvulos nominans, quos Patres conqueſti fuerant prædam hoſtium fore, omnes comprehendat qui nondum ad annos viginti pertigerant: ac non potius vel infantes adhuc à matrum uberibus pendentes deſignet, vel ſaltem puerulos nihil adhuc præter luſus, & ineptias cogitantes. A malitia vero, vel mali ſcientia pueros dicere, qui fallendi, fraudandique mille artibus pollent, cujus, obſecro, eſt ſtuporis? Alibi autem proficiendi defectum obtendit, pag. 372., quia in adoleſcentia prima virentis carnis procellis ſubmerſus ſit ille divinitatis ſpiritus, & occultus ignis ob multum humorem ſe exerere nequeat. Quam vana igitur erit Solomonis exhortatio? Memento creatoris tui tempore juventutis tuæ, antequam veniant anni, de quibus dicas, Non mihi placent. Cæterum, ut Serveto concedo, nonniſi exoriente boni & mali notitia incipere in hominibus actuale peccatum, quod mortis judicio obnoxios reddat: ſic nimiam ante annum decimum, mali notitiam vigere non ego tantum affirmo, ſed ipſa quoque experientia plus ſatis demonſtrat. Naturali, inquit, ratione non cenſentur Deum ad mortem offendere qui ad talem hominum offenſam adhuc ſunt imbelles. Dignus certe fuit Servetus, cui turmatim oculos configerent imbelles iſti, & innoxii pulli, quos tam benigne excuſat. Sed quis illi tribunal erexit, unde quod ſolius eſt Dei, judicium ſibi arroget? An eſt ille unicus legiſlator, qui poteſt ſervare & perdere? Quo jure Papa ei Antichriſtus erit, quem diabolica ſuperbia ſuperat? Verum, Scripturæ teſtimoniis ſeſe defendit. Nam Deus olim de ingrato populo pœnam ſumens, nonniſi viginti annis majores ingreſſu terræ Chanaan privavit. Qualis eſt iſta dialectica, à ſpecie ad genus univerſaliter ratiocinari? Ego vero contra excipio, Quum in ipſa terra Chanaan ſumpta fuit de populi ſceleribus ultio, ne pueros quidem fuiſſe exemptos. Et certe Jeremias quum matribus comites fuiſſe exprobrat, ut ligna nefandis ſacrificiis colligerent, eos à crimine minime abſolvit. Sed quia tam ridicula fatuitas ſerio exagitari non meretur, ad reliqua tranſire ſatius eſt. Uno tamen verbo monendi ſunt lectores, non ſtetiſſe per Servetum quominus jocando & nugando non ſolum everteret quicquid eſt religionis in mundo, ſed politicum quoque ordinem, recti diſcrimen, verecundiam denique omnem ex humanis mentibus deleret. Reſtat ultima propoſitio de animæ mortalitate. Odioſum crimen, ideo tumultuoſe Servetus obſtrepit. Sed quid tandem affert? Perfidiam

mihi

mihi objecerat, quia dicat animam veluti mori, non autem inſtar carnis mortalem eſſe. Oſtenſa ſunt ejus verba, quæ deterius aliquid exprimunt, & magis virulentum, quam quod objeceram. Hoc ſcilicet luctando profecit, ut laqueum ſuum magis ſtringeret. Nunc ultimum illi aſylum eſt, quod mors inſignior dicatur ſpiritualis, vel peccati. Quaſi vero non illic diſerte carni animam comparet, quaſi par ſit utriuſque conditio. Huc etiam pertinet quod paulo poſt ſubjicit, Totam immortalitatem perditam fuiſſe à primo homine, quaſi moreretur nunquam amplius futurus: morti autem per Adam allatæ mederi Chriſtum, quum aërem novum in nobis ſpirans, naturam ſuam nobis communicat. Excipit ſe aliter de animæ natura diſſeruiſſe. Fateor, ut nunquam ſibi conſentaneus eſt, in hac quoque parte diverſis locis temere effutire pugnantes inter ſe ſententias quales iſtæ ſunt, Animas in aëris ambitum diſflari, pag. 233. & ſepulchris teneri incluſas, pag. 241. Item inſitum eſſe Deitatis Spiritum animæ, & tamen ipſam eſſe vaporem admodum fragilem, qui in ambientem ita exhalat, ut poſt mortem ſit umbra viventis, non vere res vivens. Dialog. 1. pag. 228. Unde apparet qualis ex ejus ſcriptis nobis emergat animæ immortalitas.

Ultimæ clauſulæ utilis quidem eſſe poſſet, longa tamen, & laborioſa tractatio, ſi de ſingulis capitibus vellem juſtum ad modum diſſerere. In præſentia mihi ſatis erit, teſtatum feciſſe lectoribus, quam vere dixerim, nullam doctrinæ partem non fuiſſe impiis Serveti commentis inquinatam. Dixi in Libero arbitrio Pelagianum eſſe. Ut crimen retaliet, vocat me Simonis magi diſcipulum. Deinde Apoſtolos, omneſque vetuſtos doctores ad ſui erroris ſubſcriptionem advocat. Mihi non nova defenſio quærenda eſt, quum liber meus ante annos decem editus adverſus Pighium, putidas omnes iſtas calumnias luculente diſcuſſerit. Nam illic ex profeſſo agenda fuit cauſa, ad quam me Servetus revocat. Quam dextre fuerim defunctus, prædicare non eſt meum. Sic quidem me ſatisfeciſſe confido, ut verbum addere neceſſe non ſit. Nunquam interea ſe purgabit Servetus, qoin Pelagium nobis ab inferis excitet. Et tamen quod facturum me negaveram, paucis verbis vanitatem hominis refutabo. Quid de ſervo arbitrio ſcripſerim, nunquam eum vel primis labris guſtaſſe inde patet, quod, eo teſte, ſervum arbitrium eſſe colligo, quia Deus agit in nobis. Hoc axioma unde hauſerit neſcio. Mihi certe nunquam venit in mentem, & à mea docendi ratione prorſus alienum eſt. Ipſe interea ad ſuam Deitatem relabitur, ut oſtendat hominem non ſimpliciter à Deo agi: ſed quatenus Dei portio eſt, ſeipſum libera poteſtate agere. Et ne quid ad ignorantiæ cumulum deſit, farraginem ſuam denuo inculcat de generali inſpiratione, qua tam vegetantur vituli, & hirci, adeoque arbores & plantæ, quam illuſtrantur humanæ mentes. En qua vindicta hominem manumittat ex ſervitute peccati: forte quia audierat Romanos olim vel pilei rotatu, vel corpus ipſum ter vertendo, ſervis ſuis libertatem dare ſolitos, hujus ceremoniæ loco ad liberandum hominis arbitrium cerebri ſui vertiginem ſuppoſuit. Adde quod, dum peccato vitiatam eſſe, & corruptam hominis naturam Scriptura docet, ad ſolum corpus hoc reſtringitur à Serveto, ut anima ab omni vitio pura ſit. Nam hoc illi caro ſignificat, ſub qua tamen totus homo quantus quantus eſt, comprehenditur, pagina 377. Hinc fit ut peccato originali neminem damnari putet, quemadmodum paulo ante expoſuimus, & repetit pag. 720. Objeceram ipſum juſtitiæ perfectionem una cum Catharis, Novato, & ſimilibus hæreticis ſtatuere: mentiri me reſpondet. An mentiar, ex re ipſa judicent lectores. Poſtquam pag. 552. Chriſtum ſubſtantialiter à morte reſurgendo innovatum eſſe dixit, pag. ſequente, dictu nefas eſſe pronunciat, Chriſtum aliquid ſpirare quod nobis commune non ſit, quum ſe totum nobis communicet. Hoc modo deſtrui variam donorum Spiritus diſtributionem, referre nihil attinet. Uoicuique dari gratiam ſecundum menſuram donationis Chriſti non modo teſtis eſt Paulus, ſed fidei ſenſus dictat, & propria experientia docet. Chriſtum Servetus boni quicquam ſpirare non vult quod non quiſque noſtrum in ſolidum recipiat. Hoc ſicuti videtur non ſatis liquidum eſſe, vel firmum, agedum quicquid eſt ambiguitatis tollat ipſe Servetus. Epiſtola duoderima hoc argumentum, data opera tractandum ſuſcipit. Hoc porro exordium eſt: Quum doceo quibuſdam velut fæcibus ſemper eſſe admixta opera, ut fœteant coram Deo, ſi ad rigidum examen vocentur, me in Spiritum blaſphemare dicit. Quum doceo nuſquam poſſe inveniri perfectum Dei amorem in terra, quia caro contra Spiritum concupiſcit: doctrinæ Chriſti contendit hoc palam eſſe adverſum. Videmus ut ſingulis operibus exactam puritatem vendicet, quæ ſuſtineat extremum Dei rigorem. Deinde ut neget carnis conflictu impediri Sanctos quominus Deum toto corde, totiſque viribus diligant. Faceſſat igitur è medio peccatorum remiſſio, ſi perfectam juſtitiam opponere Deo licet. Proſequitur Servetus, octoderim Scripturæ locos recenſens, ubi fidelibus perfectio tribuitur. Cur non etiam ex Veteri Teſtamento totidem, ſicut poterat, protulit (quo tempore negat Spiritu regenitos fuiſſe homines) niſi quia veritus eſt ne hoc modo ſine Spiritus gratia conſtaret juſtitiæ perfectio? Quid tamen contineant loci iſti videndum eſt. Corinthios hortatur Paulus, 1. Corinth. 1., ut perfecti ſint. An eos propterea in gradu perfectionis collocat, ac non potius ſe cupere oſtendit, ut tota vita ad perfectionem aſpirent? Omitto quod ad ſymmetriam corporis alludens Paulus κατηρτισμένοι dicit, quaſi concinne aptatos. Secundo ejuſdem Epiſtolæ cap ſapientiam ſe loqui dicit inter perfectos. Sed quum tales rudibus & pueris opponat, nihil aliud quam integritas notatur. Nam in vocem Hebraicam reddiderunt Græci interpretes. Sic 14. ejuſdem Epiſtolæ, ex quo Servetus tertium teſtimonium petit, admonet ut ſint ſenſibus perfecti. Quid autem hoc ſibi vult, niſi ut ſincero judicio, rectaque intelligentia præditi ſint? Secundæ Epiſtolæ 13., ad ſectandam perfectionem Corinthios exſtimulat, eamque à Domino ipſis precatur. Inde colligit Servetus ſub carnis infirmitate, nos tamen eſſe perfectos. Epheſiorum ſexto perperam in veteri tranſlatione legitur, Ut poſſitis in omnibus perfecti ſtare: quum prorſus aliud ſonent verba Pauli: nempe, Omnibus peractis, vel confectis. Hinc Serveto perfecta juſtitiæ puritas. Coloſſ. 1. in hoc ſtudium ſe incumbere Paulus dicit, ut omnes exhibeat perfectos in Chriſto. Quaſi vero non ideo ſit hic continuus piis doctoribus labor, quia nunquam in hac vita abſolvitur perfectio. Item 4. cap. Epaphram anxie precari dicit, ut ſtent perfecti, & completi in omni voluntate Dei. Atqui ſupervacua fuiſſet Epaphræ oratio, ſi jam tunc perfectionem adepti forent. Apoſtolus 5. ad Hebr. cap. perfectis dicit congruere ſolidum cibum. Qui non ſtatæ ætatis viros ita vocari intelligit? Hinc rurſus Serveto illibata juſtitiæ puritas. Sexto cap. ad perfectionem ferri jubet fideles. Hinc probat Servetus perfectionis ſcopum attigiſſe. Quia 7. & 10. cap. Euangelium dicitur ad perfectionem adducere, in medio vitæ curſu eam conſtituit. Quia 9. cap. Legem negat perfectos reddere ſuos cultores, colligit Servetus nihil in Chriſtianis eſſe maculæ. Capite 12., Sanctos qui mortem obierunt, perfectos vocat. Hæc perfectio ad præſentem vitam à Serveto transfertur. Jacobus 1. cap. Fideles ad patientiam hortatur,

quæ perfecta eſt virtus, ut ſint perfecti, & integri: ob hanc cauſam Servetus omni nævo eos abſtergit. Tertio cap. dicit, Si quis lingua non peccet, eum demum perfectum eſſe. Quum tale exemplum nuſquam proferre liceat, quaſi tamen divinæ ſint omnium linguæ, Servetus dici perfectos contendit. Perfectionem Petrus cap. 1. ſuæ Epiſtolæ commendat, nempe ut ad eam enitantur filii Dei. Hinc colligit Servetus, jam adeptos eſſe. Joannes ſuæ Epiſtolæ cap. 3. in hoc ſitam eſſe perfectam Dei charitatem definit, ſi quis ſervat ejus ſermonem. Item 4., ſi nos invicem diligimus. Serveto inde emanat perfectio, quæ omnes carnis ſordes aboleat. Subjicit continuo poſt, quod Paulus Philip. 3. ſe perfectum & non perfectum docet, ita debere intelligi, quod fuerit non perfectus, ſi reſurrectionis gloriam ſpectes: perfectus vero, perfectione donorum Chriſti. Ut intacta per me hujus dogmatis impietas maneat, jam tamen victor evaſi: Servetus autem fœdæ impudentiæ convictus jacet. Negavit ſe Catharis, & Cæleſtinis ſimilem, quorum errorem pleno ore ipſum crepuiſſe oſtendo. Atqui perfectio in hoc mundo erigi non poteſt, quin ex duobus gratiæ & ſalutis per Chriſtum promiſſæ capitibus, alterum deleatur. Hæc ſumma eſt novi teſtamenti, quod Deus Legem ſuam in piorum cordibus inſculpet, neque iniquitatum recordabitur. Ubi vero nulla eſt reſidua iniquitas, fruſtra ejus remiſſio promittitur. Quia dixeram, Legem Dei ſic ab ipſo aboleri, ut ſuus cuique afflatus ſit vivendi regula, me iterum mendacii accuſat. Jurene an injuria, facile ex brevi verborum ejus recitatione lectores agnoſcent. Epiſtola viceſimatertia ex profeſſo contendit, Legem nonniſi ad tempus datam. Excipiet forte quiſpiam ex ejus fautoribus, hoc nihil à Pauli dicto diſcrepare. Ego vero ubique quod Paulus docet, profiteor, non modo abrogatas eſſe ceremonias Chriſti adventu, ſed jugum ſervitutis ſolutum eſſe, ſublatam quoque maledictionem, quam Lex omnibus transgreſſoribus denunciat. Denique qualis ſit Legis abrogatio, cùm aliis pluribus locis, tum in mea Inſtitutione circiter finem tertii capitis perſpicue docui. Sed hic phreneticus cælum & terram turbat, quia regulam bene vivendi in Decalogo præſcriptam, ſoluto maledictionis rigore, æternam eſſe dicimus, ideoque Judæis & Gentibus communem. Quid autem Legis doctrinæ opponit Servetus? nempe ſolum Spiritus inſtinctum. Cui reſpondet quod alibi dicit, pag. 316., quod Lex Chriſti non indigeat externo modo ſcribi, nec per Papæ decreta: quia ſit Lex cordis & fidei, cujus ratione efficimur theodidacti, dum Patre trahente Chriſtum diſcimus. Convitia ſua, ut volet, in aërem jaculetur Servetus, modo palam fiat, nihil ei non vere fuiſſe à me objectum. Si excipiat quiſpiam ex ejus diſcipulis, parum referre ſcriptamne doctrinam vitæ hominum præficiat, an interiorem Spiritus ductum: acriter repudianda eſt hæc cavillatio. Nihil vel ſcripto, vel voce præcipit Deus, quod non intus per Spiritum dictet, fateor. Sed quia nihil proclivius eſt quam homines pro ingenita ſibi vanitate, & laſcivia huc & illuc dilabi, Dominus Legem ſuam conſulto ſcriptam extare voluit, quæ nos ad finem uſque mundi intra certos fines contineat. Etſi autem Servetus in ſpeciem frenare videtur pravos carnis affectus, & in obſequium Spiritus cogere, alibi tamen peſtiferum quod occultat virus erumpit. Nam in Apologia ad Melanchthonem, pag. 719., Tuo, inquit, pſeudojudaiſmi vinculo omnia nobis triſtiſſima facis, quum Prophetæ omnes, & Angeli gaudium & lætitiam in Chriſto ſemper annuncient, & muliebribus pavoribus ubique teipſum territas. Quam fideliter in hoc incumbat Melanchthon, ut Divini amoris fiducia conſcientias exhilaret, quam magnifice gratiam Dei, qua pacantur ac ſerenantur mentes noſtræ, extollat, non diſputo: nota enim & probata eſt piis omnibus ſingularis ejus hac in parte dexteritas. Quam ergo lætitiæ doctrinam in eo deſiderat Servetus, niſi quæ ex animis omnem culpæ, & pœnarum ſenſum expungat? Itaque muliebres vocat pavores, qui non ad timorem Dei, ad ſollicitam & cavendi & precandi curam expergefaciunt. Quas ſibi delicias fecerit, hoc eſt, quam ſuaviter excuſſo Divini judicii metu ſeſe demerſerit in ſecuram indulgentiam, quiſquis non perſpicit, eum ſponte cæcutire dico. Quod poſtea adjunxi crimen ſilentio transmittens, quaſi aperta confeſſione agnoſcit. Et certe in eo Thraſonice paſſim exultat, quod neque promiſſiones reſpiciat fides, neque ab illis pendeat. Pag. 325., Promiſſio, inquit, non neceſſario exigitur ut quis juſtificetur, quanquam eam ſemper exigi plerique hodie contendant. Aſylum habent ipſum Abraham. At vero Abraham non ideo juſtificatus eſt, quia de promiſſionibus ſermo erat, ſed quia Deus loquebatur cui credidit. Et in eo juſtificationem vitæ conſiſtere pronunciat, ac vitam ipſam, ſive quid promittat Deus, ſive non. Oſtendit hic unus locus, Servetum, qui ubique magiſtrali ſupercilio jactat ſibi uni conſtare rectam fidei definitionem, nunquam tenuiſſe ejus principium. Fides, eo auctore, nullam promiſſionem requirit, ut hominem juſtificet, ac ſalutem illi conferat. Hic non diſputo, ſitne fides, quum ad Dei minas contremiſcit peccator. Altior vertitur quæſtio, in quo fundata ſit fides, quæ & mater eſt pietatis, & nos Deo conjungit. Eam Servetus à Dei promiſſionibus avellit, acſi generali objecto, ut loquuntur, contenta foret. Satis eſt illi, Deum loquutum eſſe, quamvis nihil promittat. Non jam dico nullo unquam fidei guſtu fuiſſe imbutum qui ſic loquitur, ſed bruto contemptu de myſteriis Dei fabulatum eſſe. Quæritur quiſnam ad Deum nobis acceſſus pateat. Si expendimus quid in nobis ſit, neceſſe eſt ut mortiferum horrorem nobis incutiat ejus majeſtas. Fugiet ergo Dei præſentiam totum humanum genus, donec cum gratiæ ſuæ teſtimonio nobis affulgeat. Quis enim Deum ſibi propitium fore confidat, niſi ex ejus ore de paterna ejus benevolentia certior fuerit factus? Digni ſumus omnes, quos male perdat. Ipſe vero ſe nobis hoſtem eſſe denuncians, maledictioni nos ſubjiciens, citanſque ad tribunal ſuum æternæ mortis reos, annon horribili modo in nos fulminat? Servetus audacter exurgit, nihil metuens, quamvis nulla eum promiſſione gratiæ Dominus ſublevet. Quis non fidem hanc, cujus inani jactantia ſuperbit, Cyclopicam ferociam eſſe videt? Ridet etiam pueriles noſtros terrores, ut ipſe quidem judicat: quia nullum niſi in gratuitis Dei promiſſionibus aſylum reperiamus. Annon trepidaret ipſe nobiſcum, ſi quando in mentem illi veniſſet Deum fore mundi judicem? Quum ad Deum accedimus, inquit Apoſtolus, credere oportet quod remunerator ſit quærentibus ſe. Nunc quum nemo illi conſiliarius fuerit, unde iſta perſuaſio, niſi ex ejus promiſſione? Atque hujus rei ſua cuique experientia fidelis magiſtra erit. Cæterum, ut Scripturis definiatur hæc quæſtio, tenendum eſt, ex fœdere Domini tanquam ex fonte oriri fidem. In fœdere porro ſemper gratiæ promiſſio incluſa eſt. Quare ex primis Theologiæ rudimentis eſt mutua inter fidem & promiſſionem relatio. Ne longius vagemur, tenendum eſt nobis exemplum Abrahæ, quando non fruſtra Pater fidelium vocatus eſt Abraham. Servetus ideo juſtificatum negat, quod ullam Dei promiſſionem amplexus ſit. Quid autem Moſes? Deum Abrahæ benedictionem pollicitum eſſe refert: imo tunc decima vice aut circiter loquutum eſſe, ut quod prius de paterno ſuo favore teſtatus erat, melius in ejus animo ſanciret. Accedat etiam Paulus clarior interpres, ac locupletior. Hic certe fidem Abrahæ à promiſſione non ſeparat, cujus verba ſunt, 4. ad Romanos cap., Ad promiſſionem

Dei

Dei non hæſitavit diffidentia: ſed roboratus eſt fide, certò perſuaſus, quod qui promiſerat, potens eſſet etiam præſtare. Videmus ut Paulus fidem Abrahæ minime ſuſpendat vel à muta aliqua viſione, vel generali voce Dei: ſed eam in promiſſione ſtabiliat. Sic & 3. ad Galatas cap. fidem Abrahæ commendans, ter nos ad promiſſionem revocat, ſine qua nihil omnino eſt fides. Sicuti etiam 4. ad Romanos cap. ſatis aperte teſtatur his verbis, Si ex Lege eſt hæreditas, exinanita eſt fides, & abolita promiſſio. Si operum meritis nitatur ſalus noſtra, Paulus admonet non modo nihil fore certum, vel ſtabile, ſed totam ejus fidem prorſus concidere. Unde hoc probat? Quia ſcilicet abolita ſit promiſſio. Videant Serveti diſcipuli quomodo ſuum magiſtrum Paulo concilient. Nam illo auctore, promiſſione collapſa, manet tamen firma & recta fides: imo non expectat dum ullum amoris ſui ſignum oſtendat Dominus, ſed poſthabita ejus voluntate, ſatis habet confuſe loquentem audire. Hic vero ſimulac labaſcit promiſſio, fidem evaneſcere docet. Itaque 1. ad Epheſ. cap. adoptionis Spiritum, quo filii Dei efficimur, promiſſioni alligat, hoc epitheto ipſum inſigniens, quod ſit promiſſionis Spiritus. Jam quum fides fructus ſit Spiritus, ejus naturæ repugnare palam eſt quod Servetus inducit diſſidium. Eadem ratione 4. ad Galatas capite, dicit nos promiſſionis eſſe filios ſecundum Iſaac. Ubi nunc erit hæreditas Serveti, quum ſola promiſſio nobis januam aperiat regni cælorum? Similiter 2. ad Epheſ. cap. ſpem nonniſi à promiſſione manare oſtendit, ideoque extraneos eſſe à fœdere Domini, qui in ejus promiſſionem non recumbunt. Eodem modo ut nobis conſtet ſpes æternæ vitæ, 2 ad Timotheum 4. nos in promiſſione continet. Primo etiam cap. ad Titum, non ſimpliciter repoſitam nobis in cælo ſalutem eſſe dicit: ſed ut ſciamus ad nos pertinere, ſimul addit ab eo eſſe promiſſam qui mentiri nequit. Atqui Servetus Epiſt. 10., me accuſat quod pertinaciter defendens, neminem ſine promiſſione juſtificari poſſe: Chriſti fidem callide diſſimulem. Quid hoc rei eſt? An apparuit mundo Chriſtus, ut Dei promiſſiones extingueret? Mihi vero longe potior eſt Apoſtoli auctoritas, qui Romanorum 15., miniſtrum Circumciſionis eſſe dicit ad promiſſiones implendas quæ Patribus datæ fuerant. Illuſtrior etiam extat ſententia 2 ad Corinthios primo, Quod omnes Dei promiſſiones, in Chriſto ipſo ſunt Etiam & Amen. Paulus, ut nobis theſauros gratiæ Dei per Chriſtum allatos explicet, totam ejus virtutem, totumque officium Dei promiſſionibus individuo nexu copulat. Denique totam Chriſti fidem ædificat in promiſſionibus, ſine quarum neglectu, ſecundum Servetum, Chriſto non rite creditur. Atqui Paulo concinunt omnes Sanctorum voces. Hanc Zacharias cauſam oblatæ in Chriſto ſalutis aſſignat, quia loquutus fuerat Deus ad Patres. Dei miſericordiam extollens beata Virgo, ad fœdus, & promiſſiones reſpicit, ſine quibus ut abſconditus eſt Dei amor, ita nulla ſalutis cognitio percipitur. Ideo Simeon exhibitum Dei Salutare canens, ab eodem ſcopo minime deflectit. Denique hic primus eſt in fundamento fidei noſtræ lapis, fœdus quod olim cum Patribus Deus pepigerat, nunc in Chriſto ratum eſſe, & completum. Ergo Servetus fidem Chriſti à promiſſionibus diſcerpens, non minus atrocem Chriſto facit injuriam, quam qui ſuis veſtibus nudatum flagellarunt. Dicit Servetus, Chananæam mulierem, vel alios, quoslibet ſolo Chriſti aſpectu propter miracula illi credentes fuiſſe juſtificatos, etiamſi de promiſſionibus nihil unquam audiſſent, quia ſe Chriſtus factis declarabat eſſe Dei Filium: quod credentes ſalvabat, etiamſi eſſent Scythæ nullam promiſſionem habentes. Verum Servetus longe alium Chriſtum pingit, quam qui nobis à Propheta Jeſaia delineatus fuit cap 53., Scientia ſua (vel notitia ſui: utrumque enim legi poteſt) juſtificabit multos, ipſe Juſtus meus. Doctorem certe illic Deus nobis præficit ſuum Filium, ut nos juſtificet. Videtur tandem huc deſcendere Servetus, quum Euangelio credere dicit, qui vocem hanc recipiunt, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Sed quomodo inter ſe convenient iſta duo, ſufficere nudum virtutis aſpectum in miraculis, & requiri vocem loquentis? Fidem Scythis omnis doctrinæ ignaris & expertibus, cum Chriſti diſcipulis communem eſſe? Et tamen duo iſta placita Servetus ſimul contexit. Cæterum ut de repugnantia tam deformi ſileam, plus ſatis abſurdum eſt ejus commentum, quod vox iſta Patris nihil nobis promittit, ſed tantum declarat quid ſibi placeat. Iterum Chriſtum vero ſuo ornatu ſpoliat hic carnifex, quaſi virtute omni, & divitiis vacuus ad nos prodiret. Nec vero aliunde quam ex loco præſenti refutatio petenda eſt. Jubet Pater audiri Filium. Nonne ita & docendi partes ei injungit, & nos ad docilitatem inſtituit, quæ genuina eſt ad fidem præparatio? Nunc videndum an Chriſtus nobis creatus à Patre doctor obmutuerit, an vero ita loquutus ſit, ut nihil promitteret. Imo hac de cauſa Paulus Euangelium appellat Verbum fidei, quia in eo nobis ad vivum Chriſti gratia exprimitur. Et certe omnibus formidabilis Chriſti majeſtas in miraculis fuiſſet, niſi ſenſiſſent Deum Patrem illo Mediatore ſibi eſſe propitium. Unde autem concipi hæc perſuaſio potuit niſi ex verbo? Nec eſt quod obſtrepat Servetus, juſtificatos fuiſſe Ninivitas, quia Deo crediderint nihil promittenti, ſed potius exitium minanti. Atqui ſi fatetur miſſum illis fuiſſe Jonam, qui ad pœnitentiam ipſos adduceret, concedat ſimul neceſſe eſt fuiſſe gratiæ Dei præconem. Hæc enim legitima eſt docendæ pœnitentiæ ratio, quod Deus nolit mortem peccatoris, ideoque benigne, & comiter perditos omnes ad ſe invitet, ut converſi vivant. Tenendum enim memoria eſt illud Pſalmi 130., Apud te eſt propitiatio, ut timearis. Quo ſignificat David, fieri nunquam poſſe ut animum adjiciant homines ad cultum Dei, ſeque in ejus obſequium addicant, donec miſericordem ſibi fore concipiant, ac propitium. Cornelium, & alterum Centurionem nobis objicit Servetus, quorum alter à Juſtitia, & bonis operibus laudatur: alterius fidem ita celebrat Chriſtus, ut neget ſe tantam vidiſſe in Iſraël. Sed non cogitat hominem Gentilem, quum diu in Judæa verſatus foret, pietatis rudimentis fuiſſe imbutum, ut Chriſtum ex Dei promiſſionibus Mediatorem apprehenderet. Cornelii vero exauditas fuiſſe preces Lucas teſtatur. Precari autem qui potuit, niſi fide directrice? non illa quam ſomniat Servetus, ſed quæ ex Dei promiſſionibus naſcitur: quemadmodum loquitur per Prophetas, Dicam illis, Vos populus meus: & ipſi viciſſim dicent mihi, Tu Deus noſter. Videmus ergo ut invocationem ordine præcedat promiſſio, ac Dominus gratuito ſuo favore nos præveniens, os nobis ad orandum aperiat, ſicut dicitur Pſalmo quinto, Multitudine miſericordiæ Dei fretus ingrediar ejus templum. Servetus vero non modo calcata promiſſione ſuperbe irrumpit, ſed nobis etiam oblatrat, quod Deo proferamus in medium ſuas promiſſiones, ut ſe erga nos veracem præſtet. Non pudet vos, inquit, Deum vobis facere debitorem? Nos vero quam Deus promittit fiduciam, nobis intrepide ſumimus. Nec dubitamus familiariter ex verbi ſui præſcripto agere. Sancta eſt illa præſumptio, quæ ita exurgit, ut præeuntem ſequatur Deum. Nec etiam Paulus alium rite precandi modum vel ſcivit ipſe, vel aliis tradidit. Nam ad Epheſios tertio capite quum dicit nos habere audaciam in Chriſto, & acceſſum cum fiducia per fidem ejus: ſatis declarat nullos rite ad Deum accedere, niſi qui teſtimonio gratiæ ejus inſtructi ſe

cxiii-

exauditum iri confidunt. Similis eſt alterius loci ſpurcitia, pag. 332., Qui exercet miſericordiam in proximum, etiam Samaritanus, ille juſtus eſt. Adverſarii quidam hodie nolunt concedere Samaritanum illum eſſe ob miſericordiam juſtificatum, ſed ſuis promiſſionibus aliter ludunt, quas ubique requirunt. Non ſolùm Samaritanus ille convincit eos, ſed & Publicanus, nec promiſſiones, nec Chriſtum ſciens, quum oraret Deum ſibi fore propitium, juſtificatus eſt. Videmus ut elatis in ſublime hominum meritis, Deum illis obnoxium faciat. Interim ſtultæ confidentiæ nos arguit, quod fidelem ipſum credamus, dum ſe nobis obſtrinxit, non aliquid à nobis ſumendo, ſed omnia gratis pollicendo. Mox ad diverſum exemplum tranſilit. Neque enim meritis quicquam Samaritanus impetrat, ſed humili veniæ deprecatione. Sed quis cacodæmon in aurem Serveti hoc ſuſurravit, illum neſciſſe an ulla eſſet Dei promiſſio? Quin potius, quum exauditus fuerit, in fide oraſſe colligimus. Porro certum eſt illud Jacobi, Qui orando hæſitat, ſimilem eſſe fluctui maris qui à vento circumfertur, ideoque non eſſe ſperandum ut quicquam à Domino accipiat qui talis eſt. Jam unde illa certitudo, niſi ex Dei promiſſione? Nihil enim minus ferendum, quam ut Deum ſibi homines propria imaginatione obligent. Sed ego in re tam perſpicua jam nimis prolixus fuiſſe mihi videor. Reſtat ut breviter demonſtrem, quam vere conqueſtus fuerim, labefactari ab ipſo gratuitam fidei juſtitiam. Denſa quidem ſylva eſſet hujus argumenti tractatio, & quæ integrum volumen abſumeret, ſi vellem ſingulas ejus partes excutere: ſed mihi ſatis erit ſummam tantum attingere, unde quam peſtilens & deteſtabile ſit Serveti commentum, delibent lectores. Libro 2. de Lege & Euangelio, pag 327., & novem ſequentibus, hoc axioma ſumit, Quod Patres ſub Lege operibus juſtificati fuerint. Ad id probandum teſtimonia congerit, in quibus mentio fit juſtitiæ Legis. Ego autem uno verbo reſpondeo, nihil eſſe controverſiæ, quin perfectam juſtitiam Lex in ſe contineat. Quod autem ex ea nemo juſtitiam conſequitur, non doctrinæ vitio, aut defectu, ſed carnis infirmitate fieri teſtis eſt Paulus 8. ad Romanos cap. In Lege ergo oſtendit Deus quænam ſit juſte vivendi ratio. Sed ſtulte infert Servetus, Legis obſervatione juſtificari homines. Inſiſtit tamen in quærendis probationibus: quod oculi Domini ſuper juſtos, & facientes bonum: quod beati ſint qui faciunt juſtitiam omni tempore: quod juſtitia eorum maneat in ſeculum ſeculi, qui diſpergunt & dant pauperibus. Hæc omnia in ſe vera eſſe fateor: ſed ubi ad homines ventum eſt, quia nemo in ſolidum præſtat quod jubetur, reos omnes fieri tranſgreſſionis dico. Serveto non eſt impoſſibilis obſervatio Legis: quia dicitur Joannes veniſſe per viam juſtitiæ. Quaſi vero fide negemus juſtificari opera, ut juſtitiæ honorem obtineant coram Deo, & apud homines. Quanquam enim ſi ad rigidum judicii ſui examen Dominus vitam noſtram exigat, omne os obſtrui neceſſe erit: quia tamen tanquam filiis ignoſcit, hinc operibus per ſe injuſtis gratuitam juſtitiam ex venia imputat. Verum Servetus, ut ſolent iſti Cyclopes etiam inter media fulmina ſtertere, quid paterna illa Dei indulgentia ſibi vellet, nunquam expendere dignatus eſt. Itaque unum illud arripit, juſtitiam aliquam factorum in Lege laudari. Adde quod in altero quoque hallucinatur, quod ex ſingulis factis juſtitiam æſtimat. Zelus Phinees fuit juſtitia. Obſtetricum virtus in ſervandis infantibus fuit juſtitia. Rahab meretrix ſervatis exploratoribus juſtificata eſt. In Rechabitis abſtinentia vini fuit juſtitia. Atqui miſer, quid Deus utrimque pronunciet, non attendit. Vitam enim non uni, vel alteri operi promittit, ſed totam Legis obedientiam complectitur. Qui fecerit hæc, vivet in ipſis. Qui autem unum Legis apicem fuerit tranſgreſſus, in eum incumbit certa maledictio, ſecundum illud, Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt. Videmus quam turpiter in ipſis rudimentis lapſus ſit Servetus. Interea illam Legis juſtitiam, qua etiam ſecundum ipſum gloriati ſunt ſancti Patres, ad noſtrum ſeculum pertinere negat, quia ſolum nobis licet Chriſti facta narrare, quia omnia opera pro nobis operatus eſt, Legem implendo pro nobis, quum non poſſemus id præſtare. Carnali populo, ſicuti Davidi, Ezechiæ, Nehemiæ licuit in ſuis factis gloriari. Nobis autem non licet, niſi in cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, quia propter tanta beneficia ſumus in perpetuum ejus facti debitores. & ſervi, ſecundum illud, Servi inutiles ſumus. Primum quæro, Nihilne Deo ſancti Patres debebant, vel unico jure creationis, ut efferre ſuas juſtitias libere auderent? Cujus phrenetidis hoc fuit, humanum genus uſque ad Chriſti adventum à Dei ſervitute abſolvere? Jam videmus ut gratiam redemptionis per Chriſtum partæ, ad noſtrum ſeculum his impie reſtringat. Nam ſi ad veterem uſque populum ſpectaret, fuiſſet Deo ipſe quoque nobiſcum debitor. Atqui vel unus David omnium nomine totius veteris Eccleſiæ ſalutem à tam indignis Serveti calumniis vindicat, Ne intres in judicium cum ſervo tuo Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Quam multa ejuſdem generis ſubinde in Prophetis teſtimonia occurrant, unde perſpicitur nihil ſibi aliud reliquum feciſſe ſanctos, niſi ut in ſeipſis deſperati, ad Dei miſericordiam confugerent, abunde in mea Inſtitutione docui. Nec longa recitatione nunc opus eſt, quando uno Pauli dicto tota lis dirimitur. Quum juſtitiam hominum in gratuita peccatorum remiſſione conſiſtere docet, non à Petro, nec Joanne, nec ſuis collegis probationem petit, ſed à Davide: quia beatos pronuncians, quibus remiſſæ ſunt iniquitates, juſtitiam abſque operibus definiat. Abraham porro fidelium pater quomodo juſtificatus eſt? Ex operibus, inquit Servetus. Perverſe enim Sophiſtarum more Jacobi locum exponit. Ut tamen Paulo contra docenti aliquid concedat, dicit, prius ſuum credere Abrahæ reputatum fuiſſe ad juſtitiam: ſicut ſi princeps apud ſe animum ſui militis cogitans, ex gratia & privilegio reputet ei conatum bonum pro re confecta. Secundum naturam rei hoc non debebatur fidei Abrahæ, nec noſtræ, ſed ex gratia id ibi factum eſt. Figura fuit rei futuræ, ut Chriſti in nos gratiam magnam intelligamus. Atqui ſi hoc recipitur, fide oblatam ſibi juſtitiam minime amplexus fuit ſanctus vir, ſed ideo præter meritum habitus juſtus, quia ad promerendam juſtitiæ laudem probe jam affectus foret. Cæterum quo ſenſu pag. 304., propter unum fidei actum Abraham juſtum fuiſſe dicat, anxie non inquiro, niſi quod inde colligere promptum eſt, non ſecus de fidei juſtitia imaginari Servetum, quam ſi Deus præmium illud operibus noſtris rependeret. Quid enim aliud eſt juſtificari propter fidei actum? Adde quod peſtilentius venenum illic latet: quia Abrahæ juſtitiam noſtræ umbram duntaxat fuiſſe ſubindicat: quia fidei tempus à Chriſti demum adventu inceperit. Tandem ubi Servetus de Patrum juſtitia multum garrivit, ſeipſum multis abſurdis expedire volens, magis involvit, atque intricat. Nam pag. 334., ſic loquitur, Quia carnalis erat illa juſtitia, & inſufficiens, non veritas, ſed umbra: deinde, quia non erat conſtans, eo quod nemo integre operatus eſt quod debeat: tertio, quia peccati cognitio, quæ per Legem erat, delictum faciebat majus: concluditur verum eſſe illud Pauli, carnalem hominem non potuiſſe juſtificari coram Deo. Nonnihil quidem dicere videtur: ſi quis tamen penitius excutiat ejus ſenſum, hoc tantum agit, quod extenuat carnis juſtitiam, ne ſalutis æternæ meritoria eſſe credatur. Cæterum, qua audacia carna-

lem.

Digitized by Google

lem hominem loco carnis ſuppoſuit? Quaſi vero qui Spiritu donati ſunt, ex Lege obtineant juſtitiam. Sequitur paulo poſt, Ecce Legis difficultatem, imo impoſſibilitatem, ſi jugum obſervationem velis: nihilominus dabatur pleriſque ea mens ad certa ſaltem momenta, ut Legem cum affectu tenentes, nullam tunc transgreſſionem facerent, ſecundum illud, Faciam ut in præceptis meis ambuletis. Obſervatio ergo Legis erat, quando quis operabatur quod poterat, &c. Bene habet, quod Deum plus juſſiſſe fatetur, quam homines ſint præſtando: quum toties Simonis magi diſcipulos eſſe clamitet, qui in Lege aliquid majus præcipi dicunt, quam ferat hominum facultas. Interim partiale obſequiom pro juſtitia cenſeri contendit, ut tantum dimidia ex parte fides nos juſtificet: Quia propterea, inquit, non deletur operum bonitas, quorum habenda eſt coram Deo ratio, non tantum in Judæis & Gentibus, ſed etiam in nobis. Annon gratuitam juſtitiam labefactat, qui fide tantum ſuppleri dicit, quod in operibus mutilum eſt? Concludit demum juſtificationes fuiſſe plures, ut pro quocunque dicto, vel facto, vel cum affectu cogitato juxta Dei voluntatem juſtificaretur homo. De nobis autem libro 3. tractare incipiens, promiſſam operibus mercedem longo ſermone proſequitur. Deinde recenſet charitatis elogia. Tertio fidei effectum aggreditur. Hoc vero docendi ordine quid aliud agitur, quam ut prius hominum mentes diabolica operum fiducia occupet, quam aliqoid concipiant de Chriſti gratia? Cæterum ut fidei vim ſupra cælos extollat, ex ejus tamen dictis nonniſi mera confuſio elicitur. Nam quum fides, ſecundum ipſum, promiſſionibus intenta non ſit, non recipit oblatam gratis juſtitiam. Deinde, quum gratiæ promiſcue miſceatur operum juſtitia, non reperier conſcientia ubi placide, tutoque quieſcat, ut beatam illam pacem, cujus meminit Paulus, adepta, intrepidam Dei invocationem cordibus noſtris dictet. Poſtremo quum addit charitatem eſſe quæ fidei efficaciam tribuit, eamque vivificat, quia Spiritus ſanctus, qui charitas eſt, vita eſt ipſius fidei, & opera charitatis eam vivam ſervant, pag. 350.: talibus ſumis totam fidei naturam peſſime obſcurat. Huc accedit, quod Epiſtola 11. hac de re mecum data opera digladiatur. Ac primo colligit, ſicuti peccata non ſolum declarant hominem Injuſtum, ſed efficiunt: ita bonis operibus non ſolum monſtrari juſtum hominem, ſed effici. Atque hoc confirmat, quia benefacta in gratia tantum valeot ad augendam gloriam, quantum malefacta in peccato ad augendam pœnam. Adhæc, quia dicit Jacobus non ſolum fide juſtificatum Abraham, ratiocinatur, partim ergo id factum eſſe operibus. Addit etiam, quum juſtificari ſit fieri ex impio juſtum, fieri etiam ex juſtis juſtiores. Quia nihil adducit quod non abunde in mea Inſtitutione refutaverim, ſupervacua diſputatione lectores non motabor. Tantum monere volui, nihil aliud fuiſſe homini propoſitum, niſi ut everſa gratuitæ juſtitiæ fiducia, miſeras animas in perpetuam inquietudinem conjiceret. Quas autem in nos calumnias eructat Servetus, non minus ſecure negligo, quam ſi ignavus quiſpiam canis ex ſoo ſterquilinio procul latraret. In Apologia ad Melanchthonem nos omnia bona opera damnare blaterat. Epiſt. 13. me fingere juſtitiæ imputationem, quæ in homine nihil muter, ut nihil ab injuſto differat juſtus. Quaſi vero futilibus probris doctrinam noſtram tot libris luculente teſtatam delere poſſet. Hoc dico, ſi quis ejus rixas ad ſcripta noſtra conferat, phreneticum ſtatim videbit ſine gladio & armis tumultuari, ut cum umbra ſua depugnet. Præſertim impudentiæ ejus cumulus Epiſtola penultima ſe profert, ubi me concludere ait, nullum in regno cælorum fore gloriæ diſcrimen vel operum, vel fidei. Quid ego crimen hoc à me diluere laborem, cujus in contrariam partem extant, & leguntur tam præclara teſtimonia? Valeant ergo ejuſmodi nugæ, quæ in aërem potius, quam in nos jactatæ ſponte evaneſcunt. Hæc forte ratio eſt cur ſibi licere optaverit, integrum errorum meorum catalogum conficere: quaſi ſcilicet belle ei ceſſiſſet ſua protervia, quum ex ſuis latebris adhuc liber impune debacchatus eſt. Non meos unius, ſed publicos, ut dicit, Eccleſiarum noſtrarum errores Melanchthoni exprobrat. Quinam autem illi ſunt? Unius Dei diſſectio: veræ fidei Chriſti abnegatio: bonorum operum deſtructio: Legis cum Euangelio, & Judæi cum Chriſtiano confuſio. Secari à nobis Deum fingit, quia ſimplex ejus eſſentia tribus perſonis diſtinguitur, quum ipſe in tres eſſentias Deum dilanier. In reliquis quam improbe, & ſine colore maledicat, ex libris noſtris perſpicuum eſt. Poſtea idem ter aut quater reperendo, quaſi in circulum revolvitur. Inter alia id notatu dignum, quod dicit, nos in precibus Deum temere in jus vocare ut promiſſa ſervet, acſi ex debito nobis eſſet obligatus, ac non plura nobis quam Judæis præſtiterit, pag. 673. Nihil tamen preſſius urget, quam phantaſticam ſuam reſurrectionem, de qua paulo poſt videbimus, & allegoricas ſuas ſpeculationes, quæ Scripturas Thalmudico artificio transformant. Poſtea de tritis, & nugacibus articulis pueriliter balbutiens, tanquam è ſuggeſtu Melanchthonem tam ſuperciliose docet, ut dicas puerum eſſe ſub ejus ferula. En quam ſcitus fuerit reprehenſor, & optanda illi fuerit cenſoria in me libertas. Quis tamen obſtabat quominus ſi quos errores in me deprehendiſſet, eorum catalogum conficeret ſuo arbitrio? Seſquimenſem otioſus tranſegit in carcere: nunquam negata fuit librorum copia. Quam licentioſe ſtylum in me exercuerit, illuſtre ſpecimen lectoribus exhibui. Nunquam præ ſe tulit, aliud ſe carpendum habere. Tantum pro cenſura ſupplicem libellum compoſuit, in quo me poſtulabat ad capitis ſupplicium, meaque bona ſibi adjudicari petebat: optimam ſcilicet prædam ex plumbeis theſauris captans. Et tamen ſæpius me execrabilem vocavit: quia criminalis, ut dicebat, eſſem accuſator. At ſi mihi integrum errorum ejus catalogum ſcribere propoſitum fuiſſet, duplicandus erat liber. Ex uberrima copia, duobus nunc exemplis ero contentus. Quod pag. 460. de triplici Spiritus miſſione dicit, non attigi. In quo tamen non minus pernicioſe, quam in ipſa Spiritus eſſentia delirat. Prima illi miſſio eſt in umbra ante Chriſti adventum, quia Spiritus inſtar auræ volitans ſuper aquas, & non habens ubi integre requieſceret, reverſus eſt, ac ſe in cælo continuit. Nunc ſanctos Patres Spiritus gratia ſe orbaſſe neger qui umbratilem quaſi momento apparuiſſe fingens, in cæli adyta mox recludit. Corporalis fuit ſecundum ipſum miſſio ſecunda, quando corporaliter viſi ſunt aperiri cæli, & Spiritus viſibili forma deſcendere. Tertia quæ ſpiritualis eſt, atque interna miſſio non additur contiono poſt, ut ſciamus Chriſtum arcano modo intus ſemper gubernaſſe Eccleſiam: ſed ad renovationem neſcio quam differtur, ubi abolitum fuerit regnum Papæ. Interius ergo Spiritus regimen, quo vere teſtatus eſt Chriſtus ſe myſticum eſſe Eccleſiæ ſuæ caput, penitus deletur à Serveto, ut inſtar Mahometi, cum nova & prius incognita revelatione, novi mundi inſtaurator ſurgat. Annon id eſt quicquid adeptus eſt gloriæ Chriſtus, ex quo ad Patris dexteram conſedit, exinanire? Neque enim, ut ſibi privatim regnaret, in tantam conſcendit altitudinem: ſed ut Spiritus ſui gratiam diffunderet, quam in cordibus ſuis certo fidei ſenſu reconditam agnoſcunt fideles, licet viſibilis non appareat. Diuturnum quod fingit Eccleſiæ è terris exilium, non attigi: in quo Deum palam mendacii coarguit. Attendant lectores,

beat Deitatem. Quanquam aotem diabolus quadam coitus ſpecie in carnem intruſus eſt, manere tamen Deitatis eſſentiam in ipſa anima tradit. unde & iiberum arbitrium, & radicalis vita. Cæterum cum ſua eſſentiali Deitate per mortem efflari dicitur in ambitum aëris: quia per peccatum mortalis reddita eſt ſicut caro. Ideoque ſubſtantiæ animam definit, non aliud eſſe, quam reſpirationem & flatum. Quinetiam dicitur minime obſtare illa Deitas, quin ſuffocata uſque ad annum viceſimum careat ſcientia boni & mali: quia craſſi humores prævalent, ut peccatum mortale nemo ob notitiæ defectum admittat, niſi viginti annis major. Deificari autem dicitur in filiis Dei: quia ſubſtantialiter in eam deſcendit Spiritus, ſicut in Chriſti perſona Verbum caro factum eſt, ideoque regenita anima, dicitur conſubſtantialis, & coæterna Deo. Quanquam ſimul additur, ſubſtantialem illum Spiritum in multis extingui. licer alibi vocetur tam Spiritus ſanctus quam anima. Aſſeritur etiam perfectio, quæ in ſe contineat quicquid ſpirat virtutis Chriſtus.

Quænam ſit generis humani corruptio Serveto.

Corpus tantum à Serpente occupatum eſſe dicitur: anima autem ad primam mortem, & infernum ſine culpa damnata eſſe, ut nullum in hominibus oiſi proprium, & actuale peccatum cenſeri debeat. Interim omnes certa ſalus manere dicitur in finali jodicio, niſi qui propriis ſceleribus mortis æternæ reatum ſibi aſciverint. Unde etiam infertur, quicunque tolluntur è vita infantes & pueri, ab æterna morte exemptos eſſe, licer alibi vocentur maledicti.

Quænam ſit Serveto fides.

Fides olim in Patribus dicitur umbra veræ fidei, aut figura fuiſſe: quia nonniſi ad terrena bona attenderent, niſi quod Prophetico Spiritu quidam eminus ſpiritualem vitam guſtarunt. Fides autem proprie dicitur credere in Chriſtum, non quod promiſſiones, quibus deſcribitur Chriſti officium, & virtus, amplecti neceſſe habeat, ſolis miraculis & nuda voce contenta, quod Chriſtus ſit Filius Dei. Unde infertur in precibus ſupervacuas eſſe promiſſiones: imo abſurde facere eos, qui precandi fiduciam inde ſumant, quia Deus ſe exorabilem promittens, liberaliter eos ad ſe invitat. Contra vero non obſtare Turcis promiſſionum defectum quin rite precentur.

Quænam ſit juſtitia Serveto.

Juſtificatos ab initio fuiſſe dicit ſive ex Judæis, ſive ex Gentibus, qui recto naturæ motu bene vixerunt. Quanquam autem Legis juſtitiam carnalem fuiſſe dicit, & fatetur tam Judæos quam Gentes non per omnia Deo ſatisfeciſſe, finalis tamen judicii intuitu, juſtitiam illam licet carnalem & mutilam valuiſſe contendit ſine fide Chriſti, ut in cæleſtem gloriam cum Chriſto reſurgant. Juſtitiam vero, quæ nobis fide gratis confertur, ſic copulat cum naturæ juſtitia, ut noo tollatur illa operum bonitas, qua etiam increduli Deo probati fuerunt. Bona porro opera, quæ regenerationem ſequuotur, non modo ad augendam juſtitiam valere dicit, ſed etiam eſſe ejus partem, ut non ſimpliciter nobis gratuita juſtitia imputetur, ſed Deus nos ex operum meritis, ſicut ex Chriſti gratia juſtos æſtimet.

Quænam ſit differentia veteris & novi Teſtamenti.

Deum ſub Lege nunquam fuiſſe cognitum, ſed Angelos illius temporis deos fuiſſe tradit: & cultum, qui Deo uni debetur, Angelis fuiſſe exhibitum. Adhæc, quicquam ſpirituale Patribus fuiſſe promiſſum negat, vel vivifico Spiritu fuiſſe regenitos, ſed terrenam benedictionem quæſiſſe, quia ex mutato teſtamento diverſa hæreditas monſtretur. Nos vero dicit participes factos cæleſtis gloriæ, ut taies ſimus in terra, qualis io cælo Deus eſt.

Tametſi ex immenſa colluvie partem hanc delibavi, & ſimplex à me recitatio poſita eſt: ea tamen ultro ſe profert abſurditas, quæ non modo faſtidium & nauſeam provocet lectoribus, ſed ſummam deteſtationem accendat. Væ autem eorum ſtupori, qui ad ejuſmodi portenta non horreſcent.

Huic libro ſubſcripſerunt Genevenſis Eccleſiæ Miniſtri ac Paſtores.

Joannes Calvinus.
Abelus Pouppinus.
Jacobus Bernardus.
Nicolaus Galaſius.
Franciſcus Bourgonius.
Nicolaus Parvus.
Reimondus Calvetus.
Matthæus Maleſianus.
Michaël Copus.
Joannes Pyrerius.
Joannes à Sancto Andrea.
Joannes Baldinus.
Joannes Faber.
Joannes Macarius.
Nicolaus Colladonius.

Jeſum Chriſtum quem ille miſit, quatenus eſt Verbum, eſſe verum ac naturalem Filium illius unici Dei Patris omnipotentis. Hæc eſt ſumma ſententiæ meæ in articulo de æterna generatione Filii Dei: & doctrinæ Genebenſis Eccleſiæ penitus ſubſcribo.

Altera Confeſſio ejuſdem, juſſu illuſtrium Dominorum exarata.

Equidem cenſeo primam perſonam Patris in unica eſſentia eſſe ſophiſticam, atque ideo hoc ſenſu à myſterio Trinitatis penitus expungendam. Nam ſi Pater eſſet individuum in eſſentia ſimile Verbo, non diceretur vere, neque ſolus Pater, neque ingenitus, neque principium totius Divinitatis. Præterea ejuſmodi ſententia Quaternitatem potius quam Trinitatem videtur conſtituere. Quod facile ſic probari poſſet:

Unica illa eſſentia abſque ulla conſideratione perſonarum eſt ex ſemetipſa verus Deus: & quælibet trium perſonarum eſt item eſſentialiter Deus. Sequitur ergo Quaternitas, non Trinitas. Quamobrem aſſero Patrem eſſe ipſam unicam eſſentiam: Verbum autem ſplendorem gloriæ Dei, & expreſſam imaginem ſubſtantiæ illius, hac ratione à Patre diſtinctum, quod Pater (ut ait Chriſtus) eſt ſolus verus Deus, & eſſentiator, hoc eſt, informator individuorum: Verbum vero eſt Filius, ſimul & verus Deus: neque tamen duo dii, ſed unus idemque Deus. Hæc eſt ſumma ſententiæ meæ de vero Patre, veroque Filio: nam de Spiritu ſancto nulla eſt quæſtio, & tamen judicio Eccleſiarum libentiſſime ſubſeribam.

Idem Valentinus Gentilis inutilis ſervus Jeſu Chriſti, captivus Genevæ propter confeſſionem veri Dei, Domino Copo, Raymundo, Henoco, cæteriſque fidelibus verbi Dei diſpenſatoribus, gratiam & pacem ab illo unico Deo Iſraël vero Patre, & ab Jeſu Chriſto, vero ac naturali ejus Filio per Spiritum ſanctum, Amen.

SI quis unquam indigne perſequutionem paſſus eſt ab iis qui veram pietatem profitentur, ego quidem, optimi viri Dei, vere & ſine fuco is dici poſſum. Nam quum ab extremis Italiæ finibus propter Verbum Dei in longinquas & peregrinas regiones me contuliſſem, nulla alia de cauſa hanc veſtram Eccleſiam potiſſimum elegi, niſi ut dominum Calvinum, quem antea nomine obſervabam, de facie cognoſcerem & audirem. Poſtea vero quum apud noſtros Italos quæſtio de Trinitate agitaretur, equidem meam ſententiam libere in medium protuli, cupiens doceri de iis quæ tum occurrebant, haud vulgaria illa quidem, ſed cæleſti potius ſpiritualique ſpeculatione digniſſima. Ac ne quis quicquam mea fide indignum (ut eſt hominum libido prona ad malum) ſuſpicaretur, diſertis verbis declaravi, me omnem pluralitatem deorum, & minoritatem Filii toto pectore deteſtari. Sed quidam imperioſi homines, qui puriſſimam fidem meam denigrare conati ſunt, dominum Calvinum adeo in me irritaverunt, ut ille de me aperte male ſentire non dubitaverit. Tandem contentio per illuſtriſſimum Magiſtratum ſedata fuit, egoque cum aliis doctis ac probis viris ſubſcripſi confeſſioni domini Calvini, putans fore ut in poſterum omnia tuta & tranquilla cernerentur. Quum interim ecce tibi Miniſter noſter, neſcio quo œſtro percitus, nos omnes qui ſubſcripſeramus, apud exteras nationes oratione publica non ſolum ut Arrianos & Servetanos notavit, verumetiam ut Georgianos, aut ſi quid pejus dici cogitarive poteſt. Quod quum ego reſciviſſem, ſtatim me converti ad unicum illum Deum Iſraël, quem toto pectore colo, puraſque manus in cælum extollens, rogavi illum qui ſolus innocentiam meam novit, ut veritatem ſuam patefaceret, meque ab hiſce calumniis, & impoſturis tandem (ſi vellet) liberaret. Exaudivit ille preces meas, & veritatem quam hactenus ſubobſcuram & implicitam tenebam, fugatis tenebris Sole ipſo ſua benignitate clariorem oſtendit. Quam veritatem ipſemet Deus Iſraël, qui hanc Eccleſiam ſuam ſingulari amore proſequitur, ſua divina providentia fecit ut ego juſſu illuſtriſſimorum Dominorum frequenti tribunali confiterer. Quod quidem (ut bonum ac fidelem ſervum decet) ſincere & ſine ullo fuco feci juxta modulum fidei, quæ mihi tradita eſt.

Hæc pauca eo præfari viſum eſt, optimi viri Dei, ut inde intelligeretis verum illum Patrem noſtrum maxime eſſe veracem, nec ullo pacto iis qui toto corde illi fidunt, unquam defuturum. Cætera quæ acta ſunt, quando longe notiora ſunt, quam ut ulla indigeant narratione, reliquum eſt ut ad firmas ratiocinationes ſententiæ meæ breviter deſcendam. Quod ſic me facere Dominus ipſe Spiritu ſuo præcepit.

Utrum unica eſſentia concurrat in Trinitatem nec ne? Si non concurrit, neceſſario Trinitas erit ſine Deo, imo vana, imo nulla: ſin autem concurrit, communis opinio doctorum Quaternitatem ſtatuit, non Trinitatem.

Quæritur: Utrum unica illa eſſentia, quam dominus Calvinus negat concurrere in Trinitatem, ſit ex ſemetipſa verus Deus abſque ullo reſpectu perſonarum? Puto id eum minime negaturum. Quare quum quælibet trium perſonarum ſit eſſentialiter Deus, nunquam poterit inficiari hanc communem doctorum ſententiam conſtituere Quaternitatem.

Tria igitur concurrunt in Trinitate, Eſſentia quæ dicitur Pater, Filius & Spiritus ſanctus. Atque hæc eſt vera Trinitas, quæ eſt trium unitas, non autem quatuor: quicquid dicat dominus Calvinus de etymo.

Quæritur: Utrum Eſſentia, Pater, & unicus ille Deus Iſraël ſint ſynonyma, quæ poſſint inter ſe invicem ſupponi & prædicari?

Quæritur: Utrum Deus Legis & Prophetarum ſit Pater Verbi? Qui hoc negaverit, ſciat ſe in Cerdonis & Archonticorum dogma incurriſſe. Præterea plures deos Patres fateatur oportet.

Quæritur: An neget dominus Calvinus, unicum illum Deum Iſraël eſſe Patrem Verbi? Si affirmarit, nulla (ut dixi) erit inter nos controverſia: ſin autem negarit, ſic probabo.

Quæro ab eo: Utrum Patriarchæ & Prophetæ invocaverint unicum illum Deum Iſraël? Neque id puto eum negaturum. Sed quando fruſtra invocatur Deus ſine Mediatore, quæritur per quem Mediatorem invocarint illum? Aperte quæſo hic reſpondeat: (nam vana eſt illa tergiverſatio, Non neceſſe eſt illum ſemper occurrere) volo enim doceri, an habuerint Mediatorem, nec ne. Per Chriſtum reſpondeat oportet. Per Chriſtum, inquam, (eſt enim ipſe Chriſtus vere Filius Dei, & verus Deus) ut Filium, an ut Deum? Abſit ut Chriſtus fuerit illis Mediator ut Deus. Si igitur fuit illis Mediator quatenus Filius, ſequitur ergo, quod unicus ille Deus Iſraël eſt verus & naturalis Pater Chriſti, ut Verbi, ſine reſpectu alicujus perſonæ.

Quare, qui aſſerunt Chriſtum eſſe Filium Dei reſpectu illius perſonæ Sophiſticæ, magnam illi quidem injuriam faciunt, tum unico illi Deo Iſraël, tum etiam Chriſto ejus Filio. Sic enim aſſerentes, fatentur ſe non minus ignorare verum Patrem, quam verum Filium, in quorum pura cognitione conſiſtit vita æterna, ut ipſe Chriſtus Patrem alloquens ait: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Quomodo enim

ſolum verum Deum, Patrem cognoſcent, qui negant illum habere ſynonymiam cum Eſſentia, quæ eſt ſolus verus Deus? Quomodo etiam cognoſcent Jeſum Chriſtum, qui contra auctoritatem Scripturarum faciunt eum Filium illius Sophiſticæ perſonæ? Licet enim Sophiſtæ Chriſtum Filium Dei prædicent, qunm tamen unicum illum Deum ſterilem & inſœcundum ſibi fabricati ſint, non verum ac naturalem, ſed ſuppoſititium Filium intelligant neceſſe eſt. Quaſi unicus ille Deus Iſraël nequierit ſibi Filium gignere, niſi illa diabolica perſona ſibi illum ſuppoſuerit. Quis unquam talia ſando, audierit? Quis non videt, optimi viri Dei, hoc diabolico commento totam Trinitatem adulteraſſe Sophiſtas, Deum illum fœcundum, ſterilem facientes: Patrem, perſonam illam Sophiſticam: Verbum, Filium ejuſmodi perſonæ: Spiritum ſanctum quoque procedentem ex ambabns illis perſonis fictitiis & adulterinis? Quapropter haud improprie in nos torqueri poſſet illud Danielis vaticinium: Adorabunt Deum quem non cognoverunt Patres eorum. Quis enim vel Patriarcharum, vel Prophetarum, vel Apoſtolorum cognovit unquam ejuſmodi Deum, qui ſibi Filium non genuerit? Tnrcarum Deus is eſt, non Chriſtianorum.

Quæritur: dum contendunt Chriſtum eſſe Filium Dei reſpectu perſonæ, an intelligant eum eſſe natura Dei Filium, nec ne? Si affirmarint, ſinant quæſo tandem valere illum reſpectum perſonalem, & libere cum Scripturis pronuncient eum vere Filium Dei: ſin autem negarint, ſciant univerſam Scripturam adverſum ſe ſtare. Quamobrem etiam atque etiam viderint pii Eccleſiarum Paſtores, ne hac in parte Sophiſtarum errorem ſequantur, qui Patrem negant & Verbum. negant enim Patrem, dum non ipſum Eſſentiatorem dicunt, ſed perſonam in Eſſentia fingunt: & negant Verbum, dum perſonæ fictitiæ Filium credunt, non autem unici ac veri Dei omnium conditoris, dando illis quæ non ſunt, auferendo quæ ſunt. Quis eſt qui vincit mnndum (clamat dilectus ille) niſi qui credit quod Jeſus eſt Filius Dei? qui vero confeſſus fuerit Chriſtum Filium Dei (Dei, inquam, non autem perſonæ) Deus in illo manet, & ipſe in Deo. Nos credimus teſtimoninm Dei, quo teſtatus eſt de Filio ſuo. Qui Filium non habet, nec vitam habet. Non habet autem Filium, qui eum negat eſſe Filium illius inviſibilis Patris qui eſt ſolus & verus Deus.

Quæritur: Utrum unicus ille Deus Iſraël fuerit ſemper Pater, nec ne? Qui negat illum vel tantillnm temporis Patrem non fuiſſe: & Deum mutabilem facit, & in ſamiliam Arrii migrat. Fuit igitur ſemper Pater: ſed cujus fuit Pater, niſi Verbi?

Item quæritur: Ubi air Apoſtolus, Quum autem venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſunm: Quiſnam Deus Filium ſuum miſerit? Illene qui eſt Deus Legis & Prophetarum, an illa perſona Sophiſtica?

Mitto multas alias ratiocinationes, & innumeras fere abſurditates, quas longum eſſet recenſere. Hæc pauca attigi tantum, ut intelligeretis veritatem ipſam & univerſam Scripturam à me ſtare. Unum illud addam, optimi viri Dei, me ob nullam aliam cauſam perſequutinnem pati, quam qnod conſtanter affirmem Chriſtum eſſe Filium illius unici Dei Iſraël, Dei, inqnam, Abraham, Iſaac & Jacob. Quaſi vos non idem & ſentiatis, & quotidie concionemini: in primiſque dominus Raymundus, qui nunquam non in divinis ſuis concionibus hanc ſententiam inculcat. Sed ne quis exiſtimet me aliquid detrahere æternæ majeſtati Filii Dei, teſtatum omnibns facio, me illum, exceptis proprietatibus, ſive diſtinctionibus, æqualem Patri facere. Pater enim eſt ſolus verus Deus: Chriſtus autem eſt Filius ſimul & verus Deus: neque tamen duo dii, ſed unus idemque Deus. Habet enim Chriſtus unam eandemque Eſſentiam cum Patre.

Veſtrum eſto nunc judicium, optimi viri Dei, an hæc mea ſententia Arrium ſapiat, ant Servetum, ut adverſarii cavillantur. Mihi quidem illi certe potius videntur vana Serveti ſomnia ſectari, qui aſſerunt Cbriſtum eſſe Filium neſcio cujus perſonæ phantaſticæ, Scripturis ſacris prorſns incognitæ.

Præterea hanc meam ſententiam delirium appellat dominus Calvinus. Utinam veteres doctores ſic deliraſſent! Nunquam enim tantas tenebras offudiſſent hominum mentibus. Sed non eſt meum de me dicere. Si vera ſunt quæ vobis propono, ſoli Deo laudes debentur, non mihi, qui nunquam talia odoratus eſſem, niſi à Deo didiciſſem. Illud unum bona cum venia veſtra addam, hanc ſolam diſtinctionem ſatis eſſe ad probandam veram Trinitatem adverſus omnes hæreticos & infideles. Præterea univerſa Scriptura eſt adeo aperta, ac ubique ſibi ſimilis, nt nullus fuci ſaciendi locus hæreticis amplius relictus ſit. Quam quidem diſtinctionem, ut tenacius cunctis hæreat, viſum eſt hiſce exemplis quaſi quadam in tabella ſpectandam omnibus proponere:

Pater Verbi eſt Deus Iſraël.
Verhum eſt Deus Iſraël.

Hæ propoſitiones ambæ veræ ſunt: ſed converſiones non ambæ. Siquidem,

Deus Iſraël eſt Pater Verbi, vera eſt:
non autem,
Deus Iſraël eſt Verbum. propterea

quod Verbum Filiationem & Eſſentiam deſignat: Deus autem Eſſentiam tantum, ut Pater. Quod ignorans Sabellius, confundit omnia, terram mari, mareque cælo permiſcens.

Quamobrem, optimi viri Dei, innocentiam meam etiam atque eriam vobis commendo. Equidem in tam optima cauſa nullum alium judicem quæro, præterquam ipſam Trinitatem, voſque etiam omnes. Quomodo enim qui verbo Dei nitor, Miniſtrorum fidelium Verhi Dei judicium recuſabo? Veſtrum igitur erit, de quæſtione tam ſeria ſententiam ferre. Equidem polliceor me (modo perſonas quas ſuſtinetis, optima fide referatis) ne latum quidem unguem à veſtra ſententia diſceſſurum. Valete viri Dei omnes in Domino, & me veſtris precibus ſedulo juvate, ipſumque dominum Calvinum æquiorem, ſi pote eſt, mihi teddite. Datum è carceribus.

Ego qui ſupra, Valentinus Gentilis, *manu propria.*

DOminus Philippus Melanchthon vir nunquam ſatis laudatus, fol. 53. Locorum communium, de Spiritu ſancto agens, Neceſſe eſt, inquit, perſonam eſſe diſtinctam, quæ eſt aliquid Dei: quæ definitio, meo quidem judicio, ut maxime convenit Filio & Spiritui ſancto, ita plurimum abborret à Patre. Perſona enim ſive proprietas Patris non eſt aliquid Dei, ſed eſt ipſa unicus Deus, ipſamet Eſſentia: veluti quum ipſe Deus dicit, Joël 2., Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem. Nam ſicut paſſim legere eſt in Scripturis ſacris, Spiritus Dei, Chriſtus Dei, Verbum Dei, Sermo erat apud Patrem: ita nuſquam legitur, Pater Dei, Pater erat apud Deum. Quare recte ab Irenæo & Tertulliano per Patrem ſeu Patris perſonam ubique unicus ille Deus atque Eſſentia ipſa deſignatur, ut in ſequentibus ſententiis licebit animadvertere.

Ex IRENÆO.

Ex libro primo, fol. 47. lit. A.

Hic qui Deus eſt Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob, ſuper quem alius Deus non eſt, neque initium,

tium, neque virtus, neque pleroma, hic eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Ex lib. 1. fol. 66. lit. B.

Quoniam autem hic Deus eſt Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, & de hoc Paulus Apoſtolus dixit, 1 Corinth. 8., Nobis tamen unus Deus Pater ille, ex quo omnia & nos in illum.

Fol. 126. lit. A.

Hic Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob, Deus vivorum, quem & Lex annunciat, quem Prophetæ præconizant, quem Spiritus revelat, quem Apoſtoli tradunt, quem Eccleſia credidit: hic Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, per Verbum ſuum, qui eſt Filius ejus, per eum revelatur & manifeſtatur omnibus quibus revelatur.

Ex lib. 3. fol. 145. lit. A.

Te igitur invoco Domine Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Jacob, (qui eſt & Iſraël) Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti? Deus qui per multitudinem miſericordiæ tuæ & bene ſenſiſti in nobis, ut te cognoſcamus, qui feciſti cælum & terram, & dominaris omnium: qui es ſolus & verus Deus, ſuper quem alius Deus non eſt.

Fol. 166. lit. B.

Sed cum omni fiducia Judæis & Græcis prædicabant: Judæis quidem Jeſum, qui ab ipſis crucifixus eſt, eſſe Filium Dei: Judicem vivorum & mortuorum: à Patre accepiſſe æternum regnum in Iſraël, quemadmodum oſtendimus: Græcis vero, unum Deum, qui omnia fecit, & hujus Filium Jeſum Chriſtum annunciantes.

Fol. 173. lit. A.

Quoniam neminem alium Deum invocaverunt, vel Dominum nominaverunt, qui veritatis fuerunt prædicatores, & Apoſtoli libertatis, niſi ſolum verum Deum Patrem, & Verbum ejus.

Ex lib. 3. cap. 6. fol. 144. lit. A.

Per Filium itaque, qui eſt in Patre, & habet in ſe Patrem, iis quibus eſt manifeſtatus, Patre teſtimonium præbente Filio, & Filio annunciante Patrem.

Perpendenda ſunt hæc verba, Qui eſt in Patre, & habet in ſe Patrem.

Ex lib. 4. cap. 8. fol. 211. lit. A.

Et bene qui dixit, ipſum immenſum Patrem in Filio menſuratum. Menſura enim Patris Filius, quoniam & capit eum.

Hæc verba procul dubio Patrem Eſſentiatorem conſtituunt.

Fol. 276. lit. A.

Unus ergo & idem Deus, qui plantavit vineam, qui populum eduxit, qui Prophetas miſit, qui Filium ſuum promiſit, qui vineam dedit aliis colonis, iis qui reddunt fructum in temporibus ſuis.

Ex lib. 5. fol. 326. lit. B.

Oſtendimus autem & in tertio libro, nullum ab Apoſtolis ex ſua perſona Deum appellari, niſi eum qui vere ſit Deus Pater Domini noſtri.

Ex TERTULLIANO *adverſus Praxeam.*

Fol. 146. lit. C.

Quæcunque ergo ſubſtantia Sermonis fuit, illam dico perſonam, & illi nomen Filii vindico: & dum Filium agnoſco, ſecundum à Patre defendo.

Ibidem, lit. G.

Non tamen diviſione alium Filium à Patre, ſed diſtinctione, quia non ſit idem Pater & Filius vel modulu alius ab alio. Pater enim tota ſubſtantia eſt, Filius vero derivatio totius & portio.

Hic ſubſtantiam poſuit pro Eſſentia.

Fol. 148. lit. C.

Conſequens erit, ut inviſibilem Patrem intelligamus pro plenitudine majeſtatis, viſibilem vero Filium agnoſcamus pro modulo derivationis.

Solet enim Tertullianus perſonas Verbi & Spiritus ſancti diſtinctas, ſed individuas ab Eſſentia, derivationes appellare, & quaſi portiones totius, ita tamen ut eæ totum capiant ac complectantur.

Fol. 149. lit. F.

Non enim deſinit eſſe qui habet Filium, ipſe unicus, ſuo ſcilicet nomine, quoties ſine Filio nominatur. Sine Filio autem nominatur, quum principaliter determinatur ut prima perſona, quæ ante Filii nomen erat proponenda. Quia Pater ante cognoſcitur, & poſt Patrem Filius nominatur. Igitur unus Pater, & abſque eo alius non eſt.

Etiam hic graphice proprietatem Patris depingit.

Fol. 152. lit. A.

Sicut ergo Sermo Dei non eſt ipſe cujus eſt: ita nec Spiritus, etſi Deus dictus, non tamen ipſe eſt cujus eſt dictus. Nulla res alicujus ipſa eſt cujus eſt. Plane quum quid ex ipſo eſt, & ſic ejus eſt, dum ex ipſo ſit, poteſt tale quid eſſe, quale & ipſe ex quo eſt, & cujus eſt. Et ideo Spiritus Deus, & Sermo Deus, quia in Deo: non tamen ipſe ex quo eſt. Quod Deus Dei tanquam ſubſtantiva res non erit ipſe Deus, ſed hactenus Deus, quia ex ipſius Dei ſubſtantia: quæ & ſubſtantiva res eſt, & ut portio aliqua totius.

Ex eodem in Libro de Trinitate.

Fol. 234. lit. M. de Patre differens.

Henoc tranſtulit, in amicitiæ ſocietatem Abraham adlegit, Iſaac protexit, Jacob auxit, Moſem ducem populo præfecit, ingemiſcentes filios Iſraël è jugo ſervitutis eripuit, Legem ſcripſit, Patrum ſobolem in terram repromiſſionis induxit, Prophetas Spiritu inſtruxit, & per hos omnes Filium ſuum Chriſtum repromiſit, & quando daturum ſe ſpopondit, miſit.

Fol. 235. lit. D.

Eadem regula veritatis docet nos credere poſt Patrem etiam in Filium Dei Chriſtum Jeſum Dominum Deum noſtrum: ſed Dei Filium, hujus Dei qui & unus & ſolus eſt, conditor ſcilicet rerum omnium.

Fol. 236. lit. B.

Hæc enim contumelia hæreticorum ad ipſum quoque Deum Patrem redundabit, ſi Deus Pater Filium generare non potuit.

Ibidem, lit. D.

Ut enim præſcripſit ipſa natura, hominem credendum eſſe qui ex homine ſit: ita & Scriptura Deum eſſe, qui ex Deo ſit.

Fol. 237. lit. M.

Quique Sermo caro factus habitavit in nobis, ex nobis hic Chriſtus non homo tantum, quia hominis filius, ſed etiam Deus, quia Filius Dei comprobatur.

Fol. 138. lit. I.

Quum ratio & temperamentum Scripturarum cæleſtium, Chriſtum oſtendat Deum, ſed quem Filium Dei, & aſſumpto à Deo etiam Filio hominis, credendum & hominem.

Fol. 239. lit. M.

Quandoquidem non tam veteris quam novi Teſtamenti Scriptura divina ubique oſtendat illum ex Patre genitum, per quem facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, qui obedierit ſemper Patri, & obediat, ſemper habentem rerum omnium poteſtatem, ſed quam traditam, ſed quam conceſſam, ſed quam à Patre proprie ſibi indultam.

Fol. 240. lit. E.

Miſſum præterea eſſe dicit, ut hanc obedientiam, qua venit Dominus Chriſtus miſſus, non Pater, ſed Filius probetur. Qui miſiſſet utique, ſi Pater fuiſſet. Miſſus autem non fuit Pater, ne Pater ſubditus alteri Deo, dum mittitur, probaretur.

Fol. 241. lit. A.

Quomodo enim ego & Pater unum ſumus, ſi non Deus eſt & Filius? Qui idcirco unum poteſt dici illum ex ipſo eſt, & dum Filius ejus eſt, & dum ex ipſo naſcitur, dum ex ipſo proceſſiſſe reperitur, per quem & Deus eſt.

Ibidem, lit. B.

Deus eſt ergo. Deus autem ſit, ut Filius ſit, non Pater.

Fol. 242. lit. C.

Imago eſt enim inviſibilis Dei, ut mediocritas & fragilitas conditionis humanæ Deum Patrem videre aliquando jam tunc aſſueſceret in imagine Dei. Gradatim enim & per incrementa humana fragilitas nutriri debuit per imaginem ad iſtam gloriam, ut Deum Patrem videre poſſet aliquando. Pericula enim ſunt quæ magna ſunt, ſi repentina ſunt.

Ibidem, lit. E.

Quomodo ergo Deus erit, ſi Angelus fuerit, quum non ſit hoc nomen Angelis unquam conceſſum, niſi quoniam ex utroque latere nos veritas in iſtam concludit ſententiam, quia debeamus intelligere Dei Filium fuiſſe, qui quoniam ex Deo, eſt merito Deus, quia Deus Filius dictus ſit: quoniam annunciator paternæ voluntatis eſt, magni conſilii Angelus pronunciatus eſt.

Fol. 243. lit. A.

Hic autem qui iſta promittit, Deus atque Angelus eſſe perhibetur, ut merito diſtinctio ſit inter eum, qui non Deus ſimpliciter, ſed & Angelus pronunciatur.

Fol. 245. lit. E.

Eſt ergo Deus Pater omnium inſtitutor & creator, ſolus originem neſciens, inviſibilis, immenſus, immortalis, æternus, unus Deus: cujus neque magnitudini, neque majeſtati, neque virtuti quicquam, non dixerim præferri, ſed nec comparari poteſt.

Ibidem, lit. G.

Deus utique procedens ex Deo, ſecundam perſonam efficiens, ſed non eripiens illud Patri, quod unus eſt Deus.

Ibidem, lit. I.

Nam quum id ſit principium cæteris, quod ingenitum, Deus ſolus Pater eſt, qui extra originem eſt, ex quo hic eſt qui genitus eſt.

Ibidem, lit. K.

Deus quidem oſtenditur Filius, cui divinitas tradita & porrecta conſpicitur. Et tamen nihilominus unus Deus Pater probatur.

Si ſingulas ſententias quæ pro me faciunt, calamo perſequi vellem, ingens mihi opus ſcribendum eſſet. Nullus enim extat doctor, qui aliquando hanc meam ſententiam non attigerit, etiam ipſe dominus Calvinus. Sed quando Irenæus & Tertullianus videntur ex profeſſo illam tueri, cæteris relictis, his contentus eſſe volui. Res eſt maximi momenti, optimi viri Dei. Agitur enim de cognitione veri Patris, & de vera cognitione Filii & Spiritus ſancti: quorum veram gloriam & majeſtatem ſi quiſquam alius tuendam ſuſceperit, vos probe ſcio uſque ad ſupremam guttulam ſanguinis tuiturum. Quamobrem, optimi viri Dei, veſtrum eſt, priuſquam ſententiam feratis, haſce auctoritates diligenter inſpicere, locos Scripturarum perpendere, & veſtram operam unico illi Deo bona fide præſtare. Sic enim facientes, pro certo habeo, tot monſtra, quæ tamdiu Trinitatem invaſerunt, Spiritu Dei qui habitat in vobis, vos facile interempturos: ipſamque Trinitatem, tot hactenus impetitam blaſphemiis & conſpurcatam, in priſtinum ſuum nitorem ac candorem vindicaturos. Quod ſi qui meam diſtinctionem rejiciunt, veram illam quidem, & Sacris literis apprime conſentaneam, ipſi ſuam in lucem proferant. Nam quæ vanitas eſt, diſtinctionem aſſerere, & interim nullam proferre? Expecto igitur magno cum deſiderio veſtrum oraculum, imo Dei per vos. Valete Chriſtiani Hercules, verique heroës, non immemores captivitatis meæ. E carceribus.

Hæc tum ille. Nos vero poſtridie ſcripto quoque reſpondimus, in eum qui ſequitur modum:

ANtehac putavimus errore te labi ac ignorantia: nunc ex poſtremo tuo ſermone & ſcripto deprehendimus & perverſi ingenii hominem, & faſtus intolerabilis, & virulentiæ deditum, & maligno ſpiritu imbutum, denique hæreticum pervicacem. Quod non dicimus conviciandi cauſa, ſed ut hanc pravitatem exuere diſcas, & ad docilitatem flectaris: quia initium reſipiſcentiæ tuæ erit (ſi tamen reſipiſcere tibi dabitur) modeſtia & humilitas cum ſincero pietatis ſtudio conjuncta. Zelum apud nos martyris Chriſti fruſtra obtendis, quem perſpicimus mera arrogantia fuiſſe adductum, ut impium errorem & abſurdiſſimum obtruderes.

Plauſibile tibi eſt principium illud, Deum Iſraël, quem Sacræ literæ aſſerunt verum Deum, eſſe Patrem Jeſu Chriſti: ipſum vero Chriſtum eſſe unici Dei Filium. Atqui clare apparet, quum Patrem opponis Filio, & uni duntaxat veram Deitatem tribuis, te excludere alterum, quem cum illo confers. Nos quoque ingenue fatemur, non alium eſſe Deum, quam Deum Iſraël: & hunc Deum eſſe Patrem Chriſti. Sed tunc non opponimus inter ſe Patrem & Filium, acſi in ſolo Patre eſſet Dei Eſſentia: ſed eadem ratione qua docemus Patrem Chriſti eſſe Deum Abrahæ, Iſaac & Jacob, ſequitur Chriſtum eſſe illum eundem Deum. Hic diligenter expende quo impingas, dum in comparatione fingis duo antitheta. Exclames licet Chriſtum à te agnoſci verum Deum, ſi ſolus ejus Pater eſt unicus Deus, & Deus Iſraël, non obſcure dejicis eum è gradu in quo Patrem unum ejus reſpectu locas. Faceſſat antitheſis inter Patrem & Filium, tibi nobiſcum non male conveniet: quia quum una ſit utriuſque eſſentia, in Patre incluſus eſt Filius, ubi fit Deitatis mentio.

Venenum erroris quod vafre occultas, ſic melius
detegetur. Deus qui Jeſaiæ apparuit, fuit verus *Jeſa* 6:1.
Deus Iſraël, & unicus Deus. Hunc Joannes affirmat *Joan.* 12.
fuiſſe Chriſtum. Deus qui pronunciat per Jeſaiam, *verſ.* 40.
ſe fore in lapidem offendiculi Judæis, fuit unicus *Jeſa.* 8.
Iſraëlis Deus: Paulus Chriſtum fuiſſe docet. Qui *verſ.* 14.
per Jeſaiam clamat, Vivo ego, mihi flectetur omne *Rom* 9.
genu: certe ſolus verus Deus fuit. Atqui idem Pau- *verſ.* 33.
lus Chriſtum interpretatur. Nec vero quæ recitat *Jeſa.* 45.
Apoſtolus teſtimonia, niſi in unicum Iſraëlis Deum *verſ.* 23.
competunt, Tu Deus fundaſti terram, &c. Hinc *Rom.* 14.
clare colligimus, æternum Dei Sermonem illum *verſ.* 11.
fuiſſe Iſraëlis Deum. Si excipias hoc te fateri, quid *Philip.* 2.
tu futiliter in utramque partem garrias, non cura- *verſ.* 10.
mus: quia interim manet convicta hæc impietas, *Hebr.* 1.
Solum Patrem eſſe Deum verum. *verſ.* 10.

Concidit etiam alter ille non minus deteſtabilis error, In ſolo Patre eſſe Eſſentiam. Nam quum in locis nuper citatis ponatur nomen Jehovæ, ſequitur Filium Dei ex ſeipſo eſſe, ſolius Deitatis reſpectu.
Nam ſi eſt Jehova, negari non poteſt quin idem ſit
ille Deus, qui per Jeſaiam alibi clamat, Ego, ego *Jeſa.* 45.
ſum: & præter me non eſt Deus. Utile etiam tibi *verſ.* 5.
eſſet expendere quid illud Jeremiæ ſibi velit, Dii *Jer.* 10.
qui *verſ.* 11.

Digitized by Google

qui non fecerunt cælum & terram, pereant de terra quæ ſub cælo eſt. Niſi enim palam maledicere velis Filio Dei, fateri neceſſe erit, illum eſſe cujus Deitas ſæpius apud Jeſaiam probatur ex mundi creatione. Quomodo autem Creator qui omnibus eſſe dat, non erit ex ſeipſo, ſed eſſentiam aliunde quaſi primo mutuabitur? Neque eſt quod fucum hic facere tentes, de æterna Filii generatione te nobis ſubſcribere. Nam quum eſſentiatum à Patre dicis, à ſeipſo eſſe negas. Reclamat ex oppoſito Spiritus ſanctus, illum Jehova nominans. Jam ſi tota Eſſentia eſt in ſolo Patre: vel tu eam partibilem nobis finges, vel eripies eam Filio. Utcunque nunc centies concedas eſſe verum Deum, ſpoliatus tamen ſua Eſſentia titularis ſolum erit Deus. Hic attende rurſus, annoo vel Eſſentiam Divinam Filio detrahat, vel derivationem partis à toto ſomniet, quiſquis Eſſentiam in Patre loco perſonæ ſubſtituit. Eſſentia Dei ſecundum te ſoli Patri competit, quatenus ipſe ſolus eſt, & eſt Filii Eſſentiator. Ubi erit Divinitas Filii, ſi eſt aliquid abſtractum à Dei Eſſentia? Jam de Spiritu ſancto quid dices? Si enim ſolus Pater Eſſentiator eſt, non erit commmnis Patris & Filii Spiritus. Vis perſonam Spiritus nihil aliud eſſe, quam derivationem à prima Eſſentia, quæ Patri uni propria eſt. Hinc tibi extorquebitur à ſolo Patre eſſe Spiritum, & perperam à Paulo, Rom. cap. 8., vocari Spiritum Chriſti. Videſne ut tua deliria quaſi multiplices laquei tè involvant, adeoque ſtrangulent? Adhæc ſi perſonam Patris expungis è Trinitate: in quo à Filio & Spiritu differret, niſi quia ſolus eſt ipſe Deus? Fateris Chriſtum eſſe Deum, fateris à Patre differre: viciſſim notam aliquam diſcretionis eſſe oportet, ne Pater ſit Filius. Tu quum in Eſſentia eam ponis, nonne manifeſte in nihilum redigis veram Chriſti Deitatem, quæ ſine Eſſentia eſſe non poteſt, & quidem tota?

Niſi te prorſus excæcavit ſuperbia & furor, diſce aliquando Patrem à Filio non diſtingui, niſi proprium aliquid habeat in ſe, quod Filio commune non ſit. Quid jam reperies in quo Patrem à Filio diſtinguas? Non erit certe Eſſentia. Nam ſi eam communicavit cum Filio, vel in ſolidum vel ex parte communicavit. Si ex parte, dimidium nobis Deum fabricas. Quomodo enim plena conſtabit Deitas, niſi in tota & perfecta Eſſentia? Hoc erit, ſcilicet, ſuum honorem dare Filio Dei, Deum partialem fingere. Adde quod hoc modo nimis ſceleſte ac fœde laceratur Dei Eſſentia. Reſtat ut dicas Eſſentiam perfecte & ſolide communem eſſe Patris & Filii. Quod ſi verum eſt, jam certe quoad ipſam nulla erit alterius ab altero diſcretio. Si reſpondeas, Patrem eſſentiando manere nihilominus unicum Deum, penes quem ſit Eſſentia: Chriſtus ergo figurativus erit Deus, ac ſpecie tantum vel nomine, non re ipſa: quia Deo nihil magis proprium eſt quam Eſſe: juxta

Exod. 3. verſ. 14. illud, Qui eſt, miſit me ad vos.

Quod ratiocinaris, Si Pater eſſet individuum in Eſſentia, non fore ſolum Patrem atque ingenitum: in eo craſſe hallucinaris, quod individua tibi ſomnias, quorum ſingula partem Eſſentiæ obtineant. Atqui docemus ex Scripturis Deum Eſſentialiter unum eſſe: ideoque Eſſentiam tam Filii quam Spiritus eſſe ingenitam. Sed quatenus Pater ordine primus eſt, atque ex ſe genuit ſuam Sapientiam: merito cenſetur principium & fons totius Divinitatis. Ita Deus indefinite eſt ingenitus, & Pater etiam perſonæ reſpectu ingenitus. Quod autem ex noſtra ſententia colligere te putas. Quaternitatem, hoc eſt cerebri tui commentum. Gloriaris quidem cæleſti revelatione errorem tibi eſſe traditum. Quaſi vero ignotæ ſint nobis næniæ magiſtri veſtri Gribaldi, quas tuus condiſcipulus Georgius ſedulo huc illuc curavit ſpargendas. Nam ubi pinxit figuram, in qua Patrem facit Deificatorem Filii & Spiritus, alteram nobis falſo & perfide adſcribit, quaſi derivative fingamus prodire ex una Eſſentia tres perſonas: quum tamen certo certius ſit, non abſtrahere nos perſonas ab Eſſentia: ſed quamvis in ea reſideant, diſtinctionem interponere. Hoc ſenſu individuos Tertullianus vocat Patrem & Filium: non autem (ut tu ſtulte imaginaris) individua, quæ ſub ſpecie comprehendantur. Tibi paralogiſmus iſte tuus arridet, Eſſentia in ſemetipſa eſt verus Deus: Quælibet perſona Eſſentialiter eſt Deus: Ergo eſt Quaternitas non Trinitas. Quaſi vero fabricemus tres Deos conflatos ex maſſa Eſſentiæ, ita ut quæque perſona partem aliquam faciat. Nos vero Filium Eſſentialiter Deum eſſe aſſerimus, quia unicus eſt ille Deus, cujus ſimplex eſt Eſſentia: præterea autem reſpectu perſonæ à Patre genitus eſt. Si ſeparatæ eſſent ab Eſſentia perſonæ, probabilis eſſet tua argumentatio: ſed quum in uno Deo docemus eſſe tres perſonas, ſequitur Patrem eſſe Deum, & deinde Filium eſſe eundem Deum. Præſtigiis autem tuis Filium Dei fabricas Eſſentiatum, & ſimul tamen abſque Eſſentia, niſi quod Pater ſuam Divinitatem in eum transfudit. Atqui, ſi ex parte, tum lacera erit Divinitas, & ex transfuſione ſequetur diminutio. Si in totum, ergo Divinitas quæ ante fuerat penes Patrem, in Filium converſa, in ipſo Patre evanuit. Quid obſtrepas in contrariam partem, ſuſque deque nobis eſt: quia agnoſcent ſani omnes & integri Lectores, conſequentiam hanc certam eſſe, & ſolidam.

Hinc ſolvitur futilis tua quæſtio: Utrum Eſſentia concurrat in Trinitatem, nec ne? Satis enim liquet quum tota ſit in ſingulis perſonis, non concurrere. Quod inde infers Trinitatem fore ſine Deo, imo vanam & nullam, ex eadem inſulſitate ſenſus tui naſcitur: quia etſi non concurrit ad diſtinguendas perſonas, ſed abſque diſtinctione unica eſt ac ſimplex, non tamen perſonæ ſine ipſa vel extra ipſam: quia ideo Pater eſt Pater, quia Deus: & Filius eſt Filius, quia Deus. Deum enim eſſe oportet Sapientiam illam æternam, quæ genita eſt ex Deo. Deitatem abſolute ex ſeipſa quidem eſſe dicimus: unde Filium, quatenus Deus, ſublato perſonæ reſpectu, ex ſeipſo eſſe fatemur: quatenus vero Filius eſt, dicimus eſſe ex Patre. Ita Eſſentia ejus principio caret: perſonæ autem principium eſt ipſe Deus. Hoc ut tuam Quaternitatem arripere deſinas, exuere diſcas commentum illud, Perſonas eſſe abſtracta quædam Deitatis. Adde quod veteres quicunque de Trinitate loquuti ſunt, ad perſonas tantum retulerunt hoc nomen. Et certe non modo abſurdus eſſet error, in Trinitate complecti Eſſentiam, ſed nimis craſſa impietas. Quarum, obſecro, rerum dices eſſe Trinitatem? Reſpondes tria concurrere, Eſſentiam, Filium, & Spiritum. Hinc vero plane perſpicitur, te Eſſentiam Filii & Spiritus exinanire. Alioqui partes inter ſe commixtæ coinciderent, ut loquuntur: quod eſt in omni diſtinctione vitioſum. Concurrunt ad naturam & ſtatum hominis anima & corpus. Si anima in corpus tranſiret, jam ceſſaret concurſus iſte. Ita niſi bis cæcus es, clare videre potes confuſam in Deitate mixturam à te fieri, non ſecus atque in electro, quoniam unius Patris erit Eſſentia, Filii & Spiritus Divinitas, forma erit qualem tu imaginaris, fides autem concipere non poteſt. Quod autem de voce Trinitatis tam aperte convictus, non vis tamen cedere, in re minima prodis maximam impudentiam. Vis enim toto invito mundo Trinitatem eſſe Trium unitatem: quaſi non idem ſignificet Latinis, quod Græcis nomen [illegible]. Sed ita de reprobis & deſperatis loquitur Deus, Neſciunt erubeſcere.

Quod quæris utrum Eſſentia, Pater, & unicus ille Deus Iſraël ſint ſynonyma, quæ poſſint inter ſe invicem ſupponi & prædicari: jam plus ſatis reſponſum eſt. Si enim eſſent ſynonyma, Eſſentia & Pater, liceret

liceret tibi pedibus calcare Chriſtum, quaſi umbram: quia nulla eſſet in ipſo Divinitas. Hæc enim deliræ tuæ ſpeculationis ſumma eſt, Si Eſſentia eſt Pater, & Pater Eſſentia: ſequitur neque Eſſentiam eſſe niſi in Patre, neque Patrem aliud eſſe quam Eſſentiam. Item, Si Pater eſt unicus Deus Iſtaël, & Deus unicus Iſtaël eſt Pater: ergo Chriſtus non fuit unquam, neque eſt Deus Iſraël. Nos autem docemus Patrem eſſe unicum Deum Iſraël, ut interea non excludatur Filius.

Quod quæris, An Deus Legis & Prophetarum ſit Patet Verbi, improbi & protervi ſcurræ partes agis. Nec certe hic nobis temperare poſſumus, quin ſaltem uno verbo excutiamus tibi Thraſonicum hunc faſtum. Audeſne Cerdonem nobis objicere nebulo, ut tam claram lucem obſcures, quæ te ſubterfugia omnia capiantem urget? Tu ſtas ad Tribunal pii Magiſtraius, reus, ob exectandas blaſphemias: ut te explices, nos in Cerdonis partes pertrahere conaris.

Eadem etiam petulantia erumpis in Archonticis: quaſi in bac Eccleſia, ubi ſub ſpecie ovis ſuiſti lupus & vulpes ſimul, audieris Angelos prædicari mundi creatores.

Eodem etiam redit proxima quæſtio, quæ eadem eſt, An neget Calvinus unicum Deum Iſraël eſſe Patrem Verbi. Tu vero ſycophanta ſatis ſuperque tenes, quid tibi etiam nuper nobis audientibus dixerit. pridem vero tenere debueras quid coram toto mundo prædicent ejus ſcripta, & quid apud populum quotidie doceat. Apage ergo cum tuis probationibus. Sed interea, ut ſcias te hominem eſſe phreneticum, imo dæmoniacum, memoria repetas quod nuper diximus, quia ſynonyma non ſunt Pater Chriſti, & Deus Iſraël, ſententiam non poſſe converti, ut Filio excluſo Deitas reſtringatut ad ſolum Patrem. Nec verbis digna eſt illa canina improbitas, quum principium illud ſumis, Deum non poſſe invocari ſine Mediatore. Hoc etiam, niſi pluſquam turpiter ingratus eſſes, debueras acceptum referre Calvino, Deum non exaudire preces noſtras niſi per Mediatorem. Quid poſtulas ut tibi clare reſpondeat hac de re, quam toti mundo ſonore teſtatus eſt? Niſi te poſſideret Satan, certe in iſtam petulantiam non erumperes. Tergiverſationem vocas quod ſcripſerat Calvinus docendi tui cauſa. Si quæritur annon tutior precandi forma ſit, dum invocamus Patrem in nomine Filii: reſpondemus, ſicut jam diximus, hanc eſſe ordinariam & magis familiarem, quia aptior eſt ruditati noſtræ & utilior. Sed alias formas, quæ etiam in uſu fuerunt Apoſtolis, & quas illis Spiritus ſanctus dictavit, damnare, ſacrilegæ temeritatis eſſet. Nec valet illa objectio, Fruſtra Deum invocari abſque Mediatore: quia etſi fixum eſt illud principium, Non exaudiri nos niſi per gratiam Mediatoris, non tamen ſemper in promptu occurrere neceſſe eſt. Jam præteriit annus, ex quo ſcriptum hoc cum tuis condiſcipulis legiſti: & adhuc diſcendi ſtudium ſimulas, quaſi diabolus in Chriſti ſchola velit proficere. Hæc nobis extorſit ſœtida illa tua eructatio. Jam tibi de re ſimpliciter reſpondemus, Mediator fuit Chriſtus, ut Deus manifeſtatus in carne. Neque enim homo, niſi ſimul Deus eſſet, perduceret nos ad Deum. Fatemur quidem humanæ naturæ reſpectu Chriſtum nobis eſſe Mediatorem, quatenus advocatus eſt noſter, & apud Patrem pro nobis intercedit; ſed utramque naturam comprehendi neceſſe eſt, ubi de Mediatore agitur. Proinde quod infers, nefas eſſe vocare Chriſtum Mediatorem, ut eſt Deus, prorſus eſt diabolicum. Major etiam eſt inſulſitas in eo quod proxime ſequitur, Si Mediator ſuit quatenus Filius, Deum Iſraël eſſe ejus Patrem ſine perſonæ reſpectu. Sed quicquid Thraſonice jactes, ex hac blaſphemia perſpicimus te nunquam ſerio invocaſſe Deum. Reliqua omnia quæ ſubjicis, non longa refutatione opus habent. Tu qui juras neque Theologum, neque Philoſophum te eſſe, magiſtrali ſupercilio doctrinam tibi incognitam perinde damnas, acſi nuper è cælo delapſus eſſes, Lucifer. Vide interea ut te implices. Abominaris ſi quis dicat Chriſtum eſſe Mediatorem, quatenus Deus eſt, Mediatorem vero dicis eſſe, quatenus eſt Filius. Ubi ergo ejus Deitas, ſi in æterna generatione non reperitur? Neque hoc tibi nunc demum per incogitantiam excidit: teſtes enim ſumus, pertinaciter te negaſſe Chriſtum ea ratione, qua Filius eſt, debere Deum cenſeri: unde ſequitur alia ratione eſſe Deum. Ita Trinitas tua, non erit Trium unitas, ſed conjunctio unius Dei cum duabus rebus creatis. Sermo ille Chriſti ad Patrem, Hæc eſt vita æterna, ut credant te unum verum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum, clare tibi fuit expoſitus. Nam illic Chriſtus in Mediatoris perſona loquens, medium gradum tenet inter Deum & homines. Neque tamen ideo imminuitur ejus majeſtas. Nam etſi ſeipſum exinanivit, gloriam tamen ſuam, quæ abſcondita fuit coram mundo, non perdidit apud Patrem. Sic Apoſtolus 2. ab Hebræos cap. quanquam ſatetur exiguo tempore fuiſſe imminutum infra Angelos, non tamen dubitat ſimul aſſerere, æternum eſſe Deum qui fundavit terram. Tenendum igitur eſt, quoties Chriſtus in perſona Mediatoris Patrem compellat, ſub hoc nomine Divinitatem complecti, quæ ipſius quoque eſt. Sic quum Apoſtolis diceret, Expedit me aſcendere ad Patrem, quia Pater major me eſt: non ſecundam Divinitatem tantum ſibi tribuit, ut ſit quoad æternam eſſentiam Patre inferior: ſed quia cæleſti gloria potitus, fideles colligit in participationem Divinitatis, vocat Patrem majorem, quatenus differt conſpicua ſplendoris perſectio quæ in cælo apparet, ab ea gloriæ menſura quæ conſpecta fuit in ipſo carne veſtito. Eadem ratione apud Paulum dicitur, Reddet regnum Deo & Patri, ut ſit Deus omnia in omnibus. Quærimus abs te, an Chriſtus quem cogeris Deum fateri, eſſe deſinet. Quod ſi perpetuitatem ejus Deitati concedis, ſequitur ſub Patris nomine unicam Dei eſſentiam, quæ tam Filii eſt quam Patris, comprehendi. Et certe ideo ad nos deſcendit Chriſtus, ut ad Patrem attollendo ſimul etiam ad ſeipſum attolleret, quatenus unum eſt cum Patre. Quæ poſtea evomis convitia, omittimus, ubi Filium Dei quem prædicamus, in diabolum transfiguras: Deum quem colimus, vocas Deum Turcarum, multaque ejus generis. Sed vide miſer, ne te præcipitaverit tuus furor, ut voces emitteres quæ per jugulum redeant.

Quod quæris, An natura Chriſtum eſſe Filium Dei putemus: facis pro tuo more, in re extra controverſiam poſita, rixandi & pugnandi anſam quærens. Natura dicimus eſſe Filium Dei, quod tu calumniator minime ignoras: ſed ſtulte inde infers, non libere & vere prædicari Filium, niſi perſonali reſpectu valere juſſo. Nam quamvis Dei nomen etiam Filio commune ſit, abſurdum tamen negamus κατ' ἐξοχὴν Patri interdum adſcribi: quia, ut alibi dictum eſt, fons eſt ac principium Divinitatis. In hac doctrina nihil ſophiſticum, ſed mera Scripturæ ſimplicitas. Quod autem Sophiſtas eſſe dicis, qui negant Deum eſſe Filii Eſſentiatorem, qua arrogantia id tibi ſumis, ut homo nullius pretii tam imperioſe damnare audeas, quicunque prodigioſo tuo commento non ſubſcribunt? Nam ex omnibus hæreticis, quorum magna fuit colluvies, tu primus es inventus qui mundo hoc portentum Eſſentiandi obtruderes. Odioſe quidem colligere tibi videris, Si Filius Dei eſt Chriſtus, non eſſe Filium perſonæ. Neque vero ita ſolemus loqui. ſed poſtquam ingenue confeſſi ſumus eſſe Dei Filium, explicandi cauſa addimus, Non diſcerpi hoc modo Dei unicam eſſentiam, neque auferri Chriſto Deitatem: ſed eſſe Filium Dei

Patris,

Digitized by Google

Patris, quatenus Sermo eſt ab ipſo ante ſecula genitus. Tu vero quoties ſolum Patrem garris eſſe verum Deum, Filio non niſi fictitiam Deitatem relinquis.

Quod quæris, An unicus Deus Iſraël fuerit ſemper Pater, nec ne: quære alios quibuſcum de hac re litiges. Scis enim quid ferat hujus Eccleſiæ doctrina & fides de æterna Verbi generatione. Inde infers, Deum igitur Patrem eſſe Verbi: quod non inficiamur. Cur autem non progreſſus fueris ultra, videmus, Blaſphemiæ odium fugitare voluiſti, Dei Patris eſſentiam Verbo non eſſe communem.

Quod objicis, Sophiſtice tribui Patri perſonam, ſi vere dicit Apoſtolus, Deum miſiſſe Filium ſuum: jam tibi reſponſum fuit, non poſſe Deum eſſe Filii ſui Patrem, niſi perſonæ reſpectu: quia alioqui vel partibilis eſſet Dei eſſentia, vel Filius ipſe Deus non eſſet. Itaque Deum ipſum Iſrael audire præſtat teſtantem qualis ſit, quam impurum canem de ejus myſteriis proterve blaterantem. Specioſi ſunt iſti prætextus, te nihil detrahere Chriſti majeſtati, quin ſit unus idemque Deus, & ejuſdem eſſentiæ. Sed quam inſeris exceptionem, fucos illos facile diſcutit. Excluſive enim Patrem vocando ſolum Deum, & excluſive Eſſentiam illi aſſerendo, palam demonſtras in Filio neque veram eſſe Deitatem, neque Eſſentiam. Neque vero nos latet argutia illa, Chriſtum eſſe verum Deum, quia eſſentiatus ſit à Patre. Sed hoc modo videmus precariam fieri ejus Deitatem, cui datum eſt Eſſe. Adde, quod mutuo conflictu ſeſe proſternunt tua commenta. Nam ſi nota diſcretionis quam ſtatuis, vera eſt, Reſidere in ſolo Patre eſſentiam: quomodo ſtabit illud, Eandem quoque eſſentiam eſſe Filii: quæ certe nulla erit, ſi eam vendicas ſibi ſolus Pater, & ejus ratione à Filio ſuo differt. Si cauſam tuam probare nobis volebas, non debuiſti tam craſſis mendaciis ora nobis oblinire.

Satis jam putamus diſcuſſas eſſe abſurditatum nebulas, quibus fidei noſtræ lucem obtenebrare fruſtra tentaſti. Tabella tua ubi Verbum Dei fateris eſſe Deum Iſraël, ne ſimplicium oculos perſtringat, uno verbo dilui poteſt hic fucus. Nam quum Patrem ſolum aſſerens Deum Iſraël, Filium ſemper excludas, non relinquis huic Divinitatem, niſi ſecundam & creatam, imo imaginariam: quia ſecundum te eſſentia caret, niſi quatenus eſſentiatur à vero Deo: quem tamen ſolum vis præditum eſſe eſſentia, ut Filius & Spiritus titulares ſint perſonæ. Quantumvis ergo flexuoſus ſis ſerpens, tuis iſtis ambagibus nihil proficies. Itaque propoſitio quam aſſeris eſſe veram, Deus Iſraël eſt Pater Verbi: ſi Verbum ipſum excludat, impia eſt ac ſacrilega. Atqui nihil aliud latratu tuo contendis, niſi ut vera Deitate Chriſtum ſpolians, Patrem ſtatuas ſolum Deum. Hæc tua eſt innocentia, nempe diabolica vafrities, qua conaris ſolem detrahere è cælo: niſi quod in reprobum ſenſum conjectus, impudentia Satanam ſuperas.

Supereſt ut locos ex Irenæo & Tertulliano citatos, breviter explicemus. Neque enim ſigillatim ſingulos excutere neceſſe erit, quando una eſt omnium ſolutio. Hoc tantum ex Irenæo adducis, Patrem Chriſti eſſe ſolum Deum Iſraël. Quid tibi erroris cauſam præbuerit, conjicere licet. Arriſit ſcilicet tibi nomen Dei Iſraël, quaſi aliquod ſubeſſet myſterium. Atqui animadvertere debueras ſancto viro negotium & certamen fuiſſe cum phreneticis, qui Patrem Chriſti negabant illum eſſe Deum qui per Moſen & Prophetas olim loquutus fuerat: ſed neſcio quod ſpectrum è labe mundi productum. Itaque in hoc totus eſt, ut oſtendat eundem illum Deum, qui per Moſen & Prophetas loquutus eſt, eſſe Chriſti Patrem, & perperam alium Deum excogitari. Non mirum igitur ſi toties concludat, non alium fuiſſe Iſraëlis Deum, quam qui Pater eſt Jeſu Chriſti. Sic etiamnunc, ubi tuis blaſphemiis reſiſtendum eſt, vere dicemus Deum qui olim apparuit Patribus, non alium fuiſſe quam Chriſtum. Porro ſi quis excipiat, fuiſſe Patrem: in promptu erit reſponſio, dum pro Filii Divinitate pugnamus, nos Patrem minime excludere. Si ad hoc Irenæi conſilium attendas, ceſſabit omnis diſputatio. Quod ſi hæc ratio intemperiem tuam nondum placat, objicimus tibi caput ſextum, libri tertii, ubi in hoc unum inſiſtit pius vir, qui abſolute & indefinite vocatur in Scriptura Deus, illum eſſe vere unicum Deum: Chriſtum vero indefinite & abſolute Deum vocari. Memineris hunc diſceptationis ſtatum fuiſſe Irenæo, ſicuti ex toto progreſſu patet, ac præſertim libri ſecundi capite 46., non vocari Patrem ænigmatice & parabolice qui vere non ſit Deus. Adde nonum caput libri tertii, ubi conjunctim tam Filium quam Patrem dicit à Prophetis & Apoſtolis prædicatum fuiſſe Deum. Duodecimo autem capite libri tertii docet, quomodo Chriſtus, qui Dominus eſt omnium & Rex, & Deus, & Judex, ab eo qui eſt Deus omnium, acceperit poteſtatem, nempe ſubjectionis reſpectu: quia humiliatus eſt uſque ad mortem. Interea capite decimoſexto ejuſdem libri tertii palam affirmat, Filium eſſe opificem cæli & terræ, qui Legem tulit per Moſis manum, & Patribus apparuit. Jam ut centies blateres, ſolum Patrem eſſe Deum Iſraël, regerimus tibi quod idem ſcriptor capite 18. ejuſdem libri dicit, Chriſtum unum & eundem exiſtere: ſicut & 23. capite ad Chriſtum refert vaticinium Habacuc, Deus ab Auſtro veniet. Eodem pertinet quod legitur capite nono quarti libri, Ipſe igitur Chriſtus cum Patre vivorum eſt Deus: ſicuti & duodecimo ejuſdem libri interpretatur Abraham credidiſſe Deo, quia factor cæli & terræ, & ſolus Deus ſit Chriſtus. Nam quod expendi jubes hæc verba, Filium eſſe in Patre, & habere in ſe Patrem, neſcimus quorſum. Certe fidem noſtram optime confirmant. Cæterum eadem impudentia arripis illud, Menſuram Patris eſſe Filium, quia & capit eum: quaſi Patrem eſſentiatorem conſtituant. Nos vero hinc facile cognoſcimus, te nunquam guſtaſſe in quem finem datus nobis fuerit Chriſtus. Nam quia Dei immenſitas in Filio à nobis concipitur, ideo vocatus fuit menſura. Tu autem phrenetice hoc ad originem eſſentiæ trahis.

De Tertulliano primum ſic accipe: quamvis aſper ac ſpinoſus interdum ſit ejus ſermo, ſummam doctrinæ quam tuemur eum non ambigue tradere; nempe quum unus ſit Deus, diſpenſatione tamen vel œconomia eſſe ejus Sermonem: unicum vero eſſe Deum per ſubſtantiæ unitatem, & nihilominus unitatem myſterio diſpenſationis in Trinitatem diſponi: tres eſſe non ſtatu, ſed gradu: nec ſubſtantia, ſed forma: nec poteſtate, ſed ſpecie. Porro quum adverſus Monarchicos diſputat, diſerte pronunciat everti Dei monarchiam, quum alia dominatio quaſi æmula ſuperinducitur. Unde aperte colligitur, ubi Deitatis, ſummique imperii, & æternæ eſſentiæ ſit mentio, Filium perperam opponi. Secundum à Patre ergo defendit Tertullianus, non qui alius ſit niſi diſtinctione.

Secundum vero teſtimonium quod adducis, niſi per conceſſionem ſumatur, excuſari nullo modo poterit, Quod ſcilicet Filius ſit totius ſubſtantiæ derivatio, & portio. Atqui toto contextu omnem dubitationem eximit, unicam eſſe ſubſtantiam aſſerens: præſertim vero ubi addit explicationis cauſa, Bene eſt quod & Dominus alium Paracletum vocans, non diviſionem ſignificat, ſed diſpoſitionem: quam ſententiam fuſius deinde proſequitur. Alioqui Dei eſſentiam ſecari in partes abſurdiſſimum foret. Sed hinc quoque deprehendere licet quod ante admonuimus, te ſub fictitiæ Deitatis larva impie obtegere quod proferre non audes.

Tertium quoque teſtimonium perverſe mutilas. Neque enim illic definit Tertullianus quid ſentiat, ſed

ſed in utramque partem ratiocinatur quomodo inviſibilis ſit Pater, Filius autem viſibilis. Jam tibi abſurdi objectio fidei confeſſio viſa eſt. Atqui paulo poſt tollitur omnis ambiguitas, Filium eſſe inviſibilem quatenus eſt Sermo. Diſce igitur poſthac conſideratius ſingula expendere, ne pauca verba excerpens, aliud ſubinde pro alio ſubjicias.

Quartum teſtimonium ſic nobis ſuffragatur, ut non aptior quærenda ſit probatio. Dicit enim Patrem determinari ſua perſona. Quod autem in fine addit, Unum eſſe Patrem & abſque eo non eſſe alium, quam inſulſe torqueas, ex proximo capite patet: ubi ſeipſum explicans, Filium negat alium eſſe à Patre Deum, ideoque non violari monarchiam, perſonæ diſtinctione. Ubi nunc tuum illud convitium, à Trinitate debere expungi Patris perſonam, quia ſit Sophiſtica, quando eſſentiam ubique tribus facit communem, tantum vero perſonis diſcernit, quia Pater Filium facit, & Filius viciſſim Patrem: denique concludit Patrem Deum eſſe ſolum, nempe à cæteris fictitiis, qui alii ſunt?

Sed apud te parum proficiemus, donec ad perpetuum ſcriptoris conſilium attendas. Contendit enim adverſus Praxeam, quamvis in tres perſonas diſtinctus ſit unus Deus, non tamen fieri plures Deos, neque diſcerpi unitatem: & quia ſecundum Praxeæ commentum Chriſtus non poterat Deus eſſe, quin eſſet Pater, ideo tantopere de diſtinctione laborat. Quod vero & Filium & Spiritum portionem totius vocat, etſi dura eſt loquutio, blaſphemiam tamen quam attingis minime continet: quia non ad ſubſtantiam hoc refertur, ſed diſpoſitionem & œconomiam tantum notat, quæ ſolis perſonis convenit: ſicuti clare ſæpius teſtatur. Inde etiam pendet illud, Quot perſonæ tibi videntur, perverſiſſime Praxea, niſi quot ſunt voces? Vides ut Patris nomine non ſimpliciter eſſentiam, ſed perſonam velit deſignari. Sic etiam paulo poſt, Ut credant Patrem & Filium in ſuis quemque nominibus & perſonis. Ubi autem eſſentiæ fit mentio, Sermonem docet nihil aliud eſſe quam Deum. Quare Tertullianum, qui totus noſter eſt, committere nobiſcum in certamen volens, non minus tuam impudentiam quam inſcitiam prodis.

Simplicior quidem confeſſio & docendi forma nos oblectaret: ſed quia ad evomendas horribiles blaſphemias te impulit Satan, nos officii ratio ad hanc ſanæ doctrinæ defenſionem impulit ac coëgit. Dominus ambitione & ſuperbia te purget, ſubigat tuam contumaciam, pravam curioſitatem corrigat: quo te manſuetum & docilem veris monitionibus incipias præbere: alioqui te compeſcat.

Hoc reſponſo accepto, etſi in eadem qua cœperat petulantia audacter ad dies aliquot perrexit, ſicuti ex ejus convitiis apparet: ubi tamen ſecum propius expendit, ſe intemperanter furendo nihil aliud quam Judicum animos magis exaſperare, repente exterritus, depoſita priore fiducia ad preces ſe convertit, ac pœnitentiæ ſimulationem: quemadmodum ex ſubjecta narratione patet.

Brevis Sententia *Valentini Gentilis* ante admiſſam confeſſionem Domini *Calvini* de Trinitate.

EQuidem putabam primam perſonam Patris in unica Eſſentia eſſe Sophiſticam, atque ideo hoc ſenſu excludendam à myſterio Trinitatis. Nam ſi Pater eſſet individuum in Eſſentia ſimile Verbo, non diceretur vere neque ſolus Pater, neque ingenitus, neque principium totius Trinitatis. Præterea ejuſmodi ſententia Quaternitatem potius, quam Trinitatem videretur conſtituere. Quod ſic probari poteſt:

Unica illa Eſſentia, quum abſque conſideratione perſonarum ſit ex ſemetipſa verus Deus: & unaquæque trium perſonarum ſit eſſentialiter Deus: ſequitur ergo Quaternitas non Trinitas. Quamobrem exiſtimabam Patrem eſſe ipſam unicam Eſſentiam, Verbum autem ſplendorem gloriæ Dei, & impreſſam imaginem ſubſiſtentiæ illius, hac ratione à Patre diſtinctum, quod Pater (ut ait Chriſtus) eſt ſolus verus Deus & eſſentiator, id eſt, informator individuorum: Verbum vero, Filius ſimul & verus Deus. neque duo dii tamen: ſed unus Deus. Hæc erat ſumma ſententiæ meæ de vero Patre, veroque Filio. Nam de Spiritu ſancto nulla erat quæſtio, & tamen confeſſioni domini Calvini ſubſcripſi.

Valentinus Gentilis manu propria.

ILluſtriſſimi ac vere pii Domini, Si vos legiſtis illam meam confeſſionem, quam juſſu veſtro nudiusquartus extemplo exaravi, non dubito quin ex ea facile intellexeritis, me ſat diſertis verbis oſtendiſſe, ſententiam domini Calvini Quaternitatem ſtatuere non Trinitatem. Quum vero nudiustertius ipſius domini Calvini præcipuæ partes eſſent, ſe tam execrabili errore expurgare, ſciens ſe malam cauſam apud hoc ſanctiſſimum Dei Tribunal minime poſſe ſuſtinere (ut vos probe noſtis) ne verbum quidem fecit, ſed totum tempus terens in convitiis, & neſcio quibus nugis Serveti, artificioſe quidem, ſed parum honeſte eluſit. Equidem bis cœpi rem (ut dicitur) acu attingere: ſed ille ſua mordacitate & convitiis me ſemper deterruit. Inſuper, (ut vos ipſi audire potuiſtis) minatus eſt hoc in caput meum eſſe vertendum. Quapropter quum ſatis aperte declararit ſe eſſe animo in me nimis infenſo, peto à vobis, Illuſtriſſimi Domini, ne potentia & volubilitate linguæ hominis mea innocentia opprimatur, ut mihi patronum & advocatum concedatis, qui meam optimam cauſam, ut par eſt, tueatur. Nam ingenue fateor me non poſſe tuta conſcientia Quaternitatem domini Calvini admittere. Exhibeat ille, ut tantum Dei Miniſtrum decet, veram Trinitatem, & nulla erit inter nos controverſia. Siquidem eo ſum natus ingenio, ut veritatem promptam in fronte geram. Ut enim ipſam Quaternitatem pernego, ſic veram Trinitatem, & unitatem toto pectore amplector. Præterea vos oratos etiam atque etiam velim, me, quo poſſim extra carcerem meam cauſam tueri, ſub idonea cautione liberari. Meam enim innocentiam & integritatem ſpero adeo cunctis Eccleſiis notam facere, & quaſi manibus tractandam præbere, ut ipſi etiam adverſarii fateantur me boni ac pii viri munere functum fuiſſe. Hæc pauca viſum eſt, Illuſtriſſimi Domini, à vobis perquam humiliter poſtulare, certo ſciens, qua eſtis ſanctitate ac pietate præditi, vos quod rectum eſt exequuturos, præterea nihil: præſertim quum me eſſe peregrinum hominem, imperitum linguæ veſtræ, ac prorſus ignarum rerum Curialium probe intelligatis. Sic unicus ille Deus Iſraël verus ac naturalis Pater Verbi, cujus cauſa nunc agitur, huic ſanctiſſimo Tribunali ſua virtute perpetuo aſſiſtat, voſque omnes, & hanc urbem veſtram in dies magis magiſque ſuis donis augeat, exornetque. Dixi.

Inutilis Chriſti ſervus, Valentinus Gentilis Coſentinus.

ILluſtriſſimi ac clementiſſimi Domini: Niſi cauſam meam vobis magis, quam mihi ipſi notam eſſe plane intelligerem, pluribus equidem vobiſcum agerem. Sed quia rem omnem probe tenetis, paucis me expediam. Principio noſtis me juſſu veſtro confeſſionem edidiſſe. Illa autem edita meas partes eſſe duxi, quicquid ad eam rem pertineret, ſine fuco Eccleſiæ proponere, eaque ratione conſcientiam meam omni ſcrupulo liberare. Quod etſi à me liberius fortaſſe, quam oportuit, factum eſt: gaudeo tamen hoc nomine, quod ampliſſimi Conſiſtorii con-

conſcientiæ ac judicio me penitus ſubmiſerim. Nunc vero quum tot ſapientiſſimi viri, quorum opera Deus manifeſte utitur in colligenda Eccleſia ſua, luculentiſſimo ſcripto meam opinionem uno opere erroneam teſtentur, viſum eſt potius ipſis vel ſomniantibus, quam mihi vigilanti credere. Itaque ut pollicitus ſum, eorum conſcientiæ, ac ſcientiæ libenter acquieſco, eamque (ut debeo) toto pectore amplector. Quamobrem ſi quid in ipſa actione mihi imprudenter exciderit, quod ipſos dominos Miniſtros, ac vos quoque, Illuſtriſſimi Domini, offenderit, ſupplex peto, ut ſimplicitati meæ ignoſcatur. Nunc enim primum ante Tribunal ſteti: atque difficile eſt in rebus novis hominem ita ſe gerere, ut aliqua in re non labatur. Sed de his hactenus. omnia enim bona de clementia veſtra & ſpero & mihi polliceor. Venio ad dominum Calvinum. Abſit ut tantum Doctorem in numero Sopbiſtarum unquam habuerim. Ingenue fateor, impius nedum iniquus eſſem, ſi de tam incomparabili viro, ac de Republica Cbriſtiana optime merito talia ſentirem. Soleo equidem Sorboniſtas, cæteroſque Magiſtros Papiſtarum, Sophiſtas appellare. De ejus doctrina nihil me tale ſuſpicari, religio eſt dicere. Quare vos etiam atque etiam oratos velim, ne mihi hæc nota inuratur, ut illa verba quaſi in ſanctiſſimam Eccleſiam veſtram dicta detorqueantur. Teſtis eſt mihi Dominus, me nunquam tale quicquam cogitaſſe: quin potius hanc Genevenſem Eccleſiam cæteris omnibus puriorem ac mundiorem & habui & ſemper prædicavi. Faceſſant igitur vanæ ſuſpiciones, & nuda regnet ſimplicitas. Si quid tamen extat in meis ſcriptis, quod dominum Calvinum urgeret: id non lædendi ſui cauſa à me dictum eſſe, mihi velim credatis, ſed defendendi mei. Quapropter ſi quid à me minus reverenter in ipſum dictum eſt, non modo ab eo veniam peto, verumetiam (quæ viri eſt charitas & pietas) oro, ut me totum amplectatur & foveat, inque eorum numero habeat, qui ſui nominis ſunt perquam ſtudioſi. Quod ſi in tot meis miſeriis mihi contigerit, munere videbor donatus immortali. Equidem quod ad me attinet, dabo operam ut tum dictis veſtris exequendis, tum illius pietate colenda me omnes fidelem ac conſtantem prædicent. Si Deus, &c.

Epiſtola *Valentini Gentilis* ad Senatum Genevenſem, ſcripta ex carcere, in qua ſuas blaſphemias agnoſcit, & veniam deprecatur.

Magnifici Domini, Certum eſt quo tempore ex veſtro mandato meam illam confeſſionem vobis obtuli, me tanto zelo fuiſſe percitum, ut fuerim paratus quodvis ſupplicium ſubire, ejus defendendæ cauſa: verum ſimulatque perlegi & attente expendi ſolidam illam & veris rationibus ſuffultam Conſiſtorii reſponſionem ad omnes meas objectiones, viſum eſt Patri miſericordiarum, qui me paſſus erat ad tempus evagari, ita me afficere, ut errorem meum cognoverim, qui quidem tribus præcipue fundamentis falſiſſimis nitebatur. Primum igitur in eo peccavi, quod quum affirmarem unicum illum Deum Iſraëlis eſſe Patrem Jeſu Chriſti, non animadverti Filii divinitatem excludi per illas antitheſes Unius Dei Patris, & Chriſti. Secundo, quum eſſentiam conſiderarem extra perſonas, inde eliciebam Quaternitatem: quod temere feci, quoniam eſſentia non eſt alibi quam in ipſis tribus perſonis conſideranda: quarum unaquæque eſt integre tota illa eſſentia. Tertium peccatum fuit, quod affirmarem perſonam Patris eſſe Sophiſticam: quod ipſum quoque falſiſſimum eſt, ut eſt mihi perſpicue demonſtratum. In ſumma, putribus iſtis ruinis ſuperſtructæ ſunt multæ falſæ conſequutiones, quas ego abominor & deteſtor, profiteorque me non aliter hæc intelligere, quam Conſiſtorium in illo ſuo ſcripto mihi explanavit. Itaque, magnifici Domini, putavi vos mihi eſſe precandos una cum Miniſtris, totaque adeo Eccleſia, ut grave & enorme iſtud facinus mihi condonetis: ſicuti non dubito quin Deus, ille cordium ſcrutator, id mihi condonarit, ut qui effecerit ut meum errorem ſummo cum animi dolore agnoſcerem. Etſi enim dum recordor quantum offendiculum toti Eccleſiæ objecerim, præſertim quum eximio Dei miniſtro & ſummo Theologo Joanni Calvino tam inconſiderate reſpondi, idem ille Deus, adeo graviter conſcientiam meam vulnerat, ut non facile inveniat in quo acquieſcat: confido tamen fore ut mea iſta perturbatio in meipſo gignat veræ pœnitentiæ fructus, adeo ut futura mea vita omnem iſtius offendiculi labem in poſterum abſtergat. Quoniam autem mihi conſtat tantam eſſe horum ſanctorum Miniſtrorum clementiam ac bonitatem, ut miſeram hanc pecudem, quæ quum antea aberrarit, nunc in viam redit, non modo intra Eccleſiæ gremium & ovium gregem ſint recepturi, ſed etiam exultaturi de mea converſione: nihil aliud habeo quod dicam, præter hoc unum, magnifici Domini, quod à vobis magnopere peto, nempe, ut quemadmodum ſummam operam adhibuiſtis in curando animi mei morbo, ita etiam nunc habeatis ejus ægrotationis & inopiæ rationem, in qua nunc ſum conſtitutus, ut qui abhinc ſeſquimenſem in veſtro carcere retinear paupertate ſimul & morbo preſſus: ut illud Chriſti merito poſſitis uſurpare, Nos totum hominem ſervavimus. Hoc certe factum præterquam quod convenit Principibus vere Chriſtianis, pro ſingulari beneficio ducam. Si Deus, &c.

Humillimus veſter ſervus,

VALENTINUS GENTILIS.

Abjuratio *Valentini Gentilis* Coſentini, ipſius manu ſponte ſcripta, & ad Senatum Genevenſem miſſa.

Confiteor Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, eſſe unum Deum, id eſt, tres perſonas diſtinctas in una eſſentia. Pater non eſt Filius, nec Filius eſt Spiritus ſanctus, ſed unaquæque illarum perſonarum eſt integra illa eſſentia. Item, Filius & Spiritus ſanctus, quantum ad divinam naturam, ſunt unus Deus cum Patre, cui ſunt coæquales & coæterni. Hoc illud eſt quod ego ſentio, & corde ſimul ac ore profiteor, & confido fore per Dei gratiam ut in hac confeſſione vivam & moriar. Omnes autem hæreſes huic ſanctiſſimæ veritati contrarias damno & deteſtor, & quidem nominatim blaſphemias illas quas ipſe mea manu deſcripſi: quibus inter cæteros errores Quaternitatem aſſerebam, & Chriſtum ſtatuebam unius Iſraëlitici Dei Filium, ita ut æterna ſua divinitate ſpoliaretur. Denique, quoniam ex falſis iſtis fundamentis multæ falſiſſimæ conſequutiones oriuntur, omnes illas damno & execror, & palam profiteor me in omnibus & per omnia aſſentiri ſanctæ hujus Eccleſiæ doctrinæ, & quidem inprimis ac diſerte in hoc ſanctiſſimæ Trinitatis articulo: in quo agnoſco me tam graviter tantaque cum blaſphemia peccaſſe, ut libenter velim jam olim interiiſſe, ne tantum ſcelus admitterem. Hoc illud eſt quod ſentio in corde meo: & infinitam Dei miſericordiam precor, ut in poſterum me afficiat tanto iſtarum rerum ſenſu, ut aliqua ex parte poſſint veræ meæ pœnitentiæ fructus ab omnibus cognoſci. 29. Auguſt. 1558.

Joan. Valentinus Gentilis, manu propria.

Sic tum ille. Etſi autem minime nos latebat, ſimulac elapſus eſſet, fore iterum ſui ſimilem, nec quic-

quam ſinceri ab homine fallaciſſimo expectandum eſſe: judicum tamen clementiæ non interceſſimus, nobiſque quieſcentibus lata ſententia eſt, recitata prius ex more, actionis ſumma. Hoc totum craſſo rudique ſtylo interpretari maluimus, quam vel tantillum à verbis diſcedere.

Proceſſus Criminalis formatus coram magnificis Dominis noſtris Syndicis, inſtante Jurispræfecto, adverſus *Valentinum* filium *Franciſci Gentilis* Neapolitanum.

ADductus in carcerem, confeſſus eſt ſecum aliis complicibus vulgaſſe opiniones de ſancta Trinitate prorſus falſas & erroneas. Atque hac cauſa Seniores Eccleſiæ Italicæ coactos fuiſſe puram confeſſionem edere, quam ſe amplecti teſtatus eſt, & obſervaturum promiſit, ac juravit ſub pœna perjurii. Quod ſubſcripſit propria manu.

Sponte tamen confeſſus eſt, ex quo ita ſe obligaverat, reverſum fuiſſe ad priſtinos errores, & eos diſſeminaſſe, ut quoſcunque poſſet, alliceret: idque eo prætextu, quod Sophiſticum commentum eſſet, attribuere Patri propriam perſonam in eſſentia Deitatis.

Præterea quum in carcere admonitus fuerit, tam à Dominis noſtris, quam à Verbi miniſtris, aliiſque doctis hominibus, atque etiam abunde convictus Scripturæ teſtimoniis: noluit tamen per aliquod tempus culpam agnoſcere, imo perſtitit tam ſermone quam ſcriptis obſtinate & impudenter impietatem ſuam aſſerere, convitia etiam & blaſphemias addendo, nos fingere Quaternitatem, duos Patres, & deum Turcarum. Ita arroganter auſus eſt tam huic Eccleſiæ, quam omnibus aliis piis & orthodoxis maledicere, turbandæ Eccleſiæ, & excitandi ſchiſmatis conſilio.

Tandem ſponte confeſſus eſt ſe in his rebus graviter peccaſſe, & Eccleſiam hæretica impietate offendiſſe, ac ſe pœnitentia tangi, ſeque fateri hæreticum: nec ſermone modo, ſed etiam ſcripto abjuravit ſuos errores, & agnovit in hac Eccleſia puram & orthodoxam fidem doceri.

SENTENTIA.

NOs Syndici, Judices cauſarum criminalium in hac urbe, viſo proceſſu criminali coram nobis formato, ad inſtantiam & proſequutionem Jurispræfecti, contra te Valentinum Gentilem, ex quo & voluntariis tuis confeſſionibus inter manus noſtras ſæpius iteratis, certo conſtat & liquet te aggreſſum eſſe & conatum ſpargere hæreticam & falſam doctrinam & blaſphemiis plenam contra ſacrum myſterium Trinitatis: idque contra datam fidem & jusjurandum, tam ubi pollicitus es te fore nobis obſequentem quam ubi expreſſe abjuraſti tuam hæreſin. Nihilominus ſumma impudentia & arrogantia conatus es coram nobis impugnare rectam fidem pro tua temeritate & impietate. Atque hoc modo non ſolum perjurio te implicuiſti, ſed te declaraſti apertum hoſtem & adverſarium Dei & Eccleſiæ: quod crimen deteſtabile, & gravi pœna corporali dignum pronunciamus. His juſtis cauſis & aliis adductis, ſedentes pro Tribunali, loco majorum noſtrorum, ac ſecundum antiquum morem, participato cum civibus noſtris conſilio, poſt invocatum Dei nomen, ut det nobis recte judicare, Deum & ſacras Scripturas præ oculis habentes, cum præfatione conſueta, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, Amen. Quamvis malitia & pravitas qua uſus es, merita ſit ut extermineris è numero hominum tanquam ſeductor, hæreticus & ſchiſmaticus: tamen habita ratione pœnitentiæ & converſionis tuæ, de qua apud nos proteſtatus es, ſimul ad miſericordiam magis quam ad rigorem propenſi, hac noſtra definitiva ſententia, quam ex ſcripto recitamus & edimus, te Valentinum Gentilem adjudicamus huic pœnæ, ut exutus uſque ad camiſiam, pedibus nudis, & capite diſcooperto, facem accenſum manu tenens, genibus in terram flexis, veniam à nobis & juſtitia depreceris, fatendo te impie & ſcelerate ſparſiſſe falſam & hæreticam doctrinam, & ſcripta tua in ejus defenſionem deteſteris, eaque propriis manibus tuis in ignem hic accenſum conjicias, donec in cinerem redigantur, tanquam pernicioſis mendaciis referta. Et quo amplior ſit reputatio, ut ad clangorem tubæ ducaris per omnia urbis compita in hoc habitu, cum prohibitione egrediendi ea urbe. Sit igitur hæc pœna in exemplum aliis qui tale crimen imitari vellent.

Hæc igitur ita ut judicatum erat, exequutioni ſunt mandata 2. Septembris 1558. & ille qui exemplaria ſuorum ſcriptorum, ficuti juſſus erat, non ſine rara pœnitentiæ ſimulatione & fallaci deteſtatione manu ſua palam combuſſit: poſtea nudus per urbem fuit circumductus, ut omnes haberet tum anteacti ſceleris, tum etiam conſequutæ, ut omnes quidem arbitrabantur, pœnitentiæ teſtes. Aliquot vero poſt diebus idem hunc libellum Senatui obtulit.

Supplicatio *Valentini Gentilis*, qua impetrovit à Genevenſi Senatu, ut abſque interpoſito vade, præſtito tamen jurejurando, quod poſtea fefellit, è carcere dimitteretur.

MAgnifici Domini, pauper ac miſerabilis Valentinus, humilis veſter ſervus, tanto jam tempore in veſtris carceribus verſatus, ſupplex veſtræ Magnificentiæ ſignificat, quum ipſe ex veſtro Senatuſconſulto, & quidem addita veſtræ indignationis pœna, ſit interdictum urbe exire, niſi impetrata à vobis venia, ſe paratum eſſe vobis parere, & omnibus veſtris mandatis alacriter obſequi, atque in urbe veſtra commorari quamdiu veſtræ Magnificentiæ viſum fuerit. Cæterum quod à me petiit Commentarienſis ut vadem nanciſcerer, præſtari à me nulla ratione poteſt, præſertim quum hic habitem prorſus inops, extraneus, ſolus, abſque ullis conterraneis, cognatis, vel aliis quibuſvis qui vicem meam commiſerentur. Itaque ſupplex peto ut Magnificentia veſtra habeat hujus miſeriæ & inopiæ meæ rationem, quum tantos ſumptus ferre non poſſim quantis hic eſt opus: ſed quod unis perſolvam, ſicut hactenus feci aliqua ex parte, cogar ab aliis emendicare. Denique, cupio veſtræ Magnificentiæ totique adeo Eccleſiæ ſatisfacere, & ejus rei præſtandæ rationem mihi præberi quotidie à Domino peto. Sed ut ſatis noſtis, nemo ad id tenetur quod præſtare nullo modo poſſit. Si hoc mihi conceſſeritis, feceritis quod eſt juri conſentaneum, & ſingulari beneficio me vobis obſtrictum puto. 5. Septembris 1558.

Valentinus Gentilis, veſter ſervus.

Hac accepta ſupplicatione, placuit clementiſſimo Senatui ut reſipiſcens Valentinus teneretur vadem præſtare. Ipſe vero præſens cum jurejurando promiſit ex Senatuſconſulti formula, ſe Dominorum injuſſu urbe non exiturum: quo impetrato, quum nemo ei moleſtiam faceret pro ſolita ſua perfidia clam aufugit ad hominem ſui ſimilem, Matthæum Gribaldum, turbulenti praviquè ingenii, & fatuis ſpeculationibus deditum: qui domo ſua profugus in quoddam latibulum ſe abdiderat, ubi petulantius quam unquam bacchari cœpit, ſed apud capras & boves, quia locus fere deſertus erat. Inde quomodo à D. Gayenſi præfecto in carcerem conjectus, ſimulata rurſum probitate evaſerit, & mox Lugdunum ſe proripiens, blaſphemum illum adverſus Athanaſii ſymbolum libellum ediderit: poſtea quomodo ibidem captus, odio in Calvinum fuerit dimiſſus, cæteraque ejuſmodi, alius dabitur narrandi locus.

Impie-

Digitized by Google

Impietas *Valentini Gentilis* brevi ſcripto detecta, & palam traducta per *Joannem Calvinum.*

SUperbis hominibus perinde eſt, modo dulci novitatis illecebra curioſos ineſcando, acumen, quod ſæpe nullum eſt, fallaci ſpecie oſtentent: itaque quo magis prodigioſa commenta illis in mentem venerint, eo cupidius arripiant, & audacius inſultent, quaſi ampliorem laudis materiam nacti. Porro ſama pleroſque titillat vagarum ſpeculationum cupido, tantaque levitas circumagit, ut facile ſit impoſtoribus, quamvis nec ingenio, nec doctrina, nec dexteritate polleant, tales ſibi diſcipulos momento acquirere. Ita Valentinus Gentilis, homo nihili, fæcem ex deliriis Serveti hauſtam propinans, inſipidis palatis perſuaſit ſuavem eſſe potum. Quam abſurdum ſit quod ſibi fabricavit dogma, ſanis hominibus ex brevi relatu perſpicuum fiet. Falli nos dicit, quod in una Dei eſſentia tres perſonas ſtatuimus. Ita enim quaternitatem fingi, acſi Perſonæ nomen aliquid ab eſſentia abſtractum notaret. Ipſe vero nimis craſſe hallucinatur, dum tres in Deo proprietates non diſtinguit, quæ in ipſa eſſentia reſideant, non autem ab ea ſeparentur. Principium illud Scripturæ tenemus, Unicum eſſe Deum. Jam dum eadem Scriptura in medium nobis profert Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, quid aliud reſtat, quam in una ſimplicique Deitate tres agnoſcere perſonas, quæ tamen non efficiant plures deos, nec eſſentiæ unitatem lacerent, aut diſſipent? Ubi autem quaternitas reperietur, ſi unus Deus tres in ſe proprietates contineat? Nunc quam ſcite noſtram ſententiam corrigat, videre operæpretium eſt. Comminiſcitur eſſentiam Dei in ſolo Patre: itaque illum prædicat ſolum eſſe verum Deum. Filio deinde concedit Dei nomen, ſed quaſi precarium: quia ſcilicet eſſentiatus ſit à Patre. Ergo perſonam Patris non aliud eſſe affirmat, quam eſſentiam. Filii vero perſonam, deificationem eſſe blaterat. Ubi ad Spiritum ſanctum venitur, omnia permiſcet: quia jam antea Filium eundem cum Spiritu aſſeruit. Atqui ſi proprie in Patrem competit eſſentia, ſicuti quod uni perſonæ peculiare eſt cum altera non communicatur, Filius certe Deus non erit. Quid ergo fiet tot Scripturæ locis, quibus docemur Chriſtum eſſe illum Jehovam, qui per Moſen dixit, Ego ſum qui ſum? Vidit Jeſaias Jehovam Deum exercituum ſedentem in ſolio: Joannes interpretatur viſam à Propheta fuiſſe gloriam Chriſti. Plena eſt ejuſmodi teſtimoniis Scriptura, quibus novum hoc portentum eſſentiationis pluſquam liquido refellitur. In principio erat Sermo, inquit Joannes. Quodnam intelligit principium? Haud dubie æternitatis: quia non de mundi creatione verba facit, ſed qualis in ſe ſemper fuerit Deus, explicat. Sermo itaque ſemper fuit Deus. Unde ſequitur non ei fuiſſe datum ut eſſet. Similiter quum pronunciat Chriſtus ipſe, Antequam fieret Abraham ego ſum: ſibi profecto eſſentiam abſque principio vendicat. Si Valentini placito ſtandum eſſet, perperam loquutus eſſet Chriſtus: quia ut membra inter ſe quadrarent, ſic loqui debuit, Antequam Abraham fieret, ego ſum eſſentiatus. Longe autem aliud eſt, Perpetuum eſſe, quam Eſſentiatum. Adde, quod tempus verbi, æternum ſtatum deſignat. Si dixiſſet præterito tempore, Fui, cavillari non deſtitiſſet Gentilis. Loquutio autem quam uſurpat, omnes tergiverſandi anſas præcidit. Jam quid eſt eſſentiare, niſi creare? Actus enim eſſentiandi neceſſario id ſecum trahit, ut qui ante non erat, inceperit eſſe. Unde ſequitur, Chriſtum non alio jure Deum cenſeri, niſi quod dono accepit quod non habebat. Nec vero diſputatione opus eſt in re clara: quia jam oſtendimus, niſi Filius ſit Pater, eum divina eſſentia ſpoliari à Valentino. Rudius loquar, ut apertius quod volo exprimam. Perſona Patris eſt Valentini eſſentia. Atqui perſona Patris non convenit Filio, nec in eum transferri poteſt. Ergo nulla in eo eſt deitatis eſſentia, ſed tantum creata divinitas, quæ ab hoc nebulone vocatur eſſentiatio: acſi per apotheoſin Chriſtus in hunc honoris gradum receptus foret. Et ſane, quum Deus generaliter eſſentiam inſpiret omnibus creaturis, longe excellentius eſt deificari quam eſſentiari. Præclare vero & liberaliter agit Valentinus cum Chriſto, dum privilegio eum dignatur, ut ſuum Eſſe dono acceperit. Nec vero privatam cauſam agimus, acſi nos ſeorſum aggreſſus eſſet quando totam vetuſtatem nobiſcum ſimul oppugnat. Anni jam elapſi ſunt mille & trecenti ex quo in ſynodo Nicæna damnatus fuit Arius. Hujus ſynodi auctoritatem verbo ſe amplecti ſimulans, Athanaſium, qui præfuit, quibuſcunque poteſt convitiis ſpurciſſime flagellat. Sophiſticam vocat ejus fidem, quæ quartum quendam novum deum inducat: falſitatis paſſim eum damnare non dubitat: Sabellio conjungit: exprobrat ei triperſonatum Deum: infamat tanquam præſtigiatorem: ſubinde eum ſtultitiæ & incogitantiæ inſimulat: invehitur in ejus ineptias: denique onerat crimine atrociſſimo ſacrilegii, quod ſolvat Chriſtum. Tanta vero arrogantia & faſtu crepat ſuos latratus, ut dicas è cælo tonare. Scio equidem non eſſe ipſum auctorem, ſed unum aliquem ex Epicureorum caterva repertum eſſe, qui ad maledicendum eſſet aliquantum diſertus. Niſi forte credibile eſt eum, qui nomen Chriſti ſcribere non poteſt, Græcas voculas aſpergere ad fucandum ſermonem. Sed quoniam multi hodie ex turbis ac diſſidiis, veræque doctrinæ labefactatione delicias ſibi faciunt, nihil mirum ſi Lugduni garrulus quiſpiam ex antro virulentiam ſuam evomuerit. Quinetiam exortus eſt poëta, qui Valentini theologiam ſuis carminibus ornaret. Inter alia non dubitat præclarum illud axioma obtrudere, Numero Deus impare gaudet. Quid vero, ſi tibi viciſſim objiciam nugator, Ter tria multiplica, quam multos deos ſcaturire neceſſe erit? Nec me latet vos deorum myriades audacter fateri. Sed quoſnam putas tuo tinnitu ſic faſcinatum iri, ut portentis tuis capiantur, niſi tui forte ſimiles? Atque ut nulla illis religio eſt licentioſe mentiri, inſcribitur Valentini confeſſio ad Præfectum Gajenſem, coram quo ſerviliter abjuravit quicquid tradiderat: nec aliter elapſus eſt, quam aperta omnium quæ nunc tam ſuperbe obtrudit, abnegatione. Porro nequis ſcrupulus hæreat, petulantiſſimi canis petulantiam paucis detegam. Arium & Sabellium plenis buccis damnans, ab Eccleſia pridem damnatos eſſe adjungit. Quid phrenetice? Quum Eccleſiæ nomen Athanaſio ejuſque collegis tribuas, unde mox, niſi ex ore impuriſſimo, tanta eos inſectandi erumpit audacia? Quum tibi inſtar oraculi ſit Nicæna confeſſio, cujus frontis eſt, eum à quo profecta eſt, tam contumelioſe proſcindere? Certe ut es omnis liberalis doctrinæ ignarus, nunquam didiciſti tam Nicænæ, (ſi rem ſpectes) quam Alexandrinæ ſynodo præfuiſſe Athanaſium, atque ejus decreto damnatos fuiſſe hæreticos, quorum erroribus ſocium & ſuffragatorem te adjungis. Quid hac impudentia fœdius? Atque hæc una furendi cauſa, quod Athanaſius Filium facit αὐτόθεον. Unde perſpicuum fit hunc eſſe cauſæ ſtatum, quod contendit Valentinus Chriſtum aliunde eſſe Deum, qui ab alio mutuatus ſit idquod eſt. Valde enim logodædalum, qui ejus perſonam ſumpſit, delectant iſtæ voces, Unum eſſe Deum Patrem, qui & ſit αὐτόθεος, & ſolus αὐτουσίαν in ſe habeat: quod ſi recipimr, concident quæcunq; Scripturæ teſtimonia in hanc rem citantur ab Apoſtolis. Clamat Gentilis, ſolius eſſe hoc Patris elogium, nec Chriſto commune, Ego ſum Deus, & præter me non eſt alius. Paulus autem, Siſtemur omnes ad tribunal Chriſti: quia ſcriptum eſt, Vivo ego, dicit Dominus, mihi flectetur omne genu. Videmus ut ad Chriſti perſonam accommodet quicquid apud Jeſaiam gloriæ & imperii ſibi vendicat Deus. Quid magis proprium eſt Deo, quam vivere? aut quid aliud eſt αὐτοζωή? Hanc gloriam Paulus Chriſto cum

Digitized by Google

Patre communem facit. Dicitur in Pſalmo, Cæli peribunt: tu autem idem es ſemper Deus. Hoc Chriſto Valentinus pugnaciter eripit: Apoſtolus autem de eo dictum eſſe interpretatur. Quid plures locos congerere attinet, quorum paſſim copia occurrit? Sed verba Concilii Nicæni ſonant, Deum eſſe de Deo. Dura loquutio, fateor, ſed ad cujus tollendam ambiguitatem nemo poteſt eſſe magis idoneus interpres, quam Athanaſius, qui eam dictavit. Et certe non aliud fuit Patrum conſilium, niſi manere originem quam ducit à Patre Filius, perſonæ reſpectu, nec obſtare quominus eadem ſit utriuſque eſſentia & deitas: atque ita, quoad eſſentiam, Sermonem eſſe Deum abſque principio: in perſona autem Filii habere principium à Patre. Deſinat ergo latrare Valentinus, Scripturam non niſi uni Patri eſſentialem deitatem tribuere. Nam quoties vel apud Moſem, vel apud Prophetas loquitur Deus, non comparat ſe Filio, acſi hunc ornando ipſum minueremus, ſed idolis ſe opponit: quæ niſi in nihilum redigantur, non obtinet ipſe in ſolidum quod ſuum eſt. Longius progrediar. Si Valentino creditur, epitheton Creatoris in ſolum Patrem competit. Nam inter alia quæ Deus pronunciat apud Jeſaiam ſibi propria eſſe, ſubinde repetitur, Ego ſum cujus manus fundavit terram, & expandit cælos. Solus ergo Pater, Filii & Spiritus eſſentiator, cenſebitur opifex cæli & terræ. Interea Chriſtum eſſe Deum, verbo non negat. Nunc attendamus ad verba Jeremiæ, Dii qui non fecerunt cælum & terram, pereant è mundo. An Filio Dei maledixit Propheta? Atqui dira imprecatio interitus ad eum pertinet, niſi Creator ſit. Hoc uno verbo diſcutiuntur omnes Valentini nebulæ de unius Patris eſſentia. Cur ergo Creator dicitur Pater, & hoc titulo ſeorſum ornatur? Nempe ratione ordinis, dum reſpicitur ad perſonas. Unde etiam aperte convincitur erroris Valentinus, qui non putat ſalvam Patri fore ſuam deitatem, ſi Chriſtus ejuſdem eſſentiæ ſit particeps. Nam certe uno conſenſu fatemur Chriſtum improprie vocari Creatorem cæli & terræ, quoad perſonæ diſtinctionem. Neque enim dubium eſt quin Scriptura Patri nomen Creatoris vendicans, perſonas diſtinguat. Si vere Creator eſt Chriſtus, neque id perſonæ reſpectu: ſequitur neceſſario referri hoc ad eſſentiam, qua eum Valentinus ſpoliat. Et audet obſcœnus canis, Arii & Mahometis nos facere ſocios, quia Chriſtum eſſentialiter Deum credimus. Deridet etiam argumentum quod non refellit: Unus eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus ſanctus Deus ſicut Pater: ergo Pater, Filius, & Spiritus, ſunt unus Deus. Notandum erat vitium in ſyllogiſmo. Nullum deprehendit: vult tamen vitioſum eſſe. En quam imperioſi ſint pædagogi in Italia! Sed contrarium ſyllogiſmum opponit: Unus eſt Deus abſque ullo principio, & univerſitatis auctor: Solus Pater originem neſcit, & ab eo ſunt omnia: Ergo ſolus Pater, unus eſt ille Deus. Quaſi futilitas aſſumptionis longa refutatione indigeat. Ludit in voce Originis: cujus dum expertem facit Patrem, libenter aſſentiar: quia & Deus eſt qui principium neſcit, quoad eſſentiam, & origo eſt ac principium Filii, quoad ordinem perſonæ. Filium itaque concedimus originem habere à Patre, quatenus Filius eſt: originem vero non temporis, neque eſſentiæ, quorum utrumque abſurdiſſimum eſt, ſed ordinis duntaxat. Sic omnia dicuntur eſſe à Patre, quatenus fert perſonalis relatio. Quis inde, niſi ter & quater veſanus, colliget Patrem ſolum eſſe Deum? Præcipuum vero telum Valentini ad nos confodiendos, hoc eſt, Pugnare inter ſe, nec poſſe conciliari eundem eſſe Dei Filium, & αὐτόθεον; nempe, ſi idem eſſet perſona quod eſſentia. Nam ſi dicas Deum in ſua eſſentia eſſe Dei Filium, abſurditas repugnantiæ manifeſta erit. Si autem in eſſentia Dei, primum locum Patri aſſignes, ſecundum Filio, recte conveniet æqualitas Filii cum Patre, imo identitas eſſentiæ & generationis origo. Plenis buccis detonat Valentinus eminentiam Patris & auctoritatem, quia alterum ſibi Deum adoptaverit. Quid ergo ſibi vult illud Pauli, Non rapinam arbitratus eſſet, Deo æqualem eſſe? Reſpondeat Valentinus, de Patrene primario Deo, an de ſecundo & eſſentiato hoc debeat intelligi? Certe nimis inſipidum eſſet, Chriſtum dicere jure ſuo fuiſſe facturum, ſi ſe præ ſe tuliſſet æqualem ſibi. Nec ſane dubium eſt quin referat Paulus ad Patrem, de quo etiam mox ſubjicit, Ideo exaltavit illum, &c. Porro ne fucum faciat hic nebulo imperitis, monendi ſunt lectores, ubi Filius Dei vocatur Chriſtus, non tam ad Filii perſonam, quæ fuit ante mundi creationem, quam Mediatoris hoc ſpectare. Ubi autem nobis offertur Mediator Chriſtus, quia medius eſſe non poteſt, niſi Deo ſit inferior, Patri integra datur deitatis gloria. Nec mirum: quia ſponte ad nos deſcendit, ut ſurſum nos ad Deum attolleret. Jam ſicuti eos repudiamus, qui nimis ſubtiliter rapiuntur ad ſpeculandam Chriſti deitatem, ut in Mediatoris perſona Deum ſimpliciter quærant: ita merito abhorremus à Valentini delirio, dum Filii Dei nomen inſtar umbræ obtendit ad occultandam ejus deitatem. Chriſtus Dei Filius eſt, quatenus Sermo eſt Dei ante ſecula à Patre genitus, tandem manifeſtatus in carne. In Sermone æterno tantum diſtinctio perſonalis notetur: ita relative Dei Filius erit, & ſine relatione ſimul Deus. Quatenus vero formam ſervi induit, Filius eſt Dei, ut Patri obediat, atque ita nova ſit ejus conditio, & à priore diverſa. Hoc etiam modo diluitur quicquid ex Tertulliano non minus ſtulte & inſulſe quam improbe Valentinus profert. Confeſſus ſum in aliis ſcriptis pium illum virum ſæpe durius loqui. Sed quicquid de perſona Mediatoris diſſerit, ad Chriſti deitatem torquere, nulla ratio patitur. Ejus teſtimonio abutitur Valentinus, ut probet Filium Dei propriam eſſentiam non habere. Atqui ſententiam ſuam Tertullianus Chriſti dicto confirmat, Pater major me eſt: quod nemo verecundus audebit de ſola deitate accipere. Hoc unum quiſquis prudenter obſervabit, mirabitur, & ſimul ſecure contemnet craſſam Valentini hallucinationem. Quod ſi Tertulliani auctoritate pugnandum eſt, præter multos inſignes locos, quibus Serveti errorem refutavi, quid hoc ſibi vult, Alium à Patre Filium profiteri, perſonæ non ſubſtantiæ nomine, quia ubique teneat unam ſubſtantiam in tribus cohærentibus? Si excipiat Valentini larva, unam vocari ſubſtantiam, quia eſſentiatus ſit Filius à Patre, nihil proficiet, quando diſerte negat Tertullianus differre Filium à Patre ſubſtantia. Poſſetne apertius doctrinæ noſtræ ſuffragari, quam ſubſtantiam, id eſt, eſſentiam à perſonis diſtinguendo? Eodem ſenſu paulo poſt ſubjicit, Rationem reddidimus, qua non duo dicantur Dii, ſed qua Pater & Filius duo: & hoc non ex ſeparatione ſubſtantiæ, ſed diſpoſitione. Iraſcitur Valentinus ſimulac audit aliquam eſſe Filio eſſentiam, maxime vero unam & eandem cum Patre. Tertullianus vero non alibi quam in diſpoſitione perſonæ diſcrimen ſtatuit, eundem ſubſtantia Filium cum Patre nominans. Eodem libro relatio quam aſſerimus clare tradita eſt, dum ita ſcribit Tertullianus: Sine Filio nominatur, quum principaliter determinatur, ut prima perſona, quæ ante Filii nomen erat præponenda: quia Pater ante cognoſcitur, & poſt Patrem Filius nominatur. Cæterum alius non eſt Filius à Patre. Ex Chriſti dicto, Ego & Pater unum ſumus, putat Valentinus poſſe elici non eundem eſſe cum Patre Deum. Quid autem Tertullianus? Ad ſubſtantiæ, inquit, unitatem hoc pertinet, non ad numeri ſingularitatem. Videmus ut numerum ad perſonas reſtringens, eſſentiam, quæ una eſt, ſeorſum relinquat. Quia nolo actum agere, cogno-

ſcent

Digitized by Google

ſcent lectores, ſi volent, ex refutatione Serveti quam ſtolide Irenæum in ſuas partes trahere conetur fœtidus hic impoſtor. Eadem eſt Juſtini ratio, quo nullus doctrinæ noſtræ luculentior patronus nobis optandus eſt. Ac miror Serveti ſtultitiam auſum fuiſſe imitari, qui quum ſancti Martyris nomine ferociter gloriaretur, prolato volumine obmutuit. Nænias quæ ſub Ignatii nomine feruntur, omitto: qua tamen in parte iterum vel nequitia, vel inſania ejuſdem Valentini convincitur, dum magnifice jactat, Ignatium loquutum eſſe cum Virgine Maria, & ejus nomine Epiſtolam venditat pudendis monachorum deliriis refertam. Plenior tamen danda eſt Filii definitio, quæ omnes nodos melius expediat. Fatetur Valentinus conſubſtantialem eſſe Patri ſecundum divinitatem, nobis vero ſecundum humanitatem. Diceres hominem orthodoxæ fidei loqui: niſi quod recte ex aliis ſumpſit, mox ex furioſo ſuo ſenſu corrumperet: Individuum, inquit, non compoſitum ex partibus, ut homo, ſed naturaliter regenitum. Ac paulo poſt, Non recte dicitur, Chriſtum conſtare ex λόγῳ & homine, ſicut Alexander conſtat ex corpore & animo: quia λόγος ita per incarnationis myſterium Immanuel eſt, ut non mutata Dei ſubſtantia hominis formam ſumpſerit, utque amborum naturarum attributa & proprietates ſint propriæ & naturales unius ejuſdemque ſubjecti. Unde non minus Dei ſanguinem & carnem, quam divinitatem hominis Jeſu abſque ullo tropo, proprie dicimus & confitemur. Niſi enim ſanguis & caro Chriſti vere & proprie Dei ſanguis & caro eſſent: neque hæc vere expiatrix hoſtia diceretur, neque ille purgaret nos à peccatis: quemadmodum etiam nec homo Jeſus poteſtatem haberet remittendi peccata, niſi homo Deus eſſet. Certe nunquam niſi ex vertiginoſo ſpiritu prodirent ſententiæ adeo inter ſe pugnantes. Poſtquam enim duas in Chriſto naturas agnovit, unitatis prætextu quod ſingulis proprium eſt permiſcet ac confundit: ut ſine ulla figura Deus ſit mortalis, & homo per ſe ſit vita. Non inſiſtam Scripturæ teſtimoniis ad oppugnandum hoc commentum: quæram duntaxat qui eum non pudeat in Tertullianum contumelioſe inſurgere, cujus verba ſunt, Quum duæ naturæ cenſeantur in Chriſto, divina & humana: conſtet autem immortalem eſſe divinam, mortalem quæ humana ſit: apparet quatenus eum mortuum dicat Paulus, id eſt, qua carnem & hominem & Filium hominis, non qua Spiritum, & Sermonem, & Dei Filium. Diſcant tandem lectores quam dexter ſit interpres Tertulliani, & quam bonus ac fidelis diſcipulus. Nos vero in Chriſto Mediatore non impedit perſonæ unitas, quin ſua utrique naturæ diſtincta proprietas ſalva maneat, ut Chriſtus ſit Deus & homo: vel, ſicuti Paulus loquitur, Deus manifeſtatus in carne, vere & naturaliter Dei Filius, ſed qui ex duabus naturis conſtet, quia in homine habitavit plenitudo Divinitatis. Et Chriſtus ipſe clare pronunciat corpus ſuum eſſe templum, quod certe minime quadraret, niſi eſſet Deus ipſe. Etſi autem Deitatis reſpectu unum eſt cum Patre, ſicut jam ſæpe diximus, qua tamen Mediator eſt, quoad diſpenſationem, quodammodo ſubſidit infra Deum: qua ratione Patri ſubjicietur ultimo die, regnumque quod accepit, reſtituet, ut ſit Deus omnia in omnibus. Quiſnam Deus? Si ad Patrem reſtringas, certe Filii deitas erit temporalis, quo nihil abſurdius. Quare alias machinas excogitare Valentinum oporter, quibus convellat orthodoxam fidem: quando ingenue prædicamus unicum eſſe Deum, à quo miſſus eſt Chriſtus, & unicum eſſe Dei Filium, qui ſponte ſe exinanivit, ut nos in ſocietatem ſuæ gloriæ adſciſceret. Frivola autem calumnia eſt, nos Chriſtum diſcerpere, imo in alium Chriſtum qui non eſt, transformare, dum nunc ut Deum, nunc ut Dei Filium, nunc ut natum ex Virgine conſideramus. Quanquam ſuo ſe gladio jugulat hic phreneticus, qui hominem factum ex muliere, miſſum in plenitudine temporum, ſeorſum conſiderari non ſuſtinet ab æterno illo Sermone, qui ante ſecula genitus fuit. Divinam vero eſſentiam quam recte conſiderari nolit, jam ex pluribus teſtimoniis palam fecimus, & ex Malachia dicere promptum eſt, Donec veniat, inquit, Dominator ad templum ſuum. Certe non aliis inſignibus magis gloriam ſuam illuſtravit Deus, quam Legali cultu, ſacrificiis, & templi imperio. Ubi ergo palam aſſerit Propheta, Chriſtum, qui venturus eſt, illum eſſe Deum qui ſemper in templo adoratus fuerit, omnem controverſiam diremptam eſſe exiſtimo. Eat nunc Valentinus, & neget colendum eſſe Chriſtum, quia Patrem nobis colendum propoſuit.

Protheſes Valentini Gentilis, quæ mera Sophiſmata continent, ne viderer cum umbra certare, an attingerem dubitavi. Quia tamen argutulus ſibi viſus eſt earum auctor, ſive Gribaldus, ſive alius quiſpiam ſimilis: malui aliquantulum temporis perdere, quam non monere ſimplices quomodo ſibi ab inſidiis caveant.

Prima.

Infinitum, ſive interminatum eſt quicquid nec originem omnino habet, nec finem. Duo autem infinita neque dantur, neque eſſe poſſunt.

Ut hoc totum concedam, quid inde conſequitur qui ſolum Patrem vult habere infinitum? Quaſi vero Filium doceamus aliud eſſe à Patre.

II.

Deus eſt nomen increatæ ſubſtantiæ & Deitatis plenitudinis.

Perge vero, & oſtende quorſum tendas. Nos vero inde colligimus Sermonem eſſe verum Deum: quia & increatus eſt, & poſtquam in carne manifeſtatus eſt, in eo reſidet plenitudo Divinitatis.

III.

Ut in æternitate perſonarum datur principium ordinis, non temporis: ſic in earum Deitate datur gradus, non diſtinctio. Eſt autem perſona, ſubſtantia intelligens, individua, incommunicabilis.

Quænam ratiocinandi forma, ut ſi principium ordinis ſit in perſonis, ideo in Deitate ſit gradus? Hic unus error. Simul obſervent lectores, iſtum, quum de æternitate perſonarum loquimr, Filium ſeorſum ab humana natura conſiderare: quod nuper fieri nefas eſſe clamabat. Secundus error, cui tertius mox accedit, Gradum in Patris & Filii deitate eſſe, non diſtinctionem. Quid? An gradus diverſi erunt, & nihil differentiæ? Certe prodigium eſt dicere non diſtingui quod inferius eſt à ſuperiori. In definitione Perſonæ ſuam inſcitiam turpiter prodit. Nam quum ſecundum ipſum eſſentiatio communis ſit Filio & Spiritui, ſit autem eſſentiatio perſona, ergo Filii & Spiritus perſonæ erunt communicabiles.

IV.

Unus in natura divina non ad ſingularitatem ſubſtantiæ, ſed tantum ad originem ſive αὐτουσίαν refertur.

Inani garritu ſe in craſſam repugnantiam implicat. Quid enim aliud eſt αὐτουσία, quam eſſentiæ ſingularitas, ubicunque reperiatur?

V.

Unus Deus naturalem generationem & propagationem admittit: unicus autem omnino ſterilis eſt, ac ſolitarius.

Atqui, unicum Deum non fingunt, qui in ejus eſſentia fatentur Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum. Tibi autem naturalis generatio novi & fe-

cundi Dei, ſicut & propagatio tertii, deificatio eſt.

VI.

Pater non eſt hypoſtaſis, ſive perſona, in uno Deo: ſed, teſte Apoſtolo, eſt unus ille Deus, à quo omnia.

Si Pater non eſt hypoſtaſis, quomodo Filius character erit hypoſtaſeos ejus? nam diſtinctam ab ipſo eſſe oportet hypoſtaſin cujus eſt character. Ac inſcite huc torquetur Apoſtoli dictum, Unum eſſe Deum à quo omnia. quia elogium hoc nihil aliud eſt quam perſonæ ejus proprietas. Nec vero nos negamus, dum confertur Filius cum Patre, ſuum cuique titulum attribui. Adde quod Chriſtus illic non pro æterna ſua Deitate commendatur, ſed tantum locatur in gradu dominii, quod à Patre acceptum, ultimo die reddet.

VII.

Solus Pater eſt unus Deus, id eſt, ſine ullo principio aut origine inventus.

Quia ludis in vocibus Originis & Principii, falſo & perperam inſers unum eſſe Patrem Deum, quia origine careat. Chriſti enim origo non niſi perſonæ aptatur.

VIII.

Solus Pater eſt αὐτόθεος, id eſt, à nullo ſuperiore numine eſſentiatus, ſed à ſeipſo Deus.

Ubi probaveris eſſentiatum eſſe Filium, de ſolo Patre extorquebis quicquid voles. Interea ſi numen Patris ſuperius eſt, mentitus eſt Apoſtolus, Filium ei æqualem aſſerens.

IX.

Qui unum Deum in tres proprietates ſeu perſonas diſtinguit, vel ſibi præſtigias facit, vel neceſſario unius Dei ſubſtantiam dividit atque diſcerpit.

Cujus, obſecro, pudoris eſt, obſcurum pædagogum verbulo uno judicium ferre de cunctis Eccleſiæ ſcriptoribus? Probet ergo, vel neminem ſanum movebit ejus temeritas.

X.

Deus habuit vim generandi ac propagandi, quia voluit: ideoque & λόγον ante ſecula genuit, & Spiritum propagavit.

Hac ſententia minime labefactatur noſtra fides, quando ingenue tradimus κατ' ἐξοχὴν Dei nomen Patri proprie adſcribi.

XI.

Æterna λόγου ſubſtantia, principium & originem habet à Deo, quatenus genita ac diſtincta ſit, non quatenus ſit. Non enim eſt ex nihilo creata, aut de aliqua non extante materia facta, ſed de immenſa ſubſtantia illius ſummi Dei genita.

Si diceres Filii originem eſſe à Patre, quatenus eſt genitus, nihil eſſet controverſiæ. Eſſentiam vero genitam probes, ſi quem velis tuo commento acquieſcere. Interea notemus Chriſti eſſentiam, quatenus eſt, carere origine. Quod ſi in Filio eſt æterna Patris eſſentia, evinco perſonam eſſe communicabilem. Quod addit de immenſa ſubſtantia Dei ſummi eſſe genitam, non aliter ſtabit, quam ſi concedat aut immenſitatem eſſentiæ reſidere in Chriſto, aut aliquam ejus portionem. Si communis eſt Filio eſſentiæ immenſitas, ſequetur eſſe interminatum. Quid ergo fiet primæ protheſi? Atqui ſubſtantiam Dei facere partibilem, deteſtabile ſacrilegium eſt.

XII.

Qui Filium αὐτόθεον eſſe contendit, is vel duo aſſerat principia, vel turrim Babel ædificet neceſſe eſt.

Tibi vero non adeo facile erit ſolo virulentæ tuæ linguæ flatu, totum ſanctorum chorum evertere. Sed vide ne putida tua arrogantia turris ſit Babel.

XIII.

Unus Deus qui eſt Spiritus ἀγέννητος & ἀναίτιος, abſque ulla ſui diminutione ante ſecula λόγον Spiritum ineffabiliter genuit: non autem ſophiſticam cogitationem, proprietatem, aut inanem relationem.

Modo faceſſant calumniæ, nihil in priore membro dicis, niſi ex noſtris & Patrum libris ſumptum. Quo intolerabilior eſt tua improbitas, dum noſtram doctrinam continuo poſt deformas tuis figmentis.

XIV.

Quicunque illum unum Deum ſine origine ex propria ſubſtantia nihil imminuta Filium genuiſſe negant, tanquam manifeſte Judaizantes ac Mahometizantes, à Chriſtianis myſteriis arcendi ſunt.

Videtur tibi valde callidus, qui pulchri coloris obtentu, falſa invidia nos gravat. Nos vero ingenue idem prædicamus, modo ne perperam reſtringens ad Patrem unius Dei nomen, Filium à deitate arceas & excludas.

XV.

Dominus noſter Jeſus Chriſtus eſt verus, proprius & naturalis Filius unius Altiſſimi ac viventis Dei, nec alium habet Patrem, quam ſolum Deum, à quo omnia.

Expoſui quo ſenſu Scriptura, dum Patrem Chriſto comparat, eum prædicet unicum Deum: nempe quia legatione pro ipſo Chriſtus fungitur, ejuſque virtute & mandato mundum gubernat. ſed hæc in perſona & ſtatu Mediatoris ſubmiſſio nihil detrahit ex immenſa Deitatis ejus gloria. Ita dicitur Pater Filio dediſſe ut habeat vitam in ſeipſo, in quo tamen vita erat ab ultima æternitate. Denique Scripturæ tritum eſt, in Patre, tanquam in ſpeculo, nobis proponere ſummam Deitatis gloriam: non ut quicquam Filio auferat, ſed quia Chriſtus ipſe inferior factus eſt Patre, ut ad Patrem nos ducendo, ad ſeipſum quoque nos duceret. Unde Auguſtinus non minus ſcite quam vere eum nominat Viam qua itur, & Scopum vel Metam quo tenditur.

XVI.

Chriſtus non ideo Dei Filius eſt, quia Deus; ſed contra, ideo eſt Deus, quia Dei Filius.

Non ſufficeret Chriſtum eſſe Deum, niſi & genitus eſſet à Patre. Filius tamen eſſe non potuit, niſi Deus eſſet.

XVII.

Aut λόγος ille eſt Spiritus ab uno Deo in immenſa æternitatis latitudine immediate genitus, aut ſubſtantiva res non eſt.

Si intelligas Spiritum eſſentiatum, probatio exigitur: nec ante fidem tuis ambagibus facies, donec ex hac latebra egreſſus fueris.

XVIII.

Niſi eſſet ſubſtantialis inter Deum λόγον, & inviſibilem Patrem diſtinctio, non poterat λόγος in Virginis utero concipi, quin ſimul Pater incarnaretur.

Tu vero imperitia laberis, qui hypoſtaſin non intelligis vel ſubſtantiam vel ſubſiſtentiam eſſe: atque ita Chriſtum, quatenus Deus eſt, induiſſe carnem non niſi in ſua hypoſtaſi.

XIX.

Non eſt ſubſtantialis diſtinctio, quæ λόγου hypoſtaſin à Dei hypoſtaſi non diſtinguit.

Ego vero libenter aſſentior. Sed non animadverris longe aliud eſſe hypoſtaſin quam οὐσίαν, ideoque hypoſtatice Chriſtum à Patre diſtingui, qui unius eſt cum ipſo eſſentiæ.

XX.

Genitus à Genitore ſubſtantiali numero differt, non poteſtate, ſententia, aut diverſitate naturæ.

Hic ſe prodit diabolica impietas, quod Filium eſſen-

eſſentialiter alium à Patre fuiſſe blaterat. Quid enim aliud eſt, numero eſſentiali differre, (quod per ſubſtantiam intelligit) quam eſſentia duos eſſe, Patrem, & Filium?

XXI.

Unus Deus, & λόγος ejus, duæ ſunt ejuſdem naturæ ſubſtantiæ intelligentes, id eſt, duo æterni ſpiritus conſubſtantiales, congruo ordine, gradu & proprietate diſtincti.

Si quis ad tam tetras blaſphemias non horreat, pluſquam ſtupidus eſt. Fatetur Filium æternum & conſubſtantialem Patri: nempe quod Servetus de hominis anima ac ipſo diabolo ſcripſit. Quis enim eſt ei congruus ordo, niſi Filium eſſentiatum eſſe, ut precario ſit Deus? Præclara ſcilicet ejus æternitas!

XXII.

Plures Spiritus immenſæ ſubſtantiæ eſſe non poſſunt.

Nos vero ſpiritualem naturam agnoſcimus in ipſa Dei eſſentia: tu contra, dum imaginaris Chriſtum numero alium eſſe Spiritum à Patre, immenſa ſubſtantia eum palam ſpolias.

XXIII.

Omnis Spiritus qui ſub aſcititiam, ſeu naturalem formam viſibilem cadit, circumſcriptibilis ſit ſubſtantiæ neceſſe eſt.

Si de Chriſto loqueris, ut eum facias circumſcriptibilem, quatenus carne indutus eſt, totus mundus, me tacente, furorem tuum deteſtetur. Nec vero conjecturis opus eſt: quia magis ac magis ſe præcipitat, ut ſequitur.

XXIV.

Solus Pater eſt Spiritus, ἀγέννητος, univerſitatis auctor, immenſæque ſubſtantiæ: Filius vero Spiritus eſt ex Deo ineffabiliter generatus, paternæ voluntatis exequutor, ac pro generationis modulo circumſcriptibilis genitus. Ambo tamen ſunt unius ejuſdemque infinitæ virtutis ac perfectionis.

Pronunciat Joannes Chriſtum eſſe verum Deum, & vitam æternam. Hic nebulo eſſentiam tantum concedit pro modulo generationis circumſcriptibilem. Ubi ergo plenitudo deitatis? Ubi eſſentiæ immenſitas, quæ clare elicitur ex Chriſti verbis, quibus teſtatur ſe in ſinu Patris & in cælo fuiſſe, quo tempore in terris verſatus eſt? Agedum phrenetice, ſi ineffabilis eſt generatio, quod toties tibi effluxit, quomodo menſura eam includere non contentus, ignominioſe ad modulum reſtringis?

XXV.

Qui λόγον illum, per quem facta ſunt omnia, fuiſſe in Virginis utero hypoſtatice incluſum, & per incarnationis myſterium verum hominem factum negat, is mendaces facit Domini teſtes veraces, quos propriis oculis eum vidiſſe, ac manibus contrectaſſe Sacræ literæ aperte teſtantur.

Si qua tibi gutta eſſet ſanæ mentis, nobiſcum facile convenires: ſed quia hypoſtaſin perverſe confundis cum eſſentia, & Chriſti deitatem localiter reſtringis in anguſtias materni uteri, atrocem injuriam Chriſti Apoſtolis inuris, eos in erroris tui ſocietatem trahendo.

XXVI.

Quicunque à Virginis partu æternum λόγον à viſibili Chriſti ſeorſum conſiderant, duos ſibi Filios neceſſario conſtituunt, inviſibilem alterum & impatibilem. Quam ſententiam divus Irenæus merito homicidialem appellat.

Tantum ad portenta attendant lectores: Deum proprie fuiſſe paſſibilem & mortuum, triſtitiæ, dolori, timori, ignorantiæ quoque obnoxium. Mortuus eſt Chriſtus: Deum vult mortuum eſſe hic nebulo. Lachrymatus eſt, doluit, timuit, denique neſcivit diem reſurrectionis: mavult Valentinus ignorantiæ Deum ſubjicere, quam diſtinguere inter duas naturas. Quid vero impudentius, quam talibus blaſphemiis obtendere Irenæi nomen? Omitto quod prodigioſam vocem Homicidialis ſententiæ ex ſuo cerebro genuit. Diſputat Irenæus contra Demiurgi fictores, quibus Spiritus ſanctus erat Chriſtus. Quum ergo plures fabricarent, ac garrirent etiam Chriſtum in ſpecie columbæ deſcendiſſe ſuper Chriſtum: eos quidem Spiritum interimere, alium autem Chriſtum, & alium Jeſum docere dicit. Totus autem mundus ſatis ſuperque novit quam remoti ſimus non tantum à tali veſania, ſed etiam à Neſtorii commento, qui Chriſtum duplicem induxit.

XXVII.

Qui contendit Spiritum ſanctum, ſive tertiam Trinitatis perſonam, tam reſpective quam ad ſe, non eſſe vere ſpiritualem ſubſtantiam, ſed neſcio quam fictitiam proprietatem, is manifeſte negat Spiritum eſſe Spiritum, hoc eſt, veritatem eſſe veritatem.

Non dubium eſt quin ſibi in puerilibus iſtis ineptiis valde placuerit Gribaldus, cujus Valentinus eſt hiſtrio. Sed quam ridicule ineptiat, nullo negotio oſtendam. Primo fallitur, quod eodem ubique ſenſu accipit nomen Spiritus. Nam quum Deus ſit Spiritus, fruſtra diſtingueretur à Patre Spiritus, atque ejus Spiritus vocaretur, niſi diverſo modo & reſpectu. Videmus ergo ut nebulo rudimentorum expers, omnia conturbet. Jam ſi proprietate Spiritus perſonam ab aliis duabus diſtinguimus, an fictitium quid erit, quia non capitur à Valentino? Nos vero Spiritum in tertia perſona aſſerimus eſſe Deum, quia ſpiritualis eſt eſſentiæ, & ei nihilominus ſuam proprietatem ſervamus.

XXVIII.

Pater & Filius non ſunt, ut aiunt, ad aliquid nuda nomina relativa ſine veritate quæ ad ſe in ſolidum ac ſigillatim ſint ſumma illa res, ſive immenſa ſubſtantia: ſed ſimpliciter citra ullam ſophiſticam exceptionem nomina ſunt rerum ſubſtantialium, quæ quartam illam rem Scripturis ſacris prorſus incognitam neque admittunt, neque agnoſcunt.

Quod impugnat, ab ultima uſque vetuſtate docuerunt orthodoxi omnes Scriptores. Exurgit Valentinus, & ſuum decretum pronunciat. Nulla ratio, nullum teſtimonium: imo quod temere rejicit, à ſenſu communi dictatur. Filium negat eſſe nomen ad aliquid: negat relative ſumi. Pater ergo in ſe & ad ſe Pater erit. Filius item ad ſe. Unde ſequetur Patrem eſſe abſque Filio, & Filium abſque Patre.

XXIX.

Niſi Pater, Filius, & Spiritus tres eſſent intelligentes ſubſtantiæ ejuſdem naturæ, falſe conſubſtantiales dicerentur.

Tu vero fallaciter inſidias ſtruis in voce ambigua. Scitur quo ſenſu veteres dixerint Filium Patri conſubſtantialem, nempe ut eſſentiæ unitatem exprimerent. Hic impoſtor ad eſſentias numero diſtinctas craſſa aſtutia trahit.

XXX.

Quicquid ſubſtantialiter aliunde eſt, non eſt idipſum vivens in individuo ex quo eſt, ſed qualis ille eſt. Unde λόγος Dei non eſt unus ille αὐτόθεος cujus eſt λόγος: neque Spiritus Dei eſt Spiritus ille immenſus ac ſempiternus, cujus eſt Spiritus: licet uterque hypoſtatice in eo contineatur, ſitque cum illo unius ejuſdemque divinitatis, plenitudinis ac perfectionis.

Voluit mundum aliquem creare ex duobus elementis, igni & aqua, hoc eſt rebus pugnantiſſimis. Verum ut de repugnantia taceamus, quo jure λόγον infert non eſſe Deum, acſi conceſſum eſſet aliunde eſſe Chriſti eſſentiam? Ergo quo longius

texet ſuos errores, eo majore labyrintho ſe implicabit. Immenſum vero Spiritum negare, non minus cæci furoris eſt. Sed quoniam hæc monſtra detexiſſe, viciſſe eſt, ſatis fuerit monuiſſe lectores, ut hæc ſecum placide expendant.

XXXI.

Λόγος ac Spiritus ſubſtantialis, generatio & proceſſio Patris eminentiam tuentur, Turcas, Judæos, hæreticos, ſophiſtaſque proſternunt, atque omnes errores ab Eccleſia propellunt.

Plauſibilis color, quia Filium Dei abnegando, nodum Gordianum abrumpere ſibi videtur Valentinus, ſuum errorem venditare, qui omnibus aliis deterior eſt. Sicut phreneticus olim quidam nullum melius compendium eſſe dictitabat ad tollenda Sanctorum patrocinia, ſuperſtitioſas pro mortuis preces, purgatorii figmentum, & ſimilia, quam ſi mortem, interitum eſſe animarum crederemus. Atqui orthodoxa fides, quam tuemur, hactenus non ſolum contra Judæos & Turcas, ſed omnes inferorum munitiones prævaluit: atque ita mendacio Valentini non indiget, quin potius tales quiſquilias diſſipabit.

XXXII.

Qui Patrem à Filio, & Spiritum ſanctum ab utroque hypoſtatice, hoc eſt, ſubſtantialiter, diſtingui negant, in falſa & abſurda dogmata incidunt, omniaque divina myſteria neceſſario confundunt.

Tolle iſtud tuum Subſtantialiter quod perperam cum eſſentia confundis, vera erit propoſitio, quæ nunc falſiſſima eſt, quia hypoſtaſin bruta inſcitia tantundem valere putas atque οὐσίαν.

XXXIII.

Confuſio trium in unum & eundem numero Spiritum, fundamentum & origo omnium errorum & impietatum fuit.

Nempe, Valentino auctore, niſi Deus in tres eſſentias dividitur, concidit ac periit tota religio. Quid enim ſunt tres Spiritus, niſi tripartita eſſentia?

XXXIV.

Λόγος & Spiritus ſanctus ita ab uno Deo Patre ſubſtantialiter diſtincti ſunt, ut ab ejus ſubſtantia ſeparari non poſſint.

Pulchra vero connexio, ſi Filii ſubſtantia cum paterna cohæreat, quia inde abſtracta, & ex traduce manavit: ſicuti quibuſdam viſum eſt animas hominum alias ex aliis originem ducere.

XXXV.

Una Dei eſſentia non eſt Deus ipſe, ſed ipſius Dei natura, ſive Deitatis plenitudo.

Ergo male Deus apud Moſen à ſuo Eſſe cognoſci voluit. Nam certe illic Eſſentia ponitur tanquam Dei definitio. Verum ut obtineat hic phreneticus quod ſumit: vel non erit in Chriſto Dei natura, nec Deitatis plenitudo, vel erit eſſentia Dei, quæ ſecundum ipſum eſt Patris perſona. Hoc modo Patris perſonam in Filium transfundit.

XXXVI.

Unus ille Jehova non eſſentia dici debet, ſed unus eſſentiator.

Si tenuiter guſtaſſes Hebraicæ linguæ elementa, ſcires utrumque exprimi verbis Moſis: nempe Deum eſſe id quod vere eſt, & quod aliis eſſe dat. Cæterum ſi Jehova eſt eſſentiator, ut tu fateris, Chriſtus, quem Apoſtoli plus decies Jehovam eſſe affirmant, non fuit eſſentiatus, ut tu latras.

XXXVII.

Niſi Pater eſſet Filii ac Spiritus eſſentiator, id eſt, ſuorum attributorum per æternam generationem & proceſſionem naturaliter communicator: neque tres unum eſſent, neque alia reliquarum perſonarum eſſet plenus & perfectus Deus.

Quid phrenetice? ſi Chriſtus vere & proprie ſit Deus, ut fert noſtra fides, an perfectus non erit? Perfectio autem erit major, ſi tibi detur fuiſſe eſſentiatum, & aliunde habere ut ſit Deus, & Deitatem ejus ex transfuſione principium habere? Quid quod ante blateraſti, Pro modulo generationis, finitum eſſe non immenſum?

XXXVIII.

Chriſtus eſt plenus & perfectus Deus: quia integram Patris eſſentiam, hoc eſt, Deitatis plenitudinem ſuo modulo metitur & capit.

Eadem ratione quiliber ex Angelis perfectus erit Deus: quando omnes pro ſuo modulo capiunt Deitatis plenitudinem. En qualis ſit Chriſti deificator hic ſceleratus & quater perjurus apoſtata.

XXXIX.

Calumnioſe quidam Chriſtum eſſe ſecundum, ſive parvulum alium à Patre Deum ex noſtris aſſertionibus imperito vulgo perſuadere conantur, quum nos Filium eandem Deitatis plenitudinem cum Patre & à Patre habere conſtanter teſtamur, firmiter credimus, & diſerte confitemur.

Quod odioſum, adeoque prorſus intolerabile eſſe videt, cuperet diluere: ſed nuper magis fuit diſertus, quam ut levi fuco impietatem ſuam obtegat. Nobis vero quicquam perſuadere neceſſe non eſt: quia ejus aſſertiones ſponte impietatem ſuam produnt.

XL.

Unus Jehova Pater Λόγου, & unus ille Deus Iſraël, ſynonyma ſunt primæ perſonæ Trinitatis.

Quum Deitatis definitio, cujus auctor eſt ipſe Deus, οὐσίαν in ſe contineat, Chriſtus certe deſinet eſſe Deus. Adde quod ſi Jehova unus eſt Deus, Apoſtolis, qui hoc nomine Chriſtum ornarunt, potius credendum eſt, quam cani, qui eorum auctoritatem ſuo vomitu conſpurcat. Demonſtravi enim Chriſti perſonæ aptare quod dicitur apud Jeſaiam, Vivo ego, dicit Jehova: Joannem ſimiliter ejuſdem Prophetæ vaticinium, Vidi Jehovam ſedentem in ſolio: alium Apoſtolum ex Pſalmo citare, non de Patre ſolo, ſed de Filio pronunciatum, Tu Jehova idem ſemper es. Jam ſi Pater fuit ſolus Deus Iſraël, quomodo Filius in templum ſuum dicitur venturus? Templum enim non niſi uni Deo fuiſſe dicatum probe intellexit Malachias, quod tamen ſub Chriſti ditione eſſe aſſerit. Denique, ſi non fuit Chriſtus Deus Iſraël, non adoravit Abraham eum in divina eſſentia, quem Angeli exhibitum adorant: ſicuti rurſum Apoſtolus prodiiſſe in orbem terrarum Chriſtum docet cum hoc jure imperii, Adorent eum omnes Angeli. Quid porro abſurdius, quam Deum, qui præerat veteri populo, eratque dux ejus & cuſtos, non fuiſſe adoratum à ſanctis Patribus: adorari vero cœptum ab Angelis, ex quo factus eſt homo? Poſthac quidem nullus erit color, cur ſe calumniis gravari queratur: quia ex meris ejus verbis judicium de ejus impietate ferri poſtulo. Convitia quibus Deum impetit, refellere ſuperſedeo pluribus, quia ſine horrore attingi nequeunt, atque, ut taceam, recident in ejus caput. Contremiſcet aliquando ad tribunal ejus Dei, cujus gloriam omni probro conſpuere pro diabolica ſua ſuperbia, cæcoque furore non meruit: imo ſentiet quam terribili modo fulminet contra ſecuros nominis ſui contemptores.

JOAN-

JOANNIS CALVINI RESPONSUM AD QUÆSTIONES GEORGII BLANDRATÆ.

QUum dicimus nos credere in unum Deum, ſub Dei nomine intelligimus unicam & ſimplicem eſſentiam in qua comprehendimus tres perſonas vel hypoſtaſeis.

Ergo quoties Dei nomen indefinite ponitur, non minus Filium & Spiritum ſanctum quam Patrem deſignari credimus. Ubi autem adjungitur Filius Patri, tunc in medium venit relatio, atque ita diſtinguimus inter perſonas.

Quia vero proprietates in perſonis ordinem ſuum ferunt, ut in Patre ſit principium & origo, quoties fit mentio Patris & Filii ſimul, vel Spiritus, nomen Dei peculiariter Patri tribuitur.

Hoc modo retinetur unitas eſſentiæ, & habetur ratio ordinis: quæ tamen ex Filii & Spiritus unitate nihil minuit.

Quod unica ſit Patris & Filii & Spiritus eſſentia, ex claris Scripturæ teſtimoniis conſtat. Certe unus eſt Jehova: quod nomen Filio commune eſt cum Patre.

Si quis excipiat, transferri elogium hoc ad Chriſtum, quia ex Patre ortus ſit: facile refellitur tam frivolum cavillum, quia unus eſt Jehova.

Jam quum Apoſtoli Filium Dei aſſerant illum eſſe, quem Moſes & Prophetæ teſtati ſunt eſſe Jehovam, ſemper ad unitatem eſſentiæ venire neceſſe eſt.

Proinde nobis ſacrilegium deteſtabile eſt, Filium alium Deum vocari à Patre, quia ſimplex nomen Dei relationem non admittit: nec poteſt Deus ad ſeipſum dici, hoc, vel illud eſſe.

Nomen vero perſonæ dum Chriſto adſcribitur, bifariam dici poteſt. Nam & Sermo ex Patre genitus ante mundi creationem, perſona eſt in æterna eſſentia Dei. Et quemadmodum unus eſt Chriſtus Deus in carne manifeſtatus: ita duæ naturæ ſic unitæ perſonam unam conſtituunt. Ideoque aliud eſt loqui de æterna Dei Sapientia antequam indueret carnem, vel de Mediatore ex quo in carne patefactus eſt.

In hanc Mediatoris perſonam proprie competit nomen Domini, quatenus medium gradum ſtatuit inter Deum & nos. Quo pertinet illud Pauli, Unus Deus ex quo omnia, & unus Dominus per quem omnia. Eodem ſenſu illud accipitur, Pater major me eſt: & quæ alia de Mediatore dicuntur apud Joannem.

Cæterum ubi ſimpliciter Chriſtus vocatur Deus, & non opponitur nomen Patris, ſolida Dei eſſentia comprehenditur. Sicuti quum dicitur Joan. 1., Sermo ille erat Deus: tenenda eſt eſſentiæ unitas. Similiter ubi Paulus dicit, Deum eſſe benedictum in ſecula: non alium Deum fas eſt imaginari, quam illum qui per Moſen aſſeruit, ſe unicum & ſolum eſſe: & qui per Jeſaiam juravit, ſe non daturum alteri ſuam gloriam. Ideo Joannes non contentus Dei nomine, expreſſius loquitur in fine canonicæ Epiſt., Hic eſt verus Deus & vita æterna.

Quod nomen Jehovæ indefinite ſumptum in Chriſtum competat, patet etiam ex Pauli verbis Propterea ter rogavi Dominum: quia ſubjicit paulo poſt, Ut inhabitet in me virtus Chriſti.

Quod autem Chriſtus, ubi de Patre loquitur, Dei nomine ipſum inſignit, non mirum eſt: quia expendere convenit quam perſonam ſuſtineat. Quatenus enim Mediator eſt, officii ſui reſpectu ſe inferiore gradu locat, ut nos paulatim ad Patrem ducat.

Hoc autem reſpectu Filius ipſe ſubjicitur Patri in futuro ſeculo, quia ipſa Divinitatis perfectio tunc nobis erit conſpicua, quæ nunc in imagine pro noſtro modulo nobis relucet.

Et tamen Chriſtus, licet raro, Dei mentionem indefinitam facit, velut quum dicit Joan. 4., Deus Spiritus eſt: quod ejus perſonæ non minus quam Patris convenit. Nec obſtat quod mox exprimit nomen Patris: quia ubi doctrinam generalem tradidit, eandem pro Mediatoris officio confirmat.

Hoc modo Chriſtus non alium Deum manifeſtavit quam Patrem: quia ipſum ad nos deſcendere neceſſe fuit, ut fidem noſtram ad gloriam Deitatis attolleret. Interea notandum eſt ejus dictum, Creditis in Deum? etiam in me credite. Quo ſignificat illum ſe eſſe Deum, in quo acquieſcere debet fides.

Quum vero Legis ſummam colligit, nomen Dei indefinite ponens, ſibi nihil derogat: ſed contentus eſt recepta loquendi forma. Sicuti ejus interrogatio illa, Quid me vocas bonum? Unus Deus bonus eſt: non eo tendit, ut Deitatis gloriam à ſeipſo rejiciat: quin potius ſe alio modo eſſe bonum ſubindicat, quam intellexerat adoleſcens, humanæ bonitatis elogio eum honorans.

Similiter Judæis exprobrans, quod Deum jactarent eſſe ſuum Deum: quia tamen ejus Filium reſpuebant, vanitatem eorum refellit, quod Mediatorem propinquum non agnoſcant, quum fallaci Dei nominis obtentu magnifice transvolent ſupra nubes.

Paulus 10. prioris ad Corinth. tametſi ex profeſſo Deum unum idolis opponit, non tamen abs re Patrem nominat, ex quo omnia: quia relative continuo poſt Mediatorem adjungit. Sed alibi unum Deum eſſe docens, ſicut unum Baptiſma, certe Jehovam eſſe intelligit. Et quamvis paulo poſt diſerte Patrem nominat, id facit, quia ad Chriſtum deſcendere volebat: ideoque adhibenda fuit talis diſtinctio. Nam unitatem Dei & Baptiſmi conjungens, certe Chriſtum non excludit, in cujus nomine baptizamur. Conveniunt igitur optime inter ſe appellatio Dei ſimplex ac definita, & diſtinctio Dei Patris à Chriſto Mediatore.

Quod initio Epiſtolarum Patrem Deum priore loco ſtatuens, deinde Chriſtum adjungit, ex eadem ratione manat: quia deitatem ſtatuit in Patris nomine, deinde Mediatorem interponit, qui nos ad Deum erigat. Sed in eadem Epiſtola ubi ita loquutus erat, non tamen dubitat Chriſtum vocare Deum in ſecula benedictum.

Hinc ſequitur quærendum eſſe Deum, in cujus eſſentia comprehenduntur tres perſonæ: & tamen ubi in medium prodit Chriſtus, Deum vere & proprie vocari Patrem Jeſu Chriſti, quia tunc Mediatoris gradum obtinet Chriſtus, ut nos ad Deum attollat, & ita ad ſeipſum.

Quod ad locum illum attinet, Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, confirmat & apertius declarat quod jam dixi, ubi Chriſtus loquitur in Mediatoris perſona, quodammodo deſcendere infra

Deum;

Deum: ut nobis ſit propior. Sed hoc non obſtat, quominus ipſe quoque verus ſit Deus noſter. Nam quod dicit Thomas, non aliunde quam ex ejus ore didicerat, Dominus meus & Deus meus.

De nomine Perſonæ ita breviter reſpondeo, neceſſitate eſſe inventum ad detegendas eorum fraudes, qui hoc fidei principium aſtute ſubvertere moliebantur. Interea objicere ſententias, ubi ſe Chriſtus à Patre diſtinguens, hac voce abſtinet, putidum eſt cavillum. Neque enim hac loquendi forma in communi ſermone utimur, Perſona Patris ſalutem nobis contulit per Filii perſonam, ſed ubi diſtinctionem exprimere volumus quæ eſt inter Patrem & Filium.

Quod ad Chriſti dictum ſpectat, Hæc eſt vita æterna, ut credant in te verum Deum, &c. ſi ejus prætextu reſtringi debeat vera divinitas ad unum Patrem: mentitus eſſet Joannes dicendo, Hic eſt verus Deus & vita æterna.

Unicam vero eſſentiam in tribus perſonis non fuiſſe à Chriſto patefactam, falſiſſimum eſt. Nam quum voluit nos baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti, has certe perſonas diſtincte poſuit, quas extra Dei eſſentiam quærere nefas eſt.

Jam ubi Joannes dicit, Sermonem ab initio fuiſſe Deum, certe non lacerat Dei eſſentiam: ſed clare docet unum & eundem fuiſſe Deum cum Patre. Ubi vero ſtatim ſubjicit, fuiſſe apud Deum, vel cæcis ipſis monſtratur diſtinctio. Item quum Chriſtus ipſe poſtulat manifeſtari gloriam quam initio habuit apud Patrem ante creationem mundi; certe perſonam ſibi tribuit peculiarem, & interea eandem ſibi eſſentiam cum Patre vendicat: quia Dei gloria & majeſtas ſeparari ab eſſentia non potuit.

Similiter quum Petrus dicit Ananiæ, Cur mentitus es Spiritui ſancto? non hominibus mentitus es, ſed Deo: non minus Chriſtus ipſe & Spiritus, quam Pater comprehenditur. Sicuti quum idem Petrus & Joannes reſpondent, Deo magis quam hominibus obediendum eſſe, Chriſtum certe non excludunt: ſed quia nomen Dei ponunt indefinite, non minus Deum in carne manifeſtatum quam Patrem deſignant.

Quod ſi cui nimis moroſo diſpliceat nomen Perſonæ, certe Apoſtolus 1. ad Hebr. per hypoſtaſin nihil aliud intelligit, quam quod nos perſonam vocamus. Atque ita eſt relatio, de qua litigant contentioſi homines, ac ſi eſſet humanum commentum.

Quod ad precandi formam ſpectat, illa eſt ordinaria quæ nobis in Euangelio præſcribitur, dum ad Patrem verba dirigimus in Chriſti nomine.

Cæterum ubi nulla ſit Chriſti mentio, non minus ſub Dei nomine ad Filium quam ad Patrem dirigitur precatio, ſicuti dilucide patet ex loco illo Pauli, Propterea ter rogavi Dominum: & reſpondit mihi, Sufficit tibi gratia mea: quum ſtatim ſubjiciat, Libenter gloriabor ſuper infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti. Unde ſequitur Chriſtum eſſe Deum illum quem Paulus rogaverat.

Porro vocem Domini reſtringere ad perſonam Mediatoris, frivolum eſt ac puerile, quum paſſim Apoſtoli uſurpent nomen Domini pro Jehova. Et ne procul quærendum ſit exemplum, non alio ſenſu oravit Dominum Paulus, quam quo citatur locus Joëlis à Petro, Quiſquis invocaverit nomen Domini, ſalvus erit.

Similiter quum hac forma precantur diſcipuli, Tu Domine qui noſti corda omnium, non ſeorſum convertunt ad Chriſtum ſermonem, quia ſeparatim ei elogium non quadraret: ſed fides illorum Dei eſſentiam ſimpliciter reſpicit. Denique ubi nulla eſt relatio, nomen Dei ad Filium & Spiritum ſanctum extenditur.

Si quæritur, an non tutior precandi forma ſit, dum invocamus Patrem in nomine Filii? Reſpondeo, ſicut jam dixi, hanc eſſe ordinariam & magis familiarem, quæ aptior eſt ruditati noſtræ & utilior. Sed alias formas quæ etiam in uſu fuerunt Apoſtolis, & quas illis Spiritus ſanctus dictavit damnare, ſacrilegæ temeritatis eſſet. Nec valet illa objectio, Fruſtra Deum invocari abſque Mediatore: quia etſi fixum eſt illud principium, Non exaudiri nos niſi per gratiam Mediatoris, non ſemper tamen in promptu occurrere neceſſe eſt.

Quæſtio iſta, An Patrem rogando, rogemus verum Deum, ex ignorantia principii naſcitur. neque enim epithetum veri Patrem à Filio diſcernit: quia nomen Dei eſſentiam illam deſignat, quæ complectitur tres perſonas: atque ita nulla eſt antitheſis quod attinet ad unam Deitatem.

Adhæc Patrem rogando, ad Filii quoque Deitatem preces dirigimus, quamvis medius ipſe quoque nobis occurrat. Diverſi enim reſpectus nobis notandi ſunt: quia etſi quod Patri proprium eſt, reſidet in ejus perſona, nec Filio convenit, Deus tamen in ſua eſſentia totus & integer manet, ac proinde hæc inter ſe non pugnant, rogari Patrem Filii reſpectu, & Deum in ſolida (ut ita loquar) eſſentia: non quia ullo modo ſit partibilis, ſed quia nihil abſurdi eſt dum concipimus Deitatem Patri, Filio & Spiritui communem, ſi intuitus Filii mentes noſtras reflectit ad Patris perſonam.

Jam etſi Mediator eſt Chriſtus quatenus Deus eſt in carne manifeſtatus: ideoque ſecundum utramque naturam: humanæ tamen naturæ ratione & proprie tribuitur intercedendi officium, idque in ſubſidium noſtræ tarditatis. Unde & Paulus eum nobis advocatum proponens, hominem potius quam Deum vocat. Et certe ut carnem ſuam offerens victimam, Sacerdotis officio functus eſt in carne: ita & intercedit pro nobis.

Dum invocatur Chriſtus ipſe, quod Ananias ab omnibus piis factum eſſe teſtatur, & Stephani exemplo rite ſanctęque fieri conſtat: non homini per ſe defertur hic honor, ſine ratione humanitatis: ſed æterno Dei Filio, qui ut nobis ſalutem acquireret carnem noſtram induit. Eſt enim precatio ſacrificium, quod ſibi uni Deus vendicat. Ideoque ad nudum hominem nihilo magis illud transferre fas eſt, quam alias divini cultus partes. Atque ita invocatur Chriſtus ut Deus qui ex ipſo auctor eſt omnium bonorum: & Stephanus plena Deitatis potentia eum ornat, ſpiritum ſuum in ejus manus commendans.

Quæſtio, An æternus Sermo Dei ſit aliquid ſubſtantivum & eſſentiale, ambigua eſt: ac proinde captioſa eſſe poteſt. De nomine Subſtantiæ, tenendum eſt non eſſe proprie ſubſtantiam, ſed hypoſtaſin. Si tamen aliter accipere libeat, facile concedo. Itaque Sermo eſt aliquid hypoſtaticum. Sed quum Sermo ipſe vere ſit Deus, eſſentiam deſignat. Sic tamen habendum eſt, Sermonem eſſentialiter eſſe Deum, & tamen in hac voce ſimul eſſe perſonæ notationem. perſona autem in ipſa eſſentia ſubſiſtit.

Ex ſuperioribus colligere promptum eſt, ſi quis ſincere & abſque fuco vel fallacia credat in Deum Patrem, in Dominum Jeſum Chriſtum, & in unum Spiritum: id ſufficere. Sed inde ſimul elicere licet, fucum facere, qui ſe in Chriſtum credere profitentur, cujus æternam Deitatem abnegant. Similiter in Spiritum, quem non putent Deum eſſe, ſi Pater ſit Deus. Tales enim eſſentiam Dei diſcerpere palam eſt, nec unitatem retinere, quum Patris Divinitatem aſſerere nequeant, niſi eam detrahant Filio & Spiritui ſancto.

Qui vero fidem orthodoxam odioſe calumniantur hoc prætextu, quod ſpeculatio de unica eſſentia & tribus perſonis inutilis ſit, improbam malitiam produnt; quia non ſpeculamur ultra quam Scriptura

nos attollit : ſed genuinum & ſimplicem ejus ſenſum reddimus. Nemo enim Chriſtum ex animo agnoſcet Deum ſuum, niſi qui in eſſentiæ unitate diverſas perſonas apprehenderit, ut ea deorum pluralitas, quam fingunt nonnulli, execrabile ſit delirium.

Et quibus nimis arguta videtur hæc diſtinctio, monendi ſunt, ut attentius quam exitialis ſit ſua ficta ſimplicitas expendant. Quia ubi Chriſtum profeſſi fuerint eſſe Deum, nunquam ex Satanæ laqueis aliter ſe expedient, quam iſta diſtinctione quam fugiunt, interpoſita.

Huc ſpectavit Nicænum Concilium, ubi aſſeruit Chriſtum eſſe Deum de Deo. Neque enim duos fabricare voluit Deos, ſed, quamvis à Patre diſtinctus ſit Filius, verum tamen Deum eſſe & eundem cum ipſo, excepta perſonæ notatione.

Sic quum Athanaſius & reliqui veteres dixerunt coëſſentialem Patri Filium : non aliud cenſuerunt, quam ejuſdem eſſe eſſentiæ, quia unica ſit & individua. Qui autem duos numero faciunt Deos, nunquam ex hoc abſurdo elabi poterunt, quin partibilem faciant eſſentiam Dei.

Ita dixerunt tres coæternos, & tamen Deum unum æternum : quia non niſi in uno Deo reſidet æternitas, quæ tamen tribus perſonis eſt communis. Atque ut duæ naturæ conſtituunt unum Chriſtum, quia idem Deus & homo duabus conſtat naturis : ita tres perſonæ conſtituunt unicum Deum, quia ejus eſſentia, quæ una eſt & ſimplex, conſtat tribus perſonis.

Ubi de Chriſto loquitur Scriptura, nunc quæ propria ſunt humanæ naturæ, nunc quæ in ſolam Deitatem competunt, ei tribuit : ſæpius vero complectitur utramque naturam, & Mediatoris perſonam deſcribit. Itaque prudenter conſideranda ſunt elogia, quæ nec homini, nec Deo ſeorſum conveniunt : ſed Deo manifeſtato in carne. qualia fere ſunt quæ leguntur in Euangelio Joan. à 3. cap. uſque ad 18.

Jam quæ prædicantur de Chriſto, ſpecialem interdum reſpectum habent ad alteram naturam. Sicuti Chriſti nomen non tantum homini, ſed Deo in carne manifeſtato convenit, unctio tamen proprie ad humanitatem refertur. Mediator Deus & homo, veru eſt Filius Dei ſecundum utramque naturam ratione unionis, proprie tamen Divinitatis reſpectu, quia Sermo eſt ante ſecula à Patre genitus. Sermo enim caro factus dicitur, quia carnem induit, ut qui æternus erat Deus, idem homo quoque mortalis eſſet : nec ſolum ut humanitas templum eſſet Deitatis, ſed ut naturis duabus in unam perſonam unitis, ille per quem eramus creati, idem eſſet & Redemptor noſter.

Omnes loquendi formulas quibus uſi ſunt veteres, excutere nimis longum foret. Nam & hoc ineffabile myſterium nullis humanis ſermonibus proprie & pro dignitate unquam explicabitur : & ſuum quiſque loquendi modum habet, ut in optimo conſenſu, aliter tamen hic loquatur quam ille. Pie & recte cenſuerunt Juſtinus & Tertullianus, nec utrique propoſitum fuit docere aliud quam nos fatemur. Sed quia ille non tam erat exercitatus, hic vero poſterior aſpero ubique & ſpinoſo loquendi modo utitur : non mirum eſt ſi loquutiones alicubi occurrant cavillis obnoxiæ : quarum tamen facilis eſt excuſatio, modo faceſſat libido rixandi & calumniandi.

RESPONSUM

AD

FRATRES POLONOS

Quomodo Mediator ſit Chriſtus, ad refutandum Stancari errorem.

VEhementer nobis doler, Integerrimi, & nobis ex animo colendi fratres, Eccleſias veſtras, quæ adhuc inter prima exordia teneræ ſunt, & ubi ſeges puræ doctrinæ adhuc fere in herba eſt, ab importunis hominibus turbari. Quo magis deflenda eſt mors eximii viri, D. Joan. à Laſco, quem experti eſtis ſtrenuum Chriſti athletam, & qui toto vitæ curſu, ſit erat non vulgaribus donis inſtructus, pro ſua virili non minus fructuoſam quam utilem Eccleſiæ operam impendit. Sed Dominus, qui tam utili ſubſidio vos privavit, alias rationes habet in manu, quibus & ſanam doctrinam, & ſincerum pietatis culmm, & regnum Filii ſui, & nominis ſui gloriam tueatur, nec unquam ope ſua vos deſtituet quamdiu ſub ſacro Chriſti vexillo militabitis : nec vos ullis certaminibus unquam exercebit, quin vires etiam ad obtinendam victoriam ſuppeditet. Cujus gratiæ non obſcurum ſpecimen exhibuit, dum ad refutandum Stancari errorem vos & Spiritu prudentiæ direxit, & armavit ſua virtute, & pio conſenſu ſimul conjunxit. Eſt enim illud non abſurdum modo, ſed exitiale commentum, quo vir ille faſtu turgidus & novitatis nimium cupidus orthodoxæ fidei principia labefactare conatus eſt. Dolendum ſane eſt, quod hominem qui prodeſſe alioqui poterat, mater hæreſeôn ambitio ad nocendum impulit. Adeo enim frivolæ ſunt quas obtendit rationes, ut ſatis appareat, nihil aliud quam acuti ingenii famam ab aliis diſſentiendo captaſſe. Negat Chriſtum poſſe Mediatorem dici ſecundum divinam naturam, quia Patre eſſet inferior. Sed excipimus primum Mediatoris nomen Chriſto quadrare, non ſolum ex quo carnem induit, vel ex quo munus ſuſcepit reconciliandi cum Deo humani generis, ſed ab initio creationis jam vere fuiſſe Mediatorem : quia ſemper fuit caput Eccleſiæ, & primatum tenuit etiam ſuper Angelos, & primogenitus fuit omnis creaturæ. Unde colligimus non modo poſt Adæ lapſum fungi cœpiſſe Mediatoris officio, ſed quatenus æternus Dei Sermo eſt, ejus gratia conjunctos fuiſſe Deo tam Angelos quam homines, ut integri perſtarent. Quare inſcite ex Mediatoris titulo infertur Patre eſſe minorem : quando hæc optime inter ſe cohærent, unigenitum Dei Filium eundem & unius cum Patre eſſentiæ fuiſſe Deum, & tamen fuiſſe quaſi medium inter Deum & creaturas, ut ab ipſo vita, quæ alioqui erat in Deo abſcondita, deflueret. Deinde addimus, quamvis poſt alienationem hominis à Deo prædeſtinatus, & tandem exhibitus fuit alio modo Mediator, nempe qui perditum genus humanum peccata expiando in vitam reſtitueret : tamen in hac Mediatoris perſona non minus Angelorum eſſe quam hominum caput : ſicuti colligere licet ex primo ad Coloſſenſes capite. quod in ſolam humanam naturam minime competeret. Unde palam fit quiſquis negat Divinitatis reſpectu Media-

Epheſ. 1. verſ. 22. Coloſſ. 1. v. 15, 16. & 2: 10.

Philip. 2. verſ. 10. Mediatorem eſſe, eximere ab ejus imperio Angelos, atque ita ex ſumma ejus majeſtate, coram qua flecti oportet omne genu tam cæleſtium quam terreſtrium, detrahere. Etſi enim datum ei fuit ſublime illud nomen in ea carne in qua exinanitus fuerat, haud dubie tamen totam perſonam complectitur Paulus: quia ſi humanæ tantum naturæ reſpectu penes eum reſideret quæ uni Deo propria eſt gloria & poteſtas, conci- *Jeſa 42. verſ. 8.* deret illud Jeſaiæ, Vivo ego, dicit Jehova, non dabo gloriam meam alteri Nec vero ſummi judicii poteſtas in humanam naturam transferri potuit, quin ſuo jure Deus ſe ſpoliaret. Optime autem convenit Deum in carne manifeſtatum in una Chriſti perſona, ſecundum utramque naturam eſſe & cenſeri mundi judicem. Sed non aliunde certior petenda eſt, aut magis ſolida hujus rei probatio quam ab officio Me- *Joan. 5. verſ. 26.* diatoris. Hac enim lege deſcendit à Patre, & munus hoc ſuſcepit, ut vitam haberet in ſeipſo ſicut Pater, ne procul nobis quærenda eſſet. Porro naturæ humanæ adſeribi id recte non poſſe conſpicuum omnibus eſt. Jam quomodo Mediatoris partes impleret qui ſubſiſteret infra Angelicum ordinem? quod de natura humana per ſe intelligere neceſſe eſt. Adhæc, *Hebr. 2. verſ. 17.* ſicut ratiocinatur Apoſtolus, Chriſtum ut nobis eſſet frater, oportuiſſe fieri participem carnis noſtræ & ſanguinis: ita viciſſim ſtatuendum eſt eadem cum Patre divinitate fuiſſe præditum ut dux nobis ac director eſſet ad Patrem: quod proprie Mediatoris officio convenit. Sicuti alias quoque ejus partes implere non potuit, niſi Divina ſua virtute. Nam mortem & diabolum vincere non fuit hominis: juſtitiamque acquirere, vitam afferre, & quæcunque ab ipſo beneficia percipimus præſtare non poterat ſolus homo. Hoc idem ad Sacerdotium pertinet: quod obire non potuit, quin penetraret ad cæ- *Hebr. 1. verſ. 5. & 5: 5. Pſal. 2. verſ. 7.* leſte ſanctuarium. Quare Apoſtolus, ut eum probet legitimum eſſe Sacerdotem, teſtimonium illud adducit, Filius meus es, ego hodie genui te. Quo clara oſtendit neminem huic muneri parem & idoneum eſſe abſque Divinitate. Certa enim conſequutio eſt, Si ideo Sacerdos eſt Chriſtus, quia unigenitus Filius Dei, turſum Filius Dei non eſt abſque Divinitatis reſpectu, eandem Divinitatem neceſſario requiri in Sacerdotii honore. Itaque ex quo à Deo per defectionem alienatus eſt Adam, ut reconciliatione opus eſſet, præordinatus fuit Chriſtus Sacerdos: ut per ipſum acceſſus vetuſtis patribus ad Deum pateret. Et ideo vocatur Sacerdos in æternum: quia non ſimpliciter ex hominibus aſſumptus eſt, ſed Patris decreto ad expianda peccata hominem aſſumpſit. *Rom. 1. verſ. 4.* Denique niſi fuiſſet declaratus Filius Dei in virtute, neque mediator habendus eſſet. Quod ſi hæc individuo nexu cohærent, Filium Dei eſſe & Mediatorem: extra controverſiam autem eſt utriuſque naturæ reſpectu Chriſtum eſſe Dei Filium: inde & alterum conficitur, Divinitatis ratione non minus quam naturæ humanæ eſſe Mediatorem. Præterea nemo ſanus negabit ſedere ipſum ad Patris dexteram, quatenus Deus eſt in carne manifeſtatus, & id de tota perſona prædicari. Atqui hæc mutuo inter ſe conjungit *Pſal. 110. verſ. 1.* Propheta, Dominum & Regem eſſe creatum qui ſedeat in dextra Patris, & Sacerdotem Eccleſiæ præfectum. Nec etiam omittere in hac cauſa fas eſt illud *1 Petr. 1. verſ. 10.* Petri, Chriſti Spiritu loquutos olim eſſe ſanctos Prophetas, quia illic non tantum de Verbo æterno agitur, ſed Mediatoris officio: qui ſi nondum indutus in carne Prophetas ſuo Spiritu gubernavit, ſequitur in hac eadem perſona Divinitatem comprehendi. Vere etiam dicitur omnes quibus ad reconciliandum nobis Deum functus eſt, actiones ad totam perſonam ſpectaſſe, ut non debeant ſeparatim ad unam tantum naturam reſtringi. Quanquam ne cavillis obnoxia ſit hæc ſententia: utilis erit diſtinctio: quaſdam actiones per ſe naturam unam reſpicere, quæ tamen propter conſequentem effectum ambarum ſunt communes. Nam mori, quamvis naturæ humanæ pecu- *Hebr 9. verſ. 14.* liare ſit, ſi tamen conſideramus quid illud Apoſtoli velit, Sanguine Chriſti purgari noſtras conſcientias, quia ſe per Spiritum obtulit: in morte ipſa non ſeparabimus naturas: quia expiatio à ſolo homine præſtari non potuit, niſi conjuncta eſſet vis Divina. Quod ſi jure & apte colligit Apoſtolus, Chriſtum eſſe Mediatorem novi Teſtamenti, quia ſe obtulit per Spiritum: ſequitur mortem ejus ideo expiatoriam fuiſſe quatenus unigenitus Dei Filius erat, & humano generi datus redemptor. Ita nihil impediet, quominus ſalva cuique naturæ maneat ſua proprietas, nec earum communicatio cum diſtinctione pugnabit. Abſurdum vero quo hanc doctrinam gravare nititur Stancarus, nullum eſt: Chriſtum ſcilicet Patre fore minorem, ſi ſecundum Divinitatem apud eum intercedat: quia non dubitat Chriſtus ipſe, quoties Mediatoris perſonam ſuſtinet, Patri ſe ſubjicere: non quod Divinitas ejus gradum ſuum amiſerit, dum carne fuit veſtita: ſed quia ſe aliter medium inter nos & Patrem interponere non potuit, quin diſpenſationis ordine ſupra ipſam Mediatoris perſonam emineret Patris gloria. Nec vero quod pronunciat *Joan. 14. verſ. 28.* Chriſtus ſe Patre minorem eſſe, ſic de humanitate intelligitur, quin ad totam perſonam ſpectet. Neque enim ſuam humanitatem cum Patris divinitate confert: ſed ſtatum præſentem cum futuro, in quo manifeſtanda perfecte erat Divinitatis ſuæ gloria. Nam ſub Patris nomine hic notatur tota Divinitas, cujus *Coloſſ. 1. verſ. 19. & 2: 9.* plenitudo in Chriſto habitat: ut non tantum tenenda ſit diſtinctio inter Patris & Filii perſonas, ſed admirabile illud Dei conſilium, quo factum eſt ut Filius Dei unigenitus ad nos deſcenderet. Atque ita diſcutitur futilis argutia qua nebulas aſpergere voluit Stancarus, dum jactat non eſſe conſentaneum ut Filius Dei ſecundum Divinitatem ſit Mediator, quia apud ſe intercederet. Etſi enim eadem eſt in Spiritu ſancto quæ in Patre divinitas, non tamen apud ipſum intercedere dicitur Chriſtus, ſed apud Patrem ſolum: quia hic reſpicienda nobis eſt Divini conſilii œconomia, non autem frenum ſpeculationibus noſtris laxandum. Hac ratione dicitur Chriſtus Spiri- *Joan. 16. verſ. 7.* tum miſſurus à Patre ſuo, ut per gradus ad Patrem nos attollat. Denique hac ratione tradet ultimo die *1 Cor. 15.* Filius Regnum Deo & Patri: quia tunc immediate, ut ita loquar, conſpicuus nobis erit gloriæ Dei & Patris fulgor, qui nunc in Chriſto, viva ſua imagine, apparet. Utinam his moveatur Stancarus: quod tunc demum fore ſperandum eſt, ubi ingenium, quod ſua vanitate nimis in ſublime elatum eſt, ad manſuetudinem & modeſtiam ſe flexerit. Vobis quidem integerrimi fratres ſatisfactum eſſe confidimus. Dominus vos Spiritu ſuo ſemper gubernet, ſanctoſque veſtros labores benedicat. Genevæ, 5. Idus Junii, 1560.

JOAN-

JOANNIS CALVINI
BREVIS ADMONITIO
AD
FRATRES POLONOS,
Ne Triplicem in Deo eſſentiam pro tribus perſonis imaginando, tres ſibi Deos fabricent.

TAbulam nuper in Polonia editam, quæ
Chriſtum & Spiritum ſanctum alios à Patre deos facit, non ſine acerbiſſimo mœrore inſpexi. Pridem me hæc cura, non
abs re anxium tenuit, ne fratres minus in Scriptura
exercitatos abriperet Stancari importunitas, ut vitandæ unius abſurditatis cauſa, in aliam fœdiorem
laberentur. Accidit ergo quod timui, ac triſti exemplo patefactum eſt quam noxia ſit peſtis contentio,
ubi magis propoſitum eſt, adverſarium vincere,
quam bonam cauſam ſimpliciter tueri. Craſſum
Stancari delirium merito à fratribus Polonicis repudiatum eſt. Sed dum ſibi ab una diaboli aſtutia cavent, obrepſit alter impoſtor Blandrata Stancaro
deterior: & hac occaſione abuſus eſt ad errorem non
minus deteſtabilem ſpargendum. Ita ſcilicet ab initio verſipellis fuit Satan, & nunc quoque varie ſe
transformat, & quaſi confligit ipſe ſecum, aſtute ſe
inſinuat, ut miſeros illaqueet diverſis erroribus.
Stancari delirium jam à nobis ſolide ac dilucide refutatum fuit. Nunc fratres noſtros, qui paucorum
hominum aſtu decepti fuerunt, rogabo & hortabor, ſaltem ut compoſita mente ad meam admonitionem attendere non graventur. Quod ſi ad reſipiſcendum dociles fuerint, mihi ut ſpero, non
erit difficile efficere, ut ab impio commento, quod
nimis leviter & inconſiderate amplexi ſunt, abhorreant.

Falſum principium eſt quod in Tabula ponitur,
Scripturam ſemper diſtincte loqui de Patre, Filio,
& Spiritu: quum ex locis compluribus liqueat nunc
comparative, nunc abſque diſtinctione fieri Dei mentionem. Si obtineo duplicem eſſe loquendi modum,
mox evaneſcet tota illa inanis ſpeculatio, unum eſſe
& verum Deum Patrem Domini noſtri. Fateor
certe, ubi ſimul Patris & Filii fit mentio, diſtingui
Filium à Patre: verum ne ſibi placeat Tabulæ artifex,
diſtinctionem, ut inſcite jactat, perpetuam eſſe
nego. Incipiam à primo loco, quem turpiter corrumpit, Jehovah Deus tuus, Deus unus eſt. Hic
quoniam nulla fit comparatio inter Perſonas, perperam dico ad Patrem reſtringi unius Dei nomen.
Nam ſi Jehovah, qui à ſeipſo habet eſſe, ſolus eſt
Pater, ſequetur Filium non eſſe Jehovam. Quomodo
enim quod de ſolo Patre aſſeritur ad Filium liceblt
transferre? Nunc videndum, ſitne Chriſtus Jehovah necne. Vidit Jeſaias Deum exercituum ſedentem in ſolio. Negari non poteſt quin fuerit idem ille
Jehovah, quem Moſes prædicat unum eſſe Deum.
a Joa. 12. Quid autem Joannes? Quum tot ſigna feciſſet co-
verſ. 37. ram eis Jeſus, non crediderunt in eum, ut ſermo
Jeſaiæ compleretur. Deinde recitato loco, Hæc
dixit Jeſaias, quando vidit gloriam ejus, & loquutus eſt de eo. Futile cavillum eſt excipere, oſtenſam
fuiſſe Prophetæ Chriſti gloriam, quia eſt imago Patris. Neque enim nobis excutietur, ſi de Chriſto
loquutus eſt Jeſaias, in ipſum competere quod dicit
de Jehova. Jam Paulus ut probet oportere nos omnes
ſiſti ad Chriſti tribunal, alteram Prophetæ ſenten-
Jeſa. 45. tiam adducit, Vivo ego, coram me flectetur omne
verſ. 23.
genu. Certe apud Prophetam loquitur Deus Iſraëlis, quem unicum teſtatus fuerat Moſes. Arqui teſte Rom. 14.
Paulo, competit hoc elogium in Chriſto. Ille ergo verſ. 11.
idem eſt qui per vitam ſuam jurat, ſe gloriam ſuam Philip. 2.
alteri non daturum. Ac fruſtra effugere tentabunt, verſ. 10.
Deum fore judicem in Chriſti perſona, quia omne
judicium dedit Filio, quando pro confeſſo ſumit
Paulus, vere in Chriſtum competere quod de ſummo Dei imperio dicitur apud Prophetam. Simili ratione ex eodem Jeſaia probat Chriſtum eſſe in lapi- Jeſa. 8.
dem ſcandali Judæis, quum tamen Propheta id non verſ. 14.
niſi de unico Deo pronunciet. Jam ad Chriſtum per- Rom. 9.
peram accommodaret quod David affirmat de ſum- verſ. 33.
mo Deo, niſi fatemur ſub illa deitate Chriſtum com- 1 Petr. 2.
prehendi. Alloquitur David unicum Deum his ver- verſ. 7.
bis: Aſcendiſti in altum. Paulus docet id in Chriſto Pſal. 68.
impletum fuiſſe. Ad hæc, ſi quid Dei proprium eſt, verſ. 19.
ſingularibus elogiis inſignitur in his verbis, Tu ini- Epheſ. 4.
tio Jehova fundaſti cælum & terram. Item, Adorate verſ. 8.
eum omnes Angeli. Atqui Apoſtolus Chriſto vendi- Pſal. 102.
cat: ſequitur ergo illic ſub Dei nomine totam divi- verſ. 26.
nam eſſentiam deſignari, quæ Chriſto & Spiritui Pſal. 97.
communis eſt cum Patre. Ac proinde quoties ſuas verſ. 7.
diſtinctiones mihi obtrudet Tabulæ fictor, in prom- Hebr. 1.
ptu erit regerere, ubi confertur Chriſtus cum Patre, verſ. 10.
merito diſtingui perſonas: ubi autem ſimpliciter nominatur Deus, minime Filium excludi. Et certe ſi
ſoli Patri convenit, eſſe vitam, falſum erit illud
Joannis, Hic eſt verus Deus, & vita æterna. Quæro Joan. 5.
enim an alium verum Deum inducat, quam qui apud verſ. 20.
Moſen & Prophetas celebratur? Adde etiam,
quamvis Malachias peculiariter de Chriſto loquatur, ei tamen adſcribere quod transferri fas non eſt à
vero & unico Deo Iſraëlis. Nam cui dicatum fuit
Templum in monte Sion? cui oblata fuerunt ſacrificia? Certe præter verum Deum illic numen colere, ſacrilega fuiſſet profanatio. Malachias autem
de Chriſto loquens, Veniet, inquit, ad Templum Malac. 3.
ſuum Dominator quem vos quæritis. Nempe quia verſ. 1.
Jehovah nominatur apud Jeremiam, colendus ſem- Jer. 23:6.
per ſimul cum Patre fuit. Nam quid valeat nomen
Jehovæ, diligenter piaque attentione expendere
convenit in hac cauſa. Hoc elogio Deus Iſraëlis non
tantum ſe ab omnibus creaturis ſeparat, ſed oſtendit non alibi quam in ſe uno quærendam eſſe eſſentiam. Hoc nomen dum Prophetæ cum Chriſto communicant, ſatis clare demonſtrant eum eſſe qui
apud Moſen ſic loquutus eſt. Alioqui non modo
Stephanus, ubi Chriſtum precatus eſt, violaſſet Actor. 7.
legitimam precandi formam, ſed tota quoque Ec- verſ. 59.
cleſia ejuſdem impietatis rea foret. Deus Iſraëlis,
quem Tabulæ fictor vult eſſe ſolum Patrem, ſacri- Pſal. 50.
ficiis omnibus præfert invocationem ſui nominis; verſ. 14.
atque hunc ſibi honorem vendicat tanquam præcipuum ſacrificium. Quid autem Stephanus? precationem ſuam ad Chriſtum dirigit. Ananias au- Actor. 9.
tem apud Lucam dicit pios omnes invocaſſe Chriſti verſ. 14.
nomen. Quomodo hæc inter ſe convenient; Chriſtum rite invocari, & tamen non eſſe illum Deum,
qui per Davidem illud ſacrificium laudis exigit?

Everſum eſt igitur figmentum illud, ubique Scripturam diſtincte de Patre & Filio loqui, quum ſæpe unicam utrinſque deitatem commemoret ſub uno Jehovæ nomine. Ubi autem Filius Patri adjungitur, mirum non eſt ſuam cuique Perſonam attribui. Quanquam dum multam congeriem affectat rabularius, locos nonnullos male detorquet. Scio veteres ita expoſuiſſe illud Moſis, Pluit Dominus à Domino, *Geneſ. 19. verſ. 24.* ſed quum nomen Jehovæ in utroque membro expreſſum ſit, ſenſus nullo modo quadraret, Patrem à Filio pluiſſe. Verum ut Moſes formidabilem Dei vin- *Geneſ. 1. verſ. 27.* dictam melius demonſtret, repetit ſecundo Dei æterni nomen. Ita ubi dicitur Deus feciſſe hominem ad imaginem Dei, ſtulte quæritur diſtinctio inter Perſonas. Quod ad ſententiam ex primo capite Joannis ſumptam, diſtinguitur quidem Filius à Patre, quod fuerit apud Deum, ſed ubi additur, Sermonem illum fuiſſe Deum: deteſtabile ſacrilegium eſt, novam aut aliam deitatem fingere. Melius etiam abſtinuiſſet à loco illo Pſalmi, Verbo Domini cæli firmati ſunt, &c. non quod inſectari placeat ſi minus apte Scripturam citet; verum ne ſuum acumen tanta inſolentia vobis venditet. In illa etiam ſententia, quam profert ex priore ad Corinth. Diſtributiones Miniſteriorum ſunt, idem autem Dominus, non aſſecutus eſt mentem Pauli. In multis locis pueriliter argutatur: ſed interea venenum ſuum prodit. Chriſtus non dicit, Ego & Pater unus ſumus, ſed unum, fateor: quia illic propoſitum non erat unum ſe cum Patre Deum vocare: Verum captioſe inde elicit Chriſtum eſſe alium à Patre Deum. Similiter quum dicit Joannes, Hi tres unum ſunt, quia non diſſerit ex profeſſo de eſſentia vel deitate, ſic loquitur. Hic autem vel impoſtor malitioſe, vel nugator inepte ad nomen Dei trahit quod prorſus in diverſum finem dictum eſt. Uno quidem verbo negat ſe ſtatuere tres Deos, ſed hanc abſurditatem effugere non poteſt, quandiu negabit Chriſtum eſſe unum cum Patre Deum. Si enim non eſt idem Deus, & tamen Deus eſt, ergo alius. Apertius dicam, Si Pater ſuum eſſe habet à ſeipſo, Filius ſuum eſſe habet à Patre, Spiritus ab utroque, an non tres eſſentiæ emergunt? atque ita una diſcerpitur? Et certe ſi recipitur ejus commentum, non alia relinquitur Chriſto eſſentia, quam neſcio quid abſtractum: ſicuti jactant Patris eſſentiam ab initio, ne ſterilis eſſet quæ dat omnibus fœcunditatem, Filium ex ſe protuliſſe. Hic vero rurſus fratres obteſtor, ut ſibi ab occultis decipulis prudenter caveant, quia ſi ſeorſum locatur Chriſti deitas à Patris deitate, pluralitas deorum inducitur. Et detegitur hæc captio ejus verbis, ubi ſomnium eſſe dicit, ſi in unum conflantur Filius & Pater. Conflatura enim ſecundum eum nihil aliud eſt, quam ſimplex eſſentiæ unitas. Nec vero meas conjecturas in medium profero. Scitur apud nos in qua officina fabricatus fuerit hic diabolicus error, quo Poloniam infecit Blandrata. Vere unum fuerunt ipſe, & Matthæus Gribaldus, & Valentinus quidam nomine Gentilis. Duos non puduit palam quod dixi profiteri, plures numero eſſe deos. Verum quibuſcunque ſe tegant fucis, deprehenſa tenetur eorum impudentia, quia ſi idem Deus eſt Filius cum Patre, ſequitur eum ſemper fuiſſe Deum Iſraëlis, à quo honoris gradu eum palam excludunt. Porro quod in Symbolo Niceno Deus ex Deo vocatur, tametſi dura eſt locutio, non tamen alio tendit, niſi obſtaculo non eſſe diſcrimen inter Perſonas, quo minus una ſit eſſentia. Ideo ſic reſolvi debet oratio, quamvis ex Deo ſit, eſt tamen Deus, & quidem verus Deus. Imo veriſimile eſt, quum fraudem metuerent ſancti Patres, conſulto illud additum curaſſe, Deum verum de Deo vero. Certe hanc fuiſſe Concilii mentem, ex Symbolo Athanaſii colligitur, qui illic præſidit, & totam actionem moderatus eſt. Ac valde miror eos qui Symbolum jactant, faſtidioſe reſpuere certum & idoneum ejus interpretem. Quas ex aliis vetuſtis Patribus obtendunt ſententias jam non excutio, quia id mihi præſtitiſſe videor in refutatione Gentilis.

Nunc venio ad ſecundum hujus quæſtionis caput, Chriſtus ubique ſe à Patre diſcernit, fateor: nempe quatenus Mediatoris perſonam ſuſtinet. Recte enim alicubi admonui, imo ſæpius inculcavi, quæ de ſe Chriſtus prædicat in Euangelio Joannis, neque in humanam neque in divinam ejus naturam ſeorſum competere, ſed ad munus à Patre injunctum referri. Itaque ubi ſe unum cum Patre facit, longe aliud conſilium ejus fuit, quam nos ad nudam arcanæ ſuæ eſſentiæ ſpeculationem evehere: quin potius à fine ratiocinatur, nos fore unum cum Patre, quia Pater in ipſo reſidet. Itaque non pigebit referre quod pridem ſcripſi, Ut rite comprehendas, quomodo Chriſtus & Pater unum ſint, cave ne illum exuas Mediatoris perſona, ſed potius conſidera ut eſt Eccleſiæ caput, & membris ſuis conjunge: ita optime ſtabit contextus, ne irrita ſit vel inutilis Filii cum Patre unitas, ejus virtutem oportere in totum piorum corpus diffundi. Rurſum ubi Filius Patri ſubjicitur quaſi inferior, curioſius diſputare non attinet, quomodo hoc Deo conveniat in carne manifeſtato, quia ſufficere nobis debet admirabile Dei conſilium, quod nomine Diſpenſationis non male expreſſum fuit. Sententia Chriſti, Pater major me eſt, reſtricta fuit ad humanam ejus naturam: ego vero non dubito ad totum complexum extendere, quia tametſi Deus ſit æternus, quum tamen ad nos deſcendit, medius eſſe cœpit inter Deum & nos. Hac ratione vocatur Pater unus Deus, quia Chriſtus carne circundatus ſic Eccleſiæ præeſt, ut Deum habeat caput, quemadmodum Paulus docet. Hoc etiam modo Deus mediate nos per manum Filii ſui gubernat, donec perducti ſimus ad ſolidam gloriæ conjunctionem, in *1 Cor. 12. verſ. 3.* qua Filius ſubjicietur Patri, ut ſit Deus omnia in omnibus. Secundum hanc Diſpenſationem oravit Chriſtus ipſe in terris, & nunc ipſo advocato freti, in ejus nomine Patrem oramus. In hac doctrina nihil coactum, vel ſpinoſum, quia non prodit Chriſtus ad nos niſi Mediator, qui à Deo exivit: habet tamen Deum in ſe manentem, & in ipſo reſidet omnis plenitudo deitatis, ut ad Deum nos tandem perducat, dum familiari & immediato, ut loquuntur, deitatis adſpectu, quæ nunc in imagine relucet, ſolide fruemur. Clamet nunc Stancarus, nos eſſe Arrianos, ſtatim evaneſcet hujus calumniæ futilitas, quando fatemur, non cadere in divinam naturam quod tamen perſonæ Mediatoris recte aptatur. Ubi autem in una Dei eſſentia tres agnoſcimus diſtinctas hypoſtaſes, ut Chriſti reſpectu unus ſit Deus ejus Pater, ipſe vero ſit imago Dei inviſibilis, nihil in hac doctrina eſt affine Sabellii errori. Viderint autem quos tantopere oblectat perpetua diſtinctio; ne omnia miſceant ac confundant: quia deitatis nomen ubique ad Patris nomen reſtringendo, mox lacerant in partes, ubi Filii & Spiritus commune eſſe volunt. Porro hallucinandi cauſa illis eſt, quod nihil obſervant diſcriminis inter duas notitiæ ſpecies, ubi indefinite nobis deſcribitur Dei majeſtas: deinde in tribus perſonis ſe patefacit. Ac uſqueadeo vera eſt ea quam aſſerimus unitas, ut dum ſeorſum Deus vocatur Chriſtus, ſimul comprehendatur Patris deitas. Nam ubi exclamat Thomas, Dominus meus, & Deus meus, Mediatore agnito, altius tranſcendit. Paulus etiam quum pronunciat Chriſtum eſſe Deum in ſecula benedictum, non ſecundam vel productam divinitatem imaginatur, ſed quæ una eſt, in Chriſtum competere intelligit. Neque tamen dum ſub Dei nomine continentur Filius & Spiritus, obducitur caligo, quin tres Perſonæ refulgeant, & ſua cuique conſtet proprietas.

Utinam hæc qua decet modeſtia & ſobrietate ſecum

ſecum probe reputent fratres Polonici! & qui nunc commenti novitate tanquam muſto inebriati exultant, guſtare de integro non graventur doctrinam bene defæcatam & concoctam.

Epiſtola Joannis Calvini, qua Fidem admonitionis ab eo nuper editæ apud Polonos confirmat.

Generoſis & Nobilibus Dominis, proceribus minoris Poloniæ, & ornatiſſimis viris civibus inclytæ urbis Cracoviæ, qui orthodoxam fidem conſtanter ſequuntur, Joannes Calvinus.

Generoſi Nobiles, præſtantiſſimi viri, & Domini, quum ante quatuor menſes allatus eſſet triſtis uuncius de multorum levitate, qui apud vos à recta & ſincera fide ad impium & deteſtabile figmentum defecerant, imo ab ipſis vulgata eſſet Tabula, qua veram Chriſti Deitatem abolere tentabant: ſtatim brevem admonitionem conſcripſi, qua ſobrii, dociles, & modeſti homines ad cavendas inſidias inſtructi, in ſana pietatis doctrina retinerentur. Poſtea ex optimo fratre noſtro Domioo Chriſtophoro Trecio cognovi à prudentibus & cordatis viris deprehenſas fuiſſe eorum fraudes, qui fidei principium de tribus in Deo perſonis labefactare conati fuerant. Idem mihi ſcripſerunt fideles ſervi D. D. Staniſlaus Sarnicius, & Jacobus Sylvius. Imprimis vero lætatus ſum, veſtra diligentia & virtute iterum colligi apud vos Eccleſiam, cujus timenda erat miſera diſſipatio. Interea tamen didici, quia vobis negocium eſt cum hominibus ſuperbis & præfractis, duris & aſſiduis certaminibus vos exerceri: ac proinde oon inutile vobis fore, ſi quod à piis fratribus ad vos confirmandos oblatum eſſet ſubſidium. Ego autem quum in eorum numero cenſeri cupiam, partibus meis deeſſe nolui.

Porro teterrimus hic error, qui apud vos graſſatur, ſavorem obtinuit ex immodico contentionis fervore. Nam quum Stancarus inſulſus Sophiſta, & rabula improbiſſimus commenta ſua ingereret, Chriſtum Mediatorem duntaxat eſſe, quatenus homo eſt, ideoque apud totam Trinitatem intercedere, optimum compendium quidam eſſe duxerunt, ſi reſponderent ſolum Patrem vere & proprie eſſe Deum. Ita effugium illud nimis cupide multi arripuerunt, quod ita putarent nullo negocio refutari Stancari ineptias. Sic ut veteri proverbio dicitur, nimium altercando veritas amiſſa fuit. Equidem non dubito quoſdam inſcitia vel inconſiderata facilitate lapſos eſſe: verum conjicere ſimul licet, nonnullos aſtute captaſſe occaſionem, ut execrabile delirium, quod plauſibile fore ſperabant, ſimplicibus impune obtruderent. Sunt enim apud vos impuri nebulones Georgius Blandrata, Valentinus Gentilis, Joannes Paulus Alciatus, & ſimiles, quos furioſa libido novandi & turbandi præcipites agit. Verum illis omiſſis, ſummam ipſius quæſtionis præſtringere expediet.

Volunt quoties occurrit nomen Dei in Scriptura reſtringi ad ſolum Patrem. Atqui poſtquam Spiritus ſanctus unum eſſe Deum pronunciavit, aperte docet Chriſtum fuiſſe illum Deum. Nec vero aliter ſtaret
1 Joan. 5. teſtimonium Joannis, Hic eſt verus Deus & vita
verſ. 20. æterna, niſi eſſet idem cum Patre Deus. Jam ubi
Actor. 20. Dei nomen indefinite uſurpat Paulus apud Lucam,
verſ. 28. nonniſi de Filio id poteſt intelligi; quando diſerte exprimit ſanguine Dei redemptam eſſe Eccleſiam. Verum ſatis ſuperque nobis eſſe debet quod tradunt Prophetæ de unico & æterno Deo, Apoſtolos aptare ad Chriſti perſonam. Luculentas ejus rei probationes ſuggeret vobis mea admonitio. Quod obſtrepunt, Deum paſſim vocari Patrem Chriſti, in promptu ſolutio eſt, quoties inter ſe comparantur duæ perſonæ, Dei nomen peculiare aſcribi Patri, quia Deitatis principium eſt: ſed ubi nulla fit comparatio, Filium comprehendi ſub Dei nomine. Et ſane ſi admittitur relatio in ipſa Dei eſſentia, jam non una, nec ſimplex erit, ſed lacerabitur. Paulò clarius id explicabo. Si eſſentiæ reſpectu confertur Filius cum Patre, multiplex inde emerget Deitas, quo nihil abſurdius eſt. Et tamen non pudet illum ter perfidum apoſtatam Gentilem blaſphemiam hanc evomere, Chriſtum eſſe à Patre eſſentiatum, ubi agnoſcitis diabolico figmento excogitatam eſſe prodigioſam vocem. Denique ſicut olim Manichæi fabulati ſunt, animam hominis ex Dei traduce originem ducere: ita hic præſtigiator fingit Dei Filium eſſe neſcio quod abſtractum à vera Deitate: Atqui ſi eſſentiatus eſt Chriſtus, non eſt ille Jehova, qui olim Prophetis apparuit, quod tamen Apoſtoli teſtantur. Hoc quidem effugere nequeunt, quin diſcerpant eſſentiam Dei, niſi concedant Chriſtum eſſentialiter unum eſſe Deum. Detegitur etiam alter eorum furor. quia niſi idem ſit Filius cum Patre Deus, plures deos induci neceſſe eſt. Tergiverſando nihil proficiunt, quia plane elicitur ex eorum commentis, Chriſtum alium eſſe à Patre Deum. Quod objiciunt alium vocari, ſicuti & Spiritus vocatur alius ab ipſo conſolator, nullo negocio diluitur. Neque enim uſquam Scriptura ubi Perſonas diſtinguit, Deum ipſum ſecat in partes vel fruſta, acſi ſecum ejus eſſentia confligeret. Alius ergo Filius eſt à Patre, ſed non alius Deus. Quare diſtinctio non poteſt niſi ad perſonas accommodari. Hoc autem modo non habemus Deum conflatum, ut odioſe, ſimulque futiliter garriunt: quia tametſi unus eſt nobis Deus, ubi tamen in medium prodit Filius ſuum gradum obtinet Pater, ut diſcrimen emineat.

Tenenda quoque eſt loquendi ratio Scripturæ trita, dum Chriſtus quatenus Mediator eſt inferior Patre ſtatuitur (de toto complexo loquor, hoc eſt, Deo manifeſtato in carne) quia nunc Pater caput eſt, donec Chriſtus acceptum ab eo imperium reſtituat, ut ſit Deus omnia in omnibus. Nec eſt cur Stancarus hic inſultet, acſi Chriſtus fieret Patre minor, quando hic non de natura Deitatis agitur, ſed notatur tantum œconomia vel diſpenſatio admirabilis conſilii Dei, quæ nihil derogat æternæ Chriſti gloriæ. Hinc elicitur pura fidei ſinceritas, in uno Deo ita oon eſſe tres Perſonas, ut Filius non ſit Pater, ſed differat à Patre, ut una ſit utriuſque eſſentia, unde ſequitur quamvis non comparative, tamen indefinite unum eſſe Deum. Quidquid blaterent virulentæ linguæ, in hac fide acquieſcere ſemper tutum erit: ſicuti utile quoque ſpinioſis multis quæſtionibus anſam præcidere, ſimulque ſuperſedere à formulis loquendi vel nimium aſperis, vel à Scripturæ uſu remotis. Precatio vulgo trita eſt, Sancta Trinitas unus Deus miſerere noſtri, mihi non placet, ac omnino barbariem ſapit. Nolim igitur vos de rebus ſupervacuis litigare, modo illibatum maneat quod dixi de tribus in una eſſentia Perſonis.

Quid blateret Stancarus, nihil moror: nec vero æquum eſt, puram & genuinam pietatis doctrinam, cui nihil affine habet, ejus commentis obſcurari. Quod ergo ab eo dicitur, Unus Deus & unus Mediator, id eſt Trinitas: item, Ut cognoſcant te unum Deum, id eſt, Trinitatem: Creditis in Deum, id eſt, in Trinitatem. Quidquid petieritis à Patre, id eſt, à Trinitate, non modo tanquam inſipidum, ſed profanum quoque repudiamus. Faceſſant igitur perverſæ illæ ſpeculationes, quæ invidiam conflare poſſent ſanæ doctrinæ apud imperitos, & ab improbis nebulonibus in hunc finem captioſe obtenduntur. Ubicunque enim occurrit Filii mentio, Dei nomen diſtincte in Patrem competit. Sed interea minime ferendum eſt, ut artifices iſti Blandrata & Valentinus indi-

gne corrumpant Scripturæ locos, ubi Chriſtus ſimpliciter Deus vocatur. De ſolo Chriſto volunt eſſe dictum, Sermo erat Deus: item, Sanguine Dei acquiſita eſt Eccleſia: item, Qui eſt Deus benedictus in ſecula: item, Hic eſt verus Deus & vita æterna. Fateor quidem hoc de ſolo Chriſto prædicari, modo ne Deum ſecundum comminiſcantur, quod facere ipſos liquet. Quo enim ſenſu hæc elogia ad ſolum Chriſtum reſtringunt, niſi quia aliter Chriſtus quam Pater vocatur Deus? Ego autem contendo Deum vocari, quia unus eſt cum Patre Deus, & una eſt utriuſque eſſentia. Nam ſi Chriſtus Patrem vocando ſolum verum Deum, ſe non excludit, certe non attingit ſuam eſſentiam, ſed tantum diſpenſationem reſpicit, & perſonam Mediatoris.

Patrum teſtimonia non minus inſcite depravant. Neque tamen miror tam audacter hinc inde arripere quæ facere putant ad ſuam cauſam. Homines ſunt indocti, nec exercitati in ſcriptis veterum. Jam dum turbulento impetu feruntur ad captanda patrocinia, promiſcoe arripiunt, quæcunque videntur à recepto uſu paulum remota eſſe. Luculentum ejus rei ſpecimen eſt, quod ſuperbe jactant Tertulliani verba acſi nobis adverſarentur. Quid autem verba illa continent? Si natus fuiſſet innatus; comparatus cum eo qui eſſet innatus, æquatione in utroque duos faceret innatos, ſi non genitus eſſet, collatus cum eo qui genitus non eſt. Atqui non aliud tradit pius vir quam quod ſubinde inculco, Filium tunc demum à Patre diſcerni, ubi in comparationem veniunt Perſonæ. Quid enim ſignificant participia, Comparatus & Collatus, niſi ex relatione unius Perſonæ ad alteram exiſtere diſcrimen? Relatio autem ad eſſentiam uno veterum omnium conſenſu damnatur. Quæ vero falſarii iſti ad ſtabiliendum ſuum errorem detorquent, pluſquam frivola ſunt; Pater & Filius, teſte Hilario, non eſt unus: nempe Perſona, quando pius ille doctor non deſinit ſingulis fere paginis unam & ſimplicem Patris & Filii eſſentiam aſſerere, ut Filius idem ſit cum Patre Deus, & tamen Perſonæ reſpectu differat. Quam verecunde autem Baſilium, & Athanaſium, & ſimiles nobis obtrudunt? quorum teſtimoniis millies confoditur deteſtabilis iſta impietas. Cæterum, quia in refutatione Serveti, & Gentilis, hanc partem ſatis probe explicuiſſe mihi videor, quæ inde ſumere licet repetendo, moleſtiam & tædium vobis non afferam.

Supereſt nunc Generoſi, nobiles, ac præſtantiſſimi viri, ut in hujus cauſæ defenſione infatigato ſtudio pergatis. Res eſt non levis momenti, tenere Chriſtum eſſe unicum Deum, à quo vita & ſalus petenda eſt, & in quo gloriari fas eſt. Id vobis eripere conantur ſacrilegi iſti errones. Quare non aliter vobis certandum, quam ſi ad Deum fictitium vos abducerent. Pluribus vos hortarer, niſi ſponte animatos eſſe conſiderem. Valete igitur nobiles & generoſi Domini, & præſtantiſſimi viri. Dominus vos Spiritu prudentiæ ſemper gubernet, invicta virtute ſuſtineat uſque ad extremum. Genevæ, pridie Calend. Maii, 1563.

SECUN-

SECUNDÆ PARTIS TRACTATUUM VARIORUM JOANNIS CALVINI,

CLASSIS SEXTA.

Pro Prædeſtinatione.

DE ÆTERNA DEI PRÆDESTINATIONE,

Qua in ſalutem alios ex hominibus elegit, alios ſuo exitio reliquit: item, de providentia qua res humanas gubernat.

Conſenſus Paſtorum Genevenſis Eccleſiæ, à *Joan. Calvino* expoſitus.

Clariſſimis Viris & Magnificis ſuis Dominis, Syndicis, Senatuique Genevenſi Eccleſiæ Paſtores, quibus Verbi adminiſtratio tum in urbe, tum in agro mandata eſt, juſtam ſanctamque Reipub. adminiſtrationem, & felicem ſucceſſum precantur.

QUæ nos ad libellum hunc ſcribendum impulit ratio, eadem ad ipſum vobis nuncupandum hortatur, præſtantiſſimi Domini, ut ſub nomine veſtro auſpiciiſque exeat. Electio Dei gratuita, qua ſibi ex perdito damnatoque hominum genere, quos viſum eſt, adoptat, hactenus non minus reverenter & ſobrie, quam ſincere & abſque fuco hic tradita à nobis, & placide à populo recepta fuerat: donec circumforaneum errorem nuper ſuppoſuit turbarum omnium pater Satan, qui & doctrinam noſtram, quæ ex puro Dei verbo ſumpta eſt, convellere, & fidem totius populi labefactare tentaret. Sed quia vel ex incenſo Dei templo voluit famelicus gloriolæ captator innoteſcere, ne ſacrilegæ audaciæ præmium quod aucupatus eſt, reportet, nomen ejus ſilentio noſtro ſepultum maneat. Cæterum, quando moleſtia, quam nobis exhibere conatus eſt, non minus vobis communis fuit, fructum inde aliquem ad vos pervenire æquum eſt. Et quemadmodum vos experti ſumus ſtrenuos cordatoſque piæ cauſæ vindices, ita noſtrarum partium eſſe duximus, quam poſſemus gratitudinem viciſſim teſtari. Eadem etiam opera, quale veſtro patrocinio tutati ſitis doctrinæ genus, palam conſtabit. Etſi enim neque generoſos Reip. præſides, neque Chriſti miniſtros anxie à rumoribus pendere decet: quin potius ſiniſtræ multæ obtrectationes, quæ ſua raucedine fractæ paulatim concidunt, utriſque fortiter altoque animo ſpernendæ ſunt: magnopere tamen refert, quaſi publicis tabulis conſignatam ſub oculis & inter manus hominum extare rei ſummam, quæ falſas aut ſtultorum, aut levium, aut improborum voces coarguat, & ſimul compeſcat frivolos vulgi ſuſurros. Sparſus multis in locis fuit rumor, duris eum vinculis conſtringi, quum per medium forum quotidie volitare licuerit. Quam maligne etiam finxerint virulenti quidam homines, ad capitis ſupplicium à nobis eum expoſci, vos nobis optimi eſtis teſtes. Tales calumnias, donec evaneſcant, contemptu & tranquilla animi magnitudine refutare, gravitatis & prudentiæ eſt. Rurſum tamen, ne incerti plerique fluctuentur, quorum habenda eſt ratio: ſtatum cauſæ omnibus eſſe expoſitum, non minus expedit, quam ex officio noſtro eſt. Serpit inſtar gangrænæ impietas, inquit Paulus, niſi obviam eatur. Iſta autem, quam ſub veſtro nomine piis omnibus offerimus, defenſio, tam erit ad curandos ſanabiles, ut quidem ſperamus, validum efficaxque remedium, quam ſalubre antidotum ſanis & integris. Ac digna eſt materia, ad quam ſtudia ſua intendant filii Dei, ne cæleſtis ſuæ genituræ originem ignorent. Stulte enim quidam, quia Euangelium potentia Dei vocatur in ſalutem omni credenti, hoc prætextu Dei electionem obliterant. Atqui venire illis in mentem debuerat, unde oriatur fides. Paſſim autem Scriptura clamat, Deum Filio ſuo dare qui ſui erant: vocare quos elegit: & quos ſibi adoptavit in filios, Spiritu ſuo regignere: credere denique homines quos ipſe intus docuit, & quibus patefactum eſt ejus brachium. Porro quiſquis fidem, arram eſſe & pignus tenebit adoptionis gratuitæ: ex æterno divinæ electionis fonte manare fatebitur. Neque tamen ex arcano Dei conſilio petenda nobis eſt ſalutis notitia. Vita in Chriſto propoſita eſt, qui ſe in Euangelio non modo patefacit, ſed fruendum exhibet. In hoc ſpeculum defixus ſit fidei aſpectus: nec penetrare appetat quo acceſſus non patet. Quando hæc via eſt, in ea ambulent filii Dei, ne altius quam fas eſt evolando, in profundiorem, quam optandum ſit, labyrinthum ſe demergant. Cæterum, ut non alia eſt cæleſtis regni janua, quam fides in Chriſtum, palam oblatis Euangelii promiſſionibus contenta, ſic nimis craſſi ſtuporis eſt, non agnoſcere, apertos eſſe nobis mentis oculos à Deo: quia nondum in utero conce-

in ſuperbo veritatis contemptu, in projecta impudentia, in proterva loquacitate, ſumma inter eos reperietur ſimilitudo & æqualitas: niſi quod Pighius lutulentas magniloquentiæ ſuæ ampullas inflans, majore jactantiæ pompa ſe effert: alter illic cothurnos, quibus aſſurgat, ex commentitia revelatione mutuatur. Quum autem in evertenda Prædeſtinatione conſentiant ambo, poſtea tamen in commentis ſuis ſunt diverſi. Fingunt ambo, In libertate noſtra poſitum eſſe, ut ſe quiſque in adoptionis gratiam inſerat. Neque hoc ex Dei conſilio pendere quinam electi ſint vel reprobi: ſed ſingulos ſibi utramvis ſortunam ſuo arbitrio ſtatuere. Quod alii credunt Euangelio, alii increduli maneyt, non ex gratuita Dei electione, vel ex arcano ejus conſilio, ſed ex privata tantum cujuſque voluntate provenire hoc diſcrimen.

Cæterum, Pighius ſenſum ſuum ita explicat, Deum immutabili conſilio creaſſe indiſtincte omnes ad ſalutem. Sed quum Adæ præviderer defectionem: ut firma nihilominus ſtabiliſque maneret electio, remedium adbibuiſſe, quod omnibus perinde commune eſſet. Ita in Chriſto ſtabilitam fuiſſe totius humani generis electionem: ut nemo pereat, niſi qui ſua obſtinatione ex libro vitæ ſe deler. Rurſus vero, quum Deus præviderer quoſdam ad extremum in malitia gratiæque contemptu ſore pertinaces, tales prævidendo reprobaſſe, niſi reſipiſcant. Hoc reprobationis eſſe initium, dum ſe impii univerſali electionis beneficio præter Dei conſilium & voluntatem privant. Indigne vero ſentire de Deo omnes pronunciat, & alienum juſtitia & bonitate rigorem illi affingere, qui electos eſſe præciſe & abſolute quoſdam tradunt, alios deſtinatos exitio. Et nominatim hic Auguſtini ſententiam damnat. Præſcientiam vero Dei nihil tollere de arbitrii noſtri liber-
capite 1. *Lib.* 8. tate, ut oſtendat, ad illam Nicolai Cuſani argutiam confugit: Quod Deus non præviderir, quæ ab æterno illi nota fuerunt, quaſi futura, ſed quaſi præſenti aſpectu intuitus fuerit. Et tamen hic ſupercilium ſuo more attollit impoſtor, acſi reconditum neſcio quid, & nunquam ante auditum ex tripode Apollinis proferret: quum tamen trita ſit pueris
cap. 2. *ejuſd. lib.* cantilena. Quia tamen adhuc ſe impeditum teneri ſentiebat, duplicem Dei præſcientiam ingerit: Quod Deus ſcilicet, prius creandi ad vitam hominis conſilium ceperit, quam ejus lapſum præſciret: ideoque ſalutis humanæ cogitatio, mortis præſcientiam ordine io ipſo Deo præceſſerit. Et quum hæc lutulento verborum torrente involvit, putat ſe ita obruere lectorum ſenſus, ut nihil diſcernant: ſed ego mea brevitate, ut ſpero, paulo poſt diſcutiam loquacitatis ejus tenebras. Georgii commentum eſt, non fuiſſe hunc vel illum prædeſtinatum ad ſalutem: ſed Deum ſtatuiſſe tempus, quo totum mun-
Rom. 16. *verſ.* 25. *Epheſ.* 5. *verſ.* 9. dum ſervaret. Atque huc quoſdam Pauli locos detorquet: myſterium quod à ſeculis & generationibus abſconditum fuerat, Chriſti adveotu & prædicatione Euangelii patefactum eſſe. Ita ſecure elabitur, acſi nullo Scripturæ teſtimonio palam conſtaret alios, aliis præteritis à Deo fuiſſe cooptatos in ſalutem. Denique, in electione nihil præter tempus novi Teſtamenti conſiderat.

Quid nos ſentiamus, ſatis locuples, ut nihil præterea addam, teſtis eſt Inſtitutio. In primis rogatos velim lectores; ut quod illic admoneo, memoria repetant: Non eſſe, ut quibuſdam falſo videtur, argutam hanc vel ſpinoſam ſpeculationem, quæ abſque fructu ingenia fatiget: ſed diſputationem ſolidam, & ad pietatis uſum maxime accommodam: nempe, quæ & fidem probe ædificet, & nos ad humilitatem erudiat, & in admirationem extollat immenſæ erga nos Dei bonitatis: & ad hanc celebrandam excitet. Nulla ædificandæ fidei aptior eſt ratio, quam dum audimus electionem illam quam Spiritus Dei cordibus noſtris obſignat, in æterno & inflexibili Dei beneplacito conſiſtere, ut nullis mundi procellis, nullis Satanæ inſultibus; nulli carnis vacillationi ſit obnoxia. Tunc enim demum nobis certa eſt noſtra ſalus, quum in Dei pectore cauſam reperimus. Sic enim vitam in Chriſto manifeſtatam fide apprehendimus, ut eadem fide duce, procul intueri liceat, ex quo ſonte vita prodierit. In Chriſto fundara eſt ſalutis fiducia, & in Euangelii promiſſiones recumbit. Sed hæc non parum valida fultura eſt, quum nunc, ut in Chriſtum credamus, audimus nobis divinitus eſſe datum: quia ante mundi originem tam ad fidem ordinati, quam ad vitæ cæleſtis hæreditatem electi eramus. Hinc illa inexpugnabilis ſecuritas, quod Parer, qui Filio ſuo nos in peculium dedit, omnibus potentior, nos è manu ejus rapi non patietur. Jam vero non vulgari in eo humilitatis materia, dum tam diſpar eorum condirio cernitur, quibus communis eſt natura. Quocunque oculos vertant filii Dei, occurrent prodigioſa exempla cæcitatis & ſtuporis, quæ horrorem incutient. Quum ſe in tenebris illuminatos eſſe noverint: qui fieri dicent, ut cæcutiant alii in clara luce? Quis eos diſcernit: niſi quod experientia convincit apertos illis fuiſſe mentis oculos, quum perinde clauſi eſſent? Certe quid Deo ſit reddere quod ſuum eſt, nondum didicerunt iſti, quibus ſponte neſcire lubet, unde ab altis differant. Quin radix ſit pietatis, materque virtutum omnium, humilitas, nemo ambigit. Quomodo autem humilis erit, qui nec priſtinam miſeriam è qua liberatus eſt, audire ſuſtiner, Deique beneficentiam promiſcue ad omnes extendens, quantum in ſe eſt, extenuat? Certe multum abeſt, quin Dei gratiam pro merito illuſtrent, qui eam prædicant omnibus eſſe communem, in ſe vero efficaciter reſidere, quia fide eam amplexi ſint: fidei vero cauſam interea ſepultam cupiunt: quod ſcilicet gratis in filios electi, Spiritu adoptionis poſtea donati ſint. Qualis iſta gratitudo, ſi incomparabili beneficio affectus cum eo debitorem me ex æquo profiteor, qui vix centeſimam partem accepi? Quare, ſi ad celebrandam Dei bonitatem, quantum illi ſimus obſtricti, præcipue tenere intereſt: maligni ſunt in Deum & injurii, quibus moleſta eſt ac gravis electionis æternæ notitia: qua ſepulra, dimidiam gratiæ Dei partem evaneſcere neceſſe eſt. Obſtrepant, qui volent: hoc tamen elogio, quam de gratuita electione tradimus, doctrinam, ornare ſemper licebit, quod niſi per eam non ſatis capiunt fideles, quanta in ſe fuerit Dei bonitas, dum ad ſalutem efficaciter vocati ſunt. Breviter tantum iſta delibo, quæ iterum ſuo loco luculentius tractanda erunt, ne quis rem cognitu apprime neceſſariam refugiens, grave faſtidii ſui damnum ſero tandem ſentiat. Quod ſi nos Euangelii non puder: quod illic aperte traditur, fateri neceſſe eſt, Deum æterno ſuo beneplacito, cujus aliunde cauſa non pendet, quos illi viſum eſt, deſtinaſſe ad ſalutem, aliis rejectis: & quos gratuita adoptione dignatus eſt, Spiritu ſuo illuminare, ut vitam in Chriſto oblatam recipiant: alios ita ſponte eſſe incredulos, ut fidei luce deſtituti, in tenebris maneant.

Contra hoc Dei judicium petulanter inſurgunt multi canes. Atqui inter eos nonnulli quidem Deum palam impetere non dubitant, quod futuram Adæ ruinam prævidens, non melius conſuluerit rebus humanis. Quibus compeſcendis nulla melior ratio quærenda eſt, quam quæ à Paulo nobis oſtenditur. Hoc enim veniebat in quæſtionem: quomodo juſtus eſſet Deus; dum miſeretur cujus vult; & quem vult indurat. Tantam hominum audaciam nullo reſponſo dignatur, niſi quod ordinis
ipſos ſui ſortiſque admonet: O homo, tu quis es *Rom.* 9.
qui reſpondeas Deo? quod garriunt profani homi- *verſ.* 20.
nes, rationis inopia ſilentio abſurditatem texiſſe,

quod proculdubio facerent, ſi reſpondere talibus cogerentur. Prudenter certe non minus quam ingenue dictum. Niſi enim eum exercuiſſent gratiæ Dei hoſtes, nunquam ad excutiendam Dei electionem adeo fuiſſet attentus: ſicuti fatetur. Nam in libro *cap. 20.* cui titulum fecit De bono perſeverantiæ: Hæc, inquit, certa eſt ac manifeſtata prædeſtinatio ſanctorum, quam poſtea diligentius & operoſius, quum adverſus novam ſectam diſputarem, defendere neceſſitas compulit. Didicimus enim ſingulas quaſque hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam ſi nulla talis neceſſitas cogeret. Quid autem coëgit loca Scripturarum, quibus prædeſtinatio commendata eſt, copioſius & enucleatius iſto noſtro labore defendi, niſi quod Pelagiani dicunt, Dei gratiam ſecundum merita noſtra dari: quod nihil aliud eſt quam gratiæ negatio? Porro, aliquanto prius negaverat, ſibi de librorum ſuorum vetuſtate præju- *cap. 12.* dicium debere afferri. Nemo, inquit, tam injuſtus eſt, ut opinor, & tam invidus, qui proficere me prohibeat. Poſtea tamen ſimul contendit, ex quibuſdam veterum teſtimoniis poſſe colligi, non aliter eos, quam tunc doceret, ſenſiſſe. Ut aliis ſuperſe- *Ejuſdem lib. c. 19.* deam, pluſquam perſpicuum eſt, quod ex Ambroſio citat: Chriſtus, quem miſeratur, vocat. Item, Si voluiſſet, ex indevotis feciſſet devotos. Sed Deus, quos dignatur, vocat, & quem vult, religioſum facit. Quis totam hujus quæſtionis ſummam his paucis verbis comprehendi non videt? Quod non omnes ad Chriſtum accedunt, ut ſalutem conſequantur, cauſam aſſignat, Quia Deus eorum corda efficaciter non tangit. Converſionem hominis ex gratuita Dei electione manare pronunciat. Cur aliis reprobatis, alios vocet, in ſolo ejus arbitrio poſitum eſſe non diſſimulat. His tribus capitibus ſtatum quæſtionis contineri & finiri, nemo mediocri judicio præditus neſcit. Porro, Auguſtinus ipſe adeo totus noſter eſt, ut ſi mihi confeſſio ſcribenda ſit, ex ejus ſcriptis contextam proferre, abunde mihi ſufficiat. Sed ne in præſentia nimium ſim prolixus, tribus aut quatuor locis contentus ero, ex quibus conſtet, ne uno quidem apice me ab ipſo differre. Ex continua deinde operis ſerie plenius conſtabit, quam ſolide *capite 1.* omni ex parte mihi ſuffragetur. Libro de Prædeſtinatione ſanctorum, contra eos ſe diſputare profitetur, qui peccato Adæ obnoxium naſci genus humanum agnoſcunt, ac præveniri Dei gratia hominum voluntates, nec ſibi quenquam ad ullum opus bonum vel inchoandum, vel perficiendum, ſufficere. Quid autem ea confeſſione majus deſiderat, in ipſo diſputationis progreſſu oſtendit. Ne diceret quiſ- *cap. 5.* piam, inquit, Diſcernit me ab aliis fides mea, juſtitia mea, aut aliquid ſimile, talibus occurrens cogitationibus, rogat Doctor Gentium: Quid habes quod non acceperis? A quo autem, niſi ab illo qui te diſcernit ab alio, cui non donavit quod donavit *cap. 9.* tibi? Deinde, Fides igitur, & inchoata, & perfecta, donum Dei eſt: & hoc donum quibuſdam dari, quibuſdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifeſtiſſimis Scripturæ teſtimoniis *cap. 10.* repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes in condemnationem juſtiſſimam veniſſe. Cur autem iſtum potius quam illum Deus hinc liberet, inſcrutabilia ſunt judicia ejus, & viæ ejus inveſtigabiles. Item, Si diſcutiatur & quæratur, unde quiſque ſit dignus, non deſunt qui dicant, Voluntate humana: nos autem dicimus, Gratia vel prædeſtinatione divina. *cap. 15.* Poſtea ſubjicit: Salvator ipſe Dei Filius præclariſſimum eſt gratiæ & prædeſtinationis lumen. Reſpondeatur, quæſo: homo ille, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſſumptus, Filius Dei unigenitus eſſet, unde hoc meruerit. Quod enim ejus bonum qualecunque præceſſit? Quid egit ante? quid credidit? quid petivit, ut ad tantam dignitatem perveniret? Hic Deo aliquis hominum obmurmuret ac dicat: Cur non & ego? ſi audierit: O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? neque ita ſe cobibeat, ſed augeat impudentiam, & dicat: Quomodo audio, Tu quis es ô homo? quum ſim homo ſicut ille de quo ago, cur non ſum quod ille eſt? Etenim gratia ille talis ac tantus eſt. Cur diverſa eſt gratia, ubi natura communis eſt? Certe non eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quis, non dico Chriſtianus, ſed inſanus hæc dicat? Appareat igitur in capite noſtro fons gratiæ: unde ſecundum cujuſque menſuram, ſe per cuncta membra diffundit. Ipſa eſt prædeſtinatio ſanctorum, quæ in Sancto ſanctorum maxime claruit. Et paulo poſt: Sicut prædeſti- *cap. 17.* natus eſt ille unus, ut caput noſtrum eſſet: ita & multi ſumus prædeſtinati, ut eſſemus ejus membra. Ac ne quis fidei hoc tribueret, quod alter alteri præfertur, negat eligi eos qui crediderunt: ſed potius, ut credant. Similiter ad Sextum: Cur credat hic, non *Epiſt. 105.* credat ille, cur hunc potius liberet Deus quam illum, ſcrutetur tam magnum profundum qui poteſt, ſed caveat præcipitium. Rurſus alio loco: Quis repro- *Ad Bonif. epiſt. 106.* bos creavit, niſi Deus? Et cur, niſi quia voluit? Cur voluerit, ô homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Item alibi, poſtquam diſputavit, nullis homi- *Libr. ad Bonif. 4. cap. 6.* num meritis Deum provocari, ut mandatis ſuis faciat obſequentes, ſed retribuere illis bona pro malis, propter ſe, non propter illos: tandem ſubjicit, Si quis roget, cur iſtos homines Deus oves faciat, iſtos non faciat: iſtam eſſe quæſtionem, quam Apoſtolus expaveſcens, exclamat: O altitudo, &c. Quemadmodum vero electionis initium ex gratuita Dei voluntate deducens, reprobationem in mero ejus arbitrio ſtatuit: ſic & ſalutis noſtræ firmitudinem non alibi fundatam eſſe docet. Nam ad Paulinum ſcribens, eos qui non perſeverent, ad vocationem Dei, quæ efficax eſt ac ſine pœnitentia, pertinere negat. Cur autem alii pertineant, alii non, occultam eſſe cauſam, non injuſtam. Eſſe enim hanc altitudinem judiciorum Dei, quæ ideo vocantur judicia, ne quid injuſtum imaginemur. Fuſius tamen in alio opere, *De correp. & grat. ad Val. cap. 8.* perſeverantia donari electos contendit, qua excidere nunquam poſſint. Cur perſeverantiam non dederit Deus, quibus Chriſtiane vivendi affectum dedit, me ignorare reſpondeo. Non enim arroganter, ſed modulum meum agnoſcens, audio dicentem Paulum, O homo tu quis es? Item quando rogavit Chriſtus, ne deficeret fides Petri, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem? Mox ſubjicit: Mirandum quidem, multumque mirandum, quod filiis ſuis quibuſdam, quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem, ſpem, dilectionem dedit, non ſimul det perſeverantiam, quum filiis alienis ſcelera tanta dimittens, ſuos faciat. Quis hoc non miretur? quis non vehementer ſtupeat? Certe hic judicia Dei, quoniam juſta & alta ſunt, nec vituperari, nec penetrari queunt. In his eſt & illud de perſeverantia, de qua diſputamus. De utriſque ergo exclamemus: O altitudo! Dixerat autem prius, Firmum ſtat Dei fundamentum, habens ſigna- *Cap. 7. ejuſd. lib.* culum hoc: Novit Dominus qui ſunt ſui. Horum fides quæ per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficit, aut ſi qui ſunt quorum deficit, reparatur antequam vita iſta finiatur: & deleta, quæ intercurrerat, iniquitate, uſque in finem perſeverantia deputatur. Qui vero perſeveraturi non ſunt, ac ſic à fide Chriſtiana lapſuri ſunt, ut tales eos vitæ finis inveniat, proculdubio nec illo tempore quo bene pieque vivunt, in iſto numero computandi ſunt. Non enim ſunt à maſſa illa perditionis præſcientia Dei & prædeſtinatione diſcreti: & ideo nec ſecundum propoſitum vocati. Nequis autem perturbet, quod interdum excidunt, qui filii Dei habiti fuerant,

cap. 9. fueraṅt, huic quoque dubitationi occurrens: Abſit ut deficiant, inquit, ſi de illis prædeſtinatis eſſent, & ſecundum propoſitum vocatis, qui vere ſunt promiſſionis filii. Nam iſti quum pie vivunt, dicuntur Filii Dei: ſed quoniam victuri ſunt imple, & in eadem impietate morituri, non eos præſcientia Dei ſic dicit. Sunt enim Filii Dei, qui nondum ſunt nobis, & jam ſunt Deo: ſunt rurſus qui propter ſuſceptam vel temporaliter gratiam dicuntur à nobis, nec tamen ſunt Deo. Item, Chriſto intelliguntur dari, qui ordinati ſunt in vitam. Iſti ſunt prædeſtinati, & ſecundum propoſitum vocati, quorum nullus perit: ac per hoc nullus ex bono in malum mutatus, vitam hanc finit: quia ſic eſt ordinatus, & ideo Chriſto datus, ut non pereat, ſed habeat vitam æternam. Paulo poſt: Quicunque Dei providentiſſima diſpoſitione præſciti, prædeſtinati, vocati, juſtificati, glorificati ſunt, non dico eriam nondum renati, ſed etiam nondum nati jam Filii Dei ſunt, & omnino perire non poſſunt. Rationem mox annectit, Quia talibus omnia Deus cooperatur in bonum: & quidem uſque adeo prorſus omnia, ut ſi qui eorum deviant & exorbitant, etiam boc ipſum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeunt & doctiores. Quod ſi *Libr. de corrept. & gratia cap. 10.* altius conſcenditur, & de prima hominls creatione movetur quæſtio, eam quoque ſic exequitur: Saluberrime confitemur, quod rectiſſime credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura præſcivit, & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quam mala eſſe non finere: ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet quid poſſet liberum arbitrium: deinde, quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium, juſtitiæque judicium. In enchi*cap. 95.*ridio vero ad Laurentinm quod reſiduum dubitationis eſſe poſſet, liberius explicat. Quum extremo die, inquit, in judicium mundi apparuerit Chriſtus, tunc in clariſſima luce ſapientiæ videbitur, quod nunc piorum habet fides, antequam manifeſta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, & efficaciſſima ſit voluntas Dei: quam multa poſſit, & non velit: nibil autem velit quod non poſſit: quamque ſit ve*cap. 96.*rum, quod in Pſalmo canitur: Deus noſter in cælo, omnia quæ voluit, fecit. Quod utique non eſt verum: ſi aliqua voluit, & non fecit. Non fit ergo aliquid, niſi Omnipotens fieri velit, vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo. Nec dubitandum eſt, Deum facere bene, ſinendo fieri, quæcunque fiunt male. Non enim boc niſi juſto judicio ſinit. Quamvis ergo quæ mala ſunt, in quantum mala ſunt, non ſint bona: tamen ut non ſolum bona, ſed etiam ſint & mala, bonum eſt. Nam niſi eſſet hoc bonum, ut eſſent & mala: nullo modo eſſe ſinerentur ab Omnipotente bono. Cui proculdubio quam facile eſt quod vult facere, tam facile eſt, quod non vult eſſe, non ſinere. Hoc niſi credamus, periclitatur ipſum fidei noſtræ initium, qua nos in Deum omnipotentem *cap. 100.* credere confitemur. Tandem clauſulam addit. Hæc ſunt magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus: & tam ſapienter exquiſita, ut cum angelica & humana creatura peccaſſet: id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt quod creator noluit, impleret ipſe quod voluit, bene utens & malis tanquam ſumme ad eorum damnationem quos juſte prædeſtinavit ad pœnam & ad eorum ſalutem, quos benigne prædeſtinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos pertinet, quod Deus noluit, fecerunt. Quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipſo quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipſis facta eſt Dei voluntas. Propterea namque magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro, & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus ſit voluntatem: quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit; ſed volens. Hæc pauca ex multis excerpere libuit; unde perſpiciant lectores, quam verecunda fronte Pigbius Auguſtinum à nobis disjungat, adeoque erroris ſui ſuffragatorem advocet. Nam in continua diſputationis ſerie, hujus ſancti viri teſtimoniis ſubinde utendum erit.

Nunc quod præcipuum eſt, agamus, nihil hac de re à me proditum, niſi quod Deus Scripturæ oraculis nobis omnibus clare dictat. Quod ex æterna Dei electione pendeat ſalus fidelium, cujus nulla præter gratuitum ejus beneplacitum cauſa reddi poteſt, diſerta ſunt Pauli verba primo ad Epheſ. cap. Benedictus, inquit, Deus, qui nos benedixit in Chriſto: ſicuti nos in eo elegerat ante mundi creationem. Audio quid garriat Pigbius: Electum eſſe in Chriſto genus humanum, ut quicunque eum fide amplexi fuerint, ſalutem conſequantur. Sed in hoc commento duæ ſunt craſſæ hallucinationes, quas Pauli verbis refellere promptum eſt. Nam primo certe inter electos & reprobos mutua eſt relatio: ut ſtare electio de qua loquitur, nequeat, niſi fateamur Deum certos homines, quos illi viſum eſt, ab aliis ſegregaſſe. Quod ipſum Prædeſtinandi verbo, quod bis poſtea repetit, exprimitur. Adhæc, eos dicit electos, qui fide inſiti ſunt in Chriſti corpus: quod omnibus nequaquam commune eſſe, palam eſt. Solos itaque eos deſignat, quos vocatione ſua dignatur Chriſtus, poſtquam illi à Patre dati ſunt. Fidem vero facere electionis cauſam, nimis abſurdum eſt, atque à Pauli verbis diſſentaneum. Neque enim, quod prudenter animadvertit Auguſtinus, electos *Libr. de prædeſt. ſanct.* eſſe pronunciat, quia credituri eſſent, ſed ut crede*cap. 17. 18. 19.*rent: non electos dicit quos Deus præviderat fore ſanctos & immaculatos, ſed ut tales fierent. Item: Non quia credidimus, ipſe nos elegit, ſed ut nos credamus: ne priores videamur ipſum elegiſſe. Fructum divinæ electionis & effectum Paulus eſſe clamat, quod ſancti eſſe incipimus. Ergo nimis præpoſtere faciunt, qui fidei electionem ſubjiciunt. Deinde quum unicam electionis cauſam ſtatuat, Dei beneplacitum quod habuit in ſeipſo, alias omnes cauſas excludit. Ideo recte Auguſtinus nos illuc revocari admonet, ne placito gloriemur voluntatis noſtræ. Sequitur apud Paulum: Gratia ſua Deum in nos exundaſſe in omni prudentia, patefacto nobis arcano voluntatis ſuæ ſecundum beneplacitum quod in ſeipſo propoſuerat. Audis illuminationis gratiam, quaſi rivum eſſe ex fonte æterni illius conſilii fluentem, quod ante abſconditum fuerat. Multum ergo abeſt, quin Deus in nobis eligendis aliquem fidei reſpectum habuerit, quæ nulla eſſe poterat, niſi eam adoptionis ſuæ gratia, nobis deſtinaſſet. Et Paulus iterum confirmat, non aliunde inductum fuiſſe Deum: ſed ipſum ſibi fuiſſe auctorem & cauſam, cur nondum creatos eligeret quibus poſtea & fidem conferret: Secundum propoſitum ejus, inquit, qui omnia efficit ſecundum conſilium voluntatis ſuæ. Quis æternum Dei propoſitum noſtro opponi non videat? Quod etiam ab Auguſtino rite expenſum eſt: qui uſque adeo Deum operari omnia interpretatur, ut velle quoque noſtrum, quo credimus, efficiat. Jam ſatis evictum eſſe arbitror, quos nunc Deus per Euangelium in ſpem ſalutis vocat, quos in Chriſti Corpus inſerit, quos facit vitæ æternæ hæredes, æterno arcanoque conſilio ſibi in filios adoptaſſe: atque ut adoptaret, uſque adeo non fuiſſe eorum fide provocatum, ut fidei cauſa & principium ſit ipſa electio: unde ordine priorem eſſe conſtat.

Nihilo obſcurius eſt, quod octavo ad Rom. capite habetur. Nam quum dixiſſet, Omnia adjumento eſſe fidelibus qui Deum diligunt: ne felicitatis ſuæ exordium à ſeipſis peterent homines, quaſi ſuo Deum amore ad promerendum tale beneficium

præ-

prævenіant; correctionis vice mox attexit, Qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Videmus ut priores Deo partes nominatim vendicet, qui vocatione ſua efficit, ut diligere incipiant, qui nihil poterant quam odiſſe. Nam ut totum hominis ingenium excutias, quæ ad Deum amandum illic propenſio reperietur? Imo Paulus eodem capite omnes carnis ſenſus Deo inimicos eſſe pronunciat. Si omnes natura hoſtes, & Deo adverſi, ſola ejus vocatione diſcerni palam eſt, qui depoſito odio animos ad eum amandum convertant. Porro minime dubium eſt, quin efficax hic vocatio notetur, qua regenerat Deus, quos ſibi prius in filios adoptavit. Neque enim ſimpliciter dicit Vocatos (quod in reprobos plerumque competit, quos Deus promiſcue cum filiis ſuis ad pœnitentiam fidemque invitat) ſed vocatos ſecundum propoſitum, quod ſtabile ipſo effectu ratumque eſſe oportet. Nam de hominis propoſito inſulſe hunc locum exponi, Auguſtinus optime coarguit: & ipſe contextus omnem ſcrupulum eximit, ne alieno opus ſit interprete. Sequitur enim: Quos prædeſtinaverat, vel definierat, eoſdem vocavit, & quos vocavit, eos juſtificavit. Hic de certo numero ſe loqui demonſtrat quem ſibi Deus in peculium deſtinavit. Nam quum & aliis modis, & præſertim externo hominum miniſterio vocet permultos: neminem niſi quem ad vitam ordinavit, juſtificat, ut tandem glorificet. Eſt igitur ſpecialis quædam vocatio, quæ æternam Dei electionem ſic obſignat & ſancit, ut patefaciat quod prius fuit in Deo abſconditum.

Lib. ad Bonif. 2. cap. 9. & aliis locis.

Scio quid hic nonnulli cavillentur? Quum prædeſtinatos Paulus dicat quos Deus præſcivit, ſuæ quenque fidei reſpectu eligi. Sed ego illis quod falſo imaginantur, non concedo, Intelligi quicquam fuiſſe à Deo præviſum, quod conciliaret illis gratiam: ſed quia gratuito electi ſint, fuiſſe præcognitos. Quemadmodum alibi docet idem Paulus, Deum noviſſe qui ſint ſui, quia ſcilicet notatos, & quaſi in ſuo cenſu numeratos habeat. Neque hoc quoque ab Auguſtino omiſſum eſt: Præſcientiæ nomen pro Dei conſilio accipi, quo ſuos in ſalutem prædeſtinat. Præſciri à Deo, quinam futuri ſint vitæ hæredes, nemo non fatetur. Hoc modo in quæſtione verſatur, Præviderátne quid in ipſis facturus ſit, an quales à ſeipſis ſint futuri. Futilis autem argutia eſt, arrepta Præſcientiæ voce, electionem, quam Paulus ubique in ſolo Dei propoſito includit, hominum meritis alligare. Petrus electos ſalutat, ſecundum præcognitionem Dei. An quod præviſa in ipſis aliqua virtus, Dei favorem ad eos inclinaverit? Atqui Petrus homines inter ſe non confert, ut alios aliis faciat digniores: ſed decretum quod in ſe Deus ſtatuit, ſupra cauſas omnes in ſublimi locat: acſi diceret, Nunc cenſeri inter Dei filios, quia priuſquam naſcerentur, electi fuerint. Secundum hanc rationem eodem capite docet, Chriſtum ante mundi creationem fuiſſe præcognitum, ut ſacrificio ſuo mundi peccata ablueret. Quo proculdubio ſignificat, expiationem ab eo completam, æterno Dei conſilio fuiſſe ordinatam. Nec aliter exponi poteſt, quod in Petri concione apud Lucam habetur; Chriſtum definito Dei conſilio & præſcientia in mortem traditum eſſe. Sic enim præſcientiam conſilio adjungit, ut diſcamus, neque fortuito, neque violento hominum impetu abreptum fuiſſe Chriſtum ad mortem: ſed quia Deus optimus & ſapientiſſimus cognitor, ita conſulto ſtatuerat. Et unus Pauli locus ad dirimendam omnem controverſiam apud ſanos lectores ſufficiet. Deum plebem ſuam, quam præſcivit, repuliſſe negat. Mox qualis illa fuerit cognitio, declarat: quod reliquiæ ſecundum electionem gratiæ, ſalvæ factæ ſunt. Item, quod Iſraël operibus non ſit conſequutus quod quærebat: ſed electio conſequuta. Quam priore loco præſcientiam vocavit, poſtea electionem eſſe definit, & quidem gratuitam.

Lib. de bono perſev. cap. 18.

1 Petr. 1. verſ. 2.

Puerile figmentum eſt, quod gratiam Pighius interpretatur, quia Dominus omnes in Adam perditos ad ſalutem nihilominus invitat. Clare enim Paulus Deo præcognitos à reliquis diſcernit, quos adſpectu ſuo dignatus non eſt. Quod idem non obſcure expreſſum eſt Chriſti verbis, Quicquid dederit mihi Pater, ad me veniet: & eum qui venit ad me, non ejiciam foras. Tria breviter quidem, ſed tamen perſpicue hic habemus: Quotquot veniunt ad Chriſtum, prius illi à Patre eſſe datos: deinde omnes qui dati ſunt, quaſi de manu in manum illi tradi, ut vere ejus ſiant: poſtremo fidum eſſe omnium cuſtodem, quos in ejus fidem ac præſidium Pater tradidit, ut neminem perire ſinat. Nunc ſi fidei principium quæritur: reſpondet Chriſtus, Ideo credere qui credunt, quia ſibi donati ſunt à Patre. Magnum plebi imperitæ obſtaculum erat Scribarum incredulitas, quod vulgo perſuaſum erat, nullam doctrinam fide dignam eſſe, niſi quæ eorum ſuffragio recepta eſſet. Clamat ex adverſo Chriſtus, ſingulare eſſe Dei donum lucem illam, qua in ſalutis viam dirigimur. Si quis tergiverſetur, dari Chriſto quos Pater in eo elegit: manet tamen iſtod fixum, donationem non fide modo ſuperiorem eſſe, ſed ejus cauſam ac originem. Sed in altero membro longe plus ſubeſt ponderis. Neque enim tantum venire ad ſe alios negat, niſi quibus porrecta fuerit à Deo manus: ſed omnes qui ſibi donati ſunt, ſine exceptione, credere affirmat. Quod in diſputationis contextu uberius confirmat. Nemo, inquit, ad me poteſt venire, niſi Pater meus traxerit eum. Fatebitur Pighius illuminatione opus eſſe, ut ad Chriſtum redeant homines, qui à Deo erant averſi, ſed interea fingit, offerri peræque omnibus gratiam, hominum autem arbitrio, utcunque eam recipere libuerit, efficacem demum eſſe. At vero Chriſtus alium verborum ſuorum ſenſum eſſe teſtatur, Sunt quidam ex vobis qui non credunt, Propterea dixi vobis, nemo poteſt ad me venire, niſi illi datum fuerit à Patre meo. Vides ut incredulos eorum numero excludat qui trahuntur. Nam hoc prorſus intempeſtive effutiret, niſi ſpeciale donum eſſet fides. Sed hoc omnium clariſſimum: quod poſtquam Jeſaiæ vaticinium adduxit, Erunt omnes docti à Deo: mox interpretationis loco addit, Omnis ergo qui audivit à Patre meo & didicit, venit ad me. In eo docet impleri Jeſaiæ vaticinium, quod Deus Spiritu ſuo intus diſcipulos alloquitur, ut Chriſto in poſſeſſionem tradat. Hunc inſtaurandæ Eccleſiæ modum definit Jeſaias, ut omnes ejus Filii divinitus edocti ſint. Peculiare ergo beneficium commemorat, quo Deus non niſi Eccleſiæ filios dignatur. Chriſtus efficaciter hoc doctrinæ genere ad ſe trahi pronunciat, quorum mentes & corda Deus compellat. Sic enim interius docet eos, inquit Auguſtinus, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſimul donans & quid agant, ſcire: & quod ſciunt, agere. Qui autem novit quid fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam: ſed ſecundum Legem: non ſecundum Spiritum, ſed literam. Paulo poſt: Si, ut dicit veritas, omnis qui didicit: venit, quiſquis non venit, profecto nec didicit. Concludit tandem, Non eſt conſequens, ut qui poteſt venire, etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre, non ſolum poteſt venire, ſed etiam venit, ubi jam & poſſibilitatis profectus & voluntatis affectus, & actionis effectus eſt. Neque Auguſtinum ideo in præſentia adduco teſtem, quod ejus auctoritate pugnem. Sed quia ejus verbis aptiora non ſuppetunt, quibus Euangeliſtæ mentem exprimam. Quod ſi nondum quidam acquieſcant, alibi plenius edisſerit: Quid eſt, Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me: niſi, Nullus eſt qui audiat & diſcat à Patre, & non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit à Patre & didicit, venit: profecto omnis qui non venit, non audivit à Patre,

Joan. 6. verſ. 37.

Lib. de gratia Chriſti contra Pelag. & Celeſt. c. 31. cap. 14.

Lib. de prædeſtin. Sanctor. cap. 8.

tre, nec didicit. Nam ſi audiſſet & didiciſſet, veniret. Valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc ſchola, in qua Pater auditur & docet, ut veniatur ad Filium. Paulo poſt: Hæc gratia quæ occulte humanis cordibus tribuitur, à nullo duro corde recipitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primum auferatur. Quando itaque Pater intus auditur, aufert cor lapideum, & dat cor carneum. Sic quippe facit filios promiſſionis & vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam. Cur ergo non omnes docet ut veniant ad Chriſtum, niſi quia omnes quos docet, miſericordia docet: quos autem non docet, judicio non docet? quoniam cujus vult miſeretur, & quem vult obdurat. Quanquam breviore compendio poteſt hujus quæſtionis ſumma perſtringi. Trahi à Patre Chriſtus dicit, non quibus flexibile cor datur, ut venire ad eum poſſint: ſed quorum Deus Spiritu ſuo cor intus afficit, ut reipſa veniant. Id non omnibus promiſcue dari experientia vel cæcis demonſtrat.

Jam quod neminem ex eorum numero ſe ejicere pronunciat: quin potius repoſitam in tuto eſſe omnibus vitam, donec excitet eos in noviſſimo die: quis non videt finalem, ut vulgo loquuntur, perſeverantiam Dei electioni ſimiliter adſcribi? Fieri poteſt, ut à fide quidam excidant: ſed qui ſibi à Patre donati ſunt, extra ruinæ periculum Chriſtus eſſe aſſerit. Quemadmodum & alio loco, poſtquam dixit ex Judæis quoſdam non credere, quia ex ovibus ſuis non eſſent, oves ipſas quaſi in ſecuro ſalutis portu collo-
Joan 10. verſ. 28. cat. Non peribunt, inquit, in æternum: nec rapiet eas quiſquam à manu mea. Pater qui dedit mihi, major omnibus eſt. Hunc tam firmum ſalutis ſtatum Pighius in fide præſenti fundare non audebit: quum eam à libero hominis arbitrio ſuſpendat. Nec quaſi de re ambigua diſputandum, ubi Chriſtus cunctis Satanæ machinationibus ſuam unius tutelam opponens, ideo tutos ad extremum uſque nos fore pronunciat, quia ſervare velit. Porro ne cui dubium ſit, quos fide ſua protegendos ſuſcipiat, iterum nos revocat ad Patris donationem. Nec vero leviter prætereundum: quod potentiorem quibuſlibet adverſariis Deum facit, ne minor ſit nobis ſalutis ſecuritas, quam potentiæ Dei reverentia. Ergo inter tam violentos inſultus, tam varia diſcrimina, tantas procellas & agitationes, in eo tamen conſiſtit ſtatus noſtri perpetuitas, quod Deus quod de ſalute noſtra apud ſe decrevit, brachii ſui virtute conſtanter tuebitur. Si quiſque noſtrum ſe aſpiciat: quid poteſt aliud quam trepidare? Nam circa nos omnia nutant: & nihil nobis imbecillius. Sed quia cæleſtis Pater quos Filio donavit, perire non ſinet, quantum habet hic potentiæ, tam certa eſt nobis fiducia & gloriatio: quia ideo fortis eſt, ut conſtans & invictus appareat ſuæ donationis aſſertor. Nam ut ſcite Auguſtinus dicit, Horum ſi quiſquam perit, fallitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum ſi quiſquam perit, humano vitio Deus vincitur. Sed nemo perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi enim ſunt, ut perpetuo regnent cum Chriſto: non ſicut Judas ad munus temporale cui congruebat. Item: Ex iſtis nemo perit, quia omnes electi, &
Lib de corrept. & grat. c. 12. cap. 7. ſecundum propoſitum: non ſuum, ſed Dei. Si quidem non tale modo illis perſeverantiæ donum confertur, ut poſtea declarat, quo poſſint ſi velint: ſed quo non niſi perſeverantes ſint. Quod optima ratione confirmat. Nam ſi in tanta infirmitate, vitæ hujus, in qua tamen infirmitate, propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent: nec Deus operatur ut vellent: inter tot & tantas tentationes voluntas ipſa infirmitate ſua ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent: quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent ut poſſent. Subventum ergo eſt infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & inſeparabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma non deficeret: nec infirmitate aliqua vinceretur.

Prodeat nunc in medium memorabilis ille Pauli locus, & qui unus ad dirimendam controverſiam apud ſobrios & morigeros Dei filios abunde valere debebat. Etſi autem Cyclopem Pighium contemptim Pauli verba illudere mirum non eſt: facturum tamen me ſpero, ut ſani omnes tam barbaram profanandæ Scripturæ audaciam deteſtentur. Quia Judæi Eccleſiæ titulo ſuperbientes, hoc ipſo prætextu Euangelium reſpuebant, quod fictitiæ Eccleſiæ conſenſu damnatum foret: ne tam indigno faſtu obruatur Euangelii majeſtas, larvam, qua ſe venditabant, Paulus illis detrahit. Erat ſane arduum infirmis obſtaculum, quum doctrinam Chriſti ab iis fere omnibus rejici viderent, quos Deus æterni ſui fœderis hæredes conſtituerat. Jeſum eſſe Dei Meſſiam Apoſtoli prædicabant. Reclamabat tota natio, cui promiſſus fuerat Meſſias. Et quid mirum? quandoquidem hodie quam plurimos videmus objecto hoc evanido fuco labaſcere, dum ſe Papiſtæ Eccleſiam eſſe ja- *Rom. 9:8.*
ctant. Hoc itaque modo cum Judæis congreditur Paulus, quod legitimos Abrahæ filios nequaquam faciat carnale genus: ſed ſoli filii promiſſionis in ſemine cenſeantur. Poterat autem ex fide æſtimare; idque conſentaneum erat, quum in promiſſione diſcrimen inter genuinos & ſpurios ſtatueret: idque prius fecerat: ſed nunc altius conſcendit: eſſe filios promiſſionis, quos Deus antequam naſcerentur, ele- *cap. 2, 4.*
git. Citat enim quod ab Angelo promiſſum fuit Abrahæ: Secundum hoc tempus veniam, & erit *Rom. 9.*
Saræ filius: acſi diceret: antequam in utero con- *verſ. 12.*
ceptus eſſet Iſaac, fuiſſe à Deo cooptatum. Non ſolum autem hoc, inquit: ſed quando ex uno concubitu patris noſtri Iſaac gravida erat Rebecca, quum nondum nati eſſent pueri, necdum quicquam boni feciſſent vel mali, ut ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Major ſerviet minori, ſicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.

Unum hunc eſſe ex difficillimis Scripturæ locis
Pighius cauſatur. Quod ut concedam, ita impium *Lib. 9. c. 2.*
ejus latratum minime ferendum eſſe dico, quum inextricabilem labyrinthum eſſe jactat. Quid enim? An Spiritum per os Pauli loquentem ſibi dicemus excidiſſe, ut ultra quam utile erat, nos abduceret? Promptum illi erat, ut jam dixi, veros Abrahæ filios ab adulterinis ſola fidei nota diſtinguere. Quæſtionem electionis, quæ longe remotior erat, data opera
accerſit. Certe quum ſibi ſupra tertium cælum rapto *2 Cor. 12.*
arcana revelata fuiſſe commemorat, quæ effari ho- *verſ. 2.*
mini fas non eſt, ſatis demonſtrat modum ſibi notum eſſe, quouſque progredi in publicandis Dei arcanis expediat, ſimul & liceat. Quum igitur quæſtionem, quæ populariter & brevi compendio expediri poterat, ultro huc deduxerit: quiſnam piorum ſe attentum docilemque præbere dubitet? Niſi forte ſpetandum eſt, ut Spiritum Dei ultra ſuas metas laſcivientem furioſus Cyclops ſua moderatione cohibeat. Addit: Unum eſſe ex locis quos indocti homines & inſtabiles in ſuam ipſorum perniciem corrumpunt. Quod ut fateri cogat, ipſe nimis luculento documento extorquet: adeo licentioſe torquet ac pervertit totum Pauli contextum. Quod lectores hortatur, ut in obſcuris iſtis & ad explicandum difficilibus locis ſe in Eccleſiæ obſequio contineant, me quoque ſuffragatorem haberet, ſi modo illis Chriſti ovile, non fœtidam porcorum haram oſtenderet. Quid enim eſt Eccleſia Pighio, niſi ille omni impietatum congerie refertus, & inexpletus errorum omnium gurges? Poſtrema admonitio eſt, Nequid lectores admittant ab immenſa Dei bonitate alienum, vel qui in ejus odium potius quam in amorem incitentur. Atque hîc plenis velis in Deum invehitur,

hitur, ſi quos ab ipſa creatione exitio deſtinet. Atqui, etiam ſi tota hæc doctrina ſupprimatur, nunquam tamen reprobos deficiet occaſio, quin Deum & exoſum habeant & ſacrilegiis ſuis impetant. Sed quænam illis ſit obſtrependi ratio, ubi mens Pauli expoſita fuerit, ſuo loco expendetur. Nunc quid diſerte & abſque ullis ambagibus exprimat Paulus, mecum audire ne recuſent quicunque ſuſtinent in Dei ſchola doceri.

Duos nobis filios Iſaac proponit, qui quum ambo in ſancta domo, quaſi in Dei ſacrario pariter geniti ſint, tamen in diſſimilem ſortem Dei oraculo ſegregantur. Cauſam diſcriminis, quæ alioqui in utriuſque meritis quæſita eſſet, recondito Dei conſilio aſſignat, Ut propoſitum Dei maneret. Conſtitutum Deo fuiſſe audimus, ex duobus geminis alterum tantum eligere. Hæc Pauli verba Pighius inſulſo cavillo, tanquam porcus roſtro, evertere conatur. Gratiæ electionem fuiſſe reſpondet, quia nihil tale promeritus erat Jacob. Sed quum in eo gratiam commendet Paulus, quod altero rejecto unus eligitur, hic certe concidit quod fingit Pighius de univerſali gratia. Non ſimpliciter docet Paulus, ut ſtabilis foret Dei electio, Jacob vitæ fuiſſe nuncupatum hæredem: ſed fratre poſtbabito, jus primogenituræ illi delatum. Nec vero me fugit quid oblatrent quidam alii canes, quid etiam obmurmurent imperiti: Teſtimonia quæ citantur à Paulo neque de vita æterna, neque de æterno exitio tractare. Verum ſi vera theologiæ principia, quæ trita eſſe decebat omnibus Chriſtianis, iſti tenerent: paulo modeſtius loquerentur. Reſponſum enim quod Rebeccæ datum fuit, eo ſpectabat: Diſſidii, quod in utero ſentiebat, hunc fore exitum, ut penes minorem reſideret Dei benedictio & vitæ æternæ fœdus. Quorſum enim lucta, niſi quod duo ſimul fœderis hæredes eſſe non poterant, quod jam arcano Dei conſilio uni erat deſtinatum? Excipiunt, Ad terram Canaan id referri: de qua etiam ſermo apud Malachiam habetur. In quo forte audiendi eſſent, ſi Judæos Deus in terra Canaan quaſi pecudes in ara, ſaginaſſet. Atqui, longe diverſum eſt Prophetæ conſilium. Nam & quia terram illam Deus Abrahæ, quaſi externum potioris hæreditatis ſymbolum promiſerat, & ejus poſteris ipſam dederat poſſidendam, ut eos in populum ſibi peculiarem colligeret: & ſanctuarium, præſentis ſuæ gratiæ teſtimonium illic erexerat, fines iſtos non immerito reputat Propheta. Denique terram Canaan pro ſacro Dei domicilio habet, cujus habitatione quum privatus foret Eſau, odio habitum colligit: quoniam à ſancta electaque familia abdicatus erat, in qua perpetuus reſidet Dei amor. Nobis quoque intuenda eſt illa terræ qualitas quam illi Deus indiderat, ut pacti ſpiritualis cum Abrahæ ſemine initi, arra quædam eſſet vel pignus. Non abs

Rom. 9. verſ. 12.

re ergo Paulus gratuitam electionem in Jacob ratam fuiſſe commemorat, quia nondum natus, rejecto fratre ad potiendam hæreditatem deſtinatur. Sed Paulus ultra etiamnum pergit: dignitatem hanc non operibus fuiſſe partam, neque operum reſpectu collatam ipſi Jacob. Neque id modo: ſed Dei providentia ſic diſcretos fratres, antequam boni quicquam vel mali egiſſent. Itaque non ex operibus, ſed ex vocante profectum fuiſſe diſcrimen conſtituit.

Hic à Pighio nobis rancida illa diſtinctio obtruditur: Non veniſſe quidem anteacta opera in rationem, quæ nulla erant, ſed firmam Dei electionem fuiſſe in Jacob, cujus fidem & obedientiam Deus prævidebat. Et argute ſcilicet, in nomine Iſraël philoſophatur, quod à Deo videndo ſit cognominatus, ut ſciamus veros demum eſſe Iſraëlitas, qui ſe propria malitia non excæcant, ſed ad Deum, ubi illis apparet conſpiciendum, aperiunt oculos. Atqui ridiculum eſt, quod dum alios ſtudet facere tam perſpicaces, talpa ipſe cæcior eſt. Diverſa enim prorſus etymologia à Moſe exprimitur: quod cum Angelo Dei congreſſus, ſuperior in certamine fuiſſet. Iſraël enim, Deo potentem, vel dominantem Deo ſonat.

Sed quibus, obſecro, ita poterit oculos configere vel eruere, ut ejus ineptias non animadvertant? Boni quicquam vel mali ipſos feciſſe quorſum negat Paulus, niſi ut omnem meriti reſpectum tollat? imo niſi ut præciſe affirmet, Deum non aliunde ſuſpenſas habuiſſe rationes, quum tam diverſum de gemellis fratribus judicium tulit? Scio quam tritum fuerit effugium iſtud: ſcire tamen primum velim, ſi communi naturæ relicti forent Eſau & Jacob, quid bonorum operum in ſecundo magis quam in priore Deus reperiſſet. Peræque ſane ambo lapidei cordis duritia oblatam ſalutem repuliſſent. Ideo ambobus, inquit Pighius, flexibile cor datum eſt, ut gratiam poſſent amplecti: ſed alter libero arbitrio quod poterat, voluit: alter recuſavit. Quaſi non velle etiam dari Paulus teſtetur: quaſi non ſe facturum Deus promittat: ut in præceptis ſuis Iſraël ambulet. At Pighii judicio, Joannes reclamat, Deum nobis poteſtatem dediſſe filios Dei fieri. Primum in eo hallucinatur *Joan 1. verſ. 12.*
phreneticus iſte, quod Poteſtatem accipit pro Facultate aut potentia, quum dignationem honoris potius ſignificet. Pluſquam craſſam vero hebetudinem prodit, dum velut clauſis oculis hujus poteſtatis cauſam præterit clare ab Euangeliſta expreſſam. Filios Dei fieri prædicat, qui Chriſtum recipiunt: verum eoſdem mox non ex carne & ſanguinibus, ſed ex Deo genitos eſſe dicit. Dignatur ergo adoptionis honore Deus qui in Filium credunt: ſed quos prius Spiritu ſuo genuerat: hoc eſt, Quos ſibi in filios formavit, ſuos tandem eſſe declarat. Nam ſi filios Dei nos reddit fides, unde ipſa nobis detur, conſiderandum eſt. Eſt enim ſpiritualis ſeminis fructus, quo nos Deus in vitæ novitatem regignit. In ſumma: veriſſimum eſt illud Auguſtini, Sola gratia *Enchiri. ad Laur. cap. 99.*
redemptos diſcerni à perditis, quos ad perditionem concreverat ab origine ducta maſſa communis. Unde ſequitur, gratiam Dei prædicari, qua eligendos facit, non invenit: quemadmodum idem ſæpius inculcat. Adde, quod ſi quid in electis ſuis prævidet Deus quo à reprobis ipſos diſcernat, inſcite Paulus argueret, quia nondum tunc nati erant fratres, ex vocante non ex operibus fuiſſe dictum: Major ſerviet minori. Quare ſolutio iſta de prævisis cujuſque operibus, aperte Paulo inſultat. Colligit Paulus, in electione Dei non haberi operum reſpectum, quia Jacob Deus fratri prætulit, antequam nati eſſent, & quicquam egiſſent boni vel mali. Iſti, ut à Deo eligi obtineant, quos aliqua probitatis nota à reprobis diſcernit, prævideri obtendunt, qualis futura ſit in recipienda vel reſpuenda gratia cujuſque diſpoſitio. Quid ſi recipitur, eos qui nihil dum boni egerunt, non tamen Deus ex operibus eligere deſinet, quia ex operibus prævisis interea pendebit electio. Atqui, quum Paulus pro confeſſo ſumeret quod bonis iſtis theologis eſt incredibile, Omnes ex æquo eſſe indignos, æquam naturæ in omnibus eſſe corruptionem, ſecure inde conſtituit, Deum gratuito ſuo propoſito eligere quoſcunque eligit: non quos obſequentes fore ſibi filios prævideat. Denique qualis extra Dei electionem ſit hominum natura Paulus conſiderat: iſti Deum quod nunquam futurum eſt, donec ipſe fecerit, prævidere in homine ſomniant.

Epiſt. 105 ad Sixtum Lib. 5. contra Julia. cap. 3. & aliis locis.

Quanquam hæc per ſe ſatis clara ſunt: longius tamen nos Pauli contextus ducit. Sequitur enim, Quid ergo dicemus? Nunquid injuſtitia eſt apud Deum? Vel hæc objectio ſine ratione ingeritur: vel nullum prævisis operibus locum dabat Pauli doctrina. Quæ cum injuſtitiæ ſuſpicio concipi poteſt, ubi Deus gratiam omnibus communiter offert, facit autem ut

ea digni fruantur? Denique quum electionis vel reprobationis cauſam in futuris operibus conſtituunt, hanc ipſam quæſtionem, quam ſibi Paulus objicit, effugere & ſolvere ſibi videntur. Unde perſpicuum eſt, nova iſta ſapientia non fuiſſe inſtructum. Eſto, adverſarios Paulus importune & nullo colore inducat de juſtitia Dei litigantes. Objectionem quomodo repellat, videndum. Verba ſunt, Abſit. Nam Moſi dicit: Miſerebor cujus miſerebor: & miſerebor quem miſeror. Nihil fore aptius video, quam ut Auguſtini verbis ad hunc

Epiſt. 105. ad Sixtum. locum explicandum utar. Mirum, inquit, quum his coarctantur anguſtiis, in quanta ſe abrupta præcipitent, metuentes retia veritatis. Ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera prævidebat. Quis iſtum acutiſſimum ſenſum defuiſſe Apoſtolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quanto ſibi velit adverſantis objecta quæſtione, non id potius tam breve, tam apertum, tam verum, ſicut iſti putant, abſolutumque reſpondit. Quum enim rem ſtupendam propoſuiſſet, quomodo de nondum natis, qui nihil dum boni aut mali egerant, recte dici potuerit, quod unum dilexerit Deus, alium odio habuerit: Quid ergo dicemus? ait: Nunquid iniquitas apud Deum? Hic ergo erat locus, ut diceret quod iſti ſentiunt, Futura enim Deus opera prævidebat. Non autem Apoſtolus hoc dicit, ſed potius, ne quiſquam de ſuorum operum audeat meritis gloriari; ad Dei gratiam commendandam voluit valere quod dixerat. Moſes enim dicit: Miſerebor cujus miſertus fuero. Ubi nunc merita? Ubi opera vel præterita, vel futura, tanquam liberi arbitrii viribus adimpleta, vel adimplenda? Nonne apertam protulit Apoſtolus de gratuitæ gratiæ commendatione ſententiam? Hactenus Auguſtini verba recenſui. Fingamus nihil tale unquam eum dixiſſe. Quum expedita eſſet ſolutio, Deum ex futuris operibus diſcernere inter homines: cur Paulus ſe magis intricat, & totam in Dei arbitrio cauſam eſſe ſitam aſſerit? Primo enim Dominus apud Moſem, liberum ſibi jus, ubi placuerit, exerendæ miſericordiæ vendicat: ne quis legem illi præſcribere auſit: deinde ex tota populi multitudine ſumpturum ſe quos voluerit liberandos, pronunciat. Fœdifragi pariter omnes erant. Non dicit, hunc ſibi fore delectum: ut ſi quos reperiat venia dignos, illis ſit propitius: ſed præciſe miſericordiæ ſe arbitrum fore teſtatur, ut quibus voluerit, parcat: quia nulla unius magis quam alterius eligendi neceſſitate ſit adſtrictus.

Tandem quod neceſſario, ex ſententia illa ſequitur, Paulus infert: Non eſſe volentis nec currentis, ſed miſerentis Dei. Nam ſi ſola Dei miſericordia continetur ſalus hominum: Deus autem non niſi quos arcano ſuo beneplacito delegit, ſervat, nihil prorſus ſit hominibus reſiduum. Exponit Pighius, non deberi ſalutem conatui noſtro, vel illis operibus, quia gratuito ad eam nos Deus vocet. Scilicet, ita ſecure ludit, acſi verbulo uno totam Pauli doctrinam abolere in promptu eſſet. Quia Dominus beneplacito ſuo, non operum diſcretione eligit quos ſervet: inde colligit Paulus, non volentis eſſe neque currentis: ſed totum in una Dei miſericordia verti. Elapſum Pighius ſe putat, dum omnibus garrit, quæ nemini debetur, gratiam. Cæterum, quum ejus demum compotes fieri dicat, quos Dominus idoneos & ſibi obſequentes reperit: eo neceſſe erit recidere: valere quidem & voluntatem & curſum: ſed quia per ſe non ſufficiant, Dei miſericordiæ palmam deferri. Quas ineptias optime refutat idem

Ench. ad Laur. cap. 32. Auguſtinus: Si propterea, inquit, dictum eſt, Non volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei: quia ex utroque fit: id eſt, ex voluntate hominis & miſericordia Dei: tanquam diceretur, Non ſufficit ſola voluntas, niſi adſit miſericordia Domini: neque ſufficiet miſericordia Dei, niſi adſit hominis voluntas. Porro, ſi nullus Chriſtianus dicere audebit: Non miſerentis Dei, ſed volentis eſt hominis: reſtat ut propterea recte dictum intelligatur, Non volentis neque currentis: ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam & præparat adjuvandam, & adjuvat præparatam. Quo magis frivola eſt quorundam argutia, qui miſericordiæ Dei & humani conatus concurſum, inde eliciunt. Quaſi vero Paulus homines currendo parum proficere intelligat, niſi Dei gratia adjutos: ac non potius alia omnia redigat in nihilum, ut locum Dei miſericordiæ vacuum cedant. Unde enim curſus recti principium? An quiſquam, niſi duce ac directore Spiritu, ipſe Deo occurret? Nam ut hic quoque Auguſtini verbis utar: *Lib. 2. ad Bonif. cap. 16.*
Quotidie ad Chriſtum trahuntur ejus inimici. Dicit enim Chriſtus: Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater traxerit, Non ait, Duxerit: quaſi aliquo modo præcederet voluntas. Quis enim trahitur, ſi jam volebat? Trahitur ergo miris modis ab eo, qui ſic novit in cordibus hominum operari, non ut homines nolentes credant, ſed ut volentes ex nolentibus fiant. Videmus ergo ſic Dei electionem approbari ſubſequenti hominum curſu, ut ſola tamen ejus miſericordia (quæ jacentes erigit, errantes reducit in viam, imo in vitam ſuſcitat mortuos, & vocat quæ non ſunt) principatum teneat.

Sequitur alterum de reprobis membrum, quorum maxime illuſtre exemplar in Pharaone proponitur. Porro de eo ſic loquitur Deus apud Moſen: In hoc conſtitui te, ut tibi oſtenderem potentiam meam. Pro quo fideliter Paulus tanquam verbum verbo reddidit: In hoc excitavi te. Eſt enim verbum *Hiphil* deductum à radice *Amad*, quod Stare ſignificat. Productus ergo in medium dicitur Pharao, in quo Deus memorabile ſuæ potentiæ ſpecimen ederet. Unde porro eum Dominus accepit, ut eo loco ſtatueret? Mavult Pighius, quod Deus morte dignum, ſua potentia ad tempus ſuſtinuerit. Quod effugium ut illi permittam, perplexus tamen adhuc in eo tenetur, quod Deus Pharaonem proprio ingenio relinquens, eum exitio deſtinabat. Patientiam Dei ſi commendet Pighius, aſſentior: manet tamen interim iſtud fixum, in hunc finem ſepoſitos Dei conſilio eſſe reprobos, ut ſuam in illis potentiam demonſtret. Quanquam id nimis à Pauli mente remotum eſſe, ex proxima illatione apparet: Quod Deus quem vult, indurat: Neque enim hoc fuiſſet adjectum, niſi ſub verbo illo Statui vel Excitavi, comprehenderet Paulus Dei conſilium, quo Pharao ad redemptionem populi ſua contumacia illuſtrandam ordinatus erat. Nam ſiquis dicat, In Faſtigium regii honoris divinitus evectum eſſe: eſt hoc quidem aliquid, ſed non totum. Nam Græci interpretes eodem hic verbo uſi ſunt, quo ſolent reddere verbum *Hiphil* à radice *Kum* deductum, quod Surgere ſignificat. Porro excitare dicitur Deus, quod velut porrecta manu ad finem ſuo conſilio ordinatum deducit. Maxime tamen ad initium rei de qua agitur, Scriptura reſpicit, ut illud uni Deo adſcribat. Ita dicitur, & Prophetas, & ſalutis miniſtros excitare: nequid horum ſibi vindicet hominum induſtria. Itaque fideliter expreſſus fuit ſenſus Moſis Excitandi verbo, modo ita accipias: Nec vero aliter accepit Paulus. Certe quod de electis & reprobis attigerat, non minus diſtincte quam ſummatim complectitur: quum hoc juris & poteſtatis Deo vindicat, ut ſuo arbitrio induret vel miſereatur. Indurandi vel miſerendi jus penes ipſum eſſe pronunciat: nec legem illi imponi fas eſſe: quia nulla lex vel regula melior vel æquior quam ejus voluntas, fingi poſſit. Sed quia olim putarunt nonnulli, induci à Paulo impios Deo obſtrepentes, ad hoc aſylum ſe confert Pighius. Quod ſi illi detur, ne ſic quidem ſolutus eſt nodus: quia neque

de nihilo quæſtionem movet Paulus: atque ita reſpondet, ut quod objectum ab adverſariis fuerat, verum eſſe fateatur. Quid tamen ejuſmodi tergiverſatione proficit Pighius, niſi ut tergiverſandi malam cauſam ſe habere prodat? Verum quis illi quod petit, concedat? quando ita violenter disjungit quæ inter ſe cohærent: quæ autem palam disjuncta ſunt, in unum faſciculum compingit. Poſtquam reprobos & electos incomprehenſibili Dei conſilio diſcerni Paulus docuit, uno contextu infert: Ergo cujus vult, miſeretur: & quem vult, indurat. Subjicit poſtea: Dices itaque mihi, Quid adhuc conqueritur. Quum loquentium perſonas aperte Paulus diſtinguat, quis non potius ejus verbis, quam extraneis commentis attendit? Cæterum, prudenter hoc quoque ut multa, Auguſtinus, Non magnopere referre in cujus perſona accipias, quod Paulus reſponſione ſua verum eſſe innuit.

In Enchir. ad Laurent. capite 99.

Si falſa erat objectio, probabile certe non eſt Paulum in cauſa tam bona, tam dilucida, tam plauſibili fuiſſe taciturum. Nam ſi falſum eſt illud, Deum quos vult, indurare: nodum qui humano ingenio inexplicabilis eſt, uno verbo ſolvere promptum erat. Excipit Pighius, Superſedere claro & idoneo reſponſo Paulum, quia protervos homines ſermone non dignetur: ut prius humiliter ſapere diſcerent, quam rationem operum Dei ſuperbe exquirere: qualiter alibi legimus, Judæos qui Chriſtum interrogabant in qua poteſtate opera ſua faceret, tantum mutua quæſtione repulſos. Sed reclamant Pauli verba, Nam poſtea ſic eorum refrænat inſolentiam, qui nimis audaci curioſitate in excutiendis Dei arcanis laſciviunt, ut tamen reprobos organa iræ eſſe confirmet, in quibus ſuam potentiam Deus oſtendit. Longe ergo melius Auguſtinus. Quum dictum eſſet, Quid adhuc conqueritur? Nunquid reſponſum eſt à Paulo? O homo, falſum eſt quod dixiſti? Minime: ſed reſponſum eſt: O homo tu quis es? Obſervandum autem quod alibi tractat, Non ideo Paulum objurgatione abrumpere eorum ſermonem, qui ſacrilega petulantia cum Deo litigant, acſi juſta defenſione careret Dei juſtitia: ſed quod maxime expediebat, attuliſſe. Hoc loco quidam ſtulti putant Apoſtolum in reſponſione defeciſſe: & inopia reddendæ rationis repreſſiſſe contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum eſt, O homo, tu quis es? Et in talibus quæſtionibus ad ſuæ capacitatis conſiderationem revocat hominem: verbo quidem brevi, ſed re ipſa, magna eſt redditio rationis. Si enim non capit hoc: Quis eſt qui reſpondeat Deo? ſi autem capit, minus inveniet quid reſpondeat, &c.

De præd. ſanctor. cap. 8.

Proinde, ſi nos talia movent, inquit idem alibi, quia homines ſumus: ſimul audiamus dicentem, O homo, tu quis es? Paulo poſt: Quamvis enim peccata non fecerit Deus, naturas tamen ipſas, quæ per ſeipſas ſine dubio bonæ ſunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura eſſent vitia peccatorum, & in multis talia quibus eſſet æterna pœna reddenda, quis niſi Deus creavit? Quare? niſi quia voluit. Quare autem voluerit? O homo, tu quis es qui reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum, &c. Ecce, ratio etiam homini reddita eſt, quanta debuit homini: ſi tamen vel iſtam capit, qui pro ſui arbitrii libertate, infirmitatis ſervitute contendit. Siquem autem adhuc prava obſtrependi libido ſollicitat: Dicat, qui talis eſt, inquit: & audiat quod convenit homini: O homo, tu quis es? Audiat vero & non contemnat. Quod ſi contempſerit, etiam ut contemneret, ſe inveniat obduratum: ſi non contempſerit, ut non contemneret, credat eſſe adjutum: ſed obduratum debito, adjutum gratia. Quale porro debitum hominibus imputet, prius oſtenderat his verbis. Inexcuſabilis eſt omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat, ſive qui judicat, ſive qui non judicat: quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati.

Ad Bon. epiſt. 109.

Ad Sixt. epiſt. 150.

Nihil nos juvet Auguſtini teſtimonium: rem ipſam mecum expendant lectores. Paulus hominem cum Deo, ut facit, comparans, altius proculdubio in eligendis & reprobandis hominibus & magis reconditum Dei conſilium eſſe oſtendit, quam quo mens humana perveniat: acſi diceret, O homo, quiſnam ſis, reputa, & plus aliquid Deo concede, quam modulus tuus capiat. Nunc ſi locus detur Pighii philoſophiæ, æqualem eſſe omnium ſortem, niſi quatenus ſe vita privant, qui electi cum aliis pariter fuerant: quid illic impeditum vel obſcurum? quid non receptum communi ſenſu, & carnis judicio plauſibile? Quum ergo humani ingenii captu ſuperius eſſe arcanum audis, colligere inde promptum eſt, frivolas eſſe ſolutiones, quæ ex communi judicio ſumptæ, etiam in foro profano valerent. Excipit Pighius, Non repelli à Domino ſolere, nec ſuſpenſos dimitti, qui humiliter mentes ſuas captivant: ideoque hanc objurgationem non niſi in præfractos & faſtuoſos competere. In quo illi non difficulter aſſentior: modo viciſſim fateatur, damnari à Paulo impiæ ſuperbiæ omnes qui Dei juſtitiam proprio ſenſu metiuntur. Atqui, ut juſtitiæ laudem obtineat Deus: Pighio judice, rationem cur quidque faciat, exſtare neceſſe eſt. Hæc autem nobis modeſtiæ regula, ubi operum Dei ratio nos latet, ut juſtum nihilominus eſſe credamus. Filius quidem Sirach hoc elogio Deum ornare non erubeſcit, quod ſicuti figulus pro ſuo arbitrio vaſa diſcernit: ſic eſſe in manu Dei homines, ut illis reddat quemadmodum decrevit. Nam [illegible] hoc loco, ſi ſuperiora conferas, non poteſt niſi de opificis beneplacito exponi. Nec vero hic alio interprete opus eſt: quando omnium audaciam clare Paulus compeſcit, qui rationem à Deo exigunt. An dicit lutum figulo, Cur me ſic feciſti? Is ergo demum ad Pauli moderationem ſe cohibet, qui Dei voluntatem, licet abſconditam, ſummæ juſtitiæ inſtar habens, liberam illi perdendi ſervandique poteſtatem facit. Quantumvis torquendis Pauli verbis ſe Pighius torqueat, non tamen ad præſens inſtitutum aliter ſimilitudo aptari poteſt, quam ſi jure ſuo Deus homines ad quamcunque voluerit ſortem, fingat & formet. Hoc ſi cui videtur prima ſpecie abſurdum: veniat nobis in mentem illa Auguſtini admonitio: Si pecudes loqui poſſent, ac cum opifice ſuo contenderent, quod non homines, ut nos, ſint factæ: neminem fore noſtrum qui non protinus ſuccenſeat. Jam vero quid nos putamus eſſe? Nimium certe deſipit, qui non plus ſaltem aliquanto præcellentiæ Deo tribuit, quam ſibi & generi humano ſupra pecudes vindicat. Imo ſi proprie loquendum: nos coram Deo minus ſumus quam pecudes. Quid ergo reſtat, niſi ut ſe illi oves ex grege ejus placide ſubmittant? Id quidem longe præſtat, quam Pighii exemplo homines ſubſtituere Dei loco figulos, ut fortunam ſibi quiſque propria virtute fingat. Alibi, inquit, aperte oſtenditur quod hic obſcurum eſt. Vaſa figuli probat fornax: & homines juſtos tentatio. Inde colligit, Si juſtus in fide & pietate conſtans fuerit, vas fore in honorem: ſi molliter ceſſerit, fore vas in contumeliam. At quum ſuo quiſque arbitrio, divina gratia quæ omnibus communis & parata eſt, adjutus perſeveret: demum conſtituit, nos invicta fortitudine vaſa in honorem fieri. Non dico quam inſulſe duo tam diverſa commiſceat, fingi vas, & probari: tantum dico, quod ſuos variis certaminum experimentis Deus probat, minime obſtare, quin ipſos æterno ſuo conſilio priuſquam naſcerentur, in quem placuit uſum, deſtinaverit: quin poſtea eos quales volebat fore, finxerit. Nec quicquam illi ſuffragatur Pauli dictum: Si quis ſe emundaverit ab ejuſ-

De verbis Apoſt. ſermo. 11.

modi

modi malis, vas erit in honorem. Neque enim quomodo homines ex ſordibus ſuis eruti vaſa fiant honorifica: ſed quomodo fideles, qui electi jam & vocati ſunt, ſe accommodent in puros uſus, illic diſſeritur. Ac vide quam bene inter eum & Paulum conveniat. Verba ejus ſunt, Quod alibi tacuerat Paulus, hic expreſſit: cur Deus quoſdam vaſa in honorem faciat potius quam alios. Ut enim Jacob vas foret miſericordiæ, anima ejus emundaverat ſeipſam: quo nomine & merito factus eſt vas in honorem. Ad hanc emundationem reſpiciens Deus, quem præſcivit; etiam elegit. Paulus autem, dum fideles ad emundationem hortatur, ut locum ſternat huic doctrinæ, præfatur, *2 Tim. 2. verſ. 19.* Deum noviſſe qui ſint ſui: quemadmodum & alibi admonet, Nos eſſe ejus figmentum, creatos ad opera bona, quæ ipſe præparavit. *Epheſ. 2. verſ. 10.* Hoc ſalutis fundamentum in gratuita Dei electione ubique ſtatuit Paulus, qui non temere ſe peritum architectum eſſe gloriatur. Pighius contra à ſuperficie ædificium inchoat. Intempeſtive quoque in tractando Jeremiæ locum multum verborum conſumit: ubi non deſcribitur formationis noſtræ initium, in frangendis & conterendis vaſis, quæ jam formata politaque ſunt, ſua Deo poteſtas aſſeritur. *Rom. 9. verſ. 21.* Tenendum igitur Pauli conſilium eſt: Deum hominum fictorem, ex eodem aſſumpto luto, ad honorem vel contumeliam ſuo arbitrio formare: quia alios ad vitam gratuito nondum natos eligit: alios exitio ſuo qui natura obnoxii ſunt omnes, relinquens. Nam quod electionem gratiæ Pighius ad reproborum odium ſpectare negat: id ego verum eſſe ita fateor, ut gratuito amori quo electos complectitur, juſta in reprobos ſeveritas in cauſa pari & communi, reſpondeat.

Concludit demum Paulus: Si Deus iram ſuam volens oſtendere, & notam facere ſuam potentiam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apparata in interitum, ut notas quoque divitias gratiæ ſuæ faceret erga vaſa miſericordiæ quæ præparavit in gloriam: noo eſſe cur litem illi quiſquam intentet. Ludit Pighius, ut ſolent ejus ſimiles, in voce Patientiæ. Imo ferociter ſe jactat, quaſi Deus non aliter reprobos quam paterna indulgentia, obduret. Non aliter, inquit, vaſa ad contumeliam format Deus, quam benigne tolerando qui patientia ejus abutentes theſaurum iræ ſibi accumulant. Ubi ergo inter fratres nondum natos diſcrimen? Prævidebat Deus, ſi Pighio creditur, futuram Eſau duritiem. Quomodo itaque in Jacob eminet electio gratiæ, ſi in eodem gradu locatus fuit Eſau, donec ſe ipſe ex filiorum numero expungeret? Verum ſæpius in breviſſima Pauli ſententia refellitur hæc tergiverſatio, quam ut aliunde rationes contrarias accerſere opus ſit. Vaſa aut Organa quo ſenſu vocent Hebræi, quiſquis mediocriter in Scriptura exercitatus eſt, non ignorat. Organa ubi audimus, tum Deum præſidem actionis totius & auctorem, tum manum ejus directricem præcedere neceſſe eſt. Cur autem vocantur Vaſa iræ, niſi quia juſtam ſeveritatem, qua abſtinuit erga alios, in iſtos exercuit? Et cur facti ſunt vaſa iræ? Reſpondet Paulus, ut iram & potentiam in illis ſuam Deus oſtenderet. Dicit Apparata in interitum: unde aut quomodo, niſi à prima origine & natura? ut quidem vitiata eſt in perſona Adæ totius generis humani natura: non quod altius Dei conſilium non præceſſerit: ſed quia ex hac ſcaturigine emergit Dei maledictio, & generis humani interitus. Præparaſſe enim Deum vaſa miſericordiæ in gloriam teſtatur. Si hoc ſpeciale eſt electis, reliquos ad interitum aptatos eſſe conſtat, quia naturæ ſuæ relicti, certo jam exitio devoti ſunt. Quod enim nugantur quidam, Aptari eos propria malitia, adeo inſulſum eſt, ut referre pigeat. Verum eſt iſtud quidem, reprobos iram Dei ſua pravitate accerſere, & in dies accelerando tandem in caput ſuum congerere. Sed hic diſcrimen quod ex arcano Dei judicio manat à Paulo tractari, in confeſſo eſt. Dicit etiam, Divitias gratiæ Dei patefieri, dum ex oppoſito vaſa iræ in exitium ruunt. Hic certe non audimus quod Pighius garrit, Æqualem eſſe erga omnes gratiam: ſed melius Dei bonitatem illuſtrari, dum vaſa iræ ſuſtinendo, ad ſuum finem venire patitur. Quod ad patientiam ſpectat, in prompta eſt ſolutio: eam cum potentia conjungi ut non ſinat tantum Deus, ſed quod fit, ſua virtute moderetur. Quod & Auguſtinus ſcite obſervat. *Lib. contra Jul. 5. cap. 5.*

Nec vero aliter ſtare poteſt inviolabile illud Dei pactum: Ego ſum Deus zelotes, miſericors in mille generationes: ſeverus ultor uſque in tertiam & quartam generationem: niſi Dominus arbitrio ſuo diſcernat, quibus gratiam largiatur, vel quos æternæ morti velit manere addictos. Gratiam ſuam in mille uſque ætates propagat. Quæſo, an piorum filios propriis meritis æſtimat, quum exhibitam patribus gratiam non alia ratione continuat etiam erga ipſos, niſi quia ſe ita facturum promiſit? Abrahæ qui nihil promeritus erat, fidem ſuam gratuito obſtringit, ſe in ejus gratiam fore poſteris in Deum. Hinc ſolennis illa poſt ejus mortem obteſtatio: Recordare Domine ſervi tui Abrahæ. Hic certe inter homines delectus habetur: neque ex cujuſque meritis, ſed ex ſancito cum patribus fœdere. Non quod tota Abrahæ poſteritas, quæ ex eo ſecundum carnem deſcendit, hanc prærogativam teneat: ſed tamen eorum omnium qui ex Abrahæ ſemine in vitam cooptati ſunt, & fides & ſalus huic promiſſioni accepta referri debet. Eadem eſt vindictæ ratio, quam Deus in tertiam uſque & quartam generationem exſequitur. Quod enim afferunt nonnulli, Puniri quicunque omnibus ſeculis peccaverint, ſuo quemque ordine, pluſquam frivolum eſt. Sic olim Pelagiani, quum ex Scripturæ teſtimoniis, quæ omnes in Adam peccaſſe oſtendunt, expedire ſe nequirent, cavillabantur, imitatione peccaſſe. Sed quemadmodum eos urgebant pii doctores, Adæ reatu vere omnes damnatos, quo Chriſti gratia eos abſolvit: ita in præſenti cauſa, ut inter ſe antitheta reſpondeant, neceſſe eſt in filiorum perſona Deum ulciſci, quæ in patribus peccata damnavit. Nec ſane aliter exponere licet complures Scripturæ locos, *Exod. 34. verſ. 7. Deut. 5. verſ. 59. Jere. 32. verſ. 18. Deut. 5. verſ. 59.* ubi ſe teſtatur rejicere majorum peccata in ſinum filiorum. Fruſtra autem objicitur illud Ezechielis: Filius non portabit patris iniquitatem: ſed anima quæ peccaverit, ipſa morietur. Quia hæc vindictæ pars eſt, quod Dominus Spiritu ſuo nudos & vacuos relinquit: quo fit, ut propriam quiſque culpam ſuſtineat. Luere ergo majorum peccata dicuntur poſteri, non immeriti (ut profanus ille Poëta cantillat) *Horatius.* ſed hoc ipſo noxii, quod ut natura ſunt filii iræ, quemadmodum loquitur Paulus, proprio ingenio relicti, *Epheſ. 2. verſ. 2.* mortis æternæ jam à prima hæredes nihil quam ſuum interitum aſſiduo procurſu augere poſſunt.

Hic quoque locum Jeſaiæ exponere, non intempeſtivum erit, *Jeſa 6. verſ. 9.* quem non abs re Spiritus ſanctus in novo Teſtamento voluit ſexies repeti. Mittitur Propheta cum prodigioſo in ſpeciem mandato: Vade, & dic populo huic, Audite audientes, & ne intelligatis: videte viſionem, & ne cognoſcatis. Impingua cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude: ne forte videat oculis ſuis, & auribus ſuis audiat, & corde intelligat: & convertatur ut ſanem eum. Quod excæcationis miniſter vocatur Propheta, accidentale eſſe fateor. In cauſa excæcationis vertitur quæſtio. Fateor rurſum ingrato rebellique populo quam meritus erat pœnam irrogari ut lux illi in tenebras vertatur. Præceſſerit ſane & maligna & obſtinata incredulitas, cui Deus tale præmium rependeret: ſed quum poſtea recitet Propheta, fuiſſe aliquem ſelectum numerum, cui ſalus ex Dei verbo affulſerit: ſuane virtute effugerint horribile

tibile

ribile illud judicium, an Dei manu retenti fuerint, quæritur. Magis etiam urget altera quæſtio: Qui factum ſit, ut è turba illa, cujus non diſpar erat incredulitas, reſipuerint quidam, incurabilis aliorum fuerit morbus. Si quis humano judicio rem æſtimet i in ipſis hominibus diſcriminis inveniet cauſam. At Deus nos illic ſubſiſtere non patitur: qui ſervatos ſua gratia pronunciat, quotquot communem defectionem non ſequuntur. Reſipiſcentia autem quin proprium ejus opus ſit, in controverſiam vocari non debet. Vere igitur ab Auguſtino dictum eſſe apparet, à Domino converti quos ipſe converſos voluerit, qui non tantum ex nolentibus volentes facit, ſed etiam ex lupis oves, ex perſequutoribus martyres, gratia potentiore eos reformans. Si malitia objicitur: potentior eſſet Dei gratia, qualem ſe erga electos oſtendit, niſi verum eſſet illud, Miſereri eum cujus miſeretur. Et Pauli interpretatio nihil dubitationis relinquit. Poſtquam enim dixit, fixam Dei electionem fuiſſe, addit, reliquos eſſe excæcatos, ut impleatur vaticinium iſtud. Concedo, voluntariam eſſe cæcitatem, & eorum culpæ libenter adſcribo. Sed audio, quoſnam excipiat Paulus: nempe quos eligere Domino viſum eſt. Cur autem hos potius quam illos: ne identidem excipere pigeat. Non eſſe hominis litigare cum Deo. Sic alibi idem Paulus, quum Judæis, quorum virulentam malitiam expertus erat, dicit: Bene Spiritus ſanctus locutus eſt per os Jeſaiæ: Auribus audietis, & non intelligetis: accuſat quidem eos ut digni ſunt. Sed perperam inde ac inſcite colliget quiſpiam, obdurationis initium ab illa malitia eſſe, qua ſi non ipſius malitiæ occultior eſſet cauſa, naturæ corruptio: quaſi etiam non ideo in corruptione demerſi manerent, quia arcano Dei conſilio, antequam naſcerentur, reprobi, non eruuntur.

Lib. 1. de prædeſt. ſanct. c. 2.

Rom. 11. verſ. 7.

Auguſtinus lib. de bono perſever. c. 12.

Nunc Joannem audiamus, qui minime ambiguus nobis erit interpres. Quum multa ſigna feciſſet Jeſus, inquit, non credebant: ut ſermo Jeſaiæ impleretur, Domine, quis credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui revelatum eſt? propterea non poterant credere, quia iterum dixit: Excæcavit oculos illorum, &c. Hic certe non commemorat Joannes, ſuo vitio impeditos eſſe Judæos, ne crederent. Quod etſi veriſſimum erat, altius tamen conſcendit. Spectandum enim eſt ejus conſilium. Rudes & infirmos non leviter turbabat, quum audirent, Chriſto non fuiſſe locum in populo Dei. Reſpondet, Non credere, niſi quibus datum eſt: paucos autem eſſe, quibus brachium ſuum revelet Deus. Alterum poſtea vaticinium, de quo nunc vertitur quæſtio, in eundem finem attexit. Et magnum habet pondus quod inſerit, Non potuiſſe ipſos credere. Nunc quantumvis ſe torqueant homines, diſcriminis tamen cauſa, cur brachium ſuum non omnibus Deus revelet, abscondita latet in æterno ejus decreto. Sane nihil aliud voluit Euangeliſta, quam fidem ſpeciale eſſe donum, & altiorem eſſe Chriſti ſapientiam, quam ut ſub humanos ſenſus cadat, ne mundi incredulitas nos percellat, ſi quando vel acutiſſimi deficiant. Ergo, niſi quod Euangeliſta ex profeſſo contendit, eludere libet: quod pauci Euangelium recipiunt, ſtatuendum eſt inde pendere, quia fruſtra exterior vocis ſonus aures verberat, donec intus corda Deus tetigerit.

Vide Aug. lib. ad Boniſ. 2. c. 6. Joan. 12 verſ. 37.

Diverſa tribus reliquis Euangeliſtis hujus citandi loci occaſio fuit. Diſcipulos ſuos illic ſecernit Chriſtus à vulgo hominum. Datum illis eſſe pronunciat, noſſe regni cæleſtis myſteria, ſe vero loqui apud alios in parabolis, ut audientes non audiant: & ſermo Jeſaiæ impleatur. Quos ænigmatice alloquutus eſt Chriſtus ſine profectu, indignos majori luce fuiſſe non nego: ſed rogo viciſſim, quo merito digniores fuerint Apoſtoli, quos familiariter Chriſtus admittit? Statuitur antitheſis: paucis conferri gratiam, quæ omnibus ex æquo negari jure poterat. An dicemus ſibi Apoſtolos comparaſſe, quod illis datum eſſe aſſerit Dominus? Nec leviter prætereundum eſt, quod Myſteria appellat, quæ apud ipſos eloquitur. Et certe nihil eſt in tota ſpirituali doctrina, quod non longe ſuperet mentis noſtræ captum, proculque fugiat. Quare nec ulla verborum quamlibet dilucida explicatio ſufficiet, niſi Spiritus nos ſimul doceat. Sed Chriſtus hoc quoque tanquam raræ dignationis pignus magnifieri vult à ſuis diſcipulis, quod in externa docendi ratione, hominum vulgo eos præferat. Quanquam gradatim ad ſingulare illud privilegium eos deducit, quo vere domeſtici ab alienis differunt: nempe ut divinitus edocti, quæ altiora ſunt ſenſu carnis, comprehendant. Clamat ſubinde Chriſtus: Qui habet aures audiendi, audiat. Quibus verbis non tantum ab ignavis auditoribus attentos diſcernit: ſed ſurdos eſſe intelligit, quibus aures non ſunt à Domino perforatæ. Quod beneficium David totius Eccleſiæ nomine celebrat. Non ero ſingulis excutiendis longior. Summa hæc ſit: Si Dei Spiritum, qui per Apoſtolos loquutus eſt, Prophetæ interpretem admittimus, arcanum & incomprehenſibile Dei judicium, dum majorem populi partem excæcat, ne videat videndo, adorandam eſſe. Ceſſent hic quæcunque nobis in mentem venire poſſunt rationes. Nam ſi in hominibus hæremus: primum certe hoc erit, Dominum petentibus liberaliter dare: alios tabeſcere in ſua inopia, cujus remedium non quærunt. Atqui niſi ſuccurrat quod ait Auguſtinus, Divinæ eſſe beneficentiæ non tantum ut aperiatur pulſantibus ſed etiam ut pulſemus & petamus: nondum ſatis nota eſt nobis qua laboramus inopia. Ad auxilium ſi venitur: experientia evincit, non omnibus expoſitam eſſe illam Spiritus virtutem, qua fit quod fieri oportet. Nemo ſe vanis blanditiis fallat. Qui ad Chriſtum accedunt, jam filii Dei erant in ejus corde, quum in ſe hoſtes eſſent: & quia præordinati erant ad vitam, Chriſto dati ſunt. Quare ut fideliter monet Auguſtinus, ſe gratiæ vaſa eſſe meminerint, non meritorum: quando gratia illis omne meritum eſt. Nec alia nos cognitio juvet, quam quæ admiratione claudatur. Rideant nos qui volent: modo ſtupori noſtro Deus è cælo annuat, & Angeli applaudant.

Mat. 13. verſ. 11. Marc. 4. verſ 12. Luc. 8. verſ. 10.

Mat. 13. verſ 9 Luc 8: 8. Pſal 40. verſ. 7.

De bono perſev. cap 23. Vide Aug. de corrept. & gratia c. 5. Ibidem cap. 8. & 9 Ibid. cap. 7.

Nunc quæ ex Pighii objectis aliquid coloris præ ſe ferunt, ſummatim colligam, ut intelligant lectores, nihilo melioribus armis inſtructum pugnare, quam juſtam ciendi tanti certaminis cauſam habuit: Statum quæſtionis in eo verti dicit: In quem finem conditus fuerit homo. Ac primum, pro magno abſurdo habet: ſi quicquam ex hominis creatione ad Deum redire intelligimus: quia Deus ſe uno contentus, nullius indiget. Ego vero ut Deum fateor nullo externo adminiculo habere opus: ita inſcite ex eo colligi dico, nullum habuiſſe reſpectum ſui, ut homines in gloriam ſuam crearet. Quid enim ſibi vult illud Solomonis, Omnia propter ſeipſum operatus eſt Dominus? Nihil ergo abſurdi eſt, ſi dixerimus, Deum tametſi nullius egentem, hominum tamen genus in ſuam gloriam creaſſe. Ac merito hic potiſſimus finis cenſeri debet. Quo magis ridiculum eſt Pighii ſophiſma, qui Deum nullo gloriæ ſuæ reſpectu in hominis creatione motum fuiſſe colligit, quia ſit in ſe perfectiſſimus. Sed operæpretium eſt audire, quomodo ſe ex illo Solomonis loco expediat, Deus propter ſeipſum condidit omnia Non quia gloriæ ſuæ id referret: ſed propter ſuæ bonitatis immenſitatem. Ac ne pondere careat iſtud commentum: negat ullos interpretes mecum ſentire, præter paucos, ut ipſe ait, deteſtabiles hæreticos. Quid ergo refellendis tam futilibus nugis immorer? Hebraica vox *Lammaaneha*, qua utitur Solomo, tantundem valet, ac ſiquis diceret, Ad cauſam ſui. Homo ſemilatina garrulitate inflatus nobis exponit

Lib. 8. c. 2.

Prov. 16. verſ. 4.

Lib. 7. c. 2.

quid ſignificet adverbium Propter. Quod ſi guttam haberet ſanæ mentis, contextus ipſe elare demonſtrat, non fuiſſe creatos in diem exitii impios, niſi quia Deus ſuam in illis gloriam illuſtrare voluit: *Exod. 9. verſ. 16.* quemadmodum alibi pronunciat Pharaonem hac de cauſa fuiſſe à ſe excitatum, ut nomen ſuum in gentibus pateſaceret. Porro, ut tam inſulſo errori colòrem inducat, teſtimonium Moſis adducit; Nunc Iſraël quid poſcit abs te Dominus Deus tuus, niſi ut illum ames & colas? Egn vero neminem ex lectoribus fore adeo fatuum confido, qui non videat hominem mente privatum ſine pudore hlaterare. Quid enim? an quia noſtræ potius utilitatis cauſa quam ſuæ, à nobis coli vult Deus: ideo ſepulta gloriæ ſuæ cura, nos tantum reſpicit? Et quid tot teſtimoniis fiet, quæ ſalutis humanæ ſummum & ultimum finem ſtatuunt Dei gloriam? Ergo hoc axioma retinendum: Sic Deo fuiſſe curæ ſalutem noſtram, ut ſui non oblitus gloriam ſuam primo loco haberet, adeoque totum mundum hoc fine condidiſſe, ut gloriæ *Ephеſ. 1. verſ. 6.* ſuæ theatrum foret. Non quod vel ſeipſo contentus non ſit, vel quicquam aliunde mutuari opus habeat: ſed quia hoc honore dignatus eſt ſuas creaturas, ut illis inſignes gloriæ ſuæ notas imprimeret.

Poſtquam tam dextre exorſus eſt Pighius, alterum finem ſubjicit: Quod Deus ad ſuæ bonitatis naturam reſpiciens, ejus capacem facere voluerit rationalem creaturam: quod ſine arbitrii libertate fieri potuiſſe negat. Hoc confeſſo, ruere arbitratur quod doceo, Ex æterno Dei decreto conſtitutum fuiſſe iuter electos & reprobos diſcrimen: quia ſcilicet homo futuræ ſuæ conditionis arbiter, utramque fortunam in manu babuerit. Monendi quidem bic in primis hortandique ſunt lectores, ut quo decet honore, fictorem & opificem ſuum Deum proſequentes, ad conſideraudum ejus conſilium in creatione humani generis non protervos oculos ingerant, ſed ipſum reverenter, ſobrie, & puro fidei oculo ſuſpiciant. Scio de æterna Dei prædeſtinatione verbum fieri vix poſſe, quin mox pravæ multæ abſurdæque mentibus imaginationes obrepant. Itaque reperiuntur modeſti quidam homines, qui ſuppreſſam ejus mentionem cuperent, ne laſcivis ingeniis ſeſe efferendi materia præbeatur. Ego vero, ut libenter argutis ſpeculationibus, quod per alios licet, ſuperſedeo: ita ingenuam veri confeſſionem ſubterfugere, ne impiorum ſannis ſit expoſita, ſas eſſe non arbitror. Nec vero aut minus quam aliud quidvis pretioſa eſt Deo ſua veritas: aut noſtra diſſimulatione protegi vult ſuam juſtitiam, ſicuti nec tali patrocinio indiget. Verum hoc ſuſius paulo poſt. Nunc ut de re quæ agitur, breviter reſpondeam: contendit Pighius, ita præciſe ad ſalutem creatos eſſe homines, ut nullum Dei conſilium de contrario eventu præceſſerit. Quaſi vero Dominus ante primum hominem conditum, qualis totius generis futura eſſet conditio, non præviderit. Quaſi etiam non ſtatuerit, quidnam fieri vellet. Homo, ut imago Dei foret, & luce rationis, & naturæ rectitudine ornatus fuit ab initio. Ergo Deus quaſi cæcutiens, eventum dubius ſuſpenſuſque exſpectavit. Tales ſint Pighii conſequentiæ. Audacter enim inde colligit, Deum indiſcrete & indiſcriminate diſpoſuiſſe univerſos ita creandos, ut ſuæ bonitatis ac beatitudinis eſſent participes. Atqui, nullo negotio utrumque ſimul conciliant piæ mentes: bominem eo ſtatu fuiſſe locatum, quum primum conditus eſt, ut ſponte cadendo ſibi ipſe exitii cauſa fuerit: & tamen admirabili Dei conſilio ita fuiſſe ordinatum, ut voluntaria hæc ruina humano generi, & omnibus Adæ poſteris, humilitatis materia foret. Neque enim, ſi Deo ita viſum eſt expedire, ideo non propria volnutate ſe præcipitem dedit, qui recta natura alioqui præditus, & ad Dei imaginem formatus erat. Iterum repeto: Non me latet, quantum abſurditatis & repugnantiæ hæc apud proſanus homines præ ſe ferant. Sed pro mille teſtibus una conſcientia ſufficere nobis debet: quam ſi audimus, negare certe pudebit, jure periiſſe hominem, qui Satanam quam Deum ſponte maluit ſequi.

Nunc audiendæ ſunt Pighii probationes, qnibus oſtendere conatur, indifferenter omnibus ſalutem fuiſſe conſtitutam. Mentiti alioqui Spiritum dicit, qui pronunciat, Deum omnium eſſe patrem. De conjugio illic tractat Malachias, cujus fidem ple- *Mal. 2. verſ. 14.* tique mariti tunc fallebant, qui polygamia inducta fraudabant primas uxores. Eos ad Deum fidei conjugalis præſidem ac vindicem revocat. Videant nunc lectores, qualis in Scriptura tractanda ſit Pigbii religio. Subjicit ex Pſalmo, Suavem eſſe Dominum univerſis. Unde concludit, Omnes ſine exceptione ad vitam æternam deſtinatos. Quod ſi verum eſt, canibus etiam & aſinis apertum eſt regnum cælorum. Neque enim Dei bonitatem quæ hominibus propria ſit, illic commendat Propheta: ſed omnia Dei opera comprehendit. Quidni tamen pro fratribus ſuis Pighius depugnet? Sequitur tertia probatio: Quod non ſit diſtinctio Gentilis ac Judæi, teſte Paulo. Ego vero hoc libenter amplector, *Rom. 10. verſ. 12.* modo addatnr etiam quod idem Paulus docet; Vo- *Rom. 16. verſ. 26.* catas in Euangelii ſocietatem fuiſſe Gentes, quia æterno Dei conſilio ad id ordinatæ fuerant. Citat & illud Eccleſiaſtici, Nihil Deum odiſſe eorum quæ fecit. Acſi non ubique diceremus, Nihil Deum in nobis odiſſe quod ſuum eſt, ſed degenerem tantum naturam, quæ meritò primæ creationis deformitas cenſetur. Cæterum, in hoc cardine minime verſatur reprobationis quæſtio: An aliquid ſuum oderit Deus. Etſi enim ante defectionem Adæ, quid facturus eſſet Deus, occultas ob cauſas ſtatuerat, nihil tamen ab eo damnari niſi peccatum in Scriptura legimus. Ita reſtat, ut juſtas habuerit cauſas in reprobanda hominum parte, ſed nobis abſconditas: nihil tamen in homine oderit ac damnet, niſi à juſtitia ſua alienum. Attexit & illud Pauli: Deum clauſiſſe omnia ſub peccato, ut omnium miſereatur. Acſi Paulus illic de hominum numero diſputaret: non autem potius ſimplicem gratiæ commendationem poneret erga eos omnes qui ad ſalutem perveniunt. Nihil certe illi minus propoſitum fuit, quam Dei miſericordiam ad omnes extendere: ſed tantùm omnem carnis gloriationem proſternere voluit, ut ſciamus neminem fore ſalvum, niſi quem mera gratia Deus ſervaverit. En quibus argumentis, nullos præ aliis divinitus ad ſalutem fuiſſe electos demonſtret, quin in ſingulis capitum titulis pluſquam inepte pro Euclidis ſimia ſe venditat.

Tertium finem, qui ſatis clare & diſerte illo Solomonis loco exprimitur, Quod propter ſe Deus omnia creavit, etiam impium ad diem malum: hac ratione impugnat: Quod ſi Deum reſpexiſſe dicimus, quid cuique futurum eſſet, ſimul neceſſe erit fateri diſcretionem inter electos ac reprobos priorem fuiſſe hominis lapſu, in mente divina. Unde ſequetur, non damnari reprobos, quia perditi fuerint in Adam, ſed quia ante lapſum Adæ jam exitio devoti erant. Reſpondeo, Nihil mirum eſſe, ſi tam indiſcriminate (ut ejus verbis utar) omnia miſcet Pighius in Dei judiciis, quando inter cauſas propinquas & remotas non diſcernit. Poſtquam huc illuc circumſpexerint homines, quo tamen interitus ſui culpam transferant, non invenient: quia proxima in ipſis cauſa reſidet. Nam ſi aliunde inflictum ſibi vulnus querantur, interior animi ſenſus conſtrictos tenebit, ex voluntaria primi hominis defectione exortum fuiſſe malum. Scio non poſſe carnis proterviam compeſci, quin hic protinus obſtrepat: Si Adæ caſum præſcivit Deus, nec remedium adhibere voluit, nos ex æterno ejus decreto perire

innoxios

innoxios magis, quam juſtas peccati pœnas dare. Verum, ut demus nihil tale fuiſſe à Deo prævíſum, eadem nihilominus de peccato originali querimonia manebit. Objiciet enim Deo impietas: Cur non ſibi privatim, ut ſolus damnum ſentiret, peccavit Adam? Cur nos, qui nihil meriti eramus: in ejuſdem cladis ſocietatem involvit? Imo, quo jure alienæ culpæ pœnam in nos Deus trajecit? Sed enim ubi omnia dicta fuerint, ſingulos interior cordis ſenſus urgere non deſinet, qui neminem, vel ſe judice, patitur abſolvi. Nec vero controverſiam de eo quiſquam facit. Nam quum ob unius hominis peccatum, inflictum omnibus fuerit lethale vulnus: rectum Dei judicium omnes agnoſcunt. Si nihil obſtat, quominus & prima interitus origo ab Adam cœperit, & proximam in ſe cauſam ſinguli inveniant, quid etiam impediet, quin arcanum Dei conſilium, quo præordinatus fuerat hominis lapſus, qua decet ſobrietate, procul adoret fides noſtra: & tamen quod propius apparet, conſpiciat: totum humanum genus in Adæ perſona æternæ mortis reatu conſtrictum eſſe, & propterea morti eſſe obnoxium? Non ergo diſcuſſit Pighius, ſicuti putabat, optimam & aptiſſimam ſymmetriam, qua inter ſe cauſa propinqua & remota congruunt.

Monendi autem ſunt lectores, peræque à Pighio utrunque damnari: Deum ab initio, quum adhuc integer foret hominis ſtatus, quod poſtea futurum eſſet, decreviſſe, & nunc ex perdita maſſa eligere quos voluerit. Auguſtinum ridet, ejuſque ſimiles, hoc eſt pios omnes, qui Deum imaginantur, poſtquam univerſalem generis humani ruinam in perſona Adæ præſciverat, alios ad vitam, alios ad interitum deſtinaſſe. Quia enim illud de omnibus in ſalutem creandis Dei conſilium, Adæ lapſu fuiſſe ſuperius, pro confeſſo ſumit, fixum adhuc manere non dubitat. Nam alioqui neque ſibi conſtaret Deus, & immutabile ejus propoſitum hominis vitio ſubverſum foret. In noſtra ſententia illam (ut dictum eſt) repugnantiæ ſpeciem exagitat: quod ſicut Deus ante conditum Adam apud ſe decreverit, quidnam illi & poſteris futurum eſſet: jam peccato imputari reproborum interitus non debeat: quia abſurdum eſſet, effectum facere ſua cauſa priorem. Ego autem utrumque iſtorum, quæ oppugnat Pighius verum eſſe affirmo. Nam quod obtendit inter duas ſententias diſſidium, prorſus nullum eſt. Dicimus hominem hac conditione fuiſſe creatum, ut conqueri de ſuo opifice nequeat. Prævidit Deus Adæ lapſum: nec certe niſi volens ruere paſſus eſt. Quid hic tergiverſari attinet? Negat tamen Pighius: quia conſilium ante de ſervandis omnibus conceptum, ſtabile maneat. Quaſi vero non ſit in promptu ſolutio: non aliter omnibus deſtinatam fuiſſe ſalutem, quam ſi in prima origine perſtarent. Neque enim ſimplex & præciſum fuiſſe Dei decretum, quiſquam ſanus concedet, ut ad ſalutem omnes pervenirent. Nam ad juſtam hominis damnationem ſatis erat, in via ſalutis quum eſſet collocatus, inde ſponte excidiſſe. At fieri aliter non potuit. Quid tum? an ideo culpa liberatur, quæ tota in ejus voluntate reſidet? Si diceret Auguſtinus, propoſitum ſemel fuiſſe Deo omnes ſervare: ad refutandam ejus opinionem aliquid valeret Pighii argutia. Sed quando tradit, Adam prima ſua creatione ita conſtitutum fuiſſe vitæ hæredem, ut propinqua ejus abdicatio Deum minime lateret: imo in arcano ejus conſilio jam eſſet quaſi incluſa: vere & merito colligit, univerſali reatu ſic obſtrictos teneri reprobos, ut in morte relicti, iſtud judicium ſuſtineant. Idem & nos tradimus, quia in Adam ſumus ad unum omnes perditi: juſto Dei judicio perire, qui pereunt: & ſimul tamen fatemur, quicquid Adæ accidit, divinitus fuiſſe ordinatum.

Nunc mihi non tam quid vel quo ordine dicat Pighius conſiderandum eſt, quam ut cum ſua deſperata impudentia jaceat confuſus nebulo: & piis conſcientiis ſatisfiat, per imperitiam turbari non raro cernimus. Itaque quicquid ſpecioſum eſt in fluxa & prope immenſa ejus loquacitate, excerpam: ut omnes intelligant, multa dicendo nihil eum dicere. Cum ſpeciali electione congruere non videtur, quod Chriſtus totius mundi Redemptor omnibus promiſcue Euangelium prædicari juſſit. Atqui, Euangelium legatio eſt pacis, qua reconciliatur mundus Deo, ut Paulus docet: & eodem teſte, annuntiatur: ut qui *2 Cor. 5.* audiunt, ſalvi fiant. Reſpondeo breviter, Chri- *verſ. 18.* ſtum ſic toti mundo ordinatum eſſe in ſalutem, ut eos ſervet qui à Patre illi dati ſunt: eorum ſit vita, quorum eſt caput: eos in bonorum ſuorum ſocietatem recipiat, quos ſibi Deus gratuito beneplacito hæredes adoptavit. Quid horum negari poteſt? Illud Jeſaiæ vaticinium Apoſtolus in eo impletum pronunciat: Ecce ego & pueri mei, quos Dominus mihi dedit. Clamat ipſe Chriſtus: Omne quod mihi dedit *Jeſa. 8.* Pater, cuſtodiam, nequid pereat. Quod vitam non *verſ. 18.* niſi in membra ſua diffundat, paſſim legimus. Inſeri *Hebr. 2.* porro in ejus corpus, ſpeciale donum qui non fate- *verſ. 13.* tur, Epiſtolam ad Epheſios nunquam attente legit. *Joan. 6.* *verſ. 37.* Unde & tertium illud ſequitur, Chriſti virtutem non niſi ad Dei filios pertinere. Quanquam non melius quam ex Euangelii prædicatione æſtimandam eſſe univerſalem Chriſti gratiam, ipſa quoque pars adverſa mihi concedet. Quare in eo ſita eſt nodi ſolutio, ſi tenemus quomodo ſalutem omnibus offerat Euangelii doctrina. Equidem omnibus ſua natura ſalvificam eſſe non nego. Tantum hoc quæritur: An Dominus æterno ſuo conſilio communem illic omnibus ſalutem deſtinaverit. Patet omnes indifferenter ad pœnitentiam & fidem vocari: & proponi omnibus eundem Mediatorem, qui Patri ipſos reconciliet, ſatis notum eſt, ſed æque notum eſt, nihil niſi fide percipi: ut illud Pauli impleatur: Euangelium eſſe Dei potentiam in ſalutem omni credenti. Aliis *Rom. 1.* autem quid reſtat, niſi ut odor ſit mortis in mortem? *verſ. 16.* ut idem alibi loquitur. *2 Cor. 2.* *verſ. 17.*

Porro, quum palam appareat, ex multis quos externa voce Deus compellat, vix paucos credere: ſi majorem partem ideo incredulam manere probo, quia Deus non niſi quos vult, illuminatione dignatur: ſimul alterum illud obtinebo: communiter offerri utriſque Dei miſericordiam: ut quicunque intus non docentur, tantum reddantur inexcuſabiles. Diſtinguunt quidam, quod potentia ſalutare ſit omnibus Euangelium, non effectu: ſed nodum hoc modo minime expediunt: quia ſemper eo revolvimur, æqualiſne omnibus conferatur credendi facultas. At vero, cur non omnes Euangelio obediant, rationem affert Paulus: quia Jeſaias dicit: Domine, *Rom. 10.* quis credidit ſermoni noſtro? & brachium Domini *verſ. 16.* cui revelatum eſt? Credentium paucitate attonitus *Jeſa. 53.* Propheta exclamat: Rem indignam eſſe, quod *verſ. 8.* Dei verbum omnium auribus perſonans, nulla fere corda intus afficiat. Verum, ne quem conturbet tanta mundi pravitas, mox ſubjicit, non omnibus hoc eſſe datum. In ſumma effectu carere quamlibet ſonorum humanæ vocis clamorem ſignificat, niſi interior Dei virtus in cordibus operetur. Cujus etiam rei præclarum documentum ante oculos ponit Lucas, qui poſtquam retulit habitam à Paulo concionem: Crediderunt (inquit) quotquot ordinati erant ad vitam æternam. Cur eadem doctrina non iiſdem omnium animis excipitur? Numerum definit Lucas. Quia non omnes *Actor 13.* ad vitam erant ordinati. Cujus porro hæc diſpo- *verſ. 48.* ſitio eſt, niſi Dei unius? Nam qui proprio cordis motu fuiſſe ordinatos ineptiunt, non magis refutatione ſunt digni, quam ſi mundum à ſeipſo creatum dicerent. Eſt enim recondita Euangelii ſapientia, ad quam penetrare humani ingenii acumen

cumen nequit. Animalis homo, inquit Paulus, non capit ea quæ Dei ſunt. An quia non vult? Id quidem verum eſt, rebelles eſſe Deo quicunque ejus Spiritu
1 Cor. 2:4. manſuefacti non ſunt. Sed altius conſcendit Paulus: quod ſcilicet homini ſit ſtultitia, nec poſſit intelligere: neminem fuiſſe Dei conſiliarium, nec cognoſci ejus arcana niſi à ſolo ejus Spiritu. Unde conſtituit, ſolos eſſe vere Dei diſcipulos, qui non mundi hujus Spiritu, ſed cæleſti donati ſunt: ut ſciant quæ ſibi à Deo donata ſunt. Quid ſibi iſta vult comparatio inter mundi hujus & Dei Spiritum: niſi quod ſuo modo ſapiunt homines, ut in terra ſubſidant, filios ſuos Pater cæleſtis peculiari modo illuminat? Hic, ſi Deo placet, voluntatiam cujuſque præparationem
1 Cor. 6:9. nobis Pighius obtrudit: quaſi non Corinthios alloquatur Paulus, quos paulo poſt & fures, & ebrioſos, & maledicos, & avaros, & molles, & prodigioſis flagitiis infectos fuiſſe commemorat, donec Spiritus ſanctificatione purgati forent. Qualis ad promerendam illuminationem eorum potuit eſſe occurſus, quos Deus ab inferis ipſis extraxit? Et quid longo verborum circuitu opus eſt? Spiritus qui nobis regni cæleſtis arcana patefacit, eſt adoptionis Spiritus. Adoptio autem gratuita. Ergo & gratis confertur Spiritus ipſe. Jam non omnibus conferri experientia docet. Ergo ſpeciale donum eſt fides,
1 Cor. 1. verſ. 23. quo rata ſit Dei electio. Quo etiam ſenſu dixerat Paulus, Chriſtum qui Judæis eſt ſcandalum, & Gentibus ſtultitia, vocatis eſſe Dei virtutem & ſapientiam. Unde autem vocatio: niſi quia Dominus quos elegit, ſecundum propoſitum ſuum vocat? Nunc tenemus, Euangelium, quod odor vitæ in vitam natura ſua eſſe debuerat, mortiferum iis qui pereunt odorem eſſe: ideo autem manere in ſuis tenebris incredulos, quia non revelatur illis Dei brachium. Quod autem in tanta naturæ noſtræ corruptela & pravitate, aliqui tamen Euangelio credunt: eorum bonitati adſcribere, ſacrilegium eſt: ſed potius gratiæ ſemper Deo agendæ, ut Paulus monet, qui eos elegit ab initio mundi in ſalutem, in ſanctificatione ſpiritus & fide veritatis. Quibus certe verbis, & fidem, & ſanctificationem, ab æterna electione, tanquam à fonte rivos deducit. Quid enim? an quia ſeipſos ſanctificaturi erant, ideo electi ſunt?
2 Theſ. 2. verſ 13. Atqui nominatim Paulus hoc eſſe Spiritus Dei opus aſſerit. Quum eadem ſit fidei ratio: ſupereſt, ut in fidem illuminatos dicamus, quò rata eſſet Dei electio, & effectu ipſo patefieret. Et ſane quum audiamus, Neminem ad Chriſtum venire niſi à Patre tra-
Lib. 1. ad Boniſ. cap. 19. hatur: hoc quoque Auguſtini tenendum eſt: Quis trahitur, ſi jam volebat? Nemo tamen venit, niſi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipſis hominum cordibus operari, non ut nolentes credant, quod fieri non poteſt: ſed ut volentes ex nolentibus fiant.

1 Tim. 2. verſ. 4. Reclamat Pighius, illam Pauli ſententiam adducens: Deum omnes velle ſalvos fieri: & quod mortem peccatoris nolit, ipſi vel jurato credendum, ubi
Ezec. 28. verſ. 23. & 33:11. per Prophetam ſic loquitur: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Quum prophetica concio ad pœnitentiam hortetur: nihil mirum ſi Deum pronuntiet velle omnes ſalvos fieri. Si tales loquendi formas conditionales eſſe, oſtendit mutua inter minas & promiſſiones relatio. Ninivitis Deus, quemadmodum Regibus Gerar & Ægypti, facturum ſe denunciat, quod facturus non eſt. Quum reſipiſcentia, pœnam quam minatus illis fuerat, antevertunt: tunc non niſi obſtinatis conſtitutam fuiſſe apparet. Et tamen præciſa fuerat denuntiatio: acſi revocabile non eſſet decretum: ſed poſtquam iræ ſuæ ſenſu terruit ac humiliavit, qui non prorſus ſunt deſperati, eos ſpe veniæ erigit, ut remedio ſentiant locum eſſe. Ita rurſum promiſſiones, quæ omnes ad ſalutem invitant, non ſimpliciter nec præciſe quid in arcano ſuo conſilio ſtatuerit Deus, ſed quid omnibus ad fidem & pœnitentiam adductis facere paratus ſit, demonſtrant. Atqui hoc modo duplex affingitur Deo voluntas, qui adeo varius non eſt, ut ne minima quidem in eum cadat obumbratio. Quid hoc, inquit Pighius, aliud eſſet, quam hominibus illudere, ſi Deus quod non vult, velle ſe profiteatur? Si conjunctim, ut par eſt, legantur hæc duo: Volo ut converſus peccator vivat: nullo negotio calumnia illa diluitur. Converſionem exigit à nobis Deus: eam ubicunque invenit, promiſſo vitæ præmio non fruſtratur. Vitam ergo velle dicitur Deus, qualiter & pœnitentiam. Hanc autem vult, quia verbo ſuo omnes ad eam invitat. Cæterum, id cum arcano ipſius conſilio non pugnat, quo nonniſi ſuos electos convertere decrevit. Neque propterea varium cenſeri fas eſt, quia tanquam Legiſlator omnes externa vitæ doctrina illuminet: ad vitam omnes priore modo vocet: hoc autem altero quos vult, adducat, tanquam pater regenerans Spiritu filios duntaxat ſuos.

Certum quidem eſt, nec homines ſuopte inſtinctu ad Dominum converti: nec converſionis donum omnibus commune eſſe. Eſt enim hoc unum ex duobus capitibus fœderis, quod Deus non niſi cum filiis ſuis & electo populo facturum ſe promittit: ut leges ſuas in eorum corda inſcribat. Deſipiet enim ſi quis dicat, generaliter hoc omnibus promitti: Percutiam *Jerem. 31.*
cum ipſis fœdus: non quale percuſſi cum patribus *verſ. 33.*
eorum: ſed leges meas cordibus eorum inſcribam. Ad dignos, vel proprio motu rite præparatos reſtringere, non minus craſſæ inſcitiæ foret: quum Dominus eos alloquatur, quibus corda lapidea prius erant: quemadmodum ex altero Propheta liquet. *Ezec. 36.*
Communem omnium contumaciam eſſe dico, nec *verſ. 26.*
cujuſquam affectum eſſe ad obſequium Dei flexibilem, donec ipſe dederit quod jubet. Cur enim vocamur novæ creaturæ, niſi quia Dei ſumus factura, *Epheſ. 2.*
creati ad omne opus bonum? Obſecro, qualis iſta, *verſ. 10.*
& quam iniqua partitio erit, ſi Deus mortales nos homines creet, ſibi quiſque ad juſtitiam & cæleſtem vitam ſit creator? Nam hoc modo ſibi haberet Deus caducæ gratiæ laudem: quod longe præſtantius eſt, in ſortem noſtram cederet. Atqui, circumcidere ho- *Deut. 30.*
minum corda, opus Dei eſſe Scriptura affirmat: nec *verſ. 6.*
alteri regeneratio tribuitur: unde & paſſim quod in homine ad imaginem Dei reformatum eſt: Spiritus nuncupatur. Hortatur quidem nos ſubinde Dominus ad pœnitentiam: ſed converſionis auctor ipſe aſſeritur. Dicitur lex ejus convertere animas: & ad Verbi miniſtros partes iſtæ alicubi transferuntur: ſed quia dum arando, ſerendo, rigando, laborant illi, unius Dei eſt incrementum dare: non mirum eſt, ſi hoc illi tribuitur, quod cor ſuis aperiat, ut ſermoni quem audiunt, intenti ſint. Itaque Auguſti- *Lib contra*
nus, poſtquam de electis tractavit, & eorum ſalu- *Julian. 5.*
tem ita in fideli Dei cuſtodia docuit eſſe repoſitam, *cap. 3.*
ut nemo pereat: Cæteri, inquit, mortales qui ex iſto numero non ſunt, & tamen ex eadem maſſa ſumpti ſunt, vaſa iræ facti in utilitatem naſcuntur iſtorum. Non enim quenquam eorum Deus temere aut fortuito creat: aut quid de illis operetur boni, ignorat: quum & hoc ipſum bonum operetur, quod in illis humanam creat naturam, & ordinem ſæculi præſentis exornat. Iſtorum neminem adducit ad pœnitentiam ſpiritualem, qua homo reconciliatur Deo. Quamvis ergo ex eadem maſſa perditionis nati, ſecundum cordis ſui duritiem & cor impœnitens, theſauriſant ſibi, quantum in ſe eſt, omnes iram in die iræ, Deus tamen alios inde per miſericordiæ bonitatem adducit ad pœnitentiam, alios juſto judicio non adducit. Hactenus ille. At ne quis hic divinæ gratiæ & noſtræ induſtriæ concurſum imaginetur: ſem-
per occurrat quod alibi tradit: Laborant, inquit, *Lib. 1. de*
homines in noſtra voluntate invenire, quid boni ſit *pecca. mo-*
noſtrum, quod nobis non ſit ex Deo: & quid poſſit *rit. & re-*
inve- *miſ. c. 28.*

inveniri, ignoro. Et paulo poſt: Quapropter niſi
obtinemus, non ſolum voluntatis arbitrium, quod
huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis natura-
libus bonis eſt, quibus & male uti malus poteſt: ſed
etiam voluntatem bonam, quæ jam in eis bonis, quo-
rum uſus eſſe non poteſt malus, niſi ex Deo nobis
eſſe non poſſe: neſcio quemadmodum defendamus
quod dictum eſt: Quid habes quod non acceperis?
Nam ſi nobis libera quædam voluntas ex Deo eſt,
quæ adhuc poteſt eſſe vel bona vel mala: bona autem
voluntas ex nobis eſt: melius eſt id quod à no-
bis, quam quod à Deo eſt. Tandem concludit:
Quibus donate hoc voluerit Dominus, miſeri-
cordiæ ejus eſſe, non meriti illorum: quibus no-
luerit, veritatis eſſe, quia poteſtatem habet tra-
hendi.

Alterius loci expedita eſt ſolutio. Deum velle
omnes ſalvos fieri Paulus affirmat. Nempe quomodo
vult ad veritatis ſuæ cognitionem venire. Utrum-
que enim copulat. Nunc quæro, Eademne Deo vo-
luntas, ab initio mundi conſtiterit necne. Nam ſi
omnibus notam eſſe voluit ſuam veritatem: cur le-
gem ſuam non publicavit & Gentibus? Cur inclu-
ſam in anguſtiis Judææ tenuit vitæ lucem? Quid ſibi
Deut. 4:6. vult Moſes: Non eſſe gentem quæ ſtatuta & leges
habeat quibus regatur, quemadmodum populus ille:
niſi quod ſingulare privilegium generis Abrahæ
commendat? Cui & illud Davidis encomium re-
Pſal. 148. ſpondet: Non ita fecit ulli populo: nec ſua judicia
verſ. 20. manifeſtavit illis. Nec omittenda eſt quæ exprimi-
Deut. 4 tur ratio: quia dilexerit Deus Patres, filios ab eo
verſ. 37. electos eſſe: non quia præſtantiores eſſent: ſed quia
& 7:8. eligere eos in populum peculiarem Domino viſum
Actor. 16. eſt. Quid? An Paulus ipſe neſciebat, ſe prohibi-
verſ. 6. tum eſſe à Spiritu, ne in Aſia verbum de Chriſto fa-
ceret, ac ne tranſiret in Bithyniam quo pergebat?
Sed quia nimis prolixa foret hujus rei tractatio, uno
illo nunc ero contentus: Deum poſt lucem vitæ ſolis
Judæis accenſam, paſſum fuiſſe Gentes in ignorantiæ
tenebris per multa ſecula errare: deinde ſpeciale
hoc promitti Eccleſiæ donum, quod ſuper ipſam
orietur Dominus, & gloria ejus conſpicua illic erit.
Jeſa. 60. Nunc jactet Pighius, Deum omnes velle ſalvos
verſ. 2. fieri, quum ne externa quidem doctrinæ prædica-
tio, quæ tamen Spiritus illuminatione longe infe-
rior eſt; omnibus ſit communis. Agitatus olim à
Pelagianis fuit locus iſte. Quid Auguſtinus pluribus
locis reſpondeat, dicere in præſentia ſuperſedeo:
niſi quod clare & breviter uno ex loco patet, quam
Enchir. ſecure hanc objectionem contempſerit. Quum Do-
ad Laur. minus, inquit, ſe volente filios Jeruſalem congre-
c. 9. d. gare, ipſam noluiſſe conqueritur, an ſuperata fuit
& 98. ab infirmis hominibus Dei voluntas, ut non po-
tuerit facere potentiſſimus quod volebat? Et ubi
erit omnipotentia, qua fecit quæcunque voluit in
cælo & in terra? Quis vero tam impie deſipiat,
ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas
voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum
non poſſe convertere? Sed quum facit, per mi-
ſericordiam facit: quum non facit, per judicium
non facit. Nodum quidem nondum ſolutum eſſe
fateor: ſed hoc tamen extorſi Pighio, ne quis niſi
ſenſu & judicio privatus credat arcano Dei conſilio
ſtatutam æqualiter omnibus ſalutem eſſe. Cæterum,
ſenſus Pauli cuivis non contentioſo ſatis facilis eſt ac
dilucidus. Jubet ſolennes pro regibus & princi-
pibus, qui cum imperio præſunt, preces concipi.
Quia vero totidem illo ſeculo erant infeſtiſſimi Ec-
cleſiæ hoſtes: ne fideles à ſtudio precandi revocet
deſperatio, mature occurrit Paulus, Deum omnes
ſalvos velle fieri dicens. Quis non videt ordinum
hic geri mentionem potius quam ſingulorum homi-
num? Nec vero ratione caret trita illa diſtinctio,
Non ſingulos generum, ſed genera ſingulorum no-
tari. Quod tamen non alia ſit Dei voluntas intelli-
genda, quam quæ patefit externa Euangelii prædi-
catione ex contextu evincitur: ut Deum ſignificet
Paulus omnium velle ſalutem; quos benigne ad
Chriſtum invitat.

Sed Pighius rurſus de perſonarum reſpectu mihi
certamen movet. Quia Deus perſonas non reſpi-
cit, inde omnes æqualiter colligit ab eo amari.
Reſponderam, Hoc nomine ſignari in Scriptura Lib. 7. c. 8.
externas omnes acceſſiones, quæ ſunt præter cau-
ſam, favoremque aliis conciliant, alios odio gra-
vant vel contemptu. Nihil ineptius poſſe dici vel
fingi detonat. Atqui ſi agenda res eſſet ſuffragiis,
multos haberem non pœnitendos ſocios vel duces.
Sed valeat una ratio. Hebræis nomen eſt (*Panim*) Levit. 19.
quod tantundem valet ac Facies: Quum vetantur verſ. 15.
judices perſonas accipere: quum teſtatur Moſes Deut. 5.
nullum perſonæ reſpectum eſſe Deo: & idem in verſ. 17.
hiſtoria Job reperitur: quid, obſecro, per hanc Deut. 10.
vocem intelligere poſſumus, quam externas omnes verſ. 17.
apparentias, ut vulgo appellant, quibus à re ipſa Job. 32.
abducimur? Similiter quum de ſervis & domi- verſ. 21.
nis, quum de Judæis & Gentibus, quum de nobi- & 34:19.
libus & obſcuris loquuntur Apoſtoli, πρόσωπα, Rom. 2.
quod alii præ aliis habent excellentiæ, unde fit verſ. 11.
ut quod æquum ac rectum eſt, non cernatur. Ideo Gal. 2:6.
Chriſtus ὄψιν, id eſt, adſpectum, juſto judicio op- Epheſ. 6.
ponit: acſi diceret, ubi hominum favor vel odium verſ. 9.
regnant, fieri aliter non poſſe, quin totam æquita- Coloſſ. 3.
tem ac rectitudinem pervertant. Nemo igitur non verſ. 25.
videt Pighium rabioſa maledicendi petulantia abre- Joan. 7.
ptum, nunquam penſi habuiſſe quid diceret. Nunc verſ. 24.
audienda boni cenſoris correctio. Perſonarum ad-
ſpectum, pronunciat vitium eſſe, in juſtitia diſtribu-
tiva locum habens. Inde concludit, Deum non ac-
cipere perſonas, quia indifferens ſit omnibus: &
quemadmodum æquum diſtributorem de publico
largiri decet, præbeat ſe perinde liberalem ac be-
neficum. Perinde vero hæc garrit, acſi exſtincta
Scriptura, quidvis illi è proprio capite fingere li-
ceret. Nam omnes Scripturæ loci meam ſententiam
confirmant: nullum profert qui ejus commento ſuf-
fragetur. Et quid mirum, ſi ſua deliria tam ſecure
proferat: quum ne ipſam quidem vocem de qua ſer-
mo illi erat, expenderit? forſan ut ſe probaret ma-
gnum Theologum, contempta Grammatica ſine
ſenſu voces effutivit. Nam Perſona nihil illi aliud
valet, quam hominem. Quum tamen pluſquam con-
ſpicuum ſit, qualitatem extrinſecam notari, qua
induti homines, aut favore digni habentur, aut con-
temptui ſubjacent. An autem Deus æqualis ſit diſtri-
butor necne, Chriſto magis credendum eſt quam
Pighio. Chriſtus autem Deum ſub patrisfamilias Mat. 20.
perſona ita loquentem inducit: Licet in rebus meis verſ. 15.
facere quod volo: an oculus tuus malus eſt, quod
ego benignus ſum? Secundum quam rationem Pau- Rom. 11.
lus, ut nemini obſtrictum eſſe doceat, quin gratiam verſ. 35.
ſuam pro arbitrio, quibus viſum eſt, diſpenſet: in-
terrogat, Quis prior illi dederit, ut ei mutuum re-
pendatur.

Primum, ſi qua pietatis gutta fuiſſet in hoc ho-
mine, an unquam auſus foret, Deum tam contume-
lioſe in ordinem cogere? Præſcribit enim, ut omni-
bus æqualiter largiatur, quaſi de publico. Ita nihil
Deo reliquum facit, in quo gratuitam beneficen-
tiam exerceat. Judicat, inquit, de unoquoque ſe-
cundum cujuſque dignitatem & opus, non autem
pro ſuo beneplacito. Quo igitur merito provocatus
elegit genus Abrahæ? Quid reperit in ea gente di-
gnitatis, cur eam reliquis præferret? Non aliam
ipſe rationem aſſignat, niſi quia dilexit patres eorum.
Poſtea expreſſius: Ecce, quum Domini ſint cæli & Deut. 4.
terra: tantummodo illi in patribus tuis complacuit verſ. 37.
ad eos amandos, & elegit ſemen eorum poſt eos. Deut. 10.
Jam alio loco merita omnia in nihilum redigit, verſ. 15.
dum idololatras fuiſſe commemorat. Saltem hoc Joſua 24.
verſ. 2.

obli-

obtineo, quod Pighius negat, Dei beneplácitum à Moſe clare prædicari. Negat, ex Dei pendere decreto, ſed hominum affectu, quod uno rejecto alius eligitur. Quid ergo ſibi vult illud? Non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt: Major ſerviet minori. Execranda vero quam poſtea evomit, in Deum blaſphemia eſt: Fingi Deum non injuſtum modo, ſed crudelem, ſi quempiam exitio devoveat. Atqui, ad ejus Dei tribunal ſemel ſiſtetur, quem Paulus oſtendere ſuam potentiam in vaſis iræ aſſerit. Imo jam nunc malo ſuo exitio ſentit, non eſſe humanitus fabricatum, ſed æternum totius mundi ſemper fuiſſe judicem. Nunc experitur miſer, quam vere dictum ſit, Vincere Deum quum judicatur. Cæterum, fateor perſonæ alicubi opponi piam & rectam vitam: ut quum Petrus dicit, Non eſſe Deum προσωπολήπτην, quia in omni gente acceptus illi ſit qui bene vivit. Sed prompta eſt reſponſio, Quod Deus qui filiis ſuis contulit dona, probet, grataque habeat: in hominis autem natura nihil prorſus inveniat niſi odio dignum. Ergo ut Deus cultores ſuos diligat: neceſſe eſt, ut dum adhuc omni bono vacui ſunt, gratuito amore præveniat indignos: & illis donet quod poſtea amore proſequatur. Hanc vero primam gratiam dat quibus vult, inquit Auguſtinus, quoniam miſericors eſt. Quod etſi non det, juſtus eſt. Et non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Quod autem non ſit apud eum perſonarum acceptio, hinc liquere in fine capitis admonet, quia præteritis cultorum ſuorum filiis, natam ex reprobis ſobolem ab exitio interdum liberat. Ac omnino memoria tenendum, quod tandem adducit, Nullum prædeſtinationis illuſtrius ſpeculum exſtare, quam ſit ipſe Mediator, qui ſecundum humanam naturam id honoris nullo merito adeptus eſt, ut Dei unicus eſſet Filius. Atqui, gratuitum Dei beneplacitum quod in Chriſto Eccleſiæ capite ſpectandum ille proponit, Pighius ne in membris quidem admittere ſuſtinet. Beatam enim Chriſti matrem contendit ſuo merito electam eſſe, quia ipſa canat, Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ. Iſtæ ſunt Pighii probationes, Fundatam in hominum meritis electionem Dei eſſe, non gratuitam, quia quod abjectum eſt ac contemptibile, elegit.

Pſal. 51. verſ. 6.
Rom. 3:4.
Act. 10. verſ. 34.
Lib. de bono perſev. cap. 12.
Ejuſdem lib. c. 24.
Lib. 8. cap. 2.

Hac ratione facile diluitur Pighii objectio: Quum Chriſtus benedictos Patris ſui ad regnum poſſidendum vocat, non ſimpliciter cauſam dici, quia electi ſint: ſed quia exercuerint charitatis opera. Neque ego ſane ad arcanam Dei electionem homines ablego, ut inde ſalutem hiantes exſpectent: ſed rectà ad Chriſtum pergere jubeo, in quo nobis propoſita eſt ſalus: quæ alioqui in Deo abſcondita lateret. Nam quiſquis plana fidei via non ingreditur, illi Dei electio nihil quam exitialis erit Labyrinthus. Itaque ut certa ſit nobis peccatorum remiſſio, ut in vitæ æternæ fiducia conſcientiæ noſtræ acquieſcant, ut Deum intrepide patrem invocemus, hinc minime faciendum eſt exordium, quid de nobis ante mundum conditum Deus ſtatuerit: ſed quid de paterno ejus amore nobis in Chriſto ſit patefactum, & quotidie per Euangelium Chriſtus ipſe prædicet. Nihil altius nobis quærendum, quam ut filii Dei ſimus. Atqui gratuitæ, qua hoc tantum bonum conſequimur, adoptionis ſpeculum, arra & pignus eſt Filius, qui è Patris ſinu ideo ad nos prodiit, ut in corpus ſuum inſerendo, regni cæleſtis hæredes faceret. Porro ſicuti hæc hæreditas & Chriſti ſanguine parta eſt ſemel, & ſacris Euangelii tabulis conſignata: ita ejus poſſeſſio non aliter quam fide adiri poteſt. Denique, non tantum libenter fateor, ſed paſſim in ſcriptis meis inculco, & fidei alligatam eſſe hominum ſalutem, & Chriſtum unicam eſſe januam, qua in regnum cælorum omnes ingredi oportet, nec alibi tranquillam pacem quam in Euangelio inveniri: quicunque inde vel minimum deflectunt, nihil quam per flexuoſas ambages errare: & quo quiſque in profunda illa divini conſilii adyta confidentius irrumpere & penetrare conatur, eo longius à Deo recedere. Ergo quin per fidei viam ambulandum ſit, non nego. Unde & alterum illud conficitur, Deum, quæ electis in præſenti vita contulerit Spiritus ſui dona, extremo die coronaturum. Cæterum, id non obſtat, quominus cæleſtis Pater quos in Chriſto elegit, in ejus corpus fide & Spiritus ſanctificatione inſerat: quominus ante conditum mundum prædeſtinatos, tempore ſuo vocet ac juſtificet. Atque utrumque Paulus optime conjungit, ubi omnia cedere in bonum diligentibus Deum præfatus, mox addit: Qui ſecundum propoſitum vocati ſunt. Hæc igitur via eſt, qua ſuos gubernat Deus: hæc ratio, qua opus in illis gratiæ ſuæ abſolvit. Sed cur manum eorum apprehendat, alia eſt ſuperior cauſa: propoſitum ſcilicet illud, quo eos deſtinavit ad vitam. Quo magis ridicula eſt Pighii impudentia, dum teſtimonium ſibi tam adverſum procaciter tamen in ſuum uſum aptare non dubitat. Notandum eſſe in primis admonet, non dici, Cedere omnia in bonum electis vel dilectis: ſed diverſam potius cauſam notari, quod Deum diligant. Quaſi vero non ideo data opera, addita à Paulo fuerit correctio, ne quis fidelium merito tribuerit, quod illis Deus omnia in bonum vertit. Qualiter affectos eſſe deceat fideles, primum oſtendit. Atque hoc vocationis eſt proprium. Sed ne in ſeipſis hæreant: ſalutis bonorumque omnium initium ex altiori fonte manare docet, quia prius electi fuerant. Hunc quoque nodum Pighius jocando expedit: quod Deus ad ſanctitatem omnes vocet. Quaſi vero non diſerte Propoſiti nomine, efficax vocatio commendetur. Quibus autem præſtigiis tam denſas tenebras offunder, ut ſententiæ hujus perſpicuitas obruatur? Deus quos elegit, juſtificat, ut tandem glorificet. Quantumvis eam laceret, nunquam tamen efficiet, ut ſe ad omnes extendat. Hinc apparet, quam ſtulte ratiocinentur, qui fidei bonorumque operum prætextu electionem ſubvertere moliuntur, ut filia, ſicut vulgo loquuntur, matrem devoret. Extremum ſuffugium Pighio eſt, Deum nonniſi quos præſcivit ad ſalutem prædeſtinaſſe: quod jam illis prius à me obſtructum eſt, quum fieri non poſſe oſtendi, ut quicquam aliud in homine prævideat, niſi exitio dignum: donec eum ipſe Spiritu ſuo refinxerit. Nam ſi nihil habet quiſpiam quod non acceperit: quid alius alio plus afferet in Dei conſpectum, quo excellat? Præſcivit ergo ſuos Deus, non ut ex meritis æſtimaret: ſed quia nemo ab aliis diſcernitur, niſi in quem benignos & propitios oculos conjecit, ut filiis ſuis quamlibet indignum adnumeret: ſecundum illud Pauli, Quis enim te diſcernit? At Pighio gratuita præcognitio, quam ipſe nudam appellat, videtur nulla eſſe. Quibus ergo plumis hominem ornabit, ne coram Deo nudus & omni ex parte deformis prodear? Nam Scriptura quicquid in vitiata hominis natura eſt, exoſum eſſe Deo clamat: ſolam ejus imaginem, quæ in Chriſto renovatur placere.

Lib. 8. cap. 2. in fine.

Sequitur apud Pighium: Rationem cur damnentur impii quærentibus, non ingeritur vox illa tyrannica: Æterno Dei conſilio ab electis fuiſſe diſcretos, quia Deo placuerit exitio ipſos devovere: ut valeat illud, *Sic volo, ſic jubeo: ſit pro ratione voluntas:* ſed audient ex ore Chriſti: Eſurivi, & non dediſtis mihi cibum, &c. Cui non multum diſſimile eſt quod alio loco repetit: Non pronunciaturum illis Chriſtum, ideo damnari, quia ex infecto Adæ genere progeniti ſint, quia ex ejus peccato mortis æternæ reatum contraxerint: quia ejus culpa perire ipſos oporteat: ſed quia non dederint cibum famelicis, & alia charitatis opera non exercuerint. Si neque originalis culpa ad homines damnandos Pighio ſufficit, nec quicquam loci habet arcanum Dei judicium: quid pueris infantibus faciet, qui priuſquam ullum

ullum tale ſpecimen per ætatem edere poſſent, ex hac vita erepti ſunt? Quum eadem naſcendi & moriendi conditio fuerit parvulis qui Sodomæ & Jeroſolymæ mortui ſunt: nec quicquam in eorum operibus diſpar: cur aliis ad dextram ſuam ſtantibus, alios ad ſiniſtram Chriſtus extremo die ſegregabit? Quis hic admirabile Dei judicium non adoret, quod factum eſt ut alii Jeroſolymæ naſcerentur, unde ad meliorem vitam mox tranſirent, alios Sodoma, inferorum atrium, naſcentes exciperet? Cæterum, ut electis juſtitiæ præmium repender Chriſtus: ita reprobos minime inficior impietatis & ſcelerum ſuorum pœnas tunc daturos. Nec vero tale quicquam ex noſtra doctrina elicere licet, quoniam æterno ſuo conſilio elegit ad vitam Deus quos viſum eſt, alios exitio reliquit: vel nullas malis operibus conſtitutas eſſe pœnas, vel bonis nullam eſſe repoſitam mercedem. Stabimus omnes ante tribunal Chriſti, ut referat quiſque prout in corpore ſuo geſſit, ſive bonum ſive malum. Sed unde piis juſtitia & ſanctitas quæ tunc coronabitur, niſi quia Spiritu eos ſuo Deus in vitæ novitatem regenuit? Unde porro regenerationis donum, niſi ex adoptione gratuita? Perinde argumentatur Pigbius, acſi quis diem eſſe neget ex luce à Domino creata, quia ſolis ſplendor diem facit. Quanquam ſimilitudinem iſtam non omni ex parte convenire fateor. Lux enim initio creata Deum proprie haber auctorem. At damnationis noſtræ culpa ſic in nobis reſider, ut procul alienos ad eam oblitterandam colores accerſere fas non ſit. Sed tantum breviter oſtendere libuit, quam præpoſtere Pighius propinquæ cauſæ objecto, remotam tollat. Damnatum iri impios contendit, quia propriis maleficiis iram Dei in ſe provocarint. Ex eo colligit, à Dei decreto non provenire eorum damnationem. Ego autem, eos maleficia alia aliis cumulaſſe dico, qoia quum pravi eſſent, nihil quam peccare potuerint. Etſi autem non extrinſeco impulſu, ſed ſpontaneo cordis affectu, ſcientes ac volentes peccarint: quin tamen fons & origo malorum omnium ſit naturæ corruptio & vitioſitas, negandum non eſt: niſi prima pietatis rudimenta coovellere libeat. Cauſam ſi quæras, cur vitium quod in electis ſuis Deus corrigir, non eodem in reprobis remedio dignetur: abſcondita apud ipſum later. Hoc modo Paulus, quum nono ad Romanos capite Deum ſtatuit vitæ & mortis arbitrum, ut ſalvi ſint illi demum quos ab interitu eripit: & clare pronunciavit, Non volentis eſſe neque currentis, ſed miſerentis Dei, qui miſeretur cujus vult, & quem vult, indurat: poſtea conſpicuas & quaſi palpabiles excæcationis cauſas in ſua gente oſtendit, quod Chriſtum plerique reſpuerint, quod Deum contumaciter repulerint, manus ad eos tendentem. Optime igitur conſentiunt inter ſe hæc duo: quod quiſque ſibi propria incredulitate damnationis ſit auctor, & nibilominus quicunque Spiritu Dei deſtituti ſunt, cæci adverſus Chriſtum ruant. Itaque Judæos Paulus reos peragens, quod juſtitiam ſuam ſtabilire volentes, Dei juſtitiæ non fuerint ſubjecti, atque ita ſuperbiæ ſuæ vitio, abdicati ex Eccleſia fuerint: ſimul tamen triboendum eſſe Dei gratiæ docet, quod reſidui quidem ſteterint: quemadmodum & oraculum continet, Reliqui mihi ſeptem bominum millia, qui uon curvaverunt genu ante Baal. Neque enim, ut circunſpecte Auguſtinus notar, ſua virtute ſteterunt, ſi eos Dominus ſervavit, ut reliqui manerent. Expreſſius etiam Paulus, Reliquias Cbriſti adventu, ſecundum gratuitam electionem ſervatas. Audis reliquias: qua voce exiguom numerum ab univerſa turba ſegregat. Servatas eſſe illas dicir, non propria virtute, ſed Dei beneficio. Salutem ex gratuita electione deducit: quo ſignificat, hanc ſolam fuiſſe cauſam, cur non in turba perierint, quia gratuito electi ſint. Unde rurſum conficitur, Si electi eſſent omnes, neminem fuiſſe periturum.

Rom. 11. *verſ.* 4.

1 *Reg.* 19. *verſ.* 18.

Lib. de bono perſev. cap. 18.

Si velle ſe ac jubere pronunciet mortalis homo: ut pro ratione ſir ſua voluntas, tyrannicam eſſe vocem fateor: ſed id ad Deum transferre, ſacrilegi eſt furoris. Neque enim qoicquam Deo immoderatum affingere licet, ut in eo ſicut in hominibos, exultet libido: ſed merito boc honoris defertur ejus voluntati, ut pro ratione valeat: quando omnis juſtitiæ fons eſt ac regula. Nam quæ in ſcbolis trita eſt de duplici ejus voluntate diſtinctio, à nobis minime admittitur. Voluntatem Dei aliam ordinatam, aliam abſolutam garriunt Sorbonici ſophiſtæ. Hæc blaſphemia, à qua merito abhorrent piæ aures, Pighio, & ſimilibus eſſet plauſibilis. Ego autem ex adverſo contendo, adeo nihil eſſe in Deo inordinatum, ut inde potius fluat, quicquid eſt in cælo & in terra, ordinis. Quum ergo in ſummum gradum evebimus Dei voluntatem, ut ſit omni ratione ſuperior, abſit ut eum quicquam niſi ſumma ratione velle imaginemur: ſed ſimpliciter ſentimus, eum jure ſuo tantum habere poteſtatis: ut ſolo ejus nutu contentos eſſe nos oporteat. Nam ſi vere dictum eſt: Judicia tua, abyſſus multa: ſimul atque eo ſuperbiæ prorumpit mens bominis, ut in ſimplici Dei beneplacito non acquieſcat, cavendum eſt, ue tanta illa profunditas abſorbeat. Nec ſane fieri aliter poreſt: atque hæc pluſquam juſta eſt ultio. Quare nunquam memoria excidat illud Auguſtini: Quis Deus ſit, & quis tu ſis, attende. Ille Deus eſt, tu homo. Si juſtitiam tibi loqui videris, an fons juſtitiæ ſiccatus eſt. Tu homo à me exſpectas reſponſum. Et ego ſum bomo. Itaque ambo audiamus dicentem: O homo, tu quis es? Melior eſt fidelis ignorantia, quam temeraria ſcientia. Quære merita, non invenies niſi pœnam. O altitudo! Petrus negat, latro credit. O altitudo! Quæris tu rationem? Ego expaveſcam altitudinem. Tu ratiocinare, ego mirabor: tu diſputa, ego credam: altitudinem video, ad profundum non pervenio. Requievit Paulus, quia admirationem invenit. Vocat ille inſcrutabilia Dei judicia: & tu ſcrutari veniſti? Ille dicit, inveſtigabiles eſſe ejus vias: & tu veſtigas? Coi ſimile eſt quod alio loco tradit: Diſputare vis mecum? Imo mirare mecum & exclama: O altitudo! Ambo in pavore ſimus concordes, ne in errore pereamus.

Pſal. 36. *verſ.* 6.

De verbis Apoſt. ſerm. 20.

De verbis Apoſt. ſerm. 11.

Acutus ſibi Pighius videtur, quum judicia Dei profundam abyſſum fore negat, ſi voluntas ejus ſumma ſit ratio: quia nihil facilius vel magis expeditum, quam fieri omnia, quoniam ſic Deo placet, ubi dominatur ſola ejus voluntas. Atqui, ſopbiſtice garriendo, quod unum in quæſtione vertitur, ridicule præterit, quum liqueat ſic fieri, quia Deo placer: cur illi potius ita placeat, quam ſecus. Pergit deinde ineptiendo: atque ut oſtendat cauſam Deo eſſe in ſuis conſiliis, reſponſum quod diſcipulis ſuis dedit Chriſtus, adducit, hominem cæcum fuiſſe natum, ut opera Dei in illo manifeſtarentur. More ſuo Pigbius umbratile certamen ſibi fingit. An mihi portentum boc unquam venir in mentem, oullam Deo conſilii ſui rationem conſtare? Dum ego Deum præſidem totius mundi ſtatuo, qui incomprehenſibili & mirifico conſilio gubernet moderetur que omnia: an illo fortuito huc illuc raptari, vel cæca temeritate eum facere quod facit, quiſquam ex verbis meis colliget? Imo paulo poſt verba mea citat, quibus ſatis, niſi fallor, dilucide refellitur: quum Deo ſemper in operibus quamlibet arcaois propoſitum eſſe dico, ut nominis ſui gloriam illuſtrer: niſi quod repugnantiæ colorem in eo lectoribus oſtentat, quod divini beneplaciti rationem quærendam nego: & ſimul tamen doceo quænam illa ſit. Quam frigidæ ſint nugæ iſtæ, accuratius monſtrare nihil attinet. Gloriæ ſuæ rationem in factis ſuis omnibus baber Dominus. Nempe bic univerſalis eſt finis. Excitavit, teſte Paulo, Pbaraonem, ut numen ſuum in tota terra celebraret. An ſecum diſſidet Paulus, quum deinde exclamat,

Joan. 9: 3.

mat,

Digitized by Google

mat, Inſcrutabilia eſſe judicia ejus? Dicit, vaſa iræ à Domino deſtinata ad interitum, ſuſtineri in multa patientia, ut potentiam ſuam in illis oſtendat: an huic ſententiæ contraria eſt admiratio quæ mox ſequitur? O altitudo! Adde, quod in Cauſæ nomine fucum Pighius facit, cauſam finalem pro formali in medium afferens. Etſi enim quorſum ſpectet Deus, non eſt obſcurum: non ideo tamen protinus apparet, cur ita fieri deceat. Hæc autem præſentis inſtituti ſumma eſt. Etiamſi claris argumentis juſtitiam nobis ſuam non probet Deus, ſtatuendum tamen eſſe, quicquid ab eo fit, juſte fieri: ideo in ſola ejus voluntate quieſcendum eſſe: ut quod illi placere intelligimus, cujus nos cauſa fugit, inſtar mille rationum ſufficiat. Nimis ergo inepte cavillatur Pighius, dum me inconſtantiæ inſimulat, quia rationem divinæ voluntatis, quærendam eſſe negans, pronuntio tamen nihil eum velle, niſi quod expedire cenſet. Nam hoc poſterius, cauſæ redditionem eſſe, quam nobis conſtare alibi nego. Atqui qualis iſta eſt cauſæ notitia, ſi Deum conſulto facere quod facit, audiamus, & quod ita expedire cenſeat: interim nos fugiat certa & ſpecialis operis conſiliique ratio? Adhæc, quid inter fidei reverentiam & inquirendi audaciam interſit, pro nihilo ducens, quod credendum eſſe doceo, ad vulgarem, quæ humanitus concipitur, notitiam præpoſtere rapit. Ergo ſimul atque affirmaverit quiſpiam, Optimum ſemper agendi finem eſſe Deo: ſecum ipſe diſſentiet, ſi poſtea cum Paulo exclamet, Recondita eſſe Dei judicia, & vias ejus incomprehenſibiles. Quanquam in eo fallitur Pighius, quod mea ipſius verba agnoſcere me jubet quæ ex Auguſtino retuleram. *Lib. 1. de geneſ. contra Manich. c. 3.* Ubi quæritur, inquit ſanctus ille vir, cur ita fecerit Deus, reſpondendum eſt: Quia voluit. Quod ſi rogando pergas, cur ita voluerit, majus aliquid quæris & ſublimius Dei voluntate: quod inveniri non poteſt. Compeſcat igitur ſe humana temeritas: & quod non eſt, ne quærat: ne forte quod eſt, non inveniat. Vere hoc Auguſtinus, cui ſubſcripſi. Sed ab his verbis nihil diſſentaneum continet ſuperior illa ſententia. Quod Dei voluntas, optima ſit & æquiſſima omnium quæ ſtatuit moderatio.

Ejuſdem eſt farinæ alia objectio: Reprobos ab electis nego diſcerni ullo meriti proprii reſpectu: quia Dei gratia adoptione dignos faciat, non inveniat: ut ſæpe loquitur Auguſtinus. Alibi nego injuriam fieri reprobis, quia digni ſunt qui pereant. Hic ſe expanſis alis tumultuoſe jactat Pighius, quod neque meipſum intelligam, neque meminerim quid à me prius dictum eſſet. Mihi vero in defenſione multum verborum facere adeo operæpretium non videtur, ut paucis quoque attingere pigeat. Ut alios Deus aliis præferat, ut aliis præteritis alios eligat, non ex hominum dignitate, vel indignitate, pendet diſcrimen. Ergo falſum eſt, dignos æterno interitu reprobos eſſe. Ac ſi priore membro non fieret hominum comparatio inter ſe, & dignitas non referretur ad vitæ præmium: in ſecundo autem membro non æqualis omnium conditio ſtatueretur. Adde, quod *Lib. 2. c. 3.* Auguſtinus, quum alicubi ſcripſiſſet, Nemini unquam digno ſalutem defuiſſe: in ſuis Retractationibus ita temperat, ut opera excludens, vocationi Dei gratuitæ dignitatem ferat acceptam. Sed inſtat adhuc Pighius, Dignos fieri interitu, non inveniri, ſiquidem verum eſt quod doceo, æterno Dei placito, cujus ratio non appareat, deſtinatos ad mortem eſſe qui pereunt. Reſpondeo, tria hic eſſe conſideranda: primo æternam Dei prædeſtinationem, qua de toto genere humano, & de ſingulis hominibus quid futurum eſſet ſtatuit, antequam cecidiſſet Adam, fixam & decretam fuiſſe: deinde, Adam ipſum, pro defectionis ſuæ merito, eſſe morti addictum: poſtremo, in ejus jam perditi & deſperati perſona ſic damnatum eſſe totam progeniem, ut Deus, quos inde gratuito eligit, adoptionis honore dignetur. Horum nihil vel ſomniavi, vel fabricavi. Neque hoc agitur in præſentia, ut ſingulis probandis inſiſtam: quod ſupra feciſſe mihi videor. Tantum diluenda eſt Pighii calumnia, qui de me tanquam decies victo ſuperbe triumphat, quaſi hæc nullo modo conciliari inter ſe queant. Quum de prædeſtinatione ſermo habetur, inde exordiendum eſſe conſtanter ſemper docui, atque hodie doceo, jure in morte relinqui omnes reprobos, qui in Adam mortui ſunt, ac damnati: jure perire, qui natura ſunt iræ filii: ita nemini cauſam eſſe, cur de nimio Dei rigore queratur, quando reatum in ſe omnes incluſum geſtant. Quod ſi ad primum hominem veniatur, illum, quum integer creatus foret, ſponte cecidiſſe: ac inde factum eſſe, ut ſibi & ſuis exitium propria culpa accerſiverit. Jam etſi nonniſi ſciente atque ita ordinante Deo, cecidit Adam, ſeque & poſteros perdidit: minime tamen id vel ad levandam ejus culpam, vel ad Deum crimine implicandum facit. Semper enim hoc ſpectandum, quod rectitudine, quam à Deo acceperat, ſponte ſe privavit, ſponte ſe peccato & Satanæ addixit in ſervitutem: ſponte in exitium ſe præcipitem dedit. Una excuſatio obtenditur: quod à Deo decretum erat, non potuiſſe effugere. Sed ad reatum ſatis ſuperque voluntaria transgreſſio ſufficit. Neque enim propria genuinaque peccati cauſa eſt arcanum Dei conſilium: ſed aperta hominis voluntas. Merito apud veterem poëtam ridetur ſtulta Medeæ querimonia: Utinam me in nemore Pelio cæſæ ſecuribus cecidiſſent abiegnæ ad terram trabes. Prodiderat illa patriam, furioſo advenæ & ignoti hominis amore correpta. Quum ſibi perfidiæ & barbaræ crudelitatis ſit conſcia: quum impudicitiæ flagitium eam conſtringat: ridicule ſe ad occaſiones procul remotas convertit. Intus mali ſui cauſam quum inveniat homo, quid circuire prodeſt, ut eam in cælo quærat? Palam in eo apparet culpa, quod peccare voluerit. Cur in cæli adyta prorumpens, in labyrinthum ſe demergit? Quanquam ut per immenſas ambages vagando, deludere ſe homines conentur, nunquam ita ſe obſtupefacient, quin ſenſum peccati in cordibus ſuis inſculptum retineant. Hominem igitur, quem ſua ipſius conſcientia damnat, fruſtra abſolvere tendit impietas. Quod autem Deus ſciens ac volens hominem ipſum cadere paſſus eſt: occulta ratio eſſe poteſt, injuſta non poteſt. Hoc quidem abſque controverſia tenendum: ſemper illi peccatum odio fuiſſe. Nam vere elogium hoc quo ornatur à Davide, in eum competit: Quod Deus ſit iniquitatem non volens. *Pſal. 5: 5.* Quum potius in ordinando hominis lapſu finem habuit optimum & rectiſſimum, à quo abhorret peccati nomen. Quanquam ſic ordinaſſe dico, ut eum proprie auctorem fuiſſe non concedam. Ac ne longior ſim, penitus quod Auguſtinus docet, impletum fuiſſe ſentio: ut *Ench. ad Laur. cap. 99.* miro & ineffabili modo non fuerit præter ejus voluntatem factum, quod etiam contra ejus voluntatem factum eſt: quia non fieret ſi non ſineret. Nec utique nolens ſinit, ſed volens. Negari enim quod illic principium ſumit, non poteſt. Tam hominem quam Angelos apoſtatas, quantum ad ipſos attinet, quod Deus noluit, feciſſe: quantum vero ad Dei omnipotentiam, nullo modo efficere id valuiſſe. Ergo ſancti viri ſententiæ ſubſcribo: ſic peccando feciſſe quod nolebat Deus, ut per malam eorum voluntatem faceret Deus quod volebat. Si quis hoc mentis ſuæ captu ſuperius eſſe excipiat: idem & de me fateor. Sed quid mirum, ſi modulum noſtrum immenſa & incomprehenſibilis Dei majeſtas exſuperet? Atqui, tantum abeſt, ut pro carnis ratione explicandum ſuſcipiam ſublime iſtud reconditumque arcanum, ut quod initio præfatus ſum, aſſidue in memoriam redire velim, Deſipere qui plus ſcire appetunt, quam Deus revelaverit. Quare nos potius

docta

doctæ ignorantia delectet, quam intemperans & ebria ſciendi pluſquam Deus permittit, curioſitas: ſub hac tantum reverentia ſe omnes ſenſus animi contineant, nihil Deum in hominis peccato voluiſſe, niſi quod ſua juſtitia dignum erat.

Proſequitur Pighius, Si Dei opus eſt, hominis apoſtaſia: falſum eſſe quod Scriptura tradit, Omnia quæ facit Deus, bona eſſe. Atqui, & ſancte teſtari, & ingenue profiteri poſſum, mihi commentum iſtud nunquam veniſſe in mentem. Naturam hominis ideo rectam primo conditam fuiſſe ubique aſſero, ne pravitas quam ſibi defectione contraxit, Deo poſſit adſcribi: mortem cui ſe mancipavit, qui ante compos vitæ erat, ſic profectam eſſe ab ejus culpa, ne Deus auctor cenſeatur. Si unquam divini Spiritus inſtinctu factum eſſe dixiſſem, ut ſe à Deo primus homo alienaret: ac non potius ubique contenderem, diaboli inſtigatione, & proprio cordis ſui motu impulſum, merito forte inſultaret mihi Pighius: nunc autem quum à Deo propinquam actionis cauſam removens, ſimul omnem ab eo culpam removeam, ut ſolus homo reatum ſubeat: calumnioſe & improbe dictum iſtud in me torquet: Hominis defectionem unum eſſe ex Dei operibus. Quomodo autem Dei præſcientia & decreto ſtatutum fuerit, quod de homine futurum erat: neque tamen in culpæ ſocietatem trahendus ſit Deus, quaſi transgreſſionis vel auctor ſit, vel approbator, quum longe altius humanæ mentis perſpicacia eſſe arcanum palam ſit, ne ignorantiam noſtram fateri pudeat. Imo, ne quem ex fidelibus fateri neſcire pigeat, quod Dominus lucis ſuæ inacceſſæ fulgore abſorbet. Primum, nihil aliis, niſi ex animi mei ſenſu, præſcribo. Teſtis enim mihi erit Dominus, cui conſcientia mea ſubſcribet, ſic me ſtupenda hæc ipſius judicia quotidie meditari, ut nulla me plus aliquid ſciendi curioſitas ſollicitet: nulla mihi de incomparabili ejus juſtitia obrepat ſiniſtra ſuſpicio: nulla me obmurmurandi libido prorſus titillet. Denique, in hac Auguſtini ſententia non minus tranquille quam libenter acquieſco: Deum, qui creavit omnia bona valde, & mala ex bonis exoritura præſcivit, & ſcivit magis ad ſuam omnipotentiſſimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quam mala eſſe non ſinere: ſic ordinaſſe Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius oſtenderet, quid poſſet liberum eorum arbitrium, deinde quid poſſet gratiæ ſuæ beneficium, juſtitiæque judicium. Adhæc ut de affectu meo taceam: ſi quibus ita pruriunt aures, ut nihil ſibi ex Dei myſteriis clauſum obtectumque eſſe velint: bis væſanus erit magiſter, qui talibus diſcipulis ſatisfacere tentabit. Potius trepidi audiamus, quid Davidi acciderit, cum inuſitata Dei judicia, quæ in externo corporum & præſentis vitæ ſtatu

Pſal. 77. verſ. 22.

apparent, plus æquo inquireret: Factus ſum, inquit, apud te ſimilis jumento. Non potuit tantus Propheta in rebus minus obſcuris & reconditis ultra fas ſapere, quin brutæ pecudis inſtar obſtupeſceret: nos vero præpoſteræ mentis noſtræ laſciviæ in excutiendo conſilio Dei omnium profundiſſimo impune indulgebimus? Poſtquam Paulus Deum ex perdita

Rom. 15. verſ. 33.

maſſa eligere, & reprobare quos illi viſum eſt, docuit: quare & quomodo id fiat adeo non expedit, ut potius expaveſcens, in clamorem illum erumpat: O altitudo! Et nos ejus altitudinis reverentia non perculſi, penitus ſcrutari audebimus, quomodo in perſona Adæ totum genus humanum excidere paſſus fuerit? Dixi jam ſupra, lapſum Adæ utile poſteris fuiſſe humilitatis rudimentum: ut ſe ad vitam recuperandam nihil eſſe nec poſſe diſcant, in qua ille integer non ſtetit. Una tamen eſt rite ſapiendi regula, ſi ſe mens hominis illo admirationis fræno compeſcat.

Cæterum, quæſtionem hanc non ideo tantum parcius attingere convenit, quod abſtruſa eſt, ac in penitiore ſanctuarii Dei adyto recondita: ſed quia otioſa curioſitas alenda non eſt, cujus illa nimis alta ſpeculatio alumna eſt ſimul ac nutrix. Quanquam interim quæ Auguſtinus libro de geneſi ad literam undecimo diſſerit, quum ad Dei timorem & reverentiam omnia temperet, minime improbo. Altera

A c. 4. uſque ad cap. 8.

autem pars, quod ex damnata Adæ ſobole, Deus quos viſum eſt, eligit, quos vult, reprobat, ſicuti ad fidem exercendam longe aptior eſt, ita majore fructu tractatur. In hac igitur doctrina, quæ humanæ naturæ & corruptionem, & reatum in ſe continet, libentius inſiſto: ſicuti non ſolum ad pietatem propius conducit, ſed magis mihi videtur theologica. Meminerimus tamen, in ea quoque ſobrie modeſteque philoſophandum: ne ulterius progredi tentemus, quam Dominus nos verbo ſuo deducit. Quam dulces ſint argutiarum illecebræ, plus ſatis notum eſt: quo major adhibenda eſt cautio, ut ſenſus omnes noſtros ſibi divinctos habeat fidei ſimplicitas. Quod Deus arcano Spiritus afflatu ad ſe homines trahat, vel quotidianæ preces noſtræ teſtes ſunt: nam cum pro perſecutoribus oramus, quid petimus aliud, quam ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus conſentientes, ex oppugnantibus amantes? Atqui, palam conſtat, non omnibus indifferenter hoc dari, ut centies exitium meritos Deus repente vita dignetur. Quomodo hanc gratiam diſpenſet, inquit

Lib. ad Bonif. 6. cap. 20.

Auguſtinus, alios ſecundum meritum faciens vaſa iræ, ſecundum gratiam, alios vaſa miſericordiæ: quis cognovit ſenſum Domini? Quantumvis tamen mundi vel ſuperbia, vel protervia calcitret, minime ferendum eſt, ut deterior ſit Dei quam mortalis hominis conditio. Cui autem creditori non conceditur ab uno exigere, quod alteri remittit? Quæ ſimilitudo non abs re toties ab Auguſtino repetitur. Fieri quidem vix poteſt, quin primo ſtatim momento turbetur mens hominis, cum gratiam Dei negari quantumvis indignis audit, quæ perinde indignis datur. Sed meminerimus, poſtquam damnati ſunt ex æquo omnes, minime fas vel æquum eſſe, Deo legem imponi, quin miſereatur cujus voluerit. Sed vere Auguſtinus contendit, Humanæ juſtitiæ modo metiendam non eſſe divinam. Cæterum, ubi omnia dicta fuerint: ſit hæc omnium diſputationum clauſula, ut cum

De præd. ſ. & gratia, cap. 2.

Paulo ad tantam profunditatem expaveſcamus. Si obſtrepant petulantes linguæ: ne identidem exclamare cum eodem Apoſtolo vel pudeat, vel pigeat: O homo, tu quis es qui litiges cum Deo?

Cæterum, etſi abſurda quæ hinc inde congerunt hujus doctrinæ adverſarii, ut eam calumnioſe infament, in mea Inſtitutione dilucide non minus quam ſuccincte refutaſſe: & ſimul pravis figmentis, quibus ſe imperiti deludunt atque implicant, obviaſſe mihi videor: quia tamen Pighio reſponſiones meas arrodere libuit, ejus virulentiam iterum diluere non gravabor. Quærunt præpoſteri homines, Quomodo de ſalute ſua, quæ in arcano Dei conſilio latet, certi eſſe poterunt. Reſpondi quod verum erat. Cum nobis in Chriſto propoſita ſit ſalutis certitudo, perperam, nec ſine Chriſti ipſius injuria facere, qui præterito hoc vitæ fonte, ex quo haurire promptum erat, ex reconditis Dei abyſſis vitam eruere moliuntur. Tradit quidem Paulus, nos ante mundi crea-

Ephe. 1. verſ. 4.

tionem electos eſſe: ſed in Chriſto. Ne quis ergo aliunde electionis ſuæ fiduciam petat, niſi librum vitæ, in quo ſcriptus eſt delere velit. Non alius eſt

Joan 1. verſ. 12.

adoptionis finis, quam ut cenſeamur inter Dei filios. Atqui, Scriptura quicunque in Filium Dei unigenitum credunt, Dei filios & hæredes eſſe pronuntiat. Chriſtus ergo æternæ & abſconditæ Dei electionis tum lucnlentum nobis ſpeculum eſt, tum arra quoque & pignus. Fide autem, quam Deus in hoc ſpeculo nobis repræſentat, vitam contemplamur: fide, pignus hoc arramque amplectimur. Et unde probamus, gratuito electos eſſe ex hominibus

Coloſſ. 1. verſ. 21. 1 Tim. 1. verſ. 17.

aliquos,

1 *Tim.* 6. *verſ.* 16. *Rom.* 11. *verſ.* 34. 1 *Cor.* 2. *verſ.* 16. aliquos, niſi quia Spiritu ſuo Deus quos vult, illuminat, ut fide inſerantur in Chriſti corpus? Fidei quidem noſtræ origo & cauſa eſt divina electio: ſed quia inviſibilis eſt Deus, lucemque habitat inacceſſibilem, & neminem conſiliarium admittit, præter Unigenitum, qui ſemper fuit in ejus ſinu, tenere mentem Chriſti oportet, ac fide illuminari, ut nobis pateſiat, quæ in corde Dei prius latuit, adoptio. Si quis malit craſſius: Prior quidem fide eſt electio, ſed ex fide diſcitur. Quæ breviter hic delibo, fuſius in mea Inſtitutione explicata reperient lectores. Itaque Chriſtus æternam ſuorum in Patris conſilio electionem commendans: ſimul ubi tuto recumbat eorum fiducia, oſtendit. Manifeſtavi, inquit, nomen tuum hominibus quos dediſti mihi. Tui erant: *Joan.* 17. *verſ.* 16. & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervarunt. Videmus, ut à ſeipſo incipiat Deus, cum nos eligere dignatur: ſed nos à Chriſto incipere velit, ut nos ſciamus in ſacro illo peculio cenſeri. Nam ideo nos dare Filio ſuo dicitur, ut ſe quiſque tunc demum cæleſtis regni hæredem eſſe ſciat, dum ad Chriſtum pertinet, extra quem undique mors & exitium nos obſident. Ideo manifeſtare nobis Chriſtus Patris nomen dicitur, quia electionis noſtræ ſcientiam, Evangelii ſui voce teſtatam, Spiritu quoque ſuo in cordibus noſtris obſignat. Si Pighio creditur, in ſolvendo hoc nodo inexplicabili ita ſudo, laboro, omnia verto, confundo & transfundo in omnia, ut clariſſime pateat, propria conſcientia me conſtringi. Atqui, ut facillimum illud fuit, ſuam juſtam loquacitatem abſque ſudore profundere, ita fieri poteſt, ut vino bene madidus, quæ illi in buccam venerunt convitia, temere nulloque pudore vomuerit. Si fixa & inevitabilis ſalutis cauſa eſt, Dei prædeſtinatio: *Epheſ.* 1. *verſ.* 4. omnem excuti nobis fiduciam contendit. Ut verbum non addam: cum docet Paulus, nos fide participes eſſe factos divinæ adoptionis, ſicuti ante mundum conditum electi fuimus: quid, obſecro in hujus doctrinæ contextu inextricabile eſt vel perplexum? Quum eos qui prius electi fuerunt, docet ſecundum propoſitum vocari, rite, niſi fallor, cum fixo divinæ electionis decreto fidei noſtræ certitudinem conciliat.

Ratiocinatur Pighius: Si in libro vitæ ſcripti ſunt, quicunque ſunt Chriſti membra, ebrioſos ergo, adulteros, fures, perjuros & homicidas regno Dei contra manifeſtam Apoſtoli ſententiam potituros: quando tales multi Chriſto per baptiſmum ſunt inſerti, eumque induerunt. Primum monendi ſunt mihi lectores, ut animum pauliſper ad effrænem iſtam, in qua laſcivit Pighius, Scripturæ profanationem advertant: deinde ut in ea ulciſcenda expendant juſtum Dei judicium, quod ſe palam exſerit. Totam Scripturam pedibus calcare, modo fucum lectoribus faciat, pro nihilo ducit Pighius. Modo ſe imperitis vendiret, ſuſque deque habet prima quæque pietatis rudimenta convellere. Interea Dominus *Rom* 2. *verſ.* 29. eum mente privatum pueris quoque ridendum proſtituit. Sicuti literæ & Spiritus circumciſio à Paulo ſtatuitur: ita & de baptiſmo ſentiendum eſt: quoſdam literale duntaxat ſymbolum in corpore geſtare, qui re ipſa procul abſunt. Nam & Petrus, ubi docuit, 1 *Pet.* 3. *verſ.* 21. baptiſmo nos ſalutem conſequi, mox quaſi addita correctione, pronunciat, Non ſufficere nudam & externam carnis ablutionem, niſi & bonæ conſcientiæ reſponſio accedat. Quare Scriptura cum de Sacramentis diſſerit, bifariam loqui ſolet. Si cum hypocritis agit, qui inani figura glorianres, rem ipſam negligunt: ut futilem eorum confidentiam proſternat, ex perverſo eorum ſenſu veritatem à ſignis ſeparat. In hunc modum Paulus, nihil profuiſſe veteri 1 *Cor.* 10. *verſ.* 5. populo admonet, quod in maris tranſitu baptizatus fuerit, quod eandem nobiſcum eſcam ſpiritualem comederit in deſerto (eiſdem ſcilicet donorum ſpiritualium ſymbolis nobiſcum participaſſe intelligens) Verum, ubi apud fideles habetur ſermo, uſus Sacramentorum ut legitimus, ita efficax deſcribitur: qui divinæ ſcilicet inſtitutioni reſpondeat. Quo pertinent iſtæ ſententiæ: Induiſſe Chriſtum, Inſitos in ejus corpus, &, Illi conſepultos, qui in ejus nomen baptizati ſunt. Inde colligit Pighius, quicunque viſibili aquæ elemento aſperſi fuerint, vere Spiritu regenitos, & in Chriſti corpus coaluiſſe, ut Deo ejuſque juſtitiæ vivant. Nec eum pudet, complures talibus næniis paginas implere, cum generaliter omnia Chriſti membra nominem, ſub eo ſermone comprehendi quicunque externo baptiſmo tincti ſunt. Paulo *In fine lib.* 7. poſt tamen quaſi retracta alarum expanſione ſubjicit, Multos à Chriſto deficere, qui vere in ejus corpus inſiti fuerant: nam quos à Patre ſibi creditos in fidem cuſtodiamque ſuam recipit, ita fingit ab eo ſervari, ut à libero ſuo arbitrio ſuſpenſam habeant ſuam ſalutem. Multis, inquit, tutela Chriſti gratiæ non deeſt: ſed ipſi ſibi deſunt. Certe, ut nunquam poterit ſatis ſevere hominum ſocordia & ingratitudo coargui, qui ſe Dei auxilio ſubducunt: ita minime tolerabilis eſt in Chriſtum contumelia, electos dicere ab eo ſervari, ſi modo ſe ipſi tueantur: ut ambiguum ſit Chriſti præſidium, quod diabolo & omnibus inferorum machinis inexpugnabile fore affirmat. Daturum ſe vitam æternam promittit omni- *Joan.* 17. *verſ.* 2. bus qui ſibi dati ſunt à Patre. Fidum ſe cuſtodem omnium fuiſſe teſtatur, ut nemo perierit, niſi filius perditionis. Alibi etiam in ſua manu electos eſſe do- *Joan.* 10. *verſ.* 28. cet, è qua nemo eos rapere poterit: quia Deus toto mundo ſit potentior. Si omnibus electis certa eſt vita æterna: ſi excidere nemo poteſt: ſi nulla violentia, nullove impetu quiſquam rapitur: ſi invicta Dei potentia nititur eorum ſalus: qua fronte Pighius fixam iſtam certitudinem concutere audet? Quamvis non ejiciat Chriſtus, inquit, multi tamen diſcedunt: & qui filii Dei fuerunt ad tempus, non permanent. Malus & perverſus eſt interpres Pighius, qui non agnoſcit Chriſti manu retineri, quicquid illi à Patre datum eſt, ut ſalvum in finem uſque maneat: nam quotquot defluunt, eos Joannes ex grege eſſe negat. Qui exierunt à nobis, non erant ex nobis: 1 *Joan.* 2. *verſ.* 19. nam ſi fuiſſent ex nobis, utique manſuri erant nobiſcum: ſed ut manifeſti fierent, quod non ſint omnes ex nobis.

Ergo fruſtra, inquit, apponitur conditio: ut qui ſalvus eſſe cupit, in finem uſque perſeveret. Hic vero cum prævaricari dicas: nam cum probandum ſuſceperit, Non ſtare cum electione, ſalutis fiduciam: eo nos ratiocinando deducit, ut hanc neceſſario in illa fundatam eſſe oporteat. Video me aſſidue fluctuare: nullum momentum præterit, quo non obruendus videar. At, quia electos ſuos Deus ſuſtinet, ne unquam mergantur, ſtaturum me inter innumeras procellas certo confido. Unde me electum eſſe cognoſcam, ſi Pighius rogat: Chriſtus mihi pro mille teſtimoniis ſufficit: nam ubi nos in corpore ejus reperimus, in ſecura tranquillaque ſtatione ſalus noſtra tanquam locata jam in cælis, quieſcit. Si excipit, Non poſſe ex præſenti gratia æternam Dei electionem æſtimari: non objiciam contra, quem fideles experientiæ ſenſum habent: quia panem quo paſcuntur filii Dei, extraneis guſtare datum non eſt. Sed quod garrire audet, nuſquam id in Scriptura haberi, hoc vero quam craſſum ſit mendacium, probatu non eſt difficile. Poſtquam enim docuit Paulus, qui electi fuerant, vocari & juſtificari, donec ad beatam immortalitatem perveniant, quaſi undique firmo præſidio munitus intrepide exultat, Quis ſtabit adverſus electos Dei? &c. Ac ne quis univer- *Rom* 8. *verſ.* 33. ſalem eſſe doctrinam cavilletur: in peculiarem cujuſque uſum accommodat. Certo perſuaſus ſum, inquit, quod neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neque inſtantia, neque futura, nos à Dei charitate ſeparabunt, quæ eſt in Chriſto.

Certe

Certè ſalutis æternæ fiduciam, quam ſingulis momentis abrumpi vult Pigbius, in ſuturum tempus, adeoque ultra præſentis vitæ metam Paulus extendit, & eam non aliunde manare demonſtrat, quam ex Dei electione, quam ſic illi adverſam fingit Pighius, ut mutuo ſe conflictu evertant. Quid ergo ſibi vult Exechiel, cum juſto exitium denuntiat, ſi à recta via ſe averterit? Nempe, reprobis multa interdum eſſe cum filiis Dei ſimilia, non negamus: ſed quocunque juſtitiæ ſplendore ſulgeant, nunquam donari Spiritu adoptionis certum eſt, ut Deum verè patrem invocent. Nullos enim Spiritu illo gubernari teſtis eſt Paulua, niſi Dei filios quoa ſimul pronuntiat

Rom. 8. verſ. 14. 1 Cor. 2. verſ. 12. Epheſ. 1. verſ. 14.

vitæ æternæ hæredes. Alioqui non ſtaret quod alibi tradit, Nos ſpiritum è cœlo habere, ut ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis, atque ideo nos tenere Chriſti mentem. Fruſtra etiam Spiritum quo obſignati ſunt fideles, arram vocaret futuræ redemptionis. Cæterum, ut perſeverantiæ fidem ſtabiliat rite cognita Dei electio, vel una illi Chtiſti precatio ad probationem ſufficere debet, qua electos omnes Patri commendat, nominatim eos à mundo ſeparans, ut hoc pereunte, ſalvi & intacti maneant.

Sequitur alia objectio apud Pighium: Non fruſtra bortatur fideles Paulus, ne in vacuum receperint Dei gratiam: nec fruſtra Chriſtus vigilandum & orandum eſſe admonet. Atqui, ſi tenemus, quantum inter ſupinam carnis ſecuritatem, & tranquillum, qui ex fide naſcitur, mentis ſtatum interſit, mox ſolutus erit nodus. Fideles de ſalute ſua certos eſſe oportet. An ut ſopiti jaceant? an ut ſe projiciant ad ſocordem ignaviam? Imo potius ut quietum cum Deo ſilentium colentes, precibus ſimul invigilent.

Phil. 2. verſ. 12.

Hortatur eos Paulus, ut ſalutem ſuam operentur cum timore & tremore. An ut de ſucceſſu anxii trepident? Minime: ſed ut ſub Dei alia abſconditi, aſſidue ſe illi commendent, ſicque toti pendeant ab ipſo uno, ut ejus præſidio freti, non dubitent ſe in finem uſque fore victores. Cauſam enim ſubjicit, cur ſollicitos eſſe deceat: Quia Deus eſt, qui pro ſuo beneplacito operatur & velle in illis & perficere. Porro, ne ſuſpenſi hæſitarent, jam ante omnem illis dubitationem exemerat:

Phil. 1. verſ. 6.

Qui cœpit in vobis opus bonum, uſque in diem Chriſti perficiet. Nuſquam ergo ad precandi curam & ſtudium nos Spiritus Dei hortatur, quaſi dubio in ſtatu fluctuaretur ſalus noſtra, quæ in Dei manu ſita eſt: nuſquam nobis timorem injicit, qui fiduciam in gratuito Dei amore fundatam excutiat: ſed in talibus ſtimulis pungendo, carnis noſtræ pigritiem corrigat. Atque in eum finem calumnioſe detorquet Pighius Apoſtoli verba ex undecimo ad Romanos capite. Per incredulitatem defracti ſunt nativi oleæ rami: tu vero fide conſtitiſti. Ne efferaris animo, ſed timeas: nam ſi Deus naturalibus ramis non pepercit: vide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Ecce igitur bonitas Dei & ſeveritas: in eos qui ceciderunt, ſeveritas: in te autem bonitas, ſiquidem permanſeris in bonitate. Poſtquam de duplici gentis ſuæ electione diſſeruit, & multorum defectione oſtendit ſactum eſſe, ut qui prius legitimi & proprii erant vitæ hæredes, propter ſancitum cum Patribus ſoedus, nunc abdicati ſunt à Deo, & facti ab ejus regno extorres: tandem ad Gentes ſe convertit, ne ſuperbe Judæis inſultent, quia in eorum locum ſucceſſerint. Notandum autem, quod ſicuti univerſalis illa populi rejectio non labefactavit fixam Dei electionem, quin reliquias aliquas ſervaret: ita univerſalis Gentium electio, non complexa eſt ſingulos ex Gentibus, ut omnes vitæ conſortes fierent. Duplicem in Judæis Dei electionem Paulus illic commemorat. Electum enim quodammodo fuerat totum Abrahæ genus. Sed cum occulto Dei judicio plerique non eſſent ad vitam ordinati: pereunte majori numero, electio in reliquiis conſequitur. Nunc tranſlato ad Gentes vitæ ſœdere, communis illa generis Abrahæ adoptio ad nos pertinet. Cæterum, id non obſtat quominus arcano Dei beneplacito pauci ad eam fruendam deſtinati ſint. Paulus ergo, dum Gentes ex oppoſito conferens cum Judæis, ſteriles oleaſtros exſectis naturalibus ramis, in ſanctam radicem inſitos eſſe dicit: neque privatim de ſingulis, neque ſimpliciter de arcana Dei electione tractat: ſed quanta fuerit rerum facta converſio, docet, dum rejectis filiis, in eorum locum ſubrogati ſunt extranei. Itaque tota illa Pauli exhortatio, non tam ad fideles dirigitur, qui vere & ex animo gratiam amplexi erant, quam ad Gentium corpus, quod ex variis membris permixtum erat. Et tamen nihil abſurdi eſt, ſi compeſcat Deus in filiis ſuis carnis inſolentiam: cum hoc vitio omnes laborent. Ridicule tamen inde colligit Pighius, ab hominum perſeverantia ſuſpenſam eſſe divinæ electionis conſtantiam: quia in generali quoque omnium defectione, neceſſe eſt ut illa nihilominus obtineat.

Quod autem impii, Dei judicium alio colore ſuggillant: quia fruſtra juſtitiæ & ſanctitati ſtudeant reprobi, quos tandem perire neceſſe eſt: calumnia hæc ut ex craſſa inſcitia naſcitur, brevi reſponſo à me diſcuſſa fuerat: Nullum ſcilicet bene agendi ſtudium ineſſe hominibus, quod non ex electione prodeat: reprobos vero, ut ſunt vaſa in contumeliam formata, provocandæ in ſe Dei ultioni nullum finem facere: & evidentibus ſignis monſtrare exitio ſe eſſe devotos. Pighio hic omnium abſurditatum cumulus eſt, ut nihil in tota diſputatione æque prodigioſum reperiat. Atqui, vel uno hoc argumento abunde probat, rabioſa maledicendi libidine ita ſe tranſverſum rapi, ut ſine ulla occaſione ſua convitia ebulliat. Nullos Dei Spiritu niſi electos gubernari Scriptura docet. Qualis in homine abſque Spiritus ſancti ductu rectitudo eſſe poterit?

Gal 5. verſ. 19.

Manifeſta, inquit Paulus, ſunt opera carnis. Et alibi, omnes carnis cogitationes Deo inimicas eſſe pronunciat. Quid igitur abſurdi, ſi peccato mancipatos eſſe dico, qui Spiritu Dei non regeniti, carnis ſuæ arbitrio ferantur?

Rom. 8. verſ. 30. Epheſ 1. verſ 4.

Quos Deus elegit, juſtificat. Quid mirum ſi reprobi, Dei juſtitia vacui, nihil quam peccare noverint? Elegit Deus ſuos, ut ſancti ſint ac irreprehenſibiles. Si gratuitæ electionis fructus eſt ſanctitas: quis alios in profania ſordibus demerſos manere neget?

Joan. 8. v. 10,26. & 8: 44.

Vocem ſuam audire negat Chriſtus, quicunque non ſunt ex ovibus ſuis. Rurſus, ex diabolo eſſe pronuntiat, qui vocem Patris in ore ſuo reſonantem audire non ſuſtinent. Ut reprobos oſtendat Pighius bonis operibus ſtudere: gratam eſſe Deo contumaciam oſtendat, neceſſe eſt. Objicit contra Pighius, Saul multis virtutibus excelluiſſe: imo placuiſſe Deo. Virtutes, quæ in reprobis ſulgent, ſuapte natura laudabiles eſſe fateor: idque ſibi vult Scriptura, cum Saulem & alios ejuſdem ordinis refert feciſſe quod rectum eſt: ſed quia cordis fontem, unde fluunt opera, Deus reſpicit: nihil obſtat quominus opus, quod alioqui in ſe laudatur, ob vitium quod intus latet, ſit abominationi apud Deum. Rudimentum ſcilicet illud pietatis ignotum fuit Pighio: Nihil tam eſſe purum, quod non inquinet hominis immundities. Ergo non mirum eſt, ſi ab externa larva, Saulis opera æſtimans, innocentiam ejus probitatemque commendet. Quod ſemel eum Deo placuiſſe contendit, diſtinguo. Sic enim dignatus eſt eum honore regio, ut in ſcriptura domus Iſraël nunquam eum

Eze. 13. verſ. 9.

cenſuerit: quemadmodum Ezechiel loquitur. An quia ad munus Apoſtolicum electus fuit Judas, ideo à Deo in filiis ſuis habitum eſſe colliget? Cæterum, maligne, quod à me dictum eſt, calumniatur Pighius: quaſi de ſingulis vitæ actionibus ſeorſum loquutus ſim, ac non potius de continuo vitæ curſu. Porro, totam Scripturam labefactari oportet, niſi quicquid eſſe in homine juſtitiæ & boni poteſt, à Spiritu

ritu ſanctificationis, qui ſolis filiis datur, manare concedimus.

In perſequendis cæteris cavillis non eſt quod plus operæ ſumam. Tritum illud eſt, Irritam fore doctrinam, vanas & nihili exhortationes, ſi ab electione Dei pendeat obſequendi vis & facultas. Item aliud non abſimile, Fieri non poſſe quin ſe ignaviæ dedant homines, cum in æternum Dei conſilium recumbere docentur. Reſponſiones à me adductas quibus ſolet convitiis ita Pighius exagitat, ut maneant ab ipſo intactæ. Cæterum, ſi quibus plus æquo moroſis nondum ſatisfactum ſit: & plus forte apud ipſos ponderis habeat Auguſtinus, idem quod jam tra- *Cap. 14.* didi, ejus verbis & repetam, & confirmabo. Verba ejus ſunt in libro cui titulum fecit De bono perſeverantiæ: Prædeſtinationis doctrinam ajunt prædicationi adverſam eſſe, ne quid proſit. Quaſi vero adverſata ſit Apoſtolo prædicanti. Nonne ille doctor Gentium prædeſtinationem toties commendavit, & verbum Dei prædicare non deſtitit? Nunquid, quia dixit: Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere: idem non & ipſe ut velimus quæ Deo placent, & ut operemur, hortatus eſt? An quia dixerat: Qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet: idem ut inciperent homines & perſeverarent uſque in finem, non ſuaſit? Nempe, ipſe Dominus præcepit hominibus ut in ſe crederent. Neque tamen falſa ejus ſententia eſt, nec vana definitio, ubi ait: Nemo venit ad me, hoc eſt, nemo credit in me, niſi cui datum fuerit à Patre meo. Neque rurſus, quia vera eſt hæc definitio, vana eſt illa præceptio. Cur ergo prædicationi, exhortationi, correctioni, quæ omnia tam frequenter uſurpat Scriptura, dicemus inutilem eſſe prædeſtinationis doctrinam, quam commendat eadem Scriptura? Paulo poſt, Audiunt hæc, & faciunt quibus datum eſt. Non autem faciunt, ſive audiant, ſive non audiant, quibus non eſt datum. Nec prædeſtinationis igitur prædicatione impedienda eſt prædicatio fidei perſeverantis & proficientis: ut quod oportet, audiant: & quibus datum eſt, obediant. Quomodo enim audient abſque prædicante? Nec rurſus prædicatione fidei proficientis, & in finem uſque perſeverantis impedienda eſt prædicatio prædeſtinationis: ut qui fideliter & obedienter vivit, non de ipſa obedientia tanquam de ſuo, ſed in Domino glorietur. Item, ſicut is qui donum accepit, recte exhortatur & prædicat: ita exhortantem & prædicantem obedienter audit, qui accepit hoc donum. Idem Dominus, Qui habet aures audiendi, audiat. A quo autem habeant, quicunque habent, Dominus ipſe oſtendit, Dabo vobis cor ad cognoſcendum me: & aures quæ audiant. Ergo aures audiendi, ipſum eſt donum obediendi, quo qui præditi ſunt, veniunt ad Chriſtum. Exhortamur ergo atque prædicamus: ſed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt: qui vero non habent, fit in eis quod ſcriptum eſt, Ut audientes non audiant: audientes corporis ſenſu, non audiant cordis aſſenſu. Cur autem illi habeant, illi non: hoc eſt, cur illis datum ſit à Patre, ut veniant ad Filium, illis non ſit datum: quis cognovit ſenſum Domini? Nunquid idem negandum eſt, quod apertum eſt, quia comprehendi non poteſt quod occultum eſt?

Ejuſdem lib. c. 15. Quam autem præpoſtera ſit eorum cautio, qui abſurditatis ullius metu doctrinam cognitu neceſſariam vel ſupprimunt, vel obſcurant, deinde exſequitur. Nunquid ſi hoc audito nonnulli in torporem ſegnitiemque vertantur, & à labore proclives ad libidinem poſt concupiſcentias eant: propterea de præſcientia Dei falſum putandum eſt, quod dictum eſt? Nonne ſi Deus illos bonos fore præſcivit, boni erunt, in quantalibet nunc malitia verſentur? Et ſi malos fore præſcivit, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Nunquid ergo propter hujuſmodi cauſas, quæ de præſcientia Dei vera dicuntur, vel neganda ſunt, vel tacenda? tunc ſcilicet, quando ſi non dicantur, in alios itur errores? Alia, inquit, ratio eſt verum tacendi, alia verum dicendi neceſſitas. Cauſas verum tacendi longum eſſet *Cap. 16.* omnes quærere: quarum tamen eſt hæc una, Ne pejores fiant qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt, facere doctiores: qui nobis tale aliquid dicentibus, doctiores quidem non fiunt, ſed nec redduntur pejores. Quum autem res vera ita ſe habet: ut fiat pejor nobis eam dicentibus, qui capere non poteſt, nobis autem tacentibus ille qui poteſt. quid putamus faciendum? Nonne potius eſt dicendum verum, ut qui poteſt capere, capiat, quam tacendum, ut non ſolum id ambo non capiant, verum etiam qui eſt intelligentior, ille ſit pejor: qui ſi audiret & caperet, per eum etiam plures diſcerent. Et nos dicere nolumus, quod, teſte Scriptura, dicere licebat. Timemus enim videlicet, ne loquentibus nobis offendatur qui capere non poteſt: non autem timemus, ne tacentibus nobis, qui veritatem poteſt capere, falſitate capiatur. Quam ſententiam brevius tandem perſtringens, clarius etiam confirmat. Quamobrem, ſi Apoſtoli, & qui eos ſequuti *Ejuſdem lib. c. 20.* ſunt Eccleſiæ Doctores, utrumque fecerunt, ut de æterna Dei electione pie diſſererent, & ſub piæ vitæ diſciplina continerent fideles: quid eſt quod invicta concluſi violentia veritatis, iſti noſtri ſe recte dicere exiſtimant: Non eſſe populo prædicandum, etſi verum ſit quod de prædeſtinatione dicitur? Imo, prædicandum eſt prorſus: ut qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, ſi non accepit ab eo, qui ſe daturum promittit? Certe qui non accipit, rejiciat: dum tamen qui capit, ſumat & bibat; bibat & vivat. Sicut enim prædicanda eſt pietas, ut rite colatur Deus: ita & prædeſtinatio, ut qui habet aures audiendi, de gratia Dei, in Deo, non in ſe glorietur.

Et tamen, ut ſingulare ædificationis ſtudium ſan- *Ejuſdem lib. c. 22.* cto viro fuit: ſic docendi veri rationem temperat, ut prudenter caveatur, quoad licet, offenſio. Nam quæ vere dicuntur, congruenter ſimul poſſe dici admonet. Si quis ita plebem compellet: Si non creditis, ideo fit, quia jam divinitus exitio deſtinati eſtis: non modo ignaviam fovet, ſed etiam indulget malitiæ: Si quis in futurum quoque tempus ſententiam extendat, quod non ſint crediturі qui audiunt, quia reprobati ſunt: imprecatio erit magis quam doctrina. Tales itaque Auguſtinus non immerito tan- *De Corr. & gratia ad Valent. cap. 5.* quam vel inſulſos doctores, vel ſiniſtros & ominoſos prophetas ab Eccleſia jubet faceſſere. Tenendum quidem vere alibi contendit, quod tunc correctione proficit homo, quum miſeretur atque adjuvat, qui facit quos voluerit, etiam ſine correptione, proficere. Sed quare iſti ſic, illi aliter: ab- *Cap. 14.* ſit, ut dicamus, Judicium luti eſſe, non figuli. Item poſtea: Quum homines per correptionem in viam juſtitiæ ſuæ veniunt, ſeu revertuntur: quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille qui quolibet plantante & rigante dat incrementum? cui volenti ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit liberum arbitrium. Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo & in terra quæcunque voluit, & qui etiam quæ futura ſunt fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult, quandoquidem de ipſis hominum voluntatibus, quod vult facit. Item, Quum vult adducere homines, nunquid corporalibus vinculis alligat? Intus agit, intus corda tenet, intus corda movet: eoſque voluntatibus eorum, quas in illis operatus eſt, trahit. Sed quod continuo ſubjicit, minime omitti debet: *Cap. 15.* Quia neſcimus quis ad prædeſtinatorum numerum pertineat, vel non pertineat, ſic nos affici decere, ut omnes velimus ſalvos fieri. Ita fiet, ut quiſquis nobis occurret, eum ſtudeamus facere pacis con-

ſortem. Sed pax noſtra ſuper filios pacis requieſcet. Ergo quantum ad nos pertinet, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, ſalubris & ſevera inſtar medicinæ adhibenda erit correctio: Dei autem erit illis utilem facere, quos præſcivit & prædeſtinavit. Hæc

Cap. 16.

ſi vera ſunt: quando primarium ex ſanctis Patribus habent teſtem, ne in odium Calvini ab indoctis vel male affectis reſpuantur. Utinam vero inſipidi iſti moderatores, qui in ſobrietate nimis aquoſa multum placent, ſaltem reputarent, quantum Auguſtino cedunt rerum ſacrarum ſcientia, modeſtia quoque illum eſſe ſuperiorem, ne moroſam ſuam timiditatem nobis pro modeſtia venditarent.

Ut tandem cum Pighio tranſigam: de tribus ſummatim monendi ſunt mihi lectores: quicquid abſurditatum ad gravandam meam doctrinam congerit, non tam in me quam in Deum ipſum torqueri: deinde, Scripturæ locos qui pro me aperte faciunt, ut mihi extorqueat, tam inſcite nugari, ut ſatis appareat, non poſſe ſuſtinere cauſam illam, niſi corrupta everſaque Scriptura: poſtremo, in tantum impudentiæ prorumpere, ut Auguſtinum ſibi acceerſere ſuffragatorem non dubitet. Si quos in exitium Deus condidit, indignus eſt qui ametur. Qui antequam nati eſſent, vita æterna privati ſunt, miſericordia quam ſupplicio digniores. Si mea eſſent, quæ labefactare conatur, mortalem hominem impeteret: nunc quum talibus probris palam inſultet Deo: me cum Paulo centies repetere non pudebit: O homo tu quis es, qui cum fictore tuo litiges? Sentit jam miſer & ſentient olim omnes ejus ſimiles, quæ ex ore impuro & ſacrilego probra in Deum vibrant, ſuo impetu fracta concidere, antequam ad cælum pertingant: nec demum reſtare aliud, niſi ut recidant in eorum capita. Fœtidiſſimæ in adulteranda Scriptura delirationis unum eſto ſpecimen, nonum ad Rom. cap. qualiter ab eo partim miſcetur, partim diſcerpitur. Initio, ne in ſolvendo nodo Gordiano nimium laboret, uno verbo abrumpit: Electum eſſe à Deo Iſraëlem, ſed non omnes eſſe Iſraëlitas, quia patrem ſuum non referunt, qui à videndo cognominatus eſt. Unde conſtituit, non eſſe ratam electionem, niſi in iis qui oculos aperiunt. Atqui, bonus perſpicaciæ magiſter in Iſraëlis nomine ridicule cæcutit, dum ex robore facit acumen. Interea non cogitat peculiari gratia factum eſſe divinitus Iſraëlem, qui in utero matris jam electus fuerat: nec alios videndo Deo eſſe idoneos, niſi quorum mentes illuminat: luce autem Spiritus ſui dignari, quos ſibi in filios, quum adhuc cæci eſſent adoptaverit. Poſtea, quaſi elapſus, ultra metas vagatur & ſaltat, Miſericordiam Dei nemini deeſſe, quando omnes vult ſalvos fieri, quando ſtat & pulſat ad cordis noſtri oſtium, cupiens ingredi. Itaque, ante mundi creationem electos, à quibus ſe receptum iri prævidit: neminem vero indurare, niſi tolerantia: qualiter patres nimium faciles dicuntur indulgentia ſua filios perdere. Quaſi vero talibus næniis eludere promptum ſit, quæ Paulus tam diſerte in contrariam partem affirmat: & quaſi lectoribus nihil ſignificet, Ex duobus gemellis, quum adhuc in utero ſunt incluſi, alterum eligi, alterum rejici, nullo operum reſpectu, ſed mero Dei vocantis beneplacito: Non eſſe volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, qui indurat quem vult, & miſericordia quem vult proſequitur: Deum oſtendere potentiam ſuam in vaſis iræ, ut in vaſis miſericordiæ notas faciat gratiæ ſuæ divitias: Secundum gratuitam electionem ſervari, quidquid in Iſraële ſalvum eſt: atque ita electionem obtinere, & quæ fuſius ſuo ordine ſupra expoſuimus. Certe jam ſi

Rom. 11. verſ. 7.

centuplo eſſet acutior, nullis tamen cavillis efficiet, quin tam ſonorum Pauli clamorem vel ſurdaſtri exaudiant. Quod vero multam verborum congeriem hoc cumulo terminat, Non creaſſe Deum quos præviderat reprobos fore: ſed reprobos ſciviſſe quos creaverat: perinde eſt acſi luto illineret figuli oculos & manus, ne qua ejus forma nobis appareat. Similiter quum ex primo ad Epheſ. cap. expedire ſe nititur, ita ludibundus projicit ſuas ampullas, acſi inani ſuo ſtrepitu Paulum obmuteſcere cogeret. Elegit nos Deus in Chriſto, quia gratiæ ſuæ, quæ alioqui omnibus expoſita eſt prævidit locum in nobis fore. Elegit ex omnibus: quia quod in commune propoſitum erat omnibus, noſtrum peculiariter fore prævidit: ut illi cooperantes, ſancti per eam eſſemus. Elegit ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ: quod eſt & erat ejuſmodi, ut eos eligeret, de quibus præſciebat futurum quod dictum eſt. Elegit in laudem gratiæ ſuæ, quæ nos ſanctificat: ut laus eſt præceptoris, virtus & doctrina diſcipuli. Quaſi vero non iſtud ſit Dei propoſitum, quod

1 Tim. 1. verſ. 9.

alibi Paulus omnibus humanis operibus opponit. Quaſi in nomine Beneplaciti non expreſſior ſit hoc loco gratiæ commendatio. Quaſi non dicatur propoſuiſſe Deus in ſeipſo beneplacitum ſuum, quia cauſam in nobis nullam reperiens, ſibi ipſe ad nos ſervandos cauſa fuit. Quaſi fruſtra totum ſalutis noſtræ effectum à decreto illo & propoſito & beneplacito pendere quinquies repetat. Quaſi non diſerte pronuntiet, quia electi eramus, nos in Chriſto fuiſſe benedictos. Quaſi non ſanctificationem, & quicquid eſt bonorum operum, ex electione tanquam aquas ex fonte derivet. Quaſi non eidem gratiæ acceptum ferat, quod Dei figmentum ſumus, ad bona opera conditi, quæ præparavit. Quaſi non à reliquis nos diſcernat, ut gratuito ſolo Dei ſavore nos excellere ſciamus. En quam apte operum præſcientiam cum Paulino textu conciliet. Quanto ſatius fuerat, illam admirantis perſonam retinere, quam ſemel ad momentum ſuſcipere coactus, mox ad ſuperbas ſpeculationes transvolans, deponit. Et hæc quidem, quæ uberius ſupra tractavi, nunc curſim tantum delibo.

Auguſtinum poſtquam acriter flagellavit, ut qui in hac diſputatione impetu magis quam moderata ratione feratur, qui huc illuc impingat, qui proferat quæ aliena videntur à Dei bonitate: ejus deinde ſuffragio quam parum verecunde utatur, tribus verbis oſtendam. Diligentiam ſancti viri laudat, quod in libro ad Simplicianum Mediolanenſem Epiſcopum ſedulo quæſtionem hanc ventilet. An opus aliquando inſpexerit, neſcio: quum ex libris duobus libellum unum faciat. Mirum tamen, cur librum

Lib. 1. de prædeſtin. ſanctor cap. 4. De bono perſever. c. 20. Lib. retractat. 2. cap. 1. Cap. 20. de bono perſeverſ.

illum, quem ſe Auguſtinus initio ſui Epiſcopatus ſcripſiſſe commemorat, bonus iſte dexterque interpres ex omnibus maxime delegerit. Nam etſi illum Pelagio auctor opponit: non tamen diſſimulat, quanto plenius poſtea & ſolidius de eadem re diſſeruerit. Hæc ejus verba ſunt: Illic à me oſtenſa eſt prædeſtinatio ſanctorum: quam poſtea diligentius & operoſius, quum adverſus Pelagianos diſputarem, defendere neceſſitas compulit. Didicimus enim ſingulas hæreſes intuliſſe Eccleſiæ proprias quæſtiones: contra quas diligentius defenderetur Scriptura divina, quam ſi nulla talis neceſſitas cogeret. Cæterum, videamus qualis iſta ſit quam oſtendit, Auguſtini ſubſcriptio. In eo, inquit, noſter eſt, quod vocationis contemptum, reprobationis cauſam affirmat. Longe vero ipſe aliter. Nam in libro Retractionum dicit, Pro libero hominis arbitrio ſic laboratum eſſe, ut tandem vicerit Dei gratia. Verum omittam, quid illic & duobus in locis à me citatis dicat, mentem ſuam fidelibus ſaltem, quam mille tui

Circa dimid. lib. prior.

ſimiles, exponens: quomodo in eum pluſquam impudenter conferre audes, quod toto opere non minus fortiter rejicit, quam ingenue damnat, ne longior ſim: quæ Pighius pro ſe verba adducit, Apud Auguſtinum quidem exſtant, ſed eadem pagina refutantur. Si propterea dictum eſt, inquit, non volentis, ne-

que

que currentis, ſed miſerentis eſt Dei, quia voluntas hominis ſola non ſufficit, ut juſte, recteque vivamus, niſi adjuvetur miſericordia Dei: poteſt & hoc modo dici: Igitur non miſerentis eſt Dei, ſed hominis volentis: quia miſericordia Dei ſola non ſufficit, niſi conſenſus noſtræ voluntatis addatur. At illud manifeſtum eſt: fruſtra nos velle, niſi Deus miſereatur: illud autem neſcio quomodo dicatur, fruſtra Deum miſereri, niſi nos velimus. Si enim Deus miſeretur, etiam volumus: quia ad eandem miſericordiam pertinet, ut velimus, juxta illud, Deus eſt qui operatur & velle & perficere. Nam ſi quæramus, utrum Dei donum ſit voluntas bona: mirum ſi quiſquam negare audeat. Paulo poſt: Itaque verum eſt: non volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei: quia etiam ſi multos vocet, eorum tamen miſeretur quos ita vocat, quomodo vocari illis aptum eſt, ut ſequantur. Falſum autem ſi quis dicit: Non miſerentis Dei, ſed volentis hominis eſt: quia nullius fruſtra Deus miſeretur. Cujus enim miſeretur, ſic eum vocat, quomodo ſcit ei congruere, ut vocantem non reſpuat. Eſt quidem veriſſimum quod præfatus erat Pighius, ventilari ab Auguſtino iſtam, de qua nunc agitur, quæſtionem. Sed ipſe graviter peccat, quod quiſquilias in aërem ſparſas arripiens, quod deinde in vanno reſiduum apparet triticum, negligit.

Nunc dandus Georgio quoque Siculo eſt locus: in quo homine adeo inſipida ſunt omnia, ut in eo refellendo quicquam operæ locare pudeat. Nec ſane congredi cum iſta umbra dignarer, niſi ſtulta multorum conſternatio me cogeret. Neque enim defuturos arbitror, qui ex puerilibus nugis facilem me captare victoriam putantes, inane ſtudium deriſui habeant. Equidem niſi noceret, quantum non ſine maximo dolore audio, contemptu potius obterendum cenſerem, quam verbis refellendum. Sed quando ejus libri per Italiam volitantes, multos paſſim dementant, cum deliro homine, ſi opus ſit, pauliſper ineptire malo, quam meo ſilentio pati, ut cum tanta Eccleſiæ jactura inſania ejus graſſetur. Quum

Eze. 13. verſ. 17.

olim Propheta Ezechiel anus fatidicas videret fucum populo facere: muliebre bellum ſubire non erubuit. Ergo, neque nos pigeat, ſi Chriſti ſervi eſſe volumos, qualeſcunque tandem ſint, qui in horreum Domini ſuas quiſquilias ingerere nituntur, eos conſerta manu depellere.

Quod æterno Dei conſilio prædeſtinatos eſſe homines dicimus, vel ad ſalutem, vel ad exitium: tribus de cauſis ea nos in re hallucinari Georgius putat: quarum primam aſſignat, quod Electionis nomen non obſervemus diverſo ſenſu accipi in Scriptura: nempe, quod ad munus temporale quoſdam eligat Deus, ubi nulla ſit æternæ vitæ mentio, neque etiam ratio habetur. Sed quibus perſuadeat ſtolidus nugator, nos in Scriptura tam male exercitatos eſſe, ut

1 Sam. 9. verſ. 16. Joan. 6. verſ. 70.

nondum teneamus, Saulem, qui reprobus erat, Regem tamen eſſe electum? Judam, Diabolum vocari, qui unus erat ex duodecim, quos à ſe Chriſtus electos prædicat? Cur locos non notat male & impie à nobis adductos, qui errorem patefaciant? Verum, ſomnia ipſe ſibi fabricat, quæ in cerebro ſuo nata, tanquam aliena debellet: interea mirum, quomodo decimò circiter verſu præcepti ſui

1 Cor. 9. verſ. 27.

oblitus, Pauli teſtimonio nos oppugnet. Ne quum aliis prædicavero ipſe reprobus efficiar. Colligit enim, vel mentiri Paulum, qui timere, ſe jactet, ne concidat immutabilis Dei electio, & ſuæ electionis fuiſſe ignarum: nec videt miſer, reprobum illic probato opponi, qui certa ſuæ pietatis experimenta dederit. Cur non tunc illi in mentem venit diverſa vocis acceptio? Nam & argentum reprobum apud

Jerem. 6. verſ. 30. Heb 6: 7.

Jeremiam & in Epiſtola ad Hebræos, reproba terra, non divinitus exitio devotum argentum vel terram ſignificat, ſed vitioſum nihilique argentum & terram infrugiferam. Quod autem in verbis Pauli relatio ad homines fiat ſicuti in altera quoque Epiſtola, ex contextu colligere promptum eſt. Et tamen ſic ab æterna electione, qua nos in vitam adoptat Deus, ſic diſtinguitur electio ad munus temporale, ut ambas ſimul interdum propter affinitatem, Scriptura conjungat. Quum gloriatur Paulus ſe ab utero ſegregatum eſſe, de munere quidem

Gal. 1: 15.

Apoſtolico diſſerit: ſed altius conſcendens, pariter Dei gratiam, quo vocatus fuerat in ſpem ſalutis, commendat. Chriſtus etiam quamvis unum ex duodecim quos elegit, diabolum eſſe pronuntiet: alibi tamen cum honore Apoſtolico adoptionis gratiam conjungit, dicens: Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus

Joan. 15. verſ. 16. Joan. 17. verſ. 12.

veſter maneat. Nam ea lege ſibi datos à Patre commemorat, ut neminem ſinat perire, præter eum qui jam filius erat perditionis. Quod ergo paſſim legimus, ad certum vitæ genus vel munus temporale eligi hos & illos, minime obſtat, quominus Deus ad ſalutem elegerit, quoſcunque vult ſalvos eſſe.

Secundam erroris cauſam ſtatuit, quod non teneamus fideles omnes novi Teſtamenti, quos vocat, electos eſſe in ſalutem: quemadmodum docet Paulus primo ad Eph. cap. Atqui, plus ſatis jam monſtratum eſt, ex electionis fonte illic deduci fidem, qua filii Dei ſalutis ſuæ poſſeſſionem adeunt. Fides certe inter ſpirituales illas divitias, quibus donati ſumus in Chriſto, vel præcipue cenſeri debet. Unde autem fluere docet Paulus quicquid habemus benedictionum, niſi ex recondito illo gratuitæ adoptionis fonte? Rurſum: Ubertim nos locupletavit omni ſcientia & prudentia: ſed quomodo? Juxta beneplacitum ſuum, quod propoſuerat in ſeipſo. Si divinæ electionis fructus eſt fides: conſtat autem non omnes in fidem illuminari: ſtatuendum proculdubio eſt, eligi à Deo, quos fide donare apud ſe decrevit: atque ita verum eſſe quod Auguſtinus tradit: In filios à Deo eligi, ut credant, non quia præviderit credituros. Aliis locis citandis ſuperſedeo: quia mox tractandi erunt. Cæterum quia unus erat locus,

De præd. Sanctor. c. 17. & aliis locis.

ubi Dei electi in infinitum aliquem numerum redigi videntur: quum ſcilicet dicit Chriſtus, tantas fore Antichriſti fallacias, ut etiam electos, ſi fieri poſſit,

Mat. 24. verſ. 24.

decipiant: illic electos vocari exponit Georgius, qui in fide & juſtitia perſeverant. Recte id quidem, modo ſimul fateretur conſtantiam hanc ab electione pendere. Atqui, ne qua ſpecialis ſit in Deo electio, ibi unumquemque hominum propriæ electionis auctorem facit.

Tertia erroris noſtri cauſa ſecundum Georgium eſt, quod dum excæcationis & indurationis meminit Scriptura, non animadvertimus ſuperioribus peccatis tales pœnas infligi. Nos vero, quod innumeris Scripturæ teſtimoniis paſſim expreſſum eſt, non negamus: Deum excæcatione & aliis modis, & gratiæ ſuæ contemptum, & ſuperbiam, & contumaciam, & alia ſcelera ulciſci. Nam ſingulares pœnæ quarum paſſim fit mentio, ad generalem illam ſententiam referri debent: Conjici in ſenſum reprobum, & in cupiditates ignominioſas tradi, qui Deum

Rom. 1. verſ. 26.

cognitum non timuerunt, nec reveriti ſunt, ut decebat. Qua de re iterum poſtea fuſius. Verum, etſi Dominus impios furore & vertigine percutiens, quam meriti ſunt mercedem illis rependit: non tamen id obſtat, quo minus in reprobis omnibus maneat cæcitas & obſtinata cordis durities. Quum dicitur obduratus eſſe Pharao, jam dignus erat, quem Deus

Exod. 10. verſ. 20.

Satanæ manciparet. Sed quod prius à Deo in hoc ipſum excitatus eſſet, ſimul admonet Moſes. Nec vero Paulus aliam cauſam addit, niſi quod

Rom 9. verſ. 17.

unus eſſet è reprobis. Sic demonſtrat idem Paulus, quum Judæi intelligentiæ luce privati, in horribiles tenebras delapſi ſunt, pœnas juſtas impii divinæ gratiæ contemptus hoc modo ipſos dediſſe: neque

que tamen excæcationem hanc reprobis omnibus conſtitutam fuiſſe diſſimulat. Reliquias enim ſervatas fuiſſe docet ſecundum electionem gratuitam: reliquos omnes fuiſſe excæcatos. Si reliqui omnes, in quorum ſalutem non regnat Dei electio, excæcantur: certe palam conſtat, eoſdem qui ſua rebellione iram Dei provocando, novam excæcationem ſibi accerſunt, jam ab initio cæcitati fuiſſe devotos. Et clara ſunt Pauli verba, Vaſa iræ eſſe pridem ad interitum præparata, quicunque Spiritu adoptionis de- *Rom. 9. verſ. 22.* ſtituti, propria culpa ſeipſos præcipitant. Equidem cum Auguſtino fateri non recuſo, in occultis Dei judiciis aliquid præcedere: ſed occultum. *Lib contra Fauſt. 21. c. 2. & 3.* Nam inacceſſibili ſecreto ab humana cogitatione ſecluſum eſt, quomodo & impium damnet Deus, & juſtificet impium. Ergo ſatius nihil reſtat, quam cum Paulo expaveſcere: quia judicia ejus, abyſſus multa.

Pergat deinde Georgius, Nullam reperiri ſyllabam in tota Scriptura, unde colligere liceat, excæcari qui æterno Dei judicio reprobati ſunt: & quicquid de prædeſtinatione tradimus, philoſophica tantum argutia niti: quod Deum nihil eorum lateat quæ futura ſunt: quæcunque autem prævidit, neceſſario eveniant. Nihil dico, niſi quod tam craſſum mendacium libri noſtri refellunt. Quia hoc illi inter fraterculos licentiæ reverendi Abbatis favor dederat, ut quicquid ſomniaverat, oraculi inſtar jactare auderet: idem ſibi extra monaſterium permiſit. Nos vero, non ex nuda Dei præſcientia, ut ipſe ſtolide mentitur, elicere, quod fruſtra oppugnat, inter electos & reprobos diſcrimen: ſed manifeſtis ſolidiſque Scripturæ locis proditum oſtendere quid pluribus nunc conteſter? Nos ex nuda Dei præſcientia pugnare fingit. Atqui, apertos Scripturæ locos plus viginti à me prius citatos reperient lectores. Specialem electionem commentum eſſe noſtrum jactat: quia nullos Deus certos homines elegerit. At Chriſtus ex adverſo clamat, ſe ſcire quos elegerit.

Videatis tamen, quam validis machinis æternum illud Dei conſilium labefactet, quo alii in ſalutem electi ſunt, alii exitio deſtinati. Juſtitiam Dei ex fide *Rom. 3. verſ. 22.* Paulus communem facit omnibus qui credunt: nec diſtinctionem admittit: quia omnes peccaverint, & deſtituantur gloria Dei. Fateor ſane Dei juſtitiam ſuper omnes per fidem diffundi. Sed unde hominibus fides, niſi ex gratuita Spiritus illuminatione? *Joan. 10. verſ. 29. & 17: 6.* Et quos in Chriſtum credere Paulus cenſet, niſi quos Pater cæleſtis traxerit? Chriſtus certe neminem in ſuis reputat, niſi datus ſit à Patre. Sibi autem datos prædicat, qui ante Patris fuerant. Delirium ſuum de fide naturali obtrudet Georgius: quod refellere non *1 Cor. 4. verſ. 6.* eſt præſentis inſtituti. Tantum dico, in omnes & ſuper omnes qui credunt in Chriſtum, eſſe Dei juſtitiam: ſed eodem Paulo teſte, excipio: Ut alii præ aliis excellant, non niſi à ſolo Deo diſcerni: ne quis glorietur. Item, ut ſciamus quæ à Deo donata *Philip. 1 verſ. 29. Epheſ. 1. verſ. 18. Galat. 5. verſ. 22.* ſunt nobis, arra & ſigillo Spiritus æternam hæreditatem in cordibus noſtris obſignari. Item, Nobis dari ut in Chriſtum credamus. Item, Illuminari mentis noſtræ oculos, ut ſciamus quæ ſit ſpes vocationis noſtræ. Item fructum Spiritus eſſe fidem. Diſcrimen eſſe negat Paulus: nempe Judæi & Græci: quia utroſque pariter Deus ad ſalutem invitat. Sed duæ iſtæ ſpecies, inquit Georgius, totum genus humanum comprehendunt. Eſto: non tamen inde evincet, ſigillatim unicuique hominum promitti juſtitiam. Hoc quoque poſtremum ut demus, huc tamen redeundum erit, neminem boni oblati compotem, niſi fide, fieri. Reſtat ut Monachus fidem omnibus promiſcuam faciat. Quod jam ſatis probavi, quam ſit à Pauli mente alienum. Verum ſequetur, ſolos electos deſtitui gloria Dei. Unde id colliget? Quia in omnes qui peccaverunt, inquit, diffunditur Chriſti gratia. Atqui ego ſic univerſalem Dei gratiam eſſe fateor, ut in hoc tamen ſitum eſſe diſcrimen addam: quod non omnes ſecundum Dei propoſitum vocantur.

Argute ſe ratiocinari putat, quum dicit: Chriſtus propitiatio eſt pro peccatis totius mundi. *Rom. 8. verſ. 32.* Ergo extra mundum reprobos conſtituant oportet qui à Chriſti participatione arcere eos volunt. Ne valeat in præſens communis illa ſolutio: Chriſtum ſufficienter pro omnibus paſſum eſſe, efficaciter tantum pro electis. Magna illa abſurditas, ob quam plauſum ſibi inter ſuos gregales Monachus quæſivit, apud me nihil habet momenti. Per quaſcunque mundi plagas diſperſi ſint fideles, expiationem Chriſti morte partam ad eos Joannes extendit. Id certe non obſtat, quominus reprobi in mundo electis permixti ſint. Controverſia etiam caret, Chriſtum expiandis totius mundi peccatis veniſſe. *Joan. 3. verſ. 15.* Sed confeſtim occurrit illa ſolutio: Ut quiſquis credit in eum, non pereat: ſed habeat vitam æternam. Nec vero qualis ſit Chriſti virtus, vel quid per ſe valeat, nunc quæritur: ſed quibus ſe fruendum exhibeat. Quod ſi in fide conſiſtit poſſeſſio: & fides ex Spiritu adoptionis manat: reſtat, ut in numerum filiorum is duntaxat adſcitus ſit, qui futurus eſt Chriſti particeps. Nec vero aliud Chriſti officium commendat Euangeliſta Joannes, quam ut morte ſua in unum congreget Dei filios. Unde colligimus, Quamvis per ipſum offeratur omnibus reconciliatio, peculiare tamen eſſe electis beneficium, ut in vitæ ſocietatem colligantur. Quanquam dum omnibus offerri dico, non ita accipio, quaſi ad omnes legatio illa perveniat, qua mundum ſibi reconciliat Deus, teſte Paulo, *2 Cor. 5. verſ. 18.* ſed ad quos pervenit, ne eorum quidem cordibus indifferenter obſignatur, ut rata ſit. Quod nullam eſſe acceptionem perſonarum garrit: diſcat primum quid ſignificet Perſonæ nomen: tum nihil faceſſet nobis moleſtiæ ex ea ſententia.

At Paulus docet, Velle Deum omnes ſalvos fieri. Ergo aut Deum fateatur non eſſe votorum ſuorum compotem, aut omnes ſine exceptione ſalvos fore. Si reſpondeat: Velle Deum, quantum in ſe eſt: quia ſalus libero cujuſque arbitrio ſit expoſita: quæro iterum, Cur non ergo omnibus indifferenter prædicari Euangelium ab initio mundi voluit? Cur tot ſeculis tam multas gentes in mortis tenebris errare paſſus eſt? Sequitur enim in contextu, quod velit omnes ad veritatis notitiam venire. Sed candido ſanique judicii lectori minime ambiguus eſt ſenſus, quem ſupra expoſui: Quum pro Regibus & principibus juſſiſſet Paulus ſollennes & ordinarias in Eccleſia preces concipi, ne quis Reges & Magiſtratus haberet pro deploratis, quod tunc omnes infeſti eſſent fidei hoſtes, occupat Apoſtolus, & Chriſti gratiam ad illum quoque ordinem patere affirmat.

Quo audacior eſt nebulo hic in torquenda Scriptura, non mirum eſt, ſi in pluribus locis congerendis ſit copioſus: quando neque ulla eſt religio, neque pudor, quæ ejus proterviam frænent. Sed quo ille laxius diffluit: meum erit reſponſiones brevius adſtringere. Citat locum Jeſaiæ: Ne dicat filius extraneæ: Rejectus ſum. De reprobis non poſſe exponi, pro confeſſo ſumit. Electos autem vocari filios extraneæ, abſurdum judicat. Reſpondeo, non eſſe inſolens, ut qui ante mundi creationem electi erant, extranei tamen cenſeantur, donec fide aggregentur ad Dei filios. Verba Petri ſunt, quæ ex Propheta mutuatur: Qui eratis quondam non populus, nunc eſtis populus Dei. *1 Petr 2. verſ. 10.* Quos alloquitur? Nempe, quos initio teſtatus fuerat, dilectos eſſe, *1 Petr. 1. verſ. 2.* ſecundum præcognitionem Dei Patris. Apertius etiamnum ad Epheſios. *Epheſ. 2. verſ. 12.* Poſtquam enim de æterna ipſorum electione diſſeruerat, ſubjicit, Exules fuiſſe à regno Dei, hoſpites promiſſionum, ſine Deo & ſpe vitæ. Et miramur, ſi Jeſaias templum Dei ex profanis lapidibus ædificans, novam conſecrationem fore

prædicet? Nam quum in Dei corde abſcondita eſſet Gentium vocatio, quid aliud in illis quam damnata *Joan. 10. verſ. 16.* immundities apparuit? Erant quidem Dei oves, quicunque demum in Chriſti corpus coaluerunt, ut ipſe teſtatur: ſed oves foris excluſæ adhuc & vagæ. Interea quamvis ſe neſcirent, paſtor tamen eas noverat, ſecundum illam prædeſtinationem, qua ſuos elegit ante conſtitutionem mundi: ut probe Auguſtinus admonet.

Tract. Joan. 45. Si verum eſt, inquies, Prophetæ dictum: Filius non portabit iniquitatem patris: nulla igitur pars hominum in originali corruptione relinquitur. Cum bellua iſta nihil mihi negotii eſſe volo. Tantum rudibus ſuccurrere conſilium eſt, ne talibus cavillis implicentur. Nihil certius eſt, quam manere in generali interitu, quicunque in Chriſti corpus non inſeruntur. Bonus iſte frater, de alieno prodigus, omnes accumulat: & quibus Deus januam claudit & obſerat, eos facit domeſticos. Cæterum, ſponte inſanit, quiſquis non fatetur, eos qui naturaliter in Adam mortui ſunt, non poſſe niſi ordinato divinitus remedio, in vitam reſtitui. Jam inter pii hominis & increduli ſobolem apertum diſcrimen ſtatuit Paulus: ut hæc immunda ſit, illa vero ſancta. Et hac *1 Cor. 7. verſ. 14.* ratione, priuſquam Gentes una cum Judæis, diruta maceria, cooptarentur in Eccleſiam, filios Abrahæ *Rom. 11. verſ. 16.* ramos eſſe ſanctos dicit ex radice ſancta. Quid autem longo ſermone opus eſt? An non idem Propheta Ezechiel, cujus dicto Monachus abutitur, Gentes incircumciſas ſæpius tanquam profanas, exitio addicit? Neque enim alioqui tunc circumciſio fuiſſet vitæ fœdus. Quomodo igitur verum erit, filium paternæ culpæ pœnam non daturum? Viciſſim quæro: Quomodo innoxium ſe jactabit, qui ex malo ovo malus corvus naſcitur? Sic enim ex Adam contrahitur originale peccatum, ut cujuſque proprium ſit. Nemo itaque conqueri poterit, quaſi alieni pec- *Exod. 20. verſ. 5. Deut. 5:9. Exod. 34. verſ. 7. & aliis locis.* cati reatum ſuſtinet à culpa immunis. Cæterum, ſi Deo in filiis perſequi non licet majorum peccata: quid ſibi vult illud: Ultor in tertiam & quartam generationem? Item, Rejiciens patris ſcelera in ſinum filiorum. Porro, hæc prima ultio eſt, quod Spiritu Dei deſtituti, in naturæ gravitate manent.

Quum dicit Joannes: Quiſquis peccaverit, delebo eum è libro vitæ: ſi de reprobis exponas, nunquam ſcripti fuerunt: ſi de electis, conſilium Dei erit inſtabile. Perinde garrit Monachus, acſi nunquam ſe ad captum noſtrum Deus accommodaret. Fœda ſane ingratitudo, adverſus Deum ita inſoleſcere, dum uſque eo nobis indulget, ut noſtra cauſa balbutiat. Hoc quoque modo Deum corporeum nobis conflabit, quia & aures, & oculos, & pedes, & manus illi tribuit Scriptura. Atqui, ſimplex eſt ſenſus: Deleri è libro vitæ, qui ad tempus inter filios Dei habiti, poſtea in locum ſuum diſcedunt: *Actor. 1. verſ. 16.* quemadmodum de Juda vere loquitur Petrus. Tales autem nunquam ex nobis fuiſſe Joannes teſtatur, *1 Joan. 2. verſ. 19.* quia ſi ex nobis fuiſſent, non exiiſſent. Quod autem craſſe Joannes expreſſit, ſubtilius Propheta Eze- *Eze. 13. verſ. 9.* chiël: In arcano, inquit, populi mei non erunt: & in catalogo Iſrael non ſcribentur. Non alia ſolutione indiget, quod optant Moſes & Paulus, ex libro vitæ deleri: quia vehementia doloris extra ſe rapti, perire, ſi fieri poſſet, mallent, quam populoſam Dei Eccleſiam, qualis tunc erat, extingui. Gaudere enim quum ſuos diſcipulos jubet Chriſtus, quia nomina eorum ſcripta ſint in cælo, perpetuum illud eſſe bonum ſignificat, quo nunquam privandi ſint. Porro non minus dilucide quam breviter utrumque *Mat. 15. verſ. 13.* conciliat Chriſtus, quum dicit: Omnis arbor quam non plantavit Pater meus, eradicabitur. Nam & reprobos in ſpeciem radices agere, neque tamen Dei manu plantatos eſſe, ſignificat.

Rom. 5. verſ. 12. Notanda, inquit, illa apud Paulum comparatio, quod ſicut per unum hominem peccatum in condemnationem, ita & per unum hominem donum juſtitiæ in vitam. Quod ſi in uno mortui ſint multi: multo magis gratia Dei exuberabit, ut multi regnent in vita per Chriſtum. Si illic diſputaret Paulus, ad omnes penetrare Chriſti gratiam: victus taceſem: ſed quum ſimpliciter illi propoſitum ſit oſtendere, quanto potentior ſit in fidelibus Chriſti gratia, quam contracta ex Adam maledictio: quid hoc ad labefactandam eorum electionem, quos in vitam Chriſtus reſtituit, aliis pereuntibus? Sed Monachus verba urget. Nam Paulus totum hominum genus comprehendit, quum dicit, Peccatum unius hominis graſſatum in omnes: neminem licebit à vitæ participatione excludere. Si hoc modo ineptire libet, creandos eſſe Deo novos mundos contendam, ut quod illic habetur, præſtet. Negat Chriſtus parem fuiſſe maledictionem gratiæ, quia hæc longe exuberet. Si in rationem utrinque veniat hominum numerus: non poteſt Chriſtus plures ſervare, quam perdiderit Adam. Ergo periclitabitur Pauli fides, niſi repente novus aliquis mundus emergat. Ego vero non alium Monacho clypeum opponam, quam qui mihi ab eo porrigitur. Alterum ex Paulo locum adducit: Quod ſicut in Adam moriuntur omnes, ita in Chriſto omnes vivificabuntur. Si hoc ſecundum membrum *1 Cor. 15. verſ. 22.* extendit ad omnes Adæ filios: manum Paulus injicit, qui diſerte mox teſtatur, non niſi de Chriſti membris ſe intelligere: Primitiæ Chriſtus: deinde & qui ſunt Chriſti, reſurgent. Nam certe illic de reſurrectione diſputat, quam beata immortalitas conſequitur, qualem & in ſymbolo fidei prædicamus.

Ne eadem ſubinde iterando lectoribus fruſtra tædium pariam, pauca ex multis obiter perſtringere conſilium eſt. Qualiter mortem peccatoris nolit Deus, quum vult omnes converti & vivere, ſupra expoſui. Nam quod ad reſipiſcentiam hortatur, & converſis offert veniam, id omnibus commune eſt: at filios ſuos ſingulari hoc privilegio dignatur, ut carnea eorum corda ex lapideis faciat. Neque tamen irritas in aërem jactari voces Monacho concedo, dum & impios malitiæ ſuæ convictos inexcuſabiles reddit Dominus: & in electis ſuis ita operatur, ut arcana Spiritus virtute efficax ſit in eorum cordibus doctrina, quæ in eorum auribus perſonat. Nec eſt quod quempiam moveat vulgaris illa calumnia, Illudere Deum hominibus, quod pedibus captos ad ambulandum hortatur. Nam ſi nihil exigit, quod illi non debeant, non facit injuriam. Niſi vero qui ſolvendo non eſt decoctor, cum ludibrio creditoris ſolutum ſe jactabit. Porro litem hanc, quæ niſi propria cujuſque conſcientia dirimi nequit, ulterius non perſequor. Populi ſui aures Prophetæ voce verberari jubet Deus. An ut tangantur corda? Imo ut obdurentur. An ut reſipiſcant qui audiunt? Imo ut jam perditi bis pereant. Si excipias, Superiorem fuiſſe cauſam: non aliud in præſentia volo, minime abſurdum eſſe, ſpargi Dei mandato doctrinam, quam profectu carituram novit. Non minus frivolum, quod conſtare negat poſſe Chriſti dictum, de reducta quæ perierat ove, ſi qui prædeſtinati forent. Ego vero quod temere in nos vibrare telum molitur, longe aptius in eum retorqueo: non alia ratione vocari ovem, qui ad tempus perditus videtur, niſi quia gratuitæ electionis reſpectu, ſub Dei cuſtodia manet.

Ejuſdem farinæ eſt illud dilemma, Si qua eſſet ſpecialis electio, non quadraret exhortatio Prophetæ: Derelinquat impius viam ſuam. Nam ſi electos alloquitur, quomodo impii eſſent, quibus omnia in bonum cedunt? Si reprobos, quorſum ad reſipiſcentiam vocantur? Ego autem utriſque deſtinari Prophetæ concionem reſpondeo: ut priores, qui excuſſo jugo laſcivierunt, ad ſanam mentem redeant moniti: alteri vero, qui in malis ſuis ſtupent, tali-

bus ſtimulis pungantur. Neque enim electos fingimus continua Spiritus directione ſemper tenere rectum curſum: quin ſæpe labi, errare, impingere, & fere alienari à ſalutis via dicimus. Sed quia potentius eſt quo teguntur, Dei præſidium, lethali eos ruina excidere impoſſibile eſt. Cavere jubentur homines, ne pereant. Atqui, electos extra periculum eſſe, certum eſt: in reprobis nulla cautio. Reſpondeo, Nihil abſurdi eſſe, ſi electi, qui aſſidue ſunt in conflictu, neceſſariis armis inſtruuntur: & communiter acuitur omnium vigilantia, donec reprobi re ipſa ſe incurabiles eſſe demonſtrent. Adhibetur enim morbis medicina, donec certa deſperatio appareat.

Objicit Georgius: Abraham fidelium, non electorum vocari patrem: & ſalutem non electis, ſed credentibus promitti. Quos igitur eſſe dicet, qui ſimul cum patre ſuo Abraham in regnum Dei colligendi ſunt? Nam certe Chriſtus id in electos docet
Mat. 24. *verſ.* 22. *Marc.* 13. *verſ.* 20.
competere. Chriſtus finem horrendis cladibus impoſitum iri pronunciat, ut electis ſit conſultum. An filios Abrahæ eſſe negabimus, qui ſimul cum eo domeſtici ſunt Eccleſiæ? Et unde, obſecro, tanta Abrahæ dignitas: ut pater fidelium cenſeatur, niſi quia à Domino electus eſt? Unde degeneres eſſe ſtatuendum eſt, qui hac ſimilitudine ipſum non referunt: execrandam vero eſſe nebulonis hujus audaciam, qui notam, qua præcipuè filios ſuos inſignit Deus, expungere & delere, quantum in ſe eſt conatur. Credentibus certe vitam æternam promitti fateor: modo ne viciſſim neget, electis ſimiliter promitti. Sic enim Jeſaias: Et eam poſſidebunt electi mei: modo credere fateatur, quos Deus Spiritu ſuo illuminat: modo denique electionem fateatur matrem fidei eſſe. Ad omnia pro electis ferenda ſe
2 Tim 2. *verſ.* 10. *Luc.* 18. *verſ.* 7. *Coloſſ.* 3. *verſ.* 12.
paratum eſſe, Paulus docet, Chriſtus Patrem, electorum vindicem fore clamat. Hortatur Paulus Coloſſenſes, ut manſuetudinem, patientiam & reliquas virtutes, tanquam electi Dei induant. Eximit Paulus à reatu omnes Dei electos. An ſpoliandi bonis iſtis erunt fideles? ac ſi inter res mutuo & quidem individuo nexu conjunctas pluſquam hoſtile diſſidium foret. Imo ut firma Dei electio maneat, tum in fidem illuminantur qui cæci erant, tum fide recipiunt Chriſti juſtitiam, tum fide in finem uſque cuſtodiuntur.

Quum perditis exitium denunciat Scriptura, cauſam in æternum Dei conſilium minime rejicit vel transfert: ſed reſidere in ipſis teſtatur. Nos vero non ideo reprobos tradimus deſtitui Dei Spiritu, ut ſcelerum ſuorum culpam in Deum derivent. Quicquid peccant homines, ſibi imputent. Quod ſi quis ſubterfugiat, conſcientiæ vinculis fortius conſtringi dico, quam ut ſe à juſta damnatione expediat. Cauſetur Adam, ut volet, ſe datæ ſibi à Deo uxoris illecebris fuiſſe deceptum: intus tamen mortiferum infidelitatis virus, intus peſſima conſultrix ambitio, intus diabolicum audaciæ flabellum reperietur. Multo igitur minus excuſabiles erunt, qui ex profundis Dei adytis malorum ſuorum cauſam, quæ ſe ex vitioſo eorum corde proferet, eruere tentabunt. Conjici merentur in ſenſum reprobum, quicunque Deum ex cœli terræque adſpectu cognitum non glorificarunt, ut decebat. Qui maligne ac deliberata malitia Chriſti gratiam reſpuerunt, & accenſam Euangelii lucem reſpuere non veriti ſunt, graviorem pœnam ſuſtinent. Sua quiſque peccata accuſet, ſeipſum damnet, ſuamque culpam ex animo confeſſus, judicem ſuum ſuppliciter deprecetur. Si quis obſtrepat: prompta eſt exceptio: Perditio tua ex te Iſraël. Nam, ut alibi dictum eſt, ſi ridicule apud veterem Poëtam queritur Medea, cæſas in nemore Pelio fuiſſe abietes: quum inteſtino libidinis ſuæ igne flagrans patrem totumque regnum ſecum perdiderit: multo certe minus audiendi ſunt, qui procul remotas cauſas è nubibus accerſunt, ut culpæ ſuæ notitiam, quæ & eorum cordibus penitus inſidet, neque occulta latere poteſt, utcunque obſcurent. Hominum ergo peccatis malorum omnium cauſam Scriptura jure aſſignat. Neque id inter nos diſputatur, Occultone Dei judicio citra propriam culpam pereant homines (quod non modo falſum eſſe concedimus, ſed tanquam fœdum ſacrilegium deteſtamur) ſed, An impii qui voluntarie peccando, iram Dei in ſe provocant, jam olim juſta quidem, ſed incognita de cauſa divinitus reprobati fuerint. Atqui, ut Paulus ſevere coarguit hominum peccata, conſcientias valide urget, Deique juſtitiam à ſacrilegis hominum calumniis acerrime vindicat: ita qui ſe in exitium præcipitant, non diſſimulat fuiſſe vaſa iræ ad interi-
Rom. 9. *verſ.* 22. *Mat.* 15. *verſ.* 13.
tum præparata. Reprobos quo digni ſunt reatu Chriſtus conſtringit. Simul tamen arbores eſſe dicit Patris manu non plantatas. Denique Patrem eos qui ſui erant, Filio dare audimus, ut eos ſanctificet.
Joan 17. *verſ* 6. *Rom.* 11. *verſ.* 7.
Contra Paulus, poſtquam electionem Dei conſequutam eſſe docuit: reliquos omnes ſubjicit eſſe excæcatos. Perperam ergo Georgius, qui defixis in manifeſta peccata oculis, reconditum corruptæ naturæ fontem non conſiderat.

Magna abſurditate nos implicari putat Georgius, quod hominem facimus liberum ad peccandum: quum neceſſitate peccent reprobi. Atqui libertas iſta de qua loquimur, quum illi nimium fuerit familiaris, non fuit ſatis nota. Manumiſſos ab obſequio
Rom. 6. *verſ.* 20.
juſtitiæ & liberos Paulus vocat, qui ſine metu Dei intemperanter laſciviunt. An ideo ſequitur, non eſſe peccato mancipatos? Calumniatur etiam, nos Dei potentiam vincire: quia ſi præſcit atque ordinat quod futurum eſt, nequeat poſtea mutare. Abominandum vero prodigium, ſi Deus inſtar mortalis hominis varium ſe & flexibilem mutandis in horas conſiliis non præbeat. Quid enim tantopere improbat Monachus niſi Deum ſibi neceſſario conſtare? Verum, in eo ſcilicet hallucinatur, quod fixa Dei placita à poteſtate diſtrahendo, eum ſibi diſſidentem facit. Si Stoice loquendum eſſet, nota eſt Senecæ ſententia, Quod Deus ſibi ſit ipſe neceſſitas. Nos magis reverenter & ſobrie: quod ſemper idem vult, conſtantiæ eſſe laudem: quod quicquid decrevit, effectum reddit, omnipotentiæ ejus eſſe conſentaneum: quod conjuncta eſt cum potentia voluntas, dignam illa rerum omnium moderatrice providentia eſſe ſymmetriam.

Non moror quod diverſa, & nihil commune inter ſe habentia Scripturæ teſtimonia coacervat Quanquam, ut inſcitiæ parcamus, coërcenda ejus protervia eſt, ne ſimplices conturbet. Poſtquam ex loco
2 Theſſ. 2. *verſ.* 11.
uno Pauli oſtendit, mittere Deum operationem erroris rebellibus, ut credant mendacio, qui noluerunt obedire veritati: locum alterum diſſimilem accumulat: doctrinam Euangelii obſcuram eſſe iis qui pereunt: quorum mentes excæcavit Deus hujus ſe-
2 Cor. 4. *verſ* 3.
culi. Fateor quidem illos vocari incredulos: verum ſi in illis cæcitatis cauſa eſt ſola incredulitas, quid ſibi vult quod mox ſequitur, Deum qui juſſit ex tenebris lucem ſplendeſcere, illuxiſſe in cordibus fidelium? Ubique tenebras eſſe audimus: Deum vero ex tenebris fulgorem educere. Sed quod nos crudelitatis accuſat, quod nobis & multis obſtruimus ſalutis viam, quum Chriſtus Chananæam & oves perditas atque alienos canes tam benigne invitet: ego vero reſpondeo, Nos fidei & pœnitentiæ doctrinam, quæ nobis commiſſa eſt, fideliter omnibus propo-
Mat 25. *verſ* 21. *Marc* 10. *verſ* 17.
nere, ut Chriſto lucrifiant omnes. Quum rogatus eſſet Dominus ipſe ab uxore Zebedæi, ut alterum ex filiis ad dexteram ſuam, alterum ad ſiniſtram locaret, ſtultum & intempeſtivum votum compeſcere volens, præſenti quidem vocationi ſuæ congruere hoc negat: neque tamen ſubticet, decretum cuique à Patre cæleſti eſſe locum, & ſuo tem-

pore patefactum iri. In hunc modum neque ſilentio
nobis obruenda eſt ſuperſtitio quæ palam in Scri-
ptura proditur: & tamen, quo uſque revelationis
dies advenerit, agendum quod Dominus mandat,
ut ſine exceptione ad pœnitentiam & fidem omnes
hortemur. Communis enim omnibus eſt doctrina:
& hac Lege apud nos depoſita eſt, donec qui re-
probi ſunt deplorata obſtinatione viam nobis ob-
ſtruant.

Cæterum, quum prædeſtinationem tot Scripturæ
locis teſtatam admittere cogatur, novum cavillum
ingerit, quo nihil ſtultius nec putidius fingi poteſt:
Fideles novi Teſtamenti electos à Deo eſſe, quibus
myſterii à ſeculis abſconditi notas faceret divitias.
In hunc ſenſum colligit teſtimonia omnia, quæ excel-
lentiam gratiæ per Chriſtum exhibitæ commendant.
Tandem concludit, Quicquid primo ad Epheſios
capite habetur, non alio ſpectare, niſi quod fideles
novi Teſtamenti Deus peculiari hoc theſauro digna-
tus ſit. Quum autem ad tempus referatur hæc gra-
tia, à Chriſti adventu uſque ad finem mundi omnibus
peræque communem eſſe docet. Atqui, longe aliam
Pauli mentem oſtendunt verba: quorum ſumma eſt,
Illuminatos eſſe in fidem, qui ſecundum æternum
Dei beneplacitum ad vitam prædeſtinati fuerant.
Quin tunc ſpecialis fuerit quorundam vocatio, negari
non poteſt. Ne omnibus quidem Euangelium pro-
mulgatum fuit. Verum ut detur, perſonuiſſe externa
voce omnium aures: altiorem vocationem illic Pau-
lus notat, qua in animos penetrat Dei Spiritus. So-
mnium narratur Georgio, quum interior & efficax
vocatio ab externa diſcernitur. Sed quantum ſit fri-
vola ejuſmodi diſtinctio, fidei experientia locuples
eſt teſtis. Ad hæc non alio vel ſenſu vel fine electio-
2 Theſſ. 2. verſ. 13. nem tractat hoc loco Paulus, quam alibi, dum gra-
tias agit Deo, quod Theſſalonicenſes ab initio ele-
gerit in ſalutem. Atqui partem exiguam ab impia
multitudine diſcernit. Excipiet Georgius, Electis
opponi præfractos gratiæ contemptores. Sed hoc
nihil ad rem: quia non aliud in præſentia contendo,
quam ſpecialiter quoſdam præ aliis electos eſſe:
quum Georgius contra garriat, nos tantum in hoc
prædeſtinatos eſſe, ut hoc tempore naſceremur.
Joan. 13. verſ. 18. Quid Judas? Cui etſi Chriſtum audire, & domeſtica
ejus conſuetudine frui datum eſt, electum tamen
fuiſſe, Chriſtus negat. Non de omnibus loquor, in-
quit, ego ſcio quos elegerim. Quod ſi audiatur fa-
naticus iſte, potior erit Herodis conditio, quam
Davidis: & electionis honore ſanctos Prophetas
impii Scribæ præcedent, dicet non eſſe ex numero
fidelium. Atqui, paſſim clamitat, generaliter in ſe-
Rom. 8. verſ. 29. culum competere electionis gratiam. Vult ſe fide-
juſſore credi, Nunquam aliter Paulum de prædeſti-
natione loquutum eſſe. Quid? An omnes ſuæ ætatis
homines complectitur, quum juſtificari dicit, quos
Deus prædeſtinavit? annon potius à communi or-
dine ſegregat, qui ſecundum propoſitum vocati
1 Cor. 1. verſ. 27. ſunt? Item, quum alibi dicit: Quæ ſtulta ſunt, ele-
git Deus, ut ſapientiam mundi confundat: an ad to-
tam ætatem extendet, in qua manifeſtum diſcrimen
ſtatuitur?

Quoniam tamen ſe adhuc impeditum teneri ſentit,
aliud aſylum captat: Quod non vocentur electi,
quos Deus aliis prætulerit: ſed qui in communi ele-
ctione & gratia perſeverant. Acſi diceret, Eos de-
mum cenſeri electos, qui ſe fidei conſtantia ab homi-
1 Tim. 5. verſ. 21. num vulgo ſeparant. Locum Pauli adducit: Teſtifi-
cor coram Deo & electis Angelis. Quaſi vero illi
conceſſum ſit quod poſtulat: quia cum apoſtatis non
deſciverint, electionis gratiam eſſe promeritos. At
ſi quis ex adverſo aſſerat, Quia electi erant, perſti-
tiſſe, quanto probabilius hoc erit? Ne ſit pugna de
verbo. Quum prædicit Chriſtus, tantas fore Satanæ
Mat. 24. verſ. 24. fallacias, ut electi quoque, ſi fieri poſſet, in erro-
rem inducantur: ſignificat fieri nullo modo poſſe, ut
electos vi ſua abripiat Satan. Nunc qua virtute tutos
eſſe dicemus? Staturos proprio robore Georgius
ſomniat. Longe aliter Chriſtus: Nemo rapiet è manu *Joan. 10. verſ. 29.*
mea quas ſuſcepi cuſtodiendas oves. Pater enim qui
dedit mihi: major omnibus eſt: Nec poterit quiſ-
quam eas rapere è manu Patris. Ita Paulus fideles *1 Theſ. 5. verſ. 24.*
minime in propriam conſtantiam recumbere jubet,
ſed fidelem eſſe Deum admonet, qui ipſos vocavit:
qui idem efficiet. Suæ quemque electionis aucto-
rem & arbitrum facit Georgius: at Chriſtus ſuos
eſſe teſtatur, quos è mundo ipſe elegit. In quam ſen-
tentiam clamat Paulus, Secundum propoſitum vo- *Joan. 15. verſ. 19.*
catis omnia cooperari in bonum. Et de infante non- *Rom. 8. verſ. 28.*
dum nato. Ut ſecundum electionem propoſitum
Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante *Rom. 9. verſ. 11.*
dictum eſſe: Jacob dilexi. Quid reſtat tandem,
niſi ut garriat nebulo, Jacob utero adhuc incluſum
ſua induſtria electionis honorem ſibi peperiſſe, &
ſua conſtantia ſtetiſſe in ejus poſſeſſione ad extre-
mum?

Tantundem habet rationis, quod rejectionem,
de qua diſputat Paulus, non ad ſingulas perſonas,
ſed ad totum Judaici populi corpus ſpectare expo-
nit: quia gens illa Chriſtum reſpuendo, vitæ æternæ
hæreditate ſe privavit. Fateor equidem, hinc ortam
fuiſſe diſputandi cauſam. Sed inde nemo ſanus colli-
get, quæſtionem illis terminis finiri, quum & genus
Abrahæ ex electis pariter & reprobis mixtum eſſe
doceat Paulus: & generaliter pronuntiet, ex genere
humano partim iræ, partim miſericordiæ vaſa ad
illuſtrandam Dei gloriam proferri. Quod autem pri-
mam reprobationis originem in eo ſtatuit, quod
Euangelio increduli fuerint: cauſam hanc à Paulo
diſerte exprimi non inficior, poſtquam ſcilicet prius
illud membrum de abditis Dei judiciis abſolvit. Di-
ſtincte enim duo ab eo tractantur: Quod nunquam
ita obſtrictus fuerit Deus uni populo, quin libera
ejus electio in ſingulis vel cooptandis, vel abjicien-
dis, regnaret: deinde quod Judæi ſua ingratitudi-
ne, ſe abdicaverint ex Dei familia, quum proprii
eſſent æternæ vitæ hæredes. Cæterum, ne quem per-
turbet varietas, quaſi poſterior hæc rejectio arcanum
Dei conſilium labefactet, mature occurrit Paulus, *Rom. 11. verſ. 29.*
Dona & vocationem Dei pœnitentia carere: ac
proinde reliquias ſecundum gratuitam electionem
ſervari. Quibus verbis ſtabilem & fixam manere quæ
in abdito Dei conſilio fundata eſt, electionem ſigni-
ficat. Fœdior etiam nebulonis impudentia in eo ſe
profert, quod Eſau ante reprobatum fuiſſe negat,
quam primogenitura ſua vendidit. Verbum certe
Apoſtoli agnoſco, quod quum ſe hæreditate privaſ-
ſet, reprobatus eſt. Sed an ſuperius illud judicium *Hebr. 12. verſ. 17.*
abolet, quam tunc paſſus eſt, repulſa? Certe non ma-
gis, quam fides & obedientia Jacob, gratuitam Dei
adoptionem evertit.

Quod initio præfatus ſum, nunc iterum repeto:
Nemini improbari poſſe quam expoſui doctrinam,
niſi qui ſupra Dei Spiritum ſapere ſibi videbitur.
Nunc enim eo faſtidii perveniet hominum moroſi-
tas, ut quod è Scriptura ſumptum eſſe conſtat, pla-
cide libenterque amplecti non ſuſtineant, quin ſibi
quod Dei proprium eſt, arrogent: loquendi ſcilicet
& tacendi legem imponere. Et tamen modeſtiæ præ-
textu ſepeliri quidam volunt, quod ab omnibus Dei
ſervis proditum eſſe, ne ipſi quidem negare audent.
Ego vero non aliam modeſtiæ legem novi, niſi ut
quod in cæleſtis Magiſtri ſchola didici, ſobrie & re-
verenter profitear. Neque vero me latet, ut ad fidei
ædificationem attemperentur omnia, prudentiam
adhibendam eſſe. Sed quum id quoque bona fide
præſtare ſtuduerim: ſi nondum placantur quorundam
lautitiæ, defunctum me exiſtimo: qui habet aures
audiendi, audiat.

DE Providentia Dei verba facturus, qua non modo totam mundi machinam, & ſingulas ejus partes, ſed corda etiam actioneſque hominum gubernat, ingens ſylva occurrit. Sed quia argumentum hoc ſic me tractaſſe jam confido, ut ſatisfactum magna ex parte ſit ſanis & æquis lectoribus, ſummam ejus qua potero brevitate, nunc adſtringam. Nec vero ſperandus eſt à me orationis ſplendor, qui illius magnitudini & præſtantiæ reſpondeat: Nudis tantum verbis quæ uberius in mea Inſtitutione expoſita fuerunt, nunc referam: & ſi qua opus teſtimonia habebunt, probationem ex Scriptura attexam: tum ſiniſtras malignaſque Pighii & ſimilium obtrectationes, quibus bene dicta male corrumpunt, ita diluam: ne quid pias mentes impediat vel conturbet.

Providentiam vocamus, non qua Deus è cælo otioſus ſpeculetur quæ in mundo fiunt: ſed qua mundum à ſe conditum gubernat: ut non unius tantum momenti ſit opifex, ſed perpetuus moderator. Sic providentia, quam Deo tribuimus, non minus ad manus quam ad oculos pertinet. Jam dicitur providentia ſua mundum regere, non modo quia propoſitum à ſe naturæ ordinem tuetur, ſed quia peculiarem uniuſcujuſque ex ſuis creaturis curam habet ac gerit. Eſt hoc quidem verum: ſicuti admirabili Dei ſapientia tam pulchre diſpoſitum fuit mundi opificium: ita niſi quatenus præſenti ejus virtute ſuſtinetur non poſſe manere in ſuo ſtatu. Quod ſol quotidie nobis oritur: quod in curſu tam rapido gradus habet tam apte temperatos: quod aſtrorum mire digeſta ſeries non turbatur: quod continuæ recurrunt temporum vices: quod viſcera ſua quotannis ad homines alendos terra aperit: quod elementa & ſingulæ partes officium ſuum facere non deſinunt: quod denique naturæ fœcunditas nunquam deficit, quaſi fatigata: id non niſi directrice ejus manu, qui ſemel omnia condidit, fieri putandum. Et Pſalmus 104. nihil aliud continet, quam univerſalis hujus providentiæ
Act. 17. verſ. 28. elogium. Eam ſimiliter prædicat Paulus, quum dicit, in ipſo nos eſſe, & moveri, & vivere. Quare ſicuti Dei unius propria eſt eſſentia, ita fide conſideranda eſt occulta quam inſpirat, vegetatio: qua fit, ut ſubſiſtant, quæ alioqui mox interirent, creaturæ.

Sed univerſalis providentiæ notitia per ſe vaga & confuſa eſſet, niſi ſimul teneamus, Deum ſingulas creaturas cura ſua complecti: quemadmodum & Chriſtus docet, paſſerculum, qui dimidio aſſe vænit,
Mat. 10. verſ. 29. non cadere in terram ſine Patris voluntate. Nunc in iſta ſpeciali providentia, quæ curandis ſingulis Dei operibus privatim excubat, certos & diſtinctos gradus ſtatuere convenit. Nam quum nobiliſſimum Dei opus ſit homo, in cujus gratiam conditum eſt quicquid cælum & terra continent: Scriptura præcipue nobis in gubernando genere humano, Dei providentiam commendat. Paulus dum locum illum
1 Cor. 9. verſ. 9. exponit: Non obligabis os bovi trituranti: boves Deo curæ eſſe negat: quod ſcilicet illic non reſideat cura ejus, tanquam in ſua meta, ſed in hominem potius reſpiciat. Hic autem, quia Deo cum hominibus ratione præditis negotium eſt, certior & magis dilucida ſe profert ejus providentiæ ratio. Mirifica enim ejus judicia, nunc in ſceleribus puniendis: nunc in erudiendis ad patientiam fidelibus, domandaque eorum carne: nunc in purgandis mundi vitiis: nunc in expergefaciendo multorum torpore: nunc in conterenda impiorum ſuperbia: nunc in aſtu ſapientum ridendo: nunc in pravis machinationibus diruendis ſe proferunt. Ex altera parte incomparabilis ejus bonitas in juvandis miſeris: in protegenda aſſerendaque innocentium ſalute: in ferendo rebus deſperatis auxilio, relucet. Hujus providentiæ, quæ homines reſpicit, pulchra deſcriptio habetur Pſalmo centeſimo ſeptimo. Illic enim oſtendit Propheta, quæ vulgo æſtuariæ putantur fortunæ vices adeo non volvi cæco impetu, ut dilucida ſint vel bonitatis, vel iræ, vel juſtitiæ Dei ſpecula. Quare tandem concludit, Si prudenter reputentur quæ ſubinde in mundo fiunt rerum converſiones, piis fore lætitiæ materiam: ſatis autem ad os iniquis obſtruendum tale operum Dei ſpecimen valere.

Cæterum hic rurſum digerendi ſunt gradus. Quamvis enim ſe toti humano generi & patrem & judicem Deus oſtendat: quia tamen Eccleſia ſanctuarium eſt in quo reſidet, illic clarioribus documentis præſentiam ſuam exſerit: illic officium facit patris familias, & eam propiore adſpectu, ut ſic loquar, dignatur. Referta eſt ejuſmodi teſtimoniis Scriptura, quæ Deum pro ſuis fidelibus intentiores agere excubias affirmant. Oculi Domini ſunt ſuper juſtos. Cu- *Pſal. 33.*
ſtodit Dominus animas ſanctorum ſuorum. Illi cura *verſ. 21.*
eſt de vobis. Capilli capitis veſtri numerati ſunt. *& 96:10*
Denique Eccleſia propria eſt Dei officina, in qua *1 Petr. 5.*
ſuam providentiam exercet: & præcipuum ejuſdem *verſ. 7.*
providentiæ theatrum. Qua ratione etiam dicitur *Mat. 10.*
Angelos, qui ſunt veluti ejus manus, ſpecialiter, *verſ. 30.* *Pſal. 34.*
deſtinaſſe fidelibus ſuis cuſtodes, ne à Chriſti cor- *verſ. 8.*
pore, cujus ipſi quoque ſunt membra, quicquam ſeparatum habeant. Itaque, ut pro captu rudium craſſe agamus, primo loco ſtatuenda eſt ante oculos generalis mundi gubernatio, qua foventur & vegetantur omnia, ut ſtet incolumis naturæ eorum ſtatus. Deinde conſiderandæ ſunt in ſingulis partibus regendis & curandis, Dei excubiæ: & quidem tales, ut nihil niſi nutu arbitrioque ejus eveniat. Tum peculiaris generis humani cura in mentem nobis venire debet: qua fit ut vita & mors hominum, tam publica regnorum & gentium quam privata cujuſque conditio, & quicquid fortunæ adſcribi ſolet, ab una cæleſti moderatione pendeat. Ultimo præſidium vere paternum, quo Eccleſiam ſuam tuetur, cui præſentiſſima Dei ipſius virtus annexa eſt.

Porro, quanta ſit & quam multiplex hujus doctrinæ utilitas, nullis verbis pro dignitate ſatis exprimi poteſt. Verum, Dei providentiam in mundo gubernando qualis in Scriptura nobis traditur, & agnoſcitur fidei ſenſu, nemo utiliter expendet, niſi qui ſibi cum fictore ſuo, rerumque omnium opifice negotium eſſe reputans, metum & reverentiam tantæ majeſtatis, qua decet humilitate, primum ſe ſubmiſerit. Nam ſi æqualibus quiſque ſuis tantum honoris habere ſolet, ut candide modeſteque de eorum factis judicet, ubi quid obſcurum eſt vel non ſatis cognitum, ſenſum non minus quam ſedulo inquirat, & judicium ſuſpendere malit, quam nimis properando, injuriam facere: an non plus quam immanis, obſecro, iſta eſt feritas, majore licentia, tum opera Dei ad calculum noſtrum vocare, tum de incognitis præcipitem ferre ſententiam, tum arcana ejus conſilia excutere, tum profano more de tantis & procul adorandis myſteriis nugari? Atqui, quum omnibus ſeculis graſſata fuerit hæc petulantia, multo inſolentius hodie, quam antehac unquam, ſe jactat. Ac multi quidem Epicurei, quia Deum nequeunt è cælo detrahere: quod gigantum exemplo libenter tentarent, ut ſaltem ejus cultum, & quicquid eſt religionis, ex ſuis & omnium conſcientiis deturbent, fœdas & indignas blaſphemias vomendo, impium ſuum furorem produnt. Sed in majori parte hunc mali fontem eſſe conſtat, quod leves & fervidi ſpiritus, frivolæ ſuæ curioſitati primum indulgent: ut nullo fine ſibi propoſito, totos ſe addicant ſupervacuis ſpeculationibus. Accedit deinde effrænis audacia, quæ linguas ad æquandam ſua petulantia illam intemperiem ſtimulat. Alii laborant quidem diverſo vitio, ſed non minus noxio. Nam ſe implicantes abſurdis deliriis, mentes ſuas obruunt voluntaria aut deſperatione, aut ſocordia. Iſtæ ſcilicet diaboli ſunt artes: involvere prodigioſis figmen-

figmentis piam ſanamque doctrinam: quibus non modo ejus fructum nobis præripiat, ſed partim eam odioſam, partim exitialem reddat. Verum quicquid moliatur ille, faceſſat tamen à nobis præpoſtera quorundam cautio: qui ut talibus periculis occurrant, non aliud inveniunt compendium, niſi ut corrumpant vel obſcurent quod ſimpliciter in Scriptura proditum eſt.

Longe aptius remedium eſt: quomodo & in quem finem conſideranda ſit Dei providentia, tenere. Prior finis eſt, ut nos temeraria confidentia exutos tum in Dei timore contineat, tum ad invocationem expergefaciat. Alter vero, ut ſedatis tranquilliſque animis, in Deum recumbere, & quæ nos circumſtant pericula, nobiſque aſſidue centum mortes minantur, ſecure fortiterque contemnere doceat. Utrumque membrum breviter exponam. Qui fortuitum aliquid imaginantur, vel induſtriæ ſuæ, conſiliis, opibus, humanis auxiliis quidpiam arrogant: audacius ad tentanda omnia feruntur, ſatagunt, verſant ſe in omnes partes, nullum non movent lapidem, ſubinde novi aliquid excogitant: quaſi libero ſpatio ſoluti vagantur: nulla interim Dei invocatio, nullus metus. Qui vero Dei providentia, homines, eorumque conſilia, & rerum eventus gubernari
Jer. 10. verſ. 23. agnoſcet, trepide cum Jeremia dicet: Scio Domine, non eſſe hominis viam ejus, neque viri ut dirigat greſſus ſuos: item illud Solomonis reputans,
Prov. 20. verſ. 24. A Domino ſunt greſſus viri, & quis hominum diſponet viam ſuam? totum ſe Domino tradet, atque ab eo pendebit. Ultro ſequentur preces, ut Deus nobis quieſcentibus inchoet ac perficiat, quicquid aggredimur operum. Similiter qui fortunæ imperium comminiſcetur, ut diabolo, impiis, & brutis animalibus fræna laxabit, quaſi præter Dei nutum & moderationem quicquam poſſint vel agant: miſera anxietate ſemper æſtuabit: vitam ſuam quaſi de filo pendentem adſpiciens, torquebitur: pedem vix movere audebit, quin de vita ſua deſperet: fideles vero, dum ſibi manum Dei moderatricem proponent, curas ſuas non dubitabunt in eum conjicere. Dum certo ſtatuent, diabolum & impios omnes, quantumvis tumultuentur, non tantum ligatos Dei compedibus teneri, ſed etiam cogi ad præſtanda illi obſequia: quieti per vias ſuas pergent.

Nonnihil etiam lucis addent duæ aliæ diſtinctiones: prior eſt, Quod tam in præteritum quam futurum tempus conſideranda ſit Dei providentia: altera, Interdum cum ſuis mediis, interdum ſine mediis, interdum contra omnia media, ſummam illi poteſtatem aſſerendam eſſe, ut ordinet, conſtituatque omnia. Talis præteriti temporis ſit conſideratio, Siquid proſpere & ex voto ſucceſſit, non ſacrificet mortalis homo reti ſuo, quemadmodum loquitur Habacuc: neque ſuam prudentiam, virtutem vel fortunam efferat: neque acceptum ferat hominibus vel creaturis quod Dei proprium eſt: ſed Deum ſibi perſuadeat ejus boni primum eſſe auctorem, undecunque provenerit. In rebus autem adverſis, in hac conſolatione acquieſcat: Sicut Domino placuit, ita factum eſt: contra Deum tumultuando, nec quicquam proficiam, & me obſtringam impiæ contumaciæ reatu. Tum vero anteactæ vitæ ſubeat memoria, ut ex pœnis ſibi inflictis peccata ſua agnoſcat. In tempus futurum hoc modo reputanda eſt piis mentibus Dei providentia, ut ſemper ad ejus promiſſiones ac minas intentæ ſint: quia ſimulatque inde deflexerint, nulla reſtabit ad Dei timorem eruditio, nullus fidei profectus. At vero qui Dei omnipotentiam in ſpeculo verbi ejus intuebitur, tum promiſſionibus ejus fretus ſupra innumera mundi pericula, ſe fidei alis eriget: tum minis ſubactus, ſe coram totidem ferulis humiliabit. Quod cum ſuis mediis conſiderandam eſſe dixi Dei providentiam, hunc habet ſenſum: Si quis in extremo diſcrimine laborantibus opem tulerit: non humana eſt, ſed divina per manum hominis liberatio. Sol oritur quotidie, ſed Deus eſt qui orbem terræ illuſtrat. Producit terra fruges, ſed Deus eſt qui panem ſuppeditat: & pani inſpirat vigorem ad nos alendos. In ſumma, quum inferiores cauſæ tanquam vela, Deum è conſpectu noſtro ſubducere ut plurimum ſoleant: fidei oculo altius penetrandum eſt, ut Dei manum in his organis operantem cernat. Abſque mediis quomodo locus dandus ſit providentiæ Dei, exemplo ſuo Chriſtus docuit, quum Satanæ inſultum hoc clypeo repelleret: Non *Mat. 4:4* in ſolo pane vivit homo: ſed in omni verbo quod egreditur ex ore Dei. Nam quia virtutem Dei ſciebat nullius externi adminiculi indigam eſſe: tam ſine pane ſuffecturam colligit, quam ſe benigne exerit per panem. Cavendum itaque, ne inferioribus mediis ita ſimus affixi, quum Dei manus omni ſubſidio nudata, per ſe nobis abunde ſufficiat. Contra media, quam meretur gloriam apud nos obtinet Dei providentia, quum illam obſtaculis omnibus ſuperiorem fore perſuaſi, cunctas formidines hac una fiducia vincimus. Atque hæc vera eſt palæſtra, in qua fidem noſtram Deus exercet, quum totidem ſe obſtacula ingerunt, ad impediendum ejus conſilium, quot ſurſum & deorſum apparent in cælo creaturæ. Quid autem tunc agendum? Nempe ſi ad divinæ potentiæ altitudinem conſcendat fides, omnia quæ contra niti videntur agendi media, non magno negotio expugnabit.

Quiſquis ſe intra has metas continuerit, nec tortuoſis ſpeculationibus ſe impediet, nec quia divinitus omnia fieri audiet, inde prætextum captabit ignaviæ, nec deſperatione concidet, nec ad frivolas nugas devolabit, & Dei majeſtate indignas. Nunc tamen propius excutienda eſt quæſtio, unde exoriuntur pugnæ. Non quod Dei providentia rite, ut decebat, cognita, eas ex ſe gignat: ſed quia in reputandis Dei operibus humana ratio quum cæcutiat, ſimul ad rixandum proſilit. Quanquam mirum non eſt, ſi carni parum conſentanea ſint Dei conſilia, quæ ex cælorum altitudine Angeli ſuſpiciunt. Sed hoc vitium minime tolerabile, quod nos, quibus humi reptare vix datum eſt, nihil probamus, niſi quod tanquam oculis noſtris ſubjectum deſpicere liceat. Cæterum, ut fructuoſa ſit doctrina, tum rudes & imperitos placare, tum improborum calumnias refellere, operæpretium eſt. Primo loco videndum eſt, quomodo Dei voluntas, rerum omnium quæ in mundo geruntur, cauſa ſit: neque tamen malorum auctor ſit Deus. Non dicam cum Auguſtino, quod tamen ut vere ab eo dictum libenter amplector, In peccato, ſive in malo nihil eſſe poſitivum. Eſt enim argutia, quæ multis non ſatisfaceret. Sed aliud mihi principium ſumo: Quæ perperam & injuſte ab hominibus fiunt, eadem recta & juſta eſſe Dei opera. Hoc ſi prima ſpecie quibuſdam eſſe paradoxum videtur, ſaltem ne ſint ita faſtidioſi, quin pauliſper mecum ſuſtineant ex verbo Dei inquirere, quid ſentiendum ſit. Cæterum, ne quicquam ſtulta pertinacia tueamur, quaſi Dei proprium, quod illi temere ex ſenſu noſtro affictum fuerit: primum audienda eſt Scriptura, imo tota inde operum Dei petenda eſt definitio.

Quod Deus ſuo conſilio dirigat, quæ maxime videntur fortuita, clare Scriptura teſtatur, quum dicit: In ſinum conjici ſortes, judicium vero earum *Prov. 16.*
exire à Domino. Similiter ſi ramus ex arbore defractus, aut ſecuris è manu hominis præter conſilium *verſ. 33.* *Deut. 19.*
elapſa, caput tranſeuntis illidat, Moſes teſtatur hoc *verſ. 5.*
Deum conſulto feciſſe: quia hominem occiſum voluerit. Alia Scripturæ teſtimonia conſulto nunc prætereo: quia rem tantum digito monſtrare propoſitum eſt. Sed quia Stoica neceſſitas hoc modo ſtatui videtur, multis odioſum eſt dogma, etiam qui pro falſo

damnare

Lib. 2. ad Bonif. c. 5. damnare non audent. Verus iſta calumnia fuit, qua ſe Auguſtinus injuſtè fuiſſe gravatum, alicubi conqueritur: nunc obſoletam eſſe decebat. Certe hominibus probis & ingenuis, ſi modo iidem docti ſint, valde indigna eſt. Qualis fuerit Stoicorum imaginatio, notum eſt. Fatum ſuum texebant ex Gordiano cauſarum complexu: in quem quum Deum ipſum involverant, fabricabant aureas catenas, ut eſt in fabulis, quibus Deum vincirent, ut ſubjectus eſſet inferioribus cauſis. Stoicos hodie imitantur Aſtrologi, quibus fatalis ex ſtellarum poſitu dependet rerum neceſſitas. Valeant igitur cum ſuo fato Stoici: nobis libera Dei voluntas omnium ſit moderatrix. Sed contingentiam tolli ex mundo, videtur abſurdum. Omitto quæ in ſcholis uſitatæ ſunt diſtinctiones. Quod afferam, ſimplex, meo judicio, & minimè coactum erit, deinde ad vitæ uſum accommodatum. Sic evenire neceſſe eſt, quod ſtatuit Deus, ut tamen neque præciſe, neque ſuápte natura neceſſarium ſit. Exemplum in Chriſti oſſibus familiare habeo. Chriſtum corpus induiſſe prorſus noſtro ſimile, Scriptura teſtatur. Quare fragilia illi oſſa fuiſſe, fateri nemo ſanus dubitabit. Sed alia mihi videtur ac ſeparata quæſtio, An ullum os ejus frangi potuerit. Nam integra omnia & illæſa manere, quia fixo Dei decreto ita ſtatutum erat, neceſſariò oportuit. Nec vero quod à receptis loquendi formis de neceſſitate ſecundum quid & abſoluta, item conſequentis & conſequentiæ, abhorream, ita loquor: ſed ne qua lectores argutia impediat, quin agnoſcat vel rudiſſimus quiſque verum eſſe quod dico. Ergo ſi in Chriſti oſſibus naturam conſideres: fragilia erant: ſin vero illud Dei decretum, quod ſuo tempore manifeſtatum fuit, nihilo magis fracturæ obnoxia erant, quàm humanis ærumnis Angeli. Jam vero quia divinitus poſitum naturæ ordinem intueri nos decet, contingentiam, quoad ſenſum noſtrum, minime rejicio.

Ac memoria tenendum eſt, quod ante poſui, ubi Deus per media & inferiores cauſas virtutem ſuam exerit, non eſſe ab illis ſeparandam. Temulenta eſt iſta cogitatio: decrevit Deus quid futurum ſit: ergo curam ac ſtudium noſtrum interponere ſupervacuum eſt. Atqui, quum nobis quid agendum ſit, præſcribat: & virtutis ſuæ organa nos eſſe velit: fas nobis eſſe ne putemus ſeparare quæ ille conjunxit. Initio terram ſine humana arte & cultura, omne herbarum & frugum genus juſſit producere: nunc autem manum hominis adhibet per quam operetur: ſi quis otioſo hiatu velle ſe panem excipere jactet: quia benedictio Domini fœcundet terram: at non pedibus magis calcabit Dei providentiam, quàm tali prædicatione efferet. Diſcerpit enim ac lacerat, quæ ſacro inter ſe nexu cohærent. Ergo quantum ad futurum tempus, quia nos adhuc rerum eventus latent, perinde ad officium ſuum intentus eſſe quiſque debet, acſi nihil in utramvis partem conſtitutum foret. Vel, ut magis propriè loquar, talem in omnibus quæ ex Dei mandato aggreditur, ſucceſſum ſperare debet, ut in rebus ſibi incognitis contingentiam cum certa Dei providentia conciliet. Et benedictionem ſuam Dominus manuum noſtrarum labori promittit. Hac voce pius vir ſe divinæ providentiæ organum conſtitui agnoſcet. Hac eadem promiſſione fretus, alacriter ad opus ſe accinget, quia perſuaſus erit, non fortuitam ſe operam in aëre jacere: quæ in Dei verbum recumbens, arcano ejus conſilio in optimum finem dirigetur. Denique, ſicut providentia Dei ritè expenſa, manus noſtras non ligat: ita invocationem adeo non impedit, ut potius ſtabiliat. Si quid jam acciderit, ſimili in tempus præteritum ſobrietate judicia noſtra temperari convenit. Nulla ad patientiam aptior exhortatio, quàm dum audimus, nihil fortuitò contigiſſe, ſed quod Domino viſum eſt, fuiſſe impletum. Interea non ſequitur, quin rerum adverſarum culpam vel ignavia noſtra, vel temeritas, vel incogitantia, vel aliud vitium meritò ſuſtineat. Quod ſi de cauſis eventuum non liqueat: ut ſæpe videntur quæ accidunt, præter rationem accidere: tamen ne ſic quidem deſinent piæ mentes, & ſapientiæ & juſtitiæ laudem tribuere Deo.

Verum, ubi interveniunt hominum conſilia, voluntates, ſtudia, conatus, plus in eo eſt difficultatis, quomodo illic quoque regnet Dei providentia: non modò ne quid geratur niſi ex ejus nutu: ſed etiam ne quid deliberando agitent homines, niſi quod ipſe inſpirat. Edit quidem in eo quotidie præclara ſuæ providentiæ documenta, quum ſtultis hominum conſiliis fræna laxans, imo diſſimulans ad eorum apparatus, eventu tandem eos fruſtratur. Sed in alio genere potentem ejus manum & dominationem celebrat Scriptura, quum impios infatuat: quum vertigine percutit, quum dementat & obſtupefacit eos: ſimiliter quum eorum corda effœminat, & pavore replet, ut ad folii cadentis ſtrepitum concidant. Parum ergo conſideratè Pighius, dum in iſtas anguſtias concludit Deum, ut tanquam vir prudens, & dux rei militaris peritus, hoſtium ſuorum conſilia prævidens, in contrarium tempeſtivis remediis vertat. Quaſi vero non utrumque diſertè exprimatur: Quod deprehendat ſapientes in aſtutia ſua: & auferat ſpiritum principum, ac eorum prudentiam evaneſcere faciat. Nimis craſſa etiam inſcitia eſt, dum Lib. 8. verſ. 3. negat Dei voluntate mori, qui conſultò ab homine occiditur: quia ubi intercedit hominis voluntas, Deus agere non judicatur. Quid ergo de innumeris Scripturæ teſtimoniis fiet, quæ gladios impiorum Dei manu regi teſtantur? An ſine hominum conſilio occiſi ſunt filii Heli? Atqui, adſcribitur elogium, 1 Sam 4. verſ. 11. quod voluerit Dominus occidere ipſos. Cæterum, quin perpetuo gubernet Deus hominum manus, nunc ligatas teneat, nunc flectat huc & illuc ad exequendum quod ſtatuit, quicunque mediocriter in Scriptura exercitati ſunt, non vocabunt in controverſiam. Imo communi fere omnium ſenſu receptum eſt, quicquid moliantur homines, eventum in manu Dei eſſe. Sed quia in tam denſa humanæ mentis caligine perquam tenuis & fere evanida eſt illa cognitio: Scriptura altiorem nobis ſpeculam ædificat, è qua Deum contemplemur omnia hominum opera ſic moderantem, ut in finem à ſe deſtinatum applicet.

Summa autem huc redit: Quamvis homines, ut indomitæ beſtiæ nulliſque vinculis coërcitæ, laſciviant: arcano tamen fræno gubernari, ut ne digitum quidem movere queant, niſi ad exequendum Dei magis quam ſuum opus. Nam fideles, qui ſpontaneum illi obſequium impendunt, non ſecus atque Angeli, manus ejus cenſendi ſunt. Quare eos potiſſimum hic commemoro, quibus nihil minus propoſitum eſt, quam habere quicquam vel conſilio Dei affine, vel conſentaneum ejus voluntati. Ac ſibi quidem quaſi votorum compotes, plaudunt impii. Sed res tandem comprobat, per ipſos, licet inſcios ac nolentes, quod divinitus ordinatum fuerat, eſſe impletum. Porro Deus ipſe nunc impiis, ad punienda hominum peccata, tanquam flagellis utitur: nunc, quaſi obtorto collo eos traheret, beneficentiæ ſuæ miniſtros eſſe cogit. Prioris membri exempla colligere, immenſi operis foret. Pauca tantum attingere præſtiterit. Poſtquam Deus Aſſyrium ad bellandum Jeſa. 10. incitans, virgam furoris ſui vocavit, nec alio quam verſ. 5. iræ ſuæ baculo armatum eſſe docuit: poſtea in ejus ſuperbiam invehitur: quod ſe non agnoſceret veluti ſecurim vel ſerram aliunde agitatam. Hac ratione & ſanctificati à Deo, & conductitii ejus milites dicuntur, & operam illi navare, quos ambitio alioqui ſua & crudelitas, & avaritia impellit: & Dominus viciſſim ſibilo vel claſſico ſe eos ad arma vocare teſtatur. Divinæ beneficentiæ viam parari hominum ma-

leficiis, vel unus Moſis locus ſatis clare demonſtrat. Pluſquam ſcelerata, perfida, & crudelis fuerat conſpiratio fratrum Joſeph, quum eum venderent. Atqui, in Deum tranſcribit, ſed alio reſpectu venditionis hujus cauſam: Non vos eſtis, ſed Dominus qui me præmiſit, ut vos alerem. Conſtat ergo, quum impie agerent, per eos tamen operatum eſſe Deum, ut vitam in morte invenirent. Quantum in ipſis erat, occiderant fratrem. Inde illis vita affulget. Idem in ſcelerum omnium principe, & impiorum capite Satana perſpicere eſt. *1 Reg. 22. verſ. 23.* Eum Deus ad decipiendum Achab cum ſuo mandato dimittit, ut ſit ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Ita ſpiritus impoſtor, iræ Dei miniſter eſt ad excæcandos impios, qui veritati obtemperare noluerant. Contra vero Paulus datum ſibi carnis ſtimulum memorat nuntium Satanæ, à quo cædatur colaphis. Hic Satanæ venenum ad curandum ſuperbiam antidotum eſt. Qualis obſecro medicus Satan, qui nihil quam perdere & occidere didicit? Verum Deus qui ſe- *2 Cor. 4. verſ. 6.* mel juſſit è tenebris lucem ſplendere, ex inferis ipſis, cum ita viſum eſt, ſalutem mirabiliter educit, atque ita tenebras convertit in lucem. Cæterum quod operatur Satan, Scriptura Dei opus alio reſpectu affirmat, quatenus ſcilicet ipſum Deus, ſuæ providentiæ obſequio illigatum tenens, quo viſum eſt flectit, ut ejus operam ad uſus ſuos applicet.

Quanquam ſi non alium agendi modum exprimeret Scriptura, nondum adeo difficilis eſſet ad ſolvendum nodus. Magis ardua eſt altera quæſtio: agatne Deus in cordibus hominum, conſilia dirigat, huc illuc flectat eorum voluntates, ne quid agant niſi quod ipſe ordinavit. Non quærimus hic, an pios ſanctoſque affectus, in cordibus ſuorum operetur: quia controverſia caret: ſed an pravos quoque impiorum affectus in poteſtate ſua habeat, flectat huc vel illuc, ut velint quod per ipſos perficere decre- *Prov. 21. verſ. 1.* vit. Certe cum Solomon pronunciat, In manu Dei eſſe cor regis, ut quocunque viſum fuerit, ipſum inclinet, generaliter oſtendit, non minus volunta- *Exod. 4. verſ. 21. & 7: 3.* tem, quam externa opera, Dei arbitrio regi. Obduratum ab eo cor Pharaonis dicit Moſes. Fruſtra hic ad permiſſionem confugitur: quaſi Deus feciſſe dicatur, quod fieri tantum paſſus eſt. Clare enim duritiem illam, Dei opus fuiſſe, Moſes affirmat. Nec ſane alio ſenſu hic Dei conſilio adſcribitur Pharaonis ſævitia, quam alibi gratiam dare populo ſuo dicitur in oculis Ægyptiorum. Quis enim non videt cicuratas fuiſſe Dei virtute & manſuefactas truces beſtias, cum ad clementiam flexi repente ſunt Ægyptii? Unde ergo factum dicemus, ut tam inhumaniter Pharao ſæviret, niſi quia partim ad probandam ſuorum tolerantiam, partim ad exercen- *Pſal. 105. verſ. 25.* dam ſuam virtutem, ita Domino placuit? Eadem ratione dicitur, vertiſſe hoſtium corda in odium po- *Exod 8. verſ. 32.* puli ſui. Nec obſtat, quod dicitur alibi Pharao ipſe cor ſuum aggravaſſe: quando neque extrinſeco motu impelli fingimus hominum animos, ut violenter ferantur: neque in Deum transferimus indurationis cauſam, acſi non ſponte propriaque malitia duri & immites, ſeipſos ad pervicaciam acuerent: ſed quod perverſe homines faciunt, non niſi Deo ordinante fieri Scriptura docet. Quemadmo- *Joſua 11. verſ. 20.* dum alibi dicitur, quod incolæ Gibeon ſe Iſraëli oppoſuerint à Domino fuiſſe, qui obſtinavit cor eorum.

Modum quoque exprimit Scriptura, quum uno *2 Sam. 24. verſ. 10.* in loco recitat Deum populo iratum, cor Davidis incitaſſe, ut populum numeraret: in altero Satanam facit ejuſdem inſtigationis auctorem. Unde intelligimus, Satanam iræ Dei flabellum eſſe, ut corda hominum quocunque voluerit Deus, impellat. Quod expreſſius alibi habetur: Invaſit Saulem Spiritus *1 Sam. 16. verſ. 23.* Domini malus. Scelere quidem ſuo agitur Saulus, ut furorem intus conceptum voluntario motu egerat. Eum nihilominus impellit Satan: neque id Deo per otium ſpeculante, ſed ita volente. Alioqui improprie Spiritus Domini malus diceretur, niſi ad exequendam ejus vindictam miniſter eſſet ac carnifex. Nec vero ideo tantum iræ Dei miniſter, quod animos ad malas cupiditates ſollicitet: ſed quia efficaciter trahat. In quem ſenſum Paulus efficaciam er- *2 Theſſ. 2. verſ. 11.* roris divinitus immitti aſſerit, ut mendacio credant, qui noluerunt veritati obedire. Vides ut non modo Dei mandato Satan in ore Prophetarum omnium ſpiritus ſit mendax, ſed ejus impoſturæ reprobos illaqueent, ut ratione privati in errorem neceſſario trahantur. Sic intelligendum quod idem Paulus tradit, qui Deo ingrati fuerant, dari ab ipſo in reprobum ſenſum: & tradi in cupiditates fœdas & ignominioſas, ut faciant quæ non conveniunt, & probris afficiant ſua corpora. Auguſtinus ait: non permiſſu quieſcentis Dei, ſed juſto ejus judicio cordis cupiditatibus fuiſſe addictos, qui gloriam ejus indigne profanarunt. Quomodo id factum ſit, declarat locus ille, quod illis Deus mittit efficaciam erroris. Unde perſpicuum fit, quod jam attigeram, non minus interiores affectus regere Dei manum, quam externis actionibus præeſſe: neque Deus, quæ decrevit, hominum manu perficeret, niſi in ipſorum cordibus operaretur ipſum velle, quod operis effectum præcedit. Tenenda igitur Auguſtini ſententia: quum *Lib. 1. de prædeſt. Sanct. cap. 20.* vult fieri Deus, quod non niſi volentibus hominibus fieri oportet, eorum ſimul corda inclinare, ut velint, ipſumque non tantum auxiliando in cordibus agere, ſed etiam judicando, ut impleant, quibus nihil tale propoſitum eſt, quod manus ejus & conſilium decrevit. Prudenter etiam in ipſis naturæ ſeminibus conſiderandum proponit, à quo multi tantopere abhorrent. Tanta enim quæ in hominum inge- *Lib. 1. de pec. mer. & remiſ. cap. 22.* niis cernitur diverſitas, quum divinitus ſit illis indita, arcanæ illius operationis, qua corda regit ac movet, luculentum eſt ſpecimen.

Hinc certe jam colligere promptum eſt, quam inane & fluxum ſit illud divinæ juſtitiæ patrocinium, Quæ mala ſunt, non ejus voluntate, ſed permiſſu, duntaxat fieri. Equidem quatenus mala ſunt, quæ malo animo perpetrant homines, ut ſtatim plenius exponam, Deo minime placere fateor: ſed quod otioſum ea permittere fingunt, quæ Scriptura non tantum eo volente, ſed auctore fieri pronunciat, nimis frivolum eſt effugium. Dedit hoc interdum Auguſtinus receptæ loquendi conſuetudini: ſed quum preſſius inſiſtit, & magis exacte rem examinat, nullo modo patitur, in locum actionis permiſſionem ſubſtitui. Non referam ad verbum omnia quæ hac de re libro contra Julianum quinto diſputat. Clau- *Cap. 3.* ſulam apponere ſufficiet. Facit hæc miris & ineffabilibus modis, qui novit juſta judicia ſua, non ſolum in corporibus hominum, ſed etiam in cordibus operari. Qui non facit voluntates malas: ſed utitur eis ut voluerit: quum aliquid inique velle non poſſit. In eundem ſenſum alibi Scriptura, ſi diligen- *De grat. & libero arbitrio ad Valent. cap. 20.* ter inſpicitur, oſtendit non ſolum bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & bonas à ſe factas, in actus bonos & in æternam dirigi vitam: verum etiam illas quæ conſervant ſeculi creaturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quando voluerit, & quo voluerit, faciat inclinari: vel ad beneficia quibuſdam præſtanda, vel ad pœnas quibuſdam ingerendas. Tandem attexit, Quis non ad iſta judicia con- *Cap. 20.* tremiſcat, quibus agit Deus etiam in cordibus malorum quicquid vult, reddens eis tamen ſecundum merita eorum? Iterum Scripturæ teſtimoniis ſatis manifeſtum eſt, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro meritis eorum, judicio utique ſuo, quandoque aperto, quandoque occulto, ſemper autem juſto:

Lib. contra Julia. 5. cap. 3. juſto: fixum enim in cordibus veſtris eſſe debet, quod non ſit iniquitas apud Deum. Cur autem occultum quandoque Dei judicium eſſe commemoret, ex ſuperiore loco petenda ratio eſt: ubi poſtquam ſæpius peccata confeſſus eſt eſſe pœnas, quas Deus juſtè prioribus peccatis rependit, tandem ad illud altius magiſque reconditum arcanum conſcendit: quod juſtam exercendæ iræ ſuæ materiam Deus in omnibus inveniat, niſi quos gratis elegit. Nam cæteri, inquit, mortales, qui ex iſto numero non ſunt, & ex eadem quidem maſſa, ex qua & iſti, ſed vaſa iræ facti ſunt, in utilitatem naſcuntur electorum. Non enim quenquam eorum Deus temere ac fortuito creat, aut quid de illis boni operetur, ignorat: quum & hoc ipſum bonum operetur, quòd in eis humanam creat naturam, & ex eis ordinem ſeculi exornat. Cur formidine & pavore nunc corda hominum conſternet, nunc inſtruat audacia, cur auferat ſpiritum principibus, & ſapientum conſilia infatuet: cur ſpiritu temperantiæ donet alios, ſpiritum vertiginis & furoris aliis propinet: cauſam aliquando notam & conſpicuam aſſignat: ſed occultum ejus judicium dominari, ut voluntates quas viſum eſt convertat, æque apparet: quando communis omnibus *De ver. apoſt. ſerm. 11.* natura eſt, non gratia: ut alio loco vere admonet idem ſanctus vir.

Hæc probe & ſobrie reputanti minime dubium erit, ſummam & præcipuam rerum omnium cauſam eſſe, Dei voluntatem. Qua etiam notitia frænari mentes noſtras convenit, ne plus quam fas eſt, quærendo, intemperanter laſciviant. Durum primo ſta- *Lib. 6. de gen. ad liter. c. 15. Cap. 18.* tim auditu videtur illud Auguſtini, quod Dei voluntas ſit rerum neceſſitas. Item quòd ſubjicit explicandi gratia, quod ſic cauſas inferiores condiderit Deus ut ex illis eſſe illud, cujus cauſæ ſunt, poſſit, ſed non neceſſe ſit: altiores autem & remotas ſic in ſe abſconderit, ut ex eis eſſe neceſſe ſit, quod ex illis fecit, ut eſſe poſſit: ſed attentius rem conſide- *Lib. 9. ejuſdem operis c. 18* ranti aſperitas illa facilè miteſcet. Nam quod alibi tradit, etſi verbis diverſum, re tamen & ſenſu prorſus idem eſt: quod tamen nihil in ſe offenſionis continet. Habet in ſeipſu Deus abſconditas quorundam factorum cauſas, quas rebus conditis non inſeruit: eas implet, non illo opere providentiæ, quo naturas ſubſtituit ut ſint; ſed quo eas adminiſtrat prout voluerit, quas prout voluit, condidit. Ibi eſt gratia, qua ſalvi ſint qui perditi erant. Quid enim verius, quam Deum in creaturis regendis plus aliquid apud ſe habere reconditum, quam earum naturis indiderit? Atqui, omnium quæ geruntur, prima cauſa ideo cenſetur ejus voluntas, quia naturas à ſe conditas, arbitrio ſuo ita regit, ut cuncta hominum conſilia & actiones in finem à ſe præfixum deſtinet. Porro hac doctrina frænum nobis injici, quod ſub modeſtia nos contineat, non immerito dixi: quia nimis abſurdum eſt Dei voluntati quæ omnibus cauſis ſuperior eſt, non cedere niſi manifeſta ejus cauſa appareat.

Memoria quidem repetendum eſt quod ante dixi: nihil niſi optima ratione facere Deum: ſed quia certiſſima juſtitiæ regula eſt ejus voluntas: nobis præcipua, ut ita loquar, rationum omnium ratio eſſe debet. Nam fidei humilitas, quum ex divinæ juſtitiæ reverentia naſcatur, minime ſtupida fingenda eſt. Quis enim, niſi perſuaſionem hanc penitus animo infixam habeat, juſtum eſſe Deum, & recta ejus opera: in ſolo ejus placito acquiſcet? Itaque Sorbonicum illud dogma, in quo ſibi plaudunt Papales Theologaſtri, deteſtor: quod potentiam abſolutam Deo affingit. Solis enim lucem à calore avellere, imo ſuum ab igne calorem, facilius erit, quam Dei potentiam ſeparare à juſtitia. Faceſſant ergo procul à piis mentibus monſtroſæ illæ ſpeculationes: plus aliquid Deum poſſe quam conveniat: vel eum ſine modo & ratione quicquam agere. Nec vero commentum illud recipio, Deum, quia lege ſolutus ſit, quicquid agat, reprehenſione vacare. Deum enim exlegem qui facit, maxima eum gloriæ ſuæ parte ſpoliat, quia rectitudinem ejus ac juſtitiam ſepelit. Non quod legi ſubjectus ſit Deus, niſi quatenus ipſe ſibi lex eſt. Talis enim eſt inter potentiam ejus ac juſtitiam ſymmetria & conſenſus, ut nihil ab ipſo, niſi moderatum, legitimum, & regulare prodeat. Et certe quem omnipotentem prædicant fideles, eundem ſimul mundi judicem agnoſcant neceſſe eſt, ut potentiam ſenſu ſuo apprehendant, juſtitia & æquitate temperatam.

Nondum tamen ſoluta eſt objectio: Si Dei arbitrio geruntur omnia, nec quicquam homines niſi eo volente & ordinante, deſignant, eſſe igitur malorum omnium auctorem. Vera eſt illa, quæ pridem in ſcholis obtinuit, & paſſim celebratur diſtinctio: malum pœnæ, non culpæ à Deo proficiſci, modo dextre intelligatur: ſed imperite quidam, acſi verbulo uno rem, de qua agitur, obruere liceret, hoc ipſum de quo maxime ambigitur, ſecure prætereunt: quomodo extra culpam ſit Deus in eodem opere, quod in Satana & reprobis tam damnat ipſe, quam damnatum ab hominibus pronunciat. In eodem enim opere non diverſis, malum utrumque cernitur, ut Deo juſtæ punitionis laudem, culpam hominibus adſcribi neceſſe ſit. Prædones, ſancti Job pecora rapiunt. Crudele & indignum eſt facinus. Satan hoc modo eum ad deſperationem ſollicitat. Magis deteſtanda machinatio. Atqui, Job auctorem alium prædicat: Dominus dedit: Dominus abſtulit. Neque immerito in Deum transfert, quod non niſi latronibus tribuendum foret. Nam perinde acſi oculis ſpectaſſet, quæ in cæleſti conſeſſu geſta eſſe hiſtoria narrat, Dominum abſtuliſſe fatetur per manus latronum, quod nonniſi ejus nutu & auctoritate ablatum erat. Quod etiam explicat ſequentibus verbis: Sicut Domino placuit, ita factum eſt. Audimus commune eſſe & Dei & Satanæ & latronum opus. Audimus nihil accidiſſe, niſi quod Domino viſum eſt. Quomodo nunc à culpa eximetur Deus, cujus Satan cum ſuis organis reus erit? Nempe ſi inter hominum facta diſcrimen à conſilio & fine ſumitur: ut ejus damnetur crudelitas, qui cornicum oculos configit, vel occidit ciconiam, judicis autem laudetur virtus, qui ſceleſti hominis cæde manus ſuas ſanctificat. Et cur deterior erit Dei conditio, ne ſua eum juſtitia ab hominum maleficiis ſeparet? Ut propius ad ſimilitudinem accedam: laudabitur princeps, qui juſto & legitimo bello, vim, rapinas, & latrocinia à ſuis finibus repellet. Interea multos armabit milites, qui cupide ad fundendum ſanguinem, ad diripienda pauperum bona, ad omne licentiæ genus graſſando, laudem certe non merebuntur. Alii duo inter ſe exercitus prælio confligent: ſi in duce, cujus auſpiciis & juſſu commiſſum eſt prælium, rectum affectum perſpicias, quamvis homo ſit mortalis, eum abſolves, militibus damnatis, qui manus ad jugulandos homines nefanda mercede locant: & Deum, quia per Satanam operatur, juſtitiæ ſuæ gloria fraudabis? Ita eſt ſcilicet: ut nebulæ quas terra exhalat, Solis fulgorem obſcurant, ne ad hominum uſque oculos perveniat, Sol tamen nihilominus lucidus manet: ita multa quaſi vaporum impedimenta procreat hominum vanitas, quæ divinæ æquitatis conſpectum auferant: ipſa tamen integra & illæſa manet. Quum idem ſit opus, pari Deum & impios reatu involvi, volunt iſti. Verum non ſic *2 Sam 16 v. 6, 10.*
David, quem quum Semei probris & lapidibus impeteret, non in homine ipſo ſubſiſtit, ſed Dei præceptum conſiderat: Dominus, inquit, illi præcepit, ut malediceret. Neque tamen contra Deum inſurgit: ſed humiliter tergum virgis ſubjiciens: quis audeat dicere, inquit, quare ſic feciſti? Quem- *Pſal 39. verſ. 10.*
admodum & in Pſalmo: Obmutui: quia tu feciſti.

Quem enim piorum non ad ſilentium protinus adiget Dei majeſtas? & cui non laudis confeſſionem exprimet juſtitia? ut in vocem illam erumpat: Sinite maledicere juxta præceptum Domini, ſi fortè afflictionem ſervi ſui reſpiciat ipſe Dominus. *2 Sam. 16. verſ. 10.*

Ergo quum juſta de cauſa, licet nobis ignota, à Domino procedant, quæ ſceleratè ab hominibus maleficia perpetrantur: etiamſi rerum omnium prima cauſa ſit ejus voluntas, peccati tamen eum eſſe auctorem nego. Nec vero oblivione tegenda eſt illa, quam poſui, cauſarum diverſitas: quod alia eſt propinqua, alia autem remota cauſa: ut ſciamus quam longa inter æquabilem Dei providentiam, & turbulentos hominum impetus, ſit diſtantia. Turpi quidem & illiberali calumnia nos gravant, qui Deum peccati auctorem fieri obtendunt, ſi omnium, quæ aguntur, cauſa eſt ejus voluntas. Nam quod homo injuſte perpetrat, vel ambitione, vel avaritia, vel libidine, vel pravo quovis alio affectu incitatus, quum Deus juſto, licet occulto judicio, per manum ejus faciat, non poteſt in eum quadrare peccati nomen. Peccatum in homine facit perfidia, crudelitas, ſuperbia, intemperies, invidia, cæcus ſui amor, prava aliqua cupiditas. In Deo nihil reperies tale. Semei regem ſuum immani petulantia infeſtat. Peccatum apparet. Deus tali miniſtro ad juſtam Davidis humiliationem utitur: adeoque tali ferula eum caſtigat. Quis eum peccati inſimulet? Arabes & Sabæi ex aliena ſubſtantia prædam rapiunt. Manifeſtum latrocinii crimen. Deus ſervi ſui patientiam, illorum violentia exercet. Emergat potius ex re præſenti heroica illa confeſſio, Sit nomen Domini benedictum, quam ſacrilegæ obtrectationes audiantur. Denique, talis Dei eſt agendi ratio in hominum peccatis, ut quum ad eum ventum eſt, ſua puritate omnem maculam prorſus abſtergat.

Ench. ad Laur. cap. 101. Atque hic utilis eſt Auguſtini admonitio: in ſpecie conſenſus magnum eſſe interdum Deo cum hominibus diſſidium: quum bene vult Deus, quod homines male volunt: & bene non vult, quod homines male nolunt: ſicut rurſum in ſpecie repugnantiæ non male conveniunt, quum bene volunt homines quod Deus bene non vult, & bene nolunt, quod Deus bene vult. Optabit filius mortem patris, ut in hæreditatem convolet. Eundem & Deus mori volet. Voluit Deus Jeroſolymam excidi, Templum profanari, & funditus everti, extremis quibuſque tormentis vexari Judæos: idem optabant Idumæi. Diro & truculento homini, qui nemini pepercit, ut eadem illi menſura remetiatur, nolet Deus quicquam opis afferri, quum neceſſitate urgebitur. Filius omne illi pietatis officium negabit: nec eum ſublevare volet. *1 Sam. 2. verſ. 25.* Sanioribus conſiliis filios Heli parere Deus nolebat: quos ſtatutum illi erat perdere. Patrem illi audire noluerunt. Quædam initio conſenſus ſpecies hic ſe profert: ſed quantum ad bonum vel malum, nihilo minus diſcordiæ, quam inter aquam & ignem. Longiorem uxoris vitam optabit maritus, quam è mundo Deus evocat. Mortem horrebat & deprecabatur Chriſtus quæ ſuaviſſimi odoris ſacrificium erat Deo. Utriuſque tamen voluntas, quamvis in ſpeciem diverſa, extra culpam eſt. Non eſt igitur, quod Deum in ſocietatem criminis quiſquam arripiat, quoties inter arcanum ejus conſilium, & palam vitioſas hominum cupiditates, aliqua ſimilitudo ſe oſtendit. Occurrat ſemper illud Auguſtini: Propterea magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam fit contra ejus voluntatem: quia non fieret, ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit, ſed volens.

Ench. ad Laur. cap. 100. Atque hinc etiam refellitur eorum vel inſcitia, vel improbitas, qui unam & ſimplicem Dei naturam fore negant, ſi voluntas illi alia tribuitur, quam quæ ab ipſo in Lege patefacta eſt. Quærunt etiam nonnulli per ludibrium, ſi qua eſt, quæ non eſt revelata in lege Dei voluntas, quo nomine vocetur. Atqui, mente captos eſſe oportet, quibus nihil ſignificant tot Scripturæ teſtimonia, quæ cum admiratione prædicant quam profunda ſit judiciorum Dei abyſſus. Certe Paulus quum exclamat: O altitudo! quam inſcrutabilia ſunt judicia ejus! aliud quoddam de Judæis fuiſſe Dei judicium aperte docet, quam quod exprimitur Chriſti verbis: Jeruſalem, quoties volui congregare pullos tuos? Et quod filios Heli patri morigeros eſſe noluit, voluntas illa à Legis præcepto differebat, quo jubet filium parentibus obſequentem eſſe. Denique quoties mirifica Dei conſilia & profundas cogitationes prædicat, non de præceptis loquitur, quæ ante oculos patent expoſita: ſed potius inacceſſam illam lucem commendat, in qua reconditum eſt conſilium, quod mentis noſtræ captu altius ſuſpicere & adorare cogimur. Dicet quiſpiam: Si inacceſſa lux eſt: cur ergo accedis? Ego vero non accedo, ut quæ procul latere vult Deus, proterva curioſitate excutiam: ſed quod Scriptura pronuntiat, certa fide amplexus, reverenter ſuſpicio. Sed quomodo conveniet, Deum perpetuo ſimilem eſſe ſui, ac ne minima quidem obumbratione flexibilem: & aliud tamen velle quam præ ſe ferat? Reſpondeo, non eſſe mirum, ſi Deus cum hominibus loquens, ad eorum modulum ſe attemperet. Quis Deum in viſionibus apparuiſſe dicet, qualis eſt? Nam is eſt gloriæ ejus fulgor, qui omnes noſtros ſenſus nudo ſui conſpectu abſorbeat. Se ergo manifeſtavit, quatenus capere homines poterant. Verum, ſive nobiſcum balbutit Deus, ſive quod nobis novit incomprehenſibile eſſe, ſubticet: in ejus tamen ſermone quicquam fictum aut ſimulatum eſſe nego. Quod habetur in Pſalmo veriſſimum eſt: quod Deus non ſit iniquitatem volens. Nec vero illic per os Davidis teſtatur aliud, quam re ipſa quotidie probat, dum pœnam de hominum peccatis ſumit. Neque enim puniret, niſi odiſſet. Ultorem vides, approbatorem non eſſe, ſtatuendum eſt: ſed in eo falluntur multi, quod Deum juſte velle non reputant, quæ homines peccando faciunt. Quomodo, inquies: Adulteria inceſtoſque coitus abominatur. Quod Abſalom patris concubinas coram populo conſtuprat, an fit Deo nolente? Atqui, hoc ſe facturum ipſe per ſervum ſuum Nathan prædixerat: Tollam uxores tuas in oculis tuis: & dabo proximo tuo, qui dormiet cum illis in conſpectu Solis hujus. Tu feciſti occulte: ego autem coram toto populo, & coram Sole facturus ſum. *2 Sam. 16. verſ. 21. Ejuſdem lib. c. 12.* Plena eſt talibus exemplis Scriptura. An ideo vel peccati culpam Deo imputabimus, vel duplicem in eo voluntatem fabricabimus, ut ſecum ipſe diſſideat? Verum ſicuti jam oſtendi, idem eum velle cum ſceleratis & improbis: ſed diverſo modo: ita nunc tenendum eſt, quæ in ſpeciem diverſa ſunt, eodem modo eum velle. Ut in iſta, quæ mentibus noſtris occurrit, varietate optime temperata ſit ſymphonia. Quatenus immanis adverſus patrem impietas, perfida conjugii violatio, fœda etiam ordinis naturæ profanatio eſt, Abſalomi facinus diſplicere Deo certum eſt, cui placet honeſtas, pudicitia, fides, modeſtia, qui legitimum quem præſcripſit, ordinem coli & integrum ſervari vult inter homines: quia tamen illi placet, hoc modo adulterium Davidis ulciſci, quæ diverſa nobis videntur, eodem modo vult. Una enim & ſimplex eſt voluntas, qua præcipit quid fieri debeat, & qua legis ſuæ transgreſſiones ulciſcitur. Dictum alibi eſt, peccata eſſe pœnas, quas Deus ſuperioribus peccatis rependit. In talibus documentis an non duo nobis conſideranda ſunt? juſtum Dei judicium, quo ſe peccatum cui pœnam irrogat, teſtatur odiſſe: & hominis malitia, quæ Dei voluntati palam adverſa eſt,

Digitized by Google

eſt. Quod ſi tam immenſus ſplendor mentis noſtræ aciem præſtringit: quid mirum? Ad ferendum Solis intuitum corporei oculi non ſufficiunt. An vel ingenio noſtro major perſpicacia, vel Dei majeſtas Solis fulgore inferior? Nos ergo nimis acutos eſſe non convenit: modo ne interea, quod Scriptura clare docet, ac experientia confirmat, vel negemus verum eſſe, vel tanquam Deo minus conſentaneum, capere audeamus. Quum ultimus affulſerit dies, inquit Auguſtinus, tunc in clariſſima luce ſapientiæ videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifeſta cognitione videatur: quam certa & immutabilis, & efficaciſſima ſit voluntas Dei: quam multa poſſit, & non velit: nihil autem velit, quod non poſſit. *Ench. ad Laur. c. 95*

BREVIS RESPONSIO
AD
DILUENDAS NEBULONIS
Cujuſdam calumnias quibus Doctrinam de æterna Dei Prædeſtinatione fœdare conatus eſt.

Oblatum eſt mihi inſulſum nebulonis cujuſdam ſcriptum, qui ſe tamen patronum ac vindicem gloriæ Dei jactat: quia principium illud oppugnet, Mundum à Deo ſic gubernari, ut nihil niſi arcano ejus arbitrio fiat. Interea non videt miſer ille, dum fallaces ad excuſandam Dei juſtitiam prætextus captat, ſe ejus potentiam evertere. Quod perinde eſt acſi Deum ipſum diſcerpere tentaret. Cæterum, ut colorem ſuo ſacrilegio inducat, non minus improbe, quam malitioſe præfatur, Deum non eſſe malorum cauſam, nec velle peccatum. Quaſi vero, dum aſſerimus Deo ſummum imperium, dicamus eſſe peccati auctorem. Calvinum eo ſcripto perſtringi certum eſt, quem ab hac blaſphemia, cujus inſimulat nebulo iſte, magis remotum eſſe conſtat, quam ut longa purgatione opus ſit. Ubique in ſcriptis ſuis clamitat, quoties de peccato agitur, non miſcendum eſſe Dei nomen: quia in Dei naturam non niſi perfecta rectitudo & æquitas competit. Quam putida igitur calumnia eſt, hominem de Eccleſia Dei bene meritum, crimine hoc involvere, quaſi Deum faciat auctorem peccati? Docet quidem ubique, nihil fieri niſi volente Deo. Interea quæ ſcelerate fiunt ab hominibus, Deum arcano judicio ita moderari aſſerit, ne quid affine habeat hominum vitio. Summa doctrinæ ejus eſt, Deum mirabiliter, & modis nobis incognitis, in quemcunque vult finem omnia dirigere, ut æterna ejus voluntas prima ſit rerum omnium cauſa. Cur autem velit Deus quod nobis videtur minime conſentaneum, fatetur eſſe incomprehenſibile. Ideoque nimis curioſe & audacter inveſtigandum eſſe negat: quoniam
Pſal. 36. verſ. 7. judicia Dei ſint abyſſus multa, & myſteria quæ modulum noſtrum ſuperant, reverenter adorare conveniat potius, quam excutere. Interea principium illud retinet, Quamvis nos ratio conſilii lateat, ſemper tribuendam eſſe Deo juſtitiæ laudem: quia ejus voluntas ſumma ſit æquitatis regula. Quiſquis hominem ita docentem gravare tam atroci invidia velit, quaſi Deum faciat peccati auctorem, hoc probandum imprimis ſuſcipiat, Quia impii Chriſtum crucifigendo, fecerunt quæ Dei conſilium & manus decreverant, Deum ſceleris eſſe ſocium, & partem culpæ ſuſtinere. Atqui dictum illud, Impios feciſſe quæ decreverant manus & conſilium Dei, non Cal-
Actor. 2. verſ. 23. vini eſt, ſed Petri, & totius primitivæ Eccleſiæ. Deſinant ergo præpoſteri iſti homines dilucidam ac puram Spiritus ſancti doctrinam maculis ſuis & ſordibus inficere, ſimulque fucum facere ſimplicibus, ut audito peccati nomine, qui ſtatum quæſtionis non tenent, tam odioſum ſcopulum refugiant. Poſtquam conqueſtus eſt David ſe injuſta hoſtium violentia opprimi, adjungit tamen, Deum hoc feciſſe. Job ſpoliatus à latronibus, vexatus à diabolo, pronunciat
Job. 1. verſ. 21. ipſe quoque hæc omnia à Deo eſſe profecta. Si quis excipiat, Deum hoc modo fieri peccati auctorem; cum ſanctis Dei Prophetis, atque etiam cum Spiritu ſancto litiget. Sed quum piam illam diſtinctionem tenerent, ſic omnia fieri Deo ordinante, ut tamen rectum ſit ac juſtum quicquid vult & decernit: non dubitarunt eum locare in ſummo gradu, qui Satanam & omnes ſceleratos arcano fræno regeret. Hoc forte brevi reſponſo ſatis refutata eſſet hominis improbitas, dum Calvini ſententiam tam perverſe corrumpit ac deformat. Quo tamen melius detegatur, alios etiam ejus fumos diſcutere operæ pretium erit. At quia propoſitum ei eſt, abrogare Deo ſummum imperium, & petulanter ſententiam hanc proſcindit, Conſilium Dei primam eſſe rerum omnium cauſam: breviter quas in medium adducit rationes perſtringam. Platonem rectius ſenſiſſe dicit, qui non patitur Deum vocari malorum auctorem. Quid ſentiat vel loquatur Plato nunquam hic nebulo cognovit. Adeo enim à mali voce abhorret profanus ille ſcriptor, ut diſerte neget incommoda, quibus ſumus obnoxii, à Deo provenire. Quod nihil aliud eſt, quam Deum privare Judicis officio. Calvino autem, & ante eum Luthero, ac Bucero, pridem etiam Auguſtino, aliiſque piis Doctoribus nihil minus unquam in mentem venit, dum ſummam omnium quæ in mundo aguntur, cauſam eſſe prædicant Dei voluntatem, quam Deum illaqueare aliqua culpa. Paſſim Calvinus commentum de abſoluta Dei potentia, quod in ſcholis ſuis ventilant Sophiſtæ, acriter repudiat, & deteſtabile eſſe aſſerit: quia ab æterna Dei ſapientia & juſtitia, ſeparari non debeat poteſtas. Quo ſatis refellitur impuri hujus canis protervia, dum probos & fidos Eccleſiæ doctores blaſphema, horrenda, inauditaque verba effutire dicit, quæ non minus futiliter quam maligne ex ſua ipſius officina profert. Porro non eſſe Deum malorum cauſam primo ex lege naturæ probat, & divini, ut ipſe loquitur, Platonis auctoritate, apud quem vocatur Deus boni cauſa. Solutio facilis eſt, in notitia boni & mali vere inſculptam eſſe imaginem ejus rectitudinis, quam in Deo eſſe fatemur omnes. Atque ut quiſque vitam ſuam format ad legem naturæ, ita referre Dei naturam. Deo enim placet juſtitia, ſicuti abominationi eſt iniquitas. Quomodo autem occulto judicio moderetur quæcunque perperam ab hominibus fiunt, noſtrum non eſt definire, niſi quod ſtatuere oportet, quicquid agat, eum nunquam deflectere à ſua juſtitia.

Idem reſpondeo ad ſecundum argumentum. Quærit bonus hic Dei patronus, Si Deus auctor peccati eſt, cur prohibet, ne fiat, & hominibus non laxat habenas? Primo, quo pertinet iſte latratus, Deum fieri peccati auctorem? Monſtra enim ſibi ipſe confingit, quibuſcum depugnet. Deinde, quid ſi retorqueam (alio tamen modo) quod vere dici poteſt pro aſſerenda Dei omnipotentia, Si non vult fieri Deus quæ fiunt, cur non impedit, ſed habenas hominibus

laxat? Sed ex hac ſpecie repugnantiæ, elicere promptum eſt quod dicit Auguſtinus, Deum admirabili occultoque modo juſte velle fieri, quæ injuſte fiunt, ut in Lege vere expreſſa ſit ejus voluntas, odio habeat iniquitatem, rectitudinem probet. Ex hoc fonte manant quæ Legi adjunctæ ſunt maledictiones: quia niſi maleficia diſplicerent, ſicut contraria ſunt ejus naturæ, pœnas neque denuntiaret neque exigeret. Itaque ſupervacuum eſt quicquid coacervat nebulo, ut eum ab ignominia liberet, qua ipſum ſuggillat, anxie quaſi in cauſa dubia laborans, ut Deum oſtendat bonum eſſe.

Poſtquam aliquamdiu ſuas calumnias blateravit, propius congreditur, quoſdam his periculoſis temporibus, quamvis non audeant aperte docere malorum cauſam eſſe Deum, idem innuere aliis loquendi formis, quod Adam Deo volente peccaverit, & impii non ſolum Dei permiſſu, ſed etiam impulſu maleficia omnia perpetrent. Hic cum deploratione excipit bonus Rhetor, O miſer homo! qui fieri potuit Deum hoc voluiſſe, qui ad imaginem ſuam Adam creaverat? Quaſi vero meum ſit de abſconditis Dei judiciis exactam rationem reddere, ut ad unguem teneant mortales cæleſtem illam ſapientiam, cujus altitudinem ſuſpicere jubentur. Quin potius ſtultam hans garrulitatem præciſo reſponſo abrumpat Moſes, quum dicit, Abſcondita ſua ſint Deo noſtro: hæc autem quæ trado, vobis revelata ſunt. Videmus ut Moſes populum Legis doctrina contentum eſſe jubens, interim admoneat ſua Deo manere conſilia, quæ adorare, non exquirere oporteat.

Jam quia videat ſuam aciem in hac parte retundi vel hebeſcere, ſtylum rurſus in eos acuit, qui Deo non ſolum volente, ſed etiam impellente ſcelera perpetrari dicunt. Hic vero quaſi in ampliſſimo campo exultat, nihil prorſus maledicentiæ omittens ad gravandus pios Doctores, quorum utinam virtutes vel centeſima ex parte imitaretur. Ac primum eos miſcet Libertinis, quibuſcum ſi diſceptatio ei foret, optimam cauſam perderet pro ſua inſcitia. Jam cum extet Calvini liber contra Libertinos, non minus fortiter quam dextre Dei juſtitam aſſerens: cujus frontis eſt utili ſanctoque labori tam indignam mercedem referre? Contendit Deum, ſi homines ad peccandum impellat, diabolo fore pejorem. Ut hoc concedam, quid ad Chriſti ſervos, quibus furioſum bellum indicit? Videndum tamen quibus rationibus nitatur. Faciat, inquit, & tentet Satan quicquid potuerit, hominis voluntatem cogere non poteſt: Deus, qui cor hominis in manu ſua habet, voluntatem poteſt cogere. Ergo ſi ad malum cogere velit, illud faciat velis nolis. Hic vero quam audax ſit imperitia, apparet. Inter omnes ſanæ mentis optime convenit, peccatum nullum eſſe niſi voluntarium. Invitos qui peccare dicat, non reperietur. Sic autem ex verbo Dei Calvinus docet, Auguſtinum pioſque alios ſcriptores ſecutus, quum ſponte homines peccent, Deum tamen efficaciam erroris Satanæ dare, ut reprobos huc illuc impellat, ſicut Paulus loquitur. Ita etiam Dei mandato egreditur Satan, ut ſit ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum ad fallen-
1 Reg. 22. verſ. 21. dum Achab. Cæterum hic Scripturæ teſtimonia congerere propoſitum non eſt: ſed tantum breviter indicare, quam præpoſtere hic latrator contra innoxios invehatur. Quomodo, inquit, cognoſcitur homo malus, niſi malum agendo? Deus ergo, ſi malum faciat, malus erit. Quaſi vero nos occultis Dei judiciis tribuentes quicquid licentiæ Satanæ permittit, ipſum dicamus peccati auctorem: ac non potius aperte teſtemur ab omni culpæ ſocietate eſſe remotiſſimum: quia non niſi juſte & recte reprobos excæcat & indurat. Sed eadem, inquit, erit Dei & diaboli voluntas. Longum eſſe diſcrimen antehac oſtendi: quia etſi idem velint, non tamen eodem modo. Quis enim neget impiorum interitum, quanquam a Deo procedat, Satanam cupide appetere? Sed alia eſt judicis ratio, quam hoſtis meram crudelitatem ſpirantis. Deus Jeroſolymam excindi voluit: nempe voluit & Satan. Quanquam nodum hunc verbis Auguſtini quam meis malo ſolvere, qui in Enchiridio ad Laurentium cap. 101. clare diſſerit quomodo velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: veluti ſi malus filius velit patrem mori, & hoc idem velit Deus, quomodo denique per impias hominum cupiditates ſæpe quod decrevit perficiat, magis quam per ſet vorum ſuorum bonas voluntates. Si diverſus finis non obſtat quo minus eadem ſit voluntas, nonne præſtaret hunc Dei patronum in profundiſſimis Inferis demerſum eſſe, quam fœtidis ſuis cavillis conſpuere ejus majeſtatem? Et tamen criminari nos audet, quam ore profitemur Dei juſtitiam, animo negare: quum ne ipſe quidem, quamlibet effræni ſit impudentia, negare auſit vitæ integritati ex animo ſtudere quos oppugnat: ipſe vero ſibi perinde indulgeat, acſi nullus ſederet in cælo judex. Utrum, quæſo probabilius eſt ludibrio intus haberi Dei juſtitiam, ubi viget pietatis ſanctæque vitæ ſtudium: an vero ubi flagitiis datur omnis licentia? Nam bonus hic cenſor nihil pejus in Calvino & ſimilibus odit, quam immodicum diſciplinæ rigorem. Quantumvis autem inſulſus ſit ac barbarus, facetias tamen ſcurriles accerſit, quærens uter maluerit Adam peccare, Deus an Satan. quaſi jocoſe de tantis myſteriis garrire, imo proterve latrare ſibi permittant pii & religioſi homines, qui dum fatentur non ſine arcana Dei providentia lapſum fuiſſe Adam, juſtum & rectum ejus conſilii finem non dubitant fuiſſe. Sed quia abſcondita eſt ratio, ejus revelationem ſobrie expectant, quo die facie ad faciem videbimus Deum, quem nunc obſcure & in ænigmate conſpicimus. Poſtquam vero ad ſatietatem uſque bacchatus eſt in optimos viros, linguas illis abſcindi jubet, Vulcanoque eos devovet. Quid ſi autem tantopere Calvino ſit infenſus in Serveti gratiam? & quia mortem ſocii dolet, nec aliter poteſt ulciſci, ſuperat omnes carnifices ſævitia. In duplici volantate, quam Deo poſt Auguſtinum & alios pios Doctores tribuit Calvinus, bonus cenſor dicit ſe battologiam mirari. Quis non puter doctum eſſe hominem, quando battologias crepare poteſt? Atqui tam putida affectatio ſatis oſtendit, non alio quam venandæ gloriolæ ſtudio ſic eum balbutire. Addit poſtea diſtinctionem hanc à nobis fuiſſe excogitatam, quia alias aperte in Deum blaſphemare deprehenſi eſſemus. Ipſius vero aperte vel in uno hoc verbo deprehenditur phrenetica amentia, qui ſe jam toties apertas blaſphemias hominibus innoxiis exprobraſſe non meminit. Ambiguane blaſphemia fuit, Deum facere peccati auctorem, peccatum velle, ad peccandum impellere, quaſi naturæ ſuæ renuntiaret, ſeque paſceret atque oblectaret ſceleribus? Hæc poſtquam proterve evomuit, nunc quaſi ſui oblitus, dicit nos tegere aliquo colore blaſphemias, ne pateant. Videndum tamen quid ad refutationem afferat. Cauſatur hoc modo tribui Deo inconſtantiam, quod aliud dicat, aliud cogitet, contra Scripturæ teſtimonia: Ego ſum Deus, & non mutor: Item, Apud Deum non eſt transmutatio. Atqui non cogitat ipſe non Calvinum modo & ſimiles impeti hac calumnia, ſed Moſem ipſum: qui Legem promulgari dicens Judæis & eorum filiis, Deo relinquit abſcondita conſilia. Quanquam non difficile erit eam diluere: quia Deus præcipiens quod rectum eſt, vere quid ſibi placeat teſtatur: nec vero aliud conſilium occultat, quo iniquitatem, quam apud homines damnat, apud ſe vel amet, vel abſolvere velit: ſed mirabiliter judicia ſua exercet, ut pro ſua inæſtimabili ſapientia & æquitate in bonum finem dirigat atque ordinet quæ mala ſunt. Neque enim malum per ſe, hoc eſt, quatenus malum eſt, Deum velle Calvinus

con-

concedet: ſed in hominum ſceleribus refulgere Dei judicia, ſicut per inceſtos concubitus Abſalom, Davidis adulterium punivit. Deus ergo Adæ præcipiens ne guſtaret de arbore ſcientiæ boni & mali, obedientiam quam probabat, exegit. Interea quid futurum eſſet non modo præſcivit, ſed etiam decrevit. Quod ſi aſperum videtur delicatulò cenſori, non ſapori doctrinæ, ſed moroſitati ſuæ vel faſtidio imputet. Quod enim verborum ſuorum pondere tanquam ferreo malleo infigere vult omnium cordibus, unicam eſſe Dei voluntatem quam nobis per Prophetas & *Enchir. ad Laurent. cap. 120.* Chriſtum patefecit, ſua auctoritate Auguſtinus fortiter repellit. Hæc ſunt, inquit, magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus, & tam ſapienter exquiſita, ut quum Angelica & humana creatura peccaſſet: id eſt, non quod voluit ille, ſed quod voluit ipſa feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, quia factum eſt quod Creator noluit, impleret ipſe quod voluit: bene utens & malis tanquam ſumme bonus, ad eorum damnationem, quos juſte prædeſtinavit ad pœnam: & ad eorum ſalutem, quos benigne prædeſtinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos attinet, quod Deus noluit, fecerunt: quantum ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere voluerunt. Hoc quippe ipſo, quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas ejus. Propterea enim magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem quod etiam fit contra ejus voluntatem: quia non fieret ſi non fineret. Nec utique nolens ſinit, ſed volens. nec ſineret bonus fieri malè, niſi omnipotens de malo facere poſſet benè. Nunc horribiles hæreſes & blaſphemias, quas optimis noſtri ſeculi Doctoribus petulanter ingerere voluit, in caput Auguſtini vibret. Verum quidem eſt, non alibi quàm in Scriptura quærendam eſſe Dei voluntatem: ſed ut porcus hic ſuo roſtro omnia pervertit, non attendit, dum colitur à fidelibus reverentia & ſobrietas, non tolli nec in nihilum redigi arcana Dei judicia. Aliud autem eſt fidei modeſtia profundam illam abyſſum ſuſpicere: aliud vero contumaciter reſpuere, quia humanos ſenſus abſorbet. Jam ut omnia Scripturæ teſtimonia, quibus inſtructi admirabilem Dei providentiam aſſerimus, diluat, ſatis habet præfari ſemper hæreticos abuſos fuiſſe pietatis prætextu, & in nomine Dei incipere omne malum. quaſi vero ſi hoc jactaſſe ſufficit, non eodem reſponſo evertere liceat totam cæleſtem doctrinam, ipſumque Dei nomen obruere. Addit poſtea, ſe ad omnia quæ poſſunt objici, duobus modis reſponſurum: nempe omnes Scripturæ locos, quæ videntur Deo mali cauſam tribuere, non voluntatem efficacem notare, ſed permiſſionem vel deſertionem. Faceſſat calumnia illa de nomine mali vel peccati: ſcimus enim nihil magis alienum eſſe à Dei natura, quam peccatum: ſed homines propria malitia ſic agi, ut culpa tota penes ipſos reſideat. Cæterum Scripturæ locos quibus diſerte exprimitur actionis effectus, in permiſſionem vertere, nimis frivolum effugium eſt. Atqui ſic interpretati ſunt patres. nempe cum loquutionis aſperitas quoſdam primo intuitu offenderet, in ea mitiganda dum nimis ſunt anxii, & quoquo modo ſeſe expedire ſtudent, ad rem ipſam minus attenti fuerunt. Et tamen nebulo hic, qui patres quaſi ſibi familiares citat, inſcitiam ſuam prodit: nam arripiens quod Auguſtino adhuc juveni, & in Scriptura minus exercitato elapſum erat, clariſſimos locos omittit, quibus in reali excæcatione vel actuali, ut ita loquar, Dei judicia agnoſcit. Ejuſdem ruditatis eſt quod dicit auctore Hieronymo, tropice intelligendum eſſe, Deum facere mala. Verum ſi mala nihil aliud ſunt, quam res adverſæ, ut ſatis ſuperque notum eſt, quid in re perſpicua quærendus tropus? Jam de permiſſione breviter videndum. *Geneſ. 37. verſ. 27.* Joſeph ſcelerate à fratribus venditur, Deum eſſe pronunciat à quo miſſus eſt, non autem fratres: & hoc conſulto Deum feciſſe aſſerit, ut patris ſui familiæ nutritius eſſet. Num ea eſt permiſſio? Dicit Job Deum abſtuliſſe quod latrones & prædones rapuerant. an illud auferre nullum actum deſignat? Dicitur Deus vertiſſe corda Gentium, ut odio haberent populum ſuum, an dicemus paſſum fuiſſe, ubi palam operari Scriptura pronunciat? Jam quum dicitur tradere in ſenſum reprobum, & tradere fœdis cupiditatibus, certum eſt commendari horrenda ejus judicia, quibus reprobos ulciſcitur. Si tantum otioſus hoc fieri ſinat, an Judicis partes implebit? Vocat Deus Nebuchadnezer ſecurim in *Jeſa. 10. verſ. 5.* manu, vocat Aſſyrios virgam furoris ſui, impios omnes vocat ſua flagella, clare aſſerit ſe per eos exequi quod decrevit. Quem locum hic inveniet nuda permiſſio? Jeremias Mœdos compellans exclamat, *Jer. 48. verſ. 10.* Maledictus qui facit opus Dei negligenter. ecce, quicquid ſævitiæ exercent ſanguinarii homines, alio reſpectu Propheta vocat opus Dei, quia illorum manu pœnas de Babylonîis exigit. Pronunciat David quicquid malorum patiebatur, Deum feciſſe: ideoque obmuteſcit. quibus tropis Facere in Permittere mutabitur? Denique Paulus Deum eſſe affir- *2 Theſſ. 2. verſ. 11.* mat, qui mittit efficaciam erroris impiis, ut credant mendacio. ubi apparet operis efficacia, quo artificio tolletur conſilium & voluntas? præſcribit bonus cenſor Canonem, ut per locum illum, Tu es Deus iniquitatem nolens, alii omnes qui videntur Deo malum tribuere enarrentur. Sed quid hoc ad præſentem cauſam, quando nulla iniquitatis macula inuritur Deo, ſed tantum dicitur ſumma rectitudine regere cunctas mundi actiones? Siquis à juſtitia divelleret ejus potentiam, opportuna eſſet illa exceptio, nihil Dei potentiæ magis contrarium, quam tyrannidem. Nunc vero quia iniquitatem nolle dicitur, an hoc prætextu detrahetur è ſuo ſolio, ne ſit mundi Judex? Nam quum ſæpe per impiorum manus judicia ſua exerceat, quiſquis eum intra permiſſionis fines includit, depellit judicis officio. Male & indigne ſacerdotio abuſi erant filii Heli, pereunt Philiſtinorum manu, permiſſu Dei hic canonicus interpres hoc factum eſſe diceret. Quid autem Scriptura? quia voluit Deus occidere ipſos. En quo furoris barbaros omnes rapit ſuus furor, quos nulla religio, nullus pudor, nulla modeſtia cohibet, quin Deum & homines ſuis commentis ſubjiciant. Quia autem abſurdum eſſet contra Dei voluntatem fieri, quia liberum ſit prohibere ſiquid fieri nolit: In hoc objecto diluendo quam ingenioſus ſit artifex, paucis videndum eſt. Primo, ridiculum eſſe dicit hoc quærere: cur non ergo talis Auguſtino contigit monitor, ne ſe hoc quærendo ridiculum faceret? Nam hoc argumento non ſemel probat occulta Dei providentia efficaciter regi quicquid in terra geritur, nec colligere dubitat, Deo volente omnia fieri: quia teſtatur Pſalmiſta, Deum in cælo ſedentem facere quæcunque *Pſal. 115. verſ. 3.* vult. Sed cur ridicula eſt iſta quæſtio? Reſpondet, fas non eſſe ab eo exigere factorum ſuorum rationem. Sed cur in toto hujus cauſæ ſtatu hanc modeſtiam ipſe non ſervat? unde enim furioſi iſti clamores & tumultus? niſi quia Dei judicia ſuperbi, & indocti homines faſtidioſe rejiciunt: quia non capiunt eorum immenſitatem? maneat Deo hæc libertas, ut ſuo arbitrio cuncta ordinet, compoſitæ erunt omnes lites. Sed phreneticos homines ita oportet ſecum confligere, ut ſuo ſe impetu conficiant. Revolvitur tandem ad illud ſuum commentum, fieri multa contra Dei voluntatem, quod nos quoque libenter concedimus, modo ne longius quam par eſt trahatur voluntas iſta. Voluit Deus ſæpius congregare Judæos, noluerunt ipſi. nempe quia mane ſurgendo, ut ipſe loquitur, per ſuos Prophetas ſedulo illos ad ſe vocavit. ſed quum ſingulare donum ſit ejus, converſio, re ipſa convertit quos efficaciter voluit

converſos. Quomodo velle Deum omnes ſalvos fieri doceat Paulus, ex ipſo contextu diſcant Lectores. Modus ſalutis eſt, ut ad cognitionem veritatis veniant, atqui nec externo verbo dignatur omnes, & arcanæ illuminationis paucos facit participes. Porro quo ſe melius expediat, liberum Arbitrium clypei vice opponit: mirum eſſe negans, ſi Deus homines libero motu quod viſum eſt agentes, non impediat. Sed quid nobis vocem de nihilo confictam obtrudit? quum paſſim clamet Scriptura, hominem captivum, ſervum & diabolo mancipatum, toto affectu in vitia ferri, nec poſſe intelligere quæ Dei ſunt, tantum abeſt ut perficiat. In hac refutatione caninæ improbitatis, ſicuti Dei omnipotentia contra omnes calumnias probe & dilucide aſſeritur, ita laborem me non minus Eccleſiæ Dei utilem & jucundum, quam Deo gratum præſtitiſſe confido.

CALUMNIÆ NEBULONIS

Cujuſdam adverſus Doctrinam JOANNIS CALVINI de occulta Dei providentia.

ET

Ad eas ejuſdem Calvini reſponſio.

CALUMNIATORIS PRÆFATIO.

Habet omnino doctrina tua fautores multos, Joannes Calvine, vir pene toto mundo celeberrime, ſed habet eadem etiam adverſarios multos. Ego vero qui cupio unam eſſe doctrinam, ſicut eſt una veritas, & omnes in eandem conſentire, ſi fieri poteſt, putavi te admonendum eſſe familiariter de iis quæ contra doctrinam tuam dictitantur, ut ſi falſa ſunt, refutes, & ad nos refutationem mittas, quo poſſimus adverſus eos conſiſtere: idque facias ejuſmodi rationibus quæ poſſint à populo intelligi.

Sunt autem multa in quibus à te diſſentiunt multi: ſed ego in præſentia, cæteris in aliud tempus omiſſis, agam tecum de uno argumento Fati ſive Prædeſtinationis: quoniam & hic articulus magnas turbas excitat in Eccleſia, quas nos extinctas cupimus: & adverſariorum argumenta videntur in hoc argumento eſſe talia, ut nondum refelli poſſint ex libris quos tu hactenus publicaſti.

Circumferuntur autem ſuper hoc argumento certi articuli ex tuis libris decerpti, quos ego hic ordine tumultuario ponam, deinde quæ adverſus unumquemque dici ſoleant, ſubjiciam, ut tu videas ad quæ reſpondendum ſit.

JOANNIS CALVINI AD CALUMNIATORIS PRÆFATIONEM RESPONSIO.

Multos doctrinæ meæ eſſe adverſarios neque ignoro, neque miror: quia novum non eſt Chriſto, ſub cujus auſpicio milito, multos blaterones obſtrepere: hoc tantum oomine doleo, quod per latus meum configitur ſacra illa æternaque Dei veritas, quam reverenter à toto mundo ſuſpici adorarique decebat. Sed quia ab initio eam video fuiſſe obnoxiam multis improborum calumniis: & Chriſtum, quia ita decrevit cæleſtis Pater, ſcopum contradictionis eſſe oportet, hoc quoque patienter ferendum eſt. Nulli tamen improborum virulenti morſus unquam efficient ut ejus me doctrinæ pœniteat, quam à Deo auctore profectam eſſe certo mihi conſtat. Nec tum male in tot quibus me Deus ipſe exercuit certaminibus, profeci, ut ad futiles veſtros crepitus adhuc expaveſcam. Imo quod ad te privatim attinet, larvate monitor, hæc me ratio nonnihil ſolatur, quod in hominem melius quam dignus eras de te meritum ingratus eſſe non potuiſti, quin fœdam ſimul impietatem in Deum proderes. Scio quidem vobis Academicis nullum ſuaviorem eſſe ludum, quam ſub dubitationis ſpecie convellere quicquid eſt fidei in cordibus hominum: & quam lepida ea, quæ in arcanam Dei providentiam jacis dictaria, tibi perſuaſeris, quamvis ipſe diſſimules, ex ſtylo tuo ooo obſcure apparet. Sed te ac tuos ſodales ad tribunal illud cito, unde olim cæleſtis Judex ſolo oris flatuſque ſui fulmine veſtram proterviam ſatis valide proſternet: ut autem brevi tua dicacitas probis & cordatis lectoribus non minus fœteat quam tibi intus placet, facturum oe confido.

Refutationem ſcripti tui à me exigis, quod Lutetiam ab urbe Helvetica furtim miſeras, ut me inſcio late ſpargeretur abſque remedio venenum: & ſtudium aliquod diſcendi ſimulans, nomen tuum neſcio qua de cauſa ſubtices, niſi quod ſciebas eſſe mihi aliquid in promptu, quod fidem tibi tuæque catervæ ſtatim abrogaret. Conjicere tamen ex multis notis, imo animadvertere licuit quiſnam eſſes. Quanquam ſcripſeriſne ipſe tua manu, an Scoto deliriorum tuorum præconi quod non licebat iſthic vulgare dictaveris, ut Lutetiam perferret, mea nihil intereſt. Atque utinam vel alius eſſet libelli auctor, vel tu ipſe eſſes alius: quod non aliter fiet, donec quam amabilis ſit virtus iogenuitas, guſtaveris. Quanquam ſemper mecum reverenter loquutus es, quam tamen propenſus natura eſſes ad cavillandum, non difficile fuit cognoſcere. Vitium hoc quod etiam puerilibus nugis augebas, corrigere ſtudui, ſed fruſtra: quia ad naturam acceſſerat prava affectatio, ut acuminis laudem ex frigidiſſimis quibuſque & pluſquam inſipidis jocis captares. Nec vero eſt quod te Socratis exemplo tegas, quod dicta quælibet ſuis cavillis exagitare ſolitus fuerit. Nam quum excelleret vir ille multis & præclaris virtutibus, uno hoc vitio quod ooo minus perperam quam cupide æmularis, eas omnes inquinavit.

Refutationem ſcripti toi à me exigis, quæ poſſit à populo intelligi. Equidem ſimplici puroque docendi genere hactenus ſtudui me accommodare ad rudiſſimi cujuſque captum. Verum ſi nullam rationem admittis, niſi quam capit terreni hominis ſenſus, ſuperbo faſtidio aditum vobis ipſi clauditis ad eam doctrinam, cujus cognitio à reverentia incipit. Nec mihi ignotæ ſunt tuæ & ſimilium ſannæ, quibus Dei myſteria non ſecus exagitatis, ac ſi gratiam & auctoritatem perderet, quicquid vobis non arridet. Jam vero quid hoc ſibi vult, ſimulac obſtrepere quilibet mihi volet, ad refutandum me cogi? neque enim hanc legem ſibi imponi paſſus fuiſſet Socrates, cujus nomen falſo obtendis. Ego imitationem ſine exceptione minime appeto. Quod ſi quis non hac tantum ætate, ſed aliis etiam ſeculis, improbis ſe conſtanter oppoſuit, ut eorum calumnias dilueret, mihi vel malevoli & iniqui locum aliquem in hoc ſedulitatis genere dabunt. Quo minus tolerabilis eſt tuus latratus, dum tot labores meos cæco impudentiæ impetu calcans, ter & quater actum agere jubes.

Sed dicis in uno articulo validius contra me pugnare

gnare multos, quam ut eorum argumenta ex libris à me hactenus editis refelli poſſint: hunc autem dicis eſſe de Prædeſtinatione, vel Fato. Utinam vel modeſte inquirere, vel ſaltem ingenue diſputare tibi magis fuiſſet propoſitum, quam omni pudore neglecto, ad lucem extinguendam miſcere res diverſiſſimas. FATUM vocarunt Stoici neceſſitatem ex vario & multiplici labyrintho conflatam, quæ Deum ipſum quodammodo in ordinem cogeret. PRÆDESTINATIONEM, ut ſacræ Scripturæ docent, definio liberum eſſe Dei conſilium, quo & humanum genus & ſingulas mundi partes pro immenſa ſua ſapientia & juſtitia incomprehenſibili moderatur. Nunc ſi te & ingenii pravitas, & rixandi libido, & diabolicus faſtus ita excæcat, ut nihil videas in meridie, oculatis tamen lectoribus hæc diſtinctio oſtendet qualis ſit cenſuræ tuæ æquitas. Adde quod ſi duntaxat libros meos inſpicere gravatus non eſſes, quam mihi diſpliceat profanum Fati nomen, poteras inde colligere, imo legiſſes ab impuris nebulonibus tuique ſimilibus olim fuiſſe Augustino maligne & odioſe objectum, & in illius pii ſanctique doctoris reſponſo breviter fuiſſe expoſitum, quod hodie ad cauſæ meæ defenſionem ſufficiat.

In Articulis etiam quos ex libris meis excerptos fuiſſe dicis, mihi cum eodem illo fœlicis memoriæ Scriptore communis ratio eſt. Quum ſcirent malevoli non eſſe popularem hanc doctrinam, augendæ invidiæ cauſa articulos jactarunt, partim mutilos, partim detortos, unde imperiti non niſi ſiniſtrum judicium poſſent facere. Etſi autem prima ſpecie ex illius ſcriptis fuiſſe excerptos multi putabant, falſo tamen ſibi impoſitos conqueritur: quia vel conciſas ſententias de induſtria conflaverant, vel paucis verbis mutatis pie recteque dicta corruperant ſuo artificio, ut offenſionem gignerent apud ſimplices. Ejuſdem prorſus generis eſſe quos ex meis libris articulos proponere te jactas, etiam me tacente, reperient probi ſinceri que lectores, quibus impuras tuas calumnias cum mea doctrina conferre moleſtum non erit. Ac primum quidem hoc obtineo, te neque humaniter, neque ingenue facere dum locos nullos deſignas, ex quibus intelligant lectores me ita ſcripſiſſe ut recitas. Quid enim iniquius eſt, quum tot libros ediderim, confuſe pronuntiare, ex quinquaginta libris, vel circiter, quatuordecim articulos fuiſſe collectos? Præſtabat ſane, ſi qua in te fuiſſet probitatis gutta, vel ſententias meas referre ad verbum, vel ſi quid videbas eſſe periculi, lectores monere à quibus locis cavendum eſſet. Nunc libris meis omnibus promiſcue ſiniſtram notam aſpergens, abolere vis eorum memoriam: & quod ſine ulla offenſione legi in libris meis poterat, pro tuo commodo maligne depravans, odioſum reddis. Etſi autem Auguſtini prudentiam non improbo, quod hoſtium ſuorum aſtutiæ & improbitati occurrere volens, ſic temperat ſuas reſponſiones, ut odium declinet, mihi tamen utilius videtur libere tua maledicta refutare, quam vel minimam tergiverſantis dare ſpeciem.

ARTICULI DECERPTI

Ex libris tum latinis tum gallicis JOANNIS CALVINI de Prædeſtinatione.

ARTICULUS PRIMUS, id eſt, CALUMNIA PRIMA.

Deus maximam mundi partem nudo puroque voluntatis ſuæ arbitrio creavit ad perditionem.

Et hic quidem Articulus Primus. Item, quæ contra dicantur, accipe.

CONTRA PRIMUM.

Primum articulum dicunt eſſe contra naturam, & contra Scripturam. De natura ſic dicunt, Omne animal naturaliter amat ſuum fœtum: Atqui hæc natura eſt à Deo: ex quo conſequitur, ut Deus amet ſuum fœtum. Neque enim efficeret ut animalia amarent ſuos fœtus, niſi amaret ipſe quoque ſuos. Atque hoc probant hac ratione, Dixit Dominus, Egóne parere faciam, & non pariam? Quaſi hoc dicat, Quod ego facio facere alios, idem ipſe quoque facio: Atqui facio parere alios: Ergo ego quoque pariam. Hinc à ſimili ducunt argumentum: Deus facit animalia amare fœtus ſuos: Ergo amat ipſe ſuos. Atqui ſunt omnes homines fœtus Dei. Deus enim eſt pater Adami, à quo omnes homines nati ſunt: Ergo amat omnes homines. Atqui creare ad perditionem non eſt amoris, ſed odii: Ergo non creavit quemquam ad perditionem. Item, Creare eſt opus amoris, non odii: Ergo Deus omnes homines creavit amore, non odio. Item, Nulla tam immanis beſtia eſt (nedum homo) quæ velit creare pullum ad miſeriam: quanto minus Deus? Nonne eſſet vel lupo deterior? Sic argumentatur Chriſtus, Si vos quamvis mali, tamen noſtis bona dare filiis veſtris, quanto magis Deus? Sic & tui adverſarii argumentatur: Si Calvinus, quamvis malus, tamen nollet gignere filium ad miſeriam, quanto minus Deus? Hæc & talia dicunt de natura. De Scriptura autem ſic dicunt, Deus vidit omnia quæ fecerat eſſe valde bona: Ergo erat homo, quem fecerat valde bonus. Quod ſi eum creaverat ad perniciem, creaverat bonum ad perniciem, & amat perdere bonum: id quod vel cogitatu impium eſt. Item, Deus creavit unum hominem ut eum collocaret in paradiſo, quæ eſt vita beata: Ergo omnes homines creavit ad vitam beatam. Omnes enim ſunt creati in uno. Et ſi omnes in Adamo lapſi ſunt, neceſſe eſt ut omnes in Adamo ſteterint, idque ea conditione qua Adamus. Item, Nolo mortem peccatoris. Item, Deus neminem vult perire, ſed omnes ad veritatis cognitionem pervenire. Item, Si creavit Deus maximam mundi partem ad perditionem, ſequitur ut ſit ejus ira major quam miſericordia. Et tamen tradunt Scripturæ, eum eſſe tardum ad iram, propenſum ad miſericordiam, ita ut ejus ira extendatur tantum uſque ad tertium aut quartum generis gradum, quum miſericordia pateat vel ad milleſimum.

AD PRIMUM ARTICULUM, & calumniatoris cenſuram, reſponſio.

Primum articulum arripis, Quod Deus nudo puroque voluntatis ſuæ arbitrio maximam mundi partem creavit ad perditionem. Atqui totum illud de maxima parte mundi, & de nudo puroque Dei arbitrio fictitium eſt, atque ex malitiæ tuæ officina productum. Etſi enim quid toti humano generi futurum eſſet Deus ab initio decrevit, hæc tamen loquendi ratio nuſquam apud me occurret, Finem creationis eſſe æternum interitum. Itaque inſtar porci, boni odoris doctrinam roſtro tuo evertis, ut aliquid fœtoris reperias. Deinde, quanquam mihi Dei voluntas ſumma eſt cauſa, ubique tamen doceo, ubi in ejus conſiliis & operibus cauſa non apparet, apud eum tamen eſſe abſconditam, ut nihil niſi juſte & ſapienter decreverit. Itaque quod de abſoluta poteſtate nugantur Scholaſtici, non ſolum repudio, ſed etiam deteſtor, quia juſtitiam ejus ab imperio ſeparant. Nunc vide canis, quid proterve latrando proficias. Ego Dei arbitrio humanum genus ſubjiciens, clare affirmo nihil eum decernere ſine optima cauſa: quæ ſi

hodie

hodie nobis incognita eſt, ultimo die pateſiet. Tu purum nudumque arbitrium obtrudens, mihi impudenter exprobras, quod palàm centum vel pluribus locis repudio. Interea hanc eſſe meam doctrinam agnoſco, Non ſolo Dei permiſſu, ſed arcano etiam conſilio lapſum fuiſſe Adam, omneſque poſteros ſuo lapſu in æternum interitum traxiſſe. Utrumque ut video, tibi diſplicet: quia tam naturæ quam Scripturæ repugnet. Naturæ contrarium eſſe probas, quia omne animal naturaliter ſuum ſœtum amat: Deum igitur, qui talem brutis quoque pecudibus affectum indidit, non minus amare homines, quum ſint ejus ſœtus. Hoc vero nimis craſſe, quicquid cernis in bove & aſino, à Deo naturæ auctore exigere, ac ſi iiſdem legibus quas creaturis ſuis tulit, obſtrictus foret. Ut omne animalium genus propagaret, appetitum gignendæ ſobolis ſingulis indidit. Nunc cum eo expoſtula, quod ab ultima æternitate ſe uno contentus, virtutem ſuam quaſi ſterilem continuerit. Certe ſemper ſui ſimilem fuiſſe oportet. Te ergo judice, naturæ ordinem violavit, quamdiu maluit omni ſobole carere, quam exerere ſuam fœcunditatem. Jam quum feræ beſtiæ pro ſua ſobole ad mortem uſque decertent, qui fit ut Deus parvulos infantes à tigribus vel urſis, vel leonibus, vel lupis laniari vorarique ſinat? an quia brevior eſt ejus manus, quam ut ſeſe ad eos tuendos porrigat? Vides quam latus mihi campus pateat, ſi traducere libeat tuas ineptias: ſed mihi hoc unum ſufficit, extare erga totum humanum genus amoris Dei teſtimonia, quæ omnium qui pereunt ingratitudinem coarguant: neque tamen hoc obſtare quominus peculiarem ſuum amorem ad paucos reſtringat, quos ex multis eligere dignatus eſt. Certe quod ſibi olim adoptavit genus Abrahæ, eo palam teſtatus eſt minime æquali ſe amore complecti totum humanum genus. Quod etiam repudiato Eſau, Jacob natu minorem prætulit, in eo delectu clarum documentum præbuit liberi ſui amoris, quo non alios proſequitur niſi quos vult. Clamat Moſes gentem unam aliis rejectis dilectam fuiſſe à Deo. Ubique affirmant Prophetæ non alia de cauſa excellere Judæos, niſi quia Deus gratis eos dilexit. An tu negabis eſſe Deum, quia tigridi vel urſæ non deprehendis eſſe ſimilem? Jam Chriſtus non humanum genus, ac ne Judæos quidem paſſim, ſed puſillum gregem compellans, non fruſtra dicit, Nolite timere, quia complacuit Patri veſtro in vobis. nempe quia paternum ejus favorem in ſpem æternæ ſalutis non experiuntur alii, niſi quos ſibi gratos reddit in Filio unigenito. Quod ſi Deum naturæ legibus ſubjicere tibi propoſitum eſt, injuſtitiæ eum damnabis, quod ob unius hominis culpam omnes æternæ mortis reatu tenemur implicitì. Peccavit unus, omnes ad pœnam trahuntur: neque id modo, ſed ex unius vitio contagionem omnes contrahunt, ut corrupti, & mortifera labe infecti naſcantur. Quid tu ad hoc bone cenſor? an Deum crudelitatis damnabis, quia ſuos omnes ſœtus præcipitaverit in exitium, unius hominis lapſu? Etſi enim ſe & ſuos perdidit Adam, corruptionem tamen & reatum arcano Dei judicio adſcribere neceſſe eſt: quia nihil ad nos unius hominis culpa, niſi nos cæleſtis Judex æterno exitio addiceret. Ac vide quam ſcitè locum Jeſaiæ ad fucandum errorem tuum obtendas. Quia incredibile erat Eccleſiam Dei, quæ exilio Babylonico non ſolum liberis orbata, ſed etiam ſterilis fuerat, collecto novo vigore, fore brevi magis quam antea fœcundam, ſic loquitur Deus, An ego, cujus virtute ſœminæ pariunt, non potero etiam ſobolem producere? Tu hoc prætextu Deum ad quoſlibet animalium affectus induendos cogis. Audacter ratiocinaris, quia Deus animalia facit amare fœtus ſuos, ipſum quoque proprios ſœtus amare. Quod ut tibi concedam, non ſequitur tamen eodem amare modo. Deinde hoc non obſtat quo minus rejiciat tanquam juſtus Judex, quos amore & indulgentia, ut optimus pater, proſequitur. Iterum excipis, Creare eſſe opus amoris non odii: Deum igitur creaſſe amore non odio. Atqui non diſcernis, quamvis in Adam odioſi ſint Deo omnes, in creatione tamen fulgere ejus morem. Ergo quod putaſti eſſe valde plauſibile, frivolum eſſe agnoſcet, quiſquis mediocri judicio & æquitate erit præditus. Quod ſubjicis, non tam meum eſt ſcripto refellere, quam judicum gladio ſevere ulciſci. Homines ad miſeriam naſci palam eſt. an meis libris cauſa imputabitur? Unde hæc conditio, ut non ſolum temporalibus miſeriis, ſed morti quoque æternæ ſimus obnoxii, niſi quia unius hominis culpa, Deus in communem reatum nos conjecit? In hac miſera humani generis ruina non ſententia mea legitur, ſed conſpicitur apertum Dei opus. Tu ſacrilegam vocem evomere non dubitas, Deum quovis lupo eſſe deteriorem, ſi ad miſeriam velit creare homines. Naſcuntur cæci quidam, alii ſurdi, alii prodigioſa deformitate. Te quidem judice, crudelis eſſet Deus, qui talibus incommodis ſoetus ſuos antequam in lucem prodeant affligit: ſed olim ſenties quanto melius tibi fuiſſet nihil unquam vidiſſe, quam in excutiendis Dei arcanis tam fuiſſe perſpicacem. Deum ſcilicet accuſas injuſtitiæ, imo ſimilem monſtro eſſe dicis, ſi aliter de hominibus ſtatuat quam quiſque noſtrum de propriis liberis. Cur ergo alios bardos, alios ſtupidos, alios moriones creat? An ſicuti de Faunis & Satyris Judæi quidam fabulantur, ne eos abſolveret, fuiſſe interceptum die Sabbathi, ita nugaberis effluere ex ejus manibus mutila opera? Atqui triſtibus illis ſpectaculis nos ad timorem & modeſtiam erudiri potius decebat, quam ex cerebri noſtri ſenſu litem intendere cæli terræque Opifici. Si quis occurrat morio, ejus conſpectu admoneor qualem me creare Deus potuerit: quotquot ſunt ſtupidi & hebetes in mundo, totidem mihi ſpecula proponit Deus, in quibus potentia ſua non minus formidabilis quam mirifica mihi appareat. Tu vero in ipſum blaterare tibi permittis, ut lupo ſit deterior, quia tam male ſuis creaturis conſulit. Antequam te juvet Chriſti dictum, Quia bonus eſt Deus, benignius agere cum filiis ſuis quam homines qui mali ſunt: probandum eſſet, omnes peræquè eſſe Dei filios. Atqui omnes conſtat in Adam abdicatos eſſe vita æterna: adoptionis vero ſpecialem eſſe gratiam. Unde potius ſequetur exoſos Deo eſſe quicunque ab eo alieni ſunt. Quæ citas Scripturæ teſtimonia, jacula ſunt temere contorta manu hominis phrenetici: Vidit Deus quæ fecerat, & erant valde bona. Hinc colligis hominem fuiſſe valde bonum. unde rurſus infers, Deum fuiſſe injuſtum, ſi bonum ad perniciem creavit. Quomodo natura rectus fuerit homo, ſatis ſuperque multis locis expoſui. Certe non melior fuit quam diabolus antequam à ſua integritate excidiſſet. Nunc, ſi tam homines quam Angelos apoſtatas ad ſalutem creatos eſſe tibi concedam, & tamen futuræ defectionis reſpectu, exitio fuiſſe deſtinatos, quid tu inde elicies? Scivit enim haud dubie Deus quid utriſque futurum eſſet, & quid ipſe facturus eſſet, ſimul decrevit. De permiſſione videbimus poſtea ſuo loco. Nunc ſi mihi excipias, Præſcientiam Dei non eſſe malorum cauſam, tantum abs te quæro, Si Deus tam diaboli quam hominis interitum prævidit antequam eos crearet, cur non maturè adhibuerit remedium, ne ad lapſum ita eſſent proclives? Statim ab initio mundi diabolus ſe à ſpe ſalutis alienavit: homo ſimulatque conditus eſt, ſe & ſuos exitiali ruina perdidit: ſi in Dei manu eorum perſeverantia erat, cur ruere paſſus eſt? imo cur non mediocri ſaltem conſtantia utrumque inſtruxit? Ad quoſcunque circuitus te vertas, hoc principium tenebo, Quamvis infirmus, & ad defectionem flexibilis creatus fuerit homo, hanc debilitatem fuiſſe valde bonam, quia paulo poſt docuit

ejus

Digitized by Google

ejus ruina, extra Deum nihil firmum eſſe, vel ſtabile. Unde etiam conficitur, quod de hominibus ad ſalutem creatis garris, mutilum eſſe & inconſiderate poſitum. Nam ut fatear nihil in homine fuiſſe ſaluti contrarium, probo omnibus ſalutem occulto Dei conſilio fuiſſe prædeſtinatam. Breviter idem repetam aliis verbis, Si naturæ ſpectetur integritas qua donatus in prima creatione fuit Adam, ad ſalutem creatum fuiſſe, quia nulla illic reperietur mortis cauſa: ſi de occulta prædeſtinatione quæritur, occurrere profundam illam abyſſum, quæ in admirationem rapere nos debet. Imo ſi tantillo pietatis guſtu imbutus eſſes, facile agnoſceres non eſſe hoc perfectionis elogium: acſi pronunciaret Spiritus ſanctus nihil excellentiæ deeſſe ullis creaturis, ſed potius tibi, ac tui ſimilibus obſtrependi materiam tolli: quia utcunque negetis bonum fuiſſe creari hominem hac lege, ut ſuo lapſu totum mundum ſtatim corrumperet, pronunciat tamen Deus hanc rationem ſibi placuiſſe, ideoque eſſe rectiſſimam. Quo melius intelligas Moſis ſenſum, non aſſerit quam juſtus vel integer fuerit homo, ſed ut latratus veſtros compeſcat, docet ordinem illum ſic temperatum à Deo fuiſſe, ut nihil rectius fingi queat. Itaque quum de ſingulis Dei operibus pronunciet, Deum vidiſſe quod fecerat, & omnia fuiſſe bona, de homine nihil tale ſpecialiter affirmat: ſed narrata ejus creatione, tantum in genere ſubjicit, quæcunque fecerat Deus, fuiſſe valde bona: ſub quo minime dubium eſt comprehendi quod docet Solomo, impios fuiſſe creatos ad diem malum. Summa ſit, quamvis natura bonus fuerit homo, hanc rectitudinem, quæ fluxa & caduca erat, cum Dei prædeſtinatione non pugnare, qua factum eſt ut ſua culpa periret qui puræ naturæ, imo ejus qua ornatus erat præſtantiæ intuitu, ad ſalutem creatus erat: ideoque perperam & ſtulte infers fuiſſe creatum ut bonus periret, quum ſua infirmitate cecidiſſe palam ſit, ut non niſi juſtæ damnationi obnoxius periret. Porro ut inter ſe duo hæc conveniant, paulo poſt clarius videbimus. Objicis Deum nolle mortem peccatoris. Sed attende quid ſequatur apud Prophetam, nempe quia omnes ad reſipiſcentiam invitet. Ergo omnibus qui in viam redeunt, offertur venia. Nunc videndum eſt an in libero cujuſque arbitrio poſita ſit converſio quam requirit Deus: an vero ſingulare ſit ejus donum. Quatenus ergo omnes ad pœnitentiam hortatur, merito negat Propheta velle mortem peccatoris. Cur autem non omnes æqualiter ad ſe convertat, penes ipſum abſcondita eſt ratio. Quod citare ſoletis ex Paulo, Deum omnes velle ſalvos fieri, quam nihil errori veſtro ſuffragetur, alibi planum feciſſe mihi videor. Nam certo certius eſt, Paulum illic non de ſingulis hominibus agere, ſed intelligere ordines, & genera vocationum. Juſſerat pro Regibus aliiſque præfectis, & quicunque magiſtratum gerebant, preces concipi. Quia quotquot tunc gladio armati erant, totidem profeſſi erant Eccleſiæ hoſtes, abſurdum videri poterat Eccleſiam precari pro eorum ſalute. Paulus ut offendiculum præveniat, Dei gratiam ad ipſos quoque extendit. Plus forte coloris eſt in Petri verbis, Deum neminem velle perire, ſed omnes recipere ad pœnitentiam: verum ſiquid in priore membro ambiguum erat, explicatione mox addita liqueſcit. Sane quatenus vult Deus recipere omnes ad pœnitentiam, neminem vult perire: ſed ut recipiantur, venire neceſſe eſt. Præveniri autem à Deo ubique clamat Spiritus, qui donec trahantur, carnis ſuæ contumaciæ addicti manent. Si tibi vel minimum reſtaret judicii, an non cognoſceres longum eſſe diſcrimen inter hæc duo: corda hominum ex lapideis carnea fieri, ut ſibi diſpliceant, ac veniam ſupplices deprecentur: deinde ubi ita mutati ſunt, recipi in gratiam. Utrumque ſui beneficii Deus eſſe prædicat, dare cor novum ut reſipiſcamus, & ſupplicibus clementer ignoſcere. **Niſi recipere paratus** eſſet Deus qui ejus miſericordiam vere implorant, non diceret, Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. Verum ſi in hominis arbitrio eſſet pœnitentia, non diceret Paulus, Si forte det illis Deus pœnitentiam. Imo niſi idem Deus qui ad pœnitentiam omnes voce ſua hortatur, arcano Spiritus motu electos adduceret, non diceret Jeremias, Converte me Domine, & convertar: ubi enim convertiſti me, egi pœnitentiam. Hæc ſolutio, ſi qua in cane verecundia eſſet, tibi ex meis ſcriptis decies nota eſſe debuerat. Sed ut tibi liceat eam rejicere, nihilo tibi magis Paulus, quam Ezechiel ſuffragatur. Quomodo velit Deus ſalvos omnes fieri, non anxie diſputandum eſt: quia hæc duo inter ſe cohærent, ſalus, & cognitio veritatis. Nunc reſponde, ſi voluit Deus ſuam veritatem omnibus innoteſcere, cur ad tot gentes, ex quo promulgari cœpit Euangelium, nunquam pervenerit pura ejus veritas? Deinde cur non omnium oculos peræque aperuerit, quando interior Spiritus illuminatio, qua non niſi paucos dignatur, ad fidem neceſſaria eſt? Hic etiam tibi ſolvendus eſt nodus, Quum nemo niſi arcano Spiritus inſtinctu tractus, ad Deum accedat, cur non promiſcue trahat omnes, ſi vult eos ſalvos fieri: quia ex diſcrimine certo colligitur eſſe arcanum aliquem modum, quo multos à ſalute excludat. Quomodo uſque ad milleſimam generationem pateat Dei miſericordia, quamdiu te faſtus quo turges hebetabit, nunquam agnoſces. Neque enim promittitur miſericordia, quæ maledictionem, qua oppreſſum eſt totum Adæ genus, penitus aboleat, ſed quæ ſuperatis omnibus obſtaculis, abſque fine perrumpat uſque ad indignos. ſic multos Abrahæ filios præterit Deus, quum unum Iſaac elegit: ſic quum duo gemelli ex Iſaac progeniti eſſent, idem Deus reſidere miſericordiam ſuam voluit in uno Jacob. Jam quamvis in multis iræ ſuæ documenta exerat Deus, verum tamen illud manet, propenſum eſſe ad bonitatem, tardum ad iram, quando in tolerantia qua ſuſtinet reprobos, non obſcura refulget ejus bonitas. Cæterum vide ut frivolæ tuæ captiones, à quibus me facile expedio, te contra illaqueent. Ut Dei miſericordia iram ſuperet, vis plures ad ſalutem quam ad interitum eligi. hoc ſi tibi concedo, Deus tamen paucis illis iniquus erit, ſi tuis calumniis creditur. Niſi fœtus ſuos amet, lupo deteriorem eſſe pronuncias. Sit unus duntaxat erga quem exerceat iram ſuam, quomodo ſævitiæ crimen eluet? Nec eſt quod excipias, cauſas iræ eſſe in ipſis hominibus: quia iram cum miſericordia conferens, tantum de magnitudine contendis, acſi plures ad ſalutem eligendo, probaret ſe miſericordem eſſe. Atqui longe aliter gratiam ſuam nobis commendat, nempe dum tot tamque variis peccatis ignoſcens, certat cum obſtinata hominum malitia, uſque dum ad cumulum perueniat.

I I.

Deus non ſolum prædeſtinavit ad damnationem, ſed & ad cauſas damnationis Adamum, cujus non modo prævidit lapſum, ſed voluit decreto æterno & occulto, ordinavitque ut laberetur: quod ut ſuo tempore fieret, lapſus cauſa pomum propoſuit.

CONTRA SECUNDUM

Secundum item dicunt eſſe doctrinam diaboli, & petunt à nobis, Calvine, ut oſtendamus ubinam id ſcriptum ſit in libris Divinis.

JOAN.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

In ſecundo articulo idem es qui nuper. Profer locum ex ſcriptis meis, ubi doceam lapſus cauſæ propoſitum fuiſſe pomum Adæ. Hæc eſt ſcilicet tua popularitas, mendaciis obtenebrare mentes ſimplicium, ne ad veritatem, quæ remota eſt à communi carnis ſenſu, aſſurgant. Sed ne de verbis litigare videar, ita me ſcripſiſſe fateor, lapſum Adæ non fortuitum fuiſſe, ſed occulto Dei decreto ordinatum. Quod præciſe doctrinam diaboli eſſe pronuntias, magnæ ſcilicet auctoritatis cenſor tibi videris, qui ſententiam validis rationibus à me probatam uno convitio everti poſſe ſperas. Jubes producere teſtimonium ex Scripturis, ex quo pateat Adam non ſine arcano Dei decreto lapſum eſſe. Atqui ſi paucas tantum paginas attentè legiſſes, non te fugeret quod ſubinde occurrit, Deum arcano ſuo conſilio omnia moderari. Præſcientiam Deo affingitis, qua otioſus è cælo ſpeculetur hominum vitam: Deus ipſe gubernacula totius mundi ſibi vendicans, potentiam ſuam à præſcientia ſeparari non patitur. Certe hæc non mea ſed Auguſtini eſt ratiocinatio, Si prævidit Deus quod fieri nolebat, non tenere ſummum imperium: itaque ſtatuiſſe quid futurum eſſet. quia nihil fieri potuit, niſi eo volente. Si tu hoc abſurdum judicas, eodem tamen recides cum tuo figmento: quia ſaltem malo remedium, quod in manu erat, afferre debuit: quod non feciſſe palam eſt. Prævidit Deus lapſum Adæ: penes ipſum facultas erat prohibendi: noluit. cur noluerit, alia non poteſt afferri ratio, niſi quia aliò tendebat ejus voluntas. Si tibi permittis litem Deo intendere, accuſa etiam eum, quod hominem ingenita fragilitate ad ruinam aptaverit. Dicis libero arbitrio Adam cecidiſſe. Excipio, Ne caderet, opus habuiſſe fortitudine & conſtantia, qua Deus electos ſuos inſtruit, dum vult integros ſervare. Certum eſt, niſi ſingulis momentis nova è cælo virtus ſuggeratur, ut ſumus caduci, millies perituros. Deus quos elegit, invicta fortitudine fulcit ad perſeverantiam. Hoc idem cur Adæ non præſtitiſſet, ſi volebat incolumem ſtare? Certe hic obmuteſcere neceſſe eſt, aut fateri cum Salomone, Deum omnia creare propter ſeipſum, etiam impium ad diem exitii. Si te offendit abſurditas, cogita non fruſtra toties repeti, judicia Dei profundam eſſe abyſſum. Si incomprehenſibile Dei conſilium metiri ſenſus noſtri modulo liceret, fruſtra dixiſſet Moſes patefacta eſſe in Lege quæ à nobis & filiis noſtris diſcenda ſunt: manere autem Deo ſua arcana. Locum citari poſtulas quo probem Deum, quia voluerit, non prohibuiſſe Adæ lapſum. Quaſi vero ad id probandum non ſufficiat memorabile illud reſponſum, Miſerebor cujus miſerebor: unde colligit Paulus non omnium miſereri, quia non vult. Et certe, ut nullus accedat interpres, verba clare ſonant non obſtringi Deum ulla lege, ut miſericordia omnes promiſcue dignetur: ſed ipſum ſibi eſſe arbitrum, ut veniam impertiens quibus viſum eſt, alios omittat. Jam certe idem tunc erat Deus quem Propheta aſſerit facere quæcunque vult: & ſi nolens conceſſit, à Satana fuiſſe in certamine ſuperatum dices: ac tibi cum Manichæis duo erunt principia. Paulus quoque hanc agens cauſam, non temere Deum figulo comparat, cui liberum fuit ex eadem maſſa quam voluit vaſorum diverſitatem fingere. Poterat certe incipere à peccato, non facit, ſed in opificio ipſo liberum Dei jus & imperium defendit. Ubi vero ſubjicit, omnes ſub incredulitatem fuiſſe incluſos, an Deo invito id contigiſſe docet, ac non potius eo auctore? Si excipias, damnatos omnes fuiſſe incredulitatis ut digni erant: neque id contextus patitur, quia diſſerit Paulus de arcanis Dei judiciis, & exclamatio illa repugnat, O altitudo, &c. Ergo ſicuti Chriſtum ab initio prædeſtinavit, qui perditis ſuccurreret, ita inæſtimabili ſuo conſilio ſtatuit, quomodo illuſtraret gloriam ſuam ex lapſu Adæ. Fateor quidem, ubi liberum ſuæ miſericordiæ curſum vendicat, de humano genere loqui, quod jam in Adam perierat: ſed eadem ſemper valuit ratio ante lapſum Adæ, ut ſua ei voluntas ad miſerendum ſufficiat, ubi ita viſum eſt. Voluntas porro hæc etſi neque aliunde pendet, nec aliam habet priorem cauſam, in optima tamen ratione, ſummaque æquitate fundata eſt. Nam quum Legis fræno indigeat hominum intemperies, alia eſt Dei ratio, qui ſibi ipſe lex eſt, & cujus voluntas regula eſt optimæ rectitudinis.

III.

Peccata quæ committuntur, non ſolum permiſſione, verumetiam voluntate Dei committuntur. Nam frivolum eſt aſſignare diſcrimen inter permiſſionem & voluntatem Dei, quoad peccatum attinet. Qui hoc faciunt, Deum volunt blanditiis & adulatione demereri.

CONTRA TERTIUM.

Contra tertium de differentia voluntatis & permiſſionis hoc dicunt: Calvinus dicit ſe eſſe Prophetam Dei: & nos dicimus Calvinum eſſe Prophetam diaboli. Atqui neceſſe eſt ut alteri falſum dicant. Nam ſi eſt Propheta Dei, nos mentimur: ſin eſt propheta diaboli, ipſe mentitur, qui dicat ſe Prophetam Dei. Quod ſi ſit utrumque volente Deo, hoc eſt, ſi vult Deus ut Calvinus dicat ſe eſſe Prophetam Dei, & nos dicamus eum eſſe prophetam diaboli, pugnantia vult, id quod eſt impoſſibile. Nam ſi Deus vult mendacium, non vult veritatem: aut ſi vult veritatem, non vult mendacium. Ex quo conſequitur, ut ſi vult ut alteri verum dicant, nolit ut alteri mentiantur. Atqui omnino alteri mentiuntur. Ergo permittente, non volente Deo mentiuntur. Eſt ergo differentia etiam in Deo, inter permiſſionem & voluntatem. Adducunt etiam perſpicua exempla multa de diſcrimine voluntatis & permiſſionis: nominatim ex Ezechiele, cap. 20. ubi Deus, poſtquam multis verbis exprobravit ſuo populo quod noluerit obedire ſuis præceptis, tandem ita concludit, Ite, ſervite ſuo quiſque ſtercoreo Deo, poſtquam mihi non obediitis. quaſi hoc dicat, Permitto vos veſtræ libidini, poſtquam meis præceptis obedire non vultis. Et hoc videtur idem eſſe quod paulo ante dixerat in eodem capite, Quoniam mea inſtituta repudiarunt, tradidi eis præcepta non bona. Atqui non tradidit Deus Iſraëlitis præcepta non bona: ſunt enim omnia Dei præcepta bona. Sed quia bona Dei præcepta repudiarunt, deſeruit eos: & illi à Deo deſerti, prolapſi ſunt in mala præcepta: ſicut deſertus à patre, vel potius deſerto patre, prodigus ille filius prolapſus eſt in luxuriam: &, ſicut docet Paulus, quia homines non dilexerunt veritatem, miſit eis Deus ſpiritum erroris ut crederent mendacio.

Tale videtur eſſe & illud Amos, cap. 4. Ite Bethel, & peccate, poſtquam ita facere amatis. Sic hodie, quia homines noluerunt obedire Deo, qui dicit ſe nolle peccatum, permiſit Deus exiſtere ſpiritus erroris qui doceant Deum velle peccatum: ut qui noluerunt obedire veritati, obediant mendacio.

Adducunt præterea locum ex Zacharia, ubi dicit Deus ſeſe iraſci nationibus quietis, propterea quod quum ipſe leviter ſuccenſeret Iſraëlitis, illi adjuvere malum: hoc eſt, gravius vexaverunt Iſraëlitas, quam ferret ira Dei: Ergo permittente, non volente Deo. Simile exemplum adducunt ex Propheta Obed, qui Iſraëlitas reprehendit quod Judæos gravius afflixerint quam poſtulabat ira Domini. Adducunt & hujus, quem jam attigi, filii prodigi exemplum, quem ſi dixeris volente patre iviſſe luxuriatum, erit abſurdiſſimum: ivit ergo permiſ-

Digitized by Google

permittente. Sic & ſontes, dicunt prodigos eſſe Dei filios, & Deo permittente, non volente, peccantes. Item, Chriſti dictum illud, Et vos, num vultis abire? Certe nolebat, ut abirent, ſed permittebat. Denique adducunt communem ſenſum, qui dictat diſcrimen eſſe voluntatis & permiſſionis, ſecundum quem communem ſenſum Chriſtus ſolitus eſt docere res Divinas, & quem ſi tollas, peribunt omnes Chriſti ſimilitudines, de quibus judicamus ſenſu communi.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

Tertius articulus non minus prodit quam te cupide paſcas fœtidis calumniis. Si meam doctrinam arrodere libet, cur non ſaltem mea dicta ingenue recitas? In cauſa quæ nunc agitur, diſcrimen permiſſionis & voluntatis frivolum eſſe dico. Tu lepidam, ut quidem putas, argutiam, ſed revera evanidum ſophiſma opponis, Si volente Deo fiunt omnia, ipſum velle pugnantia, quia me diaboli Prophetam eſſe dicitis, ego vero fidelem ejus ſervum me eſſe affirmo. Tibi quidem hæc ſpecies repugnantiæ oculos perſtringit: at vero Deus ipſe, qui apud ſe novit quomodo idem velit, & nolit fieri, tuam hebetudinem nihil moratur. Quoties excitavit veros Prophetas, voluit certe acriter eos & ſtrenue pugnare pro aſſerenda Legis doctrina: ſuborti ſunt falſi prophetæ, qui eam evertere ſtuderent: conflictum inter ipſos eſſe oportuit: non tamen conflixit ſecum Deus, qui utroſque excitavit. Tu mihi ejus tolerantiam obtrudis: reclamat aperte nullos ſurgere pſeudo-prophetas, niſi quos ipſe vel ad probandam ſuorum fidem, vel ad excæ-
Deut. 13. verſ. 2. candos incredulos deſtinat. Si ſurrexerit pſeudopropheta inter vos, inquit Moſes, tentat vos Deus veſter. Tu alieniſſimo commento alio transfers quod Moſes Deo non temere adſcribat. Aut nega proprium Dei eſſe munus, examinare populi ſui corda, aut tandem cede locum claræ & indubiæ veritati: Pſeudoprophetas, Dei inſtrumenta eſſe ad examen
Eze. 14. verſ. 9. illud, cujus auctor vult agnoſci. Clarius vero per Ezechielem, Si Propheta deceptus quicquam protulerit, ego Deus Prophetam illum decepi, & manus mea ſuper eum. Tu nos ſolo permiſſu contentos eſſe jubes: voluntatem ſuam & manum Dei in cauſa eſſe aſſerit. Nunc vide uter fide dignior teſtis, Deus per Spiritum ſuum, unicum ſapientiæ fontem, de ſe loquens, an tu de incognitis ejus myſteriis ex inſipido carnis tuæ ſenſu garriens. Quid? ubi Deus Satanam vindictæ ſuæ miniſtrum accerſit, & dat apertum fallendi mandatum, an hoc nihil differt à ſolo permiſſu?
1 Reg 22. verſ. 20. & 21. Vox Dei eſt minime ambigua, Quis nobis decipiet Achab? nec obſcure Satanæ imperat, Vade, & ſis Spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Scire etiam velim an idem ſit facere quod permittere.
2 Sam. 12. verſ. 11. Quia David clam aliena uxore abuſus fuerat, pronuntiat Deus ſe facturum ut ejus uxores ad probrum ſimile palam in ſolis conſpectu trahantur. Non dicit, Patiar fieri: ſed, Faciam. Tu ut fallaci tuo patrocinio eum adjuves, permiſſionem obtendis. Longe aliter David ipſe, qui horribile Dei judicium ſecum reputans, exclamat: Obmuteſco, quia tu feciſti. Sic etiam Job Deum benedicens, non tantum ejus permiſſu ſpoliatum ſe fatetur à prædonibus, ſed clare affirmat Deum abſtuliſſe quod dederat. Si eadem in dando & accipiendo ratio eſt, te auctore, non eſſent opes Dei beneficia, ſed Dei permiſſu temere ad nos fluerent. Quod ſi tu cum putrida tua cohorte obſtrepere non deſinis, ſeipſum tamen juſtificabit Deus. Nos vero myſteria quæ longe captum noſtrum ſuperant, reverenter adorabimus, donec eorum affulgeat plena cognitio, ubi facie ad faciem videbitur qui nunc non
Euch. ad Laur. cap. 95. niſi in ſpeculo cerni poteſt. Tunc, inquit Auguſtinus, in clariſſima luce ſapientiæ videbitur quod piorum fides habet, quam certa & immutabilis, & efficaciſſima ſit voluntas Dei, quam multa poſſit & non velit: nihil autem velit quod non poſſit. De præſenti autem articulo ex ore ejuſdem pii Scriptoris tibi reſpondeo. *Ejuſdem lib. 1. sco.* Hæc ſunt magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus, & tam ſapienter exquiſita, ut quum Angelica & humana creatura peccaſſet, id eſt, non quod ille, ſed quod voluit ipſa feciſſet, etiam per eandem creaturæ voluntatem, qua factum eſt quod Creator noluit, impleret Ipſe quod voluit: bene utens & malis, tanquam ſumme bonus, ad eorum damnationem quos juſte prædeſtinavit ad pœnam, & ad eorum ſalutem quos benigne prædeſtinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipſos attinet, quod Deus noluit fecerunt, quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt: hoc quippe ipſo quod contra voluntatem Dei fecerunt, de ipſis facta eſt voluntas ejus. Propterea namque magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus, ut miro & ineffabili modo non fiat præter ejus voluntatem, quod etiam contra ejus fit voluntatem: quia non fieret ſi non ſineret: nec utique nolens ſinit, ſed volens. Nec ſineret bonus fieri male, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bene. Quæ vero adducis teſtimonia, nihilo magis ad præſentem cauſam faciunt, quam ſi oleo vinum diluere velles. Deus per Ezechielem Judæos immorigeros alloquens, dicit, Ite, ſervite ſuis quiſque idolis. Fateor ſane non hanc jubentis eſſe vocem, ſed impiam mixturam repudiantis, qua Judæi legitimum ejus cultum adulterabant. Sed quid inde aliud colliges, niſi Deum interdum permittere quod improbat & damnat? Quaſi vero non conſtet inter omnes, Deum ſimilibus loquendi formis interdum jubere, interdum concedere. Dicit in Lege, Sex diebus operaberis: conceſſio eſt. nam ſeptimum quemque diem ſibi conſecrans, reliquos hominibus liberos facit. Alio etiam modo repudium olim Judæis permiſit, quod minime probabat. Hic cum indignatione duplices & perfidos idolis devovet, quia non vult nomen ſuum profanari. Sed quomodo de arcana ejus providentia nunc agi oblitus es, qua omnes mundi agitationes pro arbitrio in uſum ſuum deſtinat & convertit? Porro alterum locum tam inſcite & perperam corrumpens, oſtendis quam nihil ſacrum ſit homini impuro & profano. Verba Dei ſunt, Quia noluerunt obedire bonis meis præceptis, dedi illis præcepta non bona. Hic nugaris, quum deſerti eſſent à Deo, prolapſos eſſe in idololatriam. Atqui haud dubie intelligit Deus Chaldæis fuiſſe addictos in ſervitutem, qui ad tyrannicas ſuas leges eos cogerent. Jam quæritur, an tantum permiſerit Deus Judæos à Chaldæis trahi in exilium, an vero ad caſtiganda populi ſui peccata delectis à ſe flagellis uſus fuerit? Nam ſi ex Dei permiſſione prætextum adhuc quæras, incendio tradendi erunt omnes Prophetæ, qui nunc Satanam à Deo mitti ad fallendum, nunc Chaldæos vel Aſſyrios ad rapiendum affirmant: nunc dicunt eundem Deum ſibilare Ægyptiis, ut eorum opera utatur: Aſſyrios eſſe conductitios ejus milites: Nabucadnezer in expilanda Ægypto eſſe ejus ſervum: item Aſſyrios in excidenda Judæa ſecurim eſſe in ejus manu, & virgam furoris ejus. Alia innumera, ne juſto ſim prolixior, omitto. Non minus temulentæ audaciæ eſt, quod Deum fingis mittere ſpiritum erroris incredulis, ut credant mendacio, quia permittit exiſtere falſos doctores: ſicuti prodigus adoleſcens prolapſus eſt in luxuriem. Ubi hæc effutiveris, putaſne ita excæcatos lectores, ut non videant prorſus aliud in his Pauli verbis, Deum efficaciam erroris dediſſe? *2 Theſſ 2. verſ. 11.* Sed nihil mirum eſt tam licentioſe eum garrire, qui vel nulla eſſe Dei judicia putat, vel quid nomen ipſum judicii valeat ſecure contemnit. Neque enim quiſquam ſanæ mentis judicem in pœnis exigendis nihil agere dicet, vel otioſum permittere aliis quod officii ejus proprium erat. Tuo autem latratu fruſtra me territare aut laceſſere contendis.

dis. Dicis Dei permiſſu exiſtere ſpiritus erroris, qui doceant Deum velle peccatum. hoc idem quum
Rom. 3. verſ. 8. Paulo exprobratum fuerit à tui ſimilibus, non eſt cur ægre feram cum eo conjungi. Adducis ex Zacharia, Deum iraſci gentibus quæ gravius vexarunt Iſraëlitas quam ferret ejus ira. Ergone tam bardus es, ut non ſatis fuiſſe in Deo præſidii putes ad prohibendas injurias, ſi populum mitius caſtigari volebat? Excipies hoc ſonare verba. Sed ter & quater ſtupidus es, ſi non animadvertis alio & alio modo mirabiliter Deum probare ſevero examine ſuorum patientiam, & interea offendi hoſtium petulantia, dum victoriis elatos ſine modo inſoleſcere, & ad crudelitatem ruere videt, imo nihil clarius, quam tuas ineptias mutuo conflictu ſponte ſua concidere. Vel enim mandavit Deus profanis illis gentibus, vel ſolum permiſit, ut Judæos leniter caſtigarent. Si mandaſſe reſpondeas, obtineo quum miſeris Dei exulibus ſine cauſa moleſti eſſent vicini, futuros tamen fuiſſe extra culpam, ſi modum ſervaſſent. Quis enim vitio illis adſcribat, quod Dei mandato paruerint? Atqui tu diſcrimen ſtatuis permiſſionis & mandati: quia quum juſſiſſet Dominus leves pœnas exigere de populo ſuo, eo permittente, modum exceſſerint. Hac ratione reprehenſione digni fuerunt Iſraëlitæ, quod gravius afflixerint fratres ſuos, quam ferebat ira Dei. Sed nimis te excæcat tua amentia, quod à reatu ipſos eximis, ſi modo ſibi temperaſſent. Semper enim huc te retraham, peccaſſe Iſraëlitas non ſolum quia permittente Deo, ut fingis, nimis aſpere ſe geſſerint, ſed quia injuſte arma induerint contra fratres ſuos. Tu aſſerere non dubitas in ſuſcepto bello nihil fuiſſe peccati, quia Judæis iratus erat Deus, & Iſraëlitas ipſos armaverat, ut vindictam ſuo imperio exigerent. Ego autem bis eos peccaſſe dico, quia nec illis propoſitum fuit obſequium Deo præſtare, quamvis miniſtri eſſent vindictæ ejus: & ipſa atrocitas oſtendit omnis æquitatis fuiſſe oblitos. Imo in ipſo principio pudendam inſcitiam prodis, quod fingis Dei permiſſu labi & errare homines, quoad ipſos ſpectat. Eſt enim impium & ſacrilegum commentum, Deum quicquam mali permittere hominibus, ipſorum reſpectu, quum ſevere prohibere & vetare conſtet, quicquid contrarium eſt ejus mandatis. Cur autem volens errare ſinat, imo arcano decreto errori addicat quos rectam viam tenere jubet, ſobriæ modeſtiæ eſt neſcire: protervæ, ut facis, ſciſcitari,
Joan. 6. verſ. 67. veſanæ temeritatis. Chriſtum permittere diſcipulis ut abeant, quam dextre interpreteris inde collige, quod propoſita aliorum defectione, eos ad perſeverantiam hortatur. Dolenter enim quærens an ipſi quoque velint abire, quaſi fræuum injicit, ne una cum apoſtatis diffluant. Hæccine ratio loquendi permiſſio tibi videtur? Dictat quidem, fateor, ſenſus communis jubere eſſe aliud quam permittere: neque vero hac de re inter nos diſceptatio eſt: ſed, An Deus per otium ſpeculetur quæ fiunt in terra: an vero pro ſummo imperio ſingulas hominum actiones gubernet. Aut ſi tibi tantopere arridet verbum permittendi, reſponde, Volenſne permittat, an nolens. Huic ſecundo membro reclamat quod legitur in Pſalmo, Deum facere quæcunque vult. Si autem volens permittit, otioſum fingere nefas erit. Unde ſequitur, ſuo conſilio moderari, quod fieri vult. Cæterum tam ſublime Dei myſterium nimis pueriliter exigis ad regulam communis ſenſus. Nam quod objicis, Chriſtum, quicquid tradidit de rebus Divinis, accommodaſſe ad ſenſum communem, ipſe vero fortiter negat, teque & mendacii & impudentiæ coarguit. Non audis ut pronunciet ſe loqui in parabolis, ut vulgus hominum audiendo non audiat? Verum quidem eſt, Spiritum ſanctum ubique noſtra cauſa quodammodo balbutire nutricis inſtar: ſed multum abeſt quin ejus doctrinæ quæ Angelorum captum ſuperat, idoneus judex ſit communis ſenſus. Clamat Paulus animalem hominem non percipere quæ Dei ſunt. Itaque jubet ſtulteſcere, proprioque ſenſu exinaniri quicunque in cæleſti ſchola proficere cupiunt. Denique lucem intelligentiæ ubique ſibi vendicat Deus. ac me dies & charta deficient, ſi teſtimonia congerere libeat, quæ ſenſum communem ita cæcitatis damnant, ut non niſi à cælis lux petatur, ac ſuæ perſpicaciæ renunciare oporteat quiſquis Deo ſapere cupit. Uno itaque exemplo contentus ero. Quod Evangelii doctrinam Gentibus promulgari noluit Deus uſque ad Chriſti adventum, Paulus myſterium vocat abſconditum à ſeculis, imo Angelis ipſis cæleſtibus incognitum. Tu ſenſum communem obtrudis, qui arbitrio ſuo doctrinam hanc evertat: quia nihil probabile eſſe concedis, niſi cujus ille ſit æſtimator ac arbiter. Exclamat Propheta, de providentia Dei loquens, Quam magnificata ſunt opera tua Jehova! valde profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Tu quicquam Divinum eſſe negas, niſi quod propria ratione metiri queas. Quorſum igitur illa admonitio Pauli, ubi de cauſa præſenti diſſerit? O homo, tu quis es? Deinde, O altitudo & profunditas! Mirari jubet ac obſtupeſcere: quia ubi ad incomprehenſibile Dei conſilium venitur, deficiunt omnes ſenſus. Tu autem nihil niſi oculis tuis ſubjectum admittes.

IV.

Omnia quæ à quovis homine perpetrantur facinora, bona ſunt juſtaque Dei opera.

CONTRA QUARTUM.

Contra quartum exclamant illud Jeſaiæ, Væ qui bonum malum & malum dicunt bonum. Si peccatum eſt bonum juſtumque opus Dei, ſequitur ut juſtitia ſit malum injuſtumque opus Dei: eſt enim juſtitia omnino contraria peccato. Si peccatum eſt juſtum, ſequitur ut injuſtitia ſit juſta: nam peccatum eſt injuſtitia. Si peccatum eſt opus Dei, ſequitur ut Deus faciat peccatum: & ſi facit peccatum, ſervus eſt peccati, ex ſententia Chriſti. Si peccatum eſt opus Dei, & Chriſtus venit ut aboleret peccatum, venit ut aboleret opus Dei. Sin venit Chriſtus ut aboleret opus diaboli (ſicuti teſtatur Joannes) quænam ſunt opera diaboli? Si peccatum eſt juſtum opus Dei, Deus odit & punit juſtum opus ſuum: ergo injuſtus eſt. Quod ſi objicitur eis, peccatum non eſſe Deo peccatum: reſpondent, Cuinam igitur eſt peccatum? aut cur odit ipſe? aut cur peccatum appellatur peccatum, niſi quia eſt contra Legem, non hominum, ſed Dei? Si peccatum eſt opus Dei, Deus facit peccatum: & ſi Deus facit peccatum, peccat: ſicut qui facit juſtitiam, juſtus eſt. Quod ſi peccat Deus, cur alios peccare vetat? cur non potius peccare jubet, ut ſint homines ejus imitatores? patrem enim ſequi debet ſua proles. Eſtote ſancti, inquit, quia ego ſanctus ſum. Ergo eadem ratione dicendum erit, Operamini peccatum, quia operor peccatum.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

In quarto etiam articulo falſarius eſſe pergis: cujus rei monitos hac tantum de cauſa lectores volo, ut candide ex re ipſa potius quam putidis calumniis judicent. Neque tamen refugio quod objicis: tantum quod aliter dictum à me fuerat, mutatis verbis, maligne ad invidiam torqueri queror. Perinde mecum litigas acſi dixiſſem peccatum eſſe juſtum Dei opus: quod in omnibus ſcriptis meis paſſim deteſtor. Ergo quo tibi videris argutior, magis ridicula eſt tua puerilitas. Juſtitiam colligis malum eſſe, injuſtitiam bonum. Deum eſſe ſervum peccati, injuſte punire opus ſuum. nempe hæc monſtra ſunt in cerebro tuo fabricata, quæ diligenter à me eſſe refutata teſtes ſunt libri mei. Tu vero olim ſenties quam deteſtabile crimen ſit in arcanis Dei my-

ſteriis

ſteriis dicaciter tuo more ludere. Atque ut intelligas non mecum tibi negotium eſſe vel certamen, ſed cum Judice cæleſti, cujus tribunal non effugies: certe non alio quam Spiritus inſtinctu pronuntiat Job, *Job. 1. verſ. 21.* Dei eſſe opus, quod & Satanæ & latronum erat: neque tamen inſimulat Deum peccati: ſed benedicit ſacro ejus nomini. Quod Joſeph innoxium vendiderant fratres ſui, ſcelerate factum eſſe conſtat: idem *Gen. 45. verſ. 5.* tamen opus Joſeph Deo adſcribens, immenſam ejus bonitatem conſiderat, quod hoc modo datus ſit patris ſui familiæ nutritius. *Jeſa. 10. verſ. 5.* Jeſaias Aſſyrium pronuntians baculum eſſe in manu Dei, horrendæ ſtragis quæ per ipſum edenda erat, Deum facit auctorem, *Jer. 48. verſ. 10.* ſed abſque peccati nota. Jeremias maledicens qui faciunt opus Dei negligenter: per opus Dei intelligit quicquid ſævitiæ exercuit impius hoſtis contra Judæos. Nunc cum eo expoſtula, acſi Deum peccare dixerit. Denique norunt omnes in Scriptura exercitati ex ejuſmodi teſtimoniis breviter collectis poſſe confici integrum volumen. Sed quid verbis opus eſt, ubi res ipſa per ſe liquet? An non hoc gratiæ Dei inſigne eſt documentum, quod Filio ſuo non pepercit? Chriſti etiam, quod ſeipſum tradidit? Hic tu impuro & ſacrilego ore peccaſſe Deum affirmas, ſi ejus opus ſit, unigeniti Filii immolatio. Atqui nodum hunc facile cum Auguſtino pii omnes *Epi. 48. ad Vincentium.* expediunt. Quum Pater tradiderit Filium, & Dominus corpus ſuum, & Judas Dominum, cur in hac traditione Deus eſt juſtus, & homo reus, niſi quia in re una quam fecerunt, cauſa non una eſt ob quam *Actor. 4. verſ. 28.* fecerunt? Itaque palam aſſerere non dubitat Petrus Pilatum, Judam, & alios impios feciſſe quæ conſilium & manus Dei decreverant: ſicut paulo ante *Actor. 2. verſ. 23.* dixerat Chriſtum definito conſilio Dei, & præſcientia fuiſſe traditum. Si in voce Præſcientiæ tergiverſaris, te abunde refellit definitio conſilii: nec quicquam ambiguitatis relinquit prior locus, Pilatum, & impios feciſſe quod fieri decreverat conſilium & Dei manus. Tantum arcanum ſi non capis, mirare cum Apoſtolo, & exclama, O altitudo? ne autem rabioſe inſultes. Si docilem te præberes, parata in aliis meis ſcriptis tibi eſſet plenior explicatio: nunc mihi tuam protervinm retundere ſatis eſt, ne infirmas animas conturbet.

V.

Nullum adulterium, furtum, homicidium committitur, quin Dei voluntas intercedat. Inſtit. cap. 14. diſtin. 44.

VI.

Teſtatur aperte Scriptura, maleficia deſignari Deo non ſolum volente, ſed auctore.

CONTRA QUINTUM ET SEXTUM.

Contra quintum & ſextum dicunt, & alia multa, & hæc inprimis: Si Deus vult peccatum, auctorque eſt peccati, Deus ipſe eſt puniendus. Nam omnino peccatum animadvertendum eſt in auctorem. Si Deus vult peccatum, diabolus non vult peccatum: eſt enim diabolus Deo omnibus in rebus contrarius. Si Deus vult peccatum, amat peccatum: & ſi amat peccatum, odit juſtitiam. Si Deus vult peccatum, eſt pejor multis hominibus: nam multi homines nolunt peccatum. Quo quiſque propius accedit ad naturam Dei, eo minus vult peccatum. Cur ergo dicit Paulus, Non quod volo bonum, facio, ſed quod nolo malum, hoc facio? Cur non vult Paulus quod vult Deus? aut cur vult Paulus quod non vult Deus? Poſtremo quærunt quænam Scriptura teſtetur maleficia deſignari, Deo non ſolum volente, ſed auctore.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

In quinto articulo non ſine Dei providentia, quam oppugnas, factum eſt ut locum notares. Illic videbunt lectores quæ ſoleant adverſarii objicere contra meam doctrinam, me velut in eorum perſona recitate. Tu mutilum iſtud dictum arripiens, nonne dignus es in cujus faciem omnes conſpuant? In ſexto tametſi locum non deſignas, longius proſilit tua impudentia. Egone qui tam reverenter ubique prædico, quoties peccati fit mentio, procul removendum eſſe Dei nomen, uſquam dixerim maleficia non tantum eo volente, ſed etiam auctore perpetrari? Certe ut quidvis contra tam prodigioſam blaſphemiam dicatur, libenter patiar, modo ne immerito admiſceatur nomen meum. Quantum ad ſtultos fallendos proficias neſcio, ſed non timeo, ſi quis figmenta tua cum ſcriptis meis conferre volet, ne tua improbitas te execrabilem, ut dignus es, reddat. Contendis, ſi Deus amat peccatum, odio habere juſtitiam, multaque in eandem ſententiam adducis. Quorſum? niſi ut verbis meis ſubſcribas? Sic enim *Lib. de æterna Dei prædeſtin. & providentia.* diſerte non heri primum, vel nudiuſtertius, ſed ante complures annos loquutus ſum, Si in ſpoliatione Job commune eſt Dei, Satanæ, & latronum opus, quomodo à culpa eximetur Deus, cujus Satan cum ſuis organis reus erit? Nempe ſi inter hominum facta diſcrimen à conſilio & fine ſumitur, ut ejus damnetur crudelitas qui cornicum oculos configit, vel occidit ciconiam: judicis autem laudetur virtus, qui ſceleſti hominis cæde manus ſuas ſanctificat. Et cur erit deterior Dei conditio, ne ſua eum juſtitia ab hominum maleficiis ſeparet? Percurrant tantum lectores quæ ſubjicio: imo totam libelli illius partem, ubi de Providentia Dei diſputo: & facile deprehendent tuas omnes nebulas ſatis ſuperque illic eſſe diſcuſſas. Adjungant ſi placet quæ in ſecundum Actorum caput ſcripſi. Homines quum vel furtum vel homicidium perpetrant, ideo peccant quia fures ſunt & homicidæ. In furto autem & homicidio ſceleratum conſilium. Deus qui illorum malitia utitur, ſuperiore in gradu locandus eſt. Longe enim aliud ſpectat, quia alterum vult caſtigare, alterius exercere patientiam: atque ira nunquam à ſua natura, hoc eſt, perfecta rectitudine deflectit. Quia vero maleficium à fine quo quiſque tendit æſtimatur, palam eſt Deum non eſſe peccati auctorem. Hæc ſumma eſt, quum peccati cauſa ſit in hominibus mala voluntas, Deum recta ſua judicia per eorum manus exercendo, adeo culpa non involvi, ut mirabiliter lucem gloriæ ſuæ ex tenebris eliciat. Et quidem in eo libello, qui furias iſtas ex profundis inferis contra me excitavit, ſubinde occurrit clara illa diſtinctio, nihil eſſe iniquius, vel magis præpoſterum, quam Deum trahere in ſocietatem reatus, dum per manus diaboli & impiorum judicia ſua exequitur, quum in ratione agendi nulla ſit affinitas. Cæterum, jam ante annos duodecim editum à me opus eſt, quod me à putidis iſtis calumniis ſatis ſuperque vindicat, ab omni autem moleſtia debebat immunem reddere, ſi qua in te, ac ſimilibus eſſet humanitatis gutta: delirium enim illud quo jam multos faſcinaverant libertini, monſtruoſum hominum genus, quam dextre refutaverim non jacto. Certe ex profeſſo cauſam illam agendam ſuſcepi, & luculente expoſui Deum peccati non eſſe auctorem.

VII.

Quod homines faciunt dum peccant, ex voluntate Dei faciunt, ſiquidem ſæpiſſime pugnat Dei voluntas cum præcepto.

CONTRA SEPTIMUM.

Super ſeptimo quærunt, Si Dei voluntas ſæpe pugnat cum præcepto, quonam modo cognoſci poſſit quando velit,

lit, aut quando nolit quod jubet. Quod ſi dicat Calvinus, debere ſemper fieri quod jubet Deus, ſive id velit, ſive nolit, ſequitur ut velit Deus, ut ipſius voluntati aliquando reſiſtatur. Si enim mihi præcepit ut non adulterem, & tamen vult ut adulterem, & tamen debeo non adulterare, debeo facere contra voluntatem ejus. Jam vero quum in univerſum præcipit Iſraëlitis, Ne adulterate: utrum vult ut omnes non adulterent, an ut pars adulterent, pars non item? Hic petimus certum aliquod reſponſum, Calvine. Si dices eum velle ut pars adulterent pars non item, erit Deus ipſe ſibi contrarius in eodem præcepto. Item dicunt, Deum eſſe hypocritam, ſi aliud præcipit, aliud vult: & in ore mel, & in corde fel habere. Quod ſi eis objicitur, Deum habere duas voluntates inter ſeſe contrarias, unam apertam, videlicet in præceptis, alteram occultam: quærunt quis illam occultam patefecit Calvino. Nam ſi eam novit Calvinus & ſui, non eſt occulta: ſin ignorant, cur de re ignota affirmant? Item dicunt, duo contraria non poſſe eſſe ſimul & ſemel in eodem ſubjecto. Atqui eandem rem ſimul velle & non velle, contraria ſunt. Item, ſi Deus habet duas voluntates inter ſeſe contrarias, credibile eſt etiam Calvinum (Dei nimirum imitatorem) habere duas voluntates, & aliud dicere, aliud cogitare atque velle. Itaque nolumus ei credere, quippe homini bilingui, bicordi, bivolenti.

Item, ſi Deus jubens juſtitiam, vult injuſtitiam: ſequitur ut diabolus jubens injuſtitiam, velit juſtitiam. Et ſi Deus aliud volens aliud dicens, tamen non peccat, ſequitur ut ſi quis homo eum in hoc imitetur, non peccet: nam Deum imitari certe vitioſum non eſt. Itaque licebit ſic hominibus præcipere, Mentimini, & aliud dicite, aliud in pectore gerite, ut ſimiles ſitis patri veſtro, qui aliud dicit, aliud vult. Quærunt item, utra voluntate loquatur Dominus dum jubet ſuos orare, Fiat voluntas. & , Qui facit voluntatem Patris mei qui eſt in cælis, is meus frater, & ſoror, & mater eſt. Item Paulus, Tu Judæus vocaris, & in Lege acquieſcis, Deumque jactas, & ejus voluntatem noſti, & excellentia approbas, Legemque didiciſti, &c. Certe hic Dei voluntas, quod in Lege præcipitur, quæ voluntas ſi bona eſt (ut certe eſt) neceſſe eſt ut ſi qua huic contraria eſt, mala ſit. Quicquid enim bono contrarium eſt, malum eſt. Item illud Chriſti, Quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti? Certe loquitur Chriſtus de aperta voluntate, quippe quam tot modis aperuerat. Quod ſi habebat aliam illi contrariam, tota ejus vita fuit mera hypocriſis: id quod vel cogitatu horrendum eſt. Denique dicunt, Si Deus aliud præcipit quam vult, non eſſe duas voluntates, ſed mendacium: nam qui ſe velle dicit quod non vult, mentitur: & verbis tantum præcipere, non eſt velle, ſed mentiri.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

Ad ſeptimum reſpondere nihil mea intereſt. Profer locum ubi dixerim ſæpiſſime pugnare Dei voluntatem cum præcepto: mihi enim ne per ſomnium quidem id unquam in mentem venit. Quin potius inter alia fideliter expoſui quomodo ſimplex & unica ſit Dei voluntas, quamvis inter arcanum ejus conſilium & doctrinam quædam appareat diſſidii ſpecies. Qui modeſte, ſobrieque ſe Deo omnipotenti ſubjiciet, quatenus mentis humanæ capiet modulus, facile agnoſcet quomodo Deus, qui ſcortari vetat, per inceſtuoſos concubitus Abſalom, Davidis adulterium puniens, unum idemque ſemper velit, diverſis tamen modis. Ergo ne quid mihi maculæ aſpergat mendaciorum tuorum ſpurcities, breviter hoc teſtatum ſit lectoribus, quod velut ex me profectum obtendis de contrariis Dei voluntatibus, improbiſſime eſſe abs te confictum, quando ubique à me optimus inter abſconditum Dei conſilium, & externam doctrinæ vocem conſenſus prædicatur. Per conceſſionem Auguſtinus diverſas voluntates nominat: ſed quæ ita inter ſe conveniant, ut palam facturus ſit ultimus dies in multiplici agendi ratione minime fuiſſe varium. Hoc poſito, tecum nunc digladiare ut libet, Si Deus facere vetat quod vult, aut jubet quod non vult, eum præcipere ut ejus voluntati reſiſtatur. Nihil enim in iſtis ſordibus meum eſſe agnoſco. Quin potius hæc doctrinæ meæ ſumma eſt, quæ in Lege expreſſa eſt Dei voluntas, clare monſtrare rectitudinem ei probari, iniquitatem ei odio eſſe. Et certe maleficis non denunciaret pœnam, ſi placerent: ſed nihil obſtat quominus inenarrabili ſuo conſilio quæ fieri non vult, & facere vetat, fieri velit in diverſum finem. Hic ſi mihi objicias ſecum Deum pugnare: quæram viciſſim an tuum ſit legem ei præſcribere, ne judicii tui captum excedat. Clamat Moſes ſua Deo arcana eſſe: in Lege vero patefactum eſſe hominibus quod utile cognitu eſt. Tu nihil niſi quod tibi explicite patet, Deo non licere putabis? Poſtquam in libro Job celebrata eſt conſilii altitudo quæ abſorbet omnes humanos ſenſus, tandem additur clauſula, En iſtæ ſunt extremitates viarum ejus, & quantulum quod auditur in eo? Tu aliud Deo conſilium non permittis, niſi quod oculis tuis ſubjicitur. Jam aut plus quam cæcus es, aut vides, quum te ab adulterio prohibet voce ſua Deus, nolle te eſſe adulterum: & tamen in adulteriis quæ damnat, juſta judicia exercere: quod certe niſi ſciens & volens non faceret. Si brevius perſtringi cupis, Adulterium fieri non vult, quatenus pollutio eſt & violatio ſancti ordinis, Legis denique transgreſſio: quatenus tam adulteriis, quam aliis maleficiis utitur ad exequendas ſuas vindictas, certe non invitus fungitur judicis officio. Quod enim crudeliter tam Chaldæi, quam Aſſyrii per horrendas cædes graſſati ſunt, hoc in ipſis non laudabimus: imo Deus ſe vindicem fore pronunciat, qui tamen rurſus alibi prædicat ſacrificia ſibi hoc modo parati. Tu velle Deum negabis, quod honorifico ſacrificii nomine dignatur? Tandem igitur expergiſcere, & agnoſcas ubi homines prava cupiditate præcipites aguntur, Deum occultis & inenarrabilibus modis judicia ſua moderari. (*Jeſa. 29. & 34. cap. Jer. 46. Eze. 39.*) Subtilis tibi videtur captio, dum quæris, ex quo Deus adulterium committere vetuit, velitne omnes eſſe adulteros, an partem. Nam ſi de parte reſpondeo, inſers Deum ſibi eſſe contrarium. Atqui jam certum reſponſum tenes, Deum ab omnibus exigere caſtitatem, quia eam in omnibus amat: diverſas tamen volendi rationes ipſa experientia, me tacente, oſtendit. Nam ſi æque efficaciter vellet omnes eſſe caſtos, haud dubie caſtos omnes redderet. Nunc quum ſingulare ejus donum ſit caſtitas, colligere promptum eſt, aliter velle quod verbo præcipit, quam quod Spiritu regenerationis implet. Hac ratione non eſt cur impudica tua lingua hypocriſin Deo exprobres, acſi mel in ore haberet, fel autem in corde. Neque enim quicquam ſimulat Deus jubendo aut vetando: ſed naturam ſuam ſyncere patefacit. In occulta autem voluntate, qua dirigit cunctas hominum actiones, nihil huic juſtitiæ contrarium reperies. Scortatio Deo pudicitiæ auctori diſplicet: idem tamen inceſtuoſa libidine Abſalom Davidem ulciſci voluit. Sanguinem humanum effundi vetat, quia imaginem ſuam ut amore proſequitur, ita tuetur ſua protectione: & tamen ex impiis gentibus percuſſores excitavit filiis Heli, quia voluit eos occidere. Sic enim ad verbum docet ſacta Hiſtoria. Si te impedit tua cæcitas, vident omnes oculati conſentaneum eſſe ut Deus, qui ſcortationem & cædes, quatenus peccata ſunt, vel (quod eodem redit) peccatum, Legis ſuæ transgreſſionem, in ſcortatione cædibuſque odit, idem & per cædes, & per alia quævis maleficia, juſtas de hominum peccatis pœnas exigens, judicia ſua exerceat. Quod tibi videris ſcite quærere, Si qua eſt occulta Dei voluntas, unde mihi fuerit patefacta: non difficilis reſponſio erit, ubi mihi conceſſeris

Spiritum

Spiritum ſanctum ſequi magiſtrum. Nam ſi Deus, teſte Paulo, lucem inhabitat inacceſſam: ſi idem Apoſtolus merito exclamat incomprehenſibiles eſſe vias ejus, cur non mihi liceat arcanam ejus voluntatem, quæ nobis abſcondita eſt, mirari? Multis & ſplendidis elogiis in libro Job celebratur Dei ſapientia, ut diſcant mortales eam proprio ſenſu non metiri. Ridebitne quicquid de re occulta diſſeritur? An Davidi exprobrabis ſtulte ipſum prædicare Dei judicia, quæ fatetur eſſe abyſſum multam? Audio à Prophetis omnibus & Apoſtolis incomprehenſibile eſſe Dei conſilium. Non dubia fide quod dicunt, amplector & quod credo, libere profiteri non dubito. Cur mihi hæc modeſtia vitio dabitur? Ac ne tergiverſetis diſſimilibus exemplis me uti, communis certè mihi cum Paulo cauſa eſt, qui in arcana electione vel reprobatione, profundas ſapientiæ divitias, judicia Dei incomprehenſibilia, & vias imperveſtigabiles, exclamans, non tamen deſinit palam aſſerere, Deum quos vult miſericordia proſequi, & alios addicere exitio: denique ne tibi amplius arrideat dilemmatis tui puerilitas, quia mihi Scripturæ de occulta Dei voluntate teſtimonium reddunt, quod illinc didici aſſerens, de re certa loquor; quia vero ad tantam altitudinem non pervenio, reverenter adoro cum metu & trepidatione, quod ipſis quoque Angelis ſublimius eſt. Ideo ſæpe in ſcriptis meis admoneo, nihil hic melius eſſe docta ignorantia: quia phreneticorum inſtar delirant qui plus ſibi permittunt ſapere quam par ſit. Jam vides ut mihi certa ſit illa Dei voluntas, cujus teſtes ſunt Scripturæ: occulta autem ſit eadem, quia cur fieri hoc vel illud Deus velit, & quomodo velit, ne Angelicæ quidem mentes in ſolidum capiunt. Te vero ac tui ſimiles dementat faſtus veſter, ut quicquid vos latet aut ſuperat, in nihilum redigere tentetis. De contrariis quod objicis, jam ſatis ſuperque ſolutum eſt. Tua quidem, qua me perſtringis, ſcurrilitas, ut inſulſa eſt, minime pungit: Si Dei ſum imitator, fidem habendam eſſe negas bilingui, bicordi, bivolenti. Atqui cum diabolica tua imitatione olim ſenties quid ſit in altum te efferre, ut ſimilis ſis Excelſo. Tantum me excruciant rabioſæ blaſphemiæ quibus abs te conſpuitur ſacra Dei majeſtas, cujus tamen vindex ipſe futurus eſt. Quum bona ſit Dei voluntas quam in Lege prodidit, quicquid contrarium eſt, concedo malum eſſe: ſed occultam illam voluntatem, qua Deus vaſa miſericordiæ à vaſis iræ diſcernens, pro ſuo arbitio utriſque libere utitur, contrariam eſſe blaterans, commentum non minus deteſtabile quam falſum exhalas ex fœtida ignorantiæ tuæ lacuna. Chriſtum de aperta voluntate loqui fateor, ubi dicit, Jeruſalem Jeruſalem, quoties volui congregare pullos tuos, & noluiſti? Idem enim Judæis exprobrat quod in Cantico Moſis. Et ſane re ipſa Deum præſtitiſſe ſcimus quod verba illa ſonant: quando & Legis doctrina & pietatis exercitia, & tot beneficia quibus ſibi Deus populum illum devinxerat, non ſecus atque alarum expanſio fuerunt ad eos protegendos, niſi alio eos rapuiſſet indomita ſua feritas. Quum ergo toties totque modis gentem perverſam ad obſequium revocare per ſuos Prophetas tentaſſet Chriſtus, merito de ingratitudine conqueritur. Nam quod ad Chriſti vitam reſtringis, facis pro tua ſolita inſcitia, ac ſi verus Deus non eſſet, qui ab initio gratiæ ſuæ alas expandere non deſierat. Jam colligis, ſi alia fuit contraria voluntas, Chriſtum tota vita fuiſſe hypocritam. Quaſi vero contraria ſint, voce & beneficiis allicere, neque tamen corda afficere arcano Spiritus inſtinctu. Quo melius pateat hujus calumniæ futilitas, ubi ſe deluſum fuiſſe conqueritur, quod bruſcas protulerit vinea à qua ſuavem fructum expectaverat, quid tu ad hæc bone rhetor? An eum ignorantiæ ſubjicies ne videatur mentiri? Fruſtrati ſunt Deum Judæi: ergo ſecundum te, ſedebat dubius quid futurum eſſet, feſellit autem eum eventus. Quaſi vero loquutio quæ ad rem ipſam refertur, ad arcanam Dei præſcientiam trahi debeat. Alibi, Dixi: certe timebis me. Atqui properarunt ad corrumpenda ſua ſtudia. Sibi Deus promittit aliquem ex pœnis inflictis profectum, poſtea ſe fraudatum conqueritur. An ex hoc quoque loco non aliter te expedies, niſi Deus in ordinem coactus à libero hominum arbitrio pendeat? Quaſi vero non ſatis liqueat, criminis exaggerandi cauſa perſonam hominis induere, qui ſuum laborem periiſſe docet, ubi non reſpondet ſucceſſus. Certe quos Deus vult efficaciter à ſe collectos, Spiritu ſuo trahit, & quod in manu ſua eſt, promittit ſe facturum. Ergo quum multi vocati non ſequantur, apertè conſtat illum collectionis modum quem Chriſtus infrugiferum & irritum fuiſſe deplorat, ab efficace differre, cujus alibi fit mentio: ſicuti apud Jeſaiam, Diſperſos Jehudah colliget. &, Gloria Domini colliget te. Item, Ab Occidente congregabo te. Item, Congregabit vos Deus veſter: nempe quia paulo ante dixerat Deum brachium ſuum nudaſſe, ut conſpicua eſſet virtus ejus in oculis gentium. Ideo & paulo poſt repetit, Ad momentum dereliqui te, in perpetuis miſerationibus colligam te. De præceptis quod dixi, ad compeſcendas tuas blaſphemias abunde ſufficit. Etſi enim nihil ficte præcipit Deus, ſed ſerio quæ vult & probat, oſtendit, alio tamen modo obedientiam ſibi præſtari vult à ſuis electis, quos efficaciter ad obſequium ſuum flectit, quam à reprobis, quos externa voce docens, ad ſe trahere non dignatur. Peræque naturalis eſt omnibus contumacia & pravitas, ut nemo ad ſuſcipiendum jugum voluntarius ſit ac docilis. Aliis promittit Deus Spiritum obedientiæ, alios in ſua pravitate relinquit. Nam quicquid garrias, non omnibus promiſcue, ſed peculiariter electis promittitur cor carneum & novum, ut in præceptis Dei ambulent. Quid tu ad hæc bone cenſor? An quia Deus totam ad ſe turbam invitans, Spiritum ſuum ſciens & volens à majori parte ſubducit, paucos arcano inſtinctu adducit ad parendum, ideo mendacii damnandus erit?

Jeſa. 11. verſ. 12. & 58: 8. Jeſa. 43. verſ. 5. & 52:12. Jeſa. 54. verſ. 7.

VIII.

Induratio Pharaonis, atque adeo pertinacia animi & rebellio, opus Dei fuit, vel Moſis teſtimonio, qui totam Pharaonis rebellionem Deo aſcribit.

IX.

Voluntas Dei ſumma eſt indurationis hominum cauſa.

CONTRA OCTAVUM ET NONUM.

In octavo & nono quærunt: quid igitur ſibi velit Moſes dum ſcribit, Et induravit Pharao cor ſuum. An ita interpretandum eſt, Induravit Pharao cor ſuum, hoc eſt, Induravit Deus cor Pharaonis? At quidem longè violentius erit quam ſi dicas, Induravit Deus cor Pharaonis: hoc eſt, Sivit Deus Pharaonem in cordis ſui duritate naturali, quoniam ei Pharao obedire recuſaſſet: Deinde de illo quærant. Hodie ſi ejus vocem audieritis, nolite indurare corda veſtra. Quod ſi ita interpretere, Nolit Deus indurare corda veſtra, erit abſurdiſſimum: præciperet enim hominibus quod eſſet Dei. Nam ſi Dei eſt indurare corda, non poteſt hominibus præcipi ut corda ſua vel indurent, vel non indurent: non magis quam ut ſtaturæ ſuæ addant aut detrahant unum cubitum.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

Hic rurſus lectorum fidem imploro, ut mea verba totumque docendi genus cum mutilis tuis articulis com-

comparent. Ita detecta calumnia, quidquid moliris conflare invidiæ, ſponte evaneſcet. Interea non nego me cum Moſe, & Paulo docuiſſe cor Pharaonis induratum fuiſſe à Deo. Hic tu contempto Moſe, acſi pro nihilo duceres quod apud eum legitur, mecum expoſtulas: An ubi dicit idem Moſes, Induravit Pharao cor ſuum, quærenda ſit violenta iſta interpretatio. Deus cor Pharaonis induravit? Atqui non aliunde petenda eſt mihi ſolutio, quam ex verbis noni Articuli, quæ tu recitans, vel depravas, vel non aſſequeris: quia ſi Dei voluntas ſumma eſt, vel remota indurationis cauſa, homo ipſe cor ſuum indurans, ſibi propior cauſa eſt. Primam cauſam vel remotam, à mediis & propinquis ubique diſtinguo: quia dum mali affectus radicem in ſe reperit peccator, non eſt cur in Deum culpam derivet. Alicubi etiam perinde facere dixi, ac Medeæ ancilla apud veterem Poëtam facit, Utinam ne in nemore Pelio ſecuribus Cæſæ cecidiſſent abjegnæ in terram trabes. Nam quum propria libidine impura mulier ſe impulſam fuiſſe ſentiret ad prodendum patris regnum, neque impudicum ejus amorem, neque illecebras Jaſonis accuſat ſtulta hæc pediſſequa, ſed queritur fabricatam fuiſſe navem in Græcia. Ita qui ſibi male conſcius extenuandæ culpæ ſuæ prætextus in cauſis remotis procul accerſit, ridicule ſeipſum obliviſcitur. Jam vides, quamvis obduret ſuo modo corda Deus, merito tamen ſuam cuique duritiem imputari, quia ſe quiſque obdurat propria malitia. In flectendis ad Dei obſequium cordibus alia ratio eſt. Nam ut natura ad contumaciam propenſi ſumus omnes, nemo bene agere cupiet, niſi agatur: & tamen quum Scriptura dicit præparari à Deo corda, & fideles ſe præparare, ut voluntarium Deo cultum exhibeant, non pugnat ipſa ſecum, ſed diſtincte oſtendit Dei cultores ſponte, & voluntario cordis affectu præſtare officium: neque tamen hoc obſtare, quominus ſuas partes Deus arcano Spiritus motu impleat. Obdurationis, ut jam dixi, alia eſt ratio, quia reprobos Deus non gubernat regenerationis Spiritu, ſed diabolo mancipat & addicit, arcanoque ſuo judicio pravas eorum voluntates ita moderatur, ut nihil agant niſi quod decrevit. Quo melius hæc inter ſe conveniunt, utcunque Deus quos vult obduret, unumquemque tamen ſibi propriæ obdurationis eſſe auctorem. Ne longior ſim, ſuccurrat piis & æquis lectoribus hæc Auguſtini admonitio,

Lib. 5. contra Julianum cap. 3.

Quod Apoſtolus dicit tradi in perverſos affectus hominem, perperam & inſcite ad patientiam reſtringi: quia idem Paulus alibi patientiæ conjungit potentiam, dicens, Si potentiam ſuam volens monſtrare Deus tulit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum, &c. Atque ut nunquam hac de re verba feciſſet ſanctus ille doctor, ſatis ſuperque nobis eſſe debet ſola Dei auctoritas. Non ego Deum auferre cor principibus terræ dixi, ut eos errare faciat: vel tenuiſſe cor Pharaonis, ne ad humanitatem flecteretur: non dixi Deum vertiſſe gentium corda, vel roboraſſe in odium populi ſui, ſibilaſſe ad Ægyptios, illiſque velut malleis uſum eſſe: non dixi Sennacherib virgam eſſe in Dei manu: ſed Spiritus ita pronunciat. Quid? ubi etiam recitat Scriptura Saulem à malo Dei Spiritu fuiſſe correptum, patientiæ ne ſolum, ac permiſſioni hoc tribues? Quanto rectius Auguſtinus admo-

Lib. de prædeſt. ſanct.

net, Quod peccant Satan & impii, eorum eſſe: quod peccando hoc vel illud agunt, ex virtute Dei eſſe, tenebras prout viſum eſt dividentis. Quicquid palam aſſerit Deus, tu mihi imputas: tibi pro me reſpondeat idem Auguſtinus, Scriptura, ſi diligenter inſpi-

De grat. & libero arbit. ad Valen.

citur, oſtendit non ſolum bonas hominum voluntates, quas ipſe facit ex malis, & à ſe factas, in actus bonos, & vitam æternam dirigit: verum illas quæ retinent ſeculi naturam, ita eſſe in Dei poteſtate, ut eas quo voluerit, quando voluerit faciat inclinare vel ad præſtanda beneficia, vel ad pœnas infligendas, occultiſſimo quodam judicio, ſed juſtiſſimo.

X.

Satan mendax eſt ex imperio Dei.

CONTRA DECIMUM.

Contra decimum ſic argumentantur, Si Satan mendax eſt ex imperio Dei, mendacem eſſe, juſtum eſt, & Satan juſtus eſt. nam ſi imperare mendacium juſtum eſt (ut certe eſt, ſi vera dicit Calvinus) etiam obedire mendacio juſtum eſt. nam obedientiæ juſtitia cenſetur à juſtitia præcepti. Atque ut obedire injuſto præcepto injuſtum eſt, ſic & juſto præcepto obedire juſtum eſt. Quod ſi dicat Calvinus, Satanam non obedienter eſſe mendacem, hoc eſt non ut obediat Deo, reſpondebimus ex ſententia Calvini, iſtud quoque fieri imperio Dei, ut non obedienter ſit mendax, & in eo quoque obedientem eſſe Satanam, quod non obedienter eſt mendax, quoniam Deus juſſit eum non obedienter eſſe mendacem.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

In decimo articulo vide contra quem virulenta tela jacularis. Neque enim meum eſt quod oppugnas, ſed à Dei Spiritu profectum. Sic ad verbum loquitur Scriptura, Quem mittam? & quis ibit nobis? & continuo poſt Deus Satanam compellans, jubet ire, ut ſit ſpiritus mendax in ore omnium Prophetarum ad fallendum Achab. Nunc latra quantum voles: non magis tuis maledictis obrues Dei gloriam, quam Solis fulgorem ſpuendo obſcurabis. Hic etiam Auguſtini verbis quam meis loqui præſtat: Quum teſtatur Deus à ſe mitti Pſeudoprophetas, manumque ſuam eſſe ſuper eos, ut decipiant, non eſſe hoc patientiæ tantum, ſed potentiæ. Quod deinde garris, Satanam non obedienter mendacem eſſe ex Dei imperio, nihil mirum ſi te multis nodis implices quando non agnoſcis Deum inexplicabili modo ſic opera Satanæ uti ad ſuum arbitrium, ut imperii ſui juſtitiam & æquitatem illuſtret, culpa vero non liberet miniſtrum, quem judicia ſua invitum exequi cogit. Ut centies crepet tua amarulentia, hæc certe non Calvini vox eſt, ſed Dei: Præcepi ſanctificatis meis. Nunc ſi Deum plus ſibi putas ſumere quam fas ſit, modum inveniet ipſe, quo à tua accuſatione ſe abſolvat.

XI.

Deus velle dat operantibus mala, etiam ſuggerit pravos affectus & inhoneſtos, non ſolum permiſſive, ſed efficaciter, idque propter ſuam gloriam.

CONTRA UNDECIMUM.

Contra undecimum ſic dicunt: Tribuit Deo Calvinus quod eſt diaboli, ut paſſim teſtantur Scriptura. Jam vero ſi Deus ſuggerit pravos affectus & inhoneſtos, & tamen jubet nos reſiſtere pravis affectibus, jubet reſiſtere ſibi, eſtque ipſe ſibi contrarius. Omne bonum donum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum. An etiam pravi affectus ſunt bonum donum? an deſcendunt tenebræ (nam pravi affectus certe tenebræ ſunt) à Patre luminum? Cur ergo non appellatur pater tenebrarum? Scribit aperte Jacobus, neminem tentari à Deo, ſed à ſua quemque cupiditate. Atqui ſuggerere pravos affectus, eſt tentare. Jam quod tu addis, id Deum facere propter ſuam gloriam, dicunt eſſe ridiculum: gloria enim tribui non ſolet ex mendacio. Ut Nabuchodonoſor expertus Dei juſtitiam & potentiam in eo, quod ipſe propter ſuam ſuperbiam fuiſſet mutatus in brutam naturam, tribuit ei gloriam, nimirum perſpiciens & judicans, eam eſſe juſtam. Vult Deus ſe laudari ab omnibus gentibus: Laudate Dominum omnes gentes. Oportet ergo ut ea faciat quæ cognoſcere & porro laudare poſſint omnes gentes. Atqui nulla gens unquam agnoſcet

juſtum

juſtam eſſe, ut puniatur homo propter ea quæ ipſi Deus ſuggeſſerit. Quærimus enim, Si Deus puniret nos quia habemus barbam, nonne faceret nobis injuriam, quam ipſe nobis barbam ſuggeſſerit, neque ſit barba arbitrii noſtri? Quis barbatas eam unquam laudare poſſet? Quod ſi dicet Calvinus hoc eſſe occultum Dei judicium, & nobis ignotum, reſpondebimus eſſe quidem Dei arcana nobis ignota, ſed quod ad juſtitiam attinet, ea nobis nota eſt, & in Euangelio patefacta: ſecundum quod patefactam Euangelium (ut docet Paulus) & non ſecundum illud occultum Calvini judicium, judicabit Deus mundum: atque ita conſequitur ab omnibus tum piis tum impiis: quippe omnes tam pii tum impii videbunt æquum eſſe, at qui veritati non occultæ (qualis eſt Calvini) ſed apertæ (qualis eſt Euangelii) non obedierint, puniantur: & qui obedierint, mercedem accipiant. Exeritur ira Dei, inquit Paulus, in omnem impietatem & injuſtitiam hominum veritatem in injuſtitia detinentium. Atqui ſi vera eſt Calvini ſententia, exeritur ira Dei in omnes inſontes. Si enim ſuggerit pravos affectus, iraſcitur, & odit eos ante pravos affectus. Nam ſuggerere pravos affectus eſt opus odii: odit ergo inſontes: nam ante pravos affectus ſunt inſontes: ſiquidem peccatum eſt à pravis affectibus, vel potius peccatum eſt pravus affectus.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

Pergis adhuc monſtra tibi fingere, quibus devictis triumphum de innoxio Dei ſervo agas. Ubi unquam ita loquutus ſim noo reperies: ideoque me tacente, jacet tua futilitas impudentiæ conjuncta. Quod cædibus, adulteriis, rapinis, fraudibus ſe contaminant impii, doceo eſſe ex propria eorum malitia: Deum tamen qui lucem elicit ex tenebris, arcano ſuo & incomprehenſibili judicio ita intus ipſos regere, ut per eorum malitiam juſta ſua judicia exequatur. Hoc ſi oppugnas, congredere cum ipſo Deo, qui facile vaſanos tuos impetus excipiet. Si tibi gutta una eſſet modeſtiæ ac docilitatis, hæc te diſtinctio quæ ſubinde occurrit in ſcriptis meis, haud dubie placaret: Si ſeipſos interrogent impii, quia malitiæ radicem intus in corde ſuo deprehendunt, teſte conſcientia abunde convinci non alibi quærendam eſſe culpam: & tamen Deum pravas eorum voluntates qoo viſum eſt flectendo, malis bene uti. Quod murmuras, dilucide jam monſtravi te non mihi ſed Deo litem intendere. Deum utinam ex animo Patrem luminum agnoſceres: oempe quemad-
1 Tim. 6. modum definit Paulus, ne tua audacia perrumperes ad lucem inacceſſam, imo ne ſacrilega petulantia eam verteres in tenebras. Porro ex Jacobi ſententia ſtulte colligis, quia omne donum optimum à Patre luminum deſcendit, non deſcendere ab eodem horribiles vindictas, ad quas tremunt pii, & expaveſcunt. Stultius etiam ex me quæris, an vitioſos affectus & perverſos oumerem inter bona dona. Quaſi vero Spiritus ſapientiæ, judicii, & prudentiæ, nihil à ſpiritu ſoporis & vertiginis differat: quaſi etiam non alius ſit regenerationis Spiritus, qui fideles refingit ad imaginem Dei, quam ſpiritus Dei malus, qui reprobos adigit in furorem: ſicuti de Saule legimus. Simili impudentia exagitas, quod doceo, per Satanam & reprobos Deum exercere ſua judicia in gloriam ſuam. Satanam inſtrumentum eſſe iræ ſuæ Deus tam verbo quam experientia clare teſtatur. Quorſum vero dicemus per manum Satanæ Deum operari, niſi ut gloriam ſuam illuſtret? Videris tibi hoc lepido cavillo eludere, quia non tribuitur Deo juſtitia ex mendacio: ſed an tu Deum impedies quominus ex tuo ſcelere eliciat gloriæ ſuæ materiam? Certe nihilominus quam immani ſua ſuperbia obſiſtere potuit Pharao, ne in ipſo fulgeret Dei gloria, quoniam in hunc finem ordinatus erat. Obtendis
Nabuchadnezer dediſſe gloriam Deo, ubi juſtitiam Dan. 4.
ejus confeſſus eſt. Ut ſcias quam ſecure obtuſa tua verſ. 34.
jacula contemnam, libenter in hac cauſa te adjuvo, & ſuggero qood tibi in mentem non venit: Joſue dum hortatur Acham, ut det gloriam Deo, nihil aliud agere, niſi ut detecto mendacio ſacrilegium ſuum prodat. Sed jam quæritur, an unus duntaxat modus ſit illuſtrandæ gloriæ Dei. quod ſi non fulgeret ex hominum mendaciis, fruſtra Paulus, ubi dixit unum Deum eſſe veracem, cunctos vero mortales eſſe mendaces, continuo poſt rogaret, ſi noſtra juſtitia Dei juſtitiam commendat, an injuſtus eſt ipſe Deus? Quod objicis Deum velle in ſuis beneficiis laudari: verum quidem eſt, modo concedas multiplicem eſſe ſylvam ex qua Deus profert atque educit laudes ſuas. Atque hic juſtas ſuperbiæ tuæ pœnas luis, quod Dialecticam ex profeſſo deridens, ſemper arguis à ſpecie ad genus negative. Neque longa refutatione ſcurrile dicterium dignabor, ubi Deum injuſtum fore arguis, ſi barbatos puniat, eo quòd barbam geſtant quam ipſe creavit. Quis enim unquam dixit, creatam eſſe à Deo iniquitatem, quamvis incomprehenſibili ejus conſilio ad juſtos rectoſque fines ordinetur? Apage ergo cum tua iſta inſulſitate, qua barbam, quæ naturaliter dormientibus provenit, cum voluntariis ſceleribus permiſces. Nobis, quamvis inſanias, fixum hoc manebit, quorum pravos affectus ad exequenda ſua judicia deſtinat & regit Deus, eoſdem jure punire, quia reos ſua ipſorum conſcientia peragit. Ac vide quomodo te implices: ubi enim confeſſus es ignota nobis eſſe Dei arcana, contra excipis juſtitiam nobis eſſe cognitam. Verum ſi quis an aliqua ſit in Dei arcanis juſtitia necne, ex te quærat, an oegabis? Juſtitiam porro illam quomodo notam eſſe dices, quam David & Paulus, quia ſenſus eorum fugit, cum admiratione ſuſpiciunt? Abyſſus multa, & dives altitudo ſapientiæ in Dei judiciis an non juſtitiam in ſe continent? Cur ergo juſtum eſſe Deum negabis quoties te latebit operum ejus ratio? Sicuti in libro Job diſtinctio notatu digna ſta- Job. 28.
tuitur ioter ſapientiam Dei inperveſtigabilem, à qua arcetur humanum genus, & eam quæ in Lege nobis tradita eſt: ſic te quoque, niſi omnia confunderes, potius diſtioguere oportuerat inter profundam illam juſtitiam & admirabilem quæ humanis mentibus non capitur, & juſtitiæ regulam quæ regendæ hominum vitæ in Lege præſcripta eſt. Secundum apertam illam Euangelii doctrinam fateor, judicabit Deus mundum: ſed arcanæ ſuæ providentiæ æquitatem ſimul contra omnes rabulas aſſeret. Tu vero ſi vel tantillum in Euangelio, de quo garris, exercitatus eſſes, facile intelligeres quomodo remuneretur Deus quam Lege ſua commendat juſtitiam, neque promiſſa corona fraudet, qui ex animo ejus præceptis obſequuntur: & tamen juſte puniat omnes immorigeros, quos tamen ſervos ſuos appellat, quia eorum corda in manu habet. Sicuti Nabuchadoezer furioſus latro & mancipium Satanæ fuit, &
non temere apud Jeremiam ſervus Dei nominatur. Jer. 25.
Quod ſi docui, ut Deus viam patefaciat judiciis ſuis, verſ. 9.
incitare huc vel illuc hominum corda, quando ita
ad verbum loquuti ſunt Prophetæ, cur recitatio in 2 Sam. 24
crimen trahetur? Nempe hæc ſunt ſacræ Hiſtoriæ verſ. 5.
verba: Adjecit furor Domini iraſci contra Iſraël, & incitavit Davidem contra ipſos, ut diceret, Vade, numera populum.

XII.

Impii in impietate potius opus Dei quam ſuum faciunt.

CONTRA DUODECIMUM.

De duodecimo ſic dicunt, Si ita eſt, Deus iraſcitur bono: nam ſi impietas eſt opus Dei, impietas eſt bonum; omnia enim opera Dei ſunt bona. Et ſi impie-

tas eſt bonum, ergo pietas eſt malum, quippe quæ ſit impietati contraria. Ergo quum dicunt Sacræ literæ, Oderis malum, amate bonum: jubent nos amare impietatem, & odiſſe pietatem. Dicunt præterea iſtum artus ulum ſat ſupera neſcio quid libertinum, & mirantur te tam infenſum eſſe libertinis.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

Rurſus me nunquam ita loquutum eſſe, coram Deo, Angelis, totoque mundo atteſtor, & quod à me recte dictum erat, improbiſſima calumnia abs te perverti. Impios autem Dei opus facere ſi tibi abſurdum videtur, Jeremiam objurga, cujus verba hæc ſunt, Maledictus qui facit opus Dei negligenter. Cædes autem intelligit quas à ſcelere non abſolves, quando ab avaritia, crudelitate & ſuperbia profectas eſſe liquet. Chaldæos impellit ſua ambitio, prædandique cupiditas, ut æquitatis obliti per rapinas & ſtrages immaniter graſſentur: ſed quia Deo placebat per illorum manus Moabitas punire, non obſtitit eorum pravitas, quominus exequuti ſint Dei judicium. Hic tu canis oblatras, impietatem igitur eſſe bonum: quaſi impietas ſit opus Dei, qui mirabiliter ſcelera hominum in diverſum quàm putent finem, accommodat. Imo libertinos mihi objicere non dubitas, cujus ſectæ deliria ego præ aliis detexi, & refutavi, ut mihi jam nova defenſio non ſit.

XIII.

Neceſſario peccamus ex ſenſu Dei, quum ex noſtro, ſive fortuito, peccamus.

XIIII.

Quæ prava ſua voluntate perpetrant homines, illa etiam procedunt à voluntate Dei.

CONTRA DECIMUM TERTIUM & decimum quartum.

In hunc ſic argumentantur, Si peccamus neceſſario, fruſtra ſunt omnes admonitiones, fruſtra dicitur populo apud Jeremiam, Ego vitæ mortiſque viam vobis propono. Qui in iſta urbe manſerit, is ferro, fame, peſte morietur: qui vero ad Chaldæos transfugerit, vivet. Fruſtra hæc, inquam, dicuntur, ſi ad Chaldæos transfugere tum erat illis impoſſibile, quam montem deglutire. Quod ſi dicet Calvinus præcepta ideo proponi, ut ſint homines inexcuſabiles: reſpondemus hoc inane eſſe. Nam ſi filio tuo præceperis ut rupem comedat, & ille id non fecerit, non magis erit inexcuſabilis poſt iſtud præceptum quam ante. Similiter ſi Deus mihi dicit, Ne furator: & ego neceſſario furor, nec magis poſſum à furando abſtinere, quam rupem comedere, non magis ſum inexcuſabilis poſt præceptum quam ante, nec magis excuſabilis ante præceptum quam poſt. Denique ſi vera eſt ſententia Calvini, homo eſt inexcuſabilis etiam ante præceptum: quo fit ut nihil ſit opus præcepta ad efficiendam iſtam inexcuſabilitatem. Si enim reprobatus eſt impius antequam ſit impius, hoc eſt antequam ſit, videlicet ab æterno, ideoque neceſſario peccat, jam eſt inexcuſabilis & damnatus ante præceptum, idque contra leges omnes & divinas & humanas. Omnes enim leges damnant hominem poſt facinus, & propter facinus. At iſte Calvini Deus damnavit & reprobavit impios antequam eſſent, nedum antequam impii eſſent aut peccaſſent: & quia eos ante peccatum damnavit, peccare cogit, videlicet ut juſte damnaſſe videatur. Denique hic contexunt antitheſin, Calvine, tui Dei, & Dei ſui, in hunc modum.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

Quid tibi in penultimo articulo velis non magis aſſequor, quam ſi magicis ſuſurris ſenſus hominum obſtupefacere tibi propoſitum eſſet. Quid enim fortuito peccare? & quis præter te hæc monſtra fabricavit? Dixi alicubi, quæ fortuito contingere videntur, occulta Dei providentia gubernari. Quis tibi concedet inde colligere peccatum fortuitum? jam quod apud me legitur, an ex me natum eſt, ac non potius Deum habet auctorem? Si cui ramos arboris cædenti cadat ſecuris, & vulneret caput transeuntis, hoc tu cenſebis eſſe fortuitum? Atqui Spiritus ſanctus per Moſem pronunciat hominem illum à Deo occiſum eſſe. An dices Deum inſtar ebrii temere huc & illuc abſque ſenſu ictus ſuos projicere? Quod ſi abſque Dei ſenſu peccare homines fingis, quomodo judex erit mundi? Et ſi ejus fugiunt ſenſum quæ in mundo geruntur, qua in re mortales antecedet? Quia Deum ſentire dico ſiquid peccant homines, eo furoris proveheris, ut me falſi Dei architectum voces. Si tibi quod poſtulas conceſſero, eo neſciente peccare: qualis obſecro erit Deus? Et adhuc popularem te jactabis, qui Deum ſenſu privans, & eum eodem inſigniens titulo quo Lucretius ſimulachra, idolum mortuum ipſius loco fabricas? Quod arguis, ſi neceſſario peccant homines, ſupervacuam fore doctrinam, inutilia præcepta, irritas admonitiones, abſurdas objurgationes & minas: niſi tibi ad hæc objecta diluenda ſufficit Auguſtini liber ad Valentinum de correptione & gratia, huic cauſæ tractandæ ex profeſſo dicatus, indignus es, qui verbum ex me audias. Quanquam Pighium, & magiſtrum tuum Servetum ita depuli hac calumnia, ut dociles & candidi lectores nihil amplius ex me deſiderent. Tantum hoc nunc jactantiis tuis breviter reſpondeo: Si Deo non permittis quicquam præcipere ſupra hominum facultates, ubi te ad ſuum tribunal ſiſtet, palam facturum quam non fruſtra per os Apoſtoli ſui aſſeruerit, impoſſibile fuiſſe Legi quod Rom. 8:3 ipſe ſua gratia præſtitit. In Lege oſtendi perfectam juſtitiam certum eſt, quæ parata eſſet atque expoſita omnibus, ſi ad præſtandum quod Deus jubet, vires nobis ſuppeterent. Atqui Paulus impoſſibile fuiſſe pronunciat, juſtitiam ex Lege conſequi. Quid tibi igitur in hac re negotii eſt cum Calvino? Si neceſſario furaris, putas te non minus excuſabilem eſſe dato præcepto, quam antea eſſes. Paulus contra, ubi fatetur ſe venundatum ſub peccato, libere tamen ſimul exclamat, Legem iram operari, quia fruſtra neceſſitatis clypeus obtenditur, ubi ſua quemque conſcientia voluntariæ malitiæ convincit. Quæro ex te, dum proximis annis tibi harpago in manu erat ad rapienda ligna quibus domum tuam calefaceres, an non te propria voluntas ad furandum impulerit? Tibi ſi ad juſtam damnationem hoc unum ſufficit, quod ſciens & volens turpe & ſceleratum lucrum ex damno alieno captas, quicquid de neceſſitate obſtrepis minime te abſolvit. Quod etiam objicis, neminem niſi propter facinus & poſt facinus juſte damnari, de priore tibi mecum lis non eſt: quando obique doceo, neminem niſi juſto Dei judicio perire. Quanquam diſſimulare non licet ſubeſſe in tuis verbis occultum venenum: quia ſi admittitur ſimilitudo quam proponis, injuſtus erit Deus, qui reatu originalis peccati involvit totum genus Abrahæ. Negas Deo licere niſi propter facinus damnare quemquam mortalium. Tolluntur è vita innumeri adhuc infantes. Exere nunc tuam virulentiam contra Deum, qui innoxios fœtus à matrum uberibus avulſos in æternam mortem præcipitat. Hanc blaſphemiam, ubi palam detecta eſt, quiſquis non deteſtabitur, mihi pro ſua libidine maledicat. Neque enim poſtulandum eſt ut ab eorum conviciis qui Deo non parcunt,

cunt, immunis ſim ac liber. In ſecundo membro vide quam putida ſit tua loquacitas. Nam magiſtri tui Servetus, Pighius, & ſimiles canes dicerent ſaltem, ante creatum mundum damnatos eſſe quos Deus interitu præſcivit eſſe dignos. Tu vero ei non concedis æternæ morti addicere, niſi qui jam perpetratis maleficiis apud judices terrenos obnoxii eſſent. Hinc colligant lectores quam prodigioſus ſit tuus furor, qui per luſum & jocum omnem Divini juris ordinem evertere non dubitas.

NATURA FALSI DEI.

Falſus Deus eſt tardus ad miſericordiam, propenſus ad iram, qui maximam mundi partem creavit ad perniciem, eoſque non ſolum ad damnationem, ſed etiam ad cauſam damnationis prædeſtinavit. Itaque decrevit ab æterno; & vult efficitque ut peccent neceſſario, ita ut nec furta, nec adulteria, nec homicidia committantur niſi ejus voluntate atque impulſu. Suggerit enim eis pravos affectus & inhoneſtos, non ſolum permiſſive, ſed efficaciter, eoſque indurat: ita ut dum impie vivunt, Dei opus potius quam ſuum faciant, neque aliter poſſunt. Satanam facit eſſe mendacem, ita ut non jam Satan, ſed Deus Calvini ſit pater mendacii, quippe qui ſæpe aliud in ore, aliud in pectore gerat.

NATURA DEI VERI.

At Deus is quem & natura atque ratio & Sacræ literæ docent, eſt illi plane contrarius. eſt enim ad miſericordiam propenſus, ad iram tardus, qui hominem, à quo omnes homines orti ſunt, creavit ad imaginem ſuam, ſui ſimilem, ut eum in paradiſo collocaret, & vita beata donaret. Hic Deus vult ut omnes homines ſalvi fiant, neque quiſquam pereat: ideoque miſit Filium ſuum in terras, cujus juſtitia ſuperabundaret ubicunque abundavit peccatum: cujus juſtitiæ lux illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, clamatque, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, ego reficiam vos. Hic ſuggerit bonos affectus & honeſtos, & homines à peccandi neceſſitate (in quam ipſi ſeipſos ſua inobedientia præcipitaverant) liberat, ſanatque omnem languorem morbumque in populo, adeo ut nemini unquam petenti beneficium denegaverit. Atqui hic Deus venit ut deſtrueret illius Calviniani Dei opera, illumque foras ejiciat. Atqui hi duo Dii, ut ſunt natura inter ſe contrarii, ſic gignunt etiam filios inter ſeſe contrarios: videlicet ille immiſericordes, ſuperbos, immites, invidos, ſanguinarios, calumniatores, fictos, aliud in corde, aliud in ore gerentes, impatientes, malitioſos, ſeditioſos, contentioſos, ambitioſos, avaros, voluptatis magis quam Dei amantes: denique omnibus pravis & inhoneſtis affectibus plenos, quos eis ipſorum pater ſuggerit. At alter Deus homines gignit miſericordes, modeſtos, mites, benevolos, beneficos, à ſanguine abhorrentes, apertos, veritatem ex cordis abundantia dicentes, patientes, benignos, pacatos, pacificos, à jurgiis & litibus abhorrentes, honoris contemptores, liberales, Dei magis quam voluptatum amantes. Denique omnibus honeſtis affectibus plenos, quos eis ipſorum Pater ſuggerit.

Hæc ſunt Calvine, quæ adverſarii tui de doctrina tua perhibent, admonentque homines ut de doctrina iſta ex fructu judicent. Dicunt autem te & tuos diſcipulos ferre multos fructus Dei tui: eſſe enim pleroſque litigatores, vindictæ cupidos, injuriæ tenaces & memores, cæteriſque vitiis quæ Deus tuus ſuggerit, præditos. Quod ſi quis eis reſpondet, non eſſe doctrinæ vitium, quippe quæ ſana ſit, nec tales homines gignat, reſpondent eum gignere tales homines, idque ex eo perſpicuum fieri, quod multi poſtquam in doctrinam iſtam conceſſerunt, tales efficiuntur, quum antea minus mali fuiſſent. Jam vero doctrinæ Chriſti qui credebant, reddebantur meliores: ſed tua doctrina aiunt homines manifeſte fieri deteriores. Præterea quum dicitis vos habere ſanam doctrinam, reſpondent non eſſe vobis credendum. Si enim Deus veſter ſæpiſſime aliud dicit, aliud cogitat & vult, metuendum eſſe ne vos Deum veſtrum imitantes, idem faciatis, atque homines decipiatis.

Equidem favi ego aliquando doctrinæ tuæ, Calvine, eamque, quamvis non ſatis mihi perſpicuam, defendi, quod tantum tribuebam auctoritati tuæ, ut vel contra cogitare putarem nefas: ſed nunc auditis adverſariorum argumentis, non habeo quod reſpondeam. Conantur quidem diſcipuli tui reſpondere, & inter ſuos quos habent faventes, veritatem audacter jactant: verum ubi ad adverſarios ventum eſt, vacillant, & præſidium ex libris tuis petunt, ſed debile. Nam tuæ rationes ſunt obſcuræ, & fere ejuſmodi, ut ſtatim depoſito de manu libro excidant e memoria, neque adverſarios convincant. At adverſariorum argumenta ſunt aperta, acria, & quæ facile memoriæ mandentur; & ab illiteratis (quales fere erant qui Chriſtum ſectabantur) percipiantur. Hinc fit ut tui diſcipuli fere magis auctoritate tua nitantur, quam ratione. Et quum adverſarios vincere non poſſunt, habent eos pro hæreticis & pertinacibus, & ab eorum conſortio abſtinent, & omnes ubique monent ut abſtineant. Ego vero qui non, quis dicat, ſed quid dicatur, attendendum cenſeo, omnes audiendos, omniaque probanda judico, & quod bonum eſt tenendum. Quare Calvine, ſi qua vera, aperta, firmaque argumenta habes, quibus refelli poſſint adverſarii, quæſo te ut ea in medium adferas, qua veritati patrocineris. Scis quod ſcriptum ſit, dabitur vobis os & ſapientia, cui reſiſtere nemo poterit. Ego ubicunque veritatem deprehendere potero, paratus ſum ſequi, & alios ad eandem adhortari. Si forte erraſti (homines enim ſumus) quæſo te, Calvine, ut Deo gloriam tribuas. Erit id tibi glorioſius, quam in errore perſeverare. Mihi vero ne ob hanc epiſtolam ſuccenſeas, ſi juſtus & verax es, non videtur metuendum. Primum quia è re tua eſt te de iis admoneri: deinde quia ſi ſentis (ut dicis) omnia neceſſario fieri, credes hanc quoque epiſtolam à me ſcriptam neceſſariò. Vale.

JOANNIS CALVINI RESPONSIO.

Supereſt ut veri & æterni Dei gloriam à ſacrilegis tuis maledictis vindicem. Tu me diabolum veri Dei loco jactas obtrudere. Mihi brevis & expedita defenſio eſt: quum ſcripta omnia mea clare teſtentur non aliud fuiſſe mihi propoſitum, quam ut pie ſancteque totus mundus ſe Deo addicat, puraque conſcientia ſinceram inter ſe æquitatem mutuo colant omnes, vitam meam à doctrina non diſcrepare, non faciam Dei gratiæ injuriam, ut me tibi tuique ſimilibus comparem, quibus innocentia non niſi in blanditiis ſita eſt. Tantum hoc dicam, ſi quis integer & æquus judex inter nos ſedeat, ei tam in ſermone quam in factis meis perſpicuam fore Dei reverentiam: quicquid autem ex te proficiſcitur, merum ſpirare pietatis ludibrium. Sed ut tuas calumnias breviter diſcutiam, quid te improbius fingi poteſt, qui Deum tardum fore ad miſericordiam, & propenſum ad iram contendis, ſi magnam partem mundi æternæ morti deſtinavit? Certe quemcunque fabrices Deum, piis

omni-

omnibus ille unus colendus eſt, qui ſupra viginti quinque ſecula, excepto duntaxat genere Abrahæ, totum humanum genus paſſus eſt in exitialibus tenebris errare. Si crudelitatis eum inſimules, quod familiam unam vivifica luce dignatus, gentes innumeras in morte demerſas jacere voluerit, prompta eſt exceptio, Quod non quotidie excisi fuerunt populi, atque ita centies quotannis abſorptus mundus, totidem illuſtria fuiſſe patientiæ ejus documenta. Nec vero Paulus, ubi aſſeruit arcano ejus decreto vaſa iræ aptata eſſe ad interitum, lenitatem ejus & patientiam laudare dubitat. Quo teſte ſi contentus non es, mihi ſecure, puto, latratus tuos deſpicere licebit. Neque etiam patrocinio meo indiget Deus, qui juſtitiæ ſuæ ſatis idoneus futurus eſt aſſertor, etiam ſi certatim ad eam obtenebrandam conſpirent omnes impuræ linguæ. Quare tu, ut libet, cum tua caterva in ſublime jaculare tuas blaſphemias, quæ in capita veſtra recidant. Nam mihi tua convitia patienter excipere moleſtum non eſt, modo Deum, cujus ſervus ſum, non attingant: & mihi te ad ejus tribunal provocare liceat, ut ſuo tempore appareat ſuæ doctrinæ vindex, quam in perſona mea furioſe oppugnas.

De natura veri Dei quam appoſite diſſeras hinc æſtiment lectores, quod ejus cognoſcendæ exordium facis à ſenſu communi. Deum quidem eſſe, gentium omnium & ætatum conſenſu receptum eſt, quia naturaliter humanis mentibus inſitum eſt hujus notitiæ principium & ſemen. Qualis autem ſit Deus, quomodo ratio definiet, quæ ſua perſpicacia nihil aliud poteſt quam veritatem in mendacium vertendo, adulterare quicquid intelligentiæ & lucis habet vera religio & fides? Stulteſcere nos jubet Spiritus ſanctus, ut cæleſtis doctrinæ ſimus diſcipuli: quia animalis homo nihil ejus capere vel guſtare poteſt. Tu contra de myſteriis Dei judicium fieri vis ex humano ſenſu: & rationem, quæ ſua cæcitate omnem Dei gloriam extinguit, non modo ſtatuis ducem & magiſtram, ſed Scripturæ præferre audes. Jam nihil mirum ſi quaſlibet religiones promiſcue miſceri libenter pateris, ut perinde cenſeatur Dei cultor Turca, qui Mahometi deliriis imbutus, numen neſcio quod incognitum adorat: ac Chriſtianus, qui ex non dubia Euangelii fide invocat Patrem Redemptoris noſtri. Quanquam te non ſerio incredulis patrocinari palam clamitant tot obliquæ ſannæ quibus apertiſſima quæque capita fidei noſtræ carpis, ſed omnium gentium ſuperſtitiones excuſando, tibi propoſitum eſt quicquid religionis ſacra veri Dei oracula docent, convellere. Ab illa vero ratione, quæ errorum omnium mater eſt, tibi exoritur ille Deus, qui ſine delectu vult omnes ſalvos fieri. Quaſi vero inane ſit quod toties occurrit in Scriptura Electionis nomen, quum ubique clament Lex, Prophetæ, & Euangelium vocari & illuminari in ſalutem, qui æterno Dei conſilio ante mundum conditum electi ſunt: & ſine ambiguitate pronunclent fontem & cauſam vitæ eſſe gratuitum Dei amorem, quo non omnes, ſed quos voluit complexus eſt. Quid tu centies contra obſtrependo proficies? Objecta nebula perſtringis ſimplicium oculos, Deum velle omnes ſalvos fieri. Si hoc electioni repugnat qua filios ſuos prædeſtinavit ad vitam, quæro ex te, cur non omnibus patefecerit viam ſalutis. Notum ac celebre eſt illud Legis elogium, Ecce propoſui hodie vobis vitam & mortem. Si abſque diſcrimine volebat Deus in ſalutem colligere omnes, cur non omnibus vitam communiter propoſuit, ſed hac prærogativa duntaxat gentem unam dignatus eſt? Neque id alia de cauſa, ſi Moſi creditur, niſi quod gratis dilexit quos ſibi elegit in peculium. Chriſtum divinitus miſſum fuiſſe dicis, cujus juſtitia ſuperabundaret, ubicunque abundaret peccatum. Atqui hæc una vox oſtendit te diaboli inſtinctu ex inferis prodiiſſe, qui pietatis fuco craſſiſſimum quodque mendacium tegens, Chriſtum procaciter rideres. Nam ſi ubicunque regnabat peccatum ſuperabundavit Chriſti juſtitia, nihilo deterior erit Pilati vel Judæ, quam Petri vel Pauli conditio. Atque ut de Pilato taceam, Chriſti juſtitiam Paulus ab Euangelii fide ſeparari poſſe negat. Tu quo tempore verſatus eſt Chriſtus in terris, quodnam in Gallia fuiſſe Euangelium dices, aliiſque longinquis Gentibus? Quid? an non Deus ante Filii ſui adventum idem erat? Cur ergo ſuppreſſum tenuit ſalutis theſaurum uſque ad tempus plenitudinis? Plenis jam buccis rideas neceſſe eſt quod docet Paulus, in Euangelii promulgatione patefactum fuiſſe myſte- *Epheſ. 6.*
rium, quod prius in Deo latebat. Jam publicata *verſ. 19.*
Euangelii voce, non ad alios pervenit Chriſti juſtitia, niſi qui eam fide amplexi ſunt. Unde porro tibi fides? Si reſpondeas, Ex auditu: verum hoc quidem eſt, ſed non abſque ſpeciali Spiritus revelatione. Paucitatem eorum quibus brachium Domini revelatum eſt, cum exclamatione miratur Jeſaias. Et Pau- *Jeſa. 53.*
lus donum fidei ad electos reſtringens, illius teſti- *verſ. 1.*
monio utitur. Tu diſcrimen nullum admittis. Cla- *Rom. 10.*
mat quidem Chriſtus, Venite ad me omnes qui labo- *verſ. 16.*
ratis: ſed idem alibi clamat, Nemo venit ad me niſi Pater meus traxerit eum: neque ſecum pugnat, ubi omnes ſine exceptione externa voce ad ſe invitans, dicit tamen neminem quicquam percipere, niſi datum ei fuerit è cælo: neque alios ad ſe venire, niſi *Joan 6.*
qui à Patre dati ſunt. Alium etiam locum non minus *verſ. 65.*
turpiter ſuillo tuo roſtro conſpurcas, dicens luce juſtitiæ Chriſti illuminari omnem hominem venientem in mundum. Quaſi vero non ſubjiceret continuo poſt Joannes, lucem in tenebris lucere, & à tenebris non comprehendi: quibus verbis ſignificat quicquid rationis & intelligentiæ datum erat hominibus ab initio, ſuffocatum eſſe, & prope extinctum: nec aliud ſupereſſe remedium, quam ut Chriſtus cæcos illuminet. Verum quidem eſt, Chriſtum nemini petenti gratiam negaſſe: ſed non reputas vota, & preces à Spiritu ſancto dictati: imo fidem, quæ gratuitæ electionis fructus eſt, clavem eſſe quæ precibus januam aperit. Hæc rudimenta quum ignores, quibus ſublatis Euangelium à myſteriis Proſerpinæ, vel Bacchanalibus nihil differet, mirum eſt inter Chriſtianos reperiri, qui ſe tam prodigioſis erroribus illaqueent. Quod à Deo meo ſimiles dicis formari diſcipulos, crudeles, invidos, calumniatores, ſuperbos, aliud in lingua, aliud in corde gerentes, ad hanc tuam dicacitatem refutandam non tam verbis, quam re ipſa inſtructus prodibo: quia maledicendo non oblector, per me ſepulta maneant tua flagitia: niſi quod unum breviter coram Deo teſtari licet, atque operæ pretium eſt: quum te domi meæ aluerim, me nullum unquam vidiſſe magis ſuperbum, vel magis perfidum, vel humanitatis expertem. Qui te & impoſtorem, & cynicæ impudentiæ deditum, & ſcurram ex profeſſo pietati oblatrantem non agnoſcunt, nihil prorſus judicant. Sævitiam meam in quo accuſes, audire cupio: niſi forte in magiſtri tui Serveti morte, pro quo tamen me fuiſſe deprecatum teſtes ſunt ipſi judices, ex quorum numero tunc duo erant ſtrenui ejus patroni. Sed de me plus ſatis. Quales doctrina mea fructus tam in hac urbe, quam longe lateque in multis regionibus pariat, conſiderandum relinquo. Quotidie ex hac ſchola, quam tam atrociter proſcindis, Deus ſibi eligit optimi & ſuaviſſimi odoris victimas ad illuſtrandam Euangelii ſui doctrinam. In ea qui proficiunt, quorum ſaltem non pœnitendus eſt numerus, tenuiter victitando, ægrè, ſed tamen cum ſumma patientia & manſuetudine vitam ſuſtentant: vel lautitiis valere juſſis, frugalitatem libenter & placide colunt. Omnes ſeipſos & mundum abnegando, ad ſpem beatæ immortalitatis aſpirant. Sed quia mihi gloriari non expedit, pro me reſpondeant quæ Dominus gratiæ ſuæ documenta

menta exerit ad eam doctrinam aſſerendam; quæ fœtidis tuis maledictis fruſtra lateratur. Ex te vero ſcire velim, quo tempore ſavebas huic doctrinæ qualis fueris. Negas tibi ſatis fuiſſe perſpectam, quod te conſtrictum teneret mea auctoritas, ut nefas eſſe duceres quicquam contra judicare. Nimis certè bardum fuiſſe te oportet, qui per annos complures aſſequi non potueris quod & domi meæ familiariter te docui, & tam ſæpe te audiente expoſui in publico conventu. Atqui multi idonei ſunt teſtes, quamvis ingenii tui pravitatem multis modis corrigere & ſanare fruſtra conatus ſim, quantiſper tamen te mihi conjunctum eſſe profeſſus es, fræno quodam fuiſſe retentum: ut merito hæc alienationis cauſa tibi fuiſſe videri poſſit, ut effræni licentia ad hanc in qua exultas impietatem prorumperes. Dicis te attendere non quis dicat, ſed quid dicatur. Utinam tibi hoc pridem ſuiſſet perſuaſum, ingenue proficere ex aliorum laboribus, ut te ad docilitatem aſſueſaceres. Nunc quia audacia tantum & garrulitate polles, ex aliorum contemptu gratiam tibi concilias. Equidem nihil mihi arrogo, ſed ita de Eccleſia meritus eſſe videor, ut ſi mihi inter fideles Dei ſervos locus detur, non debeat in odium trahi mea auctoritas. Si paucos homines indoctos ex meo nutu pendere, vel fama moveri diceres, colore aliquo tegeres tuam calumniam: nunc dum mihi vitio vertis, quod hominibus illiteratis non placeat mea doctrina, quis tibi credet homines doctos & ingenioſos tantum ex libris meis ſapere? imo ſola auctoritate attonitos teneri, ne quid judicent? Itaque nihil te auctore probabimus, niſi quod vulgo hominum plauſibile erit. Hæc ſcilicet ratio eſt cur omnes à liberalibus doctrinis absterreas: & inter tuos jactes inane frivolumque eſſe ſtudium, quod vel Philoſophiæ, vel Dialecticæ, aliiſque artibus, vel etiam Theologiæ impenditur, quo plures tibi acquiras diſcipulos. Excipis tales fuiſſe qui Chriſtum ſectabantur. Quaſi vero literis contraria ſit Chriſtiana fides. Hic attendant lectores quid inter me & te interſit. Ego ſapientiſſimos quoſque, donec ſtulteſcant, & proprio ſenſu valere juſſo, manſueta ſimplicitate ſe addicant in Chriſti obſequium, proprio ſaſtu excæcari dico, ne quid cæleſtis doctrinæ unquam deguſtent: quia inſipida eſt in Dei myſteriis tota hominum ratio, & obtuſum acumen. Itaque caput veræ ſapientiæ humilitatem eſſe dico, quæ nos omni carnis intelligentia abdicat, ut à reverentia myſteriorum Dei incipiat fides. Tu homines illiteratos prodire in medium jubes, qui ſpreta omni doctrina, ſolo arrogantiæ flatu turgidi, audacter de cæleſtibus myſteriis judicent: nec alios agnoſcis legitimos arbitros, niſi qui contenti vulgari ſenſu, fortiter repudiant quicquid non arridet. Aliud vero probrum quo meos diſcipulos gravas, facile excipiet Paulus, quo auctore, te & tui ſimiles hæreticos relinquere maluit, quam audiendis tuis blaſphemiis aures ſuas ultro polluere. Negas ita eſſe agendum, quia audiendi ſint omnes. Quaſi vero fruſtra dictum ſit, hæreticum hominem, ſi bis & ter ſerio admonitus non reſipiſcit, vitandum eſſe. Audientiam ſi quis tibi negaret, eſſet aliqua querendi ratio: ſed quum in publico etiam conſeſſu, ubi tibi permiſſa erat blaterandi libertas, imo ad quem elatus, & fere tractus fueras, victus ceſſeris, quis tandem erit modus, ſi tibi ſemper pateant piorum aures, donec ad ſaturitatem uſque Deo maledixeris? Tu omnia pietatis principia ridendo, ſuaviter te oblectas. Viſne tam ſtupidos eſſe Dei filios, ut vel procacitati tuæ arrideant, vel ſacrilegis probris nihil moveantur? De ipſa cauſa ſic reſponſum eſſe tibi confido, ut facile perſpiciant cuncti ſanæ mentis lectores, mihi non defuiſſe illum Spiritum, cujus eſt dare os & ſapientiam: quibus ſi reſiſtere pergis, tuam contumaciam cum pari dedecore prodes. Ut tandem manifeſtæ veritati cedas, quanquam vix ſperare audeo, optare tamen & precari non deſinam. Quod tandem ſubjicis cavillum, non eſſe quod tuis convitiis ſuccenſeam ſi neceſſario ſcripta eſſe credo: mihi vero ſeria & efficax ad tolerantiam exhortatio eſt: quando ad frænandam indignationem nihil hac Davidis admonitione utilius vel aptius, Sinamus eum maledicere, Dominus enim ita præcepit. Sciebat quidem David Semei eadem qua nunc ferves, convitiandi rabie incitari: ſed quos ille fortuitos impetus ſe jacere putabat, arcana Dei providentia gubernari reputans, ſeipſum hac ratione cohibet. ſicuti nunquam diaboli & impiorum inſultus compoſita moderatione quiſquam feret, niſi qui ab illis ad Deum unum ſenſus ſuos converterit. Compeſcat te Deus, Satan. Amen. Genevæ Nonis Januarii, M. D. LVIII.

SECUN-

Digitized by Google

SECUNDÆ PARTIS
TRACTATUUM VARIORUM
JOANNIS CALVINI,
CLASSIS SEPTIMA.

Pro vera ſententia de Cœna Domini.

Conſenſio mutua in re Sacramentaria Miniſtrorum Tigurinæ Eccleſiæ, & D. JOANNIS CALVINI Miniſtri Genevenſis Eccleſiæ, jam nunc ab ipſis auctoribus edita.

Ornatiſſimis Viris & Fidelibus Chriſti ſervis, Tigurinæ Eccleſiæ Paſtoribus & Doctoribus, chariſſimis Symmiſtis & obſervandis fratribus, JOANNES CALVINUS S.

TAmetſi eadem ſæpius de re vobiſcum ago, non tamen puto mihi timendum eſſe, ut importunus eſſe videar. Quando idem utriſque judicium eſt, fieri non poteſt, quin vobis probetur quod ago. Quod autem paulo acrius inſto, huc me aſſiduæ bonorum virorum flagitationes ſtimulant. Jam aliquoties monui, levi de cauſa, non tamen ſine prætextu offendi permultos, quod diverſum à vobis, neſcio quid, tradere videar. Veſtram Eccleſiam, quæ tot præclaris dotibus ornata eſt, merito reverentur: noſtræ quoque, & mihi forſan privatim, aliquid deferunt. Ita cupiunt ſcriptis noſtris, in diſcenda pietatis doctrina, adjuvari, ne qua diſſenſionis ſpecies, eorum progreſſus moretur. Huic offenſioni tollendæ quum nullum putarem aptius fore remedium, quam ſi familiari colloquio, rationem communiter iniremus teſtandæ conſenſionis, hac de cauſa profectionem, ut ſcitis, ad vos ſuſcepi: & venerandus collega noſter Gulielmus Farellus, (ut eſt indefeſſus Chriſti miles) qui mihi dux alioqui & auctor erat, comitem ſe adjungere non recuſavit. Ut inter nos conveniat, teſtari quidem vere ac fideliter utrinque poſſumus: ſed quia rem, ut eſt, non omnibus perſuadeo, mihi plurimum dolet, anxios vel ſuſpenſos manere, quorum tranquillitati melius conſultum optarem. Proinde, ut initio præfatus ſum, nihil intempeſtivum me facere arbitror, ſi urgeo, ut publicum aliquod ejus quæ inter nos conſtat, conſenſionis teſtimonium extet.

Ego vero capita, de quibus inter nos contulimus, & breviter colligere, & ordine digerere, operæ pretium eſſe exiſtimavi: ut, ſi vobis meum conſilium probabitur, cuivis, velut in tabula cernere liceat, quid inter nos, & actum, & tranſactum fuerit. Certe bona fide me ex ſermonibus noſtris retuliſſe, quæcunque ſubjiciam, vos mihi teſtes fore confido. Nos vero (me & Farellum dico) pari vobiſcum ſtudio, ſynceram, omnique fuco & aſtutia vacuam perſpicuitatem quæſiiſſe, pii lectores, ut ſpero, animadvertent. Quanquam ſimul admonitos eſſe velim, nihil hic contineri, quod non collegæ etiam noſtri, quotquot vel ſub Reipublicæ Genevenſis ditione, vel in Comitatu Neocomenſi Chriſto ſerviunt, ſua ſubſcriptione approbaverint. Valete præſtantiſſimi viri, & mihi ex animo vere colendi fratres. Dominus vos Spiritu ſuo regere pergat, in Eccleſiæ ſuæ ædificationem, veſtriſque laboribus benedicat. Genevæ, Calendis Auguſt. Anno Domini M. D. XLIX.

CONSENSIONIS CAPITA.

Totum Eccleſiæ regimen ſpirituale ad Chriſtum nos ducit.

QUum Chriſtus ſit finis Legis, & ejus agnitio totam in ſe Euangelii ſummam comprehendat: non dubium eſt, quin huc ſpectet totum ſpirituale Eccleſiæ regimen, ut ad Chriſtum nos ducat. Sicuti per eum ſolum ad Deum pervenitur, qui ultimus eſt beatæ vitæ finis. Itaque quiſquis hinc vel minimum deflectet, nunquam de ullis Dei inſtitutis rite vel appoſite loquetur.

Sacramentorum agnitio vera, ex agnitione Chriſti.

II. Quum autem Sacramenta, Euangelii ſint appendices, is demum, & apte, & utiliter de eorum natura, vi, officio & fructu diſſeret, qui à Chriſto exordietur. Neque id modo, ut obiter Chriſti nomen attingat, ſed ut vere teneat, quorſum nobis datus ſit à Patre, & quid nobis bonorum attulerit.

Cognitio Chriſti, qualis.

III. Sic ergo habendum eſt, Chriſtum, quum æternus eſſet Dei Filius, ejuſdem cum Patre eſſentiæ & gloriæ, induiſſe carnem noſtram, ut jure adoptionis, id quod natura proprium habebat, nobis communicaret: nempe, ut ſimus filii Dei: quod fit, dum fide inſerti in corpus Chriſti, idque Spiritus ſancti virtute, primum juſti cenſemur gratuita juſtitiæ imputatione: deinde regeneramur in novam vitam: quo reformati in imaginem Patris cæleſtis, veteri homini renunciemus.

Chriſtus Sacerdos.

IV. Ita Chriſtus in carne ſua conſiderandus eſt nobis Sacerdos, qui peccata noſtra, unico mortis ſuæ ſacrificio, expiavit: qui omnes noſtras iniquitates delevit, ſua obedientia: qui nobis perfectam juſtitiam comparavit: qui nunc intercedit pro nobis, ut acceſſus nobis ad Deum pateat. Conſiderandus eſt tanquam victima expiatrix, qua placatus eſt Deus mundo. Conſiderandus eſt frater, qui nos ex miſeris Adæ filiis, effecit beatos Dei filios. Conſiderandus

Digitized by Google

dus eſt reparator, qui Spiritus ſui virtute reformat quicquid in nobis eſt vitioſum, ut mundo vivere deſinamus & carni, ac Deus ipſe in nobis vivat. *Chriſtus Rex.* Conſiderandus eſt Rex, qni omni bonorum genere nos ditat: qui nos guberaat ſua virtute, ac tuetur: qui nos ſpiritualibus armis inſtituit: qui nos ab omni noxa liberat: qui oris ſui ſceptro nos moderatur ac regit. Atque ita conſiderandus, ut ad ſe Deum verum, & ad Patrem nos evehat: donec impleatur illud, quod tandem futurum eſt: nempe, ut ſit Deus omnia in omnibus.

Quomodo Chriſtus ſe nobis communicet.

V. Porro, ut ſe nobis talem exhibeat Chriſtus, ac ejuſmodi effectus in nobis proferat, uoum cum ipſo nos effici, & in ejus corpus coaleſcere nos oportet. Qui non aliter vitam in nos ſuam diffundit, niſi dum caput noſtrum eſt: ex quo totum corpus compactum & connexum, per omnem juncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem, in menſura cujuſque membri augmentum corporis faciat.

Spiritualis communicatio.

VI. Hæc ſpiritualis eſt communicatio, quam habemus cum Filio Dei: dum Spiritu ſuo io nobis habitans, faciat credentes omnes, omnium quæ in ſe reſident, bonorum compotes. Cujus teſtificandæ cauſa, tam Euangelii prædicatio inſtituta, quam Sacramentorum uſus nobis commendatus: nempe, ſacri Baptiſmi, & ſacræ Cœnæ. *Sacramenta inſtituta.*

Sacramentorum fines.

VII. Sunt quidem & hi Sacramentorum fines, ut nntæ ſint ac teſſeræ Chriſtianæ pnofeſſionis & ſocietatis, ſive fraternitatis, ut ſint ad gratiarum actionem incitamenta, & exercitia fidei, ac piæ vitæ: denique, ſyngraphæ ad id obligantes. Sed hic nnus inter alios præcipuus, ut per ea nobis gratiam ſuam teſtetur Deus, repræſeniet, atque obſignet. Nam etſi nihil aliud ſignificant, quam quod verbo ipſo annunciatur, hoc tamen magnum eſt, ſubjici oculis noſtris quaſi vivas imagines, quæ ſenſus noſtros melius afficiant, quaſi in rem ducendo: dum nobis Chriſti mortem, omniaque ejus beneficia in memoriam revocant, ut fides magis exerceatur: deinde quod ore Dei renuociatum erat, quaſi ſigillis confirmari & ſanciri.

Gratiarum actio.

VIII. Quum autem vera ſint, quæ nobis Dominus dedit gratiæ ſuæ teſtimonia & ſigilla, vere procul dubio præſtat ipſe intus ſuo Spiritu, quod oculis & aliis ſenſibus figurant Sacramenta: hoc eſt, ut potiamur Chriſto, tanquam bonorum omnium fonte: tum ut beneficio mortis ejus reconciliemur Deo: Spiritu renovemur in vitæ ſanctitatem, juſtitiam denique & ſalutem conſequamur, ſimulque pro his beneficiis olim in cruce exhibitis, & quæ quotidie fide percipimus, gratias agamus.

Non disjuncta quidem, ſed diſtincta ſigna & res ſignata.

IX. Quare, etſi diſtinguimus, ut par eſt, inter ſigna & res ſignatas: tamen non disjungimus à ſignis veritatem: quin omnes, qui fide amplectuntur illic oblatas promiſſiones, Chriſtum ſpiritualiter, cum ſpiritualibus ejns donis recipere, adeoque & qui dudum participes facti erant Chriſti, communionem illam continuare & reparare fateamur.

Promiſſio maxime in Sacramentis ſpectanda.

X. Neque enim ad ſigna nuda, ſed potius ad promiſſionem quæ illic annexa eſt, reſpicere convenit. Quatenus ergo in promiſſione illic oblata proficiat noſtra fides, eatenus iſta vis, & efficacia quam dicimus, ſe exeret. Ita materia aquæ, panis aut vini, Chriſtum nequaquam nobis offert, nec ſpiritualium ejus donorum compotes nos facit: ſed promiſſio magis ſpectanda eſt: cujus partes ſunt, nos recta fidei via ad Chriſtum ducere, quæ fides nos Chriſti participes facit.

In elementis non obſtupeſcendum.

XI. Hinc concidit eorum error, qui in elementis obſtupeſcunt, & illic affigunt ſalutis ſuæ fiduciam. Quum Sacramenta à Chriſto ſeparata nihil ſint quam inanes larvæ: & in ipſis omnibus hæc vox clare perſonet, non alibi quam in ſolo Chriſto hærendum, nec aliunde petendam eſſe ſalutis gratiam.

Sacramenta per ſe nihil efficiunt.

XII. Præterea, ſiquid boni nobis per Sacramenta confertur, id oon fit propria eorum virtute, etiamſi promiſſionem, qua inſigniuntur, comprehendas. Deus enim ſolus eſt, qui Spiritu ſuo agit. Et quod Sacramentorum miniſterio utitur, in eo neque vim illis ſuam infundit, neque Spiritus ſui efficaciæ quicquam derogat: ſed pro ruditatis noſtræ captu, ea tanquam adminicula ſic adhibet, ut tota agendi facultas maneat apud ipſum ſolum.

Deus organo utitur, ſed ita ut omnis virtus ejus ſit.

XIII. Itaque, quemadmodum Paulus admonet, eum qui plantat aut rigat, nihil eſſe: ſed unum Deum qui dat incrementum: ita & de Sacramentis dicendum eſt, ea nihil eſſe, quia nihil profutura ſint, niſi Deus in ſolidum omnia efficiat: Organa quidem ſunt, quibus efficaciter, ubi viſum eſt, agit Deus: ſed ita, ot totum ſalutis noſtræ opus, ipſi uni acceptum ferri debeat.

XIV. Conſtituimus ergo unum eſſe Chriſtum, qui vere intus baptizat, qui oos in Cœna facit ſui participes, qui denique implet quod figurant Sacramenta: & ſic quidem uti his adminiculis, ut totus effectus penes ejns Spiritum reſideat.

Quomodo Sacramenta confirment.

XV. Sic interdum Sacramenta vocantur Sigilla, dicuntur fidem alere, confirmare, promovere: & tamen ſolus Spiritus proprie eſt ſigillum: & idem fidei inchoator eſt & perfector. Nam hæc omnia Sacramentorum attributa inferiore loco ſubſidunt, ut oe minima quidem ſalutis noſtræ portio, ab unico auctore, ad creaturas vel elementa transferatur.

Non omnes Sacramento participantes, rò quoque participant.

XVI. Præterea ſedulo docemus, Deum non promiſcue vim ſuam exerere in omnibus qui Sacramenta recipiunt: ſed tantum in electis. Nam quemadmodum non alios in fidem illuminat, quam quos præordinavit ad vitam: ita arcana Spiritus ſui virtute efficit, ut percipiant electi quæ offerunt Sacramenta.

Sacramenta non conferunt gratiam.

XVII. Hac doctrina evertitur illud Sophiſtarum commentum, quod docet, Sacramenta novæ Legis, conferre gratiam omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis. Præterquam enim quod in Sacramentis, nihil niſi fide percipitur: tenendum quoque eſt, minime alligatam ipſis eſſe Dei gratiam, ut quiſquis ſignum habeat, re etiam potiatur. Nam reprobis peræque ut electis ſigna adminiſtrantur: veritas autem ſignorum ad hos ſolos pervenit.

Omnibus offeruntur Dei dona, fideles duntaxat percipiunt.

XVIII. Certum quidem eſt, offerri communiter omnibus Chriſtum cum ſuis donis: nec hominum incredulitate labefactari Dei veritatem, quin ſemper vim ſuam retineant Sacramenta: ſed non omnes Chriſti & donorum ejus ſunt capaces. Itaque ex Dei parte nihil mutatur: quantum vero ad homines ſpectat, quiſque pro fidei ſuæ menſura accipit.

Fideles ante & extra Sacramentorum uſum Chriſto communicant.

XIX. Quemadmodum autem nihilo plus Sacramentorum uſus infidelibus conferet, quam ſi abſtinerent, imo tantum illis exitialis eſt: ita extra eorum uſum, fidelibus conſtat, quæ illic figuratur veritas. Sic Baptiſmo abluta ſunt Pauli peccata, quæ jam prius abluta erant. Sic idem Baptiſmus Cornelio fuit lavacrum regenerationis, qui tamen jam Spiritu ſancto donatus erat. Sic in Cœna ſe nobis communicat Chriſtus, qui tamen & prius ſe nobis impertierat, & perpetuo manet io nobis. Nam quum jubeantur ſinguli ſeipſos probare, inde conſequitur, fidem ab ipſis requiri, antequam ad Sacramentum accedant. Atqui fides non eſt ſine Chriſto, ſed quatenus Sacramentis confirmatur & augeſcit fides, confirmantur in nobis Dei dona, adeoque quodammodo augeſcit Chriſtus in nobis, & nos in ipſo.

Adeo non alligatur gratia actioni Sa-

XX. Utilitas porro, quam ex Sacramentis percipimus, ad tempus, quo ea nobis adminiſtrantur, minime reſtringi debet: perinde acſi viſibile ſignum,

cramentorum. ut fructus eorum percipiatur aliquando poſt actionem.

dum in medium profertur, eodem ſecum momento Dei gratiam adveheret. Nam qui in prima infantia baptizati ſunt, eos in pueritia, vel ineunte adoleſcentia, interdum etiam in ſenectute regenerat Deus. Ita Baptiſmi utilitas ad totum vitæ decurſum patet: quia perpetuo viget quæ illic continetur promiſſio. Et fieri interdum poteſt, ut ſacræ Cœnæ uſus, qui in actu ipſo propter incogitantiam vel tarditatem noſtram parum prodeſt, fructum deinde ſuum proferat.

Localis imaginatio tollenda.

XXI. Præſertim vero tollenda eſt quælibet localis præſentiæ imaginatio. Nam quum ſigna hic in mundo ſint, oculis cernantur, palpentur manibus: Chriſtus quatenus homo eſt, non alibi quam in cælo, nec aliter quam mente & fidei intelligentia quærendus eſt. Quare perverſa & impia ſuperſtitio eſt, ipſum ſub elementis hujus mundi includere.

Expoſitio verborum Cœnæ Domini, Hoc eſt corpus meum.

XXII. Proinde, qui in ſolennibus Cœnæ verbis, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus: præciſe literalem, ut loquuntur, ſenſum urgent, eos tanquam præpoſteros interpretes, repudiamus. Nam extra controverſiam ponimus, figurate accipienda eſſe, ut eſſe panis & vinum dicantur id quod ſignificant. Neque vero novum hoc aut inſolens videri debet, ut per metonymiam ad ſignum transferatur rei figuratæ nomen: quum paſſim in Scripturis ejuſmodi locutiones occurrant: & nos ſic loquendo, nihil afferimus, quod non apud vetuſtiſſimos quoſque & probatiſſimos Eccleſiæ ſcriptores extet.

De manducatione corporis Chriſti.

XXIII. Quod autem carnis ſuæ eſu, & ſanguinis potione, quæ hic figurantur, Chriſtus animas noſtras per fidem, Spiritus ſancti virtute paſcit, id non perinde accipiendum, quaſi fiat aliqua ſubſtantiæ vel commixtio, vel transfuſio: ſed quoniam ex carne ſemel in ſacrificium oblata, & ſanguine in expiationem effuſo, vitam hauriamus.

Contra transſubſtantiationem & alias ineptias.

XXIV. Hoc modo non tantum refutatur Papiſtarum commentum de transſubſtantiatione, ſed craſſa omnia figmenta, atque futiles argutiæ, quæ vel cæleſti ejus gloriæ detrahunt, vel veritati humanæ naturæ minus ſunt conſentaneæ. Neque enim minus abſurdum judicamus, Chriſtum ſub pane locare, vel cum pane copulare, quam panem transſubſtantiare in corpus ejus.

Chriſti corpus eſt in cælo ut in loco.

XXV. Ac ne qua ambiguitas reſtet, quum in cælo quærendum Chriſtum dicimus, hæc locutio locorum diſtantiam nobis ſonat & exprimit. Tametſi enim Philoſophice loquendo, ſupra cælos locus non eſt: quia tamen corpus Chriſti, ut fert humani corporis natura & modus, finitum eſt, & cælo, ut loco, continetur: neceſſe eſt, à nobis tanto locorum intervallo diſtare, quanto cælum abeſt à terra.

Chriſtus non eſt adorandus in pane.

XXVI. Quod ſi imaginatione noſtra Chriſtum pani & vino affigere fas non eſt, multo minus licet eum in pane adorare. Quanquam enim panis in ſymbolum & pignus ejus, quam habemus cum Chriſto, communionis nobis porrigitur: quia tamen ſignum eſt, non res ipſa, neque rem in ſe incluſam habet aut affixam, idolum ex eo faciunt, qui mentem ſuam in eum convertunt, Chriſtum adoraturi.

ECCLESIÆ GENEVENSIS

fido Paſtori D. JOANNI CALVINO, fratri chariſſimo, Paſtores Doctoreſque miniſtri Tigurinæ Eccleſiæ, S. D.

INgens tuum ſtudium, Calvine, frater in Domino colendiſſime, & opera ſedula, quibus moliris doctrinam de Sacramentis indies illuſtriorem facere, ac tollere offenſiones è media Eccleſia, quæ ebortæ videntur ex obſcuriore quadam explicatione myſteriorum, adeo nihil moleſtiæ nobis afferunt, ut ea non modo laude & prædicatione digna, verum etiam pro noſtra virili adjuvanda eſſe, & imitanda judicemus. Quum enim ſacroſanctæ leges principis noſtri Jeſu Chriſti, omnes actiones referant ad culturam charitatis, ſtudiumque mutuum juvandi, nihil etiam ſeverius prohibent, quam ut ullus objiciat alteri impedimentum, quo minus vel recte vereque judicet de iis rebus, quarum notitia neceſſaria eſt, aut certe utilis & ſalutaris hominibus: vel minus præſtet officium ſuum, quod tum Deo, tum proximis debetur: eademque gravitate jubent ſummovere, quantum fieri poteſt, offendicula, in quæ impingere ſolent homines. Quamobrem cauſa tui adventus ad nos, & D. Gulielmi Farelli venerandi nobis fratris, honeſtiſſima nobis viſa eſt, & inprimis digna viris Eccleſiaſticis: ut primum familiari colloquio, quam ſimpliciſſime mutuo exponeremus noſtram ſententiam de Sacramentis, præſertim in iis capitibus, in quibus aliqua certe controverſia hactenus fuit, inter eos qui per cætera capita ſynceriorem Euangelii doctrinam magno conſenſu tradiderunt: deinde conſenſum noſtrum, edito in publicum ſcripto, teſtaremur. Nullam enim aliam viam & rationem commodiorem videmus, qua controverſiæ religionis dirimantur, aut pellantur vanæ ſuſpiciones, ubi diſcrepantia nulla exiſtit, aut denique tollantur offenſiones, quæ naſci nonnunquam ſolent in Eccleſia Dei, ex docentium controverſis opinionibus, quam ſi partes, quæ diſſentire videntur, aut revera diſſentiunt, invicem apertiſſime ſuam mentem explanent, tum ſermone tum ſcriptis. Sed parum eſſet veritatem inveſtigatam & deprehenſam apud eos retineri, niſi aliis quoque hominibus ea pateſiat: plenius expoſitis iis, quæ parcius indicata fuerant: & quod obſcurius fuerat dictum, notioribus verbis enuntiato: quodque ambigue fuerat enuntiatum, certis, propriis, & ſignificantibus vocibus declarato. Quæ ratio ſemper Eccleſiaſticis patribus placuit: & in controverſiis de religione componendis adhibita eſt ſæpiſſime, & nunquam non ſalutaris fuit Eccleſiæ. Denique approbata eſt ſummo exemplo Apoſtolorum Chriſti Domini ac Dei noſtri. Nam ut in Actis legimus cap. decimoquinto, non alio modo ac via ſedata eſt maxima diſſenſio, quum Apoſtoli, & Apoſtolorum germani Diſcipuli docerent fiducia in nomen Chriſti purificari corda, & ejus ſolius gratia ſervari homines: alii contenderent, oportere circumcidi, & ſervari Legem Moſaicam. Itaque non poſſumus non ſummopere probare, Calvine, chare frater, tuos ſanctos conatus, & omnium piorum, qui ſtudent idoneis rationibus offenſiones tollere, & labefactam pacem atque tranquillitatem Eccleſiæ inſtaurare, dum Chriſtianam doctrinam ſimplici, & accurata explicatione, magis magiſque illuſtrem ac planam reddere nituntur & vanas opiniones diſcordiæ eximere animis: at eos etiam, qui verbis & ſententiis nonnihil diſſiderunt, in veram, ſolidam & ſanctam concordiam reducere. Cæterum, ut publicatione ſcripti, quo noſtrum conſenſum clare teſtari voluimus, piis juxta & adverſariis veritatis, eum ſperemus fructum, quem in epiſtola tua ominaris, facto jam periculo adducimur: nam formulam mutuæ noſtræ Conſenſionis ad fratres aliquot tranſmiſimus, & hic exhibuimus aliquot viris, Chriſtum & veritatem diligentibus, neque imperitis rerum ſacrarum: qui non modo cognoverunt inter nos convenire in iis etiam capitibus, in quibus hactenus multorum opinione diſſenſimus: ſed etiam gratias egerunt Chriſto Servatori, cernentes nos, in Deo & veritate conſentire, magnamque ſpem uberioris fructus in Eccleſia polliciti ſunt. Quanquam nonnulli copioſiorem tractationem hujus argumenti ob ingenia quædam deſideravere, qui audito conſilio noſtro, haud difficile admiſerunt ſatisfactionem. Quorſum enim attinebat pluribus verbis edifferere, Deum eſſe auctorem Sacramentorum, & ea inſtituiſſe legitimis Eccleſiæ filiis: quotquot ſint à Chriſto Eccleſiæ tradita Sacramenta, aut quæ inventa ſint ab hominibus: quæ ſint partes Sacramentorum, aut quo loco, quo tempore, quo inſtrumento ſacro peragi conveniat myſteria? in quibus

& aliis

& aliis nonnullis id genus capitibus, nullam fuiſſe inter nos vel ſpeciem & umbram diſſenſionis, ſatis probant libri editi: quos vel præceptores noſtri, piæ ſanctæque memoriæ, vel ipſi ſcripſimus de Sacramentis. Verum, de corporali Chriſti Domini præſentia, de genuina ſententia verborum ſolennium, de manducatione corporis Chriſti, de fine, de uſu & effectu Sacramentorum (in quibus capitibus multi exiſtimarunt hactenus confligere noſtras ſententias, aut certe verba) tam copioſe, tam plane & ſimpliciter loquuti ſumus ut ſperemus homines ſtudioſos tam fraternæ concordiæ, tum perſpicuæ veritatis, non deſideraturos eſſe in ſcripto noſtro, vel copiam, vel lucem orationis. Neque diffidimus quin aliarum quoque Eccleſiarum Chriſti per Helvetiam miniſtri facile agnituri ſint, eam ipſam doctrinam de Sacramentis nos expreſſiſſe, quæ multis jam annis populo Chriſtiano vulgata eſt: atque in veritate confeſſa, minime gentium à nobis diſcrepent: id quod pollicemur nobis, non ſine magnis rationibus, de piis omnibus per Eccleſias aliarum nationum.

Si quis tamen evidentiorem Sacramentorum explicationem protulerit, malumus ea ipſa uti cum piis omnibus, quam hortari unum hominem ut ſubſcribat noſtræ conſenſioni, in qua Scripturæ ſanctæ verba uſurpavimus, & expreſſimus apte quo ſenſu accipiamus, & cum Eccleſia Catholica nos facere, pro compertiſſimo habemus. Porro ſi non offenſiones omnium, quos diſcordiæ inter nos ſpecies impedivit in viis Domini, ſcriptum hoc ſuſtulerit, præclare tamen ſuo munere functum exiſtimabimus, quod non obſcure neque fucate omnibus teſtati ſumus, nos quibus Chriſtus dedit idem ſentire & loqui de religionis dogmatibus in myſteriorum etiam explicatione, haudquaquam diſcrepare. Vale frater dilectiſſime. Tiguri, Triceſimo Auguſti, Anno Dom. M. D. XLIX.

Fidelibus Chriſti Miniſtris, Tigurinæ Eccleſiæ, Bernenſis, Baſilienſis, Schaffuſianæ, Curienſis & totius Rheticæ, Sangallenſis, Biellenſis, Milhouſinæ, Neocomenſis, Paſtoribus, Symmiſtis, & fratribus integerrimis & vere colendis.

JAm elapſi ſunt anni quatuor, venerandi fratres, quum in lncem prodiit de Sacramentis confeſſionis noſtræ ſumma, qua tandem infauſtas contentiones, quæ nimis diu pios & doctos viros exercuerant, prorſus extinctum iri putavimus. & certè in illa brevitate complexi eramus, quod ad ſedandas bonas mentes ſufficeret: reſque ipſa oſtendit gravibus & cordatis viris non modo placuiſſe noſtrum conſilium, ſed rem quoque ipſam eſſe probatam. Quod ſi in quibuſdam major fuit pertinacia, vel etiam ut in rebus turbatis fieri ſolet, altius infixa ſuſpicio, quam ut in eundem ſtatim conſenſum nobiſcum deſcenderent, ſilentio tamen ſuo teſtati ſunt nihil ſibi videri melius, quam pacem & tranquillitatem colere. Interea indocti quidam homines & turbulenti, reliquis tacentibus, tantam clamandi licentiam ſibi ſumpſerunt, ut ab eorum intemperie novum incendium, niſi obviam eatur, timendum ſit. Quia vero & pauci ſunt numero, & nulla ſubeſt virtus, quæ fidem vel auctoritatem ipſis concilier: imo confuſa & inſipida garrulitas non minus ridiculos quam odioſos reddit: merito contemni poterant, niſi fingentes publicam ſe cauſam agere, licet nullius ſint pretii, tamen falſo prætextu deciperent multos rudes & imperitos. Sed dum videmus plurimum nocere, & noſtra patientia creſcere in dies ipſorum audaciam: magna, ut arbitror, juſtaque oeceſſitas nos ad reclamandum cogit. Equidem quamvis eorum ſcripta volitent, quibus crucientur boni, turbantur infirmi, improbi ad rixandum armantur: ægre tamen & dolenter adductus ſum, ut eorum ſtultitiam publice refellerem. Sed quia mihi crudelis fore videbar, niſi diſcuſſis illorum fallaciis bonos & ſimplices errore liberarem: non dubitavi eorum proterviæ me libere opponere. Doctos ètiam, & graves viros, quorum nomen iſti frivoli homines indigne obtendunt, ſui officii monere volui, ne hanc petulantiam ultra graſſari ſinant. Præterquam enim quod pios omnes dare operam convenit, ne longius ſerpat quod per has faces excitat Satan iucendium, certe eorum de quibus loquor, magis quam noſtra intereſt, importunum fervorem compeſci, qui in commune multarum Eccleſiarum dedecus redundat. Indocti, & temulenti homines dum Sacramentarium bellum inſtaurant, primis librorum paginis audacter jactant, pro tota Saxonia & vicinis regionibus ſe pugnare. Id dum à multis creditur, alios involvit pia reverentia, quam Saxonicis Eccleſiis deferunt, alii eas derident, quod tam putidis indoctiſque patronis utantur, alii nimiam ſanioris numeri tolerantiam mirantur, impii vero & aperti Chriſti hoſtes ſummam ex mutua noſtra concertatione quaſi Laniſtæ ex gladiatorio ludo, voluptatem capiunt. Quum igitur turpis diſſimulatio ſit, quæ tot malis vagum & effrænem curſum permittit: viderint docti ac prudentes viri, an non ſuarum partium ſit moderari cæcos iſtos impetus, unde tantum damnum inferri Eccleſiæ vident. & quoniam omnes qui non prorſus intractabiles ſunt, vel nondum ſe adeo inſolenter jactarunt, placide ad ſanam mentem redire cupio: imo ne quis præcluſam ſibi pœnitentiæ januam queratur, unum duntaxat, & quidem tacito nomine breviter attingam. Ille igitur quiſquis eſt, poſtquam Thraſonice profeſſus eſt, ſe plus quam animoſum eſſe fidei orthodoxæ vindicem, magnos & inſignes viros quos ego amo & veneror, ipſe pro ſuis præceptoribus agnoſcit, in operam ſubſidiariam advocat. En quibus auſpiciis primarios Eccleſiæ doctores nobiſcum in certamen committat: nempe ut mali diſcipuli temeritatem, quaſi milites poſt aciem ad ferendum ſubſidium locati, ſequantur. Sed quod hoſtium genus illis oppugnandum aſſignat? Nomine quidem appellat Sacramentarios, rem vero ſic definit. eos ſe aggredi, qui in Euchariſtico pane & ſanguine Chriſti præter vacua ſigna nihil relinquunt. Si ita eſt, quieſcat ipſe tumultuarius, & à ſeipſo lectus bellator, locumque potius legitimis & idoneis ducibus cedat. Præclaræ ſunt apud Helvetios, Rhetoſque Eccleſiæ, quibus & noſtra accedit. Ab his cordati ſaltem aliquot Duces & anteſignani prodibunt, qui ingentes copias ſecum trahent, ut juſtis opibus non minus ſtrenue quam fideliter belli hujus molem ſuſtineant. Quis enim noſtrum ſuam ſacris ſymbolis veritatem non aſſerit? At vero dum ita præfatus non modo ſingulos enumerat, qui ab hujus criminis ſuſpicione longiſſime abſunt: ſed etiam conſenſionis noſtræ formulam in medium producit, ubi tam diſerte repudiatur error ille: quid hac repugnantia impudentius vel magis præpoſterum fingi poteſt? Nec vero cauſæ noſtræ defenſionem aliunde opus eſt accerſere, quandoquidem ipſe paulo poſt verba noſtra recitat, ubi palam fatemur, vere in ſacra Cœna communicari fidelibus Chriſti corpus. Quid? ubi vera aſſeritur communicatio: an nihil præter nudum & inane ſignum relinquitur? Reſtat illi miſerum jejuni cavilli ſuffugium: nos de ſpirituali manducatione loqui. An igitur carnalem vellet? Sed non putat nos de vero corpore ſentire. Quaſi vero nos ſicut ipſe & ſimiles, phantaſma corporis loco imaginemur. Nos vero quum ſciamus unicum eſſe Chriſti corpus, quod ſemel in victimam noſtræ cum Deo reconciliationis oblatum eſt, illud ipſum aſſerimus nobis offerri in Cœna: quia ut nobiſcum Chriſtus partæ ſalutis gratiam communicet, ante noſtrum fieri oportet, & vivificam nobis eſſe Chriſti carnem, quia ex ea ſpiritualem

vitam hauriamus. His enim verbis aperte uſi ſumus in conſenſus noſtri ſumma, cujus ipſe partes quaſdam citans, hoc præcipuum caput improbe & perfide diſſimulat. Quid? Ubi præfatus erat, ſe ad verbum relaturum quæ à nobis eſſent edita: quo jure conjuncta membra diſcerpere licuit, ne plena, & ſuo contextu apta confeſſio ſub oculos veniret? Hoc ſcilicet nonne eſt inſtar rabioſi canis obvium quemque lapidem arrodere? Verum alibi & quidem paulo poſt, clara de ſignorum veritate, quam negari à nobis mentitur, teſtimonia ex nobis profert. Atque hic ſpargendis nebulis deditus homo, vafritiem nobis objectat, quod de ſpirituali manducatione prolixe concionando ſimplices laudamus. Quaſi vero ſpiritualiter Chriſtum manducare quis poſſit, quin & fidei virtute eum habeat in ſe manentem, & in ejus corpus coaleſcat, & in ipſo vivat: quod fieri rurſum non poteſt, quin ipſe Chriſtus, ut ſemel in ſacrificium pro nobis oblatus eſt, ſe nobis fruendum exhibeat. Unde & carnem ejus vivificam eſſe ſequitur. Tam belle de erroris, quem oppugnat, ſpecie præfatus, deinde ex opinionum diſſidiis odium nobis conflare nititur. Proprium, inquit, hæreticorum eſt, inter ſe diſſentire. Ut ita eſſe fatear, rogo, quid ad nos? Reſpondet, quia ſecundum aliquos panis ſignificat corpus, aliis ſymbolum eſt, aliis ſignum, aliis figura, aliis memoriale, aliis repræſentatio, aliis teſtimonium vel obſignatio communionis, aliis memoria carnis pro nobis traditæ, aliis teſtificatio, quæ ſpiritualem gratiam figurat, aliis communio in corpore. Quis eum prævaricari non putet? Neque enim conſenſus noſter laudari melius poterat, quam formis loquendi ita probe conſentaneis. Ac ne obſcurior forte eſſet ſimplex verborum deſcriptio: homo ingenioſus in tabula repugnantiam hanc pinxit. Porro dum videt magis in verbis diſcrepare Matthæum à Paulo, Marcum à Luca, quorum alii calicem vocant ſanguinem teſtamenti, alii teſtamentum in ſanguine, ut nodum hunc expediat, non in verbis ſolum, ſed in ſenſu quoque diſſidere nos obtendit. Quid? Signum, ſignificatio, figura, ſymbolum, repræſentatio contrarium ſenſum efficiunt? quæ ſic inter ſe cohærent, ut ex unoquoque reliqua omnia gignantur. En cur turbulentus homo, ex placida ſua & umbratili quiete tela ignea jaculetur, quæ incendio totam Europam corripiant. Sed quid de ſe tandem ſuiſque ſodalibus reſpondebit? Nunc clara per ſe eſſe contendit verba Chriſti, nec ulla interpretatione egere, panem eſſe corpus: mox autem tropum ſubeſſe non negat. Mihi vero neceſſe non eſt, quærere quibuſcum hic phreneticus confligat, qui ſeipſum tam recte elidit. Sed tropum ſaltem nominet, quem non excuſare dicit, quominus panis proprie ſit corpus. Certe quiſquis erit tropus, à litera deflectet. Jam vero deprehenſus tenetur. Nam cum opinionem ſuam proferens, à multis quos vocat hæreticos, diſſentiat: ſequetur unum ex hæreticis eſſe. Niſi forte publico omnium conſenſu ſanctificatum eſſe tropum ſuum oſtendet, & eum quidem anonymon, ut ſolus immunis ſit à ſiniſtra nota. Quanquam eum caute ſubticuit, ne de re incognita judicium ferretur. Adde quod alibi quoſdam noſtrum idem verbis ſonare fatetur, quod in tecta fide ſinceros, ſed non idem ſentire. Ubinam ergo reperietur illa verborum diſſonantia, quæ ſola facit hæreticos etiam qui ideo differunt à reliquis, ne erroribus ſubſcribant? Pudendum ſane eſt, fervorem qui in juvene tolerabilis non foret, adeo non eſſe ætate mitigatum, ut homo ſenex vel pueris ridendum ſe propinet. Neque tamen diſſimulo eum poſtea diverſas ſententias colligere, quæ etſi non male conveniunt, majorem repugnantiæ ſpeciem præbent. Atqui primum, ſi ab unoquoque obiter quid dictum eſt, calumnioſe id atripit, acſi plena eſſet definitio. Deinde quum ſingulis, & ſua ſit dicendi ratio, & libertas eſſe debeat: inique, ne dicam tyrannice, omnibus præſcribit, ut neceſſe ſit non modo idem dicere, ſed etiam eodem modo. Dixit aliquis myſticum corpus hic notari. Nonne idem Auguſtinus? Imo an non idem Paulus, quum tradit nos omnes unum eſſe panem? Dixit alius celebrem eſſe redemptionis partæ memoriam. Nempe ſicut ex eodem Paulo & communi omnium magiſtro filio Dei audimus, hunc ſacræ Cœnæ eſſe finem, ut ſolennis illic ſit mortis ejus prædicatio. Hinc Tragœdiam nemo, niſi tragicus aliquis Oreſtes, movere debuerat. Tantum abeſt, ut ſacræ inter Deum & homines reconciliationis miniſter, nuntius, & interpres excuſabilis ſit, dum materiam turbandi hinc venatur. Porro, ut diſcordias aliquamdiu fuiſſe demus, quia res non ſtatim ab initio dilucide explicari poterat: an pium vel humanum erat, vulnus quod cicatricem obduxit, de integro ſcindere? Ne qua varietas diſtrahat pios lectores: ecce conſenſus noſter interponitur. Videt hic bonus zelotes quoſcunque vocat Sacramentarios idem ſentire & loqui. Nec vero ſi ſuperſtites hodie eſſent optimi & eximii Chriſti ſervi Zuinglius & OEcolampadius, verbulum in ea ſententia mutarent. Nam & felicis memoriæ vir Martinus Bucerus, quum eum legiſſet, ſcriptis ad me literis pro ſua pietate gratulatus eſt toti Eccleſiæ, cui pro maligno ſuo livore, quantopere invideat hic bonus arbiter vel cenſor, ejus obtrectatio ſatis teſtatur. Ego vero non ut retaliem ejus calumniam, ſed ut pro inſulſo ejus probro verum dictum regeram, ſic excipio. Proprium diaboli eſt calumniari: unde & nomen habet. Proprium ejuſdem eſt luci tenebras obducere. Proprium denique ejuſdem, quia diſcordiarum pater eſt, pacem turbare, & lacerare fidei unitatem. Hæc omnia quum in iſto noſtro cenſore palam cernantur, quo loco habendus ſit, mihi non eſt neceſſe dicere, quia nemini obſcurum eſt. Cæterum quia non minore ſtudio tum ad tuendam veritatis cauſam, tum ad fovendam pacem incumbere nos decet, quam utriuſque everſionem molitur Satan: aliquid hac in re tentandum eſſe duxi, integerrimi & vere obſervandi fratres: ſi forte miteſcant qui hactenus fuerunt duriores, vel ſaltem ut ad domanda ejuſmodi cerebroſa capita, pii, graves & moderati doctores inſtructi ſint. Atque hæc mihi viſa eſt optima ratio: quia & quorundam cavillis obnoxia eſt ſumma prioris ſcripti noſtri brevitas, nec dubitationes altius multorum animis infixas penitus revellit, ne quis ſcrupulus maneret, plenius aliquanto mentem noſtram exprimere, ut eadem ſit confeſſio pluribus verbis luculentior. Exprobrat nobis ille, de quo jam nimis multa, tam confuſum eſſe inter nos opinionum chaos, ut nemo alterum intelligat. Atqui ego ſic veſtra omnium ſenſa mihi tenere videor: ut nihil aliud à me hic poſitum fuiſſe confidam, quam quod ſinguli veſtrum ſcripturi eſſent. Non enim dictandi vel præeundi partes mihi arrogo: ſed hac lege meum obſequium defero, ut arbitrii veſtri ſit ſtatuere quidnam expediat. Quod eo meliore fiducia aggreſſus ſum, quia & ego antehac ſum expertus, & vos claro documento teſtatum feciſtis, ſimilem laborem libere pia ſedulitate à me ſuſceptum vobis probari. Valete optimi & ſemper colendi fratres. Dominus vobis adſit, vos gubernet ſuo Spiritu, veſtriſque laboribus benedicat. Salutant vos reverenter collegæ mei. Genevæ 13. Cal. Decembris, M. D. LIV.

JOANNES CALVINUS *veſter.*

CONSENSIONIS CAPITUM EXPOSITIO.

QUum piis omnibus ſanoque & recto judicio præditis tam odioſa pridem eſſet moleſtaque, quæ hac noſtra ætate mota fuerat de Sacramentis contentio, quam infœliciter ab ea proſperum Euangelii curſum tardari videbant: non modo commoda aliqua ratione vel ſepultam eſſe, vel compoſitam ſemper optarunt: ſed in ea quoque ſedanda à quibuſdam non parum laboris poſitum eſt. Quod ex voto non protinus ſucceſſit, in ea tarditate quam difficile ſit ignem ſatanæ artificio ſemel accenſum reſtingui, triſte documentum apparuit. Huc quidem uſque profectum eſt, ut ſedato nonnihil fervore, ad docendum magis, quam ad pugnandum utraque pars intenta foret. Sed quia adhuc ex ſopitis carbonibus ſubinde micabant ſcintillæ, à quibus novum incendium ruſus timendum erat: quod optimum putavimus remedium, nos Tigurinæ & Genevenſis Eccleſiæ paſtores, adhibito etiam optimo fratre noſtro Farello, afferre conati ſumus, ne qua in poſterum reſidua maneret diſcordiæ materia. Breve compendium edidimus, quod noſtram de Sacramentis doctrinam ita teſtatur, ut communem aliorum paſtorum conſenſum, qui purum Euangelium apud Heluetios Rhetoſque ſequuntur, contineat. Hoc teſtimonio in puplicum edito, doctis & moderatis hominibus plane ſatisfactum eſſe, nobis perſuaſimus: neminem certe putavimus ita moroſum, quin placatus quieſceret. Nam ut poſtea videbimus, dilucida illic conſtat omnium rerum, de quibus antehac certatum eſt, definitio, quæ nullum ſiniſtræ ſuſpicioni locum relinquat. Et ſingulari Dei beneficio factum eſt, ut magna in parte, ex ſpe votoque noſtro ſucceſſerit. Ecce autem rebus tranquillis, ſurgunt importuni quidam homines, & quaſi diſcordiis paſcuntur, ad arma denuo conclamant. Nec vero eſt, quod ſancti zeli prætextu excuſent ſuam intemperiem. Satis inter nos convenit, veritatis jactura, minime redimendam eſſe pacem. Ac proinde ſatius eſſe fateor, cælum terræ miſceri, quam deſeri ſanæ doctrinæ patrocinium. Si quis ſophiſticis ambagibus, quæ contrarias doctrinas fucando conciliant, ſtrenue ſe cordateque opponat, non reprehendo. Quin potius hanc mihi laudem jure meo vendico, vix alium quenquam eſſe, cui magis placeat ingenua veritatis confeſſio. Quare faceſſant inanes iſti prætextus, ſæpe, ne jaceat ſanæ doctrinæ defenſio, excitandas eſſe turbas. Nam primum nihil in hac cauſa obſcure vel perplexe à nobis dictum, nihil aſtute celatum, nihil denique omiſſum de tota rei ſumma oſtendam: deinde nihil minus nobis propoſitum fuit, quam liberum veritatis curſum abrumpere. Quin potius hoc ſummæ curæ fuit, qoomodo placide & ſine offenſa, quod utile cognim eſt in hac re, & tradi & legi poſſet. Sed ne verbis ultro citroque ambigue certemus: hoc tantum à lectoribus poſtulo, ut quod ſolidis & claris rationibus probatum ante oculos ponam, recipiant.

Principio, ubi de Sacramentis agitur, negari non poteſt, quin præcipue conſideranda ſit Domini inſtitutio, ejuſque finis. Hinc & vis Sacramentorum & uſus optime cognoſcitur: ut errare nequeat, quiſquis huc mentem dirigit, quo Dominus ipſe nos vocat. Quorſum vero inſtituta ſint Sacramenta, recte à nobis traditum, vel iniquiſſimi quique fateri cogentur: nempe ut nos ad Chriſti communionem deducant. Confidentius etiam loquar, neminem eorum qui nobis obtrectant, unquam aliquid protuliſſe in medium, quod hanc partem magis diſerte exprimeret. Si illis cordi eſt Sacramentorum dignitas: quid obſecro ad eam ornandam æque magnificum, quam dum adminicula, & media vocantur, quibus vel inſeramur in corpus Chriſti, vel inſiti magis ac magis coaleſcamus, donec ſolide nos ſecum uniat in cæleſti vita? ſi ſalutem noſtram Sacramentis adjutam cupiunt: quid aptius cogitari poteſt, quam ut ad ipſum vitæ fontem deducti, vitam hauriamus ex Dei filio? Ergo ſive utilitas noſtra ſpectatur, ſive dignitas & reverentia, quam Sacramentis deferri par eſt, finem & cauſam cur inſtituta ſunt, luculente expoſuimus. Certe quod Paulus ventoſis doctoribus objicit, qui animas infructoſis ſpeculationibus inflant, non ædificant, ipſos non tenere caput, longe à nobis alienum eſt: qui & ad Chriſtum referimus omnia, & in ipſo colligimus, & ſub ipſo ordinamus, & ab ipſo totam vim Sacramentorum aſſerimus defluere. Nunc meliorem docendi regulam præſcribant moroſi iſti cenſores, quam quæ à Paulo tradita eſt. Si illis diſplicet ad ſymmetriam illam inter caput & membra Eccleſiæ, quam tantopere laudat Paulus ipſe, & à qua ſolidam doctrinæ perfectionem æſtimat, Sacramenta aptari. Coloſſ. 2.

Bene igitur habet, quod de Sacramentis verba facturi, optimo & maxime appoſito exordio uſi ſumus, & finem eorum deſcripſimus, quem æqui omnes & moderati lectores ſine controverſia probabunt. Jam in uſu legitimo duo cavenda ſunt vitia. Nam ſi plus æquo extollitur eorum dignitas, facile obrepit ſuperſtitio: ſin vero de vi eorum fructuque frigide vel minus ſplendide diſſeritur, mox profanus contemptus erumpit. Si media à nobis ſervata eſt ratio, quis non obſtinatos veritatis hoſtes eſſe dicat, qui maligne ſanctum conſenſum arrodere malunt, quam vel comiter amplecti, vel ſaltem ſilentio probare? Neque enim ut in verba noſtra jurent, poſtulamus: quieſcant modo, & recte loquentibus non obſtrepant. Obtendunt quidem, quia Sacramentis vim ſuam non tribuimus, ſe nobiſcum ideo contendere. Sed ubi ad rem ventum eſt, alii nihil præter convitia proferunt & cæcos tumultus, alii quaſi faſtidioſe uno verbo damnant quod nunquam legerunt. Atqui inconſiderate eos rixari, ex reipſa perſpicuum eſt. Quanta vehementia cauſam hanc egerit Lutherus, cujus imitatores videri cupiunt iſti, plus ſatis omnibus notum eſt. Scio quam multa hyperbolice ei in contentione excidant: ſed quoties piis & integris judicibus maxime plauſibilem volebat cauſam ſuam reddere, qua de re profeſſus eſt ſe habere certamen? Nempe, quod ferre non poſſet, Sacramenta externas tantum confeſſionis notas cenſeri, non etiam divinæ erga nos gratiæ teſſeras ac ſymbola: deinde quod indignum ſtatueret, vacuis & inanibus figuris conferri, quum in illis vere teſtetur Deus quod figurat, & ſimul arcana virtute præſtet atque impleat quod teſtatur. Juréne an injuria tantopere exarſerit, in præſentia non diſputo. Mihi enim ſufficit, cum in hac cauſa exagitanda minime fuerit remiſſus, dum ſerio agendum eſt, ubi conſiſtat non invenire: niſi quod obtendit hunc ſibi totius diſputationis eſſe ſtatum. Et certe, ut omiſſa mentione hominis, cujus ut memoriam reverenter colo, ita honori cupio conſultum eſſe, de re ſimpliciter pronuntiem: hoc prætextu ſublato, effugere nequeunt quicunque litem nobis intentant, quin probis omnibus & ſanis odioſa ſit eorum moroſitas. Itaque hæc eadem ſubinde in eorum ore reſonat cantilena. Quod ſi hæc non deliniendis ſimplicium auribus: ſed ingenue teſtantur: dum nos ex altera parte fateri audiunt, Sacramenta neque inanes eſſe figuras, neque externa tantum pietatis inſignia, ſed promiſſionum Dei ſigilla, teſtimonia ſpiritualis gratiæ ad fidem fovendam & confirmandam: item organa eſſe quibus efficaciter agit Deus in ſuis electis: ideoque licet à rebus ſignatis diſtincta ſint ſigna, non tamen disjungi nec ſeparari: data eſſe ut quod verbo ſuo pollicitus eſt Deus, ſanciant & confirment, ac præſertim arcanam quæ nobis cum Chriſto eſt, communica-

tionem obſignent: certe nihil reſtat cauſæ cur nos rejiciant in hoſtium numerum. Quid enim? Quum ubique, ſicut nuper dixi, clament ſibi non aliud eſſe propoſitum, niſi ut valeat hæc doctrina, Sacramentis Deum uti tanquam adminiculis ad fidem fovendam & augendam, inſculptas illis eſſe æternæ ſalutis promiſſiones, ut eas conſcientiis noſtris offerant: neque vacua rebus eſſe ſigna, quia Deus illis Spiritus ſui efficaciam conjungat: his omnibus conceſſis, quid jam obſtat, quæſo, quominus manum libenter porrigant? Et ne privata ſingulorum ſcripta evoluere & excutere neceſſe ſit: in conſenſu noſtro reperient lectores quidquid continet edita Ratiſbonæ confeſſio, quam Auguſtanam vocant: modo ne crucis metu ad captandam Papiſtarum gratiam flectatur. Verba ſunt: in ſacra Cœna cum pane & vino vere dari Chriſti corpus & ſanguinem. Abſit vero, ut nos vel Cœnæ ſymbolo auferamus ſuam veritatem, vel pias animas tanto beneficio privemus. Dicimus ergo, ne ſenſus noſtros fruſtrentur panis & vinum, externæ eorum figuræ verum effectum eſſe conjunctum, ut corpus & ſanguinem Chriſti illic recipiant fideles. Imo quia conſilium noſtrum erat, dubitationem omnem eximere piis lectoribus, quæ illic tantum breviter perſtricta erant, conati ſumus fuſius & dilucidius explicare.

Quæritur, quænam Sacramentorum efficacia ſit, quis uſus, quod officium. Reſpondet ſcriptum noſtrum, quum tota fidelium ſalus à ſpirituali quam habent cum filio Dei, communicatione pendeat, ejus teſtificandæ cauſa, tam Euangelii quam Sacramentorum uſum eſſe mandatum. Obſervent lectores Euangelio conjungi Sacramenta, ut eandem in ſalu-
Rom. 1. 2 Cor. 7. tis noſtræ capite utilitatem nobis afferant. Unde ſequitur, quæ de illo affirmat Paulus, licere per nos ad hæc transferri. Itaque non negamus, partem eſſe illius virtutis, quam Deus in ſalutem noſtram exerit, & miniſterium noſtræ cum Deo reconciliationis in illis quoque contineri. Quando enim illud Auguſtini libenter nos amplecti omnes ſemper profeſſi ſumus: Sacramentum ſcilicet, quaſi viſibile eſſe verbum: ſine controverſia agnoſcimus, utroque ſimiliter adminiculo ſalutem noſtram promoveri. Jam ſi quæritur, qualis iſta ſit communicatio, ſic paulo ante à nobis erat deſcripta, ut fictitia & umbratilis dici nequeat: nempe (quod etiam eſt proprium fidei munus ac perpetuum) coaleſcere nos oportere in Chriſti corpus, ut gratiæ ſuæ effectus in nobis compleat: quia non aliter vitam in nos ſuam diffundit, niſi dum caput noſtrum eſt, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam ſubminiſtrationis ſecundum operationem in menſura cujuſque membri augmentum corporis faciat. Sequitur deinde clarior illa, quam nuper attigi, explicatio, quamvis ſacramenta notæ ſint, ac teſſeræ Chriſtianæ profeſſionis, ſive ſocietatis, item ad gratiarum actionem incitamenta, pietatis denique exercitia & ſyngraphæ ad Dei cultum nos obligantes: eſſe tamen hunc finem præcipuum inter alios, ut per ea Dominus ſuam gratiam nobis teſtetur, repræſentet atque obſignet: ſecundo non eſſe nuda ſpectacula quæ oculis noſtris ingerantur, ſed illic repræſentari ſpirituales gratias, quarum effectum fideles animæ percipiunt. Verba enim ſunt: quum vera ſint quæ Deus nobis gratiæ ſuæ dedit teſtimonia & ſigilla, vere proculdubio ipſum intus præſtare ſuo Spiritu quidquid figurant Sacramenta: hoc eſt ut potiamur Chriſto bonorum omnium fonte, tum ut beneficio mortis ejus reconciliemur Deo, Spiritu renovemur in vitæ ſanctitatem, juſtitiam denique & ſalutem conſequamur. Quibus ſubjicimus continuo poſt, nos inter ſigna & res ſignatas diſtinguendo, non tamen disjungere à ſignis veritatem, quin fateamur, quicunque oblatas illic promiſſiones fide amplectuntur, Chriſtum ſpiritualiter cum omnibus ſuis donis recipere. Si mihi cum Papiſtis eſſet negotium: collectis Scripturæ ac veterum teſtimoniis, accuratius oſtenderem, nihil vel à Deo proditum, vel ab Eccleſia unquam creditum fuiſſe de Sacramentis, quod non breviter complexi ſimus. Homines autem, quibus ſolenne eſt aſſidue clamitare verbum Domini, verbum Domini, mirum eſt niſi de hac re litem amplius movere pudeat. Nam quum nihil abſurdius ſit quam Sacramenta efferri ſupra verbum, cujus appendices ſunt ac ſigilla: nihil verbo congruere reperient, quod non Sacramentis quoque demus. Denique ſi unicum agnoſcunt ſalutis noſtræ auctorem Deum, qui Sacramentis plus dari poſtulant, quam ut arcanæ illius gratiæ media pro infirmitatis noſtræ captu ſint & organa? A contemptu porro ea ſatis ſuperque hoc unum vendicat, non modo bonorum omnium, quæ nobis ſemel in Chriſto exhibuit Deus & nos quotidie percipimus, eſſe teſſeras, ſed externæ eorum repræſentationi conjunctam eſſe Spiritus efficaciam: ne inanes ſint picturæ.

Jam vero quam ſollicite ex altera parte cavenda ſit ſuperſtitio, non modo ætatum omnium experientia docet, ſed unumquemque noſtrum propria ruditas convincit. Nam ut in terram nobis proclive eſt ingenium, ſponte nos ad ſe plus ſatis externa elementa rapiunt, quamvis non hyperbolice ornentur. Ubi vero accedit immodica commendatio, vix ſe à pravo & vitioſo reverentiæ exceſſu continet centeſimus quiſque. Ita & illis perperam affingitur ſalutis fiducia, & quod unius Dei proprium erat, indigne ad illa transfertur. Qua in re pluſquam cæca eſt iſtorum qui nobis obtrectant, pervicacia. Nam quum adverſus Papiſtas vociferari cogantur, ne quis ipſos nobis putet ſubſcribere, rem ipſam clare definire non audent: imo ne ad rectam moderationem deſcendant, ſeipſos data opera impediunt & ſuſpenſos relinquunt lectores. Ac ne fruſtra conqueri videar, brevi explicatione, quam nihil ſit in ſcripto noſtro dignum reprehenſione, nunc patefaciam. Ut ſuperſtitioni obviam iremus, primo loco diximus ſtulte eos facere, qui ad nuda tantum ſigna, ac non potius ad promiſſiones illis annexas reſpiciunt. Quibus verbis nihil aliud voluimus, quam quod omnium conſenſu vere & ſcite Auguſtinus docet, tum demum ex ele- *Homil in Joan. 80*
mentis Sacramenta extare, dum verbum accedit, non quia profertur, ſed quia creditur. Atque hanc eſſe cauſam cur mundos pronunciet Apoſtolos Chriſtus propter verbum quod ab ipſo audierant, non propter Baptiſmum quo loti erant. Nam ſi viſibiles figuræ, quæ pro Sacramentis ingeruntur ſine verbo, non tantum jejuna ſunt & mortua elementa ſed noxiæ præſtigiæ: quid aliud eſt Sacramenti intuitus, ubi promiſſio non attenditur, niſi mera illuſio? Certe ſi quis oculos tantum illuc afferat clauſis auribus, nihil à profanis gentium myſteriis different. Nam etſi ex vetuſtis gentium ritibus plurimos à ſanctis patribus fatemur originem habuiſſe, quia tamen vacui doctrina nihil puræ fidei retinebant, degeneres & corruptos merito fuiſſe dicimus. Atque omnino ſic res habet: niſi promiſſione condiatur ſignum, per ſe inſipidum, nihil proderit. Quid enim aget mortalis homo & terrenus aquam fundendo in eorum capita quos baptizat, niſi è ſublimi pronunciet Chriſtus, ſe animas ſanguine ſuo abluere, & Spiritu renovare? Quid totus cœtus piorum pauxillum vini & panis guſtando, niſi è cælo vox illa perſonet, Chriſti carnem ſpiritualem eſſe cibum, & ſanguinem vere eſſe potum? Vere itaque concludimus aquæ, panis & vini materia nos Chriſti ac ſpiritualium ejus donorum nequaquam fieri compotes, ſed promiſſione ad ipſum nos deduci, ut ſe noſtrum faciat, fideque in nobis habitans impleat quicquid ſignis promittitur ac offertur. Quid in hac re quiſquam improbet, non video: niſi forte

ſacris ſignis honorificum eſſe putet, luſorias ſine fide actiones cenſeri.

Hac occaſione merito iterum pias mentes ad Chriſtum reducimus, ne quid aliunde petant eorum bonorum vel ſperent, quorum teſſera illis ac pignus in ſignis proponitur. Atque hoc modo ſequimur quam Deus regulam Moſi præſcripſit: ut omnia exigeret formaretque ad exemplar, quod ei in monte oſtenderat. Hunc enim locum non abs re Stephanus in Actis, & Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos, notant. Atqui ut olim craſſi inter Judæos erroris corrigendi hæc optima fuit ratio: ne ſcilicet in viſibili tabernaculo, & pecudum victimis ſubſiſterent, Chriſtum ad quem ſuſpicerent illis ante oculos ſtatui: ita hodie ad ſpiritualem illum archetypum nos eſſe intentos decet, ne inanibus ſpectaculis fruſtra ludamur. Et certe Dominus Sacramenta inſtituens, minime impedimenta circumdedit, quæ nos detineant in mundo, ſed ſcalas potius erexit, per quas ſurſum ad cælos conſcendere liceat: quia nec alibi quærendus eſt Chriſtus, nec alibi etiam quam in eo ſolo quieſcendum. Quid enim, obſecro? An ideo pro nobis mortuus eſt Chriſtus ac reſurrexit, ut nos ad mortua elementa ablegans, ſalutis cauſa & materia nobis eſſe deſineret? Imo adjumenta ad ſe quærendum nobis porrexit, ut ſuo loco maneret.

Sequitur altera plus ſatis tritæ & tamen non parum noxiæ ſuperſtitionis correctio: ubi monemus, ſi quid per Sacramenta nobis confertur, id non fieri propria eorum virtute, ſed quatenus Domino Spiritus ſui virtutem in illis exerere placet. Nam ſe humanum ingenium continere nequit, quin vel includat Dei virtutem ſignis, vel ſigna ipſa in Dei locum ſubſtituat. Ita fit, ut virtutis ſuæ laude ſpolietur ipſe Deus, dum mortuis creaturis acceptum ferunt homines, quod ejus proprium eſt. Hæc doctrinæ noſtræ ſumma eſt, quam dilucidis & minime ambiguis verbis teſtamur, Deum ſolum peragere quicquid ex Sacramentis conſequimur: & quidem arcana ſua, & intrinſeca, ut loquuntur, virtute. Cæterum ne quis objiceret, ſignis quoque ſuas eſſe partes, ne fruſtra data ſint: mature illic occurrimus, ſic Deum illorum uti miniſterio, ut neque vim ipſis ſuam infundat, nec quicquam deroget Spiritus ſui efficaciæ. Quid etiam hic requirent boni viri? Deum per Sacramenta agere volunt? Hoc docemus. Volunt in ipſis fidem noſtram exerceri, foveri, adjuvari, confirmari? Idem aſſerimus. Volunt Spiritus ſancti virtutem in illis extare, ut electis Dei in ſalutem proſint? Idem nos quoque concedimus. In eo vertitur quæſtionis ſtatus: ſoline Deo in ſolidum adſcribere conveniat omnes ſalutis noſtræ partes, an ejus laudis partem ipſe ad Sacramenta derivet, dum illis utitur. Quis niſi omnis verecundiæ expers de hoc capite contendere audeat? Ac noſtræ quidem doctrinæ Paulum citamus teſtem, qui miniſtros nihil eſſe, & plantando ac rigando nihil agere pronunciat, ſi quis ipſos à Deo ſeparet, qui ſolus dat incrementum. Unde perſpicere cuivis promptum eſt, modo maneat Deo quod ſuum eſt, nos Sacramentis nihil detrahere. Certe quam magnifice alibi verbi prædicationem extollat Paulus, ſatis notum eſt. Qui fit ergo ut nunc fere in nihilum eam redigat? niſi quia ubi ad Dei comparationem venitur, illum unicum bonorum omnium agnoſci auctorem æquum eſt, qui ſic libere utatur creaturis, ut ſuo arbitrio per illas, quatenus viſum eſt, agat. Nec vero terrenis elementis fit injuria, ſi Dei ſpoliis non ornantur.

Quod autem ſubjicimus ex Auguſtino, unum eſſe Chriſtum qui intus baptizat: item unum eundem eſſe, qui nos in Cœna facit ſui participes, utriuſque myſterii præſtantiam ſummopere commendat. Nam hinc colligimus, non humanas eſſe actiones, quarum auctor eſt Filius Dei, quibus præſidet, in quibus tanquam exerta è cælo manu, virtutem ſuam profert. Deinde nihil utilius eſt, quam ab hominis mortalis terrenique elementi intuitu abſtrahi ſenſus noſtros, ut Chriſtum velut præſentem fides noſtra aſpiciat. Quanquam & hoc rurſum ad jus ſuum Chriſto vendicandum ſpectat: ne eum putemus externum miniſterium hominibus ita mandare, ut ſpiritualis effectus laudem illis reſignet. In quem ſenſum Auguſtinus pluribus diſputat, Baptiſmum efficaciæ & poteſtatis non niſi in Chriſtum unum competere. *Hom. 5. & 6. in Joan.* Et quid opus eſt humano teſtimonio, quum vox illa Spiritus quæ in ore Baptiſtæ clare ſonuit, aures noſtras aſſidue percellere debeat? *Joan. 1.* Hic eſt qui baptizat in Spiritu: ſiquidem eum hoc elogio ab omnibus miniſtris diſcerni conſtat, ut ſciamus ſolum ipſum intus præſtare, quod homines viſibili ſigno teſtantur. Quod probe alibi Auguſtinus exponit his verbis. Quomodo ergo & Moſes ſanctificat & Dominus? *Quæſtionum veter. teſt. lib. 3. c. 84.* Non enim Moſes pro Domino, ſed Moſes viſibilibus Sacramentis per miniſterium ſuum: Dominus autem inviſibili gratia per Spiritum ſanctum, ubi eſt totus fructus etiam viſibilium Sacramentorum. Nam ſine iſta ſanctificatione inviſibilis gratiæ, viſibilia Sacramenta quid proſunt? Nec vero aliter conciliari poterunt ſcripturæ loci, qui videntur in ſpecie diſcrepare Cujus generis ſunt, quos illic notavimus, Spiritum ſanctum eſſe ſigillum, quo nobis ſancitur futuræ hæreditatis fides: & Sacramenta etiam ſigilla eſſe. Nihilo enim magis conſentaneum eſt, pari gradu locari, quam ad ſigna transferri, quod non niſi in Spiritum competit. Una igitur ſolutio eſt in illo vulgari dicto, ſuperioris & ſubalterni nullam eſſe repugnantiam. Nam ſi quis contendat non obſignari mortuis ſignis ſalutem noſtram, quia hoc proprium eſt Spiritus ſancti munus, quæro quid reſponſuri ſint iſti cenſores, quibus non plane arridet conſenſus noſter? niſi hoc ipſum quod aſſerimus: quod mediis inferioribus utitur Deus, minime id obſtare quin Spiritus ſui virtute fidem noſtram ſolus inchoet ac perficiat.

Quod dicimus, non omnibus promiſcue, ſed electis Dei tantum, ad quos interior & efficax Spiritus operatio pervenit, prodeſſe ſigna, clarius eſt quam ut longa refutatione indigeat. Nam ſi quis omnibus communem facere velit effectum, præterquam quod Scripturæ teſtimonio refellitur tale commentum, experientia etiam reclamat. Ergo ſicuti per ſe externa vox hominis in corda minime penetrat, ſed ex multis auditoribus ſoli ad Chriſtum veniunt qui trahuntur intus à Patre: juxta illud Jeſaiæ, non alios prædicationi credere niſi quibus revelatum eſt Dei brachium: ita penes liberum & gratuitum ejuſdem Dei arbitrium eſt, dare quibus voluerit, ut in ſignorum uſu proficiant. Nec vero dum ita loquimur, quiquam mutari intelligimus in Sacramentorum natura, quin ſua illis maneat integritas. Neque enim Auguſtinus, dum ad corpus Eccleſiæ, quod in prædeſtinatis, qui jam ex parte juſtificati ſunt, & adhuc juſtificantur, & olim glorificandi ſunt, reſtringit ſacræ Cœnæ effectum, *Tract. in Joan. 26* ejus vim, ſi ipſa per ſe æſtimetur, ergo reprobos evacuat vel minuit: ſed tantum ejus fructum peræque omnibus communem eſſe negat. Quando vero reprobis non niſi ſua incredulitas obſtaculo eſt, quominus Chriſto potiantur, in ipſis quoque tota culpa reſidet. Denique neminem fruſtratur ſigni repræſentatio, niſi qui ultro & maligne ſeipſum privat. Veriſſimum enim eſt tantum quemque fructus ex ſignis referre, quantum fidei vaſe percipiet. Ac merito Sorbonicum illud figmentum repudiamus, novæ legis Sacramenta omnibus prodeſſe, qui modo obicem non ponat peccati mortalis. Nam virtutem illis affingere, quam externus tantum uſus inſtar canalis in animas infundat,

plane inſipida ſuperſtitio eſt. Quod ſi fidem mediam intercedere oportet, nemo ſanus negabit, eundem Deum, qui his ſubſidiis infirmitatem noſtram levat, fidem etiam dare, quæ idoneis fulturis ſubnixa ad Chriſtum conſcendat, ut ejus gratiis potiatur. Et certe extra controverſiam eſſe hoc debet: ſicuti lucere ſolem & ſuos è cælo radios emittere non ſufficeret, niſi prius dati nobis eſſent oculi, qui luce ejus fruantur: ita Dominum fruſtra externis ſignis illuceſcere, niſi nos oculatos reddat. Imo ſicuti ſolis calor vivum & animatum corpus vegetans, in cadavere fœtorem excitat: ita Sacramenta ubi non adeſt fidei Spiritus, mortiferum potius quam vitalem odorem ſpirare certum eſt.

Cæterum ne quis ideo, vel quidquam decedere Sacramentorum virtuti, vel hominum incredulitate, & malitia infirmari Dei veritatem putaret, diligenter nos caviſſe exiſtimo, dum integra nihilominus diximus manere ſigna, indigniſque Dei gratiam offerre, nec vim promiſſionum labefactari, licet non recipiant increduli quod offertur. De miniſtris hic non agitur, de quibus ſtulte olim dubitatum eſt, an eorum perfidia vel alia quævis indignitas Sacramenta vitiet. Nobis autem ſanctior eſt Dei inſtitutio, quam ut ejus vis ab hominibus pendeat. Sit igitur aut Judas aut Epicureus quiſpiam ſacrorum omnium contemptor, Baptiſmi vel ſacræ Cœnæ miniſter. Non ſecus & lavacrum regenerationis, & ſpirituale carnis & ſanguinis Chriſti alimentum fidelibus per ejus manum à Domino conferri ſtatuimus, quam ſi Angelus de cælo deſcenderet. Non quod communi Eccleſiæ incuria vel conniventia foveri deceat vitioſos miniſtros, & qui ſacrum locum impura vita contaminant: quin potius tam publice quam privatim danda opera eſt, ut talibus inquinamentis Dei ſanctuarium purgetur, ſi fieri poteſt. Verum ſi quos prorſus impios ad honorem obrepere contingat, vel ambitioſus quorundam favor impediat, ne in ordinem cogantur diſſoluti, vel protinus ut optandum foret, abdicentur: quantumvis deteſtabilis ſit eorum indignitas, Sacramentis nihil detogat: quando non niſi à ſeipſo ſumit Chriſtus quod illic nobis largitur, à miniſtris autem non haurit vel derivat. Itaque quod intentionem conſecrantis neceſſario requirunt Papiſtæ, perverſum & exitiale figmentum eſſe non dubitamus. Sed quum Dominus vere ſemper quod figurat, tam per impios quam fideles miniſtros præſtare ſit paratus: non niſi fide recipi fatemur, quod oblatum eſt: incredulos vero inanes dicimus vacuoſque diſcedere. Neque tamen eorum vitio Sacramenti virtuti quidquam deperit. Aditum claudit & obſerat incredulus, quominus in ejus animam penetret Dei gratia. Negamus Dominum ideo manum ſuam retrahere: quin potius, ut ſibi perpetuo conſtet, ac immenſa bonitate ſua certet cum hominis malitia, vere quod reſpuitur offerre aſſerimus. Sed hæc duo longe inter ſe differunt, fidem Domino conſtare ad præſtandum quod ſigno demonſtrat: & hominem ut fruatur oblata gratia, locum promiſſioni dare: quia ut quis recipiat quod datur, ante capacem eſſe oportet, ſicuti ſcriptum eſt: Aperi os tuum & implebo illud. Quare inſcite quidam clamitant inanem & irritam fieri ſacræ Cœnæ figuram, niſi tantundem in ea percipiant impii, quantum fideles. Si promiſcue idem utriſque dari ſentirent, facile ſubſcriberem. Sed Chriſtum abſque fide recipi non minus portentum eſt, quam ſemen in igne germinare. Nam quo jure ſibi permittunt, Chriſtum à Spiritu ſuo divellere? quod nefarium eſſe ſacrilegium ducimus. Recipi ab impiis Chriſtum volunt, quibus ne guttam quidem concedunt Spiritus Chriſti. Quid hoc aliud eſt, quam veluti mortuum ſepulchro includere? Atqui, dicet quiſpiam, reos non faceret Paulus corporis & ſanguinis Domini qui indigne manducant, niſi fierent ipſi quoque Chriſti participes. Imo ſi pateret in eos Chriſto ingreſſus, omni ipſos reatu eximeret. Nunc vero quia ſacræ communicationis pignus, quod reverenter ſuſcipere decebat, fœde conculcant, non mirum ſi corporis, & ſanguinis cenſeantur rei. Nimis autem abſurde imperiti homines reatu non putant teneri, niſi qui & manibus palpant, & dentibus atterunt, & deglutiunt Chriſti corpus. Jam vero ſecundum eos, qualis iſta erit receptio? Nam modum quo Chriſtus habitat in nobis, Paulus fidem eſſe pronunciat. Ergo ſublata fide, tantum ad momentum recipi neceſſe erit, ut ſimul evaneſcat. Quanto rectius Auguſtinus, ut homine probe in Scripturis exercitato dignum erat, non ſecus panem Domini Judæ datum eſſe docet, quo mancipareur diabolo, quam datum Paulo angelum Satanæ, per quem perficeretur in Chriſto. Prius vero dixerat, reliquos diſcipulos manducaſſe panem Dominum: Judam vero panem Domini contra Dominum. Alibi quoque celebre iſtud Chriſti dictum prudenter expendit, nunquam morituros qui manducaverint. Nempe, inquit, virtutem Sacramenti non tantum viſibile Sacramentum: & quidem intus non foris: qui corde manducant, non qui premunt dente. Unde tandem concludit, Sacramentum hujus rei in menſa Dominica proponi, & id ſumi quibuſdam ad exitium, aliis ad vitam, rem ipſam, cujus ſignum eſt Cœna, omnibus ad vitam cedere, nulli ad exitium, quicunque fuerit ejus particeps. Ac ne quis de ejus ſcriptoris mente dubitet, quaſdam ſententias non pigebit altius repetere. Poſtquam dixerat panem hunc interioris hominis quærere eſuriem, ſubjicit: Manna & Moſes & Aaron & Phinees & multi alii manducarunt, qui placuerunt Domino nec mortui ſunt. Quare? quia viſibilem cibum ſpiritualiter intelligebant, ſpiritualiter eſuriebant, ſpiritualiter guſtabant, ut ſpiritualiter ſatiarentur. Nam & nos hodie accepimus viſibilem cibum: ſed aliud eſt Sacramentum, aliud virtus Sacramenti. Et paulo poſt: ac per hoc qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem: licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſignum corporis & ſanguinis: ſed magis tantæ rei Sacramentum ſibi ad judicium manducat & bibit, quia immundus præſumpſit ad Chriſti accedere Sacramenta. Vides ut profanis & impuris nihil præter viſibilem ſigni ſumptionem concedat. Dicit alicubi, fateor, corpus Chriſti fuiſſe illis panem Cœnæ, quibus dicebat Paulus, Qui indigne ſumit, judicium ſibi edit & bibit, non diſcernens corpus Domini: nec ideo nihil accepiſſe, quia male acceperint: ſed quo ſenſu id velit accipi, plenius idem ipſe alio loco explicat. Nam ex profeſſo definiendum ſuſcipiens, quomodo improbi & ſcelerati homines, qui fidem catholicam ore profitentur, Chriſti corpus manducent: & quidem adverſus quorundam opinionem, qui non ſolo Sacramento eos edere, ſed reipſa fingebant: ſed nec iſti, inquit, dicendi ſunt manducare corpus Chriſti, quoniam nec in membris computandi ſunt Chriſti. Ut enim alia taceam: non poſſunt ſimul eſſe membra Chriſti & membra meretricis. Denique ipſe dicens, Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo: oſtendit quid ſit, non Sacramento tenus, ſed revera Chriſti corpus edere. Hoc enim eſt in Chriſto manere, ut in illo maneat & Chriſtus. Sic enim hoc dixit tanquam diceret, Qui non manet in me & in quo ego non maneo, non ſe dicat aut exiſtimet manducare corpus meum, vel ſanguinem meum bibere. Deſinant ergo imperiti homines pro Juda litigare, ne Chriſtum ſine Chriſto appetere videantur.

Hom. in Joan. 62.

Homil 59.

Homil. 26.

Lib. 5 de bapt. contra Donatiſt.

Lib. de civ. Dei 21. c. 25.

Quod deinde proſequimur, fidelibus ſpiritualium bonorum effectum quæ figurant Sacramenta, extra eorum uſum conſtare, quando & quotidie verum

eſſe

Digitized by Google

eſſe experimur, & probatur Scripturæ teſtimoniis, mirum eſt ſi cui diſpliceat. Neque enim ſi martyribus carcere incluſis liberum non eſt externum ſignum ſumere, ideo Chriſto carere dicentur, qui magnifice in illis triumphat. Nec ad Cœnam quiſquam rite accedet Chriſto prorſus vacuus: nec Cornelio deerat Baptiſmi veritas, qui ante aquæ lotionem Spiritu ſancto jam perfuſus erat: ſicuti nec Moſes divinæ unctionis expers, cujus ſignum aliis contulit, ipſe nunquam accepit. Quanquam eo minime ſpectat hæc doctrina, ut ſignorum uſu valere juſſo, arcanis inſpirationibus contenti ſimus. Neque enim ſi Dominus interdum, ut ſuam virtutem nullis adminiculis obſtrictam probet, omiſſo ſigno idem peragit, quod per ſignum repræſentat: ideo quod in ſalutem noſtram inſtituit, quaſi ſupervacuum abjicere cenſebitur.
Lib quæſt. vet. teſt. 3
Nobis vero multo minus id licebit, quorum fides verbo ejuſque ſigillis intenta eſſe debet. Vere enim ab Auguſtino ſcriptum eſt. Quamvis Deus abſque ſigno viſibili quos vult ſanctificet: quiſquis tamen ſignum contemnit, inviſibili ſanctificatione merito privari. Huic capiti affine eſt quod proxime addidimus, nempe quæ ex Sacramentis percipitur utilitas, eam ad externæ ſumptionis tempus non debere reſtringi, ac ſi Dei gratiam eodem ſecum momento adveherent. in quo ſi quis à nobis diſſentit, tum regenerationis gratiam in multis acceleret, neceſſe eſt, tum in reliquum vitæ curſum fabricet innumeros Baptiſmos. Effectum Baptiſmi, qui ad tempus nullus fuit, videmus tandem emergere. Aqua tinguntur multi ab utero matris, qui ætatis progreſſu adeo ſe intus fuiſſe baptizatos non oſtendunt, ut potius extincto, quantum in ſe eſt, Dei Spiritu, Baptiſmum ſuum exinaniant. Eorum partem ad ſe Deus revocat. Qui ergo vitæ novitatem ſigno tanquam capſula includet, non tam ornabit ſignum ipſum, quam Deo erit injurius. Jam quum aſſidua uſque ad mortem eſſe debeat pœnitentiæ meditatio, ut in ea proficiant filii Dei, quis Baptiſmum impie mutilari non videt, ſi non ultra externam adminiſtrationem vis & ejus fructus extenditur, qui ad totum vitæ decurſum patet? Imo nihil in ſacra ſigna magis contumelioſum fingi poteſt, quam eorum veritatem in præſenti tantum actione vigere. Hoc ita accipio, quamvis ſtatim prætereat viſibilis figura, manere tamen quam teſtatur gratiam, neque momento cum oculari ſpectaculo evaneſcere. Neque enim eorum ſuperſtitioni favere animus eſt, qui elementa panis & aquæ, quaſi poſt uſum præſentem cui deſtinata ſunt, in ipſis hæreat conſecratio, perperam in templis aſſervant. Atque id diſerte teſtari oportuit, ne ſpem æternæ ſalutis, quæ nullis temporum inclinationibus obnoxia eſt, temporalibus ſignis quis affigar, ut non plus concipiat fides, quam intuitu cernit oculus.

Venio nunc ad quæſtionem, ex qua exorti ſunt tam violenti & duri conflictus: qualis in ſacra Cœna ſit corporis & ſanguinis Domini communicatio. Porro ejus definitio non ante à nobis poſita eſt, quam refutatum localis præſentiæ figmentum, & expoſitus verborum Chriſti ſenſus, de quibus antehac nimis contentioſe certatum eſt. Sed quia nunc moroſis & indoctis hominibus occurrere conſilium eſt, qui præcipites ad cæcum calumniandi impetum feruntur, vel probos & ſimplices ſiniſtris illorum ſermonibus imbutos placare: nunc ab illo tertio capite incipiam. Primum quidem fatemur, Chriſtum quod panis & vini ſymbolis figurat, vere præſtare, ut animas noſtras carnis ſuæ eſu & ſanguinis potione alat. Faceſſat igitur putida illa calumnia, theatricam fore pompam, niſi re ipſa præſtet Dominus quod ſigno oſtendit. Neque enim dicimus quidquam oſtendi quod non vere detur. Jubet nos Dominus panem & vinum accipere: interea ſpirituale carnis ſuæ & ſanguinis alimentum ſe dare pronunciat. Hujus rei non fallacem oculis proponi figuram dicimus, ſed pignus nobis porrigi, cui res ipſa & veritas conjuncta eſt: quod ſcilicet Chriſti carne & ſanguine animæ noſtræ paſcantur. Nec fidei nomen quidquam imaginarium notat, quaſi tantum cogitatione, vel memoria percipiant fideles quod promittitur: ſed ne quis putet eo uſque proſtitui Chriſtum, ut ipſum fruantur increduli. Neque enim dum Paulus Chriſtum habitare docet in cordibus noſtris per fidem, loco veræ habitationis imaginationem ſupponit: ſed quomodo tanti boni poſſeſſionem cernamus, admonet. Carnem ergo Chriſti, ſine ullis ambagibus, fatemur eſſe vivificam: non tantum quia ſemel in ea nobis ſalus parta eſt, ſed quia nunc dum ſacra unitate cum Chriſto coaleſcimus, eadem illa caro vitam in nos ſpirat, vel ut brevius dicam, quia arcana Spiritus virtute in Chriſti corpus inſiti, communem habemus cum ipſo vitam. Nam ex abſcondito Deitatis fonte in Chriſti carnem mirabiliter infuſa eſt vita, ut inde ad nos flueret. Verum ut de cœleſtibus Dei myſteriis ſemper craſſum aliquid concipiunt humanæ mentes, hic rurſus obviam ire talibus deliriis neceſſe fuit. Quo pertinet iſta definitio à nobis poſita: non perinde intelligi debere, quod de carnis Chriſti participatione dicimus, quaſi fieret aliqua ſubſtantiæ vel commixtio, vel transfuſio: ſed quia ex carne ſemel in ſacrificium oblata vitam hauriamus. Si cui diſplicet hæc exceptio, primum dico aliquid ſibi ex proprio cerebro commentum eſſe, quod & Scripturis nuſquam proditum, & fidei analogiæ minime conſentaneum eſt. Deinde nimis ſuperbum eſſe dico, qui ex ſenſu temere concepto legem aliis præſcribat. Miſceri ſi volunt carnis Chriſti ſubſtantiam cum hominis anima: quot ſe abſurdis involvent? Negant fas eſſe, tam ſublime myſterium ad ſeculi rationem ſubduci, vel immenſam ejus magnitudinem metiri ingenii noſtri modulo. In quo illis plane aſſentior. Sed an eo uſque trahenda eſt fidei modeſtia, ut totam religionem horrendis portentis deformet? Atqui hoc modo, ut quidque abſurdiſſimum foret, ita maxime Chriſto congrueret ejuſque doctrinæ ſacram unitatem, quæ nobis eſt cum Chriſto, ſenſui carnis incomprehenſibilem fatemur eſſe. Quod nos ſibi conjungens non modo vitam nobis ſuam inſtillat, ſed unum quoque nobiſcum efficitur, ſicuti ipſe unum eſt cum Patre, ſublimius captu noſtro myſterium eſſe concedimus: niſi quatenus ejus verbis retectum eſt. Sed an ideo protinus ſomniandum, in nos transfundi ejus ſubſtantiam, ut ſordibus noſtris inquinetur? Quod ſe oculos claudere dicunt, ne curioſius inquirant, quod Dominus occultat, vaniſſimum eſſe hinc convincitur, quod ſe ex Dei verbo doceri non ſuſtinent. Hæc certe fidei ſobrietas eſt, non modo acquieſcere in Dei nutu, neque plus ſibi arripere, quam ſacro ejus ore patefactum ſit: ſed etiam ad Spiritum propheticæ ſedulo attendere, & ſanam interpretationem manſueta docilitate amplecti. Quare temulenta in utroque pervicacia eſt, ſi quis vel ſe non contineat intra legitimas metas, vel ſanæ intelligentiæ lucem faſtidioſe reſpuat. Communicari nobis Chriſti corpus & ſanguinem, nullus noſtrum negat. Qualis autem ſit corporis & ſanguinis Domini communicatio, quæritur. Carnalem iſti palam & ſimpliciter aſſerere quomodo audeant, miror. Spiritualem cum dicimus, fremunt, quaſi hac voce realem, ut vulgo loquuntur tollamus. Nos vero, ſi reale pro vero accipiant, & fallaci vel imaginario opponant, barbare loqui mallemus, quam pugnis materiam præbere. Scimus enim quam non deceant logomachiæ Chriſti ſervos, ſed quia hoc concedendo nihil apud eos proficitur, qui modis omnibus ſunt implacabiles: placidis & moderatis hoc teſtatum volo, ita ſecundum nos ſpiritualem eſſe communicationis modum, ut reipſa Chriſto fruamur. Hac modo ratione contenti

ſimus,

ſimus, ultra quam nemo niſi valde litigioſus inſurget, vivificam nobis eſſe Chriſti carnem, quia ex ea ſpiritualem in animas noſtras vitam Chriſtus inſtillat: eam quoque à nobis manducari, dum in corpus unum fide cum Chriſto coaleſcimus, ut noſter factus nobiſcum ſua omnia communicet.

De locali præſentia miror ſi cenſores noſtros non pudeat certamen movere. Sed quum Chriſti corpus negent locorum ſpatiis circumſcribi, immenſum eſſe volunt. Quid autem nos? Nempe in cælo quærendum eſſe, quod, teſte Scriptura, eum capit donec in judicium appareat. Neque tamen eſt, cur nos ideo quiſquam invidia gravet, ac ſi abeſſe à nobis fingamus, membraque ſeparemus à capite. Certe ſi Paulo dicere licuit, nos à Domino peregrinari, quamdiu ſumus in mundo: eadem quoque ratione dicemus, quadam abſentiæ ſpecie nos ab eo disjungi: quatenus ſcilicet à cæleſti ejus domicilio nunc diſtamus. Abeſt igitur Chriſtus à nobis ſecundum corpus: Spiritu autem ſuo in nobis habitans, in cælum ad ſe ita nos attollit, ut vivificum carnis ſuæ vigorem in nos transfundat, non ſecus ac vitali ſolis calore per radios vegetamur. Quod dicere ſolent, inviſibilem nobiſcum eſſe, perinde valet, ac ſi forma ejus in cælo repoſita, ſubſtantiam carnis dicerent in terra reſidere. Atqui ſenſus pietatis clare dictat, non aliter vitam ex carne ſua in nos ſtillare, quam dum totus ſecundum corpus in cælo manens, ad nos ſua virtute deſcendit. Eodem referri convenit, quæ paulo poſt attexuimus: iſta exceptione non tantum refelli quam Papiſtæ commenti ſunt transſubſtantiationem, ſed tam craſſa omnia figmenta, quam futiles argutias, quæ vel cæleſti Chriſti gloriæ derogant, vel naturæ humanæ veritati minus ſunt conſentaneæ. Hæc quoque exceptio quam non de nihilo addita fuerit, pluribus diſſerere nihil attinet. Alii ut immenſum faciant Chriſti corpus, corporis illi naturam eripiunt. Alii ſub mortuo elemento includunt ejus Deitatem. Verum ſi quis inſcitia lapſus eſt, ſi alter fervore contentionis abreptus inconſiderate aliquid effutivit, ſepultum maneat. Homines ipſos non exagito neque inſector: ſicuti neque vexavimus quemquam in noſtro ſcripto: ſed anſam erroribus præcidere ſatis habuimus. Quis nobis ſuccenſeat, ſi Chriſto manere ſalvum cupimus & integrum quod utriuſque naturæ eſt, ne laceretur Mediator ille qui nos Deo conjungit? Immenſitas quam imaginantur in Chriſti carne, prodigioſum ſpectrum eſt, quod ſpem reſurrectionis evertit. Nam ubi omnia effutiverint de cæleſtis vitæ qualitate, ſemper illud Pauli objiciam: expectare nos Chriſtum è cælo, qui corpus noſtrum humile transfigurabit, ut conforme reddat corpori ſuo glorioſo. Nunc quam ſit abſurdum ſingulis fidelium corporibus totum mundum impleri, quid attinet dicere? Sinant ergo homines iſti nos modeſte profiteri quod ſanum & rectum eſt, ne eorum intemperie coacti retegamus eorum dedecora, quæ melius latent. Neque ideo ferocius inſultent quod nominibus, ut dixi, parcentes, nuda errorum refutatione contenti fuimus. Sed enim intolerabile eſſe ducunt, quod Chriſtum negamus ſub pane locandum, vel cum pane copulandum. Quid igitur? An è ſolio ſuo eum detrahent, ut panis fruſtulo incluſus jaceat? Neque tamen ſi quis dicat, nobis ſub pane offerri Chriſti corpus; tanquam ſub arrha: litem ea de re movebimus: nihilo ſcilicet magis quam carnalem vel localem copulam ſolvendo, divortium ſigni à ſua veritate facere conati ſumus. Recipiant igitur fideles ſub panis ſymbolo Chriſti corpus, quia verax eſt qui loquitur, ut ei minime conveniat, nos, inanem teſſeram porrigendo, fruſtrari: modo ne qua localis fingatur incluſio, vel carnalis infuſio miſceatur.

Reſtat verborum Domini expoſitio: in qua ſi quid eſt offenſionis, pervicaciæ ſuæ imputent, quibus fixum eſt clamore ſolum & tumultu rem per ſe claram tenebris miſcere. Quod panem vocavit Chriſtus corpus ſuum, præciſe verbum hoc urgent, nec figuram ullam admittunt. Atqui ſi proprie panis eſt corpus Chriſti, ſequetur Chriſtum ipſum non minus eſſe panem quam hominem. Adde quod ſi figurata non eſt hæc locutio, perverſe ipſi idem corpus ſub pane, cum pane, & in pane eſſe dicunt. Quod ſi tantam interpretandi craſſitiem ſibi indulgent: nobis cur hiſcere non licebit? Quum in quærendo verborum ſenſu diſcutimus, qualiter de Sacramentis loqui Scriptura ſoleat, audire non ſuſtinent: quia ſemel dictum eſt, Hoc eſt corpus meum. Quid? An non etiam dictum eſt, Petra erat Chriſtus? Et quo ſenſu, niſi quia idem erat ſpiritualis potus cum eo, quem hodie in calice libamus? Ne apertæ rationi locum dare cogantur, res ſacro nexu conjunctas ſacrilega veſania diſcerpunt. Verum ut taceam hæc omnia & diſſimulem: quo tandem jure ſibi permittant ſuum illud eſſe, in quo tantopere inſiſtunt, in diverſas loquendi formas reſolvere? Quum velint panem eſſe Chriſtum, cur poſtea tranſiliunt ad ſua commenta, eſſe cum pane, in pane, & ſub pane? Unde iſtud illis magiſterium, ut commenta ſua non minus ab uſu remota, quam inter ſe contraria futiliter vomentes, alios à ſana intelligentia arceant? Si panis cenſeri corpus debet quia ſic vocatur, non minus teſte Paulo, erit communicatio corporis. Imo ſi dicam Paulum clarius hoc loco exponere, quod ſubobſcure à Chriſto dictum erat, quis ſobrius mihi repugnabit? Dominus pronunciat panem eſſe ſuum corpus. Sequitur diſcipulus, cui certe propoſitum non eſt, luci nebulas obducere: ac panem explicatius corporis communicationem eſſe docet. Hic ſi conſentiant nobiſcum, ſtatim lis dirempta erit: quia in panis fractione nos quoque teſtamur communicari fidelibus corpus Chriſti. Placet illis verbum retinere. Agedum, cum apud Lucam & Paulum Chriſtus calicem vocet Teſtamentum in ſuo ſanguine: quoties panem eſſe corpus, & vinum ſanguinem clamabunt, ego optimo jure viciſſim regeram, eſſe Teſtamenta in corpore & ſanguine. Deſiſtant igitur indocti homines ab ea pertinacia, in qua, ne quid gravius dicam, contorti ſubinde & perplexi hæreant, neceſſe eſt. Quia juſtam diſputationem nunc ſuſcipere operæ pretium non eſt: unum hoc ſumo. Panem ubi dixerunt eſſe corpus, fateri tamen ſimul coguntur ſignum eſſe corporis. Unde porro hoc ſe habere dicent, niſi ex Chriſti verbis? Ergo ſigni nomen, de quo tam odioſe nobiſcum rixantur, furtim eliciunt ex eo loco, quem nolunt niſi literaliter intelligi. Nos vero, quod tam communis ſenſus, quam pietatis ratio extorquet, dum figuratum eſſe loquendi modum ingenue concedimus, non confugimus neque ad allegorias neque ad parabolas: ſed axioma ſumimus, quod ſine controverſia receptum eſt inter omnes pios: quoties de Sacramentis agitur, rei ſignatæ nomen ad ſignum metonymice ſolere transferri. Exempla frequentius in Scripturis occurrunt, quam ut negare audeant vel ſummi adverſarii, hunc uſum inſtar generalis regulæ habendum. Ergo ſicuti manna olim ſpiritualis cibus fuit, ſicut aqua erat Chriſtus, ſicut Spiritus ſanctus columba, ſicut Baptiſmus lavacrum regenerationis: ſic & panis corpus, vinum ſanguis Chriſti vocatur. ſi malunt ſynecdochen, quam metonymiam, atque ita ſi de vocula tantum una dimicant, ablegandum erat hoc certamen ad Grammaticos. Quid autem illi proficient, niſi ut pueris quoque judicibus ludibrio ſit eorum inſcitia? Cæterum ut hoc omittam: quiſquis à logomachia non abhorret, ſe nequaquam Chriſti ſervum eſſe prodit. De re enim quum optime conveniat, quid magis præpoſterum, quam ſcindi Eccleſias, & atroces moveri tumultus, quia alii panem vocari corpus interpretantur, quod

ſub

ſub ipſo & cum ipſo exhibetur: alii vero quia ſymbolum eſt non luſorium nec inane, ſed cui annexa eſt ſua veritas, ut vere participes fiant Chriſti, qui & ore ſignum, & fide promiſſionem recipiunt? Quod ſi illis ſtatutum eſt nullum facere maledicendi finem, neminem qui à contentione integer erit, tam iniquum fore confido, qui non & recta nos docere, & ſinceritatem colere, & paci ſtudere agnoſcat. Minime vero timendum eſſe arbitror, ne quis importunis iſtorum clamoribus, niſi eodem ipſe quoque furoris œſtro percitus ſubſcribat.

JOANNES CALVINUS.

SECUNDA DEFENSIO

PIÆ ET ORTHODOXÆ FIDEI DE SACRAMENTIS, CONTRA JOACHIMI WESTPHALI CALUMNIAS.

JOANNES CALVINUS *Probis omnibus Chriſti Miniſtris, & ſinceris Dei cultoribus, qui puram Euangelii doctrinam in Saxonicis Eccleſiis & Germania inferiore colunt & ſequuntur, gratiæ incrementum à Deo Patre & Domino* JESU CHRISTO *optat ex fraterno affectu.*

ETſi mihi optime conſcius ſum, cauſam, quam hoc libro tuendam ſuſcepi, rectam & juſtam eſſe, & fideliter in ea agenda me fuiſſe verſatum: quia tamen mihi non ſufficit interior animi mei ſenſus, niſi omnibus Dei filiis officium meum probare ſtudeam, viſus ſum mihi operæ pretium facturus, venerandi & dilecti fratres, ſi vos initio conteſtarer hunc mihi librum extortum eſſe, ne meo ſilentio proderetur Chriſti veritas, in qua opprimenda efferati quidam homines Papatus barbariem ſuperant. Quia de Sacramentis jam ultra vigioti annos inter doctos homines infœliciter certatum fuerat, jam contentione pauliſper ſedata, & animis ad moderationem compoſitis, viſa fuit ad plenam conciliationem apprime utilis ratio, ſi paucis ac ſimplicibus verbis teſtata fieret doctrina, quam Helueticæ Eccleſiæ ſequuntur. Quamdiu enim fervebat certamen, animis utrinque exaſperatis, probabile eſt nec rem ſatis dilucide fuiſſe expoſitam, nec ſatis attente quid diceretur fuiſſe expenſum. Pleriſque autem veſtrum nota eſt brevis illa deſcriptio, quam ante annos quinque edidimus ſub Conſenſus nomine: ubi ſine cujuſquam contumelia, ſine ulla verborum acerbitate, non modo ſummam totius controverſiæ in capita diſtinctam complexi ſumus, ſed etiam conati ſumus, quoad ferebat ingenua veritatis confeſſio, offenſiones omnes penitus ſanare. Hoc quoque ad placandos animos, ſi qui ad æquitatem minus propenſi forent, valere debuit, quod operam noſtram, ſi quibus non eſſet plane ſatisfactum, in addenda declaratione obtulimus: nos etiam dociles fore, & melioribus conſiliis obſequentes polliciti, ſi quis rem non ſatis dextre tractatam moneret. Surrexit biennio poſt Joachimus quidam Weſtphalus, quem adeo non mitigavit temperata illa ad concordiam doctrinæ ſimplicitas, ut nomen Conſenſus inſtar furialis tedæ, ad renovandum incendium arripuerit. Nam ex profeſſo ſententias, ut ipſe quidem videri vult, pugnantes, undique collegit, quibus Conſenſum noſtrum diſſiparet, tantoque pacis odio ſe flagrare prodidit, ut præcipuum ſuum virus, non alia de cauſa in nos evomeret, niſi quia ægre ferebat nos idem ſentire & loqui. Scribit libros meos ſectæ ſuæ hominibus, quo tempore ab Eccleſiæ Tigurinæ doctoribus diſcrepare me putabant, in pretio & deliciis fuiſſe. Unde nunc ſubita alienatio? An quod à ſententia diſceſſerim? Atqui ne ipſe quidem diſſimulat, imo in margine libri ſui aſcripſit, quicquid Conſenſus noſter continet, paſſim in ſcriptis meis occurrere. Quis jam non videt tam implacabile in homines, quibus ſemel bellum indixit, eſſe hominis odium, ut eandem cui ante favebat, doctrinam nunc hoſtiliter impugnet, ne quid illis affine habeat? Excuſat quidem alicubi, ſe non niſi fucatæ concordiæ eſſe inimicum. Sed qui fit, ut quam antehac doctrinam placide in ſcriptis meis legebat, nunc ubi à Tigurinis profecta eſt, duriter averſetur? Certe utcunque ulcus tegat, non aliunde impulſus fuit, niſi quia inflexibilem quorundam pervicaciam novo præſidio munire voluit, ne apertæ veritati cederet. Perverſam hanc hominis inſectationem brevi ſcripto refutare coactus ſum. Ille acſi inexpiabile facinus admiſſum foret, multo intemperantius excanduit. Nunc ejus inſolentiam retundere mihi neceſſe fuit. Sicubi vehementius in eum invehar, pro veſtra prudentia & æquitate, quibus me ſtimulis adegerit expendite. Hæreſes & hæreticos, diabolicas blaſphemias, impiam Scripturæ abnegationem, everſionem omnium ſacrorum, & ejuſmodi convitia ſubinde crepat. Denique non alio ſpectat liber, niſi ut nos anathematum fulminibus ad imos uſque inferos præcipitet. Quid mihi hic reſiduum fuit, niſi ut malo nodo aptarem durum cuneum, ne ſibi in ſua vecordia nimis placeret? Equidem ſi homines iſtos mollire poſſe ſpes eſſet, non recuſarem demiſſus ac ſupplex Eccleſiæ pacem redimere. Sed quo feratur ipſorum violentia, omnibus ſatis notum eſt. Itaque meam in iſta duritie tractanda auſteritatem, Dei quoque exemplum *Pſal. 18.* excuſat, qui ſe pronunciat non modo inclementius acturum cum præfractis, ſed contra eos præfractum fore. Cæterum etſi mihi ſummo ſtudio fuit, rem ipſam recta perſequi, et ab ejus tractatione quam minimum digrederer: quia tamen adverſarius pro ſuo ingenio huc & illuc tranſiliens, ordinem me tenere paſſus non eſt, ſummam totius noſtræ diſceptationis tribus verbis perſtringere licebit. De legitimo Sacramentorum uſu, dignitate & efficacia reverenter me ſcripſiſſe, ne ipſe quidem negat. Quam dextre vel erudite ejus judicio, nihil moror, quando pietatis laudem ab inimico mihi tribui ſatis eſt. De tribus ergo capitibus

bus reſiduum illi eſt certamen: quia panem Cœnæ vult ſubſtantialiter eſſe corpus Chriſti; deinde ut Chriſtus præſentem ſe fidelibus in Cœna exhibeat, vult immenſum eſſe ejus corpus, & ubique eſſe extra locum; tertio nullam in verbis Chriſti figuram vult admitti, quamvis de re conveniat. Tanti æſtimat verbis mordicus inſiſtere, ut ſatius ſit concuti totum orbem, quam expoſitionem ullam admitti. Nos carnem Chriſti & ſanguinem vere nobis in Cœna offerri aſſerimus, ut animas noſtras vivificent. nec ambigua eſt noſtra definitio, non aliter hoc ſpirituali alimento, quod nobis in Cœna offertur, vegetari animas, quam corpora noſtra pane terreno aluntur. Vera igitur carnis & ſanguinis Chriſti participatio in Cœna à nobis ſtatuitur. De voce ſubſtantiæ ſi quis litem moveat, Chriſtum aſſerimus à carnis ſuæ ſubſtantia vitam in animas noſtras ſpirare: imo propriam in nos vitam diffundere, modo ne quia ſubſtantiæ transfuſio fingatur. Hæc inexorabilis iracundiæ cauſa eſt Weſtphalo, quodquum vivificam eſſe fatemur Chriſti carnem, ejuſque nos vere in Cœna fieri participes, hac ſimplicitate non contentus, urget ac contendit panem ſubſtantialiter corpus eſſe. Unde etiam emergit alterum dogma, ore impii hominis non ſecus ingurgitari Chriſti corpus & ſanguinem quam panem & vinum. Qui fit enim ut tam pertinaciter à Juda non minus quam à Petro ſumptum fuiſſe Chriſti corpus affirmet, niſi quia hominis incredulitate ſubſtantia ſigni non mutatur? Subſtantiam porro imaginantur, quæ Dei verbo minime conſentanea eſt, ut pani Chriſtus carnem ſuam ſubſtantialiter affigat. Nam quod obtendunt abſurdum eſſe ſi ab hominum fide pendeat promiſſionum Dei veritas, nullo negotio diluitur. Diſerte enim teſtamur nullam incredulitatem obſtare, quin ſuam vim & naturam retineat ſacra Chriſti inſtitutio, quin offeratur ac detur omnibus caro ejus in ſpiritualem cibum, & in potum ſanguis, quin panis verum ſit carnis ſymbolum, & vinum ſanguinis, quin ſtabile ac ratum ſit quod Chriſtus è cælo pronunciat, corpus, quod ſemel in ſacrificium Patri obtulit, nunc hominibus in alimentum offerre. Si hoc beneficio ſe fraudant impii, facitque eorum incredulitas, ne fruitio ad eos uſque perveniat, negamus Sacramento propterea quicquam decedere: quia integrum manet. Secundum quæſtionis caput non ex alio fonte oritur, quam ex modo communicationis, quem Weſtphalus cum corporis Chriſti immenſitate neceſſario conjunctum eſſe putat: niſi coram ſiſtatur Chriſti corpus, negat vere communicari. Nos contra excipimus, locorum diſtantia non prohiberi immenſam Spiritus virtutem, quæ vitam ex Chriſti carne in nos transfundit. Atque hic detegitur eorum improbitas, qui odioſe in vulgus ſpargunt, nos Chriſti præſentiam à Cœna tollere, quia Dei potentiam ſenſu noſtro metimur. Quaſi vero hujus myſterii ſublimitas, humani ingenii captum non ſuperet, Chriſtum, licet in cæleſti gloria maneat, quoad corporis ſui ſitum, arcana tamen Spiritus gratia ad nos deſcendere, ut nos ſibi unitos vitæ ſuæ faciat participes. Quaſi minus ſplendide extollat Dei potentiam, qui vitam ex carne Chriſti in nos influere docet, quam qui è cælo ejus carnem elicit, ut nobis ſit vivifica. Leviter hæc nunc delibo, quæ fuſius & uberius reperietis ſuis locis expoſita. Ac ne vos à libri lectione diutius remorer, de ultimo capite jam aliquid attingam. Nefas exiſtimat quærere quo ſenſu panem, Chriſtus dixerit corpus ſuum, quia verborum claritas omnem expoſitionem reſpuit. Nos autem ad familiarem tritumque Scripturæ morem provocamus, quæ rei ſignatæ nomen, quoties de Sacramentis agitur, ad ſignum ipſum transfert: cujus rei exemplum non ſemel aut iterum occurrit: ſed apud peritos propter ſuam frequentiam inſtar eſt communis regulæ. Neque tamen inani figura paſcimus fidelium oculos, qui re ipſa Dominum quod teſtatur præſtare clare aſſerimus; ſed tantum diſtingui volumus, ut à ſigno & actione viſibili ad rem ſpiritualem anagoge fiat. Quorſum enim ſub terrenis elementis carnis & ſanguinis ſui pignus proponit Chriſtus, niſi ut nos ſurſum attollat? Quod ſi ruditatis noſtræ adminicula ſunt, ad rem ipſam nemo unquam pertinget, niſi qui ita adjutus, à terra in cælum quaſi per gradus conſcendet. Itaque non modo totum Chriſti ordinem pervertunt, ſed Spiritui Dei ſuum eripiunt loquendi morem, qui negant ſub panis ſymbolo repræſentari nobis Chriſti corpus. Hac ratione Corporis nomen pani tribuit. Eo uſque vero efferri, ut interpretationem pro ſummo ſacrilegio habendam clamitent, cujus modeſtiæ eſt? Fontes totius controverſiæ digito monſtrare placuit, ex quibus pateret ſuperbo magis adverſæ partis faſtidio, quam juſta cauſa diſſidium, quod extinctum eſſe debuerat, rurſus accendi: cujus ſi funeſtum & lamentabilem exitum timetis, ut certe timendus eſt, vos per ſacrum Chriſti nomen, & noſtræ in ipſo unitatis vinculum obteſtor, ut quærendo remedio certatim operam detis. Quæcunque oblata fuerit conciliationis ratio, ad eam amplexandam me non modo propenſum fore, ſed alacrem profiteor. Veſtræ quoque & pietatis & humanitatis viciſſim erit, quem cognoſcitis optima fide & cum fructu non pœnitendo ſua omnia ſtudia & labores, in Eccleſiæ ædificationem conferre, potius ſublevare, quam calcandum permittere importuni hominis libidini. Sed quid de me privatim loquor? Quin ſanctæ potius cum tot Eccleſiis conjunctionis, quam iſte abrumpere conatur, vobis habenda ratio eſt. Quicquid enim in contrariam partem blaterer, in hunc fidei conſenſum, ex miſera Papatus diſſipatione non humanitus nos coaluiſſe certum eſt. De unico Deo, veroque & legitimo ejus cultu, de generis humani corruptione, de ſalute gratuita, de obtinendæ juſtitiæ modo, de officio & virtute Chriſti, de pœnitentia, ejuſque exercitiis, de fide, quæ in Euangelii promiſſiones recumbens, ſalutis certitudinem nobis affert, de invocatione Dei, aliiſque præcipuis capitibus, eadem utrinque apud nos doctrina perſonat. Unum Deum Patrem eodem Mediatore freti, invocamus: idem adoptionis Spiritus nobis futuræ hæreditatis arrha eſt. Eodem ſacrificio nos omnes Chriſtus reconciliavit: in ea juſtitia, quam nobis perperit, acquieſcunt mentes noſtræ: eodem capite gloriamur. Mirum vero, ſi Chriſtus, quem prædicamus pacem noſtram, & qui ſublato diſſidio Patrem nobis in cælo placavit, non etiam efficiat, ut fraternam in terra pacem mutuo colamus. Quid quod nobis contra Antichriſtum ejuſque tyrannidem, contra fœdas Chriſtianæ religionis corruptelas, contra impias ſuperſtitiones, ſacrorumque omnium profanationem, quotidie ſub eodem vexillo præliandum eſt? His ergo tot ſacræ conjunctionis pignoribus, & hoc conſenſu quem divinitus ſancitum fuiſſe clare apparet, poſthabito, divortium inter eos moliri, qui eandem ſequuntur militiam, non minus crudelis quam impia membrorum Chriſti laceratio eſt: cui vos eſſe fautores minime æquum eſt, vel ullo modo ſuffragari. Valete obſervandi fratres. Dominus vos tueatur, ſuo Spiritu gubernet, ac benedictionibus augeat. Genevæ, Nonis Januarii. M.D.LVI.

SECUN-

Digitized by Google

SECUNDA DEFENSIO PIÆ ET ORTHODOXÆ FIDEI DE SACRAMENTIS, ADVERSUS JOACHIMI WESTPHALI CALUMNIAS.

QUam invitus ad hoc certamen, quod ab initio hucuſque defugere conatus ſum, nunc iterum pertrahar, multis verbis teſtari, mihi neceſſe non eſſe arbitror. Omnibus enim qui ſcripta mea legerunt non obſcurum eſt, quam moderate argumentum, quod graves inter pios & doctos viros pugnas noſtro ſeculo excitaverat, tractaverim: ut inde nulla ſaltem acerbior offenſio oriri poſſet. Nam etſi docendi rationem ad hominum gratiam non inflexi, quod tamen ingenue & ſyncere ex genuino animi mei ſenſu profeſſus ſum, ejuſmodi erat, ut ad placandos animos, magis quam ad augenda diſſidia valere debuerit. Nam & jam aliqua ex parte ſedatus erat ille, quem dixi, contentionis fervor, ut in placidis eorum ſcriptionibus purior liqueret rei explicatio. Ac libenter glorior, quum alii ad alios propius accedere cœpiſſent, eorum conſenſu, licet nondum pleno & ſolido, me fuiſſe non mediocriter adjutum. Quum enim è tenebris Papatus emergere incipiens, tenui ſanæ doctrinæ guſtu concepto, legerem apud Lutherum nihil in Sacramentis ab OEcolampadio & Zuinglio reliquum fieri præter nudas & inanes figuras: ita me ab ipſorum libris alienatum fuiſſe fateor, ut diu à lectione abſtinuerim. Porro antequam ſcribere aggreſſus ſum, Marpurgi inter ſe collocuti, aliquid ex priore vehementia remiſerant, ut ſi nondum plane eſſet ſerenitas, aliquantulum tamen diſcuſſa eſſet denſior caligo. Hoc quidem mihi jure vendico, nunquam me ambigua loquendi forma, captioſe aliud præ me tuliſſe, quam ſentirem. Poſtquam abſque diſſimulatione ita in lucem prodii, nullus ex diſſentientibus, quorum tunc vigebat ſama & auctoritas florebat, ſignum offenſi animi dedit. Nam cum præcipuis quibuſque ſententiæ Lutheri patronis, & qui eam acerrime tutati ſunt, familiaris deinde uſus mihi fuit: qui me certatim omnes amice amplexi ſunt. Quinetiam Lutherus ipſe, quum ſcripta mea inſpexiſſet, quale de me judicium fecerit, mihi per teſtes idoneos probare non difficile erit. Sed mihi unus pro multis erit Philippus Melanchthon. Accidit poſtea infeliciter, ut Lutherus ab iiſdem accenſus flabellis, quibus nunc turbatur Eccleſiæ quies, privatim adverſus Tigurinos rurſum excandeſceret. Nam etſi longius interdum quam par eſſet, ferebat eum ingenii vehementia, nunquam tamen ſponte ad priſtinam contentionem raptus eſſet, niſi à peſtiferis facibus ſuggeſtus fuiſſet tantus ardor. Mihi, ut plurimis aliis Dei cultoribus & Chriſti miniſtris, non parum tunc doluit, res denuo ſic eſſe exulceratas. Quod tamen unum mihi reſtabat, tacitus in ſinu meo gemui. Interea ne qua diſſenſionis ſpecies Eccleſias in his partibus ſcinderet, vel ſuſpicio eſſet diverſas opiniones hinc inde foveri: & quia fremebant quidam, mihi cum eximiis viris, fidiſque Chriſti miniſtris, Eccleſiæ Tigurinæ doctoribus, non ſatis convenire, non abs re fore utrinque viſum eſt, ſi mutui noſtri Conſenſus teſtimonium ederetur. Summam controverſæ doctrinæ ſumus ita breviter complexi, ut ſimplex & perſpicua extaret fidei noſtræ confeſſio. Hanc novi incendii materiam fuiſſe quis dicet? Surrexit Joachimus quidam Weſtphalus, & quaſi intolerabile crimen eſſet, ne qua inter fratres vel obſcura ſimultas reſideat, omnem offenſionum memoriam delere, ad arma conclamans, tumultu omnia replevit. Legatur ejus Farrago: reperient lectores, non tam ei fuiſſe propoſitum, doctrinam, quæ in formula Conſenſus à nobis comprehenſa eſt, quam conſenſum ipſum oppugnare. Adeone Euangelii præconi odioſum eſſe nomen pacis, ut abolendis diſcordiis remedium quæri non ſuſtineat? Nam etſi doctrinam ipſam leviter attingit, hoc tamen unum præcipue urget, conſenſioni dandum non eſſe locum. Itaque ſi quid olim repugnantiæ eſſe viſum eſt, è tenebris erutum turbulente exagitat. Si errore vel incogitantia diverſis ſcriptoribus (ut interdum fieri ſolet) elapſæ eſſent pugnantes ſententiæ: cur non illis ad idem loquendi genus, re melius perſpecta, orationem formare liceat? Quam maligni livoris eſt, non aliter conquieſcere, niſi innumeris diſſidiis omnia ferveant? Qui vero non modo inter ſe conſentiunt, ſed idem loquuntur, in conflictum nolentes committere, quam importuni eſt furoris? Demus in fervore diſputationis non ſemper æquabilem loquendi modum fuiſſe ſervatum: cupiunt, quibus aliquid fuerat inter ſe abſimile, eandem tenere docendi viam. Conſilii ratio ſi quæritur, ne rudes & infirmos perturbet objecta contradictionis ſpecies, cavere volunt. Tu Weſtphale, quia ſecus ſert tua libido, invitos cum publica pernicie pugnare coges? Atqui in libris ante editis, aliquid minus bene conſonum deprehenditur. Hoc quidem poſtea videbitur ſuo loco. Nunc quæ te invidia vel malignitas inſtigat, ut ad conſenſum diſſipandum, tonitrua undique commoveas? Atqui ne qua ad ſtabiliendum impium dogma fiat conſpiratio, acriter pugnandum eſt. Fateor certe, ſi quem tegendis impoſturis colorem videret obduci, juſtam fore reclamandi cauſam. Concederem etiam facile, ut omnes hinc inde accerſeret machinas, ſi errorum congeriem videret nebulis ſub concordiæ prætextu involvi. Sed quum ſimplex & perſpicua noſtra confeſſio in medium prodeat, ſi quid falſum continet, minore negotio poteſt oppugnari. Certe in omni diſputatione probis & ingenuis hominibus nihil magis optabile eſt, quam ut intra certos fines manere, & remotis ambagibus, caput unum tenere, & in re una tractanda, quaſi fixo gradu conſiſtere liceat. Hæc conditio cur Weſtphalo minus placuerit, non video, niſi quod cauſæ diffidens, plauſibilem ex ambagibus jactantiam venatus eſt. Si falſa eſt doctrina quam profitemur, Scripturæ oraculis, firmis rationibus, & Eccleſiæ conſenſo inſtructus, ad eam evertendam hoſtis venire debuerat. Nunc vero à recta pugna deflectens, ad flexuoſum receſſum obequitat, hæreticos inter ſe diſſidere. Nam ſi ipſa in veritate ſatis ſibi eſſe præſidii perſuaſus foret, quanto ſatius erat manus ſtatim conſerere, quam vagari per obliquos circuitus? Iterum repetam, Si quid erroris continet noſtra confeſſio, nuda eſt atque aperta: cur non eam recta impetit Weſtphalus, niſi ut fumo claram lucem obſcuret? Hujus rei præmonitos volui lectores, ne cui obſcurum eſſet quanta me neceſſitas com-

Digitized by Google

pulerit ad Conſenſus noſtri defenſionem, quem hic importunus zelotes nulla adductus juſta ratione, labefactare tentavit. Et tamen nunc excuſat, contra falſam meam criminationem, ſe honoris ſui patrocinium & juſtæ cauſæ ſuſcipere. Imo, quo libellum ſuum venditet apud imperitos, hunc ei titulum inſcripſit. Sed quid ſi excipiam (quod certe mihi promptum eſt, ac me quoque tacente res oſtendit) non alio ſpectaſſe meum libellum (quem criminationis nomine ridicule infamat) quam ut ejus calumnias diluerem? Vehementer quidem, nec ſine gravi invidia, ſi quis ſubeſſet color, de mea maledicentia conqueritur. ſed mihi ad refutationem hoc unum ſufficit, quod ex ejus intemperie judicium facient æqui lectores, quam clementer ei pepercerim. Libello, fateor, ſalis aliquid aſperſi: nempe quia eum, qui ſe jactat Euangelii præconem, mihi dolebat tam eſſe inſipidum. Nunc dum morbo incurabili mederi ſtudeo, operam me video luſiſſe. Sed ubinam eſt illa tam amarulenta & proterva inſectatio? Nam quicquid conviciorum fingi poteſt, in paucas paginas à me congeſtum eſſe, mentiri non pudet, quum longe plus illic ſynceræ doctrinæ citra ullam contentionem ſim complexus, quam ipſe ejuſque ſimiles longis voluminibus ſoleant. Triplo, ut minimum, longior eſt ejus reſponſio. Quam ſcite vel erudite in ea diſſerat, nondum attingo. tantum ſeligant lectores quicquid illic extabit ſedatæ doctrinæ: vix ad decimam ejus ſummæ partem accedet, quæ apud me in breviſſimo compendio reperta fuerit. Eodem pudore nuper quidam ejus ſodalis, ſub perſona ſomniatoris ludens, inter alia nugari auſus eſt, meum in Geneſin Commentarium, atrocibus in Lutherum conviciis refertum eſſe: ubi tamen vel reverentiæ cauſa plus centies ab ejus nomine abſtineo: & ſicubi attingo, tam procul abeſt reprehenſio ab omni contumelia, ut hoc mihi apud ſanos omnes & pios lectores officium laudi fore confidam, quod non minus honorifice illum tractavi, quam præclaro Chriſti ſervo dignum erat. Hoc primum crimine Weſtphalus me in odium trahere conatur, quod petulanter in eum omni proborum genere debacchatus ſim. Ego vero lectores tantum rogatos volo, ut quid meritus ſit ipſe, expendant: deinde quanto aſperius eum tractare mihi promptum fuerit, atque inde ſtatuant, qualis fuerit mea in ſcribendo mediocritas. Cæterum, quia forte veritus eſt, ne ſi ſolus ipſe læſus foret, paucos inveniret privati doloris ſocios, totam gentem ſuam ad commune prælium incitat, ac ſi Germanis omnibus vulgatum temulentiæ probrum à me objectum foret. Si ita eſſet, ne ipſe quidem mihi vellem ignoſci. Sed notanda eſt quam mox addit probatio. Crimine hoc, inquit, ſemel atque iterum me perſtringit. Quaſi vero ſi bibulus eſt, ſine compotoribus inebriari nequeat. Quanquam ne hic de nihilo anxius ſit, ſciat non indictum fuiſſe prælium ſuis poculis, ſciat de alia temulentia me loquutum eſſe, quam Propheta Jeſaias dicit non eſſe à vino. Utinam vero non ita ſe in profundum faſtum immergeret, nec præceps rueret tam violento impetu, ut jejuna ejus ebrietas omnibus plus æquo nota eſſet. Non minus etiam ridicule in locum illum communem digreditur, ſibi hanc cum Chriſto & Apoſtolis communem eſſe ſortem, quod præter culpam oneretur mendaciis & probris, quibus vomendis tam largum & robuſtum ei eſſe pulmonem teſtantur ejus ſcripta, quam ferendis & concoquendis delicatum eſſe ejus ſtomachum, querimoniæ declarant. Præſertim quid eum graviſſime vulneraverit, perſpicere difficile non eſt. Admonueram ut ſuæ inſcitiæ conſcius, non tam confidenter ſe efferret. Mihi certe nihil minus in animo fuerat, quam tam acerbum vulnus infligere. Nunc cum ſubinde ſtomachoſe repetat indoctum ſe haberi, latentem morbum detexit. Ergo Weſtphale ut intelligas, neque me data opera antehac quæſiſſe quod te pungeret, neque etiam nunc dolore tuo oblectari, poſthac indoctum vocare deſinam, modo viciſſim candidum & integrum hominem te mihi præſtes. Atque utcunque tuo more ebullias in effrænam maledicendi licentiam, nullis conviciis certabo. Porro ut verum ſit, durius te ideo fuiſſe meis verbis objurgatum, ut audaciam tuam compeſcerem, fruſtra tamen vel exiſtimas, vel obtendis callido me artificio fuiſſe uſum, ut probris meis oppreſſus quieſceres. Quaſi vero neſcirem quam facundus ad maledicendum Rhetor eſſes, & quam larga hujus generis copia tibi proflueret. Sed quando ita mecum agis, ut ſi verbulo te perſtringam convitiator ſim, tu vero nihil tibi ad me lacerandum non concesseris: quomodo temperanda erit ſtyli mei ratio? Nempe hoc compendium ſequi præſtabit, ut de re ipſa ſimpliciter loquar. Nam & hoc obſervabit prudens lector, quoties vehementius in te incurrere coactus ſum: nunquam tamen à gravi & ſeria admonitione receſſiſſe. Tu vero neſcio quo ſpiritu inflatus, niſi ſpumas plenis buccis egeras, videris anhelo ſtomacho neſcio quod moleſtum onus comprimere. Quo magis mirum eſt te pluſquam ſecure vitium, quod in te omnibus adeo fœdum deformeque apparet, perinde ac ſi immunis & purus ab eo fores, regerere. Cæterum, ne qua in me ficti criminis ſuſpicio hæreat, iterum breviter monendi ſunt lectores, quam ingenue mihi petulantiam exprobres. Ejus enim memorandum ſpecimen profers, quod linguæ meæ aculeum in Lutheri nomen exeruerim. Quænam vero tam acutæ ſunt illæ punctiones? Reſpondes, quia contentioſum, vehementem & levem eſſe inſimulaverim. In duobus cur tibi mentiri libuerit, neſcio. Contentioſum enim & levem non vocavi. Vehementiam in hac cauſa notatam fuiſſe ſi indigne feras, contende Solem meridie non lucere.

Quam vero cupide Weſtphalus extra locum in locos communes excurrat atque ut muſtacei Rhetores ſolent, declamitando vagetur extra cauſam, ex hoc uno plus ſatis liquet, quod ne videatur multitudine confidere, figmentum inane ſibi fabricat, me ingentibus copiis gloriari, quas me ex omnibus angulis educturum minatus ſim. Itaque ſubjicit me tanta multitudine confiſum, imbellem turbam contemnere. Si quis Eccius vel Cocleus has nænias effutiret, minore cum moleſtia pueris ridendos traderem. Nunc quod ſe tam flagirioſe proſtituit qualiſcunque Euangelii profeſſor, ignoſcant lectores ſi in refutatione modicus ſim, quia dedecoris me pudet ac piget. Video tamen quid ſit. quia nihil Athanaſio ſimile habebat præter paucitatem, hanc ſimilitudinis notam arripuit, qua ſe faceret orthodoxum. Dixeram doctis & cordatis quieſcentibus paucos homines indoctos ſuis clamoribus Eccleſiam turbare: nempe fore ſperabam, ut moniti tumultuoſas voces compeſcerent, teſtes paucitatis, indices ſtultitiæ. Hic non ſimpliciter de numero certatur. Sed dum multos, quos à parte ſua ſtare ipſe jactat, oſtendo modis omnibus longe eſſe aptiores & melius inſtructos, ſilendo tamen nobiſcum pacem colere, ſi mica pudoris fuiſſet in Weſtphalo, abjecta haſta, ex conflictu ad ſuam ſtationem reverſus eſſet. Addideram rurſus, ſi tantum Sacramentis vim ſuam aſſerere volebat, nullam fuiſſe cauſam, cur in nos irrueret: quia non modo juſtis elogiis ſplendide apud nos ornantur Sacramenta, ſed ſi quis inanes figuras eſſe dicat, multi ad hunc errorem ſtrenue refutandum parati ſint. Verba mea inſpiciant lectores, unde conſtabit quam jejune adventitios colores hic declamator quæritet. Ne tamen credatur numero inferior, in ſuam factionem trahere non dubitat, qui in Gallia & Italia puram Euangelii doctrinam amplexi, ſolo metu à libera profeſſione retinentur. Hic vero etiamſi velim, fas non eſt tacere, ne perfida diſſimulatione confeſſionem à ſanctis

Chriſti

Chriſti Martyribus proditam obruere, volens ac ſciens videar. Quando tam ſtupidus es, Weſtphale, ut pro nihilo ducas ſacrum illum ſanguinem, quo obſignata fidei noſtræ veritas fuit: ſcito cum ab annis quindecim centum vel etiam plures in Gallia, non minus alacriter ad mortem inprimis terrificam ſe obtulerint, quam tu ſuperbe in otio tuo tripudias, ne unum quidem fuiſſe, qui nobis non ſubſcripſerit. Nunc pluris ſutorium tuum atramentum, quam illorum ſanguinem æſtima. Ante biennium uno die Lugduni quinque exuſti fuerunt: ac ne quid ad cruciatus ſævitiam deeſſet, lento igne uſtulati. Secuti ſunt paulo poſt in eadem urbe alii tres, in vicinis oppidis duo. Nondum præteriit quartus menſis, ex quo Cameraci (quæ urbs non niſi unius diei itinere hinc diſtat) quinque etiam uno die ſimul cremati ſunt. Quam dextre ſe in diſputationibus geſſerint, teſtantur acta eorum manibus ſcripta, quæ publicis æquare non dubito. Quiſquis certe leget, non modo fatebitur moderate & prudenter de præcipuis fidei capitibus diſſeruiſſe, ſed eruditionem quoque mirabitur: ne tu forte vel inſcitia, vel inconſiderato zeli fervore abreptos fuiſſe dicas. Tam intrepida vero ad ultimos uſque ſpiritus conſtantia in ſereno vultu enituit, quæ miſeros etiam Papiſtas percelleret. Eorum confeſſio quid paſſim ſub tyrannide Antichriſti ſentiant pii omnes, prodidit. Quare ne poſthac eos tibi ſuffragatores eſſe garrias, qui uno omnes conſenſu à tua doctrina abhorrent, ac tacitis votis tuam ſodaliumque intemperiem execrantur. Ultra me progredi cogit hominis importunitas. Cælum & terram teſtor de re probe comperta me loqui, ſi crudeliter hactenus ſævitum fuit in plurimos Chriſti Martyres, ignem quo conſumpti ſunt, maxime eorum vocibus tanquam flabellis fuiſſe accenſum, quibus in Sacramentarios vociferari ſumma pietas fuit.

Porro quia Weſtphalo negotium cum homine Gallo erat, unum ex meis popularibus produxit, cujus odio me gravaret. Berengarii hæreſin rurſus à nobis excitatam eſſe dicit. Si tibi ille eſt hæreticus, cur non protinus ſublato vexillo in Papæ caſtra concedis? Nec vero magnopere curandum eſt quo in loco deſideas, quum te in Antichriſti cohortem inſinues. Berengarium cogunt ad palinodiam centum quatuordecim cornuti Epiſcopi, præſide Nicolao Papa. Eorum tyrannidi calculum tuum non dubitanter addis, acſi hæreſin juſte damnaſſent. Qualis autem à miſero illo confeſſio fuit extorta? nempe poſt conſecrationem verum corpus & ſanguinem Chriſti ſenſualiter & in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Sic enim ad verbum ſonat quæ illi à Concilio dictata fuit retractationis formula. Jam ſi non alia lege Weſtphalum placare licet, quam ſi fateamur dentibus ſenſualiter Chriſtum atteri: nonne centum potius mortes præoptandæ ſunt, quam ut ſe quiſpiam tanti ſacrilegii monſtro implicet? Cujus tantopere puduit ipſos etiam Canoniſtas, ut confeſſi ſint majorem his verbis ſubeſſe hæreſin, niſi referantur ad ſpecies panis & vini, quam ſi quis panem & vinum dicat nuda eſſe ſigna. En cur Berengarii nomen mutuari debuerit Weſtphalus noſter, quo nobis terrorem incuteret. Nec vero mirum eſt, novos Papæ ſatellites ex tyrannica ejus officina ſibi temere arma arripere, qui in nos mera anathemata ſubinde crepant. Hæc eſt ſcilicet humanitas, qua me quotidie in acie ſtantem, & ad primos quoſque hoſtium ictus expoſitum boni commilitones ſublevant. Nec Joachimo ſatis eſt eorum in me rabient virulentis calumniis acuere, niſi me pedibus conculcans, quod liberius eum coarguere auſus ſum, extremæ petulantiæ crimen mihi objectet: ſe vero, quidquid probrorum vomat, ab eodem crimine abſolvat, quia in hæreticum quidvis licet. Atqui quum hæc una ei ſit inſaniendi ratio, quod doctrinæ meæ & fidei veritas nullos ejus morſus admittit, cujus ponderis fore ſperavit tam futile convitium? Quod ſi hoc prætextu quidvis blaterandi licentiam tantopere appetit, palam cum Papiſtis ſyncretiſmum ineat: quibus nihil aliud ſonat Hæretici nomen, quam Romanæ ſedis adverſarium. Nam quod tam faſtuoſe nos ab Eccleſiis damnatos pronunciat, id propius expenſum, ut reliqua ejus dicta, in nihilum recidet. Niſi forte Tridentino concilio ſe tanquam Ajacis clypeo armet, vel Chriſti Eccleſias ad paucos ſuos ſodales alliget, qui eodem feruent impetu. Semper enim graves & cordatos doctores excipio, qui illis permixti, non modo placide ſe continent, ſed utcunque paululum à nobis diſſentiant, non tamen à fraterna ſocietate abhorrent: & quia de ſumma inter nos convenit, pacem libenter nobiſcum ſovent ac colunt: adeoque reconciliatam inter Eccleſias gratiam ſummopere cupiunt. Cujus ſtudii ſimulac oblata fuerit occaſio, documentum non obſcurum daturos eſſe arbitror. Nec vero tantum ſua importunitate proficiet Weſtphalus, ut illorum ſuffragiis vel nutu approbetur hæc ſcelerata divulſio, quam molitur: tantum abeſt, ut pravæ conſpirationi ad nos hoſtiliter vexandos nomen ſuum adſcribant. Imo fieri aliter non poteſt, dum nobis opponit quotquot Auguſtanæ confeſſioni ſubſcribunt, quin brevi deprehendant lectores ea in re fucum ſibi fieri. Atque ut optimus quiſque ejus confeſſionis defenſor rogetur, reſponſurum non dubito, malis auſpiciis turbari pacem, cujus retinendæ ſtudium non diſſimulant, qui paulo plus auctoritatis in Saxonia merentur, quam centum Weſtphali.

Quibus ad ſcribendum cauſis adductus fuerit dum recenſet, ſe de tuenda bona fama valde ſollicitum eſſe oſtendit, ne in miniſterium, quo fungitur, contemptus recidat, fideſque minuatur ſuis ſcriptis. Si tibi eſt cordi bona fama, quis te ad eam proſtituendam pravus genius impulit, quum tibi maneret ſalva & integra ſi taceres? Ipſe tibi infamiam contraxiſti, quam eluere non ita facile erit. Augebis vero quoad ab odioſa ita rixandi libidine deſiſtas. Iterum repetam, Non poteras initio tibi melius conſulere, ac ne hodie quidem potes, quam tacendo. Quod vero non parum hic te metus angit, ne fides tuis ſcriptis depereat, ex tuo unius ſenſu æſtima quantopere excruciet pios omnes longe gravius incommodum, ubi te vident ad detrahendam tot magnorum ac præſtantium virorum tam utilibus ſcriptis fidem, violento conatu incumbere. Ne ſim jam unus ex eorum numero, quibus fidem detrahere tentaſti. Sed dum tibi propoſitum eſſe vident omnes, OEcolampadium, Zuinglium, Bucerum, Petrum Martyrem, Bulingerum, Joannem à Laſco labefactare, ut tota eorum exiſtimatio concidat, quem omnino pium & æquum hominem in mundo eſſe putas, cujus ſtomachum in te non provocet tam maligna obtrectatio? Quos tibi de libris tuis gratificandi cauſa plauſus dent gregales tui, neſcio: quid tu ipſe judices, videris. Sed injuriam tibi fieri non dices, ſi eorum quos nominavi unumquemque tibi præferam. Quanquam ſi te ita excæcat ſtultus tui amor, ut honore antecedere cupias, quos doctrina procul ſequeris, nobis, qui tibi nullo jure addicti ſumus, major habenda eſt publici boni ratio. Mentio librorum, quam ſæpius ingeris, te aliquid ſcripturire denunciat. Sed qualecunque ſit illud, minore Eccleſiæ jactura perierit, quam unus ex multis liber, quos omnes abolere tibi fuit in animo. quo mihi juſtior, te quoque auctore, defenſio ſuppetit, qui fidem & operam meam, ne præclaris ſuis opibus Eccleſiam ſpoliares, interpoſui. Librum deinde ſuum in quatuor capita partitur. Primo enim refutandum ſuſcipit quod ſcripſi, perperam ab ipſo & inſcite nos fuiſſe traductos, quaſi pugnantia ſcribamus. Deinde quod dixeram injuſte

De conſe. Diſtinct. 2. cap. Ego Berengarius.

Digitized by Google

nos fuiſſe ab eo reprehenſos, ac ſi nihil præter vacua ſymbola in Cœna Domini relinquamus. Tertio hoc aſſumit, ſe diſcordias non excitare, dum turbarum auctoribus repugnat. Tandem ſe ad objecta crimina reſponſurum promittit. Ac primæ quidem partis hoc bellum exordium eſt, me Conſenſum noſtrum ex aliquot vocum ſynonymis probare, quales ſunt Figura, Signum, Symbolum. Itaque miratur me non etiam ex ſyllabis idem colligere. Sed quid ſi hic manifeſto in mendacio eum pueri deprehendant? Nunquam enim mihi in mentem venit, hanc verborum affinitatem obtendere ad probandum noſtrum Conſenſum. Sed quum ipſe calumnioſe iſtas voces exagitaſſet, imo ſcripſiſſet hac contradictionis nota nos prodi hæreticos, ſimpliciter deriſi hominis ſtultitiam, ut digna erat. Nunc tamen ac ſi elapſus eſſet, ſe multo plus largiri gloriatur, nos ſcilicet non ſolum in paucis vocul is, ſed in rebus & ſententiis convenire. Atque ut facetus appareat, ſe cohoneſtare dicit uno hoc nomine Sacramentarios omnes, quod inter ſe conſentiant. Sed craſſius eſt ejus cavillum, quam ut ſub hac frivola jactantia deliteat. Magna verborum atrocitate nos pro hæreticis traduxit, quia inter nos diſſentimus. Demonſtratio hæc ei optima viſa eſt, quia alius panem Cœnæ ſymbolum, alius figuram, alius ſignum vocat, palam nos diſſentire: ac ſuam hanc argutiam, quo ſplendidior eſſet, in tabula depinxit. Ego quid feciſſem? Fuitne omittendum, quod me tacente omnibus occurrit, Conſenſum noſtrum non potuiſſe melius probari? Longius etiam progrediar, ſiquando lucem doctrinæ meæ afferre velim, ejus explicationem petere ab his vocibus. An me ideo pugnantia loqui, vel mihi contrarium eſſe finget, quia rem unam pluribus modis commodius interpretari ſtudeam? Propius conſerta manu eum premam. Quicunque aliter verba Chriſti exponunt, quam ſecundum literam, ut vulgo loquuntur, eos non dubitat Sacramentarios facere. Mihi placet conditio: ita enim Auguſtinus in ordinem noſtrum relegatur. Scripſit adverſus Fauſtum, Dominum dixiſſe, Hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui. Quando figurate Chriſti verba exponit, Sacramentarius haud dubie cenſebitur. Alibi propter ſimilitudinem rei ſignatæ corpus & ſanguinem vocari tradit, corporis & ſanguinis Sacramentum. Nonne auctore Weſtphalo, hæc nefanda verborum Chriſti laceratio eſt? Alibi ſcribit, Dominum in Cœna corporis & ſanguinis ſui figuram diſcipulis commendaſſe, & tradidiſſe. Duoſne ex nobis reperiet magis inter ſe diſſentientes, quam Auguſtinus diſſentit ipſe ſecum? Fruſtra igitur negat ſe deſipuiſſe Weſtphalus, quum in vocibus prope ſynonymis propoſuit horrendi diſſidii paradigma. Negat argumentationem ex particulari deductam valere: quaſi per omnia inter nos conveniat, quia in aliquibus idem ſentimus & loquimur. Ego vero me unquam ita ratiocinatum eſſe nego: quia tam abſurdum delirium ſimpliciter refutaſſe ſatis erat, hac diſſenſionis nota patefieri hæreticos, quia unus figuræ nomen, alius ſigni, alius vero ſymboli uſurpat. Sed niſi aliud adferat, nihil diſſenſionis eſſe ſtatuo. Quaſi vero metuat, ne obſcura ſit ſua impudentia, pluribus verbis hoc idem proſequitur, ſic me loquentem inducens, Scribo mutuas conſenſiones cum Tigurinis, una eſt noſtra ſententia, mutuas tradimus operas, nullo igitur unquam tempore fuit diſcrepantia inter quoſcunque Sacramentarios. Quod totum quum improbe confingat, mox ſe implicat altero mendacio, ſe neque perſonas, neque tempus definire, ſed indefinite loqui de noſtris diſſidiis. Nugator, ubi igitur Farrago tua ex libris noſtris excerpta, quæ ſingulos ſuis nominibus deſignat? Fœdiore etiam mendacio nos onerat, quod in auctoris caput recedere æquum eſt. Nam Anabaptiſtas, Davidianos, & fanaticos fere omnes nobis permiſcens, Sectam unam inſtar Hydræ conflat: quia omnes Zuinglii dogma profitentur. Non dicam quod publicis monumentis ſatis ſuperque teſtatum eſt, à nullis acrius quam à nobis oppugnatas fuiſſe Sectas, ſive quas nominat, ſive quæcunque noſtro ſeculo exortæ ſunt. Sed quibus tandem vinculis nos in unum faſcem colligat? Satiſne eſt uno verbo dixiſſe, uno & eodem errore omnes eſſe implicitos? An ego Angelos conteſter, quum ab ipſis quoque diabolis retegatur Weſtphali improbitas? Nam ſi de Sectariis quæratur, propius ad ipſum accedere conſtabit. Servetus quidem, qui & Anabaptiſta erat, & hæreticorum deterrimus, cum Weſtphalo prorſus conſentiebat: atque in hoc doctrinæ capite OEcolampadium & Zuinglium non ſecus in ſuis libris vexavit, quam ſi Weſtphalo operam locaſſet.

Jam quia priore via non ſucceſſit, alia noſtras contradictiones oſtendere aggreditur. Ac præfatur quidem, quia idem tentatum ſit à Luthero, ſibi quoque licere. Sed quocunque ſe exemplo tegat, rem inſpicere convenit. Quod ex Caroloſtadii commento tenebras cauſæ offundit, quia procul aſcitum eſſe conſtat, in refutatione non laboro. Quanquam autem non teneo unde alias interpretationes ſumpſerit, his tamen calumniis nihil putidius eſt, indignis modis contextum & ordinem verborum Chriſti violenter lacerari, quia ſic quiſpiam accipiat, corpus Chriſti ſpirituale eſſe alimentum: alter vero ſic transferat, quod pro vobis traditur hoc eſt corpus meum. Quid enim obſecro abſurdi, ſi ſacrificium mortis epulum ſpirituale ordine præcedat? Sed quia his quoque tam frivolis rationibus deſtituitur, ad fabulas ſuo more confugit, in Phriſia truncari Chriſti verba, à concionatore perſpectæ fidei ſibi fuiſſe ſcriptum commemorat, quia dum porrigitur panis, hæc verba ſuggerat miniſter, Edite, credite, & in memoriam revocate corpus Domini noſtri in cruce oblatum eſſe verum ſacrificium pro peccatis veſtris. Grande nefas ſcilicet, mortis Chriſti memoriam in ſacra Cœna celebrari. Neque enim ſi miniſter in ipſa diſtributione populum ad meditandum mortis Chriſti fructum revocat, ideo prætermittitur ipſa Chriſti inſtitutio. Quinetiam quum alibi contendat Weſtphalus diſtincte hæc duo nobis præſcribi, ut corpus edamus, & memoriam colamus mortis Chriſti: cur fratres noſtros Phriſios hoc nomine flagellat, quia cæleſti mandato obtemperant? Pergit deinde conſilium hoc à Suinckfeldio natum eſſe, qui juſſit hæc verba ſeponere ex oculis. Hoc eſt corpus meum. Quaſi vero nobis cum Suinckfeldio quidquam ſit commune, ut nobis luenda ſit inſaniæ ejus culpa. Imo quænam iſta eſt æquitas, poſtquam bonis iſtis paterculis ſtertentibus, ſedulo incubuimus ad oppugnandos Suinckfeldii errores, qui nihil ſubierunt laboris, ſubito expergefieri, & in nos torquere quidquid in adverſario noſtro odioſum reperiunt? Ejuſdem eſt farinæ quod poſtea ſubjicit, quia indigne feramus noſtras deceptiones claris verbis Chriſti pudefieri, ea contemptim abjicere, & murmurate tria verba duntaxat ſemel dicta nobis objici. Hic ſi nos ficto maledicto ſcelerate in odium vocari querar, protinus excipiet ſe indefinite loqui. Sed cujus eſt candoris, blaſphemiæ crimine, cujus ne unus quidem auctor profertur, onerare infinitam turbam? Nos vero cæleſtis Magiſtri verbis non tam parum reverentiæ deferimus, quin nobis ad ſolidam auctoritatem abunde ſufficiat, ſemel ab eo aliquid fuiſſe dictum. Atque ut melius pateat nihil nobis opus eſſe talibus cavillis, retorqueo, plus quadrageſies Arcam fœderis vocari Dei præſentiam, nec tamen alio ſenſu, quam quo panis vocatur corpus. Vides adeo nos lucem non refugere, ut ultro hujus clypei objectu vobis occurrere non dubitemus? paſſim transferri in Scriptura Dei nomen ad viſibile

præ-

Digitized by Google

præſentiæ Dei ſymbolum. Qua de re fuſius diſſerendum nobis erit.

Quia tamen nondum illa, quam detonuit contradictio patebat, denuo eandem orditur telam, violenter ſcilicet verba diſtrahi in diverſas ſignificationes, quæ minime ſimul conſiſtunt. Atque iterum Caroloſtadii gloſſam odioſe producit, quam diſerte pridem noſtri omnes repudiarunt. Poſtea ut repugnantiæ fuco ſimplicium oblinat oculos, dicit hoc inſulſum commentum à me rejici. Quaſi vero tragicum facinus fuerit, falſam à nobis invidiam avertere. Quid tibi vis rixator? Caroloſtadium dixi male interpretatum Chriſti verba: mecum in eo tu conſentis. Quid ergo attinet ex repugnantia, quæ tecum mihi communis eſt, crimen fingere? Tertio loco venerandum fratrem noſtrum Joannem à Laſco impetit, quia dicat demonſtrativo pronomine totam actionem notari. Quaſi vero promptum non ſit, Lutheri quoque patrocinio hoc defendere. Panis Luthero extra uſum ſacræ Cœnæ non-niſi panis eſt: ac proinde articuli demonſtratio intra actionis metas includitur. Ergo eadem doctrina in ore Lutheri vim oraculi obtinebit: ſi aliunde profecta fuerit, hæreſeos notam incurret? Quarto loco in OEcolampadium invebitur, qui pronomen, Quod, in Chriſti verbis non relative, ſed cauſaliter accipit. Quaſi vero nefas ſit interpreti, craſſiore, ut ajunt, Minerva, explicare quod alioqui moleſtiam fruſtra parit. Dixit OEcolampadius nunc fidelibus edendum offerri corpus Chriſti, quatenus ſemel traditum eſt ad expianda peccata: nempe ut ſciremus priores ſacrificio partes aſcribi. nunc rogat Weſtphalus, quid igitur Matthæo & Marco fiet, apud quos relatio non additur? Quaſi vero brevitas illa, quod præcipuum eſt in legitimo Cœnæ uſu tollat. Certe Paulus antequam nos ad epulandum hortetur, docet Paſcha noſtrum eſſe immolatum. Fateor quidem illic de Cœna eum non agere: ſed quum eadem ſit ratio, quorſum ſancto viro exprobrat Weſtphalus, quod hanc qualitatem, ſine qua perit nobis Cœnæ utilitas, prudenter notaverit? Hæc ſcilicet ratio eſt, cur inflatis tibiis exclamet, Quo colore pingent, quo fuco excuſabunt Sacramentarii manifeſtam antilogiam? Ego vero reſpondeo neminem tam eſſe oculatum, qui ſomnia tua videat. Quia vero videt ſe nondum adeptum eſſe quod volebat, vel ſaltem non præſtitiſſe quod erat profeſſus, mutila quædam verba in acervum congerit, panem Cœnæ nunc vocari à nobis carnem, nunc figuram corporis, nunc paſſionem, nunc mortem, nunc memoriale paſſionis, alias fidem, alias vigorem, alias virtutem Chriſti, alias merita, alias qualitatem corporis, alias actionem & formam Cœnæ: item ſocietatem Eccleſiæ, jus in participando corpore Chriſti, feſtum, & multa alia. Quid hoc homine facias, qui in ſenſum reprobum conjectus ſe effutire non ſentit, quæ deteſtabilem omnibus reddant ejus malitiam? Brevis enim & expedita ſolutio eſt, diverſis loquendi formis ſine ulla repugnantia deſcribi in quem finem panis vocetur corpus.

Quod præcipuum quæſtionis ſtatum eſſe dicit de ſenſu verborum Chriſti, Hoc eſt corpus meum, fateor. Quod etiam in hac controverſia quæri negat quid hic vel ille ſomniet, nec conſcientiis ſatisfieri per hominum commenta, donec certa & indubia conſtet veritas, aſſentior. Quod certam aliquam definitionem requirit, in qua conſiſtat fides, non repugno. Hanc igitur nobis oſtendant ſeveri iſti vel potius moroſi cenſores, quibus omnis interpretatio faſtidio eſt. Urgent literalem ſenſum, quod panis vere & naturaliter ſit corpus Chriſti. Sed dum viciſſim urgentur, ſitne corpus proprie panis, præciſum illum & inflexibilem rigorem temperant, corpus dari ſub pane vel cum pane. Et certe niſi hoc concederent, calix ex quacunque fabricatus eſſet materia, ſanguis Chriſti eſſet. Quum ergo ſibi dicere permittant Chriſti corpus pane comprehendi non ſecus ac vinum cantharo, qui fit ut ſtudium quærendæ commodæ interpretationis tantopere eorum bilem exaſperet? Nam quod in verbis uniformem à Paulo & Euangeliſtis rationem teneri aſſerit, quid tam pueriliter mentiri juvat? Quanto longius diſtent Sanguis & Teſtamentum in ſanguine, quam Signum & Symbolum, monere ſupervacuum eſt. Weſtphalus autem quem in ſanguine & teſtamento uniformitas delectat, quam multiplici guſtu ſit præditus oſtendit, ad Signi & Symboli diſſonantiam nauſeans. Cautius tamen loqui jam incipit, ſe in rebus & ſententiis, non in verbis diſſidium reprehendere affirmans. Ego autem, quia ſanis lectoribus conſpicuum eſſe confido, diſtorte varios loquendi modos, qui ad uſum & finem Cœnæ demonſtrandum tendunt, mutilari & diſcerpi, non longius inſiſto. Addit me clara veritate victum fateri rerum contrarietatem. Quibus autem verbis? nempe quia dixerim noſtros homines dum quæſtionem perplexam & obſcuram agitant, quamvis non diſcrepent re ipſa, præbere repugnantiæ ſpeciem. En! digna Theologo ſinceritas, quæ inter prophanos Rhetores frigidæ ac putidæ cavillationis notam non effugeret. Nam quod poſtea jocatur ſingulos Prophetico ſpiritu fuiſſe afflatos, dum hanc cauſam initio aggreſſi ſunt, fruatur ſua dicacitate potius quam ut me refellendis ſuis dicteriis occupet. Quod autem apud eum ſequitur, me circumſpicere de alio effugio, dum objicio quidquid obiter dictum fuit, acſi plena eſſet definitio, calumnioſe ipſum arripere, cur recitet non video, niſi ut ſe bis ridendum propinet. Eſtne hoc effugium, quod ipſe imprudens, ſi ei creditur, omnium oculis ſubjeci? Cui enim obſcura eſt in lacerandis ſententiis ejus malignitas? Atque ut exempla quæ nuper attigimus prætercam, cui perſuadeat quod de Eccleſiæ ſocietate dictum eſt plenæ definitionis vim habere, acſi non alia eſſet corporis Chriſti κοινωνία; Et tamen in confuſa diſcordiarum noſtrarum ſylva nihil magis reperit plauſibile, quam κοινωνίαν ab aliis exponi jus ſocietatis, quod nobis datum eſt in corpore Chriſti, ab aliis myſticam Eccleſiæ ſocietatem. Mihi vero ſi libeat veterum Scriptorum dicta hoc modo arrodere, longe gravior inter eos reperietur diſſenſio. Sed neque huc propendet ingenium, & voluntas abhorret, ut quoſcunque ipſe in ſuas partes trahit, ſiniſtra & illiberali mordacitate impetam. Quam dextre interea & probe crimen, quod putabat eſſe odioſum, amplificet, breviter monendi ſunt lectores. Ejus verba ſunt, Quoties ad locum Pauli ventum eſt, verba ejus ſummo conatu depravant Sacramentarii. In margine etiam aſcribit inſignem notam, Quid ſit Sacramentariis κοινωνία corporis Chriſti. Quid? An nos ſaltem qui aliter loquimur, excipere non debebat? Evoluat noſtros Commentarios: illic occurret non ſpinoſa, ſed genuina interpretatio, quam ſi rumpat vel crepet, recipere cogetur. Nec de me ſolo affirmo ſed non ignorant periti lectores ab aliis quos infamat, locum hunc nitide & explicite fuiſſe tractatum: ut facile pateat ipſum inexplebili rixandi libidine indefinitam litium materiam, cujus prætextu ſe excuſat, nimis cupide venari. Certe nominatim me provocans, oblivíſci non debuit quid ego in illum locum ſcripſerim. Verba ſunt, Verum eſt fideles ſociari per Chriſti ſanguinem, ut unum fiant corpus: verum eſt etiam, ejuſmodi unitatem proprie vocari κοινωνίαν. Idem fateor de pane. Audio etiam quid Paulus adjiciat quaſi exegetice, nos effici unum corpus omnes, qui eundem communicamus panem. Atqui unde, obſecro, illa inter nos κοινωνία, niſi quia ſumus Chriſto coadunari hac lege, ut caro ſimus de carne ejus, & oſſa ex oſſibus ejus? Incorporari enim, ut ita loquar, Chriſto nos oportet primum ut inter nos uniamur. Adde quod Paulus non tantum de mutua inter homines communicatione nunc diſputat, ſed de ſpirituali Chriſti & fidelium unione, ut inde inferat ſacrilegium eſſe non ferendum,

 dum,

dum, ipſos idolis miſceri. Ex circumſtantia igitur loci judicare licet κοινωνίαν ſanguinis eſſe ſocietatem, quæ nobis eſt cum Chriſti ſanguine, dum ſimul omnes nos in corpus ſuum inſerit, ut vivat in nobis, & nos in ipſo. Figuratam eſſe locutionem fateor, modo non tollatur figuræ veritas, hoc eſt, modo res quoque ipſa adſit, nec minus ſanguinis communionem anima percipiat, quam ore vinum bibimus. Poſtquam autem pro arbitrio ſtomachatus eſt, tandem in clauſula fatetur à fine non male definiri Cœnam, ut noſtri homines fecerunt, celebrem vocantes partæ redemptionis memoriam: ſed ita dimidiam partem exponi, non rem totam. Quaſi vero cælum terræ miſcendum ſit, quoties non exprimitur plena definitio. Hanc loquendi formam nobis permittit, ſymbolis repræſentari Eccleſiæ unitatem. Sicubi vero quempiam noſtrum ita locutum eſſe obſervet, iracunde exurgit, acſi corpus Chriſti ſecundum nos nihil aliud eſſet, quam Eccleſiæ ſocietas: quum tamen uno conſenſu omnes prædicent à capite coagmentari totum corpus, hoc eſt, non aliter coaleſcere in unum corpus fideles, niſi dum Chriſto ſunt uniti. Cæterum, quod ſimpliciter Corporis nomen ad myſticum Eccleſiæ corpus transferri poſſe negat, litem Paulo intendat, qui hoc auſus eſt.

Quod Weſtphalo ſocordiam objeceram, quia damnatis omnibus tropis ne ipſe quidem ſine tropi auxilio ſe expedit, hic attentionem à lectoribus flagitat, ut me intelligant gravi culpa obſtringi. Nec ſimplici objurgatione contentus, quis mentem meam furor præcipitet ſecum inquirit, ut calumniam hanc auſus ſim in eum jaculari. Videant ergo attente lectores, quanta dexteritate meum jaculum repellat. Dixi, fateor, hæc duo non magis congruere quam phrenetici deliria, Clara eſſe verba Chriſti, ut nulla interpretatione egeant, Tropum alibi admittere, qui tamen non excuſet, quo minus panis proprie ſit corpus. Reſpondet ſe verum tropum, quem neceſſitas loci affert, indefinite oppoſuiſſe falſo tropo. Quaſi unius vocis aucupio inſidiatus ſim, ac non potius craſſum ejus errorem tradiderim palpandum. Ubique clamat eſſe hæreticos, qui dum exponere conantur verba Chriſti, inter ſe diſſentiunt. Elabi non poteſt, quin expoſitionem ipſe quoque ſuam proferat: à nobis tamen diſſentit. Quid ergo vetat, quo minus inter hæreticos cenſeatur? Si in pane & per panem datur Chriſti corpus, & cum pane recipitur, figurate conſtat panem vocari corpus, quia corpus in ſe contineat, non autem id proprie & naturaliter ſit quod dicitur. Scio quam mordicus interdum verbis inſiſtat, nullam in Scriptura ſententiam clariorem inveniri negans. Sed quum ad rem venitur, ſibi cum ſuis magiſtris expoſitionem hanc permittit, Sub pane contineri corpus Chriſti, porrigi in pane, & cum pane recipi. Nam quid eſſet monſtroſius, quam panem negare ſymbolum corporis, ſignumque terrenum à cæleſti ſuo myſterio non diſtinguere? Non conſiſtet certe verborum ſimplicitas, niſi panis conſletur in corpus, ut panis viſibilis corpus ſit inviſibile. Denique niſi idem duæ iſtæ propoſitiones valeant, Chriſtus eſt dilectus Dei Filius, & Panis eſt corpus Chriſti. Nec vero tanquam de re ambigua diſputare operæ pretium eſt, quum apud eos nihil magis receptum ſit aut vulgare quam ſub pane dari Chriſti corpus. Papiſtas melius à neceſſitate tropi eximeret ſua Transſubſtantiatio. Qui vero panem & corpus res fatetur eſſe diverſas, quomodo figuram ab his verbis tollet, Hoc eſt corpus meum? Quid? ubi calix vocatur ſanguis, nonne illis in promptu eſt exceptio, continens pro contento ſumi? Non eſt igitur hoc Tragœdias agere in nugis, quod dico mihi curæ non eſſe, quibuſcum freneticus hic confligat, qui ſe tam pulchre elidit. Dicendum enim id omnino fuit, niſi vellem ſciens cauſam prodere. Poſthac vero ipſe diſcat in re ſeria non ita nugari. Ac libere iterum repeto, niſi tropum ſuum publico conſenſu ſanctificatum eſſe oſtendat, ſuo ipſius ore damnatum eſſe hæreſeos, qui ſine exceptione pro hæreticis habendos tam audacter pronunciat, quicunque explicandis Chriſti verbis figuram adhibent. Scite tamen eludit, me facetum voluiſſe videri exprobrans. Vide Joachime, uter facetiarum ſit cupidior: egone qui dictum iſtud non niſi ex re nata ſine ulla affectatione inſerui, ac ſponte oblatum uſurpavi, an tu qui ſine lepore neſcio quas frigidas elegantias longe acceſſis. Tuus vero iſte triumphus, Tropum tuum ſanctificatum eſſe à Chriſto & ab Apoſtolis, non ante victoriam abs te canitur: quia jam victus ac proſtratus tibi tamen plaudere non deſinis. Conſentire te jactas cum Chriſto. Certa & invicta ratio, ſi modo tibi concederetur. Sed ex quo principio hoc ſumptum eſt, magis Chriſti verbis conſentaneum eſſe, panem vocari corpus, quia cum eo corpus datur, quam quia ſymbolum eſt viſibile corporis, & quidem cum ſua veritate conjunctum? Quum vero Scripturam cauſeris nec Dialecticis nec Grammaticis legibus aſtringi, quod nos tibi libenter damus, quæro nunc qua conſcientia, vel etiam qua fronte noſtras contradictiones in eadem pagina exagites, quia quidam noſtrum in verbis Chriſti Synecdochen, Metaphoram alii, Metonymiam alii eſſe tradunt? Nam ſi in his figuris nulla eſt major religio, ſua cuique relinquenda erat libertas. Sicuti autem concludit Joachimus, licet in ſuo dogmate tuendo noſtri conſentiant, & in verbis quædam ſit conſonantia, contradictoria tamen ſcribere: viciſſim ex liquida demonſtratione concludere mihi liceat, ipſum nec probe nec ingenue facere, qui inexplebili contentionis ſtudio improbe ad conflandum diſſidium arripit, quæ facile conciliari inter ſe poterant: perperam multa calumnioſe detorquet, atque ex levicula quaque varietate gravem repugnantiam confingit. Dum vero Conſenſum noſtrum, quo ſepulta erant omnia diſſidia, ſuis nebulis quantum poteſt obſcurat, paci & concordiæ eſſe inimicum: atque etiam impudenter in arenam committere, qui majore conſenſu hoc caput doctrinæ iiſdem verbis explicant, quam hactenus fecerit unus quiſpiam ex eorum grege, quos nobis hoſtes opponit.

Nunc ad ſecundam partem deſcendo, in qua objectæ calumniæ crimen à ſe depellere conatur, quaſi vere dixerit nos in Sacramentis nihil præter vacua ſigna relinquere, ubi clare perſpicere licet quanto ſtupore ad contumaciam obduruerit. Teſtamur paſſim in ſcriptis noſtris longe differre ab inanibus figuris quæ Dominus nobis reliquit gratiæ ſuæ teſtimonia & ſigilla. Diſerte hoc Conſenſus prædicat, Dominum qui verax eſt, intus præſtare ſuo Spiritu quod oculis figurant Sacramenta; nec quum diſtinguimus inter ſigna & res ſignatas, disjungere à ſignis veritatem. Hunc locum luculentius & uberius perſequitur Defenſio. Summa tamen eſt, vere nobis Chriſtum offerri per Sacramenta, ut ejus facti participes, bonis ejus omnibus potiamur, ut denique ipſe vivat in nobis, & nos in ipſo. Qui exadverſo clamitat, ſtatui à nobis vacua ſigna, an non aperte Chriſtum, totamque ejus virtutem in nihilum redigit? Nam ſi quid eſt Chriſtus, & ſi quo in pretio habentur ſpirituales ejus divitiæ, pignus quo ſe nobis communicat, vacuum & inane dicendum non eſt. Si nunc excipiam, quod optimo jure licet, Chriſtum nihil prorſus eſſe Weſtphalo, gravem ſibi fieri injuriam quiritabitur. Sed quem putat eſſe tam hebetem, cui non ſponte in mentem veniat, judicium hoc facere? Ac ne litigando plus verborum conſumam, reſpondeat ipſe uno verbo, ſi contendit vacua eſſe ſigna, quæ veram Chriſti fruitionem afferunt, quanti Chriſtum æſtimet? Si tota ſpiritualium bonorum plenitudo non facit, ut quicquam veri &

ſolidi

Digitized by Google

ſolidi ſigna contineant, an non Spiritus ſancti virtus ſecundum eum evaneſcit? Quibuſnam præſtigiis illudet, ut non ſtatim appareat execranda hæc blaſphemia? Nam quod integumentis quibuſdam lucem obſcurat, puerile effugium eſt. Refert excogitatos fuiſſe tropos vel in verbo Eſt, vel in voce Corporis, ad probandam Chriſti abſentiam. Atqui ſecundum nos, panis ita corpus ſignificat, ut vere efficaciter, ac re ipſa nos ad Chriſti communicationem invitet. Dicimus enim veritatem quam continet promiſſio, illic exhiberi, & effectum externo ſymbolo annexum eſſe. Tropus ergo ſignum minime evacuat, ſed potius oſtendit quomodo non ſit vacuum. Nihilo etiam magis localis corporis abſentia ſigni exinanitio eſt, quia non deſinit Chriſtus ſe offerte ſuis fidelibus fruendum, quamvis in terram non deſcendat. Ac fruſtra in miſeram hanc latebram ſe abdit, quum alicubi fatear OEcolampadium & Zuinglium inter diſputationis exordia, ad refellendam ſuperſtitionem nimis attentos, non ſatis ſplendidis elogiis ornaſſe Sacramenta, ac de ipſorum effectu diſſeruiſſe, monendas nunc fuiſſe aperte Eccleſias, quatenus & in quibus facta ſit Conſenſio. Nam ſic articulate monuimus, ut nulla pars controverſiæ omiſſa fuerit. Acceſſit deinde fuſior & clarior explicatio. Quid ergo hoc aliud eſt, quam in luce cæcutire, quæ cæcis etiam ipſis manifeſta eſt? An hic rurſum dicet mihi ancipitem eſſe linguæ gladium, ut ſi profert clara teſtimonia, eum pugnantia loqui arguam? ſi præterit, accuſem perfidiæ? Ego vero optimo jure perfidiam illi objeci, quod ex locis truncatis captioſe arripuit quæ calumniæ obnoxia eſſent, & ſimul oſtendi non aliunde melius convinci ejus amentiam, quam ex locis ab ipſo citatis, quæ ſuſpicionem omnem lectoribus tollerent. Excerpit alicubi dimidiam ſententiæ unius partem, & de altera litem nobis intentat. Ego lectores ad librum ablego, cujus inſpectio malitiam Joachimi detegit ac convincit. Alibi quum producta ab ipſo teſtimonia ab ejus calumniis nos liberent, cur diſſimulem ipſum ſecum pugnare? Quare non eſt quod mihi ancipitem gladium exprobret, qui utrinque ſe miſere conſcindit, duoſque mihi gladios ſuppeditat, quorum aciem fruſtra obtuſo ſuo dilemmate retundere voluit. Certe etiam ſi nullo à me ictu feriatur, modis omnibus deprehenditur calumniator, dum nos falſæ invidiæ ſubjicere volens, nihil in Sacramentis præter nuda & vacua ſigna relinquere cauſatus eſt.

Atqui ſi quid habeat Luthero affine, ejus auctoritate crimen hoc probe dilutum eſſe putat. Scripſiſſe autem Lutherum refert, ſibi eodem eſſe loco quicunque credere renuunt in ſacra Cœna verum & naturale eſſe Chriſti corpus. Hoc quidem nimis imperioſe, qui ſententias longe remotas adeo non dignatur diſcernere, ut præter naturam miſceat. Atque hic locus amplo documento eſt, quam non temere dixerim Lutherum pravis delationibus accenſum nimis vehementer cauſam hanc egiſſe. Quis enim non melius ſibi temperaturum fuiſſe videt, niſi alieno impulſu provectus eſſet ad hanc hyperbolen? Parum certe honorifice de Luthero ſentit Weſtphalus, & alios ſentire vult, mediocre ei judicium adimens, ut inter inane & imaginarium ſpectrum, & ſpiritualem Chriſti participationem non diſcernat. In ſacra Cœna vere nos fieri Chriſti participes aſſerimus, ut vitam arcana Spiritus virtute ex carne ſua in animas noſtras inſtillet. Ita panis non inanis eſt rei abſentis pictura, ſed verum ac fidele noſtræ cum Chriſto unionis pignus. Dicet quiſpiam non aliter panis ſymbolo adumbrari corpus Chriſti, quam mortua ſtatua Herculem vel Mercurium repræſentat. Hoc certe commentum à doctrina noſtra non minus remotum eſt, quam profanum à ſacro. Ergo qui è gradu nos deturbat in eandem damnationem præcipitat, nonne ſublato rerum diſcrimine Solem è cælo detrahit? Si nos in conſenſu quod continet Auguſtana confeſſio complexos eſſe dixi, non eſt quod me aſtutiæ inſimulet. Verbis enim ſubſcribo, quæ illic etiam recitavi. De ſenſu, quia idoneus judex non eſt Weſtphalus, ad quem potius, quam ad auctorem ipſum provocabo? qui ſi verbulo declaret me à ſua mente deflectere, protinus deſiſtam. Lutheri alia eſt ratio. in cujus verbis quid ego deſiderem ſemper ingenue profeſſus ſum: tantum abeſt ut me obſtrinxerim. Nec Weſtphali lautitias moror, cui videtur contumelia in Lutherum eſſe intolerabilis, ipſum contentione elatum fuiſſe ultra juſtas metas. Contentioſum, inquit, tu Dei ſervum vocas? Non ita eſt: ſed quod modeſtiſſimis quibuſque accidit, ut modum in certamine excedant, id in Luthero ſi deploro; cujus nota eſt omnibus vehementia, mirum non eſt. Weſtphalo etiam ſine cauſa dolet fallacem Lutheri & Zuinglii conciliationem à nobis tentatam eſſe, quorum infelices conflictus ſepelire nobis propoſitum fuit. Eſto, pugnarint eorum ſententiæ: quid nos jam vetat eorum exemplo monitos, & ſedatis animis expendere, & magis temperato ſtylo tradere quid rectum ſit? Et ſanis lectoribus ſuam moroſitatem Weſtphalus probabit, qui nihil tale permittit? Colligit ſi in ea fide, quam ante annos circiter viginti profeſſus ſum adhuc perſto, me nihil minus credere, quam ſubſtantialiter in Cœna dari Chriſti corpus. Ego vero, quamvis ſubſtantia carnis Chriſti animas noſtras vere paſci fatear, ſubſtantialem præſentiam, quam imaginatur Weſtphalus, non minus hodie quam olim repudio. Neque enim ſi vivifica eſt nobis caro Chriſti, ideo transfundi in nos ejus ſubſtantiam neceſſe eſt. Sublato hoc transfuſionis commento, de voce ſubſtantiæ controverſiam movere nunquam mihi venit in mentem, nec unquam dubitabo fateri, arcana Spiritus ſancti virtute vitam in nos diffundi ex ejus carnis ſubſtantia, quæ non abs re cibus cæleſtis vocatur. Hac in re conſtanter aſſerenda major ſemper fuit mea ſimplicitas, quam ut ad lucem ejus obſcurandam, vel labefactandam fidem, tuæ calumniæ vel minimum proficiant. Efficaciter exhiberi in Cœna dixi Chriſti corpus, non naturaliter, ſecundum virtutem, non ſecundum ſubſtantiam. Quo poſteriore membro, localis ſubſtantiæ incluſio à me notata fuit. Simul tamen dixi Chriſtum ſua nobis bona non communicare, niſi quatenus ipſe noſter eſt. In hac doctrina ſic perſto, ut me non minus inſcite quam inique Weſtphalus anguillæ comparet. Quid enim dubii vel perplexi in hac doctrina reperit? Corpus Chriſti vere ſpiritualem eſſe cibum, cujus ſubſtantia animæ noſtræ paſcuntur, & vivunt: idque non minus vere in ſacra Cœna nobis præſtari, quam externo ſymbolo figuratur: modo ne corpus quaſi è cælo detractum, in pane quiſpiam falſa imaginatione includat. Quia Weſtphalum offendit hæc exceptio, anguillam cauda non poſſe teneri clamat. In Commentariis me tectiorem fuiſſe dicit, ſic temperatis coloribus, ut nonnulli, quamvis non obtuſi nec hebetes, vix divinarent quid mihi vellem. De meo ſtudio hoc ſancte teſtabor, quanquam in Dei veritate pure & ſyncere tradenda ſumma à me religio adhibita fuit, non tamen minori fuiſſe curæ, ut in ipſa dicendi forma ſimplex niteret perſpicuitas. Quid mea ſedulitate adeptus ſim, loquuntur ipſi libri, quos jactat fuiſſe gratiores, quia videbar idem cum ſuis ſentire: nunc vero poſtquam me Conſenſio è latebris in lucem protraxit, hanc gratiam fuiſſe perditam. Quid apud Weſtphalum & ſimiles gratiæ acquiſierint Commentarii, quid Conſenſio abſtulerit, neſcio. Sed quid ſi minime obſcurum eſt, quæcunque in Conſenſione capita reprehendit, vel ex Commentariis deſumpta eſſe, vel totidem fere verbis illic haberi: unde nova iſta alienatio? Quid moliatur, nemo tam hebes eſt quin olfaciat. Neque etiam diſſimulat ipſe alibi, hoc ſe moliri cum ſodalibus

ut libros meos undique exterminent. Qua æquitate, ipſi viderint: quando probabile non eſt gratos fuiſſe piis lectoribus, niſi ad Eccleſiæ ædificationem apti fuiſſent & utiles. Ego probos & ſani judicii homines, qui hoc experti ſunt, non fore tam faſtidioſos arbitror, ut ob articulum unum multiplicis doctrinæ fructu ſe privent. Quam vero ſecum belle conſentiat, ex duabus ejus ſententiis æſtiment lectores. Defenſionem ſcribendo dicit me ad latebras iterum fugiſſe, ut quaſi nube rectus incedam incognitus. proxima vero pagina aliunde probationes ſumere opus eſſe negat quibus me convincat aliud ſentire, quia non paucas ſuppeditat una Defenſio. Ubi igitur nubes illa, qua me obtegere volui? Dicit me non ita ſub fraudibus latere, quin me prodam. Atqui ſi quicquam fraudulente tentaſſem, non deerat mediocris ad cavendum prudentia. Sed hoc reperient lectores, mihi nihil fuiſſe majori curæ, quam ut omni ambiguitate diſcuſſa, enucleate traderem quod ego quotidie in Eccleſia profiteor ac doceo, & quod Deus ipſe me ex animo ſentire optimus teſtis eſt ac judex. Cæterum, quia Weſtphalus quicquid reprehenſione dignum cenſebat, vel ſaltem quicquid mordere volebat, in novem capita diſtribuit, eundem ego quoque ordinem ſequar.

Quia dico Chriſtum in nobis habitantem ita ad ſe nos attollere, ut vivificum carnis vigorem in nos transfundat, non ſecus ac vitali Solis calore per radios vegetamur: item, Chriſtum in cælo manentem ad nos ſua virtute deſcendere, me fidem Eccleſiæ pervertere arguit, acſi negarem Chriſtum nobis dare ſuum corpus. Ego vero quum dico Chriſtum ad nos ſua virtute deſcendere, nego me ſubſtituere aliquid diverſum, quod donationem corporis aboleat, quia modum donationis ſimpliciter explico. Excipit me ambigua Corporis ſignificatione fallere. Atqui toties repetendo verum & naturale illud corpus, quod in cruce oblatum eſt, putabam his cavillis ſatis ſuperque eſſe occurſum. Et certe ex qua officina commentum de corpore duplici prodierit, me latet, niſi quod mihi deteſtabilis eſt impietas fingere Chriſtum bicorporeum. Scio equidem quod ſemel mortale corpus Chriſtus induit, nunc novis cæleſtis gloriæ qualitatibus eſſe præditum, quæ tamen non impediunt quo minus idem ſubſtantia ſit corpus. Dico igitur illo corpore, quod in cruce pependit, non minus in ſpiritualem vitam animas ipſas vegetari, quam pane terreno corpora noſtra aluntur. Sed quia videtur obſtare locorum diſtantia, ne ad nos uſque perveniat carnis Chriſti virtus, nodum hunc ita expedio, Chriſtum licet locum non mutet, ſua ad nos virtute deſcendere. An hoc latitare eſt, quum ego ſimpliciter modum definio ejus manducationis, quam alii perplexo ſuo docendi genere obnubilant? Præciſe urget Weſtphalus, corpus Chriſti in Cœna comedendum proponi: de modo inquirere ſummum eſſe nefas ducit. Si quis excipiat, Petro teſte Chriſtum cælo comprehendi, donec judex mundi appareat, clarum Scripturæ teſtimonium non admittit. Ego Chriſtum in cæleſti ſua ſede relinquens, arcana Spiritus ejus influentia contentus ſum, ut nos carne ſua paſcat. Uter noſtrum flexuoſis ambagibus ludit? Atqui quum inculco veritatem ſignis conjunctam eſſe, virtutem Sacramenti non ſubſtantiam carnis intelligo. Ut concedam ita eſſe, non jam nudum ſignum erit, ſi virtute & effectu non careat. Sed unde carnis ſubſtantiam me ſubmovere colligit? nempe quia dico non minus vere nos, quantum ad vim ſpiritualem attinet, participes corporis Chriſti fieri, quam pane veſcimur. Colligit enim manifeſte me præſentiam ſubſtantiæ corporis negare: ſi tantum exhibetur Chriſti corpus, quia vis ejus ſpiritualis erga fideles ſe exerit. Si de locali præſentia litigat, fateor ſane me abhorrere ab hoc craſſo commento. Neque enim aliter Chriſtum in Cœna ſtatuo præſentem, niſi quia fidelium mentes, ſicuti illa eſt cæleſtis actio, fide ſupra mundum evehuntur, & Chriſtus Spiritus ſui virtute obſtaculum, quod afferre poterat loci diſtantia, tollens, ſe membris ſuis conjungit. Excipit Weſtphalus, merita Chriſti vel beneficia non eſſe ejus corpus. Sed cur locutionem, qua ſplendide noſtram cum Chriſto communionem commendo, maligne extenuat? Neque enim tantum dico applicari merita, ſed ex ipſo Chriſti corpore alimentum percipere animas, non ſecus ac terreno pane corpus veſcitur. Exceptio vero illa, quantum ad vim ſpiritualem attinet, non alio pertinet, quam ne quis ſomniet Chriſtum non ſine locali incluſione poſſe in Cœna nobis offerri. Ægre fert me realem communionem imaginariæ opponere. Quid ergo amplius flagitat? Nempe vult figuræ opponi. Quod ego facile concederem, modo non negaret quod inter prima fidei elementa inter pios omnes notum eſſe decebat, panem ſignum eſſe, vel figuram corporis. De hoc modo conveniat quod hactenus profeſſus ſum, nunc adhuc confirmo, ubi adeſt res ipſa, non fingendam eſſe nudam figuram. Et quidem non aliter ſanctæ memoriæ Bucerum ſenſiſſe, luculentis teſtimoniis probare mihi ſemper promptum erit. Quod inter opiniones rejectitias alicubi poſui, Chriſti corpus realiter & ſubſtantialiter adeſſe in Cœna, minime cum vera & reali communicatione pugnat, quæ & noſtro in cælum aſcenſu conſtat, nec alium Chriſti ad nos deſcenſum requirit, quam ſpiritualis gratiæ. Neque enim corpus ſuum loco movere neceſſe habet, ut virtutem ejus vivificam nobis inſpiret. Diſcrimen notare volens inter duos præſentiæ modos, priorem vocat phyſicum: in altero balbutit dicens tantum corporis præſentiam à ſuis aſſeri. Atqui vitioſa eſt partitio, cujus membra inter ſe coincidunt. Præſentiam carnis Chriſti in Cœna urget Weſtphalus: nos ſimpliciter non negamus, modo nobiſcum fide ſurſum conſcendat. Sed corporali modo ſiſti Chriſtum ſi intelligit, alios quærat ſuffragatores. Nec vero ſub amphibologia phyſici modi ludimus: quia nihilo nobis minus diſplicet fictitia Ubiquitas, quam mathematica ſub pane circumſcriptio. Negabit Weſtphalus ſe phyſicam Chriſti præſentiam imaginari, quia localiter corpus ſub pane non includat. Ego autem excipio, non minus perperam eum facere, dum Chriſto immenſum affingens corpus, ubicunque peragitur Cœna, illic adeſſe contendit. Nam ἄτοπον dicere corpus, quod ſemel induit Filius Dei, & quod ſemel crucifixum, in cæleſtem gloriam ſuſtulit; id vero prorſus eſt ἄτοπον. Quod poſtea de ſpirituali corpore nugatur, falſo & abſque colore in nos confert. Somniet ipſe ſi vult cum ſua caterva ſpirituale Chriſti corpus, quod nihil veræ corporis naturæ affine retineat: mihi fas eſſe non duco de alio corpore quicquam ſentire vel loqui, quam quod in cruce ad expianda mundi peccata oblatum, in cælos receptum eſt. Corpus illud ſi Weſtphalus ſpirituale eſſe alimentum ſine ſtomacho audire non ſuſtinet, quis de eo placando laboret? Reſpondet, fallaciter id præſentiæ & ſumptioni veri corporis opponi. Ego autem excipio, niſi aſtute fucum faciat, turpiter ipſum hallucinari, quia non de ſumptione, ſed tantum de ſumptionis modo nobis controverſia eſt. Præſentiam corporis nullam concipit, niſi ubique diffuſum ſub pane deliteſcat: niſi idem corpus deglutiant fideles, privari ejus manducatione putat. Nos vero Chriſtum monemus fide quærendum eſſe, ut præſentem ſe exhibeat, & manducationis rationem hanc tradimus, ut vim carnis ſuæ vivificam Spiritus ſui gratia in nos transfundat. Hoc non eſt ad carnis ſenſum exigere fidei myſteria, vel ea phyſicis rationibus metiri, ut falſo Weſtphalus obtendit, ſed fidei regulæ conformare ſacrum Cœnæ myſterium. Excipit Weſtphalus ſpiritualiter agi,

quic-

quicquid ſit ſecundum verbum Dei & fidem, nec interea conſiderat ipſo Dei verbo nobis præſcribi, qualiter nos in ſpiritualibus myſteriis gerere deceat. Mandatum olim Patribus fuit, ut ſe proſternerent coram Arca fœderis, illicque Deum adorarent. Quæro an ſatis fuerit verbum illud arripere, ut nullum eſſet adorationis diſcrimen? Certe craſſis & brutis hominibus in ſuperſtitionis prætextum jactare promptum erat, quia parebant Legis præcepto, ſpiritualiter ſe Deum colere. Atqui parata ſervis Dei exceptio fuit, præpoſtere & ſine delectu verbum Dei torquendo, carnaliter eos ſapere & agere. Quare Weſtphalus, ut ſpiritualem ſe probet, in ſuo ſenſu inſiſtere deſinat, quo ubi faſcinatus eſt quiſpiam, ad finem nunquam accedet. Cui ergo perſuadebit nos carnaliter ſacram Cœnam tractare, quia contra verbum & fidem Scripturas torquemus? Fateor ſi ei conceſſum eſſet, panem eſſe Chriſti corpus non ſymbolum, à fide aberrare, qui ſub panis ſymbolo corpus repræſentari dicunt. Sed ut nobis verbum eripiat, pietatis rudimenta importune convellit. Quidquid de ſpirituali manducatione concionamur, ad crimen noſtrum gravandum facere dicit: quia ſecundum eum, miſeros Chriſti puſillos turpiter ludificat. Hæc noſtra definitio eſt, ſpiritualiter à nobis manducari Chriſti carnem, quia non aliter animas vivificat, quam pane vegetatur corpus: tantum à nobis excluditur ſubſtantiæ transfuſio. Weſtphalo non aliter caro vivifica eſt, quam ſi ejus ſubſtantia voretur. Hoc crimen eſt noſtrum, obviis ulnis tale monſtrum non amplecti.

Secundum caput eſt, præſentiam & ſumptionem corporis & ſanguinis in ſpirituali Chriſti fruitione à me conſtitui, ut edere carnem & bibere ſanguinem nihil aliud ſit, quam credere in Chriſtum. Atque ubique reſonant ſcripta mea, differre manducationem à fide, quia ſit fidei effectus. Non à triduo ita loqui incœpi, nos credendo manducare Chriſtum, quia vere participes ejus facti in ejus corpus coaleſcimus, ut nobis communis ſit cum eo vita. Jam anni complures fluxerunt, ex quibus non deſtiti hoc ſubinde repetere. Quam turpe igitur Weſtphalo fuit, quum diſerte verba mea ſonent, manducare aliud eſſe quam credere: quod ego fortiter nego, quaſi à me profectum impudenter obtrudere lectoribus? Tam cupide ſcilicet ad me deformandum proſilit, ut falſarius malit deprehendi, quam nihil conflandæ invidiæ cauſa afferre. Tam putidum deinde figmentum alio integumento obſcurat, Chriſti corpus ſecundum me non aliter hodie à nobis comedi, quam olim à Patribus, quia omnes Chriſto communicant, eoque fruuntur. Ergo jam aliud mihi eſt edere carnem Chriſti, quam credere: niſi forte fruitionem & communicationem pro nihilo ducendam exiſtimet. Sed invidiam mihi facere cupiens, denuo intuitum eadem ſynceritate in fruitionis locum ſupponit: acſi docerem non aliter manducari Chriſtum, quam dum fides pro nobis mortuum intuetur. Quid ego calumniam hanc refellere nunc coner, à qua me centum librorum meorum teſtimonia vindicant? Sed quoniam eadem pagina me ſatis ſuperque abſolvit Weſtphalus, non aliunde petenda mihi erit defenſio. Verba enim mea recitat, ſpiritualem communicationis modum eſſe, ut reipſa Chriſto fruamur: panem eſſe corporis Chriſti ſymbolum, ut vere participes fiant Chriſti, qui & ore ſignum, & fide promiſſionem recipiunt. An his verbis doceri probat fruitionem Chriſti nihil aliud eſſe, quam fidei intuitum? Jam ergo hac in parte perſpiciunt lectores, quibus coloribus meam doctrinam obſcuret: vel potius detegitur ejus impuritas, quæ lucidiſſimam veritatem nimis fœde conſpurcat. Ejuſdem farinæ eſt quod mox attexit, edere Chriſti corpus tantundem valere, ſi verbis meis locus datur, quam promiſſionem fide recipere. Sed quomodo tam flagitioſe ſe proſtituere audet? Diſtincte, eo quoque teſte, affirmo vere fieri Chriſti participes, ut ejus carne paſcantur qui fide promiſſionem recipiunt. Ergo aliud eſt manducatio carnis Chriſti, quam promiſſionis receptio: ſi quidem admittit, cauſam ab effectu ſuo differre. Quis enim ex meis verbis non colliget, quod ſpirituale nobis alimentum eſt caro Chriſti incomparabilem fidei eſſe fructum? Ne quis efficacia promiſſionem carere putet, qua nobis offertur Chriſti corpus, vacuos & inanes à Cœna diſcedere nego, quicunque fide promiſſionem recipiunt, quia ſimul oblato Chriſto vere fruuntur. Quænam inverſio faciet, ut credant oculati lectores quod aperte affirmo, me negare? Quod mihi criminis loco imputat, ſi doceam ore nihil præter ſignum recipi, adeo non recuſo, ut hinc de tota controverſia judicium fieri maxime cupiam. Cur enim mecum rixetur Weſtphalus, uno hoc verbulo retectum ac pateſactum eſt: quia pro fratribus non agnoſcit, niſi qui ad vorandum Chriſtum os & ventrem afferunt. Non nego equidem quin ſe defraudent uſu Cœnæ qui ex communione auferunt ſubſtantiam carnis & ſanguinis vivifici. Tantum excipio, perperam in nos conjici quod ſibi ex proprio cerebro comminiſcitur Weſtphalus: quia etſi non detrahimus è cælo corporis Chriſti ſubſtantiam, ut nos vivificet, multum tamen abeſt quin eam excludamus à Cœna, qui vitam ex ea in nos defluere teſtamur.

Tertium caput eſt, veram præſentiam corporis & ſanguinis à me negari, dum Chriſti abſentiam ſecundum corpus induco. Dabunt veniam lectores, ſi ad refutandum hominis garritum eadem ſæpius iterare cogar. Quomodo non impediat locorum diſtantia, quo minus adſit Chriſtus ſuis in Cœna, ante diſſerui. Principium illud ſemper teneo, ut Chriſto potiamur, in cælo quærendum eſſe, non ſolum ne quid de eo terrenum imaginemur, ſed quia corpus in quo Redemptor apparuit mundo, & quod ſemel in ſacrificium obtulit, nunc cælo contineri oportet, ut Petrus teſtatur. Spiritus autem ſui virtute Divinaque ſua eſſentia non modo cælum & terram implere fateor, ſed etiam mirabiliter nos ſibi coagmentare in unum corpus, ut caro illa, quamvis in cælo maneat, nobis alimentum ſit. Ita Chriſtum corpore abſentem doceo nihilominus non tantum Divina ſua virtute, quæ ubique diffuſa eſt, nobis adeſſe, ſed etiam facere ut nobis vivifica ſit ſua caro. Nam quum arcana Spiritus ſui gratia ad nos penetret, non neceſſe eſt, ut alibi diximus, ipſum corpore deſcendere. Reclamat hic Weſtphalus, me Spiritus præſentiam opponere carnis præſentiæ: ſed quatenus id faciam ex eodem loco clare patere malevolentia excæcatus non inſpicit. Neque enim ſimpliciter Spiritu ſuo Chriſtum in nobis habitare trado, ſed ita nos ad ſe attollere, ut vivificum carnis ſuæ vigorem in nos transfundat. An non hic aſſeritur præſentiæ ſpecies, ut vitam hauriant animæ noſtræ à carne Chriſti, quamvis illa locorum ſpaciis procul à nobis diſſita ſit? Weſtphalo intolerabilis eſt locutio, Chriſtum in cælo totum manentem ſua ad nos virtute deſcendere, quia credat Eccleſia ubicunque Cœna peragitur, præſens eſſe ejus corpus. modo præſentiæ modum quem expoſui amplectatur, non diſſentio. Si vero Chriſtum, ut Numa Pompilius ſuum Jovem, è cælo elicere velit, ipſe ſibi eſt Eccleſia. Nam quod fatetur non verſari nunc Chriſtum in terra, ſicut ſuæ diſpenſationis tempore, quorſum pertinet, niſi ut inviſibilis adhuc in terra habitare fingatur? Scriptura quum de Chriſti aſcenſu loquitur, ſimul inde venturum pronunciat. Si nunc ſecundum corpus occupat totum mundum, quid aliud vel fuit aſcenſus ejus, vel erit deſcenſus, quam fallax & inane ſpectrum? Et ſi tam propinquus nobis eſt ſecundum corpus, nonne præpoſterum fuit cælos aperiri, ut eum Stephanus in gloria ſua ſedentem conſpiceret? Scio quid cavillari

ſolcant,

Digitized by Google

ſoleant, cæli nomine nihil quam immenſam gloriam notari. Verum ſi conſulto ſublatus eſt à terra, & nubes interpoſita fuit, ut ſe piæ mentes ſurſum attollant, perperam inviſibilis habitatio obtruditur, quæ fidei aſſenſum reflectens ſubſidere nos in terra cogat. Quare judicium quod Eccleſiæ nomine eructat Weſtphalus, ei reſorbendum eſt, deviare à recta fide, qui Chriſtum corpore in Cœna præſentem eſſe non concedunt. Nemo enim ſanæ mentis ut judicis *In Joan. Tract. 50.* ſolio nihili hominem imponat, Auguſtinum ab Eccleſia ejiciet. Atqui nobiſcum ille clare affirmat ſecundum præſentiam majeſtatis Chriſtum ſemper fidelibus adeſſe: ſecundum præſentiam carnis, recte diſcipulis eſſe dictum, Me non ſemper habebitis. Ac ne in voce carnis effugium fruſtra captetur, ſenſum ſuum ſuſius exponit, quod corpus crucifixum in cælos ſuſtulerit, ideoque inter nos non verſetur. Objicit rurſum Weſtphalus, Eccleſiam Verbum & Sacramenta à Spiritu Chriſti in nobis habitantis nos ſeparare. Diſcedat igitur ipſe ab Eccleſia, cujus fidem verbis meis profitetur. Cœnam plus centies dixit ſacrum eſſe vinculum noſtræ cum Chriſto unitatis. Palam in defenſione Conſenſus aſſero, efficaciter hoc organo Chriſtum uti, ut in nobis habitet. Verba mea, quibus Eccleſiæ fidem exponat, dum mutuatur Weſtphalus, ſaltem in ea mihi locum aliquem tribuit. Quod igitur novum ſibi aſylum quæret? Nam quod aſſumit commentum de craſſa corporis participatione, quotuſquiſque ei concedet? Fatemur quidem & nos, quicunque carnis Chriſti participationem reſpuunt, ejus Spiritum à ſeipſis arcere. In eo tantum quæſtio nobis vertitur, carnaliſne ſit Spiritus participatio.

Porro in quarto capite aperte prodit Weſtphalus, nullam ſe niſi carnalem carnis præſentiam agnoſcere. Faceſſant tantum convitia, quibus cauſam obruere conatur. Initio vocor Sacramentarius, dicor infamare eos, qui diſpenſari in ſacra Cœna fatentur veram Chriſti carnem. Quaſi vero non ubique difertis verbis aſſeram, ex vera Chriſti carne nobis alimentum in Cœna porrigi. Quid ergo juvat mendaciorum nebulis obducere claram lucem, quæ totius cauſæ nodum explicat? Carnem Chriſti nobis edendam proponi ſiquis ſincere & luculente tradit, ego unus ſum ex numero: modum tantum definio, quod Spiritus ſui virtute Chriſtus locorum diſtantiam ſuperet, ad vitam nobis è ſua carne inſpirandam. Uter de Chriſto magis honorifice loquitur ac ſentit, egone, qui fide omnia impedimenta tranſcendo, ut certo ſtatuam cæleſti Chriſti potentia vitam ex ejus carne in animam meam defluere: an Weſtphalus, cui vivifica non eſt Chriſti caro, niſi quatenus in os & ventrem ingeritur? Perplexe hic non ago: ſi Chriſti carnem diſpenſari vult, aſſentior: modi tantum definitio quæritur, quam ego oculis ſubjicio, ipſe perverſe ambagibus involvit. Hoc ſi memoria teneant lectores, poſthac nullo profectu mentietur Weſtphalus, de carnis Chriſti participatione nobis litem eſſe. Nec vero inſcitia labi potuit, tam diligenter à me admonitus: ſed ut victoriam apud imperitos teneret, rem lucidiſſimam atro carbone notare nulla religio ac nullus pudor fuit. Perinde putidum eſt quod ſubjicit figmentum, non credere nos dari verum corpus, niſi cernamus palpemuſque carnem & oſſa. Quin potius corpus è cælo non detrahentes, nobis tamen dari credimus, ut in ſpiritualem vitam vere animas noſtras alat ac vegetet. Jam ſi ſuas illas exceptiones ingerat, in tradendo modo geometricis rationibus nos Cœnæ myſterium metiri, facilis & prompta excuſatio eſt, patefactum eſſe vel ejus teſtimonio, nos potius ex Chriſti ore pendere, dum ejus verba nos torquere clamitat, Palpate & videte: ſpiritus carnem & oſſa non habet. Quid de Chriſti corpore nobis ſentiendum, niſi quod ipſe pronunciat? Nos Euclidem hic non aſciſcimus nobis patronum: ſed acquieſcimus Filii Dei ſententiæ, ex quo optime diſcemus quænam ſit corporis ejus natura. Quum hic nihil torturæ oſtendere poſſit Wephalus, tortuoſum ipſe commentum excogitat, hoc dixiſſe Chriſtum ad veritatem reſurrectionis probandam, aliam vero Cœnæ eſſe finem. Ego autem excipio, etſi alio conſilio Cœnam ſuam inſtituit Dominus, manere tamen illud fixum, quod ſemel protulit de corporis ſui natura. Ne abſurdum videatur quod tradunt inviſibile corpus ubique eſſe, quod ſcimus fuiſſe Virginis: utero incluſum, ſuſpenſum in cruce, & in ſepulchro conditum, reſpondent immenſitatem, de qua loquuntur, in cæleſte corpus & glorioſum competere. Parata nobis objectio eſt, glorioſum jam fuiſſe corpus, ut videndum & palpandum Chriſtus diſcipulis præbebat. Certe id ad cauſam appoſite citari arbitror. Quare non eſt quod philoſophiæ & theologiæ conflictum ebucciuet Weſtphalus. Neque enim philoſophia nobis dictat, vel ſpirituali virtute præditam eſſe humanam carnem, ut animas vivificet, vel hanc vitam è cælo ſpirare, vel efficaciter ſub externo panis ſymbolo eadem nos vita potiri. nihil tale vel communis ſenſus capiet, vel ex philoſophicis ſcholis prodibit. Unde etiam apparet, quam magnifice ſupra humani ingenii captum Cœnæ myſterium extollere nobis curæ ſit. Atqui Weſtphalus naturæ Conditorem ex adverſo loquentem inducit. Quid autem loquitur? Nempe ſe corpus ſuum dare. Prodeat ipſe antagoniſta ad evertendam hujus promiſſionis fidem, quam nos reverenter amplectimur. Nam etſi præter panem & vinum nihil oculi noſtri conſpiciunt, fide tamen vitam apprehendimus, quæ ex Chriſti carne & ſanguine promanans, in animas uſque noſtras penetret. Reſpondere nos ore Chriſti jubet, fideſne rationi carnis, an potius Filio Dei habenda ſit. Ego vero centies periiſſe malim, quam unum Chriſti verbulum cum tota philoſophia ad trutinæ examen appendere, ſicuti Weſtphalus poſtulat. Neque enim ſacroſancta modò, & [illegible] nobis eſt Chriſti auctoritas, ſed ad frænandos omnes hominum ſenſus, totamque mundi ſapientiam ſubigendam abunde ſufficit. Longe inter nos aliud agitur, fideſne cæleſtibus iſtis oraculis conſtare debeat, ſperandam nobis reſurrectionem eſſe, quæ corpus noſtrum corruptibile & abjectum conforme reddat glorioſo Chriſti corpori: venturum è cælo in nubibus Filium hominis, ut mundum judicet: Jeſum Nazarenum poſtquam in cælum aſcendit, venturum ſicut viſus eſt aſcendere. Reſpondeat Weſtphalus, an unumquodque corpus die ultimo immenſum fore putet, Nam quum ex transfiguratis in eandem gloriam corporibus noſtris, Chriſti potentiam æſtimari velit Paulus, vel ea in nihilum redigitur, vel credere neceſſe eſt, non magis nunc immenſum eſſe corpus Chriſti, quam noſtra tunc futura ſunt. Quod de Chriſti in cælum aſcenſu, de ſecundo ejus adventu adducimus ex Scriptura, ſecure Weſtphalus deridet, quaſi probandæ reſurrectionis cauſa viſibili forma in cælum ſublatum ſit Chriſti corpus, poſtea & formam & dimenſionem exuerit. Atqui ab Angelis idem ab aſcenſu uſque ad diem ultimum ſtatus relinquitur. Futili tandem argutia nos eludere tentat. Pugnare enim cum phyſica noſtra dicit Pauli ſententiam, ubi tradit Chriſtum ſupra omnes cælos aſcendiſſe. Quid? an nos inter medias ſphæras Chriſtum locamus? vel tugurium ei extruimus inter planetas? cælum nobis eſt magnificum Dei palatium, toto mundi opificio ſuperius. Tripudiat Weſtphalus, quod Chriſtus ſecundum nos extra locum habitet. quaſi huic cavillo opportune non fuerit à nobis occurſum. Neque enim Chriſtum ſub pane deliteſcere negamus, quia loco proprie incluſus ſit, ſed quia elementis omnibus ſuperior, extra mundum habitat. Excipit non magis cum phyſica pugnare, corpus pluribus in locis eſſe,

quam

quam nullo contineri loco. Iterum repeto nobis de phyſica non eſſe certamen, ſed tantum hoc contendere, ut ſalva nobis maneat corporis veritas, qualis in Scriptura aſſeritur. Corpus vero etiam ſi ſupra cælos evectum à communi naturæ ordine immune ſit, non tamen verum eſſe corpus deſinit: & terrenis qualitatibus cautum, quod tamen ſubſtantiæ proprium eſt retinet. Injuſte ergo Weſtphalus ex philoſophiæ dictatis nos magis pendere inſimulat, quam ex verbo Dei. Ego autem meo jure ipſum admoneo, ut ſuæ pervicaciæ valedicens, de genuino verbi Dei ſenſu doceri ſe ſuſtineat. Alioqui valeat ipſe cum ſuo phantaſmate, quod in Chriſti verbis perperam comminiſcitur.

Quintum caput eſt de Transfuſione ſubſtantiæ, ubi ſuo more præfatur pro ſomnio me habere Eccleſiæ fidem. Miror autem cur non ſaltem à Luthero, quem ubique ſibi magiſtrum jactat, didicerit Eccleſiæ nomen parcius & modeſtius obtendere. Neminem enim ex Papiſtis hactenus video protervius & magis effræni audacia fuiſſe Eccleſiæ titulo abuſum. Ego quidem interrogo non ſtomachoſe, ſed optima ratione, ſitne ſomniandum, Chriſti ſubſtantiam in nos transfundi, ut ſordibus noſtris inquinetur. Jejunus hic Rhetor, qui mihi ſine colore ullo ſtomachum exprobrat, graviter excandeſcit, ac ſi mea ſomnia in ipſum transferrem. Ego vero nec eum privatim, nec ejus catervam adeo ſuſpicione gravare volui, ut magis propoſitum fuerit quicquid ſuſpicionis in ambiguis ejus verbis hærebat, diſcutere. Ac nunc meo exemplo oſtendam, quanto ſatius ſit comiter amplecti, quæ recte dicta ſunt, quam faſtidioſe, ut ipſe ſolet, ac ſine delectu reſpuere. Libenter itaque depoſita contentione, quod mihi concedit recipio, Chriſti carnem neque in nos transfundi, neque locari in pane, neque cum pane connecti. ſepultæ per me maneant hujus generis locutiones, quas tamen falſo à nobis confictas eſſe conqueritur, ad deformandum contrarium dogma. Utinam ea quam ſimulat verecundia & ſobrietas, in eorum libris extaret, quibus nihil aliud penſi fuit, quam ſuum figmentum urgere, in pane eſſe Chriſti corpus. Sed liberum jam ſit Weſtphalo atque integrum, ex intimo ſuo ſenſu quidquid libuerit proferre. hoc uno ſe contentum reſpondet: quia Sapientia æterni Patris dari corpus affirmat, præſentiam corporis in Cœna ſtatui: de modo præſentiæ, quia incomprehenſibilis eſt, ſe non inquirere. Atqui mihi certa eſt ac expedita defenſio, ut detur Chriſti corpus, minime tamen requiri præſentiam: quia jam ante expoſui, quod ex locorum diſtantia obſtaculum ingeritur, immenſa Spiritus virtute ſuperari. Dari corpus utrinque fatemur, præſentiam quæ inde minime conſequitur, perperam inferri dico. Neque etiam nego myſterium humanæ curioſitati inpervestigabile, quod Chriſtus è cælo carne ſua nos in terris paſcit, modo ne abſurdis occurrere gravetur, quæ clauſis oculis nimis oſcitanter præterit. Quid vero magis tyrannicum, quam verbo uno urgere præſentiam, de cujus ratione quidquam poſtea diſſerere ſit nefas? atque ita monoſyllabis edictis tam captivas tenere mentes, quam ora obſtruere? Suppoſititium eſſe ſermonem dicit Weſtphalus, de ſubſtantiæ Chriſti cum noſtra mixtione. Modum igitur definiat, quo panem qui ore comeditur, velit eſſe Chriſti corpus. Recuſat, imo maledictis inceſſit qui ſciſcitari audent. hæc magiſtralis eſt ejus Theologia. Eodem imperio morem hunc mihi eſſe pronunciat, pro ſomniatoribus habere, qui credunt dari verum Chriſti corpus. Nam ſi ratione ſecum diſceptari patitur, quo more uſitatum mihi probabit, quod nuſquam in ſcriptis meis reperitur? Quanquam autem alicubi me aſſerere commemorat, panem Cœnæ non nudam eſſe figuram, ſed veritati & ſubſtantiæ ſuæ conjunctam, contendit tamen me ſubſtantiam omnem è Cœna tollere. Primum quo ſenſu illam Subſtantiæ vocem acceperit neſcio, nec ſane anxie curo. Satis ſit monuiſſe lectores, Chriſtum ubique à me vocari Baptiſmi Cœnæque ſubſtantiam. Ne quid enim ad perſpicuitatem deſit, duo nobis offerri dico, Chriſtum, & quæ ex eo nobis proveniunt dona. Ita ſicuti terrenis panis & vini ſymbolis conſtat ſacra Cœna, ita Chriſtus mihi veluti ſpiritualis ejus materia eſt, quæ ſymbolis reſpondeat. Ubi autem in ſacram cum Chriſto unitatem coaluimus, hinc manat donorum ſpiritualium fructus & utilitas, ut nos ſanguis ejus abluat, ſacrificium mortis Deo reconciliet, obedientia juſtitiam pariat, & quæcunque beneficia per ejus manum nobis largitur cæleſtis Pater. Hæc diſtinctio quum in Conſenſu liquide ſit expreſſa, parum verecunde Weſtphalus Subſtantiæ nomen me ad uſum & vim carnis Chriſti transferre garrit, remota ipſa ſubſtantia, niſi in nihilum redigi perſuadeat, cui ego priores partes aſſigno. Nec tamen interea diſſimulo doctrinam meam ab ejus commento de præſenti corporis ſubſtantia longe diſcrepare. Aliud enim eſt, præſentem Chriſti ſubſtantiam ut nos vivificet in pane ſiſtere, aliud vivificam eſſe Chriſti carnem, quia ex ejus ſubſtantia vita in animas noſtras profluit.

Sexto capite me exagitat, quia ſic panem & vinum Cœnæ facio corpus & ſanguinem Chriſti, ut Manna olim Patribus cibus ſpiritualis, & petra Chriſtus fuit. Sed cur mihi potius quam Apoſtolo iraſcitur? cujus verba, ut opinor, recitare mihi licuit. At Manna, inquit, & aqua figuræ tantum erant. Transigat ut volet cum Paulo: mihi ſatis eſt ex Spiritu ſancti præſcripto ſapere. Jam mihi ſaltem Phyſicam non objiciet. De Cœnæ myſterio quidquam non audeo concipere, niſi è cælo dictatum. Paulus Judæos nobis comparans, dicit eandem comediſſe ſpiritualem eſcam, & eundem bibiſſe ſpiritualem potum. Clamitet nunc Weſtphalus non obſcura eſſe verba, Hoc eſt corpus meum. Mihi Apoſtoli interpretatio longe clarius ſuffragatur. Non enim Manna ſimpliciter ſpiritualem Patribus cibum fuiſſe docet, ſed eundem cum noſtro, qui in Cœna porrigitur. Negari enim non poteſt, quin duo illic Sacramenta inter ſe Paulus conferat. Niſi forte idoneus Weſtphalo interpres Paulus non erit, optime quadrat quam ex eo deſumpſi, comparatio. Atqui nondum carnem induerat Filius Dei. Si qua eſſet ingenuitas, nodum hunc à me ſolutum in Commentario fuiſſe non taceret, ubi dico modum edendi Patribus fuiſſe à noſtro diverſum, quia ſubſtantialis hodie manducatio eſt, quæ tunc eſſe non potuit: nempe dum carne pro nobis immolata Chriſtus nos paſcit, ut vitam ex ejus ſubſtantia hauriamus. Sicut agnus ab origine mundi mactatus fuiſſe dicitur, ita oportuit Patres ſub Lege ſpirituale alimentum ex carne & ſanguine petere, quibus hodie non tantum pro ampliore revelationis menſura uberius fruimur, ſed quia caro ſemel in ſacrificium oblata, quotidie nobis fruenda porrigitur. Quod ergo concludit Weſtphalus, æquare nos figuram veritati, in eo detegitur nimis contumax malitia, quum diſtinctos à me notari gradus non ignoret. Cur tamen illi in mentem venerit, nihil præter umbram vetuſtis Patribus relinquere, valde miror. Etſi enim umbratilem fuiſſe fatemur totam Legis adminiſtrationem, Patres tamen ſignorum, quibus uſi ſunt, veritate privare, neque fas neque rectum eſt. Quanto melius Auguſtinus, qui ſpeciem unius ſymboli ab alterius ſpecie diſcernens, Chriſtum in medio utriſque communem ſtatuit? Quod ſi diſſimilium comparatio demonſtrat, nos poſthabita inſtitutionis & verborum Chriſti ratione, ſicuti criminatur Weſtphalus, vacuam ejus carne & ſanguine Cœnam fingere, idem in caput Pauli crimen recidet, qui nobis hujus ſententiæ auctor eſt. Quod de Manna dictum eſſe negat, Hoc eſt corpus venturi Chriſti, vel de aqua, Hic eſt ſanguis novi Teſtamenti,

facilis reſutatio eſt. Nam aut negare oportet eodem in utroque ſigno cibum eſſe ſpiritualem, aut quod de pane & calice profertur, in Sacramentum illud legale ſuo modo competit. Etſi enim plenius nos Chriſtus carnis ſuæ, in qua exhibitus eſt, ſubſtantia, quam olim Patres ſub Lege, vivificat, non tamen facit hæc diſparitas, quin communiter nobiſcum facti ſint ejus participes. Videndum tamen, quam juſta de cauſa tam ſuperbe hic inſultet. Quia præciſe verbis nos alligant inexorabiles iſti magiſtri, dixeram panem eſſe corpus, & vinum ſanguinem, ſicuti & Manna Chriſtus, columba Spiritus alibi vocatur. De locutione certamen nobis eſt, quam mordicus arreptam tenent adverſarii. Ego ſimiles profero; quos idem valere æquum eſt. Si nunc Weſtphalus excipit de pane dictum eſſe, Hoc eſt corpus: cur mihi viciſſim objicere non liceat de veteri Sacramento recte eſſe dictum, Hic eſt Chriſtus, de columba, hic eſt Spiritus ſanctus? Donec probet propriam uni loco eſſe Grammaticam, quæ aliis omnibus non conveniat, non aliud evincet apud ſanos judices, niſi panem eſſe corpus, quemadmodum Deus columbam Spiritum ſuum vocat.

Septimo capite eandem retexit telam, quam ſupra quarto exorſus fuerat. Quæ tamen repetitio hoc nomine non ingrata mihi eſt, quod melius patefaciet lectoribus, qua de re contendat. Cœnam me Chriſto vacuam ponere cauſatur, quia Chriſtum cælo includam, ſicuti eum in cælo quæri voluit Zuinglius, cæloque capi docuit, donec in judicium appareat. Non animadvertit autem bonus hic cenſor, Petri Apoſtoli verba eſſe, quæ tanquam à Zuinglio profecta flagellat. Omitto etiam quum Zuinglius ſententiam ſuam explicans, ſcripſiſſet, Nos volumus, verbum hoc non ſecus exagitari, quam ſi ille fidus & ſtrenuus Eccleſiæ doctor Chriſtum imperio ſuo ſubjiceret. Nugator, ſi neſciebas Latinos ſcriptores paſſim ita ſolere loqui, ut velle ſe dicant quod intendunt, idque ſine ulla ſuperbiæ nota: ubi tua eruditio: cujus aſſerendæ cura quantopere te excruciet ex libro perſpicitur? Si vero ſciebas, ubi integritas & candor? Sed ut de rei ſumma agamus, ſi Chriſtum in cælo quæri non vult Weſtphalus, nodum hunc nobis expediat, quomodo teſte Petro, oporteat ipſum cælo capi. Connivens ad Petri teſtimonium, digreditur in locum communem, quærendum eſſe non ubi homines volunt, ſed ubicunque promiſit ſe præſentem fore. Quaſi vero noſtris, vel hominum placitis, ac non potius cæleſtibus oraculis pugnemus. Atqui ſe exhibet Chriſtus in verbo & Sacramentis. Non negamus, ſi tantum definiatur exhibitionis ratio. Sed quando promiſſiones hic Weſtphalus oſtendit, admittat neceſſe eſt Chriſti præſentiam extra Cœnæ uſum non minus quam in Cœna. Promiſſio Chriſti eſt, Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi. item, Ubi duo aut tres fuerint in nomine meo, illic ſum in medio eorum. Negabit carnis & ſanguinis nomen exprimi. Quid? an totus & integer Chriſtus non eſt Deus manifeſtatus in carne? Obtineo igitur illic quoque certo modo quærendum eſſe Chriſtum. Idem ſi ad Cœnam transferimus, cothurnos induit Weſtphalus, & tragice exclamat fidem abrogari Chriſti verbis. Nihil hæſitemus, inquit, in Sacramentis cælum & domum Dei eſſe, ibique Chriſtum certo inveniri. Quaſi vero non etiam ſubinde occurrat hæc locutio, Deum ſedere inter Cherubim. Unde ſequitur quærendum tunc ſanctis Patribus illic fuiſſe. Et certe quum ad quærendam ejus faciem David hortatur, Arcam fœderis cum altari, totoque Sanctuario proponit. Nec vero hodie pias mentes ita in cælum aſſurgere jubemus, ut ſe à Baptiſmo & ſacra Cœna avertant. Quin potius ſedulo monemus, cavendum eſſe ne vel in præcipitium ruant, vel evaneſcant in vagis ſpeculationibus, niſi in cælum conſcendant his ſcalis, quæ non fruſtra Divinitus ſunt nobis ordinatæ. Ergo ut Chriſtum in cælo inveniant fideles, docemus eos à verbo & Sacramentis incipere. Ad Baptiſmi & Cœnæ intuitum eos convertimus, ut hac via in cæleſtis gloriæ altitudinem pergant. Hac ratione Jacob Bethel vocabat portam cæli: quia viſione adjutus non in terra mentem defixit, ſed didicit fide in cælum penetrare. Deſinat igitur Weſtphalus clamare toto errari cælo, quum alia via quæritur Deus quam ſe patefecit, quia hæc doctrina ſplendidius à nobis expoſita eſt, quam aſſequi ipſe queat. Potius expendat ſecum quod nunquam hactenus guſtavit, Deum ſe ab initio viſibilibus ſymbolis patefeciſſe, ut gradatim ad ſe fideles eveheret, ac terrenis rudimentis ad ſpiritualem notitiam perduceret. Nam quod ſe omnis culpæ expertem putat, quia Chriſtum adeſſe prædicat ubi eſt ejus verbum & promiſſio, longe in eo fallitur. Neque enim minus ſevere Judæos objurgat Scriptura, qui Dei verbo abuſi, ſuperſtitioſe eum in Templo quærebant, quam ſi extra verbi fines egreſſi eſſent. Verum quidem eſt, adeſſe Chriſtum ubicunque apparet ejus promiſſio, quæ viva ejuſdem imago eſt, modo ſequamur quo nos ducit. Sed ultra nos urget Weſtphalus, fingere Chriſtum aliter in Cœna adeſſe, quam verbo ſuo expreſſerit, quia ſuo corpore & ſanguine adeſſe negamus, nec placet nobis modus corporalis præſentiæ. Unde etiam colligit nos relicta vera Cœna inanem & vacuam retinere. Hoc quidem effutire Weſtphalo pro ſua audacia facile fuit: ſed quis ei credet, donec nodum hunc expedierit, Chriſtum ſic panem porrigere in Cœna, ut ad recipiendum ſuum corpus fideles ſurſum invitet? Hoc non ſpeculatione aliqua philoſophica, vel unius etiam verbuli fallaci prætextu freti, ſed perpetua Scripturæ doctrina aſſerimus. Exigatur hæc noſtra confeſſio ad fidei analogiam, minime vereor ne quod reperiatur diſſidium. Si modus corporalis præſentiæ in officina minime legitima excuſus nobis diſplicet, an ideo expreſſis Chriſti verbis non ſubſcribimus? Corpus ſuum ſe dare promittit Filius Dei: verbum ejus apud nos ſine controverſia plenam fidem obtinet. Ac quanquam reclamat carnis ſenſus, & natura tam ſublime arcanum, Angelis etiam admirabile non admittit: certo tamen credimus intus cæleſti virtute impleri, quod nobis viſibile ſymbolum figurat. Quum inter Magiſtrum & nos optime conveniat, Weſtphalus ſe medium ingerens, turbas miſcet, ac ſi ſacram Cœnam aboleremus, quia panem non fatemur ſubſtantialiter corpus eſſe, vos præter panem nihil dare, nihil accipere pronunciat. Quid? ſi infidelibus Chriſti corpus concedit, unde nova iſta auſteritas? Chriſtum mendacii argui contendit, ſi non peræque ejus carne & ſanguine potitus ſit Judas ac Petrus. fingamus pro fidei noſtræ modulo nondum nos apprehendiſſe miraculum, quod jactant iſti doctores: quodnam eſt tantum noſtrum ſcelus, ut longius quam Judam nos extrudant? Hanc ſcilicet reverentiam deferunt Chriſto, ne cujus apud eos momenti ſacra ejus inſtitutio ſit, niſi eorum placito innixa. Si quis fœtidus ſcortator, ſi periurus, ſi veneficus, ſi latro, ſi quo etiam turpiore flagitio opertus, ſi ſemipaganus quiſpiam ad ſacram Cœnam accedat, ſi illuc afferat vel ſceleris, vel ſuperſtitionum inquinamenta, ſanctum Chriſti corpus ei proſtituunt. Nobis quia de recipiendi modo non conſentimus, nihil relinquunt præter panem & vinum. Detonat etiam pleno gutture Weſtphalus, ſine fructu nos de ſpirituali manducatione concionari, ac ſi pluris ſit articulus unus de carnis præſentia, quam plena & ſolida fides. De Chriſti natura, virtute, ac beneficiis omnibus: de utraque Chriſti natura, de ejus functione & officio, de efficacia & fructu tam mortis ejus quam reſurrectionis, de ſpirituali ejus regno, orthodoxam eſſe meam fidem fateri cogitur. Finem etiam & uſum Cœnæ recte

à me

Digitized by Google

à me exponi non negat. Hoc totum ut ne pili quidem æſtimet, ſcrupulus unus facit, quia carnis ſubſtantiam ore vorari non credimus. Atqui quum hæc duo, inquit, conjunctim dicta ſint, Facite in meam commemorationem: item, Hoc eſt corpus meum: utrumque ſimul credi neceſſe eſt, quia fruſtra alterum credemus in altero increduli. Quorſum verboſa iſta denunciatio, quum in diſceptationem minime veniat Chriſti auctoritas, ſed verborum duntaxat ſenſus? Res eſſe individuas promiſſionem & mandatum pridem ſatis copioſe docui. Quare donec extorqueat hic clamator formam loquendi in Chriſti verbis non eſſe ſacramentalem, nec quidquam habere cum aliis omnibus Scripturæ locis conſentaneum, ubi de Sacramentis agitur, nos vocando incredulos inſanum & vecordem ſe eſſe prodet.

Octavo capite diſputat ex abſurdis, quæ ad refellendum carnalis præſentiæ figmentum objicio, liquido patere nihil me minus credere, quam veram in Cœna carnis Chriſti diſpenſationem. Mihi vero aliud eſſe, reſpondeo, vere nobis dari Chriſti corpus, quam ſub terrenis elementis ſiſti ejus ſubſtantiam. Itaque vera carnis Chriſti participatione non impediar, quo minus deſipere oſtendam, qui ſe non aliter membra Chriſti eſſe confidunt, quam ſi panis ſubſtantialiter ſit Chriſti corpus. Sed acutus ſcilicet ac providus homo eſt Weſtphalus noſter, qui brevi compendio omnibus ſe diſputationum moleſtiis liberat, ne quam ſui commenti abſurditatem ſas ſit attingere. Clara eſſe obtendit verba, Hoc eſt corpus meum. An clariora innumeris locis, qui Deo pedes, manus, oculos, aures attribuunt? Veniat nunc Anthropomorphita quiſpiam, pervicaciter Deum corporeum aſſerat: ne quis contra hiſcere auſit, ſententias undique collectas ad probandum Dei corpus ingerat: vociferetur nihil eſſe perplexum in his verbis, Oculi Domini viderunt, Dominus manum ſuam extulit, Aſcendit clamor ad aures Domini exercituum. An nos iſta congerie obrutos tacere conveniet, ut fanatici homines ſpiritum in corpus mutent? Certe nec minus tolerabilis eſt error, Deo corpus induere, quam corpus Chriſti exuere ſua natura: nec minus plauſibilis tot teſtimoniorum obtentus erit, ubi Deus ſub corporea figura ſe proponit. Itaque nihilo plus coloris habet verboſa in hac parte Weſtphali jactantia, quam ſi Antropomorphita queratur Scripturæ eſſe incredulos, quicunque Deum corporeum eſſe non putant. Minaciter nos objurgat, quod nobis quærere permittimus quomodo inter ſe conveniant Scripturæ oracula, Chriſtum ſuo in cælum aſcenſu localem corporis ſui præſentiam nobis abſtuliſſe, ut jam in terra non habitet, & tamen vere in Cœna offerri corpus ejus fidelibus. Si quis mentem attendat, nec ſua moroſitate vel pertinacia januam præcludat veræ intelligentiæ, facilis occurrit conciliatio, Chriſtum incomprehenſibili Spiritus ſui virtute optime unire res loco disjunctas, ut carne animas noſtras paſcat, quamvis nec cælum relinquat ejus caro, & nos ſuper terram reptemus. Hic Weſtphalus neſcio quo turbine correptus in nos invehitur, fidem Chriſto habere negans, ſi nobis quærere permittimus an è cæleſti ſolio detrahendus ſit Chriſtus, ut jaceat incluſus ſub panis fruſtulo, ſi objicimus panem non eſſe proprie corpus, quin Chriſtus peræque fiat panis atque homo factus eſt Fateor quidem nefas eſſe Dei myſteria, quæ captum rationis noſtræ ſuperant, curioſe ſcrutari: ſed inter quæſtionum genera prudenter diſtinguendum eſt. Quibus enim labyrinthis implicabimur, ſi neglecto abſurditatum reſpectu, quidvis abſque delectu arripimus? Nota eſt veterum allegoria de mundis animalibus, requiri ut findant ungulas: quia niſi nos diſcretio fidei gubernet, ſtulta facilitate quælibet deliriorum portenta ſub humilitatis prætextu hauriemus. Reſtat ergo ut excutiant lectores, quas tam aſpere Weſtphalus quæſtiones proſcindit. Monitos interea volo, quam tyrannice ſilentium nobis imperent, quibus inquiſitio pluſquam neceſſaria, curioſitas eſt blaſphemiarum mater. Nam quod malo principio nos occupari dicit, quia Chriſti verbis non credimus, nimis ſtupori ſuo indulget: quia ex fide potius oritur hæc quærendi ſedulitas. Cum fabuloſum ducerent Capernaitæ quod ex ore Chriſti audierant, ſcimus per ludibrium rogaſſe quomodo carnem ſuam poſſet dare edendam. Nec vero magis incredulitas, quam craſſa imaginatio ad obſtreperum illud murmur eos impulit. Impoſſibile judicant quod eorum ſenſus non capit. Sed unde id, niſi quia carnem Chriſti ſibi in alimentum non fore ſtulte fingunt, niſi vulgari more edatur? Nos quia reverenter amplectimur Chriſti verba, certoque perſuaſi ſumus, non fruſtrandi cauſa corpus ſuum vocare quem in Cœna panem diſcipulis porrigit: modum quærimus, qui à fidei regula non diſcrepet. Curioſas ergo quæſtiones inſectando, nihil ad nos gravandos proficiet Weſtphalus, quos manifeſta neceſſitas cogit, qualis ſit nobis cum Chriſti carne & ſanguine participatio dilucide exponere, niſi bruto noſtro ſtupore terræ miſcere cælum velimus. Nam quod Arrianos memorat in horrendam blaſphemiam prolapſos, quia ineffabilem Filii Dei generationem ex philoſophia inveſtigabant, quid obſecro ſimile? Nam quum æternam Chriſti eſſentiam ex profeſſo detrahere ſtatutum eſſet, variis cavillis eludere tentarunt quæcunque videbant in contrariam partem facere. Nos abſque ulla aſtutia, abſque fuco ſic fatemur Chriſtum in Cœna præſtare quod figurat, ut ejus verba Metonymiam contineant, qualis in omnibus Scripturæ locis paſſim occurrit, ubi de Sacramentis ſermo eſt. Dicimus ſacramentalem eſſe loquendi formam, ubi rei ſignatæ nomen ad ſignum transfertur. Id planum facimus non uno vel altero teſtimonio, ſed ex perpetua Scripturæ doctrina evincimus pro vulgari axiomate habendum eſſe mediocriter in Scriptura exercitatis. Quod ſi mihi hæreſes coacervare libeat, quas invexit præceps ſocordia, quam fidei directricem Weſtphalus præficit, quanto uberior ſuppeteret dicendi ſylva? Sed ne longius abeam, Arrianos in ejus caput retorqueo, à quibus eodem errore quo Chriſti corpus per cælum & terram extendens lacerat, everſa fuit ejuſdem majeſtas. Cur enim illis fuit Chriſtus Patre minor, niſi quia faſtidioſe rejecta fuit Divinæ naturæ ab humana diſtinctio? Verbo enim illo armati, Pater major me eſt, ſacrilegam ſummo Deo injuriam fieri quiritabantur, ſi in gradum æqualem admiſſus eſſet Chriſtus. Expedita erat ſanctis Patribus ratio, ſi modo audiſſent Chriſtum in Mediatoris perſona loqui. Et verbo quidem ſuperiores erant, ſed quod immundo roſtro perperam obtrudere nulla religio erat. Si nondum ſe agnoſcit Weſtphalus, ſpeculum ſaltem habent lectores, in quo vivam ejus imaginem conſpiciant. Cæterum neque portenta excogitamus, dum rationem oſtendimus, qua ſe expediant piæ mentes: neque aliis imputamus quæ domi noſtræ nata ſunt, dum pravis commentis occurrimus, quæ ſine judicio ſorbenda Weſtphalus nobis propinat. Multo minus ad proſtituendam Religionem viam hoc modo ſternimus, dum facimus, ut conſtet indubia Chriſti verbis fides, cæleſte myſterium rejectis pravis deliriis reluceat, vigeat in nobis ſpiritualis Chriſti communicatio, quæ totam ſacræ Cœnæ efficaciam & fructum complectitur.

Nono capite pugnaciter contendit Weſtphalus Cœnam me exinanire, quia incredulos ab ea inanes & vacuos dimitto. Nam hoc evidens argumentum, non incertam conjecturam eſſe jactat. ſiquidem ex verbis meis colligit non niſi de virtute & effectu Sacramenti loqui, quoties rem ſigno conjunctam eſſe aſſero. Confirmandi etiam cauſa adjun-

Digitized by Google

ram uſque penetret vivifica illa carnis Chriſti virtus, & in animas noſtras admirabili modo influat? An philoſophicis ſpeculationibus conſentaneum eſt, mortuum & terreſtre elementum efficax organum eſſe Spiritus ſancti? An ex naturalibus principiis ſumptum eſt, quidquid miniſter ore pronunciat ex Dei verbo, & ſymbolo figurat, Chriſtum intus præſtare? Certe niſi cæleſte myſterium nobis eſſet ſacra Cœna, tam præclaros & carnis rationi incredibiles effectus ei non tribueremus. Quare per nos licet, ut hinc faceſſat communis ille ſenſus, quem Weſtphalus repudians, perverſe nos ſibi antagoniſtas deligit. Quis enim alimentum animæ ſuæ ex Chriſti carne quæreret, ac ſibi perſuadeat verum & certum ejus pignus in pane ſibi conſtare, niſi qui prius ſenſum ſuum crucis ſtultitiæ ſubjecerit? Ut jam cuivis perſpicuum ſit, Weſtphalum in locis communibus importune vagari, quoties nos carnis ratione Dei virtutem metiri inſimulat. Quamvis autem non abs re ſilentio tecta eſſe cupiam, quæ pridem tam Zuinglio, quam Luthero inter diſputandum exciderunt, ut difficile & rarum eſt, commode in fervido conflictu verba moderari: ſi tamen dextre & humaniter interpretari libeat, quæ Joachimus atrociter exagitat, hanc ſummam eſſe reperiemus, corpus Chriſti nec ſub pane latere, nec miniſtri manu porrigi, nec denique loco præſentem eſſe ejus ſubſtantiam, ubi Cœna peragitur.

Huc uſque ſe Weſtphalus probaſſe putat, vel ſaltem verborum jactantia præ ſe fert, ſic diſtrahi à nobis verba Cœnæ, ut contrariis ſententiis inter nos pugnemus. Una in re idem ſentire contendit, licet aliud verbis ſonantes, videri minime velimus id facere: nempe quod ex Cœnæ communione præſentis carnis & ſanguinis ſubſtantiam tollimus. De repugnantia judicium penes æquos & ſanos lectores relinquo. Subſtantiæ carnis præſentiam, qualem imaginatur, cur me negare diſſimulem nulla ratio eſt, quum idem prorſus doceam, quod hactenus ab initio conſtanter profiteri non puduit. An obſcure unquam à me repudiata fuit carnis Chriſti immenſitas? An non palam teſtatus ſum Marcionem ab inferis excitari, ſi in prima Cœna uno in loco mortale, viſibile, & loco circumſcriptum ſtabat Chriſti corpus: manu autem ejus inviſibile, glorioſum, & immenſum porrigebatur? An non diſerte ſemper fideles in cælum juſſi aſcendere, ut carne & ſanguine Chriſti paſcerentur? Hæc certe fidei noſtræ ſinceritas nullis integumentis indiget. Nec vero noſter interim deſinit eſſe Chriſtus, licet ad manum non ſiſtatur, non minus quam vera carnis communicatio ſub pane nobis offertur, ut animas noſtras ſua ſubſtantia vivificet quamvis panis ſubſtantialiter non ſit corpus. Jam Weſtphalus acſi his partibus probe defunctus foret, ad ſubeundam aliam moleſtiam deſcendere ſe dicit, nempe ut crimina depellat, in quibus caninam eloquentiam, ſi ei creditur, exerceo. Ego vero etſi eloquentiæ laudem non appeto, non tamen mediocri dicendi gratia ſic deſtituor, ut làtrando facundus eſſe cogar. Debuit Weſtphalus vel ſuum ſcribendi genus mutare, vel retinere quod meretur elogium. Nam & ex marcidis floſculis, quibus orationem ſuam aſpergit, quam jejunus ſit facundiæ captator palam eſt: & ejus intemperies cyclopicum neſcio quid magis quam humanum ubique ſonat. Unum quidem non inficior, mihi ad ſacrilegos inſectandos non minus eſſe animi, quam fidis canibus eſt ad profligandos fures.

Primo loco crimen de turbata pace amoliri nititur, quia primus non fuerit contentionis auctor. Quaſi vero dixerim nunc primum cœpiſſe oriri turbas. Quin potius diſerte conqueſtus ſum, cum ſingulari Dei beneficio ad tempus ſedatæ eſſent, nunc rurſus ab iſtis male feriatis hominibus accendi. nec tamen ſimpliciter objeci Weſtphalo crimen excitati motus, ne in me retorqueat ut facit multos ex noſtra doctrina tumultuandi occaſionem cepiſſe. Fateor certe, imo coram Angelis gloriari licet, ſimul ac ille craſſus error de Chriſti impanatione diſcuti cœpit, ſatanam expergefactum omnia miſcuiſſe, ne veritas eluceſceret: ac hodie teſtantur plurima ſanctorum hominum martyria, quo veſaniæ & furoris incredulos omnes impellat hæc eadem doctrina. Quum vero oleum addant camino Weſtphalus & ſimiles, poſtquam Papiſtarum rabiem in nos armarunt, turbarum culpam nobis imputare perquam iniquum eſt. Si prima certaminum origo quæritur, Lutherus Tranſſubſtantiationem oppugnans, claſſicum, ut ita loquar, cecinit: quod tamen adeo non reprehendo, ut inter multas ejus virtutes ſumma laude dignas, hæc animi magnitudo non poſtremum locum merito obtineat, quod nullos motus exhorruit, quin illud præpoſterum commentum libere convelleret. Quoties ergo exoriuntur turbæ, jure ne an injuria utrinque pugnetur, diſceptandum eſt. Sed meam de renovatis turbis querimoniam intempeſtive Weſtphalus alio transfert. Nam quum inter Eccleſias, quæ puriorem Euangelii doctrinam amplexæ ſunt, ſub uno Chriſti vexillo contra Papatum militant, ignem infauſti diſſidii, qui ſopitus fuerat, de integro repente exarſiſſe dolendum ſit, jure dixi malo auſpicio à diaboli flabellis excitatum. Itaque illa Weſtphali quæſtio inſulſa eſt, Si ante annos vigintiquinque diabolus jam excitaverat tragœdiam, qua fronte nunc ipſum motæ diſcordiæ peragam reum: quando nunquam de primo inſultu, ſed tantum de belli inſtauratione verba feci, cujus ipſe poſt diabolum culpam ſuſtinet. Nam Thomam Monetarium, Melchiorem Pellionem & Nicolaum Pelargum, homines mihi incognitos accuſare quorſum opus ſuit? quibus nocendi facultas pridem adempta fuit. Et certe ſi me in turba premi contingat, cum aliis expoſtulare, niſi qui me urgent, ſtultum eſſet. Lepide vero incendiario me comparat, qui non modo clam ſuggero materiam, ſed palam jactis ignibus accendo ædificia, & accurrere prohibeo qui ſubjectas flammas reſtinguant. Mihine qui piæ ſanæque conciliationi ſemper dedi operam, hæc merces nunc referenda eſt? Quid enim à me nuper novum emerſit? Quin potius meo cum fratribus Tigurinis Conſenſu mitigari exaſperatos adverſæ partis animos decuit: ſicuti literis Viti Theodori oſtendam id eum magis optaſſe quam ſperaſſe. Hortatus fueram ne Lutheri libros illius inauſpicati certaminis mentione inficeret. Reſpondit, ſi modo impetrare poſſem, ut quod in Conſenſu doctrinæ genus ſumus complexi, apud meos amicos valeret, ſibi ad quieſcendum juſtam fore cauſam. Gaſpar vero Cruciger non minus ex animo mihi ſubſcripſit, idque privatim teſtatus eſt, quam qui nomina palam ediderunt. De mortuis tantum loquor, ne ſi vivos proferam, graviorem in eos impetum faciat Weſtphalus. Quia tamen ex illorum ingeniis multos alios æſtimabam, ſperavi Conſenſu noſtro in publicum edito multos qui antehac acerbius commoti fuerant, pacatum iri, nobiſque fore magis propitios. Hanc ſpem meam ſi fruſtratus eſt Weſtphalus, non fuiſſe tamen de nihilo conceptam, æqui & moderati homines teſtimonium mihi reddent. Neque, ut blaterat, conſpiratio fuit ad ſtabiliendos errores: ſed ingenua ſententiæ noſtræ profeſſio, quæ tollendis offenſionibus viſa eſt optime congruere. Pios homines diu cruciavit hæc opinio, quod ſacra ſigna, quibus gratiam ſuam Deus offert, profanis terrenæ militiæ inſignibus ac theatricis figuris æquari putabant. Sublata fuit ſuſpicio non minus gravis de efficaciæ exinanitione. Siquid in hac conteſtatione diſplicet Weſtphalo, liberum ei per nos erit oſtendere. Quod vero illa reprehenſionis parte omiſſa ad inſectandum noſtrum Conſenſum ſe convertit, quis ejus malitiæ ignoſcat? Præfatio quidem noſtra locuples teſtis eſt, non fuiſſe nobis propoſitum quenquam in verba noſtra adigere. Tantum præſtet Weſt-

phalus

phalus quod illic modeſte precati ſumus. Imo hoc vult eſſe criminoſum, quod ſententiam noſtram ingenue profeſſi, ſi quis meliora afferat, nos fore dociles: ſi quis majorem explicationis lucem deſideret, morigeros fore ſpondemus. Si doctrinæ noſtræ ſubſcribere æquum eſſe non ducebat, licuit aperte monſtrare quid improbaret, modo ne ſanatum vulnus de integro exacerbaret. Illa autem importuna declamatio faceſſat, maledictam eſſe pacem, quæ veritatis diſpendio redimitur. Neque enim aliam appetimus, quam cujus ſacrum vinculum ſit pura Chriſti veritas. Et ego anſam ita obloquendi præcideram, niſi fixum Weſtphalo fuiſſet, extra oleas vagando, lectores à cauſa abducere. Porro, de habitis in Anglia diſputationibus malo reſpondeat fidelis eccleſiæ Argentinenſis doctor Petrus Martyr, quod nunc fieri confido. Paucis tantum verbis à me notanda hic eſt non minus crudelis & barbara, quam ſacrilega hujus noſtri cenſoris inſultatio. Ferociter omnes Dei cultores ſubſannat, qui durabilem in Anglia fore Eccleſiæ ſtatum ſibi promiſerant. Quis jam tui miſereatur, ſiquando vel ad extrema quæque redigi contingat? cui non ſatis eſt in publico piorum omnium luctu otioſum ſedere, niſi miſeram & luctuoſam Eccleſiæ diſſipationem protervis convitiis inſecteris. Non hunc tuum furorem ſaltem compeſcuit ſacer ille tot Martyrum ſanguis, qui non minus in remotiſſimis terrarum plagis ſuaviſſimo ſuo odore robur & vigorem inſpirat fidelibus animis, quam Deum ipſum & Angelos in cælo oblectat? Ecce repente ſublato ſummæ ſpei Rege, evertitur quod ſurgere cœperat pietatis ædificium: ſatan cum ſuis de extincta piæ doctrinæ luce triumphum agit: horrendum in modum ſævitur in Dei filios: inſignes viri ubi ad ignem tracti ſunt, invicta conſtantia quam amplexi erant, veritatem obſignant: Joachimus non modo contra afflictam filiam Zion cum ludibrio linguam exerit, ſed petulanter etiam conceptam ſpem felicioris eventus exagitat. Hoc unum ſpecimen lectoribus, ut ſpero, ad æſtimandum hominis ingenium ſufficiet.

Sed non ſine cauſa ſtomachari ſe dicit quum libri noſtri paſſim volitent. Oppugnet igitur ſi quid reprehenſione dignum inveniat. Reſpondebimus, penes Eccleſiam erit judicium. Hanc vero legem ſe reſpuere non diſſimulat, quia magis compendioſum videtur, libros omnes igne abſumere, ne quid moleſtiæ faceſſant. Nihil enim magis odioſum deligere potuit, quam quod nos ad diſputationem offerimus, & in diſputationem trahi volumus doctrinam, cui omnes ſine controverſia vult eſſe aſtrictos. Ubi nunc generoſus ille & indefeſſus Chriſti athleta, qui ſua certamina tam liberaliter alibi prædicat? Nos ad rationem reddendam parati deſcendimus, ac ſuppliciter petimus audiri. Summa votorum noſtrorum eſt, ut judicium fiat ex verbo Domini. Non tantum excludimur, ſed etiam barbare exprobrat Weſtphalus, nihil magis iniquum eſſe, quam de doctrina diſputari tanto conſenſu recepta. Majorene quam tranſſubſtantiatio, Miſſæ ſacrificium, & prohibitio Calicis? Ergo ſi obtineat Weſtphali cenſura, non ſine ſacrilega audacia Lutherus figmenta illa, quæ totius fere mundi ſuffragiis recepta erant convellere auſus eſt. Panem eſſe ſubſtantialiter Chriſti corpus recens placitum eſt, & antehac inauditum. Nam catholicæ Eccleſiæ conſenſum jactando, Weſtphalus nugatur. Hoc tamen quia mordicus tenendum quidam ejus ſodales cenſuerunt, ſyncretiſmum hunc abunde ſufficere putat, ne qua admittatur diſceptatio. Ridicule ſane, donec ſuos gregales Papæ dedititios tradiderit. Nam ſi conſenſu gloriandum eſt, uter quæſo plus habet coloris? Papane, qui magnam Europæ partem ita ſibi devinctam tenet, ut contra mutire nemo auſit: an Weſtphalus, qui neſcio cujus umbellæ objectu lucem fugitat? Hic omnes Dei filios appello, quos Scriptura manſuetudinis & obedientiæ Spiritu præditos eſſe affirmat. Petimus tam à Weſtphalo quam à Papa audientiam, negat uterque, quia jam multorum conſenſu poſſeſſionem adepti nolint cedere. Nihil hic meum eſt: nuda Weſtphali defenſio. Quod ſi multitudine res agitur, cur non etiam nobis locus dabitur? Hæreticos pronunciat Weſtphalus, quorum nulla ſit habenda ratio. Audiatur nunc Papa, qui in ſuffragiis locum primum obtinet. Quid tam de illo quam de nobis pronunciabit? ſed nobis in promptu erit exceptio, ſtare nos ſemper ad diſceptationem voluntarios. Ita ſe hactenus geſſerunt Auguſtanæ confeſſionis patroni, quorum nomine tam audacter Joachimum noſtrum abuti miror, qui tam male eos imitatur. Putarunt ſe Germani principes, qui Euangelium tuendum ſuſceperant, rite officio defunctos eſſe, ſi per eos non ſtaret, quo minus ſuſciperetur legitima cognitio: ac ſemper conqueſti ſunt ſibi januam præcludi. Hæc noſtra fuit agendi ratio, quoties ad tractandam religionis cauſam vocati ſumus: nec ulli unquam habiti ſunt ordinum Imperii conventus, ubi noſtri diſputationem non poſtularint. Quibuſdam ipſe interfui. quid ante agere ſoliti eſſent, ex publicis actis liquet. Ut longius progrediar, mihi cum turbulentis hominibus, atque etiam cum hæreticis ſæpius tum in hac urbe, tum alibi fuit certamen de doctrina. Adeo non recuſavi quominus mecum diſceptarent, ut ſponte me prior obtulerim. Dabat enim fiduciam cauſæ bonitas, ne trepidarem ad lucis conſpectum. Nunc unde novæ lautitiæ Weſtphalo: ut non hæreticos ſolum ab omni cognitione arceat: ſed piis Dei cultoribus, quibus major, quam ejus ſimilibus ad illuſtrandam Euangelii gloriam data eſt dexteritas, & qui fructuoſis laboribus de Eccleſia non male meriti ſunt, audientiam præfracte neget? Si in quæſtionem veniret ſacra verbi Dei majeſtas, acriter huic licentiæ obſiſtere deceret, fateor, ſed hic opinio tua, Weſtphale, non Scriptura in diſceptationem vocatur. Neque enim quæritur verene ac recte Chriſtus panem vocaverit corpus ſuum: ſed quid dicere voluerit, & quid ejus verba, quæ reverenter amplectimur, ſignificent. Tu clariora eſſe contendis, quam ut expoſitione indigeant. Nos idem de claritate aſſerimus, modo aperire oculos ne graveris. Quod ergo de Conſenſu obtendis, quia tanquam futile ridebunt omnes, durius à me refutari nihil attinet. Quod autem de libris noſtris abolendis tam anxie laborat, ſuam in eo malignitatem ac livorem apertius prodit, quam ut longa demonſtratione ſit opus. Hoc quidem obtineo niſi cauſæ diffideret, non fore adeo fugacem, qui alioqui plus ſatis animoſus eſt pugnator.

Hac quoque ratione à propoſito argumento digreditur, calumniarum rhapſodias hinc inde accumulans, quibus invidiam nobis apud ſimplices augeat. Atque hoc quidem primum crimine nos onerat, quod in noſtris Eccleſiis omnia novemus, & abrogemus ritus non inutiles. Utinam ſpecies ipſas notaſſet, vel ex una & altera guſtum dediſſet lectoribus, ne hic hærerent ſuſpenſi: quibus tamen eximere omnem ſcrupulum promptum eſt. Nempe ſacram Cœnam peragimus ſine hiſtrionico veſtitu: luminaria meridie non accendimus: ſonitu campanæ non invitatur plebs ad panem adorandum, quando ex Legis Moſaicæ præſcripto ſurſum inſtar ſacrificii levatur. Alia enim, quæ poſtea recenſet, conſulto nunc prætereo, donec ſuus illis locus adveniat. Quid eſt, Weſtphale? Quorum, obſecro, rituum tantus es zelotes, niſi qui apud vos in uſu ſunt? Quænam vero ſuperbia eſt, ſuam conſuetudinem velle pro lege ubique haberi? Tibi dolet apud nos omitti, quod apud vos ſervatur. Quaſi non eadem nobis ſit expoſtulandi ratio. Cur enim ceremonias noſtras à vobis negligi non iraſcimur: tu vero ad tuarum obſervationem nos imperioſe alligas? niſi quia pro fraterna manſuetudine toleramus quæ corrigi non poſſunt vitia: tibi vero ac

tui ſimilibus non ſatis eſt torpere in ſæcibus, quin ſimul alios inquinent. Quis enim non videt, cereos Judaiſmum ſapere? Adde quod nemo durius quam Lutherus invectus eſt in illas nugas, quas tamen pro temporis infirmitate retinuit. Quorſum tanta reprehenſionum aſperitas, niſi quia ex præpoſtera ſuperſtitione ortas eſſe, & abuſu noxias videbat? neque id modo, ſed mundum ita eſſe infatuatum, ut non facile ex animis revelli poſſet error? Quod tanta vehementia uſus eſt, laudabile eſt, quum ita exigeret neceſſitas. Quod non abſtulit ſtatim è medio, ignoſcimus. Tu vero iſta æquitate non contentus, in deſuetudinem apud nos veniſſe pro piaculo ducis? Ne longior ſim, conſiderent lectores, idem hodie nobis certamen à Joachimo, ejuſque gregalibus moveri, quod Paulus olim à Semi-Judæiis illis ſuſtinuit, qui Hieroſolyma profecti, nihil admittere à more illic recepto diverſum volentes, Gentibus jugum imponere tentabant. Nam quum magniſacerent Apoſtolos, quorum in ſchola & quaſi gremio ſe educatos jactabant, odioſe vexabant Paulum cujus diſſimilis erat ratio. denique tantum non illis erat apoſtata, qui Apoſtolicos ritus inter Gentes abolere auſus eſſet. Nam Joachimus quaſi ex eorum ore ebuccinat, in mutatione rituum nos ſeparaſſe ab Eccleſiis, quas conſenſus catholicæ doctrinæ, & multiplex donorum Spiritus gratia teſtatur eſſe Eccleſias Chriſti. Ergo Witteberga, vel Hamburgum pluris hodie erunt, quam ptimo Euangelii exortu Hieroſolyma, ex quo tamen fonte in totum mundum diffuſa eſt ſalus? Quid enim tum apud Galatas tum alibi objectum fuit Paulo, niſi quod retentas à primariis Chriſti miniſtris ceremonias non ſervaret? Unde vero prava iſta æmulatio, ut eundem ubique morem obtruderent, niſi ex ſuperbo ſaſtidio? Sicuti fieri aliter nequit, quin aliena contumelioſe reſpuant, qui plus æquo ſibi ſunt addicti. Sed quo inſolentius ſe effert Weſtphalus, eo majori jure putidas ejus jactantias refellere licet. Multiplici donorum Spiritus gratia ornatas eſſe Eccleſias gloriatur, quarum ritus non ſervamus. Quaſi vero donorum Spiritus vacuæ ſint ac inopes noſtræ Eccleſiæ. Nec vero tantum de Helvetiis hic Rhetiſque agitur, ſed uno calculo damnatur tota ſuperior Germania. Et adhuc modeſtiam ſuam prædicans, neminem à ſpiritu Traſonico magis remotum eſſe dicet, qui ex quieto angulo tot inſignibus Eccleſiis inſultat? Argentoratum, Auguſta, Francofordia, & complures aliæ urbes uno ejus flatu in nihilum rediguntur. O Iſmaël, quando manus tua contra omnes, manus omnium ſint contra te? Quo enim plus laudis meretur Lutheri magnanimitas, quod totum Papatum aggredi ſolus non dubitavit, eo magis deteſtabilis eſt tua moroſitas, qui in rebus leviculis in populo Dei materiam diſſidii quæris. Nunc quæ nominatim carpat, obiter attingere operæ pretium eſt. Primum eſt, quod alicubi ſinimus infantes non baptizatos mori. Quid alind nobis vitio vertit, niſi quia mulierculis non reſignamus baptizandi munus? Nam certe ſi quis ſuos liberos mature ad Baptiſmum non offerat, ſevere ob ſuam negligentiam caſtigatur. Pater ſingulis diebus templum. Si cujus filium abſque Baptiſmo contingat mortem obire, quia occaſione uſus non eſt, reprehenditur. Unum nobis deeſt, quod mulierculæ ſolenne Paſtorum munus præter Chriſti mandatum non arripiunt. Joachimo autem tam præciſa eſt Baptiſmi neceſſitas, ut illicita uſurpatione profanari malit, quam omitti, ubi legitimus uſus negatur. Nam quid eum male habeat continuo poſt detegit, quia ſpem facimus ſine Baptiſmate ſalutem conſequi poſſe infantes, per Baptiſmum non regenerari aut ſalvari, obſignari illic tantum ſalutem, cujus prius fuerunt participes. Ego quia hos craſſos errores alibi copioſius refutavi, nunc breviter reſpondeo. Si aquæ elemento incluſa eſt infantium ſalus, exinaniti fœdus, quo ipſos Dominus adoptat. Dicat uno verbo Joachimus quid apud ipſum ponderis habeat promiſſio hæc, Ero Deus veſter, & ſeminis veſtri. Niſi enim Deus in populi ſui corpus inſerat quos tanto honoris privilegio dignatur, non tantum injuria fit ejus verbo, ſed ab ipſo externo ſigno arcendi erunt infantes. Prodeat Anabaptiſta quiſpiam: dicat perperam regenerationis ſymbolum maledictis Adæ filiis conferri: quos Deus nondum in gratiæ ſuæ ſocietatem vocavit. vel obmuteſcat Weſtphalus neceſſe erit, vel ſuccurrat hæc una defenſio, communem ipſis eſſe gratiam, quæ parentibus eorum nomine oblata eſt. Hinc ſequitur non ſimpliciter per Baptiſmum regenerari, à quo arcendi eſſent, niſi eos Deus jam inter Filii ſui membra cenſeret. Sanctorum vero nomen infantibus detrahere qua fronte audet, quo eos inſignit Paulus? Quod ſi locum hunc ut in Catechiſmo noſtro expoſitus eſt, inſpexerint lectores, me tacente pronunciabunt pueros noſtros talibus rudimentis imbutos longe rectius ſapere, quam veteranum hunc Theologum ex ſuis ſpeculationibus. Objicit ſecundo, Cœnam Domini domi non dari ægrotis. Qua in re utinam puriore exemplo nobis præluxiſſent. Nam ſi uſum ſuum curæ fuiſſet ad genuinam Chriſti regulam exigere, libenter ſecuti fuiſſemus. Sed quum nihil minus cæleſtis Magiſtri doctrinæ conſentaneum ſit, quam panem in pompa non ſecus ac fercula in theatro circumferri: deinde hominem unum privatim, & ſeorſum paſci, communicationis Lege poſthabita: hinc factum eſt, ut à privatis Cœnis pii & docti homines initio abhorruerint. Vaniſſimum tamen eſt quod calumniatur Weſtphalus, ſubdolo ſatanæ conſilio miſeras animas conſolatione privari, quia ægrotis ſedulo in memoriam revocamus quod ſemel apud eos depoſitum eſt vitæ pignus, ut fidem inde ſuam confirment, & arma ad ſpiritualem pugnam mutuentur. Denique eo uſque proficimus, ut Cœna in ſacro cœtu ſumpta ex Chriſti inſtituto, præſenti conſolatione non minus efficaciter ſuſtentet, quam ſi privatim extra communionem ea fruerentur. Proſequitur deinde, admitti ad Cœnam non ante exploratos, privata abſolutione prætermiſſa. Equidem non nego facilitate nimia paſſim apud nos peccari. Lex eſt, ne pueri donec fidei ſuæ rationem reddiderint, ad ſacram menſam accedant. Majores etiam natu examinantur, niſi quorum nota eſt ac teſtata pietas. Minus tamen hac diſciplina nos conſequi fateor quam optarim: quanquam falſiſſimum eſt ſcientes ac volentes Cœnam promiſcue exteris & nondum probatis offerre. Nec vero hoc reprehendit Weſtphalus, ſed quia privata abſolutio prætermittitur, cujus ſi alibi originem reperiat, quam in fœtidis Papæ lacunis, libenter culpam agnoſcam. Privata abſolutio quam ſit utilis, negare mihi propoſitum non eſt. ſed quemadmodum pluribus ſcriptorum meorum locis ejus uſum, modo liber ſit, & ſuperſtitione purus, commendo: ita lege obſtringi conſcientias neque fas eſt, neque etiam expedit. Oſtendat Weſtphalus quo tempore floruit Eccleſia, & viguit pura religio, privatam abſolutionem ulla lege ſancitam fuiſſe. Quod ſi omnibus pluſquam notum eſt, neceſſitatem hanc toto Eccleſiæ ſtatu vitiato, imo tota pietate everſa, à diabolo inventam eſſe, crimen in ejus abrogatione minime fingendum erat. Unde etiam ſequitur, non minus inſcite Weſtphalum arguere: quia privatim unumquemque non abſolvimus, admitti ad Cœnam non ante exploratos. Quaſi vero inſolubili nexu cohæreant inter ſe fidei probatio & abſolutio privata, quarum prior ſemper inter fideles ſancte viguit, altera quod ad legem ſpectat, rebus jam confuſis inter degeneres ritus obrepſit. Quartum accuſationis caput eſt, nos ad tuendam Caroloſtadii iconomachiam primum Legis præceptum in duo dividere. Utinam vero non ita eum præcipitem impelleret phreneticus calor ad retegendum ſuum & ſuorum dedecus, quod ſepultum per nos maneret. Recte & ordine diſtingui à nobis decem Legis præcepta, ſolidis & perſpicuis

ratio-

rationibus oſtendimus. Suffragatur etiam veterum auctoritas. Weſtphalus cum ſuis, ut mandatum quod de cavenda idololatria diſerte expreſſum eſt obnubilent, ultimum Legis præceptum perperam in duo membra diſcerpit. Et tamen hac occaſione ſchiſmatis culpam in nos rejicere non dubitat. Unde etiam colligere promptum eſt, quas nobis pacis leges imponant implacabiles iſti magiſtri. Quin potius viderit ipſe, vel ſi eum cæcitas impedit, animadvertant lectores, annon exitiali ſatanæ artificio ſecundum Legis præceptum gradu ſuo dejectum & abditum fuerit, ne tantus eſſet in populo Dei idololatriæ horror & deteſtatio. Quo minore venia dignus eſt Weſtphalus, qui in craſſiſſimo errore & æque noxio non tantum contumaciter ſibi applaudit, ſed alios omnes qui diſſentiunt ignominia notat. Venio ad quintum crimen de abrogatis diebus feſtis. Item Euangelii & Epiſtolarum ſectionibus quæ in vulgari uſu fuerunt. Diſtinctionem feſtorum vetuſtam perinde ac utilem fuiſſe dicit. Sed velim ut hic bonus antiquarius temporis initium nobis deſignet, quo cœperunt feſti dies Virginis Mariæ, & Sanctorum honori dicari. Martyrum celebratam fuiſſe memoriam ante annos mille & trecentos non me latet: nempe qua fideles ad imitationem magis acuerentur. Inter alias quæ deinde ſecutæ ſunt corruptelas, hæc quoque merito numeranda eſt, quod inſtitutæ ſunt feriæ, ac dies feſti. Et tamen Joachimo concidit Chriſtianiſmus, diſſipatur fraterna communio, ſchiſma nefarium inducitur, niſi ex kalendario Hamburgenſi petatur dierum obſervatio. Certe Auguſtinus, qui deplorat immodica rituum congerie Eccleſiæ libertatem ſua ætate fuiſſe oppreſſam, idem palam teſtatur pauciſſimos dies feſtos à majoribus fuiſſe traditos. ut facile appareat in correctione iſta, quæ apud nos obtinet, nihil magis fuiſſe ſpectatum, quam ut pura illa vetuſtas renovaretur. Quod ad ſectiones ſpectat, ſatis ex omnibus veterum Scriptorum homiliis conſtat Scripturæ libros uno contextu ad plebem fuiſſe expoſitos. Ut aliquid ex Euangelio & Apoſtolicis lectionibus recitandum excerperent quod tempori congrueret, mos inolevit. Hinc ſectiones iſtæ, pro quibus Weſtphalus non ſecus ac pro aris & focis dimicat: quas tamen inepte, nulloque judicio factas eſſe lectio coarguit. Certe ſi fragmenta ſumi oportuit, quæ ſingulis diebus Dominicis legerentur, longe alio delectu opus fuit. Nec modo perperam & inconſiderate lectiones diſtribuit quiſquis ille fuit ſector, ſed medias interdum ſententias neſcio qua ſocordia abrupit. Ne quis tamen putet Weſtphalum de nihilo excandeſcere, monitos eſſe volo lectores, de Poſtillis eſſe ſolicitum. Quid enim ſine Poſtillis factura eſſet bonâ pars eorum, quibus ſe venditat? Luthero qui rebus adhuc incompoſitis ſe ad morem vulgatum accommodavit, danda venia eſt: imo quod ad Euangelium ſpargendum hoc uſus eſt compendio, laudanda eſt ejus induſtria & ſedulitas. Sed præpoſtero ingenio eſt Weſtphalus, qui data opera in eodem luto ſemper hærere volens, Lutheri rudimenta prætexit: ac ſiquis rectam viam ingreſſus, ſimulac viæ monſtrator iter ſuum reflectit, in eodem loco pedem obſtinate figens, ultra progredi recuſet. Ergo Weſtphalus Martinalia cum Papiſtis celebrans, Euangelia & Epiſtolas ex ſolenni Miſſarum præſcripto cum illis decantet, modo nobis liberum ſit Euangelii doctrinam, ut eam nobis Apoſtoli tradiderunt, in uſum plebis aptare. Non patitur reprehenſor noſter, ſed tragice exclamat, bona haud dubie intentione diaboli hoc à nobis fieri, ne quid boni de Euangelio reliquum fiat. Quaſi vero perierit Euangelium, niſi in fruſtra laceretur. Et quiſquam adhuc dubitabit hominem in ſuo receſſu nimis eſſe otioſum, qui laborantibus negotium de nihilo faceſſit? Niſi forte excuſet ſe quod olim minatus eſt Catilina nunc ſatagere, ut incendium incendio reſtinguat. Nam quia dixeram facem diſcordiarum malis auſpiciis nunc ab eo eſſe accenſam, unum hoc reperit defenſionis genus, faces & Erinnyas eſſe quicunque templa ſua idolis non decorant, quibus Baptiſmus promiſſionis eſt appendix, & confirmandæ gratiæ ſubſidium, non autem ſalutis cauſa: qui abſolutionis formam cujuſque auribus non inſuſurrant, qui non feriantur in Sanctorum honorem, & in lectionum fragmentis Miſſale non ſequuntur. En cur jactet ſibi ſcindendum fuiſſe vulnus, ne occulta putredo intus lateret: ac ſi ſanctam pacem mutuo alere & colere non poſſet, niſi ſerviliter alienis ſordibus nos inquinemus. Vere enim de ſimiis iſtis, quas tantopere delectat præpoſtera æmulatio, Horatius exclamat, O imitatores ſervum pecus! Ego vero quum ignem ſopitum eſſe dixi, me deceptum fuiſſe agnoſco, quod ſaniores eſſe putaverim, qui nunc ſine modo inſaniunt. Quando autem importuna eorum rabie ſpes pacis ablata eſt, compeſcat Deus iſtas furias, & quæ in nos probra proterve non minus quam injuſte vomunt, in eorum capita retorqueat.

Jam quaſi objectum turbatæ pacis crimen optime diluerit, ſuam eruditionem aſſerere aggreditur. Cæterum, quo ſe modeſtum probet, præfatur ſe adigi mea impudentia, ut verecundiæ fines tranſillat. Unde autem me impudentem eſſe convincet, niſi quia indoctum eſſe dixi? Atqui magiſtralibus & doctoralibus titulis fruatur per me licet, modo ne in commune Eccleſiæ damnum inter doctos locum nimis cupide ambiat. Inſipidas ejus ironias prætereo, quibus me ſuggillat, quod minus honorifice quam vellet de ipſo ſentiam. Si quid mihi gratiæ datum eſt, utiliter abſque oſtentatione vel faſtu in ædificationem Eccleſiæ conferre ſtudeo. Et libri mei luculenti ſunt teſtes, adeo me non certare de ingenii vel doctrinæ palma, ut nihil magis quam oſtentationem caveam. Nec erat cur me in comparationem traheret, qui ſepulta mei mentione tantum admonueram, ut locum potius daret magis idoneis cauſæ ſuæ defenſoribus, quam temeritatis dedecus ſubiret. Nunc igitur ſe cum ſuæ partis hominibus conferat, primumque ſibi gradum vendicet, ſi me cupit refellere. Atque huc tandem deſcendit dum magnifice jactat ſe nullis columnis cedere, ac ne cæleſtibus quidem Angelis. O Luthere, quam paucos tuæ præſtantiæ imitatores, quam multas vero ſanctæ tuæ jactantiæ ſimias reliquiſti! Hanc vocem ſubinde ei fuiſſe in ore mirum non eſt, qui fortiter Chriſto militare non poterat, quin totam mundi altitudinem deſpiceret. Nunc fucos, dum examen apum turbant, eodem ſonitu ſtridere nullo modo tolerabile eſt. Velim tamen columnas iſtas oſtendat, quibus ſe negat ceſſurum. Paulo hoc dicere licuit, cujus nomen Petri & aliorum ſplendore obruere errones tentabant. Quid hoc ad Weſtphalum, qui ſtellas è cælo detractas ad inferos uſque proſternit, niſi ſuis placitis obſequantur? Nuper enim vidimus quam contumelioſe abdicaverit Eccleſias omnes, in quibus aliquid diverſum, vel abſimile ſuis præſcriptis reperit. Videat igitur ne adverſus columnas ſe ingerens, ad lapidem offenſionis impingat. Nam poteſtatis à Deo conceſſæ niſi diploma proferat, cui ſe fidem facturum confidit? Ad Paulum enim cujus perſonam ridicule mutuatur, nihilo magis accedit, quam ad regem hiſtrio. Utinam veris ſigillis, Chriſti ſe Apoſtolum probaret. Nunc autem quid hominem vento aut quiſquiliis refertum, quaſi è cælo prodierit, ſe fidei patronum jactare juvat? Si Weſtphalo creditur, ipſum humeros ſupponere neceſſe fuit, ne concideret fidei integritas, nempe ſi concedimus, fidem inſulſis commentis, quibus ſe & alios dementat, ſuffultam ſtare: eodem etiam modo jactantia iſta evaneſcit, non tam exiguos ipſum feciſſe progreſſus, quin vocem paſtoris à luporum ululatu dignoſcat. Cur ergo ululatu ipſe

ſuo tumultuoſe conturbat Eccleſiam, ne vox Chriſti placide audiatur? Et quibus perſuadebit nos ululare, quos ſatis notum eſt nihil aliud noctes ac dies agere aut moliri, niſi ut voce ſua oves diſperſas cæleſtis Paſtor ad ſe colligat? Quam fidele ſtudium impendam, ut ab ore unius Chriſti totus mundus pendeat, non libros modo & aſſiduas conciones citare teſtes licet, ſed qui me quotidie in opere verſari conſpiciunt, certius reddent teſtimonium. Sua autem benedictione Deus labores meos ſplendidius obſignat, quam ut decem Weſtphalis contemptibilis eſſe debeat hic fructus. Hæc vocationis commendatio mihi cum Paulo communis eſt. Suam unde petet, qui ſodalibus tantum occinens, mutua invicem præconia ab ipſis repoſcit? Sibi videtur idoneus ſpirituum diſcretor. ſed ſi eum omnes exſibilant, cujus præjudicii vim habebit quam intus de ſe concepit opinio? Prædicat ſe non infœliciter locare in ſacrarum literarum ſtudiis bonas horas, quæ aliis nugando aut ludendo male pereunt. Cui hoc exprobret non video, niſi forte ſtudiorum ſuorum objecto terrere me voluerit. Wittebergæ & alibi fidelium doctorum fuit auditor: nempe ſicuti Petri & Apoſtolorum diſcipuli fuerant, qui ſuis nebulis Euangelium longe lateque ſparſum obſcurare conati ſunt. Nec inter laudes ſuas ſubticet, quod in patria obtineat docendi locum. plauſibilem, ut ipſe putat, mihi inſultandi materiam nactus, qui à patria exulo. Mirum quod non etiam in Paulum ſannas ſuas dirigat, quia Tharſenſis non fuerit Epiſcopus. Me autem adeo voluntarii exilii non pudet, ut nidi ſui quietem delicatis iſtis Apoſtolis minime invideam. Denique quiſquis narrationem ejus propius attendet, me tacente, vivam pſeudoapoſtolorum imaginem clare intuebitur, qualem Paulus in utraque ad Corinthios Epiſtola depingit. Quanquam autem ſubmiſſe præfatus fuerat ſe propriæ imbecillitatis ſibi conſcium, ingenii & doctrinæ laudem aliis relinquere, paulo poſt hujus fictæ modeſtiæ oblitus, quam acido fermento ſtomachum plenum habeat, prodere cogitur. Indoctus, inquit, ſcire cupio, quam iſte ideam docti hominis fingat. Quaſi vero ad ideas Platonicas confugere oporteat, ſiquis in mundo præter Weſtphalum homo doctus quæritur. Ego vero ne fruſtra longis ſpeculationibus te fatiges, multos qui meo judicio in catalogum doctorum referri jure poſſint, Lipſiæ & Wittebergæ viciniſque locis eſſe denuntio. Nullo enim colore criminatis nullos mihi eſſe doctos, niſi qui in Zuinglii ſchola inſtituti fuerint. Quanquam enim à nobis diſſenſit Lutherus, an unquam à nobis contempta fuit ejus eruditio? Imo quorſum totus ille meus ſermo attinet, quem nunc Weſtphalus exagitat, niſi ipſum temere in medium prorumpere, doctis & gravibus viris ſe continentibus? Quum ſuæ partis hominibus doctrinæ & prudentiæ elogium à me tribui videat, quam turpiter ſecum ipſe diſſidet? Sed hoc eſt ſcilicet, nullos patitur nominari doctos, niſi unus ſit ipſe ex numero. Itaque nullum inſcitiæ nævum in ſe poſſe notari exiſtimat, niſi quia corpus Chriſti geometrica ratione non metitur. Et forte ita de ſe magnifice ſentit, ut nihil in ſe contemptu dignum agnoſcat. Sed ſi putat uno verbulo doctos omnes laceſſitum iri, ut mihi bellum denuncient, longe fallitur. Quanquam quod de geometrica dimenſione nugatur, jam prius calumnioſum eſſe oſtendi. Neque enim Corpus Chriſti, quod in cælos receptum eſt, à terris abeſſe in Archimedis ſchola didicimus: ſed ut claris Scripturæ oraculis proditum eſt credimus. Ex qua autem philoſophia hauſerit, Chriſto in primæ Cœnæ actione duplex fuiſſe corpus, alterum mortale, viſibile, & loco ſuo poſitum: alterum vero immortale, inviſibile, & immenſum: ego pro mea ruditate divinare nequeo. Nam quod præclaris inſignibus veſtitus, locum ſe in albo doctorum promereri contendit, quia ex Scripturis nova & vetera depromat, principalem teneat Scripturæ ſcopum, ſimplici fide aſſentiatur verbo Dei: nihil certe adducit, quod non ſit nobis commune. Utinam re ipſa peritiam hanc ac dexteritatem in ſe monſtraret. Hoc etiam ridicule, quamvis ex more ſuo, quod poſtremo loco contentus ſtatim ſe in ſummum culmen effert, dictum illud uſurpans, Super omnes docentes me intellexi. Quo enim relegabitur Lutherus, ſi eo ſuperior eſt, qui in gradu infimo ſubſidit? Tandem ut poſſeſſionem tituli doctrinæ retineat, niſi doctus eſſet, ſe non fuiſſe metuendum dicit. Parum abeſt, quin confeſſionem, cujus deſiderio mire cruciatur, extorqueat. Cur enim laboro, ne homo indoctus Europam conturbet, quod periculum non niſi à ſapientibus, à literatis, auctoritate & eloquentia præditis manare ſolet? Quaſi vero à ſtultis & inſanis nihil noxæ vel timendum ſit, vel cavendum. Vulgari proverbio non fruſtra ferri dicit, indoctos non ſuſcitare hæreſes. Quid igitur Anabaptiſtæ? quid Monetarius? quid Libertini? Imo in tota colluvie, quam Irenæus, Epiphanius & Auguſtinus referunt, quanto plures craſſa inſcitia, quam eruditio pravis erroribus implicuit? Rectius Auguſtinus & prudentiùs, ſuperbiam omnium hæreſeon eſſe matrem, qua ſæpe videmus rudiſſimos quoſque maxime turgere. Quare ut ab hoc crimine immunis ſit Weſtphalus, pervicaciam inprimis exuat oportet, quæ nocentiſſima eſt, peſtis.

Poſtea deceptor ſum Weſtphalo, quia mihi curæ fuiſſe profeſſus eram, ne ſimplices deciperet: ac me Judæis comparat, qui idem de Chriſto apud Pilatum dicebant. Se igitur Chriſto ſimilem oſtendat, ſi me conjicere vult in illam turbam. In Dei verbo nihil eſſe impoſturæ, non minus ex animo & ſyncere fatetur, quam ventoſe lingua Weſtphalus prædicat. Sed ubi verbum illud, cujus fiducia tam convicioſe me inceſſit? Perinde enim acſi Comicus eſſet neſcio quis Jupiter, Minervam in cerebro ſuo geſtans, ſuis omnibus figmentis larvam verbi Dei audacter induit. Niſi jam olim pſeudoprophetis tritum fuiſſet eo glorioſius prætendere Dei nomen, quo magis ab ipſo alieni erant: his terriculamentis nonnihil forte proficeret. Nunc quum omni teſtimonio deſtitutus, arguat quaſi ex probatis, quotuſquiſque futilibus iſtis ineptiis movebitur? Verbum Dei in ejus ore confidenter reſonat, ſed verbo tenus: non ſecus acſi Marcion cæleſte corpus Chriſto affingens, hoſtes Verbi clamaret quicunque ex ſemine Abrahæ genitum fuiſſe credunt, quia ſcriptum ſit, Secundus Adam è cælo cæleſtis. Sed quum melioribus documentis, quam à parte ſua Weſtphalus proferat, nobis datum ſit quam Dei verbo deferimus reverentiam teſtari: quum etiam libri luculenta probatione oſtendant nos ejus fidos & probos eſſe interpretes, mirus erit præſtigiator Weſtphalus iſte, ſi à certo rei intuitu lectorum oculos ad inane ſpectrum convertat. Valeat igitur intempeſtiva illa garrulitas, qua nihil eum aliud venari appareat, niſi ut imperitos dementet, ne de re cognoſcant. Quorſum enim attinet ſtultitiam nobis objicere, acſi Moſi & Prophetis non credamus? Neque enim ſi verba Chriſti interpretamur ut communis Scripturæ uſus poſtulat, ideo protinus habendi ſumus pro incredulis. Niſi enim nos ſibi devinctos teneret Chriſti veritas, niſi obſtringeret religio, cur in acie aſſidue ſtaremus? Scimus ſane quid ſit in oculis noſtris ſtulteſcere, ut ſobrie ac ſpiritu manſuetudinis amplectamur quæ Deus parvulos docet, ac ſapientiam illam tenere nos confidimus, quæ teſte Paulo, ſua latitudine, longitudine, profunditate, & altitudine cælum & terram comprehendit. Sed Weſtphalo nihili eſt inæſtimabilis Dei charitas, qua nos in Filio unigenito complexus eſt, totum redemptionis myſterium, immenſa Chriſti virtus, & reſurrectionis ejus gloria, niſi panis ſubſtantialiter ſit corpus. Pro nihilo

etiam

etiam eſt quod tradimus, Chriſtum Spiritu ſuo vivificam in nos carnis ſuæ & ſanguinis virtutem influere, mirabiliter ipſum intus præſtare, quod oculis panis figurat, ut coaleſcamus in ejus vitam, & ſubſtantia carnis ejus animæ noſtræ vegetentur. Quare ſit ipſe ſibi potius quam aliis monitor, ne ſe aliquem putando, quum nihil ſit, ſeipſum fallat. Non enim niſi incredibili ſuperbia ebrius præ ſe alios ita deſpiceret, quicunque ejus obſtinationi ſupplicitur non credunt. Hinc etiam illa querimonia, blaſphemiam irrogatam eſſe Deo, quia ipſe inſanus habitus fuerit. Si ita eſt, nullo gloriæ Dei zelo affici conſtat, qui ad mentis ſanitatem redire non ſtudet. Verum donec ſanctiore vinculo Deo ſit conjunctus, timendum minime eſt, ne ſiquid ſuo merito audit, in Dei contumeliam redundet. Deriſi fuerunt Apoſtoli in die Pentecoſtes, acſi ebrii fuiſſent. ſed id ad ſe Weſtphalus nihilo majori jure transfert, quam Phœbades ac Bacchæ. Nec certe majore probro fœdare poſſet Apoſtolos, quam ſe ingerendo in eorum ordinem, donec novo ſpiritu imbutus & transformatus in alios mores, ſimilis ſui eſſe deſierit. Nam ſicuti ſacrilegum ludibrium fuit, ebrietatis loco haberi Spiritus afflatum: ita fallaci Dei prætextu intemperanter furere, ebrietate deterius malum eſt. Quanquam autem in Lutheri vehementia modum jure ſani & æqui homines deſiderant, longius tamen ab eo abeſt Weſtphalus, quam ut ſub ejus umbra dedecus ſuum occultet. Damnari pro inſanis in Scriptura concedimus, qui corrupti ſunt in fide. ſed quum inde colligit nos non ante fore ſanos, quam errorem noſtrum deteſtamur, miror ex quo fonte ſuum illud, ergo, derivet. Nam quod hic quaſi furtim interſerit, in ſacra Cœnæ actione quoſdam noſtrum ſatanico furore percitos omittere Chriſti verba, Hoc eſt corpus meum, tantidem æſtimandum eſt, acſi meretrix vel leno confictis ex tempore convitiis obvium quemque inceſſeret.

Arrogantiæ crimen ita diluit, ut verbo negans, ſolidis argumentis ſe Thraſonem eſſe demonſtret. Nihil ſe alienum à ſua profeſſione facere putat, dum ſe profitetur fidei orthodoxæ vindicem. Primum quid hoc ſibi vult, profiteri nihil eſſe alienum à profeſſione? Ego certe non nego ipſum profitendo profiteri. tantum cuperem vere id fieri. Imo ſi res ſermoni reſpondeat, ſubſcriptores nos omnes habiturus eſt, qui hodie falſis ejus commentis palam nos opponere cogimur. Ubi autem balbutiens illa ſimplicitas, qua ſe commendat? Nam ſimplicitas quidem in toto libro nulla reperietur. Balbos vero tam eſſe loquaces præter naturam eſt. Nam quod Eccleſiæ negotium ſe agere cauſatur, verius dixiſſet ſe facere: quando in hoc totus eſt, ut filiis Dei moleſtiam afferat. Vult tamen id eſſe perſuaſum, quia alioqui ſuæ quieti melius conſuleret. Quaſi vero mihi etiam non eſſet commodius, à ſcribendo ſuperſedere, niſi me aliis utilibus ſtudiis hominis importunitas ad hanc neceſſitatem traheret. Mihi quidem vere prædicare licet, quum integer tacendo maneam, nec me privatim vulnerent Weſtphali tela, non alia quam ut Eccleſiæ proſim ratione adduci ad ſcribendum. Quonam autem loco apud ſuos ipſe futurus ſit, niſi tumultuando nomen acquireret, relinquo omnibus æſtimandum. Altius tibias ſuas inflat, ſi ſe non tantum pro Eccleſiis Saxoniæ, ſed pro aliis ubique longe remotis decertare prædicet, nullam fore jactantiam. Et tamen paulo poſt quaſi ſui oblitus, parum conſiderate adjungit, nullam paginam, in qua ſe pro Saxonia pugnare jactet, à me prolatum iri. Mihi vero neceſſe non eſt ſingulas paginas evolvere. Prodeat liber ipſe in medium, & auctoris vanitatem prodat. Quanquam neſcio quis eum pudor impediat, Saxoniæ patronum ſe profiteri, qui totum orbem complectitur. Nam quaſi ſolus totam molem ſuſtineat, dicit ſe propter longinquas gentes Latine ſcribere. Ego vero communi omnium nomine affirmo neminem eſſe ſani cerebri, qui non hunc ei laborem libentiſſime remittat. Quod ſi pergat ſatagere, non aliud operæ pretium facturus eſt, niſi maledicant omnes, quorum gratiam venatur. Et tamen ſi ejus verbis creditur, natura & aſſuefactione uſque adeo amat verecundiam & modeſtiam, ut duas iſtas virtutes à pueritia ſemper habuerit gratiſſimos comites. Utinam potius ducas, ne à tergo relictæ contemptum ſui ultæ eſſent, ut videmus. Certe Weſtphalos verecundia ſere ſequitur: quia fieri non poteſt, quin probroſe dejiciat Deus, qui ſe magnifice in ſublime attollunt. Sed ita ſe tansfigurat, ut difficilem faciat delectum, qua ipſum parte aggredi oporteat. Modeſtia & libertas ſervis Chriſti, fateor, optime conveniunt: ſed duo probanda reſtant Weſtphalo, Chriſti eſſe quam agit cauſam, & phreneticum impetum, quo agitur & rapitur, à ſpiritu libertatis, quo præditi ſunt filii Dei, nihil differre. Quid enim prolixa officii ſui commendatione conſequitur, niſi accedat cauſæ cognitio? Ad hanc militiam ſe à cæleſti duce extruſum fuiſſe dicit: nos vero nullis legitimis auſpiciis theomachiam moliri, arma Chriſto ſedenti ad dextram Patris movere, infeſtaque ſigna inferre ejus militibus. nempe ſtolidus oſtentator ſibi nihil non arrogat, impurus convitiator in nos evomit ſine ullo delectu, quæ ſponte ſua concidunt antequam ad nos pertingant: homo profanus ſacris ſententiis turpiter pro ſua libidine abutitur, non ſecus ac Magi ſacra verba ad impias incantationes detorquent. Mecum tamen litigat, quod non animum addiderim pugnanti, ſed potius increpuerim. Neque enim alio poſſe referri video quod dicit, bonos duces ſolere laudibus & promiſſis milites ſuos animare; non increpare pugnantes. Utinam vero ita ſe gereret, ut eum liceret animare tanquam unum ex Chriſti militibus. Quod autem eum admonui, ut pedem à bello male inchoato retraheret, fruſtra in eam partem torquet, acſi gregariis militibus deſpectis, nobile ex magno aliquo duce trophæum erigere appeterem. An ego quenquam laceſſivi? ac non potius adjutorem me præbere ſtudeo, ut eodem à nobis animo propagetur Chriſti regnum? Sed obſervatu dignum eſt quod ſubjicit, ſpeciem Thraſonicæ jactantiæ referre, ſi quis cum ducibus confligat. Omnino hoc comprobat exemplum Weſtphali. Quot enim & quales ſemel aggredi auſus eſt? Vivos enim & mortuos in unum faſciculum conjiciens, libello uno profligare omnes tentavit. Interim vero honorem ſuum, de quo alioqui plus ſatis anxius eſt, nimium proſternit, ſecum me invitum pugnare inſimulans, ac ſi non niſi cum quiſquiliis eſſet negotium. Alio deinde tranſit, non ceſſiſſe nos principibus viris. Quod ſi vitioſum eſt, qua fronte non laceſſitus in viros principes inſurgere non dubitavit? Minus enim excuſabilis audacia eſt, quietis & tacentibus bellum ultro indicere, quam reſiſtere nos oppugnantibus. Verum ut parcamus ad commune aſylum fugienti, (iſtis enim hominibus jam ad Lutheri nomen, non ſecus atque ad clypeum Aiacis ſolennis eſt receptus) quod tamen de nobis tam effreni impudentia blaterat, quo colore excuſabit? Patronos nobis aſſignat Caroloſtadium, Suinkfeldium, & alios ſimilis notæ, quos vocat ſatanæ ſatellites. Atqui de Suinkfeldio quid pridem ſcripſerim nec ipſe ignorat, & totus mundus mihi teſtis eſt. Nam de profanis hominibus, qui Sacramenta exinaniunt, verba faciens, ipſum anteſignanum poſui. En ſpiritualis poteſtas, qua ad mentiendum quivis potius quam Chriſtus eum armavit. *In comm. 1 ad Cor. cap. 10.* Nunc judicent lectores quam inique in otio ludere hominem dixerim, quem fallendi tædii cauſa non modo tam licentioſe quidvis in nos garrire conſtat cum ſuis gregalibus, ſed etiam in publica ſcripta referre. Negat ſe exortem eſſe commu-

nis

nis fortunæ eorum omnium, qui ſuſtinent curam paſtoralem. certe ſi meas inquietudines cum ſua ſeſſione comparet, merito ſe cathedralem Epiſcopum jactabit. quod tamen ego minime invideo, modo ne animi gratia infeſtus nobis eſſe pergat. Nam ſi vehementiam ſuam quo utile eſt conferret, plauſu & gratulatione potius incitarem, quam objurgatione retunderem ſanctum ejus zelum. Nunc quid juſtam maledictis ſuis mercedem referri conqueritur? Nam gloriatio de zelo domus Dei inter alias jactantias ponenda eſt, quibus ſacra omnia fœde profanat. Quum etiam fatetur ſe acrius interdum inſurgere contra hoſtes obſtinatos, moderatione tamen adhibita ne fervor in vitium abeat, dicas Cenſorium Catonem loqui: cujus ſevera gravitas terroris neſcio quid incuteret, niſi mox prominerent auriculæ, quæ Weſtphalum produnt. Veriſſimum eſt illud Nazianzeni quod adducit, Dei milites quamvis aliis in rebus manſueti ſint, pro fide eſſe pugnaces. Sed æque verum eſſe non modo communis experientia, ſed hujus hominis intemperies oſtendit, diaboli ſervos contra fidem eſſe pluſquam pugnaces. Ergo ut perverſæ violentiæ crimen effugiat, non alienis ſe veſtiat plumis, ſed incipiat ſervum Deo præſtare, qui hactenus nimis ſtrenue diſcordiarum patri militavit. Quod autem meam epiſtolam cum omnibus ſuis ſcriptis conferri jubens, ſuam violentiam comparatione excuſat: ego vero non recuſo, quin lectores ex ejus Farragine, quam diſcuſſi, judicium faciant, quid ipſe meritus ſit, & quam non injuſte in eum fuerim aſperior. Porro ne ſolus totum invidiæ onus ſuſtineam, partem aliquam in delatores rejicit. Ne quis tamen his verbis me levari putet, continuo poſt addit, non diſparem eſſe eorum culpam, qui delationibus ſuis aliorum famam lædunt, & qui ſtulte creduli delatos criminantur, quia non minus prohibet Deus accipere falſum teſtimonium quam dicere. Cur ergo tam licentioſe ſingulis paginis contra innoxiam multitudinem mentitur, & tam atrociter me lacerat? Et audet nos ad Dei tribunal citare, qui ſi de judicio Dei cogitaret, vel parceret homini de Eccleſia Dei bene merito, vel ſaltem humanius eum tractaret. Sed quid mei rationem haberi poſtulo, dum video tam indigne raptari & vexari præclaros Dei ſervos, qui vel totam vitam conſumpſerunt in aſſerenda Dei gloria, & promovendo Chriſti regno, vel adhuc ſuperſtites eundem tenent curſum? Nam & hæc truculentiæ nota non obſcura eſt, quod in profugos invehitur, quos hoſpitio prohibere non ſatis habuit, & in mediis aſperrimæ hyemis frigoribus disjicere, quum illic reſpirare coperent, niſi etiam modis omnibus quantum in ſe eſt, è toto orbe exterminandos curet. Ego vero, quamvis juſtam indignationem mihi tunc exprimeret miſericordia, qua me niſi ferreus eſſem, in triſtibus fratrum ærumnis tangi neceſſe fuit, deceptum tamen me fuiſſe jam video & fateor. Putavi enim neſcio quid occaſionis Weſtphalo & ſimilibus fuiſſe oblatum, cur ardentius æquo excandeſcerent. Nunc ad immanem truculentiam in nos omnes promiſcue exercendam illis ſufficere video, quod non ſubſcribimus eorum placitis. Tam virulento enim odio in nos crepant, ut citius illis pax cum Turcis futura ſit, & cum Papiſtis fraternitas, quam nobiſcum induciæ. Hæc indignitas ſi mihi bilem movit, mirari nemo debet. Si modum exceſſi, hujus delicti veniam apud æquos judices mihi, ut ſpero, impetrabit cauſæ bonitas. Verum hæc excuſatio mihi à Weſtphalo eripitur. Primo enim bonam cauſam me agere negat: deinde me habenas affectibus meis ſolviſſe dicit, ut veritati tenebras offunderem. De cauſa plane jam piis omnibus ſatisfactum eſſe arbitror: quam mihi viſus ſum firmis argumentis non minus quam compoſito docendi ordine defendere. Nam ex convitiis adminiculum inducere, neque ulla ratio cogebat, neque mihi venit in mentem. Ipſe vero qui tam belle concionatur, qualiſcunque ſit cauſa, admixtis inſectationibus ſuſpectam reddi, cur non ſibi temperat? Qui fit ut ſubinde hæreſes ac blaſphemias crepet? nullo denique petulantiæ genere abſtineat? Et tamen quaſi ſatis ſit os abſtergere, ſibi nihil aliud propoſitum fuiſſe ſimulat, quam impetum meum reprimere. En cur me declamationibus tanquam aſcititiis coloribus malam cauſam ornaſſe inſimulet, quum tamen palam ſit me utraque manu cauſam amplexum, nihil dixiſſe quod ad rem non eſſet appoſitum: ipſe autem parce & jejune cauſam attingens, per locorum communium ambages fere vagetur. Certe nunquam adeo facundus erit rhetor, ut me declamatorem eſſe perſuadeat, cujus reſtricta in ſcribendo brevitas, & firma in tractandis argumentis ſtatio omnibus nota eſt.

Clauſulam libri ſui Weſtphalus ex cavillis quibuſdam conflavit, quibus ſiniſtram ſuſpicionem injicere conatus eſt, ut recte dictis fidem detraheret. Non audet quidem initio aperte reprehendere, ſed ſe ad examen Eccleſiæ vocare obtendit: collecta vero audacia paulo poſt damnat. Eſt quidem hoc aliquid, quod ejus confeſſione Sacramentis plus honoris defero, deque eorum vi, uſu, & dignitate majori cum reverentia loquor quam plerique alii. Quod ſi ita eſt, cur hac mea moderatione non fuit mitigatus? Apparet enim uſque adeo nihil eſſe profectum ad leniendam ejus offenſionem, ut magis hac de cauſa exarſerit. Si hac mea doctrina, quam mediocrem eſſe prædicat, placari in totum non potuit ejus moroſitas, imo ſi aſperitas miteſcere non potuit, quid cauſæ eſt, ut me tam violenter profliget? Nam etſi me aliorum turbæ permiſcens, non unum hoſtem delegit, plus tamen ex Conſenſu noſtro amarulentiæ concepit, quam ex quibuslibet aliorum ſcriptis. Veniamus tamen ad ejus cenſuras.

Sacramenta eſſe inſtituta mecum agnoſcit, ut nos ad Chriſti communionem deducant, & adminicula eſſe, quibus inſeramur in corpus Chriſti, vel inſiti magis coaleſcamus. Quærit ergo cur infantes ex fidelibus genitos, ſanctos eſſe tradam, & Eccleſiæ membra antequam baptizentur. reſpondeo, ut magis coaleſcant in Chriſti communionem. Argute ſe diſputare exiſtimat, negans ante Baptiſmum Eccleſiæ inſertos eſſe, ſi per Baptiſmum inſeruntur. Ego vero quod mihi objicit in eum facile retorqueo. Nam ſi recte docui ad hoc valere Sacramenta, ut qui jam inſiti erant in Chriſti corpus, magis coaleſcant; quid hoc ad Baptiſmum referri vetat? Neque tamen in hac reſponſione inſiſto. Fateor proprium eſſe Baptiſmi munus, nos in Chriſti corpus inſerere, non quod ab eo prorſus eſſe alienos oporteat qui baptizantur: ſed quia tunc eos Deus ſe admittere teſtatur. Notum eſt illud Auguſtini, multas Chriſti oves extra Eccleſiam eſſe, quum multi lupi intus habitent: nempe quia antequam fide cognoſcant Deum, quos adoptionis Spiritu ad ſe invitat, ab ipſo jam cogniti fuerunt. Quanquam ergo Deus jam in Eccleſia ſua agnoſcit qui extери eſſe videntur, & ſunt etiam quod ad ipſos attinet, merito in Eccleſiam ſuam eos inſerere dicitur, quum eos illuminat in fidem, quæ illis eſt primus in ſpem æternæ vitæ ingreſſus. Nondum ſolutus eſt quæſtionis nodus, fateor. Tantum principia hæc attigi, ex quibus delibet Weſtphalus nihil abſurdi eſſe, ſi dicamus in Eccleſiam inſeri, qui prius erant ejus membra. De pueris & infantibus antequam reſpondeam, velim mihi ſuum de quatuor hominum millibus, quæ Petrus prima ſua concione Chriſto lucrifecit: item de Cornelio & ſimilibus judicium proferat. Si membra Eccleſiæ fuiſſe neget ante Baptiſmum, nullus ſecundum eum pœnitentiæ & fidei effectus erit. Si ad Eccleſiæ corpus non pertinent, quos Deus verbo ſuo regenuit, quos refinxit ad imaginem ſuam, quos cæleſti fidei luce dignatus eſt, quos Spiritus donis locupletavit, quibus notis à

reliquo

reliquo mundo diſcernendi erunt filii Dei? Quid igitur reſtat, niſi ut mihi concedat Weſtphalus, aliqua ex parte, vel ſecundum quid, ut loquuntur, fuiſſe Eccleſiæ membra, qui in ejus ſocietatem initiati deinde fuerunt per Baptiſmum? Sic Pauli abluta ſunt peccata in Baptiſmo, quorum veniam prius fide adeptus erat. Hoc ad infantes transferri nihil vetat, quorum non abſimilis eſt ratio. Nam aut inane eſt Dei fœdus, quo eos ſibi adoptat, & irrita promiſſio: aut non prorſus extranei ſunt, quos Deus pronunciat ex ſuo grege eſſe. Filios ſuos nominat Deus, quibus promiſſa eſt ſalutis hæreditas in parentum perſona. Quo jure erit ipſorum pater, ſi ad Eccleſiam nullo modo pertineant? Nihil tamen impedit, quo minus gratiam hanc obſignans, idem quod prius dederat de integro confirmet. Mirum autem eſt, Weſtphalum hoc juris negare infantibus, ſine quo perperam eos ad Baptiſmum admitteret. Quanquam Baptiſmo fateor nos fieri Eccleſiæ membra, nego tamen rite baptizari, niſi qui ad corpus Eccleſiæ pertinent. Neque enim noſtrum eſt quibuslibet promiſcue largiri Sacramenta: ſed ad præſcriptum Dei exigenda eſt eorum diſpenſatio. Quis tibi, Weſtphale, permiſit æternæ vitæ pignus, juſtitiæ & renovationis ſymbolum, maledicto & profano homini conferre? Si tecum Anabaptiſta quiſpiam diſceptet, non alia tibi, opinor, ſuccurret defenſio, quam ad Baptiſmum jure recipi, quos Deus adoptavit antequam naſcerentur, & quibus ſe fore patrem pollicitus eſt. Niſi enim gratiam ſuam à patribus in filios transmitteret Deus, infantes ab utero recentes in Eccleſiam recipere, mera Baptiſmi profanatio eſſet. Quod ſi Dei promiſſio ſub Lege fecit, ut ex radice ſancta prodirent ſancti rami, an ſub Euangelio ipſo, gratiam Dei reſtringes, vel efficaciam minues adoptionis teſtimonio, quo Deus infantes inſignit? Infantes octavo die circumcidi Lex jubebat. quæro, fueritne legitima in Eccleſiam Dei illa inſitio? Et quis negare audeat? Atqui ſanctos ab utero fuiſſe Scriptura pronunciat, quatenus ex ſancto genere erant progeniti: nempe qua ratione Paulus hodie ſanctos fidelium liberos eſſe docet. Periode autem ratiocinatur Weſtphalus, ac ſi Deo liberum non eſſet gradatim ſuorum ſalutem perficere. Ego autem dico inſeri ſecundum quid in Eccleſiam, qui diverſo reſpectu prius jam fuerant inſiti. Neque enim Dei promiſſio nullius momenti eſt, quin ad eorum ſalutem ſufficiat, quos nuncupat filios & hæredes. Hac fiducia recte ad Baptiſmum afferri dico, quos jam Deus ſibi conſecravit. Hic nondum de arcana electione agitur, ſed de patefacta per verbum adoptione, quæ infantes nondum natos ſanctificat. Sed quia Baptiſmus ſolennis agnitio eſt, qua Deus liberos ſuos in vitæ poſſeſſionem deducit, vera & efficax promiſſionis obſignatio, pignus ſacræ cum Chriſto conjunctionis, merito ingreſſus & receptio in Eccleſiam eſſe dicitur. Et quia mortua non ſunt Spiritus ſancti organa, vere per Baptiſmum efficit ac præſtat Deus quod figurat. Hanc regulam niſi admittat Weſtphalus, ſtulte & præter rationem expectarunt Apoſtoli, dum filii Dei fierent quos poſtea recepturi ad Baptiſmum erant. Nam ſecundum ejus dogma antevertere decebat, ne ſi Sanctos in gremium ſuum reciperet Eccleſia, ſupervacuus eſſet Baptiſmus. Niſi forte eadem æquitate, qua pios Chriſti exules prohibuit hoſpitio, à regno cælorum exterminet qui Dei Spiritu regeniti ſunt. Cornelius cum ſuis antequam baptizaretur donatus Spiritu ſancto, Sanctorum inſignibus ornatus, merito inter Dei filios locum aliquem tenebat. Baptiſmum, qui deinde acceſſit, præpoſterum faciat Weſtphalus neceſſe eſt, ſi non vult niſi extraneos admitti. Frivolum tamen interea eſt cavillum, me ludere ambiguo ſermone, acſi receptio quæ fit per Baptiſmum, nihil aliud foret, quam externa coram hominibus declaratio: ſi quidem palam affirmo, nobis in Baptiſmo cum Deo eſſe negotium, qui non modo paternum amorem teſtando, fidem nobis ſuam obligat, ut de ſalute noſtra certo ſimus perſuaſi, ſed etiam quod per miniſtri manum figurat, ipſe intus ſua virtute ſancit. Atque ita diſcutitur altera calumnia, ubi dicit Quoſdam ex noſtris dum infantes, qui ante tempora æterna adoptati erant in filios, tradunt viſibiliter deinde inſeri in Chriſti corpus, paradoxa ingerere quæ pugnant cum verbis Chriſti, Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: item, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu &c. Nemini enim propoſitum fuiſſe arbitror gratiæ ſanctionem divellere à Baptiſmo, ut ratum ſit fœdus, quod verbo ſuo Deus pepegit. Quanquam hic perſpiciunt lectores, quam nulla ei religio ſit, Scripturam illotis manibus inquinare. De infantibus quæſtio inter nos vertitur, eos contendit Baptiſmo fieri Chriſti membra, & vitæ hæredes. quo teſtimonio hanc ſententiam confirmat? nempe quod ſpem ſalutis infantibus præcideret, niſi conſtaret de adultis tantum intelligi, qui per ætatem jam ad credendum idonei ſunt. Dum pædobaptiſmum impugnant fanatici homines, non ſine ſpecioſo colore ex hoc loco ratiocinantur, everti poſitum à Chriſto ordinem, niſi Baptiſmum fides præcedat. Apte tefellitur eorum error, quod illic nominatim agat Chriſtus de Euangelii prædicatione, quæ non niſi ad homines adultos dirigitur. Prorumpit Weſtphalus, & hinc elicit tanquam oleum ex lapide, ſalutem infantibus provenire ex Baptiſmo. Alterum locum ubi prudentius expenderit, perperam ad Baptiſmum trahere deſinet.

Quærit rurſum, ſi Sacramenta ſunt organa, quibus efficaciter agit Deus, ſuamque nobis gratiam teſtatur & obſignat, cur negamus per Baptiſmi lavacrum renaſci homines, quaſi hoc à nobis negari non ipſe confingat. Ego vero Baptiſmo non ſecus ac verbo regenerari homines quum aperte aſſeruerim, mihi hominis impudentiæ mature obviam iviſſe videor, ut ſuo rictu nihil niſi umbram ſuam attingat. Quod autem expoſtulat ſe & ſodales cæcitatis fuiſſe à me damnatos, quod perperam Sacramentis affigant ſalutis fiduciam, & quod proprium erat unius Dei ad illa transferant, vel mira rixandi libidine agitur, vel ſemel ſtatuit quicquid in mundo eſt ſuperſtitionum in ſuam cloacam advehere. Scimus quam craſſi de Sacramentis errores in Papatu graſſentur, ut omnium mentes prope magicis præſtigiis faſcinatæ, Chriſto præterito, in elementa ſalutis fiduciam defigant. Scimus tantum abeſſe, ut Sacramenta referant ad ſuum finem, ut potius gratiæ cauſam ad ea traducant. Tale nihil attingi patitur Weſtphalus, quin ſe lædi clamitet. Quaſi vero in ejus gratiam alendæ ſint tot fœtidæ ſordes, quibus purgandis ſi mica veræ pietatis ſubeſſet in ejus animo, ipſum quoque toto conatu incumbere decebat. ſed ut video, incredibilis quædam pervicacia hominem occupat, ut in profundiſſimos quoſque Papatus gurgites immergere ſe malit, quam ad nos accedere. Negat ſe transferre ullam ſalutis partem ad creaturas, quia de præſentia Dei ſermo eſt per media quæ ipſe inſtituit operantis. Aſſentior. Quæ deinde poſtea ſubjicit, quia fere ad verbum à nobis mutuatus eſt, cur repudiarem? Quin potius gratiam habeo, quod meis dictis huc uſque adſtipuletur & ſubſcribat, donec rurſus pro ſuo ingenio ad calumnias revolvitur. Colligit enim neſcio ex quibus principiis, me parum ſcite Baptiſmi effectum partim tollere, partim in dubium adducere. Cur autem tollo? Reſpondet: quia utilitatem quæ percipitur ex Sacramentis, nego ad tempus quo adminiſtrantur reſtringi debere. Quid ipſe contra? fatetur mecum vim Baptiſmi extendi ad totam vitam: & qui ſacro fonte abluti ſunt infantes, nullum fructum aliquo progreſſu ætatis oſtendere. Sed rurſum excipit, non ideo irritum & abſque effectu

Digitized by Google

effectu fuiſſe eorum Baptiſmum. quibus verbis nodum ſolvere videtur. Certe me liberat: niſi quod paulo poſt ſubjicit, vere ſemper regenerari in Baptiſmo, & ſanctificari, qui deinde carentes doctrinæ cultu recidunt in peccati ſordes. Quibus verbis craſſius aliquid inſinuat, quam ferat Dei inſtitutio. Quæro enim de Simone Mago, an eodem quo aqua ablutus eſt momento, vere ſanctificatus fuerit? Nam hypocriſin illam, quæ ſevere coarguitur à Petro, nunquam ex ejus animo revulſam fuiſſe probabile eſt. Unde ſequitur effectum Baptiſmi non ſtatim apparuiſſe. Quod ſi Petri hortatu reſipuiſſet, an non poſtliminio reverſus eſſet ad Baptiſmi gratiam? Et quam multi ad ſacram menſam quotidie accedunt, quos negligentia & torpor præſenti Cœnæ fructu privat, qui tamen poſtea expergefacti, profectum ſentire incipiunt? Quis nullos Chriſti participes dicere audeat, niſi qui in ipſa Cœnæ actione eum recipiunt? Quod excipit Weſtphalus, hoc totum non obſtare, quo minus proſint Sacramenta dum adminiſtrantur, facilis ſolutio eſt: prodeſſe quidem ut ſemen, dum in terram projicitur, quod licet non eodem momento agat radicem, vel germinet, non tamen eſt inutile: quia niſi hoc modo ſatum, temporis ſucceſſu germen non emitteret. Efficax tandem eſt Baptiſmus, licet non eodem quo peragitur momento, efficaciam ſuam proferat. Reclamat Weſtphalus, non relegandam eſſe ejus virtutem in longos annos, ac ſi non regigneret Deus infantes ſimul ac baptizantur. Ut hoc obtineat, probandum eſt ſemper regigni. Nam ſicut catholicum theorema non ſtatuo, ita enſtaſis quam adduco manifeſta eſt, ne ad temporis articulum alligetur vis Baptiſmi vel Cœnæ. Implet Deus quoties viſum eſt, ac repræſentat effectu præſenti quod in Sacramento figurat. Sed nulla hic neceſſitas fingenda eſt, quin ejus gratia interdum præcedat, interdum ſequatur ſigni uſum, cujus tamen diſpenſationem auctor ipſe ſic temperat, ut à ſacro ſymbolo non ſeparet Spiritus ſui virtutem. Porro quam intempeſtive huc torqueatur Auguſtini dictum, facilis demonſtratio eſt. Diſputat contra Manichæos non eſſe in ipſo regenerationis exordio quærendam perfectionem, quia renovatio ſacro lavacro inchoata profectu perficitur, in aliis citius, in aliis tardius. Quid inde elicere quiſquam poteſt, niſi hunc ordinarium peragendæ ſalutis noſtræ modum eſſe Deo, ut eam in Baptiſmo inchoet, gradatim toto vitæ curſu abſolvat? Sic, 14. de Trinitate contra Catharos & Donatiſtas, oſtendit non ſtatim conferri plenam & ſolidam regenerationem, ut ſolida recipitur peccatorum remiſſio. Unde non protinus ſequitur, eodem ſemper momento, quo offertur, recipi. Etſi enim minime dubium eſt, quin ex parte Dei, ut vulgo loquuntur, hæc perpetua ſit vis Baptiſmi & utilitas, atque hæc etiam ordinaria diſpenſandæ gratiæ ratio, perperam tamen quis inferat, liberum gratiæ Dei curſum temporum articulis aſtringi. Venio ad ſecundum calumniæ membrum. Effectum Baptiſmi à me in dubium revocari dicit, quia à Prædeſtinatione eum ſuſpendo, quum nos Scriptura ad verbum & Sacramenta dirigat, & hac via deducat ad Prædeſtinationis & ſalutis certitudinem. Atqui niſi hic malitioſe figmentum ſuum ingereret, quod mihi nunquam in mentem venit, nulla erat litigandi occaſio. Multa ſcripſi, & in variis diſputationum generibus me Dominus exercuit. ſi ex meis lucubrationibus ſyllabam proferat, ubi doceam à Prædeſtinatione exordium fieri debere ad petendam ſalutis certitudinem, obmuteſcere non recuſo. Arcanæ electionis mentio obiter à me facta eſt, fateor: ſed quorſum? An ut pias mentes vel à promiſſionis auditu, vel à ſignorum intuitu abducerem? Atqui nihil majori curæ mihi fuit, quam eas prorſus in verbo retinere. Quid? dum toties inculco Sacramentis offerri gratiam, an non ad petendam inde ſalutis ſuæ obſignationem eos invito? Tantum dixi, non promiſcue in omnibus operari Dei Spiritum: ſed quemadmodum ſolos electos in fidem illuminat, ſic etiam efficere, ne fruſtra utantur Sacramentis. Si dicam promiſſiones omnibus communes eſſe, & communiter omnibus offerre æternam ſalutem, ut autem ratæ ſint, peculiari Spiritus dono fieri: qui in electis obſignat oblatam gratiam, dicetne Weſtphalus verbum ſuo loco moveri? Quid autem ipſe quotidie è ſuggeſtu ad populum pronunciat, niſi ex auditu eſſe fidem? ſed eos ſolos obedire, quibus Deus brachium ſuum revelavit. Hanc vero eſſe cauſam, quia verbo omnes invitans, intus efficaciter vocat quos elegit. Cavillari ergo deſinat me dubium facere Baptiſmi effectum, ubi ex fonte electionis manare oſtendo, quod in Sacramentis proficiunt, quibus peculiariter datum eſt. Nam quum proverbio vulgari jactetur, quæ ſubalterna ſunt, inter ſe non pugnare, non ideo negatur inferior Sacramentis gratiæ obſignatio, dum Spiritus vocatur prius & interius ſigillum: & ſimul notatur cauſa, quia eos Deus elegit, quos adoptionis teſſera dignatur. Non minus putidum eſt ultimum cavillum, quo veriſſimam ſententiam, & æque utilem deformat. Dixeram ſtulte eos facere, qui tantum ad nuda ſigna, non etiam ad promiſſiones illis annexas reſpiciunt. Fatetur recte dictum, & liberaliter calculum ſuum adjungit: mox quaſi novo œſtro percitus, adhibendam fuiſſe cautionem obmurmurat, ne divellatur à Sacramentis promiſſio. Quid? An non diſerte fuit adhibita, ubi individuo nexu conjunxi? Sacrilegum fieri divortium admonui, ſi quis nudum ſignum, & à promiſſione diſtractum ſibi habere velit. Obſtrepit Weſtphalus, cavendum eſſe ne ſeparetur à ſignis promiſſio: ac ſi ciſternæ architectum increpet ſedulo rimas omnes obturantem, ac dicat cavendum eſſe, ne aqua per rimas effluat. Quidnam agere cogor, niſi ut ſe intra verbum contineant, qui ex Sacramentis fructum appetunt? In hoc labore me deprehendit Weſtphalus, & objurgat, ac ſi dicerem, Baptiſmum nihil niſi aquam eſſe: in Cœna nihil eſſe præter panem & vinum. Ego autem cur Auguſtini teſtimonium citavi? Sublato verbo aquam non eſſe niſi elementum, verbo accedente fieri ut Sacramentum eſſe incipiat: niſi ut Sacramenta ex verbo æſtimanda eſſe oſtenderem, cui ſic cohærent, ut ab eo diſtracta naturam ſuam amittant? Sed hoc eſt ſcilicet. non putavit Weſtphalus ſe hoſtem contra nos ſatis acrem viſum iri, niſi apertiſſimam veritatem odio noſtri convelleret, minutiſſimos quoſque apices arriperet ad litis materiam, & mel ipſum ſua amarulentia inficeret: maluitque coram toto mundo pudorem ſuum proſtituere, quam fraterculis, qui pruritum ejus demulcent, non ſe probare in omnibus nobis infeſtum.

Digitized by Google

ULTIMA ADMONITIO JOANNIS CALVINI

AD

JOACHIMUM WESTPHALUM,

Cui niſi obtemperet, eo modo poſthac habendus erit, quo pertinaces hæreticos haberi jubet Paulus.

Refutantur etiam hoc ſcripto ſuperbæ Magdeburgenſium & aliorum cenſuræ, quibus cælum & terram obruere conati ſunt.

EDidit Epiſtolam Joachimus Weſtphalus, ſcriptam ſodali cuidam ſuo, cujus nomen pudore ſubticuit. Illic præfatus ſe reſpondere ad convitia Joannis Calvini, flebiliter deplorat ſe aſperius fuiſſe à me vexatum, quam Anabaptiſtas, Libertinos & Papiſtas. Hoc ut concedam (in quo tamen ejus vanitas non ſine magno dedecore apparet:) cur non quid ipſe tum atrocibus in ſanam doctrinam maledictis, tum immani erga pios & innoxios homines ſævitia meritus ſit, pauliſper ſedato animo ſecum expendit ac reputat? Quærit an nulla ipſe miſericordia dignus ſit, quum mitius tractentur illi. Quaſi vero qui omnia humanitatis jura evertit, & data opera viſus eſt æquitati & modeſtiæ bellum inducere, ſibi non præciderit omnem expoſtulandi rationem. Cur non potius attendit ad cæleſtis Magiſtri ſententiam, Qua menſura uſi fueritis erga alios, eadem rependetur vobis? Ac ſi in Romana curia educatus toto vitæ curſu, nihil præter anathemata didicerit, ſingulis prope verſibus in nos fulminando, omnes Papæ ſcribas & datarios ſuperat: quum eum deficiunt rationes, damnando & convitiando, optimam cauſam obruit. Imo ſicuti in comœdiis ſervos nequam ad omnia turbanda impellit deſperatio, ita hic ſuis clamoribus lucem tenebris permiſcet. Hanc ego inſaniam cur non ſuo nomine notarem? Imo quia cum duro & præfracto capite negotium erat, cur non liceret malum nodum duro cuneo retundere? Niſi forte novo quopiam privilegio ſacroſanctum ſe eſſe demonſtret, ut proterve omnibus maledicendo, verbum aſperum non audiat. Hæc ſcilicet cauſa eſt, cur ambo iſti cenſores librum meum eſſe ſpinoſum, & virulentum pronuncient. Ac de priore quidem epitheto non ita miror, neque etiam moleſte fero homines plus ſatis bardos punctiones ſaltem aliquas ſenſiſſe. Virulentiam autem in ſe magis quam in libro reperient. Quacunque tamen contumelia dignus ſit Weſtphalus, tam violenter eum exagitare non debui. Itaque exclamat, ingenium meum, remoto omni velamine, fuco, & prætextu, uno hoc ſcripto fuiſſe detectum, imo etiam me hactenus perſonatum ambulaſſe fingit. Ego vero quam mihi Deus perſonam impoſuit, ita per ejus gratiam ſuſtineo, ut fidei meæ ſinceritas ſatis refulgeat. Atque utinam dimidia ex parte Weſtphali & ſimilium integritas ſimili fructu conſtaret! Neque enim aliis invideo, quin me centuplo ſuperent. ſed ignavos fucos aliorum induſtriæ, quam imitari nequeunt, obſtrepere, minime ferendum eſt.

Cæterum, ut probet omni Dei timore, modeſtia, humilitate, patientia me eſſe vacuum, nihil denique habere dignum ſervo Chriſti, exprobrat quod ego horribili illa ſententia Chriſti non commotus, Quiſquis dixerit fratri ſuo, Fatue, reus erit gehennæ ignis, multas chartas pluſquam ſexcentis convitiis maculaverim. Dicas hic Julianum apoſtatam, dum crudeliter ſævit in totum Chriſtianum nomen, de crucis tolerantia per ludibrium concionari. Qui hactenus millies ſibi permiſit ſine modo vel temperie aliqua vociferari contra fideles Chriſti ſervos, & ſubinde hæreticos, impios, blaſphemos, verſutos, falſarios, peſtes, ac diabolos vocitare, hanc ſuam temeritatem libere uno verbo coargui non ſuſtinet. Si levitatem & incogitantiam in Galatis, quia nimis faciles ac creduli fuerant, Paulus amentiæ nomine perſtringere non dubitavit: ubi quis phrenetico impetu inſurgit contra Chriſti doctrinam, ejuſque veros profeſſores, qua vehementia compeſci hæc temeritas meretur? Utinam potius hæc objurgatio ſic tetigiſſet Joachimi animum, ne reus ſit ad cæleſte iſtud tribunal, cujus terrorem aliis proponit. Sed præceptum Chriſti eſt, ut diligamus inimicos, benedicamus maledicentibus nobis. Cur ergo amicos, & qui fraternam cum eo benevolentiam colere ſtudebant, ultro hoſtiliter aggreſſus eſt? Cur etiam quietos, & à quibus ne verbo quidem unquam læſus fuerat, maledictis laceſſivit? Utrumque negat. Legantur ejus ſcripta, præſertim ubi Conſenſum noſtrum oppugnat. Neque enim vel eum, vel quempiam ex tota ejus factione tunc attigeram, quin potius ſuppliciter rogaveram, ſi quid in doctrina noſtra minus placeret, ne grave eſſet placida admonitione corrigere. Et certe, ut poſtea experientia docuit, tunc merito deriſa à nonnullis fuit mea ſimplicitas, quum ſperarem longe placatiores nobis fore, qui ante humanitatis obliti, vehementius exarſerant. Cur Joachimus tam blande rogatus, hæreticum clamitare maluit, quam errorem, ſi quis eſſet, monſtrare? Ego vero tam indigne læſus, non iracundiæ fervore, ſicuti falſo exiſtimat, ſed cohibendæ ferociæ, qua nimium exultabat, ſtudio, acrius paulo quam optarem remedium adhibui. Atque utinam dolore punctus fuiſſet ad pœnitentiam! Sed quando tantum exacerbatus, nihil de pervicacia remiſit, imo in ea magis ac magis obduruit, altero fructu me conſolor, quod alii intelligent quam inſipide errori ſuo contra claram veræ doctrinæ lucem patrocinatus fuerit. Interim ſi animum meum ipſe odio excæcatus, perſpicere non poteſt, Chriſtus tamen communis judex agnoſcit, & ſuo tempore palam faciet, non ita privatis injuriis ulciſcendis eſſe me addictum, quin depoſita mox omni earum memoria, ſi qua ſpes ſanandi homines appareat, paratus ſim omnes fraternæ pacificationis modos tentare. Nam quod alicubi dicit, anxie me affectaſſe ne quod probri genus omitterem, quam longe fallatur, ex re ipſa optime liquebit. Librum enim me celeriter dictaſſe multi ſunt idonei teſtes. Illic quod ferebat cauſa, ſponteque & ex tempore occurrebat, abſque longa meditatione dixi, à felle (quo me penitus infectum fuiſſe dicit) adeo remotus, ut poſtea miratus ſim nulla cordis amaritudine duriora verba mihi fluxiſſe. Sed ita forte rei indignitas poſtulabat, ut ſentiret homo ſuperbæ ſuæ moroſitati nimis indulgens, non deeſſe veritatis defenſoribus aculeos. Facile eſt Joachimo nigrum inſulſæ ſcurrilitatis & ſycophanticæ mordacitatis ſalem mihi objicere: ſed æque mihi promptum eſt uno verbo diluere ejus calumniam, ſi uſquam reperiri negem quod tam odioſe traducit.

ducit. Certe quamvis me tacente, tam ejus impudentiam deteſtabitur ingenuus Lector, quam ſtultitiam ridebit. Ejuſdem verecundiæ eſt, quod me inſulſa & inſipida ſcommata ex vocibus & ſyllabis aucupari jactat, quum palam ſit adeo non cupide me inhiaſſe dicteriis, ut quæ ſponte ſe offerebant, conſulto omiſerim: denique quot ſe ludibriis proſtituerit Weſtphalus, & quantam ſubſannationis materiam præbuerit ſua vecordia, ſi reputent Lectores, nemo tam iniquus vel inſenſus erit, quin me hac in parte reſtrictum vel parcum fuiſſe dicat. Si ideo convitiator ſum, quia Joachimo ad ſua vitia nimis cæcutieoti propoſui ſpeculum, ut tandem eum ſui pudere inciperet, idem probrum in Prophetas, Apoſtolos, & Chriſtum ipſum conferat neceſſe eſt, quibus religio non fuit ſanæ doctrinæ hoſtes, præſertim quos videbant ſuperbos & obſtinatos, acerbius reprehendere. Imo communem locum ſine exceptione & delectu arripiens, ne ſcilicet improbis errorum defenſoribus fas ſit objicere quod merentur, ex profeſſo pſeudoprophetas omnes tuendos ſuſcipit, ut ipſa impunitas licentiam augeat. Quod ſe inclementius quam Papiſtas, Libertinos, & Anabaptiſtas tractatum fuiſſe conqueritur Weſtphalus, ex ſcriptis meis deprehendent Lectores falſiſſimum eſſe. Ego pernicioſos illos errores, quibus tota religio corrumpitur, ut piis omnibus deteſtabiles reddam, ſuis elogiis depingo. Hac in parte meam amarulentiam ſua cenſura non improbat Weſtphalus. Simul ac ipſe attingitur, totam charitatem peſſundari clamitat. Convitia, ſcurrileſque facetias Chriſtianos minime decere utrinque convenit. ſed quia neque Prophetæ ipſi à ſcommatibus abſtinent, & ſalſe perſtringit Chriſtus perverſos & fallaces magiſtros, & ubique Spiritus ſanctus contra hoc genus hominum plena libertate invehitur, inconſiderate ac ſtulte movetur quæſtio, an graviter & ſevere objurgare liceat, qui ſeipſos probro & dedecori exponunt: quia hoc modo in crimen trahentur ſervi Dei, quos ſanctus zelus ſæpe ad duros acerboſque ſermones impulit: tantum quo quiſque animo, & qua de cauſa vel excandeſcat, vel acriter loquatur, videndum eſt. Quum prodiiſſet in lucem Conſenſus noſter, ac Weſtphalo integrum foret corrigere ſi quid illic putabat eſſe vitioſum, ſpeciem repugnantiæ calumnioſe undique accerſens, vivos & mortuos immani modo laceravit. Ego importunam hanc feritatem refutans, nomini tamen peperci, ut ſi forte ſanabili eſſet ingenio, tacite ſepeliretur ejus ignominia. Hoc repudians violento ſcripto, ne dicam Cyclopico, non modo cælum terræ miſcere, ſed Acheronta movere conatus eſt. Hic ego tam præfractam hominis intemperiem mediocribus remediis non poſſe mitigari exiſtimans, ſtylum acuere mihi permiſi. Quid enim facerem? quia vel ſilentio prodenda fuiſſet alioqui veritas: vel placida mollique uctione dandum timiditatis ac diffidentiæ ſignum. Nam quaſi ex Dei manibus extorſiſſet omnia fulmina, quæ formidabili modo in capita noſtra torqueret, verborum crepitu mentes omnium percellere tentavit. Quia gravior refutatio ridiculos anathematum ejus terrores diſcuſſit, quicquid petulantiæ vel furoris in nos vomuit, delicias eſſe fingens, me omnis humanitatis & modeſtiæ oblitum eſſe cauſatur. Ergo quum intractabilis fuerit ejus ferocia, quam tota ejus declamatio frivola ſit & puerilis, facile apparet. Perinde enim acſi leones & urſi, dum rabioſe obvium quemque impetunt, cauſantur ſe non mulceri: ita delicatulus hic homo pluſquam atrociter Chriſti doctrinam, ejuſque miniſtros proſcindens, non agi fraterne ſecum, magni criminis loco cenſet. Sed in eo vertitur tota quæſtio, privatamne injuriam voluerim ulciſci, an vero pro cauſæ publicæ defenſione Weſtphalo me ſtrenue oppoſuerim. Nam quicquid mihi privatim injuriæ intulit, patientia tamen fuit devorandum. Sed ſi huc ſpectavit tota vehementia, ne bona cauſa, adeoque ſacroſancta Chriſti veritas faſtuoſis Weſtphali clamoribus obruta ſuccumberet, cur mihi vitio vertetur? Utinam vel modice guſtaſſet hic perverſus cenſor quid valeat illud, Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me! Non tam præpoſtere quaſi illudens, ſanctam illam Petri admonitionem iu ſuum commodum torqueret. Chriſti exemplo nos Petrus hortatur ad contumelias, & quaſuis inſectationes placide ferendas. Silentium ergo quod Chriſtus injuſte accuſatus præſtitit, Weſtphalus ab ejus miniſtris exigit, quoties oppugnatur veritas. quaſi vero ubi jubentur omnes fortiter vociferari, Evangelii præconibus perfidæ tolerantiæ legem illic Apoſtolus præſcribat. Itaque donec oſtendat Weſtphalus privata convitia me retaliaſſe, ac propriæ cauſæ magis fuiſſe addictum, quam doctrinæ propugnationi, de patientia & ſilentio eum putide nugari intelligent Lectores. Me etiam accuſat, quod hoſtem mihi reconciliare non ſtuduerim. Ego vero & initio rationem ſequutus ſum, quæ ſedandis offenſis aptiſſima erat: & nunc ſi velit in gratiam redire, qui me toties læſit, non detrecto, Chriſtum judicem appello, teſteſque omnes Angelos, ſimulac Weſtphali pervicaciam flecti contigerit, nullam in me fore moram, quo minus fraterna inter nos benevolentia coaleſcat. imo ſi nunc fratris animum induere ſuſtineat, viciſſim eum loco fratris amplecti ſum paratus. Sed iniqua imponitur conditio, ut ſanctæ veræque doctrinæ confeſſionem abjiciam, qua mercede ne cum toto quidem mundo pax redimenda eſſet. Ac ne ad tædium uſque, & ſine ullo profectu litigemus, ad hoc unum caput, in quo tota controverſia vertitur, animum referant Lectores. Sibi quidvis in nos licere vult Joachimus, quia veram doctrinam, ut ipſe ait, contra impium errorem defendat. Hoc ubi probaverit, nobis quieſcendum eſſe fateor. Si autem quod falſo ſibi arrogat vere in me competere doceo & oſtendo, nempe fidelem me puræ ſanctæque doctrinæ patronum eſſe, & fidelem operam impendere, non modo refutando impio errori, ſed etiam diluendis atrocibus maledictis: cur non eadem mihi dabitur libertas? De re igitur ipſa fiat judicium, ne fruſtra vel ego vel ille aërem verberemus. Quid jam obſtat, quominus inter ſanctum zelum, & convitiandi libidinem certo diſtinguant Lectores, niſi quod Weſtphalus ſordidum integumentum claræ luci opponit, librum meum, verborum amaritudine refertum eſſe clamitans? Quanquam hic quoque obiter hominis ſocordiam cum pari impudentia notare operæ pretium eſt. Prioribus meis ſcriptis hominem ad moderatam diſputandi formam revocare cupiens, turpe & abſurdum eſſe dixeram, tam ſuperbe & proterve nobis inſultare. Ferociter reſpondit ille, contra hæreticos quam acerrime pugnandum eſſe: adeoque non eſſe agendum compoſito vel ſedato ſtylo, ut quo quiſque majori ardore in hoc genere certaminis fertur, hinc animoſior probetur Chriſti miles. Denique quoſcunque potuit colores tunc induxit ad excuſandam non modo vehementiam, ſed iracundiæ rabiem. Quid autem nunc? Paulus, inquit, inobedientes exiſtimari noluit inimicos, ſed tanquam fratres voluit corripi. Profert etiam ex Ambroſio & Gregorio Nazianzeno manſuetudinis elogia. Quiſquis duos iſtos locos inter ſe conferet, non modo hominem hunc tam varium, ſibique ipſi diſſimilem memoria & ſana mente excidiſſe dicet, ſed facile videbit nulla ingenuitate præditum, ſophiſtice nunc hoc nunc illud tuendum arripere, & inani garritu virtutes transformare in vitia. Quæſo, Joachime,

ſi un-

Digitized by Google

ſi unquam ſerio dixiſſes in coarguendis erroribus ſeveritati minime parcendum eſſe, an nunc turpem palinodiam canendo, rigorem quem ſancti zeli laude ornaveras, ad me invidia gravandum damnares? Interea bonus hic charitatis aſſertor & magiſter, qui eam fas eſſe negat verbulo violari, quoſcunque nobis favere compertum fuerit, toto orbe exterminandos clamitat: gloriatur ſe ſcripſiſſe, nos gladio potius magiſtratus quam ſtylo eſſe refutandos: auctor eſt, ut non modo profeſſoribus noſtræ doctrinæ, ſed etiam approbatoribus interdicant aqua & igni magiſtratus. Hæc igitur charitatis definitio eſt Weſtphalo, ut ferro & igni licentioſe ſæviat ipſe in nos: ſi vero paulo liberius loquamur, à Chriſtianiſmo excidiſſe pronunciet. Atque ut alia omittam, unde tanta homini confidentia, imo Phalaricæ cenſuræ atrocitas, ut ſubinde nos vocet hæreticos, nec ſingulis paginis modo, ſed fere ſententiis crepet hoc nomen, niſi quia ab hoc convitio hactenus abſtinuimus? Certe non aliud quam noſtra manſuetudo tantum ei addidit ferociæ. Quid tu hic, bone modeſtiæ doctor? quum anathemata crepando, patientia noſtra te abuti palam conſtet, quam tibi criminandi cauſam relinquis, ac ſi in te nimis eſſemus duri & auſteri?

Interea rurſus ſe implicat, monitum ſe fuiſſe negans. nempe quum in vivos & mortuos debacchatus eſſet, & catalogum hæreticorum ex noſtris nominibus conficere non dubitaſſet, ego ſuppreſſo ejus nomine indignitatem oſtenderam: adeo nihil profeci, ut omnibus diris & execrationibus longe violentius in nos fulminaverit. Et tamen nondum bonus vir maturum duræ objurgationi tempus fuiſſe putat. Nam quod iterum ad vulgarem ſuam cantilenam relabitur, ſe nondum fuiſſe de errore convictum: ſolidis vero rationibus, & argumentis ex ſacra Scriptura ſumptis damnatam noſtram hæreſin reprehendiſſe: quid iſto mendaciorum fœtore chartas inficere juvat? Atque ut tollatur omnis ambiguitas, liber ipſe prodeat, ſeque ab improba criminatione vendicet. Certe ſi impetro ut legatur, quam vere exprobret, me ſcurram fuiſſe illic magis quam Theologum, ſimul quam ingenue objiciat inanibus tantum convitiis refertum fuiſſe, facile patebit. Nec vero brevem hic ejus ſummam inſerere pigeret, niſi brevitas ipſa tam me, quam Lectores levaret hac moleſtia. Nullum enim argumentum protulerat Weſtphalus, quod non illic ſolide refutatum fuerit. Rationes autem adduxi, à quibus ſe, quantumvis nitatur, cum tota ſua caterva, nunquam expediet. Hoc quoque afferere audeo, quicunque mediocri æquitate præditi ſunt, etiamſi à nobis diſſentiant, libro perlecto, ſtatim dicturos, non ſine inſigni injuria doctrinam tolerabilem tam odioſe traduci.

Sed utcunque librum meum alii amplexentur, alii ſaltem excuſationis loco recipiant: nihil tamen proficere videor. Artificium enim excogitavit Weſtphalus, quo me facete eluderet, alios in ſubſidium advocans, qui eo quieſcente totam pugnæ molem ſuſtineant. Nam ut nos Auguſtanam confeſſionem evertere probet, ejus auctorem ornatiſſimum virum, & ſpectatæ tum pietatis, tum doctrinæ Philippum Melancthonem nobis adverſarium ingerit. Altero ſcripto veterem Eccleſiam ſub Auguſtini nomine committit nobiſcum in certamen. Tertio, denſam phalangem ex vicinis Saxoniæ locis inſtruit: cujus ſplendore perſtringat ſimplicium oculos. Cæterum, quia mihi cum homine nullius verecundiæ, ſummæ vero loquacitatis negotium eſt, rogandi mihi ſunt lectores, primum ut ſermonum circuitu valere juſſo, rem nudam aſpiciant: deinde ut prudentiam ac æquitatem adhibeant in judicando. Quia favorem apud pios obtinuit Auguſtana confeſſio, facere pridem cum ſua factione cœpit Joachimus, quod ſolent homines rationibus vacui, ut nobis clypeum auctoritatis obtruderet. Ergo ſi nos à recepto conſenſu diſcedere monſtraret, ſe quodammodo credidit cælum obnubilare, vel craſſiores nebulas obducere ſimplicium oculis, quam ut in ipſa meridie micaret lucis ſcintilla. Hoc fallaci præjudicio ut nos gravare deſineret, provocavi ad auctorem ipſum confeſſionis, fateor: cujus dicti me non pœnitet. Quid autem Weſtphalus? pro craſſa ſua barbarie ſummam victoriæ in eo ponere me jactat, ſi nobis ſubſcribat Philippus: cujus mendacii dum ipſum pudeat ne expectent lectores: ita frontem perfricuit: tantum æſtiment quid fieri mereatur fœtida garrulitas. Verba ſunt. De confeſſione Auguſtana ſic reſpondeo, Verbulum in ea (qualis Ratiſponæ edita fuit) non extare doctrinæ noſtræ contrarium. Si qua in ſenſu ambiguitas incidat, nullum eſſe magis idoneum interpretem quam auctorem ipſum, cui etiam id honoris pro ſuo merito facile pii omnes & eruditi deferent. ad eum ſi intrepide provoco, quid ſupereſt niſi ut putida jaceat Weſtphali garrulitas? Hinc eliciat ſi poteſt, ſummam victoriæ mihi in unius hominis ſubſcriptione fundatam eſſe. Nec vero minus ſordidæ vanitatis eſt, quod ſe valde mirari ſimulat, præceptori ſuo hanc aſpergi maculam: quum ex Philippi reſponſo ut inter nos conveniat clarius didicerit, quam ego prædicare auſus ſum. ſed quid verbis opus eſt? Si omni moleſtia ſemel defungi optat Joachimus, & controverſiam dirimere, verbulum pro ſe eliciat ex ejus ore ad quem liber patet acceſſus, & quidem itinere non tam laborioſo, cujus conſenſum magnifice obtendit, quo cum familiaris ei communicatio eſſe poteſt. Ego ſi temere comperiar Philippi nomine abuſus, nullas ignominiæ notas recuſo. Teſtimonia quæ citat Weſtphalus, non meum eſt refellere: neque etiam moror, quid inter primos conflictus & cauſa nondum clare & dilucide explicata, homini ad negandum nimis tunc verecundo quorundam inſtigatio extorſerit. Et lex nimis dura præſcribitur literatis hominibus, ſi poſt editum ingenii ac doctrinæ ſpecimen, tota deinde vita nihil proficere liceat. Certe ſi quis annos quadraginta Philippo nihil attuliſſe dicat, magnam & homini privatim, & toti ſimul Eccleſiæ injuriam facit. Solum quod dixi & quidem centies ſi opus ſit, confirmo, non magis à me Philippum quam à propriis viſceribus in hac cauſa poſſe divelli. Etſi autem tonitru quod à violentis hominibus inſtabat metuens (quid dicam intelligunt, quibus nota fuerunt Lutheri flabella) non tam aperte ſemper quam optaſſem, ſententiam ſuam protulit: non eſt tamen quod Weſtphalus aliud ſe agere ſimulans, oblique eum perſtringat, quaſi mortuo demum Luthero, inceperit ad nos deflectere. Nam quum ante annos ſeptendecim de hoc capite doctrinæ inter nos contulerimus, primo congreſſu nunquam ſyllaba commutanda fuit. Neque de Gaſparo Crucigero tacendum eſt, qui pro ingenii ſui doctrinæque præſtantia Luthero chariſſimus ut poſt Philippum reliquos anteiret, ſic amplexus eſt quod hodie impugnat Weſtphalus, ut ſententiis noſtris conjunctius nihil fingi poſſet. Cæterum de Philippo ſi adhuc ambigitur, an non ſatis manum conſerere videor? ubi & tacitus & ſecurus ejus vocem expecto, quæ ejus improbitatem qui venerandum præſtantiſſimi viri nomen falſo obtenderit, omnibus patefaciat.

Venio ad Auguſtinum, quem etſi totum eſſe noſtrum omnes libri clamitant, Weſtphalus nobis eripere non contentus, adverſarium quoque obtrudere, ſibique vendicare non dubitat, eadem nempe audacia, qua ubique lucem convertit in tenebras. Qualis ſit nunc Jacobus Bordingus, cui farraginem

ginem ſuam nuncupat, ignoro. certe niſi valde ingenium mutavit, officium plenum dedecoris ſibi mallet non eſſe præſtitum. Nam quo tempore mihi notus fuit, non minus ingenuo pudore, quam doctrina erat commendabilis. Nunc vero tantum quid epiſtola contineat, breviter notare operæ pretium erit: non ut totam ejus loquacitatem evolvam, ſed ut hominis ingenium, quod facile erit, ex paucis capitibus æſtiment lectores. Initio contendit ſectarios & hæreticos, ne ſerpat contagio, vel exilio arcendos, vel pœnis caſtigandos eſſe. Frivola prorſus actio, quæ rem minime dubiam lite & controverſia implicat. Nam quum ea de re inter nos conveniat, tantum nobis ſubſcribere debuit. Honeſtius certe citaſſet noſtros libros, ex quibus mendicat quicquid adducit rationum, quam nobis ſe bellum inferre ſimulans, armis noſtris pugnat. Atque hoc modo non prodidiſſet turpe ſocordiæ exemplum, quod notare me cogit hominis importunitas. Quia Pſalmo vigeſimo quarto, male vertit interpres vulgaris, Attollite portas Principes veſtras, ubi legendum erat, Attollite portæ capita veſtra, homo quidam doctus & de Eccleſia bene meritus, ut fieri ſolet, memoriæ lapſu, alicubi hortari volens Principes ad tuendam pietatem hoc teſtimonio abuſus fuerat. Error tolerabilis. Weſtphalus ad verbum recitans, Aperite portæ capita veſtra: magiſtratibus præſcribi dicit, ut portas Domino aperientes, pſeudoprophetis eas claudant. Hinc colligant lectores, qualis in tractanda Scriptura vigeat religio apud iſtos homines qui tam impure & audacter eam dilacerant. Interea bonum virum non puduit dum me invidia gravare vult, confeſſionum, ut ipſe vocat, farragini inſerere Servetici cujuſdam epiſtolam, ubi incendiarius appellor, quia docuerim jure de hæreticis pœnas ſumi. Legatur epiſtola: nihil in me aliud probri continet, niſi quod gladio armatos eſſe Principes trado, ut non minus impietatis quam aliorum ſcelerum ſint vindices. Hoc tantum inter me & Weſtphalum intereſt, quod ego, niſi cauſa probe diſcuſſa, locum ſeveritati nullum eſſe dico. Imo quia Papiſtis hodie uſitatum eſt, cauſa incognita paſſim contra innoxios ſævire: & ſecundum Weſtphali conſilium minas armaque arripere loco ſtyli; ego in illam barbariem merito invectus, hanc ſaltem æquitatem judicibus commendo, ne unquam niſi cauſa probe diſcuſſa, ad ſeveritatem proſiliant: ſeduloque cavendum eſſe moneo, ſi nimium ſint creduli, ne manus ſuas inquinent promiſcua cæde. Deffleo illic, ac conqueror, eo ſervitutis redactum eſſe orbem, ut nec ulla diſceptatio locum habeat, nec qui præſulum nomine dominantur, vocem ſuis placitis diſſonam admittant. imo ne dubitare quidem, vel inquirere permittant. Barbariem non ferendam eſſe dico, ubi nulla viget cognitio, poſſeſſionem nec jure nec ratione munitam gladio tueri. Et certe, quum verè olim dictum ſit, audacem eſſe inſcitiam, in hoc præpoſtero zeli genere ad audaciam accedit hæc crudelitas. Veris itaque Dei cultoribus, cavendum eſſe præcipio, ne vel cauſæ incognitæ patrocinium temere arripiant, vel ad ſeveritatem intemperanter ferantur: quia in cauſis terrenis merito damnatur judicis ſocordia, qui ex aliorum opinione, ignarus ipſe totius rei, ſententiam fert. quanto minus ferendi ſunt, qui in cauſa pietatis inquiſitionem ſupino faſtidio negligunt? Nec vero quicquam verbis docui, quod non reipſa confirmaverim. Nam Servetum nefandis ſacrilegiis labefactantem quicquid eſt pietatis in mundo, ad diſceptationem tamen vocavi: nec ſolum ad reddendam doctrinæ meæ rationem paratus veni, ſed impuriſſimi hominis convitia vorare malui, quam malo exemplo cauſam dare: ne quis poſtea objiceret, fuiſſe indicta cauſa oppreſſum. Weſtphalo ſatis eſt magiſtratus gladium pro diſputatione opponere. nempe hominem cui ſpes victoriæ non niſi in tenebris eſt ſita, ita impotenter ſuppreſſa doctrinæ luce furere, mirum non eſt. Neque tamen eum pudet Auguſtini nomen obtendere, acſi quid ſimile haberet cum tam manſueto ſpiritu. Hoc vero mirum eſt, quum in hoc libello ſe fere ex ore Auguſtini loqui profiteatur, tam ſecure in ipſo ſtatim exordio à ſancti viri verbis & ſenſu diſcrepare. verba Auguſtini ſunt, ad Vincentium Epiſtola quadrageſima octava, Si terreantur & non doceantur, improba videbitur dominatio. & tamen de convictis hæreticis agit, qui ſuperba tantum moroſitate impulſi diſceſſionem ab Eccleſia fecerant. Itaque quo utilis ſit terror, adjungi vult ſalutarem doctrinam: ſicut etiam alibi dicit, ad Feſtum Epiſtola centeſima ſexageſima ſeptima, Non ſolis terroribus expugnari debere in hæreticis pervicaciam, ſed mentem quoque & intelligentiam verbi Dei auctoritate inſtrui. Et ſane ſicut Eccleſia Dei, fidei ſuæ confeſſionem ex ore Dei petit, ita ad eandem regulam ne præpoſtere feratur, zelum ſuum temperat. Weſtphalus tamen ne nihil dicere videatur, omnes legitimo judicio aditus præcludens, nos eſſe convictos pronunciat. Longe aliter Auguſtinus, qui ſemper ad errores refutandos accinctus fuit, antequam ad magiſtratus ſubſidium confugeret. Quiſquis contra rectam fidem inſurgeret, non ante ad judicis tribunal vocavit, quam præcederet juſta coram populo diſquiſitio. Itaque nihil eum libentius feciſſe, quam ut Verbi gladio armatus ſemper in certamen prodiret, diſputationum acta teſtantur. Nec conflictationum tædio unquam fractus eſt, quin ſubinde peſtilentiſſimos quoſque hæreticos, teſte & judice Eccleſia, coarguere paratus foret. Quid autem Weſtphalus? Ut omnem à ſe moleſtiam uno verbo excutiat, quoſcunque ipſe cum collegis atro carbone notaverit, protinus in exilium profligandos eſſe contendit. Audiri ſi poſtulent, negat eorum importunitati morem eſſe gerendum: quia plus ſatis jam convicti ſint. Niſi cauſæ ſuæ diffideret, nonne vel invitum cogeret ad diſceptationem aliquis pudor? Quantumvis enim ſpecioſum eſſe prætextum exiſtimet, nos eſſe convictos: miſeræ tamen ac ſordidæ eſt timiditatis, nullam cognitionem admittere. ſed unde tandem convictos eſſe probat? Multarum, inquit, Eccleſiarum conſenſus ad damnationem ſufficere debet. Cur ergo viciſſim noſtrarum Eccleſiarum judicio, à quibus damnatur, non acquieſcit? niſi forte quia propinquus eſt mari Glaciali, dum litus aſpicit, orbem terrarum eodem ſpacio metitur, ut Eccleſias omnes, quaquaverſum diſperſæ ſunt, pro nihilo ducat. Diſcat ergo niſi velit ridiculum ſe facere, locum aliquem dare non pœnitendis Eccleſiis, quarum ſuffragiis probatur noſtra doctrina. Addit Schmalcaldiæ habitam fuiſſe Synodum, in qua ſumus damnati. Quid Schmalcaldiæ agitatum fuerit non diſputo: neque etiam Weſtphalum ſcire arbitror: niſi quod certum eſt, habitum illic fuiſſe conventum à Principibus, ut fœdus inter ſe inirent, nec aliud de religione interpoſitum fuiſſe decretum, niſi ut ſe obſtringerent ad mutuam defenſionem quicunque tunc fidem Auguſtanæ confeſſionis profitebantur. Interfuerunt pauci homines docti, è quorum numero unus erat Bucerus, quem etiam mortuum Weſtphalus in partes noſtras ablegat. Si præcipua in illis fuit auctoritas, ut prædicat Weſtphalus, certe qui noſter fuit uſque ad mortem, cenſuram in nos non ſtrinxit. Superſtes eſt Melanchthon, nemini ſecundus, qui ſe tam gravem in nos tuliſſe ſententiam non fatebitur. Nec furioſo ſuo tumultu efficiet Weſtphalus, ut tam duriter Eccleſia Wittebergenſis de nobis pronunciet. Interea miror Synodum Margpurgenſem præteriri, in

qua

qua Lutherus & pars adverſa, noſtros pro fratribus agnoſcere non dubitarunt, quum tamen nondum tam dilucida & plena hujus controverſiæ explicatio, ſicuti hodie, conſtaret. Quum hoc noverit Weſtphalus, & diſſimuler, quid apud prudentes & ſanos lectores proficier, fictitias ſynodos crepando? Sed longe altius hominem præcipitat deſperata impudentia, quum Nicolaum, & Gregorium ſeptimum patronos ſibi accerſere non pudet. qua in parte etiamſi verbum nullum fecero, minime vereor quin deteſtabilis bonis omnibus futura ſit cæca ejus rabies. Mihi vero adeo moleſtum non eſt in concilio Romano, cui præfuit Nicolaus ſecundus, & Vercellénſi, quod auſpiciis Gregorii ſeptimi coactum eſt, damnatam fuiſſe quam ſequor doctrinam, ut mihi eo nomine plurimum gratuler, quod manifeſtis Dei hoſtibus & Antichriſtis ſemper exoſam fuiſſe video. Certe eorum approbatio ſuſpectam quodammodo ipſam mihi redderet. Cui vero horrorem non incutiat prodigioſa Weſtphali cæcitas, qui colorem ſuæ doctrinæ inducit ex ſuffragiis; quæ tenebras potius ſoli obducerent? Quando vero fœtidam porcorum haram ſibi pro ſchola delegit, ſiliquis ſe oblectet quibus dignus eſt. tantum meminerint Lectores, pudendæ inopiæ teſtimonium eſſe, quod ex intima fæce Papatus judices nobis ferre cogitur. De Epheſino Concilio reſponſio non admodum eſt difficilis. verbum ex ejus decretis proferat Weſtphalus, quod nobis vel minimum adverſetur. obliquas autem calumnias quas in nos futiliter jactat, inde capere deſinat. Confeſſio quæ illic inſeritur, probe, & qua decet æquitate expenſa, nos adeo nihil gravat, ut potius detegat Weſtphali indomabilem pervicaciam, qui pro maligno ſuo ingenio diſſidia ex nihilo fabricat. Cæterum, quia Prophetas audiri jubet Paulus, quicunque dono Spiritus præditi ſunt, & patienter examinari quicquid protulerit quiſque in medium, ut hoc nobis teſtimonium extorqueat, primo ſpoliat nos omnibus Spiritus donis: deinde ad Saxonicos doctores reſtringit libertatem illam, quam Paulus Prophetis vendicat. Hic quia lectoribus promptum erit vel pauxillum in Scriptura exercitatis hominis veſaniam coarguere, mihi eam contemnere liberum ſit. Weſtphalus ſcilicet, cujus opera ne unius quidem literulæ apex unquam rite illuſtratus fuit, cenſebitur Propheta. nobis quorum labores ſaltem fructuoſos Eccleſiæ eſſe ſatis notum eſt, in ultimis ſubſelliis hærere non licebit. Sane ſi fides ac religio in Scripturæ interpretatione, ſi eruditio ac judicium, ſi dexteritas hominem divinitus vocatum oſtendunt, unciam prophetici muneris ne arroget ſibi Weſtphalus, quin ſimul melioribus totam libram concedat. Nam quod in ruinam non in ædificationem nos loqui contendit, an ita ſit, penes idoneos eſto judicium.

Tam dextre & feliciter præfatus, Auguſtinum in partes ſuas trahere incipit. & quo ſecurius, ac magis impune obtrudat ſua mendacia, plenis buccis ſe antiquarium eſſe prædicat. Certe imperiti vel minus cauti lectores putarent eum non modo memoriter tenere quicquid ſcripſit Auguſtinus, ſed longo & familiari uſu propemodum imbibiſſe illius mentem, omneſque reconditos ſenſus. Nam contemptim pronunciat pleroſque noſtrum vel nunquam vidiſſe libros Auguſtini, vel leviter tantum, vel à longe, ut ipſe dicit, inſpexiſſe. jam non eſt quod de illata ſibi contumelia dolenter queratur, quod hominem indoctum ſuo nomine vocare auſus fueram, quum ſuſpicionem hanc pulchre nunc abſterſerit: nam quis indoctum putare audeat, cui tota Auguſtini Theologia non ſecus nota eſt, ac proprii ungues? Porro an ego eminus ſancti doctoris ſcripta inſpexerim, palam omnibus teſtatum eſſe arbitror. & ſi dubitat Weſtphalus, magiſtrum ſuum interroget Philippum Melanchthonem, qui certe vix ſibi temperabit, quin convitio retundat tam indignam proterviam. Sed quid ego in rebus ſupervacuis operam conſumo? Prodeant in medium quæcunque Weſtphalus Auguſtini teſtimonia in nos retorquet.

Refutatur ab illo craſſus eorum error, quibus concio Chriſti in Capernaum habita diſplicuit, quia imaginabantur non aliter quam terreſtri modo poſſe comedi carnem, & ſanguinem bibi. Hac ſententia nos Weſtphalus damnari contendit, quia ſimus Capernaitis ſimiles. Atqui paſſim nota eſt illa Auguſtini refutatio, Quid præparas dentes, & ventrem? crede, & manducaſti: Clare docet hic locus, Capernaitas eſſe Auguſtino, qui dentibus atteri, & ventre abſorberi fingunt Chriſti corpus. Ex hoc ordine ſe eſſe quomodo negabit Weſtphalus, cui inſtar cæleſtis oraculi eſt, Romani decreti Concilium ſub Nicolao? Nam paulo ante illius concilii auctoritate noſtram hæreſin convictam eſſe voluit. Hoc ergo bonus ille Weſtphali antiſtes decretum ructavit in palinodia, quam recitare coactus eſt Berengarius, Conſentio ſanctæ Romanæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ ſedi, & profiteor eandem me tenere fidem, quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc ſancta Synodus mihi affirmavit, ſcilicet panem & vinum, quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum, ſed etiam verum corpus, & ſanguinem Domini noſtri eſſe: & ſenſualiter, non ſolum ſacramentum, ſed in veritate manibus ſacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri. Videat nunc Weſtphalus, ſecundum quem frangitur corpus Chriſti glorificatum, ſenſualiter palpatur, & dentibus atteritur, quomodo ſe à Capernaitis explicet.

Poſtea locos omnes accumulat, in quibus corpus Chriſti vocatur ſacræ Cœnæ panis. Quiſquis mediocri judicio præditus eſt, non modo jejunam hominis garrulitatem ridebit, ſed ſtomachoſe etiam mirabitur fucum ita de nihilo fieri. Mihi certe adeo cogitandum non eſt, quomodo me expediam, quam metuenda lectorum indignatio, ſi diutius eos occupem in actione tam frivola. Scribit Auguſtinus diſpenſari in ſacra Cœna victimam, quæ pro nobis oblata eſt, corpus Chriſti, & ſanguinem exhiberi. Quaſi vero nobis quoque in uſu non ſint ſimiles loquendi formæ. Et tamen inconſiderate facit Weſtphalus, locos in quibus promiſcue Auguſtinus panem ſacrum, nunc corpus Chriſti, nunc Euchariſtiam, vel Sacramentum nominat, ſimul permiſcens. Obſecro, quid hoc ſibi vult, de nobis triumphum agi, quia uno in loco erogari dicat Chriſti corpus, in altero dari Sacramentum corporis & ſanguinis? Si in una voce fiduciam ſuam locat Weſtphalus, quanto major erit Chriſti auctoritas, quam Auguſtini? atqui hoc controverſia caret, Dominum ipſum pronunciare de pane, Hoc eſt corpus meum. Tantum quæritur, propriene, & abſque figura panem intelligat eſſe corpus ſuum: an vero nomen rei ſignatæ ad ſymbolum transferat. Weſtphalus interpoſita Auguſtini ſententia, litem dirimere volens, nihil aliud affert, niſi corpus Chriſti communicari nobis in Cœna. Hac ratione fretus, non dubitat hæreticos clamare quicunque panem vocari corpus cenſent, quia figura ſit corporis. Quid autem Auguſtinus ipſe? *Ad Bonif. epiſt. 23.* Si Sacramenta, inquit, quandam ſimilitudinem earum rerum quarum Sacramenta ſunt, non haberent, omnino Sacramenta non eſſent. Ex qua etiam ſimilitudine plerumque rerum ipſarum nomina accipiunt. Sicut ergo ſecundum quendam modum, Sacramentum corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt, ſanguinis Sacramentum ſanguis eſt: ita ſacramentum fidei, fides eſt. Quid in his verbis Weſtphalo ſignificat, Quidam modus? Quid ſimilitudo ſigni cum re ſignata, ob quam nomen

Contra Adimanthum Manichæum cap. 12.

transfertur? Nunc ut centies apud Auguſtinum occurrat nomen corporis, tenemus quid ſanctus vir in hac loquendi forma ſecutus ſit. Certe metonymiam, quam ſemel aſſeruit, & quam in quotidiano Eccleſiæ uſu vigere docet, ubique agnoſcet. Nec mirum eſt regulam banc ab eo præſcribi, qui aperte affirmat, Chriſtum vocaſſe corpus ſuum, quum ſignum daret corporis ſui. At diſerte tradit Auguſtinus corpus Chriſti cadere in terram, & in os ingredi, nempe eodem ſenſu, quo & conſumi affirmat. Fatebiturne Weſtphalus peracta myſterii celebratione, conſumi Chriſti corpus? Atqui per incogitantiam hæc ex Auguſtino verba recitat. Addo etiam quod eodem loco ſtatim ſequitur. poſtquam enim dixit peracto myſterio, panem conſumi, quia hominibus, inquit, hæc nota ſunt, quia per homines fiunt, honorem tanquam religioſa poſſunt habere, ſtuporem tanquam mira non poſſunt. Si Weſtphali commentum recipiamus, latere & incluſum eſſe ſub panis fruſtulo corpus Chriſti, quis neget dignum ſtupore eſſe miraculum? Deſinat itaque ſimplicium perſtringere oculos, verum teſtimonia colligendo, quoties Chriſti corpus ore accipi tradunt, ſicuti corde creditur: quando ſatis conſtat, ſacramentali loquendi modo aſſuetos, ſciviſſe tamen quid res à ſigno differret. Nec vero nobis diſplicent magnifica elogia, quibus extollitur myſterii dignitas. ac pro ſuo more facit Weſtphalus, contemptim de re tam præclara nos loqui exprobrans. Locum quem citat ex Pſalmo 33. (nam quod numerus mendoſus inſcribitur, culpam malo typographo aſcribere) nullo negotio diluere promptum eſt. Chriſtum dicit Auguſtinus, quum ſacram Cœnam institueret, portatum fuiſſe manibus ſuis. Sed an Weſtphalo nullius momenti eſt correctio mox addita, ubi inſeritur particula quodammodo, qua improprietatem notari certum eſt? Si ipſe tanquam famelicus canis umbram arripit pro offa, paſcatur ſua imaginatione. lectores ſano judicio præditos ne ſecum decipere tentet. Chriſtus ergo ſe quodammodo ferebat manibus ſuis: quia panem porrigens, corpus ſuum & ſanguinem in myſterio, vel ſpiritualiter offerebat. Et quo fœtidam hominis impudentiam magis aſpernentur ingenui lectores, obſervent amplis characteribus, quo inſignior eſſet conſpectus, bis apud Weſtphalum ſententiam banc perſcribi, præterita voce Quodammodo, qua tollitur omnis ambiguitas. Quis enim figuram vel ſimilitudinem diſerte exprimi audiens, de ſenſu ſcriptoris dubitet? Atque ut alio tranſeam, velim ſcire ex Weſtphalo, nomen oblationis, quod millies occurrit apud Auguſtinum, nullamne commodam interpretationem admittat: an vero ſi objiciant Papiſtæ, Miſſam vere & proprie eſſe ſacrificium, non ſit tempeſtiva hæc ſolutio, alibi Auguſtinum tradere unicum ſacrificium, cujus nunc memoriam celebramus, veteribus Sacramentis fuiſſe oſtenſum? Huic autem dicto quam affine ſit quod ſtatim ſequitur æſtiment lectores: Hujus, inquit, ſacrificii, caro & ſanguis ante adventum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur, in paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur, poſt aſcenſum vero per Sacramentum memoriæ celebratur. Hæc verba viderit Joachimus quomodo cum ſuo dogmate conciliet, corpus quod ſemel in cruce per veritatem exhibitum fuit, nudum celebrari per Sacramentum memoriæ. Atque ut hoc teſtimonium omittam, quis non videt quæcunque proferre conatus eſt, pluſquam frivola eſſe? & Auguſtinum quamvis ex illius manibus nemo excutiat, ſponte tamen ſua elabi? Adde quod delectu ſe uſum fuiſſe jactitans, omni in poſterum moleſtia me liberat. nam quum aſſidue in illius ſcriptis verſatus, ad unguem teneat totam ejus doctrinam, quicquam ab eo fuiſſe omiſſum vix eſt credibile. Una autem locorum omnium ſumma eſt, in Cœna dari Chriſti corpus. Atqui, ſi de voce contenditur, contra excipio, ſæpius vocari corporis Sacramentum. unde ſequitur nibil prorſus à Weſtphalo probari. Nam quod objicit, non minus corpus vocari quibuſdam locis, quam Sacramentum corporis, quam inſipide ratiocinetur pueri judicent. Interea meminerint lectores, nihil in his verbis à doctrina oostra eſſe diſſentaneum, corpus Chriſti vere nobis in ſacra Cœna exhiberi: quia non niſi de modi defioitione certamen eſt. Quo ſatis ſuperque iterum refellitur putida Weſtphali garrulitas, dum ex falſis antithetis nobis invidiam conflat, quaſi ſacram Cœnam dicamus ſua veritate eſſe vacuam. Magno in pretio & honore habitam fuiſſe dicit Cœnam Domini, magnaque reverentia tractatam: atque hinc factum eſſe ut jejuni accederent, alii quotidie, alii rarius. magna ſollicitudine fuiſſe obſervatum, ne in terram caderet corpus Domini. Quaſi vero nobis nulla religio ſit Sacramentum hoc proſtituere: quaſi non ſtudeamus ornare quam maximo poſſumus ſplendore: quaſi ejus celebrationem non præcedant ſeriæ ac ſollicitæ exhortationes, quibus in cælum piorum mentes rapiuntur: quaſi propoſito ſacrilegii horrore non arceantur, qui temere accedunt: quaſi denique non palam teſtemur reos fieri corporis & ſanguinis Domini, quorum hic vera nobis proponitur communicatio. Certe non Weſtphali hæc verba ſunt, ſed quæ ego ex Chryſoſtomo libenter mutuatus ſum, Chriſtum ſacram hanc menſam ſternendo, non aliunde nos paſcere, ſed ſeipſum dare in cibum. Unde ſatis liquere exiſtimo, ſi recte definiatur communicationis modus, nobis optime cum ſanctis Patribus convenire: dum autem ad craſſum Weſtphali delirium aptantur eorum verba, quaſi ad lanienam trahi.

Lib. 3. de Trin. c. 10.

Contra Fauſtum Manichæum lib. 6. cap. 5.

Verum in altero capite plauſibilem ſibi cauſam eſſe putat Weſtphalus: quia bonis perinde ac malis dari Chriſti corpus apud Auguſtinum legitur. Hinc colligit, non diſcernere ſanctum illum doctorem inter utroſque, quoad rem ipſam, ſed differentiam tantum ponere in fine, vel uſu, vel effectu. Hoc quam verum ſit, quia homini ad quidvis ſine pudore fingendum audaciſſimo credere tutum non eſt, ex ipſis Auguſtini verbis judicent lectores. Ac dari quidem indifferenter tam bonis quam malis Chriſti corpus clare ubique doceo: quia ab hominis dignitate non pender Chriſti vel liberalitas, vel fides: ſed in ipſo fundata eſt. Qualiſcunque ergo ſit qui accedit, quia ſui perpetuo ſimilis manet Chriſtus, vere ad corporis & ſanguinis ſui participationem invitat, vere impier quod figurat, vere exhibet quod promittit. Taotum de receptione controverſia eſt, quam ſicubi videtur aſſerere Auguſtinus, ſuus ipſe ſit interpres, & facile patebit metonymice loquutum eſſe. Certe judici æquo & ingenuo dubitationem eximet locus unus, ubi diſerte pronunciat bonos & malos ſignaculis communicare. nam ſi rem ipſam perciperent indigni, non tacuiſſet omnino quod cauſæ melius quadrabat. Verum alibi longe clarius. Nolite parare fauces, ſed cor: inde commendata eſt iſta Cœna. Ecce credimus in Chriſtum quum fide accipimus: in accipiendo novimus quid cogitemus: modicum accipimus & in corde ſaginamur. Non ergo quod videtur, ſed quod creditur paſcit. Secundum Weſtphalum recipit etiam infidelitas, neque paſcitur. Auguſtinus autem recipi non docet, niſi fide. Hæc ratio eſt cur plurimis locis quaſi ſeipſum explicans, Sacramenta dicat tam bonis quam malis eſſe communia. Neque enim eum latebat multos indigne ad ſacram Menſam irrumpere, qui membra non ſunt corporis Chriſti: neque tam perverſo erat ingenio, ut participes eſſe fingeret corporis Chriſti qui nullo modo ad corpus ejus pertinent. Ad effectum, hoc Weſtphalus reſtringit, ſed quam frivolo cavillo, palam

Contra Fauſtum, lib. 12. cap. 16.

De verbis Apoſtoli ſermone 33.

lam faciunt alii loci. Diſtinguit alibi Auguſtinus inter Sacramentum & ejus virtutem. Si trimembris eſſet *In Joan. Tract. 26.* diſtinctio, Weſtphalo pleno ore canere ſuos Pæanas liceret. Sic enim ſonat ejus commentum, eſſe in ſacra Cœna elementum viſibile, eſſe corpus Chriſti ſine fructu, eſſe corpus cum uſu ſuo & ſine conjunctum. Sed quum inter duo tantum membra ſe contineat Auguſtinus, non alio patrocinio indiget noſtra doctrina. Mortui non ſunt, inquit, Patres qui viſibilem cibum ſpiritualiter intellexerunt, ſpiritualiter eſurierunt, ſpiritualiter guſtarunt, ut ſpiritualiter ſatiarentur. Videmus ut externo ſigno fidei intelligentiam opponens, uihil ſumi ab infidelibus tradat præter nudum ſignum. Si de Manna ſermonem haberi excipiat Weſtphalus, hoc cavillum facile ipſo contextu diluitur, quia mox ſubjungit, Sacramenta illa in ſignis diverſa fuiſſe, in re quæ ſignificatur paria. ac continuo poſt rurſus iterans quod de virtute Sacramenti, & viſibili Sacramento dixerat, fideles ſolos non mori docet, qui comedunt intus, non foris, qui comedunt corde, non qui premunt dente. Si incredulis præter viſibile Sacramentum nihil relinquitur, ubi occultum illud & cæleſte Weſtphali corpus?
Tract. in Joan. 271. Recte ergo colligitur, ubi incredulos dicit Chriſti corpus accipere, non aliter quam explicat ipſe, debere intelligi, nempe tantum in Sacramento. Quod ne coi dubium ſit, ſciendum eſt, teſte quoque Weſtphalo, hæc duo eſſe ſynonyma, corpus Chriſti, & cibum vivificum. Nam ut probet corpus Chriſti ſub pane incluſum latere, elogium hoc poſterius adducit, quia niſi corpus Chriſti eſſet panis, neque cibus vivificus eſſet. Reſpondeat nunc ergo, impioſne vivificet panis Cœnæ: quia ſi vitam non confert, mox inferam, neque illis eſſe Chriſti corpus. Quod inter alia teſtimonia unum citat ex libro XIX. De civitate Dei, capite vigeſimo, libenter hujus quoque mendi culpam in librarium transferrem, niſi ſe proderet ſceleſta hominis vafricies. Recitat caput vigeſimum, libri vigeſimi primi, ubi ex aliorum ſenſu, non ſuo loquitur Auguſtinus. Caput vigeſimum quintum ubi objectioni reſpondet Auguſtinus, ſilentio præterit. In verbis quæ protulit, adeo nobis nihil eſt adverſum ut non aliunde opus ſit doctrinæ noſtræ petere certam & liquidam probationem. Quid enim hoc ſibi vult, eos qui ſunt in ipſo Chriſti corpore non ſolum Sacramento, ſed re ipſa ſumere Chriſti corpus, niſi quod palam oſtenditur, dupliciter ſumi Chriſti corpus, Sacramento duntaxat, & re ipſa? Si tollitur rei veritas, certe præter ſignum nihil reſiduum manet. unde etiam haud dubie colligitur, non aliter comedere impios Chriſti corpus, quam ſigni reſpectu: quia re ipſa privantur. Sed quæ vigeſimoquinto capite ſequitur explicatio, longe magis dilucida, ubi fortiter negat, manducare corpus Chriſti, qui in ejus membris computandi non ſunt: quia non poſſunt ſimul eſſe & membra Chriſti, & membra meretricis. Et continuo poſt, Chriſtus ipſe dicens, Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo, oſtendit quid ſit non Sacramento tenus, ſed revera corpus Chriſti manducare, & ejus ſanguinem bibere. Hoc eſt enim in Chriſto manere, ut in illo maneat & Chriſtus. Sic enim hoc dixit tanquam diceret, Qui non manet in me, & in quo ego non maneo, non ſe dicat aut exiſtimet manducare corpus meum, aut bibere ſanguinem meum. Hoc ſtimulo ſi non pungitur Weſtphalus, cunctis patriæ ſuæ bobus ſtupidior eſt.

Citat ex primo libro contra literas Petiliani ſententiam, ubi diſcernere jubemur viſibile Sacramentum ab inviſibili unctione charitatis. De Baptiſmo illic Auguſtinus diſputat. Si non omnes Spiritu baptizat Chriſtus, qui aqua tinguntur, an inde protinus ſequetur, Judam comediſſe Chriſti corpus? Quod ſi de Cœna eſſet ſermo, nobis optime ſuffragari dicerem, quia malis non niſi viſibile Sacramentum conceditur. Quod certe Weſtphalus ſecundum ſuum phantaſma ab inviſibili carne Chriſti differre annuet. locus ex libro primo contra Creſconium Grammaticum (quanquam ipſe quoque mendoſe, quo ad capitis numerum, citatur: ponitur enim XXIII. pro XXV.) non alio tendit, quam improbos uſum donorum Dei ſuo abuſu corrumpere. Imo totus in hoc eſt contra Donatiſtas Auguſtinus, ut doceat quæ bona ſunt, male utentium vitio naturam non mutare, nec ideo Baptiſmus cenſeatur nullus eſſe, quia incredulis propter abuſum non prodeſt. Hac ratione ſi dicat Auguſtinus Judam corporis Chriſti fuiſſe participem nihil mirum eſt, modo hoc ad ſignum viſibile reſtringas: quod alibi ſe ſentire admonet. Nec vero aliter ſtaret quod alibi *Tract. in*
ab ipſo ponitur diſcrimen alios ſumpſiſſe panem *Joan. 59.*
Dominum, Judam non niſi panem Domini. imo Weſtphalus ipſe quaſi prævaricator nos adjuvat, Petrum & Judam de eodem pane comediſſe referens. Jam quaſi Auguſtinum ſibi jure vendicaverit, locos diluere aggreditur, quos à noſtris perfide & depravate citatos fuiſſe dicit. Scire autem velim ubinam ſita ſit perfidia vel depravatio. an quia ſit aliquid in verbis mutatum, ſicuti Weſtphalus ipſe aliud ſubinde pro alio ſuggerit? an quod noſtri ea in ſuum commodum torquendo, perperam à genuino ſenſu in alienum transferant? Atqui ſyllabam ab ipſis falſo productam eſſe Weſtphalus quidem dicet. Ideoque reſtat ſecundum illud, male & intempeſtive citari quæ aliter intelligi voluit Auguſtinus. Ergone ſi quis minus apposite teſtem pro ſe Auguſtinum adducat, perfidus ſtatim, ac depravator cenſendus erit? Sic quidem placet Weſtphalo. Nec vero legem hanc quantumvis duram recuſo. Subeamus ergo perfidiæ crimen, modo inſcitiam ipſe coarguat. Hac in parte bonus vir tergiverſatur, quid enim faceret? Et quo meliore compendio ſe expediat, localem Chriſti in Cœna præſentiam dicit, nos tribus modis evertere, quia vel tropum confingimus, vel obtendimus ſpiritualem eſſe manducationem, vel corpus Chriſti negamus eſſe immenſum. Hæc capita quum ex Auguſtino probanda noſtri ſuſceperint, videamus quo artificio eos refellat Weſtphalus. Ac de figura quidem diſputans, negat, Auguſtinum uſquam verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, ita interpretari quaſi panis corpus ſignificet. Hoccine eſt perfidiæ convincere, ubi verbis minime obſcuris inſtructi, ingenue prodimus in medium? Auguſtini verba ſunt, Dominum non dubitaſſe dicere, Hoc eſt corpus meum, quum ſignum daret corporis ſui. Et quorſum ita loquitur? ut Scripturam ſæpe figurare loqui probet. Dicit alibi Chriſtum primo convivio Judam adbibuiſſe, in quo diſcipulis figuram corporis ſui commendavit & tradidit. dicit item, panem Cœnæ quodammodo eſſe Chriſti corpus, quia Sacramentum eſt corporis. Locum ex lib. III. de doctrina Chriſtiana ediſſerens, quam dextre elabitur? In genere, inquit, admonet fideles, non hærendum eſſe in ſignis, quin ad res ſignatas magis attenti ſint. Hoc tametſi ſancto viro conſilium fuiſſe non inficior, diligenter tamen expendi velim quomodo carnalis dicatur eſſe ſervitus, vel ſervilis infirmitas, ſigna pro re accipi. Niſi enim præpoſterum eſſet, ſigna rebus miſcere, fruſtra damnata foret hæc ſuperſtitio. Quod excipit Weſtphalus, non debere tamen veritatem à ſignis disjungi, in eo nobiſcum minime pugnat. Obtendit quidem, ſed parum verecunde, quando ſatis ſuperque notum eſt, panem ita vocari à nobis ſignum corporis Chriſti, ut teſſera ſit veræ communicationis, vereque exhibeat quem figurat Spiritualem cibum. Manet interea illud fixum, in Chriſti verbis, ſacramentalem eſſe loquendi modum,

dum, ubi ſignum à re ipſa diſtinguere convenit: niſi quis ſerviliter velit in terra ſubſiſtere. Unde etiam aperte colligitur, ejus interpretationis, quam adeo acerbe exagitat Weſtphalus, idoneum nobis eſſe auctorem. Quod nec ſubſtantia, nec præcipui effectus Cœnæ, ſignificandi verbo tolluntur, novum litigandi colorem quærat Weſtphalus. Cæterum, hoc uno minime contentus, mordicus verbum eſſentiale retinet, ut panis vere & proprie dicatur Chriſti corpus: in quo eum dico ab Auguſtini mente diſcedere: ipſe negat. Sed teſtimonia quomodo eludit? quia ſcilicet non citentur ex profeſſo Chriſti verba, Hoc eſt corpus meum. quid refert, modo auctore Auguſtino, conſtet nobis ratio locutionis, Chriſtum ſcilicet dixiſſe, Hoc eſt corpus meum, quum ſignum daret corporis ſui? Jam ubi generaliter docet Auguſtinus, transferri ad ſignum nomen rei ſignatæ, quoties externis Cœnæ ſymbolis tribuuntur carnis & ſanguinis nomina, in ſenſu quærendo quis regulam illam ſequi dubitet? Frivolum eſt Weſtphali effugium, in epiſtola ad Evodium ubi in Sacramentis tradit Auguſtinus metonymiam frequentem, ac tritam eſſe, non fieri Cœnæ mentionem, quia hoc modo à genere ad ſpeciem ratiocinari non liceret. Quod in ſignis omnibus obſervandum Auguſtinus præcipit, cur non ad Cœnam accommodabitur? vocatur Spiritus ſanctus columba: metonymice hoc debere intelligi Auguſtinus admonet, quia non novum eſt, neque inſolens, ſigna à rebus ſignatis nomen accipere. Eadem prorſus eſt Cœnæ ratio. Eam attingi nullo modo patitur Weſtphalus. Sed mirum non eſt tam frigide in ea re cavillari, quum Pauli verba longe procacius eludere eum non pudeat. Dicit Paulus, petram quæ populum in deſerto comitabatur, fuiſſe Chriſtum. Nullam interpretationem admittit Weſtphalus, quia Chriſtus vere, & proprie ſpiritualis erat petra. Atqui perſpicuum eſt, imo cæcis ipſis palpabile, non minus illic Paulum de externo ſigno loqui, quam Chriſtum de pane, ubi dicit, Hoc eſt corpus meum. Nec vero alioqui flueret contextus, ubi Paulus Baptiſmum noſtrum & Cœnam veteribus ſignis comparat: ut Weſtphalo nequaquam liberum ſit negare, eodem ſenſu petram dici Chriſtum, quo panis dicitur corpus. Hic ſaltem concedat locum ſignificandi verbu. nec poſtulo ut ſacram Cœnam ſua veritate exinaniat. nam hoc mendacio nimis inique nos ſimplicibus exoſos reddit. Tantum prudenter volo diſtingui inter rem & ſignum, ut à terreno elemento in cælum fiat tranſitus. Porrigitur nobis in manum panis: veracem eſſe Chriſtum ſcimus, ut re ipſa exhibeat quod teſtatur, nempe corpus ſuum: ſed non aliter quam ſi fide ſupra mundum aſſurgimus. hoc quando niſi figuræ vel ſigni adminiculo fieri nequit, quo jure reclamet Weſtphalus ſanis & candidis lectoribus relinquo æſtimandum. Certe ut centies crepet, nos in verbo ſignificandi, Auguſtinus indubie adjuvat. Adde quod, ſi in Chriſti ſermone, ubi carnem ſuam edere, & ſanguinem bibere jubet, figurata eſt loquutio, quod Weſtphalus fateri cogitur, eadem & ſacræ Cœnæ ratio conveniet. Imo ſignificandi verbum multo magis Sacramento, quam ſimplici doctrinæ aptandum erit. Singulas ineptias ſi perſequar nullus erit modus: neque etiam operæ pretium eſt, niſi forte tantum ponderis ſubeſt ejus verbis, ut tot rationibus edocti & convicti lectores, nullam eſſe figuram credant in hoc verbo, Hoc eſt corpus meum, quia ita pronunciat Weſtphalus.

Spiritualis manducatio ſic à nobis proponitur, ut ſacramentalem minime tollat, modo ne vagis ſuis deliriis, res connexas diſſipet Weſtphalus. Sed lectores tenere operæ pretium eſt quænam hæc Chimæra ſit, ſacramentalis hujus boni theologi manducatio, nempe dum increduli ſine fide, ſine ullo pietatis ſenſu, Chriſti corpus in ventrem ingurgitant. Spiritualiter vero Chriſtum manducari ſomniat, ubi non modo venter corpus ipſum deglutit, ſed anima etiam percipit arcanam Spiritus gratiam. Nos etiam in Sacramento Chriſtum non niſi ſpiritualiter manducari aſſerimus, quia ab illa craſſa ingluvie, quam commenti ſunt Papiſtæ, Weſtphalus autem nimis cupide ab illis haurit, pietatis abhorret ſenſus. Hæc noſtræ doctrinæ ſumma eſt, carnem Chriſti panem eſſe vivificum, quia dum fide in eam coaleſcimus, vere animas noſtras alit, & paſcit. Hoc non niſi ſpiritualiter fieri docemus, quia hujus ſacræ unitatis vinculum arcana eſt ac incomprehenſibilis Spiritus ſancti virtus. Hoc modo ut animæ noſtræ alimentum ex Chriſti carne percipiant, dicimus ſacro Cœnæ ſymbolo adjuvari. Quinetiam addimus, re ipſa impleri illic, & exhiberi quod Joannis 6. Chriſtus prædicat. Etſi autem extra Sacramenti uſum ſpiritualiter Chriſto communicant fideles, aperte tamen teſtamur, Chriſtum qui Cœnam inſtituit, efficaciter per eam operari. Weſtphalo ſpiritualis manducatio ad fructum duntaxat reſtringitur, ut ſalus Chriſti morte parta ad nos perveniat. Sacramentalis, ut dixi, nihil aliud eſt, quam carnis Chriſti in ventrem ingurgitatio. Quid Auguſtinus? corpus Sacramento tenus comedi docet dum re ipſa non comeditur. Duobus enim locis hæc antitheſis legitur apud eum expreſſa. unde certo colligitur Sacramentalem uſum tantundem valere atque viſibilem vel externum, ubi veritati aditum claudit hominum incredulitas. Itaque calumnioſe inſimulat Weſtphalus noſtram de ſpirituali manducatione doctrinam, quaſi fallaci prætextu veram communicationem tollat, quæ in Cœna percipitur. Nam ſi ab eſu Sacramentali ſeparandus eſt ſpiritualis, quid hoc ſibi vult Auguſtini dictum? Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri ſanguinem, quem fundent qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos. *In Pſal. 98.* Jam ſi in Cœna præter inane vacuumque ſignum nihil relinqui conſtat, ubi non ſpiritualiter editur corpus: & ex verbis Chriſti colligimus ſpiritualem eſſe eſum, ubi fides myſticæ & ſpirituali doctrinæ reſpondet, non eſt quod res individuas divellere tentet Weſtphalus. Idem, fateor, Chriſti corpus quod in ſacrificium Chriſtus in cruce obtulit, manducari certum eſt, quia neque bicorporeum fingimus Chriſtum, neque aliunde quam ex victima illa alimentum ad ſpiritualem vitam petendum eſt. Quomodo idem eſſe corpus Auguſtinus negat, niſi quia in cæleſtem gloriam receptum arcana Spiritus virtute vitam nobis inſpirat? Diverſus ergo edendi modus notatur: quia licet integrum maneat in cælo Chriſti corpus, mirabili tamen & cæleſti virtute nos vivificat. Denique non alia de cauſa negat Auguſtinus dari in Cœna corpus illud, quod videbant diſcipuli, niſi ut ſciamus minime carnalem eſſe communicationis modum: ſed in myſterio nos fieri carnis & ſanguinis participes, ut gratiam illam morſus noſtri non conſumant, ut alibi loquitur. ideoque tergiverſando nihil proficit Weſtphalus. In manifeſta etiam calumnia deprehenditur, locum hunc à nobis torqueri inſimulans, ut nihil nobis Cœna afferat præter inanem figuram. Sed vocem, ſpiritualiter, quomodo excuſat Weſtphalus? ratione fidei, inquit. Si ita eſt, quomodo abſque fide manducari garrit? Nam ut in craſſo ſuo commento nihil eſſe carnale probet, negat carnaliter manducari Chriſtum, niſi in fruſta conciſus inſtar cadaveris dentibus palam teratur. ubi autem inviſibiliter deglutiendum porrigitur ejus corpus, ſpiritualiter comedi, quia fide percipitur. Quo magis hoc laqueo ſe expedire tentabit, ſe fortius conſtringet. profanos homines, qui ſolo carnis ſenſu præditi, ad Chriſti menſam temere indigneque irrumpunt, ſpiritualiter edere abſque fide, quod fidei reſpectu fieri neceſſe eſt. Neque tamen interea

con-

Digitized by Google

concedo quod ipſe non niſi ſua auctoritate fretus balburit, dum voratur Chriſti caro in pane, ſpiritualem eſſe edendi modum, quia eſt inviſibilis. nimiſque infirma exceptio eſt, ſecundum Auguſtini definitionem, carnaliter eos demum ſapere, qoi tanquam in macello laniandum eſſe putant Chriſti corpus. Etſi enim craſſis hominibus venit hoc in mentem, Chriſtum velle ex carne ſua Cyclopicam cœnam parare, tenenda ſimul tamen eſt altera definitio, Spiritualiter comedi, quamvis in ventrem noo tranſmittatur, quia arcana Spiritus virtute nos vivificat. Nec vero fidei nomine elabitur Weſtphalus, quia non modo præciſe fidem verbis ſuis haberi Chriſtus exigit. ſed nos ad eorum vim & naturam revocans ſpiritualia eſſe pronunciat. Quæ duo non minus diſſentanea eſſe apparet, quam longe diſtat cælum à terra. Vere enim & proprie comedi Chriſti corpus Weſtphalus contendit, quia planæ & literali ſententiæ credendum eſt, quæ figuram nullam admittit. Hoc eſt corpus meum: atque ita Spiritum in ſola fide locat, quem Chriſtus diſerte in verbis ſuis ſtatuit. Ejuſdem eſt licentiæ, quod poſtea duplicem fabricat ſpiritualem eſum, nempe alterum ſubſtantiæ, alterum fructus, quaſi hic ſecundus poſſet à priore ſeparari. Jactat Auguſtinum, ubi de ſpirituali manducatione diſſerit, alias utramque complecti conjunctim, alias ſeorſum alterutram notare. Spiritualiter dicit quoad fructum nos comedere Chriſti corpus, dum remiſſionem peccatorum morte ejus partam fide percipimus in ſalutem. neque tamen hoc edendi genus obſtare quo minus ſpiritualiter inviſibilem carnis ſubſtantiam voremus in Cœna. Unde colligit ſophiſtice nos agere, dum prætextu fructus tollimus ſubſtantiam. quaſi vero alios dicamus bonorum Chriſti eſſe participes, niſi qui carni ejus & ſanguini participant. Quicquid enim conferunt nobis mors & reſurrectio Chriſti, fluere ab hoc fonte tradimus: quod vere noſter ſit, & caro ejus ſpiritualis ſit cibus. Interea nec craſſum vorandi modum recipimus, nec divellimus quæ Dominus ore ſuo conjunxit. Neque enim corpus juſſit accipere niſi io cruce oblatum ad nos reconciliandos, nec ſanguinem bibere niſi qui iu remiſſionem peccatorum effuſus eſt. Hanc connexionem ſubſtantiæ & fructus perverſe & barbare diſcerpi conſtat, ubi dicuntur impii ſine fide mortiferum accipere Chriſti corpus. Imo cur alibi apud eundem Auguſtinum ſpecies viſibilis opponitur ſpiritnali virtuti in Cœna, ſi virtute hac ſublata, vere adhuc & ſubſtantialiter comeditur Chriſti corpus? Longe certe aliter definii ipſe, dum paulo poſt tradir: *Tract. in Joan. 26.* Hujus rei ſacramentum, hoc eſt, unitatis corporis & ſanguinis Chriſti alibi quotidie, alibi certis intervallis dierum in dominica menſa præparatur, & de menſa dominica ſumitur, quibuſdam ad vitam, quibuſdam ad exitium. Res vero ipſa, cujus & ſacramentum eſt, omni homini ad vitam, nulli ad exitium quicunque ejus particeps fuerit. Certe ubi de re ſigni hujus agitur, nemo ſanæ mentis arcanam carnis & ſanguinis Chriſti communionem excludet. Eam Auguſtinus negat communem eſſe incredulis. unde ſequitur, dum ſibi oblatam reſpuunt, nihil præter nudum ſignum ſibi reliquum facere. Id quo propius liqueat, qui ſimpliciter definiunt nos ſpiritualiter edere Chriſti carnem ejuſque ſanguinem bibere, dum ejus morte expiata eſſe peccata noſtra credimus, ut Deo reconciliati hæredes ſimus vitæ æternæ, eos nimis ſtricte & conciſe loqui non diſſimulo. quia ab altiore principio manat hæc fides: ſi Chriſtus caput noſtrum ſit, & in nobis habitans, vitam nobis ſuam communicat. Neque enim ab eo quicquam nobis ſperandum eſt, donec in ejus corpus coaluerimus. Atque hæc integra eſt ſacræ Cœnæ veritas, ut Chriſtus nos inſerendo in corpus ſuum, non modo participes faciat corporis & ſanguinis ſui, ſed vitam cujus iu ipſo reſidet plenitudo, in nos inſpiret: quia non alium in finem comeditur ejus caro, niſi ut ſit vivifica. Doctrinam hanc per mille Weſtphalos convellere Satan fruſtra molietur. Nam quod apud Auguſtinum ubi dicit, nullos vere & reipſa carnem Chriſti comedere, niſi qui in ipſo manent, iſtas diſcretionis particulas non ad veritatem corporis, ſed ad veritatem communicationis referri contendit Weſtphalus, nugatorium eſt. Cum aperte neget Auguſtinus re ipſa Chriſti carnem manducare, niſi qui viva fide prædíti io eo manent: quid hoc ſibi vult corporis veritatem non negari, ſed tantum veram communicationem? Sed hoc eſt ſcilicet: portenta verborum res prodigioſæ ſecum trahunt. Concedit Weſtphalus noo communicare Chriſto, qui tamen vere corpus ejus devorant. nam corporis veritas apud ipſum nihil aliud eſt quam ſubſtantialis ingurgitatio. Communicatio autem eſt ſpiritualium donorum fruitio, quæ nobis à Chriſto proveniuot. Ego autem ſcire velim quorſum nos io Cœna Chriſtus ad carnis ſuæ & ſanguinis participationem invitet, niſi ut animas noſtras paſcat. Deſinat nobis Chriſti corpus eſſe alimentum: quid ipſum deglutire prodetit? Eodem artificio nodum abrumpit quem ſolvere non poterat, locum illum Auguſtini eludens, ubi docet, Judam comediſſe panem Domini, cum alii comederent panem Dominum. Duplex, inquit, manducatio illic notatur. hoc quidem perſpicuum eſt. Sed quod Judam ſubſtantialiter Chriſtum comediſſe dicit, hoc quomodo Auguſtini verbis conciliet videre cupio. Si à reliquis diſcipolis hac nota diſcernitur Judas, quod non comederit panem Dominum, ſequitur nihil præter nudum ſymbolum ſumpſiſſe. Atque utinam uncia ſaltem ſanæ mentis eſſet Weſtphalo, ut quæ recitat Auguſtini verba expenderet. Duplicem illam communicationem nuſquam clarius diſtingui aſſerit *Serm. 2. de verb. Apoſt.* quam in hac ſententia. Tunc vita unicuique erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur. Ego vero adeo libenter amplector hunc locum ut eo ſolo ad refellendam Weſtphali inſcitiam ſim contentus. Spiritualis manducatio ira à Weſtphalo deſpicitur ut hæreſin execrandam eſſe exiſtimet in ea ſola inſiſtere. Cur enim tam atrociter in nos invehitur, & gladio magis quam ſtylo corrigendos eſſe clamitat, niſi quia io ſpirituali manducatione acquieſcimus? Jam igitur videndum quænam ſit altera manducatio, ſine qua, ſecundum iſtos cenſores, nemo vel in cælo, vel in terra ſalvus eſſe poteſt. Viſibilem Auguſtinus eſſe reſpondet. Quibus unquam oculis Weſtphalus quam ſingit ſubſtantiæ Chriſti ingurgitationem aſpexit? Atqui Auguſtinus quicquid præter ſpiritualem eſum in Sacramento percipitur, viſibiliter ſumi docet. oculos ergo aperiat Weſtphalus, ut tandem quid valeat ſacramentalis manducatio, agnoſcat. Excipit Weſtphalus, Sacramentum non fore integrum, niſi edatur corpus Chriſti. quaſi vero minus adeo verax ſit Chriſtus, quia reſpuunt increduli quod ipſe offert. Fatemur enim dignis ſimul & indignis corpus ſuum offerre: nec ullius hominis pravitate fieri quin panis verum ſit & exhibitivum, ut loquuntur, carnis Chriſti pignus: ſed ab omnibus promiſcue recipi oimis abſurda eſt fatuaque illatio. Sicuti & ratiocinatio iſta Weſtphali. Quæ verbo ſuo Dominus pronunciat eſſe, ea vere ſunt: ergo corpus Chriſti ab impiis ſub pane ſumi oportet. quis enim neſcit exitialem fuiſſe apoſtatis Chriſti doctrinam, quibus nimis dura viſa eſt? Protulit tamen ipſe ore ſuo, Verba quæ loquor vobis, Spiritus & vita ſunt. Sed ne longius morer lectores, ſufficiat præclara clauſula hujus partis, ubi dicit Weſtphalus rem Sacramenti Auguſtino eſſe non corpus & ſanguinem Domini, ſed veritatem, gratiam & fructum. ſic ipſe ad verbum. Si ita eſt,

certe

certe de nihilo litigat, & extra rem neſcio quid imaginarium quærit. Jam ſi veritas Sacramenti non eſt corpus & ſanguis, cur nos ubique falſatios vocat, præſertim quum fateri cogatur nihil nos de hac Sacramenti veritate minuere.

Tertium caput quod refutandum ſuſcepit hoc eſt, Sic nos communicare carni & ſanguini Chriſti, ut ſalva maneat humanæ naturæ veritas. Cujus doctrinæ quum Deum nobis eſſe auctorem multis Scripturæ teſtimoniis noſtri oſtenderint, Auguſtinum etiam pro ſe ſtare monſtrarunt. Hoc præſidio quum nos ſpoliare Weſtphalo ſit propoſitum, quia ſentit paulo plus ſibi eſſe negotii quam vellet, prolixe diſputat in myſteriis fidei nec rationi humanæ, nec phyſicis argumentis ſtandum eſſe. Ego ut hoc totum concedam, nego hoc argumentum à philoſophia peti: ſed à cæleſtibus Dei oraculis. Paſſim docet Scriptura expectandum eſſe nobis è cælo Chriſtum, unde adveniet redemptor. Nec obſcura eſt Pauli doctrina, imagioem & exemplar futuræ redemptionis in Chriſti perſona extare: quia contemptibile corpus noſtrum configurabit corpori ſuo glorioſo. quare faceſſat futile hoc effugium, philoſophiam nobis fidei magiſtram non eſſe: quando de carnis noſtræ veritate nihil aſſerimus, niſi quod ab ipſo ſummo & unico doctore proditum eſt. Cæterum quod hujus loci proprium eſt, audiant lectores quam probe Auguſtinum nobis extorqueat Weſtphalus. Dicit ſanctus ille Doctor, præter naturam Chriſtum ad diſcipulos ingreſſum eſſe clauſis januis, ſicuti præter naturam ſuper aquas inceſſit: quia omnia poſſibilia ſunt Deo. Verum ſi Chriſtus divina ſua virtute fores clauſas miraculo patefecit, an ideo ſequetur corpus ejus eſſe immenſum? Sed Auguſtinus rationem hic requiri vetat ubi regnare debet fides: nempe ut certo credamus: quod teſtatus eſt Euangeliſta, nullis obſtaculis fuiſſe prohibitum Dei Filium quominus incredibile illud virtutis ſuæ ſpecimen ederet. Itaque ſtolide hic exultat Weſtphalus theologicam demonſtrationem appellans quod falſo eum ſuis de omnipotentia Dei obtendit. Neque enim noſtris figmentis obnoxius eſt Deus, ut quicquid imaginamur impleat, ſed conjongi debet ejus potentia cum beneplacito. ſicuti etiam admonet Propheta, Deus noſter in cælo quæcunque voluit, fecit. Satis patefacta eſt hujus voluntas, inqoit Weſtphalus, Cœnæ ordinatione. Hæc vero eſt petitio principii. Quo enim jure obtinuit, Chriſtum panem ſacrum porrigendo, naturam corporis ſui mutaſſe ut immenſum eſſet? imo idem corpus eodem momento duplex feciſſe, ut uno in loco viſibile eſſet, in altero inviſibile, immenſum, & ſuis dimenſionibus finitum? Ecce in prima Cœna conſpicitur Chriſtus in carne ſua: naturæ humanæ modum retinet. tunc autem, ſi Weſtphalo creditur, idem corpus geſtabat manibus ſuis inviſibile & immenſum. Quod ſi in Cœnæ miraculo documentum hujus Dei potentiæ videbat Auguſtinus, cur nuſquam verbo uno admonuit, præter naturam latere in pane inviſibile Chriſti corpus, cælum & terram implere, integrum eſſe millies in mille locis: quia nihil Deo ſit impoſſibile. Ergo quod recitat, in miraculis quæ captum humanæ mentis excedunt, ſolere Dei potentiam ab Auguſtino proferri, contra eum retorqueo. Nam ſi præſentiam qoalem fabricat Weſtphalus, ſanctus ille vir imaginatus foiet, nuſquam prædicandæ potentiæ Dei opportunior fuiſſet locus. Proinde ex ſilentio colligere licet, incognitum ei fuiſſe quod deinde ſub Papatu commentum diabolus ſuggeſſit. Ac ne in re ſupervacua longior ſim, ſi omnipotentiam Dei huc illuc trahere licet, fanaticis hominibus qui nullum à reſorrectione corpus futurum eſſe dicunt, ſpecioſum fore dico fucandi ſui delirii colorem. Proferunt dictum Petri, nos eſſe vocatos ut conſortes fiamus Divinæ naturæ. colligunt talem fore reſtitutionem humani generis, ut corpoream naturam ſpiritualis Dei eſſentia abſorbeat, cur non Weſtphali exemplo, ſi quis reclamet, in anguſtias redigi clamabunt Dei potentiam? Quia ergo intempeſtive objicitur, Deum poſſe, niſi quod ipſum velle conſtat, concidit hac in parte tota Weſtphali loquacitas, donec Chriſtum probet carnis naturam carni ſuæ abſtuliſſe. Ubi autem ſe ad teſtimonia quibus noſtri uſi ſunt diluenda venire ſimulat, pudenda eſt ac putida in puerili garritu ejus affectatio. Quæſo Joachime, qoid paginas complures ſcurrando ioſicere opus fuit, niſi ut ſimplicium mentes ab ipſius rei intuitu abductæ tecum vagarentur? Simplex noſtrorum ratio eſt, Auguſtinum plane aſſerere quatenus homo eſt Chriſtus, in cælo eſſe, unde ultimo die venturus eſt. ſecundum naturam humanam non eſſe ubique diffuſum: quia carni ſuæ immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. cavendum igitur eſſe ne hominis divinitatem ita aſtruamus, ut veritatem corporis auferamus. ſi tollamus ſpatia locorum corporibus, nuſquam fore: ideoque fore nulla. Chriſtum igitur ubique præſentem eſſe tanquam Deum, in loco aliquo cæli propter veri corporis modum. Ubi ad ſatietatem uſque in ſuis parergis luſit Weſtphalus, ne nihil afferre putetur, principio lectores admonet, quum ita loquitur Auguſtinus, non agere ex profeſſo de Cœna Domini. Quid? quum tu nuper ad ornandam Dei potentiam citares ejus præconia, non memineras tunc quoque non fuiſſe de Cœna habitum ab ipſo ſermonem? Ac re quidem erroribus tuis temere Auguſtinum involvere oſtendi. hic vero longe diverſa ratio eſt. Clare pronunciat Auguſtinus non ferre corporis Chriſti naturam, ut ubique ſit diffuſum, ideoque cælo contineri. Si ita eſt, quomodo tibi ſubſcribet dum immenſum eſſe jactas? perinde facis acſi obſtrepant Papiſtæ nihil ad ſe ſpectare quæcunque contra fictitios eorum cultus & leges tyrannicas ex Scriptura producimus, quia nullam earum expreſſo nomine Spiritus deſignat. Ita cum citabitur ſententia Chriſti, Fruſtra me colunt præceptis hominum, &c. nullo negotio ſe expedient: quia tunc io Phariſæos ſermonem Chriſtus ſtringebat. Qua fronte tantam inſulſitatem mundo obtrudere auſus es, ex qua palam fieret te ſuperbiſſimo faſtu contemnere omnium judicia? Nam ſi farraginis tuæ lectores putaſti communi ſenſu eſſe præditos, ita certe eos ratiocinari neceſſe eſt vel falſum eſſe quod tradit Auguſtinus, vel non ubique latere diffuſum Chriſti corpus qualiter tu ſomnias. Iterum repetam, ſi perpetuo verum eſt quod tradit Auguſtinus, abſque loci ſpatio nullum fore Chriſti corpus, ideoque cælo comprehendi propter veri corporis modum: non occupabit certe mille loca in terris: ac multo minus ſine aliqua locorum circumferentia ubique erit. Quomodo igitur ſtabit illa quam tam ſecure aſſeris, ubiquitas? Adjungit poſtea Joachimus, non alio tendere Auguſtinum, niſi ut doceat Chriſti corpus eſſe io cælo. nos alio tendere ut negemus eſſe in Euchariſtia. Quam ferrea iſta eſt improbitas, velle frivolo mendacio rem adeo manifeſtam delere? clare docet Auguſtinus, non alibi quam in cælo eſſe Chriſtum quatenus homo eſt, & falſo putari ſecundum carnem ubique eſſe diffuſum, cui naturam minime abſtulit. Nos ergo quum totidem verbis ac ſyllabis idem docemus, quis dicet in diverſom ſcopum tendere? Hoc Auguſtinum agere Weſtphalus dicit, ne tollatur humanæ naturæ veritas. nempe quia nunquam putaſſet Auguſtinus de carnis præſentia qualem excogitarunt Sophiſtæ, exoriturum eſſe tale portentum, vero & genuino verborum Chriſti ſenſu contentus, fatuas illas ſpeculationes non attigit. Nam quod ſubjicit Joachimus non tolli veritatem humanæ naturæ, ſi diſtribuitur corpus Chriſti in Cœna, vaniſſimum eſſe apparet. Hæc enim eſt veritas, Auguſtino teſte, ut Chriſti corpus aliquis cæli locus comprehendat. Nimis vero oblivioſus eſt

Weſt-

Digitized by Google

Weſtphalus, qui quum nuper tantopere deteſtatus ſit phyſicam hanc ratio nem, nunc eam ſe amplecti ſimulat. Si ex me audiret quod coactus eſt ex Auguſtino referre, clamaret immane eſſe ſacrilegium. Nunc quia ſibi propoſuit Auguſtinum quoquo modo in partes ſuas trahere, modo à ſe derivet repugnantiæ ſpeciem, in omnia ſe transformat. Sed omiſſis ambagibus ſemel ſtatuendum eſt tollaturne vera carnis natura, ſi pluribus in locis ſimul eſſe credatur, Imo nullum locum occupare. ſecure negat Weſtphalus. Quid pronunciet Auguſtinus, cum lectorum faſtidio repetere nihil attinet. Adde quod mox arreptitius hic homo ſtylum commutans excuſat non prorſus tolli, hoc eſt, aboleri humanam Chriſti naturam, dum totum mundum occupat ejus caro: quia integra & illæſa io cælo manet. nempe ſicuti dum profanis ventribus immergitur, ubique in terris illæſam manere fingit. Nec Weſtphalum quicquam juvat quod Chriſtus Eccleſiæ ſuæ pollicitus eſt de æterna ſua præſentia. Chriſtum ſuis ſemper adeſſe credimus, adeoque in ipſis habitare: nec modo quatenus Deus eſt, ſicuti perverſe calumniatur Weſtphalus: ſed quia membra capiti ſuo unita eſſe oportet, Mediatorem illum qui naturam noſtram induit dicimus Fidelibus præſentem eſſe. nam & ideo ſeder ad dexteram Patris, ut imperium ubique obtineat & exerceat. Si de modo præſentiæ quæritur, referendum dicimus ad gratiam & virtutem. Iiſdem verbis quum utatur Weſtphalus, ſtatim ad carnem relabitur, quia gratiæ nomen pro nihilo ducit, niſi ad Cœnæ actionem coram ſiſtatur Chriſti corpus. Hæc vero mira eſt metamorphoſis, quod de immenſa Spiritus ſancti virtute dictum eſt, in carnis ſubſtantiam quæ finita eſt, vertere. Hunc eſſe quæſtionis ſtatum meminerint lectores, An non aliter gratia ſe præſentem exhibeat Chriſtus, quam ſi io terra & ubique verſetur ejus corpus? Nos, quamvis in cælo ſit Chriſtus, naturæ humanæ reſpectu, locorum diſtantia negamus impediri quo minus ſe nobis communicet: nec modo ſuſtineat nos ac gubernet ſuo Spiritu, ſed carnem illam in qua juſtitiam nobis implevit, vivificam nobis reddat. Nam etſi loco ipſa non movetur, arcana tamen Spiritus operatione ad nos uſque penetrat ejus virtus, ut ex ejus ſubſtantia ſpiritualem vitam animæ noſtræ petant. Weſtphalo nihil ſufficit, niſi corpus Chriſti loco excludens, ad omnia locorum ſpatia extendat. Sed operæ pretium eſt videre quam belle ſibi conſtet, quum gratiæ præſentiam velit eſſe corporalem, de ea tamen intelligit quod in Lege ſcriptum eſt, Ubicunque fecero memoriam nominis mei, illuc veniam ad te. Quæro igitur, an Dei eſſentiam eodem modo tunc habitaſſe putet inter Cherubim, quo nunc Chriſti corpus latere ſub pane imaginatur. Eodem ſecundum eum pertinet iſta promiſſio, Ego & Pater ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. An igitur putat Deitatis eſſentiam ita ad nos deſcendere, ſicuti de carne Chriſti affirmat, eam intrare ſub panem conſecratum, ut illic voretur? Quomodo tam cito excidit quod eadem pagina ex Auguſtino retulerat, Deum ubique eſſe per eſſentiæ ſuæ præſentiam, noo ubique per habitationis gratiam? Ubi Sanctus vir diſerte, quantum ad præſentiæ rationem ſpectat, eſſentiam Divinitatis, gratiæ opponit. Quando ſi in Patris eſſentiam minime competit adventus qualem carni Chriſti Weſtphalus inculcat, nodum quo ſe obligavit ſolvat ipſe. Cæterum toties paulo ante teſtatur ſe cum Auguſtino fateri, Chriſtum ſecundum carnis modum in cælo eſſe: demum quaſi ſui oblitus naturas duas inſeparabiliter conjunctas eſſe dicit, ut filius Dei nuſquam ſit abſque carne. Ubi igitur carnis modus ſi Chriſti divinitas illam pro ſua immenſitate extendit? Fateor ſane non aliter animis concipere Dei filium fas eſſe, quam carne veſtitum. Sed hoc non obſtitit quo minus divina ſua eſſentia cælum & terram replens, carnem ſuam in utero matris, in cruce, in ſepulchro geſtaret. Tum quoque Dei Filius, non minus in cælo quam in terra homo fuit. ſi quis tamen inde inſerat carnem ejus tunc in cælo fuiſſe, inſulſe ratiocinando omnia confundet: ac tandem eo perveniet, ut Chriſto eripiens carnis naturam, ſimul eum ſpoliet redemptoris officio. imo ſi ita caro Chriſti Deitati conjuncta eſt, ut nulla ſit inter alterius immenſitatem & finitum alterius modum diſtinctio, quorſum contendit Weſtphalus aliter præſentem eſſe Chriſtum gratia quam Deitate? loco enim ſi carnem ab eſſentia Dei ſeparare fas non eſt, ſimul ac conceſſum fuerit reſpectu Deitatis ubiquo eſſe Chriſtum, idem in carne etiam valebit. quod ſi conceditur, os impiis aperturnerit, ut Chriſtum libere jactent ſua in terris habitatione, ſuoque perinde in cælum aſcenſu meras præſtigias egiſſe. En quid ſit præfracte nullaque conſcientia malam cauſam tueri. Paulo poſt novo colore inducit quicquid antea dixerat, corpus Chriſti viſibili forma in cælo finitum eſſe dicens, inviſibiliter ſub pane latere. atque ita debere intelligi quæ docet Auguſtinus tam in epiſtola ad Dardanum quam aliis pluribus locis. Sed quibus machinis ad ſuum commentum aptabit quod diſputat Auguſtinus, nullum fore corpus ſublato loci ſpatio, & requirere carnis naturam ut aliquo in cæli loco ſit? nam ſi extra locum poteſt inviſibile eſſe corpus, falſa eſſet argumentatio, niſi ſua circumferentia finitum ſit, nullum amplius fore. Vitioſa etiam eſſet generalis ſententia, exigere veri corporis modum ut aliquem cæli locum occuper. Denique in illa tota diſputatione perperam omiſſum fuiſſet præcipuum caput, Chriſtum inviſibili modo per cælum & terram diffundi ſecundum carnem, quamvis uno in loco ſit viſibilis. Quæſtio eſt de eſſentiæ præſentia. Divinam naturam reſpondet Auguſtinus ubique eſſe: humanam certo loco contineri. Cujus ſocordiæ fuiſſet, ſi eodem modo, hoc eſt, inviſibili, corpus omnia implet quo Divinitas, tacere? Contendit Weſtphalus veriſſimam eſſe Scripturæ ſenteutiam: ſed quomodo probat? Quum dicit Chriſtus ſe ire ad Patrem, nec amplius fore in mundo: quum narrat Lucas nube fuiſſe ſuſceptum: cum dicunt angeli ſic venturum è cælo ſicut viſus eſt aſcendere: reſtringit hæc omnia ad viſibilem formam. quod ego quoque fateor: modo ſimul adderet, ubicunque ſit Chriſti corpus, pro ſua natura eſſe viſibile. ubi vero ad modum inviſibilem ventum eſt, repetit quæ ante protulerat teſtimonia de præſentia gratiæ. quaſi vero ſequatur dum ad nos Chriſtus cum Patre venit, corpore in terra ſiſti: quum reclamet tota Scriptura, virtute Spiritus ſui ad nos penetrare. Carnem Chriſti quam oculis non cernimus, fidei ſenſu experimur in nobis eſſe vivificam. Si nulla hic intercederet Spiritus operatio, merito gloriaretur Weſtphalus ſe viciſſe. verum ſi conſtat arcana Spiritus efficacia fieri, ut paſcantur animæ noſtræ Chriſti carne, certo colligitur non niſi cæleſtem eſſe præſentiæ modum, ut minime ad nos caro ipſa deſcendat. Atque his paucis ſatis detecta eſt Weſtphali inopia, ne ſyllabam pro ſuo errore ex tota Scriptura proferre queat. Quid quod antitheſis Verbi & Carnis apud Auguſtinum ubi de abſentia & præſentia Chriſti agitur, commentum Weſtphali prorſus excludit? Audiendum eſſe Chriſtum dicit Auguſtinus ac ſi coram adeſſet: quia licet uno in loco corpus ejus eſſe oporteat, veritas ejus ubique diffuſa eſt. Certe ſi inviſibili modo per verbum ſuum carne ſe præſentem exhiberet Dominus, perperam abſentem carne diceret Auguſtinus, qui nobiſcum eſt in verbo ſuo: ac perperam in abſentiæ & præſentiæ diſcrimine corpus verbo opponeret. Quaſcunque nebulas obducat Weſtphalus, magis hoc perſpicuum eſt quam ut le-

ctores

Digitized by Google

ctores nugando obſtupefaciat. Quam facete vero dum perplexus tenetur, uſitatam eſſe expoſitionem dicit, de Euchariſtia Auguſtinum ſentire quod Chriſti veritas ubique ſit diffuſa. quaſi vero quiſquam niſi phreneticus alio trahere verba poſſit quam ad Evangelii doctrinam, cui reverentiam illic data opera Auguſtinus conciliat. Obiendit, ſimili ſenſu alibi ſacrificium corporis Chriſti dici, in toto orbe eſſe diffuſum. quaſi vero ſi ubique gentes ad participandum ſacrificii ſui fructum invitet Chriſtus, ideo ſequatur corpus ejus eſſe immenſum. Atque ut verbum diffundendi ad Cœnæ actionem pertineat, cui tamen perſuadeat quod intendit, corpus Chriſti eſſe ubicunque Cœna peragitur? Quod tamen de fructu mortis aperte pronunciat Auguſtinus, de Cœna dici Weſtphalus contendit: & quod ſanctus ille vir celebrari ubique docet ſacrificium quo defunctus eſt Chriſtus, ad Eccleſiam alludens toto orbe diffuſam, quod de fidelium corpore dicitur, ad caput trahi nonne præpoſterum eſt? Cæterum, ubi multum ſe verſavit Weſtphalus, huc tandem recidit, vim fieri Auguſtini verbis ſi privemur præſentia corporis Chriſti quam alibi aſſerit. ſed in probatione quum hactenus laboraverit, inſtar limacis progreſſus eſt. Ideoque manet illud fixum, Filium Dei, licet nobis per verbum ſuum adſit, corpore ſuo ſurſum eſſe. Pergit tamen adhuc: quod Auguſtinus tractatu in Joannem L. diſerte exprimat inviſibilem præſentiam. Carniſne an potentiæ? nam ſi de carne, tale aliquid proferatur, mox victus cedam. quod ſi nominatim caro à gratia, virtuteque diſcernitur, quid Weſtphalo impudentius fingi poteſt, qui inviſibilem illum præſentiæ modum carni proprie aſſignat? Adde quod non minus in ſigno crucis præſentem Chriſtum ſtatuit Auguſtinus, quam in Cœnæ actione: quod ſi ad carnis eſſentiam trahere placet, ſimul ac transverſum digitum quis moverit, formatum erit Chriſti corpus. Locus ex ſermone CXL. de tempore, ſibi me tacente reſpondet. Noluit Dominus agnoſci niſi in fractione panis, propter nos qui non viſuri eum eramus in carne, & tamen manducaturi ejus carnem: nam ratio manducandi qualem ſcriptor ipſe alibi definit, ubi nota fuerit, omnem quæſtionem ſolvet. Verum hic liberalius agit Weſtphalus, dum nobis clypeos ſuppeditans, ſuos ipſe impetus frangit. Docet enim ex Auguſtino quomodo abſentem teneamus Chriſtum: quia ſcilicet corpus ſuum intulit cælo, majeſtatem non abſtulit mundo. Item quod de præſentia corporis ſui dixerit, Me non ſemper habebitis, ſecundum majeſtatem, ſecundum providentiam, ſecundum ineffabilem & inviſibilem gratiam dixerit, Ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſeculi. Videmus ut de inviſibili præſentia loquens Auguſtinus corpus ſemper eximat, neque ambigue demonſtret non niſi in cælo illud quærendum eſſe. Neque aliud ſonat locus ex Pſal. XLVIS, Sentiri præſentem Chriſtum per occultam miſericordiam. in quibus verbis ſi quid eſſet obſcuri, locus ex XCSS. in Joannem plus adhuc lucis addit: quod reliquerit Chriſtus diſcipulos præſentia corporali, futurus ſit ſemper cum ſuis præſentia ſpirituali: niſi forte epithetum corporali tantundem valet ac viſibilis. Hoc quidem cuperet Weſtphalus: ſed nihil clarius eſt quam carnis eſſentiam diſtingui à Spiritus virtute. & tamen quaſi palmam adeptus clamat: opponi ſpiritualem præſentiam viſibili. in quo non minus ſtultitiam ſuam quam impudentiam prodit, quum ubique Auguſtinus Chriſtum carne abſentem aſſerat. Si Weſtphalo clara ſunt verba, modo adſit fides, nobiſcum eſſe quem non videmus, cur tenebris lucem ipſe obſcurat? quanquam nihil proficit: ſe enim pulchre illuſtrat Auguſtinus, manus in cælum mittendas eſſe negans, ſed fidem, ut Chriſtum teneamus: quia licet corpus ſuum Chriſtus intulerit cælo, nos tamen non deſeruit: quia majeſtas ejus in mundo manet. His verbis ſi non expergefiat Weſtphalus nihil mirum, cui nullus pudor eſt, ubi retulit verba Auguſtini, Secundum carnem quam aſſumpſit Filius Dei, ſecundum id quod de virgine natus eſt, ſecundum id quod à Judæis comprehenſus eſt, non eſt amplius nobiſcum, ſibi triumphum canere: quaſi hinc probaſſet Chriſtum apud nos manere inviſibilem. atqui clamat Auguſtinus Chriſtum ſecundum carnem quam ſemel induit à nobis abeſſe. Si fallaci illo principio ſe faſcinat, Chriſtum Deum & hominem ubique totum eſſe, ſaltem Auguſtino rectius ſentienti parcat. Non patitur: ſed clare idem tradere jactat. quibus verbis? nempe quod idem Chriſtus ſecundum unitatem perſonæ in cælo erat, quando in terra loquebatur: ſic Filius hominis erat in cælo quemadmodum erat Filius Dei in terra, in ſuſcepta carne filius hominis, in cælo in unitate perſonæ. Utinam non tam pendulæ eſſent aures Weſtphalo, ut ſeipſum recitantem audiret. tantum enim abeſt quin dicat Auguſtinus Deum & hominem totum in cælo fuiſſe quo tempore in terra verſatus eſt, ut diſtincte affirmet non alibi carnis reſpectu tunc fuiſſe, quam in terra, propter unitatem perſonæ eſſe dictum, Filius hominis qui in cælo eſt. Unde etiam colligimus quoties præſentem ſe fore teſtatur, proprium eſſe Deitatis elogium. quamvis enim corpori ſuo adhæreat Mediator, vinculum tamen ſacræ conjunctionis eſt Spiritus, qui animas noſtras ſurſum fide attollens vitam à cæleſti capite nobis inſpirat. Cæterum ubi quis totum Auguſtinum percurrerit, nihil aliud reperiet quam Chriſtum, licet propter perſonæ unitatem eſſet in cælo filius hominis, quum ipſe idem Filius Dei habitabat in terra, carnis tamen reſpectu non niſi in terra fuiſſe.

Quia vero in ſimilitudine inter noſtram & Chriſti carnem refellere ſolemus ubiquitatis commentum, multis & atrocibus verbis argumentum hoc exagitat Weſtphalus. Primo exclamat deteſtabilem eſſe blaſphemiam, Chriſti carnem noſtræ ſimilem prorſus facere. Facile eſſet hominem placare ſi ſerio excandeſceret: nunc vero cum fictas turbas de nihilo malitioſe excitet, quomodo excipi meretur? Dicit excipi peccati contagionem, quis noſtrum non idem profeſſus eſt? Dicit Chriſti carnem hac prærogativa excellere, quod templum fuerit Deitatis, & victima expiandis peccatis mundi. Quid hoc ad proprietatem eſſentiæ? neque enim dum à ſimilitudine colligimus finitum eſſe Chriſti corpus, neque aliter quam noſtra ſuis dimenſionibus conſtare, præſtantiæ dotes quibus ornatum fuit, in nihilum redigere nobis propoſitum eſt: tantum oſtendimus everti ſpem futuræ reſurrectionis, niſi in Chriſti carne refulgeat exemplar: quia non alibi fundata eſt quam in ſocietate membrorum cum capite ſuo. Nihil hic noſtrum ingerimus, ſed tantum expendi petimus quid docet Paulus prioris ad Corinth. 15. cap. Sententiam quoque ex 2. cap. ad Philip. minime ambiguam proferimus, Expectari Chriſtum è cælo redemptorem qui corpus noſtrum abjectum configurabit corpori ſuo glorioſo. In hac comparatione ſi quid blaſphemiæ deprehendat Weſtphalus, præſtigias ſibi ipſe faciet, quibus lædi nemo alius poterit. Porro niſi ubique poſt reſurrectionem nos fore dicat, neque in Chriſti carnem, teſte Paulo, hæc immenſitas hodie competit. Jam quia Auguſtini ſententiam citamus ubi Patrum ſacramenta licet ſignis diverſa fuerint à noſtris, in re tamen eadem fuiſſe affirmat: extremum fabulæ ſuæ actum plauſibilem fore cenſuit, ſi hoc quoque adjumento nos privaret. ideoque librum ſuum hac refutatione clauſit. Sed quid demum aſſequitur? Dicit nos vafre proferre mutilas ac truncas ſententias. neque tamen aliter vitium noſtrum corrigit, quam ad verbum recitando quæ in ſcriptis noſtris leguntur. & certe tota controverſia in paucis verbis ſita eſt. Patres eundem manducaſſe ſpiritualem cibum in

Manna,

Manna, qui hodie in Cœna nobis offertur: quia Sacramenta ſunt in ſignis diverſa, in re paria: differunt ſpecie viſibili, eadem ſunt ſpirituali virtute. Tergiverſatur Weſtphalus, Auguſtinum de ſpirituali edendi modo differere. Atqui nihil clarius eſt quam ſignorum naturam deſcribi, qualis ex Domini Inſtitutione cognoſcitur, rem unam ſtatuit inter diverſa ſigna. Quid ergo ad homines trahere juvat quod de ſignis ita proditum eſt, ut eorum vis & efficacia explicetur? Quæritur quid hodie nobis ſit Cœna, vel afferat. Reſpondet Auguſtinus, eodem nos ſpirituali cibo in ea frui, qui olim Patribus Manna fuit. Hic certe non agitur quomodo vel legali ſymbolo uſi fuerint Patres, vel noſtro hodie utamur: ſed quid olim inſtituerit Deus ſub Lege, & quid poſtea in Euangelio Chriſtus. Quia autem ſignorum res, efficacia, & veritas, à verbo pendet, certo colligitur eaſdem quoque ſtatui promiſſiones, ut nobis ex Dei verbo, Chriſti fruitio communis ſit. Sed quia Weſtphalo tutum non erat, pedem in excutiendo Auguſtini ſenſu figere, per varios circuitus errat: qui tamen cum omnes huc revolvunt, nos vitioſe ratiocinari à genere ad ſpeciem: quod tamen apud dialecticos valet. Quid enim prohibet ad Cœnam aptare quod de Sacramentis omnibus vere dicitur? Poſtea tamen ſeipſum commodius paulo explicat, perverſe nos differentias miſcere objiciens, vel omittere quibus inter ſe differunt ſpecies, vel non proprias adhibere, ſed rantum accidentales. Verum hoc nobis quam injuſte exprobret, promptum eſt ex libris noſtris palam facere. Ac primo quidem inſcite, vel maligne tanquam generale arripit, Sacramenta quæ in ſignis diverſa ſunt, in re paria eſſe: quando hic Manna duntaxat cum Cœna noſtra confertur. quare ſupervacuus eſt de ſacrificiis aliiſque ceremoniis legalibus ſermo. Æquiparabimuſne, inquit, ſacrificia veterum, Sacramentis à Chriſto inſtitutis, eo quod ſigna fuiſſe conſtat? quaſi vero argumentum ducamus à ſignorum nomine, quum dicimus inter Manna & Cœnam ſimilitudinem ab Auguſtino hanc poni, quod ſub diverſis ſignis rem unam vel eandem ſpiritualem virtutem contineant. Quanquam hic fœdiſſimo errore pietatis elementa contaminat, quum diſcrimen oſtendere volens, negat Sacramentis veteribus promiſſionem de peccatorum remiſſione fuiſſe additam, ſola circumciſione excepta. Qua fronte profiteri ſe theologum audet, cui vel incognitum eſt, vel pro nihilo ducitur quod centies apud Moſen occurrit, Oblato ſacrificio expiabitur iniquitas? Interea obſervent lectores calumnioſe ab hoc homine perverti, quam nos ex Auguſtino æqualitatem aſſerimus: quia principium hoc ſumendo, ſpecie viſibili Cœnam noſtram à Manna ita differre, ut res ſit eadem, & ſpiritualis veritas, non prorſus æqualem communicationis modum aſſerimus. Quin potius ubique profiteor eundem Chriſtum qui ſub Lege fuit propoſitus, plenius hodie & uberius nobis exhiberi. addo etiam Chriſti carne quæ vim ſuam antequam creata eſſet exeruit in Patribus, nunc ſubſtantialiter nos paſci: quo plus ſatis convincitur Weſtphali improbitas, dum nos calumniatur gradus iſtos confundere, quos ſedulo, ut æquum eſt, diſtinguimus. Verum non obſtat illa diſparitas quominus ejuſdem Chriſti qui ſe nobis hodie communicat, Patres ſub ſignis legalibus fuerint participes. quominus tolerabilis eſt Weſtphali impietas, ſecundum quem Manna & Petra fuerunt figuræ, veritas autem eſt corpus quod nobis in Cœna porrigitur. Omitto dicere quam ſit injurius in Patres, Chriſti communicatione eos ſpolians: ſed exinanire ſuo effectu Sacramentum à Deo proditum ſacrilega audacia eſt. Atque, ut indulgentius cum eo agam, tam frigide & jejune de Sacramento loqui, quod ſplendidiſſimo titulo inſignit Paulus, nimis præpoſtera extenuatio eſt. Verba Pauli ſunt, eundem quem in Cœna percipimus, datum Patribus fuiſſe ſpiritualem cibum. Obmurmurat Weſtphalus comediſſe & bibiſſe in figura multos etiam ſine fide: quaſi non vel hoc poſterius etiam Cœnæ quadret, vel ſinat Pauli contextus ubi parium fit comparatio, in una parte rem & veritatem locari, in altera manere figuram. Negat Weſtphalus de Manna vel aqua dictum eſſe, Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus: quaſi non tantundem valeat quod dicit Paulus, Petram fuiſſe Chriſtum, quod utcunque obſtrepat Weſtphalus de externo ſigno accipi neceſſe eſt: quia exhortationi minime conſentaneum eſſet, ad ſolos fideles reſtringi, quod Paulus conſulto etiam incredulis tribuit, ne donorum Dei abuſus idem quo perierunt illi, exitium nobis accerſat. Hæc enim ſumma eſt, cum toti populo veteri ſub Manna & aqua olim oblata fuerit Chriſti communicatio, & tamen multi Deo non placuerint, non eſſe hodie ſuperbiendum, ubi ad eandem participationem Chriſtus invitat: ſed dandam eſſe operam ut inæſtimabili dono pie riteque utamur. Porro quæcunque ex Auguſtino diſcrimina profert Weſtphalus, non alio tendunt quam ut ſciamus ſpiritualium donorum, quæ ſub lege guſtaverunt Patres, vel, quibus pro temporis menſura potiti ſunt, plenitudinem in Euangelio eſſe exhibitam. ſicuti & nos ingenue docemus, ſacramenta Patrum & noſtra, ſecundum plus & minus differre: quia etſi communis utriuſque ſubſtantia eſt Chriſtus, non tamen æqualis eſt ejus exhibitio. Quo iterum evertitur Weſtphali impietas, ſicuti Auguſtini verbis quæ recitat, impudentia coarguitur, ſignificatione, non re ipſa, quia tunc figura, nunc veritas, quaſi vel Paulus figuram opponat veritati, dum nos ſub ſignis ſimilibus ejuſdem ſpiritualis gratiæ facit conſortes: vel Auguſtinus indifferentiam alibi ponat, quam in ſignificandi modo. Quod autem dicit, ſi liceat negare Chriſti corpus in Cœna percipi, quia in figura veteres habebant Chriſtum præſentem, eodem jure negari poſſe Apoſtolos vidiſſe Chriſtum in Cœna, quia fide præſens erat Patribus. in eo tam ſe lepidum dialecticum prodit, quam hactenus vidimus probum & fidelem eſſe theologum. Nam cum hodie ſub figura panis eundem nobis Chriſtum offerri conſtet, qui olim datus fuit ſub figura Mannæ, longe hic diverſa ratio eſt quam ocularis aſpectus, & fidei. Ineptias hominis quæ ſponte evaneſcunt longius perſequi nihil attinet. Sex paginis commemorat diſpares inter Legis & Euangelii Sacramenta notari gradus ab Auguſtino, ut tandem concludat eadem eſſe in rebus ſignificatis, non autem in rerum exhibitione. quaſi vero ubi effectu caret ſignificatio, aliud ſit quam mera fallacia. Tortuoſo quidem complexu inſtar anguis varia miſcens, abſurditatem illam tegere conatur: quiſquis tamen ad ſcopum animadvertet, facile videbit nihilominus eſſe diſſidii inter ejus commentum & Auguſtini doctrinam, quam ab hoc ſancto Doctore, vel Scotus, vel alius quiſpiam ex illa Sophiſtarum cohorte diſcrepat. Atque hæc ratio eſt, cur tot hominis jactantias relinquam intactas, quia eadem, qua eas effutivit, levitate diffluent.

VEnio nunc ad confeſſiones Saxonum, quas vel blanditiis Weſtphali elicitas, vel importunitate extortas, non dico ipſe, ſed ex ejus literis quas apud ſe latere noluit, palam apparet. tantum lectores expendere velim, quam ſerviliter aduletur multis ſodalibus, dum eorum ſuffragia corrogat: quam vero acriter incuſſo pudore alios inſtiget. Omitto curſitationes, quarum huc uſque fama pervenit. Certe quia neminem latere voluit quibus modis ſubſcriptores ſuos vel traxerit, vel impulerit ad maledicendum: hinc quoque judicium facere licebit quid fidei merean-

Digitized by Google

reantur eorum teſtimonia. & tamen perfricta fronte ſcribit bonus vir, jam per annos quatuor tam in Germania quam in Helvetia ſuffragia conquirere comprobando meo errori. quaſi apud Helvetios ſumendus fuerit hic labor, quorum nemo diſſimulat communem eſſe doctrinam quæ à me defenſa eſt. Scilicet qui ultro parati erant ſinguli operas ſuas conferre, ſuppliciter fuerunt deprecandi, ne meum officium reſpuerent. De Germanis ſecurus expecto, quoſnam hujus conquiſitionis adducat teſtes. Interim ejus mendicitas omnibus nota eſt. Quod autem homines neſcio quos nactus, qui auribus annuerent, ſe mihi hoſtes eſſe, magnifice jactat nihil mihi amplius reſtare, niſi ut convictus obmuteſcam: quia mihi adverſetur tota Saxonia. ego vero ita cum piis & fidelibus Chriſti ſervis conjunctionem modeſte colere didici, ut tamen ab eorum placitis non pendeam. Quia perſuaſus eram non paucos in Saxonia eſſe doctos & cordatos, ſanique judicii homines, apud quos nonnihil valeret ratio & veritas, libellum meum omnibus inſpiciendum obtuli. ſuperbe exprobrat Weſtphalus repudiatum me fuiſſe. quaſi vero in me poſitum fuerit ut mutua inter nos conſtaret humanitas. Sed quando ſuffragatorum ſuorum numero ita gloriatur Weſtphalus, ut mihi præciſam eſſe linguam putet, paucis verbis excipere mihi liceat: adeo hac conſpiratione non fuiſſe mihi fractum animum, ut ad conciliandum cauſæ meæ favorem magno redimenda mihi fuerit hominis ſtoliditas. Nam hactenus putavi quod etiam inter omnes paſſim convenit, duos Saxoniæ oculos eſſe Witebergam & Lipſiam. has Eccleſias ſe tentaſſe Weſtphalus non negabit, imo adulatoriæ ejus literæ quas ad N. & N. ſcriptas vulgavit, neſcio quid plus clamitant quam ſi ingenue profeſſus eſſet repulſam ſe fuiſſe paſſum. Nunc poſt erutos oculos, reliquo corpori, ut forte decimæ parti tribuere Saxoniæ nomen ſi ipſe non erubuit, neminem adeo bardum fore confido, cui non fœteant ejus ineptiæ. Adde quod ſuis copiis diffidens, quia meliore ſubſidio carebat, Servetici cujuſdam hominis epiſtolam inſerere coactus eſt: ac ſi vallum strueret ex ſtercoribus undique congeſtis: probabile quidem eſt, quicquid antea laudis aſperſum fuerat homini famelico, fuiſſe ab eo contractum, ut inſcitiæ notam à ſe depelleret. Sed hujus epiſtolæ quænam ratio ſit conjicere promptum non eſt. prædicat Weſtphalus ipſe ſibi ex *La Babylone* eſſe miſſam: quaſi auctorem eſſe Babylonicum non appareat, niſi interpoſitum Italico articulo. Itaque divinant acuti quidam homines, à Leguleijo Pedemontano eſſe profectam: qui ſe palam multis in locis, impiis & execrandis Serveti dogmatibus patronum eſſe profeſſus eſt. Quæ conjectura ſi vera eſt, facete Weſtphalum deriſit, neque enim ullo magis ludo eum oblectari certum eſt, quam ubi nos videt confligere. Quicquid ſit, fruantur ſane Weſtphali ſubſcriptores hoc ſocio, quando pudorem ſuum proſtituendo, hanc ignominiam ſubire non recuſarunt: quam utinam mihi integrum eſſet tegere: niſi quod cæci impetus hanc illis mercedem divinitus rependi non ita moleſte fero. Animadverto etiam in eorum ſcriptis veriſſimum eſſe, quod mihi amicus quidam celebris doctrinæ & facundiæ ſcripſit, mirabiliter in illo maritimo tractu ſapere quoſdam homines, ut ſi hodie vivat Sibylla Cumana, ad eos mittenda ſit, quo ſagire diſceret. Non minus ſecure pronunciant illi paterculi de hac cauſa, quam Romanus pontifex ex ſuo tribunali anathematum fulmina in totam Euangelii doctrinam vibrat. Neque hac arrogantia contenti, hominem ſibi amicum barbaris conviciis proſcindunt. acſi hæc ad captandam ſeveræ gravitatis famam optima eſſet ratio, nullis contumeliis vel probris parcere. Verum quia hoc ſpuere eſt, non loqui, ridiculas eorum cenſuras contemnere præſtat, quam eadem, quibus non niſi ſeipſos fœdarunt, ſputa in eorum faciem regerere.

Cæterum quia videntur Magdeburgenſes non ita præciſe ſententiam pro ſummo imperio ferre, quin rationibus etiam pugnent, & aliquam obſervent doctrinæ methodum, excutienda mihi erit eorum confeſſio, quæ ſi everſa fuerit, facile ſua ruina alias omnes evertet. Quanquam, ne ſibi vel tantulum placeant, mox perſpicuum fore omnibus ſpero, totam eorum diſputationem non niſi ex futilibus argutiis conflatam eſſe. Styli truculentia etſi initio formidinis nonnihil poſſet ſimplicibus incutere: quia tamen poſtea in ſcurtiles ineptias delabitur, me non valde commovet. quanquam decebat ſuæ calamitatis memores, paulo clementius cum tot Eccleſiis agere, quarum anxias & ſerias preces pro illorum liberatione toto triennio aſſidue ſibi fuiſſe oblatas teſtis eſt Deus. Privatim illis diſplicuit meæ contra Weſtphalum Defenſionis auſteritas: illius rabiem pronunciant neceſſarium eſſe zelum. mihi à tam injuſta ſævaque intemperie ad Dei tribunal provocare ſatis eſt. Interea quamvis taceam, vident omnes perverſo Philippi odio tam ſubmiſſe, ne dicam ſordide, Weſtphalo eos adulari. Verecunde facere viſus eſt Matthias Illyricus nomen ſuum à caterva removens: ſed mox ſubſcriptione addita, famæ ſuæ non ſatis conſulit. nam quantumvis me atris carbonibus notet, is tamen ſum quem reverenter ſua manu non ita pridem ſalutare dignatus eſt. Eadem eſt Eraſmi Sarcerii ratio, qui me literis, præceptorem fide perpetua colendum appellans, inter deteſtabiles hæreticos ſua cenſura locat. ac præceptoris quidem elogium libenter remitto, fidei tantum conſtantiam deſidero in fraternæ benevolentiæ cultu. cui finem non aliud quam doctrinæ mutatio, quæ nulla in me eſt, afferre debuit. Sed ne magis quam par ſit propriæ cauſæ intentus eſſe videar, poſthac non niſi doctrinam ipſam attingam.

Quod Chriſtum auctorem eſſe dicunt Cœnæ ſuæ, & inde colligunt efficientem eſſe cauſam, controverſia ſemper caruit. Quod duas enumerant materiales cauſas, externa ſcilicet panis & vini elementa: deinde corpus & ſanguinem Chriſti, in hac quoque parte illis aſtipulor. nam verum & naturale Chriſti corpus nos à Cœna penitus removere, falſum & calumnioſum eſt. Minus etiam tolerabilis eſt petulantia, nos facere typos, umbras, phantaſmata, & præſtigias corporis Chriſti. niſi forte futili mendacio ſe obliterare poſſe credunt quod pridem tam in mea Inſtitutione, quam alibi ſæpius clare teſtatus ſum, non modo in genere omnium Sacramentorum materiam Chriſtum ab initio fuiſſe, ſed in ſacra Cœna hoc præcipue impleri. neque id in mea ad Weſtphalum reſponſione tacitum præterii. Quomodo autem nobis corpus & Chriſti ſanguis materia ſint Cœnæ, plenius deinde explicabimus. hoc tantum nunc dicendum fuit, Magdeburgenſes odioſe nos gravando, ſtatim à limine cauſam ipſam maligne obſcurare. In cauſa formali nihil mirum ſi ab illis diſſentio. dicunt copulationem eſſe elementorum panis & vini cum Chriſti carne & ſanguine: deinde cum promiſſione ſalutis & mandato, quo jubentur omnes Sacramentum hoc ſumere. Dictum Auguſtini libenter amplector, ex elemento fieri Sacramentum ſimulac verbum accedit: ſed Magdeburgenſes confuſe ac perperam, Cœnæ effectum vel fructum miſcent cum ipſa materia. & ex contextu plus ſatis apparet eos à ſua diſtinctione excidere. Nam diſſidium inter ſe & nos paulo poſt volentes notare, dicunt nos tollere materiæ partem: quo facile eorum incogitantia deprehenditur. Quam dextre colligant, ſecundum nos figuras tantum & ſymbola proponi, opportunius ſuo loco videbitur. In præſentia tantum obſervent lectores, metho-

dicos

Digitized by Google

dicos iſtos doctores qua de re loquantur non tenere, neque ad diſtinctionem attendere tertio ante verſu à ſe poſitam. Quod etiam addunt, nos à ſententia ſua diſcrepare, quia fidem volumus ad promiſſiones referri non in corporalem Chriſti præſentiam, neque nihil eſt, neque rotum. neque enim promiſſio, ad quam fideles revocamus, quam offert carnis & ſanguinis Chriſti communicationem excludit: ſed quia ab eo pendet rei promiſſæ exhibitio, animos jubemus in ea defixos eſſe. Hoc modo fatemur non nudas in Sacramentis promiſſiones eſſe, ſed rerum exhibitione veſtitas, quia vere nos Chriſti participes faciunt. Miraculum quale fingunt Magdeburgenſes, alienum à doctrina noſtra eſſe ſatis notum eſt: ut ſcilicet corpus ſuum Dominus ſub pane, & ſanguinem ſub vino ſiſtat: modum tamen communicationis à nobis mirabilem & ſupernaturalem ſtatui peræque notum eſt. Sed quia hoc totum proprium eſt ſecundi membri & intempeſtive hic ingeritur, non longius proſequar. Nam quod addunt, non modo verbum audibile ſpectandum eſſe, ſed viſibilia ſigna, quæ ideo Auguſtinus viſibilia verba nuncupat, minime nobis adverſum eſt: qui ubique docemus ſigna appendices eſſe & ſigilla Verbi. Simplicior ergo & rectior erit hæc definitio cauſæ formalis, eſſe mandatum quo Chriſtus ad ſacri ſymboli participationem nos invitat, promiſſione addita. In cauſa etiam finali tam perplexe ab illis res varias involvi, propoſitæ methodo repugnat. promittunt enim tituli, concinnum & pulcherrimum diſtinctionis ordinem: poſtea ſuggeritur indigeſta moles. Sed quia mihi propoſitum non eſt docendi quam tenent rationem, licet diſpliceat, traducere: tantum calumnias quibus injuſte gravamur, breviter diluere ſufficiet. Diligenter conſiderari volunt quod promiſſio gratiæ non ad eſum panis ſolius, ſed ad Chriſti corpus adjecta ſit: ut contra nos doceant, non applicari remiſſionem peccatorum per ſola ſymbola. Atqui multis ante annis quam ſic locuti eſſent, me ſcripſiſſe teſtis eſt mundus, quia bonis Chriſti non communicamus donec ipſe noſter ſit, qui legitimum ex Cœna fructum percipere volunt, debere à Chriſto ipſo incipere: ut corpori ejus inſiti, per ejus ſacrificium Deo reconcilientur. Longius deinde proſilit calumnia, nos applicationem remiſſionis peccatorum negare in Cœna fieri. quaſi vero applicationis nomen proprio & genuino ſenſu non uſurpem. Nam quod ita nos ratiocinari dicunt, Sola fide juſtificamur: ergo non per Sacramenta. non adeo rudes ſumus, quin ſciamus Sacramenta, quatenus adminicula ſunt fidei, juſtitiam quoque nobis in Chriſto offerre. imo quum optime inter nos conveniat, eodem in gradu locanda eſſe Sacramenta, quo Verbum: ſicuti Euangelium vocatur Potentia Dei in ſalutem omni credenti, idem elogium ad Sacramenta transferre non dubitamus. ergo niſi eos carpendi mordendique libido ad nos quovis modo exagitandos impelleret, cur hic tantopere excandeſcerent nulla erat cauſa. neque tamen eorum maledicentiam moror, modo teſtatum ſit lectoribus, nos præter meritum alienis fictiſque criminibus onerari. Quando autem ubique docemus, verum eſſe Cœnæ finem, ut per Chriſti ſacrificium Deo reconciliati, ſalutem conſequamur, nemini ambiguum eſſe poteſt vel obſcurum, quam indigne pietatis elementa nobis excutiant. Antequam longius progrediar, paucis iterum monendi ſunt lectores, quia doctrinam noſtram variis modis obſcurant vel extenuant Magdeburgenſes, ex eorum relatu non debere æſtimari. Errore an malitia id faciant, neſcio. quum tamen ad conflandum nobis odium tota eorum tendat recitatio, probabile eſt ubi pugnando magis quam docendo attenti ſunt, non ſincere nec fideliter nobiſcum agere. Itaque ne tenebras lectorum oculis offundant vel contorta eorum ſophiſmata, vel odioſæ quas nobis adſcribunt ſententiæ, hic teſtatum eſſe volo, non ita nos externa ſymbola à Chriſti carne & ſanguine diſcernere, quin vere, reque ipſa præſtet Chriſtus atque impleat quod figurat ſub pane & vino: nempe carnem ſuam eſſe nobis cibum, ſanguinem eſſe potum. Fideles ergo tradimus vere communicare Chriſto in ſacra Cœna, illique recipere quod offertur ſpirituale alimentum. Faceſſant hic putidæ calumniæ, nihil nos relinquere præter inane ſpectrum. quia ingenue antehac profeſſi ſumus veritatem ita ſignis conjunctam eſſe, ut non minus vere animæ noſtræ ſpirituali cibo paſcantur, quam panis & vinum lingua noſtra guſtantur. tantum in modo diſſenſio eſt, quia nos viſibilem panem ideo in terra porrigi ſentimus, ut fide ſurſum conſcendant fideles, atque arcana Spiritus virtute Chriſto capiti ſuo uniantur. Etſi autem vitam ex carne ſua & ſanguine nobis inſpirat Chriſtus, negamus tamen fieri commixtionem ſubſtantiæ: quia dum vitam ex ſubſtantia carnis & ſanguinis percipimus, manet tamen integer homo Chriſtus in cælo. Hoc modo à nobis repudiatur quæ ab aliis fingitur corporis immenſitas. neque enim ut nos paſcat ac vivificet Chriſtus carne ſua, eam ſub pane includi neceſſe eſt, ut à nobis voretur. Interea non aliud quam verum & naturale corpus illic proponi docemus: ut hic etiam ſatis appareat hoſtes noſtros parum ingenue agere, dum tantopere contendunt idem corpus quod in cruce pependit nobis communicari. quaſi vero fingamus Chriſtum bicorporeum: ac non potius teſtentur ſcripta noſtra ab eadem carne petendam eſſe vitam, quæ in ſacrificio ſemel oblata eſt. Tantum in eo vertitur quæſtio, paſcamurne Chriſti carne & ſanguine dum ab illis vitam ipſe nobis inſpirat, an vero neceſſe ſit ſubſtantiam carnis à nobis deglutiri ut ſit nobis in cibum: & ſanguinem, ut nobis ſit in potum, ſubſtantialiter hauriri. Alterum caput controverſiæ eſt de promiſcua manducatione: quia nos ita aſſerimus omnibus offerri Chriſti carnem & ſanguinem, ut ſoli fideles inæſtimabili hoc theſauro fruantur: etſi autem incredulitas januam Chriſto claudit, ut priventur ejus beneficio qui ad Cœnam impure accedunt, negamus tamen quicquam decedere ex Sacramenti natura: quia panis ſemper verum eſt pignus carnis Chriſti, & vinum ſanguinis, veraque utriuſque exhibitio ſemper conſtat ex parte Dei. Adverſarii noſtri corpus & ſanguinem ita ſub pane & vino includunt, ut ſine ulla fide vorentur ab impiis. Fidem noſtram nunc ſuis rationibus ſtabilire propoſitum non eſt: hoc tamen conſilio teſtatum eſſe volui, ut ſi quando odioſe gravari nos videbunt lectores falſis Magdeburgenſium cavillis, oculos ad hoc ſpeculum ſemper referant. Et quæ poſtea ſubjiciam, non modo ad claram explicationem valebunt, ſed ad ſolidam confirmationem ita ſufficient, ne fumi calumniarum quas ſparſerunt Magdeburgenſes, lucem poſthac obnubilent in meridie.

Quia contendunt Magdeburgenſes in literali verborum Chriſti ſenſu manendum eſſe, panem volunt abſque figura ſubſtantialiter eſſe corpus, atque ad hanc ſententiam probandam rationes colligunt viginti octo, quas fundamenta vocant. Sic quidem videri volunt: ſed deprehendunt lectores quæ initio tres numerantur non niſi unam eſſe. Obſecro, quid numero multiplicando fucum facere juvat? hæc autem ſumma eſt. ſincerum, proprium, & certum intellectum hujus controverſiæ, planamque & firmam dijudicationem ex ipſiſſimis Chriſti verbis, claro & nativo eorum ſenſu petendam eſſe, non ex arbitrio aut gloſſatione hominum. & quia animalis homo non percipit quæ Dei ſunt, etiamſi carnis ratio tenebris obvoluta cæcutiat, fide eſſe apprehen-

dendum quod Chriſtus diſertis & perſpicuis verbis aſſerit: neque enim ſi noctua ſolis radios non cernat, ſolem ideo non eſſe lucidum. itaque ſimpliciter tenendum eſſe quod verba ſonant, Hoc eſt corpus meum. Atqui hoc totum non minus frivolum eſſe, quam plauſibile eſſe putarunt, ubi tria verba dixero, mox facile liquebit. Acquieſcendum eſſe Chriſti verbis optime inter nos convenit, modo de genuino eorum ſenſu conſtet. De eo ubi quæritur, nullam interpretationem admittunt literales Magiſtri. Faceſſat hic omnis vafrities, modo quærere nobis liceat quid voluerit Chriſtus: maneant ipſiſſima verba, modo ne rapiantur ſine judicio. quemadmodum ſiquis oculos, aures, manus, & pedes Dei, ſe in Scripturis reperire clamitans, Deum velit facere corporalem. Nec vero Chriſti verbis aſſuimus extraneas gloſſas, ſed tamen ex communi receptoque Scripturæ uſu dijudicari volumus quid valeat hic ſermo, Hoc eſt corpus meum. Nec vero reconditum myſterium Cœnæ metimur carnis noſtræ ſenſu, ſed modeſtia piaque docilitate diſcere cupimus quid nobis Chriſtus promittat. Interim ſi Sacramentalem loquendi formam aptamus fidei regulæ, non propterea ſol lucere deſinet.

Quod pro quarta ratione adducunt Magdeburgenſes, ſicuti verum eſſe fateor, ita ad rem quicquam facere nego. non tractat Chriſtus ex inſtituto parabolam: quis hoc unquam dixit? ſed neque parabolam tractat Paulus ubi dicit Petram fuiſſe Chriſtum. neque ubicunque de Sacramentis agitur, dicimus referri parabolas, ſed modos dicendi eſſe ſacramentales, quibus exprimi debet inter rem & ſignum analogia. Quod addunt, hoc ipſum agere Chriſtum quod verbis oſtendit, & ſancire quod agit, libenter recipio: ſed inde perperam inferent non eſſe myſterium, cui conveniant ſacramentales loquendi formæ. Neque ſi Dominus in parabolis locutus non eſt, quum diſcipulos admonuit de ſuo ad Patrem aſcenſu, ideo ſequitur panem non eſſe ſymbolum corporis?

In quinta ratione idem quod hactenus dixerant, rurſus inculcant, ſe verbis ſimplicibus inniti, eaque opponere non hominum modo ſed Angelorum ſapientiæ: quia jubemur cæleſti oraculo, Filium Dei audire. Maligne, nec minus improbe Chriſti auctoritatem nobis objiciunt, quaſi à pura germanaque ejus doctrina nobis vel minimum deflectere propoſitum ſit, qui non minus re ipſa ſemper demonſtravimus quicquid ex ſacro Domini ore prodiit nos reverenter excipere, quam ipſi verbis jactant. Sit ergo nobis Filius Dei abſque controverſia ſummus, perfectiſſimus, & unicus magiſter: in cujus doctrina verbum vel ſyllabam mutare fas non ſit. Sed non impedit fidei obedientia, quo minus ad ſanam verborum ejus intelligentiam attenti ſimus. Quam multi enim extant ejus ſermones, quorum non aliter lenitur aſperitas, quam eos dextre & commode interpretando! imo ſi hac lege obſtricti ſimus, ut recipere neceſſe ſit quicquid verba ſonant, nullum erit abſurditatis genus quo non ſugillent atque infament Euangelii doctrinam profani homines. Quare non eſt quod ſe apud imperitos hac jactantia venditent Magdeburgenſes, ſe ex Dei mandato Chriſtum audire, contra cujus doctrinam adeo non appetimus ſapere, ut pro ingenua ejus defenſione, quotidie multi ex fratribus noſtris mortem oppetant: nos etiam inter medios telorum jactus aſſidue in procinctu ſtemus.

Quod ſexto loco objiciunt nulla neceſſitate nos cogi ad tropum fingendum, tunc locum habebit, ubi argumenta omnia diluerint, quibus centies oſtendimus non poſſe locum hunc, niſi tropo adhibito, rite exponi. imo ſi illis demus quicquid poſtulant, vel imperioſe exigunt, panis tamen non proprie dicetur corpus. ergo utcunque & ſe, & verba Chriſti torqueant, dialectice tamen non conjungent pani, Chriſti corpus, tanquam prædicatum ſubjecto: atque ita metonymiam non effugient, qua mirum eſt eos tantopere offendi, quando in Cœna non erit Chriſti corpus, niſi detur ſub panis ſymbolo. Verba, inquiunt, per ſe patent, nec ſunt idolum Solis, ſed ipſe Sol. Quorſum de idolo Solis loquantur non video. verborum quidem claritas, niſi eorum obſtinatio nubem interponeret, nobis per ſe eſſet conſpicua: ſed ſi ipſis lubet in luce cæcutire, quid ſanis & candidis interpretibus inſultant?

Septima eorum ratio quam ſolida ſit, per ſe expendant lectores. Dicunt Cœnæ inſtitutionem eſſe novam, quæ tantum à Chriſto in novo Teſtamento eſt ordinata, nec alibi extare ſimilem loquendi modum, Edite, hoc eſt corpus meum. quaſi vero, ubi Paulus non ſimilem, ſed eundem ſpiritualem cibum Patribus datum fuiſſe præfatus, mox ſubjicit, Petram fuiſſe Chriſtum, non probe conveniat hæc loquutio. Quum alibi apud Paulum Baptiſmus vocatur Lavacrum regenerationis, an nulla eſt in verbis ſimilitudo? quod ſi nos abluit Baptiſmus, quomodo ſolus Chriſti ſanguis alibi vocatur noſtra ablutio? Si reſpondeant, Baptiſmum inſtrumentaliter purgare ſordes noſtras: ego viciſſim reſpondeo, Panem ſacramentaliter eſſe Chriſti corpus. quantumvis ſuccenſeant, non tamen nobis eripient quæ nobis arma Spiritus Dei ſuppeditat.

Octava ratio eſt, contra uſum loquendi omnium linguarum eſſe ut pronomen demonſtrativum aliud hoc loco demonſtret, quam quod porrigitur. Nunquam putaſſem extra monachorum clauſtra tantum eſſe audaciæ. Cur enim, obſecro, aliis potius in locis demonſtrativum pronomen ſecus exponere, quam hic licebit? Atque ut hoc obtineant, quomodo reſtrictionem probabunt ex communi linguarum omnium uſu? Gentium omnium vulgari tritoque ſermone receptum eſt, pronomine demonſtrativo notari res abſentes. Hoc ſi negant Magdeburgenſes, diſcant à pueris prima elementa: imo repetant memoria quod à nutricibus didicerunt, ſi modo educati ſunt humano lacte. Hoc ſi generaliter verum eſt, cur uno tantum in loco vim & naturam amittent vel mutabunt omnes linguæ? Neque tamen negamus ſub panis ſymbolo nos ad carnis Chriſti participationem vocari. tantum oſtendo, quam pudenda ſit iſta futilitas, dum pronomen, Hoc, omnino ad corpus referri volunt. neque enim panis reſpectu aliud ſignificat, quam quod plenior loquutio in altera parte Cœnæ continet, Hic calix. Quid enim aliud ſibi vult, Hic calix, quam Hoc? Sicut ergo calicis nomen calicem qui porrigitur, ſignificat, ita pronomen, Hoc, de pane qui in manum offertur, prædicari obſcurum non eſt: niſi forte duas grammaticas nobis in eadem Chriſti Cœna fabricent.

Nona ratio eſt, Chriſtum verbo ſubſtantivo uſum eſſe. Quouſque eadem? nam ſicuti ruſticus ille hoſpes ex eodem porco multa fercula confecit, quum vellet facete inopiam ſuam tegere: ita iſti, quum in una tantum ratione inſiſtant, ex variis coloribus acervum ſuum congerunt. Porro ſi verbi ſubſtantivi hæc ratio eſt ac proprietas, quare etiam in aliis omnibus Chriſti ſententiis non valebit? Certe in parabolis omnibus verbo quoque ſubſtantivo uſus eſt. Si parabolas ab hac demonſtratione ſeparandas eſſe excipiant: Chriſtus tamen ubique loquitur. Dictum illud, Ego ſum vitis vera, vos eſtis palmites, Pater meus agricola eſt: non minus ex ore Chriſti prodiit, quam hoc de quo tam præciſe contendunt. Quid ſi etiam illud Joannis contra urgeam? Nondum erat Spiritus ſanctus, quia nondum glorificatus erat Chriſtus. verbum ſubſtantivum illic ponitur, quod tantundem negando atque affirmando valere debet. an ergo prima origo eſſentiæ Spiritus ſancti in reſurrectione Chriſti fuit? de manifeſtatione Spiritus

dicent

Digitized by Google

dicent verba fieri: deſinant ergo verbum ſubſtantivum alio nobis ſenſu obtrudere, quaſi nullam interpretationem admittat. dicunt Chriſtum, qui λόγος erat Dei æternus, potuiſſe aliter ſi vellet loqui, Hoc figurat, ſymboliſat, umbriſat corpus meum. Quaſi ſcurriliter ineptiendo favorem captare ſufficiat, excogitant monſtra verborum: ad nos gravandos abſque pudore profundunt quod ingenuis & cordatis lectoribus pudorem incutiat. Quin voluerit Chriſtus clariſſime loqui non inficior. Craſſiſſimum ſermonem cur ei Magdeburgenſes extorqueant non video; niſi ut ſub hac umbra lateat quamlibet craſſum eorum delirium. Jam ut ſe Chriſtus ad captum noſtrum in his verbis attemperet: nego tamen in ſacramentali loquendi modo tantum eſſe periculi. Queruntur, ſibi pernicioſe dari errandi cauſam, niſi det Chriſtus ſuum corpus. Reſpondeo, Quamvis det Chriſtus quod promittit, & re ipſa præſtet quod figurat, non tamen aſtringi ejus verba ad eorum craſſitiem, qui volunt panem nihil à corpore differre. Addam & hoc poſtremum de verbo ſubſtantivo. neque enim minus in novo Teſtamento Eccleſia vocatur Chriſtus, quam panis corpus.
1 Cor. 12. Verba Pauli ſunt, Sicuti membra corporis unius quum multa ſint, unum ſunt corpus, ſic & Chriſtus. Si illa eſt nova loquutio, cui nulla reperitur ſimilis, diſcrimen mihi oſtendant, ne eodem jure contendere mihi liceat, nos omnes vere & proprie eſſe Chriſtum, quo ipſi aſſerunt panem eſſe corpus. Talem eſſe Chriſtum pronunciat Paulus, qualis eſt connexio corporis unius ex pluribus membris. taliſne reperietur Chriſtus in ſe? Niſi ergo confuſum fingendo chaos, velint ſe in horrendum labyrinthum demergere, paululum miteſcant ad recipiendos tropos.

Decima ratio eſt, Chriſtum non dixiſſe figuram corporis. Neque Moſes dixit Agnum eſſe figuram Paſchatis: & tamen niſi quis forte ultro ſuam dementiam prodere appetet, omnium conſenſu liquet Agnum qui vocatur Paſcha, figuram eſſe. Quoties etiam de veteribus Sacramentis dicitur, Hæc erit expiatio, negare certe nemo audebit, figurate hoc intelligi. Nec vero Euangeliſta columbam dubitat vocare Spiritum ſanctum: nempe qua ratione transfertur ad panem nomen corporis. Quod proxime apud eos ſequitur, magis eſt inſipidum, Chriſtum quando de corpore ſuo diſſerit, figuram non nominare. quaſi vero cuiquam exciderit monſtroſa hæc locutio, corpus eſſe figuram corporis. Si corpus ſuum monſtraſſet Dominus, nulla eſſet diſceptatio. ſed quum panem monſtrando, nomen corporis uſurpet, quærenda haud dubie eſt inter ſignum & rem ſignatam analogia.

Undecimo capite idem repetentes, forte neſcio quid ſtare ſibi videntur, Meum dixit corpus, non autem figura corporis quod alibi erit: memet, inquit, præſentem vobis exhibeo, hoc corpus quod habeo. Primo quum alibi teſtatus ſim non aliud in Cœna offerri Chriſti corpus, quam quod in cruce ſemel oblatum eſt, faceſſat calumnia quam ex voce figuræ tam cupide venantur. Cæterum, ſicut figura rem ſignatam non excludit: ita nec figuram repudiat veritas. Quid enim prohibet, quo minus Filius Dei, dum ad carnis & ſanguinis ſui participationem nos invitat, ſimul etiam infirmitati noſtræ conſulens proponat externum ſymbolum? Nos vero quia Dominum ipſum ſtatuimus non fallaciter nobiſcum agere, certe colligimus dari nobis corpus, dum ejus figuram ante oculos noſtros exhibet. Viderint tamen quomodo dederit Chriſtus ſub pane diſcipulis idem quod ipſorum oculis objiciebat corpus. nam ſi volunt ſubſtantialiter ſub pane voratum eſſe, duplex fuit illius natura: quia uno in loco erat viſibile & mortale: alibi autem, vel nuſquam, & tamen ſimul ubique occultum & gloria ſua cæleſti præditum, latebat. Interea modum præſentiæ alium definimus, quam ſomniant Magdeburgenſes. neque enim ut potiamur carne & ſanguine Domini, utriuſque deſcenſum ad nos imaginari neceſſe eſt: quando ad conjunctionem ſufficit arcana Spiritus virtus.

Duodecimum fundamentum miſere vacillat. hæc eorum ſunt verba, In altera parte hujus Cœnæ non variat verbis, ſed iterum dilucide & diſtincte eadem repetit, Hic eſt ſanguis meus. vel hic ſaltem figuraſſet Chriſtus paululum, ſi non res ipſas de quibus loquitur tradidiſſet. rem longe maximam ordinat: ideo ſerio, non ſimulate loquitur: aperte, non in parabolis. Nos vero neque ſimulationem affingimus Filio Dei, qui libenter agnoſcimus myſterium hoc impleri incomprehenſibili Spiritus virtute. neque fucum facimus ex parabolis: ut nobis tacentibus, facile appareat, putidos eſſe ſcurras, qui ſic garriunt. Sed qua fronte negare audent varietatem ſermonis eſſe in calice porrigendo? Lucas ſane, & Paulus quaſi ex ore Chriſti recitant, Hic calix novum Teſtamentum eſt in meo ſanguine. Si paululo contenti eſſent Magdeburgenſes, magis eos afficere debuerat tam clarum diſcrimen. Cœnæ myſterium quatuor teſtes è cælo miſſi eodem Spiritu directore & magiſtro exponunt: duo calicem appellant ſanguinem novi Teſtamenti: reliqui teſtamentum in ſanguine. Si ſenſu nihil differunt hæc verba, cur non à litibus mox ceſſamus? Si diverſum eſſe ſenſum volunt Magdeburgenſes, jam in re ipſa, nedum in verbis erit varietas. Mirarer tam oblivioſos fuiſſe, niſi ubique ſupina eos ſecuritas ad hanc licentiam impelleret. Cæterum, quum iiſdem verbis idem prodiderint omnes Euangeliſtæ, hoc merito quaſi confeſſum ſumimus, non aliter dari in Cœna Chriſti corpus, quam fert novi Teſtamenti ratio, nempe ut ipſe caput noſtrum ſit, & nos ejus membra. Ac ne longius ſpatiemur, non alia carnis & ſanguinis communicatio in Cœna quærenda eſt, quam quæ à Chriſto deſcribitur Joan. 6. cap. à qua longe diſcrepat carnalis eſus, quo ſe per ſomnium paſcunt craſſi iſti doctores.

Tertiadecima objectione nihil aliud quam ſe falſarios, & improbos calumniatores produnt: quia non aliud corpus ſe dare Chriſtus dicit, quam quod paulo poſt in cruce mactandum erat. colligunt non eſſe ſpirituale corpus, hoc eſt, Eccleſiam. quaſi vero myſticum in Cœna corpus ſumamus pro Eccleſia. Hoc certe, velint nolint, nobis principium cum ipſis commune eſt, deſignari Chriſti verbis verum illud corpus, cujus immolatio nos Deo reconciliavit. Tantum quæritur, quomodo deſignet. Dicunt Magdeburgenſes, manere in ſua nativa ſignificatione: nempe ut ſciamus corpus illud, quo ſpiritualiter paſcuntur animæ noſtræ, idem eſſe quod in cruce pependit: non autem ut panis fiat corpus, vel ſub pane corpus lateat. Quid opus fuit prudentem & diſertum facere Chriſtum, quaſi cavere voluerit, ne quis ad novum aliud corpus verba ejus transferret? Sed dicunt etiam prudenter & erudita lingua caviſſe, ne quis falſator diceret, umbras tantum, typos, figuras, larvas, aut præſtigias dari. Hoc eſt cur dixerim eorum falſitatem hic palam fieri. Nam ſicuti minime docemus, nudas vel inanes figuras tradi, ita nihil obſtat quominus figuram habeat annexam vera rei exhibitio. Nec vero ſine typo vel figura Sacramentum eſſet Cœna Chriſti. Præſtigias illis relinquimus, quos nihil pudet bicorporem facere Chriſtum, qui corpus oculis ſpectandum exhibens, inviſibile ſub pane ſingulis dabat.

Decimoquarto capite quid ſibi velint non aſſequor. Dicunt naturalem Chriſti ſanguinem non ſpiritualem eſſe effuſum in cruce, ideoque in Cœna dari. quaſi nobis alius ſit Chriſti ſanguis, quam quem homo factus aſſumpſit. Sed quia humano more non bibitur, modum bibendi exprimere volentes, ſpiritualem dicimus ejus potum. Ita ſemper locuti ſunt pii

ſuis-

Digitized by Google

ſanique doctores. nec quantumvis obmurmurent Magdeburgenſes, quicquam hic reperient abſurdi. Imo Irenæus quicquid præter panem & vinum in Cæna datur, ſpirituale eſſe tradit. Eadem quoque
In cap. 1. ad Epheſ. ratione dictum ab Hieronymo interpretor, dupliciter intelligi carnem Chriſti, ſpiritualem illam ac divinam de qua dicit, Caro mea vere eſt cibus; & quæ crucifixa fuit: non quia duplicem re ipſa fingat; ſed quia participationis modus ſupra cælum nos at-
In Pſ. 98. tollit. Neque diſſimile eſt quod alibi citavimus ex Auguſtino, corpus diſcipulis in Cœna datum non illud eſſe quod in cruce pependit. Quum doceat idem alibi, Judæos ubi fuerunt converſi, ſanguinem quem fuderant bibiſſe: qui fit ut nunc idem eſſe neget, niſi quia aliter ſpiritualis communicatio exprimi non potuit?

Decimoquinto fundamento colligunt, in Cœna haud dubie communicari proprium Chriſti corpus & ſanguinem, quia voluit rem arduam, miraculoſam & novam inſtituere, qualis in mundo non fuit: idque ex propoſito & haud dubiè conſilio Patris & Spiritus, ut evidentiſſima & luculentiſſima & certiſſima eſſet applicatio ſuæ dilectionis & meriti tam pretioſo & arduo pignore. ut hæc omnia concedam, manet tamen integra doctrina quam oppugnant. Neque enim nobis communicari Chriſti carnem & ſanguinem negamus: tantum definimus modum, ne vel cæleſti Chriſti gloriæ quicquam deroget carnalis manducatio: vel naturæ humanæ veritatem evertat. Iſtis autem hominibus nihil ſufficit, niſi ore voretur, quod non niſi fidei virtute recipitur. Huc tendit miraculoſum & arduum illud neſcio quid, ne vel fidei, vel arcanæ Spiritus operationi locum relinquant.

Facile autem concidit & per ſe effluit magniloquentia quam decimo ſexto capite crepant. Euangeliſtas & Apoſtolos præfantur fide digniſſimos eſſe teſtes, ac teſtimonium habere quod ex Spiritu ſancto locuti ſint, & non errent. Quid tandem ex tam largo hiatu proferunt? dicunt omnes, Hoc eſt corpus meum. Demonſtrant panem & calicem, & utuntur verbo ſubſtantivo. atqui de eo nulla controverſia eſt. Hoc modo videndum eſt, quando Sacramentum inſtituit Chriſtus, an nobis interpretandi cauſa dicere non liceat, panem ſacramentaliter eſſe corpus. Certum quidem eſt aliter ac diverſo ſenſu, Chriſtum dici Dei Filium, quam panis dicitur corpus. quia ubi ſuos clamores detonuerint, panem cogentur fateri ſymbolum eſſe rei quam figurat. Porro quantopere faſcinati ſint ſuo commento hinc apparet, quod Teſtamentum in ſanguine tantundem illis valet, ac ſanguis calice incluſus.

Idem argumentum retexunt decimoſeptimo capite. Tantos ac tam probatos teſtes nobis opponunt, quaſi vero vel tantillum ex eorum auctoritate diminuat noſtra interpretatio. Si umbræ, inquiunt, ſymbola & figuræ rerum abſentium eſſent panis & vinum, nonne Euangeliſtæ ſaltem ex uno Eſt, feciſſent unum Significat? nonne Spiritus ſanctus rector cordium & linguarum alicubi unam voculam ſymboli aut figuræ ſuggeſſiſſet? Siquidem debuit ſuggerere omnia quæ Chriſtus docuit. reſpondeo, Nimis eos moroſe ſuperbeque facere, qui verba Spiritui ſancto dictare audent. Paſſim uſitata eſt loquendi ratio quoties de Sacramentis agitur, ut ſignum accipiat rei ſignatæ nomen: nec minus olim dictus eſt Deus habitare inter Cherubim, & Moſes aſſeruit Deum in Sanctuario præſentem eſſe, Agnum eſſe Paſcha, Circumciſionem eſſe fœdus, Sacrificia eſſe expiationes pro peccatis, quam panis & calix vocantur caro & ſanguis Chriſti. In his omnibus loquendi formis nulla eſt vel obſcuritas, vel aſperitas, niſi quod nimis faſtidioſe reſpuunt Magdeburgenſes quicquid non dicitur ex eorum præſcripto. Sæpius de Circumciſione dicitur, Hoc eſt fœdus meum, quam de pane, Hoc eſt corpus meum. Dum metonymice in veteribus Sacramentis transfertur ad ſignum rei ſignatæ nomen, centies occurrit verbum ſubſtantivum, nuſquam vox ſymboli aut figuræ: cur nunc non eadem erit Spiritui ſancto libertas? niſi forte Magdeburgenſium imperio cogetur linguam mutare.

Pergunt tamen adhuc decimooctavo loco, Apoſtolos ſubjicere ſuis legibus. ſi in ipſa, inquiunt, narratione, nihil audebant mutilare Apoſtoli, eo quod teſtibus non licet quicquam demere vel adjicere, ſaltem alibi debebant veram ſententiam patefacere. Sed quid ſi apud dociles ſatis patefacta eſt his verbis veritas? Quis enim in Sacramentis omnibus dubitet ab externo & terreſtri ſigno ad rem cæleſtem aſſurgere? Columbam audio vocari Spiritum ſanctum, non litigo cum Euangeliſta quod non mihi figuræ nomen exprimat: quia expenſa analogia inter ſignum & rem ſignatam, tollitur omnis ambiguitas. ita in Chriſti verbis quid poſtulet Sacramenti natura expendens, quamvis certo ſtatuam vere impleri quod verba ſonant, figuram tamen qua fidei meæ infirmitatem adjuvare voluit Chriſtus, non repudio. ita à pane & calice ad carnem & ſanguinem opportunus fit tranſitus. neque hoc modo occultatur Chriſti doctrina, cujus illuſtrandæ ſtudium ſi vigeret apud Magdeburgenſes, ſicuti ſimulant, non tam præpoſtere involverent ac miſcerent quæ diſtincta plenam lucem afferunt. Panem volunt ſubſtantialiter eſſe corpus: nos ſymbolum eſſe docemus, cui annexa eſt vera rei exhibitio, quia non fallaciter carnem ſuam nobis cibum eſſe figurat Dominus: ſed oculis oſtendit quod vere intus Spiritus ſui virtute præſtat. quam ſimplicem doctrinam fruſtra fœdare verborum portentis conantur Magdeburgenſes, dum inepte ſcurrando fictitium verbum Figuriſandi nobis tribuunt. Potius debebant ipſi dum Paulum referunt tam de elementis quam de corpore & ſanguine Domini loqui, attentius expendere quem locum obtineant elementa. niſi enim ſymbola & figuræ, & ſigna, & typi rerum ſpiritualium cenſeantur, non modo ludicra, ſed abſurda erit actio.

Decimumnonum fundamentum per me intactum manet. quis enim neget verum commendari Chriſti corpus à Paulo? ſicuti non fallax, vel imaginarium, vel umbratile nobis in Cœna dari ſentio: ſed naturale illud cujus ſacrificio in cruce expiata ſunt peccata. cui ſi nihilo magis convenit ubiquitas, quam ſoli denſitas opaca, vel terreſtre pondus, ſequitur Magdeburgenſium commento nos à vero Chriſti corpore ad ſpectrum neſcio quod traduci. Fruſtra enim clamant, verum Chriſti corpus, quod ipſi falſificant. Porro quod ſacrilegium exprobrat Paulus indigne manducantibus Chriſti panem, quia non dijudicant corpus Domini, frigide & inſcite inde colligitur, ſub pane latere carnis ſubſtantiam. Neque enim ſi dentibus terendum non ſubjicitur, ideo excuſatur impia eorum profanatio qui ſpiritualiter oblatum contemnunt.

Quod viceſimo loco citant, aperte nobis ſuffragatur. Paulus ſcribit panem quem frangimus eſſe κοινωνίαν corporis Domini. diſpenſationem ipſi interpretantur: ac ſi quis ſocietatem diceret nihil aliud quam diſtributionem eſſe. Nam quid ſibi velit nomen κοινωνίας ex contextu ſatis ſuperque liquet: ubi & eos qui ſacrificant dicit eſſe altaris κοινωνοὺς, & fideles etiam dæmoniorum κοινωνοὺς fieri vetat. Si altaris & dæmonum κοινωνία diſpenſationem ſignificat, idem & in Chriſti corpore valebit. Verum ſi inter omnes convenit notari ſocietatem, quid eſt cur tantopere criſtas efferant Magdeburgenſes? Nihil ſignificantius aut expreſſius poſſe dici contendunt de cauſis materialibus Cœnæ. ſit ſane ita. imo eos adjuvo: nec aliunde melius poſſe intelligi doceo quomodo detur nobis Chriſti corpus quam ex voce Communicationis.

nempe

nempe ut cum ipſo coaleſcamus in unum, & in ipſum inſiti, vere fruamur ejus vita. quod naturaliter non fieri, ſed arcana Spiritus virtute, dilucidum ac certum eſt. Spiritualem ergo Cœnæ materiam corpus ac ſanguinem Chriſti eſſe profiteor: non ſecus ac terreſtris materia eſt panis & vinum. tantum quæritur vorandone noſtrum fiat Chriſti corpus. Diverſum modum Paulus definit, ad ſocietatem nos revocans, qua unum cum ipſo efficimur. Objiciunt non vocari à Paulo elementa panis & vini figuras aut ſymbola. atqui ſi nuda ſunt elementa, non autem rerum ſpiritualium ſigna, jam Cœnæ Sacramentum eſſe deſinet. En fructus materialis theologiæ, cui ita affixi hærent, ut odio ſignorum omnem à Sacramentis ſignificationem tollant. Quo moveant imperitos, dicunt ore rotundo & perſpicuo Paulum pronunciare panem eſſe *κοινωνίαν*, non ſchema vel typum. & cujus rei? non panis, ſed corporis. Quaſi vero tolerabile fuerit Panem vocari communicationem panis. Quis tandem erit finis nugarum? an hæc oratio tam patulum os requirebat, nos in Cœna Chriſto communicare? Quanquam ſcire ex ipſis velim, promiſcuene ſecundum ipſos tam ad incredulos, quam ad fideles pertineat hæc communicatio. id qua ſolent confidentia afferent. Quam vero pulchre conveniet Chriſto communicare, qui ab eo prorſus ſunt alieni. vorari ab impiis Chriſti corpus quantumvis ſit prodigioſum, dictu illis facile eſt. ſed Chriſti eſſe participem, niſi qui ejus membrum eſt nemo credet, niſi qui in ſtipitem verſus fuerit.

Quod viceſimo primo capite admonent non debere finalem cauſam miſceri cum materia, libenter illis concedo. neque opus fuit Hieronymo teſte ad rem inter nos ſatis teſtatam: niſi forte ſe ſolos dialecticæ cuſtodes eſſe exiſtiment: ut nemo præter eos diſtinguere noverit inter finem & materiam.

Viceſimo ſecundo capite rurſus exaggerant: quia Cœna Chriſti teſtamentum eſt, fas non eſſe eam violari, vel alieno ſenſu corrumpi. Utra pars teſtamentum hoc reverentius obſervet, judicium eſto penes æquos arbitros. Impiis & ſacrilegis ſine fide, ſine Spiritu, Chriſti corpus proſtituunt Magdeburgenſes. quaſi vero filius Dei teſtamento profanos gratiæ ſuæ contemptores inſtituerit corporis ac ſanguinis ſui dominos. Quum vero contineat doctrina noſtra, quiſquis fide amplectitur Cœnæ promiſſionem, vere fieri participem corporis & ſanguinis Chriſti: quia nos minime fruſtrari voluit, palam aſſerens eſſe corpus ſuum, quænam hic deprehendetur violatio? Certe dum nos externis ſignis ac terrenis pignoribus contenti, certo credimus corpus Chriſti panem nobis eſſe vivificum, vereque præſtari quicquid oculis ſignum repræſentat, teſtamentum Chriſti minime reſcindimus. Sed quod nobis falſo exprobrant, merito in eorum caput retorqueo: extingui & aboleri Sacramentum, niſi externis ſymbolis figuretur ſpiritualis veritas.

Viceſimo tertio capite vetuſtos & orthodoxos patres in ſuffragium advocant. quaſi vero promptum non ſit uno verbo diluere quoſcunque obtendunt fucos. Nec vero aliud Philippo propoſitum fuit, quam ſpiritualem de qua nobiſcum prorſus conſentit, communicationem probare. Quid ſua farragine profecerit Weſtphalus, lectoribus relinquo æſtimandum.

Viceſimoquarto capite excuſant modum præſentiæ non alium credere quam Chriſtus inſtituit. Quod ſi verum eſſet, nulla eſſet pugnandi ratio. ſed ubi addunt ubicunque adeſſe Chriſti corpus, antequam obtineant quod volunt, probandum erit ſomnium ipſorum, cæleſte eſſe Chriſti oraculum. Quam intempeſtive prætexant Chriſti potentiam, mihi ſatis in mea contra Weſtphalum defenſione monſtraſſe videor. Chriſtum eſſe fateor, qui nobis revelat res incognitas. Cur ergo ejus revelationibus tenebras ipſi obducunt? De Chriſto fatemur Patrem è cælo præcipere, ut eum omnes audiant. cur ergo tumultuoſe obſtrependo nulla verborum ejus interpretatio admittitur? Chriſto fatemur nihil eſſe impoſſibile. cur ergo non credunt ipſi quamvis in cælo ſit, poſſe tamen admirabili Spiritus ſui virtute carnem ſuam & ſanguinem dare nobis in ſpirituale alimentum? Hæc certe vere Divina eſt ac incomprehenſibilis potentia, quantumvis longe à nobis remotus ſit, vitam ex carnis ſuæ & ſanguinis ſubſtantia in animas noſtras ſpirare, ut nulla locorum diſtantia ſacram hanc capitis & membrorum unitatem impediat. Unde perſpicue apparet quam vanum ſit ac calumnioſum, nos myſterium hoc ratione humana metiri. Sed quia ex alta cerebri ſui pertinacia opus Chriſti deſpiciunt Magdeburgenſes, corruere omnes fingunt qui à ſuo placito non pendent. Utinam ſtarent ipſi potius in ſolida fultura quam alios inani tonitru præcipites dejicerent.

Idem coaxant articulo vigeſimoquinto. quid enim aliud potius dicerem? Horrori volunt eſſe noſtram theologiam, quia non ſapit niſi ea quæ ſunt carnis. quaſi vero hoc dictet caro, per cælum & terram penetrare immenſam Chriſti virtutem, ut nos è cælo carne ſua paſcat: carnem quæ natura mortalis fuit, nobis vitæ fontem eſſe: quicquid viſibili ſymbolo figurat vere ab ipſo impleri: ideoque carnem Chriſti in Cœna non ſecus ſpirituale eſſe alimentum quam corpora pane quotidie paſcuntur. Magis etiam putidum eſt quod ad carnis ſenſum quem nobis affingunt damnandum, octavum Pauli ad Romanos caput citant, ubi ſenſum carnis dicit inimicum eſſe Deo. Hæc eorum in tractanda Scriptura religio eſt. ac ne quid ad cumulum fatuitatis deſit, aſſuunt quaſi ex Paulo, Item, qui fide Sacramentariorum ſumit, reus eſt corporis & ſanguinis Chriſti. Atqui ſi eorum more ludere libeat, ex eorum verbis eliciam, non opus eſſe igitur carnali manducatione, ut quis reus ſit corporis & ſanguinis Chriſti. nam fides noſtra craſſam eorum manducationem excludit, quam tamen ex Pauli verbis eruere contendunt.

Vigeſimoſexto capite iniquiſſime exprobrant Sacramenti hujus dignitatem à nobis elevari. nihil enim poteſt in ſacram Cœnam competere quod non ſplendidiſſime à nobis ornetur: niſi forte quia Chriſti corpus tam Judæ quam Petro deglutiendum non tradimus. Hoc tamen ut perſuadeant, negant nos diſcernere inter nudas promiſſiones, & Sacramentis veſtitas. quaſi ubi ſua omnia protulerint, non luculentius & uberius ex ſcriptis noſtris diſcant lectores quam efficaciter operetur Chriſtus in Cœna & Baptiſmo.

Vigeſimo ſeptimo capite objiciunt, ſolvi à nobis Chriſti perſonam, quia negamus poſſe in natura humana eſſe ubicunque velit. Si hæc eſt perſonæ ſolutio, humanæ Chriſti naturæ eripi neceſſe erit quod ejus maxime proprium eſt, ne deſinat eſſe mediator. Quid autem abſurdius fingi poteſt, quam in cælo fuiſſe Chriſti carnem dum in cruce pendebat? Neque tamen dubium eſt quin totus Chriſtus Deus & homo tunc quoque in cælo fuerit. Sed iſtis ſuperbis cenſoribus tenenda erat vulgaris diſtinctio, quæ nec Petro Lombardo, nec ſophiſtis qui poſtea ſecuti ſunt, fuit incognita: nempe quod Chriſtus Mediator Deus & homo totus ubique ſit, ſed non totum: quia carnis ſuæ reſpectu in terra aliquamdiu verſatus eſt, & nunc in cælis habitat. Ac mirum eſt homines iſtos tam proterve contra veteris Eccleſiæ conſenſum ferri. cujus plenam & liquidam probationem à fideli Chriſti Miniſtro & venerando fratre noſtro Bullingero petat qui volet. Dicunt Chriſtum adeſſe velle toti Eccleſiæ per hæc verba, Hoc eſt corpus meum. eſto, modo ne improbiſſimum mendacium aſſuant, voluntatem hanc & præ-

Lib. 3. Sentent. diſt. 22.

præſentiam Chriſti nos ſubruere ex principiis philoſophicis. quandoquidem plus ſatis notum eſt, non aliud totius Chriſtianæ doctrinæ caput pluribus Scripturæ teſtimoniis fulciri.

Nec minus perverſe ultimo loco calumniantur nos Chriſto fidem cum omnipotentia adimere. quaſi quiſquam noſtrum quæſtionem hactenus moverit, vel hodie diſputet, poſſitne implere Chriſtus quicquid promittit, an vero fallacibus ſpectris nos deludat. Atqui ſic Chriſti voluntatem cum omnibus fidei principiis conciliat noſtra docendi ratio, ut præſentia & communicatio carnis ejus, qua fruimur, nullis locorum ſpatiis alligetur: ipſe vero quod figurat mirabiliter & ſupra ingenii noſtri captum præſtet: denique analogiam ſigni & rei ſignatæ ita concinnant, ut verbo & viſibili ſymbolo non modo fructus vel effectus gratiæ quem ex Chriſti ſocietate percipimus, ſed arcanæ cum ejus carne & ſanguine communicationis veritas ſimul annexa ſit.

Videndum nunc quam dextre argumenta noſtra diſſipent (quæ ex arenis contexta eſſe volunt: quia ſic de hæreticis locutus eſt Irenæus) primum quod enumerant ex quinquaginta novem, ad diruenda funditus omnia objecta, quibus hactenus præclare munitos ſe putarunt, unum abunde ſufficit. Nam ſi propius excutias quæcunque afferunt, ſumma huc redit, omni interpretatione rejecta, ſimpliciter quod verba ſonant, tenendum eſſe. Hic vero nobis murus aheneus eſt: quia Sacramentum inſtituit Chriſtus, ſacramentaliter debere exponi ejus verba pro communi Scripturæ more. nam Sacramentis omnibus hæc quaſi perpetua regula eſt, ut ſignum rei ſignatæ nomen accipiat. Quid ad hoc Magdeburgenſes? Concedi poſſe reſpondent eo pacto, ſicut Sacramentum illud claris verbis à Chriſto eſt inſtitutum, non ſicut metitur ratio humana. amplector quod dicunt, modo ne claritatem verborum ſua pertinacia obſcurent. Nam ſi recipitur ſacramentalis loquutio, ſcrupulos omnes diſcutiet metonymia, & quæ ſemper vigere debet analogia inter ſignum & rem ſignatam. Quomodo igitur panis erit corpus? quatenus ſcilicet fert natura Sacramenti, ut à ſymbolo terreſtri fides ad donum cæleſte aſcendat. Hæc non eſt humanæ rationis menſura, ubi ſpiritualis veritas totum naturæ ordinem ſuperare dicitur. neque enim hic comminiſcimur theatricum neſcio quid: ſed arcanam Spiritus ſancti virtutem in hujus myſterii effectu, quia modulo noſtro comprehendi non poteſt, reverenter ſuſpicimus. Negare quidem non audent Magdeburgenſes ſacramentaliter debere accipi Chriſti verba. quo conceſſo, jam non eſt cur ſuperbiant. Quod addunt nos ſtrenue abuti Sacramenti voce, nugatorium eſt: quia ſcilicet ſecundum eos multis Eccleſiæ doctoribus idem eſt Sacramentum ac myſtica quædam allegoria. Ego autem in illa communi regula nihil ambiguum eſſe excipio, ſacramentalem loquendi formam in Sacramentis debere ſervari. Tam belle explicati, digredi ſe ajunt ad labyrinthos magis ſpeciales, quaſi ex hoc primo emerſerint.

Secundum argumentum referunt, Si ῥητὸν in verbis Cœnæ ſtricte eſſet urgendum, non variaſſent Euangeliſtæ, nec ipſimet tropo eſſent uſi: ſed variant, & tropice loquuntur: quia Lucas & Paulus ubi alii ſanguinem nominant, Teſtamentum ponunt in ſanguine. Reſpondent Magdeburgenſes, poſſe concedi majorem, ſi ſemper & ubique in eadem cauſa tropice locuti eſſent Euangeliſtæ: ſed quia varios tropos & allegorias non cumulant, eſſe falſam. Nos vero contendimus ubique eſſe figuram: quia metonymice panis vocatur corpus, & vinum ſanguis. Hoc quia pervicaciter excludunt, cogimus ſaltem una in parte varietatem agnoſcere, ex qua probe colligitur non eſſe mordicus verbis inſiſtendum. Neque enim alio ſenſu de pane dictum eſt, Hoc eſt corpus meum: quam de calice additur, Hic eſt ſanguis meus. Sanguinem Lucas & Paulus qui poſt alios ſcripſerunt, plenius & magis perſpicue interpretantur Teſtamentum in ſanguine. Idem ad panem quoque transferri ratio poſtulat, ut ſit Teſtamentum in corpore. falſitatem hic nullam reperient lectores. Eadem eſt ad minorem reſponſio; quia varietas eſt tantum in ſecunda parte, non debere ad priorem transferri. quaſi vero diverſa ſit ratio. Sed regulam objiciunt, Non debere clariora proprieque dicta per tropicas loquutiones exponi. quaſi vero proprie & abſque figura panis vocetur corpus, aut in hac loquutione tropus ſit obſcurior, Hic calix Teſtamentum eſt in meo ſanguine. Hinc apparet quam ſecure in nidis ſuis garriant. Verba Chriſti quia figuram continent, interpretatione egere dicimus. Hanc aliqua ex parte ſuppeditant Lucas & Paulus: quos probabile eſt clarius aliis ſcripſiſſe, [illegible]orum ſcriptis ſuam interpretationem addebant. [illegible]ndent Magdeburgenſes, tropice & obſcuri[illegible]cta, per ea quæ ſimpliciter & perſpicue dicuntur debere exponi. hoc idem contendimus. & quia cum tam duris & præfractis capitibus nobis eſt negotium, lectoribus judicium permitto utra loquutio magis dilucida ſit, Hic calix eſt ſanguis meus, vel, Hic calix eſt fœdus in meo ſanguine. Certe quum ſemper obſcurior ſit brevitas, naturaliter plus lucis afferet plenior loquutio. Et merito arguendi eſſent pravæ incogitantiæ Lucas & Paulus, ſi rem à ſuis collegis clare expreſſam, verborum circuitu, quaſi data opera obſcuraſſent.

Tertium argumentum eſt, non debere verba Cœnæ ab aliis ſeparari, quæ eodem fere temporis articulo protulit Chriſtus. Atqui ſæpius tunc teſtatus eſt ſe mundum relinquere. Solutio Magdeburgenſium eſt, Majorem utcunque poſſe tolerari: ſed in prolixa illa concione ex qua teſtimonia citavimus de diſceſſu Chriſti, non diſſeri de Cœnæ myſterio. Quid tum? nobis enim fixum interea hoc manet, quum Cœnam inſtituere volens Filius Dei, diſerte præfatus ſit, ſe à mundo diſcedere, ut eſſet apud Patrem, cum Cœna peracta idem ſæpius iteraverit, mediam actionem ſic debere intelligi, ut poſthac non niſi in cælo quæratur. neque hoc modo confundimus omnes Chriſti actiones & ſententias: ſed quamvis ſeorſum Cœnam inſtituerit, hoc tamen ab ipſa pendere certum eſt, quod ſermonem liberius apud diſcipulos facit de ſua abſentia, cujus tam præclarum illis ſolatium dederat. Neque eſt quod excipiant Magdeburgenſes, actum de nobis eſſe, ſi Chriſtus nos plane dereliquit. Nam quum magnifice aſſeramus ſpiritualem Chriſti præſentiam, quæ pro nihilo fere apud ipſos ducitur, has calumnias futiliter ſpargendo pudorem ſuum proſtituunt. Ergo Chriſti in cælos aſcenſu præſentiam carnis ſic nobis ablatam eſſe dicimus, ut virtute gratiaque ſua omnia impleat: ut vim ſui imperii extendat per totum orbem. nec ſolum ut præſenti auxilio nos tueatur, ſed etiam ut vere in nobis habitet: imo carne ſua & ſanguine animas noſtras paſcat. Hoc modo non pugnant ſententiæ iſtæ, Vado ad Patrem: &, Accipite, hoc eſt corpus meum. quia dum admoniti ſumus non eſſe in terra quærendum Chriſtum, fide conſcendimus in cælum, ut eo fruamur. Volunt Magdeburgenſes Chriſtum non eſſe in mundo viſibili forma, ſed inviſibiliter ſub pane latere. hoc quidem ipſi: ſed quis credet? Nec minus inſulſum eſt quod mox adjiciunt, Initium hujus diſceſſionis fuiſſe in morte ipſa: quia tunc dixit, Vado ad Patrem. utinam tam literati eſſent, quam literales eſſe appetunt. Tritiſſima eſt linguæ Hebraicæ phraſis, præſens verbi tempus pro futuro ſumere. exemplis paſſim referta eſt Scriptura. Iſti, neglecta omni ratione, abitum Chriſti reſtringunt ad momentum quo vocem hanc protulit, Vado. Ac

huic

Digitized by Google

huic inſcitiæ dari forte poſſet venia, niſi impium aliud delirium ſecum traheret, dum vere in cælum aſcendit Chriſtus, oſtenſum fuiſſe Apoſtolis diſceſſum, qui jam præceſſerat. quaſi ſpectrum aliquod narret Lucas, ut evaneſcat unum ex præcipuis fidei noſtræ capitibus.

Quartum argumentum eſt, Lucas Cœnam Agni paſchalis præmittit Cœnæ Dominicæ: Cœna Agni paſchalis eſt myſterium ſeu figura: ergo Cœna Domini myſtica ſeu figurativa eſt. an hoc modo quiſquam ratiocinatus ſit, neſcio: certe non arbitror, nec veriſimile eſt. Quod ergo pro ſuo commodo flexerunt, ita reſtituam, Cœnam inſtituit Chriſtus quæ ſuccederet in locum Agni paſchalis: at ſimilis eſt utriuſque Sacramenti ratio & finis: non mirum igitur ſi mutua ſit alterius cum altero affinitas, & in verbis etiam ſimilitudo. Quid jam Magdeburgenſes? negant argumentum ab imparibus valere. atqui ego neque paritatem urgeo, neque tanquam neceſſarium infero, quod de uno dicitur, alteri congruere. hoc tantum illis, velint nolint, extorqueo, conſentaneum eſſe, ut comparatio legalis Paſchatis nos in Cœnæ intelligentia adjuvet. Frigidum etiam cavillum eſt, tunc abrogatum fuiſſe Paſcha. quia ſic ceſſavit uſus ceremoniæ, ut doctrina tamen & veritas integra maneat, alioqui ubi agitur de Baptiſmo, nullum locum circumciſio haberet. Nec eos adjuvat diſcrimen, quod Sacramenta Legis, Chriſtum venturum deſignaverint, noſtra præſentem exhibeant: modo præſentia, ut debet, ad Chriſti adventum referatur, quo Deus complevit quæ ſub Lege promiſerat.

Quintum argumentum eſt, Si alius eſſet loquendi modus in Cœna, quam in aliis myſteriis, ut Agnus eſt tranſitus, Apoſtoli interrogaſſent Dominum, id quod alias ſoliti ſunt facere. hoc non fecerunt. ergo myſtice intellexerunt Cœnam, ſicuti jam his loquutionibus erant aſſueti. Reſpondent Magdeburgenſes non valere conſequentiam à ſignis non neceſſariis. atqui non efficiunt, quominus probabilis ſit conjectura. Scimus non modo in rebus arduis & perplexis ſolitos fuiſſe interrogare Chriſtum: ſed quoties pro ſua ruditate hæſitabant. Si res nova & miraculoſa, ut iſti volunt, de inviſibili carnis præſentia tunc repente prodita fuiſſet, tantane fidei perfectio erat in diſcipulis, ut nemini obreperet dubitatio? Cui, obſecro, credibile facient tardos homines & in minimis rebus dubitantes, prompto & alacri animo in re inaudita celeriter accurrere, ut immenſum & inviſibile Chriſti corpus ſub pane vorent? Quare non inepte à probabili ratiocinari licet, ut jam aſſueti erant Sacramentalibus loquendi formis, non moviſſe quæſtionem de re cognita. Antiſtrephon quo utuntur refutatione non dignabor: clare & ſine tropis protulit Chriſtus ſuam ſententiam, Hoc eſt corpus meum. Ergo Apoſtoli contenti non cogitaverunt tropos, figuras, & allegorias. alioqui pro ſuo diſcendi ſtudio Dominum interrogaſſent. Primo quum verborum perſpicuitas ex figura pendeat, ut illam teneamus, hanc excludere non convenit. Deinde quum expedita res eſſet, quorſum opus fuit nodum (ut ajunt) in ſcirpo quærere? quia non aliunde oritur quæſtio, quam ſi panis proprie & ſubſtantialiter dicatur eſſe Chriſti corpus.

In ſexto argumento quia illic tantum propoſitum eſt calumniari, breviter reſpondeo. Dicimus quidem non modo pervertere totum Chriſti ordinem, ſed eripere Spiritui ſancto liberum jus loquendi, qui in verbis iſtis controverſis, Hoc eſt corpus meum, literaliter inſiſtunt, acſi nefas eſſet interpretandi cauſa voculam addere. Quærunt ex nobis Magdeburgenſes, perpetuone idem valeat, Eſt ac Significat: an nuſquam proprie loquatur Spiritus ſanctus. quaſi vero ſtatuamus univerſalem regulam: ac non potius ex loci & rei circumſtantia dicamus ſpectandum eſſe quid maxime conveniat. In hoc myſterio valere cupimus, quod mediocriter in Scriptura exercitati ſciunt commune eſſe omnibus Sacramentis. Volumus ergo ſymbolum intercedere, quod nobis ad rem ſpiritualem tranſitum faciat. Reclamant novi iſti doctores fas non eſſe, vel pilum unum deflectere à vocibus & ſyllabis. quid hoc aliud eſt quam inſurgere, & pro imperio vetare, ne Spiritui ſancto conceſſa fuerit loquendi libertas? Petulantius deinde quærunt: an corpus ſemper tantundem valeat, ac phantaſma corporis. ergo quia in toto cultu Legali docet Apoſtolus figuras fuiſſe ſpiritualium bonorum, ſubjicere licebit pro figuris phantaſmata. En quid proficiant, putida ſua ſcommata in nos ructando. quanquam nemo unquam dixit corpus accipi pro figura corporis, ſed panem ſymbolice vocari corpus: quia interponitur quaſi viſibile pignus, dum nos Chriſtus facere vult carnis ſuæ participes. Quæ poſtea ſequuntur convitia in ſuo ſterquilinio putreſcant. Cæterum eodem ipſos ſubinde revolvi, infirmitatis & inopiæ ſignum eſt. Plana eſſe contendunt verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum: quia non dicit ſymbolum vel ſpectrum. de ſpectro quorſum attinet probroſe iterum mentiri? Analogiam enim ſigni & rei ſignatæ tenendam eſſe aſſerimus, ut viſibili elemento conjuncta ſit ſua veritas. Si hoc modo ſpectrum facimus ex pane Cœnæ, multo magis in arcam fœderis idem competet. Quod quærunt, ubi tandem ulla erit religio, ſi licebit umbras & typos pro rebus ipſis ſubjicere, in ipſos retorqueo. ſi licebit pro typis & umbris res ipſas ſubjicere, ubi religio erit? quia jam non Chriſti ſanguis, ſed corruptibilis aqua ablutio noſtra erit.

Septimum argumentum recitant, quod ex Chriſti verbis petenda ſit declaratio, ipſe autem pronunciat carnem non prodeſſe quicquam. unde ſequitur non carnalem, ſed ſpiritualem eſum in Cœna ab ipſo traditum eſſe. Majorem recipiunt, modo ex clarioribus obſcuriora lucem accipiant. Jam ut dirimatur hæc controverſia, ſi ipſis credimus, manendum eſt in ipſa Cœnæ inſtitutione. Ego vero contra excipio, quum Cœnam inſtituit Dominus, breviter, ut in fœderibus fieri ſolet, loquutum eſſe: ſexto autem capite Joannis copioſe & ex profeſſo diſſerere de myſterio illo ſacræ conjunctionis, cujus ſpeculum deinde in Cœna propoſuit. Fruſtra nunc clamitabunt, veniendum eſſe ad ipſum fontem. quemadmodum ſiquis Anabaptiſta, Chriſti verba temere arripiens, Prædicate & baptizate, qui crediderit & baptizatus fuerit, eodem prætextu januam præcluderet cunctis rationibus. Quare jam nemo ſanæ mentis dubitaverit, uter ad rem illuſtrandam commodior ſit locus & aptior. Ubi ad minorem ventum eſt, tergiverſando oſtendunt quam perplexa ſit illis definitio. Primo objiciunt clara & manifeſta eſſe verba, Panis quem ego dabo caro mea eſt pro mundi vita. Utinam ad effrænem lacerandæ Scripturæ licentiam minus eſſent aſſueti. ego vero non modo fateor quod poſtulant, panem vere eſſe carnem, ſed liberalius etiam addo quod ipſi per turpem injuriam omittunt, hunc panem quotidie dari, ſicuti caro ſemel in cruce pro ſalute mundi oblata eſt. Neque enim ſupervacua eſt repetitio verbi, Dabo. Vere igitur ac proprie caro Chriſti panis eſt, quia non de corruptibili vel caduco alimento, ſed de cæleſti illic agitur. ſubjiciunt Magdeburgenſes explicate loqui Chriſtum in his verbis, Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Item, Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Poterat ſane, inquiunt, eadem opera dicere, panis ſignificat carnem meam: verum ne quis figuram aliquam ſomniaret, nude voluit loqui, & mature figmentis occurrere: quaſi vero tunc viſibile

adbi-

adhibuerit ſymbolum, ac non metaphorice carnem ſuam cibum vel panem dixerit, quia non aliunde paſcantur in ſpiritualem vitam animæ. Perinde eſt acſi quis rixator, nomen aquæ apud Jeſaiam & Ezechielem arripiens, neget in Baptiſmo externum aquæ ſymbolum ſpirituali lavacro annexum eſſe. Nondum Cœnam inſtituerat Chriſtus, dum ita concionatus eſt in Capernaum. Quod illic diſſeruit, poſtea viſibili figura obſignare voluit in Cœna. Panem ſpiritualem cum elemento corruptibili miſcere, quam phrenetica amentia eſt? Pergunt Magdeburgenſes, idem ſcandalum ad quod impingimus, Capernaitis fuiſſe objectum, quia Chriſtum divina virtute ſpoliabant. Quis tandem erit mendaciis modus? an nobis unquam in mentem venit carnalis Chriſti manducatio? Si quæruntur eorum ſocii, quorum illic obſtrepera damnatur incredulitas, prodeant in medium qui una tantum in re differant, fingentes inviſibili modo, ſed tamen carnali, vorari Chriſti carnem. Nobis manducatio non alia eſt, quam quæ exprimitur Chriſti verbis. Quin metaphoricus ſit Chriſti ſermo ambigi non poteſt. Panem vocat, non qui ex tritico conficitur. cibum etiam, non qui in furno vel olla coquitur, ſed ſpirituale alimentum, quo paſcuntur in cæleſtem vitam animæ. ergo manducatio cujus meminit & potio, dentes, palatum, guttur aut ventrem minime requirit, ſed animæ eſuriem: neque enim aliter ex illo Chriſti præcepto comedimus ejus carnem, vel ſanguinem bibimus, quam dum fide coaleſcimus in unum cum ipſo, ut in nobis habitans, vere nos vivificet. Partes autem alendi cur carni ſuæ & ſanguini vendicet, minime obſcurum eſt. nempe ut ſciremus non alibi quam in ſacrificio, quo Patrem nobis placavit, quærendam nobis eſſe vitam. multorum enim ſuperbia libenter, præterita carne in qua facta eſt expiatio, nubes tranſcenderet. Sicuti ergo propter nos humiliatus eſt Chriſtus, ut fidem noſtram in humilitate contineat, redemptionis myſterium commendans, pronunciat carnem ſuam eſſe vivificam. Tandem quo ſe expediant Magdeburgenſes, carnem volunt accipi pro carnis ſenſu: craſſius etiam impingunt, antitheſim docentes, quæ frequenter alibi occurrit apud Paulum. Sed quia illis ſolenne eſt Scripturam inconſiderate citando corrumpere, ſepultus per me hic error maneat: tantum de ſententia Chriſti mihi reſpondeant, Si Spiritus vivificans nihil aliud eſt quam intelligentiæ donum, quid ſibi vult quod continuo poſt additum eſt, Verba quæ loquor vobis, Spiritus & vita ſunt? Verbane Spiritum negabunt vocari, quia ſunt ſpiritualia? Hoc autem conceſſo inferre promptum erit ejuſdem quoque naturæ eſſe manducationem de qua loquitur.

Octavum argumentum proferunt, Omnes ſacramentales loquutiones parem habent rationem: ratio autem eſt, nomen rei transferri ad ſignum, ergo talis eſt metonymia in verbis Cœnæ. Majorem ita reſtringunt, Quando ſunt ejuſdem generis ac temporis. Negant autem in Sacramentis veteris & novi Teſtamenti idem eſſe genus, quia in veteri Teſtamento, proferebantur figuræ & umbræ, in novo res ipſa luculenter exhibetur, ſicuti expreſſe verba ſonant, Hoc eſt corpus meum. atqui ſi de verbis eſt diſceptatio, eadem in veteri quoque Teſtamento leguntur, nec magis dilucida eſt loquendi forma, Hoc eſt corpus meum, quam, Agnus eſt tranſitus, Circumciſio eſt fœdus meum. Deſinant ergo inane obtendere præjudicium ex verbis, de quorum ſenſu & intelligentia lis inter nos pendet. Jam diverſitas hæc, quam obtendunt, Serveticum delirium ſapit, acſi ſancti patres nudis figuris contenti nullam habuiſſent nobiſcum donorum ſpiritualium ſocietatem. fateor quidem rerum futurarum propoſitas illis fuiſſe umbras, modo hoc viciſſim conſtet, Chriſtum illis ſimul etiam fuiſſe propoſitum, ne inanibus figuris deluſos fuiſſe putemus. Certe eodem ſenſu Agnus illis fuit Paſcha, & Circumciſio fœdus, quo nobis hodie panis eſt corpus. nam quod cauſantur, ex quo exhibitus eſt mundo Chriſtus, non amplius eſſe typis locum, non ſolum ex fœda ignorantia manat, ſed palam oſtendit eos ſuperbo contemptu Chriſti gratiam reſpuere. Siccine perfecta eſt illis fides, ut rejectis typorum adminiculis, Chriſtum præſentem capiant? Et quorſum Cœnam ac Baptiſmum inſtituit Chriſtus, niſi ut typorum vehiculis nos ad ſe ſurſum erigens, infirmitati noſtræ conſuleret? Fateor quidem corpus & ſubſtantiam eorum quæ Lex adumbrabat, hodie in Chriſto conſtare, ſicuti aperte docet Paulus: modo hoc ad diverſos ſignificandi modos referatur, non autem prorſus tollatur à nobis ſignorum uſus, quem non minus nobis eſſe neceſſarium quam vetuſtis patribus experientia demonſtrat. Cæterum ut ſe Magdeburgenſes expediant, pueriliter ludunt in voce Peccati, dum hoſtia nominatur peccatum. quaſi vero hoc teſtimonio nos utamur. Cur non potius ad alia reſpondent, quibus diluendis nulla eorum garrulitas ſufficiet? Sanguis pecudis expiatio eſſe dicitur, Circumciſio vocatur Chriſtus. hic de reatu & pœna philoſophari nihil ipſis proderit. Quia autem vident ſe adhuc conſtringi, bonam ſi ipſis creditur, interpretationem excogitant, quod Agnus non figurative, ſed re ipſa tranſitus ſit. ſicut Chriſtus vocatur Paſcha noſtrum, non tanquam memoriale, ſed quia nos redemit. atqui putabam ideo Chriſtum vocari Paſcha, quod Legale illud ſacrificium, typus ejus fuerit, ac in myſterio repræſentarit quam ſperabant redemptionem. quod ſi ita eſt, ſolidæ igitur & æternæ liberationis ſignum & pignus fuit Agnus ille veteri populo, non ſecus ac nobis hodie eſt panis Cœnæ. Cæterum ſi quæratur, an nullam admittant ſignificationem in Cœna. ita reſpondent, Maneat res ipſa, & faceſſant inde tropi, umbræ, tenebræque omnes, veteri ſolum Teſtamento congruentes. meminerint lectores de ſignificatione hic agi: eam prorſus repudiant literales iſti magiſtri: & quanquam odioſis nominibus utuntur, quod tamen maxime proprium eſt Sacramenti in nihilum redigunt. Quid enim eſt Sacramentum ſine typo vel figura? Apertius deinde ſe prodit eorum inſulſitas. Salvis (inquiunt) rebus ipſis, hoc eſt, materiali & formali, expoſitiſque principalibus finibus, ſobrie ſaltem quædam ſignificationes locum habeant. Quid ubi duplicem ſtatuunt Cœnæ materiam, mortua illic & profana elementa eſſe volunt: ac ſi Chriſti arculæ corpus ſuum includeret? an magica incantatione copulari putant cum pane Chriſti corpus, ut omni doctrina priventur fideles? Quis jam erit uſus Verbi, ſi nulla erit ſignificatio? niſi enim elemento inſculptum erit verbum viſibile, faceſſat inane & nihili ſpectaculum. Veterine Teſtamento ſolum congruant figuræ & typi, pro ſe reſpondeat Spiritus ſanctus qui bis in ſpecie columbæ & tertio in linguis igneis apparuit. niſi forte externas ſpecies poſthabito docendi reſpectu, quaſi puerorum crepundias adhibuit, aut aliud etiam magis ludicrum & inſipidum. Omitto quod non ſine atroci Dei contumelia tenebras appellant pietatis exercitia, quibus pios ſub Lege Deus ad ſolem juſtitiæ direxit. ſi in tenebris dicerent illos fuiſſe, aſper ac durus eſſet ſermo: lucernas vero quæ viam illis monſtrarunt, hac infamia notare ut tenebræ cenſeantur, prorſus intolerabilis blaſphemia eſt. Sed quænam Magdeburgenſium arbitrio ſignificatio manebit reſidua? ut Cœna hæc denotet conjunctionem Eccleſiæ, & quod cruci ac ærumnis ſit expoſita. ergo quod prius dixerunt de cauſa finali jam obliti ſunt. Nam ſi Chriſti conſilium fuit, corpus ſuum ſub pane edendum porrigere in remiſſionem peccatorum: hæc certe doctrina in rationem venire debebat. quorſum enim vel ad quos verba direxit Chriſtus? an ut inu-

tiliter

Digitized by Google

tiliter evaneſcerent? Et quid apertius eſt quam pane ante oculos oblato, docuiſſe carnem ſuam ſpiritualem eſſe cibum? Eant nunc & ſuo errore ita ſe faſcinatos eſſe negent, ut quod pueris in cathechiſmo traditur, veterani theologi non teneant.

Nonum argumentum eſt, quum plus quadragies arca fœderis vocetur Dei præſentia, non eſſe mirum ſi eadem ratione panis vocetur corpus. Negant antecedens: quaſi negando oon palam augeant ſuum dedecus. Quoties dicitur in Lege, Non venies in conſpectum Dei vacuus, item, Ubi apparueris coram facie Dei tui, item, Deus qui habitas in ſanctuario, item, Deus ſedens inter Cherubim, Dei præſentiam notari neceſſe eſt concedant. Si de verbis contenditur, nihil io Cœna reperietur magis ſubſtantivum, quam illic. Si in omnibus Legis teſtimoniis eſt figura, cur in loco ſimili eam admittere gravantur? Non propriiſſime, inquiunt, Arca ſic vocatur, ſed res melior quæ per verbum Dei erat Arcæ adjuncta. Arguta ſolutio: ſed qua laqueum ſibi induunt. ipſis enim auctoribus jam dico improprie panem vocari corpus. quia notatur res melior ei adjuncta per Dei verbum.

Decimum argumentum ſumptum eſt ex comparatione Mao cum Cœna. Reſpondent res eſſe diſſimiles: quia Man non fuit Sacramentum. Fallit ergo Paulus, Patres nobis hac in parte ſimiles faciens, quod cibum ſpiritualem manducaverint. Quomodo enim ſpiritualis fuiſſet cibus abſque myſterio? imo quomodo ſpiritualis, niſi quatenus in myſterio Chriſtum repræſentabat? Addunt poſtea, Manna fuiſſe cibum paſcendo, ventri: quod vero ſpirituale quiddam poſtea notaret, non fuiſſe principale. Mihi vero ſatis eſt quatenus Manna ſacrum erat Chriſti ſymbolum, ſpiritualem fuiſſe cibum Patribus & eundem cum eo qui hodie nobis à Chriſto proponitur. nam inde continuo inferam, perverſe facere qui alium hodie ſpiritualem cibum in ſacra Chriſti menſa imaginantur, quamvis alia ſit edendi ratio, prout ſcilicet conditio Patrum inferior fuit noſtra. Sed in ſententia quæ mox ſubjicitur, non vulgari attentione opus eſt: non dicam Turcas, Sarracenos, Bacchi denique & Cereris cultores magis honorifice de ſacris ſuis loqui: ſed vix homini phrenetico tale & tam profanum delirium excideret, quale Magdeburgenſes inſtar oraculi eructant. non negamus, inquiunt, Eucbariſtiam & alia Sacramenta quadam ratione ſpiritualia eſſe. Huccine ventum eſt ut myſteria ſalutis noſtræ, quæ nos à terris ſupra cælos evehunt, ſpiritualia vocare, niſi reſtrictione interpoſita pudeat? Sperandum potius erat ut dicerent nihil hic niſi ſpirituale eſſe cogitandum. nunc ita omnes eorum ſenſus occupat quod de carne ſomniarunt, ut à præcipuo regoi Chriſti epitheto abhorreant. Quo enim Euangelium dicent à Lege differre, niſi quia veterum umbrarum ſpiritualis veritas in Chriſto eſt exhibita? Quid igitur eſt cur tantopere notam hanc reformident, ſine qua Chriſtus non eſt Chriſtus? Sed hæc ſcilicet juſta eſt eorum merces, qui mala conſcientia audacter malam cauſam defendunt, ut intrepidi ſeipſos conficiant. Nam paſſim animadvertent lectores, eos ad myſterii vel ad myſticæ virtutis nomen non minus expaveſcere, quam moleſta illis eſt ſpiritualis veritas. Exemplum quod poſtea de Baptiſmo anoectunt, nobis prorſus ſuffragatur. Baptiſmus externa eſt lotio, & tamen ſpirituale eſt lavacrum. ſed quam ſcite ad Cœnam applicant? Non eſt, inquiunt, corporalis alimonia, quum tamen externo ore corpus Domini ſumatur. Tanta eos palati, gutturis & ventris ſollicitudo tenet, ut Cœnam non audeant ſpirituale myſterium vocare, ne dentes eorum effugiat Chriſti corpus. Negant ſe ſpiritualem intelligere, ut ſolummodo quædam inviſibilis cogitatio aut phantaſia ſignificetur: aut talis ſpiritualis manducatio, qualem Abraham manducavit, qui nihil ſcivit de hoc Sacramento. Dicas Arabice eos data opera neſcio quid ſuſurrare, ut ſuos diſcipulos plus ſatis fatuos magis obſtupefaciant. Quid enim eſt inviſibilis cogitatio? quaſi viſibilem aliquam proferre liceat. phantaſiam illis relinquimus: quia vera & vivifica Chriſti participatione contenti, erratico eorum commento opus non habemus, quod noo niſi ad ingluviem replendam facit. Jam quid eſt manducationem manducare? Dicere forte volunt, quia Abraham externo ſigno caruit, non fuiſſe Chriſti participem. quo nihil indignius vel magis præpoſterum fingi poteſt. etſi enim abundantia gratiæ nunc excellimus, hoc tamen Sacramentis omnibus commune fuit, ut fideles omnes Chriſto inſererent.

Undecimum argumentum, quod vel ignorantia, vel malitia male contexunt, ita formamus, De Cœnæ myſterio nihil concipiendum eſt, niſi quod è cælo dictatur. Paulus Judæos eundem nobiſcum ſpiritualem cibum comediſſe dicens, interpretandi cauſa adjungit, Petra autem erat Chriſtus. ergo hoc cæleſte oraculum valere debet, panem & vinum in Cœna nobis eſſe corpus & ſanguinem Domini, ut ſpiritualiter illis paſcamur. Mirantur Magdeburgenſes tam incaute nos craſſis & ioconvenientibus, ut loquuntur, fundamentis inſiſtere: quia nobis ſæpe indicatum eſt Paulum de ſpirituali Petra diſſerere. Scio quid blaterare ſoliti ſint: ſed probatio quæritur. Petra, inquiunt, Judæos comitata non eſt per deſertum. reſpondeo, Suo indicio hic ſorices perire. rupem enim Paulus vocat, non ſaxi duritiem, ſed profluentem inde potum. alioqui non quadrarent inter ſe membra. Deinde niſi ad externum & viſibile ſymbolum hoc refertur, mutila erit Pauli ratiocinatio: quandoquidem eos deſignat qui ſpirituale Sacramentum non ſpiritualiter manducarunt. perſpicua illis loquutio eſt, Spiritualis Petra erat Chriſtus. atqui non patitur Pauli diſputatio, Petram alio transferri, quam ad potum illum quem myſtico noſtro calici comparat. Sequitur tandem in clauſula, Pleræque loquutiones veteris Teſtamenti diſſonant à verbis Cœnæ Domini. quaſi Paulus de Chriſti Cœna paulo ante locutus, ejus memoriam diſſono ſermone ex piorum cordibus abolere voluerit.

Duodecimum argumentum eſt, non eſſe pertinaciter retinendam literam in verbis Cœnæ, quando in aliis pleriſque Scripturæ locis, ſi τὸ ῥητὸν præciſe urgetur, magna ſequetur abſurditas. exempla deinde quaſi ex ſinu noſtro prolata recitant, Verbum caro factum eſt, Pater major me eſt, Qui videt me, videt & Patrem. duo poſteriora unde ſumpſerint, neſcio: quia tamen ad præſentem cauſam minime ſunt appoſita, malim ex innumera multitudine magis idonea deligere. Certe Scriptura ſi tam violenter prematur, ut iſti volunt, tot fere abſurditatibus ſcatebit, quot verſus occupat. Deus erit vir belli, pœnitentia ducetur, deſcendet è cælo ut cognoſcat facta hominum, ultionem appetet, nunc iracundiæ impetu feretur, nunc placatus ridebit, nunc dormiet, nunc ſurget quaſi expergefactus à crapula, nunc oculos avertet, nunc recordabitur. In his ſententiis reſpondeant Magdeburgenſes, an ad tuendas omnes ſyllabas ſatis ſint induſtrii. quanquam hic flexuoſis ambagibus locus non eſt. ſcripſi enim quod veriſſimum eſſe omnes perſpiciunt, dum rejecta omni interpretatione huic verbo incumbunt, Hoc eſt corpus meum, non abſimilem cauſam ſuſcipere, quam olim Anthropomorphitis fuit, dum ex auribus, oculis, pedibus Deum probabant eſſe corporeum. Quid enim tot Scripturæ teſtimoniis apertius, quæ Deo nares, oculos, pedes & manus tribuunt? Gratus fuit Deo odor ſuffitus in ſacrificio Noë: quomodo odorari potuit, niſi

naribus

naribus prædictus? Eoſdem triumphos quum crepent Magdeburgenſes, à nobis commonefacti parum ingenue diſſimulant. Subjiciunt poſtea, Quædam non ſecundum [illegible], ſed ſecundum [illegible] accipienda eſſe: ſed hoc loco cenſeri nolunt verba Cœnæ, quia ex ipſis probandum eſſet, aliter quam ſonant debere intelligi. Nobis vero tam ex communi Sacramentorum natura, quam ex ipſa Cœnæ inſtitutione non difficilis eſt probatio: idque magis enucleate à nobis oſtenſum eſt, quam ut diluto ſcommate objiciant: nos hanc nucem dente nolle frangere. Nemo, inquiunt, Sacramentarius in hanc arenam adhuc deſcendit, ad quam eos vocavit Lutherus, ut certis & firmis rationibus oſtenderent, verba Cœnæ debere cum figura accipi. quaſi vero non firmæ ſint rationes, quas evertere antehac fruſtra conati ſunt. Sed bene eſt. quod ſi ſurdis cecinimus, trecenta ſaltem hominum millia revocavimus ab errore. Certe quum Catechiſmu noſtro præter Germanos, Helvetios, Italos, Anglos, ducenta hominum millia ſubſcribant, ridicule Magdeburgenſes ſua ſurditate vel ſtupore rationes ſuas obruere conantur.

Decimumtertium argumentum eſt ab auctoritate vel conſenſu Eccleſiæ veteris. Reſpondent Magdeburgenſes, Primam in Chriſto vetuſtatem eſſe: quod libenter fatemur. ſed quia removendum erat quo nos inique gravabant, novitatis odium, non alienum fuit ex piis ſcriptoribus proferre teſtimonia: unde conſtaret non aliud hodie nos tradere, niſi quod olim ſine controverſia receptum erat. verum dilucide protulit Chriſtus, Hoc eſt corpus meum. nempe ut nos dilucide proferimus. ſed perinde ut jubemur Chriſti dicta obedienter amplecti: ita fas eſt interpretationem quærere. unde enim hujus ſententiæ perſpicuitas, niſi quum ad Sacramenti naturam accommodatur? alioqui non modo ſpinoſa erit, ſed etiam abſurditatis plena. Sed patres ipſi vocant ſæpe panem, Domini corpus, & vinum ejus ſanguinem. modo de ſenſu conveniat, nobis optime placebit loquutio. Jam ſi conſtat ſymbolice panem illis fuiſſe corpus, nobis haud dubie ſuffragabitur eorum auctoritas. Quoties mentem ſuam exponunt Patres, incommoda illis aliqua vox effluit, ſi Magdeburgenſibus creditur. dicas homines iſtos tantum ſibi poteſtatis ſumere, ut ſolo flatu nebulas obducant toti mundo. nam quod ſtatim de allegoriis adducunt, prorſus intempeſtivum eſt. Patres fateor allegoriis fuiſſe nimium deditos. ſed hic quæritur quomodo expoſuerint verba Cœnæ. porro quum ſatis perſpicuum ſit pulcherrime inter nos convenire, conſenſum hunc Magdeburgenſes nihil dicendo offuſcant. Interim fucum ex paucis veterum teſtimoniis facere, illis ad victoriam ſufficit. Juſtinus panem & vinum per verbum precationis & gratiarum actionis, Chriſti carnem & ſanguinem nobis fieri dicit. Dicimus idem & nos, modo ratio communicationis addatur quæ tunc Eccleſiæ cognira fuit. Cyrillus myſticæ benedictionis virtute fieri docet, ut Chriſtus corporaliter in nobis babitet. ſi hoc efficit myſtica benedictio: cur Cœnam Domini quatenus in ea nobis datur ejus corpus, myſticam eſſe tantopere antehac negarunt? Cur ſecundum eos ab eſu corporali diſcrepat myſterium? Dicit alio loco Cyrillus, Quando comedimus Chriſti carnem, quæ Verbi conjunctione vivifica eſt, nos vitam in nobis habere. cur ergo ab incredulis ſine fructu comedi aſſerunt? nam ſi Chriſti caro ubi comeditur, vivifica eſt, eos qui in morte manent promiſcue eam comedere minime convenit. quanquam hic monendi ſunt lectores, quia Cyrillo cum Arrianis certamen erat, eum ad hyperbolen provehi, ut doceat ſubſtantialiter unum cum Chriſto fieri fideles, ſicuti ipſe unum eſt cum Patre. Eadem fuit Hilarii ratio, etſi in ejus verbis adeo nihil eſt doctrinæ noſtræ contrarium, ut appoſite contra Magdeburgenſes retorqueam. veram carnis & ſanguinis naturam ſanctus vir his verbis probari contendit, Caro mea vere eſt cibus. Et qua de re nobis hodie cum Magdeburgenſibus lis eſt, niſi quod illis immenſum phantaſma carnis loco fingentibus, veritatem defendimus naturæ humanæ, in qua ſalus noſtra fundata eſt? Sequitur apud Hilarium, Hæc accepta atque hauſta efficiunt ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Quid Magdeburgenſes? Incredulos corpus Chriſti comedendo, & ſanguinem bibendo, alieniſſimos tamen ab eo manere. Dicit Irenæus, Quando mixtus calix & fractus panis, percipit verbum Dei fieri Euchariſtiam carnis & ſanguinis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia. Quid ex voce Euchariſtiæ colligi queat, viderint Magdeburgenſes. mihi tantundem valet atque myſterium. quod ipſi non ſecus ac dirum omen refugiunt. Jam carnem noſtram ſpirituali illo cibo & potu refici non inficiur. quia ſcilicet in ſpem beatæ reſurrectionis Chriſto communicamus. ideoque non anima ſolum, ſed carne etiam in ipſum coaleſcere neceſſe eſt. Sicuti & quiſque noſtrum ſecundum carnem vocatur membrum ejus, & corpus cujuſque, templum Spiritus ſancti. Citant verba Cypriani, Quod panis iſte communis in carnem & ſanguinem mutatus procuret corporibus vitam: parum conſiderate, vel malo aſtu: quando ſtyli diverſitas palam arguit non eſſe illum ſermonem Cypriani. ut tamen hoc demus, cur expoſitionem mox additam vafre ſubticent? quod ſolus Filius Patri ſit conſubſtantialis: noſtra vero & ipſius conjunctio nec miſceat perſonas, nec uniat ſubſtantias, ſed affectus conſociet, ac confœderet voluntates. Hoc modo ſi ego loquerer, nonne clamarent materiam Cœnæ auferri? Sequitur paulo poſt in eodem ſermone, Eſus carnis hujus quædam aviditas eſt ac deſiderium manendi in ipſo: per quod ſic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinem charitatis, ut hæreat palatu noſtro, & viſceribus ſapor dilectionis infuſus, penetrans & imbuens omnes animæ corporiſque receſſus. Potus & eſus ad eandem pertinent rationem: quibus ſicut corporea nutritur ſubſtantia & vivit, & incolumis perſeverat, ita vita ſpiritus hoc proprio alimento nutritur. & quod eſt eſca carni, hoc animæ eſt fides: quod cibus corpori, hoc verbum ſpiritui excellentiori virtute peragens æternaliter, quod agunt corporea alimenta temporaliter. Quum ex profeſſo definiat edendi modum, ubi ingurgitatio? imo ejus loco ſubſtituit fidem & Spiritum: quod Magdeburgenſes ſummopere deteſtantur. Refert Theodoritus Ambroſii verba ad Theodoſium, Quibus oculis aſpicies communis Domini templum? quibus calcabis pedibus ſanctum ejus pavimentum? quomodo manus extendes, de quibus adhuc ſtillat ſanguis innoxius? quomodo ejuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum Domini corpus, & ore tuo poculum ſanguinis pretioſi hibes? Quid mirum ſi ſanctus vir, quo acrius pungeret objurgatio, quanto potuit ſplendore & ornatu ſacrum illud myſterium extulit? Cæterum ſiquis rogaſſet Ambroſium, an palpabile in Cœna eſſet Chriſti corpus, tam craſſum delirium haud dubie abominatus foret. Quum ergo manibus tractari dicit, nemini ſano & cordato obſcura eſt metonymia. Communicatio, cujus meminit Auguſtinus, ne minimum quidem nos gravat, quibus Cœna eſt vera & ſpiritualis carnis & ſanguinis Chriſti communicatio. In ſecundo loco ubi tradit Chriſtum quum Cœnam porrigeret diſcipulis, quodammodo portatum fuiſſe ſuis manibus, deprehenditur eorum impudentia & falſitas: quia vocem, Quodammodo, quæ nodum probe expedit, ſcelerate omittunt. Quod autem alibi docet Auguſtinus, hoc in pane accipi quod pependit in cruce, & quod in cruce effuſum eſt in calice bibi, non gravatim amplector: modo aliis Auguſtini verbis definiatur edendi & bibendi ratio. De-

ſinant

ſinant ergo Magdeburgenſes ſimplicibus poſthac ſumos ſuos vendere, qui toties jam diſcuſſi, locum nullum in clara luce retinent. Nam quod Weſtphalum prædem aut vadem ſuo loco ſubſtituunt, ſic detecta nuper à me fuit ejus nuditas, ut fruſtra inde capectent quicquam ſubſidii.

Decimum quartum argumentum eſt. quum admittant adverſarii tropum in Chriſti verbis, nobis idem eſſe permittendum. Negant ſe figuram recipere in his verbis, Hoc eſt corpus meum, quia propriiſſime accipi debent. Quid? dum volunt propriiſſime ſenſum ſuum exprimere, an non dicunt ſub pane, vel cum pane dari Chriſti corpus? Reſpondent, quum dicitur homo eſſe ſub veſte ſua, non eſſe figuram. quaſi vero elapſi ſint hoc cavillo, donec oſtenderint hominem propriiſſime, & abſque figura veſtem ſuam eſſe. Unde colligunt ſub pane eſſe Chriſti corpus, vel cum pane: niſi quia de pane Dominus ipſe pronunciavit, Hoc eſt corpus meum? atqui ſi tam exacta huic verbo ſubeſt proprietas, non modo perperam ex eo plus eliciunt, quam decebat: ſed falſarii ſunt ac corruptores, qui tam longinquam metamorphoſin ingerunt. Corpus enim cum pane, res eſt cæleſtis cum terrena. panem vero eſſe corpus, aliud eſt, niſi velint cælum terræ miſcere, & ſane id faciunt.

Huic argumento affine eſt decimumquintum. Fatentur adverſarii panem & corpus res eſſe diverſas, ergo tropum concedunt. Conſequentia ſecundum Magdeburgenſes non valet. Cæterum, an valere debeat, pauliſper attendant lectores. Majorem in hoc ſyllogiſmo ſubſiſtere negant, Ubicunque ſunt res diverſæ, illic eſt tropus. quid tam pueriliter cavillari juvat? Certum eſt, ubicunque proprie ſubjecto non convenit prædicatum, ſermonem vel falſum, vel figuratum eſſe. Si hæc propoſitio, Panis eſt corpus, abſque figura accipitur, prodigioſa erit ejus falſitas: quia de panis eſſentia prædicabitur, quod prorſus diverſum eſſe liquet.

Decimum ſextum argumentum enerve & frigidum recitat, Papiſtæ nullum tropum admittunt: ergo quicunque illis conſentiunt, ſublatis vexillis transfugiant in eorum caſtra. Quia Weſtphalum non puduerat Hildebrandi decretum nobis obtrudere, & doctrinam noſtram dicere ſatis eſſe convictam ſacrilegi illius nebulonis judicio, reſpondi, nihil jam eſſe moræ, quominus ad Papiſtas tranſiret. Jutene an injuria, æſtiment lectores. Quare non eſt quod Magdeburgenſes odioſe ſcommata, & ſarcaſmos reſpondeant, pro argumentis à ſe non recipi. Qualis obſecro leporis, vel facetiæ in dicto tam ſimplici affectatio fuit? Utinam ſibi potius à ſcommatibus temperarent, ne immodico captandi riſus ſtudio facerent ſe ridiculos. cujus generis ſunt inſulſa eorum dicteria, non modo Tropologiſtas nos eſſe, ſed tenebriſtas. Item, nos dicere, Panis non eſt corpus, ſed ſymboliſat, umbriſat. Vigilias ſuas, curas & labores in Papatu oppugnando jactant. quaſi nobis interim non fuerint noſtra certamina, quorum cervicibus præcipua vis Papatus imminet. An vero pro gloria mundana depugnem, teſtis mihi in illa die & judex erit Filius Dei, ſub cujus auſpiciis milito. Et clare vident quibus propius nota eſt mea conditio, niſi ad illud tribunal intentus eſſem, nihil mihi fore optabilius, quam in lateribus quieſcere. Sed non ſatis fuit Magdeburgenſibus commune fœdi erroris patrocinium ſuſcipere, niſi omnibus inſani hominis maledictis patroni acceſſerent.

Decimumſeptimum argumentum eſt, Circumciſio ſignum erat, & tamen res ſimul offerebatur. Ergo nihil impedit quominus in Cœna Domini viſibile ſit ſignum, & veritas ſpiritualis ſimul annexa. Reſpondent, ex diſſimilibus non coagmentari firmam argumentationem: neque hic agi de noſtro placito: ſed quidnam auctor Cœnæ Filius Dei ſtatuerit. Nos vero nec quid ſit in Sacramentis diſſimile tacemus: nec placita noſtra ingerimus ad fidem Chriſto abrogandam: cujus auctoritas non minus reverenter à nobis ſuſpicitur, & doctrina fideliter exponitur; quam & illud ſe animoſe facere obtendunt Magdeburgenſes, & hoc ſe dextre præſtare exiſtimant. Quid à Cœna differat Circumciſio probe ex ſcriptis noſtris diſcent lectores. hoc certe commune habet, quod viſibili ſymbolo res ſpiritualis conjuncta fuit. Deus enim, qui hoc veteri populo pignus adoptionis ſuæ eſſe voluit, non fallebat ſuos filios. Jam in Cœna dico nihil obſtare quominus ſymbolis panis & vini figuret Chriſtus quod illic teſtari vult, & rem ipſam vere præſtet. Si diverſa eſt ſpiritualis Cœnæ veritas ab illa quam dixi fuiſſe Circumciſionis, non male excipient Magdeburgenſes ſervandum eſſe diſcrimen. ſed neque de eo controverſia eſt, neque tam male profeci in Chriſti ſchola, quin gradus & varios modos diſtincte notem. Sicuti ergo per Circumciſionem inſiti fuerunt Patres in ſacrum populum, ut paterno Dei amore freti hæredes eſſent cæleſtis vitæ: ita hodie nobis ſacræ cum Filio Dei conjunctionis figuram, ſymbolum, teſſeram ac pignus proponi dico. Sed quia non agit nobiſcum Chriſtus fallaciter, vere per illa ſymbola repræſentari quod ſignificant, ut re ipſa caro & ſanguis Chriſti nos paſcant, ſuaque ſubſtantia vivificent. Quare Magdeburgenſibus nihil improbius fingi poteſt, qui pro re ſpirituali nos tantum afferre ſignificationem remiſſionis peccatorum, & gratiæ Dei, mentiri audent: atque ex verbis noſtris liquere, ſignum ſigni tantum porrigi, non res ipſas, quaſi centies apud me non occurrat, Cœnæ materiam differre ab effectu, vel fructu: quia quas à Chriſto percipimus gratias, ordine præcedat ſpiritualis cum carne & ſanguine ejus communicatio. Imo eo uſque projecti ſunt pudoris, ut nos ſignum tantum remiſſionis peccatorum relinquere obſtrepant. Quod tandem ſubjiciunt nos tantum ſigna ſignorum, umbras umbrarum, & non niſi mera ſomnia, & phantaſmata ingerere, non tantum ſarcaſmus eſt, ſed putida dicacitas virulentis mendaciis referta, & nihil à canino latratu differens. Et continuo poſt verborum meorum recitatione ſuam malitiam aperte produnt: quod ſcilicet caro Chriſti arcana Spiritus virtute ad nos penetret, vitamque efficaciter inſpiret in animas noſtras. An hoc eſt merum phantaſma, vel umbra umbræ? Si non eundem communicationis modum ſtatuo, quem Magdeburgenſes: an ideo protinus duplici calumnia gravandus ſim, quaſi non modo rem auferam, ſed ſignum quoque rei ipſius, ut tantum maneat ſignum ſigni? Excipiunt, non quid homo proferat, ſed quid afferat Chriſtus ſpectandum eſſe. ipſum autem non dicere, Ego in cælis ſedens in vobis operabor virtutem carnis meæ, ſed, Hoc eſt corpus meum. quaſi vero quicquam prodeſſet dari nobis edendum corpus, niſi ſciremus nobis in cibum ſpiritualem dari, quia vivificum eſt. Quid valeat Cœna, quorſum ſpectet, nunquam guſtarunt bruti iſti homines. nullus enim ex verbis Chriſti fructus nobis proveniet, niſi hunc ſenſum in cordibus noſtris obtineant, Panis hic ideo corpus meum eſt, & calix eſt ſanguis, quia caro mea vere eſt cibus, & ſanguis vere potus. neque enim ingurgitatio hic, ſed vitæ perceptio ex arcana communicatione nobis traditur. & tamen non dubitant iterum Magdeburgenſes ſuis mendaciis nos obruere, violentiſſime à nobis diſcerpi Cœnam: quia promiſſionem ſolum urgemus, nec eam ſincere: vel ſpiritualem operationem Chriſti in nobis, ſic tamen ut Cœna Chriſti tan-

tantum ſignificet remiſſionem peccatorum, non applicet. Jam ergo probri loco apud eos ducitur, promiſſionibus inſiſtere. atqui putabam hanc præcipuam eſſe fidei & pietatis laudem, acquieſcere in Dei promiſſionibus. mihi vero non tanti ſunt eorum fulminationes, ac vani crepitus, ut plus quærere libeat, quam mihi offert Chriſti promiſſio. De gratiæ applicatione alibi dixi quantum ſatis erat: eam ſcilicet non minus præclare à nobis aſſeri quam ferat tota eorum facultas. Communicationem qualis à me docetur, extenuent ut libuerit, non tamen efficiet eorum malignitas, quin agnoſcant pii omnes nihil me quod ad fidei ptofectum faciat, omittere. Quare multum abeſt, ut quenquam ſani cerebri movere debeat erudelis eorum calumnia, nos à Cœna arram certitudinis fidei prorſus auferre: quia materiam auferimus, nempe Chriſti corpus, quum totus Cœnæ effectus ſecundum nos ab arcana carnis & ſanguinis communicatione pendeat, qua fit ut vitam ſuam nobis inſpiret, & nos unum cum ipſo ſimus. Qualis autem arta certitudinis erit corpus, ſi illud ptomiſcue ſceleſtiſſimus quiſque ingurgitet? Nam ptout apud ipſos proram & puppim occupat carnalis manducatio, ſpititualem vitam ſere pili non æſtimant.

Decimum octavum argumentum recitant, Nulla contra fidem recipi debet interpretatio: ſed hæc interpretatio, quod Chriſtus ſubſtantialiter & inviſibili modo edendum tradat corpus ſuum, non eſt analogia fidei: repudianda igitur eſt. In majore quantumvis nulla ſit difficultas, obmurmutant tamen, ſalſos doctores multa obtendere, ut hac arte fucum faciant. ſed hic oſtendant ſucum fieri. Minorem probamus, quia quum panem porrigeret, viſibile corpus geſtabat. Quare oportuiſſet eſſe bicorporem. Abſurdum enim eſt, fideique principiis repugnat, duplex fuiſſe Cbtiſti corpus. Reſpondent, Quamvis humana ratio ad petram ſcandali duriter allidens naufragium faciat, fidem acquieſcere diſertis verbis Chriſti. Quaſi vero humanæ rationis commentum ſit, quod claris Scripturæ teſtimoniis proditum eſt. Neque enim nobis dictavit humana ratio, Filium Dei, ut nos ſacrificio mortis ſuæ reconciliaret Patri, carnem noſtram induiſſe: atque ut frater noſter fieret, ſimilem nobis factum eſſe, excepto peccato. Veram illam carnem, in qua paulo poſt excipienda erant mundi peccata, tunc cernebant Apoſtoli: atque in ejus intuitu defigi oportuit eorum fidem, ne aliunde ſalutem ſperarent. Et eorum mentes rapi ad inviſibile neſcio quid nihil aliud fuiſſet, quam à vero & unico redemptionis pretio averti. Nec eſt quod iterum obſtrepant, diminui Cbtiſti potentiam, eumque mendacii argui. veracem eſſe ipſi non credunt, niſi præſtigiator ſit. Nobis vero ſolide conſtat ejus veritas, ſi naturale corpus, quo indutus erat, edendum in myſterio præbuit. Monendi enim ſunt lectores hac ſinceritate homines iſtos nobiſcum agere, ut quod ipſi comminiſcuntut, falſo in nos conferant. An verum & naturale ſit Chriſti corpus, quod uno in loco cernitur oculis morti obnoxium, alibi cæleſte & inviſibile eodem momento ſub pane latet, non communis ſenſus, ſed fides ex verbo Dei edocta reſpondeat: nullus certe piorum ambiget, quin duplex corpus veram unius naturam perimat. Contendunt idem eſſe. quaſi luſerit Filius Dei: carnem noſtram, in qua juſtitiam acquireret, induens. Et tamen hanc maculam impudenter nobis aſpergere non dubitant, acſi negemus verum & naturale Chriſti corpus nobis in Cœna dari.

Decimonono loco referunt, Quando Cœna actio eſt cæleſtis, fidelium mentes in cælum debere evehi. Hæc autem ratio illis non placet propter ambiguitatem. Ut tamen cæleſtis ſit actio, quia Chriſtus diſpenſator eſt, non jubemur eam in cælis peragere. atqui nos per cæleſtem actionem nihil aliud intelligimus, niſi quod in mentem cuivis protinus venire debet, ſpirituale eſſe myſterium, quod pro natura regni Chtiſti à terrenis actionibus ſeparari debet. Ac mirum eſt homines iſtos, qui ſe pro dignitate & præſtantia ſacræ Cœnæ pugnare fingunt, ægre tamen concedere quod præcipue ad ejus commendationem valet. Denique non aliud nobis ſignificat nomen cæleſtis, quam quod verbis Auguſtini non minus vere quam ſcite expreſſum eſt, peragi in terra, ſed cælitus: ab homine, ſed divinitus. Hoc ſi dubitanter recipiunt Magdeburgenſes, macellum ſibi habeant pro templo. Sed excipiunt, quamvis mens ad cæleſtes promiſſiones debeat reſpicere; ſimul tamen debere converti ad præſentem actionem, qua Chriſtus quaſi porrecta manu nobis apportat corpus ſuum. Fateor quidem, ſi quis externum ſignum prætereat, non poſſe hoc Sacramento adjuvari. Sed quomodo conveniet, Sacramenta eſſe ſcalarum inſtar fidelibus, pet quas ſurſum cælos conſcendant: & debere tamen in ipſis elementis ſubſiſtere, vel manere defixos, acſi Chriſtus in terra quærendus eſſet? Ac præpoſtere obtendunt, Chriſtum nobis manum porrigere, neglecto fine, ut ſcilicet nos ſurſum erigat. hoc enim conſilio Dominum ad nos deſcendere tenendum eſt, non ut indulgeat corpori noſtro, vel ſenſus in mundo defixos teneat: ſed potius ut ad ſe trahat. atque huc tendit veteris Eccleſiæ præfatio. Surſum corda, ſicuti Chryſoſtomus interpretatur. Quod ſi tepudiant Magdeburgenſes, Pauli auctoritate contenti ſimus, qui ſurſum nos attollit, ut Chtiſto conjuncti ſimus. Ut centies negent cælum pro viſibili mundi convexitate accipi: hoc tamen nobis manet, non alios tite frui Chriſto, niſi qui ſurſum eum quærunt.

Viceſimum atgumentum eſt, Quicquid non eſt in aliquo qualitative, aut quantitative, aut in loco, non corpotaliter, ſed ſpititualiter ineſt. Modis iſtis non eſſe ſub pane corpus fatentur omnes. ergo ſpititualis eſt præſentiæ modus. Reſpondent, argumentum non valere à non diſtributo ad diſtributum. quibus verbis ſignificant non eſſe plenam enumerationem partium. Subtilius ergo dividant, ſi quid eſt nimis craſſum. Sed illis ſufficit dicere uno verbo, plures afferri poſſe eſſendi modos. atqui ſecando & mutilando, quartum membrum nunquam reperient. Hoc igitut præſidio depulſi, confugiunt ad vulgarem ſuum prætextum, Non teneri Deum principiis phyſicis. fateor, niſi quatenus ita ordinavit. Reſpondent, Hunc ordinem non niſi in communi curſu naturæ valere, in Theologia vero minime. verum quidem, niſi forte pars Theologiæ ſit ipſe naturæ ordo, ſicut in cauſa præſenti. neque enim ſimpliciter aſſerimus, quia naturale ſit corpus Chriſti, uno in loco eſſe: ſed quia Deo placuit corpus Filio ſuo dare verum, & ſuis dimenſionibus finitum: voluit ad tempus verſari in terris ſub illius corporis domicilio: voluit cum eodem corpore aſcendere in cælum, & inde expectari jubet. An non Angeli verba ſunt, non eſſe Chriſtum in ſepulchro, carnis reſpectu, quia aſcendit? an mendacii inſimulabimus Angelum, qui immenſitatem aperte Chriſti corpori adimit? Excipiunt, Singulares Dei actiones à communibus ac natutalibus eſſe diſtinguendas. ſit ſane ita: modo ſingularitas iſta quam obtendunt, figmentum non ſit ex capite humano natum. Sed longe abeſt, quin verbo illo, Hoc eſt corpus meum, probetur immenſitas. nam ut ſuam quantitatem retineat corpus, non deſinet vere in myſterio offerri. Quomodo per fores clauſas tranſierit Chriſtus, alibi dictum fuit: ſibi enim fores aperire potuit, & lapidem quoque obſignatum: ut neceſſe non fuerit corpori naturam auferre, quo per lignum, vel lapidem penetraret. Ideoque à perverſa interpretatione frivola eſt ratiocinatio. Jam quod Sacramentales actiones

nes negant conferri debere cum natura, verum quidem eſt, modo ne incomparabilis Dei potentiæ prætextu monſtra fingantur præter ejus Verbum. Itaque eatenus acquieſcit fides huic verbo, Hoc eſt corpus meum, ut Chriſti communicationem vere offerri non dubitet. hoc modo nihil opus erit argutius de quantitate corporis diſputare: quod facere nos cogit eorum importunitas, qui Chriſtum veritate ſuæ carnis privantes, eum in phantaſma transformant. Nec vero quum ſpiritualiter dicimus Chriſti nos fieri participes, voce hac intelligimus ſignificative tantum, tropice, & allegorice nobis proponi edendam carnem. hoc tam fœdum mendacium (ut alia) ſatis declarat, ne guttam quidem ingenui pudoris eſſe in iſtis hominibus, qui tam licentioſe quidlibet ex quolibet faciunt. ſed ſpiritualem modum opponimus carnali: quia Spiritus ſanctus, qui vinculum eſt noſtræ cum Chriſto conjunctionis, vitam nobis ex carnis ejus & ſanguinis ſubſtantia inſpirat.

Viceſimumprimum argumentum neſcio unde ſumpſerint, Corporaliter non poſſe percipi, quod ineffabiliter percipitur. neminem ex noſtris ita loquutum credibile eſt. Fieri poteſt, ut alii quoque, ſicut me feciſſe agnoſco, objecerint, ineffabilem modum potius ſpiritualem eſſe, quam carnalem. quum ergo nitantur ineffabili miraculo, jure coarguitur eorum pervicacia, qui arcanam Spiritus virtutem ad nos Chriſto uniendos intervenire non ſuſtinent.

Viceſimumſecundum argumentum, Dictum eſt theologi non philoſophi. Spatia locorum tolle corporibus, nuſquam erunt: & quia nuſquam erunt, nec erunt. ergo adeſſe non poteſt Chriſti corpus in Cœna, niſi locus aſſignetur. Reſpondent, Quamvis à theologo profecta ſit ſententia, eſſe tamen phyſicam, & inepte ad res divinas applicari. addunt etiam, Patres ſæpe intempeſtive permiſcuiſſe humana divinis, & hoc modo turpiter diluiſſe theologiam. ſcilicet quum Auguſtino eripere non audeant nomen Theologi, hoc minus contumelioſum videtur, reum facere turpis corruptelæ, ut vix à ſacrilegio excuſabilis ſit. Diſputat illic ex profeſſo Auguſtinus de carne Chriſti. eam, ut vera ſit, ſua dimenſione finiri contendit. Reſpondent Magdeburgenſes Phyſica ratione turpiter corruptam fuiſſe Theologiam. quaſi perſuadeant ſe in rebus divinis multo acutius cernere, quam ſanctum illum virum, quo nec magis ſolidum in dogmatibus Eccleſiaſticis, nec modeſtiorem tulit tota antiquitas. Jam vero nihil mirum, ſi nos homunciones magiſtrali ſupercilio proſternant qui ſic in Auguſtinum proterviunt.

Viceſimumtertium argumentum non ſincere proferunt. nemo enim noſtrum reperietur hoc dixiſſe, Sacramentorum eadem eſt ratio: Baptiſmus vim ſuam retinet, quamvis non vertatur aqua in ſanguinem Chriſti. ergo Cœnæ etiam conſtabit ſua vis, utcunque ſub pane non comedatur verum Chriſti corpus. Quare ne ſe in ſolutione nugatoria fruſtra torqueant, nos alio fine Cœnam cum Baptiſmo conferimus. Baptiſmo tribuitur, quod non niſi Chriſti ſanguini, & Spiritui ſancto convenit. neque tamen propterea dicendum eſt, aquam mutari in ſanguinem, vel Spiritum. ergo non abſurdum eſt, transferri quoque ad panem quod non eſt ejus proprium. Si excipiant, diſſimilem eſſe rationem, quia nuſquam aqua vocetur vel ſanguis, vel Spiritus, mihi ſatis eſt, quatenus eſt utriuſque ſymbolum, etiam propriis utriuſque epithetis ornari. Adde quod nihilo obſcurior eſt Pauli ſententia, nos Chriſtum induere in Baptiſmo, quam illa Chriſti, Hoc eſt corpus meum. Reſpondeant quomodo induamus Chriſtum. modone corporali, ut de Cœna contendunt? inde ſequetur, non minus ſub aqua incluſum eſſe Chriſtum, quam ſub pane. Confugient ad ſuum aſylum, non dici de Baptiſmo, Hoc eſt, quaſi vero nihil aſſeveret qui dicit Chriſtum à nobis indui. Certe ita concidit frivola eorum reſponſio, differre in hoc Cœnam à Baptiſmo, quæ inſtituta eſt ut in ea ſub pane & vino detur nobis Chriſti corpus: Baptiſmo, ut tingamur in nomine Patris, Filii, & Spiritus ſancti. Reclamat enim Pauli definitio, ex qua aperte patet, non minus in Baptiſmo nos induere Chriſtum, quam in Cœna comedere.

Viceſimum quartum argumentum, quod maligne depravant, ac mutilant, ſic potius retexo, Chriſtus alia ratione, quam carnali præſentia habitat in cordibus piorum, ut ſit eorum vita. ergo de carnali præſentia tantopere contendere nihil attinet. Hinc cenſores non modo temeritatem nobis exprobrant, ſed addunt nos aliquid mereri acerbius: quia Deum audemus reformare. quaſi vero ideo negemus Chriſti corpus ſubſtantialiter comedi, quia aliter per efficaciam Spiritus ſui perficere ſalutem noſtram poteſt. Ratio eſt, de re non neceſſaria non eſſe pertinacius litigandum. deinde ex communi Scripturæ doctrina petendum eſſe communicationis modum. Excipient pro more, aliquid ſpeciale eſſe in Cœna. Quod ut verum eſſe fatear, tenendum tamen interea eſt, non tendere in alium finem, quam qui alibi deſcribitur. Hæc enim perfectio, ac noſtræ felicitatis cumulus eſt, ut Chriſtus per fidem in cordibus habitans, non modo bonorum omnium quibus donatus eſt à Patre, conſortes ac ſocios faciat: ſed vitam quoque ſuam inſpiret, adeoque unum nobis fiat. Ultra hanc metam progredi quum nefas ſit, non alio conſilio inſtitutam eſſe Cœnam dicimus, niſi ut hoc modo coaleſcamus in corpus Chriſti. Hic ſtulte Magdeburgenſes promiſſionem de carne Chriſti edenda ad os carnale reſtringunt, quia dictum ſit, Accipite, edite, hoc eſt corpus meum. Etſi enim myſterio annexa eſt promiſſio, prudenter tamen ſpectandum eſt quid ipſa myſterii natura ferat. Sic enim annexa eſt promiſſioni externa & ſacramentalis actio, ut tamen nihil magis præpoſterum ſit, quam eam confundere cum eſu ſpirituali. Nec vero tam oblivioſus erat Paulus, ut de perfecta cum Chriſto fidelium communicatione, vel unione diſſerens, ſi quid in Cœna eſſet excellentius, omitteret. Summa hæc ſit, quum præcipuus ſacræ Cœnæ ſit finis, Chriſtum ejuſque vitam nobis communicare, videndum eſſe qualiter nobis ſit Chriſtus vita. ab hoc ſcopo ſi deflectitur, impiam ſacri myſterii eſſe lacerationem.

Viceſimumquintum argumentum eſt, Promiſſiones Euangelii ſunt ſpirituales. & ut fide ſunt accipiendæ, ita fide ſunt efficaces: Sacramenta vero omnia ex promiſſione pendent: ergo ſpiritualis eſt Cœna, fideque tantum eſt efficax. Si ita eſt, non opus eſt Chriſtum corporaliter edi. Reſpondent Magdeburgenſes, vel definitionem eſſe vitioſam, vel non eſſe plenam partium enumerationem. Majorem enim nonniſi de nudis promiſſionibus extra Sacramenta volunt intelligi. Sed quis unquam præter eos ſpiritum & fidem à Sacramentis disjungere tentavit? Nam ſi ſtemus eorum placito, ſic dicendum erit, promiſſiones ſignis annexas carnales eſſe, & efficaces extra fidem. Jam ut centies crepent, promiſſio remiſſionis peccatorum non ſecus ac manducationis, Cœnæ actione veſtita eſt: quando hæc conjunctim dicta ſunt, & inſeparabili nexu cohærent, Hic eſt ſanguis, qui effunditur in remiſſionem peccatorum. Quale inde portentum naſcetur, ut ſine fide promiſſio carnalis reconciliet homines Deo? utcunque ſe aliter ſentire dicant, mea nihil refert. Certe inſolubili nodo eos perverſa ſua ſpeculatio implicat. Jam quomodo ſecundum eos inſufficiens eſt enumeratio, quia corporalis actio omittitur? quaſi vero aliunde æſtimanda ſit quam à ſua pro-

miſſione. Quid enim aliud eſt panis & vinum Cœnæ, quam viſibile verbum? ergo ſi à verbo ſeparetur Cœna, nihil à profano epulo differet. Ideoque merito contendimus non aliter ſentiendum de ea eſſe, quam ferant Euangelii promiſſiones, ex quibus manat quicquid habet. At non debet divelli promiſſio ſpiritualis & corporalis eſus. nihilo certe magis quam fides & verbum ab ipſo externo ſigno, dum Sacramenti nomen proponitur. Sed corporalis eſus aliter definietur, nempe ex promiſſione. En cur ſententiam à nobis non vere minus, quam utiliter prolatam exagitent, Materiam panis & vini non afferre nobis Chriſtum, ſed magis ſpectandam eſſe promiſſionem. Objiciunt copulata eſſe quæ divellimus. imo dextre à nobis explicatur copulæ ratio, dum monemus non inſpicienda eſſe nuda elementa, quæ per ſe nihil facerent ad ſpiritualem vitam, ſed ad verbi quod illic inſculptum eſt intuitum vertendos eſſe oculos. Panem & vinum ſi quis à Cœna abjiciens (ut fanaticis quibuſdam contigit) allegoricam Cœnam faceret, non prorſus abs re Magdeburgenſes dicerent ſignum eſſe viſibile. Quid autem hoc ad nos, quibus propoſitum eſt oſtendere unde petenda ſit utilitas ſignorum, ne ex corruptibili eorum natura perperam de eorum virtute judicium fiat? Ergo ut vera & efficax ſit ſignificatio, & exhibeatur veritas, piorum ſenſus revocamus ad promiſſionem. quo etiam ſpectat illud Auguſtini, Accedat verbum ad elementum, & fiet Sacramentum. Hinc apparet quam bona fide nos doli mali inſimulent Magdeburgenſes & quam modeſte & humaniter nobis exprobrent, imperioſe nos jubere quod nunquam in mentem venit. Quis enim non videt tunc vere cum pietatis profectu teneri ſignorum uſum, ubi in illis refulget promiſſio, qua remota, tota actio inſtar ludicri ſpectaculi evaneſcit?

Viceſimumſextum argumentum. Cœna Domini accipitur fide: fides eſt rerum abſentium. Ergo in Cœna non præſto adeſt corpus Chriſti. quod ſic correctum paulo erit aptius, Inſtituta eſt Cœna, ut Chriſtum in cæleſti ſua gloria ſedentem fide quæramus: hoc autem modo impletur Apoſtoli dictum, fidem rerum eſſe abſentium. Loco igitur abeſt Chriſtus ſecundum humanam naturam. Nomen loci exprimo, quia non obſtat diſtantia, quominus fruamur præſentia Chriſti, qualem ſcilicet deſiderat fides. Hic ceſſat Magdeburgenſium ſolutio, fidem interdum circa corporalia verſari. Neque enim ſi Chriſtum ex Virgine natum, & crucifixum apprehendit, ſimul etiam detrahit è cælo, ut loco præſentem ſiſtat. Nos vero eam quæ fidei convenit, Chriſti præſentiam in cœna fatemur, abſentiam reſtringimus ad naturæ veritatem. Hoc modo ſupra ſpem agnoſcunt fideles, quamvis in terra peregrinentur, vitam capitis ſui ſibi eſſe communem.

Viceſimumſeptimum argumentum eſt, Humanum corpus eſt definitum, nec poteſt eſſe ubique: Chriſtus vere humanum corpus aſſumpſit: & adhuc retinet. ergo ſecundum humanam naturam non poteſt eſſe ubique. Apparet inter ſe luſiſſe Magdeburgenſes, & dum evertere volunt ſacrum & inviolabile Chriſti ſymbolum, ſua ſymbola quaſi ad cauponam afferre. Cujus rei præmonitos velim eſſe lectores, ut ſi poſthac animadvertant uſque ad faſtidium repeti quod jam de loco dictum eſt, ex hoc acervo confuſo colligant, nihil judicio vel ratione fuiſſe ab illis digeſtum: ſed dum mutuum muli ſcabunt, quod cuique effutire placuit, ab aliis receptum. Atque ut reliqua omittam, quid ſibi vult quod triceſimo loco idem prorſus inculcant, niſi quia ſymbolum, quod ſecundus attulerat, prior repudiare noluit? Venio nunc ad ſolutionem. Dicunt, nos arguere à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. unde probant? quia Major continet principium phyſicum, quod de corporibus intelligitur, in quibus nihil ineſt præter creaturam. Quærunt igitur, fuerit infinitum illud corpus, necne in quo Deus Abrahæ apparuit. Siquid eos puderet, hic certe obmuteſcerent, ne cum puerili ſuo garritu proderent quam inter ſe fovent profanam ambitionem. Ad Minorem reſpondent, Chriſtum non humana modo natura, ſed divina etiam præditum eſſe, quæ ineffabiliter inter ſe unitæ ſunt. Quid inde tandem efficient? certe non conflabunt quod imaginati ſunt monſtrum, quando non permiſcet neque confundit duas naturas perſonæ unitas. Et quando Eccleſiam citant teſtem, tenere ſaltem debuerant quid ſecundum vulgarem uſum iſtæ loquendi formæ inter ſe differant, unitas, & unio. unitas perſonæ in Chriſto ſine controverſia inter omnes orthodoxos recipitur. Si naturæ Divinæ cum humana prædicetur unitas, nemo pius erit, qui non abhorreat: ergo in unione neceſſe eſt, ut ſua cuique naturæ maneat proprietas integra. Quod quærunt rurſus, quomodo intacto ſigillo monumentum ſuum pertranſierit Chriſtus: & foribus clauſis pertranſierit ad diſcipulos, nova ſolutione non indiget. Quid enim impedient clauſuræ omnes, hominum artificio factæ, quominus ſibi tranſitum Deus patefaciat. Nam qui de nihilo creavit omnia, poteſt ad tempus in nihilum redigere quæ videntur impedire progreſſum operum ejus. Et ſane quorſum redacta corpora eſſe dicemus, quibus & Angelos ſuos, & ſeipſum induit Deus, poſtquam executus eſt quod volebat? Prodierunt igitur corpora, Dei mandato, poſtea evanuerunt: & tamen fateri oportet vera fuiſſe corpora. Hic de potentia Dei non inquirimus ſubtilius quam par eſt, ſicuti nos criminantur iſti homines, quibus potentia Dei utinam fumus non ſit, ut pro fuco ab illis obtendirur. Faceſſant ergo fucoſi iſti colores, quod corpus ſuum Chriſtus in ſublime ſuſtulerit. neque enim hic agitur quæ miracula ediderit Chriſtus in carne qua veſtitus erat; ſed quid neceſſario requirat vera corporis natura. Ambulavit Petrus ſuper aquas, an ideo deſiit habere verum corpus? Quod factum eſſet, ſi eodem momento vel in navi, vel in portu ſediſſet; quia ſpectrum & imaginatio fuiſſet quicquid apparuiſſet. Petrus ipſe quum è carcere egreſſus eſt, non penetravit per fores clauſas: vere tamen clauſis & bene obſeratis foribus egreſſus eſt, miraculum præter naturæ ordinem editum fatebimur: duobus autem in locis ſimul fuiſſe non minus negabimus, quam fuiſſe bicorporem. Hæc ratio nos expedit, ne arguamus Chriſtum mendacii: quod nos facere, qua ſolent impudentia, jactant Magdeburgenſes. Fidem enim noſtram, qua verbis Chriſti acquieſcimus, ſcimus in cælo ſacrificium boni odoris eſſe. Ipſi dum Lutheri hyperbolas projiciunt, modo plebeculam, ſuoſque fraterculos faſcinent, hujus popularis theatri plauſu contenti, nec Dei, nec Angelorum judicium magnopere curant. Hæc ratio eſt cur antea dixerim Luthero multas eſſe ſimias, paucos imitatores. Nam quaſi cothurnis in ſublime elati, quomodo poſſibile ſit, inquiunt, ut definitum adſit corpus ubicunque peragitur Cœna, ipſe viderit: nos habemus certum mandatum, ut pendeamus ab ejus ore. Ipſe vero Chriſtus ſatis vidit: ut fruſtra ignorantiæ ſuæ culpam in eum regerant, qui ſponte cæcutiunt. Quod iterum obtendunt unam Chriſti perſonam Deum & hominem eſſe, quam ineptum ſit alibi oſtendimus. Ubi omnia dixerint, hæc veteris Eccleſiæ conſenſu approbata doctrina ſtabit, Chriſtum mediatorem ubique eſſe, & quatenus una eſt ejus perſona, Deum & hominem, vel Deum in carne manifeſtatum implere omnia, quamvis ſecundum carnem in cælo ſit. Hac in re cur Chriſtum Regem ſummum ac pontificem contumelia affici dicant, quia ejus corpus in phantaſticam immenſitatem non extendimus, judicium eſto penes ſummos & infimos.

Supre-

Supremum illis oraculum eſt, Lutheri reſponſio, Uuum corpus ſecundum bumanam rationem non eſſe in diverſis locis: poſſe tamen ſecundum Dei potentiam. quia quicquid loquitur Deus præſtare poteſt, & nihil apud Deum eſt impoſſibile. ac ſi quis mundum ab æterno creatum probare vellet, quia æterna fuit Dei potentia. vel eundem ſolem ſimul poſſe lucidum eſſe & obſcurum: quia Deus poteſt omnia.

Viceſimo octavo loco argumentum ſuo arbitrio conficiunt, quod ſuo arbitrio evertant. & videntur neſcio quid data opera captaſſe, ut ſe venditarent de ſorite negativo. ſic ipſi recitant: Tantum ea poteſt Deus quæ vult: vult autem tantum ea quæ naturæ ſuæ conveniunt: conveniens non eſt corpori Chriſti, ut ſit in Cœna ſimul & in cælo. ergo Chriſtus non poteſt efficere, ut corpus ſuum in Cœna corporaliter percipiatur. ſic quidem, ut video, inter ſe garriunt. noſtra autem ratiocinatio alia eſt, Quia Deus quæcunque vult facit, non ſeparanda eſt ejus potentia à voluntate. ergo ſtulte, importune, & præpoſtere diſputatur quid poſſit, niſi accedat ejus voluntas. Jam quum nuſquam oſtenderit verum & naturale corpus Filii ſui ſe velle facere immenſum, præpoſteri ſunt ac perverſi potentiæ ejus præcones, quicunque ex immenſa Dei potentia carnis immenſitatem in Chriſto probare contendunt. Una hic ſolutio reſtabit Magdeburgenſibus, Dei voluntatem perſpicuam eſſe ex Chriſti verbis, Hoc eſt corpus meum. quod forte audiri poſſet, uſu Prophetiæ, donoque interpretationis prorſus ſublato: quæ unica eorum victoria eſt.

Viceſimumnonum argumentum eſt, Chriſtus in cælum aſcendens, relicto hoc mundo, non poteſt eſſe ubique: Chriſtus in cælum aſcendit: ergo non eſt in terra corporaliter. Reſpondent, majorem de puris creaturis valere. Ergone de pura creatura dicebat Angelus, Surrexit, non eſt hic? An de pura creatura receſſus intelligitur apud Marcum? & quod Petrus prædicat, oportere Chriſtum cælo comprehendi uſque ad ultimum diem? Utinam potius in elementis hæſiſſent iſti homines, quam ex malis dialecticis facti eſſent peſſimi theologi! Reſpondent poſtea ad minorem, Viſibili Chriſti ad cælos aſcenſu non tolli inviſibilem præſentiam, quia de utroque extant manifeſta Scripturæ teſtimonia. Quid de locali corporis abſentia teſtetur Deus, per Angelum audio, Surrexit, non eſt hic. niſi dialecticam meliorem Angelica didicerint, procedet argumentum à poſitione unius loci ad negationem alterius. Eadem eſt in verbis Petri ratio, oportere cælo comprehendi. illic de viſibili forma non diſſerit Petrus: & tamen domicilium Chriſto in cælis aſſignat, quo affirmat ipſum comprehendi. Si nulla eſſet dimenſio, ubi comprehenſio? tenemus ergo, quia comprehenſibile eſt Chriſti corpus, non eſſe immenſum. An à Petro quoque dicent turpiter corruptam fuiſſe pietatis doctrinam? videntur tamen ſibi optimum effugium excogitaſſe, dum viſibilem Chriſti aſcenſum conferunt cum viſibili Spiritus exhibitione. Spiritus, inquiunt, ſub linguis igneis apparuit, qui tamen inviſibilis ubique erat. ergo viſibilis Chriſti aſcenſio non tollit inviſibilem ejus præſentiam. perinde ac ſi dicerent, Deus ſpecie viſibili in Tabernaculo, & aliis locis apparuit, qui tamen inviſibilis ubique erat. Ergo viſibilis mundi forma jam obſtat, quominus inviſibilis ſit mundus. Excipient, non eſſe idem de mundo pronunciatum, quod de carne Chriſti. Ego vero tantum de comparatione loquor, quæ ſine refutatione liqueſcit. Neque enim novum eſt, ut Deus qui inviſibilis eſt natura, ſpecies quas viſum eſt induat, quoties hoc modo ſe vult manifeſtare hominibus. hæc præter naturam manifeſtatio nihil mutat de natura Dei. Similitudo quomodo in Chriſtum quadrabit? imo ſtatim occurret manifeſta repugnantia. Chriſti enim corpus ut natura erat viſibile, receptum fuit in cælos, videntibus Apoſtolis. Jam volunt Magdeburgenſes contra naturam ſubſtitiſſe inviſibile in terra. hoc nunc probent ſublata illa, quæ nihil eos juvat, ſimilitudine: Chriſtum eſſe in cælo, ut inviſibiliter ſecundum carnem, ubicunque velit, eſſe poſſit. hoc illis dictu facile eſt: ſed inani ſonitu non excutient piis mentibus quod de Chriſti in cælos aſcenſu prædicat Scriptura. Dicunt Chriſtum viſibili modo in cælum aſcendiſſe, ut facto aliquo externo monſtraret, vere ſe reſurrexiſſe, patefacere ſe januas regni cælorum credentibus, ſe fore Pontificem in ſanctuario cæleſti. hoc aliquid eſt, non totum. Diſceſſum ſuum Apoſtolis utilem eſſe teſtatus eſt: quia niſi abiret non erat venturus Spiritus. an non potuit venire eo præſente? nempe quia ſurſum mentes eorum erigi neceſſe erat, ut divinam ejus virtutem perciperent. quo pertinet ejus dictum ad Mariam, Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem. Cur diſplicuiſſe dicemus Chriſto pedum amplexum, niſi quia ſola poſthac fide tangi volebat? hæc etiam ratio eſt cur nubes eum abſtulerit ab eorum conſpectu, qui ſi perſuaſi fuiſſent inviſibiliter eſſe in pane, non ſtetiſſent defixis in cælum oculis.

Triceſimum argumentum, Qui in loco eſt, non eſt ubique: Chriſtus in cælos receptus, tanquam in loco eſt: ergo non eſt corporaliter in Cœna. Majorem reſpuunt, quia principium eſt phyſicum. Quaſi vero pereat theologia, ſi Deo naturæ auctori hoc honoris defertur, ne quem ipſe ordinem ſtatuit, violemus. Faceſſant inſulſæ cavillationes, quarum nimis larga copia iſtis hominibus profluit. Principium enim quod ſumimus tantundem valet ac ſi probemus Chriſtum fuiſſe verum hominem, quia eſuriit, fatigatus fuit ex itinere, timuit, mœrore affectus eſt, denique quia ab infantia adolevit in virum, & mortuus eſt. Si hic obganniant Magdeburgenſes, non niſi phyſica principia ſe audire, an tolerabilis erit pervicacia? Solem eſſe calidum & lucidum natura dictat. denique ſolem eſſe ſolem, naturale principium eſt: ut theologi ſimus, an negandum erit quod illuſtre ſpecimen eſt admirabilis Dei ſapientiæ? certe eſſe in loco & ubique, tantundem valet ac locum non eſſe locum. nihil tamen eſt, quod non hyperbolica Magdeburgenſium fides tranſcendat. etiamne incomprehenſibiles ſapientiæ ejus abyſſos? hoc ex eorum verbis apparet. Jam quia tam Scripturæ quam Patrum teſtimoniis Chriſtum probamus in cælo eſſe tanquam in loco: de Patribus reſpondent, eorum dicta papyraceas eſſe turres. Faceſſat ſane omnis humana auctoritas, modo concedant iſti magiſtri communem eſſe nobis cauſam cum Patribus, ne contra Berengarii hæreſim poſthac tam faſtuoſe deſpument. Chriſti dictum objiciunt, Hoc eſt corpus meum: quod nulla ratio, ac ne Angelica quidem labefactare poteſt. quaſi nos contra Chriſtum vel Platonici ſimus vel alterius cujuſuis ſectæ. Sed quid rejecta interpretatione, Chriſti auctoritatem jactare in perverſo & alieno ſenſu juvat? Jam commentum de inviſibili Chriſti præſentia Patribus fuiſſe notum credent ſani & non ſtulti lectores, ubi oſtenſum fuerit Scripturæ teſtimonio. Ita dicunt, non colligi Chriſtum cælo quantumvis ſpatioſo alligari. Ligamina ſinamus, contenti Petri verbo ubi dicit oportere cælo comprehendi. Quid amplius deſiderant? Accedant & dicta Angelica, non eſſe in ſepulchro, quia ſurrexit: fruſtra Apoſtolos ſuſpicere in cælum, quia veniet Chriſtus ultimo die, ſicut aſcendere viſus eſt. Excipiunt, venturum viſibili forma. quaſi vero ad ſolatium non fuerit longe aptius, quod Angelus, quia in ſchola Magdeburgenſium edoctus non fuerat, omiſit: nempe, ſi inviſibilis ſub pane latet, non eſſe procul quærendum. Quod deinde

probare nos volunt, mentitum fuiſſe Chriſtum, ubi dixit, Hoc eſt corpus meum, magis deteſtabilis eſt eorum furor, quam ut in refutatione diu immorari expediat. quaſi novum aliquid vel magnum afferant, attentos volunt eſſe lectores, quia non dixerit, Hoc eſt ſymbolum, figura, umbra, phantaſma. quaſi nobis corpus phantaſma ſit, quale ipſi in ſua officina fabricant. Fatemur verum notari corpus, cujus ſub pane communicatio offertur: quamvis myſtica ſit communicatio, non deſinit Chriſti verbis ſolida conſtare fides ac veritas, niſi eum mendacii oblique arguerent, qui pedibus myſterium calcantes, craſſo ſuo delirio eum ſubjiciunt. Verum quia promiſit Chriſtus ſe nobiſcum fore uſque ad finem ſeculi, credere ſe dicunt ejus verbo. quaſi vero niſi phantaſticum corpus ſub pane includat, non poſſit immenſa ſua virtute adeſſe fidelibus.

Quia argumentum triceſimum primum prorſus idem eſt cum ſuperiore, & viceſimoſeptimo, nolo verba perdere.

Triceſimo ſecundo loco ſumunt quod refutari facile patior: Chriſtus ſedet ad dexteram Patris, ergo non poteſt eſſe ubique. Quum ex profeſſo totam in me ſuam virulentiam dirigant, quorſum attinuit apud indoctos ex re nihili plauſum captare? neque enim aliter quam verbis meis reſpondent: niſi quod de ubiquitate naturæ humanæ inſerunt ſuum commentum. Ergo ſi me aggredi illis propoſitum eſt, ceſſet de Patris dextra ultro citroque contentio. Hæc enim mea eſt docendi ratio: Sicuti Chriſtus in cælo eſt ſecundum carnis ſubſtantiam, ita in carne ſua ſedere ad Patris dextram, ut imperio virtuteque totum mundum impleat. Hinc apparet ut Chriſtus, Mediator, Deus & homo ubique totus ſit, non totum: quia ejus imperium, & arcana vis gratiæ nullis tribus includitur.

Triceſimumtertium argumentum eſt, Scriptura teſtatur Chriſtum à reſurrectione corpus retinuiſſe quod habuerat, neque naturam ejus mutatam. idem Patres docent magno conſenſu: ergo non poteſt Chriſtus in Euchariſtia eſſe corporaliter. Reſpondent, ex pravo fonte oriri quicquid de natura corporis aſſerimus: quia animalis homo non percipiat quæ ſunt Spiritus. Nos vero judicare ex ſenſu carnis falſiſſimum eſt, dum citamus quæ certum eſt ab ipſo Deo profecta eſſe. Dixerunt Angeli non eſſe quærendum Chriſtum in ſepulchro, quum Cœnæ mentio non fieret. An non de eodem corpore loquebantur? quod toties includunt in ſepulchro Magdeburgenſes, quoties ſub pane ſepeliunt. De carne ſua duo protulit Chriſtus, quæ videntur in ſpeciem pugnare, Palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet. Item, Accipite, hoc eſt corpus meum. Nunc conciliandi ratio quæritur. ac ſi nullius momenti eſſet prius dictum, ſecundum mordicus premunt Magdeburgenſes, interpretatione omni rejecta. quaſi vero non tantundem ubique fidei mereatur Chriſtus. Expedire ſe nequeunt, quin duplicem fingant modum præſentiæ, & commentum obtrudant non magis à ratione, quam à fide alienum: aliam fuiſſe naturam corporis, quod palpandum & videndum præbuit Chriſtus, quam quod ſub pane lateт.

Triceſimumquartum argumentum eſt, Scriptura teſtatur corpora noſtra fore conformia glorioſo Chriſti corpori: ſed corpora noſtra tunc ubique non erunt. ergo neque corpus Chriſti ubique eſt. Excipiunt, vitium eſſe, quia ratiocinamur à dicto ſecundum quid ad dictum ſimpliciter. Sed oſtendant quid in hac præſenti cauſa ſit diſſimile. Fateor non æqualem fore gloriæ gradum in capite & membris: ſed quantum pertinet ad corporis naturam, non ſtabit conformitas, niſi ſuas dimenſiones retineat illa caro, quæ typus eſt, ac exemplar futuræ noſtræ reſurrectionis. Objiciunt non eſſe dictum de Petri vel Pauli carne, Accipite, hoc eſt corpus meum. Sed quomodo hoc dictum accipi debeat, quia inter nos diſputamus, interpretatio ex aliis locis petenda erat. Furioſo impetu anſam præcidunt Magdeburgenſes. quaſi nulla eſſet interpretandi libertas, niſi eorum permiſſu. Sed ubi pronunciat Spiritus ſanctus Chriſtum in cæleſtem gloriam translatum eſſe, ut ſuo corpori noſtra conformet, quis diſcrimen illud, quod præſcribunt novi magiſtri, recipiet? Adde quod Paulus virtutem Chriſti, qua poteſt omnia, illic commendans, ſplendidius extollit quod Magdeburgenſes extenuant miraculum, quam ut pii ſanique lectores, objecto fumo dicti ſecundum quid, ſibi tam certam doctrinam excuti ſinant.

Triceſimumquintum argumentum eſt, Inter veteres nihil fuiſſe contentionis de Cœna Domini. ergo omnes intellexerunt figurate Chriſti verba. Hoc retorquent, quia nihil inter veteres fuit pugnatum de hac re, omnes uno conſenſu amplexos eſſe literalem ſenſum. Sed quum nihil putidius ſit, quam ludendo, jejunum neſcio quid, quale ipſis recitare libuit, diluere, verum argumentum audiant ex me lectores. Cum ex veteribus quidam libere docuerint, Chriſtum dixiſſe, Hoc eſt corpus meum, quum ſignum daret corporis ſui. Item, panem eſſe Chriſti corpus: quia Sacramentum quodammodo cenſetur res ipſa, alii docuerint verum fuiſſe Chriſti corpus, cujus ſignum in Cœna tradidit: alii panem vocaverint oppoſitum typum corpori, non eſſe probabile, tunc graſſatum fuiſſe errorem de corporali ſub pane præſentia, quia ſtatim mota fuiſſet contentio. Hic non eſt cur nos Philiſthinis comparent: niſi forte, ſicuti in multis comœdiis fieri ſolet, clamoribus ſuis quaſi fractorum ſcamnorum ſtrepitu actionem ſubito abrumpant, & lectores fruſtrentur.

Argumentum triceſimumſextum eſt de novitate, quæ nobis ſuſpecta erroris eſſe debet, nec immerito quod tradunt adverſarii figmentum de corporali præſentia damnamus hoc nomine, quia non ita pridem inter craſſas inſcitiæ, & ſuperſtitionum corruptelas natum eſt. Reſpondent ſolenne hoc eſſe patronis malarum cauſarum, arripere vicinum aliquid, quo plauſibiliter declamitent, & maximas tragœdias moveant. & hoc modo nos transferre ad corporalem præſentiam, quod non niſi in transſubſtantiationem competit, quam ipſi quoque acriter damnant. ſic illi: Sed primum nego tragice nos vociferari hac in re, quum ſimpliciter dicimus commentum quod ipſi pro cæleſti oraculo adorant, fabricatum fuiſſe à Sophiſtis, qui nihil tenebant purioris Theologiæ. deinde nego ex fuco affinitatis nos captare plauſum. Quam acriter transſubſtantiationem oppugnet, patet ex ſcriptis Weſtphali, qui Concilia ſub Nicolao & Gregorio ſeptimo habita, pro orthodoxis cenſere non dubitat. Sed hinc faceſſat Transſubſtantiatio. Craſſius eos de corporali præſentia quam Papiſtas ſentire, & loqui arguimus. Nec eſt quod tam ferociter in ſuis cothurnis exultent, prolatis Chriſti verbis, Hoc eſt corpus meum. Neque enim negamus hæc eſſe Chriſti verba, quod parum verecunde nobis objiciunt. ſicuti fateri cogentur hæc Dei verba eſſe, Terra ſcabellum pedum meorum: unde ſequetur, ſi ſtare libeat ipſorum judicio, Dei pedes terræ innixos ſuſtinere ejus corpus. Non eſt igitur in verbis novitas, ſed in præciſo, quem urgent ipſi verborum ſonitu.

Triceſimoſeptimo loco referunt quod pro nobis afferimus, utrumque loquendi genus veteribus eſſe uſitatum, panem & vinum eſſe corpus & ſanguinem Chriſti, & tamen ſigna eſſe, & ſymbola, & Sacramenta corporis & ſanguinis. unde colligimus Chriſti verba non citra figuram accepta ab illis fuiſſe. Hic inſultant, quod cum nuper pugnaverimus ignaros

fuiſſe

fuiſſe veteres præſentiæ corporalis, nunc palam fatemur panem vocare corpus. quaſi vero non ſit hoc nobis etiam commune. Sed hic de ſenſu agitur. Nemo enim à loquendi forma abhorret, cujus nobis auctor eſt cæleſtis magiſter Dei Filius. Tantum contendimus, quoties à Patribus panis & vinum vocantur ſigna, Symbola, & Sacramenta corporis & ſanguinis, ſatis explicari eorum mentem: quia hinc luculenta colligitur inter ſignum & rem ſignatam diſtinctio, pro qua nos pugnamus. Imo aperta ratio notatur, cur carnis & ſanguinis voces accommodentur ad panem & vinum. Hic pertinaciter Magdeburgenſes ſibi ſufficere excipiunt, quod ſecundum veteres, panis ſit corpus. Quaſi vero altera loquutio ut eſt plenior & explicatior, vice interpretationis non ſit addenda. Dicit uno in loco Paulus, ſe quod deeſt paſſionibus Chriſti ſupplere pro Eccleſia. alibi idem repetens, dicit, pro confirmatione fidelium. Si de ſenſu Pauli movetur quæſtio (ſicuti prioris loci prætextu ad Apoſtolos & Martyres Papiſtæ redemptionis noſtræ partem transferunt) an negligenda erit explicatio, quæ ſponte altero loco occurrit? Quod ergo in re notiſſima, & tam expedita provocare ſe dicunt ad Filium Dei, ridiculum eſt. Nec minus etiam futilis eſt iſta rhetorica, Chriſtum non eſſe indoctum judicem, rudem, aut balbum, quia loquendo Λόγος ſit appellatus: non eſſe ſubdolum, non bilinguem, non corruptum pecunia, non προσωπολήπτης Quorſum hæc loquacitas, niſi ut oſtendant Magdeburgenſes ſe bene & prolixe garrire? quicquid ex ſacro Chriſti ore profectum eſt, nos tam reverenter adoramus, quam obedienter amplectimur; ut ejus auctoritas, quæ exceptione omni major eſt, non ſine injuria minuatur, dum eam intempeſtive quaſi dubia eſſet, aſſerere volunt. Eaſdem in citandis teſtibus contexunt ineptias. Quid, obſecro, opus fuit, cum Matthæi, Marci, Lucæ & Pauli referrent teſtimonia, addere lodicram exceptionem, ſalvo tamen judicio ſuperioris, hoc eſt, ipſius Chriſti? Quaſi vero periculum ſit ne ſeipſum Chriſtus in organis Spiritus ſui abneget. Res igitur enucleate in medium prodeat. Fatemur à quatuor illis auctenticis Dei Scribis, optima fide referri Chriſti inſtitutionem, quam ſi quis myſticam eſſe neget, relegandus eſt in Anticyras. Merito itaque diſquirimus quæ ſit analogia panis ad corpus. Magdeburgenſes tamen ut habeant carnem Chriſti ſub pane incluſam, nolunt ſubeſſe myſterium. Quid omiſſo quæſtionis ſtatu prodeſt nuda recitatio? Et quam inani & evanido fuco obtegere controverſiam ipſam contendunt, diſertos, facundos, & veraces Euangeliſtas vocando? Neque enim infantiæ protinus eos inſimulat, qui verborum interpretationem quærit. imo vera hæc demum reverentia eſt, non temere vel inconſiderate arripere quicquid dicunt, ut ſingulis vocibus & ſyllabis eos velimus obſtringere, ſed attentius expendere eorum mentem, ut verbis commode expoſitis, ſine controverſia amplectamur genuinum ſenſum. Quare nimis proterve mentiuntur Magdeburgenſes, nos à Chriſto & Apoſtolis provocare ad tertios judices. Itaque nihil mirum ſi ſua ſcurrilitate ebrii, probro ſe exponant, quum dicunt ſe nobiſcum venturos ad tertium miliare. Ergone gratificandi nobis cauſa hanc Chriſto injuriam facient, ut relicto ejus tribunali, ſupremum judicium conſentiant deferri mortalibus? Præfantur ſe ſtare duobus prioribus judiciis, neque ceſſuros unquam, vel ſi Angeli cæleſtes contrarium adferrent. Non debuerunt tamen, ſi videbant tribunal erigi hominibus ad labefactandam Chriſti ſententiam, pedem unum progredi. Ego vero ſacrilegum quod offerunt obſequium, libenter ipſis remitto: quia centum mortibus potius ſancienda eſt nobis Chriſti auctoritas, quam ut ullis hominum judiciis cedat. Nec vero hoc agitur, dum Patribus tribuitur interpretum nomen. Nam ſi hoc officio fungi, ſupra Chriſtum judicare illis eſt; maledicta ſint illorum ſcripta, quæ ſummo Filii Dei imperio derogant. Diffidere interea ſe negant Patrum ſuffragiis, & tamen phraſin qua utuntur Patres, concordare negant verbis Chriſti. Bene autem & provide, quod judicium deferunt quadrimis pueris: nam ſi ſeptennes advocaſſent, facile perſpecta ab ipſis fuiſſet nugatoria iſta levitas. In hoc verborum tinnitu neutra pars hic diverticula quærat, ſed deponat, & conferat verba Chriſti & Apoſtolorum ex una, Patrum verba ex altera parte, hoc modo: Chriſtus dicit, Hoc eſt corpus meum, & idem referunt Apoſtoli: Patres affirmant panem eſſe corpus. Divina puer quadrime, an procul inter ſe hæ loquutiones diſtent? Rurſus confert, Chriſtus dicit, Hoc eſt corpus meum: Patres affirmant panem eſſe ſymbolum, ſignum & figuram corporis: Iterum puer quadrime judica, an hæ phraſes quadrent. certe ſi ſeria in eorum animis vigeret religio, vix ad pueriles iſtas ineptias delapſi eſſent. Patres interdum in hoc myſterio modum loquendi retinent à Chriſto acceptum, ſicuti ubi aſſerenda eſt doctrinæ majeſtas, citamus ad verbum Scripturæ teſtimonia, quia tamen obſcura poſſet eſſe brevitas, quoties ita poſtulat occaſio, non omittunt partes interpretum. Hinc plenior illa, & magis enucleata loquutio: quia panis Sacramentum eſt corporis, quodammodo eſſe corpus. Quid ſenſerint ſi ambigitur, ex conciſane recitatione, an ex addita luce interpretationis judicium fieri conveniet? qua fronte igitur Magdeburgenſes verbi unius prætextu dilucidum ſermonem & didacticam paraphraſin obſcurant?

Triceſimumoctavum argumentum ex Auguſtino ſumptum eſt, qui rem fœdam nominat corporaliter edere Chriſti carnem. Reſpondent, quia hoc facere juſſit Chriſtus flagitium non eſſe. Si vera eſſet antitheſis, væ Auguſtino, qui tanta infamia auſus fuiſſet mundi Judicem aſpergere. ſed quum ſanctum illum hominem non minus modeſtia quam pietas, & eruditio commendet, videndum eſt an Chriſtum fecerit ſceleris auctorem. Imo quis videbat impios & profanos homines ad calumniam rapere quicquid dictu aſperum occurrit in Scripturis, ſtultos vero nullo judicio & delectu verba ſæpe nimis præciſe urgere, illorum malitiæ obviam ire volens, & horum errori mederi, regulam præſcribit ſanæ intelligentiæ. Et quia ubi Chriſtus carnem ſuam edere jubet, in ſenſu literali manifeſta eſſet abſurditas, ideo loquutionem eſſe admonet non ſimplicem ſed figuratam. Ergo ut ſe explicent Magdeburgenſes, duo probanda ſunt, Chriſtum jubere corporaliter carnem ſuam comedi, & de hac corporali comeſtione non loqui Auguſtinum.

Triceſimonono loco referunt quod à nobis ſcriptum eſt, quum adverſa pars dicat Chriſti corpus pane comprehendi non ſecus ac vinum cantharo, liceat ſaltem nobis quoque Chriſti verba commode interpretari. Hic nos accuſant calumniæ, quaſi vero non extent libri. Etſi ego neminem inſector, imo hoc ſepultum eſſe malim, quam novis pugnis materiam præbere: non tamen à nobis conficta eſt ſimilitudo: ſed quia plauſibilis quibuſdam eorum videbatur, palam ab ipſis eſt prodita.

Quadrageſimum argumentum, ut ab ipſis poſitum eſt, claudicat: Chriſtus revertetur ad ultimum judicium, ſicuti viſus eſt aſcendere: ergo non adeſt corporaliter in Cœna. Plenum hoc modo erit: Idem Chriſtus, qui ab hominum conſpectu ſublatus & in cælum receptus eſt, ſic veniet quemadmodum viſus eſt aſcendere, teſte Angelo, & è cælo expectandus eſt Redemptor, Paulo teſte: ergo corporaliter nunc in terris non eſt. Reſpondent Magdeburgenſes venturum forma viſibili. atqui diſtinctio hæc neque in Pauli, neque Angeli verbis reperitur: & tamen nihil magis conſentaneum fuit, quam

ſubjici conſolationem de inviſibili carnis præſentia, ſi qua eſſet: & quem de Chriſto ſimpliciter habetur ſermo, cujus licentiæ eſt viſibilem ſimul & inviſibilem imaginari? porro quo ſenſu diſcipulis ſe ſemper adfuturum promittat, alibi ex verbis Auguſtini expoſui. quanquam verba magis dilucida ſunt, quam ut requirant Interpretem. Quid enim magis præpoſterum eſt, quam quod de gratia, virtute & auxilio prædicatur, ad carnis eſſentiam rapere?

Quadrageſimum primum argumentum eſt, Chriſtum Stephanus videt in cælo ſedentem: ergo non habitat corporaliter in terra. Excipiunt Magdeburgenſes, ſpeciali revelationi non tolli quod Chriſtus inſtituit in Cœna. Imo quod Stephano revelatum fuit, fictitium eorum errorem optime refutat. nam ſi tunc præſentia Chriſti unica ad invictam fidei conſtantiam Stephano futura erat, multo ſatius erat coram ſiſti, ut manum porrigeret, quam procul oſtendi. Sicut ergo tunc aperti ſunt cæli: ita diſcant oculos aperire Magdeburgenſes, ut Chriſtum agnoſcant, quamvis in cælo ſedentem, immenſa tamen & incomprehenſibili Spiritus ſui virtute fidelibus in terra eſſe conjunctum. Nam quod non putant poſſe aliter conciliari, Chriſtum habitaſſe in Stephano quo tempore ab eodem viſus eſt, nimis eſt ridiculum. quando & Chriſtus ipſe diſerte exprimit, eodem modo quo Pater in nobis habitat, ſe quoque habitare. & Paulus modum illum definit, per fidem. Nihil in hac doctrina perplexum eſt, quod Chriſtus ſecundum carnem in cælis habitans, quatenus Mediator eſt, repleat totum mundum: & vere unum ſit cum ſuis membris, quia communis eſt vita.

Quadrageſimumſecundum argumentum eſt, Corpus Chriſti incluſum fuit utero Mariæ, ſuſpenſum in cruce, & in ſepulcbro conditum: ergo non eſt immenſum, & ubique. Reſpondent ita eſſe, ut pronunciat Chriſtus. ergo poſſe & velle eſſe uno in loco, & ſimul in toto orbe terrarum. Atqui pluris non eſt hæc ſolutio, quam ſi quis Anthropomorphita blateret, Deum eſſe naſutum, quia affirmat ſe odorari ſacrificia. atque hic belle ipſos deprehenſos teneo. Dicunt nos fallaciter & ſophiſtice crebro ratiocinari ab attributis corporis in abſtracto ad Chriſti perſonam: quæ calumnia nullo negotio diluitur: neque enim docemus Chriſtum, quamvis corpus ejus finitum ſit, eadem dimenſione comprehendi: imo aſſerimus replere omnia, quia ſeparari ipſum à ſuis membris nefas eſt. quia autem de carne quæſtio eſt, in ea inſiſtimus. Denique diſcrimen, quod tenendum eſt inter Chriſti carnem in abſtracto, & ejus perſonam, nos dextre illuſtramus: ipſi perverſiſſime confundunt. quia ut carnem Chriſti immenſam & ubique eſſe probent, identidem objiciunt unam eſſe perſonam in Chriſto. Itaque tam carnis ſuæ quam divinitatis reſpectu cælum & terram implere. An non hoc eſt carnem Chriſti in abſtracto quaſi capillis trahere, ut ſequatur quocunque ſe extendit divinitas?

Quadrageſimumtertium argumentum paulo fidelius referam, quam ipſi. Quum ſe promiſit Chriſtus fore in medio noſtri, de ſpirituali præſentia intelligi id debet. atqui promiſit quo nihil melius optari poteſt. tali igitur præſentia contenta eſſe poteſt fides. Reſpondent, hac illuſtri ſententia nos jugulari, quia Chriſtum ex his verbis nobis adeſſe colligimus, qualis tunc erat, hoc eſt, Deus & homo. Quid ſi contra excipiam, non adeſſe corporaliter qualis tunc erat, niſi adſit viſibilis? nam hæc, niſi fallor, inter qualitates numeranda eſt quæ maxime propria eſt, ac inſeparabilis: verum quando nihil apertius eſt quam Chriſtum ſe nobis illic conjungere, quatenus Mediator eſt ac caput noſtrum, lis tota facile dirempta erit, ſimulac conveniet, Chriſtum in perſona Mediatoris, vel ſi malunt totam Mediatoris perſonam vere & eſſentialiter eſſe in medio noſtri: quamvis Chriſti caro, vel quod idem valet, Chriſtus ſecundum carnem in cælo ſit. Nam quum ſpiritualis præſentiæ à nobis fit mentio, reſtringi hoc ad carnem debet. Ubi longo verborum profluvio ſe exinanierint, huc tandem redibit ſumma, carnem Chriſti in cælo manere, utcunque ſecundum Mediatoris perſonam in nobis habitet.

Quadrageſimumquartum argumentum eſt, Si ſubſtantiale Chriſti corpus datur in Cœna, promiſcue ingurgitatur ab incredulis non ſecus ac recipitur à fidelibus. quiſnam ita locutus ſit, neſcio: apud me quidem nullius hæc ratio momenti eſſet. Quamdiu enim delirio illo captus fui, ſubſtantiam ipſam carnis porrigi ſub pane, eam tamen impiis proſtituere, horrori erat. Et quibus portentis refertus ſit error ille, imo turgeat ac crepet, Chriſti corpus ab impiis comedi, ſatis ſuperque alibi monſtraſſe mihi videor. Dixit Chriſtus, Edite, hoc eſt corpus meum. Quid ſi à Turca, vel Judæo per ludibrium voretur ſacer panis? nullane profanatio erit corporis Chriſti, ſi in ventrem contemptoris tranſeat? Reſpondent Magdeburgenſes, Quia ita ſonant Chriſti verba, nullo abſurdo ſe moveri. Atqui putabam quando individuo nexu inter ſe cohærent mandatum & promiſſio, hanc non aliter impleri, quam ubi mandato obtemperatur. Et ſane quum docuerit Lutherus panem in ipſa tantum actione eſſe corpus: ipſi vero clamitent panem non eſſe ſymbolum, ſed corpus verum, & ſubſtantiale, quomodo ex hoc nodo ſe expediant, ſcire cupio. Sint pro more ipſorum centum fruſtula parata in uſum Cœnæ, ſæpe continget pauciores ad menſam convivas accedere. Ubi illinc diſceditur, corpuſne Chriſti eſt quod reſiduum manet: an finito myſterio corpus eſſe definit? Mihi vero modo frui liceat cum piis omnibus Chriſti corpore, facile illis concedam ſuum illud imaginarium participare cum Juda.

Quadrageſimumquintum argumentum eſt, Nihil alienum nos tradere à confeſſione Auguſtana: ideoque non eſſe tam acriter rixandi, vel potius digladiandi cauſam. Ea de re ſi ambigitur, provocamus ad auctorem Philippum. Dubitanter quum reſpondeant Magdeburgenſes, ego bona conſcientia fretus libere auſim idem repetere: mentis ſuæ, quoties viſum fuerit, interpres ſit Philippus. Interea præter contumaciam nihil adferent Magdeburgenſes quod diſſidium à confeſſione oſtendat.

Quadrageſimumſextum argumentum eſt, Si creditur Chriſtum corporaliter eſſe in Cœna, non poterit tranſſubſtantiatio Papiſtarum firmiter oppugnari. Reſpondent non eſſe facienda mala, ut eveniant bona. Ego vero totum illud libenter ipſis remitto, neſcio unde ſumptum ſit. imo vaniſſimum eſſe ex Scriptis noſtris apparet. Nam tum aliis rationibus ſatis validis à nobis refutatur tranſſubſtantiatio: tum una hæc abunde ſufficit, hoc modo everti analogiam ſigni & rei ſignatæ. Niſi enim in Sacramento viſibile & terrenum ſignum dono ſpirituali reſpondeat, concidit natura Sacramenti.

Quadrageſimumſeptimum argumentum eſt, Quia imaginatio de corporali præſentia idololatriæ Papiſticæ occaſionem præbuit, & eam adhuc confirmat, non eſſe aſſerendam. Reſpondent, conſequentiam ductam à vitio accidentali, non valere. Sed quid ſi aſſerimus res eſſe annexas? neque tamen declinandæ tantum idololatriæ cauſa præſentiam corporalem tollimus, ſed quo melius pateat quam deteſtabile ſit commentum de corporali præſentia, monemus neceſſario ſecum trahere impiam idololatriam. Nam quod negant adorandum eſſe Chriſti corpus, quamvis in pane ſit, quia Chriſtus adorationem illic non recipit, valeret ſi eorum reſponſa apud omnes authentica eſſent. Obtendunt, nuſquam extare præceptum de adorando Chriſti corpore. certe de Chriſto homine proprie dicitur, Exaltavit illum Deus,

& de-

& dedit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine Jeſu flectatur omne genu. Itaque merito & ſcite hinc colligit Auguſtinus adorandam eſſe Chriſti carnem in Mediatoris perſona. Cæterum, miror tam liberaliter nobis concedere Magdeburgenſes, quod reliqua eorum factio mordicus retinet. Quid enim ſibi vult illud Lutheri contra Lovanienſes, Sanctum & adorabile Sacramentum: niſi adoretur in pane corpus? Saltem conſentiant inter ſe, & ſuo Weſtphalo hic quoque ſubſcribant, ſi nolint prævaricari in cauſa, cujus ſunt patroni.

Quadrageſimum octavum argumentum male & infideliter recitant. neque enim inferimus unam fore hypoſtaſin carnis & panis, ſi in pane eſt caro: ſed ſi proprie, ut ipſi volunt, & abſque figura, panis ipſe caro eſt. Nam quia aſſidue inculcant ſe tantum docendi cauſa dicere carnem ſub pane dari, ſed interea ſtandum eſſe Chriſti verbis, quod panis ſit caro, hic velim mihi reſpondeant, quomodo inter ſubjectum & prædicatum conveniat, ubi non una eſt hypoſtaſis? Ergo ut centies pecuniam ſuam in arca claudant, excutietur illis ſua ſolutio. Tenentur etiam interim manifeſtæ repugnantiæ convicti, quia nunc conjungi fatentur corpus cum pane, quod antea negabant. Nam & duodecimo capite non dubitarunt duos iſtos locos ſimul conferre, Verbum caro factum eſt, Item, Hoc eſt corpus meum.

Quadrageſimo nono loco, ut nobis mendicitatem exprobrent, neſcio quid à ſe ſabricatum effutiunt, Nihil inutile eſt verum: doctrina de præſentia corporali eſt inutilis: ergo non eſt vera. Hic dicunt nos, ſicuti famelici ſolent, non tantum ex locis dialecticis, ſed etiam ex Rhetorum campis pabula corradere. Ego vero quia me ſic rhetoricari puderet, illis relinquo quod ſuum eſt. Interea ſeſe adverſus Paulum defendant, qui quæſtiones omnes damnat, unde nulla oritur ædificatio. Certe ſi inutilis eſt eorum doctrina, ſequetur ejus cauſa perperam moveri tam graves pugnas. Papiſtis quam nobis amiciores eos eſſe conſtat. Si ob frivolam quæſtionem: quam reddituri ſint olim rationem ſuæ truculentiæ, nunc viderint. Quare ut majorem refellerent, nihil opus fuit contra Legem Dei fœtidam blaſphemiam evomere. Contendunt verum interdum eſſe quod inutile eſt. ut rem indubiam probent, Lex Dei eſt illis inutilis. Dixerat quidem Apoſtolus, ceremonias ad umbras nihil profuiſſe ſuis cultoribus, nempe per ſe: an ideo tota Lex inutilis, cujus in ipſa quoque hominum damnatione perſpicitur utilitas? Videndum nunc reſtat quem fructum pariat quod obtrudunt commentum. locus ille, Caro non prodeſt quicquam, antehac fuit expoſitus. Cæterum, ut nullis Scripturæ teſtimoniis nitamur, quum doctrina noſtra ſolidam Chriſti cum ſuis membris conjunctionem, in qua tota noſtra ſalus & fœlicitas incluſa eſt, contineat: ipſi autem manducationem poſtulent Judæ & Petro promiſcuam, clare apparet, de nihilo eos rixari.

In argumento etiam quinquageſimo fucum faciunt. itaque illis facile eſt ſuas umbras diſcutere: ſed mihi ita agenti reſpondeant velim, Communicatio ſubſtantiæ carnis Chriſti, quam defendunt, vel temporalis vel perpetua eſt. Si perpetuam dicant, ſubſtantialiter ergo in ſceleſtis quibuslibet manebit Chriſtus, dum alius ſcortabitur, alius jugulabit hominem innoxium, & quiſque nefandis criminibus ſe polluet. ſi eſt temporalis, ac tantum unius momenti, quorſum juvat Chriſtum recipere, quem eodem in loco relinquas, ſimul ac pedem à menſa ſuſtuleris? Certe niſi perpetua ſit communicatio extra actionem Cœnæ, nihilo plus conferet quam rei amiſſæ recordatio. Et certum eſt quod alibi affirmat Dominus de perpetua in nobis manſione ſua, & quod de habitatione in cordibus noſtris per fidem docet Paulus, in Cœna obſignari. unde colligitur, communicationem, cujus in Cœna ſumus participes, perpetuam eſſe. Jam ita mihi ratiocinari licet, Specialis eſt promiſſio de Chriſti habitatione in nobis, & ad ſolos fideles dirigitur: ergo Chriſto non niſi fideles potiuntur in Cœna. En quam attenti ſunt boni cenſores ad cauſam, quam à nobis melius conſiderari jubent.

Argumentum quinquageſimumprimum eſt, Doctrina ferens multa ſecum abſurda non vera eſt: Doctrina de corporali præſentia Chriſti multis abſurdis eſt implicita: ergo ſequitur non eſſe veram. Majorem univerſaliter veram eſſe negant: quia variæ ſint abſurditatum ſpecies: in theologia non eſſe habendum pro abſurdo quicquid repugnat humanæ rationi. Cæterum, an quæ proferimus ejuſmodi ſint necne, ex ſequentibus judicent lectores.

Quinquageſimoſecundo capite primum abſurdum commemorant. Abſurdum eſt corpus & ſanguinem Chriſti ubique eſſe: ubiquitatem vero requirit corporalis præſentia in Cœna. Reſpondent Magdeburgenſes rationi tantum humanæ, non fidei hoc eſſe abſurdum: quia nunquam abſurdum erit Chriſto credere. Si probaſſent quid Sacramenti naturæ conveniat non eſſe ſpectandum, ſcrupulum forte nunc injicerent. ſed quia jam centies à nobis probatum eſt, quamvis ſub pane non lateat præſentia carnis Chriſti, verbis ejus deferri quam merentur fidei reverentiam. nondum ſolutus eſt nodus. Arctius etiam eos ſtringit, quod brevi & flexiloquo ſermone obſcurant. Aut enim totum Chriſti corpus porrigitur ſub pane, aut dimidium: ſi totum, ergo non minus ſanguis eſt panis, quam caro. Idem transferre ad calicem convenit, vinum ſcilicet non minus corpus eſſe, quam ſanguinem. Si exangue fingant Chriſti corpus, & ſanguinem à carne elicitum ſeorſum ſtatuant, quid fœdius hoc portento? Non agitur hic de communi cibo & potu. in Cœna ipſa quomodo ſe putent comedere Chriſti corpus, & ſanguinem ejus bibere, quæro. Si reſpondeant totum eſſe in qualibet parte, cur ergo panis corpus potius quam vinum? & cur vinum ſanguis potius quam panis? Si reſpondeant modum ſibi eſſe abſconditum, cur ergo tam audacter de ſubſtantiæ præſentia definiunt? quod eos in hanc abyſſum præcipitat. Obmurmurent ſi libet, abſurdum hoc non niſi phyſicum eſſe, nullis tamen niſi pluſquam fatuis perſuadebunt ſubſtantiam ſanguinis à carnis ſubſtantia poſſe à Chriſto avelli. Conjunctio autem verbis repugnat. Cæterum, ſi Chriſtus in cælo maneat integer, nihil obſtabit quo minus carnem in cibum porrigens, & ſanguinem in potum, utroque ſeorſum nos alat ac vivificet.

Quia quinquageſimotertio loco verba noſtra mutilant & adulterant, hoc abſurdum obſervent lectores, Quando cæleſti Chriſti gloriæ derogat, corpus ejus includi ſub terrenis elementis, contumelia eum affici, dum corporaliter in pane locatur. Excipient forte Magdeburgenſes, ſecundum naturam poſſe hoc videri contumelioſum Chriſto, ſecundum theologiam non eſſe. Quid? ubi aſſeritur Chriſto quod non quiſpiam mortalium, ſed Deus ipſe de eo pronunciat, ao nondum eos pudebit ad miſerum illud aſylum confugere? Scio Chriſto non fuiſſe probroſum, in cruce ſuſpendi, in qua de morte & diabolo triumphum agens, quaſi in curru triumphali ſublimis ſedit. nunc vero, è ſede cæleſti detractus, terreno & corruptibili elemento alligatur, quam diſſimilis ratio eſt? Neque enim quum in cruce penderet, Pater eum in cœlo beata immortalitate frui adhuc voluit. nunc vero recepit eum è terris, ut ſupra cælos omnes emineat. Quare deſinant Magdeburgenſes obtendere Sapientiam Dei, ſtultitiam eſſe mundo: quibus ſua pervicacia ſen-

ſus

Digitized by Google

ſus excæcat, ne dubitent ſurſum ac deorſum omnia miſcere.

Morem ſuum ſequuntur quinquageſimoquarto capite: Summa tamen eſt, Quæcunque doctrina pugnantiam in Scripturis indncit, eam falſam eſſe. quia autem ſi recipitur corporalis præſentia in Cœna, pugnabunt ſecum Scripturæ: merito repudiari hunc errorem. Majorem diſtinguunt, quia ex vera doctrina ſæpe moventur contentiones. quaſi vero aliam doctrinam dicamus vitioſam eſſe, niſi quæ diſſidium Scripturæ in ſe continet. Suo commento ſi negant ſcindi Scripturam, nibil mirum: quia nihil illis promptius eſt, quam cælos conciliare inferis. quum hæc inter ſe pugnare negent. corpus Chriſti ubique eſſe & in loco, finitum & immenſum, viſibile & inviſibile, mortale & immortale, totum & dimidium, ubi jam reperietur ulla diſſonantia? Sed pios ac ſobrios lectores obteſtor, ne à vertiginoſis hominibus Spiritum concordiæ & unitatis raptari ſuſtineant, ut ſecum ipſe confligat, & Scripturas lacerari, ut Chriſtum multiformem hinc inde proferant.

De argumento quinquageſimoquinto, verbum facere piget: niſi quod de incredibili eorum impudentia breviter monendi ſunt lectores, quando inſulſum neſcio quid auſi ſunt abſque colore comminiſci, quod in faciem noſtram impingerent. Cni enim unquam in mentem venir, Chriſtum, quia carnem à nobis aſſumpſit, non dare nobis edendam? Imo ubique profitemur carnem ideo induiſſe, ut ejus communicatione, animæ noſtræ vivant. Docemus enim quatenus homo factus eſt, eſſe ex oſſibus noſtris, & carne noſtra: quatenns autem nos vivificat, impleri illud Pauli, ut ſimus ex carne ejus & ex oſſibus. Quare oppugnent ſua mendacia ut volent Magdeburgenſes, modo ne quid in nos dedecoris vel invidiæ redunder.

Quinquageſimumſextum argumentum eſt, Contraria ſunt, Chriſtum in carne ſua mundo relicto receptum eſſe in cælos, & in carne ſua latere ſub pane. Reſpondent non eſſe diſſona ſecundum fidem, ſed vertiginoſo noſtro ſpiritu fieri, quod dictu facile eſt, ſed probatu non ita. Nam quod obtendunt fidem non metiri Dei opera rationis captu, ſed laudem veritati & omnipotentiæ tribuere, etſi verum eſſe concedimus, non tamen inde ſequitur, quum ſimplex & una ſit Dei veritas, fidem Deum transfigurare, ut ſecum ipſe diſſideat. Hoc Dei teſtimonium eſt, Chriſtum in cælos receptum eſſe, & cælis oportere comprehendi uſque dum adveniat Redemptor, & illic quærendum eſſe. Ab hac doctrina quum prorſus diſcrepet commentum de præſentia corporali, quorſum obtendere juvat in hac repugnantia. dandum eſſe locum Dei omnipotentiæ, præſertim ubi in promptu occurrit facilis & expedita ratio, quomodo Chriſtus in cælo ſedens, ſe nobis fruendum in terra offerat? quanto pauſibilius jactare nobis licebit, præpoſtere fidem exerceri in carnali Chriſti eſu, localique præſentia, quum ejus naturæ longe ſit aptius, ſurſum conſcendere, ut ſpiritualiter fruatur Chriſto?

Quinquageſimumſeptimum argumentum proximo affine eſt, Pugnare inter ſe hæc duo, Chriſti carnem quæ inviſibilis cælo eſt, inviſibiliter & inſenſibiliter ſub pane comedi. Nam quod recitant quaſi à nobis dictum, Conſentaneum non eſſe Chriſtum, qui carnem & oſſa habet, ſine carne & oſſibus comedi, ſibi habeant. Quid enim hoc ad cauſam, ubi de ipſius carnis manducatione inter nos lis eſt? nam quod reſpondent non pugnare quoad ſenſum fidei, tantundem valet, acſi Anthropomorphitæ jactarent, ſe dum credunt Scripturæ verbis de oculis, naſo, ore, auribus, brachiis & pedibus Dei, connivere ad omnia abſurda, quia fides omnem repugnantiam ſuperat.

Quinquageſimooctavo loco non minus ſuam inſulſitatem, quam malitiam produnt, Dixeram alicubi, Weſtphali & ſimilium proterviam doctis & cordatis hominibus non poſſe non odioſam eſſe: quum ex diſcipulis & familiaribus Lutheri, doctiſſimi quique teſtati eſſent ſibi placere meam docendi formam. duos nominaveram, Gaſparum Crucigerum, & Vittum Theodorum. Hic mihi cornutam dialecticam affingunt Magdeburgenſes, acſi attexta eſſet à me hæc conſequentia. Ergo habemus bonam cauſam, ac cæteri Saxonici doctores omnes debent in noſtram ſententiam pedibus, (quod dici ſolet,) concedere. Et bonis ſcilicet viris dolet, mortuos aſpergi infamiæ nota, qui ſe tam ſœdo luto obruunt. Jam ne Eccleſiam, cujus miniſter fuit Theodorus, fruſtra in me provocent, iterum repeto, nihil me dixiſſe, quod non propria ejus manu, quoties opus erit, teſtatum ſaciam. De Crucigeri conſenſu, ne longius abeamus, teſtis mihi ſit vel Philippus ipſe, cujus auctoritas exceptione major eſſe debet apud diſcipulos.

Ultimum argumentum recenſent, Nos Sacramentarii ſplendidius hanc cauſam expoſuimus, quam illi qui contra ſentiunt, aſſequi queant. Ergo veraces ſumus, & noſtri adverſarii debent tacere. primo, quod nomen ignominiæ cauſa improbe ab ipſis in nos collatum, recipere ſimulant, quam inſipide in eo ineptiunt? Quoties me Sacramentarium vocabunt, nihilo magis quam latratu canis movebor. imo objicere nobis occupant quod vere & merito exprobrare ipſis licet. ſicuti enim Teſtamentarii vocantur, qui vel falſa aſcribunt legata, vel ſupponunt falſos hæredes; ita hodie boni iſti homines, cum præter teſtatoris mentem fictitium corpus nobis ſupponant, an non idem merentur nomen? quod certe nullo colore nobis aptabitur. Sed hac eorum ſutilitate omiſſa, venio ad rem ipſam. Dixi, fateor, nec me pœnitet, ſplendidius me ornaſſe ſacram Cœnam totamque ejus vim, dignitatem & efficaciam melius ac fidelius explicuiſſe quam omnes Weſtphali ſimiles. injuſte igitur eum facere, qui ſe pro tuenda Cœna mecum pugnare ſimulet. Et quid ſane indignius, quam tempeſtuoſos homines, dum ſola moroſitate inducti Eccleſiam Dei conturbant, ſe venditare fallaci prætextu, quaſi ſacram Cœnam defenderent contra nos, qui ejus dignitatem non minus honorifice aſſerimus, quam luculente diſſerimus de tota ejus natura & virtute? Ut libros omnes meos omittam, quibus diſerte doceo, Chriſtum minime fallacem eſſe, ut nudis & inanibus figuris nobiſcum ludat, ſed quod figurat vere ſimul præſtare: Conſenſus noſter nonne idem continet? Neque tamen clamitare deſinunt iſti homines, nos ſacram Cœnam exinanire. Nunc quoque objiciunt Magdeburgenſes, non ſerio judicium ſibi deferri. Verum ſi propius expenderent, quos ego judices appellaverim, locum ſibi non eſſe viderent in eorum albo. Fideles Chriſti ſervos, graves, & moderatos homines non recuſo judices: ſuperbis, præfractis, contumelioſis fratrum contemptoribus hanc auctoritatem deferri nulla ratio patitur. Et adhuc ſe infantibus comparant, per quos Deus laudem ſuam perficit: nos vero putida oſtentatione terrores objicere calumniantur. Sed utinam ſpiritu manſuetudinis & modeſtiæ induti, ſaltem probarent ſe eſſe homines. Oſtentatio ubi major & vanior quam in ipſis reperietur? cujuſmodi eſt, dum hoc eodem loco Thraſonice facturos ſe jactant, ut tinniant nobis aures, cordaque palpitent ſuis clamoribus. En humiles pueri, qui ut omnia ſibi arrogent, guttam Spiritus non relinquunt Chriſti ſervis, ex quorum tamen laboribus, ſi qua ipſi præditi eſſent docilitatis gutta, proficere debebant. Durior tamen calumnia eſt quod addunt, contra conſcientiam nos veritati reſiſtere, cujus ut iniquitas toti mundo nota ſit, te Chriſte Fili Dei, ſumme mundi Judex, cujus imperium diabolis ipſis formidabile eſt, appello, ut nunc & in illo die palam facias, tan-

tuſne

tuſne unquam furor animo meo obrepſerit, ut doctrinam tuam ullo mendacio, vel corruptela inficerem. Quod ſi ab hoc crimine purum, & remotiſſimum eſſe vides, imo mihi fidus es teſtis, ſincere & ex animo profiteri quam ex ſacroſancto Euangelio tuo didici fidem, ut diabolicam iſtorum hominum maledicentiam compeſcas, quos vel ſua pertinacia, vel faſtus ſic excæcat, ut pervertant omne diſcrimen.

Nunc rurſus ad vos, pii lectores, ſermonem converto, quos omnes obteſtor, ne tinnitu illo, quo gloriantur Magdeburgenſes, ſenſus veſtros obſtupefieri ſinatis. hæc vox in eorum linguis aſſidue reſonat, non eſſe diſputandum, ubi Chriſtus unicus Magiſter ac Doctor quid credendum ſit clare docuit: non eſſe litigandum, ubi idem ſummus Judex protulit apertam ſententiam: nempe quia nec quicquam in nos magis odioſum, nec ſibi magis plauſibile fore vident, quam ſi perſuadeant imperitis, non poſſe de hoc myſterio moveri quæſtionem, quin labaſcat Chriſti auctoritas. Ejuſdem artificii eſt, quod ſubinde clamitant non minore periculo audiri humanam rationem, quam ſi quis meretriculæ blanditiis illectus, ſe in exitiales laqueos conjiciat. atque hæc quidem licet conciliandi favoris cauſa linguis perſonent, metuendum tamen nobis non eſt, quin fucos iſtos ſtatim abſtergat rei cognitio Ideoque nihil aliud nobis optandum, quam ut judicium ex ipſa cauſa facere omnes ſuſtineant. Illic vero ſtatim occurret, non alia de cauſa Chriſti verbis interpretationem nos quærere, niſi quia ſeria eorum reverentia cordibus noſtris inſidet. ratione quoque humana valere juſſa, erectis ſupra mundum mentibus, myſterii hujus altitudinem, qua decet fide ſuſpicere, & admiratione proſequi. Itaque diſcuſſis fumis, quibus perſtringi ſimplicium oculos, ne ad ullam diſquiſitionem penetrent, iniquiſſimum eſt: facile evaneſcet falſa invidia, in qua totius ſuæ defenſionis ſummam locant adverſarii.

Jam quid ſuo loco afferunt Bremenſes? ut quieta illis maneat ſtatus ſui poſſeſſio, Lutheri magnanimitatem multis elogiis prædicant. quod ego libenter patior: modo ne tam præclari doctoris nomine perperam & indigne abuterentur in ſuum commodum, vel potius ad ſuam libidinem. Si quid vitii permixtum fuit ſummis Lutheri virtutibus, ſepultum eſſe velim. certe quæcunque fuerunt ne ea exagitem, donorum quibus præditus fuit, reverentia & amor me retinet: vitia autem pro virtutibus exoſculari, ſtultæ & præpoſteræ affectationis eſt. minus etiam inexcuſabilis inconſiderati zeli fervor, quod Scripturam turpiter & pudendum in modum corrumpunt, ut Joannis Baptiſtæ ſpoliis Lutherum exornent. Quamvis enim non negent etiam in Joanne Baptiſta factum eſſe quod de venturo Elia prædixerat Malachias, volunt tamen de Luthero intelligi hoc vaticinium: quia ſit Elias ille, per quem reſtituenda fuerint omnia: & quod in Joanne Baptiſta ſemel factum eſt, non obſcure tam Prophetæ quam Chriſti teſtimonio, in Luthero fuiſſe iterandum. qua falſitate non minus fœdarunt Lutheri nomen, quam Ægyptii Jeremiæ corpus, ſepulchrum ejus adorando. atque ut Eliæ nomen concedatur Luthero, ſacrilegæ tamen eſt temeritatis, aſſerere ultimum Eliam, ac ſi præciſa eſſet Deo manus, ne quem vel præſtantiorem, vel parem poſthac emittat. nam quo oraculo illis patefactum eſt, in unius hominis perſona ſic exhauſtos, vel imminutos eſſe potentiæ Dei theſauros, ut nemo ſimilis prodeat ex illa immenſa & incomprehenſibili ſcaturigine? nec dubito quin data opera væſanos iſtos præcones Satan excitet, ut profanis & naſutis hominibus ſuppetat, quam captant, maledicendi occaſio. atque utinam non minus in toto ſcripto, quam in verbo uno mutila fuiſſet ejus manus, qui atteſtari non potuit, niſi per unum T! Jam quum Lutherus principium hoc ſemper tenuerit, nec ſibi, nec cuiquam mortalium fas eſſe, niſi ex verbo Dei ſapere, mirandum ac dolendum eſt, tam imperioſe ejus placitis Eccleſiam Dei aſtringi. Negabunt hoc ſibi eſſe in animo. pauliſper ergo quieſcat Lutheri nomen, donec ſedata placidaque ratione cauſam egerimus. Quod à falſis doctoribus cavendum eſſe monent, ego quoque recipio: nec alio tendunt noſtræ admonitiones, niſi ut à peſtifero eorum delirio ſibi caveant filii Dei. Cæterum, de re ipſa quid? magiſtraliter pronunciant ſe non ſymbolice, nec metonymice accipere Chriſti verba, Hoc eſt corpus meum: ſed ut ſonant relinquere in nativo ſuo ſenſu. Ego metonymiam ſubeſſe dico, quia non poteſt in panem competere nomen corporis, niſi quatenus ſymbolum eſt. Hanc ſententiam ſatis ſuperque confirmat quæ inter ſignum & rem ſignatam ubique in Scripturis occurrit analogia. Cur ipſi in craſſa abſurditate literalem ac crudum ſenſum arripiunt ſi ratio quæritur, reſpondent hac poſtulatione nihil eſſe iniquius vel ſtultius. Quorſum ergo attinet quotidie eos ex ſuggeſtu clamitare, ſi ab Eccleſia arcetur Scripturæ interpretatio? Sed clarus textus non indiget probatione, inquiunt. nempe modo admitterent Sacramentum eſſe ſacramentum. Dum pronunciat Paulus Eccleſiam mundatam eſſe lavacro aquæ, ſententiæ hujus veritas omnium conſenſu recipitur. inde ſi colligant corruptibili aquæ elemento purgari animæ ſordes, Sol ipſe juſtitiæ obſcurabitur. Vere etiam ab eodem dictum eſſe, Chriſtum indui in Baptiſmo, conveniet inter omnes. Jam ſi Chriſtum in veſtem transfigurent Bremenſes, quales tenebras pro claritate inducent? audimus tamen quid verba ſonent, in ipſa porro interpretatione velim infeſta ſigna oſtendant, quibus nos hoſtiliter inter nos concurrere mentiuntur. quanquam ſi quid alii ab aliis diverſum tradiderint, nihil id ad cauſam. Tantum expendant lectores, An Sacramentalis loquutio in communi Scripturæ uſu fundata, quia Bremenſibus non arridet, prorſus repudianda ſit. Sed quatuor rationes impediunt, ne à ſententia diſcedant. Prima eſt, quod Jeſus Chriſtus verus & perfectus Deus & homo Inſeparabiliter in unam perſonam unitus ſit. atqui naturæ humanæ cum divina unio non facit confuſam utriuſque unitatem, nec perſonæ unitas naturam divinam ſic permiſcet cum humana, quin utrique ſalva maneat proprietas. certe Chriſti anima propius ad divinitatem quam corpus acceſſit. neque tamen ideo confeſſus eſt Lutherus Chriſtum, quatenus homo erat, rerum omnium ſemper præſcium fuiſſe. Secunda eorum ratio eſt, quod dextra Dei, in qua ſedet Chriſtus, ubique ſit. quaſi negemus Chriſtum mediatorem Dei & hominum omnia ineffabili modo implere, ut totus ubique ſit: & tamen ſecundum carnem in cælo ſedem occupet. Tertia ratio eſt, verbum Dei non eſſe falſum vel mendax. atqui non agitur de falſitate Verbi, ſed de præfracta eorum contumacia, qua fit ut ne primis quidem Scripturæ rudimentis locum tribuant. Nam ſi hic eorum permiſſu & pace locum obtineat quæ invitis ipſis & repugnantibus vigere in omnibus Sacramentis debet regula, mox finitæ erunt omnes lites. Quarta ratio eſt, quod Deus multiplices & varios habeat modos alicubi in aliquo loco eſſendi. ſed hæc varietas non facit, ut Chriſti corpus quum Cœnam inſtitueret uno in loco viſibile, finitum, & mortale fuerit, pluribus ſimul in locis inviſibile, immenſum & immortale. En quam vere jactent, certa, firma, & irrefutabilia eſſe, quæ ad ſtabiliendum ſuum errorem obtendunt: in quo ut ſecure acquieſcant, facit eorum ſtupor: tuto certe nequeunt. Nam quod objiciunt figuram corporis non fuiſſe traditam, nec ſignum ſanguinis fuiſſe effuſum, hinc clarius perſpicere licet, quam audacter iſti paterculi cum umbra ſua digladientur. quorſum enim tendit quæ à nobis ponitur metonymia, niſi ut panis Sacramentali modo

verum ſit Chriſti corpus pro nobis crucifixum? atque ita ſub externo ſymbolo nobis vere communicetur? nec phyſicis modo argumentis nitimur, ſed quod Scriptura de carne Chriſti aperte docet, volumus firmum & inviolabile ſtare: ſicuti paulo ante admonui non affingere nos Chriſti verbis alienum ſenſum, ſed quem exigunt ſimiles loci. pulchre ſe expediunt Bremenſes, quia ſcriptum eſt, Fruſtra me colunt mandatis hominum, cunctis rationibus clauſam eſſe januam. Quam vero intempeſtive plauſibili illo dicto ſe arment, humanæ rationi ſemper Dei verbum opponi debere, jam ſæpius me palam feciſſe exiſtimo. Sicuti enim clauſis oculis libenter ſequimur quocunque voce ſua nos Deus vocat: ita nolumus bruto ſtupore miſcere nos immundis animalibus quæ ungulam non findunt. Ne hæc memorabilis epiſtola juſto pondere careret, nomen ſuum apponit Chriſtianus Haveman. Accedit alter ſubſcriptor Joannes T. A. qui unus ſua celebritate perſonas omnes ſuſtinet. Hæc enim verba ſunt, Propter opportunitatem fidelium Chriſti membrorum, quæ erant ad vos obiter abitura, non potuimus habere omnium piorum fratrum ſuis manibus deſcripta teſtimonia. aliqui enim civitate aberant, aliqui ædibus: interim ut in ore duorum teſtium veritas ſit rata, teſtor, &c. Jam vero prætextu verborum Chriſti tam faſtuoſe criſtas erigere nihil miror qui primis nominum literis orbem terrarum ad credendum obſtringunt. Idem tamen alibi non tantum in exprimendo nomine liberalior eſt, ſed etiam in frigida & inſulſa additione facetus vult haberi ſcurra, Ego Joannes Timannus Amſterodamus paſtor eccleſiæ Bremenſis in eccleſia Martiniana, ſi Sacramentariis placet, in eccleſia ſancti Martini epiſcopi Turonenſis. hoc gravitatis ſpecimen ad conciliandum homini fidem ſcilicet valebit. Tot ineptiarum pertæſus, jam ad alios tranſirem, niſi me pauliſper adhuc teneret alia eorum confeſſio, quam ſibi ſumma neceſſitate expreſſam fuiſſe dicunt ob nugas meas ſibi dedicatas. Quia autem non Bremenſes modo, ſed reliquos ejuſdem factionis officium à me exhibitum adeo ſtomachoſe reſpuere video, breviter admonitos eſſe velim, de nihilo excandeſcere. Clamitant ſibi ſummopere diſplicere, quod librum meum ſub ſpecie honoris Saxonicis Eccleſiis obtrudere auſus fuerim. atqui mihi ignoſcendum eſt, ſi homines eſſe putavi, qui ſua truculentia meram feritatem ſpirent. Quanquam mihi in promptu eſt verior excuſatio. neque enim Weſtphali ſubſcriptoribus librum dicare mihi decretum fuit: neque id ullo verbo unquam præ me tuli. inſcriptio eſt, Ad probos omnes Chriſti miniſtros, & ſinceros Dei cultores, qui puram Euangelii doctrinam in Saxonicis Eccleſiis & Germania inferiore colunt & ſequuntur, ex quorum numero ſe minime eſſe produnt, quibus ſuperbia loco pietatis eſt; quos ferocitas omni humanitate ſpoliat: & quibus obſtinatio nihil moderationis reliquum facit. Confeſſio eſt, Verum Chriſti corpus ſubſtantialiter in Cœna edendum porrigi. nos quoque veram carnis Chriſti κοινωνίαν de qua loquitur Paulus, non minus luculente aſſerimus. modi tantum definitio quæritur. Negant ſibi curæ eſſe Bremenſes quomodo id fiat, quia ſimpliciter credunt Chriſti verbis. Iterum excipio nos ſimpliciter Chriſti verbis credere, neque tamen ultro ſuffocare lumen Spiritus, neglecto interpretationis dono. Ita concidit ſpecioſa eorum excuſatio, dum ſe quatuor authenticis teſtimoniis conſtringi dicunt, Matthæi, Marci, Lucæ & Pauli. Neque enim fidem illis abrogat noſtra doctrina, ſed quod præpoſteri iſti homines tenebris involvunt, fideliter dextreque elucidat. an vero firmiſſime illi omnes & abſque ulla interpretatione aſſerant verum & naturale Chriſti corpus eſſe panem, lectio doceat. Hoc eliciunt Bremenſes ex contextu. ergo & nobis ex eodem contextu elicere liceat, aliter quam imaginantur, corpus & ſanguinem nobis in Cœna offerri. Quid in calice dari recitant Lucas & Paulus? nempe teſtamentum in ſanguine. eadem quum ſit corporis ratio, ſequetur ex Chriſti verbis non aliud poſſe colligi, niſi ſanciri ſub pane nobis fœdus in corpore Filii Dei, quod pro nobis crucifixum eſt. Edere jubemur, quod pro nobis crucifixum eſt corpus. nempe ut ſacrificii illius quo expiata ſunt mundi peccata, fiamus participes. Si res conjunctas eſſe excipiunt, ſacrificii fructum, & carnis communicationem, hoc ipſum nunc urgeo: quando eadem Lege & iiſdem verbis corpus ſuum & fœdus in corpore offert Filius Dei, alterum non recipi ſine altero. Quia dictum eſt, Edite, hoc eſt corpus meum, volunt Chriſti corpus ab hominibus qualeſcunque ſint, ſubſtantialiter comedi. Cur non ego contra, quoslibet ex calice bibendo fœdus recipere? ita ſequatur, vere & ſpiritualiter Chriſto communicare quicunque ad menſam accedunt. nodum hunc expediant Bremenſes, niſi ſtrangulari velint. Etſi autem verum Chriſti corpus comeditur in Cœna, non ideo tamen, ſicuti volunt, ſpiritualis interpretatio excluditur, quæ modum diſtinguat, quando hæc optime conveniunt, idem corpus, quod ſemel victima factum eſt, nobis dari: neque tamen comedi carnali modo. Certe Auguſtini, & Hieronymi ætate nemo ambigebat, quin unicum eſſet Chriſto corpus. ille tamen, ut obviam eat craſſæ imaginationi, Chriſtum inducit loquentem, Myſterium vobis commendavi, ſpiritualiter intellectum vivificabit vos. Hic etiam aſperius pronunciat, aliam eſſe carnem Chriſti qua in Cœna veſcimur, quam quæ in cruce oblata fuit: & alium bibi ſanguinem, quam qui fuit oblatus. non quod re vera diverſas carnis & ſanguinis naturas eſſe putaret: ſed quo certius exprimeret in myſterio comedi, hoc eſt, fieri arcana Spiritus virtute ut Chriſti caro vere ſpiritualis nos vivificet. Antehac aliquoties negarunt ſpirituale eſſe Chriſti corpus, quod nobis proponitur in ſpiritualem cibum. quaſi vero minor ſit hodie corporis glorioſi dignitas in Chriſto, quam olim futura eſt in omnibus ejus membris. Paulus de generali piorum reſurrectione diſſerens, Quod nunc eſt animale, inquit, tunc fiet ſpirituale: quia abſorbebitur mortalitas à vita. Jam uno errore non contenta Bremenſium pervicacia, omnem ſpiritualem modum & interpretationem excludit. Longe etiam craſſius ex frangendi verbo inferunt, panem qui in Cœna diſtribuitur, verum & naturale eſſe Chriſti corpus. Paulus, fateor, uno in loco panem frangi dicit, alio autem, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur. Sed miror bonos iſtos Hebraicæ linguæ doctores, qui paulo poſt ex pronomine, Hoc, faciunt maſculinum pronomen, Hic, quia neutro genere carent Hebræi, non tenere quod pueris elementariis tritum eſt, verbum præſentis temporis debere in futurum reſolvi. certe idem dicit quod reliqui Euangeliſtæ, apud quos nulla quotidianæ fractionis fit mentio, ſed tantum memoratur traditio in cruce facta. Quare Frangi Paulo tantundem valet, atque immolari: niſi quod ad myſticam actionem, quæ vivum eſt mortis Chriſti ſpeculum, alludit. Commentum ergo, quod pro genuino ſenſu obtrudunt Bremenſes, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis in pane frangitur, vel diſtribuitur, nihil aliud quam belluina profanatio eſt, quæ piis omnibus, ut ſpero, execrabiles eos reddet cum ſuo errore, quem aliter tueri nequeunt, niſi omnia pervertendo. In nomine κοινωνίας cur tantopere inſiſtant nulla eſt cauſa. Participationem ſignificat. quid tum? nam ſi inde colligant ſubſtantialiter comedi Chriſti corpus, viciſſim dicemus ſacerdotes ſubſtantiam altaris voraſſe, & ſubſtantialiter etiam deglutiri idolum à ſuis cultoribus quando in utroque κοινωνίαν ſtatuit Paulus eodem loco. Quod etiam veteris Teſtamenti ſymbola, & figuras hinc

pro-

procul rejiciunt, fateor quidem umbrarum & corporis tenendum eſſe diſcrimen, modo ne pereat nobis ſimilitudo, quam Spiritus ſanctus clare aſſerit. Antiqua & recentioris Eccleſiæ teſtimonia quo jure obtendant ſupra copioſe oſtendi. nec nova refutatione opus habet quod de omnipotentia Chriſti rurſus jactant. Quod ergo mendacii Chriſtum arguere contendunt quicunque Metonymiam eſſe docent in Chriſti verbis, qua rei ſignatæ nomen ſigno tribuitur, ut panis ſymbolice Chriſti ſit corpus, barbariem omnem ſuperat: præſertim quum furioſum ſimul anathema evomant, ſe penitus inſeris commendate, qui virtute Spiritus ſancti dicunt, animas noſtras carnis Chriſti ſubſtantia paſci ſpiritualiter, atque ut ſimus hujus communicationis participes, volunt nos in cælum aſſurgere. Hoc certe modo totam veterem Eccleſiam ad inferos detrudunt, quæ in celebrando hoc myſterio ſolenni præfatione ad mentes ſurſum tollendas hortata eſt. Si non modo maledicta eſt metonymia, ſed blaſphemia ſcatet, quid miſero Auguſtino fiet, cujus verba ante recitavimus? Panem Cœnæ quodammodo eſſe Chriſti corpus, quia niſi Sacramenta earum rerum quas figurant obtineant nomen, ſacramenta non erunt. Nam quo ſenſu interdum veteres carnali ore ſumi Chriſti corpus dicant, alibi expoſuimus, nempe quo ſimul etiam adjungunt, conſumi. quibus verbis fieri Bremenſes, ſi excrementis annumerent Chriſti corpus, quis non à tali prodigio abhorreat? Ut aliquando finiam, ſi ex Chriſti verbis, Edite, hoc eſt corpus meum, infertur, ore carnali percipi ſubſtantiale Chriſti corpus, nihilo infirmius erit argumentum, divinam Spiritus eſſentiam carnalibus oculis fuiſſe conſpectam: quia dictum eſt, Super quem videris Spiritum S. ita fiet, ut æternus Dei Spiritus tranſierit in columbam viſibilem.

Sequuntur Hildeshemenſes, qui magna fiducia cauſam hanc ſe aggredi jactant: quia Chriſto patrocinentur, & nobis interitum inſtare denunciant, quorum mentes ſui admiratione ſic tumere dicunt, ut ſuperbia diffluere videantur. magnificum exordium, modo ne amphora in urceum declinet. Imo vero paulo poſt videbimus tam ſonoras jactantias in nihilum prorſus recidere. Et confeſſio quidem ab ipſis mox addita mihi eſſet tolerabilis, niſi eam paulo poſt fœdis commentis corrumperent, Chriſtum Cœnam inſtituiſſe, ut perpetuus eſſet hujus myſterii in Eccleſia uſus. Illic mandatum & promiſſionem contineri, proponi oculis corruptibilem panis & vini materiam, verum Chriſti corpus ſimul dari, extra controverſiam eſt: ideoque in ſola definitione lis reſtat. Et quoniam in gratiam Weſtphali recta me petunt, cauſam meam defendere ſufficiet. Faceſſant odioſa ſectarum nomina. qua fronte me nihil myſterii, nihil ſpiritualis fructus relinquere in Cœna dicunt, qui nuda elementa ſtatuo, quæ nihil à reliquo pane & vino differant? atqui ubique teſtificor, quia minime fallax eſt Chriſtus in ſuis ſignis, viſibili elemento annexam eſſe veritatem, vereque præſtari intus arcana Spiritus virtute quod figurant panis & vinum. Et paulo poſt fateri coguntur multa nos non male docere de manducatione ſpirituali, cui ſi nihil conſolationis ineſt, vel fructus, ubi reperietur conſolatio? eam vero ſi non ſentiunt, quam pudendus ſtupor? Sed ita varie raptari neceſſe eſt malæ cauſæ patronos, quibus tota in calumniis fiducia ſita eſt Si ut mutuo ſe oblectent jocoſis fabellis certatim illis propoſitum eſt contra nos mentiri, hac ſane voluptate ad ſatietatem fruantur. Sed quantæ cæcitatis eſt, non videre mendacia ſua ſpargendo & vulgando, hoc tantum ipſos conſequi, ut invidia, qua nos gravare volunt, tota in auctores redundet. Sciunt paſſim nos Chriſti inſtitutionem ſua veritate non nudare, nec ſimplicem vocare panem, qui in peculiarem uſum ſanctificatus eſt. Clare enim docemus, quiſquis ſacrum panem vera fide recipit, non ſecus in ſpiritualem vitam ali Chriſti carne, quam terreno pane corpus ſuſtinetur. Quorſum igitur juvat objectis fumis obſcurare cauſam, quibus diſcutiendis nihil eſt negotii? Cur non ingenue potius diſceptant, ut palam inter ſe confligant noſtræ ſententiæ? Fatemur utrinque veram carnis & ſanguinis Chriſti communicationem proponi in Cœna. cæterum, ubi modo explicatio à nobis additur, fieri arcana & incomprehenſibili Spiritus virtute, ut Chriſtus vere carnis & ſanguinis ſui ſubſtantia animas noſtras è cælo paſcat, & panem ac vinum vera eſſe pignora rerum cæleſtium quas figurant: quia quicquid ex Chriſti mandato promittit miniſter, ab ipſo auctore impletur: hic jam reſilire incipiunt Hildeshemenſes. Et quia injurias retaliare meum non eſt, modeſtius eos & verecundius loqui fateor, quam alios hactenus audierimus. Ab ipſis aperte damnatur Sacramenti adoratio & genu flexio: periculis terreri conſcientias ſi vel panis in terram cadat, vel aliquid ſimile accidat, ſuperſtitioſum eſſe dicunt: myſterii & ſymbolorum voces non formidant, Magdeburgenſium inſtar. Denique multa, velint nolint, communia nobiſcum habent. tantum in his duobus cardo noſtræ quæſtionis vertitur, quod non ſpiritualiter modo in Cœna comedi Chriſti corpus, ſed etiam ſubſtantialiter ſub pane incluſum eſſe: nec à ſolis fidelibus, ſed promiſcue à quibuſlibet percipi affirmant. Intra hos cancellos poſthac ſe contineant, ſi propoſitum eſt mecum diſputare. Suis calumniis ſi me implicent, ſatis, opinor, convicta eſt eorum improbitas. Quo minus ferendum eſt verſutiam eos nobis objicere. qua ſola plauſibilem ſuam cauſam facere conantur: niſi quod craſſior eſt eorum impudentia, quam ut poſthac quemquam ſanæ mentis decipiat. Nunc quibus verbis me oppugnent videndum. Blaſphema, inquiunt, deriſio eſt, dicere corpus Chriſti vocari, cælo elici, pani affigi. Si de Chriſti inſtitutione ſermo eſſet, impia, fateor, ſubſannatio eſſet in his verbis: ſed in notandis craſſis erroribus quid reperietur blaſphemiæ? carnali ore comedi volunt, & dentibus atteri Chriſti carnem. idem corpus & immenſum eſſe, & inviſibile ſub pane latere innumeris ſimul locis contendunt: panem vere & proprie corpus eſſe volunt. tam prodigioſos errores ſine blaſphemia attingere fas non erit? Quare non eſt quod nos impudentiæ inſimulent, ſi ſacram Chriſti inſtitutionem ab inſulſis abſurdiſque eorum figmentis nota aliqua diſcernimus. Nam de ipſo myſterio qui tam reverenter loquantur, in tota ſua factione non reperient. Sed unde nos probant blaſphemos eſſe? quia Paulus vocat Templa Dei, & inhabitare Chriſtum docet in piorum cordibus per fidem. acſi ubi Deus Pater & Chriſtus nos ſibi in domicilia elegit, modus habitationis non ſpiritualis foret: de quo ſi ambigitur, ſit ipſe Paulus dicti ſui interpres, Vos, inquit, templa Dei eſtis, quia Spiritus ejus habitat in vobis. Tertius locus oſtendit qualis apud eos vigeat in Scripturis citandis religio. myſterium Paulus à ſeculis reconditum vocat, quod Chriſtus ſit Coloſſenſibus ſpes gloriæ. acſi ſubſtantiam carnis Chriſti in nobis includeret. Nec vero vel imaginatione, vel generali potentia tantum ideo in nobis Chriſtus inhabitat, quia ſubſtantiam carnis ejus ore non comedimus. Nam illa peculiaris ratio ſatis ſuperque non modo à brutis pecudibus (quas pro ſolito ſuo candore nobis objiciunt Cyclopes iſti) ſed ab omnibus profanis diſcernit, dum nos Deus ſibi in templa ſanctificat, & Chriſtus in corporis ſui unitatem inſerit, ut ſecum nobis ſit communis vita. Convitiis ſi libeat certare, non deeſſent forte verba, ſed repugnat natura, & animus penitus abhorret. & longe malim elinguis eſſe, quam eorum maledicentiam æmulari. Se pudicas & incorruptas virgines faciunt, nos ſcortis ſimiles quæ ſcabiem ſuam prædicant: indignos eſſe clamitant, quos terra ſuſtineat: quod niſi repente exterminemur è mundo, non poſſe nobiſcum mitius agi, quam ut ad Scythas vel Indos ablegemur. accuſant Principum ſegnitiem, quod non exerto gladio protinus deleant noſtri memoriam: quia Chriſtum dicimus ſecundum carnem relicta terra, in cælos receptũ eſſe. etſi enim dum

Digitized by Google

petulantiæ ſuæ quidvis licitum eſſe volunt, verba noſtra depravant, rabioſis tamen ſpumis non efficient, quin ſemper dilucida maneat noſtra doctrina, quamvis Chriſtus Deus & homo, Dei & hominum mediator, totus & indiviſus cælum & terram impleat, carnis tamen ſuæ reſpectu non niſi in cælo

Lib. 3. Sentent. diſtin. 22

eſſe. Alibi recitavi vulgare illud Scholarum proverbium, quod Chriſtus ubique totus ſit, ſed non totum. quod ſi notum fuiſſet bonis iſtis Theologis, compeſcere poterat eorum rabiem. Qualis enim, obſecro, affertur Chriſto ignominia, ſi caro quam induit, & in qua paſſus eſt, in cælos ſublata eſſe dicitur, ſicuti io ſepulchro iucluſa fuit? atqui neque à Judæis, neque à Saracenis quicquam atrocius poſſe dici clamitant. cur non ergo contra Angelos exerunt ſuam ſævitiam, quia ratiocinari auſi ſunt, Chriſtum non eſſe in ſepulchro, poſtquam reſurrexerat? Si ubique eſt Chriſtus ſecundum carnem pro divinitatis natuta, ſtulta fuit hæc reſponſio, Surrexit, non eſt hic. dignus etiam Petrus, qui crudelius omnibus ſacrilegis plectatur, qui blaſphemiam omnium deterrimam protulit, oportere Chriſtum cælis comprehendi. Quid de tota antiquitate dicam? conſtat enim vetuſtos omnes ſcriptores, qui totis quinque ſeculis poſt Apoſtolos vixerunt, uno ore nobis patrocinari. Et hic nobis Oſiandri ſui ſtercora aſpergunt: quaſi ulla unquam inter nos affinitas fuerit. contempſerit ſane Oſiander pro ſuo væſano faſtu humiliatum Chriſtum. quid hoc ad nos? quorum pietas notior eſt, quam ut hac mendaciorum labe fœdari queat: quin optimo jure in eorum capita inanem iſtum garritum retorqueo: quia Chriſtum humiliatum negant, eos totam ſalutis noſtræ ſummam extinguere, & impie abolere incomparabile Divini in nos amoris pignus. niſi enim exinanitus fuerit Chriſtus quum in cruce pendebat, & jacebat in ſepulchro, ubi humiliatio? atqui tunc cæleſti beatitudine potitum fuiſſe fingunt: neque id modo ſed carnem illam, in qua patiebatur, immortalem jam in cælis ſediſſe. unde apparet, nihil ipſis eſſe propoſitum, niſi ut tonitru, vel crepitu miſeras plebeculas dementent. Filium Dei unicam gloriam & ſalutem dicunt in cælis regnare, liberrimum eſſe, nec pani affixum, nec ſphæris alligatum. Hæc vero noſtra fides & profeſſio eſt: modo concedant Chriſti carnem cæleſti gloria veſtitam, non ſua natura exutam eſſe. Idem igitur homo Chriſtus, qui horribile & acerbiſſimum mortis genus pro nobis in cruce pertulit, nunc obtinet nomen ſuper omne nomen, ut coram eo flectatur omne genu. atque hæc vera eſt, plenaque imperii & poteſtatis libertas, quatenus Eccleſiæ caput eſt, omnia implere. Verum præpoſtere hoc ad probandam carnis immenſitatem trahitur. Longe enim auguſtius erit, quamvis ſecundum carnem cælos inhabitet, Spiritus ſui virtute ſurſum & deorſum præſentem ſe exhibere, ut viſum eſt, quam ſi carnis præſentiæ neceſſario alligetur operandi virtus. Dicimus Chriſtum Mediatorem locorum diſtantia non impediri, quominus vitam nobis ex carne ſua inſtillet, ac præſentem ejus carnis efficaciam exerat, in qua ſemel nos reconciliavit Patri: carnem illam prædicamus non ſecus eſſe vivificam, ac terreno pane corpus noſtrum alitur. Superba iſta Gigantum factio, niſi coram ſiſtatur caro Chriſti, nullam ejus præſentiam agnoſcit. An non hoc eſt eum in anguſtias cogere? quomodo è ſepulchro clauſo exierit, & per fores clauſas ingreſſus ſit ad diſcipulos, alibi expoſui: ut liquido conſtet, perperam & inſcite hoc prætextu colligi, Chriſti aſcenſum meras fuiſſe præſtigias. Jam quum ructandis maledictis nullum faciant modum, fingunt tamen in hoc ſe eſſe totos, ut nos ad ipſam rei cognitionem trahant. Interim quia illis forte quiſpiam Scythicam barbariem objecit, de ea voce tam fervide tumultuantur, ut cauſa ipſa efflat: ſibi indigne crimen hoc objici ob eam doctrinam, cujus Chriſtum, Apoſtolos, & omnes orthodoxos ſcriptores habent auctores. atqui hoc inprimis erat conſiderandum, an Chriſtus dicendo, Edite, hoc eſt corpus meum, corpus ſuum transformaverit, ut eodem momento mortale & immortale, viſibile & inviſibile, loco circumſcriptum, & immenſum eſſet. deinde, an Chriſti verba poſteri ad prodigioſum hoc commentum traxerint, acſi ſubſtantialiter Chriſti carnem comederent, quibus in Cœna panis porrigitur. neque enim, niſi hoc probato, à crimine liberantur. Quid vero impudentius, quam proterva fronte jactare veteris Eccleſiæ conſenſum, qui toties illis excuſſus eſt? tropum non admittunt, quia nullus in verbis tam manifeſtis eſſe poteſt, Hoc eſt corpus meum. quaſi vero non æque manifeſtus ſit ſermo, Super quem videris Spiritum ſanctum. Si in ventoſa garrulitate equitare libeat, quam alte nos efferret Verbum videndi, nomen Spiritus? Et tamen ſi ſpeciem columbæ dicant fuiſſe Spiritum, nihil abſurdius. Falſo hic criminantur tropum nos comminiſci, quia ad myſterii altitudinem non perveniat rationis noſtræ captus. quaſi vero ſub ſenſus noſtros cadat incomprehenſibilis illa quam aſſerimus communicatio. niſi talibus impoſturis ludere deſinant, quam vereor ne retegantur eorum dedecora, quæ operta manere præſtaret. Certe traducendis eorum ineptiis adeo non oblector, ut earum me quoque pudeat. ac facile patior quæcunque in nos evomunt probra, ſine defenſione legi: modo in memoriam ſimul doctrina noſtra veniat, unde ſtatim conſtabit quam intempeſtive uno hoc prætextu nos oppugnent, quaſi tropum in Chriſti verbis ſuggerat nobis humana ratio. Quum ſemper ſatis ſonore profeſſus fuerim ſic nobis in Cœna communicari Chriſtum, ut modus ſit incomprehenſibilis: ideoque myſterium hoc, quod ſenſus noſtros longe ſuperat, nobis eſſe adorandum: quid ſibi vult canina iſta improbitas, nihil nos credere, niſi quod dictat humana ratio? Ac jam aliquoties ſupra monſtravi, non aliunde quam ex communi & perpetuo ſacræ Scripturæ uſu nos metonymiam in Sacramentis ſtatuere. Deinde ad hanc quam oppugnant interpretationem non tam phyſicis argumentis, quam cæleſtibus oraculis cogi. Plauſibilis viſa eſt iſta exclamatio, Audiſne caro? audiſne ratio? Conſidera literas, conſidera ſenſum, reos vocari corporis & ſanguinis quicunque indigne manducant, modo obediant inſtitutioni: non mentitur Spiritus, omnis autem homo mendax. Si quis rem à ſigno avellerer, in loco hoc diceretur. ſed ubi convenit, vere offerri ſub panis ſymbolo Chriſti corpus, vere & ſanguinem ejus ſub calice offerri, puerilis garritus eſt, tanta vehementia in carnem & rationem invehi. Quanto opportunius regerere liceret, Audiſne latrator? audiſne phrenetice? audiſne beſtia? veram nos carnis & ſanguinis Chriſti communicationem in ſacra Cœna aſſerere? Quorſum ergo tumultuaris? vel qua confidentia lectoribus tentas eruere oculos, ne videant quod tam conſpicuum eſt? Quod ad promiſcuam manducationem pertinet, clarius refutatus eſt eorum error, quam ut verbum addere operæ pretium ſit. Reos eſſe dico corporis Chriſti, Cœnæ profanatores, nempe oblati, quamvis non recipiant: ſicuti, teſte Apoſtolo, ſanguinem Chriſti conculcat Euangelii contemptor, non alia ratione, niſi quia voce ſua Chriſtus nos ad veram ſui participationem invitat. Quod vero toties incredulos & perfidos obedire dicunt Chriſti inſtitutioni, etſi argute dici putant, nugatorium tamen eſt. hæc nimirum ratio eſt, cur initio à mandato & promiſſione inſtitutionem ſeparaverint. quaſi Chriſtus Cœnam inſtituens, non addiderit conjunctim duo reliqua, Imo quid aliud fuit Cœnam inſtituere, niſi mandare, ut myſterium hoc peragatur promiſſione interpoſita? Certe inſtitutio Chriſti vera Lex & regula eſt peragendæ Cœnæ. Quis autem regulam à Chriſto præſcriptam eos ſequi dicet, qui præterito mandato, ſepultaque pro-

miſſione

miſſione imaginarium neſcio quid fingent? Hæc igitur bonis iſtis Theologis obedientia eſt, luſorie & fallaciter abſque fide nuda ceremonia defungi. Has nugas gloriatur Tilemanus Cragius lætum ſe ſcripſiſſe. Utinam non fuiſſet immodico lætitiæ ſuæ æſtu ita abreptus ad inſipidos clamores, ſed qua decebat ſobrietate & temperantia tractaſſet rem adeo ſeriam! Adulatur ſodali ſuo Weſtphalo, quod Auguſtini teſtimonia contra nos coacervando tantum in ſe odium concitaverit. inſpiciat quæ in hoc libello illis collectaneis contra objeci, mirum ni pudefactus jaceat. Etſi autem mihi, qui rectitudinem, ſincerumque candorem amo, odioſa eſſe fateor perverſa ejuſmodi ingenia, me tamen hic nugator mentitur homines odiſſe, quorum ſaluti in hac etiam qua utor verborum aſperitate ex animo conſulo. nam antehac quid apud eos valeat manſuetudo & lenitas in amica epiſtola expertus, hanc unam ſpem reſipiſcentiæ eſſe puto, ſi inſanum eorum faſtum durius retundam. Ac jam mihi erga omnes plane defunctus videor, niſi forte libeat non abſque moleſto lectorum tædio decies eadem repetere. imo forte longius quam par erat, ſermonem protraxi. Quid enim Bremenſes refellere opus fuit, qui nihil fere attulerant, præter animum nocendi? Cur autem collegis ſuis violenter domi oppreſſis, virus ſuum in me procul evomant, una hæc ab illis obtenditur ratio, quia contempſerim ebrios Saxones. Atqui ſi non ſunt ex numero, quorſum attinuit tantopere eos excandeſcere? quanquam hinc apparet, bonos iſtos Areopagitas, ut videndæ lucis moleſtia ſe liberent, decreta ſua in tenebris ſcribere. Weſtphalum alicubi hominem temulentum vocare contigerat, non ut bibacitatem illi objicerem, ſicuti interpretatus ſum: ſed qualiter Propheta ebrios eſſe dicit, & non à vino, qui ſtupore percuſſi, aut vertigine correpti, à ſana mente exciderunt. Quod privatim de uno homine dictum eſt, ad totam Gentem trahi cæcæ profecto temulentiæ eſt. itaque poſthac cautiores eſſe diſcant, ne cæca ultione præcipites ferantur. In cauſa vero tractanda quam fuerint ſecuri, hoc uno documento perſpicuum fiet, quod probata manducatione veri corporis, præterito modo, palmam ſe adeptos confidunt. Atqui an verum comedatur in Cœna Chriſti corpus, ego in dubium nunquam vocavi: tantum admoneo videndum eſſe, quomodo. Quam vero ludibundi ſuum obſequium præſtiterint Weſtphalo, ſubſcriptionum quoque ineptiæ, quas exagitare piget, palam faciunt. Præſertim Hildeshemenſis ille veſana lætitia exultans, indignus fuit, quo cum verbum facerem: ut cumuli vice ad juſtam menſuram additæ fuerint duæ reſponſiones. Reliqui ubi viderint quicquid ſibi viſi ſunt plauſibiliter objicere, abunde eſſe refutatum, ſibi nihil peculiariter reſponſum eſſe, in lucro ponant. Quam vero cupidi ſint certaminum, quæ totum orbem perturbent, ex furioſis eorum ultigationibus apparet. neque enim diſſimulant, nulla re ſe gravius cruciari, quam quod in eaſdem trahere pugnas nequeant quoſcunque vellent. Et quo minus proditionis accuſent quicunque à nobis diſſentiunt, non aliud obſtat, quam quod ſuam paucitatem detegere verentur magno cum probro. Ut taceamus nos, iſtorum, qui etiam in diſſenſione pacem ſovent, ſilentio ſatis damnatur Weſtphalicæ factionis intemperies. Prudenter enim conſiderant quod res eſt, quum utrinque inter nos conveniat, vere nobis offerri in Cœna Chriſti corpus & ſanguinem, quorum ſubſtantia animæ noſtræ paſcantur, tantum in modo manducationis differant noſtræ ſententiæ, non eſſe hanc ſibi juſtam digladiandi cauſam. Si fiat juſta comparatio, permulta ſunt quæ jure nos ad dimicandum acrius impellant. Nec tamen per me ſtabit, donec ſpes aliqua pacificandi oſtenſa fuerit, quo minus ſalva inter nos benevolentia maneat. Atque idem ego, qui indigne provocatus vehementior fui in hoc ſcripto quam ferebat voluntas, ſi mihi ad amicam diſceptationem locus ac dies indictus fuerit, præſto me ſtatim fore profiteor ac ſpondeo: & quidem ea animi lenitate præditum quæ optabilem piæ ſanctæque conſenſionis ſucceſſum non moretur. Neque enim is ſum qui inteſtinis diſſidiis oblector, vel quem eorum qui mihi ſubſcribunt gratulationes ſic titillent, ut materiam palmarum ex certaminibus libenter captem. Quin potius eorum qui ſedandis contentionibus ſuam auctoritatem interponere debuerant cunctatione hanc mihi neceſſitatem injungi apud me deploro. Sæpius de pacificatorio aliquo conventu ſparſi ſunt rumores. nec vero credibile eſt, tantam eſſe in Principibus ſegnitiem, quin eorum animos tam calamitoſa Eccleſiæ diſſipatio ad curandum remedium ſolicitet. Ergo ſicuti non dubito rem in eorum conſiliis fuiſſe non ſemel agitatam, ita quid remoram attulerit neſcio: niſi quod magno cum dolore video, dum alii ſibi pertinacius addicti ſunt, ſiniſtris alii ſuſpicionibus indulgent, rem utiliſſimam vel negligi, vel etiam reſpui. Cæterum, quibus tolerabilis erit ingenua veritatis defenſio, ſi ad amicum colloquium ventum eſſet, æquiores inde diſceſſuros, mihi dubium non eſt. Quacunque igitur rabie poſthac iſti homines ferantur, mihi decretum eſt ſanam doctrinam placide & abſque contentione tradendo, ſobriis, docilibus & modeſtis potius conſulere, quam apud protervos, faſtuoſos, & obſtinatos verba perdere. Interim Chriſtum precabor, cujus proprium eſt colligere quicquid eſt in mundo diſſipationis, ut huic infelici diſſidio, cujus ſpem abrumpunt noſtri adverſarii, remedium ipſe inveniat.

DILUCIDA EXPLICATIO
SANÆ DOCTRINÆ
DE VERA PARTICIPATIONE
CARNIS ET SANGUINIS CHRISTI
IN SACRA COENA,

Ad diſcutiendas HESHUSII *nebulas.*

Ergo hæc mihi quæ divinitus impoſita eſt conditio patienter ferenda: ut undique protervi, improbi, & rabioſi homines quaſi facta conſpiratione ſuam in me præcipue virulentiam evomant. Non parcunt quidem aliis præſtantiſſimis viris, quin & vivos proſcindant, & mortuorum nomina lacerent: ſed violentiore in me impetu non alia de cauſa ruunt, niſi quod Satan, cujus ſunt mancipia, quo labores meos Eccleſiæ Chriſti utiliores eſſe videt, eo ardentius ipſos ad me opprimendum inſtigat. Veteres rabulas omitto quorum jam obſoletæ ſunt calumniæ. Nuper emerſit Staphylus neſcio quis fœdus apoſtata, qui plura in me maledicta evomuit, nunquam verbo laceſſitus, quam in alios omnes, qui & ejus perfidiam, & obſcœnos mores,

mores, & pravum ingenium depinxerant. Ecce ex altera parte Nicolaus Gallus bulbonis ſtridorem in me quoque emiſit. Tandem prodiit ex alia lacuna Tilemanus Heshuſius, de quo homine malo lectores ea reipſa & ejus ſcriptis ferre judicium, quam pronunciare quid ipſe ſentiam.

O Philippe Melancthon! Te enim appello, qui apud Deum cum Chriſto vivis, noſque illic expectás, donec tecum in beatam quietem colligamur. Dixiſti centies, cum feſſus laboribus, & moleſtiis oppreſſus, caput familiariter in ſinum meum deponeres, Utinam utinam moriar in hoc ſinu. Ego vero millies poſtea optavi nobis contingere ut ſimul eſſemus. Certe animoſior fuiſſes ad obeunda certamina, & ad ſpernendam invidiam, falſaſque criminationes pro nihilo ducendas fortior. Hoc quoque modo cobibita fuiſſet multorum improbitas, quibus ex tua mollitie, quam vocabant, crevit inſultandi audacia. Ac Staphyli quidem latratus abs te ſuot graviter refutati. De Gallo privatim apud me conqueſtus, cujus rei teſtes ſunt literæ manu tua ſcriptæ, ejus & ſimilium inſolentiam compeſcere neglexiſti. Nec vero quid aliquando mihi ſcripſeris, oblitus ſum. Verba ipſa adſcribam: *Scio* te pro tua excellenti prudentia ex ſcriptis adverſariorum tuorum judicare, quales ſint eorum naturæ, & quod intueantur theatrum. Verum, quid ego adhæc reſponderim recordor: & ipſa quoque verba meæ epiſtolæ adſcribam: *Recte* quidem & prudenter admones id ſibi unum noſtros antagoniſtas proponere, ut ſe theatro venditent. Quanquam autem ſua opinio longe eos, ut ſpero & credibile eſt, fruſtrabitur, tamen ut totius mundi plauſum referant, eo nos majore ſtudio ad cæleſtem ἀγωνοθέτην, ſub cujus oculis certamus, intentos eſſe decet. Quid? An ſacer Angelorum conſeſſus, qui & ſuo favore nos excitant, & viam ſtrenue agendi præmonſtrant ſuo exemplo, pigreſcere, vel cunctanter pedes movere ſinet? Quid totus ſanctorum Patrum chorus? an nullos addet ſtimulos? Quid porro Dei Eccleſia quæ in mundo verſatur? Quum eam ſciamus, & votis nobiſcum pugnare, & exemplo noſtro animari, an nihil apud nos valebunt ejus ſuffragia? Meum vero ſit hoc theatrum, cujus approbatione contentus, quamvis me totus mundus exibilet, animo nunquam deficiam: tantum abeſt ut inſulſis clamoribus invideam, ſi muſtacea gloriola in obſcuro angulo ad breve tempus fruantur. Quid plauſibile ſit mundo vel odioſum me non latet. ſed mihi nihil pluris eſt quam præſcriptam à magiſtro normam ſequi. Nec dubito quin hæc ingenuitas piis & ſanis gratior tandem futura ſit, quam flexibilis & mollis docendi ratio, quæ inanem metum præ ſe ferat. Quod te Deo & Eccleſiæ debere agnoſcis, obſecro te ut quam primum ſolvas. Neque in hanc partem inſiſto, quod partem invidiæ in te exonerans tantundem me levatum iri confidam. Quin potius ſi liceat, quicquid in te oneris jam incumbit, pro meo in te amore & obſervantia paratus forem in meos humeros ſuſcipere. Sed tuum eſt expendere, ut ego monitor non accedam, niſi dubitatione pios omnes qui te reſpiciunt, mature liberaveris, te vix unquam ſolvendo fore. Adde etiam, quod niſi ſerum hoc & veſpertinum gallicinium te expergefaciat, pigtum omnes merito clamabunt. Quod autem de pollicitatione eum appello, cauſam mihi præbuerat bis verbis: *Audio* nunc [illegible] magnum volumen [illegible] contra me cudere: quod ſi edetur, decrevi reſpondere ſimpliciter & ſine ambiguitate: eumque laborem debere me Deo & Eccleſiæ judico. Nec in hac ſenecta pertimeſco exilia & alia pericula. Hoc quidem & ingenue & viriliter: ſed aliis literis ſatis confeſſus erat, ſe pro ingenita manſuetudine pacis & otii eſſe cupidum. Verba ſunt: *Quod* vero proximis literis me hortaris ut reprimam ineruditos clamores eorum qui renovant certamen περὶ τῆς ἀρτολατρείας, ſcito quoſdam præcipue odio mei eam diſputationem movere, ut habeant plauſibilem cauſam ad me opprimendum. Hic idem fovendæ quietis amor obſtitit, quominus libere de aliis rebus diſſereret, quarum explicatio vel inſuavis erat lautis palatis, vel perverſis judiciis obnoxia. Cæterum quantopere ſancto viro diſplicuerit iſtorum hominum importunitas, qui adhuc in nos bacchari non deſinunt, ex alio loco dilucide patet: poſtquam enim de refutatis Serveti blaſphemiis mihi gratulatus eſt, & Eccleſiam nunc & ad poſteros gratitudinem debere & debituram, ſeque meo judicio prorſus aſſentiri teſtatus eſt, addiditque has eſſe maximas res & cognitu apprime neceſſarias, jocoſe tandem, ut de frivolis nugis attexit: Hæc nihil [illegible]. Wormatia autem mihi ſcribens, deplorat quod vicini Saxones, qui miſſi fuerant collegæ, exhibita Eccleſiarum noſtrarum condemnatione, diſceſſerant: & adjungit, *nunc* domi triumphos agent tanquam de Cadmæa victoria. In alia vero epiſtola, implacabilis eorum veſaniæ furoriſque pertæſus, non diſſimulat ſe cupere mecum eſſe.

Hæc poſtrema nihil ad Staphylum, qui meritorium quæſtum ex linguæ protervia apud Antichriſtum Romanum facit, & ex profeſſo in ſtabilienda ejus tyrannide cælum terræ, Gigantum more, permiſcet. Nec vero tanti mihi eſt hic nebulo, cui turpis defectio à fide nihil pudoris reliquum fecit, ut in refellendis ejus maledictis multum operæ ponendum cenſeam. Hypotheſis in qua proram & puppim cauſæ ſuæ locat, palam detegit profanum omnis religionis contemptum. Totam enim quam profitemur doctrinam hoc ſolo nomine ſuſpectam eſſe vult, adeoque infamem reddere conatur, quia ex quo profligatis tenebris Papatus rurſum emerſit æterna Dei veritas, multi quoque errores ſuborti ſunt, quos renaſcenti Euangelio fert acceptos. Quaſi vero litem hanc non Chriſto potius & Apoſtolis quam nobis intendat. Nunquam diabolus tam impotenter graſſatus fuerat, hominum & corpora & animos vexando, quam ubi effulſit cæleſtis & ſalutifera Chriſti doctrina. Calumnietur ergo Chriſtum veniſſe, ut qui prius ſani erant, dæmoniacos redderet. Incredibilis errorum colluvies paulo poſt novam Euangelii promulgationem exundare cœpit in toto orbe. Garriat conductitius Papæ rhetor Staphylus ex Euangelio tanquam ex ſcaturigine fluxiſſe. Certe ſi quos leves & erraticos ſpiritus percellat hac tam futili calumnia, non titubabunt quorum cordibus infixa fuerit Pauli admonitio, Neceſſe eſt hæreſes eſſe, ut qui probati ſunt, manifeſti fiant. Cujus rei inſigne eſt ipſe documentum: quia belluinus ejus furor, quem ſatis apparet juſtam eſſe perfidiæ mercedem, pios omnes in ſincero Dei timore confirmat. Suſque deque eſt homini ſpurco & plane Epicureo cæleſtis doctrinæ reverentiam evelli ex omnium animis. imo huc tendunt ejus conatus, non tantum ut vileſcat omnis religio, ſed excutiatur etiam ejus cura & ſtudium. Ergo non tantum ſua vanitate ultro concidit ejus improbitas, ſed bonis omnibus deteſtabilis eſt cum ſuo auctore. Interea falſum invidiæ crimen quo nos obruere voluit, in ejus caput retorquere promptum eſt. Multi perverſi errores his quadraginta annis exorti ſunt, & ſubinde pullularunt alii poſt alios: nempe, quia videbat Satan, fulgente Chriſti Euangelio, evaneſcere præſtigias quibus mundum diu faſcinaverat, ſuos omnes impetus contulit, machinaſque omnes exeruit, totum denique Acheronta, vel ad evertendam Chriſti doctrinam, vel ad frangendum ejus curſum: Atque hoc modo non parum comprobata fuit Dei veritas, quod tam violenter impetita fuerit Satanæ mendaciis. Quum ergo tot impiorum dogma-

1 *Cor.* 11. *verſ.* 19.

dogmatum inſultus certitudinem concilient noſtræ doctrinæ: quid in ea fœdanda ſputis ſuis proficiet Staphylus, niſi forte apud homines volaticos, qui ſibi eripi ultro cupiunt omne boni & mali diſcrimen? Quæro tamen an tot errorum, de quibus ad nos gravandos magnos ſonitus facit, nulla ante natum Lutherum facta fuerit mentio. Atqui multos ipſe commemorat, quibus ſtatim à primordio turbata fuit Eccleſia. Si objectum fuiſſet Apoſtolis progenitas fuiſſe ab aliis omnes ſectas quæ repente tunc ebullierant, an nulla illis fuiſſet defenſio? Quæcunque vero illis conceſſa fuerit à Staphylo, nobis certe etiam communis erit. Hoc autem facilior nobis erit ratio ad diluendum convitium, quod deliria quibus olim Euangelii lucem obtenebrare conatus eſt Satan, magna ex parte hodie ſilent. Certe vix decima pars renovata fuit. Quando ſe venalem proſtituit Staphylus, ſi quis eum pluris conducat quam Papa, an non pro illius libidine Chriſto exprobraret. quoties in medium prodit ejus Euangelium, innumeros ſecum errores trahere, vel ex ſe gignere? nunquam tamen magis turbatum fuiſſe orbem perverſis & impiis dogmatibus quam primo ejus adventu? Atqui Chriſtus ipſe, æterna Dei veritas, ſatis abſque noſtro patrocinio ſe abſolvet. Interea hæc diſtinctio adverſus putidam criminationem abunde ſufficiet perperam adſcribi Chriſti ſervis quicquid fermenti puræ illorum doctrinæ per ſuos miniſtros aſpergit Satan: ideoque ſi de hac cauſa recte judicare placet, ſemper videndum eſſe unde error trahat originem. Ex quo cœpit Lutherus movere Papatus camarinam, multa hominum & opinionum portenta repente extiterunt. An Munzetiani, Anabaptiſtæ, Adamitæ, Stebleri, Sabbatharii, Clancularii, quicquam habuerunt Luthero affine, ut cenſeri debeant ejus diſcipuli? An ſuo unquam ſuffragio eos levavit? An ſubſcripſit abſurdiſſimis commentis? Imo quanta potuit vehementia illis ſe oppoſuit, ne longius ſerperet contagio. Prudenter etiam ſtatim deprehendit quam noxiæ eſſent peſtes. Et adhuc grunniet hic porcus, errores qui noſtro labore profligati ſunt, quum ſecure quieſceret totus Papalis clerus, à nobis profectos eſſe? Quod ſi obduruit in ſua impudentia, ne pueros quidem ſua futilitate poſthac decipiet, quin ſtatim videant omnes, malorum à quibus alieniſſimi ſumus, culpam falſo & injuſte in nos conferri. Jam quum palam omnibus conſtet, nec Lutheri, nec cujuſquam noſtrum ſuffragatione fuiſſe adjutos, quicunque fanatico ſpiritu abrepti impios & deteſtandos errores ſparſerunt, certe nihilo magis eorum impietate nos gravari æquum eſt, quam olim ſuſtinere de-
2 Tim. 2. verſ. 17. buit Paulus ex Hermogene & Phileto, qui jactabant reſurrectionem eſſe factam, ne qua amplius ſpes reſtaret.

Quos porro errores recenſet, ex quibus toti noſtræ doctrinæ ignominia confletur? Quam improbe mentiatur contra alios, referre ſuperſedeo. Sectæ unius nomen à ſe confictum mihi imponit. Energicos enim eſſe tradit, qui virtutem duntaxat corporis Chriſti in Cœna eſſe volunt, non corpus ipſum. Philippum tamen Melancthonem mihi ſocium adjungit: ac utriuſque rei meos contra Weſtphalum libros teſtes citat: ubi reperient Lectores vero Chriſti corpore, quod pro nobis crucifixum eſt, animas noſtras paſci in Cœna: imo ſpiritualem vitam ex corporis ipſius ſubſtantia in nos transfundi. Si arcana Spiritus virtute corpus Chriſti in cibum nobis dari trado, an ideo nego Cœnam communicationem eſſe corporis? En quibus ſtercoribus os ſuis patronis oblinat. Prodigioſum aliud nomen, quo maculam mihi inureret fabricavit. Vocat enim Biſacramentalem. Verum ſi hoc vult haberi crimen quod duo tantum Sacramenta à Chriſto tradita eſſe aſſero, probare inprimis neceſſe fuerat Chriſtum ſeptuplicis, ut Papiſtæ loquuntur, numeri eſſe auctorem. Septem ſacramenta Papiſtæ obtrudunt. Ego non niſi duo reperio quæ Chriſtus nobis commendaverit. Vel probet Staphylus oportet, tertium, & reliqua à Chriſto manaſſe, vel quod rectum eſt nos ſentire & loqui ſinat: nec verborum ampullis confidat nos ſe facturum hæreticos, qui certa & dilucida Filii Dei auctoritate nitimur. In novis Manichæis numerat Lutherum, Melancthonem, me, & multos alios: deinde, quo longior ſit catalogus, iterum repetit Manichæos & Marcionitas Calvinianos. Facile quidem eſt convitia hæc quaſi lapides pedibus obuios adverſus innoxia capita projicere. Cauſas tamen aſſignat cur nos Manichæis comparet: ſed quas partim à cinædo quodam, partim à cynico ſcurra deſumpſit. Quum ergo vaniſſima figmenta eructet, in me purgando laborare quid attinet? Placet tamen quæ ab ipſo tandem additur conditio: nempe ut meus de Prædeſtinatione liber controverſiam dirimat: quia inde perſpicere facile erit quales ex labruſca ſtaphyli naſcantur.

Venio nunc ad Gallum, vel Balbonem, qui me infauſto ſuo roſtro corruptorem pronunciat Auguſtanæ confeſſionis: quia negem in ſacra Cœna fieri nos participes ſubſtantiæ carnis & ſanguinis Chriſti. Atqui plus centies occurrit in ſcriptis meis, adeo me non rejicere Subſtantiæ nomen, ut ingenue & libenter profitear ſpiritualem vitam incomprehenſibili Spiritus virtute ex carnis Chriſti ſubſtantia in nos diffundi. Ubique etiam admitto, ſubſtantialiter nos paſci Chriſti carne & ſanguine: modo faceſſat craſſum de locali permixtione commentum. Quid igitur? an quia gallo criſtam in me erigere libuit, terrore attonitæ erunt omnium mentes, ut nihil judicent? Ego vero ne ſim ridiculus, à longa refutatione ejus ſcripta ſuperſedeo, quod auctorem ſuum non minus inſulſum eſſe prodit quam ſtolida audacia ebrium. Certe non fuiſſe tunc mentis compotem aperte clamitat.

Quid vero Tilemano Heshuſio faciam? qui ſuperba & ſonora verborum copia magnifice inſtructus, flatu ſuo proſtratum iri confidit quicquid impetum ſuum moratur. Dicunt etiam boni viri, quibus propius notus eſt, alia fiducia eſſe inflatum: quod gloriam ſibi ex paradoxis & opinionum abſurditate præcipue quærendam eſſe decreverit. Forte quia illuc eum rapit naturæ intemperies, vel quod videt in moderata docendi ratione nullum ſibi laudis gradum relinqui, quum tamen ambitione totus ad inſaniam uſque flagret. Certe in ſuo libello turbulenti ſe ingenii hominem, præcipitis etiam audaciæ & temeritatis eſſe prodit. Ex præfatione pauca tantum attingam, quæ guſtum lectoribus præbeant, Idem prorſus facit quod Cicero ineptos ſui temporis rabulas feciſſe narrat, ut plauſibili aliquo exordio, quod ex veteri aliqua oratione furati erant, coronæ expectationem moverent. Ita bonus hic ſcriptor, occupatis lectorum animis, colligit ex magiſtro ſuo Melancthone aptas & concinnas ſententias, quibus ſe in gratiam inſinuet, vel aliquid majeſtatis acquirat: ac ſi vel purpuram indueret ſimia, vel aſinus leonis pelle ſe obtegeret. Concionatur de ingentibus ſuis periculis, qui ſemper non minus ſecure, quam laute, delicias ſuas coluit. Prædicat multiplices ærumnas, qui quum largos theſauros habeat domi repoſitos, ſemper amplis ſtipendiis ſuas operas vendiderit, omnia tamen ſolus ingurgitat. Verum quidem eſt, quum multis locis tranquillum nidum figere voluerit, ſæpius propria inquietudine fuiſſe excuſſum. Sic Gloſſario, Roſtochio, Heidelberga, Brema pulſus, Magdeburgum nuper conceſſit. Ac laudi quidem danda eſſent exilia, ſi pro conſtanti veritatis confeſſione ſolum vertere ſæpius coactus eſſet: ſed quum homo inexplebili ambitione plenus, contentionibus & rixis deditus, immani vero ferocia ubique fuerit intolerabilis, non eſt

cur queratur aliorum injuria ſe fuiſſe vexatum, qui ſua importunitate moleſtias homini delicato graves exhibuit. Interea tamen provide ſibi cavit, ne damnoſæ eſſent migrationes. quinetiam divitiæ ipſum magis animoſum reddunt. Poſtea vaſtam barbariem deplorat, quæ videtur impendere. Quaſi vero ulla major aut truculentior, quam ejus & ſimilium metuenda ſit. Ne longius petatur probatio, pauliſper expendant Lectores quam atrociter Philippum Melancthonem ſuum præceptorem, cujus memoriam ſancte revereri debuerat, ſugillet ac laceret. Abſtinet quidem à nomine: ſed quos intelligit doctrinæ noſtræ ſuffragati, qui doctrina & auctoritate clarent in Eccleſia, & qui ſummi ſunt Theologi? Quanquam ne conjecturis agendum ſit, probroſis elogiis Philippum ita digito monſtrat, ut videri poſſit data opera materiam ejus traducendi in ſcribendo libro capraſſe. Age, non potuit verecundius tractare ſuum præceptorem quam perfidiam & ſacrilegium objectando. Neque enim dubitat eum fallaciæ reum facere, quod ambiguis vocibus ludat, ut parti utrique gratificetur, & Theramenicis artibus componere diſſidium hoc tentet. Gravius quod poſtea ſequitur, pernicioſiſſimo crimine ſe fœdiſſime contaminaſſe, ut confeſſio fidei, quæ lucere in Eccleſia debet, extingueretur. En pia diſcipuli gratitudo non modo erga eum ex quo didicit ſiquid habet, ſed erga hominem tam præclare de tota Eccleſia meritum! Mihi porro quam vere objiciat meis argutiis perplexam reddi hanc diſputationem, ex Ipſa cauſæ actione melius patebit. Epicureum vero dogma vocare quo ſacræ Cœnæ myſterium non minus religioſe quam utiliter explicamus, quid aliud eſt quam obſcœna maledicendi licentia cum ganeonibus & lenonibus certare? Epicuriſmum quærat ipſe in ſuis moribus. Certe & frugalitas noſtra, & aſſidui pro Eccleſia labores, & in periculis conſtantia, & ſedulitas in obeundo munere, & indefeſſum in propagando Chriſti regno ſtudium, & in aſſerenda pietatis doctrina integritas, ſeria denique in meditatione vitæ cæleſtis exercitatio teſtabitur nos à profano Dei contemptu longiſſime abeſſe: cujus utinam hic Thraſo non ſibi eſſet conſcius. Sed de homine plura quam ſtatueram.

Omiſſo igitur illo, cauſam breviter excutere in animo eſt, quando accuratius cum eo diſputare ſupervacuum foret. Etſi enim oſtentationis aliquid præ ſe ſert, nihil tamen aliud quam veteres nugas Weſtphali & ſimilium quiſquilias, ſua magniloquentia ventilat. De omnipotentia Dei, de fide ſimpliciter verbo ejus habenda, & ſubigenda humana ratione præclare concionatur, ut ex melioribus didicit, in quorum numero me quoque eſſe exiſtimo. Nec dubito, ut eſt pueriliter in ſua gloria ſtolidus, quin ſe putet Melancthonem cum Luthero repræſentare: quia ex altero floſculos inepte mutuatur: alterius vehementiæ, quia melior eſſe æmulus non poteſt, ſubſtituit bombos & crepitus. Atqui neque de immenſa Dei potentia nobis diſceptatio eſt: & myſterium Cœnæ me non humana ratione metiri, ſed admiratione proſequi, ſcripta omnia mea declarant. Quicunque hodie pro ingenua veritatis defenſione ſtrenue certant, me libenter in ſocietate admittent. In tractando ſacræ Cœnæ myſterio fidem me non abrogare Dei verbo re ipſa probavi: ut contra vociferando Heshuſius duntaxat malitiæ ſuæ & ingratitudinis non abſque gravi offenſione teſtes faciat omnes bonos. Quod ſi à vagis iſtis & quaſi ludibundis velitationibus trahatur ad ſeriam cauſæ diſceptationem, paucis res expedietur. Nam quod Principum ignaviam obſtaculo eſſe cauſatur, ne pacandis diſſidiis cogatur pia Synodus, utinam ne ipſe cum ſimilibus furiis omnes concordiæ aditus obſtrueret. Quod nec ipſe paulo poſt diſſimulat, dum expedire negat ullam inter nos diſceptationem inſtitui. Quænam igitur pia Synodus reperietur ejus arbitrio, niſi in qua ducenti ſodales, aut circiter, bene ſaturi, quo zelus eorum ſit ferventior, pro more inter eos pridem trito, nos Papiſtis deteriores, & magis execrandos eſſe pronuncient? Hæc eſt confeſſio quam exigunt: rejecta omni cognitione, obſtinate tueri quod illis temere excidit commentum. Certe quamvis diabolus horribili modo faſcinaverit eorum mentes, ſuperbia tamen magis quam errore tam pertinaciter doctrinam noſtram ab illis oppugnari, perſpicue apparet. Verum quia ſe Eccleſiæ patronum eſſe obtendit, atque ut fallaci larva decipiat ſimplices, ſubinde ſibi arrogat communem omnium qui recte docent, perſonam: ſcire velim quorum mandato patrocinium hoc ſuſceperit. Ubique hæc verba crepat, Nos docemus: Hæc noſtra ſententia: Ita loquimur: Sic aſſerimus. Legatur farrago quam coacervavit Weſtphalus, mira illic repugnantia occurret. Ac ne longius petamus exemplum, audacter affirmat Weſtphalus corpus Chriſti dentibus atteri, ſuoque ſuffragio confirmat, quod in palinodia Berengarii apud Gratianum legitur. Hoc Heshuſio non placet, qui vult ore comedi, nec tamen attingi dentibus, illoſque craſſe edendi modos valde improbat. Perinde tamen ſuum illud Aſſerimus inculcat, acſi procurator eſſet univerſitatis. Et tamen bonus Ihenæ alumnus identidem argutias, ſophiſmata, imo præſtigias mihi exprobrat: ac ſi quid vel flexiloquum vel ambiguum, vel quovis modo obſcurum eſſet in mea loquendi ratione. Quum ſubſtantialiter Chriſti carnem & ſanguinem nobis offerri & exhiberi in Cœna dico, ſimul modum deſigno, quod Chriſti caro nobis ſit vivifica: quoniam Chriſtus incomprehenſibili Spiritus ſui virtute ex ſubſtantia carnis ſuæ vitam in nos transfundat, quæ illi propria eſt: ut ipſe in nobis vivat, ejuſque vita nobis ſit communis: Cui perſuadebit Heshuſius in hoc tam luculento ſermone eſſe ullum ſophiſma, ubi & populariter loquor, & eruditis auribus ſatisfacio? Tantum faceſſant futiles, quibus cauſam obſcurat, calumniæ, de re mox tranſactum fuerit. Poſtquam omnes ſuas ampullas efflaverit Heshuſius, in hoc cardine tota vertitur quæſtio, Tollatne corporis Chriſti ſubſtantiam è ſacra Cœna qui negat corpus ipſum ore comedi. Cominus hominem aggredior aperto marte, qui negat ſubſtantiæ carnis Chriſti nos fieri participes, niſi eum ore comedamus. Sic enim loquitur, ipſam quoque ſubſtantiam carnis & ſanguinis ore hauriendam. Ego vero communicationis modum definio ſine ambagibus, Chriſtum pro immenſa & admirabili ſua potentia efficere ut ſecum in eandem vitam coaleſcamus, nec tantum applicare nobis paſſionis ſuæ fructum, ſed vere noſtrum fieri, ut bona nobiſcum ſua communicet, ideoque nos ſibi conjungere, ſicut membra & caput corpus unum efficiunt. Atque hanc unitatem non ad eſſentiam divinam reſtringo, ſed pertinere affirmo ad carnem & ſanguinem: quia non ſimpliciter dictum ſit, Spiritus meus vere eſt cibus: ſed caro mea: nec ſimpliciter etiam dictum ſit, Divinitas mea vere eſt potus: ſed, ſanguis. Ad hæc carnis & ſanguinis communicationem non tantum interpretor de communi natura, quod Chriſtus homo factus jure fraternæ ſocietatis nos Dei filios ſecum fecerit: ſed diſtincte affirmo, quam à nobis ſumpſit carnem, eam nobis eſſe vivificam, ut nobis ſit materia ſpiritualis vitæ. Illamque Auguſtini ſententiam libenter amplector, Sicut ex coſta Adæ creata fuit Eva, ſic ex Chriſti latere fluxiſſe nobis vitæ originem & principium. Etſi autem ſignum diſcerno à re ſignata, non tamen trado nudam & umbratilem figuram eſſe, ſed articulate pronuncio panem certum eſſe pignus communicationis cum carne & ſanguine Chriſti quam figurat: quia Chriſtos neque pictor ſit, neque hiſtrio, neque Archimedes quiſpiam, qui inani tantum objecta

ima-

imagine oculos paſcat, ſed vere & reipſa præſtet quod externo ſymbolo promittit. Inde conſtituo panem quem frangimus vere communicationem eſſe corporis Chriſti. Quia autem hæc Chriſti cum membris ſuis conjunctio ex incomprehenſibili ejus virtute pendet, myſterium hoc, quod ſentio & agnoſco captu mentis meæ eſſe ſuperius, admirari non pudet.

Hic tumultuoſe inſurgit Thraſo noſter, magnæque impudentiæ & ſacrilegæ audaciæ eſſe clamitat, apertam Dei vocem corrumpere, quia dictum ſit, Hoc eſt corpus meum: ac proinde facere, acſi quis negaret Filium Dei eſſe hominem. Ego autem regero, hac lege ipſum eſſe anthropomorphitam, ſi crimen ſacrilegæ audaciæ effugere velit. Nulla enim abſurditate vult nos moveri, ut ſyllaham unam in verbis mutemus. Quia ergo Deo Scriptura palam tribuit pedes, manus, oculos, aures, ſolium, & ſcabellum pedum, ſequitur ipſum corporeum eſſe.
Exod. 15. Quia in cantico Mariæ dicitur vir bellicoſus, fas non erit concinna ulla expoſitione aſperum hunc loquendi modum mitigare. Cothurnos ſuos quantumvis attollat Heshuſius, reprimi tamen ejus inſolentiam tam valido firmoque argumento neceſſe eſt. Arca fœderis clare vocatur Deus exercituum, & quidem tanta aſſeveratione, ut Propheta emphatice
Pſal. 24. exclamet, Quis eſt iſte Rex gloriæ? Jehova ipſe eſt rex exercituum. Hic non dicimus inconſiderate Prophetam effutire quod primo intuitu videtur abſurdum, ſicut improbe blaterat hic nebulo: ſed poſtquam reverenter amplexi ſumus quod dicit, non minus pie quam apte interpretamur nomen Dei transferri ad ſymbolum, quia individua ſit hujus cum re & veritate connexio. imo generalem hanc tenere regulam in omnibus ſacramentis non humana tantum ratio cogit, ſed pietatis ſenſus & perpetuus Scripturæ uſus ita dictat. Nemo tam rudis eſt, vel inſipidus, qui neſciat, in ſacramentis omnibus Spiritum Dei per Prophetas & Apoſtolos peculiari uti loquendi forma. Hac de re quiſquis controverſiam movebit, ablegandus eſt ad prima elementa. Vidit Jacob Deum exercituum ſcalæ inſidentem. Vidit Moſes tum in robo ardenti, tum in flamma montis Horeb. Si mordicus retinetur litera, quomodo viſus eſt Deus qui eſt inviſibilis? Diſquiſitionem repudiat Heshuſius: nec aliud affert remedium, quam ut clauſis oculis fateamur Deum viſibilem eſſe & inviſibilem. Atqui ſolutio ſponte occurrit & dilucida, & pietati conſentanea, denique neceſſaria, Deum nunquam viſum eſſe qualis eſt, verum pro fidelium captu manifeſta præſentiæ ſuæ ſigna dediſſe. Ita autem minime excluditur divinæ eſſentiæ præſentia, quum Dei nomen metonymicas ſymbolo aptatur, quo Deus ſe vere, nec figurative tantum, ſed ſub-
Mat. 3. ſtantialiter repræſentat. Columba vocatur Spiritus:
verſ. 13. an proprie, ut Chriſtus alibi pronunciat Deum eſſe
Joan. 4. Spiritum? Certe manifeſtum diſcrimen ſe profert:
verſ. 24. quia etſi vere tunc & eſſentialiter adfuit Spiritus, viſibili tamen ſymbolo præſentiam & virtutis & eſſentiæ ſuæ ſpectandam exhibuit. Quam vero nequiter criminetur Heshuſius nos fingere corpus ſymbolicum, hinc liquet, quod nemo verecunde colligat ſymbolicum Spiritum fuiſſe conſpectum in Baptiſmo Chriſti, quia vere ſub ſymbolo, aut externa columbæ ſpecie apparuit. Fatemur ergo corpus idem quod crucifixum fuit, nos in Cœna comedere: quamvis metonymica ſit, quod ad panem, loqutio, ut vere dici poſſit ſymbolice eſſe verum Chriſti corpus, cujus immolatione reconciliati ſumus Deo. Etſi autem in his verbis nonnulla eſt diverſitas, Panis eſt ſignum corporis, vel figura, vel ſymbolum: vel, Panis ſignificat corpus, vel metaphorica, vel metonymica, vel ſynecdochica eſt appellatio: de ſumma tamen rei optime convenit, ut putide nugentur Weſtphalus & Heshuſius nodum in ſcirpo quærentes. Et hic deſultor paulo poſt, Qualiſcunque ſit verborum varietas, nos tamen omnes idem prorſus ſentire, me vero ſolum involucris fallere ſimplices. Sed ubi involucra, quibus rejectis vult meam fallaciam deprehendi? niſi forte ex ſua facundia novum perſpicuitatis genus nobis depromat, quo melius pateſiat quod jactat in mea ſententia eſſe implicitum. Interea nos ſimul omnes indigne gravat, acſi doceremus panem ſignum eſſe abſentis corporis: quaſi non articulate pridem commonefecerim lectores de abſentia duplici: ut ſciant corpus Chriſti abeſſe quidem loco, ſed ſpirituali ejus participatione nos frui: quia omnem diſtantiam ſuperet divina ejus virtus. Hinc conficitur, neque de præſentia, neque de eſu ſubſtantiali, ſed tantum de utriuſque modo eſſe certamen: quia localem præſentiam non admittimus, nec craſſum vel brutum potius eſum, de quo ſic ad verbum garrit Heshuſius: Chriſtum quoad humanam naturam, corporis & ſanguinis ſubſtantia in terris præſentem eſſe: ut non ſolum fide à ſanctis, ſed etiam ore corporaliter ſine fide ab impiis comedatur. Ut nondum abſurditates attingam: ubi expreſſus Dei ſermo, lydius lapis? Certe non invenietur in hac barbarie. Videnda tamen eſt explicatio quam ſufficere poſſe confidit ad os Calviniſtis obſtruendum: quum ita ſit inſipida, ut multis quoque os ad reclamandum aperiat. Purgat ſe & partis ſuæ Eccleſias, quibus errorem de transſubſtantiatione à nobis objici mentitur. Neque enim ſi multa ſunt illis communia cum Papiſtis, ideo ſine exceptione ſimul utroſque miſcemus. Quin potius pridem oſtendi Papiſtas in ſuis deliriis aliquanto eſſe modeſtiores & magis ſobrios. Quid autem ipſe? Quia verba junguntur contra naturæ ordinem, ἐν ῥητῷ recte defenditur, ut panis proprie ſit corpus. Ergo ut verba rei ſint conſona, contra naturæ ordinem proferri oportet. Poſtea diverſas loquendi formas excuſat, dum aſſerunt corpus ſub pane, vel cum pane eſſe. Sed cui perſuadebit ſub pane eſſe, niſi quatenus panis eſt ſignum? Cui etiam perſuadebit non eſſe adorandum panem, qui proprie ſit Chriſtus? Nam loqutiones dicit eſſe improprias, Corpus eſſe in pane, vel ſub pane: quia verbum ſubſtantiale propriam & genuinam ſignificationem obtineat in unione panis & Chriſti. Fruſtra igitur conſequentiam refutat. Corpus eſt in pane, ergo panis eſt adorandus: quam ipſe ex proprio cerebro excudit. Sic enim ſemper ratiocinati ſumus, Si Chriſtus eſt in pane, eſſe ſub pane adorandum. Nunc vero multo magis ratiocinari licet adorandum eſſe panem, ſi vere & proprie eſt Chriſtus. Elabi quidem ſe putat, quod non ſit hypoſtatica unio. Sed quis tantum juris conceder centum vel mille Heshuſiis, ut adorationem alligent quibus viſum fuerit vinculis? Certe tam frivolo cavillo nullius ſani hominis conſcientia acquieſcet, panem, quamvis ſit vere & proprie Chriſtus, non eſſe adorandum, quia non ſit una hypoſtaſis. Statim enim occurret exceptio, eandem rem eſſe ubi unum de altero ſubſtantialiter prædicatur. Neque enim docetur Chriſti verbis quid pani accidat: ſed plane, ſi Heshuſio ejuſque ſodalibus creditur, & abſque ambiguitate, aſſeritur panem eſſe corpus Chriſti, & proinde Chriſtum ipſum. Imo de pane plus affirmant quam de humana Chriſti natura liceat. Quam prodigioſum vero eſt, plus honoris pani deferre quam ſacræ Chriſti carni? Cui recte non conveniet quod de pane recipi flagitant: nempe ut proprie ſit Chriſtus. Neget licet ſe [illegible] fingere, hoc tamen ſemper extorquebo, Si proprie panis eſt corpus, unum idemque eſſe cum corpore. Interea quod Irenæo ſubſcribit, duas in Cœna res eſſe diverſas, terrenam & cæleſtem, nempe panem & corpus: non video qui conveniat cum hac fictitia identitate, quam etſi verbo non exprimit, tamen obtrudit re ipſa: quia niſi de eodem dici non poteſt, Hoc eſt

hoc, vel, Hoc eſt illud. Eadem eſt ratio localis incluſionis quam ſe repudiare ſimulat Heshuſius: quia nec loco continetur Chriſtus, & pluribus locis ſimul eſſe poteſt. Ab hac ſuſpicione quo ſe purget, dicit non tantum proprie, vere, & realiter, ſed etiam definitive, panem eſſe corpus. Si reſpondeam, me mirari quid hæc ſibi velint pugnantia inter ſe portenta, clypeum Ajacis, cui jam boni illi Luperci ſodales aſſueverunt, opponet, Rationem eſſe fidei inimicam. In quo facile aſſentior, ſi ipſe animal eſt rationale. Sed quum tres rationis gradus conſiderandi ſint, præcipiti inſania omnes uno ſaltu transvolat. Nobis ingenita eſt naturaliter ratio, quæ ſine Dei injuria damnari non poteſt: ſed ea ſuos habet fines, quos ſi exuperat, evaneſcit. Cujus rei triſte documentum eſt in lapſu Adæ. Altera ratio vitioſa eſt, præſertim in natura corrupta: dum mortalis homo res divinas, quas ſuſpicere debuerat, ſuo judicio vult ſubjicere. Hæc ratio mentis eſt ebrietas, vel dulcis inſania, cui æternum eſt diſſidium cum obedientia fidei: quando nobis ſtulteſcere apud nos neceſſe eſt, ut incipiamus Deo ſapere. Ergo à cæleſtibus myſteriis faceſſat hæc ratio, quæ nihil aliud eſt quam mera fatuitas: arrogantia vero comite uſque ad inſaniam tranſcendit. Tertia autem ratio eſt, quam & Spiritus Dei, & Scriptura nobis dictat. Omni autem projecto diſcrimine, Heshuſius ſub prætextu humanæ rationis ſecure damnat quicquid phrenetico mentis ſuæ ſomnio adverſum eſt. Exprobrat rationi nos plus deferre quam Dei verbo. Quid ſi nullam rationem adducimus, niſi ex verbo Dei ſumptam & in eo fundatam? Oſtendat nos in Dei myſteriis profano more philoſophari, cæleſte regnum metiri noſtro ſenſu, Spiritus ſancti oracula ſubjicere carnis judicio, non admittere niſi quod prudentiæ noſtræ arridet. Atqui longe aliter ſe res habet. Quid enim rationi humanæ magis repugnat, quam animas creatione immortales vitam mutuari à carne mortali? Hoc aſſerimus. Quid terrenæ prudentiæ minus conſentaneum, quam carnem Chriſti vim ſuam vivificam è cælo ad nos uſque diffundere? Quid magis alienum à noſtro ſenſu, quam panem corruptibilem & caducum ſpiritualis vitæ indubium eſſe pignus? Quid magis à Philoſophia remotum, quam Filium Dei, qui ſecundum humanam naturam in cælo eſt, ſic habitare in nobis, ut quicquid ei à Patre datum eſt, nobis ſit commune, adeoque ut immortalitas, qua donata eſt ejus caro, noſtra ſit? Hæc omnia clare teſtamur: quum Heshuſius non niſi ſuum delirium urgeat, Carnem Chriſti comedi ab incredulis, nec tamen eſſe vivificam. Quod ſi nulla ab eo creditur eſſe ratio extra Philoſophiam, ex brevi ſyllogiſmo diſcat:

Quiſquis analogiam ſigni & rei ſignatæ non obſervat, animal eſt immundum ungulam non findens.

Qui panem aſſerit vere & proprie eſſe Chriſti corpus, analogiam ſigni & rei ſignatæ evertit:

Ergo qui aſſerit panem eſſe proprie corpus, animal eſt immundum, non findens ungulam.

Atque ex hoc ſyllogiſmo cognoſcat, etiamſi nulla ſit in mundo Philoſophia, ſe tamen eſſe impuram beſtiam. Sed voluit nimirum hac promiſcua damnatione rationis licentiam in tenebris ſibi acquirere, ut hac conſequentia valeret: Quum mentio ſit crucifixionis & beneficiorum quæ vivum & ſubſtantiale corpus Chriſti præſtitit, ſymbolicum, typicum, vel allegoricum corpus intelligi non poteſt. Ergo verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum: Hic eſt ſanguis meus, non ſymbolice nec metonymice, ſed ſubſtantialiter intelligenda ſunt. Quaſi vero non videant elementarii quoque pueri, ſymboli nomen ad panem referri, non ad corpus: metonymiam non eſſe in ſubſtantia corporis, ſed in verborum contextu. Et tamen hic tanquam victor Olympicus exultat. Jubet nos huc intendere omnes ingenii vires. Ego vero ne jocando quidem tantam inſulſitatem refellere dignabor. Nam quod dicit nos terga dare, ſeque ad inſtandum ſtimulat, manifeſta in ejus progreſſu repugnantia deprehenditur. Fatetur enim nos intelligere corporis Chriſti ſubſtantiam dari, quum Chriſtus per fidem totus noſter ſit. Bene eſt quod aërem ſine noxa ferit hic bos cornupeta, ut non ſit ab eo cavendum. Hocne eſt, obſecro, terga dare, quum tam aperte detegimus calumniam de corpore allegorico? Ipſe vero tanquam epilepticus, collecta mente, novam actionem intentat de abſentia: quia nihilo plus valeat donatio de qua loquimur, quam ſi cui donetur ager, qui ab eo remotus ſit. Itane incomparabilem Spiritus ſancti virtutem æquare audet rebus mortuis, ut tantundem valeat proventum ex agro colligere, ac Filio Dei uniri, ut ex carne & ſanguine ejus vita ad animas noſtras perveniat? Saltem hac in parte nimium ruſticus eſt agricola. Adde quod mentitur nos verba Chriſti exponere de jure rei abſentis, quum ſatis ſuperque notum ſit abſentiam nos reſtringere ad locum & aſpectum. Cæterum quamvis nec oculis noſtris carnem ſuam præſentem Chriſtus exhibeat, neque etiam locum mutando deſcendat ex gloria cæleſti, negamus hanc diſtantiam eſſe obſtaculo quominus vere nobis conjunctus ſit. Quod porro genus præſentiæ flagitet, obſervandum eſt. Initio diceres hominem ſanæ eſſe & compoſitæ mentis. Fatetur Chriſtum eſſe ubique communicatione idiomatum, ut traditum fuit à Patribus: ideoque Chriſti corpus non eſſe ubique, ſed propter unionem divinæ naturæ toti perſonæ in concreto hoc tribui. Hæc prorſus noſtra eſt doctrina: ut videri queat prævaricando redire nobiſcum velle in gratiam. Neque ægre admittimus quod ſubjicit, Inveſtigari non poſſe quomodo corpus Chriſti ſit in certo cæli loco, ſupra cælos, & nihilominus perſona Chriſti ſit ubique, & æquali cum Patre potentia regat. Imo novit totus orbis quam impetuoſe me vexarint omnes ejus ſodales propter hujus doctrinæ defenſionem. Atque ut craſſiore Minerva hoc exprimerem, trito illo in ſcholis dicto uſus ſum, quod totus Chriſtus ſit ubique, ſed non totum. nempe quia integer in perſona Mediatoris cælum & terram impleat: licet carne ſit in cælo, ubi humanæ ſuæ naturæ domicilium elegit, donec in judicium appareat. Quid igitur obſtat quominus illo evidenti diſcrimine poſito, inter nos conſentiamus? Nempe quod mox pervertit Heshuſius quod dixerat, non excludi naturam humanam, dum Chriſtus ſe in terris fore promittit. Et paulo poſt, Chriſtum Eccleſiæ in diverſis locis diſperſæ adeſſe, non modo quoad divinam, ſed quoad humanam naturam. Tertio clarius: abſurdum eſſe negat fateri, quoad humanam naturam in diverſis locis exiſtere ubicunque vult. Et phyſicum axioma, quod appellat, aſpere rejicit, Corpus unum in diverſis locis eſſe non poſſe. Quid nunc clarius, quam Chriſti corpus fingi immenſum, & portentum ubiquitatis ſtatui? Confeſſus nuper fuerat in certo cæli loco eſſe, nunc diverſa loca aſſignat: quod eſt lacerare Chriſti corpus: quia ſurſum cor attollere non vult. Objicit Stephanum ſupra omnes cælos non fuiſſe tranſlatum, ut Jeſum videret. Quaſi non ſæpius antehac diluerim hoc cavillum: Ut ſcilicet non agnitus fuit Chriſtus à duobus ſuis diſcipulis, quibuſcum in eadem menſa familiariter ſedebat, non propter metamorphoſin aliquam, ſed quia tenebantur eorum oculi: ita datos fuiſſe oculos Stephano, qui illuc uſque penetrarent. Certe non fruſtra narrat Lucas oculos intendiſſe in cælum, ut gloriam Dei videret. Nec fruſtra Stephanus ipſe teſtatur cælos ſibi eſſe apertos, ut Jeſum conſpiceret ſtantem in dextera Patris. Unde ſatis patet, niſi fallor, quam ſiniſtre eum in terras eliciat Heshuſius. Æque prudenter colligit Chriſtum, ut ſe Paulo oſtenderet,

fuiſſe

2 Cor. 12. verſ. 2. fuiſſe in terra. Quaſi ignotus eſſet Pauli raptus ſupra tertium cælum: quem tam magnifice prædicat. Quid ad hoc Heshuſius? Verba ejus ſunt: Supra omnes cælos quo aſcendit Filius Dei, Paulus transferri non potuit. Nihil addo, niſi ſputis dignum eſſe hunc hominem, qui Paulo de ſe loquenti abrogare fidem audet. Sed quum Chriſtus diſtincte offerat in pane corpus ſuum, & in vino ſanguinem, cohibenda eſt protervia & curioſitas. Fateor, ſed non inde ſequitur claudendos eſſe oculos ad fulgorem ſolis arcendum. Quin potius ſi conſideratione dignum eſt myſterium, attendere convenit quomodo corpus ſuum & ſanguinem nobis det Chriſtus in cibum & potum. Nam ſi totus Chriſtus in pane eſt, imo panis ipſe eſt Chriſtus, certe verius dicere licebit Chriſtum eſſe corpus ſuum: à quo non minus abhorret pietas quam communis ſenſus. Quod ſi attollere ſurſum corda non pigeat, tam integro Chriſto quam diſtincte carne ejus & ſanguine veſcemur. Et ſane dum Chriſtus ad corpus ſuum comedendum, & ad bibendum ſuum ſanguinem nos invitat, non eliciendus eſt è cælo, vel cogendus ut ſe coram ſiſtat pluribus locis ad ingerendum corpus ſuum & ſanguinem ori noſtro: quia abunde ſufficere debet ſacrum illud vinculum noſtræ cum ipſo conjunctionis, dum arcana Spiritus virtute in unum corpus cum ipſo coaleſcimus. Ita Auguſtino aſſentior, in pane accipi quod pependit in cruce. A delirio tamen Heshuſii & ſimilium prorſus abhorreo, Non accipi, niſi in os carnale ingeratur. Nec vero κοινωνία de qua concionatur Paulus, localem præſentiam flagitat. Niſi forte Paulus,
1 Cor. 1. quum docet nos vocatos εἰς κοινωνίαν Chriſti, vel de
verſ. 9. nihilo ita loquitur, vel Chriſtum ſiſtit localiter quocunque Euangelium perfertur. Nec tolerabilis eſt hujus blateronis improbitas, me nomen illud κοινωνίας reſtringere tantum ad ſocietatem quæ nobis eſt cum Chriſto, quoad perceptionem beneficiorum ejus. Quod tamen antequam penitus excutio, videndum eſt quam argute nos eludat. Ubi enim ſacrificio ve-
1 Cor. 9. ſcentes Paulus dicit fieri κοινωνοὺς altaris, cauſam ad-
verſ. 13. ducit bonus hic interpres, Quia ſcilicet quiſque partem ex altari accipiat, atque inde concludit falſam eſſe meam interpretationem. nempe quam turbulento ſuo cerebro confinxit: quando à me communicatio ſtatuitur, non ſolum cum fructu mortis Chriſti, ſed cum ejus corpore in ſalutem noſtram oblato. Verum hæc quoque interpretatio, quam velut diverſam refutat, ab eo refellitur, quod excludat præſentiam Chriſti in Cœna. Hic attente obſervent Lectores quod præſentiæ genus imaginetur, cui tam mordicus affixus eſt, ut quam habuit Joannes Baptiſta cum Chriſto communicationem pro nihilo fere ducat, modo obtineat deglutitum fuiſſe à Juda Chriſti corpus. Quæro tamen ab hoc reverendo Doctore: ſi participes altaris ſunt qui ſacrificium in partes dividunt, quomodo ſe excuſabit à laniena dum partes ſingulis diſtribuit? Si aliam mentem ſibi fuiſſe excipit, ſua igitur verba corrigat. Certe ex hac arce, in qua præſidium omne ſuum locaverat, depulſus eſt, Me nihil relinquere in Cœna præter jus rei abſentis: quum ubique aſſeram præſentem in Spiritus virtute exhibitionem rei, loco abſentis. Verum niſi barbaræ manducationi ſubſcribam, qua Chriſtum vult ore deglutiri, implacabili furore ad convitiandum ſemper fertur. Verbo quidem negat de modo præſentiæ ſe inquirere, & tamen imperioſe portentum quod ſibi imaginatus eſt non minus quam importune urget, Corpus Chriſti ore corporaliter comedi. Sunt enim hæc ipſiſſima ejus verba. Et rurſum, Aſſerimus non tantum fide fieri nos participes corporis Chriſti, ſed etiam ore eſſentialiter, ſeu corporaliter, nos Chriſtum intra nos ſumere: atque ita nos Pauli & Euangeliſtarum verbis fidem habere teſtatur. Econtra rejicimus omnium ſententiam qui præſentiam Chriſti in Cœna negant. Et tandem de quo genere præſentiæ nobiſcum rixetur. Nempe quod ſibi ipſe & ſimiles phrenetici ſomniant. Pauli vero nomen & Euangeliſtarum tam craſſis deliriis obtendere, cujus impudentiæ eſt? Quomodo illis teſtibus probabit ore, & corporaliter, & intra nos ſumi Chriſti corpus? Alibi confeſſus eſt nec dentibus atteri, nec attingi palato. Cur tactum palati vel gutturis reformidat, quando aſſerere audet viſceribus ingurgitari? Quid enim ſibi vult, iſtud intra nos? Quo recipitur Chriſti corpus, ubi per os tranſiit? Nam ab ore, niſi fallor, corporalis tranſitus eſt ad viſcera vel inteſtina. Si dicat, calumnioſe verbis aſperioribus ſibi invidiam fieri, ſcire velim quid differant hæc duo, Quod ore ſumptum eſt, corporaliter intro recipi: &, Tranſire ad viſcera, vel inteſtina. Hoc poſthac teneant Lectores, probeque meminerint, quoties criminabitur Heshuſius me negare Chriſti in Cœna præſentiam, non aliud reprehendere, niſi quod mihi abſurdum videtur Chriſtum ore deglutiri, ut corporaliter in ventriculum deſcendat. Et tamen queritur me ambiguis vocibus ludere. Quaſi vero non mea perſpicuitate in rabiem agatur cum ſuis ſodalibus. Cujus enim me ambiguitatis convincet? Fatetur me aſſerere verum & ſubſtantialem eſum carnis Chriſti & ſanguinis potum: ſed ſiquis mentem meam perſpiciat, me loqui de perceptione meriti, fructus, efficaciæ, virtutis, & potentiæ è cælo defluentis. Hic vero non in ſpeculo, ſed coram perſpicitur maligna ejus inſulſitas, dum virtutem & potentiam cum merito & fructu commiſcet. Quis enim ita loqui conſuevit, meritum è cælo defluere? Quod ſi ingenuitatis gutta in eo eſſet, ex ore meo vel ſcriptis ita retuliſſet. Ut ſubſtantialis nobis ſit communicatio cum carne Chriſti, non opus eſſet ut locum mutet: quoniam arcana Spiritus virtute vitam ſuam in nos è cælis diffundit: nec obſtare locorum diſtantiam quominus habitet in nobis Chriſtus, & nos ſimus unum cum ipſo: quoniam efficacia Spiritus cunctis naturalibus obſtaculis ſit ſuperior. Nam & paulo poſt videbimus quam turpiter ſecum pugnet, dum verba mea recitat, Beneficia Chriſti ad nos non pertinere, donec ipſe noſter factus ſit. Eat nunc, & voce Meriti claritatem ejus quam doceo communicationis obſcuret. Excipit: Si in cælo eſt corpus Chriſti, non eſſe igitur in Cœna, ſed ſymbola duntaxat. Quaſi vero Cœna veris Dei cultoribus non cæleſtis ſit actio, vel quaſi vehiculum quo mundum tranſcendant. Sed quid hoc ad Heshuſium? qui non modo ſubſiſtit in terra, ſed roſtrum ſuum quoad poteſt in lutum defigit. Docet Paulus Gal 3:27.
nos induere Chriſtum in Baptiſmo: quam lepide ratiocinabitur hoc fieri non poſſe, ſi Chriſtus in cælo maneat? Atqui Paulo, dum ita loquitur, nunquam in mentem venit Chriſtum è cælo elicere: quia ſciebat alio modo nobis eſſe conjunctum; nec tamen minus præſentem eſſe ejus ſanguinem ad animas abluendas, quam ſit aqua abluendo corpori. Quod ſi excipiat, Aliud eſſe comedere quam induere: reſpondeo, Non minus indumento nos circumdari quam cibum intra nos accipere. Certe vel ſtultitia vel malitia hominis hoc uno coarguitur, quod nullam niſi localem præſentiam admittit. Phyſicam neget licet, de hoc etiam cavilletur, ſiſtit tamen corpus Chriſti ubicunque eſt panis, & proinde contendit pluribus ſimul eſſe locis. Vocem hanc quando uſurpare non dubitat, cur non dicetur præſentia localis ad quam nos trahit? Ejuſdem farinæ eſt illud, Non vere accipi corpus, ſi ſymbolice accipitur. Quaſi vero ſymbolo excludamus rei exhibitionem. Tandem præſtigias eſſe dicit, niſi aſſeritur duplex manducatio, ſpiritualis, & corporalis. Quam inſcite & perperam quæ de ſpirituali manducatione teſtimonia torqueat, dicere ſuperſedeo, quando pueris ipſis ſe facit ridiculum. Quod ad ſummam rei pertinet, ſi vitioſa eſt diviſio cujus membra inter ſe coin-

cidunt

cidunt (quod pueris inter prima elementa traditur) quomodo vitii hujus culpam effugiet? Nam ſiqua eſt manducatio non ſpiritualis, ſequetur in Cœnæ myſterio nullam eſſe Spiritus operationem. Ita naturaliter vocabitur Chriſti caro, non ſecus ac caducus & corruptibilis cibus: deinde præcipua ſalutis æternæ arrha Spiritu carebit. Ut hoc belluam perfrictæ frontis non moveat: quæro an extra uſum Cœnæ nulla ſit alia manducatio quam ſpiritualis, quæ ſecundum ipſum corporali opponitur. Atqui aperte affirmat hanc nihil aliud eſſe quam fidem, qua nobis applicamus beneficia mortis Chriſti. Ubi

Epheſ. 5. verſ. 30.

ergo erit illud Pauli, nos carnem de carne Chriſti eſſe, & oſſa ex oſſibus ejus. Quorſum evaneſcet illa exclamatio, Hoc eſſe magnum myſterium. Nam ſi præter applicationem meriti nihil relinquitur fidelibus extra præſentem Cœnæ uſum, ſemper à ſuis membris ſeparatum erit caput, niſi eo momento quo panis in os & gutturconjicitur. Adde quod non minus Euangelii fructus eſt quam Cœnæ (teſte Paulo) Chriſti κοινωνία.

1 Cor. 1.

Vidimus paulo ante quam ſe magnifice jactet Heshuſius in voce hac. Paulus autem quod prædicat de Cœna, ante in Euangelii doctrinam contulerat. Jam ſi auditur hic nugator, quid præclara illa Chriſti concione fiet, in qua ſuos diſcipulos unum fore ſecum promittit, ſicut ipſe & Pater unum ſunt: quando minime dubium eſt quin perpetuæ unitatis illic fiat mentio? Nec tolerabilis impudentia eſt, quod in hac ſatua partitione videri vult Heshuſius Patrum imitator. Citat locum Cyrilli ex 15. cap. Joan. Quaſi non illic aperte Cyrillus ex participatione cum Chriſto, quæ nobis in Cœna oſtenditur, probari contendat nos ſimul ſecundum carnem cum eo eſſe conjunctos. Diſputat cum Arrianis, qui citantes Chriſti verba Ut ſint unum nobiſcum, ſicut tu Pater & ego unum ſumus: earum prætextu negabant re & eſſentia Chriſtum eſſe unum cum Patre, ſed conſenſu duntaxat. Hoc cavillum diluere volens Cyrillus, reſpondet nos eſſentialiter unum eſſe cum Chriſto: ad quod probandum vim myſticæ benedictionis adducit. Si tantum de momentanea communicatione pugnaret, quid frigidius? Sed nihil mirum, ſi abjecta verecundia ita ſe projiciat Heshuſius, qui Auguſtini patrocinio non minus fidenter abutitur, quem tamen totus mundus novit maxime eſſe adverſarium. Sermone, inquit, 2. de verbis Domini, expreſſe fatetur diverſos eſſe modos manducandi carnem Chriſti, & affirmat Judam & alios hypocritas veram Chriſti carnem manducaſſe. Atqui ſi epitheton eſſe ſuppoſititium conſtet, quis tam improbæ falſitati ignoſcet? Legatur locus, qui me tacente, in Vera carne, Heshuſium probabit falſarium. At duplex, inquiet, manducatio illic ponitur. Quaſi non hæc eadem diſtinctio in ſcriptis quoque noſtris paſſim occurrat. Promiſcue illic Auguſtinus eodem ſenſu Carnem & ſacramentum Carnis commemorat.

Epiſt. 23. ad Bonifacium.

Idem & aliis pluribus locis facere conſuevit. Si explicatio quæritur, nemo erit clarior interpres quam ipſe. Ex ſimilitudine, inquit, quam habent ſacramenta cum rebus, earum nomina ſæpe accipiunt: qua ratione ſacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt, ſecundum quendam modum. Poſſetne clarius teſtari improprie corpus Chriſti vocare panem, ſimilitudinis reſpectu? Dicit alicubi corpus Chriſti cadere in terram. nempe quo ſenſu & conſumi affirmat. Niſi hic tenetur quam ante notavit ſimilitudo, quid abſurdius? Imo quam indigna calumnia gravabitur ſanctus vir, ſi ſenſiſſe dicatur Chriſti corpus intra viſcera conſumi? Porro

Homil. 26 in Joan. Libr. de civitat. Dei 21. cap. 25. Contra

quid Auguſtino valeat duplex manducatio, pridem à me fideliter expoſitum fuit. nempe quia alii virtutem ſacramenti percipiunt, alii tantum viſibile ſacramentum: aliud autem ſit intus ſumere, aliud foris: aliud corde manducare, aliud dente premere: Ubi tandem concludit, ſacramentum quod in menſa Dominica proponitur, ſumi quibuſdam ad exitium, aliis ad vitam: rem ipſam, cujus ſignum eſt Cœna, omnibus ad vitam cedere, quicunque fuerit ejus particeps.

Fauſtum l. 13. c. 16. Sæpius vero in 6 cap. Joan. à tract. 25. uſque ad 27. Tract. 59. in Joan.

Alibi quoque hanc quæſtionem ex profeſſo ediſſerens diſerte refellit eos qui fingebant impios non ſacramento tantum, ſed re ipſa comedere Chriſti corpus. Atque ut nos ſancto viro ſimpliciter ſubſcribere conſtet, dicimus vere aut re ipſa comedere Chriſti corpus qui fide cum ipſo coaleſcunt ut ſint ejus membra: ſacramento tenus comedere, qui nihil præter ſignaculum viſibile accipiunt. Sic enim ſæpe ad verbum ille. Quando autem cogit nos ſua importunitate Heshuſius toties idem repetere, prodeat in medium illud Auguſtini, Judam comediſſe panem Domini contra Dominum, alios vero diſcipulos comediſſe panem Dominum. Certe pius ille Doctor nuſquam trimembrem partitionem aſſerit. Quid de ipſo uno loquor? Nemo veterum aliud nos recipere in Cœna docuit quam quod nobis manet poſt uſum Cœnæ. Clamabit Heshuſius Cœnam igitur inutilem nobis eſſe. Hæc enim ſunt ejus verba: *Cur* Chriſtus novo mandato jubet in Cœna edi corpus ſuum, & quidem dato pane: quando non ſolum ipſe, ſed Prophetæ omnes hoc urgent, ut per fidem carne Chriſti veſcamur? Nihil igitur novi mandat in Cœna? Ego autem viciſſim interrogo, cur Deus olim & circumciſionem, & ſacrificia, & omnia fidei exercitia præceperit: cur etiam Baptiſmum inſtituerit. Ut nihil reſpondeat, plane liquida eſt ſolutio, Deum non plus dare viſibilibus ſymbolis quam Verbo: ſed aliter, quia noſtra imbecillitas pluribus adminiculis indiget. Quærit: quænam erit iſta improprietas verborum, Hic calix novum Teſtamentum eſt in ſanguine meo: niſi totus ſit corporalis? Pridem ab omnibus nobis reſponſum eſt, Quod extra Cœnam per Euangelium nobis offertur, in Cœna nobis obſignari: itaque Chriſti communicationem non minus vere nobis conferri per Euangelium quam per Cœnam. Quærit quomodo Cœna nominetur novi Teſtamenti, ſi in ea typi duntaxat exhibentur, ut in veteri Teſtamento? Primum Lectores rogatos velim, ut tam putidis næniis opponant quæ luculenter in meis omnibus ſcriptis tradidi. Illic non modo reperient quod obſervari debet diſcrimen inter novæ & Eccleſiæ veteris ſacramenta: ſed deprehendent furem Heshuſium ἐν αὐτοφώρῳ, niſi quod homo imperitus putat veteribus nihil datum fuiſſe præter typos. Quaſi Deus inanibus figuris luſerit Patres: quaſi etiam nugatorium ſit quod docet

1 Cor. 10. verſ. 3.

Paulus, Eundem nobiſcum ſpiritualem cibum comediſſe, & eundem bibiſſe ſpiritualem potum. Concludit tandem, *Niſi* ſubſtantialiter detur ſanguis Chriſti in Cœna, abſurdum eſt, & contra ſacras Literas tribuere vino appellationem novi Teſtamenti. ergo neceſſe eſt unam eſſe ſpiritualem & metaphoricam manducationem, quæ communis fuit Patribus: alteram corporalem, quæ nobis propria eſt. Mihi ſatis eſſet negare conſequentiam, quæ riſum vel pueris moveret: ſed quam profana eſt hæc garrulitas, quod ſpirituale eſt contemptim vocare metaphoricum? Ac ſi Grammaticis ſubjiceret myſticam & incomprehenſibilem Spiritus virtutem. Porro ne cauſetur ſibi non fuiſſe omni ex parte reſponſum, cogor ſæpius idem repetere. Quum verax ab initio Deus fuerit, non fallaces fuiſſe figuras, quibus veteri populo ſalutem & vitam in Filio ſuo unigenito promiſit: nunc vero palam in Chriſto nobis repræſentare quæ tunc quaſi procul oſtendit. ergo non ſolum uberius & luculentius Chriſtum nobis proponunt Baptiſmus & Cœna, quam ritus Legales, ſed quaſi præſentem exhibent. Qua ratione docet Paulus nunc

Coloſſ. 2. verſ. 18.

corpus nos habere pro umbris: non tantum quia ſemel manifeſtatus eſt Chriſtus, ſed quia Cœna & Baptiſmo quaſi certis pignoribus ſe nobis præſentem confirmat. Hinc magnum apparet diſcrimen inter

noſtra

noſtra & veteris populi ſacramenta : quod tamen illos minime ſpoliat earum rerum veritate quas plenius, luculentius, & perfectius hodie Chriſtus, prout fert ejus præſentia, exhibet.

Quod tam acriter & obſtinate urget. Indignos comedere Chriſti corpus tanquam reſumtione indignum omitterem, niſi quod ſummum cauſæ ſuæ præſidium in hac parte locat. Rem dicit gravem eſſe & dignam de qua pii & docti homines inter ſe conferant. Hoc ſi concedo : cur hactenus à toto illorum ſodalitio impetrari non potuit, ut placide agitaretur hæc quæſtio? Et ſane ſi diſceptatio admittitur, nihil erit in re expedienda negotii. Hæc ſunt Heshuſii argumenta : Paulus non articulo tantum, ſed pronomine demonſtrativo, panem hunc benedictum à communi diſcernit. Quaſi vero non ſatis hoc idem diſcernant, qui ſacrum vocant & ſpirituale epulum, pignus & teſſeram noſtræ cum Chriſto unitatis. Secundum : Manifeſtius aſſerit Paulus indignos comedere Chriſti carnem, quum dicit reos fieri corporis & ſanguinis Chriſti. Ego autem quæro, reoſne oblati corporis, an recepti, faciat. Certe de receptione nulla eſt ſyllaba. Fateor eos ſigni participatione afficere contumelia Chriſti corpus : quia inæſtimabile illud bonum quod ſibi offertur, reſpuunt. Ita ſolvitur hæc Heshuſii objectio. Paulum non de generali reatu diſſerere, quo conſtricti ſunt omnes impii : ſed docere, ipſa ſumptione corporis impios accerſere ſibi gravius judicium. Recte enim convenit, contumelioſos eſſe in carnem Chriſti, qui ſcelerato faſtidio & contemptu eam rejiciunt, dum in cibum proponitur. Chriſtum enim tam reprobis quam fidelibus corpus ſuum in Cœna porrigere ſic aſſerimus, ut quicunque ſacramentum indigna ſumptione profanant, nihil tamen mutent ex ejus natura, nec quicquam derogent promiſſionis effectui. ſed quamvis ſui ſimilis maneat Chriſtus, & verax in ſuis promiſſis, non tamen ſequitur, quod datur, omnes promiſcue accipere. Amplificat Heshuſius,
Hebr. 6. verſ. 6. & 10. verſ. 29.
quia non loquatur Paulus de exigua culpa. Nec certe leve delictum notat Apoſtolus, qui dicit impios, etiamſi ad Cœnam non accedant, rurſus in ſeipſis crucifigere Filium Dei, & ludibrio habere; pedibuſque calcare ſacrum ejus ſanguinem. Neque tamen neceſſe eſt eos Chriſtum vorare. Videant Lectores an me, ſicuti garrit Heshuſius, mirifice torqueam, ac lucis odio fingam mihi tenebras, quum dico reos eſſe carnis & ſanguinis Chriſti qui utrumque donum repudiant, ad cujus perceptionem æterna veritas illos invitat. Sed excipit, Hoc ſophiſma quaſi telam araneæ Pauli verbis rumpi quum dicit eos comedere & bibere ſibi judicium. Quaſi vero non etiam ſub Lege increduli judicium ſibi comederent, ſi impuri & polluti ad eſum agni Paſchalis irrumperent. Et tamen ſuo more Heshuſius patere jactat corpus Chriſti ſumi ab impiis. Quanto iſtud Auguſtini rectius, multos in turba Chriſtum premere, qui tamen eum non tangunt! Inſiſtit adhuc, & evidentiſſimum eſſe clamat illud Pauli dictum, Impios non diſcernere corpus Chriſti : ut violenter ac de induſtria obſcurent clariſſimam veritatem quicunque non fatentur ſumi etiam ab indignis Chriſti corpus. Aliquid haberet coloris, ſi negarem indignis corpus Chriſti dari. ſed cum impie rejiciant quod liberaliter ipſis porrigitur, merito pro ſani & bruti contemptus damnantur : quia victimam, qua expiata ſunt mundi peccata, & homines Deo reconciliati, pro nihilo ducunt. Obſervent interea Lectores quam repente incaluerit Heshuſius, qui nuper præfatus rem eſſe dignam de qua pii & docti homines inter ſe conferant, proximo verſu atrociter excandeſcit ſi quis dubitare vel inquirere audeat. Eodem jure nobis iraſcitur, quia non à miniſtro, ſed à Chriſto conferri præſtarique aſſerimus quod panis figurat. Cur non potius Auguſtino & Chryſoſtomo iraſcitur? quorum alter docet ſacramentum miniſtrari per hominem, ſed divinitus : in terra, ſed cælitus. alter vero ſic ad verbum : Nunc ille præſto eſt Chriſtus, qui illam ornavit menſam in qua ſedebat, ipſe quoque iſtam conſecrat. Non enim homo eſt qui propoſita de conſecratione menſæ Domini corpus Chriſti facit & ſanguinem : ſed ille qui crucifixus eſt pro nobis, &c. Quæ poſtea ſubjicit, nihil ad me. Fanaticam eſſe dicit & ſophiſticam corruptelam, indignos accipere pro infirmis & exigua fide præditis, non autem prorſus alienis à Chriſto. Inveniet, ſpero, qui reſpondeant. Me tamen hic tortor ad cauſæ alienæ patrocinium trahit, ut ſacrilegii & immaniſſimi parricidii crimine oneret (ſic enim loquitur) quia mea doctrina necantur trepidæ conſcientiæ, & ad deſperationem adiguntur. Interrogat etiam Calviniſtas, qua fide accedant ad Cœnam, magna, an exigua. Reſponſio in promptu eſt, quam ſuppeditat Inſtitutio, ubi diſerte refellitur eorum error qui perfectionem exigunt quæ nuſquam reperiatur : qua ſeveritate arcent non infirmos tantum, ſed perfectiſſimos etiam quoſque ab uſu Cœnæ. Quinetiam pueri apud nos ex communi formula quæ plebi recitatur probe inſtructi ſunt ad putidæ calumniæ refutationem. Ergo ſuam loquacitatem fruſtra hic oſtentat, celeriter extra viam currendo, quum à cauſa divertit. Ne tamen etiam ſibi in hac parte placeat, hoc quaſi parergon inſerere libet. Ex diametro, inquit, pugnat cum peccatorum remiſſione fieri aliquem reum coram tribunali Dei. Quaſi vero non elementariis quoque notum ſit, ſanctos in eodem actu iram Dei provocare, & tamen ejus indulgentia gratiam adipiſci. Aſtutiam Rebeccæ, dum filium Jacob ſubornat loco Eſau, damnabimus omnes. Itaque minime dubium quin gravem pœnam coram Deo merita ſit hæc culpa : cui tamen ita clementer ignovit, ut hoc modo perveniret benedictio ad Jacob. Porro in tranſcurſu notandum eſt quam acute diluat quod objicio abſurdum, Chriſtum ſcilicet non poſſe à Spiritu ſuo ſeparari. Reſpondet, quum verba Pauli perſpicua ſint, illis ſe aſſentiri. An ut miraculo nos obſtupefaciat, cæcos dicit videre? Nam in verbis Pauli nihil tale perſpici ſatis oſtenſum eſt. Conatur tamen ſe expedire, Quia Chriſtus multis modis adſit creaturis. Sed inprimis hoc probandum eſt, quomodo adſit Chriſtus incredulis, quatenus eſt ſpiritualis animarum cibus, vita denique & ſalus mundi. Et quando tam mordicus verbis adhæret, ſcire velim quomodo Chriſti carnem edant impii, pro quibus non eſt crucifixa, & quomodo ſanguinem bibant, qui expiandis eorum peccatis non eſt effuſus. Fateor quod dicit, adeſſe ut ſeverum judicem, dum indigne polluitur ejus Cœna. Sed aliud eſt comedi, aliud eſſe judicem. Quod poſtea dicit extitiſſe in Saule Spiritum ſanctum, ad prima rudimenta ablegandus eſt, ut aliquando ſanctificationem, quæ ſolis electis & filiis Dei propria eſt, diſcernere à generali potentia diſcat, quæ ad reprobos quoque pertinet. Ergo his cavillis ne minimum quidem apicem labefactat mei axiomatis, Non poſſe Chriſtum, quatenus eſt panis vivificus, & victima in cruce immolata, Spiritu ſuo vacuum, in corpus hominis intrare.

Heshuſii inſcitiam ſimul cum impudentia, ſtoliditate & protervia, ſatis dilucide convictam eſſe arbitror : ut non tantum probis & ſani judicii hominibus fœteat, ſed ſuis quoque nonnihil afferat verecundiæ, qui tam infeliciter pro ipſis litigaverit. Quia tamen ſe erroris ſui confirmationem inſtituere ſimulat, ne decipiat hac magniloqua jactantia ſimplices, paucis diſcutere operæ pretium eſt quæ producit. Quod concionatur de immenſa Dei potentia, alibi, & quidem ſæpius, oſtendi intempeſtive in hac cauſa fieri, ubi non quæritur quid poſſit Deus, ſed qualis carnis Chriſti communicatio in Cœna nobis ab ipſo autore tradita ſit. Aliquando itaque propius

accedit,

accedit, Pauli & Euangeliſtarum verba in medium afferens: niſi quod in vaniſſimis calumniis loquacitatem temere rurſus exercet: acſi nobis propoſitum eſſer Chriſti inſtitutionem convellere. Nos vero tam fideliter ac ſincere quam ingenue ſemper teſtati ſumus, reverenter nos amplecti quod docent Paulus & tres Euangeliſtæ: tantum qua decet ſobrietate & modeſtia quærere de verborum ſenſu. Dicit Hesbuſius idem omnes loqui, ut ne ſyllaba quidem una pene differant. Quaſi vero in optimo conſenſu non appareat in forma loquendi varietas, quæ merito quæſtionem moveat. Duo calicem nominant ſanguinem novi Teſtamenti: reliqui duo Teſtamentum novum in ſanguine: an hic nullius ſyllabæ diſcrimen? Sed demus eadem à quatuor verba, & pene ſyllabas numerari. an ideo protinus dabitur Hesbuſio quod poſtulat, Nullam eſſe in verbis figuram? Non quater, ſed prope millies Scriptura commemorat aures, oculos, & dexteram manum Dei. Si figuras omnes excludit repetita quater loquutio, an in mille teſtimoniis nihil vel ſaltem minus erit momenti? Sit ſane cauſæ ſtatus, Non de fructu paſſionis Chriſti, ſed de corporis præſentia: modo ne præſentiæ nomen ad locum reſtringatur. Hoc ut concedam, nego tamen in eo verti quæſtionem, Sumanturne hæc verba, Hoc eſt corpus meum, in proprio ſenſu, an metonymiee: atque ita Heshuſium inſulſe aliud ex alio inferre dico. Si quis enim ei concedat panem vocari Chriſti corpus, quia ſignum ſit exhibitivum, & ſimul addat eſſentialiter ac corporaliter vocari corpus: quorſum ultra rixari vellet? Propria igitur quæſtio eſt de communicationis modo. Quanquam ſi in verbis inſiſtere placeat, non recuſo. Videndum igitur, ſacramentaliter, an lanionice accipi debeant. Neque etiam controverſia eſt, quodnam corpus deſignet Chriſtus: quia antehac ſatis ſuperque profeſſus ſum me non fingere Chriſtum bicorporem: ideoque corpus quod ſemel crucifixum eſt, in Cœna dari. Imo ex commentariis meis liquet quomodo
Joan. 6. locum illum expoſuerim, Panis quem ego dabo,
verſ. 51. caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. nempe duas eſſe ſpecies donationis: quia corpus idem quod ſemel expoſuit Chriſtus in ſalutem noſtram, quotidie nobis in cibum ſpiritualem porrigat. Quare quod de ſymbolico corpore garrit, impuri ſcurræ maledictum eſt. Nec ferendum eſt, eum cum larvis & umbris, quas imaginatur, pugnando, tenere lectorum oculos. Ejuſdem eſt futilitatis, quum dicit me ſolummodo de fructu & efficacia clamitare. Subſtantialis enim communicatio ubique à me aſſeritur: modo faceſſat localis præſentia, & de carnis immenſitate figmentum. Hic autem ſiniſter interpres non aliter placatur, quam ſi obtinuerit hæc Pauli verba, Calix eſt novum Teſtamentum in ſanguine: tantundem valere acſi dixiſſet, in calice ſanguinem contineri. Quod ſi detur, parum honeſte retracter neceſſe eſt quod tam aſſeveranter dixit de proprio & naturali verborum ſenſu. Cui enim perſuadeat nullam figuram ſubeſſe ubi calix Teſtamentum in ſanguine vocatur, quia ſanguinem in ſe continet? Ego autem non diſſimulo me hoc inſipidum commentum rejicere: neque tamen inde ſequitur vino nos eſſe redemptos, & falſam eſſe Chriſti vocem: quia ut fide bibatur Chriſti ſanguis, non opus eſt ipſum defluere in terram, ſed nos in cælum conſcendere. quin potius in cælo manere oportet Chriſti ſanguinem, ut eum inter ſe participent fideles. ut nobis excutiat Heshuſius omnes ſacramentales loquendi modos, negat diſcendum eſſe ex inſtitutione Paſchatis, ſed ex verbis Chriſti, quid nobis in Cœna detur. Et tamen pro ſua vertigine mox alio transvolat: etiam in his verbis propriam eſſe phraſin, Circumciſio eſt fœdus. Cæterum ſi pertinaciter neget valere in Cœna perpetuum Scripturæ uſum, ut modo ſacramentali verba ſumantur, quid minus tolerabile? Chriſtus fuit petra: nam ſpiritualis fuit cibus. Columba fuit Spiritus ſanctus: in Baptiſmo aqua tam Spiritus eſt quam Chriſti ſanguis: (alioqui non eſſet animæ lavacrum) Chriſtus ipſe eſt noſtrum Paſcha. Quum de his omnibus probe conveniat, nec tergiverſari audeat Hesbuſius, quin ſimiles in his ſacramentis ſint loquendi formæ: cur tam duriter, ſimulatque ad Cœnam ventum eſt, refragatur? At clara ſunt Chriſti verba. Quæ major in aliis obſcuritas? In ſumma, palam effeciſſe exiſtimo quam inanes crepet ſonitus, dum Chriſti verba ad ſuum delirium trahere conatur. Tantundem rationibus, quas firmiſſimas adducere ſe putat, apud ſanos proficiet. Dicit in veteri Teſtamento omnia typis & figuris fuiſſe adumbrata: in novo autem, figuris abolitis, vel potius impletis, ipſam rei veritatem præſtari. Sit ſane ita: ſed an inde colliget aquam Baptiſmi vere, proprie, realiter, & ſubſtantialiter eſſe Chriſti ſanguinem? Longe rectius Paulus: qui dum corpus *Coloſſ. 2.*
hodie pro veteribus figuris conſtare docet, non in- *verſ. 18.*
telligit ſignis compleri quod tunc adumbratum fuit: ſed Chriſtum ipſum ſtatuit, in quo quæratur ſubſtantia & veritas. Itaque paulo ante, quum dixiſſet fideles circumciſos eſſe in Chriſto circumciſione quæ non fit manibus, mox adjungit hujus rei pignus & teſtimonium in Baptiſmo etiam accedere, ut veteri ſacramento novum reſpondeat. Suo more citat Heshuſius ſententiam ex epiſtola ad Hebræos ſacrificia veteris Teſtamenti ἀντίτυπα fuiſſe τῶν ἀληθινῶν: quando illic ἀληθινὰ vocantur non Cœna & Baptiſmus, ſed mors ipſa & reſurrectio Chriſti. Confeſſus ſum jam ante in Cœna & Baptiſmo aliter offerri Chriſtum quam in figuris Legalibus. ſed niſi veritas de qua illic diſputat Apoſtolus, altius quæritur quam in ſacramentis, prorſus evaneſcet. Ergo cum Legalibus umbris opponitur Chriſti præſentia, perperam id ad Cœnam reſtringitur: quum de manifeſtatione ſermo ſit, in qua conſiſtit ſalutis noſtræ perfectio. Atque ut concedam Chriſti præſentiam trahi ad novi Teſtamenti ſacramenta: certe eadem erit Baptiſmi & Cœnæ ratio. Dum itaque ſic ratiocinatur Heshuſius,

Sacramenta Euangelii, Chriſti præſentiam requirunt:
Cœna eſt ſacramentum Euangelii,
Ergo requirit Chriſti præſentiam:

ego viciſſim regero:

Baptiſmus eſt ſacramentum Euangelii,
Ergo requirit Chriſti præſentiam.

Si ad ſuum aſylum tranſiliat, In Baptiſmo non eſſe dictum, Hoc eſt corpus meum: nihil hoc ad præſentem cauſam, cujus definitio fundata eſt tantum in veteris & novi Teſtamenti diſcrimine. Deſinat igitur inepte garrire, Si panis Cœnæ rei abſentis eſt ſymbolum, eſſe igitur ſymbolum veteris Teſtamenti. Porro meminerint Lectores controverſiam eſſe, non de abſentia qualibet, ſed tantum locali. Neque enim Chriſto permittit Hesbuſius nobis adeſſe, niſi ſe pluribus locis, ubicunque celebratur Cœna, præſentem ſiſtat. Unde etiam apparet eum nimis confuſe balbutire, dum præſentiam fructui opponit: quia utrumque optime convenit: quamvis loco diſtet à nobis Chriſtus, immenſa tamen Spiritus ſui virtute nobis eſſe præſentem, ut ejus caro nobis ſit vivifica. Aliquanto etiam magis inſipidum eſt quod dicit, Nihil nos differre à Patribus quoad manducationem ſpiritualem: quia modus vivificationis unus & idem eſt, & illi tantundem perceperunt quantum nos. Quid autem paulo ante dixerat? In novo Teſtamento non umbræ rerum offeruntur, ſed ipſa veritas, vera juſtitia, lux, vita, verus Pontifex: vero & non typico ſanguine ſtabilitur hoc teſtamentum, & placatur ira Dei. Quid ſpirituale eſſe judicat, niſi veritatem, & veram juſtitiam, lucem, & vitam? Nunc hæc omnia vult fuiſſe communia patribus: quod valde abſurdum eſt, ſi propria ſunt

novi

novi Teſtamenti. Sed ne magis refutando adverſa-
rio, quam docendis lectoribus intentus eſſe videar,
breviter admoneo, omnia eum pervertere; dum in
modo manducationis Patres nobis æquat: quibus
etſi communis nobis fuit Chriſtus, minime tamen
æqualis revelationis menſura. alioqui vanum eſſet
Mat 13. vers. 16. illud, Beati oculi qui vident quæ vos videtis: Item,
Joan 1. vers. 17. Lex & Prophetæ uſque ad Joannem: gratia & veri-
tas per Chriſtum facta eſt. Si excipiat ita ſe intelli-
Mat. 13. vers. 13. gere, quæro unde ſpiritualis manducatio. Nam ſi
fatetur eſſe à fide, manifeſtum diſcrimen apparet in
ipſa doctrina, ex qua naſcitur fides. Neque enim
hic agitur quanta ſit fides in ſingulis, ſed qualis fue-
rit promiſſionum ratio ſub Lege. Quis ergo latra-
tum hujus canis ferat, dum invidiam nobis conflare
ex eo conatur, quia dicimus majorem nunc fidei
Luc. 18. lucem eſſe, quam in veteri populo? Objicit Chri-
vers. 8. ſtum conqueri: Filius Hominis, quum veniat, an
inveniet fidem in terra? Quorſum hoc, niſi ut hoc
prætextu ſuam incredulitatem abſolvi velit? Sit ſane
ita. Non inveniet Chriſtus fidem in mille Heshu-
ſiis, neque in tota illorum caterva. Ideone falſum
Luc 7. erit Joannem Baptiſtam majorem eſſe omnibus Pro-
vers. 28. phetis: ipſo autem Joanne majorem eſſe, qui mini-
mus eſt inter Euangelii præcones? Galatarum fides
non modo exigua, ſed proprie ſuffocata erat: Pau-
lus tamen, quum Prophetas pueris comparet, dicit
Gal. 3:25. Galatas & alios fideles jam non opus habere pæda-
gogo, quoniam adoleverint: nempe doctrinæ &
ſacramentorum reſpectu, non autem hominum.
Hoc in Euangelio profecit hæc ſericata & deaurata
ſimia, ut monachorum omnium barbariem ſuperet.
Porro in eſu carnis Chriſti quomodo potior ſit no-
ſtra quam Patrum conditio, pridem expoſui decimo
capite prioris ad Corinthios. In quo tamen ab iſtis
longe diſſentio qui corporalem manducationem
ſomniant. Nam etſi ex ſubſtantia carnis, quæ tunc
nondum erat, vita inſpirari potuit: ut manduca-
tio vere ſpiritualis eſſet, qualis hodie nobis eſt:
pignus tamen illis datum fuit ejuſdem communica-
tionis. Unde conficitur veriſſime ab Auguſtino eſſe
dictum: Signa illis viſibili forma fuiſſe diverſa, non
autem re. Quanquam ſimul addo modum ſignifi-
candi fuiſſe diverſum, & menſuram gratiæ non
fuiſſe æqualem: quia hodie plenior & uberior,
adeoque ſubſtantialis Chriſti communicatio exhi-
betur. Quod autem de pignore, non de re, ſibi me-
cum litem eſſe dicit Heshuſius, quid hoc ſibi velit,
admonitos volo Lectores. Spiritualis manducatio-
nis fatetur ipſe Patres ex æquo nobiſcum fuiſſe
participes: ego vero pro ratione & modo diſpen-
ſationis. Interpoſito autem pignore fidem eorum
in ſymbolis confirmatam fuiſſe conſtat, quatenus
ferebat Chriſti abſentia. Porro noſtra quomodo
præſentem offerant, alibi diximus: non loco ſci-
licet, verum quia mortem & reſurrectionem, ubi
ſolida eſt ſalutis plenitudo, coram repræſentant.
Interea Heshuſius ſecum pugnans, Improbat quod
inter fidem & manducationem ſpiritualem diſtin-
guo. Si ei creditur, inanis eſt argutia. Adeo nihil
præterit, quod non arrodat, vel allatret. Nam hoc
modo inanis eſſet argutia, quum Paulus dicit Chri-
ſtum habitare in cordibus noſtris per fidem. Item,
Nos inſeri in ejus corpus: cum eo & crucifixos, &
ſepultos eſſe: denique nos eſſe oſſa ex oſſibus ejus,
& carnem ex carne ejus, ut vita ejus noſtra ſit. Hæc
qui non videt fructus & effectus eſſe fidei, ideoque à
fide differre, pluſquam cæcus eſt. Ejuſdem vero cæ-
citatis, negare hoc inæſtimabile bonum fide nos
conſequi, ut Chriſti communicatio nos vivificet.
Sed omnia miſcere pro nihilo ducit: modo ne fa-
teri cogatur, extra Cœnam habere fideles quod in
Cœna ipſa recipiunt. Atqui neceſſe eſt, inquit,
manducationem ab obſignatione differre: nempe
ſicuti neceſſe eſt obſignationem quæ fit in Baptiſmo,
à ſpirituali lavacro differre. An non extra Baptiſ-
mum purgamur Chriſti ſanguine? An non Spiritu
regeneramur? Verum in ſubſidium noſtræ infirmita-
tis accedit viſibile teſtimonium, quod rem ſignatam
melius ſanciat. Neque id modo, ſed vere etiam &
plenius conferat quod fide Euangelii percipimus,
etiam citra externam actionem. Atque hoc etiam
loco ſpecimen edit maligni pravique ingenii, dum
in calumniam rapere ſudet quod in Catechiſmo
doceo, Non inutilem eſſe Cœnæ uſum: quia plenius
illic Chriſtum recipimus, quia jam per fidem Euan-
gelii ex parte noſter eſt, ac in nobis habitat. Hæc
doctrina, ſi Heshuſio creditur, non modo putida
eſt & inepta, ſed in totum miniſterium Euangelii
contumelioſa. Ergo Paulum blaſphemiæ accuſet,
qui Chriſtum dicit in nobis formari, ſicuti fœtus in
utero. Nota ſunt verba ad Galatas, Filioli, quos Gal. 4.
iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus. vers. 19.
Cui non multum abſimile quod alibi dicit, Donec Ephes. 4.
creſcatis in virum perfectum, in menſuram ætatis vers. 13.
plene adultæ Chriſti. Nec pluribus verbis opus eſt
ad hoc probandum. Si enim fide habitat Chriſtus in
nobis, certum eſt ſecundum fidei incrementa quo-
dammodo adoleſcere. Objicit Heshuſius. Quid igi-
tur infanti recens baptizato fiet, ſi non guſtata Cœna
decedere ex hac vita contingat? Quaſi vero lege
aliqua, vel neceſſitate Deum conſtringam, ne ope-
retur quoties viſum eſt abſque Cœnæ adminiculo.
Illud enim Auguſtini retineo, Inviſibilem ſanctifica-
tionem ſine viſibili ſigno eſſe poſſe: ſicuti rurſus vi-
ſibile ſignum ſine vera ſanctificatione. Nec ſane
quicquam Joanni Baptiſtæ obfuit, nunquam fuiſſe
ad Cœnam admiſſum, quin Chriſtum poſſideret.
Tantum doceo ſic gradatim nos pervenire ad Chriſti
communicationem, ut non fruſtra Cœnam ipſe
Euangelio & Baptiſmo addiderit. Quamvis ergo
ex hac vita multos eripiat Deus non ætate modo, ſed
etiam fide pueros, ſcintilla tamen una Spiritus ſuffi-
ciet illis ad vitam, quæ abſorbeat quod in ipſis mor-
tale eſt: ut alibi tradit idem Paulus. Cujus tamen au- Rom 8.
thoritas vereor in Heshuſio ſordeat: quando reum vers. 11.
putidi & impii, ut vocat, dogmatis facere non du-
bitat: ſub meo quidem nomine. ſed quid refert, ſi
impietas, cujus me inſimulat, in verbis Pauli pa-
lam deprehenditur? Salvum igitur manet quod
doceo, Chriſti communicationem ſecundum ſuos
gradus, tam in Cœna, quam extra ejus uſum, no-
bis conferri.

Porro quum toti mundo pluſquam notum eſſe pu-
tarem, conſenſu veteris Eccleſiæ doctrinam noſtram
clare probari, cauſam hanc retexit Heshuſius, &
quoſdam vetuſtos ſcriptores, ut confligant nobiſ-
cum, quaſi erroris ſui ſuffragatores advocat. Equi-
dem hactenus hoc argumentum ex profeſſo tractan-
dum non ſuſcepi: quia nolebam actum agere. Primus
hoc Oecolampadius accurate ac dextre præſtitit:
ut evidenter monſtraret commentum localis præſen-
tiæ veteri Eccleſiæ fuiſſe incognitum. Succeſſit Bul-
lingerus, qui eadem fœlicitate peregit has partes.
Cumulum addidit Petrus Martyr, ut nihil prorſus
deſiderari queat. Quantum tamen coëgit importuni-
tas Weſtphali, videor in probando antiquitatis con-
ſenſu ſatisfeciſſe ſanis & integris Lectoribus: imo &
contentioſis obſtructum eſſe os debuit. Quoniam
vero quamlibet ſolidis rationibus victi ſint, ſurdis ca-
nitur fabula, brevi dilutione contentus ero, ex qua
cognoſcant Lectores non minus aridum & futilem
eſſe hunc novum antiquarium, quam fuit Weſtphalus.
Mirum autem, quum Joannis Damaſceni, & Theo-
phylacti teſtimoniis eum uti pudeat, vocare tamen
non poſtremos in Scriptoribus Eccleſiaſticis. Atqui
plus doctrinæ ac pietatis reperient ſani & modeſti
Lectores in uno Commentario qui falſo inſcribitur,
Opus imperfectum Chryſoſt. in Matthæum, quam in
tota Damaſceni theologia. Ille autem, quiſquis fue-

rit ſcriptor, aperte dicit miniſterio tantum corpus Chriſti nobis dari. Hoc autem breviter attingere volui, ne quis liberaliter Heshuſium facere putaret, dum ſuperſedet Damaſceni ſuffragio. Quod Clementem Alexandrinum & Origenem repudiat, ſic concedo, ut tamen meminerint Lectores eum pro arbitrio ex antiquitate deligere quos videt ſibi fore commodos. Incipit ab Ignatio: cujus utinam extarent ſcripta, ne ejus nomine ſubinde fucum facerent impoſtores; ut Servetus & Heshuſius. Quæ enim iſta eſt ingenuitas, epiſtolam citare quam vix gregarius quiſpiam Monachus pro ſua agnoſcere dignetur? Sciunt qui legerunt nugas illas, tantum de quadrageſima, chriſmate, luminatibus, quadrageſimali jejunio, diebus feſtis narrari, quæ aliquanto poſt Ignatii mortem ſuperſtitione & inſcitia obrepere cœperunt. Quid tamen fictitius ille Ignatius? Dicit quoſdam Cœnam rejicere & oblationes, quod negent Euchariſtiam eſſe carnem Chriſti quæ pro nobis crucifixa eſt. Quid autem nobis commune vel affine cum illis hæreticis, qui Euchariſtiam reverenter colimus, in qua ſcimus Chriſti carnem nobis edendam dati? Sed excipiet: Euchariſtiam vocari carnem. Nempe improprie: niſi clauſis oculis in meridie cæcutire libeat. Nam vel de actione ipſa ſumitur nomen Euchariſtiæ, vel de utraque parte ſacramenti. Utrumvis reſpondeas, litera certe urgenda non erit. Ne vero ſæpius cavillum hoc diluere neceſſe ſit, ſemel teſtatum ſit, nos de uſitatis loquendi formis litem non movere. Panem benedictum veteres paſſim nominant corpus Chriſti. Cur enim illis non liceret unigenitum Dei Filium imitari, ex cujus ore nos pendere & ſapere oportet? Sed quantum hoc à barbaro commento diſtat, Panem proprie eſſe corpus, ut illic corporaliter edatur? Ejuſdem eſt probitatis, quod nos Meſſalianis & Enthuſiaſtis aggregat, qui negabant quicquam prodeſſe vel nocere ſacræ Cœnæ uſum. Quaſi non multo ſplendidius de hujus myſterii utilitate ab initio diſſeruerim quam tota hæc caterva, quæ in me intemperanter bacchando totum orbem conturbat? Imo quorſum inſtituta ſit Cœna, & quem fructum afferat fidelibus, altum apud eos ſilentium fuit, donec multorum piorum conviciis hoc tandem illis extortum eſt, ut aliquid è ſcriptis meis excerperent: ne ſemper illis odioſum eſſet ſupprimere quod præcipuum erat. Quin & Swenkfeldium nobis ſocium adjungere non dubitat. Quid immerentes hoſpites vexas canis, ignavus adverſus lupos? Quum ſuo veneno Germaniam inficeret Swenkfeldius, acriter reſtitimus, ut nos peſſime omnium oderit. Nunc, ſi Heshuſio credatur, illum aluimus. Jam quod impio Neſtorii delirio nos involvit, quid reſpondeam, niſi tam improbum convitiatorem ſua maledicentia ſponte concidere? Deſcendit poſtea ad Juſtinum Martyrem, cujus authoritatem libenter magni fieri patior. Sed quid ille quod cauſam noſtram lædat? Dicit panem Cœnæ non eſſe communem, nempe quia prius expoſuerat non admitti ad ejus participationem niſi qui Baptiſmo abluti, & Euangelium amplexi erant. Longius deinde progreditur. Sicuti Chriſtus caro factus eſt, ita & alimentum quod verbo precationis ab ipſo benedictum eſt, & quo ſanguis & caro noſtra per tranſmutationem aluntur, ipſius Chriſti carnem & ſanguinem eſſe edocti ſumus. Comparatio myſticæ benedictionis in Cœna cum incarnatione Chriſti Heshuſio videtur ad victoriam ſufficere. Quaſi vero æquale in utroque miraculum ſtatuat Juſtinus: cui hoc duntaxat propoſitum fuit, quam ſemel Chriſtus carnem ex nobis induit, eam nobis quotidie in cibum dari. Nam in hac ſententia confirmanda ſimplici verborum Chriſti recitatione contentus eſt: nec aliud contendit quam ſolis Chriſti diſcipulis beneficium hoc eſſe commune, qui in veram pietatem initiati ſunt. Ut autem hujus brevitatis clarior ſuccedat interpres Irenæus, Heshuſio concedo. Non referam ſingula verba: nihil tamen omittam quod ad rem faciat. Invehitur contra hæreticos qui carnem negabant capacem eſſe incorruptionis. Si ita eſt, inquit, nec ſanguine ſuo Dominus nos redemit, nec calix Euchariſtiæ communicatio ſanguinis ejus, nec panis quem frangimus communicatio corporis. Sanguis enim non eſt niſi à venis & reliqua hominis ſubſtantia, in qua vere nos Filius Dei redemit. Et quoniam ejus membra ſumus, & per creaturam nutrimur, creaturam autem ipſe nobis præſtat, ſolem ſuum oriri faciens, & pluens quemadmodum vult, eum calicem, qui eſt creatura, ſuum corpus confirmavit, ex quo noſtra auget corpora. Quando ergo & mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia. Quomodo carnem negat capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & membrum ejus eſt? ſicut dicit Apoſtolus, Quoniam membra ſumus corporis ejus, & de oſſibus ejus, &c. Teneant Lectores conſilium Irenæi. Neque enim diſputat an corporaliter edamus Chriſtum: ſed tantum contendit carnem ejus & ſanguinem nobis eſſe in cibum & potum, ut ſpiritualem vitam carni noſtræ & ſanguini infundant. Sed melius ſolvi tota quæſtio non poteſt quam ex verborum contextu. Eadem enim non alia communicatio carnis Chriſti illic aſſeritur in Cœna, quam ſpiritualis, quæ & perpetua eſt, & nobis conſtat extra Cœnæ uſum. Non vult Heshuſius Chriſti corpus niſi in Cœna corporaliter, & intra nos percipi. Nihil minus tolerabile eſſe exiſtimat, quam fideles ſubſtantialiter Chriſto eſſe conjunctos. Toto enim libro in hoc capite inſiſtit, Spiritualem manducationem non niſi fidem eſſe, & Cœnam fore inane ſpectaculum, niſi accedat ejus corporalis, ad momentum illud duntaxat quo panis in os ingeritur. Centies hoc in libello ejus repetitur. Quid autem Irenæus? Certe vident omnes non aliud eum ſentire vel loqui, de communicatione qua fruimur in Cœna quam de qua loquitur Paulus, quum dicit fideles tam in vita quam in morte eſſe membra Chriſti de carne ejus & de oſſibus ejus. Craſſius loquendum eſt, ut hunc ſtipitem moveam. Probare vult ex verbis Irenæi, non tantum ſpirituali modo, ſed corporaliter ore percipi Chriſti corpus: & hæreticos eſſe, qui ſpiritualem tantum manducationem agnoſcunt, de qua concionatur Chriſtus 6. capite Joannis, & de qua Paulus 5. ad Epheſios capite diſſerit: quia à *Epheſ. 5.*
pane corporalem eſum ſejungere nefas ſit. Quid *verſ. 10.*
Irenæus reſpondet? Nos ſcilicet pane & vino in ſacra Cœna ali, ſicuti Paulus teſtatur nos eſſe Chriſti membra. Evanuit igitur illa diſtinctio inter corporeum & ſpiritualem eſum, in qua verti totius quæſtionis cardinem toties jactavit & gloriatus eſt. Cui perſuadeat hæc eſſe ſophiſmata: quando Irenæus eodem in gradu, & eadem in qualitate hæc duo ſtatuit, Hoc eſt corpus meum; &, Nos ſumus membra Chriſti: quæ duo niſi ſeparentur, totam pietatem everti, & Deum abnegari clamat hic noſter cenſor? Imo palam aſſerit Epicureos eſſe, qui putant nihil amplius in Cœna conferri, quam ut in unum corpus coaleſcamus cum Chriſto. Nec vero nos quicquam lædit quod uno conſenſu tradunt ille & Tertullianus & Hilarius. Carnem noſtram ali carne Chriſti in ſpem vitæ æternæ: quia modum non definiunt qualem comminiſcitur Heshuſius. Quin potius dum & ad perpetuam, quæ nobis cum Chriſto eſt, conjunctionem id referunt, & docent eſſe fidei effectum, nulla ambiguitas relinquitur: quando ſecundum Heshuſium corporalis manducatio ad Cœnam reſtringitur & à ſpirituali diſtat non minus quam terra à cœlo. Ita Hilarius lib. 8.

de

de Trinitate: De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione, & fide noſtra, vere caro eſt & vere ſanguis: & hæc accepta & hauſta efficiunt ut & nos in Chriſto & Chriſtus in nobis ſit. An non hæc veritas eſt? Eſt ergo ipſe in nobis per carnem, & ſumus in eo: dum ſecum hoc quod nos ſumus in Deo eſt. Quod autem in eo per ſacramentum communicatæ carnis & ſanguinis ſimus, ipſe teſtatur, dicens: *Joan. 14. verſ. 19.* Et hic mundus jam me non videt, vos autem me videbitis: quoniam ego vivo, & vos vivetis: quoniam ego in Patre, & vos in me, & ego in vobis. Si voluntatis tantum unitatem intelligi vellet, cur gradum quendam atque ordinem conſummandæ unitatis expoſuit, niſi ut quum ille in Patre per naturam divinitatis eſſet, nos in eo per corporalem ejus nativitatem, & ille rurſum in nobis per ſacramentorum myſterium ineſſe crederetur: ac ſic perfecta per Mediatorem unitas doceretur: quum nobis in ſe manentibus maneret in Patre, & in Patre manens maneret in nobis, & ita ad unitatem Patris proficeremus: cum qui in eo naturaliter ſecundum nativitatem ineſt, nos *Joan. 6. verſ. 56.* quoque in eo naturaliter ineſſemus, ipſo in nobis naturaliter permanente? Quod autem in nobis naturalis hæc unitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt: Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit, ejus tantum in ſe aſſumptam habens carnem, qui ſuam ſumpſerit. Et paulo poſt: Hæc vitæ noſtræ cauſa eſt, quod eam in nobis carnalibus manentem habemus per carnem Chriſti. Quamvis ſæpius repetat naturaliter nos Chriſto unitos, ex hac tamen clauſula apparet non alio tendere niſi ut probet vitam Chriſti in nobis manere, quia unum cum *Lib. 4. cap. 34.* ipſo ſumus. Nec minus clare Irenæus de perpetua, quæ ſpiritualis eſt, conjunctione loqui ſe demonſtrat. Noſtra, inquit, ſententia conſonans eſt Euchariſtiæ, & Euchariſtia confirmat noſtram ſententiam. Offerimus enim ei quæ ſunt ejus, congruenter communicationem & unitatem prædicantes carnis & ſpiritus. Quemadmodum enim qui eſt è terra panis percipiens vocationem Dei, jam non eſt communis panis, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena, & cæleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia. Libro autem quinto fuſius exponit nos eſſe Chriſti membra & carni ejus unitos propter ejus Spiritum in nobis habitantem. Hæc ratio eſt, cur extremæ impudentiæ nos damnet Heshuſius quia adverſari doctrinæ noſtræ negamus quæ optime conveniunt. Quod ſi familiarior expoſitio quæritur, eam ſuggeret Cyrillus. Nam lib. 3. explicans Chriſti concionem quæ legitur 6. cap. Joannis, non aliam in Cœna manducationem agnoſcit, quam qua nos vivificat corpus Chriſti, ſuique participatione ad incorruptionem nos reducit. Quarto autem lib. cap. 13. Dedit pro vita omnium corpus ſuum Dominus, & per illud rurſus vitam nobis immittit: quomodo autem, dicam breviter pro viribus. Nam quum vivificans Dei Filius in carne habitaverit, & totus, ut ita dicam, toti ineffabili modo unionis conjunctus, vivificantem ipſam effecerit: propterea participantes hæc caro vivificat. Hoc quum fieri aſſerat tam in Cœna quam extra Cœnam, expediat mihi hunc nodum Heshuſius, Quid ſit vitam nobis immittere. Capite autem 17. Si quis ceræ liquefactæ, inquit, aliam ceram infuderit, alteram cum altera miſceri neceſſe eſt: ita ſi quis carnem & ſanguinem Domini accipit, cum ipſo neceſſe eſt conjungi, ut ipſe in Chriſto, & Chriſtus in ipſo inveniatur. Capite autem 24. aperte diſputat Spiritus virtute vivificam reddi carnem, ut in nobis ſit Chriſtus, quia Spiritus Dei in nobis habitat. Poſtquam de ſanctis illis ſcriptoribus inanes & ridiculos egit triumphos, inſolenter ſe jactat, quod non diſſimulet Clementem Alexandrinum ſe relinquere, quoniam ejus teſtimonio gravetur. Gloriatur etiam ſe non raro cauſam noſtram ſuſcipere & perſonam, dum quæcunque adſerimus, quantum viribus poteſt, exaggerat & amplificat, ut cognoſcat ſune aliquid nervoſum, &c. Quod ſi verum eſt, non debilem modo, ſed enervem prorſus & fractum eſſe oporter. Quod ſi tamen vires ſuas ad recte judicandum conferret, quas totas ad rixandum & convitiandum intendit, multum ex intemperie qua flagrat remitteret. Certe mihi allegoricam manducationem non objiceret, à quo fatetur damnari allegoriam in Chriſti verbis. Sed tali vertigine divinitus percuti æquum eſt, quos ad pugnandum rapit pertinax ambitio, ut pudorem una cum fide proſtituant. Mirum autem, quum tam aſper ſit Origenis cenſor, ne inter ſcriptores fide dignos numeretur, cur non & Tertullianum ſimul expungat. Videmus quam implacabili iracundia exarſerit contra omnes qui auderent aliter quam proprie & nativo ſenſu accipere Chriſti verba, Hoc eſt corpus meum: quia hanc ſacrilegam corruptelam eſſe ducebat. Nunc quum Tertulliani verba ipſum confodiant, tergiverſando tamen elabi magis conatur, quam ſuo illo impetu eum obruere tentet. Verba ſunt: Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, id eſt, figura corporis mei. Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus. Cæterum vacua res, quod eſt phantaſma figuram capere non poteſt. Aut ſi propterea panem ſibi corpus finxit, quia corporis carebat veritate: ergo panem debuit tradere pro nobis. Faciebat ad vanitatem Marcionis, ut panis crucifigeretur. Probat Tertullianus veram carnis Chriſti ſubſtantiam, ex eo quod non poterat panis eſſe figura, niſi rei veræ. Forma loquendi Heshuſio quidem diſplicet, quia periculoſa videtur: verum quaſi ſui oblitus, modo inſidiæ faceſſant, eam admittit. Porro inſidias intelligit, ſi panis dicatur ſignum aut figura eſſe abſentis carnis. In voce abſentiæ ne fucum ſuo more faciat, teneant Lectores quod prius admonui, ſic Chriſtum loco & aſpectu abeſſe, ut vere tamen fideles præſenti carnis ejus ſubſtantia fruantur & alantur. Interea nullis ſuis cavillis hujus viri ſuffragium nobis extorquebit. Nam quod dicit ille, Panem factum eſſe corpus, certe non aliunde ſenſus petendus eſt quam ex contextu. Nec vero Sanguinem in vino conſecrare tantundem valet, atque Affigere ſanguinem vino: ſed reſpondet proximæ ſententiæ, ubi dicit ſubſtantiam carnis ſuæ confirmaſſe Chriſtum, quando teſtamentum condidit ſanguine ſuo obſignatum: quia ſanguis eſſe non poteſt, niſi veræ carnis. Nemini certe dubium eſt, obſignationem quæ peracta eſt in cruce, cum hac conſecratione conferri, qua Chriſtus fœdus æternum cum ſuis paciſcitur. Nihilo plus conſequitur Heshuſius ex altero loco, ubi carnem dicit corpore & ſanguine Chriſti veſci, ut de Deo ſaginetur, hoc eſt, ut in divinitatis participationem veniat. Summa eſt, abſurde & impie facere qui carnem noſtram à ſpe reſurrectionis excludunt, quam Chriſtus ſpiritualis vitæ ſymbolis dignatur. Itaque in eodem gradu ponit non modo Baptiſmum, ſed unctionem, ſignaculum crucis, & manus impoſitionem. Mira autem ſocordia: quo probet non ſola fide participes nos fieri carnis Chriſti, locum citat ex libello de Oratione Dominica: ubi ſpiritualiter intelligi poſſe dicit quod precamur nobis dari panem quotidianum: quia Chriſtus eſt panis noſter, quia vita Chriſtus, quia eſt ſermo Dei vivi qui deſcendit è cælis, & corpus ejus in pane cenſetur. Unde concludit nos perpetuitatem in Chriſto petere, & individuitatem à corpore ejus. Obſecro, ſi in animo haberet prævaricari, poſſetne melius cauſam noſtram juvare? En cur de antiquitate glorietur.

rietur. Cyprianum eadem dexteritate patronum ſibi aſciſcit. Contendit Cyprianus non eſſe denegandum Chriſti ſanguinem fidelibus, qui hac lege vocantur ad militiam Chriſti, ut proprium ſanguinem fundant. Quid inde evincet, niſi ſanguinem Chriſti nobis dari per calicem, ſicuti ſub panis ſymbolo datur corpus? *Epiſt. 2. lib. 3.* Nec vero quum alibi contra Aquarios diſputans dicit non poſſe videri vivificum Chriſti ſanguinem eſſe in calice, ſi vinum deſit, quo ſanguis ipſe oſtenditur, obſcure doctrinam noſtram confirmat. Quid enim eſt ſanguinem vino oſtendi, niſi vinum eſſe ſignum vel figuram ſanguinis? Sicuti paulo poſt idem repetit, aquam ſolam non poſſe exprimere Chriſti ſanguinem, hoc eſt deſignare. Atqui ſanguinem ſimul dicit eſſe in calice. Quaſi vero localis incluſio unquam in mentem ſancto Martyri venerit, qui in hac tantum quæſtione verſatur, An calix myſticus aqua tantum miſceri debeat ad repræſentandum Chriſti ſanguinem. Citatur alius locus ab Heshuſio: Quomodo ſceleratis Euchariſtiam dare, id eſt, ſanctum Chriſti corpus profanare audeant: quum ſcriptum ſit, Qui ederit aut biberit indigne, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Ego vero nec aliter ſentio, nec ſoleo aliter loqui. Sed ex qua dialectica didicit hic bonus vir inferre ex his verbis, indignis dari Chriſti corpus? Dandi verbum ad Euchariſtiam referri omnes vident. Si promiſcue admittantur omnes, profanationem ſacri corporis judicat Cyprianus. En unde pæanas ſibi componit Thraſo noſter. Alibi dicit Cyprianus impios qui ſordidis manibus irrumpunt ad Cœnam, corpus Chriſti invadere: & in ſacrilegos illos graviter invehitur, qui ſacerdotibus ſuccenſent, quod non ſtatim manibus inquinatis accipiant Domini corpus, aut ore polluto ſanguinem ejus bibant. Quaſi vero antehac ignotum fuerit hunc veteribus tritum fuiſſe loquendi morem: aut quaſi ego ab eodem ſtylo abhorream, qui ante multos annos & hunc locum & ſimilem ex Ambroſio citavi. Nec videt Heshuſius quanta ſe abſurditate implicet: quia ſequetur Chriſtum eſſe obnoxium libidini impiorum & violentiæ, quando illic quoque dicit Cyprianus eos vim inferre carni ejus & ſanguini. Recitat Euſebius locum ex Dionyſii Alexandrini epiſtola, ubi fas eſſe negat initiare novo Baptiſmo, qui jam longo tempore particeps fuerit carnis & ſanguinis Domini, & acceperit ſacroſanctum cibum. Hinc ratiocinatur Heshuſius: ſi corpus Chriſti accepit qui ab hæreticis baptizatus fuerat, abſque fide igitur & pœnitentia comedi. Quaſi vero nihil ab impietate differat incogitantia vel error. In quo autem putavit ſe plurimum proficere, ſi vetuſtos Scriptores, quorum nomina falſo obtrudit, magnificis encomiis ornaret, plus quam ridicule ineptus eſt. Plenis buccis detonat eorum laudes: ubi ad rem ventum eſt, nudus reperitur. Athanaſius, inquit, divinus, & immortali laude dignus. Quis negat? Sed quid ad rem? nempe, quia ſcribit Chriſtum fuiſſe Pontificem per ſuum corpus, & per idem myſterium nobis tradidiſſe, dicendo, Hoc eſt corpus meum: &, Hic eſt novi non veteris Teſtamenti ſanguis, conſtare eum de vero corpore & ſanguine in Cœna loqui. Ergone falſum ſanguinem imaginamur, dum negamus abſque nefario divortio poſſe disjungi hæc verba, Corpus quod pro vobis traditur, Sanguis qui funditur in remiſſionem peccatorum? Recte ergo Athanaſius conſecratum nobis eſſe myſterium docet per carnem Chriſti & ſanguinem. nec aptius quicquam ad ſenſus noſtri explicationem dici potuit: quia niſi vera carne, & vero ſanguine præditus eſſet Chriſtus (quod unum illic agitur) inanis eſſet Cœnæ conſecratio, qua ſalus nobis in illis ſtatuitur. Hilarium quam præpoſtere nobis objiciat, ante oſtendi, qui de vivifica Chriſti participatione, quæ externum Cœnæ uſum non flagitat, ſed perpetuum vigorem obtinet in fidelibus, aperte differit. De ea negat Heshuſius ſe diſceptare. Quorſum igitur in nos torquet ejus verba, quæ à cauſæ ſtatu aliena ſunt? Longe vero inſulſius, quod dicit nos refutari hoc uno verbo, Carnem Chriſti ſub myſterio nos accipere. Quaſi vero ſub myſterio, non tantundem valeat atque, Sacramentaliter: quod rurſus perquam appoſite dictum eſt ad doctrinæ noſtræ confirmationem. Verum ne ſtultitia tantum peccare quis putet, extremam quoque malitiam adjungit, quod dicamus ſolam divinitatem nobis in Cœna dari. En cur ſolum hunc locum poſſe ad dirimendam controverſiam omnibus ſatisfacere pronunciet. Eundem in citando Epiphanio ſe prodit. Diſputat ille quomodo creatus ſit homo ſecundum imaginem Dei. Quia ſi de corpore hoc intelligitur, non conveniet ſimilitudo inter viſibile & palpabile, & inter Spiritum inviſibilem atque incomprehenſibilem, Si vero ad animam referre placeat, longam diſtantiam eſſe oſtendit: quia ut eſt multis infirmitatibus & vitiis obnoxia, Deitatem in ſe non continet. Concludit ergo, Deum, qui incomprehenſibilis eſt, vere præſtare quod hominibus ſecundum imaginem largitur. Poſtea adjungit. Et quam multa ſunt à ſimilibus deducta! Videmus enim ut acceperit Servator in manus ſuas, ſicut habetur in Euangelio, ut ſteterit in Cœna, & acceperit, & poſt actas gratias dixerit, Iſtud eſt hoc meum. Videmus autem quod non ſit æquale neque ſimile vel imagini corporeæ, vel deitati inviſibili, vel figuris membrorum. Hoc enim eſt rotundum & quoad facultatem inſenſibile. Voluit tamen per gratiam dicere. Iſtud eſt hoc meum: & fidem nemo abrogat ſermoni. Nam qui non credit ipſum eſſe veracem, ſicuti loquutus eſt, excidit à gratia & fide. Statum cauſæ teneant Lectores. Contendit Epiphanius, quamvis nullum ſimile ſit idem, in homine tamen vere fulgere imaginem Dei, ſicut panis vere dicitur corpus. Unde palam liquet nihil illius ſcriptoris menti eſſe minus conſentaneum, quam quod ſomniat Heshuſius, Panem vere & ſubſtantialiter eſſe corpus. Quærit tamen cur flagitet Epiphanius in verbis Cœnæ fidem, ſi panis Euchariſtiæ non ſit corpus. nempe quia non niſi fide capimus corruptibilem cibum pignus eſſe vitæ æternæ. Cibus ventri, inquit Paulus, & venter cibo: utrumque Deus abolebit. *1 Cor. 6. verſ. 13.* Nos vero in pane & vino ſpirituale quærimus alimentum quod animas noſtras vivificet in ſpem beatæ reſurrectionis. Quærimus Chriſtum, ut in ipſum coaleſcamus, ut in nobis habitet, atque unum ſit nobiſcum. Atqui non tractat Epiphanius de fructu vel efficacia Cœnæ, ſed de ſubſtantia corporis. Hoc quam verum ſit, æſtiment ex proximis verbis Lectores. Antequam enim de myſterio Cœnæ verba faciat Epiphanius, dicit: A Moſe incœpit figura: à Joanne aperta eſt figura: in Chriſto vero perfectum eſt donum. Habent igitur omnes quod eſt ſecundum imaginem, ſed non ſecundum naturam. Non enim ſecundum æqualitatem Dei habent quod eſt ſecundum imaginem. Deus enim eſt incomprehenſibilis, Spiritus ſuper omnem ſpiritum: Lux ſuper omnem lucem: quæ tamen definivit, his non deſtituitur. Miror tamen quomodo fidei mentionem facere audeat qui abſque fide corpus Chriſti comedi aſſerit, noſque atrociter exagitat, quod fidem requiramus. Baſilium gloriatur ſuum eſſe: quia ſceleratos & impios accuſet, qui audent cum animæ ſuæ immunditia attingere corpus Chriſti. nempe quomodo veteres ſæpe dicunt corpus Chriſti cadere in terram & conſumi. quia rei nomen ad ſymbolum transferre nulla illis fuit religio. Ante confeſſus ſum eodem modo loquutum eſſe Ambroſium: ſed quo ſenſu, ex interpretatione verborum Chriſti apparet. *In 11. cap. Prioris ad Cor.* Quia morte Chriſti redempti ſumus, inquit, hujus rei memores edendo & bibendo carnem & ſanguinem quæ pro nobis oblata ſunt, ſignificamus, &c. Et Paulo poſt:

Digitized by Google

poſt: Teſtamentum ergo ſanguine conſtitutum eſt: quia divinæ gratiæ ſanguis eſt teſtis, in cujus typum nos calicem myſticum ſanguinis percipimus. Paulo poſt, Quid eſt corporis reos eſſe, niſi pœnas dare mortis Domini? Devoto igitur animo accedere ad communionem jubet: ut ſciat mens reverentiam ei deberi, ad cujus corpus ſumendum accedit. Hoc enim apud ſe debet judicare, quod Dominus ſit, cujus ſanguinem in myſterio potat. Ita frontem perfricuit Hesbuſius, ut hunc locum nobis objicere non dubitet, qui nibilominus nos juvat, quam ſi docendi formulam inde eſſemus mutuati. Quinetiam carminibus nos oppugnat Hesbuſius. Nam quia Gregorius Nazianzenus poëtico ſtylo exultans dicit ſacerdotes manibus geſtare magni plaſma Dei, audacter colligit panem proprie eſſe corpus Chriſti. Ego autem, quod ſanis omnibus probatum iri confido, ſimpliciter reſpondeo: non aliud voluiſſe Gregorium, quam quod paulo familiarius exprimit Auguſtinus, ubi de Chriſto loquens panem diſcipulis porrigente, Ferebat ſe, inquit, quodammodo manibus ſuis. qua particula nodus optime ſolvitur. Nam quod in ſermone de Paſchate dicit: Ne impie hallucinetis ſanguinem Dei & paſſionem audiens & mortem, ſed confidenter ede corpus & bibe ſanguinem ſi vitam expetis, inſipide ab Heshuſio torquetur in alienum ſenſum: quando non illic de Cœnæ myſterio ſermo habetur, ſed de incarnatione & morte. etſi non inficior Gregorium in verbis edendi & bibendi, quibus tamen fidem commendat, ad Cœnam alludere. De Hieronymo quid attinet plura dicere? Citatur ab Heshuſio locus, ubi dicit panem eſſe corpus Chriſti. Ego autem plus largior. Scribit enim ad Heliodorum Clericos conficere Chriſti corpus. Alibi etiam, diſtribuere plebi ejus ſanguinem. Tantum quæritur quo ſenſu. Si addatur particula, In myſterio, an non dirempta erit controverſia: quando In myſterio, &, Corporaliter, antitheta eſſe conſtat? Hac exceptione expreſſa quum omnem ſcrupulum tollat Hieronymus, quid ſophiſtice cavillari juvat? Fateor etiam alibi Hieronymum tradere, ſceleratos indigne comedere corpus Chriſti: ſed quum addit hoc modo illud polluere, cur in ſcirpo nodus quæretur? Niſi forte impiorum libidini Chriſtum ita ſubjiciat Hesbuſius, ut ſanctam & puram ejus carnem ſua contagione inficiant. Atqui Hieronymus aperte exponit, corpus Chriſti, ubi impure tractatur, eſſe panem pollutum. Verum alibi clarius: negat enim aperte impios comedere carnem Chriſti, aut bibere ſanguinem ejus. Similiter cap. 9. in Oſeam: Impii multas immolant hoſtias, & comedunt carnes earum, unam Chriſti hoſtiam deſerentes, nec comedentes ejus carnem, cujus caro cibus credentium eſt. Quid jam pueriliter in voce cavillari libet, ubi tam dilucida ingeritur rei explicatio? Et ſane quicquid hactenus garrivit hic Sophiſta, in brevem ſyllogiſmum concludere licet:

In Malach. c. 1. — *In Ecclesiaſten.* — *In Malach. c. 1.* — *In Jeſai. cap. 66.*

Quicquid vocatur Chriſti corpus, ſubſtantialiter & re ipſa eſt corpus:

Panem ſacræ Cœnæ Irenæus, Tertullianus, Cyprianus, Juſtinus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus & alii complures vocant corpus Chriſti:

Ergo panis Cœnæ ſubſtantialiter & re ipſa corpus Chriſti eſt.

In 1. cap. epiſt. ad Epheſ.

Porro quoniam adeo ſecure ſe expedit Hesbuſius, ſcire velim quid ad diſtinctionem illam reſpondeat, qua Hieronymus totum illius delirium ſic palam diſcutit atque evertit, ut mitigatione in contrariam partem opus habeat. Dupliciter, inquit, ſanguis Chriſti & caro intelligitur: vel ſpiritualis illa atque divina, de qua ipſe dixit; Caro mea vere eſt cibus: vel caro quæ crucifixa eſt, & ſanguis qui militis effuſus eſt lancea. Equidem non exiſtimo Hieronymum duplicem carnem imaginari: ſpiritualem tamen, ideoque diverſum communicandi modum notari arbitror, ne fingatur corporalis eſus. Itaque quod attexit ex Chryſoſtomo levius tranſcurram. Quia jubet pius ille Doctor cum fide nos accedere, ut non modo propoſitum corpus recipiamus, verum etiam multo magis ut mundo corde tangamus, colligit bonus hic interpres aliquos ſine fide corde immundo recipere. Quaſi vero balbutiat ſubſtantiale corpus corporaliter recipi: ac non Corporis voce myſterii dignitatem commendet. Quid ſi ſeipſum alibi exponit, & ſimul Pauli mentem palam aperit? Quid eſt, inquit, reum eſſe corporis & ſanguinis Domini? Quoniam effudit illum, etiam cædem id eſſe oſtendit, non modo ſacrificium. Quemadmodum non transfixerunt eum hoſtes ut biberent, ſed ut effunderent: ita qui indigne communicat, nullum inde fructum conſequitur. Tandem certe vel cæcis appareat non reos à Chryſoſtomo cenſeri epoti ſanguinis, ſed effuſi. Stultius etiam quod de ſpirituali animæ eſu dictum eſt à Chryſoſtomo, transfert Hesbuſius ad ventrem & viſcera. Verba ſunt: Propoſitum eſt nobis corpus, non ut tangamus ſolummodo, ſed ut edamus & ſaturemur. Hoc Heshuſio tantundem valet, ac ſi dictum eſſet, intra viſcera recipi. Auguſtinum vero patronum vel teſtem producens, cumulum impudentiæ tranſcendit. Jubet ſanctus ille vir in pane accipere quod pependit in cruce. Nihil clarius his verbis ſecundum Heshuſium. nempe ſi de modo receptionis conveniat. Sic quum in Epiſtola ad Januarium dicit, probandum eſſe Eccleſiæ ordinem, ut jejuni ad ſacram menſam accedant homines, quo Chriſti corpus in os prius intret quam reliqui cibi: adde In myſterio, & ſacramentaliter: contentio omnis ceſſabit. Sed abſurde Hesbuſius ambiguam vocem arripiens, quod controverſum eſt omittit. At in ſermone de verbis Apoſtoli duplicem manducationem ſtatuens, ſpiritualem ſcilicet & ſacramentalem, aperte teſtatur, impios qui Cœnam participant, comedere carnem Chriſti. nempe, ut alibi docet, Sacramento tenus. Neget Heshuſius Solem meridie lucere niſi hæc teſtimonia clare refellant noſtram doctrinam: ego tamen confido, me dum Weſtphalo reſpondi, ſic diluiſſe ejus & ſodalium calumnias, ut contentioſi etiam, in quibus reſidet aliqua ingenuitas, tacere malint, quam Heshuſii petulantiam imitando, in ludibrium incurrere. Jactat Auguſtinum aſſerere veram præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia: quod corpus in pane, ſanguis in calice detur, & per ſacerdotum manus erogetur: non ſolum fide, ſed ore quoque ſumatur, nec ſolum à piis, ſed etiam ab impiis. Reſpondeo, niſi accedat clara definitio quomodo nomen corporis accipiat Auguſtinus, fraudulenter agere Heshuſium. Quis autem melior erit interpres, quam Auguſtinus ipſe? Atqui præterquam quod iiſdem locis promiſcue nominat Euchariſtiam vel ſacramentum corporis, uno loco mentem ſuam indubie explicat, ubi dicit ſacramenta ex ſimilitudine rerum quas ſignat, nomina accipere: ideoque ſecundum quendam modum ſacramentum corporis eſſe corpus. Itaque quoties obtrudet Heshuſius ambiguam vocem, regerere promptum erit, Auguſtinum, ubi ita loquitur, non eſſe oblitum ſui: ſed illam ſequi regulam quam aliis præſcribit. Eodem ſpectat quod alibi nominat figuram alibi ſignum corporis. Item Chriſtum ſe quodammodo geſtaſſe ſuis manibus. Vel potius me tacente Auguſtinus calumniam à ſe depellet: quod propter ſimilitudinem transferat nomen rei ſignatæ ad externum ſymbolum: ac proinde panem vocet Chriſti corpus, non proprie & ſubſtantialiter, ut Hesbuſius garrit, ſed ſecundum quendam modum. De præſentia porro quid ſenſerit pius ille ſcriptor, luculenter apparet in Epiſtola ad Dardanum: Immortalitatem,

In 1. ad Cor. homil. 27. — *Epiſt. 23. ad Boniſ.* — *Contra Adimant. lib. 12.* — *In Pſal. 3.* — *In Pſ. 33.*

Digitized by Google

inquit, carni ſuæ dedit Chriſtus, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam non eſt putandus ubique diffuſus. Cavendum enim eſt, ne ita divinitatem aſtruamus hominis, ut veritatem corpori auferamus. Non eſt autem conſequens, ut quod in Deo eſt, ſit ubique ut Deus. Concludit tandem unigenitum Dei Filium eundemque filium hominis, ubique totum præſentem eſſe tanquam Deum: in templo Dei, hoc eſt, in Eccleſia, eſſe tanquam inhabitantem Deum, & in loco aliquo cæli propter veri corporis modum. *Tract. 50. in Joan.* Eodem pertinet etiam illud, Secundum præſentiam majeſtatis, nos ſemper habere Chriſtum: ſecundum præſentiam carnis, recte dictum eſſe, Me non ſemper habebitis. Præterea ſimiles locos, quibus non obſcure teſtatus eſt ſanctus ille ſcriptor quantopere à locali Chriſti præſentia abhorreat. Ipſum vero aſſerere Chriſti corpus ab impiis comedi, quam frigide cavilletur Heshuſius, ex pluribus locis patet. Primum, virtutem ſacramenti opponit viſibili ſacramento: antitheta facit manducare intus & foris: manducare corde & premere dentibus. Si qua eſſet inviſibilis manducatio corporis à ſpirituali diverſa, trimembris ponenda erat definitio. *Tract. in Joan. 26.* Paulo poſt antitheſin eandem repetit: Qui non manet in Chriſto, & in quo non manet Chriſtus, proculdubio ſpiritualiter non manducat carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem: licet carnaliter & viſibiliter premat dentibus ſacramentum corporis. Si placuiſſet Auguſtino Heshuſii commentum, dicendum fuerat, Licet corporaliter edat carnem. Sed nimirum ubique ſibi conſentit pius doctor: nec aliud tradit hoc loco quam poſtea, dicens reliquos diſcipulos panem Dominum comediſſe, *Tract. in Joan. 59.* Judam vero panem Domini contra Dominum. Idem & alio loco probe confirmat, *Contra Fauſt. l. 3. cap. 16.* rurſus opponens inter ſe, tanquam contraria, Sacramento tenus, &, Revera Chriſti carnem comedere. Unde ſequitur revera non comedi ab impiis. Denique quid intelligat hac voce, Sacramento tenus, plenius oſtendit, ubi pronunciat bonos & malos ſignaculis communicare. *Serm. 2. de verbis Apoſt.* Et alibi, Tunc vita unicuique erit corpus & ſanguis Chriſti, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter edatur & bibatur. Si excipiat Heshuſius, impios ſpiritualiter non comedere: quæro quid Auguſtino ſignificet veritas, cujus participes facit ſolos fideles. Adhæc, ſi ſenſit Auguſtinus ſubſtantialiter ab impiis comedi Chriſti corpus, nobis viſibile repræſentari oportet, quando impiis nuſquam alia tribuitur quam viſibilis ſumptio. Si pluris eſt una Auguſtini ſententia Heshuſio, quam decem aliorum Patrum prolixæ conciones, ſicut ipſe jactat, pluſquam ſtipitem eſſe pueri quoque vident, ſi nihil movetur tam illuſtribus teſtimoniis. Et certe dum me confligere video cum tam impuro ſcurra, indignitatis ita piget, ut propemodum pudeat in diſcutiendis ejus nugis operam conſumere. Peracta hac parte fabulæ iterum velitando excurrit, ut nos à cauſa abſtrahat. Nec dubium eſt quin ſibi, dum hinc inde dicteria quaſi floſculos colligit ad ſe oſtentandum, videatur diſertus rhetor: ego autem mihi audire videor ſcrutorum præconem, adeo frivola eſt loquacitas. Jactat poſſe in nobis cerni expreſſas & ſingulares hæreticorum notas: quia dum errorem tueri aperte non poſſumus, fucamus eum præſtigiis verborum. Sed ubi ad rem ventum eſt, quales reperit præſtigias, quæ ſubterfugia, quas fraudes vel captiones aut verſutias oſtendit? Omitto Græcas voces quas ne perderet, adjectiva pro ſubſtantivis ponendo, ſuam inſcitiam prodit. Fatetur me rejicere metaphoras & allegorias, & ad metonymiam decurrere. Nihil adhuc captioſum profert. Dicit ſecundo, à me repudiari eorum ſententiam, qui affirmant comedere corpus Chriſti nihil eſſe aliud quam fide amplecti ejus beneficia. Hæc quoque diſtinctio minime fumum pro luce affert, ſed rem apte & ſignificanter explicat. Quod Chriſti carnem ſpiritualiter edere mihi aliquid majus eſt ac præſtantius quam credere, chimæram vocat. Quid tam improbo convitio reſpondeam, niſi eum eſſe mente captum, quando ſe ipſe in re tam plana & ſoluta non explicat? Nam quod in locum carnis & ſanguinis ſupponit meritum ac beneficium: & paulo poſt addit me non aliam quam Deitatis præſentiam in Cœna fateri, me tacente libri mei calumniam impudentiam coarguunt. Nam ut alios plurimos locos omittam, poſtquam de toto myſterio familiariter in Catechiſmo diſſerui, ſequitur tandem clauſula. I. Solamne eorum quæ dixiſti beneficiorum ſignificationem habemus in Cœna, an illic re ipſa nobis exhibentur? R. Quum Dominus noſter Chriſtus ipſa ſit veritas, minime dubium eſt quin promiſſiones quas dat illic nobis, ſimul etiam impleat, & figuris ſuam addat veritatem. Quamobrem non dubito quin ſicuti verbis ac ſignis teſtatur, ita etiam ſuæ nos ſubſtantiæ participes faciat, quo in unam cum eo vitam coaleſcamus. I. Verum qui hoc fieri poteſt, quum in cælo ſit Chriſti corpus, nos autem in terra adhuc peregrinemur? R. Hoc mirifica arcanaque Spiritus ſui virtute efficit: cui difficile non eſt ſociare quæ locorum intervallo alioqui ſunt disjuncta. Inſtitutionis porro hæc verba ſunt: Non ſatisfacere mihi eos, qui dum communicationis modum oſtendere volunt, nos docent Spiritus Chriſti eſſe participes, prætermiſſa carnis & ſanguinis mentione. Quaſi de nihilo dictum foret, Caro mea vere eſt cibus: & quæ ſequuntur. Prolixa enim hujus rei explicatio ſequitur: & jam ante aliquid dictum fuerat. Libro autem ſecundo non minore, ut exiſtimo, perſpicuitate quam diligentia Oſiandri commentum refutaveram: cujus me ſubſcriptorem eſſe mentitur. Imaginatus eſt Oſiander conferri nobis juſtitiam à Deitate Chriſti. Oſtendi contra, ſalutem & vitam à Chriſti carne petendam eſſe, in qua ſeipſum ſanctificavit, & in qua Baptiſmum & Cœnam nobis conſecrat. Alterum quoque ſomnium de eſſentiali juſtitia quam probe diſcuſſerim illic apparet. Merces ab Heshuſio mihi refertur, qualem præceptori ſuo Melanchthoni rependit. Falſos teſtes infamia leges notant: calumniatoribus graves & ſeveras ſtatuunt pœnas. Quo atrocius eſt crimen publicas tabulas corrumpere, eo durius plectendus eſt hic nebulo, qui in loco uno capite trium criminum tenetur convictus: quia & me indigna calumnia gravat, & ſcelerate contra me mentitur tanquam teſtis, & palam ſalſarius eſt. Non certe frigidis dicteriis, quibus cur me tam cupide laceſſat, neſcio. niſi forte quia ſibi à talione non metuit. Rem ipſam urgeo: quod minime vellet. Dico, quamvis Chriſtus ſecundum carnem à terris abſit, nos tamen vere in Cœna corpore & ſanguine ejus paſci, & fieri arcana Spiritus virtute, ut fruamur utriuſque præſentia. Dico non obſtare locorum diſtantiam, quo minus caro quæ ſemel crucifixa eſt, nobis in alimentum detur. Supponit Heshuſius, quod longe remotum eſt, me fingere ſolam deitatis præſentiam. Atqui de loco tantum diſceptatio eſt: ſed quia non patior Chriſtum ſub pane includi, deglutiri & transmitti in ventrem, cauſatur me ambiguis vocibus involvere doctrinam. Atque ut pietatis, quam nunquam guſtavit, ſtudium aliquod ſimulet, præceptum Pauli obtendi, retinendam eſſe ὑποτύπωσιν ſanorum ſermonum. Quaſi vero ad vivam & expreſſam Paulinæ doctrinæ effigiem accedant hæc portenta, vel quicquam affine habeant: Panem proprie & ſubſtantialiter eſſe corpus Chriſti: corpus ipſum ore comedi corporaliter, & intra nos transmitti. Hic autem bonus Pauli imitator, in breviſſimo libello ſexaginta aut circiter Scripturæ locos tam inſulſe depravat, ut facile conſtet ne tenuiſſimam quidem umbram vivæ illius repræſentationis, de qua loquitur Paulus, in ejus animum ſubiiſſe. Fruſtra

autem

autem quo majore licentia proterviat. Saxonicas Eccleſias nobis opponit, & injuſte nobis accuſari conqueritur. Nam ut multa prætercam quæ occurrunt, tantum ſcire velim, an non ipſe ejuſque ſodales duos oculos Saxoniæ eruere jam aliquot annis conati ſint, Wittebergenſem ſcholam, & Lipſicam. Quid, obſecro, duobus his extinctis luminibus, jactatur inane nomen Saxoniæ? De accuſatione ſic habendum eſt: non eſſe cur nos pœniteat Marcioni & Capernaitis conferre quicunque immenſitatem carnis Chriſti, vel ubiquitatem aſſerunt, vel ſimul volunt eſſe in pluribus locis. Nam quod duas inter ſe ſententias committit, Panem eſſe ſignum abſentis corporis: &, Corpus vere & ſubſtantialiter adeſſe, & ſub pane dari: reſponſio facilis eſt, Inter hæc duo extrema aliquid eſſe medium: dari quidem corpus per externum ſymbolum, ſed non ſiſti localiter. En cur exclamet nos eſſe Epicureos, & ſecuritatis aſſuetos. Verum quo magis tumultuatur ſine cauſa, ingenium ſuum, affectus, & mores clarius patefacit. Si quem hoc ſeculo exercuit Deus magnis & periculoſis certaminibus: eum me eſſe multi noverunt. Et quum adhuc hodie ſimus oves mactationi deſtinatæ, hic manſuetus Euangelii doctor terroribus qui nos undique urgent per ludibrium inſultat, acſi quieti noſtræ invideret, niſi forte homo providus & ſolicite recondens quantum ad lautitias ſufficiat tota vita, ſecuritatem noſtram deridet, quod in diem vivimus, tenuitate noſtra contenti. Eodem canino pudore miras conſiderationes fabricat inter me & eos omnes, quorum erroribus ſolus reſtiti ipſo ſtertente, vel comeſſante. Atque ut appareat quam cupide ad maledicendum feratur, quoniam audierat nomen Velſii, quem Francfordiæ à me factum fuiſſe & confectum ſatis notum eſt, Felſii nomen ſupponit, ut me pro ſua libidine faciat ejus ſocium, quem Heidelbergæ inſanire aliquamdiu paſſus eſt, quia cum tali athleta congredi non audebat. Eadem ingenuitate & verecundia doctrinam noſtram à fructu æſtimat: quia inducat contemptum ſacræ Cœnæ. Utinam vero pari reverentia ipſe cum ſuis ſimilibus ad eam accederet. Nam quod ejus uſum pro nihilo apud nos duci criminatur, hunc latratum facile compeſcet Inſtitutio: ubi ad verbum legitur quod ſubjiciam: Quæ de ſacramento hoc hactenus diſſeruimus abunde oſtendunt, non inſtitutum ideo fuiſſe, ut ſemel quotannis acciperetur, idque perfunctorie, ut nunc communiter moris eſt, verum quo frequenti in uſu Chriſtianis omnibus eſſet. Poſtquam autem fructus recenſui, ita proſequor: Talem fuiſſe Eccleſiæ Apoſtolicæ uſum, Lucas in Actis commemorat: quum fideles ait perſeverantes fuiſſe in doctrina, communicatione, fractione panis, &c. Si agendum omnino erat ut nullus Eccleſiæ conventus fieret ſine verbo, precibus, & communicatione Cœnæ. Jam ubi veterum teſtimoniis hæc corruptela ſevere, ut par erat, à me exagitata fuit, tandem ſequitur: Et ſane hæc conſuetudo quæ ſemel quotannis communicare jubet, certiſſimum eſt diaboli inventum. Item: Longe aliter factum oportuit, ſingulis ad minimum hebdomadibus proponenda erat in ſacro cœtu menſa Domini. Nullus quidem neceſſitate cogendus: ſed cohortandi omnes & ſtimulandi, objurgandus etiam ceſſantium torpor. Quare non abs re principio conqueſtus ſum diaboli arte intruſam hanc conſuetudinem, quæ unum anni diem præſcribens, in totum annum ſocordes reddit. Et adhuc latrabit hic canis, me nervos incidere dulciſſimæ conſolationi, ne agnoſcant fideles Chriſtum in ſe habitare: de qua ſi quid recte attingit, à me furatus eſt? Cæterum probatio quam attexit, phreneticos impetus ſatis declarat, quia quod ante fuerat deteſtatus, pro fidei axiomate nunc arripit: non aliter conſtare hypoſtaſin divinæ & humanæ naturæ in Chriſti perſona, quam ſi caro ſimul ſit pluribus in locis. Quomodo apertius proderet nihil credere, quam ita ſecum pugnando? Quanquam hæc levitas, & inconſtantia vel nimiam cerebri intemperiem, vel poculorum varietatem ſapit.

Aliquid adhuc faſtidii vorare neceſſe eſt, ut planum faciam Lectoribus quam acute, fideliter, & dextre ſe gerat in refutandis noſtris objectis. Poſtquam circulatorum more ſimplicium mentes deluſit, dicit inter noſtras objectiones hanc ſibi videri ſpecioſiſſimam: Verum & phyſicum corpus non poſſe ſimul quoad ſubſtantiam in pluribus & diverſis locis eſſe: Chriſtum habere verum & phyſicum corpus, in quo viſibiliter aſcendit ut ſedeat ad Patris dexteram certo & definito loco, uſque dum in judicium mundi appareat: Ergo hoc corpus quod in cælis certo ſpatio circumſcribitur, non poſſe eſſe in Cœna quoad ſubſtantiam. Addit præterea, nullo me argumento perinde confidere. Primum quam improbe mentiatur, me Patris dexteram ita in arctum cogere, teſtes ſunt complures ſcriptorum meorum loci. Sed ut hoc ejus libidini permittam, quid futilius quam ſtatum quæſtionis ponere in corpore phyſico: quum ſæpe antehac profeſſus ſim me in hac cauſa nihil morari phyſicas rationes, nec inſiſtere Philoſophorum placitis, ſed tantum Scripturæ teſtimoniis acquieſcere? Corpus Chriſti finitum eſſe, & conſtare ſuis dimenſionibus, ex Scriptura patet. Hoc nos Geometria non docuit: ſed quod per Apoſtolos tradidit Spiritus ſanctus, nobis eripi non patimur. Stulte, nec ſine manifeſta repugnantia excipit Heshuſius, Chriſtum in utraque natura ſedere ad dexteram Partis. Neque enim negamus quin totus & integer Chriſtus in Mediatoris perſona cælum & terram impleat: nempe totus non totum: quia id ad carnem referre abſurdum eſſet. Et naturas hypoſtatice unitas eſſe non tantundem valet, acſi immenſitas Deitatis communicata eſſet cum carne: quando cum perſonæ unitate optime convenit utriuſque naturæ proprietas. Excipit ille, ſeſſionem ad Partis dexteram, teſte Paulo, de æterna & divina majeſtate, & æquali potentia intelligi. Quid autem ego? Certe ante annos duodecim toto orbe volitat mea interpretatio in illa quæ citat Pauli verba: Hic locus aperte oſtendit, ſi quis alius, quid ſignificet Dei dextra: non locum ſcilicet aliquem, ſed poteſtatem quam Pater Chriſto contulit, ut cæli & terræ imperium adminiſtret. Nam quum dextra Dei cælum & terram impleat, ſequitur regnum Chriſti ubique diffuſum eſſe, atque etiam virtutem. Unde perperam faciunt qui ex ſeſſione ad dexteram Dei conantur probare Chriſtum non niſi in cælo eſſe. Eſt quidem id veriſſimum in cælo eſſe Chriſti humanitatem, non eſſe in terra: ſed probatio illa non convenit. Nam quod mox ſequitur, In cæleſtibus, non eo tendit ut Dei dextram cælo includat, &c. Pergit graviter in ſua impudentia, & ex eadem Epiſtola locum alterum adjungens, mihi contrarium eſſe fingit. Atqui interpretatio in manibus verſatur, cujus ſummam inſerere liber: Quoniam Implere ſæpe perficere ſignificat, poſſet hic quoque ſic accipi. Nam ſuo in cælum aſcenſu Chriſtus poſſeſſionem adiit datæ ſibi à Patre dominationis, ut omnia regat ſua virtute. Elegantior tamen meo judicio erit ſenſus, ſi duo in ſpeciem contraria jungantur, quæ tamen re ipſa inter ſe congruunt. Nam quum audimus aſcenſum Chriſti, protinus in mentem venit eum procul à nobis remotum eſſe: & eſt etiam ſane quoad corpus & humanam præſentiam. Paulus tamen admonet ita ſubductum fuiſſe à nobis corporali præſentia, ut omnia tamen impleat: nempe Spiritus ſui virtute. Nam quacunque parte Dei dextra, quæ cælum & terram complectitur, diffuſa eſt ſpiritualis Chriſti præſentia, & ipſe immenſa virtute ſua adeſt: utcunque corpus cælo comprehendi oporteat, ſecundum Petri ſententiam. Si quis autem quærat, an corpus Chriſti ſit infinitum

ut divinitas, reſpondet non eſſe: quia corpus Chriſti conſiderata per ſe humanitate ejus, non ſit in lapide, grano & plantis. Quid ſibi vult particula vel exceptio hæc, niſi corpus Chriſti naturaliter, quatenus conſiderabitur per ſe humanitas, non eſſe infinitum, ſed unionis hypoſtaticæ reſpectu? Atqui vetuſti Scriptores, dum carnem Chriſti, ut ſit vivifica, mutuari à divino ejus Spiritu tradunt, de hac immenſitate nullum faciunt verbum: quia tale portentum nemini venit in mentem. Quoniam fateri cogitur Heshuſius nodum hunc ſibi eſſe inexplicabilem, ſimilibus diſſimillimis elabitur. Quomodo ſimplex Dei eſſentia tribus perſonis conſtet: quomodo Creator & creatura ſint una perſona: quomodo mortui qui ante mille annos in nihilum redacti ſunt reſurrecturi ſint, comprehendere ſe negat: ſibi tamen ſatis eſſe duas naturas in Chriſto hypoſtatice unitas, nec poſſe à ſe invicem diſtrahi: non poſſe extra Chriſti corpus perſonam λόγου, pie cogitari. Quæ omnia ut libenter concedo, ita miror unde conſequentiam hanc ducat, eandem eſſe caliginem in ſacra Cœna. Quis enim mediocriter in Sacris verſatus ignorat quid ſit, & quid valeat Sacramentalis unio? Porro quia ſine ubiquitate non conſiſtit localis præſentia, impugnat quod dico corpus Chriſti eſſe in piis virtute Spiritus: non quidem præciſe: quin potius agnoſcit hoc veriſſime dici: ſed tamen vult humanam Chriſti naturam non minus ubique vel pluribus locis eſſe quam divinam. Hic quæro, quum perpetua ſit habitatio Chriſti in fidelibus, cur neget extra Cœnæ uſum habitare ipſum corporaliter. Ego enim optime colligere mihi videor: Si nefas eſt diſtrahere carnem Chriſti à Divinitate, ubicunque habitat Divinitas, etiam corporaliter habitat caro. Atqui ſemper tam in vita quam in morte habitat in fidelibus Chriſti Deitas: ergo etiam caro. Diluat hoc antiſtrophon, ſi poteſt, Heshuſius, & reliqua facile expediam. Iterum repeto: Quia cælum & terram implet divina Chriſti majeſtas & eſſentia, id ad carnem extenditur: ergo extra Cœnæ uſum caro Chriſti in fidelibus eſſentialiter habitat, quia potiuntur Deitatis præſentia. Clamet nunc eos divellere indiviſibilem Chriſti perſonam qui non eaſdem utrique naturæ qualitates attribuunt. Nam hoc poſito, ſequetur nihilo magis reperiri ſub pane carnis ſubſtantiam, quam in ſola virtute fidei. Adde quod teſtatur ſe Cyrillo ſubſcribere, qui contendit communicatione carnis & ſanguinis Chriſti nos fieri unum cum ipſo: quum tamen ubique pugnet, impios minime unum fieri cum Chriſto, licet corporaliter cum ipſo miſceantur: & collectis duobus Pauli locis concludit non otioſam eſſe Chriſti præſentiam, in qua tamen ſola inſiſtit. Magis etiam ridicula fatuitas in eo quod ſequitur. Nam ex loco Pauli, ubi Chriſtum in ſe loqui affirmat, colligit Chriſtum lacerari, ſi eum imaginamur ſola Divinitate loqui, humana carne excluſa. Hoc ubi conceſſero, nonne merito inferam Chriſtum non minus corporaliter fuiſſe in Paulo quum ſcriberet, quam quum panem Cœnæ acciperet? Adeptus ſum ergo quod volebam: non externo ſigno, ſed ſimplici Euangelii fide nos carnis Chriſti fieri ſubſtantialiter participes. Quod autem excludi carnem à Cœna, omnibuſque divinis actionibus objicit, quum docemus cælo comprehendi, nullo negotio diluitur hoc cavillum: quia myſticam & incomprehenſibilem carnis operationem non prohibet abſentia localis. in quo nimis ſtulte hallucinatur Heshuſius, dum loco affixus excluſionem ſomniat, niſi ſub pane corpus ſit incluſum. At Spiritus, inquit, non eſt ſine Filio: ergo non ſine carne. Ego autem viciſſim retorqueo: non eſſe Filium ſine Spiritu: ideoque mortuum Chriſti corpus minime tranſmitti in ventrem reproborum. Hinc judicent Lectores ubi appareat inſulſitas. Quin etiam ut corpus Chriſti ſub terrena elementa trahat, cogitur immenſitatem affingere piorum omnium corporibus & nos facete deridet: quia ſi illis maneret ſua dimenſio, beatiores eſſent poſt reſurrectionem qui proxime Chriſtum ſederent. Nos vero qui acquieſcimus in Chriſti reſponſo, diem illum expectamus, quo unumquemque cæleſtis Pater in proprio gradu ſtatuet. Interea Serveticum delirium abominamur, quod iterum obtrudit Heshuſius. Concludit tandem: Si immenſa Dei Sapientia & potentia nullis phyſicis legibus limitatur: ſi dextra Dei non exiguum aliquem locum in cælo ſignificat, ſed æqualem cum Patre gloriam: ſi humana Chriſti natura, eo quod λόγῳ unita eſt, ſublimes habet prærogativas, & quaſdam proprietates cum eſſentia Divina communes: ſi Chriſtus non ſolum quoad Spiritum, ſed quatenus Deus eſt & homo, in pectoribus piorum habitat, aſcenſione Chriſti in cælum aſtrui & efficaciter ſtabiliri præſentiam ejus in Euchariſtia. Ego autem contra regero: Si non eſt inter nos philoſophica diſceptatio, nec Chriſtum ſubjicimus phyſicis legibus, ſed ex Scripturæ teſtimoniis reverenter oſtendimus quænam ſit carnis ejus natura & proprietas, futiliter Heshuſium ex falſis principiis colligere quod libitum eſt. Iterum colligo: Si liquet, quod clariſſime monſtravi, quod de dextra Dei profert tanquam mihi adverſum ex meis ſcriptis ſumpſiſſe, rurſus improbum calumniatorem deprehendi. Quod carni Chriſti quaſdam proprietates cum Deitate communes eſſe dicit, demonſtrationem requiro, quæ nulla præceſſit. Poſtremo concludo: Si Chriſtus ſecundum utramque naturam naturaliter vel ſubſtantialiter in fidelibus habitat, non aliam eſſe manducationem in Cœna, quam quæ fide abſque ſymbolo percipitur. Tandem curſim dicit facile ſolvi quæcunque objicimus de Chriſti diſceſſu: quia non de abſentia perſonæ intelligi debeant, ſed tantum de modo. nempe quod non viſibiliter ipſum habemus præſentem, ſed inviſibiliter. Trita quidem ſolutio, quam ne mulierculæ quidem in Papatu ignorant, ſed quæ Auguſtinum, Heshuſii quoque conceſſione præcipuum, & optimum fideliſſimumque ex antiquis doctoribus, latuit. Nam locum illum exponens, Secundum majeſtatem ſuam, inquit, ſecundum providentiam, ſecundum ineffabilem & inviſibilem gratiam impletur quod ab eo dictum eſt, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus: ſecundum carnem vero quam Verbum aſſumpſit, ſecundum id quod de Virgine natus eſt, ſecundum id quod à Judæis comprehenſus eſt, quod ligno confixus, quod in ſepulchro conditus, quod in reſurrectione manifeſtatus, non ſemper habebitis me vobiſcum. Quare? Quoniam converſatus eſt ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis, & eis deducentibus, videndo, non ſequendo, aſcendit in cælum, & non eſt hic. Ibi enim ſedet ad dexteram Patris, & hic eſt. Non enim receſſit præſentia majeſtatis. Aliter: Secundum præſentiam majeſtatis ſemper habemus Chriſtum: ſecundum præſentiam carnis, recte dictum eſt diſcipulis: Me non ſemper habebitis. *Tract. in Joan. 50.* Porro quam verecunde ſcribat me probare eſum carnis Chriſti eſſe inutilem ex Chriſti verbis, Caro non prodeſt quicquam, me tacente demonſtret Commentarius: in quo ſic ad verbum loquor: Nec recte illi qui Chriſti carnem prodeſſe dicunt qua[illegible]crucifixa eſt, comeſam vero nihil nobis afferre: quin potius comedere eam neceſſe eſt, ut crucifixa proſit. Auguſtinus ſubaudiendum putat Solam, & per ſe, quia debeat cum Spiritu conjungi. quod cum reipſa conſentaneum eſt. Nam Chriſtus ad modum edendi ſimpliciter reſpicit. Non ergo quamvis excludit utilitatem, quaſi nulla percipi ex carne ſua poſſit: ſed ita demum inutilem fore pronunciat, ſi à Spiritu ſeparetur. Unde enim habet caro ut vivificet, niſi quia ſpiritualis eſt? Ideo quiſquis in terreſtri carnis natura ſubſiſtit, nihil in ea reperiet niſi mortuum:

ſed

ſed qui oculos attollent ad Spiritus virtutem, qua perfuſa eſt caro, non fruſtra vivificam dici ipſo effectu & fidei experientia ſentient. Illinc Lectoribus plura petere ſi veliut, licebit. En cur iſte Thraſo Calviniſtas appellet, num caro Filii Dei ſit inutilis. Imo cur non potius teipſum appellas, & ſocordiam tuam aliquando expergefacis?

Tertia hæc ſecundum ipſum noſtra eſt objectio: Sacramentis omnibus eſſe proprium ut ſigna ſint & pignora teſtificantia aliquid: ergo in Cœna non ipſum corpus Chriſti, ſed tantum ſymbolum dari abſentis corporis. Cæſar de celeritate victoriæ Orientalis gloriari volens, ſcripſiſſe fertur. Vidi: Vici: hic autem noſter Thraſo, oculos claudendo ſe viciſſe jactat. Certe in Conſenſu hoc caput bis aut ter expreſſum eſt: Quum vera ſint quæ Dominus nobis dedit gratiæ ſuæ teſtimonia & ſigilla, vere procul dubio præſtare intus quod oculis figurant ſacramenta: ideoque nos illic Chriſto potiri, & ſpiritualiter eum cum ſuis donis recipére: imo certo offerri communiter omnibus tam incredulis quam piis. Quantum diſtat rei exhibitio à nuda & inani figura, tantum à ſenſu noſtro recedit Heshuſius, dum ex ſcriptis noſtris ſe excerpere ſimulat quæ ſibi finxit mendacia. Ergo quoniam ipſe enervis cavilli, quod falſo nobis objectat, ſolus auctor eſt, fateor ſane eum male argumentari: & quum è ſuo cerebro aſſuat de corporis abſentia: quamvis malus ſit ſutor, ad calceos tamen merito ablegandus eſt cum frigidis ſuis facetiis. Interea quod de abſentia duplici ante dictum eſt, Lectores memoria tenere volo. unde liquebit, quæ loco & oculis abſunt, non eſſe tamen procul remota: quæ duo perperam, ſive inſcitia, ſive malitia confundit Heshuſius. Simul vero operæ pretium eſt notare quam concinne Chriſti præſentiam eliciat ex verbis Petri, ubi Baptiſmum vocat ἐπερώτημα bonæ conſcientiæ: quum diſerte illic Apoſtolus externum Baptiſmi ſymbolum à veritate diſcernat. Veteri, inquit, figuræ ſimilis eſt Baptiſmus noſter, non abjectio ſordium carnis, ſed bonæ conſcientiæ examen per reſurrectionem Chriſti. Sequitur quarta objectio. Sacramenta novi Teſtamenti, Baptiſmus & Cœna, eandem habent rationem, ac prorſus inter ſe congruunt. Ut igitur in Baptiſmo aqua non dicitur Spiritus ſanctus, niſi per metaphoram, ita nec panis Euchariſtiæ dici poteſt corpus Chriſti, niſi allegorice, vel ſecundum Calvinum, metonymice. Qualis noſtra ſit ratiocinandi forma, paulo poſt videbimus. Tantum obſervent Lectores iterum verba fabricari ab Heshuſio, quæ materiam umbratilis pugnæ præbeant. Itaque quod ſuum illud prorſus congruere, refutat, nihil ad nos: ideoque facile patior ipſum σκιομαχεῖν cum ſuis næniis, modo ſimplicibus fucum facere deſinat. Nunc ad noſtrum
1 Cor. 3. verſ. 25. argumentum venio. Quum palam aſſerat Scriptura nos Chriſtum induere in Baptiſmo, & ſanguine ejus ablui, monemus non eſſe cauſam cur magis dicatur in Cœna adeſſe quam in Baptiſmo. Similitudo itaque non in eo ſtatuitur, quod utrumque ſit ſacramentum novi Teſtamenti, ſed quia Chriſti præſentiam non minus requirat Baptiſmus quam Cœna. Acceſſit altera ratio. Nam quum ſecure quicquid ex veteri Teſtamento productum fuerat repudiarent, oſtendimus in Baptiſmo huic tergiverſationi non eſſe locum. Subterfugio conatos fuiſſe elabi palam eſt, quum exciperent, ſub Lege tantum fuiſſe umbras. Neque enim diſcrimen illud vel nobis erat incognitum, vel tollebatur noſtra doctrina: ſed ex perpetuo Scripturæ uſu oſtendere res ipſa cogebat, quid valerent ſacramentales loquendi formæ. Sed quando eorum pervicacia non aliter domari poterat, quam ſi Lege valere juſſa, novis Manichæis oſtenderemus in Cœna & Baptiſmo, quia ſacramenta ſunt novi Teſtamenti, ſervandam eſſe analogiam, quod promptum erat, clare demonſtravimus Baptiſmum non alio ſenſu vocari lavacrum regenerationis & renovationis, quam quo panem Chriſtus vocavit corpus ſuum. Non omnia refero, quæ Lectores in ultima ad Weſtphalum admonitione reperient: quia in præſentia ſatis eſt digito monſtraſſe quas diluat objectiones Heshuſius. Neque tamen prætereundum eſt, quæ nunc ſatis ſuperque ad refutandam Heshuſii ſubtilitatem ſufficerent, in articulo 23. contra Magdeburgenſes eum legiſſe, ac inſtar porci roſtro ſuo evertere, acſi nihil unquam ſcriptum eſſet. Sequitur quinta objectio, In qua ſic nos loquentes inducit: In hac phraſi, Hoc eſt corpus meum, ad tropum eſſe confugiendum: ſicut illæ phraſes, Circumciſio eſt fœdus, Agnus eſt Peſah, petra erat Chriſtus, ſine tropi, metaphoræ vel metonymiæ beneficio explicari nequeant. Forte cum ſuis comeſſatoribus lepide ſibi viſus eſt garrire: apud pios omnes & ſanos adeptus eſt nomen falſarii, quando in ſcriptis noſtris non reperientur tales nugæ. Simpliciter dicimus, ubi de ſacramentis agitur, certum, & peculiarem loquendi modum ex perpetuo Scripturæ uſu tenendum eſſe. Hic nullo effugio vel tropi beneficio elabimur: ſed tantum proferimus quod omnibus notum eſſet, niſi beſtiæ iſtæ ſolem obtenebrarent. Hoc ergo nos principium tenere fateor, in Scriptura communem omnibus ſacramentis loquendi formam: & quamvis unicuique ſacramento aliquid proprium ſit & ab aliis ſeparatum, in omnibus tamen valere metonymiam, quæ rei ſignatæ nomen ad ſignum transfert. Reſpondeat nunc Heshuſius. Verba ejus ſunt: Non facile admittere tropum ineſſe his verbis, Petra erat Chriſtus: ſed tamen pro ſua facilitate hoc nobis largiri. Ubi notanda eſt Lectoribus difficilis ejus facilitas. Sed quomodo negabit rupem figurate vocari Chriſtum? Hæccine ejus ſumma eſt largitio, nobis concedere, Chriſtum, proprie loquendo, non fuiſſe lapidem, ex quo aqua in deſerto fluebat? Progreditur longius, & negat inde conſequi, omnes fidei articulos tropice eſſe enarrandos. Atqui de ſacramentis erat quæſtio. Ubi totam Scripturam evolverit plus & diligens Lector, reperiet ſacramentis ſemper ineſſe quod dicimus: nempe ſigno tribui rei ſignatæ nomen. Hæc dicitur figurata loquutio apud Grammaticos: nec Theologi, ſi loqui velint, invertent naturæ ordinem. A Baptiſmo & Cœna quam recte Heshuſius transvolet ad omnes fidei articulos, judicium aliis relinquo: ex quibus nemo non videbit inſtar equi deſultorii ipſum metas tranſcendere. Quod autem reſpondet ex ſingularibus exemplis non confici generalem regulam, nihil ad rem: quia non exemplum aliquod proferimus, ſed regulam tenemus ſacramentis omnibus communem, quam fruſtra convellere nititur. Nihilo melius ab altero nodo ſe expedit. Dicimus cum Auguſtino, ubi manifeſta occurrit abſurditas tropum vel figuram in loquutione ſubeſſe. Reſpondet nihil eſſe abſurdius rationis judicio, quam tres eſſe hypoſtaſes in una Dei eſſentia & tamen illic non quæri tropi remedium. Quaſi vero abſurditatem carnis ſenſu nobis metiri propoſitum ſit, vel Auguſtino fuerit. Quin potius teſtamur reverenter nos amplecti quod repudiat humana ratio. Tantum abſurditates fugimus, à quibus abhorret ſenſus ipſe pietatis & fidei. Literalem ſenſum in his verbis. Hoc eſt corpus meum, negamus fidei analogon eſſe: & ſimul aſſerimus à communi Scripturæ uſu remotum, quoties de ſacramentis agitur. Hanc noſtram ſententiam cur refelli dicat Heshuſius novi Teſtamenti nomine: nihilo major ratio eſt, quam ſi negaret metonymice Spiritum ſanctum vocari columbam. Falſo etiam & nugatorie injuriam Paulo fieri dicit, quaſi ejus explicationem rejiceremus, Panis eſt communicatio corporis: quando hæc communicatio nuſquam locupletius quam in ſcriptis noſtris illuſtratur. Quæ de Rhetorum præceptis affert, oſtendunt eum nunquam rudimenta

ullius

ullius liberalis doctrinæ guſtaſſe. Verum ne ejus ineptias imitando ſim ridiculus, tantum quod Theologo dignum eſt reſpondeo: quamvis loquutio figurata minus aperta ſit, ſignificantius tamen & ſplendidius exprimere quod ſimpliciter & abſque figura dictum minus haberet efficaciæ & ornatus. Itaque figuræ vocantur orationis lumina: non quod facilius rem declarent quam nudus & vulgaris ſermo, ſed quia attentionem conciliant elegantia, & ſplendore expergefaciunt mentes, vivaque ſimilitudine repræſentant quod dicitur, quo melius penetret in animos. Quæro enim ab Heshuſio, an in Chriſti concione, quæ legitur 6 cap. Joannis, nulla ſit figura. Certe, velit, nolit, fateri cogetur metaphorice hoc eſſe dictum, Niſi comederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem. Videnr tamen omnes apertius eſſe quod intelligi voluit Chriſtus: animas noſtras ſpirituali carnis & ſanguinis ejus participatione ali in cæleſtem vitam. En cur de me magnifice triumphet: quia quum viderem craſſiores aliorum inſidias Lutheri judicio detectas eſſe, metaphoram pro mea verſutia ſculpſerim, quæ tamen nullo modo cohæreat. Fatetur quidem verum eſſe quod doceo, apte ſcilicet ſignum appellari rei ſignatæ nomine: ſed hic res diſparatas mirabili loquendi modo conjungi. Quid dicat audio: ſed qua authoritate probat? Neque enim nos tantum deſpicit, ſed Brentii quoque interpretationem non minus ſecure quam noſtram reſpuit. Agedum, quamvis perſuadeat ſe, quaſi alterum Pythagoram ἀξιόπιστον eſſe: quomodo corpus Chriſti cum pane unum eſſe vult? Reſpondet: quomodo flamma capitibus Apoſtolorum inſidens Spiritus ſanctus fuit: & columba quæ Baptiſtæ apparuit. Itaque vult inuſitato modo igneas linguas fuiſſe Spiritum: columbam quoque fuiſſe Spiritum. Quid hic longa diſceptatione opus eſt, ac ſi non promptum ſit Lectoribus ſponte judicare, utrum ſit concinnius, ſigno aptari nomen rei, an ſignum proprie rem ipſam eſſe? Columba, ſub cujus ſpecie viſus eſt Spiritus, mox evanuit: ſed quia certum præſentiæ Spiritus fuit ſymbolum, nomen Spiritus ei recte & ſcite impoſitum fuiſſe dicimus. Totum hoc diſplicet Heshuſio: & quantumvis ſe torqueat metonymia, negat poſſe evolvi, ut iſta concinnet. Jam nihil mirum, ſi omnes abſurditates tantopere amet, ac quaſi filiolas exoſculetur ſuas: quia videtur prodigioſa quadam libidine ad paradoxa ferri, ut nihil niſi abſurdum probet. Interea recipio quod dat, eadem ratione panem Euchariſtiæ vocari corpus Chriſti, qua columba vocatur Spiritus. In qua ſecunda loquutione minime dubito quin omnes mihi de metonymia aſſentiantur ac ſubſcribant. Quando autem ad tuendam ſuam ſuperbiam ſola ignorantia gloriatur, dignus eſt illo Pauli reſponſo, Qui ignorat, ignoret.

Si faſtidium illud ſentit, quo, ſecundum Juvenalem,

Occidit miſeros crambe repetita magiſtros:

cur in ſexta objectione miſeriam ſponte ſibi acerſit, non tantum inutili repetitione, ſed etiam vano commento? Nos enim ita argumentari fingit, quod nunquam venit in mentem: Si corporalis eſſet præſentia in Cœna, impii pariter ut fideles participes eſſent corporis Chriſti. Ego vero hanc conſequentiam, quæ Heshuſio probatur, ut inſipidam rejicio. Unde apparet in quo genere luctæ ſe exerceat. Sed noluit ſcilicet perdere Menandri carmen, quod prius de hoc capite prolixe garriens inſerere oblitus fuerat. Sed mihi liquido monſtraſſe videor, quam nugatorie fucum ex Dei immenſitate faciat, quo Chriſtum ſeparet à ſuo Spiritu. Deus, inquit, omnia implet, neque tamen omnia Spiritu ſuo ſanctificat. nempe, quia non ubique operatur Deus ut Redemptor: Chriſti autem ratio diverſa, qui in Mediatoris perſona nunquam prodit ſine Spiritu ſanctificationis, qua ratione vita eſt ubicunque ſit. Ergo ne extra oleas fruſtra vagemur, demonſtret Heshuſius Chriſtum, quatenus ex Virgine natus eſt mundi Redemptor, Spiritu regenerationis eſſe vacuum. In ſeptima objectione planum facit quam vere dixerim, eos qui corpus Chriſti includunt in pane, & in calice ſanguinem, nulla tergiverſatione poſſe elabi, quin alterum ab altero divellant. Quia enim nullum videt effugium, convitiando perrumpit, & me facit Epicureum. Quales ex ſua ſchola diſcipulos produxerit, referre nihil attinet. Certe ex hara Epicuri non prodeunt qui intrepide animas ſuas offerant in ſacrificium, ut ſacræ Cœnæ inſtitutionem ſanguine proprio ſanciant. Sexcenti Martyres coram Deo advocati ſtabunt pro defenſione meæ doctrinæ. Pro eadem cauſa hodie trecenta hominum millia periclitantur. Sentiet tandem Heshuſius & ſimiles, quam intolerabile apud Dei tribunal, & coram omnibus Angelis ſacrilegium ſit, non tantum vivos Chriſti ſervos, quorum in piis laboribus, vigiliis, & certaminibus refulget non dubia pietas, atrociter lacerare, ſed etiam mortuos crudeliter vexando fœdare innoxium ſanguinem, atque etiam Deo ſacrum. Hæc breviter ad ejus convitia. De re ipſe aliquando reſpondeat. Dicit abſque diſtractione carnem Chriſti in pane comedi, in vino bibi ſanguinem: ſibi tamen incognitum eſſe quomodo id fiat. Scilicet quum manifeſtis repugnantiis ſe implet, inquiri non patitur. Ego autem propius urgeo: quia de pane non pronunciat Chriſtus, Hic ego ſum: ſed corpus ſuum nominat, ſeorſum quoque ſanguinem in calice offert, non poſſe fieri quin ſanguis à corpore ſeparetur. Frigidum enim eſt illud Papiſtarum ſophiſma, Corpus eſſe in calice, & ſanguinem in pane, per concomitantiam: quia non temere diſtinctis ſymbolis carnem ſuam in cibum, & ſanguinem potum dedit. Si idem utroque ſymbolo datur: ergo ſubſtantialiter panis eſt ſanguis, & vinum eſt corpus. Tam panis vero quam calix bis & ſeorſum erit totus Chriſtus. Quod ſi Chriſto propoſitum fuit fideles ſuos diſtincte paſcere cibo & potu ſpirituali, ſequitur, neque in pane eſſe carnem, nec ſanguinem in vino, ſed ab his ſymbolis mentes ſurſum eſſe erigendas: ut edendo Chriſti carnem, & ſanguinem bibendo, ſolidis alimentis fruamur, nec tamen diſtrahamus Chriſtum. Hanc lucem ut obſcuret Heshuſius, tametſi Philoſophiæ nomine audacter infamat quod eſt ex genuina Theologia ſumptum, non aliud tamen conſequitur, niſi ut ſanis omnibus & modeſtis deteſtabilis ſit arrogantiæ plena obſtinatio.

Octavam objectionem ἀπὸ τῆς ἀρτολατρείας, etſi non fideliter recitat, nimis tamen frigide ac dilute ſolvit. Panem adorandum eſſe negat: quia unione hypoſtatica non eſt Chriſti corpus. Certe Philippus Melanchthon non tam rerum & verborum ignarus erat, quin diſtinctionem hanc teneret. Vidit tamen, quod res erat, ſi panis eſſet corpus, ſine ulla exceptione eſſe adorandum. Quanquam ante oſtendi, ut demus Heshuſio non conſequi ex ejus errore panem eſſe adorandum, ne ſic tamen effugere crimen ἀρτολατρείας, quia negare non poteſt quin adorandus ſit Chriſtus in pane vel ſub pane. Nam certe ubicunque eſt, fraudari eum fas non erit ſuo honore & cultu. Quid ergo magis præpoſterum, quam locari in pane, & illic non adorari? Nec de re dubia litigandum eſt. Quorſum enim attollitur apud eos panis? quorſum ſe in genua proſternunt coram pane? Si excuſabilis ſit tam craſſa ſuperſtitio, gravem injuriam Gentibus fecerunt Prophetæ, quum eas colere dicerent, aurum, argentum, ligna, & lapides. Cœleſte Numen venerari ſe putabant omnes increduli, dum ſimulacris & imaginibus ſupplicabant. Nulla illis erat hypoſtatica unio, ſed ſimilitudo duntaxat. & quamvis potentiam Dei affigerent ſimulacris, nunquam tamen auſi fuiſſent aſſerere lignum ſubſtantialiter eſſe Deum.

Hoc

Hoc qui de pane tam inverecunde pronunciant, eos non cenſebimus panis cultores? Quod ſequitur non obſcure indicat quam reverenter cogitet de immenſa Dei eſſentia. Si ita eſt, inquit, adoremus ergo ligna & lapides, in quibus vera eſt Dei eſſentia. Nam etſi cælum & terram implet Deus, & ubique diffuſa eſt ejus eſſentia, ab hoc tamen perverſo commento quod aſſuit Heshuſius, & à profana loquutione abhorret pietas. Habitabat, inquit, Spiritus Dei in Elia: cur non eum adoravit Eliſæus? Sed quid inter omnes præſentiæ Dei ſpecies, de quibus loquitur Scriptura, & hanc de qua contendit Heshuſius ſimile? Non eſt igitur cur ſuperbe deſpiciat objectiones, à quibus ſe tam infœliciter expedit. Mirum autem cur ad hunc exiguum numerum reſtringat argumenta, quibus coarguitur eorum error. Non ignorat à Magdeburgenſibus poſita fuiſſe quinquaginta novem: cur ergo majoris partis nulla fit mentio: niſi quia nodos inexplicabiles ſine magno ſuo dedecore attingere non poterat: & alios videbat ita eſſe exceptos, ut optimum compendium eſſet diſſimulatio?

Pluribus quam ſperabam, nænias hominis non minus improbi quam inſulſi diſcuſſas eſſe non moleſte fero, ſi fructum quem ſpero, ex meo labore percipiant modeſti & probi Lectores: quorum gratia tædium hoc devoravi: quum indignus eſſet maledicus ullo reſponſo. Atque in poſterum certius cognoſcat totus orbis quo jure ita violenter doctrinam noſtram impetant turbulenti homines, quam vere nobis objiciant involucra & præſtigias, quam humaniter contumelioſis vocibus nos onerent, brevem doctrinæ meæ ſummam attexere viſum eſt: ſi forte hæc non minus vera & recta quam dilucida explicatio ad aliquos placandos valeat. certe omnibus ſinceris Dei ſervis plane ſatisfacturam confido: quando in ea nihil omiſſum eſt quod dignitas & reverentia hujus myſterii poſtulet. Putidas Heshuſii reprehenſiones, quibus ſcripta mea vel exoſa vel ſuſpecta reddere conatus eſt, adeo nihil moror, vel refutare non laboro, ut potius in lucro ponam extare notabile ſpecimen, ex quo appareat quanta pravitate & malevolentia imbutus ſit, quam ſtolido etiam faſtu & inſolenti audacia turgeat. Non jam diſputo quo jure cenſoris partes ſibi adverſum me arroget. Mihi ſatis eſt quod me tacente agnoſcent omnes ſani & moderati homines ſub cenſoris perſona ſævum eſſe carnificem; adeo fœde omnia depravat, corrumpit, torquet, diſcerpit, lacerat, & evertit. Si qua eſſet in beſtia ingenuitas, vel docilitas, ab ejus calumniis me purgarem: ſed quia taurus eſt indomitus, laſciviam in qua nimis exultat, Bezæ ſubigendam trado.

Optima meundæ concordiæ ratio, ſi extra contentionem quæratur veritas.

NE qua vel dubitatio vel ſuſpicio concordiam moretur & impediat, primo loco definiendum eſt de quibus rebus conveniat inter nos. Nam quæ initio certaminum maxime exaſperarunt utrinque animos, nunc ſunt extra controverſiam. Odioſiſſimum erat ab una parte jactari, alligari Spiritus gratiam externis elementis: ab altera modo nudas & inanes figuras & theatricis pompis ſimiles relinqui. Hæc contentio nunc ſublata eſt, quia utrinque fatemur.

Primo Sacramenta eſſe non ſolum externæ profeſſionis notas coram hominibus, ſed teſtimonia ac teſſeras gratiæ Dei, & promiſſionum ſigilla, quæ fidem noſtram melius confirment.

Itaque duplicem eſſe eorum uſum: ut coram Deo ſuſtineant conſcientias, deinde coram mundo pietatem teſtentur.

Adhæc Deum, ſicuti verax eſt & fidelis, arcana Spiritus ſui virtute præſtare quod externis ſignis figurat: ideoque ex parte ipſius Dei non proponi vacua ſigna, ſed veritatem & efficaciam ſimul conjunctam eſſe.

Rurſus non eſſe incluſam Spiritus gratiam aut virtutem externis ſignis: quia nec æqualiter, nec promiſcue omnibus proſunt, nec effectus etiam eodem momento apparet: ſed Deum libere, prout viſum eſt, Sacramentis uti, ut electis adminicula ſint in ſalutem, aliis nihil conferant, adeoque cedant in exitium.

Denique Sacramenta nihil prodeſſe, niſi fide recipiantur, quæ ſingulare eſt donum Spiritus, nec à terrenis elementis pendet, ſed à cæleſti ejuſdem Spiritus operatione. Tantum externa adminicula pro infirmitate captus noſtri adjungi.

Quod ad ſacram Chriſti Cœnam peculiariter ſpectat, convenit ſub ſymbolis panis & vini proponi corporis & ſanguinis Chriſti commendationem: neque ſimpliciter nobis in memoriam revocari Chriſtum ſemel pro nobis fuiſſe in cruce oblatum, ſed ſacram illam unitatem nobis ſanciri, qua fit ut mors ejus nobis ſit vita, nempe dum inſiti in ejus corpus vere ab ipſo alimur, non ſecus ac cibus & potus corpora noſtra vegetant.

Convenit etiam Chriſtum re ipſa & efficaciter implere quicquid analogia ſigni & rei ſignatæ poſtulat: ideoque vere nobis in Cœna offerri communicationem cum ejus corpore & ſanguine, vel (quod idem valet) nobis arrham ſub pane & vino proponi, quæ nos faciat corporis & ſanguinis Chriſti participes.

Reſtant capita de quibus vel quid ſentiendum ſit, vel quomodo loquendum, nondum plane liquet.

Quiſquis autem ſano rectoque judicio præditus, ſimul compoſitum affectum & ſedatum afferet, fatebitur ſolum de modo edendi eſſe certamen: quia palam & ingenue aſſerimus, Chriſtum fieri noſtrum, ut quæ poſſidet bona nobiſcum deinde communicet: ejus quoque corpus non modo ſemel fuiſſe datum in ſalutem noſtram, dum ad expianda peccata immolatum in cruce fuit, ſed quotidie nobis in alimentum porrigi: ut dum ipſe habitat in nobis, honorum etiam ejus omnium ſocietate fruamur. Vivificum denique eſſe tradimus, quia vitam ſuam nobis inſpirat, non ſecus atque ex panis ſucco vigorem trahimus. Ergo prout diverſa edendi ratio ſtatuitur, ex hoc fonte oriuntur lites. Noſtra autem definitio eſt, corpus Chriſti comedi, quia ſpirituale eſt animæ alimentum. Rurſus alimentum à nobis vocatur hoc ſenſu, quia incomprehenſibili Spiritus virtute nobis vitam ſuam inſpirat, ut ſit nobis communis, non ſecus atque à radice arboris vitalis ſuccus in ramos ſe diffundit: vel à capite in ſingula membra manat vigor. In hac definitione nihil captioſum, nihil obſcurum, nihil ambiguum vel flexiloquum.

Quod autem quidam hac dilucida ſimplicitate non contenti, volunt Chriſti corpus deglutiri, nec Scripturæ authoritate, nec veteris Eccleſiæ teſtimonio nititur: ut mirum ſit homines mediocri judicio & eruditione præditos tam pertinaciter de novo commento certare. Quod docet Scriptura, in controverſiam à nobis minime vocatur, Chriſti carnem vere eſſe cibum, & ſanguinem vere eſſe potum: quia & vere à nobis percipiuntur, & in ſolidam vitam ſufficiunt. Hanc quoque communicationem in ſacra Cœna exhiberi profitemur. Quiſquis ultra urget, metas certe tranſilit.

In verbo quoque eſſentiali inſiſtere, non eſt rationi conſentaneum, quando de Sacramentis agitur, quibus peculiarem loquendi formam Scriptura aſſignat. unde ſequitur ſacramentali modo debere hæc verba exponi, Hoc eſt corpus meum. Item: Panis quem frangimus communicatio eſt corporis Chriſti. Porro quod ſuſpicantur quidam ſubeſſe aliquid periculi, facile eſt huic timori obviam ire. Quia ſacramentalis loquutio eſſe dicitur, figura veritatem everti putant. Atqui tenendum eſt figuram non pro inani ſpectro poni, ſed Grammatice ſumi ad notandam metonymiam, ne quis putet ita ſimpliciter panem vocari corpus Chriſti, ut Chriſtus ipſe vocatur Dei filius.

Nomen

Nomen ergo Corporis figurate ad panem transfertur: neque tamen figurative, acſi nudam & vanam corporis ſui imaginem oculis noſtris objiceret Chriſtus, quia veritas à figura non excluditur, ſed tantum notatur diſcrimen inter ſignum & rem ſignatam: quod conjunctioni non repugnat. Si modo faceſſant cavillationes, ut in concordia quærenda fieri decet, nihil eſt in hac docendi ratione odioſum, vel quod in ſiniſtram partem trahi debeat: & tam ſenſu quam uſu communi ſemper approbata fuit.

In primis obſtaculum de corporis immenſitate ſubmovere neceſſe eſt. Niſi eum conſtet finitum eſſe, cæloque comprehendi, nulla erit diſſidii conciliandi ratio. Nam quod abſurdum quibuſdam eſſe videtur non ubique eſſe ex quo Divinitati unitum eſt, facile diluitur. Etſi enim naturæ duæ unam Mediatoris perſonam efficiunt, utrique tamen manet ſua proprietas diſtincta: quandoquidem aliud eſt unio quam unitas. nec de ea re olim diſceptatum fuit, quia uno omnium conſenſu receptum erat, Chriſtum Filium Dei, Mediatorem & caput noſtrum, ſicuti in gloriam cæleſtem ſemel eſt receptus, ita locorum intervallo, quoad carnem, eſſe à nobis diſſitum: Divina autem eſſentia & virtute, gratia etiam ſpirituali cælum & terram implere.

Hoc conſtituto, licebit admittere loquendi formas, in quibus nonnulli ob ambiguitatem ſunt perplexi. Sub pane vel cum pane nobis dari Chriſti corpus: quia non ſubſtantialis unio corruptibilis cibi cum Chriſti carne, ſed ſacramentalis notatur conjunctio. Hoc autem controverſia caret apud omnes pios, inſeparabile eſſe vinculum ſigni & rei ſignatæ in promiſſione ipſa, qua Deus nihil fallaciter oſtentat, ſed figurat quod vere & reipſa præſtat.

Porro fruſtra litigatur de corpore duplici. Mutata quidem fuit conditio in Chriſti carne, ubi in cæleſtem gloriam recepta, quicquid terrenum, mortale vel caducum erat, exuit. Interea tamen ſtatuera oportet, non aliud corpus vivificum nobis eſſe, aut vere cibum poſſe cenſeri, niſi quod pro expiandis peccatis crucifixum eſt: ſicuti & verba ſonant. Idem ergo corpus quod ſemel Filius Dei Patri in ſacrificium obtulit, quotidie nobis in Cœna offert, ut ſit in ſpirituale alimentum. Tantum de modo tenendum eſt quod nuper attigi, non opus eſſe deſcendere carnis eſſentiam è cælo ut ea paſcamur, ſed ad penetranda impedimenta & ſuperandam locorum diſtantiam ſufficere Spiritus virtutem. Interea non negamus quin modus hic humanæ menti ſit incomprehenſibilis, quia neque naturaliter caro eſſet vita animæ, neque è cælis vim ſuam ad nos exereret, neque fruſtra communicatio quæ nos facit carnem à carne Chriſti, & oſſa ex oſſibus ejus, vocatur à
Epheſ. 5. verſ. 30. Paulo magnum myſterium. Ergo in ſacra Cœna miraculum agnoſcimus, quod & naturæ fines, & ſenſus noſtri modum exſuperat, dum Chriſti vita nobis fit communis, & ejus caro nobis in alimentum datur. Modo quæcunque definitioni nuper poſitæ repugnant commenta procul faceſſant: qualia ſunt de corporis ubiquitate, vel de occulta ſub panis ſymbolo incluſione, vel de ſubſtantiali in terris præſentia.

Hæc ubi tranſacta fuerint, emergit adhuc dubitatio de voce Subſtantiæ: cujus ſedandæ hoc videtur eſſe expedita ratio, ut craſſa imaginatio tollatur de manducatione carnis, acſi corporalibus cibis eſſet ſimilis, qui ore ſumpti in ventrem deſcendunt. Nam ubi hæc abſurditas remota fuerit, non eſt cur negemus ſubſtantialiter nos paſci Chriſti carne, quia vere coaleſcimus cum ipſo in unum corpus per fidem, & ita unum cum ipſo efficimur. Unde ſequitur ſubſtantiali ſocietate nos cum ipſo conjungi, non ſecus ac ſubſtantialis vigor à capite in membra defluit. Definitio igitur ſtatuenda erit, Subſtantialiter nos fieri carnis Chriſti participes: non quod fiat carnalis quædam mixtura, vel quod caro Chriſti è cælis elicita in nos penetret, vel quod ore deglutiatur: ſed quia non ſecus animas noſtras vivificet Chriſti caro quoad vim & efficaciam, ac panis vinique ſubſtantia corpora aluntur.

Aliud præterea caput controverſum eſt, de voce SPIRITUALITER, à qua multi abhorrent, quod putant imaginarium aliquid vel inane notari. Ergo hic etiam ſuccurrat definitio neceſſe eſt. Spiritualis ergo manducatio carnali opponitur. Carnalis autem vocatur, qua putant quidam ſubſtantiam ipſam Chriſti in nos transfundi, ſicuti panis comeditur. Ex oppoſito autem dicitur ſpiritualiter nobis Chriſti corpus dari in Cœna, quia facit arcana Spiritus ſancti virtus, ut quæ locorum ſpatio diſtant, inter ſe uniantur: ac proinde ut è cælo ad nos penetret vita ex carne Chriſti, quæ vis & facultas vivificandi non incommode abſtractum aliquid à ſubſtantia dici poſſet, modo ſane hoc & dextre intelligatur, manere ſcilicet in cælo Chriſti corpus, & tamen ad nos, qui in terra peregrinamur, vitam ex ejus ſubſtantia manare ac pervenire.

Quod quidam à nobis duplicem manducationem inſcite confundi jactant: negamus inſcitia nos prætermittere quod ſibi fabricarunt ipſi de ſacramentali eſu, quem volunt eſſe ſubſtantiæ carnis abſque effectu vel gratia. Nihil autem tale vel Scripturis proditum, vel Eccleſiæ veteris teſtimonio ſuffultum eſt. Nam certe veritas & res Sacramenti, non tantum eſt applicatio beneficiorum Chriſti, ſed Chriſtus ipſe cum morte & reſurrectione ſua. Quare non dextri ſunt interpretes, qui ab una parte Chriſtum ſtatuunt vacuum omnibus Spiritus ſui donis, omnique virtute: ab altera conjungunt eum cum ſpiritualibus donis & manducationis fructu: quia non poteſt ſine contumelia ſeparari à Spiritu ſuo, non magis quam à ſeipſo divelli. Nec vero illis ſuffragantur Pauli verba, Reos eſſe corporis Chriſti qui in- 1 Cor 11.
digne comedunt panem Cœnæ quando reatus non verſ. 27.
adſcribitur receptioni, nec uſquam legitur, nec rationi conſentaneum eſt in damnationem cuiquam cedere quod Chriſtum recipiat: ſed damnentur qui eum reſpuunt. Conveniat igitur de hoc quoque capite, Sacramentaliter Chriſti corpus comedi ab impiis, non vere nec re ipſa, ſed ſigno tenus.

Hæc definitio explicat quæſtionem, Quid ſit in Cœna per fidem recipere Chriſti corpus. Quibuſdam ſuſpicioſum eſt nomen Fidei, acſi veritatem & effectum everteret. Atqui longe ſecus accipere convenit, quia ſcilicet non aliter Chriſto conjungimur, quam ſi mentes noſtræ mundum tranſcendant. Noſtræ itaque cum Chriſto conjunctionis vinculum eſt fides, quæ ſurſum nos attollit, & anchoram ſuam jacit in cælo, ut in ſua gloria potius quæratur à nobis Chriſtus, quam ut rationis noſtræ figmentis ſubjaceat.

Atque hac ratione ſedatur optime illud quod attigi certamen, Soline fideles Chriſtum recipiant, an omnes ſine exceptione, quibus porriguntur panis & vini ſymbola. Recta enim & clara eſt ſolutio quam poſui, Chriſtum omnibus generaliter corpus ſuum & ſanguinem offerre: ſed quia infideles januam claudunt ejus liberalitati, non recipere quod offertur. Neque tamen inde colligere licet illos, dum reſpuunt quod datur, vel exinanire Chriſti gratiam, vel quicquam ex ſacramenti efficacia detrahere: quia eorum ingratitudine naturam ſuam non mutat Cœna, nec panis, quatenus proponitur à Chriſto in arrham vel pignus, profaneſcit ut à communi pane nihil differat, ſed vere teſtatur communicationem cum Chriſti carne & ſanguine.

F I N I S.

JOAN-

JOANNIS CALVINI
COMMENTARII
IN
L. ANNÆI SENECÆ,
ROMANI SENATORIS
Ac Philoſophi Clariſſimi,

LIBROS DUOS

AD

NERONEM CÆSAREM,

DE CLEMENTIA.

Digitized by Google

VITA SENECÆ

Fideliter tranſcripta ex bonis auctoribus,

PER

JOAN. CALVINUM.

L. *Annæus Seneca equeſtri & provinciali loco natus, familiæ ſuæ nomen magis vitæ integritate, & ſeveriore doctrina, quam geſtis militaribus, aut rerum civilium peritia, illuſtravit. Capta enim Corduba patria, jam patre orbus, Romam cum duobus fratribus Gallione & Mela migravit: ubi aliquantum temporis tranſegit non magna dignitate. Tandem ſub imperium Caligulæ cœpit haberi inter præcipua eloquentiæ decora. Ex eo magis ac magis inclareſcere: at nonnulli fuiſſe hanc cauſam Claudio exiſtiment cur eum in inſulam relegaret. Exilium infracta animi æquitate tulit: matrem etiam Albinam caſus ſui mœrere dejectam conſtanter conſolatus eſt. Poſt ope Agrippinæ reſtitutus, adſcitus in ordinem ſenatorium, & prætura functus, Domitium adhuc puerum, necdum adoptatum à Claudio, in diſciplinam accepit: cujus ſtudia & mores bona fide excoluit, donec jure adoptionis, mortuo Claudio, ad imperium aſſumeretur. Tum non dare ſpeciem præcipientis, ſed juvenis conſilia civiliter moderari: ut nihil fere pro imperio gereret Nero ſine ejus auctoritate. Accedebat Burrus præfectus prætorio, vir militari virtute illuſtris, & vitæ morumque integer, in idem cum eo conſentiens. Hi duo facile adoleſcentis ingenium ſuſtinebant, ne ſtatim in pejus rueret. At vero mortuo illo, ſeu morbo, ſeu fraude Neronis interiit, valde infregit Senecæ potentiam. hic occaſionem nacti, qui non deſinebant malis artibus Imperatoris indolem corrumpere, ejus opes criminari ſupra civilem modum evectas, ſtudia civium in eum converſa, hortorum amœnitatem, villarum magnificentiam. Quarum rerum invidiam apud Neronem deprecatus Seneca, commeatum etiam petiit, & ut fortunæ ſuæ ſplendorem, quem jam ferre non poſſet, opeſque ſuas, quæ ſibi tantum odium conflarent, in alium transferret. Ad hæc cauſari feſſam ætatem, & valetudinem minus proſperam: quibus tamen non potuit evincere, ut quietem ſtudiis impetraret. Mutavit tamen priſtinam vitæ rationem. Nam cœtus ſalutantium prohibuit, vitavit comitantes. Rarus per urbem, publico abſtinuit. Rurſum oravit ruris ſecretum, cum Nero diris ſuppliciis impotenter ſæviret in Chriſtianos, quo invidiam ſacrilegii à ſe averteret, vel quia ſibi paratum juſſu Neronis venenum proditione liberti reſciverat. quo non impetrato, cubiculo ſe continuit quaſi æger nervis. Succeſſit non multo poſt conjuratio Piſoniana, inter cujus conſcios nominatus ab indice Natali, quamvis non manifeſtus criminis, tamen quaſi læſæ Majeſtatis reus damnatus eſt. Miſſus eſt primum Granius Silvanus tribunus cohortis prætoriæ, qui percontaretur an ſua verba agnoſceret, quibus accuſatio nitebatur. Qui ubi & intrepido vultu agnoviſſe, & excuſaſſe retulit, interrogante Poppeja, an voluntariam mortem pararet, reſpondit nullum ſe mortis ſignum comperiſſe, quum nihil triſte nec in verbis, nec in vultu deprehendiſſet. Ergo regredi, & mortem indicere juſſus eſt. Voci tamen & aſpectui pepercit, intromiſitque unum ex centurionibus, qui neceſſitatem ultimam denunciaret. Hoc accepto nuncio tabulas teſtamenti popoſcit, & denegante centurione, ad amicos converſus, qui ſecum duo diſcumbebant, quoniam aliam referre gratiam non poſſet, dixit ſe illis relinquere quod haberet pulcherrimum, vitæ ſuæ imaginem. Tum Pompejam Paulinam uxorem complexus, rogavit ut dolori temperaret, & lachrymis. Illa omne ſolatium abnuere, adſeverare mortem ſibi deſtinatam, manum percuſſoris poſcere. Ergo eodem ictu brachia ferro exolvunt. ſed Paulinæ, cum jam multum ſanguinis egeſtum eſſet, ſervi vulnus obligarunt, incertum an neſcienti, an vitæ cupidine evictæ, quum mitior ſpes à Nerone offerretur. Seneca autem mortis lentitudinem pertæſus, quia ſenile corpus ſanguini effugium non dabat, crurum quoque & poplitum venas ſibi abrupit. Qua via quum non magis proficeret, venenum pridem in eum caſum proviſum hauſit, fruſtra, jam clauſo pectore adverſus vim veneni. Demum balneo illatus, & vapore exanimatus, ſine ullo funere ſolenni crematus eſt. Ita codicillis perſcripſerat, quum etiam tam prædives & præpotens ſupremis ſuis conſuleret. Mortuus eſt anno ætatis centeſimo decimoquinto aut circiter, anno imperii Neronis undecimo, ex quo vero ejus pueritiæ erudiendæ admotus fuerat, decimoſeptimo.*

JOANNIS CALVINI

PRÆFATIO

Ad Sanctiſſimum ac Sapientiſſimum Præſulem

CLAUDIUM HANGESTIUM,

Abbatem divi Eligii Noviodunenſis.

SI qui ſunt hodie paulo faciliori nati ingenio, ornatiſſime præſul, eo fere omnes certatim ſe proripiunt, illuſtrandi nominis ambitione, ut præcipitanter editis ingenii ſui monimentis, celebrem nominis memoriam ad poſteros tradant: hoc ſibi demum egregiæ laudi futurum ducentes, ſi poſteros cogitant, magno ſuo dedecore. Adeo pauci ſunt qui ingeniis ſuis temperare ſciant. hinc ſcripturiendi inſana licentia, quam ſtatim pœnitentia ſequitur comes. In hac tamen improbitate rationem ineunt, qua ſibi gratiam apud lectores, ut aiunt, benevolos concilient: quorum profecto benevolentia prolixe abutuntur. Quidam prætendunt ætatis tyrocinium: alii cauſſificantur improbis amicorum precibus libros inchoatos ſibi de manibus excuti: alii neſcio quid nugarum garriunt, quo errorem deprecentur, ſi ſe populo ſpectandos importune dederint. Atqui malim nullos omnino fœtus edere, quam præmaturos, vel etiam, ut fit, abortivos non tam edere, quam projicere. Mihi vero etiam aliquid meditandum eſt, quo rationem meam inſtitutumque approbem, non tantum benevolis, ſed circumſpectis lectoribus: eoque magis, quod unus de plebe homuncio, mediocri, ſeu potius modica eruditione præditus, nihil in me habeam, quod ſpem aliquam poſſit celebritatis excitare. Hæc quidem ignobilitatis meæ conſcientia fecerat, ut hactenus abſtinerem publico. Neque hæc noſtra ſcholia, qualiacunque ſunt, primum meditabar in eam ſpem, ut aliquando publicum acciperent: ſed tamen quaſi jam tum de editione cogitans, ſtudii contentione provehebar, ne velut in re ludicra otioſe & oſcitanter ludens, operam quoque luderem. Itaque nondum ad umbilicum deducta, amicis aliquot probis ac fidelibus cum recitarem, illique ſimpliciter, ut ſolent omnia, candideque æſtimarent, ſpem aliquam injecerunt ejus generis eſſe, quæ non plane à gratia abhorrerent, ſi ederentur. Valuit præſertim Connani mei auctoritas, viri prudentiſſimi ac diſertiſſimi cui uni ſtant & cadunt mea conſilia. Adde quod optimum auctorem pleriſque ſordeſcere, ac nullo pene eſſe numero, iniquiſſime ferebam: ut jamdiu optaverim egregium quempiam vindicem emergere, qui illum in ſuam dignitatem aſſereret. Hoc ipſum ſi ſum aliqua ex parte aſſecutus, tantum laboris non fruſtra exhauſiſſe videar: nempe cum in hac arena bis deſudarit Eraſmus literarum alterum decus, ac primæ deliciæ: quædam etiam ipſius oculos ſubterfugerint, quod citra invidiam dictum ſit, à nobis primum animadverſa. Equidem de auctore ipſo dum loquor parcius, vereor ne ſummas ejus laudes, ingenii culpa deteram. Neque ejus merita laudibus aſſequi operæ pretium eſt, ne ipſe per ſe parum afferre commendationis videatur. Penitus tacuiſſem, niſi multorum animos occupaſſet prava quædam opinio, ac jam præjudicii locum obtineret, Senecæ nullas eſſe in eloquentia virtutes, in philoſophia numero ac pondere exiguas, quæ tamen ipſæ inter vitia demerſæ, lateant. Sic illum, aiunt, Quintilianus in omni eloquendi genere ex induſtria diſtulit, ut oblique expungeret de proborum ſcriptorum numero. Sic Gellius alienis verbis, ſed ſuo magis judicio, ſcriptorem minime utilem pronunciat. Ego vero ut non plane auſim refellere Quintilianum, acerrimi hominem ac perſpicaciſſimi judicii, velim tamen & iſti intelligant Quintilianum hominem fuiſſe, & non ſatis bona fide egiſſe cum Seneca, aut certe ſuas contumelias perſecutum. Nam Seneca parum honorifice tractavit ſenem Quintilianum in declamationibus, & hujus Quintiliani luminibus obſtruebat. Quod Gellii ſplendida bilis in Senecam effuderit, ſi iſti pro re comperta ducunt, vehementer errant. Nemo ſane eſt qui non videat, quam impotenti rabie in eum feratur, hac in parte contumelioſus magis, quam gravis. Certe, utcunque Fabius ac Gellius ſenſerint, poſteri tamen, qui citra livorem ac ſtudium, quæ duo cum veritate fere pugnant, judicare potuerunt, inter primarios latinitatis proceres numerant. Facile fuit Fabio cum larvis citra pulveris jactum luctari. homo enim mortuus non mordebat. vivo videntique obſtrepere, non item licuiſſet. Nec tamen eum ita omni laude ſpoliavit, ut non reliquerit illi ſummam laudem. Siquidem ab ultima memoria latinos oratores repetens, copiam unius Senecæ inter omnes

L. ANNÆI SENECÆ
AD
NERONEM CÆSAREM
DE CLEMENTIA
LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM.

SCribere de clementia, Nero Cæſar, inſtitui, ut quodammodo ſpeculi vice fungerer, & te tibi oſtenderem, perventurum ad voluptatem maximam omnium. Quamvis enim recte factorum verus fructus ſit, feciſſe, nec ullum virtutum pretium dignum illis extra ipſas ſit, juvat tamen inſpicere & circumire bonam conſcientiam: tum immittere oculos in hanc immenſam multitudinem, diſcordem, ſeditioſam, impotentem, in perniciem alienam ſuamque pariter exultaturam, ſi hoc jugum fregerit: itaque loqui ſecum: Ego ex omnibus mortalibus placui, electuſque ſum, qui in terris deorum vice fungerer: ego vitæ necisque gentibus arbiter: qualem quiſque ſortem, ſtatumque habeat, in manu mea poſitum eſt. Quid cuique mortalium fortuna datum velit, meo ore pronunciat. Ex noſtro reſponſo lætitiæ cauſas populi urbeſque concipiunt. Nulla pars uſquam niſi volente propitioque me floret. Hæc tot millia gladiorum, quæ pax mea comprimit, ad nutum meum ſtringentur. Quas nationes funditus excindi, quas transportari, quibus libertatem dari, quibus eripi, quos Reges mancipia fieri, quorumque capiti regium circumdari decus oporteat, quæ ruant urbes, quæ oriantur, mea juriſdictio eſt. In hac tanta facultate rerum, non ira me ad iniqua ſupplicia compulit, non juvenilis impetus, non temeritas hominum & contumelia, quæ ſæpe tranquilliſſimis quoque pectoribus patientiam extorſit: non ipſa oſtentandæ per terrores potentiæ, dira, ſed frequens magnis imperiis gloria. Conditum, imo conſtrictum apud me ferrum eſt. Summa parſimonia etiam viliſſimi ſanguinis. Nemo non, cui alia deſint, hominis nomine apud me gratioſus eſt. Severitatem abditam, clementiam in promptu habeo. Sic me cuſtodio, tanquam legibus, quas ex abdito ac tenebris in lucem evocavi, rationem redditurus ſim. Alterius ætate prima motus ſum, alterius ultima. Alium dignitati donavi, alium humilitati. Quoties nullam inveneram miſericordiæ cauſam, mihi peperci. Hodie diis immortalibus, ſi à me rationem repetunt, annumerare genus humanum paratus ſum. Potes hoc Cæſar prædicare audacter, omnia in fida tutela haberi: nihil per te neque vi neque clam Reip. ereptum. Rariſſimam laudem, & nulli adhuc principum conceſſam concupiſti innocentiam. Non perdis operam, nec bonitas iſta tua ſingularis ingratos aut malignos æſtimatores nacta eſt. Refertur tibi gratia. Nemo unus homo uni homini tam charus unquam fuit, quam tu populo Romano, magnum longumque ejus bonum. Sed ingens tibi onus impoſuiſti. Nemo jam divum Auguſtum, nec Tiberii Cæſaris prima tempora loquitur: nec, quod te imitari velit, exemplar extra te quærit. Principatus tuus ad guſtum exigitur. Difficile hoc fuiſſet, ſi non naturalis tibi iſta bonitas eſſet, ſed ad tempus ſumpta. Nemo enim poteſt perſonam diu ferre: ficta cito in naturam ſuam recidunt. Quibus veritas ſubeſt, quæque ut ita dicam, ex ſolido enaſcuntur, tempore ipſo in majus meliuſque procedunt. Magnam adibat aleam populus Romanus, quum incertum eſſet, quo ſe iſtaitm nobilis indoles daret. Jam vota publica in tuto ſunt. Nec enim periculum eſt ne te ſubita tui capiat oblivio. Facit quidem avidos nimia felicitas: nec tam temperatæ cupiditates ſunt unquam, ut in eo quod contigit, deſinant. Gradus à magnis ad majora fit, & ſpes improbiſſimas complectuntur inſperata aſſecuti. Omnibus tamen nunc civibus tuis & hæc confeſſio exprimitur, eſſe ſe felices: & illa, nihil jam his accedere bonis poſſe, niſi ut perpetua ſint. Multa illos cogunt ad hanc confeſſionem, qua nulla in homine tardior eſt: ſecuritas alta, affluens, jus ſupra omnem injuriam poſitum. Obſervatur oculis lætiſſima forma Reſpubl. cui ad ſummam libertatem nihil deeſt, niſi pereundi licentia. Præcipue tamen æqualis ad maximos imoſque pervenit clementiæ tuæ admiratio. Cætera enim bona pro portione fortunæ ſuæ quiſque ſentit, aut expectat, majora, minoraque: ex clementia omnes idem ſperant. Nec eſt quiſquam cui tam valde innocentia ſua placeat, ut non ſtare in conſpectu clementiam paratam humanis erroribus gaudeat.

NOn temere à Plutarcho ſcriptum eſt, difficile eſſe conſilium dare iis qui in imperio ſunt. Minime enim regium putant, ad præſcriptum rationis vivere, qui veram Regis majeſtatem conſtituunt effrenatam licentiam. Servile exiſtimant, alieno ſe arbitrio permittere. Itaque ſuis legibus ac ſuo more vivunt, ſeu potius ſua libidine. Quod ſiqui ſunt paulo moderatiores, ne ii quidem interpellatorem æquo animo ferre poſſunt: adeo Regibus ac Principibus inſita eſt quaſi perpetuum ac vernaculum malum arrogantia. Quod bene atque ex officio Rempubl. adminiſtrant, id totum ſibi acceptum referri volunt: extraneos conſultores in ſocietatem laudis admittere dedignantur. Unde etiam illud exiit, magno conſtare Regum amicis bona conſilia. Artificioſe igitur Seneca ſic ſe ſcripturum de clementia proponit, ut Nero imaginem ſuæ clementiæ in deſcriptione ejus virtutis agnoſcat. ſic enim ſub ſpecie laudis ſavorem conciliat orationi parænecticæ. Dicit igitur, non tam ſibi propoſitum eſſe, præceptis inſtruere ac inſtituere Neronem, quam illi exhibere ſpeculum in imagine virtutis, in quo ſe poſſit agnoſcere, ac ſua bona contemplari. Ut enim homini ſuam faciem ſpeculum repræſentat, ita in deſcriptione fortitudinis fortis, prudentiæ prudens, juſtitiæ juſtus, agnoſcit aliquid ſuum. Hæc eſt obliqua via, qua ſe inſinuat in benevolentiam Neronis. Supereſt ut qui ſibi bene conſcius eſt, fruatur bono conſcientiæ. Atque id eſt quod ſequitur, quum affirmat illum perventurum ad voluptatem omnium maximam.

Quamvis enim recte factorum.] Diſputatum eſt diu & anxie inter philoſophos de felicitate ultima, ad cujus finem omnia referenda ſunt. Sedecim ſectæ variis opinionibus inter ſe pugnant, quum in voluptate ſua ſemper acquieſcit Epicurus, Crœſus divitias ſuas reſpicit, alii denique ſuis affectibus pro ſe quiſque ſerviunt. Duæ ſunt magis veritati conſentaneæ. Prior, Zenonis, Cleantis, Poſidonii, Hecatonis, Diogenis Babylonici, & Stoicæ ſcholæ: quamvis ejus dogmatis auctorem laudet Antiſthenem Auguſtinus lib. 8. de civit. Dei, virtutem ſcilicet eſſe ultimum finem; quem omnes actus, omnia vitæ humanæ opera & conſilia reſpiciunt. In quam ſententiam accipiendus eſt hic locus. Ariſtotelici

ultra progrediuntur. Non enim finem in virtute, ſed in virtutis uſu conſtituunt. Vide Ariſtotelem libro 1. Ethicorum. ſenſus eſt, Quamvis ex Stoicorum decreto nihil conſiderandum ſit in virtute præter ipſam virtutem, neque aliunde pendeat virtutis æſtimatio, ſed in ſeipſa ſita ſit, juvat tamen inſpicere bonam conſcientiam, &c. Hanc ſententiam eleganter Cicero complexus eſt in Somnio Scipionis: Nec in præmiis humanis ſpem poſueris rerum tuarum: ſuis te illecebris virtus trahat oporter ad verum decus. Et in Miloniana addit hæc, quæ certe vera ſunt, fortes & ſapientes viros non tam præmia recte factorum, quam ipſa recte facta ſequi ſolere.

Nec ullum virtutum pretium] Quaſi diceret, non quod ultra virtutem alius ſit ſcopus, quemadmodum Periander cenſuit virtutem ad honoris finem tendere, & Ariſtotelici ad virtutis uſum: ſed eſt ſummum bonum, & appetendum propter ſe. Hanc ſententiam pene iiſdem verbis expreſſit Claudianus:

Ipſa quidem virtus pretium ſibi, ſolaque late
Fortunæ ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur.

Et Seneca lib. 4. de beneficiis. Rerum honeſtarum pretium in ipſis eſt.

Juvat tamen inſpicere.] Bene Plinius lib. 1. epiſt. ad Saturn. Meminimus quanto majore animo honeſtatis fructus in conſcientia quam in fama reponatur. Et Macrob. l. 2. in Somnium Scipion. Virtutis fructum ſapiens io conſcientia ponit, minus perfectus in gloria.

Multitudinem ſeditioſam, diſcordem, &c.] Sunt hæc epitheta perpetua multitudinis, ſeditioſa, diſcors, impotens: nec ſine ratione impoſita.

Seditioſam.] Virg Æneid. 1.

Ac veluti magno in populo cum ſæpe coorta eſt
Seditio, ſævitque animis ignobile vulgus,
Jamq; faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat.

Etſi ubique vulgus ſemper ad res novas leviſſimum, tamen Romana plebs inprimis, quæ ex magna variaque peregrinorum multitudine conſtat, longe cæteris mobilior eſt. Proponamus nobis hiſtorias, quantos tumultus excitarunt apud Romanos plebis ſeditiones: quoties Reip ſummam in diſcrimen adduxerunt: ut jam illud in proverbium venerit, Turba, turbulenta.

Diſcordem.] Hoc pertinet ad ſententiarum varietatem. Tot ſenſus, quot capita. præſertim ubi non certam rationem habent præ oculis, ſed inconſulta temeritate arripiunt quicquid animo male ſobrio ſe obtulerit. Non enim eſt conſilium in vulgo, inquit Cicero pro Plancio, non ratio, noo diſcrimen. unde bellua multorum capitum Platoni, & Horatio. Id etiam oſtendit verbi etymon: quamvis Ovid. Eleg. lib. 2. nove & licentioſe gloriam diſcordem pro diſcreta & ſeparata poſuerit.

At mea ſepoſita eſt, & ab omni milite diſcors
Gloria.

Impotentem.] Nonius Marcellus interpretatur valde potentem. verum hoc nomen habet majorem energiam. Non enim tantum ſignificat valde potentem Cicer. quum dicit, Nihil agant, nil timeant, non concupiſcant, oulla impotentia efferantur, ſed præſidentem quandam audaciam. Cicer. Tuſcul 4. Inflammant appetitione nimia, quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quandam animi à temperantia & moderatione plurimum diſſidentem. Græci ἀκράτειαν vocant. Horatius Carminum 1.

Quamlibet impotens ſperare,
Fortunaque dulci ebria.

In ſuam perniciem exultaturam.] Vel ſævire ſignificat, quemadmodum illud Cicer. lib. 2. de Repub. Quæ ſanguine alitur, quæque in omni crudelitate ſic exultat, ut vix hominum acerbis funeribus ſatietur. Vel ſupra modum exilire & efferri. Cicer. de Repub. Eſt igitur quoddam turbulentum in hominibus ſingulis, quod vel exultat voluptate, vel moleſtia frangitur. Utriuſque ſignificationis auctor Nonius Marcellus: ſed poſterior magis convenit: quia ſcilicet plebs imperita, quæ oullum habet modum libertatis, ſtatim vertit in licentiam: idque in ſuam perniciem: ut vulgus Romanum ſæpius inteſtinis diſcordiis imperium ſuum pene labefactavit, atque etiam in exitum alienum: quia vix eſt ut cohiberi poſſit inſana multitudo, ubi ſemel ad arma ventum eſt. Liv. lib. 4. Hæc natura multitudinis eſt, aut ſervit humiliter, aut ſuperbe dominatur: libertatem, quæ media eſt, oec ſpernere modice, nec habere ſciunt. Curtius lib. 10. Nullum profundum mare, nullum vaſtum fretum & procelloſum tantos ciet fluctus, quantos multitudo motus habet, utique ſi nova & brevi duratura libertate luxuriat. Livius lib. 34. Quintius Achæis ſuadet, libertate modice utantur: temperatam eam, ſalubrem eis, & ſingulis civitatibus eſſe: nimiam, & aliis gravem, & iis qui habeant, præcipitem & effrenatam eſſe.

Ego ex omnibus.]. Proſopopœia, qua ſecum loqui imperator fingitur, & quaſi in cogitationem ire. Hic eſt conſcientiæ fructus, quem illi Seneca promittebat ſi in ſe deſcenderet, & mentem bene compoſitam reſpiceret. Et hæc plus habent gratiæ per fictionem perſonæ, quam ſi ex perſona auctoris conciperentur: ut docet Quintilian. lib. 9. Valent enim ad lectorem excitandum, ad movendos affectus, ad orationem variandam. Quidam hoc ſchema non proſopopœiam vocant, ſed ἠθοποιΐαν, quod illa perſonas fingat quæ nunquam ſunt, hæc certis perſonis verba accommodat. Vide Romanum Aquilam. Hæc autem oratio ex opinione Stoicorum pendet, qui diis rerum humanarum procurationem tribuunt, providentiam aſſerunt, nihil fortunæ temeritati relinquunt. Epicurei tametſi deos non negant, at quod proximum eſt, voluptarios neſcio quos ſomniant, otioſos, mortalia non curantes, ne quid voluptatibus ſuis decedat, pronœan Stoicorum rident, quaſi anum faridicam. Omnia fortuito caſu contingere putant. Qui vero ſe deorum vicarium profitetur, is nimirum fatetur deos humanis neceſſitatibus providere. Quamobrem recte Homerus βασιλῆας διοτρεφέας appellat, hoc eſt reges à Jove nutritos. & Iliados 9 Agamemnonem à Jove Regem conſtitutum ſcribit. Nec minus eleganter Plinius in Panegyrico. Talia eſſe crediderim quæ ipſe mundi parens temperat nutu, ſiquando oculos demiſit in terras, & facta mortalium ioter divina opera numerare dignatus eſt: quibus nunc per te liber ſolutuſque, cælo tantum vacat, poſtquam te dedit, qui erga omne hominum genus vice ſua fungereris, &c. Itaque vere quis dixerit, ut ait Plutarchus de doctrina principum, Principes miniſtros eſſe Dei, ad ſalutem & curam hominum: uti bona quæ Deus illis largitur, partim diſtribuant, partim ſervent. Cui conſentit reſponſum illud Numæ Pompilii, Regnum eſſe deorum miniſterium. Et aliud item Artabani apud eundem Plutarchum, Reges, ſimulachra Dei omnia ſervantis. Non abs re igitur Plato in Gorgia facit Deum quendam imperatorem generis humani, aſſignantem ſuum unicuique in ſtatione hac & militia locum. Quam ſententiam Perſius ex Platone tranſtulit:

quem te Deus eſſe
Juſſit, & humana qua parte locatus es in re.

Eſt etiam illa confeſſio religionis noſtræ, non eſſe poteſtatem niſi à Deo: & quæ ſunt, à Deo ordinatas eſſe. ad Rom. 13.

Vitæ neciſque arbiter.] Pro eodem. Curtius lib. 4. Cum in regali ſolio reſidebis vitæ neciſque omnium civium dominus, cave obliviſcaris hujus ſtatus, in quo accipis regnum. Et Seneca in Thyeſte,

Vos quibus rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ.

Quod

Quod enim alter dominium, alter jus magnum, Seneca hic arbitrium vocat, id eſt plenam & liberam poteſtatem ſine provocatione: ut etiam tradit Pompejus Feſtus.

In manu mea poſitum eſt.], Sic Cælius ad Cicer. lib. 8. epiſt. Quam velis eum obligare, in manu tua eſt. Quid ſignificet hæc locutio, pulchre declarat Cicer. Offic. 1. quaſi per epexegeſin. Quod ad præſens, inquit, tanquam in manu datur, jucundius eſt. Rem ergo certam eleganter dicimus in manu poſitam, quaſi manu comprehenſam. Dicitur & in manibus, & ad manum, & præ manibus, & ſub manu, & inter manus. Duo poſtrema rariora ſunt, ideo exempla ſubjiciam. Seneca ad Lucil. Conſilium naſci ſub die debet: hoc quoque tardum eſt: ſub manu, ut aiunt, conſilium naſcatur. Et Tranquill. in Auguſto: Quo celerius, & ſub manu annunciari cognoſcique poſſet quod in provincia quaque gereretur, juvenes primo modicis intervallis per miliiares vias, dehinc vehicula diſpoſuit. Virg. Æneid. 11.

Cætera qua rerum jaceant perculſa ruina,

Ante oculos, interque manus ſunt omnia veſtras.

Dicit ergo Nero, in facili ſibi eſſe locupletare quoslibet, & quoslibet etiam fortunis ſpoliare. Poſſumus etiam interpretari manum pro imperio aut arbitrio, qualiter illud à Tranquillo dictum in Nerone, Omnia ſe facienda feciſſe, ſed eventum in manu eſſe Fortunæ. idem tamen erit ſenſus.

Quid cuique mortalium fortuna] Hic manifeſtum fit principem nihil aliud eſſe, quam fortunæ organum: cujus manu & miniſterio ſurſum deorſum omnia verſat. Fortunæ nomen pro deo poſuit, uſitatum magis quam proprium. Nihil enim fortuitum iis qui neceſſitati omnia ſubjiciunt. At verbo pronunciandi appoſite uſus eſt, quod ſtatuere & decernere ſignificat eum qui habet jurisdictionem.

Et noſtro reſponſo lætitiæ cauſas populi.] Hoc referendum ad gentium legatos internuncios & interpretes ſocietatis coëundæ cum populo Romano. fuit enim magnum illud imperium Romanum, vere magnum latrocinium: cui ſtipendium pendebant populi bello ſubjugati: & qui fœdus malebant percutere, magno redimebant ambitioſam illam ſocietatem, non longe à ſervitute poſitam.

Hæc tot millia] Quod eſt apud Plautum in aliam ſententiam, veriſſime de imperatore Romano prædicari poterat: Eſſe ſcilicet Jovem quendam terrenum, qui nutu ſuo orientem & occidentem tremefaceret. Nam ut ait Ovid. Faſt. 2.

Hoc duce Romanum eſt ſolis utrumque latus.

& alibi,

Romanæ ſpatium eſt urbis & orbis idem.

Obſervanda eſt diſpoſitio. Primum ſibi arrogavit jus in privatas omnium facultates, deinde in civitates & populos. nunc deſcendit ad enumerationem ſpecierum, quomodo ſuo reſponſo lætitiæ cauſas populi urbeſque concipiant.

Ad nutum meum ſtringentur.] ἐμφατικῶς poſuit nutum, cum ſatis eſſet juſſum dicere. Sed hoc expreſſius fuit, perinde ac ſi omnia ſecum trahat princeps, ac nutu ſuo concutiat. Virgilius.

Annuit, & magnum nutu tremefecit olympum.

Curtius lib. 3. Agmen Macedonum intentum ad ducis non ſignum modo, ſed etiam nutum. Cicer. lib. 1. epiſt. ad Qu. Fratrem. Tot civitates unius hominis nutum intuentur.

Quas transportari.] Fuit enim moris antiqui, gentes bello devictas, quæ loci opportunitate novos ſpiritus tollere poſſent, alio transferre. In Panegyr. Maximiani & Conſtantini. Tu ferociſſimos Mauritaniæ populos inacceſſis montium jugis, & naturali munitione fidentes expugnaſti, recepiſti, tranſtuliſti. Livius lib. 8. In Veliternos veteres cives Romanos, quod toties rebellaſſent, graviter ſævitum, & muri dejecti, & ſenatus inde abductus, juſſique trans Tyberim habitare: ut ejus qui cis Tyberim deprehenſus eſſet, uſque ad mille paſſuum pondo clarigatio eſſet. Item, De Senatu Privernate ita decretum, ut qui ſenator Priverni poſt defectionem ab Romanis manſiſſet trans Tyberim, eaque lege qua Veliterni, habitaret. Traducere dixit alibi. Quod bonum, felix, fauſtumque ſit Pop. Roman. ac mihi, vobiſque Albani, populum omnem Albanum Romam traducere in animo eſt. poſt, Inter hæc jam præmiſſi equites erant, qui multitudinem Romam traducerent. Reperitur & hoc verbum pro deportare, ſed raro. ſemel duntaxat memini me legere apud Suetonium in Auguſto. Agrippam nihilo tractabiliorem, imo in dies amentiorem, in inſulam tranſportavit.

Quos reges mancipia fieri.] Mancipium ad epitaſin. plus enim exprimit quam ſi dixiſſet, è ſummo faſtigio deturbare ad humillimam conditionem. Sunt enim quaſi ex diametro oppoſita, rex & mancipium. alter omnibus imperat, alter in infima ſervitute poſitus eſt.

Quorum capiti regium circumdari decus.] Periphraſis eſt diadematis, quâ uſus eſt etiam Seneca in Hercule furente, Vidi regium capiti decus cum capite raptum. Idem in Thyeſte, Regium capiti decus bis terque lapſum eſt.* Diadema enim regum inſigne fuiſſe notum eſt. Faſcia erat variegata, à verbo Græco διαδέω nomen deductum, quod ſignificat circumligo. diverſum fuiſſe à corona oſtendit Cicero Philipp. 2. cum ſcribit Antonium conſulem diadema & regnum obtuliſſe Cæſari coronato. Et Valer. lib. 6. de Pompejo, Cui candida faſcia crus alligatum habenti, Favonius, non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema. Perſæ Cydarim vocant. Verba ſunt Curtii lib. 2. Cydarim Perſæ regium capitis vocabant inſigne. hoc cærulea faſcia albo diſtincta circumibat. Quod vero attinet ad hanc tam licentioſam in reges jurisdictionem, non ignorant rerum humanarum periti, prius quam imperium deveniſſet ad Cæſarum monarchiam, regna ſenatusconſultis deferri. Cicero epiſt. lib 9. ad Papyrium Pætum, Nam mihi ſcito jam à regibus ultimis allatas eſſe literas, quibus mihi gratias agant, quod ſe mea ſententia reges appellaverim: quos ego non modo reges appellatos, ſed omnino natos neſciebam. Populus vero lege Regia omne jus in Cæſares tranſtulit.

Juriſdictio eſt.] Hic juriſconſulti intelligant juriſdictionem in genere ſumptam, quæ omnes ſpecies cognitionis complectitur.

In hac tanta facultate.] Virtus non exercita parvam laudem, ut vulgo ferunt, meretur. Non admodum magnificum fuerat mediocrem fortunam probe adminiſtrare: ſed tanta rerum omnium licentia non abuti, hoc vero admirabile eſt. atque id etiam exaggerat à circumſtantiis, quod is ipſe qui adeo egregium imperatorem præſtitit, non ſit maturæ vir ætatis, cui accedat ætas magiſtra, ſed in lubrica ætate conſtitutus: quia contumelia laceſſitus, quæ alioqui homines placidiſſimos ſolet de gradu dejicere. Ergo magnam illam, necnullis legibus coarctatam regum facultatem ideo commemorat, quia, ut ait Herodianus, difficile eſt in maxima licentia moderari ſibi, quaſique frænos imponere cupiditatibus.

Ira.] Quaſi diceret, affectus ille animi prærabidus, qui nihil ſuadet moderabile, præſertim in conſtituendis pœnis nunquam mediocritatem ſervans, unde Ennio inſaniæ initium, Horatio furor brevis, & Catoni, quod idem eſt, furor temporarius, non me tamen rapuit transverſum in alicujus perniciem. Sententia eſt catholica apud Græcos, χαλεπαὶ ἀεὶ ὀργαὶ βασιλῆος, quam latine Seneca protulit in Medea, Gravis ira regum eſt ſemper. Debet ergo prin-

ceps concitare admirationem ſui, qui communi malo exemptus eſt. Quare non abs re illud ab Ovidio inter laudes Liviæ poſitum,

Nec nocuiſſe ulli, & fortunam habuiſſe nocendi,
Nec quemquam nervos extimuiſſe ſuos.

Etſi verum eſt quod ait Hebræus parœmiaſtes, Ira Regis, nuncius mortis: non ultima laus eſt, in conſtituendis pœnis ne tantulum quidem iræ permiſiſſe. Nolo hic indulgere longius ambitioſæ oſtentationi. declamationes rhetoribus relinquo.

Juvenilis impetus] Hæc ætas veniam interdum pro homine deprecatur. Erravit, inquiunt, lapſus eſt ætatis tyrocinio: anni moderationem addent, & prudentiam. Naturale eſt ut hæc ætas ſit in iracundiam propenſior, cui multus ſanguis & calidus, ut ſcribunt Philoſophi, præbet cauſam iracundiæ. At vero miraculo aſſe debet, qui ætatem ſapientia antevertit. Nam & qui venturi ſunt in virtutis adoptionem, ait Latinus Pacatus, ut non cadant, titubant.

Temeritas hominum, & contumelia.] Quam ſit gravis Regibus contumelia, alibi videbitur. ideo magnifice ſentire de principe debemus, cujus patientiam nulla temeritas, nulla contumelia fregerit. Legitur etiam contumacia in quibuſdam exemplaribus, neſcio an emendatius. Regum enim ſunt hæc imperia (ut ait Cicero in oratione pro Rabirio) poſt animadverte, & dicto pare. Item illæ minæ, ſi te ſecundo limine hic offendero, moriere. Si ſecunda juſſa non impune expectantur, nimirum contumacia plus quam capitalis eſt.

Tranquilliſſimis quoque pectoribus.] Hæc etiam verba addunt emphaſim non negligendam, quod juvenem deturbare de placido animi ſtatu non potuerint temeritas hominum & contumacia, quæ patientiam excutiunt viris patientiſſimis, & omni perturbatione liberis. hoc enim ſignificat nobis tranquillitas, ut facile intelligitur ex verbis Ciceronis Tuſculan. 4. In his, inquit, explicandis veterem illam equidem Pythagoræ primum, deinde Platonis deſcriptionem ſequar: qui animum in duas partes dividunt: alteram rationis participem faciunt, alteram expertem. In participe rationis ponunt tranquillitatem, id eſt placidam quietamque conſtantiam: in illa altera motus turbidos, tum iræ, tum cupiditatis, contrarios inimicoſque rationi. Eſt igitur tranquillum pectus, bene compoſitum, nec ullis affectibus obnoxium, quos Græci πάθη, id eſt paſſiones, appellant. Tranquillitas ipſa, animi moderatio, & quaſi æquanimitas: quam alibi ſecuritatem, alibi pacem vocat Seneca noſter. Theologi ſemper fere pacem. Hæc etiam ipſa eſt inſignis illa εὐθυμία Democriti, dicta quaſi animi alacritas: de qua Cicer. in v. de finib. & Diogenes Laertius.

Oſtentandæ per terrores potentiæ.] Tyrannorum eſt hoc ſolenne, putare abiectam eſſe potentiam, quam non alienis miſeriis exerceant. ſic ſæpe tales perſonæ à Tragicis inducuntur. Nero apud Senec. in Octavia. Calcat jacentem vulgus. Ita ſæviendo experiuntur quantum ſibi liceat.

Conditum, imo conſtrictum.] Hanc figuram μετάνοιαν vocant rhetores, quam interpretari poſſis pœnitentiam, quæ tollit quod dictum eſt, & pro eo magis idoneum reponit. Vide Rutilium Lupum. Quintilianus & Cicero correctionem vocant. Nonnunquam correctiones ſunt ironicæ, ut illa Ciceronis in oratione pro Cælio: Niſi mihi intercederent inimicitiæ cum iſtius mulieris viro, fratrem dicere volui. Quanquam hæc peculiari nomine [illegible] dicitur à Julio Rufiniano.

Nemo non cui alia deſint.] Cum alter plectitur, alter pœnæ eximitur, dicas non tam clementiam eſſe, quam judicis ſordes. Sic noſtris temporibus judicium nihil eſt niſi publica merces: Atque Eques in cauſa qui ſedet, empta probat. Verum ubi judex agit ex æquo cum omnibus indulgenter, verum ſpecimen præbet ſuæ manſuetudinis. Hoc ergo quaſi per modum occupationis accipiendum eſt, quod dicit tam ſenectuti quam adoleſcentiæ, tam humilitati quam nobilitati fuiſſe apud ſe veniæ locum. Occupationem autem intellige, ut apud Fabium lib. 4. quoniam Ciceroni aliud ſignificat in Rhetoricis. ſenſus erit: Alii quidem afferunt commendationem familiæ, & nobilitatis: alii virtute bellica rapinas, peculatus, adulteria deprecantur. Quibuſdam pro commendatione eſt adoleſcentia ſeu flos ætatis. Ego vero cauſas mihi ſum commentus, quibus poſſem omnibus ſuccurrere. Nobilitas ipſa per ſe erat venerabilis, ſed plebis humilitas miſericordiam concitabat. diverſis rationibus favorem merebantur. Juventuti favorem debitum, ſenectuti reverentiam præſtiti. Poſtremo omni præſidio deſtitutos, homines ſaltem eſſe memini, nominis cognatione ad me pertinentes: quemadmodum ait Auguſtinus, Perſequamur in eis propriam iniquitatem, miſereamur communem naturam. Nihil ergo privatis ſtudiis conceſſum, nihil ſordibus.

Sic me cuſtodio, tanquam legibus.] Bene adjecit, tanquam: quia princeps quidem legibus ſolutus eſt: ſed digna vox eſt majeſtate regnantis, legibus alligatum ſe, principem fateri. & re vera majus imperio eſt ſubmittere legibus principatum: ut eſt in reſcripto Valer. & Theod. C. de legi. & in reſcripto Severi & Antonini legitur, Licet legibus ſubditi non ſimus, legibus tamen vivimus. Plinius in Panegyr. Adſueſcat imperator cum imperio calculum ponere. ſic exeat, ſic redeat, tanquam rationem redditurus. edicat quid abſumpſerit. Ita fiet, ut non abſumat quod pudeat dicere. Item, Tu nihil amplius vis tibi licere, quam nobis. Non eſt princeps ſupra leges, ſed leges ſupra principem. Sic etiam Auguſtus ratiocinarium imperii in ſenatu propoſuit. auctor Tranquillus. Rationem accipe pro computo, ut vulgus loquitur.

Quas ex abdito in lucem revocamus.] Tiberii & Caligulæ tempora tangit, ſub quibus jura & leges exulabant. Nam Tiberius poſt ſimulatam aliquamdiu probitatem, in omne crudelitatis genus erupit: Caligula ſemper ſui ſimilis, nunquam improbitatem diſſimulavit. Nec imperium Claudii corruptos mores ad meliorem diſciplinam revocavit. Primus igitur Nero rebus lapſis opem tulit.

Alterius ætate prima motus ſum, alterius ultima.] Adoleſcentiæ non ſolum non invidetur, inquit Cicer. Offic. 2. verum etiam favetur. Et ſenectuti antiquitus plurimi honores habiti ſunt, tam publicis moribus, quam privatis officiis. Jam illud obſervatur in auctoribus, ut per primam ætatem, pueritiam intelligant: per ultimam, ſenectutem. Sed ſingulæ ætates trifariam dividuntur, ut docet Servius in quinto commentario Æneidos: ut ſit prima, viridis, adulta, & præceps. Ideo primam ſenectutem & extremam pueritiam ſæpe legimus. Saluſtius, Mithridates extrema pueritia regnum ingreſſus, matre ſua veneno interfecta. Juvenal. Satyr. 3.

Dum nova canities, dum prima & recta ſenectus.

Alium dignitati donavi, alium humilitati.] Sic alibi, Filium matris lachrymis donabit. Hac locutione utimur, cum indulgetur venia confitenti delictum. Livius lib. 2. Unum ſibi civem, unum ſenatorem ſi innocentem abſolvere nollent, pronocente darent. Idem lib. 3. Inter hos L. Quintius, cui Cincinnato cognomen erat, non iterando laudes, ne cumularet invidiam, ſed veniam errori atque adoleſcentiæ petendo, ſibi, qui non dicto, non facto quenquam offendiſſet, ut condonarent filium, orabat. Idem lib. 8. Bene habet, vicit diſciplina militaris, vicit imperii majeſtas, quæ in diſcrimine fuerunt an ulla poſt hanc diem eſſent. Non noxæ eximitur Q. Fabius, qui contra edictum impera-

peratoris pugnavit: ſed noxæ damnatus, donatur populo Romano, donatur tribunitiæ poteſtati, precarium, non juſtum imperium ferenti.

Hodie diis immortalibus.] Ut populus ſe ad principis voluntatem attemperare debet, ita principi providendum, ut Jovem deoſque propitios habeat. Nam hoc elegantet ab Horatio dictum eſt:

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipſos imperium eſt Jovis,
Clari giganteo triumpho,
Cuncta ſupercilio moventis.

Conſideret ergo princeps, à diis populi ſuſceptam adminiſtrationem, & iis ipſis rationem aliquando reddendam: atque ut ait Theſ. apud Sen. in Herc. furente,

Judex futurus. ſanguine humano abſtine,
Quicunque regnas. ſcelera taxantur modo
Majore veſtra.

Si rationem à me repetant.] Alluſit ad morem antiquum, quo cenſores ab iis qui magiſtratum geſſerant, rationem ſui magiſtratus repoſcebant. Cic. lib. 3. de leg. Apud eoſdem cenſores, ii qui magiſtratu abierint, edant & exponant quid in magiſtratu geſſerint. Et Proconſules rationes ad ærarium referebant.

In fida tutela haberi.] Cic. Offic. 1. comparat adminiſtratores Reip. tutoribus, ad quod videtur reſpexiſſe Cornelius Tacitus lib. 1. cum de Tiberio loquitur imperium recuſante: Inter quæ, inquit, ſenatu ad infimas obteſtationes procumbente, dixit forte Tiberius ſe ut non toti Reip. parem, ita quæcunque pars ſibi mandaretur, ejus tutelam ſuſcepturum. Quoniam igitur tutoribus non ſua fraus ſolum, ſed etiam ſua negligentia periculoſa eſt, dicit Seneca Neronem ejus generis rationes diis approbare poſſe, quæ exiguntur à tutoribus.

Non perdis operam.] Plerumque ingratitudine vulgi de recto inſtituto deducuntur qui remp. præclare antea geſſerant. Unde illud Homeri carmen Odyſſ. 5. quod Eraſ. inter parœmias retulit Chiliad. 3.

Μή τις ἔτι πρόφρων ἀγανὸς καὶ ἤπιος ἔστω
Σκηπτοῦχος βασιλεὺς, μηδὲ φρεσὶν αἴσιμα εἰδὼς,
Ἀλλ' αἰεὶ χαλεπός τ' εἴη καὶ αἴσυλα ῥέζοι.

Sic tranſtulit Eraſmus.

Poſthac ne placidus ſit quiſquam, neve benignus,
Nec mitis, juſtique tenax rex ſceptriger unquam,
Sed ſemper ferus eſto, & ſemper iniqua patrato.

Hoc idem teſtatur Val. l. 8. Ipſa natura nobis alacritatem ſubminiſtrante, cum honorem induſtriæ appeti, & exolvi grate videmus. Ergo admonet Neronem Seneca de gratitudine populi, primum, ne videatur beneficia jam impenſa perdidiſſe, aut male collocaſſe: deinde ut in futurum melius animatum reddat.

Malignos æſtimatores.] Aut jejunos & parcos. ſic colles malignos dixit Virg. quaſi ſteriles & infœcundos. Quintil. lib. 2. In laudandis diſcipulorum actionibus nec malignus, nec effuſus. Contra Donatus in Terentii Adelphos. Benigne, inquit, large, & abunde. ſic accepit Horatius,

——— *atque benignius*
Deprome quadrimum Sabina,
O Thaliarche, merum Dyota.
Item,
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu.

Vel malignos, id eſt malevolos. Quint. l. 11. In carminibus utinam pepercisſet, quæ non deſierunt carpere maligni. Contra idem Sen. l. 5. de benefic. Non aliorum annos computare, ſed ſuos benigne æſtimare.

Refertur tibi gratia.] Atqui videtur potius haberi gratia, quam referri, cum beneficium beneficio non penſetur. Verum hic accipiendum eſt quemadmodum in oratione pro Plancio illud Ciceronis, Gratiam & qui refert, habet: & qui habet, in eo ipſo quod habet, refert. Et epiſt. l. 5. Illud in amicitia mutuum, cum par voluntas accipitur, & redditur. Alioqui referre gratiam, eſt beneficii vicem rependere.

Nemo unus homo.] Eſt ἀρχαϊσμὸς, quia nemo, hominem comprehendit. Terentius in Eunucho, Num quis hic me ſequitur? Nemo homo eſt. Cicer. pro Sylla. Niſi forte regium tibi videtur, ita vivere, ut non modo homini nemini, ſed ne cupiditati quidem ſervias. Cato. Caduceatori nemo homo nocet. Idem pro Rhodien. Si nemo eſſet homo quem vereremur, quicquid liberet faceremus. Et eſt exaggeratio ex comparatione, quia in unius gratiam ſe ponere, non adeo difficile eſt, quam tot hominum voluntates ſibi conciliare.

Sed ingens tibi onus] Quaſi diceret, Gravis tibi adverſaria conſtituta eſt: vide ut hominum opinioni ſatisfacias quam de te conceperunt.

Nemo divum Auguſtum, nec Tiberii prima tempora.] Qui bene de ſubditis meriti ſunt principes, cum moriuntur, & deſiderium ſui præſentibus relinquunt, & poſteris æternam memoriam. Præſertim illud fere uſu venit, ut in præſentibus miſeriis priſtinæ felicitatis occurrat memoria. Cum vero non reflectunt oculos ad præterita, nimirum acquieſcunt in præſentibus. Quod ipſum ad magnam Neronis laudem pertinet. Divum Auguſtum dicit ſecundum verbi proprietatem, quam Servius annotavit in v. commentario Æneïdos. De Imperatorum conſecratione alibi dicetur. Poſtremo non oſcitanter prætereundum, quod Auguſtum dicit, & Tiberii prima tempora. Nam Auguſtum poſt adeptam monarchiam nihil crudeliter egiſſe legitur, verum ſic omnia ad civilitatem compoſuiſſe, ut ultima cum primis contexeret. Quo merito aſſecutus eſt ut non defuerint poſt mortem, qui ſeculum auguſtum appellandum cenſerent, quemadmodum ſeculum aureum, ut refert Tranquillus. Tiberius hominum opinionem de ſe conceptam fefellit, cum pene novum induit hominem: nec ſolum erupit in omnem crudelitatem, ſed omni genere nefariæ libidinis flagravit, alterum prorſus Romani imperii dedecus. Vide Tranquillum.

Nec, quod te imitari velit.] Quos volumus ad virtutem tanquam ſubditis calcaribus incitare, ſolemus iis proponere magnos viros ad imitationem. Unde hiſtoria vitæ magiſtra Ciceroni, in qua tanquam in ſpeculo vitæ noſtræ rationem intuemur. Quid fugiamus, quid ſequamur, cernimus oculis. Sed extraneis exemplis minime indigent, quibus eſt à natura ingenita probitas. quod hic voluit Seneca. Cic. Dolabellæ epiſt. 9 Quid eſt quod ego te horter ut dignitati & gloriæ ſervias? proponam tibi claros viros? quod facere ſolent qui hortantur. Neminem habeo clariorem, quam teipſum. Te imitere oportet, tecum ipſe certes. Idem lib. 2. Curioni, Tecum loquere, te adhibe in conſilium, te audi, tibi obtempera. Et lib. 13. ad Varronem: Et jam non cum aliis, ſed tecum ipſe certa. Plin. in Panegyr. Quam magnum eſt ex omnibus patrio more, patria virtute lætari, & ſine æmulo, ſine exemplo ſecum contendere. Exemplar hic proprie uſurpavit. Nam, ut ait Feſtus Pompejus, exemplum eſt quod ſequamur aut fugiamus: exemplar ex quo ſimile faciamus. improprie dictum à Tranquillo in vita Tiberii, Quam velut exemplaria ſævitiæ enumerare ſat erat. Item à Cornelio Tacito lib. 12. At ſi incolumem ſervaveris, æternum exemplar clementiæ ero. Debuerant exemplum dicere.

Ad guſtum exigitur.] Id eſt: conformatur & regulatur ad omnium voluntatem & deſiderium. Livius lib. 4. belli Macedo. Nolite ad veſtras leges exigere ea quæ Lacedæmone fiu [illegible]

Nemo poteſt perſonam diu ferre.] Quod prius bonitatem ad tempus ſumptam, nunc perſonam dicit, ſumpta à Comœdiis & Tragœdiis metaphora, qui perſonati ſolebant agere in theatro. Unde ferre perſonam, quaſi à nativa forma deſciſcere. Et perſonatum hominem dicimus fucatum & hypocritam.

Apu-

Apulejus lib. 8 meta. Aſtuque miro perſonata, garrienti ſummiſſeque deprecanti, adhuc, inquit, tui fratris meique mariti facies pulchra illa in meis diverſatur oculis.

Ficta cito in naturam ſuam recidunt.] Imitatio eſt Cicer. ex. 2. Offic. Socrates hanc viam proximam & quaſi compendiariam ad gloriam dicebat eſſe, ſi quis id ageret, ut qualis baberi vellet, talis eſſet. Quod ſi qui ſimulatione & inani oſtentatione & ficto non modo ſermone, ſed etiam vultu, ſtabilem ſe gloriam conſequi poſſe rentur, valde decipiuntur. Vera enim gloria radicem agit, atque etiam propagatur: ficta omnia celeriter, tanquam floſculi decidunt: nec ſimulatum quicquam poteſt eſſe diuturnum. Quid? nonne & noſtra ætate videre eſt monſtra quædam bominum intercutibus vitiis madentium, præferentium tamen externam ſpeciem & larvam probitatis? Qui tamen inſtar ceræ colliqueſcent, quum ſeſe exeret veritas, quæ filia eſt temporis. Vendant ut volent, populo triſtes ſanctimonias, erit aliquando ut fumo pereat, qui fumum vendiderit. Cicer. ad Attic. lib. 7. Quam non eſt facilis virtus, quam vero difficilis ejus diuturna ſimulatio.

Ex ſolido enaſcuntur.] Corpus ſolidum apud Geometras, quod triplici dimenſione conſtat, longitudine, latitudine & altitudine, ut eſt apud Gel. l. 1. verſ. 20. & apud Euclid. l. 1. opponitur inani ſeu vacuo. Horat. ſatyr. 2. Et inane abſcindere ſoldo. Hic ergo tranſlatitie ex ſolido enaſci dicitur, quod non tantum ſuperficiem habet aut cutem ſupremam, ſed plenum eſt & integrum: qualiter Donatus enarrat in Andria Terentii. ſic Curt. l. 9. Noſtra quoque gloria quum ſit ex ſolido, plus tamen habet nominis, quam operis.

Magnam adibat aleam.] Significat rem Romanam in magno diſcrimine fuiſſe prius quam Nero certam vitæ rationem habuiſſet conſtitutam: quum nondum ſcilicet aliquod ingenii ſpecimen exhibuiſſet, unde caperetur conjectura probæ indolis. Eſt enim ætas illa flexibilis & lubrica, quæ facile & rerum imperitia labitur, & alienis conſiliis abſtrahitur, poſtremo à recta honeſtaque diſciplina ad luxum voluptateſque delabitur, ait Herodianus. At vero in moribus principis agitur publicum aut commodum, aut periculum. Nil igitur mirum ſi magnam adibat aleam populus Romanus. Nunc vero evolavit periculum. ſic jacta ſunt fundamenta, ut non poſſit à læto principio diſſentire exitus. Notum eſt aleam eſſe ludum fortunæ ſubjectum varietati: à qua ſignificatione primitiva hæc per ſimilitudinem derivatur, quæ ſignificat omne cujuſcunque generis periculum. Horat. lib. Carm. 2. Periculoſæ plenum opus aleæ. Lucanus lib. 6.

Placet alea fati
Alterutrum merſura caput.

Livius idem verbum appoſuit, quo nunc utitur Seneca: cujus verba ſunt lib. 1. Qui non contenti libertate certa, in dubiam imperii ſervitiique aleam imus, ineamus aliquam viam, qua utri utris imperent, ſine magna clade, ſine multo ſanguine utriuſque populi decerni poſſit. Dictum Cæſaris Julii à Suetonio recitatur, Jacta eſt alea. quo ſignificat, ſummam rei, fortunæ manibus & imperio permiſſam. Græce apud Plutarchum ἐῤῥίφθω κύβος.

Quo ſe nobilis indoles daret.] Id eſt, quibus ſtudiis animum appelleret, quam vitæ methodum ſequeretur. honeſta eſt locutio. Cicer. lib. 13. ad Atticum, Quare da te in ſermonem, & perſeca, & confice, excita, compella, loquere. Et lib. 13. Epiſt. famil. Si qua offenſiuncula facta eſt animi tui perverſitate aliquorum, des te ad lenitatem, vel propter ſummam humanitatem, vel honoris mei cauſa. Sic etiam hic, quo ſe daret, id eſt ad quos affectus animum appelleret & inclinaret. Hæc enim duo verba applicare & dare, apud Ciceronem pro eodem poſita reperiuntur. Verrina 4. Bene penitus, inquit, in iſtius familiaritatem ſeſe dedit. In oratione autem pro Cluentio, Se ad hominis egentis, audacis, in judiciis corrumpendis exercitati, tum autem judicis Staleni familiaritatem applicavit. Idem Cicero alia ſyntaxi uſus eſt lib. 13. epiſt. quum dixit, M. Varro petitioni ſe dedit.

Vota publica in tuto ſunt.] Aut vota publica appellat quæ ſolenni ritu concipiebantur, primum ob ſalutem principis, deinde ob Reipub. proſperitatem, ut ſupplicationes: quemadmodum dicit Juvenal. ſatyr. 10.

—— Sed multæ urbes & publica vota
Vicerunt.

aut certe vota publica ſimpliciter, quæ unuſquiſque charitate patriæ concipit. Prior interpretatio magis convenit.

Non enim eſt periculum ne te tui ſubita capiat oblivio.] Jam res extra aleam poſita eſt, quia certum ex indole eſt, quale futurum ſit ingenium Neronis: ſicut de periculo cogitabatur quum nondum ſe indoles depromſiſſet. Ergo contrariam rationem ſequitur contrarius effectus. In hanc ſententiam Cicer. Dolabellæ, Nec licet quidem tibi jam tot rebus geſtis, non tui ſimilem eſſe. Subita non ſolum repentina, ſed etiam inconſiderata, ſi quidem quæ ex tempore fiunt, fere non habent conſilium. Ideo ſubitum pro inconſulto accipitur. Q. Caſſius Cicer. lib. 12. Epiſt. Ut hæc noviſſima noſtra facta, non ſubita, nec inconvenientia, ſed ſimilia illis cogitationibus quarum tu teſtis es. Et Gellius vocat ſubitariam dictionem orationem extemporalem. Eleganter autem deſignamus inconſtantiam, quum alicui irrepere ſui ipſius oblivionem dicimus. Transfertur ad res inanimatas. Cicer. Epiſt. 9. Niſi te amant, tibi aſſentantur, & tamdiu dum ades, ſunt oblitæ ſui. hoc eſt, à nativo ingenio degenerant. Cæterum Plin. lib. 7 naturalis hiſtoriæ alia ſyntaxi uſus eſt, quam hic Seneca. Ex prææalto, inquit, tecto lapſus, & matris & affinium propinquorumque cepit oblivionem.

Facit quidem avidos nimia felicitas.] Sententia eſt catholica, quam præmittit ad amplificationem, ut miraculi loco ſubjungat, felicitatem ſuam Populo Romano ſufficere. Hanc ſententiam eleganter exprimit Livius in præfatione: Adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat. Nuper divitiæ avaritiam, & abundantes voluptates deſiderium pereundi, perdendique omnia, invexere. Et Curtius lib. 7. in oratione Scytharum ad Alexandrum. Quid tibi divitiis opus eſt, quæ te eſurire cogunt? Primus omnium ſatietate paraſti famem: ut quo plura haberes, amplius quæ non haberes cuperes. Notum eſt illud Ovidii in 1. Faſtorum,

Creverunt & opes, & opum furioſa cupido:
Et quum poſſideant plurima, plura petunt.
Sic quibus intumuit ſuffuſa venter ab unda,
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Juvenal. ſatyr. 14.

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Nec tam temperate cupiditates.] Nomen cupiditatis variam babet acceptionem. hic vero refertur ad ſenſum ſuperiorem. ſic philoſophi vocant ſedem concupiſcentiæ, quæ continet omnes animi paſſiones, & illos interiores affectus imperio rationis non ſubjacentes. Quod ut clarius fiat, accipiamus partitionem illam Epicuri quam refert Cicer. lib. 1. de finibus.

Cupiditas { Naturalis & neceſſaria / Naturalis non neceſſaria / Nec naturalis nec neceſſaria }
{ Parvo Parabilis / Mediocri ſumptu contenta. / Inexplebilis. }

Tres

Digitized by Google

Tres igitur quum ſint cupiditatum ſpecies, hunc locum de tertia ſpecie, ſeu de tertio membro intelligamus, cupiditate ſcilicet inſatiabili: cujus (ut ait Cicero) nec modus nec finis inveniri poteſt. Et Seneca in multis, tum epiſt. 5. Neceſſe eſt in immenſum exeat cupiditas, quæ naturalem modum tranſilit.

Gradus à magnis, &c.] Sic idem de conſolatione ad Albinam: Eadem natura in omni deſiderio quod non ex inopia, ſed ex vitio naſcitur. Quicquid enim illi congeſſeris, non finis cupiditatis erit, ſed gradus.

Omnibus tamen civibus.] Senſus eſt: Quamvis nemo boni æquique conſulat fortunam ſuam, tamen Romanus populus jam non poteſt diſſimulare ſuam felicitatem: nec eſt tanta impudentia præditus, ut cupiditatibus ſuis modum non imponat. atque id quidem omnes ad unum confitentur, omnes uno ore, uno conſenſu prædicant, ſe ad ſummum fortunæ perveniſſe.

Confeſſio exprimitur.] Verbis uſus eſt ſignificantiſſimis. Nam ut ait Donatus in Adelphos, confitetur, qui invitus: & exprimere eſt premendo educere. Terentius in eunuch. Una mehercule falſa lachrymula, quam oculos terendo vix vi expreſſerit. ubi Donatus interpretatur verbum poſitum ad *ἄκοντα*. Libet alia exempla ſubjicere, quæ melius verbi elegantiam oſtendant. Liv. lib. 3. Sed ut exprimatur confeſſio, domitam ſubactamque gentem ſub jugum abituros. Et lib. 21: Nunc & à nobis confeſſio culpæ exprimitur, & à confeſſis res repetuntur. Plin. in Panegyr. Abeant voces illæ quas metus exprimebat. Tranquill. in Tiber. Quum inter proximos verſanti & trepidatione detecto tormentis expreſſa confeſſio eſt cogitati facinoris. Latinus Pacatus in Panegyr. dixit excutere confeſſionem. Græcis hoc eſt *ἐκβιάζεσθαι*.

Nec quicquam accedere poſſe, niſi ut perpetua ſint.] Nullum eſt non modo perpetuum, ſed ne diuturnum quidem bonum. Et, ut ait ille, ſorti appendix eſt illætabilis omni. Itaque non minus de retinenda quam de comparanda cogitandum eſt. Hanc nimirum acceſſionem jure aptare poteſt Romanus populus, ne ante tempus pereat.

Multa illos cogunt ad hanc confeſſionem.] Nunc ad rationes deſcendit quibus Populus Romanus convincitur, ne poſſit ſalva fronte ſuam felicitatem inficiari. Quum autem hanc confeſſionem tardiſſimam vocat, alludit ad illam Horatii ſententiam Satyr. 1.

Qui fit Mæcenas, ut nemo quam ſibi ſortem
Seu ratio dederit, ſeu ſors objecerit, illa
Contentus vivat, laudet diverſa ſequentes?

Jus ſupra injuriam poſitum.] Injuriæ nomen varie accipi poteſt, ſi contumeliam intelligas, ſenſus erit, Legum præſidio ſic eſſe munitos qui injuriæ ſunt obnoxii, ne potentia aut factione adverſariorum opprimantur. Nam ut ait Ovid.

Inde datæ leges, ne fortior omnia poſſet.

Malim tamen hic interpretari iniquitatem, quaſi non injuriam juxta verbi etymon, ut docet Ulpianus in l. 1. ff. de injuriis. ut ſimpliciter ſignificet non eſſe locum injuriæ, ubi jure & legibus omnia adminiſtrantur. Quum leges ſilent inter arma, quum judicum ſententiæ redimuntur, ſocii impune ſpoliantur, omnes Reipubl. partes conſtuprantur, tunc injuria jure ſuperior. at vero ubi non armorum licentia disjectæ leges, ubi judicia incorrupta, nullæ ſociorum oppreſſiones, omnia Reipub. membra bene compoſita, jus injuriam ſuperat.

Cui ad ſummam libertatem nihil deeſt.] Prolepſis ad tacitam objectionem. poſſet enim aliquis ad ſummam populi felicitatem libertatem deſiderare, qua nihil pretioſius æſtimabant Romani: nempe qui ingenuum eſſe ducerent, potius bis mori, quam ſervire. Quamobrem addit libertatem ad ea bona quibus principis liberalitate populus fruebatur. quam tamen eatenus temperat, ne vertatur in licentiam pereundi. Neque hoc agitur, ut monarchia democratiæ præferatur, aut ariſtocratiæ: ſed rem Romanam eo jam deveniſſe innuit, ut ſtare non poſſit ſine libertatis temperamento. In quam ſententiam Lucanus.

Invida fatorum ſeries. ſummiſque negatum
Stare diu, nimioque graves ſub pondere lapſus.
Nec ſe Roma ferens.

Horat. in Epod.

Suis & ipſa Roma viribus ruit.

Impoſuerunt enim ipſi ſibi monarchiæ neceſſitatem, quum illud corpus bene compactum mutuis factionibus diſſiparunt. Nunc ad verba auctoris redeamus. Omnes fere panegyriſtæ inter principis laudes temporis ſui libertatem enumerant: ut Mart. lib. 5.

Sub quo libertas principe tanta fuit.

Imperatori non tam regnum, quam procurationem quandam civilem aſſerunt. Obſervandum eſt verbum licentiæ hic poſitum in malam partem, quemadmodum fere accipitur apud auctores: ut Valla annotavit. Quint. lib. 3. Quæ in aliis libertas eſt, in aliis licentia vocatur. Liv. lib. 4. bel. Maced. Omnium rerum libertatem, imo licentiam, ſi vera dicere volumus, deſiderant. Errat tamen Eraſmus, pace ejus dixerim, qui negat in bonam partem uſurpari poſſe ſine barbariſmo. Nam ut omittam juriſconſultos probos latinitatis auctores, quibus hoc verbum eſt identidem in ore, non abſtinent alii claſſici Cicer. Offic. 1. Ut enim pueris non omnem licentiam ludendi damus, ſed eam quæ ab honeſtis actionibus non ſit aliena. & Cornel. Tacitus. Ad ea Druſus quum arbitrium ſenatus & patris obtenderet, clamore turbatur, cur veniſſet neque augendis militum ſtipendiis, neque adlevandis laboribus, denique nulla benefaciendi licentia. Idem lib. 14. Cæterum ſe, qui ſeveritatem decernentium impediturus fuerit, moderationem non prohibere. ſtatuerent ut vellent: datam & abſolvendi licentiam. Nam Julium Capitolinum allegare nolo, qui veterem Romani ſermonis puritatem interdum negligit.

Cætera bona proportione fortunæ.] Poteſt & diviſim legi, pro portione, & ut ſit unum verbum, uno eodemque ſtante ſenſu. Proportio eſt quam Græci *ἀναλογίαν* vocant. Unde apud Ariſtot. lib. 5. Ethicorum jus analogum, quaſi proportionale (ut ita dicam) quod in diſtribuendis honoribus verſatur, comparatione utrinque habita. Probat ergo Seneca virtutis hujus excellentiam ab utilitate, quia maxime ſit popularis: cujus fructus ad omnes Reip. ordines pertineat. Liberalitas quidem virtus eſt vere regia, ſed non perinde in omnes diffunditur. In magiſtratibus eligendis, in conferendis dignitatibus debet habere princeps præ oculis jus illud analogum, ne ſit iniqua diſtributio. Quare non poteſt liberalitatem promiſcue exercere. Clementiæ vitam acceptam indifferenter ferunt, quibus parcitum eſt, ſive Senatorii ſint ordinis, ſive infima de plebis fæce.

Nec eſt quiſquam.] Eſt occupatio, quæ tranſitum facit ad proximum caput, ne cui videatur minus conſulte dictum, omnes idem à clementia expectare, quoniam innocentes, qui conſcientiæ fiducia nituntur, nolunt ſibi ignoſci ſi quid deliquerint. Hinc illa Catonis vox plena ſecuritatis, ſe gratia quam ex benefactis expectabat, privari malle, quam non luere pœnam quæ ex maleficio ſibi deberetur. Verum Seneca dicit, nullum obſtinate adeo fidere conſcientiæ, ut non malit veniam ſibi paratam eſſe ſi quando de via deflexerit, quam ſeveritatem inexorabilem. Huc etiam facit, quod errores dixit, nomen levioris delicti. Ovid. 1. Triſt.

——— *Et me meus abſtulit error.*
Stultaque mens nobis, non ſcelerata fuit.

Et alibi pluries.

Cap. II.

Eſſe autem aliquos ſcio, qui clementia peſſimum quemque putent ſuſtineri: quoniam niſi poſt crimen, ſupervacua eſt: & ſola hæc virtus inter innocentes ceſſat. Sed primum omnium ſicut medicinæ apud ægros uſus, etiam apud ſanos honor eſt, ita clementiam quamvis pæna digni invocent, etiam innocentes colunt. Deinde habet clementia in perſona quoque innocentium locum: quia interim fortuna pro culpa eſt: nec innocentiæ tantum clementia ſuccurrit, ſed ſæpe virtuti: quoniam quidem conditione temporum incidunt quædam quæ poſſint laudata puniri. Adjice, quod magna pars hominum eſt quæ reverti ad innocentiam poſſit: ſed non tamen vulgo ignoſcere decet. Nam ubi diſcrimen inter malos bonoſque ſublatum eſt, confuſio ſequitur, & vitiorum eruptio. Itaque adhibenda eſt moderatio, quæ ſanabilia ingenia diſtinguere à deploratis ſciat. Nec promiſcuam habere ac vulgarem clementiam oportet nec abſciſſam. Nam tam hominibus ignoſcere crudelitas eſt, quam nulli. Modum tenere debemus: ſed quia difficile eſt temperamentum: quicquid æquo plus futurum eſt, in partem humaniorem præponderet. Sed hæc ſuo loco melius dicentur.

Movet objectionem à perſona adverſarii. Sunt enim qui falſo putant clementiam eſſe pœnæ remiſſionem. culpam vero poena premit comes. Unde fit ut clementia nihil aliud eſſe videatur, quam ſpecies impunitatis. Hanc falſam & ſtolidam opinionem diluit Seneca, ſimul & invidiam clementiæ, quæ ex ea naſcitur. Nullus enim ſolidi judicii clementiæ locum aſſignaret inter virtutes, qui jus quoddam aſyliæ ſceleratis & noxis hominibus eſſe exiſtimaret, & improbos ſuſtinendo, nutriret audaciam.

Sed primum omnium, ſicut medicinæ apud ægros uſus eſt.] Hæc prima ratio diluendæ objectionis, quod licet clementiæ fructum ſoli nocentes ſentiant, non ideo tamen perdit nomen virtutis inter bonos: idque aptiſſima ſimilitudine confirmat. Medicina enim, etiamſi nulli ſint morbi, ſemper æſtimatur, ars humano generi neceſſaria: nec tamen exercet vim ſuam niſi temporis ratio exigat.

Ita clementiam quamvis pæna digni invocent.] In judiciis prima quæſtio facti agitatur. Quum homicidii accuſatus negat ſe hominem occidiſſe, atque id, ut ait Quintil. certiſſimum eſt cauſæ præſidium, proximum eſt defendere jure occiſum, ubi jam non factum in dubium trahitur, ſed facti qualitas, hæc erit quæſtio legitima: ultima deprecatio, quæ nulla eſt niſi poſt confeſſionem criminis, quum nec inficiari facinus perpetratum poſſumus, nec recte perpetratum defendere. tum deſcendimus ad implorandam veniam, judicis miſericordiam lacbrymis elicimus ſine ulla ſpecie defenſionis. ideo deprecatio rara admodum, ut ait Quintilianus lib. 5 & apud eos ſolos judices, qui nulla certa forma pronunciandi tenentur. & idem author lib. 7. In ſenatu, & apud populum, & apud principem, & ubicunque juris clementia eſt, habet locum deprecatio. Vide Cic. lib. 2 Rhetor. & de Inventione. Non tamen prætermiſerim locum inſignem Cicer. in oratione pro Ligario, quo ſolo exemplo quid ſit deprecatio, facile intelligas. Cauſas, inquit, Cæſar egi multas, & quidem tecum, dum te in foro tenuit ratio honorum tuorum. Certe nunquam hoc modo, Ignoſcite judices, erravit, lapſus eſt, non putavit, ſi unquam poſthac. Ad parentem ſic agi ſolet: ad judices, non fecit, non cogitavit, falſi teſtes, fictum crimen. Hinc ſatis conſtat cur dixerit Seneca pœna dignos invocare clementiam. & Publius Mimographus, Mala cauſa eſt quæ requirit miſericordiam.

Deinde habet clementia in perſona innocentum locum.] Sic prius clementiam defendebat Seneca, ut concederet virtutem inter innocentes otioſam. Nunc tempus incidere demonſtrat, quo iis ipſis ſerviat clementia. Sunt enim quædam magis imputanda fortunæ, quam deſtinatæ malitiæ: nec tamen pœnæ eximuntur, ſi ad ſummum juris rigorem exigas. Sunt alia quæ ex circumſtantiis temporum qualitatem accipiunt: & quæ nuper virtutis laudem merebantur, nunc vitio vertuntur. Hæc ſi ad exactam ſeveritatem referantur, legitime puniri: ſi ad æquitatem, legitime condonari poſſunt. Bene ergo Ovid. Triſtium 1.

Judicis officium eſt, ut res, ita tempora rerum
Quærere.

Itaque & apud Quintil. ſtatus eſt ad actum pertinens, ſc. ad praxin, utrum ſciens quid deliquerit, an inſciens: neceſſitate, an caſu. Multa enim fiunt eadem, ſed aliter.

Adde quod bona pars,] Jam tertium hoc argumentum ad tollendam calumniam, quæ cauſabatur clementiam non niſi ad fovendam malorum audaciam valere. At vero, inquit Seneca, multi ſunt qui nondum pravitatem penitus imbiberunt, qui, ſi moderatam correctionem adhibeas, reſipiſcere poſſunt. Nonne ineunda fuerit ratio, qua poſſis hujuſmodi homines in viam reducere? Et hoc præſtat clementia. Multum valet ad impetrandam veniam, inquit Fabius lib. 7 ſi ſpes in futurum innocenter victuri, & in aliquo uſu futuri. Vel, ut Cicero, optimus poſt naufragium portus, eſt pœnitentia. Hæc tamen non niſi clementiæ beneficio contingere poſſunt. Seneca lib. 1. de ira. Dimittit ſæpe eum cujus peccatum deprehendit, ſi pœnitentia facti ſpem bonam pollicetur, ſi intelligit non ex alto venire nequitiam, ſed ſummo, quod ajunt, animo inhærere: dabit impunitatem, nec accipientibus nocituram, nec dantibus. Cæterum quod hic Seneca reverti ad innocentiam, Terentius in Andria redire in viam dixit, Cicero ad meliorem frugem ſe recipere.

Non tamen vulgo ignoſcere decet.] Hactenus Seneca non ſemper eſſe ſummo jure agendum diſſeruit: ſed quoniam ſapientes definiunt virtutem eſſe mediocritatem, quæ eſt, ut Cicero loquitur, inter nimium & parum: proſpiciendum eſt ne clementia in exceſſum prolapſa, vitio magis quam virtuti adſcribatur. Eſt quidem ignoſcendum, ſed non omnibus: Quidam enim venia emendantur, alii depravantur. Hac ratione ſi judex pœnas temperet, ſciet quibus finibus virtutis medium limitetur. Vulgo adverbium eſt, quod ſignificat paſſim, & ſine diſcrimine, ut oſtendit Cicero in oratione pro Muræna. Num locum ad ſpectandum dare, aut ad prandium invitare? Minime, ſed vulgo paſſim. quid eſt vulgo? univerſos. Virgil. Georg 3.

——— *Nec funera vulgo*
Tam multa informes urſi ſtragemque dedere.

Terent. in heautont. Quod ego tantum ſceleris admiſi miſer? vulgo id faciunt. Non igitur infimum plebis ordinem venia dignum negat, ſed clementiam, ne ſit diſſoluta ac nimia, certa ratione terminat.

Ubi diſcrimen ſublatum eſt, confuſio ſequitur.] Nunc rationem aſſignat, cur non ſit vulgo ignoſcendum: quia ſunt plerique adeo perditi ac profligati, ut niſi pœna coërceantur, ſtatim abrupturi ſint pudoris ac modeſtiæ repagula. Hic meminerit judex: veterem ferendo injuriam, novam ſe irritare. Proponat ſibi quod ait Cicero in Miloniana, maximam illecebram peccandi eſſe impunitatis ſpem. Et actione 5. in Verrem. O conſuetudo peccandi quantam habes jucunditatem in improbis quum pœna abfuit, & licentia conſecuta eſt. Ita ſerpit illud inſitum in natura malum conſuetudine peccandi libera, finem ut audaciæ ſtatuere non poſſit. Offic 3. Niſi multorum impunita ſcelera tuliſſemus, nunquam ad

unum

unum tanta perveniſſet licentia. Hæ ſunt judicis partes, ad levicula connivere, & quæ ad exemplum trahi non poſſunt: alia vero acriter obſervare, quæ exemplo etiam nocent. Bene ergo Cicero ad Brutum. Salutaris ſeveritas vincit inanem ſpeciem clementiæ.

Itaque adhibenda eſt moderatio] Jam oſtendit neque juſtam eſſe ſeveritatem, quæ præciſe adeo & inexorabiliter pœnas exigit, neque videri clementiam inter virtutes numerandam, quæ paſſim ac promiſcue ſe exhibet. Conſectarium eſt, laudabilem eſſe moderationem, quæ aliquid ex utroque temperet. Hanc ſententiam pulchre exequitur Cic. ad Brutum. Ut Solonis, inquit, dictum uſurpem, qui & ſapiens fuit unus ex ſeptem, & legum ſcriptor ſolus è ſeptem. Is remp. duabus rebus contineri dixit, præmio, & pœna. Eſt ſcilicet utriuſque rei modus, ſicut reliquarum, & quædam in utroque genere mediocritas. Publius Mimographus, Bonus judex eſt qui novit diſpenſare quod dandum eſt, & quatenus. Cic. Offic. 1. Et tamen ita probanda eſt manſuetudo, ut adhibeatur reipub. cauſa ſeveritas, ſine qua adminiſtrari civitas non poteſt. Hoc voluit Plin. in paneg. his verbis. Quam mitis ſeveritas, quam non diſſoluta clementia.

Sanabilia ingenia à deploratis.] In hoc diſcrimine temperamentum eſt, quod in pœnis conſtituendis requiritur. ſic habet Platonis lex lib. 9. de leg. Quos vero inſanabiles eſſe legislator cognoverit, ultimo ſupplicio hos afficiet, non ignorans ſatius fore iis qui inſanabiles ſunt, mori, quam vivere: ac ſi vita privantur, dupliciter prodeſſe cæteris. Nam & ipſorum exemplo cæteri deterrentur, & improbis hominibus civitas mundatur. Sic præfatur Tullus Hoſtilius apud Livium quum animadvertit in Metium fœdifragum ac proditorem: Meti Suffeti, ſi ipſe diſcere poſſes fidem ac fœdera ſervare, vivo tibi ea diſciplina à me adhibita eſſet: nunc quoniam tuum inſanabile ingenium eſt, tu tuo ſupplicio doce humanum genus ea ſancta credere, quæ à te violata ſunt. Sanabilia ingenia metaphorice deploratis oppoſuit, translatione à medicis ſumpta. Nam deploratum ea ratione dixit, qua Terentius conclamatum, pro deſperato. Sic Liv. lib. 5. ſuam quiſque ſpem, ſua conſilia communibus deploratis exequentes. lib. 9. Quum hæc audirentur & dicerentur, & deploratum pene Romanum nomen in conſilio ſociorum fidelium eſſet. Non adeo frequens eſt verbum deplotare in hac ſignificatione: Livius tamen utitur lib. 3. Id vero regnum haud dubie videri, deploratur in perpetuum libertas. Hinc ducta locutio, quod mortuotum cadavera rogo impoſita deplorantur, & per intervalla conclamantur. Hujuſmodi hominem profligatiſſimum Græci καχέκτην vocant, quaſi vitiorum habitu depravatum: quo verbo uſus eſt Cic. lib. 1. ad Attic. In id genus hominum id etiam conſerri poteſt σώματος μὲν ἀῤῥωστίας ἰατρὸς ψυχῆς δὲ μόνος ἰατρὸς θάνατος. Corpotis valetudini ars medetur: animæ morbo ſola mors. frangas enim, ut ait Fabius, citius quam corrigas.

Nec vulgarem, nec abſciſſam] Styli ubertate interdum luxuriat Seneca. Jam dixerat non omnibus nec vulgo ignoſcendum: nunc eandem ſententiam aliis verbis repetit. Abſciſſam dixit pro abrupta & præfracta. Valer. lib. 2. Aſpero enim & abſciſſo caſtigationis genere militaris diſciplina indiget. & lib. 6. Aliquanto Charondæ Tyrii præfractior & abſciſſior juſtitia, ad vim & cruorem uſque. Vide Bud. in annot. poſt. Eodem libro. Quam efficax eſt animi ſermoniſque abſciſſi gravitas.

Tam omnibus ignoſcere crudelitas eſt.] In Mimo Publiano legitur, Bonis nocet, quiſquis pepercerit malis. non quod boni, ſanguinis ſint appetentes, ſed quia non aliunde petunt præſidium quam à legibus: quæ ſi malis omnia permitterent, actum eſſet de omnium bonorum ſalute. Quintil. lib. 12. Si pœnas ſcelerum expetere fas non eſt, prope eſt ut ſcelera ipſa permiſſa ſint: & licentiam malis dari, certe contra bonos eſt.

In partem humaniorem præponderet.] Hanc metaphoricam locutionem à ponderibus ſumptam malim ex verbis Gregorii intelligas, qui ſic loquitur in Moral. Omnis qui juſte judicat, ſtateram in manu geſtat, in utroque penſo juſtitiam & miſericordiam portat. ſed per juſtitiam reddit peccati ſententiam: per miſericordiam peccati temperat pœnam: ut juſto libramine quædam per æquitatem corrigat, quædam vero per miſericordiam indulgeat Jam quia difficile eſt appendi ſemper æqua lance ſententiam, vult Seneca judicem in clementiam potius quam in crudelitatem eſſe propenſum. Id etiam jure conſtitutum eſt, ut ſi ſententiæ pari numero adverſæ ferantur, reus, quaſi numero vicerit, abſolvatur. Cujus rei rationem reddit Ariſtoteles Problematum ſectione 29.

CAP. III.

NUnc in tres partes omnem hanc materiam dividam. Prima erit manumiſſionis. Secunda quæ naturam clementiæ habitumque demonſtret. nam cum ſint vitia quædam virtutes imitantia, non poſſunt ſecerni, niſi ſigna quibus dignoſcantur, impreſſeris. Tertio loco quæremus quomodo ad hanc virtutem perducatur animus, quomodo confirmet eam, & uſu ſuam faciat. Nullam vero ex omnibus virtutibus magis homini convenire, cum ſit nulla humanior, conſtet neceſſe eſt, non ſolum inter nos, qui hominem ſociale animal communi bono genitum videri volumus, ſed etiam inter illos qui hominem voluptati donant, quorum omnia dicta factaque ad utilitatem ſuam ſpectant. Nam ſi quietem petit & otium, hanc virtutem naturæ ſuæ nactus eſt, quæ pacem amat, & manus retinet. Nullam tamen clementia ex omnibus magis quam Regem aut Principem decet. Ita enim virtutes magnis viris decori gloriæque ſunt, ſi illis ſalutaris potentia eſt. Nam peſtifera vis eſt, valere ad nocendum. Illius demum magnitudo ſtabilis fundataque eſt, quem omnes tam ſupra ſe eſſe, quam pro ſe ſciunt: cujus curam excubare pro ſalute ſingulorum atque univerſorum quotidie experiuntur: quo procedente, non tanquam malum aliquod aut noxium animal è cubili proſilierit diffugiunt, ſed tanquam ad clarum ac beneficum ſydus certatim advolant, objicere ſe pro illo mucronibus inſidiantium paratiſſimi, & ſubſternere corpora ſua, ſi per ſtragem illi humanam iter ad ſalutem ſtruendum ſit. Somnum ejus nocturnis excubiis muniunt: latera objecti circumfuſique defendunt: incurrentibus periculis ſe opponunt. Non hic eſt ſine ratione populis urbibuſque conſenſus, ſic protegendi amandique Reges, & ſe ſuaque jactandi quocunque deſideraverit imperantis ſalus. Nec hæc utilitas eſt aut dementia pro uno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus unam animam redimere nonnunquam ſenis & invalidi. Quemadmodum totum corpus animo deſervit: & cum hoc tanto majus, tantoque ſpecioſius ſit, ille in occulto maneat tenuis, & in qua ſede latitet incertus: tamen manus, pedes, oculi negotium illi gerant. illum hæc cutis munit. illius juſſu jacemus, aut inquieti diſcurrimus. cum ille imperavit, ſive avarus dominus eſt, mare lucri cauſa ſcrutamur: ſive ambitioſus, jamdudum dexteram flammis objecimus, aut voluntarie ſubſiluimus. Sic hæc immenſa multitudo unius animæ circumdata, illius ſpiritu regitur, illius ratione flectitur, preſſura ſe ac fractura viribus ſuis, niſi conſilio ſuſtineretur.

DIviſio eſt operis, nondum mihi ſatis intellecta. Malo enim hominem ingenuæ veritatis profiteri, quam frivolis argutiis lectorem eludere. Nam nec eo quo proponit ordine, argu-

mentum proſequitur. Neque in aperto eſt, quid ſibi velit nomen manumiſſionis io prima parte. Cujus rei culpa non tam nohis forte, quam authori ipſi fuerit adſcribenda. Fuit enim peculiare Senecæ vitium, confuſaneas rerum ſylvas congerere magis, quam digerere. Io hoc etiam opere deterius, quod diſpoſitionem quam promittit, minime præſtat. Hoc tamen, qualecunque eſt, majoribus virtutibus penſatur.

Vitia virtutes imitantia.] Imitatio eſt Ciceronis, cujus verba ſunt in partitionihus. Cavendum eſt autem diligenter ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis, & magnitudinem animi ſuperbia in animis tollendis, & deſpicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effuſio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & juſtitiam acerbitas, & religionem ſuperſtitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas &c Hiſdem fere verbis Gregorius. Sæpe ſe vitia ingerunt, & ſe virtutes eſſe mentiuntur: ut tenacia parſimonia, effuſio largitas, crudelitas zelus juſtitiæ, remiſſio pietas videri velit. Juvenalis Satyr. 14.

Fallit enim vitium ſpecie virtutis, & umbra,
Quum ſit triſte habitu, vultuque & veſte ſeverum.
Nec dubie tanquam frugi laudatur avarus,
Tanquam parcus homo, & rerum tutela ſuarum.

Seneca epiſt. 6. Vitia nobia ſub virtutum nomine obrepunt. temeritas ſub titulo fortitudinis later. Hanc ſententiam eleganter conſtrinxit verborum compendio Publius Mimogra. Timidus ſe cautum vocat, ſordidus parcum. Quod ſi verum aliquando fuit, magno noſtro malo hodie veriſſimum experimur.

Signa impreſſeris.] Significanter poſuit hoc verbum, quaſi diceret neque deſcriptionem, neque picturam ſufficere: adeo facilis eſt lapſus in virtutibus diſcernendis, propter illam, ut Quintilianus vocavit, vitiorum viciniam. Sic Seneca epiſt. 6. In his magno periculo erratur, his certas notas imprime. Contrarium eſt ſigna conturbare Ciceroni libro ſeptimo epiſt. ad Attic.

Quomodo confirmet eam, & uſu ſuam faciat.] alludit ad uſucapiones, & præſcriptiones Juriſconſultorum. Quomodo etiam epiſt. 6. Semel traditi boni perpetua poſſeſſio eſt, virtus non dediſcitur. Hoc eſt quod dicunt philoſophi, animum hominis, prout virtutibus aut vitiis aſſueſcit, eorum habitum contrahere, habitus autem ſunt acquiſitæ qualitates, quibus ad noſtros adfectus bene vel male nos habemus. ſic accipio locum Ariſtotelis ſecundo Ethic. moralem virtutem ex conſuetudine comparari. Abeunt enim ſtudia in mores, ait Ovidius, & apud Curt. lib. 5. Conſuetudo natura dicitur potentior. Marius apud Saluſt. Mihi, qui omnem ætatem in artibus optimis egi, bene facere jam ex conſuetudine in naturam vertit. & Ariſtot. Probl. ſectione 8. dicit conſuetudioem in naturæ habitum transformari.

Nullam vero ex omnibus] Jam Seneca ab ipſius virtutis commendatione artificioſe incipit, quæ ex æquo apud omnes homines valeat. Vix enim ullum operæ pretium faceret, ſi ſola honeſti contemplatione, Neroni & aliis Principibus commendaret clementiam. Scimus ita eſſe natura comparatum, ut ſpecie utilitatis aut voluptatis magis afficiamur, quam illis Stoicorum paradoxis, à ſenſu populari abhorrentibus. Sive igitur cum Stoicis in nuda honeſtatis conſideratione verſamur, ſatis eo nomine placere poteſt clementia, quæ ſocietatem humanam complectitur. ſeu ad voluptatem tendimus, ſeu ſpe commodi ducimur, & hic clementia locum ſuum retinet, & dignitatem.

Quum nulla humanior ſit.] Argumentum à conjugatis. ſunt enim derivata homo & humanus. Locus eſt in Topicis à conjugatione verborum, quam Græci συζυγίας vocant: & conjugata ipſa σύζυγα. ut ſi compaſcuus ſit ager, licet compaſcere. Mirum eſt hanc argumentationem Quintiliano tam nullius ponderis viſam eſſe, ut ridiculum adjicere putaverit, niſi Cicero uſus eſſet: quum hæc ipſa ſit finitima ei quæ ab etymologia ducitur. Ergo quemadmodum Terentianus Chremes, quia homo eſt, nihil humani alienum à ſe putat: ita hic Seneca arguit eſſe hanc homini convenientiſſimam virtutem, quæ omnium humaniſſima eſt. Humanitatis nomen varie oſurpatur. In hoc loco ea eſt, quæ à Gellio deſcribitur lib. 13 dexteritas quædam benevolentiaque erga omnes homines promiſcua, Græcis φιλανθρωπία.

Inter nos, qui hominem ſociale animal] Eadem verba ex diſciplina Stoicorum, à Seneca repetuntur libro ſeptimo de beneficiis. acſi diceret hanc unam rationem ſatis efficacem fore, ſi cum Stoicis eſſet diſputatio, clementiam eſſe quoddam quaſi vinculum humanæ ſocietatis & cognationis. eſt enim ſtarum inter eos axioma, homines hominum cauſſa eſſe genitos, ut mutuas viciſſim operas præſtent, ot in commune conſulant, ut ſe ſuaque quatenus publici commodi refert, in commune conferant. Verum ſtatim Epicurei Cyrenaicique reclamabunt, qui ut nihil ſuis voluptatibus decedere volunt, minime ad ſe pertinere contendunt, ut ſuo diſpendio alienum procurent impendium. Cum iis ne ſit illi confligandum, facit ot hanc virtutem ſuæ utilitati conſentaneam eſſe intelligant. De hac autem humani generis ſocietate loquitur ſatis copioſe Cicero lib. offic. 2. & 2. de finibus. atque, ut ad Archytam ſcripſit Plato, non ſibi ſe ſoli eſſe natum meminerit, ſed patriæ, ſed ſuis, ut perexigua pars ipſi relinquatur. paulo poſt. Eadem ratio facit hominem hominum appetentem: cumque iis natura & uſu & ſermone congruentem: ut profectus à charitate domeſticorum ac ſuorum, currat longius, & ſe implicet, primo civium, deinde omnium mortalium ſocietati. Platonis verba, quæ à Cicerone allegantur, hodie quoque extant io epiſt. ad Archytam. Cicero tamen hæc eadem Stoicis tribuit in primo officiorum: Ariſtot. quoque polit. 3. Dictum eſt natura eſſe hominem civile animal, ac ſociale. ex quo fit, ut etiam ſi oihil indigeant mutuo auxilio, nihilominus affectent vitæ ſocietatem. Ne hic ſim impendio prolixior, vide Senecam epiſt. 6. epiſt. 48.

Communi bono genitam.] Talem Stoicum Catonem deſcripſit nobis Lucanus lib. 2.

Nec ſibi, ſed ſoli genitam ſe credere mundo.
Item.
In commune bonus.

Senec. lib. 1. de ira. Homo in adjutorium mutuum generatus eſt. Juvenal. Satyr. 9.

Principio indulſit communis conditor illis
Tantum animam, nobis animum quoque, mutuus at nos
Adfectus petere auxilium, & præſtare juberet.

Cui ſimile eſt illud Quintil. in ægro redempto. Voluit nos ille mortalitatis artifex Deus in commune ſuccurrere, & per mutuas auxiliorum vices in alterum quod pro ſe quiſque timeret, aſſerere. Ideo Quintil. in opibus pauperis, humano vitio factum queritur, ut in proprios quiſque uſus lucrum duceret.

Quæ pacem amat, & manus retinet.] Hoc pro Cyrenaicis, qui in omnibus proſpectum volunt ſuæ utilitati, ut prius explicatum eſt. Serviunt autem maxime voluptati & utilitati, pax, quies, otium: quæ tamen vix inter homines ſtare poſſunt, niſi clementiæ beneficio. Manum hic accipe pro violentia, in qua ſignificatione eſt apud Ciceronem lib. 1. offic. Tamen res vi manuque geſta eſt. & Verrina

ſexta.

ſexta. Nihil ægrius factum eſt, quam ut manus ab illo appellatore abſtinerentur. Contrarium eſt ad manus venire.

Nullum tamen clementia.] Bene cohæret orationis filum. In præcedentibus ſic clementiam hominum naturæ convenire differebat, ut hominem non eſſe contenderet, qui non ſimul clementi eſſet ingenio, atque ad manſuetudinem propenſo. eſt enim clementia vere bumanitas: cujus participem eſſe, nihil aliud eſt, quam eſſe hominem. Nunc quod propius eſt ſcopo, addit eſſe virtutem heroicam, ſine qua imperare Principes non poſſint: ſicut Vopiſcus ait, primam eſſe rerum dotem. Id convincit multis rationibus, quæ ſuis locis ſeorſum obſervabuntur. primam tamen continuo ſubjicit. Quia Princeps nullis virtutibus gratiam populi ſibi comparare poteſt, niſi ſalutari utatur potentia. Polleat licet Rex, aut Imperator, aliis fortunæ, corporis, animi dotibus: perdunt omnia gratiam niſi ſe manſuetudine fecerit amabilem ſuis ſubditis, ac gratioſum. Rurſum omnia ejus facta dictaque benigne excipientur, ſi favorem populi ſibi hac virtute ſemel conciliarit. Huc convenit apophthegma Gymnoſophiſtæ qui interrogatus ab Alexandro, quomodo imperans magnam ſibi gloriam compararet, reſpondit id fore, ſi non eſſet terribilis.

Num peſtifera vis eſt.] Quod alibi dixit, non diu poteſt quæ multorum malo exercetur potentia ſtare. eſt enim contrariorum contentio, quia continuo ſequitur, Illius demum magnitudo ſtabilis, &c.

Illius demum magnitudo.] Non tantum cogitandum eſt Principi, quid ſibi liceat, ſed qua ratione tueatur ſuam potentiam. Poteſt inſtar rabioſæ belluæ graſſari per ſtrages hominum. verum hoc erit non regnum, ſed latrocinium. Latroni vero tot ſunt hoſtes, quot homines. Male ergo ſibi proſpicit, quiſquis magnitudine in multorum perniciem abutitur, ut omnes contra ſe armet. At vero illius regnum eſt ſtabile, qui non tantum ſua, ſed & ſubditorum cauſa imperat, nimirum paſtor populorum, ut Homerus vocavit Agamemnona.

Pro ſalute ſingulorum, atque univerſorum.] Reſpicit illud præceptum Platonis, ut qui præſunt reipublicæ, totum ejus corpus curent: ne dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant. Qui enim parti conſulunt, partem negligunt, inquit Cicero, rem pernicioſiſſimam in civitatem inducunt, ſeditionem ac diſcordiam.

Cujus curam excubare.] Alia conſtructione uſus eſt Plancus lib. epiſt. Ciceronis 10. ex quo intelligi poteſt curam reipublicæ ſummæ defendendæ apud nos excubare. Tracta eſt metaphora ab excubiis quæ ſolent in urbibus diſponi, quum ab hoſtibus eſt periculum, quaſi diceret Principem eſſe publicum quendam excubitorem, qui omnibus horis in ſalutem populi invigilet. ſic enim ſapienter præcipit Homerus Iliados β.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα
Ὧι λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλε.

& Julius vocabat imperium curam alienæ ſalutis.

Tanquam malum aliquod aut noxium animal.] Nam ſi Princeps tyrannice ſæviat in ſuos, ex populoſa urbe faciet vaſtam ſolitudinem. Plinius loquens de temporibus Domitiani in panegyr. Nec ſalutationes tuas fuga ac vaſtitas ſequitur. remoramur, reſiſtimus, ut in communi domo quam nuper immaniſſima bellua plurimo terrore munierat, cum velut quodam ſpecu incluſa, nunc propinquorum ſanguinem lamberet, nunc ſe ad clariſſimorum virorum ſtrages cladeſque proferret. obverſabantur foribus horror & minæ: ad hæc ipſo occurſu viſuque terribilis: ſuperbia in fronte, ira in oculis, &c.

Sed tanquam ad clarum.] Hæc eſt eximia laus boni Principis, cujus aſpectu dum ſui fruuntur, ſolem ſe intueri putant, aut aliud ſidus vitale. ſic Horatius ad Auguſtum carminum lib. 4.

Lucem redde tuæ dux bone patriæ.
Inſtar veris enim vultus ubi tuus
Affulſit populo, gratior it dies,
Et ſoles melius nitent.

Neque ſupervacuum eſt epithetum clari ac benefici, quum & philoſophi ſic diſtinguant: ut quædam benigna ſint & proſpera, alia vero adverſa ac noxia. quin & Porphyrius deos cæleſtes qui ſunt ipſa ſidera, quoſdam eſſe tradit beneficos, quoſdam vero maleficos.

Objicere ſe pro illo.] Nunc fuſius explicat id quod prius dixerat, ſtabilem ſcilicet eſſe potentiam quæ non magis unius commodis, quam communi bono ſerviat. Magna enim fortuna ut fere invidiam parit, magnis præſidiis protegenda eſt. Hic vero jure ſalutem ſuam commendat omnibus, qui omnium ſalutem in curam ſuam ac fidem recipit. Principis vitæ aut externi hoſtes imminent, aut inteſtini ac domeſtici. hi inſidiis adoriuntur, illi magis congrediuntur aperto marte. utrique periculo eſt ſuum remedium, ubi ſubditi parati ſunt & mucronibus inſidiantium objicere ſe, & ſubſternere corpora ſua, &c.

Subſternere corpora ſua.] Metaphora eſt elegans, & cui etiam gratiam addit rhetorica ὑπερβολή. neque enim proprie ſternitur via ad ſalutem imperantis ex corporibus humanis: neque id caret exceſſu, ut corpora ſua ſubſternant, & iter illi inſtruant ex ſtrage cadaverum. Verba autem bene inter ſe conveniunt: & metaphoræ ſunt appoſitiſſimæ. Sternere enim & inſtruere pro eo uſitata ſunt apud auctores, quod alias pavire, alias munire dicitur. Ad hanc ſententiam videtur Lucanus alluſiſſe libro primo, ubi tamen ironice deridet Neronem.

Quod ſi non aliam venturo fata Neroni
Invenere viam, magnoque æterna parantur
Regna deis, cælumque ſuo ſervire tonanti
Non niſi magnorum potuit poſt bella gigantum:
Jam nihilo ſuperi querimur, ſcelera ipſa nefaſque
Hac mercede placent: diros Pharſalia campos
Impleat, & Pœni ſaturentur ſanguine manes, &c.

Non hic eſt ſine ratione.] Prolepſis ſeu occupatio, ne quis cavilletur temeritatem eſſe atque inſaniam, tot hominum millia ſe morti deſtinare, ut unius vitam morti eximant: ſe in certum mortis periculum projicere, ut ab uno capite repellant. Hic reſpondet Seneca Principem eſſe in republica tanquam animum in corpore. Quemadmodum animus omnia membrorum miniſteria regit ac moderatur, ita ſubditi Principis nutum ad omnia officia intuentur & obſervant.

Multis mortibus unam animum redimere.] Quaſi diceret male penſari tot mortes unius vita, eoque pejus, ſi ſenex juvenum, valetudinarius robuſtorum interitu redimitur. Quorſum igitur attinet tantum jacturæ facere non ita magna mercede? nonne publice delinquitur, & privatim? Sunt hæc etiam dicta κατὰ τὴν πρόληψιν.

Quemadmodum totum corpus.] Nihil ad ſimilitudinem poterat aptius aut propius excogitari. ſiquidem ut Princeps & unus eſt, & interdum ſenex & valetudinarius: ita animus hominis puſillum eſt quiddam & minutulum, nullis oculis conſpicuum. rurſum corporis vaſta moles, & honeſta membrorum proportione ſpecioſa, & varia officiorum diſtinctione. Reſpublica conſtat ex infinito pene hominum numero: nec minori officiorum varietate. Tertio membra corporis habent quidem à ſe vigorem & naturalem impetum, ſed penes animum eſt temperatura. In vulgo plus ſatis roboris, conſilii parum, niſi aliunde ſuſtineretur. Ita per partes excutienda eſt eorum ſimilitudo quæ inter ſe comparantur. In hanc ſententiam refert Tacitus lib. 1. quum Tiberius negaret ſe ſufficere toti reipublicæ adminiſtrandæ,

Digitized by Google

niſtrandæ, interrogatum ab Aſinio Gallo quam ſibi partem committi vellet: ſed quum Aſinius deprehendiſſet in vultu offenſionem, dixiſſe non ideo interrogatum, ut divideret quæ ſeparari nequirent, ſed ut ſua confeſſione argueretur unum eſſe reipublicæ corpus, atque unius animo regendum.

In qua ſede lateat, incertus.] Obiter perſtringit pugnantes inter ſe philoſophorum ſententias, qui nondum in certam ac ſtatam ſedem animum receperunt. Herophilus in ventriculo cerebri locum illi conſtituit: Platoni & Democrito magis placet eſſe in toto capite: Eraſiſtratus circa membranam cerebri. Strato in ſuperciliorum interſtitio. Parmenides & Epicurus in toto pectore. Diogenes in arteriaco cordis ventriculo. Stoici integrum cor ſeu ſpiritum illi aſſignant: alii cervicem cordis, alii præcordia, Empedocles ſanguinis concretionem. Vide Plutarchum, & nonnulla apud Ciceronem Tuſcul. 1.

Manus, pedes, oculi negotium illi gerunt.] Id eſt, pro illius arbitrio moventur, ac illi deſerviunt. Idem Seneca epiſt. 14. Omnes iſtæ artes, quibus aut excitatur civitas, aut ſtrepit, corpori negotium gerunt. In multis exemplaribus perperam legitur corporum, ſuffragante etiam Eraſmo in utraque editione. In hanc ſententiam vocavit Cicero ſenſuum fontem, animum, qui objecta diſcernit: ſenſus, perinde atque illi viſum eſt, ſequuntur, aut fugiunt: atque uti vere eſt apud Saluſtium, animi imperio, corporis ſervitio magis utimur. huc pertinet & illud Quintiliani in divite accuſato proditionis, Sic corpora noſtra motum niſi de mente non ſumunt, & otioſa ſunt membra donec illis animus utatur.

Mare lucri cauſa ſcrutamur.] Ponunt Philoſophi triplicem appetitum, naturalem, ſenſitivum, & rationalem. Primum omnibus naturis attribuunt, alterum animalibus, tertium animæ rationali. Rurſum appetitum ſenſitiuum ſic partiuntur, ut alius ſit appetitus ſuperior, ad adfectus interiores pertinens, odium, amorem, triſtitiam, ſpem, metum, & hujuſmodi: de quo accipiendus eſt hic locus. alter in paſſionibus corporis reſideat, fame, ſiti, frigore, & ſimilibus. De quo igitur fit mentio à Seneca, radix eſt omnium cupiditatum, quas velut nervos in homine ſcribit Plato in legibus, & ceu funiculos quoſdam quibus trahamur: & quemadmodum inter ſe contrariæ ſunt ipſæ, ſic & nos raptari in partes varias, niſi domina ratio præfecta fuerit. At vero quia alii in aliis eminent affectus, &, ut ait Propert.

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ:

Iden Seneca nunc avarum facit dominum, nunc ambitioſum. Si avarus eſt, pro ejus imperio

Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

Nam verum eſt quod ait Horatius,

Deſiderantem quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum ſolicitat mare.

Juvenal. Satyr. 14.

—— Tu propter mille talenta
Et centum villas temerarius aſpice portas,
Et plenum magicis trabibus mare, plus hominum eſt jam
In pelago, veniet claſſis, quocunque vocarit
Spes lucri, nec Carpathium Getulaque tantum
Æquora tranſilies, &c.

Propert. lib. 3.

Ergo ſolicitæ tu cauſſa pecunia vitæ es:
Per te immaturum mortis adimus iter.

Item,

Ite rates curvæ, & leti contexite cauſas:
Iſta per humanas mors venit acta manus.

Item,

Natura inſidias pontum ſubſtravit avaris.

Sive ambitioſus dominus eſt.] Ingenue fatetur Seneca quales fuerint egregiæ illæ ethnicorum virtutes, quæ pleno ore decantantur. Tolle ambitionem, & faſtuoſos ſpiritus nullos habebis, nec Platones, nec Catones, nec Scævolas, nec Scipiones, nec Fabricios. Hæc eadem ſententia apud Saluſtium legitur: Dux atque Imperator vitæ mortalium animus: qui ubi ad gloriam virtutis via graſſatur, abunde potens pollenſque & clarus eſt. quod & innuit Virgilius Æneïd. 6.

Vincet amor patriæ: laudumque immenſa cupido.

Dexteram flammis objecimus.] Hoc referendum ad Scævolam, de quo Livius libro ſecundo. Qui quum caſtra Porſenæ ingreſſus ſcribam pro Rege per errorem obtruncaſſet, accenſo ad ſacrificium foculo dextram injecit: à qua clade nomen ei Scævolæ inditum. ſcævam enim antiqui dixerunt qui ſiniſtra eſſet agiliore quam dextra. Auguſtinus libro quarto de civitate Dei. Cur fortitudo dea non eſt, quæ affuit Mutio quum dexteram porrexit in flammas? Meminit & Martialis.

Voluntarie ſubſiluimus.] Aut tangitur hiſtoria Horatii Coclitis, cujus fit mentio apud Livium eodem libro. quum enim impetum Hetruſcorum tantiſper ſuſtinuiſſet, dum pontem Sublicium Romani diruerent, in Tybrim ſe conjecit, & multis ſuperincidentibus telis incolumis ad ſuos tranavit, ob quod facinus ſtatua illi decreta, & victus annuus. Refert hiſtoriam & Plutarchus in Publicola. aut, quod videtur mihi vero eſſe propius, intelligendum de Curtio, qui, ut Livius refert libro ſeptimo, & Valerius libro quinto, in profundam terræ voraginem ſeſe præcipitem dedit, quam expleri debere canebant oracula ea re qua maxime Romani excellerent. Vide Auguſtinum libro quinto & libro octavo de civitate Dei. Propert.

Curtius expletis ſtatuit monumenta lacunis.

Preſſura ſe ac fractura] Alii codices habent ſtratura, eodem conſtante ſenſu, pro eo quod dixit Horatius.

Vis conſili expers mole ruit ſua.
Vim temperatam dii quoque provehunt
In majus, iidem odere vires
Omne nefas animo moventes.

Cap. IV.

SUam itaque incolumitatem amant, cum pro uno homine denas legiones in aciem deducunt, cum in prima fronte procurrunt, & adverſa vulneribus pectora ferunt, ne Imperatoris ſui ſigna vertantur. Ille eſt enim vinculum per quod reſpublica cohæret, ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa imperii ſubtrahatur. Rege incolumi mens omnibus una. Amiſſo rupere fidem. Hic caſus Romanæ pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tamdiu ab iſto periculo aberit hic populus, quamdiu ſciet ferre frænos: quos ſiquando abruperit, vel aliquo caſu diſcuſſos reponi ſibi paſſus non erit, hæc unitas & hic maximi imperii contextus in partes multas diſſiliet: idemque huic urbi dominandi finis erit, qui parendi fuerit. Ideo principes Regeſque, & quocunque alio nomine ſunt tutores ſtatus publici, non eſt mirum amari ultra privatas etiam neceſſitudines. Nam ſi ſanis hominibus publica privatis potiora ſunt, ſequitur ut is quoque carior ſit, in quem ſe reſpublica convertit. Olim enim ita ſe induit reipublicæ Cæſar, ut diduci alteram non poſſet ſine utriuſque pernicie. Nam ut illi viribus opus eſt, ita & huic capite.

SI ſtare non poteſt ſine imperio reſpub. ſi corpus ex multis hominibus collectum, truncum eſt & imperfectum ſine capite, ſuæ ſalutis ſunt propugnatores, quum periculum à capite ſuo propulſant,

Digitized by Google

ſant, quod ſecum traberet majorem ruinam. Unum quidem hominem ut defendant, arma induunt: ſed cujus incolumitas omnium incolumitatem complectitur: quem ſi deſerunt, prædam ſe faciunt hoſtibus. In hoc pacem publicam & privatam, imperii majeſtatem, fortunas domeſticas poſſident. Cum hoc omnia pereunt. Quis jam dubitet hac mercede propoſita mille mortibus ſe objicere? pareant enim neceſſe eſt ſi ſe ac ſua ſervare velint.

Denas legiones in aciem deducunt.] Atqui multo plures Cæſaris Auguſti legiones fuerunt. Is enim quatuor & quadraginta legiones non ſemel tantum armavit, ſed ordinarias habuit ad tutelam rei Romanæ. Quid autem ſit legio, non ſatis inter claſſicos auctores convenit. Plutarchus enim auctor eſt Romulum diviſiſſe juventutem Romanam in militares ordines, quorum quilibet peditum tria millia, equites trecentos habuit: iſque numerus vocabatur legio. Livius lib. 8. legionem ſcribi teſtatur quinque millibus peditum, & trecentis equitibus. Gellius lib. 16. ex auctoritate Cincii conſtituit legionem ex ſexaginta centuriis, quæ faciunt ſex millia. Si verum eſt quod legitur in libello qui ſub nomine Ciceronis circumfertur de re militari, & exemplaria mendo vacant, legio conficitur ex duobus peditum millibus, quingentis quindecim, equitibus octingentis nonagintaquinque. Verum ego magis crediderim, utcunque pro ratione temporum diſciplina militaris immutata fuerit, eo demum proceſſiſſe, ut decem cohortibus firmaretur: quarum prima eſſet millenaria, reliquæ quingentariæ: ut eſt etiam apud Veget. non quod eo numero præciſe finirentur, ſed valuit appellandi compendium, eadem forma qua Centumviri pro centum & quinque, & ſeptuaginta interpretes pro ſeptuaginta duobus.

Cum in prima fronte procurrunt.] Frons verbum eſt militare. Nam ut ait Veget. libr. 3. Acies dicitur exercitus inſtructus. Frons, quæ adverſum hoſtem ſpectat. Quintilianus libr. 2. Quid enim ſi præcipias Imperatori, quoties aciem inſtruit, dirigat frontem, cornua utrinque promoveat, equites pro cornibus locet? Curtius appellat faciem. Hæc, inquit, dexteri cornu facies erat. Deinde ſequitur, Frons lævi cornu hæc erat. apparet pro eodem poſuiſſe frontem & faciem. Ibidem appellat prima. Itaque non prima quam latera, non latera munitiora fuere quam terga.

Ne imperatoris ſui ſigna vertantur.] Ex more Romanorum, qui primæ cohorti aquilam & Imperatoris imagines adtribuebant, utpote quæ & numero militum, & dignitate præſtantiaque antecelleret.

Adverſa vulneribus pectora] Quaſi hoc dedecus non bene vita penſetur, ſi quis ſe vivo ac vidente paſſus fuerit aut verti ſigna, aut dejici, ſi ſignis deſertis terga dederit, & pudenda, ut Virgilius ait, vulnera tergo acceperit. Contra quæ adverſo pectore illata ſunt, laudantur tanquam militiæ decora. Vide Plutarchum in proble. Dicitur & ſimpliciter adverſum vulnus. Saluſtius in Catil. Sed omnes tamen adverſis vulneribus conciderant.

Ille eſt vinculum] Honeſtæ ſunt translationes. Si enim concordia civium alitur imperii dignitas, neceſſe eſt ut aliqua inter ſe veluti catena cohæreant. Imperator igitur eſt vinculum, quo inter ſe colligantur, ne diſſiliant. Deſit rector & moderator, quibus catenis multitudo diſcors & ſeditioſa conſtringetur? quo ferrumine committetur?

Spiritus vitalis.] Altera eſt metaphora, qua ſignificatur in ſuis ducibus vivere ac ſpirare populos: ab unius vita quaſi de filo pendere: ſicut illa Lucani apoſtrophe ad Cæſarem libro quinto.

Quum tot in hac anima populorum vita ſaluſque
Pendeat, & tantus caput hoc ſibi fecerit orbis.

Curtius lib. 9 de Alexandro loquens. Toto eo die, & nocte quæ ſecuta eſt, armatus exercitus regiam obſedit, confeſſus omnes unius ſpiritu vivere. Verum Senecæ metaphoram magis ad verbum expreſſit Curtius in perſona Philippi medici ad Alexandrum. Rex, ſemper quidem ſpiritus meus ex te pependit: ſed nunc vero, arbitror, ſacro & venerabili ore tuo trahitur. & imitatus eſt Eraſmus in Panegyr. Philippi. Porro hoc à philoſophis ſumptum eſt, qui vitam hominis in eo præcipue conſiſtere affirmant, quod aërem hauriat & recipiat per aſperam arteriam, quam Celſus aſperam fiſtulam vocat, & Lactantius gurgulionem: & quæ animæ æſtuantis, ut ait Gellius, iter eſt: de qua ſatis multa Cicero l. 2. de natura deorum. Cauſam autem cur ſpirare neceſſe habeamus, vide apud Ariſt. problematum ſect. 34. probl. 12. Quamobrem ſunt qui opinantur vitam nihil aliud eſſe, quam ſpiritum, ſeu animam. Servius in illud Virgilii.

Vitam exhalantem.

Secundum eos, inquit, locutus eſt, qui vitam ventum volunt. & idem in 4. comment. Æneïd. quum Virgil. dixiſſet:

—— Atque in ventos vita receſſit.

Eos, inquit, ſequitur, qui vitam aërem eſſe dicunt. Verius tamen eſt ex quatuor elementis & divino ſpiritu conſtare omnia animalia. Cujus ſententiæ fuiſſe Ariſtotelem conſtat. Trahunt enim à terra carnem, ab aqua humorem, ab aëre anhelitum, ab igne fervorem, à divino ſpiritu ingenium. Quanquam aliter aſtrologi. putant enim nos, quum naſcimur, ſortiri à Sole ſpiritum, à Luna corpus, à Marte ſanguinem, à Mercurio ingenium, à Jove deſiderium, à Venere cupiditates, à Saturno humorem. Non abs re igitur ſpiritus dictus eſt à Seneca epitheto vitalis. Nam, ut ait Quintilianus lib. 5. Illud retrorſus valet, & ſpirare hominem qui vivit, & vivere qui ſpirat: ut ſpiritus pro vita, & ſpirans pro vivente interdum ſine adjecto reperiantur.

Rege incolumi.] Hæc duo hemiſtichia tranſtulit ex 4. Georgicon Virgilii, ubi de apibus loquitur.

Præterea regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervant: rege incolumi mens omnibus una,
Amiſſo rupere fidem, conſtructaque mella
Diripuere ipſæ, & crates ſolvere favorum &c.

Tamdiu ab iſto periculo aberit quamdiu ſciet.] Ferre frenos proverbio dicitur obedienter imperata facere, & domini aut principis imperium moderate ferre. Cui contrarium eſt frenum mordere. Servavit etiam verbi proprietatem, quum ſubjicit, diſcuſſos repoui ſibi paſſus non erit. Excuti enim proprie dicitur de equis, ut adnotavit Servius in ſexto comment. Æneid. Virg.

———— Ea frena furenti
Concutit, & ſtimulos.

Curtius lib. 4. Hic territi equi ſubſiſtere non poterant, qui crebra jactatione cervicum non jugum modo excuſſerant, ſed currum etiam everterant. Eadem translatione uſus eſt Plinius in panegy. Ergo ſuſtulerant animos, & jugum excuſſerant, nec jam de ſua libertate, ſed de noſtra ſervitute certabant.

Ideo principes regeſque.] Amicitia, inquit Cicero, ex variis rationibus contrahitur: ſed omnes omnium neceſſitudines vincit una ſocietas reipublicæ adminiſtrandæ. Lentulus ad Ciceronem epiſt. 12. Atque hæc omnia is feci, qui & ſodalis & familiariſſimus Dolobellæ eram, conjunctiſſimus ſanguine Antoniis, provinciam quoque illorum beneficio habebam, ſed πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν. omnibus meis bellum primus indixi. Namque in gradibus charitatis prima patriæ ab optimo quoque deferuntur. & ut ſubjicit Seneca, publica privatis potiora ſunt ſanis hominibus. Merito igitur ultra privatas neceſſitudines amantur adminiſtratores Reipublicæ & quaſi patres patriæ. ſupra declaravimus eſſe quaſi publicos tutores.

Quocunque ſunt nomine.] Utpote Reges, Imperatores, Dynaſtæ, Tetrarchæ, Marchiones, Satrapæ, veluti noſtro ſeculo Imperatores, Reges, Duces, Barones, Comites, Vicecomites. liberis populis Conſules, Prætores, Dictatores, Cenſores, & hujuſmodi.

In quem ſe reſpublica convertit.] Eandem ſententiam aliis verbis extulir Cicero ad Appium Pulchrum. Omnes vires civitatis ſe ad Pompeji ductum applicaverunt. Ideo enim nos in aliquem convertimus, ut in eum tanquam in parietem incumbamus. Virgilius libro duodecimo.

——— Spes tu nunc una ſenectæ,
Tu requies miſeræ, decus imperiumque Latini
Te penes, in te omnis domus inclinata recumbit.

Olim ita ſe induit Reipublicæ Cæſar.] Nunc quandam capitis ad corpus commiſſuram facit, hoc eſt Principis ad rempublicam, ut ſit mutua rerum omnium ſympathia, diduci enim alterum non poteſt ſine alterutrius pernicie. Cæſar ſine Republica non eſt Cæſar. reſpub. non eſt reſpub. ſine Cæſare. capiti neceſſaria ſunt membrorum miniſteria, corpus ſine capite eſt inutile terræ pondus.

Ut deduci.] Lego diduci contra fidem exemplarium, ut ſtet integer ſenſus pro ſeparari ſeu divelli.

Cap. V.

Longius videtur receſſiſſe à propoſito oratio mea: at mehercule rem ipſam premit. Nam ſi, quod adhuc colligitur, animus reip. tu es, illa corpus tuum, vides, ut puto, quam neceſſaria clementia ſit. tibi enim parcis, quum videris alteri parcere. Parcendum itaque eſt etiam improbandis civibus, non aliter quam membris languentibus & ſiquando miſſo ſanguine opus eſt ſuſtinendum eſt, ne ultra quam neceſſe ſit incidat. Eſt ergo, ut dicebam, clementia omnibus quidem hominibus ſecundum naturam, maxime tamen decora Imperatoribus quanto plus habet apud illos quod ſervet, quantoque in majore materia apparet. Quantulum enim nocet privata crudelitas? Principum ſævitia, bellum eſt. Quum autem virtutibus inter ſe ſit concordia, nec ulla altera melior aut honeſtior ſit, quædam tamen quibuſdam perſonis aptior eſt. Decet magnanimitas quemlibet mortalem, etiam illum infra quem nihil eſt. Quid enim majus aut fortius, quam malam fortunam retundere? Hæc tamen magnanimitas in bona fortuna laxiorem locum habet, meliuſque in tribunali quam in plano conſpicitur. Clementia in quamcunque domum pervenerit, eam felicem tranquillamque præſtabit. Sed in regia, quo rarior, eo mirabilior. Quid enim eſt memorabilius, quam eum cujus iræ nihil obſtat, cujus graviori ſententiæ ipſi qui pereunt, aſſentiuntur, quem nemo interrogaturus eſt, imo ſi vehementius excanduit, nec deprecaturus eſt quidem, ipſum ſibi manum injicere, & poteſtate ſua in melius placiduſque uti? hoc ipſum cogitantem, Occidere contra legem nemo non poteſt, ſervare nemo præter me. Magnam fortunam magnus animus decet, qui niſi ſe ad illam extulit, & altior ſtetit, illam quoque infra terram deducit. Magni autem animi eſt proprium, placidum eſſe, tranquillumque, & injurias atque offenſiones ſemper deſpicere. Muliebre eſt furere in ira. ferarum vero, nec generoſarum quidem, præmordere & urgere projectos. Elephantes leoneſque tranſeunt quem impulerunt. Ignobilis beſtiæ pertinacia eſt. Non decet Regem ſæva nec inexorabilis ira. non multum enim ſupra eum eminet, cui ſe iraſcendo exæquat. At ſi dat vitam, ſi dat dignitatem periclitantibus & meritis amittere facit quod nulli niſi rerum potienti licet. Vita enim etiam ſuperiori eripitur, nunquam niſi inferiori datur. Servare, proprium eſt excellentis fortunæ, quæ nunquam magis ſuſpici debet, quam quum illi contingit idem poſſe quod diis, quorum beneficio in lucem edimur tam boni quam mali. Deorum itaque ſibi animum aſſerens Princeps, alios ex civibus ſuis, quia utiles bonique ſunt, libens videat: alios in numerum relinquat: quoſdam eſſe gaudeat, quoſdam patiatur.

Videbatur exſpatiari in digreſſionem oratio Senecæ, & totum caput præcedens eſſe parergon, nihil ad rem propoſitam faciens, niſi quod Principum charitatem ſubditis inſinuabat. Nunc oſtendit ſe alio ſpectaſſe, & collimaſſe ad alterum ſcopum, ut ſcilicet probaret clementiam nullum magis decere quam Regem aut Principem. ſi enim populi, dum ſalutem ſui Principis objectu corporum defendunt, vitam ejus ſuis mortibus redimunt, adverſa vulneribus pectora ferunt, Eum eſſe mentem reipublicæ profitentur: agnoſcat ille viciſſim oportet rempublicam ſuum corpus eſſe: & vicem officii, quam ſuis membris debet, rependat. Proponat ſibi apud animum, publicam eſſe charitatem. quæ à ſuis ſibi defertur, alio transferendam ſi deſierit eſſe quod eſt.

Tibi enim parcis.] Quiſquis enim ille ſit cui ignoſcitur, pars tui eſt. Sic Alexander apud Curtium lib. 6. Videbar mihi partem meorum viſcerum abrumpere, ſi in quos tam magna contuleram, viliores mihi feciſſem.

Parcendum improbandis civibus.] Senſus eſt. Si qui ſunt ex civium numero vitioſi, cogita eſſe membra tui corporis: quæ cum etiam ulceroſa ſunt, mollioribus remediis curantur, & quaſi ſuſpenſo digito attrectantur: tantum abeſt ut abſcindantur, & urantur ad primum languorem. Vitia igitur tolle, non hominem. Quæ tamen ſi ab homine revelli non poſſunt, conſulendum potius univerſo corpori, quam particulæ. Tunc valet illud Ovidii,

——— Immedicabile vulnus
Enſe recidendum eſt, ne pars ſincera trahatur.

Illud memoria ne excidat, quod eſt apud Senec. libro 7. de benefic. Ut corporum, ita animorum vitia molliter tractanda ſunt. Et illud Cicero. 2. ad Atticum. Non minus probandam medicinam quæ ſanet, quam quæ urat & ſecet.

Et ſi quando miſſo ſanguine.] Alludit ad Medicorum phlebotomias, quæ ſemper ad menſuram exiguntur. Sic Lucanus Syllam poſt victoriam ſævientem, nec modum pœnis exigendis imponentem reprehendit eadem fere translatione.

Sylla quoque immenſis acceſſit cladibus auctor.
Ille, quod exiguum reſtabat ſanguinis urbi,
Hauſit, dumque nimis jam putrida membra reſolvit,
Exceſſit medicina modum, nimiumque ſecuta eſt,
Qua morbi duxere, manus.

Eſt ergo ut dicebam.] Innuit Seneca in eum ſenſum accipiendam eſſe totam illam diſſertationem, quæ videbatur præter Bacchum, ut eſt in proverbio, interpoſita. Nunc more ſuo per ἀνακεφαλαίωσιν ſummam diſſertationis in compendium redigit. Quod dicit clementiam omnibus hominibus ſecundum naturam, ad illud referendum: Nullam homini virtutem magis convenire, quam clementiam, cum nulla ſit humanior, &c. Quod ſubjicit maxime decoram Imperatoribus, alterum membrum reſpicit.

Secundum naturam.] Philoſophi vocant ea quæ ſunt de propriis naturæ, κατὰ τὴν φύσιν. Proprium quarto modo accipiatur, quemadmodum eſt apud Porphyrium cap 4. lib. de quinque vocibus.

Quantulum nocet privata crudelitas?] Cur potiſſimum decet clementia Principem? idem eſt acſi quæras, cur liberalitas divitem inprimis deceat. Ille enim materiam habet ignoſcendi, huic ſuppetunt ad largiendum facultates. Maluit tamen ducere argumentum à contrariis, in hanc formam. Si parum nocet privata crudelitas: parum etiam prodeſt in homine privato clementia. Si Principis ſævitia bellum eſt, & publica pernicies: ejuſdem clementia publicam ſalutem complectitur. Senec. lib. 3 de ira.

ira. Illa plebeia ira & privata, inerme, & ſine viribus telum eſt.

Cum aatem virtatibus.] Ex dogmatibus Stoicorum. De hac virtutum counexione Cicero meminit Offic. 1. in Paradox. & in 5. de finib. & Senec. noſter epiſt. lib. 9. ad Lucil. Furte & hæc verba in Peripateticos rorqueri poſſunt, qui externa ſortunæ bona virtutihus opitulari tradunt, arque ideo inter bona numerant, quod ſunt virtutum præſidia. His adverſautur Stoici, virtutem ſe ſola contentam eſſe, nec ſortunæ opibus indigere.

Decet magnanimitas.] Argumentum à ſimili, virtutem parem & eandem in duobus, magis in altero elucere & eminere. Quod priuſquam explicemus, videndum quid ſit magnanimitas. Eſt aurem virtus, qua utramque fortunam moderate ſerre diſcimus, ut nec proſperitare efferamur, tollamuſque animos, nec adverſitare dejiciamur ac deprimamur, animumque deſpondeamus. Itaque extrema magnanimitatis ſunt, inflatio animi & elatio ad exceſſum, abjectio & puſillanimitas ad deſectum. Vide Ariſt. lib. Ethic. 4. Cicero quoque Tuſculan. 4. Conſtantem volumus quendam ſedatum, gravem, humana omnia prementem, illum eſſe quem magnanimum & fortem virum dicimus, &c. Hæc igitur magnanimitas decet hominem ſortis humillimæ & abjectiſſimæ, ſeu, ut magis verbum verbo reddamus, poſtremæ ignobilitatis. Quid enim fortius quam non coarctare animum ad fortunæ anguſtias? quam animi magnitudinem & conſtantiam ſupra omnes caſus exerere? quam divitiarum & paupertatis ex æquo eſſe contemptorem? At vero quia difficilius eſt proſperam, quam adverſam ferre ſortunam, quanto melius conſpicuus erit, qui in bonis rebus, ut ait Horatius, mentem continebit ab inſolenti temperatam lætitia: qui nec confidet præſentibus bonis, nec adverſitatem ſortunæ perhorreſcet? Ita clementia, &c.

Malam fortanam retandere.] Retundimus enim aciem telorum, quæ ſortuna in nos acuit, ſi nihili pendimus quicquid in nos machinatur. Lib. 2. epiſt. dixit ſortunæ contumaciter reſiſtere.

Clementia in quamcanque domum.] Habitat quidem privatos parietes, habitat, ſi vis, pauperes caſas & ruſtica tuguriola: quum paterfamilias erga uxorem, liberos, ſervos, modeſte ſe gerit, dat, prætermittir, indulget, ad opus illectat magis quam cogit. Quamobrem Petrus iu ſua canonica, non vult dominos eſſe dyſcolos, hoc eſt moroſos, & ſervis difficiles.

Quid enim memorabilius.] Alia ratio amplificationis. Imperant leges privaris hominibus. Statuunt leges quid marito liceat in uxorem, quid patri in liberos, quid domino in ſervos. Si transgreditur, præſentanea eſt ultio. Prohibent leges, ne civis civi damnum det. Quod ſi civis contra civem velit exequi rabiem & ſævitiam; non poterit, ne cum diſcrimine quidem capitis & ſortunarum. Alia Principis eſt licentia. Verba Regis ſunt imperia. Atque, ut air Homerus in quodam hymno: ἅμ' ἔπος τε καὶ ἔργον. Deinde opus ſuum omnibus approbat, nempe laudantibus quod corrigere non poſſunt. Non ſunt tribuni, qui intercedant. non eſt ſuperior, qui appelletur. Is igitur cui omnium conſenſu ſumma rerum ſic eſt delata, quihus laudibus pro merito extolletur, ſi ſibi ipſe temperantiam imperaverir: ſi interceſſerit ſibi, ſi ad ſeipſum, ſed clementiorem, provocaverit?

Nemo interrogaturus eſt.] Verbi hujus elegantia non eſt vulgaris. Ponitur enim pro accuſare & poſtulare apud judicem. Quare ſæpius dicitur cum adjecto legibus interrogare. Cicero pro domo ſua. Quis me unquam, ulla lege interrogavit? quis poſtulavit? quis diem dixit? Saluſt. in Catil. P. Antonius & P. Sylla deſignati conſules legibus ambitus interrogati, pœnas dederant. Item, Et ipſe Plautia lege interrogatus erat ab L. Paulo. Liv. libro triceſimo octavo. Alii uemiuem unum tanrum eminere civem debere, ut legibus interrogari non poſſir. Tacit. lib. 13. Sane pepigerat Pallas, ne cujuſquam facti iu præteritum interrogaretur. & lib. 14. Damnatus iiſdem conſulibus Tarquinius Priſcus repetundarum, Bithynis interrogantibus. Cicer. Offic. 1. dixit appellare, & Philippica 2. appellatum de pecunia.

Ipſum ſibi manum injicere.] Id eſt ſuos affectus in poteſtatem redigere, & intra modum continere. Virg. Æneïd. 10.

Injecere manam Parcæ.

Traxerunt debitum ſibi, inquit Servius, & ſermonē uſus eſt juris. Nam manus injectio dicitur, quoties nulla judicis auctoritate expectata, rem nobis debitam vindicamus. Hanc Servii interpretationem comprohat carmen Ovidii Elegiarum 1.

Et dicam, mea ſunt: injiciamque manus.

Et libro ſecundo.

Injiciam dominas in mea jura manus.

Gulielmus Budæus, primum rei literariæ decus & columen, cujus beneficio palmam eruditionis hodie ſibi vendicat nuſtra Gallia, diligenter & copioſe explicat hujus locutionis proprietatem. Sed quando addit recenriores uullo antiquo exemplo injicere manum uſurpare pro eo quod latine dicitur afferre vel inferre manus, id vero an perpetuum ſit, alii viderint. Ego apud Horatium injicere manus interpretor inferre. carmen eſt.

——— Ne male diſpari
Incontinentes injiciat manus,
Et ſcindat hærentem coronam,
Crinibus, immeritamque veſtem.

Item apud Curtium lib. 10. Nuu contentus ſupplicio inſontis ſpado, ipſe morituro manum injecit.

Occidere contra legem.] Salva ras eſt, ubi ſemel hæc cogitatio ſubiit memoriam Principis. Hoc eſt enim quod perdit Tyrannos, cum licentioſa damnarione eximere ſe turbæ voluut. Sic loquitur Atreus apud Senecam.

——— Sanctitas, pietas, fides,
Privata bona ſunt. qaa juvat, reges eant.

Quanto illud melius? Occidere immerentem, latronum & graſſatorum laus eſt. Eripere vitam nemo non homini poteſt. vitam tribuere, regium eſt.

Magnam fortunam] Aliud eſt argumentum ejuſdem rationis, quod ſic in formam ſyllogiſmi colligi poreſt. Magna fortuna magnum animum deſiderat. Magnus animus eſt placidus & moderatus, & qui ad quamlibet offenſionem de gradu non dejicitur. Ergo princeps, ut perſonam principis ſuſtineat, debet in offenſa animi æquirate offenſiones contemnere & injurias. Hic non admodum laboro ut per omnia ſerviam legibus dialecticorum, modo ſenſum fideliter aſſequar.

Magnam fortunam.] Non tantum quia ſecundæ res, ut ait Cato, à recte conſulendo arque intelligendo transverſum trudere ſolent hominem lætiria exultantem & ferocientem: ſed quod plerique, animi abjectioris, ad ſordes uati, illuſtrem gerere perſonam non poſſunt. Succumbunt enim oneri, & ſuo ſplendore præſtringuntur. Sic Curt. de Alexandro. Nondum fortuna ſe ejus animo ſuperfuderat. Hinc & illa emanarunt. Nec fortunam capit ipſe ſuam. Item, Ut tu ſortunam, ſic nos te Celſe feremus. Ovidius in conſolatione ad Liviam.

Impoſait te alto fortuna, locumqae tenere
Juſſit honoratum, Livia, perfer onus.

Magni autem animi] Definitio magnanimitatis, quam ſuperius retulimus, à qua trahitur perpetuum argumenrum: ſicut è converſo à definito ad definitionem.

Mulicbre eſt furere.] Nihil fœminæ iracundia efferatius. ait enim Juvenalis. Sic collige quod vindicta

Digitized by Google

Nemo magis gaudet, quam fœmina. Ubi vires ad nocendum deficiunt, tunc cæca rabies, & ſui impotens, furit ac fremit.

Ferarum nec generoſarum.] Si ferarum eſt immanitas, monſtrum in nomine: ſi ferarum ignobilium, in rege monſtro pejus. hoc enim valet amplificatio in ſenſu, tametſi verba non exprimunt. acſi diceret, ſi obliviſceris te eſſe principem, memineris hominem. ſin minus, quod eſt poſtremum, imiteris feras nobiliores. Quintil. in Gladiatore, Feræ mehercule generoſiores jacentes tranſeunt. Ovid. Triſt. 2.

Quo quiſque eſt major, magis eſt placabilis iræ:
Et faciles motus mens generoſa capit.
Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni,
Pugna ſuum finem, quum jacet hoſtis, habet.
At lupus, & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Elephantes.] Hoc de elephantis teſtimonio Plinii comprobatur, qui libro 8. ſcribit in hunc modum. Idem veſtigio hominis animadverſo prius quam homine, intremiſcere inſidiarum metu, ſubſiſtere, ac olfactu circumſpectare, iras proflare, nec calcare, ſed erutum proximo tradere, illum ſequenti nuncio uſque ad extremum.

Leones.] Verba Plinii de leonibus eodem lib. cap. 16. Leoni tantum ex feris clementia in ſupplices, proſtratis parcit: & ubi ſævit, in viros prius quam in fœminas fremit: in infantes non niſi magna fame. Credit Libya intellectum pervenire ad eos precum.

Nec inexorabilis ira.] Hæc vero eſt immanis feritas, ira ſæva, & inexorabilis. Nam ſi ſecundum Horat. ira furor brevis eſt: quid eſt aliud ira obſtinata, quam plane furor? Cicero ad Atticum dicit irritabiles eſſe optimorum ſæpe hominum animos, & eoſdem placabiles, & hanc eſſe agilitatem, mollitiemque naturæ bonitati. Idem ad Qu. fratrem. Si implacabiles ſunt iracundiæ, inquit, ſumma eſt acerbitas. ſi autem exorabiles, ſumma levitas: quæ tamen, ut in malis, acerbitati anteponenda eſt.

Non multum enim ſupra.] Ne quis ſibi laudi futurum ducat, ſi hoſtem ſua potentia contriverit, intelligat eum ſibi exæquari, cui tantum tribuit, ut cum eo inimicitias exerceat. Id eſt quod dicit Seneca lib. de ira 2. Cum pari contendere, anceps: cum ſuperiore, furioſum: cum inferiore ſordidum. Id ſibi volunt verba Cæſaris apud Lucanum libro tertio.

—— Vanam ſpem mortis honeſtæ
Concipis: haud, inquit, jugulo ſe polluet iſta
Noſtra Metelle manus: dignum te Cæſaris ira
Nullus honor faciet.

Huc ſpectat problema Ariſtotelis quod legitur ſectione 29. Cur mulierem interfeciſſe iniquius ſit, quam virum, quanquam naturæ ratione mas fœmina præſtantior eſt? An quia mulier imbecillior eſt, minuſque proinde facere injuriam poteſt? Item, eniti adverſus id quod longe infirmius eſt, nihil virile, imo ſtolidum atque iniquiſſimum eſt.

Vita ſuperiori eripitur.] Si magnum eſt occidere hominem, & ſi hac una re metimur alicujus potentiam, cogitemus & latronem & hoſtem admovere poſſe jugulo noſtro gladium, ut poteſtas major abſit. Neminem non ſervum habere in nos vitæ neciſque arbitrium. Recognoſcamus eorum exempla, qui domeſticis inſidiis perierunt, aut aperta vi, aut dolo: & intelligemus non pauciores ſervorum ira cecidiſſe, quam regum. Neque vero ſi quis non eſt interfectus à latrone, vitam illi acceptam referre debet. Majus eſt vitæ beneficium & nobilius, quam ut à latrone accipiatur. Ei vita datur, qui cum ſalvis legibus interfici poſſit, eximitur mortis periculo. Seneca in Medea.

———— Hoc reges habent
Magnificum & ingens, nulla quod rapiet dies:
Prodeſſe miſeris, ſupplices fido lare
Protegere.

Non itaque fruſtra celebre eſt dictum Scipionis, quod poſtea Antonino Pio frequenter fuiſſe in ore legimus, ſe malle unum civem ſervare, quam mille hoſtes occidere. Tyrannica illa vox Neronis apud Senecam in Octavia.

Occidere hoſtem, maxima eſt virtus ducis.
Cui reſpondet Seneca.
Servare cives, major eſt patriæ patri.

Idem contingit quod diis.] Crudelitas facit Regem omnibus execrabilem, quinetiam ex Principe tyrannum. Clementia amabilem omnibus reddit, omnibus ſuperiorem, poſtremo & diis ſimilem. Deorum eſt quod & boni & mali naſcimur, quod communi cælo atque aëre fruimur, quod iiſdem alimentis ſuſtinemur. Hanc deorum manſuetudinem cur non imitetur Princeps? Cicer. pro Ligario. Nulla re propius homines ad deos accedunt, quam ſalutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua majus, quam ut poſſis: nec natura tua melius, quam ut velis conſervare quam plurimos. Claudianus ad Honorium.

—— Sola deos æquat clementia nobis.

In numerum relinquat.] Id eſt, qui faciant numerum, ut ſint ſcilicet, quibus imperet. Sic Lucanus lib. 2.

In numerum pars magna perit,

Id eſt, in hoc tantum, ut magnus eſſet occiſorum numerus.

Cap. VI.

Cogitate, in hac civitate, in qua turba per latiſſima itinera ſine intermiſſione defluens eliditur, quoties aliquid obſtitit, quod curſum ejus, velut torrentis rapidi, moraretur, in qua tribus eodem tempore theatris viæ poſtulantur, in qua conſumitur quicquid terris omnibus aratur, quanta ſolitudo & vaſtitas futura ſit, ſi nihil relinquitur, niſi quod judex ſeverus abſolverit. Quotus quiſque ex quæſtoribus eſt, qui non ea ipſa lege teneatur, qua quæritur? Quotus quiſque accuſator vacat culpa? Et neſcio an nemo ad dandam veniam difficilior eſt, quam qui illam petere ſæpius meruit. Peccavimus omnes, alii gravia, alii leviora, alii ex deſtinato, alii forte impulſi, aut aliena nequitia ablati: alii in bonis conſiliis parum fortiter ſtetimus, & innocentiam inviti ac renitentes perdidimus. Nec delinquimus tantum, ſed uſque ad extremum ævi delinquimus. Etiam ſiquis tam bene purgavit animum, ut nihil obturbare eum amplius poſſit ac fallere, ad innocentiam tamen peccando pervenit.

Nunc per deſcriptionem oſtendit Seneca, quam ſit Principi neceſſarium quoſdam in numerum relinquere, & ad tempus tolerare. ſi quis enim ad vivum reſecare velit ſtrumas & vomicas civitatis, bonam partem exhauriat oportet. Quod ut facilius percipiat lector, proponat ſibi argumentum in hanc formam: Hanc legem debent inprimis ſervare Magiſtratus, ut neminem lædant. quod ſi læſus quiſpiam fuerit, ſecundum eſt ne plures lædantur: atque ideo tollitur è medio is qui læſit, quia pluris eſt univerſam multitudinem ſervare, quam unum aut alterum. Hunc finem & hunc ſcopum habent pœnæ publicæ. Qui autem Magiſtratus ſummo jure animadvertunt in noxios, tollunt majorem numerum quam relinquunt. Non ergo ſtatuunt pœnis legitimum finem. Quod autem in hoc contextu dixi eſſe deſcriptionem, ſic Cicero eam appellat libro Rhetoricorum quarto, quæ Græce dicitur ἐνάργεια, id eſt perſpicuitas & evidentia, quæ rerum imagines

Digitized by Google

nes concipit, ut hic Seneca populoſam civitatem quaſi oculis repræſentat. exempla ſunt apud Quintilianum lib. 8.

In qua turba.] Si liberam adhuc & ſtantem remp. cum ea componamus, quæ ſub imperio Cæſarum fuit, in immenſum & pene extra fidem crevit numerus. Nam cenſus quem ſtante libertate maximum fuiſſe lego, fuit Lentulo & L. Gellio Cenſoribus, in quo cenſa ſunt civium capita CCCC. L. millia. Verum poſt Actiacum triumphum auctor eſt Euſebius cenſu acto inventa eſſe quadragies ſemel centena & ſeptuaginta millia civium. in altero vero cenſu quem Auguſtus egit cum Tiberio filio adoptivo, inventa eſſe ter & nonagies centena & ſeptuaginta millia. Ultimo vero cenſu acto, qui Neronis imperio proximus fuit, cenſa ſunt civium L X I X. centena & quadraginta quatuor millia.

Quanta ſolitudo.] Senſus eſt, vides urbem tanta multitudine affluentem, & ſuorum civium vix capacem? ſiquis tamen judex apud quem nec ſordes valeant, nec gratia, nec æqui bonique ratio, denique qualis ille, qui ſcopulus reorum appellatus eſt, omnes in reos recipiat, vix milleſimus quiſque ultimi ſupplicii ſententiam effugiet in tot hominum millibus. Aut igitur ignoſcendum, aut non imperandum.

Quotus quiſque ex quæſtoribus.] Unum eſt hominum genus quod omni vitio purgatum eſſe debeat, qui ſcilicet præſunt moribus, & aliorum vitia corrigunt. Hoc genus tamen homines iniquiſſimi ſunt nobis judices, æqui ſibi: & hoc neſcio quomodo accidit, ut quæ aliis ægre aut nullo modo permittunt, ſibi facile indulgeant. Senec. de ira 2. Aliena vitia in oculis habemus: à tergo noſtra ſunt. nihil alienæ luxuriæ ignoſcit, quæ ſuæ nihil negavit. & homicidæ tyrannis iraſcitur, & punit furta ſacrilegus. Magna pars hominum eſt, quæ non peccatis iraſcitur, ſed peccantibus. Ubi etiam alludit ad manticam Æſopi. Seneca Tragicus in Agamemnone,

Ignota ſunt tibi jura regnorum haud nova:
Nobis maligni judices, æqui ſibi:
Id eſſe regni maximum pignus putant,
Si quicquid aliis non licet, ſolis licet.

Juvenal. Satyr. 8.

Mitte oſtia Cæſar
Mitte, ſed in magna legatum quære popina:
Invenies aliquo cum percuſſore jacentem
Permixtum nautis & furibus aut fugitivis
Inter carnifices.

Et paulo poſt,

At vos Trojugenæ vobis ignoſcitis, & quæ
Turpia Cerdoni, Voluſos Brutoſque decebunt.

Porro cum multa quæſtorum genera fuerint apud Romanos, quæſtores hic accipe rerum capitalium, qui & quæſtores parricidii, præſunt exercendis quæſtionibus criminalibus: ut Aſconius teſtatur 2. commentario Verrinarum, & Servius in 6. Æneïd. Sic confundunt ſcriptores quidam non contemnendæ eruditionis: ego tamen exiſtimo latum eſſe diſcrimen. Prius de quæſtoribus parricidii videamus, quem magiſtratum fuiſſe antiquæ originis tradunt Feneſtella & juriſconſultus Pomp. in lib. 2. ff. de origine juris. Varro libro 4. de lingua Latina de hiſdem loquitur, in quorum locum ſucceſſiſſe triumviros capitales affirmat. Addunt Feneſtella & Pomponius ſolitos conſtitui à populo: quod injuſſu populi non liceret in civem Romanum animadvertere. Habemus ergo hujuſmodi magiſtratus fuiſſe ordinarios, & creatos à populo, quorum vices poſtea ceſſerunt triumviris. At vero quæſtor cujus Aſconius meminit, qui & quæſitor, & judex quæſtionis appellatur à Cicerone, intelligitur Prætor urbanus, cui demandabatur eadem ſorte cura publicorum judiciorum, qua ſortiebatur urbanam provinciam. Cicero in prætura urbana. Ecce autem illis ipſis diebus cum prætores deſignati ſortirentur, & Marcello obtigiſſet ut is de pecuniis repetundis quæreret, nunciatur mihi tantam gratulationem iſti eſſe factam, ut is quoque domum pueros mitteret qui uxori ſuæ renunciarent. Deinde ſubjicit. Duo igitur conſules & quæſitor erunt ex illius voluntate. Auctor eſt etiam Plutarchus Licinium Macrum reum peculatus actum eſſe apud Ciceronem prætorem & omnibus judicum ſententiis damnatum. Hinc apud auctores prætoris nomen pro quæſitore ſæpe ponitur. Cicero Verrina ſecunda. Quamobrem vero ſe confidat aliquid proficere poſſe hoc Glabrione prætore, & hoc conſilio, intelligere non poſſum. Juvenalis.

——— Prima eſt hæc ultio, quod ſe
Judice nemo nocens abſolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis prætoris vicerit urnam.

Pædianus in orationem pro Scauro. Poſtulatus apud Marcum Catonem prætorem repetundarum, ut in actis ſcriptum eſt. Idem in orationem pro Cornelio. Judicium id exercuit Q. Gallus prætor. Illud etiam addendum, cum extra ordinem decernebatur quæſtio, fuiſſe creatos ad id quæſtores ſuffragio populi, quemadmodum Cn. Domitius Ænobarbus in cauſa Milonis comitiis creatus eſt, ubi extra ordinem de homicidio quærebatur.

Eadem lege teneatur, qua quæritur.] Dicimus enim quæri lege Julia majeſtatis, lege Julia de adulteriis, lege Cornelia de ſicariis, lege Pompeja de parricidiis, & ſimilibus, cumque teneri legibus, qui ſit convictus læſæ majeſtatis, adulter, aut parricida, aut uno ex capite legis Corneliæ.

Quotus quiſque accuſatur vacat culpa.] Cicero actione quinta in Verrem. Omnes qui alterum, judices, nullis impulſi inimicitiis, nulla privatim læſi injuria, nullo præmio adducti in judicium reipublicæ cauſſa vocant, providere debent non ſolum quid oneris in præſenti tollant, ſed etiam quantum in omnem vitam negotium ſuſcipere conentur. Legem enim ſibi ipſi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ repoſcunt. Ibidem. Omnia poſtremo quæ vindicaris in alterum, tibi ipſi vehementer fugienda ſunt. etenim non modo accuſator, ſed ne objurgator quidem ferendus eſt is qui quod in altero vitium reprehendit, in eo ipſe reprehenditur. Si igitur accuſator & judex in eadem ſcelera prolabuntur, quæ alter ad pœnam defert, alter pœna afficit, quid de aliis ſperandum?

Peccavimus omnes.] Jam non de judicibus tantum aut accuſatoribus pronunciat: ſed oſtendit irrogandas pœnas eſſe omnibus, ſi vindicanda ſunt omnium peccata, nec finem pœnis faciendum, donec ſe quoque judex ultimo ſupplicio addixerit. Idem Seneca libro ſecundo de ira. Hoc ſcito, tantundem eſſe vitiorum, quantum hominum. & Horatius in epiſtolis.

Nam vitiis nemo ſine naſcitur: optimus ille,
Qui minimis urgetur.

Licet non omnium delicta paria ſint aut ſimilia, omnes tamen peccavimus. Alii deſtinata malitia, alii inconſtantia, alii gravius, alii levius. Seneca libro quarto de benefic. Omnia in omnibus vitia ſunt, ſed non omnia extant in ſingulis. Idem in 3. de ira. Omnes inconſulti & improvidi ſumus. Omnes incerti, queruli, ambitioſi. Quid levioribus verbis ulcus publicum abſcondo? Omnes mali ſumus. Quicquid itaque in alio reprehenditur, id unuſquiſque in ſuo ſinu inveniet. Placidiores itaque invicem ſimus. mali inter malos vivimus. Una res poteſt facere quietos, mutuæ facilitatis conventio.

Ex deſtinato.] Id eſt de induſtia, de compoſito, data

data opera, dedita opera, ſive, ut Plautus loquitur, ob induſtriam, quod vulgo dicitur de propoſito deliberato. Suetonius in Calig. Militiam neque ſemel attigit, neque ex deſtinato. Seneca lib. 6. de benefic. Non enim profuiſſe te mihi oportet ut obliger: ſed ex deſtinato profuiſſe. Tranquillus in Julio præpoſitionem omiſit. Præmia non tantum deſtinato, ſed ex occaſione ſumebat. adverbium eſt. Sic antiqui compoſito, quod dicimus de compoſito. Virg. Æneïd. 2.

Compoſita rupit vocem, & me deſtinat aræ.

Sic ex imperato, & inſperato, ſine præpoſitione, utrumque apud Livium, ejuſdem rationis eſt, ut diximus dedita opera. Obſervavi tamen apud Cicer. lib. 2 ad Atticum, dedita opera poſitum pro expreſſe, ut vulgus loquitur. Quare ad illud, inquit, redeo. Cura ut ejus rei cauſa, dedita opera mittas aliquem &c. Cælius lib. 6. Epiſt. Data opera paravi qui ſic perſequeretur omnia &c.

Cap. VII.

QUoniam deorum feci mentionem, optime hoc exemplum principi conſtituam, ad quod formetur, ut ſe talem eſſe civibus, quales ſibi deos, velit. Expedit ergo habere inexorabilia peccatis atque erroribus numina? expedit uſque ad ultimum infeſta perniciem. Et quis Regum erit tutus, cujus non membra aruſpices colligant? Quod ſi dii placabiles ſunt, & æqui delicta potentium non ſtatim fulminibus perſequuntur, quanto æquius eſt hominem hominibus præpoſitum, miti animo exercere imperium? & cogitare, utrum mundi ſtatus gratior oculis pulchriorque ſit ſereno & puro die, an cum fragoribus crebris omnia quatiuntur, & ignes hinc atque illinc micant? Atqui non alia facies eſt quieti moratique imperii, quam sereni cæli & nitentis. Crudele regnum, turbidum, tenebriſque obſcurum eſt, inter trementes, & ad repentinum ſonitum expaveſcentes, nec eo quidem qui omnia conturbat, inconcuſſo. Facilius privatis ignoſcitur pertinaciter ſe vindicantibus. Poſſunt enim lædi, dolorque eorum ab injuria venit. Timent præterea contemptum: & non retuliſſe lædentibus gratiam, infirmitas videtur, non clementia. At cui ultio in facili eſt, is omiſſa ea, certam laudem manſuetudinis conſequitur: humili loco poſitis exercere manum, litigare, in rixam procurrere, liberius eſt. Leves inter paria ictus ſunt. Regi vociferatio quoque, verborumque intemperantia, non ex majeſtate eſt.

NE videatur ex abrupto tranſire ad hanc ſimilitudinem, connectit cum prioribus. Cum enim dixiſſet nihil eſſe Principi tam magnificum, quam cum deorum exemplo improbos tolerat, ac in numerum relinquit, ubi alterum eſt exequutus de iis ad tempus tolerandis, qui civitatis ſupplent numerum, nunc ad deorum mentionem revertitur. Admonet igitur Principem legis naturalis, ut ſit ſubditis ſuis talis, quales ſibi eſſe deos velit: qui ſibi rurſum dominantur, ut ipſe hominibus imperat. Quod ſi deorum indulgentia vivit ac ſpirat, cur non homo potius hominibus propitius erit & exorabilis? Sic Ovid. ad Auguſtum lib. Triſtium 2.

Si quoties peccant homines, ſua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.
Nunc ubi detonuit, ſtrepituque exterruit orbem,
Purum diſcuſſis aëra reddit aquis.
Jure igitur genitorque deûm, rectorque vocatur.
Jure capax mundus nil Jove majus habet.
Tu quoque cum patriæ rector dicare paterque,
Utere more Dei numen habentis idem.

Hoc tamen intereſt, quod ille Auguſto adulatur, hic philoſophice præcipit. Plutarchus quoque de ſera Numinis vindicta. Cum Deum optimum maximum, qui neminem timet, nullius rei indiget, qui nulla pœnitentia duci poteſt, vindictam tamen ſuſpendere cernamus, debitumque ſceleribus expectare tempus: nos quoque illum imitari, ac placidos reddi oportet, manſuetudinemque ac tolerantiam, divinam virtutis cenſere particulam. Vide ut idem exemplum varie accommodant.

Quis Regum erit tutus, cujus non membra, &c.] Si Regum delicta dii ſevere perſequantur, quis Regum eſt qui non in horas identidem peccet? Quid igitur ſpei reliquum eſt, quam ut aruſpices ad deos conſulendos mittant in certiſſimum ac præſentiſſimum mortis nuncium. Eant nunc Reges, & Imperatores, ſuorum delicta crudeliter ulciſcantur: ſed agnoſcant eſſe deos, qui ſua ſcelera ad eandem amuſſim poſſint exigere. Loquitur autem Seneca juxta ethnicorum principum ſuperſtitionem: qui in extis pecudum ſalutem ſuam repoſitam putabant, & aruſpices cum diis in conſilium mittebant de vita fortuniſque ſuis: cum tamen nihil fuerit unquam vanius eo hominum genere: in quorum vanitatem luſit Cato falſiſſimo ſcommate. Mirari enim ſe ajebat, quod non rideret aruſpex, aruſpicem quum vidiſſet.

Quanto æquius eſt] Argumentum à minori. dii in dandam hominibus veniam faciles, cur non magis homines hominibus? ſeu quia id debent communi naturæ, ſeu quod eandem quoque facilitatem ulciſcendis ſuis peccatis deſiderant.

Et cogitare, utrum mundi ſtatus.] Aliud ex alio derivatur. Poëtæ enim ſuo Jovi fulmina attribuunt, quaſi tela iracundiæ: quæ aërem ex liquido puroque turbidum ac nubilum reddunt, motu ac terrore mundum concutiunt. ſic Rex inſtar terreni Jovis, cum iraſcitur, fulgurat ac fulminat: nulla quies, nulla ſerenitas.

Fragoribus crebris.] Id eſt ſtrepitu tonitrui: qui unde oriatur, reperies apud Ariſtot. lib. Meteororum 3. cap 6. Apud Cic. libro 2 de Divinat. Senec. lib. 2. quæſt. natur. Plinium lib. 2. cap. 20. Plutarchum in placitis philoſoph.

Et ignes.] Id eſt fulgurationes.

Atqui non alia facies.] Cur enim frontem non exporrigat totum imperium, ubi ſol ille oculus mundi pure renidet? Non enim privata eſt Principis lætitia, ſecum omnia exhilarat. Bene ergo æquiparatur aëris ſerenitati ad quam hominum animi ſerenantur & explicantur.

Facies.] Quod Græcis nunc ſchema, nunc [illegible] dicimr. Syneſius [illegible]. Cic. epiſt. 5. Quanquam [illegible] amiſimus. Facies enim non ſolum in hominum corporibus, ſed in re qualibet accipitur pro ſpecie. Ovid 1. Triſtium:

Hæc facies Trojæ, cum caperetur, erat.

Virg. 1. Georg.

Tum multæ ſcelerum facies.

Vide Gellium, & Nonium Marcellum.

Crudele regnum, turbidum.] Sunt enim denſis tenebris obvoluti, quibus ſemper obverſantur præ oculis flagella, cruces, ſecures, & mille tormentorum atque ſuppliciorum genera: ad omnes minas quaſi ſtupidi & obſtupefacti horrent, non aliter quam tonitru perculſi.

Facilius privatis ignoſcitur.] Si quis objecerit, at vero Regis quiſque intra ſe animum habet, nec eſt aliquis qui ſe impune lædi velit, omnes ſe pertinaciter vindicant, non modo ſecundæ ſortis homines, ſed humillimi quoque, ac deſpicatiſſimi: Reſpondet quatuor eſſe cauſas, cur talibus ignoſcatur acrius ſe vindicantibus, quæ ſingulæ ſuis locis obſervabuntur.

Poſſunt enim lædi.] Prima cauſa eſt: non niſi morſi remordent. reddunt idem quod paſſi ſunt. Patiuntur autem graviſſimas offenſas & contumelias, quas ob fortunæ mediocritatem propulſare nequeunt.

Timent

Timent præterea contemptum.] Bene Terentius. Omnes quibus res ſunt minus ſecundæ, ſunt neſcio quo modo magis ſuſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis: propter ſuam impotentiam ſe ſemper credunt negligi. Eſt igitur ſecunda ratio, cur adeo ſint animoſi ad vindictam, quia ſe lædi putant cum tanguntur: & hoc quoque in contumeliam ſuam trahunt non ſuppetere ad nocendum vires. Qui nolunt occidere quemquam, Poſſe volunt, inquit Juvenal. Quintil. lib. 2. Statura breves in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur.

Non retuliſſe lædentibus gratiam.] Non mirum eſt ſi injurias ſuas non adeo facile condonant plebeji & contempti homines, quoniam id illis vitio datur, quod potentioribus laus eſt. Si enim quis eorum vindictam remiſerit, in vulgus nihilominus rumor erit, voluit ulciſci, ſed non potuit. Referre vero gratiam, ironice pro eo quod eſt injuriam rependere, ſeu, ut dicit Curtius, vicem reddere. Terent. in Eunuc. Inveniam pol bodie parem ubi ei referam gratiam. Ibidem. Quid? venire io mentem nunc mihi poſſit? Quidnam? quî referam huic ſacrilego gratiam, qui hunc ſuppoſuit nobis. Eadem ratione dixit Cælius deferre munuſculum. Nemini hoc deſerre munuſculum maluit, quam ſuo accuſatori. Item, Aperte cum quibuſdam locutum cum L. Domitio homine, ut nunc eſt, mihi inimiciſſimo deliberare, velle hoc munuſculum deferre. Etſi Servius grates [illegible] eſſe tradit in 2. commentar. Æneid. Virgil.

Dii, ſi qua eſt cælo pietas quæ talia curet,
Perſolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita, qui nati coram me cernere lethum
Feciſti, & patrios fædaſti ſanguine vultus.

At cui ultio in facili] Ii ſunt qui vindicta debent abſtinere, qui ex eo quod abſtinent, certam laudem conſequuntur, nec facilius ideo in poſterum lædentur, quia ſemel impune læſi ſunt. Ultio in facili, id eſt facilis, prompta, parata. honeſta eſt locutio. Ovid. in 1. de Arte.

Quod petis, ex facili, ſi volet illa, feres.

Senec. lib. 3 de benefic. Beneficium ex facili largitus eſt. Valer. lib. 4. Proni ſtudii certius indicium eſt ſupra vires niti, quam viribus ex facili uti. Liv. lib. 3. Quum exitus haud in facili eſſet, compulſos in cavas valles circumveniunt. Quintil. lib. 9. Interim augemus crimina quæ ex facili poſſumus aut diluere, aut negare.

Humili loco poſitis.] Si obſcuri & ignobiles inter ſe rixantur, ac ſe mutuo convitiis maledictiſque proſcindunt, nihil novum. Eſt enim eis ſolenne, rixari ac jurgari: poſt ubi ſe clamoribus ſatis ad ravim exercuerunt, tandem ad manus venire, & litem decidere pugnis & calcibus: eſtque vulgare proverbium, poſt verba verbera. Rex vero ſi in morem popularium vociferetur, ac depugnet unguibus & pugnis, nonne multum detrahet ex ſua majeſtate? Nota hanc eſſe tertiam rationem.

C A P. VIII.

GRave putas, eripi loquendi arbitrium Regibus, quod humillimi habent. Iſta quidem ſervitus eſt, non imperium. Quid? tu non experiris iſtud nobis eſſe, non tibi, ſervitutem? Alia conditio eſt eorum qui in turba, quam non excedunt, latent: quorum & virtutes ut appareant, diu luctantur, & vitia tenebras habent. Veſtra facta dictaque rumor excipit. Et ideo nullis magis curandum eſt qualem famam habeant, quam qui, qualemcunque meruerint, magnam habituri ſunt. Quam multa tibi non licent, quæ nobis beneficio tuo licent? Poſſum in qualibet parte urbis ſolus incedere ſine timore, quamvis nullus ſequatur comes, nullus ſit domi, nullus ad latus gladius. Tibi in tua pace armato vivendum eſt. Aberrare à fortuna tua non potes. obſidet te, & quacunque deſcendis, magno apparatu ſequitur. Et hæc ſummæ magnitudinis ſervitus, non poſſe fieri minorem. Sed cum diis tibi ipſa neceſſitas eſt. Nam illos quoque cælum alligatos tenet: nec magis illis deſcendere datum eſt, quam tibi tutum. Faſtigio tuo adfixus es. Noſtros motus pauci ſentiunt. Prodire nobis ac recedere, & mutare habitum, ſine ſenſu publico licet. Tibi non magis quam ſoli latere contingit. Multa contra te lux eſt. Omnium in iſta converſi oculi ſunt. Prodire te putes, oriris. Loqui non potes, niſi ut vocem tuam quæ ubique ſunt gentes, excipiant. Iraſci non potes, niſi ut omnia premantur. Sic neminem potes affligere, niſi ut quicquid circa fuerit, quatiatur. Ut fulmina, paucorum periculo cadunt, omnium metu, ſic animadverſiones magnarum poteſtatum terrent latius quam nocent, non ſine cauſa. Non enim quantum feceris, ſed quantum facturus ſis, cogitatur in eo qui omnia poteſt. Adjice nunc, quod privatos homines ad accipiendas injurias opportuniores, acceptarum patientia facit. Regibus certior eſt ex manſuetudine ſecuritas: quia frequens vindicta, paucorum odium reprimit, omnium irritat. Voluntas oportet ante ſæviendi, quam cauſa deficiat. alioqui quemadmodum præciſæ arbores plurimis ramis repullulant, & multa ſatorum genera, ut denſiora ſurgant, reciduntur, ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. Parentes enim liberique eorum qui interfecti ſunt, & propinqui & amici, in locum ſingulorum ſuccedunt. Hoc quam verum ſit, admonere te exemplo domeſtico volo.

VIſus eſt Seneca duram imponere Regibus conditionem, quum vociferationem verborumque intemperantiam in illis vituperaret. Si quid eſt enim liberum in homine, lingua eſt. Detruditur ergo in poſtremam ſervitutem, cui ademptum eſt loquendi arbitrium. Oportet, inquit Tiberius, in libera civitate liberas eſſe linguas. Solus is qui ſupra libertatem eſt, ſilentio ſerviet. Hic rem per ſe aſperam mollit Seneca, nunc verborum deflexione, nunc aptis comparationibus. Oſtendit enim hoc majeſtatis plenum eſſe, non contaminare ſcurrilibus verbis majeſtatem; tantum abeſt ut aliquid dignitati detrahatur. Virtutes & vitia Principum eſſe in aperto. A vitiis cavendum ut ſolæ & puræ virtutes emineant: vulgus autem ſuis tenebris immerſum inglorium latere. Sic Principes magno comitum adparatu procedere, privatos nullum habere comitatum. Denique hanc eſſe deorum neceſſitatem, qui ſuo cœlo avelli non poſſunt, quemadmodum nec Princeps ſuo faſtigio.

Iſta quidem ſervitus eſt.] Ex perſona Principis, qui nolit ſibi eripi loquendi arbitrium. quaſi diceret, non eſſe id rationi conſentaneum, ut qui imperare debet, ſerviat. In hanc ſententiam eſt illud P. Mimographi. Regibus eſt pejus multo quam ſervientibus. & Saluſt. in Catil. Qui magno imperio præditi in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita in maxima fortuna, minima licentia eſt. Quæ apud alios iracundia dicitur, ea in imperio ſuperbia atque crudelitas appellatur. Agamemnon etiam, ut refert Plutarchus in vita Niciæ, hoc ſæpe uſurpabat. Vitæ noſtræ præſidem turbam ſortiti ſumus, multitudinique proculdubio ſervire cogimur.

Alia conditio eſt eorum.] Qui enim ſibi vivunt obſcuro loco poſiti, ignobilitatis ſuæ beneficio loquuntur libere, & faciunt libere quicquid libet. Putas quod pauperum præclare dicta ac facta, non longa vetuſtate, ſed unius aut alterius diei ſpatio obliterantur? Principum verba atque opera ſimul ſunt edita, perpetuæ conſecrantur memoriæ. Rurſum, quæ turpiter aut facta aut dicta fuerint à viris ignobilibus, eodem temporis articulo effluunt. Nam qua ratione celebrentur: ubi author ſibi tantum ac

ſuis

ſuis parietibus cognitus eſt? Sic ætas, ut ait ille, per tacitum fluit, & dies ſine ſtrepitu prætereunt.

Veſtra facta dictaque.] Nihil quod fit aut dicitur à viris Principibus, excidit, quin in vulgus perferatur, & ſuos habeat interpretes. Quare, ut Herodianus ait, Principum res nullo pacto latere poſſunt. Plinius in panegyr. Habet hoc primum magna fortuna, quod nihil tectum, nihil occultum eſſe patitur: Principum vero non modo domos, ſed cubicula ipſa intimoſque receſſus recludit, omniaque arcana noſcenda famæ proponit atque explicat. Claudianus in panegyr. Honorii.

Hoc te præterea crebro ſermone monebo,
Ut te totius medio telluris in orbe
Vivere cognoſcas, cunctis tua gentibus eſſe
Facta palam, nec poſſe dari regalibus uſquam
Secretum vitiis. nam lux altiſſima fati
Occultum nil eſſe ſinit, latebraſque per omnes
Intrat, & anguſtos explorat fama receſſus.

Juvenalis.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto qui peccat, major habetur.

Saluſt. in Júgurth Majorum gloria poſteris quaſi lumen eſt, neque bona eorum, neque mala in occulto patitur. Eadem eſt ſententia Plutarchi in Politicis.

Et ideo nullis magis curandum eſt.] Iſtis qui perſonam magnæ dignitatis ſuſtinent, non licet eſſe mediocribus. à privatis enim virtutes populares exiguntur: ab illis excellentes & heroicæ: atque, ut ait ille, majora ſemper populus à ſummo exigit. Cic. ad Q. fratrem. Quod ſi in mediocri ſtatu ſermonis & prædicationis res noſtræ eſſent, nihil abs te eximium, nihil præter aliorum conſuetudinem poſtularetur: nunc vero propter earum rerum in quibus verſati ſumus ſplendorem & magnitudinem, niſi ſummam laudem ex iſta provincia aſſequimur, vix videmur ſummam vituperationem poſſe vitare. Hoc igitur illis neceſſitatis incumbit, quoniam velint nolint magnos eſſe oportet, ut boni ſint juxta ac magni nominis.

Quam multa tibi non licent.] Argumentum à ſimili, ne putet aliquid ex ſua magnitudine decedere Princeps, ſi illi in jurgia & rixas non liceat prorumpere, cum multa non liceant, ſalva tamen majeſtate. Malim autem interrogative legere, quanquam ſine interrogatione legitur in pleriſque exemplaribus: & locutio eſt ab auctoribus recepta, licet Valla improbet. Cælius lib. 8. epiſt. Ciceronis. At ille quam clementer. Item, Omnia intima conferre diſcupio, habeo autem quam multa. Cicero Tuſcul. quarta. Atqui ſtirpes ſunt ægritudinis quam multæ, quam amaræ, quæ ipſo trunco everſo omnes elidendæ ſunt. Seneca ipſe lib. 10. Declamat. Et quia ipſos pudet viros eſſe, id agunt ut quam pauci viri ſint. Sueton. in Claud. Opera magna potius quam neceſſaria quam multa perfecit.

Aberrare à fortuna tua non potes.] Eſt artificii rhetorici, quæ contra nos faciunt, in rem noſtram & cauſæ commodum vertere. Eſt enim aliquid tyrannicum, inter cives ſuos corpus munire armorum præſidio. Cic. Philip. 2. Non igitur millies perire eſt melius quam in ſua civitate ſine armatorum præſidio non poſſe vivere? Seneca vero magis eſſe ornamenta & inſignia imperii dicit, quam vitæ præſidia. Mamertinus in panegyr Juliani Cæſaris. Arma igitur, & juvenes cum gladiis atque pilis, non cuſtodiæ corporis ſunt, ſed imperatoriæ majeſtatis ſolennis ornatus. Quid enim iſtis opus eſt, cum firmiſſimo ſis muro civici amoris obſeptus?

Omnium in iſtum oculi converſi ſunt.] Ovid. in conſolatione ad Liviam.

Ad te oculos aureſque trahis, tua facta notamus,
Nec vox miſſa poteſt Principis ore tegi.

Et ille turpem eſſe in Rege ebrietatem dicebat, quem aures oculique omnium ſequerentur. Verum id, ut præclarum, ita etiam difficile & arduum eſt: ut non immerito Cicero exclamaverit, O dii immortales, quam magnum eſt perſonam in rep. tueri principis: qui non animis ſolum debet, ſed oculis ſervire civium.

Iraſci non potes.] Veriſſima ſententia. Omnes enim verentur quo efferatur animi impotentia, cui nihil clauſum eſt. Et quum tandem, velut calamitas, in aliquem cecidit, alii idem in caput ſuum timent. Quantam enim putas futuram terris peſtem, ſi Principes legibus liberi, ſoluti omnibus, ut ajunt, frænis ac repagulis, velint exercere nocendo potentiam? Quis finis eſſet cædibus, latrociniis, direptionibus, ubi nihil non poteſt efferata rabies? Bene ergo quod Principes legibus ſoluti, legibus tamen vivunt. Imo vero lex ipſa ſunt.

Adjice nunc quod privatos.] Redit nunc ex digreſſione ad orationis contextum, & filum argumenti, & tandem quartam rationem reddit, cur ſit ignoſcendum privatis hominibus ubi aſperius ſuas offenſas ulciſcuntur: quia quum ſint obnoxii injuriæ, veterem ferendo, novam invitant. Id eſt quod ſæpe eos cogit retaliare injurias: non ut præterita corrigant, ſed ut in futurum provideant. Alia eſt Regum ratio & conditio, qui quum injurias remittunt, certam ſibi ſecuritatem comparant. Idque comprobat argumento à contrariis. Si enim frequens vindicta paucorum odium reprimit, multorum irritat: ſequitur aptiorem eſſe coërcendis injuriis veniam.

Quemadmodum præciſæ arbores.] Comparatio ſumpta ex diſciplina rei ruſticæ. Solent enim agricolæ, quo ſint firmiores arbores & feraciores, teneros adhuc ramos præcidere. Ita & frondoſi magis & denſiores renaſcuntur. Et ſunt ſatorum quædam genera quæ niſi ferro amputantur, emoriuntur, & langueſcunt. Multa in hanc rem præcipiuntur ab auctoribus rei ruſticæ.

Parentes liberique eorum.] Unde illud celebre antiquitus proverbium. Stultus, qui patre interfecto filium relinquit ſuperſtitem.

Admonere te exemplo domeſtico.] Hæc enim plus habent energiæ, quia melius in aures influunt, promptiores ad laudes familiæ ſuæ audiendas, & aculeum relinquunt, quum is qui admonetur, probroſum reputat majoribus ſuis cedere, & partum ab illis ſplendorem obſcurare. Virg. Æneid. 3. in perſona Andromaches.

Ecquid in antiquam virtutem animoſque viriles
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?

Quod ſic lib. 12. repetitum eſt.

Tu facito mox quum matura adoleverit ætas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector.

Cap. IX.

Divus Auguſtus fuit mitis Princeps, ſiquis illum à principatu ſuo æſtimare incipiat. In communem quidem remp. gladium movit, cum hoc ætatis eſſet, quod tu nunc es: duodeviceſimum egreſſus annum jam pugiones in ſinu amicorum abſconderat. Jam inſidiis Marci Antonii conſulis latus petierat. Jam fuerat collega proſcriptoris. Sed quum annum quadrageſimum tranſiſſet, & in Gallia moraretur, delatum eſt ad eum indicium, Cinnam ſtolidi ingenii virum inſidias ei ſtruere. Dictum eſt & ubi, & quando, & quemadmodum aggredi vellet. Unus ex conſciis deferebat. conſtituit ſe ab eo vindicare. Conſilium amicorum advocari juſſit. Nox illi inquieta erat, cum cogitaret adoleſcentem nobilem hoc detracto integrum, Cn. Pompeji nepotem damnandum. Jam unum hominem occidere non poterat. Cum proſcriptionis edictum inter cœnam dictaret genitus, ſubinde voces emit-

tebat

tebat varias, & inter ſe contrarias. Quid ergo? Ego percuſſorem meum ſecurum ambulare patiar, me ſolicito? Ergo non dabit pœnas, qui tot civilibus bellis fruſtra petitum caput, tot pedeſtribus prœliis incolume, poſtquam terra marique pax parta eſt, non occidere conſtituit, ſed immolare? Nam ſacrificantem placuerat adoriri. Rurſus ſilentio interpoſito, majore multo voce ſibi quam Cinnæ iraſcebatur. Quid vivis, ſi perire te, tam multorum intereſt? Quis finis erit ſuppliciorum? Quis ſanguinis? Ego ſum nobilibus adoleſcentibus expoſitum caput, in quod mucrones acuant. Non eſt tanti vita, ſi ut ego non peream, tam multa perdenda ſunt. Interpellavit tandem illum Livia uxor: Et admittis, inquit, muliebre conſilium? Fac quod medici ſolent, qui ubi uſitata remedia non procedunt, tentant contraria. Severitate nihil adhuc profeciſti. Salvidienum Lepidus ſecutus eſt, Lepidum Muræna, Murænam Cæpio, Cæpionem Egnatius, ut alios taceam: quos tantum auſos pudet. nunc tenta quomodo tibi cedat clementia. Ignoſce L. Cinnæ: deprehenſus eſt. jam nocere tibi non poteſt, prodeſſe famæ tuæ poteſt. Gaviſus ſibi, quod advocatum invenerat, uxori quidem gratias egit: renunciari autem extemplo amicis, quos in conſilium rogaverat, imperavit, & Cinnam unum ad ſe accerſit, dimiſſiſque omnibus egreſſus è cubiculo, quum alteram Cinnæ cathedram poni juſſiſſet, Hoc, inquit, primum à te peto, ne me loquentem interpelles, ne meo ſermone medio proclames: dabitur tibi loquendi liberum tempus. Ego te Cinna, quum in hoſtium caſtris inveniſſem, non factum tantum mihi inimicum, ſed natum ſervavi, patrimonium tibi omne conceſſi. Hodie tam felix es, & tam dives, ut victo victores invideant. Sacerdotium tibi petenti, præteritis compluribus, quorum parentes mecum militaverant, dedi. Quum ſic de te meruerim, occidere me conſtituiſti. Quum ad hanc vocem exclamaſſet, procul hanc à ſe abeſſe dementiam. Non præſtas, inquit, fidem, Cinna: convenerat, ne interloquereris. Occidere, inquam, me paras. adjecit locum, ſocios, diem, ordinem inſidiarum, cui commiſſum eſſet ferrum. Et quum defixum videret, nec ex conventione jam, ſed ex conſcientia tacentem: Quo, inquit, hoc animo facis? Ut ipſe ſis Princeps? Male mehercule cum Repub. agitur, ſi tibi ad imperandum nihil præter me obſtat. Domum tueri tuam non potes. Nuper libertini hominis gratia in privato judicio ſuperatus es. Adeo nihil facilius potes, quam contra Cæſarem advocare. Credo, ſi ſpes tuas ſolus impedio, Paulusne te & Fabius Maximus & Coſſi & Servilii ferent, tantumque agmen nobilium non inania nomina præferentium, ſed eorum qui imaginibus ſuis decori ſunt? Ne totam ejus orationem repetendo, magnam partem voluminis occupem (diutius enim quam duabus horis locutum eſſe conſtat) quum hanc pœnam, qua ſola erat contentus futurus, extenderet, Vitam tibi, inquit Cinna, iterum do, prius hoſti, nunc inſidiatori, ac parricidæ. Ex hodierno die inter nos amicitia incipiat. Contendamus utrum ego meliore fide vitam tibi dederim, an tu debeas. Poſt hæc detulit ultro conſulatum, queſtus, quod non auderet petere. Amiciſſimum fideliſſimumque habuit, hæres ſolus fuit illi. Nullis amplius inſidiis ab ullo petitus eſt.

SIc ſunt diſtinguendæ orationis partes, ut uno ſpiritu hoc efferatur, *Divus Auguſtus fuit mitis Princeps, ſi quis illum à principatu ſuo æſtimare incipiat.* Deinde quod ſequitur, ſeorſum pronuncietur, *In communem quidem Rempub. gladium movit quum id ætatis eſſet quod tu nunc es.* Qui enim ejus temporis hiſtoriam prodiderunt, omnes uno ore Auguſti clementiam celebrant, poſtquam ſolus ſublatis Lepido & Antonio reipub. adminiſtrationem ſuſcepit. In triumviratu acri feroci que ingenio proſcribendi ſævitiam exercuit, & alia quædam edidit crudelitatis plena opera, quæ recenſere longum eſt. Tranquil. in ejus vita: Clementiæ civilitatiſque ejus multa & magna documenta ſunt. Vide Cornel. Tacitum lib. 1. Ovidium in pluribus locis. Nolui enim hic hærere, quia quædam ut ſe offerent, ſparſim attingentur.

In communem rempublicam gladium movit.] Eraſmus in poſteriori editione legit, in communi repub. Utraque lectio ſuſtineri poteſt. Nam Cæſar octodecim plus minus natus annos, in expeditionem miſſus adverſus Antonium, qui tunc Brutum Mutinæ obſidebat, negotium intra tres menſes confecit. paulo poſt fugato Antonio, conſulum altero in acie interempto, altero ex vulnere mortuo, animum ad petitionem conſulatus adjecit: quia & ſuſpicio inſederat hominum animis, occiſum ab eo Hircium in pugnæ tumultu, & Panſæ vulneri, ejuſdem inſtinctu, venenum à Glicone medico illitum: quo fractis opibus Antonii, & repub. ducibus orbata, dominatum ad ſe reciperet: & ſenatui viſum erat, ejus potentiam revocato exercitu ſcindere. His inquam nunciis territus, operam intendit ad petendum conſolatum. Et quum de ſucceſſu ambigeret, legiones urbi admovit, arma quæ ſibi pro repub. data erant, in rempubl. convertens: quo tempore ſic ad eum Cicero ſcribit. Quo te miſimus? à quibus reverteris? contra quos armavimus? quibus arma cogitas inferre? à quibus exercitum abducis? & adverſus quos aciem ſtruis? Cur hoſtis relinquitur, civis hoſtis loco ponitur? Cur caſtra medio itinere longius adverſariorum caſtris, & propius urbem moventur? Paulo poſt cum Antonio & Lepido ſceleratam triumviratus ſocietatem cœpit coire. Ita circiter undeviceſimum ætatis annum in remp. gladium movit, & in repub.

Id ætatis quod tu nunc es.] Sic ineunda eſt ſupputatio ex Tranquillo. Quadrimus patrem amiſit. Duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro concione laudavit. quadriennio poſt, virili ſumpta toga, militaribus donis triumpho Cæſaris Africano donatus eſt. Quid temporis interceſſerit inter id, & mortem Julii dictatoris, alia ſupputatione colligendum. Siquidem primum cum M. Antonio atque Lepido, deinde tantum cum Antonio per duodecim fere annos, noviſſime per quatuor & quadraginta ſolus remp. tenuit. Mortuus eſt anno ætatis ſeptuageſimoſexto, diebus quinque & triginta minùs. Demantur anni ſexdecim ad id tempus quo aviam laudavit in funere, deinde anni fere duodecim ſocietatis cum Lepido & Antonio, poſt 44. qui aſſignantur monarchiæ, ſuperſunt anni quatuor. Quibus partim ſtetit à repub. partim ad partes Antonii & Lepidi deflexit. Ex qua etiam obſervatione deprehenditur, conſcriptum eſſe hunc librum à Seneca anno imperii Neronis 2. qui ſeptendecim natus annos Claudio ſucceſſit: ex quo fluxerat annus integer, & alter agebatur. erat enim undeviceſimum ingreſſus annum. Syntaxis qua hic uſus eſt Seneca, licet non adeo trivialis, uſurpatur à bonis Authoribus. Cicero epiſt. 7. Et id ætatis jam ſumus, ut omnia quæ non noſtra culpa accident, ferre fortiter debeamus. Lib. 1. de Oratore. Peto igitur, inquit Craſſus, à te, quoniam id nobis Antoni hominibus id ætatis oneris imponitur. Idem in Verrem, Hominem id ætatis minime litigioſum quam tumultuoſiſſime aggrediuntur. Philip. 2. Dixit P. Africanus & in fratre ſuo ſummam eſſe virtutem, ſummumque conſilium, neque ſe ei legatum id ætatis, iiſque rebus geſtis defuturum. Plautus, Quid ætatis tibi videor? Apulejus in 5. Metamorph. Ut primum quidem tuæ parentis, imo dominæ præcepta calcares, nec ſordidis amoribus inimicam me veram cruciares, verumetiam hoc ætatis puer, tuis licentioſis & immaturis jungeres amplexibus.

Jam M. Antonii conſulis latus.] Satis conſtat Antonium eo anno fuiſſe conſulem, quo Cæſar Julius à conjuratis cæſus eſt. Quamobrem & Cæſaris commentaria penes ſe habuit, (quia decretum erat à ſe-

natu, ne ejus acta reſcinderentur) & pecuniam, quam apud eum Calphurnia depoſuerat, quatuor millia talentorum. Eam quum Octavianus hæres ex dodrante ſcriptus, repeteret, contumelioſe babitus eſt. hæc prima fuit cauſa diſſidii: quod tamen temporarium fuit. Redierunt per communes amicos in gratiam, congreſſu in capitolio babito: ea nocte dormientem Autonium terribilis viſio excitavit. viſum eſt ei dexteram de cælo feriri, nec multo poſt nunciatum eſt illi Cæſarem inſidias tendere. Quam ob cauſam rurſua inter eos ardentiſſimæ inimicitiæ exortæ ſunt. Auctor Plutarchus in Antonio. Meminit etiam Tranquillus his verbis, Hortantibus nonnullis percuſſores ei ſubornavit. Idem tradit Appianus.

Jam fuerat collega proſcriptoris.] Hoſtis conſulis, proſcriptoris collega. Non enim inter eos convenit, niſi initis de triumviratu & ultra ducentorum civium proſcriptione, pactionibus.

Quum annum quadrageſimum tranſiſſet, & in Gallia] Nempe anno imperii nono, cum Mediolani ſtaret, ut ad primam quamque occaſionem Druſo adeſſet bellum gerenti adverſus Germanos.

Delatum eſt ad eum indicium.] Sæpe hujuſmodi delationes, meræ ſunt calumniæ, qnibus patent aures Principum: huic vero indicio ita omnes circumſtantiæ loci, temporis, modi, apponuntur, ut pro re comperta eſſe poſſit.

Cinnam.] Quis iſte fuerit Lucius Cinna, apud alios authores non reperio. primum in ea opinione fui, eundem eſſe Cinnam, qui graviter & aſpere in Cæſarem mortuum apud populum concionatus erat, quia videbatur veriſimile, eum qui unus ſemel fuiſſet ex vindicibus libertatis, ſtetiſſe in propoſito: eaque cauſſa fuiſſe iuſenſum Auguſto. Sed poſtea animadverti Cornelium eſſe, non Lucium, & vocari à Seneca adoleſcentem, qui foret juſtæ ſenectutis. Forte is ipſe eſt, cujus tacito nomine meminit Valerius libro nono cap. de dictis improbis, aut factis ſceleratis.

Unus ex conſciis deferebat.] Index proprie dicitur, ut author eſt Pædianus in divinatione, qui facinoris cujus eſt conſcius, latebras indicit, impunitate propoſita. cujus nominis proprietatem expreſſit Seneca per periphraſim. Videas tameu alicubi nou obſervatam à probis Authoribus. Curtius libro nono. Beſſus quanquam erat Græci ſermonis ignarus, tamen ſtimulante conſcientia, indicium Patronem detuliſſe credebat. Nam ut certum eſt, Patron nunquam conſilium inierat cum conjuratis, nec erat propoſita impunitas. Idem libro ſexto. Ille Ceballino in armamentario abſcondito, protinus Regi corpus forte curanti, quid index detuliſſet, oſtendit. Quum tamen Ceballinus non eſſet è numero conjuratorum, & detuliſſet non propoſita impunitate.

Nox illi inquieta erat.] Ex eorum more qui res magnas animo volvunt, & in magnis cogitationibus ſuſpenſi hærent. Nam ut ait Ovid.

Conſcia curarum nox intempeſta.

Unde illud apud Poëtam,

Et ſub noctem cura recurſat.
Item,
Nec placidam membris dat cura quietem.

In quem ſenſum Ariſtophanes eleganter vocavit [illegible]

Cum cogitaret.] Hæc illi tum obverſabantur, nobilitas viri, ob quam multo favore, multiſque opibus polleret. Integritas vitæ & morum, hac una proditionis exceptione. Probitas, quæ injuria damnatum argueret. Pompeji cognatio, quæ omnium illi populorum gratiam conciliaret, ob bominis viventis celebritatem, & mortui gratam memoriam. Ita ſuſpenſus animi, Cinnam occideret necne, ambigebat.

Jam unum hominem.] Epiphonema, ſeu rei narratæ acclamatio. Cujus generis eſt illud Ciceronis. Facere enim fortis adoleſcens periculoſe, quam perpeti aliquid turpiter maluit. & Virgil.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Quum enarraſſet Octavianum intendiſſe inſidias vitæ conſulis, rempub. armis pulſaſſe, fuiſſe civium proſcriptorem, & nunc diu de morte hominis deliberare, tandem exclamat. Jam unum hominem occidere non poterat.

Cum M. Antonius proſcriptionis edictum.] Videri poſſet lapſus memoria Seneca, ut aliquando ſolet. Si enim ſupra quadraginta annos natus Auguſtus, ergo novem annis aut circiter poſt debellatum Antonium: quo tamen expugnato, ut teſtatur Plutarchus, publico edicto vetitum eſt, ue quis ex Antoniorum familia Marcus appellaretur. Ita nullus potuit eſſe id temporis M. Antonius, qui proſcriptionis edictum dictaret. At vix credibile eſt adeo pueriliter hallucinatum eſſe Senecam in re præſertim ſuis temporibus geſta: quo fit ut malim omittere nomen M. Antonii.

Quid ergo.] Dialogiſmos, ſchema rhetoricum, quum quis ſecum diſputat & deliberat. Obſervat formam & decorum orationis patheticæ, quæ ab odio & indignatione proficiſcitur, abruptum habens initium: ut ait Macrobius. Juno apud Virgilium.

—— Mene incepto deſiſtere victam?
Nec poſſe Italia Teucrorum avertere gentem?

Ajax 13. Metamorph.

Agimus proh Juppiter, inquit,
Ante rates cauſam? & mecum confertur Ulyſſes?

Movet etiam indignationem, quum percuſſorem vocat, quaſi jam perpetraverit quod ſtatuerat. Securum eum, ſe ſolicitum.

Tot civilibus bellis.] Bella civilia quinque geſſit Auguſtus, quemadmodum Tranquillus exequitur. Primum Mutinenſe, contra M. Antonium, quo Decium Brutum conſulem deſignatum obſidione liberavit. Secundum Philippenſe, adverſus Brutum & Caſſium, quo vindicavit mortem patris adoptivi, ubi prius inter Pompejum & Cæſarem depugnatum fuerat. unde invidioſe exclamat Virg.

Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre Philippi.
Nec fuit indignum ſuperis, bis ſanguine noſtro
Æmathiam & latos Hæmi pingueſcere campos.

Peruſinum, adverſus L. Autonium, triumviri fratrem. Quartum Siculum, contra Sextum Pompejum piraticam exercentem. Quintum Actiacum, contra Antonium & Cleopatram. Hæc Ovid. recenſuit lib. 15 Metam.

Illius auſpiciis obſeſſæ mœnia pacem
Victa petent Mutinæ, Pharſalia ſentiet illum,
Æmathiique iterum madeſcent cæde Philippi,
Et magnum Siculis nomen ſuperabitur undis,
Romanique ducis conjunx Ægyptia tedæ
Non bene fixa cadet, fruſtraque erit illa minata,
Servitura ſuo Capitolia noſtra Canopo.

Ex his quædam pedeſtria fuerunt: ut Mutinenſe, Peruſinum, Philippenſe: reliqua duo navalia, Siculum, & Actiacum. Nec defuerunt externa bella, ut Dalmaticum, & Cantabricum. Quod ſua pericula commemorat Auguſtus, huuc babet ſenſum, qui tot bellorum pericula evaſit, quem fortuna tot diſcriminibus ſervatum voluit, bic vult perdere. Ab hiſdem locis movet adſectus Alexander apud Curtium lib. 6 Quam feliciter in acie cecidiſſem, potius hoſtis præda, quam civis victima? nunc ſervatus ex periculis, quæ ſola timui, in hæc incidi, quæ timere non debui.

Pedeſtris prælii s.] Frequentius & uſitatius pedeſtre prælium dicitur, quam pedeſtrium. Hic tamen

men ea forma ponitur pedeſtrium, qua vulgarium Gellio, pro vulgari, & ſingularius pro ſingulari. vide Nonium Marcellum de mutata declinatione.

Poſtquam terra marique pax parta eſt] Facit invidiam L. Cinnæ, ex eo quod auctor publicæ pacis, parta omnibus populis quiete, unus ipſe inſidiis petitur. Significat autem id tempus, quo devictis Antonio & Cleopatra ad Actium promontorium, Jani templum clauſit, quod obſeratum ſignum eſt pacis. Liv. Tranq Plutarchus in vita Numæ. Virgilius.

Claudentur belli portæ, furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremet horridus ore cruento.

Ovid. 1. Faſtorum.

Frondibus Actiacis comptos redimita capillos,
Pax ades, & toto mitis in orbe mane.
Dum deſunt hoſtes, deſit quoque cauſa triumphi,
Tu ducibus, bello gloria major eris.

Non occidere, ſed immolare.] Occidere quidem eſt immolare, ſed illud tanquam levius, quod tamen per ſe grave eſt, elevat: ut atrocitatem criminis exaggeret, quia & diis præſentibus teſtibus facinus perpetratur, & hoſtiæ puræ & ſanctæ humano ſanguine reſperguntur.

Adoriri.] Juxta verbi proprietatem. Eſt enim adoriri, ut admonet Donatus in Andriam, ex inſidiis repente invadere, ex eo quod corpora ingrediuntium exurgant ſubito, atque increſcant. Idem in Adelphos. Aggredimur de longinquo, adorimur ex inſidiis. Cicero in Milon. Qui erant cum Clodio, partim recurrere ad thedam, ut à tergo Milonem adorirentur. Livius lib. 7. Via patentiore ad hoſtem ducuntur, quem incautum improviſo adortæ &c. Idem lib. 21. Ut quum facto opus ſit, adoriatur à tergo hoſtem. Curtius libro 8. Quem prætergreſſum ſylvam, qui in ea conſederant ex improviſo adorti, cum omnibus interemerunt. Nec tamen hæc differentia ubique ſervatur.

Rurſus ſilentio] Prius conſilium capiebat in mortem hominis. non æquum eſſe percuſſorem ſuum impunitum demitti ſe ſolicito. Eſſe irrogandam pœnam inſidiatori, qui in ejus mortem conſpiraverit, cui fortuna toties pepercerat. Nunc in ſeipſum vertit accuſationem, & vitam ſuam deteſtatur, quæ tot hominum mortes ſecum trahat. moriendum itaque ſibi concludit, quia vivere non poteſt ſine multorum malo.

Admittis muliebre conſilium.] Verba ſunt Liviæ Druſillæ Auguſtum compellantis, & verecunde excuſantis hac præfatiuncula, quod mulier ſeriis conſiliis ſe immiſceat. ad hunc modum Porcia apud Plutarchum, Brutum alloquitur. Scio muliebrem naturam fragilem eſſe ad arcana ferenda. Sed eſt, ô Brute, vis quædam & bonæ educationis, & optimæ conſuetudinis, ad ingenium mihi, & Catonis eſſe filiam, & Bruto conjugem datam eſſe. Livius belli Macedonici lib. 4. in oratione Catonis. Majores quidem noſtri nullam, ne privatam quidem rem, agere fœminas ſine authore voluerunt, in manu eſſe parentum, fratrum, virorum. Quamobrem vehementer objurgatur Juno à Jove quod ſe audacius in ſeria deorum conſilia ingereret. Iliados lib. 1.

Salvidenum Lepidus ſequutus eſt.] Is eſt Q. Salvidenus, cui claſſem Auguſtus commiſit oppugnaturus terra marique Sextum Pompejum, in magnis honoribus habitus, & ad conſulatum uſque provectus liberalitate Auguſti: quem nefaria contra Cæſarem molitum, ſuo indicio detexit Antonius. Damnatus tandem mortem ſibi conſcivit. Auctor Liv. lib. 127. ut indicat L. Flori Epitome, & Euſebius in chron. Hallucinantur Suetonii interpretes, qui Corn. Gallum ſenatui damnandum traditum putant, Salvideno tantum provinciis interdictum, verba Tranquilli ſunt: Quorum alterum res novas molientem damnandum ſenatui tradidit: alteri ob malevolum animum domo & provinciis ſuis interdixit. Sed Gallo quoque & accuſatorum denunciationibus, & ſenatusconſultis ad necem compulſo, laudavit quidem pietatem tantopere pro ſe indignantium. Cæterum & illachrymavit, & vicem ſuam conqueſtus eſt, quod ſibi ſoli non liceret amicis, quatenus vellet, iraſci. Lepidus, non ille Pontifex Maximus, & collega Auguſti in triumviratu, ſed ejus filius, quem Lepidum juvenem vocat Tranquillus. L. Florus in librum 3. Decadis 13. Impoſito fine civilibus bellis, altero & trigeſimo anno, M. Lepidus, qui Lepidi Triumviri fuerat filius, conjuratione contra Cæſarem facta, bellum moliens oppreſſus & occiſus eſt. Muræna & Cœpio Proculeji fratres, ſi Porphyrioni credimus. Murænæ proditio Caſtritio indice detecta eſt. vide Tranquillum in ejus vita. Idem etiam in vita Tiberii. Pannium Cœpionem, qui cum Varrone Muræna in Auguſtum conſpiraverat, reum majeſtatis apud Juvenes fecit, & condemnavit. Seneca in libro de brevitate vitæ. Dum ultra Archenum, Euphratem, & Danubium terminos movet in ipſa urbe, Murænæ, Cœpionis, Lepidi, Egnatiorum, in eum mucrones acuebantur. Vult ergo dicere Livia, neque pœna Salvideni Lepidum territum, neque Lepidi ſupplicio Murænam nec Murænæ Cœpionem. Nota ſchema rhetoricum, quod climax dicitur, quale illud,

Mars videt hanc, viſamque cupit, potiturque cupita.

Ut alios taceam.] Nempe: Plautum Ruffum, L. Audactium, L. Paulum, Varronem, Telephum, Aridaſium, Epicadum.

Ignoſce L. Cinnæ, deprehenſus eſt.] Senſus eſt, ſi ignoſcis L. Cinnæ, ad exemplum trahetur venia, & famæ tuæ proderit. Nempe magnum clementiæ tuæ documentum. Nec jam ſibi timendum eſt ab ejus inſidiis. Semel deprehenſus nocere amplius non poteſt. Deprehenſus proprie eſt verbum nauticum, ut docet Servius. Statius primo Thebaid.

Ac velut hyberno deprehenſus navita ponto.

Ovid. in epiſt. Did.

Finge age te rapido, nullum ſit in homine pondus,
Turbine deprehendi, quid tibi mentis erit?

Cæterum ad alia transfertur, quum volumus ſignificare aliquem ita anguſtiis conſtrictum, ut nulla pateat ad effugium via. Curtius lib. 7. Tot montium latebris, inter quas deprehenſus hoſtis ne fugæ quidem, nedum reſiſtendi occaſionem fuerit habiturus. Quintilianus lib. 12. Ut parva quædam in anguſtiis mobilia, in campo deprehenduntur. Vere igitur deprehenſus erat Cinna, quia index detulerat & ubi, & quando, & quomodo aggredi vellet.

Ego te Cinna] Oratio Auguſti ad Cinnam, plena artificii rhetorici, ſic tamen ut ars lateat, & quaſi fluat non adfectata. Proponit primum ſua merita, quibus Cinnam ſibi obligaverat, ſi ille parem referre gratiam, ut juſtum erat voluiſſet. Repertum hoſtem in hoſtium caſtris, quum jure belli occidere liceret, ſervaſſe. Nihil ex patrimonio ademiſſe, cum eodem jure in prædam cederet. Sacerdotium detuliſſe, quum plurimi peterent benemeriti. Nihil igitur habet ſuum: vita, fortunæ, honores, Auguſti beneficia ſunt. Hæc tamen quum ita habeant, oſtendit ut ſibi compertum ſit, conſilium iniiſſe de ſua morte. Atque ita hominem illigat omnibus circumſtantiis, ut tergiverſari non poſſit. Jam probata eſt conjuratio. Addit ſpem inanem concipere, ſi regnandi cupiditate Imperatorem tollere ſtatuerit. Qui enim orbis imperium ſuſtineret, qui præeſſe familiæ non poteſt? Quod ſi alio ſit opus Auguſto, non eſſe Cinnam tantum aſſecutum dignitatis, ut ſit imperio deſtinatus. Eſſe plurimos Romæ & gentis nobilitate non inferiores, & ſuperiores omnibus ornamentis, qui non patiantur hunc ſibi honoris gradum præripi. Ergo quum facinus perpetraverit, fore illi inutile.

Præteritis compluribus.] Nomen in hac ſignificatione elegans. Dicitur enim populus eos ex competitoribus in comitiis præterire, quos ſuis ſuffragiis non adjuvat: & cenſores eum ſenatu movent, quem in ſenatoribus recenſendis prætereunt: & pater in jure dicitur filium præterire hæredem, quem in loco hæredum non habet. Cicero in oratione pro Plancio ſubinde reperit, ſed unam tantum exemplum ſubjiciemus. Nunc tantum diſputo de jure populi, qui poteſt & ſolet nonnunquam dignos præterire: nec ſi à populo præteritus eſt quem non oportuit, à judicibus condemnandus eſt, qui præteritus non eſt. Livius libro 4. Principes plebis ea comitia malebant, quibus non haberetur ratio ſui, quam ut indigni præterirentur.

Non præſtas fidem.] Quod vulgo dicitur, acquitare ſe de ſuo promiſſo. Cic. epiſt. lib. 1. Ut ſi Rex amicis tuis qui per provinciam imperii tui pecunias ei credidiſſent, fidem ſuam præſtitiſſet, auxiliis quum adjuvares. Idem libro 5. Quamcunque fidem dederis, præſtabo. Græci dicunt ἐγγυᾶσθαι, ut docet Bud. in annotat.

Et quum defixum videret.] Vultu demiſſo terram ſpectantem, ſive id verecundia faceret, ſive timore pœnæ ſtupidus & attonitus. Eo enim compulſos erat, ut jam non poſſet diſſimulare facinus. Nam ut ait Juvenalis ſatyra nona,

Deprendas animi tormenta latentis in ægro
Pectore, deprendas & gaudia, ſumit utrumque
Inde habitum facies.

Ex conſcientia tacentem.] Non purgare ſe, non diluere objecta, & accuſationem ſilentio excipere, confitentis eſt. Unde illud inter Juriſconſultos vulgare. Qui tacet, conſentire videtur. Reo enim cauſam deſerente, accuſator obtinet.

Male cum republica agitur.] Qui domi ſuæ præeſſe nequit, is ne ad publica munera adſpiret. OEconomica enim, umbra quædam eſt & imago politicæ, ut ait Ariſtoteles. In familia enim uxor, liberi, ſervi, liberti, faciunt parvam Reip. ſpeciem. Paterfamilias Regis loco eſt: qui ſi eſt imperitus, & minime idoneus, quorſum affectat majora? Hoc volunt verba Æſchinis contra Cteſiphontem, Qui filios odit, & malus eſt pater, nunquam bonus gubernator populi eſſe poteſt: nec qui privatim eſt malus, unquam bonus publice eſſe poteſt.

Cedo, ſi ſpes tuas.] Hoc dictum per rhetoricam permiſſionem accipio. Hæc etiam ſententia aliud rhetoricum ſchema complectitur, quod dicitur communicatio, habetque uſum maxime in conjecturis quum adverſarium conſulimus.

Paulus ne te, & Fabius Maximus.] Antiquæ & inſignis apud Romanos nobilitatis familiæ fuerunt. Nam Paulos ſatis ſuperque illuſtravit L. Paulus, qui conſul apud Cannas occidit. & Fabios non ſolum ille Maximus, ſed trecenti quoque illi qui omnes ad unum animas Reip. dependerunt. Coſſos, Coſſus ipſe qui Larte Tolumnio occiſo opima ſpolia Jovi Feretrio retulit. Servilios vero Servilius Hala, qui Sp. Melium regnum affectantem obtruncavit magiſter equitum. Qui ex unaquaque familia celebres ſutrint tempore Auguſti, neſcio. Quintil. lib. 6. Fabii meminit, qui incuſans congiariorum Auguſti quæ amicis dabat, exiguitatem, heminaria eſſe dicebat. Et forte is ipſe eſt ad quem ſunt elegiæ Ovidii in libris de Ponto.

Agmen nobilium non inania nomina præferentium.] Nomen inter alia ſignificata hoc habet elegantiſſimum, quum accipitur pro nobilitate. Cicero Verrina 2. Proponit inania mihi nobilitatis, hoc eſt hominum arrogantium nomina. Pro Cn. Plancio. Eſt tuum nomen utraque familia conſulare. Non dubitas igitur quin omnes qui favent nobilitati, qui id putant eſſe pulcherrimum, qui imaginibus, qui nominibus veſtris ducuntur, te ædilem fecerint. Idem lib. 3. epiſt. Quum ea nondum conſecutus eram quæ ſunt hominum opinionibus ampliſſima, tamen iſta veſtra nomina nunquam ſum admiratus. viros eos qui ea vobis reliquerant, magnos arbitrabar. Sæpius in oratione pro Ligario. Juvenalis ſatyr. 8.

Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducis Aſylo.

Ita Servius in ſecundo Georgic. interpretatur illud Virgil:

——— *Aliquod nomenque decuſque Geſſimus.*

Marcello quoque nomen decus ac dignitatem ſignificat, qualiter etiam Virgilius uſurpavit libro ſecundo Æneïdos.

Non tamen indecorem tua te Regina relinquet
Extrema jam in morte, neque hoc ſine nomine lethum.

Hinc forte manavit nomen pro gentilitia nobilitate accipi, quod commendatio à majorum nobilitate ad poſteros tranſmittitur. Unuſquiſque autem nomen à rebus geſtis aſſumebat. Ovid. Faſt. 1.

Reſpice diſpoſitas generoſa per atria ceras,
Contigerant nulli nomina tanta viro.
Africa victorem de ſe vocat, alter Iſaurum
Aut Cretum domitas teſtificatur opes.

Qua ratione etiam pro familia & cognatione legitur. Virgil. lib 6.

——— *Noſtrumque in nomen ituras.*

Et juriſconſultus dicit fundum legari ſub conditione, ut in nomine permaneat.

Sed qui imaginibus ſuis decori ſunt.] Exegeſis. qui enim imaginibus ſuis decori ſunt, non inania nomina præferunt. qui majorum gloria, non ſuis rebus geſtis turgeſcunt atque inflantur, dicuntur inania nomina præferre, quaſi majorum ſuorum meritis tantum honoris debitum ſit, ut redundaret, quod poſteris ſolveretur. De imaginibus dicerem quæ nunc memoriæ ſuccurrunt, niſi omnia ſufficeret Budæus. unum quod ille prætermiſit, hic inſeram, cum maxime ad rem faciat. Jus imaginis dari ſolitum apud Romanos, quemadmodum ſenatoriam dignitatem, & alia publica ornamenta. Cic. Ver. 7. Sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, jus imaginis ad memoriam poſteritatemque prodendam.

Hanc pœnam.] Scilicet exprobrationem ſuorum beneficiorum, & ingratitudinis Cinnæ.

Vitam tibi iterum do.] Peroratio, in qua Auguſtus Cinnam admonet, & pro quanto beneficio ſibi tam male prius gratiam repoſuerit, & quantum in poſterum debiturus ſit. Vitam ſemel Auguſto debebat, quam hoſtis hoſti conceſſiſſet: nunc bis debet: & ei quidem, cui mortem eſt machinatus.

Inſidiatori ac parricidæ.] Quoniam ut apud Tranquillum legimus, parricidæ vocati ſunt qui Cæſari manus attulerant in curia, quaſi patris publici occiſores: & idus martiæ parricidium nominatæ. Cic. lib. 12. epiſt. Caſſio. Auget tuus amicus furorem in dies: primum in ſtatua quam poſuit in Roſtris, inſcripſit, Paren. opt. meri. Ut non modo ſicarii, ſed etiam parricidæ judicemini. Ad id etiam alluſit Valerius lib. 1. M. etiam Bruti dignus admiſſo parricidio eventus eſt omine deſignatus. Et in aliis aliquot locis.

Ex hodierno die.] Senſus eſt. Sic mutuam ineamus benevolentiam, quaſi nulla antehac fuerit: omnes injurias oblivione conteramus, fingamus nunquam fuiſſe diremptum amorem, ne qua labecula incidat, quæ obſcuret præſentem benevolentiam. Certemus ex hoc die officiis, modo intelligas te velut debitum perſolvere, me ultro provocaſſe cum nihil deberem.

Utrum ergo meliore fide.] Sic à Curtio inducitur Alexander verba faciens ad milites. Eadem fide redite mecum in gratiam, qua vobiſcum revertor.

Bona

Digitized by Google

Bona fides hic, quæ Græcis [illegible]. Id eſt probitas & ſinceritas in ſervandis promiſſis. Tranquil. in Auguſt. Populo promiſſum congiarium repoſcenti, reſpondit, ſe bonæ fidei eſſe. Senec. epiſt. 12. Nunquam bona fide vitia manſueſcunt.

Nullus amplius inſidus.] Clauſula quæ exemplum rei præſenti accommodat. Erat enim probandum, augeri à Regibus inimicorum numerum tollendo, quia parentes & propinqui in demortuorum locum ſuccedunt.

Cap. X.

IGnovit abavus tuus victis. Nam ſi non ignoviſſet, quibus imperaſſet? Salluſtium, Coccejos, & Deillios, & totam cohortem primam interioris admiſſionis ex adverſariorum caſtris conſcripſit. Nam Domitios, Meſſalas, Aſinios, Cicerones, & quicquid floris in civitate erat, clementiæ ſuæ debebat. Ipſum Lepidum quamdiu mori paſſus non eſt? Per multos annos tulit ornamenta Principis retinentem. Ejus pontificatum maximum non niſi mortuo illo transferri in ſe paſſus eſt. Maluit enim illum honorem vocari, quam ſpolium. Hæc eum clementia ad ſalutem ſecuritatemque perduxit. Hæc gratum favorabilemque reddidit, quamvis nondum ſubactis reip. cervicibus manum impoſuiſſet. Hæc hodie præſtat illi famam, quæ vix vivis Principibus ſervit. Deum eſſe, non tanquam juſſi, credimus bonum Principem Auguſtum, & bene illo convenieſſe parentis nomen fatemur, ob nullam aliam cauſam, quam quod contumelias quoque ſuas, quæ acerbiores Principibus ſolent eſſe quam injuriæ, nulla crudelitate exequebatur: quod probroſis in ſe dictis ariſit: quod dare illum pœnas apparebat, cum exigeret: quod quoſcunque ob adulterium familiæ ſuæ damnaverat, adeo non occidit, ut dimiſſis, quo tutiores eſſent, diplomata daret. Hoc eſt ignoſcere, cum ſcias multos futuros qui pro te iraſcantur: & tibi alieno ſanguine gratificantem, non dare tantum ſalutem, ſed præſtare.

QUod ad exempli ſimilitudinem pertinebat, expeditum eſt, tantum profeciſſe Auguſtum ſua erga Cinnam clementia, ut & illum ſibi amicum redderet, & nullis amplius inſidiis ab ullo peteretur. Eſt igitur alterum exemplum, victis ignoviſſe Auguſtum, idque illi feliciter ceſſiſſe, quo ad eandem facilitatem Neronem alliciat. Ovid. lib. 2. Triſtium idipſum teſtatur ad Auguſtum ſcribens.

Divitiis etiam multos & honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.
Quæque dies bellum, belli tibi ſuſtulit iram:
Parsque ſimul templis utraque dona tulit.

Idem lib. 1. de Ponto.

Sed piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox:
Quique dolet quoties cogitur eſſe ferox.
Qui vincit ſemper, victis ut parcere poſſit:
Clauſit & æterna civica bella ſera.
Multa metu pœnæ, pœna qui pauca coërcet;
Et jacit invita fulmina rara manu.

Abavus tuus.] Non temere reperias qui aſſequatur, quomodo hoc gradu cognationis ad Auguſtum pertineret Nero. Nam abavus ejus ſtirpis paternæ fuit Domitius is, qui prætor Cæſarem abeuntem conſulatu, quem contra leges auſpiciaque geſſiſſe exiſtimabat, ad diſquiſitionem ſenatus vocavit. Mox conſul Imperatorem ab exercitibus Gallicis retrahere tentavit: ſucceſſorque ei per factionem nominatus, principio civilis belli ad Corphinium captus eſt, acieque demum Pharſalica occubuit, inquit Tranquil. Qua ratione Auguſtus non abavus, ſed proavunculus dicendus eſſet. Siquidem Octavius pater Auguſti filiam habuit Octaviam, quæ Antonio in matrimonium collocata, ex eo duas filias ſuſtulit, quarum major Antonia nomine, ex Domitio avo peperit Domitium patrem. Abavus maternus Tiberius Nero Liviæ Druſillæ, quæ poſtea Auguſto nupſit, conjux. Nam ex ea Druſum genuit patrem Germanici: ex quo rurſum Agrippina genita Neronis mater. Nec fuiſſe proprie abavum adoptivum facile percipitur. Eſt enim adoptatus à Claudio patruo ſuo magno, Druſi autem filio, qui privignus erat Auguſti. qua etiam ratione, ne per abuſionem quidem abnepos fuerit, ſed pronepos. Uno tamen modo jure adoptionis ſic vocari poteſt, quod Druſum privignum ſuum Neronis proavum naturalem adoptavit. Tacitus lib. 13. Cum Nerone ſimul tertium iniit conſulatum Valerius Meſſala, cujus proavum oratorem Corvinum divo Auguſto abavo Neronis collegam in eo magiſtratu fuiſſe pauci jam ſenum meminerant. Hoc vero animadverſione dignum, ab eodem Tacito lib. 14. ſemel Auguſtum Neronis atavum dici in oratione Senecæ ad Neronem, in oratione Neronis ad Senecam avum appellari, Alciato connivente, & minutias quaſdam interdum conſectante.

Coccejos.] L. Coccejum intelligo, qui prius communis Octavio & Antonio amicus, auctor fuerat conciliandi inter eos fœderis.

Duellios.] Lego Deillios, nullo exemplari ſuffragante, ſed non levi conjectura. Eumque Deillium eſſe interpreror, quem Meſſala Corvinus deſertorem bellorum civilium vocabat: quia (ut ipſe Seneca lib. 1. ſuaſoria. ſcribit) à Dolabella ad Caſſium tranſierat, inita pactione ut Dolabellam occideret. Deinde à Caſſio ad Antonium, noviſſime ab Antonio ad Auguſtum transfugerat. in quo loco Deillius ſine controverſia legitur. Ejus quoque meminit Plutarch. in Vita Antonii: ubi tamen corrupte legitur Delius in vulgaribus codicibus.

Totam cohortem primam interioris admiſſionis.] Quod officium inter aulica munia non poſtremæ fuit dignitatis, quantum ego intelligo. Sunt enim iſti admiſſionales, qui aditu in cubiculum Principis prohibent quos volunt, & quos volunt admittunt. Lamprid. in Alexandro. Salutaretur vero quaſi unus de ſenatoribus, patente velo, admiſſionalib. remotis, aut ſolis iis qui miniſtri ad fores fuerant. Suet. in Veſpaſ. Trepidum eum interdicta cauſa ſub Nerone, quærentemque quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio admiſſionis ſimul expellens, Morboniam abire juſſerat. Iis præeſt magiſter admiſſionum, cujus meminit Ammian. Marcellinus libro 15. Ejuſmodi fere erant & Regibus Macedonum. Curtius lib. 6. Ceballinus ante veſtibulum regiæ (neque enim propius aditus ei patebat) conſtitit opperiens aliquem ex prima cohorte amicorum, quo introduceretur ad Regem. Et lib. 8. dicit nobiliſſimos juvenes Macedonum ſolere deſcribi in eam cohortem, qui ſeminarium erant ducum, præfectorumque. Quod autem addit, interioris, epirheton facit ad emphaſin. Tranquil. in Calig. Sed avum meum narrantem puer audiebam, cauſam operis ab interioribus aulicis proditam. Statius primo Thebaidos.

Lectus concilio divum convenerat ordo
Interiore polo.

Hinc & Virg. domus interior pro ipſis penetralibus.

Nam Domitios, Meſſalas, Aſinios, Cicerones.] Hi omnes, partes Caſſii & Bruti tuebantur: quibus profligatis, quidam etiam ad Sex. Pompejum tranſierunt: Domitius quidem inter conſcios Cæſarianæ necis, quanquam inſons, lege Pedia damnatus, ad Brutum & Caſſium ſe contulit: à quibus acceptam claſſem diu retinuit: quorum occiſis opibus, Antonio tradidit, & in patriam reſtitutus, ampliſſimos honores adeptus eſt. Poſtremo civili diſſenſione orta inter Octavianum & Antonium, ab Antonio deſcivit,

vit, navicula ad Octavianum tranſvectus. Authores Plutarchus in Antonio, & Tranquillus in Nerone. Verum alterum forte hic deſignat Seneca. neque enim beneficentia Auguſti in civitate floruit, quia non ab Auguſto, ſed ab Antonio in fidem acceptus, neque humilis aut ſupplex, ſed ingentis meriti loco, ut qui reliquias belli magnis viribus repararet, & paulo poſt quam ad Auguſtum transfugit relicto Antonio, vita deceſſit. Niſi mavis arbitrari abuſum Senecam hiſtoria ad Auguſti laudem. De Meſſala narrat Plutarchus, quem ait Caſſio fuiſſe perfamiliarem, ac pridie quam infeliciter pugnatum eſt in Philippis, cum eo cœnaſſe, cum pauciſſimos ex domeſticis in ea cœna haberet. Hoc certe argumento eſt, in magno pretio habitum quod cum Brutus à Caſſio exoraſſet ſibi dexterum cornu, additus eſt illi Meſſala, partem militum bellicoſiſſimam ſecum habens. Poſtea Auguſto reconciliatus, conſul factus eſt, & demandante Senatu Auguſtum patrem patriæ ſalutavit. Primus etiam urbis præfectus, authore Dionyſio & Euſebio. Aſinius vero, cujus mentio fit à Seneca, non ille eſt Pollio, qui Julium in bellis civilibus ſecutus, ſtrenuam illi adverſus Pompejum operam præſtitit: quem Cicero in quadam Philippica inter portenta amicorum Cæſaris numerat, & cum quo velut cum amico primario Julium de trajiciendo Rubicone deliberaſſe affirmat Tranquillus, & qui poſtea Auguſto opitulatus eſt in debellando Sexto Pompejo, ut ſcribit Plutarchus in vita Catonis Uticenſis. Magis crediderim aut Aſinium Gallum, aut alium quempiam ex eorum numero qui libertati ſtudebant. Ciceronem hic filium intellige, qui vivo adhuc patre à Bruto accitus eſt in caſtra, ac inter primi nominis duces habitus. Multa geſſit egregie, inquit Plutarchus in vita Bruti. C. etiam Antonium circa Byllidem prælio devicit. Militavit poſtea in caſtris Sexti Pompeii. Ubi victoria potitus eſt Auguſtus, eum, quo ſe à proditione Ciceronis excuſaret, benigne excepit: Pontificem ſtatim declaravit, nec multo poſt conſulem inſtituit, & Syriæ prætorem. Antonio apud Actium poſterius devicto, conſul jus populo plerumque dixit, ſeditque pro Roſtris eo in loco, quo caput parentis ejus manuſque pependerant. Author Appianus lib. 4. Addit Plutarchus in vita Ciceronis, collegam eſſe adoptatum in conſulatu ab Auguſto, quo anno ſenatus ſtatuas Antonii dejecit, ac nonnulla ornamenta abolevit: ut divino quodam fato ultima ultio ad Ciceronis domum rediret. Non igitur abs re vocat eos Seneca florem civitatis, qui non mediocrem locum obtinebant.

Ipſum Lepidum.] Primum poſt tumultus per Fulvium & L. Antonium excitatos diviſum eſt inter eos imperium. Omnis ad orientem tractus Antonio conceſſus, Cæſari attributæ partes ad occidentem, ita ut terminum facerent Jonium mare. Lepido permiſſa Africa. Jam tum Cæſaris potentia ſupra Lepidum efferebatur, cum tamen hactenus & dignitate & honore Lepidus ſuperior fuiſſet. ſic tamen quieverunt, donec evocatus ab Octavio ad auxilium ferendum in expugnando Sexto Pompejo duarum & viginti, ſeu, ut alii volunt, viginti legionum fiducia ſuperbiens, ſummas ſibi partes vendicaret. Tum Octavius caſtra ejus ingreſſus, quamvis capitis diſcrimine, rerum tamen potitus eſt, & exceptus ſalutatione militari. Lepidus rebus deſperatis vitam impetravit abjecto magiſtratu, in Circejos relegatus, ubi reliquum vitæ tempus finivit. Hæc partim ex Appiano, partim ex Plutarcho, partim etiam ex Tranquillo.

Per multos annos tulit] Atque id propter Octavii laudes reponi non debet, qui ut primum potuit, Lepidum ſpoliavit omni dignitate.

Ejus Pontificatum maximum] Lepidus poſt mortem Julii Cæſaris pontificatum maximum invaſit, quo functus eſt ad mortem uſque etiam cum exularet. Eo mortuo Cæſar ad ſe traxit. Creabatur primum à collegio pontificum, deinde Cn. Domitio conſole jus ſuffragiorum ad populum tranſlatum erat. Sacerdotium erat ampliſſimi honoris. Ita enim ſuperſtitione obſtrinxerant populi animos pontifices, ut eſſent primæ in urbe authoritatis publice & privatim. Ipſe pontifex maximus inter omnes pontifices ſpectabilis & eminentiſſimus.

Maluit enim illum honorem.] Epiphonema.

Gratum ac favorabilem.] Hic paſſivam habet ſignificationem, qui uſus authoribus magis familiaris. Tranquil. Sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel ſicunde diſcederet, præ turba occurrentium proſequentiumve nonnunquam eum diſcrimen vitæ adiiſſe. Quintilianus libro duodecimo. Et incipere quam maxime à facili ac favorabili cauſa velim. Reperitur tamen active, contra obſervationem Vallæ & Beroaldi, apud Livium lib. 22. De Terentio enim Varrone loquens, jam, inquit, ad conſulatus ſpem cum attolleret animos, haud parum callide auram favorabilis populi ex dictatoria invidia petit. Sic Virg. in Georg. penetrabile frigus. & alibi, penetrabile telum. Sic Valerius titul. de obſervat relig. Senatum in deos venerabiliorem dicit. & lib. 2. Venerabilibus erga deos obſequiis inventus. Inſatiabile apud Ciceronem libro 3. de nat. deor. quod ſatiare non poteſt. Nulla enim eſt inſatiabilior ſpecies, nulla pulchrior ad rationem ſolertiamque præſtantior. Ammian. lib. 14. Qui enim adulabili ſermone ſeriis admixto ſolus omnium proficiſci pellexit vultu diſſimulato.

Hæc hodie præſtat.] Clementia viventi Auguſto ſecuritatem præſtitit, mortuo famam præſtat. ſenatuſconſulta quæ in laudem Principum viventium fiunt, aut metu expreſſa, aut temeritate præcipitata videri poſſunt. obſequia ſervilia quæ à populo exhibentur, acclamationes quoque, ut quidam vocat, ancillatrices, ſerviunt imperantis præſentiæ. homini mortuo quæ dantur, ſpontanea ſunt, eoque potiora. Deum ergò credit populus Romanus Auguſtum, non quia juſtus, ſed quia bonum principem expertus eſt. Mos fuit ille ſolennis Romanorum, ut Cæſares ſuos per apotheoſin in numerum deorum referrent. Valerius, Deos alios accepimus, Cæſares fecimus. Ritus ac ceremonias conſecrandi Imperatores, exponit Herodianus lib. 4. quem locum quoties relego, non poſſum à riſu temperare. Adeo ridicula fuit illa Romanorum religio. Præterea non tantum poſt mortem Auguſtus Dei nomine donatus eſt: ſed vivus videnſque divinos ſibi honores exhiberi non ægre paſſus eſt. Horat.

Præſenti tibi maturos largimur honores
Jurandaſque tuum per nomen ponimus aras.
Et Carm. 3.
Cælo tonantem credidimus Jovem
Regnare. præſens divus habebitur
Auguſtus.

Publice tamen non fuit illi decreta religio, niſi poſt mortem.

Bene illi conveniſſe parentis nomen] Tranquillus in ejus vita. Patris patriæ cognomen univerſi repentino maximoque conſenſu detulerunt. Salutatus eſt à Valerio Meſſala nomine univerſi ſenatus. Ovid. Faſtor. 2.

Sancte pater patriæ, tibi plebs, tibi curia nomen
Hoc dedit, hoc dedimus nos tibi nomen eques.
Res tamen ante dedit: ſero quoque vera tuliſti
Nomina. Jam pridem tu pater orbis eras.
Et Triſt. 2.
Parce pater patriæ: nec nominis immemor hujus
Olim placandi ſpem mihi redde tui.

Hoc factum eſt nonis Februarii. Errat tamen vir de ſtudiis humanioribus bene meritus Baptiſta Egnatius

Digitized by Google

tius in ſuis Cæſaribus, cum affirmat Auguſto primo attributum eſſe cognomen patris patriæ cum prius dictatori inditum fuerit, ut alibi videbitur.

Quod contumelias quoque ſuas.] Animadvertendum hic quod dicit Principes acerbius ferre contumeliam quam injuriam. Injuria namque, ut ait Ulpianus, ſeu re, ſeu verbis, nihil differt à contumelia. quod dictum parum convenit cum hoc loco Senecæ. Itaque referendum ad illam Marcelli diſtinctionem, dicentis injuriam à contumelia hoc diſtare, quod injuria levior res eſt. Pacuvius in Peribea. Patior facile injuriam, ſi eſt vacua à contumelia. Facile ærumnam ferre poſſum, ſi male abeſt injuria. Etiam injuriam, niſi contra conſtat contumelia. Contumelia enim à contemnendo dicitur, ut idem Ulpianus auctor eſt. Nihil autem Principes magis ægre patiuntur, quam contemni. Habet enim quendam aculeum contumelia, inquit Cicero Verr. 5. quem boni viri ferre non poſſunt. Et Publ. Mimograph. Contumeliam pati nec fortis, nec ingenuus poteſt. Ariſtot. quoque Ethicor. lib. 4. Servile eſſe opinatur, perferre contumelias. Hoc ſi in aliis verum eſt, in Principe tamen veriſſimum. Nazarius in panegyr. Conſtant. O quam acres habes dolorum aculeos à contumelia, quam imponit inferior. Contumelias autem ſuas eadem forma qua Cicer. loquitur Philip. 13. Pergit porro in mea maledicta, quaſi vero pulcherrime priora proceſſerint. Sic etiam paſſive Celius memoriam tuam dixit lib. 8. epiſt. Cic. Non quin mihi ſuaviſſimum ſit tuæ memoriæ operam dare. Contumelia fuit, quod Labeo Antiſtius in ſenatus lectione legit M. Lepidum Circeis exulantem in opprobrium Auguſti, quod ſparſi famoſi de eo in curia libelli, quod illi à quodam ſenatore dictum eſt, Contradicerem tibi, ſi locum haberem ab aliis. Licere ſenatoribus de rep. loqui.

Probroſis in ſe dictis arriſit.] Celebratur Alexandri apophthegma à Plutarcho *Βασιλικὸν ἐστιν εὖ ποιοῦντα κακῶς ἀκούειν.* Regium eſt benefacientem male audire. Quod ſecutus Auguſtus patienter audiit lœdorias & ſcommata quæ in ſe jactabantur: quemadmodum etiam recitat Macrob. lib. 2. Satur. Nos pauca ſubjiciemus. Cum adoleſcentem provincialem ſibi ſimillimum per jocum interrogaſſet, an mater ſua aliquando Romæ fuiſſet, negavit ille: nec contentus adjecit, pater meus ſæpe. Et Pollio cum in eum Feſcenninos Auguſtus ſcripſiſſet, At ego, inquit, taceo. Non enim eſt facile in eum ſcribere, qui poteſt proſcribere. Alia ejuſdem generis vide apud Macrob. & Senecam in 3. de ira. Ipſe Auguſtus epiſtola quadam ad Tiberium. Non nimium indignari quemquam eſſe qui de me male loquatur. Satis eſt enim ſi hoc habemus, ne quis nobis malefacere poſſit.

Quaſcunque ob adulterium familiæ ſuæ.] Notum eſt Julias filiam & neptem domum Auguſti omnibus probris contaminaſſe: ob idque relegatas. Vide Tranquillum & Senecam lib. 6. de benefic. & Plinium lib. 21. De iis igitur nunc loquitur Seneca, qui conſuetudinem haberent ſtupri cum filia & nepte, aut qui conſcii eſſent adulteriorum: quibuſcum mitius actum eſſe dicit, quod de damnatis non eſt ſumptum ultimum ſupplicium: ſed exilio tantum mulctati ſunt: quin etiam acceptis diplomatibus dimiſſi ſunt. Nec tamen verum eſt adeo clementer tractatos ab Auguſto, quam hic affirmat Seneca. ſiquidem nonnulli ultimo ſupplicio affecti: inter quos Julius Antonius. vide Tacit. lib. 4. Quod hic Eraſmus divinat legendum filiæ, nullius eſt momenti.

CAP. XI.

HÆc Auguſtus ſenex, aut jam in ſenectutem annis vergentibus. In adoleſcentia caluit, arſit ira, multa fecit, ad quæ invitus oculos retorquebat. Comparare nemo manſuetudini tuæ audebit divum Auguſtum, etiamſi in certamen juvenilium armorum deduxerit ſenectutem pluſquam maturam. Fuerit moderatus & clemens. Nempe poſt Actiacum mare Romano cruore infectum. Nempe poſt fractas in Sicilia claſſes, & ſuas, & alienas. Nempe poſt Peruſinas aras, & proſcriptiones. Ego vero clementiam non voco laſſam crudelitatem. Hæc eſt Cæſar, clementia vera, quam tu præſtas, quæ non ſævitiæ pœnitentia cœpit, nullam habere maculam, nunquam civilem ſanguinem fudiſſe. Hæc eſt in maxima poteſtate veriſſima animi temperantia, & humani generis comprehenſibilis amor, non cupiditate aliqua, non temeritate incendi. Non priorum Principum exemplis corruptis, quantum in cives ſuos liceat, experiendo tentare: ſed hebetare aciem imperii ſui. Præſtitiſti Cæſar civitatem incruentam, & hoc, quod magno animo gloriatus es, nullam te toto orbe ſtillam cruoris humani miſiſſe: quod eo majus eſt mirabiliuſque, quod nulli unquam citius gladius commiſſus eſt. Clementia ergo non tantum honeſtiores, ſed tutiores præſtat. Ornamentum imperiorum eſt ſimul, & certiſſima lux. Quid enim eſt cum Reges conſenuerint, liberiſque ac nepotibus tradiderint regna, quod tyrannorum execrabilis, ac brevis poteſtas eſt? Quid intereſt inter tyrannum & Regem? Species enim ipſa fortunæ, ac licentia par eſt: niſi quod tyranni in voluptate ſæviunt: Reges non niſi ex cauſa, ac neceſſitate.

UT diſpoſitionem hujus capitis intelligas, operæ pretium eſt ſuperiora in compendium colligere. Admonendus fuit exemplo Nero, crudelitatem Regibus eſſe pernicioſam, quæ uno ſublato hoſte, multos excitet. Manſuetudine & clementia ſecuritatem certiorem comparari. Auguſtus in exemplum propoſitus eſt, qui juvenis adhuc, & ætatis vitio iracundus, poteſtate ſua uſus eſt in multorum perniciem. In eum ortæ conjurationes, quas cum acerrime puniret, nihil pœnis profectum eſt. Nullus exortus eſt poſt L. Cinnæ impunitatem qui ei inſidiaretur. Alia deinde ſubjiciuntur exempla clementiæ, quæ gratum favorabilemque ſuis reddidit, quæ & viventi ſalutem, & mortuo gratiam conciliavit. Nunc ex comparatione auget Neronis manſuetudinem. Si enim Auguſti vitia cum virtutibus penſantur, crudelitatis odium manſuetudinis tollit gratiam. Nero igitur longe gratioſiſſimus eſſe debet, quia nulla vitia admiſcuit virtutibus.

Si in certamen juvenilium.] Si cum tua juvenili manſuetudine componatur Auguſti manſuetudo jam ſenis, & ætatis temperatura jam moderati. Amplificatio ab ætate. ſenectutis propria eſt moderatio, juventuti naturalis eſt intemperantia. quo mirabilius eſt, juvenem ſeni moderatione præſtare.

Fuerit moderatus.] Confeſſio, quum rem aliquam concedimus, deinde inferimus quod id quod poſuimus, infirmet.

Nempe poſt Actiacum mare.] Multum Romani ſanguinis fuſum videri poteſt ad Actium promontorium Ambracii ſinus, ubi Cæſar expugnavit Antonium. Nam diu æquis viribus pugnatum eſt, partibus utrinque acerrime dimicantibus, donec ſexaginta Cleopatræ naves, quæ poſt magnas collocatæ erant, fugam capeſſentes, aliis terrorem injecerunt. Si tamen verum eſt quod ſcribit Plutarchus, ex Antonianis non ſupra quinque millia eo prælio occubuerunt. Quamobrem mirum eſt Senecam clade belli Philippenſis prætermiſſa, in qua flos Romanæ nobilitatis interiit, hanc quaſi inſignem commemoraſſe.

Poſt fractas in Sicilia claſſes.] Nun temere ullo bello aut plura aut majora pericula adiit Auguſtus, inquit Tranquillus, quam bello Siculo contra Pompejum. Bis enim claſſem tempeſtatibus obrutam amiſit. Idque per æſtatem, ut ſcribunt Plinius, & Appianus. Oppreſſus à Democrate & Apollophane Pompeii præfectis, ægre uno navigio effugit. his

quidem difficultatibus ſuperavit hoſtem non incruenta victoria. Ideo Seneca dicit poſt fractas claſſes & ſuas & alienas.

Poſt Peruſinas aras.] De bello Peruſino alibi dictum eſt, quod adverſus Lucium Antonium ſuſcepit Auguſtus: rebellaverat is & inſtinctu Fulviæ audacis mulieris, & fiducia conſulatus, quem tunc gerebat: acceſſit occaſio; quia multitudo poſſeſſionibus ſuis dejecta à veteranis militibus, quibus agri aſſignati erant, undique ad eum confluxit, & Imperatorem ſalutavit. Collecta manu occupavit Hetruriæ urbem opulentiſſimam Peruſiam: quam vallo & foſſa obſeſſam, Auguſtus ad deditionem compulit. Hæc omnia copioſe apud Appianum. Cur autem Peruſinas aras hic Seneca nominaverit, cognoſcitur ex Tranquillo. Scribunt quidam, inquit, trecentos ex dedititiis electos utriuſque ordinis ad aram divo Julio extructam, Idibus Martiis hoſtiarum more mactatos.

Et proſcriptiones.] Bene Juvenalis. Triumviros vocat diſcipulos Scyllæ ob proſcriptiones. Nihil enim unquam horrendum magis Romæ viſum eſt quam tres illas belluas in foro ſedentes, omnes qui divitiis, honore, amicitiis pollerent, nominatim ad necem deſtinare, nec viros tantum, ſed, quod dictu fœdum eſt, etiam mulieres. Octavius vero cum aliquamdiu collegis reſtitiſſet, ne qua proſcriptio fieret, inceptam utroque acerbius exercuit. aliis per gratiam & preces exorabilibus, ſolus magnopere contendit, ne cui parceretur. Proſcripſit etiam C. Toranium tutorem ſuum. Marco Lepido in ſenatu præterita excuſante, & ſpem clementiæ in poſterum faciente, quoniam ſatis pœnarum exactum eſſet, profeſſus eſt ita modum ſe proſcribendi ſtatuiſſe, ut omnia relinqueret ſibi libera.

Hæc eſt Cæſar clementia vera] Auguſti clementia, pœnitentia fuit crudelitatis & ſævitiæ. ea vero quam præſtas, nulla ſanguinis macula aſperſa eſt, provenit ex veriſſima animi temperantia, & charitate qua humanum genus complecteris.

Priorum Principum corruptus exemplis.] Ante Neronem imperabat Claudius, Claudium præceſſerat C. Caligula, Caligulam Tiberius. Ex quibus C. Caligula ferocitate & impatientia ardebat, Tiberius quaſi publico humani generis odio cauſas ſævitiæ ſibi comminiſcebatur. Claudius non tam conſilio peccabat, quam ſtoliditate & ignavia qua liberti ad crudelitatem abutebantur, quamvis eſſet ſuopte ingenio ſanguinarius. Omnes id atrocitatis auſi, quod referre non eſt opus, ubi in promptu ſunt Tranquillus & Tacitus, ex quibus petet lector quæ ad hunc locum pertinent.

Præſtitiſti Cæſar.] In hunc ſenſum accipe: præſtitiſti Cæſar civitatem incruentam. Neque id ſolum, ſed etiam præſtitiſti, quod magno animo gloriatus es nullam ſcilicet te ſtillam humani ſanguinis miſiſſe. Id enim forte gloriatus fuerat Nero aut in ſenatu, aut in concione ad populum.

Quod eo majus eſt.] Rurſum amplificatio ab ætate. ſi enim iſtæ imperiorum mutationes magnam rerum omnium viciſſitudinem ſua natura parturiunt, magnum eſt per ſe, quod Nero ne ſtillam quidem ſanguinis humani fudit, quum adeptus eſt imperium. Verum hoc auget magnitudinem, quod pene adhuc puer ætatem prudentia temperavit. Nam ſeptendecim natus annos defuncto Claudio imperium ſuſcepit.

Clementia ergo non tantum honeſtiores.] Aſſumptum ſeu intentio. Erat im propoſitio jam poſita, certiorem eſſe regibus ſecuritatem ex manſuetudine. Argumentum autem in ſuaſoriis ab utili valet plurimum. Quintilianus libro tertio. In ſuadendo conſideratur honeſtas, deinde utilitas: ſunt qui utilitatis conſiderationem in deliberationem venire ſolam putant.

Ornamentum imperiorum.] Interpretatio.

Quum Reges conſenuerint, liberiſque.] Qui legitimum imperium obtinent, & bono publico accommodant, illi morte ſua occidunt, nec ante diem, ſed ſæpe in otio & pace conſeneſcunt. Tandem quum naturæ legibus cedendum eſt, regnum relinquunt familiæ ſuæ hæreditarium. Devolvitur in filios, à filiis nepotes accipiunt. Tyranni quamdiu vivunt, execrabiles, gladio ſæpius abſumuntur quam morbo. ſic exercent violentam poteſtatem, ut non perpetua ſit. Eſt ergo locus ex contrariis. primum ponitur propoſitio, Reges conſeneſcere: tyrannorum brevem eſſe poteſtatem, qua contraria inter ſe conferuntur: ſequitur differentia inter Regem & tyrannum: tum ſubjicitur ejus differentiæ illuſtratio. Quod autem hic Seneca dicit Reges liberis ac nepotibus regna quaſi per manus tradere, ex jure gentium trahitur. Quod Homerus eleganter ſignificat hoc carmine Iliados. β

Ἕλετο δὲ σκῆπτρον πατρώϊον ἄφθιτον αἰεί.

Ubi & patrium, & incorruptum ſceptrum vocat.

Tyrannorum brevis.] Hoc voluit Juvenalis:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſanguine pauci
Deſcendunt Reges, & ſæva morte tyranni.

Et Seneca Tragicus in Medea.

Iniqua nunquam regna perpetuo manent.

Et in Thyeſte:

—— Ubi non eſt pudor,
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides:
Inſtabile regnum eſt.

Subiit memoriam nobile illud dictum Theopompi Lacedæmoniorum Regis: cui quum ab uxore probro objiceretur, quod eſſet humilius regnum filiis traditurus, quam ipſe accepiſſet: reſpondit, eo igitur majus, quo diuturnius. Erant enim eo regnante conſtituti Ephori, qui non permitterent vagari regiam libidinem. Vide Ciceronem in officiis.

Quid intereſt inter tyrannum & Regem.] Quicquid eſt differentiæ, uſus potius quam verbi etymon aut proprietas conſtituit. Tyrannus enim Græcum eſt, derivatum à verbo neutro τυραννεῖν, quod illis, imperare ſignificat. unde Iſocrates, in Εὐαγόρᾳ, τυραννικὸς, dixit pro dominandi perito. Et Ariſtophanes in nubibus vocat ὑψιμέδοντα θεὸν Ζῆνα τύραννον. Sophocles, σοφοὶ τύραννοι τῶν σοφῶν συνουσίᾳ. Hoc & Servius teſtatur in ſeptimo commentario Æneïdos, cujus verba ſunt. Apud Græcos tyranni & Regis nulla diſcretio eſt, licet apud nos incubator imperii tyrannus dicatur. His ſatis confutatus eſt error Verrii Flacci, qui ſcripſit tyrannos ab Hetruſcis appellatos, qui & Tyrrheni à Tyrrheno Lydorum duce dicti ſunt: quia gens illa crudelitatis nomine famata fuit. Itaque & auctores latini hac dictione frequenter uſi ſunt in bonam partem. Virgilius Æneïdos quarto.

Te propter Lybicæ gentes, Nomadumque tyranni
Odere.

Et in ſeptimo.

Pars mihi pacis erit, dextram tetigiſſe tyranni.

Horat. 3. carminum.

Qui Formiarum mœnia dicitur
Princeps, & innantem Maricæ
Littoribus tenuiſſe Lyrim,
Late tyrannus.

Statius 2 Thebaidos.

Ne toties incerta ferant, mutentque gementes
Imperia, & dubio pigeat parere tyranno.

Vide Auguſtinum lib. 2. & libro 5. de civitate Dei. Jam vero uſus obtinuit tyrannum dici, qui contra ſuorum voluntatem dominatur, aut intemperanter exercet poteſtatem, ut ſit nomen vitii. & ſic Græcis diſtinguuntur τύραννος καὶ βασιλεὺς, ut nobis Rex & tyrannus. Ideo Solon ſcribit quodam carmine ſe hor-

Digitized by Google

horruiſſe nominis infamiam, cum tyrannidem ultro à civibus ſuis oblatam reſpueret. Ariſtot. 8 Ethic. ponit tyrannidem regni tranſgreſſionem. & Politic. 3. Vocare conſuevimus, quum unus ad communem utilitatem gubernat, regiam poteſtatem. Quum vero pauci gubernant, plures tamen uno, optimatium gubernationem. Cum autem multitudo ad communem utilitatem gubernat, fit reſpub. Labuntur vero & tranſgrediuntur hujuſmodi ſpecies, ex regia quidem gubernatione in tyrannidem, ex optimatibus in paucorum potentiam, ex repub. in popularem ſtatum. Sunt autem multæ ſpecies tyrannidis, de quibus idem libro quinto diſſerit. Cicero in Topicis. Ex altero genere quod erat bipertitum, unum eſt de eodem, & de alio: ut ſi quæratur quid interſit inter amicum & aſſentatorem, Regem & tyrannum? Seneca in Agamemnone.

—— Rex Mycenarum fuit.
Veniet tyrannus.

Hic quoties à Seneca uſurpatur, accipiendum in malam partem.

Cap. XII.

Quid ergo? Non Reges quoque occidere ſolent, ſed quoties id fieri publica utilitas perſuadet. tyrannis ſævitia cordi eſt. Tyrannus autem à Rege diſtat factis, non nomine. Nam & Dionyſius major jure meritoque præferri multis Regibus poteſt. Et L. Syllam appellari tyrannum quid prohibet? cui occidendi finem fecit inopia hoſtium, deſcenderit licet è dictatura ſua, & ſe togæ reddiderit. Quis tamen unquam tyrannus tam avide humanum ſanguinem bibit, quam ille, qui ſeptem millia civium Romanorum contrucidari juſſit? & cum in vicinia ad ædem Bellonæ ſedens exaudiſſet exclamationem tot millium ſub gladio gementium, exterrito ſenatu: Hoc agamus, inquit, P. C. ſeditioſi pauculi meo juſſu occiduntur. Hic non eſt mentitus, pauci Syllæ videbantur. Sed mox de Sylla conſequemur quomodo hoſtibus iraſcendum ſit. Utique ſi in hoſtile nomen cives, & ex eodem corpore abrupti tranſierint. Interim hoc quod dicebam, clementia efficit, ut magnum inter Regem tyrannumque diſcrimen ſit, uterque licet non minus armis valletur: ſed alter arma habet, quibus in munimentum pacis utitur, alter ut magno timore magna odia compeſcat. Nec illas ipſas manus quibus ſe commiſit, ſecuras aſpicit. Contrariis in contraria agitur. Nam ut inviſus ſit quia timetur, timeri vult quia inviſus eſt. Et illo execrabili verſu, qui multos dedit præcipites, utitur, Oderint, dum metuant. Ignarus quanta rabies oriatur, ubi ſupra modum odia creverunt. Temperatus enim timor cohibet animos, aſſiduus vero & acer, & extrema admovens, in audaciam jacentes excitat, & omnia experiri ſuadet. Sic feras linis & pinna concluſas contine, eaſdem à tergo eques telis inceſſat, tentabunt fugam per ipſa quæ fugerant, proculcabuntque formidinem. Acerrima virtus eſt quam ultima neceſſitas extundit. Relinquat oportet ſecuri aliquid metus, multoque plus ſpei quam periculorum oſtentet. Alioqui ubi quieſcenti paria metuuntur, incurrere in pericula juvat, & aliena anima abuti. Placido tranquilloque Regi fida ſunt auxilia ſua, quibus ad communem ſalutem utatur, glorioſuſque miles, publicæ enim ſecuritati dare operam videtur, omnem laborem libens patitur, ut parentis cuſtos. At illum acerbum & ſanguinarium neceſſe eſt graventur ſtipatores ſui.

Quid ergo?] Interrogatio, quæ diſpoſitionem adjuvat, & excitat auditorem. Quum enim ea quæ de differentia inter Regem & tyrannum breviter complexus eſt, longa verborum ſerie poſtea ſit enarraturus, minus hæc haberent gratiæ, ſi æquali tractu pronunciata eſſent, in hunc modum, Nam & Reges occidere ſolent, ſed quoties &c.

Nam & Dionyſius major.] Dionyſius major non Rex, ſed tyrannus Syracuſarum vulgo dicitur: & tamen multi qui Reges appellati ſunt, multo acerbius exercuerunt regnum, quam ipſe tyrannidem. Hic igitur Rex, illi verius tyranni, ſi ex ſuis operibus æſtimentur. Neque tamen Dionyſius ipſe manſuetus per ſe aut moderatus fuit: quem etiam dirum atque exitialem terris futurum ſomnia portenderunt antequam naſceretur, ut refert Valerius. Et Macrobius inclementiſſimum aulæ Siculæ incubatorem vocat: qui ſubmotis amicis, homines barbaros & ferociſſimos in eorum locum ſubſtituit, quibus latera ſua committeret. Verum quorundam ſævitiæ comparata ejus crudelitas, pene ſpeciem habet clementiæ. Quo factum eſt ut duodequadraginta annorum dominationem peregerit, quum plerique Reges faſtidio depulſi, aut exilio aut morte male mulctati ſint. Eo tempore floruit, quo Athenienſibus triginta tyranni impoſiti ſunt: quo eodem fere tempore Romæ creati ſunt Tribuni militum conſulari poteſtate, anno poſt conditam urbem 347 ut cenſet Gellius. Nam Livius tradit fuiſſe anno 310. Dionyſium majorem dicit propter filium, qui tyrannidem velut hæreditariam à patre accepit. Poſtea per factionem expulſus ludum literarium Corinthi pueris aperuit. Quoddam ſcilicet fortunæ ludibrium, utramque expertus, adverſam moderatius tulit, proſpera intemperanter abuſus eſt. Loquitur autem contra Vallæ obſervationem, quum majorem dicit potius quam ſuperiorem: ſicut Valer. lib. 3. Felicior progenie ſua ſuperior Cato, à quo Porciæ familiæ principia manarunt. Idem. Cato vero ſuperior ſæpenumero ab inimicis ad cauſæ dictionem vocatus, nec ullo unquam crimine convictus, &c.

Et L. Syllam.] Sylla quum pluſquam tyrannicè in cædes & latrocinia rueret, nunquam tyrannus vocatus eſt. Dictatoria nomen retinuit, quem magiſtratum liberi populi ſibi imponebant. Et tamen quis neget vere tyrannum fuiſſe, ſi tyrannus is eſt qui impotenter dominatur, qui cædibus ſuorum paſcitur, qui præter æquum & bonum violenter imperium exercet?

Cui occidendi finem.] Imo vero ne ipſa quidem modum impoſuit. multi enim quibus nihil erat cum Sylla rei, & qui civilibus factionibus abſtinuerant, privatis inimicitiis ſunt interempti, ſub hoc prætextu, quod Mariani eſſent, quanquam ſe nunquam admiſcuerant Mario. poſtea Sylla à quodam ſenatore rogatus, ut declararet quos eſſet pœnis affecturus. ne tot immerentes jugularentur, octoginta cives proſcripſit. Id ægre ferente ſenatu, addidit ducentos ac viginti. Tertio etiam non pauciores adjecit. ſuper hoc in concione ſe proſcripſiſſe dixit, qui tunc memoriæ ſuccurriſſet: alios proſcripturum, qui oblivione eſſent præteriti. Si quis proſcriptum recepiſſet, opibus adjuviſſet, morte liberaſſet, mortem irrogari præcepit, ut pietatis pœnas lueret. Non fratrem, non filium, non parentem excepit. Neque deorum templa, neque hoſpitales penates, nec paternas domos à cædibus puras eſſe voluit. Nec Romæ ſolum, ſed in omnibus Italiæ oppidia proſcriptiones exercuit. Præneſte illati primum viritim cruciatus, judiciario more. Deinde duodecim millia trucidata: ſoli Syllæ hoſpiti conceſſa impunitate: quam tamen fortiter abnuit, reſpondens nullam ſe habere ſalutis gratiam, ſi extinctori patriæ permiſceretur. Mille alia id genus leges apud Appianum & Plutarchum.

Deſcenderit licet è dictatura ſua.] Cum ita ſe in republ. gereret, dictaturam aſſumpſit, magiſtratum ſcilicet populo Romano antea uſitatum, cui tamen rerum ſumma permitteretur. Libere enim in capita civium dictatores animadvertebant, non parebant tribunorum interceſſionibus, & pene ſupra leges erant, non ſecus ac regia poteſtate præditi. Quamobrem

obrem cautum erat, ut ſe abdicarent magiſtratu ſexto menſe, ex quo adepti eſſent, ne magnum imperium, quod periculoſum creditur, foret diuturnum. Sylla vero in annos centum & viginti ſibi deſumpſit. Cujus exemplum ſecutus eſt Julius Cæſar. Verum hic ſemel acceptam poteſtatem nunquam dimiſit, ille vero ſibi abrogavit in cœtu populi, auſus exponere ſe rationem geſtæ dictaturæ redditurum, ſi quis inquireret. Ideo cavillatus in eum Cæſar, dixit neſciſſe literas, qui dictaturam depoſuerit. Et rhetores inter declamandi exercitationes, deliberationem Syllæ agitabant dictatutam in concione deponentis: ut ait Quintil. lib. 8. Quo alluſit Juvenal. Satyra prima.

——— Et nos
Conſilium dedimus Syllæ, privatus ut altum
Dormiret.

Quum ad hunc modum abuterentur ejus poteſtatis licentia, qui imperium affectabant, nomen ſenatusconſulto abrogatum eſt in perpetuum Antonio conſule. Quæ cauſa fuit ut poſtea Auguſtus magna vi offerente populo, genu nixus, dejecta ab humeris toga, nudo pectore, eam deprecatus ſit. Verba igitur Senecæ hunc habent ſenſum, licet præter morem tyrannorum aliquando tyrannidem exceſſerit, & in privatorum ordinem ſe compoſuerit, nullus tamen tyrannus etiam qui ad mortem perſeveraverit, avidior fuit hauriendi ſanguinis.

Et ſe togæ reddiderit.] Eadem locutione utitur Lucanus lib. 7. in perſona Cæſaris.

Ipſe ego privatæ cupidus me reddere vitæ,
Plebejaque toga modicum componere civem.

Ut per togam ſignificetur privatus habitus: quia prætexta inſigne erat Magiſtratuum. Pædianus in divinationem. Toga communis habitus marium & fœminarum, ſed prætexta honeſtiorum, toga viliorum. Quod tamen non ſatis eſt. Nam Sylla poſt depoſitam dictaturam ſenatoriam dignitatem retinebat. Quid ſentiam, breviter perſtringere viſum eſt. Inprimis prætextati erant Magiſtratus, ut dictum eſt, & oſtendit Plin. in Panegyr. Geſtum, inquit, conſulatum mirer, an non receptum? Geſtus non in hoc urbis otio & intimo ſinu pacis, ſed juxta barbaras gentes, ut illi ſolebant, quibus moris erat paludamento mutare prætextam. Item, Modo prætextas exuerant, reſumant: modo lictores abire juſſerant, revocent &c. Et Livius lib. 10. 3 Decadis enumerat inſignia triumphantium, & Magiſtratuum, ſellas curules, togam prætextam, tunicam palmatam, togam pictam, coronam triumphalem, lauream. Nonnulli alii etiam prætexta utebantur, conſulares ſcilicet viri & prætorii, ac ſimiles functi honoratis Magiſtratibus, vel ſuis in rempub. meritis eum honorem conſecuti. Cicero quum de ædilitate ſua loquitur, Sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, jus imaginis ad memoriam poſteritatemque prodendam. Idem pro Cornelio Balbo. Qui prætoriam ſententiam, ac togam prætextam legum præmiis conſequuntur. Ne illi quidem ſemper prætexta toga induti in publicum procedebant, ſed celebrandis ſupplicationibus, aut aliis feriis ſolennibus, & aliis quibuſdam publicis feſtivitatibus. Cicer. Philip. 2. Cur non ſumus prætextati? Cur honorem Cæſaris tua lege datum deſeri patimur? Bene ergo per togatos, privatos homines intelligimus, ſive ſenatores, ſive plebejos.

Tam avide ſanguinem bibit.] Uſus eſt loquendi frequens, quum volunt ſcriptores quempiam exprimere ſuppliciis gaudentem, ut dicant eum ſanguinem ſitire, & bibere. Plinius. Volumen evomuit, quo facile intelligatur ebrius jam ſanguine civium, & tanto magis eum ſitiens. unde illud carmen in Tiberium jactatum:

Faſtidit vinum, quia jam ſitit iſte cruorem:
Tam bibit hunc avide, quam bibit ante merum.

Cæſar apud Lucanum.

Sic & Syllanum ſolito tibi lambere ferrum,
Durat magna ſitis.

Qui ſeptem millia civium] Hanc eandem hiſtoriam recitat Auguſt. lib. 3. de civit. & Plutarchus in vita Syllæ. Hic tamen in numero à Seneca diſcrepat, ſcribit enim interfectos ad ſex millia: nec reſponſum Syllæ ponit ſuperbum adeo atque atrox. Illic enim legitur quoſdam flagitioſos caſtigari, non pauculos. ſed hoc addidit Seneca ad auxeſin, quo majorem faceret Syllæ invidiam. Auguſtinus de numero cum Seneca convenit.

Ad ædem Bellonæ.] In ea æde ſæpe habebatur ſenatus, præſertim cum aut externarum gentium legatis dabatur, quibus urbem ingredi non liceret, aut Imperatoribus triumphum petituris, qui ex more urbem non ingrediebantur, niſi triumphantes. Utriuſque rei exempla ſunt apud Livium 3. decad. lib. 10. de legatis Carthaginienſium, quibus vetitis ingredi urbem, hoſpitium in via publica, ſenatus ad ædem Bellonæ datus eſt. lib. 8. Senatu extra urbem in æde Bellonæ dato, quas res geſſiſſet in Hiſpania, diſſeruit. Erat enim juxta circum maximum extra urbem ſita, ab Appio Pulchro conſecrata, auctore Ovid. 6. Faſt.

Hac ſacrata die Thuſco Bellona duello
Dicitur, & Latio proſpera ſemper adeſt.
Appius eſt author, Pyrrho qui pace negata,
Multum animo vidit, lumine captus erat.
Proſpicit à tergo ſummum brevis area circum, &c.

Eam autem diem intellige pridie Nonas Junias, ſeu quartum diem menſis Junii. Voviſſe Appium Pulchrum author eſt Liv. lib. 10. verum à quo ſit conſecrata, aut quo tempore, non meminit. Primum tamen ſenatusconſultum apud Livium ibi factum legitur, quum victor Marcellus reverſus ex Syracuſis triumphum ob res à ſe geſtas poſtulavit. Senatum habebat C. Calphurnius prætor. lib. 6. 3. decad. De ipſa dea lege Ciceronem libro ſecundo de natura deor. Lactantium libro primo. Ut ad Syllam redeamus, potuit facile clamorem exaudire. Illa enim hominum ſeptem millia quæ ſe illi dediderant, ac in fidem permiſerant, convenerant in circum maximum non longe à Bellonæ templo.

Pauci Syllæ videbantur.] Sic reſpondiſſe Syllam alii non tradunt, quemadmodum diximus: ſed hoc addidit Seneca, ut acciperet occaſionem ſchematis quod Græcis ἀνάκλασις dicitur, quum id quod ab altero dictum eſt, in aliam ſententiam retorquemus. hujuſmodi eſt vulgare illud Proculeji: cui quum filius dixiſſet ſe non mortem patris expectare, ſcilicet intelligens ſe non inhiare hæreditati, excepit ille, Imo vero expectes, nec properes moliri ut velocius moriar. Sylla pauculos dixerat occidi, ut terrorem minueret quem Senatus ex tanto clamore conceperat: Seneca ad ſanguinis aviditatem refert.

Ex eodem corpore abrupti.] Argute colligit eos non eſſe cives, qui in commune non vivunt. Quid enim eſt civitas? Nempe conſilium cœtuſve hominum jure ſociatus, inquit Cicero in ſomnio Scipionis. Quam definitionem ſumpſit ex Ariſtotele in Polit. Si igitur non omnis ſocietas eſt civitas, ſed ea tantum quæ probis moribus, & æquis legibus vivat: nimirum qui legibus non obtemperant, cives non ſunt, ſed ex corpore legitimæ civitatis abrupti, in hoſtile nomen tranſeunt. In eandem ſententiam alibi Cicero: Ut corpora noſtra ſine mente, ita civitas ſine lege, ſuis partibus ut nervis ac ſanguine & membris, uti non poteſt.

Interim hoc quod dicebam.] Quaſi diceret. Illud obiter dictum ſit, admoneri nos exemplo Syllæ quos hoſtes perſequi debeamus. Interim quod eſt

inſtituti

Digitized by Google

inſtituti noſtri proprium facile tyrannum à Rege diſcernit clementia.

Uterque licet non minus armis valletur.] Παραδιαστολή, quam Fabius lib. 9. diſtinctionem vocat, quæ duas res aut plures, quæ videntur eandem vim & rationem habere, disjungit, & quantum diſtent docet, ſuam cuique propriam ſententiam ſubjungendo. Sic Ovid. in re ſimili.

Et latro, & cautus præcingitur enſe viator:
Ille ſed inſidias, hic ſibi portat opem.

Ejuſdem generis eſt etiam quod ſequitur. Nolo te ſæpius parcum appellare, cum ſis avarus. Nam qui parcus eſt, utitur eo quod ſatis eſt. tu contra propter avaritiam, quo plus habes, magis eges. Ita non tam diligentiæ fructus, quam copiæ miſeria conſequitur.

Alter arma habet quibus.] Rex ſcilicet, cujus officium eſt vim quæ ſubditis inferatur, armis propulſare, quibus utitur tanquam pacis præſidio.

Alter ut magno timore.] Scilicet tyrannus, qui quum omnibus inviſus ſit, odia terrore cobibet. Quod ſignificavit Tranquil. de Domitiano loquens. Inopia rapax, metu ſævus. Et Claud.

Cuncta ferit, dum cuncta timet.

Nec illas ipſas manus.] Qui omnes timet, qui ad omnem motum trepidat, ſuos etiam ſatellites cur non timeat? armatos videt, nec ſatis ſecurus eſt, an pro ſe, an contra ſe ferro accingantur. In hanc ſententiam introducitur Thyeſtes à Seneca Tragico.

——— *Dum excelſus ſteti,*
Nunquam pavere deſtiti, atque ipſum mei
Ferrum timere lateris.

Ut inviſus ſit quia timetur.] Contrariis in contraria agitur tyrannus. Nam timeri vult quia inviſus eſt. Et tamen ideo inviſus eſt, quia timetur. atqui nihil opus eſſet timore, ſi nullum eſſet odium. Hoc igitur unum illi malum eſt, quod putat mali remedium.

Et timetur.] Ut enim ait Ennius, quem metuunt oderunt: quem quiſque odit, periiſſe expetit. Senec. lib. de Ira. Quid? quod ſemper in auctores redundat timor, nec quiſquam metuitur, ipſe ſecurus? Occurrat hoc loco tibi Laberianus ille verſus, qui medio civili bello in theatro dictus, totum in ſe populum non aliter convertit, quam ſi miſſa vox eſſet publici affectus. Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent. Ita natura conſtituit, ut quod alieno metu magnum eſt, ſuo non vacet.

Timeri vult.] Quid enim aliud faciunt, quam terrorem omnibus incutiunt, qui omnes ſibi gladios impendere, ſuæque vitæ imminere arbitrantur? Lege Tragœdiam Senecæ quæ inſcribitur Octavia: in quam ſententias pene ad verbum ex hoc opere tranſtulit. Vere ergo tyrannica vox Dionyſii, qua jactabat vincula adamantina eſſe metum, violentiam, claſſem, & decem millia armatorum.

Et illo execrabili verſu.] Verſus hic Atreo attribuitur in tragœdia quadam veteri, ſive Accii ſive alterius cujuſpiam: quemadmodum Cicero duobus locis meminit. Offic. 1. Si Æacus aut Minos dixerit, Oderint, dum metuant. aut, Natis ipſe ſit ſepulchrum parens: indecorum videretur: quod eos fuiſſe juſtos accepimus. at Atreo dicente, plauſus excitantur. Et Philip. 1. Videmus quoque in fabulis, ipſis qui, Oderint, dum metuant, dixerint, pernicioſum fuiſſe.

Oderint dum metuant.] Suetonius in Calig. Tragicum illud ſubinde jactabat. Oderint dum metuant, Item in Tiber. Tragicum illud identidem jactabat. Oderint dum probent. Seneca lib. 1. de Ira. Diram illam & abominandam vocem Syllano ſcias tempore eſſe ſcriptam. Oderint dum metuant. Hoc nomine Cæſarem onerat invidia Lucanus, his verbis,

—— *Gaudet tamen eſſe timori*
Tam magno populis: & ſe non mallet amari.

Ubi ſupra modum odia creverunt.] Tyrannus quidem ſatis proſpere actum putat, ſi à ſuis metuatur, nihil ad ſe pertinere odium exiſtimans, quod terrori ſuccumbat. Interim creſcunt odia, & tandem in rabiem vertuntur, quæ nullo timore qua libet ruit. Hîc nihil agunt gladii, nihil ſatellites, hic miſer à ſuis præſidiis deſeritur, quæ ſibi in eam fortunam comparaverat.

Temperatus enim timor.] Nam & boni Principes neceſſe habent metu continere facinoroſos homines, ut appetitus noxii ſub juris regula limitentur: & pœnas exequi quæ irrogantur à legibus, ne impunitas augeat confidentiam. ſed adhibent temperaturam: quoniam multis exorabiles ſe præſtant, pluribus etiam amabiles. Terror ille tyrannicus, qui nec mediocritatem habet, nec intervallum, nec diſcrimen, ita ad vivum pungit, ut magis irritet quam coërceat.

Sic feras lineis.] Similitudo eſt appoſitiſſima, qua idem ipſe Seneca utitur libro nono declam. Quædam, inquit, feræ tela commordent, & in mortis auctorem per vulnera ruunt. Sed hæc expreſſior & accommodatior ad id quod dixerat. Ut enim terror ille, quem poſuit, acer & aſſiduus, & extrema admovens, ſic feras indagine cinctas, venatore ferrum admovente, undique urget deſperatio.

Lineis & pinna.] Periphraſtice deſignat indaginem, hoc eſt plagarum ſeriem in varros arrectarum.

Tentabunt fugam per ipſa quæ fugerant.] Dum enim ferrum fugiunt venatoris, ſe lineis plagis implicant: quibus rurſum dum ſe explicare contendunt, curſum in venatorem retorquent, venabulum dentibus arripiunt. Idque contingit in ultima deſperatione. Eſt enim artis venatoriæ, facere aliquam ſpem evadendi, ſi aufugiant, quo ſe facilius conjiciant in plagas.

Acerrima virtus eſt.] Γνώμη ſeu ſententia, quæ frequenter in clauſulis ponitur. Hîc ſimplex, & ad rem relata. Eſt autem non minus vera ſententia, quam celebris & vulgata. Porcius Latro in declamat. Graviſſimi ſunt morſus irritatæ neceſſitatis. Q. Curtius lib. 5. Ignaviam quoque neceſſitas acuit: & ſæpe deſperatio, ſpei cauſa eſt. Idem alibi. Efficacior omni arte neceſſitas, non uſitata modo præſidia, ſed etiam nova admovit. Hinc illud hortamentum Hannibalis ad milites, quo nihil efficacius dici potuit. Aut vincendum, aut moriendum, milites. lib. 10. Livii. & 3. decad. lib. 1. Vobis neceſſe eſt fortibus viris eſſe, omnibus inter victoriam, mortemve certam, deſperatione abruptis, aut vincere, aut ſi fortuna dubitabit, in prælio potius, quam in fuga mortem oppetere. Nullum incitamentum ad vincendum homini à diis immortalibus acrius datum eſt. Simile quiddam eſt apud Saluſtium in perſona Catilinæ.

Extundit.] Verbum in hac ſignificatione elegans, ut ſtudii contentionem deſignet. Eſt enim quaſi tundendo elicere, ut ait Nonius: qui etiam Virgil. carmen Georg. 1. ſic legit.

Ut varias uſus meditando extunderet artes.

Quamvis Servio & Feſto placeat, excuderet. Suet. in Veſpaſ. Latumclavum quamvis fratre adepto, diu averſatus eſt, nec tandem ut appeteret compelli niſi à matre potuit. ea demum extudit magis convitio, quam precibus. Ipſe Seneca alibi. Qui etiam ex duro & immemori pectore gratiam extundit.

Relinquat oportet ſecuri.] Bonus Princeps timetur ut præſes legum, & cuſtos: quæ non omnibus pœnas irrogant, ſed iis qui non aliter corrigi poſſunt. hunc improbi & facinoroſi formidant, boni amant & reverentur.

Ubi quieſcenti.] Senſus eſt, tyrannus non modo de iis ſumit ſupplicium, qui in necem ſuam conſpirarint: ſed etiam accuſatores ſubmittit, qui fictis crimi-

criminibus opprimant innocentes. Sive igitur magnum aliquid cogites, ſive quieſcas, verſaris ſemper in eodem capitis diſcrimine. Satius eſt autem à vero accuſatore, quam à calumniatore trahi in judicium.

Aliena anima abuti.] Secundum eam differentiam, quam Donatus obſervavit in Phormione. Abutimur, ait, cum injuria & contumelia. quemadmodum etiam accepit Curtius, lib. 8. Hæc ergo ſunt Macedonum præmia, quorum ut ſupervacuo & viliſſimo abuteris ſanguine.

Placido tranquilloque Regi.] Hactenus argumentabatur in hunc modum, etiamſi tyrannus aliquod præſidium habeat in ſatellitibus armatis, non ſatis firmum eſſe & validum tamen, quod odio publico vinceretur. nunc arguit nullum etiam in iis eſſe præſidium, nempe qui cuſtodia ejus graventur.

Sanguinarium.] Id eſt crudelem, & ſanguinis appetentem. Tranquil. in Claud. Sævum & ſanguinarium natura fuiſſe magnis, minimiſque apparuit rebus. Plinius epiſt. 4. De hujus nequitia ſanguinariiſque ſententiis in commune omnes ſuper cœnam loquebantur. Sic Plinius major vocat ſanguinarium Tarquinii reſponſum, & idem Seneca lib. 3. de Ira, feram ſanguinariam. eadem forma Græcis [illegible], [illegible]. Pro quibus nominibus Polit. in Herodiano ſanguinarium vertit.

Cap. XIII.

Non poteſt habere quiſquam fidæ ac bonæ voluntatis miniſtros, quibus in tormentis & eculeo & ferramentis ad mortem paratis utitur, quibus non aliter quam beſtiis homines objectat: omnibus reis noxior ac ſolicitior, ut qui homines deoſque teſtes ac vindices facinorum timeat, eo perductus, ut non liceat illi mutare mores. Hoc enim inter cætera vel peſſimum habet crudelitas: Perſeverandum eſt, nec ad meliora patet regreſſus. Scelera enim ſceleribus tuenda ſunt. Quid autem eo infelicius, cui jam eſſe malum neceſſe eſt? O miſerabilem illum, ſibi certe! nam cæteris miſereri ejus nefas ſit, qui cædibus ac rapinis potentiam exercuit, qui ſuſpecta ſibi cuncta reddidit tam externa quam domeſtica: cum arma metuat, ad arma confugiens: non amicorum fidei credens, non liberorum pietati. Qui ubi circumſpexit quæque fecit, quæque facturus eſt, & conſcientiam ſuam plenam ſceleribus ac tormentis adaperuit: ſæpe mortem timet, ſæpius optat, inviſior ſibi quam ſervientibus. E contrario is cui curæ ſunt univerſa, qui non alia magis, alia minus tuetur, nullam non reipub. partem tanquam ſui nutrit, inclinatus ad mitiora, etiamſi ex uſu eſt animadvertere: oſtendens quam invitus aſpero remedio manus admoveat; In cujus animo nihil hoſtile, nihil efferum eſt. Qui potentiam ſuam placide ac ſalutariter exercet, approbare imperia ſua civibus cupiens: felix abunde ſibi viſus, ſi fortunam ſuam publicaverit. ſermone affabilis, acceſſuque facilis. vultu, qui maxime populos demeretur, amabilis. æquis deſideriis propenſus, & iniquis acerbus. qui à tota civitate amatur, defenditur, colitur. Eadem de illo homines ſecreto loquuntur, quæ palam. Tollere filios cupiunt, & publicis malis ſterilitas indicta recluditur. Bene ſe meriturum de liberis ſuis quiſque non dubitat, quibus tale ſeculum oſtenderit. Hic princeps ſuo beneficio tutus, nihil præſidiis eget: arma ornamenti cauſa habet.

Hoc caput eſt annexum ſuperiori. Reddit enim rationem ejus quod dixerat, non poſſe fieri quin graventur ſtipatores acerbo & ſanguinario Principe. ſubdit nunc, quia nulla poteſt eſſe eorum fides aut benevolentia, quos aſſiduis cædibus, beſtiarum more, exercet. Alludit autem Seneca ad morem antiquum Romanorum, qui ſupplicio addictos aut feris objiciebant, ut protinus laniarentur: aut cogebant cum feris depugnare. Hique poſtremi ad beſtias condemnati dicebantur. Illi priores, qui in mortem præſentaneam tradebantur, pejori erant conditione.

Omnibus reis noxior.] Qui reus eſt & noxius, eum quoque ſolicitum eſſe oportet. Nam cum per ſe meticuloſa res ſit ire ad judicem, ut ait Plaut. meticuloſiſſima eſt cauſam capitalem & malam ſuſtinere, in qua de capite tuo ſententiam ſecundum adverſarium ferendam expectes. Comparativum nomen quo uſus eſt Seneca, non poteſt exigi ad communem aliorum formam: nec tamen caret exemplo. Plautus in Moſtel. Quo neque induſtrior de juventute erat arte gymnaſtica. Juvenalis.

Egregius cœnat, meliuſque miſerrimus horam.

Cicero in oratione pro domo ſua ad Pontif. Quis apud populum Romanum de illius dignitate induſtrius? quis ſenatui ſæpius dixit?

Ut non liceat illi mutare mores.] Putat enim paratam ſibi eſſe ultimam perniciem tyrannus, ſi ſolito faciliorem ſe exhibeat. ſemper enim mortem habet præ oculis, quam non credit poſſe evitari, niſi vi armiſque propulſetur. Sic animatus, etiamſi velit, non tamen audet quicquam de ſolita crudelitate remittere. Ideo Phalaris in quadam epiſtola, periculoſius ait deponere principatum, quam occupare. Et Dionyſius dicebat non equo inſidentem, ſed pedibus tractum debere deponere tyrannidem: ut meminit Livius lib. 4. 3. Decad. Memorat & Plutarchus Solonis reſponſum, qui aiebat, pulchrum quidem tyrannidem eſſe locum, ſed exitum non habere.

Scelera ſceleribus tuenda.] Hic mos eorum eſt, qui cum defendere admiſſa flagitia non poſſint, de novis ſceleribus remedia quærunt. Jam hoc ſcelus eſt, quod tyrannus irrumpit in publicam libertatem, ac pacem civitatis tumultuoſe perturbat: deinde ut poſſeſſionem ſemel acceptam retineat, cogitur omnes de medio tollere, qui ſunt alicujus in urbe dignitatis, qui poſſunt ad recuperandam libertatem populum concitare. Hæc ubi perpetravit, proſpicit ne qui exiſtant ultores ac vindices. Itaque omnem generoſum ſanguinem effundit. Demum agnoſcit ſe omnibus execrabilem ac deteſtandum: quas execrationes dum vult à ſuo capite amoliri, ſcelera ſceleribus tuetur. Ita nec modus nec finis ſcelerum. Seneca in Agamem.

Per ſcelera ſemper ſceleribus tutum eſt iter.

Hinc eleganter Perſius.

Virtutem ut videant, intabeſcantque relicta.

Non amicorum fidei.] Sic de Dionyſio legimus, qui ſubmotis amicis, in eorum locum ferociſſimarum gentium homines, & à familiis locupletum electos prævalidos ſervos, quibus latera ſua committeret, ſubſtituit. Valer. auctor lib. 9. Cicero quoque Tuſculan. v. de eodem loquens. Qui cum eſſet bonis parentibus atque honeſto loco natus, etſi id quidem alius alio modo tradit, abundaretque & æqualium familiaritatibus, & conſuetudine propinquorum, haberet etiam more Græciæ quoſdam adoleſcentes amore conjunctos, credebat ſe eorum nemini: ſed iis quos ex familiis locupletum ſervos delegerat, quibus nomen ſervitutis ipſe detraxerat, & quibuſdam convenis, & feris barbaris corporis cuſtodiam committebat. Lege apud eundem Ciceronem Offic. 2. de Alexandro Phereo.

Non liberorum pietati.] Hoc etiam ad Dionyſium refertur, qui cum ſe tonſorum manibus nollet permittere, tondere filias docuit, quarum etiam poſtea ſuſpectam habens fraudem, inſtituit ut candentibus juglandium putaminibus barbam ſibi & capillum adurerent. Non eſt autem oſcitanter prætereundum, quod Seneca fidem amicorum dixit, & pietatem liberorum. Sic enim eorum officia diſtinguuntur.

tur. Plin. in panegyrico. Reddita eſt amicis fides, liberis pietas, obſequium ſervis. Cicero in oratione pro Quintio, Veritate amicitia, fide ſocietas, pietate propinqoitas colitur. Neque miteris alibi veritatem, alibi fidem legi. ſunt enim ejuſdem prope ſignificationis, pro ea quam Græci [illegible] vocant. Idem Cicero pro Plancio. Quid pietas, niſi voluntas grata in parentes? Quintilianus libro 5. Ut ea in quæ communi opinione conſenſum eſt, deos eſſe, præſtandam pietatem parentibus. Ut tamen intelligant lectores quid vere ſit pietas, ſubjiciam verba Ciceronis ex Topicis. Atque etiam, inquit, rurſus æquitas tripertita dicitur eſſe. una ad ſuperos, altera ad manes, tertia ad homines dicitur pertinere. prima pietas, ſecunda ſanctitas, tertia juſtitia ſeu æquitas. Hactenus Cic. Verum quoniam parentes nobis quaſi deorom vice ſunt, ad eos derivatur: quod innuit Auguſt. lib. 10. de civit. Pietas proprie Dei cultus intelligi ſoler, quam Græci εὐσέβειαν vocant. Hæc tamen & erga parentes officioſe baberi dicitur. Quin & hoc oomine otimur, cum volumus præcipuam amoris vim exprimere. Cicer. lib. 1. epiſt. Perjucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus intellexi te perſpicere meam in te pietatem. Quid enim dicam benevolentiam, cum illud ipſum graviſſimum & ſanctiſſimum nomen pietatis levius mihi meritis erga me tuis videatur?

Qui ubi circumſpexit.] Hactenus executus eſt tyrannum eſſe miſerrimum, qui ſic deos horreret & homines, teſtes ac vindices facinorum, ut nec amicorum fidei ſe permitteret, nec liberorum pietati fideret, qui neceſſe haberet ad armorum præſidia confugere, ne ipſis quidem ſatis ſecurus. Nunc addit, qood eſt gravius, eum habere teſtem conſcientiam, quæ inſtar vermis eum intus corrodit ac lacerat. Eſt enim conſcientia mille teſtes, ut proverbio fertur. Juvenalis Satyr. 13.

——— Quos diri conſcia facti
Mens habet attonitos, & ſurdo verbere cædit.
Occultum patiente animo tortore flagellum.
Pœna autem vehemens, & multo ſævior illis,
Quas & Ceditius gravis invenit, & Rhadamantus,
Nocte dieque ſuum geſtare in pectore teſtem.

Pacatus in Panegyrico. Habet neſcio quos internos mens ſcelerata carnifices, imo ipſa ſibi carnifex conſcientia eſt &c. Cicer. pro Roſcio, Nolite putare, quemadmodum ſæpe in fabulis videtis, eos qui aliquid impie ſceleratque commiſerint, agitari & perterreri furiarum tedis ardentibus: ſua quemque fraus, & ſuus terror maxime vexat: ſuum quemque ſcelus agitat, amentiaque afficit: ſuæ malæ cogitationes conſcientiæque animi terrent. hæ ſunt impiis aſſiduæ domeſticæque furiæ. Secundum hæc Ciceronis verba intelligendum illud Statii. 1. Thebaid.

Scelerumque in pectore diræ.

Idem Cicero pro Milone. Magna eſt vis conſcientiæ, & magna in utramque partem: ut neque timeant qui nihil commiſerint, & ſemper ante oculos pœnam verſari putent, qui peccarint. Plura Seneca in eandem ſententiam epiſtola 98.

Fortunam ſuam public.] Hoc enim inter regnum & tyrannidem intereſt, quod illud ad publicam utilitatem pertinet, hæc privatis commodis continetur. Pro eo quod hic Seneca publicare dicit, Curtius vulgare. verba ſunt libro 9. Ad hoc, itineris labor, & ægritudo animi vulgaverat morbos. Item, & contagium morbi etiam io alios vulgatum eſt.

Sermone affabilis, acceſſuque facilis.] Vere regiæ virtutes, præ ſe ferre quandam ſermonis ſuavitatem, quæ alliciat potius quam deterreat, omnibus ſe facilem & expoſitum exhibere &c.

Æquis deſideriis propenſus.] Utrumque Principi obſervandum, ut quod æquum eſt, non ægre impetrari à ſe permittat, & ne tantam ſuis licentiam indulgeat, ut poſſint in alios plus quam æquum eſt uſurpare.

Eadem de illo homines ſecreto.] A malis Principibus laudes vi & metu exprimuntur, ſenatusconſulta honorifica, panegyrici ſolennes, theatricæ acclamationes. Sed quod non audent homines palam prædicare, alter in alterius aures muſſant. Bonum Principem quem laudant, amant. Laudant enim ex affectu, nec ſecreto execrantur, ut tyrannum. Eadem fere eſt ſententia in Panegyr. Plinii. Nec eadem de Principe prædicemus, quæ prius. neque enim eadem ſecreto loquitur, quæ prius.

Tollere filios cupiunt.] Ad rempub. pertinet liberis dare operam: quippe quæ hominis tantum ætatem duratura ſit, niſi novam prolem parentes ſubinde ſufficiant. Unde lex Metelli, cujus meminit Gellius, quam eandem Auguſtus ſuaſit. Et jura liberorum apud Romanos. Et apud Platonem libro ſexto de republica punitur cœlibatus. Igitur laus Imperatoris eſt, quod ſub ejus imperio cives tollere filios cupiunt. Id ipſum inter laudes Trajani ponit Plinius. Fœminas, inquit, tunc fœcunditatis ſuæ maxima voluptas ſubiit, cum cernerent cui Principi cives, cui Imperatori milites peperiſſent. Quod hic tollere filios dicit Seneca, oos etiam vernacula lingua elevare dicimus. Terent. in Heaut. Meminiſtine me eſſe gravidam, & mihi te maximopere interminatum, ſi puellam parerem, nolle tolli? Curtius libro nono. Genitos liberos non parentum arbitrio tollunt, aluntque: ſed eorum quibus ſpectandi infantum habitum cura mandata eſt. Plinius junior. Locupletes ad tollendos liberos ingentia præmia, & pares pœnæ cohortantur: pauperibus educandis una ratio eſt, bonus Princeps. Tolli & educari pro eodem poſuit.

Nihil præſidii eget.] Nam ut ait Horatius,

Integer vitæ ſceleriſque purus,
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida ſagittis,
Fuſce, pharetra.

Arma ornamenti cauſa habet.] Imperii inſignia, quo ſe faciat populo venerabilem, & plenum majeſtatis.

Cap. XIV.

Quod ergo officium ejus eſt? Quod bonorum parentum, qui objurgare liberos nonnunquam blande, nonnunquam minaciter ſolent, aliquando admonere etiam verberibus. Numquid aliquis ſanus filium à prima offenſa exhæredat? Niſi magnæ & multæ injuriæ patientiam vicerint, niſi plus eſt quod timet, quam quod damnat, non accedit ad decretorium ſtylum. Multa ante tentat, quibus dubiam indolem, & pejore loco jam poſitam, revocet: ſimul deplorata eſt, ultima expertur. Nemo ad ſupplicia exigenda pervenit, niſi qui remedia conſumpſit. Hoc quod parenti, etiam Principi faciendum eſt, quem appellavimus patrem patriæ, non adulatione vana adducti. cætera enim cognomina honori data ſunt. magnos & felices & auguſtos diximus, & ambitioſæ majeſtati quicquid potuimus titulorum congeſſimus, illis hoc tribuentes. Patrem quidem patriæ appellavimus, ut ſciret datam ſibi poteſtatem patriam, quæ eſt temperatiſſima, liberis conſulens, ſuaque poſt illos reponens. Tarde ſibi pater membra ſua abſcindat: etiam cum abſciderit, reponere cupiat, & in abſcindendo gemat, cunctatus multum, diuque. Prope enim eſt ut libenter damnet, qui cito. Prope ut inique puniat, qui nimis. Erixonem equitem Romanum, memoria noſtra, quia filium ſuum flagellis ceciderat, populus in foro graphiis confodit. vix illum Auguſti Cæſaris auctoritas infeſtis tam patrum quam filiorum manibus eripuit.

POſt longam illam contentionem, qua tyrannum & Regem inter ſe componebat, nunc optimum documentum dat Principi, quo & modum clementiæ diſcat, & pœnarum irrogandarum temperaturam. Pendet autem hæc interrogatio ab ea, quæ contentionem præceſſit, Num Reges quoque occidere ſolerent? reſponderat Regem quoque occidere, ſed cum publica utilitas perſuaderet. Sed cum id etiam non ſatis apertum eſſet, nunc exemplo proſequitur. Pater enim filium blande primum admonet. ſi verba non proſunt, comminatur. ſi nihil minis proficit, tum demum addit verbera. ſic Princeps, qui pater eſt patriæ, cives ſuos filios reputet, hortetur primum & verbis, & edictis, antequam deveniat ad pœnas. In hanc ſententiam apud Xenophontem Chryſantas loquitur libro 8. τῷς πατρὸς. Ego ſæpenumero cogitavi bonum Principem nihil differre à bono patre, &c. Plinius in Paneg. Trajani. Quod quidem nomen qua benignitate, qua indulgentia exerces? Ut cum civibus tuis quaſi cum liberis parens vivis.

Numquid aliquis.] Quatuordecim cauſæ in jure ſcribuntur, quas pater in filii exhæredationem allegare poteſt, auth. ut cum de appellatione cognoſcitur. collat. 8. §. aliud quoque capit. Jus etiam abdicationis, quam Fabius ultimum patriæ poteſtatis fulmen appellat, abrogatum eſt per conſtitutionem Juſtiniani, quæ eſt tit. de patria poteſtate. l. abdicatio.

Injuriæ patientiam evicerint.] Non ſic prima offenſa irritetur pater, ut filium exhæredet. multa prætermittat, ad multa conniveat, donec eo emerſerint vitia, ut jam tolerari non poſſint. Hac locutione uſus eſt etiam Ovidius Elegia 2.

Multa diuque tuli, vitiis patientia victa eſt.

Et Mamertinus in panegyr. Julia. Quæ omnia obſtinatam & immobilem Principis tandem vicere patientiam.

Niſi plus eſt quod timet] Aut ad illud Platonis reſpicit, neminem prudentem ideo punire, quia peccatum eſt, ſed ne in poſterum peccetur: aut ſimpliciter dicit patrem timere plus quam damnat, qui non credit ſe tutum, filio iiſdem ſecum parietibus incluſo, qui parricidium cogitaverit, aut ſimile aliquod facinus.

Non accedit ad decretorium ſtylum.] Per decretorium ſtylum aſperam ſignificat cenſuram, & quam pater graviſſimam in filium habet. Nam & ſtylus cum metaphorice accipitur, id per ſe ſignificat, & decretum Latinis dicitur, quod Græcis δόγμα, hoc eſt ſtata, conſtitutaque ſententia: unde decretorium, quod illis κρίσιμον. qua ratione Canicula ſydus uvis decretorium Plinio, & dies florentibus oleis decretorius, quo Aquila oritur. De ſtylo Cicer. in oratione pro Cluentio. Ne cenſorium ſtylum, cujus mucronem multis remediis majores noſtri retuderunt, æque poſthac, atque dictatorium gladium pertimeſcamus. Latinus Pacat. in panegyr. Theodoſ. Sic cum immitis tyranni ſtylus timeretur & gladius, tranſierat in vota paupertas. & in l. ſi quis. C. de bonis proſcriptorum, ſeu damnatorum. Si quis intra provinciam pro qualitate delicti ſtylum proſcriptionis incurrerit, per ordinarii officii ſolicitudinem &c. Deducta hinc metaphora, quod ſententiæ antiquitus ſtylo ſcriberentur in ceratis tabulis.

Multa ante tentat quibus dubiam &c.] Donec ſpes eſt levibus remediis poſſe revocari ad bonam frugem, nihil admovet aſperum, nec deſinit antequam de ſanitate deſperatum eſt.

Ultima experitur.] Hæc locutio proprie in deſperatione uſurpatur. Curtius lib. 5. Madathes erat hujus regionis præfectus, haud ſane multorum temporum homo, quippe ultima pro fide experiri decreverat. Saluſt. in Catil. Poſtquam dies comitiorum venit, & Catilinæ neque petitio, neque inſidiæ quas conſuli fecerat, proſpere ceſſerunt, conſtituit bellum facere, & extrema omnia experiri.

Hoc quod parenti, etiam Principi.] Nunc exemplum argumento ſubjecto accommodat.

Quem appellavimus patrem patriæ.] Omnes fere Cæſares patres patriæ à Senatu conſalutabantur, ut pene ſolenne hoc fuerit Imperatorum cognomen, ex quo Julio delatum fuerat: & Tacitus promiſcuum hoc cognomentum lib. 11. appellet. Vide Tranquillum. Habuit hoc nomen originem à Cicerone, qui poſt ſuppreſſam Catilinæ conjurationem pater patriæ eſt appellatus, ut teſtatur Appianus libro ſecundo. Et alibi loquens de Cæſare dictatore, Appellatus eſt pater patriæ: quod cognomen primus Cicero meruit. Juvenal. Satyr. 8.

—— Sed Roma parentem,
Roma patrem patriæ Ciceronem libera dixit.

Plinius lib. 7. Salve primus omnium parens patriæ appellate. Plutarchus in ejus vita, Catonem fuiſſe authorem hujus cognominis tradit: quod an verum ſit, in medium relinquo, ſubjiciam tamen ipſius Plutarchi verba, & Ciceronis locum, quo facilius poſſint æſtimare lectores. Nonnihil, inquit, Ciceroni ac univerſæ reip. Cato conduxit: qui tribunatus viribus fultus, æqua licet poteſtatis licentia, ampliori tamen dignitate inſtitit. facile enim cuncta ſolvit, & Ciceronis conſulatum adeo pro Roſtris extulit, ut Ciceronem honoribus omnium maximis dignatus ſit, illum patrem patriæ appellans: quod cognomen primum ex Catonis oratione Ciceroni traditum, ad cæteros emanaſſe exiſtimatur. Cicero ipſe in oratione pro Sextio ſic loquitur: Quid fuit illud, quod ſummus artifex flens & recenti lætitia, & mœſto dolore, ac deſiderio mei, egit aperte multo gravioribus verbis meam cauſam, quam egomet de me agere potuiſſem? ſummi enim poëtæ ingenium non ſolum arte ſua, ſed etiam dolore exprimebat. Tum illa quanto cum gemitu acta ſunt? O pater? Me me ille abſentem ut patrem deplorandum putarat, quem Q. Catulus, quem multi alii ſæpe in ſenatu patrem patriæ nominarant. quanto cum fletu eum patrem pulſum, patriam afflictam deploraret, domum incenſam, everſamque? Sic egit, ut demonſtrata priſtina fortuna, fletum etiam inimicis atque invidis excitaret. nominatim ſum appellatus in Bruto. Hic nominatim Q. Catulum memorat, nulla mentio Catonis: & in ſenatu, non in concione appellatum ſe prædicat. ſane qui adeo jactat hiſtriones, non fuit prætermiſſurus Catonem, alioqui rerum ſuarum laudator magnificus. ſimilia quædam videre eſt apud Plutarchum, quæ hominis authoritate magis quam hiſtoriæ veritate fulciantur, ut cum ſcribit Ciceronem ſe uſque adeo adoleſcenti Octavio ſubjeciſſe, ut eum aliquando patrem appellaverit: & continuo ſubjicit, Ex quo ſtomachans Brutus in epiſtolis ad Atticum, Ciceronem increpat, quod Antonii metu Cæſari blandiens, non libertati ſtudere, ſed domeſticum ſibi dominum facere videretur. At vero longe aliud ſonant verba Bruti in epiſt. ad Atticum. Appellet, inquit, ergo patrem licet Octavius Ciceronem, referat omnia, laudet, gratias agat, tamen illud apparebit, verba rebus eſſe contraria. Ejuſdem rationis eſt, quod affirmat Ciceronem cum Senatus ſibi triumphum ex provincia redeunti decerneret, reſpondiſſe, ſibi gratius fore triumphum Cæſaris ſequi. Apparet autem ex verbis Ciceronis, ipſum & cupide appetiſſe, & oblatum non reſpuiſſe, ſed diſtuliſſe ſuam ſpem, quo majori apparatu triumpharet, rebus urbanis compoſitis, & ſedata ſeditione. Nec ante voluntatem abjecit, quam transfugit ad Pompejum: quippe de ſumptibus magnopere ſolicitus, & ornatus lictoribus laureatis. Nolim mihi credatur: audi ipſum Cicero-

ncm

Digitized by Google

nem primum lib. 6. Epiſt. deliberat cum Attico. Videris, inquit, quid nobis de triumpho cogitandum putes: ad quem amici me vocant. Ego, niſi Bibulus, qui dum unus hoſpes in Syria fuit, pedem porta non plus extulit, quam domo ſua, admiraretur, de triumpho æquo animo eſſem, nunc vero [illegible]. lib. 7. Tu autem de noſtro ſtatu cogitabis, primum quo artificio tueamur benevolentiam Cæſaris, deinde de ipſo triumpho, quem video, niſi reip. tempora impedient, [illegible]. Item, Scripſi ad Terentiam, ſcripſi etiam ad ipſum me, quicquid poſſet nummorum ad apparatum ſperati triumphi ad me redacturum. Item, De triumpho autem nulla me cupiditas unquam tenuit ante Bibuli impudentiſſimas literas: quas ampliſſime ſupplicatio conſecuta eſt: à quo ſi ea geſta ſunt, quæ ſcripſit, gauderem, & honori faverem. Nunc illum, qui pedem porta, quoad hoſtis cis Euphratem fuit, non extulerit, honore augeri: me in cujus exercitu ſpem illius exercitus habuit, idem non aſſequi, dedecus eſt noſtrum: noſtrum inquam, te conjungens. Itaque omnia experiar, &, ut ſpero, aſſequar. Perpendat nunc ſecum lector, num hæc, & his ſimilia, quæ in ejus epiſtolis ſparſim leguntur, ſint triumphum abnuentis. Redeamus ad Senecam. Dicit igitur nomen patris patriæ non eſſe impoſitum Cæſaribus ab aſſentatoribus, ſed ut populus oſtenderet nihil plus in ſe licere Principibus, quam parentibus in liberos.

Magnos & felices & auguſtos.] Auguſti cognomen quaſi hæreditarium ab Octavio ad poſteros Imperatores derivatum eſt. Tranquil. in ejus vita. Poſtea C. Cæſaris, deinde Auguſti nomen aſſumpſit, alterum teſtamento majoris avunculi, alterum Numacii Planci ſententia, cum quibuſdam cenſentibus Romulum appellari oportere, quaſi & ipſum conditorem urbis, prævaluiſſet, ut Auguſtus potius vocaretur &c. Verbi etymon pete ex Ovid. 1. Faſtorum, & Servio in 4. comment. Georg. Felicis nomen, quod legerim, primus ſibi aſcripſit L. Sylla, publicis miſeriis quæſitum. Hinc illud probroſe jactatum.

Aſpice felicem ſibi, non tibi Romule Syllam.

Prope eſt ut libenter damnet, qui cito.] Si enim in judicando crimınoſa eſt celeritas, atque ut ait Juvenal. Satyr. 6.

Nulla unquam de morte hominis cunctatio longa eſt.

Qui cito damnat, libenter damnat. Celebratur apophthegma Alexandri, dignum longe alio Rege, quam ſe poſtea præſtiterit: qui à matre rogatus, ut hominis innocentis mortem ſibi concederet, aliam, inquit, poſce mercedem. hominis enim vita nullo beneficio penſatur.

Erixonem.] Hiſtoria adeo non vulgo cognita eſt, ut alia exemplaria Trixonem habeant, alia Buxonem.

Flagellis ceciderat.] Tametſi enim patria poteſtas magna erat apud Romanos, hoc tamen putabatur libertati contrarium, liberum adoleſcentem affici ſervilibus opprobriis. Erat autem ſervile, flagellis cædi: quod reſpexit Seneca in ludo Claudii cum inquit, Apparuit ſubito C. Cæſar, & petere illum in ſervitutem cœpit: producit teſtes, qui illum viderent ab illo flagris, ferulis, colaphis vapulantem. Adjudicatur C. Cæſari. Et in jure, quibus ex cauſis liberi fuſtibus, ſervi flagellis cæduntur. ideo ſervi flagriones peculiariter vocabantur.

Graphiis confodit.] Graphium ſtylus eſt ferreus peracutus, quo in pugillaribus ſcribitur. Ovid. in amor.

Quid digitos opus eſt graphium laſſare tenendo?

Tranquil. in Calig. Subornavit qui curiam ingredientem, hoſtem publicum appellantes invaderent, graphiiſque confoſſum reliquis traderent. dicitur [illegible].

Tam patrum quam filiorum manibus.] Patrum quidem, quia ſua crudelitate inviſos filiis parentes reddiderat: filiorum, quia exemplum prodiderat, quo parentes in filios crudeliter ſævirent. Simile eſt illud Livii, quantum ad filios pertinet. Tito Manlio venienti ſeniores tantum iiſſe obviam conſtat, juventutem & tunc, & omni vita deinde, averſatam eum, execratamque.

C A P. XV.

TArium, qui filium deprehenſum in parricidio, exilio damnavit, cauſa cognita, nemo non ſuſpexit, quod contentus exilio, & exilio delegato Maſſiliæ parricidam continuit, & annua illi præſtitit, quanta præſtare integro ſolebat. Hæc liberalitas effecit, ut in qua civitate nunquam deeſt patronus pejoribus, nemo dubitaret, quin reus merito damnatus eſſet, quem is pater damnare potuiſſet, qui odiſſe non poterat. Hoc ipſo exemplo dabo, quem compares bono patri bonum Principem. Cogniturus de filio Tarius, advocavit in conſilium Cæſarem Auguſtum. venit in privatos penates, aſſedit, pars alieni conſilii fuit. non dixit, imo in domum meam veniat. Quod ſi factum eſſet, Cæſaris futura erat cognitio, non patris. Audita cauſa, excuſſiſque omnibus, & iis qui adoleſcens pro ſe dixerat, & iis quibus arguebatur, petit ut ſententiam ſuam quiſque ſcriberet: ne ea omnium fieret, quæ Cæſaris fuiſſet. Deinde prius quam aperirentur codicilli, juravit ſe Tarii hominis locupletis hæreditatem non aditurum. Dicet aliquis, puſillo animo. timuit ne videretur locum ſpei ſuæ aperire velle, filii damnatione. ego contra ſentio. Quilibet noſtrum debuiſſet adverſus opiniones malignas ſatis fiduciæ habere in bona conſcientia. Principes multa debent etiam famæ dare. Juravit ſe non aditurum hæreditatem. Tarius quidem eodem die & alterum hæredem perdidit, ſed Cæſar libertatem ſententiæ ſuæ redimit: & poſtquam approbavit gratuitam eſſe ſeveritatem ſuam, quod Principi ſemper curandum eſt, dixit relegandum quo patri videretur. Non culleum, non ſerpentes, non carcerem decrevit, memor non de quo cenſeret, ſed cui in conſilio eſſet. Molliſſimo genere pœnæ contentum eſſe debere patrem dixit in filio adoleſcentulo impulſo in id ſcelus, in quo ſe, quod proximum erat ab innocentia, timide geſſiſſet: debere illum ab urbe & à parentis oculis ſubmoveri.

PRius exemplum propoſuit, quo malum patrem nobis deſcriberet. Nunc exemplum proponit boni patris: utrumque ad confirmandum id quod dixerat, bonum patrem eſſe qui nonnunquam blande, nonnunquam minaciter objurgaret filium, multa toleraret, ad multa conniveret, tentaret omnia antequam ultima experiretur. Attendat autem lector ad ſeriem argumentationis. argumentatur Seneca ab auctoritate. Facit enim ex hominum opinione quoddam quaſi præjudicium. Erixonem, quia aſpere nimis & præciſe in filium animadverterat, populus graphiis confodit. Ergo patris ſævitia hominum opinione improbata eſt. Rurſum, ſi Tarium omnes laudaverunt, quia filii nefarium facinus modice ac etiam intra modum punivit: igitur publico decreto patris manſuetudo approbata eſt. Quod ſi bonum Principem decet ad exemplar boni patris formari, nimirum manſuetudine opus eſt. Tarius hic de quo loquitur Seneca, is eſt cujus meminit Plin. hiſt. natur. lib. 18 qui humili loco natus, ab extrema paupertate prove. .us ad ſummum fortunæ faſtigium beneficentia Auguſti etiam conſulatum adeptus eſt.

Contentus exilio & exilio delegato.] In hoc fuit temperatus pater, quod exilio contentus, mortis pœnam remiſit, multo etiam magis, quod tale exi-

lium

lium delegavit ac definivit, nempe Maſſiliam, quæ urbs antiqua dignitate, eximiiſque opibus atque ornamentis pollebat: ut videri potuerit non exulare, qui in eum locum relegatus ſit. Maſſilia urbs eſt Galliæ in petroſo loco ſita, Phocaënſium ædificium, de qua lege Strab. lib. 4. Juſtin. lib. 43. Pomponium Melam lib. 2. Nam de ejus laudibus Cicero pluribus locis, & alii. In ea exulavit Milo. unde apparet eos qui ſolum exilii cauſa verterent, eam ſedem quaſi aptiſſimam delegiſſe, ſi tamen non eſſent loco circumſcripti.

Et annua.] Id eſt: ſumptus annuos, ſeu annuam penſionem. Sic enim annua abſolute dicuntur alimenta in ſingulos annos. Tranquil. in Tiber. Sed & peculio conceſſo à patre, præbitiſque annuis fraudavit per ſpeciem publici juris, quod nihil de iis Auguſtus teſtamento caviſſet.

Quem compares bono Principi.] Bono Principi Auguſto, bonum patrem Tarium: quorum in eadem cauſa alter bonum ſe patrem præſtitit, alter inſtar boni patris bonum Principem.

Cogniturus de filio Tarius.] Benignitas Auguſti, & quod de filio cognitionem patri permiſit, quum poſſet ad ſe trahere: quod prævidebat patrem mitius acturum: extraneum quemvis judicem ſummo jure poſſe animadvertere. Deinde, quod patri affuit in conſilio, & quum ſententiam rogaretur, meminit cui in conſilio adeſſet. Itaque non tantum quaſi in parricidam, ſed quaſi in filium ſententiam tulit.

Cæſaris futura erat cognitio.] Id eſt inquiſitio, examen. Livius lib. 1. Cognitiones capitalium rerum per ſe ſolus ſine conſiliis exercebat. Juvenal. Satyr. 16.

—— Juſtiſſima centurionum
Cognitio eſt igitur de milite.

Alias cognitor eſt familiariſſimus defenſor, qui præſentis cauſam novit, & ſic tuetur ut ſuam, ut interpretatur Aſconius in divinationem. in qua ſignificatione ſæpius accipit Cicero.

Ut ſententiam ſuam quiſque ſcriberet.] Hic ritus ut plurimum in judiciis publicis obſervabatur ut judices audita cauſa, ſententiam ſuam ſcriberent, & in uenam conjicerent, ſic ut alter alterius ſententiam ignoraret, & omnes omnium. Tum prætor qui quæſtioni præerat, ex eorum ſententia qui numero vincebant, pronunciabat. id tamen perpetuum non erat: quod certum eſt ex loco Cicer. in oratione pro Cluentio. Quæſivit, inquit, à reo C. Junius quæſitor ex lege illa Cornelia quæ tum erat, clam, an palam de ſe ſententiam ferri vellet. De Oppianici ſententia reſponſum eſt, quod is Habiti familiarem eſſe Junium dicebat, clam ferri velle. Itum eſt in conſilium. omnibus ſententiis præter unam, quam ſuam Stalenus eſſe dicebat, Scamander prima actione condemnatus eſt. Falluntur ergo qui ſemper tabellares fuiſſe ſententias exiſtimant.

Ne ea omnium fieret, quæ Cæſaris.] Hoc eſt, ne ſi palam protuliſſet Auguſtus ſententiam, omnes ejus auctoritatem inſtar præjudicii ſequerentur. Ita erant liberiores quæ ſcribebantur ſententiæ. Quare Cicero de lege agraria, tabellam qua ferebantur ſuffragia, vocat indicem tacitæ libertatis: & alibi, tabellæ latebram.

Juravit ſe Tarii locupletis hominis.] Cur juraverit Auguſtus, poſtea aperit Seneca, ne ſcilicet videretur ſpolii (ut dicitur) cupiditate conficere belluam: & ideo filium ab hæreditate paterna dejicere, ut ipſe hæres inſtitutus in locum ſuccederet. Q. hic Tarium hominem locupletem appellat Seneca, homo ipſe prædives, non abs re eſt. ſi quidem Tarius, ut ſcribit Plinius in eo quem citavimus loco, millies ſeſtertium liberalitate Auguſti congeſtum agris coëmundis exhauſit: quæ ſumma facit æris noſtri vicies quinquies centena millia, ſeu duos milliones & quingenta millia coronatorum: ut colligitur ex ſupputatione Budæi. Neque enim mihi curæ eſt quid garriat Porcius Latro Vicentinus. Quid ſit adire hæreditatem, quod & cernere dicitur, nulli ferme Juriſconſulto non cognitum eſt. Significat enim hæredem profiteri, & ſe pro hærede gerere. unde & metapborice cernere hæreditatem alienæ laudis, Ciceroni ad Dolabellam, & lib. 6. ad Atticum cernere amorem. Non contemnendus eſt error Marcelli, cujus verba ſunt. Cernere, cedere ſignificat. unde & cernere hæreditatem filii patribus, id eſt cedere dicti ſunt. Imo vero filii patrum hæreditatem cernunt, id eſt adeunt.

Satis habere fiduciæ in bona conſcientia.] Non enim ſapientis eſt ſe extra quærere, & pendere à rumoribus, ſed conſcientiæ ſuæ fiducia niti, ut philoſophi prædicant. Cic. ad Atticum lib. 12. Mea conſcientia pluris eſt, quam hominum ſermo. Item lib. 13. De fama nihil ſane laboro, etſi ſcripſeram ad te nunc ſtulte. Nihil enim melius curandum eſt, atque hoc in omni vita ſua, quemque à recta conſcientia tranſverſum unguem non opnrtet diſcedere. Hæc apud philoſophos valeant, nobis vero longe aliud præſcribit noſtra religio. Nam, ut ait Auguſtinus de communi vita cler. Duæ res ſunt, conſcientia, & fama: conſcientia neceſſaria eſt tibi, fama proximo tuo. Qui confidens conſcientiæ negligit famam, crudelis eſt.

Princeps multa debet etiam famæ.] Nam ut loquitur Quintil. in milite Mariano, Quoad altiorem quiſque honorum gradum extenditur, magis in exemplum ſpectantibus patet. Et hæc eſt conditio ſuperiorum, ut quicquid faciunt, præcipere videantur. Quare nil mirum ſi habere debeant famæ rationem.

Juravit ſe aditurum.] Hoc ſchema rhetoricum, quod alii πλοκὴν, alii ἀναδίπλωσιν vocant, repetitio, ſeu replicatio latine dici poteſt.

Gratuitam eſſe ſeveritatem.] Non excogitatam ad confiſcandam hæreditatem &c.

Non culleum, non ſerpentes.] Significat pœnam parricidarum, qui virgis ſanguineis verberati, atque inſuti culleo cum cane, ſimia, angue & gallinaceo, in profluentem dejiciebantur, aut, ſi mare longius diſſitum eſſet, feris ſubjiciebantur. Auctor Modeſti. in l. pœna parricidii. ff. ad l. Pomp. de parricid. Id conſtitutum erat lege Cornelia, quam nonnulli latam à Sylla exiſtimant. ego contra ſentio. Nam Cicero in oratione pro Roſcio, Quanto, inquir, majores noſtri ſapientius, qui quum intelligerent nihil eſſe tam ſanctum, quod non aliquando violarei audacia, ſupplicium in parricidas ſingulare excogitaverunt: ut quos ipſa natura retinere in officio non potuiſſet, magnitudine pœnæ maleficio ſubmoverentur. inſui voluerunt in culleum vivos, atque ita in flumen dejici. Hic à majoribus latam legem teſtatur, quum tamen cauſas Sylla vivente ageret, authore Plutarcho. Quiſquis tamen ille fuerit Cornelius primus legiſlator, legem pene obſoletam in uſum revocavit Pompejus magnus, nihil ad pœnam adjiciens, quemadmodum ſcribit Marcellus Juriſcon. in l. 1. ff. ad l. Pompejam, &c. in cujus verbis duo verba expungenda ſcitiſſime docuit Zaſius Juriſcon. Adde etiam hoc ſupplicium non primum excogitatum eſſe in parricidas, ſed quum M. Tullius duumvir, quia librum ſecreta civilium ſacrorum continentem Petronio Sabino tranſcribendum dederat, juſſu Tarquinii Regis culleo inſutus, & in flumen projectus eſſet, hoc genus ſupplicii ad parricidas traductum eſt. Si quidem deorum ac parentum violationem æque expiari æquum eſt, ait Valerius. In codicibus Dionyſii Halicarnaſſei legitur M. Attilium. Ego M. Tullium reponendum cenſeo ex Valerio. Lege multa in hanc ſententiam in orat. Cicer. pro Roſcio, quam ſupra citavimus. ad hoc alludit Juvenal. de Nerone loquens parricida & matricida.

Cujus

Cujus ſupplicio non debuit una parari
Simia, nec ſerpens unus, nec culleus unus.

Et alibi.

Et deducendum corio bovis in mare, cum quo
Clauditur adverſis innoxia ſimia fatis.

Molliſſimo genere pœnæ.] Pro peccato magno paululum ſupplicii ſatis eſt patri, inquit Terent. Quamobrem divus Adrianus fertur eum qui in venatione filium ſuum necaverat, quod novercam adulteraret, in inſulam deportaſſe, quod latronis magis jure quam patris eum interfeciſſet. Nam patria poteſtas in pietate debet, non in atrocitate conſiſtere. Id refert Martianus Juriſconſultus.

In filio adoleſcentulo.] Argumenta à circumſtantiis, primum quod adoleſcens ætate lubrica in ſcelus lapſus ſit, deinde quod non audax ac præceps fuerit in facinore perpetrando.

Cap. XVI.

O Dignum quem in conſilium patres advocarent. O dignum quem cohæredem innocentibus liberis ſcriberent. Hæc clementia Principem decet, ut quocunque venerit, manſuetiora omnia faciat. Nemo Regi tam vilis ſit, ut illum perire non ſentiat, qui qualiſcunque pars imperii eſt. In magna imperia ex minoribus petamus exemplum. Non eſt unum imperandi genus. Imperat Princeps civibus ſuis, pater liberis, præceptor diſcentibus, tribunus vel centurio militibus. Nonne peſſimus pater videbitur, qui aſſiduis plagis liberos etiam ex leviſſimis cauſis compeſceret? Uter autem præceptor liberalibus ſtudiis dignior, qui excarnificat diſcipulos ſi memoria illis non conſtiterit, aut ſi parum agilis in legendo oculus hæſerit: an qui monitionibus & verecundia emendare ac docere malit? Tribunum centurionemque da ſævum, deſertores faciet: quibus tamen ignoſcitur. Numquid nam æquum eſt, gravius homini, & durius imperari, quam imperatur animalibus mutis? Atqui equum non crebris verberibus exterret domandi peritus magiſter. Fiet enim formidoloſus & contumax, niſi eum tactu blandiente permulſeris. Idem facit venator, qui inſtituit catulos veſtigia ſequi, quique jam exercitatis utitur ad excitandas vel perſequendas feras, nec crebro illis minatur, contundet enim animos, & quicquid eſt indolis, comminuetur trepidatione degeneri. Nec licentiam vagandi errandique paſſim concedit. Adjicias his licet, tardiora agentes jumenta: quæ cum ad contumelias & miſerias nata ſint, nimia ſævitia coguntur jugum detrectare.

QUem patres in conſilium.] Qui tam fidele conſilium daret parentibus, & conſentaneum paternæ manſuetudini.

Cohæredem innocentibus liberis.] Qui non conſectaretur hæreditates ex crimine liberorum, nec dejiceret è gradu legitimos hæredes ut ſe ingereret.

Scriberent.] Scribere hæredem dixit juxta differentiam in jure obſervatam, ut hæres ſcriptus opponatur hæredi nuncupato. Julianus in l. ſi ita ſcriptum. ff. de bonorum poſſeſſ. ſecundum tabul. Nam quemadmodum filio ſcripto hæredi ſeparatim ab hæredibus patris, ita nuncupato poteſt videri ſeparatim à ſcriptis patris hæredibus bonorum poſſeſſionem dari. Et ibidem ſubſtitutio per nuncupationem. Ulpianus in l. hæredes. ff. de teſt. Hæredes palam, ut exaudiri poſſint, nuncupandi ſunt. Licebit ergo teſtanti vel hæredes nuncupare, vel ſcribere. Sed ſi nuncupat, palam debet. Idem §. quod vero. Quod vero quis obſcurius in teſtamento vel nuncupat, vel ſcribit, an poſt ſolennia explicari poſſit, quæritur. Ergo ſcriptus hæres quem teſtator manu ſua ſcripſerit, nuncupatus, cujus nomen dictaverit teſtator ſcriba excipiente. quod oſtendit Tranquillus in Auguſto his verbis. Teſtamentum quod is Romæ etiam de Cleopatræ liberis inter hæredes nuncupatis reliquerat, aperiendum recitandumque pro concione curavit. Erant enim liberi Cleopatræ in teſtamento ſcripti hæredes, ſed ab amanuenſi, Antonio nuncupante, ſeu dictante. Juvenal. Satyr. 3.

Quis pauper ſcribitur hæres?

Idem Satyr. 5.

Non unus tibi rivalis dictabitur hæres.

Dictabitur, id eſt nuncupabitur. Qua ratione Plin. lib. 8. epiſt. dixit nuncupatum teſtamentum.

In magna imperia ex minoribus.] Arguit à ſimilibus. Quemadmodum, inquit, Princeps ſuis civibus imperat, ita pater filiis, præceptor diſcipulis, tribunus ſeu centurio militibus. atqui non eſt bonus pater, qui aſpere filium tractat, nec bonus præceptor, qui diſcipulum, nec bonus centurio, qui militem. Ergo nec bonus Princeps acerbum & crudelem gerere ſe erga ſuos debet. Neque ſupervacuum eſt quod Seneca rurſum ſimilitudinem à patre trahit. ſunt enim variæ ſimilitudines. prius conferebat Principem cum patre, quia Princeps eſt pater patriæ, & dominari ſuis debet quaſi liberis. Nunc componit patrem cum Principe: quia pater inter filios eſt quaſi Regulus.

Nonne peſſimus pater.] Eſt enim pater naturæ prodigium, qui affectum illum amoris non gerit erga filios, quem natura etiam omnibus animantibus indidit, atque ut Græci proverbio dicunt στοργὴν φυσικὴν πρὸς τὰ τέκνα.

Utrum autem præceptor.] Notum eſt Fabii Quintiliani conſilium, ne in pueros ingenuos nimium aſpere ſæviatur, quod tum minime exauditur à plagoſis iſtis carnificibus. Non enim audeo pædagogos appellare, cum id nomen probro vertant.

Si parum agilis in legendo oculus.] Quod tamen à puero exigi non debet. Nam Quintil. de emendata lectione præcipiens, ad hunc modum ſcribit. Certa ſit ergo inprimis lectio: deinde conjuncta, & diu lentior, donec exercitatione contingat emendata velocitas. Nam proſpicere in dextrum, quod omnes præcipiunt, & providere, non rationis modo, ſed uſus quoque eſt: quoniam ſequentia intuenti, priora dicenda ſunt: & quod difficillimum eſt, dividenda intentio animi, ut aliud voce, aliud oculis agatur. Idem lib. 10. Eſt igitur uſus irrationabilis quem Græci ἄλογον τριβὴν vocant, quo manus in ſcribendo decurrit, quo oculis totos ſimul in lectione verſus, flexuſque eorum, & tranſitus intuentur, & ante ſequentia vident, quam priora dixerunt. Galli lingua vernacula ruſam dicunt.

Tribunum centurionemque da ſævum.] Hic ordo eſt diſciplinæ militaris, ut centuriones tribunorum imperio pareant, tribuni legatorum, legati conſulum poteſtati obnoxii ſint. centuriones enim centum militibus præerant, tribuni millenis, ob id à Græcis χιλίαρχοι dicti, quo nomine utitur etiam Curtius lib. 5. Si ergo aut centuriones ſuis centuriis, aut tribuni ſuis chiliadibus ita imperioſe præſint, ut minima etiam delicta ſeveriſſime excipiant, deſertores faciunt. Quibus tamen ignoſcitur, quia culpa omnis in eos confertur, quorum ſævitia cauſam dedit cur deſererent, ſic legitur apud Livium de Appio illo viro aſpero & intractabili, lib. 2. Hæc ira, inquit, indignatioque ad vexandum ſævo imperio exercitum ſtimulabat: nec ulla vi domari poterat, tantumque certamen animis imbiberat, ſegniter, otioſe, negligenter, contumaciter omnia agere: nec pudor, nec metus coërcebat, ſi citius vellet agi agmen, tardius ſedulò incedere, ſi adhortator operis adeſſet, omnes ſua ſponte motam remittere induſtriam, præſenti vultus demittere, tacitè prætereuntem execrari.

Deſertores.] Deſertor eſt qui per prolixum tempus evagatus, ad caſtra reducitur: ut tradit Modeſt. Juriſc. in l. deſertorem. ff. de re militari. Eſt tamen & alia ſignificatio hujus verbi. ſunt enim qui militiam deſerunt, alii locum & ſtationem. Saluſt. in Jugurth. Centuriones duceſque turmarum partim uti transfugerent, corrumpere, alii ſigno dato locum uti deſererent. Qui militiam deſerunt, dicuntur ſimpliciter deſerere ſine adjecto. Quintil lib 9. Qui aliquando fortiter fecerat, & alio bello petierat ut militia vacaret ex lege, quod quinquagenarius eſſet, adverſante filio ire in aciem coactus, deſeruit. in hunc ſenſum Turnus Æneid. 12. vocat Æneam deſertorem Aſiæ, quaſi patriæ proditorem. quod Servius non bene pro exule interpretatus eſt.

Numquid æquum eſt.] Quæ præceſſerunt argumenta, à ſimilibus ducebantur. nunc ducitur à majori. ſi enim omnia impune licent domino in animal brutum & mutum, nec tamen grave ac durum imperium exercet, à majori ſequitur hominis in hominem moderatum eſſe debere imperium. Poſt deſcendit ad ſpecies, exempla proponens in equis, in catulis venaticis, in aſinis etiam & bobus: quæ ſi aſpere tractentur & præfracte, ad verba indureſcunt, potius quam flectuntur:

Atqui equum.] Virg. Georg. 3. de equis loquens.

Namque ante domandum
Ingentes tollent animos, prenſique negabunt
Verbera lenta pati, & duris parere lupatis.

Statius 1. in Achilleïd.

Effrenæ tumidum velut igne juventæ
Si quis equum primis ſubmittere tentet habenis,
Ille diu campis, fluviiſque, & honore ſuperbo
Gaviſus, non colla jugis, non aſpera præbet
Ora lupis, dominique negat captivus inire
Imperia, atque alios miratur diſcere curſus.

Domandi peritus magiſter.] Id eſt manſuetarius. obſervavit proprietatem verbi, quum de equis loqueretur, quos domari proprie dicimus, authore Servio. Cicero offic. 1. Ut equos propter crebras contentiones præliorum ferocitate exultantes, domitoribus tradere ſolent, ut iis facilius uti poſſint, &c.

Contundet animos.] Hebetabit. ſumpta, ut ait Donatus, à fabris tranſlatio, qui ſæpe repetendo tundunt aliquid malleo, & hebetant. Plinius in panegyr. Amas conſtantiam civium, rectoſque ac vividos animos non, ut alii, contundis ac deprimis, ſed foves & attollis. Latinus Pacat. in panegyr. Illa, illa, tyranni conſilia cæcavit. Illa & animum ejus obtrudit, & gladium. Quintil. lib. 10. Nam ſi nobis ſola materia fuerit ex litibus, neceſſe eſt deteratur fulgor, & dureſcat articulus, & ipſe ingenii mucro quaſi quotidiana pugna retundatur. aliter accepit Ovid. contundere animos, pro eo, quod eſt ferocitatem nimiam manſuefacere, & emollire. lib. 1. de arte.

Phillyrides Chiron citharæ præfecit Achillem:
Atque animos molli contudit arte feros.

Tardiora agentes jumenta.] Nempe aſinos & boves: quamvis hos ſub jumentorum nomine contineri non putaverit Ulpianus Juriſconſultus. ſed ſi etymologiam reſpicias, nihil probibet quin jumenta recte dici poſſint, ſive a jugando, ut voluit Varro: ſeu à juvando, ut alii grammatici docent, nomen deductum ſit.

Detrectare.] In aliis exemplaribus legitur detractare. utraque lectio recipi poteſt. Nam quamvis detrectare frequentius ſit in iſta ſignificatione, hoc tamen etiam reperitur. Virgil. Georg. 3.

Aut juga detractans interdum quæ optima cornu.

Curtius lib. 9. Nihil quod imperaret detractans, biduum apud eum ſubſtitit.

Cap. XVII.

Nullum animal moroſius eſt, nullum majore arte tractandum, quam homo, nulli magis parcendum. Quid enim ſtultius, quam in jumentis quidem & canibus erubeſcere, iram exercere, peſſima autem conditione hominem eſſe? Morbis medemur, nec iraſcimur. Atqui & his morbus eſt animi, mollem medicinam deſiderat, ipſumque medentem minime infeſtum ægro. Mali Medici eſt deſperare, ne curet. Idem in his quorum animus affectus eſt, facere debebit cui tradita ſalus omnium eſt, non cito ſpem projicere, nec mortifera ſigna pronunciare. Luctetur cum vitiis, reſiſtat, aliis morbum ſuum exprobret, quoſdam morbi curatione decipiat, citius meliuſque ſanaturus remediis fallentibus. Agat Princeps curam non tantum ſalutis, ſed etiam honeſtæ cicatricis. Nulli Regi gloria eſt ex ſæva animadverſione. Quis enim dubitat poſſe? At contra maxima, ſi vim ſuam continet, ſi multos iræ alienæ eripit, neminem ſuæ impendit.

Nullum animal.] Clauſula, qua apte ſuperiora clauderentur, ſi mox ſequerentur ea quæ de ſervis paulo poſt ſubjiciet. Quum enim in comparatione animalium diverſi generis illud conveniret, nulli magis parcendum quam homini, erat & illud addendum, etiam inter homines nulli magis quam libero. Nunc quædam admiſcet minime loco poſita: quæ ſi in alium locum diſtuliſſet, optime quadrarent. Hæc ergo accipiamus quaſi dicta ſint per digreſſionem.

Morbis medemur.] Quaſi diceret, cum Princeps alicui pœnam infligit, non aliam cauſam prætendit, niſi quod ſic corrigitur hominum pravitas, qui aliter cohiberi non poſſunt: quod curatur ulcus publicum, quod membra morboſa abſcinduntur, ne malum in totum corpus ſerpat. Atqui & eam rationem ſequuntur Medici. Imo verius Princeps quidam eſt animi Medicus: cum morbus animi, ſit vitium. Imitentur ergo Principes bonos Medicos, qui non intemperanter ægros affligunt, qui faciles curationes primum admovent, & fallentia remedia, nec deſperant quamdiu aliquid tentare poſſunt. morbis medentur, non iraſcuntur.

Quorum animus affectus eſt.] id eſt male habitus, & male diſpoſitus, ut vulgo loquuntur. Sic enim affectus fere accipitur in malam partem, quum eſt ſine adjecto. Livius libro 9. In corpore tamen affecto vigebat vis animi conſiliique.

Nec mortifera ſigna.] Alludit ad præſagia Medicorum, quibus certam mortem prænunciari ſcribunt.

Cap. XVIII.

Servis imperare moderate, laus eſt: & in mancipio cogitandum eſt, non quantum illud impune pati poſſit, ſed quantum tibi permittat æqui bonique natura, quæ parcere etiam captivis & pretio paratis jubet. Quanto juſtius his jubet, tanto juſtius hominibus liberis, ingenuis, honeſtis, non ut mancipiis abuti, ſed his quos gradu antecedas, quorumque tibi non tradita ſervitus, ſed tutela. Servis ad ſtatuam licet confugere, cum in ſervum omnia liceant. Eſt aliquid quod homini in hominem licere, commune jus animantium vetet. Quis non Vedium Pollionem pejus oderat, quam ſervi ſui, quod murænas ſanguine humano ſaginabat, & eos qui ſe aliquid offenderant, in vivarium, quid aliud quam ſerpentibus objici jubebat? O hominem mille mortibus dignum, ſive devorandos ſervos objiciebat murænis, quas eſurus erat: ſive in hoc tantum illas alebat, ut ſic aleret. Quemadmodum domini crudeles tota civitate commonſtrantur, invisi-

que

que & deteſtabiles ſunt, ita Regum & injuria latius patet, & infamia atque odium ſeculis traditur. Quanto autem non naſci melius fuit, quam numerari inter publico malo natos?

A Majori ad minus. ſi non omnia licent domino in ſervum, ergo nec Principi in ſubditum. Sic enim debet dominus ſervo imperare, ut interim agnoſcat hominem. ſic Princeps dominari ſubdito, ut hominem agnoſcat, & liberum. A minori. ſi domini crudeles, quorum crudelitas privatis parietibus continetur, tota civitate commonſtrantur: Regum ſævitia quæ in populos excercetur, in vulgus infamis eſt, & ad poſteritatis quoque memoriam dimanat.

Servis imperare moderate.] Eſt etiam erga infimum hominum genus ſervanda juſtitia, inquit Cicero. Hi ſunt ſervi, quibus uti bene quidam præcipiunt ut mercenariis, ad exigendas operas, & juſta præſtanda. Plato quoque in 6. de rep. Eſt, inquit, recta ſervorum educatio, ut nulla illis contumelia inferatur: injuriaque iis multo minus, ſi fieri poſſit, quam æqualibus inferenda. Modus tamen adhibendus eſt. Nam, ut ſtatim idem ſubdit, caſtigandi, cædendique ſemper jure ſunt ſervi: neque ita monendi ut liberi, ne molliores fiant, allocutio omnis ad ſervos, quodammodo imperium ſit, &c.

Æqui bonique natura.] Satis oſtendit Budæus in ſuis annotationibus, quid eſſet æquum & bonum quod juri ſummo ſeu rigori juris opponitur. Nam cum jus omnia recta & inflexibilia exigat, æquitas de jure aliquid remittit. hæc Græcis ἐπιείκεια, illud [illegible] dicitur. Senſus eſt igitur, dominos non reſpicere quantum ſuo jure in ſervos poſſint, ſed quadam æquitatis norma temperare imperium.

Quæ parcere etiam captivis.] Eadem etiam æquitas bello devictos & captivos conſervari jubet. Nam ſi jure ſummo agatur, præſertim in medio belli tumultu, non eſt nec miſericordiæ nec manſuetudini locus: atque, ut loquitur Pyrrhus apud Senecam in Troade,

Lex nulla capto parcit, aut pœnam impedit.
Æquius reſpondet Agamemnon.
Quod non vetat lex, hoc vetat fieri pudor.

Cic. Offic. 1. Parta autem victoria conſervandi ſunt ii, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt, Horat. 1. Epiſt.

Vendere cum poſſis captivum, occidere noli.
Serviet utiliter, ſeu paſcat durus, aretque.
Hinc Virg. Æneid. 6.
Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, pacique imponere morem,
Parcere ſubjectis, & debellare ſuperbos.

Et Alexander lib. 4. Curt. Et vincere, & conſulere victis ſcio.

Liberis, ingenuis, honeſtis.] Qui ſerviles contumelias, & ſordida obſequia pati non poſſunt. Unde Hermolaus ad Alex. lib. 6. Curt. Occidendi te conſilium inivimus, quia non ut ingenuis imperare cœpiſti, ſed quaſi in mancipia dominaris. Liberis, dixit, & ingenuis, quia hæc inter ſe differunt. Liberi enim aliquando fiunt, ingenui ſemper naſcuntur. vide Juriſconſ.

Servis ad ſtatuam] Servi enim, ſi premerentur intolerabili dominorum ſævitia, ad Cæſarum ſtatuas confugiebant: & ſi quidem juſta cauſa implorabant opem, eximebantur prioris domini poteſtate. §. ſed & major. de ſis qui ſunt ſui vel alieni juris. lib. 1. inſtit. Antoninus conſultus à quibuſdam præſidibus provinciarum, de iis ſervis qui ad ædem ſacram, vel ad ſtatuas Principum confugiunt, præcepit ut ſi videatur intolerabilis ſævitia dominorum, cogantur ſervos ſuos bonis conditionibus vendere. in eandem ſententiam eſt conſtitutio Valer. Theod. & Arca. aaa. lib. 1. C. Tranquil. in Tiber. Paulatim hoc genus calumniæ eo proceſſit, ut hæc quoque capitalia eſſent, circa Auguſti ſimulacrum ſervum cecidiſſe, veſtem mutaſſe, &c. Hoc jus aſyliæ poſtea tranſiit ad baſilicas Apoſt. & Martyr. ut legitur in multis juris locis. vide Auguſt. lib. 1. de civit. Dei.

Cum in ſervum omnia liceant.] Utpote in quem vitæ neciſque poteſtas domino permiſſa eſt.

Eſt aliquid quod homini in hominem licere.] Natura enim indidit animalibus ſocietatem in ſuo cuique genere, ut homo hominem non violet, nec canis canem, nec equus equum, &c. Qui ſenſus ut elici poſſet, mutavi veterem lectionem.

Quis non Vedium Pollionem.] Locus à contrariis. Si enim paſſim odio habitus eſt Vedius Pollio, quod ſervos murænis devorandos in vivarium conjiciebat, eſt igitur aliquid quod commune jus animantium homini non permittit in hominem. Quod autem legendum ſit Vedius Pollio, conſtat ex authoritate Plinii, cujus verba ſunt lib. 9. cap. 23. Invenit in hoc animali documenta ſævitiæ Vedius Pollio eques Rom. ex amicis divi Auguſti, vivariis earum immergens damnata mancipia, non tanquam ad hoc feris terrarum non ſufficientibus, ſed quia in alio genere totum pariter hominem diſtrahi ſpectare non poterat. Ob eam cauſam lib. 1. Taciti, inter probra Auguſti ab obtrectatoribus recenſetur Vedii Pollionis luxus, quod ejus amicus eſſet. Hunc etiam Vedium Tacit. lib. 12. numerat inter prævalida equitum Romanorum nomina, quorum potentia Auguſto imperante pollebat. Miror quid in mentem venerit Eraſmo, ut in ſecunda editione Atedium pro Vedio reponeret lib. 3. de ira, ubi ejuſdem hiſtoriæ Seneca meminit, cum veram lectionem aſſeruerit Celius Rhodiginus in lectionibus antiquis, verba ipſius Senecæ licet ſuppreſſo authore referens. Senecæ verba ſunt. Cum Auguſtus cœnaret apud Vedium Pollionem, fregerat unus cryſtallinum ex ſervis. ad mortem rapi eum Vedius juſſit, nec vulgari quidem periturum morte. murænis objici jubebatur, quas ingens piſcina continebat. Quis non hoc putaret luxuriæ cauſa facere? ſævitia erat. Evaſit è manibus puer, & confugit ad Cæſaris pedes, nihil aliud petiturus, quam ut aliter periret, nec eſca fieret. Motus eſt novitate crudelitatis Cæſar, & illum quidem dimitti, & cryſtallina omnia coram ſe frangi juſſit, complerique piſcinam.

Quod murænas.] Muræna quæ Græcis μύραινα, ut author eſt Varro, piſcis in primis deliciis quondam habitus; & qui nunc quoque in magno pretio ſuo tempore habetur, quantum ex deſcriptione Plinii & aliorum agnoſcere poſſum. Is eſt quem lampretam vulgo dicunt, non multum abſimilis anguillæ. Quanti æſtimatæ fuerant murænæ Romanis, vel illud argumento eſt, quod Antonia Druſi, murænæ quam diligebat, inaures addidit: & Craſſus vir cenſorius amiſſam, quaſi filiam, atratus flevit: quod Murænæ cognomen aſſumpſerint à murænis, quibus effuſe delectabantur. Inſignis eſt error Perotti, qui à maculis corporis appellatos Murænas autumat, refragantibus Varro. Macrob. Columel. hallucinatur etiam cum ſcribit Chirrum earum vivaria excogitaſſe. Atqui Plinius, Varro, Columel. Macrob. C. Hirrium tradunt: à quo dictator Cæſar ſex millia ad pondus accepit, cum triumphales cœnas populo daret. Lege plura apud Plinium lib. 9 cap. 55. Macrob. lib. 3. Saturn. Varro. lib. 3. de re ruſtica, Columel. lib. 8.

In vivarium] Vivarium hic uſurpatum pro piſcina, contra quam docuerit Gellius lib. 2. qui vult accipi pro loco in quo feræ vivæ paſcantur, quod

alias

alias leporarium, alias roborarium dicitur. In hac tamen ſignificatione non ſemel in authoribus legitur. Juvenal. Satyr. 4.

Non dubitaturi fugitivum dicere piſcem,
Depaſtumque diu vivaria Cæſaris.

Seneca lib. 14. epiſt. Ego vero philoſophiam judico non magis excogitaſſe has machinationes tectorum ſupra tecta ſurgentium, & urbes urbium prementium, quam vivaria piſcium in hoc clauſa, ut tempeſtatum pericula non adiret gula.

Quas eſurus erat.] Id eſt luxuriæ cauſa faciebat.

In hoc alebat, ut ſic aleret.] Ad exercendam crudelitatem.

Quam numerari inter publica mala.] Alii codices habent, inter publico malo natos, nihilo pejore ſenſu. Idem eſt enim, natos numerari inter publica mala, & numerari inter natos malo publico. Tranquil. in Nero. Domitii patris vox inter gratulationes amicorum, negantis quicquam ex ſe & Agrippina, niſi deteſtabile, & malo publico naſci potuiſſe. Ovid.

O mihi perpetuum nata puella malum.

Cap. XIX.

EXcogitare nemo quicquam poterit, quod magis decorum regenti ſit quam clementia, quocunque modo is, & quocunque jure præpoſitus cæteris erit. Eo ſcilicet formoſius id eſſe magnificentiuſque fatebimur, quo in majori præſtabitur poteſtate: quam non oportet noxiam eſſe, ſi ad naturæ legem componitur. Natura enim commenta eſt Regem, quod & ex aliis animalibus licet cognoſcere, & ex apibus, quarum Regi ampliſſimum cubile eſt, medioque ac tutiſſimo loco. Præterea onere vacat, exactor alienorum operum: & amiſſo Rege totum dilabitur examen. Nec unquam plus uno patiuntur, melioremque pugna quærunt. Præterea inſignis Regi forma eſt, diſſimiliſque cæteris, tum magnitudine, tum nitore. Hoc tamen maxime diſtinguitur, Iracundiſſimæ, ac pro corporis captu, pugnaciſſimæ ſunt apes, & aculeos in vulnere relinquunt. Rex ipſe ſine aculeo eſt. Noluit illum natura nec ſævum eſſe, nec ultionem magno conſtaturam petere, telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis Regibus ingens. Eſt enim illi mos exercere ſe in parvis, & ingentium rerum documenta minima agere. Pudeat ab exiguis animalibus non trahere mores, cum tanto hominum moderatior eſſe animus debeat, quanto vehementius nocet. Utinam quidem eadem homini lex eſſet, & ira cum telo ſuo frangeretur, nec ſæpius liceret nocere quam ſemel, nec alienis viribus exercere odia. Facile enim laſſaretur furor, ſi per ſe ſibi ſatisfaceret, & ſi mortis periculo vim ſuam effunderet. Sed ne nunc quidem illi curſus tutus eſt. Tantum enim neceſſe eſt timeat, quantum timeri vult, & manus omnium obſervet, & eo quoque tempore quo non captatur, peti ſe judicet, nullumque momentum immune habeat. Hanc aliquis ægram vitam ſuſtinet, cum liceat innoxium aliis, ob hoc ſecurum, ſalutarem potentiam ejus lætis omnibus tractare. Errat enim ſiquis exiſtimat tutum eſſe ibi Regem, ubi nihil à Rege tutum eſt ſed ſecuritas ſecuritate mutua paciſcenda eſt. Non opus eſt inſtruere in altum editas arces, nec in aſcenſum arduos colles emunire, nec latera montium abſcindere, multiplicibus ſe muris turribuſque ſepire. Salvum Regem in aperto clementia præſtabit. Unum eſt inexpugnabile munimentum, amor civium. Quid pulchrius eſt, quam vivere optantibus cunctis & vota non ſub cuſtode nuncupantibus? Si paulum valitudo titubavit, non ſpem hominum excitari, ſed metum? Nihil eſſe cuiquam tam pretioſum, quod non pro ſalute præſidis ſui commutatum velit? Omne quod illi contingit, ſibi quoque evenire deputet. In hoc aſſiduis bonitatis argumentis probavit non rempub. ſuam eſſe, ſed ſe reip. Quis huic audeat ſtruere aliquod periculum? Quis ab hoc non, ſi poſſit, fortunam quoque avertere velit? ſub quo juſtitia, pax, pudicitia, ſecuritas, dignitas florent? ſub quo opulenta civitas copia bonorum omnium abundat. Nec alio animo Rectorem ſuum intuentur, quam ſi dii immortales poteſtatem viſendi ſui faciant, intueamur venerantes colenteſque. Quid autem? non proximum illis locum tenet is, qui ſe ex deorum natura gerit beneficus, ac largus, & in melius potens? Hoc affectare, hoc imitari decet, maximum ita haberi, ut optimus ſimul habeatur.

POſtquam enumeravit per ſpecies eos qui aliis præſunt, oſtenditque debere ſe præſtare indulgentes erga eos quibus præfecti ſunt, nunc generali ſententia colligit eorum omnium præcipuam dotem eſſe clementiam, ſive ſit pater, qui filio imperet, ſeu præceptor diſcipulo, tribunus militi, aut dominus ſervo. Præcipue vero hoc ad Regem ſpectare, quod natura illi exemplar in apibus propoſuit, ad quod ſe componat.

Si ad naturæ legem componitur.] Ex diſciplina Stoicorum, qui naturam tanquam optimam ducem ſequi jubent.

Ex aliis animalibus.] Ut in gruibus, quæ unam ſemper ſequuntur ordine literario.

Quarum regi ampliſſimum cubile.] Mirum videri poſſit, cur Seneca poëticam hanc deſcriptionem ita per partes exequatur, cum nihil pene ad rem faciat. verum id data opera fecit, ut quandam Regis majeſtatem repræſentaret, ne videretur inepta comparatio. Quod dicit eſſe cubile medio ac tutiſſimo loco, id ſignificat Virg. eo carmine lib. 4. Georg.

Præterea Regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaſpes
Obſervat.

Et Plinius lib. 11. Mira plebei circa eum obedientia. Quum procedit, una eſt examen: circa eum conglobatur, cingit, protegit, cerni non patitur. Quum proceſſere, ſe quæque proximam illi eſſe cupit, & in officio conſpici gaudet.

Onere vacat exactor.] Virg.

Ille operum cuſtos, illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque frequentes:
Et ſæpe attollunt humeris, & corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.

Varro lib. 3 de re ruſt. Regem ſuum ſequuntur quocunque it, & feſſum ſublevant, & ſi nequit volare, ſubvolant &c.

Et amiſſo Rege totum dilabitur.] Virgil.

Rege incolumi mens omnibus una eſt,
Amiſſo rupere fidem.

Plinius, Duce prehenſo totum tenetur agmen, migrantque ad alios. eſſe utique ſine Rege non poſſunt.

Nec unquam plus uno.] In apibus Princeps unus eſt, inquit Hier. ad Ruſticum. Quod ſi propius contemplemur, hoc animal documento eſt, inſidam eſſe regni ſocietatem, nec regnum duos capere. ſiquidem duo Reges ita factionibus multitudinem diſtrahunt, ut ad totius ſobolis internecionem depugnare paratæ ſint, niſi prælium dirimatur altero ex Regibus interempto.

Præterea inſignis Regi forma eſt.] Columel. lib. 9. Sunt autem ii Reges majores paulo, & oblongi magis quam cæteræ apes, rectioribus cruribus, ſed minus amplis pinnis, pulchri coloris, & nitidi leveſque, &c. Virgil.

—— Hic melior inſignis & ore,
Et rutilis clarus ſquammis &c.

Iracundiſſimæ, & pro corporis captu.] Virgil.

Illis ira modum ſupra eſt, læſæque venenum
Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt
Affixa in venis, animaſque in vulnere ponunt.

Huc

Hoc alluſit Curtius in Alexandro. Temeritas eſt, inquit, quam adhuc pro virtute timuiſtis: quæ ubi primum impetum effudit, velut quædam animalia amiſſo aculeo turpet. Et Cicero pro Flacco. Mortuus eſt aculeo jam dimiſſo; ac dicto teſtimonio. Illud vero inter ſcriptores non convenit, ſtatimne infixo aculeo emoriantur, an tantum degenerent in fucos. Plinius lib. 18. Aculeum apibus natura dedit ventri conſertum. ad unum ictum hoc infixo, quidam eas ſtatim emori putant: aliqui, non niſi in tantum adacto, ut inteſtinum ſæpe aſſequatur: ſed fucos poſtea eſſe, nec mella facere. Vides magna illa ingenia, cum ſe tantopere in rebus minutulis torſeriut, ne de apum quidem ſpiculis conſentire. at illud noſtratibus ruſticis vulgare eſt, ſpiculum infixum non afferre mortem apibus, ſed ad mel faciendum inutiles reddere.

Rex ipſe ſine aculeo eſt.] Neque hoc citra controverſiam eſt, an Rex apum careat aculeo. Plinius. Non conſtat inter authores, Rex nullumne ſolus non habeat aculeum, majeſtate tantum armatus, an dederit eum quidem natura, ſed uſum illi tantum negaverit. Illud conſtat, Imperatorem aculeo non uti. Ariſtotelis & Columellæ eadem ſententia eſt, niſi quod verbis paulum diſcrepant. Ariſtoteles enim iii lib. de animal. affirmat habere, ſed exarmatum, nec pugnæ idoneum. Columella non ſpiculum, ſed pleniorem quaſi capillum vocat. Utcunque res habeat, hoc eſt quod vult Seneca, non eſſe datum Regi à natura aculeum ad nocendum efficacem, ne ſævus eſſet, aut ultionis appetens: quo exemplum Regibus proponeret, ne eſſent aculeati, hoc eſt in iracundiam & vindictam proclives.

Pudeat à parvis animalibus.] Quintil. in apibus pauperis. Dicam animal quodammodo parvum hominis exemplar?

Utinam eadem homini.] Id eſt, homines cum nocere alteri volunt, animam in vulnere ponerent, & damnum alienum ſimul ſuo malo compenſarent. Non ita eſſent ad nocendum protervi, ſi cogitarent ſe vitæ ſuæ diſpendio ad iram effundere.

Sed ne nunc quidem illi curſus.] Nunc per rhetoricam correctionem ſubjicit, non magis tutum hominibus quam apibus, vim ſuam ſæviendo exercere. Idque probat ſententia illa vulgo uſurpata. Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent. Itaque oportet ut qui aſſiduum terrorem incutit, ſingulis temporis articulis ſit de vita ſolicitus, & nova pericula in horas ſibi impendere cogitet. Cyprianus ad Donatum de tyran. Tam ille timere cogitur, quam timetur. Exigit pœnas pariter de potentiore ſublimitas, ſit licet ſatellitum manu ſeptus, & clauſum ac protectum latus numeroſo ſtipatore tueatur: quam ſecuros non ſinit eſſe ſubjectos, tam neceſſe eſt ut non ſit ipſe ſecurus.

Hanc aliquis ægram vitam ſuſtinet.] Exprobrat tyrannis ſuam miſeriam, cum poſſint ſibi facili ratione conciliare hominum animos, ſi volentibus, non invitis imperent.

Errat enim ſiquis exiſtimat.] Pendet ab altera ſententia. Neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent. Timet enim omnes, qui omnibus eſt cauſa timoris. Et illi eſt ab omnibus periculum, qui omnium ipſe periculum eſt. Idem eſt quod dicit Curt. lib. 9. Nullum ei ſatis fidum eſſe, quem metuat.

Securitas ſecuritate mutua.] Hac lege poterit ſibi Princeps ab omnibus ſecuritatem polliceri, ſi omnes ſecuros reddat. Plin. in Paneg. Habes amicos, quia amicus ipſe es. Neque enim ut alia ſubjectis, ita amor imperatur. Neque eſt ullus affectus tam erectus, & liber, & dominationis impatiens, nec qui magis vices exigat.

Non opus eſt inſtruere.] Quod tyranni faciunt, qui cum inter cives ſuos verſantur, quaſi ab hoſtibus obſideantur, vallo & caſtris ſe muniunt. Plutarchus in vita Arati, ejus verba refert ad Philippum, in hunc modum. Latrones ſaxa incolunt, & rupes, & præcipitiis ſe tutantur: Regi autem nihil fide ac benevolentia firmius aut munitius eſſe poteſt. Et Plinius de Domitiano loquens. Ille tamen quibus ſibi parietibus & muris ſalutem ſuam tueri videbatur, dolum ſecum, & inſidias, & ultorem ſcelerum Deum incluſit.

Arces.] Non negligenda eſt verbi proprietas. arx enim ſæpe dicitur ſedes tyranni, quemadmodum adnotavit Pædianus in divinationem.

Salvum Regem in aperto.] Hoc ſignificat Mimus Publianus. Bona comparat præſidia miſericordia.

Inexpugnabile munimentum, amor civium.] Pulchra acclamatio, quæ omnia complectitur. In hanc ſententiam Plinius in panegyr. Quanto nunc tutior, quanto ſecurior eadem domus, poſtquam non crudelitatis, ſed amoris excubiis, non ſolitudine & clauſtris defenditur. Ecquid ergo non diſcimus experimento, fidiſſimam eſſe cuſtodiam Principis, ipſius innocentiam? Saluſt. in Jugurt. Non exercitus, neque theſauri præſidia regni ſunt, ſed amici, quos neque armis, neque auro parare queas: officio & fide parantur. Hæc arx inacceſſa, hoc inexpugnabile munimentum, non egere munimento. Fruſtra ſe terrore ſuccinxerit, qui ſeptus charitate non fuerit. armis enim arma irritantur. Plut. in vita Arati. Vera ac ſtabilis civium benevolentia, optima Principis cuſtodia eſt. Antigonus etiam Demetrii pater, dicebat benevolentiam ſibi ſemper viſam optimum regni fundamentum, veriſſimumque præſidium.

Quid pulchrius quam vivere optantibus cunctis.] Hoc me hercule unum ſatis eſſe debeat Principi, quo ſe omnibus amabilem reddat: quod ita & vitæ ejus omnes uno conſenſu favent, & mors non caret publicis lachrymis.

Et vota nuncupantibus.] Pro ejus ſalute & proſperitate. Solebant enim ſtatis diebus ſolennia vota pro Romanis Imperatoribus nuncupare Magiſtratus & Sacerdotes: quæ in certam verborum formulam concipiebantur. Interdum etiam cum res poſtulabat, ſive Imperator ad bellum proficiſceretur, ſive ejus vita gravi morbo periclitaretur, quemadmodum ante Cæſarum monarchiam, Conſules magiſtratum inituri, aut ad bellum exeuntes, vota pro repub. nuncupabant. De votis ſolennibus, quæ calend. Januar. nuncupabantur, Tranquil. in Auguſt. Quo animadverſo vota quæ in proximum luſtrum ſuſcipi mos eſt, collegam ſuum Tiberium nuncupare juſſit. Idem in Nerone. Votorum nuncupatione, magna jam ordinum frequentia, vix repertæ Capitolii claves. De extraordinariis Livius lib. 10. Quem pœnitere votorum, quæ pro repub. nuncupaverint tot conſules plebeji, tot dictatores, aut ad exercitus euntes, aut inter ipſa bella? Tacit. lib. 12. Vocabatur interim ſenatus, votaque pro incolumitate Principis Conſules & Sacerdotes nuncupabant. Nuncupare vota eſt promittere, quod nos lingua vernacula dicimus facere votum. Cicer. Philip. 3. Ea vota quæ nunquam ſolveret, nuncupavit. Latinus Pacatus. Ego vota verborum, quæ ego nuncupaveram, ſoluturus, id oratione tempus afficiam, quo Romana lux cœpit. Jam & illud obſervandum, ut hunc locum intelligamus, poſtquam Conſules & Sacerdotes votorum nuncupationem certa verborum formula conceperant, populus eadem vota nuncupabat: quod voluit Ovid. hoc carmine Triſt. 2.

Optavi peteres cæleſtia ſydera tarde:
Parſque fuit turbæ parva precantis idem.
Et pia thura dedi pro te, cumque omnibus unus
Ipſe quoque adjuvi publica vota meis.

Non

Non ſub caſtode.] Ergo libera, & benevolo animo concepta. Hinc conjicio Nerones & Domitianos, & ejuſdem notæ Imperatores, ſolitos apponere cuſtodes civibus, ne vota in execrationem verterent. hujuſmodi autem vota ſervitutis magis & obſequii cauſa nuncupabantur, quam amoris & benevolentiæ. atqui ex animo bene volunt, & bene precantur ſuo Principi, non indigent cuſtode. Cuſtos pro obſervatore ponitur, quemadmodum apud Senecam lib. 2. de ira. Propinavit illi Cæſar heminam vini, & poſuit illi cuſtodem, unguentum & coronas miſit, & obſervare juſſit, an ſumeret. Et Suetonius in Tiber. Non ceſſavit flagitare aliquem cujuſlibet ordinis cuſtodem factis atque dictis ſuis. Vulgus noſtrum ſpeculatorem dicit. Cuſtodem antiqui vocabant ſubſcriptorem cauſæ, ſeu cauſidicum, qui adjuvabat oratorem ſubmiſſiori voce, illum admonens, ne laberetur. Cic. in divinat. Cuſtodem, inquit, Tullio me apponite. Quid? mihi quam multis cuſtodibus opus erit, ubi te ſemel ad meas capſas admiſero? qui non ſolum ne quid enuncies, ſed etiam ne quid auferas, cuſtodiendus ſis? Erant & cuſtodes, qui judicibus & quæſtori apponebantur cum ſententiæ tabellares in urnam conjiciebantur, quantum poſſum colligere ex loco Pædiani, ſinguli, inquit, judices, ſententiam de tabula pronuntiabant in levioribus cauſis, & ob id ipſum neque nota, neque cuſtode opus fuit. Poſſumus & cuſtodes appellare authore Budæo, quos Græci ἀντιγραφεῖς vocant, id eſt, antigrapharios, ſeu contrarotulatores. Quæ omnia ſignificata in idem recidunt.

Maximum ita haberi.] His etiam cognominibus adulabantur ſuis Cæſaribus Romani, in exemplum ſui Jovis, cui antiquitus indiderant hæc cognomina. Cicero lib. 2. de nat. deor. Jovem à majoribus opt. max. dictum tradit, quia majus eſt & gratius prodeſſe omnibus, quam opes maximas habere. Idem in orat. pro domo ſua. Quocirca te Capitoline, quem propter beneficia Pop. Rom. optimum, propter vim max. nominavit. Plin. in paneg. Jam quid tam civile, tam ſenatorium, quam illud additum à nobis optimi cognomen? juſtiſne de cauſis Senatus Populuſque Romanus optimi tibi cognomen adjecit? Paratum id quidem, & in medio poſitum, novum tamen. ſcias neminem ante meruiſſe quod non erat excogitandum, ſi quis meruiſſet. An ſatius fuit felicem vocare? quod non moribus, ſed fortunæ datum eſt? Satius magnum cui plus invidiæ, quam pulchritudinis ineſt? Ille parens hominum deorumque, optimi prius, deinde maximi nomine colitur. Quo præclarior laus tua, quem non minus conſtat optimum eſſe, quam maximum. Suet. in Calig. Compluribus cognominibus aſſumptis. Nam & pius, & caſtrorum filius, & pater exercituum, & opt. max. Cæſar vocabatur. Vide ut inter ſe diſſideant Tranquil. & Plin. quorum alter primo Trajano attributum optimi cognomen affirmat, alter etiam Caligulæ delatum tradit, qui multo ante Trajanum imperavit.

Cap. XX.

Duabus de cauſis punire Princeps ſolet, ſi aut ſe vindicat, aut alium. Prius de ipſa parte diſſeram, quæ ipſum contingit. Difficilius eſt enim moderari ubi dolori debetur ultio, quam ubi exemplo. Supervacuum eſt hoc loco admonere, ne facile credat, ut verum excutiat, ut innocentiæ faveat, ut appareat non minus rem agi rei periclitantis, quam judicis. Hoc autem ad juſtitiam, non ad clementiam pertinet. Nunc illum hortamur, ut manifeſte læſus animum in poteſtate habeat, & pœnam, ſi tuto poterit, donet: ſin minus, temperet, longeque ſit in ſuis quam in alienis exorabilior injuriis. Nam quemadmodum non eſt magni animi, qui de alieno liberalis eſt, ſed ille qui, quod alteri donat, ſibi detrahit: ita clementem vocabo non in alieno dolore facilem, ſed eum qui cum ſuis ſtimulis exagitetur, non proſilit, qui intelligit magni animi eſſe, injurias in ſumma potentia pati, nec quicquam eſſe glorioſius Principe impune læſo.

PArtitio hæc multam addit perſpicuitatem orationi, & majorem adderet, ſi totius operis ſummam complecteretur. Poterant enim ſub hæc membra convenire quæ toto opere diſputata ſunt. Quanquam non improbanda eſt Senecæ diſpoſitio: qui primum de re in genere diſſeruit, nunc in formam partitionis, quæ ſparſim dicta ſunt, digerit, & colligit. Nunc compendio explicemus partitionem. ſic dilemmate colligit. His duabus cauſis Princeps punit: aut ut injuriam ſuam ulciſcatur, aut alienam. Quantum ad primum membrum attinet, hoc illi præſtare poteſt vindicta. aut ſolatium illi affert acceptæ injuriæ, aut in reliquum ſecuritatem. Neutrum in Principem cadere debet. Non igitur licite punit, ut ſe vindicet. Minor probatur his rationibus, quod Principis fortuna major eſt, quam ut tali ſolatio egeat. Vis manifeſtior, quam ut inde opinionem ſibi virium quærat. & ſimilibus. De altero membro. Vindicantur aliorum offenſæ, aut ut qui intulit injuriam, pœna emendetur, aut ut alii exemplo deterreantur, aut ſublatis malis, ſecuriores boni vivant. Hæc tria melius præſtantur leviori pœna, quam graviori, igitur eſt ſummo jure decedendum. Deinde ſingula per partes exequitur.

Difficilius eſt moderari.] Quia tunc Princeps non ſe Principem reputat, ſed quaſi res ſit cum hoſte capitali, quicquid poteſt excogitare dolor, machinatur.

Supervacuum eſt hoc loco] Παράλειψις, ſeu præteritio, ubi quaſi prætermittentes quædam, nihilominus dicimus, ut hic ſe reticere fingit officia juſtitiæ, quod ad rem præſentem non faciant: ſed tamen interim judicem admonet, ut eorum rationem habeat.

Ne facile credat.] Quod fere ita comparatum eſt, ut aures quæ ſunt delatoribus patulæ, clauſæ ſint veritati. Cur autem Princeps accuſatori credat, cujus non conſcientia, quemadmodum ait Celſus, ſed victoria eſt præmium? Præclare ergo Julianus, qui Cepbidio accuſatori dicenti, Non poterit nocens quis eſſe uſquam, ſi negare ſuffecerit: reſpondit. Et quis innocens eſſe poterit, ſi accuſaſſe ſufficiet? Author Ammianus Marcellinus lib. 18. & Mimus Publii, Difficilem oportet autem habere ad crimina.

Ut verum excutiat.] Nihil conjecturis aut ſuſpicionibus tribuat, non litigantium verbis fidem arroget, ſed manifeſtis probationibus veritatem eliciat. Hanc ſententiam eleganti carmine complexus eſt Phocylides poëta Græcus:

μηδὲ δίκην δικάσῃς πρὶν ἀμφοῖν μῦθον ἀκούσῃς.

Innocentiæ faveat.] Semper innocentem habeat, quem manifeſte nocentem non deprehenderit, promptior ad abſolvendum, quam ad damnandum. quod etiam legibus conſtitutum eſt: quod ſanctius credatur impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem damnari.

Ut manifeſte læſus animum in poteſtate habeat] Hæc clementiæ ſunt, ut Princeps quas offenſas poteſt juſte vindicare, ultro condonet, & dolori ſuo imperet, ne ultionem concupiſcat. Dicimus animum in poteſtate habere, quum nullo affectu rapimur, & paſſionibus animi non ſumus obnoxii, propterea quod hujuſmodi perturbationes arbitrium nobis & voluntatis libertatem adimunt. Cato in oratione pro Rhodienſibus. Quo majore opere dico ſuadeoque, uti hæc res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in poteſtatem noſtram redeamus.

Quem-

Digitized by Google

Quemadmodum non eſt magni animi.] Aptiſſima comparatio. quemadmodum, inquit, hæc præpoſtera liberalitas, quæ aufert aliis, quod aliis largiatur, non eſt magno animo digna: ita hæc veniæ facilitas quæ alienas offenſas condonat, non eſt digna clementiæ titulo. Quum autem qui alieno diſpendio benefici videri volunt, in eadem ſint injuſtitia, ac in rem ſuam, alienam convertunt, nihil faciunt laude dignum. Vide Cicer. Offic. 1.

De alieno liberalis.] Hunc locum citat Eraſmus iu Chiliadibus inter proverbiales ſententias: cui ſimile eſt carmen Homeri Odyſ. ρ.

——— ἐπεὶ οὔτις ἐπίσχεσις οὐδ' ἐλεητὺς
Ἀλλοτρίων χαρίσασθαι.

Nam res largiri alienas nulla res vetat, neque vero vigent. Eadem verba repetit Senec. lib. 2. epiſt. Non eſt quod mireris animum meum, adhuc de alieno liberalis ſum. pro eodem Apul. lib. 7. Metamorph. dixit ludere de alieno corio. Contra Cicer. lib. 3. epiſt. Quum & natura ſemper ad largiendum ex alieno fuerim reſtrictior.

In alieno dolore facilem.] Id eſt indulgentem, & exorabilem, & ad ignoſcendum paratum, ut Servius interpretatur 2. Bucol. Virgil.

Et quo, ſed faciles Nymphæ riſere, ſacello.

Idem 4. Georg.

Tende petens pacem, & faciles venerare Napæas.

Tranquil. in Tiber. Is forte tunc M. Lolio offenſior, facilis exorabiliſque in vitricum fuit. Donat. in Adelph. Facilis, cujus ira cito ſolvitur. Clemens, qui uon cito iraſcitur.

C A P. XXI.

Ultio duas res præſtare ſolet: aut ſolatium affert ei qui accepit injuriam, aut in reliquum ſecuritatem. Principis major eſt fortuna, quam ut tali ſolatio egeat: manifeſtiorque vis, quam ut alieno malo opinionem ſibi virium quærat. Hoc dico, cum ab inferioribus petitus, violatuſque eſt. Nam ſi, quos pares aliquando habuit, infra ſe videt, ſatis vindicatus eſt. Regem & ſervus occidit, & ſerpens, & ſagitta. Servavit quidem nemo, niſi major eo quem ſervavit. Uti itaque animoſe debet tanto munere deorum, dandi auferendique vitam potens: in his præſertim quos ſcit aliquando ſuo faſtigio obſtitiſſe. Hoc arbitrium adeptus, ultionem implevit, perfecitque quantum veræ pœnæ ſatis erat. perdidit enim vitam qui debet: & quiſquis ex alto ad inimici pedes abjectus, alienam de capite ſuo regiamque ſententiam expectavit, in ſervatoris ſui gloriam vivet, pluſque nomini ejus conferet incolumis, quam ſi ex oculis ablatus eſſet. aſſiduum enim ſpectaculum alienæ virtutis eſt. in triumpho cito tranſiſſet. Si vero regnum quoque ſuum tuto relinqui apud eum potuit, reponique eo unde deciderat, ingenti incremento ſurgit laus ejus, qui contentus fuit, ex Rege victo nihil præter gloriam ſumere. Hoc eſt etiam ex victoria ſua triumphare, teſtarique nihil ſe quod dignum eſſet victoria apud victos inveniſſe. Cum civibus, & ignotis, atque humilibus eo moderatius agendum eſt, quo minoris eſt afflixiſſe eos. Quibuſdam libenter parcas, à quibuſdam te vindicare faſtidias, & non aliter quam ab animalibus parvis, & obterentem inquinantibus, reducenda manus eſt. At in his qui in ore civitatis ſervati puniti que erunt, occaſione notæ clementiæ utendum eſt.

Partitio hæc, ut diximus, ad primum membrum primæ ac præcipuæ partitionis referenda eſt, ubi Rex vult injurias ſuas vindicare. Vulgo ſubdiviſionem vocant. Argumentum eſt quod Rhetores vocant ex remotione, in quo tolluntur partes, ut totum quoque tollatur: ut hic. appetitur ultio ad ſolatium, aut ad ſecuritatem. neutrum Principi convenit. ergo uec vindicta.

Solatium affert illi.] Eadem partitione uſus eſt Cicero in orat. pro Cluent. Homines, inimicos ſuos morte affici volunt, vel quod metuunt, vel quod oderunt. Priorem partem attigit Calliſtra. l. capitalium. §. famoſos. ff. de pœnis. Ut ſolatio, inquit, ſit cognatis & affinibus interemptorum, eodem loco pœna reddita, quo latrones homicidia fecerunt. Et Ovid. Eleg. 1.

At tu ne dubita, minuet vindicta dolorem:
Unguibus in vultus protinus ire licet.

Aut in reliquum ſecuritatem.] Ad hanc partem eleganter alluſit Statius, quum metum odii parentem appellavit.

Principis major eſt.] Refellit, quod minime Regium ſit hoc ſolatii genus, quod humiles appetunt, ne adverſarii ſibi impune inſultent: Regis vero majeſtas extra controverſiam poſita ſit.

Opinionem.] Exiſtimationem, paſſive. id eſt, ut fidem ſuarum virium populo faciat. Cic in topic. In homiue virtutis opinio valet plurimum. Idem Cecinnæ. Tibi hanc ipſam opinionem ingenii apud ipſum plurimum profuturam. Idem in Saluſt. Velim mihi reſpondeat, numquid hi quos protulit Scipiones & Metelli ante fuerunt aut opinionis, aut gloriæ, quam eos res geſtæ ſuæ, & vita innocentiſſime acta commendavit.

Hoc dico cum inferioribus.] Rurſus hoc membrum dividitur. Aut vult Princeps injuriam vindicare, quam intulit inferior. atqui tali ſolatio minime eget, ut dictum eſt. aut vult offenſam ulciſci, qua à pari læſus eſt: ut ſi cum extraneo Principe bellum geſſerit, qui poſtea bello ſubjugatus, venerit iu ſuam poteſtatem: & hic ſatis vindicatus eſt fortunæ ac victoriæ ſuæ beneficio: quia qui par erat cum læderet, nunc illi ſubjectus eſt. ſubdit & alia in eandem rationem argumenta.

Regem & ſervus.] Eadem eſt ſeutentia, quam ſupra exequutus eſt. Quum Regis potentia ſit ſita in perdeudo, & ſervando, perdere, quod ſibi cum multis commune eſt, non magni æſtimet. Servare, quod vere Regium opus eſt & glorioſum, ſibi aſſerat. Exerceat ergo vim ſuam ſervando, potius quam perdendo.

Perdidit enim vitam qui debet.] Taugit locum illum communem, melius eſſe libero homini millies mori, quam obtinere vitam precariam: ut alterius arbitrio vivat, cui parcitum eſt.

In triumpho cito tranſiſſet.] Alludit ad antiquum morem Rom. triumphantibus ſolennem. Præcedebant enim currum victoris captivi hoſtes: & quum per viam publicam in pompa ducti eſſent, pœnas penſuri in carcerem conjiciebantur. Cic. Vert. 7. Quum de foro in Capitolium flectere currum incipiunt, captivos duci jubent iu carcerem: idemque dies & victoribus imperii, & victis vitæ finis fuit. Dicit igitur Seneca majorem laudem relaturum qui victis hoſtibus vitam indulgeat, quam ſi occidat: quod quamdiu vivent, teſtes erunt tuæ clementiæ. Pompa triumphi præterit, & ſtatim evaneſcit ex oculis hominum: nempe quæ ad horam ſpectetur.

Hoc eſt etiam ex victoria.] Modus loquendi venuſtiſſimus, victoriam ipſam vincere, ſeu de victoria triumphare. ſunt enim plerique qui vincere ſciunt, ſed parta victoria uti non poſſunt. abutuntur itaque ſuo bono, dum intemperanter exultant, & ſe ſupra modum efferunt, atque ut in ſumma dicam, vincuntur ipſi à ſua victoria. Qui ſe modeſte gerunt, ii vere ſunt victoria ſua majores.

C A P. XXII.

Digitized by Google

Cap. XXII.

Tranſeamus ad alienas injurias, in quibus vindicandis hæc tria lex ſequuta eſt: quæ Princeps quoque ſequi debet, aut ut eum quem punit, emendet: aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat: aut ſublatis malis, ſecuriores cæteri vivant. Ipſos facilius emendabis minore pœna. Diligentius enim vivit, cui aliquid integri ſupereſt. Nemo dignitati perditæ parcit. Impunitatis genus eſt, jam non habere pœnæ locum. Civitatis autem mores magis corrigit paucitas animadverſionum. Facit enim conſuetudinem peccandi multitudo peccantium, & minus gravis nota eſt quam turba damnatorum levat: & ſeveritas quod maximum remedium habet, aſſiduitate amittit authoritatem. Conſtituit bonos mores civitati Princeps, & vitia ejus compeſcit, ſi patiens eorum eſt, non tanquam probet, ſed tanquam invitus cum magno tormento ad caſtigandum veniat. Verecundiam peccandi facit ipſa clementia regentis. Gravior multo pœna videtur, quæ à miti viro conſtituitur. Præterea videbis ea ſæpe committi, quæ ſæpe vindicantur.

Hoc alterum membrum primariæ partitionis, quod ipſum in tres partes diſtribuitur, ut in his etiam particulatim ſeveritatem tollat, & inſinuet clementiam. Dicit igitur tria eſſe legibus obſervata in vindicandis alienis injuriis: quæ Principi eſſe propoſita debent, qui lex animata eſt, & quem hic ne tantillum quidem oportet dare affectibus, ſed omnia ex legis præſcripto agere. Quæ autem illa ſint, & cujuſmodi, breviter explicemus.

Ut eum quem punit emendet.] Illud enim vulgatum eſt, illecebram peccandi eſſe impunitatem. atque ut ait apud Sal. Memmius, Multo præſtat in repub. beneficii, quam maleficii immemorem ſore. Bonus tantummodo ſegnior fit ubi negligas, malus improbior. Corrigendi ſunt itaque pœna, qui alia ratione in viam reduci nequeunt, ne fiant effrenatiores licentia & corruptiores. ideo Solon dicebat remp. duobus contineri, præmio, & pœna. In quam ſententiam Plin. Præmia, inquit, bonorum & malorum, bonos & malos faciunt. Hoc genus pœnæ Græcis νουθεσία, καὶ κόλασις, καὶ παραίνεσις dicitur, quaſi Latine monitionem dicas, & animadverſionem. Sic ſcribit Gel. lib. 6. quum de his tribus puniendi cauſis loquitur eodem ſenſu quo Seneca: niſi quod in tertia diſcrepat. Vocat enim τιμωρίαν inductam ad tuendam ejus dignitatem authoritatemque, in quem peccatum eſt, ne prætermiſſa contemptum ejus pariat. quod tamen ſi propius animadvertamus, ad eundem finem accedit. Plato duas omnino cauſas refert, tertiæ non meminit: quam tamen non debuit negligere. ſcribit enim in Gorgia eſſe conveniens, ut qui plectitur, ab eo à quo punitur, melior fiat, aut ut exemplo cæteris ſit, qui videntes male affectum, præ metu contineantur. Et alibi. Supplicia & iis qui perferunt, & ſpectatoribus utilia eſſe oportet.

Aut ejus pœna cæteros.] Hæc ſpecies punitionis Græcis παράδειγμα, Latinis exemplum nominatur, quum pœna unius, metus eſt multorum, ut loquitur Gratian. & Valen. aa. in l. 1. C. ad l. Jul. rep. quam ob cauſam & pœnæ interdum plus ſolito exacerbantur, ait Claud. l. aut facta ff. de poen. Plutar. de ſera numinis vindicta. Sceleſtorum ſupplicia ideo maniſeſte cunctis oſtenduntur, quoniam vindictæ cum ratione inflictæ officium eſt, alios per aliorum animadverſiones compeſcere & cobibere. Cic. ad Brut. Neque tam ulciſcendi cauſa, quam ut & in præſens ſceleratos cives timore ab impugnanda patria deterrerem, & in poſterum documentum ſtatuerem, ne quis talem amentiam vellet imitari. Cic. offic. 1. Ac neſcio an ſatis ſit eum qui deliquit, facti ſui pœnitere, ut cæteri ſint ad peccandum tardiores.

Aut ſublatis malis ſecuriores.] Hæc pars prætermiſſa à Platone, ad quam tamen reſpexit Ulp. Juriſc. tit. de offic. præſid. Congruit, inquit, bono & gravi præſidi curare ut pacata & quieta provincia ſit quam regit: quod non difficile obtinebit, ſi ſolicite agat ut malis hominibus provincia careat, eoſque conquirat.

Ipſos facil. emendabis.] Quantum ad caſtigationem ejus in quem animadvertitur, oſtendit plus profici manſuetudine & clementia, quam extrema ſeveritate.

Impunitatis genus eſt.] Iſtud innuit Q. Curt. lib. 5. Nec mirari hominem mercede conductum omnia habere venalia, ſine pignore, ſine lare, terrarum orbis exulem, ancipitem hoſtem, ad nutum licentium circumferri.

Civitatis autem mores.] Quantum ad exemplum.

Facit enim conſuetudinem.] Sententia eſt quæ poteſt in utramque partem uſurpari. Quomodo enim multitudo peccantium conſuetudinem peccandi facit, niſi quod, ut ait Cic. epiſt 4. Quod exemplo fit, id etiam fieri jure putant? Quod ſi in aliquem prius animadverſum foret, minime exemplorum uſu culpam tuerentur, inquit Demoſthenes. In eundem ſenſum Cyprianus in epiſt. ad Donatum. Nullus de legibus metus eſt, de quæſtore, de judice, pavor nullus. quod poteſt redimi, non timetur. Eſſe jam inter nocentes innoxium, crimen eſt. malos quiſquis non imitatur, offendit. Conſenſere jura peccatis, & cœpit eſſe licitum, quod publicum eſt. Lucan. lib. 5.

Quicquid multis peccatur, inultum eſt.

Et Juven. Satyr. 2.

—— Faciunt hi plura: ſed illos
Defendit numerus.

Trahit autem argumentum in aliam partem Seneca; quod tum demum appareat quantus ſit delinquentium numerus, quum tam multi delinquentes puniuntur.

Conſtituit bonos mores.] Quippe infideli recti magiſter eſt metus, inquit Plin. in paneg. quod ex Cic. accepit. Ille enim in Antonium ſic. Quippe te bonum faciebat timor, non diuturni magiſter officii. Simile eſt illud Latini Pacati in paneg. Quieſcentibus legum minis ſubiit quemque privatim ſui pœnitentia. ſic eſt enim, ſic eſt, exaſperat homines imperata correctio, blandiſſime monetur exemplo.

Cap. XXIII.

Pater tuus plures intra quinquennium culleo inſuit, quam omnibus ſeculis inſutos accepimus. Multo minus audebant liberi nefas ultimum admittere, quamdiu ſine lege crimen fuit. Summa enim prudentia altiſſimi viri, & rerum naturæ peritiſſimi, maluerunt velut incredibile ſcelus, & ultra audaciam poſitum præterire, quam, dum vindicant, oſtendere poſſe fieri. Itaque parricidæ cum lege cœperunt, & illis facinus pœna monſtravit. Peſſimo loco pietas fuit, poſtquam ſæpius culleos vidimus, quam cruces. In qua civitate raro homines puniuntur, in ea conſenſus fit innocentiæ, & indulgetur velut publico bono. Putet ſe innocentem eſſe civitas, erit. Magis iraſcitur à communi frugalitate deſeſcentibus, ſi paucos eos eſſe videris. Periculoſum eſt, mihi crede, oſtendere civitati quanto plures mali ſint.

Probat ab exemplo quod dixerat, pœnarum immodica frequentia non tam corrigi ſæpe civitatis mores, quam in deterius prolabi.

Pater tuus.] Claudius Cæſar pater adoptivus, à quo

quo Nero inſtigante Agrippina adoptatus fuerat undecimo ætatis ſuæ anno. authores Tranq. & Tacit. Tranq. in ejus vita. Tormenta quæſtionum, pœnaſque parricidarum repræſentabat exigebatque coram.

Nefas ultimum.] Id eſt, deterrimum & ſceleroſiſſimum. Curt. lib. 5. Onuſtique præda per ſcelus ultimum parta, fugam intendunt. Idem lib. 6. Subeſt ſilentio facinus, & avida ſpes regni præcipitem animum ad ultimum nefas impulit. Ammian. Marcel. Nec viſum hominem nec auditum damnare, nefas ultimum ſæpe exclamans. Sic Fabius vocat nefas ultimum, præpoſteram venerem.

Summa enim prudentia altiſſimi viri.] Solonem intelligit, qui cum leges Athenienſibus tuliſſet, interrogatus cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eum qui parentem necaſſet, reſpondit ſe id neminem facturum putaſſe. Sapienter feciſſe dicitur, inquit Cicero qui de eo nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat: ne non tam prohibere, quam admonere videretur. Cujus imitatione Romulus, authore Plutarc. cum & ipſe leges conderet, nullam parricidii pœnam definire voluit, ſed omne homicidium vocavit parricidium, quod hoc impium ac nefarium, illud autem impoſſibile duceret. ac multa ſecula viſus eſt recte hujuſmodi facinus deſperaſſe. Nemo enim ſexcentis poſt annis tale ſcelus perpetravit. Sed poſt Annibalis bellum L. Hoſtius fertur primus patrem occidiſſe. Hæc Plutarch. in vita Romuli. Cui adverſatur Livius, quemadmodum indicat L. Flori epitome in lib. 68. ubi ſcribitur P. Malleolum primum omnium inſutum culleo matre interempta, in mare præcipitatum eſſe, C. Mario, niſi fallor, quintum Conſule.

Cap. XXIV.

INdicta eſt aliquando à Senatu ſententia ut ſervos à liberis cultus diſtingueret. Deinde apparuit quantum periculum immineret, ſi ſervi noſtri numerare nos cœpiſſent. Idem ſcito metuendum eſſe, ſi nulli ignoſcitur. Cito apparebit, pars civitatis deterior quanto prægravet. Non minus Principi turpia ſunt multa ſupplicia, quam Medico multa funera. Remiſſius imperanti, melius paretur. Natura contumax eſt humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens: ſequiturque facilius quam ducatur. Et ut generoſi atque nobiles equi melius facili freno reguntur, ita clementiam voluntaria innocentia impetu ſuo ſequitur, & dignam putat civitas, quam ſervet ſibi. Plus itaque hac via proficitur. Crudelitas minime humanum malum eſt, indignumque tam miti animo. Ferina iſta rabies eſt, ſanguine gaudere ac vulneribus, & abjecto homine, in ſylveſtre animal tranſire.

ET hic exemplo probat, quam non ſemper bonis ſecuritatem comparent malorum pœnæ.

Indicta eſt.] Quemadmodum Senatores ab equitibus diſcernebat latusclavus, & calceus lunatus, & rurſum equites à plebe differebant annulo aureo. Sed quo tempore, aut quibus Conſulibus factum ſit hoc Senatusconſultum, nuſquam me legere memini, nec temere reperiri poſſe affirmare auſim. Indicere pro denunciare verbum juris eſt, ut obſervavit Serv. in 5. Æneïd. Virgil.

Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.

Propert. lib. 4.

Indixit leges: reſpondi ego, legibus utar.

Quamvis alibi Serv. bellicum eſſe vocabulum tradat, in illud carmen Virg. Æneïd. 7.

Ergo iter ad Regem polluta pace, Latinum
Indicit primis juvenum.

Apparuit quantum periculum.] Ad id reſpexit quod proverbio fertur, tot domi hoſtes eſſe, quot ſervos.

Si ſervi noſtri nos numerare.] Nemo mirabitur hoc dixiſſe Senecam, qui animadverterit ad verba Plin. lib. 33. At nunc cibi quoque, inquit, & potus vindicantur annulo à rapina. Hoc profecere mancipiorum legiones, & in domo turba externa acta. ſervorum quoque cauſa nomenclator adhibendus. ſed aliter apud antiquos. Singuli marcipores, luciporeſque, dominorum gentiles, in promiſcuo victum habebant. Juvenal. Satyr. 3.

Protinus ad cenſum, de moribus ultima fiet
Quæſtio, quot paſcit ſervos, quot poſſidet agri
Jugera.

Item,

—— Magno hoſpitium mirabile, magno
Servorum ventres conſtant.

Et 7.

Reſpicit hoc primum qui litigat, an tibi ſervi
Octo, decem comites poſt te, an ſit ſella togati
Ante pedes.

Tacit. lib. 4. Jam trepida ob multitudinem familiarum, quæ gliſcebat immenſum, plebe ingenua. Et ejuſdem lib. 3. in literis Tiberii ad Senatum. Quid enim primum prohibere, & priſcum ad morem recidere aggrediar? Villarumne infinita ſpatia? familiarum numerum, & nationes? Et ne hic longius immoremur, unius hominis familia nos docebit, quam fuerit periculoſum civibus à ſervis ſuis numerari. Scribit enim Plin. lib. 31. in hunc modum. Claudius Iſidorus teſtamento dixit, quamvis multa civili bello amiſiſſet, relinquere tamen ſervorum quatuor millia, juga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris ducenta quinquaginta millia. Hinc collige quantos ſervorum greges poſſederint illi gurgites, Craſſi, Pompeji, Luculli, cum iſte nec celeberrimus nomine divitiarum, & bellorum cladibus exhauſtus, quatuor millia ſervorum reliquerit. Hæc eo libentius commemoravi, quod paſſim occurrant in authoribus ſerviles tumultus, qui ne ipſi quidem capitolio interdum pepercerunt.

Remiſſius imperanti.]

Qui vult amari, languida regnet manu,

inquit Seneca in Thebaid.

In contrarium atque arduum.]

Nitimur in vetitum ſemper, cupimuſque negata,

ait Ovidius. Et Auguſtin. in lib. de ſpiritu & litera. Ea quæ concupiſcimus, neſcio quomodo ardentius expetuntur, ſi vetantur.

Abjecto homine, in ſylveſtre.] Hac locutione ſolemus uti, cum volumus deſignare facinus homine indignum, & in quo ſe hominem non geſſerit qui perpetravit. Quid enim intereſt, inquit Cicero, utrum ex homine convertat ſe quis in belluam, an in figura hominis immanitatem gerat belluæ? Quintil. in paſto cadavere. Si quis adeo hominem exuit, ut ibi pœnam quærat ubi ſenſus doloris non eſt, nempe cadavera feris objiciet.

Cap. XXV.

QUid enim intereſt, oro te Alexander, leoni Lyſimachum objicias, an ipſe laceres dentibus tuis? Tuum illud os eſt, tua illa feritas. O quam cuperes tibi potius ungues eſſe? tibi rictum illum edendorum hominum capacem? Non exigimus à te, ut manus iſta, exitium familiarum certiſſimum, ulli ſalutaris ſit: ut iſte animus ferox, inſatiabile gentium malum, citra ſanguinem cædemque ſatietur. Clementia vocatur, ſi ad occidendum amicum carnifex inter homines eligitur. Hoc eſt quare vel abomi-

nanda ſit ſævitia, quod excedit fines, primum ſolitos, deinde humanos. Nova ſupplicia conquirit, ingenium advocat, inſtrumenta excogitat, per quæ varietur atque extendatur dolor, & delectetur malis hominum. Tunc ille diri animi morbus ad inſaniam pervenit ultimam, quum crudelitas verſa eſt in voluptatem, & jam occidere hominem juvat. Nam talem virum à tergo ſequitur everſio. Odio, veneno, gladiis, tam multis periculis petitur, quam multorum ipſe periculum eſt: privatiſque nonnunquam conſiliis, alias vero conſternatione publica circumvenitur. Levis enim & privata pernicies non totas urbes movet. Quod late furere cœpit, & omnes appetit, undique configitur. Serpentes parvulæ fallunt, nec publice conſequuntur. ubi aliqua ſolitam menſuram tranſiit, & in monſtrum excrevit, ubi fontes potu infecit, & ſi afflavit, deurit, obteritque, quacunque inceſſit, balliſtis petitur. Poſſunt verba dare, & evadere puſilla mala: ingentibus obviam itur. Sic unus æger nec domum quidem perturbat. at ubi crebris mortibus peſtilentiam eſſe apparuit, conclamatio civitatis ac fuga eſt, & diis ipſis manus intenduntur. Sub una aliquo tecto flamma apparuit, familia vicinique aquam ingerunt. At incendium vaſtum, & multas jam domos depaſtum, parte urbis obruitur.

Quid enim intereſt.] Ad illud referendum, quod in ſuperiori capite dixerat, abjecto homine in ſylveſtre animal tranſire, qui ſanguine gauderet & vulneribus: nunc per apoſtrophen ſeu averſionem ad Alexandrum, Quid intereſt, inquit, tuam ipſe crudelitatem exequaris, an dentibus leonis ſævias? &c. Hæc figura μετάβασιν dicitur Rutilio Lupo.

Lyſimachum.] Hic inter ſcriptores non convenit, quod multi affirmant Lyſimachum leoni objectum ab Alexandro: unus Q. Curtius eam opinionem refellit. Nam & ipſe Seneca alibi, & Valerius lib. 9. cap. de ira & odio, & Juſtinus lib. 15. conſentiunt objectum fuiſſe, ſed cum ad conſpectum ejus concitus leo impetum feciſſet, manum manipulo involutam in os ejus immerſiſſe, arreptaque lingua feram exanimaſſe. Curtii autem verba ſunt lib. 8. Inter quas cum leo magnitudinis raræ ipſum Regem invaſurus incurreret, forte Lyſimachus, qui poſtea regnavit, proximus Alexandro, venabulum objicere feræ cœperat. Quo Rex repulſo, & abire juſſo, adjecit, tam à ſemet quam à Lyſimacho leonem interfici poſſe. Lyſimachus enim quondam cum venaretur in Syria, occiderat eximiæ magnitudinis feram ſolus: ſed lævo humero uſque ad oſſa laceratus, ad ultimum periculi pervenerat. Id ipſum exprobrans illi Rex, fortius quam locutus eſt, fecit. Nam feram non excepit modo, ſed etiam uno vulnere occidit. Fabulam quæ objectum à Rege Lyſimachum temere vulgavit, ex eo caſu ortam crediderim. apud Plutarch. nulla mentio. At vero hoc Philoſophis & Oratoribus, quibus non eſt propoſitum perpetuam hiſtoriam texere, permittitur res dubiæ fidei prout locus poſtulat, in uſum ſuum accommodare. Quod tamen non ſemper obſervat Seneca. lib. enim 2. de ira, rem à nullo quod ſciam, memoriæ proditam, de Alexandro confinxit, admonitum matris epiſtola ut à veneno Philippi Medici caveret, acceptam ab eo potionem nihilo minus interritum bibiſſe: cum hanc epiſtolam non matris, ſed Parmenionis fuiſſe teſtentur Plutarch. & Arrianus inter Græcos, ex Latinis Curtius & Juſtinus.

Non exigimus à te.] Per modum conceſſionis gradatim procedit, donec ad id quod eſt maximum perveniat, quo majorem faciat invidiam. Eſtque amplificatio per ratiocinationem, ut docet Fabius libro 8. Non petimus ut alicui proſis, familiaribus tuis exitium afferre [illegible]litus, nedum extraneis. Non exigimus ne noceas, qui in omnium gentium clades natus es: verum ut modum aliquem adhibeas ſævitiæ, & uſitato more crudelis ſis. Tale eſt illud Veneris apud Virg. lib. 10. Æneid. quantum ad conceſſionem.

Nil ſuper imperio moveor: ſperavimus iſta
Dum fortuna fuit: vincant quos vincere mavis.
Si nulla eſt regio Teucris, quam det tua conjux
Dura, per everſæ genitor fumantia Trojæ
Excidia obteſtor, liceat dimittere ab armis
Incolumem Aſcanium, liceat ſupereſſe nepotem.
Æneas ſane ignotis jactetur in undis,
Et quæcunque viam dederit fortuna, ſequatur:
Hunc tegere, & diræ valeam ſubducere pugnæ.

Nam Jupiter & imperium, & victoriam, & ſalutem Æneæ promiſerat.

Exitium familiarium.] Nempe quæ Clytum inter epulas transfoderit, ex Macedone & libero pigre in Perſicam ſervitutem tranſeuntem. Nam Parmenionem, & ejus filium Philotam purpuratorum præcipuos, & duces primarios exercitus non ſua manu interfecit Alexander, ſed occidendos ſuis tortoribus dedit. Trogus libro 9. de eo & Philippo patre. Iram pater diſſimulare, plerumque & vincere. Hic ut exarſiſſet, nec dilatio ultionis, nec modus erat. regnare ille cum amicis volebat, hic in amicos regna exercere. amari pater, hic male metui.

Clementia vocatur.] Scite hunc locum repoſuit Eraſmus, ut cum Virgiliano carmine conveniat.

Si pereo, manibus hominum periiſſe juvabit.

Inſtramenta excogita per quæ varietur.] Non enim tyrannis ſatis eſt mortem infligere: ſed novas artes excogitant, quibus diu miſere langueant, quos tandem volunt perire: quo ſcilicet ſe mori ſentiant, ut ſolebat jactare Caligula. Lycus apud Senecam in Hercule furente.

Qui morte cunctos luere ſupplicium jubet,
Neſcit tyrannus eſſe. Diverſa irroga:
Miſerum veta perire; felicem jube.

Apud eundem Ægiſthus in Agamem.

Rudis eſt tyrannus, morte qui pœnam exigit.

Hinc taurus Phalaridis, & Neronis ludibria in Chriſtianos, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent.

Cum crudelitas verſa in voluptatem.] Quanquam enim Philoſophi non putant quemquam à naturali lege ita deſciſcere, ut animi cauſa malus ſit, neſcio tamen quomodo id uſu venit, ut gratuito ſint quidam mali tanta peccandi libidine inſanientes, ut hoc ipſum peccare delectet, etiamſi cauſa non ſit.

Serpentes parvulæ fallunt.] Ludit ſuo more aliquot ſimilibus, quæ omnia in eam ſententiam tendunt, quo latius graſſatur tyranni ſævitia, eo illi à pluribus metuendum eſſe.

Ubi aliqua menſuram.] Qualis illa quæ Romam miſſa eſt à Regulo, portentoſæ magnitudinis, & fidem exceſſuræ, niſi tot ſcriptores uno ore conſtanter affirmarent.

Balliſtis.] Balliſtarum variæ formæ erant antiquis, quemadmodum apparet ex lib. 6. 3. Decad. Liv. ubi balliſtæ majores & minores, ſicut ſcorpiones majores & minores, & item catapultæ. Hæc autem tria ſic inter ſe differunt, quod balliſta evibrantur lapides, quamvis interdum etiam ſpicula, ut docet Vegetius libro 4. Catapultæ, quantum poſſum intelligere ex Vitruvio, Veget. & Marcel. machinæ fuerunt multi artificii, quibus ſagittæ ejaculabantur, quæ tamen abierunt in deſuetudinem. Scorpiones latino nomine, neque forte improprio, appellare liceat ætatis noſtræ arcuballiſtas. Dicitur balliſta à verbo Græco βάλλω, quod eſt jacio.

Poſſunt

Digitized by Google

Poſſunt verba dare.] Quæ ſcilicet prius nocent, quam prævideri præcaverive poſſint. Verba dare, decipere eſt etiam ſine verbis, ut docet Gellius libro 17. Ex eo tractum, quod qui multa & magnifica pollicentur, nihil fere præſtant. Cic. Philip. 13. Scilicet verba dedimus, decepimus. ubi explicat quid ſit verba dare. Quadrigarius. Ea Lucani ubi reſciverunt per fallacias ſibi verba data eſſe. Seneca lib. 6. epiſt. Ne verba nobis dentur, & eſſe in illis aliquid magni ac ſecreti judicemus.

Cap. XXVI.

Crudelitatem privatorum quoque ſerviles manus ſub certo crucis periculo ultæ ſunt: Tyrannorum, gentes populique, & quorum erat malum, & ii quibus imminebat, excindere aggreſſi ſunt. Aliquando ſua præſidia in ipſos conſurrexerunt, perfidiamque, & impietatem, & feritatem, & quicquid ab illis didicerant, in ipſos exercuerunt. Quod enim poteſt ab eo quiſquam ſperare, quem malum docuit? Non diu apparet nequitia, nec quantum videtur peccat. Sed putas tutam eſſe crudelitatem, quale ejus regnum eſt? Non aliud quam captarum urbium forma, & terribiles facies publici metus. Omnia mœſta, trepida & confuſa. voluptates ipſæ timentur, non convivia ſecura ineunt, in quibus lingua ſolicite etiam ebriis cuſtodienda eſt. Non ſpectacula ex quibus materia criminis ac periculi quæritur. Apparentur licet, inquit, magna impenſa, & regiis opibus, & artificum exquiſitis nominibus: quem tamen è ludo in carcerem ire juvet? Quod iſtud dii boni malum eſt? occidere, ſævire, delectari ſono catenarum, & civium capita decidere? quocunque ventum eſt, multum ſanguinis fundere? aſpectu ſuo terrere ac fugare? Quæ alia vita eſſet ſi leones urſique regnarent? ſi ſerpentibus in nos, ac noxioſiſſimo cuique animali daretur poteſtas? Illa rationis expertia, & à nobis immanitatis crimine damnata, abſtinent ſuis, & tuta eſt inter feras ſimilitudo morum. Apud homines tamen nec à neceſſariis quidem rabies temperat ſibi: ſed externa ſuaque in æquo habet, quo poſſit exercitatior à ſingulorum deinde cædibus in exitia gentium ſerpere: & injicere tectis ignem, aratrumque vetuſtis urbibus inducere, potentiam putat: & unum occide aut alterum, parum imperatorium credit. niſi eodem tempore grex miſerorum ſubjectus ſtetit, crudelitatem ſuam in ordinem coactam putat. Felicitas illa, multis ſalutem dare, & ad vitam ab ipſa morte revocare, & mereri clementia civicam. Nullum ornamentum Principis faſtigio dignius pulchriuſque eſt, quam illa corona ob cives ſervatos. Non hoſtilia arma detracta victis, non currus barbarorum ſanguine cruenti, non parta bello ſpolia. Hæc divina potentia eſt, gregatim ac publice ſervare: multos autem occidere, & indiſcrete, incendii ac ruinæ potentia eſt.

Hoc toto capite partim colligit quam ſit periculoſum exercere crudelitatem & ſævitiam, cujus tot exiſtant vindices. partim etiam ſi maxime tutum ſit, oſtendit ita fœdam & horribilem per ſe crudelitatis faciem, ut hac ſola ratione execrabilis eſſe poſſit. Demum explicat quam longe abeſſe debeat à Principe immanis hic affectus: ruinæ & incendii potentiam eſſe, perdere: Principis majeſtatem conſtare ſalutem gregatim ac publice dando.

Crudelitatem privatorum.] Argumentum à minori. ſi enim ſervi, qui ita projecto ſunt animo, ut nihil egregium audeant, ulti ſunt privatorum crudelitatem, qui non longe lateque ſæviunt quam Principes, Idque ſub certo mortis periculo: cur non magis liberi, qui ad animoſa facinora nati ſunt, ulciſcantur tyrannorum ſævitiam, quæ tot populos & tot terras premit; cum id magna ſpe impunitatis facere poſſint? Memmius apud Saluſt. Servi ære parati injuſta imperia dominorum non perferunt: vos Quirites in imperio nati, ſervitutem toleratis?

Sed puta tutam eſſe.] Conceſſio ſeu permiſſio rhetorica.

Voluptates ipſæ timentur.] Hæc omnia tametſi in tyrannos conveniunt, ut in eos qui tyrannide premuntur, locus tamen poſtulat ut de iis intelligamus dici, qui ſub tyranno vivunt. quod ex ſequentibus facile perſpicitur.

Non convivia ſecura ineunt, in quibus lingua.] Nam ut ait Horat. in arte.

Reges dicuntur multis urgere culullis,
Et torquere mero, quem perſpexiſſe laborant
An ſit amicitia dignus.

Notum eſt & illud Plinii, Alii mortifera loquuntur, rediturasque per jugulum voces non continent.

Non ſpectacula ex quibus.] Bene dixit materiam criminis ac periculi peti ex ſpectaculis. Vix enim abſtinebant hiſtriones, quin locos inſignes ex tragœdiis aut attellanis torquerent in malos Principes, ſi in mores eorum cadere viderentur. quæ ſi excipetentur conſenſu & applauſu populi, & actores & ſpectatores rapiebantur ad pœnam. Pauca quædam exempli cauſa ſubjiciemus. Tiberio imperante, cum in attellanico exodio hircus vetulus capreis naturam liguriret, viſus eſt deſignari ligurítor Tiberius. Et ſpectante Imperatore Maximino, qui ſe ob vaſtitatem & robur corporis immortalem credebat, pronunciati ſunt verſus.

Et qui ab uno non poteſt occidi, à multis occiditur.
Elephas grandis eſt, & occiditur.
Leo fortis eſt, & occiditur.
Tigris fortis eſt, & occiditur.
Cave multos, ſi ſingulos non times.

Hinc factum eſt ut Principes mala conſcientia perculſi, quædam ad ſe pertinentia, quaſi de ſe dicta eſſent, prava ſuſpicione vindicarent.

Apparentur, inquit, licet.] Hæc in perſona cujuslibet civis, qui ſatius ducat omnino abſtinere à ſpectaculis, quam tanti redimere brevem lætitiam, ut de ludo in carcerem trahatur.

Quæ alia vita eſſet.] Exaggeratio à comparatione.

Illa rationis expertia.] Alia exaggeratio per contentionem. Hæc enim inter ſe componuntur, animalia rationis expertia, homo rationis particeps. illa immanitatis crimine damnata, homo ipſe qui damnat. illa abſtinere ſui generis animalibus, hominem non ſolum hominibus non parcere, ſed ne conſanguineis quidem. In eandem ſententiam Plinius lib. 7. Denique cætera animalia in ſuo genere probe degunt: congregari videmus, & ſtare contra diſſimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentium morſus non petit ſerpentes: ne maris quidem belluæ ac piſces, niſi in diverſa genera ſæviunt. at hercule homini ex homine plurima ſunt mala. Quintil. in paſto cadavere. Hoc non omnes feræ faciunt: & quamvis ſenſu careant muta animalia, pleraque tamen innocentibus cibis paſcuntur: (uti quoque conſuerunt inter homines) etiam ſi qua alienis membris imprimunt dentem, mutuo tamen laniatu abſtinent: nec eſt ulla ſupra terras adeo rabioſa bellua, cui non imago ſua ſancta ſit. Juvenal. Satyr. 15.

Sed jam ſerpentum major concordia, parcit
Cognatis maculis ſimilis fera. quando leoni
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tygris agit rapida cum tygride pacem.
Perpetuam ſævis inter ſe convenit urſis.

Horat in Epod.

Non hic lupis mos, nec fuit rapacibus
Unquam, niſi in diſpar, feris.

Auguſtin. quoque lib. 12. de civit. Neque enim unquam inter ſe leones, aut inter ſe dracones, qualia inter ſe homines, bella geſſerunt.

Abſtinent ſuis.] Varia eſt hujus verbi ſyntaxis in hac ſignificatione. Livius lib. 1. Duobus Æneæ Antenoreque omne jus belli Achivos abſtinuiſſe. Horat. car. 3.

—— Abſtineto,
Dixit, irarum calidæque rixæ.

Livius lib. 21. Et Annibali denunciarent, ut à Saguntinis populi Romani ſociis abſtineret. In quibus ſingulis exemplis ſyntaxis variat. Qua autem forma hic Seneca dixit abſtinere ſuis, Livius dixit temperare. Templis, inquit, tantum deûm (ita enim ab Rege edictum fuerat) temperatum eſt.

Immanitatis crimine damnata.] Plena eſt locutio, ſicut apud Ovid. Faſt. 6.

Vixit, ut occideret damnatus crimine regni.

Et Cicero Verr. 7. Nomine ſceleris conjurationiſque damnati, ad palum alligati, ad ſupplicium traditi. Quum enim dicimus judico, damno, arguo, accuſo te cædis, ſubauditur crimine vel cauſa, vel aliquid ſimile. quod ad imitationem Græcorum dici author eſt Serv. comment. 11. Æneïd. Illi enim quum dicunt [illegible] [illegible], ſubaudiunt [illegible]. Quod vero dixit Cicero Philip. 2. minus uſitatum eſt. Licinium, inquit, Lenticulam de alea condemnatum colluſorem ſuum reſtituit. quaſi dicas condemnari de crimine.

In æquo habet.] Æque exiſtimat, nihilo ſe humanius gerens erga neceſſarios, quam extraneos. Habere enim, æſtimare interdum ſignificat. Saluſt. Catil. Neque cuiquam mortalium injuriæ ſuæ parvæ videntur. multi eas gravius æquo habuere.

Aratrum vetuſtis urbibus inducere.] Periphraſtice deſignat urbium ſubverſionem, quibus condendis & evertendis conſuetudo fuit adhibere aratrum. Virg. Æneïd. 5.

Interea Æneas urbem deſignat aratro.

Horat. car. 1.

Iræ Thyeſten exitio gravi
Stravere, & altis urbibus ultimæ
Stetere cauſæ, cur perirent
Funditus, imprimeretque muris
Hoſtile aratrum exercitus inſolens.

In ordinem coactam.] Id eſt: in privatum modum, & quaſi unius è populo. tracta, ut quidam volunt, metaphora à diſciplina militari, qua milites gregarii in ſuum quiſque locum & ordinem coguntur. Priſcian. lib. 18. In ordinem coactus, inquit, inter viles & abjectos numeratus. Liv. lib. 6. Aut huic rogationi qua ſe in ordinem cogi videbat, obſiſtere potuit: aut ne illas quidem, propter quas & hæc lata erat, impedire.

Mereri clementiam civicam.] Quo facilius hujus loci ſenſum aſſequatur lector, ſic paucis accipiat, civicam coronam donari antiquitus ſolitam ei qui civem in prælio ſervaſſet, quaſi teſtem vitæ ſalutiſque receptæ. Ideo è fronde querna componebatur, quod cibus vetuſtiſſimus querceus fuerit, inquit Gellius. Addit Plutarchus alias rationes, tum in problematis, tum in vita M. Coriolani: ſeu quia Jovi ſacrata eſt quercus, ſeu quod facilem militi cibum tum paſſim, tum promptius exhibet: ſeu quia inter omnes ſylveſtres arbores fertiliſſima, ex qua cibus glandes, potus mulſum, obſonium feræ atque alites glandibus paſtæ. fiebat & ex ilice, quod genus ſuperiori proximum eſt. Jus autem civicæ non temere permittebatur, niſi is qui ſervatus erat, agnoſceret ſuum Servatorem. qui tamen ſi non ingenue fatebatur, legibus cogebatur ad hanc confeſſionem, ut teſtatur Cicero in oratione pro Plancio. Lucanus lib. 1.

Servati civis referentem præmia quercum.

Ad hanc ſimilitudinem Cæſaribus etiam deferebatur nomine civitatis, quaſi generis humani Servatoribus. eratque in poſtibus palatii ſuſpenſa quaſi inſigne clementiæ. Quod hic obiter deſignare voluit Seneca. Valer. lib. 2. Cæterum ad quercum pronæ manus porriguntur, ubi ob cives ſervatos corona danda eſt, qua poſtes auguſtæ domus ſempiterna gloria triumphant. Ovid. Triſt. 3.

En domus hæc, dixi, Jovis eſt: quod ut eſſe putarem,
Augurium menti querna corona dabat.

Paulo poſt.

Cauſaque ſuppoſitæ ſcripto teſtante coronæ
Servatos cives indicat hujus ope.

Quod autem hic Seneca civicam dixit ſine adjecto, locutio eſt authoribus familiaris, cujus multa exempla apud Plinium & Suetonium. Virgil. præter aliorum morem civilem dixit, Æneïd. 6.

At qui umbrata gerunt civili tempora quercu.

Non hoſtilia arma detracta.] Quaſi diceret nullum triumphum æquiparandum hujus coronæ decori: quemadmodum Scipio dictabat ſe malle unum ſervare civem, quam mille hoſtes occidere.

Hæc divina potentia.] Hoc ſchema Rhetoribus [illegible] vocatur, duas res aut plures quæ videntur unam vim habere, disjungens.

L. ANNÆI

Digitized by Google

L. ANNÆI SENECÆ
AD
NERONEM CÆSAREM
DE CLEMENTIA
LIBER SECUNDUS.

CAPUT PRIMUM.

UT de clementia ſcriberem, Nero Cæſar, una me vox tua maxime compulit: quam ego non ſine admiratione & cum diceretur audiſſe memini, & deinde aliis narraſſe. Vocem generoſam, magni animi, magnæ lenitatis, quæ non compoſita, nec alienis auribus data ſubito crepuit, & bonitatem tuam cum fortuna tua litigantem in medium adduxit. Animadverſurus in latrones duos Burrus præfectus tuus, vir egregius, & tibi Principi notus, exigebat à te, ſcriberes in quos, & ex qua cauſa animadverti velles. Hoc ſæpe dilatum, ut aliquando fieret inſtabat. Invitus invito cum chartam protuliſſet, traderetque exclamaſti, Vellem neſcirem literas. O dignam vocem quam audirent omnes gentes quæ Romanum imperium colunt, quæque juxta jacent dubiæ libertatis, quæque ſe contra viribus aut animis attollunt. O vocem in concionem omnium mortalium mittendam, in cujus verba Principes Regeſque juramentum faciant. O vocem publica generis humani innocentia dignam, cui reddetur antiquum illud ſeculum. Nunc profecto conſentire decebat ad æquum bonumque expulſa alieni cupiditate, ex qua omne animi malum oritur: pietatem, integritatem cum fide ac modeſtia ſurgere: & vitia diuturno abuſa regno, tandem felici ac puro ſeculo dare locum.

PRoœmium eſt non longe diſcrepans à procemio libri ſuperioris, non quo adhortetur Neronem ut clementiam diſcat, ſed ut ſui ſimilis eſſe pergat. Idque laudantis ſpecie magis quam præcipientis: qua ratione demulcendi ſunt Principes, quorum aures veritati delicatæ, acriorem diſciplinam non ferunt. Eſt autem hic liber, quod Eraſmo quoque viſum eſt, partim conciſus, partim mutilus: ut non facile quis credat ſic compoſitum à Seneca, ut nunc in manibus habetur. Neque tamen peſſime nobiſcum actum eſt, quod ſaltem ad nos qualiſcunque pervenit. Videtur autem longe aliud fuiſſe propoſitum Senecæ in hoc libro quam in priori. Nam quum illum accommodaret ad ſenſum popularem, hunc Stoicorum paradoxis & ſcholaſticis argutiis totum aſperſit.

Una me vox tua.] Hujus rei author eſt Tranquillus, hoc tantum à Seneca differens, quod admonitum ſcribit, ut de ſupplicio cujuſdam capite damnati ex more ſubſcriberet.

Quæ non compoſita.] Id eſt ad oſtentationem aut ſimulationem artificio conficta: quod orationes arte compoſitæ, fere captioſæ ſint, & ad fallendum præparatæ: ſicut contra, veritatis ſimplex oratio dicitur. Saluſt. in Jugurth. Non ſunt compoſita verba mea, parum id facio.

Alienis auribus data ſubito.] Id eſt: in gratiam audientium prolata, ſic ut nil aliud quam aures deleniret. C. Trebonius epiſt. Cicer. lib. 12. Noli putare mi Cicero me hoc auribus tuis dare. Quaſi diceret vocem hanc Neronis ex alto animo profectam, & intimo affectu.

Burrus præfectus tuus.] Hic eſt Afranius Burrus, cujus Tacitus & Tranquillus meminerunt, imperatoriæ juventæ cum Seneca moderator primo illo quinquennio, quo adeo egregium Principem Nero præſtitit. Cui poſtea Nero remedium ad fauces pollicitus, toxicum miſit, quo ſcilicet facilius ſine tali teſte & arbitro inſaniret. Vir prorſus & militaribus factis, & juſtitia inſignis.

Præfectus tuus] Præfectum prætorio intelligit: quæ dignitas Romæ ſub Cæſaribus erat primaria: quod ipſum comprobant Juriſconſulti Aurelius, & Pomponius: quorum ille inſtar Magiſtri equitum Præfectum prætorio eſſe ſcribit. hic officium ejus tale fere eſſe tradit, quale Tribuni Celerum apud Reges, apud Dictatores Magiſtri equitum. Erat autem Magiſter equitum ſecundæ poteſtatis, ſi Dictator adeſſet: illo abſente, primæ: ut docet Plutarch. in Antonio. Hæc ſententia Andreæ Alciato Mediolanenſi non placet, quia refragatur conſtitutioni quæ eſt ſub tit. de præfect. prætorii ſive urbis, lib. 12. C. quæ Præfectum prætorio æquat dignitate Magiſtris equitum ac peditum. quo argumento colligit diſcretos fuiſſe Magiſtratus. Id vero quale ſit, diſpiciamus. Primum putat, regnante Romulo, eum qui præerat prætorio, ſolitum etiam in bella prodire, dictumque Magiſtrum equitum. Hic velim ediſſerat nobis quis ille fuerit Magiſter equitum, qui præerat cohortibus prætorianis circa palatium Romuli: quem ne ipſe quidem Romulus, ut arbitror, noverat. Omnes enim conſentiunt vocatum fuiſſe, non Magiſtrum equitum, ſed Tribunum Celerum: & eos ipſos Celeres, prout res poſtularet, nunc equis, nunc pedibus bellare ſolitos. Subjicit paulo poſt, ubi Romanorum opes creverunt, diſtincta fuiſſe officia: ut Præfectus prætorio excubias ageret ad tuendam Principis ſalutem, Magiſter equitum contra hoſtes imperium tueretur. Hic bis terque lapſus eſt Alciatus. Nam fingit fuiſſe Magiſterium equitum, ſingularem aliquem Magiſtratum: quum illo ſeculo Magiſtri equitum promiſcue vocarentur, qui provincias cum exercitu regerent. Qua ratione dixit Ammian. Marcel. lib. 21. Magiſtrum peditum, & Ælius Spartia. magiſtrantem exercitum, pro regentem. Et ſi conſtitutionem illam errori ſuo prætendit, animadvertat in rubrica, ad quam conſtitutio referenda eſt, non Magiſtrum equitum, ſed Magiſtros militum & peditum legi, ac ſi dicas Præfectos exercituum, ſive illi Proconſules ſint, ſive Prætores, ſeu quocunque alio nomine vocentur. Ad hæc reſpondeat quæ volet Alciatus, modo ne ſub Albutii perſona ſcurriliter ludat. Nunc quæ de Præfecto prætorio ad hunc locum pertinent, expediamus. Magiſtratus fuit ſummus, ut dictum eſt, ſed à parvis initiis ad tantum faſtigium productus. Tradit Suet. Auguſtum certum numerum ex copiis militaribus partim in urbis, partim in ſui cuſtodiam allegiſſe, Et illos quidem in ſcriptoribus obſervavi vocari urbanos milites, hos prætorianos. Tacitus lib. 18. Sedecim prætoriæ, quatuor urbanæ cohortes ſcribebantur, queis ſingula millia ineſſent. lib. 17. Addit epiſtolas Fabius Valens nomine Germanici exercitus ad prætorias & urbanas cohortes, de viribus partium magnificas, & concordiam offerentes. Eodem lib. Tum legiones claſſeſque, & quod raro,

prætorianus urbanuſque miles in aciem deducti. Tranq. in Auguſto. Legavit prætorianis militibus ſingula millia nummorum, cohortibus urbanis quingenos, legionariis trecenos nummos. Quamobrem neſcio an probe verterit Politianus præfecti cohortibus urbanis, pro eo quod Herodian. dixit [illegible], cum de Plautiano loqueretur. & alibi, urbanas cohortes, quod Herod. dixerat [illegible], cum ſatis conſtet de prætorianis dictum. Jam prætorianæ cohortes diſperſæ per hoſpitia vagabantur, donec caſtra quibus continerentur, ad urbem Tiberius conſtituit: quæ caſtra prætoria vocantur ab Herod. lib. 4. ſimpliciter [illegible]. in iis caſtris ſigna habebant, ſed ſingulæ cohortes per vices excubabant, ac ſtationem habebant in palatio. Tranq. in Othone. Tulerat animus, poſt adoptionem ſtatim caſtra occupare, cœnantemque in palatio Galbam aggredi: ſed obſtitit reſpectus cohortis quæ tunc excubabat, ne oneraretur invidia, quod ejuſdem ſtatione & Cajus fuerat occiſus, & deſertus Nero. lib. 3. Herodiani Plautianus præfectus prætorio tribunum ſic alloquitur: Intrare tibi in cubiculum ubi ſomnum capiunt, ſoli nempe licet, redeunte vice nocturnæ cuſtodiæ &c. lib. 4. Simul imperat militibus palatii cuſtodibus, ut ſe in caſtra deducerent. lib 5. At illi animis rumore illo exulceratis indignabundi, neque ſolitam cuſtodiam miſerunt Antonino, & incluſi caſtris, videre Alexandrum velle in templo ipſo dictitabant. Cohortibus duos præfectos creavit Auguſtus. Sic enim interpretor apud Dionem [illegible]: quoniam Suidas pro eodem nunc [illegible], nunc [illegible] ponit. Herodianus libro 5. [illegible] id eſt corporis cuſtodes & haſtati, quos prætorianos vocant. Hoc tamen perpetuum non fuit: quia pro temporis ac rerum varietate, nunc unum fuiſſe, nunc duos præfectos legimus. Nam & Commodus poſt cædem Perennii duobus commiſit præfecturam, quo in partes diſſectam, imbecilliorem contra Principem redderet. Et multi Imperatores quum exercitum in hoſtem educerent, alterum ex præfectis prætorio ſecum habebant, alterum in urbe relinquebant: quum in urbe ſtarent, uno contenti. Hoc etiam ſilentio transmittendum non eſt, equites Rom. aſſumptos ex more fuiſſe in eam dignitatem, nec ante Senatori delatam, quam Titus in ſe reciperet, patre Veſpaſiano imperante. Author Plinius major, & Tranquil. Verum ſi Cornelio Tacito credimus, Artetinus Clemens ante eo officio functus fuerat, favore Mutiani, Senatorii vir ordinis, & domui Veſpaſiani per affinitatem iunexus. hiſt. lib. 20. Quin & id quod de Tito ſcribunt Plinius & Tranq. videtur Ælius Spartianus ignoraſſe, qui in Alexandro ad hunc modum tradit. Præfectus prætorio Senatoriam addidit dignitatem, ut viri clariſſimi & eſſent, & dicerentur: quod antea vel rarum fuerat, vel omnino non fuerat, eouſque ut ſiquis Imperatorem ſucceſſorem præfectum prætorio dare vellet, laticlaviam eidem per libertum ſubmitteret. Alexander autem ideo Senatores eſſe voluit præfectos prætorio, nequis non Senator de Romano Senatore judicaret. Addendum poſtremo & illud ex Julio Capitolino, Cæſares præfectis ſuis oſculum dare ſolitos honoris cauſa. Eo paulatim pervenerat poteſtas, militaris primum, deinde res civiles amplexa, quas libera juriſdictione & ſine provocatione adminiſtrabat, ut non dubitaverint plerique ex eo gradu adſpirare ad imperium, & Philippo etiam ſucceſſerit. Hoc etiam argumento ejus officii magnitudinem conjicere poſſumus, quod cum Gordianus nepos ſumma omnia in Miſitheum ſocerum deferre vellet, tantum non imperii participem, nihil habuit præfectura majus. Noſtris hominibus non aliter poſſum repræſentare, quam ſiquis Conſtabularii officium cum Cancellariatu jungat. Hæc pluribus quam ſtatueram.

In cujus verba Principes juramentum faciant.] Id eſt, in cujus verba conſentiant, & quaſi jurejurando conſpirent, Nerone ſcilicet verba præeunte, ipſis autem in verbâ concepta jurantibus. ſic Acron & Porphyrio accipiunt illud Horat. in Epod.

Quum tu magnorum numen læſura deorum,
In verba jurabas mea.

Hujus etiam locutionis ſignificationem evidenter oſtendit Livius lib. 7. Et ſuper lectum ſtans ferro intento, niſi in quæ ipſe concepiſſet verba, juraret, ſe patris ejus accuſandi cauſa concilium plebis nunquam habiturum, ſe eum extemplo transfixurum minatur. Is autem qui alteri verba concipit, dicitur in verba adigere. Ibidem Livius, Pavidus, inquit, tribunus adjurat in quæ adactus eſt verba. Gellius lib. 16. Quum delectus antiquitus fieret, & milites ſcriberentur, in jusjurandum eos tribunus militaris adigebat in hæc verba. Tacitus. Imminere Narbonenſi provinciæ in verba Vitellii adactæ &c. Eadem ratione dicitur jurare in nomen Principis, & jurare in Leges.

Cui redderetur antiquum illud ſeculum.] Quod illo ſeculo aureo, ſuopte ingenio adeo probe viverent homines, ut nihil legibus opus haberent, ut poſt Heſiodum omnes fere Poëtæ canunt. Hinc pro moribus Principum nunc aurea vocant ſecula, nunc ferrea. Virgil.

—— Redeunt Saturnia regna.

Item,

Et toto ſurget gens aurea mundo.

Et lib. 6. Æneïd.

Auguſtus Cæſar divûm genus aurea condet
Secula.

Carmen refertur à Suetonio in Tiberium jactatum.

Aurea mutaſti Saturni ſecula Cæſar:
Incolumi nam te ferrea ſemper erunt.

Cap. II.

FUturum hoc, Cæſar, ex magna parte ſperare & confiteri libet. Tradetur iſta animi tui manſuetudo, diffundeturque paulatim per omne imperii corpus, & cuncta in ſimilitudinem tui formabuntur. A capite bona valetudo: inde omnia vegeta ſunt atque erecta, aut languore demiſſa, prout animus eorum viget, aut marceſſit. Et erunt cives, erunt ſocii digni hac bonitate, & in totum orbem recti mores revertentur. Parcetur ubique manibus tuis. Diutius me morari hic patere: non ut blandiar auribus tuis: nec enim mihi hic mos eſt. Maluerim veris offendere, quam placere adulando. Quid ergo eſt propter quod bene factis dictiſque tuis quam familiariſſimum eſſe te cupio? ut quod nunc natura & impetus eſt, fiat judicium. Illud mecum conſidero multas voces magnas, ſed deteſtabiles, in vitam humanam perveniſſe, celebreſque vulgo ferri, ut illam, Oderint, dum metuant. Cui Græcus verſus ſimilis eſt, qui ſe mortuo terram miſceri ignibus jubet: & alia hujus notæ. At neſcio quomodo ingenia immania & inviſa, materia fœcundiori expreſſerunt ſenſus vehementes & concitatos. Nullam adhuc vocem audivi ex bono lenique animoſam. Quid ergo eſt? ut raro, invitus, & cum magna cunctatione, cum multis dilationibus.

QUod prius dixerat dignam eſſe vocem cui redderetur aureum illud ſeculum, ne populi qui ſub Romano imperio degebant, indigni eſſent tam bono Principe, id futurum promittit: ne

putet

putet ſua tantum intereſſe Nero, pietatem colere & manſuetudinem, ſed publicis quoque moribus plurimum conferre ac conducere: nempe quod ſolent homines vitam Principis æmulari, inquit Herodianus. Cicero libro tertio de legibus. Ut enim cupiditatibus Principum & vitiis infici ſolet tota civitas, ſic emendari & corrigi continentia. Neque tantum mali eſt peccare Principes, quanquam eſt magnum hoc per ſe ipſum malum quantum illud, quod permulti etiam imitatores Principum exiſtunt. quo perniciofius de Repub. merentur vitioſi Principes: quod non ſolum vitia concipiunt ipſi, ſed ea infunduot in civitatem: neque ſolum obſunt, quod illi ipſi corrumpuntur: ſed etiam quod corrumpunt, pluſque exemplo quam peccato nocent. Scribit etiam Plato, quales ſint in Rep. Principes, tales ſolere & reliquos eſſe cives. Idipſum proverbio Græco ſignificatur. Οἵα ἡ δέσποινα, τοῖαι καὶ θεραπαινίδες. Vita enim Principis, ut veriſſime ſcribit Plinius, cenſura eſt eaque perpetua. ad hanc dirigimur, ad hanc convertimur: nec tam imperio nobis opus eſt, quam exemplo. Cui ſimile eſt illud Ovid. Faſt. 5.

Sic agitur cenſura & ſic exempla parantur,
Cum judex alios quod monet, ipſe facit.

A capite bona valetudo.] Sumptum à Medicis, qui quum omnibus membris mutuam ineſſe ſympathiam conſentiant, caput tamen præcipuam vitæ ſedem tradunt: utpote à quo omnes nervi originem trahant: ut non immerito illud dictum ſit, caput io homine perinde eſſe atque radicem in arbore.

Parcetur ubique manibus tuis.] Hoc vero in primis curæ debet eſſe Principibus, qualem famam ac quale nomen habituri ſint ad poſteros. Nam ut maxime poſſint dum vivunt linguas omnium continere, mortui certe linguis non imperaut. Imo vero in eos ſub quibus minime licet, tum demum avidius effunditur quicquid uſquam eſt convitiorum, cum eorum morte parta libertas. Nullum, inquit Plinius in panegyr. eſt tempus, quo functorum Principum manes à poſterorum execrationibus conquieſcant.

Magnas voces.] Quæ in ſpeciem magnæ ſint & animoſæ, licet revera indignæ magno animo. Nihil eſt magnum Stoicis, quod non idem ſit bonum, & introrſus ſolidum. vide Senec. lib. 1. de ira.

Oderint, dum metuant.] Verba ſunt Atrei ex veteri tragœdia, ut dictum eſt lib. 1.

Cui Græcus verſus.]

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.

Trimeter eſt Jambicus, quem ſic latine vertere poſſis.

Me, miſceatur igne terra, mortuo.

Ab Eraſmo relatus inter parœmias, & quem proverbialem fuiſſe ſignificat Tranq. in Nerone, quem refert, quodam in ſermone communi verſum illum dicente, reſpondiſſe, ἐμοῦ ζῶντος. Ad hunc ſenarium alluſit Claudianus Ruffinum faciens ſic loquentem.

Everſo juvat orbe mori, ſolatia lethi
Exitium commune dabit.

Nec abſimilem ſententiam laudat ipſe Seneca natural. quæſt. lib. 6. Egregie, inquit, Vagellus meus in illo inclyto carmine.

Si cadendum eſt mihi, cælo cecidiſſe juvat.

Idem licet dicere, Si cadendum eſt, cadam orbe concuſſo. Non quia fas eſt optare publicam cladem, ſed quia ingens mortis ſolatium eſt, terram quandoque videre mortalem.

Et alia hujus notæ.] Ejuſdem generis, & rationis. ducta translatione à forma publica, qua nummi percutiuntur. Seneca Epiſt. lib. 5. cum vellet demonſtrare facta ac dicta ſapientis ejuſdem rationis eſſe, Reſpondeant, inquit, ſibi, & una forma percuſſa ſint. Idque quia, ut ait Paulus Juriſconſultus l. 1. ff. de contrahen. empt. Forma publica qua ſignantur pecuniæ, facit perpetuam æſtimationem. Seneca in Medea:

Quam levia fuerint, quamque vulgaris notæ,
Quæ commodavi ſcelera.

Seneca lib. 19. Epiſtol. Unicuique noſtrum pædagogum dari Deum, non quidem ordinarium, ſed hunc inferioris notæ.

Ut raro, invitus.] Hunc locum aliter legi in vetuſtiſſimo codice adnotavit Eraſmus, non tamen ſine mendo, ut ipſe arbitratur, & ego quoque exiſtimo. Debet enim eſſe oratio defectiva, in qua ſubaudiatur verbum principale: hoc ſenſu, ut raro, invitus, cum magna cunctatione, cum magnis dilationibus ſubſcribas in pœnas & ſupplicia. ſic enim fiet judicium, quod nunc eſt natura & impetus.

CAP. III.

ET ne forte decipiat nos ſpecioſum clementiæ nomen aliquando, & in contrarium aliquando abducat, videamus quid ſit clementia, qualiſque ſit, & quos fines habeat. Clementia eſt temperantia animi in poteſtate ulciſcendi: vel lenitas ſuperioris adverſus inferiorem, in conſtituendis pœnis. Plura proponere eſt tutius, ne una definitio parum rem comprehendat, &, ut ita dicam, formula excidat. Itaque dici poteſt & inclinatio animi ad lenitatem in pœna exigenda. Illa finitio contradictiones inveniet, quamvis maxime ad verum accedat. Si dixerimus clementiam eſſe moderationem, aliquid ex merita ac debita pœna remittentem: reclamabitur, nullam virtutem cuiquam minus debito facere. Atqui hoc omnes intelligunt, clementiam eſſe, quæ ſe flectit citra id quod merito conſtitui poteſt. Hanc contrariam imperiti putant ſeveritatem: ſed nulla virtus virtuti contraria eſt.

HOc capite nihil aliud agit, quam ut ponat certam definitionem clementiæ: quod ſe facturum ſecundo loco promiſerat in diviſione totius operis, ubi admonuimus alio eum proſequi ordine, quam proponeret. Id quam verum ſit, nunc lectoribus æſtimare promptum fuerit. Quanquam hoc etiam magis uſu receptum eſt, non ut ſecundo loco res definiatur, ſed ut omnis diſputatio habeat à definitione exordium. Cur aliter Senecæ viſum fuerit, mihi non conſtat.

Specioſum clementiæ nomen] Quod ſcilicet prætenditur in vitiis virtutes imitantibus, ut in miſericordia. Specioſum autem nomen eleganter dixit, pro colorato & fallaci prætextu. Ovid. Metamor. 7.

——Specioſaque nomina culpæ
Imponis Medea tuæ.

Cornel. Tacit. lib. 20. Cæterum libertas, & ſpecioſa nomina prætexuntur: nec quiſquam alienum ſervitium & dominationem concupivit, ut non eadem iſta vocabula uſurparet. Curt. lib. 7. Titulus facinoris ſpecioſus præferebatur, vindicta Darii. Quintil. Et dum oſtentare diſcipulos circa ſpecioſiora malunt, compendio morantur.

Clementia eſt temperantia animi.] Prima finitio, quæ non cohæret: quia non definit protinus clemens eſſe, qui non habet præſentem ulciſcendi poteſtatem: quem ſufficit ita animatum eſſe, ut ne accepturus ſit quidem vindictæ occaſionem, etiamſi ſe maxime offerat. Neque ſecunda multo melior: quum & par erga parem clementer ſe gerere poſſit, & inferior erga ſuperiorem: quum non de effectu, ſed de animi affectu quæratur.

Plura proponere.] Non vobis, ſed ut differentia latius pateat, & ad nomen clementiæ limitetur.

Formula excidat.] Id eſt, lege illa formali, quam dialectici in definitione exigunt, ut ad omnia pertineat in quæ cadere poteſt definitum, nec ad alia transſerri poſſit.

Inclinatio animi ad lenitatem.] Hæc ſola definitio omnibus numeris conſtat.

Huic imperiti contrarium ſeveritatem putant.] Nam quum omnis virtus ſit quædam mediocritas inter extrema, quorum alterum in defectum tendit, alterum in exceſſum, defectus quaſi ex diametro opponitur virtuti ad quam refertur, exceſſus virtutem magis imitatur. Hic ergo quæritur de extremo in defectum: quod putant quidam eſſe ſeveritatem: quos falli opinione oſtendit Seneca: quia ſeveritas eſt virtus, & pugnare inter ſe virtutes non poſſunt. Poſſunt enim eſſe diverſæ virtutes, non contrariæ: ut clementia & ſeveritas variam quidem habent rationem, ſed tamen ſimul ſtare poſſunt: unde & eadem habent extrema, variis rationibus. Crudelitas enim clementiæ eſt defectus, & exceſſus ſeveritatis: miſericordia vero defectus ſeveritatis, exceſſus clementiæ.

Cap. IV.

Quid ergo opponitur clementiæ? Crudelitas, quæ nihil aliud eſt, quam atrocitas animi in exigendis pœnis. Sed quidam non exigunt pœnas, crudeles tamen ſunt: tanquam qui ignotos homines & obvios, non in compendium, ſed occidendi cauſa occidunt: nec interficere contenti, ſæviunt: ut Buſiris ille, & Procruſtes, & Piratæ, qui captos verberant, & in ignem vivos imponunt. Hæc crudelitas quidem: ſed quia nec ultionem ſequitur, (non enim læſa eſt: nec peccato alicui iraſcitur, nullum enim anteceſſit crimen) extra definitionem noſtram cadit, quæ finitio continebat, in exigendis pœnis intemperantiam animi. Poſſumus dicere non eſſe hanc crudelitatem, ſed feritatem, cui voluptati ſævitia eſt. Poſſumus inſaniam vocare: nam varia ſunt genera ejus, & nullum certius, quam quod in cædes hominum & laniationes pervenit. Illos ergo crudeles vocabo, qui puniendi cauſam habent, modum non habent: ſicut in Phalari, quem ajunt non quidem in homines innocentes, ſed ſuper humanum ac probabilem modum ſæviſſe. Poſſumus effugere cavillationem, & ita finire, ut ſit crudelitas inclinatio animi ad aſperiora. Hanc clementia repellit longius à ſe: nam ſeveritatem illi convenire certum eſt. Ad rem pertinet quærere hoc loco, quid ſit miſericordia. Plerique enim ut virtutem eam laudant, & bonum hominem vocant miſericordem. Hæc autem vitium animi eſt. Utraque circa ſeveritatem circaque clementiam poſita ſunt, quæ vitare debemus, ne per ſpeciem clementiæ in miſericordiam incidamus. In hoc leviore periculo erratur: ſed par error eſt à vero recedentium.

Quoniam illud jam poſitum eſt, ſeveritatem opponi clementiæ non poſſe, ne virtutes inter ſe pugnent: habendum eſt vitium, quod ſit contrarium clementiæ. Erit autem crudelitas, ut ſit inclinatio animi ad aſperiora. Nam ſi dicatur atrocitas in pœnis exigendis, dabitur aliquid contrarium clementiæ, quod iſto nomine non contineatur. Qui enim ſine cauſa ſæviunt, crudeles quidem ſunt, nec tamen ſunt atroces in exigendis pœnis: quia pœnas exigunt, cauſam habent, ſed modum non ſervant.

Buſiris ille.] Rex Ægyptiorum, Neptuni & Libyæ filius, qui Thraſii conſilio hoſpites immolabat incognitos, & nullius criminis reos, ut eorum ſanguine pluviam eliceret, cujus penuria Ægyptus novem annis laboraverat. tandem ab Hercule interemptus, ut quidam tradunt. Nam Strabo lib. 17. fabulam eſſe putat quod de eo memoriæ proditum eſt.

Procruſtes.] Atticæ regionis latro, affectus à Theſeo eodem genere ſupplicii, quo multos prius affecerat. ſuppoſito enim lecto intendebantur corpora: quæ mutilabantur ſi majora erant lecto: aut vi trahebantur in parem magnitudinem ſi minora erant. nomen à [illegible], id eſt impello. Meminit Ovidius pluribus locis.

Inſaniam vocare poſſumus.] Videtur accepiſſe nomen inſaniæ pro furore, quemadmodum frequenter uſurpant ſcriptores: quamvis Cicero diſtinguat Tuſculan. 3 ut ſit Latinis inſania, quæ Græcis [illegible]: & nobis furor, quæ illis melancholia. ſed Celſus lib. 3. phreneſin vocat inſaniam, & tria facit phreneticorum genera.

Crudeles vocabo, qui cauſam habent.] Ne putes hoc eſſe frigidum Senecæ commentum, ſic Servius interpretatur crudeles pœnas, nimias & ſævas, non tamen indignas, in 6. Æneid. ubi ait Virgil.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas.

Sicut in Phalari.] Hic Agrigentinorum tyrannus, cui Perillus taurum æneum fabricavit: quo impoſiti noxii dum torrentur, tauri mugitum reddebant. Tandem univerſa Agrigentinorum multitudo in eum impetum fecit: quod neſciret modum pœnis ſtatuere. Hunc Seneca lib. de ira 2. inter eos ponit qui animi cauſa feritatem exercent in eos à quibus injuriam non acceperunt. Sed fallitur, quia aliter omnes ſcriptores prodiderunt, & ipſe ſecum pugnat, ut indicat hic locus.

Quid ſit miſericordia.] Hic de extremo in exceſſum agitur, nempe de miſericordia, quæ licet in ſpeciem conformis clementiæ appareat, quia tamen animi perturbationem ſecum fert, perdit nomen virtutis, ſecundum Stoicos. Longe alia extrema ponit Ariſt. Ethic. 4. ſed ex opinione Peripateticorum, qui paſſiones in ſapientem cadere volunt. Verum hæc melius proximo capite.

Bonum hominem vocant miſericordem.] Illud ſane nobis perſuaſum eſſe debet, & virtutem eſſe miſericordiam, nec bonum hominem eſſe poſſe, qui non ſit miſericors, quicquid in ſuis umbris diſputent otioſi iſti ſapientes: qui an ſapientes ſint neſcio, ut verbis Plinii utar: homines certe non ſunt. Hominis eſt enim affici dolore, ſentire, reſiſtere tamen, & ſolatia admittere, non ſolatiis non egere. Non immerito igitur aram Miſericordiæ antiquitus conſecrarant Athenienſes. Cicero pro Ligario. Nihil eſt tam populare quam bonitas, nulla de virtutibus tuis plurimis nec gratior nec admirabilior miſericordia eſt. Juvenalis Satyr. 15.

— Molliſſima corda
Humano generi dare ſe natura fatetur,
Quæ lacbrymas dedit: hæc noſtri pars optima ſenſus, &c.

Unde & illacbrymabilis, nomen eſt vitii apud authores. Horat. in Epod.

Non ſi trecentis quotquot eunt dies
Amice places illacbrymabilem
Plutona tauris.

Virgilius Æneïd. 4.

Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacbrymas victus dedit? aut miſeratus amantem eſt?

Pro miſericordia contra Stoicos lege Auguſt. lib. 9. & lib. 14. de civit.

In hoc leviore.] Utpote in exceſſu, qui majorem habet ſimilitudinem virtutis, quam defectus. Deinde quia melius eſt nocentem relinqui impunitum, quam innocentem puniri.

Sed par error.] Paradoxum Stoicorum, Peccare, eſt tranſire lineas: quod quum ſemel feceris, culpa commiſſa eſt. quam longe progrediare quum ſemel tranſieris, ad augendam tranſeundi culpam nihil pertinet.

Cap. V.

Ergo quemadmodum religio deos colit, ſuperſtitio violat: ita clementiam manſuetudinemque omnes boni præſtabunt: miſericordiam autem vitabant. Eſt enim vitium puſilli animi, ad ſpeciem alienorum malorum ſuccidentis. Itaque peſſimo cuique familiariſſima eſt. Anus & mulierculæ ſunt quæ lachrymis nocentiſſimorum moventur: quæ, ſi liceret, carcerem effringerent. Miſericordia non cauſam ſed fortunam ſpectat, clementia rationi accedit. Scio male audire apud imperitos ſectam Stoicorum, tanquam nimis duram, & minime Principibus Regibuſque bonum daturam conſilium. Objicitur enim illi quod ſapientem negat miſereri, negat ignoſcere. Hæc ſi per ſe ponantur, invisa ſunt. videntur enim nullam ſpem relinquere humanis erroribus, ſed omnia delicta ad pœnam deducere. Quod ſi eſt, quid in hac ſcientia, quæ dediſcere humanitatem jubet, portumque adverſus fortunam certiſſimam mutuo auxilio claudit? Sed nulla ſecta benignior leniorque eſt, nulla amantior hominum, & communibus bonis attentior: ut propoſitum ſit uſui eſſe aut auxilio, nec ſibi tantum, ſed univerſis ſingulisque conſulere. Miſericordia eſt ægritudo animi ob alienarum miſeriarum ſpeciem: aut triſtitia ex alienis malis concepta, quæ accidere immerentibus credit. Ægritudo autem in ſapientem virum non cadit. Serena enim ejus mens eſt, nec quicquam incidere poteſt quod illam obducat. Nihil æque hominem quam magnus animus decet. Non poteſt autem magnus eſſe idem ſi metus & mœror contundit, ſi mentem obducit & contrahit. Hoc ſapienti ne in ſuis quidem accidet calamitatibus, ſed omnem fortunæ iram reverberabit, & ante ſe franget: eandem ſemper faciem ſervabit placidam, & inconcuſſam. quod facere non poſſet, ſi triſtitiam reciperet. Adjice quod ſapiens providus eſt, & in expedito conſilium habet. Nunquam autem liquidum ſincerumque ex turbido venit. Triſtitia enim inhabilis eſt ad deſpiciendas res, utilia excogitanda, periculoſa vitanda, æqua æſtimanda. Ergo non miſeretur, quia & ſine miſeria animi facit cætera omnia quæ qui miſereatur.

Religio deos colit.] Quam habet proportionem ſuperſtitio ad religionem, eandem habet miſericordia ad clementiam: quemadmodum crudelitas in eadem eſt proportione ad clementiam, qua impietas ad religionem. Superſtitio autem vituperatur: ergo & miſericordia. Quintil. Ut à diligenti curioſus, ita à religione ſuperſtitio diſtat. Cic. lib. 2. de nat. deorum. Non philoſophi tantum, verum etiam majores noſtri ſuperſtitionem à religione ſeparaverunt. Nam qui totos dies precabantur & immolabant ut ſibi ſui liberi ſuperſtites eſſent, ſuperſtitioſi ſunt appellati: quod nomen patuit poſtea latius. Qui autem omnia quæ ad cultum deorum pertinerent, diligenter retractarent, & tanquam relegerent, ſunt dicti religioſi. Ita factum eſt alterum vitii nomen, alterum laudis. Non tamen omnibus recepta eſt etymologia quam verbo ſuperſtitionis dedit Cic. Nam Servius octavo comment. Æneïd. & Donat. in Andriam, ſuperſtitionem dictam putant, quod plerumque cadat hoc vitium in aniculas, quæ multis ætate ſunt ſuperſtites: Lucretius quaſi rerum nobis ſuperſtantium, hoc eſt cœleſtium inanem religionem. Idem etiam Servius in 12. Æneïd. quia ſuperſtet capiti omnis religio. quemadmodum de ipſo nomine religionis non conſentiunt cum Cicerone Lactantius & Macrobius, quorum alter à relegendo, alter à relinquendo derivat. Vide etiam quædam apud Auguſt. lib. 6. de civitat.

Scio male audire.] Priuſquam reddat rationem cur miſericordiam improbent Stoici, per modum [illegible] refellit eorum opinionem, qui id vitio vertunt Stoicis, quod ſint ſine affectu, & malorum alienorum ſympathia. Et ſane ut male loquantur, qui ita præciſe accipiunt Stoicorum dogma, quaſi nulli ignoſcant: ita ipſi invexerunt commentum argutum magis quam verum. Cicero multum effuſe in eos ludit in oratione pro Muræna. Fuit quidam, inquit, ſummo ingenio vir Zeno, cujus inventorum æmuli, Stoici nuncupantur. Hujus ſententiæ ſunt, & præcepta hujuſmodi: ſapientem gratia nunquam moveri, nunquam cujuſdam delicto ignoſcere: neminem miſericordem eſſe, niſi ſtultum & levem: viri non eſſe neque exorari, neque placari. ſolos ſapientes eſſe, ſi diſtortiſſimi ſint, &c. & multa in hanc ſententiam. & Horat. Sermonum 1. Bene audire, & male audire dicimus ex imitatione Græcorum, pro laudari, & vituperari. Cic. lib. 6. ad Attic. Qui me idcirco putent bene audire velle, ut ille male audiat, & recte facere non meæ laudis, ſed illius contumeliæ cauſa. Et lib. 10. Qui nos recte facere, & bene audire vult. Terent. in prolog. Phorm. bene dictis ſi certaſſet, audiſſet bene. & in Phorm. Si herum inſimulabis avaritiæ, male audies. Quintilian. in corpore projecto. Ubi virtus? ubi? periſti miſer, & male audis.

Miſericordia eſt ægritudo animi.] Hic totius rei cardo vertitur. Miſericordiam Stoici rejiciunt, quia eſt animi ægritudo. Paſſiones vero, quia animi ſtatum & tranquillitatem obturbant, ſemper vitioſæ ſunt: Igitur vitium eſt miſericordia. Saluſt. in oratione Cæſaris. Omnes homines qui de rebus dubiis conſultant, ab odio, amicitia, ira, atque miſericordia vacuos eſſe decet. Haud facile animus verum providet, ubi illa officiunt. Quintil. lib. 6. Nam cum iraſci, favere, odiſſe, miſereri cœperunt, agi jam rem ſuam exiſtimant: & ſicut amantes de forma judicare non poſſunt, quia ſenſum oculorum premit amor: ita omnem inquirendæ veritatis rationem judex amittit occupatus affectibus. æſtu fertur, & velut rapido flumini obſequitur. Ideoque ut idem Quintil. recitat lib. 5. Fuerunt & clari quidam authores quibus videretur ſolum oratoris officium, docere. Namque affectus duplici ratione excludendos putabant. Primum, quia vitium eſſet omnis animi perturbatio. Deinde, quia judicem à veritate depelli miſericordia, vel ira, ſimilibuſque non oportet. In eundem ſenſum miſericordiam definit Auguſt. lib. 9. de civit. licet aliis verbis. Quid autem eſt, inquit, miſericordia, niſi alienæ miſeriæ in noſtro corde compaſſio, qua utique ſi poſſumus, ſubvenire cogimur?

Ægritudo in ſapientem] Ægritudo, ut definit Cicer. lib. 4. Tuſc. eſt opinio recens præſentis mali, in quo demitti, contrahique animo, rectum eſſe videatur. Atque ut ægrotatio in corpore, inquit idem lib. 3. ita ægritudo in animo, nomen habet non ſemotum à dolore. Reperias tamen hæc duo verba ſæpe confuſa in authoribus, ut animi ægrotatio, & corporis ægritudo dicatur. Terent. in Phorm. Matrem ipſam ex ægritudine miſeram mors conſecuta eſt. Cic. Definiunt animi ægrotationem, opinionem vehementem de re non expetenda, tanquam valde expetenda ſit. Huic autem ægritudini, ut eſt animi contractio, opponitur εὐθυμία. id eſt, æquanimitas.

Serena enim ejus mens eſt] Hic etiam ſtatuit apathian & ἀναλγησίαν, ut nullus prorſus affectus ſapientem tangat. Quod an verum ſit, non eſt hujus propoſiti diſputare. Lege rationes quibus nituntur 3. & 4. Tuſcul. Cic. & lib. Senec. de ira.

Mentem obducit & contrahit.] Hominem enim animi ut diffunduntur lætitia, ita contrahuntur ægritudine. Cic. Tuſcul. 4. Eodem enim vitio eſt effuſio animi in lætitia, quo in dolore contractio. Idem in Lælio. Ut bonis amici quaſi diffundatur, & incommodis contrahatur. lib. 1. Epiſt. ad Q. fratrem.

Ne

Ne contrahas aut demittas animum, neve te obrui tanquam fluctu, ſic magnitudine negotii patiaris. Gell. lib. 19. Sapientis animum paulisper moveri, & contrahi, & palleſcere neceſſum eſt. Obducere dixit, quaſi nebulis obtenebrare.

In expedito conſilium habet.] Seneca ad Luc lib. 10. Conſilium ſub die naſci debet, imo ſub bora. hoc quoque nimis tardum eſt: ſub manu, ut ajunt, conſilium naſcatur. Pugnat autem conſilium promptum & expeditum habere, & paſſionibus transverſum agi. Illud enim rationem deſiderat bene compoſitam, hæ cum ratione ſtare non poſſunt.

CAP. VI.

VOlo facere libens, quæ alius animo faciet. Succurret alienis lacbrymis, non accedet. Dabit manum naufrago, exuli hoſpitium, egenti ſtipem, non hanc contumelioſam, qua pars major horum qui ſe miſericordes videri volunt, abjicit & faſtidit quos adjuvat, contingique ab his timet: ſed ut homo homini ex communi dabit. Donabit lacbrymis maternis filium, & catenas ſolvi jubebit, & ludo eximet, & cadaver etiam noxium ſepeliet. At faciet iſta tranquilla mente, vultu ſuo. Ergo non miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret, ſed proderit, in commune auxilium natus, ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem: etiam ad calamitoſos pro portione improbandos, & emendandos bonitatem ſuam permittet. Afflictis vero & fortius laborantibus multo libentius ſubveniet. Quotiens poterit, fortunæ intercedet. Ubi enim opibus potius utatur aut viribus quam ad reſtituenda quæ caſus impulit? Vultum quidem non dejiciet, nec animum. Cæterum omnibus dignis proderit, & deorum more calamitoſos propitius reſpiciet. Miſericordia vicina eſt miſeriæ, habet enim aliquid trahitque ex ea. Imbecilles oculos eſſe ſcias, qui ad alienam lippitudinem & ipſi ſuffunduntur. tam mehercule quam morbum eſſe, non hilaritatem, ſemper arridere ridentibus & ad omnium oſcitationem ipſum quoque os diducere. Miſericordia, vitium eſt animorum nimis miſeriæ faventium: quam ſiquis à ſapiente exigit, prope eſt ut lamentationem exigat, & in alienis funeribus gemitus. At quare non ignoſcet vacuus? Conſtituamus nunc quoque quid ſit venia, ut ſciamus dari illam à ſapiente non debere. Venia eſt pœnæ meritæ remiſſio. Hanc ſapiens quare non debeat dare, reddunt rationem diutius, quibus hoc propoſitum eſt.

SUccurret alienis lacbrymis, non accedet.] Hac re potiſſimum ſapientem ſuum cenſeri volunt Stoici, ſi velut ex editiſſima arce fortunam ſpectet in rebus humanis ludentem, & nihil ad ſe pertinere caſus ſuos aut alienos reputet: non doleat ſi quid ſibi parum lætum acciderit: nec aliorum lacbrymis compatiatur: ſed quia in commune bonum genitus eſt, quibus poteſt opem afferat, & quos poteſt opera & induſtria ſua ſublevet.

Dabit manum naufrago.] Id eſt manum porriget, ut illi auxilietur. quod frequentius dicitur porrigere. Quintil. in ægro redempto. Si duos pariter naufragia raperent, illi porrigerem manum, quem jam membrorum contentione laſſatum fluctus hauriret. Virgil. Æneïd. 6.

Da dextram miſero, & tecum me tolle per undas.

Quanquam & hoc reperitur. Quintil. lib. 2. Ut velociſſimus quiſque ſi forte iter cum parvulo faciat, det manum, & gradum ſuum minuat, nec procedat ultra quam comes poſſit. Alioqui dare manum eſt cedere.

Non hanc contumelioſam.] Advertant hic noſtri homines, quorum permulti longe abſunt ab hac ethnicorum philoſophorum manſuetudine: quos ſiquando contingat ſtipem pauperi erogare, quaſi parum ſit ex eorum dignitate in manum dare, contumeliæ cauſa abjiciunt.

Catenas ſolvi jubebit.] Ut ſi à piratis captus ſit, redimet, & aſſeret in libertatem.

Ludo eximet.] Aut gladiatorio, aut venatorio. Inſtituebantur enim ſervi, alii ad venationem, qui ad populi voluptatem cum feris in arena depugnarent: alii ad gladiaturam, qui per paria ſimul committerentur. Dicuntur autem gladiatores ac venatores ludo eximi, qui ex illa neceſſitate liberantur. quod etiam à ludo redimere dicitur. Quintil. lib. 8. Ut in eum quem ſæpius à ludo redemerat ſoror, agentem cum ea talionis, quod dormienti pollicem recidiſſet, Eras dignus ut haberes integram manum. Sic enim auditur, ut depugnares.

Fortunæ intercedet.] Honeſta tranſlatio. ut enim Conſulibus & Senatoribus intercedebant Tribuni, cum obſiſtebant illis, ſi plebem inſolenti imperio premerent: ita fortunæ intercedit, qui, ut vulgo loquimur, ſe opponit, & obviam it caſui, ut alterum tueatur à fortunæ injuria. Plinius junior. Intercedere caſibus, occurſare fortunæ. Exempla paſſim occurrunt apud Livium, & alios. Non video cur Eraſm. maluerit interdicere apud Tranq. in vita Tiber. ubi prius intercedere legebatur, in his verbis. Etiam virgo Veſtalis fratrem injuſſu populi triumphantem, aſcenſo ſimul curru, uſque in capitolium proſecuta eſt: ne vetare aut intercedere fas cuiquam Tribunorum eſſet.

Vultum non dejiciet, nec animum.] Quod Cic. nunc abjicere, nunc demittere dicit, Livius defigere. Libro primo. Silentium triſte ac tacita mœſtitia ita defixit animos, ut præ metu obliti quid relinquerent, quid ſecum ferrent, deficiente conſilio, &c.

Imbecilles oculos.] Facit ſimilitudinem à corpore ad animum. Si ſunt imbecilles oculi, qui ad alienam lippitudinem ſuffunduntur, ergo eſt imbecillis animus, qui ad alienam miſeriam movetur miſericordia. Hoc tamen naturaliter evenire tradit Alexander Aphrodiſeus in problem. quia oculi humecti ſunt & molles, atque affectibus expoſiti. Tum quia ſanitas ex habitudine modica, vitium ex immodica accidit. Quod igitur modicum, facilius ab immodico mutatur ac vertitur, quam contra. Ergo lippitudo quæ immodica quædam habitudo eſt, facile ſanitatem utpote modicam demutat. Fit autem mutatio naturali corporum inter ſe conſenſu.

Ad omnium oſcitationem ipſum os diducere.] Oſcitatio ab ore ciendo, id eſt commovendo dicta, ut docet Donatus in Andriam, provenit plerumque ex ſupina ſecuritate & ignavia. interdum tamen naturæ vitium magis quam hominis: unde oſcedo appellatur, ut meminit Gell. lib. 4. cap. ultimo. Et hoc naturale eſſe putat Alexander, ut qui oſcitantem videant, & ipſi oſcitent: quia natura animantium, maximeque ratione carentium, ſimilitudinum quendam conſenſum, itemque affectuum habet: atque ita fit ut mejente aſello, cæteri item mejant, cum ſint urina repleti.

Vacuus.] Id eſt, omni affectione & paſſione animi vel miſericordia vel ægritudine ſolutus ac liber. Cum enim ſine adjecto ponitur, id ſignificat. Ovid. Triſtium 2.

Aut ſi, quod mallem, vacuus fortaſſe fuiſſes.

Et in epiſtola Sapphus.

Proveniunt vacuæ carmina mentis opus.

Cicer. Verr 2. Animo cœpi multo magis vacuo ac ſoluto nihil aliud niſi de judiciis agere & cogitare.

Pœna meritæ remiſſio.] Controverſia in verbis eſt: de re quidem convenit. Cur enim qui veniam largitur, potius pœnam meritam remittere dicitur, quam ignoſcere, & quadam facilitate pœnam temperare? Deinde nihil obſtat quo minus clementia aliquid remittat quod ſeveritas jure & merito puniret. Poteſt igitur clementia meritam pœnam remittere, ſi id ex cauſa faciat.

CAP. VII.

Digitized by Google

CAP. VII.

EGo ut breviter tanquam in alieno judicio dicam, ei ignoſcitur, qui puniri debuit. Sapiens autem nihil facit quod non debet, nihil prætermittit quod debet. Itaque pœnam quam exigere debet, non donat: ſed illud quod ex venia conſequi vis, honeſtiore tibi via tribuit. Parcit enim ſapiens, conſulit, & corrigit. Idem facit quod ſi ignoſceret, nec ignoſcit: quoniam qui ignoſcit, fatetur aliquid ſe quod fieri debuit, omiſiſſe. Aliquem verbis tantum admonebit, pœna non afficiet, ætatem ejus emendabilem intuens. Aliquem invidia criminis manifeſte laborantem, jubebit incolumem eſſe: quia deceptus eſt: quia per vinum lapſus. Hoſtes dimittet ſalvos, aliquando etiam laudatos, ſi honeſtis cauſis, pro fide, pro fœdere, pro libertate in bellum acceſſerunt. Hæc omnia non veniæ, ſed clementiæ opera ſunt. Clementia liberum arbitrium habet: non ſub formula, ſed ex æquo & bono judicat: & abſolvere illi licet, & quanti vult æſtimare litem. Nihil ex his facit tanquam juſto minus fecerit: ſed tanquam id quod conſtituit, juſtiſſimum ſit. Ignoſcere autem eſt, quæ judicas punienda, non punire. Venia, debitæ pœnæ remiſſio eſt. Clementia hoc primum præſtat, ut quos dimittit, nihil aliud illos pati debuiſſe pronunciet. Plenior eſt ergo quam venia, & honeſtior. De verbo (ut mea fert opinio) controverſia eſt, de re quidem convenit. Sapiens multa remittet: multos parum ſani, ſed ſanabilis ingenii, ſervabit. Agricolas bonos imitabitur, qui non tantum rectas proceraſque arbores colunt, ſed illis quoque quas aliqua depravavit cauſa, adminicula quibus regantur, applicant. Alias circumcidunt, ne proceritatem rami premant. Quaſdam infirmas vitio loci, nutriunt. Quibuſdam aliena umbra laborantibus cælum aperiunt. Secundum hæc videbit perfectus ſapiens quod ingenium qua ratione tractandum ſit, donec in rectum prava flectantur.

QUidquid hic diſputat Seneca, uno verbo ſubverti poteſt. Non enim procedit argumentum: remiſit pœnam meritam, ergo prætermiſit quod facere debuit. pœnam enim condonavit cum laude clementiæ, quam cum laude ſeveritatis irrogare potuit: & qui talionem exigit ab authore injuriæ, nihil agit quod ille non meruerit: nec tamen prætermittit quod facere debuit, ſi injuriam inultam eſſe patitur.

Parcit enim ſapiens.] Hæc omnia eo ſpectant, ut oſtendat ſapientem clementiæ ſuæ cauſam poſſe reddere.

Non ſub formula judicat.] Id eſt ad: præſcriptum ſummi juris, quemadmodum judices, qui ex legum præſcripto pronunciant. Marcel. tit. de pœnis, lib. 48. ff. Reſpiciendum eſt judicanti ne quid aut durius, aut remiſſius conſtituatur, quam cauſa depoſcit. Nec enim aut ſeveritatis aut clementiæ gloria affectanda eſt, ſed perpenſo judicio, prout quæque res expoſtulat, ſtatuendum eſt. Quintil. lib. 5. Deprecatio rara admodum, & apud eos ſolos judices, qui nulla certa forma pronunciandi tenentur.

Quanti vult æſtimari litem.] Æſtimare enim litem, non ſolum eſt concipere concluſiones ad damna & intereſſe, ut loquuntur Pragmatici, ſed etiam criminaliter intendere: qua ratione dixit Cicero in orat. pro Cluentio, æſtimare litem capitis. Dicitur autem tam ipſe judex quam actor litem æſtimare. Plutarchus dicit Ciceronem accuſatorem in cauſa Verris litem æſtimaſſe ſeptingentis quinquaginta millibus ſeſtertiis. Gel. lib. 20. Æſtimata lite judex hominem pecuniæ damnabat. Clementia ergo æſtimat litem quanti vult: quia ejus ſententia non debet limitari ad actionis formulam.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google